image not available


R.7.
Sic propriis otiis
consuluit Anno 17

POLONICAE HI-
STORIÆ CORPVS:

HOC EST,

POLONICA-
RVM RERVM LATINI

recentiores & ueteres ſcriptores, quot-
quot extant, uno uolumine com-
præhenſi omnes, & in aliquot diſtri-
buti Tomos.

EX BIBLIOTHECA IOAN. PISTORII NIDANI D.

OPVS OMNIBVS PERNECESSARIVM, AD PERFECTE' COGNOSCENDAM REGIONIS POLONICAE, VICINARVM'QVE DITIO-
num deſcriptionem: & ad rerum à Polonis per omnes ætates geſtarum intelligendam hiſtoriam: & ſum-
matim ad eorum omnium compræhendendam notitiam, quæ uel ad terram, uel ad gentem,
uel ad res cæteras Poloniæ, & ſubiectarum cumq; Polonia continen-
tium prouinciarum, pertinent.



Cum Gratia & Priuileg. Cæſ. Maieſt.

BASILEÆ,
PER SEBASTIANVM HEN-
RICPETRI.

LIBERA ET PERVETV-
STA NOBILITATE, VIRTVTIS'QVE STVDIO
PRAESTANTISSIMIS VIRIS, D. MICHAELI
LVDVVICO A' FREIBERG IN IVSTINGEN, ET HVIVS FRATRI, FERDI-
NANDO A' FREIBERG IN OEPFINGEN, DOMINIS SVIS
omni obseruantia, studioq́ꝫ Colendiss.

CVM omnes laudare soleā, qui in conseruandis ueterū au-
thorū, scriptis de memoria superiorū temporū libris ope-
rā, diligentiamq́ꝫ ponunt suā: tùm præsertim eorū mihi lau
dabile uisum institutū semper fuit, qui multos unius gentis
aut prouinciæ, aut alterius rei scriptores, in unū compor-
tatos librū, una cōprehensione cōplectunt: & gestarū per
multas ætates uno aliquo in loco rerum, traditas à doctis
quāplurimis uiris, & cōsignatas in libris animaduersiones
sub unū subijciunt aspectū. Nam quia nulla in uniuersum
pars est historiæ: quæ quidē rectè & diligēter sit mandata
literis: quę magnis ingenijs & doctrina prēstātes uiros nō afficiat delectatione, & fru-
ctum de se in cōmunē uitam nō disseminet: profectò si quæ erit de tota aliqua re ple-
nè, cumulateq́ꝫ scripta historia, quę perfectā ac necessariā omniū, quæ cōsiderari & in-
quiri eiusmodi de re possunt, tractationē contineat: illa ut in tribuēda uoluptate & in
impartiēdo fructu plurimū antecellat, necesse est. Quādo uerò tales, aut paucę adhûc
in omni propemodū genere reperiūtur, aut omninò nullę existūt, quæ rem, de qua a-
gunt, per omnia ductā tempora suisq́ꝫ partib. completā & perfectā omnibus numeris
proponunt: sequitur ut proximā illi libri, &, ut in hac inopia nostra, amplissimā laudē
habeant, qui omniū seculorū scriptores, quorū ad unius prouinciæ historiā conuersa
industria & applicata occupatio fuit, in sese includūt, & copiosam materiā, ac ueluti syl
uam subministrāt, ex qua cædi arbores ad exædificandā perfectā historiā à considera-
tis & doctis, & exercitatis uiris possunt. Et quanquā historię essent planè absolutę &
perfectè ad summā dignitatē elaboratæ multę: quales paucæ esse uidētur: re, sicut ego
sentio, sunt nullæ: tamen quia illa ueritatis pręcipua laus florere in historijs debet, ne
quid falsi dicatur: & quæ de priscis tēporibus cōmemorantur, ut cōtestata à grauibus
uiris, & corroborata uetustate, tutari se contra hominū suspiciones & calumnias pos-
sint, operępretiū nihilominus esset, apponi ad recētiores scriptores, ueterū hominum
libros ad gignendā in lectoris animo fidem, & ad authoritatē rebus cōciliandā, quas
narrant. Cùm enim à duobus uel tribus factū unum eodē modo percensetur: præser-
tim, si illi, à quibus primū explicatū fuit, aut uixerunt, aut propinqui fuerunt istis tem
poribus, quib. gesta res est: aut alioquin spectati sunt & probati uiri: & habuisse uete-
res homines, ascriptores sentētiæ suæ uidentur: fit tùm ut multò firmior ad credendū
in animis infigatur opinio: & quæ partim dubia erāt, partim inuoluta obscuritate, illa
nunc confirmata testimonijs & tanquā illuminata uetustatis luminibus, fiant credibi
lia & perspicua. Sed, ut dixi, nos perfectè cōcinnatas historias nullas habemus: tan-
toq́ꝫ rectius & laudabilius faciunt illi, qui de bibliothecis suis, quæ multi de una gente
diuersis libris cōplexi, uarijs temporibus scripserunt, uno in cumulo, & uno in libro
cōponunt: nobisq́ꝫ uel speciē adumbrant, uel materiā prębent excellentis & perfectæ
historiæ: Qua in re tamē qui uersari laborē uolunt suum, non id solùm præstāt, ut ab-
solutæ historiæ locū expleant: sed etiā ornatum afferunt libris: & cōmodant non parū
lectori: magnamq́ꝫ à bonis, bonarumq́ꝫ literarū studiosis ineunt gratiā. Nā quemad-

modum merces, cũ exponunť, si consimiles uno in ordine & prope se collocetur, magnã dignitatẽ & delectationẽ pariunt: Disiectæ aũt & sparsim cõfusæ non pascũt, sed offendũt oculos, & deformẽ habẽt, planeꝙ turpẽ aspectũ: Sic cũ similes libri una continuatione, serieꝙ dispositi, simul offeruntur, necesse est, accrescere omnib. dignitatẽ, multoꝙ uideri iucũdiores, ꝙ si in quadraginta angulos disiũcti, uageꝙ dispersi essent

Posteà in hac cõiunctione librorũ, magna fit incredibilis laboris leuatio: cùm, quæ multo studio diuersis locis colligere & in unũ cõferre oporteret, hîc statim prompta omnia, primo cõspectu occurrũt, offeruntꝙ sese prius oculis, ꝙ penè quærantur: nec suspensum diu sinunt esse animũ: cũ constat, quę de ista re, explicata ab historicis sunt, uniuersa in hoc libro cõprehendi: & quæ desunt, uix iudicari ex alijs libris, aut constitui posse. Nã quanti sit negotij, quamꝙ plenũ fastidij & molestiæ: cũ ad rem sæpe unã cognoscendã comportare quadraginta diuersos ponderosos codices, & totã tabulã habere libris cõpletam, inꝙ illos omnes nõ solùm oculos circũferre: Sed etiã inijcere manus oportet: Contrà, quàm cõmodum sit, cùm in uno connexa & cõclusa, quæ ad rem pertinẽt, sunt omnia: credo nullũ esse in bonis literis diligẽter uersatũ hominem, qui nesciat. Quò etiã illa accedit, nõ leuis certè nec parua difficultas, in eo posita: ꝙ libri uarijs locis in longè disiunctis ꝓuincijs excusi, non passim neꝙ semper palàm extẽt, nec in omnes terras importẽtur, nec in omniũ ueniant oculos: qui hîc uno in loco & uno in libro publicati, ꝓpter magnitudinẽ & ubertatẽ, quæ illos uendibiles facit, per uniuersam Europã perferunť, sola etiam cõmendati hominib. externa specie, cùm interior usus nondũ perspectus est. Multi igitur remoti à fori nostri luce & à cõspectu publico, laterẽt libri, nostramꝙ notitiã effugerent si cõiuncti simul & ad iustã molem eiusmodi incremẽtis adaucti non essent. Deinde minuti libelli, qui sæpè res maximas, gestas in ꝓuincijs, intermissas ab alijs, quanquã breuiter & pressè, tamen studiosè & iucundè, bono quodã historiarũ fato, pertractãt, nisi in his magnis uoluminibus, consociati cũ grandiorib. libris retinerẽtur, iacerent non multò pòst oppressi in tenebris planeꝙ perditi: qui tali adminiculo uitã conseruant, & ad posteritatẽ, alteriusꝙ seculi homines perueniunt: quibus profuisse, qui libros coaceruarũt, post multos insequentes annos apparebit. Et cùm nemo solus in hoc genere sic elaborauerit, ut cõplecteretur omnia: præteriret nihil: plurimi uerò partẽ aliquã unam susceperint ueteris, aut nouæ memoriæ, ꝙ literis mandatã, cultu, studioꝙ suo illustrarẽt: cæteros qui ad uniuersam historiã uno libro tradendã animũ adiecerũt, abesse longè, dictũ iam sit omnes à laude perfectionis, quæ in historia requiriť: Cùm oẽs mutuã operã conferũt, & quasi de manu in manũ tradunt, nascitur tandẽ perpetuata temporibus & explicata omnibus partib. historica, tametsi interrupta & disiecta, tamẽ integra & optabilis narratio.

His de causis semper eorũ probaui consilium, qui de bibliothecis suis, quotquot de uno toto capite haberẽt, cognatos & spectantes ad id, ꝙ in tractationẽ uenit, probos & laudatos libros, cõiunctim ederẽt: omninoꝙ putaui, suum studiũ illos non ad uulgarẽ, abiectamꝙ rem, ut iudicare inexercitato homines ingenio possent, primoꝙ aspectu esse uidetur, sed ad necessariã aliquã, liberalemꝙ curã contulisse: Et optaui, ut, ꝙ illi de Sicula, Hispanica, Hungarica, & reliquis historijs tentassent, hoc alij in similibus, quales relictæ essent dignissimæ ad imitandũ quamplurimæ, eodẽ exemplo sequerẽtur: sed quia multis in locis superiorũ hominũ diligentiã nonnullã desidero, ut qui imitari uellent, plus studij adhiberẽt, tum in quærendis, tum in collocandis libris. De Germanica quidẽ & Italica, & Gallica historia, quarũ gentiũ res gestę & ipsæ infinitæ & à plurimis scriptorib. infinitis libris traditæ sunt: Excitati enim ad huius scientiæ studiũ, pauci quidẽ ante nos, sed nostris temporib. multi, immensis suis totum orbem cõpleuerunt libris: Non uideo quemadmodũ sine eorum, qui emẽt, offensione, in unũ colligi, aut simul cõiungi queant: Nisi uel ueteres: quæ adeò copiosæ nõ sunt,

conficiunt

conficiunt tamen Tomos aliquot:à recẽtioribus,uel uniuersales historiæ à particularibus discludantur,uel facta unius prouinciæ in multos tractus partitione, quæ propriæ cuiusq; tractus sunt,separatim descriptæ in publico appareant. Sed uellem tamẽ ut multæ semper quæ magnã molem nõ habent, & ad unius, aut nõ multum dissimilis negotij explicationem institutæ sunt,uno fasciculo colligatæ peruulgarentur,quæ quidẽ dignæ,in apertũ ut referrentur, existimari possent. Conquirendi uerò aliorũ populorũ historias,quia neq; tam abundanter,neq; tãto numero scriptę,& interdum etiã nimis concisè & tenuiter mãdatæ literis essent, fui iam sæpè suasor Typographis, ut uiro docto,qui otio abundaret,negotiũ imponerẽt,& illo eodem itinere, in quod iam ante illos ingressi fuissent alij, ipsi etiã ad benè merendum de posteris,sed maiori paululũ assiduitate progrederẽtur. Quod cùm sese facturos esse quidã pollicerentur: uiderẽ autem uel retardatos,uel auocatos esse à cõsilio,quod à me acceptũ,uoluntate sua cõprobauerant,& uiam à paucis tritã & nonnullis publicis uestigijs signatã,desertam iterũ relinqui: quanquã occupationib. distinebar, neq; magnũ otium,& uix tantum habebã, quantum colligendis libris impartiendũ esset: tamen Polonicarum rerum scriptores,hoc est, qui uel terrã eorum,uel mores, uel administrata pace, belloq; negotia,literis Latinis excoluissent,& in summa, qui aliquid istius gentis integro publico scripto attigissent,de meis libris colligendos,& cõmuni aliquo, nõ illo quidem admodũ ingenioso & accurato,sed tamẽ apto ad rem nostrã,& non incõmodo ordine collocandos esse putaui:ut ad amicũ meum SEBASTIANVM HENRICPETRI, qui de suis typis ad eorũ,qui ante nos idem fecerũt,exemplũ excuderet, perferrẽtur. Id quod sic accidit: puto enim rationẽ mihi reddendã esse studij,instituti'q; mei.

Cùm principũ meorum,Marchionũ Badensium,atauiã, quæ in Massouiæ ducum illustri Polonica & regia,& peruetusta familia nata fuit,apud Poloniæ scriptores quęrerem,& in Michouiũ non indiligentẽ inciderẽ, nec ineptum authorẽ, nisi q; elegantia in dicendo excultus nõ est:sic mirifica illius mihi placuit in notãdis temporibus,& in percensendis familijs accuratio, ut peregrinatũ iam aliquãdiu ab oculis hominum planè mecum cogitarẽ luci publicæ restituendũ esse. Neq; id tantũ,sed quia Cromeri libri ad uendendum pauci reliqui essent,uel rarò reperiebantur, & Polonicæ historię nondum conformatæ in uno libro comparuissent, congregandum illum esse cũ Cromero & cum cæteris omnibus, quorũ industria in eodem argumento sese publicè ostendisset, putaui. Neq; me absterrere potuit, q; Cromerus penè eadem,quæ ille horridiùs scripsit,paulò cõcinniori oratione uestiens,& multa etiã de aliorum scriptis accumulãs,pleniùs & ornatiùs edidisset. Nam,ut dixi,quibusdã in rebus uisus mihi accuratior Michouius multò fuit,& temporũ atq; personarũ obseruantior: & cum eadem ambo dicunt,ex illis,de quibus eadẽ dicunt, magna fit ad ueritatẽ historiæ & ad fidẽ accessio: neq; fraudari tamẽ debita laude uetus scriptor propterea debuit, quòd qui eum secutus fuit,Cromerus sermonẽ melius expoliuisset: quędã etiam ab alijs mutuatus, scripsisset cumulatius. εἰ μὲν γὰρ Τιμόθεος μὴ ἐγένετο, πολλὴν ἂν μελοποιίαν οὐκ εἴχομεν. Εἰ δὲ μὴ Φρῦνις, Τιμόθεος οὐκ ἂν ἐγένετο. Sic igitur nõ tantũ cõiungere Michouiũ cũ Cromero,sed cõsociare in uniuersum omnes uolui, quotquot in mea bibliotheca essent, scripti de rebus Polonicis cõmentarij,& de illis,qui non erãt,quotquot ex omnibus locis conquiri possent. Quod cùm facerẽ,extitit inde hic liber,cui constituere uisum est, CORPORIS POLONICAE HISTORIAE, nomẽ:ad earũ imitationẽ,qui coagmentatas unius gentis historias ante nos publicarunt,& quorũ institutũ laude semper putauimus afficiendum esse: Vt,sicut illi Siculos, Hispanicos, Belgicos & alios,sic nos Polonicos scriptores in uno libro cõpræhenderemus, & iam in illo instituti genere, quod aliquandiu apud Typographos conquieuit,noua iterum facta à nobis esset in honestè decursa à multis uia progressio. Fragmẽta de Iouio,Sleidano & alijs detracta

ad n. duendum librum nostrum, quod tamen ab aliis factitatum esse uidemus, spoliare non uoluimus: Pauca tantum ex Herberstenio, Syluio & aliis in primo Tomo ascripsimus, necessaria, ut putauimus, & magna causa. Cęterorum ut nihil extaret in hoc libro placuit, quod non totum ab authore ad illustrandam rem Polonicam confectum & propriũ istius prouinciæ esset. Vapouius uerò, Gallus, Dlugossus & alij: etsi opus fuisse non uidetur, translatis eorum & inclusis in Michouij & Cromeri librum commentationibus, tamen si uel in publica luce fuissent, uel se nobis obtulissent diligenter multumq; perquirentibus, inserti in libro nostro, locum etiam tenerent suum: quanquam eadem, quanquam eodem modo, quãquam non plura scripsissent: quanquam eorum omnia à sexcẽtis scriptoribus, & scripta, & melius ornata, & cõmemorata prolixius essent. Nam quod anteà monui, habet in historijs antiquitas authoritatem, & stimulos ad faciendam fidem multò acriores, quàm recentium hominum sermones: quibus si lumen ueritatis suæ uetustas non præfert, iacent illi sine authoritate, & sine fide neglecti, primáque statim condemnati omnium hominum opinione. Itaque & illos si aliquando peruulgati, in conspectum prodibunt: & Gorecij decadas, de quibus edendis se cogitare iamdiu pollicetur, cùm forâs dabuntur, ad hoc nostrum Polonicum uolumen tanquam corollarium quarto loco posteà apponemus: ne quid de necessarijs deesse ad cognoscendam Poloniam libris uideri posit.

De ordine, quem tenui, dicere multùm, nihil attinet: in quo solùm spectaui, ne omnia permista atq; confusa turpiter essent: & simplex nec nimium subtilis distributio ut seruaretur: quæ ad legentium memoriam conduceret, & quid quoque in Tomo interpositum esset, apertè significaret. Itaq; in prima parte collocauimus Chorographica & similia, quæ pertinent ad Poloniæ, uicinæq;, aut subiectæ terræ naturã, & situm, eiusq; in omnes tractus dimẽsam & descriptam partitionem: Ad hominum, qui eam incoluerunt, ueteres & nouas in religiosa, ciuiliq; uita consuetudines ac mores: Ad urbium & itinerum, & animalium, & similium, quę in prouincia sunt, explicationem: Et summatim, ad omnia, quæ seiuncta à commemoratione rerum gestarum, tamen prouinciæ uel eorum, quę in prouincia continentur, aperiunt nobis notitiam. Ad secundum Tomum uniuersales contulimus historicos libros, qui in uniuerso regno & uicinis dominationibus, uel regis, aut Ducis unius familia, uel Regũ aut Ducum successionibus cursum atq; uim omnem operę, diligentiæq; suæ consumunt: Etsi Decij etiam de Sigismundo Rege unus libellus continuitate sermonis, & cognatione, quam cum uniuersali historia habet, nobis libentibus irrepsit. Tertius res particulariter dissimili tempore gestas, & orationes in se complectitur, quę in comitijs, uel de uno aliquo Rege post illius è uita discessum habitæ, in manus nostras peruenerunt: Atq; disposita isthæc omnia pro annis, quibus acciderũt: Tùm demum omnium Poloniæ, Massouiæ, Silesiæ, & partim etiam Lithuaniæ Principum diligenter à me confectam, & ex Germanicis, ac Polonicis authoribus magno studio peruestigatam genealogiam, in tabulis nonnullis propositam & continua successione perpetuatã continet. Accessit de bellis Moschouuiticis Leuuenklaij tractatio: titulo quidem aliena planè ab instituto, consilioq; nostro, sed propter res, quas explanat, ita accommodata, ut mãca futura Polonica Historia multis penè locis esset, si non huius subsidio subleuaretur. Atq; hæc consilij nostri, & ordinis, & librorum qui triginta, & aliquot sunt distincti inuicem, & discriminati titulis, explicata sit ratio.

AD VOS VERO', TOTVM VOLVMEN MITTERE VISVM EST, amplissimis inscriptũ nominibus uestris: Nobilissimi uiri: ut patricinio uestro defensum consistere cõtra hominum calumnias posset: & ut publica extaret uoluntatis erga uos meæ significatio. Vetustissima est familia, in qua nati estis & ab heroicis ducta primis illis temporibus, cùm clarorum hominum, & benè de Repub. meritorum, nobilitata

bilitata multitudine gestarum rerum uirtus, premijs dignitatis, & splendoris afficeretur: ubi cùm ante annos infinitos in gente uestra uirtutis laus, & factorum gloria florebant. Earum rerum possessionem, uestri maiores, illustres animæ, acceptam à progenitoribus suis, & amplificatam studio & cumulatam exemplis, & adauctam dignitate ad uos propagarunt: cùm omnes uestræ familiæ, qui hactenus uixerunt, non solùm maiorum gloria sibi nitendum, sed nouũ etiam à se posteris suis accendendũ esse uirtutis lumen putarent, & ut consequi possent, honestè, fortiterq́ contenderent. Ex hac igitur plenissima dignitatis stirpe uos procreati, cùm maiorum uestrorum, talium ac tantorum hominum parta dignitate splendere, & omnibus fortunæ ornamentis antecellere possetis in uestro ordine quamplurimis: tamen illa minima ducẽtes, nisi uestra etiam uos propria, uestro studio excitata, & ad summum perducta uirtus cõmendaret: Vt primùm adolescentes facti estis, & postea, cùm ætas se uestra iudicio, & annis corroborasset, multò magis, operam dedistis, ut essetis progenitorum uestrorum quàm simillimi, & uestris ipsi luceretis gloriosè factis: neq́ magis hausisse uideremini à maiorib. uestris omni decore affluentibus, q̃ peperisse & dedisse posteris nobilitatis, & uirtutis exemplũ. Quod studium uestrũ, oculis expositum & multis factis illustratum, magnam uobis hominũ admirationẽ, & amplissimã, planeq́ maximã authoritatẽ confecit: in qua quia cognoui positum mihi esse cõtra turpiter litigiosos obtrectatores magnũ præsidiũ, uolui ut POLONICAE HISTORIAE liber, sicut collectus à me fuit, in publicum prodiret, ornatus uirtute, & munitus authoritate uestra. Neque dubitabam, quæ uestra incredibilis est humanitas, non tantùm quòd uobis librum inscripserim, non grauatè laturos, uerùmetiam authoritatis uestræ fructum in traditum librum libenter deriuaturos esse. Nota mihi iamdudum est morum uestrorum suauitas: de Te quidem, MICHAEL LVDVVICE ex colloquijs & literis tuis multis, ab eo tempore, quo necessitudo inter nos constituta fuit: Tua uerò, FERDINANDE, celebrata per Germaniã humanitas fugere me non potest, quæ ex eorum, qui ipsi senserunt, sermonib. infusa in aures & in animos nostros, ab omnibus cognoscitur & laudatur. Quid enim laudabilius esse, quid magis gloriosum posset, quàm uiros excellentes, qui in clarissima sunt dignitate, nullo fastu extolli, nulla efferri superbia: & inferioribus etiam benignè facere, horumq́ tenuitati, cùm honestè & innocẽter uitam agunt, suam non anteponere præstantiam. Vos quidem, in hac uia cùm estis, in quam uolũtas uos uestra deduxit: ut non solùm maiorum luce, sed uestra uirtute, uestro suscepta consilio, magnoq́ uestro educata studio, enitere cupiatis: necesse est moderatos esse ad omnem rationẽ humanitatis: quæ magna ipsa uirtus & aliarum in hominum societate princeps est. Sed tamen, quod uos laudatè facitis, præteriri laudatione nostra non debet, neq́ inornata illa relinqui tãta uestra, tamq́ præstans uirtus, quam omnibus tribuitis, & ego iamdudum in meipso sensi, tantumq́ apud me ualere passus sum, ut ad testificandã uicissim uoluntatem meam librum uobis offerrem: minimè dubitans, quin iucundissimum uobis futurum esset officium: non solùm quòd à me proficisceretur, uestri amantissimo, sed etiam quòd literas contineret, & traderet historias. Illis enim duobus, præclaris nominibus, si à me non mitteretur, tamẽ in amicitiam se uestram insinuare libet, & uestram colligere gratiam posset. Literas quidẽm & doctrinam liberalem omnem, quantum ametis: & incredibilis uestra in literatos homines beneficentia declarat, neq́ occultatum in tenebris, aut ignotum esse potest: cùm & res ipsi progressus in literis & artibus adolescentes fecistis, uiriq́ iam facti, in dies legẽdis libris procẽditis longius: Et cùm tu, MICHAEL LVDVVICE: Nam tibi, FERDINANDE, felicitatem illam ut liberos ex uxore procreares, Deus non dedit: summa diligentia informari filios ad literas & instituí ad honestarũ artium doctrinam iubes: illaq́ de causa domi tuæ NICOLAVM HEYDENVM habes, magna eru-

gna eruditione & uirtute uirum, qui uirtutis & literarum illis tradit à maioribus, & te patre magna gloria tritam uiam. Historiæ uerò quantum uos delectent, tu idem, MICHAEL LVDVVICE, nuper, cum Turlaci esses, luculentum testimonium dedisti: cùm ipse multas historias singulari cum uoluptate commemorares, & incẽsum te esse planeq́ inflammatum ostenderes desiderio cognoscendæ patriæ Germanicæ & priuatæ tuæ historiæ: qualem ueteri manu ab antiquo authore scriptam, acceptam, à tuo FERDINANDE, affine Marschalco Bappenheymio, uos habere dicebas, quã in explicandis Germanicis occupatam, & Sueuicis, & in maiorum tuorum pręclarè factis, uos duo fratres frequenter, asiduеq́ legeretis. Quam cupiditatẽ cùm ardere in uobis intelligerem, putaui etiam meo studio, ne restingueretur, nutriendã atq́ sustentandam esse: ut non solùm in patrijs uersari illam, sed etiam longius prolatam, in peregrinis historijs infixam esse sineretis. Vt enim profectio sæpè in peregrinam & longinquam prouinciam: sic externæ historiæ lectio magnum non solùm usum, sed oblectamentum etiam pręstat: & nescio, quomodo maiorẽ alienę interdum in animos, quàm domesticæ historię uoluptatem infundant. Sed ista uobis declarari non attinet, qui & literas, & historias, & peregrinationes amatis: & sine dubio, factã sub nominibus uestris publicationem libri mei non ægrè feretis. Librum meum cùm dico, uideor non multùm errare: plurima enim in eo mea sunt, labor in colligendis, sumptus in comparandis, liberalitas in cõmunicandis libris, dispositio, publicatio, & tota confectio genealogiarum, quæ in tertia parte insunt, & regum atq́ principum Poloniæ, ducum Lithuaniæ, Massouiæ, & uniuersæ Silesiæ à prima origine, quãtum in maxima historiarum obscuritate, superiorumq́ scriptorum incuria, pro meo studio facere sanè potui, continuatas ad nostram ætatem familias, ante oculos ponunt, & in Polonicas historias perspicuitatem importãt admodum magnam apprimeq́ necessariam. Ista igitur omnia tum per se uobis, qui eruditionem & notationem rerum ueterum in delitijs habetis, tum mea causa, quem amari à uobis spero, grata, iucundaq́ futura esse non dubito & hilariter, beneuoleq́ susceptũ iri planè confido. Quod cũ ab æquitate uestra impetratum erit, non solum propter libros gaudebo, ad quos ornamentum & patrocinium uestrum accõmodandum esse putaui: sed mihi etiam gratulabor: quòd libri tantos patronos adepti, benè firmum contra hominum habeant maleuolentiam præsidium, positum in dignitate, authoritateq́ uestra: Ego uerò cõsecutus hoc esse uidear, quod ut consequerer, solum in uniuersa consilij mei ratione spectaui: ut uoluntatem & obseruantiam erga uos meam testificatus, beneuolentiam conseruarem, humanitatemq́ uestram. Spero futurũ esse posteà cùm in alio argumẽto, & fortasis in eruenda, explicandaq́ familiæ uestræ antiquitate publicum iterum studij, officijq́ mei testimonium apparere sinam: quod cùm erit, faciã diligentius, quàm in hac iam inscriptione, quæ mihi contra penè exspectationem meam à Typographo expressa fuit, facere in magna festinatione, plurimisq́ negotijs potui. Quod superest, Nobilisimi, præstantisimiq́ uiri, cupio uos affluentes dignitate, florere illis omnibus ornamẽtis, quę expetẽda ipsi uobis esse iudicatis: & rogo, quod facturos esse iamdudum persuasum habeo, ut libris patrocinium, mihi beneuolentiam uestram præstetis & cõmemorata, hoc loco fuisse nomina uestra, humaniter æquisimeq́ feratis. Ex Caroli castro Marchionum Badensium, VI Calendas Augusti, Anno CIↃ. IↃ. XVIIIC.

Vestræ nobilisimæ Dignitatis

perstudiosus

IOAN. PISTORIVS NIDANVS D.

POLONICAE HISTORIÆ CORPORIS,

TOMVS PRIMVS.

IN QVO OMNIA SVNT, QVAE AD CHOROGRAphicam Poloniæ & ſubiectarum ſub illius imperio prouinciarum conſiderationem pertinent, ut uerſa pagina, in ſcriptorum Elencho uidere potes.

BASILEÆ,

ANNO CIↃ. IↃ. XXCII.

ELENCHVS AVTHORVM, QVI IN PRIMO TOMO POLONICARVM RERVM CONTINENTVR:

VNA CVM SVCCINCTA DESCRIPTIONE LOCO INDICIS ADIECTA, rerum memorabilium & notatu dignißimarum, quæ in quolibet Tractatu habentur.

TOMVS I.

FINIS ELENCHI AVTHORVM PRIMI TOMI POLONICARVM RERVM.

POLONICARVM RERVM LATINI SCRIPTORES OMNES in corpus unum collecti: & in aliquot tomos distributi.

TOM. I. CONTINENS DESCRIPTIONES VETERVM ET NOVOrum limitum regni Polonici.

ÆNEAS SYLVIVS, SVMMVS PONTIFEX ROMANVS, PIVS II. HVIVS NOMINIS POST adeptum pontificatum dictus, de Polonia, Lithuania, & Prussia siue Borussia.

De Polonia regione uasta, quod in ea domus luto & macerie componantur, equi syluestres, & uiri inueniantur. De Vladislao cum regno baptismum suscipiente, deq; Frederico Brandeburgensi, & Alberto Bauaro regnum quodlibet pro se recusante.

POLONIA uasta regio est, quæ Selesiæ ad occidentem proximat, Hungaris, Lithuanis, ac Prutenis contermina: hic Cracouia est pręcipua regni ciuitas, in qua liberaliũ artium schola floret. Subigneus huic urbi præfuit episcopus, literarum doctrina, & morum suauitate insignis, à quo plurimas accepimus epistolas, multò sale & Romana elegantia conditas, cui ob singulares uirtutes Romana ecclesia insignia cardinalatus honoris rubentem pileum misit. Ciuitates Poloniæ præter Crocauiam parum nitidæ. Ex maceria domos fermè omnes componunt, plerasq; luto linunt: plaga regionis nemorosa est, potus genti ceruisia, ex tritico atque humulo factus. Vini rarissimus usus, nec uinea cultura cognita, ager Cereris ferax, multa gẽti armenta, multa ferarum uenatio, equum syluestrem præter cornua ceruo similem edunt, feros boues uenantur, quos prisci Vros uocauère. Pisce ac uolucribus abundant, argenti, auri inops terra. Vectigalia regi parua. Regnum in quatuor partes diuisère maiores: has cum per circulum anni rex ambiuit, quælibet pars tribus mensibus regẽ ac curiam pascit: quibus exactis, ad alteram partem fit transitus. Statuta sunt, quæ præstare prouinciales oportet. Si manserit ultra præfinitum tempus rex, suo uiuere sumptu cogitur. Cum rex gentis patruum nostrorum tempestate obijsset, relictam filiam Gulielmus dux Austriæ in matrimonium accepit, illicq; regno præfectus est. Non placuit Polonis rex Teutonicus, Vladislaum ex Lithuania uocauère, eiectoq; Gulielmo, cõiugem eius & regnum nouo regi tradidère. Gentilis fuerat Vladislaus, & idola coluerat, sed baptismum cũ regno suscipere nõ recusauit. Conuersus ad Christum, religiosum principem gessit. Multos ex Lithuanis ad Euangelium traxit, Pontificales ecclesias nonnullas erexit. Episcopos magno honore prosecutus est. Inter equitandum quotiescunq; turres templorum inspexit, detracto pileo caput inclinauit, Deũ qui coleretur in ecclesia ueneratus. Cum Tartaris regni limites infestantibus feliciter dimicauit, Prutenos maximo bello uicit, de quo inter res Prutenicas memorabimus. Ex priori coniuge prolem non sustulit, cum q̃a matrimonium haud legitimum fuit. Ex secundo iam fermè nonagenario duo nati sunt filij, Vladislaus & Casimirus, is Lithuaniæ ducatum cõsecutus est, prior patri regno Poloniæ succedens, ad Hungariæ quoq; regnum accersitus, in bello Turcarum (ut alibi narratum est) cecidit. Qua re cognita, solliciti Poloniæ proceres de successore Frederici, cum marchionẽ Brandenburgensem, qui pueritiã in regno transegerat, linguamq; gentis & mores tenebat, ut regnum acciperet rogauerũt. Responsum datum est Casimirum Lithuanię ducem, qui frater esset, defuncti hæredem extare. Sciscitari eius animum oportere, cui fraternum, paternumq; regnum cupienti, impedimentum afferre à dignitate sua Fredericus non duceret: pari moderatione & Albertus Bauariæ dux erga Ladislaum Alberti filium usus est: qui Bohe-

miæ regnum sibi oblatum recusauit. Fredericus quoque Imperator, & ab Hungaris, & à Bohemis ad hæreditatem Ladislai uocatus, nunquam audire sustinuit, quod patrueli præiudicium faceret. Ingens laus nostræ ætatis, & magnum decus Germanici nominis, quamuis non ambigo esse aliquos, qui non tam iustitiæ, quàm ignauię tradunt, alienis regnis quempiam abstinere. Ego quod boni speciem habet non laudare non possum. Casimirus autem, & si difficile, à Lituanis dimitteretur, qui suum ad se principem retinere cupiebant, in Poloniam ueniens, pacificam regni gubernationem accepit: nec diu postea sororem Ladislai regis duxit uxorem. Multa ei aduersus fratres Teutonicos, qui sanctæ Mariæ appellantur bella fuere, de quibus in rebus Prutenis referemus.

De Lithuania regione, Vitoldo uiro facilè sanguinario in ea regnante, de Solis ad transitum æstiuo tempore difficultate, gentis in moribus qualitate, & quæ super sacrorum diuersitatibus Hieronymus Pragensis eremita denarrauit.

Lithuania & ipsa latè patens regio Polonis ad orientem cõnexa est, palustris fermè omnis ac nemorosa. Vitoldus huic præfuit Vladislai frater, qui relicto deorum cultu, cum regno Poloniæ Christi sacramentum accepit. Magnum Vitoldi nomen sua tempestate fuit, quem subditi adeò timuerunt, ut iussi laqueo se suspendere, parere potius, quàm in principis indignationem incidere uoluerint: detrectantes imperium insutos ursina pelle uiuentibus ursis (quos eam ob causam nutriebat) dilaniandos obiectauit, crudelibusq; alijs affecit supplicijs. Equitans arcum semper tensum gestauit. Si quem conspicatus est aliter incedere quàm uoluit, confestim sagitta confodit, multos quoq; per ludum interemit. Sanguinarius carnifex, ut esset inter populares & ipsum principem certum faciei discrimen, radere barbam omnibus imperauit. Id ubi non successit (facilius enim ceruicis quàm barbæ iacturam Lituani ferebant) tonsus ipse mentum & caput prodijt, capitale interminatus, si quis prouincialium pilos faciei capiti suo deponeret. Rex à Sigismundo Cæsare Lituanorum appellatus, prius obijt quàm legati diadema ferentes se conuenirent. Successor Suidrigal ursam nutriuit, quæ sueta ex manibus eius panem accipere, sæpè in syluas uagabatur. Redeunti usq; ad thalamum principis, ostia quæque patebant. Ibi confricare ac pulsare pedibus ostium, cum fames affuit consueuit, cui princeps aperiens cibum præbuit. Conspirauêre nobiles aliquot adolescentes aduersus principem, atque ursæ modum secuti, sumptis armis cubiculi principalis ianuam confricauêre. Credit Suidrigal ursam adesse, ostiumq; aperuit, ibique mox ab insidiantibus confossus interijt. Prouinciæ deinde gubernatio ad Casimirum peruenit. Ad Lithuanos æstiuo tempore difficilis transitus est, palustribus aquis cuncta fermè obsidentibus, hyems præbet aditum astrictis gelu lacunis. Mercatores super glaciem ac niuem iter faciunt, plurium dierum cibaria in uehiculo ferentes, nulla certa uia: meatus (sicut in mari) syderum cursus ostendit. Rara inter Lituanos oppida, neque frequentes uillæ. Opes apud eos, pręcipuæ animalis pelles, quibus nostra ætas Zibellinis, armellinisq; nomina indidit. Vsus pecuniæ ignotus, locum eius pelles obtinent: uiliores cupri atque argenti uices implent, pro auro signato pretiosiores. Matronæ nobiles publicæ concubinos habent, permittentibus uiris, quos matrimonij adiutores uocant. Viris turpe est ad legitimam coniugem pellicem adijcere. Soluuntur tamen facilè matrimonia mutuo consensu, & iterum atque iterum nubunt. Multum his ceræ ac mellis est, quod syluestres in syluis apes conficiunt. Vini rarissimus usus, & panis nigerrimus. Armenta uictum præbent multo lacte utentibus. Sermo gentis Sclauonicus est: latissima est enim hæc lingua, & in uarias diuisa sectas. Ex Sclauis enim alij Romanam Ecclesiam sequuntur, ut Dalmatæ, Croatini, Carni ac Poloni. Alij Græcorum sequuntur errores, ut Bulgari, Rutheni, & multi ex Lithuanis. Alij proprias hæreses inuenêre, ut Bohemi, MorAui, & Bosnenses, quorum magna pars Manichæorum imitatur insaniam. Alij gentili adhuc cæcitate tenentur, quemadmodum multi ex Lithuanis idola colentes. Horum magna pars æuo nostro ad Christum conuersa est, postquàm Vladislaus ex ea gente Poloniæ regnum accepit. Noui ego Hieronymum Pragensem sacris literis apprimè eruditum, uitæ mundicia & facundia singulari clarum, qui annos supra uiginti in eremo Camaldulensi, in Apennino Hetrusco pœnitentiam egit, hic (oriente apud Bohemos Hussitarum hæresi) fugiens pestiferum uirus, in Poloniam transiuit. Vbi acceptis literis ab Vladislao rege commendatitijs, prædicaturus Euangelium Christi, ad Vitoldum principem in Lithuaniam penetrauit, multosq; populos Vitoldi fauore fretus, ad salutiferam Dei Christi fidem conuertit. Venitq; tandem ad synodum Basiliensem, uocatus à Iuliano sancti Angeli Cardinali, cum de rebus Bohemicis ageretur, narrauit hic multa de Lithuanis quæ penè incredibilia ui-

lia uidebantur. Audiebam ego ex aliis eius dicta, nec mouebat ut crederem, libuit adire hominem, atque ab eius ore lata cognoscere, comites mei fuerunt Nicolaus Castellanus, qui tum Cardinalis Iuliani domum regebat. Bartholomeus Lutimanus Archiepiscopi Mediolanensis scriba, & Petrus Noxetanus Cardinalis Firmiani secretarius, uiri graues & docti, hominem in cella sua trans Rhenum apud Carthusienses conuenimus, cuius hæc narratio fuit. Primi quos adij ex Lithuanis serpentes colebant, paterfamiliâs suum quisque in angulo domus serpentem habuit, cui cibum dedit, ac sacrificium fecit in fœno iacenti: hos Hieronymus iussit omnes interfici, & in foro adductos publicè cremari. Inter quos unus inuentus est maior cæteris, quem sæpe admotus ignis consumere nullo pacto ualuit. Post hos gentem reperit: quæ sacrum colebat ignem, eumque perpetuum appellabat. Sacerdotes templi materiam ne deficeret, ministrabant, hos super uita ægrotantium amici consulebant: illi noctu ad ignem accedebant, manè uerò consulentibus responsa dantes, umbram ægroti apud ignem sacrum se uidisse aiebant. Quæ cum se calefaceret, signa uel mortis, uel uitæ ostentasset, uicturum ægrotum facies ostensa igni, contra si dorsum ostentasset, moriturum portendit. Testari igitur & rebus suis consulere suadebant, delusionem hanc esse Hieronymus ostendit: persuaso populo, deleto templo, ignem dissipauit, Christianos mores induxit. Profectus introrsus aliam gentem reperit, quæ Solem colebat, & malleum ferreum raræ magnitudinis singulari cultu uenerabatur. Interrogati sacerdotes, quid ea sibi ueneratio uellet? Responderunt olim pluribus mensibus non fuisse uisum Solem, quem rex potentissimus captum reclusisset in carcere munitissimæ turris. Signa zodiaci deinde opem tulisse Soli, ingentique malleo perfregisse turrim, Solemque liberatum hominibus restituisse. Dignum itaque ueneratu instrumentum esse, quo mortales lucem recepissent. Risit eorum simplicitatem Hieronymus, inanemque fabulam esse monstrauit. Solem uerò, & Lunam, & stellas creatas esse ostendit, quibus maximè Deus ornauit cœlos, & ad utilitatem hominum perpetuo iussit igne lucere. Postremò alios populos adiit, qui syluas dæmonibus consecratas uenerabantur, & inter alias unam cultu digniorem putauere. Prædicauit huic genti pluribus diebus, fidei nostræ aperiens sacramenta, denique ut syluam succideret imperauit, ubi populus cum securibus affuit, nemo erat qui sacrum lignum ferro contingere auderet. Prior itaque Hieronymus assumpta bipenni excellentem quandam arborem detruncauit. Tum secuta multitudo alacri certamine, alij serris, alij dolabris, alij securibus syluam deijciebant. Ventum erat ad medium nemoris, ubi quercum uetustissimam, & ante omnes arbores religione sacram, & quam potissimè sedem esse putabant, percutere aliquandiu nullus præsumpsit. Postremò ut est alter altero audacior, increpans quidam socios, qui lignum rem insensatam percutere formidarent, eleuata bipenni magno ictu cum arborem cedere arbitraretur, tibiam suam percussit, atque in terram semianimis cecidit. Attonita circum turba flere, conqueri, Hieronymum accusare, qui sacram Dei domum uiolari suasisset, neque iam quisquam erat, qui ferrum exercere auderet. Tum Hieronymus illusiones dæmonum esse affirmans, quæ deceptæ plebis oculos fascinarent, surgere quem cecidisse uulneratum diximus imperauit, & nulla in parte læsum ostendit, & mox ad arborem adacto ferro adiuuante multitudine ingens onus cum magno fragore prostrauit, totumque nemus succidit. Erant in ea regione plures syluæ pari religione sacræ, ad quas dum Hieronymus amputandas pergit, mulierum ingens numerus plorans atque eiulans, Vitoldum adit, sacrum lucum succisum quæritur, & domum Dei ademptam, in qua diuinam opem petere consueuissent, inde pluuias, inde Soles obtinuisse, nescire iam quo in loco Deum quærant, cui domicilium abstulerint: esse aliquos minores lucos, in queis dij coli soleant, eos quoque delere Hieronymum uelle, qui noua quædam sacra introducens, patrium morem extirpet: rogare igitur atque obtestari, ne maiorum religionum loca & cæremonias auferri sinat. Sequuntur & uiri mulieres, nec se ferre posse nouum cultum asserunt. Relinquere potius terram & patrios lares, quam religionem à maioribus acceptam dicunt. Motus ea re Vitoldus, ueritusque populorum tumultum, Christo potius, quam sibi deesse plebem uoluit. Reuocatisque literis, quas præsidibus prouinciarum declarat, iubens parere Hieronymo, hominem ex prouincia decedere iussit. Hæc nobis Hieronymus constanti uultu nihil hæsitans, ac per iuramentum affirmauit: dignum fidei & grauitas sermonis, & doctrinam ostendit, & uiri religio. Nos quæ accepimus immutata retulimus, ueri periculum non assumimus, persuasi tamen & nos, & comites ab eo recessimus.

De Ruthenis, & quomodo principatus apud eos soleat assequi.

RVtheni quos appellare Rosanos Strabo uidetur, Lithuanis contermini sunt, gens barbara, incompta, apud quam opulentam Ecclesiam obtinuit Isidorus Cardinalis Sabinensis, cuius supra mentionem fecimus. In hac gente ciuitatem permaximam esse tradunt Nogardiam appellatam, ad quam Teutonici mercatores magno labore perueniunt. Magnas ibi esse opes fama est & multum argenti, pellesque prætiosas, uendentesque atque ementes ponderato argento, non signato utuntur. Lapis in medio fori quadratus est, quem qui ascendere potuerit, neque deiectus fuerit, principatum urbis assequitur. Pro ea re in armis dimicant, sæpeque una die plures conscendisse ferunt, unde sæpè seditiones in populo emersêre.

De Liuonia semiferos homines in una sui parte continente.

LIuonia deinde Christianarum ultima prouinciarum ad septentrionem Ruthenis iungitur, Tartari eam sæpe incurrunt. In qua nostra ætate magnas accepêrunt strages fratres Teutonici, qui Beatæ Mariæ uocantur, hanc armis quæsiuêre, & Christi sacra suscipere coegerunt, cum esset antea gentilis & idola coleret. Eam alluit ab occidenti mare Baltheum, quod plerique ueterum oceanum esse putauerunt nondum septentrio (ut hodie) cognitus Græcis atque Italis fuit. Christiana religio hanc orbis partem nostro generi aperuit, quæ fortissimis gentibus detersa Barbaris mitioris uitæ cultum ostendit. Baltheus sinus adeò latè patet, ut incompertæ magnitudinis apud aliquos esse uideatur. Origo eius ex Britannico mari ducitur, quod Germanicum appellari potest. Nam & Germaniæ magnam partem alluit. Ostium eius in occidenti est, non longè à Cherroneso Cimbrica, quam Daciam hodie uocant. Excurrens autem in orientem, in septentrionem panditur, insulásque magnas ambit: occidentale littus, Norbegi occupant. Ad septentrionem semiferos homines esse tradunt, cum quibus nullum linguæ commercium nauigantes habent, signis tantum & nutibus commutare merces feruntur. Meridionale littus Saxonibus ac Prutenis traditur: orientale (ut diximus) Liuones tenent. Inter Liuoniam & Prussiam paruam terram esse ferunt unius fermè diei latam itinere, quam Massagetæ colunt, gens neque gentilis, neque uerè Christiana, Polonorum imperio parens, atque hinc regnum Poloniæ ad mare protenditur, & Baltheum quem diximus sinum.

De Prutenis, & quomodo fidem Christianam à Teutonicis fratribus Sanctæ Mariæ sumpserint.

REdeunti Liuonia Germaniam, per littus Balthei maris post Massagetas Pruteni sese obijciunt, qui ripas utrasque Vistelæ amnis accolunt: is est Sarmatiæ ac Germaniæ terminus, qui exoriens in montibus, qui Poloniam, Hungariamque dirimunt, partem Poloniæ irrigat. Prussiam uerò quàm longa est percurrit, ab oppido Torni usque Gedanum, quo in loco Baltheum influit. Hunc fluuium alij Vistelam, ut diximus, quibus ætatis nostræ sermo congruit, alij Iustulam, quidam Istulam uocauêre. Quod ultra fluuium est, Sarmatici iuris fuit: quod citra, Germanici ad orientem ac meridiem Masonitæ, Poloniquè rura colunt: occidentem Saxones occupant, aquilonem Balthei maris excipit littus. Frumenti ferax regio est, aquis irrigua & plena colonis, multa ambitiosa oppida, multi maris sinuosi reflexus amœnam efficiunt. Pecorum inmulta ... gens uis, multa uenatio, piscatio diues. Vlmerigos olim hanc terram incoluisse Iordanus tradidit, quo tempore Gothi ab insula Scandauia in continentem descendere. Qui (ut ille ait) Vlmerigorum terras inuasêre. Ptolemæus autem Amaxobios, & Alanuos, Venedes, ac Githones penes Istulam fluuium habitare affirmat. Barbara hæc gens & idolorum cultrix, usque ad Fredericum Imperatorem eius nominis secundum fuit. Sub eius uerò imperio, cum amisissent Christiani Ptolemaidem Syriæ ciuitatem, fratres Teutones, quos Sanctæ Mariæ diximus appellari, inde fugati in Germaniam rediêre, uiri nobiles & rei militaris periti, qui ne per ocium marcerent, Fredericum accedentes, Prussiam Germaniæ conterminam Christi cultum spernere docuerunt: sæpè illius gentis homines in Saxones, cæterósque uicinos excurrere, ingentem uim pecorum atque hominum abigere, esset in animo sibi compescere Barbaram gentem: annuat tantum Imperator, prouinciamque fratribus perpetuo iure possidendam tradat, si eam armis acquirant. Iam enim Masouiæ duces,

tes, qui eius se terræ dominos affirmabant, ius suum fratribus concesserant: grata oblatio Frederico fuit, qui collaudato proposito, quas uoluere fratres, sub aurea bulla literas concessit. Illi sumptis armis breui tempore quicquid Pruteníci uiri citra Vistelam fuit occupauere. Exin tranato fluuio, uetustam & late patulam quercum in castelli modum erectis propugnaculis iuxta ripam muniērunt, ibi collocato præsidio ulteriores Prutenos uexare cœperunt. Pugnatum est sæpe pro quercu, & ingentes Paganorum copiæ fugatæ ac deletæ sunt: bellum pluribus annis productum est. Ad extremum fortuna fratrum imperio arridens, omnem eis Prusiam subiecit. Victę Barbaræ nationes, iugum subiere. Ex illo tempore lingua Teutonica introducta est, & cultus Christi gentibus imperatus. Ecclesiæ quoque pontificales erectæ, trans Viselam Pomesauiensis, Culmensis, Sambiensis, & Varimiensis, ad quam defuncto Francisco episcopo, paruitatem nostram postulauere canonici. Calixtus Pont. Max. eam nobis annuente, senatu Apostolico commendauit. Quæ una est illis in partibus iure suo utens, nec subiecta fratribus, reliquos episcopos religionis habitum gestare oportet. Quo in loco munitam quercum diximus fuisse. Nobile oppidum ædificatum est, quod Mariæburgum uocant, & arx nobilis atque amplissima: hic sedes magni magistri, qui cunctis fratribus præest Prusiam incolentibus. Sunt & alij duo in eadem religione magistri, alter Liuoniam regit, alter conuentus Alemanniæ gubernat. Teutones huius religionis inuentores fuere, ac propterea nemo recipitur ad eam, nisi Teutonicis nobilibus ortus parentibus, & cui propositum sit pro tuendo Christi Euangelio, aduersus salutiferæ crucis inimicos armis depugnare: ob eam rem uestimentis albis utuntur, nigra cruce insuta. Barbam omnes nutriunt, exceptis qui sacris altaribus seruiunt. Pro Canonicis horis dominicam orationem usurpant, neque literas discunt. Magnæ his opes, nec minor potentia quàm regibus: sæpe cum Polonis de regni limitibus acceptis, atque illatis cladibus contendere, nec totis uiribus belli fortunam experiri recusarunt. Cum Vladislao Casimiri qui modo regnat patre, contraxerant ambæ partes ualidissimas atque ingentes copias. Polonis Lithuani & Tartari adiuncti erant, quos duxerat Vitoldus. Teutonici fratres ex tota Germania uires conciuerant: postquam prope ad uiginti ferme stadia uterque consedit exercitus, spe plenus & impatiens moræ. Prutenorum magister caduceatorem, qui bellum regi denunciaret, & duos enses, in quis staret uictoria misit: facta potestate, ut quem uellet hostis eligere, alterum sibi remitti iussit. Accepit Vladislaus alacer nuncium, donatoq; caduceatore, uno retento gladio, remisit alterum. Mox iussi milites arma induere, belliq; signum datum, quadraginta millia equitum in ambobus castris fuisse proditum inuenio. Vladislaus Tartaros ac Lithuanos primum inire certamen iussit. Ex Polonis subsidiarias acies elegit. Contra Prutenos auxilia in postremis habuit: florentem ordinis sui militiam in exercitus fronte collocauit. Commisso prælio inermes quodammodo Tartari ac Lithuani magna strage cæsi sunt. Vrgebat tamen multitudo, nec terga dare Polonus metuens audebat, atrox pugna super cadauera occisorum edebatur. Nec tam uulnerare Prutenus alacer, quam uulnera recipere Tartarus uidebatur: protractum est diu certamen, peracta ingens occisio, Lithuani, Tartariq; ueluti pecudes mactabantur. At cum nouus semper hostis emergeret, defessi tanta cæde peracta Teutones, uersare ferrum uix poterant & iam remissius pugnabant. Quod ubi Vladislaus animaduertit, tum primum Polonorum aciem ualidam ac ferro rigentem immittit: fit subita irruptio, instauraturq; prælium: non tulere Teutones recentis agminis impetum, impar pugna recentis ac fatigati militis fuit: oritur mox fuga ex parte fratrum, ferit terga Polonus. Magister ordinis ubi suos cedere uidet, nec iam ullam in auxilijs spem esse animaduertit, cum lecta militum manu hosti sese obiectans occiditur: fit fœdior fuga, nec prius Teutonicus fugere quam Polonus persequi destitit. Perierunt in eo bello ex parte fratrum multa hominum millia, inter quos uiri primarij, quos uocant Commendatores, equestre dignitate insignes, cum ipso Magistro circiter D c. Nec Polonis incruenta uictoria cessit, Tartaris ac Lithuanis magna ex parte cæsis. Bellum hoc, anno trecentesimo decimo supra millesimum est post Christi saluatoris ortum. Prusia fortunam regis secuta, omnis excepto Burgomariæ ad uictorem defecit. Sed interueniente Sigismundo Cæsare, pax inter fratres & Polonum constituta est: percussum fœdus, pecunia Polono data. Prusia reddita fratribus, nec deinde usque ad Frederici tempora, qui modo imperat, in possessione agri sui turbata religio est. Sub eius uero imperio cum populares graue sibi iugum fratrum existimarent, fœdus inter se iniere in hunc ferme modum: ut quindecim uiri singulis certis in locis conuenirent, qui prouincialium querelas aduersus fratres audirent, nec sinerent quempiam indignè uexari. Ex his quatuor ex religione uiros assumi uoluere, quatuor ex prælatis ecclesiarum, pariq; numero ex nobilibus ac ciuitatibus, hisq; parere omnes uoluere. Peridem tempus diuisa

 uisa

uisa inter se religio fuit: alij magnum Magistrum sequebantur, alij quosdam Commendatores, qui Magistri regimen improbabant. Magister, ut populares sibi alliceret, fœdus ipsum inconsulto fratrum conuentu approbauit. Fredericus quoque Imperator eidem fœderi robur adiecit, cautione tamen inserta, ne per suas literas ius religionis læderetur. Mortuo deinde Magistro, qui fœdus acceperat, & altero in eius locum suffecto, Nicolaus Pont. Max. legatum misit, qui prouinciam Prussiæ inspiceret. Cognitoq; rerum statu, quantum legatus retulit, popularium fœdus damnauit: utq; ab eo discederent, anathema interminatus, acriter imperauit: quibus pertinacius in eorum sententia perseuerantibus, ex consensu partium, lis ad Fredericum Imperatorem deducta est. Ad quem rursus causa cognita, damnato eorum fœdere, iussi Pruteni sunt ad obedientiam fratrum redire: qui eam prouinciam è manibus infidelium suis armis uindicassent, multóque sanguine coëmissent. Quare ciuitatibus nunciata, mox arma in fratres populariter recepta sunt. Ex quibus plures capti atque occisi, castella eorum euersa, arces à fundamentis eiectæ, quinquaginta & quinque oppida in eam rebellionem conspirauêre. Sed cum non satis rem suam contra religionem sine externa ope tutam putarent, Casimirum Poloniæ regem sibi dominum asciuere, deuotum fratribus sanguinem, qui fortunam patriæ eius experti fuissent. Ille cum exercitu prouinciam ingressus, dedentes sese ciuitates in potestatem accepit, cum quo fratres diu uaria uictoria dimicarunt. Plures fuere congressus, inter quos memorabilior, qui apud Coninitium oppidum habitus est. Duodeuiginti millia Polonorum obsidionem in eo loco tenebant, in queis & rex ipse Casimirus fuit. Oppugnabāt oppidum dies, noctesq; machinis admotis. Rudolphus princeps Sagoriæ, ex Slesiæ ducibus, tum religionis ductabat exercitum, qui laturus obsessis opem, cum septem millibus militum aggredi regem non dubitauit. Commissum est prælium in conspectu oppidanorum summa utrinque contentione atque ardore, cæsis hinc atque inde compluribus. Cum suos referre pedem Rudolphus animaduertit, increpans ignauiam fugientium, interminatusq; necem, aciem sistit. Et progressus in medium cum recenti pugnatorum manu, acre certamen instaurat: hos sternit, illos confodit: fit subita rerum mutatio. Vrgente Rudolpho, cedit Polonus. Rursumq; Casimirus suos retinet, pugnæq; seipsum miscet, & tanquam ex integro pertinaci contentione certatur. Occiditur in pugna Rudolphus, rex uerò equo deijcitur, meliores ex utraque parte occumbunt. Postremò cæsum credentes Poloni suum regem, desperata uictoria, fugam arripiunt. Rex ab amicis adiutus, uix ex clade ereptus est. Rudolphus morte sua, uictoriam religioni peperit. Ex Polonis supra sex millia cecidisse feruntur, ex Teutonibus quoque non pauci periêre. Post eam cladem, res Polonica nutare apud Prutenos cœpit, eo inclinantibus populis, quo belli fortuna quæritur. Stat tamen adhuc anceps exitus, & alterius Martis iudicium moratur. Ferunt inter hos fratres olim mortuo Magistro, cum de successione ageretur, unum fuisse, qui rogatus eligere quem putaret religioni utiliorem, seipsum elegisse dicentem nolle deierare. Scire se cogitationes suas, aliorum corda ignorare. Si magistratus sibi committatur, non dubitare quin reipublicæ bene consultum eat. Motos eius uerbis reliquos administrationem illi credidisse, quæ saluberrima deinde fuerit.

ERASMI

ERASMI STELLAE LIBANOTHANI LIBRI II. DE ANTIQVITATIBVS Borussiæ.

AD ILLVSTRISSIMVM PRINCIPEM FEDERICVM SACROSANCTAE MILITIAE ORDINIS DIVAE VIRGINIS Teutonicorum protomagistrum, Saxoniæ ducem, Thuringiæ Lantgrauium, ac Marchionem Misniæ, Erasmi Stellæ Libanothani in antiquitates Borussiæ præfatio.

ETsi uereor Federice princeps, res Borussicas altiùs & à prima origine repetiturus, antiquitatem in his quæ usque eò latuit, uelut ex cauea in scenam theatrumque producturus, multorum risus, ronchos & cachinnos, demumque explosionem magis quàm applausum legentis turbæ me incursurum, tum quod id secum ferat antiquitas, ceu Aristoteles in Problematis perhibet, ut res anilibus fabulis simillimas narrare uideatur, tum quod res Borussiæ diuturna barbarie, sine ullis literarum monumentis quasi perpetuis tenebris mancipatæ, & in ipso lethæo demersæ penè obriguisse extimantur, adeoque concretæ, ut etiam phœbeo calore agitatæ uix incalescere possint, quo iterum lucem, solemque admittant. Verum dum hi blaterones tuam celsitudinem istius ludi agonothetam in orchestra conspexerint, sub cuius umbraculis me in hanc scenam prodijsse pernoscant, forte ne lingulaces, infrenique ore à te sapientissimo principe iudicentur, maledictis temperabunt, simul & nasum continebunt. Quod si nec reueriti tuam maiestatem, effrenataque lingua uerbis non æquis defluant, malignitatis quoque aculeos haud recondere uelint, imò blaterare malint, nihil est quo perhorrescere oppidò possim, ut sceptam scenam interturbem. Ronchisent hi nasuturi, obstrepent, clament, arguant, criminentur, exibilent denique, dummodo tibi plausibilis, lepida ac iucunda nostra actitatio uisa fuerit. Antigonidas olim Musicæ artis peritissimus, cum discipulo in arte probè instituto, populo tamen non admodum grato, in scenam progressus cunctis audientibus dixisse fertur: Mihi cane & Musis, quia uidelicet ars bene cœpta, quanquam populi lenocinio destituatur, iusta tamen comprobatione non exuitur. Sed ut tandem his respondeam, qui longè petitas historias calumniantur, ceu minus fidei illis insit, cæcutientibus id forsan euenit & nocturnis oculis, sed penes clarè cernentes plus dignitatis antiquitati inesse, nemo sanæ mentis ambigit. Ne quoque res Borussicas ceu sempiternis tenebris obnoxias, & minimè ad solem lucemque ex caliginoso uetustatis recessu redituras, possint argumentari, meminerint saltem quæ de Hercule feruntur, qui cerberum tricipitem ab inferis, solemque hunc nostrum ac calorem ferre coëgisse dicitur, Threicium & uatem raptam sibi Eurydicem ex Tartareis sedibus diuina sua suauiloquentia eduxisse. Ob id nec inficias eant loculei, res Borussicas quantumcunque umbra uetustatis contectas ac rubigine obductas, imò in abditissimos recessus actas, curiosa indagatione non posse non restitui, ex noctisque caliganti nebula eximi, ac claritate diei illustrari, ornarique: quum hæc ipsa indagatio, puta industria, unica ab omnibus esse asseritur, cui nihil inaccessum, nihil occlusum relictum sit. Hæc res quomodolibet obstrusas, & in penetrabilibus reconditas elici, exprimit & promit. Hac cœlum petit, & subterranea regna subintrat, maria scrutatur, oculis subijcit quicquid usquam latet, sepultumque est. Illa ipsa Homerum cæcum plus Argo mille oculos habente uidere dedit. Hæc Zeusim Helenam nunquam à se uisam tanta uenustate depingere, docuit ut eius forma digna iudicaretur, propter quam tantum laboris subijsset Græcia, & alta Pergama ruerent. Hæc Phidiam statuarium dignissimum, simulachrum Iouis exprimentem eò usque euexit, ut diuinitatis effigiem è cœlo mutuatus diceretur. Hæc eadem fores antiquitatum Borussiæ uectibus è cardine semotis, ut paterent effecit, extraque latebras quicquid de his obuallatum fuerat produxit. Hac adminiculatrice ex imo lethæi fluminis cœno hæ ipsæ conquisitæ, erutæque sunt, & utcunque à sordibus detersæ, sese ceu postliminio reuersæ, tuis luminibus, conspectuique illustrissime princeps, primum ostentantes, te ut felicem moderatorem suum salutant, ut patrem patriæ uenerantur: & quicquid usquam in secundiorem sortem, faciemque splendidiorem commutatum, ceu fermè singula aspexerint, id totum tibi, sacræque sanctæ militiæ, cuius tu magister, imò Dictator perpetuus extas, tribuunt. Quod si sunt qui te circumstant, & has ineffigiatas, rudesque Borussiæ imagines toruis luminibus respexerint, abigendasque duxerint, quod sine cultu ornatiori, & penè inuestes in hunc augustissimum consessum productæ sunt, his responsum sit: Fœminam probam pigmenta, fucumque non decere, nec orationem fidem habituram unguenta usqueadeò redolere. Logographis id tribuimus, ut quodcunque suauius quàm uerius narrent. Nos in his commentariolis sine fraude, omni apparatu orationis seposito, Borussiæ antiquitates exposuimus: ut si qui futuri sint, cultiori sermone res Borussicas describere uolentes, hinc sumere possint, quod ornatum iri tantopere uelint.

Industria uis.

Nuda namque hæc oratio facilè quem quis, imponet cultum perferet. Vt autem, fidem fine scoria habituri sint hi nostri commentarioli uetustate & carie oppleti, ipsos ex præclarissimis rerum scriptoribus elucubratos esse fidem facio, Plinio scilicet, Solino, Pomponio Mela, Cornelio Tacito, Strabone, Ptolemæo: ex neotericis Gordano, qui primus res Gothorum literis mandauit, nostro Alberto Magno, qui has inuisit & peragrauit, Othone Freisingensi episcopo, qui quinq; Imperatorum Rom. res gestas luculenter scripsit, Helmodo Lubecensi presbytero, qui res Slauorum haud ineleganter prosequutus est, Borussicasque simul attigit, Blondo Foroliuiensi, Ænea Syluio, & præter hos quicquid annales Borussiæ usquam uetustatis habuêre, pleraque etiam per acceptionem. Nam apud Valerium Maximum locus est, quo res suo seculo cognitas, & absque literarum monumentis conseruatas manare ad posteros indicantur, sola scilicet traditione patrum. Id genus disciplinæ Hebræis etiam usitatissimum est. Huiuscemodi innixis fulcimentis, commentariolos nostros non temerè edi posse arbitratus. Ne autem manus nostras excedentes absque patrocinio uagabundi errent, ipsos nomini tuo illustrissimo dedicandos duxi, cum quod neminem magis rerum Borussiæ cognitio deceat, quàm Borussiæ principem, tum quod pari tutela hac nostra ætate ac prisca Borussia fruatur. Quum igitur princeps illustrissime simul & inuictissime à curis publicis feriatus fueris, frequenti quoque ueterum, quibus inhias, lectitatione satiatus magis quàm lassatus, etiam domestica peculiariaque inuisas legasque: subinde agnosces in his Borussiæ præter ueteres eius limites, uarios ipsius cultores: crebro enim illinc migratum est, aliquorum maiore numero cogente: moresque uetustiores: quos si ad præsentes accommodabis, non obscurè lucebit quanta sunt quæ sacrosancta militia Teutonicorum in Borussia egerit. Optimo enim iure gloriari poteris, eam quam patres regionem barbaram, incultam, asperam, idololatram, fœdam ac rerum omnium inopem acceperant, illam ipsam splendidam, cultam, ciuilem, opulentam, humanam, & quod maximum est, Christianam reddiderunt & reliquerunt. O' felix nimium Borussia, si sua norit bona illo principatu. Facilè demum, illustrissime princeps, deprehendes, quàm iusto Dei iudicio Borussia ad Germanorum redierit incolatum: quum Germaniæ & pars sit, & Germanis à rerum exordio debita, inhabitata, luculentissimorum scriptorum testimonio. Cur, me iudice, indigne iterum à quibuscunque alijs gentibus inhabitatur, administraturúe? Ego autem hanc scribendi prouinciam non tam mea sponte quàm iussu uenerandi antistitis Iobi Pomesamiensis, à nullo antea tentatam accepi, ut meo Marte aduersus quoscunque aliter de Borussiæ finibus & populo sentientibus, ceu pro aris & focis dimicaturus sim, ultima potius perpeti certus, quàm ignauiter cessurus. Te igitur principem inuictissimum, & ad arma progenitum, pro tua uirtute rogo, ne desistas auxilia ferre tam pio ac iusto bello, ut iunctis uiribus omnem colluuiem barbarorum ex his tuis finibus eliminemus. Nullum enim apud me dubium uertitur, si tuo Marte agendum erit, facilè hanc oram ex manibus iniustè occupantium uindicabimus. Quod breui futurum, modo fata sinant, tuæ auitæque uirtutes, ac genitoris tui præclara facinora admonent. Nunc ad institutum pergamus.

ERASM

ERASMI STELLÆ LIBANOTHANI DE BORVSSIAE ANTIQVITATIBVS

LIBER PRIMVS.

BORVSSIA ultima Germaniæ ora, à Viſtula amne, quem ad occidentem terminum habet, incipiens, ſinusq; Baltici maris, qui ſeptentrionale latus eius ambiunt, percurrens, orientalē ſolem ab Alanis excipiens, mōtibus Hamaxobijs auſtrale latus eius obtegentibus, à quibus continuis ſyluarum iugis diſterminatur. Fuit hæc terra diuerſis habitata cultoribus. Nam ut Gordianus Gothus ſcribit, nuper Hulmigerij Germani eā tenuêre, à quibus aliquandiu Hulmigeria dicta: hodieq; ea pars quę Viſtulæ accolit Culmigeria pro Hulmigeria uocitatur. Sed hi per Gothos quamprimum ex Scandauia in continentem deſcendiſſent, inde pulſi eam, ut is ait, occupauêre. Ptolemæus autem uetuſtiores incolas recenſens, Gothones, Venedos, Stagnanos, & Sargatios, Sudinosq; his locis inſediſſe ſcribit, quibus Gelidanos, ſimul & Gillones. Varinos & Charinos, quos ipſe Charionas nominat, addit, finesq; ad Hamaxobios uſq; protendiſſe indicat. Ad Viſtulam uerò pauciores ſediſſe cōmonſtrat: nam Finnos cum Venedis & Sulones duntaxat hanc oram habitaſſe ait. Hos autē populos nullo alio quodam cōmuni nomine dignatur: forte quia non unus populus, nec in unum conceſsit nomen. Verum Cornelius Tacitus diligentiùs hæc loca conquirens, ipſa Germanię prorſus adſcribit: quāquam promiſcuè Sarmatis, Germanisq; populis habitata aſſeuêret. Venedos enim Germanis connumerandos cenſet, quod & domos fingunt & ſcuta geſtāt, peditum uſu ac pernicitate gaudent. Quæ omnia diuerſa Sarmatis extitêre, in plauſtris ſolummodo ac equis uiuentibus: quanquam & ipſi ex Sarmatarum moribus traxerant, quod uicinos latrocinio infeſtarent. Quicquid enim inter Peucinos, quos quidam Baſternas dixêre, ſyluarum ac montium erigitur, latrocinio pererrauêre. Erant autem Peucini & Baſternæ, ut Plinius teſtatur, contermini Dacis, ſermone, cultu, ſede ac domicilio Germanos referentes, multa tamen fœditate Sarmatarum contacti: nam & connubijs promiſcuis utebantur, & proceres eorum pari ſorde ac plebs torpebat. In dubium Tacitus uertit, Sarmatiſne an Germanis aſcribantur: uerū hæc loca hodie Poloniæ aſcribuntur. Plinius tamen ipſos Germanis cōnumerat: cui & Varini, & Gothones Germani ſunt, ex Vindelicorum genere. Vltimò autem regionem Boruſsij intrauerūt, populi qui Ptolemæo teſte ad Riphæos montes, ubi in ſeptentrionem fuſiùs excurrunt, nec longe quà Tanais ex eis erumpit, ſedes habuêre, qui infelicitate ſua conciti (perpetuis namq; niuibus, algoribusq; illic terra riget, ad omneq; naturæ miniſterium damnata eſt) ad nouas ſedes capeſſendas patriam egreſsi in hæc loca delapſi ſunt: quæ tum ſoli fertilitate, tum paſcuorum, lacuumq; amœnitate ipſis quum primum placuêre, nec non ultra progreſsi ſunt, hic ſedes unanimi conſenſu ſibi deſumentes, utq; ſibi ac poſteris perpetuò eſſent duraturę, terram uocabulo gentilitio Boruſsiam appellauêre, quę uſq; hodie unius literæ ſuppreſsione Bruſsia uulgò dicitur. Hæc eſt uera huius gentis origo. Et cæterùm quicquid dicitur, perinde ac anilem fabulam habendum eſſe cenſeo. Facit iſtius rei fidem permaximam, quod uſque hodie populi ad Riphæos habitantes, eodem pariq; ſermone quo hi utuntur. Boruſsij uerò ſedibus formatis, terram cultoribus uacuam (Gothi enim populariter eam exceſsêre) nullo repugnante facilè occupauerunt, circa eam portionem quæ ad Viſtulam eſt. Hęc adhuc à paucifsimis Germanis tenebatur. Propagantes igitur ſeſe à Chrono flumine uſq; in contingentiam Hulmigerorum: quæ nuncupatio poſt pulſos per Gothos ueteres colonos è medio oræ huic regioni accōmodari cœperat, nomine ſuo breui cęterorū hic habitantium nomina obfuſcauere: quod forte euenit, quia Boruſsij conterminis gentibus, puta Germanis, notiores extitere, uel quod multitudine ſuorū, amplaq; ac ſpatioſa oræ occupatione, ipſos etiam indigenas ſuperarunt. Terrarū namq; limites pro nutu potentiorum ſępenumero nomina ſortiuntur, duratq; hodie ea nuncupatio, quod qui ex Germanis uel Viſtulam, uel illic maris tractum accolunt, Boruſsij uocentur, qui tamē cum illis ipſis præter cœlū commune habeant nihil, iuſtiusq; Boruſsienſes nuncupādi forent. Terram hanc Boruſsij undiquaq; fœcundā longè lateq; incolentes, ipſam tamen minimè excoluêre, uel ob ignorationem rei ruſticæ, uel ne bonitate ſoli deprehenſa, & ipſi finitimorum metui obnoxij fierent, indeq; eliminarentur, uel quod uictum è terrę naſcentibus nōdum nouere: carnibus namq; ferinis, & quidem crudis pro cibo, lacteq; pro potu ueſcebantur: quandoq; etiam ſanguine equino mixto, & eo uſq; ad ebrietatem.

Hulmigerij. Boruſsia.

Domos

Domos non fingebant, sed specubus & arborum subere (unde etiam Subaria dicta comperitur) ab imbribus & algoribus sese ac infantes protexêre. Nulla eis sacra aliquandiu fuere: tandem in eam deducti insaniam, ut serpentes, ferasq;, & arbores religiosè colerent, ceu de his in subsequentibus dicemus. Non leges, non magistratus nouêre: tantum cuique licuit, quantum audebat: nihil à feris uita illorum distabat. Erga tamen naufragos, & maris tempestate iactatos, humaniores & illis ipsis undiquaq; auxilio fuêre: in reliquis mira fœditas ac fœda paupertas: nam eis nec arma, nec ferrum fuerant. Si quando ad prælia inter se concurrerent, sudibus præustis & perticis utebantur. Non autē multi effluxêre anni, quum Germani Hulmigeriam incolentes resumptis uiribus (nam per Gothos multum attriti fuerant) accitisq; trans Vistulam socijs, qui amne lintribus transmisso eis consedentes, & iunctis uiribus contra Borussios bella parant: penitiora quoq; regionis ingressi, quotquot Borussiorum offenderant, aut in seruitutem acceperant, aut retrocedere coëgerant, breuiq; sese, suosq; à metu barbarorum asseruêre. Borussij uerò quo à Germanis finitimis tutiores forent, se cum Sudinis, qui ultra Chroni fluenta sedes habent, eiusq; regionis aborigines creduntur, societatem iniere, qui tum uirtute, & potentia plurimum pollebant. Est autem Chronus fluuius, qui hodie Pergulus dicitur, quem in finibus Borussiæ ortum brumalem uersus, multi lacus eodem fermè loco se mutuo influentes efficiunt: qui Borussios à Samijs primum, ut Strabonis nomine utar, deinde à Sudinis dsterminat, populis etiam Rom. armis tentatis magis quàm uictis: à Druso enim Germani, testante Plinio, classibus oppugnati sunt: qui primus Rom. ducum septentrionalem oceanum ingressus est, & post eum, Domitianum Cæsarem in expeditione quam contra Sarmatas, quod legionem cum legato necarent, instituit, ob succinum quod abundantius barbari illic inter maris eiectitia, soli omnium gentium excepere, bello petiti sunt, sed se magna eius rei propter quam peti se senserant copia, succini scilicet, redimentes, illacessiti remansêre. Sed hic de succino obiter dicamus: abundat enim eo hæc ora, quæ quasi peninsula est ob sinuosos flexus maris, terrámque spatiosè in freta excurrentem, in quam ui tempestatum idipsum aduehitur: id olim à Germanis Glessum dictum est, ut eruditi scriptum reliquere. Inde Glessaria regio ipsa à Rom. militia nuncupata, & ab alijs Subaria à subere, quum patrio nomine Sudinia uocetur: ab eruditis uerò Austrasia. Succinum etiam Sualternicum Scythico uocabulo barbari appellant. Vbiuis autem loci succinum gignatur, scriptores non conueniunt. Præter enim ea quæ fabulosè de ipso in Phaëthontis fabula prodita sunt, Pitheas Gothonibus Germaniæ gentis accolis æstuarium Mentonomon nomine esse ait, ab oceano stadiorum sex millium, ab hoc diei nauigatione insulam abesse Abalum, ex illa uernis fluctibus succinum aduehi, & esse concreti maris purgamentum: incolásque pro lignis eo uti dicit, proximisq; Teuthonis uendere: huic & Timæus assentit: sed insulam Basiliam uocauit. Nicias autem solis radiorum succum esse uoluit, hosq; circa occasum, ut ipse credit, uehementiores in terram actos, sudorem pinguem in eam partem oceani relinquere: deinde æstuante mari in Germaniæ littora eijci. Mithridates in Germaniæ littoribus insulam esse asserit, uocariq; eam Cedron, cedri genere syluosam, inde & in petras defluere, Cornelius Tacitus Effluorum gentem, qui dextro Suionici maris alluuntur, nuncq; Lissom uulgò nominantur, ipsum legere inter uada, ac cætera maris eiectitia ipso littore, asserit: quod & hodie fieri cernimus. Quidam nostri temporis experti, ipsum è limo quorundam montium sole excalescente fluitare existimant, in herbidoq; solo atque algido, quod his montibus subest, indurari: oceano illic efferuescente inde rapi, in proximaq; littora expelli. Indicium istius esse, quod ipsum aliquando ex solido eruitur, quod & ipsi uidimus: quanquam ceræ mollitie, & penè lentum sit, ob idipsum mari denuo immergunt, cuius rigore lapidescit. Hanc uerò opinionem neque omninò adstruere, neque refellere in animo est. Quod autem hos montes nominatim non ædunt, mihi suspitionem incertitudinis facit. Plinius uerò naturæ fidissimus interpres, Germanici Cæsaris classibus bellum, ut dictum est, in septentrionali oceano, gerentis experientia innixus, tradit succinum gigni in insulis septentrionalis oceani, ipsúmque nasci defluente medulla ex pinei generis arboribus (ceu enim resina in cerasis, ita & in pinis humoris abundantia erumpit) densarique rigore maris, eo intumescente ex insulis rapi, certóque littore expelli: ita inuolutum herbis, ut ex his pendere uideatur, salo expui: succum uerò arboris esse, ipsumq; primum liquidum distillare, argumento sunt quædam intus lucentia, ut formicæ, aut apes, etiam lacertæ, cæteráque id genus, quæ adhæsisse musteo non est dubium, indurescente uero humore inclusas remanere. Pineæ autem arboris indicium est pineus in attritu odor, & quod accensum tædæ modò fragrat. Rude est, informeq; ac glebæ simillimum, dum ex aquis excipitur, corticibus ac alijs rebus sibi inhærentibus: ob id diu incognitum

Anarchia.

Chronus flu.

gnitum barbaris, inter maris quisquilias iacebat. Germani idipsum primum nouisse traduntur, in Pannoniamq; ad Carnuntum oppidum aduexisse, inde Veneti ipsum accipientes, primum rei fœminam fecere, mox proximi Pannoniæ circa Adriaticum mare, Transpadaniq; quorum agrestes fœminæ monilium uice, & decoris gratia succinum gestauere. Hinc natam fabulam de Pado omnibus notam credimus. Eius esse genera quamplurima constat: candida, sed odoris præstantissimi sunt, quibus diu minus pretium erat: hac uero tempestate & fulua, & cerea mercede præstant: ex fuluis etiam translucentibus amplior erat autoritas, præterquam si nimio ardore flagrent: imaginem enim igneam, non ignem inesse placet. Summa laus Phalernis tum fuit, à uini colore dictis, molli fulgore conspicuis: id ab aliquibus Chrysolectrum dici comperimus, quasi coloris aurei: rapacissimum id est igneum, & si iuxta fuerit celerrimè ardescens. Sunt in quibus decocti mellis lenitas placet. Domitius Nero Romanus Imperator, capillos coniugis suæ Poppeæ in hoc nomen adoptauerat, ipsos quodam carmine succinos appellando. Ex eo tertius hic colos à matronis expeti cœpit in capillis. Dum quoq; is gladiatorum munus Pop. Rom. exhibiturus esset, Iuliano quodam equite Rom. id curante, ad ipsum comparandum misso, qui hæc littora peragrauit, uidit, ac commercia tentauit, tantam copiam [illegible]mam inuexit, ut retia in uenatione publicè ædita eo nodarentur, armaq; & librilla, totusq; simul diei unius apparatus è succino esset: uisa tunc fuit gleba tredecim librarum. Solinus tamen refert id succinum à rege Germaniæ Neroni dono datum: cui sententiæ magis accedo. Tanta fuit eius, ut eruditi scriptum reliquere, in delitijs taxatio, ut hominis quamuis parua effigies uiuorum hominum, uigentiumq; pretia superaret. Quumq; in alijs ad luxuriã quæsitis ostentatio & usus placeret, ceu in Corinthijs, æs, auro, argentoq; mixtum, in cælatis ars & ingenium: uniones quod capite, gemmæ quod digitis circumferuntur. In succino, ut Plinius inquit, tantum delitiarum conscientia, luxuriæq; expetita est. Est usus eius multiplex in medicina: nam ab infantibus pro amuleto gestatur: contra lymphationes & noctis metus, cuicunque ætati prodest: urinæ difficultatibus potum, alligatumq;, quod chrysolectrum uocant, collo alligatum mederi febribus Callistratus prodidit. Tritum cum melle ac rosaceo aurium uitijs, & si cum Attico teratur, oculorum caliginem remouet. Stomachi etiam uitijs uel per se farina eius sumpta, uel cum mastice ex aqua pota, quod de candidis maximè crediderim. Tonsillis quoque resistere creditur, & faucium uitijs: ob id mulieres Padanæ ipsum circa colla longo seculo gestauere, uario genere aquarum iuxta illos infestante guttura ac carnes uicinas: quod hodie Turcarum equestres copiæ in equis suis obseruant. Neotericorum pariter experientia ad citandos partus candida operari depromit: notissimum id Germaniæ mulieribus. Calculos quoq; uesicæ & renum eo poto elidi, euocariq;, quamplurimi testantur. Venena, pestilentemq; aërem eius nidore fugari compertum est. Distillationes quoq; sisti, uulneratis, si in potu sumpserint, prodest: malagmatis ob id etiam assumuntur. Verum & hoc notum fieri oportet. Succinum quocũq; libeat colore tingi hœdorum seuo & anchusæ radice: quippe etiam ipsum conchylio infici tradunt. Quæ uerò translucida sunt, ad gemmas adulterandas magnam habent uicinitatem, & maximè ad amethystos. Politur succinum adipe suis lactantis incoctum. Ramenta eius oleo addito dilucidius ac diutius flagrant quàm lini medulla. Notissimum cuiq; est quod attritu digitorum caloris ui accepta, attrahunt ad se paleas & folia arida, ut magnes ferrum. Visum esse quidam retulere, quod æris etiam ferri laminas attraxerit. Ego glebam uidi cui ferrum, quasi adnatum inhæserat, quod ui sua forte attraxerat. Multi tentauerunt succinum flexile ac ductile reddere, sed nequicquam cessit, mirum, quum nimia humida & succulenta prodeant, uti indicauimus. Hæc tumultuariè de succino, Sudinorum opibus dicta sint, propter quas sæpenumero ab exteris gentibus bello petiti. Sensère namq; præter Rom. arma & Saxonum Angliam occupantium oppugnationem, à quibus se terra & mari impigrè defensarunt. Habuère enimuero hi populi, ut de moribus eorum aliquid transeunter dicam, regulos suos, quorum legibus obtemperabant: agrosq; coluère & cõmercia nouère. Vestium cultus apud eos fuit, ut mares lanea, fœminæ linea tunica uterentur, circulosq; ex ære uel orichalco colla circundabant. Auribus etiã crotalia suspenderunt, rem friuolam, quod tamen neq; hodie desitum. Domos in uillarum modum extructas inhabitauère, uicosq;, ac sine muro & uallo omnia, quod forte ab externis, ipsos commercij gratia adeuntibus didicere: alioquin alienum à Sarmatis. Sed ut ad Borussios rependemus, societatẽ cũ Sudinis eos iniisse diximus ob Germanorum finitimorum metum. Nec à Sudinis aspernati sunt: uerum eorum potentia adiuti, & contra quosuis conterminos populos tutiores facti, aliquandiu in sua fœditate degerunt: de qua posthac. Nunc de cæteris Borussiæ rebus editis prosequamur. Generat & terra hæc feras multijugas, eas etiam nec alibi cognitas. Præter enim ursos, apros, ceruos, quibus

Succini pharmaca.

Sudinorum mores.

bus abundat, Vros excellenti ui & uelocitate profert, qui uastitate corporis parum infra elephantum sunt, eaq; ferocitate, ut neq; homini, neq; feræ si quam conspicati fuerint, parcant. Cornutumq; id animal est: eius cornuum magnitudo tanta uisa est, ut urnas binas unius capitis cornua, ut Plinius testatur, impleuerint. Barbari ex his potant, argenteo circulo parte qua labris admouetur circumducto. Sunt enim caua & in mucronem demum concreta. Alij pila his præfixa cuspidant. Romani in laminas ea secabant: ut lumen quod his includebant latiùs funderent, ipsisq; pro lichnucis ac laternis usi sunt. Qui sese uenatione eorum exercent, si plurimos interfecere, relatis in publicum cornibus, quæ testimonio sunt, magnam laudem adipiscuntur. Soliti erant antiquitus caueis ad hoc ex opera factis eos capere, captosq; iugulare, forte quod ea tempestate ferro caruere: sed eo mortis genere, feram tam insignem posteriores ætatis iuuenes præcipuæ uirtutis & audaciæ, interire indignum censentes, ob id canibus ipsos insequi placuit, uenabulisq; cominus ac eminus petere, arboribus sese robustioribus semper condentes, ne & ipsi à fera rursus impeterentur, quę cornibus arbori insertis, uindictæ auida, inhæret, donec insequentium telis saucia concidat: tali morte feram dignantur atrocissimam. Fera hæc sub mento uillos longiusculos habet in arunci speciem, cæteris tauro persimilis existit. C. Caligula Romanus Imperator primus Romæ Vros in arena ostendit, quos tum imperitum uulgus bubalos falsò credidit. Gignit hæc terra & bizontes iubatos, qui è boum syluestrium genere sunt, sed nostra ætate admodum infrequentes. Aiunt hos solipedes, maribusq; ac fœminis iuxta iubas cornua, eadem utriq; forma & magnitudo, colore quoque & specie haud dissimiles tauro sunt. Aliqui ex horum genere unicornes perhibētur: quod uerum sit, necne, incompertum habeo. Plinius tamen Indicos boues syluestres unicornes, tricornesq; esse scripsit, ob id non incongruens uidetur eos & alio loco nasci, uerum esse alterius generis à bizonte suspicandum est. Tale forte est cornu quod hodie in Archiuo protomagistri integrum custoditur, ac Monocerotis asseritur, quũ nigrum illud sit, hoc uero luteum conspicitur. Sunt & in ea regione greges ferorum equorum, quos Græcia non uidit, nec Romanus, quapropter alio uocabulo nominari non possunt. Hi cicuribus equis omninò similes extant, præterquàm quod dorso molliori sunt, ob id nec usui apti. Dicuntq; ipsos nequaquam mansuescere posse. Carnibus eius incolæ etiam hodie uescuntur, quas non insuaues asserunt. Gignit & alces (quos falsò syluestres asinos quidam autumant, quum hos Asia tantum ac Africa procreet) specie media inter ceruinam & iumenti, nisi quantum aurium proceritas, ipsaq; ceruix distinguit, magnitudine inter camelum & ceruum: maribus in supercilijs cornua nascuntur, quæ quotannis amittunt, latiora quàm ceruis, ramosa tamen & per totum concreta ac solida: ungulæ bifidæ, colore q; ceruum imitatur: uenatorem è longinquo sentit: animal certè simplex, & quod plus latebris, quàm fugæ fidat. Si ui canum urgetur, magis in canes se calce quàm cornibus tueatur: in locis palustribus sese plurimùm condit, illic & partus ædit suos: formidinis eius argumentum esse aiunt, quod rarenter solitarius, in armēto multum appareat. Vngulis eius comitialem morbum, & iam spumantem abigi creditum est, si cute attingitur. Hallucinati sunt qui alcem nullo suffraginum flexu dixerunt, neque quietis causa procumbentem: uerum accliuem arbori somnum capere, quæ ad insidias à uenatore incisa feram unà affligit ac concidit. Quod & pascendo retrograditur ob superius labrũ prægrande, quasi progrediendo pasci nequeat: quæ singula non de alce, sed de *machlin* fera, illi haud dissimili, quam Scandaniam mittere aliqui prodidère, dicta sunt. Habet & syluas incæduas, unde uis ingens lignorum, & ad naualem usum & domesticum conuehitur: teretumq; arborum ad malos nauium accommodam, quæ inde in remotissimas oras deferũtur: habent & syluæ præter id suas diuitias, unde quasi sponte compendium nõ modicum incolis prouenit: apum, scilicet, ingentem multitudinem, quarum alueos ceu natiuos intra arbores ad hoc cauas cernere est: ex quibus tanta mellis, & ceræ copia prouenit, ut Germaniæ, Britanniçq;, ac cæteris adiacētibus insulis, commodè harum rerum usum suppeditet. Nec apiarij arte, uel industria examina illic curant: nullis enim satorum floribus, aut herbis ipsa inuitãt, nec si longius euolent reuocant: è frondibus & syluestribus floribus succum contrahunt, quo opera cõficiunt sua, quæ compendij ingentis argumento sunt. Præter illa & pelles quasdam non ignobiles mittunt hæ syluæ, quæ uestium ambitu principum hominum subduntur. Lectorũ etiam stragula ex his consuunt, pretioq; ingenti uendunt: has olim pelles ouini uelleris commutatione mercatores ab incolis receperunt. Gaynos barbari uocãt ea animalia, Germani martes, è mustelarum syluestrium genere, ab aliquibus historiam naturalem commentantibus, esse scribuntur. Piscationes quoq; diuersis in locis non incommodas exhibet: nam pisces omnis generis tum ex lacubus, tum ex æstuante mari illic prendunt, ceu psittas, soleas, lingulas, rumbos, trossullas, mullos, asellos, salmones, marinos, canes, & id genus alios,

inter alios, anguillas præter cæteros numerosiores: nec de his incolæ uescuntur, nisi quod sole, aëreq; siccatum, tostumq; sit. Sed ad alia pergamus. Hæc ad loci situm, ac terrarum prouentum, uti antiquitas possedit, tradita sint.

ERASMI STELLÆ LIBANOTHANI, DE VETVSTATIBVS BORVSSIAE, LIBER II.

TEmpore quo Valentinianus Romanis imperauit, Alani populi septentrionales Borussijs contermini, contra Rom. imperium arma sumentes, post diutinas in imperij fines excursiones à Sicambris cōpressi sunt, quo bello Sicambri sibi, & posteris libertatem pepererunt. Alani, qui cædi supererant, pars per imperij terminos delapsa Hispanias usq; peruenit, ubi se Gothis illic belligerantibus iunxerant, qui tandem sedibus ibidem sumptis, se confusaneo duarū gentium uocabulo Gothialanias appellauêre, quasi Gothorum, & Alanorum sedes. Pars uerò imbecillior, quæ domi remanserat, ac cæde patrata patriam repedauerat, exuta præcipuè iuuentutis manu, sibi non satis in sedibus proprijs fidens, cum uxoribus & filijs, omniq; seruitiorum multitudine, ad Borussios contermi-nos secessit: supellectilem tum omnem secum in carris ac plaustris trahens, tum etiam pecora, quorum prouētu hęc gens plurimùm uictitat, uniuersa ac sese Borussiorum fidei, & tutelæ commiserant. Nec ipsi à Borussijs repulsi, quod eorum multitudine adaucti, facilius quibusuis populis resistere posse crederent, etiā tum magis Germanos formidabant, qui penitiorem Vistulæ ripam accolebant, ipsosq; sæpiusculè à suis, quæ possederant locis, disturbârunt. Concesserunt itaq; Alanis cohabitandi ius, qui rursus Borussijs mulierum suarum coitus permiscuêre: connubia enim nulla habuêre, sed ut quisq; in mulierem incidit, ea ad Venerem uti licebat: quare breui in eam multitudinē coaluêre, ut quoscunque contingentes populos superarent. Ex ea tandē multitudine cœperunt inter sese angustia finium premi: utcunq; enim placuerat, ac commodum quisq; ratus, tantùm terræ sibi, equisq; desumpserat: unde rixis uarijs inter sese dissidere cœperant, quæ plerunq; cædibus transigebantur: id populum hunc agrestem intra se discordem, in eo concordem fecit, ut de rege sibi constituendo conuentus agere cœperint: ubi pro ruditate populi uaria undiquaq; ea de re dicta, agitataq; sunt. Viduutus Alanus, qui cæteris & dignitate, & uigore animi præstabat (magna enim seruitiorum classe abundabat, unde etiam sibi in alienis terris autoritatem non modicam acquisiuit) inquit: Ni ô Borussij apibus uestris hebetiores essetis, de hoc quod inter uos agitatis, dissidium nullum esset: has enim regem habere uidetis, cuius imperatis obtemperant, qui opera eorū dirigit, singulas ad labores idoneos deputando, qui & inobedientes castigat, inertesq; foris aluearia propelli iubet, cuius hortatu omnes in labore perdurant, operaq; sua perficiunt: uos qui hæc indies uidetis, illas sequamini duces, & regem uobis constituite, eiusq; uoluntati obsequimini. Ille rixas inter uos dirimat, cædes ulciscatur, furta puniat, innocentiam tueatur: is solus in omnes sine ulla exceptione ius dicendi, potestatemq; habeat. Eius dictis cuncti ingenti sublato clamore assensere. An ergo nobis eris Biotterus? quod ipsorum lingua apum regem significat. Is nec uocem aspernatus, omnium ore rex salutatus est. Miranda mortalibus gloriæ cupiditas, qua humilis quisque se dignum fastigio regio existimat. Is usq; in eum diem pari fœditate, qua cæteri humi uitā trahens, unica populi exclamatione tam rudis, & inculti, regem agere cœpit. Nec ei regius animus defuit. Nam quamprimùm à plebe maiestate regia secretus fuerat, non alio animum applicuit, quàm ut apum ducem imitaretur. Quare in primis palantem populum certis finibus instar examinum inclusit, quæ peculiaribus aluearijs labores suos perficiunt. Operaq; agrestia exercenda monuit, & prout loci situs admittebat peragenda, puta ut hi terram colerent, sementaq; spargerent, ac arbores consererent, illi uero apum compendio insisterent: alios pecori, alios piscationi deputans: legesq; condidit, quibus futuris finium angustijs prouidere se credidit. In primis, ne quispiam paterfamiliâs plures partus aleret, nec etiam seruitia, quàm pro laboribus suis explendis sibi sufficerent, cæteros aut uenundaret, aut necaret: ne quis paterfamiliâs partus inutiles, mancosq;, ceu ad labores inefficaces educaret: utq; filio parentem senecta oppressum, uel imbecillitate uirium labores non ferentem, impunè strangulare

Primus Borussiorum rex.

gulare fas esset, utque pueri non adeò incerto patre nascerentur, coitum promiscuum prohibuit, & sub connubij specie instituit, ut quotquot & quæcunque paterfamiliâs puellam suscipiendam prolis gratia iniret, siue ex seruitijs peculiaribus, uel alienis foret, siue ex liberis, eam secum suo detineret tugurio, aleretque. Alieni tamen iuris puellam non nisi precio, quasi ære emptam, à quocunque deduci pro prole procreanda inhibuit. Adulteria tamen non usqueadeò prohibuit, sed abigendos mœchos potestate castigauit. Quò autem populum hunc ferocem ad uitam produceret mansuetiorem, comessationes frequentes, & publicas instituit, quibus feros hominum animos demulctos iri credidit: nec in eo hallucinatus est. Nam breui ad eam deuenêre mollitiem, ut eos quocunque uellet, perduceret. Hinc hospitalitatē maximè colendam esse statuit, quia ipsa amicitiæ firmissimè glutinarentur. Potum ex aqua & melle concinnare docuit, qui Latinè mulsum dici potest, quò in comessationibus, & publicis, & priuatis uti concessit: cuius dulcore mirum in modum barbari delectati facilè ad ebrietationem peruenêre. Ad religionem autem se uertens, sacerdotes à Sudinis socijs populis accersiuit, qui insana superstitione cōtaminati, eos immunda quæque animalia, ut serpentes colubros perinde ac deorum famulos, nuntiosque religiosè colere docuerunt, quos intra domos nutriebant, eisque ut dijs penatibus litabant. Deos in syluis ac lucis habitare dixerunt, illis uictimis ibidem ut placarentur, immolandum esse: ab his solem, pluuiasque expetendas fore. Sacra eorum aditu aduenarum pollui, nec aliter, quàm humana uictima expiari constanter crediderunt. Feras omnes, alcem præcipuè, has syluas incolentes, ut deorum seruos uenerandas esse monuerunt, ideoque ab eis abstinendum. Solem & Lunam deos omnium primos crediderūt, Tonitrua, fulgetrasque ex consensu gentium adorabant, tempestates auertendas, citandas precationibusque dixerunt. Hirco in sacrificijs usi sunt, ob fœcundam animalis istius naturam: nam ad coniunctionem sexuum maximè defertur, sine qua generatio est nulla in animantibus. Præcellentes arbores, ut robora, quercus, deos inhabitare dixerunt, ex quibus sciscitantibus responsa reddi audiebantur: ob id nec huiuscemodi arbores cędebant: sed religiosè, ut numinum domos colebant. In eo numero & sambucum, & plerasque alias habuêre. Statuit & dies natalitios, & funera pari modo celebranda, mutuis, scilicet, commessationibus, & cōpotationibus, tum lusu, & cantu, absque mœrore cum summa hilaritate & gaudio, utque alterius uitæ spem præ se ferrent: illo saltem ostenderunt, quod exutos spiritu, armatos, uestitosque ac magna supellectilis parte circumposita humarunt. Quo more usque nunc sepeliuntur, addito etiam potu melleo, aut ex frumentis facto in testaceis uasis. In funebri epulo partem obsonij, potusque uita defuncti manibus libarunt, hodieque libant, pudendo illic Christianorum præsulum dedecore. His & cæteris populo illo instituto, religioneque firmata: Viduutus hanc oram prudenter, & quietissimè rexit, nullis excursionibus in uicinos populos permissis, nec aliqua rursus ab eis perpessus incommoda. Eo uita defuncto filios quatuor sibi superstites reliquit, qui inter se de imperio dissidentes, gentem iam paci diutinæ assuetam, ad prælia mutua suscitabant. Concurrebant ergo inter se multis prælijs: sed senior natu, quia ex matre Ala progenitus, solus Alanorum suffultus auxilijs, Borussijsque exosus, fratribus, qui multitudine abundabant, cedere cogitur. Post multas igitur cædes ex utraque parte commissas, cum statuêre dissensionis finem, ut senior natu Viduuti filius, ex matre Alana prognatus, cum suis Alanis retrogrederetur, auitaque loca repeteret, his ut posset, dominaretur. Serram uerò Borussiæ fratribus tribus ex matre Borussica, ac in solo Borussico natis relinqueret. Accepit conditionē hanc Litalalanus, ita enim senior natu iuuenis nuncupabatur, Borussiam egressus magno suorum numero. Et quum supra modum aucti essent, pristinas sedes, quas uacuas inuenerunt, facilè impleruntur. Ab hoc quoque eorum duce in posterum, qui priùs Alani dicebantur, Litalalani dicti sunt, nūc hodie uulgò Litfani nuncupātur. Qui in Borussia remansêre, terram secundū capita diuiserunt, Pomesamus, qui ex his ætate præcellebat, sorte eam occupauit oræ portionem, quæ Hulmigeriæ propinquior est, tum à Germanis habitata, à quibus Borussij magis formidabant. Sed quoniam Pomesamus strenuus manu uideretur ac animo feroci, multitudinisque admodum studiosus, hanc magis tutari eum posse confidebāt, & ex ipso hæc portio posthac Pomesamia dicta. Alter Viduuti filius Galingus nominatus: huic terra, quæ nunc Galingilia nuncupatur obuenit, à quo & terra nomen sortita est. Tertius uerò Natangius, Natangiā terram à se nominauit, & obtinuit. Hæ sunt tres primæ terræ Borussiæ portiones. Nati uerò eorum, & nati natorum, iterū paternas diuidentes possessiones aliā atque aliam uarietatē nominum induxêre, ut hi Barti, alij Naoderitæ dicerentur: & qui hodie uetustatis uestigium retinentes Varnienses à Varnitis dicuntur. Eo pacto Viduuti filij inter se imperio diuiso, pro sua quisque libidine deposito regio nomine, quam tenuit portionem, administrauit, subindè inter se dissidētes: in hoc tamen concordes sue-

des fuêre, ut aduersus quosq; suos uicinos, præcipuè Polonos, & Germanos excursiones facerent, ac eos latrocinijs infestarent. Sæpè prædam ingentem hominū, pecudumq; ab eis agentes: & dum ipsi rursus insequerentur, sese & prædam in intimis syluarum latibulis occuluerunt, quod insequentes, ne insidijs circumuenirentur, retinuit. Ex huiuscemodi deprædatione, quia ducibus non tenuis quæstus, plebi etiam uictus obtigit, agriculturam, & alia agrestia opera, quæ sub Viduuto exercenda sumpserant, breui intermisêre, aut eatenùs exercebāt, quatenùs necessum uisum est. Ducti lucri cupiditate ad pristinos mores, latrociniaq; quàm breui reuertentes, Germani tandem consulentes in medium, uocatis in auxilium Suetiæ regulis: ij in Oceano Germanico siti sunt, à Latinis Sitiones dicti, qui Ganipoti cognominabātur, quod & ipsi Germani essent, & re bellica, tum terra, tum mari plurimùm pollerent: qui eis auxiliares copias classibus traduxêre, pluribus annis cū Borussijs belligerantes: quò multis trucidatis atq; cæsis, eos ad deditionem compulêre. Est usq; hodie oppidulum ad Vistulam cum arce situm, quod Suetza uocatur, ubi hi, qui ex Suetia uenerant, castra sua posuerant, quod postea in eam munitionem, quam uidemus, per Teutonicos fratres extructum est. ex quo Borussios rebellantes identidē impugnarunt. Nouem regulos id cōfecisse bellū annales habent: sed qua tempestate, aut quādiu durauerit, nec an simul, an sibi inuicem succedentes id bellum gessêre, an etiam Borussios ad tributum pendendū coēgêre, nihil reliqui est, donec ad tempora Henrici primi patris magni Othonis uentū est. Ea tempestate barbara gens iterū latrocinio finitimos impetens per Hugonē cognomine Botyrum, aliàs Bructerum, ex Saxonia natum: tū principem Germanorum, Vistulā ex utraq; ripa accolētium, quos aliqui Bructeros fuisse autumant, seditionibus ex natali solo pulsos, in hæc loca deuenisse: ab eius gētis principe, qui illic (ut dictū est) imperitabat, Borussij compresi sunt, adeoq; uiribus exuti, ut pacem longissimā seruârint: permansere namq; quieti ad tempus Othonis tertij imperatoris Rom. Sub id tempus Borussiorum ferocia recusa est, uiribusq; adeò contrita, ut omninò ab incursionibus cessarent. S. Adelbertus natione Bohemus, sed in Saxonia enutritus, ac episcopus Pragensis, in Borussiam comigrauit, ac gentem hanc à suis erroribus reuocare conatus est: sed à Sudinis dum sacra perageret, interficitur, corpusq; dissectum ante uolatilia proijcitur: quod eius hospes colligens, mox redintegrauit, & ipsum cophino trans amnem ad Polonos detulit, ac pro auro tanti ponderis (sed quoniā exiguum diuina ordinatione pendebat) uendidit. Boleslaus Poloniæ princeps ipsum in insigni loco ac tumulo conseruauit. Qui multis clarēs miraculis, à Datho pontifice maximo consecratur. Dies eius Martyrij octauo Calendas Maias ab Ecclesia celebratur. Tempore quo Conradus secundus Romano præfuit imperio, Borussij cum Polonis conspirarunt, qui tunc ab imperio Romano, cui iam diu subiecti erant, desciuerant, ducemq; eorum Boleslaum cum coniuge sua Gertrude Leopoldi Austriæ Marchionis filia pepulêre. Tributū quoq; quingentarum librarum argenti ærario publico quotannis debito inferre recusantes, rati Borussij Polonorum auxilio faciliùs Germanos finitimos ad internecionē cæsuros. Durante autē hac Polonorū rebellione, usq; ad Federici, cognomento Barbarossi tempora, qui copijs per Oderum fluuium traiectis, Poloniam ingressus, urbes, quas repugnantes inuenit, expugnat, & diripit: arcem Glogam eum subuertisse annales habent: singula igne, ferroq; deuastās: copias, quas obuiam habuit ex Borussijs, Bossallanis, Tartaris ac Polonis ingentis multitudinis, minimo negotio fudit, Poloni in sola deditione præsidiū esse arbitrati, Borussij in fuga salutem quæsierunt, quos imperator insequutus, multis cæsis, multis captis, ultra Vistulam cōpulit. Coacti tum fuissent Cæsaris ferre iugum, ni aliòtenus imperij negotijs auocatus fuisset. Huic expeditioni Ludouicus Thuringorum princeps, Ferrei cognomentum sortitus non solùm interfuit, sed & præfuit: quippe qui duob. millibus equitum, & magno peditū numero sese Cæsari iunxerat. Polonis siquidem ad deditionem coactis, Boleslaoq; restituto, ac tributo duorū millium librarum argenti fisco imperiali, & quatuor ab ærario publicè pendendū imposito, Germanos qui ultra, citraq; Vistulam habitabant, ut tuti ab incursionibus Barbarorum permanerent, Massobiorum ducem, qui Cæsari consanguinitate iunctus fuerat, in tutelam contulit, quod fidelis Romano imperio semper fuisset, & ex antiquissima Germanorum Saxonum domo duceret originem. Non multum temporis effluxit, ubi Borussij infesto agmine finitimos petiêre. Primū Massobios, sic quoq; hac ætate uocitantur, qui sese pecunia, uestibusq; multoties redemerant, subindè Germanos uicinos, qui se diu armis, quāuis ægrè defenderant. Tandem inuocantes fidem Conradi ducis, qui à Cæsare commissi erant, Conradus quoties Borussijs acie occurrit, fugatur, cæditur, ac castris exuitur. Ob id de domestica potentia desperans, auxilium Celestini Pont. Rom. (quod imperator Henricus, qui Federico successerat, cum magnis copijs in Asiam profectus fuerat) implorat. Celestinus ergo Pont.

ut rebus afflictis succurreret, Christianum ordinis Cisterciensis monachum in Episcopum Borussiæ designat. Qui ad Conradum primum ueniens, communicato cũ eo consilio, quo gentem tam ferocem ab incursionibus in Christianos prohibere, simulq; ad fidei ueritatem inducere posset. Acciti tum fuere ex Liuonia fratres, milites Christi cognominati, qui unà cum Christiano præsule Borussios aggressi sunt: is in uirtute uerbi Domini: hi bello & armis, sed omnia nequicquam: nam semen sacratissimum, quod præsul spargeret, cecidit in terram sterilem, & absq; fructu exaruit. Fratres, si quos ad deditionē receperant, cùm primùm opportunitate habita rebellarunt, quos in præsidijs collocarant obtruncantes, & quàm breui spatio sese à seruitute, quam imposuerant, & præsul, & fratres uindicarunt. Tandem Christiano præsule nihil proficiente, fratribus partim occisis, partim fugatis, quum & Barbari longo tempore inquietissimi fuissent, è re fore arbitrati sunt, pacem quàm perpetuum bellum amplecti. Fit itaq; pax ex utraq; parte, necessaria magis, quàm honesta. Interea catholici suasu præsulis, per Poloniam ac Hulmigeriam ædes sacras uicatim restituunt, cœnobia utriusq; sexus extruunt, quæ pro sua pietate calicibus, libris, & alijs apparatib. Ecclesiasticis ornant atq; ditant: antistites undequaq;, ut possunt, Ecclesijs præficiunt. Fuit summum Christianis à barbarorum populationib. otium. Id populum fidelē in meliorem spem erexit: quare magis atq; magis rem diuinam ampliandam duxit. Sed cuncta barbari rupto fœdere turbarunt: fœda enim populatione in fines Christianorum effunduntur, longè, lateq; per Poloniam, & Massobiam grassantes, omnia prædari cœperant. Deinde incensis uillis, agrisq; uastatis, sacrarijs omnib. spoliatis atq; dirutis: ampliùs enim ducentis ędib. sacris perijsse ignibus legimus: oppida insuper, & cœnobia: quib. singulis euersis & direptis, ingentem uim prædæ, tum hominum, tum pecudum, ac tantam omnis generis supellectilem, quantam nunquam antè abegerunt. Conradus quum se imparem contra hostem tam ferocem, ac multitudine superiorem uidisset, se ultra amnem in terram Coianorum, qui olim Onomani, hodie Cumani dicti, recepit: dum interim in Asiana expeditione Ptolemaida, uel ut alij dicunt, Acona oppugnatur, ordo militaris Teutonicorum fratrum domus hospitalis, beatæ Mariæ in Hierusalem humilib. initijs ortum sumpsit. Per cuius fortissima pectora demùm omnis hæc pestis ex Christianorum finibus explosa est, Borussiaq; ad fidei præcepta colla rigida submittere Christiano iugo coacta est.

AD INVICTISSIMVM PRINCIPEM

Federicum Erasmi Stellæ Libanothani distichon.

Da Federice tuo genio foueatur, & aura
Hic liber, & rabido qui uolet ore latret.

Ad eundem Federicum Principem inuictißimum Erasmi Stellæ Elegiacum.

Diuitias Federice tuas hic collige Princeps,
Quas habet arctoi Brussica terra poli:
Scilicet Heliadum lachrymas Phaëtonta querentum,
Audax quod patrios flectere tentat equos,
Par nec erat loris, placuit tamen ire sub axe
Aetherea atq; genus testificare deum,
Nescius ipse uiæ perdit conamine uires,
Mox ruit è curru lapsus in alta freti.
Hunc iuuat æternis lachrymis fleuisse sorores,
Sed pius in lenta succina fletus abit.
Has fert undisonis Tethys tibi fluctibus, illum
Testantes casum, ruptaq; lora ducis.
Munera clara deûm uarijs quæ uultibus ornat,
Mille gerens formas Proteus ille senex.
Hinc quædam radiant, auroq; simillima fuluo.
Et Lunæ niueam sunt imitata bigam.
Lacteus est alijs candor, croceo igne Coruscus,
Hyblæi retinent mellis & illa decus.
Indiæ opes superant hæc, & Gangetica dona,
Et quod mollis Arabs, Scythis habétue rapax.
Terra nutrit syluas, sunt hæc stabula alta ferarum,
Siue uelis uros, siue bisonta magis.

Hic

Hic nusquam notus, benè tornus nascitur alces,
Atq; feri armenta conspiciuntur, equi.
Quiq; sua pelle est gratus uestire gainus
Membra uirûm, rigidum pellit & inde gelu.
Hæc ubi legisti, Stellæ Federice memento,
Brusica qui cunctis gesta legenda dedit.

ALEXANDRI GAGVINI VERONENSIS PRAEFATIO IN DESCRIPTIONEM SARMATIAE EVropeæ, & totius Poloniæ, Lithuaniæ, Liuoniæ, &c.

AD SERENISSIMVM AC POTENTISSIMVM PRINCIPEM STEPHANVM DEI GRATIA POLONIAE REGEM, MAGNVM DVcem Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masouiæ, Samogitiæ, Kiouiæ, Volhiniæ, Pomeraniæ, Liuoniæ, ac uniuersæ Sarmatiæ Europeæ Monarcham, Dominumq́; &c. nec non Transsyluaniæ Dominum.

CVM iam annos complures in istis regionibus uersarer, operamq́; meam qualemcunq; in re militari huic Reipub. præstarem, STEPHANE REX SERENISSIME, cùm sæpè alias, tum maximè Lithuania armis, belloq́; à magno Moschorũ Duce infesta & oppressa, ubi ego arci Vitebsko præfectus erã, quod munus iniunctum, qua potui industria, peregi, sicut & data mea fides, & Reipub. dignitas, & loci ipsius necessitas (est enim arx Moschis contermina) postulare uidebatur, longa tandem consuetudine linguam, mores, leges Polonorum edoctus sum, situmq́; regionũ totius Sarmatiæ Europeæ, cùm magna ex parte propria experientia exploratum habui, & sæpissimè subieci oculis meis. Quare nactus ego occasionẽ temporis, dum à duro Marte respirarem, quædam scitu non indigna de moribus, legibus, initio, incremento, rebus gestis imperij Polonici, populorumq́; Sarmatiam incolentium, deniq; de situ, dispositioneq́; regionum earum omnium, quas in se Sarmatiæ orbis complexus est, militari stylo conscribere non dubitaui. Hoc enim pacto, maiorem animi mei affectum Reipub. huic nobilissimæ testari non possem: quàm si pro eius gloria, ne dicam salute, non modò si res & usus postulauerit, uitam, qua nihil est, nec esse potest post animæ salutem, homini charius, profundere, sed etiam eandem, si modò per ingenij uires liceat, etsi hinc quidpiam ad eius dignitatẽ accedere queat, ornarem, laudesq́; eius celebrarem. Nam si patrio solo, quod me genuit, & conspectu huius splendidissimæ lucis ornauit, plurimũ natura debeo, profectò & huic Reipub. quæ supra naturæ dona, plurimũ mihi adiecit, utilitatis, dignitatis, & ornamenti, quę me aduenã in suum recessit gremium, receptũ complexa est, cõplexumq́; ciuẽ suum agnoscit, tantũ ut debeam necesse est, quantũ nemo alius suæ patriæ se debere profiteri potest, & profectò licet multi sint singularis, & immensæ in eam pietatis ac fidei, cõcedam tamen nemini, in adeundis pro eius gloria, forti & constanti animo, omnibus periculis, si nõ tanta cum gloria, & utilitate, quantã cæteros posse ei suis periculis præstare facilè patior, tamen animi affectu, & propensissima uoluntate, uinci me à quoquam nunquã concedam. Idq́; cũ semper præstare uolo, tum & nunc his meis commentarijs, quibus Sarmatiæ Europeæ nomen indidi, huiusce animi erga eam mei minimè obscuram significationem declarare uolui. Verùm quo patrono lucẽ cognoscere deberet, cùm non satis mihi constaret, præsertim cũ in ea nuncupanda id spectandum esse existimarem, quod spectari à sapientissimis quibusq; solet, labores non sine summo iudicio ita nuncupantibus, ut & his, quibus offerantur, conuenientissimi sint, eosq́; delectent, & ipsi apud eos amorem mereantur, gratiamq́; referant: malè enim collati labores, & munera tam pereunt, quàm quod maximè: ecce tandem sese offert SERENISSIMA Maiestas tua, cui iure hic meus qualiscunq; debetur labor: nam & ab homine militari profectus, tibi potissimũ, qui ab ineunte ætate, arti militari operam dedisti: & gradatim ob tuam uirtutem bellicam in magnum honorum fastigium conscendisti, iure optimo consecrari debuit, & de rebus Sarmatiæ conscriptus, tibi non inutilis, & non iniucundus fore uisus est, tũ quod diuina prouidentia Sarmatiæ constitutus es Monarcha, tum quod hoc gubernaculum tibi oblatum non leuẽ difficultatem cum molestia coniunctam facessere uidetur, maximè cũ in eo sit tanta perturbatio, tanta uarietas nationum, linguarum, legum, morum, & aliarum rerum, ut ad ea omnia rectè componenda, sapientia, uirtuteq́; summa, qua es à Deo Opt. Max. abundè ornatus & instructus, opus sit.

At nostra hęc Sarmatia, quam meis sumptibus sub prælum mittere curaui, tuoq́; nomini Augustissimo consecratam esse uolui, magna ex parte te ea difficultate leuare, & ab hac molestia uindicare potest. Cognosces enim ex ea subditorum tuorũ mores, ac studia diuersa, quæ nõnisi longo tempore, diurnaq́; conuersatione cognosci possent. Inferes tandem oculos in Regiones tuas amplissimas, atq; quibus hæ abundent, quibus egeant, animaduertes, municipiorum, arciumq́; situm, dispositionẽ, & si aliqua munitione, & propugnaculis, ad propulsandos hostium

ueloces ac feroces incursus desiderent, considerabis. Insuper exploratas habebis uicinas regiones, ac uicinarum tam Christiani, quàm barbari nominis gentium, mores, religionem, & in rebus gerendis denique consuetudines, cognosces. Ex quibus aliarum tu studia in se tuo candore, & beneuolentia conuertere debes, aliarum uerò superbas, ferocientesque uires, ad effrenatam insolentiam, si modò saluam & integram tuam gloriam, simul ac imperium hoc conseruare uis, ut armis retundas necesse est, talemq; te eis præbeas, qualem te esse eorum animi, & mores exposcent, Ne autem parum emolumenti, adferre tibi posse, hanc tuarum regionum cognitionem putes, ô Rex, scies sanè optimè, minùs aptè illum Monarcham dici, cui mores, consuetudo ac facies tota suæ Monarchiæ cognita non fuerit, & qui eam mentę non intueatur, nec in oculis circumferat suis. Neq; fœliciter illum posse bellum in illis locis exercere unquam, quorum situm cognitum nô habeat. Hinc illud est, quod à sapientibus quibusq; præcipitur, principibus uiris longinquam necessariam esse peregrinationem, illosq; demum fœlices, rerumq; gerendarum nô ignaros esse, qui mores multorum hominum ac urbes cõsiderârunt, sin minùs uerò tutè longiùs euagari, & è patria diutiùs aberrare propter uaria pericula possunt, tamẽ ne tanto bono fraudẽtur, tabulis Geographicis, & Cosmographicis à prudẽtissimis hominibus prouisum est, ut ea quę oculis subijcere nequeunt, saltẽ animo, & cogitatione complectantur, & cũ hoste in ignotis regionibus decertaturi, ex tabulis ea cognoscant, quæ nulla alia ratione tam facilè cognosci possent. Quare & Alexander Macedo, qui uirtute, & rebus gestis Magni nomen meruit, conserturus manum cum hoste in loco ignoto, priùs eum sibi in tabula depingi uoluit, ut ita ex eius cõsideratione cognosceret, quid sibi cauendum, quid adoriendum esset. Et Romani Imperatores totius domitores orbis, pugnaturi in aliqua regione, antequã bellum decerneretur, priùs pictam intuiti sunt, quod & ingruente Gallico tumultu fecisse eos, Italiamq; pictam præbuisse testis est Varro. Idem alij multi clarissimi Imperatores non sine summo nominis sui splendore, & in rebus gerẽdis fœlici ac prospero successu fecêre, quos ego miles apud te Imperatorem strenuum recensendos minimè puto. Id unum dico, te posse hic regionum situm, legesq;, & mores gentium, animo perlustrare, tam tuo Imperio subiectarũ, quàm externarum, illarum pręcipuè cum quibus tibi res aliquãdo futura sit, utporè Moschouitarũ mores, expeditiones; domesticas ac bellicas, ac ditiones amplissimas, cum Tartarorum hordas siue nationes campestrium potẽtissimas. In primis uerò originem, incremẽtum Imperij Polonorũ, uitas Principum, pręlia, disciplinas, studiosè, & explicatè descripta considerabis, & quomodo illi Herculei Sarmatę, quorũ tu successor es, has sedes nô sine sudore, & sanguine occupauerint, quid ille, quid item alij ab alijs prognati, alius post alium, tam in toga, quàm in armis gesserint. Videbis illos nô ut barbaros, sed clarissimos, & regia dignitate ornatos Imperatores, suis rebus pręclarè gestis Heroum, qui admirationi toti orbi fuêre, nomẽ, & gloriam adæquasse. Nam sæpiùs nõ modò pro salute patriæ, sed etiam totius Europæ, alijs regnis interim (proh dolor) domesticis, & ciuilibus armis sese mutuo infestantibus, immani ferocitati hostis communis sese opposuerunt, eiusq; impetum effrenatissimũ armis retuderunt, nô dico quoties illi Tartarorum influentes in Europam copias represserunt, semper enim & assiduè in excubijs aduersus eos fuêre: nõ commemoro sæpiùs uictas, & profligatas ab eis Turcicas legiones, nô Moschorum exercitus cæsos, non alios tam patriæ, quàm toti Europæ infestos hostes, uictos, sub iugum missos, & aut ad colendam perpetuam pacem, & amicitiam, aut ad tributa persoluẽda compulsos, quæ illorum fama, cũ per totum orbem increuisset, uicinas gentes permouit, ut plerę q; earũ à tyrannis oppressæ, hos solos putarent dignissimos, quorum fidei ac patrocinio fortunas, libertatem, ac deniq; salutem tutò committere possent. Testatur id Bohemia, quæ periculosissimis temporibus regibus Polonis toties sese ultrò submisit: fatetur & Vngariæ nobilissimũ, & uerè olim aureum regnum, quod sua sceptra, & fasces ad reges Polonos detulit, & à sua ceruice sæpiùs eorũ armis reiectã fuisse ferocem Turcicã securim agnoscit. Prædicat id ipsum Silesia, Morauia, Vualachia cum sua Moldauia, & aliæ Christianæ gentes, quibus iura indixerunt fœlicissimè Poloni, nô commemoro, quàm multoties rem Christianã, contra Turcas acie, & milite iuuerit Polonus. Silentio prætereo, sæpiùs à uicinis cõtra seditiosorum ciuium conspirationem, à Polono impetratum patrocinium: ne plura dicã, tanta illis Heroibus inerat moderatio, uirtus, & tãtus, tamq; excellens animus, ut & parcere subiectis, & debellare superbos optimè nossent, & sępiùs ad se delata imperia repudiandas, sępiùs eadẽ sibi infesta, armis moderanda, & comprimẽda esse putarent, ut ita non imperandi libidine, sed gloriæ, & immortalitatis studio, quicquid agerent, agere uiderentur. Cognosces hic Lechos, & Lituanos fortissimos, qui sanguine suo Sarmatiam hanc posteris amplissimam reddiderunt patriam: superiorum enim eius gentis principum famæ fortuna inuidit, ita ut nullæ res eorum ad nostrã memoriam deuenerint. Videbis demũ Cracos industrios armis, & pace, Piastos strenuos, Leschones bellicosos ac sobrios, Baleslaos fortes, & in rebus gerendis promptissimos, è quorum longo ordine Boleslaum retorti oris alterum Herculem: cuius uirtus in latissima Sarmatia contineri, nec altissimis montibus, ac peruasto mari concludi potuit, ille enim strenuè gestis in Sarmatia rebus, & domita Morauia, Bohemia, Roxolania, Pomerania, Henrico Romanorum Imperatore, fines Poloniæ infestante, pulso ac

so ac profligato, & plusquam quadragies fœlicissimè cum hoste collatis signis, eadem signa in Daniam usque forti, & prompta manu intulit, ibique impressis Polonæ uirtutis uestigijs, regibus illius regni tributo imposito, domum fœlix rediјt. Cognosces Casimiros Reges pios, & iustos, religionisq; amantissimos, tandē Vladislaos Turcarum horrendas pestes, & acerbissima fata. Iagelones magnanimos, Sceptra regnorū ultrò sese offerentium Bohemię, Vngariæ, Sueciæ, Daniæ, Noruegiæ, Gothlandiæ repudiantes, infesta autem reprimentes, uim ui, arma armis, à capite, à fortunis, saluteque suorum propulsantes. Hi legibus, religione, pulcherrimarum artium cognitione, domesticam disciplinam cum militari cumularunt, Lituaniam Ducatum nobilissimum cum regno coniunxerunt, Samogitiam, & alias gentes immanissimas, ab illa barbara feritate, & impietate gentili, ad humanitatem, & ueram cognitionem Dei reuocārūt. His colla sua dedit uincienda Moldauus, præbuit ex se triumphos Germanus, miseras Prutenus porrexit manus, procubuit ad pedes Liuo, Moschus te uictum sæpè professus est, sæpiusque succubuerunt in acie Scythæ. Et hic est ordo ac series præcipuorum in hac Republica Principum, quorum nomine, & gloria perpetua in terris recolitur, cum summa quadam uenerationis memoria: animę autem eorum exantlatis plurimis pro patria, & Christi nomine laboribus, gratissima in illis supremis domibus fruuntur mercede, & gaudent. Hos tu unus omnes, & uictoriarum multitudine, & gloriæ splendore, iustitia, fortitudine, omnibusque uirtutibus, quæ olim in eis erant conspicuæ, facilè superabis, si eos tibi ad tuendum, & imitandum proposueris, maximè cùm etiam tibi non desint magnarum uirtutum domesticarum, tuæq; gentis Hungaricæ regum clarissima exempla, quæ tuum indies animum exagitant, ad cōsequendum illum orbem uirtutum, quem illi omnes sustinuerunt, & ad comparandam gloriam cum immortalitate coniunctam, qua illi uniuersum orbem impleuerunt, & uerè impleuerūt. Atq; ne ex multis regibus Pannonię aliquot commemorē, & proferam, uno cōtentus ero: Matthia scilicet Huniade, cuius semper memoria apud Hungaros est iucundissima, gratissima, & celeberrima: sic ut illi talem Regem hodie à Deo Opt. Max. sibi dari, & excitari cuperent, cum quo si te conferā, uelim ut æquo animo accipias, & ab eo proficisci putes, qui dotes illius celeberrimi Matthię in te elucere uidet: ac optet nomen tuum sic longè, lateque patere. Quis mediocriter uersatus in historijs ignorat, Matthiam mirabili fato ad gubernacula regni Hungarici euectum? cuius tam præclara indoles fuit, ut à teneris adhibitus ad optima studia literarum, artiumq; multarum di diceris semina, mirabili celeritate atque auiditate. Ideoq; acerrimi iudicij uiri palàm dicebant, se in hoc puero regiam fortunam, & uirtutem deprehendere. Meritò sanè idem prædicari potest, REX STEPHANE, de te. Nam ut miro quodam modo, & incredibili, primùm post obitum Iohannis Sigismundi electi Regis Hungariæ, & Principis Transyluaniæ, electus es in Principem: sic non minori cum admiratione propter tuas uirtutes, ab ordinibus regni Polonię, maximè pacis amantibus, creatus es in Regem. In adolescentia tua studia doctrinæ ita amasti, ut inter Reges Europæ, liceat mihi hoc liberè dicere, fremant quicunque uoluerint, unus sis, qui de rebus grauissimis disserere possis doctè ac benè Latinè: ac etiam in primis illis tuis annis ita in duris militiæ laboribus tyrocinium fecisti, ut optimi militis famam inter tuos sis consequutus: & gradatim ad maximos honores perueneris, dignusque sis iudicatus nō modò Transyluaniæ Principatu, sed etiam hoc Sarmatiæ amplissimo, & potentissimo regno. Ex quo uidere licet, non tam pulchrum esse nasci ex Regibus Regem, nisi is Regijs uirtutibus ornatus, quàm uirtute sua iudicari dignum fastigio regio. Denique ineptam esse hanc uocem iudicandum est: Literas principem effœminatum reddere: Quò fit, ut hodie multos principes inuenias, literis, & doctrina nulla excultos: at doctrina non solùm optimum principem: sed & ad res gerendas ac bellicas aptissimum efficit. Est enim utroque tempore, tam pacis, quàm belli doctrina principi pernecessaria. Quid amplius? Matthias detestatus est auaritiam, luxū, & alia scelera suorum, ueluti, iniustitiam, & libidines uagas, omnisque religionis, & summi Magistratus contemptum, quæ mala Pannoniæ fatale attraxerunt excidium. Tu, REX prudentissime, an non sæpius tam priuatim, quàm publicè, fastum gentis Sarmaticæ repræhendisti, laxamque disciplinam, & auream planè suam libertatem, in licentiam perniciosam transformantem iure dictitas esse materiam certissimam ruinæ Reipublicæ, ni maturè pareant benè consulentibus? Apud Claudianum singularis laus est Theodosij, quòd non fuerit suspicax. Matthias Rex ille Hungariæ immortalitate dignus, non facilè admittebat calumnias eorum, qui familiares suos in odium ipsi adducere conabantur. Sic etiam audimus calumniatores, & falsos delatores apud te nullum locum habere, penitùs arceri: adituque tuo excludi. Denique ut Matthiam literati amàrunt, & post funera multis laudibus extulerunt: ita non dubitamus, quin docti tuas uirtutes admirabuntur, & literarum monumentis mandabunt. Nam reuera ea, quæ habere solet grauissimus Princeps, ab omni leuitate abhorrens, in te etiam Deus contulit. Verùm hic me continebo, ne in os te laudare uidear, & adulatoris crimen mihi impingatur à multis, quibus hoc responsum uolo: Regem dotibus regalibus condecoratum, & insignem, satis laudari non posse, nec clàm, nec palàm: cùm huiusmodi Princeps sit imago Dei graphicè suis coloribus depicta.

Itaque hanc nostram Sarmatiam tuo Nomini dicatam, & consecratam offero, supplexq; cum summa reuerentia oro, ut hunc in ea cudenda meum laborem, & animi promptitudinem Maiestas tua non aspernetur: sed eam clementer ac placidè suscipiat, meq; simul ac meos conatus in iuuanda & ornanda hac Republica, sua excellenti authoritate iuuare, prouehere, atq; tueri uelit. Seruet te tandem REX potentissime, Deus Regum author, & conseruator, diutissimè incolumem, quò augeas rem Christianam, confirmes tuum regnum, hostesq; istius regni immanissimos compescas ac coërceas: imò uerò de illis triumphes: & sic fato tuo fungens omnes optimi ciues te prædicent, ac ipsa posteritas, tuam sapientiam, atq; fidem, quæ est dictorum, factorumq; constantia, & ueritas, & deniq; magnanimitatem tuam cum iusticia coniunctam, admiretur. colat atq; amet. Cracouiæ 20 die Iunij. 1578.

Tuæ Sacræ Regiæ Maiestatis obseruantissimus

Alexander Gwagninus Eques auratus, Militumq; Præfectus.

SARMATIÆ EVROPEÆ DESCRIPTIO, IN QVA EST TOTIVS POLONIAE, LITVANIAE, LIVONIAE, PRVSSIAE, &c. CHOROGRAPHIA, DILIGENTISSIMÈ SCRIPTA ET EXPLICATA

ab

ALEXANDRO GAGVINO VERONENSI, EQVITE AVRATO.

SAVROMATIAE EVROPEAE SITVS.

SAVROMATIAE Europeæ gentes, Regionumq; quas complectitur situm, descripturus: operepretium me facturũ, & rem non iniucundã Lectori existimaui: Si imprimis Europę, ipsius fines, quibus ab Asia, & Africa disterminatur, præponerem. Europa itaq; pars mundi tertia, ab Europa Aggenoris Regis Lybiæ, & Syrię filia denominationem traxit, cuius insigni pulchritudine Iupiter (ut Poëtæ fabulantur) captus, nullam aliam occasionem ad effectum insani amoris habẽs, in bouem niueum sese transfigurauit, in littoreq; maris uiridifero, ubi uirgines cæteræ cum Europa Reginula ludebant, armentis boum sese interiunxit. Europa uitulum præ omnibus pulcherrimũ uidens tergo eius insedit, qui confestim in mare cum ea insiliens, in Cretam insulam, siue Candiam, dicitur eam transtulisse. Porrò Europam ab Oriente Tanais fluuius celeberrimus disterminat, à Meridie mare Mediterraneum, à Septentrione Anglicus siue Britannicus Oceanus, ab Occidente uerò Oceano Atlantico finitur. Hęc pars mundi cæteris duabus, utpotè Asię, & Africæ minima est, sed ad habitandum habilior, conuenientiorq;, & moderatior, nam neq; calida, torridâue, nec etiam frigida nimis: ideò habitatoribus copiosior, frequentior, plenioróq; est, exceptis regionibus Septentrionalibus, Oceano glaciali cõtiguis: quæ aliqua ex parte ob intensa frigora inhabitabiles sunt. Religione quoq; Christiana, moribus, & uiuendi consuetudine incolarum, urbiumq; frequentia, & rerum commestibilium fertilitate, cœliq; & aëris temperie, Asię & Africæ, quamuis longè amplioribus, facilè anteponitur. Ducentis quadragintaquinq; milliaribus Germanicis in latitudinẽ patet, à mari Aegeo, siue Ionio ad Oceanum usq; Hybernicum. In longitudinem uerò septingentis sexaginta milliaribus extenditur, à Portugallia uidelicet regno Hispaniæ, ad Tanaim usq; fluuium, qui Sarmatiam ab Asia disterminat. Inchoatur autem Europa ab Oriente à fluuio Tanai, à Meridie uerò ab Aegeo mari Græciæ.

Europæ denominatio ab Europa Aggenoris Regis filia.

Europæ termini.

Quot milliaribus pateat Europa.

intellige hic miliaria Polonica, siue Germanica, quæ Italica 5. et Moscouica totidẽ complectũtur.

In hac parte orbis tertia, Sauromatia regio amplissima, multas nationes, regnaq;, eiusdem generis complectens (de qua nobis res agitur) sita est. Est autem duplex Sauromatia, una Scythica, siue Asiatica, in ulteriori, oriẽtaliue ripa Tanais, & Vuolgæ fluuiorũ, quã incolunt Tartari, siue Scythę Zauuolhenses, & plures alij in Hordas, id est, tribus certas diuisi. Altera Europea Sauromatia dicitur: cuius coloni sunt Poloni, Russi, siue Rutenі, Lituani, Masouitæ, Prutenni, Pomerani, Liuones, Moschouitæ, Gothi, Alani, Valachi, & Tar-

Sauromatia duplex.

& Tartari, qui in hac ripa Tanais fluuij occidentali, iuxta Pontum Euxinũ degunt. Hanc ab Oriente Tanais fluuius, palusq; Meotis ab Asia dislimitat, ab Occidente uerò Vistula, uel secundùm quosdam Odera fluuius, à Meridie montibus Hungaricis Beskid gentiliter dictis terminatur, ab Aequinoctio mari Germanico, siue Sarmatico fines suos à Germania dirimit.

Ptolomeus uerò Lib. 3. cap. 5. Sarmatiã Europæam, à Septentrione Oceano Sarmatico terminari scribit, iuxta sinum Venedicum, ad fines usq; Engroneland terræ incognitæ ultra Nortuegię regnum longè patẽtis, ab Occasu Vistula fluuio, & parte Germanię, quæ est inter caput ipsius, & montes Sarmatarum. A' Meridie Iazigis Metanastis, quę est gens Hungarica ab Oriente Istmo eam ambiri refert, à Carcinito fluuio per Bicen paludem, & latere paludis Meotidis usq; ad Tanais fluuium in prouincia Resanẽsi Moschouiæ fontes habenti, hic autẽ fluuius Asiam Scythicam ab Europa dislimitat. Ab Australi deinde plaga Sarmaticorũ montium iugis ad Carpatum usq; montem Tatri, siue Beskid uulgò appellatum, Sarmatia Europæa finitur, denique per Valachiam, Moldauiamq; ad Boristenis usq; ostia, ubi in pontũ ingẽti aquarum colluuie influit, & per littora ponti ad Carnicitum usq; fluuium ex montibus Circassorum Quinquemontarũ defluentem extenditur Sarmatia Europæa, secundùm Ptolomæi Cosmographorũ principis opinionem. Qui etiam hos fluuios ætate sua celebriores Sarmatiam præterfluere asserit. Vistulam qui & Vandalus, Istula siue Iustula uarijs nominibus apud ueteres enunciatur, hic ex montib. Sarmaticis emergit, Silesiaq; & Polonia, Masouia, Prussia pręterlapsis multis fluuijs exhaustis apud Gedanum Prussiæ emporium celeberrimum in mare Sarmaticum, siue Balticum exoneratur. Cronon quoq; fluuius insignis in Russia nõ longè à Turouu oppido ortus, Russiæ regiones, & Lituaniæ ac Prussiæ percurrens post Vistulæ ostia ad Septentrionem reflectendo, in Germanicum quoq; mare (quod Cronium inde fortè dicitur) influit, uulgò Niemen appellatur. Rubon quoq; fluuius, qui nunc *Dzwina* uulgò Latinis, & Germanis Duna dicitur, in Russia Moschouiæ fontes suos habet, & magna parte Russiæ, Lituaniæ, & Liuoniæ præterlapsis in prędictum mare, à Riga Liuonię Metropoli duobus milliaribus amplissimis ostijs postquam centum triginta milliaria Polonica à fontibus suis emensus fuerit, ingreditur. Ternutis quoq; & Chersinus fluuij secundùm Ptolemæum ex Riphæis montibus nascentes, in prædictum mare exonerari dicuntur, qui mihi *Narew* & *Bug* uulgò dici uidentur. Præterea Sarmatia Europæa multos alios fluuios celeberrimos habet, utpotè Borysthenẽ *Dnepr* uulgò dictum, in Pontum Euxinum influentem, Hypanin, qui hodie Bog (non Bug, qui Vistulæ commiscetur) dicitur, Tyran, qui Dnester propriè à tirando Italico uerbo, quasi sagittando dictus. Horrida enim uiolentia aquas impellit. Insuper Viliam Disnam, Seripetum, Sluczam, Naruam in Liuonia, & alios complures nauigabiles fluuios, quos recensere longum esset. Hoc itaq; in imperio Sarmatico, cuius modo limites ex Ptolemæo, & nostra propria experientia descripsimus, Rex Poloniæ à maiorib. suis belli uel pacis iure acquisito rerũ potitur, & modernis temporibus Sarmatia Poloniæ Regis potentissimi, & inuictissimi Monarchæ his finibus includitur.

Sauromatia Europaea situs, finesq;.

Celebriores fluuij Sarmatia Europaea.

A' montib. Sarmaticis, & Transsyluaniæ palatinatu, ad Vistulæ fontes, ubi incipit Ducatus Tesinensis, inde per Silesiam ad Oderam fluuium, & usq; ad Marchiam Brandenburgensem, ac Francfordiam, per Pomeraniam quoq; longo tractu ad littus Oceani Germanici, sinumq; Codanum, siue Balticum, per latus demùm Septentrionale per Samogitiam, Curlandiam, Liuonięq; amplissimum Dominium, ad Phinlandiam usq; ultimam ferè orbis regionem Suecorum Regi subiectam, Orientem uersus per multas regiones Russiæ ad Moschorum Principis imperium usq; extenditur. A' Germanico uerò Oceano ad Alexandri Macedonis aras per Campestria deserta ad paludes Mæotidis longissimo tractu ultra Borysthenem procedendo, deinde à Ponto Euxino per campos Podolienses, & per Moldauos ac Valachos redeundo Iazigis Metanastis, uel Transyluanis, & Hungaris, montibusq;, qui hodie Scepusienses dicuntur, à Meridie imperium Monarchæ Poloniæ disiungitur.

Dicta est autem Sauromatia Græcis, similitudine sumpta ab hominib. uiperinos oculos habentibus, terribilibus scilicet & crudelibus: nam σαῦρος Græcis uiperam, ὄμμα uerò oculum sonat. Atque nunc in primis de Polonis præcipua gente Sauromatica dicendum nobis occurrit.

Sauromatia utriusq; denominatio.

DEDV-

DEDVCTIO ET ORIGO ANTIQVAE, BELLICOSAE'QVE gentis Sauromaticæ, ex qua Poloni ortum, genusq; suum ducunt.

DEductionem, originemq; Polonorum ac regum, eorundem gesta secundum ordinem descripturus: paucis obiter Lectorem admonendum uolo, ne quid me in principio rei de Polonis dicturum sigillatim existimet. Consequens enim est, ut antiquissimæ gentis Sauromaticæ, siue Slauonicæ originem, & mores priscos, altius imprimis inuestigaremus, quod pro rei ipsius faciliori intellectu fortasse utilius erit. Liquet apertè ex scripturis sacris ueteris legis, ad quod etiam omnium historicorum consentiens opinio est: Iaphet filium natu maximum Nohæ, post illud totius mundi diluuium, Orientem, & Septentrionem uersus in Europa, & in Asia minori primùm consedisse, illicq; cooperante Diuina uoluntate in maximam gentem excreuisse, quod ei cùm Etymon nominis dilationem significantis, tum fausta Nohæ parentis imprecatio portendebant. Sic etiam Nohæ ille Patriarcha præfigurans necessariè futuram esse trinam conditionem uitæ humanæ, filijs suis dixisse, singulisq; singula officia administranda iniunxisse, & demandasse fertur, ut unusquisque suæ uocationi prædefinitæ corresponderet in hæc uerba: Tu Sem ora uelut sacerdos, munus diuinum obiens: tu Cham labora, agros colens, & artes mechanicas exercens: tu Iaphet rege, & protege uelut Rex, & miles arma exerce, cæterosq; certis propositis legib. in officio retine. Quod mandatum, & testamentum Nohæ hæc usq; in tempora durare uidemus: unaquæq; etenim natio ex illius filijs eius propagata, suam uocationem ex quadam prædestinatione, & paterna imprecatione exercet. Posteritas igitur Iapheti, cùm maiorem orbis terrarum partem in Europa, Asiaq; minore occupauerat, testamento patris sui, & faustæ imprecationi Nohæ Patriarchę correspondentes, statim ad arma exercenda animum adiecerunt, & innumerosam gentem temporis successu sub Duce Gomero Iapheti filio in orientali, ubi Armenia, & Septentrionali plaga excreuerunt, ad Bosphorumq; Mæotidi paludi proximum, qui nunc Cimmerius dicitur, & ad fontes, ostiaq; Tanais longo tractu sedes suas habuerunt. Postea potestatem, & prælaturam, sub qua cæteri regantur, necessarium esse considerātes ad Tuiskonem siue Ascenam Gomeri filium imperium detulerunt, qui Beroso teste latissimè à fontibus Tanais ad Rhenum usque fluuium Germaniæ imperauit. Hunc Tusconem prædictus Berosus Historiographus, Germanorum omnium, Sauromatarumq; pariter conditorem esse asserit, quo testimonio satis rectè probaretur Sarmatas, siue Slauos cum Germanis unum esse, cùm ab eodem autore, & propagatore processerint. Crantius quoq; rationatur Polonos, Bohemosq; Germanis congeneros esse, eò quòd frequens Germanicæ linguæ apud hos populos usus fuerit, & uestibus Germanicis multi eorū utantur. Qua ratione quoq; probaretur eos Latinos, uel Italos, Hūgarosq; esse: nam hæ quoq; linguæ, idemq; habitus apud Polonos nunc ex magna parte in usu esse cœperunt, & Latina lingua omnes ferè nationes uincunt. Non rectè igitur Crantius hic ratiocinari uidetur, si enim Slaui uel Sauromatæ ex Germanis oriundi essent, eadēq; cum eis antiquitùs lingua uterentur, unde igitur Sarmaticæ, siue Slauonicę linguæ apud Sarmatas usus ortus esset? qua hæ gentes passim, & uulgariter utpote innata utuntur, habitu quoq; moribus, & uitę cōsuetudine Sarmatę à Germanis penitùs diuersi sunt, quod etiam Plinius approbat, dicens: Sarmatæ quidē certè Germani non sunt, sed ab ijs Vandalo siue Vistula fluuio ad ortum Solis uergentes dirimuntur, cui sententię probati antiquitatis indagatores Cornelius Tacitus, Strabo, & Ptolemæus astipulantur. Sed ad rem unde digressus sim, redeo. Illa posteritas Iapheti impigra, strenua, manuq; prōpta, & bellicosa extitit, quòd res ipsæ ab illis strenuè, audacissimeq; gestæ abundè testantur, toto enim orbi terrarum tunc temporis terrori dicuntur esse, unde à Græcis Sauromatæ imprimis appellati sunt, deducto nomine à σαῦρος, quod est uipera, & ὄμμα oculus, quasi dicas gens terribilis cum uiperinis oculis. Ab hoc itaq; tempore hæc gens, regionesq; eorum, quas incolunt, Sauromatiæ nomen retinent. Hi postea tempore succedente, & in dies magis ac magis numero populi accrescente, uidentes illas sedes patrias propter se, progeniemq; paulò arctiores esse, à Tanais fluuij ostijs, & paludibus Mæotidis meridiem uersus ulteriùs processerunt, per regionesq; propinquas, Datiam, Russiam, Lituaniam, Borussiam, quæ nunc Prussia dicitur, Liuoniamq; longè & latè diffusi sunt. Quorū maior pars in has Prouincias campestres, quæ hodie à Polonis coluntur, cōmigrauit, fluuijq; Vistulæ (quæ antiquis Vandalus dicebatur) utraq; ripas occupauerunt, & statim cum antiqua gente Teutonum, quæ etiā ad Vistulam fluuium in tuguriolis antiquitùs degebat, societatem atq; amicitiam uelut aduenæ contraxerunt, propter communem prædam, & rapinas, cū adhuc minimè assueti essent sudore proprio, uel agricultura, artificijsq; uictū acquire-

Iaphet Nohæ Patriarchæ filius ubi consederit post diluuium.

Etymon Iapheti.

Nohæ filiis singulis singula munia obeunda demandat.

Ora, labora, rege, protege.

Iapheti posteritas.

Gomer Iapheti filius.

Tuisconet Gomeri filius.

Berosi testimonium.

Crātij opinio.

Plinij de Sarmatis assertio.

Sauromatæ unde dicti.

Sarmatarum prima commigratio.

quirere. Manu itaque coniuncta frequentes irruptiones in Prussiam, Saxoniam, & Pometaniã exercebant, prouinciasque maritimas assiduis excursionib. diuexabant, & mare Balticum, siue Germanicum propter res sibi necessarias acquirendas Pyratarum more remigijs tentabant. Quando uerò, & qua occasione hæc migratio Sauromatarum â fontibus, ostijsque Tanais fluuij, & paludibus Mœotidis in has regiones contigerit, quoniam nulla gentis ab eo tempore monumenta extant, ex quibus id constare possit, ignotũ est. Si enim literarũ cultura æque ac res militaris apud Sauromatas tunc temporis floruisset, certiora de suo in hæc loca aduentu, alijsque rebus præclare gestis monumẽta reliquissent, sed ipsi animose, uiriliterque agere, & bella exercere, quàm eleganter & ornate scribere maluerunt. Sabellicus tamen & Herodotus scribunt Sauromatas & Cymbros â Lydorum rege Aliate ex Asia eiectos esse. Quidam etiam opinãtur eos ui à Gothis expulsos sedib. patrijs emigrasse, quòd uerisimile nõ uidetur, sed potiùs suapte spõte ac uoluntate, siue fato quodam impulsos, siue opum alienarum cupiditate accensos, cultiora loca appetisse eos existimauerim. Neque uerò soli Sauromatæ, sed & aliæ quædam gentes ipsis conterminæ sedib. patrijs relictis, in alias terras cultiores migrantes transierũt, inter hos Cimmerij, siue Cymbri, Gothæ, Daci, Sueui, siue Tuiscones, & Sacæ, qui nunc Saxones dicuntur. Hi etiã in hæc usque tempora Sarmatas sunt cõtermini. Neque uerò uniuersam gentem illinc se se simul effudisse constat, sed remansisse nonnullos, qui relicta ab alijs loca colerẽt, quòd moderni incolæ istius oræ, iuxta Tanaim fluuium degentes aperte testantur, utpote Tartari Campestres, qui longo tractu iuxta Tanaim fluuiũ & paludes Mœotidis, Pontumque Euxinũ uiuunt. Hi enim à ueteribus Sarmatis moribus & institutis haud dissimiles sunt: sed ad rem redeo. Illi Sauromatæ, qui ad Vistulam fluuium cõsederant, cum Teutonibus commilitonibus suis omnes prouincias circumiacentes, & colonias suas frequentib. diuexationibus depopulatas ad nihilũ redegerunt, & uictum ampliùs acquirere nõ potuerunt, agros enim nõ colebant, sed paratis & raptis uiuebant. Ideò sterilitate soli per ignauiam suam causata, adiunctis sibi in societatẽ uicinis Teutonib. ulteriùs (inquirentes fertiliores prouincias) processerunt, quorum multitudo trecenta millia uirorum excessisse fertur, & à fluuio Vandalo, nunc Vistula dicto, quem accolebãt Vandaliæ (Sarmatorum nomine abolito) appellati sunt. Primò itaque hi Vandalitæ populabundi in Pannoniã excurrerunt Constantini magni temporibus, eamque 40 annis (expulsis primis eius incolis) occupatam tenuerunt. Deinde Hungaricis Historiographis testantib. à Gothis illinc eiecti, expulsique sunt. Polonorum uerò annales testantur Vandalitas ex Pannoniæ finib. eductos per Stillicum Ducem suum in Italiam, quã armis undequaque crudeliter peruastarunt. Postea in Hispaniam cum eodem Duce suo Stillico cõmigrarunt, ex Hispanijs uerò per mare Herculeum nauigantes in Africam deuenerunt, ubi annos ducentos in pace, & abundantia omnium rerum peregerunt, Romanumque imperium nauali, & terrestri bello uarijs excursionibus debilitarunt, ac ipsam Romam sub Sixto Papa, ut quidam uolunt, Anno Christi 429. crudeliter uastauerunt. Tandem Anno Domini 538. Iustinianus Imperator per Ducem celeberrimum exercitus sui Belisarium, uirum insignem, & rebus gestis clarũ, eos cruento prelio profligauit, ex Africaque funditus exterminauit, Rexque eorum Gilimerus captiuus Constantinopolim abductus est. Aiuntque nonnulli hoc prelio Belisarij, Vandalitas ad internecionem usque gentis cæsos, deletosque fuisse, sed id à uero esse alienũ non uno argumento liquet. Etsi enim uires eorum adeò fractæ, attritæque essent, ut robur uetus, & potentiam pristinam recuperare pòst nunquã potuerint, reliquiæ tamen eorum ita fuga dispersæ sunt, ut quidam in Poloniam ad Vistulam fluuium natale uidelicet solum unde ortum duxerant, regressi, nonnulli in Græciam, & Pannoniam, Germaniamque nouis quærendis sedibus dilapsi sint. Horum reliquiæ ultra Albim fluuium in Septentrionem sparsim habitantes Slauonico Idiomate maiori ex parte utuntur, & Ducatus, quem incolunt confinis Prussiæ, Vandalia nuncupatur, cuius Dux, Prussiæ Polonorum feudalis titulum sibi usurpat. Porrò omnes Germani denominatione à Vandalis sumpta omnes Sarmatas Slauonica lingua utẽtes, Vuenden, siue Vuinden, & uindis promiscue appellant, mareque quod Sarmatiam alluit Venedicum uocant. Cætera horum Vandalitorum gesta breuitati consulens omitto, nihil etenim de eis scribitur, solummodò barbara atrocitas, & immanitas, qua crudeliter in omnes sæuiebant, adhucque hodie in Litanijs Catholicæ Ecclesiæ Romanæ canitur, à Vandalis libera nos Domine, &c. Post hos Vandalitas ex ijsdẽ Sauromatiæ sedibus, alia à fluuio Tanai, & paludib. Mœotidis gens crudelis priori non dissimilis ortum duxit, qui Roxolani, siue Rossani, & Ruthenì, Russique cognominati, Procopio Historiographo id attestante. Volgari quoque, siue Volhinij populi ex ijsdem sedib. à Volga fluuio amplissimo cognominati, moribus & idiomate Slauonico cum Roxolanis concordantes ortum duxerunt. Volga autẽ fluuius

celeber-

Sarmatæ ad Vistulam fluuium uenerũt, et cum Teutonibus amicitiam contraxerunt.

Sauromatæ olim literarũ ignari, bellis, armisque assiduè studentes.

Sabellici, & Herodoti de Sarmatis opinio.

Causa aduentus in hæc loca Sarmatarũ.

Sarmatarũ cũ Teutonibus à Vistula fluuio, à qua Vuandaliæ dicti sunt in Pannoniam commigratio.

Vandalitarum in Italiã, Hispaniãque eruptio.

Vandalitæ in Africa.

Vandalitæ Romam cœperũt.

Vandalitæ ex Africa pulsi.

Vandalia Ducatus.

Mare Venedicum.

Roxolani, siue Ruteni gẽs Sarmatica secũda.

Vuolgari.

celeberrimus (quem plurimi Tanaim esse falsa opinione ducti existimabant) Ptolemæo Rha, Tartaris Edel dicitur, Moschouitasq; certis limitibus cum Tartaris Campestribus disterminat. Illi itaque Roxolani siue Rusi cum Volgaris ob similitudinem, & unitatem consuetudinis uitæ amicitiam, & societatem contraxerunt, coniunctisq; uiribus in Tauricę Regionem (quæ nunc à tartaris Præcopensibus occupata est) penetrarunt, inibiq; locum domicilio sibi delegerunt: quamdiu illic degerint, uel quo tempore aduenerint, incertum est, nullus enim inter eos inuentus erat, qui temporum, rerumq; à se gestarum uices literis mandando posterorum memoriæ, factorumq; æternitati consuleret. Audientes tandem discordiam pullulare inter principes Christianorum in Græcia, quidam eorum cum Duce suo Chrunno Danubio traiecto, rectà in Thraciam populabundi perrexerunt, ubi Imperatorem Constantinopolitanum cum exercitu cruento prælio fuderunt, Nicephorum quoq;, & Michaëlem Curoplatum Imperatores ad Adrianopolim occiderunt. Tandem Missia utraq; occupata eam Vuolgariam à sui denominatione, quę nunc Bulguria dicitur, uocauerunt. Alij eorum Russiæ Regionem occupauerunt, quam Vuoliniam (quæ hucusq; hoc cognomen retinet) appellauerunt. Cæteri quoque Podoliam, Lithuuaniam, Podlasiam, Masouiamq; regiones occupauerunt. Hij omnes loca semel occupata hæc usque in tempora non mutârunt, exceptis illis, qui in Missia consederant. Varijs autē nominibus ab Historiographis appellabantur. Græci enim eos Sporios, id est, dispersos, Sauromatasq;, id est, crudeles, sumpta à uiperis similitudine appellabant, cæteri eos Roxolanos, Besos, Guados, Bodinos, à fluuio Borysthene, Bolgaros à Volga, Morauos à Moraua flumine, uel à Morato Rege, Antos, Basnos, Carnios, Serbos, Rascios, à Rusia, Dalmatas, Slauos, Illyricos, Istrios ab Istro siue Danubio, Bohemos à regione Boëmia, Polonos, à Campestri, planaq; regione, uel à uenatione. Pole enim uenationem, & planitiem Slauis significat, hæcq; gens planam ferè, apertamq; regionem incolit, & apprimè uenandi studio tenetur. Hæ gentes Sarmatiæ, ut in plures, diuersasq; prouincias diuiduntur, uarijsq; nominibus appellantur, sic etiam diuersa, uariaq; idiomata præ se ferunt, secundùm terrarum & regionum distantias, quamuis omnes unius gentis, & idiomatis Slauonicæ fuerint: nam Moschouitæ à Ruthenis aliquantulùm, Rutheni quoque à Polonis, & Massouitis, sic etiam Bohemi, Croatæ, ab inuicem idiomatis expressione, accentibus & prolatione, uerborumq; immutatione differunt, ita ut sese intelligere difficilè possint, nisi mutuò familiaritatis usu alter alterius linguæ assuetus fuerit. Nam quia Sarmatæ siue Slauones, bellicosi, pugnacesq; extiterunt, pacem odio prosequentes, uarias mundi partes peragrabant, & pro suo arbitrio occupabant, peregrinorum quoque uocabulorum usu idioma Slauonicum immutârunt. Apparet autem ex antiquorum Historiographorum scriptis, gentem Slauinorum, uel Slauorum in Paphlagonia regione Asiæ minoris, tempore belli Troianorū floruisse. Procopius etiam Cæsariensis ante mille & quinquaginta annos de bello Gothico, Iustiniani Imperatoris temporibus scribens, mentionem quoq; Slauinorum facit. Blondus uerò, qui ante centum, decemq; annos Historiam ab inclinatione Romani Imperij conscripsit antiquiora Arcadij, & Honorij tempora persequens, Slauorum meminit. Iornandes autem Alanus in suis Chronicis dicit, id nomen Slauorum suo tempore nouum extitisse, idioma autem hoc, quo nunc Slauones utuntur, antiquum fuisse. Scribitq; hic Iornandes, & Diuus Gregorius primus huius nominis Romanus Pontifex, Slauos ad Istrum seu Danubium septentrionem uersus habitasse, traiectoq; Danubio Mysiam utramque, Pannoniam, Macedoniam, Thraciam, Istriam, diuexasse, interq; Drauum & Sauum flumina, in Illyrico, & Dalmatia consedisse, eis Regionibus Slauoniæ nomen indidisse, Romanumq; Imperium penitùs debilitasse.

Vuolga fluuius. *Roxolani in Taurica.* *Vuolgari Sauromatæ cū Roxolanis tres Constantinopolitanos Imperatores occiderunt.* *Bulgaria.* *Vuolinia.* *Gētes Russiæ.* *Sarmatarum Roxolanorūq; uariæ appellationes.* *Poloni unde dicti.* *Varietas sermonis Slauorum.* *Causa immutationis Slauorū idiomatis.* *Antiquitas Slauorum.* *Historiographorum opiniones de Slauis.* *Diui Gregorij de Slauis assertio.*

Iidem Slaui ne Germaniæ quidem pepercerunt, ac ad eam amplitudinem peruenerunt, ut propè dimidiam Europæ, & Asiæ partem teneant, etenim in ea natione connumerantur non solùm ij, qui Dalmatiam, Illyricum, Carpatum, & Hungariæ montana tenent, sed aliæ omnes orientales, & septentrionales maximæ & fortissimæ gentes, quæcunque Slauonico idiomate utuntur, utpote Bulgari, Bosnæ, Serbij, Croatæ, Carnij, Rascianij, Dalmatæ, Istrij, (Burgundi iam Slauorum linguam amiserunt) Stirij, Poloni, Masouitæ, Pomerani, Lusatij, Podolij, Volinij, Rutheni, Moldaui, Moschouitæ latissimè imperantes, Cassubij, Vandalij, Silesij, Moraui, Bohæmi, &c. In omnibusq; his Prouincijs ab Oceano glaciali, qui ultra Moschorum Principis ditiones longissimo tractu Septentrionem uersus extenditur, ad mare usque Mediterraneum, & Adriaticum populi Idiomatis Slauonici reperiuntur. Sic quoque à Ponto Euxino Moldaui, Valachijq;, & cæteræ Ruthenorum gentes ad mare usque Germanicum colonias suas habent. Quamuis plurimi eorum patrium uiuendi modum in peregrinos mores commutârint. Bulgari enim, Bos-

Gentes Slauonicæ quātæ, et quot. *Slauorum termini.*

nim, Bosnæ, Rascij, Dalmatæ, cum Turcis & Hungaris: Burgundij, Mysij, Pomerani, & Silesij cum Germanis: Lithuani, Ruteni, Masouitæ cum Polonis: Istrij, Carniolani, Carinthij cum Italis sentiunt. Attamen omnes hi quamuis inter peregrinas gentes diffusi, dispersiq; sunt, patrio idiomate Slauonico (diuerso modo licet) utuntur. Plurima & præclara gesta hi Sauromatæ exercebant, præcipuè uerò cum Roxolani (quorum posteri nunc Rutheni siue Rusi dicuntur) strenuè cum Mithridate, Rege Parthorum & Ponti belligerarent, qui has regiones, quas hodie Turca posidebat. Cum Romanis quoq; & cæteris finitimis Regibus longas acies uario Marte tenuerunt, sed quia gentiliter uiuebant, literasq; ignorabant, ideò etiam præterita recordare, & antiqua gesta ad posteritatem transmittere flocci pendebant. Porrò qui diligentius rem ipsam considerare uelit, nullam gentem olim Sarmatis bellicosiorem extitisse uidebit: hi enim omnes miserias bellicas, frigora, intempestates, & id genus alios casus facilè sustinebant, & propter nomen æternum nulla uetustate aboliturum uitam flocci pendentes mortis impauidi uarijs periculis opponebant, de quorum insigni fortitudine, audaciq; animo Ouidius ille Naso, è Roma ad Pontum in Regnum Tauricæ relegatus, pro singulari miraculo, Romanis proceribus scripsit in hęc uerba: Lib. 1. de Ponto Elegia 2. ad Maximum.

Slauorum commutatio, metamorphosisq;.

Roxolani cum Mithridate Ponti rege bellabant.

Sarmatis nulla olim gens bellicosior.

Hostibus in medijs interq; pericula uersor,
Tanquam cum patria pax sit adempta mihi,
Qui mortis sæuo geminent, ut uulnere causas,
Omnia uipereo spicula felle linunt.
Hic eques instructus perterrita mœnia lustrat,
More lupi clausas circumeuntis oues.
Tecta rigent fixis ueluti uallata sagittis,
Portaq; uix firma summouet arma sera.

Ad eundem Elegia tertia.

Aut quid Sauromatæ faciant, quid Iasiges acres,
Cultaq; Orestee Taurica terra Dee.
Queq; aliæ gentes ubi frigore constitit ister,
Dura meant celeri terga per amnis equo.
Maxima pars hominum nec te pulcherrima curat,
Roma, nec Ausonij militis arma timet.

Dant illis animos arcus, plenæq; pharetræ,
Quamq; libet longis cursibus aptus equus.
Quodq; sitim didic re diu tolerare, famemq;
Quodq; sequens nullas hostis habebit aquas.

Idem ad Vestalem Eleg. 7. lib. 4.

Ipse uides onerata ferox ut ducat Iasis
Per medias istri plaustra bubulcus aquas.
Aspicis & mitti sub adunco toxica ferro,
Ac telum causas mortis habere duas.

Ad Seuerum Eleg. 19.

Nulla Getis toto gens est truculentior orbe
Tinctaq; mortifera tella sagitta madet.

Ex hoc igitur testimonio Ouidij Sarmatas bellicosos, imperioq; Romano minimè subactos esse apparet, cùm dicit: *Nec te pulcherrima curat Roma.* &c.

Porrò quæ de antiquissimis eius gentis moribus, & institutis proferri possint, hæc ferè sunt. Vtebantur primis temporibus uetustissimi illi Sarmatæ siue Slauones, & qui in Polonia, Rusiaq; regionibus postea sedes habuerunt, eorum posteri, prisca illa Slauonica lingua, quæ Sarmatis, Ruthenisq; gemina est. Regem aut principem secundum genus agnoscebant neminem, sed exortis subinde bellis ex suis fortissimum quemq; & factis illustribus spectatum, Ducem sibi eligebât, nec diuturnius cuiusquã erat imperium, quàm ipsum bellum, cuius gerendi Dux esset declaratus. Vnde & nunc Polonis Rex non nascitur, sed consensu Senatorum, qui dignus uideretur, per sortem eligitur. Ad bella singuli uiritim proficiscebantur, arcubusq;, frameis, & lanceis oblongioribus utebantur. Vxores secum ducebant, quæ incantationum, magicarumq; artium gnaræ, augurijs & uaticinijs operam nauabant, de præliorumq; euentibus scienter præsagiebant. Fugere in bello res insolens illis erat, quiq; id fecisset, ei nullus ad suos reditus patebat, neq; grauiorem ullam turpitudinem aut ignominiam nouerant. Summa apud eos dignitas erat post electos belli Duces equitum, quos ab ornamentis auratos uocamus, ad quam nemini aditus patebat, nisi qui uirtute bellica, factisq; in hostem patratis id assequeretur. Martem, Lunam, Solem, aliosq; uanæ religionis Deos adorabant, eosq; diuersis & certis locis colere, & sacra ipsis facere solebant: de animarum tamen immortalitate rectè sentiebant. Sepulturæ eorum erant in syluis & agris, tumulosq; aggestis lapidibus uestientes eminenter muniebant, quod genus in Rusiæ regionibus passim adhuc uisuntur. Nonnulli quoque more Romano cadauera cremare, cineresq; collectos in urnas recondere solebant, in uictu pauci contenti erant. Permutatione rerum necessaria utrinq; comparabant. Nihil proprium absq; arcu, framea, & lancea posidebant. Vestibus uilibus, ex corijs ferarũ, pellibusq; utebantur, ad talos demissis. Thesauros, possessiones, prædia, uestesq; pretiosas nõ comparabant. Causas omnes & controuersias publico in loco Marte iudice armis dirimebât. Hæc planè sunt, quæ de antiquissimis Sarmaticę, Slauonicæq; linguæ, institutis & moribus extant, quorũ potissima pars in hunc usq; diem apud posteros eorũ quibusdã in locis uiget.

Antiquorum Slauorum siue Sauromatarũ mores.

Rex in Polonia non nascitur.

Expeditio in bellũ antiquorum Sarmatarum.

Fuga in bello Sauromatis turpissima.

Equitum, militũq; apud Sarmatas antiquos dignitas.

Idola Sarmatarum.

Sepulturæ Sarmatarum.

Victus.

Commercia.

Possessiones Sarmatarum arma.

Vestitus.

Iudicia.

REGNI POLONICI CVM SVIS PALATINATIBVS DISTRICTIBVSQVE siue Prouincijs, Ciuitatibusq́; & Arcibus principalibus compendiosa descriptio.

AVTORE ALEXANDRO GVAGNINO.

Fines Regni Poloniæ. REGNVM Poloniæ in Sarmatia Europea amplissimum & nobilissimum, ab oriente nonnihil in Septentrionem reflectendo, Masouiæ, Lithuaniæq́; contiguum est. A' Septentrione Prussiæ, mariq́; Germanico siue Venedico adhæret. A' meridie & oriente simul Russia, Podolia, Valachiaq́;, & montibus Hungariæ, Beskid dictis terminatur: ab occidente Silesia, Saxoniaq́; & Albi fluuio fines suos terminat.

Polonia duplex. Porrò Polonia bipartita est, maior & minor. Maior ideo dicitur, quod in ea Lechus autor Polonorum imprimis consederit, ibidemq́; Gnesnam ciuitatem Regni sedem, fundauerit. Sed postea sedes Regia Cracouiam minoris Poloniæ metropolim translata est, ubi in hunc usq́; diem perseuerat, atq́; hanc ob causam minor Polonia maiori anteponitur, quam imprimis describendam aggrediemur.

CRACOVIENSIS TERRA.

CRacouia urbs celeberrima minoris Poloniæ metropolis, in planicie insigniter ad Vistulam fluuium nauigabilem, quo merces omnis generis Gedanum emporium Prussiæ, deportantur, condita, muro duplici, ualloq́; inexcusso, & fossa muro præcincta cingitur. Arx uerò in scopulo eminenti Vauel dicto, ad eundem fluuium sita, sede Regum Poloniæ, ubi coronantur & sepeliuntur celebris, Gymnasioq́; & uniuersitate clara. Eidem aliæ tres ciuitates Clepardia, Stradomia, Casimiria contiguè adhærent, hanc Rudawka amnis, illas uerò Vistula fluuius interfluit. Porrò Cracouienses Aduocato supremo carent, ea de causa, quod anno Domini 1312. Regnante Vladislao cubitali, quidam aduocatus Cracouiensis Germanus autorem se perfidiæ in deditione urbis Boleslao Duci Opoliensi præbuerit, qui postea perfidiæ dignas pœnas, cum suis complicibus dedit. Ab hoc tempore Rex ipse Prætura Cracouiensi potitur. *Aduocatus Cracouiæ.* Castellanus quoq́; Cracouiensis Palatinum in Senatus consensu accubitu, locoq́; superat: nam cum Boleslaus Krziwousti, Rex Poloniæ (de quo suprà) bellicosissimus à Rutenis dolo circumuentus esset, Palatinus honore postposito, cum maiori parte exercitus aufugit, Rege in medio hostium relicto. *Palatinus & Castellanus.* Ab hocq́; tempore Castellanus primas obtinet, in cæteris uerò illius Regni Prouincijs, Palatinus Castellanum dignitate antecellit.

CIVITATES DISTRICTVALES IN terra Cracouiensi.

HAs ciuitates districtuales præcipuas ubi iudicia, causęq́; nobilium disceptantur, continet: Palatinatus Cracouiensis, quibus Capitanei iudices & alij Regia munia obeuntes præsunt.

BIECZ ciuitas muro circundata, in planicie sita, cam Rapa fluuius preterfluit, in quo spume, ex quibus sulphur cōficitur, colliguntur, à Cracouia quindecim miliarib. abest.

VVOYNICZ ciuitas lignea ad Dunaiecz fluuium sita, à Cracouia 9. mil. distat.

SANDECZ ciuitas murata in planicie condita: quam Dunaiecz fluuius præterlabitur, à Cracouia 11. mil. distat.

LBLOVIA ciuitas murata, in colle sita, arcem inferius conditam habet, quam Biala fluuius aluit, à Cracouia 11. mil. abest.

KZYAZ ciuitas lignea, à Cracouia mil. 7. distat.

PROSZOVICE ciuitas lignea in planicie sita, in qua curia Regia ad Sozeniauā fluuium condita est, à Cracouia 4. mil. distat, in qua conuentiones terrestres nobilium celebrari solent.

Sunt etiam aliæ multæ ciuitates & oppida nobilium & magnatum in terra Cracouiensi, sed hic nisi eorum in quibus terrestria officia celebrantur, mentionem facimus.

In eadem terra Cracouiensi tres sunt fodinæ insignes, quæ magnis prouentibus thesaurum

saurum Regium adaugent. Prima in Olkusia 5. mil. à Cracouia, ubi plumbi copia, argentumq; effoditur. Secunda in Bochnia ciuitate, quæ 5. mil. à Cracouia distat, ubi sal glaciei simile perspicuum grandibus maßsis effoditur. Tertia in Vvieliczka 2. mil. à Cracouia, ubi etiam sal glaciale, sed uilius Bochnensi, copiosè effoditur.

SENATVS PRINCIPALIS TERRAE
Cracouiensis.

Episcopus, Castellanus, Palatinus } Cracouiensis.

Castellanus { Sandecensis. Vvoynicensis. Byecensis. Oswiecimensis.

VEXILLVM TERRESTRE BELLICVM AQVILA alba coronata in campo rubeo, per alas linea aurea protensa, insignitur.

Districtus Sandecensis uexillum peculiare habet, clipeo diuiso bicolori insignitum. In eadem terra Cracouiensi duo Ducatus continentur, qui iure naturali in ditionem Regni cesserunt, Zatoriensis & Oswiecimensis.

OSVVIECIM Ciuitas principalis prædicti Ducatus lignea, in planicie sita, arcem quoq; ligneam argila circumlinitam habet, quam fluuius quidam præterlabitur, 7. mil. à Cracouia. Vexillum aquila nigra, O, in pectore habente, insignitur.

ZATOR Ciuitas lignea cum arce, à Cracouia 5. mil. in planicie ad Vistulam fluuium sita, quæ Ducatus caput erat: cuius uexillum aquila lasurini coloris, Z, in pectore gestante insignitur.

Huius Ducatus Zatoriensis Princeps à Spitkowe Myskowski equite Polono, dolo se occisus est, ab hoc tempore in Regis Poloniæ ditionem cesßit.

SANDOMIRIENSIS TERRA.

SANDOMIRIA Ciuitas principalis, muro circumdata, in colle ad Vistulā fluuium cōdita, à Cracouia 22. mil. distat. Arcem muratam, à meridie Vistulā preterfluam, habet. Hæ ciuitates districtuales præcipuè ad eam pertinent.

CHECINY Ciuitas in loco plano sita, arx uerò murata in eminenti scopulo condita est, à Cracouia 13. mil. abest. Fodinis lasuli clara, ubi & argentum reperitur.

KORCZIN Ciuitas noua lignea, arcem muratam ad Vislok fluuium sitam habet, quam undiq; paludes circumdederunt.

VVISLICIA Ciuitas lignea, quam Nida fluuius circumfluit, muroq; circumdata inter lutosas paludes in scopulo sita, in quibus ingens colluuies reptilium omni genere grassatur.

PILZNO Ciuitas lignea ad Vuislok fluuium sita.

OPOZNO Ciuitas murata in planicie, quam Pilcza fluuius præterlabitur.

RADOMIA Ciuitas muro, ualloq; circumsepta, in planicie sita.

POLOVIEC Ciuitas lignea inter colles constructa.

ZAVVICHOST Ciuitas lignea ad Vistulam fluuium sita, arcem muratam in ulteriori Vistulæ ripa habet.

ZARNOVV Oppidum ligneum.

MALOGOST Ciuitas lignea.

SENATORES TERRAE SANDOMIRIENSIS.

Palatinus & Castellanus Sandomiriensis.

Castellanus { Vislicensis. Radomiensis. Zawichostensis. Zarnouiensis. Malogostensis. Polanecensis.

Vexillum terrestre gestat pro stemmate, clipeum diuisum, in una medietate lineas tres rubeas, & tres albas: in altera campum lasurini colores, tribus ordinibus stellarum insignitur.

LVBLINENSIS TERRA.

LVBLIN ciuitas murata fossa, stagnisq́ ingentibus circumdata. Arx in colle eminentiori ad stagnum amplum condita, muro ualidissimo, fossaq́ profunda cingitur. In hac ciuitate triplices per annum nundinæ, quatuor hebdomadas durantes, celebrantur. Primò pro festo Pentecostes. Secundò pro ferijs Apostolorum Simonis & Iudæ. Tertiò pro festo purificationis Mariæ. Ad eas ex remotissimis regionibus negotiatores, Turcæ, Armeni, Græci, Germani, Moschouitæ, Lithuani, & cæteri ex circumiacentibus regionibus, conuenire solent. Iudæi maximam suburbiorum partem occupant, ibiq́ Synagogam habent præcipuam. Arcem Bystrzica fluuius alluit. Distat autem Lublina à Sandomiria 14. mil. à Cracouia 36. à Vuilna 70. à Vuarsouia 24. Has ciuitates districtuales terra Lublinensis complectitur.

VRZENDOVV ciuitas lignea ampla ad stagnum sita, à Lublina 7. mil. distat.

LVLOVV ciuitas lignea in planicie sita, ex una parte palude lutuosa, ex alia uallo munitur, à Lublinia 14. mil. abest, districtum satis amplum complectitur.

PARCOVV ciuitas lignea, in planicie ad stagnum ingens sita, à Lublina 9. mil. abest.

CASIMIRIA ciuitas lignea, inter scopulos ad Vistulam condita, quæ tempore exundationis Vistulæ media ferè aquis obruitur, à Lublin 7. mil. distat.

Senatores duos præcipuos terra Lublinensis habet, Palatinũ uidelicet & Castellanũ.

Vexillum terrestre Ceruo albo, in collo coronã gestante, in campo rubeo insignitur.

DE TERRIS DISTRICTIBVSQVE maioris Poloniæ.

POSNANIA ciuitas insignis maioris Poloniæ metropolis, ad Vartham fluuium nauigabilem, & Prosna amnem, inter colles condita, muro duplici, fossaqúe profunda cingitur, ædes in ea pulcherrimæ, insigniterq́ ex lapidibus sectis constructæ. Arx murata in eminentiori colle, inter Vartham & Prosnam fluuios sita. In ulteriori ripa Varthæ suburbia sunt amplissima, stagno ingenti, paludibusq́ circumdata, quæ frequẽter cum circumadiacentibus pagis exundatione Varthæ, obruuntur, adeò ut aliquando solummodo summitates ædificiorum ex aquis appareant: ipsaq́ ciuitas in muro aliquando inundatur, ut in foro, plateisq́ passim nauigetur, sed tamen hæ exundationes duobus, tribúsúe interdum diebus grassantur. Nundinæ in Posnania celeberrimæ ter in anno exercentur. Primæ in principio Quadragesimæ, quæ quatuor hebdomadis durant. Secundæ pro festo D. Ioannis Baptistæ, quinq́ hebdomadis durantes. Tertiæ pro festo S. Michaëlis, quæ quinq́ integris hebdomadis celebrantur.

CIVITATES DISTRICTVALES IN terra Posnaniensi.

KOSCIEN ciuitas in planicie inter paludes lutuosas sita, duplici muro, uallo q́ & fossa munitur, à Posnania 7. mil. distat.

MIEDZYRZECZE ciuitas lignea in planicie inter flumina, paludesq́ lutuosas (unde & nomen habet) sita, finitima Silesiæ, Pomeraniæ, arcem muratam natura & opportunitate loci munitissimam, muro, uallo qúe in excusso & fossis profundis circumsepta, nullo modo expugnari sese, nisi fame patitur. Eam Duces Germaniæ aliquot annis graui obsidione præmebant, attamen re infecta cum dedecore discedere coacti sunt, à Posnania 15. mil. distat.

OSTRESOVV ciuitas lignea finitima Silesiæ, in planicie latissima sita, quam syluæ undiq́ circumdederunt.

VVSCHOVV ciuitas murata, in planicie sita, à Posnonia 11. mil. abest.

SREMSK Præmecz, Rogozno, ciuitates ligneæ, ad officium Posnaniense pertinentes, in quibus iudicia terrestria celebrantur.

SENATORES TERRAE POSNANIENSIS.

Episcopus, Palatinus, Castellanus } Posnaniensis.

Sremcensis, Miedzirzecensis, Præmecensis, Rogosiensis } Castellanus.

Vexillum

Vexillum terræ Posnaniensis aquila alba cum expansis ad uolandum alis insignitur.

CALISIENSIS TERRA.

CALIS ciuitas muro circumdata inter paludes sita, quam Prosna fluuius præterlabitur. Arcis muratæ ruinæ restant, per Crucigeros Prussienses desolatæ.

Has ciuitates districtuales hæc terra complectitur.

GNESNA ciuitas muro circumdata in planicie inter lacus, collesq; sita, Archiepiscopali sede clara. Hæc prima omnium ciuitas in Polonia à Lecho autore Polonorum condita, ubi in primis sedes Regia habebatur. Ibiq; Princeps Poloniæ Boleslaus Chabri ab Othone Rom. Imp. Regium Diadema accepit, quo hucusq; Reges Poloniæ utuntur. In hac ciuitate est Ecclesia Cathedralis Metropolitana, in qua corpus Diui Adalberti Episcopi Pragensis depositum est. Distat autem à Calis 14. mil. à Posnania 7. In ea nundinæ insignes, præcipuè uerò pro festo S. Adalberti celebrantur.

PYZDRY ciuitas murata in planicie ad fluuium Varta inter syluas sita, à Calis 9. miliaribus distat.

VVARTHA ciuitas ampla ad eiusdem nominis fluuium sita.

NAKLO ciuitas lignea ad fluuium Notesiam ex Goplo lacu emergentem, Arx murata inter lutosas paludes sita.

LAND ciuitas ad Vuartham fluuium, à Gnesna 4. mil. abest.

KOMIN ciuitas murata, Vuarthaq; fluuio una cū arce in gyrum circumducta, & nisi pontibus ad eam peruenitur, 8. mil. à Calisia abest.

SLVPCZA ciuitas muro fortissimo, propugnaculisq; munita, ad Vuarthā fluuium.

KOLO ciuitas lignea circumsepta, Vuarthaq; fluuio in gyrum una cum arce aliquoties circumluitur, 8. mil. à Calisia distat.

LAND & camenecia ciuitates in Pomeraniæ finibus.

SENATORES PRAECIPVI TERRAE Calisiensis.

Archiepiscopus Gnesnensis.	Gnesnensis } Castellanus.
Palatinus Calisiensis.	Nakyelcensis } Castellanus.
Castellanus Calisiensis.	Camenensis } Castellanus.
	Landensis } Castellanus.

Vexillum terrestre capite Bisontis, inter cornua coronam auream gestante, per naresq; circulum aureum habente, in campo in modum latrunculariorum siue scachorum albo & rubro insignitur.

SIRADIENSIS TERRA.

SIRADIA ciuitas lignea, muro circumducta in planicie sita. Arx murata ad Vuartham fluuium condita. Hæc Prouincia olim pro Ducatu amplissimo computabatur, secundóque genitis Regum Poloniæ attributa erat. Has ciuitates districtuales complectitur.

VIELVNIA ciuitas muro forti, propugnaculisq; & fossa profunda circumsepta, eam una cum arce Prosna fluuius præterlabitur.

SADEK ciuitas lignea in planicie ad stagnum sita, à Siradia 5. miliaribus abest.

PETRICOVIA ciuitas murata inter loca palustrosa condita, ubi Comitia generalia communi approbatione omnium Regum, Senatorumq; Poloniæ celebrari constitutum est. In suburbio curia Regia & turris, in qua causæ iudiciales celebrantur sita est, quam fossa profunda ambit. Curiæ quoque Episcoporum, Magnatumq; Poloniæ frequentes ibidem extructæ sunt. Deinde extra ciuitatem curia ingenti sumptu ex lignis leuigatis insigniter sub nemore amœnissimo extructa est, quā Rex cum omni comitatū suo tempore Comitiorum propter salubriorem auram incolit, Bugey appellata.

ROSPRZA ciuitas lignea in planicie paludibus circumflua.

SPICIMIRIA ciuitas lignea.

In hac Siradiensi terra, Nobiles id regum priuilegijs concessum habent, cæra rubea in obsignandis literis uti, cùm id in illis prouincijs nemini nobilium solummodo magnatibus, & in officio Regio, siue terrestri præfectis concedatur. Id uerò inde promouerunt, cùm Prutheni, cum Polonis in acie acriter confligerent, Lancicienses à Pruthenis, Crucigeribus superati, uexillum sui Palatinatus amiserunt, quibus Siradienses in auxilium uenientes, uexillum ab hostibus recuperauerunt.

SENATORES SIRADIENSIS TERRAE.

Palatinus / Castellanus	Siradiensis	Rospiriensis / Spicimiriensis / Vielunensis	Castellanus.

Vexillum terrestre medietate Leonis rubei, & medietate Aquilæ nigræ in campo lazurino insignitur.

Vuielunensis quoq; districtus suum uexillum proprium habet, Agnum Dei cum uexillo cruce insignito, in campo rubeo.

LANCICIENSIS TERRA.

LANCICIA ciuitas muro, fossaq; obducta in planicie undiq; paludibus lutosis circumdata. Arx murata in scopulo, fossaq; profunda obstructa, eam Bsura fluuius præterlabitur. Ibidem in uilla Kosciol dicta, Ecclesia Cathedralis ex lapidibus sectis constructa est, satisq; sumptuosè prouisa.

ORLOVIA ciuitas lignea, ex una partium fluuio lutuoso, & peramplo, ex altera lacunis palustrosis munitur, 4. mil. à Lancicia distat. In eodē districtu ciuitas Piatek inter lutosas paludes Bsuram fluuium sita, ceruisia boni saporis, quæ in ea coquitur, per totam Poloniam celebris habetur.

BRESINIA ciuitas lignea satis ampla inter stagna sita, à Lancicia 7. mil. abest.

KONARZEVV, Inowlodz, Biechow, & aliæ multæ, plurimæq; ciuitates & oppida lingea ad Lanciciensem iurisdictionem pertinent.

SENATORES TERRAE LANCICIENSIS.

Palatinus / Castellanus	Lanciciensis	Bresiniensis / Konariensis / Inowlodiensis / Biechouiensis	Castellanus.

Vexillum terrestre medietate Aquilæ albæ & Leonis nigri aurea corona insigniti exornatur, in campo rubeo.

CVIAVIAE SIVE VLADISlauiæ terra.

VLADISLAVIA ciuitas ampla, sede Episcopali clara, inter stagna ad Vistulam fluuium condita. Regio hæc magna ex parte palustrosa est, syluæq; in ea rarissimæ, ideò incolæ inopiam lignorum patiuntur.

BIDGOSTIA ciuitas murata in planicie sita, eam Barda fluuius nauigabilis quo merces ex maiori Polonia in Vistulam fluuium deportantur, alluit, à Vladislauia 6. mil. distat.

Senatores tres præcipuos terra Vladislauiensis habet, Palatinum & Castellanum, Bydgostiæq; Castellanum.

BRESTIENSIS TERRA.

BRESTIA ciuitas murata, propugnaculis, uallo, fossaq; munitæ in planicie inter lutuosas paludes condita.

Hos districtus complectitur.

RADZIEIOVV ciuitas lignea, in campo aprico ad lacum ingentem sita.

CRVSPHICIA ciuitas lignea antiquitus condita, & prima post Gneznam, arx murata ad Lacum ingentem, Gopla dictum, sita, ex quo lacu mures olim prodierant, qui Popelum Principem Poloniæ ibidē in arce deuorauerant, prout latiùs in gestis Regū Poloniæ dicemus. In hac ciuitate sedes Regia olim habebatur, sed postea Cracouiā trāslata est.

KOVVALOVV oppidum ligneum in locis palustrosis conditum.

SENATORES TERRAE BRESTIENSIS.

Palatinus / Castellanus	Brestiensis.	Crusphiciensis / Coualouiensis	Castellanus.

Cuiauiensis terræ uexillum, quo Vladislauiensis & Brestensis Palatinus insimul utitur. Aquilæ rubeę, Leonisq; nigri medietate, in campo aureo, excepto quod non habet coronam auream.

BAVEN-

RAVENSIS TERRA.

RAVA ciuitas lignea in planicie sita, arcem muratam in scopulo ad Rauam flu. habet.

SOCHAZOVIA ciuitas lignea, septis ex una partium circumdata, arx uerò in scopulo eminenti murata, quam fluuius Bsura præterlabitur.

GOSTININ ciuitas lignea in planicie inter paludes lutuosas, arx in scopulo murata, fossaq; paludibus obducta.

GAMBIN ciuitas lignea ampla, in planicie sita. Senatores tres principales habet terra Rauensis, Palatinum, & Castellanum Rauensem, Sochazouiensem, & Gostinensem.

Vexillum terrestre Aquila nigra in campo rubeo, litera, R, in pectore insignitur.

PLOCENSIS TERRA.

PLOCZKO ciuitas murata, ad Vistulam fluuium condita, sede Episcopali clara, arcem quoq; muratam in colle eminenti sitam habet.

BIELSKO ciuitas lignea in planicie sita, à Ploczko 2. mil. abest.

RACZYAYAS ciuitas lignea, inter lutuosas paludes, à Ploczko 8. mil. distat.

SIEPRCZ ciuitas lignea, in collo eminenti, inter paludes, à Ploczko mil. 5. distat.

SRENSKO ciuitas lignea in planicie sita, arx murata inter stagna, paludesq; ingentes, à Ploczko mil. 10.

MLAVVA ciuitas lignea, Prussiæ finitima, eam eiusdem nominis fluuius præterlabitur, à Ploczko 11. mil. distat.

PLONSKO oppidum ligneum, à Ploczko 7. mil.

RADZANOVV ciuitas lignea ad Vkra fluuium sita, arx murata in scopulo inter lacunas palustrosas, à Ploczko 8. mil distat.

SENATORES TERRAE PLOCENSIS.

Episcopus Palatinus Castellanus	Plocensis.	Raczyasensis Syepreensis	Castellanus.

Vexillum terræ Plocensis, Rauensi simile, nisi quod Aquila, P, litera in pectore insignitur.

DOBRINENSIS TERRA.

DOBRINIA ciuitas lignea septis circumdata, in scopulo ad Vistulam sita, arx à Crucigeris demolita.

SLONSK ciuitas lignea, in planicie ad Vistulam, à Dobrinia 2. mil. abest.

RIPIN oppidum ligneum, in planicie ad Odlekam fluuium conditum, à Dobrinia 5. mil. abest.

GORZNO ciuitas lignea, inter syluas in colle, uallo, fossaq; aquis repleta obducta, à Dobrinia 6. mil.

Pro hac prouincia Poloni cum Crucigeris, Prussiensibus frequenter digladiebantur.

Tres Senatores præcipuos terra Dobrinensis habet: Castellanum Dobrinensem, Ripinensem, & Slonscensem.

Vexillum terræ Dobrinensis caput humanum cornutum duabus coronis redimitum fronte & collo in campo rubeo gestat.

DVCATVS MASOVIAE.

MASOVIA Regio, amplissima Poloniæ coniuncta, Prussiam à septentrione, Lithuaniam ab oriente, & Russiam nonnihil in meridiem reflectendo in uicinia habet. Quondam sui iuris Principes habebat, secundoq; genitis Regum Poloniæ attributa erat, sed anno Domini 1526. decedentibus immatura ætate, Ioanne & Stanislao Ducibus, unicis Regionibus hæredibus, Ducatus Masouiæ in ius Regis Poloniæ cessit. Incolæ eodem idiomate, nisi sibilis quibusdam differenti, habituq;, moribus & religione cum Polonis utuntur. Viri sunt strenui & bellicosi, in Martemq; cruentum proni.

Has præcipuas ciuitates Masouia complectitur.

VARSCHOVIAE DISTRICTVS.

VARSCHOVIA ciuitas insignis murata, totius Masouiæ metropolis, duplici muro, fossaq; obducta, in planicie ad Vistulam condita, arx quoq; murata ciuitati contigua Vistulæ impendet. Pons ibi amplissimus ligneus ingenti sumptu in Vistula fabricatur. Has ciuitates districtuales præcipuas habet.

CZERSKO ciuitas lignea in planicie, ad Vistulam fluuium sita, arcem muratã in scopulo eminentibus altis conspicuam habet, à Varschouia 5. mil. abest.

VYSSEGROD ciuitas lignea, in planicie ad Vistulam, arx in colle murata, Varschouia 12. mil. distat.

AKROCZIN ciuitas lignea ad Vistulam fluuium, arx in colle murata, 8. mil. à Varschouia abest.

CZIECHANOVV ciuitas in planicie sita, uallocꝫ circumsepta, arx inter lutosas paludes, fossa profunda munitur, à Varschouia 12. mil.

CZERNIENSK ciuitas lignea ampla, arcem & monasterium Augustinorum adiunctum habet.

PVLTOVVSKO ciuitas murata, ad Narew fluuium unà cum arce sita.

ROSAN ciuitas in planicie, arx uerò in scopulo ad fluuium Narew condita.

VARKA ciuitas ampla lignea, in planicie ad Pilczam fluuium sita, à Varsch. 8. mil.

BLONYE ciuitas lignea ampla, à Varschouia 4. mil.

TARCIN ciuitas lignea, à Varschouia 5. mil. abest.

GRODZYEC ciuitas lignea, à Varschouia mil. 7. à Tarcin 2. distat.

PRASNIS ciuitas ampla, lapideis ædificijs ornata.

LOMZA ciuitas ampla ad Narew fluuium nauigabilem sita, in ea ædificia pulcherrimæ murata, à Varschouia 20. mil. distat.

SENATORES PRIMARII DVCATVS Masouiæ.

Palatinus Masouiæ Generalis.

Varschouiensis, Cerscensis, Vysegrodiensis, Zakrocimensis, Cziechanouiensis } Castellanus.

Vexillum Masouiæ Aquila alba cum expansis ad uolandum alis in campo rubeo insignitur.

LIVENSIS TERRA.

LIVVO ciuitas lignea, arx murata ad Liwijecz fluuium condita.

VVEGROVV oppidum ligneum, à Liwo medio miliari distans.

VVIZNA ciuitas in planicie ad Narew fluuium sita, arx in colle fossa circumducta.

NVR ciuitas lignea ampla, ad fluuium eiusdem nominis sita.

CAMENYEC ciuitas lignea in planicie ad Bug fluuium, à Liwo 8. mil. sita.

Senatores hos duos præcipuos terra Liuensis habet, Liwensem & Vuiznensem Castellanos.

Vexillum terrestre Aquilæ medietate rubeæ, & Vrsi albi coronati insignitur.

PODLASSIAE TERRA.

PODLASSIA regio ampla, Masouiæ ab occidente, Lithuaniæ ab oriente contigua, olim sub potestate & imperio Lithuanorum erat, sed nunc anno Domini 1569. per Sigismundum Augustum Regem Poloniæ, ad Magnum Ducem Lithuaniæ, Regno Poloniæ adiuncta & appropriata est. Incolæ eius Masouitæ, Rutheni, atcꝫ Poloni: has ciuitates districtuales præcipuas complectitur.

BYELSKO ciuitas lignea amplissima Podlassiæ principalis, ad Byala fluuium sita, Lithuaniæ contermina. Arx lignea fulminis ictu in præsentia Regis incensa, penitusꝗ exusta est, à Narew 4. mil.

BRANSKO ciuitas lignea ad Nur fluuium, à Byesko 3. mil. sita, in ea Curia Regia iudicialis, in qua causæ nobilium disceptantur.

SVRAS ciuitas lignea inter colles ad Narew fluuium sita, arx in colle fossa circumducta, à Byelsko 3. mil.

TYKOCZIN ciuitas lignea in planicie ad Narew fluuium sita. Arx natura & opportunitate loci munitissima, propugnaculis, uallocꝫ forti proportionaliter circumsepta Narewcꝫ fluuio & paludibus circumdata, ut ad eam nusquam aditus pateat, machinis, tormentisꝗ bellicis bene prouisa. Thesaurus enim Regius in ea asseruatur. Rex Sigismundus Augustus eam magnis impensis restaurari fecit, monetacꝫ ibidem cuditur, à Byelsko 19. mil. distat, à Vuilna 42.

KNYSSYN ciuitas lignea à Tikoczin 2. mil. in planicie inter stagna, syluas, paludesque lutuosas sita, ibidẽ Curia Regia extructa est. Hortus quocꝫ Regius amplissimus, uario genere

rio genere animaliũ, piscinisq́; diuersis refertus. Venationes enim illic omnium ferarum copiosè exercentur. 12. mil. à Byelsko distat.

NAREVV ciuitas lignea inter syluas, ad fluuium eiusdem nominis à Bielsko 4. mil. condita.

VVASILKOVV oppidum ligneum ad Narew fluuium, in quo Capitaneus regius residet.

AVGVSTOVV ciuitas noua amplissima à Rege Sigismundo Augusto, à quo & nomen habet fundata, 20. mil. à Byelsko distat.

DROHICINENSIS DISTRICTVS.

DROHICIN ciuitas lignea ad Bug fluuium condita in colle curiam Regiam, in qua causæ nobiliũ disceptãtur habet, à Byelsko ciuitate 10. mil. à Vuarschouia 40. distat.

MYELNIK oppidum ligneum ad Bug fluuium conditum, arx uerò in colle eminenti, à Drohicin 5. mil.

LOSICZE ciuitas lignea ad stagnum amplissimum sita, à Drohicin 3. mil.

MORDI oppidum ligneum in planicie ad stagnum situm, à Drohicin 5. mil.

Ex his duobus districtibus Podlassiæ Bielscensi & Drohicinensi, pro expeditione bellica 20000. nobilium statuuntur.

Huius terræ duo sunt præcipui Senatores, Palatinus & Castellanus.

Vexillum terrestre Podlassiæ bicorne crocei coloris Stemmate, Magni Ducatus Lithuaniæ, in campo albo insignitur, uiro uidelicet armato, gladium tenente equo insidente, ex alia uerò parte, aquilam albam in campo rubeo gestat, postquam Regno Poloniæ est incorporata. Similiter Bielscensis & Drohicinensis districtuum uexilla unicornia insigniuntur.

DE TERRIS ET DISTRICTIBVS RVSSIAE Regno Poloniæ incorporatis.

DE gentis Roxolanorum siue Ruthenorum, uel Russorum origine uarij uaria sentiunt, quos Sauromatas, Slauonesquè ex posteritate Iapheti (prout latiùs in deductione Sarmatarum, Polonorumq́; diximus) constat esse. Quidam eos à fusco gentis colore Russos dici autumant, alij à disseminatione, siue dispersione: Rozsieia enim Slauis disseminationem significat, quod melius ad ueritatem quadrat, cum totam Sarmatiam Europeam, & Asiaticæ partem occuparent, ab Oceanóque glaciali ad Mediterraneum usque mare & sinum Adriaticum, à Pontóque Euxino ad Balticum Oceanum usque eorum coloniæ extenduntur, unde & Græcis Sporij, id est, dispersi dicuntur.

Qui in primis Ruthenis imperauerint incertum est, cum literarum prorsus ignari essent, donec anno Domini 796. Michaël Curopalatus Imperator Constantinopolitanus characteres ad scribendum Bulgaris misisset, quos etiam Rutheni omnes susceperunt, & ab hoc tempore illa quæ poterant ante & post gesta recordari literis mandabant. Regionibus Russiæ duo præcipui Principes præsunt, utpotè Magnus Dux Moschouiæ, qui se Imperatorem totius Russiæ appellat, plures enim in ea Ducatus possidet. Secundus Rex Poloniæ, qui etiam Magno Ducatui Lithuaniæ præest, Russiæ Ducatus Lithuaniæ incorporatos, utpote Vitebscensem, Kiouiensem, Msczislauiensem, &c. possidet, quos una cum Lithuania descripsimus.

Nunc cæteras Regiones Russiæ, Poloniæ adhærentes, cum præcipuis ciuitatibus describemus, in quibus magna ex parte Poloni colonias suas habent, Proceresq́; & Equites ferè omnes Poloni sunt, ac maior pars religionem Romani ritus amplectitur, utpote ciues & nobiles, exceptis colonis & agrestibus, qui Græcorum dogmata in religione sequuntur, de quorum religione & ritibus latiùs in Moschouiæ descriptione patet.

LEOPOLIENSIS ET HALICIENsis terra.

LEOPOLIS ciuitas insignis Russiæ Polono Regi subiectæ, metropolis, à Leone Russorum Principe condita, duplici muro, propugnaculisq́; fortissimis uallo & fossa profunda, tormentisq́; & suppellectili bellica expeditissimè prouisa. Arx una in ciuitate, alia uerò in eminentissimo scopulo ciuitati impendente munitissimè condita est, cuius aspectus decem miliaria patet. Emporio, sedéque Archiepiscopali clara, Metropolitanus quoque Russiæ ibidem sedem suam retinet. Ecclesiæ in ea

Romanæ

Romanæ & Græcorum obedientiæ plurimæ. Armeni quoq; ibidem Basilicam suæ religionis, antistitemq; & sacerdotes habent.

HALICIA ciuitas lignea amplissima antiquitus condita, una ex Ducatibus Russiæ: Eam à Moldauia Prud fluuius, ex alia parte Tyras, Nester uulgò dictus præterlabitur. Arcem ligneam in colle eminenti adiunctam habet.

Has ciuitates præcipuas districtuales, Leopoliensis & Haliciensis terra complectitur.

ZIDACOVV in Pokutia, ciuitas lignea, in planicie ad Striy fluuium sita, Arx in colle eminenti uallo circumsepta.

GRODEK ciuitas circumsepta, una cum arce in planicie stagnis circumuallata, à Leopoli 4. milliar.

BVSKO ciuitas inter lutosas paludes, ex quibus Bug fluuius oritur, sita, quo merces uariæ ex Volhynia in Vistulam deportantur, à Leopoli 5. mil. distat.

STRIY ciuitas lignea, ad fluuium eiusdem nominis condita.

VVIZNA ciuitas in planicie inter paludes ad fluuium sui nominis extructa.

SNIATIN ciuitas lignea septis circumdata, confinis Moldauiæ, cum Prud fluuius præterlabitur, à Leopoli 12. mil. distat.

COLOMIA ciuitas lignea sub monte ad Prud fluuium sita, ibidem sal decoquitur.

ROHATIN ciuitas lignea septis circumdata in planicie, eam Rohatinka fluuius præterlabitur. Arcem inter stagna & paludes in colle sitam habet, à Leopoli 10. mil. distat.

DOLINA oppidum ligneum inter colles situm.

LVBACZOVV ciuitas lignea in planicie sita, castrum inter paludes stagnantes continet.

SENATORES PRAECIPVI HARVM terrarum.

Archiepiscopus Leopoliensis — Leopoliensis, Haliciensis, Lubaczouiensis — Castellanus.
Palatinus Russiæ Generalis

Vexillum Leopoliensis terræ, Leonem fuluum coronatum, petram ascendentem, in campo lasurino gestat.

Haliciense uerò uexillum Monedulam coronatam cum expansis alis, in campo rubeo pro Stemmate gestat.

BELZENSIS TERRA.

BELZ ciuitas lignea, ampla in planicie sita. Arcem ligneam lutosis paludibus latè stagnantibus circumductam habet, quam nequaquam Tartarica sagitta attingit.

SOKAL ciuitas circumsepta in planicie ad Bug fluuium sita. Arx in colle eminenti lignea.

HRVBYESOVV oppidum cum castro in colle situm.

HRODLO ciuitas stipitibus præacutis circumsepta, arcem in colle Bugo præterfluam habet.

GRABOVVYEC ciuitas lignea in planicie sita, arx in colle eminentissimo natura & opportunitate loci munitissima, accessuq; ardua.

THYSSOVVICE ciuitas lignea, arcem in colle habet.

Senatores præcipuos duos terra Belzensis habet, Palatinū uidelicet & Castellanum.

Vexillum terrestre Griphonem album coronatum, in campo rubeo pro Stemmate gestat.

CHELMENSIS TERRA.

CHELM ciuitas septis circumdata, sede Episcopali clara, arx in eminentiori colle sita, lignea, argilla oblinita 4. mil. aspectus illius patet.

CRASNISTAVV ciuitas murata ad stagnum amplissimum sita, arx in planicie murata, quam Viepr fluuius nauigabilis præterlabitur, à Lublina 7. mil. In ea Capitaneus generalis regius residet.

RATNO ciuitas lignea ampla inter paludes latissimè stagnantes sita, à Chelmia quę 14. ferè mil. pontibus stratis ad eam peruenitur. Arx in colle eminenti ad Perepetum fluuium nauigabilem condita, quam Tur fluuius alia ex parte, paludesq; lutosæ muniunt, accessusq; omni ex parte difficilis.

LYVBOVVLYA ciuitas ad Bug fluuium sita, arcem in colle eminenti habet.

Senatores duos principales, Episcopū uidelicet & Castellanū, terra Chelmensis habet.

Vexillum terrestre Vrso albo inter tres arbores in campo aureo gradiante insignitur.

PREMIS-

PREMISLIENSIS TERRA.

PREMISLIA civitas murata ad San fluuium nauigabilem sita, sede episcopali clara. Arx in colle in ulteriori ripa eiusdem fluuij condita, propugnaculisq; apprime munitissima. Ibidem hortus ingens regius omni genere ferarum refertus.

SAMBOR ciuitas septis circumdata ad Tyram fluuium, unà cum arce sita Hungariæ finitima.

DROHOBYCZ ciuitas stipitibus præ acutis in planicie munita, salis fodinis clara.

SANOK ciuitas lignea inter colles ad San fluuium extructa, arx in colle murata.

PRZEVVORSK ciuitas in colle muro circumdata, ad Mleczka fluuium sita.

KROSNO ciuitas murata Iasiolda fluuio circumdata. Vislok uerò fluuius eam mediam interfluit. Ibidem medio miliari Camyeniecz arx in eminenti scopulo murata, natura & opportunitate loci & propugnaculis munita.

SENATORES TRES PRAECIPVOS terra Præmisliensis habet.

Episcopus	Præmisliensis.	Castellanus Sanocensis.
Castellanus		

Vexillum terrestre aquilam auream bicipitem coronatam in campo lasurino pro Stemmate gestat.

PODOLIAE REGIO.

PODOLIA Regio amplissima Moldauiæ & Valachiæ à meridie finitima est, ab oriente uerò uastissima campestria desolata, ad Tanaim fluuium paludesq; Meotidis, & Pontum Euxinum usq;, Tartarosq; Præcopenses habet. Omnium rerum ex terra nascentium fertilissima, adeò ut colonus, quamuis quomodocunque in agrum semen iniecerit, centuplum fructum referat. Prata quoque mirum in modum luxuriantia, adeò ut bouis cornua uix è gramine appareant: terra tamen dura & petrosa nimis, adeò ut bissenos boues coloni araturi, aratro iungere cogantur. Attamen intollerabile pondus boues anhelantes testantur. Mellis syluæ passim abundantissimæ, stipitibus enim cauatis ubiq; mella roscida depromuntur. Armentis, gregibusq;, & feris omnigeneris redundans. Eam antiquitùs Allani, Goti, Getæ, Cumani, Polowcij, & Roxolani incolebant. Circassorum reliquiæ adhûc extant, ad Boristhenem fluuium.

Podolia omnium feracissima.

Has præcipuas ciuitates, arcesq; hæc Regio complectitur.

CAMYENIEC ciuitas Moldauiæ finitima, diuinaqúe ferè manu inter arduas, cliuosasq; rupes condita, portas solummodo duas habet. Arx quoq; natura & opportunitate loci rupe petrosa, undiq; cincta, quam unà cum ciuitate Smotricz fluuius præterlabitur, fossaq; profundissima naturali cingitur. Arx ipsa muro, propugnaculisq; munita. Ciuitatem uerò rupes altissima, saxosa, accessuq; ardua inexpugnabilem facit, quam ita suo ambitu includit, ut minimè ædium, quamuis eminentiorũ tecta appareant. Sæpius ab ea Tartari, Valachijq; & Turcę cum ingenti strage & dedecore repulsi & fugati sunt. Achocimia Moldauiæ arce duobus mil. distat.

BAR ciuitas septis circumdata in planicie à Bona Ioannis Sfortiæ Ducis Mediolani filia, Sigismundi Regis Poloniæ condita, quam à Baro patria appellauit. Arx in colle murata, paludibus latè stagnantibus circumdata.

MYEDZIBOSZ ciuitas & arx ampla lignea, inter paludes latissimè stagnantes sita, ad quam nisi pontibus peruenitur, à Tartaris sæpissimè infestatur.

BREZANIA oppidum ligneum, arcem in colle muratam habet.

TREBOVVLA ciuitas sub monte altissimo sita, arcem in colle eminenti habet.

CHMIELNIK ciuitas lignea stipitibus circummunita, arx lignea in planicie ad Bog fluuium (Herodoto Hypanis dictum) sita, á Camyeniec 20. mil.

BRASLAVV ciuitas & arx lignea, uallo, fossaq; circummunita, eam Bog fluuius præterlabitur.

VINNICZA ciuitas lignea unà cum arce uallo circumsepta, ad Bog fluuium sita. Hæ duæ arces præter cæteras à Tartaris Pręcopensibus sæpissimè infestantur, districtusq; amplissimos qui pro Palatinatibus computátur, & uexillum peculiare bellicum cinericei coloris, stemmate Magni Ducatus Lithuaniæ insignitum habent.

SVINIGROD

SVINIGROD arx cum ciuitate lignea in campestribus sita, ibidem munitiones sunt plurimæ in campestribus desolatis sitæ, contra Tartaros latrocinantes arcendos. Tandem ultra Bog fluuium (qui Herodoto Hypanis dicitur) Circassorum & Canowciorum reliquiæ, longo tracto ad Boristenem extant in campestribus desolatis, quæ 200. miliaribus Polonicis nullis syluis, collibúsue & munitionibus cōspicua, ad Tanaim, paludesq; Meotidis, & Pontum Euxinum Tartarosq; Præcopenses, & Crimscenses usq; extenduntur.

Circassi. Conowcij.

Senatores Podolia præcipuos tres duntaxat habet, Episcopum Camenecensem, Palatinum Podoliæ generalem, & Castellanum Camenecensem:

Vexillum terrestre Solem stellis duodecenis, in campo albo circumdatum pro Stemmate gestat.

LECTORI.

NE te tua opinio fallat Lector candide, me hic uniuersum Regnum Poloniæ absolutè descripsisse. Ego enim hic Prouincias principales, quæ olim pro Ducatibus habebantur, nunc uerò in Palatinatus redactæ sunt, descripsi, ciuitatesq; & arces præcipuas Regias, in quibus causæ iudiciales nobilium celebrantur enumeraui. Hæ uerò prouinciæ plurimas, frequentissimasq; ciuitates, arces, & oppida, tàm Regiæ quàm Nobilium, Magnatum, Episcoporumque complectuntur. In singulis autem terris & ciuitatibus districtualibus superiùs enumeratis administratores causarum iudicialium, à Rege substituuntur: utpotè Capitanei Generales, qui uices Regias supplent, Iudex & Subiudex, Notarius, Subcamerarius, Camerarius terrestris. Hij omnes causas nobilium absoluunt, exceptis capitibus criminalibúsue causis, quæ ad Regis edictum in Comitia Generalia relegantur. Sunt quoque plures alij terrestria, Regiaq; munia obeuntes, quos hic recensere longum esset. Sunt quoque in Poloniæ Regno Comitatus plurimi, utpote Comitatus in Tarnovv, in Gorka, in Tenczin, in Melstin, in Sidlovviecz, & id genus alij.

REGNI POLONIAE, MAGNIQVE DVCATVS LITHVANIAE, REGIS CVM SENAtoribus suis, in Senatu, ordo.

POLONIAE Regnum in Sarmatia Europæa (ut diximus) amplissimum, potentissimumq;, cùm alijs multis preclaris rebus, tùm modo gubernationis à cæteris omnibus Regnis differt, in quibus Reges sine Senatus consilio & equitum consensu, ex uoto priuato legem omnibus ferunt, & nisi uirtute innata regantur, in tyrannidem facilè prolabuntur. In Polonia autem ut Reges non nascūtur, sed communibus Senatus & equitum suffragijs eliguntur, ita etiam sine autoritate eorundem nihil decernere possunt, quamuis sint potentissimi, & militibus uoluntarijs superbissimos quosq; Reges superantes. Soli enim Poloniæ Principes inuictissimi reperiuntur, ex solis uoluntarijs Nobilibus ducentorum millium quotiescunq; opus fuerit, exercitum fortissimum & omni genere armorum promptissimum sine ullis stipendijs cōtra hostem educere possunt. Nobilitas namq; uniuersa omnibus soluta uectigalibus, bellica tantummodò munera obire pro aris & focis tenentur, quod si uoluntarij milites non sufficerent, de suis proprijs gentibus trecenta millia mercenariorum conscribere possunt. Ita cum sit potentissimus Rex Poloniæ, tamen secundum legum, & Senatus præscripta uiuere tenetur, sicque Regnum amplissimum, Regio imperio, Regia uerò Maiestas & Potestas uicissim Senatus, & Nobilium libertate temperatur, intra æquitatisq; terminos omnes ordines Regni cum ipso Rege continentur, quod si Rex quandoq; ab officio suo deflecteret, & publicas libertates suorum opprimere aspiraret, autoritate Senatoria, qui ad hoc attentandum iuramento sunt obligati, prohibetur, & ita Rex Poloniæ grauissimis Senatorum consilijs nititur. Senatores uerò ipsi, & uniuersi Equites uicissim Regiam Maiestatem reuerentur, amant, honorant, & uitam ac possessiones priuatas uniuersas funditus pro sanitate & bono illius effundere parati sunt. Senatores autem uoto Regis (penes quem est summa & maxima iuris dicendi autoritas) ex præcipua & illustri totius Regni Nobilitate, generis & uirtutum commendatione delecti, exacto fidei sacramēto, in Senatum eliguntur. Principes autem & præcipui Regni Senatores, sunt Archiepiscopi, & Episcopi, propter uenerandam Ecclesiastici ordinis Maiestatem, autoritatemq;, & opes quibus affluunt, præstantissimas: Hij in Senatu in utrumque Regis latus circumsident. Archiepiscopi autem duo sunt in uniuerso Regis Poloniæ imperio, Gnesnensis Regni Primas, & Legatus natus

Romani Pontificis in Sarmatia uicem tenēs, qui ad uetusta superiorum temporum memoria, coronandi Regis ius habet. In Rusſia uerò nigra, secundus Archiepiscopus est Leopoliensis, ubi sedes metropolitana Cracouia translata est anno Domini 1075. in curia Lamperti Zulæ Sancti Stanislai prædecessoris. Episcopi tredecim non secùs ac Principes maximi, omni rerum copia excellentes, in tota Poloniæ Monarchia reperiuntur, Cracouiensis minoris, Posnaniensis maioris Poloniarum, Vladislauiensis, qui & Cuiauiæ, Pomeraniæq́, Vilnensis Lituanię, Plocensis Masouię, Vuarmiensis, Culmēsis, Prusſiæ, Præmisliensis, Lucæoriensis, Chelmensis, Kiouiensis Rusſię, Samagitię, ultimus Camenecensis. Hij ordine omnes Regi asſident, nisi quod Posnaniensis, cum Vladislauiensi, antiquam dignitatis litem teneant, ideò alternatim locum mutant. Episcopos ex ueteri priuilegio Castellanus Crocouiensis subsequitur, militarium procerum Princeps, deinde Palatini, quorum maior Cracouiensis, & Vilnensis, palatinos uerò quidam Castellani præcipuè intermixti. Tunc demùm alij Castellani maiores, & minores, quos recēsere longum esset, ordine loca sua occupant, qui non castris, ut ipsa uocis Etymologia sonat, sed minoribus prouincijs Senatorio iure, & nomine Regio præsunt, extraq́ ipsam autoritatem, dignitatemq́ (quæ est prima post Palatinos) paruum sui officij quæstum reportant, quàuis illius, cui præsunt prouincię, Domini appellantur, nihil enim præter Reipublicæ (quod uerè Senatorū est) commoda quęrunt. Castellanos, Archimarschalci, Marschalciq́ supremi totius Regni officiarij sequūtur, qui sunt Polonię, & Lituanię de utroq́ imperio bini, terrestres uidelicet, & Curiales. Marschalcorum officium est, curare totius aulæ, & & omnium conuentionis tranquillitatem, inter proceres, & aulicos Regios partiri ædes urbium, Regi quocumq́ eunti, baculos erectos singuli pręferunt, & ut quisq́ officio suo apud Regem fungatur, prouident. In Senatus consessu omnia animaduertunt: quod si supremi Marschalci abfuerint, Curiales eorum officium adimplent. Cancellarij, & Vicecancellarij Marschalcos ordine sequuntur, utriusq́ gentis, qui sunt similiter bini, & bina sigilla. Horum officium est Priuilegia, immunitates, prærogatiuas à Rege alicui datas, literas similiter Regias cōscribere, scriptas Regi oblatas pronunciant, quibus à Rege subscriptis illi sigillum affigunt. Omnes autem literæ ac Priuilegia in Magni Lituaniæ Ducatus Cancellaria, Rutenicis characteribus absoluuntur, apud Polonos uerò Latinè (cuius linguæ sunt peritisſimi) omnes causæ describuntur. Præcipua quoq́ est dignitas in Senatu summorum, generaliumq́ militiæ Ducum, quorum in Polonia unus, in Lituaniæ Magno Ducatu secundus, rerum potiuntur, penes hos summa omnium exercituum imperij sita est, in qua authoritate Regia plenipotenter utuntur. Hos demum Campiductores de utroque imperio singuli, qui sunt campestris militiæ Duces. Est etiam summus maioris Poloniæ præfectus, siue Generalis, similiter Samogitiæ, & terrarum Rusſię præfecti, quo honorum gradu nonnisi Principes uiri, & de Patria optimi meriti à Rege donantur. Cooptantur quoque in Senatus classem prouinciarum de utroque imperio Officiarij, utpotè iudices, qui causas nobilium munere Regio dijudicant, Pincernę, Succamerarij, Dapiferi, Secretarij, Vexilliferi, Scribæ, Tribuni militum, Exactores, Thesaurarij, & cæteri, qui singuli singula officia in prouincijs asſignatis exequuntur, & pariter cum iudicibus prouincialibus particularia, certis temporibus anni, asſignata iudicia, qui termini, siue Roki uulgò dicuntur, exercent. Ensifer quoque Regni, & Vexillifer Curiæ Regiæ, qui Curiale uexillum in bello defert, non postrema dignitate funguntur. Non etiam authoritatis frustrantur honore ipsi Secretarij, Scribęq́, siue Protonotarij Regij. Insuper cubiculi, stabuli, culinæq́ Magistri, suis dignitatibus in Senatu consultu gaudent. Ciuitatum, Oppidorum, Arcium Regiarū, Prouinciarumq́ pręfecti, Referendarij supplices libellos, & subditorum quęrelas ad Regem, & Senatum deferentes, summusq́ Regis Secretarius, & Referendarius, salinarum fodinarum, & metallorum Præfecti non ignobili certè dignitate potiuntur. Legati quoque prouinciarum, & ciuitatum pręcipuarum, ab uniuersis ordinibus de singulis prouincijs nomine totius Nobilitatis electi, suas in senatu partes occupant. Equites quoque, & Patritij uiri iuuenes uirtutibus, & genere pręstantes aulici, qui in aula Regia seruientes in præstandis quotidianis officijs Regi operam nauant, stipendiaq́ merentur. Insuper Cubicularij, siue Veredarij, qui cum Epistolis Regijs per omnes prouincias, amandati uelocisſimè discurrunt. Demùm stipendiarij, & satellites, siue collaterones Regię uitæ custodes: postremum autoritatis locum obtinent. Omnibus autem Senatoribus sub fidei iuramento, & amore patriæ eadem est perpetua, & constans tuendæ publicę libertatis, & propagandi imperij, uoluntas. In Senatu cùm de Republica deliberant liberè, & sæpiùs acerrimè sententias dicunt, Regem impeudentiùs regnantem obiurgant, atq́ uno consensu sanctisſima maiorum instituta, & communis Patriæ charisſimas leges ad extremum uitę defendunt.

Capitanei Generales in minori Polonia 40. in maiori 30. in Ducatu Masouiæ 22. quæ officia nulla successione, sed ex Regis gratia in benemeritos de Republ. conferuntur: hi enim prouincijs præsunt, & nobilitatem, Regia authoritate, pro tribunali iudicant, omnesque prouentus Regios exigunt, & in thesaurum referunt.

Regno Poloniæ saluberrima aura fauet, omniumque rerum ex terra nascentium fertilissima est, cuius ubertatem cæteræ regiones transmarinæ affatim persentiunt, ad quas frumentum grandi copia, de Polonia nauibus aduehitur. Pecoribus quoque omnis generis, uenationibusque abundat, ita ut Saxonia, cæteræque gentes Germanorum, Polonicis bouibus uictitent. Incolæ habitum uariarum, diuersarumque nationum more gestant: præcipuè uerò, Italicum, Hispanicum, Hungaricum, qui illis peculiaris est. Alij Germanico, Turcico, Moschouitico, Bohemicoque more uestiuntur, diuersas enim & repostissimas prouincias peragrant, unde uarios mores in patriam inferunt. Viri sunt excellentissima industria præditi, uariarumque gentiũ idiomata callent: imprimis uerò linguæ Latinæ peritissimi, qua ut uulgari maiori ex parte in ciuitatib. & pagis passim utũtur, idque omnibus diuitibus, ac pauperib. peculiare est, quod imprimis pueros literis imbuendos, apprimeque ad consumptionem, sedecim plusue annorum in pulueribus scholasticis committunt, sumptibus pro Magistris minimè indulgendo: unde linguam Latinam omnes ferè congruè callent, idque ea de re maximè obseruatum crediderim, quod uulgaribus literis, uel scripturis, in sacris ac prophanis rebus nunquam utantur, omnesque leges tam ciuiles, quàm nobilium, ac uillanorum, & ipsa Cancellaria Regni ac Castrensis, Latinis literis omnia expedit, atque ideò factum est, ut passim docti omnes euaderent. Habent præterea Poloni, & Lituani linguæ Latinæ inflectionem propriam, & perfectissimam, ut Latinarum dictionum sonum propriè ad iustum accentum, expressionemque secundùm literas ipsas, quadam cum gratia, & dulcedine, inflectere, ac proferre queant. Qua de re Polonia omnium ferè gentium studia uicisse uidetur, quod rarus esset, qui Latinas literas non calleret, deinde Germanicum, Hungaricum, ac passim Italicum, & magna ex parte Gallicum, Hispanicumque extra uulgare suum Sarmaticum idioma nesciret. Equites in ornamentis equorum, armorum, uestibusque præsumptuosis plurimùm delectantur. Campestri prælio alacriùs hostem quemlibet paruis & magnis copijs adoriuntur. Castra etiam artificiosè collocant curribus in gyrum arctè dispositis, adeò ut in illis tuti non aliter atque in arce firmissima includuntur. Viri sunt bellicosi, strenui, hostisque quamuis ualidissimi impauidi. Armatura maiori ex parte Hungarorum more utuntur, clypeosque, qui totum hominem equo insidentem tegunt, & hastas oblongas gestant, pluresque inter eos tantæ animositatis reperiuntur, ut unus alium quamuis toto exercitu suorum profligato, ad mortem usque non deseruerit, sed uterque strenuè dimicando honestè occumbere, quàm turpiter fugere mauult. Prout in Moldauia duobus fratribus germanis, Strusouiczij dictis, Polonis Equitibus euenit, qui ab exercitu suorũ aberrantibus cum quinquaginta commilitonibus, inscij in multitudinem Valachiorum inciderunt, à quibus undique circumuenti, in primo cõgressu unus occubuit: alter uerò strenuè dimicando euasit: sed cædis fratris germani recordatus, in exercitum Valachiorum conuersus, acies eorum fortiter disuerberabat, & quamuis euadendi facultas iterum ei pateret: tamen honestius cum fratre occumbere, quàm euadere maluit. Mellstinius quoque, cùm Vitoldus Dux Lituaniæ multitudine Tartarorum fugaretur, ex fuga audacter conuersus in confertissimas hostium acies sese coniecit, multisque hostium trucidatis, tãdiu strenuè dimicauit, donec profusus telis confoderetur, equoque deiiceretur, 1397. ut latiùs patet in Lituaniæ Ducum descriptione. His etiam multi similes in gestis Polonorum reperiuntur, quos sigillatim recensere infiniti laboris esset. Id uerò illic maximè non solùm inter fratres, sed inter socios fideles reperitur, prout nuper Vilnæ in Lituania me præsente euenit, duobus adolescentibus, per plateam ciuitatis pergentibus intempesta nocte, duo alij armata manu occurrerunt, ubi inter defendendum unus aduersarium suum interemit, aufugitque. Socius uerò illius captus, cædisque damnatus, in locum decollandi postridiè ducitur, cumque iam carnifex gladio euaginato staret, ille reus cædis, qui profugerat, accurrens dixit: sinite hunc innocentem abire, ego enim hanc cædem perpetraui, itaque ille genua flectens à Spiculatore decollatus est, innocens uerò liberatus.

Poloni studiorũ amantissimi.

Nobiles humilioris fortunæ, iniurias à Magnatibus illatas nõ patiuntur, nam quamuis pauperrimus nobilis extiterit, amicis, cognatisque suis collectis, quàm maximum magnatem debellare potest: non solùm enim possessiones pro necessitate amici exponunt: sed etiam uitam suam pro eo morti, uarijsque periculis obijciunt, qua de re magnates in Polonia, non parui, sibi pauperem uulgum Nobilium ducunt: in Lituania econtrà, Nobiles humilis fortunæ magnatum sunt serui. Accidit in Polonia, me præsente, quod qui-

dam magnæ authoritatis uir, Dominus Ioannes Luthomirski, Thesaurarius Regius supremus, Capitaneus Lanciciensis, & Radomiensis, Castellanusq; Siradiensis, quosdam pauperes Nobiles, Mikolaiewsczi dictos iniuria affecerat, qui collecta manu consanguineorum, cum magno comitatu proficiscētem occiderunt, in frustaq; dissecarunt. Cumq; hic Nobilis, aut honore priuandus, aut capite plectendus pro prædicto facinore esset, honorem uitæ preferens, citatus ad Comitia Lublini celebrata, alacriter comparuit, ibiq; honore integro ex sententia Regis, decollatus est. Quod si huic genti nimiæ commessationes, & diuitiarum plusquam liberales prodigę profusiones, inebriationes non obfuerint, omnes ferè gentes uirtute innata, & ingenijs Heroicis superarent, sed unus pro sanitate alterius (prout illis mos est) bibens, poculum magnum funditùs exiccat, quamuis natura interdum repugnante, sicq; hæc eorum mutua charitas, quam illi maximè in conuiuijs celebrāt, eos multoties sanitate priuat, multisq; ex nimia inebriatione infirmitatibus corripiuntur. Cùm enim unus alteri pro sanitate præbibit, non solùm poculum uitreum, sed ligneum, uel figulinum, capiti illidit, tandem postridiè surgens infirmitate correptus, uinum incusat, amphoræ oblitus, quam ad caput colliserat. Multi quoq; inter eos, præcipuè in Ducatu Masouiæ reperiuntur, qui sese alterutrum bibere ui complectant, dicentes, aut mihi præbibe, aut mecum armis decertato: interim uerò alius arma, quàm poculum, quem natura recusat, alacriùs eligit.

Aulicorum ministrorum, seruitorumq; tantas uniuersi Sarmatæ præsertim Poloni, Masouitæ, Lituani, & Ruteni fouent turmas, ut nunquam sperares, eos educari posse, qui nullum aliud officium agunt, nisi Dominum aliquò migrantem, comitari, uel aliquò amandati munus iniunctum obire, à cæteris seruitijs prorsus liberi, immunesq;. Mechanicum opus nobilis seruitori ingenuo, quamuis pauperrimo obire non patitur, nec demandat, quod si aliquis minùs discretus seruitori negotium minus honestum, mechanicúmue iniunxerit, rusticum sibi ad id muneris inueniendum oportere, se uerò honesto seruitio minimè abdicaturum, respondit. Et ideò Nobiles Nobilibus, paresq; genere ac uirtutibus, paribus plerumq; inseruiunt, cùm honesta, & nobilia seruitia obeunt, contrà occident alium gentium consuetudines, apud quas nobiles nobilibus turpè inseruiri putant, quòd mechanica seruitia, quicquid Dominus demandauerit, odire cogantur. Apud Sarmatas uerò, qui melius bibit pro sanitate Domini, ille melior cēsetur minister, & postquam Dominus mensæ accubuerit, & seruitores statim ordine seruato accumbunt, aliquandoq; tres, quatuorúe mensas occupabunt, quibus liberaliter fercula opipara apponuntur, ut quilibet aulicorum tres seruitores sua portione educare posit, quàm ipse saturatus puero à tergo stanti, in quadra lautè porrigit. Aulicus enim quilibet seruitores aliquot, & pueros habere solet, & illi seruitores, alios seruatores, pueri, pueros, ad quartum usque ordinem, ad mensam eiusdem Domini omnes cibaria sumentes, & salaria recipientes, & plerunque maiori ex parte, nisi ad mensam inseruiunt, peracto prandio, uel cœna, saturati inclinatis de more gentis coram Domino genubus, capitibusq; adapertis, quò uolunt, discurrunt, & quandoque triduò, quatriduoúe, uel integra hebdomada Dominus seruum in tabernis, uel in comitiua occupatum non uidebit: raró tamen ubi fuerit, interrogatur, & si interrogatur, respondit, se pro sanitate Domini hilariter bibisse, ad quē Dominus subridens gratias agit, & plerunque liberaliter huiusmodi remunerātur. Quodam tempore accidit, dum quidam Episcopus per thesaurarium suum aulicis, & seruitoribus salaria, siue stipendia secundùm consuetudinem ad unamquamque partem anni, persolueret, astantibusq; omnibus ordine suo, quidam latrunculus (qui eadem in aula nemini seruiens uersabatur, bibens, & comedens quotidiè ad mensam Episcopi) cæteris seruitoribus salaria expetentibus se intermiscuit, quibus aduersus eum murmurantibus, quòd nemini seruiens stipendium expectaret: Episcopus illum interrogat, cuinám inseruiret, & quid negotij obiret? Qui respondit: tibi Reuerendissime Domine inseruio, & id quod alij strenuus adimpleo. Qualenám sit seruitium Episcopo interrogante, dixit: quotidie bis in die lautè ad mensam tuam comedo, & bibo. Cui Episcopus subridens stipendium persoluit.

Nobiles legibus Castrensibus, & terrestribus à Regibus suis constitutis, utuntur, ad ciuitatesq; prouinciales, & districtuales, quas superiùs enumerauimus, citantur, nomine Capitanei illius Regia munia obeuntis, qui arci, prouinciæq; præest, hosq; terminos Castrenses appellant. Ad terrestres uerò terminos, qui rariùs celebrantur, in anno sex inter quatuor uicibus, nomine Regis in eandem arcem citātur, ubi à iudice terrestri uices Regias adimplente iudicantur. Ciues uerò in ciuitatibus Imperatorijs legibus, quas Magdeburgenses appellant, utuntur.

Atq; hæc nobis de regno Polonię breuiter dicta sufficiant: quod multis de causis toti *Conclusio.*

Reipub. Christianæ utilissimum est, à gentibusque uarijs crudelissimis Tartaris, & Turcis uidelicet, munitissimum propugnaculum Germaniæ præsertim regionibus?

PROVINCIARVM, SEV PALATINATVVM LItuaniæ, ciuitatumque præcipuarum descriptio.

Amplitudo Lituaniæ.

Lituania ab Oriente Rußiæ, Moschouiæ Duci subiectæ, contermina est, ab Occidente Podlasiæ, Masouiæ, Poloniæque, & Prußię, nonnihil in Septentrionem reflectendo adhæret, à Septentrione Liuoniæ, Samogitiæque, à Meridie Podoliæ, Vuoliniæque Rußiæ regionibus adiacet. Porrò Lituania regio est amplissima, plurimos Ducatus, regionesque & prouincias diuersis nominibus appellatas, suo nomine complectens, & Vitoldi Magni Ducis temporibus à Ponto Euxino, Tauricaque Chersoneso ad sinum usque maris Baltici, pelagumque Curlandiæ, Liuones, & Prutenos uersus fines suos longo tractu extendebat. Omnis autem Magnus Ducatus Lituaniæ in Palatinatus, & districtus certos, siue prouincias, ubi iudicia particularia, & terrestria, pro nobilibus exercentur, non secùs, ac Polonia diuisus est. Hij uerò districtus, & Palatinatus pro Ducatibus, (ut quondam temporibus plurimorum Ducum erant) computari possunt, & unusquisque Palatinatus suum uexillum, quo in bello utitur habet. Eundem quoque colorem, & signum omnes districtus, siue prouinciæ, qui in eodem Palatinatu continentur, in uexillis suis repræsentant, nisi quod Palatinatus uexillum maius est, cum duobus cornibus, districtuale uerò minus simpliciter protensum cum uno cornu.

Lituania in Palatinatus diuiditur.

Vexillum Ducatus Lituaniæ.

Primò itaque uexillum Magni Ducatus Lituaniæ peculiare, & quadriangulare, ad differentiam cæterorum, sexaginta ulnas sericeæ telæ rubeæ continet, in medio insigne proprium, hominem uidelicet armatum, equo albo uelociter currenti, insidentem, gladiumque super caput manu extensa tenentem gestat, desuper stemmatis pileus Ducalis: ex altera uerò parte uexilli pro insigni, imaginem Diuæ uirginis Mariæ in sole cum puero habet.

Vexillum supremi Ducis exercitus eiusdem amplitudinis, quadriangulare quoque coloris lafurini eodem stemmate Magni Ducatus, ex una partium in campo rubeo, (campus hic locus Stemmatis intelligitur) ex altera Diui Stanislai Episcopi Cracouiensis imaginem gestat.

PALATINVS VILNENSIS.

Vilnæ descriptio.

Vilna urbs, caput & Metropolis totius Lituanię intra colles ad confluxum Vilnæ (à quo nomen habet) & Viliæ fluuiorum sità, muroque circumducta, ipsa quoque murata. Arces duas insigniter muratas adiunctas sibi habet, quarum una inferior, (hæcque ampla, & sumptuosissimè extructa) altera superior, in colle eminentissimo condita: eas enim ex una parte Vilna, ex Oriente fluens, ex altera Vilia fluuij ibidem concurrentes, præterlabuntur. Porrò Vilna, quæ nomen urbi dedit, minor est: Vilia uerò est amplior, & nauigabilis, quò merces ex Vilna nauibus, Gedanum Prußiæ emporium celeberrimum, deportantur. In hac urbe plurima templa Romanæ obedientiæ, & Rutenorum ritus magnis sumptibus extructa. Episcopalis sedes in Basilica arcis cathedrali diuo Stanislao dicata. Metropolitanus quoque Rußiæ ibidem sedem suam in Basilica Rutenici ritus præcipua, titulo diuæ uirginis Mariæ insignita retinet. Porrò in toto Lituaniæ Magno Ducatu, quinque sunt Romanæ obedientiæ Episcopatus, utpote Vilnēsis, Samogitiensis, Kiouiensis, Lucensis, & Ianouiensis. Septem præterea præpositurę, siue Parochiæ insigniores, à Vladislao Iagielone, (qui primus Lituanos baptisauit) fundatæ, & dotatæ, utpote Vuilkomeriensis, Misogoliensis, Nemencinensis, Mednicensis, Kreuensis, Obolcensis, & Haynensis. Archiepiscopus, qui supradictis Episcopis Lituaniæ præest, Leopoli in urbe Rußiæ sedem suam habet. Ruthenici uerò ritus in Lituania, & Rußia, Polono Regi subiecta, septem sunt. Metropolitanus, siue Archiepiscopus Vilnæ, sedem suam habet. Episcopi uerò, quos Vuladicas Rutheni appellant, hi sunt, Polocensis, Volodimiriensis, Lucensis, Pinscensis, Kiouiensis, Præmisliensisque, & Leopoliensis, qui etiam Metropolitæ titulo utitur: horum mores, habitum, Religionem in Moschouiæ descriptione de Religione Rußiæ uidebis.

Vilna fluuius. Vilia fl.

Episcopi Lituaniæ Romani.

Episcopi Rutenici.

Vilnensis Palatinatus uexillum rubeum est, & bicorne. 15. ulnas telæ sericeæ continens, ex una parte in campo albo Magni Ducatus insigne gestat, ex altera Columnarum antiquæ gentis stemmate insignitur.

In hoc Palatinatu tres sunt ingentes districtus, siue prouincię, Osmianensis, Bratislauiensis, & Vilcomeriensis, horum quilibet proprium uexillum, (quo nobilitas districtualis in bello utitur) habet.

OSMIANA oppidum ligneum à Vilna 7. mil. abest, territorium ad se pertinens satis amplum habet, in quo sunt complura oppida Regia, & Nobilium. Vexillum rubeum simile Vilnensi, sed cum uno cornu, Stemmate Magni Ducatus in campo albo insignitum gestat.

VILKOMERIA oppidum ligneum ad Swienta fluuium situm. Curia est in ea iudicialis, in qua causæ nobilium disceptantur. Arx per Crucigeros Prussienses exusta nunc in scopulo uestigia eius apparent. Prouinciam amplissimam, ad 25. mil. patentem habet, in qua sunt oppida complura Regia, Nobilium, Spiritualiumq́. Vexillū quoq; rubeum, Stemmate Magni Ducis ex una parte ornatum, ex altera Diui Michaëlis imagine insignitum defert.

BRATISLAVIA ciuitas lignea, arcem sibi adiunctam in scopulo ad lacum amplissimum conditam habet. Vexillo rubeo, Nobilitas districtus Bratislauiensis, cum Stemmate Magni Ducatus in bello utitur. A' Vilna 20. mil. distat. Ikaznia arx murata, & ciuitas lignea ad fluuium eiusdem nominis, à Bratislauia 2. mil. distat. Driswiat arx ad lacum amplissimum eiusdem nominis sita, à Bratislauia 5. mil. abest.

PALATINATVS TROCENSIS.

TROKI ciuitas lignea, muro, cuius adhuc ruinæ apparent, quondam circumdata, sed à Crucigeris Prussiensibus cum munitione deuastata. A' Vilna sex milliaribus distat, arcem habet in lacu satis opportunitate natura loci munitam, ad quā nisi nauibus peruenitur. In ea olim sedes Ducum Lithuaniç erat, postea in Vilnam translata. Est quoq; aliud oppidum eiusdem nominis quatuor à Vilna milliaribus, ad Vacam fluuium, quod ad differentiam huius nouç Troki dicitur. In hoc Palatinatu quatuor sunt ingentes districtus, Grodnensis, Counensis, Lidensis, & Vpitiensis.

Districtus Trocensis.

GRODNO ciuitas lignea, arcem muratam in scopulo sitam habet, quam Nemen, siue Cronon fluuius celebris, & nauigabilis præterfluit, unà cum ciuitate. Eò merces Gedanum ex regionibus Lituaniæ, nauibus deferuntur. Territorium Grodnense satis amplum est, quod pro Ducatu olim habebatur. Vexillo lasurini coloris unicorni correspondens Palatinali, Stemmate Magni Ducatus insignito utitur.

COVVNO ciuitas lignea insignis, plures tamen in ea domus reperiuntur lapideæ, ad confluxum Nemenis, & Viliæ fluuiorum nauigabilium sita, arcem muratam antiquitùs in scopulo conditam habet. Vexillum quoq; lasurini coloris in bello Nobilitas districtualis gestat.

LIDA oppidum ligneum districtuale, arcem muratam, in qua iudicia nobilium celebrantur, habet, districtus Lidensis. Vexillum quoq; lasurini coloris in bello gestat.

VPITA ciuitas lignea prouincialis, districtum amplissimū cum multis oppidis complectitur. Vexillo cæteris sui Palatinatus districtibus simili in bello utitur.

Vexillum Palatinatus Trocensis bicorne, 35. ulnas telæ sericeæ lasurini coloris continet, Stemmate Magni Ducatus in campo rubeo insignitur.

PALATINATVS MINSCENSIS.

MINSKO ciuitas lignea amplissima, arx ex roboribus, extructa natura, & opportunitate loci munitissima, fossa profunda circūducta, eam fluuius quidā molendinis frequens præterlabitur. Vexillum huius Palatinatus purpurei coloris bicorne, Stemmate Magni Ducatus in campo albo insignitur. Districtus quoque eius Recicensis, quem unum complectitur, simile uexillum, sed unicorne gestat.

KEIDANOVV arx cum oppido à Vilna 25. milliaribus.

RADOSKOVVICE castrum cum ciuitate. Hic Rex Poloniæ Sigismundus Augustus copias armatas numerosas centū millia superantes recensuit. Anno Domini 1568.

BORISSOVV ciuitas lignea, arx ex roboribus extructa, munitissimeq́; propugnaculis, parietibus quaternis intrinsecùs terra, lapidibusq́; impletis firmata, fluuio Beresina opportunè circumducta. A' Vilna 40. milliaribus distat. Vexillo prouinciali caret, sed in ea milites præsidiarij, contra incursum Moschorum cōtinuò asseruantur, ad eam enim Moschus fines suas pertinere contendit.

LOHOISKO ciuitas cum arce lignea, à Borissou 8. mil. distat.

SVVISLOCZ castrum cum oppido ad fluuium eiusdem nominis.

BOBROISKO arx cum ciuitate, ad Beresinam fluuium.

ODRVCZKO arx in colle eminenti lignea, olim pro Ducatu computabatur, nuncq́; plures nobiles Russi titulo huius Ducatus utuntur.

NOVOGRODENSIS PALATINATVS.

NOVOGRODEK ciuitas ampla lignea, quondã secundis genitis Principum Lithuaniæ attributa erat, nunc in Palatinatum redacta est. Vexillum bicorne rubei coloris Stemmate magni Ducatus, in campo albo insignitum in bello gestat. Districtus duos Slonimensem, & Vuolkouiscensem complectitur.

SLONIM ciuitas, & munitio lignea, olim secundo genitorum Magnorum Ducum Lithuaniæ erat, & pro Ducatu cum suo territorio computabatur, postea in prouinciam redacta est. Vexillo rubeo unicorni Stemmate Magni Ducatus insignito prouincialis nobilitas utitur.

VVOLKOVISKO ciuitas ampla, curia in ea iudicialis ubi causæ nobilium disceptantur. Vexillum quoq; rubeum Slonimensi simile habet.

MSCZIBOVV oppidum, & arx lignea in stagno natura loci munita, planicie circumdante, à Vuolkowisko 2. mil.

Oppida plurima hic Nouogrodensis tam Regia, quàm nobilium cum suis districtibus prædictis complectitur.

PALATINATVS BRESTIENSIS.

BRESTIA ciuitas ampla lignea, in finibus Lituaniæ sita, contermina Podlassiæ. Arcem ligneam amplam sibi adiunctam habet, naturâ, opportunitateq; loci munitam, & duobus fluuijs, quorũ unus Muchawiecz: alter uerò Bug uocatur, opportunè circundatam.

Vexillum bicorne lasurini coloris, in campo rubeo, Stemma Magni Ducatus insignitum gestat, unum duntaxat amplissimum, tamen districtum Pincensem uidelicet complectitur.

PINSCO ciuitas lignea satis ampla ad fluuium Perepetum sita, qui multis oppidis Russiæ præterlapsis, in Boristenem fluuium amplissimum defertur.

Hæc ciuitas cum suo territorio quondam inter principatus Russiæ computabatur, à Gediminoq; Magno Lituaniæ Duce subacta, secundo genitorum Principum Lituaniæ erat, nunc in prouinciam est redacta. Nobilitas prouincialis uexillo lasurini coloris, Stemmate Magni ducatus insignito utitur.

Præpetus arx, & ciuitas ad fluuium eiusdem nominis sita.

VOLINIA REGIO.

VOLINIA inter cæteros Russiæ Principatus, gentem bellicosiorem habet. Est autem Regio amplissima, frugum omnigenarum abundans, syluis ferigenis, stagnisq; piscosis referta, ad Magnum Ducatũ Lituaniæ pertinebat, sed nunc Regno Poloniæ adiuncta est. Hij uerò populi à Vualga fluuio amplissimo, qui Moschouitas à Tartaris disterminat (prout in deductione Polonorum latiùs dictum est) in hanc regionem uenerunt, quam à suo nomine, (Volgari enim à Volga dicebãtur) Valgariam, postea successu temporis, Voliniam nuncupauerunt. Viri sunt strenui, & bellicosi, Ruthenico Idiomate, moribusq; & Religione utuntur. In tres districtus, siue prouincias hæc regio diuiditur, Lucensem, Volodimiriensem, & Cremenecensem. Vexillum huius regionis bellicũ principale bicorne est, purpurei coloris in campo albo Stemmate Magni Ducatus Lituaniæ insignitum. Prouincialia quoque uexilla eundem colorem, & Stemma referunt, nisi quod unicornia sunt simpliciter protensa.

Volhiniæ denominatio.

LVCZKO ciuitas prouincialis lignea, sede Episcopali Ruthenorum, & Romanæ obedientiæ clara, arces muratas duas in colle eminenti habet.

VVOLODIMIRIA oppidum ligneum, munitionẽ quoq; ligneam, ad paludes sitam habet, quondam pro Ducatu habebatur.

KRZEMENEC ciuitas ampla lignea, castrum quoque ligneum, argila circumlinitum habet.

Hæ autem ciuitates prouinciales complura oppida, & munitiones ad se pertinentes complectuntur.

CHABNO arx, & oppidum ad Vssam fluuium situm.

OVVRVCZI castrum, & ciuitas ampla in colle.

OLEVVSKO arx, & ciuitas ad Huberczia fluuium.

ZITHOMIR arx lignea in colle condita.

KORSC arx, & ciuitas lignea, pro Ducatu olim cum suo territorio computabatur.

KAMIENIEC munitio, in colle sita.

ZBARASZ arx, & ciuitas olim sui iuris erat, cum suo territorio, & pro Ducatu nunc etiam computatur, pluresq; Nobiles, & Domini huius Regionis Ducum titulo à suis ciuitatibus utuntur.

PALATINATVS KIOVIENSIS.

KIOVIA uetustissima, amplissimaq; urbs ligneis septis circumdata, olim totius Rusśię metropolis, ad fluuium celeberrimum Boristenem sita, à Vilna centum uiginti milliaribus Polonicis distat. Eam quondam magnificam, & planè Regiam fuisse, ipsæ ciuitatis ruinæ, & monumenta, quæ sex milliaribus patent, indicant. Apparent adhuc hodie in uicinis montibus, & collibus Ecclesiarum, monasteriorumq;, & ædificiorum desolatorum uestigia. Præterea cauernæ quædam subterraneæ uastissimę, longo tractu subtus terras extensæ, quas quidem octuaginta milliaribus protendi dicunt, in his plurima antiqua sepulchra, corporaq; illustrium quorundam Rusśiæ uirorum, (quamuis antiquitùs posita) carie tantùm consumpta, integra tamen apparent: præcipuè uerò duorum quorundam Principum cadauera, in uestibus gentili more, prout uiui ambulabāt, integra ueluti recens, posita apparent. Sicq; insepulta in specu iacent, quæ peregrinis, & aduenis à monachis Ruthenici ritus ostenduntur. Iuxta hanc urbem arx satis munita, ex roboribus, & lapidibus, terraq; ad Boristenem constructa est. Porrò Kiouiensis tractus amplissimus est, quinquaginta milliaribus Polonicis, plusúe patens, olim sui iuris Principem habebat: nunc in Palatinatus formam redacta est. A' Kiouia in Meridiem reflectēdo, Circasś ciuitas lignea ad Boristenem sita occurrit, eius incolæ Circasśi dicuntur, longoq; tractu, iuxta Boristenem degūt. Rutheni sunt, (alij tamen ab his, qui ad Pontum Euxinum in montibus habitant) uiri bellicosi, & strenui, cum Tartaris Præcopensibus, sibi in uicinio adhærentibus, frequenter belligerant, in prouinciasq; eorum excurrunt, & prædas, iumenta uidelicet abigunt: distat autem ciuitas Circasś à Kiouia uigintiquinq; milliaribus Polonicis. Supra Circassos septem milliaribus per Boristenem ascendendo. Kaniw oppidum uiris bellicosis circumquaq; habitantibus clarum occurrit, 17. milliaribus à Kiouia abest. Infra Circassos, & Kaniouienses nullæ habitationes Christianorum sunt. Campestria enim desolata colonis uacua, ipsis solummodò feris domicilium præbētia, quadraginta milliaribus ad Oczakou usq; castrum & ciuitatem in ostijs Boristenis sitam, patent. In Oczakou autem ciuitate, & circumquaq; in campestribus Tartari Præcopenses degunt: ipsa uerò ciuitas cum arce Turcicis præsidijs (quamuis Tartari eam incolant) tenetur, & hucusq; Lituanorum colonia, Vitoldi temporibus erat, sed ad rem, unde digressus sum, redeo.

Circaśi bellicosi Rusśi.

Kaniou.

Kiouiensis Palatinatus Vexillum bellicum uiride bicorne, Stemmate Magni Ducatus in campo rubeo: ex alia uerò parte urso in campo albo insignitum gestat. Districtum unum duntaxat Moserensem amplissimum tamen habet.

MOSER ciuitas prouincialis, ampla lignea, ad fluuium Perepetum condita, qui duodecim milliaribus supra Kiouiam, hausto fluuio piscoso, Tur dicto, Boristenem influit: à Kiouia triginta milliaribus Polonicis distat, à Bobransko totidem, à Mohilou uiginti, ab Orsha uigintisex. Vexillo Mozerensis districtus uiridi, prout suus Palatinatus utitur.

MSCZISLAVIENSIS PALATINATVS.

MCZISLAVIA ciuitas lignea, ad fluuium Sosam dictum sita, arcem quoque ex roboribus apprimè munitam habet. In ipsis finibus Moschouiæ iacet, ideò præsidiarij milites in ea continuò asseruantur. Vexillum huius Palatinatus crocei coloris est, Magni Ducatus Stemmate in campo rubeo insignitum, districtualibus ciuitatibus caret: plurima tamē oppida, & arces complectitur, quondam sui iuris Principem habebat, sed nunc in prouinciæ formam redacta est.

Nunc castra ad Boristenem sita breuiter recensebimus.

DAMBRONVVNA prima arx à Moschouiæ finibus ad Boristenem, cum oppido sita, à Smolensko decemquatuor milliaribus abest, ab Horsha quatuor.

ORSHAM in Vuitebliensi Palatinatu describemus.

KOPYSZ castrum cum oppido ad Boristenem, ab Orsha quatuor milliaribus distat.

SKLOVV arx cum ciuitate ad Boristenem, à Kopisz duobus milliaribus distat, pro Comitatu computatur. Vnde se illustris ac magnificus Dominus Ioannes Chodkiewic Comitem scribit.

MOHILOVV arx cum ciuitate ad Boristenem sita, sex milliaribus à Sklou.

BYCHOVV castrum cum oppido ad Boristhenem situm, à Mohilouu duodecim milliaribus.

RECZYCZA arx cum oppido ad Boristenem sita.

STRISSIN arx cum ciuitate ad Boristenem.

LVBETZ arx ad Boristenem sita.

VISZSHORODarx ad Boristenem, à Kiouia tribus milliaribus abest.

VITEBSCIENSIS SIVE VITEBLIENsis Palatinatus.

Vitebsk ciuitas satis ampla lignea, ad Dwinam fluuium insignem, & nauigabilem, quo merces omnigenæ Rigam Liuoniæ Metropolim deportantur, sita. Arces duas amplissimas naturâ, & opportunitate loci munitissimas habet, quarum una inferior in planitie sita, ciuitatis formam amplitudine referens dicitur. Altera superior in colle ementiori condita, utraq; propugnaculis, & parietibus ex roboribus extructis, terraq;, & lapidibus impletis, supellectiliq; bellica, tormẽtis, & bombardis apprimè munita. Eas unà cum ciuitate ab Oriente fluuius Dwina opportunè præterlabitur, in quam sub ipsa arce ex altera parte Viczba fluuius exoneratur. Hæc arx omnium arcium finitimarum, totiusq; Lituaniæ est fortissimum propugnaculum contra incursum Moschorum: in ipsis enim finibus hostium iacet. Sæpiùs ab ea Moschouitæ cũ suo ingenti damno fugati, repulsiq; sunt. Quatuor in ea præfecti, siue ductores militum pedestrium asseruantur, in quorum ego numero cum patre meo Ambrosio Guagnino, quincentenariæ cohortis decem annis præfectus eram. A' Vilna octuaginta milliaribus distat, quondam sui iuris Principem habebat, & pro Ducatu computabatur, nunc in Palatinatũ redacta est. Vexillum uiridis coloris bicorni, Stemmate Magni Ducatus in campo albo insignitum gestat. Districtum siue prouinciam unam duntaxat complectitur Orshensem uidelicet.

ORSHA ciuitas lignea ampla, ex una parte stipitibus præacutis munita, ex altera Boristene fluuio alluitur, arcem munitam & muratã sibi adiunctam habet, quã ab una parte Boristhenes, ab altera Orshicza fluuius (qui nomen ciuitati indidit) præterfluit, à Vuitebska 18. milliaribus abest. Vexillo uiridi, prout suus Palatinatus, in bello utitur.

SVRAS castrum inter Dunam, Casplam, & Surascam situm, à Vitebska octo milliaribus superiùs Orientem, ad Moschouiam uersus procedendo. Tandem Occidentem uersus à Vuitebska 14. milliaribus occurrit.

VLA arx in conflictu Vlæ (à qua nomen habet) & Dunæ fluuiorum, à Moschouitis olim fundata, possessaq;, & à nostris sępiùs frustrà tamen tentata: posteà à Duce Romano Sanguskowicz inopinata irruptione capta, exustaq;, & è nostris restaurata.

TVROVVLA castrum Moschorum ad fluuium eiusdem nominis, & Dunam munitissimè sita: à Poloczka tribus milliaribus abest.

SVSZA arx Moschorum ad lacum eiusdem nominis, Moschouitis Copia dicitur.

CZASNIKI castrum, & oppidum ligneum, ad Vlam fluuium situm, à Susza quatuor milliaribus abest.

SIENNO arx cum oppido à Czasniki sex milliaribus distat.

LEPLO arx, & ciuitas benè munita, in lacu quasi peninsula condida, à Czasniki septem milliaribus abest.

CIOICZA munitio ad lacum eiusdem nominis.

CRASSNE arx Moschouitica à Ciotecza uno milliari sita.

VVORONIEC castrum cum oppido ad Vsaczam fluuium situm, à Poloczka tribus milliaribus.

STRZYZOVV munitio ad lacum ingentem sita.

PALATINATVS POLOCENSIS

Poloczko olim ciuitas lignea amplissima, stipitibus, septisq; ligneis circundata, ad Dwinam fluuium condita, arcem ligneam naturâ, & oportunitate loci munitissimam, turribus & propugnaculis firmatam habet, quam ab una parte Dwina, ab altera Polota, à qua ciuitas nomen sortitur, præterfluit. Milites in ea præsidiarij à Rege Poloniæ frequenter asseruabantur, ciues & mercatores in ea ditissimi erãt, sed Anno Domini 1562. Ioannes Basiliades Magnus Dux Moschouiæ, eam ui tormentis bellicis admotis, strenua oppugnatione: obsidium uerò indiligenti, & oscitanti defensione, in ditionem suam redegit, Polonisq; præsidiarijs liberè dimissis, Lituanos, & Ruthenos ciuitatis incolas, cæterosq; qui illuc, uelut ad asylum cõfugerant, in Moschouiam

uinctos abduxit, prædamq́; dictu incredibilem auri, & argenti illinc asportauit, hæc ciuitas cũ arce, & suo territorio, in Moschouiæ Principis ditione permanet, usq; ad an. 1579. Mense Aug. quo tempore Step. Bator Rex Pol. strenuè (ut posteà dicetur) cum toto territorio recuperauit. Habebat olim sui iuris principem, & pro Ducatu amplissimo computabatur, purpurei coloris stemmate Magni Ducatus insignitum in campo albo nobilitas prouincialis, quæ Regi Poloniæ Magno Duci Lithuaniæ subest, in bello gestat.

VSACZA munitio ad fluuium eiusdam nominis, & Dunam sita, à Poloczka tribus milliaribus distat.

DISNA arx ampla, uallo forti, & inexcusso circũdata, rebusq; bellicis apprimè munita, Disna, & Duna fluuio opportunè circumluitur: ciuitas quoq; inter eosdem fluuios uallo, stipitibusq; præacutis, & propugnaculis munita, à Poloczka sex, à Vilna quadraginta milliaribus distat.

DRISSA arx cum oppido circumsepto, ad fluuium eiusdem nominis, & Dunam, sex milliaribus à Disna sita.

DRVHA munitio cum oppido, ad eiusdem nominis fluuium, & Dunam à Drissa sex milliaribus abest.

Ab hac arce Liuoniæ fines, & arces ad Dunam sitæ, incipiunt, quas suo loco descripsimus. Lituaniæ quoq;, & Samogitiæ ditio in Occidentali ripa Dunæ iacet. Samogitiam itaq; describendam ordiemur, quæ moribus, uitæq; consuetudine, & idiomate Lituaniæ similis est, eiusdemq; Principatus.

DVCATVS SAMOGITIAE.

SAmogitia Regio satis ampla, proxima Lithuaniæ, à Septentrione Liuoniæ contermina est, mariq; Balteo, siue Germanico ab Occidente, nonnihil in Septentrionem reflectendo adiacet: Prussiam quoq; in uicinia habet. Nullo castro munito insignis est, ciuitates tamen in ea cum pagis tam Regiæ, quàm nobilium complures sunt. Huic regioni Præfectus, siue Capitaneus supremus, à Rege Polonię magno Duce Lituaniæ præponitur, neq; temerè is, nisi grauissimas ob causas officio mouetur, sed quoad uiuit, perpetuò manet. Episcopum habet Romanæ obedientiæ. Agrestis turba in humilibus casis, ijsq; oblongioribus uitam ducit, in quibus ignis in medio accensus ardet: ad ignem uero paterfamilias cum domesticis, seruisq; sedit, iumentaq; & totam supellectilem domesticam cernit. Solent enim sub eodem, quo ipsi habitant tecto, sine ullo interstitio pecora habere. Maiores eorundem cornibus animalium, Vrorum uidelicet, pro poculis utuntur. Audaces sunt, & strenui homines, & ad bellum prompti, loricis, alijsq; plurimis armis, præcipuè autem cuspide uenatorum utuntur, equos adeò paruos habent, ut uix credibile sit ad tantos labores eos posse sufficere, quibus foris in bello, domiq; in colendis agris utuntur. Terram non ferro, sed ligno proscindunt, quòd eò magis mirandum, cùm terra eorum tenax, & non arenosa sit. Araturi ligna complura, quibus uomeris loco utuntur, secum portare solẽt, scilicet ut unò fracto, aliud atq; aliud, ne quid in mora sit, in promptu habeant. Quidam ex prouinciæ præfectis, quò prouinciales grauiore labore leuaret, multos ferreos uomeres fabricare fecerat: cum autem eo, sequentibusq; aliquot annis segetes quadam cœli intemperie expectationi agricolarum non responderent, uulgus agrorum suorum sterilitatem ferreo uomeri pertinaciter adscribebat, nec aliud quicquam in causa esse putabat. Præfectus eorum uulgi seditionem timens amoto ferro suo, eos more agros colere permisit.

Habitationes Samogitarum.

Mos arandi agros.

Prouincia hæc nemoribus, syluisq; abundat, in quibus horrendæ quandoque uisiones fieri dicuntur. Mel nusquã melius, nobiliusúe, quodq; minus ceræ habeat, albumq; sit, quàm in Samogitia reperitur. Syluæq; illic summas diuitias ferunt: stipitibus enim cauatis, mella passim promuntur. Sunt etiam nunc illic inter agrestes, idolatræ complures, qui serpentes quosdam quatuor breuibus lacertarum instar pedibus, nigro, obesoq; corpore, Giuoijtos patria lingua dictos, tanquam penates domi suæ nutriunt, eosq; domo lustrata certis diebus ad appositum cibum prorepentes, cum tota familia quoad saturati in locum suum reuertantur, timore quodam circumstantes uenerantur. Quod si aduersi illis quid acciderit, serpentem deum domesticum malè acceptum, ac saturatum esse credunt.

Samogitia sylua.

Samogitæ idolatræ.

Accidit hoc nuper in Lithwania sex à Vilna miliaribus, in pago quodam iuxta ciuitatem Troki, quod quidam Christianus ab eiusmodi serpentis cultore, aliquot aluearia apum emit, quem cùm ad uerum Christi cultum multo labore adduxisset, utq; serpentem, quẽ colebat, occidere persuasisset, aliquantò pòst, cũ ad uisendas apes suas eò reuersus fuisset, hominem facie deformatum, ore aures tenus miserabilem in modum diducto offendit, can-

Miraculum.

dit, tanti mali causam interrogatus, respondit se quod serpenti deo suo domestico manus nepharias iniecisset, ad piaculum expiandum hac calamitate puniri, multoq; grauiora, si ad priores ritus suos non rediret, eum pati oportere. Est etiam quatuor à Vilna milliaribus Lauariski uilla Regia, in qua à multis adhuc serpentes coluntur. Hæc quamuis non in Samogitia, sed in Lithwania gesta sunt, pro exemplo tamen adduxi.

Agrestis turba in Samogitia Sacrificium quoddam, solennesq; epulas gentili more sub finem Mensis Octobris collectis frugibus, quotannis celebrant hoc modo. Ad locũ conuiuio, epulisq; sacris delectum, omnes cum uxoribus, liberis, & seruis conueniunt; mensam fœno supersternunt, desuper panes apponunt, & ex utraq; panis parte duo ceruisiæ uasa statuunt. Postea adducunt uitulum, porcum, & porcam, gallum, & gallinam, & cætera domestica iumenta, ex ordine mares, & fœmellas. Hæc mactant gentili more ad sacrificandum hoc modo: In primis augur siue incantator quispiam, uerba quædam proferens, animal uerberare baculo orditur: deinde omnes, qui adsunt, iumentum per caput, pedesq; baculis uerberant: postea tergum, uentrem, & cætera membra concutiunt, dicentes: Hæc tibi, ô Ziemiennik deus, (sic enim illum dæmonem agrestis turba appellat) offerimus, gratiasq; tibi agimus, quod nos hoc anno incolumes, & omnibus abundantes conseruare dignatus es: nunc uerò te rogamus, ut nos quoq; hoc anno præsenti fauere, tueri ab igne, ferro, peste, & inimicis quibuslibet defendere digneris. Postea carnes iumentorum ad sacrificium mactatorum comedunt, & ab unoquoq; ferculo antequam comedant, portiunculam amputant, & in terram, omnesq; angulos domus proijciunt, dicentes: Hæc tibi, ô Ziemiennik, nostra holocausta suscipe, & comede benignus. Omnesq; tunc temporis lautissimè solenniter, & opiparè epulantur. Hic uerò ritus gentilis, & in Lituania, Rusiaq; ab agrestibus, quibusdam in locis obseruatur. Mare quod Samogitiam alluit Baltæum, à quibusdam Germanicum, ab alijs Prutenicum dicitur, sinus Balticus propriè nuncupatur. Interluit enim Cimbricam Chersonesum, quæ Germanis *Iutland*, Latinis *Iutia* uocatur. Alluit quoq; Germaniam, & omnem Pomeraniæ regionem, atq; longo tractu Liuoniam, Curlandiam, regionesq; quasdam Moschorum Principis, Swetiam, Philaudiam, Daniamq; circumluit. Huius regionis Samogitiæ, Rex Polonus, magnus Dux Lituaniæ titulo utitur, uexillum album bicorne Stemmate Magni Ducatus Lituaniæ, in campo rubeo insignitum, Samogitia in bello gestat. Incolæ regionis, omnibus ferè cum Lituanis uestiuntur habitu cinericio, moribus, regione, idiomate paucula differentia interiecta, utuntur. Ideò nunc ad describendos mores Lituanorum orationem dirigemus.

Ritus gentilis Samogitarũ.

Mare Samogiticum.

Lituania admodum sylvosa est, prout & Samogitia, paludes, lacusq; ingentes, & amplissimos in quibusdã locis maris, formam referẽtes, habet. Præterea multos fluuios nauigabiles, quorum alij Orientem uersus, utpotè Bog (Herodoto Hipanis dictus) Perepetus, Tur, Swislocz, & Beresina, in Boristenem uulgò Dnepr, dictum exonerãtur. Boristenes uerò pluribus fluuijs haustis in Oriente, tandẽ in Meridiem decurrẽs, in Pontum Euxinum illabitur. Alij uerò Cronon uulgò Niemen dictus, Vilia, Karew, Bug, in Occidentem nonnihil in Septentrionem reflectẽdo decurrunt, in mareq; Germanicum iuxta Gedanum celeberrimum emporium Prusiæ exonerantur. Dzwina autem Ptolomæo Rubon ex Moschouia ortus, à Riga duobus milliaribus eidem mari commiscetur.

Fluuij Lituaniæ.

Animalia in Lituania omnis generis parua sunt, gens misera maximè in uillis, & pagis graui seruitute oppressa: nam ut quisq; famulorũ caterua stipatus, domũ coloni alicuius ingressus, impunè quiduis facere, res ad uitæ usum necessarias capere, absumere, crudeliter etiam colonum uerberare potest. Colonis quauis de causa, ad dominos suos absque muneribus aditus non patet, quod si etiam admittantur, ad præfectos, & officiales relegãtur, qui nisi munera accipiant, nihil boni decernunt, & unumquodq; uerbum iudicis in Lituania, aurum est. Coloni quinq; dies, aliquando sex, dominis suis laborant, dies uerò Lunæ priuato labori conceditur, atq; ut plurimũ diebus dominicis (nulla enim Diuorum festa agrestes obseruant) quoduis opus absoluunt: agriculturam exercẽt, segetes, prataq; metunt, triturant, & id genus alia. Hoc uerò & in Rusia peculiare est, quod si interrogaueris, quare Dominico die laboras? respondere solent: Nonne & die Dominico comedere oportet? Imperatam pecuniam quotannis ter, quaterq; pro defendẽdis Regni finibus pendunt, à dominis quoq; tributis adinuẽticijs grauiter onerãtur, pane atro & uilissimo siligine unà cum spicis commolita: utuntur molendina, siue pistrina manualia agrestes in pagis trina, quinaúe domi habent, eisq; ad commoliendas fruges utuntur, dumq; hæc molendina manibus uertunt, patrio more, agrestem quendam concentum edere solent, dicentes: melior, hocq; uerbum frequentius ad cantilenæ similitudinem repetunt: id uerò est tam uiris, quàm mulieribus peculiare, quod de illa re, quam tunc in opere

Tributis Lituani onerãtur.

Molendina Lituanorum.

in opere habent, cantilenas agrestes canant. Tubas quoq; ligneas oblongas habēt, quas inflantes, mirum quendam, & dissonum concentum edunt, aliquandoq; unus duas in simul tubas, harmonia quadam correspondente inflat.

Omnes fere Lituani, & Samogitę, Liuonesq; uestitu illi cinericio, communiter utunt tur, ut cùm turmatim uulgum stantem in foro conspexeris, neminem nisi cinericia ueste indutum uidebis, coturnosq; ex tiliæ libro, uel ex pellibus iumentorum, unà cum setis detractis conficiunt. Currus leues absq; ullo ferri ministerio conficiunt, & omnia compangunt, arboreis gomphis, & ligna coacta uicem ferri complent. Rotasq; ex uno ligno in gyros aptas contorquent. Pinguedine, uel pice unquam linunt currus, & quādo multi insimul uehuntur, mirus quidam concentus querulorum axium longè auditur, Versus.

> Neque linunt Rutheni quærulos pinguedine currus,
> Haud picis auxilium stridulus axis habet.
> Auditur ueniens longè crepitare Colassa,
> Sic fragiles currus, Russe uocare soles.
> Nam faciunt habiles, uno uectore quadrigas
> Inuectas Rutheni, quas equus unus agit.
> Nec facilè inuenies ferrato hærentia clauo
> Palustra, facit ligni cuncta ministerium,
> Et sine ferri iussu pangunt sua plaustra terebris,
> Et lignum ligno consolidare solent.

Frumenta omnis generis, primò in calidissima cassa, fumo exsiccant, & postea in horreo coram extructo excutiunt.

ARANDI, SEMINANDIQVE MODVS IN RVSsia alba Moschouiæ confini, & in Magno Ducatu Lituaniæ.

IMprimis agros hoc modo præparant, circa festum Diuorum Petri, & Pauli in æstate, ad festum usq; assumptionis Mariæ: nemora, myricesq; excindere solēt, quàm excisionem arbustorum uulgariter *lada* appellant, eam si nemus densum fuerit, stramine supersternunt, per hyememq; sic durare patiuntur. Vere autem postea redeunte, post Paschatis festum sole torrido aliquot diebus ingruente, illam prostrationem prædictam arbustorum, stramine supposito, superstratoq; succendunt, & in cinerem cōburunt: ubi uerò terra non combureretur, illic nihil ferè nasceretur, ideò ligna incombusta congerunt, instruemq; composita, denuò succendunt, sicq; in illa terra combusta, & inculta, collectis, duntaxat carbonibus, & titionibus superfluis, triticum seminăt primò, & supra sementem, uno equo iuncto aratro arant, & occant, in Russia uidelicet. Lituani enim bobus cornibus aratrum trahentibus arare solent, tantaq; ibi fœcunditas dictu incredibilis subsequitur, ut Cererem in illis regionibus natam affirmares. Eodem modo & hordeum seminatur, metitur, & colligitur, nisi quod crassiora nemora pro hordeo excinduntur, & pinguiorem terram, magisq; triticum exigit. In huiusmodi autem agris per annos sex, uel octo fimo, stercoreq; non superposito seminare solent.

Quod si arbores nimis altæ, & crassæ in ea sylua, ubi seminaturi sint, essent: utpotè pinus, fraxini, robora, & id genus aliæ, eas non succindunt, nisi frondes, ramosq; circumsecāt, ne Solem agro præriperent. Rusticus uerò unus omnes arbores una semel ascēsa circūsecabit non descendendo: instrumentū enim ad id factum, quasi sedile, ad stapedę similitudinem secundùm proportionem hominis sedentis factum, arbori fune longo appendit, sicq; sedens à puero, fune alio ab arbore ad arborem, facilè transfertur, habetq; ad latus alligatum lignum curuum, ad id studio præparatum, quo arbori appropinquatus, firmiter eam apprehendit, quā à uertice ad radicem usq; circumsecat, & frondes illas eodem modo supradicto æstate redeunte, succendit, & seminat.

Siliginem postea seminant Hyemalē, super hæc culta noualia, tritico uel hordeo collecto, sed duobus uicibus ad siliginem arare coguntur, quàm seminare incipiunt circa festum assumptionis Mariæ, 15 Augusti, quod si segnis agricola non absoluerit, seminationem ad aliud festum natiuitatis Mariæ, in quatuor hebdomatis sequente, 8. Septembris, die, tunc fructifero prouentu consueto frustratur. Hanc seminationem siliginis Hyemalem appellant. Vere enim redeunte, aliam Aestiualem uocatam, seminant.

Est quoq; alius seminandi mos nuper adinuentus, in prædicta prostratione, succisioneq; nemorum superiùs descriptorum, hoc modo: Duabus partibus hordei, tertiam siliginis intermiscere solent, quàm commixtionem Vere instante, tempore consueto seminant, ea-

nant: eadem æstate hordeum solummodò demetunt, siliginem uerò subter hordeum ad modum graminis paulatim densissimè crescentem per hyemem durare sinunt, quæ sequente æstate adeò fœcundissimè, densissimeq́ excrescit, ut equo uix eam densitatē penetrare posis, & ex uno grano triginta, plusúe spicæ pullulare in tantam altitudinem solent, ut uir equo insidens, uix ex ea appareat. Omnes uerò agros Ruteni uno equo iuncto aratro, proscindere solent, terra enim per se nimis facilis est.

Mirus seminandi modus.

Hic autem ordo in seminandis frumentarijs, in tota ferè Sarmatia obseruatur: primò post festum Paschæ triticum seminant, postea siliginem æstiualem dictam, ab æstiuali seminatione, uulgariter Iarzycza appellatur, ad differentiam hyemalis siliginis, quæ (ut diximus) pro festo assumptionis Mariæ seminatur ad hyemem futuram, unde uulgariter Ozimina dicitur. Ex hac si æstate seminaretur, nihil prorsus nasceretur, & econtra si æstiualis ad hyemem pro hyemali seminaretur (quamuis sibi grano similes essent, & eiusdē quasi naturæ uiderentur) nulli usui esset, sed in gramen inutile uerteretur.

Hanc itaq́ æstiualem circa festum Paschæ seminant, secundùm agri possibilitatem, præparationemq́ Poloni, Lituani, & Ruteni nigri, cum Masouitis, & Prutenis, propter solisq́ beneficium, & regiones temperatiores priori seminatione, longè antecedunt, Rutenos albos, & Moschouitas in Septentrione degentes, qui ob intemperiem aëris posterius his omnibus seminare coguntur, at tamen interdum eodem tempore agros demetunt. Hoc autem mirum est, quòd siliginem seminantes æstiualem, post Paschatis festum interdum, aliquot elapsis hebdomatis, tamen eadem æstate, ut decet maturam quasi per octo duntaxat hebdomatas demetunt, colligunt, & recondunt.

Pisa circa ferias diui Adalberti seminant, uulgariter Groch dicta, quam ad longum usum exsiccata reseruant.

Auenam, & hordeum post Pentecostes festum seminant, quæ uulgariter Owies dicitur. Hordeum Ieczmien appellant.

Cicer undecim post Pascha hebdomatis elapsis ante Diui Petri festū seminatur. Tatarka Polonis, Grecicha Ruthenis & Lituanis dicitur.

Rapæ circa Diui Ioannis Baptistæ ferias seminantur. Et omnia eadem æstate seminata colliguntur, triturantur, triturataq́ in domibus recōduntur, ita ut granum ex penu ad seminandum depromptū, in decem aliquando, in octo hebdomatis secundùm Solis clementiam ad penu, unde exiuit, reuertitur, agricolæ suo centuplum fructum referens.

Recondendi frumenti Polonorum mos.

Poloni omnes, Rutheni nigri, (quorum Metropolis Leopolis est) Masouitæ, Sylesij, Pruteni, & Lituani quidam in horrea, & aceruos magnos recondunt frumenta, & aliquando apud bonum patremfamiliās quadringentos, sexcentósue aceruos, quasi turres quadriangulares eminentes reperies, ad quindecim, plusúe interdum annos reconditi frumenti plenos.

Lituani, & Moschouitæ quomodo recondunt frumenta.

Sed Rutheni albi, Moschouitæq́ omnes, & Lituani statim de agro in penu frumenta defalcata, & triturata congerunt, & recondunt, quidam in cauernis subterraneis, in abditis syluarum studio ad id effossis, & intùs benè cum corticibus arborum adaptatis, frumenta, insuper omnia uictuaria, carnes porcinas salsas, & id genus leguminum ad uictum pertinentium, uestesq́, & præcipuam supellectilem recondere solent, præsertim belli tempore, ubi miseri coloni securi sint ab incursu hostili frequenti, & rapinis suorum militum.

Supplicij sumendi modus.

Hoc autem apud eos in uilis præcipuè obseruatur, si quis fortè capite damnatus fuerit, de seipso iubente Domino supplicium sumere, suisq́ manibus se suspendere, etiamsi recusauerit minis, uerberibusq́ exagitatus cogitur. Atq́ hæc nobis de Lituanis sufficiant. Hic tibi, Lector candide, sciendum restat, quod in hoc magno Ducatu, qui Polono Regi cū uniuersis suis prouincijs subest, plurima sunt oppida, & castra tam Regia, quàm Nobilium, Ecclesiasticorumq́, quæ hîc non sunt posita. Hîc enim nos solummodò prouinciales, insigniores q́ ciuitates, & arces, quæ olim pro Ducatibus cum suis territorijs habebantur, descripsimus. Sunt præterea complures duces particulares in Lituania, Comitatusq́, ex quibus Slucēsis Ducatus celeberrimus est. Princeps enim illius, quāuis Regi Polono Magno Lituaniæ Duci subsit, & ad quæuis mandata Regis exequenda paratus fuerit, rerum tamen in suo Ducatu, qui 30 milliaribus Polonicis in longitudinem patet, integrè potitur, & thesauro priuato cum Italiæ, Germaniæq́ quibusuis Principibus magnis, facilè adæquari potest. Sunt quoque Duces alij plurimi insignes, quorum respectu Magnus Ducatus Lituaniæ dicitur, ex ijs primas obtinent, Illustres, & Magnifici Domini Radiuilones, Dominus Nicolaus Radiuilus, in Bierze, & Dubingij Dux, lumen Patriæ, & alter Cicero, Hectorq́ Lituaniæ, Palatinus Vilnensis, & Illustris Hæros Nicolaus Christophorus Radiuilus, Dux in Olika, & Neswiez, Comes in Schidlowiec,

Sluczko in Russia ciuitas, & Ducatus.

Marschalcus Curiæ dignißimus, fraterq; suus idem Dux, Dei gratia Episcopus Vilnensis designatus, Georgij nomine gaudens. Ille quoq; alter Scipio Illustris Heros Dominus Ioannes Chodkiewicus, comes in Sklow & Mesi, Castellanus Vilnensis, Archimarschalcus magni Ducatus Lithuaniæ, exercituumq; imperator & gubernator Liuoniæ, ac Capitaneus Samogitiæ generalis uirtutum speculum insigne, Martisq; & Mineruæ alumnus. Insuper multos alios Heroum antiquorum, quorumuis dignitatem adæquantes Duces, & uiros Insignes Lithuaniæ celeberrimus Principatus fouet, quos sigillatim recensere ut difficile ac longum, ita minus necessarium nobis uidetur.

ARTICVLI CONSTITVTIONVM BELLICARVM Magni Ducatus Lithuaniæ in Comitijs generalibus constituti, à Supremoq; & Generali copiarum Imperatore fortißimo, & Heroe perpetua memoria dignißimo, Illustri Domino Gregorio Chodkiewicio, Castellano Vilnensi confirmatæ, & militibus imperatæ.

BENEVOLO LECTORI S. D. P.

HIC quoq; Lector Candide, leges militares in Comitijs generalibus Magni Ducatus Lithuaniæ solenniter constitutas, tibi ut potuimus summa cum diligentia descriptas, breuiter, dedicamus. Tu uerò hos nostros sudores boni consule, maiora accepturus.

OMNIS qui se obligauerit seruitio Sacræ Regiæ Maiestatis, debet in eo ad tempus præscriptum perseuerare. Si uerò longius seruitium militare indictum, protractumq; fuerit: Miles autem seruire amplius nolens in primo quartuali non indicauerit, tunc indictum seruitium sequentis quartualis adimplere tenebitur. *Articulus primus.*

2 In alterius armis nemo audeat seruire, sub pœna amißionis honoris.

3 Si quis e Castris discesserit, seruitio non finito, nobilis ille si fuerit, honoris: plebeius uerò capitis pœna puniatur. Ille autem qui eiusmodi hominem occiderit, præsertim non habentem literas à Campiductore, siue Rotmagistro suo, iustè ab eo factum censebitur.

4 Lites, discordiasq; milites alterutrum seminare non audeant, sub graui pœna.

5 Quod si aliquis ex militibus, præcipuè uerò pedestribus, arma sua stipendiaria, quibus hostilis impetus arcetur, lusu alearum amiserit, uel si eques equum militiæ destinatū perdiderit, tàm lucrator, quàm amissor uterq; suspensionis pœna puniatur.

6 Quicunq; in Campiductorem, siue Rotmagistrum suum, Decurionemúe, uel etiam seruus in Dominum suum, manu aut uerbis inhonestis sese commouerit, capitis pœna plectatur.

7 Si quis in custodes Castrorum impetum fecerit, uel custodiam demandatam obire renuerit, aut ad custodiam sine uoluntate Campiductoris abierit, capite puniatur, excepto si excubiæ ordinariæ illum peruenerint.

8 Quicunq; uulnerauerit aliquem in ductu legionum sub extensione uexilli, pœna honoris & capitis puniatur.

9 Quicunque pedester in custodia locum suum non tenuerit, aut causa alicuius suæ necessitatis inde discesserit, uel si in ordinatione aciei, excubijsúe obdormierit, uel officium iniunctum indiligenter, oscitanterq; obierit, circumspectori excubiarum liberum erit talem interficere. Si autem Campiductori oblatus fuerit, capitis pœna puniatur, honoreq; priuetur.

10 Si quis in custodiam campestrem destinatus, siue ex muro cum hoste collocatus fuerit, sine uoluntate Campiductoris, conuictus testimonio, pro eiusmodi facinore capitis pœna punitur.

11 Si aliquis miles ex thesauro Sacræ Regiæ Maiestatis de tormentis puluerem globósue, quàm de alijs bonis Sacræ Regiæ Maiestatis aliquid in usum suum conuertere ausus fuerit, sine quauis misericordia turpi, & uituperoso mortis genere puniatur.

12 Si quis speculatorem ab hostibus missum, in domo sua fouerit, uel de illo notitiam habuerit, talis, omni misericordia semota, in quatuor partes dilaniatur.

13 Quicunque tempore necesßitatis siue conflictus à uexillo in fugam sese dederit, aut uerbo aliquo fugiendi causam alicui præbuerit, caput & honorem amittit: simili-

ter qui tempore periculi,non conseruerit manus cum hoste,puniatur.

14 Si aliquis temerariè in terram hostilem irruerit,uel occasionem hostibus dederit,sine uoluntate Campiductoris,caput amittit.

15 Tempore nominis dati(quod Polonicè Hasto dicitur) unusquisque miles in ordine suo pacificè permaneat. Quod si post hoc extra ordinem comprehensus fuerit,uel si nomen indictum interroganti proferre nescierit,capitis pœna puniatur.

16 Dato signo requiei per uocem tubæ,nullos clamores,& strepitus in castris aliquis facere audeat, sub graui pœna.

17 Si quis litem aliquam tempore distributionis nominum excitauerit,uel bombardam in hostem exonerauerit,capite plectatur.

18 Tabernæ & nocturnæ comessationes prohibitæ & uetitæ tunc temporis sint, sub graui pœna.

19 Nemo militum audeat aliquid uiolenter alicui eripere,sub pœna suspensionis:quod si aliquid acceperit præter uictum,quod unius grossi pretio constaret, sine quauis misericordia iuguletur.

20 Nemo militum uictus acquirendi causa absque seruo Campiductoris in uillas audeat discurrere,neúe alicui iniuria inferatur,sub pœna graui.

21 Hominem alienigenam,aduenam & ignotum nemo in seruitium militare suscipere audeat sine licentia Campiductoris,sub graui pœna.

22 Seruitorem alterius commilitonis,siue Decurionis, nullius ad se persuasionibus & promissis allicere audeat,sub graui pœna.

23 Nemo militum equos stipendiarios curris iungat,neque causa necessitatis priuatæ, quamuis opportunæ illis uti,uel alicui in usum dare audeat, sine licentia Campiductoris.

24 Aduehentibus uictum in castra,si aliquid per uim raperetur, suspensionis pœna esto.

25 Si quis in uiam publicam mercandi,præripiendique uictus causa extra Castra abierit, turpe ob lucrum,grauiter puniatur.

26 De emptione & uenditione cibi,& potus,Campiductor æstimationem faciat.

27 Quicunque ante æstimationem aliquid emerit, emptor pecunijs, uenditor mercibus priuetur:similiter & de eo intelligendum est,qui cariori pretio quàm Campiductor constituerit,aliquid uendere ausus fuerit.

28 Satellites à Campiductore missos,ad comprehendendum malefactorem,nemo uerbis inhonestis proscindere audeat,sub graui pœna. Similiter administratori iusticiæ Carnifici,nemo illudere audeat,sub pœna honoris.

29 Militum prefecti sub pœna honoris tenetur indicare,quot milites in legione sua desiderarentur. Arcis uerò siue ciuitatis,cuius præsidia agit,incolam aut ciuem ad militiam nemo suscipere audeat,sine licentia Campiductoris,sub graui pœna.

30 Vnusquisque militum præfectus diligenter animaduertat,ne arcem fidei suæ concreditam ad ultimum usque periculum uitæ tradere præsumat,sub honoris & capitis pœna.

31 Decuriones,Commilitonesque,si Rotmagister, (quod absit) per signa aliqua castrum hostibus tradere enituerit,illum captum Campiductori præsentare tenentur.

32 Rotmagister,siue militum præfectus,ad reserationem,& occlusionem portarum castri,quotidie præsens tenetur adesse,neminique castrum tempore incongruo apperire audeat.Noctu uerò omnes milites congregatos habere in arce tenetur.

33 Nemo in castrum intromittatur, nisi certa noticia de illo haberetur,cuius sit,uel ob quam causam uenerit,& si iustam causam dixerit,solus in castrum absque famulis intromittatur,qui absque Campiductoris licentia intromitti non possunt.

34 Quicunque militum maximè autem pedestrium deprædationis causa in terram hostilem friuolus abierit,talis pœna capitis puniatur.

35 Si alicui custodia ordinaria uenerit, ille autem præsens custodi non adfuerit,capitis pœna esto.

36 Si quis custodiæ munus obiens,sequentis custodiæ adeuntē non expectando abierit,temerariè,caput amittit.

37 Cui ex ordine custodiam obire contigerit, idque muneris temerariè per ebrietatem, alearumque lusum neglexerit,caput & honorem amittit.

38 Nemo Rotmagistrûm,Commilitonumúe extra arcem discedant, militesque suos ad quamuis legationem negotiorum suorum destinare non audeant,sine licentia Campiductoris,maximè uerò Campiductore ibidem præsente,sub graui pœna.

39 Rem fortè inuentam,nemo apud se pernoctare sinât,sed Rotmagistro, siue Campiductori eam indicet,sub pœna patibuli.

40 Quicunque militū absque armis,ad quę stipēdia accepit,ambulauerit,uinculis corrigatur.

41 Nemo

41 Nemo rixas, motusq; aliquos in arce exercere audeat, sub pœna atroci, quod si quis aliquem uulnerauerit caput, & pro friuola gladij extractione manum amittit.

42 Ad quamuis iustam emendationem arcis, maximè obsidionis tempore, nemo militum eorum, qui in ea præsidia agentes manent, propter seipsos laborare detractent.

43 Rotmagistri & Decuriones, singuli suos milites semper instruant, doceantq;, quomodo unusquisq; in acie, legitimè, ordinateq; stare, & armis suis competentibus commodè uti posit, quod si ex ordine aliquis foras excesserit, caput amittit.

44 Commilitones, siue Decuriones honestè sese obseruent erga Rotmagistrum suum, non solummodò manu, uerum etiam uerbis, similiter & Rotmagister erga eosdem, neminem dehonestando, uerberandóue, sed si quid aliquis peccauerit, in corona omnium Decurionum, sociorumq; eum iudicet & puniat, rebellem uerò Campiductori indicet.

45 Quod si aliquis commilitonum, sociorúmue, siue ipse uices gerens, Articulos supra scriptos, honoris & capitis pœna præmunitos iustè & legitimè non obseruauerit, eũ Rotmagister suus, Campiductori sub fide iussione, & nobilitatis honore, ordinatè trãsmittat.

Articulorum militarium magni Ducatus Lithuaniæ finis esto.

PRVSSIAE CVM SVIS PROVINCIIS, CIVITATIBVS, omniumq; Magistrorum Crucigerorum Teutonisci ordinis, iuxta seriem compendiosa descriptio.

DE PRVSSIAE DEDVCTIONE DOctorum opiniones.

PRæclarus ille Germanorum legatus, & orator apud multos extraneos Principes celeberrimus, Aeneas Syluius, qui in Prussia legationem frequenter obibat, scribit in suis Chronicis, quod Prussia rectius & conuenientius, Vlmigauia appellanda sit, & hoc non sine causa: nam populus qui hanc Regionem primò incolebat, Vlmigauus nuncupabatur. Ioannes autem Boëmus scribit, ab Ortu solis in hanc Regionem populos Amaxobios, Alanos, & Gotos, Venedosq;, siue Vandalitas cõmigrasse. Mathias uerò Miechouiensis, Polonorum Chronographiæ scriptor, lib. 1. cap. 8. refert, Regem Bithiniæ Prussam nomine, ab Hannibale Carthaginensi admonitum, ut Romanis bellum inferret, quod cum ille suscepisset, malè ei cessit. Longè enim plus Romani totius orbis Domini, quam Prussa Rex Bithiniæ copijs ualebant, quocirca ab illis adeò cum uniuerso exercitu profligatus est, ut Bithiniam Regionem propriam relinquere cogeretur, & in Vlmigauiam longa peregrinatione uenire, quàm à suo nomine Prussiam appellauit. Commemorat, & in alio loco eorundem Chronicorum idem Miechouiensis, multos Romanos in terram istam propter atrocia bella, Romæ exorta migrasse, seq; partim in Prussiam, partim in Lithuaniam, Liuoniamq; & Samogitiam diffudisse. Erasmus uerò Stella asserit in hãc Regionem gentiles quosdam populos Sargatianos, Gelidanos, Alanos, Venedosq; uenisse, qui omnes in Vlmigauia, non diu tamen domicilium habuerunt. Sebastianus autem Brand Germanorum Chronographiarum scriptor, sic de Prutenis, eorumq; sedibus inquit: Pruteni proximi sunt Vistulæ, siue Vandalo fluuio, qui Poloniam à Germania disterminat, hic fluit ex Silesia, Poloniaq; minori & Masouia prætérlapsa per Prussiam Gedanum usq; decurrit, ibiq; in salsum mare exoneratur.

Syluij de Prussiæ appellatione opinio. Vlmigauij. Ioannis Boemi opinio de Prussia. Miechouitæ opinio de Prussis. Prussia à Prussa Rege Bithiniæ. Romani in Prussis. Erasmi Stellæ opinio. Sebastiani Brand opinio.

Ab æquinoctio itaque Prussiam Saxonia attingit, ab occidente Pomerania, & mare Balticum, siue Germanicum, ab ortu solis Lithuaniæ, à meridie Poloniæ regno, & Masouiæ Ducatui contermina est, à septentrione Curlandia, Liuoniaq; terminatur. Regio est fertilissima frugum, pecorisq; abundans, incoluerunt illam, (maximè autem iuxta Vistulam fluuiũ) Vlmigaui, Alani, Amaxobij, Gotiq;, ut testis est locupletissimus Ptolomæus. Hæ gentes, in primis immundos spiritus, & prophanas creaturas adorauerunt, usque ad tempora Friderici Cæsaris huius nominis 2. cuius consensu & approbatione à Teutonici ordinis Crucigeris, qui primo Mariani uel Pauperiani nuncupabantur perdomiti sunt, & ad fidem Christianam conuersi, anno Domini 1216. de his fusiùs Chronica Pontificum de ordine fratrum Teutonicorum, eorumq; origine legi possunt. Poterit insuper Sebastianus Francus in secunda parte Chronographiæ suæ uideri.

Fines Prussiæ. Prussæ gentiles.

PRISCA ANTIQVORVM PRVTENOrum religio.

ANno Domini 503. Gentilibus Prutenis, siue Vlmigauis, Rex quidam Bruteno dictus, imperauit, qui cùm iustos annos ætatis consecutus esset, Regiũ sceptrum diutiùs tenere resignauit, quietam uitam ducere instituens, quocirca fratrem Veydenutum successorem sibi in Regno elegit, traditoq; fratri sceptro, ipse Bru- teno

Ab eodem Bruteno Prussiam appellatã quidam autumãt.

Kirie Kirieijto nomina Græcorum ex Bithinia idioma personant. teno summus sacerdos gentili ritu effectus est, nomenq; ei dignitatis inditum fuit, Kirie Kirieijto, quasi dicas proximus noster Dominus. Huic Pontifici suo Pruteni & idolis, præclaram sanè & cum maximo sumptu habitationem, sub quercu quadam erexerant, locoq; Romanæ à Roma nomen indiderunt. Circa hanc quercum octo ulnarum in latitudinem, & altitudinem tela optima sericea extensa fuit, in quam habitationem nemo præter Patriarcham eorum, Kirie Kirieijto dictum, & præcipuos ministros idolorum munia obeuntes intrare poterat. *Processus religionis Prussorum.* Si autem aliquis inuisendi, honorandi, adorandi uel offerendi gratia ad idola uenisset, tunc constituti Deorum ministri telā, ut idola uiderentur, à quercu semouebant. Quercus hęc tripartita fuit inter cæteras syluas quercinas delectissima in loco, (ubi nunc oppidum Heylygenbeil, id est, sancta securis, constructum est) sita erat, ex *Petun idolum.* una parte Prutenorum Deum qui Petuno, id est, fulmē dicebatur, habebant: in huius laudem & honorem ignis ex quercubus construebatur, qui die, nocteq; perpetuò ardebat, & nunquàm extinguebatur, quod si negligentia ministrorum ad hoc officium præstandum deputatorum ignem extingui contingeret, capitali supplicio afficiebantur. Ex altera *Patrimpo idolum.* parte collocatum erat Patrimpo idolum, cuius cultus erat in serpente uiuo retinendo, qui lacte, ut eò commodius uiueret, alebatur. Tertia ex parte Dæmoniacum idolum Pa*Tertium idolū Patelo.*telo nomine, situm fuit, huius honor in retinendo alicuius mortui hominis capite consistebat. Habuerunt præterea alios multos Deos quos adorabant, cultuq; Diuino prosequebantur, semper tamen inter querceta holocausta eis offerre solebant, & quod ferè res habebant, tot præsides & deos constituebant. *Vurschayto idolum.* Fuit igitur Deus singularis Vurschayto gentiliter dictus, quem magno honore uenerabantur, & pro Lare siue deo domestico super omnia mobilia, iumentaq; utpotè, equos, boues, oues, capras, sues, &c. eum præponebant. *Sneybrato idolum.* Alter Deus fuit Sneybrato dictus, hunc super anseres, gallinas, anates, columbos, pauones, &c. constituebant. *Gurcho idolū.* Tertium Deum domesticum, Gurcho dictum habebant, is omnibus esculentis, cibarijsq; præponebatur.

Præterea tonitruis, lunæ, stellis, serpentibus, bubonibus, & omnibus penè creaturis, diuinum honorem deferebant. Fuit hic populus quondam barbarus & incultus, nec ullam scripturam nouerat, propterea nec fidem adhibebant, si quispiam diceret hominem, homini per literas animum & uoluntatem aperire posse. Potus illorum aqua melli commixta, & lac equinum erat, liberales ualdè & hospitales aduenis se exhibebant.

DIVISIO PRVSSIAE IN XII. DVCATVS.

Nomina filiorum Vedenuti. Anno Diuinæ incarnationis 573. Vedenuto Princeps Prusiæ, (qui Bruteno fratri uoluntariè sceptra deponenti successit) duodecim filios procreauit, quorum hæc nomina fuēre, Saymo, Neydro, Sudo, Slauo, Natango, Barto, Galindo, Varmo, Oggo, Pomedzo, Colmo, & Lituo. Cumq; iam Vedenuto Princeps, centesimum decimumsextum annum attigisset, regiones Prusiæ inter filios diuisit, Saymonemq; natu maiorem summæ rerum præfecit. *Prussia in 12. Ducatus diuisa.* Atq; ita Prusia in 12. Ducatus, secundum filiorum Principis Vedenuti numerum diuisa est, & unusquisq; à suo Principe nomē accepit. Quos hic secundum ordinem cum sua dispositione, castrisq; & ciuitatibus, annorumq; numero, quando uidelicet à Crucigeris potissimum erectæ sint, describemus.

SVDAVIA DVCATVS I.

Primus & præcipuus Prusię Ducatus Sudauia olim erat, qui à Sudauo Vedenuti filio Principe suo, nomen sortitus est. Hic Ducatus omnes alios & præstantia, & fertilitate antecellebat: nam quocunq; tempore necessitatis, sex millia equitum, & octo millia peditum præstare ualebat. In hac regione præcipui nobiles & proceres totius Prusiæ priscorum tempore sedes suas habebant, nunc autem paludibus & syluis maximis obsitus scatet, nec ullum uestigium tam insignis & nobilis regionis remanet, pręter septem pagos, quos coloni possident, in Luptauensi territorio, tota enim est deuastata à Crucigeris ordinis Teutonici, non aliam ob causam, quam propter inobedientiam & infidelitatem. Distinguit Sudauiam à Sambia regione palus quidam, à Ducatu uerò Nadrauiensi fluuius Lawo appellatus.

SAMBIA DVCATVS II.

Sambia nunc Szamland appellata, Regio Prusiæ à Principe Saymo nomen accepit. Hęc priori cum potentia, tum fertilitate non multum cedere uidetur, poterat enim ex illa 4000. equitum & 4000. peditum congregari. A Natangia regione fluuio Pregel dicto disterminatur.

Sequuntur Castra & Ciuitatęs ad Sambiensem Ducatum pertinentes.

Lebenicht

Nomina		Anno
Lebenicht	unaquæq; earum condita anno Domini	1256.
Kneypach		1380.
Regiomontum cum castro & antiqua, (ut illi appellant) ciuitate.		1260.
Fischusia		1269.
Lechstet		1289.
Mulmelburgia		1279.

Girmauia, Rudauia, Neuhusia, Vuargia, Ceilgarbia, Bobetia, Lubtauia, Schaccia, Chremetia, Vualdouia, Tyremburgia, Bonundia, Rositta, Caymen.

His nominibus arces in Sambia olim appellabantur cum suis ciuitatibus, quę omnes à Crucigeris benè mutatæ & fossis cinctæ extiterunt, nunc quædam arces in curias iudiciales redactæ sunt, quarundam etiam magna pars, humi prostrata iacet.

NATANGIA DVCATVS III.

NAtangia Regio à Principe Natango nomen ducit, quæ à Bartia Regione flumine, Alla nominato, secernitur, à Pomesania Passaria fluuio, disterminatur. Regio est optima, arces & ciuitates plurimas, prout inferius ordine descriptæ sunt, habet.

Nomina		Anno
Valdouia ciuitas	conditæ sunt anno Domini	1256.
Girdauia ciuitas		1326.
Cintia oppidum		1313.
Creneburga ciuitas cum arce		1253.
Hesligenbeil oppidum		1301.
Fridlandia ciuitas		1312.
Schippenbeilia ciuitas		1319.
Brandenburga oppidum cum arce		1362.
Balga arx		1239.
Damnouia ciuitas		1400.

NADROVIA PROVINCIA IIII.

REgio Nadrouia à Principe Nadro denominata est, eam à Natangia fluuius Pregiel disterminat, à Slauonia Nara amne distinguitur. Hæc maiori ex parte à fratribus ordinis Teutonici, propter infidelitatem incolarum deuastata est, reliquiæ eius & uestigia reperiuntur, casæ & tuguria in quibus piscatores habitant.

SLAVONIA DVCATVS V.

SLauonia Regio quondam Priscorum Prutenorum temporibus, pro Ducatu computabatur, à Principe Slauo nomine denominationem accepit, ex maiore parte à Lithuanis, Crucigerisq; depopulata est, eam à Lithuania Memula fluuius disterminat. Has infra scriptas munitiones & arces complectitur cum ciuitatibus & oppidis,

Nomina		Anno
Ragneta	His annis incarnationis Diuinæ, à Crucigeris fratribus constructæ sunt	1253.
Tilsa		1289.
Renum		1376.
Liccouia		1278.
Salauia		1385.
Labia		1258.
Tapia		1255.
Vintburgia		1409.
Christouerder		1253.
Boytia		1338.
Cestia		1185.
Norbeitia		1382.
Vonsdorfa		1391.
Angerburgia		1412.
Dringofortia		1468.

BARTONIA DVCATVS VI.

BArtonia à Barto Principe nominis etimologiam ducit, cum Lithuanis & Moschouitis terminis disceptat, à Lithuania 70. stagnis & solitudine, à Galindia uerò flumine quodam finitur, nunc magna ex parte à Lithuanis & Crucigeris peruastata est. Arces has cum oppidis, à Crucigeris correctas complectitur.

Nordemburga	His annis hæ munitiones à Crucigeris erectæ sunt	1505.
Iohansburga		1268.
Gurgburga		1259.
Insterburga		1342.
Rihteuerder		1396.
Bartonia		1365.
Rhenum		1375.

GALINDIA REGIO VII.

HAec Regio à Galindo Principe Galindia nuncupata est, cuius Masouiæ sylua ingens à Meridie fines excipit, quondam tam populosa fuit, ut successu temporis, populus in ea progenitus, locum non haberet. Unde præpositi regionis obstetricibus seuerè mandarunt, ut nullam fœminei sexus, post partum prolem, hac luce frui permitterent, quam rem cum minus obseruatam animaduerterent, mamillas fœminis ne amplius prolem educarent, amputarunt, quod facinus mulieribus summæ tristitiæ, & miseriæ causa fuit. Erat autem in illa regione mulier quædam autoritate nomine & potentia clara, quæ pro Prophetissa habebatur: oracula enim interrogantibus dabat. Huic cum mulieres calamitates suas exposuerunt, Prophetissa illa, miseræ sorti fœmineæ condolens, dolos quibus uiros circumueniret, & perpetratum facinus ulcisceretur, expiaretque, indagare, cogitareque cœpit, conuocatisque omnibus proceribus, & nobilioribus uiris Galindiæ, monuit eos, ut Christianis bellum, sine ullo armorum genere (euentus enim rerum prædicere solita erat) quam celerrime inferrent, hanc enim uoluntatem Deorum esse seriò affirmabat, quibus Galindæ auditis, sine ulla mora (certum enim esse credebant) iuuenes, senesque ualida manu inermes in Polonorum & Masouiorum Christianorum prouincias, cum impetu excurrunt, nactaque ingenti hominum, & iumentorum præda, ad sua proficiscuntur. Interim uerò captorum Christianorum aliquot aufugiunt, continuoque reliquis Christianis nunciant, quomodo Galindi sine armis in terram erumperint. Christiani re intellecta benè armati Galindos assecutos, maxima, cruentaque strage profligant, prædamque repetunt, bellumque continuantes, fugientes hostes in regionem usque eorum persequuntur, quam armis & igne euertunt, reliquias tam matronarum, ancillarum, & iuuenum, in captiuitatem abducunt. Has ciuitates & munitiones Galindia complectitur.

Grande facinus.

Fraus mulieris

Pruteni in Masouiam excurrunt.

Masoui Prutenos profligant.

Orteleburgum castellum	Anni instaurationis eorum	1266.
Rastemburgum oppidum		1329.
Neyburgum arx & oppidum		1238.
Passenhumia oppidum		1388.
Dreschlouia arx & oppidum		1338.
Lucia castellum		1348.
Lucemburgia oppidum		1349.

VARMIA REGIO VIII.

VArmia siue Vuermelandia Regio, à Vuarmo Principe nomen sortita est, à Pomesania Prouincia stagno, & flumine passaria discernitur, à Natangia paruis quibusdam fluuijs, has arces cum ciuitatibus complectitur.

Ressel arx & ciuitas	His annis sunt extructæ	1337.
Sreburg arx		1348.
Bichofstein ciuitas		1325.
Vuartemburga ciuitas		1325.
Allenstein arx & ciuitas		1367.
Melsatia arx & ciuitas		1326.
Helsberga arx & ciuitas		1320.
Vuermeditum arx & ciuitas		1316.
Gulstadia ciuitas		1326.

HOGKER-

HOGKERLANDIA PROVINCIA IX.

HOgkerlandia siue Pomesania, à Principis nomine Hogo appellata est, eam à Natangia, Passaria fluuius separat, à Pomesania duo fluuij Melfink & Drasen appellati, hasc arces cum oppidis complectitur.

Brandemburgum castrum & oppidum	His annis extructa sunt	1 2 5 8.
Frauemburgum oppidum		1 2 7 9.
Tolkiemit oppidum		1 3 6 5.
Munhusia castellum		1 3 6 5.
Scharpouia prædium		1 4 0 0.

Elbingense castrum constructum anno 1 2 3 7.
Ciuitas uerò ipsa Elbinga celebris & populosa emporio clara instaurata est anno 1 2 3 9.

CVLMENSIS DVCATVS X.

CVlmia Regio Prussiæ, à Culmo Principe denominationem trahit. A' Polonia & Pomerania Vistula fluuio secernitur, à Pomesania flumine Ossa, à Michlouia uerò & Dobrinia territorij Drebnicz fluuio, fines suos dirimit, has ciuitates & munitiones habet.

Culmina ciuitas ampla	Erectæ sunt annis hisce	1 2 2 3.
Vuentslauia arx		1 2 1 5.
Aldusia castrum		1 2 3 8.
Grandentz arx & ciuitas		1 2 9 9.
Gugeleburga ciuitas		1 2 3 0.
Schonse arx cum ciuitate		1 3 0 5.
Strasburga arx & ciuitas		1 2 8 5.
Bartonia arx		1 3 4 6.
Neumarckt ciuitas		1 3 2 5.
Rogosna arx		1 2 9 3.
Colmense ciuitas		1 2 5 1.
Torunia arx cum ciuitate amplissima, emporio clara ad Vistulam condita		1 2 3 5.
Papauia arx		1 3 7 5.
Frideck arx		1 3 3 1.
Lipno arx		1 3 1 9.
Lesna ciuitas		1 3 2 8.
Golba arx & ciuitas		1 3 0 0.
Luben arx cum ciuitate	hisce annis extructæ	1 2 3 3.
Reden ciuitas cum arce		1 2 3 3.
Bergelauia arx		1 3 0 5.
Lautergurgia arx		1 3 0 1.

Huius Ducatus Titulo Rex Poloniæ utitur.

POMESANIA PROVINCIA XI.

POmesania à Pomesa Principe, finitur ab alijs Regionibus Vistula, Elbinga, Drusno, Drobnicz, Vuessera, multæ in ea præclaræ arces & ciuitates, ut sequitur habentur.

Marienburga ciuitas ampla, anno Domini 1 3 0 2. extructa est, arx uerò anno 1 2 8 1. à fratribus Teutonicis erecta sub Magistro ordinis Hartmanno Comite Heldrouiensi, natura loci munitissima, uallocp fortissimo & fossa profunda circumducta, muro & propugnaculis, ac commeatu copioso, apprimè firmata, Regis Poloniæ præsidijs tenetur.

Newtichia oppidum		1329.
Stum arx cum ciuitate		1249.
Christburga arx & ciuitas		1258.
Preusmarck arx		1329.
Salfeld ciuitas		1328.
Merinek arx cum ciuitate		1290.
Holand arx & ciuitas		1329.
Lubstadia ciuitas	Hæ ciuitates	1302.
Ossterrade arx & ciuitas	cum suis mu	1270.
Rosenburga arx cum ciuitate	nitionib. his	1289.
Marienuerder arx cum ciuitate	annis extru-	1311.
Garnesia ciuitas	ctæ sunt	1328.
Germanica Eilouia arx cum ciuitate		1337.
Lebmulia ciuitas		1357.
Hohenstein ciuitas		1301.
Schonembergia arx		1319.
Rosembergia ciuitas		1315.
Eilemburga ciuitas		1299.
Neumburga ciuitas cum arce		1289.
Salauia ciuitas cum arce		1306.

MICHLOVIA PROVINCIA XII.

Michlouia admodum angusta terra est, inter Brodnam & Drebniez fluuios iacet. Huius causa Poloni cum fratribus Teutonicis perpetuas rixas fouebant, nullam arcem præter unam ciuitatem Strasburgam, & tres munitiones, Berklij, Domik, & Michlouiam habet.

Pomeraniæ Regionem amplissimam, longo tractu mari adiacentem, unde & nomen habet, in Poloniæ Regionum descriptione, latius indicabimus. De qua multa bella Poloni cum Prutenis gentilibus, & Crucigeris habebant, in hac sita est celeberrima urbs Gedanum, siue Dantiscum appellata, à mari Germanico uno miliari abest, eam celeberrimus fluuius Vistula præterlabitur, ibidemque amplissimis ostijs in mare exoneratur. Celeberrimum in ea totius Pomeraniæ, & Prussiæ emporium est, Regij Poloniæ subiecta, anno Domini 1285. translata.

Dantiscum.

PRuteni Gentiles barbarie indomita rigentes, peruersi & infideles erant, uanas creaturas quaslibet pro Dijs colebant, nec se ad fidem Christianam conuerti patiebantur. Idiomate proprio à Liuonico non dissimili utebantur, Polonis & Masouitis tributarij erant, sed frequenter nacta occasione iugum excutiebant, ideò multa bella longo tempore Poloni cum eis tenuerunt. Postea anno Domini 1211. Conradus Masouiæ Princeps ex Regibus Polonorum genus ducens, à Prutenis Gentilibus sæpius uarijs excursionibus infestatus, ad Imperatorem Fridericum huius nominis 2. legatos destinauit, implorans auxilia aduersus infideles Prutenos, qui libenter fratres ordinis Teutonici Crucigeros à Saracenis tunc temporis Hierosolyma pulsos, in Prussiam 20000. misit, quibus Princeps Masouiæ Culmensem terram in primis donauit, cum arce Dobrzinensi, hac conditione, ut tempore necessitatis subsidium sibi contra infideles Prutenos ferrent, Prussiamque subiugatam insimul partirentur. Hic quædam de origine Crucigerorum Teutonici ordinis subiecimus.

Crucigeri in Prussiam ueniunt.

ORIGO ET PRINCIPIVM TEVtonici ordinis.

ANno Domini 1188. cum Balduinus Rex Christianus Hierosolymis regnaret, Saraceni & barbari ex arce nomine Ptolomaida, Latinè Acons, Germanicè Acris dicta, uarijs excursionibus Sanctam terram infestare solebāt. Quamobrem Rex contra barbaros Saracenos auxilium petijt à Christianis. Longobardi igitur sexaginta galeras, & in hijs quinquaginta millia uirorum, in subsidium miserunt, cum quibus multi homines probi piæ peregrinationis causa, in terram sanctam profecti sunt. Horum numerus erat 500. partim ex Saxonia, partim ex alijs prouincijs Germaniæ, qui omnes in unam nauem cōgregati, Aconā usque peruenerunt, ubi per integrū annum, cum infinita multitudine Christianorum, Aconam antequam caperetur, oppugnauerunt, in oppugnatione multi Christianorum telis barbarorum læsi erant, undè in morbum inciderunt,

Expeditio Christianorum in terram sanctā.

derunt, passimq; sparsi cum neminem in terra aliena, qui subleuaret inopiam haberent, multi fame perierunt. Erant autem ex peregrinis præcipui, octo boni & pij uiri Teutones, qui cum uiderent Christianos tam misere interire, commiseratione ducti curam illorum susceperunt, diligentiaq; illorum plurimi infirmi conualuerunt. Postea Xenodochium, siue hospitale sub titulo Beatæ uirginis Mariæ, Aconæ erexerunt, primusq; Xenodochij præfectus Henricus de Vualpot electus est, ex Germania oriundus, hic maximam diligentiam, in fouendis infirmis & egenis adhibuit, ultimum diem Aconæ peregit, ibidemq; sepultus est, anno Domini 1190. Postea Balduinus Rex, Hierosolymis templum, & Xenodochium, pro pauperibus, & pluribus nobilibus infirmis, qui in bello Aconiensi læsi erant, extruxit, sub titulo Beatæ uirginis Mariæ.

Hospitale Beatæ Mariæ uirginis Hierosolymis.

Tandem anno 1191. Clemens Papa huius nominis 3. hunc ordinem confirmauit, & intitulationem dedit fratribus Teutonicis, Xenodochij Hierosolymitani Beatæ uirginis Mariæ. Præterea D. Augustini, regulam illis seruandam imposuit, Stemmateq; cum cruce nigra eos insigniuit.

POSTEA Patriarcha Hierosolymitanus, singulos fratres Teutonici ordinis à Pontifice Romano confirmatos, alba chlamide ex utraq; parte crucem nigram habente ornauit, sicq; illi habitum suum susceperunt. Fuerunt qui uestiti sunt 24. fratres laici, & 7. sacerdotes. His lorica indutis, gladio accincto, missam celebrare concessum erat, nullus barbam tondebat, & super sacum straminae impletum, regula iubente, dormiebant, sed statim hæc mira quadam metamorphosi immutata sunt.

1 Habitus Crucigerorũ Teutonicorum.

Secundus Henrico de Vualpot, primo Magistro Xenodochij Hierosolymitani, Otto de Karpen nobilis Germanus, in Magisterio successit, anno Domini 1200. sub Imperatore Romanorum Philippo, huius nominis 2. & Innocentio summo Pontifice, hic in humilitate, & cordis simplicitate, Deo & fratribus seruiuit. Sexto anno officium absoluit, Aconæq; sepultus est.

2

Tertius Ordinis Magister Hermannus Bart Olsacensis, electus est sub Pontifice Innocentio 3. & Philippo 2. in ordine Germanorum Imperatorum 22. anno 1206. præfuit officio 4. annis, pauperibus quantum potuit satisfecit, Aconæ sepultus est.

3

Quartus Hermannus à Salzen, nobilis Misnensis, Ottonis & Friderici secundi, Imperatorum, Innocentij 3. & Honorij, Gregorijq; 9. Pontificum temporibus, anno Domini 1210. electus est. Hic omnium præclarissima Priuilegia Ordini à Pontifice, & Friderico secundo, Cæsare consecutus est. Nam cum simultates, & odia inter Pontificem Romanum, & Fridericum Cæsarem exortæ essent. Ille huiusmodi cladem prudentia sua è medio sustulit, sub eo Conradus Marchio Thuringensis habitum suscepit, duo millia nobiles, & auratos equites Germanos in ordine habuit, quos 30. continuis annis rexit, eius temporibus fratribus ordinis à Saracenis Hierosolyma pulsis, Prussia concessa est, Regum Poloniæ, Conradiq; Ducis Masouiæ, & Imperatoris Friderici 2. concessu. Quorum 20000. in Prussiam uenerunt Prussosq; Gentiles auxilio Polonorum, ex terra Culmensi eiecerunt.

4

Poloni & Masouita Prussiã Crucigeris concedunt.

Quintus Magister Conradus, Thuringorum & Cathorum Landgrauius, sub Celestino 4. Pontifice, & Friderico 2. Imp anno 1240. electus est, habitum Mariemburgæ, in Prussia suscepit, cum multis nobilibus adolescentibus, & uiris eximijs, ac prudentibus, cum Prussis Gentibus, multa bella gessit, magnoq; labore fines Regionum ordinis dilatauit, & si quæ ruinam minarentur, illas resarciens optimè conseruauit. Postea è uiuis excessit, Mariemburgæ sepultus.

5

Sextus Ordinis Magister Poppo ab Osternaw electus est, Conradi 4. Imperatoris, & Innocentij 4. Pontificis temporibus, anno 1252. Multa præclara bella cum Prutenis, Liuoniensibus, & Swantopolo Duce Pomeranorum gessit, postea ante Ligniciam ciuitatem cum Conrado Silesiæ Duce, sanctæ Heduigis marito, à Tartaris totam ferè Sarmatiam uastantibus, interemptus est, à Christianis uerò Vuratislauiam delatus, ibiq; in Basilica Diui Alberti, terræ mandatus est, huius Magistri tempore Regiomontum constructum est.

6

Septimus Magister, Ioannes Sangerhusensis, officium suscepit tempore Vilhelmi Comitis Flandriæ, Rom. Imp. & Alexandri 4. Pontificis, anno 1263. Infidelium Prutenorum, uires mirabiliter diminuit, ordoq; eo præsidente, plurimum profecit, Dominicanorum monasterium Toruniæ fundauit, Brandemburga quoq; ciuitas cum arce, eius temporibus ædificata est, anno Domini 1266. Tapia quoq; munitio erecta. Annis 12. præfuit, Treueris sepultus est.

7

Octauus Magister, Hartmannus, Comes Heldringensis constituitur, sub Rodolpho 37. Imp. Habsburgensi Comite, & Clemente 4. Pontifice, anno Domini 1275. uir pius

8

& industrius

& industrius extitit, Nadrauiam, Sudauiamq; Regiones Prussiæ debellauit, cum menterisq; finitimis longas acies tenuit. Eo præsidente, anno 1279. Menia ciuitas ædificata est. Anno uerò Domini 1281. Marienburgense castrum erectum est. Venetijs ultimum diem clausit, ibidemq; sepultus est.

9 Nonus Magister Burchardus à Swenden, sub Rodolpho Cæsare 27. & Pontifice Ioanne 21. electus est, anno 1283. eo præsidente fratres ordinis, cum Prussis infidelibus bellum acre larga sanguinis effusione gesserunt, eosq; in integrum ad obedientiam compulerũt. Postea 7. annis in officio expletis, Magistratu se abdicauit, mortuus est Rhodijs, ibidemq; ad Basilicam S. Ioannis sepultus.

10 Decimus Magister, Conradus de Feuchtwangen, munus Magisterij suscepit, sub Adolpho 28. Imp. & Nicolao 4. Pontifice, anno 1290. eo præsidente ordo multum profecit, 7. annis fratres in officio continuit: Pragæ Bohemiæ metropoli spiritum exhalauit, Trebniciæq; sepultus est.

11 Vndecimus Magister Gotfridus, Comes de Hohenloh electus est, sub Cæsare Adolpho 28. Germanorum Imperatore, & Pontifice Celestino quinto, anno Domini 1297. Hic Venetia cum multis fratribus in Prussiam profectus est, decem annis officium gessit. Postea Comitijs celebratis, Magisterium resignauit, in Germaniamque profectus, è uiuis excessit.

12 Duodecimus Magister Sigfridus de Feuchtwangen, anno 1307. creatus est, Alberti Imp. Austriæ Ducis, & Clementis Pontificis temporibus. Hic sedem Venetijs, Prussiæ castrum Mariemburgam transtulit: nam in terra sancta, Venetijs, Neapoli, & in Anglia sedes suas, & præclara ædificia propter quasdam simultates amiserant. Duobus annis officio præfuit, Mariemburgæ mortuus est.

13 Decimus tertius Magister, Carolus Beffart susceptus est, sub Henrico 7. Imperatore, & Clemente 5. Põtifice, anno 1309. erat insignis uir prudens, & industrius, anno Domini 1312. eo præsidente, Memula arx, in Curlandia Regione Prussiæ fundata est, ad propulsandos Lithuanorum incursus. Tandem prædictus Magister à Pontifice Romam citatus, adeò crimẽ obiectum auxilio Dei diluit, ut in aduersariorum caput redundaret. Roma uerò discedens, in itinere, Viennæ morbo oppressus expirauit, ibiq; tumulatus est. Huius tempore pestis per integrum annum tantoperè grassauit, ut omnia frumenta penuria hominum in agris manerent.

14 Decimus quartus Magister Vernerus Vrselensis, temporibus Cæsaris Ludouici 33. & Ioannis Pontificis 22. suscepit officium suum, anno 1322. ordini cum summa laude præfuit, citò post interemptus est, à fratre ordinis Ioanne Bunsdorfiò, in uigilia S. Elisabeth, cum ex uespertinis precibus egrederetur.

15 Decimus quintus Magister Ludolphus Dux Brunsuicensis, sub Ludouico 33. Cæsare, & Ioanne Pontifice 22. Magisterij celsitudinem suscepit, anno 1325. uir pius & sapiens extitit. Fratres ad cultum Diuinum summopere compulit, largeq; illis omnia ministrauit, ideò eos liberalitate obedientes sibi effecit. Iusticiam magnopere administrauit.

16 Decimus sextus Magister Districhus, Comes Aldemburgensis, octogenarius iam electus est, temporibus Ludouici 33. Imp. & Ioannis 22. Pontificis, anno Domini 1329. eloquentia ualidus, autoritate grauis, iusticiaq;, rigidus extitit, gentilibus terrori fuit, templum Beatæ Mariæ uirginis Mariemburgæ extruxit, Toruniæ obijt, translatus Mariemburgam, in templo S. Annæ sepultus est.

17 Decimus septimus Magister Rodolphus Dux Saxoniæ, Ludouici 33. Imperatoris, ac Benedicti undecimi Pontificis tempore, in officium susceptus est, anno Domini 1339. Hic anno Domini 1341. magnas copias conscripsit, Neumarcouiamq; oppugnauit. Interim uerò Lithuani Prussiam inuaserunt, eamq; ferè totam igne, & cædibus consumpserunt, multos captiuos abducentes, quæ causa illi tantum mœrorem attulisse creditur, ut mente captus, ab officioq; depositus, præ mœrore uitam terminârit, in Marienuerderq; ciuitate sepultus est.

Lithuani Prussiam inuadunt.

18 Octodecimus Magister Henricus Dusmariensis, Clementis 6. Pontificis tempore, officij dignitatem consecutus est, 6. annos in regendo ordine consumpsit, cum Lithuanis & Ruthenis bellum egregium, in die Purificationis Beatæ Mariæ gessit, auxilioq; Diuino 10000. inimicorum prostrauit. E' uiuis postea decessit, Mariemburgæq; humatus est. Hic uirginum Cœnobium, Lebenich dictum, Regiomonti erexit.

Lithuani prosternuntur.

19 Decimus nonus Magister Henricus Kniprodiensis, Carolo Cæsare 34. & Clemente 6. imperantibus, ad dignitatem Magisterij accessit, anno 1348. Eo præsidente ordo doctis uiris abundauit, fratres in timore & amore Dei instruxit, annis 31. officio præfuit: Mariemburgæ uitam terminauit, ibidemq; sepultus est.

Vigesimus

20 Vigesimus Magister Conradus Zolner, temporibus Venceslai 33. Imperatoris Romani, & Vrbani 6. Pontificis, ad officium uocatus est, anno Domini 1379. multa egregia bella & facinora contra Gentiles, Lithuanos, & Samogithas temporibus Keystudi, Iagielonis, Vitoldi, & Suidrigilonis Ducum Lithuaniæ gessit. Ordinem in potestate octo annis tenuit, Mariemburgæ naturæ debitum persoluit.

21 Vigesimus primus Conradus Valenrodensis, Venceslai 33. Imperatoris, & Bonifacij Pontificis tempore, magnus Magisterij oblatum suscepit, anno 1388. uehemens, & iracundus extitit, totis uiribus bello incumbebat, Monachos, Sacerdotes, & omnes Ecclesiasticos furore percitus, odio persequebatur, nullumq; in hora mortis ad se uenire passus est. Anno 1391. fratres ordinis, armata manu, per fluuium Crononem, Lithuanis Nemen dictum, ad arcem Cawnensem in Lithuaniam nauibus, terraq; peruenerunt, ibique tres munitiones celerrimè erexerunt, Newerder, Riteuerder, & Metemburg appellatas, ex his Crucigeri Lithuanis, magna damna inferebant, Regionem igne & ferro uastando, incolasq; occidendo.

22 Vigesimus secundus Magister Conradus de Iungingen, ad munus obeundum uocatus est, Venceslao 33. Imp. & Bonifacio Pontifice præsidentibus. Hic propter morũ probitatem magnam laudem apud omnes obtinuit, pacisq; obseruantissimus erat, ideò ab ordinis fratribus, cum multa pati oportebat. Annis 12. officio præfuit. Postea ex carceribus corporis liberatus, Mariæburgæ in D. Annæ templo humatus est.

23 Vigesimus tertius Magister Vlricus de Iungingen, Conradi frater, Ruperto 34. Cæsare, & Gregorio 12. Pontifice, munia obeuntibus, officiũ suscepit anno 1404. Strenuus & bellicosus uir extitit, regulas ordinis non admodùm obseruauit, consanguineos odio persequebatur, illorumq; arces partim eripuit, partim destruxit. Cum Lithuanis & Polonis plurima bellis gessit, hũc postea Iagielo Rex Poloniæ, & Lithuaniæ magnus Dux Vitoldus, cruento prælio profligauit, ubi & ipse cum plurimis Commendatoribus quorum 200. recensentur cecidit. Dux quoq; Stetinensis & Olesnicensis, Kerczdorffq; Dux exercitus Crucigerorũ, à Polonis capti: 5000. Crucigerorũ à Polonis cæsa sunt. Lithuanorum tamen in castris Polonorum militantium 7000. trucidata, fugataq; in primo conflictu.

Crucigeri profligantur.

24 Vigesimus quartus Magister Henricus Comes Plauensis, sub Sigismundo 35. Imp. & Ioanne 23. Pont. electus est. Hic uolebat ulcisci iniuriam, quæ à Polonis Crucigeris illata erat, sed antequam quicquam inciperet ab officio deiectus est, & Engelsburgæ in carceres coniectus, deinde ad Leksteg missus, ubi 7. anno in uinculis peracto, fatis concessit, sepultus Marienburgæ.

25 Vigesimus quintus Michaël Sterbergensis, Imperatoriæ culinæ Magister, Sigismundo 35. sceptrum tenente, & Ioanne 23. Rom. Pont. ordini præpositus est, anno Domini 1410. Primo anno cum suscepisset officium Iagielo Rex Poloniæ, & Vitoldus Dux Lithuaniæ, Osterrodam, Helsburgensemq; Episcopatum, Resenburgam, Elbingam, & Christburgam ciuitates, depopulati sunt. Argentoratum obsederunt, re tamen infecta discesserunt, nouem annis ordinis curam gessit: postea ut deponeretur precibus obtinuit, Gedani uitam finiuit, Marienburgæ uerò sepultus est.

Poloni cum Lithuanis Prussiam uastant.

26 Vigesimus sextus Paulus Rusdorfiensis, Sigismũdi 35. Imp. & Martini Pont. tempore, Magisterij celsitudinem consecutus est, anno Domini 1419. Huius tempore prouinciæ & ciuitates Prussiæ ad Regem Poloniæ Casimirum defecerunt, & iugum Crucigerorum excusserunt, officium 9. annis hic Magister retinuit, mortuus tandem, Marienburgæq; sepultus.

Ad Polonos Pruteni deficiunt Crucigeros spernentes.

27 Vicesimus septimus Conradus ab Erlingshausen, Alberti 36. Rom. Imp. tempore officium suscepit, anno 1438. Hic à bello quo aduixit abstinuit, nimio dolore ob fratrum peruersitatem consumptus est, Marienburgæ mortuus, ibidemq; sepultus.

28 Vigesimus octauus Ludouicus ab Erlingshausen, sub Cæs. Friderico huius nominis 3. fratres regere cepit anno 1450. Huius tẽpore Prussia ab ordine desciuit, ad Regemq; Poloniæ Casimirum maior pars eorum defecit. Milites quoq; ordinis præsidiarij, Marienburgam Regi anno Domini 1457. pro summa 476000. florenorum uendiderunt, cum alijs castris & ciuitatibus. Postea Rex Poloniæ capta arce Choijnicze, pacem cum Crucigeris inijt, atq; ab hoc tempore Pomerania Regno Poloniæ adiuncta est, pro qua Poloni 150. annis perpetuò cum Crucigeris belligerabant.

Pruteni Crucigerorum iugũ excutiunt.

Marienburga uenditur.

29 Vigesimus nonus Henricus Rhews, Comes Plauensis, dignitatem Magisterij assecutus est, sub Friderico huius nominis 3. Imp. anno Domini 1467. Vndecim hebdomadis officio præfuit, Regiomonti in Cathedrali Ecclesia terræ mandatus est.

30 Trigesimus Magister Henricus Comes Richtenbergẽsis, anno 1470. officium suscepit, præsidentibus Friderico 3. Imperatore, & Sixto Pontifice huius nominis 4. Fuit uir rigidus,

gidus,furibundusq́;,Theodorum Epiſcopum Pruſsiæ captum,in uinculis fame peremit. Ordini annis 7.præfuit, Regiomonti ſepultus eſt, huius tempore bellum ſacerdotum in Germania fuit.

Bellum ſacerdotum.

31 Trigeſimus primus Martinus Truchſes Vueczhauſenſis, ſub Friderico 3. Imperatore,& Sixto 4.Pontifice ordini præfectus eſt, 12.annis præfuit, Caſimiro Regi Poloniæ, obedientiam præſtitit,Regiomonti mortuus,ibidemq́; ſepultus eſt.

32 Trigeſimus ſecundus Magiſter Ioannes de Tiefen ex Heluetia, celebri familia oriundus,Maximiliano ſceptrum tenente,& Iulio Pontifice præſidente, ordinem in tutelam ſuſcepit,anno 1489.Eodem anno Poloniæ Regi,iuramentum præſtitit.Poſtea eidem Regi Ioanni Alberto,auxilium contra Valachos ferens, cum exercitu profligatus, ipſeq́; peremptus eſt.Regiomontum delatus,ibidem terræ mandatus.

33 Trigeſimus tertius Fridericus Dux Saxoniæ, Thuringorum & Hermandurorum Marchio,Maximiliani Imperatoris,& Iulij Pontificis temporibus,anno Domini 1498. In feſto D.Michaëlis Regiomonti Magiſtratum ſuſcepit.Nunquam Regi Poloniæ iuramento ſe obſtringere uoluit, qua de cauſa à Polonis ſæpiùs infeſtatus,in patriam ſuam Hermanduriam profectus,ubi 12.annis extra Ordinis fines exactis,mortuus eſt. Huius tempore Ioannes Albertus Rex Poloniæ è uiuis deceſsit,cui in Regno Alexander frater germanus ſucceſsit.

34 Trigeſimus quartus Albertus Marchio,Brandenburgenſis, Caſimiri Regis Poloniæ Nepos, Maximiliani Cæſaris, & Iulij Pontificis temporibus, Ordini ſolenniter cum ingenti pompa Regiomonti præfectus eſt,anno Domini 1512. Sigiſmundo Regi Poloniæ auunculo ſuo, iuramentum præſtare noluit,ſed arces neceſſarijs omnibus muniuit, ut ſe contra Polonorum incurſum defenderet,magnum & diuturnum bellum cum Rege Poloniæ habuit,in quo ex utraque parte multi ceciderunt,eam ob cauſam,quod iuramento ſe obſtringere Regi noluiſſet.

GESTA HVIVS MAGISTRI TEMPORE præcipua.

ANno Domini 1519.in Autumno,inter Sigiſmundum Regem Poloniæ, & Magiſtrum Pruſsiæ Albertum Marchionem,bellū ortum eſt,anno 1520. Albertus Marchio,die feſto Circumciſionis Chriſti,Bransbergam inopinatè occupauit. Eodem anno, Mielzak,Milimlijn,Regi traditæ ſunt,cum alijs plurimis ciuitatibus, caſtriſq́;. Quadrageſimali tempore menſe Aprili copiæ Regis Oland,ciuitatem & arcem ſub Magiſtro,cœperunt,eodem anno Brandemburga arx & ciuitas à Polonis capta & depopulata eſt.

Anno Domini 1520.Vuolfangus Dux Schonemburgēſis cum exercitu ordinis decem millibus peditum,& 4000.equitum coniungens,Gedanum oppugnauit,ex epiſcopiiq́; monte, (ut uulgò uocant) ciuitate imminenti 4000. globos tormentorum bellicorum,in ciuitatem fruſtra tamen exonerauit,nullum enim hominem læſit,ſibi uerò ingens damnum in tormentis & globulis intulit:nam ex muro ciuitatis tormentum unum præſtantiſsimum,in mille fruſta concuſſum eſt,& ſi aliquis ex exercitu ſe oſtenderet, in hunc quatuor uel quinque tormenta ex turribus ciuitatis exonerabantur,tantaq́; miſeria & penuria omnium,Crucigerorum milites afflicti erant,ut multis ſuorum deſideratis, quibuſdam captis, fuga ſibi ab obſidione conſulere cogerentur. Interea uerò Poloniæ Rex,in ſubſidium Gedanenſibus 12000.equitum electorum miſit,qui milites Crucigerorum à Gedani obſidione diſcedentes,inſecuti ſunt, plurimosq́; ex eis trucidauerunt, quoſdam captiuos abduxerunt,multi etiam à Caſſubijs & Pomeranis iugulati ſunt.Poſtea Regius exercitus Dirſchouiam & Stargerdum arces occupauit, Choynicz quoq́; arx cum ciuitate capta eſt,poſtea cæteræ ciuitates & arces ultro ſe Regi Poloniæ obtulerunt,& milites ordinis una cum Crucigeris ex Pruſsia ſunt eiecti.

Crucigeri à Gedano fugantur.

Crucigeri ex Pruſsia eijciuntur.

Anno Domini 1525.die 8.Aprilis,Pruſsia quam primùm religioſi Crucigeri uidelicet tenuerunt,in mundanam policiam & principatum ſæcularem ceſsit. Albertus enim Marchio Brandenburgenſis in ordine 34.& ultimus Magiſter Crucigerorum , belli cum Rege Poloniæ pertæſus,difficileq́; contra ſtimulum calcitrare uidens,Regem ſibi per internuncios fratres & affines ſuos reconciliauit,Cracouiamq́; ueniens iuramentum ſolenniter Regi Poloniæ Sigiſmundo,in Maieſtate Regia ad id fabricata, in medio foro Cracouienſi ſedenti,Regalibusq́; induto præſtitit,multis principibus. Ibiq́; prædictum Albertum Marchionem Brandenburgenſem,poſt iuramentum ſolenniter præſtitum,Sigiſmundus Rex,Principem ſæcularem,equitemq́;(ut uocant)auratum creauit. Terraſq́; omnes Pruſsiæ certis ſub conditionibus,eidem ut feudali, clientiq́;,& ſubdito ſuo cōceſsit, uexillumq́; illi ſuum ſub inſignijs Polonicis dedit.Atq; hic finem ordo ille ut uocant Teutonicorum

Magiſter Pruſsiæ iuramētum Regi præſtat.

tonicorum Crucigerorum, in Prusia anno Domini 1526. Alberto Prusiæ Duci, soror Regis Daniæ, in matrimonium data est, ex qua suscepit filium, Albertum Fridericum modernum Ducem Prusiæ, qui etiam post mortem patris, Regi Poloniæ iuramentum, homagiumq; solenniter præstitit, nunc quo ordine, & quibus ceremonijs hoc iuramentum præstitum sit, quoniam ipse præsens rerum spectator fui, breuiter dicam.

Anno Domini 1569. mense Iulio in Comitijs Regni generalibus, Lublini celebratis, Albertus Fridericus Marchio Brandenburgensis, Alberti Ducis Prusiæ prædicti filius, patri in Principatu succedens, iuramentum Regi Poloniæ præstitit, hoc modo. Decima nona die Iulij, amplissimum suggestum (siue Maiestas ut dicitur Regia) tectum sericeis, & stragulis, tapetisq; pretiosis, in suburbio Lublinensi sumptuosè erigitur, ubi Rex sessurus esset. Concursus fit ad forum immensæ hominum multitudinis, opplentur uiæ, omnesq; plateæ quacunq; incessus erat, satagit pro se quisq; uel ornatus splendido uestitu, uel armis instructus apparere. Interim Maiestas Regia ex arce in thronum proficiscitur, cingitur ingenti, & splendida Senatorum, Procerumq; uniuersi Regni corona, præcedentibus Principibus, uiris, ac omnis ordinis consiliarijs, & aulicis. Vexillumq; pulcherrimum & amplissimum album, nouo Duci, de more, cum insignijs donandum, Erasmus Debinski, Cancellarij Regni filius, præferebat, postea Rex in domum quandam suggesto oppositam diuertitur, ibiq; ornatu Regali induitur, Sandalijs uidelicet aureis, alba Dalmatica, & Chlamide, siue Piuiali ex panno aureo confecta, & corona Regia aurea gemmis, lapidibusq; prætiosis concinnè, affabreq; ornata, chirothecas quoque annulis, gemmisq; ornatas manibus imposuit. Induta Maiestas Regia ornamentis Regalibus de modo illa in suggestum procedit media, inter Reuerendissimos Dominum Iacobum Vchanski Archiepiscopum Gnesnensem, Primatem Regni, ac Dominum Padniewski Episcopum Cracouiensem, præcedentibus, & subsequentibus contiguè primarijs Dominis, Consiliarijs, Spiritualibusq;, gladium euaginatum ancipitem Dominus Andreas Zborouuski Gladiator (ut dicitur) Regni, præferebat: Pomum aureum Cruce insignitum Petrus Zborouuski Palatinus Sendomiriensis portabat, Sceptrũ Stanislaus Myskouski, Palatinus Cracouiensis anteferebat. Cùm itaque Sacra Regia Maiestas in solio sedit, quatuor Germani Proceres Prusiæ, nomine Ducis sui, supplices uenerunt, & genubus flexus unus eorum orationem facundo lepore, ad S. R. M. recitauit: Oratione finita, Regia Maiestas quatuor Consiliarios suos cum illis quatuor Germanis ad Ducem Prusiæ accersendum misit. Veniens itaque Illustrissimus Princeps Albertus Fridericus, disertissima facundia, orationem fecit ad S. R. M. singularem fidem, supplicitatem, & subiectionem testantem. Responsum est postea ipsi Principi, Consiliarijsq; eius Latinis uerbis, nomine Regis: Sacram R. M. tam ipsum Principẽ, quàm omnes subditos, & optimates eius, omni fauore, & gratia complecti, defendereq; uelle. His finitis accessit Princeps ad solium, & pedes Regios genu flexus cũ summa reuerentia accepit, accepitq; de Sacra Regia Maiestate manibus, uexillum album insignitum Aquila nigra, cum literis S. & A. colligatis in pectore, cum institutione ore Regio facta his uerbis: Nos Sigismundus Augustus Rex, annuentes uestris, & uestrorum subditorum precibus, tradimus, & concedimus Illustritati tuæ, prout parenti tuo Illustrissimo tradideramus, in feudum terras, ciuitates, oppida, & arces in Prusia, & ad eas Illustritatem tuam inuestimus, per huius uexilli traditionem, ac instituimus gratia, & benignitate nostra, qua Illustritatem tuam uti nepotem nostrum charissimum complectimur, speramusq;, quod eius beneficentiæ nostræ, & memor, & grata, fidelisq; Illustritas tua sit futura. Deinde Princeps Prusiæ caudam uexilli tenens, super libro Euangeliorum in hæc uerba iuramentum præstitit.

Mos omagiorum regni Polonici.

Vestitus solennis Regis Poloniæ.

Verba Regis ad Ducẽ Prussiæ.

Ego Albertus Fridericus, Marchio Brandenburgensis in Prusia, Stetinensis, Pomeraniæ, Slauorum, Cassubiorum Dux, Princeps Rugiæ, & Burggrauius Norimbergẽsis, promitto & iuro, quod Serenissimo Principi ac Domino, Domino Sigismundo Augusto Regi Poloniæ Inuictissimo, Magno Duci Lituaniæ, Rusiæq;, ac omnium terrarum Prusiæ Domino, & Hæredi, sicut meo naturali, hæreditarioq; Domino, & eius Sacræ Maiestatis hæredibus, & successoribus Regibus, & Regno Poloniæ ero fidelis & obsequens, eiusq; Maiestatis ac hęredum, & totius Regni Poloniæ bonum procurabo, & damnum præcauebo, ac omne id faciam, quod ad fidelem uasallum, feudalemq; pertinet, ita me Deus adiuuet, & hoc sanctum Dei Euangelium. Accepto huiusmodi iuramento Maiestas Regia, gladium ancipitẽ, à Gladiatore Regni, Domino Andrea Zborouuski accepit, nouumq; Ducem ter præcinxit, inclinatũ de more dicens: Accingere gladio tuo super femur tuum, Potentissime. Postea ei torquem aureã, Regio munere non indignam imposuit. Mos omnis Ordinis Nobiles, qui ad Equestre munus contendebant (in quorum ego

rum ego numero, eodem more præcinctus fui) præcincti sunt. Quibus omnibus ex ordine solenniter peractis, ac depositis Regalibus indumentis, cum toto illo comitatu, Duceq; Prussiæ cum suis præcedente in arcem rediit.

Commendatio Prussiæ. HAEC autem Prussiæ Regio, plerisq; sinuosis flexibus est ubiq; amœna, & opportunis Portubus maris Baltici, maximè commoda, urbium illustrium oppidorum, arciumq; frequentia, & opimis incolarum diuitijs, opibusq; ac terræ ubertate, supra modum claret. Pecoris omnigeni inæstimabili copia, piscationibus, uenationibusq;, & syluis fructuosissimis, aërisq; temperie, cum amœnitate coniuncta prædita est, & postquam fidem Christianam Prussia suscepit, 72. arces præcipuas, & 62. ciuitates principales habuit, à Cruci- *Ciuitates in Prussia.* geris domus Teutonicæ erectas, quarum numerus nunc temporis successu, plurimũ creuit: multæ enim & frequentes ciuitates ac oppida, munitionesq;, tam à Polonis, quàm Crucigeris uario Marte utrinq; decertantibus extructæ sunt. Longitudo eius ex Aquilone in Austrum, à Torunia urbe confini Masouiæ usq; ad Memulam castrum cum oppido, quinquaginta octo milliaribus extenditur. In latitudinem uerò quinquaginta milliaribus, Lituanos, & Masouitas contingens patet.

Flumina Prussiæ. Flumina præcipua, & principalia, in Prussia duodecim reperiuntur, Istula siue Vistula; quæ Sylesiam, Poloniam, Masouiam, & Prussiam præterlabitur, similiter Cronon siue Nemen ex Lituania decurrens, Nogat, Elbinga, Vuesera, Passaria, Alla, Prægel, Ossa, Drebnicz, Lica, Lauia. Extant quoque alia plura flumina omni genere piscium abundantia, minùs tamen hominibus præcipuè externis cognita. Lacubus plurimis aliquando septem milliaribus Polonicis patentibus, piscibusqúe omnis generis exundantibus undique scatet. Gummi quoque genus lucidissimum, quod succinum, siue Glessum uulgariter Burstin uocatur, in littore maris Baltici copiosè colligitur. Cùm autem Prussia, ut copiosè superiùs descripsimus, barbarorum colonia antiquitùs fuerit, Polonorum ac Teutonicorum armis subactam, sacrisqúe initiatam se agnoscit, qui in eam colonias suas barbaris, penitùs ferè extirpatis deduxerunt, nuncqúe tam Polonis, quàm Germanis equitibus, pariter ciuibus, agricolisqúe frequens est. Barbarorum tamen reliquiæ, ad Curlandicum lacum hucusque supersunt, qui cum Liuonibus, & Lituanis uicinis, idiomate, moribus, habituqúe concordant. Porrò nulla in uniuerso Poloniæ Regis Dominio, regio reperitur, quæ tam frequentibus ciuitatibus, arcibus, & oppidis, ut Prussia abundat.

Prussia duplex. Hæc autem Prussiæ Regio amplissima, omniumq; fructuum tam ex terra, quàm aqua nascentium abundantissima, duplex est, Ducalis, & Regalis: nam Dux gratia Regis Poloniæ, in suis ciuitatibus, & arcibus integrè rerum potitur, ut uasallus, & feudalis, ac beneficiarius Regni. *Regiomontiũ.* Regiomontiq;, quæ est ciuitas maritima, sedem suam habet, in qua est collegium communis studij, ab Alberto præfato primo, ex Magistro Duce creato fundatum. Est autem Regiusmons emporio clara, ad eam enim merces ex Septentrionis regionibus copiosè apportantur, in hanc sedem suam Magistri transtulerunt *Marienburga.* Marienburga nobilissima, eaq; munitissima arce, ac totius Prussiæ propugnaculo, quæ cùm se expugnari non pateretur, Casimiro Regi Poloniæ (ut diximus) pro certa stipendiorum militibus Ordinis persolutione dedita est, in ea assiduè milites præsidiarij à Rege Poloniæ asseruantur, uictu & omnibus ad bellum necessarijs tam apprimè prouisa, ut sex annorum obsidionem sustinere possit. Est enim Regalis Prussiæ (id est, illarum arcium, & ciuitatum, quas Rex electas extra Ducem, armis maiorum suorum, acquisitas possidet) caput, & metropolis à Gedano septem milliaribus distat. Plurimas nobiles ciuitates, & arces, quas superiùs enumerauimus, Prussia complectitur.

Episcopatus Prussiæ. Episcopatus uerò quatuor Catholicos, postquam fidem Christianam suscepit, Prussia habebat. Vuarmiensem, Culmensem, Sambiensem, & Pomesaniensem, nunc Sambiensis Vuarmiensi: Pomesaniensis autem Culmensi adiuncti. Vuarmiensem Episcopatum, qui est præcipuus Reuerendissimus Dominus Stanislaus Hosius Polonus, Sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis dignissimus, singulari pietate, & uitæ sanctitate, ac doctrina cœlesti, & scriptis diuinis corruscans administrat, qui Malleus Hæreticorum indefessus, & Catholicæ Ecclesiæ propugnator strenuus iure censendus est. Culmensem Episcopatum, Reuerendissimus Dominus N. Costca, uirtutum, & doctrinæ speculum insigne. Nunc de Pomerania regione amplissima dicendum nobis occurrit, quæ etiam Polonorum armis antiquitùs perdomita imperio paret. Nam Boleslaus Rex bellicosissimus Anno Domini 1003. Russiæ Principibus debellatis, strenuoqúe Marte contusis, *[Colu]mnæ Boles[lai].* perpetuum uictoriæ monimentum Herculeum imitatus opus, tres ferreas columnas in Borysthene fluuio collocauit. Deinde Anno Domini 1008. Saxonibus bellum intulit,

& omnem

& omnem illorum regionem, circa Oderam, ad Albim, & Salam fluuios, Chersonesumque, Cimbricam, quæ hodie Dania appellatur, summa belli dexteritate ditioni suæ subiugauit. Vrbes earum regionum maximas, partim solo æquauit, partim suis Polonis muniuit, gentemque uniuersam Pomeranorum, barbaram, & incultam, ad fidem Christianam suscipiendam, armis coëgit, & ut sempiterna memoria uictoriæ fœlicissimæ apud posteros extaret, in Albi, & Sala, Ossaque fluuijs, columnas æreas inclytus triumphator locauit, totam Prussiam ac Pomeraniam Christianis infestissimas, perdomuit.

DVCATVS POMERANIAE.

POMERANIA Regio amplissima, ab Holsatia Liuoniam usque, longo tractu iuxta mare Germanicum extẽditur, unde & nomen habet. Pomorze enim Slauis mari adiacentem Regionem significat. In hac Regione natio Slauonica, antiquitus consederat, sed nunc Germani magna ex parte eam incolunt. Has præcipuas ciuitates à mari procul sitas complectitur, Stetiniam, unde Ducatus Stetinensis dicitur, Neugardiam, Lemburgam, Stargardiam, Bergradum, Camenetiam, Publinam, Grifenborgam, & alias complures. Quæ uero mari impendunt Colberg, Camin, Coslin, Gribswald, Sunt, Puczka, Reuecol, Louemburg, Hechel, &c. Iulinum in hac Regione urbs erat celeberrima, nunc ruinis deformis iacet, pro hac regione Poloni cum Prutenis Gentilibus, & Crucigeris, longo tempore acriter decertabant, nunc titulo eius Rex Poloniæ, qui in ea maiori ex parte rerum potitur, Duxque Prussiæ feudalis Regis Poloniæ utuntur.

Iulinum.

GEDANVM, siue Dantiscum huius Regionis metropolis, urbs amplissima, & insignis à mari Germanico uno milliari abest, eam celeberrimus fluuius Vistula præterlabitur, ibidemque amplissimis ostijs in mare exoneratur, in ea totius Pomeraniæ, & Prussiæ celeberrimum emporium est: ex ultramarinis enim regionibus longinquis, Anglia, Britannia, Scotia, Gallia, Hispania, Swetia, Dania, & Nordwegia, naues ad eam appellunt. Ex Lituania quoque Russia, Volinia, Poloniaque uariæ merces, fluuijs nauigabilibus in eam deferuntur: præcipue uero siliginis, & frumenti, ingens copia ex supranominatis regionibus aduehitur. Regi Poloniæ subiecta est, Castellanumque à Rege præfectum habet. Ex mari in urbem perducta est, fossa qua naues maximę intra mœnia ueniunt. Burggrauius cum proconsulibus, & consulibus regio nomine, ciuitatem administrant. Ciues omnes fere Germani sunt, mercatoresque ditissimi, ita ut Gedanum ædificiorum pulcherrima dispositione, commerciorum uarietate, maris, Vistulæque opportunitate, incolarum, & externorum incredibili multitudine, ciuium diuitijs, & instrumentorum bellicorum, ad hostes propulsandos, ac machinarum æncarum numero, cum præcipuis Europæ urbibus, meo iudicio cõferenda sit. Prætorium maximo sumptu, eoque regio exædificatum cum superba turri, ædesque sacræ, cum priuatis ingenti auri pondere, artificiose erectæ, Geldaque publicum urbis palatium, ac horologium diuinis fere manibus elaboratum, cuius campanæ mirabilem quendam, & suauissimum concentum edunt, secundum artificis uoluntatem, & temporis conuenientiam in admirabilem omnium gentium aduenas attrahentes. Propugnaculum munitissimum in ipso maris portu extructum, frequentibus directis machinis armatis militibus custoditur.

Vexillum totius Pomeraniæ aquilam nigram in collo coronatam, gladium euaginatum manu humana tenentem, pro Stemmate in campo aureo gestat similem Prussiæ, quam in eius principio expressimus.

ELBINGA ciuitas insignis ad ostia Albis fluuij, in littore maris magnificentissime, & sumptuose extructa, splendidis ciuium opibus, & mercatorum diuitum frequentia claram, spectabilemque se reddit. Eius titulo Rex Poloniæ scribens, se Dominum terræ Elbingensis maxime in Priuilegijs utitur. Districtum enim amplissimum circumiacentem habet. Atque hæc de Prussia breuiter dicta sufficiant.

LIVONIAE TOTIVS CVM SVIS PROVINCIIS, CIVITATIBVS, CASTRIS, ET COMMENDATVRIS, siue Palatinatibus, &c. succincta descriptio.

Addita est quoque breuis narratio, quomodo hæc Regio in ius Inuictißimi Regis Poloniæ Sigismundi Augusti, Magni Ducis Lituaniæ cesserit, & quo pacto à Moschorum Principe, & Swetiæ Rege diminuta fuerit

LIVONIA siue Lieflandia, Regio amplissima, ab Oriente Russiæ, Moschorum Principi subiectæ, contigua est, Neruaq; fluuius nauigabilis, (in cuius utraque ripa, duæ arces eiusdem nominis, uni Liuoniensium, altera Moschorum sibi exaduerso sitæ sunt) imperium Moschouiticum, à Liuoniensi dislimitabat. Sed modernus Moschorum Monarcha, Ioannes Basiliades, Derpt insigni urbe Episcopali, cùm sibi adiacente Prouincia occupata, ulteriùs fines suos (prout inferiùs dicitur) promouit. A' Septentrione cum Swetiæ Regno, & Philandiæ Ducatu fines suos, sinu maris Baltici disterminat: ab Occidente mari Baltheo (quod Germanicum, & Prutenicum appellatur) contermina est: à Meridie Samogitiæ, & Lituaniæ, nonnihilq; in Occidentem uergens, Prussiæ adhæret. Nonaginta milliaribus Germanicis in longitudinem, & quinquaginta in latitudinem, cum sinu maris Baltici adiacenti extenditur. Sed nunc bellis sæuientibus, pluribus in locis uastata, & diminuta est. Continet autem in se plurima territoria, quæ pro Ducatibus computari possunt, horum singula cum suis ciuitatibus, & castris succinctè describere curabo. Sed primò quomodo, & quando Regionis incolæ nomina Christo dederint, paucis aperiam.

Fines Liuoniæ.

Totum penè Orbem terrarum post maximum illud uniuersæ terræ diluuium, fallacium dæmonum fraude seductum, ueram unius Dei religionem, impio multorum, & falsorum Deorum cultu, uanaqúe superstitione commutasse constat. Quidam enim mortuos homines propter merita beneficia, & egregia gesta, cultu diuino uenerabãtur. Alij malignos Dæmones, ementitis miraculis, & prodigijs hominum oculis sese insinuante, adorabant. Denique beluis atque serpentibus, & sculptis, pictisq; arte humana simulachris, gloriam ueri Dei exhibebant. Donec Iesu Christi, ueri Dei, hominisquè benignitas, & Euangelij eius claritas post multa sæcula, quasi lux clarissima, mundo cœlitùs affulgens, has terras, terribilesq; tenebras discussit. Sed regiones Septentrionales, & omnes gentes ad Aquilonem uergentes, Christianæ religionis ignaræ, uano idolorum cultui, diutiùs subiugatæ fuerunt: difficilis enim ad eos externis gentibus erat aditus, propter efferam barbariem, & crudelitatem populi. Romani etiam, & Græci, qui primò fidem Christianam amplexi sunt, Septentrionalium plagarum minus exactam notitiam habebant: unde factum est, ut Liuonia cum cæteris, ad Aquilonem uergentibus Regionibus, nouissimè omnium, Sacro Baptismi fonte lauata fuerit. Demùm Friderici primi ex Ducibus Germaniæ, Romanorum imperatoris temporibus, mercatores rem familiarem ex Germania per mare Balticum in Liuoniam appulerunt, & gentis barbaræ, simplicissimæqúe animos ob mutua mercimonia commutanda pellexerunt. Erat autem hic populus miræ simplicitatis, opumqúe parandarum, & rei familiaris iusto negligentior: melle enim expresso (quo maximè Regio abundat) cæram uelut alias quisquilias, & purgamenta domibus euertebant. Postea succedente quæstu, & mercatoribus Occidentalibus, eò loci confluentibus, Sacerdotes paulatim se illis immiscere, adiungereqúe, piæ peregrinationis causa cœperunt, ut mercatoribus, uidelicet Thesauros Liuonum acquirentibus, ipsi animas gentis Christo, per uerbum salutiferum lucrifacerent. Erat igitur ea tempestate uir quidam Meinardus nomine in Lubeca ciuitate celeberrima, pietate, & sanctimonia uitæ insignis, hic unà cum mercatoribus conscensa naui, in Liuoniam, Anno partæ per Christum salutis, millesimo, ducentesimo, traijcit, & conspiciens in tam insigni, & præmatura messe, nullos operarios extare, continuò ibi unius famuli conuictu contentus, ætatem transigere constituit. Casamqúe sibi ex arbustis propter imbres arcendos construxit. Paulatim deinde hominum familiaritatem captare, & tædio superato, abita iam mutui conuictus, & contractæ notitiæ cum incolis Regionis opportunitate, Religionibus, & rerum Diuinarum eos admonere cœpit, sensimqúe à uano Idolorum cultu, ad Christianę fidei obseruantiam adducere, auspicanteqúe Deo, & pium uiri religiosi conatum secundante, complures incolarum in agnitam ueritatis doctrinam con-

Fridericus Imperator.

Germani in Liuoniã ueniũt.

Meinardus pius uir, primus in Liuoniã uenit.

Meinardus Liuones in fide Christi instruit.

nam concesserunt, quorum crescente numero, multorumque animis (ut fit) rei nouæ, & inusitatæ religionis studio, flagrantibus, Basilica instauratur. Nec multò pòst Meinardus à Bremensi Archiepiscopo, in Liuoniæ Episcopum consecratur, qui in messe Christi strenui operarij munus adimplens, rem Christianam multùm adauxit, & magnam gentis partem ad Christum conuertit, postea uitam cum morte fœliciter commutauit. Huic ex uita decedenti Bertoldus Cistercienſium abbas succeſsit, qui contra irruentes hostes fidei Christianæ, unà cum peregrinis militibus, qui pietatis ergo ad militiam Christo exercendam, ex Germania confluxerant, pugnare instituit. Vbi uerò ad pugnam uentum est, equo infræni in mediam barbarorum aciem profectus confoditur. Tandem crescente multorum pietate, plurimi sacræ se militiæ deuouerunt, ordinisque fratrum Teutonicorum habitu suscepto, ensiferos fratres sese nuncupauerunt. Sed cum rebus gerendis superesse non possent, hostiumque barbarorum uis undiquaque inualesceret, Teutonicorum fratrum ordini, in Prusſia se coniunxerunt. Cùm enim audiuissent, quod ordo Teutonicus Cruciferorum in tota Germania proficeret. Volquinus Præpositus eorum à quinto in ordine, Magistro Prusſiæ Conrado olim Comite Turingensi, in ordinem Teutonicum susceptus est, Anno Domini 1234. suffragijsque eiusdem Magistri Prusſiæ Conradi, Gregorius summus Pontifex Romanus huius nominis nonus, iusſit ubique & præcipuè apud infideles Prutenos, Liuonesque proclamari, quod ordo fratrum à gladio in Liuonia (qui nondum confirmatus erat) Teutonico ordini in Prusſia unitus, incorporatus, asscriptusque esset. Susceperunt itaque fratres à gladio Liuonienses, crucem, habitumque more fratrum Teutonicorum in Prusſia. Et semper ab hoc tempore Magistri Prusſiæ, à Liuoniensibus Magistris tributa certa, & obedientiam exigebant, usque ad tempora Alberti Marchionis Brandenburgensis, Magistri Prusſiæ, qui anno Domini supra millesimum, quingentesimum, decimo tertio, pecuniam, quam obedientiam accipere maluit. Itaque Liuonienses data, præscripta ingenti summa pecuniæ, in posterum ab obedientia Prutenicis Magistris exhibenda, liberati sunt. Hanc tamen libertatem paulò pòst per insolentiam suam amiserunt. Rex enim Polonorum Sigismundus Augustus, eos in potestatem suam, prout inferiùs dicetur, redegit. Sed ad rem accedo, Liuonienses cruciferi, habitu fratrum Teutonicorum in Prusſia assumpto, grauiſsimis bellorum laboribus, cùm barbaris fortiter exantlatis, hactenus rerum in Liuonia potiti sunt, Magistrumque sibi elegerunt, qui cum commendatoribus, seu etiam præfectis totam Regionem gubernabat. Erant præter hunc in Liuonia Episcopi quinque, utpotè Archiepiscopus Rigensis, Derptensis, Habselensis, Oseliæ, Curlandiæ, Reualiæque, Episcopi. Hi sua munia strenuè, & magnificè ut Principes obibant, sed anno Domini 1558. Moschorum Dux, Derpta, siue Torpato, insigni urbe Episcopali potitus, Episcopatum Derptensem penitùs aboleuit, Rex quoque Poloniæ Archiepiscopatum Rigensem cum omnibus arcibus, & ciuitatibus (rerum enim in Liuonia potitur) tenet. Reualiensem Episcopatum, Sweciæ Rex urbe Reualia capta administrat, Oselensem Episcopatum, & Abselensem frater Regis Daniæ, Magnus nomine, unà cum Insula Osilia posſidet.

Meinardus Episcopus creatur Liuoniæ primus.

Bertoldus Episcopus occiditur.

Ordo Teutonicorum in Liuonia.

Volquinus primus Liuoniæ Magister.

Ordo Liuonicus à Gregor. nono Pontifice confirmatur.

Cruciferi Liuonien.

Prußiensibus tributarij, & cum illis uniti.

Liuonienses se redemerunt à Prußiensibus.

Episcopi Liuoniæ.

Episcopatus Liuoniæ direpti à multis Principibus.

Ordinis Teutonici Magister, unà cum suis commendatoribus, plurima oppida, & arces munitas posſidebat, & primò quidem ordinis Magister, & Archiepiscopus Rigensis simul, & coniunctim Rigam urbem metropolim Regionis occupabant, Monetamque uterque propriã, qua adhuc incolæ Regionis utuntur, cudebat. Verùm Magister præter dominijs, & posſesſionis consortium, arcem quoque ibi habebat. Hic iam ordine territoria, arces, & ciuitates, tam Magistro ordinis, quàm Episcopis, & commendatoribus subiectas, describere pergam. Hæc uerò sunt territoria, siue Prouinciæ, in Liuonienſi Dominio, quæ pro Ducatibus ualent: utpotè, Leitlandia, Vikeclandia, Curlandia, Semigalia, Estlandia, Virlandia, Haria, Geruendiaque.

Prouinciæ Liuoniæ.

LEITLANDIA SIVE RIGENSIS PROVINCIA.

LEITLANDIA Regio Liuoniæ præcipuas has arces, & ciuitates Regi Poloniæ subiectas habet.

RIGA urbs celeberrima, totius Liuoniæ metropolis, muro fortisſimo, propugnaculisque, & turribus densis, tormentis bellicis apprimè munitis, ualloque inexcusso tribus ordinibus tormentorum, undiquaque munita, fosſis duabus ex utraque uallis parte, circumducta, & stipitibus acutis circumsepta, rebus bellicis, tormentis, & commeatu copioso, militibusque stipendiarijs, pacis, & belli tempore benè prouisa. Arcem quoque benè munitam, & omnibus necessarijs prouisam, sibi adiunctam habet, in qua olim Magistri sedem suam habebant, eam nunc Gothardus Kietler Dux Curlandiæ Regis Po-

Gotbardus Kietler.

gis Poloniæ feudalis, nomine Regio administrat, in ciuitatem tamen ipsam, Ius nullum habet. Administratorem enim, siue Capitaneum aliquem ciues sibi dominari (libertatem asserentes) nō patiuntur, sed obedientiã, & tributa Regi Poloniæ, fideliter exhibēt, ipsiq́ ciuilibus legibus urbem administrãt. Hanc urbem fluuius Dwina amplissimus, (ex seuera Regione Russiæ, Moschouitæ Duci subiecta, ortus) unà cum arce alluit, & duobus à Riga in mare amplissimis ostijs exoneratur. Per hunc naues ex mari, de ultramarinis Regionibus, utpote Swetia, Dania, Holsatia, & cæteris repostis prouincijs, appellunt. Ex Russia quoque, & Lithuania cineres, asseres, ligna cæsa, & leuigata, omnis generis ad naues fabricandas, frumentum quoque grandi copia, & cætera importantur. Magnumq́ue hac in urbe, & celeberrimum est emporium: quamuis enim duobus milliaribus à mari distat, naues tamen omnigenæ, facillimè de mari, sub ipsa mœnia urbis ueniunt, & redeunt.

Dwina fluuius.

Emporium Rigense.

Hæ uerò arces, ciuitates, & Præfecturæ, Capitaneatusq́ in hac Leitlandiæ, siue Rigensi Prouincia, continentur, uidelicet:

DVNAMVNT arx inexpugnabilis natura, opportunitateq́ loci, mari adiacet, in ostijs Duuene fluuij, duobus à Riga milliaribus sita, præsidijsq́ Polonicis munita, in ea omnes naues ex ultramarinis regionibus, ad Rigam uenientes, merces indicare, theloneaq́ue persoluere coguntur.

BLOKAVS munitio, inter Rigam, & Dunamunt, ad Duuinam condita, in ea quoque omnes naues excutiuntur. Hæ autem duæ arces Rigensibus maximè inuisæ sunt.

KIRCHOLM arx murata, ad Duuinam fluuium, duobus milliaribus à Riga sita, in Orientem procedendo.

Hæ quoque arces Duuinæ impendunt.

VXVL arx desolata, curia tamen in ea ubi Præfectus manet, extructa, à Kircholm duobus milliaribus abest. Crudelem illic quondam cōflictum, & hominum stragem insignem, cumulus ossium ingens congestus testatur.

LENVARD arx ab Vxul quatuor milliaribus ad Duuinam sita.

ASCHERAD olim Palatinatus: arx ad Duuinam munita, Moschouitæq́ ab ea aliquoties repulsi sunt, quatuor milliaribus à Lenuard abest.

NITAVV Sesuegen, Georgenburk, Leuuborg, Rossiten, Lucen, Luden, Neuenhus, arces muratæ absq́ ciuitatibus.

DVNEMBORG arx ad Duuinam munitissimè sita, commendator, siue Palatinus, ei olim Magistri nomine præsidebat.

SEGEVOLT arx, & ciuitas, olim ordinis Marschalci primi, à Magistro propria erat, cum cæteris ad eam pertinentibus, uidelicet, Leuuburg, Nitauu, Georgenburg, & Choen castris.

ARIES arx, Vuolmer ciuitas, & castrū. Hermes arx, quatuor milliaribus à Pernauua, & Phelin.

Has supradictas omnes arces, & ciuitates, cum suis Palatinatibus, & Præfecturis, inuictissimus Rex Poloniæ possidet, excepto Marienburga castro, quod Moschouiæ Princeps occupauit. Adzel autem, & Rodempeus à Moschouitis exustæ, & desolatæ sunt.

ARCHIEPISCOPATVS RIGENSIS.

IN eodem territorio Rigensi, Rex quoque Poloniæ omnes arces, ciuitates, Capitaneatus, & Præfecturas, Archiepiscopales possidet.

KOKENHAVS arx, & ciuitas, naturâ, & oportunitate loci munitissima, ad Duinam fluuium sita, cæterarum Archiepiscopi, arcium, principalis.

VXVL, Lenuard, suprà nominatæ arces, Kreuuburg, Landon, Sesuegen, Schancborg, Serben, Conemburg, arx cum ciuitate, Salis, Vansel, Dalen, Iencel, Treyden.

SMILTEN arx à Moschouitis desolata, Cremon castrum olim Capituli Metropolitanæ Ecclesiæ Rigensis.

SANCEL arx apprimè munitissima, mari adhærens, ad Archidiaconatum Rigensem quondam pertinebat. Hæ itaque omnes arces, & ciuitates enumeratæ Regi Poloniæ subsunt.

Arces nobilium in prædicto Archiepiscopatu hæ sunt, Nochrosen, Rosemberg, Mayn, Pierkiel, Roppe, Nabbe, Elner, & Bersen. Earum Domini Polono Regi obtemperant.

EPISCO-

EPISCOPATVS DERPTENSIS.

DERPT, siue Torpatum, siue Derbet, insignis urbs Episcopalis, & arx in colle munitissima, urbi impendens. Hæc anno Domini 1558. ab exercitu Moschorum Ducis, uiolenta oppugnatione, cum tota circumiacenti prouincia, capta est. Hæ uerò arces ad hunc Episcopatum pertinebant. Falcanauu castrum, & monasterium insigne, Neinhaus, 18. milliaribus à Derpt sita, Ruthenis cõtermina, Vuerbeke, Oldentorn, Kiriepe, Verpech. Nobilium arces in hoc Episcopatu quatuor præcipuæ erant, uidelicet, Olsen, Kanelichth, Raden, Cunctal, siue Regental, omnesq; à Moschorum Duce cum Episcopatu subiugatæ sunt.

EPISCOPATVS HABSELENSIS, ET OZELENSIS.

VIKECHZLANDIA regio ad Habselensem Episcopatum cum suis arcibus, & ciuitatibus pertinebat, quæ quatuordecim milliaribus in longitudinem, duodecimq; in latitudinem patet, mari Germanico adhæret, & has arces complectitur, quas Suuetiæ Rex unà cum regione possidet.

HABSEL arx principalis cum ciuitate, in qua est Ecclesia Cathedralis, eam Rex Suetiæ ui ad deditionem coëgit.

LODE arx munita, quam Dux Curlandiæ Gotardus Ketler à Suetensium impetu nuper defenderat, & aliquot eis grandia tormẽta ademerat, sed postea ab eisdẽ capta est.

LEHAL castrum, & ciuitas, in qua est insigne uirginum monasterium, nunc præsidijs Suetensium tenetur.

FICZKEL & Felix arces à Moschouitis exustæ, & desolatæ sunt.

VERDER arx munitissima ad fluuium Zundam sita ab ipsis Cruciferis Liuoniensibus destructa, & demolita est.

OZILIA Insula in mari Germanico aliquot à littore milliaribus sita est, ad Ozelensem Episcopatum pertinebat, arces, & ciuitates duas munitissimas habet, eas Cruciferi, Regi Daniæ prodiderunt, quas nunc Magnus eiusdem Regia Daniæ frater possidet, Episcopatusq; utitur. Harum arcium una Arnczburg, altera Sonemburg appellatur.

CVRLANDIA REGIO.

HAEC regio in Liuonia sita à Septentrione maris Baltici sinu, ab Occidente uerò ubi Prussiam contigit, Pelago, qui Curlandicus appellatur, alluitur: à Meridie Samogitiæ confinis est, Regiq; Poloniæ subest, sed eam Gotardus Ketler, Regis gratia, & benignitate tenet, tituloq; eius utitur. Has ciuitates, & arces complectitur.

VINDA arx cum ciuitate, & Palatinatu, Polonis Kiess dicitur, in ea Magistri sedem suam habuerunt, & Comitia, Conuentionesq; celebrare soliti erant, nunc Polonicis præsidijs tenetur, administrantem illustri, & magnifico Domino Ioanne Chodkieuuiez, Generali Samogitiæ, & supremo Gubernatori Liuoniæ, ac Magno Marschalco Magni Lituaniæ Ducatus.

GOLDINGEN arx, & ciuitas cum districtu amplo.

GRVBIN, & Candaph arces cum præfecturis ditissimis.

TVCZKOM, Sabel, Durbin, Asempoth, Shruden, Frauemburg, Alfangẽ, arces. Neuburg castrum in finibus Samogitiæ.

Episcopatus Curlandiæ septẽ arces continet, quas magnus Regis Daniæ frater possidet, Episcopatusq; titulum sibi usurpat, hijsq; nominibus, hæ arces nominantur, Edwalen, Pilthen, Hasempot, Angermunde, Dondangen, Neinhaus, & Ambothen.

SEMIGALLIA DVCATVS.

HIC Ducatus Curlandiæ adhæret, à Meridie Lituaniæ contiguus est. Hasq; arces continet, Soleburg, arx, & Præfectura, Basemborg, Doblin, Nithauu, arces cum districtibus, ciuitates nullas habent, totumq; territorium, unà cum arcibus enumeratis, Curlandiæ Dux prædictus Regis Poloniæ gratia, & benignitate commissum tenet.

ESTLANDIA DVCATVS.

ESTLANDIAE, siue Estoniæ Ducatus mari Suetiæ à Septentrione adiacet: has arces præcipuas cum ciuitatibus, & Præfecturis complectitur.

Felin cū Magistro capta. *Exitus Magistrorum Liuoniæ.*

FELIN arx, & ciuitas munitissima, unà cum ultimo Magistro Liuoniæ Vilhelmo Furstemberg feudali Regis Poloniæ à proprijs militibus stipendiarijs Germanis Moschorum Duci dolosè prodita est. Ciuitas ipsa exusta: arx uerò præsidijs Moschouiticis munita, unaq; cum districtu, siue Palatinatu Moschorum Duci subest. Magister uerò in ea captus, Moschouiam abductus, in uinculis spiritum exhalauit. Atq; hunc extremum exitum Magistri Liuonienses habuêre.

LAIS, & Talczkofen arces, à Moscho quoq; occupatæ sunt.

Taurus capta.

TARNEST, siue Taurus, arx munitissima, præsidijsq; Moschouiticis prouisa, à Lituanis Duce exercitus illustri, & magnifico Domino Nicolao Radziuil Palatino Vilnensi, pulueribus bombardarijs suppositis eiecta, & cum moschouitis, à ui & impetu pulueris uolantibus euersa est. Ego etiam huic oppugnationi cum patre meo interfui. Hac autem arce expugnata, & exusta, Lituani quibusdam Moschorum abductis, quibusdam occisis, uelut Tartari, arce desolata relicta, & non occupata, nec munita (quæ facilè instaurari potuit) cum spolijs, tormentisq;, & cætera supellectili bellica ablata, discesserunt, anno Domini 1561. Iulij ultima.

OPERPAL arcem exercitus Regis Poloniæ exussit, & desolauit.

Has autem in hoc Ducatu arces Rex Poloniæ possidet.

Parnaua recuperata.

KARXHAVS, Helmeth, Rugen, Parnauam arcem insignem, & munitam cum ciuitate mari adiacentem. Hæc à Suetiæ Rege primùm occupata erat, sed posteà à Polonis inopinatè capta in ditionem Regis Poloniæ cessit.

VIRLANDIA.

TERRITORIVM hoc Liuoniæ inter Orientalem, & Septentrionalem plagam situm, à Septentrione Baltici maris sinu terminatur, ab Oriente Nerua fluuio celebri ex lacu Peijbas emergenti, & in mare Balticum ingredienti alluitur. A Meridie Estlandiæ, ab Occasu Hariæ contermina est, & octo milliaribus in longitudinem, à Nerua fluuio ad Reuualiam usq; extenditur, hasq; arces complectitur.

NERVA arx, & ciuitas insignis, munitissimaq;, ad fluuium eiusdem nominis sita. Ex aduerso in altera ripa arcē à Moscho erectam Iuanouu Gorod dictam habet, atq; fluuius prædictus Nerua, has arces interfluens Moschorum, & Liuoniensium imperium olim dislimitabat.

TOLCZBVRG arx ad sinum maris Baltici inter Neruam, & Reualiam ciuitates æquali distantia sita.

VVESENBVRG arx, & Capitaneatus.

BERCHOLM olim arx Episcopi Reualiensis erat. Ass quoq;, & Est, duæ arces nobilium Liuoniæ una Roberti à Gilsen, alia Bernardi de Tabe.

Has omnes arces cum suo territorio Moschorum Princeps occupauit.

HARIA PROVINCIA.

HARIA iuxta mare Suetiæ sita, in longitudinem sedecim milliaribus, & octo in latitudinem extenditur, cum Virlandiaq; territorio pro Ducatu computatur.

Hæ arces in ea sitæ sunt.

REVALIA urbs celebris cum arce munitissima ad sinum maris Baltici condita est. Sede Episcopali clara, sub Rege Poloniæ à Suetiæ Regis exercitu occupata. Monetam Reualienses propriam quadriangularem cudunt. Reualiensis Episcopus arces aliquot sibi subiectas possidebat, in ciuitatem tamen nullum ius, imperiumúe habebat, sed Magister ordinis eam administrabat.

BADIS castrum, & monasterium insigne, Suetenses inopinata irruptione cœperunt.

FEGVBVR arx olim Episcopi Reualiensis à Moschorum Duce expugnata nunc tenetur.

GERVENLANDIA DVCATVS.

Geruerlandia.

GERVENLANDIA Regio mari adiacens, septem milliaribus in longitudinem, sex in latitudinem patet. Frumenti, & cæterarum rerum ex terra nascentium feracissima, unam arcem, Vitenstein dictam principalem, cum pagis, & curijs compluribus nobilium habebat. Eam sub Rege Poloniæ, Suetensium Rex occupauit, Bialykamien, id est, albis lapis Polonis dicta. In hijs territorijs, siue Prouincijs Liuoniæ prædictis, (quæ etiam pro Ducatibus computari possunt) uariæ sunt multarum gentium linguæ: plebs ipsa Liuonica tribus ferè linguis (non multùm tamen

Bialykamien arx.

à se

à se differentibus) utitur, ad Lituanicumque idioma, magna ex parte alludunt, barbarie, & moribus incultis rigent, Lituanis, & Samogitis, ob uicinitatem in omnibus persimiles sunt. Vestitu uili, eoque ut plurimùm cinericio, ad Germanicum habitum alludenti utuntur, ex tiliæ libro more Lituanorum, & Ruthenorum coturnos, connectere solent, uel ex iumentorum pellibus, una cum setis detractis. Fœmineus sexus in pagis more gentis Cyganorũ, (uel ut quidam uolunt Cyreneorum) uagabundę, uestiuntur, uestitumque quibusdam globulis plumbi, cuperis, & electuarijs exornant, indusia quoque circa collũ præcipuè annulis, intertexturisque uarijs ornant.

Liuonũ agrestium habitus, mores, & idioma.

Mulierũ Liuonicarũ habitꝰ.

Crinibus passis, mulieres uetulæ, & uirgines omnes promiscuè incedunt, capitis ornamenta quędam mirè, ex globulis quibusdam, confecta ad similitudinem unionũ, Gemmarumúe, uarij coloris gestant, omnes ferè matronæ sagæ, & incantatrices peritissimæ sunt, artibus Magicis supra modum deditæ. Pane uilissimo, teterrimoque, & cibarijs simplicissimis utuntur. Frumenta omnis generis trituranda, excutiandaque, perindè ut Lituani, primò in calidissima casa, ad id præparata fumo exiccant, & postea in horreo corã extructo excutiunt. In ollis figulinæ artis nusquam, nisi in lebetibus æris, cupreisúe, in pagis, & ciuitatibus coquunt, neque tibi ollam argilleam aliquò, per totam Liuoniam uidere licebit. Paleis quoque frumentorum, uulgus magna ex parte cum farina siliginis mixtis utitur. Et quamuis miserrima gens fuerit, supra modum tamen callida, fallax, tumida, atrox, & ad cædes patrãdas prompta. Polonos, Lituanos, Ruthenos, cæterosque extraneos Regi Poloniæ militantes (extra Germanos, quorum sub iugo olim fuerunt) maximè inuident, eosque deprædatores, & comestores bonorum, fundique sui calamitatem appellant, & ubi possunt quoscunque milites astu circumuetos, & incautos opprimunt. Vni, uel duobus uiris transitus difficilis est, præcipuè si apud agrestes pernoctauerint: nam somno oppressos, magna ex parte trucidant, suffocantque. Diuersoria in hac regione rara, uel penitus nulla reperiuntur, sed ad curias, & prædia uiatores diuertere, ibidemque pernoctare solent: Templa quoque rarissmè, nisi in arcibus uisuntur.

Victus Liuonũ miserrimꝰ.

Peruersitas Liuonum.

Ciues, & Nobiles omnes Germani sunt, Germanisque moribus, & idiomate utuntur. Fœmineus sexus pallia rubea, communiter capiti imposita, ad talos cum frequentissimis plicis gerit. Vittas mulieres in capitibus non gerunt, sed contricatos crines (quos maximè nutriunt., uel ad id præparatos adaptant) tam matronæ, quàm uirgines capiti circumnectunt. Pileos siue biretos quadriangulares, more Cardinalium Romanorum gestant: quædam uerò pallijs cum uelamine uelut tecto, frontem, & caput tegente utuntur.

Ciues, & Nobiles in Liuonia Germani.

Matronarum Rigensium habitus.

Sponsa cùm ad matrimonium contrahendum deducitur, corona argentea deaurata rotunda, & in altum prominente ornatur, omnisque uirginalis, & matronarum chorus, rubeis pallijs uestitus, longo ordine præit, & sequitur. Ceruisia ex hordeo, & lupulo passim in pagis, & ciuitatibus gustu amarissima, maximè differenti à cæterarum regionum ceruisia utuntur: attamẽ gens illa, & omnes Germani regionis incolę, hunc potum suauiter præbibunt.

Siliginis, & frumenti Liuonia diues est, adeò ut exteræ quoque & transmarinæ nationes, Lubeca, Amsterdam, Olandia, Dania, Swetiaque eius ubertatem præsentiant, ad quas grandi copia frumenta ē Liuonia deportantur. In Liuoniam quoque ipsam ex Russiæ, Lituanięque regionibus, fluuio Dwina, & Nerua, siligo, & id genus rerum plurimùm aduehitur. Pecoribus, & iumentis domesticis omnis generis abundat, lacubus, fluuijsque piscosis, & syluis ad uenationem idoneis referta, in quibus habet, ursos, alces, uulpes, linces, maturos, castores, & omnis generis animalia. Lepores in Liuonia mutant æstate, & hyeme colorem, perindè ut Heluetijs in alpibus, hyeme sunt albi, & æstate cinericei. Inferunt & Moschouitæ pelles ursarum, albas in Liuoniam, quas ex frigidissimis Septentrionalibus regionibus, maximè ex Dwina prouincia Oceano glaciali adhærenti acquirunt. Religiosissima gens Liuonica post susceptam Christianam fidem, Romanæ Ecclesiæ ritum ardenter obseruans erat: Domini etiam ordinis Teutonici, & ipse Magister, priusquam ad Lutheranismum desciscerent, religiosa pietate diligenter ordinis regulas, in moribusque & habitu cultum decentem obseruabant. Diuorum delubra, pietate, & pulchritudine decorabant, quæ hodie à Lituanis, penè demolita, & desolata uidentur, ditionemque suam ab omni incursu barbarorum strenuè, summa cum laude uindicabant, omnia denique illis ex uoto (benignitate Diuina propter Religionis antiquæ obseruantiam prosperante) cedebant: & Moschum barbarum potentem hostem, à finibus suis sæpissimè summa cum uictoria propulsabant, prout ex his duobus præclaris, & uictoriosissimis certaminibus (quos mihi explanare lectori haud ingratum uisum est) apparebit.

Liuonia ferax

Religio Liuonum.

Anno quo lux diuina, humana in specie cœlitùs mundo affulsit, 1 3 8 1. Magnus

Moscho-

Felin cũ Magistro capta. *Exitus Magistrorum Liuoniæ.*

FELIN arx, & ciuitas munitisſima, unà cum ultimo Magiſtro Liuoniæ Vilhelmo Furſtemberg feudali Regis Poloniæ à proprijs militibus ſtipendiarijs Germanis Moſchorum Duci dolosè prodita eſt. Ciuitas ipſa exuſta: arx uerò præſidijs Moſchouiticis munita, unaq; cum diſtrictu, ſiue Palatinatu Moſchorum Duci ſubeſt. Magiſter uerò in ea captus, Moſchouiam abductus, in uinculis ſpiritum exhalauit. Atq; hunc extremum exitum Magiſtri Liuonienſes habuêre.

LAIS, & Talczkofen arces, à Moſcho quoq; occupatæ ſunt.

Taurus capta. TARNEST, ſiue Taurus, arx munitisſima, præſidijsq; Moſchouiticis prouiſa, à Lituanis Duce exercitus illuſtri, & magnifico Domino Nicolao Radziwil Palatino Vilnenſi, pulueribus bombardarijs ſuppoſitis eiecta, & cum moſchouitis, à ui & impetu pulueris uolantibus euerſa eſt. Ego etiam huic oppugnationi cum patre meo interfui. Hac autem arce expugnata, & exuſta, Lituani quibuſdam Moſchorum abductis, quibuſdam occiſis, uelut Tartari, arce deſolata relicta, & non occupata, nec munita (quæ facilè inſtaurari potuit) cum ſpolijs, tormentisq;, & cætera ſupellectili bellica ablata, diſceſſerunt, anno Domini 1561. Iulij ultima.

OPERPAL arcem exercitus Regis Poloniæ exuſsit, & deſolauit.

Has autem in hoc Ducatu arces Rex Poloniæ poſsidet.

Parnaua recuperata. KARXHAVS, Helmeth, Rugen, Parnauam arcem inſignem, & munitam cum ciuitate mari adiacentem. Hæc à Suetiæ Rege primùm occupata erat, ſed poſteà à Polonis inopinatè capta in ditionem Regis Poloniæ ceſsit.

VIRLANDIA.

TERRITORIVM hoc Liuoniæ inter Orientalem, & Septentrionalem plagam ſitum, à Septentrione Baltici maris ſinu terminatur, ab Oriente Nerua fluuio celebri ex lacu Peijbas emergenti, & in mare Balticum ingredienti alluitur. A Meridie Eſtlandiæ, ab Occaſu Hariæ contermina eſt, & octo milliaribus in longitudinem, à Nerua fluuio ad Reuualiam uſq; extenditur, hasq; arces complectitur.

NERVA arx, & ciuitas inſignis, munitisſimaq;, ad fluuium eiuſdem nominis ſita. Ex aduerſo in altera ripa arcē à Moſcho erectam Iuanouu Gorod dictam habet, atq; fluuius prædictus Nerua, has arces interfluens Moſchorum, & Liuonienſium imperium olim dislimitabat.

TOLCZBVRG arx ad ſinum maris Baltici inter Neruam, & Reualiam ciuitates æquali diſtantia ſita.

VVESENBVRG arx, & Capitaneatus.

BERCHOLM olim arx Epiſcopi Reualienſis erat. Aſs quoq;, & Eſt, duæ arces nobilium Liuoniæ una Roberti à Gilſen, alia Bernardi de Tabe.

Has omnes arces cum ſuo territorio Moſchorum Princeps occupauit.

HARIA PROVINCIA.

HARIA iuxta mare Suetiæ ſita, in longitudinem ſedecim milliaribus, & octo in latitudinem extenditur, cum Virlandiaq; territorio pro Ducatu computatur.

Hæ arces in ea ſitæ ſunt.

REVALIA urbs celebris cum arce munitisſima ad ſinum maris Baltici condita eſt. Sede Epiſcopali clara, ſub Rege Poloniæ à Suetiæ Regis exercitu occupata. Monetam Reualienſes propriam quadriangularem cudunt. Reualienſis Epiſcopus arces aliquot ſibi ſubiectas poſsidebat, in ciuitatem tamen nullum ius, imperiumúe habebat, ſed Magiſter ordinis eam adminiſtrabat.

BADIS caſtrum, & monaſterium inſigne, Suetenſes inopinata irruptione cœperunt.

FEGVEVR arx olim Epiſcopi Reualienſis à Moſchorum Duce expugnata nunc tenetur.

GERVENLANDIA DVCATVS.

Geruenlandia.

GERVENLANDIA Regio mari adiacens, ſeptem milliaribus in longitudinem, ſex in latitudinem patet. Frumenti, & cæterarum rerum ex terra naſcentium feracisſima, unam arcem, Vitenſtein dictam principalem, cum pagis, & curijs compluribus nobilium habebat. Eam ſub Rege Poloniæ, Suetenſium Rex occupauit, Bialykamien, id eſt, albis lapis Polonis dicta. In hijs territorijs, ſiue Prouincijs Liuoniæ prædictis, (quæ etiam pro Ducatibus computari poſſunt) uariæ ſunt multarum gentium linguæ: plebs ipſa Liuonica tribus ferè linguis (non multùm tamen

Bialykamien arx.

à se differentibus) utitur, ad Lituanicumque idioma, magna ex parte alludunt, barbarie, & moribus incultis rigent, Lituanis, & Samogitis, ob uicinitatem in omnibus persimiles sunt. Vestitu uili, eoque ut plurimum cinericio, ad Germanicum habitum alludenti utuntur, ex tiliæ libro more Lituanorum, & Ruthenorum coturnos, connectere solent, uel ex iumentorum pellibus, unà cum setis detractis. Fœmineus sexus in pagis more gentis Cyganorũ, (uel ut quidam uolunt Cyreneorum) uagabundę, uelhuntur, uestitumque quibusdam globulis plumbi, cupreis, & electuarijs exornant, indusia quoque circa collũ præcipuè annulis, intertexturisque uarijs ornant.

Liuonũ agrestium habitus, mores, & idioma.

Mulierũ Liuonicarũ habitus.

Crinibus passis, mulieres uetulæ, & uirgines omnes promiscuè incedunt, capitis ornamenta quędam mirè, ex globulis quibusdam, confecta ad similitudinem unionũ, Gemmarumue, uarij coloris gestant, omnes ferè matronæ sagæ, & incantatrices peritissimæ sunt, artibus Magicis supra modum deditæ. Pane uilissimo, teterrimoque, & cibarijs simplicissimis utuntur. Frumenta omnis generis trituranda, excutiendaque, perindè ut Lituani, primò in calidissima casa, ad id præparata fumo exiccant, & postea in horreo corã extructo excutiunt. In ollis figulinæ artis nusquam, nisi in lebetibus æris, cupreisue, in pagis, & ciuitatibus coquunt, neque tibi ollam argilleam aliquò, per totam Liuoniam uidere licebit. Paleis quoque frumentorum, uulgus magna ex parte cum farina siliginis mixtis utitur. Et quamuis miserrima gens fuerit, supra modum tamen callida, fallax, tumida, atrox, & ad cædes patrãdas prompta. Polonos, Lituanos, Ruthenos, cæterosque extraneos Regi Poloniæ militantes (extra Germanos, quorum sub iugo olim fuerunt) maximè inuident, eosque deprædatores, & comestores bonorum, fundique sui calamitatem appellant, & ubi possunt quoscunque milites astu circumuentos, & incautos opprimunt. Vni, uel duobus uiris transitus difficilis est, præcipuè si apud agrestes pernoctauerint: nam somno oppressos, magna ex parte trucidant, suffocantque. Diuersoria in hac regione rara, uel penitus nulla reperiuntur, sed ad curias, & prædia uiatores diuertere, ibidemque pernoctare solent: Templa quoque rarissimè, nisi in arcibus uisuntur.

Victus Liuonũ miserrimus.

Peruersitas Liuonum.

Ciues, & Nobiles omnes Germani sunt, Germanisque moribus, & idiomate utuntur. Fœmineus sexus pallia rubea, communiter capiti imposita, ad talos cum frequentissimis plicis gerit. Vittas mulieres in capitibus non gerunt, sed contricatos crines (quos maximè nutriunt, uel ad id præparatos adaptant) tam matronæ, quàm uirgines capiti circumnectunt. Pileos siue biretos quadriangulares, more Cardinalium Romanorum gestant: quædam uerò pallijs cum uelamine uelut tecto, frontem, & caput tegente utuntur.

Ciues, & Nobiles in Liuonia Germani.

Matronarum Rigensium habitus.

Sponsa cùm ad matrimonium contrahendum deducitur, corona argentea deaurata rotunda, & in altum prominente ornatur, omnisque uirginalis, & matronarum chorus, rubeis pallijs uestitus, longo ordine præit, & sequitur. Ceruisia ex hordeo, & lupulo passim in pagis, & ciuitatibus gustu amarissima, maximè differenti à cæterarum regionum ceruisia utuntur: attamẽ gens illa, & omnes Germani regionis incolę, hunc potum suauiter præbibunt.

Siliginis, & frumenti Liuonia diues est, adeò ut exteræ quoque & transmarinæ nationes, Lubeca, Amsterdam, Olandia, Dania, Swetiaque eius ubertatem præsentiant, ad quas grandi copia frumenta è Liuonia deportantur. In Liuoniam quoque ipsam ex Russiæ, Lituanięque regionibus, fluuio Dwina, & Nerua, siligo, & id genus rerum plurimùm aduehitur. Pecoribus, & iumentis domesticis omnis generis abundat, lacubus, fluuijsque piscosis, & syluis ad uenationem idoneis referta, in quibus habet, ursos, alces, uulpes, linces, maturos, castores, & omnis generis animalia. Lepores in Liuonia mutant æstate, & hyeme colorem, perindè ut Heluetijs in alpibus, hyeme sunt albi, & æstate cinericei. Inferunt & Moschouitæ pelles ursarum, albas in Liuoniam, quas ex frigidissimis Septentrionalibus regionibus, maximè ex Dwina prouincia Oceano glaciali adhærenti acquirunt. Religiosissima gens Liuonica post susceptam Christianam fidem, Romanæ Ecclesiæ ritum ardenter obseruans erat: Domini etiam ordinis Teutonici, & ipse Magister, priusquam ad Lutheranismum desciscerent, religiosa pietate diligenter ordinis regulas, in moribusque & habitu cultum decentem obseruabant. Diuorum delubra, pietate, & pulchritudine decorabant, quæ hodie à Lituanis, penè demolita, & desolata uidentur, ditionemque suam ab omni incursu barbarorum strenuè, summa cum laude uindicabant, omnia denique illis ex uoto (benignitate Diuina propter Religionis antiquæ obseruantiam prosperante) cedebant: & Moschum barbarum potentem hostem, à finibus suis sæpissimè summa cum uictoria propulsabant, prout ex his duobus præclaris, & uictoriosissimis certaminibus (quos mihi explanare lectori haud ingratum uisum est) apparebit.

Liuonia ferax.

Religio Liuonum.

Anno quo lux diuina, humana in specie cœlitùs mundo affulsit, 1 3 8 1. Magnus Moscho-

Moſchus Nenhus in Liuonia oppugnat.

Moſchouiæ Dux, Liuonienſium caſtrum Nenhuis, in prouincia Derptenſi acerrimè oppugnabat, cui oppugnationi, ipſe ſua perſona, cum trecentis millibus armatorum intererat. Demùm poſt diutinam, & acrem obſidionem, crebraſq; irruptiones, mœnia, & propugnacula diruta, labefacere incœptabant: obſeſsi etiam defatigati, & uiribus exhauſti ac deſtituti, Diuinæ propugnationi, & tutelæ, humiliter ſeſe ſubmittunt, ipſe etiam præfectus arcis, nocte Veneris diem antecedente, inſomnis ante aram quandam poſtratus, flagranti, corde orabat, ut Deus in tam deplorato rerum ſtatu, ſibi, ſuiſq; auxiliari dignaretur, fœlicemq; grauis obſidionis liberationem elargiretur. Sole igitur tenebras noctis diſcutiente, cùm Moſchouitæ certam iam arcis expugnationem, ſibi promitterent, Præfectus ille è precibus exurgit, arcuq; arrepto, telum cum cuſpide præacuta, è feneſtra propugnaculi in medium exercitum Moſchouiticum iaculatur, & aſpirante conatibus Deo, ipſius magni Principis cor, læthaliter transfigit: concurrunt trepidi Moſchouitæ, dominumquè exanimatum leuant, & cum magno ululatu deplorantes funeſtiſsimum caſum Domini ſui, relictis caſtris, & arrepto cadauere, in Moſchouiam fuga ſibi conſulentes, pergunt, Liuones ex arce ſeſe proripientes, hoſtes fugientes perſequuntur, per agroſq;, ſyluas, & pagos, pallantes aſſecutos trucidant, obruunt, teliſquè transfigunt, & uidentes mirabili, memorabiliquè modo numinis auſpicio, ſe liberatos, arcum ad perpetuam rei memoriam, Deo dicatum, in Baſilica arcis ad altare appendunt, ſolebatq; in eo templo cultus Diuinus, magna pietate, & deuotione peragi: Sed poſtea Anno Domini 1551 Lutheranis dogmatibus aſſumptis, nullum priſtinæ pietatis ueſtigium conſpiciebatur: arcus tamen prædictus immotus ad altare pendebat, donec tandē Anno Domini 1558. Ioannes Baſiliades modernus Dux Moſchouiæ, eandem, arce potitus, religionem, quoque Lutheranam immutauit.

Inſignis uictoria Moſchorū Duce occiſo.

Vuolter Pletēburg Magiſter Liuoniæ.

Aliud celebre, & perpetua memoria dignum, prælium Liuones contra Moſchouiæ Ducem geſſerunt, Anno 1500. ſub ordinis Teutonici Magiſtro, Domino Vuoltero à Pletenburg, qui cum Moſchis enim ſtatuiſſet, publica ieiunia, & ſolennes Lætanias, ſecundùm morem Eccleſiæ Romanæ, inſtituit: nondum enim eos Lutherana doctrina à Catholiciſmo tranſuerſos egerat, Menſequè Septembri paulò poſt natiuitatem Mariæ uirginis, exercitum ordinat. Rigenſis quoque Archiepiſcopus mille Germanos equites adducit, Torpatenſis Epiſcopus quingentos, Reualienſis, & Habſelenſis itidem quingentos ſimul, ita ut Magiſter Liuonicus ſeptem haberet, Germanorum equitum millia, & quinque millia Curonum pedeſtrium (qui populi ſunt Liuoniæ, in Regione, quæ Curlandia dicitur.) Hoc cum exercitu Magiſter, Ruſsiam finitimam Moſchouiæ Ducis inuadit, arceſquè, & oppida quædam expugnat, inde ipſo exaltationis ſanctę Crucis die, ad urbem Pſcouiam exercitum ducit, iuxta hanc ſita eſt planicies, duorum milliarium latitudine patens, in quam deuenerunt, obuiam cū illis procedit Moſchouiticus exercitus, centum millia armatorum (in duodecim acies diſtributus) continens. His adiunctæ erant Tartarorum copiæ barbarie feroces, triginta millia conficientes. Itaque Teutonicus Magiſter, ubi aut turpiter fugiendum, aut ingenti cum animo, aduerſus tantum exercitum, barbarie, & armis formidabilem procedendum uidet, nihil de uictoriæ ſpe remittens, aleam belli tentare conſtituit, & animis ſuorum confirmatis, claſsicum canere iuſſit. Moſchouitæ quoque ex aduerſo ſigna tollere, patrioquè more tubas inflare, & timpanulas (quas paruas ſinguli præfectorum habere ſolent) pulſare cœperunt. Magiſter Teutonicus, globos tormentarios, ſcloppetarioſquè, uelut crebra, continuaquè tonitrua, in Tartaros contorquet. Tandem maximo clamore, ſtrepitu, armorumq; coruſcatione, utrinque concurrunt, Tartari, & Moſchouitæ arcubus, & ſagittis aſſueti, denſiſsimo, creberrimoquè telorum iactu, æthera obumbrant, quæ tamen emiſſa aërem irrita, uerberabant. Tartari ubi prælio à Teutonicis fuſi, fugatiquè fuēre, duodecim Moſchorum acies, centum millia conficientes, uiribus, animiſquè recentes ſuccedunt. Teutones cæſis Tartaris, ubi bellum recrudeſcere ſentiunt, quantò maiorem hoſtium uim prioribus, ſuccedere uident, tantò maioribus animis in hoſtes irruēre, & uelut ab integro noua uirtute reſumpta, ingenti cum fremitu cæſim, punctimquè uergente iam ad ueſperam die, confligunt. Ex Moſchouitis, qui ſupererant, fuga ſibi conſulentes in Pſcouiam ſe recipiunt: prælio itaq; dirempto, compertum eſt ex Teutonicis, unum duntaxat deſideratum, complureſq;, ſed non lęthaliter uulneratos: Moſchouitarum uerò, & Tartarorum, circiter centena millia trucidata, ita ut duobus milliaribus, cadauera paſsim proſtrata iacerent: triginta uerò millia fuga elapſi ſunt. Memorabilis ſanè Triumphus, & ſempiterna memoria dignum, ſingularis uirtutis, & fortitudinis exemplum. Hac igitur clade ſuorum Moſchorum Dux Baſilius Ioannis audiens cum ſummo ſtupore admiratus, tantum exercitum, tam exigua, turpiter cæſum, & proſtratum, ad quinquaginta annos cùm Teutonicis inducias

Liuones Moſchouiam inuadunt.

Cōflictus Moſchorū cū Teutonicis acerrimus.

Moſchouitarū centū millia Teutonicorū duntaxat, unus occubuit.

Memorabilis uictoria.

Moſchus petit fœdus à Liuonibus.

ducias, confestim firmauit, Ruthenicp, & Moschouitæ ab eo tempore, Theutonicos ferreos uiros appellabant.

Liuones ferrei uocati à Moschis.

Ex his igitur fœlicissimis, & uictoriosissimis duobus, Liuonorum cum Moschouitis prælijs, (quantumuis multa uarij euentus prælia, inter eos utrinque eueniebant) apparet, quòd Liuonienses, ordoq; Teutonicus, priusquam à Catholicismo descifcerent, manu Diuina, contra quosuis incursus hostium propugnabantur, omnibusq; rebus ex terra nascentibus, & cæteris fortunis, copiosè affluebant. Vbi uerò Lutherana dogmata amplecti anno Domini 1527. cœperunt, pietatem, & religionem auitam cum omnibus uirtutibus unà excusserunt. Postea uarijs & diuersis plagis, omnes passim grauissimè afflicti sunt, adeò ut uniuersa elementa, in uindictam eorum conspirasse uiderentur. Terra enim Regionis, quæ omnium frugum, & fructuum, leguminumq; feracissima erat uictum (nihil proferens) illis denegabat. Aqua etiam, lacusq; olim piscosi nullos pisces dabant: aër quondam saluberrimus hominum saluti à Deo concessus, in uenenum, & contagium conuersus erat. Igne etiam, & ferro Moschouitæ uniuersam Derptensem Prouinciam crudeliter uastabant. Sed Teutonici fratres nobiles, & ciues, huius afflictionis culpam, & numinis offensam, Catholicis imputabant.

Mutatio religionis in Liuonia.

Plage diuinæ in Liuoniā, fames, pestis, ignis, gladius.

Moschouitæ Liuoniam uastant.

DE INTESTINO, ET CIVILE LIVONIENSIUM bello, & causa expeditionis Regis Poloniæ contra Magistrum Liuonensem.

Magister Liuoniæ cum omnibus Teutonici ordinis fratribus, & equestri ordine, post Lutheranismum susceptum, Archiepiscopo Rigensi collegæ suo, ob non susceptum dogma Lutheri aduersabatur. Hic autem Archiepiscopus ex illustri prosapia, Marchionum Brandenburgensium genus ducebat, frater Alberti Marchionis Brandenburgensis, olim Magistri Teutonici ordinis, & postea Ducis in Prussia, neposq; Regis Poloniæ.

Magister itaque Comitijs generalibus celebratis, conclusit, & constituit Archiepiscopum bello appetendum esse, in quod totus ordo, & nobiles cum omnium suffragijs consenserunt. Episcopus quoq; Torpatensis Hermannus, ut erat inconstantis animi, facilè ad oppugnandum Archiepiscopū indutus est. Reualiensis etiam, & Habselensis Episcopi, Magistrum metuentes, facilè in castra eius concesserunt, & ita uniuersa Liuonia in Rigensem Archiepiscopum, hostiliter conspirauit. Anno itaq; 1557. paulò post natalem Diui Ioannis Baptistæ, ordinis Teutonici Magister, Vuilhelmus Furstemberg, exercitum cum commendatoribus cōscribit, tres quoq; Episcopi prædicti, copias suas eidem coniungunt. Sicq; instructissimo exercitu, & magno cum apparatu, Rigensem Prouinciam hostiliter inuadunt. Archiepiscopus Rigensis tametsi defensionem meditaretur, & magnam nobilium partem sibi adiunctam haberet, infirmior tamen erat, & uiribus impar, ut tanti exercitus uim sustinere, & propulsare neutiquam posset. In arcem itaq; Cokenhusen naturâ loci munitissimam, in edita rupe constructam, cum suis profugit. Magister uerò eum cum uniuerso exercitu ibidem, graui obsidione oppugnabat, tormentis, machinisq; bellicis muros fatigans. Sed neq; tormentorum crebra tonitrua, neq; ualidos hostium impetus muros labefacere poterant, sola fames, & inædia obsessos ad deditionem compulit: octauo itaq; obsidionis die portis adapertis Archiepiscopo iubente, hostibus sese dederunt. Ordinis Teutonici Magister Archiepiscopum, non ut unius Prouinciæ, & urbis Rigensis consortem, non ut claræ prosapiæ Brandeburgensium Marchionum Principem, non ut Præsulem, & Primatem, sed ueluti barbarum hostem tractat, contumelijs, & probris ludificatur, omnibusq; oppidis, arcibus, & pagis mulctatum, carceri mancipauit, totoq; anno uinctum detinuit.

Cōspiratio aduersus Archiepiscopum.

Archiepis. cedit.

Kokenhusen cū Archiepis. capitur.

Rex Poloniæ Sigismundus Augustus, ubi id ab ordinis Marschalco (quē Magister bonis omnibus spoliatum, eò quod bellum contra Archiepiscopum suscipiendum dissuadebat expulerat) rescijsset. Tanti Principis Nepotis suis, seruilem captiuitatem ægrè tulit, reiq; indignitate commotus, Episcopum quendam in Liuoniam ad Magistrum ordinis, hac in causa destinauit. Qui cum multis rationibus, deliberando Archiepiscopo nomine Regis, coram Magistro ageret, Magister neque excarcerandi Archiepiscopi, nec componendorum dissidiorum spem præbuit. Itaque Legatus re infecta ad Regem reuertitur. Rex Poloniæ, ut operam suam irritam cognouit, ordinis Magistro, omnibusq; eius auxiliarijs, bellum denunciat, quo nuncio accepto, confestim Magister ingentem thesaurum, in Germaniam ad exercitum ibidem conscribendum mittit, adductaq; sunt

Legatus Regis Poloniæ in Liuoniam.

Causa belli Liuonici.

sunt aliquot millia equitum, & sex uexilla peditum Germanorum in Liuoniam. Rex Poloniæ haud diu moram trahens, infestis signis in Liuoniam contendit, equitum simul, & peditum armatorum, uirorumque electissimorum centena millia, cum tormentis, amplissimaq; bellica supellectili procedunt, ordinis Magister uniuersos, quos habebat præfectos, & commēdatores Regi opponit. Episcopi quoque tres, Derptensis, Reualiensis, & Habseiensis, copias suas eidem coniungunt. Itaq; Ordinis Magister tunc temporis habebat Germanorum equitum septem millia, & sex peditum uexilla benè armata. Præterea etiā agrestium aliquot millia Liuonorum. Sed Magister Polonorū ualidissima, lectissimaq; manu conspecta, uictoriæ spem prorsus abiecit, legatumq; ad Regem, qui præsens in armis erat, otius destinauit, prælium deprecando, & pacem humillimè efflagitando. Rex clementer, & benignè respondit, nisi uiduas, pupillos, orphanos, & inopes, innocentesq; colonos misereretur, nullo pacto pacem se cum Magistro initurum, sed ut Magister ordinis agnoscat (inquit) me sanguinis, aut belli sitientem non esse, ipse si pacem expetit, hûc ad nos intra octodecim horarum spacium accedat, principemq;, & Archiepiscopum Rigensem una adducat: dein pacis, & concordię rationē inibimus. Teutonicus Magister hoc responso, confestim Archiepiscopum, qui non longè aberat, custodia liberari, & è uinculis educi iubet, ambo itaque trecentis equitibus, inermibus stipati, ad Regem ueniunt. Ibi cùm ultrò, citróque de pace ageretur, tandem concluditur, ut Magister ordinis Archiepiscopum in pristinum statum restitueret, omneqúe damnum, & detrimentum eidem illatum resarciret. Præterea Regi Poloniæ stipendia in milites erogata persolueret. Graues hæ erant ordini Teutonico pacis conditiones: attamen Magister metu grauioris periculi urgente, consensit & secundùm pacta omnia præstitit. Postea Archiepiscopo prædicto, è uiuis decedente, Rex omnes arces, ciuitatesqúe, pagos, & Curias, ad Archiepiscopatum pertinentes, iure propinquitatis in Liuonia occupauit. Magistro quoque prædicto, à Moschouitis in arce Felin per proditionem militum suorum capto, & in Moschouia in uinculis mortuo, tota Liuonia cum suis Prouincijs in ius Regis Poloniæ cessit. Atque hic ultimus Magister ordinis, Vuilhelmus Furstemberg, Magisterium, Teutonicorumq; fratrum Crucigerorum in Liuonia, ordinem terminauit, absoluit, finemqúe extremum imposuit.

Rex Polo. armata manu in Liuoniam contendit.

Magister Liuoniæ pacem efflagitat.

Pax sub conditionibus Magistro Liuoniæ conceditur.

Magister Liuoniæ capitur.

Finis ordinis Liuon.

TABVLA ET SVMMA ARCIVM, CASTROrumq; Liuoniæ, cuius dominio singulæ subsint, exceptis curijs, prædijs, & præfecturis.

Regis Poloniæ arces in Liuonia, & ciuitates

1 Dunamunt
2 Blokhaus
3 Riga
4 Karxhaus
5 Helmet
6 Rugen
7 Parnaua
8 Ermes
9 Burtnich
10 Vuolmer
11 Aries
12 Segenuol
13 Neuenhul
14 Kircholm
15 Vxul
16 Lenuard
17 Ascherad
18 Kokenhaus
19 Zelborg
20 Kreczborg
21 Dunenborg
22 Rodenpeus
23 Nitaw
24 Sesuegen
25 Georgenborg
26 Lewborg
27 Sosſiten
28 Ludsen
29 Luden
30 Landon
31 Schanczborg
32 Filac uel Maienhausen
33 Rodenpeus
34 Serben
35 Konnenburg
36 Smilten
37 Lemzel
38 Treiden
39 Cremon
40 Sancel
41 Dalen
42 Vuansel
43 Salis
44 Nochrosen
45 Rossenbek
46 Maian
47 Pierkiel
48 Roppe
49 Nabbe
50 Erle
51 Bersen.

Ducis Curlandiæ feudalis et uasſalli Regis Poloniæ arces

1 Seleborg
2 Bassenburg
3 Doblin
4 Mittaw
5 Newburg
6 Frauenburg
7 Schroden
8 Hasenpot
9 Durbin
10 Hrubrin
11 Alsangen
12 Vuinda
13 Goldingen
14 Sabel
15 Candaw
16 Tuczkum.

Ducis Moschouiæ castra

1 Derp
2 Falkenaw
3 Vuerpech
4 Kirempe
5 Ollentorn
6 Newhaus
7 Odenpel
8 Holsen
9 Kaneliche.
10 Raden
11 Lais
12 Operpal
13 Felin
14 Tameſt
15 Talckofen
16 Fegfeor
17 Nerua.
18 Iwangorod
19 Newburg
20 Tolsburg
21 Vueissenberg
22 Bericholm
23 Aſs
24 Eſt
25 Cunctal.

Regi Swetiæ arces

1 Reuel
2 Vuitenstein
3 Badis
4 Hapsel
5 Leal
6 Ficzkel
7 Verder
8 Fœlix

Magni fratris Regis Daniæ arces

1 Arnsborg
2 Sonemburg
3 Lode
4 Pilten
5 Edualen
6 Hasempot
7 Angermunde
8 Dendangen
9 Newdaus
10 Samboten.

POLONIA SIVE DE SITV, POPVLIS, MORIBVS, MAGISTRATIBVS, ET REpublica regni Polonici libri duo.

AVTHORE MARTINO CROMERO, COADIVTORE, AC *designato Episcopo Varmiensi.*

ANTE complures annos, post editũ opus id, quod de origine & rebus gestis Polonorum conscripsi, cum essem in aula & ministerio D. Sigismundi Augusti regis, operæprecium me facturum esse existimaui, si de situ quoq; & natura terræ Poloniæ, & de moribus, magistratibus, atq; omni Republ. gentis aliquid cõscriberem, quod quasi clauis foret ad annales illos nostrates faciliùs intelligẽdos. Et orsus quidem sum opus, multis nominibus perdifficile: Sed abstractus ab eo eiusdem regis iussis ad obeundas subinde peregrè legationes: & in aula optimi Imperatoris Ferdinãdi in septimum annum commoratus, intermisi, ad finem quidem deductum, sed rude & impolitũ, nec satis fortassis exquisitè conscriptum: Cum amicis tamen aliquot, quale tunc erat, cõmunicaui. Quamuis autem posteà plus à publicis functionibus ocij nactus essem, non resumpsi tamen id in manus, siue tędio ac desidia quadã senili, siue alijs curis ac muneribus ecclesiasticis impeditus: cogitabamq́; id quasi abortiuum fœtũ intra domesticos parietes sepelire. Sed aliter Stanislao Carncouio Episcopo VVladislauiẽsi uiro non solum iuris prudentia, uerumetiam elegantiore literatura, theologia, pietate, & omni uirtute ornatiss. meiq; amantissimo uisum est. Nam ante annũ tertiũ cùm Henricus Valesius (quẽ non sine præfatione honoris nomino) Francisci Francorum regis F. tunc Andegauensium dux, nunc autem post obitum Caroli fratris Rex Francorum, magno ordinum Regni Polonici & annexarum ei prouinciarum consensu, liberisq́; suffragijs rex creatus esset, & ad suscipiendum id regnum adueniret, suasit & persuasit mihi Carncouius (cuius ego iudicio plurimum tribuo) ut opus id ipsi offerrem. Fore enim ei gratissimum, & uenienti ad oras & gentes sibi incognitas accommodatissimum, ut iam inde à primo quasi limine eas salutans pernosceret, neq; diutiùs apud eos populos, quibus præfuturus esset, in eorumq́; republ. peregrinaretur. Obsecundaui: Resuscitaui opus abortiuum: Resumpsi in manus. Recognoui, quoad breuitas tẽporis, quo rex aduentabat, & negocia muneris mei ecclesiastici patiebantur. Et cum ipse Regi obuiam prodire commodè non possem, obtulit ei munusculum meum ipse Carncouius, qui tunc eum in finibus regni nomine uniuersæ Poloniæ publicè salutabat, & faustum aduẽtum ipsi gratulabatur. Ex illo autem exemplari castigatiss. descriptum est postea à nescio quo (nec scio an à pluribus deinceps) opusculum. Quod nactus Vechelus typographus Francofurtensis, ut erat descriptũ, ita excudit: nempe mendosissimè, non solum proprijs & uernaculis hominum, locorum, & magistratuum nominibus, ab imperito quopiam Polonicæ lingue, sed etiam Latinis uerbis ab illiterato prorsus scriptore deprauatis atq; corruptis, ita ut à nemine intelligi, à me uerò uix agnosci posset, Præfatio tamen loquebatur quasi per coniecturam, à me id cõscriptum esse. Cuius ita excusi exemplũ cum mihi fuisset exhibitum, puduit me magnoperè, non tam meo, quàm patriæ meæ nomine, cui tam mala opera nauata esset: & quo opere illustrari ea deberet, non sine infamia quasi traduceretur. Misertum est etiam eorum, qui id lecturi essent non sine iactura temporis & molestia, & pro thesauro, ut est in prouerbio, carbones reperturi. Et cupiebant id Vechelus, & aliquot alij typographi castigatiùs recudere. Proinde non existimaui mihi committendũ esse, quin existimationi cùm meæ, tum patriæ meæ consulerem, ac tibi, optime lector, iuxta, gratificarer. Edidi itaq; de nouo exemplar ita, ut tunc Regi oblatum est, castigatum. Admonendus autem mihi es, candide lector: ne requiras in tali opere puritatem & elegantiam sermonis Latini. Neque enim in eo ab usitatis uulgò uerbis, & nominibus uernaculis temerè discedendum fuit, si non quasi per somnium, sed ὕπαρ, ut græco uerbo utar, id intelligendum, deque eo conferendum est. Nonnullá quidem alia, sat scio, requires, nimirum de principe prouincia Lithuania & Lituanis: De Prussis etiã & Prussia, ducali pręsertim: Itemq́; de Liuonia, Volynia, Polesia, & magna parte Podoliæ, cuius metropolis est Kiouia: Quæ prouinciæ cũ quodam tẽpore (Liuonia excepta) à Polonia ferè abalienatæ fuissent, quemadmodũ suo loco à nobis memoratum est, nuper adeò post cõscriptũ hoc opus in ditionem Polonorũ reuenêre. Requires & ea fortassis, quæ proximis aliquot superiorib. annis publicè in comitijs Polonicis acta & constituta sunt. Sed ea partim non huius sunt operis: partim huius quidẽ modo sunt, tunc aũt non fuerunt, cũ id nobis elaboraretur, uel certis de causis à me omissa, & alijs scriptoribus, qui exactiùs ea nossent, & conscribere possent, relicta sunt. Supplere aũt nunc ea, quæ non iniustè desiderari possunt, ętas, & munus mihi impositũ prohibent. Non deerunt, spero, qui florentes annis & ingenijs, emunctiorib. iudicijs, & stylo elegantiori præditi, maiore cura ac diligentia non solũ illa residua perquirent, persequentur, & attexent, uerũmetiam hæc nostra ornabunt. Tu lector amice, quæ dantur, & qualia dantur, boni consules. Vale. Ex arce nostra Heilsbergensi, Prid. Non. Ianuarij. M. D. LXXVI.

SACERDOTIS CVIVSDAM POLONI, AD LECTOREM ADMONITIO DE SILEsiorum nouis annalibus.

CVM opus hoc non nemine postulante in publicũ prodîturum esset, obtulerũt se mihi Gẽtis Silesiæ annales cuiusdam, qui se Ligiũ (etymo nimirũ linguæ suæ Germanicæ) haberi uult è fabulosis campis Elysijs. Qui quãuis sedulò dissimulare studeat, quo animo scripserit, & unde pleraq; omnia compilarit, prodit tamen sese petulans eius maleuolentia & maledicentia. Non tam authorem autem huius operis, & eius, quod est, De origine & rebus gestis Polonorũ (quẽ suppresso nomine immerito nõnunquam perstringit) quàm gentem Polonam omnem (cui se amicũ esse simulat) & res gestas eius deprimere & insectari sibi proposuit. Et tamẽ homo modestus & integer contra alienas calũnias sese præmunit. Non est aũt operęprecium, hoc tempore eũ refellere, quandoquidẽ ipse reprehẽdit modo nostratia nudis uerbis, aut citandis authoribus nõ grauissimis, & in sua ipsorũ gentisq; suæ causa nõ minus, quàm nostrates ipse iudicat, suspectis, neutiquã cohærẽte sibi alicubi rerũ serie. Cõmonefacere tamẽ te, optime lector, mihi uisum est, ut cogites, quantã fidẽ habere debeas ei homini, qui, quẽ nõ rarò citat Dlugossum, ne nominare quidẽ nouit, tantũ abest, ut legerit, opusq; illud de origine & rebus gestis Polonorũ, quod sibi ad mordendum inprimis ꝓposuit, Dlugossi epitomẽ esse dictat. Nec animaduertit, homo lepidus, alios quoq; authores in eo citari, & Dlugossum nonnunquã reprehẽdi, & leniter refelli. Adhęc onerat is suspitionib. uniuersẽ Polonicã historiã eo nomine, ꝗ à Polonis, & ijs quidẽ sacerdotibus, conscripta sit. Cur aũt non ijsdem de causis etiã Germanicæ suspectæ sint, à Germanis & ipsæ conscriptæ, & ferè à sacerdotib. & monachis? Quod nomen gregalibus istius pseudeuãgelicis longè abominabilius est. Quasi uerò non apud oẽs populos peculiaris cura sacerdotũ fuerit antiquitus, cõseruare publica literarũ monumenta, & prodere in publicũ res gestas. Et quasi non maxima fides semper eis habita sit. Idonei scilicet ijs rebus & actionib. sunt magis coci, uel baiuli, uel lenones, aut certè medici, quorũ ars ferè omnis cõiecturalis est, historię scilicet inprimis consentanea. Nec sanè à professione sua iste in eruendis & recensendis Ligiorũ & Elysiorũ suorũ, & nescio quorũ non portentorũ, uel, ut ipsius uerbis utar, terribiliũ nominum, quę ipse maiores suos appellat, originibus uel latum, quod aiunt, unguẽ discedit, nõ rarò ex una aut altera litera cõiecturas captans. Qualia sunt, quòd Suiones, Sidinos, & Sitinos, Sueuos uult esse: Nimirũ quia in his omnib. nominibus prima litera eadẽ est: Nortuedos itẽ, quia duæ mediæ u & e, Misnios à Mysis, Lignicenses & Libussenses à Ligijs, Saxones à Sacis deducit: Liuonas Lemouios, propter primã itidẽ literã, Silesios Elysios propter duas, quàmuis interpolatas, esse autumat: Burios, Byrrias Cominecos, Brugos, Bituriges, Phryges simili ratiõe coniungit: Et ne linguarũ diuersitas ei obstet, Gotos, (quos etiam cum his eiusdẽ stirpis esse censet) Gallica, hoc est, Heneta lingua loqui asserit. Quasi nõ *δὶς διὰ πασῶν* hæ tres linguę inter se differãt, si modo Heneti Poloni & Slaui sunt, è Paphlagonia profecti, ut ipsi cũ præceptoribus suis Melanchthone & Peucero uidetur. Sic nẽpe ille in præbẽdis ægroto pharmacis butyrũ pro buglossa, aconitũ ꝓ acoro fortassis administrat. Cur autẽ idem Germanos nõ à Carmanis (Quę duo nomina nõ una aut altera, sed omnib. fermè literis inter se cõgruunt) potiùs, quàm aliunde deducit? Cur aũt mauult tã infirmas & incertas coniecturas, aut uerius somnia sua, nulla Sueuicæ linguæ aut cuiusquam de tribus illis etymologia adstipulante sequi, & excisa olim cũ ipsis populis nomina ab orco reuocare, quàm oppidorum, locorũ, & populorũ nomina nõ uetustissima, eorumq; etyma Polonis & Slauis (à quibus ipse nõ diffitetur loca illa habitata & culta esse) relinquere? Est hoc cãdoris eius: est eximiæ scilicet erga gentẽ Polonã beneuolentiæ. Nemo sanè uel mediocriter peritus linguæ Polonicæ nõ intelligit, Polonica esse, & Polonicas habere etymologias Suidniciã, Legniciã, Bregã, Glogouiã, Boleslauiã, Gorliciã, Odrã, & penè innumera alia locorum uocabula, eo tẽpore indita, quo Poloni extirpatis priscis illis istius maiorib. eas oras tenuẽre: Slesiã uerò & Vratislauiã Boemica, posterius usurpari cœpta. Nec scio, an gentilitiũ ipsius nomen eiusdẽ notę sit, à gallo gallinaceo sumptũ. Nisi fortè Polonicæ originis eũ pudet. Nos quidẽ eum inuitũ nobis nõ uindicabimus, ut olim decẽ Græciæ ciuitates de Homero contendisse memorãtur. Sit sanè Sueuus, uel Phryx, uel Elysius, uel Ligius, uel Stygius deniq;, dũmodò Polonis Venedicã, Sarmaticamq; originem ne inuideat. Sed non est nobis propositũ suauis & unguenta olentis hominis, atq; etiã ma (hoc est, ualde) theologi ineptias refutare. Rectè autem is & ordine fecit, ꝗ religionem suam non dissimulauit, & leges historiæ uidelicet, nõ trãsiliuit, eademq; opera optimum Cæsarẽ Maximilianum, cui opus illud suum dedicauit, nõ idem secum sentientem, una cum d. Patre, & maioribus, & liberis eius inclytis, non semel impietatis condemnauit. Nimirum hoc sibi proposuit historiæ prætextu uirus hæreticum incautis obtrudere. Sed uellem, apertius is nobis explicasset, quem nã in pręclaro isto euangelio suo & uerbo Dei ducẽ, uel interpretẽ cum suis Ligijs & Ely-

fijs sequatur. Non Suuencfeldiû, opinor, ciuem suum, licet permultos is habeat sectatores in ea gente. Hos nodos ubi soluerit, tum demum fortassis patiemur nobis persuaderi, nihil eum ne in historia quidem fingere, nihil odio uel gratia deprauare, nihil denique calumniari. Quinetiam non indulgentem affectibus, probabiliora secutum esse. Cæterùm leges historiæ eum non transilijsse, nullum honestum ordinē sauciare uoluisse, Polonicæ nationi amicum esse, ut credamus, ne ita quidē adduci poterimus. De eo uerò, quòd ea, quæ mutili, ut ipse uult, Polonici historici omiserunt, ipse suppleuerit (quæ duntaxat alicuius momenti sint) amplius deliberandū censebimus. Quod si quid eiusmodi proferetur, admirabimur hominem, è muscis elephantos facientem. Laudabimus etiam acumen oculorum, qui Carpathum montē maiori Poloniæ proximum esse perspexerit. Sed non uacat ineptijs diutius immorari. Satis est, lector candide, nos tibi qualem qualem gustum fidei, synceritatis, & integritatis annalium illorum, subdolè aliena scripta, factaq; sugillantium, & uenena incautis instillantium, præbuisse.

Vale.

POLONIÆ MARTINI CROMERI LIBER PRIOR.

De Situ Poloniae, Et Gente Polona.

Polonorum origo. In ijs libris, quos triginta de origine & rebus gestis Polonorum conscripsimus, ostendimus, Polonos gentem esse Slauicam, & Sarmaticam: Quæ quodam tēpore è Sarmatia progressa, transmisso Vistula flumine, in ijs Germaniæ locis, quæ prius Venedi & Vandali tenuerant, consederit, finesq; domicilij & imperij *Poloniæ prisci fines.* sui uersus occasum & Septentrionem longè, lateq; protulerit, ita, ut à Sarmaticis montibus in Septentrionem quidem secundum utranq; ferè eius fluminis ripam, in occasum uerò secundū dorsum Herciniæ siluæ, quo Boëmia clauditur, atq; inde porrò secundum Albim fluuium, ad eius ipsius, atque adeò usque ad Visurgis seu Veseræ ostia, & sinum Venedicum siue Baltheum, quicquid terrarum est, eius gentis ditione teneretur. *Populorum nomina.* Ac uniuersè quidem eos populos Slauos, seu Slauinos sese dixisse: A' finitimis uerò cum Venedos, seu Vinidas, tum Vandalos etiam, eorum, qui prius ea loca incoluerant, populorum nominibus appellatos esse: Peculiariter uerò, eos, qui uersus occasum Germanis erant uiciniores, partim Sorabos, partim Obotritos, Lutitios, siue Lutzitios, Vinulos, Ranos, Vilzos, Rugios, Vetalabos, Retareos, Licicauicos, Heueldos, Vuloinos etiam: quod nomen cum Polonorum nomine cognationem habet, dictos esse. Quos omnes Slauicæ nationis atque linguæ fuisse, & partim domesticis satraparum ac ducum defectionibus & pactionibus, partim armis in finitimorum Saxonum, & Germanorum ditionem, nomenq; postea transisse memoriæ proditum est. *Polonorum nomen.* Polonorum autem nomen uernaculum an commune fuerit horum omnium, an peculiare unius cuiusdam populi: & uetustúmne, an recentius, non liquet. Ante septingentos quidem annos, nusquam in annalibus ullis externis id inuenio. Nec unum eius etymon memoratur, quemadmodum alibi ostendimus. Nonnulli enim à Lecho, seu Lacho, duce Polachos, quasi posteritatem Lachi dictos esse: Alij uerò à campestri planicie, quam incolunt, uel à uenationibus, quibus impensius delectantur, Polacos & Polanos, mutataq; una litera Polonos, & ab ijs regionem Poloniam appellari uolūt. Eius aūt non ijdem semper fines fuêre. *Poloniæ fines accisi & prolati.* Nam Russiæ permagnam partem cum Podolia subactam, & Prussiæ nonnullam, & Polessensem tractum barbaris Iazigibus siue Iazuingis ademptum quodam tempore, Poloni suo adiecerunt imperio. Præter illa autem dudum memoratorum à me populorum occidentalium detrimenta, posteriori tempore Silesia ferè omnis Polonis sese subduxit, & Pomeraniæ, Cassubiæq; reliquæ magna pars detracta est. Decesserat & Russia Podoliæq; pars magna, & Volynia, & Polessensis tractus. Culmensis quoque ac Dobrinum, & Masouia ferè. Sed hæ prouinciæ his duobus, non amplius, seculis recuperatæ sunt: Recuperata est etiam nonnulla pars Silesiæ & Cassubiæ, Pomeraniæqúe ea, quæ nunc Prussiam continetur. Rursus tamen Lithuani, securis fœdere & societate ipsorum

Polonis,

Polonis, Polessensem tractum ferè omnem, & Volyniam, & magnam partem finitimæ ei Rusiæ & Podoliæ auorum nostrorum memoria, regibus uel fauentibus, uel conniuentibus, ad se reuocarunt, quemadmodum suo loco exposuimus. Sed ij populi nuper adeò extremo regni Sigismundi Augusti tempore, cùm hoc opus nos ad finē perduxissemus, relictis Lithuanis, ultro in ius & ditionem Polonorum æquo fœdere prorsus uenerunt. Quin & Lithuani ipsi, exemplum secuti, sese cum Polonis, renouato & ampliato antiquo fœdere, coniunxêre. Instituta tamen sua, & magistratus, & iurisdictionem peculiarem retinuêre. Cæterum nos quemadmodum illa superius recensita Poloniæ detrimenta in hac descriptione præteriuimus, ita modò commemoratas accessiones cuiuspiam alius operi reseruamus, alijs iam distenti studijs, & occupationibus. Nec Liuoniā attingimus, cuius à uicinis principibus miserè discerptæ maxima pars ante pauculos annos in ditionē eiusdem regis uenit. Ne Prussiam quidem ducalem exactiùs describemus. Licet enim ea iustis armis repressa ac domita, ex fœdere maiestatem regis Poloni à centum amplius annis comiter agnoscat, nec linguam tamen, nec instituta & leges Polonorum accepit. Sed deletis penè priscis Prussis, à Germanici sanguinis hominibus habitatur & regitur, ea parte excepta, quæ finitima est Masouiæ: Quæ à Polonis colitur antiquitùs, & Polonici ferè iuris olim fuit. Nec citerioris autem Pomeraniæ partem eam, in qua est oppidum Lemburgum, & arx Bythouia, complectemur, propterea, quòd ea beneficio regum superiorum in ius ducum ulterioris Pomeraniæ transijt. Quo nomine sunt tamen & ipsi beneficiarij regis Poloni, iurantes ritu solenni in uerba eius, quemadmodum & dux in Prussia, & ante eum nostra memoria creatum, Magistri cum primoribus ordinis Crucigerorum, seu Teutonicorum S. Mariæ militum, cùm eius prouinciæ dominarentur, iurabant. Valachiam quoque prætermittemus: quæ fuit & ipsa intra hos ducentos annos in clientela regum Polonorum, sed suis legibus, sua lingua, suisque ducibus utens, qui Voieuodæ seu Palatini dicuntur. Qui duo primùm fuêre, Transalpinensis, & Moldauicus, quorum hic à nostratibus peculiariter Valachiæ Palatinus dicitur: ille uerò Multanicus. Verùm extitit postea tertius Bessarabicus ad Pontum Euxinum, diuiso inter fratres principatu Moldauico. Ac Bessarabia quidem iam pridem subacta est à Turcis: Reliquarum autem duarum Palatini & ipsi iam dedititij sunt eiusdem gentis, patrum, auorum, & proauorum nostrorū memoria in uerba regum Polonorum, nonnunquam Vngaricorum quoque, & ipsi iurare soliti. Nunc igitur Polonia, quæ quidem uno regno & iure cōtinetur, quatenus à nobis describitur, secundum longitudinem terræ habitabilis, è sententia Geographorum, & in primis secundum delineationem amici mei Venceslaï Grodecij, à tricesimo octauo gradu, ad quinquagesimum secundum, uel tertium (incerti sunt enim in illa solitudine Scythica fines eius) ab occasu æstiuo uersus ortum hibernum obliqua protenditur, amplius quàm per ducenta milliaria Polonica: quorum unumquodque quatuor Italica in se continet. Tametsi Rusica & Podolica sunt aliquanto longiora. Quin certis literarum monumentis doceri potest. Oczacouiam arcem ad ostium Boristhenis 54. gradu longitudinis sitam, aliquando in ditione Polonorum regem fuisse. Latitudo autem Poloniæ, quà maximè Orientalis, & quà Occidentalis est, triginta plus minus milliariorum est. Et Occidentalis quidem habet imam poli eleuationem quinquaginta duorum summam 54. grad. & 40. ferè minutorum: Orientalis uerò summam quidem 51. fermè, imam autem graduum. Pocucensis tamen Rusiæ tractus à quadragesimo octauo incipit. Cæterùm in medio, quà latissimè centum miliarijs patet Polonia, & cum in meridiem paululum recuruatur, tum in septentrionem magis ad mare Baltheum seu Venedicum, & secūdum extremam oram Masouiæ dorso prominet, imam quidem poli eleuationem habet in ora Scepusij quadraginta nouē grad. summam uerò in littore maris, & in Puscensi ora quinque fermè, & quinquaginta: ita ut figura eius intensi arcus speciem præ se ferat: cuius neruus paululum reductus, ad meridiem & occasum hybernum quadantenus spectet, exterior uerò curuatura in septentrionem, & ortum æstiuum obuersa sit. Quòd si quis nouas accessiones Polessiæ, & ei confinis Rusiæ, Volyniæ, Podoliæ, & Liuoniæ, Prussiamque ducalem, & Lithuaniam cum sua Samogitia, & Rusia alba Moschis finitima (quæ omnia iam uno regno continentur) annumeret, multò longius & latiùs uersus orientem solem, & septentrionem ea patebit. Ad Nieprum enim sitæ sunt arces & oppida, Kiouia, Caniouia, & Circassi, ultra 54. grad. longitudinis. Prusiæ uerò ducalis & Samogitiæ latus septentrionale quinquagesimum sextum, finitimæ autem Rusiæ albæ 57. grad. latitudinis attingit. Porrò continens his Liuonia, quatenus cū duce nouo Curoniensi, siue Curlandico (qui partem eius nōnullam obtinet) regis Poloni Maiestatem agnoscit, 61. gradum excedit. Atque ita longitudo regni Polonici à finibus Marchiæ Brandenburgensis ad Nieprem ducta recta linea non minus 240. miliaria complectitur, si 15. miliaria uni gradui respondent:

Lithuani se cū Polonis coniunxêre.
Quatenus describitur hic Polonia.
Prußia ducalis
Hist. lib. 27.
Lemburgum & Bythouia.
Pomeraniæ duces Vasalli regis Poloniæ.
Pruß. dux & magistri Vasalli Polonorum.
Valachia & partes eius.
Hist. lib. 15.
Bessarabia.
Hist. lib. 3.
Valachia in clientela Polonorum.
Poloniæ situs geographicus.
Longitudo.
Miliaria Polonica & Rußica.
Latitudo Poloniæ.
Figura.
Poloniæ regni amplitudo.
Curoniensis dux.

Finitimi Poloniæ populi.

Latitudo uerò ab ora Pocucensi ad Pernauiam Liuoniæ ducenta plus minus. Cingitur autem Polonia, sicut eam nunc circumscribimus, ab occidēte sole incipientibus, Marchia Brandenburgensi, & Pomerania ulteriore: A Septentrione mari Venedico & Sarmatico: Cuius aduersa littora tenent Suecones siue Sueti. Inde Prussia ducali, eiq; continente Lithuania in ortum æstiuum ferè uergente. Hinc porrò campestribus Scytharum siue Tartarorum solitudinibus prorsus Orientalibus, & flexa in Euronothum Bialogrodensi Turcarum ora. Inde uerò planè Australi Valachia siue Moldauia: Deinceps Vngaria, & in Africum & occasum hybernum obuersa Silesia Boëmicę deditionis, ad Marchiā pertinente.

Limites.

Et à Silesia quidem, & Marchia, & Pomerania ulteriore, & Lithuania palustres densæq; syluæ eam ferè dirimunt: Mare à Suetia: Ab Vngaria uerò syluestrium montium cacumina: itemq; ab Occidentali parte Moldauiæ. Nam à reliqua Moldauia, quæ in ortum & ad Pontum uergit, Nester fluuius eam & finitimam ei Podoliam diuidit: Idemq;, nisi fallor, limes est eius ipsius Podoliæ cum Bialogrodensi Turcarum ora, ut Nieper & Ponti Euxini sinus cum Tartaris Oczacouiensibus: Aut certè cum utrisq; incertus is est, ut diximus, propter uastitatem, & solitudinem. E qua solitudine pensitant tamen opiliones Turcici regi Polono uectigal pascuorum nomine. Prussia uerò ducalis sic est implicata regiæ (hoc enim nomine à ducali seiungenda est) difficulter ut queant distingui. A Masouia syluæ eam dirimunt.

Poloniæ partes et satrapiæ.

Partes insigniores Poloniæ sunt, Maior & minor Polonia, Russia, & Prussia regia, Podolia, Masouia, & Cuiauia. Quæ & ipsæ deinde satrapijs, uel, ut uulgò loquuntur, palatinatibus, ac territorijs ferè distinctæ sunt.

Maior Polonia, Posnanien. & Calißien. satrapiæ. Paluci, Craina, Cassubia.

Maior Polonia duas satrapias, nimirum Posnaniensem, & Calissiensem complexa, Occidentalis est, Silesiam, Marchiam, Pomeraniamq; ulteriorem meridionali, occiduo, & Arctoo latere attingens. Magis autem ad Occidentem uergit Posnaniensis satrapia, Calisiensis contrà ad ortum & septentrionem: qua parte sunt Paluci, Craina, & Cassubia, tractus terræ non contemnendi.

Minor Polonia. Cracouien. Sendomirien. & Lublinen. satrapiæ. Sciricius & Submontanus. Polesse seu Podlasche. Silesia.

Minor Polonia orientalis est, Cracouiensi, Sendomiriensi, & quæ huius pars quondam fuit, Lublinensi satrapijs definita, hoc ipso ordine quo nunc sunt enumeratæ, uersus Aquilonem & ortum æstiuum sitis. Quæ à septentrione Masouiæ & Polessensi tractui, qui dudum Lithuanicæ ditionis erat, ab ortu Russiæ, à meridie uerò Vngariæ, & Silesiæ finitima est. Sunt autē satrapiæ Cracouiensis partes, tractus Scirícius, & Submontanus, uterq; Scepusio & Vngariæ finitimus. Ac Scirícius quidem ad occidentem uergens, Cracouiæ uicinior est: Submontanus uerò Russiæ & Sendomiriensi satrapiæ iungitur. Lublinensis item satrapiæ pars est Polesse reliquum, quòd à Lithuanis detractum non fuit, utrunq; à syluis ita dictum prius, quàm Podlasse dialecto Russica, quasi Poloniæ finitimum. Nisi quis fortè Podlasse Polonis subiectum interpretari malit. Silesiæ pars ea, quæ adhuc est Polonicæ ditionis, sic implicata est Cracouiensi satrapiæ, ut ab ea magna ex parte ambiatur. Satrapiam ea nullam habet: Sed in Cracouiensi ferè censetur: Habet autem tria territoria, Osuencimense, Zatoriense, & Seueriense, quorum duo priora superiori tempore suos habuerunt duces: Nunc præfecturæ Regiæ sunt. Seueriense est in ditione Episcopi Cracouiensis. Meridionale & Occidentale latus eius ipsius Silesiæ: cætera tenet Silesia Boëmicæ ditionis, nempe Cessinensis, & huius pars quondam Pelcinensis, Ratiboriensis, item & Opoliensis principatus, siue ducatus, ut uocant. Ab ortu uerò hyberno Scepusiensem tractum uix & modicè ea attingit.

Scepusium. Hist. li. 5. et 17

Est autem Scepusium non exiguus terræ tractus, olim cum Polonici iuris esset, ad Vngaricum traductus: de quo alibi suis locis attigimus. Deinde uerò nonnulla pars eius, cum tredecim oppidis & arce Liblio, siue Lubouolia, rursus Polono regi certo pacto ab Vngaricis regibus addicta est, atque etiam nunc ab eius præfecto, & eius nomine administrāt Cracouiensi satrapiæ, tractuiq; Scirício uersus meridiem adiacens.

Siradien. Lencicien. & Rauen. satrapiæ. Maioris & minoris Poloniæ appellatione quæ contineantur.

Inter minorem uerò & maiorē Poloniam primarias totius Poloniæ partes intermediæ sunt Satrapiæ, Siradiensis, Lenciciensis, & Rauensis, nullum commune nomen habentes. Quarum prima ad meridiem & Silesiam, Lenciciensis & Rauensis ad septentrionem uergunt, Masouiamq; attingunt. Harum autem occidentalior est Lenciciensis. Nonnunquam eæ tres unà cum Cuiauia, imò & Masouia, maiori Poloniæ, sicut Russia & Podolia minori, accensentur.

Cuiauia. Bresten. & Inowladislauien. satrapiæ. Dobrinum. Masouia.

Cuiauia uerò ab ortu Masouiæ & Rauensi satrapiæ, à meridie Lenciciensi & Calisiensi iungitur. Continet autem in se duas satrapias, Brestensem, quæ magis ad ortum, & meridiem uergit, atq; Inuuladislauiensem, siue Iuniuuladislauiensem, quæ magis est occidua & septentrionalis. Cuius non exigua pars est Dobrinum, ultra Vistulam, ab oppido sic dictum, latere orientali confine Masouiæ: septentrionali uerò Prussiæ. Masouia quoq; eodem latere Prussiam, Orientali Lithuaniam & Polessensem tractum, & uersus ortum hybernum Poloniam minorem, eiusq; satrapiam Sendomiriensem, Meridionali uerò Rauensem attingit. Duabus satrapijs distincta, Plocensi nimirum, quæ Occidentalis est, & ea quæ peculiariter Masouiæ nomen retinet, propterea

pterea quòd diutius ducum suorum (de Polonorum principum stirpe oriundorum) dominatu segregata, postrema omnium nostra memoria defecta ducibus, ex pactis, & iure feudi, ut uocant, Poloniæ redintegrata est. Quæ quidem Orientalis est. Rauensis quoque satrapia quondam pars Masouiæ fuit, suosque duces habuit, sicut & Plocensis, & pleræque omnes. Prussia Regia præter meridionale latus, quod iam est expositum, ab occasu ulteriorem Pomeraniam confinem habet. A septentrione sinu Baltheo, seu Venedico, siue Codano: ab ortu Prussia ducali cingitur. Tribus autem satrapijs distincta est, Culmensi, Marieburgensi, & Pomeranica. Quarũ hęc Occidentalis est. Reliquæ quæ Vistula flumine ab illa diradded, orientales. Ex his autem Culmensis ad meridiem spectat, Marieburgensis uerò ad Septentrionem. Varmia, & ipsa pars est Prussiæ Regiæ, ad Aquilonem, seu Euroaquilonem uergens, ducali ferè undique cincta, & ab ea quodam tempore maiorem in modum accisa: Marieburgensem quoque satrapiam contingit: Nec in ulla satrapia censetur, subiecta episcopo suo, & sacro Ecclesiæ eius collegio, Regis Poloniæ Maiestatem agnoscentibus. Michalouiense autem territorium est in satrapia Culmensi Masouiæ ac Dobrino finitimum: olim pars Masouiæ. Ducalis Prussiæ (ut eam quoque quo magis perspicua sit hæc Poloniæ descriptio, hic obiter attingamus) præter Regiam Prussiam, limes est à septentrione mare Sarmaticum cum Lacu Curoniensi, & ora Liuoniæ: Ab ortu Samogitia, cæteraque Lithuania: A meridie uerò Masouia. Satrapiam ea nullam habet: præfecturas permultas. Olim Prussia priusquam sub iugum Christi missa est, alios fines habuit, & aliter diuisa fuit. Fuit autem ea decem regionibus siue tractibus descripta: uidelicet Pomesaniensi, in quo est Marieburgum, Christburgum, Quizinum siue Marieuerderum: Pogesaniensi, in quo est Elbinga & Hollandia: Erminio siue Varmiensi, qui retinet etiam nunc in lingua Germanica uetus nomen, & Ermeland uocatur: Natangino, ubi est Balga, Brandemburgum, Cruciburgum: Sambiensi, in quo sunt Mons regius siue Kœnigsberga & Lochstete: Nadrauensi, quo Tapelauuca, Insterburgum, & Vonsdorfia continentur: Salauensi, in quo est Ragneta & Labia: Sudino, qui & ipse nomen suum retinet, & ad aquilonem, ortumque æstiuum inter utrunque Habum & mare longè prominet: Bartheno, quo Rastenburgum, Barthesteinum, & Resla siue Reselia continentur: & Salindo, qui nescio an is sit, in quo Galindas populos ponit Ptolemæus. In his Sudinus tractus fuit primarius, opibus & uiribus maximè pollens, ita ut sex millia equitum, peditũ etiam ingentem numerum conficeret. Cęterorum quilibet minimum ter mille equites, peditum uerò decem millia conficere potuit, si uera sunt ea, quæ nos in uetusto quodam libro Germanica lingua scripto legimus. Cæterum Culmensis tractus & Pomerania, Poloniæ non Prussiæ partes fuère. Sed nos cætera prosequamur. Russia, quam rubram nonnulli uocant, latere occidentali minori Poloniæ iungitur. A septentrione Russiam albam, & Volyniam habet: Ab Austro Vngariam, eiusque populum Ceculos, & nonnullam Moldauiæ partem attingit eo tractu terræ, qui Pocucę appellatur. Nam cætera Moldauia siue Valachia, qua Podoliæ quoque iungitur, magis est Orientalis Russiæ. Continet Russia duas satrapias, nempe Belsensem, quæ ad Volyniam & Lithuaniam uergit & eam, quæ peculiariter Russica & Leopoliensis dicitur, australem magis & orientalem: Nisi quod Chelmensis tractus eius non exiguus ad septentrionem, etiam ultra Belsensem prominet, & Polessiæ finitimus est. Reliquum autem orientale latus eiusdem Russiæ, ac totius Polonici regni claudit Podolia, ab Aquilone & Euro albæ Russiæ, à cætero ortu uastis campis Tartaricis atque Turcicis, ut diximus, à meridie uerò Moldauiæ continens: Totaque una satrapia censetur, quam Podolicam uocant. Olim Podolia & Russia tam ea, quæ nunc Poloniæ pars est, quàm ea, quæ est in ditione Lithuanorum & Moschorum, suos habuit duces, quemadmodum luculentius ostendimus in historia: Quorum stirps cum latè propagata esset, partim ipsa sese intestinis dissidijs atque ciuilibus bellis confecit, partim à Polouucijs, qui Gothi fuisse uidentur, ac Tartaris extirpata, partim Polonorum & Lithuanorum adiuncta est imperio, partim in nomen & ius de se ortorum Moschorum transijt. Extant etiam nunc permulti, ducale nomen, sed plerique nudum propemodum & inane retinentes: Inter Polonos uerò nulla ducum superest memoria. Hi nunc sunt Poloniæ, quatenus hîc eam descripsimus fines: hæ partes. Est autem Regio tota ferè plana & aprica, maximè quà ad occidentem solem & septentrionem uergit, & quæ penitus orientalis est Podolia, ac uel nomine ipso decliuitatem præ se fert, uicinorum Moldauiæ, Russiæ & Vngariæ montanorum intuitu. Minor Polonia itidem atque Russia, quo propiùs accedit ad fines Vngariæ, hoc magis montana est, & syluestris. Quo longius autem inde recedit, eò lenius decliuis est, magisquè culta & meliore gleba. Tametsi in meditullio quoque Sendomiriensis satrapia aliqua ex parte leniter montosa seu uerius cliuosa est. Prussia pleraque omnis excepta Marieburgensi satrapia, qua ad Habum & mare

Prussia Regia. *Culmensi. Marieburg. & Pomeran. satrap.* *Varmia.* *Michalouiense terrãm.* *Prussia ducalis.* *Prussiæ uetus diuisio.* *Russia Regia, siue rubra.* *Podolia.* *Russi duces.* *Hist. Pol. lib. 3.* *Polouucij Gothi.* *Solum Polonicum quale.* *Polonia unde dicta.*

uergit collibus molliter & ad fertilitatem, amœnitatemq; commode distincta est. Itemq; pars nonnulla Cuiauiæ. Montes Sarmatici, qui Poloniam & Russiam ab Vngaria dirimunt, ardui & syluestres, non ignoti sunt etiam ueteribus Geographis & Historicis: & in his celebris est in primis Carpathus, quem nos Crempacum, ni fallor, uocamus: Alij Biesciadi, Modra, Turza, Vapienna, uernacula lingua appellari, externis ignoti sunt. In meditullio uero minoris Poloniæ Lysecius est, quasi tu dicas caluum, siue caluastrum, in quo monasteriorum est S. Crucis nomine, lignoq; celebre: & Vauelus, arce Cracouiensi, quam suo ipsius nomine nobilior, & is, in quo situm est Cienstochouiense monasterium, quem clarum Latine Monachi, ni fallor, incolę appellauere. Syluestris sane fuit superioribus temporibus pleraq; omnis Polonia: Ex eone autem tempore, ex quo habitari cœpit, an postea pestium, bellorumq; incommodis eo redacta, non liquet. Sed Sigismundi senioris, filijq; eius Sigismundi Augusti optimorum & mitissimorum, sapientiumq; regum studio diuturnam pacem nacta, nunc ubiq; diligenter excolitur, frugum leguminumq; ferax, & pratis abundans. Nec tamen deest etiam nunc syluarum copia. Neq; enim eæ penitus exciduntur & extirpantur, partim propter pascua & mellificia, partim propter ædificiorum materiam, & ligna mitigando frigori utilia ac necessaria, partim etiam propter saxosi, uel arenosi soli sterilitatem. Sunt autem syluæ pleræq; piceæ, quernæ, faginæ, & abiegnæ: Ac piceæ quidem fere in planis & arenosis locis, abiegnæ & faginæ in montanis, quernæ in utrisq;, sed uberiore gleba præditis. Multæ sunt etiam in planis iuxta ac montanis locis mixtim omni genere arborum refertæ, & pascuis opimæ. Ex his abietes, tiliæ, piceæ, quercus, apum aluearijs grauidæ fiunt, materiamq; ædificijs nauium ac domorum, malis, tabulis, & uasis aptam, ut & taxi, & terebinthi, suppeditant. Quercus & fagi etiam pastum uberem porcis, ferisq; præbent: Omnes autem focorum, & fornacum, furnorumq; ignibus alimenta subministrant. Tanta est enim uis frigoris in his regionibus interdum, ut radicitus arescant arbores, & aqua ex æditiori loco effusa, priusquam terram contigerit, in glaciem concrescat. Lacus quidem & paludes, & flumina duobus, tribusue mensibus hybernis, nonnunquam autem uel in quintum, ac sextum usq; glacie concreta, non modo peditibus, uerumetiam equitibus & curribus ac plaustris, quamuis oneratis, multis simul longo spacio peruia & secura præbent itinera. Equidem quodam tempore ultima die mensis Martij Vistulam in Masouia per firmam adhuc glaciem cum curru & quadrigis, & aliquot equitum comitatu transiui. Hac etiam præterita hyeme in Prussia glacialis piscatio in lacubus post initium Nouembris cœpta, durauit per totum Martium: gelu autem per totum Aprilem. In tanta autem cœli intemperie pomaria tamen sunt non infrequentia, & fructuosa, ad Vistulam præsertim, & in suburbanis Cracouiensibus, Sendomiriensibus, Varsauiensibus Torunensibus, Gedanensibus: Elbingensibus item, Fraumburgensibus, Velicensibus & Bochnensibus, licet remotioribus a Vistula, totoq; tractu submontano atq; Sciriciensi. In quibus pirorum, malorum, prunorum, persicorum, cerasorum, & nucum bonitas, & uarietas certat cum Vngaricis & Italicis. Sunt & uites, quarum uuæ in minore Polonia esui quidem non insuaues sunt, præsertim si æstas & autumnus temperiem suam seruent: sed uinum inde expressum acerbius, ubi defæcatum est. Aliquanto suauius & copiosius exprimitur apud Crosnam Silesiæ in finibus maioris Poloniæ. Apud Toruniam quoq; in Prussia uineæ coli cœpere non infœliciter, ut audio. Neq; negat solum Polonicum castaneas, mora, cotonea, ficus, amygdalas, pepones, melopepones, herbas & flores omnis generis, & alias hortenses Italiæ delitias, & palatinariumq; lenocinia, si adhibeatur culturæ diligentior, & a gelu custodia. Nec metalla, fossiliaq; desunt in montanis: plumbi quidem intermixto argento apud Ilcussum, Slawcouiam, Chranouiam, & Nouagoram oppida satrapiæ Cracouiensis, & in finibus Silesiæ: Argenti uiui apud Tustanum in Russia: Aeris & Lazurij, & plumbi item apud Chencinos: Ferri plurimis in locis syluestribus: Nitri apud Visliciam & alibi: Salis apud Bochnam & Veliscam in satrapia Cracouiensi, & apud Haliciam, colomeiam, Solum (quod quidem a sale nomen habet) & alijs compluribus in locis Russiæ. Ac in Russia quidem id ex aqua ex profundis puteis hausta decoquitur, & partim in modum farinæ, uel niuis minutum relinquitur, partim in frustula conformatur: In tractu uero Cracouiensi, partim lapidea duritie solidum instar ingentium saxorum, & rupium in subterraneis specubus, alte lateq; excauatis, & uillas, templa, oppidaq; superædificata sustinentibus, ferro excinditur, comminutumq; deinde, & mola tritum, ad usus hominum accommodatur, partim & ipsum ex aqua iniectis lapidei salis frustulis & quisquilijs, quæ secantibus id abraduntur, decoquitur. Color lapidei in massa liuidus est fere, ac luto respersus. Candidum, & in modum chrystalli pellucidum rarius est. Tritum candet aliud alio magis. Coctum uero despumatis sordibus candidissimum redditur, niui non dissimile. Fertur in salinis Bochnensibus reperiri quiddam pici con-

cretæ

Montes Poloniæ.

Vbertas.

Syluæ.

Frigoris & gelu uis.

Pomaria.

Vineæ.

Metalla.

Salinæ.

cretæ simile, quod uocant carbunculum: Quod tritum & epotum soluat aluum. Ibidem exaudiuntur nonnunquam canum, gallorum, & aliorum animalium assimulatę uoces in profundissimis specubus: idq; mali & incommodi alicuius imminentis portentum uulgò habetur. In maiore quoque Polonia apud Pincum salinæ sunt, uerùm tenuiores. Sunt etiam in confinio Osuencimensis territorij & Scepusij aquæ salsæ, unde salem coctum uidimus regi exhibitum. Salinæ tamen nullæ sunt. Porrò in desertis Podoliæ, & Borisitheni uicinis locis lacus est, cuius aqua sereno & ardente sole in solidum salem concrescit, ita ut homines cum iumentis & curribus in eo, tanquam in glacie, uersentur, sectumque in frusta arbitratu suo auehant. Quamprimum autem pluit, soluitur illa glacies non sine periculo insistentium. Apud Biezzum uerò siue Beciam oppidum in submontana regione, uitreolum effodi, ac in uiridem, lapideamq; duritiem decoqui nuper cœpit: *Copper wasser*, hoc est, æris aquam Germani, & nostrates item appellant. Antiquitus autem id conficitur ad æris metalla in Scepusio. Marmor quoque & alabaster quibusdam locis effodiuntur. Est in maiore Polonia prope Sremum oppidum collis, ubi (res incredibilis, sed à multis confirmatur) ollæ, amphoræ, cacabi, & aliarum figurarum uasa fictilia sponte nascuntur, & sub terra effodiuntur mollia, in aërem autem prolata durescunt. Vidi unum atque alterum, quod inde erutum esse dicebatur, rude, nec satis bene conformatum. Porrò in mari Sarmatico Prussiam alluente colligitur succinum. (Ambram etiam externi uocant) Quod fluctibus appulsum ad littora, homines nudi obuiam euntes paruis retibus excipiunt & extrahunt, molle primum, sed mox in aëre durescit, tornóque ac scalpro uarie conformatur. In lacubus quoque nonnullis à mari remotioribus id reperitur: ut in Pissia Episcopi Varmiensis, modicum tamen. Quin & in editioribus locis fossa altius humo fertur inueniri. Spumáne maris concreta id sit, an succus & guma arboris, an quippiam aliud, non est huius loci disputare. Est sanè leue & pellucidum: Estq; fuluum & candidum: Candido maius precium. Ferunt, si incendatur, odore eius uenenata necari. Visuntur in nonnullis frustulis formicæ, muscæ, culices & alia insecta, nō arte, sed uel opificio naturæ, uel fortuitis casibus inclusa. Aquis irrigua est pleraq; omnis Polonia, sed fluuios nauigabiles non multos habet: Præcipui sunt Vistula, Donaiecius, Sanus, Vieper quasi quis dicat Porcum, Varta, Notessius, Nester, Prutus, Bugus, Bohus siue Bogus, Pripetius, Narua, Dreuancia. Nam Odra, in confinio Morauiæ & Silesiæ existens, & per hanc secūdum Poloniç limitem, perq; Marchiam ac Pomeraniam ulteriorem permeans, infra Stecinum in Venedicum sinum decurrit. Olim intra fines Poloniæ tum oriebatur, tum decurrebat. Nieper Russiam albam, ciq; confinem Podoliam alluens, longo tractu in pontum Euxinum apud Ociacouiam munitionem Tartaricam sese exonerat, ortus in Moschouia. Boristhenes is est ueteribus Græcis & Latinis, omnium scriptorum consensu, præter Bernardum Vapouium. Qui similitudine nominis, ut credibile est, adductus, Boristhenem uult esse Berezinam: qui in Nieprum ab æstiuo occasu influit, minor eo & ignobilior. Vistula in Cessinensi ora è Sarmaticis montibus exoriens, uersus æstiuum occasum & septentrionem primum, mox uersus orientem aliquantisper, deinde à Sendomiria uersus septentrionem rursus per minorem Poloniam decurrit. A' Varsauia uerò rursus ad occasum æquinoctialem, & mox æstiuum flexus, Masouiam interluit: Dobrinumq; à reliqua Cuiauia dirimit. Vbi autem Prussiæ fines attigit, in septentrionem reflexus, deinceps mediam eam diuidit. Supra Marieburgum autem in duos alueos prealtis aggeribus obiectis sectus, insulam insignem & fertilem, quam Zulauam maiorem uocant nostri, efficit, & nomen amittit. Ac sinister quidem alueus, qui maior est Lenuiuca, dexter uerò Nogatus uocatur: Quorum hic in Habum lacum tribus ostijs, ille uerò duobus partim in eundem Habum, partim in mare infra Gdanum sese exonerat, longitudinis quidem gradu 41. latitudinis uerò 54. Fontes autem Vistulæ sunt longitudinis itidem 41. gradu, latitudinis 49. minuto 20. Fluens autem amplius centum milliarium Polonicorum spacio Vistula, Solam, Premsam, Scauam, Donaiecium, Vislocam Ropa auctam, Nidam, Sanum, Vieprum, Pilciam receptis Dreuicia & Volboria, Bsuram, Naruam cum Bugo, Dreuanciam, Berdam, Ossam, & Motlauiam minora flumina excipit: & Osuencimum, Zatoriam, Cracouiam, Cazimiriam, Sendomiriam, Varsauiam, Ploscum, Vladislauiam, Toruniam, Culmam, Grudentum, Quizinum, Nouum, Gneuum siue Meuam, Marieburgum, Dersauiam, & Gdanum urbes & oppida non ignobilia præterfluit. Arces item Lipoueciam, Nepolomice, Corcinum Zauichostum, Ceruenscum, Monasterium, Zacrocimum, Visegradum, Sochaciouiam, Dobrinum, Bobrouunicos, Racianzum, Sluzouiam, Dybouiam, Niessouiam, Starigradum, siue Althausum, & Suece, & adhærentes eis uicos alluit. Donaiecius (quod nomen paruum Danubium significat) ex eisdem Sarmaticis iugis non longè à Vistulæ fontibus pauló orientalior exortus, per Scepusium &

Lacus salis in Podolia.
Vitreolum.
Ollæ sponte nascentes.
Succinum.
Fluuij.
Odra.
Berezina.
Vistula.
Flumina Vistulam influentia.
Vrbes oppida & arces ad Vistulam sitæ.
Donaiecius.

um & Submontanum tractum decurrit, Sorstenumq; & Musinam, & Melstinum arces & Sandeciam oppidum, ubi Popruto augetur, præterlapsus, non longè ab Opatouecio uico Vistulæ miscetur. *Popprutus.* *Sanus.* Sanus è Biesciadis iugis longitudinis gradus 44. latitudinis 48. minuto 30. nascens, & uersus septentrionem & occasum æstiuum profluens, posteaquam Liescum, Sobenum, Sanocum, Brozouiam, Præmisliam, Radimnum, Iaroslauiam, Lezeiscum, Rusiæ arces & oppida prętergressus est, Vislocumq; alium à Visloca, & uiarum minores fluuios in se recepit, apud Sendomiriam oppidum longitud. grad. 44. ferè, latitud. 50. minuta 30. Vistulam & ipse subit. *Varta.* Varta apud Cromolouiam satrapiæ Cracouiensis oppidum ortus, longitudinis gradu 40. minut. 50. latitudinis gradu 50. min. 30: per Siradiensem satrapiam, & maiorem Poloniam uersus occasum æstiuum ferè decurrit, Olstinum, Censtochouiam, Mestouiam, Siradiam, Vartam, Vneouiam, Colum, Conninum, Pysdros, Sremum, Curnicum, Posnaniam urbem, Obornicos, Stobniciam, Vuroncos, Siracouium, Mezichodum oppida & uicos cum adiunctis arcibus, & Landisbergam ueteris Marchiæ præterfluens, Nyrumque, Vuresniam, Velinam, Prosniam, Obram, & Notesium minores fluuios excipiens: Et apud Costrinum oppidum in Odram è Silesia occurrentem, influit longitud. grad. 37. latitud. 52. minut. 50. *Notesius.* Notesius uerò apud Crusuiciam Cuiauiæ oppidum è Goplo lacu existens, & ipse per maiorem Poloniam uersus occasum hibernum means, Pacossum ambit, Labissinum, Naclum, Pilam, Vsce, Drenumque arces & oppida præterlabitur. *Nester siue Tyras.* Nester, quem Tyram ueteribus uocari uolunt, in Rusia è Sarmaticis iugis non longè à Tybisci & Sani fontibus ortus, initio uersus Aquilonem profluit, deinde ad ortum conuersus, Bystriciam, Lipam, Seretum Rusicum, alium à Valachico, Sbrucium, Smotricium, Vsciam, & Moraquam ignobiliora flumina absorbet, & Zidaciouiam, Haliciam, Cesibiesos, Ceruonum, Chocimum Valachiæ, & alia quædam oppida præter lapsus, infra Pocuce Podoliam à Valachia longo spacio diuidit: Ad extremum deflexo nonnihil in meridiem alueo, super Bialogrodum urbem Scythicam, siue Turcicam, quæ & Moncastrum dicitur, in Pontum Euxinum, siue continentem ei Obidouum lacum influit longitud. grad. 53. latitud. 47. minut. 30. *Bugus.* Bugus in Rusia & ipse non longè ab Olesco oppido, longitud. grad. 46. latitud. 49. exoriens, & primum in occasum, mox in Septentrionem secundum occidentale latus Volynię tendens, postremo ad occasum reflexus, ubi Polessensem tractum (receptis Rata, & Muchauecio fluuijs) emensus est. & Buscum, Grodecum, Grodlum, Lubomliam Rusica, Bresteq;, Ianouiam, Drohicinum, Polessensia, & Cameneciam Masouiticam oppida prætergressus est, apud Serocium uicum longitud. grad. 43. latitud. 52. minut. 40. *Narua ueneno sis carens.* Naruæ à septentrione & ortu æstiuo è Lithuania profluenti ęgrè miscetur, nigrorem suum retinens aliquamdiu: Nec multo inferius uictor Narua apud Nouiduuorum oppidum Vistulam subit. Est autem peculiaris Naruæ natura, sicut & Dlugossus annotauit, quod non fert uenenosa animalia, usque adeò, ut serpentes, qui nauibus Bugo delatis adhæserint, edito sibilo refugiant, cum primum aquam eius fluminis attigerint. *Pripetius.* Pripetius in Chelmensi tractu è palude non longè à Lubomlia existens longitud. gradus 47. latitud. 50. præter occiduum & septentrionale latus Volyniæ diuersus à Bugo per Rusiam albam longo spacio uersus Orientem solem progreditur, & cum nonnullis alijs, tum Styro, Turo, Slucio, Suislocio grandibus fluuijs auctus, Nieprum siue Boristhenem supra Kiouiam subit, longitud. grad. 51, latitud. 53. ferè. *Bogus.* Bohus autem, siue Bogus è palude ortus in finibus Podoliæ long. grad. 49. latitud. 49. minut. 30. itidem per Rusiam albam meridionalior longo terrarum actu ad ortum tendit: ad extremum deflexo in Meridiem cursu, & ipse in Boristhenem non longè ab ostijs eius long. grad. 55. lat. 48. sese exonerat. *Prutus* Prutus è iugo montium Sarmaticorum long. grad. 46. minut. 50. latitud. 47. minut. 30. uersus aquilonem in Pocuce delapsus, & Colomeiam, Sniatinumq; præterlapsus, inde per Valachiam siue Moldauiam primum orientalis, deinde australis uersus Bulgariam in Danubiū decurrit, long. grad. 52. lat. 45. ferè. *Passaria.* In Prusia uerò Alla siue Alna, & Passaria, non longis inter se spatijs orti, uersus septētrionem fluunt: Et Passaria quidem infra Olstinecium, siue Hochsteinum (ut uocant Germani) ducale oppidum existens, Morango, Libstadia, Brunsberga, & Helgebeila oppidis præteritis, Habum lacum subit, long. gradu 42. minu. 30. latitud. 54. *Alla.* Alla uerò supra Allesteinum S. Collegij Varmiensis arcem & oppidum, cui etiā nomen dedit, oriens, præteritis Vartemberga, Gutestadia, Heilsberga, siue Allesberga Varmiēsibus, & Barthesteino, Sipelbeino, Pridelandia, Allemburgo ducalibus oppidis, apud Velam *Pregola.* Prægolę, ab ortu hiberno per ducalem Prusiam decurrenti, miscetur, & cum eo infra Koenixbergam, hoc est, Regium montem, urbem longitud. grad. 43. latitud. 54. Habolacu recipitur. *Dreuantia.* Dreuantia uerò non ita longo ab ijs interuallo oriens, diuersoque meatu uersus Austrum fluens supra Toruniam à Vistula excipitur. Atque hæc de fluminibus, nunc

nunc sufficiant. Lacubus piscosis in primis abundat Prusia. In his nominatissimus est Habus, cuius modo mentionem fecimus: quem etiam recens mare uulgò uocant. Ad quindecim miliaria in longitudinem inter Gdanum & Regium montem urbes secũdum mare patens, & ab eo angusta insula, quæ Neringa appellatur, disiunctus: In latitudinem uerò duo miliaria plus minus. Ac Elbingam quidem urbem non longo spacio adspicit, eiq; portum efficit, eiusdem nominis flumine nauigabili influente. Tolkemitam uerò, Fraumbergam, (cui basilica Varmiensis in modum arcis munita impendet) Balgam, Brandeburgum, & Fisshausum oppida & arces alluit, receptisq;, ut dixi, Vistula & Prægola, & alijs minoribus fluminibus, apud Lochstete arcem mari miscetur. Hoc aliquanto amplior lacus alter est eodem nomine, cognomento Curoniensis, in Prusia ducali, in quo sunt ostia Nemenis fluuij (Memelam uocant Germani) per Lithuaniam defluentis. Inter hos duos Habos & mare peninsula est, quæ & ipsa Neringa, sed Curoniensis appellatur, arces & oppida continens. Secundum hos est Drusnus siue Drausenus lacus in Marieburgensi satrapia, unde Elbinga fluuius profluit: Partecinus Lubnus, Reusina, & Viecininus in Culmensi: In Pomeranica uerò Stuorzonagaci, quasi quis stratum uel factum aggerem dicat, inter Chojniciam, Slochouiam, ac Tucholiam oppida, septem miliarium spacio longus, quinq; latus: Vnde Berda fluuius profluens, per Crempscum, Lubonium, & Charsiconum minores lacus in Vistulam influit infra Bydgostiam. Nec ignobiliores his sunt Vsdice, Lubscus, & Osieccinus in eodem tractu: Alij minores. Sunt & in Varmiensi ditione non pauci. Præcipui uerò Dadaius, Zainus, Vadangus, Pisia, Blanke, quasi albus, Sinser, Lingenaus, Lemanglus, Ellingus, Plaucicus, Vulpingus, Clebergus, Cosnicus, Obelus, Marangus, & alij complures. Sunt & in ducali Prusia multi & grandes; quos omittimus. Habet & maior Polonia & Cuiauia nonnullos, piscososq;, in quibus Goplus princeps est, quinq; miliaria patens in longum, semis in latum: Secundum hunc sunt Blendnus, Pouizus, Biesinus, Sanus, Piednicia, Niezamyslus, Voniesca, Lomunice, Peicuus, Lubstouus, Drauuscus, Noblun, Tulangus, Ielen, & Lednicia, in cuius insula Gnesnensis basilica initio condita fuisse, indeq; propter difficilem aditum, in eum, in quo nunc est, locum translata esse putatur, quemadmodum Dlugossus memorat. In Cuiauia uerò Tur, Lanscus, Bielscus, Lubotinus, Orlic, Berdouus, Borimouus, Creuianta: Et in Dobrinensi tractu Gorznus, Mocouus, & Scampscus, minores aliquanto superioribus. Pro lacubus minor Polonia, Silesia, Rusia, ac Podolia piscinas habent arte manuq; factas permultas & grandes. Non carent tamen & lacubus, Lublinensis maximè & Chelmensis tractus. E quibus Biale, hoc est, Albus, per antiphrasim sic dictus, prætereundus non est: Cuius aqua Aprili & Maio mensibus fuscos reddit lauantes: Pisces autem pinguissimos profert, qui brasmi, à nostratibus autem Clescij uocantur. Est & in Belsensi lacus Crinice, non amplus, uerùm profundus. De quo illud memorabile annotauit item Duglossus, quod certis temporibus altero uel tertio quoq; anno cum mugitu fluctus attollens exhauritur propè ad fundum usque, aquis uicini montis cauernas subeuntibus: Atque ibi tunc facilè præhenduntur pisces in aqua uadabili. Post dies aliquot ea refluit. In cæteris lacubus, atque etiã in maioribus piscinis & fluminibus hyberno tempore commodiores ferè sunt piscationes, quàm æstate, pertusa certis interuallis glacie, retiq; per maius foramen in aquam immisso: quod longis funibus ad perticas alligatis hominum equorúmue opera longo spacio in diuersum tractum, coëuntibus rursus piscatoribus alio foramine piscibus refertum extrahitur. Sunt autem eadem genera piscium in lacubus & piscinis. Vtrobique enim sunt lupi, siue lucci, prasmi, percæ, rhombi (si modo sic appellandi sunt ij, quos nos Carasios dicimus) sumi, sendacij, cirtæ, siue certæ, à delitijs, ni fallor, apud Germanos nomen sortitæ, tineæ, anguillæ, ruboculi, carpones, quos reginas uocant Itali, Latini Cyprinos, quemadmodum uult Ioannes Dubrauius Olomucensis Episcopus. Tametsi minus frequentes hi sunt in lacubus, quàm in piscinis: In quas paruuli tanquam in uiuaria studiosè includuntur. Ferunt etiam lacus nonnulli eos, quos sulutizas & sielauas nostrates, Germani Marenas uocant. Piscis est dulcis & sapidus, aleci similis: Fluuiatiles uerò sunt cum ijsdem ferè omnes, tum delicati in primis, truta, barbo siue mullus (Paruenam uocant) fundulus, occulata, quæ lampreda quoque dicitur, alosa, siue borbocha, cuius iecur potissimum est in delicijs, à nostratibus Mientus uocatur: Itemque Lipien, sliz, berzana, ucleia, iasdez, & quæ bialariba, hoc est, albus piscis à nostratibus appellatur: quibus Latina nomina dare non habemus. Quanquam quid uetat Alberti Magni, & aliorum scriptorum, qui eiusmodi res persecuti sunt, exemplo, eos uernaculis nominibus ad Latinum sonum conformatis appellare? Quod in superioribus quoque nonnullis factum est. Cancris & anguillis abundas in primis Nida fluuius. Anguillis etiam & Stintis Habus, & alij nonnulli lacus Prusici. Marinis piscibus non

Lacus Habus.

Neringa insula.

Habus Curoniensis.

Elbinga flumen.

Varmiensis lacus.

Goplus.

Piscinæ.

Biale lacus.

Crinice.

Piscationes hybernæ.

Piscium genera.

Pisces fluuiatiles.

non admodum abundat ea regio. Nobiles autem præcipuè sunt haleces, quos haringas Germani uocant, quorum sale conditorum maximus est uulgò usus in tota Polonia, atque adeò in Lithuania quoque, Boëmia, Silesia, Morauia & Vngaria. Tanta eorum copia est. Sed in Prussia pauci præhenduntur: A' Cymbrica autem Chersoneso, & Scandia, & ex Oceano Germanico plurimi & optimi nauibus eò importantur. Pomuchlæ non desunt, neque passeres. Salmonem siue esocem, & sturionem inter marinósne, an fluuiatiles numerem, nescio, utrobique quidem præhenduntur: Sed è mari sursum fluminum certis temporibus enatant, transilientes obstacula. In quibus etiam insidiosis capsis collocatis capiuntur. Tantò sunt autem suauiores, quantò longius à mari et Habo recesserint. Quin uniuersè pisces ij, qui in fluuijs iuxta ac lacubus & mari uictitant, sapidiores sunt in fluuijs, quàm in mari, uel lacubus capti. Non est hic prætereunda quarundam aquarum non uulgaris natura. Est in Scepusio riuus ex arduis mōtibus profluens, cuius guttæ in lapideam duriciem coerescunt, ita ut ex ijs sponte existant fulcra sustentantia canales, quibus riuus ille ad moletrinas deducitur. Est & fons siue lacus pestilentē aquam & uaporē emittens, cuius non modo gustu, sed etiam afflatu animalia & aues necātur. Sunt etiam nōnullis in locis Poloniæ scaturigines tepidarum aquarum, sulphuris & aluminis odorem redolentium, quibus scabies & ulcera hominum & iumentorum curantur. Sed nos ab aquis & aquatilibus ad terrestres animantes transeamus. E' ferarum animantium genere fert hæc regio copiam leporum, dorcarum, sciurorum: cuniculorum quoque alicubi: Ceruorum etiam, & aprorum, & ursorum, & luporum nonnullis in locis. In primis autem Nepolomicensis & Radomiensis saltus nobiles sunt Ceruorum uenationibus. Et horum autem, & Onagrorum atque Bisontium Prussia ducalis, eique finitima Masouia ferax est, & in primis Podolia: ubi agminatim in campis non modo hæ feræ, uerumetiam feri equi pascuntur. Est autem bisons prægrandis, uerum pernicissima fera, magnis & introrsus leniter incuruis cornibus nigris armata, quibus equum cum sessore correptum in sublime identidem iactat, & arbores mediocri crassitudine euertit. Magnitudinis eius illud quoque est argumentum, quod in capite eius inter cornua, duo imò tres etiam homines possunt considere. Habet uillosum & hispidum corium, & sub mento palearia. Caro eius sale condita in delitijs est magnatibus & principibus. Cornu sonorum, & ob id uenatoribus in usu est: Zubrum seu Zambrum uocant nostrates: Imo & Græci recentiores: Onager uerò Los appellatur. Alcem hanc esse uolunt: De qua scribunt Plinius, & nōnulli alij ex ueteribus. Fera est longis cruribus, & auribus, aliquanto maior equo, colore cesio & fusco, mas capite cornuto: Cuius ungula posteriorum crurum, si autumni initio spiranti adhuc desecentur, expetitur, comitiali prȩsertim morbo laborantibus salutaris. Ferunt etiam capreas montana loca Vngariæ finitima. Cȩterum Vri, hoc est, boues syluestres, quos nos Thuros dicimus, in solis Masouiticis syluis apud Vyskitcos extant. Et harum quidem ferarum carnes aptæ sunt humano esui: Cultui uerò pelles subministrant panthera, siue is est lupus ceruarius (Ris appellatur à nostratibus) maculosis uentre & pedibus: quæ partes maximè in precio sunt. Martes, siue Mardures, quas cunas dicimus, uulpes, lupi, Rosomaci, Lutræ item & castores amphibia. Atque horum castorum, inquam, caudæ etiam inter delicatos cibos, & pro piscibus habentur, reliqua carne inutili propemodum. Extruit autē sibi hoc animal cubile ligneum in marginibus fluminum & lacuum, cameris compluribus alij s super alias distinctum, ac secundum incrementum aquæ domicilium mutat, ita ut cauda natante reliquum corpus in sicco maneat. Pellem habet in dorso hispidam, sed mollem: unde fimbriæ fiunt exornandis uestibus hibernis & pileis. Vrsorum quoque uolæ cum digitis esitantur: pelles etiam stragulæ uestis usum præbent. Quin & amicire his famulos cœperunt ij, qui feroculi uideri uolūt. Cuniculi, lepores, & sciuri cultui iuxta ac esui apti sunt. Sunt etiam in Podolia animalia sciurorum, uel cuniculorū magnitudine, in cauernis degentia, uarias & maculosas pelles habentia, quæ & ipsæ ad uestitum, & pallia fœminarum expetuntur. Crzecicos uulgò uocant. Omni autem genere ferarum magis abundat Lithuania propter uastitatem syluestrem. De bisontium uenatione scire operæprecium est, quòd in campis Podolicis segregati ex agmine singuli ab equitibus sagittarijs ordine in girum dispositis conficiuntur. Vnus enim post alium feræ adequitantes, iaculantur, citatisque equis refugiunt. Efferata autem illa ictu & uulnere, refugientem insequitur. Interim ferit eam alius. Quem illa rursus priore dimisso insequitur, donec defatigata labore & uulneribus concidat. In syluis uerò ij deprȩhensi opportuno aliquo loco deiectu arborum à rusticanis hominibus ad id coactis, quasi intra sepes includuntur, plures etiam quàm singuli, ita ut effugere inde non possint. Deinde extructa ex tempore principi & magnatibus ac fœminis cauea siue tabulato editiori, ex quo tuto spectare possint, uenatores cum uenabulis ad suam quisque arborem disponuntur. Mox ab equitibus strepitu & clamore, admissuque

Salmones & Sturiones.

Aquarum mira natura.

Thermæ.

Feræ.

Bisons siue Zubr.

Onager & Alce Los.

Vrus siue Thur.

Panthera.

Castor.

Bisontium uenatio.

admissusq́; canum fera excitata è uepretis in medium propellitur. Quæ à uenatore post arborem latente, ut cuique maximè appropinquârit, uenabulo petitur, efferatać ictu, arborem, cuius obiectu ille se tegit, cornibus petit, & cùm arbor sit gracilior, quàm ut ambobus cornibus in eam posit impingere, fronte ac toto corporis nisu in eam incumbit, cornibus utrinq; prominentibus. Vrget interim semel adactum in præcordia ferrum uenator, sensim cedens appetenti se feræ, ac circum arborem giranti: nec desunt canes grandiores morsibus adiuuantes, donec ea exanimata, uel defatigata prorsus cōcidat. Quod si uenator ictum frustratus sit, aut minùs opportunè intulerit, aut à fera etiam correptus, & proculcatus fuerit, aliquis è uicinioribus rubrum pannum feræ obiectat. Hoc enim colore maximè efferatur. Ibi ea dimisso priori, hunc petit recipientē, se ad suam arborem, & ab eo feritur, & conficitur. Linguæ eius contactus uitatur, qua longiùs exerta attrahit ad se hominem, si uel extremā uestis eius oram contingat. Est enim ea scabra. Vrsi uerò, quamuis prægrandes, & iam uiui capiuntur, reti implicati, uenatoribus compluribus simul accurrentibus, & ligneis furcis caput, pedesq́; ferę ad terram deprimentibus, donec ea fune cōstringatur. Constricta in arcam ligneam concluditur, ita ut se commouere nequeat, & auehitur. Vnde pòst, ubi libitum est, ad spectaculū, & urbanam, uel campestrem uenationem emittitur. Sic autem colligatur, ut uno tractu funis ex arca prominentis soluatur. Vidimus aliquando in spectaculo equulum, & quidem castratum, cum urso prægrandi cōmissum. Qui ex interuallo accurrens obuerso tergo calcibus ursum petebat, & refugiebat, urso ad stipitē, laxiore tamen fune alligato. Sed alia persequamur. De iumentorum genere bobus, & equis abundat Polonia: camelis, asinis, & mulis caret. Aliunde ij nonnunquā adducuntur, sed non durant. Ouium item, & caprarū ferax est: auium quoq; magnam habet copiam. Præter altiles autē, nempe gallos gallinaceos domesticos iuxta ac Indicos (qui nuper adeò inuecti sunt) anseres, anates, & columbas in delitijs hæ sunt: Pygargus, quē quidam Bistardam uocant, eò quod tardior sit propter molē corporis, & uix à terra euolet, pauo, grus, cygnus, perdix, bonosa, coturnix, sturus, siue starnus, & quæ Cietrzeuu, & Cieciorca, & Glussetz, quasi surdaster, à nostratibus uocātur. Et ut rapaces aquilas, falcones, accipitres, miluios, uultures, nisos, ardeas, & multas alias mittamus, minorum quoq; auicularū aptarum esui ingens est copia. In his nobilis inprimis ea, quæ in solis ferè Louicensibus campis cum niue existit ac disparet auicula, passere nō multò maior: quam à niue Sniegulam uocamus. Turdus rarior est, itemq; Pardua, quam ita uocamus nomine uernaculo, quando Latinū non habemus. Auis est syluestris, gallina nō multò minor, in campis Russicis, & Podolicis. In ijsdē reperiuntur coturnices uirentibus pedibus, quarū esus spasmum inducit. Ex auibus maiores atq; teneriores sub hyemis initiū gregatim auolant, uereq; nouo redeunt: nonnullæ minores, uelut hirundines, & Cypseli, implicitis inter se pedibus, & alis conglobatæ in lacus, paludes, & piscinas sese immergunt, ac uere nouo emergunt, & explicantes sese euolant. Hiberno quidem tempore retibus extractæ à piscantibus sine ullo sensu, & motu, & ad ignē admotę, uel in hypocaustis calidis positæ reuiuiscunt, & euolant, sed statim læsę frigore, uel ignis calore, atq; uapore insolito emoriuntur. Cæteræ hyemis tolerantiores in syluis, uel circum domos, & uillas uitam degunt. Nec plura nunc de situ, ubertate, & omni descriptione Polonię. Genti Polonæ sicut originem, ita & linguā communem esse cum Boëmis, Russis, Moschis, Croatis, Morauis, Silesijs, Cassubijs, Bulgaris, Rascijs, Serbis, Illyris, & uniuerso nomine Slauico, seu Venedico alibi exposuimus. Tametsi Dialectis ea tam uaria est, ut nonnulli ex his populis ægrè, & uix se inuicē intelligant. Cęterùm ab alijs omnibus linguis ea prorsus diuersa est. Nisi quod multa instrumentorū, operum, & aliarum rerum ad opificia, & cōmunem uitā pertinentium uocabula à finitimis, & priscis, ni fallor, incolis Germanis mutuata est. Sunt hodieq; nō modò mercatores, & opifices Germani multi sparsim in urbibus habitantes, uerùm oppida pene tota, & pagi pleni utentium lingua Germanica in Submontana regione, eiq; finitimis Russia, & Scepusio, itemq; in extrema ora maioris Poloniæ, deductis eò, sicut & in Silesiam, & in Prussiam, quodam tempore Germanorū colonijs, & multis de plebe compendij sui causa subindè immigrantibus. Quin & equestres quædam familię antiquitùs è Germania ducunt originē. Cuius rei argumento sunt item arma, siue insignia, & eorū nomina. Sed iam ij, atq; etiam oppidani, & pagani diuturnitate temporis ac domicilij, & connubijs magna ex parte in Polonos transierunt. Libenter autē & Poloni propter multum usum, & cōmercia cum Germanis cōdiscunt linguā Germanicam. Libentiùs etiā Latinam, propter sacrorum ritus, & sacerdotia, scribēdiq; usum, qui uulgatissimus fuit antiquitùs hac lingua cū in priuatis scripturis, & epistolis, tum in actis publicis, ac diplomatibus, mandatis, edictis, decretisq; principū, & omnium iudicū, & magistratuum. Estq; etiam nunc, aliquando tamen minùs in usu. Nostràs enim lingua

Vrsorum uenatio.

Animalia domestica.

Aues.

Sniegulam.

Pardua.

Coturnices Russicę.

Auiculæ rediuiuæ.

Lingua Polonica.

Hist. Pol. li. 1.

Germanicæ linguæ usus.

Latinæ linguæ usus.

neq; tam copiosa est, quàm aliæ, neq; scriptu, lectuq; facilis. Sed Prussiæ incolæ, cùm maxima ex parte Germani, aut è Germanis oriundi sint, in conscribendis actis iudiciorum Germanica lingua magis utuntur uulgò, mixtim Polonica, & Germanica loquẽtes. Prisci Prussi, quorum pertenues adhuc extant reliquiæ, peculiarem habuerunt, habentq; ab utraq; penitùs diuersam. In Russia, meridionali præsertim, iam ferè usitatior est Polonica dialectus, quàm uernacula, ex quo gens ea Polonorum cessit imperio, Polonis propter ubertatem soli, & militiam aduersus Tartaros libenter ibi figentibus domicilia. Sunt etiã in Russia, Podoliaq; Armeni, mercaturam exercentes: Hebræi uerò longè frequentiores, etiam in cætera Polonia, præter Prussiam, sparsim oppida, & uicos incolentes. Vtriq; sua lingua utuntur: sed & Polonica, uel Russica: Hebræi uerò passim & Germanica. Penetrarunt & Itali mercatores atq; opifices in urbes primarias nostra ferè memoria. Estq; nonnullus, eius linguæ usus etiam apud Polonos elegantiores. Libenter enim ij peregrinantur in Italiam. Pagis autem, & uicis potissimũ, atq; etiam oppidis gens Polona antiquitùs habitat: quibus ferè castella, & arces adiunctæ sunt, dominorũ, & præfectorum domicilia.

Armeni. *Hebræi.* *Habitãdi ratio*

Vrbs Cracouia Vrbes munitas atq; cultas non multas habet. Princeps est Cracouia in minore Polonia, regum, & regni domicilium: quæ cum ædificiorum priuatorum iuxta ac publicorũ splendore atq; munitione, tum rerum omnium ad uictum, cultumq; corporis pertinẽtium, & mercium exoticarũ copia, emporio, magnis ad uitã degendam commoditatibus, hominumq; frequẽtia, ciuilitate, & elegantia facilè primũ locum obtinet, & cum claris Germaniæ, Italiæq; urbibus certat. Germanis autem mercatoribus abundat antiquitùs, neq; caret Italis. Habet opportunitatẽ Vistulæ fluuij, quo pisces, ligna, & omnis ædificiorum materia, & alia quædam è uicina Silesia importantur. Nonnulla etiam cum alio, tum in Prussiam deportantur, & inde merces exoticæ reportantur. Habet itẽ suburbana ampla, & frequentia, & cum hortis atq; pomarijs delicatis, tum uiuarijs piscium, & prædijs culta, ac temperie cœli amœna. Adiuncta sunt ei duo oppida: à Meridie quidẽ Cazimiria, ponte ligneo iuncta interlabente Vistula. Est tamen intermedius urbi, & ponti cõtinens uiculus, cui nomen est Stradomia. Quẽ flexus Vistulę tria latera ambientis, & influentis in eũ Rudauæ occursus facit insulam. A' Septentrione uerò pomerijs urbis cõtinens est Cleparia, nõ tamen cincta mœnibus, ut est Cazimiria Habet & arcem peramplam Cracouia, à latere Australi in colle seu rupe, Vistulæ, & Stradomiæ imminentẽ, mœnibus, turribusq; munitam, & magnificis regiæ ac basilicæ, in qua sedes est Episcopi, duorumq; præterea delubrorum, & aliarum priuatarum domuum ædificijs exornatam. Regiam quidem Sigismundus rex senior nostra memoria in eam, quæ nunc uisitur, formam, amplitudinem, & splendorem redegit. Habet Academiam quoq; omnium disciplinarum atq; doctrinæ studijs, & professione florentem. Olim tamen, quàm nunc honestis disciplinis, & frequentia Præceptorũ iuxta ac studiosorum florentiorem, cùm principes uiri ornamentis patriæ magis fauerent, ac studerent, necdum uel Lutheranismo infectę, uel ferro Turcico diuexatæ, & fermè subactæ essent gentes finitimę. Sita est autem urbs ea nõ procul à finibus Silesiæ, Vngariæ, & Russiæ, longitudinis quidem gradu 42. latitudinis uerò 50. Secundũ hanc sunt haud ignobilia oppida in eadẽ minore Polonia ac diœcesi Cracouiensi, Lublinum, tricesimo sexto milliario uersus ortũ æstiuum, longitudinis 45. ferè, latitud. ampliùs 51. gradu: nõ spaciosum quidem, sed benè exædificatũ, & externarum gentium Christianarum iuxta ac barbararũ, emporium nobile: deinde Sendomiria, Sandecia, Tarnouia, Biezzum, siue Becia, Vislicia, Ilcussum, & Osuencimum in Silesia. In maiore Polonia Posnania urbs est, æmula Cracouiæ, quinquaginta milliarijs ab ea distans, longitudinis quidẽ gradu 39. lat. uerò 52. min. 30. itidem cõmercijs, & emporio Germanorum exculta. Quæ & ipsa Academiam, opera, & sumptibus Ioannis Lubrantij episcopi nostra ætate fundatam, sed à successoribus eius neglectã habet. Nunc tamen ea cura, & munificẽtia Episcopi Adami Conarij instauratur. Habet & arcem, & basilicã, sedemq; Episcopi cũ oppidis Srodca, & Valilleuo, interlabẽte Varta flumine disiunctã. Secundũ hanc sunt oppida Calissia, Gnesna, uetustate, & Archiepiscopi sede, basilicaq; nobilis, Vuschouua, quam Freistadiam Germani uocant, Costenum, & Slupcia Episcopi. In Russia Leopolis longitud. grad. ferè 46. latitud. 49. sita, quinquagesimo à Cracouia milliario. Vrbs est satis munita, duas arces adiunctas habens, emporio, ciuiumq; elegantia, & humanitate florens, ac sede alterius Archiepiscopi, & duorũ episcoporum, nempe Armenici atq; Russici non ignobilis. Sunt etiã oppida Præmislia, & Crosna: quorum Pręmislia arce munita, & duobus Episcopis, Latino, siue Catholico, & Russico cohonestata est. Chelma quoq; itidem duos habet Episcopos: sed propter oppidi, seu uici immuniti infrequentiam, Tartaricasq; excursiones, catholici Episcopi cathedra Crasnostauiam translata est. In Podolia Camenecia est, urbs cũ arce, natura loci, manuq; permunita, triginta milliarijs benè lõgis distans

Cazimiria. *Stradomia.* *Rudaua.* *Cleparia.* *Academia Cracouien.* *Lublinum.* *Adam Conarius episc. Posnan.* *Leopolis.* *Camenicia.*

distans à Leopoli uersus ortum hybernum, longitudinis gradu 49. fermè, latitudinis uerò 48. minut. 30. Habetque & ipsa suum Episcopū. In Masouia Varsauia est longitud. 35. lat. 52. grad. & minut. 20. pari ferè spacio, hoc est, quadraginta milliarijs à Cracouia, & Posnania. Deinde Ploscum basilica nobile, & Episcopo, eiusque Episcopi oppidum Pultouia cum arce, & Lomza. In Cuiauia sunt, Breste, & Vladislauia sedes, & oppidū Episcopi, cū arce. quam Stanislaus Carncouius Episcopus nuper splendidiorē, & magis habitabilem reddidit. In Prussia uerò Gdanū, siue Dantiscum, octogesimo fermè à Cracouia milliario, à Posnania uerò quadragesimo, à mari uno fermè: longitud. quidē gradu 41. minut. 30. lat. uerò 54. minut. 20. urbs est è tribus oppidis coagmētata, portu, naualibus, & horreis nobilis: copia, & uarietate mercimoniorū partim maritimorū ex toto Occidēte, & Septentrione, partim terrestriū ex diuersis mundi partibus, & fluuiatilium, maximè Vistulæ præterlabentis opportunitate abundans: munitione firma, ciuium, & conuenarum industria ac diligentia culta. Quæ anno superiori, dum opus hoc primū editur rebellis facta, uirtute, & dexteritate fortissimi, prudentissimique regis Stephani post insignem cladē, & diuturnam obsidionem clementer in deditionē redacta est. Gdano proxima dignitate nunc est Torunia, uiginti quatuor milliarijs introrsum uersus Posnaniam, & Cracouiam ab eo distans, & in ripa Vistulæ sita, longit. gr. 41. lat. 52. duobusque oppidis distincta. Olim emporio, & omnibus rebus florentior. Sed Gdani incrementa eam non paruis detrimentis affecēre, & in frequentem reddidēre. Quod ipsa itidem Culmæ priùs usu uenerat: quæ ciuitas ea dignatione fuit antiquitùs, ut ab ea cætera omnis Prussia, atque etiam Masouia pleraque ius peteret: quod inde etiamnum Culmense dicitur. Viguerunt in ea non ita pridem etiam bonarum literarū studia. Nunc ea pro amplitudine sua infrequens est admodum: cumque superiori tempore in ditione Regia fuisset, nunc paret Episcopo, qui inde nomen habet. Tametsi cathedra eius est in oppido Culmensea, uno milliario inde distāte. Elbinga etiam Prussiæ est gemina, permunita, & copiosa: nisi, quod quoque luminibus, ut ita dicam, officiūt, ab altera parte Gdanū, ab altera Regius mons, siue Kœnixberga, uicinæ, & maiore commoditate portuum copiosæ urbes. Est autem Regius mons, ducalis Prussiæ caput, tribus oppidis, & arce magnifica, nostraque memoria etiam basilica, & sede Episcopi Sambiensis insignis: terrestri quidem itinere decem octo milliarium, per Habum uerò aliquantò minore interuallo à Gdano distans, long. gradu 43. latitud. minut. 50. Prægola flumen oppida interseeat, & uno fermè milliario infra ea in Habum influit. Minoribus item oppidis frequens est admodum utraque Prussia, & quidem nec incultis, nec immunitis. In regia, primarium est Marieburgum, cùm ipsum per se mœnibus, turribusque permunitum, tum arce amplissima, & munitissima nobile, situm ad Nogatum brachium Vistulæ, sexto ab urbe Gdano milliario. Propter adiacentis autem insulæ, cuius mentionem suprà fecimus, ubertatem glebæ, pagorumque frequentiam, & cultum, copiosum, & frequēs. Ea uerò insula in palustri olim restagnantis Vistulæ solo operibus, & præalti ac firmi aggeris obiecta ad utrunque fluminis brachium effecta, magno hominum labore non sine periculo ab inundatione defensatur. Maior ea uocatur. Minor autem appellatur, continens ei ad occidentale Leniuucæ latus, & ad Motlauiam, Gdanumque pertinēs planicies: & ipsa palustris olim. Nunc autem fossarū ductibus exculta, & facta compascua. Marieburgo non multùm ulla recedit Allesberga, siue Heilsberga, Episcopi Varmiensis domicilium. Cathedra enim supra Fraumbergam est, quemadmodū superiùs attigimus. Initio uerò, Brunsbergę ea fuit collocata. Quod ipsum quoque oppidum geminum, permunitū, frequens & copiosum est, ita ut inter primarias urbes Prussiæ numerari queat. Quam nuper uir ampliss. Stanislaus Hosius, S.R.E. Cardinalis, & Varmiensis Episcopus unà cum sacro eius ipsius Ecclesiæ collegio studijs literarū atque doctrinæ nobiliorem reddidit, nobis adiutoribus, & in religione Catholica cōseruat, collegio religioso eorum hominum, qui de societate Iesu uocantur, in ea collocato. His oppidis non multùm cedunt Gutestadia, Allesteinum, Resla, Vormata, Melsacum, Vartemberga, Seburgum in eodem tractu ac diœcesi Varmiensi. In Pomerania, Tucholia, Choinicia, Stargarda, siue Starigrodum, Nouum, Gneuum, Dersauia. In reliqua Prussia, Neimarcū, Brodnicia, Stuma, Grudentum, Lubauia, Razinum, & inter hæc interiectum ducale, Quizinum, quod Germani Marieuerder uocant, non ita pridē sedes Pomesaniensis Episcopi: cuius diœcesis insulam quoque maiorem, & Stumense territorium complectebatur: nunc ea caret Episcopo. Hæc omnia oppida, & ipsa per se mœnibus cincta sunt, & ferè arces ualidas, & benè exædificatas, sed uetustas adiunctas habent. In cętera quoque Polonia nō infrequentia sunt oppida (aut si uicos appellare malumus) pleraque sine ullis mœnibus, nec nisi ligneis ędificijs præter templa, & castella, siue arces adiunctas. Sunt itē arces in editioribus locis, & rupibus extructæ, nullis adiunctis oppidis: Melstinū, Tencinum, Landiscorona, Ogrodenecia,

Varsauia. Ploscum. Vladislauia. Gdanum, siue Dantiscum. Torunia. Culma. ius Culmense. Elbinga. Regius mons, siue Kœnixberga. Marieburgū. Minor. Heilsberga. Fraumberga. Brunsberga. Stanislaus Hosius Cardinalis. Oppida Pruß. Siue Reselia. Pomesaniensis Episcopat. Arces Pol.

cia,Lipouecia,Olſtinum,Pilcia,Soſternū,Soben, Ocecīū,Viſnice. Sunt & monaſteria ad munitionem pariter, & commoditatem habitatorū exædificata, & uicis,pagisúe non longè diſtantibus frequentata: Tinecenſe,Mogilenſe,Miechouienſe,Andreouienſe,Breſcenſe,Stananticenſe, Copriuunicenſe, ſiue Pocriuunicenſe, Lyſſecenſe, Cienſtochouienſe, Vitouienſe,Suleouienſe,Landenſe, Lubinenſe, Ceruenſcenſe,Paradiſenſe, Mogilnenſe, Tremeſnenſe,Secechouienſe,Vangrouecenſe:& Sarnouicēſe,Pelplinienſe,Oliuenſe,Zucouienſe in Pruſsia. Pagi plerique omnes ad lacus,riuos,& flumina ſiti ſunt, ſparſim duplici,ut plurimū,ordine diiectis agreſtium domicilijs. In his caſę ſunt ligneæ,uel luteæ,humiles,pleræque omnes ſtramentis,nonnullæ aſſerculis intectę,præter prędia,domosque dominorum,quæ ampliores ſunt, & cultiores. In Pruſsicis tamen pagis egreſtes Germani minùs incultè habitant:oppidani uerò cultiùs etiam lateritijs ferè domibus interiectu trabium firmatis,& ad omnem cōmoditatem inſtructis: quæ tamen plereque ſtramētis tectæ ſunt:nonnullæ lateritijs tegulis. Vrbes longè ſunt cultiores,niſi quòd habent domos anguſtiores. Cæteræ uerò Poloniæ urbes primariæ laxioribus domibus, nec minùs cultis habitantur. In quibus cū Germani mercatores ſuperiori ætate lateribus,& lapidibus elegantiùs ędificare cœpiſſent,nunc Poloni quoque eodē ſtudio tenētur,illosque ſuperare contendunt:nec in urbibus modò,ſed etiā in uillis lautiùs habitare ſtudent,Italorū ferè opificum opera, & induſtria. Hypocauſtorum permagnus eſt uſus maiore parte anni in tota Polonia,præter Caſſubiam,& Pruſsiæ partem quandā: ubi agreſtes per hybernum tempus accenſo in medio domicilij foco,cum pecudibus,iumentis,ac cæteris animalibus,& auibus domeſticis in ſordibus,fœtore,atque fumo(licet non deſint ampla fumaria)uitā degunt,ſicut & in Samogitia,& alijs ad Septentrionē uergentibus regionibus. Quanquā hypocauſta quoque agreſtium duntaxat, pleraque fumoſa ſunt,(ut quæ furnis ad coquēdos cibos,& panes intùs extructis calorem excipiant, & fumarijs magna ex parte careant)Et anſerem,anatum, gallinarumque cum pullis ſuis, ac ouicularum quoque, capellarum,uitellorum, ac ſucularum , propter hybernum gelu,admiſſu,& receptu ſordida. Balnearum item excalfactarum frequens eſt Polonis uſus æſtate iuxta ac hyeme ad abluenda, & leuanda ſudore corpora. In quibus mares ſeorſum lauant à fœminis. Veſtium genus neque unum eſt,neque certum,aut ſuum cuique ordini,cōditioni,ætati,& generi hominum. Exoticis delectantur plurimi. Fœminæ paſsim cum alio cultu uario,tum uirorum amiculis utuntur. Quanquam id nouum eſt. Reticulis tamen,aut lineis uelis ſiue flammeis eę capita integunt. Puellæ antiquitùs nuda capita ſertis aureis,gemmatis,uel ſericeis,uel floreis, uel herbaceis redimitæ progrediuntur in propatulū. Sed nunc eæ atque etiam matronæ pileis ſericeis,pellibus ſuffultis,iidē ac mares ferè tectę incedunt. Victus genti antiquitùs uulgò,& in plebe,agreſti præſertim & uicana,ſuccidia,lactarijs,piſciculis,oleribusque potiſsimū conſtat. Nunc multi ueruecina quoque,& uitulina,& bubula carne uictitant: quarum carnium fora in pagis quoque apud templa, & parœcias feſtis diebus inſtituuntur. Vrbanis, atque nobilitati uictus eſt dapſilior: & iam lautior etiam, menſæque cum altilibus, tum feris animalibus, auibusqúe, & piſcibus lautis inſtructæ: in quibus permagnus eſt aromatum, neque exiguus ſaccari, & aliorū exoticorum condimentorū uſus:nec oleribus exquiſitis eę carent. Nec deſunt bellaria,aliæque lautitiæ cū domi natæ,tum exoticæ. Triticei panis,uinique uſus non ita pridē inoleuit apud elegātiores. Nunc quidē utroque multùm utitur etiam uulgus in conuiuijs: uinó quoque præſertim in minore Polonia uicina Vngariæ,& Morauię. Nec obſtat precium. Cæterū ſiliginei panis,& cereuiſiæ promiſcuus eſt uſus in tota Polonia. Fit autem cereuiſia in Pruſsia quidē ex ordeo,in cætera uerò Polonia etiam è tritico minutatim molito,ſeu confracto, & aqua decocto cū lupulo. Admiſcetur nonnunquā tritico ſiligo, uel ſpelta, uel auena. Mel quoque itidē cum lupulo aqua decoctum in frequenti uſu eſt: Ruſsis præſertim,& Podolijs,apud quos permagna eſt apum,& mellis optimi ex dictamo, & alijs benè olentibus herbis ac floribus collecti copia. Nec Pruſsis,& Maſouijs mel deeſt: qui & ipſi itidē id decoquunt. Medonem uulgò uocant. Solet autem is condiri Varſauiæ peculiariter ſucco è ceraſis, rubiúe malis expreſſo,aut aromatibus:& pro ratione condimentorū,Kerſtrangi,Malinici,ac Troinici nomen accipit. Color hominū ferè candidus eſt: capillus flauus,uel magis albicans:ſtatura mediocris,aut mediocrem paulò excedens,habitudo corporū ſucculenta. Niſi quòd fœminis,& maximè puellis nobilioribus,urbanisque ſtudium eſt, ut ſe reddant curatura iunceas, quemadmodū inquit ille. Alioqui formæ atque teneritudinis non magna ab ijs adhibetur cura. Fucare autē faciem,& capillos tingere,indecorū habetur. Sed eſt in uiris iuxta ac fœminis naturalis quædam formæ bonitas,ingenuo rubore tincta. Ingenia Polonorum ſunt aperta,& candida,& falli,quàm fallere magis apta:nō tam irritabilia,quā placabilia:minimè proterua aut pertinacia:imò ualdè tractabilia,ſi cōmodè ac placidè tractentur. Ex-

Monaſteria. *Pagi.* *Vrbes quales.* *Hypocauſta.* *Balneæ.* *Veſtitus.* *Victus ratio.* *Cereuiſia.* *Medo,ſiue aqua mulſa.* *Corporum habitudo.* *Terentius.* *Ingenia, et mores Pol.*

tur. Exemplis autem inprimis ij commouentur: & sunt principibus, & magistratibus suis satis morigeri. Ad comitatem, ciuilitatem, benignitatem, & hospitalitatē prompti, ita ut ignotos, & externos non modò libenter suscipiant hospitio, sed etiā inuitent, & omni officio prosequantur: & non modò ad conuictum atq; familiaritatē quorumlibet faciles, uerumetiam ad mores, & imitationem eorum, cum quibus uiuunt, externorum præsertim, flexibiles. Iuuentutis laxior est paulò, & neglectior educatio. Sed ea naturę bonitate compensatur. Ad Scholas quidem, & Magistros mittere mares liberos, & Latinis teneram ætatulam imbuere, omnibus pauperibus iuxtà ac diuitibus, nobilitati ac plebi, oppidanæ præsertim, studium est. Multi pædagogos domi alunt. Itaq; ne in medio quidem Latio quis reperiat tam multos uulgò, cum quibus Latinè tamen loqui possit. Puellę quoq; nobiles, & urbanæ, uel domi, uel in monasterijs uernacula, imò & Latina lingua legere, & scribere discunt: adultiores, puellæ quidē reisam. culinariæ præsertim, & pecuariæ curandæ, lanificioq; seu linificio potiùs, atq; textrinæ, & acu pingendi arti manus admouent: mares uerò agriculturæ, uel opificio cuipiam, uel mercaturæ, uel magistratuum, & procerum, sacerdotumúe opulentiorum ministerijs, & affectationi sese addicunt. Multi domi cum parentibus uitam degunt, eosq; in refamiliari curanda subleuant, ac decedentibus eis, patresfamiliâs facti, rem suam agunt. Complures libenter peregrinantur, dispendiorum reifamiliâs negligentes, egestatisq;, & omnium, quæ peregrinantes consequuntur, incommodorum tollerantes. Externa enim magis, quàm domestica admirantur. Itaq; linguas earum gentium, ad quas peruenerint, cupidè, & facilè discunt. Quinetiam in uictu, cultuq; corporis, & moribus noui aliquid peregrè afferre student, indeq; elegantiæ laudem quærunt. Quod iam ad opiniones quoq; de religione proserpsit. Sunt autem docilia hominum ingenia, & ualent quocunq; intenduntur: sed alienis inuentis perdiscendis ea magis accōmodant, quàm ut noui aliquid ipsi excogitent, & excellere magnoperè ulla re studeant. Id adeò fit, siue quod uni alicui arti, & studio non libenter sese addicunt, sed multa nosse cupiunt: siue incuria, segnitie, laborisq; fugitatione, quæ plerisq; in rebus peculiaris est huic genti: præsertim quòd homines, ad quorum usum ferè liberalia iuxta ac mechanica studia referuntur, mediocritati contenti, exquisitam artificum, & operū præstantiam nō magnoperè requirunt: seu deniq; quod ditiores ocio, delitijsq; sese dedunt, relicta tenuioribus ingenij, & industriæ exercercitatione: hos uerò cùm sit difficilè, ut ait Philosophus, egentem benè operari, præsidijs uitæ comparandis distineri, & alienis non nunquam ab ingenio suo studijs, & negocijs implicari necesse est. Atq; ubi, quod satis est, comparârint, & ipsi fermè superiorum similes euadunt, uel reisam. tuendæ cura, litiumq; anfractibus, uel potentiorum consectatione distrahuntur, idq; siue ambitionis stimulis incitati, siue quo se, suosq; certo aliquo præsidio ab aliorum iniurijs, & contumelijs uindicent. Nescio enim quomodo fit, ut ad uitæ commoda, & ornamenta non modò comparanda, sed etiam tuenda non satis præsidij sit, hac nostra præsertim ætate, in solis animi, & ingenij bonis, & in legibus ac iure communi. Non tam autem ad artes mechanicas tractandas Poloni apti esse uidentur, quàm ad studia doctrinæ. Nisi fortè illas contempsêre potiùs, quàm assequi nequiuêre. Externis quidem plerisq; opificibus antiquitùs usi sunt, & utuntur etiamnunc non paucis. Bonarum literarum atq; doctrinæ studia accuratiùs consectantur, in primis ij, qui his præsidijs ex humilitate, sordibusq; domesticis emergere cupiunt, aut qui sua uel parentum uoluntate ad sacerdotium animos adijciunt. Seueriores autem disciplinas ad nostra usq; tempora potissimùm consectati sunt Poloni. Nō defuêre nobis sanè superioribus tēporibus insignes mathematici, Astrologi, Dialectici, & Philosophi, atq; etiā Theologi, ij præsertim, qui uocātur Scholastici, cū instituta Cracouię ante centum septuaginta annos Academia, Magistri eius generis Lutetia, Pragaq; acciti, admirationi essent uulgò, & primoribus, atq; ipsis etiam regibus. Humanitatis, & linguarum eruditarum studia diu neglecta iacuêre: nec solùm apud maiores nostros, uerùm & alibi, fatali quadam temporum conditione. Proindè non erat, unde nostrates ea discerent post acceptas cum religione Christiana literas, & cultum uitæ mitioris. Quò factum est, ut illi quoq;, qui tunc docti habebantur, & erant, nihil propemodum literis mandarent, nec in publicum sibi edendum esse ducerent, si quid fortè exercitandi sui, aliorumúe docendorum causa conscripsissent. Neq; sanè expedita erat edendi ratio, cùm careret Polonia typographis. Ita doctorum uirorum memoria cum ipsis pariter extincta est. Nunc certè posteaquam animaduersum est, in precio esse linguarum, eloquentiæ, humanitatisq; studia, cupidè ea quoq; nostrates amplexi sunt, sed ad usum ciuilem, & uulgarem magis, quàm ad gloriam. Non defuêre tamen nostra hac ætate, neq; nunc desunt, cùm in studijs humanitatis, & eloquentiæ, tum in omni genere doctrinæ magni quidam, & excellentes uiri, qui cùm commoda uitæ honestissimis disciplinis, &

Hospitalitas, & ciuilitas.

Educatio.

Peregrinatio.

Studia.

Aristoteles.

Doctrinæ studia.

Academia Cracouien.

Eruditio.

gloriæ, siue utilitati publicæ posthabuissent, eò euaserunt, ut admirationi sint, si non suis; certè externis, incorruptiùs iudicantibus. Sed eos recensere nunc necesse non est. Nec medicinam posthabent, posteaquã ea uulgatis delicatiore, & laxiore uictus ratione morbis, in precio esse cœpit. In alijs minùs elabobant, propterea quòd minùs ea conducere uidentur ad cõmoda, & ornamenta uitæ comparanda. Non est enim nouum, plurimos mortales hunc finem studijs, laboribusq́ suis statuere, patresq́ similes illius habere, de quo canit Poëta quidam: Sæpè pater dixit, Studium quid inutile tentas? Rem porrò familiarem diligentiùs curare non ita pridem, & eodẽ propè tempore, quo bellorũ incommodis uacui, luxum, splendoremq́ consectari cœpimus. Sed in ea minor est uulgò parta tuendi ac dispensandi, quàm acquirendi diligentia. Maiores quidem nostri comparandis diuitijs nõ magnopere incubuêre, satis habẽtes, sine magna cura, & labore, unde in diem propemodũ, si non lautè, non durè quidem certè, nec parcè cum suis uiuerent. Itaq́ tranquilliores tunc res domi erant. Minùs appetebatur alienum: minùs erat litium: minùs surgiorum atq́ cædium: minùs fraudium, & periuriorum. Maior autem erat fratrũ, & agnatorum, cognatorum, affiniumq́ inter ipsos concordia, & beneuolentia. Maior nõ modò parentum, sed etiam quorumuis natu grandiorum reuerentia. Perrara finium regundorum iudicia. Herciscundæ uerò familiæ nulla propemodũ. Cæterorum enim cognatorũ, aut uicinorum natu maiorum interuentu, & intercesſione componebatur, si quid ulla de re exortum erat controuersiæ, quod ipsi inter se uicini, uel necessarij transigere familiariter nequiuissent. Res militaris quoniam cùm instituto gentis, tum temporum quadã conditione in honore fuit superioribus, atq́ adeò omnibus ferè seculis, extitêre multi uirtute bellica præstantes uiri maximè nostra memoria. Non ita pridem extincti. Et quamuis in diuturna pace, & ocio, extant etiamnunc nonnulli. Nec emarcuit uulgò in Polonis uigor ille animorum, laudisq́ bellicę studium, si qua se usquam offerat idonea uirtutis exercendæ occasio. Meditationem, & exercitationem uiri sapientes requirunt. Idq́ ideò fortasse, quia desunt uirtuti sua præmia, & quod ignauo ocio, & conuiuijs plusculum indulgetur. Ad hæc autem, & festas epulas conueniunt plerunq́ uicini, & necessarij inter se ad unum aliquem uiri soli, uel pariter cum fœminis. Nec turpe habetur, puellas quoq́ interesse, & earum colloquia, conuiuia, choreasq́ à iuuenibus frequentari, parentibus earum, cognatisúe natu maioribus præsentibus. Atq́ ita plurima conciliantur matrimonia. Nec rarò in eiusmodi conuiuijs simultates, & inimicitiæ abolentur, & uel dissolutę, uel nutantes amicitiæ redintegrantur. Quanquam intemperantioribus compotationibus interdũ cruentæ quoq́ pugnę inter conuiuas amicos, & necessarios accendũtur, iurgijs plerunq́ inter uiliora seruitia coortis. Potantibus enim dominis, nec illa à poculis arcentur. Quin illiberalis conuiuator habetur, cui curæ non est, ut seruitia conuiuarum benè pasta ac pota sint. Quò fertiliores enim sunt hæ regiones, eò magis indulgent homines uulgò crapulæ, prolixioribusq́ conuiuijs, & compotationibus, ita ut multi eum solum ducant fructũ laborum atq́ diuitiarum suarum. Vigent autem pasſim inter mares compotationes ad æquales haustus non solũ in conuiuijs, uerumetiam in cauponis, ad quas uulgus cõpotandi causa cõuenire solet: eoq́ prouecta est hæc licentia, ut quod profestis diebus partũ est, festo die potando ferè prodigatur. Atq́ inde fit, proserpente potandi etiam profestis diebus, & ocij consuetudine, & inertia, ut angustiore re familiari utantur multi: præsertim cũ nemini curę sit, quid priuatus quisq́ gerat negocij, unde, & quomodo sese sustẽtet: & fructuosa sit autem dominis, & magistratibus illa potandi licentia. Etenim nõ exigua, & triburorum, & uectigalium publicorũ iuxta, ac priuatorum portio è cauponis corrogatur. Exolescit tamẽ sensim apud honoratiores illa ad ęquales haustus potandi cõsuetudo, eorum studio, qui apud eas gentes, quę humanitatẽ studiosius colunt, peregrinati sunt. Sed lautitia in uictu, potuq́ magis ac magis indies inolescit. In cultu quoq́ corporis, uestiumq́ numero, uarietate, ac precio maior luxus existit. Nec solùm exoticis pannis, & pellibus, uerumetiam serico, & purpura uestiri, & argento, auro, mãrgaritis, gemmis exornari mos inoleuit, inferioribus quibusq́ præstantium genere, honore, uel facultatibus exempla cupidè amplectentibus: nullis autem legibus sumptuarijs modum in uictu, cultuq́ corporis cuiquam ordini, aut homini præscribentibus. Quò planiora autem, & absolutiora sint omnia, quæ de gente Polona persequimur, ordines, & genera hominum describamus: quæ descriptio Reipublicæ quoq́ fundamenta continebit. Distinguitur populus Polonus partim genere, partim ex religione sumpto uitæ instituto. Ac genere quidem in equestrem ordinem, siue nobilitatem, atq́ plebem distribuitur: religionis autem instituto in sacrum, & profanum ordinem. Liceat autem nobis eum, qui fanorum atq́ sacrorum administrationem non habet, profanum appellare, uulgò Ecclesiasticum, & laicum, uel spiritualem, & secularem statum, & ordinem uocitant. De his posterius: nunc de nobi-

Ouidius.

Rei familiaris cura.

Temporum diuersa ratio.

Controuersiarũ transactiones.

Rei militaris studium.

Compotationũ commoda, & incõmoda.

Luxus Polonorum.

Aequales haustus.

Ordines, & status hominũ

nobilitate,& plebe. Nobilitas Polona ad regimen atque defensionem cæteræ multitudinis, regionisque segregata est. Atque inde qui sunt huius ordinis, antiquitus milites, nunc equites ferè ab equestri militia, cui sunt obnoxij, à Latinè loquentibus,& scribentibus appellantur: uernacula autem lingua Schliachta, à generis nobilitate, mutuato, nisi fallor, à Germanis uocabulo, (quasi *Geschlechter*) uocantur,& Ziemianie, quasi agrarij, uel, ut uulgò interpretantur, terrigenæ, à terra,& agris, quos ferè colunt,& habitant antiquitus, hæreditarios, precioue, seu principis beneficio partos. Habet autem nobilitas multas,& magnas prærogatiuas, quæ partim regum,& principum munificentia firmatæ sunt, partim moribus,& institutis inualuêre: quę magna ex parte sparsim opportunis locis huic,& historico operi à nobis insertæ sunt. Regi quidem ea soli ferè subiecta est. Iudicatur tamen ad præscriptum legum,& à magistratibus regni,& regijs, quemadmodum posteriore libro ostendemus. E cæteris, priuatis præsertim, nemo nobilitatem cum agris,& pagis subiectam habet, nisi forte in Russia antiquitùs,& prisco ducū gentis iure. Habet etiā Cracouiensis Episcopus in Seueriensi ditione: habet & Varmiensis, eiusque ipsius Ecclesię collegium: quin & Plocensis Præpositus:& alij fortasse. Licet tamen homini nobili, siue equiti sculteciam, ut uulgò uocant, siue aduocatiam, in bonis alienis paganis iuxta ac oppidanis uoluntate domini obtinere: (de Sculteciis autem,& Aduocatijs posteriore libro dicemus) Licet etiam priuati conditione in urbem, uel oppidum cuiuslibet commigrare, saluis personæ suæ prærogatiuis, nisi is decus nobilis amittat. Nobilitas porrò genere censetur,& meritis, adiuncto uitæ instituto. Habentur enim nobiles, quorum maiores, aut parentes uirtutis ergò in eum ordinem allecti, militiæque adscripti,& gentilicio signo donati sunt, quiue ipsi hæc meruêre uirtute sua. Sed præstabilius habetur, nobilem natū esse, quā factum. Nasci autem nobilem patre simul,& matre nobilibus oportet legitimo coniunctis matrimonio. Quanquam nec plebeia mater liberorum nobilitatem minuit, dummodò pater sit nobilis. Nothi quamuis nobilibus,& illustribus orti, nō censentur in familijs, neque nobilitatis prerogatiuis fruuntur. Conferendi porrò huius decoris, hoc est, nobilitatis, potestatē solus habet princeps: idque uel suo ipsius iudicio,& beneficio facit, uel interueniente testimonio,& quasi adoptione clarorum,& principum alicuius familiæ uirorū, stemma,& gentem suam cum eo, qui ita creatur nobilis, communicantium. Eiusmodi tamen creatis nobilibus obtinere,& possidere bona terrestria statuto quodam nouo non licet. Sed posteritas eorum pari cum alijs natis equitibus iure esse incipit. Amittitur porrò nobilitas decreto principis, ob admissum dedecus,& atrox aliquod facinus. Contaminatur etiam,& abdicatur quodammodò, si quis desertis militię,& agriculturæ studijs, sordidum quęstum faciat arte mechanica, uel tenuiore,& minutioribus mensuris ac ponderibus utente mercatura,& cauponatione. Est autem pari dignatione Polonica omnis nobilitas: nec est ullum in ea patritiorum, comitumue discrimen, exæquata quodam tempore omnium conditione. Nuper adeò paucis quibusdam, parentum, uel ipsorummet amplitudine atque meritis,& principum beneficio Comitum decus denuo partum est. Ducū, qui peculiares haberet dominatus, uel territoria, nunquam aliud genus fuit apud Polonos, quàm id, quod à Boleslao Kriuousto principe propagatum fuit, cùm is principatum inter liberos diuisisset. Verùm id iam defecit. Russi habuerunt antiquitùs suos duces, habentque etiamnum ij, qui dudum Lithuanicæ ditionis fuêre, aut sunt etiamnum,& Volynij. Neque enim subactis, uel in deditionē acceptis ea prærogatiua adempta fuit. De Prussorū,& Curoniensium ducibus pòst attingemus. Multæ sunt nobilitatis Polonæ gentes,& quasi tribus, nō locis,& regionibus, uerū signis quibusdam gentilitijs, quæ arma,& insignia uocant, eorumque appellationibus distinctæ, quæ singulæ rursus multas stirpes,& familias cognominibus,& agnationibus distinctas complectuntur. Verbi gratia, Leliuiorū gens, cuius signum est, noua luna supernè stellā inter cornua cōtinens in cœlestino scuto, Tarnouiam, Pileciam, Melstiniam,& alias nōnullas honestas,& amplas familias comprehendit. Signa uerò gentilitia, siue insignia partim à rebus, quarum sunt notæ, quemadmodum Topororū ab ascia, partim ab euentu, ut Ielitiorum à uisceribus transfixis appellationem habent: plurimorum ratio obscura est. Nisi forte à primis conditoribus gentium ea sumpta sunt. Neque enim olim, ut nunc, ab arcibus, uillis,& pagis, quibus dominabantur, denominabantur equites: sed undelibet sumpta, aut indita nomina, ad longam posteritatem, amisso etiam, uel commutato patrimonio, rectè transmittebant. Qualia supersunt etiānunc multa cùm alibi, tum in Submontano,& Sciriciensi tractu,& in Russia. Vt sunt Herborth, Dunin, Iordan, Gladis, Pienianscus, Pirschala, Omita, Farurcius,& alia eiusdē generis. Nunc malūt plerique de arciū, oppidorū,& pagorū nominibus deflexa paululū per dominationē in Ski, siue ki uoce appellari. Ea uerò deflexio, uel adiectio syllabę à latinè loquentib.& scribētibus in ius cōmutatur, ita ut à Choina Choinski,& pro eo latinè

Nobilitas. Milites, & equites. Ziemianie. Nobilitatis prærogatiuæ. Nobiles qui. Nothi. Nobilitas à quo, & quomodo conferatur. Nobilitatis amißio. Nobilitas æqualis. Comites. Duces. Gentes, & familiæ nobiles unde appellatæ sint. Cognomina nobilitatis unde, & qualia.

Choinlus, à Crasne Crasinski, & pro eo Crasinsus, à Lasco Laski appelletur. Cæterũ pro eo non Lascius, sed Lascus dicitur. Quod nos in historia secuti sumus, perspicuitati orationis, & externorum auribus inseruientes. Idem ueteres historicos Græcos, & Latinos in barbaris nominibus factitasse animaduertimus. Interdum autem sine hac deflexione, uel adiectione, arcis, uel oppidi, uel pagi nomen, unde quisq; ortus, uel cuius dominus est, cum præpositione de, uel à, uel ab, uel in, cognominis loco usurpatur, à magnatibus præsertim, & clarioribus: ita ut uerbi gratia, in Tencin, uel à Gorca, uel de Felstein, quis appelletur. Obseruaturq; in his uulgò discrimen quoddam, non magis à Polonis, quam à Germanis, & Boëmis: qui itidem utuntur huiuscemodi appellationibus. In enim præpositionem ijs ferè attribuunt, qui domini sunt locorum: cæteras, etiam ijs, qui inde duntaxat orti uel oriundi sunt, etiamsi ibi non habeant, ubi pedem figãt. Gentilitiorum autem signorum, quæ quidem quærendo inuestigare potuimus, appellationes hæ sunt: In quibus enumerandis ordinẽ primarum literarum, & uernaculæ linguæ sonum seruabimus. Abram, siue Valdorff: Amadei: Biasina: Biberstein: Bodulia: Bogoria: Boitza: Brog: Bozestado: Buincia, siue Buincza: Byliny: Ciolcke: Copaczina: Coumia: Cielantcoui: Coruitz, siue Bies: Choleua: Cothitz: Corab: Corciak, siue Corczak: Dambroua: Dambroua altera: Dembno: Doliua: Dolenga: Drzeuicza: Druzina: Drija: Dzialossa: Godziemba: Gosdoua: Grabia: Griph, quod & Suieboda: Gryzima: Grzimala: Habdanc: Herburthoua: Helm: Ianina: Iastrzemhiec: Ielita, siue Koslarogi: Iednorezec: Iunossa: Korsboc: Kerdei: Labentz: Larissa: Leliua: Liada: Leuart, siue Leopardus: Lodzia: Lzauia: Lis, quod & Murza: Mozela: Morskicot: Mandrostca: Nalencz: Niesobia: Nieczuia: Nouina, Oliua: Osmarog: Odrouuanz: Ossoia: Orlia: Olobog: Ouada: Oxa: Pilaua: Pirzchala: Poualia, siue Ogon: Poboze: Pogonia, Polucosia: Prauuda: Pomian: Przeginia: Prus: Prus alterum: quod & Nauilki: Prosnia: Raua: Raduan: Roza, Rogala: Ruchaba: Rolia: Scheliga: Slepouuron: Socolia: Seruicaptur: Schilde: Staricon: Starza: quod & Ossoria: Strzemien: Strzegomia: Sternberg: Srenaua: Sulima: Suuirczek: Sirocomlia: Schumberg, siue Cothitza: Suuinca: Tarnaua: Topor: Topacz: Trzaski: Tramby: Varnia: Vieniaua: Vuczelie, Vierussoua: Venzik: Vaduua: Vierzinkoua: Zabaua: Zadora, siue Plomien: Zagrobia. Duorum nomina non tenemus, ea sunt albæ aquilæ anterior pars dimidia à capite cauda tenus, erecta, cum duabus stellis à tergo: & quinq; rosæ albę in quincuncem collocatæ. Vnde simul & ex gente Iastrzembecia ego maternum genus duco: pater uerò meus è Pirzchalia, & Osmarogia. Nihil autem uetat his nostrum quoq; adiungere, quo me unà cum fratribus meis, & omni posteritate nostra optimus Rex Sigismundus Augustus ornauit, dimidiam aquilam pectore tenùs, naturali colore, extensis alis, laurea corolla circum collum redimitam in rubro scuto impartitus. Cui Ferdinandus Rom. Imperator electus, immortali memoria dignissimus, cùm legatione apud eum eiusdem regis nomine in septimum annum fungerer, gentilitium Austriacæ familiæ suæ stemma, rubram in albo scuto teniam pertransuersum ductam subdidit, & duo nigrę Imperialis aquilæ capita galeæ coronatæ superposuit. Cur autem minùs liceat cuipiam à se parto, quàm ab alijs relicto decore gaudere? Et hactenus quidem de nominibus gentiũ Polonę nobilitatis nobis dictum sit. Signa, origines, familiasq; describere, longũ, & operosum esset, ne dicam infinitũ. Antiquitùs sparsim nobilitas in agris habitat, in sua quisq; uilla, uel castello, uel arce, rem familiarẽ operis, & laboribus adscriptitiorum suorum, uel mercenariorum curans, & agricultura, gregũ, armentorum, & apiariorũ fructu, itemq; uenatione, & aucupio nõ modò sustentans sese cũ domesticis suis familijs, uerumetiã honestas diuitias comparans uendẽdis ijs, qui supersunt usui domestico, quęq; desunt inde uicissim comparandis. Matres autem familias, & puellæ nobiles lanificium, & linũ, canabumq;, & rem pecuariam tractantes non dedecet uendere ea, quæ ex huiusmodi re familiari, & fructibus eius supersunt usui domestico. Quin & culinæ curã eæ gerunt, exceptis illustrioribus, & senatorijs, quæ hæc pleraq; dedignãtur, aut pedissequarũ opera peragũt. Iter facientes, fœminæ quidem carpentis, uehiculis, aut curribus uehuntur: mares uerò uel ijsdẽ, uel equis potius pedestrem incedere per uiam, longiorẽ pręsertim, minùs honorificũ uulgò habetur: nisi paupertas necessitatẽ imponat. Iam autem lautiores, & elegantiores de nobilitate in urbibus domicilia figere, uillis, & rusticis prędijs relictis, incipiunt. Prodeuntem in publicũ nobilem uirum iuxta ac fœminam assectis maribus, fœminã uerò etiam puellis pedissequis stipari, honorificũ habetur. Et in eum usum alit quisq; domi suæ famulitiũ pro modo facultatũ: idq; simili figura, & colore uestium, nõ sine sumptu, & luxu uestiri usitatũ est. Aluntur & equi complures. Equitantem enim aut uehentem herum famuli honoratiores, non nisi per urbem, uel ad suburbana pedestres assectantur. Ac Senatores quidẽ primarij pedestres iuxta ac equestres, medij ferè inter assectas mares ince-

Signa, siue insignia nobilitatis Poloniæ.

Nobilitatis habitandi, & uiuendi ratio.

Fœminarum studia.

Comitatus.

incedunt, honoratioribus antecedentibus: cętera uerò turba cum pueris subsequente. In cętera nobilitate asseclæ omnes heros sequuntur. Matronas autem, & puellas nobiles matres quidem antecedunt, fœminæ subsequuntur, præter filias, & quæ in filiarum loco habentur, & sorores puellas, quæ secundùm anteambulones proximè matrem, uel sororem præcedunt. Spectatur autem in famulis, & pedissequis, cùm usus ad ministeria, tum statura, forma, elegantia, & genus. Nec deest copia equestrium, ac nobilium iuuenum, qui uel studio ciuilitatis, prudentiæq; usu rerum comparandæ incitati, uel tenuitate fortunarum adacti, uel præsidij contra uim potentiorum sibi, suisq; comparandi causa, non modò in magnatum, & episcoporũ, sacerdotumq; ac doctorum clientelas, uerumetiam in parium, ac tenuiorum, inferiorumq; nonnunquam, eorum pręsertim, qui magistratus gerunt, aut aliquo sunt numero in aula principis, aut opibus, industria, eruditione, gratiaue populari ualent, affectationem, & ministerium parua, uel nullo mercede à parentibus, & propinquis traduntur, uel ipsi sese addicunt. Duratq; ea seruitus, quoad utrique, hero, inquam, & seruo, siue clienti placet. Multi etiam de ditioribus necessariorum, & amicorum liberos pio quodam, & honesto iuuentutis educandæ studio ultro sibi in familiaritatem, & ministerium adsciscunt. Ad eundem modum, & fœminæ fœminis famulantur. Nec pudendum aut dedecori affine est genus hoc seruitutis, sed liberale, & sociabile: nec rara est in eo uicissitudo, ita ut eum quis habeat in ministerio, cuius parentibus ipse seruiuerit: honestaq; habetur hæc iuuentutis equestris educandæ ratio, æquabilitatẽ quandã etiam in ęqualibus fortunis cõtinens: Et multos ex humili loco ac tenui fortuna nõ modò ad mediocres, uerumetiã ad summos nonnunquã honores, amplissimasq; facultates, & opes ipsorum uirtus, herorumq; beneficentia prouehit: idq; maximè conciliandis luculentis coniugijs, uel sacerdotijs. Honestatis magna semper à nobilitate ratio habita est. Fraudẽ facere, promissum fallere, peierare, mentiri, probrosum, & infame semper habitũ est, atq; etiamnunc habetur, quamuis in maiore, quàm olim, habendi studio, & licentia. Quòd si quid eiuscemodi in probri loco cuiquam obijciatur, præsertim ab eiusdem ordinis uiro, non tam legibus, & magistratuum iudicio, & authoritate, quàm ferro, manuq; uindicatur. Dissimulare quidem probrosum habetur. Loci tamen ratio ducitur. Plebeis minor est cura dignitatis, atq; pomposæ ambitionis, exceptis urbanis fœminis, quę & ipsę benè cultæ, & una aut altera pedissequa comitatę incedere studẽt: uita autẽ laboriosior, & solicitior tam mulierum, quàm uirorũ, nullo ferè sexus discrimine, nisi quod fœminę opificia non exercent, neq; uecturam, ueq; negociandi gratia peregrinantur. Vicina tamen oppida intra fines regni adeunt, domiq; negociantur. In iudicio standi ius non habent. In plebe autem numerantur, quicunq; nobiles, siue equites nõ sunt, siue sint agricolæ, olitores, apiarij, & pecuarij, siue opifices, & operarij, siue caupones, propolæ, uectores, & mercatores, & siue in agris, quemadmodum superiùs attigimus, pagis atq; uicis uitã degant, siue in oppidis, & urbibus. Ac urbes quidem, & oppida à mercatoribus, opificibus, & propolis habitantur. Vici autem, & pagi, & suburbana prædia ab aratoribus, olitoribus, pecuarijs, & apiarijs. Caupones uerò, molitores, operarij, uectores, iumentorumq; locatores, utrobiq; sunt. Sunt autẽ aliquantò meliore, & liberiore cõditione urbani, & oppidani, quã agrestes. Ac censum quidẽ annuum utriq; dominis suis pensitant, uerũ agrestes, & uicani plerîq; omnes operas præterea gratuitas ad colendos eorũ agros, & alios usus domesticos, non solùm manuarias, uerumetiam cum iumentis ipsi, per se, uel per mercenarios, & operarios suos præstant. Nec aliò cuiquam commigrare inconsulto domino licet: ita ut uideantur esse glebæ adscriptitij, nec multũ à seruis differant, præsertim ut nunc sunt tempora. Cmiecie, seu Cmetones uulgò uocantur. His autem deteriore conditione sunt hortulani, qui hortos colunt. Vtriq; Chlopi appellantur: quam appellationem, uelut probrosam, non fert nobilitas. Habent sanè in eos domini uitæ, necisq; potestatem: præter eos, qui ab ineunte ætate literarũ studijs, sacrorumq; ministerio sese addixerunt. In plebe urbana nõ desunt, qui rem lautiorem per famulos, & uicarios administrantes, ipsi ocio, honestioribus studijs, uel delitijs uacant. Multi lautiùs, & sumptuosiùs uictitant: atq; inde crescunt rerum precia, & non pauci ex ijs ad egestatem rediguntur. Et hactenus quidem de nobilitate, & plebe. Iam de sacro, siue Ecclesiastico ordine. Quod ut planiùs fiat, de religionibus prius pauca attingamus. Christianam religionem Polona gens, abiecto semel impio dæmonum cultu, sexcentis amplius annis constanter retinet, religioseq; colit, hęreticarum nouationum insolens, & impatiens ante nostram ætatẽ. Nuper adeò nostra memoria, Lutherana primùm, mox etiam Berengariana, seu Caluiniana labes à mercatoribus, & bonarum literarũ studiosis iuuenibus, leuitate animorum, & curioso studio nouitatis inductis peregrè inuecta, multorum animos infecit. Quod olim etiam de Hussitica, & Viclefica extremis Vuladislai Iagellonis Regis, & primis filiorum eius Vuladislai, &

Famuli & pedissequæ.

Nobilitatis studia.

Plebs.

Plebeij qui.

Vrbanorũ, & agrestium discrimen.

Religio, & pietas Polonorum.

Hæreses in Polonia.

cùm auri, & argenti metalla nulla extarent, & minùs nota essent nostris maioribus transmarina mercimonia. Neque proprium habebant numum Poloni, sed externis, & maximè Boëmicis usi sunt aliquandiu. Cœpit deinde ante ducentos, ni fallor, annos à Cazimiro magno rege æs, & argentum signari ad exemplum Boëmorum. Aureos uerò numos primus omnium Sigismundi Augusti pater nostra memoria signauit, bonitate, & pondere Vngaricorũ. Tametsi Alexandri quoque fratris eius aureum numum uidimus. Sic autem creuit iam auri preciũ, ut propè duplo carior nunc sit aureus numus, quàm fuit auorum nostrorum memoria. Id adeò, partim propter luxum, & crebriorem auri usum, exportationemque ad exteros, partim quia deterior nunc esse fertur reliqua moneta, cùm ponderis diminutione, tum æris admixtione. Est autem ea multiplex. Ac grossus quidem argenteum numisma est cum admixto ære, olim uicesima octaua, nunc quinquagesima secunda, uel tertia, imò iam quarta, & quinta pars aurei Vngarici, sexagenę, siue copæ sexagesima, marcæ quadragesima octaua, floreni tricesima, fertonis duodecima: scoti uerò dimidia. Sic uulgò dicuntur pondera, siue genera, quibus pecuniam numeramus, & computamus. Sunt & minores grosso numi. Medians quidem grossi dimidium, nona ferè parte superans cruciatum Germanicum, sed iam exæquatus. Solidus tertia pars grosi, ternarius sexta, obulus uerò decimaoctaua. Atque hi quidem nunc ærei sunt inalbati: superiori tempore habuerunt admixtum argentum, ut etiamnunc habent grosi, & mediantes. Argentei uerò sunt trigrossus, ac segrossus, hic quidem sex: ille uerò tribus grosis æstimatione par. Vtrumque primus signauit Rex Sigismundus senior: sed iam pauci extant. Exportantur enim, & conflantur ab auaris Iudęis, mercatoribus, & argentarijs apud gentes finitimas. Permagnus est autem etiamnunc apud nos usus externæ monetæ, quæ pro mercibus undelibet importatur. Magna sunt enim nunc, si unquam aliàs, Polonis uariarum rerum cum cæteris gentibus commercia: quanquam commutatione mercium permulta peraguntur. Exportantur autem in primis, siligo, triticum, ordeum, auena, & alia legumina, linum, lupulus, coria boum, sebum, alutæ, mel, cera, succinum, pix, cinis, mali, asseres, cæteraque materies fabricandis nauibus, & ornandis domibus apta. Cereuilia quoque & herba quædam tingendis lanæ, & serico idonea. Iam uerò & boum, ueruecum, & equorum permagna uis non modò finitimis, uerumetiam remotioribus populis suppeditatur. Ac equi partim propter pernicitatem, & laboris, incommodorumque tolerantiam, partim propter molliorem incessum à remotioribus etiam populis expetuntur. Importantur autẽ uicissim aliundè panni non modò serici, & aurei, sed etiam lanei, lineique subtiliores, aulæa, tapetes, & alia parietum, equorum, & hominum ornamenta, quorum opificia minùs exquisita sunt apud Polonos, licet non desit materia, & alijs gentibus suppeditetur. Margaritæ item, & gemmæ, & pelles sabellinæ, pantherinæ, siue lupiceruariæ, hermellinæ, mardurinæ, murium ponticorum, uulpinæ, lupinæ, ursinæ, & aliarum ferarum, quarum maiorem copiam producunt interiores Septentrionis, Orientisque syluæ. Husiones quoque siue Mariani, & haleces, & alia salsamenta, & uento, uel sole durati pisces marini. Adhæc argentum, æs, orichalcum, & chalybs cùm facta, tum infecta. Boum etiam copiam auget uber pascuis Valachia, siue Moldauia, & Besserabia: sicut equorum Vngaria. Vina plurima ex eadem Vngaria & Morauia. Ex Austria, Rhetia, Slauonia, Italia, Creta, & Græcia importantur etiam, sed pauciora. Gdanum autẽ Renense, & Gallicum, & Hispaniense, Canariense quoque, & Creticum nauibus aduehitur. Porrò aromata, & uaria eduliorum condimenta atque cupediæ, quę unà cum uino, & pannis aureis ac sericeis gentem hanc atque regnum uehemẽter exhauriunt, de longè ab Oriente, & Occidente importantur. Harum autem rerum atque mercium exportandarum, & importandarum commercia sunt Polonis, maritima quidem cum accolis sinus Venedici, & Oceani Germanici, Pomeranis, Mechelburgensibus, Holsacijs, Danis, Frisijs, Hollandis, Brabantis, & alijs Belgis, Gallis, Liuonibus, Moschis, Sueonibus, siue Suetis, Noruegijs, Anglis, Scotis, Hispanis etiam & Lusitanis. Itemque per Pontum Euxinum cum gentibus Turcicæ ditionis: terrestria uerò cum Germanis, Morauis, Silesijs, Boëmis, Vngaris, Italis, Moldauis, Moschis, Armenis, atque Turcis. Sed iam hunc librum claudamus, altero Reipub. Polonæ rationem descripturi. Ac primùm quidem de Magistratibus, & muneribus publicis persequemur: deinde uerò iudiciorum, comitiorum, & belli rationem explicabimus, sic tamen utrobique, ut Prussos ad calcem operis uitandæ perplexitatis causa reseruemus.

Monetæ. Aureus. Grossus. Copa. Marca. Floreni. Ferto. Scotus. Medians. Solidus. Ternarius. Obulus. Mercimonia. Quæ exportantur. Quæ aliundè importantur. Populi cũ quibus cõmercia sunt Polonis.

POLONIÆ MARTINI CROMERI LIBER ALTER.

De Republica & Magiſtratibus Polonorum.

Monarchiam Poloni amplectuntur.

DE tribus primis, & ſimplicibus Rerumpubl. formis, quæ uel unius, uel paucorum imperio, uel multorũ, omniumue quadam æquabilitate iuris continentur, unius principatum Poloni ſemper, præter duo quædam tempora, de quibus in hiſtoria memorauimus, amplexi ſunt, bonis plerunque, & moderatis, & à tyrannide alienis uſi principibus. Fuitq; contenta Polonia principis, ſiue Ducis nomine, & imperio, donec Otto tertius eius nominis Imperator Rom. Boleslaum cognomento Chobrũ (Chabrum uulgò uocant) paulò poſt ſuſceptam religionem Chriſtianam: hoc eſt, anno poſt Chriſtum natum milleſimo, & primo, regio diademate, & honore dignatus eſt. Nec tamen ultra quartum Regẽ tunc is honos manſit apud hanc gentem. Nam poſt alterũ Boleslaum, prioris pronepotem, ducẽtis amplius annis, Principes Polonorum regio nomine abſtinuerũt. Deinde uerò anno Chriſti 1295. reuocatum, & renouatum id in Præmislo, manet in hanc diem: Et quidem ad externos plerunq; liberis liberi populi ſuffragijs delatum, cùm antea Poloni externũ principem non habuiſſent. Ac neque ex alia familia per quadringentos amplius annos, quàm ex, quæ à Piaſto duxit originem. A centum & amplius octoginta annis regnauit perpetua ſucceſsione Iagellonia magnorum ducum Lithuaniæ progenies. Non hæreditario tamen, ſed electionis iure. Fuit autem initio liberior dominatus principis: & nullis propemodum legibus aſtrictus, infinitam non modò omnium rerum, ſed etiam uitæ, necisq; omnium poteſtatem habens. Poſt ſuſceptam uerò publicè religionem, temperare ea cœpit primùm pijs monitis, atq; doctrina Epiſcoporum, & ſacerdotũ (quibus nunc præclara ſcilicet refertur gratia, tunc permagna erat eorum dignatio, & authoritas) ac cæterorum Chriſtianorum populorum imitatione, & moribus. Deinde uerò bellatricis nobilitatis meritis, & obſequijs: fortaſsis autem & contentionibus multa de ſuo iure remittentibus, & indulgentibus equeſtri ordini regibus, & principibus. Nunc ſanè anguſtis finibus regia poteſtas in ſacrum, & equeſtrem ordinem, & utrique ſubiectos homines atque bona, circumſcripta eſt: Ac in ſacerdotes quidem iam inde ab initio ſuſceptę religionis Chriſtianæ rex nihil prorſus iuris habet. De equitis uerò capite, & fama, non niſi in comitijs cum Senatu iudicat, certis aliquot cauſis exceptis. Senatu autem inconſulto neq; bellum cuiquam facit, neque fœdus publicè cum quoquam icit, neque tributa, uectigalia, ac telonia noua inſtituit, neque alienat quicquam de bonis regni, neq; rem ullam maiorem ad Rempubl. pertinentem ſtatuit, aut facit. Porrò leges nouas condere, pecuniam extra ordinem publicè imperare, monetam ſignare, ſucceſſorem ſibi deſignare, ne cum Senatu quidem poteſt abſq; conſenſu cæterę nobilitatis, ſiue equeſtris, & militaris ordinis. De quo ferè magiſtratus etiam publici, & Senatores leguntur: ita ut penes eum ordinem nunc ſit propemodum ſumma Reipubl. Itaq; nunc regnũ, & Reſpubl. Polonorum à ueteri Lacedemoniorum, uel huius temporis Venetorum Reipubl. ratione non multũ differt. Ius creandi Regis penes Senatum eſt, de quo paulò pòſt dicemus. Atq; id etiam equeſter ordo ſibi uendicare cœpit, ita ut tum demum in eo ratum ſit Senatus iudicium, ſi aſſentiatur cætera nobilitas. Non temerè tamen diſceditur à ſtirpe regia maſcula, ſi qua extat. A nouo rege iuſiurandum exigitur in hanc ſententiam: Quod ſecundùm leges, & inſtituta maiorum regnaturus ſit, & ſuum cuiq; ordini, & homini ius, priuilegiumq;, & beneficium, à prioribus collatum, ſaluum conſeruaturus, neq; de Regni finibus, & bonis quicquam diminuturus, quin amiſſa etiam ab alijs pro uirili ſua recuperaturus. Viciſſim autem ſenatus omnis in uerba eius iurat. Inauguratur autem (ſi tamen hoc uerbo uti fas eſt) olim quidem in Gneſnenſi, nunc uerò in Cracouienſi Baſilica ritu ſolenni Chriſtianorum ab Archiepiſcopo Gneſnenſi ſacris operante, ac duobus proximis Epiſcopis: unctusq; inter ſcapulas ſacro oleo ante aram maximam, ubi etiam ſacroſanctam Euchariſtiam uenerabundus accipit, & corona aurea redimitus, accepto in dextram ſceptro, & in leuam pomo aureis, in editiore ſolio ex tempore pręparato collocatur, omnibusq; ritè peractis coronatus in regiam reducitur. Poſtridie pompa itidem ſolenni coronatus in forum urbis equo uehitur, Senatoribus equeſtribus, epiſcopis quidem ponè ſequentibus: profanis uerò antecedentibus longo ordine. E quibus tres primores pomum, ſceptrum, & ſtri-

Hiſt. Pol. li. 2. Regni Pol. origo. Hiſt. lib. 3.

Hiſt. lib. Regni reſumptio. Hiſt. lib. 11.

Hiſt. lib. 14. & 15. Principis poteſtas.

Regiæ poteſtatis finis.

Regis electio.

Iuſiurandum Regis.

Coronatio.

& strictum gladium proximè ei præferunt. Ibi erectum ex tempore tabulatum sublime cum ijs pedester conscendit, & in editiori solio collocatur. Sedentem senatus paulò inferior ordine circumsidet. Deinde assurgens ille, uersus quatuor mundi partes gladium uibrat, rursumq; residens, eius contactu siue leni ictu inter se scapulas cuiusq; nobiles & equites auratos creat: quod perinde est, ac si baltheo militari donet. Vrbani autem & oppidani magistratus in uerba noui regis iurant. Inde ritè peractis omnibus, in arcem cum eadem pompa reditur, & festis epulis indulgetur. Nec multo diuersa est reginæ inauguratio: quæ fit præsente, deducente, & postulante pro ea rege. Deducit autem eam coronatam etiam ad forum rex ipse quoq; coronatus cum simili pompa. Sed non iuratur in uerba reginæ, nec ei defertur ulla potestas aut iurisdictio. Vectigalia principis aliquanto luculentiora & ampliora olim fuere, quàm nunc sunt. Pensitabant enim ei omnes agrestes & adscriptitij quotannis tributum poradlne, quod nos rastrale dicere possumus (Regale etiã uocatur) in iugerum, seu laneum & mansum, ut uulgò uocant, duodenos grossos, & quidem latos siue Pragenses: qui dimidio eos, qui nunc sunt in usu, grossos uernaculos excedunt. Quin si bonitatem & pondus argenti spectes, quadruplo, quemadmodum earum rerum periti affirmant, melior tunc erat grossus quàm nunc est. Pensitabant & alias quasdam cũ numarias, tum pecuarias, frumentarias, auenarias, & aliarum rerum pensiones: nec modo agricolæ, sed & oppidani: Quin & equites siue milites non penitus immunes erant. Et iumenta autem hi ei, quacunq; iter faciebat, alij secundum alios suppeditabant, & canes cũ uenatoribus eius alere necesse habebant. Ne monastica quidem & alia ecclesiastica bona initio prorsus erant libera ab huiusmodi oneribus ac tributis: Quorum appellationes uidere licet in uetustis principum diplomatis: Nempe przewod, powos, stroza, stan, pouuoloue, targoue, Croua, poduuody, Voginia, Narzas, sep, poduuorouue, Opoliæ. Liberæ autem principi erant ubiq; piscationes atq; uenationes: Alijs non erant, ne in suo quidem cuiquam fundo, absq; peculiari principis indulgentia. Mulctæ quoq; maleficiorum principi dependebantur. Quæ cùm ita essent, cumq; permagna esset rerum omnium ad uictũ pertinẽtium uilitas, & necdum maritima cum externis populis commercia extitissent, aut uulgata essent, non distrahebantur fruges, & alij fructus prædiorum principis, quæq; ex pensionibus in cellam eius comportata erant, neq; ad unum aliquem totius regni locum (quod non sine graui agrestium pressura futurum erat) conuehebantur: sed in præfecturis asseruabantur. Cumq; ad officium principis pertinere existimaretur, non desidem & uni alicui loco affixum hærere, sed obire omne regnum, & fines eius tueri, & omnium usibus sese exponere, querimonias afflictorum audire, ius dicere, tenuiores à potentiorum iniurijs uindicare, quoquo is uenerat cũ equitatu & comitatu suo aulico, eius præfecturæ fructibus & prouẽtibus alebatur, quoad ei manere ibi libuisset, opusúe esset, siue quoad horrea, cellæq; sufficerent, seu deniq; descriptis cuiq; præfecto pro ratione perfecturæ, & prouentuum certis temporum spacijs. Atq; hoc illud est, quod scriptores quidam externi rerum Polonicarum imperiti ante nostram memoriam in eam partem acceperunt, & literis mandarunt, quasi rex Polonus egestatis causa regnum suum obire perpetuò necesse habeat, quo à suis hominibus quasi precario sustentetur. Cæterum postea cum principes uel certo se loco continere, uel bellis distenti peregrè diutius abesse cœpissent, distrahi cœpere fructus prædiorum, qui præfectorum cum sua cuiusq; familia moderatis usibus superessent. Remissæ sunt deinde principum beneficentia sacro & equestri ordini, & utriusque adscriptitijs & subditis pleræq; omnes pensiones & onera. Nunc sanè equestris & ecclesiastici ordinis homines nihil regi pensitare necesse habent. Ac ne oppidani quidem eorum, aut agrestes adscriptitij, præter binos grossos uernaculos de manso, siue laneo (quæ idem sunt) pagano, & eo quidem solo, quem adscriptitius ipse sibi colit. Nam qui sacerdotibus & equitibus coluntur, itemq; suburbani & scultetorũ (de quibus post attingemus) agri ab ea quoq; pensione immunes sunt. Ne subseruiunt quidem principi sacerdotum & equitum homines agrestes & oppidani, præterquàm ad arces tempore belli reficiendas, atq; etiam nouas, si id è senatusconsulto fiat, condendas. Non ita pridem abbates & Præpositi monasteriorum certas pensiones, quæ Stationes uulgò dicuntur, regi denuo pensitare cœperunt. Adscriptitij quoq; ipsorum ad colendos principi agros, subuectiones, & pensiones quasdam frumentarias reuocantur, quo præfectorum regiorum præsidio tutiores sint ab iniurijs improborum. His autem exceptis, soli præfecturarum adscriptitij in suis quiq; præfecturis agros colendo, & uectigalia pensitando rem familiarem principis sustinent: Quæ nunc tamen aliquanto exquisitius curatur, quàm olim. Habet is etiam è metallis mediocre uectigal. In ijs autem conductitiarum operarum usus est: Quarum impensa deducta, reliquum cedit principi. Omnium uerò metallorum in Polonia fructuosissimæ sunt salinæ. Sed habet in ijs equester ordo hanc prærogatiuam, ut in usum suum domesticum

Reginæ coronatio.

Vectigalia principis.

Poradlne siue rastrale tributum.

Grossi Pragenses siue lati.

Pensionum priscarum nomina.

Princeps Poloniam obibat.

Error quorundam scriptorum.

Vectigalium imminutio.

Cmetones.

Rastrale siue regale tributũ.

Operæ subditorum sacerdotalium & equestrium.

Stationes.

Metalla.

Nobilitatis prærogatiua in salinis. mesticum statis anni temporibus aliquanto minoris emat salem, quàm cęteri homines. E telonijs quoque mercium & uectorum prouenit uectigal principi. Cæterorum hominum nemo ius ullum habet instituendi & exigendi telonij, præter peculiarē regis indulgentiā: idque ob necessariam extra ordinem refectionē uiarum, pontium, & aggerum. Cæterū naulum à traiectu fluminum in suo cuique solo instituere licet. Duplex autem est telonium: uetus & nouum. Ac uetus quidem exile est, quod ab ijs penditur, qui intra fines regni negociantur. Nouum uerò maius aliquanto, quod boum, equorum, coriorum, frumenti, lanæ, ceræ, sebi, & aliarum mercium, quæ ad exteras oras exportantur, & earū, quæ aliunde importantur nomine pensitatur. Vtriusque immunitatē habent ecclesiasticus & equester ordo, modo ne mercaturā quis exerceat, hoc est, uenū ea exportet, quæ ipse aliunde emerit, ac non de suo parârit. Si quis tamen boues emptos suo pabulo & frumento per hyemem aluerit, perinde habetur, ac si domi eius nati sint. Publicę quoque ciuitates nonnullę habent immunitatē ueteris telonij. De nouo fuit superiori tēpore controuersia inter equestrē ordinem atque regem. Hæc igitur nunc sunt perpetua principis uectigalia: Quæ distrahere, aut addicere cuipiam iure hæreditario rex, Alexandri regis lege prohibetur. Atque ea lex neglecta post, & ante paucos annos acerbius reuocata, multos conturbauit, & non exiguos motus excitauit: qui nondum prorsus sopiti sunt. Extra ordinē nihil à quoquam, nisi fortè à Iudæis, regi pensitatur. Ex his aūt uectigalibus is cum domestica familia sua sese sustentat: inde comitatui suo aulico stipēdia prębet: inde in legationes, dotes, & elocationes filiarum, arcium præsidia, & sarta tecta, uiarum publicarum refectiones, machinas & apparatum bellorum, præmia benè merentium de se ac de republ. & in alios usus impendit: Inde & senatoribus ferè, ac magistratibus publicis, & nōnullis sacerdotijs certi ac perpetui reditus antiquitus constituti sunt, partim pietate & beneficentia principū attributi, partim accepto in usus necessarios precio uenditi. Et hactenus quidē de principe siue rege ac uectigalibus eius. Iam de legibus. Legum scriptarū nullus fuit usus apud Polonos uetustioribus temporibus: Nec ullæ extant antiquiores ijs, quas Cazimirus magnus rex condidit: Quæ sanè pauculæ sunt. Nec multæ ijs à successoribus eius adiectæ sunt. Extremis demum ferè temporibus Sigismundi senioris, & regnante filio eius Sigismundo Augusto magis ac magis exarsit, & lōgius progressus est pruritus & libido nouarum legum condendarum, & antiquiorum mutandarum. Quo fit, ut hæ propemodum exolescant: nouæ autem uix, aut ne uix quidem inolescant: sed utræque, hæ quidem nouitate, illæ uerò uetustate sua in contemptum uulgò ueniant, maxima reipublicę pernicie. Earum autem condendarum potestas est simul penes regem, senatum, & nuncios nobilitatis, nec nisi in comitijs. Statuta regni uocantur. Priscis temporibus uiua lex erat Rex siue princeps: Qui cū unus in tam amplo regno omnia neque præstare, neque prouidere, ac ne iudiciorum quidem difficultates rectè explicare posse uideretur, & lubricus autem, procliuisque ad tyrannidem gradus in summa potestate esse soleat, adhibiti sunt ei Senatores siue Consiliarij, qui & consilia actionesque eius ad salutem reipubl. & iudicia ad iustitiæ & æquitatis trutinam dirigerent, & monitis, consilijsque salubribus, quasi uiuis quibusdā legibus pro re nata cùm animum eius informarent, tum potestatem modificarentur. Hic est Senatus Regius, multò amplior modo, quam olim, certo hominum numero constans, quos Senatores & Consiliarios regni appellamus. Qui non nisi iurati ad hoc collegium, & ad consiliū admittuntur. Et perpetuum est hoc munus, quoad uiuit quisque, certis annexum honorib. & magistratibus, partim Ecclesiasticis, partim profanis. Sunt autem in Senatu antiquitus, Archiepiscopi duo, septem episcopi, Palatini quindecim, Castellani quinque & sexaginta. Archiepiscopi sunt, Gnesnensis in maiore Polonia, Leopoliensis in Rusßia. Episcopi uerò, Craçouiensis in minore, Posnaniensis in maiore Polonia. Vuladislauiēsis in Cuiauia & Pomerania, qui tamen iam à certo tempore Posnaniensem loco anteit: Plocensis in Masouia. In Rusßia Præmisliensis & Chelmensis: Camenecensis in Podolia. Qui omnes, quo ordine nunc à nobis enumerati sunt, eum perpetuo seruant in senatu, dicendaque sentētia, & in publicis celebritatibus. De Prusßicis suo loco dicemus. Sunt quidem prætereа tres Rusßici & Græci schismatis episcopi in Rusßia, quos ipsi Rusßi Vuladicas uocant, nimirū Leopoliensis, Præmisliensis, & Chelmensis: qui una cum sectatoribus suis, & alijs Rusßicis itidem episcopis, qui sunt in ditione Lithuanica, à Kiouiensi metropolita, & à Patriarcha Constantinopolitano, quod ad religionem & initiationes attinet, dependent. Habet & Armeni suum episcopum. Sed neque hic neque Rusßici pertinent ad regium consilium. Superioribus seculis, cum latiùs paterent uersus occidentem solem fines Poloniæ, Vuratislauiensis quoque & Lubussensis episcopi, & Camenensis, in senatu sua loca habebant: Atque etiā nunc duo priores in prouincia Gnesnensi cēsentur. Et nostra memoria habuit uterque certa bona in Polonia. Nūc Camenensis episcopatus in ducū Pomeraniæ, Lubussensis in Marchio-

Telonia. *Telonium uetus & nouum.* *Alienationes regi interdictæ. Alexandri R. statutum.* *Impensæ Principis.* *Leges Polonorum.* *Consiliarij siue Senatores regni.* *Senatorum generа & numerus.* *Archiepiscopi.* *Episcopi.* *Senatorum numerus & ordo recentior ad calcem operis adscriptus est.* *Russorum Episcopi.*

Marchionum Brandeburgensium faucibus, Vuratislauiensis in regum Boemiæ ditione est. Secundum episcopos in Senatu sunt Palatini hoc ordine: Cracouiensis & Posnaniensis, alternis uicibus inter se priora & posteriora habentes loca & suffragia: Deinde Sendomiriensis, Calisiensis, Siradiensis, Lenciciensis, Brestensis, Vuladislauiensis, siue Iuniuuladislauien. Leopoliensis siue Rusiæ, Podoliæ, Lublinensis, Belsensis, Plocensis, Masouiæ, & Rauensis, Castellani, Cracouiensis, Voiniciensis, Sandecensis, & Biecensis in satrapia siue Palatinatu Cracouiensi: Posnaniensis, Medirecensis, Rogosnensis, Sremēsis, Pręmentensis, Criuinensis, & Santocensis in Posnaniensi, Sendomiriensis, Visliciensis, Radomiensis, Zauichostensis, Zarnouiensis, Malogostensis, Polanecensis, Cechouiensis in Sēdomiriensi: Calisiensis, Gnesnensis, Landensis, Naclensis, Biechouiensis, Camenensis in Calisiensi: Siradiensis, Rospirensis, Spicimiriensis, Velunensis & Conariensis in Siradiensi: Lenciciensis, Brezinensis, Inouulodensis, & Conariensis alius in Lenciciensi: In Brestēsi, Brestensis, Crusuiciensis & Coualiensis: In Iuniuuladislauiensi, Iuniuuladislauiensis, Bydgostiensis, & Conariensis item alius, itemq; Dobrinensis, Ripinensis, & Slonensis in terra Dobrinensis: In Rusia, Leopoliensis, Præmisliensis, Haliciensis, Sanocēsis, & Chelmensis: In Podolia unicus Camenecensis: In Lublinensi item Lublinensis: In Belsensi Belsensis: In Plocensi Plocensis, Racianzensis & Siepercensis: In Masouia Cyrnensis, Viznēsis, Varsauiensis, Vissegradensis, Zacrocimensis, Ciechanoniensis, & Liuensis: In Rauensi Rauensis, Sochaciouiensis, & Gostinensis: In Silesia unus Osuencimensis, Palatinum ea non habet. Ex his Castellanis, qui primi in unaquaque satrapia modò à nobis enumerati sunt, eum inter se seruant ordinem, quo palatinos recensuimus, excepto Cracouiensi, qui ex quodam tempore palatinos omnes loco suffragioq; anteit. Voiniciensis item et huic proximus Gnesnensis prærogatiua quadam inter Calisiensem & Siradiensem Castellanos interiecti sunt. Cæterorum hic esse legitimus ordo existimatur, ut Rauensi, qui superiorum extremus est, proximus sit Sandecensis: deinde Medirecensis, Visliciensis, Biecensis, Rogosnensis, Radomiensis, Zauichostensis, Landensis, Sremensis, Zarnouiensis, Malogostensis, Velunensis, Præmisliensis, Haliciensis, Sanocensis, Chelmensis, Dobrinēsis, Polanecensis, Præmentensis, Criuinensis, Cechouiensis, Naclensis, Rospirensis, Biechouiensis, Osuencimensis, Brezinensis, Crusuiciensis, Bydgostiensis, Camenensis, Spicimiriensis, Inouulodensis, Coualiensis, Santocensis, Sochaciouiensis, Gostinensis, Viznēsis, Varsauiensis, Racianzensis, Siepercensis, Vissegrodensis, Ripinensis, Zacrocimensis, Ciechanouiensis, Liuensis, Slonensis: extremi tres Conarienses: In quibus primum locum is, qui est in Siradiensi satrapia, medium qui in Lenciciensi, ultimum qui in Inouuladislauiensi, obtinet. Sunt item in Senatu Magistratus quidam & administri principis, quos officiales regni uocant: Nempe Marescallus, siue Marescalcus, qui magnus dicitur, Cancellarius, Procancellarius siue Vicecancellarius, ac thesaurarius. Est etiam unus de magistratibus aulicis, seu curiæ principis, Marescalcus curiæ: Putantur etiam duo præfecti seu Capitanei, nempe maioris Poloniæ, & Cracouiensis ad consilium pertinere. Sed perrarò usu uenit, ut ij nō aliquo alio honore Senatorio præditi sint. Horum autem omnium magistratuum loca & suffragia in consilio sunt secundum Castellanos eo, quo hic à nobis cōscripti sunt, ordine. Nisi si quo alio eminentiori honore ij cohonestentur: Quod fit plerunq;. Hoc igitur est consilium publicum apud Polonos, & Senatus regius siue regni, sex & nonaginta consiliarijs constans: Quorum alij uocantur maiores, alij minores consiliarij. Sunt autem maiores, Archiepiscopi, Episcopi, Palatini, primarij aliquot satrapiarum Castellani usque ad Siradiensem fortasis: Cæteri omnes minores: qui posterius in consilium adhiberi cœperunt: & excluduntur nonnunquam à consilijs secretioribus. In hoc senatu censentur etiam Prussici consiliarij. Verum de his & omni republ. Prussica separatim posterius perlequemur. Accessere nuper (posteaquàm hæc nos conscripsimus) & Lithuanici cū antiquitum quos Sigismundus Augustus Rex ad numerum eorum adiecit. Eos quoq; alij loco reseruabimus. Porrò Secretarij admittuntur quidem & ipsi iurati in Senatum, sed ut auditores modo, & quasi seminarium quoddam senatus: Neq; locum habent in consessu consiliariorum, neq; dictionem sententiæ. Ex his autem unus primi siue maioris Secretarij nomen & honorem obtinet, de quo plura paulò post: Duo referendarij siue supplicum libellorum magistri sunt. Putantur & succamerarij aditum habere ad locum habendi senatus, claudendi & aperiendi ostij causa, idq; in suo tantum quisq; territorio. Iam & Senatorum, primariorum præsertim, filios adolescentes admitti in Senatum non inusitatum est. Quāquam solent & ij sacramento adigi in numero secretariorum, quo liberius intersint consilijs. Conuocantur autem Senatores à principe ad consilium, præsentes quidem quoties opus est: qui uerò longius absunt, non nisi arduis de causis, utpote ad comitia, uel celebritatis alicuius gratia, nimirum ad nuptias principis, seu liberorum eius, aut si quis socius & obnoxius

Palatini.

Castellanorum ordo.

Voiniciensis & Gnesnen. Castellanorum loca.

Magistratus pertinentes ad consilium publicum.

Consiliariorum numerus.

Diuisio.

Secretarij.

Referendarij.

Consilij conuocandi ratio.

obnoxius regno dux in uerba principis iuraturus sit. Cum ijs uerò, qui adsunt, princeps pro re nata consultat. Nisi fortè res grauior ac difficilior incidat, quæ plurium consilio & consensu sit explicanda, uelut de indicendis comitijs. Tunc enim absentes singuli per epistolas regias consuluntur, maiores præsertim. Atque hæc de genere, numero, ordine & officio senatorum siue consiliariorum regni suffecerint, si unum illud addiderimus, quòd subseruiunt ij quoque principi & reipubl. quoties opus est, domi quidem in iudicijs cum alijs, tum recuperatorijs, quas commissiones uulgò uocamus, foris autem in legationibus obeundis, aut si quid aliud publicè cum dignitate peragendum est. Cum autem ij certis magistratibus & honoribus præditi sint, habent etiam præter commune senatorium munus, curamquè totius reipubl. peculiaria officia pro diuersitate magistratuum siue honorum attributa. Ac Archiepiscopi quidem & episcopi officia quæ sint, nemini Christiano incognitum est: Nec ullum ij peculiare habent in Polonia, præ cæteris nationibus: Nisi quod Archiepiscopus Gnesnensis perpetua quadam Pontificis Max. legatione fungitur, & legatus natus sedis apostolicæ appellatur. Quo nomine ampliorem habet iurisdictionem: de qua suo loco attingemus. Habet etiam primatis honorem ab eadem sede apostolica, absque eo, quòd est antiquo gentis instituto, & prærogatiua primas regni, & princeps senatus. Proinde penes eum est potestas indicendi comitia, conuocandi senatum, senatusquè consulta definiendi & edicendi, absente rege, & regno uacante. Palatini munera sunt, esse ductorem copiarum suæ satrapiæ in expeditionibus bellicis: indequè nomen habet lingua uernacula, ut Voieuoda dicatur, quasi dux belli, siue copiarum. Palatinus autem dicitur Romanorum imitatione, apud quos sub imperatoribus non obscurum erat nomen, honosquè comitum palatinorum. Porrò in pace palatini est, in sua cuiusque satrapia conuentus nobilitatis instituere, ijsq; & iudicijs præsidere: precia rebus uenalibus præter tempus comitiorum & belli imponere: ponderum & mensurarum curam gerere. Iudæorum quoque patrocinium & iudicia ad palatinum pertinent. Castellani quasi legati sunt Palatinorum, ductoresquè & præsides nobilitatis sub suo quisque palatino. Appellantur autem Castellani etiam uernacula lingua mutuato à Latinis uocabulo, à castellis siue oppidis, eorumquè territorijs, quæ singuli singula habent attributa: non quòd dominatum, iurisdictionem, aut curationem in eis habeant, sed legationem tantum bellicam, cuius modo fecimus mentionem: plerisq; etiam certos reditus anniuersarios: Indeq; suam quisq; denominationem sumit, uidelicet, ut Voinicienfis, uel Sremensis, uel alius cuiuspiam loci Castellanus uocetur. Vocantur etiam persæpe nomine uernaculo domini, loci appellatione in kiuelski syllabam deflexa, uerbi gratia, pan Posnanski, pan Ploski. Solus autem Cracouiensis Castellanus, præter nomen & reditus, nihil habet cōmune cum alijs: Sed liberum is honorem habet, absque ullo prorsus munere, præter commune Senatorium. Tam Palatinum autem, quàm Castellanum lege esse non licet quenquam in ea satrapia, in qua nullum proprium habet fundum, seu bona terrestria. Vocanturq; ij utrique uulgò communi uocabulo dignitarij, quasi dignitate & honore præditi, addito ferè satrapiæ, seu terræ nomine. Magistratus uerò siue officiales regni ab officijs & functionibus quibusdam publicis, quibus funguntur ad uniuersam rempubl. pertinentibus, hanc sumunt communem appellationem. Nam peculiaria eorum nomina superius iam indicauimus: Quibus singulis REGNI nomen adiungitur, ut, uerbi gratia, Maresalcus, & Cancellarius regni dicatur, eodemq; modo cæteri. Officia uero singulorum hæc sunt. Maresalcus quidem magister est aulæ regiæ, & administer consilij publici, penes quem ius est conuocandi senatum iussu regis, uel primatis, præstandi silentium & audientiam, faciendi potestatem dicendæ sententiæ, legatos externos introducendi, eijciendi è consilio eos, qui ad id non pertinent, pronunciandi decreta regia in causis infamiæ & capitalibus, promulgandi ad populum senatusconsulta, moderandi pompis publicis, hospites illustres suscipiendi, compescendi motus inquietorum atque turbulentorum non modo circum senatum & in publico, sed etiam in priuatis principis cœnaculis & habitaculis, animaduertendi in delicta, quæ in loco & oppido domicilij siue hospitij regij, uel comitiorum admittuntur, denique in comitijs & in comitatu regio diuersoria distribuendi, & imponendi rebus uenalibus precia: unde etiam uectigal seu tributum forale ipsi prouenit. Maresalci etiam est in aulicum regis comitatum & ad ministros mensæ regię, aliorumquè munerum aulicorum (profanos præsertim) iurisdictio, censura, & animaduersio: eoq; gestat is in publicis conuentibus, & regi in propatulum prodeunti præfert erectum sceptrum ligneum, siue baculum. Cancellarius & Vicecancellarius, nominibus & loco distincti, sed potestate & munere exæquati, diplomatibus, edictis, mandatis, epistolis, & alijs scripturis regijs conscribendis atque signandis, quæq; ad eum mittuntur accipiendis, & legendis præsunt. Itaque in potestate sua habent signa regia, Cancellarius quidem ma-

Senatorum cōmunia officia.

Archiepiscopus Gnesnensis legatus natus.

Primas.

Palatini officium.

Voieuoda.

Castellani officium et nomē.

Castellani Cracouiensis prærogatiua.

De Palatinis et Castellanis lex.

Dignitarij.

Officiales siue magistratus regni.

Maresalci regni officia.

Cancellarij & Vicecancellarij officia.

ius

sus, Vicecancellarius uerò minus. Authoritas eorum eo usque patet, ut multa inconsulto principe signare: quæ uerò contra leges esse uidentur, iubenti illi negare possint. Dant etiam responsa regio nomine, & quibus de rebus consilium haberi debet in senatu proponunt: denique senatus consulta, regiaque & comitialia placita ac decreta literis mandant, & in publicum edunt. Sunt etiam ij cognitores priuatarum querimoniarum, & prouocationum ab urbanis & oppidanis, præfectorumque iudicijs, ad regium tribunal deuolutarum: Secretarijs, scribis, sacerdotibus, concionatoribus, & cantoribus aulicis, ceremonijsque ecclesiasticis moderantur: is præsertim, qui est de sacro ordine. Lege enim, quamuis non antiqua, alterutrum ex ijs sacri, alterum profani ordinis esse oportet, cum antiquitus soli ferè sacerdotes eo munere fungerentur. Sunt autem ij in proxima expectatione honorum sui uterque ordinis. Sed neque sacerdoti cum episcopo, exceptis Premisliensi, Culmensi, Chelmensi, & Camenecensi, neque profano siue seculari cum ullo palatinatu uel Castellania retinere munus hoc licet, præter peculiarem indulgentiam, aut conniuentiam: Est autem usitatum, ut de Vicecancellario fiat Cancellarius propter loci & sententiæ dicendæ prærogatiuam.

Thesaurarij officium.

Regni symbola.

Thesaurarius ipso nomine indicat munus suum. Est enim promus & condus thesauri regij, symbolorum siue insignium regni, quæ sunt, corona, pomum, sceptrum, & gladius, suppellectilis & redituum regiorum, scripturarumque & monumentorum publicorum: author & moderator quorumuis quæstorum, curatorum, atque dispensatorum principis, & rationum reddendarum exactor, monetariæ officinæ magister, stipendiorum tam militarium, quàm aulicorum solutor: reddendæ principi rationi obnoxius. De Marsalco curiæ, & præfectis, referendarijs, & secretarijs dicemus postea.

Duces exercitus siue capitanei.

Numerantur etiam inter Magistratus & officiales regni, duo duces exercitus: quorum alter generalis & supremus exercituum regni capitaneus, alter campi ductor, seu campestris Capitaneus dicitur. Ac ille quidem dux est & moderator belli secundum principem, & uicarius principis. Ducit exercitum, capit locum castris, acies instruit, dat signum pugnæ & receptus, commeatus & annonæ curam in bello gerit, precia rebus uenalibus imponit, ponderibusque & mensuris earum modum statuit, & in deliquentes animaduertit. Campestris uerò, huius est quasi Vicarius à principe datus, excubiarum potissimum explorationumque curam gerit, & mercenarijs militibus, illo præsertim altero absente, præest. Neuter tamen in senatu locum habet: Quin temporarij esse perhibentur, neque inter magistratus regni habiti superioribus temporibus.

Magistratus quidam alij.

Longè minus autem alij quidã, qui & ipsi nostra fere memoria pro magistratibus regni haberi & appellari cœpêre. Neque tamen in Senatu locum habent, neque functionem ullam ad uniuersum regnum pertinentem: Ii uerò sunt, gladifer, pocillator siue pincerna, structor mensæ, quem incisorem uocant, dapifer, subdapifer, magister culinæ, qui dapibus apparandis & cocis regis præest. Et certè aut ijdem sunt terrestres Cracouiensis satrapiæ, aut ea sola de omnibus nullos habet. Itaque nos quoque de sententia peritiorum inter terrestres honores & magistratus eorum officia exponemus.

Officiales seu magistratus terrestres.

Dicuntur autem terrestres honores & magistratus, qui non uniuersi regni, sed terrarum atque satrapiarũ sunt peculiares. Officia terrestria uulgo appellantur: & his qui præditi sunt, officiales terrestres. Sunt autem ij Succamerarius, Capitaneus, gladifer, uexillifer, pincerna, subpincerna, incisor, subdapifer, dapifer, tribunus, iudex, subiudex, notarius, thesaurarius, uenator, agaso siue equorum curator. Habentque certas suas functiones siue curationes antiquitus in sua quisque satrapia siue tractu, ac terra, ut uulgò loquũtur: quarũ quælibet olim, discerpto in multos dominatus regno suum ducem habuit. Eius autem hi fuerunt administri peculiares. Nunc magna pars solum nomen nudumque honorem retinent.

Gladifer.
Pincerna.
Incisor siue structor.
Dapifer.
Subdapifer.
Subpincerna.
Thesaurarius.
Vexillifer.
Tribunus.
Venator.
Agaso.
Iudex.
Subiudex.
Notarius siue scriba.

Quales sunt gladiferi, pincernæ, subpincernæ, incisores, dapiferi, subdapiferi, ac thesaurarij: nisi quòd in extraordinarijs iudicijs, quas commissiones uocant, regijs mandatis subseruiunt, & in colloquijs assident. Tametsi etiam nunc ij peculiaribus suis muneribus fungi rectè posse existimantur in suo quisque tractu, à quo denominationem habet, quoties cum princeps adit: Nempe ut gladifer Posnaniensis in Posnaniensi satrapia gladium ipsi præferat in solenni pompa: pincerna poculum administret: incisor siue structor mensam apponat: dapifer dapes inferat: subdapifer dapiferum cum sceptro seu baculo præcedat, subpincerna potus curam gerat, thesaurarius condus ac promus pecuniæ sit ac suppellectilis eius. Cæteri sanè funguntur etiamnunc ferè suis muneribus. Ac uexillifer quidem in bello uexillum præfert exercitui suæ satrapiæ: Tribunus custos est arcis in suo quisque tractu, durante bello: Itaque uacationem habet militiæ: Venator uenationibus & syluis præest: Agaso equitio siue armento equorum: Iudex caussis & controuersiis priuatis nobilitatis disceptandis & iudicandis præsidet unà cum subiudice: qui eius est socius, non uicarius, loco tantum inferior. Notarius scriba est & actuarius iudicij: Sed habet ipse quoque in iudicijs ius dicendæ sententiæ, consuetudine magis, quàm legum præscripto. Cæte-

Succamerarius. rum Succamerarius (ut eius partes postremo loco explicemus, licet honore omnibus his antecat) olim fortassis præfuit cubiculo & cubicularijs principis in sua quisque terra: Nunc regendis modo finibus agrorum ac bonorum terrestrium præest: Quem itidem atque iudicem, subiudicem, & notarium iuratum esse oportet. Habetque is ad id munus obeundum *Camerarij.* uicarios, & ipsos iuratos in singulis territorijs singulos, qui camerarij uocantur, siue cubicularij, propterea fortassis, quod antiquitus ministri cubiculi principis ad id munus legabantur à succamerario. Nunc is eos sibi legit arbitratu suo ex equestri ordine eiusdem territorij, & iureiurando adigit, mutatque quoties uult. *Succamerarius Cracouiensis.* Cracouiensis Succamerarius præ cæteris ea prærogatiua præditus est, ut salinarũ eius ipsius tractus arbiter sit & inspector. Capitaneorũ officia statim exponemus. *Officiales Cracouien. satrapiæ.* Cæterum hi, de quibus modo egimus, non omnes in omnibus satrapijs sunt, neque in singulis singuli. Et Cracouiensis quidem satrapia succamerarium, gladiferum, dapiferum, tribunum, iudicem, subiudicem & notarium habet singulos: *Posnanien.* Posnaniensis cæteros quidem habet itidẽ singulos: Succamerarios uerò, iudices, subiudices & notarios binos: Habet enim hosce terra Vuschouensis peculiares, quæ à Polonia quondã tempore seiuncta fuit. *Sendomiriẽsis.* Sendomiriensis satrapia cæteros quidem & ipsa singulos habet præter tribunũ, quem etiã Prisouiense territorium non ita pridem suum habere cœpit. *Calissien.* Calissiensis item eosdem omnes habet singulos. *Siradien.* Siradiensis structore & subdapifero caret: gladiferũ, pincernã, dapiferũ, habet singulos: succamerarios, uexilliferos, iudices, & notarios binos. Habet enim hos Veluneníe territorium suos, ex quo tempore auulsum fuit à Polonia, sicut arbitror. Tribuni item duo sunt in eadem satrapia, Maior & minor. *Lencicien.* Lẽciciensis gladiferum, structorem, et subdapiferum non habet, cæteros habet singulos. Itemque *Brestensis, Inouuladislauien.* Brestensis. Inouuladislauiensis uerò gladiferum unum habet, structorem & subdapiferũ nullum: Reliquos omnes binos. Habet enim Dobrinensis terra peculiarem succamerarium, uexilliferum, pincernam, dapiferum, tribunum, iudicem, subiudicem, & notariũ. *Rußicæ.* Russia quinos habet succamerarios, uexilliferos, pincernas, dapiferos, tribunos, iudices, subiudices, & notarios: Nempe Leopoliensem, Præmisliensem, Sanocensem, Haliciensem & Chelmensem: gladiferum, structorem, & subdapiferum nullum. *Podolicæ.* Podolia itidem nullum de his tribus: Reliquos uerò singulos, exceptis tribunis, quos duos habet, Camenecẽsem atque Trebouuliensem. *Lublinen.* Lublinensis satrapia gladiferum, structorem, & subdapiferum nec ipsa habet: uexilliferum, pincernam, ac dapiferum singulos, cæteros binos. Lucouiense enim territorium peculiares habet succamerarium, tribunum, iudicem, subiudicem, & notarium. *Belsensis.* Belsensis succamerarium, uexilliferum, pincernam, dapiferum, iudicem, subiudicem, & notarium habet singulos, cæteros non habet. *Plocensis.* Plocensis succamerarium, pincernã, dapiferum, ac tribunum singulos, iudicem uerò & subiudicem notarios binos (Habet enim hos Zauucrense territorium suos) Structore ac subdapifero ea satrapia caret: *Rauensis.* Rauensis uerò structore item & gladifero: Subdapiferum unum habet: reliquos autem ternos, territorijs distinctos, uidelicet Rauensem, Gostinensem, & Sochaciouiensem. Masouia iudices habet undecim, totidem quot territoria: Nimirum Cyrnensem, Viznensem, Varsauiensem, Nurensem, Vyssegrodensem, Zacrocimensem, Ciechanouiensem, Lomzẽsem, Ostrolencensem siue Zemorouiensem, Rozanensem, & Liuensem: Subiudices & notarios totidem: Succamerarios uno minus: Zembrouiense enim territorium eo caret: Pincernas atque dapiferos octonos. Rozanense enim & Liuense, atque idem Zembrouiense territoria hos non habent: Vexilliferum ne Lomzense quidem: Subdapiferum autem neque hæc ipsa, neque Nurense, neque Vissegrodense: Porro subpincernas & thesaurarios totidem, quot subdapiferos habet Masouia, nempe quinque: Subpincernam item Rauensis satrapia habet: Brestensis uerò thesaurarium: Cæteræ omnes neutrum: Magistrum culinæ nulla præter Cracouiensem, si modo non regni is est. Agasonem nulla, præter Russiã: Venatores solę Cracouiensis, Posnaniensis, Siradiensis atque Lenciciensis singulos: Sendomiriensis uerò & Masouitica binos. Hæc quidem Viznen. & Lomzensem: Illa uerò Sendomiriensem & Radomiensem. Habent & Osuiencimensis & Zatoriensis terræ suos iudices singulos: Habet etiam Seueriensis ab episcopo. Cæterorum terrestrium magistratuum nullum habet Silesia, præfectis siue capitaneis exceptis: De quibus iam dicẽdum est. *Capitanei siue præfecti.* Capitaneus, quem præfectum rectè dixerimus addito nomine arcis, cui præest, custos est ac defensor non solum arcis regiæ, uerum etiam pacis atque tranquillitatis publicæ in sua quisque præfectura, quam à ui tutam debet præstare & uindicare, & furibus, latronibusque repurgare. Itaque iurisdictionem, coercionemque habet latè patentem, non modo in agrestes & oppidanos, uerum etiam in equestris ordinis homines: Qua de re accuratius suo loco tractabimus. Adhæc omnium aliorum iudicum, ecclesiasticorum iuxtà ac profanorum sententias ad extremum executioni mandat, si executores alij nolint, uel non proficiant. Gerit etiam curam commodorum & redituum principis, qui ex re familiari, ac censibus & pensio-

pensionibus oppidanorum & agrestiū proueniunt. Et omninò arces, & uillæ, seu rusticæ prædia cū suis sartis tectis, & oppida, pagiq; principis in ditione præfectorū sunt. Solus omnium Cracouiensis præfectus licet amplissimā iurisdictionē habeat, tamen sartorum tectorū arcis, & redituum principis curā non habet. Est enim magnus procurator eius arcis, qui utrunq; hoc onus sustinet. Nā Posnaniēsis præfectus licet maiores etiā prærogatiuas & iurisdictionē in tota maiore Polonia obtineat, atq; ob id generalis maioris Poloniæ capitaneus uocitetur: curat tamē sarta tecta arcis Posnaniēsis duntaxat, & reditus regios eiusdē territorij. Cætera enim territoria iurisdictioni eius subiecta, habēt ferè suos curatores, quos etiā minus propriè præfectos appellamus: de quib. post agemus. Oportet aūt præfectum esse equestris ordinis, agros & fundos proprios in ea ipsa præfectura, cui præficitur, habētem. Neq; externo aūt, neq; regio, uel ducali genere orto conferri præfecturā fas est. Nec duas cuiquā habere licet: Ac ne unā quidē, primariā duntaxat & iurisdictione præditam, cū primaria Castellania uel Palatinatu eiusdē satrapiæ; Posnaniensi & Cracouiensi exceptis: in quib. non idē ius est. Ne Silesiæ quidē cadunt sub hanc legē. Habet præfectus quilibet suū uicarium, quē Vicecapitaneū uel Burgrabium uulgò uocant. Nos subpræfectū fortassis non ineptè dixerimus, penes quē est uicaria præfecturæ totius potestas, & rerum iudicatarum executio. Habet & alterū administrum statorum, ac certis tēporibus peragi solitorum iudiciorum, quem iudicem castrensem dicunt. Vtrunque arbitratu suo creat & abdicat: Sed utrunque iuratum itidem, atque ipsum præfectum, & ex equestri ordine esse, certaq; bona terrestria in ea ipsa præfectura habere oportet. Nec eundem iudicem & suppræfectum, terrestremue & castrensem iudicem esse fas est. Habet item præfectura quæq; actuarium iuratum, quem notarium castrensem nominat. Non sunt autem satrapijs, uerū arcibus ac territorijs ferè, quæ districtus uocantur distinctæ præfecturæ: Nonnullæ etiam complura territoria in se complectuntur. Sunt uerò hæ totius Poloniæ præfecturæ: In maiore quidem Polonia unica generalis, Posnaniense, Costense, Vuschouen. Calissiense, Gnesnense, Pysdrense, Coninense, Kcinense, & Naclense territoria complexa: In minore autem Cracouiensis, quæ præter primarium, alia tria territoria, uidelicet Prossouiense Xianzense, & Lelouiense in se continet. Præter eam sunt, Sandecensis & Biecensis præfecturæ cum iurisdictione. In Sendomiriensi uerò satrapia sunt: Sendomiriensis, Radomiensis (Stenzicense quoq; territorium dudum complexa,) quod iam peculiarem præfectum habet. Corcinensis, quæ & nouæ ciuitatis dicitur, Chencīnensis, Opocinensis, Pilsnensis. In Lublinensi eiusdem nominis præfectura est, & Lucouiensis. In Siradiensi Siradiensis, quæ et Schadcouiense quoq; & Radomscense & Petricouiense territoria annexa habet: Veluniensis item & Ostressouiensis: In Lenciciensi unica est, tria habens territoria, nimirum Lenciciense, Brezinense, & Orlouiense. In Cuiauia Brestensis, Crusuiciense item & Coualiense, & Prædecense territoria adiuncta habens: Iunīuuladislauiensis cum annexo Bydgostiensi territorio: & Bobrouunicensis, Dobrinense, Ripinense & Lipnense territoria complexa. In Russia Leopoliensis, Præmisliensis, Sanocensis, Haliciensis, Chelmensis, & Crasnostauiensis. In Podolia Camenecensis atque Trebouuliensis. In Belsensi satrapia Belsensis, Buscensis, Grodlensis, & Grabenecensis. In Plocensi unica cum tribus alijs territorijs, Zauucrensi, Mlauensi, Srenensi siue & Srenscensi. In Masouia Cymensis, Viznensis, Varsauiensis, cui N. rense quoque territorium paret, Vyssegrodensis, Zacrocimensis, Ciechanouiensis, Lomzensis, Rozanensis (in qua est & Macouiense territorium) & Liuensis. In Rauensi uerò satrapia tres præfecturæ sunt, Rauensis, Gostinensis, & Sochaciouiensis. In Silesia sunt Osuiencimensis & Zatoriensis. Præter has præfecturas sunt & aliæ de superioribus ferè detractæ, quæ peculiariter, quamuis minus Latinè, tenutæ, earumque præfecti tenutarij uulgò uocantur: qui partim non habent sua territoria, partim habent, uerum sine ulla iurisdictione in nobilitatem. Nam ea est penes ueros præfectos, quibus eæ tenutæ uoluntate Regia propter utilitatē, uel aliquā alia de causa detractæ sunt. Sunt autē ij tenutarij curatores modo regiorum prædiorum atq; redituum, & castellorum, plebisq; subiectæ, non dissimili conditione magni procuratoris arcis Cracouiensis. In ijs leges eæ, quæ de præfecturis dudum cōmemoratæ sunt, locum non habēt. Omnium aūt præfecturarum reditus partim ex agricultura, & re pecuaria, partim è molis frumentareis & syluis, partim è censibus, & pensionib. agrestium & oppidanorum proueniunt, & uel certo pacto præfectis locantur à principe, uel eorū fidei cōmittuntur, ita ut rationibus reddendis obnoxij sint. Condonantur etiam interdum ob eximia merita. Oppignorari quoq; præfecturas nō inusitatū est, eas præsertim, quæ iurisdictiōe carēt, quæq; nō sunt primariæ cuiusq; satrapiæ. Sed ita demū id legitimū est, si rata redituū portio quotānis de capite deducatur. Quod cū in desuetudinē abijsset superiori tempore, comitiorum decreto nunc reuocatū est. In ijs uerò præfecturis, quæ iurisdictionem habent, si usus reipubl. oppignerationem

Cracouiensis præfecti priuilegium.

Magnus procurator arcis Cracouiensis.

Maioris Poloniæ generalis Capitaneus.

De præfecturis leges.

Vicecapitaneus.

Iudex castrensis.

Notarius castrensis.

Præfecturæ totius Poloniæ.

Præfecturæ sine iurisdictione sine tenutæ.

Præfecturarum reditus & administratio.

Sendomiriensis præfecturæ priuilegium. Præfecti alij præter regios. Burgrab.ij Cracouienses. Zupparij siue salinatores.

requirat, etiam assensu senatus comitiali opus est. Sola Sendomiriensis priuilegio, quo ... neque oppignerari, neque locari perpetua locatione potest. Habent & episcopi, & proceres, atque equites locupletiores nonnulli arces & præfectos suos: Sed hoc nomine principi nequaquam obnoxios. Habet arx Cracouiensis peculiariter decem custodes, qui Burgrabij, sumpto à Germanis uocabulo, appellantur, sine ulla potestate, præfecti authoritati obnoxios: Qui pacis iuxta ac belli tempore nocturnas, atque etiam diurnas, quãdo opus est, excubias per se, uel per administros suos seruant: Habentq́ militiæ uacationem: & eo nomine ambitur id munus à multis, & à rege confertur. Salinæ & alia metalla hãbent suos curatores & administros iuratos, & rationibus reddendis obnoxios. Præest autem salinis Bochnensibus & Veliscensibus, earumq́ administris & operis unus salinator, quem Zupparium Cracouiensem uocant. Rusſicis item unus, quem Rusſicum appellãt. Est & honorata hæc utraq; curatio. Sed neque in regni, neque in curiæ, neq; in terrestrib. magistratibus numeratur: Quemadmodum neque telonę, siue quęstores teloniorum, neque tributorum atque exactionum publicarum exactores. Et ij uerò utriq; rationibus reddendis obnoxij sunt. Telonæ quidem, si non redemerint telonia: Quod faciunt plerunq;.

Telonæ. Exactores tributorum.

Hos omnes in hunc locum terrestrium magistratuum conijcere libuit, propterea quòd eorum curationes ad præfectorum officia nonnihil accedunt. Scribam quoque siue notarium thesauri regij nihil uetat his adijcere, quem rex ipse edit, ac thesaurario uicarium adiungit. Est & scriba castrensis, quem etiam notarium campestrem uocant, mercenariorum militum conscriptor, & solutor stipendiorum. Sunt etiam à terrestribus magistratibus nõ multum diuersa ministeria quædam in aula principis, quæ officia curiæ dicuntur. Quorum administri terrestrium plerorumq́; & regni officialium (quorum sunt cognomines) quotidianis ministerijs in aula principis funguntur, fidemq́ suam principi ad suum quisque ministerium iureiurando obstringunt. Sunt autem ij: Marealcus, Thesaurarius, seu Vicethesaurarius, Succamerarius, Referendarij duo, pincerna, structor mensæ, subdapifer, dapifer, magister culinæ, & præfectus curruum. Nuper etiam his accessère, Vexillifer, ac ductor aulicæ militiæ. Qui omnes addito nomine curiæ, à superioribus magistratibus & officialibus cognominibus suis distinguuntur: Nempe ut Maresalcus curiæ, thesaurarius curiæ, atque eodem modo alij dicantur. Nec scio an & Secretarij in hunc ordinem referri debeant, licet nullum peculiare certumq; munus attributum habeant, sed ad nutum principis præsto sint in obeundis eius nomine legationibus, in scriptionibus & lectionibus publicarum & Regiarum scripturarum, in acciendis ac deducendis ad regem, uel in senatum illustribus hospitibus & legatis principum, in exquirendis & referendis sententijs ægrotorum, & à consilio absentium primariorum senatorum, in recognoscendis pro principe locis, factis, & causis controuersis, regiorum præsertim hominum & administrorum inter ipsos, uel cum magistratibus suis, & si qua sunt alia honesta, & cum dignitate coniuncta ministeria. Numerus eorum certus non est. In his eminet unus, qui appellatur primus seu maior Secretarius. Is absentium Cancellariæ præsidum uicem supplet in aula & comitatu principis: Nec tamen, ut illi, gestat signum regium, sed quoties opus est, petito ab ipso annulo signatorio tam diplomata publica, quàm epistolas ipso præsente signat. Quòd si is quoq; absit, peragit ea quispiam de cæteris Secretarijs, quem princeps iusserit. Habet autem primus quoque Secretarius secundum Cancellarium & Vicecancellarium prærogatiuam capessendi honores publicos & magistratus, qui uacauerint: In arbitrio tamen regio positam. Habet & locum honoratum supra omnes officiales terrestres & aulicos, excepto Maresalco. Maresalcus curiæ absente Maresalco regni agit omnia, quæ illius muneris sunt: A' præsente etiam socius adhiberi solet ac debet ad ea, quæ sunt maioris momenti peragenda, prçsertim cum eo pariter principi erectum sceptrum. Thesaurarius item Thesaurarij regni absentis uices gerit, adhibeturq́; & ipse à præsente ad pleraque omnia. Succamerarius, est magister cubiculi atque cubiculariorum puerorum, aliorumq́ domesticorum principis administrorum: Sub cuius potestate est suppellex ad lectum & cubiculum principis, cultumq́; corporis pertinens. Ianitoribus quoque idem præest. Referendarij, supplicum libellorum magistri sunt, & quærimoniis hominum audiendis, Cancellariçq́, ut uerbo legis utamur, referendis præsunt. Quinetiam in litibus urbanis di sceptandis præsto sunt eidem Cancellariæ, eiusq́ permissu exponunt regi cũ consilio causas & controuersias litigantiũ. Nuper adeò sentẽtias quoq; rogari cœperunt in regiis iudicijs. Sũt aũt duo pari potestate, alter ecclesiastici, alter profani ordinis. Ductores copiarũ, magistri stabuli, magistri culinæ, & præfecti curruum quæ sint officia, ipsa eorum nomina satis ostendunt. Cæterorum munera iam sunt explicata in terrestribus officijs & curationibus. Eadem enim sunt horum, atque illorum: Sed cedunt hi illis præsentibus in sua cuique satrapia siue terra. Hæc autem omnia honorata sunt ministeria: Minus illa, *in*-teriori

Notarius thesauri. Scriba castrensis. Officia curiæ. Secretariorum officia. Primi Secretarij officium. Maresalci curiæ. Thesaurarij curiæ. Succamerarij. Referendarij.

teriori cubiculi seruatoris, curatoris lecti, atque dispensatoris. Cęterum stipendiarij & aulici principis equites, Concionatores, & sacrifici, quamuis honorato sint loco, tamen inter officiales non censentur: Multò minus stipatores siue satellites, cubicularijque, & pueri: Sed perpetui sunt administri principis, & præsto sunt ipsi iter facienti, & quouis loco manenti. Ac sacrifici quidem per uices operantur sacris quotidie præsente rege. Canunt etiam festis diebus, benedictionesque & gratiarum actiones ritu Christiano ad mensam eius peragunt. Concionator sacris concionibus fungitur. Aulici uerò (sic enim uocantur) equites equis stipendia merent, pręsidij, honorisque regij causa, & equestrem eum uel curulem equestres ferè comitantur. Qui equitatus numerosus est atque splendidus, nobili iuuentute constans. In qua sunt complures magistratibus & officijs non modò aulicis, uerumetiam terrestribus præditi. Ei uerò Maresalci moderantur. Cæteri ministri non habent necesse equos alere. Itaque pedestres prodeuntem in publicum principem deducunt. In solennibus tamen pompis non inusitatum est, ut equites quoque aulici pedestres equestrem principem antecedant. In longioribus autem itineribus ij, qui equis non merent, uel regijs, uel oppidatim suppeditatis, uel conductitijs equis aut curribus uehuntur. Ex his stipatores, præsidij causa sunt circum principem: Quod tamen recens est in Polonia: sed auget maiestatem principis. Cubicularij & pueri præsto sunt ad quæuis domestica ministeria. Sed cubiculariorum peculiaris usus est in acciendis in senatum & ad regem consiliarijs, & perferendis quoquo uersus, literis, mandatis, edictisque regijs. Quam ad rem oppidatim & uicatim eis mandato principis equi subministrantur: Quæ subuectiones, & lingua uernacula poduodæ uocantur: Cursum publicum Latini uocant. Incedentem in publico principem, aulici quidem antecedunt, stipatores prælongis securibus de more peditum Germanorum armati latera eius cingunt: Cubicularij uero cum pueris subsequuntur: Sed ita, ut & aulici proceribus atque senatoribus profani ordinis, & cubicularij, puerique episcopis ac secretarijs ecclesiastici ordinis proxima principi loca honoris causa concedant: Nisi fortè regem regina sequatur. Tunc enim episcopi quoque & secretarij cum proceribus antecedunt: Reginam uerò longus ordo sequitur nobilium matronarum & puellarum. Hæc igitur est ratio uniuersa aulæ & comitatus regij. Mitto enim cantores, abaci custodem, mapparium, canum uenaticorum curatores, dimensorum distributores, ianitores, tibicines, tubicines, opifices, & alia uiliora ministeria: Quæ magna est turba, & sumptibus principis alitur. Et quoniam omnia persequimur: Volumus quidem certè: habet etiam regina suum comitatum, nec modò puellarum & matronarum, quæ in gynæceo sunt, sed etiam puerorum cubiculariorum, & aulicorum, & in his peculiares administros siue officiales. In primis magistrum curiæ, qui omnibus præest, Reginamque prodeuntem cum sceptro antecedit: & magistram curiæ, matronam gynæceo moderantem: Deinde Cancellarium, uel Secretarium: Cuius sunt munera, literas nomine reginæ conscribere, & signare, & legere, et compellantibus eam responsa dare. Quod quidem nescio an cum magistro curiæ commune habeat. Est autem & hic discrimen inter Cancellarium & secretarium, quòd hic non gestat signum reginæ, sicut ille: sed ab ea, quoties opus est, utendum accipit. Habet regina etiam thesaurarium suum, & pincernam siue pocillatorem, & structorem mensę, & subdapiferum, & dapiferum, & culinę ac stabuli magistros singulos: Itemque dispensatorem, abaci custodem, mapparium, & ianitores eodem, quo regij sunt honoris discrimine: Quibus omnibus uictus, uestitus, & mercedes à rege præbentur. Indidem ipsius quoque reginæ mensa instruitur, res uestiaria, mundus muliebris, & iumenta comparantur. Quod si ea regi superstes sit, uidua de suo, ac de fructibus & reditibus eorum bonorum, quæ rex ipsi dotis ac donationis propter nuptias nomine de amplissimi consilij sententia attribuerit, sese cum uniuerso comitatu suo deinceps sustentat. Atque hæc de magistratibus regni, terrestribus, & aulicis nobis decursa sunto. De ecclesiasticis magistratibus, honoribus, ministerijs & curationibus, quales sunt secundum Archiepiscopos & episcopos, suffraganeorum, abbatum, præpositorum, Decanorum, Archidiaconorum, scholasticorum, cantorum, custodum, cancellariorum, uicariorum in spiritualibus, officialium, commissariorum, ministrorum, priorum, custodum siue guardianorum, pœnitentiariorum, parœcorum, quos etiam plebanos uocant, non est operæpręcium hic nos persequi: Ne de collegijs quidem, canonicorum, monachorum, & monacharum, fratrum conuentualium, uicariorum, psaltarum, mansionariorum, & si qua sunt alia. Neque enim peculiare quicquam habent apud Polonos præ cæteris gentibus & nationibus Christianis, neque ad rempubl. pertinent, exceptis Archiepiscopis & episcopis, & si quibus fortè præterea peculiariter quædam reipubl. munera, quorum superius mentionem fecimus, mandantur. Magnus tamen, ut par est, honor eis & omnibus sacerdotibus habetur solo sacerdotij nomine: Maior etiam olim habebatur: id quòd è uetustioribus lite-

Alia ministeria aulica. *Aulici equites.* *Stipatores siue satellites.* *Cubicularij & pueri.* *Cursus publicus seu poduodæ.* *Viliora ministeria.* *Reginæ comitatus.* *Magister curiæ.* *Magistri curiæ.* *Cancellarius siue secretarius.* *Administri reginæ.* *Ecclesiastici honores & magistratus.* *Ecclesiastici ordinis dignatio.*

rarum monumentis deprehenditur. Omnes autem ij episcoporum & Archiepiscoporum potestati & iurisdictioni subiecti sunt, præter, si qui pontificis maximi, cuius eximia potestas est, authoritate exempti sunt.

Plebs Polona.

Plebes urbanæ, oppidanæ, uicanæ, & agrestes partim principi parent, partim proceribus & equitibus: partim certis sacerdotijs attributæ sunt. Reguntur autem à suis quæque dominis, eorumque præfectis ac procuratoribus, ex æquo & bono siue ex arbitrio magis, quàm certis legibus. Quanquam non carent tamen suo quoque iure: Quod non est unius modi, quemadmodum posterius ostendemus.

Plebei magistratus

Præter dominos autem, eorumque præfectos & procuratores, habet plebs quæque oppidatim, uicatim, & pagatim suos magistratus.

Scultetus siue aduocatus hæreditarius.

Ac in pagis quidem scultetum, siue aduocatum hæreditarium uocant, qui est quasi deductor ac defensor coloniæ: qui uel ipse per se, uel per uicarium suum, quem & ipsum aduocatum, seu iudicialem, uocant, cum adiunctis aliquot ex aratorum numero scabinis (sic appellantur iudices, siue assessores iudicij) ius dicit.

Aduocatus iudicialis. *Scabini.* *Consules siue decuriones.*

In ciuitatibus autem & oppidis & uicis præter hos, sunt etiam consules. Ita uocamus eos, qui à ueteribus decuriones appellantur: penes quos est ciuitatis cuiusque gubernatio & custodia: in delinquentes animaduersio: publicorum commodorum administratio, curaque ædificiorum & sartorum tectorum publicorum.

Magister ciuium.

Inter eos autem unus præsidet magister ciuium, quem uulgò proconsulem uocitant, qui eos, quoties opus est, conuocat, & in consilium adhibet. Nam leuiora sine illis ipse gerit. Consulum non idem est ubique numerus.

Magistri contuberniorum. *Aediles.*

Habent item singulæ opificum societates & contubernia in qualibet ciuitate & oppido suos magistros, & his adiunctos aliquot seniores. In maioribus urbibus sunt etiam ædiles unus & alter de numero decurionum delecti, pecuniæ publicæ quæstores, & sartorum tectorum curatores. In oppidis uerò & uicis communiter hæc à decurionibus curantur. Hos magistratus in oppidis præsertim, iuratos esse oportet, præter aduocatos hæreditarios. Nullos autem communes magistratus pagi inter se, neque ciuitates habent. Hæc de plebeijs magistratibus.

Magistratuum creandorum ratio. *Episcoporum electio.* *Nominatio.*

Creandorum magistratuum, & honorum mandandorum in Polonia nō una est ratio. Olim episcopi ex præscripto sacrorum canonum à collegijs primariorum sacerdotum, quæ capitula cathedralium ecclesiarū uulgò nominant, legebantur: Nunc princeps, umbratili quadam electione illis relicta, aut ne relicta quidem, solus arbitratu suo edit episcopum, & pontifici max. cōmendat, (quod fiebat etiam à collegijs) ut eius authoritate approbetur, præficiatur, & ab alijs episcopis consecretur. Cœperunt autem sic editi siue nominati indulgentia uel conniuentia quadam admitti ad consilia publica, priusquam approbentur à pontifice: Non item ad functiones sacras, & iurisdictionem ecclesiasticam, & administrationem bonorum.

Oeconomus Gnesnensis. *Administrator.*

Sed à morte episcopi collegium sacrum distributis inter se curationibus bona uacantia administrat: Excepta Gnesnensi diœcesi, quæ peculiarem habet Oeconomum, etiam uiuente Archiepiscopo. Ius autem dicit in ea iuxta ac in alijs diœcesibus uacante sede unus aliquis, quem collegium administratorem temporarium renūciauerit.

Sacerdotiorū collatio. *Abbatum electio.*

Abbatum & præpositorum eligendorum ius collegia monachorum hactenus retinuere: Sed iam uix retinent, ab episcopis primum, deinde à regibus etiam labefactatū & uiolatum. Ad electionem quidem certè Regius assensus, & episcopi authoritas accedat oportet. Cæterum in sodalitijs & conuentibus fratrum mendicantium neutrum horū requiritur. Ne in inferioribus quidem & quasi uicarijs locupletiorum monasteriorum curationibus, quas ferè præposituras uel prioratus uocant.

Sacerdotiorū collatio.

Prælati & canonici ecclesiarum cathedralium partim à pontifice max. partim ab ipsarum episcopis alternis mensibus creantur. Primariorum tamen secundum episcopos in unaquaque ecclesia prælatorum, & nonnullorum canonicorum edendorum, siue commendandorū, &, ut uulgò loquuntur, præsentandorum ius regi concessum est pōtificum superiorum indulgentia. Indultū est idem ius etiam priuatis quibusdā, præsertim episcoporū curatoribus, in alijs quibusdam sacerdotijs. In parœcijs uerò & alijs minoribus sacerdotijs usitatum & legitimum est, ut ius edendi sit penes eos, unde profecta est dotatio cuiusque sacerdotij, uel in quorum bonis id, prouentusque eius siti sunt, sic tamen, ut penes episcopum sit approbatio editi, & reprobatio, si non sit idoneus: aut si plures pariter edantur, diiudicatio. Quod de illis quoque qui à rege, uel alio quopiam profano commendantur, siue præsentantur intelligendum est. Vocantur autem patroni usitato iuri pontificio nomine, collatores etiam uulgò, qui ius hoc edēdi, siue præsentandi habent: Quibus inuitis obtrudi sacerdotem siue beneficiarium per legem non licet, ne pontificis quidem maximi authoritate: nisi ij sese indignos eo iure reddiderint, aut intra tempus legitimum uti eo neglexerint. Obtruso pœna est proscriptio. Quæ sic obiter, & præter institutum propemodum hic nobis perstricta sunto.

Senatus & magistratuum & quæstionum creandorū ratio.

Ad proprios reipubl. Poloniæ magistratus reuertamur. Palatinos & Castellanos, & reliquum omnem Senatum regni princeps legit, & iureiurando obstringit sibi & regno siue reipubl. Idem confert præfecturas, cæterosque omnes magistratus, honores & ministeria publica.

Sed in

Sed in magistratibus regni illud receptum est, ut non nisi in comitijs renuncientur. In iudice uerò & subiudice, & scriba siue notario terrestribus ita est adstricta legibus potestas principis, ut nobilitas eius satrapiæ siue territorij, cuius iudex, uel subiudex, uel scriba decessit, conuentu instituto authore & præside palatino, quatuor patresfamilias equites eligat: de quibus princeps unum, quem uult in locum uacantem surrogat. Abrogari uerò magistratus, aut honor ullus nemini potest, nisi per maximam uel mediam capitis diminutionem, hoc est, libertatis, ciuitatis ue, siue nobilitatis & bonæ famæ amissionem: aut si quis alium magistratum, honorem ue adeptus sit, quem cum priori retinere iure non possit. Ipse se quisque abdicare arbitratu suo potest. Præfectura, & metallorum, teloniorumque curatione princeps amouere quemlibet, quando uult, potest, nisi cui ipse promiserit, ac diplomate cauerit, ut ad certum tempus, uel quoad uixerit amoueri nequeat. Aulico item magistratu & ministerio amouere quenque regi licet. Non temerè tamē id facit, nec ferè sine nota ignominiæ: nisi lex iubeat. Exactores tributorum annui ferè creantur à rege, uel comitiali placito. Plebeios magistratus partim domini, uel præfecti creant, partim ipsi sibi ciues & oppidani legunt, præter Cracouiam, ubi Palatinus ius legendi senatus habet, abrogandi non habet: Nec nisi morte, aut maxima media ue capitis diminutione honor is amittitur: Ex omni etiam numero uiginti quatuor consulum, quotannis octo, quos uult, Palatinus rebus gerendis præficit, quos præsidentes uocant: de quibus certo ordine singuli fiunt magistri ciuium in sex hebdomadas. Nec multùm diuersa est ratio consulum in alijs quibusdam ciuitatibus & oppidis: Nisi quòd præfecti in suæ quisque ditionis oppido unum aut alterum legendi facultatē habent. Cazimiriæ, Clepariæ, & Prossouiæ magnus procurator arcis Cracouiensis, cùm in legendis consulibus, tum in alijs rebus præfecti uicem obtinet. Idem aduocatum & scabinos iuris supremi Theutonici siue Magdeburgensis legit. Cæteros autem scabinos, ipsi consules siue decuriones in sua quisque ciuitate & oppido legunt, & sacramento adigunt. Cracouiæ aduocatum quoque iudicialem. Cæterùm Sculretus siue aduocatus hæreditarius in quouis oppido, uico atque pago semel à domino constitutus magistratum hunc, obnoxium ipsi domino ad equestre ministerium, reique publicæ ad expeditionē bellicam, etiam adhæredes transmittit. Quin & in externum transferre assentiente domino potest. Est tamen ius fasque domino amouere sculretum, & aduocatum hæreditarium contumacem aut inutilem, persoluto ipsi precio, quod habet inscriptum in diplomate, uel secundum æstimationem emolumentorum atque ædificiorum. Nisi quid enorme & priuatione dignum is commiserit. Quo quidem iure multi sic abuti cœpere ad augēda commoda sua, ut sculretis & aduocatis hæreditarijs sine ulla culpa eiectis prorsus, uel in ordinem redactis, agros eorum prædijs suis adiunxerint, iudicijs uerò iudiciales aduocatos arbitratu suo præficiant. Reditus magistratuum regni exigui, terrestriū uerò & aulicorum nulli ferè sunt. Ne urbanorum quidem & oppidanorum, & agrestium ulli ferè certi sunt. Honorem Poloni satis amplum & luculentum uirtutis & honestorum laborum præmium esse duxerunt, etiam sine compendio: quod minus generosi animi magis plerunque consectantur. Sunt tamen certæ mercedes, & quasi sportulæ, quæ iudicibus iudiciorumque administris penduntur à litigantibus. Primores aliquot Palatini & Castellani, mediocres tamen habent reditus, partim ex agris & prædijs, partim è salinis, uel teloniis, siue alijs quibusdam pensionibus à principe antiquitus in omne tempus attributis. Episcopi nonnulli per amplos habent, unde non modo ipsi commodè & cum dignitate uiuere, & senatoria munera lautè sustinere, uerum etiam inferioris ordinis sacerdotes, socios & administros suos rectè alere ac tueri, & omnem cultum diuinum cum dignitate administrare, & egenis denique liberaliter subuenire queant. Habent etiam decimas omnium segetum publico principum ac totius Poloniæ consensu iam inde ab initio susceptæ religionis Christianæ attributas, & alijs quibusdam pensionibus postea uel cumulatas, uel commutatas: indeque cum alijs quibuslibet sacrorum administris, tum parœcis, prælatis, & canonicis certas portiones antiquitus segregarunt. Habent & luculentos fundos, prædia, pagos, oppida, arces, & territoria, partim priscorum itidem principum & regum, partim priuatorum munificentia adiecta. Ne abbatum quidem, ac cæterorum sacerdotum, primariorum præsertim, quos prælatos uocant, & monasteriorum, atque etiam parœcorum pijs & honestis usibus malè prospexit similis pietas & beneficentia. Ipsi etiam superiorum temporum episcopi, abbates, & sacerdotes successoribus & posteris suis permultum addiderunt, patrimonia sua, uel empta aliunde bona, census ue sacerdotijs adiungendo, templorumque splendorem, ædificiorum atque donariorum omnis generis magnificentia augendo, quo augustiorem cultum diuinum redderent. Atque hæc omnia cum ipsis adeò personis ecclesiasticis maiorum legibus ac principū benignitate immunia sunt à plerisque omnibus muneribus & onerib. publicis

Quo

Iudicis, subiudicis, & notarij electio.

Magistratus et honores perpetui.

Plebeiorū magistratuum creatio.

Cracouiensis consulum creatio.

Iudicum iuris supremi creatio.

Sculretus siue aduocatus hæreditarius.

Reditus magistratuum.

Episcoporum, & aliorum sacerdotum reditus.

Priscorū Pol. diuini cultus augendi studium.

Benignitas in pios.

Quo prolixior autem fuit hominum in ordinem sacrum munificentia superioribus temporibus, hoc erant abundantiores & ipsi, qui de suo liberales erant, licet minus curæ laborisq́ rei familiari impenderent. Nunc passim in alienas donationes ac decimas inuaditur longè maiore auaritiæ, rapacitatisq́ infamia, quam egestatis releuatione. Atq; id tentatur etiam (proh nefas) placito & authoritate comitiorum publica, qua refrenari potius talis priuatorum hominum temeritas & iniustitia deberet: ut fuit refrenata antiquioribus constitutionibus & magistratuum seueritate laudabiliter iuxta ac utiliter. O tempora: ô mores. Nos ad institutum nostrum reuertamur. Multi tamen è sacro ordine nullos habēt certos reditus: sed partim Episcoporum & opulentiorum non modò sacerdotum, uerumetiam profanorum stipendijs, partim ceteræ multitudinis quotidiana beneficentia & quasi stipe uitam sustentant. Quales ferè sunt etiam ij, qui uocantur mendicantium conuentus, siue collegia. Sed nos honorum & magistratuum omni fermè ratione explicata, ad iudicia transeamus. Eorum autem ratio uaria & perplexa est in Polonia. Habet ordo ecclesiasticus, quemadmodum & apud alios Christianos populos, sua, quibus cæteri quoque homines, nobiles pariter ac plebeij obnoxij sunt aliquatenus in ijs præsertim causis, quæ cum religionis, aut personarum, rerumúe sacrarum ratione aliqua ex parte connexę sunt: Quales sunt, de institutis & ritibus religionis, quæq́ his aduersantur de impietate, hæresi, schismate, magia, incantationibus, fœnore, sacerdotiorum cauponatione, quam Simoniam uulgò uocant: itemq́ de decimis, & fundis, & quibusuis censibus ac reditibus ecclesiasticis, de cæde, ui, & in iniuria sacris initiato homini, reíue, aut loco sacro, seu sacerdotij fundo illata. Adhæc de iure patrocinij siue patronatus, quod uocant, & de sacerdotiorum iure quæuis controuersiæ, item quæ de iure matrimonij & natalium, & de miserabilium, egentiumq́ personarum iniurijs, quæq́ ex obligatione in foro ecclesiastico facta, oriuntur. Testamentariæ causæ profanorum hominum in hoc æquè ac profanis foris disceptantur, dummodo extra iudicium testamenta sint condita. Aliter enim, in eo foro disceptantur, in quo sunt cōdita. Nisi quid fortè legatum sit pietatis ergò, & ad piam causam, ut uulgò loquuntur, hoc est, templis, ecclesiarumúe ministris, aut egenis: Quæ causa propria est ecclesiastici iudicij. Est autem iudiciorum ecclesiasticorum summa penes episcopos: quorum uices gerunt ij, quos uocant uicarios in spiritualibus, Cancellarij, & officiales: Inter quos unus, qui est primarius, generalis appellatur: Cæteri foranei Ab episcopis, eorumq́ uices gerentibus prouocatio est ad Archiepiscopos: Et ad Gnesnensem quidem ab ipso etiam Leopoliensi Archiepiscopo. Idq́ eo nomine, quòd ille est legatus perpetuus, siue, ut uulgò loquuntur, natus sedis apostolicæ. Pertinent autem ad eius prouinciam hi Episcopi: Cracouiensis, Vuladislauiensis, Posnaniensis, & Plocensis in Polonia, Vuratislauiensis in Silesia Boëmicæ ditionis: Lubussensis in Marchia Brandeburgensi, Vilnensis in Lithuania: & Medniciensis in Samogitia: Olim Culmensis quoq; in Prussia, & Camenēsis in Pomerania sub eo fuêre. Sed auulsi sunt postea. Ad Leopoliensem uerò, Præmisliensis, Chelmensis, Camenecensis, Lucensis, siue Luceoriensis, atq; Kiouiensis. Extrema tandem prouocatio est ad pontificem max. antiquissimo Christianæ religionis instituto. Omnes autem iudices ecclesiastici iudicant, siue adeò iudicare debent è præscripto ecclesiasticorum & pontificiorum canonum: Et præter diras siue censuras, & interdicta ecclesiastica, habent ius quoddam coërcēdi sontes, in sui quidem ordinis homines laxius, in profanos autem restrictius, ita ut contra hos ad executionem rerum iudicatarum, urbanorū, ac terrestrium magistratuum opem ad extremum implorare necesse habeant. Nec ij iure eis deesse possunt, aut debent. Habent & profani inter se nobiles iuxta ac plebeij sua iudicia: quibus sacris initiatum aut sacerdotio præditum præesse non licet. Ac nobilitas quidem terrestribus iudicijs peculiariter subest: quæ à iudice, subiudice & notario terrestrib. exercentur, alibi quidem quater, alibi sexies quotannis, alibi uerò singulis mensibus: Nisi fortè iudex, subiudex, aut notarius desit: aut bellica expeditio, uel comitia, colloquiaúe (de quibus paulò post dicemus) interueniant. Tunc enim silent iudicia nobilitatis, non terrestria modò, sed & alia. Sunt autem in qualibet satrapia siue palatinatu certa oppida, in quibus ius hoc dicitur nobilitati, in eo ipso territorio bona, agrosq́ habēti. Nec euocari quēquam è suo territorio licet, nisi ipse certa obligatione nominatim ab hac prærogatiua recesserit. Cæterum qui nulla habet bona terrestria, conueniri hoc iure non potest. Ne sacerdos quidem, exceptis causis finium regundorum, & adscriptitij alieni profugi, cæsi, uel uulnerati: aut si ullo alio, quam sacerdotij nomine bona terrestria possideat: Oppida uerò ac territoria iudiciaria hæc sunt: In Cracouiensi quidem satrapia Cracouiensis arx, Prossouia, Xianzum, Lelouia, Biezzum, Cichouia. In quo oppido & Sandecense territorium iudicatur: In Posnaniensi, Posnania, Costenum, & Vuschoua: In Sendomiriensi, Sendomiria, Radomia, Opocinum, Chencini, Vislicia, Pilsna: In Calissiensi, Calissia, Gnezna, Pys-

de

Iudicia.
Ecclesiastica iudicia.
Ecclesiastici fori causæ.
Iudices ecclesiastici.
Archiepiscopi Gnesnensis iurisdictio.
Executio rerū iudicatarū ab ecclesiasticis iudicibus.
Terrestria iudicia.
Iudiciorū terrestrium loca.

dri, Coninum, Kcina, Naclum. In Siradiensi, Siradia, Schadcouia, Petricouia, Radomscl. ltē Veluma, & Ostrelsouia: in Lenciciensi, Lencicia, Brezini, & Orlouia: in Brestensi, Breste, Crusuicia, Couale, & Prædecia: in Inouuladislauiensi, eiusdem nominis oppidū, & Bydgostia. Itemq; Dobrinum, Ripinum, & Lipnum: in Rusica Leopolis, Præmislia, Sanocum, Halitia, & Chelma: in Podolica, Camenecia, ac Trebouulia: in Lublinensi, Lublinum, & Lucouia: in Belsensi, Belsum, Buscum, Grodlum: in Plocensi, Ploscū, Plonscum, Bielscum, Razianzum, Zauucrze, Mlauua ac Srenscum: in Masouia, Cyrscum, Vizna, Varsauia, Nur, Vissegradum, Zacrocinum, Ciechanouia, Lomza, Zembrouia, Rozanum. & Liua, in Rauensi Raua, Gostinum, & Sochaciouia. In Silesia uerò Osuiencimense, & Zatoriense territoria suos utrunque peculiares habet iudices, qui cum delectis de nobilitate ius dicunt, Præfecto præsidente. Ad eundem modum, & Seueriensis Episcopi Cracouiensis ditio suum habet. Olim in Silesia ipsi duces in sua quisque ditione iudicijs præsidebant. His iudicijs disceptantur pleræq; omnes causæ nobilitatis priuatæ ac ciuiles, quemadmodum loquuntur iureconsulti, ac ciuiliter institutę. Regundorum finium controuersia hoc ipso quidem iudicio primùm disceptatur inter equites, uel inter equitem, & sacerdotem. Sed ad extremum ad Succamerarium terrestrem remittitur: qui in rem præsentem ueniens, ipse per se, uel per uicarium suum camerarium illius territorij eam definit, certisq; metis atque signis fines controuersos designat. Atque hæc est unica Succamerariorum iurisdictio. Cæterùm si cum regijs bonis equiti sit controuersia, non apud terrestre, & Succamerarij iudicium ea disceptatur. Sed princeps equite postulante edit recuperatores aliquot de senatu ac terrestribus magistratibus, siue officialibus eius satrapiæ, in qua est controuersia: quos commissarios appellamus. Inter quos etiam Succamerarius esse solet: qui in rem præsentem uenientes iudicium id peragunt. Idem fit, si sacerdotalis fundus, & ager cùm regio controuersos fines habeat: nisi quod Episcopus quoque eius diœceseos editis à principe recuperatoribus unum, aut alterum de suis adiungit. Eadēq; ratio est petendi recuperatores à principe in causa Herciscundę familię, siue diuidundæ hæreditatis inter fratres, & propinquos. Quanquam hoc iudicium etiā præfectus exercere potest. Criminales uerò causæ de stupro, incendio, latrocinio, & ui armata alienis ædibus illata ad præfectorum, siue capitaneorum in sua cuiusq; præfectura iudicium pertinent. Ciuiles item, quæcunque aduersus eos equites instituuntur, qui certos agros, & bona terrestria nulla habent, & qui licet habeant, obligatione tamen suæ ei foro obnoxios sese fecerunt, aut merent publica stipendia, aut sacris initiato homini damnum, uel iniuriam intulerunt, aut alienum adscriptitium detinent, aut obstaculis deniq; liberam fluuij nauigationem impediuerunt, aut si quis executionem rei iudicatæ prohibeat. Dicit autem ius præfectus in arce, aut alio loco publico suæ quisque præfecturæ sexta quaque séptimana per se ipse, uel per uicarium suum iudicem castrensem. Atque hæ sunt iudicij castrensis causæ. Officij uerò sunt, rerum iudicatarum executio: uiduarum de bonis dotalibus eiectarum, & aliorum spoliatorum restitutio: itemq; in depræhensos in scelere, & recenti, ut dicunt, crimine, aut si quis rem alienam apud se depręhensam non reddat domino repetenti. Adhæc in turbatores conuentuum, & iudiciorum, & qui uetitis armis utuntur: in tolerantes censuras Ecclesiasticas ultra annum in iniustos teloniorū exactores, & in sacerdotes, qui iuri patronatus profanorū hominum derogant, aut profanos præter ius ad forum Ecclesiasticum euocant, animaduersio. In quibus causis quouis tempore cuiuis quærēti præsto esse debet præfecti authoritas per seipsum, uel suppræfectum suum: cuius iurisdictio ad causas officij pertinet, si præfectus ipse ius non dicat. Denique furti suspectos præhendendi, reosq; iudicandi, & supplicio afficiendi ius habet præfectus, & suppræfectus eius. Equestres tamen nō nisi eos, qui ter ab eodē crimine damnū editi, & in album furum relati sunt. Porrò status controuersiæ, hoc est, cùm de genere cuiusquā ambigitur, & eæ causæ, quę infamiæ, confiscationis bonorum, uel capitis pœnam (præter eas, quas dudum præfectis attributas esse exposuimus) annexam habent, atque etiam de cæde equitis, ad solius principis iudicium pertinent. De quibus is in comitijs demum cum senatu cognoscit. Præter, si maleficium in loco domicilij principis ipsius, & sub aspectu eius patratum sit: Tunc enim, si author recenti, & calenti, quod aiunt, facinore comprehendatur, absque citatione princeps cum ipse per se; uel per Mareschalcū iudicat. De personalibus uerò causis ciuilibus, aut ciuiliter institutis, que alioqui ad forum terrestre, uel castrense pertinent, princeps itidem quouis loco ac tempore cum ijs, quos ad manum habet, consiliarijs citatum iudicat. Quæ citatio curialis, & post curiam uocatur. Sed eius usus ita restrictus est, ut ea in minore Polonia contra eum, qui in maiore tantùm agros ac domicilium habet, non ualeat: neque contrà. Id autem iudicium regiorum terminorum nomen habet. Vbi etiam in præfectos, & administros suo-

Terrestris iudicij causæ.

Succamerarij iudicium.

Commissarialia iudicia.

Capitaneorū, seu præfectorū iurisdictio.

Castrense iudiciū, & officiū.

Regij iudicij causæ.

Citatio post curiam.

Regij termini.

Quo prolixior autem fuit hominum in ordinem sacrum munificentia superioribus temporibus, hoc erant abundantiores & ipsi, qui de suo liberales erant, licet minus curæ laborisq; rei familiari impenderent. Nunc passim in alienas donationes ac decimas inuaditur longè maiore auaritiæ, rapacitatisq; infamia, quam egestatis releuatione. Atq; id tentatur etiam (proh nefas) placito & authoritate comitiorum publica, qua refrenari potius talis priuatorum hominum temeritas & iniustitia deberet: ut fuit refrenata antiquioribus constitutionibus & magistratuum seueritate laudabiliter iuxta ac utiliter. O tempora: ô mores. Nos ad institutum nostrum reuertamur. Multi tamen è sacro ordine nullos habēt certos reditus: sed partim Episcoporum & opulentiorum non modò sacerdotum, uerumetiam profanorum stipendijs, partim ceteræ multitudinis quotidiana beneficentia & quasi stipe uitam sustentant. Quales ferè sunt etiam ij, qui uocantur mendicantium conuentus, siue collegia. Sed nos honorum & magistratuum omni fermè ratione explicata, ad iudicia transeamus. Eorum autem ratio uaria & perplexa est in Polonia. Habet ordo ecclesiasticus, quemadmodum & apud alios Christianos populos, sua, quibus cæteri quoque homines, nobiles pariter ac plebeij obnoxij sunt aliquatenus in ijs præsertim causis, quæ cum religionis, aut personarum, rerumúe sacrarum ratione aliqua ex parte connexę sunt: Quales sunt, de institutis & ritibus religionis, quæq; his aduersantur de impietate, hæresi, schismate, magia, incantationibus, fœnore, sacerdotiorum cauponatione, quam Simoniam uulgò uocant: Itemq; de decimis, & fundis, & quibusuis censibus ac reditibus ecclesiasticis, de cæde, ui, & iniuria sacris initiato homini, reúe, aut loco sacro, seu sacerdotij fundo illata. Adhæc de iure patrocinij siue patronatus, quod uocant, & de sacerdotiorum iure quæuis controuersiæ, item quæ de iure matrimonij & natalium, & de miserabilium, egentiumq; personarum iniurijs, quæq; ex obligatione in foro ecclesiastico facta, oriuntur. Testamentariæ causæ profanorum hominum in hoc æquè ac profanis foris disceptantur, dummodo extra iudicium testamenta sint condita. Aliter enim, in eo foro disceptantur, in quo sunt cōdita. Nisi quid fortè legatum sit pietatis ergò, & ad piam causam, ut uulgò loquuntur, hoc est, templis, ecclesiarumúe ministris, aut egenis: Quæ causa propria est ecclesiastici iudicij. Est autem iudiciorum ecclesiasticorum summa penes episcopos: quorum uices gerunt ij, quos uocant uicarios in spiritualibus, Cancellarij, & officiales: Inter quos unus, qui est primarius, generalis appellatur: Cæteri foranei Ab episcopis, eorumq; uices gerentibus prouocatio est ad Archiepiscopos: Et ad Gnesnensem quidem ab ipso etiam Leopoliensi Archiepiscopo. Idq; eo nomine, quòd ille est legatus perpetuus, siue, ut uulgò loquuntur, natus sedis apostolicæ. Pertinent autem ad eius prouinciam hi Episcopi: Cracouiensis, Vuladislauiensis, Posnaniensis, & Plocensis in Polonia, Vuratislauiensis in Silesia Boëmicæ ditionis: Lubussensis in Marchia Brandeburgensi, Vilnensis in Lithuania: & Mednicensis in Samogitia: Olim Culmensis quoq; in Prussia, & Camenēsis in Pomerania sub eo fuēre. Sed auulsi sunt postea. Ad Leopoliensem uerò, Præmisliensis, Chelmensis, Camenecensis, Lucensis, siue Luceoriensis, atq; Kiouiensis. Extrema tandem prouocatio est ad pontificem max. antiquissimo Christianæ religionis instituto. Omnes autem iudices ecclesiastici iudicant, siue adeò iudicare debent è præscripto ecclesiasticorum & pontificiorum canonum: Et præter diras siue censuras, & interdicta ecclesiastica, habent ius quoddam coërcēdi sontes, in sui quidem ordinis homines laxius, in profanos autem restrictius, ita ut contra hos ad executionem rerum iudicatarum, urbanorū, ac terrestrium magistratuum opem ad extremum implorare necesse habeant. Nec ij iure eis deesse possunt, aut debent. Habent & profani inter se nobiles iuxta ac plebeij sua iudicia: quibus sacris initiatum aut sacerdotio præditum præesse non licet. Ac nobilitas quidem terrestribus iudicijs peculiariter subest: quæ à iudice, subiudice & notario terrestrib. exercentur, alibi quidem quater, alibi sexies quotannis, alibi uerò singulis mensibus: Nisi fortè iudex, subiudex, aut notarius desit: aut bellica expeditio, uel comitia, colloquiaúe (de quibus paulò post dicemus) interueniant. Tunc enim silent iudicia nobilitatis, non terrestria modò, sed & alia. Sunt autem in qualibet satrapia siue palatinatu certa oppida, in quibus ius hoc dicitur nobilitati, in eo ipso territorio bona, agrosq; habēti. Nec euocari quēquam è suo territorio licet, nisi ipse certa obligatione nominatim ab hac prærogatiua recesserit. Cæterum qui nulla habet bona terrestria, conueniri hoc iure non potest. Ne sacerdos quidem, exceptis causis finium regundorum, & adscriptitij alieni profugi, cæsi, uel uulnerati: aut si ullo alio, quam sacerdotij nomine bona terrestria possideat: Oppida uerò ac territoria iudiciaria hæc sunt: In Cracouiensi quidem satrapia Cracouiensis arx, Prossouia, Xianzum, Lelouia, Biezzum, Cichouia. In quo oppido & Sandecense territorium iudicatur: In Posnaniensi, Posnania, Costenum, & Vuschoua: In Sendomiriensi, Sendomiria, Radomia, Opocinum, Chencini, Vislicia, Pilsna: In Calisiensi, Calisia, Gnezna, Pysde

Iudicia. *Ecclesiastica iudicia.* *Ecclesiastici fori causæ.* *Iudices ecclesiastici.* *Archiepiscopi Gnesnensis iurisdictio.* *Executio rerū iudicatarū ab ecclesiasticis iudicibus.* *Terrestria iudicia.* *Iudiciorū terrestrium loca.*

dri, Coninum, Keina, Naclum. In Siradiensi, Siradia, Schadcouia, Petricouia, Radomscl. Itē Velunm, & Ostressouia: in Lenciciensi, Lencicia, Brezini, & Orlouia: in Brestensi, Breste, Crusuicia, Couale, & Prædecia: in Inouuladislauiensi, eiusdem nominis oppidū, & Bydgostia. Itemq; Dobrinum, Ripinum, & Lipnum: in Russica Leopolis, Præmislia, Sanocum, Halitia, & Chelma: in Podolica, Camenecia, ac Trebouulia: in Lublinensi, Lublinum, & Lucouia: in Belsensi, Belsum, Buscum, Grodlum: in Plocensi, Ploscū, Plonscum, Bielscum, Razianzum, Zauucrze, Mlauua ac Srenscum: in Masouia, Cyrscum, Vizna, Varsauia, Nur, Vissegradum, Zacrocinum, Ciechanouia, Lomza, Zembrouia, Rozanum, & Liua, in Rauensi Raua, Gostinum, & Sochaciouia. In Silesia uerò Osuiencimense, & Zatoriense territoria suos utrunque peculiares habet iudices, qui cum delectis de nobilitate ius dicunt, Præfecto præsidente. Ad eundem modum, & Seueriensis Episcopi Cracouiensis ditio suum habet. Olim in Silesia ipsi duces in sua quisque ditione iudicijs præsidebant. His iudicijs disceptantur pleræq; omnes causæ nobilitatis priuatæ ac ciuiles, quemadmodum loquuntur iureconsulti, ac ciuiliter institutę. Regundorum finium controuersia hoc ipso quidem iudicio primùm disceptatur inter equites, uel inter equitem, & sacerdotem. Sed ad extremum ad Succamerarium terrestrem remittitur: qui in rem præsentem ueniens, ipse per se, uel per uicarium suum camerarium illius territorij eam definit, certisq; metis atque signis fines controuersos designat. Atque hæc est unica Succamerariorum iurisdictio. Cæterùm si cum regijs bonis equiti sit controuersia, non apud terrestre, & Succamerarij iudicium ea disceptatur. Sed princeps equite postulante edit recuperatores aliquot de senatu ac terrestribus magistratibus, siue officialibus eius satrapiæ, in qua est controuersia: quos commissarios appellamus. Inter quos etiam Succamerarius esse solet: qui in rem præsentem uenientes iudicium id peragunt. Idem fit, si sacerdotalis fundus, & ager cum regio controuersos fines habeat: nisi quod Episcopus quoque eius dioeceseos editis à principe recuperatoribus unum, aut alterum de suis adiungit. Eadēq; ratio est petendi recuperatores à principe in causa Herciscundę familię, siue diuidundæ hæreditatis inter fratres, & propinquos. Quanquam hoc iudicium etiā præfectus exercere potest. Criminales uerò causæ de stupro, incendio, latrocinio, & ui armata alienis ædibus illata ad præfectorum, siue capitaneorum in sua cuiusq; præfectura iudicium pertinent. Ciuiles item, quæcunque aduersus eos equites instituuntur, qui certos agros, & bona terrestria nulla habent, & qui licet habeant, obligatione tamen sua ei foro obnoxios sese fecerunt, aut merent publica stipendia, aut sacris initiato homini damnum, uel iniuriam intulerunt, aut alienum adscriptitium detinent, aut obstaculis deniq; liberam fluuij nauigationem impediuerunt, aut si quis executionem rei iudicatæ prohibeat. Dicit autem ius præfectus in arce, aut alio loco publico suæ quisque præfecturæ sexta quaque septimana per se ipse, uel per uicarium suum iudicem castrensem. Atque hæ sunt iudicij castrensis causæ. Officij uerò sunt, rerum iudicatarum executio: uiduarum de bonis dotalibus eiectarum, & aliorum spoliatorum restitutio: itemq; in depræhensos in scelere, & recenti, ut dicunt, crimine, aut si quis rem alienam apud se depręhensam non reddat domino repetenti. Adhæc in turbatores conuentuum, & iudiciorum, & qui uetitis armis utuntur: in tolerantes censuras Ecclesiasticas ultra annum in iniustos teloniorū exactores, & in sacerdotes, qui iuri patronatus profanorū hominum derogant, aut profanos præter ius ad forum Ecclesiasticum euocant, animaduersio. In quibus causis quouis tempore cuiuis quærēti præsto esse debet præfecti authoritas per seipsum, uel suppræfectum suum: cuius iurisdictio ad causas officij pertinet, si præfectus ipse ius non dicat. Denique furti suspectos præhendendi, reosq; iudicandi, & supplicio afficiendi ius habet præfectus, & suppræfectus eius. Equestres tamen nō nisi eos, qui ter ab eodē crimine damnū editi, & in album furum relati sunt. Porrò status controuersiæ, hoc est, cùm de genere cuiusquā ambigitur, & eæ causæ, quę infamiæ, confiscationis bonorum, uel capitis pœnam (præter eas, quas dudum præfectis attributas esse exposuimus) annexam habent, atque etiam de cæde equitis, ad solius principis iudicium pertinent. De quibus is in comitijs demum cum senatu cognoscit. Præter, si maleficium in loco domicilij principis ipsius, & sub aspectu eius patratum sit: Tunc enim, si author recenti, & calenti, quod aiunt, facinore comprehendatur, absque citatione princeps eum ipse per se, uel per Mareschalcū iudicat. De personalibus uerò causis ciuilibus, aut ciuiliter institutis, que alioqui ad forum terrestre, uel castrense pertinent, princeps itidem quouis loco ac tempore cum ijs, quos ad manum habet, consiliarijs citatum iudicat. Quæ citatio curialis, & post curiam uocatur. Sed eius usus ita restrictus est, ut ea in minore Polonia contra eum, qui in maiore tantùm agros ac domicilium habet, non ualeat: neque contrà. Id autem iudicium regiorum terminorum nomen habet. Vbi etiam in præfectos, & administros suorum bo-

Terrestris iudicij causæ.

Succamerarij iudicium.

Commissarialia iudicia.

Capitaneorū, seu præfectorū iurisdictio.

Castrense iudiciū, & officiū.

Regij iudicij causæ.

Citatio post curiam.

Regij termini.

Exactores iniusti ubi conueniantur. *Iurisdictio bellica.*

rum bonorum, & redituum, quod ad munera eorum attinet, quicunque, & undecunque sint, princeps ipse sibi, instigatore, ut uocant, officij petente, & cuiuis postulanti ius dicit: ac de prouocationibus quoque ab officio castrensi ad se delatis cognoscit. Iniustus tributi publici exactor etiam apud Episcopum, Palatinum, uel Castellanum loci rectè conuenitur. Belli autem, & expeditionis publicæ tempore, cùm silent omnia supra memorata fora, penes principem est ius omne, & iudicium eorum, quæ in castris, & in ipsa expeditione flagitiosè aut sceleratè admittuntur. De iniurijs quidem, damnisque datis in expeditione bellica palatini, uel castellani cuiuis querenti contra suæ quisque satrapiæ, uel territorij homines ius dicunt. Si quis autem non pareat, principi deferunt. Ab omnibus porrò iudicijs nobilitatis prouocatio est ad principem: nisi quòd eę, quæ fiunt à terrestribus iudicijs, in colloquijs ferè priùs disceptantur. Appellatur autem colloquium, peculiare palatini cum dignitarijs, ut uocant, ac terrestribus magistratibus iudicium. Quod semel quotannis autumni tempore in qualibet satrapia, siue palatinatu exerceri debet, prouocationem à terrestribus, & castrensibus eiusdem satrapiæ iudicijs disceptandarũ causa. Quod etiam terminos generales uocant. Vbi & alienationes, & obligationes bonorum terrestrium rectè fiunt. Ab hoc itidem ad regem est prouocatio. Silesij soli colloquiorum usum non habent, neque principem, sed uicinorum duorum, triumúe principatuum iudicia appellant, in eisque acquiescunt. Verùm id quoque iam exolescit, pleraque omni nobilitate in ius terrestre Polonicum sese transferente. Fuit aliquando in comitijs facta mentio instituendæ in Polonia nouæ iudicũ decuriæ, quæ de omnibus prouocationibus absque prouocatione cognosceret, quale est in Gallia, quod Parlamentum uocant. Sed non placuit, summam iudiciorum cuiquam, præter principem concredere. Quò fit, ut principe plurimis, & uarijs iudicijs distento, & alijs multis, & grauibus tam ampli regni negocijs distracto, lites in multos annos comperendinentur, nõ sine dolore, & querimonia multorum, præsertim augescente indies cupiditate hominũ, nullaque aut exigua certè temerè litiganti, & prouocanti, & iniusto iudici pœna imminente. Vnde capitales existũt inter necessarios quoque, & cognatos inimicitię, cędes innumerabiles patrantur, coactisque hominibus, & iustis propè exercitibus nonnunquam confligitur, dum offensus longa iudicij comperendinatione, armis ius suum quisque persequi ac tueri contendit. Sed ad prouocationes redeamus, earum duplex est ratio. Est enim appellatio, qua inter litigantes solos disceptatur, iustè ne, an iniustè iudicatum sit. Motio uerò est, in quã iudex à quo prouocatum est, necesse habet tueri sententiam suam, ut si iniqua, & legibus aduersa fuerit, ipse pudefiat, mulcteturque. Quod tamen iam fermè exoleuit. Vtrobique autem regio uel colloquiorum iudicio iniustum decretũ rescinditur, uel corrigitur, uniuersaque causa disceptatur ac dijudicatur, etiamsi ab interlocutoria sententia prouocatum sit. Tametsi non temerè admittitur eiusmodi prouocatio. Cognitionum quoque principis de prouocationibus non una est ratio. Nam de ijs, quę fiunt à colloquijs, non nisi in comitijs cũ frequenti senatu cognoscit. Ad eundem modũ de ijs etiam, quæ fiunt à terrestribus iudicijs. Nam de ijs quoque rectè à rege cognoscitur in comitijs, si priùs ea instituantur, quàm colloquia. Itaque indiscriminatim prouocari solet ad colloquia, uel ad comitia. De cæteris uerò prouocationibus, quę fiunt ab alijs iudicijs, etiam extra comitia cognoscit is cũ ijs consiliarijs, quos ad manum habet, quouis tempore, & loco: sed tamẽ intra fines regni modò. Foris enim nemo equitũ sistere se principi, necesse habet ulla ex causa; exceptis fiscalibus. Tam in comitijs autem, quàm extra ea in iudicijs regijs adhibẽtur in consiliũ etiam supplicum libellorũ magistri, siue Referẽdarij: item que iudex, subiudex, & notarius eius satrapiæ siue territorij, in quo iudiciũ exercetur, præter, cũ de prouocatione ab ipsorũ iudicio facta cognoscitur. Habentque ij postremi omnium dictionẽ sententiæ. Atque his ferè foris atque rationibus nobilitatis iudicia peraguntur. Nam barbaricus ille mos, & à religionis Christianæ institutis alienus, prouocandi aduersarium ad singulare certamen, & ferro usque ad necem, uel deditionem de iure, & iniuria, uero que, & falso decernendi, nihil habet cõmune cum iudicio. Quod tamen nostra memoria semel tãtũ à Sigismundo rege seniore admissum est. Cùm autem liberrimus sit nobilitati Polonæ armorũ usus, ad iudicium tamen terrestre, & castrense, & ad comitia nemini armato uenire licuit antiquitùs: nunc ea lex propemodũ obsoleuit. Ecce autẽ, dum nos hoc opus, typographo alterã editionem parante, recognoscimus, prodijt in lucẽ noua forma supremorũ iudiciorum, in proximè prętеritis comitijs Varsauiensibus promulgata, & edita. Iudicatur autem nobilitas suis legibus, quæ paucę sunt, & cõstitutiones, uel statuta regni uocãtur (tametsi Masouij peculiaria habẽt) uel moribus; uel ex æquo, & bono, siue adeò iudicũ opinione. Magnam autẽ in ijs iudicijs uim habet exemplum, & rés in simili causa à principe iudicata. Permagnam item, ne dicam nimiam, iusiurandum. Magnus est etiam usus preconũ, quos ministeriales terrestres appellant, ma-

Appellationes seu prouocationes. *Colloquia, & generales termini.* *Silesiorũ prouocationes.* *Iudiciorum cõperẽdinatio* *Appellatio.* *Motio.* *De prouocationibus ubi cognoscatur.* *Referendarij, iudex, subiudex, & notarij terrestres in iudicijs regijs.* *Duellum, siue singulare certamen.* *Statuta regni, et Masouiorũ.* *Res iudicata.*

lant,magnaq́ eis fides habetur, itidem ac tabellionibus in iure ciuili Romano,& Pontificio. Sed sunt ij ferè illiterati,plebei,& rusticani homines,palatini,uel delegati cuiuspiã Regij arbitrio,nec semper exquisito delectu creati. Verùm in omni ferè functione sua unũ, aut alterum equitem testem adhibeant oportet. Actori nulla est pœna, si causa cadat,uel eam non prosequatur: ac ne litis quidem impensas reus soluit. Reus condemnatus,si iudicatum non soluat, mulctatur, & pigneratur. Condemnatur autẽ actori in ciuili causa, quanticunq; is litem iureiurando interposito existimauerit.Licet tamen iudici ante iuiurandum eius æstimationem moderari. Si non paruerit rei iudicatæ,reus condemnatur in duplum : quod per lucrum appellant: prior enim condemnatio lucrum dicitur. Si duplũ ad certam diem non exoluerit,præfecti regij eius territorij, in quo reus bona,uel domicilium habet,opem actor implorat.Ex decreto autẽ pręfecti bona rei possidenda ei traduntur,adiecta certa multa,quod uadium uocãt,si is prohibuerit.Sin iterum id fecerit,duplicatur multa:sin tertiũ,triplicatur,quæ uadia duplicata,& triplicata appellãtur.Quæ tamẽ sublata iam sunt.Et post interpositũ unum uadium,reus si pergat esse contumax,proscribitur. Proscriptus uerò,si ui sese nihilominùs,suaq; tueatur, cuncta illius præfecturæ nobilitas contra eum armatur. Ac ipse quidẽ pręhenditur:bona uerò eius à præfecto possidentur,donec de reditibus eorũ non modò iudicatum,sed multę etiã,& uadia soluantur. Indicta uerò causa, hoc est,non citatum , neq; conuictum equitẽ , qui modò agri aliquid habeat,pręhendere nulli magistratui ac ne principi quidẽ licet, præter furem à seruis pœnæ inter conscios,& complices ter editũ,aut in maleficio quouis depręhensum,aut qui satis dare nolit,uel non possit.Præfecto remissiori in executione rei iudicatæ pœna est,abrogatio pręfecturæ:nisi fortè eam oppigneratã teneat. Tunc enim centũ marcarum multa ipsi à principe irrogatur, detrahenda de summa eius capitali, quoties officiũ suum non fecerit.Oppidanis uerò,& plebeis magistratibus equitem etiam in scelere depræhensum sine pręfecti authoritate iudicare omninò fas non est.Sed sufficiant hæc nunc de iudicijs nobilitatis. Neq; enim omnẽ iudiciorum rationem,& formã persequi hîc nobis propositum est.Habet plebs peculiaria iudicia,in pagis quidẽ simplicissima,quæ uel ab aduocatis iudiciarijs,& scabinis,uel à scultetis,uel à præfectis,siue dominis,eorumúe procuratoribus,& administris sine strepitu, & figura iudicij exercentur.In urbibus uerò,& oppidis exactiora sunt:quibus equites quoq;,qui in ijs domicilia,& ius ciuitatis habẽt,sunt obnoxij in causis ciuilibus duntaxat. Ea uerò partim penes aduocatũ,& scabinos,partim penes decuriones,siue cõsules,& magistratũ ciuium sunt,partim etiã penes magistros contuberniorũ. Consules ac magistri contuberniorum sine strepitu,& figura iudicij iudicãt, hi quidem singuli cum adiunctis sibi primoribus,siue senioribus de leuioribus causis,sui quisq; generis opificum. Consules uerò de quibusuis proprietatis modo,& possessionis rerum soli, & hæreditatis,itemq; capitalibus atq; sanguinarijs exceptis:quę ad scabinorũ & aduocati iudicium peculiariter pertinent. Parui momenti causas etiã magister ciuiũ solus cognoscit. A quo itidẽ,atq; à magistris contuberniorũ,ad consessum consulũ est prouocatio. Ab his porrò ad Regem. Inoleuit tamen multis in locis mos,ut priùs præfectus, uel qui præfecti loco est,appelletur. Atq; inde demũ ad Regẽ prouocetur.Idq; de regijs modò oppidis intelligendum est. Nam quæ alij cuipiam subsunt,in ijs prouocationes fiunt ad eorum dominos. Ab ijsq; sine prouocatione iudicãtur.Sed si quis aduersus eum, qui ipsi non subest,iniustè iudicauerit,siue per se,siue per uicarium,& procuratorẽ suum, uocari potest eo nomine in ius,cui est obnoxius. Porrò Episcoporum,& aliorũ Ecclesiasticorũ hominum subditis opem superioris(nempe Episcopi,uel Archiepiscopi,uel Pontificis max.) contra uim, & iniuriam dominorum suorum implorare licet. In iurato autem iudicio (sic enim uocatur id, cui scabini cum aduocato iurati præsident) accuratior seruatur processus iudiciarius.Exerceturq; id ferè inter cõciues quintodecimo quoq; die nisi is festus sit. Externis uerò, & hospitibus postulantibus, quoties opus est,exponitur. Atq; hoc quidem emptũ dicitur,illud expositũ. Est & tertium genus iudicij huius,quod magnũ uocant, ac ter statis anni temporibus, ob grauiores causas magistro ciuiũ præsidente exercetur. A iurato autem iudicio legitima est prouocatio ad aliud quoddam iudicium primariũ urbium. Quod quidẽ duplex est, itidẽ ac leges,quibus oppidani,& agrestes ferè utuntur.Neq; enim ijsdem ij cũ nobilitate legibus tenentur. Ac in Masouia quidem,ubi ius Culmense uiget,ad Varsauiensem,uel Plocensem,hinc porrò olim quidẽ ad Culmensem,nunc autẽ ad Torunensem in Prussia ac magistratũ, atq; inde demũ ad Regem prouocatur.In cęteris uerò partibus Poloniæ,ubi iuris Teuthonici Magdeburgensis usus est,olim ad Magdeburgẽsem ciuitatẽ prouocabatur.Sed Cazimirus magnus rex aliud quoddam iudicium in arce Cracouiensi instituit, quod iuris supremi Teuthonici, siue Magdeburgensis appellauit. In quo aduocatus cum septem scabinis, magno pro-

Preco siue ministerialis terrestris.

Executio rerũ iudicatarum.

Nobiliũ prehensio.

Capitanei negligẽtis pœna.

Plebis iudicia. Rusticana. Vrbana.

Magistrorum contuberniorum iudicia.

Consulum iurisdictio.

Scabinorum iudicia.

Nobilitatis, et sacerdotũ oppida non subsunt iurisdictioni regiæ.

Iuratum iudicium.

Prouocationũ & legũ ratio, quibus oppidani utuntur.

Culmense ius.

Magdeburgense.

Iudicium iuris supremi Teuthonici.

citatore eiusdem arcis præsidente, non tamen iudicante, iudicant de prouocationibus, quæ fiunt à iuratis quarumuis ciuitatum,& oppidorum iudicijs. Inde uerò prouocatio est ad aliud iudicium,quod sex ciuitatum dicitur.In quo eiusdem Cazimiri instituto bini certorum oppidorum decuriones,siue consules Cracouiam conuenientes in arce ius dicunt sine prouocatione. De quo in historia fusiùs persecuti sumus. Cognoscit autē princeps de prouocationibus ijs, quæ ab urbanis,& rusticis iudicijs ueniunt,& omninò de controuersijs plebeiorum suæ ditionis, atq; etiam de quærimonijs aduersus præfectos suos,ubi libet,etiam extra regnū,& cum quibus uult consiliarijs. Sæpè etiam consiliarijs, & Referendarijs,aut Secretarijs earū cognitionem delegat, sed ita,ut ipse tamen ad extremum ijs referētibus statū controuersiæ, decernat: præsertim si causa ad equitē pertineat. Soli Cracouienses ciues hoc præditi sunt priuilegio, quòd à Senatu urbano nonnisi ad principem est prouocatio,& quod eius,itemq; Cazimiriensis,& Clepariensis ciuitatum causæ ab eo nonnisi Cracouię iudicantur. De quo disceptare non est huius loci. Habent & sculteti,siue aduocati hereditarij pagorū, & oppidorum nonnullis in locis interse peculiaria iudicia. A quibus itē ad ius supremū Teuthonicum, & inde ad sex ciuitates,uel ad principem prouocatur.Iure autē suo quisq; iudicatur,præter quod causæ cædis,& uulnerum Polonico tantū iure iudicantur:quo reus actoris iureiurando peragitur. Ac in recenti quidem crimine compræhensus,cædē capitis luit supplicio. Post interpositam uerò uigintiquatuor horarū moram,ad certam,& de lege constitutam capitis æstimationē damnatur:quę diuersa est equitis ac plebeij. Pro plebeio capite partim domino eius,partim liberis,& hæredibus cæsi cedit multa: pro equestri uero,solis liberis,& hæredibus exoluitur. Equiti tamen pro equitis cæde ultra multam pœna est,etiam carcer annuus. Sed Masouiorum legibus carceris pœna soluitur is, qui profugus annū totum exulauerit. Cæterùm plebeio equitem interfecisse capitale est, nisi transigat cum actore. Vulnerum certæ sunt æstimationes. Fit aūt contemptu harum pœnarū,& capiendæ ex mulcta pecunię,ut crebrescant magis indies iurgia,cædesq;. Executio rerum iudicatarum cōtra oppidanos, & urbanos penes magistratum est in sua quemq; ciuitate, aut si is negligat, domini, uel præfecti auxiliū imploratur. Et hactenus quidem de iudicijs. Comitiorū ratio nobis deinceps exponenda est. Duabus autē de causis ea habentur: propter consultationes de republ.& propter iudicia. Cū enim Polonis,quemadmodum suprà memorauimus,ea potissimum forma reipubl. placuisset, in qua penes unū quidem esset iudiciorum,& rerū omniū in libello,& in pace summa, sed ut is rerum agendarū, & iudicandarum cōsilia cum compluribus consiliarijs communicaret: hi porrò cum propter alias functiones publicas tum etiā propter curam rei suæ familiaris, ad latus principis assidui esse non possent, placuit,ut ij ad certum locum,& diem conuocarentur à principe,ad exercenda cū ipso iudicia,consiliaq; de republ. capienda. Hæc sunt comitia publica: quæ etiam generales regni conuentus uocant. Qui olim simplicioribus,& melioribus seculis bidui,uel tridui spacio peragebantur. Augescentibus deinde iudicijs,& rebus agēdis, extrahi cœpêre in longius tempus comitia: sic tamen, ut pro re noua,& insolita annotârit Ioannes Dlugossus, in nonum diem ea extracta esse. Atq; hæc fuit uetustiorum comitiorum ratio. Posteriori tempore,hoc est,auorum ferè nostrorum memoria cum uniuersa nobilitate,& una de omnibus ciuitate Cracouiensi cōmunicata sunt comitia: cœperuntq; adhiberi legati nobilitatis,siue,ut uulgò loquuntur, nuncij terrarum,hoc est, satrapiarum atq; territoriorū,& ciuitatis Cracouiensis, principio quidem unam ob rem, quemadmodum in historia ex Dlugosso retulimus. Nempe sciscendi in bellum tributi causa. Deinde uerò, cùm siue incuria principum,siue consiliariorū conniuentia,multa, quæ ad salutē,& amplitudinem reipub. pertinebant,negligi,& nobilitatis prærogatiuæ minui uiderētur, ad alias etiā consultationes de repub. accedere cœperunt, nō ut consiliarij, sed ut monitores principis atq; consiliariorum,& custodes libertatis,& prærogatiuarū nobilitatis, ac legū publicarum. Laudabile sanè,& salutare in primis genti Polonæ (si eo rectè utatur) institutū,& ad optimè constitutarum olim rerumpub. Romanæ,& Lacedæmoniæ mores accedens. Quarum in altera Ephori, in altera tribuni plebis principū,& potentium libidini, inertiæq;,& inutili administrationi reipub. obiecti erant. Nunc igitur sine nuncijs terrarum non habentur legitima comitia. Atq; eam ob rem quoties ea debent institui, indicuntur priùs à rege nobilitati cōuentus, quos uocant particulares, ad certos dies, certaq; oppida. Maioribus quidē Polonis, hoc est, Posnaniensis,& Calissiensis satrapiarū equitibus Srodam: Cracouiensi uerò satrapię Prossouiam: Sendomiriensi Radomiam: Siradiensi Schadcouiam, excepto Velunensi tractu, qui suum peculiarem conuentum Veluni habet: Lenciciensi Lenciciā: Cuiauijs Radeouiam: Dobrinenses tamen separatim Ripini cōueniunt: Russis Visnam, præter Chelmenses, qui & ipsi Chelmæ suum habent: Podolijs Cameneciam: Lublinensi satra-

Sex ciuitatum iudicium.

Hist. lib. 12.

de prouocationibus ab urbanis iudicijs ubi princeps cognoscat.

Cracouiensis ciuitatis priuilegium.

Sculteiorum iudicia.

Homicidij iudiciū, et pœna

Executio urbanorum iudiciorum.

Comitiorum ratio.

Comitia uetusta.

Nuncij terrestres.

Cōuentus particulares.

si satrapiæ Lublinum: Belsensi Belsum: Plocensi Razianzum in eodem tractu: Masouijs Varsauiam, Rauensi nobilitati Rauam: Sochacouiensi Sochacouiam: Gostinensi Gambinum. His igitur locis (nisi iusta causa obstet) nobilitas cum consiliarijs, & magistratibus terrestribus, siue ut uulgò loquuntur, cum dignitarijs, & officialibus eiusdem satrapię, uel tractus ad templum conuenit, & implorata sacro publico ope diuini numinis, legationē regiam audit, ubi, quando, & quibus de causis opus sit haberi comitia: deinde præeuntibus consiliarijs legatos suos, siue nuncios deligit, eisq; uel peculiaria dat mandata ad comitia, uel uniuersè potestatem facit curandi ea, quæcunq; in commune è republ. fore uidebuntur. Lege autem ab hoc munere legationis excluditur, qui priuatum habet negocium, & litem in comitijs. Finitur nunciorum potestas unicis comitijs. Nec idem sanè est in omnibus satrapijs eorum numerus: uerùm pro numero territoriorum esse debere existimatur. Nuncijs ita creatis in particularibus cōuentibus, mox instituuntur alij conuentus, quos generales uocant. In maiore quidem Polonia Coli, in minore autem Corcini, quæ etiam Noua ciuitas nuncupatur. Et ad hunc quidem Cracouiensis, Sendomiriensis, Russicæ, Podolicę, Belsensis, & Lublinensis satrapiarum. Ad illum uerò reliquarum proceres, & nuncij recens creati, ac de nobilitate, qui uolunt, constituta itidem à principe die cōueniunt, auditisq; iterū mandatis regijs, mandata nobilitatis, & quæ postulat usus reipubl. inter se conferunt. Atq; inde itur ad maiora comitia. Quo ubi conuentum est, re sacra solenni itidem in templo publicè peracta, itur ad aulam. Ibi principe, & consiliarijs in corona considentibus, astantibusq; ponè secretarijs, & nuncijs, Cancellarius, uel Procancellarius principis nomine proponit in medium, quibus de rebus in commune consuli operæprecium sit. Deinde consiliarij ab Archiepiscopis, & Episcopis orsi, ordine dicunt sententias. Hinc nuncij petita à rege uenia secedunt in aliud conclaue, ijsdem de rebus inter se consultaturi. Reuersiq; siue eadem, siue alia die, per unum aliquem exponunt id, quod ipsis in commune uisum est, quid probent, quidúe requirant. Nonnunquam pluribus mandant, si plura sint negocia proponendum, ut sua quisq; edisserat. Non modò enim ijs de rebus, quæ principis nomine propositæ fuêre, sed etiam si quid aliud ipsis in mentem uenit de republicæ postulant, uel admonent. Id uerò si est eiusmodi, ut consultationem requirat, & ab eorum functione non alienum esse uideatur, dicuntur etiam de eo sententiæ à senatoribus, exclusis nuncijs: interdum etiam non exclusis. In omnibus autem consilijs postremus omnium dicit princeps. Et quod ei placuit, decreti comitialis, & legis habet uigorem, dummodò prioribus legibus, nobilitatisq;, aut sacri ordinis prærogatiuis ne aduersetur. Tunc enim refragari placito principis nō solùm senatui, sed etiam nuncijs fas est. Itaq; in eiusmodi consultationibus suspendit ferè sententiam suam Rex, donec inter nuncios, & senatores, maioremúe eorum partem conueniat. Sed hoc iam aliter modificatum est. Cætera autem consilia de republica, quę legibus disertè excepta non sunt, nec prærogatiuis nobilitatis præiudicant, cum senatu solo princeps communicat. Quemadmodum iudicia quoq; cum eo solo exercet, minimum biduo, uel triduo singulis hebdomatis per tempus comitiorum. Sed interdum ea delectis aliquot è senatu delegat. Atq; ij quotidie ferè, festis diebus exceptis, iudicant. Verùm ab his quoq; assessoribus (sic enim uocantur ij iudices) ad regem prouocatur. Atq; ij statum controuersiæ cuiusq; decretumq; suum in consessu reliqui senatus exponunt. Sententias tamen denuò non dicunt. Publicarum inter sacrum, & militarem, siue equestrem ordinem controuersiarum arbitrium atq; transactio penes Regem est. Comitia quotannis, nisi quid fortè impediat, institui usitatum est. Nihil tamen prohibet, quò minus uel rariùs, uel crebriùs instituantur. Crebriùs quidem ut id fiat, requirit iudiciorum, & prouocationum disceptandarum multitudo. Tametsi extrahuntur ea nonnunquam in quartum, & quintum, ac sextum ferè mensem. Locus certus comitijs habendis olim nullus erat. Sed ubi principi collibuerat, etiam sub dio, & in territorijs, ea peragebantur. Postea lege in unum conclusa sunt oppidum, in umbilico ferè, & meditullio totius Poloniæ sitū Petricouiam. Sed iam ea inde noua lege in gratiam Lithuanorum Varsauiam translata sunt. Potest tamen Rex assentiente senatu, iusta aliqua de causa alibi quoq; ea instituere. Nec illud prætermittendū est: quòd initio comitiorum nuncijs nobilitatis singulis certa pecunia in uictum de publico numeratur. Senatoribus non item. Cæterùm non uenienti ad comitia senatori sine iusta causa, lege mulcta irrogatur: sed ea uix unquā à rege exigitur. Habet Ecclesiasticus quoq; ordo in Polonia sua comitia: quæ synodi Greco, sed Latinis non inusitato nomine appellantur. Quarum causas & uniuersam rationem è iure pontificio petat, qui uolet. Hîc illud modò annotandum est, quòd licet Archiepiscopus Leopoliensis suā habeat prouinciam à Gnesnensi distinctam, tamen & ipse, & socij, uel (ut uocant) suffraganei eius Episcopi, Gnesnēsis Archiepiscopi authoritatem agnoscunt, cū in prouocationibus, & iudicijs, tū in Sy-

Conuentus generales.

Comitia regni

Iudicia comitialia.

Controuersiarū inter Ecclesiasticum, et equestrem ordinem arbiter Rex.

Comitiorum locus.

Synodi sacerdotum.

Gnesnen. archiepiscopi prerogatiua.

in Synodis. Ad quas ab illo euocantur. Est autem ius, mosq́; Petricouiæ, Lenciciæ, aut Louiciæ prouincialem synodum tertio quoq; anno, nisi res maiorem celeritatẽ, aliumúe locum episcoporum consensu postulet, institui: & adhiberi in consilium abbates, & præpositos monasteriorum, & collegiorum sacrorum primariorum (quæ capitula cathedralia uocantur) legatos binos, uel singulos duntaxat. Sed nos à synodis, & comitijs ad bellũ transeamus.

Belli gerendi ratio.

Id autem in hac gente à nobilitate geri usitatũ, & legitimum est antiquitus: quæ cuncta equestris militat, quemadmodum anteà diximus, idq; pro modo bonorũ, & redituum facere debet. Sed cũ nulla publicè instituta sit bonorum æstimatio, modus hic fidei cuiusq; creditus, labente in deterius disciplina, & fide, arbitrarius factus est, non sine reipub. totius incommodo, & iniuria. Arbitrarium est, & genus armorum. Tenuiores, & qui equum alere non possunt, pedestres militant. Sculteti quoq; siue aduocati hæreditarij, & quicunq; fundos terrestres hæreditarios habent, non sunt immunes à militia.

Pœna non militantium.

Mulctatur autem agris, & bonis omnibus, si quis paterfamiliàs à bello abfuerit, aut filium adultum, fratremúe, qui ipse separata bona, & militandi necessitatem non habeat, pro se non miserit. Ceterùm pupillis impuberibus, ægrotis, senio confectis, & uiduis per necessarios, & famulos militiam obire licet.

Militiæ immunitatem qui habeant.

Habent autem uacationem militiæ tribuni terrestres, præfecti arcium in finibus regni sitarum, uicarij cæterorum præfectorũ iurisdictionem habentium, Vicecapitanei, & Burggrauij, & qui republ. causa absunt. Habet item ordo cunctus Ecclesiasticus, præter eos sacerdotes, qui bona terrestria hæreditario, feudalio quouis, quàm sacerdotiorũ iure, & nomine obtinent. Euocatur ad bellum nobilitas antiquo more, dimissis quoquouersus per præfecturas literis signo regio consignatis: quę deinde in pertica resti alligatæ (unde restium nomen acceperunt) à præponibus, siue ministerialibus terrestribus ad dignitarios, & officiales, siue magistratus, primoresq; nobilitatis cuiusq; præfecturæ sublimes, & conspicuæ circumferuntur, & in foris urbium, & oppidorum alta uoce publicantur.

Restes, seu restium literæ.

Ter autem id fieri oportet interpolatis quaternis septimanis: nisi decreto comitiali tempus id accidatur, binæq; testes coniungantur. Post tertias demũ restes domo se quisq; mouet ad suæ satrapiæ conuentum ad certũ locum, certamq; diem indictũ. Inde porrò authore ac ductore palatino cũ sui quisq; territorij Castellano ad constitutum à principe propè fines regni locũ pacati proficiscũtur. Verùm hoc quoq; ut alia nonnulla rectè à maioribus instituta, augescente indies equitũ licentia, conniuentiaq; magistratuum, in desuetudinem abijt, magno non modò sacerdotalium, uerumetiã regiorum, & ipsius nobilitatis prædiorum, & adscriptitiorum incõmodo, damnoq;.

Bellicæ leges.

Necesse autem habet princeps equestris ordinis homines ab hostibus in bello captos redimere, ac damna amissorum equorum, quę ij extra fines regni acceperint, exoluere. Captũ uerò hostem, nobilem præsertim, is qui cœpit, principi tradere debet, acceptis pro eo duobus florenis. Vsu uenit nonnunquã, ut hæ copiæ diuidantur à principe de sententia amplissimi consilij. Ac cæteris quidem aduersus hostem proficiscentibus, unius aut alterius satrapiæ nobilitas, uel plurium, si opus sit, ad præsidium eius oræ, unde item belli aliqua est suspicio, relinquatur. Hæc est apud Polonos belli gerendi ratio: Hoc robur militiæ, in equitatu situm. Hæ sunt opes, & uires gentis: hæ copiæ, externis penè incredibiles, & cũ quibusuis maximarum gentium opibus ac diuitijs comparandæ: quibus olim principes Poloni res magnas, & præclaras gesserunt, non domi modò illata bella propulsando, sed foris etiam hostes ulciscendo, fines imperij longè, lateq; proferendo, & amicis atq; socijs succurrendo. Sed cùm abuterentur ij nonnunquam obsequio nobilitatis, eamq; crebrorum ac diuturnorum, minimeq; necessariorum incommodis exercerent, lege cautum est, intra hos ducentos annos, ut ne liceat regi bellum facere sine comitijs, & assensu amplissimi consilij:

Bellica expeditio non indicitur sine comitijs.

& ut nobilitas fines quidem regni quoties, & ubi opus est, absq; ullo stipendio tueri necesse habeat, non sine principe tamen, præterquàm in interregno. Cæterũ extra fines ne ad ullam militiam educi possit inuita, nisi acceptis à rege in quemlibet hastatum equitẽ quinq; marcis, quod perindè est hoc tempore, ac quinq; coronati Gallici, uel Italici.

Nobilitatis officium.

Peditatus nullus est ferè apud Polonos præter mercenarium, si quẽ princeps conduxerit. Mittunt quidem ei oppidani currus commeatu onustos cum peditibus.

Oppidanorũ munia in bello

Verùm is peditatus non multus est, sternendis, muniendisq; uijs, quàm armis tractandis accommodatior. In extrema tamen necessitate, & grauiori bello, euocata ad expeditionem nobilitate, oppidani quoq;, & agrestes decimum quenq; peditem decreto comitiali armant & expediunt. Cùm autem lentior sit expeditio hæc uniuersa, & nonnunquam ciuibus, & amicis magis, quàm hostibus incõmodare soleat, excogitata est ratio conducendi militis mercenarij pedestris, & equestris ad subitarias Tartarorum, & aliorum hostium excursiones reprimendas, expugnandas munitiones, & alios militares labores subeundos aptior, & promptior.

Mercenarij milites.

Quæ copiæ pariter cum decanis, centurionibus, turmarũ, & cohortium du-

tium ductoribus, tribunisq; militaribus ab alterutro duce exercitus longè laxiori potestate, & seueriore disciplina, quàm in expeditione publica reguntur. Est autem stipendium trimestre in equitem quidem senum, in peditē uerò quaternorū florenorum antiquitus constitutum. Perexiguum id sanè est, nisi in magna alioqui rerum omnium ad uictum, pastumq; pertinentium copia, & uilitate, longè leuius etiam precium rebus uenalibus bellica lex imponeret, & charitas patriæ, studiumq; bellicæ uirtutis, & gloriæ, & spes adipiscendorum publicorū honorum magis, quàm ulla merces iuuentutē multitudine, & ocio abundantem ad facienda stipendia excitaret. In hoc uerò stipendium publicè confertur pecunia, tributo, quam exactionē uulgò uocant, agrestibus ac oppidanis, regi iuxta ac nobilitati subiectis, imperato. Quò illi non inuiti agrorum, domorumq; suarū uexationem redimunt: si modò redimunt, mercenariorum etiam militum, non contentorū stipendijs suis, licentia, & rapacitate indies magis ac magis progrediente, & nec sacerdotū, nec nobilitatis, atq; adeò neq; regis ipsius bonis abstinēte. Id autem tributū ex agris quidem in laneum seu mansum (certus agri modus is est) ex oppidis uerò ostiatim penditur. Quinetiam uenalis cuiuslibet potus nomine in oppidis iuxta ac in pagis pensitatur. Pendunt & molitores de molendinis quiddam: & sculteti siue aduocati de suis agris, itemq; equites ij, qui nullos habent adscriptitios, & plebei, qui neq; domos, neq; agros habent, & arte aliqua, uel opera sua uictitant. Doctores, magistri, & scholastici, & qui literarū, doctrinæq; studijs uacant, immunes sunt. Est & aliud quoddam tributum, in magna necessitate aliquando plebi uniuersæ, exceptis scholasticis, imperatum. Quod quia de singulis capitibus pendebatur, capitale dictum est. Imponit nonnunquā & ipsa sibi nobilitas cum rege, & proceribus tributum de agris, uel de censibus suis pensitandum, si usus, & necessitas postulet. Nonnisi in comitijs autē hæc tributa sciscuntur ac decernuntur, & quidem consentientibus consiliarijs pariter, & nuncijs terrestribus. Cæterùm Ecclesiasticus ordo unà cum bonis, & hominibus suis iam inde ab initio susceptæ religionis Christianæ non modò militiæ perpetuam, sicuti superiùs attigimus, uacationem, sed tributorū etiam publicorum immunitatem habet in Polonia. Verùm ipse superiori tempore oppidanos, & agrestes suos tributis, quæ cæteris imperātur, ultrò reipubl. gratia subiecit. Nunc iam pro lege habetur, ut quoties regijs & equitū subditis tributum imperatur, nec hi exortes sint. Pensitant ipsi etiam nonnunquam sacerdotes cum Episcopis rogati, urgente necessitate, & charitate patriæ suadente, de suis sacerdotijs certam redituum suorum portionem. Quam pensionem contributionē appellant. Eius uerò decernendæ ius est penes synodū prouincialem. Exigendæ uerò penes eos, quibus episcopi cum primario suo collegio in sua quisq; diœcesi mandauerit. Superiorum autē illorum tributorum, quæ plebi atq; etiam nobilitati imperantur, exactio plerunq; regis arbitratu, nonnunquā de senatus atq; nunciorum sententia per satrapias compluribus imponitur. Nec diutius id munus durat, quàm ipsum tributum. Dispensatio penes regem ferè, & thesaurarium regni manet. Non nunquam tamen & ipsa alijs comitiorum decreto mandatur. Nuper adeò excogitata est noua ratio comparandæ in defensionem regni, militemq; mercenarium pecuniæ. Rex enim benigniss. Sigismundus Augustus quartā partem reddituum regiorū in eum usum perpetuò reipub. concessit. Quæ pacis tempore in fiscum, in arce Rauensi constitutā, deponitur. Atq; hæc habuimus in præsens, quæ de ratione belli, ac de uniuersa repub. Polonica in medium afferemus. Si quid præterea requiritur, è recentioribus comitialibus constitutionibus petatur. Prussia Regia nobis reliqua est, quæ quamuis eodem cū Polonis regna contineatur, tamen quia peculiare consilium publicū, peculiares leges, peculiaria iudicia, & comitia, ærariumq;, & belli gerendi rationē à reliqua Polonia diuersam habet antiquitus, de his nūc separatim persequamur. Nec abs re fortassè fuerit, si de ducali quoque obiter attingamus. Igitur ea pars Prussiæ, quæ nunc ducalis dicitur, ex eo tempore, ex quo deuictis barbaris populis sub iugū Christi missa est, simul cum episcopis suis Sambiensi, & Pomesaniensi ad nostra usq; tempora ordini Teuthonicorū Crucigerorum, qui se de hospitali S. Mariæ militiæ Hierosolymitanæ dixēre, paruit. Cuius ordinis præses Magister generalis, socij uerò administrationis, & præfecti territoriorū præceptores, & commendatores appellati sunt. Qui cū pro amicis, & socijs, Polonorū hostes facti essent, armis eorū adacti quodā tempore, unà cum episcopis in uerba regis Poloni iurarunt, & aliquandiu maiestatem eius comiter cōseruarunt. Sed cū id deinde aliquoties, & ad extremum nostra memoria Alberto Marchione Brandeburgēsi Magistro, uiro excelsi animi, & rei militaris perito, authore detrectassent, Sigismūdus rex senior, ut se & posteros suos illa perpetua defectionum, bellorumq; molestia liberaret, & Poloniæ, Lithuaniæq; tranquillitatem maiorem præstaret, fractis ijs bello, & ad necessitatem deditionis redactis, & partim decedentibus è Prussia, partim habitu, & religione abiecta manentibus, illum

Stipēdia equitum, et peditū.

Tributa, siue exactiones.

Capitale.

Ecclesiastici ordinis immunitas.

Quarta regiorum redditū.

De Prussia.

Ducalis Prussia.

Albertus Marchio Dux in Prussia.

Prußia feudalis facta. ipsum Albertum sororis suæ filium singulari clementia pro Magistro Ducem in Prusia iusit esse, hæreditariumq; principatum ipsi cum fratribus, & posteris eorum maribus attribuit, ea lege, ut ij in uerba regis Poloni ritu solenni iurarent: cum centũ equitibus hastatis, quoties & ubi usus postularet, ei militarent: & in senatu regni locum haberent itidem, ac Magister habuisset. Extant pacta conuenta. Ex eo igitur tempore pars illa Prusiæ ampla, & copiosa, duarumq; episcoparum suppresione auctior, sub duce esse cœpit, summam omnium rerum potestatem, regi tamen Polono obnoxiam, habente, & arbitratu suo consiliarios sibi legente, & præfecturas, magistratusq; mandante. Vtinam quidem is sacra intacta reliquisset. Nec plura nunc de ducali Prusia. *Regiæ Prusiæ respubl.* Regia uerò, ex quo à Crucigerorũ imperio ad Polonum nomen (unde ferè detracta erat) ante centum annos sese recepit, recepta ea quidem est à Polonis in societatem iuris, & reipublicæ, sed leges tamen suas, & instituta à Teuthonib. ferè hausta, uel post subactos, & fermè extirpatos priscos, & barbaros Prussos, deductione coloniarũ è Germania importata retinuit. Consiliũ quoq; à senatu regni seiunctum obtinuit. Habuit etiam initiò suum gubernatorem, à rege datũ. *Hist. lib. 27.* Sed postea suppressus est his magistratus. Regiam autem appellamus, quæ Regi Polonorum immediatè (ut uulgari uerbo utar) subiecta est. *Leges Prussorum.* Cuius partes primariæ sunt, Culmensis, Marieburgensis, & Pomerania citerior. His annumeratur etiam Varmiensis episcopa. Quæ licet Episcopo suo, & collegio sacro, siue Capitulo prorsus immediatè subiecta sit, nec omnia cum superioribus eius partibus habeat communia: quemadmodũ paulò pòst explicabimus, non segregat tamen sese à Regia, priuilegijs suis utens, fruens. *Culmense ius.* Vtitur autẽ omnis fermè Prusia, ducalis iuxta ac regia, iure municipali, quod Culmense uocatur. Quod tamen non satis certum est in hanc usq; diem. Eruitur id quidem è tenebris, & colligitur, sed nondum in lucem prodit. Solæ Elbingensis, Brunsbergensis, & Fraumburgensis ciuitates Lubecense amplexæ sunt, uel secum fortasis attulère. *Lubecense.* Et quoniam utrũq; id paucis capitibus continetur, in cæteris recurritur ad Saxonicum, & Magdeburgense: indeq; etiam ad Romanum, quibus de rebus neq; Culmensi, aut Lubecensi, neq; *Magdeburgense, & Saxonicum.* Magdeburgensi, & Saxonico iure, neq; plebiscitis ciuitatum, aut constitutionibus regijs cautũ est. *Regiæ constitutiones.* Dedit enim constitutiones, & leges quasdam sapientissimus rex Sigismundus senior, partim toti Prusiæ Regiæ, partim Gdanensi ciuitati peculiariter. Easq; auxit optimus eius filius Sigismundus Augustus, cùm in ea urbe esset anno post Christum natũ 1552. Quibus conscribendis nos adfuimus. Non ita pridem etiam cùm idem rex comitiali decreto clarissimos, & prudentiss. aliquot senatores ad Elbingensem, & Gdanẽsem ciuitates corrigendorum quorundam erratorum, & abusuum causa cum summa potestate delegasset, condiderunt ij leges nonnullas, rebus, locis atq; temporibus accommodatas. Quas nuper is, qui fuit princeps eius legationis, uir amplissimus, Stanislaus Carncouius Vuladislauiensis Episcopus in lucem edidit. *Stanislaus Carncouius Episcopus Vuladislauien.* Vectigalia regia non ampla sunt in Prusia: eaq; proueniunt potissimũ è ciuitatum pensionibus, agris, & prędijs insulanis, & præfecturis: quarum tamen pleræq; donationibus, uenditionibus, & hypothecis in impendia bellorum superioribus temporibus accisæ, aut prorsus alienatæ sunt. *Vectigalia Regis Prußica.* Quod itidẽ alijs quoq; uectigalibus in ciuitatum ius translatis factum est. Verùm ea detrimenta crebris tributis, populariter in gratiã regis scitis, uel decretis superiori tempore cõpensabantur. *Nascentia in Prußia.* Metallorum ea regio ferax non est: fruges non malignè profert, & linũ, & lupulum: easq; merces trans mare mittit. *Prussorũ commercia.* Mittit & materiam fabricandis nauibus, & uasis, exornandisq; domibus aptã, & ceram, & cinerem, & bubula coria, imò & carnes. Sed hæc ei ferè suppeditat Rusia, Samogitia, & Lithuania: quin & frugũ, & aliarum rerũ ad uictum pertinentium maiorem copiam eædẽ regiones, & Masouia: cæteraq; Polonia ratibus, & nauibus fluuiatilibus subministrant. Accipit autẽ ea uicissim transmarinis cõmercijs uina, oleum, aromata, saccarum, sal, & alia condimenta mensarum, telam item & pannos laneos iuxta ac sericeos, & quas pręterea mittit Lusitania, & India diues cupedias: eaq; omnia Polonis, & Lithuanis Prusia transmittit. *Prussorum uiuendi ratio.* Hinc est uulgò simul, & nobilitati res lautior, uestitusq;, & habitatio cultior. In uictu quidem frugalitas prisca adhuc fermè retinetur. Vtinam compotationes essent moderatiores. Sed est id commune uitium Septentrionalium populorum. Eæ tamen compotationes Prusis ordeacea cereuisia crassiore fermè peraguntur. Vini non magnus est usus. *Nobilitas, & plebs Prußica.* Distinguuntur Prusi, itidem ac Poloni, sacro, & profano ordine: nobilitate ac plebe. Sed paulò meliore est conditione plebs in Prusia, quàm in reliqua Polonia. Eodem quidẽ cum nobilitate iure, & ijsdem legibus utitur, prærogatiuis modò quibusdam inferior: per quas tamẽ plebeij neq; à bonis terrestribus, neque ab honoribus, & magistratibus, neq; à sacerdotijs, neq; à consilio publico arcentur. Nec nobilitas modesta, & frugalis eos dedignatur. Quin decedit ea quoque unà cum sacro ordine nonnihil de immunitate sua Reipubl. & concordiæ gratia. Sacerdotibus

iustus

iustus honos habetur, à catholicis præsertim. Monachi, & monachæ, cùm nostra memoria doctore Luthero domicilia sua reliquissent, manent ea etiamnunc propemodum uacua, & ruinosa, aliquot exceptis: quæ sanè infrequentia sunt, & incolentes ea contemptibiles. Regis potestas in Prussia minùs est restricta, quàm alibi. Senatus constat duobus Episcopis, tribus Palatinis, totidem Castellanis, totidem Succamerarijs, & tribus primarijs ciuitatibus: quarū non mediocris est potentia. Earū uerò bini consules legati siue nuncij pro singulis habentur, & alternis dicunt sententias. Episcopi sunt, princeps, senatus, & moderator, Varmiensis. In qua Episcopa me Pius eius nominis quintus Pontifex max. ultro petente D. Sigismundo Augusto Rege, amplissimo Cardinali Stanislao Hosio (ipso libentissimè assentiente) ante sex annos Coadiutorem (ut uocat) dedit, successoremque designauit, & collegium sacrum acceptauit. Sed reuertamur ad institutum. Est ergo princeps senatus Prussici Varmiensis Episcopus: huic proximus Culmēsis, qui olim eum anteibat. Quorum hic Teuthonū Crucigerorum opera quodā tempore de Gnesnensi prouincia detractus, Rigensi addictus fuit, uehementer accisus redditibus, & episcopa, ecclesiaque in ditionem ordinis ipsius redacta: ille uerò, Varmiensis inquā, initio quidem Rigensis Archiepiscopi metropoliticam authoritatē agnouit. Nunc uerò multis annis in nulla prouincia censetur, & soli subest in rebus Ecclesiasticis Romano pontifici: Magistri, & ordinis dominatum nunquam agnouit, amicitiam, & societatem, cum & ipse plerunque Germanici esset sanguinis, libēter coluit: nec sine malo ac detrimento suo, & Ecclesię suæ. Ad regnum uerò Poloniæ post reliquā Prussiam peculiaribus pactis cum rege Cazimiro initis sese adiunxit. Vuladislauiensis Episcopus habet non contemnendas possessiones in Pomerania. Atque ea tota fermè in diœcesi ipsius est, indeque Pomeranię quoque Episcopi titulū is usurpat, sed ad Prussicū consilium nō pertinet. Palatini sunt, Culmensis, Marieburgensis, qui antehac Elbingensis dictus fuit, & Pomeranicus: Castellani, Culmēsis, Elbingensis, & Gdanensis: Succamerarij itidem atque Palatini. Ciuitates, Torunensis, Elbingensis, & Gdanensis, in singulis satrapijs, siue palatinatibus singulæ, eundem ordinē seruantes inter se in consilio, quem sui palatini. Hoc est concilium Prussicū. Consiliarios terrarum Prussiæ uocant: quos & ipsos more aliorū iuratos esse oportet. Varmiensis tamen Episcopus diuersam ab alijs iusiurandi rationē, & formulā pacto præscriptā habet. Nam is, si Rex est in Prussia, ipso præsente: sin minùs, nonnullis magistratibus Prussicis ad id delegatis in arce Marieburgensi, præeunte uerba aliquo Episcopo, iurat. Ciuitatū delegati iniurati ad consiliū admittuntur, aliquóne priuilegio, an per abusum, nescio. Habent autem cōsiliarij Prussici sua loca, & ius dicendæ sententiæ in amplissimo totius regni Polonici consilio. Verùm ea loca aliquot annos post auctū Lithuanorum accessione senatum aliqua ex parte uariata sunt, ita tamen, ut nihilominùs Episcopi inter Episcopos, Palatini inter Palatinos, Castellani inter Castellanos considebant. Ad calcem operis huius ea singula secundùm nouam constitutionem comitialem inter alios notata sunt. Palatinorum iurisdictio, & authoritas in Prussia maior est, quàm in cætera Polonia. Penes eos sunt multæ, & supplicia delinquentium, rerumque iudicatarum executio. Tranquillitatem quoque publicam in agris, & extra urbes ij præstant. Castellani, & Succamerarij eodem sunt iure, quo in Polonia. De Episcopis paulò post dicemus. Præter hos autem magistratus, habēt Prussi thesaurarium, præfectos arcium, siue capitaneos, gladiferos, iudices, & scabinos: uerùm ij non pertinent ad consilium. Thesaurarius est, qui pecuniam omnem, & rationes à præfectis, & administris regiorum bonorum, & prouentuum, atque etiam tributorum publicorum exigit, & uel ipse administrat, uel thesaurario Regni tradit. Olim is Oeconomus fuit, seu procurator Marieburgensis. Gladiferos singulos habent Culmensis, & Pomeranicæ satrapiæ. Iudices nouem sunt. In Culmensi quidem, & Marieburgensi satrapijs singuli: in Pomeranica uerò septem, nempe totidem, quod territoria. Sunt autem ea, Slochouiense, Tucholiense, Suecense, Dersauiense, Zucouiense, Puscense, & Mirachouiense. Habentque singuli iudices in consilio scabinos iuratos aliquot. Præfecti arcium, & redituum regiorum in sua quisque præfectura curam, & administrationem habent. Iurisdictionem nullam fermè habent, præsertim in nobilitatem, neque in oppidanos amplam: in agrestes ampliorem. Solus Marieburgensis, neque redituum regiorum curam gerit, neque in agrestes iurisdictionem habet: arci modò præest, eiusque præsidio: quod perpetuum est. Cæterùm constitutione quadam, ampliores is cæteris præfectis, & magistratibus prærogatiuas habet, uelut generalis locum tenens Regis in Prussia. Reddituum uerò, & subditorum regiorum, & sartorum tectorum eius ipsius arcis curationem habet thesaurarius. Igitur primaria totius Prussiæ præfectura Marieburgensis est: cui Polonus antiquitus præficitur. Nunc primus de Prussis, è Polonia tamen oriundus, ei præest uir uigilantissimus, & omni genere uirtutum ornatissimus, mihique amicissimus, Ioannes Costka, nuper,

Ordo Ecclesiasticus in Prussia.

Senatus, siue cōsilij Prussiæ.

Varmiensis, et Culmensis episcopi.

Vuladislauiensis etiam Pomeraniæ Episcopus.

Varmiensis Episcopi iuramentum.

Cōsiliarij Prussiæ ad Senatū Regni pertinent.

Palatinorum potestas.

Magistratus Prussici.

Thesaurarius.

Gladiferi.

Iudices.

Pomeraniæ territoria.

Præfecti.

Marieburgensis præfectus.

Ioannes Costca palatinus Sendomirien. nuper, Palatinus Sendomiriensis à Rege Henrico creatus. Secundùm hanc in eadem satrapia sunt hæ præfecturæ, Stumensis, Gneuensis, Nouensis, & Stargardensis, siue Starkgrodensis. In Culmensi, Brodniciensis, Grudētina, Radinensis, Golubensis, Rogoznensis, Brathianensis, Coualiensis, Copriuunēsis: in Pomerania, Slochouiensis, Sueccensis, Tucholiensis, Dersauiensis, & Puscēsis. *Præfectura Prußicæ.* Torunensem uerò, Elbingensemque, & Gdanensem præfecturas ciuitates ipsæ sibi regia indulgētia, & ex pacto uendicarunt, & per magistratus urbanos administrant. Episcopi cum collegijs suis suos, & ipsi habēt arcium atque territoriorum Præfectos, & Burggrauios, suosque iudices, & aduocatos, & oppidanos magistratus. Habent & Cancellarios, & officiales suos in causis Ecclesiasticis uterque Episcopus. Habent enim utramque iurisdictionem, & amplissimam potestatē in suos. *Varmiensis diœceseos ius & prærogatiua.* Varmiensis quidem episcopa in nulla cēsetur satrapia: uno autē, & non interpolato ambitu in modū principatus bona certis finibus peculiariter circumscripta, & arcibus atque oppidis exculta habet: eaque sic diuisa, ut duas partes Episcopus, tertiā collegium siue capitulū obtineat. In his utrique subiectam nobilitatē habent, & liberam iurisdictionem, ab omni Regiorum magistratuum iurisdictione exemptam. Præterea pertinet etiā Elbingensis ciuitas cū suo territorio ad Varmiensem diœcesim: quamuis iam aliquandiu hæretica labe infecta conniuentibus regibus, & suffragantibus nonnullis magistratibus, ab ecclesiastica Episcopi iurisdictione sese subtrahere nitatur. Bartena quoque terra, & Natangia ante 200 annos eiusdem episcopi iurisdictioni subiectę fuisse, & supra sex millia mansorum tunc Episcopo Varmiensi per fraudem, & iniuriam Cruciferorum detracta esse memorantur. Subditi episcopi, & collegij Varmiensis eodem, quo cęteri Prussi iure municipali utuntur. Sed habent etiam peculiaria, inter se autem cōmunia instituta: quæ *Landtsordnung*, hoc est, terræ constitutiones uocant. Conuentus etiam communes habent. Ad eos autem nobilitas, ciuitates, & sculteti cum liberis (de quibus postea dicemus) euocati, pro se quisque binos, uel plures etiā è singulis territorijs procuratores, siue legatos mittunt, ijs de rebus, quę in consultationem ueniunt, cum Episcopo, & legatis collegij cōstituturos. Cęterū ea nobilitas omnis, & aduocatus, & ciuitates, præter iusiurandū, quo partim in Episcopi, partim in sacri collegij uerba iurant, nouo quoque Regi, ac deinde decimo quoque anno ei ipsi ex pacto fidem suam obstringunt. Tametsi de 10 anno in desuetudinē abijt, sublata causa, hoc est, pacatis prorsus rebus Prussicis, & extirpato ordine Teuthonicæ militię. Iurant etiā sacerdotes, quando certū aliquod sacerdotiū adipiscuntur: Primarij tamen, qui prælati, & Canonici cathedr. appellātur, intra mensem, postea quā in id collegiū cooptati sunt. *Canonicorū & Prælatorū Varmiensis creatio.* Eos autē pontifex quidē max. creat, collegiū uerò unà cū Episcopo eligit alternis mensibus: excepto Præposito, qui à Rege editur, siue præsentatur, ab Episcopo præficitur. Sed neque is, neque cæteri tres prælati locum, & suffragium habent in collegio, siue capitulo, nisi sint etiam canonici. Culmensis Ecclesiæ collegium ad quatuor canonicos redactum est. Qui singuli à cæteris unà cum episcopo cooptātur. Ipse autem episcopus à solo rege designatur, à pontifice max. creatur. *Episcoporum Pruß. designatio.* Cæterùm Varmiensis ex pacto recentior è quatuor canonicis indigenis à rege propositis, unus ab eius ipsius Ecclesiæ collegio deligitur: deinde hic quoque à pontifice renunciatur, & confirmatur. Ac tum demùm sacris pontificalibus ad præscriptum Ecclesiasticorum canonum initiatur. *Magistratuū Prußicorū cōferendorū ratio.* Magistratus terrestres in Prussia quoque itidem ac in Polonia, à Rege creantur: iudex tamen ex aliquot à Palatino cum dignitarijs, & cætera nobilitate de consessu scabinorum delectis, ab eo editur: Scabini soli à palatino cum cęteris dignitarijs illius loci creantur. Sunt autem & Prussici magistratus omnes perpetui, præter præfectos: qui regis arbitratu mutari possunt, nisi beneficio ac diplomate regio sibi prospexerint. *Ciuitatū Prussicarum magistratus, & administratio.* Ciuitates à decurionibus, seu consulibus, & quidē Germanicæ linguę, & sanguinis (Polonos enim pro externis habent, & neque ad artes mechanicas perdiscendas admittunt) reguntur: quorum non idem ubique, certus tamen est numerus. *Consules.* Et ipsi ius habēt cooptandi, quos uolunt, in suā collegia, quoties uacat locus, eoque maiore sunt dignatione, & authoritate, quādo uolunt, & obsequentiorē habent plebem. *Magistri ciuium.* His præsident magistri ciuiū à decurionibus, ac de numero ipsorum delecti, & ipsi, itidē atque decuriones perpetui, in primarijs quidem urbibus quaterni, in cæteris uerò oppidis bini, per uices annuum gerentes magistratum. *Scabini.* Habent item singulæ ciuitates iuratos iudices, siue scabinos, qui à decurionibus, siue consulibus leguntur: & ipsi autem perpetui sunt, nisi fortè in numerum consulum cooptentur. Neque enim eundem consulum, & scabinum esse licet, præter Elbingam, & Brunsbergam: ubi pars consulum loco scabinorum iudicia exercet. Cæterùm unus è consulibus eis præficitur, quem scultetum, uel iudicem *Scultetus.* uocant. Primariæ tres ciuitates etiā præfectos habent singulos, ut dudū memorauimus, *Burggrauij ciuitatum.* quos uocant Burggrauios, & eos quidem annuos ferè. Qui tranquillitatis urbanæ, ac totius territorij curam gerunt, causasque priuatarū iniuriarū, & sanguinarias iudicant, & pro ijs mul-

ijs multas irrogant. Hunc solum Magistratum rex in ciuitatibus creat, sed nonnisi unum è sex, uel octo è numero consulum eiusdem ciuitatis ab ipso collegio delectis, ijdem autē consules ex omni ciuium numero, Gdani quidem centū uiros, alibi uerò pauciores deligunt, qui sint capita multitudinis, & quasi tribuni plebis: cum quibus cômunicant nonnunquam consilia de republica, & ex ijs cognoscunt postulata plebis. Vitantur enim coitiones multitudinis, propter externorū omnis generis hominum frequentiam, ne quando in seditionem erumpāt, ut nonnunquam factum est. Iudicia nobilitatis iudices terrestres cum suis scabinis, præsidente palatino, bis quotannis exercent in certis oppidis. Infamiæ tamen causa, & status controuersia, itidem ac in Polonia, ad regis iudicium pertinet. A terrestribus iudicijs prouocatio est ad consiliarios Prussiæ: inde uerò ad Regem. In oppidis uerò iudiciaria potestas ferè omnis est penes consules, exceptis paucis causis, quarum mentionem dudum fecimus, & si quæ sunt aliæ ad Burggrauios, uel palatinos pertinentes: sed eam ipsi consules, quod ad priuatorum hominum inter ipsos controuersias attinet, cum iurato iudicio, cuius mentionem dudum fecimus, communicarunt. Ab eo uerò iudicio in primarijs quidem ciuitatibus ad consules ciuitatis cuiusq;, in cęteris autem oppidis ad consilium totius Prussiæ: inde porrò utrinq; ad regem prouocatur. Rex uerò de quibusuis prouocationibus ubilibet, & cum quibus uult, cognoscit. Plerunq; etiam cognitionem delegat Cancellarijs, & iureconsultis. Alioqui priuatum neminem è Prussia regi euocare licet, exceptis ijs causis, quæ sunt fisci, & iudicij regij propriæ. Magistratus terrestres iuxta ac urbanos euocat de ijs duntaxat, quæ in magistratu perperàm & præter officium suum egerint: uel, si mauult, consiliarijs Prussicis eas delegat, in comitijs cognoscendas. Delegat etiam uel ijsdem, uel quibus uult, causas fisci sui, finium regundorum cum suis bonis, ac diuidundæ inter fratres, & cognatos hæreditatis. Quasuis item alias ab alijs ordinarijs iudicibus per prouocationem ad se deuolutas. Comitia bis quotannis habentur in Prussia statis temporibus, Maio quidem Mense Marieburgi, Septembri autem extremo Grudenti. Ex iustis tamen causis ea quoq; loca mutari possunt. In ijs comitijs à consiliarijs de Republ. in commune consultatur, siue ultrò, siue ex præscripto regio: de prouocationibus terrestrium, & oppidanorum iudiciorum cognoscitur: & omninò iudicia uel à rege delegata, uel si qua sunt alia, exercentur. Cum ducalibus quoq; Prussis, seu duces ipsius legatis nonnunquam Elbingæ ex fœdere, uel Marieburgi, constituta certa die, conuentus habentur, & consultationes de legibus, & alijs rebus communibus, & controuersis. Non ita pridem in Prussia quoq; nuncij nobilitatis, & minorum ciuitatum in comitijs adhiberi cœperunt, tributi sciscendi causa: cuius decernendi potestatē neq; rex, neq; consiliarij soli usurpant. Ad regni quoq; comitia nuncij nuper adeò mitti cœperunt. Sciscitur autē cereuisiarium tributū plerunq; in usus publicos, uel in gratiam regis: uocaturq; id uulgò cisa, uel accisa. Nonnunquam etiā de censibus, agris, domibus, bonis, & facultatibus, æstimatione facta, certa portio pensitanda decernitur. Varmiensis Episcopi subditi nihil habent negocij cum comitijs. Solus ijs interest, & præest Episcopus, ac deinde de ijs, quæ ibi constituta sunt, ad peculiarē conuentum suorū refert: de tributo præsertim. Nec temerè ij dissentire solent ab Episcopi sui, & conuentus Prussici sententia. Nihil tamen uetat, ipsos quoq; arbitratu suo, authoritate Episcopi, & Capituli preeunte, peculiares leges, &, ut uocant, ordinationes sibi condere, tributumq; sciscere. Quinetiam magistratus primariarum ciuitatum non rarò imperant ciuibus suis tributū peculiare, & operas, aliaq; onera in usus publicos urbium suarum, adhibitis capitibus plebis. Portus maris tres habet Prussia, Regia quidem Gdanensem, & Elbingēsem: quorum hic in Habum lacum, ille rectà in mare procurrit: ducalis uerò Regiomontanū, siue Kœnixbergensem, quà Pregola fluuius in Habum influit. Atq; hic quidem cum portorijs, & omni iurisdictione, & impendijs in ducis: duo uerò reliqui in ipsarum ciuitatum, quibus adiacent, & magistratus potestate sunt. Verùm is tamen, magistratus inquā, sine permissu, uel mandato regio claudendi, & aperiendi portus potestatem non habet. Quod de tributo quoq; decernendo itidem nuper constitutum est. Quod ad bellū attinet, si qua uis hostilis ingruat Prussiæ, domesticis, communibusq; plebi cum nobilitate uiribus depellitur. Ac nobilitas quidem cū proceribus equestribus militat, Sculteti item & liberi: (quos ita uocat, propterea quod & ipsi ab operis, & laboribus, quos rusticani dominis suis prę stant, gratuitam immunitatem habent, medij quodammodo inter nobiles, & rusticanos agricolas: ferunt tamen nonnulla onera extra ordinem) ciuitates equitatum atq; peditatum suppeditant: rustici ani peditatum tantùm. Hęc ante institutam coadunationem (quę needū maturuisse uidetur) de Prussia, & in uniuersum de Polonia nobis σφαλερως, quod aiunt, καὶ συνθετως sunt exposita. Quæ cum ciuibus nostris, tum externis non ingrata fore speramus. Sic autem fiet, ut minus peregrinentur in historia nostra.

Capita multitudinis.

Iudiciorum ratio.

Iudicia urbana

Prouocationū ratio.

Commissaria iudicia.

Comitia Prussica.

Nuncij.

Tributū apud Prussos accisa.

Varmiensium libertas.

Portus Prussiæ.

Belli ratio apud Prussos. Liberi.

Operæprecium nobis uisum est, coronidis loco hic adijcere nomenclaturas, & ordinem amplissimi Senatus Regij, quemadmodum in comitijs Lublinensibus ante quatuor annos constitutus est, & nonnihil ab antiquo (quem priore libro recensuimus) mutatus, posteaquam Lithuani sese cum Polonis penitus coniunxêre, & in unum Reipublicæ corpus coaluêre. Qui tamen ordo non tam accuratè in consessu, quàm in dicendis sententijs, & ferendis suffragijs seruatur.

SENATORVM REGNI POLONIAE CVM CONIUNCTIS EI DITIONIBUS DIGNITATES, & ORDO, SECUNDÙM CONSTITUTIONEM COMITIALEM LUBLINENSEM, ANNO M.D.LXIX. EDITAM.

Archiepiscopi duo.

Gnesnensis.
Leopoliensis.

Episcopi 13.

Cracouiensis.
Vuladislauiensis.
Vilnensis. } alternatim.
Posnaniensis.
Plocensis. } alternatim.
Varmiensis.
Luceoriensis.
Præmisliensis.
Samogitiæ, siue Mednicensis.
Culmensis.
Chelmensis.
Kiouiensis.
Camenecensis.

Palatini cum quibusdam alijs eximijs inter eos interfertis 35.

Castellanus Cracouiensis.
Palat. { Cracouiensis. Posnaniensis. Vilnensis. Sendomiriensis.
Cast. Vilnensis.
Palat. { Calisiensis. Trocensis. Siradiensis.
Castel. Trocensis.
Palat. Lencicienfis.
Capitaneus Samogitiæ.
Palat. { Brestensis. Kiouiensis. Iuniuuladislauiensis. Russiæ. Volynensis. Podoliæ. Smolenscensis. Lublinensis. Polocensis. Belsensis. Nouogrodensis.
Palat. { Plocensis. Vitepscensis. Masouiæ. Polesensis, siue Podlassensis. Rauensis. Bresciensis. Culmensis. Mscislauiensis. Marieburgensis. Braslauiensis. Pomeraniæ. Minscensis.

Castellani maiores 30.

Posnaniensis.
Sendomiriensis.
Calisiensis.
Voiniciensis.
Siradiensis.
Lenciciensis.
Samogitiæ.
Brestensis
Kiouiensis.
Iuniuuladislauiensis.
Leopoliensis.
Volynensis.
Camenecensis.
Smolenscensis.
Lublinensis.
Polocensis.
Belsensis.
Nouogrodensis.
Plocensis.
Vitepscensis.
Czernensis.
Polesensis, siue Podlassensis.
Rauensis.
Bresciensis.
Culmensis.
Mscislauiensis.
Elbingensis.
Braslauiensis.
Gdanensis.
Minscensis.

Castellani minores 49.

Sandecensis.

Medir[illegible]

Medirecenſis
Viſlicienſis
Biecenſis.
Rogoznenſis
Radomienſis
Zauichoſtenſis
Landenſis
Sremenſis
Zarnouienſis
Malogoſtenſis
Velunenſis
Præmislienſis
Caliſsienſis
Sanocenſis
Chelmenſis
Dobrinenſis
Polanecenſis
Præmentenſis
Criuinenſis
Czechouienſis
Naclenſis
Roſpirenſis
Biechouienſis
Bydgoſtienſis
Brezinenſis
Cruſuicienſis
Oſuienzimenſis
Camienenſis
Spicimirienſis
Inouulodenſis
Coualienſis
Santocenſis
Sohaciouienſis
Varſauienſis
Goſtinenſis
Viſnenſis
Raciaznenſis
Sieprcenſis
Viſſogrodenſis
Ripinenſis
Sakroczimenſis
Ciechanouienſis
Liuenſis
Slonenſis
Lubaciouienſis
Conarienſis in Siradienſis Palatinatu
Conarienſis in Lencicienſi
Conarienſis in Iuniuuladislauienſi.

Officiales Curiæ 16.

Mareſalcus Regni Poloniæ
Mareſalcus Lithuaniæ
Cancellarius Poloniæ
Cancellarius Lithuaniæ
Vicecancellarius Poloniæ.
Vicecancellarius Lithuaniæ
Theſaurarius Poloniæ
Theſaurarius Lithuaniæ
Mareſalcus Curiæ Polonicæ.
Mareſalcus Curiæ Lithuanicæ.

Finis librorum II. Martini Cromeri, de Situ, populis, moribus, magiſtratibus, & Republica regni Polonici.

MATHIAE AMICHOV MEDICINAE DOCTORIS, ET CANONICI CRACOVIENSIS PRAEfatio, in libros II. de Sarmatia Aſiana atque Europea.

LICET multi fuerint qui orbem & partes eius deſcripſerint, tamen utramq; Sarmatiam tranſilientes, nihil ferè de ea ſcripſerunt, niſi quod quidam in genere de hac & illa mentionem fecerunt, ſed adeò obſcurè, ut nihil certi hinc colligere poſsis, quibus figmenta multa & meras nugas immiſcuerunt, dum ultra Sarmatiam ad oceanum Septentrionalem campos ponunt Elyſios, ubi, ſcilicet, aura ſit temperatiſsima, uita placidiſsima & perpetua, omni referta iucunditate: homines uero multorum ſeculorum confecti ætate & tædioſo grauati ſenio, ſponte ſeſe in oceanum præcipitent, quo miſeræ ſenectutis euadant moleſtias. Scripſerunt quoq; illic reperiri terrænaſcentia ambroſia, ſucco prædulci & odore ſuaui, quibus homines quaſi paradiſi fructibus diu in uita conſeruentur: itemque terram producere aurum in magna copia, & nutrire griphones, aues horribiles raptu uiuentes, quæ equum cum ſeſſore in altum leuare queant, atq; aurum effodi & exportari prohibeant. Aiunt præterea illic ſolem & lunam, cæterasq; ſtellas perpetuo gyrantes & lucentes, dies temperatiſsimas & iucundiſsimas conſtituere. Verum hæc omnia conficta ſunt, carentq; ueritate. Ponunt etiá moderni ſcriptores Tartarorum terribilem gentem indigenam eſſe Aſianæ Sarmatiæ, & à ſeculo Scythiam inhabitantem, quum tamen conſtet eam eſſe gentem nouam & aduenticiam, à partibus orientis mutatis ſedibus, paulò plus ab hinc trecentis annis Aſiæ Sarmatiam ingreſſam, antehac uerò incognitam, quemadmodum ab initio huius libri indicabo. Sed & montes, Alanos, Hyperboreos & Riphæos in orbe terrarum uulgatiſsimos in illis Septentrionalibus regionibus affirmauerunt, ex quibus nominatiſsima flumina originem trahere dixerunt, nempè Tanaim, Boriſthenem maiorem & minorem, atq; Volham ingentem fluuium: ſed quum id à uero alienum ſit, hodierna do-

cente experientia, non sine causa reijcimus quidquid ueteres somniarunt de his montibus & fluminum originibus. Nam scimus & experientia didicimus prædicta tria flumina Volham, Tanaim & Boristhenem maiorem ex Moschouia originem ducere: minorem uerò Boristhenem, quem Aristoteles Diaboristhenidem uocat, ex Rusia superiori erumpere, & in maiorem Boristhenem transire. Montes autem Hiperboreos, Riphæos & Alanos scimus & uidimus illic nō esse, nec dicta flumina ex eis, sed ex planicie terræ scaturire, id quod sequenti libro clarissimè indicabimus, nihil nisi quod uerum scimus & experti sumus scripturi. Immutata quidem sunt prisca regionum illarum uocabula, id quod alijs quoq; accidit terris & habitationibus: sed nos ea intacta non præteribimus, indicaturi quid ueteres senserint, quibusque usi sint uocabulis, & in quæ hodie migrârint. Aperuit nobis rex Portugalliæ nauigationibus suis regiones Indicas & Aphricanas ad meridiem expositas, & rex Poloniæ, qui Tartaris & Moscuitis confinis est, indies patefacit nobis per militiam suam plagam Septentrionalem cum gentibus, quę ad oceanum Aquilonis sunt expositæ, & extenduntur in Orientem.

MATHIÆ A' MICHOV DE SARMATIA ASIANA ATQVE EVROPEA LIBER I.

De duabus Sarmatijs in genere. CAP. I.

ANTIQVIORES duas Sarmatias posuerunt, unam in Europa, alteram in Asia, sibijnuicem cohærentes & contiguas. In Europiana sunt regiones Russorum seu Rutenorum, Lithuanorum, Moscorum & eis adiacentes, ab occidente flumine Vissæ, & ab oriente Tanai inclusæ: harum regionum gentes olim Getæ nūcupabantur. In Asiatica uerò Sarmatia, nunc commorantur & degunt plura genera Tartarorum, à flumine Don seu Tanai ab occidente usque ad mare Caspium ab oriente contenta. Horum imperia, genealogiæ, ritus & mores, latitudoq; terrarum, flumina & circūcirca adiacentia in subscribēdis explanabūtur.

De ortu & aduentu Tartarorum. CAP. II.

ANno domini M. CCXI. apparuit grandis cometes in diebus mēsis Maij, octodecim diebus durans, & supra Poloucos, Tanaim ac Rusiam gyrans, caudamq; in occasum porrigens, & aduentum Tartarorum significans: unde sequenti anno gens Tartarorum in illam diem ignota, occiso ut fertur proprio rege Dauid, de submontibus Indiæ, confluxisq; pluribus nationibus Septentrionis ad Poloucos uenit. Polouci siquidem fuerunt gentes secundum latus Septentrionale Euxini maris commanētes, ultra paludes Mæotidis, quos alij Gothos appellant. Polouci autem lingua Rutenorum sonant & interpretantur uenatici seu rapaces, quia sæpenumerò inuadentes eos spoliabant, & bona ipsorum rapiebant atque abducebant, quemadmodum & Tartari hisce temporibus faciunt. Itaq; Tartaris ingredientibus terras Poloucorum, postularūt per ambasiatam, ipsos principes Rutenorum, ut uniuersis copijs & potentijs se adiuuarent, quoniam par exitium & discrimen eos, sicut & Poloucos expectaret. Superuenerunt autem & Tartarorum nuntij denuntiantes ducibus Rusiæ, ne immiscerent sese bello & adiutorio Poloucorum, sed potius exterminium eorum tanquam aduersariorum procurarent. Rusiæ uero immaturo usi consilio, nuntijs Tartarorum comprehēsis & occisis, perrexerunt exercitualiter Poloucis in adiutorium; terra mariq; uidelicet Mscislaus Romanouic cum militia Kiouień. Mscislaus Mscilauic cum militia Halicień. Item cæteri duces Rusiæ Vladimir, Rurikouiez: duces Cirneouień. & duces Smolnenses. Iunctiq; exercitui omnium Poloucorum peruenerunt in Protolce, & abinde singuli ascensis equis, uenerunt duodecim statiuis ad fluuium Kalcza, ubi iam Tartari castra metati fuerunt, & illico respirandi spatio non dato, Tartari in eos irruerunt, & contritis ac diffugientibus Poloucis acies Rutenorum disiciuntur, plurimaq; cæde peracta bini duces Mscislaus Kiouień. & Cirneouień. captiuantur. Reliqui fugientes (abominabile dictu) à Poloucis socijs, per quorum terram fugam maturabant trucidabantur. Equites quoq; propter equos, pedites propter uestes occidebantur, & in aquis suffocabantur. In illa ergo die Ruteni in pessimū, horrendumq; inciderunt periculum, quale in terris Rusiæ nunquam auditum est. Eaq; prima clades extitit, quam Ruteni à Tartaris pertulerūt. Mscislaus autem Mscilauic Halicień. dux dum ad naues fugiendo peruenisset, superatis fluuijs persequutionem Tartarorum uo-

rum ueritus naues abrumpi præcepit, abindeq; fugax in Halic pauore & trepidatione plenus peruenit. Vladimirus aũt Rurikouicz fuga & ipse saluatus in Kiou perueniens, sedẽ accepit Kiouieñ. Alia uerò omnis multitudo Rutenorũ dum ad naues fugiendo peruenisset, & eas abruptas offendisset, in mœrorem uersa, dum undas tranare non posset, fame cõtabescens illic consumpta est præter paucos duces & aliquos eorum milites, qui in lembis fluuios traiecerunt. Præterea anno domini millesimo, ducentesimo, uigesimo octauo, in maxima multitudine Tartari Russiam ingredientes, uniuersam terram Renesansca uastauerunt, ducem occiderunt, senes & impuberes necauerunt, reliquam multitudinem in captiuitatem abduxerunt, castra incenderunt. Iterum hyeme eiusdem anni uenerunt Tartari in terram Susdalorum & ea uniuersa uastata, ducem Georgium & filios eius, pluresq; alios Susdalorum principes interfecerunt, castrum Rostou incenderunt, captiuos & prædam pro libito abduxerunt. Sequenti quoq; anno in Smolnensem & Cirnyeouieñ. regiones uenientes, eas crudelissima cæde, nulli ætati parcentes peruastauerunt, castra & fortalitia ex quibus duces & milites præ timore fuggerant, incenderunt, & onusti captiuorum multitudine in terras suas redierunt.

De crudeli uastatione Poloniæ & Hungariæ per Tartaros. CAP. III.

Post prædicta, Tartarorum horrenda uastatio ex ordine narrationis subnectenda est. Anno domini millesimo, ducentesimo, quadragesimo primo, Tartari in Russiam uenerunt, & Kiou amplissimam urbem & metropolim Rutenorum magnificè constructam funditus deleuerunt. Habuit siquidem præfata urbs portas & turres firmiter ædificatas, & aliquarum portarum tecta deaurata & splendentia, habuit & usq; nunc habet Metropolitanum de ritu Rutenorum seu Græcorum, plurimis Vladicis & episcopis à Danubio per Moldauiam, Valachiam, Russiam, & Moskouiam præsidentem, in Kiouia iam post destructionem non residentem. Habuit insuper ecclesias supra trecentas ornatissimas, quarum aliquæ in campis inter uepres & arbusta in hanc diem permanent, & stant desolatæ pro latibulis ferarum: ex quibus binæ ecclesiæ, uidelicet sanctæ Mariæ & sancti Michaëlis aliquas laminas tecti adhuc tenent deauratas, quas Tartari prędatum uenientes, & inspicientes altim bassina uocant: altim bassina, id est, aureum caput habentes, quia partem tecti deaurati habent. Hac uerò tempestate in monte ubi olim castrum Kiouieñ. stabat, Lithuani domini illius loci, fortalitium amplum de roboribus & lignis extruxerunt & tenent. Itaque tota Russia cum sua metropoli & Podolia omniquaq; pessundata, Bathus Tartarorum Imperator uolens Hungariam ingredi, misit ducem Petã nomine cum magno exercitu uastatum Poloniam. Aiunt Poloni Bathum regem Tartarorum Poloniam, Slesiam, Morauiam uastasse: uerior tamen historia eorum, sicut & chronica Hungarorum referunt, Bathum non fuisse in Polonia, sed duces ipsius, qui trucidatis tyrannis & principibus Rutenorum, receptaq; præda, in oppidum Lublin & Zauichost, uicinijsq; eorum, reduxerunt eam in Russiam, festinanterq; redeuntes, expugnauerunt Sandomiriam cum castro. Illicq; occiderunt abbatem Pokrziunicen cum fratribus eius, & magnum numerum utriusque sexus nobilium & ignobilium uirorum ac matronarum ad conseruandum uitam Sandomiriæ collectorum. Inde exeuntes per Vissicam, in Skarbimiriam uenerunt, & reuertebantur prædam deducturi in Russiam. Dumq; statiua tenerent ad fluuium Zarna, apud uillam quæ maior Thursko uocatur, irruit in eos Vlodimirus Cracouieñ. palatinus cum militibus Cracouiensibus. Vbi inter pugnandum omnis captiuorum multitudo diffugiens, in propinquas syluas se recepit: superati tamen sunt pauci à multis, Vlodimirus palatinus Cracouieñ cum suis à Tartaris. Verum strage suorum perculsi, Tartari, per syluam Stremech in Russiam recesserunt, & in supplementum accersitis plurimis Tartaris cum fremitu & ira in Poloniam redierunt, & quia maximum exercitum habuerunt, ad Sandomiriam peruenientes, bifariam diuiserunt eum, minoreq; exercitum in Lancitiam, Siradiam & Kuiauiam destinarunt cum principe Cadano, quem Poloni Caydanum nuncupant, qui nullo obice apparente uastauerunt crudelissimè illos tractus cędibus atq; igne. Maior autem exercitus Tartarorum, cuius ductor fuit Peta Tartarorum princeps uersus Cracouiam iuit, omnem oram transitui propinquam, cæde & incendio peruastans. Occurrunt ergo ei in uilla Chmelik prope oppidum Sidlou, Vlodimirus palatinus, Clemens Castellanus Cracouieñ. Pacoslaus palatinus, Iacobus Racibrouic Castellanus, Sandomirien. cum nobilibus & militibus Cracouiensis & Sandomiriensis. Et facto conflictu cum una turma Tartarorum, ipsaq; attrita pedem referente, & ad alteram præstantiorem turmam se diuertente, Poloni certamine priori fessi, pauci à pluribus aduerso pectore confossi ceciderunt: reliqui uerò in fugam conuersi, per itinera nota euaserunt. Ceciderunt in eo conflictu desiderati Christinus Sulkouic de Nyedued, Nicolaus

Kiou metropolis Russiæ.

Polonorum clades.

laus Vitouic, Albertus Stanpotic, Zementa, Grampina, Sulislaus, milites strenui, & alij plures ualidi. Ex quorum strage tantus pauor irrepsit, ut alij in alias regiones fugerent: agrestes uerò cum pignoribus & pecoribus in paludes & syluas, & inuia se conderent. Sed & Boleslaus Pudicus dux Cracouiæ & Sandomiriæ cum Grzimislaua matre, & Kinga coniuge sua primum uersus Hungariam in castrum Pieninide propè oppidum Sandecz, postea uerò in Morauiam ad monasterium Cistercien. effugit. Tartari autem post cladem apud Chmelik peractam, Cracouiam in die cinerum peruenerunt, & eam uacuam hominibus inuenientes (omnes siquidem in abdita diffugerant) in ecclesias & domus incendio sæuierunt. Ecclesiam uerò sancti Andreæ tunc extra muros Cracouien. extantem, uallantes oppugnabant, expugnare tamen non ualuerunt, quoniam pluribus Polonis magna ui & fortitudine se & sua illic defendentibus, irrito cœpto recesserunt, & in Vratislauiam perrexerunt, eam similiter ut Cracouiam desertam habitatoribus, sed & conflagratam habitationibus reperientes. Ciues enim Vratislauien. pauore consternati, ferè omnibus relictis, pretiosioribus duntaxat festinè raptis, fugam inierunt: quod gentes ducis Henrici de arce uidentes descenderunt, & opes cum uictualibus in arcem inducentes, urbem cum tectis eius flammis exusserunt. Et Tartari in urbe nil reperientes, castrum uallarunt, & post aliquot dies obsidionem soluentes (ut aiunt) orationibus & lachrymis Cessai prioris ordinis Prædicatorum & fratrum eius in castrum admissorum depulsi, recesserunt. Interimque feria secunda paschæ Tartaris qui Kuiauiam uastauerũt, superuenientibus simul iuncti in Leguiczam profecti sunt. Dux etenim Henricus secundus sanctæ Heduuijs filius per illud tempus ibi collegerat gentes & armigeros, tam nobiles quàm agrestes maioris Poloniæ & Slesiæ. Aduenerant & principes cum suis militibus Myeczlaus Kazimirides dux Opoliensis, Boleslaus filius Depoldi marchionis Morauiæ expulsi, qui Syepiolka cognominatus est, & Pompo de Hosterno magister cruciferorum de Prussia cum fratribus sui ordinis, insuper & cruci signati plures. Quumque ex oppido Legnicen. duceret agmina, & ea obequitaret, lapis de summitate ecclesiæ beatæ Mariæ decidit, parumque abfuit, quin caput ducis Henrici diripuerit, quod reuera infaustum omen fuit. Suburbana itaque oppidi Legnicensis pretergressus, quatuor acies instruxit & ordinauit. Primam de cruce signatis uoluntarijs, & de auri fossoribus oppidi Goltberck, alijsque peregrinis militibus: hanc Boleslaus Syepiolka filius marchionis Morauiæ ducebat. Altera acies fuit militum Cracouiensium & maioris Poloniæ, hanc Sulillaus frater Vlodimiri olim palatini Cracouiensis circa Chmyelik occisi ductitauit. Tertiam aciem gubernauit Myeczlaus dux Opoliensis, in qua erant milites Opolienses, & Pompo magister Prussiæ cum fratribus & militia sua. Quartam aciem ipsemet dux Henricus ex præstantioribus militibus Slesię, & maioris Poloniæ, ac pretio conductis militibus rexit. Totidem erant Tartarorum agmina, sed robore & frequentia pugnatorum præstantiora, ita ut unum agmen eorum omnia Polonorum agmina excederet. In campo igitur qui Bonus campus dicitur, porrecto, & in omnes partes lato uterque exercitus quinto idus Aprilis, aliàs feria secunda post octauas pascæ conuenit. Primumque crucesignatorum & aurifossorum exercitus cum Tartaris magno impetu congressus, uelut teneræ aristæ à grandine percussæ, à sagittis Tartaricis obtritus est. Deinde duo agmina sub gubernatione Sulislai militis, & Myeczlai ducis Opoliensis consistentia, pugnare cum tribus Tartarorum agminibus ingressi, ualidam in Tartaris stragẽ ediderunt, ita ut pedem referrent, & fugam inirent. Quidam autem celerrimo cursu circa utrumque exercitum discurrens, terribili uoce clamauit: Byegayce byegayce, quod sonat, fugite fugite, Polonis terrorem incutiens. Quam uocem Myeczlaus dux Opoliensis audiens, deserto prælio fugit, & secum magnam partem militum traxit. Quod uidens dux Hẽricus, ingemiscens dixit, Gorze se nam stalo, id est, peius & moleste nobis accidit: inducensque suam quartam aciem fortissimorum militum, tres acies Tartarorum à duabus aciebus Polonorum disiectas prostrauit, & in fugam conuertit. Quarta autem acies Tartarorum, & maior omnium cum suo duce Peta superueniens, horribili impetu bellum intulit, & bellum acerrimum inter utrosque durauit, magnaque ex parte Tartaris cęsis, & in fugam spectantibus, quidam Tartarorum uexillifer ualde magnum ferens uexillum, in quo chi litera Græca depicta erat, talis X, & in summitate hastilis imago teterrimi & nigerrimi coloris cum barba prolixa, cœpit incantando fortiter caput imaginis quatere, ex quo illico fumus & nebula horrendi & intolerabilis fœtoris in Polonos diffusa est, ut penè exanimati, & inualidi ad bellum redderentur. Clamore itaque horrendo eleuato, in Polonos Tartaricus exercitus conuersus, acies eorum quæ interim integræ erant, dirupit, & eas magna strage affecit. In qua dux Boleslaus filius marchionis Morauiæ dictus Syepiolka, & Pompo magister crucisignatorũ de Prussia cum multis insignibus militibus necati sunt. Dux uerò Henricus corona à Tartaris circumfusus est, ut à tergo & fronte cęderetur, iamque suis

omnibus

omnibus unà pugnantibus prostratis, ad extremum circa eum non nisi quatuor milites uersabantur. Sulislaus frater olim Vlodimiri palatini Cracouiensis, Clemens palatinus Glogouiensis. Conradus Konrathouicz, & Ioannes Iuanouicz, qui quanta potuerunt ui & conatu principem Henricum ex prælio educentes, ad fugiendum disponebant: sed ducis equus sauciatus subsistebat. Tartari igitur ne Henricus euaderet, ueloci cursu consequutum cum tribus præfatis militibus, quarto Ioanne Iuanouicz ab eis segregato uallaue runt, cum quibus aliquanto tempore decertabat: Ioannes uerò Iuanouicz equum recentem à Rocislao aulico ducali receptum, penetratis hostiũ cuneis duci administrauit. Quo ascenso dux sequebatur Ioannem Iuanouicz, uiam per medios hostes ei parantem. Ipsoq; in cursu uulnerato, & euadente, dux Henricus intercipitur, & tertiò circumuallatur: dũq; audacissimè contra Tartaros dimicaret, & manu sinistra eleuata, Tartarum sibi obuium feriret, ab altero Tartaro lancea sub ascella trãsfixus, ex equo demisso brachio moribundus defluxit: quem Tartari ingenti strepitu inconditarum uocum facto capiunt, & extra locũ certaminis quantum esset geminus Balistæ iactus pertractum, framea caput absciderunt, corpusq; insignibus omnibus despoliatum nudum reliquerunt. Occisa est in eo prælio multitudo nobilium Poloniæ, inter quos clari & insignes fuerunt Sulislaus frater Vlodimiri palatini Cracouiensis, Clemens palatinus Glogouiensis, Conradus Konrathouic, Stephanus de Virbna, & Andreas filius eius, Clemens filius Andreæ de Peltznica, Thomas Pyortkouic, Petrus Kussa & cæteri. Corpus ducis Henrici post cladem in sexto digito sinistri pedis uix cognitum, & repertum per Annam coniugem eius in medio chori ecclesiæ sancti Iacobi apud fratres minores Vratislauiæ sepultum est. Põponius uerò magistri Prussiæ, & militum insigniorum supra expressorum, in eodem monasterio sancti Iacobi Vratislauiæ corpora tumulata sunt. Boleslai autem filij Marchionis Morauiæ funus in Lubens in choro conuersorum humatum est, super cætera corpora fidelium in loco prælij sepulta, Ecclesia in hanc diem durans constructa est. Maxima uictoria de duce Henrico & Polonis Tartari potiti, lectis spolijs unicuique interemptorum unam auriculam absciderunt, & nouem saccos grandes ad sciendum numerum occisorum repleuerunt. Ducis autem Hẽrici capite in longiori hasta erecto ad castrum Legnicz (oppidum enim metu Tartarorum exustum fuerat) applicuerunt, mandantes ut duce eorum occiso, castrum eis aperirent. Castrensibus conuenienter respondentibus, quod pro uno duce occiso plures duces filios occisi haberent. Illi uerò circa Legnicz uastatis & incensis uillis in Othmuchou se receperunt, ubi quindecim diebus statiua continuando, omnem regionem per circuitum uallauerunt. Exinde Ratiborien. oram adeuntes, in Bolesisko octo diebus commorati, in Morauiam secesserunt, & Venceslao rege Bohemiæ in castris se continente, eã plus quàm uno mense incendijs & cædibus uastauerunt: ab Olomunc septimis castris in Hungariam peruenerunt, & maiori hordæ ipsius Bathi quæ Hungariam intrauerat sese consociauerunt.

Nobilium Polonorum strages.

De cruenta uastatione Hungariæ per Bathi Imperatorem Tartarorum.

CAP. IIII.

BAthi uastata & ad nihilum redacta Russia, Hungariam cum quinquies centum millibus ingredi contendebat. Resistentem ergo inter montes Sarmaticos, & in clausa dicta Russiæ introitum prohibentem, comitem palatinum Hungariæ à Bela quarto rege Hungariæ cum gentibus missum præfatus Bathi obruit & expugnauit, festinanterq; exurendo oppida & uillas ad Titiam fluuium qui uulgariter Cisa appellatur, ex montibus Sarmaticis uersus meridiem in Danubium fluctem peruenit. Et exinde gentes Tartarorum excurrentes, Vatiam cum sua cathedrali ecclesia uastauerunt & incenderunt. Ad Pest quoq; ubi rex Bela quartus exercitum contra Tartaros colligebat, ibant & redibant, aliquando appropinquando, nonnunquam uerò fugiendo, prout est mos pugnandi Tartaris. Quumq; copiosum exercitum, tam ex nobilibus quàm spiritualibus rex Bela coadunauerat, aduersus Tartaros procedens ad fluuium Titiam applicuit, & castra metatus est, adhibitaq; custodia mille armatorum ad pontem, putabat Tartaros nõ transire fluuium, quoniã altus est, limosus multum, & impermeabilis. Tartari aũt qui multò maiores fluuios transierant, inuento uado Titiam noctu transnatarunt, & in aurora exercitum Hungarorum cum Bela rege eorum undiq; circundederunt, missisq; densis, & quasi infinitis sagittis, uelut quum grando nebulosus ac densus cum fragore descendit, Hungaros perturbarunt, multos occidẽdo, plurimos uerò uulnerando. Hungari ergo ueluti impræparati, & absq; ordine contrauenientes cadebant. Quod alij uidentes, meticulosi clàm discedebant & fugiebant. Tartari uerò tanquã astuti, sinebant eos per mediũ sui transire. Vnde Colomannus frater regis sic, & rex Bela quartus tanquam ignoti euase-

runt. Reliquos uerò conclusos Tartari crudelissimè ad unum necauerunt. Inter quos spirituales maiores ceciderunt, Mathias Strigoniensis archiepiscopus, Vgolinus Colocen. archiepiscopus, Georgius episcopus Iaurien. Reynaldus episcopus Transsyluanien. & ecclesiæ Nitriensis episcopus, Nicolaus Scibinien. præpositus Vicecancellarius regis, Eradius archidiaconus Bachiensis, magister Albertus Strigonien. archidiaconus. De alijs autẽ secularibus nobilib. & ignobilibus ferè infiniti occisi sunt: & qui fugerãt cõsequuti in uijs necati iacuerunt. In Pest etiã multi plebani collecti in ore gladij superuenientib. Tartaris perierunt. Rex aũt Bela quartus properè fugit ad metas Austriæ, ubi captus & detẽtus fuit per ducẽ Austriæ: tandem dimissus ad reginam coniugẽ suam perueniens, secessit in Sclauoniam, illic usq; ad persequutionem Cadan cõmoratus. Vastata itaq; Hungaria ex una parte Danubij, in hyeme proxima gelato Danubio in partem alterã penetrauerunt, & sedes inter Iaurinum & Strigonium fixerunt, ubi in hanc diem fossæ & tumuli habitationis eorum cernuntur. Ex quo loco præfatam trans Danubium regionem spolijs, incendijs & occisionibus crudelissimè afflixerunt. Quumq; in Tartariam secedere proponerent, diuiso exercitu, princeps Cadan aduersus regem Belam in Sclauoniam diuertit. A cuius facie territus rex, ad mare, tandem ad Polam ciuitatem fugit. Cadan autem quemadmodum cum Bathi constituerat, pertransitis & uastatis Bosna, Seruia & Bulgariã substitit circa Danubium, donec horda Imperatoris Bathi superueniret. At Bathi post discessum Cadan uallauit & expugnauit Strigonium urbem, illa tempestate nobilem, cuius incolæ erant uarij mercatores, Almani, Gallici & Italici: & quia thesauros quos Tartari expetebant in terra suffoderant & occuluerant, idcirco omnes necauerunt, nulli sexui, nulliq; ætati parcentes: destructaq; Strigonio, secus Danubium transeuntes ad exercitum principis Cadan operientem & expectantem peruenerunt. Tandem iuxta paludes Mæotidis uia priori in Tartariam abierunt. Tempus autem quo Tartari Hungariam afflixerunt, & multimodè uastauerunt, erat ferè biennium.

Quomodo Innocentius papa quartus misit ad Cham Tartarorum, ne Christianos persequeretur: & quomodo fidem Mahumeti susceperit. CAP. V.

Discedentibus Tartaris tota Europa contremuit, & principes Christianorum timore perculsi, ne redirent consulebant inuicem. Innocentius quoq; papa quartus ex consilio Lugdunen. fratrem Ascelinum ordinis prædicatorum cum pluribus fratribus eiusdẽ & aliorũ ordinũ ad eos misit, anno domini M.CCXLVI. qui per Almaniam & Bohemiam in Vratislauiam uenit, exceptusq; & ueneratus est à Boleslao Slesiæ & Vratislauiæ duce. Exinde transiens ad Lancitiam peruenit, à Conrado duce Mazouiæ cum suis recollectus et hospitatus. Dehinc ad Cracouiam deductus, à Boleslao pudico, genitriceq; eius Grimislaua, & à Prandotha ordinario loci benignè suscepti & habiti sunt, pluribus pellib. subtilibus prouisi, supra id quod proprio ære potuerunt emere, quoniam principes Tartarorum sine munere adire nephas est. Tulit autem fortuna, ut esset apud Boleslaum pudicum principem Cracouiæ atq; Sandomiriæ, Vasilko princeps Russiæ, nepos matris suæ: huic itaq; cõmendati, in Russiam per ipsum deducti sunt: ad Kiouiam uerò uenientes, equos acquisiuerunt pro conditione terrarum Tartarorum ualentes, qui pedibus aquam & pabulum sub niuibus sibi quærerent. Tandem ex Kiouia procedentes, plures duces Tartarorum pertransierunt donec ad Cham seu Imperatorem Tartarorum applicuerunt. Cui legatione domini Papæ Innocentij quarti exposita, postulauerunt ut deum uniuersorum agnosceret atq; coleret, & eum quem misit Iesum Christũ: utq; gentem Christianam crudeli nece, quemadmodum fecit in Polonia, Hũgaria & Morauia non perderet. Et accepto responso, quod Cham per quinquennium gentem Christianam non inuaderet, per eandem uiam ad dominum apostolicum cum literis Imperatoris Tartarorum redierunt. Habes in speculo historiali Vincentij libro XXXII. hanc historiam, quam cautè legas necesse est, quoniã in aliquibus superstitiosa est. Post discessum legatorum Christianorum superuenerunt legati Saracenorũ, persuadentes Tartaris, ut sectam & fidem Mahumeti acceptarent, tanquã faciliorẽ & tolerabiliorẽ, uoluptatibus plenam, uirisq; belligeris competentiorem, Christianorum autem religionem confutando dicebant esse otiosorum, imbecillium, & idololatrarum imagines colentiũ: Saracenorum uerò legem multis utilitatibus atq; uoluptatibus refertã, & cæterarum religionum ui & armis expugnatricem, ut superbos debellaret, humiliatis uerò tributum constitueret. Placuit barbaris & ipsi primum Imperatori Bathi & omnibus Tartaris, tanquam uiris cordatis audacibus & sensualibus persuasio Saracenorum, ideo illam & non alteram susceperunt. Et quum dicant Eissa Rocholla, id est, Iesus est spiritus domini: Mahumet uerò Rossolai, id est, Mahumet est iustitia dei, noluerunt spiritum dei Iesum benedictum spiritualiter uiuere do-

Vincentij historia fabulosa.

uere docentem acceptare: sed iustitiam dei, hoc est Mahumet carnaliter & tanquam bestiam sensualem in spurcitijs uolutantem, ab omnipotenti deo iustè in lacu pœnarum die ac nocte cruciandam amplexati sunt. Itaq; ex tunc uelut & nunc Mahumetum uenerantes sequuntur. Pentateucho Moysi obediunt, circunciduntur, & legalia obseruant, campanis carent: se quotidie lahi illo illoloh, quod in Latino sonat: Non est deus nisi unus deus, clamant. Ingenue se profitentur Ismaelitas, quia de Ismaël ortos: Christianos uerò dzintis, id est, paganos, & gaur, id est, infideles, & sine religione appellant. Celebrant uelut alij Saraceni, tria in anno festa, primum kuiram, id est, oblationis pasca in memoriam oblationis Isaac, quando Abraam multarum gētium pater præcepto dei ipsum necare & offerre proposuerat. In isto festo offerunt arietes, aues, alites &c. Aliud festum colunt pro animabus, tunc uisitant sepulchra suorum maiorum, operibus misericordiæ insistunt, & alunt pauperes. Tertium festum agunt pro se suaq; salute. Pro primo festo ritè peragendo triginta diebus ieiunant, pro altero uno mense, pro tertio duodecim diebus.

De moribus Tartarorum, & de contentis in terra eorum. CAP. VI.

TArtari sunt homines ut frequenter staturæ mediæ, pectore, & scapulis ampli, facie lati, naso simi, colore tetri & deformes, robusti uirib. & fortes, famē, frigus & æstū facilè patientes: equitatu ab ineunte ætate & arte sagittādi gaudentes. Omnia sua secū ducunt, uagi & instabiles loco, cū uxoribus pueris atq; pecorib. in cāpis degūt. Ciuitates, uillas & domos non habent. Pro hyeme ad releuandū à frigore, ad mare Caspiū diuertūt, quoniā illic ratione maris tēpeuiē aëris inueniunt. Ad æstatem in suā regionē redeūt. Aliqui eorū unam porcam, duas, tresúe in longū per iugera tria, quatuor & ultra sulcant, arāt, & milio seminant, inde cibos & bairā, id est, pastas faciunt. Non habēt frumentum, nec aliquod aliud legumen, pecora & pecudes plurimas tenent, præcipuè caballos & caballas pro equitatu & uictu ualentes. Incidunt & uulnerant equos, cruoremq; & per se, & cū milio uorant: carnes pecudū, pecorum & equorum comedunt etiā semi crudas. Caballos pridie tum sponte, tum morbo mortuos exciso loco apostemato perlibēter comedunt. Bibunt aquam, lac, & ceruisiam ex milio coctam. Aquam Turchi & Tartari uocant Su: interdū Tartari dicunt Suha, id est, aqua. Ceruisiam aūt miliarē seu ex milio factā, buzā nominant, eandē Ruteni Bracha uocant. Laudant lac, præsertim komiz, id est acetosum, eo quod stomachū eorū confortet, & medicinam purgatiuā faciat. In conuiuijs & cum hospitibus aduenisq; bibunt Araka, quod est lac sublimatū, quod mirabiliter & cito inebriat. Non furantur, neq; fures inter se patiuntur, rapto tamen uiuere uicinos spoliando periucundum & deificum est apud eos. Nō sunt artificia inter eos, nec pecuniæ, sed res pro rebus commutant. Verum in horda Zauolhensi, inceperūt aspros, id est, argēteos obolos Turcorū accipere & tenere. In horda uerò Prekopeñ. ducatos acceptant. In horda Nohaiska res pro rebus dant, uafri & perfidi sunt exteris, sibijnuicem uerò & suis omnibus fidelissimi. Indumenta sæpenumero ex filtro & lana alba grosse & planè facta gerūt. Oponce plurimum diligunt, in expresione huius nominis præponūt literā, i, ioponce, & nō oponce nuncupantes, & est palliū album spissum inconsutile pro imbribus & fluuijs benè utile. Terra eorum terra plana & absq; montibus, absq; lignis & arboribus, graminibus duntaxat abundans. Vias non habent, neq; nauigia, sed per dies iter suum computāt, ut terra Zauolhensium Tartarorum citissimæ equitationis, à flumine Volha ad mare Caspium est quasi triginta dierū: equitant una die triginti milliaria magna Germanica, pedib. non gradiuntur nec itinerant. Feræ apud eos reperiuntur, ceru, damæ, dorcæ, & snak, quod est animal quātitatis ouis, in terris alijs non uisum, lana griseum, duo parua cornua habens, cursu uelocissimum, & esus carnium eius suauissimus. Et dum grex snak in aliquo campo inter gramina cōspicitur, Cham seu Imperator Tartarorum cum suorum multitudine equestres uadunt, & omniquaq; circundant in altissimis graminibus delitescentes. Dumq; tympanis incipiunt sonare, tunc snak tāquam metu perculsæ, rapidissimè hinc atq; illinc ab una parte circumstantium ad alteram procurrunt, & iterum atq; iterum decursando uadunt, usquequo fatigati deficiant, tunc irruentibus Tartaris cum clamore occiduntur.

De finibus & metis Tartarorum Zauolhensium. CAP. VII.

CLauditur terra Chā & Tartarorū Zauolhensiū ab ortu solis mari Caspio seu Hircano. A Septētrione cāpis longissimè, latissimeq; protēsis. Ab occasu fluminibus Tanai & Volha. A meridie partim mari Euxino seu Pōto, partim altissimis montibus Iberiæ & Albaniæ. Mare Caspiū uocant Ruteni Chualens ke more: & est mare non ab Oceano, sed à fluminibus illic defluentibus congestū. Fluunt multa ac

magna flumina in aluearium illius maris, de ripis altis impetuosè & quasi per saltum ex alto in medium decidentibus, & iuxta ripas sub ipsas transeuntibus iter præbentibus. Vnde fit ut ibi in æstate à Persis & Medis refrigerium quæratur: & in hyeme ratione euaparationũ temperies cõflatur. Iuxta illud mare & post ad orientẽ, ut Ruteni proferũt, sunt Tartari criniti, quos Tartari Calmuchi & paganos nũcupant, quoniam ritũ Mahumeticũ non colunt, nec crinis capitis abradunt, quemadmodũ Tartari oẽs radunt, præter adolescentes, q rasa coma binos radios criniũ ab aure dextra, & alium à sinistra usq; in brachia prominentes, in signum innubilitatis aut uirginitatis relinquunt. Ab occasu sunt flumina Tanais & Volha. Tanaim Tartari Don appellãt, qui secundũ fontes suos ex ducatu Resensco à duce Moscouiæ occupato, uersus septentrionẽ fluit. Pòst flectitur in meridiẽ, & tribus ostijs paludes Meotidas ingreditur: imò ipse paludes Meotidas causat. Sunt iã circa Tanaim arbores, pomaq; et alij fructus: sunt & mellificia quercina nonnulla, & pauciora de pino. Inde est quod Tartari sanctũ Don dicunt: quia iuxta illũ, uictum ex fructibus, melle & piscibus reperiunt. Volha fluuius Tartarice Edel nuncupatus, ex Moscouia profluit, ex fontibus septentrionalibus & occidentalioribus quàm Tanais: qui quum ad septentrionẽ flueret, longo Tanaim circũiẽs interuallo, deflectitur in orientẽ & meridiẽ, & uiginti quinq; ostijs seu fluminibus in mare Euxinum delabitur. Distat Tanais à Volha quinq; hebdomadarum itinere, ad minus ueloci cursu trium hebdomadarũ equitatione, uel plus. Et est Volha triplo maior quàm Don. Viginti quinq; aũt partitiones, seu particularia flumina ipsius Volhæ sunt magna: minora autem ex eis sunt tanta, quantus Tyberis Romæ, aut Vissa post Cracouiam. Sunt multũ piscosi præfati fluuij, ita quod framea Tartari, cæteriq; transeuntes in ripa stãdo pisces cũ aqua decurrentes secent & tollant. Est iuxta hos fluuios Tanaim & Volha air, id est, calamus aromaticus, qui & brostuorsc dicitur, in maxima copia. Ibidẽ reuponticũ, quod Tartari nominant cinireuent, crescit: & cinireuent nomen est Persicũ. Itẽ cucilabuca, uel ut alij exprimũt hilcabucha: & in Latino sonat oculus cornicis: & est multæ calefactionis. De ortu horũ fluminum Don & Edel, quum de Moscouia tractauero clarius dicam. Quoties aũt Tartari Zauolhenses in terras nostras spoliatũ ire uadunt, & per hæc & alia flumina absq; nauigio, alligatis sarcinis desuper, coniugibusq; & pueris in dorsis equorũ sedentibus, ipsimet caudas caballorũ tenentes transnatant, & rapinas, crudelitatesq; plurimas inferunt. Ad meridiẽ uersus mare Caspium sunt mõtes Iberiæ & Albaniæ, quos Rutenia gẽte Piasihorsci Circaci, quasi quinquemontani Circaci uocãt. Inter illos siquidẽ montes sunt Gazarorũ gentes, quas ut Morauica Legenda depromit, sanctus Cirullus & Metudius fratres, per Michaëlem imperatorem Constantinopolitanũ missi, ad fidẽ Christi conuerterunt, & usq; nunc fidem & ritum Græcorũ profitentur: sunt homines bellicosi, in tota Asia & Aegypto acceptabiles. Apud hos Tartari Zauolhenses tela comparant. Verum hac ætate Græci illas gentes Abgazari & Abgazeli nominant, et uicinæ iuxta illos sunt gentes Circassi & Mengrelli, oẽs de ritu Græco per beatum Cirullum in fidem Christi reductę. Inde sanctus Cirullus rediens ex mari Euxino seu Põtico (in quo omnipotens deus mirabilis & gloriosus in sanctis suis, dederat habitaculum & ecclesiam marmoream per manus angelorum sancto Clementi structam, quam singulis annis in festo sancti Clementis & septẽ diebus, mari recedente & siccato, securè circumsiti incolæ aggrediebantur, sanctum dei uenerando, colendo & extollendo) sustulit corpus sancti Clementis, & in Morauiam prædicaturus Christum dominum secum tulit & asportauit. Deinde Romam euocatus, & per papam Nicolaum citatus, prędictum corpus sancti Clementis Romam detulit, & in ecclesia sancti Clementis honorifice deposuit. Ipse Cirullus cum Metudio fratre in eadem basilica beati Clementis Romæ sepulti: sed non reperta ossa illorum, quantum libet summè desiderata in eadem basilica quæsita. Ex montibus Circassorum piacihorski, seu quinque montium fluit magnus fluuius Tirck in Tartarico nuncupatus, rapidissimo cursu lapides secum uoluens, & multos pisces, in mare Caspium defluit. Post hunc ex eisdem montibus fluuius Cohan, minor quàm Tirck, in prænominatum mare Caspium descendit.

Tartari criniti.

Don flu.

Edel flu.

De genealogia imperatorum trans Volham incolentium. CAP. VIII.

QVatuor sunt hordæ Tartarorum, totidem imperatores eorũdem, scilicet horda Zauolhensium, horda Precopensium, horda Cosanensium, & quarta horda Nohacensium, quintamq; addunt quæ imperatorem non tenet, & nuncupant eam Cazacca: de his inferius dicetur. Horda in Tartarico multitudinem significat. Principalis ergo horda est Czahadaiorum siue Zauolhensium, quæ Tak Xi, id est, capitalem hordam, uel homines principales & liberos sese nominat, tum quia nulli subijcitur, tum quia ab ipsa cæteræ hordæ propagatæ sunt. Ob hoc & Mosco-

Horda.

Moscouitæ magnam hordam Zauolhensium hordam appellant. Inde etiam imperator eorum Ir Tli Xi lingua ipsorum, hoc est, liber homo dicitur. Dicitur & Vlu cham, quod sonat magnus dominus, siue magnus imperator: ulu enim magnus, cham uerò dominus & imperator est. Eundem aliqui magnum canem dixerunt, & malè interpretati sunt: quia Vlu cham non significat magnum canem: cham etenim cum aspiratione dominum & imperatorem: & cham sine aspiratione cruorem & nunquam canem sermone Tartarorum designat. Produnt itaque & referunt Tartari, quod quædam uidua concepit & peperit filium nomine Cinkis, & quum filij ipsius tanquam adulteram necare uoluerunt, finxit & excusauit se non ab homine, sed à radijs solis concepisse. Cui figmento filij credentes matrem liberam dimiserunt. Natus ergo eius Cingos uel Cinkis, homo fortis humilis, creuit in uirum magnum & fortem: & is fuit primus propagator & sator imperatorum Czahadaiorum seu Zauolhensium. Huius filius fuit Iocucham gentilis & paganus Iocucham genuit Zaincham tertium imperatorem, qui in orbe terrarum, & maximè in Polonia, Hungaria & Rusia dicitur Bathi. Iste destruxit Gothiam & Rusiam, & uastauit Poloniam, Slesiam Morauiam & Hungariam, prout à principio dictum est. Idem Bathi fuit gentilis primum: tandem sectam Mahumeti persuasus cum Tartaris suscepit, quam in hanc diem tenent & sequuntur. Quartus imperator ex Bathi genitus fuit Temir Cutlu, & interpretatur ex Tartarico felix ferrum: temir felix, & cutlu ferrum: erat siquidem felix & bellicosus. Iste est ille Tamerlanes in historijs celebratus, qui totam Asiam uastauit, & usque ad Aegyptum pertransiit. Iste imperatorem Turcorum Pesaitem primum conflixit, & captiuatum catenis aureis alligauit, & post in breui dimisit. Iste habuit exercitum duodecies centena millia. Fuit & alius princeps Tartarorum eo tempore Acsac Cutlu, quod in Latino sonat claudus, uel claudum ferrum: quoniam claudus erat, sed ferox. Is multa bella feliciter gessit, & ciuitatem magnam in terra Czahaidi, id est, Tartarorum Zauolhensium, nomine Cumumedezar expugnando desertauit, & in solitudinem redegit. Stant domus illius ciuitatis muratæ uacuæ, & ecclesię olim Gothorum trecentę in ritum Mahumeticum & Mesquitas absque habitatoribus redactæ. In castro illius ciuitatis fit sepultura imperatorum Zauolhensium. Quintus imperator ex Temir Cutlu progenitus fuit Temir Czar. Iste dicitur, per Vitoldum ducem Lithuaniæ & Vladislaum regem Poloniæ in auxilium contra cruciferos Prusiæ euocatus fortiter pugnans ferro occubuisse. Sextus imperator ex Temirczar genitus fuit Macmetczar. Ex isto genitus est Achmetczar septimus imperator & achmet sermone Tartarorum exponitur componibilis. Achmet genuit Sziachmet octauum imperatorem. Sziachmet sonat quasi religiosus achmet: & Tartari cognominant ipsum Siachmet, quod est martyrizatus Achmet: quia per Lithuanos captus detinetur, in Couno incarceratus, iste euocatus per Albertum regem Poloniæ, & per Alexandrum magnum ducem Lithuaniæ in solatium contra Mendligeri imperatorem Procopensium Tartarorum anno domini millesimo, quingentesimo uenit sub hyemem cum sexaginta millibus pugnatorum: mulieres uerò & pueri fuerunt supra centum millia: & quia hyems fuit horrida, intensique frigoris, coniunx eius per imperatorem Precopensem clàm uocata, frigus & inediam non ferens, in Precopa Siachmet marito suo cum magna parte exercitus fugit. Itaque Siachmet militibus diminutus, & intensissimo frigore pressus, per Mendligeri Precopensem oppugnatus, disiecto eius exercitu conflictus est, & cum trecentis equis uersus Baiazetem Turchorum imperatorem fugit. Quumque in Bialigrod, quod sonat album castrum iuxta mare ponticum peruenisset, intellexit se captiuandum mandato imperatoris Baiazet: idcirco præpeti cursu retro cum quinquaginta equis fugit, & in campos propè Kiou euasit. Capitaneus uerò Kiouiensis per exploratores de ipso certior redditus, circundedit eum cum suis & captiuauit, in Vilnamque Lithuanis misit, unde aliquoties fugerat, & consequutus, comprehensus & reductus est. Alexandro autem rege Polonię & magno duce Lithuanię conuentionem generalem in Bresce Rutenorum agente, aduenit mandato eius Sziachmet ex Vilna, & magnificè per regem Alexandrum ad unum milliare obuiam sibi eunti susceptus est: deinceps in Radom per Polonos, ut reduceretur in Tartariam trans Volham, conductus aliquot millibus armatorum leuis armaturæ, decretum est: & ut competentior reductio, & à suis laudabilior susceptio fieret, præmiserunt Cazac Soltan fratrem germanum Sziachmet: qui trans Volham peruenit, & cum Albugerim czar patruo Sziachmet in Czahadai terra eorum cognata moratur. Siachmet uerò pro expeditione armatorum in Lithuaniam transiens, ad suggestionem Mendligeri Precopensis imperatoris captiuatus est denuo per Lithuanos, & in Couno, quod est castrum iuxta mare Balteum, detrusus ac incarceratus est, uerè Siachmet, id est martyrizatus, à suis nuncupatus.

Vlu cham.

Tartarorum Catalogus imperatorum.

Quod

Quod gentes Scythiæ inquietæ sunt & semper rapaces. CAP. IX.

NOn possunt Tartari in quiete uiuere, quin semper uicinos impetant ac inuadant, prædamq; ex spolijs hominum ac pecorum abigant & reportent, & hoc commune est omnibus hordis Tartarorum, ab exordio & ingressu eorum in hanc diem: unde pauca pro multis examplificando. Anno domini millesimo, ducentesimo, quinquagesimo quarto ingens Tartarorum exercitus ex multis legionibus conflatus, & per gentes Rutenorum atq; Lithuanorum adauctus, cum ducibus Tartarorum Nogay & Thelebuga post festum sancti Andreæ in terram Sandomiriēsem aduenit, transiensq; per glacies induratas fluuiæ Vislæ, tam ciuitatem, quàm ecclesias eius incēdit, castrumq; in quod uniuersa Sandomiriensium regio cum uxoribus, pignoribus, ac fortunis confugerat cinxit, & illud nocte ac interdiu expugnauit: sed quum non præualuisset, duces Rusiæ Vasilco & Leo filij Danielis regis Rusiæ dolosè suaserūt omagium & subiectionem præstituros propter securitatem, quod Sandomiriensi fecerunt. Tartari autem fide uiolata clamore ualido & concursu inuecti in castrum, omnes crudelibus supplicijs truculentissimè enecauerunt, fluxitq; sanguis occisorum de colle arcis tanquam quidam riuus in Vislam. Alios uero homines occidere fastidientes, tanquam gregem cumulatos in Vislam impulerunt & submerserunt, effusiq; è Sandomiria Tartari ducatum præbentibus Rutenis, in Cracouiam uenientes, & eam uacuam habitatoribus reperientes, in tecta & ualetudinarios sæuierunt, tribusq; mensibus grassati, nullam resistentiam passi, onusti præda in Tartariam reuersi sunt. Præterea apud Cracouiam puer natus uix semestris (mirabile dictu) articulata uoce Tartaros uēturos & Polonorum capita præcisuros prædixit. Cunctis trementibus interrogatus, an ipse etiam Tartarorum aduentum timeret, respondit plurimum sese timere, quum inter alios suum caput essent præcisuri. Et ecce sub intensissimis frigoribus & densissimis niuibus ferocissima gens Tartarorum famem sedatura, ducibus Nogay & Thelebuga primum in Lublienses & Mazouiæ, & post in Sandomiriensium, Siradiensium & Cracouiensium oras in numero locustarum uenit. A' castro & ciuitate Sandomiriensium, cum ignominia & strage, militibus qui in præsidio erant, strenui tutantibus repulsi plures ecclesias, monasteria & munitiones obtinuerunt & incenderūt. Ad Cracouiam autem in uigilia natiuitatis Christi applicantes, & eam expugnari adorsi, aliquot insignes eorum amiserunt, ululatuq; edito ab ea discesserunt, & depopulationem cum spolijs longius extenderunt. Dux Lesco niger de uiribus suorum militum diffidens, in Hungariam cum Griffina sua coniuge secessit. Et Tartari grassantes ad alpes Pannonias & ad Slesiam peruenerunt. Terris itaq; prædictis spoliatis, sacerdotibus, lactantibus, & senibus trucidatis, cum ingenti præda hominum ac pecorum abscesserunt, quum apud Vladimiriam Rusiæ parentes uiginti unum milliā de uirginibus duntaxat nondum nuptis computauerunt: ex quo multitudo cæterorum uirorum & fœminarum poterit æstimari. Eodem ferè tempore Tartari per Cumanos inducti, Hungariam cædibus, & spolijs usq; ad Pest uastauerunt: & in ea ab octaua epiphaniarum usq; ad festum paschæ commorati sunt. Item eodem anno Tartari imperium Constantinopolitanum inuaserunt, & pluribus hominibus trucidatis, multa loca desertauerunt. Vnde ex his liquet, quod Tartari nunquam sine spolijs uiuunt, & quod uicinas gentes turbant & inuadunt, ueluti istis annis Tartari Precopenses sæpenumero Valachiam, Rusiam, Lithuaniam & Moscouiam affligunt. Tartari uerò Nohaienses & Cosanenses Moscouiam inuadunt, & spolijs atque cædibus implent.

Tartarorum perfida sæuitia.

Prodigium.

Quæ gens, quæ natio habitet in Scythia. CAP. X.

QVum sint trecēti & sex anni, quod Tartari ingressi occupauerūt Sarmatiā Asiticā seu Scythiā, pulsaret forsan quēpiā dubitatio, quęnam gentes inhabitarint præfatā Sarmatiā Asiaticā & nunc, & priscis tēporibus Scythiā appellatam. Ad hoc ex precedētibus facilè est secundū historias respondere, quoniā Gothi illas terras tēpore aduentus & ingressionis Tartarorū incoluerūt, à uicinis Polouci nūcupati, quod sermone Sclauorū, Rutenorum & Moscouitarū rapaces & spoliatores sonat: quia tunc Gothi quemadmodum nunc Tartari tanquam canes uenatici uicinas inuadentes nationes molestabāt ac spoliabant. Sed altius exordiendo dicamus quod secundū Ptolomæum Pheludianum in secundo Quadripartiti, angulus Aquilonis septētrionalis, ubi nunc resident Tartari, est de partitione trianguli signorū septentrionalium aureorū: dominaturq; in eo Saturnus cū signo aquarij, qui reddit præfatū angulum ferocem & horrēdum secundum incolas eius: sic enim inquit idem Prolomæus: Qui in confinib. terrarum Sarmatię & terræ Ascardę conuersantur, Aquario & Saturno assimilantur: unde maioris sunt crudelitatis, qualitatesq; animarū suarū ferocissimæ. Hæc ille. Malignę siquidē est influentiæ

fluentiæ ille falcifer Saturnus, & humano generi infestissimus, suis contrarijs qualitatibus frigiditatis & siccitatis semper contrarius. Ex illo ergo angulo consurrexerunt & usque in hanc diē insurgunt nationes rigidæ & crudeles, humanum genus perturbātes, secundum quod Hieremias primo capitulo dixit: Ab Aquilone pādetur omne malum, super omnes habitatores terrę. Quod si cui placeret examinare, manifestissimum et uerum, quia diuinū oraculum, apparebit. Ibi enim historiæ, & Ptolomæus in loco prææallegato tradunt mulieres quę Amazones dicuntur, habitasse, illis tēporibus terror mundi: nam fragilitate sexus abiecta, plures terras uexauerunt, Asiamq; minorē occupauerunt, & Ephesum famosam urbem construxerunt. His deletis & exterminatis successerunt aliæ nationes Scythæ cōmuniter nuncupatę, orbi terrarū utplurimum molesti. Tandem superuenerunt Gothi, qui & Gethæ uocantur, quorū captiui à Grecis, & comicis eorum Geta, & à Dacia Dauus & Dacus, tanquam sclaui & serui tēti & nuncupati fuerunt. Hi longo tempore possederunt illas terras, ciuitatesq; & castra mutauerunt: præda ut semper uixerunt, donec ex Iubra à finibus septentrionalis Scythiæ superuenerunt Iubri, qui postea Hugui, deinde Hungari sunt dicti. Hi Gothos sui multitudine presserunt & expulerunt. Ciuitates tamen & quædam castra non obtinuerunt. Gothi pulsi alienas sedes intrauerunt: primumq; Alanos, Roxolanos, Rutenos & Vandalos eiecerunt: tandem iuxta mare Ponti commorati, Bulgariam, Thraciam, & imperium Constantinopolitanum inuaserunt, quos Zeno imperator perhorrescens & suspectos habens, ad Italiam liberandam de manibus Odoacri Eruli misit, prout infrà dicetur. Vandali uerò & Alani uagi, à Constantino Magno sedem petierunt, & pro mansione Pannonias acceperunt. De his specialiter inferiùs tangetur. Iubri autem multiplicati per flumina magna transeuntes, ut fertur, per uenatores ceruam sequentes ducti & animati, terras Russorum intrauerunt, & Pannoniam properè aggresi sunt: præficientesq; eis Attilam in ducem, ferè toti Europę molesti fuerunt. Deinceps Gothi q sup remāserant, pace oblata multiplicati sunt, & Tartaros inuasores, imò & exterminatores, prout in principio huius operis diximus, acceperunt. Hęc summariè de habitatoribus Sarmatiæ Asiaticæ dicta sunt. In sequentibus autem ampliùs & particulariùs dicetur.

Amazones. *Gethe.* *Hungari.* *Iubri.*

De Gothis. CAP. XI.

Gothi de Scythia pulsi partim in Taurica insula, & iuxta eam, iuxtaq; mare Ponti cōmorati sunt: partim uerò cū Ragaso rege eorū plus quàm ducenta millia Italiā inuaserunt: & quū Roma tremeret, & tantā potentiam expauesceret, multitudo eorū in aspero montis Fesulani iugo inedia cōsumpta est: captusq; & in uincula coniectus est Ragasus rex: exercitus uerò eius tanquā pecudes disiectus, trucidatus, & uenundatus est. Hi aūt qui circa Tauricam & Pontū sederūt, bifariam diuisi sunt, & qui cum duce Alarico ad occasum in Italiam & Galliam profecti sunt, Visigothi, id est, occidētales Gothi uocati sunt. Qui uerò cum principe Frigiderno in locis suis ad mare pōti permanserunt, Ostrogothi, hoc est, orientales Gothi sunt appellati Exinde apertum & manifestum est, unde Ostrogothi & Visigothi dicti sunt Patet, etiam, quod Gothi sub rege Daciæ in Gothia degentes, friuolè & ineptè eis nomina Ostrogothorum & Visigothorum approprianr, quum non de ipsis, sed de his quos diximus circa Pontum & Mysiam commorantibus, & illis ad Gallias transeuntibus, orientales et occidentales Gothi primum & uerè dictum sit. Illi autem in Gothia, in septētrione ad oceanum in terra algidissima, haud in oriente degunt: maleq; & absurdè aliena nomina eis usurpant. De hoc uide Paulum Diaconum libro decimo sexto, capite secundo. Orientales quoq; Gothi Mysiam & Thraciam, cęterasq; Constantinopolitani imperij prouincias ingresi sunt, quos imperator expauescens, & ab Imperio Constantinopolitano semouere cupiens, cum Theoderico rege eorum ad liberandam Italiam contra Odoacrū misit. Hi per Seremium & Pannoniā gradientes, quum prope Aquileiam circa fluuium Sontium se suaq; iumenta reficerent & pabularent, Odoacrum cum grandi exercitu uenientē, & eis oppugnationē inferentē fuderunt. Qui fugiens Romam peruenit: & quia clausas ei portas reperit, retrocedēdo ad Rauennā cucurrit: quē Theodericus obsidione cinxit, & post trienniū cum eo compositione facta, dolo occidit, totiq; Italiæ dominatus est. Qui aūt reges Gothorum in Italia, Gallia, & Hispania fuerunt, de facili ex historicis colliges: quoniā de his non est mihi intētio principalis scribendi. Iubris aūt siue Hungaris, de Sarmatia Asiana in Pannoniā abeuntibus, reliquiæ Gothorum auctæ & multiplicatę sunt, quas Tartari ab oriēte superuenięntes in toto deleuerūt: sed & ciuitates, castraq; demoliti sunt, ut solū in Taurica insula residui reperirentur. Verum Ianuenses ex Italia Theodosiam seu Caffam urbem famosam in Taurica insula sub ipsis obtinuerūt, & coloniam fecerunt. Tandē Tartari de familia Vlanorū, de quibus infra dicetur, per portum septentrionalem insulam ingresi, totam cum oppidis, pagis & cam-

& campis occupauerunt, ducibus de Mancup, qui generis & linguę Gothorum fuerunt, duntaxat castrum Mancup retinentibus. Postremò Mahumet octauus Imperator Turcorum, auus moderni Selambeci imperatoris, Tauricam insulam comprehēdit, Caffam expugnauit, Tartaros Precopenses seu Vlanos cum toto Cheroneso homagiales sibi fecit, & ultra insulam ad septentrionem, castrum Azau in ripa Tanais incastellauit, & in hunc diem Turci tenent. Binos quoq; duces & fratres de Mancup unicos Gothici generis linguagij superstites, ad spem gregis Gothorum prolificandorum, gladio perculsit & castrū Mancup possedit. Sicq; Gothi penitùs tam circa Sarmatias, quàm in Italia, Hispania, & Gallia extincti sunt, nec eorum genealogia ampliùs comparet.

De Alanis, Vandalis & Sueuis. CAP. XII.

Alani fuēre gentes in Alania regione Sarmatiæ Europianæ, flumini Tanai contiguæ & conterminæ: & est regio plana, sine montibus, paucas sinuositates & colles habens: caret colonis & habitatoribus, quoniam ab inuasoribus eiecti & dispersi, in alienis prouincijs consumpti & extincti sunt. Stant campi Alaniæ latè profusi, tam Alanis quàm aduenis possessorib. orbati ac deserti: duntaxat interdū Cazaci eam pertranseunt, quærentes, ut moris eorū est, quē deuorent. Cazac Tartaricum nomen est, Cozac uerò Rutenicū, ualens in lingua Latina seruilē stipendiarium, grassatorem seu reyteronē: spolijs enim uiuunt, nulli subiecti, gregatim latissimos & uacuos campos tres, sex decē, uiginti, sexaginta, &c. numero percurrentes. Crescit in illa terra calamus aromaticus uberrimè, tartarskiezele à Polonis nomine à Tartaris mutuato nūcupatus: quoniam non longè à Tartarorū regione crescit & multiplicatur. Ast Vandali sunt & fuerūt populi Germaniæ, ut suis traditionibus celebrant Plinius, Suetonius Tranquillus, & Cornelius Tacitus, secus flumen Vandalum à regina eorum in libamen & sacrificiū dijs suis pro uictoria ex inimicis adepta, spōte in ipso submersa appellatū. Hoc flumen Istula & Visla uocatur. Vt autem de Vandalis completior historia referatur, accipiendum est, quod Sclaui ex Iauā filio Iaphet per Helisam procreati sunt. Noë siquidē genuit Sem, Cham, & Iaphet. Iaphet uerò Iauan quartogenitum & fratres eius. Iauan iuxta mare Ionium & Aegeū Grecos edidit & multiplicauit, simul & Helladicos & Aeolios, Sclauosq; per filium suum Helisam propagauit: à Iauan enim Ionium mare dictum est: Hebræi quoq; Ionios & Grecos lingua eorum Iauan uocitant. Hæc est sentētia Iosephi de filijs Noë. Sclaui itaq; mox post Græcos ad occidentem terras possederunt, Seruiam, Russiam, Dalmatiam, Mysiam, Bulgariam, Bosniam, Croaciam, Pannoniam & Sclauoniam. Fuerunt autem principes Lech & Czech bini fratres, Iauan nepotes, de femore Helisæ descendentes, Croaciam ac Slauoniam per Crupam fluuium rapidum & uelocem disterminatas, forte cum cognatione & familijs eorum inhabitantes, regiam, locumq; principalem suæ residētiæ in Psari castro ac uillagio eius nominis tenentes: uilla usq; in hodiernum diem cum suo nomine Psari permanet ad fluenta Crupæ, plures inhabitatores & colonos, nostro æuo etiā linguagij Sclauonici habens. Castrum uerò demolitum solas ruinas & fundamenta arcis demonstrat. Quum aūt ex multiplicatione hominum & genealogiarum Dalmatia, Croacia & Sclauonia eas non comprehēderet, sępenumero iurgia & cædes inter fratres, principes & cognatos pullabant. Quapropter præfati duces Lech & Czech uitando pessima facinora, parricidia & mortes hominum animo concordi & consilio salubri, collectis rebus & gentibus eorum, per familias et colonias cum tota suppellectile, quantulacunq; tunc habebatur, relictis sedibus natiuis, ad occidentales diuerterunt regiones exploratum ire & percontari nouas sedes. Sciebant nanq; orientales meridionalesq; regiones colonis & habitatorib. occupatas atq; refertas: & idcirco frustra eas aggredi ēdas & quærēdas. Profecti itaq; peruenere in Morauiam & Bohemiam, & lustrata uniuersa illa regione, uasta quidem & nondum culta perspecta & aura eius salubri, & gleba fertili, fixerant tētoria in mōte qui Rzip dicitur: cœpitq; Czech frater minor, loci amœnitate delectatus, à maiori natu germano suo Lech plurimis instantijs petere terras Morauiæ & Bohemiæ in hæreditatem suam, posterorumq; suorum perpetuendas & populandas: Lech autem ad obeundam & nutriendam beneuolentiam fraternam, consensit uotis, petitionibusq; Czech, & ualedicens processit cum suis uersus orientem & septentrionem, deueniensq; in terras incultas, à nemine unquam habitatas, Slesiæ & maioris Poloniæ, suos suaq; omnia exposuit & firmauit: multiplicatiq; Lechitę, qui & Poloni, in his locis maioris Poloniæ & Slesię, creuerūt Deo uolente in maximo numero, & impleuerunt Vandaliam, id est, Poloniam, iuxta flumen Vandalum, qui nunc Visla nominatur. Impleuerunt Pomeraniam, Cassubiam, & totam regionem secus mare Germanicum, ubi nunc est Marchia, Lubec & Rostoc usq; ad Vestualiam, sortitiq; sunt uarias nominationēs secundùm uarietatem locorum, quæ inhabitarunt

Bohemi & Poloni ex Sclauis.

runt: & hi, qui penes fluuium Sueuum, nunc in Teuthonico Spre, seu Spreua dictũ commorati sunt, Sueui nuncupati: & alij iuxta eos Burgundi, à casis, & aceruis, quos lingua sua Polonica Brogi uocant, appellati sunt: sicq; de reliquis, Dreuianiæ, & Trauianæ à copia lignorum, & graminum nomina perceperunt. Tempore autem imperatoris Augusti, ut refert Bergomensis in supplemento Burgundorum, octuaginta millia ex Septentrione uenientes, ripas Rheni insederunt, quos Drusus, & Tiberius nepotes Octauiani, ut refert Paulus Orosius, expulerunt, & repedare in cognatas sedes compulerunt. Tandem Drusus Rhenum, & Albim fluuios transeundo pugnauit. Albis fluuius est per Bohemiam, & Misniam usq; in mare Germanicum decurrens, Labya in Bohemico nuncupatus, & in Sueuos, & Burgundos incidit, quibus cũ cruentissimam pugnam egit cũ uictoria. Sed uictor Drusus in eodem prælio per ferocissimam Sueuorum gentem necatus occubuit, & in Maguntiam relatus sepultus quieuit. Exinde Cæsar Octauianus, ut mitescerent sub mitiori cœlo, Sueuos, ut inquit Suetonius Tranquillus, traduxit in Galliam, atq; in proximis Rheno agris collocauit: ubi urbs Augusta in honorem imperatoris Augusti structa est: qui translati in hanc diem Sueui à priori patria, & Vindelici à linguagio Vindelicorum atq; Sclauorum, nominatur, ipsaq; urbs Augusta, Vindelicorum Augusta dicitur. Hæc referunt præfatus Suetonius Tranquillus, & Martinus in sua Martiniana parte secunda, sub descriptione Cæsaris Augusti: tametsi Sueui de prouincia eorum cis mare Germanicum sita educti fuerunt: alij tamen Poloni, Vindelici, & Sclaui subintrauerunt, & illam regionem repleuerunt. Vnde tempore Valentiniani imperatoris, ut dicit Orosius, & Bergomensis in Supplemento, Burgundi iterum ex Septentrione de terra Vindelicorum surgentes, ad Rhodanum fluuium pertransierunt, & quia pacificè illas terras caluerunt, à uicinis eorum intacti, Burgundiam ex suo nomine uocatam constituerunt. Sed Vindelicos circa Lubec, Rostoc, Mekelsburg, & fluuium Sueuũ imperatores Henrici, tanquam gentiles Christum colere nolẽtes expugnauerunt: sicq; ad extremum Henricus tertius deuictis prædictis gentibus Teuthonicos in eorum loca induxit, & locauit. Refert quoq; historia Henrici tertij, quod quatuor reges Vindelicorum capti, diebus festis, & diebus coronationis suæ lebetes, & caldaria in ignominiam eorũ ad coquinam eius ferebant. Et uerum quidem est, quod usq; in hodiernam diem perdurant Vindelici, seu Sclaui in illis locis circa Lubec, Rostoc, Misnam, & Marchiam, non in urbibus, sed in pagis, & uillagijs, præcipuè hi, qui Sarbi, & Vindæ uocantur, permanent, & nomina Polonorum atq; Vindelicorum prisca in nominatione locorum, castrorum, & ciuitatum. Nam Lubec, Rostoc, Mekelsburg, &c. nomina sunt Polonica.

Continua narratio, de Vandalis, Alanis, & Sueuis. CAP. XIII.

EXpulsi Alani è suis sedibus ad Vandalos declinauerũt, & simul Pannoniam intrauerunt, ipsamq; quasi sexaginta annis inhabitarunt: postea rempublicam Romanorum inuadentes Gallias afflixerunt: & exindè (ut referunt historici) ad Vandaliam, seu Poloniam redierunt, & usq; ad tempora Stiliconis commorati sunt: intuleruntq;, ut ex quibusdam signis conijcio, immensam multitudinem argenteorum, cum figura, & effigie Adriani Imperatoris, prout titulus, & superscriptio ostendit. Quam monetam in hanc diem est reperire apud Polonos secùs decursus aquarum, & illuuia pluuiarum, & in campis in cultura agrorum, uocantq; eam ruricolæ denarios Sancti Ioannis Baptistæ, propter expressam imaginem capitis, & colli ad similitudinem capitis Sancti Ioannis in disco. Tempore autem Honorij Imperatoris Stilicon comes Romanus cupiens filio suo Eucherio apicem, & culmen Imperij conquirere, Vandalos, Sueuos, Alanos, & Quados concitauit ad arma, & ad perturbandum dominium Romanorum. Qui in Gallijs debacchantes, diuina, & humana pessundarunt, atq; destruxerunt. Deinde Gothis cedentes Hispanias penetrauerunt, & nunc has, nunc illas terribili mente afflixerunt. Deinceps ad Aphricam occupandam per Bonifacium principem Rom. euocati transierunt, & illam ferro, & igni uastantes conquisiuerunt. Primo itaq; anno Gratiani, puta anno Domini tricentesimo, octuagesimo primo, & deinceps super Vandalos de regno Poloniæ exeuntes regnauit Modigisilus annis triginta. Post hunc filius eius Gundericus in Hispanijs annis sedecim: hic capta Hispali, quum manus in Ecclesiam ipsius ciuitatis extendisset, à dæmone correptus interijt: cui Gensericus frater successit, ut refert Paulus Diaconus, ab Hispanijs ad Aphricam transiens, cunctam penè Aphricam ferro, flamma, rapinis crudelissimè deuastauit, fidem catholicã impietate Ariana infectus subuertit, episcopos profligauit. Sub hoc turbine, teste eodem Paulo diacono, & Posidonio beatus Augustinus episcopus Hipponensis, ne suæ ciuitatis ruinã cerneret, expletis annis uitæ suæ septuaginta sex, migrauit ad Christum. Deinde Gensericus Carthaginẽ in-

uadit, atque capit cum ualidissimo exercitu: ex Aphrica aduectus Romam spoliat, multa millia captiuorum cum regina Eudoxia, & duabus filiabus in Carthaginē duxit, quam Trasamundo filio suo in matrimonium copulauit: Campaniā, & Appuliam flammis consumpsit, Capuam, & Nolam pari ruina strauit. Inter has procellas uir pijssimus Paulinus Nolanæ urbis episcopus, pro cuiusdam uiduæ filio sese in seruitutem tradidit. Regnauit Gensericus annis quadraginta octo. Eo mortuo succesit Honoricus filius eius, qui effugatis amplius, quàm CCCXXXIIII catholicis Episcopis, & Ecclesijs eorum clausis, plebem uarijs supplicijs affecit, & quidē innumeris manus, & linguas abscidit: illis tamen expeditissimè loquentibus, ut refert beatus Gregorius in tertio libro Dialogorū, & Paulus Diaconus in gestis Romanorum. Tandem iudicio Dei percussus, scatens uermibus miserabiliter expirauit. Post hunc Guntamundus nouē annis regnauit. Post quē Trasamundus, qui ducentos, & uiginti episcopos in Sardinia exilio relegauit. Deinde anno Domini quingentesimo, uigesimo regnauit Hildericus filius eius ex Eudoxia filia Valentiniani Imperatoris à Genserico captiuata genitus. Hunc pater Trasamundus ad mortē ueniens, sacramenti nodis astrinxit, ne unquam in regno suo catholicis consuleret. Qui mox patre mortuo antequā regnum susciperet, omnes catholicos ab exilijs iussit reuocare, & episcopis ecclesias reformare. Regnauit annis octo. Hunc Gilimer perimens, annis quinque post eum regnauit, qui tantæ crudelitatis fuit, ut nec parentibus parceret. Tandē Belisarius patritius à Iustiniano Imperatore missus est ad Aphricā, qui magnas copias Vandalorū fudit, regemque eorum Gilimerū uiuum capiens catena argentea uinctū Iustiniano Constantinopolim misit. Sic Vandalorum regnū in Aphrica destructū est. Habes ex prędictis, quod Vandali, Sueui, & Burgundi fuerunt de regno Poloniæ, à locis Polonię, quę inhabitarunt, appellationē, & nomina sortiti, linguam, & sermonē Polonicum profitētes, & loquētes. Habes secundò, quod pręfati populi Vandali, Sueui, & Burgundi, Germani, & non Sarmatæ, neque Scythę fuerunt. Ideò Sigisbertus, Vincētius in speculo historiali, & cæteri antiquiores, inconcinnè, & iniustè Scythas fuisse scripserunt. Collige tertiò, quod prædictæ gentes non de Scandia insula, sed de Polonia oriundi, partem Europę occidentalem, & Aphricam perturbauerunt. Vnde non rectè antiquiores dixerunt eos Scythas ex Scandinauia insula, quum Scythia propriè sit post Tanaim in Asia ad Orientem: Scandia uerò, siue Scandinauia fuit, & est ad Occasum solis post mare Germanicū in Septentrione, Daciæ cohærens, quā rex Daciæ possidet multis millibus passuum à Scythia distans. Valdè ergo indistinctè ac impertinenter iam dictæ gentes, Alanique, Gothi, & Huni ab inexpertis de Scandia dicuntur exijsse, quum in ea nunquā fuerint, nec eam penetrauerunt, aut contigerunt. Collige quartò, quod Poloni, & Bohemi, Sueui, & omnia genera Sclauorū post diluuium in hanc ætatem in suis sedibus, & cognatis regnis permanent, & non aliundè superuenerunt. Nec est uerū quod fassus est Blondus (salua uenia tanti historici, in alijs doctissimè scribentis, & modernorum, sequaciumque eorum) quod Sclaui à Tanai, & Bosphoro ascenderunt in Illyricum, Dalmatiam, & Croaciam. Lech quoque, & Czech principes Polonorum, & Bohemorum ad Occidentē diuerterunt, & terras Vandalorum post egressum ipsorum in Gallias intrauerunt, quum Sclaui in ipsorum prouincijs, & in principes Lech, & Czhech in Polonia, & Bohemia à diluuio in nostram ætatem permanserunt, permanent, & Deo fauente permanebunt. Veruntamen Ruteni cum suis principibus ascenderunt eo tempore, & alijs de Russia, & Bosphoro in Illyricum, & Croaciam, & spolia referebāt pinguia, nec illic permanserunt. Etiam exeunt de Vandalia, seu Polonia armigeri sexaginta millia, nonnunquā centum millia ad oppugnandum hostes: nec per hoc desertatur regnū Polonorum, quum ciues, mercatores, & coloni agrorum in oppidis, & uillagijs intacti permanent absque desolatione, & sic quod non sint loca ingrediendi, & occupandi exteris: sicut fuit, & tempore Honorij Cęsaris, quando Vandali pugnatores duntaxat, exiuerant in Gallias. Et adhuc inquiunt historici, quod regressi Vandali, qui primū Gallias affligebant, sedes eorum in Vandalia inhabitauerunt: ergo alij ipsas non occupauerunt. Collige quintò, quod linguagium Schlauorum amplissimū est, & diffusum, plurimas terras, & prouincias possidens, ueluti sunt Seruij, Mysij, Rasci, seu Bulgari, Bosnenses, Turco hac tempestate subiugati, uelut sunt Dalmatę, Croatæ, Pannonij, Sclaui, Carni, Bohemi, Moraui, Slesitę, Poloni maiores, & minores, Mazouitæ, Pomerani, Cassubitæ, Sarbi, Ruteni, Moscouitæ: hi omnes Sclaui, & Vindelici sunt, per ampla regna inhabitantes. Sed & Lithuani iam sclauonizant: Nugardi quoque Plescouienses, Smolnenses, & Ohulsci. Vide chronicas eorum, & cosmographias. Collige sextò, quod cis mare Germanicum Poloni, Sueui, & Burgundi, consumpti, & exterminati sunt per Henricos imperatores, duntaxat Sarbis, & Vindis, seu Vindelicis adhuc manentibus, ut expressum est suprà.

Lingua Sclauorum latiss.

De dua-

De Iburis, CAP. XIIII.

IHuri de Iuhra terra Scythiæ septentrionalissima, & frigidissima, iuxta Oceanum Septentrionis, à Moscouia ciuitate Moscorum ad Orientem, & Septentrionem quingentis milliaribus magnis Germanicis distante, ascenderunt, & uenerunt per terrā planam ad meridiem in regionem Gothorum in Scythia, ubi nūc Tartari Zahadaienses, seu Zauolhenses degunt, presseruntq; sui multitudine, & eiecerunt Gothos de Gothia in Sarmatiam. Quumq; coaluissent, & penè in infinitū multiplicati fuissent, audientes à uenatoribus, qui ceruā sequentes transierant flumina Volbæ, & Tanais, quod esset terra Sarmatarū Europæ fertilior, & auræ mitioris, coaceruatim præfata flumina transnatantes, Sarmatas, & Rutenos conflixerunt, Gothosq; insequentes cum eis in Mysia, & Thracia bellarunt, & eos superarunt: intrantesq; Pannoniam solo uino, & regionis ubertate delectati, mansionem in ea fixerunt: Maternum, & Tetricum capitaneos Romanorum cū eorum gentibus aggresi conflixerunt, & Materno occiso Tetricum in fugā uerterunt: præterea regem elegerunt, & supra se constituerunt uirum uafrum, animosum, & strenuum, Attilā nuncupatum, quē Hungari suo idiomate Ethele uocāt. Is aduocatis, & recensitis multis regibus, & gentibus, Gallias ingressus, eas tyranniter, & crudeliter uastauit. Et quum ad campos Cathalaunicos longè, lateq; patētes deuenisset, Aetius patricius cum Romanorū cohortibus, cum Theodorico rege Gothorum, multisq; alijs gentibus aduersus eum accelerabat. Quo comperto Attila aruspices de uictoria cōsuluit, qui inspectis extis superatum iri, inferioremq; ipsum in illo bello fore dixerunt, adijcientes, quod maior de inimicis occideretur: putabatq; Attila, quod Aetius supremus dux partis aduersæ caderet, aliquo modo de morte ipsius gaudens (terribilis enim uisa est ei potentia Aetij) acies ordinauit, & instruxit, cauteq; ad uesperum, nō in meridie tubas canere iussit, & congredi. Vbi numerosissimus populus cæsus est, & Theodoricus rex Gothorum, nō Aetius, quod Attila optabat, cecidit, & occubuit. Attila uidens se uictum, se & suos inter currus in medium castrorū recepit: nox enim aderat: præcepitq; è sellis equitum in struem congestis focum accendere, ut si impeteretur, præcipitaret sese in ignē, & arderet potius, quàm in manus hostium deueniret. Altera autem die Thorismundus filius Theodorici Regis Gothorum, ultum iri cupiens necem genitoris, contra Attilam acies instruebat. Aetius uerò suspectam habens potentiam Gothorum tanquam & Hunorum, persuasit Thorismundo, ut omissa pugna ad possidendum solium paternum properaret, ne frater eius regnum præoccuparet: quo permotus discessit, Aetiusq; & omnis exercitus ipsius solutus recessit. Tunc Attila exhilaratus, spes iniquas ultionis coquebat, & è loco secedens, urbem Remensem obsedit, & expugnauit, sanctumq; Nicasium eiusdem urbis præsulem cum sorore eius Eutropia, & omnibus ciuibus trucidauit. Ad Trecas autē quum accessisset, occurrit ei pontifex sanctus Lupus, & percontando dixit: Tu quis es? Cui ille: Attila sum (inquit) flagellū iræ Dei. Et Lupus arrepto freno equi eius intorduxit eum cū suo exercitu in ciuitatem, dicens: Bene ueneris flagellum iræ Dei. Ille autem cum suis cæcitate percussus, ut aiunt, pertransijt urbem in partem alteram pacificus. Mulier autē pauperrima habens decem filias, timore perculsa de suburbio fugiebat, filiam postremò editam, & in bimatu natam, in sindone ad collum ligatam gestabat, duasq; minorennes puellulas in iumento, quod ante se pellebat, portabat: reliquæ filiæ circumcirca matrē gradiebantur, & ambulabant. Hanc quum bellatores Attilę consequuti sunt, filiæ eius territæ, ad matrem cōcurrerunt. Mater autem stupida, & sui incompos, uiso fluuio properanter currebat, uolens se præcipitare, & in fluuio submergere. Sed milites eam insequuti in ripa fluuij rapuerunt, & cum filiabus ad Attilam perduxerunt. Quæ supplex ad terram precabatur. Cui Attila misertus, datis pluribus nummis, & uestibus, liberam cum prole sua dimisit. Sed & alijs, qui cum ea adducti fuerunt propter ipsam pepercit. Deinceps Attila in Germaniam descēdit, castraq; oppida, & uillas eius uastabat, donec audiret, quod Aetius, & Gothi denuò nouum militem contra eum pararent: quo permotus ad Panno niā abscessit, & renouato exercitu uir ultiuus in Italiam per Steiram, & Carinthiā properabat. Ab exploratoribus autem certior redditus, quod Aetius, & innumeræ gentes in radicibus alpium opperirentur eum, declinauit, & diuertit ad Dalmatiam, & Histriam, euersisq; notabilibus urbibus, iuxta mare Adriatticum ad Aquileiam uenit, & eam per triennium obsedit. Et quum uictualia obsessoribus etiam in longinquo defecissent, militesq; præ inedia contra eum murmurarent, cœpit iterum obequitare urbem, prospiciens qua parte impeteret eam, & dirumperet: uiditq; auem, quæ ciconia uocatur, pullū suum è summitate arcis rostro in propinquum arundinetum portare, sic consequenter & aliū: & exclamans dixit, auem præsciam futurorum, nosse urbem perditam iri, ideò fugere: &

m 2 inua-

inualescens contra ciuitatem cœpit eam, & more tyrannico omnes, quos in ea reperit, in ore gladij trucidauit. Eo tempore urbs magnifica, & præpotens Venetiarum ob metum Attilæ extructa est. Progrediens autem ad Lombardiam Attila, crudeliter afflixit, & uastauit eam. Quumq; ad Rauennã uenisset, aduolauit Leo Papa, obnixè, & humiliter supplicans, ut à uastatione urbis Romæ, & totius Italiæ supersederet, & cessaret, quod fecit. Et dum pugnatores eius admirantes ad inuicem replicarent, quod Attila neminẽ timeret, nisi bina animalia, lupum, & leonem, de pontificibus propter quos genti eorum pepercit, parabolam sumẽtes. Respondit Attila: Maturum uirum clericali habitu indutum iuxta Leonem cum gladio bisacuto stetisse, & uibrato gladio mortem ei cominasse, nisi pacem redderet, petitorem exaudiendo. Abscessit itaq;, & in Pannoniam rediJt. Celebrãsq; nuptias cum una pulcherrima uirgine, multum uini hausit, & in nocte inter cubandum apoplexia suffocatus, centum & uiginti quatuor annis ætatis expletis interijt, & sanguis per nares, & os ipsius fluxit. Illa nocte Marcianus Imperator in Constantinopoli per somnium uidit Attilæ arcum fractum: arcubus enim gens Iuhrorum potissime utebatur. Defuncto autem Attila, insurrexerunt inter Hungaros dissensiones, digladiationes, & strages, ita ut plures eorum occisi perirent, reliquos cum Chaba filio Attilæ rex Gepedarum, & alij olim Attilæ subiecti de Pannonia expulerunt, qui Gothiam per paludes Mæotidas transierunt, tria uerò millia ex eis inter eundum de Pannonia segregauerunt se ab eis, & in Transsyluania manserunt, & ne à uicinis impeterentur, Siculos in uulgari eorum Czakle se nominauerunt. Qui autem trans Mæotidas, & mare Euxinum penetrauerunt, sæpenumerò reminiscentes fertilitatis, abundantiæq; panis, & uini ipsius Pannoniæ, suis posteris disserebant, & narrabant, utq; in Pannoniam redirent, hortabantur. Factumq; est, ut post mortem Attilæ anno tricentesimo primo, recensitis pugnatoribus ducentis, & sedecim millibus, uiam patrum eorum ingressi, iuxta paludes Mæotidis per Sarmatiam, in Pannoniam peruenerint, temporibus Constantini Imperatoris quinti, & Zachariæ Papę, uidelicet anno Domini septingentesimo, quadragesimo quarto. Primumq; in Iazyges ascẽderunt, & illic septem capitaneos elegerunt unicuiq; eorum propter insultum inimicorum triginta millia pugnatorum consignantes: & ut melius ab hostibus tuerentur, septem castra cuiq; capitaneo unum assignando, rude & grosse de terra fecerunt, & erexerunt, à quibus septem castris in hanc diem Septem castrensis dicitur. Præterea miserunt exploratum ire Pannoniam quendam e suis militibus Cusid appellatum. Is offenso, & reperto Rege Pannonię Suyatoplug nomine: Sclauus hic erat: nam & tota Pannonia terra Sclauorum fuit, licet Romani eis capitaneos, & armigeros extraneos præficiebant, ipsum nomine Iuhrorum aduenarum præsalutando, equum album cũ sella, & freno deauratis obtulit, & parum terræ, aquæ, & herbæ ab eo postulauit: quod rex Suyatoplug concessit: ęstimabat enim agricolas fore tanquam hospites aliquidpiam terræ pro cultura exposcere: ideò subridens, ait: Habeant, quantum uolunt. Cusid ergo lagenam terræ, alteram aquæ Danubij, tertiam graminis reportauit, & quæ egit, suis exposuit. Iuhri cognoscentes Pannoniam terram feracem, & optimam esse, nomine primi præfecti Arpad nuncupati, Suyatoplug intimarunt, ut peramplius in terra eorum, pro equo albo, sella, & freno deauratis empto non maneret. Is verò intelligens bellum ei imminere, exercitum coadunabat. Iuhri autem festinè accelerantes ad regem prope Danubiũ uenerunt, & facta pugna Pannonios cum rege eorum profligauerunt. Rex quoq; Suyatoplug à facie eorũ fugiens in Danubium incidit, & aquis uehemẽtibus absorptus periJt. At Iliuri Sclauos incolas Pannoniæ trucidarunt, terramq; eorum in hanc horam possident, Sclauis undiq; in finibus Pannoniæ remanentibus, & inhabitantibus. Accipe primò, quod Iuhri à Iuhra regione Scythiæ, de qua oriundi exiuerunt: uocati sunt, & usq; in nostra tempora à Bohemis, Polonis, & Slauis † Hugari appellantur, ab alijs autẽ Hugui, tandem, & Hungari dicti sunt. Accipe secundò quod idem linguagium, & loquela, pronunciatioq; acuta sunt Iuhrorum in Hungaria, & illorum, qui in Scythia in Iuhra degunt. Verùm Hungari in Pannonia Christicolæ sunt, & politiores, abundantioresq; in omnibus. Ihuri aũt in Scythia usq; adhuc idololatrę sunt, & agrestes. Accipe tertiò, quod Iuhra Septentrionalissima est absq; altissimis, & inaccessibilibus montibus, nec tantis, ut sunt alpes iuxta Italiam, neq; sicut montes Sarmatici. Non rectè ergo quidam historici tradiderunt, dicentes Huguos exisse de prouincia eorum de montibus maximis, & inaccessibilibus. Enimuerò sunt montes in Iuhra cum densis syluis patentes, & benè permeabiles, quantitatis medię, & altitudinis, petrosi, & saxosi quales sunt per totum Septentrionẽ in fine terræ iuxta Oceanũ Septentrionis. Et scias, quod ex Oceano Septentrionis quidã pisces idiomate Moscouitarum morss nuncupati, in summitatem montis mari adiacentis scãdunt, & dentem fricando se in ascendẽdo appendunt, de culmine montis deorsum in partem

Attilæ mors.

† Hunni alias.

Morss piscis.

partem alteram prolabuntur, & cadunt, quos Ihuri, & cæteri incolæ Septentrionis capiunt, dentes eorum, qui ponderosissimæ sunt grauitatis, in Moscouiam mittunt, & post ad Turcos, & Tartaros. De quibus manubria, & tenacula ensium, framearum, & cultellorum faciunt, ut impetuosiores ictus grauitate adiuuante impellant. Accipe quartò, quod montes Riphæi, & Hyperborei non sunt in rerum natura, non in Scythia, non in Moscouia, nec usquam locorū: & quum ferè omnes Cosmographi asserāt Tanaim, Edel seu Volham, Dzuina, & magnos fluuios ex prædictis montibus effluere, conficta confixi, & potiùs fabulosa inexperti scripsêre. Fluit Tanais, Volha, & maxima flumina ex Moscouia, de terra plana, cœnosa, & nemorosa, nullis mōtibus obsita, prout de Moscouia, quū peruentum fuerit, dicam, si deus annuerit. Bone lector hic est barathrū profundissimum propter clarissimos scriptores montes Riphæos, & Hyperboreos ponentes. A quorū contradictione ueritas ipsa me tueatur, & defendat, pro omnibus argutis rationibus, experientiam rerum opponendo, ut qui non credit, uideat, & experiatur, quod ita est, quemadmodum dixi. Accipe quintò, quod Iuhri in Iuhra Scythiæ non colunt agros, non seminant, non habent panem, uinum aut cereuisiam, degunt miserrimè in syluis, & foueis subterratis, piscibus uescendo, & ferarum, quarum copiam habent, & aquam bibunt, pellibus induuntur ex diuersis animalibus in unū consuendo, pellem lupi, cerui, uulpis, mardaris, &c. Misera ergo regio est sub polo arctico, ut dixit Hippocrates in lib. de Regionibus, aëre, & aqua. Subiecti sunt duci Moscouiæ, & pendunt pro tributo pelles sabellorum, schismorum, & similium, quoniam alijs donatiuis carent. Accipe sextò, quod aliqui famosi Cosmographi, & historici in illo angulo ad mare Septentrionis temperatissimas regiones confinxerunt, in quibus propter temperiem, & auram placidissimam beatè, & diutissimè uiuant, donec tædio affecti, de montibus sese in Oceanum præcipitent. Hoc totum fabulosum est: qualis etenim beatitudo sit non habere panem, merū, & cætera delectabilia? qualis temperies est, continuū frigus, quod illic est pati? In solstitio hyemali perpetuam, & continuam noctē sentire? In solstitio uerò æstiuo permanētes, & parùm tepentes soles uidere? sed hæc omitto. Accipe septimò, quod in Iuhra, & locis Septentrionis nō effoditur aurum, argentum, nec aliæ mineræ. Nec corresp ōdent fabulæ, quòd illinc essent griffi, & magnæ aues prohibentes fodere, & efferre aurum. Vnde secundū hoc dico, contrarium authoribus antiquis, quod griffi nō sunt in rei ueritate in illa parte Septētrionis, nec in alijs partibus orbis. Affertur autem ad nos auis quædā rapina uiuens, quantitatis aquilæ, sed alis, & cauda prolixioribus quàm aquila, in similitudinē accipitris, & uocant eam Moscouitę Kieżoch: nostri uerò homines uocāt ipsam Byalozor, quasi albicās splendor, quia subalba est secundū uentrem. Hanc omnes rapaces aues, accipitres, falcones, & cætera rapto uiuentes in tantū metuunt, quod inspecta ea tremunt, & cadunt, & extinguuntur. Accipe octauò, quod in Septētrione post Gothiam, Sueciam, Finlandiam, Iuhram, & post mare Caspium nō sunt monstrosi homines, scilicet monoculi, bicipites, canina capita habentes, &c. sunt nobis similes, rarè sparsim, & ab inuicem distantes, pauci numero habitātes, colore ut frequenter liuidi, propter frigus liuiditatem corporis eorū imprimens. Hæc uera sunt, & qui scripsit, uerum scripsit, & scimus quia uerum est testimonium eius.

Error Cosmographorum.

De Turcis. CAP. XV.

HActenus diximus de quibusdam nationibus ante aduentum Tartarorum, Sarmatiam Asianam, seu Scythiam per tempora, & tempora inhabitantibus, si de Amazonibus, de Scythis, de Gothis, & Iuhris, seu Huguis. Consequenter dicemus de ualidis gētibus Czahadaień. originaliter disseminatis, quales sunt Turci, Vlaui, seu Tartari Prezecopenses, & Tartari Cosanenses: item Tartari Nohaień. Et primò de Turcis pauca dicamus. Post aduentum Tartarorum ex Oriente, in terram Gothorum, quam ipsi Czahadaień. uocant, anno quasi nonagesimo. Quidam miles magni Cham nomine Otumanna, fortis humilis, & fortuna tunc obscurus, uiribus tamen corporis robustus, & audax, propter certas, ut ei uidebatur iniurias, è Tartaris in quadraginta equis secedens, cœpit occultè in Cappadocia montes, & adytus opportunos occupare, & ex opportunitate loci, & temporis prædas agere: ad quem plurimi grassatores, ut fit in huiuscemodi genere hominum, confluxerunt, & coaluerunt uehementer, ita ut quod priùs occultis insidijs egit, palàm & pari Marte tunc cœperit oppida, ciuitates, & gentes inuadere, & occupare. Et quia non reperit resistentes, ipse celer, manu audax, & dextera te fortunatus per terrores, comminationes, & per aliquarum ciuitatum direptiones, occupauit, & possedit Cappadociam, Pontum, Bithyniam, Asiam minorem, Pamphiliam, & Ciliciam. Itaque ex ipsa familia Otumannorum, siue Turcorum originem duxit, quia ab Aquilone pandetur omne malum super uniuersam terram. Quod autem Turci pro-

Otomannus à quo Turci imperat. Otumannus.

go soboles sit Tartarorum, identitas morum, loquelę, & pugnandi demonstrat. Nam habitum, modumq; equitandi, & currae insedendi, sagittis quoq; & arcubus pugnandi eundem habuerunt, & nunc ut plures habẽt cum Tartaris. Sermonem etiam, & linguagium Tartarorum connatum habent: non differt loquela Tartarus, & Turcus, nisi modicè, uelut exemplariter diceretur, sicut Italus, & Hispanus, uel Polonus, & Bohemus. Otumano ex humanis rapto, filius eius Archanes secundus rex Turcorum successit, audacia, & ambitione patri haud absimilis, sed disciplina rei familiaris longè peritior: quo factum est, ut dominium, & imperium à patre cœptum, suapte industria auxerit, & conseruauerit. Deinde tertius rex subsecutus est filius Archanis nomine Ammurates, hic Græcis dissentientibus, & Imperatore Trapesuntino, & Constantino de imperio certantibus, in adiutorium per Trapesuntinum Imperatorem pretio euocatus, & in Thraciam per Hellespontum traiectus, uafer, & astutus euentum belli prorogauit, atq; protraxit, donec Græcis uiribus, & diuitijs fractis, & eneruatis, occasione habita, in eos arma uertit, & Thraciam occupauit. Eo defuncto Pesaites quartus rex filius surrexit, qui rerum maximarum cupidus, Macedoniam, Thessaliam, Phocidem, Bœotiam, Atticam sui iuris effecit. Bulgarosq; & Illyricos assiduis excursionibus debilitauit, & suburbia egregiæ urbis Constantinopolitanæ spoliauit, & ciuitatem obsidione atq; fame in tantum excruciauit, ut Imperator Constantinopolitanus ad Italiam, & Galliam auxilia mendicaturus profectus sit. Sed Deo disponente, Temir cultu magnus Cham Tartarorum, quem historici Tamerlanem dixerunt, affligendo, & tanquam fulgur Asiam pertranseundo, incidit in Pesaitem præparatum, & occurrentem ei, quem profligauit, & captiuatum catenis aureis alligauit, & abduxit, breuiq; dimisit, qui paulò pòst obijt. Post hunc quintus rex Alpinus appellatus regnauit. Aduersus istum Sigismundus Hungariæ, & Bohemiæ rex ac Romanorum Imperator copiosum duxit exercitum. Collatisq; signis, tumultuosè fusus castra reliquit, & paruo nauigio uix per Danubium turpem sibi inuenit salutẽ. Amplius sextus in ordine rex Turcorum Mahumetes tributa grauia imposuit, excursionibusq; fines sui imperij sui dilatauit: præterea sublato Mahumete morte, filius eius Ammurates secundus regnauit, hic Thessalonicam urbem illustrem euertit, Cyprum, & Aetholiam subegit, Tribulos, Illyricos, & Hungaros uastauit: Vladislaum Poloniæ, & Hungariæ regem in primis feliciter pugnantem, ultimo congressu ad lacum Varnensem, Ioanne Hunyad cum Hungaris è prælio secedentibus superauit, & miserè cum suis occidit, elatusq; uictoria, Peloponnesum ui cœpit, & muros Isthmi Corinthiaci funditus deiecit: uita deniq; functus, Mahumetem filium octauum regem reliquit, qui Constantinopolim anno M. CCCC. LIII. die ultimo Maij, post obsidionis quartum, & quinquagesimum diem, summa ui, & extrema oppugnatione cœpit. Peram subindè opulentissimum oppidum per deditionem demolitis muris accepit, Bulgariaq; & Rascia potitus, Smyderou magnificũ castrum Rasciç supra Danubium situm adeptus est, & ex eo Dalmatiam, & Croaciam in solitudinem redegit, Stiriam quoq; & Austriam penetrauit. Deinde Nigropontum sub Venetis expugnauit, Theodosiam, nunc Caffam nuncupatã, in Taurica insula, Ianuensium coloniam unà cũ præfata insula expugnauit, & compræhẽdit, binosq; principes de castro, Mancup (ut fertur) postremas Gothorũ reliquias gladio percussit, & Mendligeri Imperatorem Tartarorum in prædicta Chersonneso Taurica, ui iuris fecit: Moldauiam, & Valachiam uastauit, & cum Venetis sedecim annis continuis pugnauit, cum Husacasan rege Persarum similiter continuum bellum gessit, sæpè uictus, nonnunquam & ipse uictor fuit. Obijt prima die Maij, anno Domini millesimo, quadringentesimo, octuagesimo primo, in Constãtinopoli sepultus: pro ipso Turci † Baissetum filium eius ad imperiũ assumpserũt. Zeliabus uerò minor natu filius Mahumeti indignatus ad Soldanũ Aegypti currens, & exercitũ comparans, cũ Baisseto infœliciter pugnauit, & ad Rhodieñ. fugit, quem Magister ordinis Rhodiensis captiuum in Franciam misit, & postea Alexãdro Papæ sexto obtulit. Ludouicus autem rex Galliarum ad Apuliã consequendam per Romam transiens Zeliabum à Domino Papa per contractum accepit, & inter eundum ueneno, an fatigatione itineris, incertum est, extinxit. Expugnauit autem Baissetus nonus rex Turcorum, Ciliam, & Album castrum in Moldouia. Modon quoq; insulã, & urbem eiusdem nominis, sub Venetis ui, & obsidione conquisiuit. Cum Sophi rege Persarum sæpè pugnauit, & quasi semper succubuit. Dum autem senuisset filius ipsius Selimszabeg, quem nostri homines Selẽbeg uocant, imperium sub eo arripuit, & Baissetus ad insulam, in qua nutritus erat, deductus breui occubuit. Decimus rex Turcorũ Zelembeg modernus surrepto imperio, fratres suos necauit, & extinxit: deinde minax Christianis, præcipuè Pannoniæ bellum inferre proposuit. Deus autem omnipotens excelso suo iudi[illegible] aduersus eum Sophi regem Persarum concitauit, & aliquot prælijs conflictum superare

† alias Baiazet

petare concessit. Tribus autem Imperatoribus postremò dictis Constantinopolis sedes imperij, quondam secunda Roma dicta, domicilium assiduum factum est, ita ut à circum cinctis incolis, presertim à Sclauis, non Bysantiū, nec Constantinopolis, sed Czarou dom, id est, domus Cæsaris diceretur, & est Constātinopolis triquetræ figuræ, duobus angulis mari adiacens, tertiò campos prospectans: eius ambitus decem, & octo milliaria Italica continet, non habet grandia palatia, nisi thermas, & scholas philosophantium magnificè nouiter structas: templum uerò sanctæ Sophiæ, hoc est, sapientiæ Dei, qui est Christus uera sopiua patris, egregiè olim ædificatum, per Mahumetem imperatorem secundū Turcorum deiectum est, & stabulum ferarum factum. Roma uerò Italiæ rotundæ figuræ, ambitu murorum triginta duo milliaria continet, ferè duplo ambitu Constantinopolis excedens, & habet septem colles, & palatia præciosa.

De familia Tartarorum Vlanorum, siue Precopensium. CAP. XVI.

Altera soboles, & genealogia ex Tartaris Zauolhensibus deriuata est Tartarorum Vlanorum, ab Vlano inuasore insulæ Tauricæ cognominata. Vlana puella est, & uirgo, & quia Vlanus de uirgine, & puella genitus est sine legitimo thoro, Vlanus nuncupatus est, suisq; posteris in Chersoneso Tauricano nomē indidit. Etiam uirgines impraegnari, & cōcipere absq; uiro apud Mahumetistas nullum miraculum est, quum apud ipsos hoc sæpiùs contingat, & prædicetur. Est autem Taurica na insula inter paludes Mæotidas, longitudinis uiginti quatuor milliarium: latitudinis uerò quindecim milliarium, habet tres ciuitates, Solat, Kirkel, Caffam: & duo castra, Mankup, & Azau. Solat Tartari appellant Chrim, & Cæsarem Precopensem, exindè Chrimensem Imperatorem uocant: & ciuitas illa domus exiles habet, & est deserta pro maiori parte. Alia ciuitas minor est Kirkel, & supra eam in rupe alta est castrum ex lignis, & argilla factum. In hac rupe (ut fertur) draco commorabatur, & trucidabat homines, & iumenta, propter quem incolæ fugientes, habitationes propinquas uacuas reliquerunt, & quia Græci, & Itali insulam inhabitantes gloriosam Dei genitricem Mariam precati sunt, ut eos à dracone liberaret, uiderunt successu temporis candelam ardentem intra rupem: inciderunt ergo, & secuerunt gradus ascendendi in rupe: & peruenientes ad candelam ardentem, imaginem sanctissimæ genitricis Mariæ conspexerunt, coram quam lumen arsit, draconemq; desubtus per medium ruptum iacentem. Egerunt itaq; gratias de tam miranda liberatione, & draconem in frusta sectum, proiecerunt extra rupem, & quia incolæ glorificantes beatam uirginem ad imaginem eius ascendebant ueneratum. Acigeri Cæsar Precopensis contra fratres suos pugnans, exemplo eorum motus, supplicauit beatæ uirgini Mariæ, ut eum adiuuaret, uotum uouens, quod uirginem benedictam remuneraret. Nam Mahumetici uenerantur beatam Mariam, profitentes eam uirginem absq; thoro uiri, magnum prophetam Iesum benedictum concepisse, & peperisse. Quū quē adiutus superaret suos æmulos, binos equos, quos habuit, meliores uendidit, & exinde cera empta, maxima duo lumina, siue candelas fecit, & ante imaginem coram ardere annuatim iussit, quod in hanc usque diem per subsequentes Imperatores continuatur. Tertia ciuitas est urbs Theodosia, nunc Caffa dicta, quam expugnauit sub Ianuensibus Mahumetes secundus Imperator Turcorum: castrū uerò Mankup, quod est uersus Occasum à Caffa, præfatus Turcus Mahumetes ui accipiens, binos fratres principes, & dominos castri Mankup, ut dicitur, reliquias ultimas Gothorū gladio occidit. Azou quoque castrum circa ostia fluuij Tanais situm incastellauit, & Turci usque nunc tenent. Tartari uerò Vlani ab ingressu insulæ in campestribus eius, ut est innata consuetudo Tartarorum, degunt, & extra insulam ijdem campestria Sarmatiæ Europianæ iuxta paludes Mæotidas ad mare Ponti usque ad Album castrum occupando possident. Ingressumq; in insulam, seu introitum ad Occasum Solis fecerunt aggerem de terra longitudinis unius milliaris, in modum pontis sternentes, rude tamen, & semiplenè, ita ut aquæ maris in aliquibus locis aggerem pertranseant. Insula ergo antiquitùs Taurica dicebatur, nunc uerò Prezekop, quod sonat fossatum, quoniam aquæ circumdederunt, & eam protegunt, tanquam fossata aquis plena ciuitates: sed hæc hactenus. Videamus deinceps genealogiam. Post Vlanum in Taurica regnauit Tachtamis Czar, qui unà cum Vitoldo duce Lithuaniæ cōtra fratrem suum Temir Cutlu Czar Imperatorē Zauolhēn. pugnauit, & superatus est. Ex Tachtamis Czar filius eius Szidachmet Czar regnare uoluit: sed Acikerei Czar expulit eum, & ipsemet pro eo regnauit. Szidachmet autem pro auxilio in Lithuaniam perrexit, & captiuatus per Lithuanos cum uxore, & filijs in castro Couno incarceratus est, ibi cum coniuge, & filijs mortuus in diebus Cazimiri tertij Regis Poloniæ, & magni ducis Lithuaniæ, defuncto Adzigeri Czar: quia septem filios

reliquerat, senior filius Haider nominatus obtinuit imperium. Mendligeri uerò unius ex præfatis filijs ad Imperatorem Turcorum confugit, & accepto subsidio, & uxore à Turco, dispersit & eiecit Haider, & Iamurei cum alijs fratribus. Hi ad Iuam Vasilouicz Moscouiæ ducem fugerunt, qui suscepit eos, & ducatum Cosanensem eis donauit. Ex Mendligeri Czar nouem filij nati sunt, primus Mahumet Cerei, alter Achmet Cerei, tertius Machmut Cerei, quartus Berhi Cerei, & est submersus dum prædam ageret per fluuium in Valachia, anno Domini M. D. X. Quintus Burnas Cerei, sextus Mubarec Cerei, septimus Sadech Cerei, octaui, & noni nomina non teneo. Nunc pro patre suo regnat Mahumet Cerei Czar. Et scias quod licet Tartari Prezecopenses magis ciuiles, mitioresque ratione aurę sexti climatis, quod inhabitant deberent esse, tamen nō deseruerunt priscam suam lupinam rapacitatem, & ferinam crudelitatem, sicut bestiales, qui campos, & syluas inhabitant, & nō ciuitates nec uillas. Inuadunt enim singulis annis, uastant, & deprędantur Rusiam, Lithuaniam, Valachiam, Poloniam, & quandoque Moscouiam.

De Tartaris Kosanensibus, & Tartaris Nahaiensibus. CAP. XVII.

Tertia horda Tartarorum Kosanensium nuncupata est sic à castro Kosan supra flumen Volha circa metas Moscouiæ sito, penes quod commorantur. Et exiuerūt de principali horda omnium Tartarorum uidelicet de Tartaris Czahadicñ. siue Zauolheñ. sicut & cæteri Tartari omnes. Habet autem prædicta Cosanensis horda quasi duodecim millia pugnatorum: in necessitate autem, quando aduocant alios Tartaros, ad triginta millia bellatorum constituunt. Istorum principes, & facta eorū, genealogiaque non scribuntur, quoniam homagiales sunt ducis Moscouiæ, & pendent ex arbitrio eius in uiuendo, in bellando, & duces sibi eligendo: idcirco quod de Moscorum principe dicetur, de ipsis poterit accipi, & adaptari. Quarta horda recens, & noua, ultimò ex Tartaris Zauolhensibus orta est Occassorum, siue Tartarorum Nahaicñ. Nam postquam Occass insignis seruus, & miles magni Cham, habens triginta filios, occisus est: filij secesserunt à capitali horda Zauolheñ. & iuxta castrum Sarai degere cœperunt ante hunc annum Christi, millesimum, quingentesimum, decimum septimum, circiter septuaginta annos, uel paulò minùs, subitoque in immensum creuerunt, intantum, ut hac tempestate numerosissima, & maxima surrexerit horda ipsorum. Isti sunt Septentrionales, & frigidiores omnium Tartarorum, Moscouiæ à parte Orientali adiacentes, & sæpenumero eam inuadētes atque spoliantes. Dominantur inter eos filij, & nepotes Occass. Non habent pecuniam, nec monetam, sed res pro rebus uendunt, puta pro seruis, pro filijs, pro pecoribus, & iumentis.

MATTHIÆ A' MICHOV DE SARMATIA EVROPEA, LIBER II.

De Russia, de tractibus eius, & abundantia, & contentis in ea.
CAPVT I.

Postquam diximus de Sarmatia Asiæ, quæ Scythia uocitatur, restat dicere de Sarmatia Europea, & in ea primùm occurrit Rusia, olim Roxolania dicta. Latus eius Orientale adiacet flumini Tanai, & paludibus Mœotidis, secernentibus Asiam, & Europam. Priscis autem seculis Alani habitarūt ad flumen Tanais: deinde iuxta illos ad Meridiem Roxolani. Hæ autem gentes in toto deletę perierunt, campique latissimè patentes spectantur, deserti, solis feris, & cosacis, seu prædonibus peruij, prout suprà dictum est. Post hos supersunt reliquiæ Circassorum uersus Meridiem, & sunt gentes ferocissimæ, & bellicosissimæ, genere, & lingua Ruteni. Deinde est castrum Oczarcou nuncupatum, quod Imperator Tartarorum Prezecopensium extruxit, in dominio Lithuanorum, & pòst quasi duobus milliarijs ab Oczarcou in Meridiem sequitur Dzassou, & fuit castrum, quod ante tempora nostra demolitum est: à Dzassu, in Byaligrod, quod Turci occuparunt, sunt sex milliaria. Sequitur Podolia ad Occasum, Moldauiæ, & Valachiæ contermina ad Meridiem: ad Orientem uerò campis Tartarorum, & Tauricæ insulæ: hæc est terrarum fertilissima, Cererisque, & mellis feracissima. Nam agro rude culto, & parùm inuerso atque exarato, frumentoque superseminato, tribus annis spontè frumentum germinat, ita tamen, quod colligendo tempore messis segetem, aliquidpiam granorum permittatur, in terram decidere, ad

re, ad surgendum ex eis frumentum in anno sequenti, sine cultura, & sine agri aratura. Gramen quoque, & pascua tam citó ac uberrimè fundit, & prodit, ut perticam in tribus diebus supercrescendo contegat, & aratrum in locis graminosis derelictum in, paulo plurib⁹ diebus, graminibus sepiat, & cooperiat. Examina uero apũ non solùm in mellificijs, & arboribus cauatis mellificant, uerũ in ripis, & terra spõte mella reponunt. Contingitq; sæpè numerò, ut examina apũ superuenientia, & priores apes exterminãtia, ruricolę aduolãtia agmina apum trucidant, aut aquis mergant, ut quæ præfuerunt, hęreditariè mellificarent, & manerent. Postea ad montes Sarmaticos habitat genus Rutenorum, quibus præsident nobiles Polonorum. In Kolomya, in Zidazou, in Sniatin, in Aoatin, in Busco, &c. Sub eisdem montibus sunt tractus Halicienses, olim Gallicia dictus, & Prezemisien & inter montes Sarmaticos tractus Sanocensis. In medium Rusiæ tenendo est Leopoliensis terra, & urbs in ea benè munita eodem nomine nuncupata: habens duo castra, superum, & inferum, & est metropolis Rusiæ. In Septentrionem sunt tractus Chelmensis, & Belzensis, terraq; in medio iacens. Clauditur autem Rusia à Meridie Sarmaticis montibus, & flumine Tyras, quem incolæ Niestr appellant. Ab Oriente finitur Tanai, & Meotidibus, Tauricaq; insula. A Septentrione Lithuania, ab Occasu uerò Polonia. Ex Moscouia autem aduenit Borysthenes, ab incolis Dienpr nuncupatus famosus fluuius, per Lithuaniam, & Rusiam currens, & sub Smolensco, & sub Kiou labens, in hunc ab Occasu circa Chmyelnick oppidum consurgens, Boh non exiguus fluuius illabitur: & quũ mensus esset Borysthenes, quasi trecenta milliaria Germanica, in mare Ponti cadit. Amplius terra Rusiæ quum sit fertilis, abundat melle, & medone, potu ex melle facto, adducitur, & uinum ex Pannonia, & uinum ex Moldauia atq; Valachia, quibus adiacet: sed & uinum Græcum ex Græcia, & est forte: etiam ceruisiam ad nutum habet. Abundat equis, bobus, & ouiũ gregibus, abundat cera in maxima copia, abundat pellibus mardarum, schismorũ, uulpium, & boum. Abundat fluminibus, quibus irrigatur, & aquis piscu lentis, ita ut ubi aqua inuenitur, & pisces in ipsa reperiantur: non impiscantur stagna, & piscinæ Russorum, sed ubicunque aquæ reperiuntur, illic & pisces de rore cœli (ut aiunt) demittuntur, absq; hominũ cura, & impiscatione: suntq; in tractu Leopoliẽsi lucei magni, & laudabiles, & in partes tanquam in laminas diuisibiles. Abundat Rusia calamo aromatico in terris uersus Tanaim, & paludes Mæotidas. Item reupontico in eisdem terris, & in Lithuania, sic & pluribus herbis, ac radicibus alibi non usis. Abundat tota terra Rusiæ granis tinctorum, quæ copiosissimè excrescunt: & quum priscis temporibus ad Ianuam, & Florentiam urbes Italicas importarentur, nunc uix aliquid de eisdem colligitur, fereq; in toto frustrata, & non collecta pereunt. In tractu Chelmensi rami pini arboris defecti, & in terra iacentes, in anno autem duobus in saxa, & silices uertuntur: estq; ibi creta seu terra alba in copia, quæ ad nos ducitur. Est & sal, quod in lacu Kaczibeio temporibus siccis colligitur, & quia propè est Oczarkou castrum Tartarorum, intercipiuntur, & capiuntur interdum per Tartaros ductores salis unà cũ plaustris ducentis quandoq; & trecẽtis. In terra quoq; Prænemisiensi, & in Drohobiz sal coctum, & in bolos ac portiones collectũ repõnitur. Præterea in Rusia sunt plures sectæ: est enim religio Christiana Romano põtifici subiecta, & illa regit, & preualet, quanquã sit exigua numero. Est altera secta Ruthenorum amplior, quæ ritum Græcorum insectatur, totam Rusiam adimplens. Est tertia secta Iudæorum non usurariorum, uelut fit in terris Christianorum, sed laboratorum agricolarum, & mercatorum magnorum, præsidentesq;, ut sæpè teloneis, & exactionibus publicis. Est quarta secta Armenorum, præcipuè in ciuitate Kamyenyecensi, & Leopoliensi. Hi sunt mercatores peritisimi, ad Caffam, Constantinopolim, ad Alexandriam Aegypti, ad Alkairum, & partes Indiæ penetrantes, & merces afferentes. Ruteni habitu, & Ecclesiasticis officijs Græcos insequuntur, habentq; proprias literas, & abecedarium, instar & proximum Græcis. Hebræi similiter Hebræorum literis utuntur, & disciplinis, uerumetiam artes liberales, Astronomiam, & Medicinam perscrutantur. Armeni suo ritu gaudent, & literis. Inter sanctos colunt plus Taddæum Apostolum, asserentes, quod eos conuerterit, & fidem Christi docuerit. Deinde & Bartholomæum sanctum Dei Apostolum uenerantur, per quem multos articulos, ut asserunt de fide acceperunt: habent magnifica, & plurimùm decora Ecclesiastica apparamenta, planetas, & ornatus non scissos, sed omniquaq; rotundos, libros, calices, & cæteram Christianorum ueteranorum splendidam suppellectilem. Quò autem ad spirituales præsides, & pastores, Christianorum archipræsul est Leopolien. Metropolitanus Russorum, & Lithuanorum, habens sub sua ditione Kiouien. Kamyenyecen. Prænemilien. Chelmen. Lucerien. & Mednien. episcopos. Rutenorum metropolitanus est Kiouien. quæ olim metropolis Rusiæ fuit: habet subiectos Vladicas, & Episcopos de ritu Græco in Moldauia, & Va-

Rusitarum religio.

lachia

lachia ūſq; ad flumen Hiſtri, ſeu Danubij, unum in Rufsia Chelmenſem, alterum in dominio Lithuanorum Vladimirienſem, ſiue Breſtenſem, tertium Pinſci ſeu Murouuſci, quartum Polocenſem, quintum Lucenſem, ſextum Smolenſem, & paſsim omnes alios Vladicas ac epiſcopos in terris Moſchorū, & in Septentrionem de iuriſdictione Moſchorum protenſorum. Iſidorus Metropolitanus, olim Kiouień. lingua, & doctrina Græcus peritiſsimus, tempore Eugenij Papæ quarti ad concilium Florentinum in centum equis iuerat, & unione eccleſiæ Romanæ percepta in Rufsiā redierat: hunc Moſcouitæ obedientiam Romanā eis prædicantem ſpoliauerunt, & in necem extremam impulerunt. Sequūtur Ruteni doctores & Theologos Græcorū, præcipuè Baſilium magnū, Gregorium Nazanzenum, & Ioannē Chryſoſtomum. Gregorium Nazanzenū eorum ſermone Bogoslou nuncupāt, quod in Latino ſonat, laudans deum. Acceptant & noſtrum ſanctum Gregoriū Papam Romanū, præcipuè in libris Moralium, quē tranſlatū legunt, & lingua eorum Byeſſednic, quod ualet concionantē, perſuadentem, uel prædicantem uocant. In eccleſijs Rutenorum lingua Seruiorū, quæ eſt Sclauonica, diuina celebrāt, legunt, & cantant, in eccleſijs Armenorum ſermone Armeno, in ſynagogis Iudæorum lingua Hebræa orant. Chriſtiani autē ritu Romano Latino ſermone cantant, orant, & legunt. Et ſcias quod in fluminibus Rufsiæ, & Lithuaniæ, præcipuè in Boriſthene, & Boh, tempore æſtatis multiplicātur ephimeræ, & ſunt uermes, & uolatilia alata, quaternis, interdum ſenis alis oriuntur, & generantur, manè currunt ſuper aquas, & uolant ſuper ripas circa meridiem: in occaſu autem ſolis extinguuntur. De his loquitur Ariſtoteles primo de Hiſtorijs animalium, & in Problematibus, & medici de febre ephimera.

De Lithuania, & Samagithis. CAP. II.

MAgnus ducatus Lithuaniæ eſt regio latiſsima, in ea ſunt plures duces Lithuaniæ, & Rufsiæ: unus autem præſes, & monarcha, cui cæteri omnes ſubſunt, magnus dux Lithuaniæ uulgò nuncupatus. Aiunt autem uetuſtiores, & antiquitatum relatores, quod quidam Italici propter Romanorum diſſenſiones deſerentes Italiam ingreſsi ſunt terras Lithuaniæ, & nomen patriæ Italia: genti uerò Itali non indiderunt: quæ per paſtores terra Litalia, & gens Litali, litera præpoſita cœpit nuncupari. Ruteni autē, & Poloni eorum uicini maiorē immutationem facientes, uſq; in hodiernā diem terram Lithuaniā, gentes uerò Lithuanos appellant. Hi primū condiderūt oppidum Vilno, eleuationis poli quinquaginta ſeptē graduum, & ex nomine ducis Vilij, quo cum illas regiones ingreſsi ſunt, Vilno uocauerunt, fluminibus quoq; circa ipſum fluentibus Vilia, & Vilna ex eiuſdem ducis nomine indiderunt nomina. Samagithiam autem de ſuo ſermone ſic nominarunt, quod lingua eorū, terra inferior ſonat. Aliqui autem ignari hiſtoriæ, à lituo, quod eſt cornu, & tuba uenatorū, eò quod regio illa plures uenationes exerceat, Lithuaniam appellari uoluerūt, quod ad effectum, non ad hiſtoriæ originem ſpectat. Hæc gens Lithuanorum annis ſuperioribus adeò obſcura, contempta, & uilis apud Rutenos fuit, ut principes Ciouień. ab ea ſola perizomata, & ſubera ob egeſtatem, & ſoli natiui ſterilitatem in ſignum tantummodò ſubiectionis exigerent: donec Vithenen dux Lithuanorum rebellionem primū contra Rutenos inducens, & ſeipſum ducem inter populares cōſtituens, aſtu principes Rufsiæ aggreſſus cōflixit, ſenſimq; adeò creuit uiribus, ut iugo principibus Rufsiæ iniecto, etiam in tributa eos redigeret ſibi pendenda, quæ per plures ætates Rutenis ipſe penderat. Poſteriq; duci Vithenen ſuccedentes furtiuis lupinis, & ſubitis incurſionibus finitimas gentes Rufsiæ, Pruſsiæ, Mazouiæ, & Poloniæ inuadebāt, & diripiebāt: donec fratres Cruciferi Teuthonici ordinis beatæ Mariæ per Conradum ducē Mazouiæ aduocati, & in auxilium aſſumpti, Pruſsia ui, & continuis armis cōquiſita, Samagithas, & Lithuanos aggreſsi, debellare, captiuare, & opprimere pluribus oppugnationibus cœperunt, tamdiu donec ad Olgerdū, & Ceyſtutum duces Lithuaniæ ſucceſsiuè peruenerūt. Fuit autē Olgerdus magnus dux Lithuaniæ, cuius filius erat Iagello, poſtea baptizatus, & Vladislaus nominatus, in regē Poloniæ coronatus. Frater autem ipſius Olgerdi fuit Ceyſtuth, maximus expugnator, & perſequutor Chriſtianōrū, qui inter pugnandum cū cruciferis Teuthonicis in Pruſsia ter captus, terq; aſtu, & mira euaſione cōtra uoluntatē Cruciferorum liberatus è uinculis fugerat. Huius Ceyſtuth filius fuerat Vitaudus, ſeu Vitoldus macte uirtutis princeps: Iagello autem, qui poſtea, & Vladislaus, ſub treugis pacis captiuādo Ceyſtuth, & filiū eius Vitaudum, Ceyſtuth in carcere occidit: Vitaudū uerò in uincula coniecit. Tandē à Cruciferis, & Chriſtianorum exercitibus ſæpenumerò Iagello preſſus, deo miſerante ad Polonos declinauit, fideq; Chriſtiana cum fratribus ſuis, quos octo in numero habuit, unda baptiſmatis ablutus, & in Regem Poloniæ coronatus, Heduigim filiam Ludouici Hungariæ, & Poloniæ regis

Litalia.

Vilno.

Lithuaniæ etymologia.

regis illustrissimam, ac speciosissimã in consortem accepit, anno Christi millesimo tricentesimo, octuagesimo sexto, die Iouis, quartodecima Mensis Februarij, quę fuit sancti Valẽtini. Cœpitq; præfatus rex Vladislaus secundũ promissa uigilare, & instare, ut gentẽ Lithuanicam à tenebris erroris ac idololatria expurgaret, assumptis quoq; secũ Bodzantã archiepiscopo Gneznensi, & pluribus uiris Ecclesiasticis atq; religiosis. Item regina Heduigi, Semouito, & Ioanna Mazouiæ, Conrado Olesnicensi ducibus, & compluribus baronibus, anno Domini millesimo, trecentesimo, octuagesimo septimo, in Lithuaniam intrauit, & baptisma suscipere Lithuanos procurauit. Colebant autẽ ab origine Lithuani numina, ignem, syluas, aspides, & serpẽtes: ignem, qui per sacerdotẽ lingua eorum zinzc nuncupatum, subiectis lignis adolebatur: syluas autẽ, & lucos sacrosanctos, & habitacula deorum putabant: aspides uerò atq; serpentes in singulis domibus uelut deos penates nutriebant, & uenerabantur. Rex itaq; Vladislaus ignem sacrum putatum in ciuitate Vilnensi, barbaris inspectantibus, extingui, templum, & aram in quibus fiebat hostiarũ immolatio dirumpi, syluas uerò succidi, & confringi, serpentes quoq; necari præcepit, barbaris flentibus deorum suorum falsorum exterminium, contra regẽ autem nec mussitare audentibus, mirantibus quoq; quod Poloni sacrorum uiolatores ignis syluarũ & serpentum intacti, illæsiq; à dijs eorum, secùs quàm ipsimet quoties uiolabant, fuerunt. Exterminatis itaq; idolis, gens Lithuanorũ per aliquot dies de articulis fidei, & oratione Dominica per sacerdotes Polonos, magis tamen per regẽ Vladislaum, qui linguam gẽtis nouerat, edocebatur, & sacra baptismatis unda renascebatur: largiente pio rege Vladislao singulis ex popularium numero post susceptũ baptisma, ex panno de Polonia adducto nouas uestes: qua prouida liberalitate effecit, ut natio illa rudis, & pannosa, lineis in eã diem cõtenta, fama huiusmodi liberalitatis uulgata, pro cõsequendis laneis cateruatim ad suscipiendũ baptisma ex omni regione accurreret: & quoniã [illegible] erat immensus unumquemq; credentium baptizare singillatim, mandante regẽ multitudo sequestrabatur in turmas, & cuneos, & uniuersis de qualibet turmarũ benedicta aqua sufficienter conspersis, cuilibet turmæ, & uniuersis, qui in ea constiterant, nomen usitatũ Petrus, secundę Paulus, tertiæ Ioannes, &c. fœminis per turmas diuisis, Catherina, Margareta, &c. iuxta numerum turmarum imponebatur. Militaribus tamen speritualis impendebatur baptismus. Fundauit insuper rex Vladislaus in Vilna Ecclesiam cathedralem sub titulo sancti Stanislai patroni Polonorum, principalemq; aram in loco ubi ignis, qui falsò perpetuus credebatur, constituit, ut error gentilis fieret cunctis patentior. Constituit etiam in eadẽ Ecclesia Vilnensi episcopum uirũ spectatæ uirtutis Andream Vazilo, natione Polonũ, genere nobilem, de domo accipitrum, professione fratrum ordinis minorũ, olim Elizabet reginæ Hungariæ confessorẽ, & prædicatorem insignem episcopum Creteñ. Eodẽ quoq; Vladislao rege instante, Samagithia fidem Christi, & baptisma suscepit. Ad cognoscendam autem naturam prouinciæ, & gentis illius, animaduerte, quod regio Samogithia est Septentrionalis, & gelida, Lithuaniæ, Liuoniæ, & Prussiæ contermina, syluis, collibus, & fluminibus circumsepta, in hos tractus distincta, scilicet, Iragola, Myednici, Chrossæ, Rosena, Viduki, Vyelunya, Celthini, Czethra, gentes regionis proceræ, & altę staturæ, agrestes, & incultæ, pauco, & castigato uictu uiuentes, sitim aqua sedare solitæ, rarò ceruisia, aut Medone: auri, argenti, æris, ferri, uini illa tempestate expertes, & ignaræ: apud quos licitum erat uni uiro plures habere uxores, & patre mortuo nouercam, fratrisq; glotem in uxorem accipere: nullus illic stubarũm, nullus ædificiorum nobilium, sed tantummodò tugurij unius usus, uentrem distentum, & porrectum: extrema uerò habens coarta, ex ligno, & culmo structura largiùs ab imo sensim operis incremento ędificium in arctiùs cogitur, in carinæ, seu Galeę maximæ similitudinem elaborata, in cacumine fenestra una superne lumen reddens, subter quam focus, & cibos parabiles coquens, & frigus, quo regio pro maiori anni parte constricta est repellens, in ea domo se, uxores, pignora, seruos, ancillas, pecus, armentum, frumentum, & omnem supellectilem condunt: gens ad diuinationes, & auguria proclitis. Pręcipuum numen Samagiticum erat ignis, quem sacrosanctum, & perpetuum putabant, qui in montis altissimi iugo super fluuium Neuyasza sito assidua lignorum appositione à sacrorum sacerdote alebatur. Accedens itaq; Vladislaus rex turrim, in qua consistebat, incendit, & ignem disiecit, & extinxit. Succidit deinde per milites suos Polonicos syluas, quas non secùs, quàm sanctas, & deorum habitacula Samagitæ (iuxta illud Poëticum: Habitarunt dij quoq; syluas) uenerabãtur, in eam caliginem mentis prolapsi, quod & syluæ præfatæ, & aues, feræq; in illis consistentes sanctæ forent, & quicquid in illas ingrederetur, ut sanctũ deberet censeri, uiolanti quoq; nemus, feras, uel alites, manus aut pedes dæmonum arte curuabantur. Maxima itaq; Barbaros tenebat admiratio, quod Polonorum milites nemus ritu eorum excidentes, nulla læsio qua-

Mortuorum parentationes. sio qualem ipsi in se frequentiùs experti erant, sequeretur. Habebant præterea in syluis præfatis focos, in familias, & domos distinctos, in quibus omnibus charorum, & familiarium cadauera cum equis, sellis, & uestimentis potioribus incendebant: locabant etiam ad focos huiusmodi ex subere facta sedilia, in quibus escas ex pasta in casei modum præparatas deponebant, medonemq; focis infundebant, ea crudelitate illusi, quod mortuorum suorum animæ, quorum illic combusta fuerant, nocte uenirent, escaq; se exsatiarent: Insuper prima Octobris die, maxima per Samagittas in syluis præfatis celebritas agebatur, & ex omni regione uniuersus utriusq; sexus conueniens illuc populus, cibos, & potus quilibet iuxta suæ conditionis qualificationem deferebat, quibus aliquot diebus epulati dijs suis falsis præcipuè Deo lingua eorum appellato Perkuno, id est, tonitru, ad focos quisq; suos offerebat libamina. Rex itaq; Vladislaus primùm eos pater noster, deinde symbolum docuit, quoniam nullus sacerdotum linguam Samagitticam nouerat, & unda baptismatis ablui iussit. Vnus autem ex maioribus Samagittarum pro omnibus respondit: Ex quo, inquit, serenissime Rex, dij nostri ueluti inertes, & languidi à Deo Polonorum deleti sunt, deos nostros, & sacra eorum deserimus, & Deo tuo atq; Polonorũ fortiori adhæremus: sicq; baptizati sunt. Rex autem in Myedniki cathedralem Ecclesiam sub honore, & titulo sanctorum martyrum Alexandri Theodori, & Euancij, in alijs autem locis Ecclesias parochiales fundauit, & illis dotem sufficientem cõsignauit, & inscripsit. Mednicensis Ecclesię primus episcopus Matthias origine Almanus, in Vilna tamen natus, eò quod linguam Lithuanicam, & Samagitticam norat præfectus est, & consecratus. Contigit autem in prima plantatione, dum Samagittæ per magistrum Nicolaum Vazic, fratrem ordinis prædicatorum regium prædicatorem per interpretem instruerentur de fide, creatione mundi, & lapsu primi hominis Adæ, unus Samagittarum sufferre sermonem prædicantis non [illegible]ens in hæc uerba prorumpit: Mentitur, inquit, illustrissime Rex iste sacerdos, asserit mundum creatum esse, quum sit homo nõ longæuæ ætatis: sunt etenim inter nos plures annorum numero seniores eo, centenarium numerum supergressi, qui creationem nullam recordantur: sed solem, & lunam, cæteraq; sydera semper eisdẽ motibus luxisse referunt. Rex autem Vladislaus iubens eum silere, declarauit magistrum Vazik creationem mundi non asseruisse in diebus suis incepisse, sed longè antè, puta ante sex millia annorum, & paulò plùs, ordinatione diuina prouenisse. Contulit autem rex Vladislaus magnum ducatum Lithuaniæ, & Samagitthiæ Alexandro Vitoldo fratri suo patrueli: is quia acer, & animosus erat pugnãdo, adiecit Lithuaniæ ducatum Pskou, quẽ Plescouiam appellant. Deinde alterum ducatum Nouogrodieñ. qui Nugardia agnominatur. Tertium ducatum Smolnensem suo dominio apposuit. Factaq; in circuitu pace, in Orientem penetrauit, & incidens in Hordam Tartarorum multitudinem eorum, in Lithuaniam appulit, ac in certo territorio Lithuanię locauit usq; in hanc diem permanentẽ. Congestoq; fortiori exercitu, iterũ in Tartariam perrexit, & superatis fluminibus, in planiciem diffusè porrectam circa flumen Vorzschla, quartadecima die Augusti peruenit. Ibi occurrente ei Imperatore Zauolhensi Temirkutlu, quem scriptores Tamerlanẽ nuncupãt, cum infinita ac innumerabili Tartarorum multitudine, de treugis, & pace utrinq; tractabant: concordia tamen nequaquam à Tartaris acceptabatur. Vitoldus igitur à suis persuasus cum custodibus corporis sui retrorsum abijt, & in Lithuaniam fugitiuè redijt: exercitus uerò ipsius ab infinita multitudine Tartarorũ obrutus, in toto deletus est. Præterea Sigismundus rex Romanorum iaciendo inter Vitoldum, & Vladislaum fratrem eius regem Poloniæ fomitem discordiarũ, coronam Vitoldo promisit, & in regem Lithuanorum sublimari persuasit: uerùm quum afferretur corona per loca tutiora Marchiæ, & Prussiæ, nobiles maioris Poloniæ sese opposuerunt, & cum exploratoribus in custodia permanendo, in loco, qui Turzagora uocatur, legatos Imperatoris Romanorũ opperiebantur, & expectarunt. Illi uerò rem infectã cognoscentes, terrore perculsi retrocesserũt, Vitoldus autem de hoc certior factus præ tristitia ab anthrace inter scapulas orto, uitam cum principatu finiuit, anno Domini millesimo, quadringentesimo, trigesimo. Post mortem Vitoldi Vladislaus Iagello rex Polonię Suitrigellum fratrem suum in ducem Lithuaniæ anulo suo inuestiuit, & substituit: qui immemor beneficij, cõtra Vladislaum Iagellonem tumultuauit, & bella gessit, propter quod rex Vladislaus principi Sigismundo de Starodup suggessit, commisitq;, ut ducatum Lithuaniæ sub Suitrigello surriperet. Apparente igitur comete exili supra illum ducatum, dux Sigismundus de Starodup Suitrigellum expulit, & ducatũ magnum Lithuanię possedit. Hunc Sigismundus Iuan dux Czarthoriensis, genere, & secta Ruteus post aliquot dies occidit. Ingrediebatur siquidẽ ex consuetudine ursa ad tabernaculum ducis Sigismundi. Ruteni itaq; more ursę ostium tabernaculi fricabant, & mouebant: quo audito dux Sigismundus ursam aduenisse putando, ostia

ostia aperuit, & à Rutenis uulneribus concisus occubuit. Aeneas de Picolominibus scripsit, non hunc Sigismũdum, sed Vitoldum sicut præmissum est, per suos in forma ursæ delusum interfectum. Sed inscijs relatoribus credidit, & erroneè scripsit, quemadmodum simili errore ductus, plurima de Lithuanis, plurima & de Polonis cõficta literis tradidit. Posteriq; historiographi errantẽ erroneè sequentes, ipsius Aeneæ absurditates & loca, atque mores illarum nationum nunquam uisa, aliter quàm fuerunt, & quàm sunt, tanquam uera literis demandare non erubuerunt: quum experientia præteritorum atque præsentium ipsum & ipsos inexpertos, & aliter quàm res habeat scribentes redarguat. Successit duci Sigismundo de Starodup, Kazimirus Vuladislai Iagellonis tertius natus in magno ducatu Lithuaniæ, quem ferè quinquaginta annis gubernauit, sub cuius extremis & ultimis annis Iuan dux Moscorum auulsit, & sibi appropriauit ducatum Nouogrodiensem, aliàs Nugardiam seu Nouogrodiam nuncupatum. Post Kazimirum in Lithuania dominatus est Alexander filius eius quartogenitus, cuius temporibus præfatus Iuan dux Moscorum principatum Mozaisensem, longitudinis septuaginta, latitudinis totidem milliarium, & castra quadraginta subripuit. Alexandro uita functo, Sigismundus modernus in magno ducatu Lithuaniæ suffectus est, sub cuius Dominio Vasilo Moscouiæ dux & principatum Pleskou, quem Pleskouiam appellant, & ducatum Smolnensem expugnauit & possedit.

De amplitudine & contentis magni ducatus Lithuaniæ. CAP. III.

AMplitudo magni ducatus Lithuaniæ est talis. A' mari Balteo seu Prutenico ad Vilnam capitalem ciuitatem Lithuaniæ sexaginta milliaria, à Riga uero ad Vilnam recto itinere septuaginta milliaria: eundo uero super Poloczko ut cõmuniter uadunt, erunt à Riga in Vilnam centum milliaria. Deinde à Vilna in Kiou sunt centum milliaria. A' Kiou usq; ad confluentiam, ubi iunguntur fluuij Dniepr et Boh, quos Græci Borysthenem, maiorem & minorem appellant, sunt decem diætæ, quæ faciũt septuaginta milliaria, ibi steterat castrum Dzassou, quod destructum est, & ibi erit finis Dominij Lithuanorum, quum prius protẽdebatur ad Byaligrod, quod Latini Album castrũ nuncupant, & ipsum Turci expugnarunt & possident: circumcirca uerò Tartari in campis degũt. Ista est cõputatio uersus meridiem, quinimo uerius dicam inter orientem & meridiem. Iterum ex transuerso computando, à Patzou & metis Lithuaniæ in Vilnam sunt octuaginta milliaria: sed à Cracouia per eandem uiam usq; in Vilnam sunt centum & uiginti milliaria. A' Vilna in Smolensco centũ milliaria, à Smolensco in Moscuuam ciuitatem Moscorum centum milliaria, & sunt milliaria Germanica magna. Prima autem & capitalis ciuitas in Lithuania est Vilna, est tanta, quanta Cracouia cum Kazimiria Clepardia, et omnibus suburbijs: uerum domus non sunt cohęrentes sicut in nostris ciuitatibus, sed ut sæpẽ mediant horti & pomaria: habet Vilna bina castra murata, superum in monte, & inferum in basso. Nouigrod uerò, quam Latini Nugardiam uel Nouogardiam uocãt, fuit de possessione magni ducatus Lithuaniæ, per ducem Vitoldum armis conquisita, & est Nouigrod in amplitudine paulo maior, quàm Roma, quia Roma in ambitu continet triginta duo milliaria Italica, quæ faciunt sex milliaria Germanica, & duo milliaria Italica supersunt. Nouigrod autem continet integra septem milliaria, aliàs trigintaquinq; milliaria Italica. Item Nouigrod lignea habet ædificia, Roma uero murata. Distat Nouigrod à mari Balteo duobus uel quasi tribus milliarijs. Et fuerunt, adhucq; sunt in ea ditissimi mercatores: intantum quod apud quemlibet mercatorem iuxta refectorium est Crancz, id est reseruaculum loco testudinis, in quod argentum, aurum & res pretiosæ conquisitæ projiciebantur absq; numerò. Vnde Iuan, quod sonat Ioãnes princeps Moscorũ anno Domini millesimo quadringẽtesimo septuagesimonono, surripiẽdo Nouigrod de manib. Kazimiri magni ducis Lithuaniæ, huiuscemodi thesauros Nouogrodieñ. exhausit, & trecentos currus ad summum implendo, duntaxat de auro, argento & unionibus pretiosis, in Moscouiam abduxit. Et quia in eadem Nouigrod perniciosa consuetudo inoleuerat sicariorum & raptorum, sæpeq; aliquo reo inuento uel designato pulsabatur campana prætorij ubi centum senatores tanquam iudices sedebant, omnes more illius patriæ barbam protensam nutrientes: uulgus autem audito sono campanæ, concurrebat de tota ciuitate, ita quod quilibet hospes duos acciperet lapides in brachio, & filij hospitum similiter. Quumq; reus per senatores condemnaretur, lapidibus adstantes obruebãt, & interficiebant

bant eum, tumultuoseq; ad domum condemnati currentes, diripiebant omnia bona occisi, & area domus postea uendebatur, & pecunia exinde pro Republica confiscabatur. Idcirco Iuan dux Moscorum præfatus apprehensa & possessa Nouigrod in quinque famosioribus plateis quinq; capitaneos cum armigeris constituit ad sedandum et prohibendum solitos tumultus, inuasiones & spolia. Est in Nouigrod castrum Deczen nuncupatum, in eo principalis ecclesia est sancti Sophię, id est, saluatoris, & est tecta aureis laminis splendescentibus, suntq; in eadem Nouigrod septē monasteria Zirnkorū, id est, nigrorū monachorum de regula sancti Basilij, & distant à seinuicem ferè uel propè per medium milliare. In primo monasterio B. Mariæ uirginis sunt mille monachi, in altero sancti Georgij septingenti, in tertio sexingenti, in quarto quadringenti: sic consequenter in alijs monasterijs. Sunt & ecclesiæ sanctorum plurimæ, & solius sancti Nicolai, quem Rutheni inter alios sanctos plus colunt: ecclesiæ sunt tot, quot sunt dies in anno. Habet eleuationem poli Nouigrod sexaginta sex graduum, & in æstate circa solstitium æstiuale post occasum solis apparet lux cœli usq; in ortum solis, ut artifices, sartores, sutores, & cæteri mechanici suere & laborare possint. Post Nugardiam Septentrionem est Suetia & Filandia usq; in Oceanum Septentrionis. Pskou urbs nobilis murata & magna, minor tamen quàm Nouigrod, adiacet Moscouiæ & Lithuanię, hanc Latini, Plescouiam appellant, inhabitatores ipsius omnes sunt lingua & ritu Ruteni, barbā nōn radunt, & crines capitis non tondunt, habitum uerò in toto deferunt Alemannicum. Habet terra Plescouię triginta castra murata, & sunt uersus Liuoniam, & non sunt tam bona castra in Moscouia, neq; in Lithuania. Tota autem terra Plescouiæ sexaginta milliaria in longitudine, & quadraginta in latitudine continet. Vasilo modernus princeps Moscouiæ per compositionem & tradimentum seniorum adeptus est, & possidet Pskou, deposuitq; campanam, ad cuius pulsum tota ciuitas confluebat, & iniuriantes opprimebat. Contra pactum quoq; & promissa sua abegit Vladicam, id est, episcopum loci, & plures nobiles ac ciues Plescouiæ, & locauit in ciuitate Moscua, & alijs locis Moscouiæ. Deinde uersus orientem est Poloczko castrum & ciuitas magna, & pertinet ad ducatum Smoleñ. possidet eam magnus dux Lithuaniæ. Post hanc ad orientem est Smolensco castrum & ciuitas ex roboribus structa, & fossis profundis munita, ipsa autem terra seu ducatus Smolensco cōtinet in longum sexaginta aut septuaginta milliaria Germanica. Præterea linguagium Lithuanicum est quadripartitū, primum linguagium est Iaczuingorum, ut horum qui circa castrum Drohicin inhabitarunt, & pauci supersunt. Alterum est Lithuanorum & Samagitharum. Tertium Prutenicum. Quartum in Lothua seu Lothihola, id est, Liuonia, circa fluuium Dzuina, & Rigam ciuitatem. Et horum quanquam eadem sit lingua, unus tamen non plene alterum intelligit, nisi cursiuus et qui uagatus est per illas terras. Habuit hoc linguagium quadripartitū tempore idololatriæ pontificem maximum unum, quem Criue appellabant, morantem in ciuitate Romoue à Roma dicta, quoniam hoc linguagium de Italia iactat sese aduenisse, & habet nonnulla uocabula Italica in suo sermone. De isto Criue & ciuitate Romoue in legenda Sancti Adelberti pontificis & martyris legitur. Et scias quod in Prussia iam pauci proferunt Prutenicum, subintrauit siquidem lingua Polonorum & Alemannorum: sic & in Lothua pauci uillani profitentur hanc linguam, quia subintrauit Alemannicum. In Samagitthia autem, quæ est longitudinis quinquaginta milliariorum, & in Lithuania, quæ in longum triginta milliaria continet, in uillis Lithuanicum loquuntur, & in magna parte Polonicum profitentur: nam & sermone Polonico sacerdotes eis prædicant in ecclesijs. Insuper scito quod hoc linguagium quadripartitum totum est de obedientia & fide Romanæ ecclesiæ, in alijs autem prouincijs circumiacentibus, ut in Nouigrod, in Plescouia, in Poloczko, in Smolensco, & in meridiem usq; post Kiou Ruteni sunt omnes, & Ruthenicum seu Sclauonicum loquuntur, ritumq; Græcorum obseruant, & obedientiam Constantinopolitano patriarchæ præstant. Amplius sunt in ducatu Lithuaniæ Tartari circum Vilnam, & habent proprias uillas: colunt agros more nostro, laborant & uehunt merces, ad mandatūq; magni ducis Lithuaniæ omnes ad bellum assurgunt, loquuntur Tartaricum & colunt Mahumetem, quia Saracenorum sectam profitentur. Insuper sunt Hebræi in Lithuania, presertim in ciuitate Troki, hi laborant & mercantur, telonea & officia publica tenent, de usurisq; non uiuunt. Post hoc de fluminibus dicamus. A parte orientali dominium Lithuanorum terminant fluuij, Oscol, Iugra, Donyecz, id est, paruus Don, & est paruus Tanais, hi & plurimi alij in Tanaim decurrunt. Item ex Dominio Lithuanorum post castrum Vesnya, quod dux Moscouiæ Modernus Vasilo occu-

occupauit, ortus est Dniepr, seu Borysthenes ex terra plana lutosa, ex stagnis in densis syluis, & fluit sub Smolensco & sub Kiou, tandem emensis quasi trecentis milliarijs Germanicis, in mare Ponti incidit. Item Vilia alius fluuius triginta milliarijs ad orientem Vilnæ ciuitatis ortum cepit, & sub castro Vilnensi cum alio fluuio minori Vilna dicto, & initium eius duobus milliarijs à præfata ciuitate Vilna computatur, commiscetur, unaq; ad magnum fluuium Niemen influunt. Niemen autem fluuius ualde flexuosè decurrit, naues defert & merces: post castrum Couno in mare Prutenicum cadit. Item Dzuina magnus fluuius fontes habet in Moscouia, & in Dominio Lithuanorum, fluit sub castro Vitepsk, deinde sub Poloczko: hostia eius circa Rigã ciuitatem Liuoniæ, ubi in mare cadit, & scias quod quemadmodum in superioribus præmisi tria magna flumina prope se inuicem oriuntur, scilicet, Dniepr, Dzuina, & Volha: oriuntur, inquam, in locis planis, nemorosis, palustribus, non ex montibus Hyperboreis, non Riphæis, nec aliquibus montibus qui in natura minimè sunt, duntaxat figmento olim Græcorum tãquam in rei ueritate existerent gloriosè & ampullosè prædicati sunt, & quod præfata flumina ex ipsis erumperent ac orirentur per sequaces historicos cosmographos & poëtas in experte descripti, decantatiq; sunt, quum usquam compareant: plana siquidem est terra per totum, unde illa ortum ducunt. Et Dniepr qui est Boristhenes ad meridiem fluit usq; in mare Ponti incidens. Dzuina grande flumen ex Moscouia erumpens, ad occasum solis per dominia Lithuanorum, & per Liuoniam labens iuxta ciuitatem Rigam, in mare Balteum descendit. Volha maximus fluminum etiam ex Moscouia oriens, in Septentrionem tendit, reuersusq; in orientem, longinque circuit Tanaim: tandem conuersus in meridiem per Scythiam seu Sarmatiam Asianam & campos planissimos Tartarorum peruagatus, in uiginti quinque flumina magna partitus, mare Euxinum ingreditur. Distat Tanais Volha in Tartaria itinere sex hebdomadarũ, ad minus trium aut quatuor uelocissime currẽtibus. Sunt & alia in Lithuania & Moscouia multa flumina & stagna magna: parua uero flumina & riui sine numero in maiora defluunt. Omnia piscosa abundanter, ita quod in illis terris ubi aqua, ibi & pisces: & sunt pisces sapidiores & delectabilioris gustus quàm in regionibus nostris, piscinę & fodinæ pro aquis & impiscationibus tanquam inutiles illic non fiunt. Amplius in ducatu Lithuaniæ panis rusticorũ nigerrimus est non cribratus, ex siligine aut hordeo unà cum furfuribus: dominorum uerò & potentum panis delectabilis de pura similagine tritici albissimus pinsitur & habetur: uino carent, nisi quod aliũde ducitur, præcipue uinum Rhenense, & ex occidentalibus regionibus per mare Germanicum & Balteum, adductũ alicubi reperitur, medone & spisso, & tenui, & uario modo cocto abundant, & illo reficiũtur & inebriantur. Ceruisias coquunt diuersimode & ex uarijs granis, puta frumento, siligine, hordeo, auena, millio, &c. & nõ sunt sapidæ: uulgus autem ut semper aquam bibit: oliuę & fructus dulces ac delicati illic non crescunt, algida etenim & frigida est prouincia. Armenta habent omnis generis & feras syluarum, plus quàm in orbe Christianorum reperiantur: saltus, deserta, & syluæ sunt magnæ, decem, aliquãdo quindecim milliariorum, nõnũquã & uiginti quinq; milliariorum: ad latera desertorum & syluarum uillæ & habitatores inueniuntur, & idcirco quia magna nemora sunt, magnę feræ & multæ abundantissimæ uisuntur & capiuntur, uri & boues syluestres, quos lingua ipsorum thuri & zumbrones uocant, onagri, & equi syluestres, cerui, damæ, dorcæ, capreæ, apri, ursi, mardures, scismi, & cætera genera ferarum. Insuper aues abundant & ficedulæ, quamuis illic uineæ non sunt, aduolant & impinguantur, atq; cum suauitate eduntur. Estq; in Lithuania & Moscouia animal uoracissimum & inutile, quod alibi non comparet, rossomaka nominatum. Quantitatis canis, faciei catti, corporis & caudæ ut uulpis, colore nigrum, cadaueribus uescitur, inuentoq; cadauere, intantum uorat, ut extendatur & infletur tanquam tympanum, repertaq; angustia, stricta inter arbores intrat & intrudit se cum uiolentia premendo, ut uiolenter comesta uiolẽtius egerat, sicq; extenuatum denuò cadaueri accurrit, & ad summum impletur, cum uicissitudine expressionis, & ad morticinium reuersionis, donec totum absumat & deuoret. Et forsan natura tam insatiabile animal in illis regionibus producit, ut homines simili uoracitate laborantes redarguat. Quoniam potẽtes quũ conuiuari cœperint, sedent à meridie in mediũ noctis continuo cibo & potu sese opplendo, & à mensa quoties natura propellit assurgendo & egerendo iterum & iterum uorant usq; ad uomitum & amissionem discretionis & sensus, tuncq; inguinis & capitis quę sunt discrimina nesciunt: estq; illa consuetudo perniciosa in Lithuania & Moscouia, magis uero & absq; rubore in Tartaria. Est etiam in illis terris Lithuaniæ, Moscouiæ & Tartariæ ab

origine consuetudo uenditionis hominum: serui natura uenduntur à dominis suis tanquam pecora, pueriq; eorum & uxores: quinimo pauperes homines, libero uentre nati, uictu carentes, uendũt filios & filias suas, interdum & semetipsos, ut apud patronos siliquis & grossis cibis saturentur.

De Moscouia. CAP. IIII.

Moscouia est regio longissima, latissimaq;: nam à Smolẽsco usq; ad Moscuuam ciuitatem sunt centum milliaria, à Moscuua ad Volochda cẽtum milliaria. Et Volochda est prouincia, & fluuius per ipsam labẽs eodem nomine uocatur, à Volochda ad Vsczuga centum milliaria, ab Vsczuga ad Viathka centum milliaria: & ista quadringenta milliaria sunt de regione Moscouiæ, & sermo per totum est Rutenicus seu Sclauonicus. Vltra prædicta à Viathca ad regionem Permsca centum milliaria, inde ad terram Vahulczka triginta milliaria, & hæc Scythiæ confinis est. Et istæ prouinciæ subiectæ sunt duci Moscouię, additisq; terris ad Septẽtrionem & orientem ab eodem duce Moscouiæ possessis, Iuhra & Corela quæ sunt in Scythia, erunt quingenta milliaria Germanica magna. Verum Moscouitæ non per milliaria nostra computant, sed per uerst: et uerst est quinta pars milliaris Germanici. Numerant itaque à ciuitate Moscuua ad Vlodomiriam ciuitatem decem & septem milliaria Germanica: abinde ad Vsczuch quingenta uerst: iterum ab Vsczuch ad Iuhram quingenta uerst. Intra Moscouiam autem sunt multi ducatus. Est ducatus seu terra Moscouiæ, de qua triginta millia pugnatorum nobilium ad bellum egrediuntur, agrestium uerò sexaginta millia. Est & ducatus seu terra Tuczka, de qua quadraginta millia armatorum nobilium duntaxat ad bellum prodeunt. In hoc ducatu capitalis ciuitas Tuerd nuncupatur, & est ciuitas grandis lignea de lignis ædificata: in ea sunt Ecclesiæ ligneę centum & sexaginta: castrum etiam ligneum est, & sunt in ipso nouem oracula seu ecclesiæ: principalis est Sancti saluatoris, & illa duntaxat est murata: sub hac ciuitate & castro amplissimus fluuius Volha labitur. Ducatus Chelmsci, de quo septem millia pugnatorum exeunt. Ducatus Zubsczouski, de quo quatuor millia armatorum. Ducatus Klinski, de quo duo millia bellatorum prodeunt, ad terram Tuerdeñ. annumerantur. Item ducatus Kubensis triginta milliaria in longum continens. Ducatus Iacoslauieñ. quadraginta milliaria de terra habẽs. Ducatus Szuhersieñ. uiginti milliaria terræ habens. Ducatus Szachouensis triginta milliaria in longum continens: omnes sunt in milliarijs Moscouiæ in longum computatis. Insuper ducatus Rzezensis, de quo quindecim millia baronum seu nobilium armatorum euadunt, & fluuius nominatissimus Tanais de ipso oritur. Item ducatus Susdalorum, & plures ei adiacentes desolati & destructi sunt per Tartaros. Est & terra Tartarorum Cozanska, Horda nominata, triginta millia pugnatorum producens, principi Moscorum subiecta, in campis iuxta castrum Cozan, quod dux Moscouiæ possidet: & alluitur magno flumini Volha, degens. Moscuua est ciuitas principalis satis magna, bis maior quàm Florentia Thusciæ, aut bis maior quàm Praga Bohemiæ urbs. Praga dico quæ extat & quam tu uidisti: non Praga, quam quidam nouus historicus fictè astruit longissimam trium dierum itinere ciuitatem, quod fabula est: uerum Moscuua lignea est, non murata, plurimas habens plateas, & ubi una platea finitur, altera non statim incipit, sed campus mediat. Inter domos quoq; sepes mediant, ita ut domus sibijnuicem non cohæreant. Nobilium domus sunt maiores, plebeiorum uerò humiles. Fluit per medium ciuitatis, et sub castro ipsius fluuius eiusdem nominis cum ciuitate, Moscuua appellatus, & est tantus, quantus Multaua in Praga, aut Arnus in Florentia. Castrum autem quod est in medio ciuitatis, in plano, est castrum bonum muratum tantæ amplitudinis, ut Buda in Hungaria, habet tria propugnacula: & cum his turres magnæ simul computatæ sunt decem & septem, tegulis latericijs tectæ, sed unus murus: in eo castro ecclesiæ sunt sedecim, tres muratæ, scilicet, sanctæ Mariæ, Sancti Michaelis, & sancti Nicolai, reliquæ sunt de ligno. Palatium ducis in præfato castro est muratum ad instar Italicum nouum, non amplum, nec magnum: tres curiæ nobilium sunt muratæ, aliæ domus ligno constructæ, stubę omnes nigræ. Aliæ ciuitates Moscorum sunt minores, & castra minora omnia de lignis fabrefacta. Præterea terra Moscouiæ plena est boscis ac syluis, aquis quoq;, fluminibus, piscibus & feris, quemadmodum Lithuania referta, sed frigidior & Septẽtrionalior, unde pecudes & pecora parua sunt, & mutila absq; cornibus, quasi semper ꝑpter frigus: homines uerò proceræ, altæ, & robustæ staturæ sunt, bibũt aquam, medonem, & quassecz, id est, fermẽtatos liquores. Arant & sulcant ligno sine ferramen-

tamento, & arpicant frondibus arborum supra seminata ab equis tractis, raroq; propter intensa & longa gelua segetes maturescunt, ideo messes sectis frugibus in stubis delíccāt, maturant & triturant. Sæpenumero autem utuntur calefacientibus aromatibus, sæpe & sublimatis, de aromatibus, de melle, uel alio calefactorio, ita ut & de auena aquam arden tem siue sublimatum faciant & bibant ad effugandum & repellendum algorem & frigus, alioquin ex frigore congelarēt. Carent uino & oleo, & ne inebrientur, princeps terrę prohibet ne medo aut liquor inebrians in aliqua domo reperiatur sub priuatione uitę, nisi bis aut ter in anno ex admissione principis. Monetam habent argenteam puri argenti, dzingis nominatam, maiorem & minorem, formæ oblongæ, quadrangularem, non orbicularem, non politam, nec bene planatam. Estq; terra diues argento, & custodia undiq; clausa, ut nedum serui & captiui, sed & liberi, indigenæ & aduenę exire absq; literis ducis nequeant, & hęc hactenus. Flumina in Moscouia sunt plurima, aliqua autem maiora scitu digna enumerabo. Tanais nominatissimus fluuius à Tartaris & Moscouitis Don nuncupatus, fontes & originem habet in Moscouia propè in ducatu Rezensi. Consurgit de terra plana, sterili, limosa, paludinosa & nemorosa. Quumq; ad orientem solis processisset usque ad metas Scythiæ & Tartariæ, declinat ad meridiem, & perueniens ad paludes Męotidas, illic ostia tenet & ingreditur. Est tantus Tanaís, quātum dicerem triplatum Tyberim post Romam in mare Tyrrhenum decurrentem, aut quantum Danubium in duplo circa Budam. Et doctrina astrologorum tenet, quod Tanais sit eius longitudinis cuius & Nilus fluuius Aegypti, puta circa sexaginta gradus longitudinis. Et sicut Nilus à meridie ad mare Alexandriæ descendit, sic Tanais à septentrione in Mæotidas & mare Ponti defluit. Nec piget repetere quod suprà dixi, alia magna flumina ex Moscouia esse orta, uidelicet Ezuina, Volha, & Dnieper seu Borysthenem. Et quum Moscouia sit regio plana, non montosa, prædicta flumina in distantia non ualde longinqua à se inuicem ex terra plana, nemorosa & paludinosa oriuntur, maximusq; fluminum ille Volha, in Tartarico dictus Edel, tendens in septentrionem, procedit ducentis milliarijs usq; ad Nisni nouigrod, quod sonat inferius nouum castrum, & est in terra Moscouiæ: & illic accurrit & ei coniungitur magnus fluuius ex media Moscouia procedens, Occa cognominatus. Deinde octuaginta milliarijs germanicis Volha sub castrum Cosan, quod dux Moscouiæ possidet, tandem sub castrum Sardi, quod Tartari tenent, fluit deinceps uersus meridiem uigintiquinque fluminibus tantis ut est Tyberis Romæ, & alijs multo maioribus influit in mare Euxinum. Accipiat itaque lector tua humanitas, & contra omnes aduersantes tueatur, & dicat quod prælibata flumina non de montibus, nec de radicibus montium, quoniam ibi montes sunt nulli, oriuntur & fluunt. Accipiat secundo, quod montes Hiperborei & Ryphæi, de quibus emanasse illa flumina ab aliquib. fabulosè scriptum est, nec in Moscouia, neque in alijs partibus septentrionis sunt: recteq; dicetur confictos esse, & nusquam existere, nisi fortè in libro scripti aut picti, & non in terra reperiri affirmarent. Accipiat tertio, quod in dominio Moscorū, quemadmodū & in terris Turcarū, homines de loco in locū, & de territorio in territorium ad incolendum transferuntur, & alij pro his commutati mittuntur & locantur. Accipiat quarto, in Moscouia unam linguam & unum sermonem esse, scilicet Rutenicum seu Sclauonicum in omnibus satrapijs & principatibus, sic quod etiam Ohulici, & qui in Viathca degunt Ruteni sunt, et Rutenicum loquuntur, unamq; sectam & religionem instar Græcorum tenent, omnesq; Vladicæ, id est, episcopi, qui plurimi sunt, patriarchę Constantinopolitano subsunt, & confirmationem ab ipso postulantes obedientiam promittunt, præter Tartaros Cosanenses, qui ducem moscorum recognoscentes, Mahumetum unà cum Saracenis uenerantur, & linguagium Tartarorum loquuntur, etiam præter alienigenas ad septentrionem in Scythia commorantes, qui sermone & linguis proprijs loquuntur, & idola colunt, prout in sequenti capitulo dicetur. Accipiat quinto, quod post terram Viathca nuncupatam in Scythiam penetrando, iacet magnum idolum Zlotababa, quod interpretatum sonat, aurea anus seu uetula, quod gentes uicinæ colunt & uenerantur, nec aliquis in proximo gradiens aut feras agitando & in uenatione sectando uacuus & sine oblatione pertransit: quinimo si munus nobile deest, pellem aut saltem de ueste extractum pilum in offertorium idolo proijcit, & inclinando se cum reuerentia pertransit.

De regionibus Scythiæ Perm, Baskird, Iuhra & Corela, per ducem Moschouiæ subiugatis. CAPVT V.

POst Moschouiam sunt gentes & regiones inter septentrionem & orientem in fine Asiæ septentrionalis, quæ proprie Scythia dicitur, principi Moschouitæ subiectæ, per Iuan ducem Moscouiæ principaliter subiugatæ, scilicet Perm, Baskird, Czirmeissa, Iuhra, Corela. Perm monosyllabum est, inde terra Permsce, bissyllabe Permsca pronunciando: & fuit regio idola colens, quam Iuan dux Moscorum citra annos uiginti baptisma percipere coegit, more Rutenorum seu Græcorum: & posuit eis Vladicam, id est, episcopum, nomine Stephanum, quem barbari post discessum ducis uiuum excoriauerunt & necauerunt, reuersusque dux afflixit eos, & alium denuo præsulem constituit, sub quo tanquam noui Christicolæ, Rutenorum schisma & ritum profitentes permanent. Aliæ uero regiones prææxpressæ in fidelitate & idolatria persistunt. Colũt solem, lunam, stellas, bestias syluarum, & quod eis occurrit: habent propria linguagia & idiomata. In terra Permsca proprium idioma, in terra Paskirdorum proprium, in Iuhra proprium & in Corela etiam proprium. In his regionibus non arant, non seminant, panes non habent, nec pecunias: feris syluarum, quæ apud eos abundant, uescuntur, & non nisi aquam bibunt: morantur in densis syluis, in tugurijs ex uirgultis factis. Et quia syluæ illas terras contexerunt, homines syluestres & ferinos effecerunt. Sunt uelut bestiæ ratione non utentes, uestimenta de lana non habent: pellibus teguntur rude & grosse, consuentes uarias pelles in simul, ex lupo, ceruo, urso, sabellis & scismis & cæteris, prout sors obtulerit. Et quia ipsorum terræ mineras non nouerunt, pro homagio duci Moschouiæ mineras non pendunt, sed pelles animalium syluestrium quibus abũdant. Proximiores oceano septentrionis, ut Iuctri & Coreli, piscantur & capiunt balenas seu uitulos et canes marinos, quos ipsi uor uol appellant, & ex cute eorum parant redas, bursas & caletas, axungiam autem pro imaginatione seruant & uendunt. In Ihura & Corela: sunt aliqui montes mediocris tumoris, non altissimæ elationis, prout quidam putauerunt & scripserunt. Supra montes autem oceani qui mediocres sunt per totum septentrionem oceano adiacentes, scandunt ex mari pisces moris nuncupati, dente se supra montẽ continendo, fricando, & ascensum promouendo: dumque ad summitatẽ montis peruenerint, ad ulteriora gressum promouendo, ad alteram partem montium uolitando decidunt. Hos illæ gentes colligendo dentes eorum satis magnos, latos & albos pondere grauissimos capiunt: & Moschouitis pendunt atque uendunt: Moschouiæ uero his utuntur: ad Tartariam quoque & Turciam mittunt, ad parandum manubria gladiorum, framearum & cultrorum, quoniam grauitate sui maiorem ac fortiorem impresionem impingunt, & præbent impellentibus, laborantibus, præliantibus, & occidentibus. Et memineris quod suprà dixi, hanc esse illam Iuhram regionem Scythiæ, de qua egressi sunt Iuhri, à posterioribus Huni & Hungari dicti, qui ad Gothiam ascendentes uehementer multiplicati transierunt maxima flumina circa paludes Mæotidas, intraueruntque in Pannoniam, & secundo regressu eam occupauerunt, possederunt, & in hanc diem tenuerunt, suntque eiusdem sermonis & loquelæ præcisæ, nisi quod addiderunt nostri Hungari aliqua uocabula ex Sclauonico idiomate, earum rerum quæ in Scythia & Iuhra non reperiũtur. Verum in Pannonia Iuhri sunt Christicolæ: in Iuhra uero patres eorum idololatræ, politioresque & cultiores sunt Hungari in Pannonia, omnibus delitijs pleni, quamuis in toto syluestres sunt, bestiales, & in frigidissima regione miserrime degentes. Insuper memineris in his regionibus Scythiæ ad oceanum septentrionis non esse magna flumina, sed esse quasdam rupes & montes mediocris molis, & non excellentissimæ celsitudinis inaccessibilesque, uelut aliqui historici antiquiores protulerunt & scripserunt. Potius itaque secundum experientiam dixissent, de nemoribus & densis syluis eos exiuisse, quàm de inacessilibus montibus.

Homines sine pane uiuunt.

Finis lib. 2. Matthiæ à Michouia, de Sarmatia Asiana atque Europea.

SIGISMVNDVS LIBER BARO IN HERBERSTEIN, NEYPERG, ET GVETTENBERG, &c.

DE LITHVANIA.

Lithuania Moscouiæ proxima est, non autem de sola prouincia, sed regionibus illi adiacentibus, quæ sub Lithuaniæ nomine comprehenduntur, nunc loquor. Hæc longo tractu ab oppido Circas, quod ad Borysthenem situm est, in Liuoniam usq; protenditur. Porrò Circassi, Borysthenis accolæ, Rutheni sunt, alij ab his quos suprà ad Pontum in montibus habitare dixi. His nostra tẽpestate præficiebatur Eustachius Tascovvitz, (quem cum Machmetgirei rege in Moscouiam unà profectum fuisse, suprà dixi) uir belli peritissimus, astutia singulari: qui cùm crebra cum Tartaris commercia haberet, sæpius tamen eos fudit. quin & ipsum Moscum, cuius aliquando captiuus fuerat, in magna sæpe pericula adduxit. Eo anno, quo nos Moscouię eramus, miro astu Moscos profligauit: dignaq; mihi res uisa est, quæ hoc loco ascriberetur. Tartaros quosdam habitu Lithuanico in Moscouiam deduxit, in quos, ceu Lithuanos, nullo metu Moscos irruituros sciebat. Ipse dispositis loco opportuno insidijs, Moscos ulciscentes præstolatur. Tartari depopulata parte Sevverę prouinciæ, Lithuaniam uersus iter arripiunt: indeq; mutato itinere, cum Lithuaniam tenuisse cognouissent, Mosci Lithuanos esse rati, mox uindictæ cupiditate magno impetu in Lithuaniam irruũt: qua uastata, cum præda onusti redirent, ab Eustachio ex insidijs circumuenti, ad unum omnes caeduntur. Qua re cognita, Moscus Oratores ad Poloniæ regem, qui de illata sibi iniuria conquererentur, misit. quibus rex: Suos non intulisse, sed iniuriam ultos esse, respondit. Ita Moscus utrinq; delusus, damnum cum ignominia ferre coactus est.

Infra Circassos nullæ habitationes Christianorum sunt. Ad Borysthenis ostia, Otzakhovv castrum & ciuitas, quadraginta milliaribus à Circass, quam Tauricæ rex non ita diu Poloniæ regi ademptam possidebat. Hanc nunc Turcus tenet. Ab Otzakhovv ad Albam, circa ostia Thiræ, quæ ueteri nomine dicitur Moncastro, quatuordecim milliaribus ab Otzakhovv, in Præcop quatuordecim milliaribus. A Circass circa Borysthenem ad Præcop quadraginta milliaribus. Supra Circassos septem mill. per Borysthenẽ ascendendo, Cainovv oppidum occurrit: à quo decem & octo milliaribus est Chiouia, uetus Russiæ metropolis: quam magnificam & planè regiam fuisse, ipsæ ciuitatis ruinæ, monumentaq;, quæ in ruderibus uisuntur, declarant. Apparent adhuc hodie in uicinis montibus ecclesiarum, monasteriorumq; desolatorum uestigia, præterea cauernæ multæ, in quibus uetustiss. sepulchra, corporaq; in his nõdum absumpta uisuntur. Ab hominibus fide dignis accepi, puellas ibi ultra septimum annum rarò castitatem seruare. Rationes uarias audiui, quarum nulla mihi satisfacit: quibus, mercatoribus abuti quidem, sed abducere minimè licet. Nam si quis abducta puella deprehẽsus fuerit, & uita, & bonis, nisi Principis clementia seruatus fuerit, priuatur. Lex etiam ibidem est, qua externorum mercatorum (si qui ibi forte decesserint) bona aut regi cedunt, aut eius præfecto: id quod apud Tartaros & Turcas, in Chiouiensibus apud se mortuis obseruatur. Ad Chiouiam monticulus quidam est, per quem mercatoribus uia aliquanto difficiliore transeundum est: in cuius ascensu, si forte currus aliqua pars frangatur, res quæ in curru portabantur, Fisco uindicantur. Hæc omnia D. Albertus Gastol Palatinus, Vilnensis regis in Lithuania uice gerens, mihi retulit. Porrò à Chiouia ascendendo per Borysthenem triginta milliaribus, Mosier ad fluuium Prepetz, qui duodecim milliaribus super Chiovv Borysthenem influit, occurrit. Thur fluuius piscosus influit Prepetz, à Mosier autem ad Bobranzko, triginta. Inde ascẽdendo uigintiquinque milliaribus, peruenitur in Mogilevv, à qua Orsa sex milliaribus abest. Hæc iam enumerata secundum Borysthenem oppida, quæ omnia in Occidentali littore sita sunt, regi Poloniæ: Orientali uerò, Moscouiæ principi subijciuntur: præter Dobrovvnã, & Mitislavv, quæ Lithuaniæ ditionis sunt. Traiecto Borysthene quatuor milliaribus Dobrovvnã, indeq; uiginti Smolentzko deuenitur. Ex Orsa nobis iter fuit in Smolentzko, & tum Moscouiam usq;.

Borisovvo oppidum uiginti duobus ab Orsa in Occidentē milliaribus abest, quod Beresina fluuius, qui infra Bobrantzko Borysthenem influit, præterlabitur. Est autem Beresina, ut oculis conspexi, amplior aliquanto Borysthene, ad Smolentzko. Planè puto hunc Beresinam, id quod etiam uocabuli sonus indicare uidetur, ab antiquis Borysthenem habitum fuisse. nam si Ptolemæi descriptionem conspexerimus, Beresina fontibus magis quàm Borysthenis, quem Nieper appellant, conueniet.

Lithuania porrò quos Principes habuerit, quando Christianismo initiata fuerit, ab initio satis dictum est. Huius gentis res ad Vitoldi usq; tempora, semper florebant. Si bellū aliūde ipsis immineat, suaq; aduersus hostium uim defendere debeant, uocati quidem, ad ostentationē magis quàm ad bellum instructi, magno apparatu ueniunt: uerum delectu habito, citò dilabuntur. Quòd si qui remāserint, hi equis, uestibusq; melioribus, quib. instructi nomina dederunt, domū remissis, cum paucis quasi coacti, ducem sequuntur. Cęterùm magnates, qui certum militum numerum suis sumptibus in bellum mittere coguntur, data duci pecunia, se redimentes, domi remanent: eaq; res adeò dedecori nō est, ut militiæ præfecti, ducesq; publicè in cōuentibus, castrisq; proclamari faciant, si qui uelint, numerata pecunia exautoratos domū redire posse. Tanta autem inter hos quidlibet agendi est licentia, ut immodica libertate nō uti, sed abuti uideantur, Principumq; bona impignorata possideant: adeò, ut Principes in Lithuaniam uenientes, suis, ni prouincialiū ope subleuentur, uectigalibus ibi uiuere non potuerint. Gentis habitus oblongus, arcumq; Tartarorum, hastam uerò & scutum Hungarico more gerunt, equis bonis, iisdemq; castratis, sine soleis ferreis, quos mollibus coërcent lupatis, utuntur.

Vilna est caput gentis: ciuitas ampla, intra colles sita, ad confluxum fluuiorum Velię & Vilnæ. Velia autem fluuius aliquot infra Vilnam milliaribus, Crononem influit. Cronon autem, oppidum Grodno, nomine haud ita dissimili, præterlabitur, Prutenosq; populos quondam ordini Teutonicorum subiectos (quibus nunc Albertus Marchio Brādenburgensis, posteaquā se regi Poloniæ subdidit, cruceq; & ordine deposito, hæreditarius præest) à Samagitis, eo loci quo Germanicū mare illabitur, dirimit: ubi est oppidum Mumel. nam Germani Crononem Mumel, patrio uerò uocabulo Nemen appellant. Vilna porrò nunc est muro cincta, multa templa, ædesq; lapideæ in ea exædificantur, in qua episcopalis sedes est, quam tunc Ioannes regis Sigismundi filius naturalis, uir singulari humanitate præditus, tenebat, nosq; in reditu nostro humaniter excepit. Præterea parochialis ecclesia, & aliquot monasteria, & præcipuum Franciscanorum de obseruantia cœnobium, maximis sumptibus extructum, excellit. Multo plura tamen sunt Ruthenorum templa in ea, quàm Romanæ obedientiæ. In Lithuaniæ principatu sunt tres Romanæ obedientiæ episcopatus: Vilnensis scilicet, Samagithiæ, & Chiouiensis. Rutheni uerò episcopatus in regno Poloniæ & Lithuanię, aut suis incorporatis principatibus, sunt, Archiepiscopus Vilnæ nunc degens, Polocensis, Vvolodimeriensis, Lucensis, Pinski, Chomensis, Præmisiensis. Lithuani melle, cera, cinere, quibus potissimū abundant, quæstum faciunt, quæ magna ab eis copia Gedanū, deinde in Holandiam deferuntur. Piceam quoq; & asseres ad fabricandas naues, frumentum quoq; Lithuania abundè præbet. Sale caret, quod uenale ex Britannia habet. Quo tempore Christiernus Daniæ regno eiectus, mareq; piratis infestū esset, sal non ex Britannia, sed ex Russia portabatur: quo etiamnum utūtur apud Lithuanos. Nostra tempestate apud Lithuanos duo potissimū uiri bellica laude clari fuêre: Constantinus Knes Ostroski, & Knes Michaël Linzki. Constantinus utplurimum Tartaros fudit: non occurrendo multitudini prædantium, sed præda onustos sequebatur: cumq; redirent ad eum usque locum, in quo se omni metu solutos, respirandi & quiescendi commodum spacium habere putabant (is locus erat illi notus) cumq; eos inuadere constituisset, monuit suos, ut sibi ea nocte cibaria pararent. nam se eis nullam ignis copiam in noctē futuram, esse facturum. Itaq; sequenti die cōtinuato itinere, cùm Tartari noctu nulla flamma aut fumo apparēte, putarent hostes regressos, aut dilapsos, eoq; & equos in pascua dimitterent, mactarent, uorarent, & se somno dederent: Constantinus primo diluculo inuadens, magnis cladibus eos affecit. Knes uero Michaël Linski, qui cum adolescens adhuc in Germaniam uenisset, & apud Albertum Saxoniæ ducem eo tempore in Frisia bellum gerentem strenuè se gessisset, ac per omnes militiæ gradus magnum sibi nomē peperisset, Germanorumq; apud quos adoleuerat moribus imbutus, in patriam rediisset, apud Alexandrum regem magna authoritate ac summo loco fuit: adeò ut rex arduas quasq; res ex eius iudicio ac arbitrio constitueret. Accidit aūt, ut cū Ioanne Savversinski Palatino Trocensi,

censi, regis causa in dissensionem ueniret, ubi compositis tandem rebus, in uita regis omnia quieta inter illos manebant: at mortuo rege, manebat Ioanni alta mente repositum odium. nam ex eo priuatus erat Palatinatu. Tum ipse & complices, atq; amici, apud Sigismundum regem, qui Alexandro successerat, crimine affectati imperij, ab æmulis quibusdam delatus est, & proditor patriæ nominatus. Cuius iniuriæ Knes Michaël impatiens, cum sæpe regem appellasset, rogassetq; ut cõmuni iudicio, quo tantum crimen à se depellere posse dicebat, causam inter se & Savversinski actorem discerneret: cumq; rex illius petitioni locum non daret, in Hungariam ad Vladislaum regis fratrem proficiscitur: à quo literis & Oratoribus, quibus ad cognoscendam suam causam rex admonebatur, impetratis, tentatisq; omnibus, cum causæ suæ cognitionem à rege impetrare nõ posset, indignitate rei permotus Michaël, tale facinus se aggressurum, regi dixit, quod ipsi sibiq; aliquando foret mœrori. At cum domum iratus se recepisset, quendam ex suis hominem sibi fidum, cum literis mandatisq; ad Moschouiæ Principem mittit. Scripserat autem, si Princeps securam, liberamq; ad se uiuendi copiã, datis in hanc rem literis, atq; addito iuramento, sibi promitteret, eaq; res honori, emolumentiq; sibi apud Principem foret, se castris quę in Lithuania possideret, alijsq; ui aut deditione occupatis, ad se deficere uelle. Eo nuncio Moscus, qui uiri fortitudinem & dexteritatem cognitam haberet, mirificè exhilaratus, omnia quæ à se Michaël peteret, datis ut uolebat literis, iuramentoq; addito, se facturum recepit. Rebus ita apud Moscum ex sententia confectis, Michaël ulciscendi libidine flagrãs in Ioannem Savversinski, qui tum in uilla sua circa Grodno erat (in qua ego postea semel pernoctaui) toto impetu fertur, cumq; ne elabi posset, dispositis circum ædes militum stationibus, immisso percussore quodam Mahumetano, in lectulo dormientẽ opprimit, obtruncatq;: qua re peracta, ad castrum Miensko cum exercitu progressus, ui illud, aut deditione occupare nitebatur: sed Miensko occupatione frustratus, alia subinde castra oppidaq; aggressus est. Interea cum regis in se copias aduenire, seq; illi lõgè imparem esse intelligeret, obmissa castrorum oppugnatione, in Moschouiam se cõtulit: ubi à Principe honorificè exceptus est. nam Lithuaniam illi parem non habere sciebat. Vnde magnam de eo spem conceperat, se eius consilio, opera, industria, uniuersam Lithuaniam posse occupare, qua spe haud prorsus frustratus est. Nam communicatis cum eo cõsilijs, Smolentzko insignem Lithuaniæ principatum denuò obsedit, & eam uiri huius industria magis quàm uiribus cepit. Vnus enim Michaël, militibus qui in præsidio erant, omnem urbis defendendæ spem, sua præsentia ademit: eosq; & metu, & pollicitationibus, ut castrum proderent, permouit. Quod eo audacius maioreq; studio faciebat, quoniam Basilius, si Michaël Smolentzko quacunq; arte potiri posset, se castrũ cum prouincia adiacente perpetuò sibi concessurum promiserat. Quibus tamen promissis adeò ille postea nõ stetit, ut Michaëlem de pactione se appellantem, uana tãtùm spe lactaret, atq; illuderet. Qua rẽ uehementer Michaël offensus, nondum abolita è pectore Sigismundi regis memoria, cuius gratiam, opera amicorum quos in eius aula tum haberet, se facilè consequi posse sperabat, ex suis quendam sibi fidum ad regem mittit, seq;, si quæ grauius in se commisisset, condonaret, rediturum pollicetur. Grata hæc legatio regi fuit: nunccioq; continuò publicæ fidei, quas petebat, literas dari mandauit. Verum cum Michaël literis regijs non prorsus fideret, quo tutius redire posset, à Georgio Pisbeck, & Ioanne de Rechenberg, equitibus Germanis, quos ea authoritate apud regem, eiusq; consiliarios esse sciebat, ut regem uel inuitum possent ad seruãdam fidem cogere, similes literas efflagitauit, impetrauitq;. Sed cum eius rei nuncius in Moschi custodias incidisset, captusq; esset, re patefacta, Principiq; celeriter significata, Michaël Principis iussu capitur. Eodem tempore nobilis quidã ex Trepkonum familia, adolescens Polonus, à Sigismũdo rege ad Michaëlem Moschouiam missus erat: qui ut mandata regis commodius exequi posset, perfugam se simulabat. Is quoque haud meliore fortuna usus, à Moscis capitur: & cum perfugam se diceret, neq; sibi fides adhiberetur, adeò arcani continens fuit, ut etiam grauiter tortus, id non reuelaret. Porrò cum Michaël captus, in conspectum Principis in Smolentzko adductus fuisset: Perfide, inquit, digna te pro meritis pœna afficiam: ad quæ ille: Perfidiæ crimen, quod mihi impingis, non agnosco. nam si tu mihi fidem, promissaq; seruasses, fidelissimum me in omnibus seruitorem habuisses. Sed cùm te eam floccifacere, meq; à te insuper eludi uiderẽ, graue mihi in primis est, ea quæ animo in te conceperam, me exequi non potuisse. Mortem ego semper contempsi, quam uel ga causa libenter subibo, ne uultum tuum Tyranne amplius conspiciam. Deinde Principis iussu in magnam populi frequentiam in Vvielima abductus,

ductus,ubi supremus belli Præfectus,proiectis in medium grauibus, quibus uinciendus erat,cathenis: Princeps te, inquit, Michaël maxima (ut scis) dum fideliter seruires, gratia prosequebatur. Postquam autem proditione fortis esse uoluisti, hoc te secundum merita tua munere donat. Simulq; cū dicto,cathenas illi inijci iubet.Qui dum ita spectante multitudine cathenis constringeretur,ad populum conuersus:Ne captiuitatis,inquit,meæ fal sa apud uos fama spargatur, quid fecerim, curq; captus sim, paucis aperiam : ut uel meo exemplo,qualem Principē habeatis.quidq; quisq; uestrûm de eo sperare debeat, aut possit,intelligatis. Ita orsus,totius sui in Moschouiam itineris rationem, quæq; Princeps scriptis literis,addito iuramento,sibi promisisset, neque ulla ex parte promissis stetisset, referebat. Cumq; sua de Principe expectatione falsus esset,uoluisse denuò in patriam redire:ideo se captum esse. Qua iniuria cum præter meritum afficeretur, mortem se nō magnopere refugere,præsertim cum sciret,communi lege naturæ omnibus æquè moriendum esse. Et cùm corpore ualido,ingenioq; ad omnia uersatili esset,multum etiam ualebat cōsilio, serijs,iocosisq; rebus æquè idoneus, planeq; (ut aiunt) omnium horarum uir : qua animi dexteritate multum sibi gratiæ,authoritatisq; apud omnes,Germanos præsertim,ubi educatus fuerat,conciliauerat. Tartaros,Alexandro rege imperante, insigni clade profligauerat: neque à Vvitoldi morte,Lithuani tam præclaram à Tartaris uictoriam unquā reportarunt. Hunc Germani uoce Bohemica,Pan Michaël uocabāt:qui cum,ut homo Ruthenus Grecorum in fide ritum ab initio,eoq; pôst obmisso,Romanum sequutus fuisset,quo Principis in se iram,indignationemq; leniret,mitigaretq;,in uinculis denuò Ruthenicum assumpsit. De eius liberatione,nobis in Moschouia existentibus,multi præclari uiri,in primis autem Principis cōiunx,quæ sibi ex fratre neptis erat,apud Principem laborabat. Intercedebat pro eo etiam Cæsar Maximilianus, literasq; speciales in priore mea legatione ad Principem nomine suo dederat: quibus tamē usq; adeò nihil effectum est, ut mihi tum nec aditus ad se pateret: imò ne uidendi sui copia dabatur. In altera uerò legatione, cum fortè de liberatione eius tractaretur,sæpius à Moscis interrogabat, an hominē nouissem? quibus equidem,quod in rem suam fore putabam, nomen me duntaxat eius aliquando audiuisse,respondi. Atque Michël tum liberatus ac dimissus fuit:cuius neptim Princeps, uiuente adhuc priore uxore cum duxisset,tantam spem in eo ponebat,ut filios suos illius uirtute à fratribus in regno tutos fore crederet: tutorem deniq; filiorum suorum testamento instituerat. Mortuo dein Principe,uiduam lasciuientē cùm identidem increparet, proditionis crimine ab ea insimulatus, captusq; infœlix moritur. Qua re patrata,non longè pôst,ipsam quoq; ita sæuientem,ueneno sublatam:adulterum uerò Ovvtzina dictum, in partes laniatum ac dissectum aiunt.

Vvolinia,inter Lithuaniæ principatus, gentem bellicosiorem habet.

Lithuania admodum syluosa est. Paludes ingentes, & multos fluuios habet: quorum alij,ut Bog,Prepetz,Thur & Beresina,Orientem uersus Borysthenem illabuntur. Alij uerò,ut Boh,Cronon,& Narevv,Septentrionem uersus decurrunt. Cœlum inclemens,animalia omnis generis parua habet: frumentò quidem abundat,sed seges rarò ad maturitatem peruenit. Gens misera, & graui seruitute oppressa. Nam ut quisque famulorum caterua stipatus,domum coloni alicuius ingreditur, impunè quiduis facere, res ad uitæ usum necessarias rapere,absumere,crudeliter etiam colonum uerberare licet. Colonis quauis de causa ad dominos suos absq; muneribus aditus non patet.quòd si etiam admittantur,ad Officiales & Præfectos releganturqui nisi munera accipiant, nihil boni decernūt, constituuntúe.Neq; uerò hęc solùm tenuium ratio est,sed etiam nobilium,si à proceribus impetrare quippiam uolunt. Audiui à quodam primario Officiale apud Regem iuniorem,qui dixit,Vnumquodq; uerbum in Lithuaniam aurum esse. Regi quotannis imperatam pecuniam pro defendendis regni finibus pendunt.Dominis, præter censum, hebdomadatim sex dies laborare: Parocho denique ducta, uel mortua uxore,liberis similiter natis,aut uita defunctis,eo quo confitentur tempore, certam numerare pecuniam coguntur. Tam dura porrò seruitute à Vvitoldi tēpore in hunc usque diem detinentur,ut si quis fortè capite damnatus fuerit,de se ipso,iubente Domino,supplicium sumere,suisq; manibus se suspendere cogatur. Quod si fortè facere recusauerit,tum crudeliter cæsus, atq; immaniter excarnificatus,nihilominus suspenditur. Hac sęueritate effectum est, ut si Iudex aut Præfectus in re præsenti constitutus,reo moram fortè nectenti,minatus fuerit, aut solummodo dixerit, Festina, Dominus irascitur: tum miser grauissima uerbera extimescēs, laqueo uitam finit.

DE

DE FERIS.

FEras habet Lithuania, præter eas quæ in Germania reperiuntur, Bisontes, Vros, Alces, quos alij onagros uocant, equos syluestres. Bisontem Lithuani lingua patria uocant Suber: Germani impropriè Aurox, uel Vrox: quod nominis uro conuenit, qui planè bouinam formam habet, cum bisontes specie sint dissimillima. Iubati enim sunt bisontes, & uillosi secundum collum & armos, barba quadam à mento propendente, pilis muscum redolentibus, capite breui, oculis grandioribus, & toruis, quasi ardentibus, fronte lata: cornibus plerunque sic diductis & porrectis, ut interuallum eorum tres homines bene corpulentos insidentes capere posit: cuius rei periculum factum perhibetur à rege Poloniæ Sigismundo, huius qui nunc regnat Sigismundi Augusti patre, quem bene habito & firmo corpore fuisse scimus, duobus alijs se non minoribus sibi adiunctis. Tergum ipsum ceu gibbo quodam attollitur, & priore, & posteriore corporis parte demissiore. Qui uenantur bisontes, eos magna ui, agilitate & solertia præditos esse oportet. Deligitur locus uenatui idoneus, in quo sint arbores iustis diremptæ spacijs, truncis nec crassis nimis, ut facilè circumiri possint: nec paruis, ut ad tegendum hominem sufficiant. Ad has arbores singuli uenatores disponuntur, atque ubi canibus persequētibus exagitatus bisons eum in locum propellitur, qui primus ex uenatoribus sese profert, in eum magno impetu fertur. At is obiectu arboris sese tuetur, & quà potest percutit uenabulo feram: quæ ne sæpius quidem icta cadit, sed incensa magis ac magis rabie, non tantùm cornua, sed etiam linguam uibrat: quam ita scabram & asperam habet, ut uenatorem solo uestis eius attactu compræhendat & attrahat: nec ante relinquat, quàm occidat. Quòd si quis fortè circumcursitando & feriendo defatigatus respirare cupit, is feræ obijcit pileum rubrū, in quem & pedibus, & cornibus sæuit. Si uerò alteri in idē certamen non confecta fera descendere libet, ut fieri necesse est, si salui illinc abire uelint: is eam facilè in se prouocat, si uel semel sono barbaro Lululu succlamarit.

Vros sola Masouia Lithuaniæ contermina habet: quos ibi patrio nomine Thur uocant, nos Germani ꝓpriè Vrox dicimus. Sunt em̄ uerè boues syluestres, nihil à domesticis bobus distantes, nisi quòd omnes nigri sunt, & ductū quendam instar lineæ ex albo mixtum per dorsum habent. Non est magna horū copia: suntq; pagi certi, quibus cura & custodia eorum incumbit: nec ferè aliter quàm in uiuarijs quibusdam seruantur. Miscentur uaccis domesticis, sed non sine nota. Nam in armentum postea, perinde atque infames, à cæteris uris non admittuntur: & qui ex eiusmodi mixtione nascuntur uituli, non sunt uitales. Sigismundus Augustus rex mihi apud se oratori donauit exenteratum unū, quem uenatores eiectum de armento semiuiuum confecerant: recisa tamen pelle, quæ frontem tegit, quod non temerè factum esse credidi: quanquam cur id fieri soleret, per incogitantiam quandam non sum percontatus. Hoc certum est, in precio haberi cingulos ex uri corio factos, & persuasum est uulgo, horum præcinctu partum promoueri. Atque hoc nomine regina Bona, Sigismūdi Augusti mater, duos hoc genus cingulos mihi dono dedit: quorum alterum serenissima Domina mea Romanorum Regina, sibi à me donatum, clementi animo accepit.

Quæ fera Lithuanis sua lingua Loss est, eam Germani Ellend, quid nam Latinè Alcen uocant: Poloni uolunt onagrum, hoc est, asinum agrestem esse, non respondente forma. Sectas enim ungulas habet: quanquam & quæ solidas haberent, repertæ sint, sed id perrarū est. Animal est altius ceruo, auribus & naribus prominulis, cornibus à ceruo nonnihil diuersis, colore item magis ad albedinem tendente. Cursus est uelocissimi: non quo cætera animalia modo, sed gradarij instar. Vngulæ, tanquam amuletum, contra morbum caducum gestari solent.

In desertis campis circa Borysthenem, Tanaim & Rha, est ouis syluestris, quam Poloni Solhac, Mosci Seigack appellant, magnitudinis capreolæ; breuioribus tamen pedibus: cornua in altum porrecta, quibusdam circulis notata, ex quibus Mosci manubria cultellorum transparentia faciunt: uelocissimi cursus, & altissimorum saltuum.

Samagithia proxima Lithuaniæ est prouincia, in Septentrionem ad mare Baltheum, quæ Prussiam quatuor milliarium Germanicorum spacio à Liuonia diuidit: nullo oppido, aut castro munito insignis. Huic ex Lithuania à Principe Præfectus, quem sua lingua Starosta, quasi seniorem appellant, præficitur, neque temerè is, nisi grauissimas ob causas, officio mouetur: sed quoad uiuit, perpetuò manet. Episcopum habet Romano Pon-

tifici

tifici subiectum. In Samogithia hoc in primis admirandum occurrit, quòd cum eius regionis homines procera ut plurimum statura sint, filios tamen alios corporis magnitudine excellentes, alios perpusillos, ac planè nanos, ueluti uicissitudine quadam, procreare solent. Samogithæ uestitu uili, eoq; ut plurimum cinericio utuntur. In humilibus casis, iisq; oblongioribus uitam ducunt, in quibus ignis in medio conseruatur: adquem cum paterfamilias sedet, iumenta, totamq; domus suæ supellectilem cernit. Solent enim sub eodem, quo ipsi habitant, tecto, sine ullo interstitio pecora habere. Maiores urorum cornibus pro poculis etiam utuntur. Audaces sunt homines, & ad bellum prompti: loricis, alijsq; plurimis armis, præcipuè autem cuspide, & eo breuiore, uenatorum more, in bello utuntur. Equos adeò paruos habent, ut uix credibile sit, ad tantos labores eos sufficere posse: quibus foris in bello, domiq; in colendis agris utuntur. Terram non ferro, sed ligno proscindunt: quod eo magis mirandum, cum terra eorum tenax, & non arenosa sit, quaq; pinus nunquam crescit. Araturi ligna complura, quibus terram subigũt, locoq; uomeris utunt, secũ portare solent: scilicet, ut uno fracto, aliud atq; aliud, ne quid in mora sit, in prõptu habeant. Quidam ex prouinciæ præfectis, quo prouinciales grauiore labore leuaret, multos ferreos uomeres adferri fecerat. Cum autem eo, sequentibusq; aliquot annis, segetes aliqua cœli intemperie expectationi agricolarum non responderent, uulgusq; agrorum suorum sterilitatem ferreo uomeri adscriberet, nec aliud quicquam in causa esse putaret, Præfectus ueritus seditionem, amoto ferro, suo eos more agros colere permisit. Prouincia hæc nemoribus, syluisq; abundat, in quibus horrendæ quandoque uisiones fieri solent. Sunt etiamnum illic idololatræ complures, qui serpentes quosdam quatuor breuibus, lacertarum instar, pedibus, nigro obœsoq; corpore trium palmarum longitudinem non excedentes, Givvoites dictos, tanquam penates domi suæ nutriunt: eosq; lustrata domo statis diebus ad appositum cibum prorepentes, cum tota familia, quoad saturati in locum suum reuertantur, timore quodam uenerantur. Quod si aduersi quid illis accideret, serpentem Deum Domesticum malè acceptum ac saturatum esse credũt. Cùm priori ex Moschouia itinere rediens, in Troki uenissem, referebat hospes meus, ad quem fortè diuerteram, se eodem quo ibi eram anno, ab eiusmodi quodam serpentis cultore aliquot aluearia apum emisse: quem cùm oratione sua ad uerum Christi cultum adduxisset, utq; serpentem quem colebat occideret, persuasisset, aliquanto pòst cum ad uisendas apes suas eò reuersus fuisset, hominem facie deformatum, ore aurium tenus miserabilem in modum diducto offendit. Tanti mali causam interrogatus, respondit, se, quòd serpenti Deo suo manus nepharias iniecisset, ad piaculum expiandum, luendamq; pœnam, hac calamitate puniri: multaq; grauiora, si ad priores ritus suos non rediret, eum pati oportere. Hæc quamuis non in Samogithia, sed in Lithuania sunt acta, pro exemplo tamen adduxi. Mel nusquam melius, nobiliusúe, quodq; minus ceræ habeat, albumq; sit, quàm in Samogithia, reperiri aiunt.

Mare quod Samogithiam alluit, quodq; Baltheum, quidam Germanicum, alij Prutenicum, nonnulli Veneticum: Germani uerò alludentes Balthico, Pelts appellant: Sinus propriè dicitur, interluit namq; Cimbricam Chersonesum, quam hodie Yuchtland, & Sunder Yuchtland Germani: Latini uerò, nomine inde pariter sumpto, Iuciam uocant. Alluit & Germaniam, quam Bassam dicunt, incipiendo ab Holsatia, quæ Cimbricam cõtingit: dein Lubicensem terram, item Vismariam, & Rostok, Magnopolensium Ducum ciuitates, totumq; Pomeraniæ tractum, id quod nomen eius loci indicat. Pomorijæ enim Slauonica lingua idem est, ac si diceres, iuxta mare, seu maritimum. Inde Prussiam, cuius metropolis est Gdanum, quod & Gedanum & Dantiscum appellatur, alluit. Porrò Ducis Prussiæ sedes est, quam Germani Regium montem appellant. Eò loci certo anni tempore, succinum mari innatans, magno hominum periculo, propter subitum maris accessum & recessum aliquando, piscatur. Samogithiam uix IIII. milliaribus contingit: atque longo tandem tractu Liuoniam, & eam partem quam uulgò Khurland, Curetos absque dubio uocant, & regiones quæ Mosco subsunt: Vinlandiam denique, quæ Svvetensium ditionis est, unde etiam Venedicum nomen originem duxisse arbitrantur, circumluit. Ab altera autem parte Svvetiam contingit. Totum autem Daniæ regnum, quod insulis maximè constat, in hoc sinu continetur: exceptis Iucia & Scandia, quæ cõtinenti adhærent. Gotlandia quoq; insula regno Daniæ subiecta, in hoc sinu est: ex qua pleriq; Gothos prodijsse putabant: cum tamen longè angustior sit, quàm quæ tantam hominũ multitudinem capere potuisset. Præterea si Gotthi ex Scandia progressi fuissent, ex Gotlãdia

in Svve-

in Svuetiam, et iterum reflexo per Scandiam itinere (quod rationi minimè consentaneum est) oportuisset eos reuerti. In Gothia insula adhuc Vuisby ciuitatis ruinæ extant, in qua omnium illac prænauigantium lites ac controuersię cognoscebantur, ac constituebantur: eò etiam ex longinquis illis maritimis locis causæ ac negotia deferebantur, prouocabanturq́.

Liuonia prouincia in longitudine secundum mare protenditur. Huius metropolis est Riga, cui Teutonici ordinis magister præest. In ea, præter Rigensium archiepiscopum, Riualiensis & Osiliensis episcopi sunt. Oppida habet complura: præcipuè autem ciuitatem Rigã ad fluuiũ Dvuina, non longè ab ostijs: item Revvaliã & Derbtẽ. ciuitates. Revualiam Rutheni Rolivuan: Derbt uerò Iuryovugorod appellant. Riga nomen suum utraque lingua retinet. Fluuios nauigabiles, Rubonem & Nervuam habet. Huius prouinciæ Princeps, fratres ordinis, quorum primi Cõmendatores uocantur, item proceres & ciues, Germani ferè omnes sunt. Plebs ut tribus ferè linguis utitur, ita in tres ordines seu tribus est diuisa. In Liuoniam ex Germaniæ principatibus, Iuliacensi, Geldrensi, & Monasteriensi, quotannis noui & seruitores & milites deducuntur: quorum pars inde mortuorum, alij in eorum locum qui defuncti annuo officio, quasi manumissi in patriam redeunt, succedunt. Insigni equorum copia adeò abundant, firmiq́ sunt, ut hactenus tam regis Poloniæ, quàm magni Ducis Moschouiæ hostiles & frequentes in agros eorum incursiones fortiter sustinuerint, seq́ strenuè defenderint.

Anno Domini 1502, mense Septembri, Alexander Poloniæ rex, magnusq́ Lithuaniæ Dux, Magistrum Liuoniensem Vualtherum à Pleterberg, pactionibus quibusdam induxit, ut ipse instructo exercitu Moschouiæ Ducis prouincias aggrederetur: pollicitus, ubi is hostilem terram attigisset, cum magno se exercitu affuturum. Sedenim Rex cum ad constitutum tempus, sicuti receperat, non uenisset, Mosciq́ cognito hostium aduentu, ingẽti multitudine magistro occurrissent, isq́ cùm se desertum uideret, neq́ sine summa turpitudine periculoq́ retrocedere posset, suos primùm pro tẽpore paucis adhortatus, mox exoneratis tormẽtis, strenuè hostem aggreditur: primoq́ impetu Ruthenos dissipat, atq́ in fugam conuertit. Cum autem pro numero hostium pauciores essent uictores, grauioreq́ armatura præpediti, hostem longius persequi non possent: Mosci re cognita, recuperatis animis, denuò in ordines redeunt, atq́ Pletẽbergij peditatum, qui circiter mille quingenti instructa phalange hosti se opposuerunt, aggressi strenuè cædunt. In ea pugna Præfectus Matthæus Pernauer, cum fratre Henrico, & uexillifero Conrado Schvuartz, periêre. Huius uexilliferi egregium facinus memoratur, nam cùm hostium telis obrutus, confectusq́ diutiùs stare non posset, priusquam occumberet, alta uoce uirum aliquem fortem, qui uexillum à se reciperet, inclamabat, ad cuius uocem Lucas Hamersteter, qui se ex Braunsuicensibus ducibus, illegitimo tamen thoro, oriundum gloriaretur, illicò accurrens, uexillum ex moribundi manibus capere nitebatur, quem Conradus, siue quòd suspectam haberet illius fidem, siue quòd tanto honore indignum esse arbitraretur, tradere recusauit. Cuius iniuriæ Lucas impatiens, educto gladio manum Conradi cum uexillo amputat. Conradus nihilominus uexillum altera manu & dentibus mordicus apprehendens, tenet, laceratq́. Lucas uexilli fragmentis arreptis, proditisq́ peditum copijs, ad Ruthenos deficit. Huius defectione factum est, ut quadringenti ferè pedites ab hostibus miserè trucidarentur: reliqua turba cum equitatu seruatis ordinibus, ad suos incolumes rediêre. Huius cladis autor Lucas, postea à Moscis captus, atq́ in Moschouiam missus, in aula principis aliquandiu honesto loco fuit. Verùm is acceptæ à Moscis iniuriæ impatiens, ex Moschouia clàm ad Christiernum Danię regem postea profugit, à quo tormentis pręficitur. Cum autem pedites aliqui, qui ex ea clade euaserant, in Daniam elapsi, illius proditionem Regi indicassent, nec cum eo unà militare uellent, rex Christiernus eum in Stockholm misit: mutatoq́ pòst regni statu, Iostericus, alias Gustaus Suetiæ rex, recuperata Stockholm, Lucam ibi inuentum, numero familiarium suorum ascribit, & Vuiburg oppidò præficit: ubi cum nescio cuius criminis se insimulari cerneret, ueritus grauiora, denuo in Moschouiam se recepit: ubi ego illum honorificè uestitum, inter Principis stipendiarios uidi.

POMPONII MELÆ DESCRITIO SARMATIAE.

Armatia intus quàm ad mare latior, ab ijs quæ sequitur, Visula amne discreta, qua retrò abit usque ad Istrum flumen immittit, gens habitu, armisq́ Parthicæ proxima, uerum ut cœli asperioris, ita ingenij, nō se surbibus tenet, & ne statis quidem sedibus, ut inuitauere pabula, ut cædens, & sequēs hostis exigit, ita res opesq́ secum trahēs, semper castra habitat: bellatrix, libera, indomita, & usq; eò immanis atq; atrox, ut fœminę etiam cum uiris bella ineant, atque ut habiles sint, natis statim dextra aduritur mamma, ut inde expedita in ictus manu, quæ exuritur, uirile fiat pectus: arcus tendere, equitare, uenari, puellaria pensa sunt: ferire hostem adultarum stipendium est, adeò ut non percussisse pro flagitio habeatur, sitq́ eis pœnæ uirginitas.

IOACHIMI VADIANI COMMENTARIOLVS IN POMPONIVM MELAM DE SARMATIA.

Armatia.) Quemadmodum Ptol. scribit lib. 3. à septentrione oceano Sarmatico, & parte terræ in Arctos incognitæ terminatur, ab occasu Istula, ab ortu confinibus Chersonesi Tauricæ, ipsaq; Mæotide, & Tanai ad usque Rhiphæos, & ignota, quæ supra eos sunt, à meridie Carpathijs montibus. Huius iusta pars hodie Polonia dicta, à planitie uidelicet terrę, quā ipsi uernacula lingua Pole etiamnum uocāt. Orientale eius latus in 2. lib. principio pro uirili explicuimus. Reliqua sequi calamo nō pigeret, nisi hodie reddidissent pleriq;, inter quos uel diligētissime Raphaël Volaterranus. Coloni planè è Germania profecti uidentur: nam cum Boiemis lingua communicant, & sunt cùm uitæ syncenitate, tum morum candore mansuetiores, quam ut Scythici sanguinis esse, qui nūc habitant, quispiā existimet. Vtq; in Germania uetusta ferocitas, ita Germanorum in Polonia Scythica feritas hodie incognita est. Regem habent: is erat, dum hæc scribebam, Sigismundus Casimiri filius, princeps seculorum dignus memoria. Est enim & bello (ut paucis ambiam) & pace insignis, tanta formæ præstantia, ut dignam regno maiestatem uel sola uidentibus offerat. Huius mater longè Lampido illam Lacedæmoniam uincens, regis uxor, regis filia, neptisq;, regis soror, & sex regum pientissima parens, ut alibi sumus testati, extitit. Gens ipsa Christiana religione insignis, & optimorū antistitū hodie custodia incolumis. Quos inter, quos equidem nouerim, Erasmus est Vitellius præsul Plocensis, Ianus Ludbrantius Posnaniensis, Matthias Drewicius Vladislauiensis, Ioānes Conarky Cracouiensis, & candidissimi animi Petrus Tómitius Premisliensis, uiri in uniuersum, cum seorsum literatissimi, & nullis nō doctrinis dediti, tum studiosorum amantissimi & magni patroni. Id quod in præsulibus Christianis non naturæ solum, sed etiam gratiæ munus esse uidetur. Noui enim plerosq; uel æstimatissimos, quibus magis curæ est, quid habeant, quàm quid sciāt: nec quàm docti adsint, sed quot cōpti ministrent, respiciunt. Porrò & altissimo in ocio socordes ab opibus & auaritiæ studio spectari uolunt, quibusuis ueteribus tyrannis in deglubendis pauperibus sæuiores, immitioresq́. A quibus longè & uerè δὶς διὰ πασῶν, quod aiunt, illi dissentiunt. Inter quos nomino cum honoris præfatione Silesiorum Ianum Thurzonem Vratislauiensem, & Morauorum Stanislaum fratrem suum Olomucensem, genere, doctrina, uirtutibus magnos, eoq́ mihi commendabiles uel maximè, quod hic Ianum Dubrauium inter multos, ille CASPARVM Vrsinum amplectitur, uiros, ut ipsa indicant studiorum suorum uel nunc edita monimenta, doctrina, elegantiaq́ præstantes. De Iano Conarsky iurecōsulto inter insignēs regios oratores clarissimo, quid sentien-

Polonia unde dicta.

Sigismundus Poloniæ rex.

Poloni religiosi.

Antistites Sarmatici.

Ianus Thurzo præsul Vratislauiensis.

Ianus Conarsky.

sentiendum sit, ipsa me humanitas sua, simul & eruditio monuit: satius uerò est modestum uideri me suarum laudum præconem, si minus, quàm fert animus, hoc in loco retulero, quàm affectatæ laudis suspicione premi, dũmodo fatear nihil esse, quod adeò de me merito uiro non debeam.

b Latior.) Nam ab Istulæ fontibus ad Tanaim, circumq; Euxinum uersus multo erat Melæ temporibus spaciosior, quàm in ora Septentrionalis littoris, cuius magna ignota pars fuit.

c Visula.) Mira nominis uariatio: nam Visula, Iustula, Iustilla, Istula, Vistula uocatur. Oritur in Carpathijs, qua in Iaziges, & Marcomannos Polonia imminet: in Codanum egreditur non uno ostio, & amplissimo, antequam Dantiscum attingat alueo, ubi mira piscium copia. Dantiscum clarum & opulentum aduectis mercibus oppidum, aëre ob uicina, quæ palustri humore mandent, nonnihil insalubri, memorabile uerò ætate nostra Ioannis Dantisci nomine, iureconsulti, poëtæ, & Sigismundi Poloniæ regis, (quod fidei suæ & eruditioni debebatur) secretarij.

Vistula. *Dantiscum.* *Ioan. Dantiscus.*

d Ad Istrum.) Ideo Ptol. non Istula tantum, sed & montibus, qui in Iaziges imminent, & Germaniæ parte terminari ait.

e Armis.) Hodie quoque equitatu maximè præstant, habentq;, qui arcubus antiquo gentis more utantur.

f Vrbibus.) Clarissimæ sunt hodie Cracouia & Posnania inter plurimas. At maiores multò in Lithuania, & ea ora, quæ in Tauricam Chersonesum, & Euxinum spectat, sitæ: inter quas eminet Vilna præcipuè, tum & Orscha arx munitissima, Kyovv Ruthenorum metropolis, & in Podolia cæteris munita Camyenyetz, quam Latinè ob situm loci saxeam cognominant. Quod si quis ad terrarum, regniq; amplitudinem respicit, non erit adeò celebris oppidis Polonia. Constat autem ampliorem esse, quàm tota sit trans Pyrenæos Hispania.

Poloniæ magnitudo.

g Ne statis.) Omnia hæc abolita migratione, ut credo, gentium. Similia his libro primo, de Amazonibus, & secũdo libro de Scytharũ fœminis retulit. Id magis miremur, cur totus is tractus in Scythiam usque adeò apibus abundet, ut ceræ, mellisq; nusquam maior copia sit. Nec artem ibi expectant, nec industria iuuari uolunt, sibimet aluearia intra roborum excauata latera construũt, adeo ut grauissimas hyemes iuxta facilè ferant. Est hæc terra planè suis prædita floribus, & per æstiua nullos magis sol aspicit, quãdo longissimus est dies, qui animali ad labores nato breuibus umbris operam intercipit.

Sarmatia apibus abundat.

h Equitare.) Scribit libro octauo Plinius, Sarmatas equos habere tolerantissimos laborum, quos cum iter acturi sunt, inedia pridie præparant, exiguum tantum potum impertientes, atq; ita per centena millia, & quinquaginta continuo cursu euntibus insident. Iidem & Scythicarum gentium more herbarijs quibusdam succis corpora tinxerunt, fuitq; adeò agrestis uictus, ut pulte alerentur, farinæ crudæ equino uel sanguine, uel lacte admixto.

Durant crudelitatis reliquiæ in Tartaris, qui pars quidem Sarmatarum sunt, sed & Scythicis immanes morib. Vaga illa gens, & incertis contenta sedibus, nec aliud lucri, quàm quod præda adijcit, improuisis incursibus maximè noxia, profundis & trucibus oculis, ac ferè cæsijs, turbinato craneo, & circũ tempora capite presso. Plerosq; nuper Cracouiæ, & haud ita pridem aliquot Viennæ in ipsis catenis uidimus: ac nescio, an uiderit Apollinaris, qui de ijsdem tum uere, tum eleganter in Panegyri ad Artemium Augustum sic refert: Iacet sub axe ursæ Gens animis, membrisq; minax, ita uultibus ipsis infantũ suus horror inest, cõsurgit in arctum Massa rotunda caput, geminis sub fronte cauernis. Visus adest oculis albentibus, acta cerebri. In cameram uix ad refugos lux peruenit orbes, Horum semper iustum numerum, qui diuersum opus faciant, compeditos, & ergastularios habet in arce sua Cracouiana rex Sigismundus: equina his carne nõ est cibus alius gratior. Certa fides, si equum utcunq; morbidum indicaueris, rem egisti gratijs dignam, adeunt, cadauerosum extrahũt, suoq; in carnario euiscerant, carnibusq; partim assis, partim elixis, grãdi in fornice focis circumsidentes hiantem exaturant uoluptatem. Cum Cracouiæ essem, leonem catulum, qui in aula tum forte mortuus erat, euiscerabant, celebriq; deuorabant conuiuio, adstantibus etiam nobis, & feritatem demirantibus, ridiculo nutu, ut comessemus, inuitatis. Equorum ossibus mirè expolitis, & faberrimè efformatis manubria scuticarum præmuniunt, intus uisenda arte cultros ceu in uaginam condentes, quorũ in itinere pro Tartarorũ more posset esse usus. Equidẽ cum è Cracouia Bochniã uisum abijssem

Tartarorum immanitas. *Sidonius.* *Tartari hippophagi.*

Salinas, & Ioannis Boneri Salinarum præfecti beneficentia in arcem Bochnianam hospitio receptus essem, à Iano de Oleschincky Damiani domino, qui tum Boneri uicem gerebat, uiro & uirtutibus, & literis iuxta claro, humanissimè tractatus, inter cætera mihi homo Scytha ostendebatur, prætérquam quòd agreste Sarmaticum fidibus ludebat, ad nocturnas tantū uigilias natus: qui nec minis, nec uerberib. ab esu demortuarū feliū, canūq; deterreri potuit, clanculum uel è cœno cadaueribus, quibus uesceretur, raptis, assisq;.

(Virginitas.) Cogitur enim esse uirgo, si nullum occiderit. Est ergo pœna, cum sit maxime honorificum, id manu consequutam fœmellam, ut nubere possit. Nihil horum hodie usu uenit, præter miram in plerisq; Sarmatis equitandi agilitatem. Vulgare est medio in cursu ex equo in equum insultare, idq; sine mora, sine casus metu. Quod ipsum anno ab hinc tertio in Pannoniæ claro oppido Posonio, cum illuc ad Vladislaum Vngariæ regem frater Sigismundus uenisset, spectaculi gratia (nam nostri mirabantur) iterū, iterumq; exhibuerunt, ut mihi retulit Victor Gāpus Viennensis, iureconsultus clarissimus, & dignus omni fide homo, qui tum cum Cæsareis oratoribus Posonium profectus, crebris illis ludis interfuit. Cornelius Tacitus author grauissimus in his maximè, quæ ad Christianorum historiam nihil attinent, libro Augustę historiæ 17. equitatum Sarmaticum commēdans. Mirum, inquit, dictu, ut sit omnis Sarmatarum uirtus uelut extra ipsos, nihil ad pedestrem pugnam tam ignauum: ubi per turmas aduenêre, uix illa acies obstiterit.

Victor Gampus iureconsultus.

Liber autem hoc in loco, quoniam dignissima res est, nec aliena proposito, utpote de terræ insignibus locis commētantibus nobis, salifodinas Sarmaticas orbi patefacere, præsertim quod hanc admirandam naturæ fœcunditatem à scriptoribus, quos equidem uiderim, Latinis, aut historiæ penuria, aut certe experientiæ inopia, siue (quod suspicor) raris alibi gentium Salinis, copia, magnitudineúe Sarmaticis illis respondentibus, neglectius traditam uideam. Nec uerò facile aut Arabum Carras illas, iuxta quas è salis frustis, ut Plinius tradit, aqua ferruminatis ædificia exstruuntur: aut Oromenum Indię montem, è quo salis glebæ lapidicinarum more cæduntur, quantum scriptorū lectione consequi animus potest, ualde mirabitur, qui Sarmatiæ aut Bochniam, aut Veliscum uidit. Duobus in locis cæditur metallicus atq; fossilis, oppidis utrobiq; ob mortalium frequentiam, & operum magnitudinem, enatis. Horum propius Veliscum uocant, à Cracouia passibus plus minus. 8. mil. alterum Bochniam. 30. maximum millibus distans cum arce perelegante, à Salinarum præfecto, quem sua lingua Zupparium uocant, habitata.

Salifodinæ Sarmaticæ.

Velisci situs equus in septentrione, ad meridiem & ortum molli assurgit cliuo, altiusq; atq; altius: proinde montanis extantibus, agri, quemadmodum & Bochniæ, iuxta ferè steriles sunt. Intra oppidulum prope sacram ędem uno hiatu, quem ipsi Schibum nominant, in illa tenebrarum regna descenditur. Fossa ipsa undiq; præceps, roboribus in quadratum ferè contignatis altissimè demittitur, fune prægnandi è machina pendente, quo glebæ, salis, quas Bancas ipsi appellant, ex uarijs cauernis ad eius fauces deuolutæ, tandem in lucem, extrahuntur. Qui descendunt, restibus exsubere ima in parte craticulæ in modum contextis, & grandem illum ad funem nexis insident, manibus sese retinentes, atq; altero crure ad funem applicito, quò minus, qui ita pendet, uacillet. Bini frequenter iunctis lateribus pensiles intromittuntur, ita tamen ut septeni atq; etiam octeni ordine appensi demittantur: Stupentibus autem & inexpertis antea periti rerum fossores intermiscentur, qui altera in manu lucernam gestantes, pede alterutro funem immani altitudine fluctuantem regunt, ne, in compacta quadrato robora si impingat, leuissimè sedentes excutiat, enecetq; casu. Cum ad fundum peruentum est, ocyssimè sese primi explicant, funemq; diuersum in cuniculum trahentes, sequentibus consistendi relinquūt locum.

Veliscum.

Banca salis.

Hic primus per puteum, qualem diximus, introitus est tantę altitudinis, ut subtus stantibus nullus unquam cerni dies queat, & omnis desuper clamantium uox euanida sit, nec quicquam eo modo ab his, illisúe significari queat. Stipulas accensas et carbones deijciūt, qui supernè astant, illis inuicem funem magno nixu crispantibus, aut grandi malleo contignata robora in imo quatiētibus, talem impetum pedibus magis, quam auribus horum excipientib. Hic mutuus signorū modus est. Aduenis non raro, qui descendere aut noluit, aut nō audent, putei altitudo indicat straminis succenso fasciculo, iniectoq;, uisu sequentibus eum, qui astant, hoc modo altitudinis parte deprehensa. Nec facile periculum in igne fuerit, udis semper primarum faucium roboribus. Velisci uno tantum puteo (ita uocare libet) descenditur, Bochniæ pluribus: sed uno tamen frequentissimè demissis operarijs, ex alijs interim salis micis extractis: & Bochnia quidem profunda, & undiq; decliui planicie

Puteorum altitudo.

Bochnia.

planicie iacet, Velisco, ut dixi, prominente. In huius fodinis amœniora omnia sunt uisu. nam uix usquam periculosus timidis etiam & insuetis intus gradus est, & in latera abeuntes cuniculi ita panduntur, ut erectus queas incedere. Bochniæ in profundum omnia abeunt, altissime subsidentibus fossis, graduq; insuetis præsertim periculosissimo. Ab puteorum lateribus scalæ demissæ tenuibus ferramentis, funiculisq; roboribus annectuntur, exilibus subtus processibus nixæ, & operariorum frequẽtia detritæ plerunq;: à quibus pro fossarum specie abeuntibus, crebro flectendus sit gradus, idq; immani subtus altitudine, qua quidem ab ignaris primum sine metu descenditur, lucernis proxima tantum illuminantibus non etiam profundum aperientibus. Magno uerò metu ascenditur cogitantibus præsertim, quantum inanis altitudinis subsit, quamq; pendulo nitantur gradu, qui uadunt. Equidem ut de me dicam, non raro terra mariq; cum timuerim mihi, haud leuibus in periculis uersatus, nunquam tamen frequentius, præsentiusq; de morte cogitaui, quàm cum naturæ noscendarum opum cupiditate uictus, in Bochnianum illud barathrum descendissem: de quo etiamnum ita cogito, ut incolumem me omnia uidisse gaudeam, non amplius quacunq; occasione oblata uisurus.

Scalæ.

Velisci, cum demissi essemus per primum puteum, uario ac perplexo, & uere quosuis Labyrinthos uincente cuniculorum ambitu, in antra non parum spatiosa ducebamur: cameras appellat Sarmata, è quarum lateribus ingentes micæ ferreis cuneis, malleisq; cædebantur. Vix autem fidem ceperit, quantum omnia salis politissima munditie resplendescant. Ac Velisci quidem quo magis in latera cuniculos adigunt, eò salem salsiorem, mundioremq; deprehẽdũt profunditate ferè sterili, aut micis certe obintermixtã glareã impuris. Rarissime uero (id q; in fodinis metallicis Carinthiæ obseruaui) in his usuuenit, ut ligneis colũnis, aut fornicib. cõpaginatis tellus, ne sidat opprimatue operarios, suspendatur. Solidæ sunt perinde effossis salis rupibus cryptæ, nec temere unquam inde periculum euenit, sicut nec uapor usquam noxius, aut fumus pestilens strangulat. Solo casu quotannis sunt, qui pereunt fractis interdum scalis, ac non raro glebis pregrandibus, dum attrahuntur, & rumpitur funis, miserabili clade recidentibus. Porro & primo in descensu periculum est præsens, si funiculi siue restes, quibus insidere solent demittendi, disrumpantur. Operarijs merces soluitur, non à tempore, quod in his cauernis nullum est, sed operis modo æstimatione facta. Instituta quoque ad eam rem regula, & in salis (mirum) glebis uirium & laboris indicia insunt: hoc modo dispar salarium recipientibus, nec unquam desidia eludentibus qui cædunt. Cumq; nullæ sint illic lucis, & tenebrarum uices, sit ut nec uigiliarum, nec somni modus ullus existat, semper laboratur, opera tamen per uices fortuitas distributa: ut primi graues micas forma quadrata, sed oblongiori excidant, mox sint, qui demolientes, per multiplices eas cuniculos sub introitum primi putei trahant, ut tandem in lucem attollantur, quibus ab opere uacantibus, postremi succedunt, qui tenui mercede puluerem salis congerunt, & fragmenta legunt, in ueteres & exhaustas ea fossas conijcientes, aut in factitij salis usus extrahentes, humeris portantes, & certatim sub ipsa puteorum trahẽtes ora, ut attracta demum edantur. Ad hanc autem operam & iuuentus conducitur, cum illa non nisi à robustissimis perficiatur.

Salinæ Velis- censes.

Merces pro labore.

Operum uices.

Fontales uenas Veliscenses fodinæ passim habent, cæterum modicè scaturientes, quas canalibus è cryptarum ambagibus commodum in puteum corriuatas mox dolijs attollunt, coquuntq; harenosi salis iniectis fragmentis. Velisci enim & Bochniæ non tam fossitij salis, quàm factitij copia est. Ille solidis è rupibus cæsus paulò est amarior recẽs, mox cum aëre superno inuaditur, extractus dulcescit, fitq; optimus. Hic paulò salsior aqua, ut dixi, & fragmentis extractis coquitur, grandi subiecto igne, uelut in Germaniæ, Galliæq; locis pluribus. Bochniani micas, statim ut editæ sunt, probant, puræ sint nec ne, glareæ siue argillæ uenis interturbatas confestim in frusta, ut coquantur, findentes. Puriores integras uendunt, non pondere, sed magnitudine tantum æstimata. Mirum autem adeò facile frãgi salem, cum nostro ab aëre humescere cœperit: rursum, dum in cauernis est, leuiorem & duriusculum esse, extractum ingrauescere maxime.

Venæ fontales.

Sal fragilis.

Albertus.

Albertus noster ex terreo cõbusto, crassoq;, & aqueo commixto, ac terræ frigiditate cõgelato, salem natura calidum, & siccum constare autumat: porosum uero esse, & hiare rimis subtilibus: unde coniectura sit minime audax, leuem esse salem, dum sicco in aere trahitur, mox nostro, qui humidior est, per hiantes poros hausto, grauiorem fieri, ac facile frãgi posse, quoniam laxior, molliorq; factus sit. Plin. 31. li. 7. capite, prodidisse ait quosdam, leuissimũ intra specus suos salem esse, qui in lucem uniuersam prolatus uix credibili pon-

Plinius.

dere ingrauescat. Cuius euidentem causam putauit esse à cuniculorum madido spiritu sic adiuuante molientes, ut aquæ solent, in quibus grauiora pondera facilè mouentur. Mihi certè prior causa magis arridet, qui sum expertus siccum, calidum, acutum, & perquam subtilem in his fodinis aerem esse, ut suadent obambulātes, & nudi etiam Cyclopum more laborent Bochniæ, ocreatis tantum, & braccis pudibunda uelatis, qui fodiunt. Micæ, cum ad supremi putei fauces peruenēre, appensę funi iumentis extrahuntur, pręgrandem rotam anhelo & in circumreducto gyrantibus cursu. Et Velisci quidem leuiori opera omnia constant, Bochniæ magnus in extrahendo labor est, cum quòd multis in locis extrahitur, tum etiam quòd ex altissimis fossis interim per cuniculos trahitur, interim machinis subtus fabrefactis attollitur, donec hac & illac uario flexu p cryptas prouolutus, & sexies minimūm subterraneis illis machinis sublatus, demum ad supremi introitus fauces conuoluitur, ut claram in lucem attollatur. Cumq; Velisci fossæ sint præter cameras, alicubi octodecim scalarum altitudine, quarum nulla breuior sit octo cubitis, multis interim longioribus: constat Bochniæ, præter primarum faucium immanem profunditatem, in altissimam fossam octoginta scalarum altitudinem durare, & quotidie fieri altiorem, innumera salis excisa copia. Scalas numerauit Ludouicus Decius noster regi Sarmatiæ à secretis, & Iano Bonero Salinarum præfecto à rationibus, amœnissimi ingenij, & eximiæ doctrinę homo, mihi sanè nonnullo metu perturbatiori, tum & alia demirato, quorum gratia ueneram, id ipsum obseruare non dabatur. Bochnianæ glebæ puriores, salsioresq; existimantur. Vtrobiq; per reliqui salis rupes uenæ quædam euegantur pellucidæ, & crystalli modo nitidæ salis gemmæ, ut recentiores cognominant, cuius præcipuus est in medicinis usus, apparent & uenę extincto carboni nigriore similes, quarum materiam aurei pondere contritam, & modico uino sumptam alueum soluere aiebant. Sal qui coquitur, uisendæ magnitudinis patinis ex ære, ferroue factis non sanè profundis, nec crassis admodum infunditur, ubi aquis flammarum in bulientibus concretus, & sidens sal, postquam incanduit, extrahitur. Quod Plinius intellexit, quando scripsit in Gallia, Germaniaq; ardentibus lignis aquam salsam infundi. Et libro tredecimo Tacitus in Hermunduris salem prouenire ait, non ut apud alias gentes, eluuie maris, arescente unda, sed super ardentem arborum struem fusa, ex contrarijs elementis igne atq; aquis concreta, &c. Et hic quidem quamuis in metallico illo siue fossili acutior paulo, salsiorq; esse solet, parum tamen à natiuo sale abest acuminis ui. Mirum uerò inter tot fœcundæ naturæ miranda opera spectaculum, tanta altitudine solidos salis demitti montes: & cuniculis in tanta spatia adactis, ad lucernarum lumina moles subterraneas excauari. Nullus illic dies uelut Cimmerijs olim, nulla nox, sed umbræ tantum sine cœlo. Porrò & adeo altum silentium inest, ubi ab opere uocatur, ut manes inesse loco credas. Velisci non raro ingentium sese templorum specie camerę offerunt, immanibus salis columnis extantibus, quibus superiora solido & ipsa concreta sale, ceu fornices quidem sustinendis montibus enati imminent, grauissimo sese pondere admirabili quadam operariorum industria librante. Bochniæ mille quingentorum pondo Germanicorum graues micas extractas uidimus: hæc autem Romana pondo tria millia æquant. Aiebant interdum maiores cædi, neq; id difficilè creditu æstimantibus, salis illic non glebas tantum, sed montes etiam esse. Ex ingenti uero illo Sarmatiæ thesauro maius eius regni principi uectigal est, quàm plerisque esse ex auri, aut argenti fœcundissimis fodinis possit. Etiam si hoc, quicquid est emolumenti, uix æstimandis sumptibus constat. Illud non præterierim, in multis Sarmatiæ locis copiæ salis euidentia uestigia spectari, in quibus tamen fodere lege cauente prohibentur, qui adhabitant, ne rei precium euilescat, & detrimentum emolumento maius fiat. Veliscensem fodinam quatuor plus minus horis bona parte collustrauimus, comitantibus nos Rudolpho nostro Agricola. Benedicto Vadiano fratre, & adolescentibus duobus Cracouianis Seuerinorum familiæ, spectatissimæ indolis, qui unà se in horrendam illam altitudinem demisēre. Solus Agricola, cui caput est natura uertiginosum, & ex studijs debile, nullusq; omninò ad scandendum incautius animus, tantisper donec extraheremur, & nostro redderemur cœlo, nos operiebat. Bochniæ ijdem ferè nobiscum descenderunt, ducente nos & singula diligenter commōstrante Ioanne de Oleschincky, Damiani domino, uiro præter humanitatem & candidissimos mores imaginibus etiam & literarum peritia claro. Cui pro singulari beneuolentia & liberalitate sua, non satis uidebatur in hominem peregre aduenam collatum officij, quòd una periculosa uectura demissus in fodinas esset, quòd omnia indicasset, & exposuisset, nisi sexta ferè hora demum reductū, cum fessum, squalidumq; cerneret, & lauandum curaret,

Bochniarum salinæ operosior.

Bochniæ salinæ altitudo.

Ludouicus Decius.

Salis gemmæ.

Salis factitij ratio.

Plinius.

Tacitus.

Salis in Sarmatia montes.

Glebarum salis pondus.

Magnum è Salinis uectigal.

Rudolphus Agricola.

Ioannes de Oleschincky.

curaret, & apparatissimo prandio in regia arce exciperet, toto sodalitio nostro biduano hospitio incredibili humanitate tractato. Porrò ne is quidem beneficentiæ finis erat, postridie nos in uillam suam Damianam deduxit, fertili agro ad piscosi amnis ripam extructam, & undique amœnissimo nemore clausam, in qua iucunda deambulatione facta, rursum elegantissimo & planè saliari prandio non tam ferculorum apparatu, quàm morum & facilitatis suæ comitate mirificè exhilarauit: additis mox, qui nos compendiarijs itineribus Cracouiam reducerent. Quid ni autem fatear, summam beneficentiæ me Ioanni Bonero debere salinæ utriusq; præfecto? qui simul acituros nos Bochniã intellexit (iam enim Velicum uideramus) literis actutum præmissis, ut his modis cum uniuerso sodalitio exciperemur, curauit. Est hic uir grauissimus, prudentissimusq; authoritate, & gratia nullis sanè in Sigismundi regis aula cedens, præterea exterorum (ad Rhenum enim natus est) primus, qui tantis fortunæ ornamentis, tantaq; dignitate apud Sarmatiæ principes inclaruerit. Ac de salis quidem fodinis Sarmaticis hactenus.

Ioannes Bonerus.

DE SARMATIA COMMENTARIOLVS HARTMANNI SCHEDEL, ARTIS MEDICAE DOCTORIS.

SArmatia est nimis uasta & ampla regio, sed inculta & in solitudine posita, & sub rigidissimo æthere iacet. Hæc ex ortu Moschos & Tanain fluuium habet: A' meridie Dacos & Pannonas: Ab occidente Bohemos, Morauos, Slesios, & Teutones: à septentrione mare Germanicum & Sinum Codanum. Id ueroquod regni nomen tantùm sortitur, Poloniam uocant. Hæc duo nomina habet. Nam eam partem terræ ubi sita est Cracouia, minorem Poloniam nominãt: At ubi Posnania & Gneszna surgit, maiorem nuncupant. A Craco autem primo duce usque ad ætatem primi Boleslai non nisi duces illic imperitabant. Temporibus autem primi Othonis Cæsaris Boleslaus clarissimus dux fuerat. Non is de quo in uita diui Stanislai dicemus. Nam ille nepos eius fuit, qui ex monacho huius Boleslai filio natus fuerat. Iste igitur Boleslaus regem Franciæ & Germanas gentes uictrici manu infestabat. Tandem sub Othone Cæsare tali bello finem dedit & fœdus cum Germanis & Gallis contraxit. Otho autem Cæsar uidens tanti principis animi magnitudinẽ, quam toti Germaniæ & Sarmatiæ notam fecerat, se cum Boleslao duce in Sarmatiam cõtulit ut & imperium, & potestatem eius planius perspiceret. Quem illustris dux summis honoribus in Posnan suscepit. Nam tribus ante urbem millibus Passuum, aut longius sericas lanas, muriceasq; uestes auro, argentoq; decoratas per uiam, qua Cæsar iturus erat, prosterni iussit. Et post ingressionem Cæsaris in urbem Posnam cuicunq; licitum fuerat illa deferre & deportare. Illic magnificis, splendidissimisq; conuiuijs & Theatris, cęterisq; cærimonijs Cæsarem uenerabatur ut nulla, quàm aurea, illic forẽt suppellectilia; quæ post quoslibet cibos in puteos, quorũ fundi nemo certus erat, deijci ac deperdi iubebat. Multas alias pompas ac munificentias Cæsari Othoni instaurabat, quæ satis amplè Sarmatica historia enarrat. Iamq; uidens Cæsar tanti principis liberalitatem, & mentis sublimitatem, diuitiarumq; abundantiam nõ ab re animo duxit tantum clarissimum ducem corona regia dignum fore. Eum itaq; regali sceptro ac diademate exornauit, ac cæteris dignitatibus sedem regiam requirentibus celebrauit. Ne autem Boleslaus iam illustris rex tanti erga Cæsarem beneficij ingratus uideretur, brachium diui Adelberti antistitis, quem Pruteni nefanda morte trucidarunt, pro munere Cæsari obtulit. Iamq; aucto regni imperio usque ad annos salutis nostræ. M. CCCC. aut paulo antea rex Poloniæ dum absque prole discessisset. Tandem dux qui Lithuanis ac Rusiæ præsidebat, in regem electus fuit qui idola antea coluit. Sed eo tempore quo illi regium sceptrum deferebatur Christianam religionem cum omni terra, cui præerat, suscepit. Itaq; Lithuanos ac Rusitas ad regnũ Sarmatiæ sic adiunxit, ut nõ nisi absq; certa cõditione dissolui possint. Is ergo illustrissimus princeps Prutenos, maritimas germaniæ gentes, sæuissimo bello subiugum duxit ac imperium amplius extendit: Vbi insignes urbes extant Dantiscum & Thuronia. Est & clarissima arx Marieburgum cui similis nemo mortalium uidisse fertur multis uarijs structuris, mœ-

ris, mœnibus, turribus ac fossis munita, ut nulli inimicorũ tutus sit ad arcem accessus. Amplius imperium ante aliquot annos fuerat: infestante tamen Tartarorum & Turcarum perfidissima gente magnũ toti Sarmatiæ damnum illatum est. Nam terra, quæ post Russiam uadit, quam gens Podoliam uocat, tota exusta & in solitudine posita est: ut & necessitatem peregrinantibus ferre non possit quamuis ferulissima sit: ita ut gramina in altitudinem unius celsi uiri excrescant: & apibus, & melle tota redolens ut non satis illis locus sit ubi mella deferant. Sub arboribus nanq; aut uirgultis & syluis fauos sic educunt. Hercynium autem celebratissimum nemus, quo in tota Europa nihil præstantius, Sarmatiam totam percurrit & circa Cracouiam saltus suos extendit: per quos ire potest unusquisq; usq; in Lithuaniam & Scythiam. Tantis brachijs regionem illam totam peruagatur, ferarum maximos educens greges. In ea uerò syluæ parte, quæ septentrionalior est, bissontes fert: quæ ferox ac immanis bellua est, humanum genus maximè perosa: ad uescendũ quidem maximè conueniens: Formam autem gerit citrini coloris: frontem latam & cornua fert, ut nec uenationi satis aptum sit nisi maximis, uarijsq; laboribus. Metallum uerò nullum quam plumbum Sarmatia fert: non alia quàm Saturni causa: qui terram rigido infestat frigore. Salis autem maxima copia est, qua cæteræ longinquæ gentes utuntur. Quod maximum præstat toti regioni emolumentum: qua nulla regi ipsi maior in toto regno gaza extat. Nam sub terra exciduntur ingentia salis saxa. Extra terram autem aliud sal ex aqua decoquitur. Est & Sarmatia ferax & uberrima tellus omni genere fructuũ & quicquid ad pascendum, humanum corpus expetit. Nunc addenda est clarissima proles illustrissimi principis Vladislai, de quo antea diximus. Is tres, (ut quidam ferunt) uxores habuit, ex quibus duos susceperat filios, quorum unus natu maior Vladislaus uocabatur, alter Casimirus. Vladislaus autẽ post mortem patris regio insignitus fuerat imperio. Itaq; Hungariæ & Bohemiæ, & Poloniæ regnis præsidebat, ubi clarissima gesta militari manu faciebat, ac imperium & Christianam religionem amplificabat. Nam regi Turcarum tantum terrarum depopulatus fuerat, ut & ante Cõstantinopolim castrametaretur: ubi dum sæuissima bella erga Turcas gereret ac utraq; pars crudelissimo conflictu decertaret, Pannones uersis tergis fugã dabant ac regem cum paucis Sarmatiæ copijs in tãta hostiũ multitudine reliquerunt. Casimirus uerò dux Lithuanis, & Russiæ præerat. Inde dum casus regius genti notus fuerat, Casimirus per Sarmatias in regem declaratur, qui filiam ducis austriæ, sororem Ladislai, qui regno Bohemiæ & Hungariæ pręsidebat, in uxorem duxit. Ex ea sex suscepit filios & quinq; filias. Primogenitus uerò Vladislaus uocatur. Hic adhuc iuuenis existẽs in imperium regni Bohemiæ electus fuit, mira quadam animi magnitudine ac optimis consilijs pollens. Ob quod dum Matthias rex Hungariæ discessisset & regnum Pannoniæ adeptus est. Huic erat proximus frater cui Casimirus nomen paternum datũ fuerat, qui summo ingenio, ac prudentia claruit, tandem morbo inualescente perijt. At huic successit illustrissimus princeps Iohãnes Albertus, iam futurum toti orbi spectaculum. Is plurima illustria gesta militari bello apud Tartaros ac cæteras gentes edidit. Post patris autem obitum regno successit, ubi fauente illi prospera fortuna regnũ uirtute sua & optimorum, doctissimorumq; uirorum cõsilijs gubernat. Inclytus uerò dux Alexander quartus natus regius est, cui fortitudine & mentis sublimitate parem tota Sarmatia uix tulit. Hunc ob eius constantiam Lithuani post mortem patris in ducem susceperunt, qui & maximum toti Sarmatiæ decus esse existimatur. Post hunc sequitur Sigismundus celebris princeps, qui paterna sequitur uestigia. Is multis egregijs gestis clareret si illi aliquid fœlix fatum aspiraret. Celeberrimus aũt Fridericus princeps ultimum natorũ locum obtinuit, qui innata animi ingenua uirtute relinquens uanos principum tumultus & inquietam uitam ad sedem tranquilliorem sese contulit. Vnde Episcopus Cracouiensis electus ad Archiepiscopatum Gnetznensem postea deuenit. Hij omnes clarissimi quinq; principes hanc usq; in ætatem, magnificè ac celeberrimè uitam ducunt. Inter filias uerò quinq;, prima nupsit Georgio duci Bauariæ: Secunda Friderico Marchioni Brandenburgensi. Tertia duci Pomeraniæ. At duæ reliquæ innuptæ apud matrem uitam ducunt.

DE SANCTO STANISLAO EPISCOPO *Cracouiensi, Patrono Sarmatiæ.*

Diuus Stanislaus, uir magnæ apud Deum auctoritatis, totus Sarmatiæ patronus & signifer, natus anno salutis nostræ M.viij. in rure quod Sczeppanovvo uocant nobilibus ac claris parentibus quorum cura fuit in templis diuino seruitio incumbere, & Deum pijs placare precibus. Is dum in iuuentutem deuenisset, patris monitu in celebre gymnasium Lutetia deuenit ubi optimarum literarum studijs summam operam dabat: unde multis uirtutibus floruit, sacro autem, diuinoq; iuri præcipuè insistebat: non ea quæ huius ætatis iurisperiti quęstus causa solent ut maiorum dignitatũ honorem adipisceretur: sed ut si quando locus, statusúe, aut conditio sua ferre posset, ut tantum miseris, quantum potentibus, orphano, pupillouè iustitiam administraret, & unicuiq; æquo pondere, quod suum esset iubente id lege, redderet. Tandem paternas sedes rediens, Cracouiam inclitam Sarmatiæ urbem deuenit. Illic ob uirtutem & scientiam suam canonicali dignitate fungitur. Mortuoq; antistite, cœlestis numinis prouidentia in præsulis sedem declaratus fuit. Hunc dum semper optimo ordine statum deferret, curabat sacram religionem ac diuinum cultum amplificare. Empto tandem rure à quodam milite, eoq; mortuo, amici illius uillam eandem iure hæreditario à diuo præsule repetere conabantur. At ille testimonium huius stipulationis, emptionisq; proferre non potuit. Nam hij qui huius rei satis edocti fuerãt, propter illorum potentiam latebant. Vir ergò sanctus orationibus ac ieiunijs incubuit, confisusq; summi Dei potentia, qua se iam diu munitum cognouerat, accedens ad tumulum defuncti militis, à quo rus illud emerat, & euoluto lapide & arena, pia & deuota oratione Deum obtestabatur, & mortuum illum per quatuor annos in uitam reduxit. Eumq; coram tyranno Boleslao apud quem tale ius agebatur, constituit: Astantibus illic suis aduersarijs, cæterisq; regni optimatibus: quo se emisse uillam apertè demonstrauit: Iamq; sæuus Boleslaus fœdo, turpiq; luxu insistebat, ac omnem in suas gentes perfidiam & tyrannidem exercebat: ac illustres uiros, egregiosq; ciues nefandis, dirisq; supplicijs excruciabat. Stanislaus uerò Christi uates haud longiũs id ferendum existimabat. Itaq; regem intrepidus adiens ut talibus cœptis desineret illum obiurgabat. At ille magis in dies facinus exercebat. Tandem à præsule in sententiam excommunicationis ponitur, quare tyrannus Boleslaus ignarus præ furore, quid ageret, dimisit satellites suos ut præsulem quocunq; esset loco, trucidarent. Eo tempore diuus Stanislaus in sacellum diui Michaëlis, quod super rupellam in Casimiri urbem conditum est, deuenerat, gratissimum illic Deo offerens sacrificium: hunc in locum dum ministri regij deuenissent, iamq; ter ingredi templum conarentur, ter iterum pulsi, diuina potentia in tergum cadebant. Id postquam ad regias aures deuentum fuisset, magno fremitu rex Boleslaus in sacellum properat: ubi sanctum præsulem iam sacrificia offerentem immani uerbere ac sæuissimis ictibus trucidat. Tandem per ministros in frusta partitus, extra urbem deijcitur, ut uolucres illud uncis, rostris diuellerent: sed diuina sic agente prouidentia aquilæ illic aderant, quæ preciosum corpus in unum collegerunt, summaq; diligentia id seruabant quousq; ciues ipsi maximo, uenerandoq; ritu in rupellam honorificè sepelirent. Tandem in numerum sanctorum relatus, ut præmissum est, in arcem regiam ad templũ diui Vventzeslai deductus in aurea tumba multis miraculis coruscat quẽ populus multo thure ac precibus indies ueneratur.

DE CRACOVIA VRBE REGIA SARMATIAE.

Cracouiam urbem regiam, inserendam, haud absurdum esse duxi. Nam celebris Germaniæ ciuitas est teste Ptolomæo optimo, lucidioriq; Cosmographo qui eam Corrodunum appellat. Strabo autem Germaniam diffinit, quantum Rhenus & Albis in se clauserint. Nos ea causa sanè non indignam urbem Sarmatiæ foro censemus. Hanc à prima eius origine repetendam satis dignam esse putaui. Sed ne prolixiori, ambiguaúe oratione narrando fabulari uidear, breuiter de eius situ quippiam narrare constitui. Cracouia igitur illustris urbs Sarmatiæ quam Poloniam uocant ad ripam Istulæ non longè ab eius fontibus sita est. Hæc à Craco primo duce condita fuisse, & ipsius nomine celebrata esse à multis dicitur. Hæc altis primum mœnibus cingit & propugnaculis & celsis turribus: post paruo muro & ob uetustatem ruituro simili. Tandem uallis ac fossis: ut imminentibus hostibus facilior aditus prohibeatur. Hæ quædam pisci-

nam

narijs aquis repletæ: quædam uirgultis frutice ac graminibus uirent. Post aggerem uerò qui ualli imminet, amnis non latè fluens Rudijs dictus, totam ciuitatem circumluit. Hic rotarum orbes agitat, qui cererem saxis conterunt & emolliunt. Deductus tandem per subterraneos cuniculos & cannas toti urbi satis undarum præbet. Portæ urbis septem. In ea uerò plurimæ pulcherrimæ ac egregiæ ciuium domus: ac plurima ingentia templa. Præcipuum diuæ uirginis Mariæ in medio urbis extat cum duabus arduis, celsisq; turribus. Sunt & illic multa monasteria ubi multus deuotorum, religiosorumúe patrum cœtus fulget. Ad ædem namq; gloriosissimæ Trinitatis sic uocatam est celebris ordo prædicatorum. In ea uerò sacra æde multæ sanctitatis uir beatus Iacinctus nondum in numerum sanctorum relatus, magnis miraculis redolet, diui Dominici comes: qui adhuc uiuens tres mortuos in uitam reduxit. Ad templum uerò sancti Francisci est ordo fratrum minorum non reformatus, ac cætera multa monasteria. Est & templum non longè à porta Istulæ quod ad sanctam Annam uocant: ubi beatus cantus celebris huius urbis gymnasij doctor multis miraculis & prodigijs fulget, quamuis nondum in catalogum sanctorum ascriptus sit. Hanc iuxta sacram ædem situatum est ingens celebre gymnasium, multis clarissimis, doctissimisq; uiris pollens, ubi plurimæ ingenuæ artes recitantur, studium eloquentiæ, Poëtices, Philosophiæ, ac Physices: Astronomicę tamen studium maximè uiret, nec in tota germania (ut ex multorũ relatione satis mihi cognitum est) illo clarior reperitur. Illic iam maximè Phœbus colitur, qui & eorum cruda elimat ingenia ac polita reddit. Has ædes diuus Vladislaus illustris Sarmatiæ rex dum ex Prutenorum littorali Sarmatiæ gente sæuissimo conflictu uictoriam duxisset (cuius quidem belli plurima clarissima monumenta hanc usq; in ætatem in arce regia, de qua paulò post dicemus superstant) magnis opulentijs extruxit, libertatibus & stipendijs summis celebrauit, nec incolæ urbis Sarmatico more uiuunt quos crudos & ignauos Sarmatas prisci dixerunt. Sunt nanq; illic clarissimi ciues, uirtutibus, prudentia, & comitate insignes, humanitatem & hospitalitatem liberaliter & familiariter erga quosq; peregrinos offerentes. Victus illis splendidior quàm cæteris Sarmatis. Ex omni delicato genere cibi, potus illis frequentior est, aqua hordeo & humulo decocta. Is quãtum necessitas ferre potest si sumitur, profecto nihil naturæ humanæ & ad corpus ipsum alendum conuenientius quicquam reperiri potest. Sub arce uerò intra ciuitatem extat & aliud insigne collegium, ubi Academia iuris ac legum pollet. Ad urbis uerò septentrionale latus adiacet paruum oppidum nullis quidem mœnibus cinctum, quod Clepardium uocant. Nihil dignum scriptum in ea quam egregia sacra sedes diui Floriani strenui Christianæ fidei militis: Quam diuus Vladislaus de quo antea meminimus canonicatu, cæterisq; dignitatibus ac muneribus refecit, & doctoribus gymnasium artium regentibus colendam reddidit. Rupes autem ac crepidines nimia altitudine erectæ, sic ut iam cœlum sustentare uideantur: Tandem arenis congestaq; terra obductæ, ingentem collem efficiunt, qui ea parte, quę in Boreã tendit, urbi imminet, & ex alio latere niuosum carpathum altè tumentem respicit. Quam collis partem insignis Europę fluuius, Istula, quondam Germaniæ terminus, alluit: qui ex carpathi radice paruo quidem fonte prosiliens longiùs magis magisq; tumet, ita ut iam undarum auctus mole, quæ ex Pannonicis montibus sese in eum pręcipitant, trabes & ingentia robora, uariasq; lignorum structuras deferat. Tandem ubi imbribus ac cęteris fluminibus magis tumuerit, rates ac onerarias naues secum ad germanicum Oceanum in sinum Codanum deducit, ubi trino uasto ore spumosus sese euoluens nomina deperdit. In eo autem colle primum est ingens templum in decus diui Vuentzeslai ducis Bohemiæ conditum: ubi omnium illustrissimorum uirorum monumenta ac sepulturæ extant, multis opibus, uarijsq; artibus exstructæ marmoreo, allabastroq; lapide exsculptæ, quas maximo ritu ac pompa celebrari consuetum est. In medio autem templi extat celebre monumentum, in quo clarissimus Christi miles diuus Florianus requiescit. Sunt & in eodem colle duæ sacræ ædes, diui Michaëlis & sancti Georgij. Post egregiæ nobilium curiæ accedes sacerdotum qui noctu, dieq; templa uenerantur. Post primùm ingens regia sedes maximis ac uarijs structuris condita, quę totius regni Capitolium est, ubi tota regni gaza congeritur, Hinc principibus declaratur imperium, nam regalis corona hic maximis custodibus obseruatur. Extra collem autem est monasterium fratrum minorum religiosius ordinem seruans. Nec lõgè ab eo monasterio extat cœnobium sacrarum uirginum. Huic ex opposito ad põtem ipsum est insigne hospitale & sacra ædes sanctæ Hedvvigis. Ad aliam uerò Istulæ ripam extat clara ciuitas (quam Casimirum uocant) iam rege sic uocato condita, quam

quam Istula ubi sub arce regia se diuiserit, totam circumluit ac penè insulam reddit. Est in ea insigne phanum diuę uirginis Katharinę, ubi ordo Augustinensium floret. Tum & tẽplum quod ad sacro sanctum corpus Christi uocant, ubi canonici regulares inhabitant. Ac cæteræ aliæ sacræ ædes. Extant & clarissima monumenta uetusti collegij iam insolita, quod illustris regina Hedvvigis construxerat. Plurima præclara præterea in his urbibus à uetustissimis temporibus gesta sunt per illustrissimos reges ac principes. Sed breuitati imitati finem his imposuisse dignum statuimus.

LAVRENTII CORVINI NOVOFORENSIS ODE SAPHICA ENDECASYLLABA: DICOLOS TETRASTROPHOS PRONICȂ DE POlonia & eius Metropoli Cracouia.

Terra diffusis spaciosa campis
Tenditur longè geminam sub arcton,
Mille quam durus renouat Feracem,
Sarmata bobus.

Hanc licet multi latices amœno
Alluant riuo: tamen inter amnes
Pulchrior multas uitreus peragrat
Vistula gentis.

Cæruleum tollens caput à niuosa
Rupe: torrenti similis rapaci:
Deinde congesto patulos fluore
Fertur in agros.

Regiæ celsus sinuosus urbis
Præterit muros: ubi Graccus horum
Auctor agresti statuisse fertur
Iura colono.

Hic sibi pulchram Ioue nata sedem
Pallas elegit: teneram'que uirgo
Imbuit summi patris erudita
Dote iuuentam.

Edocet formis uarijs solutum
Lite discordi chaos: & latentis
Primæ naturæ peritura nullis
Semina seclis.

An Deus nubêmæ toneat aquosa
Aëris spissi: trifidum ut iacentes
Fulmen in terris iaculatur ictu
Sæpe fragoso.

Vnde Brumales ueniant pruinæ,
Et uapor largo resolutus imbri
Flabra uentorum: refluiq́ magni
Tethios æstus.

Cur situs chari è regione fratris
Roscidus Lunæ globus it sub umbram,
Sæpe mortales piceam tuentes
Lampada terrens.

Aureus crispo ueniens ab Indo
Phœbus: astrorum'que sui meatus
Hic uiros lustrat numerum profunda
Mente capaces.

Pegasi sanctæ laticis puellæ
Hic sonant plectro modulos canoros
Colle Cirrheo & sapiens relicto
Ludit Apollo.

Educat pulchras Venus hic puellas
In Iouis summi thalamos ituras:
Poma quæ falsæ teneant Atlantis.
Aurea dignæ

Aut odoratis sedeant in herbis
Quæ nemus myrrha redolet Sabæum.
Fundit & rubri pelagi niuales
Concha lapillos.

Pulchrior uirtus latet in uenusto
Corpore, à nullo peritura fato:
Dotibus cuius ueniunt per æuum
Omne cauendæ.

Nec procul multa specus excauatus
Arte: sub fauces Herebi profundas
Tendit: & ditis tenebrosa nigri
Tartara pulsat.

Intus obscuræ posuêre noctes
Turbidis sedem tenebris opacam
Aetheris pictis iubar expolitum
Vsq; perosæ.

Nam nec Auroræ radijs: nec ullo
Sole lustratur: superum per axem:
Siue sub terras ruit ad sepulti
Orbis alumnos.

Huius è cæcis latebris amaræ
Exeunt rupes salis: & sub auras
Turbines magni superas citata
Mole trahuntur.

Sudat occultis specus hic cauernis
Fontis æterni laticem, is rigorem
Contrahit puri salis, ut calenti
Aestuat igni.

Ista Saturni senioris astro
Liuido: & pigro remeantis orbe
Terra fœcundis nimium dehiscit
Fœta metallis.

Mille nec longè rapidis equorum
Cursibus fertur glebus inquietus.
Siue Sol lucem uehit: aut opacas
Luna tenebras.

Inde connexum subitura cœlum
Aera in exhaustis latebrosa uenis
Et simul surgit rudis impoliti
Lamina plumbi.

Hæc uiros tellus alit alma uasta
Mole proceros: Viadri fluenta
Vistulæ, aut quales nemorosa radunt
Flumina quercus.

Martij crebro proceres capessunt
Arma in hostiles ruitura turmas
Et ferunt pulchris spolijs onusti
Sæpe trophæum,

Quæ tuis summæ pater incola arcis
Fixa delubris tibi consecrarunt
Rursus ut dextro patrios reuisant
Marte penates.

CARMEN

CARMEN CVNRADI CELTIS P. L. AD VISTVLAM FLVVIVM, VBI ORTVM ET EXITVM EIVS DESCRIBIT ET DE VRSONtibus & eorum uenationibus agit.

Vistula carpathi ducens radicibus ortum
Quæ sua Pannonijs aurea dona ferunt
Hic ubi præcipuis consurgit uertice gemmis
Pulsans æthereum per iuga celsa polum
Inde citus triplicem Cracouiam tendis ad urbem
Sarmatici regis mœnia celsa rigans
Hinc Masouina uagus te obliquat maior in arua
Qua patet Hercyniæ portio uasta meæ
Horrida uillosos, quæ pascit sola uisontes
Et ualidos uros: monstra stupenda feræ,
Bellua uasta: micans oculis: & cornibus uncis
Et nigrum Hirsutam corpus habet faciem
Pendula promissis gestat palearia uillis
Queis strumæ in morem guttura crassa tument
Cornibus elatis uermentem occursat in hostem
Et iacit in cœlum corpora prensa uagum
Arboreos truncos annosaq; robora quercum
Ventilat: ut uibrat per uaga rura caput
Quam cum uenator rigidis prosternere syluis
Apparat: hanc pulchro decipit ingenio.
Nam primum hanc iaculis, tenso uel prouocat arcu
Vt furiat læsis bellua cruda toris
Inde citus capit ille fugam, se robore tutans
Quod petit impactis cornibus illa suis
Se prensisse putans fugitiuum cornibus hostem
Sæuit & in gyrum robora uasta terens.
Ille feram (trunco se tutans) sæpe lacessit
Figit & in terram spicula sæua cutem
Sic ubi iam toto lassatæ corpore uires,
Cessit & exanimis impetus ille feræ:
Mox alij circum iam stantes more coronæ
Conficiunt iaculis corpora uasta suis
Hinc propior codano Prutenas tendis ad urbes
Vistula: teutonicæ littora gentis habens
Quæ nunc Sarmatico seruit malesida tyranno
Germanum Dominum forte perosa suum
Hic multas urbes: ualidas construxit & arces
Teutonicus miles: pallia flaua gerens:
Scilicet ut Scythicos posset retinere tumultus
Effera barbaries dum sua castra mouet:
Vrbs ibi torua suas tollit sub sydera turres
Et Marieburgum maximum in orbe decus
Quod uagus in triplici circundas Vistula fossa
In codanum triplici plurimus ore fluens
Hic ubi præclaro munita est prussia portu
Vrbibus & populis diues in orbe micans
Quas inter claro Dantiscum lumine surgit
Qualiter exit Phœbe resurgit aquis
Sed quondam Gedonum, Gothorum à nomine dictum
Hincq; sinus Codanus nomina clarus habet
Ad cuius tractum: bellum memorabile gestum est
Inter teutonicos Sarmaticosq; uiros
Heu pudet: aduerso parta est uictoria marte
Hostibus ut barbas desecuere truces.
Vistula germanæ quondam ceu terminus oræ
Sic mihi iam fesso finis amoris erit
Et ueluti excedit, qui accepit uulnera bello
Sic cedo primo læsus amore puer.

ADAMI SCHROTERI SILESII ITER SALINARIVM SARMATICVM.

Ver erat, & Tauri fulgebat sidere Phœbus:
Spirabat pulso mitior aura gelu:
Cura mihi subijt quando lustrare salinas
Vnde uenit duplicis copia magna salis:
Hic ubi Sarmatico se iactat in orbe Vilisca
Millia quod Gracchi distat ab urbe duo.
Tunc ego ferratis iniectis ora lupatis
Torqueo, cornipedis tergore uectus equi.
Mœnia sed postquam ueteris regalia Gracchi — *Cracouia.*
Et Clerij linquo culta theatra ducis:
Vtq; nas uenient subeo Casimiria portas: — *Casimiri urbs.*
Transgressus ripas, Vistula magne, tuas:
Ecce mihi sese mons latus, & arduus offert: — *Vistula fl.*
Qui mihi cum socijs prætereundus erat.
Qui quòd sacratam Benedicti continet ædem — *Mons D. Benedicti.*
A' cultore suo nomen adeptus habet.
Collis in hoc uiridi surgens ferit æthera uultu:
Miror, an humana ducat ab arte situm.
Culmine pyramidi similis, radice rotundus: — *Sepulchrum Gracchi.*
Deprimit illius firma columna caput.
Qui uelut excubias omnes agat ille in horas:
Cracouiæ patulos undiq; spectat agros.
Omne Cracouiam dextro qui condidit urbem,
Gracchus, consilijs, arte, manuq; potens:
Fertur in hoc corpus quondam posuisse sepulchro:
Hic ubi templa pius iam Benedictus habet.
Quæ mihi dum socius sic uerba recenset amicus:
Phœbus ad Oceani labitur actus aquas.
Ne'ue premat subitis me nox inopina tenebris:
Vlterius celerem calcar adurget equum
Vtq; salis plenum, cursu properante, Viliscam, — *Vilisca*
Cultaq; magnifici uidimus arua soli:
Vidimus & circum cliuosos undiq; colles:
Et loca spicifera non satis apta Deæ
Quà sed in Hesperias sol mergitur aureus undas,
Vrbis habent æquum grata uireta situm.
Arx iacet egregijs illic circumdata muris:
Optima magnanimis, conueniensq; uiris
Sarmatico Suppam dicunt sermone: quòd olim — *Suppa*
Hoc sit ab exigua nomen adepta casa.
Hanc ubi præterij: uenerandaq; templa Deorum,
Opposito Suppis ædificata loco:
Vtq; paludosæ superaui dura plateæ:
Excipit hospitio me quoq; Tencha suo.
Hospes equi motus strepitu, citus aduolat: & me
Omnibus saluum gaudet adesse bonis.
Hinc mensis fessi discumbimus arte paratis:
Ad partes ueniunt uina, dapesq; suas.
Multaq; de rebus uulgaribus, inter edendum,
Materiaq; placet de grauiore loqui.
Hospes facundo dum plurima disserit ore:
Miscet amabilibus seria dicta iocis.

Tunc

Tunc ait: ô iuuenes, quoniam cognoscere multis
Inuenti quæ sit caussa, & origo salis:
Scite, Boleslaus cùm Sarmata regna teneret,
Nomina qui sancti casta pudoris habet:
Consortem quærens thalami, quæ ferret amanti
Gaudia legitimi, pignora chara, tori:
Magnanimum regni prius aduocat ille senatum:
Iussa legunt proceres, conueniuntq́ simul.
Mittitur ad Belum subitò legatio regem:
Imperij dominum, Pannonis ora, tui:
Cuius præstantem rex poscit Sarmata natam:
Exemplum ueræ quæ pietatis erat.
Annuit ipse parent: regi despondet & illam:
Illa sui sequitur iussa uerenda patris.
Cùm uerò patrijs ad nos secessit ab oris:
Liquet & optati regna paterna soli:
Argenti uarijs cùm nollet & illa grauari
Dotibus (innumeras nanq́ ferebat opes)
Res (ait) est iucunda quidem, nec inutilis aurum
Albaq́ sub patrijs orta metalla iugis:
Non tamen hæc cuiuis fatum lachrymabile donat,
Inq́ casa raró pauperis esse solent.
Quin potiùs talem mihi da, pater optime, dotem.
Conueniens Iro quæ sit, & apta Midæ.
Si tibi concedunt talem pia numina dotem,
Accipe nil tibi mens nostra negabit, ait.
Protinus ad patrias proficiscitur ipsa salinas,
Gemmaq́, qua digitos exuit, ima petit.
Inde Polonorum Cunigundis ut inclyta regi
Iuncta, fauore ducem, demeruitq́ pari:
Nescio, quo, causa uisendi, tempore uenit:
Et nostros ferro scindere iussit agros.
Annulus, in patrias quem miserat ante ruinas,
Cernitur: & puri copia magna salis.
Carpimus intereà genialis fercula cœnæ:
Hospite tam gratis ora mouente sonis:
Lætaq́ iucundis iubet interponere mensis
Gaudia, festiuos ore, manuq́ modos.
Sed, mihi de uestris: mens est audire Salinis,
Inquam: plura uelis commemorare precor.
Ad nostras trino descenditur ore fodinas:
Subterrasq́ tribus faucibus itur, ait.
Nomen habet regis, sacro iunctissima templo:
Quæ primùm regno protulit alma salem.
Altera Seraphij titulum sortitur, habetq́:
Hoc quæ præcipuas tempore præbet opes.
Tertia magnanimi meritis laudata Boneris
Inuentoris habet nomina clara sui.
Hic & aquæ puteum montis fecêre magistri:
Tollitur ad superas hinc salis unda plagas:
Quæ cùm ferratis fuerit benè cocta patellis:
Dat purum nobis utilis ecce salem.
Sic ait: & uerbis hospes solatur amicis,
Præbibit & fesso pocula multa bonus.
Donec, ubi quartam nox iam transegerat horam,
Mollibus intulimus membra leuanda toris.
Postera lux oritur: tepidis sol clarus ab undis,
Formosum nitido retulit ore diem.
Coschuitius patriæ non ultima gloria gentis,
Ad puteum famulo me properante uocat.
Hinc ad Seraphij conscendo concaua montis
Ora: precans claro dextra fata uiro.
Lignea præ ualido circundata machina ferro,
Quatuor intrepidis acta mouetur equis.
Illi prægrandis, robustaq́ restis adhæret:
Omnia quæ superis extrahit apta plagis.
Posteà montanis induti uestibus, imus
Huc ubi nigra uagis faucibus ora patent.
Illic turba stetit trepido concussa timore,
Ima timens tremulos ad loca ferre pedes.
Prendimus inde manu sellas è subere textas
Quilibet ad funem, quas ligat arte suum.
Vsibus assueti, rutilantem lampada gestant:
Et ne lætantur, cum pede quisq́ canet.
Vt tetigêre solum primi se quilibet aptè
Explicat, ut nobis possit & esse locus.
Terricolæ circum fauces stant undiq́ fratres,
Indusijs cincti: lampada quisq́ gerens.
Grandibus & peris præcincti membra, lucernis
In quibus apta ferunt pinguia faua bonum.
Protinus anfractus uarij, uarijq́ meatus
Ostendunt miras, significantq́ uias.
Non ego tot curuis ambagibus atria Cretæ
Dædaleas credo composuisse manus.
Dumq́ ita per falsos alacres erramus hiatus,
Longiùs & cupidi continuamus iter:
Venimus ad latas cameras (sic Sarmata dicit)
Quæ spatio superant magna theatra suo.
Quæ uelut excelsis firmantur templa columnis
Neue ruant, solido de sale fulcra premunt
Grandes uoluebant ad fauces undiq́ massas:
Nocte, dieq́ frequens quilibet urget opus.
Ille latus cuneis findit, ferroq́ rigenti:
Ille secat glebas sub pede sæpè graues.
Ille ferit stando, iacet hic, sedet ille supinus:
Et quò quisq́ potest aptius, istud agit.
Paruula concurrunt teneri segmenta ministri
Carpentisq́ trahunt alta sub ora suis.
Præterea montes destillant undiq́ guttas:
Sed nihil hæc nobis attulit unda mali.
In puteum siquidem deducta canalibus altum,
Tollitur ad nostras utribus hausta, casas.
Sic igitur multas sub montibus erro per horas
Vlteriùs fessi uix potuêre pedes.
Dumq́ salis uideo tam puros undiq́ montes:
Fulua quibus cedit diuitis unda Tagi:
Cernitur inferiùs nobis immane barathrum:
Scilicet à festo nomina Solis habet.
Frusta leuant salis hîc bisseni magna ministri:
In medio rota stat lignea, fune grauis.
Hæc ego cùm uidi: satis est potuisse uidere,
Aio: inuenit alios ista theatra uiros.
Ad putei tandem sic uenimus ora patentis.
Languebant tarda corpora lassa mora.
Ilibus ingentes strepitus, sonitusq́ mouemus
Pulsantes ferro robora quercna graui.
Cùm primùm pedibus nostrum sensêre tumultum:
Demittunt restem, nosq́ paramus iter.
Pensilibus uecti sellis, sic reddimur auris:
Dulce fuit, rursus cernere posse diem.
Tunc ego: iam satis est celebres uidisse salinas
Carmine uicturas tempus in omne meo.

CONRADI CELTIS PROTVCII

ὁδοιπορικὰ SALINARIA.

AD

IANVM TERINVM.

IANE canens gelidis repetebam sæpè sub antris:
Cur nullo nobis tempore scripta dares.
Fortè tuum reris uatem mersum esse profundo:
Pandit ubi tristes Sarmatis ora specus:
Multaq́ de umbrosis ceduntur saxa cauernis:
Quæ niueum tribuunt igne soluta salem.
Vel saltem poteras paucis mandare: ualeto
Celtis, & infernas i rediture domos.
Sed redij superas dextro Ioue uiuus in auras:
Lustraui Stygij tristia regna canis.
Alcidæ similem uideor subijsse laborem:
Et socia Theseu, qui rapis arma manu.
Illaq́ iam rigido uolui tibi scribere uersu:
Quò noster solitum pignus haberet amor:
Est specus, immensis pandens cum faucibus ora:
Suppositumq́ uidens lumina nulla solum.
Sed face candenti distantia longa notatur:
Fax ubi inexhausta luce fatiscit humo.
Ora specus circum latissima machina surgit:
Quam rota cum rapidis turbine uersat equis:
Robora transpositum per multa uolumina funem
Plectuntur: curuo pondera dente trahens.
Lubricus hic cæcum mortales mittit in antrum:
Aërium præbens irrequietus iter.
Huic ego sum tremulus toto cum corpore uinctus:
Vt fueram tristes ausus adire domos:
Quas neq; lucifluus collustrat lumine Phœbus,
Nec radijs penetrat lucida falce soror.
Cum Ioue candenti fugit hinc Cyllenius ales:
His neq; sub specubus Mars uiolente rubet.
Nec Veneris flammæ rutilant hoc orbe remoto:
Falciferiq́ senis lurida stella latet.
Plaustra nec undiuagis illa monstrant æquora nautis,
Illa nec arctophylax regna sepulta uidet.
Cæca sed hic uolitant tenebroso sydera mundo:
Sydera, quæ nullum sunt paritura diem.
O' mihi quàm magno trepidabant corda pauore,
Pendula lictores dum mea membra ligant:
Et mea Tartarea condunt ubi corpora ueste.
Nullus erat toto uiuus in ore color.
Dumq́ inter uitam medius, mortemq́ uolarem:
Dædalei timui fata subire fabri:
Et mea signassent fatalem nomine terram
Celtica: quæ fuerant, I A N E, canenda tibi.
Sed modò cùm superas redijssem sospes in auras:
Oblectat tales sæpè subisse specus.
Quippe ea, quæ uidi, statui mortalibus olim
Pandere: quot pœnas Tartarus acer habet.
Intereà rigidum depone à fronte Catonem:
Et somno curas, tristia pelle mero.
Decipimur uotis: & tempore fallimur: & mors
Deridet curas: anxia uita nihil.

IACOBI

IACOBI PRILVSII DE PROVINCIIS POLOnicis, & quibusdam Regum diplomatis Tractatus: ex statutorum libris ab illo publicatis exscriptus.

CAPITVLVM I.
De Magno Ducatu Lithuaniæ.

LITHVANIA, est Regio in Sarmathia, quæ ab Oriente Scythiam: à Meridie Poloniam minorem, ab Occidēte Mazouiam, à Septentrione Liuoniam, Samogitiam, & Moschouiam habet. Et licet hic Ducatus ad ducēta ferè milliaria Germanica quaquauersum pateat: Gens tamen Lithuanorum superioribus annis (æquè ac Regio multis sui locis sterilis & inculta est) obscura & contempta, Duciq; Kiouien. tributaria fuisse memoratur: donec Vithenes Dux quidam eorum sumptis uirium incrementis negaret ei tributum: quin & iugo Principibus Rusiæ uicissim iniecto, eos ad tributa sibi pendenda adegerit. Nec longo pòst tempore, IAGELLO Magnus Dux Lithuaniæ, circa annū 1386. Heduigi filia Ludouici Hungariæ, & Poloniæ Regis in uxorem ducta, Sacro baptismate tinctus, Vuladislai nomen, unaq; Regnum Pol. Baronum Regni consensu accepit. Prætereaq; secum fratres quatuor & gentem Lithuanam, confractis eius idolis, lucisq; incensis, & exemplo suo, & tunicarum in concursantem pannosam plebem largitione ad fidem Christi conuertit: fideq; neophytos opera Polonorum primis rudimentis doctrinæ Christianæ instruxit: ac insuper Ducatum suum Lithuaniæ, Samogitiæ, & Kiouiæ, cum Alexandro Vitouudo, alijsque fratribus suis Regno Poloniæ incorporauit, & uniuit perpetuò. Hic primus Lithuanum nomen adeò illustrauit, ut & Polonia ab hoc primū Rege, eiusq; successoribus, tam literarū, quàm armorum gloria florere, amplissimiq; Regni nomen habere cœperit. Qualisq; & quantus hic uir fuerit in Magistratu declarauit. Habuit autem fratrem Alexandrum Vitouudum in rebus gerendis quasi Thesæum. Hic enim loco fratris Lithuanis Magnus Dux relictus, adiecit suo, & fratris Ducatui Ducatum Plescouensem, Ducatum Nouogrodiens. & Ducatum Smolensens. qui an in curia Principum, an perfidia præsidiorum à Moschis intercepti, Lithuanisq; detracti sunt, scire non possumus: certè qui nostrorum Principum uelit, haberet satis materiæ ad parandam sibi gloriam, atque adeò nominis immortalitatem, in recuperanda defectrice Silesia, & Pomerania ab una parte Reg. & in repetendis ijs Ducatibus, quos dicimus à Moschis esse interceptos, parte ab altera: item Oczakouio à Scythis, nisi quod interdum iniquior etiam pax iustiss. bello est anteferenda.

ARTICVLVS I.
Magnus Ducatus Lithua. Reg. Poloniæ.

IN NOMINE DOMINI AMEN, Ad perpetuam rei memoriam, debitores sumus Spiritualis alimoniæ salutaria illis pocula ministrare, quibus prǽsidentes temporalium commodorum præstamus suffragia: ut quos ad corporis necessitatem sustentamus, salutis etiam ipsis, quantum nostra sufficit facultas, ministeria porrigamus: ne dum temporalibus insistimus profectibus, uitæ commoda negligere uideamur. Et unde dona benedictionis, & brauium expectamus sempiternum, inde uitæ detrimenta sentiamus, & præmijs destituti adoptatis nulla laboris nostri commoda consequamur. Expedit perquirere, & debita attēdere ratione, ut dū hominibus impartimur carnis beneficia, meditemur qualiter ipsis cœlestia præbeamus alimenta: & quos in hoc sæculo transitorijs rerum condimus copijs, illis uiam æternę beatitudinis demonstremus, quatenus & hic nostræ munificentię cognoscant præsidia, & tandem futuræ gloriæ compendia per exercitia directionis nostræ appræhendant, in omnium SALVATORE. Proindè nos VVLADISLAVS Dei gratia Rex Poloniæ, nec non terrarū Cracouiæ, Sandomiriæ, Siradię, Lanciciæ, Cuiauiæ, Lithuaniæ Princeps supremus, Pomeraniæ, Rusiæq; Dominus & hæres, &c. Et ALEXANDER, aliâs Vitouudus Magnus Dux Lithuanię, necnon terrarū Rusię Dominus, & hæres, &c. Significamus tenore præsentiū, quibus expedit uniuersis, prǽsentibus, & futuris præsentium notitiam habituris, quomodo terras Lithuaniæ, & earum incolas

125. 126. 127. Vulad. Iagel. et Vitouudi in HRODLO. 1400.

nostro subditos dominio, in quos sæpè liberalitatis nostræ manum extendimus, & profectui ipsorum intendentes, multa frequentia, statum, & conditionem eorum semper studuimus facere meliorem. Feruenti desyderio cupientes in assumptæ fidei deuotione iugiter solidare, & fundare. Vt ipsos altissimus, quo præstante lumen fidei per nostram operam receperunt, ad laudem, & honorem sui nominis, & eiusdem fidei catholicæ augmentum gratiæ suæ charismate confirmaret. Cùm eos sæpè munificentiæ nostræ donis refecimus, summoperè affectamus Spiritualibus gratijs resouere, & per quæq; legitima studia, & labores id feruentius mancipare. Qui ut se in fidei constantia commodiùs exerceant, & crescāt de uirtute in uirtutem, iugum seruitutis, quo hactenus fuerunt compediti, & constricti, de ceruice ipsorum deponentes & soluentes, ex innatæ nobis benignitatis clementia, ipsis libertates, immunitates, gratias, exemptiones, & Priuilegia dari catholicis solita, iuxta continentiam articulorum subscriptorum, tenore præsentium concedimus, & largimur. Et primo quàuis eo tempore, quo almo Spiritu inspirante fidei catholicæ recepta, & cognita claritate, Coronam Regni Poloniæ assumpsimus pro Christianæ religionis incremēto, & bono statu, & commodo terrarum nostrarum Lithuaniæ prædictarum, ipsas, & cum terris ac dominijs ipsis subiectis, & connexis. Præfato Regno nostro Poloniæ appropriauimus, incorporauimus, coniunximus, uniuimus, adiunximus, confœderauimus, de consensu unanimi nostro, & aliorum fratrum nostrorum, & omnium Baronum, Nobilium, Procerum, & Boyarorum eiusdem terræ Lithuaniæ uoluntate accedente, & assensu: Volentes tamen terras prædictas Lithuaniæ propter hostiles insultus, & insidias Cruciferorum & eis adhærentium, ac aliorum quorumcunq; inimicorum, qui præfatas terras Lithuaniæ, & Regnum Poloniæ demoliri nituntur, & in ipsorum destructionem machinantur, in certitudine, securitate, & tutela melioribus reponere, & eis perpetuum commodum procurare, easdem terras, quas semper cum pleno dominio, ac iure mero, & mixto, hactenus habuimus, & habemus usq; modò à progenitoribus nostris, & ordine geniture, tanquam Domini legitimi, Baronum, Nobilium, Boyaronum uoluntate, ratihabitione, & consensu adhibitis, prædicto Regno Pol. iterum incorporamus, inuisceramus, appropriamus, coniungimus, adiungimus, confœderamus, & perpetuè annectimus: decernentes ipsas cum omnibus earum dominijs, terris, Ducatibus, Principatibus, Districtibus, proprietatibus, omniq; iure mero, & mixto Coronæ Regni Pol. perpetuis temporibus irreuocabiliter, & irrefragabiliter semper esse unitas. Cæterùm omnes Ecclesias terrarum Lithuaniæ prædictarū tam Cathedrales, quàm Collegiatas, Parochiales, & Conuentuales uidelicet Vilnens. & cæteras in eis erectas, & erigendas, fundatas, & fundandas in omnibus ipsarum libertatibus, immunitatibus, priuilegijs, exemptionibus, & consuetudinibus uniuersis conseruamus. Harum serie mediante iuxta consuetudinem Regni Poloniæ. Barones etiam, Nobiles, Boyari terrarum nostrarum Lithuaniæ prædictarum, donationibus, priuilegijs, & cōcessionibus ipsis per nos datis, impartitis, & collatis, duntaxat Catholici, & Romanæ Ecclesiæ subiecti, & quibus clenodia sunt concessa gaudeant, participent, & fruantur, prout Barones, & Nobiles Regni Pol. suis potiuntur, & fruuntur. Item Barones, & Nobiles prædicti bona ipsorum paternalia pari iure obtineant, sicut Barones Regni Pol. sua noscuntur obtinere, & donationes nostras, super quibus literas obtinent, à nobis efficaces, & fulcitas perpetui roboris firmitate similiter obtinebunt, & liberam habebunt ipsa uendendi, commutandi, alienandi, donandi, & in usus suos conuertēndi facultatem: nostro tamen consensu ad hoc specialiter accedente. Sic tamen quod ipsa alienando, commutando, uel donando coram nobis, uel nostris Officialibus iuxta consuetudinem Regni Pol. resignabunt. Item post mortem patrum liberi non debent bonis hæreditarijs priuari, sed ea cum suis successoribus possidere, prout Barones, & Nobiles Regni Poloniæ sua possident, & in usus conuertunt beneplacitos. Similiter uxoribus suis dotalicia in bonis, & uillis, quas ex successione paterna, uel concessione nostra perpetua habuerint, uel sunt habituri, poterint assignare, prout in Regno Pol. assignantur. Filias autem, sorores, consanguineas, & affines suas præfati Barones, & Nobiles terrarum Lithuaniæ copulare poterint, uiris duntaxat Catholicis, & tradere coniugio iuxta beneplacitum suæ uoluntatis, & iuxta consuetudinem Regni Pol. ab antiquo obseruatam. His autem libertatum concessionibus non obstantibus Barones ad constructionem, & erectionē castrorum, uias expeditionales facere, & tributa dare iuxta antiquam consuetudinem astringantur. Hoc specialiter expresso, Quod omnes Barones, & Nobiles terrarum Lithuaniæ, fidelitatem, & debitam ac Christianam fidei constantiam nobis uidelicet Vuladislao Regi Poloniæ, & Alexandro, aliàs Vitoudo Magno Duci Lithuaniæ, & successoribus nostris tenere debebunt, & seruare, prout Barones, & Nobiles Regni Pol. suis Regibus tenere soliti sunt, & serua-

& seruare: super quo Barones Boyarones, & Proceres terrarum Lithuaniæ prædicti iuramentum nobis iam præstiterunt, prout clariùs in literis ipsorum, quos cum Baronibus Regni Poloniæ sibi inuicem concesserunt, continetur. Pari modo sub fidei sacramento, & sub bonorum suorum amissione, nullis Principibus aut Baronibus, uel alijs cuiuscunque conditionis hominibus terris Regni Poloniæ aduersari uolentibus, consilia, fauorem, & auxilia ministrabunt, uel præstabunt: sed eos tanquam hostes terræ, & dominiorum Lithuan. totis uiribus prosequantur, & ad nullum alium respectum habebunt, nisi ad nos, & ad nostros successores, prout hanc ipsam Barones, & Nobiles prędicti pro se & pro suis posteris per fidei sacramentum cautionem præstiterunt, & fecerunt. Item dignitates, sedes, & officia, prout in Regno Pol. institutæ sunt, instituentur, & locabuntur: in Vilna scilicet Palatinus, & Castellanus Vilnens. & demùm in Troki, & in alijs locis, ubi nobis uidebitur expedire, iuxta nostræ beneplacitum uoluntatis perpetuis temporibus duraturis. Et huiusmodi Dignitarij non eligantur, nisi sint fidei Catholicæ cultores, & subiecti S. Romanæ Ecclesiæ, nec etiam aliqua officia terræ perpetua, ut sunt dignitates, Castellanatus, &c. nisi Christianæ fidei cultoribus conferantur, & ad consilia nostra admittantur, & eis intersint, dum pro bono publico aliqui tractatus celebrantur. Quia sæpè disparitas cultus, diuersitatem inducit animorum, & consilia patent talibus diuulgata, quæ traduntur secretè obseruanda. Item omnes, quibus huiusmodi libertas, & priuilegia conceduntur, nunquam nos Vuladislaum Regem Poloniæ, & Alexandrum Vitouudum Magnum Ducem Lithuaniæ, quò adusq; uixerimus, & nostros successores Reges Polon. & Duces Lithuaniæ, à nobis, & nostris successoribus statuendos, & locandos deserant, uel recedant ab eisdem, sed sub fide, & honore pariter, & onere iuramenti, fideliter, & firmiter nobis, & successoribus nostris adhærebunt fauoribus consilijs, & auxilijs perpetuis temporibus, & in æuum. Hoc etiam addito, quod prædicti Barones, & Nobiles, &c. Lithuaniæ post mortem Alexandri, aliàs Vitouudi Magni Ducis moderni nullum habebunt, aut eligent pro Magno Principe, & domino Lithuaniæ, nisi quem Rex Polonię, uel ipsius successores cum consilio Pręlatorum, & Baronum Polon. & terrarum Lithuaniæ duxerint eligendos, statuendos, & locandos. Similiter Prælati, Barones, & Nobiles Regni Poloniæ, Rege Poloniæ sine liberis, & successoribus legitimis decedente, Regem, & Dominum non debent ipsis eligere sine scitu, & consilio nostro, uidelicet Alexandri Magni Ducis, Baronumq;, & Nobilium terrarum Lithuaniæ prædictarum, iuxta tenorem, & contenta priorum literarum. Præterea prædictis libertatibus, priuilegijs, & gratijs tantummodò illi Barones, & nobiles terræ Lithuaniæ debent uti, & gaudere, quibus arma, & clenodia Nobilium Regni Polon. sunt concessa, & cultores Christianæ Religionis Romanæ Ecclesiæ subiecti, & non schismatici, uel alij infideles. Item omnes literas quascunque Regno Polon. & terris Lithuaniæ ante octo, uel septem annos, ac post, uel circa coronationem nostram concessimus, & dedimus tenore præsentium confirmamus, ratificamus, approbamus, & robur perpetuum imponimus eisdem, haben. ipsas præsentibus pro insertis. Hoc etiam addito specialiter, & expresso, quod præfati Barones, & Nobiles Regni Polon. & terrarum Lithuaniæ Conuentiones, & Parlamenta quando necesse fuerit in LVBLIN, uel in RARCZOVV, & aliàs in locis aptis de consensu, & uoluntate nostra celebrabunt pro commodo, & utilitate Regni Polon. & terrarum Lithuaniæ prædictarum meliori. Præterea nos ALEXANDER, aliàs Vitouudus de consensu Serenissimi Principis domini Vuladislai Regis Polon. fratris nostri charissimi eligimus ad arma, & clęnodia Nobilium Regni Polon. terrarum nostrarum Lithuaniæ Nobiles infrascriptos, quos ipsi Regni Pol. Nobiles simul cum omnibus, qui ex eorum stirpe originem suam ducunt, ad fraternitatis, & consanguinitatis consortia receperunt. Et primo Nobiles Lelyua, Monyuid Palatinum Vilnens. Item Zadora, Palatinum Iauunum Trocen. Rauya, Minigal Castellanum Vilnen. Lyssy, Sunigal Castellanum Trocens. Iastrembcy, seu Lazanky, aliàs Bolesthy, Nagora uocatos, Nemir, Trambki, Hostikonem. Topory, Butrym. Item Labancz, alias Skrynscy, Goligunt, Poraye, Nicolaum Bylymin. Dambno, Koreuuam, Odrouuasz, Vyschegerd. Vaduicz, Petrum Mondigerth. Dria, Nicolaū Tauutigerd. Habdanyecz, Iohannem Gastoldi. Polkoza, Volczkonem Kukua. Grifones, Butouudum, Srzenyaua, Iadaldum, Pobodze, Kalonem, Grzymala, Iohannem Rymouidouicz, Zaramba, Ginet Konczeuicz, Pyrszchala, Dauuxa, Notina, Nicolaum Boynar, Dzalosza, Volczkonem Kokuthouicz, Kopacz, Gedoruoch, Rola, Dangyel, Sirokomla, Iacobum Myngyel, Cattus Marinus, Voysznar Vilkoleuicz, Pouala, Georgium Sangauu. Item Pomyan, Saka, Doliua, Naczkonem. Sarza, Tuerbuth, Dolanga, Monstuild, Bogoria, Stanislaum Vissygin, Ianina, Voyszym Danczykouicz, Bichaua, Monstold,

Suuinka, Andream Deuuknethouicz, Rolda, Minimund Sesnikouicz, Sulima, Bodyuil. Item Nalancz, Koczanum, Lodza, Myczusch, Gelithoue, Gerdud, Korczakouc, Czuppam, Byala, Moydylonem Czuszolouicz, Vanzyk, Koyczanum, Sukouicz, Czolek, Iohannem Euil, Godzamba, Stanislaum Buthouutouicz. Osmorog, alias Geralth, Surgutes de Kyeszlinn, &c. Quibus quidem armis, clenodijs, & proclamationibus, prædicti Nobiles, Proceres, & Boyari terrarum Lithuaniæ extunc, & in posteà perpetuis temporibus ubilibet gaudeant, potiantur, prout ipsis præfati Nobiles Regni Polon. uti frui consueuerunt, & potiri. Vt autem corroborationis, & cautelæ uberioris omnia præmissa accipiant firmitatem, præsentes fecimus Sigillorum nostrorum munimine corroborari, præsentibus, & consentient. ac ratum haben. Reuerendis in Christo patribus Dominis Nicolao Gnesnens. Archiepiscopo, Alberto Cracouien. Iohanne Vuladislauien. Petro Poznan. Iacobo Plocens. Nicolao Vilnien. Iohanne Electo Leopolien. Metropol. Matthia Præmisl. Michaële Kiouien. Gregorio Vulodimir. Sbigneo Kameneczen. Electo Ecclesiarum Episcopis Chelmens. & cæteris Ecclesijs uacan. Necnon Magnificis, ualidis, & strenuis Cristino Crac. Castell. Iohanne de Tarnouu Craco. Nicolao de Michalouu Sandomirien. Sandiuogio de Ostrorog Poznan. Matthia de Vanssos se Callis. Iacobo de Konyeczpole Siradiens. Ioanne Ligeza Lancicien. Matthia de Labissyn Brzesten. Ianussio de Koszcyelecz Gneuucouien. Palatinis. Michaële de Bogumilouicze Sandomir. Iohanne de Sczekoczyn Lublin. Dobeslao de Olesznicza Voynicen. Floriano de Rokithnicza Vislicien. Cristino de Kozyeglouy Sandec. Martino de Kolikouo, Clemente de Mocrsko Radomiens. Domarath de Kobelany Biecen. Mosticio de Stassouu Poznan. Ianussio de Tuliskouu Calissien. Martino de Kalinouu Siradien. Petro de Vuloszoua Dobrzyn. Alberto de Koscyol Brzesten. Iohanne de Lankossyn Lancicien. Cristino Krussuicien. Ioanne de Lacuchouu Zauichosten. Martino de Lubnicza Brzezin. Stanislam Gamrath Polanecen. Iohanne de Bogumilouice Cechouiens. Matthia Koth Naklen. Grottone de Iankouicze Malogost. Iuano de Obichouu Srzemen. Ianussio Furman Miedzyrzecen. Castellanis. Sbigneo de Brzezye Regni Polon. Marschalco, Petro Szaffranyecz Succamer. Martino de Vuroczimouo Vexillifero Cracou. Paulo de Bogumilouicze Cracou. Nicolao de Strzelcze Sandomir. Nicolao de Czarnkouu Posnan. Iaka Kalissien: Andrea de Ludbranc. Cuiauien. Petro de Vidaua Siradien. Nicolao de Suchydol Lublin. Petro de Thur Lancicien. Iudicibus. Actum in oppido Hrodlo circa flumen Bug in Parlamento, seu congregatione generali, die secunda mensis Octobris, sub anno Domini 1413. datum per manus Reuerendiss. in Christo patris, domini Episcopi Cracoui. supremi Cancellarij Regni Polon. nobis syncere dilecti. Scriptum uerò per manus Cyolkonis Canonici Sandomiriensis secreti nostri Notarij.

Prælati Lithuan. incorporant se Regno Polon. ac Regi Polon. se subijciunt, quem unà cum Polonis eligent.

Tempore Vuladislai Iagel. de Ducatu Magno ad Regnū assūpti, 1401.

IN NOMINE DOMINI AMEN. Tunc enim multis errorum, & dubiorum incommodis prudenter occurrimus, cùm gesta ætatis nostræ literarum apicibus, & Sigillorum appensionibus cōprehendamus. Proinde nos Prælati, Principes, Barones, Nobiles, terrigenæ terrarum Lithuaniæ, & Russiæ, uidelicet Iacobus diuina prouidentia Vilnens. Ecclesiæ Episcopus, Dux Iuanus Olgimunti cum filijs suis, uidelicet Andrea & Senikone, & cæteris, Mungaylo Gedygoldo fratre, & cæteris, Czupurna Marschalco Senikon Iamunti, Fedorius Leonis cum Iusskone fratre germano, Gassouu cum filio Khalnusz, Gineyd cum filio Milus, & cæteris, Kinunth cum filio, Dauxha, Strzygoil Karikonis, Gyntolth Astok cum fratre germano, Dorgi Gastolth cum Przehhindo fratre germano, Nemira cum fratribus suis germanis, Szagaylo, Olizaie Vessildnis, Voinad Russylouicz, Kiessgaylo, & Kumbold Volimontonis cum suis cæteris fratribus germanis, Goligin, Romaň Mileykonis cum fratre Volczkone, & cæteris Voyssyund cum filio, Radiuilo, Volochko Kauothmonis cum fratribus Butoldmuntigailo, Hanuss Montigerdonis cum fratribus suis, Douogin Vissigirdonis, Drauntieū Vesskone filio, Volczko, uel Vtruicz, Volczko Konssouutouicz, Dogirdi Voinis, Vidzich cum fratribus, Goligind, Veydimin, Heschis Selkouicz, cum cognationibus, & Genealogijs suis: necnon tota uniuersitas omnium & singulorum Nobilium, & terrigenarum prædictarum Lithuaniæ & Russiæ terrarum, quorum quamuis nomina singulatim hìc non sunt expressa, ipsorum tamen consensus ad suprascripta adest, ac si pro inscrtis ha-

fertis haberentur. Proinde significamus, quibus expedit uniuersis. Quomodo eo tempore, quo Prælati, Principes, Barones, & Nobiles, & communitas terrarum Regni Pol. diuina cooperante clementia, Serenifs. Principem dominum Vuladislaum Regem Polon. supremum Ducem Lithuaniæ, hæredem Rußiæ dominum nostrum gratiosifs. de gentilitatis erroribus educen. in Regem, & Dominum ipsorum assumpserunt. Nos quoq; ipsius uestigia sequentes, almi Spiritus gratia eruditos ad ipsorum consortium Catholicum inuitantes de tenebris erroris uetusti, per assumptionem S. fidei orthodoxæ receperunt. Cum quibus in fide facti unanimes, & consortes ad perfectionem Catholicorum operum merito, & opportunè debemus per concordiam perpetuè adspirare. Pro eo prædicto Domino Vuladislao Regi Pol. &c. Et ipsius Coronæ, Regno, ac Regnicolis Pol. firma fide, & inuiolabili sponsione promisimus, & tenore præsentium promittimus, toto posse, & uiribus contra insultus quorumlibet hominum eis asistere, & eos nullo exquisito coloris fuco unquam deserere, sed ipsos sine dolo, & fraude, scilicet Regem, & Coronam, Regnum & Regnicolas Pol. & eorum necessitatibus perpetuè adiuuare, eorumq; profectus, utilitates, commoda, & bonum commune peragere, salubri, & fideli dispositione, uelut nostrum proprium: quod & ipsi nobis pari modo tenebuntur facere uiceuersa. Demùm quia prædictus Dominus Vuladislaus Rex, &c. Dominus noster gratiosus ex speciali confidentia magnifico, & præclaro Principi domino Alexandro, aliàs Vitouudo Duci Lithuaniæ, &c. ipsum in partem suæ solicitudinis assumens supremum Principatum terrarum earundem Lithuaniæ, cæterorumq; dominiorum suorum Ducatus dedit, & contulit, & ipsum in eis de manu sua statuit, ad uitæ eiusdem domini Ducis Vitouudi terminum ultimum & extremum. Pro quo eundem dominum Vuladislaum Regem constantiori fiducia prosequi uolentes, & prout iustum est, ipsum reddere certiorem firma sponsione, & irreuocabili promisso sibi tenore præsentium promittimus, quod supremus prędictus principatus terrarum Lithuaniæ, & cæterorum dominiorum Ducatus unà cum bonis, & cæteris patrimonialibus ad eundem dominum Ducem Vitouudum pertinentibus, & cum omnibus castris fortalicijs districtibus, territorijs, & eorum incolis post decessum ipsius ad ipsum dominum Vuladislaum Regem, ac ad Coronam Regni huius Pol. iuxta tenorem literarum per prædictum dominū Ducem Vitouudum eidem domino Vuladislao Regi, & Coronæ eius datarum debent plenè & integrè deuolui, & redire. Et nos etiam, cum nostris posteris atq; successoribus post decessum domini Ducis Vitouudi promittere prędicto domino Vuladislao Regi Coronę, & Regno Pol. adhęrere, subijci, obsequi, & seruire sine dolo, & fraude, toto posse, & uirib. tenebimur, & præter ipsum ad Coronā Regni eiusdem nunquā nobis alios, uel alium dominū, uel dominos assumemus. Illo etiam nō omisso, quod si dominus Vuladislaus rex prędictus (quod Deus auertat) sine prole decesserit, extunc sine scitu, & cōsilio eiusdē domini Ducis Vitouudi, & nostro pariter, Principes, Prælati, Barones, Nobiles, & cōmunitas terrigenarum terrarum Regni Pol. prædicti sibi Regem & dominum non debent eligere, seu locare, cum quibus firmam mutuam, & constantem seruantes asistentiam, in dulcedine fidei, & uisceribus Iesu Christi perpetuam & irreuocabilem tenebimus unionem. In quorum omnium fidem & testimonium, euidentiamq; pleniorem pro perpetuo robore Sigilla nostra præsentibus sunt subappensa. Actum, & datum in Vilno ipso die S. Priscæ Virginis, & Martyris. Anno Domini 1401.

Vuladislaus tertius Rex Polon. confirmat Iura, & Priuilegia Sigism. Magno Duci Lithuaniæ super Ducatu Magno per D. olim Vuladislaum suum genitorem eidem Sigismundo concessa.

IN NOMINE DOMINI, AMEN. Ad perpetuam rei memoriam, nos VVLADISLAVS tertius Dei gratia Rex Polon. Necnon terrarum Cracoui. Sandom. Sirad. Lancic. Cuiau. Lithuaniæ Princeps supremus, Pomeraniæ, Rußiæq; Dominus, & hæres, &c. Significamus tenore præsentium, tam præsentibus, quàm futuris notitiam habituris. Quod ex quo præclarus, & Magnificus Princeps dominus SIGISMVNDVS Dei gratia Magnus Dux Lithuaniæ, Rußiæ, &c. patruus noster percharus omnem synceritatis constantiam erga Regnum Polon. nostrum, & nostram Regiam præsentiam semper gessit incorruptè. Cuius rei nos memores, & pergrati, dignum censuimus sibi proinde cordis puro zelo occurrere, & omnium, qua decet gratitudine, hanc fidem, & constantiam integram compensare. Vnde ex certa nostra scientia, sufficien

Vulad. Iag. Fe. 1438.

ficientissima deliberatione prehabita, animo beneuolo, & uoluntate nostra ultronea nostrorum Prælatorum, & Baronum salubribus freti consilijs, ipsi domino SIGIS. Magno Duci nostro charissimo iura, literas, & priuilegia, quæ à nobis, & fœlicis memoriæ genitore nostro domino Vuladislao Rege Pol. super Ducatu Magno, & quibuscunque bonis, & libertatibus sub quibuscunque datis, & tenoribus existunt, quæ hic habere uolumus pro insertis, in omnibus earum punctis, conditionibus, positionibus, particulis, & clausulis uniuersis, ratificamus, innouamus, gratificamus, approbamus, & præsentis scripti patrocinio confirmamus: decernen. ea robur obtinere perpetuæ firmitatis. Promittimus insuper in uerbo nostro Regio præsentibus, & spondemus easdem ipsius literas, iura, & priuilegia ritè, & iustè emanata per omnia rata atque grata habere, & inconcussa iugiter, & inuiolabiliter obseruare, & de eis satisfacere. Harum, quibus sigillum nostræ Maiestatis est appensum testimonio literarum. Datum in oppido Pyotrkouu, in Parlamento generali, feria tertia proxima post festum S. Luciæ Virginis, Anno Domini 1438. præsentibus ibidem Reuerēdiss. & Reuerendis in Christo patribus Dominis Vincentio S. Gnesnen. Ecclesiæ Archiepiscopo, & Primate, Sbigneo Cracou. Vuladislao Vuladislauiens. Episcopis, & Andrea de Bnyn Electo confirmato Ecclesiæ Posnan. ac magnificis Nobilibus, & strenuis uiris, Ioanne de Czyzouu Castell. Cracouiens. Dobeslao de Senno Sandomir. Martino de Slauukouu Calissiens. Alberto de Male Lanciciens. Iohanne de Lichni Brzesten. Iarando de Grabye Iuniuuladislauien. & Petro Odrouasz de Sproua Leopolien. palatinis. Dobrogostio de Szamotuly Posnan. Clemēte Vatropka de Strzelcze Sandomir. Laurētio Zaramba de Kalinoua Siradien. Castellanis. Iohanne de Olesznicza Marschalco, & Andrea de Lubino Thesaurar. Reg. Pol. & alijs Dignitarijs, Baronibus, militibus, & nobilibus, testibus circa præmissa. Datum per manus Magnifici, & Generosi uirorum Ioannis de Konyeczpole Cancellarij, & Petri Voda de Sczekoczin Vicecancel. Regni Poloniæ nobis syncerè dilectorum.

Ad Relationem Magnifici Iohannis
de Konyeczpole R.P. Cancel.

Tempore Iohann. Alb. Regis Polon. & Alexandri Magni Ducis Lithuan. Barones, & Consiliarij Magni Duc. Lithuaniæ confirmant Inscriptiones per antecessores eorum cum Regno Pol. factas.

IN NOMINE DOMINI AMEN. Ne gesta ætatis nostræ tempus, & uetustas aboleret, inuentum est, ut ad memoriam posteritatis literarum apicibus, & testium annotatione deducantur. Proinde nos Prælati, Barones, Nobiles, & uniuersitas Terrigenarum Magni Ducatus Lithuaniæ, uidelicet Albertus Vilnens. Iohannes Luceoriens. Martinus Mednicens. Ecclesiarum Dei gratia Episcopi: Nicolaus Radziuilouicz Palatinus Vilnens. & Magni Ducatus Cancellarius, Dux Alexander Iurgeuicz de Holssani Castell. Vilnens. & Capitan. Grodnens. Iohannes Iurgeuicz de Zabrzeze Palatinus Trocens. ac supremus Magni Ducatus Marschalcus, Stanislaus Ianouic Castellan. Trocens. & Capitaneus terræ Samogitarum, Georgius Paczouic Polocens. Gregorius Osteczykouic Curiæ Marschalcus & in Merec, Nicolaus Nicolai Radziuilouic Pincerna Ducalis, & in Byelsko, Iacobus Douoynouic Drohiens. Stanislaus Potrasskouic Lidens. Iohannes Lithaor Nouogrodens. Stanislaus Michaëlis Pothkouic Brzestens. Albertus Iauonic Vexillifer, & Caunens. Nekrasz Volothkouic in Belzyca, Petrus Radyuilouic Succamerarius, & in Eyxyschki, Niemira Grzymalic Mielnicens. Nicolaus Iundylouic in Dubicza, Georgius Montontouic, Alexander Motigordouic Capitanei, Marschalci, & Tenutarij. Significamus tenore præsentium, quibus expedit uniuersis. Quomodo licet uniones, & fœdera inter hæc dominia, uidelicet Regnum Polon. & Magnum Ducatum Lithuaniæ, terrasque eisdem subiectas, à temporibus longè retroactis sub Rege Polon. Vuladislao, aliàs Iagello, & sub Magno Duce Lithuaniæ Alexandro, aliàs Vitouudo inita, & constituta hucusque inuiolatè seruentur. Postquam uerò Sereniss. Principes Domini nostri gratiosissimi super ipsa dominia, in Regem Polon. Sereniss. Dominus IOHAN. ALBER. in Magnū uerò Ducem Lithuaniæ Sereniss. Dominus ALEXAN. Domini nostri gratiosiss. diuina dispositione assumpti sunt, placuit Prælatis, Baronibus, & Nobilib. Regni Pol. fratribus nostris, similiterque ipsi no-

ipsi nobis iam de facto fecerunt, & per nostras nouas literas, & inscriptiones antecessorum nostrorum super huiusmodi fœderibus confirmaremus. Quarum quidē literarum uerbum de uerbo tenor sequitur, & est talis.

IN NOMINE DOMINI AMEN. Ad perpetuam rei memoriam. Sator rerum omnium, cuius oculus penetrat uniuersa, & scientia nunquam extinguitur, in rebus humanis, quas obliuionis caducis momentis constat subiacere, ut memoria earum remaneat, apices literarum alti consilij prouidentia ordinauit: quarum præsidio rerū ordinationes, pacta, & tractatus conseruantur. Proinde nos Monniutus Palatinus Vilnens. Iauinis Palatinus Trocens. Mingal Vilnen. Sungal Trocen. Castellani: Nyemir Olstyk, Butrym Golignith, Nicolaus Bilim. Koreyoua, & Vissygert, Petrus Montigerd, Nicolaus Tautigerd, Iohannes Gastouudy, Volczko Kulua, Bolsouudus Iadath Ralo, Iohannes Rimouidouic, Ginenth Konczeuic Doxa, Nicolaus Byemar, Volsko Kochutouic, Iacobus Mingel, Voyssnar Virkolouic, Gregorius Sangauu, Saka Nacko, Verbuth Monstyuild, Stanislaus Vyssygin, Voyschin Damenkouic, Monstold, Andreas de Vknethouic, Mumunth de Sesinkouic, Roduil, Koczanus, Miczuch, Gerdud, Czuppa, Voydzilo Kossylouic, Koczanus Sukouic, Iohannes Eyuild, Stanislaus Buthouuthouic, Surgutes de Ressynki, &c. Significamus tenore præsentium, quibus expedit uniuersis præsentibus, & futuris præsentium notitiam habituris. Quod, quia Serenissimorum Principum dominorum, Vuladislai Regis Pol. &c. & Alexandri, aliàs Vitoudi Magni Ducis Lithuaniæ dominorum nostrorum gratiosiss. concessione, & indulto. Arma quibus uti insolitum fuit nobis, contraria consuetudine obsisten. ad insigniendum nominis, nobilitatisq; nostræ titulum, à Baronibus, Nobilibus, & Proceribus suis ordine geniture contraxerunt, recipimus, & ad gratias, libertates, & immunitates, priuilegia, & exemptiones, & multa alia beneficia, & prærogatiuas, quæ nobis per dictos dominos gratiosos Vuladislaum Regem Pol. & Alexandrum Magnum Ducem Lithuaniæ munifica sunt concessa largitione, & literarum patrocinio munita, interuentu ipsorum, & studio promoti extitimus, & prouecti, promiseruntq; suis parentibus literis adhûc qua poterunt diligentia bonum commodum, & profectum status nostri, & honoris ubilibet promouere, & nunquam in aduersitatibus nostris, & necessitatibus nos deserere, sed semper contra omnium inimicorum nostrorum insidias, & insultus auxilijs, consilijs, & fauoribus suis prosequi, & iuuare: horum intuitu uolen. tot beneficiorum merita compensare, & ipsis dignas uices pro eis impendere, ne disparitatis in nobis aut ingratitudinis contagia, & inæqualitas literarum cernerentur uendicare: sed ut semper unanimis identitas inter nos remaneat, & uoluntas animorum: sicut idem cultus, & Religio fidei obseruatur, uniuersaliter uniuersali, & singulariter singuli nostris nominibus, ac uice omnium Nobilium, Boyaronum, Procerum, & incolarum terrarum Lithuaniæ bona fide in uerbo nostro confitenti, & fideli omni dolo, fraude, & colore amputatis & remotis, promittimus, pollicemur, uouemus, spondemus, & iuramenti nostri ministerio strictiùs nos obligamus. Nunquam præfatos Prælatos, Barones, Nobiles, & Proceres Regni, & ipsum Regnum Pol. prædictum in omnibus eorum necessitatibus, & aduersitatibus deserere, sed semper ipsis contra omnium inimicorum eorum insidias, & insultus, consilia, auxilia, & fauores fideliter ministrare. Et nulli lites, bella, aut guerras præter scitum, & uoluntatem, & consensum, consilium, & requisitionem ipsorum, & eorum successorum indicere, facere, uel mouere, præfatosq; dominos Vuladislaum Regem Pol. & Alexandrum, aliàs Vitouudum Magnum Ducem Lithuaniæ, & eorum successores Reges Pol. & Duces magnos Lithuaniæ nullis temporibus deserere, quoquomodo, sed semper ipsis sine dolo & fraude fideliter adhærere omni consilio, auxilio & fauore. Præterea promittimus, prout suprà: Quod defuncto præfato Domino Vitouudo Magno Duce Lithuaniæ nunquam eligemus, assumemus, & recipiemus in Magnum Ducem Lithuaniæ, uel dominū, nisi quem præfatus dominus Vuladislaus rex, si uita potietur longiore, uel eius successores, & Prælati, Barones, Nobiles, & Proceres Regni Pol. duxerint eligendum, statuendū, uel locandum. Et uiceuersa Prælati Barones, & Nobiles Regni Pol. Rege præfato, quod absit sine liberis, & successoribus legitimis decedendis sine scitu & cōsilio illustris domini Alexandri, aliàs Vitouudi Magni Ducis Lithuaniæ, si superstes remāserit, & nostro, eligere nō debebunt. Vt autē corroborationis, & cautelæ uberioris omnia præmissa accipiant firmitatem, fecimus sigillorū nostrorum munimine roborari. Actū in oppido Hrodlo circa flumen Bug, in Parlamento, seu cōgregatione generali die secunda mensis Octobris, anno Dñi 1413. Proinde nos Prælati, Barones, Proceres, & Nobiles Magni Ducatus Lithuaniæ præfati, præuidentes, quia uetustate temporum multa in ambiguitatem ueniunt, per quā ne quid incommodi eueniat, dignum censuimus prouidere: Volentes igitur ne articulus

culus

culus de Electione Sereniss. dominorum nostrorum, tam Regis Poloniæ, quàm Magni Ducis Lithuaniæ in præinsertis literis breuitate uerborum contextus, aliquid ambiguitatis in posterum inducat: cupientesq; præfatos Prælatos, Barones, & Proceres Regni Polon. in ipso Articulo Electionis pares nobis, ut dictum est, efficere. Adijcientes declaramus: Quod defuncto Magno Duce Lithuaniæ sine scitu & consilio prælatorum, & Baronum, Procerum, & Nobilium Regni Pol. fratrum nostrorum ad Electionem Magni Ducis noui non procedemus, sed cum ipsis pariter, si uocati tempore congruo uenire uoluerint, Magnum Ducem, & Dominum eligemus. Pariformiter defuncto Rege Pol. præfati Prælati & Barones Regni Polon. sine scitu & consilio Prælatorum, & Baronum Magni Ducatus Lithuaniæ ad Electionem noui Regis non procedant, sed pariter cum Prælatis, & Baronibus Magni Ducatus Lithuaniæ, si uocati tempore congruo uoluerint, Regem & Dominum eligent. Quibus ita, ut præmittitur stantibus, & in posterũ obseruandis, de certa scientia omnium aliorũ Prælatorum, Baronum, & Procerũ & Nobilium Magni Ducatus Lithuaniæ fratrum nostrorũ inscriptionem præinsertam prædecessorum nostrorum suscipimus, ratificamus, suscipimusq;, & confirmamus per præsentes. OBLIGAN. se nostris nominibus ac uice omnium Prælatorum, Baronum, Procerum, & Nobiliũ Magni Ducatus Lithuaniæ, bona fide in uerbo nostro constanti, & fideli, omni dolo, fraude, & colore remotis, promittimusq; pollicemur ac uouemus, & nostri iuramenti præstiti onere, & ministerio strictius nos obligamus: ipsam præinsertã Inscriptionem cum reformatione, & declaratione Articuli de Electione Sereniss. dominorum nostrorum, ut præmittitur, in omnibus suis articulis, clausulis, punctis, & sententijs firmatum tenere, perpetuoq; & inuiolabiliter obseruare. Et si quæ aliæ singulares inscriptiones inter nos Prælatos & Barones Magni Ducatus Lithuaniæ ac Prælatos, & Barones Regni Polon. forent, quæ communem utrinque honestatem lęderent, quas antecessores nostri non tenuerint, tales nos quoq; non recepimus, neq; tenebimus. Vt autem omnia præmissa perpetuæ firmitatis robur obtineant, præsentibus literis Sigilla nostra subappendi iussimus. Datum Vilnæ in Conuentione generali, quarta & uigesima mensis Iulij, in uigilia S. Iacobi Apost. Anno Domini 1499.

DE CAPTA AC REPETENDA SMOLENSKO Sig. ad Imp. fragmentum Epistolæ.

QVantum ad res Magni Ducatus Lithuaniæ attinet, quæ nos plus iusto exercent, ita scire dignetur Maiestas uestra. Arx nostra Smolensko, totiens ab hoste nostro, Moschorum Duce armis petita, totiens uarijs artibus, & dolis tentata, cum superioribus annis longè maioribus uiribus, maioreq; apparatu oppugnaretur: tamen strenuè & uiriliter se defendebat, in fideq; stabilis permansit. Nunc ignoramus, quo facto, nulla insigni oppugnatione concussa, nulla memorabili clade, uel strage accepta, præterea frumento, cæterisq; rebus ad uictum pertinentibus omnifariam abundant, uanissimis tandem pollicitationibus illecta, scelere, & perfidia quorundam, cùm militum mercenariorum, tum primorum eiusdem regionis nobilium, portas hosti aperuit, eiq; sese tradidit. Nos ea re ita, ut decuit, permoti, & penè obstupefacti, implorata diuina ope cum gentibus nostris, quas Dei benignitate, & numero, & uirtute non contemnendas habemus, illûc proficiscimur. Iamq; in procinctu sumus, fretiq; diuino auxilio, dabimus operam, ut nostra primùm uindicemus, & tandem iniurias illatas ulciscamur.

ARTICV-

ARTICVLVS II.

De Regni Ducatibus ad ferenda onera uniendis.

QVanquam inter Polonos & cæteras gentes, quæ eis uario iure confœderatæ sunt, tot mutua beneficia & necessitudines, quasi quædam sacrosancta uincula intercesserint, & iam ex diuersis populis quasi unam ciuitatē fecerint, ut in participandis aliquibus commodis, uel leuandis communibus oneribus alteras alteris meliore, uel deteriore esse conditione non deceat. Nihilominùs præsens rerum facies, & bellorum uis Regno undiquaq; imminentium hortatur, atq; exigit, ut omnes Prouinciæ, tametsi suis quælibet iuribus domi censeantur, bello maiore ingruente, communibus uiribus hosti erant obuiam: quis enim Deus sponsor illis erit, ut se saluas & incolumes fore credāt, si quod absit, re malè gesta semel à Polonis peccetur in prælio? Annón absimile proditionis fuerit, societatis necessitudinem, unionis uincula, atque etiam deditionis officium præseferre: laborum autem, sumptuum, & periculorum nolle fieri participem? sed uel quasi in portu expectare, quid de pugnantibus Mars constituat: uel saltem quasi cum funda stare post principia, euentum periculi expectando? Quod si etiam illa ipsa unio non intercesserit, at certè satis iusta causa communibus uiribus tuendi Regni esse putatur: naturæ & Reip. consortium: idq; interdū fideles Christi, quibus si desit fides erga proximum, frustrà etiam nomen eius sine re portant: superstitiosè etiam nomine socios, reuera autem alienos sese appellant. Quod si hæc uel illa Prouincia hanc, uel hanc libertatem prætendat, neque se teneri ad belli onus dicat, omninò hæc libertas quasi Reipubl. insidiosa tempori rescindenda esse uideretur: ne si tum disceptetur de ea, cùm iam esset pro summa rerum confligendum, ad seruitutem æternam nobis, quod absit, iter aperiat. Si enim Lithuani sponte sua se omnia ferè onera tuendi Regni nobiscum diplomatibus suis submiserunt: qua tandem excusatione ipsimet hodie, aliæúe gentes uti possunt? quæ uel in solo Polono consederunt, uel Regno sese addixerunt: quò minùs hoc faciant, nemo satis uidet. Adde quod nisi illarum quoque Nobilitas gladium pro Repub. uibret, suasque copias copijs Regni, tanquam membrum capitis adiungat: de dignitate etiam sua ac officio non mediocriter periclitetur, ac excidat, ut iusta causa dari nequeat, propter quam, uel ciuibus socij, uel hæredibus aduenæ, uel emptoribus ex contractu quæsiti opem ferre non teneantur, sed contrà ociosi & securi in laborantes ac bellantes spectare: uanis tamen titulis militiæ turgere, & prærogatiuis Nobilitatis frui debeant. Si enim Palatinus Transyluaniæ tempori suos exercitus Ludouico Regi Hungariæ iam contra Turcam in acie ad Moaczouium stanti, & dimicanti coniunxisset: fortassis Rege saluo, ac triumphatore, Hungaria etiamnum incolumis staret: quæ non magis potentia hostium, quàm inobedientia ciuium nunc discerpta, & in æternam seruitutem, nobis, proh dolor, neque illam iuuantibus, neque delicta nostra illius exemplo emendantibus redacta esse uidetur.

Rex Ducatus ad ferenda onera Regno uniat.

CVM compertum ab omnibus habeatur, quod VIRTVS VNITA, FORTIOR, solidiorq; esse consueuit ipsa diuisa: promittimus nos operā daturos, ut Magnum Ducatum Lithuaniæ, terrasq; Prusiç, & alias terras in finibus Regni consistentes ad unionem redigamus. Et quantū possibile factu erit, onera omnibus communia cōmuniter ferenda, simulq́ue monetam æqualem communiter recipiendam imponemus: præsertim cûm Conuentum utrisq; dominijs præfatis ad hoc perficiendum constituerimus.

Sigism. Craco. 1510.

SIMILIS.

Cum uarijs exemplis docemur, uires in unum collectas multò plus posse, quàm dispersas: & uideamus, quod VNITA VIRTVS MVLTO' FORTIOR est, quàm diuisa. Id nos diligentius animo nobiscum reuoluen. cùm uideamus Regno nostro maiora nūc & grauiora, quàm unquam anteà pericula impendere, quò faciliùs ea à nostris, nostrorumq; ceruicibus propulsare possemus, omnia nos facturos pollicemur, ut quibus possimus honestis rationibus, Ducatus nostros Lithuaniç, Zathorien. & Osuuaczinen. atq; unà terras nostras Prusiç eò adducamus: ut quum in Regni nostri periculo suum quoq; periculum agi uideant, neq; hoc ruere possit, quin illæ quoq; terræ eodem labefactatæ motu concitant: omnes suas uires cum Regni uiribus coniungant. Quò, si potens hostis uim aliquā nobis inferre conetur, coniunctis ANIMIS ET COPIIS in unum collectis, faciliùs eam arcere possimus.

Idē Sig. Craco. 1539.

SIMI-

SIMILIS.

Cûm ſubditi noſtri Regni Poloniç ex Comitijs generalibus ante annum Petricouię habitis, tàm per nuncios, quàm per literas, nobis tum Vilnæ agentibus à nobis peterēt: ut dominium noſtrum Magnus Ducatus Lithuaniæ, cum Regno Pol. uniretur, tàm bello contra communem hoſtem ſuſtinendo, quàm etiam in alijs negocijs & pacis antiquis, uicinæ ac fraternitati hinc inde conſeruandæ cauſa pernecellarijs. Et quamuis cùm pro ratione poſtulationis ipſis reſpondiſſemus, attamen cùm in præſentibus Comitijs Regni conſultando de perpetua defenſione contra potentes hoſtes utriuſq; dominij noſtri tam Regni, quàm ipſius Magni Ducatus Lithuaniæ cum Conſiliarijs noſtris, & terrarū nuncijs longiorem defenſionem Regni, niſi annuam conſtituere non potuimus: prætereaq; ad Conſiliarios Magni Ducatus noſtri Lithuaniæ intimauimus, ut illi etiam hoc anno conſimilem defenſionem, cum Regno noſtro Polon. contra communes hoſtes in finib. tenerent. Interim autem pollicemur Conſiliarijs noſtris, & nuncijs terrarum Regni Poloniæ: quia hoc anno ſubditos noſtros Magni Ducatus Lithuaniæ adducere uolumus, ut conſimilem defenſionem cum Regno Poloniæ contra communem hoſtem in finibus tenerent. Quod autem ad pacta, ſeu inſcriptiones, & conuentus ipſius Ducatus & Regni communes attinet: in eo nihil certè adhûc facere potuimus. Quandoquidem Conſiliarios ipſius Ducatus circa nos non habuimus, attamen hoc reſpōſū Conſiliarijs noſtris, & terrarum nuncijs dedimus, quia cùm aliquid utile, dignum, & perpetuum in Regno conſtitueretur: facilius nobis eſſet apud Conſiliarios noſtros Magni Ducatus ipſius hoc obtinere, ut illi ſimiliter, cauſa Reipub. ſuæ & Regni, ad conſimiles Conſtitutiones conſentirent: quod cùm fiet, pollicemur ſubditis noſtris Regni Poloniæ, quia uolumus Conſiliarios noſtri Magni Ducatus Lithuaniæ ad hoc ducere: ut illi etiam in omni re, nō minùs ſibi, quàm Regno utili, in bonoq; ordine, & Conſtitutionibus, ac defenſione eiſdem conformiter conueniunt, iuxta pacta, ſeu Inſcriptiones ac Priuilegia inter utraq; dominia facta, & recepta.

AN HAEC VNIO SORTITA SIT SVVM EFFECTVM.

Terra Drohicien. Iuri Polonico adſcribitur.

Sigiſm. Craco. 1541.

IN NOMINE DOMINI AMEN. Ad perpetuam rei memoriā. Ordinationes Regum & Principum pro ſubditorū commodo quomodolibet factæ, ut potiſsimùm firmæ ac ſtabiles eſſent, tàm literarū munimentis, quā teſtium fidedignorū annotatione perennari cōſueuerunt. Proinde nos Sigiſ. Dei gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, Samogotiæq; dominus & hæres. Significamus tenore præſentiū, quib. expedit uniuerſis præſentib. & futuris, harū notitiam habituris. Quod licet Nobiles, & Terrigenæ noſtri Diſtrictus Drohicien. de ſpeciali cōceſsione prædeceſſorum noſtrorū huius Magni Ducatus noſtri Lithuaniç Ducū, iure Terreſtri Polonico, more Nobilium Terrigenarū in Regno noſtro Poloniæ degentiū gauderent, & uterentur, haberentq; deſuper literas, & munimenta eorundem prædeceſſorum noſtrorū, uidelicet Sereniſs. olim Principū fœlicis recordationis, Kazimiri genitoris, & Alexādri germani noſtrorū chariſſimorum Poloniæ Regū, & huius Ducatus Lithuaniæ Ducū, ſucceſsiuè conceſſa: quia tamen in eiſdē literis ſeu Priuilegijs corā nobis ad præſens originaliter productis & exhibitis, multa cōperimus articulatim ſuperuacaneè deſcripta, quç in libris Statutorū Regni noſtri Poloniæ ſpecificè, & per expreſſum continētur, & iuxta nonnulla, quç in perniciē, iacturam, & oppreſsionē non modicam eorundē ſubditorum ueſtrorum fuêre adiecta: Hoc idem ius Polonicū eiſdem ſubditis noſtris Nobilibus & Terrigenis priuilegiatis, & non priuilegiatis, hoc eſt, ius habentibus, & non habentibus Diſtrictus præfati Drohicien. præſentib & futuris, eorumq; ſucceſſoribus, coniunctim & diuiſim, de certa ſcientia & gratia, fauoreq; ſpeciali Ducatibus noſtris, de nouo iterum dandum & conferendum duximus, damusq; & cōferimus in omnibus punctis, articulis, & cōditionibus, prout in libris Statutorum Regni Poloniæ latiùs continentur, in eodem Diſtrictu noſtro tenen. & obſeruan. omnes & ſingulos articulos Iuri prædicto Polonico ac iuſticiæ quomodolibet contrarios, in literis. & priuilegijs præfatis prædeceſſorum noſtrorum prædictorū, uti præfertur, expreſſos, & ſpecificatos, oppreſsionem huiuſmodi ſubditorū noſtrorum præfatorum in ſe continen. & in nihilū redigen. caſſanēq; & mortifican. ac extinguen. perpetuò, & in æuum, tenore præſentiū mediante. Prçter illum articulū, quo median. præfati prædeceſſores noſtri Officiales, ſeu Miniſteriales uulgo Lithuanico Dzyeczkye nuncupatos, contra ipſos Nobiles, & Terrigenas eiuſdem Diſtricdus, nunquam deinceps fore dan-

fore dandos prohibuerant: quos quidem Officiales primò expressos, nos quoq; dandos esse præsentibus prohibemus quomodolibet in futurum: uolen. & districtè præcipien. ut omnes & singuli Officiales terrestres, & Castren. Districtus prædicti Drohicien. pro tempore existentes, quilibet eorum pro suo interesse, Nobiles, & terrigenas nostros prędictos ad cuiuscunq; instantiam uidelicet, tam Nobilis, quàm ignobilis, Rutheni, Iudæi, Armeni, Christiani, & Pagani, Citatos, ac literis Citationum intercisis, non nisi sermone, & characteribus Latinis iuxta consuetudinem iuris Terrestris Polonici conficiendis legitimè euocatos, pro causis tam paruis, quàm magnis, nullis exclusis, secundùm hoc idem ius Polonicum, & ordinationes in libris Statutorum Regni nostri Poloniæ specificè contentas, non aliter, quàm nunc & in futurum iudicarent temporibus æuiternis. Et quamuis iure ipso Polonico laudabiliter prouisum sit, ut in singulis terris eiusdem Regni nostri homines possesio nati, & indigenę ex incolis cuiuslibet terræ, seorsùm, & non extraneæ personæ singulis officiorum Terrestrium, & Castrensium in casu uacationis præficiantur in hactenus: pro maiori tamen cautela, & securitate prædictorum subditorum nostrorum Drohicien. præsenti priuilegio nostro id ipsum singulariter instituimus, & ordinamus, ut in eodem Districtu Drohicien. huiusmodi Officiales terrestres per liberam electionem indigenarum, & uniuersorum Nobilium conuentionaliter congregatorum, de iure communi Regni fieri solitam, ad eadem officia sua totiens, quotiens per decessum uacatura, non nisi cum ratihabitione nostra Ducali, successorumq; nostrorum Magni Ducatus Lithuaniæ Ducum, Castren. uerò pro arbitrio nostro duntaxat ex eisdem incolis, & indigenis Districtus prædicti Drohicien. per nos, & successores nostros Lithuaniæ Duces, dummodò uterq; ipsorum Officialium Romanæ religionis essent, deinceps instituerentur, de omnibus & singulis causis subditorum nostrorum prædictorũ coram se legitimè exortis, motis, & mouendis, statutis à iure temporibus, modo præmisso cognituri, confirman. esse. Nihilominùs in hoc moribus, & consuetudinibus approbatis, & approbandis terræ Cracou. tam diu, quoadusq; omnes aliæ consuetudines iudiciariæ uniuersarum terrarum Regni nostri prædicti per nos, uel successores nostros Poloniæ Reges, aut eos, quorum interesset, inuicem coæquarentur. Casu uerò, quo aliquis Terrigenarum nostrorum Drohicien. prædictorum, aut quispiam alius in iudicio Terrestri, uel Castren. Drohicien. sententiam contra se latam reportauerit: qua mediante crederet sibi quomodolibet præiudicatum iri. Ex tunc instituimus & ordinamus, ut in eiusmodi præiudicio liceat unicuiq; taliter cõdemnato, à sententia iudicis, & Capitanei nostrorum prædictorum uelut iniqua & erronea ad nos, & successores nostros Lithuaniæ Duces, cum parte sua aduersa legitimè appellare, & coram nobis, successoribusq; nostris cum eadem parte aduersa iusticiam suam experiri meliorem, iudici, & Capitaneo illæsis, quietisq; propterea manẽtibus, prout in terris Mazouiæ, & præsertim in terra nostra Plocen. teneri, & obseruari est consuetũ. De pœnis uerò iudicialibus per partes uictas legitimè luitis, ad sortem nostram, & successorum, Officialiumq; nostrorũ, & etiam partis uincentis, ex ui perlucrorum, uel quomodolibet aliter spectantibus per Officiales nostros Castren. & Terrestr. præsentes, & futuros Drohicien. exigendis, ac de Kmetonibus eorundem Terrigenarum nostrorum Drohicien. fouen. manu tenen. Mellificijs quoq; seu Apiasterijs ac iniuriarijs, & damnis quomodolibet inde secutis, & iusticia uicinis, cũ subditis Nobilium, & Terrigenarum pro quacunq; re ministranda, cuiuscunq; ritus utrinq; aut cõditionis essent: necnõ captiuandis, & nõ euocandis ad quodcunq; iudiciorum nostrorum eisdem Terrigenis de proprio eorum Districtu Drohicien. pro quibuscunq; eorum excesibus, totoq; processu iudiciario ac inscriptionibus, & alijs rebus quibuscunq; per singulos iudices, & Capitaneos nostros Drohicien. pro tempore existentes, nõ aliter uolumus obseruari, nisi quemadmodum iure ipso Polonico iuxta Constitutiones prædecessorum nostrorum in toto Regno nostro hactenus teneri, & obseruari solitum est, ac cõsuetum. Ordinamus etiã ac instituimus, ut in singulis Citationibus, Literalibus, Terrestribus Sigillum Terrestre Districtus Drohicien. infra depictum equum sellatum uno homine armato, litera S. ad perpetuam memoriam nominis nostri præcincto, in se cõtinens, applicaretur, subimprimereturq; totiens, quotiens fuerit opportunum. Quod quidem Sigillum suprà descriptum præsenti priuilegio nostro ipsi Districtui Drohicien. & incolis eius pro tempore existentibus, quoad præfatam necesitatem iudiciariam, ac pro armis Terrestribus Drohicien. de nostræ celsitudinis clementia tribuendum, cõcedendumq; duximus, prout tribuimus, & cõcedimus, perpetuis temporibus, per eos, quorũ interest obseruandum. Vt itaq; præmissa omnia per nos cõcessa robur obtineant perpetuæ firmitatis, præsentes literas nostras scribi, Sigilliq; nostri Magni Ducatus Lithuaniæ iusimus, & fecimus appensione communiri. Actum, & datum Vilnæ, die Dominicæ

Lætare, Anno Domini 1516. præsentibus ibidem Reuerendo in Christo patre domino Alberto Episcopo, ac magnificis, & generosis Nicolao Radziuilouic Palatino Vilnen. & Cancellario, Gregorio Oslczykouic Trocen. & Marschalco Curiæ, Alberto Gastold Polocan. Iohanne Zabrzezinski Nouogroden. Palatinis. Andrea Douoynouic Succamerario, Georgio Hlinicz Capitaneo Brzesten. Iohanne Sczytouic, Nicolao Iundylouic, & Iohanne Hlebouic Marschalcis: cæterisq; Dignitarijs, & Officialibus Curiæ nostræ circa præmissa testibus fide dignis syncerè nobis, & fidelibus nostris dilectis. Datum per manus præfati Magnifici Nicolai Radziuilouicz Palatini Vilnen. & Magni Ducatus Cancellarij syncerè nobis dilecti. Sigismund. Rex significat.

Relatio eiusdem Magnifici Nicolai Radziuilouic Palat. Vilnens. & Magni Ducatus Lithu. Cancell.

Item Bielscen. Districtus iuri Polonico adscribitur.

IN NOMINE DOMINI AMEN. Ad æternam rei memoriam. SIGISM. AVGVST. Dei gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, Russiæ, totiusq; Prussiæ, Samogitiæ, Mazouiæ, &c. Dominus, & hæres. Significamus tenore præsentium, quibus expedit uniuersis præsentibus, & futuris harum noticiam habituris. Quia cùm in hoc Conuentu generali ex clementia nostra singulari ad petitiones, supplicationesq; uniuersorum Ordinum, Magni huius Ducatus nostri Priuilegia omnia & singula à maioribus nostris habita omnium hominum incolarum eiusdem approbauerimus, id quod ex literis, seu diplomate nostro super ijs per nos illis dato & concesso uidere est. Tamen cùm esset nobis specialiter supplicatum nomine uniuersæ Nobilitatis terræ Bielscen. & Territoriorum eius per quosdam è medio eorum, uidelicet Iohannem Myenski, & Martinum Vissenski Ialbrzyk, hûc ad præsentem Conuentum missos. Quia quamuis habeant Priuilegium ex concessione Serenis. olim Alexandri Regis Poloniæ, & Magni Ducis huius Ducatus nostri Lithuaniæ patrui nostri desyderatissimi, quibus permissum fuerat, ut cõsuetudinibus, & iure Polonico uterentur, & gauderent, prout & hactenus usi sunt, & gaudebãt. Sed quia in eiusmodi Priuilegio essent quædam, quæ à iure, legibus, & consuetudinibus Polonicis discrepant, & diuersa sunt. Quare summo studio à nobis orauerunt, ut sublatis exceptionibus eiusmodi omnibus, quę à iure, legibus, & consuetudinibus iuris Polonici, quo ipsi sic utuntur, discreparent, & disconuenirent, potiùs illis permitteremus, ut in uniuersum, & ut dicitur totaliter, & plenè consuetudinibus, & iuribus Polonicis uterentur ipsi, & eorum posteri perpetuo. Quorum nos supplicationibus clementer annuentes, & inhærentes maiorum nostrorum Magnorum Ducum Lithuaniæ uestigijs, uolentesq; eosdem obligatiores, & alacriores ad optimè de nobis, & Reipub. huius Magni Ducatus nostri Lithuaniæ benè merendum facere. Cum uniuerso Senatu nostro decernimus, ut deinceps semper perpetuis temporibus uniuersa Nobilitas incolæ terræ Bielscen. & eius Territoriorum, seu Districtuum omnium gaudeant, & utantur iuribus, legibus, & consuetudinibus Polonicis, perindè atq; Nobilitas terræ, seu Districtus Drohicien. ex speciali cõcessione maiorum, seu prædecessorũ nostrorũ fœlicis memorię Magnorũ Ducũ Lithuaniæ ex prærogatiuis ipsis datis, concessis, & legitimè emanatis, quas & hic uolumus habere pro expressis, hactenùs utitur, & gaudet. Decernen. insuper omnes alios quoscunq; abusus isthîc contra leges, constitutiones, & iura Polonica hactenùs existen. & siue ex Priuilegijs aut cõsuetudine, seu potiùs desuetudine aliqua, aut improbitate etiam aliquorum Officialium, aut cuiusuis Magistratus, siue quacunq; alia ratione exceptos, specificatos, uel reseruatos, & introductos esse tollendos, & abrogãdos, prout eosdem & per præsentes tollimus, & abrogamus perpetuò. Volentesq; deinceps semper futuris perpetuis temporibus uniuersos & singulos Dignitarios, seu Officiales Terrestres, & Castren. & alios quosuis præsentes, & futuros iam constitutos, & in posterum constituen. non aliter se debere, nec posse gerere erga illorum Territoriorum incolas, quã secundùm præscriptum iurium, legum, & consuetudinum Polonicalium præsentium, & futurorum, quibus Districtus Drohicien. gaudet. Alioqui si quid in contrarium fuerit in præmissis per quempiam hominum attentatum, id decernimus nullum & inualidum, eiusq; modi attentatores, pœnis seu mulctis in iuribus Polonicis constitutis, & cõtentis, puniendos & mulctandos semper perpetuò. In quorum omnium fidem, & testimonium præmissorum, Sigillum nostrum est appensum. Datum Vilnæ in Conuentione generali, die uigesima tertia mensis Februarij, Anno Domini 1547. præsentibus Reuerend. in Christo patribus, & Magnificis dominis Illrenuis ac generosis

nerosis militibus. Paulo Vilnens. Georgio Luceoriens. Venceslao Mednicens. Episcopis. Iohanne Hlebouic Palatino Vilnens. Cancellarioque nostro, & tenutario in Bobroysko, & Boryssouu, Gregorio Ossczykouic Castellano Vilnens. Tenutario Vpitens. Iohanne Iuriouic Duce Dubrouicens. Palatino Trocens. Tenutario Mobilouiens. Hieronymo Chodkieuicz Castellano Trocens. Capitaneo Samogitiens. Nicolao Iohannis Radziuil Marschalco terrestri Tenutario Szouulen. Stanislao Douoyno Polocen. Alexandro Chodkieuic Nouogroden. Stanislao Petri Kiszka de Cyechonouiecz Viteblien. Palatinis. Andrea Sanguskouicz Duce de Kossyr Capitan. Luceorien. Iuano Harnoltay Marschalco Curiæ, & Thesaurario terrestri Præfecto Slonimen. Nicolao Georgij Radziuil pocillatore, Iohanne Iohannis Radziuil structore mensæ, Stanislao Nicolai Kyezgal Dapifero, Gregorio Chodkyeuicz Succamerario, Nicolao Petri Olechnouicz Gladifero, Nicolao Andrussouicz Præfecto equisonum nostrorum, Tenutario Ozensi, & Perelomen. Nicodemo Iohannis à Cyechonouyecz Melnicen. Nicolao Alberti Narbuth Kreuen. & Moztren. Præfectis, Marescalcis, alijsque Officialibus, Dignitarijs, ac Consiliarijs nostris fidelibus nobis syncerè dilectis.

SIMILITER Districtus Mielnicen. Regno Poloniæ incorporatus est: eius tamen Priuilegij copiam habere non potui.

ARTICVLVS III.

Lithuaniam à Mazouia Commissarij dislimitent.

PRouidentes difficultatibus, & grauaminibus subditorum nostrorum Regni, & Magni Ducatus Lithuaniæ, quæ occasione granicierum inter eadem dominia, & Mazouiam, tum inter Magnum Ducatum, & Regnum sæpè cōtingunt. uolumus, & decernimus, ut quoties opus fuerit, per nos Commissarij deputentur, & mittantur nostris expensis prouidendi, ad faciendas easdem granicies, & iniurias componendas, occasione illarum, hinc inde exortas, quatenus absque querentium onere iusticia eis ministretur. Sigism. Crac. 1510.

DE EODEM.

Dietæ, & iudicia antiqua inter Ducatus Lithuaniæ, Prussiæ, & Mazouiæ in locis solitis pro omnibus iniurijs & uiolentijs subditorum ex utraque parte fieri debent de cætero, & innouari, iuxta antiquam consuetudinem, & processus terrestres.

CAPITVLVM II.

De Ducatu, & terris Russiæ.

ET uetustis Polonorum annalibus, & linguæ similitudine docemur, Lechi à quo Poloni & Czechi, à quo Bohemi ducunt originem, fratres fuisse Russum, à quo Russia, & Prussum, à quo Prussia sunt appellatæ. Tametsi ergo utraque Prouincia, partim stirpe propriorum Ducum deficiente, partim eorū posteris, iure belli subactis, ad corpus Regni Polon. pertineat. Ipsa tamen Russia non minus cum VVLADIS. IAGELLONE, & ALEXANDRO Vitouudo ultimis ferè Ducibus Lithuaniæ atque suis spontanea ad Regnum accessione, regum Poloniæ hæreditaria, ac propria esse uidetur. Atque ob id ita præ cæteris ciuitatem Polonam accepit, eique coaluit, & est unita, ut magis nomine, quàm re ipsa à Polonis in communicatione ciuitatis, & usu iuris distinguatur. Qua de re constitutiones Regni ex illorum consensu confectæ uideantur. Nam linguam, scripturam, ac religionem ad Archetypum Græcorum adhûc retinent, cùm nostri Maiores, hæc Aboriginum communium munimenta hæreditaria deserentes, Latinos potiùs in his omnibus sunt secuti. Nostræ autem & Ruthenicæ gentis ad Christum conuersio ferè in ea tempora incidit, quibus uniuersalis Ecclesia quatuor orbis terrarum partibus definita, ob calicem sacrati cruoris, & uxorem Sacerdotis (quæ duo Græci secundùm præceptum Domini, & Apostoli etiamnum retinent) temeritate Patriarcharum, est, proh dolor, diuulsa, atque perniciosissimo exemplo diuisa.

ARTICVLVS I.

Rusſia uno Iure cum Reg. Polon. gaudeat.

ITEM pollicemur, quod omnes terras noſtras Regni Poloniæ etiam terram Ruſsiæ includendo (ſaluis tamen auenæ contributionibus, de quibus nobis ad tempora uitæ noſtræ ſola Ruſsia reſpondebit) ad unum ius, & unam legem communem omnibus terris reducemus, reducimusq́ adunamus, & unimus, tenore præſentium mediante.

Rusſia omnibus Reg. libertatibus fruatur.

AD ſupplicationem terrarum Ruſsiæ uolumus, & decernimus, ut de omnibus fugitiuis Statutum Regis Alberti obſeruetur: & quod Nobilitas illarum terrarum, ſicut in alijs terris Regni à ſolutione teloneorum, & foralium ſit libera, atque exempta, & in alijs eadem gaudeat libertate.

Alia ergo omnia Statuta Regni incolis ſeruientia, Ruſsiæ quoque municipibus ſeruiunt, quæ ſuis locis uideantur.

Nuſquam, niſi in Ruſsia pixides deferantur.

NEmo deinceps tempore pacis, ſiue eques, ſiue pedes, pixides breues, quas Rucznicze uocant, deferre audeat: ab hac tamen Conſtitutione terras Ruſſiæ liberas eſſe uolumus, quæ parata arma contra inſultus hoſtium habere ſemper ſolent, & debent.

Terra Belzen. Regno adſcribitur.

IN NOMINE DOMINI AMEN. Ad perpetuam rei memoriam. Quoniam acta mundi auita ſubitò detergeret obliuio, niſi ea literarum ſoliditas, & teſtium adnotatio memoriæ commendaret æuiternæ. Proindè nos KAZIMIRVS Dei gratia Rex Poloniæ, necnon terrarum Cracouiæ, Sandomiriæ, Siradiæ, Lanciciæ, Cuiauiæ. Magnus Dux Lithuaniæ, Ruſsiæ, Pruſsięq́: necnon Culmen. Elbingen. Künigiſzbergen. & Pomeraniæ hęres, & Dominus. Significamus tenore præſentium, quibus expedit uniuerſis & ſingulis, præſentibus & futuris, harum notitiam habituris. Quomodo recenſentes, & in animis reuoluentes: quanta puritatis affectione, & fidei integræ conſtantia, Barones, Milites, Nobiles, Terrigenæ, & Proceres terræ Belzen. ſyncerè, gratè, & fideles noſtri dilecti perſonam, & Regnum Maieſtatis noſtræ ùenerati ſunt, ad nos tanquam Dominum naturalem hæredem, uerum & legitimum, ac indubitatum ſucceſſorem ſuum, & ad Coronam Regni noſtri Poloniæ, à qua tranſactis temporibus exciderant, uiceuerſa redierunt, & acceſſerunt: ſeq́; Regno, & Coronæ tanquam pars ſuo toto inuiſcerauerunt, uniuerunt, incorporauerunt, & appropriauerunt. Quæ quidem terra Belzen. iuſto titulo, iure legitimo hæreditario, & ſuccedaneo, nos & nullum alium contingebat, atque contingit, & concernit. Horum itaq́ Terrigenarum Belzen. fidelitatis conſtantia, zelo dilectionis, maturitate conſilij, & ſagaci prouidentia, Regali conſideratione meritò digeſtis & reuolutis, ac debitè penſatis, & intuentes ad eorum ſtatum honorem, commodum, ſalubremq́; profectum, pio & ſyncero mentis affectu: quemadmodum ex aſſumptæ dignitatis noſtræ debito tenemur, & pro officio ſolicitè aſpirantes, ipſos in noſtram, & ſucceſſorum noſtrorum manutuitionem, & protectionem Reg. & Coronæ reaſſumpſimus, incorporauimus, appropriauimus, & uniuimus, tenoreq́ præſentium reaſſumimus, incorporamus, annectimus, appropriamus, & unimus perpetuò, & in æuum. Promitten. ipſos, & eorum quemlibet in omnibus ipſorum iuribus, libertatibus, emunitatibus, gratijs, prærogatiuis, dignitatibus, honoribus, & officijs tenere, & obſeruare. Inprimis itaq́ pro prædicta eorum fideli, & iuſta adhęſione, & ſubiectione iure defendere, agere, manutueri, & eos euincere, contra quãcunq́; perſonam cuiuſcunq́ dignitatis Imperialis, Regalis, aut Ducalis fuerit, aut cuiuſcunq́; ſtatus, conditionis, & præeminentiæ extiterit, dum per quempiam uexarentur, ſeu impeterentur, quo modo pro ipſorum huiuſmodi adhæſione, ſimiliter ab inſultibus uiolentijs bellis, & alijs moleſtijs quibuslibet protegere, defenſare, tueri, & realiter ac effectiuè opponere, intercedere, & liberare. ITEM terram noſtram Belzen. cum ipſius Diſtrictibus Lubacouien. Lopaczyen. Schcuulozien. Grabouicen. & Hrodlen. ſaluam & integram, prout fuit, & in hactenus

hactenus est conseruata suis limitibus, metis & terminis dudum tentis, obseruabimus, tenereq; & obseruare uolumus, nullos Districtus, aut Villas ab eadem remouen. alienan. seu diminuen. Item omnibus personis, tam Ecclesiasticis, quàm Sæcularibus ciuitatum, & oppidanis Priuilegia ipsorum per antecessores nostros Reges, & Duces data & concessa iusta, legitima, & sufficientia ritè, & rationabiliter emanata, ac in nulla sui parte uiciata seu suspecta confirmamus, ratificamus, & approbamus per præsentes. Vbi uerò aliquibus personis forent per uoraginem ignis absumpta, seu casu infortunij amissa, & de hoc persufficiens testimonium probatum fuerit præmissa innouare, atq; dare uolumus, & spōdemus. Item ex quo ex obligatione, & inscriptione pecuniarum Capitaneis in aliqua terra inscriptarum sæpiùs indigenæ eiusdem terræ uarijs grauantur modis, oppressionibusq;, & molestijs afficiuntur: pollicemur, quod præfatam terram Belzen. in pecunijs nullipiam obligabimus, aut inscribemus ullo unquam tempore. Quod si per obliuionem, aut alium casum quemcunq; nos inscribere contingeret, talem inscriptionem præsentibus extunc prout, extūnc cassamus, annulamus, ac nullius roboris esse, & fieri decernimus per præsentes. Item nullum extraneum cuiuscunq; conditionis existat, in Capitaneum terræ Belzens. præficere, & præferre debebimus, nisi Terrigenam eiusdem terræ possessionatum. Item uolumus omnimodè dignitates, honores, officia, in terra Belzen. consistentes, & consistentia æquo modo circa iura & consuetudines ipsorum, quæ & quas temporibus prædecessorum nostrorum Regum, & etiam Ducum obtinebant conseruare in eodem numero, & permanere. Quas quidem dignitates, & officia dum uacare contigerit, nulli extraneo, nisi indigenę benè conseruato illius terræ, in qua dignitas aut officium uacauerit dabimus, & conferemus. Item quod nulli terrigenæ de terra Belzen. & ipsius Districtibus ad alias terras seu Districtus euocentur, sed penitùs iuxta consuetudinem aliarum terrarum Regni nostri iuribus ipsorum, & libertatibus utantur, & gaudeant. Item conuentiones, colloquia generalia, termini particulares, & iudicia iuxta ritum, & consuetudinem in talibus dudū tentam & obseruatam in terra præfata. Quemadmodum in alijs terris Regni nostri debent habere progressum, & processum. Item nullus terrigena possessionatus per nos, aut Capitaneos nostros, nisi iure conuictus captiuetur, iuxta Priuilegia aliarum Regni nostri terrarum, & cōsuetudines. Item omnes & singuli Kmetones Spiritualium & Sæcularium personarum in dicta terra consistentium de quolibet laneo possesso pro festo Sancti Martini singulis annis exactionem, aliàs podymne per duos grossos monetæ, & numeri communiter in Regno curren. nobis, & successoribus nostris dabunt, & exoluent more terræ Leopolien. & aliarum Regni nostri terrarum: alias autem collectas, & exactiones in Regno nostro insolitas, & inconsuetas, etiamsi tempore Ducum huiusmodi fuissent in frumentis, bladis, aut auena, uel pecunijs exactæ, uel solutæ, de nostra Regia benignitate cassamus, & annullamus. Item cuilibet Terrigenæ nostro limites, & granicies cum bonis nostris Regalibus habere petenti dare tenebimur, ipsas à signis metallibus & scopulis consuetis distinguen. uolumus iuxta modum aliarum terrarum in Regno obseruatum. Item quandocunque terra nostra Leopolien. ad bellicam expeditionem se mouerit, aut necessitate incumbente eundem procurauerit, Præfata etiam terra nostra Belzen. seu Nobiles & terrigenæ eiusdē cum ipsis Leopoliensibus quotiescunq; fuerit necesse tenebuntur & debebunt, ac omninò sunt obligati pariter & astricti proficisci, bellicosè, & transire, & non aliâs, eo tamen iure & modo, quò terra Leopolien. ad expeditiones se mouere consueuit, & solitā est. Animaduertendum autem præfatos Nobiles, terrigenas & Proceres ad nos tanquam ad Dominum & hæredem ipsorum legitimū affectum habere specialem, horum prætextu, uolentes ipsorum legitimum affectum habere specialem, horum prætextu, uolentes ipsos fauore nostro speciali prosequi, & eorum Kmetones quoslibet præfatam terram Belzen. inhabitan. ab omnibus & singulis exactionibus, angarijs, præangarijs, castrorum ædificijs, & pontium laboribus, & reparationibus eximimus, absoluimus, ac liberos & absolutos facimus perpetuè. Secundum morem aliarū Regni nostri terrarū. Præterea generaliter & singulariter omnes alios articulos libertates & iura alijs terris Regni nostri data, & cōcessa, & præsertim terræ nostrę Leopol. si quæ hîc omissa foret, pro insertis habere uolumus, & habemus. Eademq; extendimus & referrimus ad terram Belzen. In cuius rei testimonium Sigillum nostrū præsentibus est appensum. Actum in Brzesczye, feria tertia festorum solennis Paschæ Anno Domini 1462. Præsentibus Reuerendo patre Domino Iohanne de Brzezye Iuris utriusq; Doctoris Electo Ecclesiæ Cracou. & Regni Pol. Vicecancell. necnō magnificis & generosis; Petro de Opporouu Lancicien. Nicolao de Kosyelec Brzesten. Palatinis. Iacobo de Dambno regni Pol. Vicethesaur. Nicolao de Borzyslouicze Zauichosten. Sbigneo Bank de Gora Malogostien. Castellanis. Nicolao

Spoth de Vola Sandomirien. Ianuſsio Koluczski Iuniuulad. Vexilliferis. Ioanne de Oſtrorog Iuris Doctore, Nicolao de Brudzyeuo Subpincernæ Caliſsien. & Capitaneo Breſten. Iaroslao Brzozoglouy Subiudice Iuniuuladisl. Stanislao Marſchalkoutcz de Brzežye, & Iohanne Szynouiec de Zandouicze Curienſibus noſtris, & alijs pluribus fidedignis teſtibus ad præmiſſa. Datum per manus eiuſdē Reuerendiſ. patris domini Iohannis de Brzezye Electi Eccleſiæ Cracou. Regni Pol. Vicecācell. ſyncerè nobis dilecti.

Ad Relationem eiuſdem Reuerendiſs.
patris domini Iohannis de Brzezye
Iuris utriuſq; Doctoris Electi Eccleſiæ Crac. R.P. Vicecancell.

CAPITVLVM III.

De Terris, & Ducatu Pruſsiæ.

QVANQVAM uerò Pruſſum (à quo Pruſsiam dici legimus) Lechi authoris noſtræ gentis fratrem fuiſſe, & eas Prouincias ita inter ſeſe diuiſiſſe, nihil dubitemus: non minore tamē argumento Pruſsiā Iuris Polonici ſemper extitiſſe: inde apparet, quod longè poſt Lechi, & poſt Gracci familiā extinctā, Interregnūq; Palatinorum, Lesko tertius Dux, & Monarcha Poloniæ, ante Pyaſti etiam tempora uiginti & uni filijs ſuis terras maritimas, nempe Rugiam, Caſſubiam, Pomeraniam, Holſatiam, Sgorzelitiam, iam Brandenburgum, Myedzybozen, quę tunc eſt Meindeburgum, Lymam nunc Lymburgum, Bukouyecz, aliàs Lubecum, Lukouu nunc Meckelburgum, & Pruſsiam eſt partibus. Quod quidem & alij omnes Reges Polonorum, & ſępè, & liberè fecerunt, uſq; ad tempus, quò Marianis militibus, ex Hiſpanijs pulſis, Ius utendę illius Prouincię dederunt, ut fideliter contra infideles eis ſuppetias ferrent. Tametſi autem cœlum, & ſolum illi boni Cruciferi uerterint, ingenium tamen & fidem mutare non poterant: namq; pro hoſtibus hoſpites, pro externis dominos ſuos omni genere doli atq; fraudis impetere non deſierunt: quoad Reges Polonię perfidioſum illud genus militum, cùm ſecùs nulla ratione reuocari ad officium ſuperbi, in fideq; conſtabiliri perfidi potuerunt (ut Hercules Anteum) multis cladibus attritos, ferro tandem ſuſtulerunt, & Ius ſuum antiquum ac hęreditarium in Pruſsia, abolita nefaria religione, recuperârunt. Et tamen ne D. Sigiſm. non ęquè pius parcendo ſubiectis, ac fortis debellando ſuperbos uideretur ex conditionibus pacis ſponte ſua partem ipſius Prouincię, Illuſtri Principi, ac fortiſs. uiro domino Alberto Marchioni Brandenburgen. ex ſorore nepoti ſuo, in feudum conceſsit: ſimulq; pro infœlicis religionis titulis, Ducis titulo eundem fœliciter inſigniuit. Et quoniam feudum, ſeu beneficiarium fundum certis cum ſolennitatibus conferri paulò antè dixi, & ſolere dari uidimus: ea quę de hoc genere cęremoniarum in commentarijs Cancellarię Regię tradita reperi, hûc, uti arbitror non intempeſtiuè, adijcienda eſſe putaui.

Mos præſtandi homagij Regi Polon.

QVUM aliquis Princeps Regi præſtiturus eſt homagia, Rex coronatus in ſolio ſuæ Maieſtatis reſidere, & ad latus ſuum habere Prælatos, & Barones, Conſilij Regni ſui debet: ad quem Princeps præſtiturus homagia cum ſuis Baronibus, & homagialibus, & Vaſallis, Banderium habens in manibus ad ſedem ſolij Regalis uenire, & procedere debet eques. Et deſcendens iuxta ſolium ex equo ſuo, atq; cum reuerentia ad Regem, coronamq; Senatus eius accedendo, iſta uerba in hunc modum proferre, uel ſaltem in hanc ſententiam dicere tenetur. SERENIS. REX. Ego Serenitati ueſtrę homagium facio, & præſto cum omnibus terris & hominibus noſtris, & peto tuitionē Serenitatis ueſtrę, & circa iura, & in iure meo Ducali, & dignitatibus conſeruari. Poſt hæc autem ſic tacto ſigno Crucis iurare aſtringitur, CLEMENTISS. REX. Ego homagium præſto, & promitto ſine dolo, & fraude V.S. & Coronæ Regni Poloniæ cū omnib. terris & hominibus noſtris fidelitatem, & eſſe fidelis, &c. ſic me Deus adiuuet, & hæc ſancta Chriſti crux. Quo facto, Rex ipſum accipere in ſuam tuitionē, & iſta uerba ad præſtantē homagium dicere debet. Nos accipimus te in noſtram protectionē, & circa omnes dignitates, & circa omnia iura Ducatus tui tanquā principem noſtrū relinquimus, ac poſt ea, oſculetur eū & recipiat Rex de manib. Principis Banderiū, & illud frangatur, & proijciatur extra ſedem. Omnes autē Vaſalli & homagiales Principis homagia facientes, debent etiam poſt eum tranſire, uſq; ad ſedē ſolij Regalis, portantes ſinguli in manibus uexilla parua, ſeu minora. Et eadem etiā iuramento præſtito poſt uexillum Principis proiectum

ad terram

terram proijcere debent. Itaq; Banderium Principis præcedere, Vasallorum uerò sequi ipsum debet. Post hoc autem Rex debet recipere à Principe recognitionem facti homagij literalem sub Sigillo Ducali.

Pax & concordia inter Vuladislaum, Regem Pol. & Conradum de Iungingen, Magistrum Prussiæ, ratione finium regundorum.

IN NOMINE SANCTAE ET INDIVIDVAE TRINITATIS, Amen. Frater Conradus de Iungingen, Magister generalis Ordinis Beatæ Mariæ, hospitalis Ierosolymitan. de domo Teuthonica: Vniuersis præsentibus & futuris, præsentiū notitiam habituris, Salutem, & rei gestæ ad perpetuam memoriam cognoscere ueritatē. Cûm auctor pacis, ad unitatis & pacis spiritū, suis rigorosis mandatis quotidie nos inuitet. Dignum arbitramur, ut inueteratæ displicentiæ, guerræ, & offensæ, contra Serenis. Principem & dominum, dominum Vuladislaum Regem Pol. supremum Ducem Lithuaniæ, & hæ[illegible]dem Russiæ: suosq; progenitores, quò ad terras Lithuaniæ, & Russiæ, per nos, nostrum quoq; Ordinem, intuitu orthodoxæ fidei, diutiùs exagitatæ, in pacem perpetuam, remissionem, & concordiam committentur. Hinc est, quod nos de expresso consensu compręceptorum nostrorum, cum dicto Serenis. domino Vuladislao, anno, die, & loco infrascriptis. Certum terminum placitorum concorditer celebrauimus: super pace inter nos & terras Ordinis nostri ex una: & supra dictum dominum Regem, & terras suas, uidelicet, Lithuaniam, & Russiam, parte ab altera: facienda perpetuò & firmanda, uarijs præmissis tractatibus, tandem (ut sequitur) concordauimus in hunc modum. Inprimis promisimus, & præsentibus bona fide promittimus, quod exnunc, & in antea tenebimus pacem inuiolabilem, & concordiam cum supradicto Magnifico domino Vuladislao Rege Poloniæ, suis catholicis hæredibus, & successoribus, ac Pręlatis & Ecclesijs, omnibus quoq; terris suis per Lithuaniam & Russiam, terrarumq; incolis perpetuis temporibus obseruare. Nec unquam uolumus & debebimus aliquam ligam inire, aut facere, contra dictum Vuladislaum, suos quoq; Catholicos successores terrarū Lithuaniæ, & Russiæ, cum dominijs, aut alijs hominibus, & rancore quolibet postposito: Omnes & singulas iniurias nobis, & nostris per se, uel per alios quomodolibet illatas, remittimus, penitùs & offensas. Insuper limites, & terminos inter nostros, & dicti domini Regis terras: uidelicet, Lithuaniæ, & Russiæ, distingui fecimus, & modis distinguimus infrascriptis. Inprimis incipiendo in quadam insula Sauuin, dicta uulgariter, sitta, in fluuio dicto Memla, habente in se insulam Romeyuueider. Quæ quidem insula tota apud Ordinem permanebit temporibus affuturis: ab hinc directè progredien. ad fluuium dictū Noruesse, in decliuio seu uillæ continuæ, sub sylua dicta Heyligenualth. Ab hinc dictum fluuium sequendo in medijs fluctibus, usq; ad Vysuilten, ascendendo abhinc linealiter & directè eundo ad quendam lapidem magnum dictum Roda, iacentem in fluuio dicto A. & Roda uulgariter nuncupatum, ab isto lapide, ascendendo super stagnum dictum Sinarden: abhinc directè eundo, usq; ad uiam uulgariter nuncupatam, *Der Brengelische weg*: abhinc directè usq; in Nouenrithen: abhinc linealiter procedendo uersùs finem, seu aciem mericæ, dictæ uulgariter *Heyde*, ad locum, ubi fons oritur: à dicto fontis ortu procedendo, per directum in solitudinem quandam, cōmuniter Viltnisse dictam: ubi fluuius Eglosse, ortum habet, ab hinc directè eundo, per medium dictæ solitudinis, usq; ad terminos & gades illorum, de Ploschkouu: & hi omnes termini siti sunt uersùs Liuoniam. Ascendendo uerò uersùs Prussiam, termini subscripti, per dictum Ordinem perpetuò, sine quolibet contradictionis obstaculo habebūtur: incipiendo à supradicta insula Sauuin, In directum procedendo, usq; ad fluuium dictum Suppe, ab hinc procedendo ad locum ortus sui: ab hinc progrediendo usq; ad fluuium, qui effluit à lacu dicto Mothensche, & dicitur communiter Methensli: ab hinc per descensum fluuij, usq; in fluuium dictū Beber: deinde dictum fluuium sequendo usq; ad milliare: prope fluuium, qui Nare dicitur, & ab hinc directè eundo, usq; in dictum fluuium Nare. Cæterùm pro nobis nostro Ordine, omnibus nostris successoribus, renunciamus omni impetitione, & iure, quę in prędictis domini Regis Vuladislai terris, uidelicet Lithuanię, & Russię sitis terminos superiùs expressos uersus dictas terras, habuimus, uel habere uidebamur: insuper terrę, & dominia de magno Nouohroden, qualitercunq; sitte per nos: nostrū Ordinē: aut supradictū Serenis. dnm Vuladislaū, aut per suos coniunctim, & diuisim acquisitę fuerint: uel aliàs qualitercūq; ad nostrum Ordinē deuenerint, easdem ac eadem dictus dñs Rex obtinebit: nec

unquam bona fide quominùs easdem detineat, impediemus. Præterea uolumus, quod homines sæpè dicti domini Regis, & suorum successorum in terris Lithuaniæ, & Rusiæ constituti, in omnibus terris Ordinis mercari, & negociari liberè ualeant: absq; teloneis, alijsq; exactionibus, quos etiam defenden. tenebimur, sicuti nostros, saluis tamē teloneis, ab olim institutis, ac quibuslibet edictis nostris editis, & edendis in terris Ordinis, quibus nostri arctantur, & dicti domini Regis, suorumq; successorum homines per Lithuaniam & Rusiam sunt arctati. Item ordine nostro in expeditione communi cum prænominato domino Rege, & suis successoribus: & ipsorū hominibus per Rusiam, & Lithuaniam, existente, quotquot ipsi captiuauerint, suos habeant, ut captiuos. Excessus quoq; prædicti domini Regis: suorumq; successorum homines in prædictis terris, qualitercumq; commissos, Capitaneus exercitus eorundem: eosdem liberè iudicabit. Excessus uerò communes per utriusq; exercitus homines commissos, Capitanei utriusq; exercitus, simul & communiter iudicabunt. Nullos insuper armigeros, dominos, milites, uasallos, uel alterius cuiuscunq; generis homines, etiamsi Christi fideles fuerint: in damnum seu præiudicium, dicti magnifici domini Vuladislai, aut suorum unquam per terras nostras scienter ire permittemus: sed impediemus & prohibebimus iuxta posse. Deniq; omnes proscriptos, seu bannitos, de supradictis terris, præfati domini Regis nō recipiemus ad terras nostras: maximè qui in sui uindictam, homicidia, uel incendia, eiusdem domini Regis, uel suorum successorum hominibus in præmissis terris Lithuaniæ comminantur, & Rusiæ. Præterea per terras dicti domini Regis, suorumq; successorum Catholicorum, uidelicet Lithuaniæ & Rusiæ, contra quoscunq; nunquam traducemus exercitum, aut traducere per quemcunq; faciemus, nisi expressè fuerit de uoluntate dicti domini Regis, suorumq; successorum: qua obtenta damnum nequaquam ipsis, ac ipsorum hominibus inferremus. Præterea promittimus, quod nullos fratres: & consanguineos ipsius domini Regis fugatiuos, seu alios quoscunq; erroneos, per quos dominus Rex, & Regnum Pol. ac terræ Lithuaniæ & Rusiæ possent molestari, durante pace, debebimus ad terras nostras recipere uel fouere. Omnia uerò singula præmissa, in articulis præmissis, & eorum quolibet contenta, bona fide promittimus, pro nobis, totoq; ordine nostro firmiter ac inuiolabiliter obseruare: nec unquam contrauenìemus, aut contrauenien. procurabimus per quoscunq;, arte, ratione, ingenio, de iure, uel de facto: consilio, uel auxilio, publicè uel occultè. In quorum omnium euidens testimonium, & fidem, de & super omnibus præmissis, præsentes literas nostri maioris Sigilli munimine mandauimus communiri. Datum in fluuio dicto Visla, prope castrum Razyansz diœcesis Vuladislau. feria quinta proxima ante festum S. Trinitatis, Anno 1404. Harum rerum testes sunt, Reuerendi in Christo patres, & domini, dominus Arnoldus Episcopus Culmen. & dominus Iohannes Episcopus Pomezanien. ac honorabiles, & religiosi uiri fratres Ordo, & commendatores.

Priuilegium pacis, & concordiæ per Vuladislaum Iagellonis, tunc Pol. & postea Hungariæ Regem in Brzescye Cuiauiæ factæ, cum Paulo de Rusdoff Magistro Prusiæ, quæ facta erat Anno Domini 1436. præsentibus Magno Duce Lithuaniæ Sigis. eiusq; filio Michaële. Item Ducibus Stolpensi, & Mazouiæ, & uniuersis de Regno, & de Magno Ducatu Lith. Prælatis, Baronib. & Consiliarijs, in fine Priuilegij subscriptis, quod sic sequitur.

IN NOMINE DOMINI AMEN. Ad perpetuam rei memoriam: Conuenit actus hominum, qui uetustate cadunt, & successu temporis in obliuionem uertuntur, solidis scripturarum, & testium fundamentis commendare, in quorum custodia nullis marcescunt temporibus, semper iugis perennationis memoriæ incommutabiles seruantur. Proindè nos Vuladislaus Dei gratia Rex Poloniæ, necnon terrarum Cracouiæ, Sandomiriæ, Siradiæ, Lanciciæ, Cuiauiæ, Lithuaniæ Princeps supremus: Pomeraniæ, Rusiæ, &c. Significamus tenore præsentium, quibus expedit uniuersis præsentibus, & futuris notitiam præsentium habituris. Quomodo cum diuini dispensatione consilij, huius Regni recepimus gubernacula, ad hoc quoq; tantùm in terris obtinuimus principatum, ut propensiori cura, & uigilantia nostra, semper studia extendamus, per quæ pacis desyderanda tranquillitas inter Christi fideles: ex quorum discordia: non solùm terrarum, & urbium: sed Prouinciarum atque Regnorum resultant excidia, prout in plerisq;

lugen-

lugenda, atq; calamitosa exempla mortalibus exhibent argumenta: procurari queant, & procurata auctore pacis, de throno suæ ineffabilis Maiestatis, utq; potentiæ concludi, & medijs salutaribus stabiliri ac extolli fœlicibus incrementis. Et attenden. quod non nisi in pace pacis opifex Deus perfectè coli ualeat: & ea nihil in mundo exoptari possit præciosius, aut desyderabilius concupisci. Hinc est, quod nos non absq; interna compassione: & graui cordis amaritudine recensentes, quot & quanta mala ex guerris, & dissensionibus procedant: quotq; ex contentionibus, & bellis, si ea mortales agant, odia hominũ: non sine etiam animarum, & æternæ salutis dispendijs, ac excidijs ciuitatum, prouinciarumq;, & terrarum, ac in illis degentium interitus subsequantur. Diuinus deperit cultus, & sanguinis effusio oritur. Cumq; talium discordiæ atq; bella: non solùm se, suosq;, sed etiam alios plurimos tractura sunt, uerisimiliter in præcipitium & ruinam. Propterea supremis affectibus exoptantes, ut non crescant iurgia, sed iuxta magistram bonorũ omnium charitatem, quæ nihil sapit extraneum, nil asperum, nil confusum, imò propria uirtute nutrit concordiam, dissociatos iungit, pacem, & unitatem consolidat. Ad laudẽ, & gloriam omnipotentis Dei, & Beatæ Mariæ uirginis gloriosæ, totiusq; Ierarchiæ cœlestis, propagatione fidei, cultũ iusticiæ, & religionis Christianæ salutiferũ incrementũ, à guerris dessendis, excidijs, displicentijs, odijs, rancoribus, & offensis. Inter nos Vuladislaum regẽ Pol. &c. Sigism. Magnum Ducem Lithuaniæ, &c. prædictos, & inclytũ Kazimirum germanũ nostrum Semouitũ, Kazimirum, Vuladislaũ, Boleslaum, Mazouiæ ac Boguslaum Stolpen. & Pomeraniæ Duces, Regũ Pol. terrasq; nostras Magni Ducatus Lithuaniæ, Russiæ, Mazouiæ, Stolpen. & Voyeuodã Moldauiæ, & alia dominia nobis subiecta ex una: & magnificũ ac religiosum dominũ Paulum de Rusꝫdorff Ordinis Beatæ Mariæ Teuthonicorũ Ierosolymitani, & Ordinẽ suum ac terras eiusdẽ Ordinis, Prussiæ, Almanniæ, Liuoniæ, & alias omnes ei subiectas parte ex altera: nouissimè graui offensione, & iactura exortas: nostræ mentis propositũ retrahere decreuimus: & ea quæ durãtibus huiusmodi controuersiarũ, & guerrarum turbinibus: circa bonũ Reip. sunt diruta & destructa, per pacis integritatẽ ad statum cupien. reducere quietũ & tranquillum. Cum eisdem Magistro: fratribus & Ordine ipsius terris Prussiæ, Almanniæ, & Liuoniæ subditis, & sequacibus eorundem perpetuæ pacis: & inuiolabilis fœderis unionem: elegimus, assumpsimus, suscepimus, & iniuimus, eligimusq;, suscipimus, assumimus, & inimus tenore præsentium mediante omni tempore perpetuè duraturã. Quam sub fide & honore ac iuramentis corporaliter præstitis: sine dolo & fraude promittimus uigore præsentiũ obseruare, & ut ipsa unio cũ tanta deliberatione & maturitate cõcepta, ad firmum & constantem ordinẽ iugiter obseruandũ reducatur: ipsam per articulos infrascriptos omninò duximus regulandum. Inprimis quod inter nos Regẽ Magnum Ducẽ, & Duces prædictos, Regnũ Pol. Magnum Ducatũ, & terras Lithuaniæ, Samogitarũ, Russiæ, Mazouiæ, Stolpẽ. & Voyeuodã Moldauiæ, & aliorum dominiorũ, & subditorum nostrorũ ab una: & prædictum Magistrũ generalem, & Ordinẽ: terras, & subditos ipsius, tam in Prussia, Almannia, quã Liuonia & noua Marchia, parte ex altera: omnes dissensiones, cõtrouersiæ, & damna inter partes hincinde facta: dimissa, & totaliter sopita debent esse. Nec illorum de cætero aliqua mẽtio, aut memoria, & signanter in querelis, aut in detractionẽ partium: coram quibuscunq; personis habeatur, aut fiat: sed nec una partium ad infamiam alterius partis suggeret, consentiet, auxiliũ dabit, & fauorem publicè uel occultè, & quantum in ea parte fuerit, dilationes, & detractiones huiusmodi fieri nõ admittet, sed potiùs prohibebit. Item quod omnia bona Ecclesiarũ, Gnezn. Vuladislau. Plocen. & Poznan. Prælatorum, Abbatum, Monasteriorum, Conuentuum, & aliarum quarumcunq; personarum Sæcularium, & religiosarum: quæ sunt in terris Ordinis prædicti situata, debent circa iura omnia: tam Ecclesiastica, quàm Sæcularia, & omnes aliquas consuetudines, quæstus, decimas, castra, uillas, prædia, curias, & alias utilitates, emolimenta, & prouentus quibuscunq; nominib. nuncupentur, conseruari, nec aliquibus nouis consuetudinibus, seruitijs & onerib. aggrauari. Quodq; eadẽ bona non alienentur, nec pro eorũ alienatione instetur per partes sine consensu Prælatorum Spiritualium. Omnes autem census, decimas, prouentus, & alias obuentiones qualescunq; in terris Ordinis consisten. quos & quas Magister & Ordo Reuerendiss. in Christo patribus dominis Archiepiscop. Gneznen. Vuladislauienſ. & Plocen. Episcopis, alijsq; Prælatis Sæcularibus, & Regularibus Regni Polon. per biennium subleuauerunt, plenè & integrè restituant, & restitui faciant: medietatem infrà hinc ad festum Purificationis Mariæ, reliquam uerò ad festum Paschæ proximè affuturum in ciuitate Thorunen. quittationibus de solutione à præfatis Prælatis receptis, & quod bona, & decimæ Reuerend. patris Domini Vuladislai Episcopi Vuladislauien. nouiter, & quomodolibet arrestata relaxentur. Item ut omnis suspicio, &

dimento,& compulsa, & stare,siue manere cum eis,aut eas in ciuitate Nyessoua locanda cõseruare,uel transire cum eis,quò placebit,siue per terram,siue per fluuium V s'a,infrà, uel suprà,uel in Thorun,aut alia loca in terris Ordinis cõstituta.Item incipiendo ab eo loco,in quo prędicti limites per dominum Kazimirum Regem Pol. & Magistrum Prussię facti, & in eorundem literis expressi terminantur,& desinunt in procedẽdo ulteriùs,usq; ad introitum fluminis Nothesz, siue Byrzuennik obseruabimus istum modum,& ordinem. Quòd si de prædictis limitibus poterunt bonæ famæ tres homines pro parte nostra,& Coronæ,& tres pro parte Magistri,& Ordinis electi, uisis utriusq; partis literis,iuribus,& possessionibus,& alijs legitimis documentis concordare stabunt limites taliter cõcordati. Vbi autem nõ possent electi illi homines boni cõcordare, extunc sortes ab utraq; parte mittantur,quamcunq; aũt partem sors cõtigerit sic emissa. Pars reliqua,quã sors ipsa non tetigit,debet sex personas,quas placebit de parte prædicta eligere,quæ personæ sic electę:postquam iuramento corporali limites inter partes prædictas: sic de limitibus discrepantibus firmauerint:limites illi,sic iuramento firmati,pro signis & limitibus inter Regnum Pol. & nouæ Marchiæ perpetuè remanebunt. Testes autẽ illius partis,cui sortes aduenerunt, in processu limitum prædictorũ castra, ciuitates partium prædictarũ ex hac sortiũ accesione nõ attingent,nec mouebuntur:aut pro sua parte aliqualiter uendicabunt, sed partes superiùs expressæ castra, ciuitates ab antiquo tentas,absq; impedimẽto sortium obtinebunt. Ita tamen quòd pons in fluuio Draua circa Ochczeth cum libero transitu perpetuò manebit:hoc addito,quòd si in parte Magistri,seu Ordinis cesserit,& in eius structura negligentia cõmissa fuerit,licitum sit nobis,aut Capitaneis nostris huiusmodi põtem nouum cõstruere, & antiquũ reformare: quotiens fuerit opportunũ. Et ne in posterum de huiusmodi personis, & testibus suprascriptis aliqua difficultas oriatur,nos Reuerend. in Christo patrem dominũ Franciscum Episcop. Varmien. & honorabiles,ac religiosum Volff de Sauszen cõmendatorem in Ostrorode,& strenuum Iohannem de Saysen pro huiusmodi cõpositoribus, & honorabilem ac religiosum Cõradum de Erbinghauuschen,Hermannũ Reussop Thorun.Henricum Forrothdanen.Præcõsules cum suprascriptis, Episcopo Cõmendatore, & Iohanne pro testibus in casu,quo sors Magistrum, & Ordinẽ tetigerit, duximus nominandos, & eligendos, qui ad faciendum præmissa cum nostris,per Magistrũ,& Ordinem nominatis & electis,cõueniant nostri in Bydgostiam,ex parte Ordinis in Suuece, in crastino Natiuitatis Mariæ proximè uenturo,abinde huiusmodi limites,sicut præmittitur,distinguendos,ulteriùs processuri. Postquam autem uentum fuerit per limites prædictos, sic ut præmittitur distinctos iuramento,quãdo limes ille fluuium Notesz, & Birzuennik insiliet, ipse fluuius Birzuennik medius erit limes perpetuus inter Regnũ Pol. & terram nouę Marchię, & iterũ ubi Birzuennik cum Notesz cõfluit,medius fluuius Notesz erit limes:ita quod Ordo,& subditi eius ipsum flumen ascendendo dimidium milliare, & descendendo similiter medium milliare,ac uersùs Regnũ dimidium milliare pro pascuis pecorũ, & pecudum quorumcũq;,ac pro receptione argillæ,calcis,lapidũ,lignorũ,tam pro igne,quam ædificijs castri,& oppidi liberum habeant usufructum,& similiter homines,& subditi Regni,& Coronę dominio,& proprietate apud Regnũ nostrum remanentibus. Teloneum autẽ aquaticum,& terrestre cum põte, & ipsius structura, secũdũ antiquam cõsuetudinem absq; ampliori augmento prædicti telonei,apud Ordinem remanebunt. Piscaturam etiã præfatus Ordo solus liberam in eodem flumine Birzuennik,seu Notesz,ascendendo,& descẽdendo, ut præmittitur per medium milliare,à ponte, qui ducit uersùs Poloniam obtinebit,eo saluo,quod Villa Trzebyessouu in suis limitibus piscandi liberã habeat facultatem. Hoc adiecto,quod in eodem dimidio milliari ascendendo,& descendendo fluuium Birzuennik,& etiam uersùs Regnum similiter per medium milliare, aliquod fortalicium nõ erigatur. Item postquam uentum fuerit ad limites per aquam,ubi fluuius Birzuennik,siue Notesz taliter procedendo inferiùs, ut suprà dictum est, uersùs Lanczberg super differentiam ibidem ex opposito prædicti oppidi consurgente,pars utraq;,uidelicet nos,& Magister ac Ordo elegimus nobis pro iudice Reuerend. in Christo patrem dominum Christophorum Episcopum Lubuczen. in quem partes ipsæ de alto & de basso cõpromittent,& ad festum S. Trinitatis proximũ ibidem circa Lanczberg adducẽt, & productis coram eo iuribus,& probationib. legitimis in termino,seu terminis cõpetentibus ab utraq; parte laudũ,& pronunciationem, quã usus cõsilio sapientum super omnibus differentijs inter Regnum,& oppidũ prædictum Lanczberg tulerit,ambæ partes huiusmodi sententiã suscipere,laudare,emologare,& seruare sub fidei puritate tenebuntur. Volumus etiam, & decernimus per præsentes, quod teloneum, & depositum uulgariter, & ablata, Magister, & Ordo restituere teneatur. Et si aliquis subditorum, de terris, aut do-

modo destituatur: Et nihilominus successor iustitiam teneatur facere expeditā requirenti. Si uero is qui pro iustitia ratione delicti, uel alias requirit, simplex fuerit Terrigena, & iustitiam facere recusaret, aut negligeret, ex tunc damna iustitiam requirenti, per Capitaneum seu commendatorem de bonis Terrigenæ prædicti compensentur & soluantur, nisi simili se purgauerit iuramento. Item si per aliquem subditum, indigenam uel aduenam alicuius nostrum, casu & euentu. Inscriptioni seu paci huiusmodi perpetuæ fuerit in aliquo derogatum & contrauentum, utpote rapinæ, spolia, incendia, uastationes, prædę, uel homicidia, aut aliqua maleficiorum genera, in dominijs & Terris nostris alterutris patrata fuerint & commissa: propterea pax prædicta cassari, irritari non debebit: sed in suo robore, & firmitate permanebit. Nec propter hoc Pars cuius subditus maleficium huiusmodi commiserit, censebitur fore deierans seu periurans. Prædicti autem delinquentes & malefactores, pro ipsorum excessibus, per Capitaneos seu Officiales utriusq; nostrum iudicialiter puniantur: & ad satisfactionem plenam & debitam arcebunt & compellentur. Item ut Capitanei, Palatini, Commendatores, Officiales seu Iudices partis utriusq; ad administrationem iustitiæ fortius inducantur: Et ne aliqua grauis displicentia inter nos Regem, Ducem Magnum, & Duces prædictos ex una, Magistrum, Ordinem & Terras subiectas sibi prænominatis & subditos eorundem parte ex altera, imposterum ualeant exoriri singulis annis, nos Rex præfatus duos ex Commendatoribus uiros boni testimonij & conscientiæ in festo Pentecostes, & similiter Magister & Ordo duos Palatinos, aut alios paris conditionis, in præfato festo de Terris nostris prædictis eligant, & sibi quanto citiùs poterint huiusmodi electiones personarum scriptis insinuent. Qui in festo S. Michaelis conueniętes uno anno in Nyessoua, alio in Thorun, & tactis sacrosanctis Euangelijs, fauore, timore, & odio exclusis, de iustitia facienda punient Iudices, ac Officiales in administratione iustitię remissos & negligentes: & Iura municipalia loci delicti partibus læsis faciēt. Nihilominus iustitiam congruentem, uel partes secundum æquitatem, & bonam iustitiam component, & omnia faciant quæ pro conseruatione huiusmodi iuratæ pacis perpetuæ uiderint expedire. Pari modo int̄ Samogitiam & Prussiā uno año in Veluna, & alio in Regnyth: Inter Lithuaniam & Liuoniam uno anno in Husp ole, & alio in Dymborg aliâs in Nouyna. Inter nouam Marchiam & Maiorem Poloniam, uno anno in Sygakouo aliâs Czyrk, alio in Dreszno: Inter terrā Dobrineñ. & Prussiam, uno anno in Rypin, & alio in Brodnicza: Inter terras Mazouiæ Ducis Vladislai & Prussiam, uno añō in Dzoldovv, & alio in Mlaua: Inter Vysznam & Prussiam, uno anno in Vyszna, & alio Ianusburg: Inter terras Ducis Bolkonis & Prussiam, uno añō in Czyechanovv, & alio in Nidborg, per omnia uolumus & decernimus obseruari. Inter Ducatum Stolpeñ. & Prussiā, uno anno in Stolp, & alio anno in Rythavv: Inter nouam Marchiam & terram Stolpeñ. uno anno in Reez, & alio in Sathyn, nisi partes de alijs locis fuerint concordes. Item ne circa limites displicentiæ seu controuersiæ suscitari ualeant. Volumus limites de quiennio in quiennium ubi opus fuerit innouare. Item liber sit transitus & uia omnibus Mercatoribus ac Incolis terrarum, & dominiorum Ordinis cum suis mercancijs, frumentis cuiuscunq; grani, & rebus quibuscunq; & cuiuscunq; conditionis, uel maneriei existantis sine impedimento uel angaria, per terras & maria, aquas & flumina quocunq; ascendendo, in & ad Regnum Pol. terras Lithuaniæ. Samogitarum, Mazouiæ, & Russiæ: & descendendo per ipsum Reg. atque terras prædictas, ac per ipsa flumina seu aquas usq; ad maria, & transmare in nauibus paruis siue magnis, uacuis siue oneratis imperpetuum quomodocunq; & quotiescunq; uoluerint, absque aliquo arresto uel impedimento cuiuscunque, & specialiter Oppidanorum in Thorun. Quas quidem merces, frumenta, & res, ut præscriptum est, si præfati Mercatores seu Incolæ Ordinis ducentes, uendere aut stare in aliquo locorum seu Ciuitatum ad portum, siue ripam prædictam aquarum siue maris situatorum, seu situatarum uoluerint, est & debet esse in ipsorū arbitrio & uoluntate. Si uero uendere noluerint, possunt absq; omni impedimento ire seu ascendere, uel descendere quo eis placuerit cum rebus prædictis, ut superiùs est expressum teloneis & antiquis depositis prout supra saluis. Item omnia damna, iniuriæ, displicentiæ impensæ, & expensæ Prælatorum, eorumq; Ecclesijs, & Capitulis, ac Abbatibus, Prioribus, Conuentibus, Monasterijs, personis Ecclesiasticis, Sæcularibus & alijs quibuscunq; per nos, subditos, coadiutores, & adhærentes nostros, in terris Prussiæ & extra, illata quomodolibet & facta in omnibus guerris præteritis, & econtra per sepe dictum Magistrum & Ordinem, ac exercitus ipsorum Prælatis in dominijs Reg. nostri constitutis sint sopita, auctoritate præsentiū

t penitus

penitus & extincta, ita quod prætextu eorundem per Prælatos ipsos, aut eorum aliquem suis aut Ecclesiarum, Capitulorum, Conuentuum, siue Monasteriorum suorum nominibus Magistro & Ordini prædicto, uel alijs supra dictis, quæstio, causa, actio, uel impetitio de Iure uel de facto, nullo unquam tempore moueatur. Item Magister & Ordo prædicti, tenebuntur nobis ratione concordiæ præsentis, dare & soluere nouem millia florenorum cum quingentis Hungaricalibus iusti & boni ponderis, aut eorum ualorem in moneta Pruthenicali bona, noua, medietatem in dominica Lætare, & aliam medietatem in festo S. Martini Episcopi in Thorun proximè affuturis, pro rata cuiuslibet solutionis literas quittantias tenebuntur assignare. Item circa Iudices, Iudicia, mercantias, emendas uel uendendas, & circa uictualia comparanda & telonea antiqua soluenda, rationabilis cõsuetudo tempore bonæ memoriæ Vitovvdi Magni Ducis Lithuaniæ tenta, in Lithuania, Samogitia, & Russia incõcussè seruetur, & quantum fieri poterit, iuxta ritum Catholicorum in melius reformetur. Item ne circa hanc concordiam perpetuam aliquid imposterum relinquatur, quod possit mentes & subditos partium prædictarum tam Spirituales quam Sæculares, ad lites & odia quæcunq; prouocare in futurum, causam Ecclesiæ Vuladislau. & ipsius Episcopi, super demollitione domus Episcopalis ante Oppidũ Gdansk in præteritis guerris per Oppidanos Gdaneñ. attentata, quæ in Curia Romana & Constantien. ac Basilieñ. Cõcilijs per annos plurimos pendebat indecisa, duximus de consensu Patrum, & uenerabilis Capituli Vuladislauieñ. per medium cõcordiæ sopiendam. Ita uidelicet, quod Magister & Ordo pro Oppidanis Gdanensib. Reuerend. in Christo patri domino Vuladislao moderno Ecclesiæ Vuladislau. Episcopo mille ducẽtos florenos Hũgaricales boni & iusti ponderis, pro media parte huiusmodi summæ in festo Carnispriuij, & uno stamine Bruslieñ. boni operis in Oppido Thorun. & pro alia media in festo S. Michaëlis ibidem proximè affuturo, ratione demollitionis domus prædictæ soluent, & expedient cum effectu, & absq; excusatione aliquali. Dominus uerò Episcopus prædictus & Capitulum eius, eosdem Oppidanos Gdaneñ. & Ordinem ab impetitione sua debet dimittere absolutos, & causam huiusmodi extinguere, nunquam ipsis de cętero per se & successores suos intentandum. Quam ordinationem præfati dominus Episcopus & Oppidani publicè & solenniter emologarunt, solutione facta dominus Episcopus præfatus cũ Capitulo suo, super qualibet solutione quittabit sufficiẽtibus literis Magistrum, Ordinẽ, & Oppidanos antè dictos. Item Magister generalis & Ordo omnem exactam & extremam diligentiam faciet, quod Magister Almaniæ infra unum annum maius suum Sigillũ huic concordiæ perpetuæ appendet, quod si facere nollet, sed cum aliquo domino Spirituali uel temporali ratione bonorum ab eodem domino obtentorum, Regi, Regno Pol. & Ducatibus præmissis, ac eorum subditis bellã moueret: Ex tunc Magister generalis, & Magister seu præceptor Liuoniæ, & fratres Ordinis per Prussiam & Liuoniam, absq; dolo & fraude sub fide & honore præstiti iuramenti, eidem Magistro Almaniæ: necnon illis dominis sub quibus consistunt, ac alijs quibuscunq; hominib. per se uel alias, publicè uel occulte, directè uel indirectè, cũm gentibus armorũ, pecunijs, armis, aut alijs auxilijs quibuscũq;, cõsilio uel fauore, nõ debent neq; possunt subuenire aliquo excogitato ingenio uel colore, quod si contrarium fecerint & id legitimis documentis probatum fuerit, quod tũc subditi eorũ ab homnibus, homagijs, iuramentis, & subiectionibus liberi & soluti esse debent in hoc casu, donec ad obseruationem pacis perpetuæ reuertentur. Item nos Vuladislaus Rex prædictus, Oppidum Arnszvvald aliâs Chosszno, quod exercitus patris nostri, bonæ memoriæ domini Vuladislai acquisiuit, & cuius possessionem huc usq; habuimus pacificam, Magistro & Ordini infra hinc & dominicam Lætare proximè uenturam, cum curijs, Villis, & alijs omnibus cohærentijs ad prædictum Oppidum spectantibus restituere tenebimur & debemus. Nobiles insuper de Nouauedel & Felkemburg; cum Oppidis, Castris, & omnibus bonis suis in noua Marchia cõsistentibus qui patri nostro prædicto fidelitatem & homagium, exercitu nostro in noua Marchia existente præstiterant: ad Magistrum & Ordinem absoluti primo à nostris homagijs & iuramentis, ratione bonorum prædictorum duntaxat nobis factis, infra hinc & prædictum terminum Dominicæ Lætare reuertantur. Qualitercunq; autem ipsi nobiles & oppidum Arnszvvald ad possessionem Magistri & Ordinis accesserit, siue de manib. nostris aut nostrorum, siue etiam alijs modis quibuscunq;, quod per hoc huic articulo satisfacere censeamur; prouiso tamen quod Magister & Ordo eosdem fauorabiliter & benignè recipiat, & de uita ac bonis assecurent: quemadmodum de huiusmodi assecuratione per Magistrum & Ordinem

in se-

In feſto Purificationis Mariæ proximo debet eiſdem prouideri, & in Caſtro Raczyanſz huiuſmodi Litera aſſecurationis præſentari. Item Caſtrum Nyeſſoua, cum Diſtrictu & medietate nauigij ut ſuperius eſt expreſſum, Magiſter & Ordo infra hinc & dominicam Lætare proximam, ad manus Reuereñ. in Chriſto patris domini Vuladislai Epiſcopi Vuladislau. nomine noſtro debent tradere, reſtituere, & aſsignare cum effectu. Item ut hæc concordia cum tanta maturitate concepta, abundantiori cautela ualeat ab utraq; parte fortius & attentius cuſtodiri: promittimus bona fide, attente, & fideliter in uerbo noſtro Regio, abſq; dolo & fraude, corporali præſtito iuramento, huiuſmodi concordiam in omnibus ſuis articulis, atq; punctis obſeruare. Et ut propenſiori uigilantia ipſius capitula attendantur, decernimus formam Iuramenti ſub uerbis & tenore infraſcriptis. Ego N. iuro, quod hanc concordiam obſeruabo: nec contrauenaim ei facto, auxilio, conſilio, uel fauore: ſic me Deus adiuuet, & hæc ſancta Chriſti crux. Et quod omnes Reges ſucceſſores noſtri & hæredes, infra annum Coronationis ſuæ, ſeu ſuſcepti regiminis: Similiter Dux Magnus Lithuaniæ modernus, ad requiſitionem alterius Partis per Nuncios ſpeciale mandatum habeñ. huiuſmodi pacem perpetuam Iuramentis firmare & ſtabilire teneantur. Quodq; de decennio in decennium per Prælatos, Duces, Palatinos, Commendatores, Terrigenas atq; Ciues, tam noſtrarum quam Ordinis Partium & prius non iuratos, debet nouis Iuramentis ſolidari. Item ut Pars contra Partem metu animaduerſionis præſentis ad bella, & prælia non conſurgat: Statuimus decernentes, quod noſtri Prælati, milites, Ciues, & tota communitas debeant & teneantur Terrarum Magiſtri & Ordinis Prælatis, Nobilibus, Militibus, Ciuibus, & toti communitati dare certas noſtras Literas, & pares ſiue reuerſales ab ipſis ſub eadem forma recipere, quas tam nos quam prætactus Magiſter & Ordo utriuſq; ſubditis noſtris, dare promittimus & debemus. Ipſiq; ſubditi noſtri, ſubditos Magiſtri & Ordinis, & e conuerſo ſubditi Ordinis, ſubditis Regni noſtri dare & præſentare tenebuntur in Dominica Lætare proxime uentura, ſub ijs uel ſimilibus uerbis. Quod ſi nos uel ſucceſſores noſtri, ſtāte huiuſmodi pace perpetua, Magiſtro & Terris Ordinis uellemus aut conaremur huiuſmodi guerras, aut bella mouere, non debent nobis ſubditi noſtri conſentire: nec in hoc obedire aut parere: quinimo erunt ab omnib. noſtris homagijs, Iuramentis, & ſubuectionibus liberi & ſoluti, donec in hoc caſu Nos & ſucceſſores noſtri, ad obſeruantiā pacis perpetuæ reuertemur. Item omnes uiolationes Treugarum ac pacis, fœderum, ſtipulationum, contractuum ſi quæ inter Partes prædictas in guerris preteritis accidiſſent, uigore pręſentis concordiæ, annulamus, & caſſamus. In cuius rei teſtimonium Sigillum noſtrorum, quo ad præſens utimur cum infraſcriptorum Illuſtrium ac preclarorum dominorum, fratrum noſtrorum chariſsimorum, Ducum, Baronumq;, Militum, Procerum, & Ciuitatum Sigillis præſentibus ſunt appenſa. uidelicet Sigiſm. Magni Ducis Lithuanię predicti, Sembuiti, Kazimiri, Vvladislai, Boleslai, Mazouiæ, Boguslai Stolpeñ. Michaelis præfati domini Sigiſm. Magni Ducis Lithuaniæ nati Ducum: Necnon Reuerendiſs. ac Reuerendorum in Chriſto patrum dominorum, Alberti S. Gnezñ. Eccleſiæ Primatis, & Iohannis Leopolieñ. Archiepiſcoporum: Sbignei Cracou. Stanislai Poſnañ. Vvladislai Vvladislau. Stanislai Ploceñ. Matthiæ Vilneñ. Iohānis Chelmeñ. Pauli Kameneceñ & Andreæ Vvladzimir. Epiſcoporum: Andreæ Vvladzimirouic, Chebdogoldouic, Iorgij Syemionouic Ruſsiæ Ducum: & Magnificorum Nicolai de Michalovv Gracouieñ. Caſtell. Sandiuogij de Oſtrorog Poſnañ. Petri de Pyeskouaskala Cracou. Iohannis de Czyzovv Sandomirieñ. Martini de Kalmotta Siradieñ. Iohannis de Lychyn Breſteñ. Iarandi de Brudzeuo Iunivvlad. Oſtyk Caſtellani Vilneñ. Dolgerth Vilneñ. Luluſcii Troceñ. Iohannis Manzyk de Dambroua Leopolien. Petri Odrouanſz Podoliæ, Stanislai Grod de Srzensko Ploceñ. Iohannis Glouac de Lauzenicze Czyrneñ. Pauli de Radzimovv Belzeñ. Palatinorum: Martini de Slamko Poſnañ. Dobeslai de Syenno Sandomir. Petri de Zirniki Caliſsieñ. Laurentij Zaramba Siradi. Petri de Bnino Gnezñ. Alberti Malski Lācicię. Floriani de Korytlnica Vislicieñ. Domarath de Kobelany Lublñ. Nicolai de Vorzunouo Brzeſteñ. Chriſtini de Kozyeglouy Sandeceñ. Ioannis de Tanczyn Voyniceñ. Przedborij de Konyeczpole Roſpierieñ. Nicolai de Virzbicsko Dobrineñ. Iohānis de Balicze Radomieñ. Barthoſsij de Goſtyn Nakleñ. Martini de Vyrzyska Iuniuulad. Clementis de Strzelcze Bieceñ. Vincentij de Szamotuly Miedzyrzeceñ. Dobrogoſtij de Kolno Cameneñ. Przedpelkonis de Kopydlouo Landeñ. Dzik Przybislai Zarnouieñ. Varſy de Oſtrovv Zauichoſteñ. Pauli de Biskupice Malogoſteñ. Alberti de Pakoſcz Srzemeñ. Matthię Brzezineñ. Iohannis de Kalinoua

Sandecenens. Petri de Chelmpo Laneceñ. Nicolai de Lubstovv Krusuiceñ. Stanislai de Skarlleuo Biechouieñ: Iacobi Przekora Ceckouieñ. Przybyslai Koualeñ. Nicolai Kielbassa Bydgostieñ. Iakussij de Strzygi Ripineñ. Paskonis de Goslauice Konarieñ. Iohannis de Vlonouo Rogozneñ. Hrickonis Kyerdeiouic Leopol. Nicolai de Vissnicze Præmislieñ. Petri de Smolice Sanoceñ. Michaëlis de Buczacz Haliceñ. Iohannis de Olessnica Marschalci: Andreæ de Lubino Thesaurarij Regni Pol. Andreæ de Czechouice Ploceñ. Vigandi de Oskolonga Cyrneñ. Dobrogostij de Nouydvvor Varssouieñ. Pauli de Lessno Sochacouieñ. Adæ de Rythlo Gostineñ. Markussij de Popyen Raueñ. Nicolai Maldrzyk de Starogrod Belzeñ. Castellanorum: Petri de Pyeskouaskala Crac. Petri Kordibog Posnanieñ. Andreæ de Zelechovv Sandomirieñ. Dobrogosthij de Szamotuly Calisieñ. Clementis Scheliga de Ianouice Siradieñ. Stanislai Byelauski Lancicieñ. Andreæ Dunin Brestẽ. Stanislai Iuniuulad. Volckonis Rokatouic Leopolieñ. Sandkonis de Sennovv Præmislieñ. Czurilonis de Stoyance Halicien. Ianussij Kerkeiouic Kameneceñ. Nicolai Grzymalca Sanoceñ. Stanislai Kanymir Chelm̃. Petri de Kampa Ploceñ. Andreę de Radzicìouice Sochacou. Nicolai de Brzozovv Gostineñ. Iohannis Tabass de Zaluski Raueñ. Succameriorum: Marcissij de Vvroczimouice Cracou. Theodorici de Modzychod Posnanieñ. Stanislai Slanka de Lapsouo Sandomir. Nicolai de Plesseuo Calis. Zegothæ de Monkouo Siradieñ. Petri de Oporouo Lancic. Vaskonis de Sluzeyo Bresteñ. Nicolai de Kosczyelec Iuniuulad. Derslai de Vrissokye Lubl. Georgij de Lassodki Dobrineñ. Iohannis de Vinnica Leopol. Iacobi de Zakouice Halicieñ. Andreæ Vyzga Ploceñ. Iohannis de Regleuice Cyrneñ. Iohannis Rogala de Vangrzynouo Vissegrodeñ. Derslai de Podosye Zakrocin. Vexilliferorum: Pauli de Bogumilouice Cracou. Abrahæ de Zbanssyn Posnanieñ. Iohannis de Sproua Sandomirieñ. Troiani de Lekna Calisie. Petri de Vidaua Siradieñ. Ade de Thur Lancicieñ. Andreę de Ludbranc Bresteñ. Matthię Figa de Ossnyca Iuniuvlad. Alexij de Plonniki Dobrineñ. Iohãnis Kielcouic Lubliñ. Stanislai de Deuidouo Leopol. Petri de Grochouiec Præmisl. Iohannis Kola Halicieñ. Stanislai de Strzegouo Ploceñ. Alberti de Chebdzino Cyrñ. Zylani de Vinnica Vyssogrodeñ. Zemak de Smogorzeuo Cyechonou. Sassyni de Sczauino Gostinẽ. Iacobi de Glouno Raueñ. Sassyni de Virzyska Belzeñ. Iudicum: Iohannis Farurej Cracou. Bienyakonis de Bandleuo Posnanieñ. Iohannis Pouale Sandomir. Sigismundi de Margonino Calisieñ. Stephani de Oporovv Lancic. Christini de Koszol Bresteñ. Iohannis Boybuski Iuniuulad, Demetrij de Chodorovv Leopol. Mssykrouski Præmisl. Dapiferorum: Ianussij de Kobelany Cracou. Samborij de Malochouo Posnanieñ. Petri de Krzyzanouice Sandomir. Thomkonis de Mirza Siradieñ. Voienski BrSesteñ. Kaczkovvski Iuniulad. Nicolai de Felsten Leopolieñ. Venatorum: Iacobi Klicze Pincernæ Siradieñ. Skora Posnanieñ. Bogossij de Krussovv Calisieñ. Andreæ de Brzezye Brest. Iohannis de Zimnauoda Leopol. Subiudicũ: Nicolai de Brzesse Crac. Raphaëlis de Goluthouo Posnanieñ. Iacobi de Baranovu Sandomirieñ. Stanislai de Ostrorog Calisieñ. Nicolai Koluczski Iuniuulad. Clementis de Banczyce Lancic. Nicolai de Szarle Bresteñ. Subdapiferorum: Iacobi Lublineñ. Kyelcz Siradieñ. Iohannis de Lassothki Dobrineñ. Iacobi de Malice Leopol. Tribunorum: Stanislai Ligansſyc, Spitkonis de Melitin, Petri de Kurovv, Nicolai de Krolikouo, Przedpelcy Mosſczyc de Kosmin Milai de Miloslavv, Ianussij de Tuliskouo, Nicolai de Grandi, Petri de Zauady, Mssczuj de Barczevv, Iakussij de Vroniauy, Iohannis de Zychlino Nicolai de Slessyno, Vincentij de Pnieua, Tomkonis de Sobotha, Tluk de Strijkovv, Raphaëlis de Tarnovv, Iohannis de Pilcza, Skarpkonis de Gora. Nicolai de Michovv Nobilium & Procerum Craco. Posnañ. Calisieñ. Leopolieñ. Ploceñ. Varssouieñ. Stolpeñ. & Stargardeñ. Ciuitatum. Postquam autem Deo fauente annos discretionis attigerimus, promittimus & spondemus Iuramentum præstare & appendi facere præsentibus Sigillum nostræ Maiestatis. Actum in Brzesce Vuladislauieñ. diœcesis sabbato in uigilia Circumcisionis Domini. Año eiusdem 1436. Datum per manus Magnifici & Venerabilis Iohannis de Koniecpole Cancellarij, et Vincentij Roth Custodis Gnesneñ. Cantoris Cracou. Regni Pol. Vicecancellarij syncerẽ nobis dilectorum.

Magister

Magiſter Pruſsiæ promittit pacem ſeruare cum Regno Poloniæ perpetuam.

NOs frater Paulus de Ruſzdorff Ordinis Beatę Marię, domus Theutonicorum Ieroſolimitañ. Magiſter generalis: ſignificamus tenore pręſentium, quibus expedit uniuerſis, Quia nunquam nos, nec ſucceſſores noſtri Sereniſs. Principi & Domino dño Vvladislao Regi, aut Regno ſuo Poloniæ guerras mouebimus, aut bella: ſed pacem perpetuam & concordiam inter prædictum dominum Regem, Regnum, & adhærentes ſuos ab una: Nos, Ordinem & adhærentes noſtros ab altera partibus, de anno domini 1436. in uigilia Circumciſionis Domini in Ciuitate Brzysk conceptam & firmatam, cuſtodiemus, ſeruabimus incõcuſſe, in omnibus ſuis articulis atque punctis, promittentes, quod ſi nos, uel ſucceſſores noſtri, ſtante huiuſmodi pace perpetua, ſupra dicto domino Regi, aut Regno Pol. uellemus aut conaremur huiuſmodi guerras, aut bella mouere, non debent nobis ſubditi noſtri conſentire, nec in hoc obedire aut parere: quinimo erũt ab omnibus noſtris homagijs, iuramentis, et ſubiectionibus liberi, & ſoluti, donec in hoc caſu nos & ſucceſſores noſtri, ad obſeruationem pacis perpetuæ reuertemur, quos in huiuſmodi caſu abſoluimus ab omnib. homagijs, promiſsionib. & iuramẽtis nobis factis, ut præfertur ipſo facto per præſentes. In cuius rei teſtimoniũ & fidem firmiorem, Sigilli noſtri appenſione pręſentes fecimus communiri. Datum in Caſtro noſtro Marienburg ipſa die dominica Lætare. Anno Domini 1436.

Conditiones pacis perpetuæ in Terris Pruſsiæ ultimò factæ.

IN NOMINE DOMINI AMEN. Ad perpetuam rei memoriam. Cum inter humanæ uoluntatis deſyderia, quæ in aliquem citra Deum, finem atq; rerum omnium opificem diriguntur, nulla res optabilior, nulla gratior, quemadmodum quotidianis experimur effectibus, nulla deniq; humano generi ęque ſalutaris neceſſaria, iucũdior, & utilior, quã pax habeat in ortu redẽptionis dñi noſtri Ieſu Chriſti, hominib. bonę uoluntatis denunciata per angelos, & in receſſu ad patrẽ cætui apoſtolico, & uniuerſis apoſtolorũ ſequacib. geminata, donatione relicta & repromiſſa. Proinde nos frater Ludouicus de Erlichauſen, Magiſter Hoſpitalis, domus ſanctę Marię Theutonicorũ Ieroſolimitañ. in Pruſsia. Significamus tenore præſentium quibus expedit uniuerſis, tam præſentibus, quam futuris præſentium noticiam habituris. Quomodo attendentes quales ſint ueræ pacis fructus, & quanta belli pericula, qualiſq; uaſtitas diſcordiam ſubſequatur, ad laudem omnipotentis Dei, & intemeratæ Virginis Mariæ glorioſæ, totiuſq; cœleſtis Ierarchiæ propagationem, fidei cultum, iuſticię & religionis Chriſtianę ſaluciferum incrementum: Ordinis quoq; noſtri decus & ſtabilimentum & guerrarum ac litium deflendis diſcriminibus, & diſſenſionum ac odiorũ anfractibus diſplicentijs, & ſingulis offenſis quæ inter Sereniſs. Principem dominum Kaſimirum Dei gratia Poloniæ Regem Magnum Ducem Lithuaniæ, Ruſsiæ, Pruſsięq; dominum & heredem, Illuſtres Principes dominos Kaſimirum, Boleslaum, Conradum, & Ianuſium Mazouiæ, & Henricum Stolpeñ. Duces: & Reuerẽdum patrem dominum Paulum Epiſcopum, Eccleſiam & Capitulum Varmieñ. Stephanũ Voieuodam Moldauię, Regnum Pol. Terras, & alia dominia eidem domino Regi & Regno ſubiecta ex una: & nos Fratrem LVDouicum Magiſtrum generalem, Præceptores, Commendatores, & Ordinem, ac Terras eiuſdem Ordinis, in Terris Pruſsię parte ab altera cõſiſteñ. fuerant exortæ, animos noſtros ad ſemitas pacis & cõcordię cõuertimus: fluctus quoq; bellicę tẽpeſtatis hactenus inter nos uigẽtes ſedãdos & abolendos duximus, & ea quæ durantibus huiuſmodi guerris & controuerſiarum turbinibus diruta fuêre, deformata, & diſtricta, per pacis integritatem ad ſtatum cupientes deducere quietum & tranquillum, per meditationem, operam, & interuentum Reuerendiſs. in Chriſto patris domini RVDOlphi Epiſcopi Lauantini, ſedis apoſtolicæ Legati, à ſanctiſs. domino noſtro PAVlo Papa 2. ad interripiendum bellum huiuſmodi ſpecialiter deſtinati, cum eodem domino KAZimiro domino Rege, Regno Pol. Ducibus, Principibus, Dominijs, Terriſq;, Coadiutoribus cohęrentibus, ſubditis & ſequacibus eorum perpetuæ pacis et inuiolabilis fœderis concluſionem et conſumationem elegimus, aſſumpſimus, iniuimus, ſuſcepimus, eligimuſq;, aſſumimus, & inimus tenore præſentium mediãte omni tempore & perpetuò duraturam, quam ſub fide, & honore, & Iuramentis corporaliter

liter præstitis sine dolo & fraude promittimus uigore præsentium obseruare. Et ut ipsa PAX & CONcordia cum omni maturitate & deliberatione cōcepta, ad firmum & constantem ordinem, iugiter seruandum deducatur, ipsam per articulos infrascriptos duximus regulãdum. In primis quod inter præfatum Sereniss. dominum KAZImirum Regem, Duces prædictos, Regnum Pol. eiusq; Terras, Episcopum Varmieñ. Capitulum, & suam Ecclesiam Rusiæ, Mazouiæ, Stolpeñ. & aliorum dominiorum suorum ab una: & nos prædictum MAGistrum generalem, Commendatores, et Ordinem, Terras, & subditos nostros in Terris Prussiæ parte ab altera: omnes controuersiæ, dissensiones, hostilitates, inimicitiæ, diffidationes, infamiæ, & damna inter partes hincinde facta dimissa & totaliter sopita debent esse: Nec eorum de cætero aliqua mentio, aut memoria, & signanter in querelam, aut in detractionem Partium, coram quibuscunq; personis habeatur, aut fiat in quocunq; Iudicio Ecclesiastico, uel Sæculari, uel extra: Sed nec una Partium ad infamiã alterius suggeret auxilium, dabitúe fauorẽ per se, aut submissam personam, quouis quęsito colore, publicè uel occultè: & quantũ in utraq; parte fuerit, delationes & detractiones huiusmodi fieri non admittet, sed potius prohibebit. Item ad abolendas omnes displicentias, odia, simultates, & quaslibet hostilitates, quæ inter præfatum Sereniss. dominum KAZimirum Regem, suosq; prædecessores Reges, & Regnum Pol. ab una: & Nos prædecessoresq; nostros Magistros generales Prussiæ, & Ordinem nostrum partibus ab altera: occasione Terrarum Pomeraniæ, Culmeñ. Michalouieñ. frequentius annis superiorib. usq; ad bellorum grauia discrimina consurgebant: & ut pax ipsa firma, stabilis, atq; perpetua, non ex ore tantummodo, sed ex corde, purè, non fictè, syncerè, non simulatè, inter pręfatum Sereniss. dominum KAZimirum Regem, & Regnm Pol. Duces, Episcopum, Ecclesiam, & Capitulum Varmieñ. adhærentes, & Coadiutores: nosq; Magistrum, Commendatores, & Ordinem prædictos proueniant: Terra Culmeñ. cum suis Castris, Ciuitatibus, Oppidis, & fortalicijs uidelicet Thorun ueteri & noua, Byrzglavv aliâs Burgelavv, Starugrad aliâs Haldensz, Chelm aliâs Culmen, Dumiszlavv aliâs Vonczelavv, Lypno aliâs Leipe, Kouale aliâs Schonensch, Rogozno aliâs Roghussen, Koprzyuno aliâs Eugelszberg, Radzin aliâs Reden, Grudzancz aliâs Graudencz, Golub aliâs Golavv, Papovv, Brodnica aliâs Stroszberg, Olandberg aliâs Luterberg, Brathyan aliâs Nouoforo, Laskin aliâs Lessyen, cum omnibus suis pertinentijs, & Villis eorum quæ pertinebant ad Iudicium & Banderium Culmeñ. & cum tota Terra Michalouieñ. nihil excipiendo. Itẽ tota terra Pomeranię iuxta antiquos Terminos suos, cũ uniuersis Castris, Ciuitatibus, Oppidis, & munitionibus in ea consistentibus uidelicet Gdansk, Puczko, Lauenborg aliâs Laumberg, Heyle aliâs Hella, Lobe aliâs Kossrczyn, Grebin aliâs Grabino, Dirssau aliâs Tsczovv, Meue aliâs Gnyevv, Stargard, Nouemberg, Noue, Svviecze aliâs Svviecz, Mosthek aliâs Osyek, Iasyenicz aliâs Iesyeniecz, Kryssavv, Klissovv, Slochavv aliâs Olechovv, Konicz aliâs Choynicze, Fredelandt, Hamersthin, Bievvthavv aliâs Buthovv, Thuczol aliâs Tuchola, Schobouicz, Schonck aliâs Skazeuo, Baldenburg, & cum Nariga fluuijs, aquis, mari, & piscaturis, quæ sunt in cauda maris, aliâs Hab, Villis, portibus, insulis, & pertinentijs uniuersis, ac dominio uniuersali, directo, & utili, mero & mixto ad præfatum Sereniss. dominum Regem KAZimirum, & Regnum Pol. pertinebant, et spectabant, pertinere & spectare debebunt, donationibus, renunciationibus, cessionibus, appropriationibus per Reges, Principes, Barones, Nobiles, Ciuitates & subditos Regni Polo. ex quacunq; causa uel occasione de Terris prædictis Iure, proprietate, & dominio ac titulo earum quomodolibet, & quotiescunque, etiam Iuramento corporali interueniente, in fauorem nostrum & Ordinis factis, & Apostolica, Imperiali, uel quacunq; alia firmitate roboratis non obstantibus quibuscunq;: quas per præsentem unionem & fœdus annullamus, cassamus, abolemus, tollimus, extinguimus, & mortificamus, illisq; perpetuo derogatum esse uolumus & derogamus. Quibus quidem Terris POMeranię, CVLmeñ. & MICHAlouieñ. Nos MAgister LVDOuicus, Commendatores, & Ordo Domus Theutonicorum prædicti, & illarum Iuri, proprietati, titulo, & dominio quomodolibet & ex quacunq; causa nobis & Ordini nostro competenti renunciatione & cessione perpetua, irreuocabili, & spontanea de certa & expressa scientia pro nobis successoribus & Ordini nostro cedimus & renunciamus. Nos quoq; & Ordinẽ nostrum Terris præfatis Pomeraniæ, Culmeñ. & Michalouieñ. in perpetuũ abdicamus, & omnes Inscriptiones, donationes, renunciationes, cessiones, resignationes, confirmationes, priuilegia, instrumenta, uẽditiones, emptiones, lauda, arbitria, sententias, pronũciationes, munimenta

& decreta

&, decreta in fauorē nostrū & Ordinis super Terris prædictis per summos Pontifices, Imperatores, Reges, Principes, Duces, Marchiones, Comites, & quascunq; personas Ecclesiasticas uel mundanas cuiuscūq; conditionis, dignitatis, præeminentię uel tenoris existāt cōfectas, decretas, & cōcessas cassamus, abolimus, extinguimus, ac mortificamus, & illis pro nobis, successoribusq; nostris, & Ordine nostro nō per errorē coactè aut improuidè, sed libere & spontaneè ac de certa scientia perpetuè cedimus, & renūciamus, & Ius omne quod nobis Magistro & Ordini in præfatis Terris quomodolibet cōpetebat in dominū KAZimirū Regē & Regnū, successoresq; eius Reges Pol. perpetuo trāsferimus per præsentes, & militares Nobiles, Vasallos, Ciues, Terrigenas, & quoscunq; subditos Ecclesiasticos & Sæculares Terrarū, Ciuitatū, Districtuū, & locorū prædictorū ab omni nostra fidelitate, homagio, subiectione, iuramēto & qualibet spōsione dimittimus & absoluimus, & præsentiū tenore relaxamus. Excepto quod Piscatores in Hab à fine aquæ & piscaturarum Episcopi & Capituli Varmieñ. & ex opposito in mari salso: Item partē Nergiæ à dicta aqua & piscaturis Ecclesiæ Varmieñ. per transuersum Nergiæ usq; ad dictum mare salsum, & à dicto trāsuerso per descensum Nergiæ usq; in profundū cum Villis Svvyczye, Mivendorff ac Curia Mitilhoff cum Iurisdictione & utilitate hoc ipsum profundū cum piscatura sturionū, & teloneo antiquo, nos Magister & Ordo habebimus & possidebimus: Quam quidem portionem Nergiæ cum prædictis Villis & Curia præfatus Sereniss. dominus Rex nobis Magistro & Ordini de speciali sua gratia perpetuò contulit & assignauit. Reseruata tamen Maiestati suæ totali uenatione super dicta portione Nergiæ, prout & super tota Nergia illam sibi reseruauit. Hoc etiam adiecto, quod nos Magister & Ordo nullum Castrum aut munitionem super dicta portione Nergiæ nobis donatæ ædificare aut ædificari facere neq; nouum teloneum aut grauamen imponere ualeamus aut debeamus. Item ex bonis certis respectibus nos mouentibus & pro præsentis pacis stabilimento Castrū et Ciuitas Marienburg cum duabus insulis magna uidelicet & altera parua quę dicitur das Fyssannysse, Herverder, & cum integritate lacus Drussen, & cū suis omnibus piscaturis, piscationibus, & Villis, & cum Districtu Scharffavv, & omnibus alijs attinētijs & Villis suis, eo tamen excepto, quod Villæ Haldenhorff & Alepin quæ pertinent ad Holand & Kulhebory & Horndorff, quę ultima sola militātiū est, & pertinet ad Preuschēck, habeant facultatem in lacu Drussen pisces pro suo beneplacito piscandi iuxta morem antiquum. Item Castrum & Oppidum Sthum cum omnibus antiquis suis Iuribus, cohærentijs, & pertinentijs uniuersis. Item Ciuitas Elbing utraq; uetus & noua cū Districtu Villarum limitibus, & Iure, & cū Oppido Tholkmyth & eius Districtu & suo officio syluarum & nemorum aliâs Valdanpth, & cum sex Villis Tenutæ & Castri Holand, uidelicet Pylomen, Myslothyno, Berthkom, Kamersdorff, Vielkielicz, & Przeussemeret, & cū quinque Villis quæ ad Oppidum & Districtum Molhnuzen pertinebant, uidelicet magna Staban, parua Staban, Schonemor, Pomerendorff, & Volffder. Item Oppidū & Districtus Krischburg aliâs Drzgon cum suis libertatibus, Militaribus, Nobilibus, Vasallis, Villis, lacubus, molendino & Castro. Ita tamen quod demoliatur Castrum & cum pertinentijs eiusdē uniuersis, incipiendo ab uno latere Oppidi prædicti Krischburg, & descendendo à flumine Szroge, usque ad lacū Drussen. Curia tamen Dolesczeth cum ipsius molendino apud nos & Ordinem nostrū remanente. Ab alio uerò latere dicti Oppidi ascendendo & transcundo usq; ad finales granicies dicti Oppidi Krischburg, & Villæ Haldenstadt mutuo se contingentes: eadem Villa à sinistris & in ditione nostra, & Ordinis remanente: ab inde uerò directius eundo ad Ecclesiæ Pomezanieñ. fines proximiores, ubi omnia & singula subdictis finibus ad partē Castri Marienburg consistentibus Villa Moysterg iterum in parte nostra & Ordinis remanente cum Curijs, allodijs, & quibuscunq; alijs pertinentijs ad dictum Castrum Marienburg spectabunt & pertinebunt. Cætera uerò alia omnia & singula ad Cameratum, & generaliter ad Districtum Krischburg usq; in præsens pertinentia pari modo cum Oppidis & allodijs militaribus Terrigenis, Villis, Piscaturis, aquis, nemoribus, & alijs singulis pertinentijs spectabunt ad Castrum nostrū & Ordinis Preissemark perpetuo & in æuū ꝓ prædicto Sereniss. domino Rege & Regib. & Regno Pol. remanebunt. Ita quod Castra, Ciuitates, Oppida, Districtusq; prædicti ex nunc & de cætero uigore præsentis unionis & fœderis ad Ius, proprietatem, sortem, & titulum Regni Pol. pertinebunt & spectabunt pertinere, & spectare debent perpetuò & in æuum. Nos quoq; Magister Ludouicus, Cōmēdatores, & Cōuentus prædicti ꝓ nobis & nostris successorib. Castris, Ciuitatib. Oppidis, insulis, lacub. piscaturis, piscatorib. Cameratib. &

Officijs prædictis & illorum Districtibus & Villis perpetua & irreuocabili renūciatione de certa & expressa scientia, Iuri quoq; sorti, proprietati, titulo, & dominio quocūq; & ex qualicūq; causa nobis Magistro, Cōmendatorib. Officialib. & Ordini nostris in illis competentibus per nostras præsentes patētes Literas cedimus & renūciamus, & omne Ius qđ nobis Magistro & Ordini ac Cōmēdatorib. nostris in Castris nostris, Ciuitatib. Oppidis, insulis, lacubus, piscaturis, & uillis prædictis cōpetijt & cōpetere potuit, in præfatū Sereniss. dominū KAZimirū Regem, successores suos, & Regnū Pol. transferimus & applicamus. Milites quoq; Nobiles, Vasallos, Terrigenas, Ciues, & quoslibet subditos Ecclesiasticos Sæculares præfatorum Districtuum, Terrarum, Ciuitatum, & locorum ab omni fidelitate, iuramēto, homagio, subiectione, & qualibet sponsione præsentiū tenore absoluimus, dimittimus, & relaxamus. Cætera uerò Castra, Ciuitates, Districtus, fortalicia, Villas, & dominia in Terris Prusiæ tam in terris quā in aquis existentia uidelicet Kyenyczsberg Castrum cum tribus Ciuitatibus: Item Castra & Oppida Lochsteth, Varczeñ. Girmavv, Pobethen, Rydauth, Schoken, Raymen, Kremythen, Valdavv, Topyavv, Thabekavvthen, Narbekthen, Insterburg, Allenburg, Vonsdorff, Gerdaven, Ibugirburg, Nordemburg, Labyavv, Lavvkysken, Thylsakh, Ragyethe, Roschisten, Vinthburg, Memel, Brandemburg, Krovvczeburg, Fredelanth, Barthen, Laczevv, Balge, Herlibail, Synthen, Landisberg, Prevvschenlavv, Barthensteyn, Stersten, Zrnisburg, Ikeyn, Rostemburg, Like, Iohansburg, Holand, Ryboskath, Molhytzen, Morung, Bassen, Heyno, Ortolsburg, Ostorrode, Hoensteyn, Nyeyndēburg, Scholgavv, Iehenburg, Dēgislavv, Prensemark, Libemole, & Salefath & quæcunq; alia Castra, Ciuitates, Oppida, Districtus, Territoria, & Villas cum eorū subditis, militibus, Terrigenis, & Vasallis, aquis, nemorib. lacubus, & alijs pertinentijs & Iuribus uniuersis quibuscunq; censent nominib. nos Magister, Commendatores, & Ordo perpetuo & in æuū, quietè, & pacificè absq; omni præfati Sereniss. domini Regis & successorum suorum Regum & Regni Pol. impedimento, perturbatione, & molestatione posidebimus, & illorū plenū habebimus usum & dominiū. De quib. quidem Castris, Ciuitatib. Oppidis, Terris, Districtib. Villis, Militib. Terrigenis, & Vasallis, & illorū quoq; Iuriū & titulo, proprietate, & sorte, dominio si qđ præfato dño Regi & Regno Pol. quomodolibet & ex quacūq; causa cōpetijt, uel cōpetere potuit præfatus dñs Kazimirus Rex ex certa & expressa sciētia pro se & successorib. suis Regib. & Regno Pol. sponte & deliberato animo nobis Magistro, successoribusq; nostris Magistris, Commendatorib. Conuentui & Ordini nostris in Terris Prusiæ cesit & renunciauit, ac omne Ius si quod suæ Maiestati & successorib. suis Regib. & Regno Pol. exēptione & quibuscunq; causis alijs in præfatis Castris, Ciuitatib. Terris, Districtib. Villis, Militib. & Vasallis quomodolibet cōpetijt in nos Magistrū, successoresq; nostros, Cōmendatores, Conuentum, & Ordinē per renunciationē & cessionē perpetuā & irreuocabilem transtulit & illud nobis sponte, liberè, & de certa scientia applicauit, & omnes Milites, Vasallos, Nobiles, Terrigenas, Ciues, & quoslibet subditos Ecclesiasticos & Sæculares Terrarum & locorum prædictorum ab omni fidelitate, iuramento, subiectione, & qualibet sponsione absolutos dimisit & relaxauit. Episcopatus insuper & Ecclesia Sabieñ. cum suis Castris, Ciuitatib. & Oppidis uidelicet Phishausen, Tyremberg, Lobodavv, Pouonden, Ingemburg, Zolavv, & Nuvenhusch cum omnibus Vasallis, Villis, & pertinentijs suis uniuersis sub ditione nostra & Ordinis nostri perpetuò cōsistet & permanebit. Item ordinamus & statuimus, Quod super omnibus piscaturis Revthel appellatis uulgariter sub præsentia Capitanei Marienburgeñ. & factoris nostri à nobis destinandi in Castro Marienburg annis singulis in magna feria quinta debet fieri arendatio, & Literæ super omnibus Revthel sub domini Regis & nostro signetis arendatoribus debeāt dari, & medietas pecuniarum ex huiusmodi arenda prouenientium nobis debeat cedere, altero uerò medietas domino Regi prouenire, Iure Episcoporum Varmieñ. & Sambieñ. & Capitulorū eorūdem, cæterorumq; aliarum personarum & locorum libertatem ex antiquo Revthelorū habentiū per omnia saluo. Quibus Literas super Revthel præfatis & quantitate illorū absq; omni pecunia liberè uolumus concedi. Item ne pax ipsa fœdus & unio tanta maturitate firmata & cōclusa posit in posterū humana malignitate infringi, aut aliquibus fallacijs, dolo, & ingenijs uiolari, præfatus quoq; Sereniss. dominus Kazimirus Rex & successores sui Reges & Regnū Pol. Prælati, Principes, Barones, & subditi Regni eiusdem de nobis Magistro, Commendatoribus & Ordine Prusiæ Prælatis, Militibus, & subditis nostris: Nos uerò Magister, successoresq; nostri, Commendatores, & Ordo, Prælati, Milites, & subditi nostri

Prusiæ

Prusiæ de dicto Sereniss. domino Rege Kazimiro Regibus & Regno Pol. Principibus, Baronibus, subditis eiusdem plenā cōfidentiā & securitatem omni hostili respectu in præsens & in posterū deposito teneamus. Præfatus Sereniss. Kazimirus Rex nos fratrē Ludouicū Magistrū, Cōmendatores, & Ordinē prefatos in Prusia, omnesq; nostros successores in suum & Regni Pol. Principem Consiliarium perpetuū: Cōmendatores uerò principaliores, quos nos Magister & successores nostri pro tempore duxerimus deputādos in Consiliarios suos & Regni Pol. & in suam, & Regni Pol. protectionē, subiectionē, & defensionē ppetuo duraturā assumpsit. Pollicens nobis in uerbo suo Regio, & sub fide præstiti iuramenti, pro se & suis successorib. suis Regib. & Regno Pol. Quod nos præfatū Magistrū, Cōmendatores, & Ordinē, Prælatos, Milites, Vasallos, & subditos nostros in Prusia, nostrosq; successores, affectiōe Regia tractabit, honorabit, & diliget. Nosq; Magistrū, Cōmendatores, & Ordinē, successoresq;, Prælatos, Nobiles, Ciues, subditos & Terras nostras uelut Principis Consiliarij & unitorū suorū in nostris Iuribus & libertatibus priuilegijs, munimentis, & limitibus quæ præsenti unioni & fœderi aut eius articulis & cōditionibus non cōtrariantur, conseruabit, ab uniuersis quoq; hostibus nostris, uexatoribus & impugnatoribus in Terris quas possidemus Prusiæ tuebitur & defendet. Tenebitur quoq; nos Ludouicus Magister præfatus & quilibet successor noster in officium Magisterij assumptus, & assumendus, post sex menses à die assumptionis in Magisterium præfato Sereniss. Kazimiro Regi & suis successoribus Regibus Pol. personaliter repręsentari & illic pro nobis Commendatoribus & Terris quas habemus in Prusia sibi & successorib. suis Regib. & Regno Pol. præstare debitæ fidelitatis, & de obseruāda præsenti pace, & nūquam petenda absolutione seu relaxatione iuramenti, nec concessa uti aut cōcedenda, Iuramentū ac in præfati domini Kazimiri Regis, suorumq; successorū Regū. Pol. sinistra parte primariū habere locū & sessionē. CVI quidē dño Kazimiro Regi, successorib. suis Regibus Regno Pol. nos, nostrosq; successores, Cōmendatores, Prælatos, Milites, Vasallos, & subditos, Terrasq; omnes nostras à nobis nūc possessas & in posterū possidendas, conquisitas & conquirendas etiam in Terris paganorū extra Terras Prusię dicto dño Kazimiro Regi & Regno Pol. perpetuo connectimus, iungimus, unimus, & inuisceramus, ea conditione, & respectu, ut nos pręfati Ludouicus Magister nostri successores, Cōmendatores & cōuentus, Prælati, Barones, Milites, Terrigenæ, & personæ singulæ tam Ecclesiasticæ quam Sæculares, & omnes Terrę nostræ atq; homines in illis degentes in Prusia simus amplius & de cætero cū præfato Ser. domino Rege Kazim. successoribusq; suis Regib. & Reg. Pol. unum & indiuiduū corpus, una gens, unus populus, in amicitia, fœdere, & unione, nullū aliū post Summū Pontif. quā præfatum Kazim. Regem & successor. suos Reges Polo. pro nostro capite & superiore recognitum: ita ut teneamur & simus obligati nos, successoresq; nostri pręfatum dominum Kazimirum Regem & successores suos Reges & Regnum Pol. siue in prosperis, siue in aduersis nunquā deserere: sed sibi & successoribus suis Regib. & Regno Pol. cōtra omnes hostes & aduersarios suos Regni sui Pol. more aliorum Principum, Prælatorū, Baronum Regni Pol. assistere: eosq; in guerris & in aduersitatibus nostris potentijs adiuuare cōsilijs, auxilijs, & suffragijs opportunis. Nec sine suo & successorum suorum Regum Pol. ipsi quoq; sine nostro & Consiliariorū, Commendatorum, Prælatorum, & Militum nostrorū Prusiæ speciali & expresso consilio, uoluntate, & consensu, cum quibuscunq; personis quacunq; præfulgeant dignitate, celebrabimus, statuemus, aut firmabimus aliqua fœdera, inscriptiones uel cōtractus, publicè uel occultè, per se uel submissas personas: sed nec nos Magister, Commendatores, nostriq; successores bella aliqua contra Catholicos siue præfati domini Kazimiri Regis & successorum Regni Poloniæ speciali mouebimus consensu.

Forma autem iuramenti qua nos Ludouicus Magister & successores nostri Magistri Sereniss. domino Kazimiro Regi, & successoribus suis Regibus, & Regno Poloniæ iurare tenebimur, talis erit.

EGo LVDOVicus Magister generalis Ordinis sanctæ Mariæ Teuthonicorum, Princeps & Consiliarius Regni Polon. Iuro, quod ab hac hora, & deinceps fidelis ero Sereniss. Principi domino Kazimiro Regi, & successoribus suis Regibus, & Regno Polon. ei profectum illorum fideliter procurabo, & negocijs Regis & Regni

Regni fideliter consulam, & secreta quæ mihi qualitercunq; communicata fuerint, in eorum detrimentum nulli pandam, pacem insuper præsentem in omnibus suis conditionibus & articulis obseruabo & custodiam: sic me Deus adiuuet, & hæc sancta Christi crux. Item ut per præsentis pacis unionem & fœderis singula odiorum & iuramentorum nubila possint funditùs euelli, cū præfato Sereniss. domino Kazimiro Rege, & Regnó suo Pol. pro bono pacis deuenimus, & illud inter nos concordauimus, quod EPISCOpatus CVLmeñ. ad Ecclesiā Gnezñeñ. redeat, à modo & deinceps præfatæ Poloniæ & Gnezneñ. Ecclesiæ, & ut tanquam principali sit in omnibus obediens & subiecta, de regulari in sæcularem, fauore & auctoritate Summi Pontificis, ad quod tam nos Ludouicus Magister & Commendatores nostri expressum præbuimus & præbemus consensum, transferendi: quæ etiam cum sua diœcesi tam omnibus Castris, Ciuitatibus, Oppidis, & munitionibus, uidelicet, Chelmha aliâs Kulmensch, Lubava aliâs Lubavv, Kurzatlinik aliâs Kurnik, Varmbrzessno aliâs Fredeke. Et omnibus Districtibus, Nobilibus, Vasallis, Villis, & pertinentijs uniuersis sub præfati domini Kazimiri Regis & Regni sui Pol. consistet perpetua ditione, patrocinio, & defensa. Item concordauimus quod VARmieñ. Ecclesia & eius Pontifex pro tempore cum suo Venerabili Capitulo Varmieñ. ex nūc, & de cætero cum omnib. suis Castris, Ciuitatibus, Oppidis, & munitionib. uidelicet Helszberg, Bronsberg, Vormedilth, Serburg, Vartēberg, Reszchel, Bysschofisteyn, Allesteyn, Gekreskath, Melzak, Vartenberg, Franvenburg, & Byssoysburg cum omnibus Districtibus, Nobilibus, & Vasallis, Villis, pertinentijs & attinētijs suis in præfati domini Kazimiri Regis & successorū suorū Regū & Regni. Pol. ditione, subiectione & protectione cōsistent. Et nos Ludouicus Magister, nostriq; succéssores, Commendatores, & Ordo eius ditioni, subiectioni, & protectioni expressè renunciamus, & omne Ius quod nobis in prædicta Ecclesia, Episcopatu, & Capitulo quomodolibet hactenus competebat, in præfatum Sereniss. Regem dominum Kazimirum successores suos hæredes Reges & Regnum plenarie transfundimus, & transferimus per præsentes. Item concordatum & ordinatum est speciali nostra Ludouici Magistri, Commendatorum, & conuentus nostri comprobatione & consensu: Quod Venerabilis dominus Vincentius Kielbassa Consiliarius & Secretarius præfati Sereniss. domini Regis Kazimiri ad Ecclesiam præfatam Culmeñ. per ipsum dominum Kazimirum Regem nominatus, & ad eandem sua intercessione dante Domino promouendus Ecclesiam, & sedem Pomezanieñ. Episcopatus, quamuis hactenus in capite & membris regularem in commendam ad uitæ suæ duntaxat tempora per dispositionem & ordinationem habeat Apostolicam, & illam cum suis Castris, Ciuitatibus, fortalicijs uidelicet Praybuth aliâs Ressenberg, Quedzyn alias Marieverder, Biskupicze aliâs Byssovvsverder, Kyssnelcz aliâs Frenstath, Smenber aliâs Sardzen, & Rossemberg, cæterisq; eius Districtibus & pertinentijs obtineat: Ipsamq; in Spiritualibus & temporalibus administret: Ecclesia prædicta Pomezanieñ. remanente nihilominus in suis membris interim regulari, præfato autem Vincentio Kielbassa morte absumpto ad præfatā Ecclesiam Pomezanieñ. regularis persona nostri Ordinis in Pōtificem eligetur, & substituetur, Sanctiss. domini nostri Papæ gratia & fauore accedeñ. gaudebitq; domini Regis protectione consistens in nostra & Ordinis nostri tam religione quam ditione. Item quoniam post sedatos fluctus bellicæ tempestatis nulli magis nos primum cōuenit quam Ecclesijs & earum ministris compati, & commisereri, quatinus supremus sedatio uberiorem firmitatem paci cōditæ infundat. Quocirca ordinamus & decernimus & statuimus quatinus omnia Castra, fortalicia, Ciuitates, Oppida: Castella, munitiones, Ecclesiarum loca, & Villæ: & signanter Franvenburg, Vormedith, Vartemberg, Melzak, Lobavv, Rossemberg, Mariemverder, & Schonemberg, quomodolibet à nobis & nostris ac præfato Ser. Kazimiro Regi & suis possessa, occupata, & incastellata quocunque nomine uocitentur suis Pontificibus, Capitulis, Prælatis, Abbatibus, Monasterijs, & signanter Varmieñ. Culmeñ. Pomezanieñ. & Sambieñ. Episcopis & eorum Ecclesijs, tam Cathedralibus quàm conuentualibus Collegiatis & earum Capitulis, Conuentibus, hospitalibus absque aliqua conditione, diminutione, depactatione, solutione, uel arresto cum omni sua suppellectili, bombardis, ornamentis, & pertinentijs uniuersis: infrà hinc ad festum Natiuitatis S. Iohannis Baptistæ proximæ uenturum reddantur uicecuersa. Omnes insuper Pontifices, Abbates, Capitula, Prælatos, Præpositos, Canonicos, Curatos, & non Curatos, & alios Beneficiatos, qui non sunt de Ordine nostro, in eorum loca, Iura, libertates, & possesiones, quæ & quas ante motā guerrā posidebāt, restituimus, & tenore præ-

re præsentium reintegramus: exceptis Castris & Ciuitatibus prædictis in prædicto festo S. Iohannis Baptistæ restituendis. Quod si dicti Prælati Sereniss. domino Regi, aut Ciuitatibus, uel Oppidis ingrati uel suspecti sint, permittantur, quod permutent, aut Vicarios idoneos instituant, aut pensionem honestam auctoritate superioris reseruandam dimisso atq; renunciato titulo suscipiant. Item omnes captiuos in præsenti guerra per nos Magistrum, Commendatores, Capitaneos, gentes nostras; coadiutores, & adhærentes captos, siue sint depactati, siue nō, ab omni captiuitate & sponsione uigore præsentis fœderis absoluimus, & tenore præsentium relaxamus, quæ absolutio & libertas per Sereniss. Kazimirum dominum Regem, Duces Mazouiæ, & Stolpeñ. Episcopū Varmieñ. Capitaneos & Officiales, & omnium eorundem coadiutorum, & adhærentium, quodcunq; nomine nocitentur, nullo excepto, debet præstari, & impendi, nec depactati aut taxati debent obligari ad aliquam solutionem præmissam, quæ nondum est soluta, etiam si depactati dedissent pro se de solutione aliquā cautionem. Item ordinamus, decernimus, & statuimus, quod omnes Mercatores tam Regni Polon. principaliorum dominiorum & Terrarum eorundem & Episcopatus Varmieñ. suiq; Capituli, quam Terrarū Prussiæ in ditione nostra & Ordinis consistentes sint ubiq; in terris, & in aquis tuti & securi, & nullæ eis de cætero molestiæ inferantur, nec cogantur nisi solitis & ueteribus seruatis itineribus & locis ambulare, aut ad aliquam Ciuitatem, Castrum, & locum sub prætextu cuiuscunq; constitutionis uel edicti cum rebus & mercibus suis cuiuscunq; maneriei existant de cætero applicari, præterquam in Kinszberg, iuxta commendationem desuper factam, super qua speciales à nobis Literæ emanauerunt. Item quoniam per Mercatorum industriam, & rerum uenalium importationem, Respub. nobile accipere consueuit incrementū: Statueñ. decernimus & spondemus, quod nulla telonea, deposita, gabellas, foralia, siue quascūq; alias censuationes locis & personis in Terris Prussiæ & dominijs eis subiectis & cōsistentibus imponemus de nouo, aut imponi permittemus, tam in terris quàm in aquis: sed tantummodo utemur impositis. Quod quidem Ser. Kazimirus dominus Rex, successoresq; sui, Reges, Duces, & Episcopi præfati in suis etiam Terris obseruabunt. Item ut charitatis & unionis amplior certitudo inter Sereniss. dominum Kazimirum Regem, Regnum suum Pol. subditos & adhęreñ. ab una, & nos Magistrum, Commendatores, & Ordinem in Prussia ab altera partibus iugiter & inconcusse perpetuè perseueret: Statuimus & ordinauimus, quod deinceps & à modo ad Ordinem nostrum sanctæ Mariæ Teuthonicorum in Terris Prussiæ personæ idoneæ & Ordinis capaces etiam ex subditis quibuscunq; Regni Pol. & principalium & dominorum eius assumantur: Ita tamen quod nos Magister & Commendatores ultra mediam partem de illis assumere non teneamur: ad easdem quoq; personas in distribuendis Commendarijs & Officijs Ordinis iuxta medietatem dictam bonum respectum habere tenebimur. Magister uero eligetur uir magis utilis & idoneus secundum Ordinis regulam & instituta. Qui cum Princeps & Cōsiliarius Sereniss. domini Regis & Regni sit, non debebit sine cōmerito, scituq; Sereniss. domini Regis per Commendatores & conuentum de Magistratu amoueri. Item ut huiusmodi pacē perpetuam, unionem & cōcordiam sub certiori attentione firmitate & robore custodiamus, promittimus sine dolo & fraude ac sub onere pręstiti iuramenti, quod ad nullius hominis uiuentis auctoritatem & potestatem, etiam quacunq; dignitate præfulgeat, Papali, Imperiali, Regali, uel Ducali, aut cuiuscunq; congregationis legitime, personarum Ecclesiasticarum aut Sæcularium, ad impetrandum præsentis pacis, unionis, fœderis, & contractus, in toto uel parte, expresse, manifeste, uel occulte, per se alium uel alias quascunq; personas submissas Spirituales uel Sæculares, dissolutionem, reemptionem, cassationem, & irritationē, recurremus, aut recursum habere poterimus, aut nos induci, persuaderi, requiri, uel nobis mandari ad uiolationem præsentis pacis & fœderis per aliquam potestatem Papalem, Synodalem, Imperialem, Regalem, Ducalem permittemus, neq; impetrabimus absolutionem & relaxationem iuramenti pręstiti, neq; utemur impetrata, aut etiam motu proprio concessa, uel cōcedenda. QVOD SI CONTRARIVM FECERIMVS, CENSEBIMVR FIDEFRAGI ET PERIVRI. Itē quod subditi Ser. Domini Kazimiri Regis & Regni Polon. ac Terrarum prædictarum undecunq; & cuiuscunque gradus, status, & conditionis fuerint, qui causa negociationis uel alia, ad Terras quascunq; nostras Prussiæ & Ordinis uenerint per subditos nostros & extraneos cuiuscunq; status, gradusue fuerint impediri, cōueniri, uel arrestari non debent. Sed in Regno Pol. & Ducatibus atq; Terris eiusdem si quid actionis habuerint, Actores iuxta Terrarū Iura munici-

municipalia illos conueniant, & querelæ huiusmodi sopiantur. Delinquens tamen in loco delicti deprahensus, & contrahens de contractu recenti in loco contractus poterit cōueniri, sed si de loco ubi contraxit recesserit publicè uel occultè, coram Iudice suo conueniatur. Item ordinauimus. Quod ubicunq; quis reperiat rusticos uel colonos suos, qui propter guerras, aut alias ab eo recesserūt, possit eos repetere, qui & sibi dimitti, & restitui debent cum eos requisierit. Item quod nullus Mercator seu alius homo cuiuscunq; conditionis existat, aut bona ipsius propter delictum seu debitum alterius arrestetur, molestetur, turbetur, nec etiam captiuetur. Item si Vectores aut aurigæ bona seu merces Mercatorum pro precio ducentes telonea seu datiarum loca præterierint, ipsi duntaxat in eorum rebus, & equis suis proprijs puniantur, & quod præterea bona mercatoria non debent occupari, nec detineri. Item si per aliquem subditum aut indigenam alicuius nostrum Inscriptioni seu paci perpetuæ præsenti fuerit in aliquo derogatum & conuentum, ut pote, si rapinæ, spolia, incendia, uastationes, prædæ, uel homicidia, uel aliqua maleficiorum genera in Terris & dominijs nostris alterutrum perpetrata fuerint & commissa, propter ea prędicta pax, unio, cassari & irritari non debebit, sed in suo robore & firmitate permanebit. Nec propter hoc Pars cuius subditus huiusmodi maleficium commiserit censebitur fore deierans & periurans. Prædicti autem delinquentes & malefactores pro ipsorum excessibus per Capitaneos siue Officiales utriusq; nostrum Iudicialiter punientur, & ad satisfactionem plenam & debitam artebuntur & compellentur. Item promittimus tenore præsentium & spondemus in uerbo nostro, & sub onere prębtiti iuramenti, per nos pollicemur, quod ad occupandum Terras, Castra, Ciuitates, Oppida, Villas, & quæcunq; loca domini Regis Ducum & Episcopi prædictorum & omnium subditorum suorū sub eorum ditione consistentium tam Ecclesiasticorum, quàm Secularium. Quinimò si aliquo casu per quemcunque hostem aut insidiatorem Regis, Ducum, Episcopi, & Capituli prædictorum Castrum aliquod, Ciuitas uel fortalicium fuerint dolo, fraude, uel uiolentia intercepta uel occupata, aut aliqua loca incastellata quod Deus auferat: nullatenus debebimus aut poterimus Castrum, fortalicium, Ciuitatē, aut loca sic intercepta, occupata, uel incastellata, etiam si sponte uel ultroneè illius uel illorum nobis offeratur deditio, quomodolibet & sub quocunq; colore suscipere: sed tenebimur & astringemur ad conquisitionē & recuperationem cuiuslibet Castri, Ciuitatis, & fortalicij in Terris Culmeñ. Pomeraniæ & Prussię intercepti & occupati, expugnati & incastellati per nos, & nostras potentias, unà cum potentijs Sereniss. domini Kazimiri Regis, dominorū, Ducum, & Episcoporum, & Terrarum suarum & subditorum prædictorum consurgere, & de manibus hostilibus eripere, ac in potestatem & ditionem Sereniss. domini Regis Kazimiri, Prælatorum, Principum, & subditorum prædictorū restituere uiceuersa tenebimur. Item nos LVDOuicus Magister Commendatores & Ordo prædicti Castra & Ciuitates Sthum, Nouumforum, Chelm aliâs Kulmen, antiquum Castrū aliâs Heldennus, Brodnicza aliâs Stroszberg, Kryszburg aliâs Dregon, quæ hactenus fuerūt in nostra possessione & ditione cum uniuersis suis Districtibus & pertinentijs, salua dispositione quo ad Krystburg superius expressa, prefato Sereniss. domino Kazimiro Regi & Regno Pol. aut eorum factoribus et Officialibus dimittere & resignare cum Villis, Oppidis, cohærentijs, pertinentijs eorum uniuersis, nihil excipiendo, & dictorum Castrorum atq; Ciuitatum præfato Sereniss. domino Regi Kazimiro & Regno Pol. aut eorum factoribus & Officialibus infra hinc & festum Natiuitatis S. Iohannis Baptistæ proximæ uenturum effectualem, liberalem, & expeditam tradere possessionem, siue autem de manibus nostris & nostrorum, & ex nostra cessione, siue etiam alijs quibuscunq; modis præfata Castra & Ciuitates in manus & potestatem domini Kazimiri Regis & Regni Pol. deuenerint, quod per hoc huic articulo, nos Magister, Commendatores, conuentus, & Ordo censebimur satisfacere. Prouiso & etiam ante omnia saluo, ut Sereniss. dominus Kazimirus Rex Poloniæ prædictus Ciues & sub duos Ciuitatum prædictarum benignè suscipiat, & omnem offensam ex corde illis, nunquam uerbo uel facto ipsam reminiscendo, dimittet, & de bonis ac uita illos per speciales suas Regias literas in manibus nostris tradendas assecurabit. Iura eorum, libertates, & immunitates antiqua ex antiquis duntaxat confirmando. Quod idem & nos Ludouicus Magister, Commendatores & Ordo de Ciuibus & subditis Ciuitatum Holand, Bassenheym, Myedenburg, & Molicze facere tenebimur. Quarum etiam Ciuitatum Holand, Bassenheym, Myedenburg, Molhyrzen, & cameratuum Bordeyon præfatus Sereniss. dominus Kazimirus Rex & Regnum Polo. tenebitur nobis Magistro, Commendatoribus

toribus & Ordini nostro infra hinc & prædictum festum Natiuitatis S. Iohannis Baptistę liberam, realem, & expeditam dimittere possessionem, exceptis sex Villis Districtus Holand, & quinque Villis Oppidi, & Districtus Molhuzeñ. quæ superius sunt nominatæ. Volumus autem quod omnes uenditiones, donationes, alienationes, libertationes, & Inscriptiones inde & super Oppidis, Villis, Castris, quæ nos Ludouicus Magister Commendatores & Ordo, dicto domino Sereniss. Kazimiro Regi prout supra assignare tenemur, huiusmodi guerris durantibus, quouis modo factæ, sint cassæ, irritæ, & nullæ, quas & sic ex nostra certa sciētia cassamus, irritamus, & annullamus. Item ordinauimus, quod omnes profugi, spoliati, & exules, militares uidelicet Nobiles & Terrigenæ tam de Regno Pol. Ducatibus, dominijs, & Terris pręfati Sereniss. Principis Kazimiri Regis & Regni sui, & Episcopatus Varmieñ. quam de Terris Prussię & Ordinis prædicti quibuscunque, possint redire ad propria, & de bonis suis dimissis disponere pro beneplacito suę uoluntatis, ad quorum quietam & plenam possessionem tenebimur illos & proximiores illorum admittere & defendere admissimus. Non obstañ. quod huiusmodi bona eorum per nos alijs quibuscunque personis sint ad uitam, aut ad tempus, uel in perpetuum, obligata, donata, uel inscripta. Quas quidem obligationes, donationes, uenditiones, & inscriptiones cassamus & irritamus reuocamus & annullamus, nulliusq; roboris esse uolumus per præsentes. Tenebimur quoque nos LVDouicus Magister, Commendatores, & successores nostri illos habere in gratia & fauore, nec unquam uerbo aut facto eorum reminisci hostilitatis, nec de illis unquam aliquam summæ ultionem, per nos uel submissam personam, publicè uel occultè, directè & indirectè, aut quouis quæsito colore: quibus etiam plenam damus licentiam de Terris & dominijs nostris ad Terras Regni Principatuum & dominiorum prædictorum ratione incolatus se transferre, & bona sua mobilia & immobilia uendere, & commutare, & de eis liberè disponere pro suo arbitrio, beneplacito, & uoluntate. Ciues etiam utriusq; partis qui de Ciuitatibus uel Oppidis expulsi, uel banniti fuerant, aut alias ab eis recesserant publicè uel occultè, debent ad illos, & ad illa ire, & admitti. Bona quoq; eorum quæ ante inchoationem huius dietæ uendita uel donata alijs non sunt, debent eis restitui. Et si ad domos uel bona uendita aut donata redditum habere uelint, dato precio per emptorem exposito, aut quod pro donatis per Consulatum loci taxabitur, restitui debēt eisdem, saluō etiam eo: Quod possessiones in ędificijs, uel alijs oneribus occasione dictorum dominiorum, uel bonorum exposuerunt, quod similiter iuxta dictamen Consulatus loci restituere debent, antequam huiusmodi domus ipsis uel bona restituantur. Item ut præsentis pacis, fœderis, & unionis conclusio abundantiori cautela custodiatur per nos Magistrum, Commendatores, & Ordinem omnes Episcopos, Commendatores, Viceommendatores, Aduocatos, Milites, Nobiles & cæteros Magistrat. & Official. in Ter. nostris Prus. obtineñ. Item Magistri Consulum, Consules Ciuitatum nostrarum Kunszberg, Knerpavv, Lembenycht, Holandt, Noyderburg, Passenhein ac omnes & singuli fratres Ordinis militares Prusiæ iurabunt pacem præsentem seruare inuiolabiliter, & inconcussè, nec ei contrauenire quacunque occasione, nec dispensationem uel relaxationem Iuramenti petere, renunciando omnibus exceptionibus tam Iuris quam facti, maximè, quod causa metus perditionis omnium bonorum, aut absq; consensu sedis Apostolicæ, cui ordo immediatè subest, seu quod non uocatis Magistris Almaniæ & Liuoniæ, & absque eorum scitu, uoluntate, & consensu, & contra Statuta & consuetudines Ordinis præsens concordia & unio celebrata & acceptata sit, & alijs non obstantibus quibuscunque. Item ut huiusmodi pacem perpetuam & concordiam sub certiori tenore, attentiori firmitate & robore in omnibus suis capitulis, cōditionibus, articulis atq; punctis custodiamus & seruemus: Et ut pax ipsa fœdus & unio ab omni suspicionis genere sit circumscripta, pro illius subsistentia & robore adijcimus. Quod Sereniss. dominus Kazimirus Rex Pol. & nos Ludouicus Magister, Commendatores, Conuentus & Ordo per nostros hincinde factores & procuratores quos in solidū, & irreuocabiliter præsentium tenore cōnstituimus, Venerandum uidelicet patrem dominum Iodocum Episcopum Ozilieñ. Ordinis procuratorem generalem, & Magnificum, Venerabiles, Egregios, Nobiles & circumspectos uiros Iohannem de Ostrorog, Militem utriusq; Iuris Doctorē Castellanū Miedzyrzeceñ. Magistrum Sandiuogium Theologię professorem Præpositum Monasterij Klodauieñ. Ordinis Canonicorum regularium, Antonium de Furliuio decretorum Doctorem Cameræ Apostolicæ clericum, Andreā de sancta cruce, Antonium de Kafarellis sacri palatij Apostolicæ Aduocatos, Bartholomæū Kielbassā

Canonicum Gnezneñ. Magistrum Henricum, Gurdeman Decanum Ecclesiæ S. Andreę Colomieñ. procuratorem causarum, Magistrum Fabianum Hanco decretorum Doctorem Canonicum maiorem & Scholasticum S. crucis Vvratislauieñ. Ecclesiarum coram summo Pontifice domino nostro Sanctiss. Papa confitebimur, profitebimur, recognoscemus, & quilibet nostrum profitebitur, & recognoscet præfatam unionem, fœdus, pacem, & concordiam Nos spontanee, libere, syncera uoluntate sine dolo & fraude celebrasse, ordinasse, confecisse, & consumasse. Et omnes articulos, capitula, modos, & ordinem quibus pax ipsa & concordia confecta, consumata, & regulata est, ad præfati Reuerendiss. domini patris Rudolphi Episcopi Lauentini Apostolici Legati exhortationem, persuasionem, & mediationem, & de nostra mente, scitu, uoluntate, consensu & beneplacito ultroneis processisse. Instabimusq́, petemus, laborabimus, instare, petere, & laborare debemus, & tenebimur sine dolo & fraude quatenus summus Pontifex dominus noster præsentem unionem, fœdus, pacem & concordiam per interpositionem sui specialis decreti, de certa suæ sanctitatis scientia emanandi, et per Literas Apostolicas siue bullas in omnibus ipsius articulis, capitulis, modis, ordinationibus, atque punctis acceptet, ratificet, gratificetur. Et ad perpetuam rei memoriam confirmet, pœnam quoque & censuram ad quam nos summitimus adijciet, & apponet in præsentis pacis, unionis, & fœderis uiolatorem & transgressorem & contrariatorem cum suppletione defectuum, si qui sunt in præsenti fœdere, ordinatione, & Inscriptione comissi, & cum derogatione Statutorum & consuetudinum. Ordinis etiam Iuramento firmatorum, aut auctoritate Apostolica uel Legatorum eius, uel quacunq; alia confirmatorum, quibus fortasse caueretur, quod in magnis & arduis rebus Ordinis uocatio & consensus Magistrorum Almaniæ & Liuoniæ debeat interuenire, ac etiam cum cassatione allegationis metus, quæ per nos Magistrum, Commendatores, Conuentum & Ordinem prætendi posit, cum ad pacem præsentem conficiendam aduocationem Reuerendiss. domini Rudolphi Episcopi Lauentini Legati Apostolici sponte uenerimus, & in singulos tractatus, conditiones, & conclusiones pacis tanquam nobis proficuos & utiles nostrum ultroneum præbuerimus consensum. Quam quidem concordiam, unionem, & fœderis perpetui conclusionem, Nos Frater Ludouicus de Erlichhausen Magister generalis, cum Commendatoribus. Conuentu adiutoribus adhærentibus & subditis nostris, de certa scientia, in omnibus eius articulis, conditionibus atque punctis approbamus, acceptamus, & præsentium tenore pro subsistentia perpetua emologamus, saluis alijs quæ contra præsentis pacis & unionis ordinationem eius articulos, conditiones, capitula non sunt, nostris & nostri Ordinis Iuribus, libertatibus & priuilegijs. Quæ præfatus Serenisß. dominus Kazimirus pro se & successoribus suis Poloniæ Regibus approbat & confirmat. In cuius rei testimonium præfati Reuerendiss. D. patris D. Rudolphi Episcopi Lauentini sedis Apostolicæ Legati, ac nostrum, Magistri generalis Sigilla, cum propriæ manus eiusdem domini Rudolphi Episcopi & Legati, & Notariorum publicorum subscriptione sunt appẽsa. Et nos Frater Henricus de Plauen hospitalarius supremus & Capitaneus in Prayschenmarkt & Morug, Vilhelmus de Pingen Commendator in Osterrode, Vlricus de Kinsberg in Ilavv, Vitus de Gych in Brandenburg, Iohannes de Narbe, Ziffridus Vlach de Schauarczburg in Balga, Georgius de Ranuung in Rein, Vlricus de Otetmbergin Licke Capitanei: Stephanus de Strothberg Vicecomendator in Kenczberg, Vlricus de Zolendorff, & Vilhelmus Geyer in Lochsteth et Schokẽ Castrorũ puisores: Iohãnes de Klauczeyn, Iohannes Sterruncz, Balthasar Nykierzycz, Iohannes de Lako, Nicolaus Sperlink, Casper Materne, Pruszke de Huer, Bartholomæus Rauoseczke, Georgius de Bole, Matthens de Dornyk, Nicolaus de Grebin Nicolaus Kyszkiol, Guntherus de Hozendorff, Hieronymus de Hogendorff, Iohannes Tholke, Nicolaus Raschavv; Iohannes de Dyuon, Mattheus de Lethen, Iohannes Przebendorski, Michaël de Hermanhayn, Osualdus de Sparuyn, Ludouicus de Epingen, Marcus de Federavv, Thomas de Berthlzin, Georgius Portegal, Rugelhardus Roppe, Martinus de Pokarben, Sigismundus de Freuen, Iacobus Gvvanth, Arthvvicus Domenhavv, Iohannes Thimonis, Ambrosius de Borebamth, Philippus Vaysel, Iohannes Bandyn, Guntherus de Lanvv, Nicolaus de Nothenthosen, Matthias Rokothe, Iohannes Zeleger, Michaël Hundyrtmarg, Mattheus Kolthasse, Petrus de Thyrenberg, Thomas Lenharth, Nicolaus Layssreuange. Nos etiam ciues Ciuitatum & Oppidorum, uidelicet antiqua Knyepavv, & Lambenyche, Koniczsberg, Bartenstein, Velavv, Kastenburg, Heyligen-

Heyligenbeil, Fredelanth de Schipemffil, & Nicolaus Dei gratia Episcopus & Capitulum nostrum Ecclesiæ Zambień. promittimus & spondemus, quod Venerabilis & Magnificus Frater Lodouicus de Erlichausen Magister, & sui successores Ordinis nostri, Magistri generales, singuli, præsentem concordiam & perpetuum fœdus, pacem atque conuentionem cum Sereniss. Principe domino Kazimiro Rege Polon. Regno ac sibi inuisceratis, Prælatis, Principibus & subditis uniuersis mutuam, conclusam, & firmam custodiam attendent, implebunt, & obseruabunt. Nos quoque omnes & singuli prædicti ipsam custodiemus, attendemus, obseruabimus, & implebimus in omnibus suis conditionibus, articulis atque punctis. Et in euidentiā præmissorum literam præsentem Sigillorum nostrorum ac Bulla Conuentus & Ordinis de speciali Magistri generalis atq; fratrum omnium & Conuentus consensu appensione ordinauimus roborari. Actum & datū in Thorun anno Domini 1466. Indictione 14. die uerò Dominica decimanona mensis Octobris, hora tertiarum de mane uel quasi, Pontificatus Sanctiss. in Christo patris domini & D. nostri Pauli diuina prouidentia Papæ secundi, anno ipsius tertio. Præsentibus Venerabilibus uiris Egregijs, Strenuis, Nobilibus & Spiritualibus domino Paulo de Glouina Decano Cracou. Petro de Pnyeuy Præposito Vuladislau. & Canonico Gnezń. Iacobo de Schadek decretorum Doctore Præposito Præmislień. & Iohanne Dlugosz Custode Vislicień. Canonicis Cracou. Henrico de Opporovv utriusque Iuris Doctore Archidiacono Gnezń. Matthia Raczyansz, Vinkler decretorum Doctoribus Paulo de Panczlouicze, Iohanne Hoffeman, & Matthia licentiatis in decretis, Iohanne Stankonis medicinæ Doctore Canonico Vvratislau. Bernardo de Czmenberg & Schonemberg in Kulmenhaldensz de Straszberg, Iohanne Skaski in Frandensburg & Melzak, Georgio de Sflyuyen in Illavv & Vonsdorvv Capitaneis: Iohanne Schiling, Iohanne Thimonis, Philippo Veyssel Nobilibus de Schambia, Iohanne Folmar, Michaele Tronymer, Nicolao Kosschelin, Luca Reychensen Consule Ciuitatis Vvratislau. & Nicolao Hermanni beneficiato in Ecclesia Parochiali Vvratislau. & quam pluribus alijs fide dignis testibus ad præmissa uocatis specialiter & rogatis. Et ego Rudolphus Dei gratia Episcopus Lauentinus Sacrosanctæ sedis Apostolicæ & Sanctiss. D. nostri D. Pauli diuina prouidentia Papæ secundi, ad Germaniam Legatus missus præfatus, Quia præmissa omnia tractaui, concordaui, & dum per partes acceptarētur, emologarentur, & iurarentur, interfui: Ideoq; pro meliori euidentia ac testimonio hic me manu propria subscripsi huiusmodi concordiam & fœdus approbando, atq; ratam & gratiam habendo, Lauentinus Episcopus manu propria. Et ego Iohannes Eyich de Attēdarijs Clericus Colonień. diœc. Apostolica & Imperiali auctoritatibus Notarius, præfatiq; Reuerendiss. in Christo patris & domini dñi Rudolphi Episcopi Lauantineń. & Legati Apostolici, ac coram eo scriba. Quia præinsertis concordiæ & perpetuæ pacis & articulorum & capitulorum in eadem concordia expressorum publicationi & insinuationi Partium hincinde concordiæ acceptationi, & emologationi, exceptioni, renunciationi, ꝑmisioni, & iuramenti præstationi, omnibusq; alijs & singulis præmisioni dum sic ut præmittitur per præfatum dominum Reuerendiss. D. Rudolphum Episcopum Lauentinum & Legatum Apostolicum, ac coram eo, & per Sereniss. Principem D. & D. Kazimirum Regem Pol. &c. & suos ex una, ac Magnificum D. Ludouicum de Erlichhausen Magistrum generalem Ordinis beatæ Mariæ Theutonicorum, & etiam suos ab altera partibus, agerentur, & fierent, una cum prænominatis testibus præsens interfui. Eaq; omnia & singula prout in prætactis concordia & articulis continetur fieri uidi & audiui. Ideoq; præinsertas Literas concordiæ & perpetuæ pacis cum earum articulis & capitulis manu alterius, me aliunde legitimè occupato, fideliter scriptas atq; cōfectas, subscripsi, publicaui, & in hanc publicam formam regredi, signo & nomine meis solitis & consuetis, unà cum dicti Reuerendiss. domini Legati, Magistri generalis, & Commendatorum prædictorum, Sigillorum appensionibus, ac cum Notarijs infrascriptis signaui in fidem & testimonium omnium & singulorum præmissorum rogatus & requisitus. Et ego Stanislaus Franke de Rakouicze Clericus diœc. Vvladislauień. publicus Imperiali auctoritate Notarius ut supra. Et ego Paulus Iohannis de Gessoue clericus diœc. Gnezneń. publicus Imperiali auctoritate Notarius, & c. ut suprà.

Oratio ad Diuum Paulum Summum Pontificem, nomine Maiest. R. pro ratificanda pace perpetua habita.

Beatissime pater, & domine gratiosiss. Fidelium omnium pastor & rector, facturus apud tuam Maiestatem, & hunc Reuerendissimorum patrum dominorum Cardinalium insignem cœtum nomine Sereniss. Principis domini Kazimiri Dei gratia Regis Pol. Magni Ducis Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ domini & hæredis uerba, & iussiones tuæ sanctitati expositurus, circumspiciens: non commoueri, non denique fluctuare animo meo non possum, magnopere mecum reputans, quàm maximum, et quàm amplissimum munus mihi mandatum sit: quanquam hoc tempus, hæc dies, hic locus, uirium quam alium qui ego sum, dicendi nempe peritũ desideret, cui & amplior ubertas sermonis, & feratior contingit libertas ingenij, mihi etenim hac in eminentissima frequentia, hoc in amplissimo collegio, apud tuam sanctitatem nunquam aliàs uisam, apud uicarium Christi peroranti, mens atq; animus contrahit stuporem. Quis enim est tam facundę atq; uiuacis memorię? quis tanta ingenij, ac dicẽdi polleat facultate, qui in hoc pulcherrimo cõsessu, & huius frequentiæ corona, dignitatẽ & excellentiam tuam metiendo, non fiat hebetior? nõ fiat obtusior? Te tamen sciens clementissimũ, sagacissimum, & eruditissimum, & uerum nostræ religionis parentem, in singulos etiam fauore propensiore, ac beneuolentia multa propiciũ, animũ resumo, qui me nõ tantũ firmat, ut fidenti & quieto animo dicam, sed etiã prouocat, & impellit, uehemẽterq; cogit, ut magna & hilari mente aggrediar, apud diuinas aures tuas benignissime acceptum iri, quod quicquid dixero confidens, & eò minus possum ingenio, & magis mihi, & ignorantię meæ parsurum non ignoro, præsertim cùm non meo, sed præfati Sereniss. domini Principis Kazimiri Regis auctoritate & nomine mihi incumbat dicendum, quem tua sanctitas, etiam dum illam minor haberet status: & deinde in hac tua ad summum sacerdotium diuina q̃; humana euectione, sacra fœlicis recordationis domini Eugenij papę quarti prædecessoris, & auunculi tui imitata uestigia, peculiari animo fouit, extulit, & dilexit: ac suos & Regni profectus sui & commoda singulari studio & cura promouit, & procurauit, ipseq; Illustriss. Princeps dominus Kazimirus Rex Pol. pręfatus, q̃ primũ te Culmeñ. dignitatis Apostolicę fauore diuino, & patrum conscriptorũ uniformi et mirifico consensu, diuinis trahentibus meritis cognouit sublimatũ, uniuersæ primum Reipub. Christianę maximis hactenus impressionibus barbarorum uexatæ, deinde suis, & Regni sui, & dominiorum suorum reb. optimẽ sperare cœpit: postquam te sciebat natura, ingenio, atq; uirtute, & tam optimarum artium studio, quam innocẽtia excelluisse: pro fidei quoq; & religionis nostræ incremento, et populi Christiani libertate uendicanda, magno semper animo, magnoq; zelo flagrasse. Quapropter Illustriss. ipse Rex tantis bonis, & supernæ tibi collatis, & à natura ingenitis in uniuersum catholicum Orbem in suum quoque Regnum principatus & dominia redundantibus, & redundaturis, singularissimo zelo uelut deuotiss. filius affectus, & per Oratorum suorum ex bonis & necessarijs respectibus hactenus missorum sanctitati tuæ publicam obedientiam uerbis, non præstitit: rebus tamen ipsis, & operibus te coluit, & recognouit, te uicarium unicum, & indubitatum summi Dei in terris tenuit, reputauit, & credidit. Iustissimis etiam tuis tam exhortationibus quam mandatis obedienter paruit. Requisitus siquidem tuæ sanctitatis Literis, & deinde Reuerendiss. in Christo patris domini Rudolphi Episcopi Lauentini tuæ sanctitatis ad Germaniam Legati & Oratoris sermonibus & Literis, quatenus bellum atrox & diuturnum cum Magistro & Ordine Cruciferorum ordinis sanctæ Mariæ Theuthonicorum hospitalis Ierosolimitani hactenus continuatum, dirimeret, & sibi à bellorum stridore temperaret (quamuis armis, & potentia, fauore hominum, insuper & successuum fortunæ se sciret multo superiorem, & penè iam uictorem) monitis tamen tuæ sanctitatis, & imperio, potius quam suæ fœlicitati & successibus differendum & auscultandum duxit: & ad dietam super plantanda pace pro die prima Septembris apud Thorun per dictum dominum Rudolphũ Legatum indictam personaliter aduenit: sicq; adueniens se in conditiones æquas pertrahi consensit. In cuius quidem pacis ordinatione & tractatu dominus Rudolphus Episcopus Lauentinus, castè, syncerè, integrè, inter Partem utramq; duobus prope mensibus uersatus, fructum est amplissimum suę missionis consecutus: Tantam nimirum de se uirtutem, tantam industriam exhibens, quantam in terris omnibus, qui rem hanc fuêre aggressi, neq; uidere, potuimus, neque sentire. Talem insuper in pace componenda, talem in dirimendis difficultatibus, talem

talem in dissoluendis nodosis disceptationibus talem in admonendo, talem in persuadendo gesśit,ut Parti utriq; gratiśsima fuerit eius fides,modestia,& integritas. Cuius modestiæ & integritatis signū hoc uel pro maximo documento tua sanctitas accipiat, Quod singula dona quibus à Sereniś.domino nostro Rege honoratus erat,recipere constantisśime recusauit. Et quamuis ab insignibus, & grauibus uiris à Rege ad illum ea causa destinatis solicitaretur,ut ex donis ipsis aliqua saltem grata accipere in animum induceret:iterumq; atq; iterum ne quicquā uexatus:aspernatus tamen omnia,et expeditionis frequentem instantiam, & petentium dignitatem repulit.Itaq; Pater beatiśsime nomine prædicti Illustriś.Regis nostri, Prelatorum, Principum, et omnium subditorum suorum, quos ambitus Regis Polonici continet, maximas tuæ sanctitati, quemadmodum iustum et condignum est, gratias agimus, maiores habemus, quamuis illas satis & ornatè agere nullatenus possumus, agit, & Venerabilis Magnificusq; uir dominus Lodouicus de Erlichausen magister generalis Ordinis prædicti, cum Sereniś.Rege domino nostro et Regno perpetuo fœderatus, & unitus, agunt, & Præceptores, subditiq; sui, tuo fauore, tuo beneficio in dudum exulantem pacem reducti. Sed neq; solum Illustriś.ipse Rex Pol.suiq; optimates subditi & Proceres, prædictusq; Magister generalis & Ordo, uerum uniuersæ uicinæ nationes & populi tuæ sanctitati gratias immortales ferre gestiunt. Nec est ex tot linguis & populis, qui non probet, qui non laudet, qui miris laudibus non efferat, qui te beato æuo & gloria immarcescibili perfrui non optet: qui populum Catholicum maxima læticia asfecisse, & in singulos pacem diffudisse non dicant, non sentiant: quæ illam generalem studiorum, illam bellorum perniciem sustulit, extinxit, & pacem cūctis desiderabilem æquis conditionibus perfecit: quam perficere sine te nemo alius potuit. Cum autem is Pontifex & Legatus iocundiśsimam pacis amœnitatem tua auctoritate & nomine confecit, disiunctiśsimos populos odijs propè maioribus certātes, quàm uiribus ad pulcherrimam et uniformem identitatem reduxit (quorum solidum glutinū Magistri & Ordinis Oratorum nos cōcomitantiū, nostrisq; precationib. fauentiū coram testatur conspectus) cum inquā hominem, uel ut uerius dicamus, terrestrē pacis angelū, summa fide, summa probitate cōtinētiæ, innocentia, puritate, nobiliśsimis quoq; moribus, Partis utriusq; beneuolentiā & existimationē cōsecutū, tua sanctitas charum habeat, & sublimem: quemadmodū dignus & meritus est, precamur, decoret, pacemq; confectā, pro solidiori illius subsistentia, sua auctoritate, suiq; apostolici interpositione decreti approbet, & in singulis suis cōditionibus & articulis (id enim Pars utraq; deposcit, precatur, & desiderat) suis Literis confirmet. Rex aūt clariśsimus noster, dudumq; tibi & sedi apostolicæ deditiśsimus, prestitam tibi alias obedientiā iterū atq; iterū præstat, & innouat. Teq; unicū, summū Pontificē, uniuersalisq; Ecclesiæ uicariū indubitatū Iesu Christi per nos humiles Oratores suos profitetur, & recognoscit. Rogans humiliter & deprecans sanctitatē tuā, ut ad defensionē catholicorū, exterminiū barbarorū, atq; in augmentū religionis, quo cœpit zelo & studio, intendat, ipsum Regem, Regnum suum, & Illustriśsimam coniugem suam, natos, Prælatos, Principes, & subditos: singulariter quoq; prefatū dominū Ludouicū Magistrū & Ordinē suum, principatus, & dominia ipsorum habere uelis singulariter recommissos, qui se tuæ sanctitati, omniaq; sua, beneuolos & deuotiśsimos exhibent, tuæ quoq; fidei & obedientiæ se submittunt, grato & prono animo facturos singula quæcunq; spectare uiderint in tuę sanctitatis & sacrosanctæ uniuersæ Ecclesiæ honorem, statum, beneplacitum, & augmentationem: ad laudem indiuiduæ Trinitatis, tuæq; beatiśsimæ sanctitatis.

Et quanquam Priuilegium Bresten. pacis ex reuersalibus Literis in Thesauro existentibus præsenti communi Priuilegio ascriptum fuerit, continens conditiones dictæ Pacis eas, quæ infrascriptæ sunt: Tamen quia scribuntur puncta & conditiones in uno, quæ non continentur in altero: Idcirco NOS ALExander Rex articulos eiusdem PACIS BResteñ. ex Priuilegio Ducatuum Mazouiæ sumptos, in omnem euentum, ac communem subditorum nostrorum instructionem decreuimus suprascriptis asscribendos, sicut sequitur.

IN primis per prædictos dominos Regem & Duces Pol. Terras Lithuaniæ, Samogitarum, Russiæ, Mazouiæ, & Stolpeñ. & aliâs dominiorum ipsorum, & subditos ab una: & prædictum Magistrum generalem & Ordinem, Terras & subditos ipsius, tam in Prussia & Almania, quam Liuonia & noua Marchia parte ex altera: omnes dissensiones, controuersiæ, & damna inter Partes hincinde facta dimissa & totaliter sopita debent esse. Ne illorum de cætero aliqua mentio, aut memoria, & signanter in querelis, aut in detractione Partium aliqua coram quibuscunque personis habeatur, aut fiat: Sed nec una Partium ad instantiam alterius suggeret, consentiet, auxilium dabit & fauorem publicè uel occultè, & quantum in ea parte fuerit, delationes & detractiones huiusmodi fieri non admittat, sed potius prohibebit. Item quod omnia bona Ecclesiarum Gnezneñ. Vvladislau. Ploceñ. Posnañ. Prælatorum, Abbatum, Monasteriorum, Conuentuum, & aliarum quarumcunq; personarum Sæcularium & religiosarum, quæ sunt in Terris Ordinis sita, debent circa Iura omnia tàm Ecclesiastica, quàm Secularia, & omnes antiquas cõsuetudines, quæstus, decimas, Castra, Villas, prædia, Curias, & alias utilitates, emolimenta, & prouentus, quibuscunq; nominib. nuncupentur, cõseruari, nec aliquibus nouis cõsuetudinibus seruitijs & oneribus aggrauari. Quodq; eadem bona non alienentur, nec p eorum alienatione instetur per Partes, sine consensu Prælatorum speciali. Omnes aũt census, decimas, prouentus & alias obuentiones qualescunq; in Terris Ordinis consistentes, quos & quas Magister & Ordo prędictis Reuerẽdiss. patrib. dñis Archiepiscopo Gnezñ. Vvlad. & Ploceñ. Episcopis, alijsq; Prælatis Sæcularib. et Regularib. Regni Pol. per biennium subleuauerat, plenè & integrè restituant, & restitui faciãt: medietatem infra hinc ad festum Purificationis Mariæ: Reliquam aũt partem ad festum Paschæ proximè nunc uenturum in Ciuitate Thoruneñ. Item de Limitibus Ducũ Mazouiæ hoc statuimus, quia remanere debent circa Literas quas habent. Et similiter qui in Literis nostris & Ordinis super eisdem Limitibus continentur, & ubi in Literis limites descripti non fuerint, ad eosdem firmandos pręfati Duces suos Consiliarios destinare debent, similiter & Ordo. Quę uerò Partium euidentiori testimonio, uel alijs legitimis probationibus suos limites probauerit, & suas esse granicies docuerit: hæc remaneat circa ipsas. Et in casu quo utraq; Partium granicies & limites legitimis probationibus probare non posset, stabit in optione Magistri, an uelit iurare pro eisdem graniciebus uel dominum Ducem admittere ad iuramentum pro eisdem. Cum Duce autem Boleslao limites alias ut prius facti, pro quibus non est discrepantia, renouentur. Item Terræ Samogitarum & Sudorum propter bonũ pacis debent apud nos & Regnum Pol. ac Ducatum Lithuaniæ sub limitibus suprascriptis remanere perpetuè & in æuum. Item à fine limitum Ducum Mazouiæ incipiendo à flumine Lyk, & uado dicto Kamyonibrod, qui iacet in superiori parte eiusdem fluminis Lyk, altius quam isti lacus Brayuo, Thoczylovv: & ab illo directè eundo per solitudinem usq; ad locum qui dicitur Rohoth, ita quod medietas eiusdem lacus remaneat in Terris domini Ducis Lithuanię, & reliqua medietas in Terris Ordinis, & ab illo lacu directo tramite per desertum usq; ad quandam arcam dictam Mernusk, et à Mernusk eundo directè usq; ad lacum qui uocatur Dvvischicz: Ita tamẽ quod idem lacus remaneat totus in parte Ordinis: Et ab eo lacu quo directius iri potest ad ortum seu summitatem fluminis dicti Lepnicza (per) eundem fluuium descendendo usq; ad consumationẽ eius, ubi intrat in fluuiũ Scheschupa, procedendo per solitudinẽ usq; ad rippã fluminis Memel, & ex opposito fluminis dicti Svvyanta, ubi idem fluuius Svvyantha intrat fluuiũ Memel prædictũ: Et hoc quo ad Terrã Sudorũ, tandem (per) fluuiũ sursum ascendendo per duo milliaria, & ab illo loco (per) illum fluuiũ descẽdendo, transeundũ est per solitudinem quo directius iri potest usq; ad fluuium Iura: Relinquendo fluuiũ Memel in sinistro latere ubiq; per duo milliaria, Et dictum fluuiũ Iura ascẽdendo unũ milliare, A quo loco Iura fluuius deserendus est, et transeatur per solitudinem, relinquẽdo fluuios Memel, & Russna lacum qui dicitur Hap, et Castrum Memel in Samagitto Klupedo appellatum, undiq; à sinistro latere per tria milliaria: & sic transeundum est usq; ad littus Maris salsi. Et hæ sunt granicies Terræ Samogitarum & Prussiæ. Inter Liuoniam uero, Samogitiam, & Russiam limites sunt incipiendi à flumine dicto Helge, ubi dictus fluuius intrat mare, per eundem fluuium ascendendo sursum ad antiquos limites inter Samogitiam, Lithuaniam, Russiam ab una, & Liuoniam ab altera partibus, tentos & obseruatos. Non tamen ad illos limites qui signati sunt eo tempore quando Ordo Terram Samagitarum tęnuerat, sed ad illos qui antiquitus inter Terras prædictas sunt seruati. Item datia siue exactio Funtovvczol super quæ priscis tempo-

temporibus & hactenus controuerſia inter Magiſtrum & Ordinem, ac Mercatores Terrarum Regni Pol. uertebatur, & ſemper pendebat ex certis cauſis indeciſa, talem ponimus ordinem: Quod Mercatores Regni præter alia quæcunq; grauamina & ſolutiones in poſterum imponendas, quibuſcũq; nominibus cenſeantur, reſpondeant Ordini de eadem duntaxat, ſi quando illos contigerit cum bonis ſuis in nauibus proprijs nauigare ultra mare. Ita tamen, Quod ſi Ciuitates maritimæ libertatæ & ſolutæ uia Iuris fuerint ab eadem, quod Ciues, Mercatores, & Indigenæ Regni & Terrarum Polon. Lithuanię, Mazouię, & Ruſsię à ſolutione quoq; huiuſmodi ſint liberi & exẽpti. Et illa omnia ab eis, à tempore quo præſens pax perpetua eſt firmata, ratione huiuſmodi exactionis ſunt recepta, integraliter reſtituentur per Ordinem prædictis Mercatoribus Regni uiceuerſa abſq; recuſatione & renitentia: qualicunq; interruptione, cõſuetudine, præſcriptione, & diuturnitate temporis non obſtante: Si uero per concordiam extincta fuerit, ad reſtitutionem receptorum minime teneantur. Aliæ autem omnes et ſingulæ exactiones quibuſcunq; nominibus uocitẽtur, à Mercatoribus, & Terrarum Regno Pol. ſubiectarum ut præfertur indigenis, in Terris Magiſtro & Ordini ſubiectis. Et ſpecialiter exactio quædam dicta Lobegalth, et Firhen nullatenus de cœtero imponantur. Item liber ſit trãſitus & uia omnibus Mercatoribus & Incolis Regni Pol. & Terrarũ Lithuaniæ, Samogitarum, Mazouiæ, Ruſsiæ, & Stolpeñ. cum ſuis mercantijs, frumentis cuiuſcunq; grani, & rebus quibuſcũq;, & cuiuſcunq; conditionis uel manerici exiſtant, ſine impedimento uel angaria per Terras, & maria, aquas, & flumina quæcunq; aſcendendo, in & ad Regnũ Pol. Terras Lithuanię, Samogitarũ, Mozauiæ, & Ruſsiæ: & deſcendendo per Terras dominiorum Ordinis, & per ipſa flumina ſeu aquas usq; ad maria et tranſmare in nauibus uacuis ſiue oneratis, magnis ſiue paruis, abſq; aliquo arreſto & impedimento Ciuitatum ſeu Oppidorum, et ſpecialiter circa Thorun, quocunq; & quotieſcũq; uoluerint. Quas quidem merces, frumenta, & res, ut præſcriptum eſt, ſi præfati Mercatores ſiue Incolæ Regni noſtri Polon. & Terrarum ſupraſcriptarum, ducentes, uendere aut ſtare in aliquo locorum ſeu Ciuitatum ad portum, ſeu rippam prędictarum aquarum ſiue maris ſituatorum, ſiue ſituatarũ uoluerint, eſt, & debet eſſe in ipſorum arbitrio & uoluntate. Si uero uendere noluerint, poſſunt abſq; omni impedimento ire ſeu aſcendere uel deſcẽdere quo eis placuerit cum rebus prædictis ut ſuperius eſt expreſſũ. Item ſi aliquãdo contigerit quod ſubditi noſtri tam Spirituales quam Sæculares cuiuſcunq; conditionis exiſtant, ſtatus uel ordinis, uolendo pacis perpetuæ præſentis concordię fœderibus contraire, uel alijs cauſis legitimis occaſione prędicta emergentibus fortaſſe indignationẽ noſtrã incurrerent, & formidine pœnæ ac metus qui cadit, in conſtantẽ, recurreret ad Magiſtrũ & Ordinẽ, expoſita cauſa metus tenebitur Magiſter & Ordo talẽ & taliter ad dominia Ordinis fugientẽ ſuſcipere, & fouere, ipſumq; fugientem ad iuſticiam exponere, cauſamq; ſui receſſus corã noſtra Maieſtate per ſuas Literas uel nuncios allegare: ita quod nos poſt intimationẽ Magiſtri & Ordinis tenebimur in termino competẽti circa limites de parte noſtra duos Barones aut Milites de noſtris ponere, & Magiſter de ſuis totidem: Qui taliter ex utraque Parte electi, cognita ſui receſſus cauſa, debebunt de ipſo bonam facere iuſticiam, & iuxta merita cauſæ coram eis introductæ, tali perſonæ fugienti de pace & ſecuritate per declarationem ſuam apud noſtram Regiam Maieſtatem cum bonis conditionibus aſſecurationi ſuæ prouidere. Ita quod nos propter hoc, contra perſonam prædictam fugientem, ad aliquam ultionem, parendo declarationi illorum Iudicum, electorum, non cõſurgamus: Sed eum priſtinis fauoribus, ſicut & cœteros ſubditos complectemur. Item & ſubditi noſtri, & Magni Ducis, et Terrarũ noſtrarũ prædictarum, undecunq;, & cuiuſcunq; gradus, ſtatus, uel conditionis fuerint: qui cauſa negociationis uel alia ad Terras noſtras Pruſsiæ, Lithuaniæ, uel aliàs uenerint, per nos & ſubditos noſtros, ac extraneos cuiuſcunq; gradus, ſtatus, aut conditionis fuerint minimè impeti, cõueniri debent, uel arreſtari: ſed in Polonia, Lithuania, Mazouia, Ruſsia, ſeu Terra Stolpẽſi quid Actionis habuerint iuxta Terrarum Iura municipalia huiuſmodi contractionis ſopiantur. Delinquens tamen in loco delicti depræhenſus, & contrahens de contractione recenti in loco contractus poterit conueniri. Sed ſi de loco ubi contraxit receſſerit, publicè uel occultè, coram Iudice ſuo conueniatur. Item ſi fures, incendiarios, uel alios malefactores quoſcunq; de dominijs Regni noſtri quibuſcũq; ad Regnum noſtrum, Ducatus, & Terras noſtras prædictas fugere contigerit: extunc Terrigenæ & quorum intereſt, de Terris & dominijs Regni noſtri licenter eoſdem ſine omni impedimento inſequi liberè ubicunq; poterint. Quibus etiam Capitanei, Tenutarij, Terrigenæ, Iudices,

Officiales, & subditi dominorum nostrorum præfatorum quicunque super hoc fuerint requisiti, debēt pstare auxilia, cōsilia, & fauores ut malefici huiusmodi capiant: captique iuxta Iura municipalia Regni nostri legitimè puniantur. Et si capi nō poterint in Regno & Terris nostris sæpe dictis per nos & subditos nostros, ut aliàs nullatenus sustineantur seu foueantur. Teneanturque utraque Pars illis sine fraude & dolo in suis dominijs incolatum prohibere, aut in metis Terrarum, quos huiusmodi tangit negocium, exhibere de eis iusticiæ complementum. De malefactoribus autem de Terris Ordinis Prussiæ & Lithuaniæ ad Reg. nostrum confugientibus similis æquitas habeatur. Item neutra Partium debet aliquē, uel aliquos etiā subditos alterius Partis in suis dominijs fauore ac tolerare, qui alteri Parti, eius subditis, aut subdito diffidare uelit, aut uelint, ac diffidant, damna irrogant, seu infidelitatem commiserint, uel alias graues inferrent molestias, imò & inimicis Parti aduersæ adhærere posint: eos per Terras suas permittere in præiudicium & offensam alterius sine dolo & fraude quoquomodo. Item omnes coadiutores & adhærentes qui in fauorem nostri & Regni nostri Pol. coadiutorum, & subditorum nostrorum, Magistro & Ordini Prussiæ diffidarunt, & ab omni impetitione Magistri & Ordinis prædicti sint liberi & soluti. Item omnes Apostatæ Ordinis prædicti in Regno nostro, & Terris Lithuaniæ, Samogitarū, Mazouię, Russiæ, & Stolpeñ. & alijs dominijs Regni nostri & Terrarum prædictarum commorantes, ne diutius in suis peccatis tolerētur: de Regno nostro & dominijs nostris prædictis per nos & Officiales nostros exire cōpellantur, & deinceps ij & alij in eisdē nullatenus foueantur. Item quod nullus Mercator seu alius homo cuiuscunque conditionis existat, aut bona ipsius, propter delictum seu debitum alterius arrestetur, uel turbetur, nec etiam captiuetur. Item si Vectores & aurigæ bona seu merces Mercatorum pro precio ducentes telonea seu loca datiarum præterierint, ipsi duntaxat in rebus & equis proprijs puniantur. Et quod propterea bona Mercatorum non debent occupari, nec detineri. Item illustris princeps dominus Boguslaus Dux Stolpeñ. ab una, Magisterque & Ordo prædicti ab altera partibus, ad distinguendum et reformandum limites inter Ducatum Stolpeñ. prædictum & Terram Ordinis in Pomerania nuncios ex utraque mittant in festo Ascensionis domini proximè nunc futuro, ubi dum conuenerint Pars domini Ducis eliget duas aut tres personas de parte domini Magistri & Ordinis. Et è cōuerso dominus Magister & Ordo duas aut tres personas similit̄ de parte Ducis: Quæ personæ sic electæ præstito corporali iuramento, uisis Partiū Iuribus, Literis, aut legitimis documentis, differentias huiusmodi, si commodè poterint, terminabunt. Si uerò non possent, extunc eligent unum unanimi consensu pro Iudice: qui habendo Deum & Iusticiam præ oculis, quæstionem prædictam inter Partes iudicialiter, quāto breuius poterit, terminabit. Cuius decisioni Partes beneuolè obediēt & parebunt. Item ut huiusmodi pacem perpetuam & concordiam sub certiori attentionis firmitate et robore custodiamus & seruemus, promittimus sine dolo & fraude, sub fide & honore, quod ad nullius uiuentis hominis requisitionem, inductionem, suggestionem, persuasionē, uel mādatum, etiam quacunque dignitate præfulgeat, Papali, Imperiali, uel Regali, aut cuiuscūque congregationis legitimè personarum Ecclesiasticarum uel Sæcularium debebimus uel poterimus contrauenire ipsis in toto uel in parte, expressè, manifestè, uel occultè, p se seu alium uel alias quascunque personas submissas, Spirituales uel Sæculares, neque eas taliter, aut quocunque modo alio uiolare: Etiam si Imperator personaliter cum exercitu se cōtra nos, Regnum nostrum, aut Magnum Ducatum Lithuanię moueret. Non debebimus ei, nec successores nostri assistere, ope, consilio, auxilio, uel fauore. Item ut omnia præmissa certiori cautela munita iugiter permaneant, & ut Pars cōtra Partem metu animaduersionis præsentis concordiæ ad bella, & pręlia non consurgat: statuimus decernētes, Quod nostri prælati, Milites, Nobiles, Ciues, & tota communitas debeat & teneatur Terrarum Regni Pol. Prælatis, Baronibus, Militibus, Nobilibus, Ciuibus & toti communitati. Dare certas nostras Literas, & pares siue reuersales ab ipsis sub eadem forma recipere, quas tam nos, q̄ præfatus Ordo utrisque subditis nostris dare pmittimus, & debemus, ipsique subditi nostri easdem subditis domini Magistri & Ordinis, & è conuerso subditi Ordinis subditis Regni nostri dare & repræsentare tenebunt̄ in termino sub his, uel similib. uerbis. Quod si nos uel successores nostri stante huiusmodi pace perpetua, Magistro aut Terris Ordinis uellemus aut conaremur huiusmodi guerras aut bella mouere, nō debēt nobis subditi nostri cōsentire, nec in hoc obedire, aut parere. Imo erūt ab omnib. nostris homagijs, iuramētis, & subiectionib. liberi et soluti, donec in hoc casu nos ad obseruationē huiusmodi pacis ppetuę reuertemur.

Item

Item ſi aliquæ nouæ diſſenſiones, diſplicentiæ, damna, ſiue diſcordiæ inter nos, Lithuaniæ, Samogitarum, Mazouiæ, Terras Ruſsiæ & Stolpeñ. ex una: ac Magiſtrum & Ordinem prædictum tam per Ruſsiam quam Liuoniam emerſerint, uel aliqua Partium præſenti concordiæ ſuadente diabolo contrauenire quouis modo præſumpſerit. Ex tunc Pars læſa alteri tenebitur & debebit Nuncijs aut ſcriptis huiuſmodi iniurias & diſplicentias ſeu aliquod præmiſſorum ſignificare. Et tandem ambæ Partes efficere & procurare ſine dolo & fraude quod Conſiliarij ipſarum Partium ad certos locum, & diem conueniant competentes, qui huiuſmodi diſplicentias & iniurias ſecundum Deum & Iuſticiam, omni fauore & odio poſtpoſitis, tractent, cognoſcant, terminent, & decidant. Item omnes uiolationes Treugarum, pacis, fœderis, ſtipulationum, & contractuum ſi quæ inter Partes prædictas in guerris prædictis accidiſſent: uigore præſentis concordiæ caſſamus, & annihilamus.

Finiunt articuli ex Priuilegio Ducatuum Mazouiæ de pace Breſteñ. ſumpti.

SIGILLA PENDENTIA AD LITERAM PACIS PERPETVAE.

SIGILLVM Maieſtat. Regiæ.
Item Magni Ducis Lithuaniæ.
SIGILL. DVCVM MAZ.
Semouiti.
Kazimiri.
Vvladislai.
Boleslai.
SIGILLA
Item quatuor Ducum Lithuaniæ.
Item Boguslai Ducis Stolpeñ.
SIGILLA ARHIEPISCOP.
Gnezneñ.
Leopolieñ.
SIGILLA EPISCOP.
Cracouieñ.
Vvladislauieñ.
Ploceñ.
Poſnanieñ.
Vilneñ.
SIGILLVM
Item Caſtellani Cracouieñ.
SIGILLA PALATINO.
Cracouieñ.
Poſnanieñ.
Sandomirieñ.
Caliſsieñ.
Siradieñ.
Lancicieñ.
Breſteñ.
Vvladislau.
Vilneñ.
Troczeñ.
Ploceñ.
Varſſouieñ.
Leopolieñ.
Cameniceñ.
Belzeñ.
SIGILL. CAST.
Poſnanieñ.
Sandomirieñ.
Caliſsieñ.
Gnezneñ.
Siradieñ.
Lancicieñ.
Breſteñ.
Vvladislau.
Miedzyrzeceñ.
Vilneñ.
Troczeñ.
Ploceñ.
Dobryneñ.
Czyrneñ.
Varſſouieñ.
Leopolieñ.
Camenec. Ruſ.
Camenec. Pod.
Lublinenſis.
Voyniczeñ.
Byczenſis.
Radomienſis.
Landenſis.
Roſperieñ.
Brzezineñ.
Konarieñ.
Rupineñ.
Goſtineñ.
Raueñ.
Szochacouieñ.
Cziechonou.
Koualeñ.
Kruſſvicieñ.
SIG. OFFIC.
Marſch. Reg.
& Officialium
Regni Polon.
SIG. SVCC.
Cracouieñ.
Poſnanieñ.
Sandomirieñ.
Caliſsieñ.
Gnezneñ.
Siradieñ.
Lancicieñ.
Breſteñ.
Vvladislauſeñ.
Ploceñ.
Czyrneñ.
Varſſouieñ.
Leopolieñ.
Cameneceñ.
SIGIL. VENATOR.
Brzeſteñ.
Czyrneñ.
Vvladislauieñ.
Varſſouieñ.
SIG. GLADIFEROR.
Cracouieñ.
Siradieñ.
Poſnanieñ.
Lancicieñ.
Breſteñ.
SIG. SVBDAPIFER.
Cracouieñ.
Poſnanieñ.
Sandomirieñ.
Caliſsieñ.
Gnezneñ.
Siradieñ.
Lancicieñ.
Breſteñ.
Vvladislauieñ.
Ploceñ.
Czyrneñ.
Varſſouieñ.
Leopolieñ.
Dobrineñ.
SIG. SVBPINCER.
Cracouieñ.
Poſnanieñ.
Lancicieñ.

Breſteñ.

Bresteñ.	Subcamerarij.	Pincernæ.
SIGIL. OFFICI. CVR.	Thesaurarij.	Incisoris.
Marschalci.	Magistri coquinæ.	Dapiferi.

Liber transitus omnibus Mercatoribus & incolis Regni Pol. & Terrarum Lithuaniæ, Samogitiæ, Mazouiæ, & Rusiæ cum omnibus mercantijs per terras, maria, & trans mare in perpetuum per Terras Cruciferorum tam Prusiæ, quàm Liuoniæ permittitur.

FRater Paulus de Ruszdorff Ordinis beatæ Mariæ domus Teuthonicorum Hierosolym. Magister generalis, Significamus tenore præsentium uniuersis. Quomodo inter cætera nostræ synceritatis & benignitatis studia, quæ ad subditos & subiectos dominiorum Ordinis nostri quadam humanitate libēter gerimus, diebus, noctibusq; meditantes in animo fatigamur, ut ipsis tranquillitatis remedia, pacis dulcedinem & requiem procuremus opulentam. Igitur conuenientibus nobis unà cum Prælatis & Præceptoribus, cæterisq; Ordinis nostri fratribus, ac strenuis Militibus, & prouidis Ciuibus, fidelibus nostris dilectis infra scriptis, feria sexta in crastino Ascensionis Christi & diebus sequentibus, in Ripa fluminis Visla, in hæreditate Nyessoua Vvladislau. diœc. ex opposito Oppidi nostri Thorun ex una: & Sereniss. Principe, Magnificoq; dño VVLAdislao REge Pol. &c. factæ, & initæ, contentos ipsis articulos præfatæ concordiæ in nullo penitus contrauenientes, sed ipsos magis ac magis approbantes & confirmantes per capitula, distinctiones, & clausulas infra scriptas, declarauimus & elucidauimus ac tenore præsentium elucidamus. In primis si quidem. Quod uia libera est, & debet esse, omnibus Mercatoribus, & incolis Regni Pol. & Terrarum Lithuaniæ, Mazouiæ, Rusiæ, & Samogitarum transeuntibus cum eorum mercantijs & rebus quibuscunque per Prussiam & Liuoniam & alias Terras Ordini subiectas, antiquis tamen teloneis & depositis siue modis deponendi merces consuetudinibus, & obseruantijs alijs semper saluis, prout in articulo octauo Literæ unionis, & concordiæ perpetuæ quæ sic incipit. Item omnes Mercatores, &c. est expressum. Item liber sit transitus & uia omnibus Mercatoribus & Incolis Regni Pol. & Terrarũ Lithuaniæ, Samogitarum, Mazouiæ, & Rusię cum suis mercantijs, frumentis cuiuscunq; grani, & rebus quibuscunq;, & cuiuscunq; conditionis uel manerici existant, sine impedimento, uel angaria per Terras, & maria, aquas & flumina quæcunq; ascendendo in & ad Regnum Polon. Terras Lithuaniæ, Samogitarum, Mazouiæ, & Rusiæ: & descendendo per Terras dominiorum Ordinis nostri, ac per ipsa flumina seu aquas usq; ad maria & trans mare in nauibus magnis siue paruis in perpetuum, quocunque, seu quotiescunque uoluerit: quas quidem merces, frumenta, & res, ut scriptum est, Si præfati Mercatores seu incolæ Regni Pol. & Terrarum supra scriptarum ducentes uendere aut stare in aliquo locorum seu Ciuitatum ad portum seu ripam prædictarum aquarum siue maris situatarum, uel situatorum uoluerint, est, & debet esse in ipsorum arbitrio & uoluntate. Si uerò uendere noluerint, possunt absq; omni impedimento ire seu ascendere, uel descendere quò eis placuerit cum rebus prædictis, ut superius est expressum. Item de datia, Pfundtzol uulgariter dicta, Consiliarij domini Regis prædicti proposuerunt. Quomodo prædicta Datia sit noua, & deposita fuerat, neque eo tempore extitit, quando pax & concordia est facta & firmata, neque prædicta Datia imposita fuit ad longa tempora, sed tantum ad pacificandum mare eo tempore quo Regina Daciæ Margaretha cum Alberto Rege Suetiæ tenuit guerram. Ex aduerso Consiliarij Ordinis nostri dixerunt, quod hoc teloneum Pfundtzol fuit ante istam pacem & concordiam perpetuam, nec unquam fuit depositum, nec articulus in litera concordiæ positus continetur, quod aliqua telonea deberent deponi: Sed demonstrat, quod nulla noua telonea sunt instituenda: propter quam discrepantiam & dubium sic est conclusum. Quod de cætero prędicta Datia Pfundtzol, & eius solutio suspendatur, & sit suspensa: nec ad ipsius solutionem Mercatores duntaxat & Incolę Regni Pol. & Terrarum prædictarum teneantur, tamdiu quousque cognoscatur & discutiatur, an secundum dispositionem & tenorem Articuli octaui, à capite de quo supra est facta mentio, debeat deponi, quo ad Mercatores & Incolas Regni Polon. & Terrarum prædictarum. Item quod omnes Mercatores & Incolæ Regni Polon. & Terrarum Lithuaniæ, Samogitarum, Mazouiæ, & Rusiæ, à solutione cuiusdam pecuniæ uulgariter Lobegeld nuncupatæ, quæ à frumento in

Gdansk recipiebatur, perpetuò sint liberi & exempti, nec ad eius solutionem de cætero teneantur. Item omnes Mercatores & Incolæ Terrarum & dominiorum Ordinis nostri in Terris Regni Polon. duntaxat, Dobryneñ. Cuiauieñ. Lanciciеñ. Siradieñ. & in Polonia in Ciuitate Gnezneñ. tantum liberè possint pannos uendere, & per ulnas incidere in foris annalibus Ciuitatum seu Oppidorum prædictorum: possunt etiam emere & ducere frumenta, pecudes, & pecora ac quascunque alias res in foris septimanalibus quibuscunque. Item quod teloneum & depositum uulgariter Niderloge, circa Landisberg, & Castrum in noua Marchia, quæ dicuntur de nouo imposita, suspendantur: nec a Mercatoribus & Incolis Regni Pol. exigantur seu recipiantur: sed dentur ad fideiussoriam cautionem tamdiu quousque dominus Rex, & nos Magister ad limitãdum granicies inter Poloniam & nouam Marchiam nostros Nuncios transmittemus, & ibidem nos Magister & Ordo prædicti recepta primitus informatione & impositione nouitatis telonei & depositi prædictorum per dictos nostros Nuncios, id quod nouum, & inconsuetum fuerit deponemus & tollemus. Item de uectura salis, de Prussia per Terram Dobrineñ. suspensum est usque ad responsionem domini Regis Poloniæ, &c. In quorum omnium testimonium & euidentiam pleniorem Sigillum nostrum præsentibus est appensum, præsentibus & tractantibus Reuerendis in Christo patribus & dominis dominis Iohanne Culmeñ. Gerhardo Pomeranieñ. Ecclesiarũ Episcopis, Venerabilibus & Generosis Ordinis nostri fratribus Luduigo de Landsze Marschalco supremo Henrico Holt supremo hospitalario in Elbingo, Nicolao Iorlicz supremo Trapiario in Krisburg, Martino Kemerater in Thorun, Iodoco Hoenkirchen in Tuchola Cõmendatoribus. Egregijsque & Religiosis Ordinis nostri professis. Actum & datum in Ripa fluminis Visla in hæreditate Nyesloua Vvlad. diœc. ex opposito Oppidi nostri Thorun, feria quarta infra octauas Ascensionis Christi. Anno Domini. 1424.

Cum Vvladislaus Iagel. tandemque Kazimirus suus filius Terras Prussiæ per Cruciferos de corpore Regni occupatas uterque eorum recuperarat, & eas reuniuit suo corpori Regni, à quo per Ordinem dismembratæ erãt, restituendo eas ad corpus Regni: suæ incorporationis Literas dedit, habenturque in Terris Prussiæ pro Priuilegijs Terræ, de quib. infra scripta pũcta sunt trãsumpta: quæ licet sint in Priuilegio incorporationis Terrarum, quod habetur in Thesauro Regni: Tamen quia nonnulla sunt hic quæ in Priuilegio incorporationis non uidentur contineri. Idcirco præsentia puncta scienda sunt propter iustitiam incolarum Pruss. ad quod communiter se referre consueuerunt.

PROmittentes insuper pro nobis & hæredibus successoribus nostris. Quod præfatos Barones, Nobiles, & Ciues, & singulos incolas Terrarum nostrarum prædictarum Prussiæ, in Iuribus, libertatibus, Literis, munimentis eorum, quæ à Principibus Spiritualibus & Sæcularibus Regibus & dominis Terrarum prædictarũ obtinent, conseruabimus, fouebimus, defendemus, nec unquam ea uiolabimus, aut præuaricabimur, aut uiolari, aut præuaricari quomodolibet permittemus. Si autem alicui Ciuitati, uel priuatæ personæ Priuilegium amissum fuerit, aliud de consilio Consiliariorum Terrarum illarum gratiosè dabimus & largiemur: dum modo in hæreditatis & bonorum, quorum à nobis petetur Literalis innouatio, petens fuerit in pacifica continua & præscriptionem haben. possessione. Vt autem nostræ libertatis, æquitatis, & iustitiæ dexteram in his subiectionis eorum & nostræ acceptionis fœlicibus dante Domino primitijs sentiant, in uniuersos & quemlibet eorum effusam, & immutatione Principum cõmutatam etiam & sublatam deprehendet oppressionẽ, datiam quæ in uulgari Fundczol dicitur. Item omnia telonea in aquis, & terra, noua & antiqua obseruãtia in Terris duntaxat Prussiæ quomodolibet instituta. Item in Terra Pomeraniæ Exactionem siue datiam, quæ portus aliâs Marszard ueteri institutione Ducum Pol. uocabatur, Regia munificentia tollimus, abrogamus, deponimus, ac solutionem illarum temporibus perpetuis resoluimus, dimittimus, & relaxamus, in ullo unquam tempore per nos aut successores nostros Reges Polon. ex quacunque causa aut occasione instituendam aut imponendam.

Item

Item licet Magister & Ordo occupatione Terrarum prædictarum omnia bona & merces quarumcunq; manerierum, diuina permissione naufragium in mari passorum, uelut propria ex naufragio, quasi Iuris sui facta occupabant: Nos tamen qui Rex Catholicus sumus, & sortē huiusmodi & naturali, & diuino Iure, sedisq; Apostolicæ decreto damnatā, uelut crudelem & iniustam execrantes, pollicemur, quod res et bona cuiuscūq; ponderis, aut ualoris existant, earum personarum quæ maris naufragio periclitabuntur, nunquam per nos aut Officiales nostros uelut nostras, aut Iuris nostri petemus aut requiremus, sed illas absq; aliquali diminutione per eos quorum ante naufragium fuerūt, aut eorum propinquiores, demonstratione euidenti propinquitatem probantibus, colligendas, & in usus conuertendas beneplacitos decernimus: contrariæ consuetudini aut Iuri, uel potius corruptelis pro nobis, & successoribus nostris renunciando. Nisi forte nullus bonorum huiusmodi extaret iustus hæres & successor, quoniam in casu illo bona ex naufragio habita nostræ potestati uolumus subiacere. Item omnes militares Nobiles, Ciues, et Incolas Terrarum prædictarum in ius, conditionem, & proprietatem Regni Pol. translatos & inuisceratos, hac etiam prosequimur prærogatiua. Quod Dignitates & Officia hactenus illic consistentia & imposterum constituenda. Item tenutas Ciuitatum et locorum in Terris prædictis nulli extraneo aut forensi, sed proprio indigenæ iuxta obseruantiam aliarum Terrarum Regni nostri conferemus. Item omnes causas notabiles dictas Terras concernentes cum Consiliariorum consilio Terrarum prædictarum tractabimus, terminabimus, & definiemus. Item Terras prædictas sub nostro regimine & Regni Pol. corpore consistentes in suis antiquis gadibus, limitibus, terminisq; conseruabimus, tuebimur, & defendemus, nec terminos & gades Terrarum ipsarum in aliquo diminui, uel periclitari, uelut Regni nostri partes indiuiduas ullatenus patiemur. Item cum Terræ ipsæ & homines ipsas incolentes uarijs hactenus Legibus siue Iuribus uidelicet Maydeburgeñ. & Culmeñ. Polonicali, hæreditario, & Pruthenico, in decidendis quibusuis & eorum quæstionibus & administratione iustitiæ utebantur: quod etiam illis sub nostro principatu & regimine uolumus firmum esse & perenne, ea licentia attributa, ut liceat cuicunque de uno Iure in aliud, sine tamen aliorum præiudicio quo uoluerit transmigrare. Item cum monetæ, iustam, fidelem, ligam, pondusq; habentes, cusio, Terrarum quamlibet, uehementer, & Nobilitatem fœcundet: uolumus, ut in quatuor locis Terrarum prædictarum uidelicet Thorun, Elbing Gdansk & Konigsberg, duntaxat guerra durante, fidelis & iusta, imaginem nostram & subscriptionem tituli nostri continens, cudatur moneta: præfatorum Militarium, Ciuium, Terrarum prædictarum impensis. Pace autem suffragante & habita, tantū in Thorun & Gdansk sine præiudicio priuilegij Thoruneñ. Ciuitatis, nostris Regijs cudantur impensis. Prouiso tamen quod Moneta ipsa in pondere & grano, & liga debita nullatenus minuatur. Item, quia nos pro bene gerendis rebus dominorum in uaria sæpe loca à Terris prædictis distantia necesse est facere descensum. Ne igitur per nostram absentiam Terræ ipsæ aliquod cōtrahere possent periculum, uel periclitationem, Nobiles uiros pro illius tuitione & gubernatione, de eorum legalitate, fide, & merito confisi, ad nostræ duntaxat beneplacitum uoluntatis, ac cum consilio Prælatorum, Consiliariorum, Ciuitatum maiorum prædictæ Terrę deputabimus: ad quos in nostri absentia super quolibet defectu & euentu habeatur recursus, prouidentia, prouisione, auctoritate et decreto eorum supplendus, & emēdandus. Item Mercatoribus Terrarum prædictarum Prussiæ in Regnum Ducatus & dominia nostra uenientibus hanc prærogatiuam & libertatem de cætero uolumus conseruari, ut quotiens illos in quæcunq; loca, Ciuitates, & Oppida Regni dominiorum nostrorum uenire cum mercibus eorum, cuiuscunq; speciei uel maneriei existāt, contingat: licitum eis huiusmodi merces in loca, testudines, & cameras, aut tecta (quorum illis libera præstari debet arendatio) deponere, & pro suo arbitrio exponere in uenalitatem, stratasq; omnes uersus Hungariam, Russiam, Morauiam, Slesiam, Austriam, Saxoniam, Valachiam liberas habeant, depositis tamen teloneis et stratis antiquitùs Ciuitatum, Regni & dominiorum semper saluis. Harum quibus Sigillum nostrum est appensum testimonio Literarum. Actum Cracou. feria quarta Cinerum. Anno domini 1454. præsentibus ibidem Reuerendiss. in Christo patribus & Magnificis dominis Sbigneo Dei gratia tituli S. Priscæ, Præsbytero Cardinali, & Cracouieñ. Iohanne Vvladislau. Andrea Posnanieñ. eadem gratia Episcopis, Iohanne de Czyzovv Cracouieñ. Luca de Gorka, &c.

Iuramentum Magistri generalis in Prussia, & Commendatorum eius.

EGo L. Magister generalis Ordinis sanctæ Mariæ Virgin. Teuthonicorum, Princeps, & Consiliarius Regni Pol. Iuro quod ab hac hora & deinceps fidelis ero Sereniss. Principi dño K. Regi & successorib. suis Regibus, & Regno Pol. & profectum illorum fideliter procurabo, & negotijs Regis, & Regni fideliter consulã, & secreta quæ mihi qualitercunque communicata fuerint in eorum detrimentum nulli pandam: pacem insuper perpetuam in omnibus suis conditionibus & articulis obseruabo & custodiam. Sic me Deus adiuuet, & hæc sancta Christi crux.

Forma Iuramenti per Consiliarios Terrarum Prussiæ, secundum Ius & necessitatem Terræ.

IVro, quod nunquam scienter ero in consilio, auxilio, aut facto in tuam læsionem, iniuriam, aut contumeliam, aut honorem quem habes uel habiturus sis, & si contra aliquid audiuero pro posse meo, ut non fiat impedimentum præstabo aut tibi quanto citius potero nunciabo. secreta mihi manifestata sine tua licẽtia nemini pandam, uel per quod pandatur faciam. Similiter tibi & Reipub. cõsulam prout uidebitur magis expedire, & nunquam ex persona mea aliquid faciam scienter, quod pertinet ad tuam uel Reipublicæ contumeliam, uel iacturam:

Forma Iuramenti inscripti quo Consiliarij Terrarum Prus. in medio consilij iurant.

EGo A. Iuro Sereniss. domino, dño Regi Pol. &c. & successoribus suis fideliter cõsulere pro honore & statu suo Regali, ac prouentibus suæ Maiestatis, ac pro communi bono Terrarũ Prussiæ & Regni Pol. consilium suum secrete tenere, & eũ in omnibus præcustodire. Sic me Deus adiuuet, & hæc sancta Christi crux.

Consules Ciuitatum earundem & Terrarum ac Nobilium communitas in solio Maiest. iurabunt, forma inscripta.

EGo N. Iuro. Quod Sereniss. Principi & dño, domino A. Regi Polo, &c. & suis legitimis successorib. Regibus, primoq; coronatis, fidelis ero suæq; Serenitatis honorem, statum Regium, & commodum Reipub. Coronæ, & Terrarum Prussiæ pro posse meo procurabo, suam Serenitatem de omnibus dãnis quæ sciuero, auisabo: & ea manifestabo fideliter. Sic me Deus adiuuet, & hæc sancta Christi crux.

Capit. & Tenutarij Terr. Prus. sic iurant.

EGo B. Iuro. Quia fidelis ero in Castro Tenutæ meæ, illudq; seruabo fideliter Sereniss. Principi & dño, dño &c. Regi Pol. & suis legitimis successorib. Regibus Pol. trãquilitatẽ, & securitatẽ uiarũ, & iustitiam tuebor & generali seu supremo Terrarum Prussię officiali obediẽs ero. Sic me Deus adiuuet, & hæc sancta Christi crux:

Iuramentum Burgrabij Gedanen.

EGo N. Iuro quia fideliter Ius Regium tuebor, & quicquid ad Ius & personam Maiestatis Regiæ pertinet, attendam, & attentabo, agam, & procurabo ut æque bene pauperi, sicut diuiti Iustitia ministretur. Sic me Deus adiuuet, & hæc sancta Christi crux.

Nicolaus Episcop. Varmien. cum suo Capitulo facit obedientiam Kazimiro Pol. Regi, successoresq; suos ad eam faciendam Regibus Pol. pro tempore existentibus astringit, & obligatos facit: Iuramentorumq; modum & formam per eos ipsos successores suos Episcopos, Prælatosq; & Canonicos ac quamcunq; personam Ecclesiasticam beneficiatam Ecclesię & diœc. Varmien. circa receptionem beneficij cuiuslibet faciendorum dat & inscribit, contentaq; omnia in Inscriptione pacis perpetuæ facere promittit.

IN nomine Domini Amen. Ad perpetuã rei memoriã. Nos Nicolaus Dei & Apostolicæ sedis gratia Episcopus Varmien. Significamus tenore præsentiũ, quibus expedit uniuersis, præsentibus, & futuris, harũ notitiã habituris. Quomodo destructioni bo-

t norum

norũ, ſubditorũq; Eccleſię noſtrę Varmien. quę ꝑ armorũ gentes facta eſt, ſitiq; uſq; eo cõdolẽtes, ac ipſos ſubditos noſtros paci reddere optatæ cupientes: Recẽſentes Epiſcopatũ noſtrũ et Eccleſiã uigore ꝑpetuę pacis medio Reuerẽdiſs. in Chriſto patris dñi Rudolph. Dei gratia nũc Vuratiſlau. tũc uerò Lauantini Epiſcopi ſacroſanctę ſedis Apoſtolicę Legati inter Sereniſſ. Principẽ & dñm, dñm Kazimirum Dei gratia Pol. Regẽ Illuſtriſs. Magnũ Ducem Lithuaniæ, Ruſsiæ, Pruſsiæq; dñm & hæredem &c. dñm noſtrum gratioſiſſimũ ex una: necnõ Magnificũ & Venerabilẽ dñm Magiſtrũ generalem Ordinis beatæ Mariæ Virgin. domus Teuthonicorũ Ieroſolim. in Pruſsia partibus ex altera initæ, ordinatæ, factæ, diſpoſitę, & celebratę, Literiſq; ac Sigillis atq; Iuramentis corporalib. hincinde per partem utramq; munitę & obfirmatę, de corpore inclyti Regni Pol. exiſſetę: cui hucuſq; reſtitimus propoſitum noſtrũ reuocantes. Præfatum Sereniſſ. D. Regem Pol. ac ſuæ Serenitatis ſucceſſores Reges Pol. futuros, pro nobis & ſucceſſoribus noſtris, cum Venerabili Capitulo Eccleſiæ noſtrę prædictæ uigore mãdati in certas perſonas hoc plenariè per ipſum Capitulũ dati & conceſsi, quod in manibus præmemorati Sereniſs. dñi Regis & ſuæ Serenitatis Conſiliariorũ reliquimus, recognouimus, recognoſcimuſq; ꝑſentib. eſſe dñm & protectorẽ Eccleſiæ noſtræ cum Caſtris, Ciuitatib. ac Vaſallis noſtris, gratiaq; à ſua Serenitate cõquiſita, Innitẽdo præfatæ pacis perpetuæ diſpoſitioni & ordinationi & ab ipſa in nullo deſcẽdendo, Nos Eccleſiã, Capitulũ, ſubditoſq; noſtros tã Spirituales quã Sæculares ad corpus & unionẽ ꝑmemorati inclyti Pol. Regni reuocamus, & reducimus, ſub articulis infraſcriptis. Ad quorũ obſeruationem firmiorem Nos, Eccleſiam, Capitulũ, & ſubditos noſtros, ac etiã ſucceſſores obligamus: eoſdem articulos perpetuò ſeruaturos. Quorũ quidẽ articulorũ tenor de uerbo ad uerbũ ſequitur & eſt talis.

Inprimis quod quilibet Epiſcopus Varmien. ſucceſſor noſter futurus, ſeu alij omnes ꝑ tempore exiſtentes, in perpetuũ infra tres menſes à die receptionis Literarũ Apoſtolicarũ prouiſionis Eccleſiæ Varmien. tenebit, ſeu tenebunt perſonaliter uenire ad ꝑſentiam Regiæ Maieſtatis & ſuorũ ſucceſſorũ, dũ modo in Terris Pruſsiæ eſſent conſtituti, aut in illorũ abſentia in Caſtrũ Mariemburg, & ibidem in manib. Epiſcopi, & nõ alterius, quem ad hoc ſua celſitudo deſignauerit, in Eccleſia maiori ad altare ſummũ ſub præſentia Palatini Mariemburgen. & Capitanei ac etiã Magiſtrorũ Ciuium de Thorun, Elbing, & Gdano præſentium & in futurũ exiſtentiũ teneantur Iuramentũ facere. Quod & nos Nicolaus fecimus, ſub ea quæ ſequitur forma, & in Caſtrũ præfatũ deſcendere ſub tempore deſcripto auiſati: Caſu uerò quo unus uel plures deſcriptorũ intereſſe impedirẽtur, Nihilominus in manib. dicti Epiſcopi corã præſentibus qui conuenirent, Epiſcopus ſeu Epiſcopi in futurũ exiſtentes Varmien. iurare tenebũtur in hæc uerba. Ego N. Epiſcopus Varmien. promitto & iuro, quod ex nunc & in antea fidelis ero Sereniſs. dño meo Kazimiro Regi Pol. eiuſq; ſucceſſorib. Regib. & Regno Pol. tanq; dño & protectori Eccleſię meę, ac etiã Capituli: ſuæ Serenitati & Regno aſsiſtam, necnon eius ſucceſſorib. uti ſuæ Serenitatis Cõſiliarius cõtra quemlibet inimicũ, cũ quo nullos tractatus, fœdera, aut inducias factã ſine ſuæ Maieſtatis cõſenſu, inſcriptionemq; pacis perpetuę in omnib. capitulis & pũctis ac etiã Inſcriptionem ꝑ meũ anteceſſorem dñm Nicolaũ Epiſcopũ Varmien. cũ cõſenſu Capituli factã inuiolabiliter tenebo, cõſiliũ mihi creditũ ad ſuæ Serenitatis damnũ nõ reuelabo, omnemq; machinationem quã practicari ſubodorauero, in ꝑiudicium et cõmodũ Regiæ Maieſtatis ſucceſſorum aut Regni, Terrarũq; & Ciuitatũ Pruſſiæ de corpore inclyti Regni Pol. exiſtentium, pro quib. fideliter cõſulam, ꝑcuſtodiam tempeſtiuè, & auiſabo. Sic me Deus adiuuet, & hæc ſancta Dei Euangelica. Caſu aũt quo aliquis Epiſcopus Varmien. pro tempore exiſtens Iuramentũ fidelitatis iuxta formã & tempus præſcriptũ pręſtare nõ curaret, Extunc Vaſallis & ſubditis prædictę Eccleſię Varmien. licebit cum honore, & impunè ab obedientia dicti Epiſcopi ui iuramenti firmata reſilire, & R. M. uſq; quo iurauerit adhęrere. Item quod hinc & in perpetuum Vaſalli & ſubditi Eccleſiæ Varmien. cuiuſcunq; ſtatus & conditionis exiſtant de Terris & Ciuitatib. tam noſtri Epiſcopales quam Capitulares, de decennio in decennium Iuramentum fidelitatis Regię M. ſucceſſoribuſq; & Regno Pol. ac etiam de obſeruanda pace perpetua atq; articulis in pręſenti Inſcriptione contentis renouare tenebuntur, in manib. Conſiliariorum R. M. ad hoc deputandorum temporib. perpetuis & æuiternis. Cuius quidem decennij initium incipiet & tranſibit à die pręſtitionis iuramenti per præfatos Vaſallos & cæteros ſubditos Eccleſiæ, præſcriptæ in proximo faciendi. Præterea ſubmittimus & præſentibus obligamus, Nos & ſucceſſores noſtros cũ Capitulo Eccleſiæ noſtræ Varmien. quod in futuris electionibus pro tempore exiſtentibus ſiue poſtulationib. Epiſcoporũ dictæ

Eccleſiæ

Ecclesiæ Varmien. Capitulares eiusdem R. Maiestati & suis successoribus personam grã tam eligere tenebuntur. Item quod quilibet Prælatus & Canonicus dictæ Ecclesiæ Varmien. infra unum mensem à die receptionis suæ, siue repræsentationis in Ecclesia, alias dũmodo possessionem fuerit consecutus, iurare similiter tenebuntur fidelitatem suæ Serenitati, & obseruantiam perpetuæ pacis iuxta tenorem inferius descriptum in manibus Episcop. & Capituli Varmien. qui per suas patẽtes Literas de cuiuslibet Canonici seu Prælati iuramẽto supremo Dignitario R. Maiest. in Prussia plenam fidem facere tenebuntur. Cuius quidẽ Iuramenti tenor sequitur in hæc uerba. Ego N. Prælatus uel Canonicus Ecclesiæ Varmien. Iuro & promitto quod ex nunc & in antea fidelis ero Serenis. Domino meo, Domino Kazimiro Pol. Regi Illustriss. eiusq; successoribus Regib. & Regno tanquam Domino & protectori Eccl. Varmien. Inscriptionemq; pacis perpetuæ ac Capitulorum per Dominum Nicolaum Episcopum Varmien. de consensu Capituli descriptorum inuiolabiliter tenebo. Sic me Deus adiuuet &c. Item quod tam Dominus Episcopus quam Capitulum pro tempore existentes. Aduocatum, quotiens præficere aut immutare Dominus Episcopus uelit siue Capitulum, aut administrator. Sede uacante, non alium deputent, nisi pro parte subditorum R. M. eorum etiam qui sub ditione Ecclesiæ Varmien. consistũt. Qui sic deputatus iurare similiter tenebitur Regiæ M. modo superius expresso, dum talis hoc ipsum prius non iurasset. Item casu quo Magister generalis nullo facto iuraret, siue cum Regia Serenitate hinc diffideret, & ad arma contra eum & Ordinem iam ex nunc, uel in futuris temporibus ueniretur, aut cum alijs quibuscunque hostibus. Extunc nos Nicolaus Episcopus tenebimur & nostri successores tenebuntur esse auxilio & consilio suæ Serenitati totiens, quotiens opus fuerit, sicut Consiliarius suæ Serenitatis, cum Castro, Ciuitatibus & Vasallis tam nostris Episcopalibus quam Capituli. Ita uidelicet quod sine omni contradictione Castra & Ciuitates Ecclesiæ prædictæ, gentibus Regijs pateant, & apperiãtur, & singulis nos submittemus periculis, nostriq; successores se submittent, cum sua Serenitate. Nec tractatus, fœdera, uel ligas aut ullas inducias cum hostibus faciemus, ac nostri successores facient, absq; scitu & consensu R. M. & successorum eius. Item quoties beneficia cum cura, uel sine cura in diœc. nostra Varmien. uacare contigerit. Extunc circa institutionem beneficiati nos Nicolaus Episcopus & nostri successores, aut noster, & ipsorum successorum nostrorum Vicarius tenebimur, seu tenebuntur, siue tenebitur recipere Iuramentum à quolibet eorum de obseruanda pace perpetua; & tenenda fidelitate R. M. & Regno Pol. Postremò & finaliter præsentibus adijcimus. Nosq; & successores nostros obligamus, quod subditis tam nostris Episcopalibus quam Capitularibus omnibus & singulis liceat in causis militaribus, feudalibus, Ciuilibus & criminalibus siue quibuscunq; alijs Sæcularibus ad Regiam M. prouocare, in causa grauaminis, & defectu iusticiæ, querulari, & appellare ad suosq; successores Reges Pol. temporibus perpetuis. Obseruato tamen prius ordine prouocationis in causis Ciuitatensibus ad Ius Culmeñ. Lubuceñ. Maldeburgeñ. & cæteris quibus gaudent, in quibus eis non præiudicabitur. Hoc tamen specialiter expresso, quod quoties aliquem ad R. M. prouocare contigerit, extunc coram nobis Episcopo & successoribus nostris cautionem faciet, quatenus, casu quo appellationem non fuerit prosecutus infrà tempus, per nos Nicolaum Episcopum & nostros successores iuxta causæ & circũstantiarum qualitatem limitandum, aut in causa succubuerit, pœnam amissionis causę & solutionis expensarum Parti aduersæ incurrat. Quæ omnia & singula scilicet scripta nos Nicolaus Episcopus Varmieñ. prefatus, cum Capitulo, Vasallis, & omnibus subditis nostris, firmiter, illæsè, & inconcussè tenere, exequi, & inuiolabiliter perpetuò obseruare promittimus, ac nos, successoresq; nostros, & Capitulum nostrum prædictum, cum Vasallis, & subditis Ecclesiæ nostræ generaliter uniuersis, tenore præsentium obligamus. In quorum omnium fidem & euidens testimonium præmissorum præsentes Literas nostro atq; Capituli nostri Sigillis iussimus & fecimus communiri. Datum in Conuentione Petricouieñ. generali, die Iouis quintadecima mensis Iulij alias ipso festo Diuisionis Apostolorum, Anno Domini 1479.

ARTICVLVS II.

Posteriores tractatus de pace in Prussia intra & extra confecta continent.

Cum autem bellum Pruthenicum recruduerat, Maximilianus Imperator concordias inter Regem Pol. & Magistrum Prussiæ confirmat: Quem etiam ad homagium Sigism. Regi Pol. præstandum hortatur, simulq; Gedanum, ac Elbingum ex banno dimittit.

Viennæ 1515.

MAximilianus diuina fauente clementia electus Romanorum Imperator, semper Augustus, Germaniæ, Hungariæ, Dalmatiæ &c. Rex, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ &c. Comes, Palatinus &c. Tenore præsentium recognoscimus, & profitemur: Quod cum inter alia quæ nobis curæ, cordiq; sunt, summopere cupiamus uera, syncera, atq; fraterna unione cæteris Principibus Christianis cõiungi, ac quantũ in nobis est, oẽs ad sanctæ pacis & cõcordiæ fœdera reducere, & cohortari: ut tandẽ concordib. armis & uiribus Christianis ferocissimi eiusdem nominis hostes debellari, & exterminari possent: Vt hinc quieti, trãquillitati, ac stabilimẽto uniuersæ religionis ad incrementũ & propagationem Christiani nominis consuleretur.

Cumq; Sereniss. dñs Rex Poloniæ in ea semper uoluntate fuerit, ut cum Sacra Imperiali Maiestate in optima amicitia & beneuolentia fraterna uiuat, & maneat: suamq; Maiestatẽ tanq; fratrem maiorem & consanguineum charissimum etiam obseruet, ac ueneret: Placeat igitur Maiestati nostræ Cæsareæ, ut res & negotia inter eundem Sereniss. Poloniæ Regem, & Magistrum Prussiæ, ac Ordinem suum, in ea forma & modo remaneant, quemadmodũ extant utrinq; conscripta, & obseruabãtur ab annis retroactis tempore fœlicis memoriæ Friderici Imperatoris, & Sereniss. dñi Regis Kazimiri. Nec Magistrum Prussiæ, eiusq; Ordinẽ subtrahere uolumus ab his quæ debent suæ Serenitati, & Regno Polon. & quæ prædecessores eius Magistri faciebant, neq; auxilium, neq; consiliũ ei præstabimus in damnum & detrimentum suæ Serenitatis & Regni sui. Item quod ad Ciuitates Gdaneñ. & Elbingeñ. attinet quæ hactenus bannis & alijs modis Iuri Sereniss. Regis & Regni Polo. noxijs grauabantur, Nos ex nunc iã easdem Ciuitates ab ijsdẽ bannis absoluimus, & liberos esse decernimus, ac idipsum Iudicio Cameræ nostræ Imperialis Literis nostris denunciabimus. Mandabimusq; ut easdem Ciuitates à præteritis bannis absolutas dimittat, & in futurum ex quibuscunq; causis ad cuiuscunq; instantiam nunquam eas audeat bannire, uel quouis modo infestare: nullumq; Iudicium contra easdem Ciuitates & earũ similes à nostra Imperiali Iudicij Camera deinceps institui, & fieri permittemus. Quos duos articulos nos summa fide promittimus inuiolabiliter obseruare, adimplere, & exequi, neq; illis quoquo modo contrauenire. Harum testimonio Literarũ nostrarum, Sigilli nostri Imperialis munitione roboratarum. Datum in Ciuitate nostra Viennen. die 22. mensis Iulij. Anno domini 1515.

Fragmentum Legationis Sigis. Regis ad Leonem X. Papam, & Carolum V. Imperatorem de bello Pruthenico iam uigente.

Ex Thorun. 21 Iulij 1520.

IN Summa S. & M. uestra accipiant. Introductum fuisse ipsum Ordinem ad Terras Prussiæ & loca ac ditionem illam ei à Principibus Poloniæ datam, hac conditione, ut se contra uim infidelium, quibus undiq; septi erãt, iuuaret: & cum illis una militaret. Qui firmatis illic rebus suis, & radicib. bene actis, cœpit sensim occupare latiùs Terras ipsorum Principum Poloniæ, & illos pro infidelibus armis impetere. Vnde cum multa essent utrinq; acta prælia, multi item tractatus & concordiæ secutæ, nihil tamen unquã adeò firmum & certum confici potuit, ut non Ordo ipse per omnem occasionem illud infringeret, ac uiolaret. Ad extremum post ingentem belli molem, quæ per Sereniss. olim Reges auum & parẽtem Maiestatis domini mei & Ordinem ipsum agitata fuit, qua tantum impendij fuit factum, tantum sanguinis Christiani fusum, quantũ nulla ratione possit æstimari: subsecuta fuit solennis concordia, Pauli secundi Sũmi Pontificis auctoritate, ipsiusq; Legati, ac aliorum Principũ medio. Quã etiã Ordo ipse sensim labefactare cœpit. Dehinc modernus dominus Magister nulla de causa totũ dissoluit, & irritum fecit.

Quocirca hic Ordo ad hoc unum fundatus esse uidetur, ubi ubi sit ut omnia misceat & per-

& perturbet. Sed cum illum olim Regna Hispaniæ & Angliæ ac nonnullæ aliæ gentes, uti rem noxiam penitus exterminarunt, nescimus quo fato nostro fit, ut nos soli qui pro tota re Christiana ingentem uim infidelium solis uiribus nostris arcemus, nec unquam ab hoc labore & bello requiescere possumus, hūc obicem domesticæ pacis habere, & tātam eius insolentiam perpeti cogamur: ne liceat nobis citra inuidiam quod licitum est in alijs, hanc calamitatem uel excutere, uel saltē compescere. Verum confidimus uirtuti S. & Maiestatis uestræ quod si nostram & Illust. Domini Nepotis nostri cōiunctionem & officia cordi habent, si rectè statui Christiano consultum iri, & eum ab infidelibus defendi cupiunt, cum quibus, utcunq; hic distinemur, milites tamen nostri quos in illis finibus habemus assiduè & fœliciter dimicarit, operam & fauorem suum nobis præstabūt, quo tandem hac molestia & impedimento domestico carere, & arma nostra pro commodo rei Christianæ liberius exercere possemus.

Leo X. PP. Sigismund. I. Regi Poloniæ.

CHarissime in Christo fili Salutem & Apostol. Bened. Dilectus filius Iohannes Theobaldus Ciuis Florentinen. quem, & uenerabilem fratrem Zachariam Episcopum Gardien. Nuncios nostros aliâs ad Maiestatem tuam destinauimus, nuper ad nos reuersus, nobis retulit, quo amore & quanta humanitate Regia Maiestas tua eos uenientes exceperit, ac semper tractauerit, ipsumq; deinde recessurum benignè ac liberaliter dimiserit. Quod ut nobis gratum & acceptum fuit, ita ualdè & supra modum displicuit, ab eodem Iohanne intellexisse, bellum inter te & dilectum filium Albertum ex Marchionibus Brandeburgen. hospitalis domus beatæ Mariæ in Prussia Magnum Magistrum bellum, quod pluribus Literis ac monitionibus per dictos & alios Nuncios nostros utriq; uestrûm nostro nomine factis, extinctum, uel saltem sedatum, ac sopitum esse credebamus, adeò recrudescere cœpisse, ut inde populorum strages, & deuastationes ac innumera scandala qualia pluribus ab hinc annis acciderunt magnoperè timenda sint, ac formidanda. Et nobis quidem persuademus Maiestatem tuam ad huiusmodi bellum, ex quo nulla laus, uel utilitas sperari: ignominia uerò & ingens damnum formidari debet, inuitam trahi à bellis illis contra infideles & Schismaticos, ex quibus maximam & immortalem gloriam sibi comparauit: Non possumus tamen solitam eius mā suetudinem ac bonitatem non desiderare, erga eum præsertim, quem filij loco habere, & cuius iuueniles impetus patientia quadam potius & cōsilij maturitate delinire deberet, quam ui frangere ac non sine magna rerum propè omnium confusione destruere.

Quanquam si uera sunt, quæ nobis nunciantur, & quæ uix credere possumus, ipsum uidelicet Albertum non suos tantum, sed complures alios Germaniæ populos pro se cōtra Maiestatem tuam conuocasse, ac tantum comparasse exercitū, ut illi uix resistere possis, quin Regni tui Ciuitates, & loca Tartaris ac Moscouitis, alijsq; infidelibus, & Schismaticis confinia solitis ac necessarijs præsidijs quasi denudare cogaris, propter quod Maiestas ipsa tua non nullam irascendi ac uim ui repellendi causam habet. Ac propterea ipsum Albertum per alias nostras ad pacem, & concordiam cum Maiestate tua incūdam seriò monemus. Præterea ad Charissimum in Christo filium nostrum Carolum Rom. ac Hispaniarum Regem Catholicum, in Imperatorem electum scribimus, eum hortantes ut pro concordia inter uos componenda laborare, eamq; per Oratores suos procurare uelit, ac etiam dicto Zachariæ Episcopo & nuncio committimus, ut pro eadem pace cō ponenda nostro nomine operari, atq; efficere debeat: Speramusq; Omnipotentem Deum sua clementia permissurum fore, ut pia desideria nostra non alio quam ad publicam totius Christianitatis pacem & quietem, eiusq; sanctæ fidei conseruationem & exaltationem tendentia fœlicem sortiantur euentum. Quod autem ad Maiestatem tuam attinet te fili noster charissime hortamur, ac per uiscera misericordiæ Dei nostri rogamus, ut si ulla unquam in re prudentiam, æquitatem, ac mansuetudinem tibi à natura insitas ostendisti, nunc illis erga Nepotem tuum uti uelis: ac satis habens Regnum tuum defendere, ac tutari: nolis ulterius progredi, ac eiusdem Alberti fines ingredi temperes, ac abstineas: non ignarus potiorem ac magis Regiam uirtutem esse iniuriarum obliuisci, quam eas ulcisci uelle: ac ex omnibus uictorijs nullam maiorem esse quam se ipsum uincere. Tua igitur Maiestas ita se gerat, ut quemadmodum omnes singularem eius uirtutem & præclara gesta iure ac merito prædicant, ueris q; præconijs & laudibus in cœlum tollunt, ita etiam eiusdem pietatem & continentiam atq; animi moderationem dignis ac ueris laudibus prosequantur. Quod si Maiestas tua ut speramus, fecerit, magno cęteris Principibus

exemplo erit: qua ipsi etiam temperantia ac modestia uti debeant. Et coram Christo Redemptore nostro, qui in ligno crucis pendens Deum patrem pro crucifigentibus se rogauit non paruum sibi meritum acquiret. Nobis insuper, qui eam tanquam peculiarem filium nostrum in uisceribus charitatis semper gessimus, rem gratam & nunquam obliuiscendam faciet. Datum Romæ die 26. Decembris. Anno Domini 1521. Pontificatus nostri Anno 8.

Ad Sig. Legatio Orator. Car. V. Cæsar.

SErenissime Rex. cum Maiestas Cæsarea non ignoret, quanto studio & amore Maiestas uestra quondam fœlicis memoriæ diuum Cæsarem Maximilianum auum suum colendissimum, ipsamq; inclytam domum Austriæ sit prosecuta: Nõ sine graui animi displicentia & perturbatione Maiestas Cæsarea, perniciosum istud bellum inter Maiestatem uestram, & Albertum Principem Magnum Prussiæ Magistrum nuper exortum accepit: Cum ob eius fraternum in Maiestatem uestram amorẽ, & eius fœlicitatem, & prosperitatem haud secus atq; propriam semper exoptat. Tum quod Magno Magistro sine Principum & totius Nobilitatis Germaniæ offensa, qui illi, atq; eius Ordini plurimũ sunt affecti: atq; ex debito officij sui penitus deesse uix possent. Quibus accedit huius belli immanitas atq; crudelitas, eo quod inter Christianos & eos qui tam arctissimo sanguinis uinculo coniuncti sunt geritur. Nec minus etiam Respub. Christiana ex hoc bello patitur dispendij ac detrimenti. Quippe cum in occulto non sit quam late hinc Mosci & Tartari, illinc Turcæ & Valachi amplissimam Maiestatis uestræ ditionem ambiant, eiusq; fines confingant, sitibundis faucibus illis perpetuò inhiantes, immanissimæ atq; insatiabiles bestiæ, omnibus mortalibus infensi, ac perpetui Christiani nominis hostes, cum quibus quam strenuè atq; fœliciter Maiestas uestra sæpenumero sit congressa, ijsdemq; potentissimis hostibus sese, Regniq; sui uires ueluti totius Christiani Orbis antemurale & unicus propugnator obiecerit, eos non sine suorum sanguine sudeta, & paruis copijs innumeros illorum exercitus Christo duce prostrauerit & profligauerit, tot insignes Maiestatis uestræ uictoriæ non sine eius celeberrima fama & nomine atq; immortali gloria latè per uniuersum orbem sparsa uberius testantur: Inde fit, quod talem ac tantum Principem de Repub. Christiana optimè meritum à tam honestis, & fœlicibus Rerump. studijs atq; successibus ad priuata atq; intestina bella trahi, hoc est, uniuersorum salutem & commodum priuatis contentionibus turbari atq; impediri Christianorum arma paulò antè hostibus suis formidabilia & perniciosa nunc inter sese dimicare, & quæ prius in hostem exercebantur, nunc in fratrem Christianum sæuire, quis non doleret? quis non detestaretur? quis Reip. Christianæ casum in tanto discrimine satis deplorare posset? arrectis auribus & uotis intentus nunc est Tartarus ueteris cladis à Maiestate uestra receptæ haud immemor atq; ultionis sitibundus, exitum rei cautius obseruat Moscus, expectat hoc idem Turca & Valachus, ut concisis ac debilitatis intestinis inter se bellis Christianorum uiribus infusa barbarorum suorum multitudine fractos & inualidos obruant, & maiore spe ac minore sui periculo penitùs excindant.

Hic bellorum Christianorum tam expectatus finis, hæc illa insignis, pro qua certatur gloria, hæc tam opima Christianis detracta spolia, paulò post etiam hostibus suis præda futura: Quamuis Deus sua misericordia (ut precamur) hæc mala longius abesse faciat. De humanis tamen casibus humano more loqui aliquando præstat. Nec satis probè rebus suis consulunt, qui arridenti fortunæ, & potentiæ suæ fiducia freti, ac tutiores sibi uisi, quouis periculi contemptores, aduersantis fortunę impetum (quæ dicto citius subinde mutatur) non formidant, non obseruant, non latè prospiciunt. Quod sæpe cum multorum pernicie bellorum docuere euentus: quorum ut initia feruida, & spe uictoriæ tumida, ita exitus solent esse uarij & incertissimi, hæc apud se Maiestate Cæsarea altius pensante, & perniciem quæ & priuatis, & publicis rebus ex hoc bello oriri posset accuratius animo uersante, uisum est, & pro fraterno suo in Maiestatem uestram amore, & qua in Rempub. afficitur sollicitudine, posteaquam nunc Deo aspirante Imperij Coronam & moderationem fœliciter suscepisset, nihil amplius temporis prætermittere, sed præsenti malo auctoritate sua interposita occurrere, & ad huius belli incendia restinguenda omnem curam impendere sese debere, ne recens malum longius serpat, & grauior uis belli ingruat. Quandoquidem serò adhibita remedia nonnunquam soleant esse difficiliora, & minus utilia: uoluitq; eius rei causa nos ad M. uestram proficisci, ut una cum Serenis. Hungariæ & Bohemiæ Regis Oratoribus etiam ad hunc finem ad Maiestatem uestram destina-

destinatis, negocium istud suæ Cæsareæ Maiestatis nomine soliciti curaremus, & quantum fieri posset, Deo annuente, ad tranquillos exitus, & honesta media pacis, uel induciarum reduci studeremus.

Hortatur igitur eam ob rem Maiestas Cæsarea, quo maiore studio potest Serenitatem uestram, uelit suæ Cæsareæ Maiestatis & Reipub. contemplatione arma deponere, & ijs tractatibus locum dare, publicumque commodum suo priuato anteferre, utcunque etiam iusta forte causa ad hoc bellum suscipiendum sibi uideatur, prouocata, plus etenim gloriæ & laudis apud uniuersos sibi pariet, si ueluti Christianis Princeps, quod nomen etiam usque nunc immaculatum apud cũctos retinuit, ab ijs, quæ forte sibi licere existimat, Reipubl. amore abstinuerit: omnes Maiestati uestræ plurimum debebunt, quæ omnium cõmodis sua posthabuit. Erit quoque istud perpetuum uirtutum suarum etiam apud posteros monumentum, quando honestis conditionibus inita cum Magno Magistro pace, ad priora & intermissa bellorum studia contra inimicos fidei reuertetur, in quibus arcendis & subigendis plus ad uictoriam procul dubio à Deo auxilij & fauoris à Christianis Principibus est habitura. Talis triumphus Maiest. uestram adhuc manet, hæc erit uictoria Maiestate uestra, & tam Christiano Principe digna, quæ non Christianorum, sed eorundem hostium sanguine fuso apud cunctos mortales clara & celebris habeatur, & à Deo, in hac uita fœlicem Regni moderationem cõsequatur, & alibi æternis præmijs & perpetua immortalitatis Corona donetur. Dabitque Maiestas uestra maiorem ac certiorem Maiestati Cæsareæ de se spem atque expectationem quoduis fraternum officium ab ea posse impetrari, quando in hac re, qua nihil optatius nunc habet, honestis ac fraternis uotis suis se uidebit minime frustratam. Hoc tametsi Maiestati uestræ, Principi alioquin & pace, & bello clarissimo atque expertissimo, & cui diuina quædam insita est prudentia, omniumque uirtutum consumata integritas, à M. Cæsarea Principe adolescente persuaderi forte superuacaneum uideri possit: fraternus tamen amor & uehemẽs in M. uestram studium diutius silere non potuit, atque solicita in Rempubl. cogitatio M. suam Cæsaream impulit, ut ei consilium daret, à quo accipere & petere deberet: atque ea suaderet, quæ non tã existimaret esse ex Maiestatis uestræ re & dignitate, quam ex totius Reip. Christianæ salute, necessitate, & tranquillitate. Ad hæc, si uti M. Cæsareæ est firma spes atque expectatio, Maiestas uestra animum applicare & fraternis suæ Cæsareæ M. exhortationibus acquiescere uoluerit: nunc, aut quocunque alio tempore opportuno, quæ ad præsens negotium spectabunt, iuxta commisionem nostram Maiestati uestræ latius declarabimus, & exponemus, intellectaque circa hæc M. uestræ deliberatione. ad Magnum Magistrum Prussiæ nos recipiemus: pariter huic Maiestatis Cæsareæ mandata, uoluntatem, & in rescindendo hoc bello desiderium declaraturi, & alia iuxta commissionem nostram acturi: sperantes excellentiam suam & Maiestatis Cæsareæ uoluntatem, & honesta media pacis, & induciarum nequaquam spreturam.

Quantum uero ad nos attinet, & si cognoscamus hanc rem grauem atque difficillimã ingeniorum nostrorum uires longe excedere, postquam tamen M. Cæsareæ nobis hanc prouinciam imponere placuit, eo alacriore animo hanc utcunque grauem suscepimus, quo seruitutis nostræ deuotionem M. uestræ in hac re ostendere ex animo desideramus. Nihil studij & laboris, quantum ingenium nostrum consequi potest & negotia ipsa admittent prætermissuri: quo M. uestræ dignitati & commodo quam maxime consulatur. Deum Opt. Max. omnibus uotis precan. dignetur huic negotio suam misericordiam aspirare, & fœlicibus auspicijs fœliciores tribuere successus. & exitus: ut tandem concordibus armis & animis Christiani Principes inter se conueniant, in exterminium & perniciem hostium sui nominis, atque stabilimentum ac incrementum & perpetuam tranquillitatem suæ Reipublicæ Christianæ.

Carolus V. Rom. Cæsar Alberto Marchioni Brandeburgen. Magistro Cruciferorum in Prussia.

VEnerabilis Princeps, cõsanguinee charissime: Cum nos nutu Dei Opt. Max. à quo omnia fiũt cõmunibus Principũ Electorũ suffragijs in Regẽ Romanorũ, futurũque Imperatorẽ electi simus, nostri officij esse duximus, pacem & concordiã Christianorũ Principũ procurare: quo facilius cõcordib. armis atque animis expeditio cõtra Christiani nominis hostes suscipi posset. Et cũ intelligamus inter Serenis.

Regem Poloniæ fratrem nostrum charissimum,& deuotionem tuam super Iuramento quodam præstando non nihil differentiæ adesse: cuperemus plurimum huiusmodi discordiam sedari,præsertim cum edocti fuerimus Cæsaream M. præclatissimæ memoriæ dominum atque auum nostrum colendissimum ad te quoque super ea re Literas dedisse: Quapropter hortamur deuotionem tuam magnopere, ut dicto Sereniss.fratri nostro debitum,& præsertim quod prædecessores tui Regibus Pol.præstare soliti sint,etiam præstes,& te erga eum ita exhibeas,ut iunctis armis illhic fidei hostibus occurrere, & terrori esse possitis:& si quid forsan dissidij inter eundem Regem & te adhuc remanserit, daturi sumus operam cum primum in Germaniam uenerimus, quod dante Deo prope diem futurum speramus,ut huiusmodi inter uos quæstio amice & pro dignitate utriusque componatur. Quare nobis pollicemur,quod pro tua & fratrum tuorum in nos obseruantia, nobis in hac re satisfacies:quod quidem erga deuotionem tuam uniuersumque illum Ordinem benignè & omni gratitudine recognoscemus. Datum &c.

Pax perpetua inter Sigism.I. Regem & Regnum Pol. & Magistrum Prussiæ,eiusque Ordinem Crucifericum Cracou. 1525. confecta.

IN nomine Domini amen. Ad perpetuam rei memoriam,omnium rerum quæ sempiternæ sunt futuræ,nulla firmitudo certior exrogitari potest,quam ea quæ fit Literarum monumentis prodita ad memoriam posteritatis. Cætera enim facta humana, quantumcunque memorabilia,alijs modis quam Literis æternitati consecrata,aliquot quidem seculorum decursu durare possunt:Quæ uerò Literarum officio memoriæ mandantur,nunquā intereunt,ipsaque uetustate fiūt augustiora.Proinde nos Sigismund. Dei gratia Rex Pol.Magnus Dux Lithuaniæ,necnon Terrarum Cracouiæ,Sandomiriæ,Siradiæ,Lanciciæ,Cuiauiæ,Russiæ ac omnium Terrarum Prussiæ,Pomeraniæ,&c.dn̄s & hæres,Manifestum facimus uniuersis:Quia cum acta essent plurima bella inter prædecessores nostros Reges & Regnū Pol.ac Magistros & Ordinem dictum S. Mariç Theutonicorum in Prussia:de proprietate ipsarum Terrarum Prussiæ certantes, eaque non penitus extincta inter nos,& Illustrem dominum Albertum Marchionem Brandeburgen. & Magistrum ipsius Ordinis recruduissent,cum magno Reipub.Christianæ incommodo & detrimento:Proindeque & Summus Pontifex, & Cæsarea M. Serenissimusque Nepos noster dn̄s Ludouicus Hungariæ & Bohemiæ Rex,nos ad ineundas quadriennales inducias & arbitralem cognitionem subeundam hortati essent & induxissent : Qua demum magnis impedimentis non secuta,& tempore Induciarum expirante,uenissent ad nos Illustres Principes dn̄s Georgius Marchio Brandeburgen. in Silesia Ratiborien. Iagensdorff:in Prussia Stetinen. Pomeraniæ,Cassubarum,Sclauorum, Dux: Burgrabius Nurembergen.& Princeps Rugiæ.Et Fridericus Dux Legnicen.& Brigen. ac inferioris Slesię Capitaneus necessarij & affines nostri charissimi de pace & concordia stabili ac firma sedulò agentes.Tandem post multos tractatus & rationes utrinque expensas ad infrascriptas conditiones & capitula ipsius pacis & concordiæ deuenimus,omniaque & singula condiximus & utrinque firmauimus in hunc qui sequitur modum.

In nomine Sanctæ & indiuiduæ Trinitatis Amen.Nos Georgius Dei gratia Marchio Brandeburgen.in Silesia Ratiborien.Iagendorff,in Prussia Stetinen.Pomeraniæ,Cassubarum,Sclauorum &c. Dux,Burgrabius Nurembergen.& Princeps Rugiæ. Et nos Fridericus eadem gratia Dux Legnicen.& Brigen.ac inferioris Slesię Capitaneus recognoscimus & significamus omnibus & singulis præsentem concordiam seu contractum uisuris,audituris,siue lecturis.Quia nos ex infrascriptis sequentibus rationibus, quæ nos tanquam Principes Christianos promouerunt,eandem sequentem concordiam & contractum inter Sereniss.& excellentissimum Principem & dominum, dominum Sigism. Regem Pol.& suæ Maiestatis hæredes,& successores Reges Regni Pol. ex una, & Illustrissimum Principem & dn̄m dn̄m Albertum Marchionem Brandeburgen. Theutonici Ordinis generalem Prussiæ Magistrum,& eius Ordinem militarem Terrigenas & Ciuitatenses ex altera,partibus.cōcepimus,tractauimus,& composuimus. Et inprimis id præcipuè ac potissimū cōsiderantes,oēs dissensiones,bella,cōtentiones,& cōflictus inter Regiam M.& dn̄m Magistrum,eiusque Terrarum incolas hinc ortas & emanatas esse,eò quod non unus princeps hæreditarius omnium Terrarum Prussiæ gubernator hucusque ex-

que extitisset, dictaq; Prussia diuersorum Procerũ capitibus gubernata esset, unde Terrarum ipsarum Incolæ perniciosis inter sese bellis & contentionibus digladiabantur, & prælia commouebant: ex quibus magna effusio Christiani sanguinis, damnaq; & nocumenta incolis, orphanis, & uiduis plurima sunt illata. Similiter considerantes quod præfatus dominus Magister frater & auunculus ac sororius noster retroactis temporibus, quando Officio Magisterij fungeretur, multifarias fatigas & labores hucusq; subiuit apud omnes status Christianorum Principum, uidelicet Summos Pontifices, & Cæsareã M. sacrum Romanũ Imperium, & Electores Imperij, necnõ apud Nobilitatẽ Germaniæ, eosdemq; omnes sæpius requireñ. operam diligentẽ impendit, sperãs eosdem inuigilaturos, quo ipse seditiones & controuersiæ ac dissensiones secundum continentiam infrascriptæ perpetuæ pacis per Serenis. Maiestatẽ fœlicis record. Kazimiri Regis olim Thorunij cõfectæ, & iuxta cõpromissum in proximo quadriennio per Cæsareæ Maiest. & Regiæ Serenitatis Vngariæ Oratores in præsentia Sanctiss. dñi Leonis Papæ Legati &c. Thorunij factum cõponerentur & concordarentur, id tamen ex interuenientibus bellorũ motib. & cæteris uarijs admodũ arduis negocijs, quibus Cæsarea M. & Serenis. dñs Rex Hũgariæ hactenus implicuti ac distracti fuerũt, hucusq; impeditũ & indiscussum permansit: Nos tamen consideraũ. huiusmodi ordinationẽ optimam fuisse, cõpromissum paucis diebus ad finem & terminum ultimũ deducere studuimus. Nã ubi negocia indiscussa permansissent, formidandũ fuit ne R.M. & Regnũ Pol. ac Magister cũ Terris Prussiæ iterũ ad maiores armorum tumultus, prælia, & contentiones ac humani sanguinis effusionẽ redirẽt, in damnum & iacturã totius Reipubl. Christianæ. Ad præcauendũ igitur huiusmodi mala & incõmoda pacisq; studio intendentes, quo in futurum perpetua Christiana pax inter R. M. & eiusdem Maiestatis hæredes successores Regni Pol. Reges, & inter Magistrum Prussiæ & eiusdem Terrarũ Incolas utrinq; interuenire ac disponi possit: considerantes etiã quia & nunc Reuerẽdus dñs Stanislaus Præpositus Vesprimieñ. Serenis. Regis Hungariæ dñi, domini nostri clementissimi tanq; dicti compromissi arbitri internuncius pacis, ac missus Orator ad Sacrã M. Regiã Poloniæ ac Magistrũ Prussiæ fratrem & auunculum ac sororium nostrum, quo se ad concordiam & ipsum contractum per nos factum beneuole submitterent, & gratiose ac benigne eidem cõsentirent, rogauit & requisiuit: Nos tanq; mediatores, reconciliatores pacis, ex supra dictis causis & rationibus sequentes Articulos quos, salubri uiæ concordiæ intendentes, Christianos, decentes, idoneos cognouimus, inter Sacram M. Regiam, & dominum Magistrũ, utriusq; accedente consensu fecimus & disposuimus, & prout infrà continetur ordinauimus & cõfecimus. In primis, Quod omnes dissensiones in ijs bellis inter R. M. dñm Magistrum, Duces Mazouiæ, Episcopos Varmieñ. & Culmeñ. & cæteros omnes, eorumq; subditos exortæ, per sequentem transactionem in uniuersum sublatæ sint, & neutri Partium in malo reminiscendo imputari debent. Item quod Loca, Castra, & Oppida cum omnibus attinentijs & pertinentijs in his bellis utcunq; alias utrinq; intercepta cũ Bombardis maioribus quẽadmodum in prima occupatione Arcium & Oppidorum inuentæ sunt, restitui: Bombardæ etiã Vncales quas Hokenbuchs uocãt, eo pacto ut penes modernos Officiales restabant, similiter reddi debent. Si uerò quicq; Bombardarum maiorum deesset, debent Officiales per iuramenta interrogari, ut medijs eorum iuramentis dicant, quid illic inuenerint. Quod autem Bombardas in Castro Hollando demolito inuentas attinet, debent sine diminutione ad manus Illustris domini Marchionis Alberti restitui.

Præterea debent omnes & singuli ex Nobilitate, Ciuibus, & Colonis, omnis promissionis & iuramenti quibus præsentibus bellis aut citra alias circa hæc tempora à suis ad alienos dominos se contulerunt & obligarunt, liberi & soluti esse, & reputari.

Cæterũ quod ad neglecta seruitia attinet, debet à Regia Maiestate & Duce de Prussia, illis qui ea neglexerint ex gratia condonari, & bona seu possessiones eorum reddi. Cæterum quod liberos eorum attinet, qui condemnati ob perpetratum facinus pœnas dederunt, bona immobilia utrinq; reddantur, & patrum facinus honori puerorum nihil noceat nec apud quempiam in aliquo præiudicet.

Item debet Regia Maiestas illis de Neuumarkt, similiter Marchio Albertus Gilezenburgen. & Hoenstrinen. nec non omnibus Ciuitatib. Ecclesiasticis & Sæcularib. Nobilibus & Plebeis utriusq; partis subditis, qui ex timore defecerint, parcere & cõdonare: nullaq; indignatione reminisci, nec cuiquam ut hoc uindicat permittere: sed ex clementi uoluntate, sub utrisq; hinc inde sigillis & Literis sententiam ferre, quod hoc ipsis & liberis eorum in nullam dehonestationem, aut incommodum uergere debeat.

Item

Regem Poloniæ fratrem nostrum charissimum, & deuotionem tuam super Iuramento quodam præstando non nihil differentiæ adesse: cuperemus plurimum huiusmodi discordiam sedari, præsertim cum edocti fuerimus Cæsaream M. præclarissimæ memoriæ dominum atq; auum nostrum colendissimum ad te quoque super ea re Literas dedisse. Quapropter hortamur deuotionem tuam magnopere, ut dicto Serenіss. fratri nostro debitum, & præsertim quod prædecessores tui Regibus Pol. præstare soliti sint, etiam præstes, & te erga eum ita exhibeas, ut iunctis armis illhic fidei hostibus occurrere, & terrori esse possitis: & si quid forsan dissidij inter eundem Regem & te adhuc remanserit, daturi sumus operam cum primum in Germaniam uenerimus, quod dante Deo propè diem futurum speramus, ut huiusmodi inter uos quæstio amicè & pro dignitate utriusq; componatur. Quare nobis pollicemur, quod pro tua & fratrum tuorum in nos obseruantia, nobis in hac re satisfacies: quod quidem erga deuotionem tuam uniuersumq; illum Ordinem benignè & omni gratitudine recognoscemus. Datum &c.

Pax perpetua inter Sigism. I. Regem & Regnum Pol. & Magistrum Prussiæ, eiusq; Ordinem Crucifericum Cracou. 1525. confecta.

IN nomine Domini amen. Ad perpetuam rei memoriam, omnium rerum quæ sempiternæ sunt futuræ, nulla firmitudo certior excogitari potest, quam ea quæ fit Literarum monumentis prodita ad memoriam posteritatis. Cætera enim facta humana, quantumcunq; memorabilia, alijs modis quam Literis æternitati consecrata, aliquot quidem seculorum decursu durare possunt: Quæ uerò Literarum officio memoriæ mandantur, nunquā intereunt, ipsaq; uetustate fiūt augustiora. Proinde nos Sigismund. Dei gratia Rex Pol. Magnus Dux Lithuaniæ, necnon Terrarum Cracouiæ, Sandomiriæ, Siradiæ, Lanciciæ, Cuiauiæ, Russiæ ac omnium Terrarum Prussiæ, Pomeraniæ, &c. dñs & hæres, Manifestum facimus uniuersis: Quia cum acta essent plurima bella inter prædecessores nostros Reges & Regnū Pol. ac Magistros & Ordinem dictum S. Mariȩ Theutonicorum in Prussia: de proprietate ipsarum Terrarum Prussiæ certantes, eaq; non penitus extincta inter nos, & Illustrem dominum Albertum Marchionem Brandeburgen. & Magistrum ipsius Ordinis recruduissent, cum magno Reipub. Christianæ incommodo & detrimento: Proindeq; & Summus Pontifex, & Cæsarea M. Serenissimusq; Nepos noster dñs Ludouicus Hungariæ & Bohemiæ Rex, nos ad ineundas quadriennales inducias & arbitralem cognitionem subeundam hortati essent & induxissent: Qua demum magnis impedimentis non secuta, & tempore Induciarum expirante, uenissent ad nos Illustres Principes dñs Georgius Marchio Brandeburgen. in Silesia Ratiborien. Iagensdorff: in Prussia Stetinen. Pomeraniæ, Cassubarum, Sclauorum, Dux: Burgrabius Nurembergen. & Princeps Rugiæ. Et Fridericus Dux Legnicen. & Brigen. ac inferioris Slesiȩ Capitaneus necessarij & affines nostri charissimi de pace & concordia stabili ac firma sedulò agentes. Tandem post multos tractatus & rationes utrinq; expensas ad infrascriptas conditiones & capitula ipsius pacis & concordiæ deuenimus, omniaq; & singula condiximus & utrinq; firmauimus in hunc qui sequitur modum.

In nomine Sanctæ & indiuiduæ Trinitatis Amen. Nos Georgius Dei gratia Marchio Brandeburgen. in Silesia Ratiborien. Iagendorff, in Prussia Stetinen. Pomeraniæ, Cassubarum, Sclauorum &c. Dux, Burgrabius Nurembergen. & Princeps Rugiæ Et nos Fridericus eadem gratia Dux Legnicen. & Brigen. ac inferioris Slesiȩ Capitaneus recognoscimus & significamus omnibus & singulis præsentem concordiam seu contractum uisuris, audituris, siue lecturis. Quia nos ex infrascriptis sequentibus rationibus, quæ nos tanquam Principes Christianos promouerunt, eandem sequentem concordiam & contractum inter Serenіss. & excellentissimum Principem & dominum, dominum Sigism. Regem Pol. & suæ Maiestatis hæredes, & successores Reges Regni Pol. ex una, & Illustrissimum Principem & dñm dñm Albertum Marchionem Brandeburgen. Theutonici Ordinis generalem Prussiæ Magistrum, & eius Ordinem militarem Terrigenas & Ciuitatenses ex altera, partibus. cœcepimus, tractauimus, & composuimus. Et inprimis id præcipue ac potissimū cōsiderantes, oēs dissensiones, bella, cōtentiones, & cōflictus inter Regiam M & dñm Magistrum, eiusq; Terrarum incolas hinc ortas & emanatas esse, eò, quod non unus princeps hæreditarius omnium Terrarum Prussiæ gubernator hucusque ex-

que extitisset, dictaq; Prussia diuersorum Procerũ capitibus gubernata esset, unde Terrarum ipsarum Incolæ perniciosis inter sese bellis & contentionibus digladiabantur, & prælia commouebant: ex quibus magna effusio Christiani sanguinis, damnaq; & nocumenta incolis, orphanis, & uiduis plurima sunt illata. Similiter considerantes quod præfatus dominus Magister frater & auunculus ac sororius noster retroactis temporibus, quando Officio Magisterij fungeretur, multifarias fatigas & labores hucusq; subiuit apud omnes status Christianorum Principum, uidelicet Summos Pontifices, & Cæsareã M. sacrum Romanũ Imperium, & Electores imperij, necnõ apud Nobilitatẽ Germaniæ, eosdemq; omnes sæpius requireñ. operam diligentẽ impendit, sperãs eosdem inuigilaturos, quo ipse seditiones & controuersiæ ac dissensiones secundum continentiam infrascriptæ perpetuæ pacis per Serenis. Maiestatẽ fœlicis record. Kazimiri Regis olim Thorunij cõfectæ, & iuxta cõpromissum in proximo quadriennio per Cæsareæ Maiest. & Regiæ Serenitatis Vngariæ Oratores in præsentia Sanctiss. dñi Leonis Papæ Legati &c. Thorunij factum cõponerentur & concordarentur, id tamen ex interuenientibus belloiũ motib. & cæteris uarijs admodũ arduis negocijs, quibus Cæsarea M. & Serenis. dñs Rex Hũgariæ hactenus impliciti ac distracti fuerũt, hucusq; impeditũ & indiscussum permansit: Nos tamen consideraũ. huiusmodi ordinationẽ optimam fuisse, cõpromissum paucis diebus ad finem & terminum ultimũ deducere studuimus. Nã ubi negocia indiscussa permansissent, formidandũ fuit ne R. M. & Regnũ Pol. ac Magister cũ Terris Prussiæ iterũ ad maiores armorum tumultus, prælia, & contentiones, ac humani sanguinis effusionẽ redirent, in damnum & iacturã totius Reipubl. Christianæ. Ad præcauendũ igitur huiusmodi mala & incõmoda pacisq; studio intendentes, quo in futurum perpetua Christiana pax inter R. M. & eiusdem Maiestatis hæredes successores Regni Pol. Reges, & inter Magistrum Prussiæ & eiusdem Terrarũ Incolas utrinq; interuenire ac disponi posit: considerantes etiã quia & nunc Reuerẽdus dñs Stathius Præpositus Vesprimieñ. Serenis. Regis Hungariæ dñi, domini nostri clementissimi tanq; dicti compromissi arbitri internuncius pacis, ac missus Orator ad Sacrã M. Regiã Poloniæ ac Magistrũ Prussiæ fratrem & auunculum ac sororium nostrum, quo se ad concordiam & ipsum contractum per nos factum beneuolẽ submitterent, & gratiosẽ ac benigne eidem cõsentirent, rogauit & requisiuit: Nos tanq; mediatores, reconciliatores pacis, ex supra dictis causis & rationibus sequentes Articulos quos, salubri uiæ concordiæ intendentes, Christianos, decentes, idoneos cognouimus, inter Sacram M. Regiam, & dominum Magistrũ, utriusq; accedente consensu fecimus & disposuimus, & prout infra continetur ordinauimus & cõfecimus. In primis, Quod omnes dissensiones in ijs bellis inter R. M. dñm Magistrum, Duces Mazouiæ, Episcopos Varmieñ. & Culmeñ. & cæteros omnes, eorumq; subditos exortæ, per sequentem transactionem in uniuersum sublatæ sint, & neutri Partium in malo reminiscendo imputari debent. Item quod Loca, Castra, & Oppida cum omnibus attinentijs & pertinentijs in his bellis utcunq; alias utrinq; intercepta cũ Bombardis maioribus quemadmodum in prima occupatione Arcium & Oppidorum inuentæ sunt, restitui: Bombardæ etiã Vncales quas Hokenbuchs uocãt, eo pacto ut penes modernos Officiales restabant, similiter reddi debent. Si uerò quicq; Bombardarum maiorum deesset, debent Officiales per iuramenta interrogari, ut medijs eorum iuramentis dicant, quid illic inuenerint. Quod autem Bombardas in Castro Hollando demolito inuentas attinet, debent sine diminutione ad manus Illustris domini Marchionis Alberti restitui.

Præterea debent omnes & singuli ex Nobilitate, Ciuibus, & Colonis, omnis promissionis & iuramenti quibus præsentibus bellis aut citra alias circa hæc tempora a suis ad alienos dominos se contulerunt & obligarunt, liberi & soluti esse, & reputari.

Cæterũ quod ad neglecta seruitia attinet, debet à Regia Maiestate & Duce de Prussia, illis qui ea neglexerunt ex gratia condonari; & bona seu possessiones eorum reddi. Cæterum quod liberos eorum attinet, qui condemnati ob perpetratum facinus pœnas dederunt, bona immobilia utrinq; reddantur, & patrum facinus honori puerorum nihil noceat: nec apud quempiam in aliquo præiudicet.

Item debet Regia Maiestas illis de Neuumarkt, similiter Marchio Albertus Gilezenburgen. & Hoenstrinen. nec non omnibus Ciuitatib. Ecclesiasticis & Sæcularib. Nobilibus & Plebeis utriusq; partis subditis, qui ex timore defecerint, parcere & cõdonare: nullaq; indignatione reminisci, nec cuiquam ut hoc uindicat permittere: sed ex clementi uoluntate, sub utrisq; hinc inde sigillis & Literis sententiam ferre, quod hoc ipsis & liberis eorum in nullam dehonestationem, aut incommodum uergere debeat.

Item

Item quod ad Ecclesiasticorum bona & Iurisdictionem attinet, debet Dux Prussiæ ad requisitionem Ecclesiasticorum unicuiqꝫ iustitiam, ut Christianum æquum & iustū est, administrare. Cæterum bona reditus & census sub Duce Prussiæ siti Episcopatum Varmień. uel eosdem Ecclesiasticos attinens, debent uicissim ex omni parte restitui. Si uerò Dux uel Nobiles sui curatos, uel alios in Ecclesiastica beneficia collocare uellent, qui hominibus Christianè prouiderent, eos Episcop. iuxta antiquam consuetudinem instituere ac inuestire debet.

Item si possent Domini Pontifices constanter docere. Quod Ecclesiastici in Terris domini Ducis commorantes secus quam Christiani ac contra ordinationem & constitutionem uniuersalis sanctæ Ecclesiæ Christianæ se gererent: debet dominus Dux una cum dominis Episcopis iuuare, ut tales debita castigatione emendentur.

Item si quispiam Ciuium aut Rusticorum duos annos antè proximè gestum bellum usqꝫ huc domino suo se subduxisset, & absqꝫ uoluntate eius aufugisset, repertí debent dominis suis sine omni medio restitui, & exinde nulla partium alterutri suos detinere. Qui autem ui ab utraqꝫ parte abacti sunt, ij debent publicis mandati Literis ad dominos suos dirigi, seu remitti.

Item debet dominus Albertus Marchio R.M. & Regno Pol. Iuramentum, uti naturali & hæreditario domino suo, præstare: & se in posterum erga eius R.M. in omnibus sicut Principem Vasallum erga dominum suum hæreditarium de Iure decet obedientem exhibere. Debet præterea Marchio Georgius suo & fratrum nomine uexillum contingere. Debent similiter Marchiones Kazimirus & Iohannes Sigillis & Literis suis intra annum huiusmodi contractum agnoscere, & acceptare.

Item debet Regia Maiestas ex aduerso Marchioni Alberto infrascriptas Terras, Ciuitates, Castra, & Vicos uidelicet tria Oppida & Castrum Konigsbergk. Lochsteten, Vargen, Girmauu, Pubetten, Rudauu, Schokken, Kaymen, Kremitten, Vuldauu, Tapiauu, Taplauuken, Narbetten, Insterburgk, Allēburgk, Vensteruu, Gordauen, Angerburgk, Mordenburgk, Labiauu, Lauukisten, Tilsseth, Ragner, Rossiten, Vinthergk, Mymel, Brandemburg, Kreuuczburg, Fredlant, Demenauu, Bartten, Letzen, Balge, Heylige, Beyhell, Zintten, Lauudsbergk, Preuscheuulauu, Bartenskyn, Scheften, Saynsburgk, Reynn, Rastenburgk, Lieck, Iohansburgk, Hollandt, Liebstadt, Mulhauusen, Mormige, Passenheym, Ortelsburgk, Osterode, Hogenstayn, Neidenburgk, Soldauu, Ilgenburgk, Schippenbeil, Teuuschstheylauu, Preuuschmargk, Lubemul, Salffelt, Risemburgk, Marienuerder, Tirembergk, Labtauu, Schonbergk, Bouunden, Iorgenburgk, Resenburgk, Gordensche. Neuuhaus, Freyenstadt, Solauu, Visschhausen, Bisschouuuerder, Meuenauu, tanquam Duci in Prussia in legitimum & hæreditarium feudum conferre, & eiusmodi infeudationis Literas ab uno fratre ad alium & eorum hæredes tanquam super indiuiso feudo iuxta tenorem transactionis conficere.

Item si quando memorati quatuor Principes & Marchiones Albertus, Georgius, Kazimirus, Iohannes, & eorundem legitimi feudi hæredes omnes sine legitimis feudi hæredibus decederent, tunc & non antea debent suprascriptæ Terræ Prussiæ ad R. M. & Regnum Polon. hæreditariæ redire & recidere. Si uerò filiæ superessent hæc debent Ducalis dotis pecunia à Regia Maiestate absolui & prouideri.

Item debet R.M. Marchionem Albertum suos hæredes & omnes incolas supra scriptarum Terrarum Prussiæ in eorum priuilegijs huic transactioni & superioritati Regiæ Maiestatis non repugnantibus, conseruare: & alias ab iniqua uiolentia defendere & manutenere.

Item debent tam Ordinis quam Nobilitatis & Ciuitatum prædictarum Terrarum Prussiæ Mandatarij Nuncij pro se, hæredibusqꝫ & successoribus suis consentire, & inscribere, quod seipsos, hæredesqꝫ & successores suos post obitum quatuor prædictorū Principum & suorum legitimorum feudi hæredum ad R.M. & Regnum Polon. ac ipsius hæredes debita fidelitate & subiectione uti ad eorum naturalem ac hæreditarium dominū, & nullum alium tenere debeant, & uelint. Ita deniqꝫ quod Regia Maiestas suprascriptas Terras Prussiæ cum aliquo linguam Germanicam callenti, & in eodem Ducatu benè possessionato, qui omnia officia administret, procurare debeat. Et si Maiestas Regia Consiliarios suos deputauerit, quod Nobiles & Ciuitates Ecclesiastici & Sæculares omniū Ordinum Terrarum Prussiæ Duci ex Prussia Iuramentum præstare debeant, quod tunc ex singulis Districtibus duo ex Nobilitate, ac Ciuitatibus nomine aliorum omnium, quemadmodum hic præsentes se inscripserunt, Literis quoqꝫ & Sigillis suis huiusmodi

concor-

concordiam recognoscere debebunt,& quum Principi de Prussia Iuramentum præstabunt,quod tunc medio huiusmodi eorum præstitio iuramento,etiam hanc concordiam se seruaturos promittant.

Item quod Princeps de Prussia primum & proximum locum in Consilijs, Terrarum Comitijs,& publicis conuentibus apud R.M.habere debet.

Item quod Princeps ex Prussia,hæredesq; & successores Principes ex principatu & Terris Prussiæ prædictis nihil uendat:uerum si ad hoc ingens urgeret necessitas, debebūt hoc Regiæ M.tanq; dño suo hæreditario ante unū annū prius denunciare. Quod si Maiestas sua emere nollet,extunc ipse Princeps uendendi habeat potestatem: Regalib. tamen Regiæ M.feudi & obsequiorum iuribus saluis. Et præterea si Dux ipse Prussiæ urgente necessitate pignoreretur,poterit Arces & Oppida sua Vasallis suis locare & impignorare ut eædem Terræ unitæ & indiscissæ quemadmodum nunc sunt,permaneant.

Item quod ad obsequium attinet,ex quo Terra Prussiæ in magnum detrimentū peruenit,promisit R.M.Marchioni Alberto sex annorum libertatem se ex gratia daturam. Vbi autem Regia M.& Regnum Pol.à quibuslibet cuiusuis dignitatis aut conditionis illi fuerint,occasione huius transactionis & concessionis feudi impugnaretur : extunc Dux in Prussia cum successoribus in propria persona una cum omnibus suis subditis p summis uiribus Regiam M.etiam intra hoc sex annorum libertatis spacium adiuuare & illi consulere sit obligatus.Similiter Regia M.& Regnum Poloniæ erga Ducem in Prussia & ipsius Terras in hoc casu facere debebit.

Si autem cōtingeret quod Regia M.aut Regnum Pol.extra hunc cōtractum ab infidelib.& aliàs urgeretur,& Regia M.Pol.in propria persona cum omnibus suis subditis in Castra proficisceretur:tunc Dux in Prussia cum successoribus suis obligatus esse debet Regiā M.cum centum instructis equis,usq; ad terminos Terrarum Prussiæ insequi.

Si uero Dux in Prussia à Regia M.ultra fines transire requisitus fuerit, extunc huiusmodi centum equites instar aliorum Maiestatis suæ equestrium militum Regijs stipendijs militare debebunt.Casu autem quo Regia M.urgenti necessitate plures quam centum equites à Duce in Prussia educi desideraret,quotquot centenarium numerum excesserint,à tempore exitus domiciliorum suorum,Regio stipendio,ut præmissum est,militabunt.Si uero in facultate Ducis ex Prussia non fuerit plures quàm centum equites educendi,non debet propterea ipsum Maiestas Regia ulterius urgere.

Item quod ad Iurisdictionem inter Regiam M.& Principem Prussiæ attinet,ita obseruandum est,si contingat quod R.M.Principem,aut uicissim Princeps ipse R.M.in causis personas utriusq; partis concernentibus conuenire uellet,debet Maiestas Regia Consiliarios suos Marienburgi aut Elbingi collocare,Iuramentisq;,quibus suæ Maiestati obnoxij sunt absoluere,& rursum ad iustè iudicandum obligare.Et quicquid tunc a prædictis Consiliarijs Regiæ M.& Principi pronunciatum & decretum fuerit,ratum esse debebit,& sine contradictione seruari.

Si uerò quispiam de sorte seu conditione Principis Sæcularis, aut Ecclesiastici status in Prussia supradictum Principem de Prussia super quauis re conuenire prætēderet,debebit M.Regia sex ex Consiliarijs suis & Princeps in Prussia totidem ex suis ad Iudiciū, ut præmittit,obligare,& Iuramentis astringere.& quicqd ipsi æquū esse decreuerint, & pnunciauerit,ei utraq; Pars acqelcere,& sine ulla tergiuersatiōe id ratū habere debebit.

Si autem aliquis qui de sorte Principum non fuerit,contra Ducem in Prussia quampiam actionem instituere uellet,hoc coram Vasallis Principis facere debet, quos Princeps ipse collocare,& ad Iudicium obligare tenebitur.Si quis autem occasione huiusmodi Iudiciorum in casibus Principis personam attingentibus sibi iniuriam factā,aut se grauatum existimaret esse,poterit ad Consiliarios(quos R.M.& Dux in Prussia quotannis ad festum S.Frācisci,cum id necessitas exigerit Marienburgum mittere debebunt) prouocare.Qui super ea re cognoscendi potestatem habere debent. Quod si ibi cognitum fuerit appellationem prouocantis friuolam & illicitam esse,debebit illa Pars Iudicio decem marcas Pruthenicales pendere, & Parti aduersæ ad refundendum expensas litis & ad parendum priori sententiæ obligata esse.

Vbi uerò actiones emergerent,incolas Terrarum Prussiæ & eorundem possessiones utrinq; contingentes,unusquisq; in eo Iudicio ubi bona seu possessiones sitæ fuerint,aut Reus domicilium habuerit conueniri,& ad extranea Iudicia trahi non debet.

Item neutrius Partis subditi,nec etiam eorum bona ex quo in locis ad quæ spectant iustitia obtineri possit,in alienis Iudicijs arrestari,aut detineri debent.

Item

Item quod deinceps omnes Incolæ Terrarum Prusiæ utrinq; reciproca uicissitudine in terra & mari sine impedimento negotiationes exercere, ueteribus stratis proficisci, & curribus transire, necnon in priuilegijs suis hoc casu permitti debent.

Cæterùm fora in Villis contra fas & antiquam consuetudinem instituta, deinceps ubiq; aboleri, & in Ciuitates ad quas spectant reponi debebunt.

Item quod profundum Balgen. ad mare recens Haeb & ubicunq; aliàs profunda id est Ostia maris fuerint, caput Vislæ, & omnia flumina omnib. Prusiæ Incolis, ut in ipsis nauigare & traijcere posśint libera sint. Et peregrini Mercatores nec in Konigsberg, nec Braumbsbergk, Elbingum, Gdanum, aut in ullam aliam Ciuitatem proficisci cogantur, sed debent libere non coacti prout ipsis placuerit uelificare, & nauigare. Attamen sine antiquorum teloneorum & priuilegiorum detrimento.

Item nulla telonea, depositiones uel alia grauamina in Terris Prusiæ contra antiquā consuetudinem & priuilegia ab ulla partium institui debent. Sed uetera telonea permanere. Si autem ab alterutra partium à tempore transactionis Regis Kazimiri telonea essent instituta, ea quoq; hincinde abrogari debent. Si uerò successu temporis contingeret quod R.M. & similiter Dux in Prusśia ad requisitionem utriusq; subditorum suorum alicubi noua telonea aut emporia ad utilitatem Terrarum Prusiæ instituere destinarent, tunc debet Maiestas Regia Ducem Prusiæ uocare in locum opportunum, & ambæ partes super ea re cōcordādi & transigendi potestatē habere. Si etiā aurigæ, uel nautæ huiusmodi telonea præterirent, non debent eis bona adimi, sed tātum naues, currusq; auferri.

Cæterum quod ad bona naufragantium attinet, debebit id cum ijsdem secundum ueterem introductam consuetudinem, ex quo idem in Zelandia, Holandia & Brabantia consuetum est, etiam obseruari, ita tamen quod à nautis nihil plus extorqueatur.

Item debet utraq; partium aduersus alteram nunc & deinceps publicarum stratarum prædones, fures, & alios Terris perniciem inuehentes, ad receptandum & promouendum abstinere. Sed qui unius partis professus hostis sit, debet etiam ab altera parte pro eius diffidato hoste & damnificatore censeri.

Item quæuis partium potestatem habere debet hostes & noxios suos in bonis alterius partis persequendi, & in quibus iudicijs apprehendentur, in illis sisti, & iuxta ipsorum demerita iustificari debent.

Item Dux in Prusia, præterea Elbingen. Gdanen. & Thorunen. omnem monetam cudere abstineant, ita quod R.M. intra hinc & festum Pentecostes sequentis anni diem statuat se ratione huiusmodi monetæ clarè concordandi.

Item quod Dux Prusiæ omnibus priuilegijs & iuribus huic contractui repugnantibus, seu ea sint à Pontificibus Max. Imperatoribus, Principibus, uel Regibus Pol. profecta, nunc & in perpetuum renunciare, & ea in manus Regiæ Maiestatis consignare debet. Si autem quicquam in eiusmodi priuilegijs contineretur quod huic transactioni nō repugnaret, sed Duci Prusiæ & Terris occasione finium, & aliorum iurium & priuilegiorum necessarium esset, debebit Maiestas Regia eiusdem tenoris sub Literis & sub Sigillo Maiestatis suæ ea denuò concedere.

Item quod Regnum Pol. & Terræ Prusiæ pro se & eorum successoribus sufficienter se inscribere debent, quod hanc institutam transactionem, in omnibus suis partibus punctis & articulis fideliter perpetuò & irreuocabiliter seruare, nec unquam contrauenire aut agere debeant, aut uelint: hoc puncto singulariter adiūcto, si casus mortis Principis quos Deus pro suo arbitrio conseruet, se offerret, quod Terræ Prusiæ Maiestati Regiæ & Regno Poloniæ, & nulli alteri adhærere debent.

Postremò si quisquam cuiusquam dignitatis aut conditionis existeret, huncq; contractum impugnare uellet, debent tres Marchiones, quos hęc concordia pariter attingit, una cum Duce de Prusia eum omnibus, quos ad hoc permouere poterunt, Regiam Maiestatem iuuare, & super hoc respondere.

Huic suprascriptæ Christianæ concordiæ & unitati, Regia Maiestas Poloniæ, & Dux Prusiæ in omnibus articulis, clausulis, conditionibus, punctis superius expreśsis Regiā ac Ducalem dignitatem, Christianamq; bonam fidem perpetuo & fideliter interponen. inuiolabiliter pro se & successiuè posteritatis eorum hæredibus successores Reges Poloniæ & Duces Prusiæ ratam & firmam habere, & obseruare polliciti sunt, ac promiserūt. Pro maiori præfatorum fide & securitate Regia Maiestas similiter Dux Prusiæ huiusmodi pactum, concordiam, & unionem manu eorum propria subscripserunt, & Sigilla ipsorum nostris adhærentia subappēndi fecerunt, & huiusmodi contractus binæ literæ

concor-

concordationis seu unionis sub eodem uerborum tenore confectæ cuilibet Parti unæ præsentatæ sunt. Datum & actum Cracouiæ Sabbato in uigilia Palmarum, quæ fuit octaua mensis Aprilis. Anno Domini. 1525.

Nos itaque Sigism. Rex Pol. de consilio & consensu Consiliariorum nostrorum Regni Pol. omnes & singulos memoratos articulos ut præmittitur medio Illustrium Principum prænominatorum Georgij Marchionis Brandeburgen. & Friderici Ducis Legnicen. inter nos, & Illustrem dominum Albertum Marchionem Brandeburgen. Magistrū ac Ordinem eius in Prusia actos condictos & conclusos in omnibus & singulis eorum punctis, clausulis, continentijs prout iacent, acceptamus, ratificamus, approbamus, laudamus, & confirmamus, ipsosq; perpetuum firmitudinis robur obtinere uolumus. Promitten. in uerbo nostro Regio, ac sub fide boni ac legalis, & ingenui Principis pro nobis atque successoribus nostris Regibus Pol. ac Regno, & dominijs nostris, quantum nos & illa concernunt, nos omnia supråscripta in præinsertis Literis atq; articulis condictis & conclusis expressa firmiter & inuiolabiliter obseruare, exequi, & adimplere, neque illis quoquomodo contrauenire de Iure, uel de facto, directè & indirectè, omni dolo & fraude penitus seclusis. In quorum omnium & singulorum fidem, robur, & testimonium præmissorum præsentes Literas manu nostra propria subscripsimus, illasq; Sigillo nostro Regio & Consiliariorum nostrorum Sigillis communiri fecimus. Datum Crac. die Dominico Palmarum. Anno domini 1525. Regni uero nostri anno 19. Præsentibus, &c.

Rex Sigis. Terras Prussiæ dat in feudum.

IN NOMINE DOMINI AMEN. Ad perpetuam rei memoriam, Nos SIGISM. Dei gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, necnon Terrarum Cracouiæ, &c. dominus & hæres, Vniuersis & singulis præsentibus & futuris harum seriem inspecturis, manifestum facimus: Quia cum olim multæ & graues controuersiæ, multaq; & Reipub. Christianæ perniciosissima bella gesta fuissent inter prædecessores nostros Reges Poloniæ, ac Magistros & Ordinem dictum S. Mariæ Teuthonicorum super proprietate in Terris Prusiæ Regibus & Regno Pol. Ius suum hæreditarium pro tunc tuentibus, Magistris uero ac ordine suis ueris ac legitimis hæredibus, & dominis parere recusantibus, atq; ijs tantis controuersijs, tantisq; bellis eo res deducta fuisset, ut diuino fauore iusticiæ Regni nostri opitulante, & pax confecta & Magistri ac Ordo, totaque ipsorum ditio in subiectionem & homagium Regibus & Regno Pol. deuenisset, idq; lōgissimo tempore tentum & obseruatum esset: Successu uero temporis nouæ controuersiæ de ipsa proprietate, ac demum bellum inter nos Regnumq; nostrum, & Illustrem dominum Albertum Marchionem Brādeburgen. Magistrum generalem ac Ordinem eius suscitatum esset, cum maximo Reip. christianæ incommodo. Proindeq; summi Pontificis uidelicet LEO decimus ADRIAnus sextus, & modernus CLEmens septimus, demū Inuictiss. CAROlus Rom. Imperator & Hispaniæ Rex catholicus, Necnon Sereniss. Nepos noster dominus LVDOuicus Hungariæ & Bohemiæ Rex, ac plærique Germaniæ Principes summo studio apud nos egissent de concordia, & pace componenda. Quę denique concordia cum medio Illustrium Principum dominorum GEORgij Marchionis Brandemburgen. in Silesia Ratiborien. Iagendorff, in Prusia Stetinen. Pomeraniæ, Cassubarum, Sclauorum, &c. Ducis Principis Rugiæ ac Burgrabij Nuremburgen. & FRIDERici Ducis Legnicen. & Brigen. & Capitanei inferioris Slesiæ tractata & conclusa esset, uenissetq; ad nos ipse Illustris dominus ALBERTVS Marchio Brandemburgen. & Magister generalis cum nonnullis membris Ordinis & subditis suis plenam & omnimodam facultatem ab Ordine & uniuersis subditis eius habentibus, se nobis uti uero & legitimo hæredi, & domino suo ac Terrarum omnium Prusiæ subijcien. ac easdem Terras sibi in feudum dari enixè, & suppliciter, primum eius Consiliarij Proceres & subditi, demum ipse Illustris dominus Albertus Marchio à nobis petiuissent, declarans se nobis & Republic. Regni nostri hoc pacto magis ex usu fieri posse, pacemq; firmiorem futuram. Nos rationem habentes in primis utilitatis ipsius Reipub. christianæ, quæ in tanta infidelium tempestate, non nisi pace & concordia inter se christianorum Principum seruari potest, demum obaudire nolentes, ut postulata Sanctiss. domini nostri Papæ, Cæsareæq; & catholicæ Maiestatis, ac Sereniss. domini Nepotis nostri domini Ludouici Hungariæ

gariæ & Bohemiæ Regis, aliorumq; Principum christianorum qui hactenus omni conatu hanc differentiam & bellum sistere & componere inter nos studuerunt, ac deniq; gratificari & commodare uolentes dicto Illustri Principi Domino Alberto Marchioni Brandeburgen. uti Nepoti nostro ex sorore charissimo, eiusq; Domui de Onspach annuimus non grauatim precibus eius Illustritatis, & subditorum ipsius, illiq; & eius ueris masculini generis & legitimis feudi hæredibus ex lumbis eius procedentibus, Terras, Ciuitates, Oppida, & Arces infrascriptas in perpetuum, & in diuisum feudum dedimus, & concessimus, & ipsum de illis per uexilli nostri traditionem inuestiuimus, harumq; serie Literarum damus & concedimus: uidelicet Arcem Konigsberk cum tribus Ciuitatibus, item Arces & Oppida Lochstete, Vargen, Ginnavv, Pubetten, Rudavv, &c. ut in præcedentibus concordiæ Literis sunt descripta. Cum omnibus & singulis subditis, Vasallis, fructibus, dominijs, superioritatibus, libertatibus, & Iuribus una cum omnibus Arcibus, Ciuitatibus foris, Villis, mansis, Curijs, molendinis, molendinorum locis, censibus, uectigalibus, redditibus, teloneis, seruitijs, feudis Spiritualibus, & Sæcularibus, lacubus, fluminibus, piscationibus, aquis, aquarum decursibus, ferarum lustris, ferarum meatibus, uenationibus, syluis, nemoribus, pascuis, pratis, actibus etiam, cum omnib. metallis, quæ modo sunt seu in futuro fieri possunt auro, argento, cupro, stanno, plumbo, salinis supra & subtus Terram, similiter una cū omnibus & singulis eminentijs, Iuribus, & pertinētijs uniuersis nullis exceptis, sicuti eiusmodi Terras priores Magistri generales, & idem Ordo habuēre, et usq; ad præsens nouissimum bellum gestum usu & fructu tenuerunt, in posterum, perpetue & hæreditarie in commune & indiuisum feudum tenen. haben. fruendum, utendum, & possidendum. Vbi uero ipse Illustris Albertus Marchio & Dux in Prussia sine legitimis masculis feudi hæredibus, uel eius legitimi masculi feudi hæredes non relicta ple uirili deficerēt, extunc supradictæ Terrę, Ciuitates, & Oppida & Arces in omni forma & modo quemadmodum eas supradictas Illustris Albertus Marchio habuit, ad Illustrem Principem Dn̄m GEORGium Marchionem Brādeburgē. & ipsius legitimos sexus masculini feudi hæredes uenire, & deuolui debent. Si uero etiam Marchio Georgius sine legitimis feudi hæredibus masculis, uel eius hæredes post eius obitum sine legitimis masculi generis legitimis feudi hæredibus ex humanis concederent, dictæ Terræ, Ciuitates, Oppida, & Arces ad Illustrem Principem Dn̄m CAZimirū & eius masculos feudi hęredes deriuari ac deuolui debent. Si aūt prædictus Marchio Cazimirus sine ple mascula feudi hærede decederet, aut eius feudi hæredes post ipsius mortē liberos masculos feudi hæredes post se non relinquerent: tunc nominatæ Terræ, Ciuitates, Oppida, & Arces in Prussia ad Illustrem Principem Dn̄m IOHannē Marchionem Brandeburgen. & eius ueros legitimos masculini generis feudi hæredes deuolui debent, ita quod dictę Terræ, Ciuitates, Oppida, & Arces ubi diuina ordinatione huiusmodi casus futuris temporibus accideret, de fratre in fratrem prædictos & eorum legitimos feudi hæredes masculos cedant, & deuoluantur, sine nostro, hæredumq; & successorum nostrorū Regū ac Regni nostri Poloniæ impedimento. Ita tamen cum, & quotiens se obtulerit eiusmodi casus deuolutionis de uno in alterum, predictos fratres & eorum legitimos feudi hęredis masculos debebunt illi, & quisq; eorum debebit nobis & successoribus nostris Regibus ac Regno Pol. infra tempus debitum ac legitimum debitam subiectionem, & feudi obligationem, ac homagiū præstare. Quod si prædicti quatuor fratres de domo Onspach diuina uoluntate sic disponēte sine mascula prole feudi hærede legitima ex lumbis eorū ordine suprascripto procedente, aut eorum huiusmodi proles similiter sine masculo feudi hęrede legitimo ex lūbis eorum pcedente decederet, Tunc oēs & singulæ Terræ, Ciuitates, Oppida, bona, & Arces suprascriptæ ad nos, & successores nostros REGES & REGNum Poloniæ sine omni impedimento ac contradictione deuolui ac redire debent.

Debebit item ipse Illustris Dn̄s Albertus Marchio & Dux in Prussia, eiusq; prænominati successores & feudi hæredes pro hac nostra in se beneficentia nobis & Regno nostro tale obsequium præstare, quod ubi ratione huius concordiæ & cōcessionis feudi à quocunq; cuiusuis eminentiæ & conditionis Principe seu potentatu impeteremur, aut successores nostri impeterentur, tenebitur ipse Illustris Dominus Albertus Marchio aut eius prædicti successores Duces in Prussia in propria persona nobis & Regno nostro ubique unà cum omnibus suis subditis, & pro summis uiribus suis adesse. Quod uicissim nos & successores nostri Reges ac Regnū Poloniæ in eodē casu facere debebimus & debebunt.

Vbi

Vbi autem contingeret quód nos uel successores nostri Regnum Pol. altera quauis ex causa tã ab infidelibus quã ab quocũq; alio hoste impeteretur, & ipsi in persona propria ad bellum cum subditis nostris proficisceremur, aut successores nostri proficiscerentur, debebit Illustris Dominus Albertus Marchio & Dux in Prussia aut eius prænominati successores Duces in Prussia nobiscum cum centum equitibus armatis proficisci, & intra limites Terrarum Prussiæ nobis seruire. Quod si educere extra terminos Prussiæ illum aut eius successores nos & successores nostri uellemus, extunc ad eosdem centum equites stipendium tale præbere, quale dari alijs nostris mercenarijs equitibus est solitum, tenebimur. Vbi uerò nos uel successores nostri uellemus ipsum Dominum Albertum Marchionem aut eius nominatos posteros nobis & successoribus nostris maiori comitatu seruire, debebimus nos & successores nostri ijs omnibus militibus quos ultra centum prædictos conducere posset, mox post egressum à domibus ipsorum stipendium, quod nostris militibus dabitur, illis, quam diu seruierint, persoluere. Si autem plures quam centum prædictos equites ipse Illustris Dominus Albertus Marchio aut eius successores Duces in Prussia educere non posset, non debebimus nos aut successores nostri ab illo & eius posteris Ducibus in Prussia plura exigere.

Præterea non debebit ipse Illustris Dñs Albertus Marchio & eius nominati feudi hæredes successores Duces in Prussia, quicq; ex Terris, Ciuitatibus, Oppidis, Arcibus, & bonis prædictis uendere. Verum si ad hoc illum, & eius successores ingens urgeret necessitas tenebitur nobis & successoribus nostris tanquam dominijs suis hæreditarijs ante omnia denunciare. Quod si nos ipsi emere non curauerimus, aut hæredes & successores nostri non curauerint, in hoc casu ipse Dñs Albertus Marchio & Dux in Prussia aut eius legitimi feudi hæredes seu successores cuicũq; uoluerint uel potuerint, liberam uendendi habebunt facultatem. Regalibus tamen nostris feudi & obsequiorum Iuribus semper saluis remanentibus.

Poterit etiam ipse Dñs Dux in Prussia & eius feudi hæredes ubi eos necessitas urgẽs premeret, ex bonis suis prædictis quantum opus foret impignorare suis duntaxat subditis & Vasallis, ut eadem bona unita & indiuisa permaneant. Quæ etiam omnia & singula suprascripta, & quæcũq; alia quæ Vasallus & feudalis Princeps erga suum naturalem Dominum hæreditarium & superiorem dñm præstare ac obseruare tenetur, debebit ipse Illustris Dñs Albertus Marchio & Dux in Prussia ac eius feudi hæredes legitimi successores firmiter & inuiolabiliter adimplere. Nosq; uicissim illum & successores eius omni gratia & fauore Regio complecti, ac illos in Iuribus & immunitatibus ipsorum conseruare pro nobis & successoribus nostris Regibus & Regno Poloniæ pollicemur. In quorum omnium & singulorum fidem & testimonium Sigillum nostrum præsentibus, est appensum, Datum Cracou. feria secunda post dominicam Palmarum proxima: Anno Domini 1525. Regni uero nostri anno 19. Præsentibus, &c.

Rex dabit Alb. Duci Pruss. 4000. floren. Rhenen.

SIGismundus, &c. Significamus tenore præsentium uniuersis. Quia cũ diuino fauore Illustris Princeps Dñs Albertus Marchio Brandeburgen. ac in Prussia Stetinen. Pomeraniæ, Cassubarum, Sclauorum, &c. Dux, Burgrabius Nurembergen. & Princeps Rugię, Nepos noster charissimus, post cõtrouersiã ad q̃ nobiscũ deuenerat, tandem ad nos ueniens médio Illustrium Principum Dñorum Georgij Marchiõis fratris germani ac Friderici Ducis Legnicen. sororij sui, se nobis reconciliauerit; magnaq; ac euidentia testimonia & indicia de sua erga nos fide ac propensione exhibuerit, uolentes eius Illustritatem in Terris Prussiæ quas illi in feudum dedimus, & quæ bellica sæuitia magnum detrimentum sunt passæ, releuare, ac illũ nobis & Regno nostro maiori beneficentia deuincere, dandum & donandum illi duximus annuũ stipendiũ, quatuor millium florenorum Rhenẽsium in auro, uel pro singulis aureis xxviij. grossos integros monetæ, & numeri Regni nostri præsentis, harumq; serie Literarũ damus, donamus, & assignamus, ad terminos uitæ Illustris suæ per nos & successores nostros quotannis soluen. ita uidelicet quód primam ratam anni huius soluere debebimus ad festum S. Michaëlis proxime futurum, alteram uerò ratam ad festa Paschæ anni Dñi 1527. & deinceps singulis annis sequentibus ad festa Paschæ dictam summam quatuor millium flor. Rhenensiũ

soluere nos & successores nostros Reges Polon. submisimus, & præsentibus submittimus, ac obligamus, promitten. in uerbo nostro Regio pro nobis & successoribus nostris Regibus Pol. quod eam donationem & firmam habebimus, & illi semper quo ad suæ Illustritas uixerit satisfaciemus, & successores nostri Reges Poloniæ satisfacient. In cuius rei testimonium Sigillum nostrum est præsentibus appensum. Datum Craciferia iiij. post Dominicam Palm. quæ fuit xij. Aprilis 1525. Regni nostri 19.

Priuilegium Duci Prusiæ datum.

IN NOMINE DOMINI AMEN. Ad perpetuã rei memoriã, Nos SIGISM. Dei gratia Rex Pol. Magnus Dux Lithuaniæ, nec non Terrarũ Cracouiæ, Sandomiriæ, Siradiæ, Lanciciæ, Cuiauiæ, Rusiæ, totius Prusiæ, Culmen. Elbingen. Pomeraniæ, &c. Dominus & hæredes, Manifestum facimus tenore præsentium. Quia licet quasdam Terras nostras hæreditarias in Prusia Illustri Principi Dño ALBERTO Dño Marchioni Brandẽburgen. & Duci in Prusia, &c. Iure feudali concesimus, in earumq́ possesionem illum per Consiliarios nostros induci fecimus, & eius concesionis, ac articulorum, & conditionum inter nos trãsactarum illi sufficientes nostras Literas dedimus, in quibus præter alia etiam, immunitates illi à nobis concessæ sunt descriptę, tamen cum contractus cum illo per nos factus uelit, ut si quidpiam in priuilegijs illis contineret quæ nobis restituit, & quibus renunciauit, quod huic ipsi contractui & transactioni non repugnaret, sed quod ipsi Duci ex Prusia & Terris eius occasione finium & aliorum Iurium & priuilegiorum necessariorũ esset, quod id nos sub Literis & Sigillo nostro denuo concedamus: Ideo nonnullas infrascriptas prærogatiuas & immunitates prioribus Literis contentas eius Illustritati renouandas, addendas, & denuo concedendas duximus, & tenore præsentiũ concedimus, ita sane, ut ipse Dux Albertus similiter & hæredes eius Terram concessam ab omni exactione & seruitio, exceptis his quæ nominatim in contractu cõcordiæ expressa sunt, liberã teneat ac immunẽ, & coram nullo alio, si ratione ipsius Terræ impeteret, q̃ corã nobis, aut successorib. nostris Regib. Poloniæ respondere teneatur, atq; ut liceat eidem una & hæredibus suis per totam Terram nunc concessam, ad commodum suum passagia & telonea ordinare, secundum contractus prescriptum, Nundinas & fora statuere, monetam cudere pro contractus formula. Talia & alia iura taxare, directuras per terram in fluminibus, & in mari sicut utile uisum fuerit, stabilire. Deniq; Iurisdictionẽ, potestatẽq; illã habeat, & exerceat in Terris suis, q̃ aliquis Princeps Regni nostri melius habere dignoscit̃ in Terra q̃ habet. Quatenus aũt initæ cõcordiæ, & contractui, non aduersetur, ut bonos usus & consuetudines ponat, asisias faciat, & statuta quibus oẽs eius subditi pace tranquilla gaudeant, & utantur. Postremò cõcedendam etiam duximus, & concedimus tenore præsentium eius Illustritati atq; Nobilibus suis omnibus libertatẽ ducendi & transuehendi per Regnum & dominia nostra, terra uel aqua, oẽs & singulas res quæcunq; ad usum & necesitatẽ propriam eius Illustritatis atq; eorundem Nobiliũ, non autem ad mercaturam exercendam, opportuna & necessaria fore uidebuntur, & his pariter omnibus qui ex alienis prouincijs commigrare uellent, in Terram & ditiones eius Illustritatis, Equestris duntaxat conditionis seu Nobilibus, liberam damus res oẽs illorum ꝓprias secũ transferendi per Regnum & dominia nostra, absq; solutione cuiuslibet telonei, & citra ullum impedimentum, facultatẽ & prærogatiuã. In cuius rei testimoniũ Sigillum nostrum est præsentibus appensum. Actũ & datum in Ciuitate nostra Marienburgen. sabbato proximo ante festum S. Trinitatis. Anno Dñi 1526. Regni uerò nostri anno xx. ut supra in Literis feudalib. Ducis Pomeraniæ.

Nobilitas cum Ciuitatibus approbant concordiam.

NOs infra scripti Erhardus electus Pomesan. Fridericus Dñs de Heydek ordinis Teuthonicorum in Prusia, Henricus de Kittlicz, Georgius de Kymheym nomine Nobilium: Nicolaus Richan Magister Ciuium Ciuitatis antiquæ, Crispinus Schenbergk Consul in Kunibhoff nomine maiorũ & minorum Ciuitatum in Prusia: palàm facimus & recognoscimus, quia cum retroacto tempore multa, grauiaqúe bella inter Sereniss. Polon. Reges, & inclytos Teuthonici ordinis Magistros magnos, tantis odijs, inueteratisq; disidijs in utriusq; populi & Polonici & Pruthe-

thenici calamitatem gesta sint,ut parum hactenus profuerint contractus, & pacis fœdera Summorum Pontificum,Imperatorū,Regum auctoritate semper interposita.Cuius mali origo hinc dimanauit.Quod Prussiæ Terra(nam de eius propinquitate tantoperè pugnatum est) rectore hæreditario caruit,cum hinc Reges Polo.illinc magni Magistri & militaris Ordo Ius suum prætenderent,mallentq; armis quam pia,Christianaq; cōcordia negocium transigere.Proindeq; peruenit eorum malorum non parua portio ad nostrā usq; ætatem.Siquidem paucis ab hinc annis oborto iterum ea de re bello,concurrētibusq; infestis signis Sereniss. Rege Sigismundo , & Illustris. Principe Alberto magno Magistro: quanta uastitate utraq; Terra affecta sit,ostendunt ipsæ ruinæ & calamitas miserorū.Sūt uastati agri,abducti Coloni,effusus sanguis Christianus,uim passæ mulieres,stupratę uirgines,prophanatæ sacræ ædes:præterea alia scelera & bellorum incommoda perpetrata, quæ etiam audire,ne dum fieri in populo christiano mens horret.Cuius belli immanitate moti,& miserorum fortunam miserti,Summus Pontifex, sacratissima Cæsarea Maiestas, Serenis.Hungariæ, Bohemiæq; Rex ad inducias quadriēnales utrāq; partē pijs rationib. flexerūt,eo proposito,ut quadriēnio illo induciarū ueterē discordiā omnino tollerent, & pacem firmam inter nos finitimas gentes componerent.Erat spes bona nobis fore, ut aliquando concordia pro discordia ueniret. Cæterùm cum Christianus orbis undiq; bellorū tumultu,uarijsq; perturbationibus uexaretur,factum est,ut tam pium consiliū tantorū rectorū Rerumpu.de cōcordia statuenda impedirēt, quādo quidem quadrienniū induciarū irritū abijt,ut eius fine pro pace bellū uiderēt renasci , qđ sanè ita erat in manifesto, ut aut ipsum noua cum calamitate Christianorū fuisset suscipiendum, aut in contractum Thorunensem cui titulus est perpetuæ pacis coniurandum. Quando igitur uersaremur inter duo eiusmodi pericula,ut aut arma patriæ nostræ intoleranda deinceps forent capessenda,aut necesse esset consentire in concordiam & prædictum contractum perpetuę pacis,nec in aliam partem se flecti permitteret Sereniss.Rex Pol.& inclytum eius Regnū: Respexit Deus propicijs oculis in pias preces calamitate afflicti populi, deditq; ex impulso pios ac prudentes pacis per alium modum procuratores Illustriss. Principes & dominos Dn̄m GEORGium Marchionem Brandeburgen.&c.& Dn̄m FRIDEricū Ducem Legnicien.&c.quos uetus discordia & periculum redeuntis belli non minùs mouit, quā si eorū res ageret:quū sint utriq; Partiū sanguine & affinitate coniūctissimi.Hi diuina inspiratione inuenerūt Articulos transactionis & pacis cum iustos,tum Christianos.Qui si bona fide custodiantur,non erit amplius timor de periculo renasci turi belli.

In primis aūt sua prouidentia curarunt, quo restingueretur fons,unde hactenus tot mala fluxerunt,scilicet,ut habeat Terra Prussiæ Principem hæreditarium,qui iustis de causis superiorem recognoscat Sereniss.Regem Pol.& inclytum eius Regnum.Quando quidē certis iam indicijs & argumētis haud fallacib.iā tandē euidēter cognouimus, fundum & solum Terræ Prussiæ intra fines,limites,& circulo ditionis inclyti Regni Poloniæ contineri,& concludi.Quando autem nihil potius esse debet Christianis pectoribus, q̄ cum omnibus,si fieri possit,in primis uerò cum uicinis in pace & tranquillitate uiuere, q̄ nobis Magister noster Christus & eius discipuli tanta cura & studio commendarūt:Volētes accurrimus ad per tam pios Principes oblatas pacis conditiones, qua hactenus indigni uisi sumus,& nūc diuina cōmiseratione donamur:idq; eò libentiùs fecimus,quod nos ad eandem transactionem amplectandā clarissimus uir Dn̄s Iohānes Statilius Præpositus Vesprimien.Secretarius & Orator Domini Ludouici Regis Hungariæ & Bohemiæ Regis Dn̄i nostri gratiosissimi adhortabaт̄ duplici nomine, tū qđ ad percutiendum fœdus pacis missus esset,tum quod propositi articuli transactionis iusti ac Christiani à præfato Sereniss.Rege iudicarentur,qui ceu alter summorum arbitrorum concordiæ statuendæ in quadriēnalib.inducijs nihil ęquè ad se pertinere affirmauit, quam, uel in ipsis inducijs, uel post finem earum inter Principes utrinq; sibi coniunctissimos & populos uicinos pacem procurare.Ideo consensimus & consentimus in transactionem & concordiam inter Sereniss.dominum Sigism.Regem & inclytum Regnum Polo.ex una, & Illustrissimum Principem Dn̄m Albertū Marchionē Brandeburgen.&c. hæredes & successores ex altera partibus,super feudo,Iuribus,& proprietate prædictæ Terræ Prussiæ, ac alijs punctis, articulisq; per præfatos Illustriss.Principes Dn̄m Georgium Marchionem, &c. Fridericum Ducē Legnicen.pacis mediatores Anno 1525.die nona Aprilis Cracouiæ ad nostram petitionem & placitū conceptam,& confectā,ipsamq; in omnib. punctis & articu-

lis,pinde ac si inserta hic esset, nostro,constituentiũ,hæredũ, & successorũ nomine laudamus,ap,pbamus,& cũ magna hilaritate animiq; gratitudine suscipimus & amplectimur, pro nobis,præfatis cõstituẽtib.hæredib.& successorib.nostris,syncera & Christiana fide, & sub honore nostro,necnõ Iurisiurãdi sacramẽto firmiter & cõstanter ,pmittẽtes, & efficaciter nos obligãtes,qd' eandẽ concordiã transactionẽq;,ut præfert,in omnib. & singulis articulis & cõditionib.fideliter & irreuocabiliter sine fraude & dolo ratã & gratã habere,& perpetuo obseruare,uec unq; per nos,aut submissas psonas,quouis prætextu siue colore,publicè uel occultè ipsi cõtrauenire uolumus,nec debemus, Renũciantes præterea omnib.& singulis Iurib.& priuilegijs, & exceptionib. qb. eandẽ cõcordiã impugnare,& infringere possemus.Porrò si Illust.Princeps Dñs Albertus Marchio Brandeburgẽ. &c.in Prussia Princeps,&c.quẽ de uolũtate præfati Serenis.Regis Polo.Sigismũdi in hæreditariũ dñm suscepimus,& præsentib.suscipimus,Necnõ Illustritatis suæ ueri & legitimi feudi hæredes masculi,& subinde Illust.Principes Dñi GEORgius,CAZimirus,IOHANnes una cũ omnib.suis legitimis feudi hæredib.è uita migrauerint, & præfata Terra Prussiæ ipsis in feudum cõcessa,iuxta Inscriptionem prædictæ transactionis ad Serenissimos Reges & Regnũ Pol.deuoluta fuerit:quod nos Sereniss.Regib.eisdem, & Regno Polon.cui nos unanimiter sponte & ex certa scientia una cũ prædicto Principe nostro tãquam superiori dño subiecimus,& exnũc subijcimus,nec cuiquam alteri adhærebimus, obediemus,& subiecti erimus.Sed eosdem Sereniss.Reges, & inclytum Regnum, ,p dominis nostris quo ad utile & directum dominium,merum & mixtum imperium,in perpetua subiectione profitebimur,& recognoscemus.Saluis tamen semper manentibus omnibus & singulis transactionis articulis,quibus in hoc casu Terræ Prussiæ cautum est. In quorum omnium fidem & robur nos suprascripti Oratores nomine constituentium, & nostro,has Literas Sigillorum nostrorum appensione muniuimus. Datum Cracouiæ die ix.Aprilis quæ erat dominica Palmarum.Anno Domini 1525.

Sigismund.I.Iohanni Dantisco apud Rom. Pontif.Oratori de pacificatione Prussiæ.

CVm induciæ cum Magistro Prussiæ expirarent,ageretq; cum Summus Pontifex,tum Cæsarea M.Serenissimusq; Dñs Rex Hungariæ Nepos noster apud nos de inducijs prorogandis:ad quas subditi nostri consentire nequaq; uoluerunt,iudicantes eas bello futuras nocibiliores, Proindeq; nos ad prosequendã rem nostram armis institueremus : uenit ad nos id sentiens ipse Magister cum Illustribus Marchione Georgio & Friderico Duce Legnicen. transegitq; nobiscum coram de tota controuersia:præstito nobis debito suo,& datis illi per nos in feudum Terris, quas prius ante bellum nouissimum possedit.

De religione uerò nihil inter nos est actum,tùm quia interesse nostra nõ uidebat,tùm qd' etiã Ordines institutores nõ fuerimus, tũ uerò qd' ferè in tota ditione Ordinis prorsus de tota religione catholica sit actum, & deploratum. Proindeq; abusi sumus ea conditione deprauati temporis,in rem pacis cum res aliter transegi nullo pacto potuit.

Proinde si qui isthic hos actus nostros in re Pruthenica suggillari uellẽt, habes quo innocentiã nostrã tueri posis.Nam nos Ordinis curatores nõ sumus,sed hæreditarium Ius nostrum duntaxat semp exegimus:Religio catholica nobis semp cordi fuit, pro qua nequaq; dubitamus uel sanguinem nostrum profundere, tantum abest,ut illi nostra opera uel consensu quicquam esset per hanc transactionem detractum.

Constitutiones Militarem & Ciuilem ordinem,totamq; Prussiam concernen.

SIGISMVNDVS Dei gratia Rex Poloniæ,Magnus Dux,&c.Significamus tenore præsentiũ qb.expedit uniuersis, quia cõsulere uolentes multiplicib. errorib. & abusibus,qui cũ in diuinis tum etiã humanis rebus inoleuerãt in Terris & Ciuitatib.nostris Prussiæ,uenimus huc ad easdẽ Terras omnib.alijs negocijs nostris intermissis, & auspice Dño Deo rectè oĩa quæ reformatione indigebãt cõfecimus.Præterea etiã ad futurũ deinceps bonum regimen constitutiones & ordinationẽ opportunã in ipsis Terris relinquere

quere operæprecium esse duximus. Proindeq; de consilio & cõsensu omnium Consiliariorum & Nunciorum communitatis tàm Militaris quàm etiam Ciuilis ordinis infra scriptas constitutiones edidimus & promulgauimus.

In primis qsq; Palatinus habeat apud se exẽplũ seu copiã priuilegij Terrarũ Prusiæ, & illud unicuiq; petẽti ostẽdet, & corã eo legi faciet, qđ nos manutenere & secundum ipsius tenorem Dignitates Officia & Capitaneatus solis indigenis conferre dignabimur.

Cæterùm cum ius Culmen. quo potissimum Prusia utitur, scripturis saltem authenticis nusquam reperiatur esse sancitum, multaq; propterea oriantur incommoda: Venerabiles & Egregios deuote nobis dilectos Tidemannum Gise Custodem & Canonicum Varmien. Matthiam Slevvniczki Canonicum Gneznen. Achatium Frenut Canonicum Varmien. Franciscum Soldavv, & Philippum Holkner designauimus, ut hoc anno ad Calendas Octobres Mariemburgi conueniant, & eiusmodi ius cum eius constitutionibus passim colligant diligenter, conscribantq;, ut deinde typis excussum & euulgatum ad omnium noticiam perueniat, firmiterq; à cunctis obseruetur.

Iudicia aũt Terrestria in singulis Palatinatib. quotãnis bis seruenť, ita ut in Palatinatu Culm. primũ Iudiciũ feria tertia post dominicã Quasimodo genití. Secundũ aũt feria tertia post Lãperti celebreť. In alijs aũt Palatinatib. iuxta ueterẽ consuetudinẽ celebreť, ex quibus quidem iudicijs Terrestribus Appellationes ordinariè fiant ad Conuentus generales Terrarum Prusiæ. A' Conuentibus autem generalibus ad Regium tribunal nostrum, donec ad alterutra partium conformes sententias obtinuerit.

Vt autem friuolæ & temerariæ Appellationes nonnihil cohibeantur, quisquis à iudicio Terrestri ad Conuentum generalem appellauerit, tres Marcas in iudicium reponat. Si uerò à Conuentu generali ad nos appellatum fuerit, sex Marcæ deponantur, & si appellans coràm iudice appellato succubuerit, in usum publicum iudicij in quo erant repositæ cedant, alioquin parti restituantur.

Nec Palatini iudicent Causas ad ius Terrestre spectantes, nisi de consensu Partium, & prouocantes ad iudicium Terrestre remittãt, exceptis causis leuioribus quę uidelicet ualorẽ decem Marcarũ non excedãt. Hæc quidẽ sine strepitu Iudicij de simplici & plano ab eis cõponi possunt. In causis aũt sanguinis & de facto recenti deprælhensis, in dilatã iusticiam ministrent: nec partes cõtendentes ad cõponendum amice inter se controuersiã cogant, nec exigant ullas pœnas nisi per Iudicium decretas. Quarum pœnarum tertia pars Iudicio Terrestri, reliquæ duæ partes Palatino Loci cedant.

Palatini & Capitanei citati tam in Iudicio Terrestri, q̃ Conuẽtuum publicorũ respondere sunt obligati, exceptis actionibus super bonis nostris Regalibus emergentibus. Capitanei aũt iuxtà continentiam priuilegij Terrarum Prusiæ sint indigenæ possessionati, ratione quarum possessionum suarum sint Iudicio Terrestri subiecti.

Statuimus pręterea ut cõmunib. Consiliariorũ uotis Notarius Terrestris Nobilis possessionatus linguas necessarias calens, & alias, ad hoc Officium eligatur, qui cum iuratus fuerit, exclusis tam Ecclesiasticorũ Prælatorum q̃ Ciuitatum ac aliorũ, Notarius solus secretorum consilijs & Conuentuũ publicorũ Iudicijs intersit. Literas & Acta Iudicialia diligenter conscribat, ac iura Partium in Iudicio producta fideliter custodiat.

Vt autem temerariæ lites amputentur. Commissarios siue Iudices delegatos non deputabimus in causis ad Iudicium Terrestre spectantibus, & minus in eo iam pendẽtibus, nisi per appellationem ordinariam de qua superius dictum est à sententia definitiua seu interlocutoria iam lata ad tribunal nostrum deuolutæ fuerint, exceptis causis limitum, bonorum nostrorum Regalium: nec Iudices delegatos seu Commissarios à quibus semel appellatum est, in eadẽ causa denuò deputabimus, aut causam ad illos remittemus. Non enim uerisimile aut honestum uidebatur, quod Iudex pristinam suam sententiam retractet, aut aliter iudicet, quam antea iudicauerat.

Conuentus autem publici seu generales iuxtà proximam ordinationem nostram in Prusia quotannis bis celebrentur. Verno uidelicet tempore Dirsauiæ ad diem S. Stanislai: Tempore autem autumni in Grandentz ad diem S. Michaëlis. Conuentus autem peculiariter per nos instituendus locum & diem ex nostro arbitrio sortiretur.

Ad prędictos Conuẽtus oẽs causæ tam ex Ciuitatib. q̃ Iudicijs Terrestrib. per appellationẽ deuoluanť, & etiã sine speciali cõmissiõe nostra iudicenť. Deinde uerò & nõ antea ad supremũ tribunal nostrũ remittanť parte prouocante: cui ad ꝓsequendũ appellationẽ

à Iudicibus legitimis terminus præfigatur. Quam appellationem si intra unius anni spacium non prosequeretur,prior sententia iuxta Iuris cõmunis dispositionem in rem transeat Iudicatam,& executioni demandetur.

Ante conuentum uerò publicum per nos & successores nostros singulariter instituendum,in singulis Palatinatibus Culmen.uidelicet,Mariemburgen.& Pomeraniæ,fiat Nobilitatis Conuentio particularis,quam secundum morem antiquum Palatini ex singulis Districtibus Palatinatus sui ad aliquem locum conuenientem Literis suis conuocent: ut Nuncij ad huiusmodi Conuentum mittendi eligantur.Qui autem uocatus non comparuerit,pœnam duarum Marcarum pendet.Cuius medietas Palatino eius loci,altera uerò medietas ærario publico proueniat.

At cum frustrà sententiæ ferantur nisi legitimè executioni demandentur, uolumus & irrefragabili constitutione sancimus, ut deinceps unusquisq; cuiusuis conditionis uel eminentiæ fuerit rei iudicatæ sine omni contradictione cum effectu pareat, & obsequat. Alioqui locorum Palatini nullo alio à nobis mandato expectato, legitimam executionẽ faciant: adiuncto sibi ubi causæ conditio postulauerit, Capitaneo & Nobilitas illius Districtus: aut etiam si necessitas exegerit,omnibus & singulis nostris Vasallis seu Nobilib. illius Palatinatus,quos ad assistendum illi sub Iurisiurandi debito & amissione feudorũ obligatos esse decernimus. Si uerò maiori potentia sit opus,negocium ad nos referri uolumus: ut oportunis rationibus rebus prouideamus. PALAtinos similiter ad huiusmodi executiones faciẽdas,iusticiamq; õppressis administrandam, Iusiurandum nobis prẹstitũ adigat. Quos etiã si remissiores fuerint,quinquaginta florenorũ Hungarical. pœna plecti uolumus. Cuius mulctæ medietas Parti cui iustitia denegata est. Altera uerò medietas ẹrario publico Terrarũ Prussiẹ cedat. Vbi aũt quis executioni uiolenter resistere cõuictus fuerit,pœna banni,siue proscriptionis ac bonorum confiscatione puniatur, ex quibus bonis Parti læsæ primum fiat satis. Quod reliquum fuerit fisco applicetur.

Statuimus præterea ut nullus Capitaneus, Nobilis, Ciuis, aut quiuis alius cuiuscunque conditionis existat: personis, Castris, domibus, aut possessionibus alicuius ullam uiolentiam inferre: incursiones facere: in publicis stratis insidias ponere præsumat. Alioquin super his conuictus,iuxta antiquum plebiscitum Terræ Culmen. capitali pœna puniatur.

At cum aliquis Nobilis decreto publici Conuentus, Iudicio Palatinorum, aut Terrestri capitur: sub certis pœnis in potestatem aut carcerem Ciuilem non tradatur: sed in manus Palatinorum. Si quis autem in Ciuitate,ubi nulla arx est,capiatur: & autoritate Conuentus,Palatinorum, Iudicij in carcerem Ciuilem conijcitur: in potestate eorundem,& non Ciuitatis permaneat,fideiussoria tamen cautione à carcere huiusmodi liberetur, nisi causa fuerit criminalis, alioquin sub pœna uiginti florenorum Hungarical. quorum medietas Palatino,altera Parti læsæ cedat,absq; ulla remissione persoluen. Nobiles & eorũ subditi autoritate seu potestate Ciuili non capiantur,detineantur,aut arestentur: nec uicissim Nobiles autoritate propria capiant,aut detineant Ciues,aut eorum subditos, sed unusquisq; coram Iudicio suo ordinario conueniatur,& iusticiam requirat.

Præterea ne in fluminibus Prussiæ præsertim nauigabilibus,& item Fehres, Bree, & Bda, ac etiam Redæ in Districtu Puczkouien. obstacula fiant: ut tam piscibus quam nauibus & lignis liber transitus permittatur : nisi quis speciale priuilegium super hoc habuerit.

Nobiles aũt qui habent priuilegiũ piscãdi in lacubus nostris Regijs,& testibus fide dignis probare possunt se fuisse in possessione piscãdi: & quorũ uel limites,aut ager stagnis nostris Regijs adiacet,his quidem piscatio permitti debet,sed paruis retibus duntaxat ad usum & mensam eorum ꝓpriam: non aũt ad uendendũ. Ea tñ cõditione, ut retia Castren. primos in hyeme habeant tractus,& quod tẽpore quãdo pisces qui Germanicè Bressen, Polonicè uerò Klesz cz uocantur semen aut fœtum emittunt,nulli liberum sit in lacubus nostris Regijs piscari: ne huiusmodi piscium fœtura in augmentando impediatur.

Præterea ut Ecclesiastici bona Terrestria Ecclesijs adscribenda, & approprianda, siue incorporanda absq; speciali consensu nostro à modo non nisi à suis Vasallis emant, nec obsequia nobis ex ipsis debita intereant,pro se uerò priuatim illa emere possunt, quæ si in uita sua non alienauerint, aut cuipiam non donauerint, ad eorum propinquos & consanguineos deuoluantur.

Simi-

Similiter, ne Ciuis, aut ignobilis quispiam bona Terrestria emat. Si uerò iam empta possideat, non per cōducticias personas, sed proprias seruitia seu obsequia debita ad bellicam expeditionem de ipsis sub eorundem amissione præstet.

Nec omninò liceat à modo Rusticis feras in nemoribus uenari, nec laqueos in syluis, & agris ponere: canes aut retia uenatoria habere, alioqui in potestate dñorum sit Bombardas, canes, & retia huiusmodi auferre: & pro qualitate excessus mandatum præuaricantes in decem Marcis pec. domino fundi applicandis, toties quoties, punire, exceptis fossis pro luporum captura, quas tamen sine præiudicio cuiusuis quilibet cum consensu dñorum suorum habere potest. Simili modo, nec Palatini, Capitanei, aut Nobiles alter in alterius fundo absq; uoluntate dñi fundi uenari: nec in syluis feras domare, aut circuire debet, quod Klopsen uocant sub amissione retium, equorum, & curruum. Bombardis autem nemo omninò nec in proprijs, nec alienis syluis sub pœna centum floren. Hungarical. irremissibiliter soluendorum à modo utatur. Cuius mulctæ medietas nobis, altera ærario publico Terrarum Prussiæ proueniat.

Volumus item, ut in Conuentu generali proximo per uniuersos Consiliarios harum Terrarum omnium rerum uendibilium æstimatio, & iusti precij constitutio fiat: utq; diligentior respectus ad mensuras, & omnia pondera habeatur: ut dolus ac deceptiones maliciæ uitari possint.

Item ut Palatini & Capitanei diligenter fines Terrarū obseruent, ne prædones & grassatores ingrediendo & egrediendo impunè grassentur.

Item ne Rustici cum cuspidibus, lanceis, gladijs, aut similibus armis publicè aut priuatim incedant, eásq; deferant, nisi à dñis suis ad uenationem uocati fuerint.

Districtiùs etiam inhibemus, ne Poloni à modo ab opificijs Ciuitatū quarumlibet arceantur, sed pari conditione cum Germanis & alijs nationibus admittantur, non obstantibus huiusmodi opificiorum contrarijs constitutionib. sub pœna L. floren. Hungar. qui eos non receperint infligenda: perq; loci capitaneum pro fisco Regio exigenda.

Ex quo item multorum quęrimonijs accipimus, quosdam Officialium nostrorum pręsertim Tucholien. prætextu mandati prohibitorij de inuectione salis peregrini in Poloniam, innocentibus, si qñ finib. Terræ appropinquent, salem adimere. Quod quia iniquū est sub graui indignatione nostra prohibemus, ne de cætero cuiq; adimatur, nisi ultra fines transgresso.

Nobiles præterea Districtus Slochovv instar Rusticorum ut ligna ad arcem ducant, aut alia seruitia rusticalia faciant, cogi nolumus: sed antiquam consuetudinem seruādam esse decernimus.

Ad præcludendas aūt uarias hinc inde obloquendi uias, & controuersiarū occasiones, quæ solent oriri à Ciuitatib. & Oppidis contra Nobiles & Tabernatores tam Sæculariū q; Spiritualium qui coquunt, & alijs per tunnas uendunt ceruisiā: ita ordinatū est, qd' Nobiles pro utilitate eorum propria coquere liberè possunt ipsam ceruisiam, & si quid ex illa eis superabundauerit, id uendet ad suas Tabernas, uerum negociationem ceruisiæ nō exerceant, quod statu eorum foret indignum. Tabernatores uerò qui ultra miliare distant ab Oppidis uel Ciuitatib. & qui habent in suis priuilegijs facultatē coquendi ceruisiā: coquere illam possunt, quantū ad propinandum in eorum Tabernis sufficiet, nequaq; tamē per integras uel medias tunnas uendendi ipsam ceruisiam habeant: sub pœna decē Marcarum totiens, quotiens huic constitutioni contrauenerint soluendarum.

Cùm etiam Mercatores & præsertim peregrini siue exotici homines in Nobilitatis ac Ciuitatū iniuriam pelles, frumenta, humulum, linum, & alia mercium genera in Villis ac Pagis clàm & publicè coëmere, & negociationes illicitas exercere soleāt: authoritate nostra Regia firmiter prohibemus, ne id de cætero fiat. Statuentes ut deinceps subditi dñorum merces, & res suas uendibiles in proximas Ciuitates ducant, & in foro publico uenales exhibeant, legitima tamen dñorum suorum cum pellibus ferarum & bestiolarum syluestrium habita ratione. Alioqui emptoribus equos, & currus: uenditoribus aūt res uenditas à præfectis nostris adimi & cōfiscari uolumus.

Mandamus insuper, & ita omninò habere uolumus, ut Palatini debitores decimarum aratraliū & quorumuis Ecclesiasticorū prouentuum censuras contumaciter sustinen. ad huiusmodi debitorum solutionem remedijs opportunis compellant: ne Ecclesiastici pūentibus sibi debitis fraudentur.

Postremò

Postremò ad tollendum errorem & incommoditatem ex uarietate, utilitate, & adulteratione monetæ prouenientem, unanimi consilio decretum & constitutum est: ut abolita in Prusia moneta uetere, Triplex noua sub nostris & Terrarum Prusiæ insignijs cudatur: uidelicet grosi, solidi, & oboli, siue denarij, ita ut uiginti grosi unam Marcã: quadraginta autem grosi siue duæ Marcæ florenum Hungaricalem constituant. Tres uerò solidi grossum, & sex oboli solidũ. Sitq; ea moneta in grani ualore & æstimatione par Polonicæ, & similiter noua cudenda est, æqualiter proporcionata: ut scilicet grossus Polonicus Pruthenicum æquet, & solidus ternarios duos, obolus uerò obolum ualeat. Curratq; huiusmodi moneta Pruthenica Regio edicto per totum Regnum, Mazouiamq;, & Lithuaniam, hoc tamen Illustris Prusiæ Dux usq; ad festum S. Martini proximum in deliberationem accepit.

Quæ omnia & singula ut præmissa sunt, in omnibus suis punctis, conditionibus, & articulis rata & firma esse uolentes, de certa nostra scientia & deliberatione, consensuq; tam Consiliariorum nostrorum status utriusq; quam etiam Nunciorum omnium Terrarum nostrarum Prusiæ statuimus & decernimus robur debitæ firmitatis habere, debere. Harum testimonio Literarum quibus Sigillum nostrum est impressum. Actum & datum in Ciuitate nostra Gedanen. feria tertia proxima post festum diuisionis beatorum Apostol. Anno domini 1526. Reg. nostri anno xx.

Sigismund. Rex ad Consiliarios Terrarum Prusię de Decimis Episcopo Vuladis. penden.

MAgnifici & generosi syncerè nobis dilecti. Accepimus Literas uestras, quibus nescimus prolixè ne magis ac indignè nobis, cùm aduersus Decretum nostrũ, quod de soluendis Decimis dño Episcopo Vuladislau. anno superiore iustè & æquanimiter tulimus, respondeatis, idq; agitis, docentes nos quasi nouum aut desultoriũ Christianũ, de lege gratiæ, de sublatò Sacerdotio Leuitico, de nòn contribuẽdo pastorib. nisi pascãt, & alijs tritis iã Apostatarũ cantilenis: non tẽpantes interim ab aculeis in suũ Episcopũ, & Pastorẽ. Vnde uehemẽter miramur, quæ est ista noua christiana ratio: Quia per Legem gratię, quæ tantũ Legi irã opanti cõtradicit: per libertatẽ Euãgelicam, quæ solũ seruituti peccati opponitur, duplex, idq; ingens peccatũ aduersus diuinas & humanas Leges cõmittitis. Alterum nõ reddendo proximo suo atq; adeò Pastori quæ sua sunt: Alterum Literis & Decretis Principis sui non parendo. Si per Legem gratię liber est populus à soluendis Decimis quæ ministris Dei debentur: eadem Lege liber erit à soluendis tributis quæ alijs Ordinibus & potestatibus debentur. Nam Lege gratiæ omnes pariter Christiani in unam libertatem sunt asciti. Si ob hoc quod sublatum est Sacerdotiũ Iudæorũ, non plus habeant Sacerdotij christiani Sacerdotes, quàm id quod cõmune est omnibus, neq; illis suos prouẽtus deberi: pari ratione abolito Regno Iudæorum Christiani non plus erunt Reges, quàm cæteri Christiani, nam per Legem gratiæ omnes ex ęquo REGALE SACERDOTium esse censentur. Quod si christiani Principes Decimas & prouentus successoribus Apostolorum non rectè contulerunt, minùs rectè Apostolis ipsis primi illi Christiani precia bonorum suorum omnium conferebant. Si nephas est Pontificem ob non redditas Decimas populum excõmunicare, maius erit nephas qđ Apostoli ob negatam pecuniã Ecclesiæ dicatã, utraq; morte cõdemnabãt. Si nõ pendendum est Pastori, nisi pascat, & doceat: non pendẽdus erit etiã à Plebe suus census Ordini seu statui Militari, nisi militet, & populũ Dei tueatur: Si deniq; non sunt ualidæ dotes & Priuilegia maiorum & antecessorum nostrorum Ecclesijs collata, cuius erunt firmitatis illa alijs Ordinibus sub paribus signis, pari atramento, & pelle, concessa: atq; hæ q̃ sunt illæ Euangelicæ rationes quæ nunc orbem Terrarum seditionibus, tumultibus, periurijs, & sacrilegijs implent. Graui igitur & molestissimo animo ferimus, quod aduersus Decretum nostrum tales Literas, talibus impijs dogmatibus cõsutas miseritis, quæ non solum indigna sunt auribus nostris, & ab uniuersa Ecclesia Catholica damnata: Sed etiam à nobis, & alijs christianis Principibus publicis edictis uetita. Et proinde denunciamus uobis hanc immutabilem sententiam, & uoluntatẽ nostram quod Decretum ipsum nostrum iustè & legitimè latum nulla ex parte mutaturi, neq; dominum Episcopum, & Iura ipsius nostro debito patrocinio deserturi sumus. Et si in ea contumacia perseuerare uolueritis:

lueritis: Nos id quod ad iustum & Christianum Principem attinet, exequemur. Datum Petricouiæ decima Ianuarij. Anno Domini 1528.

ARTICVLVS III.

AN Dux Prusiæ ad ELECTIONEM Regis Pol. pertineat? Quodque ab eo ad Regiam M. uel alioquin communes illorum Commissarios appelletur. Præterea R. M. Literas publicæ fidei aliqua iniuria in Prusia grauatis dabit.

Responsum datum Oratoribus Ducis de Prusia super facultate eligendi Regis.

QVod Legatio Illustrissimi Dñi Ducis Prusiæ in primis cōtinebat, de facultate eligēdi Regis: Sup eo negocio expēdēs Maiestas Regia unà cū uniuersis Cōsiliarijs suis singularē in se & Regnū suū propensionem eius Illustritatis, proindeq; cupiens illi hac in re ex animo gratificari, reuoluit Maiestas sua uti se factură recepat cū Iura & Priuilegia, tum uerò acta & consuetudines Regni ueteres, comperitq; adeo diligenter cautum & obseruatum esse omni tempore, ne quis alius excellentioris ordinis præter CONSILiarios Regni Ius eligendi Regis haberet, ut etiam & Duces MAZOuiæ qui Principes erant indigenæ Regij, & uetustissimi generis, ut deniq; & filij Regij domini naturales huius Regni, post obitum patris neq; locū, neq; uocem eligēdi Regis habere potuerint. Sed & Magistri Prusię qui homagia Regibus & Regno Pol. præstabant, non solum ut Principes, sed etiam ut Consiliarij Regni qui pari modo loca in Senatu habebant hoc ipsum Ius Electionis obtinere non potuerunt. Proinde cum Illustriss. Dñs Dux Prusiæ ut prudens Princeps satis intelligat nihil esse perniciosius in omni Rep ub. quam aliquid aduersus Leges & instituta uetera perpetua serie & usu approbata committere, neq; aliunde grauiores casus & perturbationes oriri, boni consulere dignetur eius Illustritas, quod Maiestas Regia & uniuersi Consiliarij Regni q eius Illustritati integerrimo animo afficiuntur, non possunt eam rem ut insolitam & institutis Regni aduersam concedere. Præsertim cum id in omnibus Conuentibus exigant uniuersi Regnicolæ, ut nihil aduersus Iura & morem Regni ueterem statuatur. Neq; mirum aut indignum uideri debet eius Illustritati, quod habens locū suum in consilijs; Terrarum Comitijs, & Conuentibus generalibus, ad Electionem Regis non pertineat: cum itidem non pertinebant antecessores eius Illustritatis, ac Duces MAZOuiæ, & hic fuit mos & usus in hoc Regno ab initio receptus & obseruatus. Sed & in GERmania ubi uigent Leges Cæsareæ, non omnes Principes Ius habent eligendi Cæsaris, qui locum suum habent in Conuentibus publicis. Similiter in Regno BOHEmiæ, & alibi, quod notius est quam ut explicari sit opus. Alioqui nisi res esset aduersus Iura & instituta Regni, quæ Maiestas sua nollet ulla in parte turbari & labefactari, libentissimo animo Maiestas sua & Consiliarij uniuersi gratificarentur eius Illustritati, propter hanc illius erga Maiestatem Regiam & Regnum eius quam omnes cognoscunt propensionem & obseruantiā, neq; ullo pacto sibi aliter eius Illustritas persuadere dignetur.

A Duce Prusiæ ad Regiam M. appelletur, quæ etiam Literas publicæ fidei dabit. Responsum Oratoribus Ducis Prusiæ in Conuentu Petricou. die x. Ianuarij datum.

QVod ad Appellationes ab Illustris. Domino Duce Prusiæ ad Maiestatem R. interpositas, & interponendas pertinet: nemo uel mediocriter in Iure uersatus ignorare potest, proprium esse Ius unicuiusque superioris domini, ut ad ipsum à quouis subiecto & Vasallo appelletur. Quippe quod non aliunde magis dominium & subiectio dignoscitur. Cum itaque Priuilegium eius Illustritati concessum clarè testetur, eius Illustrit. se cum omnibus conseruare debere erga Maiestatem suam, uti fidelem subditum & Vasallum de Iure decet, & articuli trāsactionis satis declarēt Maiestatē suā ea duntaxat priuilegia & immunitates eius Illust.

con-

confirmasse, qui huic transactioni & superioritati Maiestatis suæ non repugnarent; neq; de Appellationibus, quæ Iure & consequentia propria ad superioritatem pertinent, aliquid est exceptum: nemini dubium esse debet ad Maiestatem suam Ius appellandi pertinere, quemadmodum & alia omnia superioritatis Iura pertinent, quæ nō sunt in Priuilegio nominatim exempta & excepta. Siquidem sublatis Appellationibus nullum extaret uerę superioritatis uestigium.

Similiter & de dandis à R.M.SALVIS CONDVctibus intelligi debet, Ea etenim res non modo conueniens est & iusta, sed etiam pro conseruando communi statu & tranquillitate apprime necessaria. Ex denegatis enim Appellationibus & saluis conductibus à superiori dominio, oriri solent diffidationes, deprædationesq; communium subditorū, ex quibus & ad bellum plerūq; peruenitur. Maiestas uero Regia neq; debet neq; uellet ulla in re aduersa eius Illustritati ac subditis eius unq; deesse. Quare hortatur Maiestas sua eius Illustritatem, ut quæ propria sunt Maiestatis suę & Iuris eius superioris, his eius Illustritas non nitatur Maiestatem suam priuare, & transactionem factam, quæ satis clara est, istis disceptationibus in alium sensum torquere, & labefactare, in præiudicium M. suæ & communis boni status detrimentum. Quod si utiq; molestum id esse deberet eius Illustritati, quod merito esse non debet, neq; illam iustæ rationes M. suæ permouerent, licet esset cum dispendio Iuris & auctoritatis M. suæ, tamen potius quam eius Illustritati Maiestas sua displicere in hoc deberet, ita se conseruarē dignabitur in causis tam Appellandum, quam etiam qui sub saluis conductibus iusticiam quærunt, ut est in Causis, si quę inter Maiestatem suam & eius Illustritatem inciderent, expressum in Priuilegio transactionis articulo decimo septimo, qui incipit: Item quod ad Iurisditionem inter Maiestatem R. & Principem attinet, &c. deputare uidelicet dignabitur Consiliarios suos, & illos quo ad eiusmodi actus à Iuramento sibi obnoxio absoluet, & iusticiam ministrare præcipiet. Eos uerò Iudices cum in Causis proprijs eius Illustritas suscipere non recusauit, in alienis meritò refutare non debebit.

ARTICVLVS IIII.

Sigismundi Regis ad Archiepiscopum, Magistrum, & reliquos Ordines Liuoniæ Legationis fragmentum.

QVia Sacra Maiestas sua Reuerend. dominum Iohannem Archiepiscopum Rigen. & Episcopum Therbatensem occasione nonnullarum differentiarum in Liuonia exortarū molestationes nonnullas tanto uiro indignas pati accepit, eius Maiestas officij sui esse existimauit, ut, quoniam Rigen. & Terbaten. Ecclesiæ iam dudum protectione Regum Pol. ac Lithuaniæ Ducum utuntur, causæ atq; differentijs ipsius domini Archiepiscopi non deesset, ne quid in eius præiudicium atq; iniuriam ageretur. Ideoq; hos Nuncios suos ad D. Liuoniæ Magistrum, & hūc Conuentum Maiestas eius misit: qui actionibus ijs contra Reuerendissimam P. suam instituendis interessent, referrentque Maiestati suæ quid de ipsa causa & Reuerend. D. suæ statu decerneretur.

Ad Archiepiscopum Liuoniæ Legationis fragmentum.

Nuncij Sacræ Maiestatis Regiæ omnia pro honore & commodo Reuerendissimi D. Archiepiscopi agent, dum modo uicissim D. Archiepiscopus in his rebus, quibus subditi se grauatos meritò conqueruntur, iusto moderamine utatur: ne Maiestas sua rem uideatur postulare indecentem.

CAPITVLVM IIII.

De infeudatione Castri Bytovv & Ciuitatis Luneburg.

AD perpetuam rei memoriam. Nos SIGISMVN. &c. Vniuersis & singulis præsentibus & futuris harum seriem inspecturis Manifestum facimus, quia uigentibus olim bellis inter Sereniss. fœlicis memoriæ CAZimirum Regem parentem & prædecessorem nostrum, ac inter Ordinem dictum sanctæ Mariæ Teutoni-

thonicorum in Prussia Illustris olim Princeps dominus Ericus Sitineñ. Pomeraniæ, Cassubiæ, Vandaliæ Dux & Princeps Rugiæ, multa in ipsis bellis & controuersijs fauoris beneuolentiæ & obsequij sui erga prædictum Serenifs. parentem nostrum officia exhibere, & suppetias non uulgares illius Maiestati defunctæ aduersus hostes eius præstare solitus erat, ac ob eam causam illi Arcem Bytouu una cum Oppido ibidem consistente, nec non Ciuitatem Lunenburgk cum uniuersi fructibus & prouentibus ad illam pertinentibus idem Serenifs. parens noster ad arbitrium & beneplacitum suum concesserat, ut id ex literis, & alijs monumentis abunde constat. Deinde uero ad eam beneuolentiam & coniunctionem quæ inter Serenifs. prædecessores nostros, & prædictum dominum Ducem Ericum, ac posteros eius intercesserat, etiam affinitas & necessitudo accessit, quæ ad hæc usque tempora mutuis officijs & amore coaluit, ita ut prædictas Arces & Oppida repetita quidē aliquoties, tamen non grauatim, & nos, & Serenifs. fratres ac prædecessores nostri possideri a nominatis Ducibus Pomeraniç citra Iurium Regni sui detrimentū ferebāt. Cum postremo nos ad has terras nostras Prussiæ uenientes inuiseret officiosissimè Illust. Princeps dominus Georgius Stetineñ. Pomeraniç, Cassubiæ, Vandaliç Dux & Princeps Rugiæ Nepos noster ex sorore charissimus, & suā, ac Illustris fratris sui germani domini Baruini singularem erga nos propensionem animi & obseruantiam declarauit, remisitque nobis & successoribus nostris de dote Illustrifs. olim dominæ Annæ sorori nostræ à præfato Serenifs. domino Rege Kazimiro patre nostro promissa, quatuordecim millia aureorum Hungaricalium: uolentes uicissim erga Illustritates eorum uberiorem amorem nostrum testari, et illas, earumque successores nobis ac Regno nostro arctiori beneuolentia & cōiunctione deuincere, attamen Iuribus Regni nostri non deesse, illis & earum hæredibus masculis, Arces & Oppida prædicta Bytouu & Lunenburgk cū omnibus, & singulis eorum subditis, Vasallis, fructibus, libertatibus, eminentijs, censibus, prouētibus, Iuribus, & pertinentijs uniuersis, sicuti illa ad arbitrium & beneplacitum, ut dictum est, Serenifs. prædecessorum nostrorum, & nostrum hactenus usu & fructu tenuerunt, de cōsilio & consensu dominorum Consiliariorum tam Spiritualium, quam Sæcularium Regni nostri tenen. haben. fruen. uten. & posiden. in perpetuū Iure feudi pro nobis & successoribus nostris Regibus Poloniæ dedimus, & concessimus, ac illos de eis ipsis Arcibus & Oppidis Bytouu & Lunenburgk inuestiuimus, & tenore præsentium damus & concedimus, illosque & eorum hæredes de ampliori gratia & beneuolentia nostra ab omni iuramento, necnon tributis & exactionibus quibuscunque nobis & posteris nostris ratione dictarum Arcium & Oppidorum præstandis dimittimus, & liberos facimus, pollicemur præterea dictos Principes in prædictis Arcibus & eorum pertinentijs quātum in nobis est defendere & tueri, tenebuntur tamen & obligati esse debent præfati domini Duces, & eorum successores ad singulas successorum nostrorum Regum Pol. coronationes, uel uenire ipsi, uel Consiliarios, aut Officiales suos mittere, qui hoc ipsum Ius feudale de præfatis Arcibus & Oppidis ad Regnum nostrum pertinens, ita ut iam dictum est, recognoscent, & literas eius recognitionis & renouationis ipsius feudi, quæ gratis illis debent dari, à nouis Regibus accipient. Quo si aliqua legitima causa impediti hoc Officium, & debitum in coronationibus successorum nostrorum non fecerint, nihil ea negligentia illis detrimenti afferre debebit, dummodo alio breui tempore post Coronationem id præstare curauerint. Vbi uero ipsi Principes domini Georgius & Berninus Duces Pomeraniæ sine legitimis masculis feudi hæredibus, uel eorū legitimi masculi feudi hæredes non relicta prole uirili decederent, stirpsque & progenies eorum mascula & legitima deficeret, extunc prædictæ Arces & Oppida Bytouu & Lunenburgk cum omnibus suis bonis, subditis, Vasallis, fructibus, libertatibus, Iuribus, eminentijs, & pertinentijs uniuersis, ac cum pleno Iure & possessione citra omnem difficultatem ad nos, & posteros nostros Reges Pol. redire debebunt: Salua tamē Iurisdictione interim perpetuo, prouentibus, decimis seu Episcopalibus, cum Villis bonis & piscaturis ac libertatibus ad Reuerendum Ioannem Episcopum & Ecclesiam Vuladislauiensem ex antiquo pertinentibus. In cuius rei testimonium Sigillum nostrum est præsentibus appensum. Actum & datum in Ciuitate nostra Gedaneñ. die inuentionis S. Crucis. Anno Domini 1526. Regni nostri anno 20.

CAPITVLVM V.

Literæ feudi & homagij Ducis Oszuuiacimensis & Zatoriensis.

IN NOMINE DOMINI AMEN. Ad perpetuam rei memoriam Nos Kazimirus Dei gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ, &c. dominus & hæres. Notū facimus per præsentes nostras Literas omnibus et singulis, quibus expedit, Quod ueniens ad pręsentiā nostrā pręclarus dominus Venceslaus Dux Oszuyacimeñ.

czimeñ. & Zatorieñ. &c. frater noster dilectus, cupiens & petens Regno nostro uniri & incorporari, Literas & priuilegia quorundam Regũ Bohemiæ in præsentia nostra posuit & ostendit, quatenus ipsum & ipsius successores in eisdem priuilegijs, & in alijs libertatibus conseruaremus, & confirmaremus, in protectionemq; & tuitionem nostrã, ac Regni nostri reciperemus, prout ipsum, ipsiusq; successores, antecessores Reges Bohemiæ tenebant, & tuebantur. Nos uerò priuilegijs ipsius uisis, & sufficienter examinatis, tãquàm iustis & rationi consonis, tum & petitioni ipsius acclinati, attendentes ipsius liberum accessum & unionem ad nos & Regnũ nostrum, ipsum dominum Venceslaũ Ducẽ Oszuyaczimeñ. & Zotarieñ. in nostram & Regni nostri tuitionem & protectionem recepimus, & recipimus, ac priuilegia per Reges Bohemiæ sibi & suis antecessoribus dàta & cõcessa confirmauimus & confirmamus. Insuper & à Iuribus nostris feudalibus quomodocunq; ad nos spectantibus & pertinentibus, à bello dum & quãdo expeditio bellica fieret & cõtingeret aliarum Terrarum Regni nostri, à contributione seu datia omni in quam Terræ Regni nostri consentierint ex quacunq; causa seu modo, cęterisq; seruitijs & grauaminibus quocunq; nomine uocantur, seu in futurum uocabũtur, tàm de persona, quàm de bonis mobilibus & immobilibus liberum fecimus, dimisimus, & in futurum facimus, & dimittimus. Etsi quispiam habens bona in prædicto Ducatu ab obedientia domini Ducis Zatorieñ. se subtraxerit, & ad nos recurrerit: talem nõ suscipiemus, neq; defendemus, sed remittemus & compellemus eum ad obedientiam domini Ducis Zatorieñ. Etsi aliquando aliquis Nobilium, aut Plebeiorum de eodem Ducatu Zatorieñ. ad nostrã uel Regni nostri Iudicium prouocauit & appellauerit: sic prouocañ. & appellañ. non admittemus ad nostram audientiam seu Iudicium, sed remittemus, & in futurum mandamus remitti ad eundem Ducatum Zatorieñ. ut ibidẽ in omni negotio per subditos prædicti domini Ducis Iustitia petentibus administretur: & generaliter ipsum dominum Ducem, et ipsius successores, tum & Ducatum Zatoriensem, seu dominium, in omnibus Iuribus & priuilegijs conseruamus, & in perpetuum uolumus conseruari, quæ ab antiquo ad ipsum, & dominium ipsius pertinebant & spectabant. In cuius rei testimonium &c.

Literæ super Ducatum Zatoriensem. 1494.

IN NOMINE DOMINI AMEN. Ad perpetuam rei memoriam, quoniam humani generis actiones memoria perpetua indigentes plærunq; ab hominum notitia dilabuntur, nisi scripturarum seu testium munimine fuerint renouata: Proinde nos Ioannes Albertus Dei gratia Rex Pol. necnon Terrarum Cracouiæ, Sandomiriæ, Siradiæ, Lanciciæ, Cuiauiæ: supremus Dux Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ: ac Culmeñ. Elbingeñ. & Pomeraniæ dominus & hæres &c. Significamus tenore pręsentium quibus expedit uniuersis, præsentibus, & futuris, harũ notitiam habituris. Quomodo quamuis à multis iam retroactis annis Terra seu Ducatus una cum Duce, Ducibusq; Zatorieñ. cum omnibus eorũndem Iuribus, inscriptionibus, & cum omnibus & singulis Terrigenis, necnon Ciuitate Zathor, alijsq; Oppidis, & cum Castro seu fortalicio eodẽ nomine Zathor dicto, alijsq; omnibus Fortalicijs, nec non uillis, hæreditatibus, possessionibus, & omnibus eorundẽ censibus seu utilitatibus, fluuijs, syluis, eorũq; usibus tàm Ducalibus, quàm etiam aliorum quorumcunq; Terrigenarum & subditorum cuiuscunq; conditionis existant in toto ambitu dicti Ducatus consistentibus, cũ omni Iure, proprietate, & dominio, nobis, ditioniq; nostræ seu Regibus & toti Coronæ Pol. pertineant. & sunt incorporati, appropriati, ascripti, & perpetui, irreuocabiliterq; uniti, nobisq; & Coronæ nostræ pręfatæ subiecti, cum omnibus eiusdem Ducatus subditis tàm Spiritualibus quàm Sæcularibus. Quam incorporationem, unionem, confœderationem, & subiectionem uetustam, semper ratam, firmamq; & inuiolabilem perpetuoq; duraturã habuimus, habemus, perpetuoq; habere uolumus: Nihilominus præclarus Dux Ianussius eiusdem Ducatus Zatorieñ. modernus dominus, hæres, & possessor ex successione suorum parentum Ducum Zatorieñ. procedens, una cum Illustri Ducissa domina Barbara cõsorte sua legitima, easdem ueteres inscriptiones, incorporationes, uniones, & subiectiones, constantes & recognoscẽtes nouis se inscriptionibus, fœderibus, Ligis, uenditionibus, atq; subiectionibus pariter cum præfato pleno & integro Ducatu Zatorieñ. nobis & omnibus successoribus nostris Regibus & toti Coronæ Pol. cum plena potestate & autoritate, perpetuoq; duraturis matura deliberatione & consilijs, cuius intererat præhabitis uoluerunt inscribi; tantoq; firmius incorporari, & subijci, prout iam nunc se inscribunt: & prout proprijs inscriptionibus præfati Ducis Ianussij, consortisq; suæ præfatæ, necnon omniũ Terrigenarum pariter & Ciuitatensium præfato Duci Ianusio subiectorum sufficienter est firmatum & expressum.

expressum. Proinde ut hæc unio, incorporatio, inscriptioq; præfati Ducis Ianussij & consortis suæ, necnon totius Terræ & Ducatus eiusdem uenditio, realisq; satisfactio per nos sibi facta ad effectum deducatur, sitq; solidior & firmior perpetuo & in æuũ, recognoscimus nos apud præfatum Ducem Ianussium tanquàm apud uerum & indubitatum hęredem præfati Ducatus Zatorień. & apud illustrem Barbaram consortem suam præfatam emissæ præfatum Ducatum Zatorień. una cum Castro seu Fortalicio, et Ciuitate tota Zatorień. et cum omnibus bonis, possessionibus, Villis tàm Ducalibus quàm etiam Terrigenarum et subditorum quorumcunq;, quicunq; seu quæcunq; in præfato Ducatu consistunt, emptione, uenditioneq; perpetua et irreuocabili, perpetuo et in ęuum, pro octuaginta millibus florenorum Hungaricalium auri ueri puri et iusti ponderis. Pro quib. sibi iam plenè et ex toto satisfecimus realiter et cum effectu: prout ipse Dux Ianussius una cũ prȩfata sua consorte eandem satisfactionem et solutionem proprijs Literis et Sigillis, consortisq; eiusdem una cum Terrigenis et subditis suis fatetur et recognoscit: Nosq; et futuros successores nostros Reges et Coronam Pol. de accepta satisfactione et solutione quitauerunt, et liberos dimiserunt. Et tamen præter hoc, tenore præsentium promittimus, Quod nos et successores nostri Reges, et tota Corona Pol. pro finali satisfactione præfati Ducis Ianussij et consortis suæ præfatæ pro dicto Ducatu Zatorień. et bonis ad ipsum pertinentibus, debemus, tenemur, tenoreq; præsentium pollicemur, et tenebimur, nosq; obligamus præfato Duci Ianussio, et dictę consorti suæ, pro quolibet anno dare et soluere de Zuppis nostris Vielicensibus et Bochnensibus ducentas Marcas pecuniæ communis monetæ et numeri Polonicalis, et sedecim bancos salis donatiui, usq; ad extrema tempora uitæ eorum, seu utriusq;, seu ad mortem præfatorum Ducis Ianussij et consortis præfatæ eiusdem. Ita tamen, Quod pro quolibet quatuor temporibus singulorum annorum per quinquaginta Marcas, et per quatuor bancos salis, dare eisdem, seu utriq; eorundem, uel alteri eorundem qui super uixerit, præfatas ducentas Marcas dare & extradere tenemur, et debemus, tenebimurq; et debebimus. Et similiter nostri successores Reges, et tota Corona Poloniæ, dare eisdem, uel alteri eorum modo supra scripto soluere et cõplere tenebuntur. Si uerò quod absit pro aliquibus quatuor temporibus usq; per unũ integrum annum præfatum censum ducẽtarum Marcarum, et sedecim bancos salis, prout præmissum est, soluere neglexerimus, uel nõ curauerimus, uel successores nostri neglexerint, uel non curauerint: Extunc post cuiuslibet anni integri decursum post huiusmodi negligentiam sequentem in alijs ducentis Marcis præfati Duci Ianussio & suæ consorti succumbemus, & successores nostri succumbent. Post præfatorum uerò Ducis Ianussij & Barbaræ consortis suæ legitimæ obitum: Extunc præfatus Ducatus Zatoriensis cum Castro & Ciuitate, & cum omnibus Terrigenis, omnibusquè bonis & subditis tàm Spiritualibus quàm Sæcularibus, cuiuscunq; conditionis existant cum omni Iure hæreditario proprietate & dominio cum titulo re, Iureq; uenditionis, & emptionis in manus nostras, uel successorũ nostrorum Regum & toti Coronæ Poloniæ perpetua & irreuocabili successione, Iureq; hęreditario perueniet, & deuoluetur. Quę iã exnũc, prout extũc, & extũc prout ex nunc, ipse dux Ianussius unà cum consorte sua præfata nobis, Regibusq; & toti Coronæ Poloniæ condescendit, & resignat, & ita sicut præmissum est condescendunt & resignant. Et præter hoc, præfatus Dux Ianussius una cum consorte sua proprio iuramento corporali, hãc uenditionem, emptionemq;, nec'non inscriptionem & subiectionẽ, conseruationemq; irreuocabilem atq; perpetuam iam approbare, confirmare, & robore effectualiter de facto debet & tenetur, debẽtq; & tenentur. Et similiter Burgrabius Castri seu Fortalicij, & omnes terrigenæ, Ciuesq; Zatorień. iurare debent nobis, Regibusq; & toti Coronę Pol. nũc iam & in posterum, quotiens opus fuerit, ad tenendã nobis, Regibusq; & toti Coronæ Pol. fidem seu fidelitatẽ: & tam præfatus Dux Ianussius una cum consorte sua specialibus literis suis, necnon omnes & singuli terrigenæ eiusdem Ducatus Zatorień. etiam proprijs literis inscribere se debent, & propria sigilla ad literam pargameneam appendere, promittendo obedientiam, fidelitatemq; nobis Regibus & toti Coronę Pol. præstandam, & post mortem præfatorum Ducis Ianussij, & consortis suę præfatæ nulli alteri possessionem dicti Castri, ciuitatisq; Zatorień. & totius terræ seu ducatus Zatorień. dare, facere, & resignare, nulliq; fidẽ & fidelitatem ac obedientiã præstare & facere quam nobis Regibus & toti Coronæ Pol. debent & tenentur. Quilibetq; eorum debet, & tenetur. Qui etiam terrigenę omnes & quilibet eorũ debet & tenetur, debebuntq; & tenebuntur, specialiterq; pro Burgrabio dicti Fortalicij seu Castri & Ciuitatis Zatorień. & pro semetipsis, iam nunc, & quotiens opus fuerit, seu quotiens præfatus Burgrabius mutari & institui debebit, etiam uiuente præfato Duce Ianussio, cauere & fideiubere atq; corporaliter iurare. Quod præfatum Castrum fideliter tenebit, & nulli alteri in præfato casu mor-

tis præfatorum Ducis Ianusſij & cõſortis ſuæ quam nobis Regibus & toti Coronæ Pol. condeſcendere & reſignare debebit,& tenetur. Debet etiam & tenetur præfatus Dux Ianuſsius una cũ præfata conſorte ſua in uita ſua,quamdiu omnipotens Deus eam eis conceſſerit,nobis necnon Regibus & toti Coronæ Pol.in omnibus aduerſis aſsiſtere, & nos cõtra omnem inimicum iuuare,una cum præfatis terrigenis & ſubditis ſuis,ſeu cum toto ſuo Ducatu & eiuſdem incolis,quando,& quotiens opus fuerit.Nos uero etiã præfatum Ducem Ianuſsium,ſuosq; terrigenas & ſubditos,totumq; Ducatum tenere & cõſeruare debemus & tenemur ſub noſtra terreſtri,& totius Regni Pol.tutela:& eum ab omnib.inimicis ſuis opprimere eum uolentibus ſibi aſsiſtere,& eum pariter & conſortem prefatam eiuſdẽ defendere & tueri pollicemur,& tenemur. Volumus etiam ut in neceſsitate alicuius diſturbij terreſtris,uel cuiuſcũq; guerrę aut intranquillitatis,ipſe Dux Ianuſsius in Caſtrum ſeu Fortalicium,Ciuitatemq; Zathor gentes noſtras immittere debeat libere ad requiſitionem noſtram,uel noſtri Capitanei Cracouieñ.ut tanto ſecurius ab hoſtiũ incurſu ipſum Caſtrũ & fines Regni noſtri tutius,& in meliori pace conſeruare ualeant, ad quod etiam faciendum ſe ſua inſcriptione una cum prefata ſua conſorte ſubdiderũt. Ex quo aũt prefatæ Illuſtri dominę Barbarę cõſorti dicti dñi Ducis Ianuſsij pro dote & dotalicio ſuis, quæ habebat in præfato Ducatu Zatorieñ.ſibi inſcripta & reformata, per nos & per Coronam noſtram ſeu Regnum Pol.completis præmiſsis,eſt ſibi ſatisfactum. Ex tunc præfata Duciſſa Barbara tenebitur,teneturq; literis ſui mariti domini Ducis Ianuſsij,necnon etiã ſuis proprijs præfatã ſatisfactionem recognoſcere,nobiſq; literas ſuæ reformationis reſtituere,& eaſdem Inſcriptiones dotis & dotalicij præfatis literis extinguere & mortificare. In cuius rei teſtimonium Sigillum noſtrum præſentibus eſt ſubappenſum. Actum Cracouiæ,feria tertia ante feſtum S. Petri ad uincula,anno Dñi 1494. Regni uero noſtri anno 2. Preſentibus Magnificis & Generoſis Ioanne de Pilcza Ruſsiæ, Dobeslao de Kurozuanki Lublineñ. Palatinis, Petro de Kurozuanki Theſaurario Regni Pol.& Cracouieñ. Capitaneo, Petro Myſzkouuski Vieluneñ.& Nicolao Serzezouuski Sanoceñ. Caſtellanis, Stanislao de Chodecz Capitan. Exercituum noſtrorũ in terris Podoliæ, Andrea Koſczyeleczki Bidgoſtieñ.& Ioanne Dunyn de Viazd Capitaneis, cæteriſq; Dignitarijs, Conſiliarijs,& Cubicularijs noſtris fidedignis teſtibus. Datum uerò per manus Venerabilis Gregorij de Ludbrancz Skarbimirieñ. & S. Floriani in Kleparz Præpoſiti, Regni noſtri Vicecancellarij, ſyncere nobis dilecti.

Venditio Ducatus Oſuiaczimen. Regi Poloniæ Kazimiro.

IN NOMINE DOMINI AMEN. Ad perpetuam rei memoriam. Ne temporum labentium curſus rerum geſtarum memoriam ſecũ rapiat,et illos obliuionis errore confundat,mentibus humanis illud diuinitas inſpirauit, præſtititq; remedium actiones, ordinationeſq; humanas per tẽporis lapſum perituras,& uenditionũ, emptionumq; contractus,ne à poſteris reuocentur in dubium,conſtans apex roboret literarum,& fides teſtium iugiter renouet & confirmet. Proinde nos Ianuſsius Dei gratia Dux & dominus Oſzuyaczimeñ. Significamus tenore præſentium, quibus expedit uniuerſis et ſingulis, præſentibus & futuris,publiceq; recognoſcimus & fatemur. Qualiter matura deliberatione cum illuſtribus fratribus noſtris,Baronibus et Conſiliarijs noſtris præhabita,etiam in optima ualetudine conſtituti,nullo dolo,fraude, aut ingenio ſeducti, nec per errorem aut improuide,ſed de mera et ſpontanea uoluntate Ducatum noſtrum et Terrã noſtram Oſzuyacziimeñ. quæ portione paterna nobis obuenit, Sereniſs. Principi et dño, domino Kazimiro Dei gratia Regi Pol. Magno Duci Lithuanię,hæredi Ruſsię,& domino Pruſſiæ,Regnoq; ſuo & Coronæ Pol. pro quinquaginta millib. Marcarum latorũ groſſorum Prageñ.numeri Polonicalis,quadraginta octo groſ.in quamlibet Marcam computãdo: (Quæ quidem quinquaginta millia Marcarum latorũ groſ.ab eodem domino Kazimiro Rege & Corona Pol.nos integraliter & effectualiter in pecunia parata & numerata pro huiuſmodi Ducatu tuliſſe,& leuaſſe,& percepiſſe præſentibus recognoſcimus,& profitemur) uendidimus,pręſentiumq; tenore uendimus,et uenditione perpetua,et irreuocabili præfato Sereniſs. Principi & dño,domino Kazimiro Regi & Coronæ ſuæ Polo. de illo cedimus,& ipſum reſignamus,& inſcribimus,cum omnibus & ſingulis dicti Ducatus et Terræ Oſzuyacziimeñ. Caſtris, Fortalicijs, Ciuitatibus, Oppidis, Villis, Teloneis, cenſibus, prouentibus, utilitatibus, fructibus, ſeruitijs, homagijs, allodijs, exactionibus, collationibus, iurepatronatibus, culpis, emendis, piſcinis, molendinis, lacubus, agris, pratis, ſyluis, borris, uenationibus, aucupationibus, mellificijs, paſcuis, rubetis, mericis, fluuijs, torrentibus, aquarumq; quibuslibet decurſibus, montibus, fabricis, ferrifodinis, plumbifodinis,

dinis,auri & argenti,æris & cuiuslibet metalli fodinis,monetis,iudicijs & bannis, seu inhibitionibus uenationum,& pœnis inde sequentibus,consuetudine uel de iure utilitatibus,honoribus,conuentionibus,honorantijs,feudis,feudatarijs, uasallis,uasallarijs,Nobilibus,Rusticis & Plebeis,hominibusq; habitantibus, et habitaturis, cum potestate ibi mercata publica et Nundinas celebrandi,faciendi,datias,pedagia,gabellas,& alia omnia onera realia & personalia,ordinaria, extraordinaria,atq; mixta, quocunq; nomine nuncupentur imponendi,exigendi,& exigifaciendi, cum mero & mixto dominio, supremo & infimo,omnimoda iurisdictione,plena gladij potestate,et exercitijs eorundem,cũ uniuersis alijs utilitatibus quæ ibi hactenus sunt,& in posterum naturaliter,aut industria humana fieri poterunt,quibuscunq; nominibus aut cognationibus uel uocabulis nuncupentur,prout idem Ducatus & terra longè,latè, et circumferentialiter in basso & plano, in gadibus et limitibus,et terminis est distinctus,cum omni iure Ducali,dominioq; mero et mixto,supremo & infimo,titulo et proprietate prout eandem Terram et Ducatũ nos et nostri prædecessores tenuerunt & habuerunt,nihil nobis aut nostris successoribus cuiuscunq; dominij,iuris,feudi superioris,& proprietatis,tituli,& memoriæ in eodem Oszuyaczimeñ. Ducatu quomodolibet reseruãdo,per dictum ipsum Kazimirum Regem & suam Coronam Pol. suosq; successores Reges Pol. habendum, tenendum,possidendum,et ad usus suos beneplacitos cõuertendum renunciantes publicè, et per expressum omni iuri,titulo,feudo,dominio,& proprietati,quod hactenus illic habuimus, et progenitores,antecessoresq; nostri habuerunt,pure simpliciter,et de plano,& sine aliqua conditione,ius,titulum,dominium,proprietatem, atq; feudũ dicti Ducatus et Terrę Osżuyaczimeñ. eidem Serenisſ. Principi domino Kazimiro Regi,et suæ Coronæ Pol. resignantes, absoluentes, omnes et singulos Barones, Nobiles, Scultetos, Ciues, Oppidanos,& Kmetones,incolas et singulas personas Ecclesiasticas et Sæculares quocunque nomine censeantur, aut quacũq; dignitate uel conditione perfulgeant præfati Ducatus et Terræ Osżuyaczimeñ. à nostra obedientia,& feudo,iuramẽto, et fidelitate, ac obligatione eosdẽ Barones et Nobiles,Scultetos,Ciues et Oppidanos,Kmetones et incolas, personasq; Spirituales et mundanas eiusdem Ducatus,in obedientiam,feudum,et utilitatem prædicti Serenisſ. domini,domini Kazimiri et sui Regni ac Coronæ Pol. subijcimus et supponimus per præsentes. Et ne in posterum dubitari quomodolibet possit,quo iure,titulo,& conditione,Castra,Ciuitates et Oppida,atq; Villæ in dicto Ducatu et Terra Osżuyaczimeñ. consistentia,per nos eidem Serenisſ. domino,domino Kazimiro Regi et suo Regno ac Coronæ Pol. uenditæ et resignatæ,et subiectæ sunt,conditionem eorũ pro futura memoria duximus præsentibus exprimendum. Inprimis quidem fatemur,quod Castra principalia Osżuyaczimeñ. et ualentes huiusmodi Ducatus,et Terræ prædictæ cum duabus Ciuitatibus seu Oppidis,uidelicet Ciuitas ipsa Osżuyazim cum teloneo et molendinis, et Kanthi cum teloneo et molendinis, nec non Villæ Bielany, Lauki, Babicze, Lipnik, Osyek,Brzeszye,Monouicze,& Duuory,sunt,esseq; debent de mera proprietate titulo atq; dominio præfati domini Kazimiri Regis et sui Regni ac Coronæ Pol. Quoniã cum præfata Castra,Ciuitates et Oppida,telonea atq; Villæ nulli alteri nisi nobis sunt censuales & obnoxiæ ac subiectæ,præfatus etiam dominus Rex cum omnibus pertinẽtijs, appendentijs,& emolimentis ea possidebit. Item recognoscimus et publicè profitemur, quod etsi Villæ Polanka antiqua,noua Polanka, Vulosyenicza, Poramba, Grodzyecz, Sparouicze,Nidek,Vitkouicze,Glabouicze,Bulouicze,Czanicze,Malecz, Czacuga, Nouauyesz,Rocziny,Sbroskouice,Brzezinka,Raysko,Francyskouicze,Przecyessyn, Skiedziey,Vithkouice,Vilamouice,Helcznarouice,Bnyakouu, Dzuckosse, Miklussouice,Pissarouicze,Halcnouu,Brjertolouice,Komorouice,Zebraca,Restuuina, Rabkouice,Starauyesz,Ianussouice,Tharmassy, & aliæ omnes in prædicta Terra Osuyacimeñ. consistentes per certos Terrigenas, & Nobiles Ducatus prædicti teneantur & inhabitentur Quia cum nos & progenitores nostri supremum Ius Ducale ferè in illis omnibus habuimus,cæterosq; census,tributa, labores, seruitia, & obuentiones ex illis iure nostro Ducali percipiebamus: Vnde etiam Villas prædictas in signum altioris firmitatis cum omnibus censibus prouentibus & oneribus eisdem domino Kazimiro Regi & Coronæ Poloniæ resignamus,& eisdem renunciamus. Item omnes Literas,Priuilegia,munimenta,inscriptiones,obligationes,contractus,& quascunque scripturas,quas nos uel consanguinei fratres aut successores super dicto Ducatu eiusdem titulo & proprietate,& dominio habuimus,habemus,uel habebimus, quem in derogationem,uel læsuram iuris,proprietatis,tituli & dominij præfati domini Regis & sui Regni, ac Coronæ Poloniæ in dicto Ducatu Osuyacimeñ. & præsenti nostræ resignationis uergenda,uel quomodolibet

 bet

bet facienda,& quæ nobis aut fratribus,uel consanguineis nostris possent prodesse,& dicto domino Kazimiro aut Coronæ Polo. obesse anullamus, cassamus,extinguimus,& mortificamus,easdemq; nullius decernimus,& profitemur roboris uel momenti, suspectasq;,& uitiosas declaramus. Item ut huiusmodi nostra uenditio & resignatio præfato domino Regi & suo Regno,& Coronæ Pol.de dicto Ducatu Ossuyacimeñ. facta iuxta desyderium cordis nostri funiculo multiplici roborata,perpetua,atq; pacifica,nullum futuræ litis,inquietationis,aut dubietatis habens respectum perseueret:promittimus, spondemus,nosq; uerbo Ducali circa fidem nostram & honorem sine dolo & fraude catholica promissione astringimus et obligamus,quod uenditionem & resignationem nostram de dicto Ducatu & Terra Ossuyaczimeñ per nos ut præmittitur dicto Serenifs. Principi domino Kazimiro Regi & suo Regno ac Coronæ Pol.factam,Illustres Principes domini Venceslaus Zatorieñ.Przemislaus Thosleñ.germani nostri Duces,omnesq; consanguinei nostri affines & proximi gratam,ratam,firmam habebunt,tenebunt,nec in aliquo directe uel indirecte quæsito colore occasione huiusmodi uenditionis & resignationis contrauenient,aut eam impedient quouis modo.Nosq; prædictum Serenifs. Regem & suum Regnum,ac Coronam Polo. ab omnibus impedimentis,litibus,molestationibus, perturbationibus,infestationibus,offensis & iniurijs tàm à præfatis dominis Venceslao & Przemislao germanis nostris,quàm ab omnibus consanguineis et proximis nostris,et à quacunq; persona cuiuscunq; conditionis existat,& quacunq; fulgeat dignitate, Spiritualí siue Sæculari,à quibus occasione præfatæ nostræ uenditionis resignatio & contractus præfati Ducatus & Terræ Ossuyacimeñ.ipse Serenifs.dominus Rex & Regnum ac Corona Pol.læsi,molestati,perturbati,offensi,& impediti fuerint, ipsum dominum Serenissimum Regem,suum Regnum & Coronam Pol.nos intercedere,& euincere, nullam interponendo præscriptionem iuxta Ius nostrum Ducale tenebimur,eliberareq; sub fide & honore.In cuius rei testimonium Sigillum nostrum Ducale præsentibus est subappensum. Datum in Gliuice feria secunda ante festum S. Matthiæ Apostoli, anno Domini 1457.Præsentibus Strenuis,Generosis & Nobilibus,Ioanne Sassouuski, Zauissa Bohemo,Nicolao de Kamieñ.Krystek Schelhem de Schothmank, Mislіborio de Orzesse,Ioanne Karnic de Sambork,Michaële Laskouuski, Nicolao Myskouuski, Nicolao Sassouuski,Ioanne Vuyec de Thomica, Procopio de Suyantossouice, Hinkone Suuyatlik de Zass,Ioanne Tlema, Vrbano de Kopcouice, Michaële de Zauyerce Notario nostro, & alijs fidedignis testibus circa præmissa.

Cracouiæ 1457.

NOS IANVSSIVS Dei gratia Dux Ossuyacimeñ.recognoscimus tenore præsentium quibus expedit uniuersis,tàm præsentibus quàm futuris,notitiam præsentium habituris.Quod à Serenifs.Principe domino Kazimiro Dei gratia Rege Pol. Magno Duce Lithuaniç,herede Rusfiæ,Prusfiæq; domino,& à Regno,Coronaq; sua Pol. quinquaginta millia Marcarum latorum grossorum Prageñ. numeri Polonicalis quadraginta octo grossos in quamlibet Marcam computañ. in uim totalis & integræ solutionis pro Terra & Ducatu Ossuyacimeñ.per nos ipsi Serenifs.Principi domino Kazimiro Regi et Coronæ Pol.uenditis recepimus,& de manibus Magnificorum & Strenuorum ac Nobilium dominorum Ioannis de Czyssouu Castellani & Capitanei Cracouiensi,Gregorij de Branyca Castellani Radomieñ.Andreæ de Tanczyn,Ioannis de Rythuuiany Capitanei Sandomiriensis,Ioannis de Tarnouu,Ioannis de Melstyn,& Grot de Ostrouu in effectu leuauimus. Vnde & eundem Serenifs. Principem dominum Kazimirum Regem Pol.&c.& suum Regnum,& Coronam suam Poloniæ. Nos Ianusfius Dux prænominatus quietamus,& absoluimus,quietatosq; & absolutos pronunciamus per præsentes. Omnesq; Literas,& obligationes cuiuscunque existant tenoris,quas præfatus dominus Rex & suum Regnum, & Corona Poloniæ,aut sui fideiussores nobis super solutionem dictarum quinquaginta millium Marcarum latorum grossorum, aut illarum aliqua portione,dederunt,mortificantes,& cassantes præsentium per tenorem: profitentes illas nullius esse efficaciæ,roboris,uel momenti,& iam præfatum dominum Kazimirum Regem & Coronam Poloniæ nobis occasione emptionis Terræ Ossuyacimeñ. recognoscimus, & profitemur in aliquo non teneri. In cuius rei testimonium Sigillum nostrum præsentibus est appensum. Datum Cracouiæ feria quinta post Cinerum,anno Domini 1457.

Iuramentum

Iuramentum Ducis Zatorien.

EGo I. Dux Zatorieñ. Iuro, quia fidelis & obediens ero cum omnibus subditis Ducatus mei, & cum Ducatu meo Sereniss. Principi domino A. &c. Regi Pol. &c. gratiosissimo & ipsius successorib. Regibus, & Regno, ac Coronæ Poloniæ, pro bono statu M. Regiæ & Reipub. Regni Polon. & pro utilitate M. Regiæ, & Regni consulam, & quæ sentio M. Regiæ successoribus & Regno Pol. nocitura præcustodiam, et pro posse meo auertã, ac omnia fideliter ad partem M. R. & Regni Pol. agam fideliter et obedienter, mandatis M. Regiæ & successorum suorum parebo, & ea implebo, Literas meas iuxta contractum per olim Sereniss. dominum Iohannẽ Albertũ inter me & Regnũ factũ sub meo & subditorum meorum Sigillis dabo M. R. ad thesaurum Regni, subditosq; uniuersos meos ad iurandum iuxta contractũ inducam, & iurari, aliaq; quæ ex condictamine debeo facere, faciam. Sic me Deus adiuuet, & hæc sancta Christi crux.

Iuramentum Terrigenar. Ducatus Zatorien.

EGo P. Iuro quia fidelis ero Sereniss. Principi & domino domino Alexandro Dei gratia, &c. gratiosissimo & Regno ac Coronæ Pol. & post mortem Ducis Ianussij Zatorieñ. domini mei gratiosi neminem alium quam ipsum dominum Alexandrum Regem & successores Poloniæ pro domino suscipiam, & me ei subijciam, ac pro posse meo procurabo omne bonum, & auertam omne malum quod sciuero imminere R. M. & suo Regno Polon. omniaq; faciam fideliter, obedienter, & diligenter quæ ad subditum bonum & fidelem pertinent. Sic me Deus adiuuet, & hæc sancta Christi crux.

CAPITVLVM VI.

De xiij. Ciuitatibus Scepusij.

TAmetsi Reges Pol. & semper ferè contra hostes uicinos in statione excubare oporteat, & solum eorum prouentu metallorum prouincijs ad meridiem & occidentẽ sitis sterilius esse uidetur: Nihilominus KAZIMIRVS tertius Rex Polon. confectis tot bellis, factis præterea alijs tot sumptibus, Regi Hungariæ magnam pecuniæ uim mutuo dedit: in qua etiam Scepusij 13. Ciuitates Iure obligationis ac hypothecæ in possesionem accepit. Et quia ad tempus præstitutum æs ei restitutũ non est, aliæq; conditiones contractus & Inscriptionum in Thesauro Regio repositarũ expletæ non sunt, Scepusium ipsum pœnis ac Vadijs in ipsis Literis obligationum contentis & interpositis tantum immersum, illigatumq; habet, ut si redimendum esset, unius Regni pecuniæ ad illud eliberandum uix sufficerent, propter quas obligationis conditiones & nodos, non tantum usus fructus, qui ex obligatione possessori uenit, uerùm etiam ipse fundus qui æquiualenti summa ab emptore acquiritur, Regis & Regni Poloniæ proprius esse censetur.

CAPITVLVM VII.

De Ducatu Mazouiæ.

Sigismund. Regis ad Mazouiam Legatio.

REs ipsa per se nota est, nec dubitaturũ aliquem inter nos arbitror, qui modo mediocri rerum peritia imbutus sit: Quomodo aliquot retro sæculis gens & lingua nostra in has oras & regiones quas modo incolimus cõmigrauerit, sedesq; hic in his locis fixerit, cumq; in infinitam penè multitudinẽ coaluisset, omnesq; finitimas nationes sibi infensas esse prospexisset, id quod Lex naturæ & reliquarum gentium mos suadet, ad unum omnia deferre constituerat, ut ita uni qui sit optimus summa rerum tradita eius Imperio pareret. Sic enim & aduersarijs resistere, & tranquillius uitam agere se posse existimauerit. Cuius rei argumento sunt, multæ & uetustæ Literæ ueterum Regum, & Ducum signis cõmunitæ, quæ tum per Arces, tum uerò per templa religiosissimè custodiunt. Satisq; constat Meschkonem primũ, eundemq; pijssimũ Ducem, & Boleslaũ primum Poloniæ Regẽ omnes ferè Episcopatus istos, qui nedum in Regno Poloniæ, sed etiã in finitimis prouincijs habent fundauisse, puta Archiepiscopatũ Gnezneñ. Episcopatus Cracou. Vvladislauieñ. Posnañ. Vvratislau. Culmeñ. Lubuceñ. in Pomerania Camineñ. & alios plurimos. Cuius Regis Imperio cum uniuersæ gentes linguæ nostræ parerẽt

incredibile dictu est quam longè, lateq; terminos ditionis suæ propagarent, & quanto terrori uicinis nationibus existerent. Tandem uerò (ut ferè omnibus rebus usuuenit) dum eadem gens nostra in Arcem summæ potentiæ, decorisq; euaserat, ut sunt res humanę fluxæ, & fragiles, extincto illo ipso tam prorege quam Rege in deterius prolabi, & in diuersas factiones, qui Ducatus uocabantur, scindi cœpit. Ita quod ex uno, eodemq; amplissimo Regno multi Ducatus succreuerant. Demum cum successu temporis homines multitudinis Principum pertæsi essent, sublatis è medio multis, iterum res omnis in potestatem unius, hoc est, Regis deuenerat.

Tamen Ducatus ipse MAZOVIAE singulari quadam prouidentia diuina usque in hæc tempora seorsum ab Regno Poloniæ auulsus sub Imperio Ducum Mazouiæ uigebat, quatenus stirps mascula nō defuerat. Cum uerò Deo ita ordinante nuper stirps illa Ducalis in Mazouia penitus extincta esset, Iure naturæ & gentium æquum est, ut membrum à corpore suo iam dudum separatum rursus tandem corpori suo uniretur, & sub Imperium unius capitis, hoc est, Sereniss. domini, domini SIgismūdi Regis Pol. domini nostri gratiosissimi & Coronæ Regni Pol. adiungeretur. Quod negocium tētatum quidem est in proximè præterito Cracou. Conuentu cum Oratoribus Ducatus Mazouiæ per Regiam Maiestatem, & Senatores Regni: Sed Oratores ipsi Mazouiæ renitebantur, nec super eisdem rebus aliquid tractare uolebant, asserentes se nullam facultatem uel mandatum super eiusmodi rebus habere ab his qui eos miserunt. Quare Maiestati suæ supplicauerunt, ut totum hoc negocium uniendi & incorporandi Ducatus Mazouiæ ad Regnum & Ducatum ipsum, & ad Incolas eius dimitteret, & Conuentum ad talia tractanda Varsouiæ indiceret. Quod sua Maiestas ex singulari sua clementia effecit, conuentumq; hunc Varsouieñ. indixit, & agi uoluit. Nosq; huc ad uos in eo negocio misit, ut uobiscū super eiusmodi rebus ageremus. Cum itaq; sua Maiestas Regia planè perspiciat indecorum & pene absurdum esse, si pars suo toto non congruat, suadet & hortatur, imò præcipit, ut cum (Deo uolente) iam unius capitis & corporis membra effecti estis, etiam unis Legibus atq; institutis utamini, eis uidelicet quibus mater ipsa nostra Polonia, reliquæq; Terræ Mazouiæ, puta Ploceñ. Gostineñ. Raueñ. Sochaczouieñ. & Belzeñ. utuntur: pręcipuè quo ad expeditionem militarē & bellicam attinet, cupit sua Maiestas ut eam æquo Iure & ordine cum uniuersis Terris Regni Poloniæ subeatis, & inuicem super his rebus conferatis, & omnia hæc de quibus supra mentio habita est, in præsentia nostrum constituatis & firmetis.

Id cum effeceritis multum honoris & dignitatis atq; commodorum rebus uestris inde accedet, libertatibusq; & cæteris summis prærogatis, quibus nihil est dulcius, perfruemini: & Regiæ Maiestatis domini mei clementiss. gratiam uobis conciliabitis, uobisq; ac posteris uestris, tum & bono ac tranquillo statui uestro optimè consuletis.

Alia Legatio.

POst dictam gratiam Regiam, & Literas fidei oblatas, dicendum, satis esse iam declaratum, Terras Mazouiæ unum esse corpus & unam hæreditatem regni Poloniæ, unam gentem, unam linguam, unos dominos ipsorum ab initio semper extitisse: partito uerò Regno inter Duces, ut alias Terras, ita & Ducatus, Terrasq; Mazouiæ decedentibus masculis Iure feudi ad corpus unitatē Regni denuò redÿsse, quæ omnia ex Literis, Inscriptionibus, & exemplis ita clarè cōstant, ita in recenti memoria existunt, ut nullis rationibus & argumentis inficiari possint.

Cum itaq; placuit diuinæ Maiestati reliquā masculā sobolē Ducū Mazouiæ ab humanis auferre, & reliquæ Terræ Mazouiæ Iure feudi, & iuxta inscriptiones ueteres ac recentes in Maiestatē Regiā & Regnū Poloniæ recidissent: Licet Maiestas sua potuisset è uestigio possessionē earundē Terrarū accipere, & illis sicuti reliquis Terris & subditis suis imperare, tamen uoluit Maiestas sua uti decet clementē & benignissimū Principē, rem alioquin iam prius transactam iterum placidè & æquanimiter transigere. Non enim dedignata est Maiestas eius primū Legationib. benignissimis illos ad debitū ipsorū cohortari, deinde etiam ipsamet ad eos descendere, & iustis rationibus, modisq; clementissimis Ius suū & debitum illorum ab eis exigere: quibus cum iustè reluctari nō potuissent, tandem uniuersi Iusiurandum Maiestati suæ & Regno suo Poloniæ præstiterunt.

Quamuis autem petÿssent tum & pariter in Conuentu Cracou. dari sibi in Ducem & dominum Illustrissimū Principem SIgism. Augustum, filium Maiestatis suę charissimum, tamen

tamen Maiestas eius id tum illis, & demum in Conuentu Cracou. denegauit, quod nollet uideri is qui Iuribus Regni sui quicquam detraheret, quin magis conducere putet, ut filio suo & omnibus subditis suis Regnum & DOMINIA VNITA QVAM SCISSA & diuisa relinqueret.

Siquidem Ducatus Mazouiæ mera est hęreditas & corpus Regni Polonię, possessusq́; est ab initio à præfatis Ducibus Iure feudi. Quo quidem Iure iam maior pars ipsis Ducatus antea successiuè ad predecessores Maiestatis suæ & Regnum Pol. recidit. Nempe Terra Raveñ. Terra Sochaczouieñ. Terra Gostineñ. Terra Ploceñ. Terra Visneñ. quæ omnes Terræ sunt Mazouiæ, sed eo Iure ad Regnum deuolutæ, atq; id non solum masculа stirpe non deficiente, sed etiã fratribus superstitibus partitis inter se bonis sibi inuicem nunquam succedere potuerunt, coq́; minus nunc succedere possent cum uniuersa stirps mascula defecit. Quod scientes & intelligẽtes domini Duces nouissimè defuncti, obtinuerant à Maiestate sua eam gratiam magnis precibus & seruitijs suis, Quod ipsi duo fratres sibi inuicem succedere potuissent, et concessum illis erat hoc Priuilegium à Maiestate sua, non sine magnæ clementiæ testimonio, prout Literæ eo nomine confectæ satis declarant.

ARTICVLVS I.

Confirmantur Iura Mazouitarum.

OMnia Iura, Priuilegia, donationes, consuetudines, libertates, prærogatiuas, & successiones omnes omnium Nobilium, quorumuis subditorum nostrorum in Ducatu Mazouię, tam publicè quam priuatè, iustè & legitimè datę & emanatæ, in quorum seu quarum extãt possessione pacifica, in uita Ducum & dominorum suorum, confirmamus, & in robore conseruamus perpetuo. SIMILITERq́; omnia Statuta Terrestria eiusdem Ducatus, cõsuetudines & articulos, quò ad Iudicia Terrestria & Castrensia in omnibus causis, controuersijs, & rebus quibuscunque in suo ordine antiquo, Statuto, tenore, & consuetudine conseruamus & confirmamus, iuxta antiquam eiusdem Ducatus consuetudinem, quibus non debent derogare nouæ consuetudines Regni perpetuò.

Sigism. Petric. 1529. Ex Statuto Mazou.

Iuramentum præstitum per subditos Ducatus Mazouiæ feria quinta in uigilia exaltationis S. Crucis 1526.

EGo S. spondeo & Iuro, quia Serenis. Principi & dño, domino SIGISMVNDO Dei gratia Regi Polo. Magno Duci Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ, &c. domino meo gratiosissimo, eiusq́; Maiestatis SVCCEssoribus Regibus Polo. fidelis, obsequens, & subiectus ero, ac omne bonum & commodum suæ Maiestatis & successorum ipsis Regum & Regni Pol. procurabò, ac promerebo, & quę sensero illis nocitura fore præcustodiam, & præcauebo, ac pro posse meo auertam, omniaq; fideliter & obsequenter curabo & faciam quæ ad bonum & fidelem subditum pertinẽt, ita me Deus adiuuet & sancta Christi crux.

Ducatus Mazou. Maiori Pol. adscribitur.

COnsentimus, ut iste Ducatus adiungatur & adhæreat, sicut & aliæ Terrę, Terris Maioris Pol. Quando pręsertim & Ducum tempore Duces ipsi erant cum Terris Maioris Pol. tempore belli. Nec ob aliam causam Terra Vischneñ. ipsis Terris Maioris Poloniæ sit adiuncta.

Ratio tamen ęqua Mazouitarũ haberi non potest atq; Polonorum, durantibus Constitutionibus illorum.

NVncij ex Terris Mazouiæ cum multa à nobis postularent, quæ concedi solent per nos alijs subditis nostris Regnum incolentibus, & Statutorum communi Iure fruentibus, à nobis hoc responsum tulerunt, quod dum sunt Iure & consuetudine ab alijs Regni nostri subditis seiuncti, nõ in omnibus eorum eadem ratio haberi possit, quæ habetur subditorum Regni. Sed si aliquãdo Iuribus & consuetudinibus se coæquare Regni nostri subditis uoluerint, quod in eorum arbitrio est positum, tum eorum ratio æqualis cum alijs est futura. Interim autem in eorum moribus, Iuribus, Priuilegijs, & consuetudinibus Priuilegio nostro confirmatis illos conseruabimus.

CAPITVLVM VIII.

Rex Sigismund. Duci Baren. ad quasdam Inscriptiones consentit.

SIGISMVNDVS Dei gratia Rex Pol. Manifestum facimus per præsentes uniuersis. Quia pro necessitudine & amore mutuo, qui nobis est cum Illustr. Principe domina Isabella Mediolani & Barij Duce matre, et socru nostra charissima, illi gratificari uolentes, ut in uita sua posit partim de seruis suis, partim etiam de religione & sacricolis bene mereri, & suę, suorumq; saluti consulere, tenore presentium consentimus, ut quandocunq; illi libuerit, posit inter seruos, & ad pia opera, aut quemadmodum illi melius uidebitur, decem millia Ducatorum in auro ex prouentibus annuis Ducatus Bareñ. distribuere, uel ad distribuendum inscribere, seu obligare. Promittimusq; uerbo nostro Regio pro nobis, & Illustriss. filio nostro Sigismundo nos eandem distributionem seu obligationem per eius Illustritatem factam, firmam & ratam habituros. In cuius rei testimonium Sigillum nostrum præsentibus est impressum. Datum Cracouię die quarta Februarij. Anno Domini 1523. Regni uerò nostri 17. Sigism. Rex significat.

Vniuersitati ciuium Ciuitatis Bareñ. & Moduneñ.

MAgnifici, Nobiles, & Egregij, fideles nostri dilecti. Accepimus Literas quibus nobis dolorem nostrum de obitu Illustris Ducis Isabellæ, & fidem uestram erga nos declaratis, de qua non aliter nobis psuademus, neq; dubitauimus quin in eo euentu uos ita exhiberetis, uti probos & fideles subditos decet. Nos etiam uolumus ea erga uos gratia, & æquanimitate uti, & tales uobis Officiales præficere, ut nobis subesse nunquam Iure uos pœnitere queat.

Iohanni Dantisco & Ludouico Decio Iosto Oratorib. suis.

NObiles fideles dilecti, hesterno die allatæ sunt nobis Literæ Iosti ex Bario, quibus significat statum illius, & omnes res rectè se habere, nihilq; aduersi illic ortum, præter tumultum contra Iosue, qui & ipse tandem est sopitus. Allatę quoque nobis sunt Literæ à Ciuitatibus Bareñ. & Moduneñ. quibus fidem suam erga nos aduersum abundè testatur, quam, & aliorum pariter Iostus ipse declarat, prætereaq; scribit esse magnas querimonias omnium subditorum aduersus Iosue, & alios Offiles. Proindeq; efflagitant, ut cum illis iustitia ministretur, petitur confirmatio Iuriũ & Priuilegiorum, petuntur boni & æquanimes Officiales. Quocirca omnium prima erit illic cura uestra, ut uidelicet compositis & sopitis rebus, si quæ in perturbatione sunt, iustitiam unicuiq; ministretis, & Officiales tales cõstituatis quorum probitas & fides spectata est, & populo essent ex sententia. De Priuilegijs confirmandis respondimus nos id facere uelle, quod & uos illic eis polliceamini, & transumpta illorum nobis mittatis, quibus uisis libenter confirmabimus, quæcunq; iusta & honesta fuerint.

Carolo V. Cæsari.

SErenissime ac excellentissime Princeps. Significatum est nobis nuper ex Mediolano Illustr. dominum Mediolani Ducem petere decreuisse, uel fortè iam petiuisse à Maiestate uestra, ut Consilio Regni Neopolitano demãdare dignetur, quo Ducatum Bareñ. ad nos Iure legitimæ successionis deuolutum acciperet in sequestrũ: in quo idem dominus Dux Mediolani nescimus quid Iuris sibi competere asseuerat, & deducere nititur Illustr. olim dominam Isabellam de Arragonia Ducem Mediolani & Barij socrum nostram non hæreditario Iure, sed duntaxat uitæ suæ spacio illũ possedisse. Nos non dubitamus Ius certum & indubitatum penes nos & Sereniss. dominam Bonam coniugem nostram esse. Quod quidem non uerbis sed Literis, non unis, sed pluribus, sine cõtrouersia probare poterimus, quorum beneficio post mortem ipsius olim dominæ matris & socrus nostræ possessionem illius Ducatus continuauimus, quaq; priuari citra insignem iniuriam nostram non possumus. Cùm enim ad disquisitionem uentum fuerit, melius diplomata seu Priuilegia nostra quam nuda uerba uim Iuris & iustitiæ declarabunt.

Legatio

Legatio Sigiſmundi Regis ad Carolum V. Cæſarem data Staniſlao Borek Canonico Cracouienſi.

CVm proximis his mẽſibus Illuſtriſſima domina Iſabella de Arragonia, Ducis Mediolani & Barij ſuæ Serenitatis mater,& ſocrus,ab hac uita diceſſiſſet,relicto iuſto & hæreditario Iure Ducatus Baren. Sereniſſ. Bonæ coniugi Serenitatis ſuæ, filiæ uerò ſuæ, ad capiendamq́ poſſeſſionem eiuſdem Ducatus, Serenitas ſua ipſius Sereniſſ. coniugis ſuæ nomine, Nuncios & Procuratores nulla mora facta miſiſſet, illiq́ ea ipſa poſſeſſione accepta, & aliquanto tempore continuata: rerũ & negociorum eiuſdem Ducatus curam & adminiſtrationẽ ſuſcepiſſent, Vicerex ueſtræ Maieſtatis Regni Neapolitani eandem poſſeſſionem illis ademit, & ſequeſtrem conſtituit qui ad cauſæ diffinitionem eidem Ducatui præeſſet: quaſi lis eſſet ſub Iudice, cum reuera nulla unquam fuerit, nec eſſe poſſit.

Totum enim Ius ipſius Ducatus apud Sereniſſ. dominam Reginam eſt ex legitima ſucceſſione: cuius uim & ſeriem ex Literarum & Priuilegiorum exemplis, quæ mecum attuli, ueſtra Maieſtas probe cognoſcet.

Miratur autem uehementer Seren. domini mei celſitudo, cur & qua ratione tanta iniuria ſit ei irrogata: cum totius orbis hominum Ius eſſe peculiare nõ ignoret, poſſeſſionem bonorum nemini niſi ad diſquiſitionem uocato, Iureq́ uicto adimi ſolere. Si enim Illuſtriſſ. dominus Mediolani Dux aliquid Iuris haberet, quo ſibi perſuaderet hunc ipſum Ducatum fore ſuum: alijs modis quam ui Iuſticia ſua ſibi quærenda erat.

Carolo V. Cæſari Sigiſm. pro reſtituto Ducatu gratias agit.

SEreniſſime ac excellentiſſime Princeps &c. Nuncius noſter quem in cauſa Barenſi ad ueſtrã Maieſtatem miſeramus tandem redijt: duas res gratiſſimas afferens, quarum hæc potiſſima eſt, qđ declarauit V. M. in ea beneuolentia erga nos pmanere, quã nobis ex ea ſanguinis cõiunctione, quæ nobis cum illa intercedit pollicebamur: eſt deinde nobis per quã gratum qđ V. Maieſtas Ducatum Baren. nobis reſtituere dignata eſt, nõ adeò propter ea cõmoda quæ illinc habituri ſumus, quã quod hi diſſidentes animos noſtros inuicem uidere uellent, qui alienis malis lætari ſolent. Agimus igitur ueſtræ Maieſtati quas maiores poſſumus & debemus gratias, relaturi etiã quacũque parte & occaſiõe id facere poſſumus, ut amori noſtro nunq́ intermorituro, ſed ppetua ſerie permãſuro ad ſummã coniunctionem nihil defuturũ eſſe uideatur. Cæterũ quia is Orator noſter qui iãpridem apud ueſtrã Maieſtatẽ fungit munere ſibi à nobis iniũcto ob eas neceſſitates quæ ſubinde ſe offerũt adhuc munus ipſum aliquãtiſper eſt obiturus, referretq́ à nobis nõnulla ueſtræ Maieſtati: Idcirco rogamus illã plurimum, dignetur eius uerbis, qua ſolet benignitate, æquè ac noſtris proprijs fidem adhibere. Valeatq́ fœliciſſimè M. V. & uoto ſuo in omnibus optatis potiatur, noſq́ habeat cõmendatos. Datũ.

Eidem Carolo V. Cæſari.

SEreniſſ. ac excellentiſſ. Princeps &c. Rediens dudũ ad nos à ueſtra Maieſtate Nuncius & Secretarius noſter Borgius, declarauit nobis à M. V. nos in poſſeſſionem Ducatus noſtri Baren. & Principatus Roſſani reſtitui mãdauit & Literas ad eã rẽ opportunas nobis attulit, de quo officio & amore fraterno M. ueſtræ fuimus admodũ cõſolati, & illi è ueſtigio gratias quas debuimus p Literas noſtras egimus: uerũ facti nunc ſumus certiores illinc ab Officialibus & Procuratoribus noſtris ipſam poſſeſſionem nobis uigore Literarum Maieſtatis ueſtræ reſtitutam denegari, remq́ prætextu quarundam Literarum aliarum Maieſtatis quæ ex diametro ſunt contrariæ inueſtituræ, & alijs Literis nobis conceſsis in longum produci. Quibus ſcriptum dicitur (quod admodum nobis mirum uidetur) ut niſi uocato prius Illuſtriſſ. domino Duce Mediolani de reſtituenda nobis poſſeſsione nihil fieret: ut hac mora & difficultate iniecta, pariãt nobis aliquod incommodum, hi qui & fauorem nobis Maieſtatis ueſtræ inuident, & noſtrã mutuam coniunctionem, & neceſsitudinem ægrè patiantur. Cum autem & nos uocati non fuerimus quando poſſeſsio nobis indicta cauſa adimebatur, qui ad illam legitimè ſucceſsimus, obtinuerimusq́ inſuper inueſtituram à Maieſtate ueſtra, facto illi debito homagio, quæ concedi non ſolet niſi poſſeſſoribus, uel quibus poſſeſſio Iure debetur. Proindeq́ ſequeſtrum cum ipſa Inueſtitura nequaquam cohærere poteſt. Quocirca rogamus [illegible]am atq́ etiam M. V. ut fratrem noſtrum honorandiſſ. non patiatur nos ita &

coniun-

coniunctionem & necessitudinem nostram mutuam apud se per æmulos nostros labefactari, ut etiam illud saltem quod nobis Iure optimo debetur, & M. V. iam semel concessit, & restituendum commisit consequi nequeamus: iubereq; dignetur M. V. denuo, ut citra istas productiões & difficultates nobis ipsa possessio bonorum nostrorum reddat, qua potiti, parati erimus coram M. V. aut eius collaterali cõsilio, nõ ipsi solum Illustr. domino Duci Mediolani, sed etiam unicuiq; alteri pro Iure nostro respondere.

Carolo V. Cæsari Sigismundus Rex.

SErenißi. ac excellentißi. Princeps, Fecerunt nos certiores Officiales & Procuratores nostri hactenus, Arcem Baren. nõ esse nobis restitutã, nõ possumusq; non uehementer mirari, ut cum semel M. V. Cæsarea pro sua æquitate ac in nos animi sui propensione super Inuestiturã ipsius Arcis Baren. dederit assensum, & beneplacitum suum, unde sit istud impedimentum, quo minus Decretum M. V. Cæsareæ locum habeat. Propter ea rogamus M. uestram omni studio ut tandem possessionem eiusdem Arcis Baren. nobis reddi & liberè dimitti faciat, & ut M. uestra Cæsarea aures hominib. maleuolis non accommodet, qui inter nos dissidium quærunt, coniunctionemq; ac mutuam beneuolentiam & necessitudinem nostram dirimere contendunt, faciet Maiestas sua rem sua uirtute & nostra in se perpetua obseruantia dignam.

Legationis ad Cæsarem fragmentum.

NVncius noster hoc aget diligenter, ut restituamur in possessionem Ducatus Baren. & si Dux Mediolani aut quiuis alter prætendit se aliquod Ius habere ad Ducatum ipsum Baren. cum uocabit nos, aut Serenissimam coniugem nostram dominam Reginam in Ius, stabimus paratissimi omni Iudicio.

Et cum M. Cæsarea uult ministrare iustitiam Illustr. domino Francisco Duci Mediolani de Ducatu Baren. roganda erit, ut similiter administrare uelit nobis iustitiam in Ducatu Mediolanen. & in dotibus auiæ Serenißi. coniugis nostræ dominæ Reginæ, hoc est, in Ciuitate Cremonen. quoniã Maiestas sua Reginalis plus Iuris habet ad Ducatum Mediolanen. quam habet Dux Franciscus in Ducatu Baren. Aequum enim est & ualdè cõueniens & cum M. sua Cæsarea, uult ministrare iustitiam in uno, uelit etiam ministrare illam & in alio.

Item excusabit nos Nuncius quod tam diu homagium debitum Cæsareæ Maiestati non præstitissemus, nam id non negligentia ulla, sed cum propter longinquitatem itineris tum propter multas occupationes bellicas & curas, quibus ad hoc tempus districti fuimus facere distulimus. Nunc uerò mittimus mandatum sufficiens ad illud præstandum nam de Iure uiuente Illustr. olim matre nostra domina Isabella præstare non attinebat, nec eramus obligati. Iurabitq; Nuncius homagium nomine Reginal. M. prius, & demum si necessarium erit, Iura etiam præstabit nostro nomine postremo. Quamuis autem in uita eiusdem Illustr. matris nostræ populi & Vasalli Ducatus nostri Baren. promiserunt & rogauerunt solenni stipulatione, quod Serenißi. dominam Reginam post mortem & fœlices dies dictæ Illustr. dominæ Isabellæ Ducis. habituri essent in suam ueram & utilem dominam dicti Ducatus ac Ciuitatum & Terrarum ad illam spectantium, tãquam unicam legitimam & uniuersalem hæredem Illustr. olim dominæ Ducis. eiq; præsenti, recipienti, & stipulanti ad sancta Dei Euangelia corporaliter manibus iunctis tacta sponte iurauerunt, & iuramenta corporalia præstiterunt. Quia tamen id fecerunt absq; consensu Cæsareæ & Catholicæ M. roganda erit M. sua Cæsarea & Catholica consentire dignetur & admittere, ut dicti Vasalli & populi denuo Iuramentum faciant, & promittant, modo quo supra dictæ Seren. dominæ Reginæ quod eam recognoscent ueram dominam & patronam dictarum Ciuitatum & Terrarum, eiq; de omnibus & quibuscunque fructibus, redditibus, introitibus, & prouentibus illarum respondebunt, & responderi facient secundum Iura & Constitutiones Regni Neapolitani, sicuti decet Vasallos facere & exequi.

Item impetrandæ erunt commissiones efficaces ut præfecti Cæsareæ Maiestatis non molestent deinceps nos in Ducatu ipso Baren. sed ut deinceps securum illum semper habeamus ab omni perturbatione.

Item quoniã Illustris olim mater nostra moriens multas donatiões & legata fecit testamento suo seruitorib. suis, & alijs multis personis etiã ad uitã illarũ, alienando multos prouentus Ducatus nostri Baren. quod facere nõ potuit obstantib. pactionib. & Cõuentionibus

nibus matrimonialibus quæ inter nos & illam intercesserunt: roganda erit M. Cęsarea ne eiusmodi testamentum & legata approbet, & confirmet, & si forte iam confirmauit et approbauit ignara existens de Iure nostro & pactione prædicta, ut cassare & inualidam facere priorem suam confirmationem surreptitiæ obtentam nostra & iustitię causa dignetur: prout apparet in capitulis Matrimonialibus quæ ostendentur.

Item petet nuncius noster à M. Cæsarea quod restitui faciat quatuor pascua montis serici quæ sunt ablata nomine Maiestatis suæ Cæsareæ, eo prætextu, quod prius ad usum Maiestatis suæ tenebantur.

Omnia autem supradicta aget nuncius, & tractabit communi consilio & opera cum Ioanne Dantisco nuncio nostro quem antea ad M. Cæsaream misimus.

Iustitia autem quam Serenifs. coniunx nostra domina Regina habet ad Ciuitatē Cremonam, est ista: Ea enim Ciuitas Cremona data fuit in dotem ab Illustrifs. domino Duce Philippo uicecomite Illustrifs. dominæ Blancæ filiæ suæ, quæ collocata erat in matrimonium Illustr. Comiti Francisco Stoicię proauo suæ Maiestatis, ex quo connubio nati sunt filij multi, qui omnes habuerunt dominium & prouentus dictæ Ciuitatis pro rata parte: Ex istis autem successoribus non extat persona aliqua legitima, nisi ipsa Serenifs. domina Regina, & Dux Franciscus: propterea medietas est de mera iustitia suæ Maiestatis, imò & plusquàm medietas, ea ratione quod fœlicis memorię Illustr. domina Isabella Ducissa suę M. mater fuit filia Illustr. dominæ Hyppolitæ Sforciæ Ducissæ de Calabria filiæ legitimæ dictæ dominæ Blancæ, & ob id dicta Serenifs. domina Regina haberet Iustitiam & Ius in duabus partibus ex tribus dictæ Ciuitatis.

Mandati fragmentum.

SEd cum Illustris dominus Dux Sfortia pro Ducatu Barensi, ad quem nullum Ius habet, nos imperat, nos uerò ad Ducatum Mediolani plenum & perfectum Ius habeamus, Nihilominus tamen pro Ducatu Bareñ. respondere non abnuimus, modo rogamus Cæs. M. quam & tu uerbis nostris roges, ut cum primum de Ducatu Bareñ. nobis lis mouebitur, sua M. unico atq; eodem Iudicio, unoq; actionis cōtextu causam etiam Ducatus Mediolaneñ. atq; ita & Ciuitatis Cremoneñ. ad quam etiam Ius habemus driudicare, determinare, & difinire iubeat: id nos paribus, uel etiam maioribus officijs & meritis suæ Maiestati rependere semper præsto erimus.

Sigismundus Comiti de Nassom.

ILlustrifsime Princeps nobis charifsime, facti sumus certiores Illustr. Principem Franciscum Sforcia uelle nos impetere, & in Ius uocare pro Ducatu nostro Bareñ. cui nos non abnuimus quidem respondere Iure & Iustitiam nostram declarare, uerum cum nobis etiam Ius competat ad Ducatum Mediolaneñ. & Ciuitatem Cremoneñ. Rogamus plurimum tuam Illustr. facere uelit operam suam apud Cæs. M. ut cum nobis instituetur actio pro Ducatu Bareñ. committere dignetur M. sua Cæsarea, quo uno, eodemq; iudicio pro Ducatu quoque Mediolaneñ. ac Ciuitate Cremoneñ. ad quam etiam Ius clarum habemus, cognoscatur & difiniatur: informabit de his & alijs nostris negotijs plenius tuam Illustr. Orator noster Magnificus Ioannes Dantiscus de mente nostra sufficienter instructus: quem benignè audire, & plenam illi fidem adhibere uelit: nos uerò uicissim omnibus in rebus quibuscunq; poterimus tuæ Illustritati hanc operam referre curabimus. Datum.

CAPITVLVM IX.

De Samogitia & Pomerania.

SI Cosmographi non seorsim Samogitiæ & Pomeraniæ meminisse solerent, diuersumq; genus hominum Samogitas à Lithuanis, & Pomeranos à Pruthenis asseuerarent: & nisi præter ea ita rem sese habere ipse quoq; audiam: certe ego eas Prouincias, ipsam uidelicet Samogitiam sub Capitulo de Lithuania, cuius utiq; pars esse pręsumitur: & Pomeraniam sub Capitulo de Prussia, cui saltem contermina est: reposuissem: ne nimium diligenter Prouincias Regni enumerando, uel Cymini sector, ut est in prouerbio, uel intempestiuus opū Regni ostentator cautis lectoribus, ut hospitibus delicatis esse uidear. Ac proinde iam longe alia scripturienti penè oblito in memoriam earum Prouinciarum recordatio subijt. Vtcunq; autem illæ Prouinciæ, suis Magistratibus ac Iuribus diuisæ, ac descriptæ sint: cum tamen nulla publica Literarum monimenta de eis habeam, meminisse potius hic earum Prouinciarum, quam ipsa earū Iura, quibus Regno cohærent recensere cogor, hoc unum interea sufficere arbitratus, si earum alteram Regum Pol. alteram autem Ducum Lithuaniæ semper proprias ac tributarias fuisse, & esse, [illegible]inero.

CAPITVLVM X.
De Moldauia siue Valachia.

Homagium Palatini Moldauiæ.

POst plures tractatus inter Serenis. P. & D. D. Kazimirum tertium, Regem Pol. et Barones Poloniæ suæ Ser. et Regni nomine ex una, et inter Magnificũ Ioan. Stephanum Palatinum Moldauiæ, armigerosq; ipsius suo et Terræ Moldauiæ similiter nomine parte ex altera, partim personaliter, partim etiam per Regiæ M. nuncios diebus aliquot ab aduentu ipsius in præsentem diẽ habitos, dominus Palatinus Moldauiæ qui supra, propter defensionem à Poloniæ Regno habendam, feria secunda proxima post festum Natiuitatis Virginis gloriosæ Mariæ ad homagium Serenis. Principi domino Kazimiro Pol. Regi &c. inclitæq; suæ Pol. Coronę pręstandum, se, posteros, et Terram suam Iuramento ad fidelitatem, subiectionem, et obedientiam perpetuò seruandam, habendam et obstringendã consensit, hora tertiarum, eademq; die hora meridiei, uel paulò serius, homagium et corporale Iuramentum præstitit, iuxta informationem per M. R. datam. Primum itaq; Maiestate R. cum adhuc ille abesset, solium suum in Corona qua coronatus est, ascendẽte, ibiq; in apparatu integro, quem circa coronationẽ induit, sedente, Maiestatis sede septa Spiritualibus et Sæcularibus Prçlatis et Summatibus infra scriptis, Stephanus Palatinus à M. R. per Magnificos nuncios ad uniendũ, faciendumq;, ea quæ debet, auisatus et conductus cum omnibus suis armigeris, Boiaris uulgari eorum dictis, eques uenit: ad latus uerò per unum suum fidelem habebat, cui Banderium quoque magnum sericeum coloris rubri, in quo arma Terræ Moldauiæ pulchrè auro depicta erant, præferebatur. Sui uerò omnes Terrigenæ bona hæreditaria, in Moldauia habentes, et alij omnes Curieñ. notabiliores Banderia parua, quilibet suum equum insedendo, manu tenebant. Ipsius, et Regijs clangentibus tubis: accedensq; ad solium M. R. ex equo descendit, dein Banderium manibus corripuit, ac mox cum Banderio uersus solium processit: id etiam sui omnes post eum fecêre: immediateq; solium accedens, flexis suo more genubus, et capite prono, Banderium usq; ad terram inclinat: similiterq; facientibus subditis: tenorẽ homagij his uerbis proferebat, M. Regia immota sedente, sed stantibus dominis: his uerbis in facie M. R.

Clementissime mihi Rex, ego Serenitati uestræ homagiũ facio, et præsto cum omnibus Terris, et hominibus meis, et peto tuitionem Serenitatis uestræ, et circa Iura, in Iureq; meo, et Dignitatibus cõseruari. Hic adhuc Banderium tenuit, pro genu autem flexionẽ, de ritus sui more capite inclinato, tacto ligno crucis sanctæ Iusiurandum fecit corporale, his uerbis:

Gratiosissime Rex, ego homagium prçsto, et Iuro, ac etiam promitto fideliter sine dolo et fraude uestræ Serenitati, successoribusq; Serenitatis uestrę Regibus et sacrę Coronę Regni Pol cum omnibus Terris, Baronibus, et hominibus meis, fidelitatem, esseq; fidelis et obediens Serenitati uestræ successoribus, et Coronæ Pol. Regni. Sic me Deus adiuuet, & sancta Christi crux.

Mox Iuramento finito, hęc respondit M. R. uerba residens in sede Maiestatis suæ: Nos te et Terras tuas in nostram protectionem recipimus, et circa omnes Dignitates & Iura omnia Terrarum tuarum tanquàm Palatinum nostrum relinquimus.

His dictis osculata est eum Maiestas Regia.

Osculo facto recepit Banderiũ M. R. manibus suis de Palatini manibus, in manusq; Marschalci Regni illud dedit. Hic primum armigeri omnes Palatini Moldauiæ stantes circa solium Maiestatis, sua Banderia parua è manibus in terram strauerũt, Marschalcoq; Regni prędicto Banderium magnũ de solio Maiestatis, iuxta ac conclusum erat, ad Thesaurum Regium deferente, et parua illa per Cubicularios M. R. collecta, itidem ad Thesauri locum ferebantur seruanda. Noluit quippe Palatinus et armigeri sui consentire, ut intra tractandum diriperentur: quin petijt ipsorum ut Banderia homagialia honestè seruarentur: propter maioris amicitiæ autoramentum. Quo facto M. R. non longè à se Palatinum tanquàm amicum et suum homagialem penes se locauit, & consedentibus illis, armigeri ipsius omnes sub forma iurauerunt tacta cruce.

Nos Barones, Vasalli, & tota terra Moldauiæ præstamus homagium nostro & totius communitatis Terræ Moldauiæ nomine, Serenissimo Principi domino Kazimiro & successoribus Regibus Pol. & Coronę Regni Pol. promittimusq; & iuramus omnem fidelitatem, subiectionem, & obedientiam in perpetuum Serenitati suæ Regno, & Regibus Poloniæ. Ita nos Deus adiuuet, & sancta Christi crux.

Quod

Quod quidem Iuramentum quidam eorum manibus cruci appositis, quidam uerò expansis supra, fecerunt. Eo facto Regia Maiestas omnes Palatini armigeros, uniuersam denique Curiæ suæ iuuentutem, militiæ symbolis insigniuit.

Huius actus Regij & Pol. Regni, tam notabili celebritati pro cærimoniarum more Reuerendiss. & Reuerendus in Christo patres & domini, ac Magnifici, Venerabiles, Strenui, Generosi, ac Nobiles interfuere: Ioan. Vatropa Archiep. Leopolien. qui sancta tenebat ad Iuramenta. Matthias de Srara Lompza Episc. Camenec. & Ioan. Targouiczki Electus Chelmeñ. eidem suffragantes: Iacobus de Dambno Castellanus & Capitaneus Cracouieñ. qui ceruici Regio sacrũ imponebat, dirigebatque diadema: Matthias de Bnyn Posnanieñ. Ioan. Amor de Tarnouu Cracouieñ Spitko de Iaroslauu Sandimir. qui Sceptrũ Regni gerebat, differebantque quippe hi domini Cracou. & Posnañ Palatini, quod uterque illud ferre nitebatur alter alteri se præferendo, unde unanimi consensu Pal. Sandom. Sceptra dedere pro hac uice duntaxat, Ioan. de Pilcza Russię generalis, Iacobus de Buczacz Podoliæ, & Dobeslaus de Bussouu Belzeñ. Palatini: Raphaël de Iaroslauu Sãdomirieñ. qui etiam Regni Marschalcatũ gerebat, Nicolaus de Kurozuanki Siradieñ. Ioannes de Koszczyelec Dobrineñ. Nicolaus de Zmigrod Præmisl. Michaël de Buczacz Halicieñ. Castellani: Creslaus de Kurozuanki Decanus Gneñ. Cancell. Petrus de eadem Kurozuanki Thesaurarius qui sub hac differentia pomum tenebat, Cancellario ipso homagij & Iuramentorum formam atque tenorem pronunciante, Gregorius de Lubranyecz Præpositus Skarbimirieñ. Vicecancel. Regni Pol. Stanislaus de Brosno Marschalcus, Ambrosius Pampouski incisor Curiæ M. R. Ioan. Podlodouuski Zarnouieñ Ioan. Oleski Malogosteñ. Castellani, Nicolaus de Tanczyn Gladifer, Ioannes de Tarnouu Vexillifer Cracouieñ. alijque quam plures Nobiles iuuenes, & Regni indigenæ fide digni.

CAPITVLVM XI.

De Ducatibus prædictis à Regno, ab seseque dislimitandis.

Lithuaniam à Mazou. Commissarij dislimitent.

PRouidentes difficultatibus & grauaminibus subditorum nostrorum Regni & Magni Ducatus Lithuanię, quæ occasione granicierum inter eadem dominia & Mazouiam tum inter Magnum Ducatum & Regnum sæpe contingunt, uolumus & decernimus, ut quotiens opus fuerit per nos Commissarij deputentur, & mittantur nostris expensis prouidendi, ad faciendas easdem granicies & iniurias componendas, occasione illarum hincinde exortas, quatenus absque quærentium onere Iustitia eis ministretur. *Sigism. Crac. 1510.*

DE EODEM.

Dietæ & Iudicia antiqua inter Ducatus Lithuaniæ, Prussiæ & Mazouiæ, in locis solitis pro omnibus iniurijs & uiolentijs subditorum ex utraque parte fieri debent de cętero, & innouari, iuxta antiquam consuetudinem & processus Terrestres. *Sigism. Petric. 1529.*

DE EODEM.

Commissarios iam nunc ad fines Regni emittemus, qui tam de finium regendorum, quam de alijs causis nomine iniuriarum suscitatis certum aliquid constituerent. Quocirca iam eos nominare, & dare uolumus. *Sigism. Crac. 1543.*

DE EODEM.

Quia tenemur paci & tranquillitati subditorum nostrorum consulere, Commissarios ad dislimitanda dominia Regni nostri à uicinis dominijs, puta Hungariæ, Marchiæ, Silesiæ, Pomeraniæ, Lithuaniæ, & Prussiæ, necnon ad resarcienda damna & iniurias mutuas designauimus: Cui quidem nostro instituto ut quam citissimè satis fieri possit, dabimus operam diligentem. Commissarij autem nostri etiam diligenter curabunt, ut pro ijs damnis, quæ per communes Commissarios Serenis. Regis Romanorum, & nostros in Silesijs sunt decreta, hominibus nostris satisfactio iusta & competens impendatur. *Sigism. Aug. Petr. 1550.*

FINIS TOMI I. POLONICAE HISTORIAE.

BASILEAE,

PER SEBASTIANVM HENRICPETRI, ANNO SALVTIS NOSTRAE INSTAVRATAE, CIↃ. IↃ. XXCIL MENSE SEPTEMBRI.

POLONICAE HISTORIÆ CORPORIS:

TOMVS II.

IN QVO VNIVERSALES HISTORIAE, SCRIPTAE de regno Polonico, uel de integra regum aut principum Poloniæ & Lithuaniæ familia continentur.

Scriptorum, qui in hoc Tomo compræhensi sunt, Catalogum habes in sequente charta.

BASILEÆ,
ANNO CIↃ. IↃ. XXCII.

CATALOGVS SCRIPTORVM, QVI IN HOC TOMO II. POLONICAE Historiæ compræhensi sunt,

INDEX

INDEX RERVM MEMORABILIVM ET NOTATV DIGNISSIMARVM, QVAE IN TOMO II. POLONICÆ HISTORIÆ CONTINENTVR.

in Chie

G

H

I

Nobi

Silesia

Vngarorum

FINIS INDICIS RERVM AC VERBORVM
TOM. II. POLONICÆ HISTORIÆ.

Nota in hoc Tomo II. pag. 797. lin. 1. hæc uerba desunt: Tartari tamen intra sextum diem.

TOMVS II.

POLONICARVM RERVM, IN QVO GENERALES ET COPIOSAE HISTORIAE COMPRAEHENDUNTUR.

MATHIAE DE MICHOVIA CHRONICA POLONORVM, A PRIMA PROPAGATIONE ET ORTV Polonorum usque ad annum Christi M. D. IIII.

AD ILLVSTRISSIMVM, INVICTISSIMVMQVE PRINCIPEM ET DOMINVM, DOMINVM SIGISMVNDVM DEI NVTV POLONIAE REGEM, Magnum Lithuaniæ ducem, Rusiæ, Prusiæ, Pomeraniæq; Dominum & hæredem &c. Iodoci Ludouici Decij Vuissenburgen. sacri Lateranen. & Imperialis Palatij Comitis in quatuor libros historiarum regni Poloniç excellentissimi Domini Matthiæ de Michouia artium & medicinæ Doctoris, & Canonici Cracouien. nuncupatoria epistola.

SVPRA multas iam hominum ætates, Rex Illustrissime, à ueteribus historiæ laudes atq; commoda literis mandata, ad posteros transmissa, historiamque memoriæ rerum gestarum solam fidelem esse testem constat. Quod quum adeò clarum est, ut iam omnium mortalium assensu, unicum fermè domi forisque, pace uel bello, historia hominum uitæ sit documentum, nõ apparet quare hoc loco ingens onus assumendum, & singulæ historiæ dignæ laude percensendæ forent. Quum uel ex paucissimis summa omnium, facili etiam negocio existimari queat. Taceo enim quod ueterum, maiorumq; gesta absque literarum monumentis perpetua obliuione delitescendo interirent, animusq; simul cum corpore omnibus sæculis efficeretur mortalis. Sileo item quod ad plerasq; uirtutes mortalium animi ueterum exemplo (quod sola historia accipitur) ingenti desyderio euehuntur. At satis in uniuersum uidetur enarratum, si mortalibus persuadetur, omnem uiuendi normam à rerum initio in hanc hominum ætatem ex longo temporum interuallo susceptam esse, & ita illam humanis rebus semper fuisse necessariam, ut si unicum illius beneficium demeretur, omnium mox mortalium ordines, leges, atq; uiuendi usus interirent. Virtutes nullius exemplo traditæ, nec imitandæ, deperderentur. Contra, uicia, uti libido, & ad mala cupidus animus monerent, supremo humanæ uitæ malo inualescerent. Quid si historiam rerum gestarum solam memoriam & indicem ab omnibus mortalibus extinxerit aliquis, num protinus hominum uita ab ipsis brutis etiam (quibus nihil nisi præsens rerum natura commune est) uix secerni posit, & prorsus animi immortalitas auferetur, si neq; præterita recogitet, neq; futura consilio, ac à maioribus accepto exemplo præueniat? Nam quis Aegyptiorum sapientiam, Hebræorum cultum & religionem, Græcorum doctrinam, Romani imperij summam maiestatem, maximorum deniq; regnorum gloriam & (ut uno concludam uerbo) res omnium gentium perenni dignas laude, nisi historia fidelis antiquitatis testis ad posteros summisit? Neq; operæprecium erit Philosophorum omnium sapientiam, ea dépta extinctam adnumerare, quum & hoc facili apparet negocio, neq; cœlitum uirtutes, neque astrorum cognitionem, neq; etiam ea, quæ ad ullum humanæ uitæ usum pertinér, nisi ex historia & literarum uetustis dependere monumentis. Historia priscorum hominum usus, uitaq; docet, omnium rerum exempla præbet, & quicquid in secundis, aduersisq; rebus agendum sit, ostendit. Nullius unquam imperij, aut urbis respublica tot animorum concordiam, nisi sumptis ex historia exemplis permota, euocare potuisset, hinc mortalium sapientiam, quantulacũq; existit, ortam constat, qua semper, post dei optimi maximi nutum, res omnium gentium cõsilio ac labore diriguntur. Cæterùm scio non deesse qui fortunæ casibus omnia subiecta putent, nihilq; fieri, nec hominibus accidere, nisi quod fortuna mundi domina attulerit, perhibent. Totus fermè mundus in eam sententiam apud Ethnicos accesit. Respondet huic sententiæ scitum Dionysij posterioris Tyranni ad Macedonem Philippum responsum. Philippus etenim quũ ex Dionysio quæreret, qua esset ratione factum, quod ingens simul ac præclarum à patre acceptum imperium, tot opibus ipse pollens, tantaque sapientia præditus, contra hostes nequisset asseruare.

Scitum quidem Dionysij dictum hoc est,post tantam acceptam cladẽ.Verum an magis ipse fortuna,quam malo consilio tanto imperio exutus est non habeo dicere. Mihi quidem subiectum aliunde constat,Deum,sapientemq; astris dominari.Praeterea nõ magis fortuna quam cõsilio & ultronea uoluntate res mortaliũ gubernari.Verumenimuerò multis hominum aetatibus cõstat in omni rep.quantumuis paruis inicijs,concordia res creuisse,contra quum principum & patrũ populique animi in diuersum abiere,mox odijs,dissensionibus res omnium gentium maxime collapsae corruerunt.Hoc malum in multas respublicas primum silenter irrepsit, paulò postquã seminatum,in immensum creuit,& omnem decorem & regnorum speciem euertit. Neque hac hominum aetate ab eo tutum apparet,quum nunquam in rep.malarum rerũ desint artifices, qui fraude,dolo,atq; astu quicquid uel saluum,uel integrum est,tranquillitatis impaciẽtissimi perturbare summis conatibus studeant.His autem malis nullo unquam consilio occurrẽdum erit, quam eo quod ex ueterum rerum gestarum historijs traditum accipitur,simulq; auctum ad posteros transmittitur.Iam non tam ex harum rerum breuissima assertione, quàm ueterum,modernorumq; traditione satis,superq; historiae fructus ac laudes apparent, quae quum tantae semper fuerint existimatae,quod totius uitae humanae ordinem,legesq; asseruarent,factum constat nullum imperium,nullum regnum,nullam deniq; remp.unquam fuisse,quibus non maiorum suorum res gestae domi,foris,pace,ac bello literis mandata essent,quibus monumentis uel uetustatis suae rationem redderent,uel rerum abs se gestarum,gloriam & famam ad posteros transmitterent.Eaq; lege multarum gentium res bellicae in altum euectę,quae interceptis literis obliuione sepultę perijssent.Ita igitur quicquid Asia,Aphrica,Europaq; clarum,memoriaq; dignum habet,historiae & literarum beneficio habet.Id paulo antè paucis mortalibus commune,nimirum quum literę adeò essent praeciosae,ut non nisi maximis sumptibus à principibus, uel supremo labore ab his,qui obscurioris sortis essent adipiscerentur,item Barbarorum feritate & sęuicia multo maxima bonarum literarum pars extincta perhibetur,literae in hominum usuratae esse cœpére,& multis aetatibus propemodum extinctae periclitabantur,non modo apud eos quos Barbaros uetustas appellauit, uerum etiam apud hos quibus literarum dogmata ex ipsis fontibus sumpta fuére,indeq; parum interfuit,quin & apud Italos Latini sermonis cultus fuisset extinctus.Verum Deus omnium rerum conditor,qui humanis rebus nunquam deest,& quae ad uniuersam opulentiam pertinent abundè praebet,paulò postquam historiae,literaeque penè interire cœpissent,miram,necessariamq; mortalibus breui spacio characterum beneficio apud Moguntiam Germaniae repertam tradidit artem.Hac mox literae auctae,& omnium fermè gentium res renatae,in publicum prodière,restituta est iam priscae uetustatis memoria , & Philosophorum, diuinaq; sapientia,& quicquid apud paucissimos multis iam aetatibus delituit, multiplicatum. Factum est paulòpòst huius artis beneficio commune omnibus,iamq; eo uentum est , ut nihil unquam apud ueteres gestum,quod non iam paulò antè quam haec scriberem in apertum exierit,hinc imperatorum,regum,populorum,nationum,rerumpub.urbium,ciuitatumq; res gestae memoriae commendatae sunt.Verum uniuscuiusque gentis & populi res tantò clariores, quantò magis fortè eruditum nacti sunt scriptorem , ita igitur omnium gentium fermè Chronismi passim circumferuntur.Poloniae uerò in Europa amplissimi regni res gestae in hanc aetatem in occulto fuére,haud ideò quod egregijs carerent factis,sed quod serò literarum cognitio rebus bellicis iuncta atque inuecta est.Traduntur quidem apud externarum rerum scriptores de Sarmatis & interclusis his finibus populis quaedam.Sed multò maxima pars rerum gestarum, aut illis incognita prorsus,aut ingrata ut ad posteros mitterentur,fuére. Itaque Sarmatarum atque Polonorum res,eo usque scriptorum penuria in occulto delituêre, quousque excellens ille uir praestantis ingenij dominus Matthias Mechouien.artium & Medicinę Doctor,Canonicus Cracouien.&c.patriae uices suscepit,maiorum res gestas,ex mutilis quidem fragmẽtis, à rerum initio ad tua Rex inclytissime tempora quatuor libris exposuit:opus sanè necessarium atque utile,quo mox uidere licebit,qua arte,quaue uirtute tantum regnum ab initio creuit.Contra uitijs inualescentibus,qua iterum molestia affectum sępius inclinatum fuerit. Postremò quam crebro (ut in caeteris humanę uitae rebus fieri assolet)fortunae motibus actum,nunc secundis rebus euectum,nunc aduersa sorte depressum corruerit,in hoc opere quidem uidebitur à plerisque dissentire, quod aliter originem gentis ponat, quam à multis probatum uidebitur,praeterea alia non omnibus accepta inducat,sed ea ex parte uenia debetur,quod sua sponte neminem lęserit, quod à maioribus tradita fideliter adscripsit,& quod sua quoque tempora diligẽter exequitur. Caeterùm nihil in hoc opere tam affectate,quam ueritatem narrationis sequutus est, uerborum fucum,sermonis cultum,& eloquentiae florem non admodum requisiuit, tum quod sine quaestu patriae scriberet,cum etiam quod res per sé uel clarę,uel uerę,his suffragijs minus egent. Ea lege apud Germanos nuper Nauclerus tanto maiorem laudem adsequutus perhibetur, quantò maiori studio ipsam ueritatem nudis quidem uerbis(ueris tamen sententijs quantum ex humana habetur imbecillitate) descripsit,tãto plus etiam Marcus Anthonius Sabellicus in opere suo laudis ademit,quantò sępius à ueritate in aliorum gratiam deuiasse comprobatur. Sed quum plerumque in opinionibus tempus absumitur,datur scriptoribus de rebus antiquis scribentibus ue-

bus uenia,& ut ubiq;,culpa fermè uacantes,impune eorum quos sequuntur opiniones referát, admittitur. Mihi certò constat Dominum Mechouien. non paruum suscepisse laborem, & tanto maiorem, quò minus quos tutè sequeretur copia daretur, perfecit tamen opus sine affectato tumore, maiorum res gestas domi, foris, pace, ac bello tradidit, idq; sedulo studio effecit, ut si non omnibus assumptus labór probaretur, argumentum saltem posteris pro patria laborandũ præberet, & supra multas hominum ætates res gestas non omninò in occulto permitteret. Quumq; opus hoc multo labore absoluisset, mihi, quem ex affectu huic regno addictum iam antea cognouit, librum tradidit, eum ego prius censoribus oblatum lubens suscepi, tuæq; Maiestatis authoritate meo ære in hanc formam excudere iussi. Quicquid uerò laboris aut impensæ absumptum est, cum ipso opere, tuæ Maiestati per me offertur, erit fortè & hoc inter laudes tuas non ultimo loco connumerandum, ut qui inclinatam iam remp. ex integro restitueris, te quoque regnante, Sarmatarum, Polonorumq; uetustates, maiorum tuorum gesta, egregiaq; facinora in lucem prodeant, utq; respublica per te restituta opibus, à literis atque rebus gestis te imperante quoque clara fiat. Nemini etenim plus merito, quam tibi Rex inuictiss. hoc opus, uel ex labore, uel sumptu dedicatur, uel ideò quod uti Sarmatarum, Polonorumq; rex & princeps es, omniumq; ex te salus dependeat, cunctas item uirtutes suprà principes huius ætatis assequutus sis, ita omnium illorum laudes siue à consilio, siue à rebus gestis, sub tuo patrocinio conscriptæ exeant. Mos est scriptoribus, ut res etiam infimas summis uiris, summis orationibus dedicent, moxq; illos magna laudum copia in altum euehant, ita sæpè ad flagiciosissimos tyrannos eruditissimi adulatores scripsere, tátoq; ornatu ac uirtutum cumulo extulêre, ut uix restat quib. uirtutibus, quibusue studijs, ac uerbis optimus ultra pessimũ quemq; euehatur. Tua quidẽ Maiestas facere semp quã dici uoluit, & re ipsa scriptorũ omniũ calamos superare, ego à cunabulis nihil minus, quá adulári didici. Quare fit, ut breuius mihi negotiũ absoluendũ est, cum quod uanitatibus his aures nun quam præstare soles, tum etiam quod periculosa plurimum in republica sit adulatio. Nam si Q. Curtio creditur. Adulatio perpetuum regum malum est, quorum opes sæpius assentatio, quam hostis euerterit. Cinicum item Diogenem uerè, sciteq; dicere solitum perhibent, præstare ad coruos redigi, quàm adulatoribus exponi, quoniam illi morticinia modo consectentur, hi etiamnũ uiuos laniatu pestifero excarnificare non desinant. Senecam item monuisse accepimus, adulatoribus latus non esse præbendum qui artifices sint ad captandos superiores, habere enim hoc in se blanditias naturale, ut quum reijciantur etiam placeant, sæpeq; exclusas nouissimè recipi; idemq; alibi asseuerat. Pro sua quemq; portione adulatio infatuat. Ego si adulatorum mala adferre cogerer, uix epistolæ modum seruarem, sed hæc missa faciens, receptui canam. Tibi inuictissimo regi, clarissimo principi, iustissimo (quod tibi cum paucis commune est) Domino, Domini Mechouien. laborem, meamque factam operam & impensam offero, dedico, atque nomino; quicquid boni reipublicæ ex eo opere accedet, id tuæ Maiestati merito debetur. Cuius uerè maiores sunt uirtutes, quá quod exigua hac chartula à me describi queát. Accedit quod in hac parte consultè calamum retraxi, quod tempora tua Rex inclytissime tertio libro editionis propriæ fusiùs adscripturus sum, eò quantis naturæ dotibus refertus es, legenti mox apparebit, interea hoc absolutum opus sub tuæ Maiestatis patrocinio excusum emitto. Tu Rex inuictissime hanc sedulam meam operam clementi animo suscipere dignare, & me sub tua Maiestatis tutela contra omnium morsus absconde, protege, auctisq; regni finibus fœliciter diuq; impera, & hærede multo relicto perpetuum accipe. Vale.

EXCELLENTISSIMI DOMINI MATTHIAE DE MICHOVIA ARTIVM ET MEDICINAE DOCTORIS *Canonici Cracouiensis ad Andream Cricium epistola.*

NAtale solum dulcedine cunctos allicit, & immemores non sinit esse sui. Proinde nemo sanæ mentis lacerat & deturpat patriam suam. Nec uelut immunda auis upupa, defœdat nidum suum, probris, calumnijs, & ueritati inconsonis scriptis, sed pugnat pro ea & quod honestatis ac iustitiæ est, de ipsa exteris enodat & dilucidat, quod manifestum tibi est mi Andrea Crici in quæstione super ortu & primæua origine Polonorum, quibus nouus aduentus & post Iustinianum Imperatorem calumniosè, potius quam uerè per quosdam inexpertos astruitur, qui errore suo non contenti, prædicant Lechitas & Vandalos, alios genere & lingua populos fuisse, antiquitate quoque & tempore Polonos præcessisse, quod quum absurdum sit & intollerabile, ex icotibus & signis persuaderi poterit plurimis. Imprimis itaq; Lechitas & Czechitas in terras incultas à nullis colonis unquam habitatas quę nunc Polonia, & Bohemia nuncupantur, intrasse, apparet ex ueteribus nostris scriptoribus & nouis, qui uno ore constanter affirmant, Lech & Czech principes de castro & uilla Psari, in Slauonia sita, exisse, in prima propagatione hominum, ante ortum imperiorum occidentalium,

lium,& intrauisse in terras Morauiæ,Bohemiæ,Slesiæ,Poloniæ,Cassubiæ,& Pomeranas. Et si-
cut in topicis & probabilibus autenticum autentico contrauenire contingit. Ita cuiq; experto
de terra auita,plus credendum est,maximè quum plurimi imò omnes hoc astruant, quam exte-
ris,& his qui talem patriam nunquam uiderunt,nisi ex auditu incerto,fabulosè & non probate
aliquid protulerunt.Iterum Iosephus Hebræorum Veteranus Historiographus refert,ex Iaphet
filio Noe processisse Ionios,quos Græcos uocat,à quibus & Ionium mare, quod & Aegeum di-
citur,& post Græcos asserit Aeolicos uersus occidentem sequi.Hi autem sunt Slaui,gens perpe
tua,in Macedonia,Dalmacia,Albania,Histria,Croacia,& cæteris Slauorum terris. In urbibus si-
quidem Macedoniæ,Philippopoli,Scopia,Sophia,Ragusio,in uicis & uillis usque uersus Thes-
saliam,lingua Slauorum semper uiguit & uiget.Gloriantur q; Philippopolen.Philippum regem
fundatorem eorum,& Alexandrum Macedonem ipsius filium,origine Slauos fuisse , quamuis
propter imperium in Græcos,Græcum expeditè sonabant. Monstrantq; in hodiernam diem,
structuras,columnas,effigies pręfati sui fundatoris,quas posuit Philippus,qui uoluerit cum eis-
dem contendere contendat.Ad propositum,si ante Iosephi scriptoris tempora & Vespasiani im
peratoris, Aeolici.i.Slaui fuerunt,cur nouiter post Iustinianum Imperatorem(parcè & modestè
loquendo)Procopius medicus & insectatores eius Blondus & recens Antonius Sabellicus, in
Dalmatiam,Macedoniam,& Histriam &c.aduenisse Slauos astruant,& posterius ab eis Lech &
Czech principes in terras eis connatas descendisse scribant,quum uerum uero consonet, & fal-
sum uero dissonet.Item non dicat aduersarius Bohemos & Polonos ex Lech & Czech procedē
tes uenisse à Tanai & Roxolania,id est,Russia,quemadmodum præfati scriptores sonant, quo-
niam omne deriuatum sui deriuantis naturam sectatur,causatum etenim est similitudo suæ cau
sæ.Sed prædictæ gentes Bohemorum & Polonorum,plurimum in sermone & moribus à Ruthe
nis dissonant,quum sint regione & situ proximi,utique loqueretur Polonus & Bohemus Ruthe
nicum ac Dalmaticum cum ex eis processissent,uelut proximè intelligit & loquitur Slauonicū,
quod iuxta Psari in Slauonia locum ipsis originarium incolæ dicunt,quanquam ab eis aliquot
millenarijs annorum excesserunt.Etiam non ingerat aduersarius ex Procopio,quod Sarmatę &
Rutheni,sępenumero Bulgariam,Dalmatiam,Histriam & Pannoniam inuaserint,& olim naues
per montes in Histriam traxerint. Quum hoc spoliatum euntes fecerint,& pauci in Histria,&
Dalmatia inter alios Slauos sederint,patriam suam Russiam ut semper repedātes. Lingua quo-
que & sermo Dalmatarum,Seruiorum & iuxta eos commorantium,non est familiaris,nec idem
cum Ruthenis,nisi Vuladicis & Baytkonibus.i.episcopis & præsbyteris.Quia Rutheni,Bessara-
bes,Bulgari,& Moscouitæ,omnia officia eorum in ecclesia lingua Seruia legunt, quam uulgus
non intelligit,quinimò nec sacerdotes eorum ad unguem intelligunt quę legūt. Amplius quòd
fuerunt Slaui ante Iustinianum Imperatorem & Procopium scriptorem , & nō in diebus eorum
aduenerunt,ueracissimè in sancto Hieronymo & Martino comprobatur, qui genere & lingua
Slaui fuerunt.Sic namq; beatus Hieronymus de seipso in fine libri de uiris illustribus scribit.Hi
eronymus præsbyter patre Eusebio natus,oppido Stridonis,quod à Gothis euersum est, Dal-
matiæ quondam,Pannoniæq; confinium fuit,usq; in præsentem diem,id est, annum Theodosij
principis quartumdecimum,hæc Hieronymus.Postea autem Stridonis oppidum in eodem lo-
co reædificatum,in nostra tempora permanet, ad confinia Aquilegiæ euntibus propinquum.
Fuit beatus Hieronymus temporibus Honorij & Archadij imperatorum usque ad 14 annum
Theodosij iunioris,ut ipsemet refert,sed hi principes longè ante Iustinianum & Procopium fu-
erunt.Hieronymum autem Slauum fore constat,ex literatura in Slauonico Bukuuicza nuncupa
ta,quam ipse ædidit,& officia ecclesiastica sub illa literatura Slauis ordinauit. A' Damaso Papa
indultum in lingua Slauorum missandi expediendo,quod aliter astruere in Histria,Dalmatia,&
Croacia sacrilegum est.Beatus uerò Martinus Turonensium Archiepiscopus identidem ex Pan
nonia ortus,de oppido Sabariæ,de Slauis,Slauus ex legenda ipsius manifestissimè declaratur,
nec aliter sentire phas est in Pannonia.Constat autem ex legenda hunc sanctum Martinum , sub
Iuliano apostata Imperatore Romanorū militasse,qui longè ante Iustinianum Imperatorem,&
medicum Procopium regnauit.Itaq; Slaui præfuerunt Iustiniano Imperatori, cuius oppositum
aduersarius recalcitrans ineptè dicit.Præterea Vandali & Poloni idem fuere & sunt, quos enim
Vendas appellant,in suis prouincijs circa Misznam,Slesiam,& Lubec degentes, à Vandalis Ori
ginem & nominationem traxerunt,unde & Almani uicini eorum, Vindelicos quasi Vandelicos
a in i commutata uocant.Si ergo Vanda regina antè Christum fuit, quomodo & Vandali non fu
erunt ante Christum.Et si locuti sunt sermonem Polonorum,quod ex Vādis & Sarbis accipitur,
quomodo non idem fuerunt,& sunt Vandali & Poloni.Et adhuc Cracus pater Vandæ reginæ,
secundum omnes nostros historicos fuit ante Christum tricentis annis. Locauitq; castrum in
monte Vanuel,& ciuitatem sub eo construxit,& de suo nomine Cracouiam appellauit.Filij au-
tem eius sarcophagum in altum tumefactū in monte Lassotino extruxerunt.Sic & Vandæ spon
te in Visla submersæ,tumulum in altum posuerunt,& Mogilam alio quoque nomine Nogauu-
kam nuncupauerunt:sicut illum in monte Lassotino Rakauuka appellarunt. Item Lech primus
princeps & parens,primam sedem Gneznam construxit,& hoc nomine Gnezna quasi Gnyasdo

quod

quod nidum sonat, uocauit. Hæc autem nomina eadem in nostram ætatem permanent, & sunt nomina Polonica, eundem populum Vandalos & Polonos fuisse, & esse attestantia. Quod si Vandali deserta Vandalia omnes transmigrarunt, omnesque eradicati perierunt, prout aduersarius tenet, quomodo præfata nomina non sunt abolita, Cracouia, Gnezna, Mogyla, Rakauuka, Nogauuka, & cætera talia monumenta antiquitatis. His accedit quod ecclesia de sancto Adalberto cantat. Benedic regem cunctorum, conuersa gens Vandalorum &c. innuens Polonos, quos sanctus Adalbertus baptisauit & docuit, Vandalos olim appellatos fuisse: nec aliter licet dicere. Legi & in Chronicis Hispanorum Vandalos fuisse Polonos, qui de Vandalia, quæ nunc Polonia dicitur, exeuntes, Gallias, Hispanias, & Africam perturbarunt, hæc ibi. Quum ergo multis testimonijs huiusce modi sententia uallata sit, Polonos & Vandalos affirmans eosdem fore, & ex antiquissimis qui ante Christum propaginem duxerunt. Erubescat insulsus oppugnator, temerariè & non uerè, suas chartas non probatas ostentans. Tu autem mi Andrea Crici antiquitatum diligens perscrutator, tales aggredere & confuta, atq; secundum prophetam euellas & dissipes. Vera autem prout consueuisti, tua solertia ædifices & plantes. Vale & ad tutandum patriam assurge.

IDEM AD LECTOREM.

Sicut unius hominis, nisi apicibus scripturarum & priuilegiorum facta roborentur, non possunt perennari. Sic nec alicuius regni prouinciæ aut gentis tanquam uniuersalis patriæ ac policiæ, gesta & facta ac propagines, ultimiq; decursus atque fines, non possunt sciri, nec in perpetuum rememorari, nisi origo gentis, propago, ac multiplicatio eius, gestaq; ipsius in pace et bello, uarijs quoq; omnibus euentibus, literis, scripturis, & chronicorum annotationibus posteriorum memoriæ demandentur. Itaque operepræcium est, ad habendum & ad posteros demittendum gesta prædecessorum regni Poloniæ, uerè aut uerisimiliter colligere, comportare & unum uolumen Chronicorum constituere & redigere. Et quia pauci usque in hanc diem aliquippiam de gestis Polonicæ nationis in commune dederunt ad legendum, sæpenumero dolui, & talem negligentiam accusaui. Verum grande onus scriptori incumbit & ad plurima respectus intendendus est. Siquidem inquit Strabo in principio primi libri, debet scire in quo horisonte, cui parti cœli, orientali, meridionali, septentrionali, aut occidentali supponitur. In quo climate & parallelo climatis situatur, nō secundum uisum solis ortum comprehendentem, sed secundum uniuersalem mundi situationem. Sæpè etenim aliquibus locis Sol ex Meridionali plaga ascendit & oritur, sic alijs ex septentrione, & tamen in situ uniuersali nec Meridionales sunt nec septentrionales. Ad quod negotium discernendum, Geometriam & Astronomiam idem Strabo necessariam asserit. Quod si Chorographiam, hoc est, in regno & tali prouincia particularem situationem urbis aut uillæ cognouerit, puta circa quem montem, fluuiumúe constiterit, excellentior & peritior scriptor diceretur. In quo casu exteri & ignari locorum alicuius patriæ, non possunt sufficientem notitiam regni exarare & scribere. Amplius intendendum est, ut sermone lepido & ornato scribat ad iucunditatem legentiū, persuasionesq; & confutationes aliquas ingerat, ad eruditionem, sequelam, aut fugam & uituperationem auditoribus inducendam. Tametsi ego præfata effingere & scribere nesciui, aut ad amussim nolui. Ad habendum tamen qualecunque rude fundamentum, hoc opus posteris exegi, ut ipsi quanto iuniores, tantò perspicaciores, omni adhibita disciplina, diligentia, uirtute, mora, & assiduitate scribendi accuratius compleant, ac pro honore patriæ & utilitate Chronicam aut Chronicas ex habitis incitamentis conscribant. Vale mi lector.

AVTHORIS IN CHRONICON REG. POL. PRÆFATIO.

In omni republica summoperè intendendum est, uirtutes incitare & praua rudimenta locare, per quæ animus subditorum assurgat, & tanquam confricatus incalescat, ex notis ad incognita heroum insignia facinora progrediendo. Quale incitamentum est, ueterum gesta & historias relegere & audire, præcipuè suæ patriæ. Quoniam natale solum magis allicit & incitat sui dulcedine, nec immemores cunctos esse sinit, ut iuuentus quasi cera mollis, dum tener est animus, dum mobilis ætas, flectatur & formetur, ac impressionem figuræ bonorum morum, & illustrium factorum suscipiat. Obliquitates & tortuositates deprauatorū ex eorū uituperio abigendo ac procul repellendo. Quod in hac patria & republica, usq; in hæc tēpora heu minus custoditū est. Nam historia gestorum uera aut uerisimilis in publico pro suscitandis, exercitandisque animis fortissimorum adolescentum (quorum permaxima copia est in hoc regno) apparet nulla. Quę in diebus nostris floreat & resplendeat, sub compendio, prolixitatem perinde ac nimiam accurationem uitando, proponitur, ut sub numine & protectione sancti Stanislai patroni nostri gloriosi in publicum prodeat.

Quæ etsi in se tenuis est, ac sterilis auenæ calamo scripta, sequentibus tamen scriptoribus altum scribendi non præripit stylum, sed materiam ornandam porrigit & præbet. Vt quispiam totum genus ac prouincias Slauorum scribat, continuet, complectaturq; & posteris tradat, ne reliquiæ Slauorum per errores execrandos deprauentur. Quis enim non nouit Pannoniam terram Slauorum connatam, per Hugnos Scythici generis homines euersam, occupatam, & in hanc diem possessam? Quis non uidet Rascios, Seruios, Bulgaros, Philippenses & Bosnenses Græco ritui deditos, Turcis Mahumeticis substratos? Quis non cernit Dalmatas, Croatas, & Carnos per Turcos & exteras nationes deprædatos, & ferè ad desertationem deductos? Quis insuper non cognoscit Bohemos uarijs hæresibus contaminatos & commaculatos, hos Viclephistica & Hussitana labe pollutos, sub utraq; specie Iacobelli doctrina communicantes. Alios Adamitas & lasciuiam sectantes, luxu tabefactos. Nonnullos Valdenses & fratres nũcupatos, de corpore Christi, de beata uirgine, & de sanctis Dei, nihil secundum ecclesiam orthodoxam credẽtes, reliquos eorum æquè redarguendos, qui sanctam ecclesiam Catholicam non recognoscentes, obedientiam sedi apostolicæ subtrahunt. Quis Ruthenos & Moscos in latissimis terris Septentrionis habitantes, ritu Græco ab ecclesia sancta scissos, scismaticos non iudicat, & à Tartaris, Turcisue quotannis afflictos, captiuatos, atq; miserè uenundatos non experitur? Et si alius rem ordiri placet. Quis non legit principes Slauorum Lechitas & Vindos nuncupatos, iuxta mare Balteum, quod est Germanicum, commoratos, per Imperatores Romanorum præcipuè per Henricos primum & tertium imperatores expugnatos, pro eisq; Theutonicos substituendo atque introducendo, de Slauis non superremansisse, nisi admodum paucos in pagis & uillis, in sede eorum primæua inter Almanos, præsertim circa Lubec & Rostoc cis marinas ciuitates degentes, una & sola Polonia diuina propitiatione, & sancti Stanislai meritis ac protectione, alienigenis & erroribus non substrata, sæpenumerò tamen ab eis afflicta & uastata. Legi diuinæ, ac obedientiæ ecclesiæ Romanæ ab exordio susceptæ Christianæ religionis, in hanc diem deuotè subiecta permanet gloriosa, utq; æuiternè permaneat, à Barbaris & uicinis nunquam superata, præcepta Domini religiosè ac diligenter colat et conseruet. Si namque (inquit Psalm. 131.) custodierint filij tui testamentum meum, & testimonia mea quæ docebo eos, & filij eorum usque in seculum sedebunt super sedem tuam. Et ex aduerso: Si dereliquerint filij eius legem meã, & in iudicijs meis non ambulauerint. Si iustitias prophanauerint, & mandata mea non custodierint. Visitabo in uirga iniquitates eorum, & in uerberibus peccata eorum, Psalm. 88. Quæ omnia Polonos impleturos & regnum eorum cum fide recta & operibus prosequuturos & custodituros credo, dum opera & solers prouidentia regentium eis affuerit. Gloriosissimæ Dei genitricis Mariæ conseruatione, & beatissimi Stanislai patroni nostri protectione, quibus me & mea supplex commendo.

ANDREAS CRICIVS POZNANIENSIS ET SANCTI FLORIANI APVD CRACOVIAM PRAEPOSITVS, SECRETArius Regius Lectori.

Historiam regni, medium quod Vistula lambit
 Germanum scindens, Sarmaticumq; solum.
Et quod utrumq; latus tenet ingens Marte Polonus
 Vandalus aut Slauus seu fuit ante Gethes.
Vtcumq; incerta est omnis sic gentis origo,
 Auctor hic explicuit noster abunde tamen.
Verum non Crispus scripsit, non Liuius istud
 Lector opus, medicus scripsit & Astrologus.
Quare age Graiorum ualeat sententia ueri
 Quod sermo est simplex, sic puto gratus erit.

CHRONICORVM REG. POLON. MATTHIÆ DE MICHOVIA LIBER I.

DE ORIGINE ET NOMINE POLONORVM.

CAPVT I. LIB. I.

ORIGO Polonorum est ex Slauis, Slauorum ex Iauan filio Iaphet per Helisam Noë, siquidem genuit Sem, Cham, & Iaphet. Iaphet uerò Iauan quarto genitum & fratres eius. Iauan iuxta mare Ionium & Aegeum, Grecos edidit & multiplicauit, simul & Heladicos, seu Aeolios, Slauosque per filium suum Helisam propagauit. A Iauan siquidem Ionium mare dictum est. Hebræi quoque Ionios & Græcos lingua eorum Iauan uocitant. Slauis mox post Græcos ad occidentem terras occupantibus ac possidentibus, Seruiam, Dalmatiam, Messiam, Bulgariam, Bosnam, Croaciam, Slauoniam, & Pannoniam. Fuêre autem principes Lech & Czech, nepotes Iauan de fœmore Helisæ descendentes. Croaciam ac Slauoniam per Crupam fluuium rapidum & uelocem disterminatas, forte cum cognatione & familijs eorum inhabitantes. Regiam, locumque principalem suæ residentiæ in Psari castro ac uillagio eius nominis tenentes, uilla usque in hodiernum diem cum suo nomine Psari permanet ad fluenta Crupæ, plures iubaiones & colonos, nostro æuo linguagij Slauonici habens, castrum uerò demolitum, solas ruinas & fundamenta arcis demonstrat. Tum autem ex multiplicatione hominum & geneologiarum Dalmatia, Croacia, & Slauonia eas non comprehendentium, sæpenumero iurgia & cedes inter fratres principes & cognatos pullulabant. Quapropter præfati duces Lech & Czech uitando pessima facinora, parricidia, & mortes hominum, animo concordi & consilio salubri, collectis rebus & gentibus eorum, per familias & colonias cum tota supellectili quantulacunque tunc habebatur, relictis sedibus natiuis, ad occidentales diuerterunt regiones, exploratum ire & percontari nouas sedes. Sciebant nanque orientales, meridionalesque regiones, colonis & habitatoribus occupatas atque refertas, & iccirco frustra eas aggrediendas & querendas. Profecti itaque peruenêre in Morauiam & Bohemiam, & lustrata uniuersa illa regione, uasta quidem & nondum culta perspecta & aura eius salubri & gleba fertili, fixerunt tentoria in monte qui Rzip dicitur. Cœpitque Czech frater iunior loci amœnitate delectatus, à maiori natu germano suo Lech plurimis instantijs petere terras Morauiæ & Bohemiæ in hæreditatem suam, posterumque suorum perpetuandas & populandas. Lech autem ad obeundam & nutriendam beneuolentiam fraternam, condescendit uotis, petitionibusque Czech, & ualedicens, processit cum suis uersus orientem & septentrionem, deueniensque in terras incultas, à nemine unquam habitatas, Slesiæ & maioris Polonię. Oberrabat cum suis principibus, speculando situm et qualitatem locorum, donec in eum applicuit locum, qui Gnezna dicitur, ubi suos suaque omnia exposuit & firmauit, quoniam is locus iuxta lacum uisus est ei ad commanendum aptior, ibique firmata & extructa arce, appellauit eam Gneznam, quod sonat nidum, quoniam circa illam in altis arboribus plures nidos reppererat aquilarum, omine ex his feliciore auspicato, nedum tutam, sempiternamque habitationem ratus, uerum & spem regni nactus ex aquilis. Quapropter aquilam pro armis & insignijs assumpsit. Aiunt mathematici & experimentatores, ascendisse signum Tauri hora ingressionis Lech in maiorem Poloniam, & posteri practici exinde terram maioris Poloniæ subesse tauro affirmant.

Noe. Sem. Cham. Iaphet. Iauan. Helisa. Helisa. Lech. Czech. Crupa fluuius. Psari. Dalmatia. Croacia. Slauonia. Morauia. Bohemia. Boemia Czech cessit. Lech in Poloniam uenit. Gnezna prima Poloniæ ciuitas. Aquila pro armis regni Poloniæ. Polonia sub Tauro.

CAPVT II. LIB. I.

STabilita sede dominij ipsius Lech, Principes eius per tribus & cognationes partiti, mansiones & domicilia per circuitum ędificarunt: rude tamē & grosse ex lignis, argilla, & tegmine culmineum struxerunt. Coalueruntque & deo fauente creuerunt in maximo numero. Implentes ac hæreditate possidentes Poloniam, Slesiam, Pomeraniam, & totam regionem iuxta mare Germanicum Marchiam, Lubek & Rostok. Russ autem nepos uel ut nonnulli aiunt Germanus Lech, terras Russiæ latissimas populauit,

Russ nepos Lech. ab eo Russia.

A Lech regnũ Lechitarum. lauit,& de suo nomine appellationem toti Rusiæ reliquit. Quemadmodum à Lech tota Poloniæ titulatio obuenit & dicebatur regnum Lechitarum. Quod usque in hanc diem Orientales seruant. Græci enim, Tartari, Besserabes,& Rutheni Polonos uocant Lechitas. Hungari quoqꝫ à Lech Polonos uocant Lengel. Tandem processu temporis qui uersus occasum solis terras possederunt, ut circa Lubec, quæ in Polonico Bukouiecz dicitur, *Drzeuyani à lignorũ copia.* & circa Rostoc, nominauerunt se Drzeuyanie, quasi lignosi ab abundantia lignorum. Alij *Trauiani à gramine.* Trauianie, hoc est graminosi, à copia fœni & abundãtia graminis. Alij Kassubianię à plicis *Cassubitæ à plicis.* uestium: Kasz enim ualet plica uerbaliter, Hub ruga. Alij Pomorzanye, perinde ac si dicerent sese Pomeranos & penes mare, quia iuxta mare habitarunt. Cæteri uerò Slesitę, & *Pomorzani à uicinitate maris.* qui in plana terra mansionem sortiti sunt, à iugis montium remoti, Polonorum nuncupationem acceperunt, à pole, quod est planura seu campus, & non à polo arctico, quoniam non subsunt ei. Verumenimuerò quoniam prima arx & sedes Lech, quæ est Gnezna, fuit in terra plana, eorum quibus nomen Polonorum inditum erat, ideò omnes præfatę prouinciæ Polonia dictæ sunt, tanquam membra à capite, & sui principis primæua arce. *Polonia à planicie dicta.* Longissima itaqꝫ, latissimaqꝫ Polonorum fuit patria. Ab occasu secundum cœli lõgitudinem incipiens à gradu 32. protensa in Tanaim, habẽtem in longitudine gradus 60. quod *Poloniæ longitudo & latitudo.* perrarum est ut tantam longitudinem regni inuenires, nostris autem temporibus longitudinem habet à 43 grad. in eam, quam prius 60 graduum lõgitudinem, latitudinem uerò habuit (nunc quoqꝫ Deo propitio habet) à montibus Sarmaticis eleuationis poli 49 gradu- *Poloniæ situs.* um usqꝫ ad mare Baltheum, quod est sinus maris Germanici 55 grad. & ubi mare non alluit, eleuatur polus 57 grad. & plus. Habet insuper Polonia ab Oriente Rusiam: Rusia autem Sarmaciã Asiæ seu Tartariam. A' meridie Pannoniam ab Hungaris inuasam atqꝫ occupatam, & Daciam, nunc Valachiam & Multauiam uocatam. Ab occasu Morauiam, Bohemiam, & Theutoniam. Antè nostra siquidem tempora (puta in diebus regis Vladislai Loketek) Slesia culpa sua, & absqꝫ causa defecit à Polonis. Marchia uerò & prouinciæ litterales, occidentales, Lubec, Rostoc expugnatę, cesserunt in ius & ditionem Theutonũ. Itaqꝫ Polonia ab occasu nostris diebus habet Slesiam, & Marchiam. A' septentrione uerò habet mare Baltheum, Liuoniam & Moscouiam: Lithuania etenim in sortem Polonorũ *Septem flumina Poloniæ.* cessit. Flumina famosiora Polonia habet septem. Primum Dniepr, quod Græci Boristhenem, Tartari Erzesze dicunt, decurrit per terras Rusiæ septimo climati, non sexto deno- *1 Boristhenis. Dniepr.* minationem tribuens positione Ptolomei, ab hoc nempè Boristhene septimum clima diaboristhenes nuncupatur, fons eius ex syluis & paludibus Moscouiæ Viasznia, longitudinis 52 grad. latitudi. 56. Ostia primum in lacu propè Dassow, lacus autem mari ponti *2 Hipanis. Bug.* sese immiscet, longitudine 57 grad. latitud. 48. Aliud flumen Bug, Græcè hipanis etiam in terris Rusiæ, origo eius ex palude propè Olesko. Ostia in lacu propè Dassow, tandem *3 Tyras. Dniester.* in mari pontico longitudine 58 gra. latitudine 48 gra. Tertiũ est Dniester, Græcè Tyras, Tartarice Turlo appellatum. Caput ipsius ex monte Sarmatico Bieszked in terra Premislien. Ex quo monte fluunt alia bina flumina. Szan in Poloniam, Czissa olim Tibiscus uel Ticia per Pannoniam in Danubium, diuidit Tyras, & sequestrat Daciam, quã uocamus Besserabiam & Valachiam, à terris Rusiæ long. eius 46. gra. latitud. 48. Ostia in mari pon- *4 Istula. Visla, id est, Vandalus.* tico propè Album castrum, long. 53 gra. lati. 48. Quartum flumen est Visla, à scriptoribus usitate Istula, à ueteribus nostris Vandalus dictum, à quo Poloni olim Vandali nuncupati: ex montibus Sarmaticis in ducatu Teschnensi initium sumens, long. 44 gra. lati. 49. de alto in bassum, cum fragore & sonitu labens, per medium Poloniæ, decurrit, & in mare Balteum tribus ostijs ingreditur. Vnum ostium iuxta Gedanum, aliud iuxta Helbieng, *5 Varta.* tertium apud uillam Thefft, omnium long. 45 gra. latitu. 55. Quintum flumen Varta, oritur circa oppidum Cromolow, in lon. 44. grad. la. 50 gra. ostia eius in flumine Odra circa oppidum Costzin, ex quo non ingreditur mare est de minùs principalibus, tamen propter *6 Viadus. Guttalus. Odra.* eius famositatem apud Polonos, ipsum inter septẽ flumina principalia annumeraui. Sextum flumẽ Odra à Cosmographis & Ptolomæo Viadus, à Martino in sua Chronica Guttalus nuncupatum, oritur propè oppidum Odri, & ingreditur quatuor ostijs quendam la- *7 Chronon, id est, Nymien.* cum prope mare, tandem è lacu sese euoluens in mare Baltheum, labitur stricto alueo circa oppidum Stralsunt, long. 42 grad. la. 56. Septimum flumen Niemien, Græcè Chronon *Cracouia famosior Poloniæ Metropolis.* nominatum, ex palude oppidi Kopiolouu sinuosè & recuruè fluens, diuiditur in binos alueos & ingreditur in lacum maris Baltei seu Prutenici, in lon. 50 gra. lati. 56. Metropoles in hac regione, sunt Cracouia famatissima urbs in Polonia, lon. habens 44 gra. lati. 50. in *Leopolis in Rusia. Vilna in Lithuania.* Rusia Metropolis & caput est Leopolis, lon. 47 gra. latitu. 49. In Lithuania Metropolis est Vilna, lon. ut æstimo (non enim uidi Lithuaniam) 50 gra. lati. uerò secundum experimentatores, & qui instrumentis astronomicis uiderunt, 57 grad.

CAP.

CAPVT III. LIB. II.

Polonia secũdum partem superiorem ad montes Sarmaticos est in septimo clima te. Distinctione climatum ex doctrina Claudij Ptolomei melioris zonarum & climatum mundi scriptoris sumpta. A' medio uerò regni, hoc est, post eleuationẽ poli 51. gra. & medij in septentrionem est extra & ultra septimum clima, itaq; frigida & glacialis, indiga uini & olei. Tametsi sit frigida, frumento tamen locuples est, et leguminibus, abundat gente feroci, pecoribus & gregibus, carnibus, melle, butiro, lacte, cera, auibus, piscibus & fructibus, habet alleca ex portu Gedanensi, & res uenales quæ illac inuehũtur, habet uros, bisontes, tauros, & equos siluaticos, onagros quoq; & pelles preciosas sabellionum, & mardurum, ex solitudinibus septentrionalibus delatas, habet grana tinctorũ copiosè in maiori Polonia, copiosius aũt in Rusia, q̃ administrat & porrigit regionibus & emporijs meridionalibus, mittit & uendit occidentalibus, præcipuè Germaniæ, Almaniæ, Basse, & Angliæ, boues, frumenta, cutes, maiores & minores, ceram, ligna quercina, & taxina picem uarij generis, cineres & pelles deliciosas, habet plumbum in suo genere optimum, & salis maximam copiam, est nanq; in ea sal minerale, sal Panis, & sal gemæ, quorum unumquodq; ex terra eruitur & exciditur grandis molis & ponderis, sal quoq; per decoctionem collectum & factum, tam in Polonia, quam in Rusia habet, Lazurium ex Montanis Chaczini, supra alias regiones præciosę bonitatis, habet ferrum in plerisq; locis, & cuprum in pecijs iuxta territoria Premisliæ & Szanok quod negligitur. Sub excelsissimorum uerò montium Sarmaticorum iugis Tatri ab incolis usuali nominatione uocatis exciditur cuprum ex lapidibus in magna quantitate, habentis plurimũ argenti, quod secernitur per separationem, aurum in certis montibus & fluuijs reperitur, sed per incuriam non colligitur, habet succinum, seu Karabe de genere electri ex ripis maris Sarmatici, dum atteritur & calefit trahentis paleas & festucas. Ex eisdem riparijs maris habet lapidem gagatem nigri coloris, sed in pauca quantitate, habet ollas natura non arte formatas, dum è terra extrahuntur & desiccantur, similes sunt ollis arte figuli factis, & sunt in maiori Polonia circa oppidum Srem in campis uillæ Nochow & in Paluky prope oppidum Leknoin uilla Kosielsko, habet in terris Rusiæ tantam exuberantiam examinum apum sponte prouenientium, non solum in aluearijs, sed etiam in terra passim mellificantium, ut incolę præ multitudine, certa agmina earum obruant & submergant, habet terra Podoliæ miram fertilitatem, ut frumenta semel sata, & post bonam maturationem à messoribus cum aliqua granorum excidentia collecta, in sequenti anno absq; cultura agri & absq; granorum seminatione, liberè è tellure fertilissima, ceres & frumenta prodeant, & manu larga metuntur atq; colliguntur. Habet sylvas & nemora plurima, inter cętera, arbores pini, & piceæ in districtu Belzensi & Chelmensi, hæ succisè & super terrã dimisse, post aliquot annos commutantur & uertuntur in silicem, ita ut ex eis ignis ueluti ex silice excutiatur, habet calamum aromaticum Tatarske zele abundanter circa flumen Tanais, quem Rusitæ uocant Don, Tartari uerò Edil, habet Agaricum & Castorea satis, fodinas autem sulfuris in aliquibus locis, balnea tamen naturalia nusquam habentur in Polonia.

Polonia frigida uino oleoq; caret.
Abundat certis frumentis, carnibus, melle, butiro, cera, piscibus, uris, bisontibus, thauris, equis siluaticis onagris, pellibus preciosis, granis tinctorum, plumbo, sale, lazurio.
Cuprum, argẽtum, aurum habet.
Gagates.
Ollæ natura formatæ.
Apum multitudo.
Podolia fertilis.
Polonia syluosa.
Calamus aromaticus.
Sulfur.
Agaricon.
Balnea naturalia nusquam in Polonia.

CAPVT IIII. LIB. II.

Sub regimine Lech primi parentis & principis Lechitarum, tellus uomere olim nõ uiolata & aratro intacta, cœpit per colonos eradicatis arbustis & uepribus, assiduis rastris & diligenti cultura excoli. Cœperunt insuper propagari greges, & possessiones longẽ lateq; distente, de quibus respondebant Lech tributa ei soluendo, & principatum eius donationibus recognoscendo, singula quæq; in pace, parsimonia & modestia, ut omnibus in rebus primum fieri solet, agentes. Ex humanis autem Lech absumpto, filij eius & nepotes (quorum quilibet nomine auito Lech nominabatur) secundum senium principabantur. Sic enim parens eorum cum suis satrapis & dignitarijs constituerat, ut maior natu dominaretur, prout dominati sunt per plures genealogias & successiones, quorum tamen gesta, et egregia facinora scriptorum penuria uel temporum iniuria perierunt: nec quot sæculis dominati sunt, certo habetur. His autem & tota stirpe Lech radicitus sublata, proceres ac nobiles apud Gneznam de substituendo futuro principe alterius generis deliberantes, in eam sententiam pari uoto conuenerunt, ut reiecto iugo subiectionis, absque principe dulcem libertatem sectarentur, & pro administranda unicuique iustitia ac obeundis reipubl. officijs, prout illa tempestate fat uidebatur, elegerunt duodecim dignitarios quos Vuoyeuuodas, id est, Palatinos uocauerunt, ut essent totius reip. specimen & tutamentum. Is modus deligendi, hi quoque dignitarij usque in nostram

Palatini duodecim electi.

nostram ætatem permanent, & semel electi, toto æuo sine quauis innouatione perseuerát. Quod satis absurdum est & apud exteras nationes alienum. Solent nanque huiusmodi officiales, nunquam permutari, communi bono postposito, priuatis commodis inhiare, suos maiores spernere, subiectos uero loco administrandæ iustitiæ opprimere, utinam Poloni non ad mortem, sed ad annum, ueluti est in alijs nationibus, officia Palatinorum, Castellanorum, Capitaneorum, Iudicum, & reliquarum dignitatum designarent, & his qui resp. utilitatique eius sufficerent, pro ipsa toto conatu laborando committerent. Profecto cresceret regnum eorum in immensum, sed hæc expeditiori oratione, & prolixiori tempore indigerent, ideò nunc hæc missa faciens sequentia tango. Quo tempore & quotto anno post diluuium princeps Lech ingressus sit Poloniam, & quot lustris imò sæculis ipse, prolesque eius Polonis præsidebat, sic & Palatini quanto tempore iura populis reddebant, incertum est, nec ullis traditum literis, quoniam gentes septentrionis proniores sunt (cœlo frigido inclinante) iurgia excitare, mores siluestres tenere, Cererem et Bacchũ supra mensuram colere, leues capillos & prolixos intorquere, quam castam Mineruam amare, & literis operam dare, idcircò gesta eorum densa caligine præssa, inæternam clauduntur obliuionis noctem. Non solum autem Lechitarum uerum & Russorum priscæ uetustatis res sepultæ iacent, inopia scriptorum usque ad tempora Kyg, Scziek, & Korew ducum, ab his nanque primum facinora eorum literis mandata sunt, fuerunt autem uterini Kig, Scziek, Korew & quarta soror Libed, hi principando russitis, loca munitiora construxerunt, Kig castrum supra Boristhenem seu Dniepr, quod usque in hanc diem Kyow dicitur, olim famosa & lata metropolis russorum, alij duo non longè à Kiow etiam sua erexerunt castra Scziek sczekwicza, & Korew Korewicza, erant & alij duces eorum Radzim à quo radzimczanie supra fluuium Szafzu, Viatko à quo Viathczanie suprà fluuium Olka, Dulieba à quo doliebienie ad fluenta Bug, hi postea Volhanie, & nunc Luczanie appellantur, familiæ ex dulieba, radzim, & uiathko, more ferarum in siluis habitabant, & cõsanguineas passim prout uoluptas ferebat, sine discretione cognoscebant: demum extinctis & ab hac luce sublatis tribus Germanis kig, scziek & korew, filij eorum & nepotes longo æuo dominabantur, quilibet in sorte sua donec successerunt Oszkalt & Dir, duo Germani apud Kyouiam principantes.

Duces primi Russiæ. Kyg. Sczyek. Korew.

CAPVT V. LIB. I.

Post annos plurimos gens Lechitarum perosam habens gubernationẽ Palatinorum (mala enim uisa est pluralitas principũ, tum quia lacessentes inimicos, & rem eorum turbantes, auertere minimè potuerunt, tum etiã quia singuli quæ sua sunt & non regni curabãt) requirebant unum principẽ & rectorem, scrutinioque facto, elegerunt uirũ idoneum, solertẽ & strenuum nomine Cracum, ad radices montiũ Sarmaticorum iuxta Istulam commorantẽ in rectorẽ, rerumque suarum tutorem. Qui fasces regiminis assumendo, inuasores quosdam per pacta, quosdã per bella exturbauit. Gallos ea tempestate regna Pannoniæ demolientes, Lechiã ingredi uolentes, forti Marte repressit & ex eis uictoriã reportauit. Exinde pace confecta, Lechitis indies charior erat, Bohemisque ob secundã fortunam amabilis imperabat. Erexit arcem habitationis suæ in expedito colle Vauel, supra fluuium Istulæ sito, & ei ciuitatem adiecit atque fundauit de suo nomine Cracouiam appellando, fœlicem agris & rebus secundis, nisi olophagus quædã belua (ut aiũt draco) plurima impedimenta intulisset. Rapiebat siquidem è specu de sub monte. Vauel egressa, iumenta & homines incautè oberrantes, rictibus horridis uoracissimè deglutiendo. Quo malo afflictæ Cracouiæ, Cracus anxius condolens tria corpora iussit quotidie olophago exponi. Nã his contẽtando, cætera nõ requirebat. Sed & hoc graue, onerosumque erat, propterea suapte industria persuasit exponendis corporibus sulfur & cauma ignitũ, cera, piceque inclusa, admiscere & occultare, belua enim tum naturali rabie, tum uoraci esurie exagitata, sine delectione oblatam prædam rapiebat atque uorabat, sensimque debilitata extincta est. Cracus uerò lætatus, longos annos in senium deduxit, mortuus, plenus dierum. Reliquit duos filios Cracum, Lechonem, & tertiam filiam Vandam. Ex commisso patris dum uiueret, filij construxerunt sarcophagum in mõte Lassotno (qui nũc dicitur mõs sancti Benedicti) tumorem terræ suppraponendo in altum, in hunc diem celebrem & à lõginquo uisibilem. Ex hoc asserunt quidam hunc Cracum fuisse Romanum (de familia Cracorum ob leges agrarias superbius quàm fas erat dictatas Romæ interfectorum) quoniam instar sepulchri Romuli sibi dum uiueret, simile de terra (Romuli enim de lapidibus est) erigi præcepit, undecunque autem fuit, assertio eorum instantiam habet, quia Craci prope natiuitatem Christi, circiter centum annis occisi iacent inulti: is autem Cracus Lechitarum princeps ut produnt eorum historiæ quadringentis annis natiuitatem Christi præcessit.

Cracus eligitur. Galli uicti. Cracouiæ origo. Olofagus Cracouiam affligit & interimitur. Craci filij. Cracus. Lecho. Vanda filia. Cracus 400. annis ante Christum.

CAPVT VI.

COgitantibus Lechitis Cracum natu maiorem ipso Craco patre uita functo in legitimum successorem & regem surrogare, Lech minor natu nacta occasione opportunitatis interfecit eum, & lacerum zabulo texit, dicens illum dum uenationi operã daret, & profusius quàm decuit feras impeteret, à bestijs mortem opetijsse, & hæc ficta dicens lachrymabatur. Lechitę uerò ita fore credẽtes, eum in thronũ paternum euexerunt, & regem suprà se statuerunt: uerum quia nullum malum impunitum crebrescente fama quòd germanum suum inuidia ductus clam necasset, expulerunt & à regno exulare ipsum coegerunt, tanquam prophanum parricidam. Quanquam alia quędam historia narret nõ fuisse exulem nec à regno alienatum, sed ob fratricidium ab omnibus spretum, & inuisum mœrore & cogitationibus cõtabuisse, uitamq́ simul cum regno citò finiuisse. Quapropter Vandam filiam Craci nulla amplius prole masculina superstite, pro domina & regina ex unanimi uoto omnium deputarunt, inueneruntq́ in sexu fœmineo animum & robur uirile in regendis subditis, & inimicis regni abigendis, nam ea tẽpestate Rithogarus princeps Theutonorum regno Lechitarum uicinus, audita Vandæ mira specie, pulchritudine, gloria, moribus, & regno, misit procatum iri seu eã in sponsam deposcere. Vanda autem desponsationem Rithogari, una cum ipsius ambasiata seu legatione renuit. Mittit iterum amoris impatiens Rithogarus, ut sibi nuberet, aut arma & deuastationem regni sentiret, putabat nanq fœminam metu belli ad coniugia posse impellere, quam sponte matrimonium refutasse didicerat. Moxq́ aciebus instructis, regnum Lechitarum ingreditur, iussit & Vanda celeriter suos arma capere, & copiã resistendi Rithogaro præstare. Videntes autem purpurati principes Rithogari potentem exercitum, Vandæ pulchritudinem dictu mirabilem, qua tanquam hamus (Vanda enim hamum sonat) corda inspicientium alliciebat, industriam, audaciam, & causam sine noxa, recesserunt in castra sua denunciantes principi eorum, ut uiraginem iustè pugnaturam, & exercitum potentiorem, instructioremque habentem, suo damno non inuaderet, quos cum nec persuasionibus, nec minis ad pugnandum reuocare potuit uehementi afflictione consternatus, bello celsit, & in conspectu eorũ gladio sese confodit. At Vanda pace cum magnatibus Theutonorum composita, Cracouiam redijt, & pro tanta uictoria dijs uota (plurimas uictimas immolando) persoluit, seductaq; illius temporis errore, ne celebs uita eius quoquo modo deflorelceret, dijs seipsam uictimam, pro uictoria assecuta, exposuit. De ponte enim in Vislam salijt & ab aquis suffocata circa Mogilam, uno miliari à Cracouia reperta est, illic suprà fluuium Dlubnia sepulta, aggere & mole terræ in altum, quemadmodum Craco genitori eius supra positis, diciturq; locus ille usq; in nostram ætatem Mogila: quod sonat sepulchrum: dictus est & fluuius in quo mersa est Vandalus, & gens circa fluuium cohabitans Vandalitę.

Cracus interficitur à Lech.

Vãda eligitur.

Rithogarus princeps, theutonum.

Vanda interitus.

Fluuius à Vanda.

CAPVT VII.

EXtincta Vanda cum qua & tota Craci familia interijt. Abrogarunt iterum Lechitę regem: & locò unius regentis duodecim Vuoyewodas, id est, exercituum ductores seu regentes: pro numero prouinciarum constituentes. Sub quibus longo tempore (ut aliquæ Chronicę narrant centum annis) in libertate uixerunt, donec exorti grassatores, & bonorum expilatores, non mediocriter eos afflixerunt, ad ultimum uerò exercitus ualidi Pannoniorum & Morauorum Poloniam inuadentes, prædam agebant impunè, agros depopulantes, & res diripientes ut libertate ablata, sub iugum seruitutis miseros Lechitas mitterent & cogerent. Vuoyewodis nequicquam repugnantibus, quoniam aduersam fortunam experti, de summa rerum desperabant. Erat sub hoc turbine quidam Polonus nomine Przemisl, disciplinæ militaris peritus, uiribus strenuus, ingenio astutus, qui circa Caluum montem, hostes omnia negligentius agentes, astu terruit & opportunitate deuicit. Nã galeas formatas, pictas & coloratas, ex aduerso hostiũ sole Oriente in arboribus mõtis locauit, quibus uisis, repentè radiorũ solis reuerberatione hostes perculsi arma corripiũt, ad debellandũq; aciem Polonorũ uisam procedũt, quo cũ peruenissent, neminẽ inuenerũt Mox etenim Przemislaus, ut uidit hostes arma capessere, simul sacra Galearũ remouit. Reuertũtur itaq; in sua castra aduersarij, putãtes Polonos auersos fugisse. Przemislaus uerò rẽ bene gerendi belli concipiẽs, animauit cõmilitones, qui ad ipsum confluxerãt, certam uictoriam eis promittens, dũ modo consiliũ eius sequendo, animũ & arma uiriliter in hostẽ conuerterent. In tẽpestę ergo noctis aduentu, hostibus somno deditis, & securè cubantibus, Przemislaus manum Polonorum, iam de uictoria certificatam & animatam adduxit, à tergo & à lateribus medios in hostes irrupit, quosque & dormientes, & repugnare uolentes prosternendo, cæteros è somno excitatos, trepidos & agẽdorũ immemores dispergẽdo, Przemislaus ergo castra desertata diripuit & inimicorũ opulentias,

Polonia uastatur.

Przemislaus.

Hostes astu uicti.

laum, Vissimirum, Czesimirum, & Vislaum: ueritus autē ne eo ex humanis absumpto contentiones, & bella inter fratres orirentur: partitus est regnum, Pompilio dedit monarchiam regni: cæteris maritimam oram Slauorum, Rugianorum, & Cassubitarum, usque ad Misnam, & Vuestphaliam distribuit Boleslao primo genito naturali Baruino, & Bogdalo Pomeraniam inferiorem, Kaizmiro, & Vuladislao Cassubiam: laxæ, & Semiano Serbiam, Vuratislao Ramam, Przibislao Czesemiro, & Oddoni Ditwoniam, quæ nunc Olsacia, seu Lusacia: Przemislao Semouito, & Semomislao: Sgorzeliciam, quæ nunc Brandenburg appellatur: uerò alijs fratribus residuis, quasdā sortes, in huiusmodi prouincijs, adiectis quibusdam desertis syluis, & nemoribus assignauit: Vislaus autem condidit castrum Miedziboze, quod nunc Meydburg dicitur: Sobeslaus castrum Daley, quod Dalemburg uocatur: Vissimirus castrum, & ciuitatem in ripa maris sitam Vissimiriam, quæ in hanc diem eodem nomine nuncupatur. Cæteri fratres alia castra erexerunt, Brzemyç castrum in confinijs Vuestphalorum, & Frisonum situ: sic dictum, ut susciperet hostile Brzeçinia, id est, pondus. Castrum lyma, quod nunc Limburg uocitatur in petra latissima à longinquo uisibili, & lucente: Slaui enim nocturnum splendorem limam uocant. Castrum item, & ciuitatem, Bukouiecz, quā Teuthones uocant Lubeck: Slaui uerò in circuitu commorantes Bukouiecz, similiter castrum Rathibor: castrum Swerin: castrū Lukow à quodam Miclone conditum: unde Teuthonici illud Mickelburg uocant. Item castrum Gilow à crassitudine terræ: castrum Rostoki à dissolutione aquarum: castrum Verla à credulitate: castrum Swanow à uocādo: uocatus enim Slauicè Swani dicitur. Item castra Ostrow, à loco insulæ, in qua stat Teszin, Marlow, Bolel Trzebiellow, Vologost, Czasni Vuolyniecz. Pluraq; alia castra, & municipia, præfati filij Leskonis, & eorum nepotes iuxta mare Germanicum condiderunt, quæ natio Teuthonica occupauit: & usque in præsens occupat paucis populis Slauis, & Zerbis in rure, & uicis etiam in hanc diem permanentibus, & linguam Slauicam confusè, & corruptè propter commixtionem sonantibus.

Prima diuisio cum iactura.

Meydburg.
Dalemburg.
Vissimiria.
Brzeinia.
Limburg.
Lubeck.
Rathibor.
Swerin.
Myckelburg.
Gilouu.
Rostoc.
Verla.
Suuanouu.
Ostrouu, &c.

CAPVT X. LIB. II.

Pompilius, quem Poloni Popiel, Teuthones Offerich uocant, suscepto regno Polonorum, colles, & montium radices, in quibus urbs Cracouia est sita pertæsus, transtulit sedem regni Gneznam in planicie sitam, ubi prisci Polonorum morabantur principes. Hanc quoq; spernens, nouas sedes inter lacus posuit, ac extruxit Crusuiczam nominans, & in ea principalem sedem regni constituens. Mortuus est in ætate uirili, morbo correptus ex uita torpente, & uoluptuosa. Nihil egregium edidit, quod posteris dictu, factuúe celebre foret, nisi quòd in omni execratione solitus erat dicere, utinam me mures uorarent, utiq; omine mali, quoniam filium eius, alterum Pompilium, quem ætate puerili reliquerat: regnantem mures deuorarunt.

Pompilius primus.

CAPVT XI. LIB. II.

Adolescentia Pompilij Secundi minimè expectata, ipsum in Regem Poloniæ extulerunt, & ei obedientiam homagialem patrui unà cum proceribus regni præstiterunt. Causas, & decisiones quæstionum, quæ ad eum perferebantur, patrui donec adolesceret, determinabant. Sed cùm pompilius annos adolescentiæ supergressus, suæ potestati est relictus, in deterrimos incidit mores, in petulantiam, choreas, plausus, ebrietates, flagitiosissimus ruebant, Rempubl. prostergando, & ab incursu hostium deprauatus, & meticulosus, non defendendo. Desponsata est ei ex Teuthonia, elegantis pulchritudinis de genere principum fœmina, quæ blandicijs, & calliditibus eum sic irretiuit, atq; captiuauit, ut totius regni potestas, & expeditio circa eam consisteret. Ad peioresq; illecebras maritum intrusit patrandas. Videns enim maritum suum ab omnibus subiectis spretum, & ad ignominiam ipsius cum ludibrio koschysko (quod sonat attritam scopam) uocatum, propter raros capillos, timensq; ne succederet ei quispiam patruorum, ob scelera suapte ipso expulso. Iubet dolos, & ægritudinem mortalem fingere, patruos, & proceres regni aduocare. Coram eis exponit Pompilius in lecto decumbens, & lachrymans se in breui moriturum, rogat, obtestaturq;, ut filios, quos binos ex legitimo matrimonio suscepit, Lechonem, & Pompilium successores ipso mortuo sur rogarent, & iamiā migraturo exequias more gentilium in præsentia ipsius celebrarēt. Luget & coniunx lamentando, & fictas lachrymas aborciendo. Exhibita tandem refectione, iterum ad aulam Regis introducuntur patrui cum primoribus regni, & potus exitialis per reginam compositus. Post oscula Regis ualedicentis iam propè morituri in poculo aureo administratur, quo hausto, singuli discedunt. Nox enim instabat, rexq; se dormiturum

Pompilius secundus.

Pōpilij uiginti patrui ueneno extincti.

militum sopore ingruente simulabat, expauescens ne aliquis eorum cotàm moreretur. Correpti ergo toxico tempore noctis, uersi in furiam excruciabantur, donec spiritum & animam exalauerunt. Exhilaratus itaque Pompilius cum coniuge, contulit se ad tripudia patruos calumniosè criminando. Asserens illos ob facinus in regem & filios eius cogitatum, cœlesti plaga miraculosè perculsos interijsse. Accumulásq; peccata peccatis, inhibet à quoquam cadauera extinctorum sepelire. Sed Deus uindex iustus, grauitate supplicij scelera compensans. Pompilium conuiuia celebrantem, mero madentem sertis coronatum, unguentis delibutum, crapula & luxu resolutum, ultione condigna punit. De cadaueribus siquidem patruorum & procerum, multitudo murum ingentis magnitudinis ebuliuit, & in conuiuantem tyrannum, consortem eius, & filios, rabidis morsibus insilijt, militum caterua nequicquam abigente, quoniam humano suffragio fatigato, mures infatigati perseuerabant noctu, dieq;. Extruuntur ardentes foci, & in medio eorum locatur Pompilius, coniunx & filij: illic autem, & mures per flammas transeuntes patricidam rodere non cessabãt. Ad aliud tandẽ elementum uentum est. In nauibus abducitur occisor patruorum Pompilius cum suis in stagni altitudinem, mures tamen incessanter secuti, abductos, & naues rodebant in tantum, ut aqua perforatis rimis ingressa submersionem minaretur. Ideò nautæ timentes suffocationem ab aquis, deduxerunt nauem in littus, unde alia caterua murum occurrens, iuncta prioribus acriùs infestabat. His uisis, defensores, diuinam ultionem cognoscentes, omnes fugierunt. Pompilius autem protectoribus nudatus, recepit se in turrim altiorem in Crusuicza, ubi mures rapido cursu ascendentes consumpserunt, & uorauerunt: duos filios, uxorem, & facinorosum Pompilium cum singulis artubus, ita ut nerui, ossa aut aliud uestigium non relinqueretur. Ecce non est potestas, nec consilium contra Dominum, non prosunt sceptra, nec opes in conspectu eius, minuta animalia, & imbelles mures Pompiliũ miserabiliter consumpserunt, quemadmodum pediculi, uermes minutiores muribus Arnulphum Regem Francorum, & Imperatorem Romanorum, pulpa, carnibus, ac uisceribus exesis, medicis nequidquam proficientibus ad internitionem usq; perduxerunt, solis cartilaginibus, & ossibus relictis, ut in descriptione Romanorum Imperatorum, & regum Franciæ legis.

Ex cadaueribus extinctorum copiosa murum nascitur.

Horridus Pompilij consortisque & filiorum interitus.

CAPVT XII. LIB. II.

Post miserum, & horridum interitum Popiel, indicta conuentione pro noui Regis electione, conuenerunt maiores, ac nobiles regni in Crusuiczam, factaq; dissensione, pluribus regnare cupientibus: soluerunt conuentionem absque Regis electione, ortis tandem multis difficultatibus, bellisq; externis, & domesticis, quotidianis etiam simultatibus, & damnis inter regnicolas. Indicta est altera conuentio in præfatam Crusuiczam. Erat ea tempestate quidam agricola, & mellarius in ciuitate Crusuiczień. nomine Pyast, eò quód statura erat non alta, sed robusta, habuit uxorem Rzepycza nuncupatam, & filium unicum nondum nominatũ, homo multæ hospitalitatis, peregrinorum, & miserorum fotor: aduenerunt autem in diebus regis Pompilij, duo hospites uultu, & habitu uenerandi, & cùm uoluissent ingredi regiam, pulsi sunt à ianua, & prohibiti ab ingressu. Discedentes ergo declinauerunt ad tugurium Pyast, parentis aduenarum, & peregrinorum, qui summa alacritate unà cum uxore excepit eos in domum suam, occidens porcum saginatum, quem seruabat pro tondenda cæsarie, & nominatione filij sui, prout mos gentilium fuit. Obtulit & uas medonis eadem intentione reseruati, uidelicet pro tonsura filij eius, dumq; potus medonis ducillaretur (mirabile dictu) augebatur, & in altum effluebat. Consilio itaq;, ac iussu duorum hospitum, ut creditur duorum angelorum, in specie humana hospitatorum (quamuis alij credant fuisse Ioannem, & Paulum martyres Romanos) uasa quot, & quantacumq; habere potuit à uicinis mutuauit, & ea impleuit, sed & carnes porci, in tantum auctę creuerunt, ut decem linteres implerent, iubent tandem prælibati hospites supplicatum ire, inuitareq; Regem Pompilium & militiam eius ad tondendum, & nominandum filium, & in præsentia eorum, iam dicti bini hospites totonderunt filium Pyast, nomenq; nouum ei adaptantes, nominauerunt Semouitum. Refectio tandem copiosa apposita est opiparè, Deo cuncta augente per ministerium hospitum, statimq; post refectionem disparuerunt sæpiùs nominati duo hospites: donec secunda cõuentio Crussuiczień. collecta, ob disparitatem uotorum ferè in omnibus uictualibus ex diuturnitate temporis defecit, tunc denuò gratiosi duo aduenæ ad Pyast redierunt hospitatum, qui humaniter ab eo & sua consorte collecti ac honorati, prædixerunt eum post triduum in Regem Poloniæ eligendum, uas ergo Medonis paruum ante tugurium persuaserunt exponendum, & cunctis confluentibus nobilibus, ac ignobilibus (singuli enim caruerunt uictualibus) biberunt de illo uase, ac

Rzepycza.

Pyast.

Ioannes & Paulus martyres.

Semouitus.

se, nedum ad saturitatem, sed etiam abundantiùs, Deo optimo Medonem uasis augmentante. Et ideò non deficiente, quemadmodum mulieri in Sarepta lecytus olei non defecit. Altero die consilio inito cunctis proceribus regni, & populis quasi quadam religione concorditer in animo insedit, Pyast eligendum in Regem, postpositis filijs, & nepotibus patruorum per Pompilium necatorum, postpositis & quibusuis magnificis regni: proclamatione deinde facta, tota nobilitas unà cum plebe ad ostium tugurij Pyast descendens, eum regnum suscipere coëgit. Ille uerò territo, ac repugnante propter insufficientiam, & rem monstrosam, Eulogium hospitum, dum in memoriam redijt, eum post triduum regnaturum consensit, & in aulam regiam de tugurio transiuit. Hic fuit homo simplex, sed rex iustus: unicuiq; quod suum erat, secundùm merita administrans, Deo in cunctis eũ prosperante. Hic fuit prima stirps Regum usq; prope ætatem nostram in Polonia dominantium: terminata in Kazimiro secundo, & Ludouigo. Eiusdem stirpis rami sunt moderni principes Slesiæ, & filij Conradi Masouiæ. Quantæ fœlicitatis fuit hospitalitas, & iusticia Pyast, propago principum usq; in nostram ætatem permanens demonstrat. Non uidi, inquit Dauid, iustum derelictum, nec semen eius mendicare panem. Electus est rex in ætate uirili, mortuus senio confectus, ut ferunt anno ætatis suæ centesimo uigesimo. In pace regnauit: regiamq; ex Crussuicza in Gneznam locum originarium transtulit.

Pyast eligitur.

Ex Pyast principes Slesiæ.

Pyast plenus dierum moritur.

CAPVT XIII. LIB. I.

SEmouitus filius Pyast, princeps militiæ sub patre creatus: post mortem uerò eius rex factus: multum uigilantiæ, temperantiæ, militiæ, munificentiæ, & uirtutum heroicarum ante electionem habens. Multò ampliùs rex factus omnibus uirtutibus redimitus floruit. Dilatauit regnum, de finibus eius pannonios adhuc Pompilij tempore occupantes, uictoriosè expellens. Kassubitas, & principes iuxta mare Baltheum commorantes, olim de fœmore patruorum Pompilij toxicatorum homagia denegantes aggressus, dum in parte expugnauit, morte immatura absumptus est. Cunctis regnicolis tanquam parentem patriæ deflentibus. Reliquit unicum filium, minorennem, nomine Leschko. Circa hæc tempora sub imperatore Romanorum Arnulpho, Græcorum uero Imperatore Michaële, aduenerunt Cirullus Doctor, & Apostolus omnium Slauorum, & Methudius, lingua Græca, & Slauonica prompti missi à præfato Imperatore Michaële Græco, ad postulationem principum, Slauorum in Morauiam, & iacientes fundamenta Christianæ fidei, erexerunt Ecclesiam cathedralem in Vielagrad Morauiæ. Euocati tandem Romam, & inquisiti, quare in lingua Slauica diuina celebrarent, & non in Latina. Responderunt eo, quod scriptum esset: Omnis spiritus laudet Dominum. Post altercationes ergo Romanus Pontifex permisit, ut lingua Slauica celebrando laudaretur Deus, perindè atq; Latina, & Greca. Qui mos ad tempora mea circa Craccouiam in Ecclesia sanctæ Crucis in Clepardia obseruatus, sed iam extinctus est.

Semouitus in regem.

Semouiti mors.

Cirullus Apostolus Slauorũ. Methudius.

CAP. XIIII. LIB. I.

LEsko ætatis nondum debitę, de procerum, & nobilium cõmuni assensu in principem assumitur, certis Baronibus procuratoribus, donec adolesceret illi deputatis. In ætate uerò adulta cœpit imitari paternas uirtutes, probitatem, prudentiam, liberalitatem, & iustitiam: militiæ tamen munera non ęquè, ut pater coluit, quinimò bellum contra principes Pomeranorum, & Cismarinorum per patrem initiatum intermisit: mortuus est relicto filio perfectæ ætatis Zemomisl, quod interpretatur terram recogitans, uel de terra cogitans.

CAPVT XV. LIB. I.

LEskoni successit Zemomislaus in regno, uirtutes paternas, & auitas enixè sibi uendicans, non armis, sed toga, & prudentia regno proficiens: uehementer autem angebatur, quòd sine prole coniugem sterilem longo tempore habuit, maiori deinde molestia affligebatur, quòd effuso unico filio dudum optato, cæcutientem uidebat, & penitùs nihil uidentem, ampliusq; doluit, quia uxor sua iterum sterilis, ut antè, absque spe ulterioris prolis permansit. Adueniente anno tonsuræ, utcunque ualuit, Zemomislaus conuocat maiores regni Gneznam ad tondendum, & nominandum filium. De uoluntate omnium imponens ei nomen Myeska, quod sonat confusionem, seu commotionem: quoniam cuncti suspicabantur, metuentes post mortem patris oriri commotionem. In diebus uerò patris confusione ex cæcitate nati, appositis denique epulis, conuiuabant, & ecce subitò nuncius accurrit, referens ipsi Zemomis-

lao, Myeskam perspexisse, clareque uidere. Obstupuêre omnes, statimque mater exiliens de triclinio reperit filium, habentem orbes oculorum clarissimos, & acceptum in ulnas, inter conuiuas detulit, singulis gaudentibus, & mirantibus. Super quo genitor eius Zemomislaus sæpenumerò percontatus, quid'nam cæcitas nati, eiusq; diuina clementia, illuminatio portenderet, ab ariolis, & phitonibus accepit. In diebus regiminis eius regnum Poloniæ plurimùm illuminatum iri, & clarescere, quod ille putabat de gloria humana uerificari. Impletum autem est de spirituali uisione, & illuminatione eius, & regni per eum, quæ est renascentia in Christo, per fidem, & baptismum extunc suscepta, & dono Dei usque in hanc diem absq; hæsitatione, & erroribus tenta atque defensa. Mortuus est autem Zemomislaus plenus dierum, in ætate protaui eius Pyast, & more gentilium appositus suis patribus in castro Gneznensi.

Zemomislai mors.

CAP. XVI. LIB. I.

Oskalt. Dir.

IN Russia principantibus apud Kyowiam Oskald, & Dir: nationes Ruthenorum multiplicare, nouas sedes ad Septentrionem dilatauerunt, & duces super se constituerunt ex alienigenis, quoniam ex proprijs propter parilitatem non placuerunt. Primus dux Rurko, qui in Nouogrod: alter Szinicw, qui in Byaleyezoro: tertius Trubor, qui in Sborsk sedes suas posuerunt. Processu autem temporis, mortuus Szinicw, & Trubor absque prole, Rurko utriusque possedit ducatum, & ipse moriens reliquit filium adolescentem Iior nomine, is dolosè occidit Oskaldum, & Dir principes Kiouień. nil hostilitatis ab eo suspicatos, & possedit terras eorum. Inuadit deinde Drewlianos populos Ruthenici generis, & Nyszkinam ducem eorum, coëgitq; eos tributa soluere, & non contentus unica contributione eodem anno alteram exigebat, propter quod insurgentibus Drewlianis, occisus per eos interijt. Miserunt depost nuncios primos, & secundos præfati Drewliani ad Olham uxorem Iior, ut acciperet in matrimonium principem eorum Nyskinam. Ipsa uerò opportunitatem, & astuciam concipiens simulabat se nupturam Nyskine, dummodò ueniret cum suis matrimonium celebraturus. Quo procedente cum suis, dudum retentos apud se nuncios, clàm uarijs affectos tormentis interfecit. In occursum deinde procedit, & locato suo forti exercitu, in angustijs, & locis malignis, Drewlianos cum duce aduenientes insperatè occidit in numero quasi quinq; millia, occisioni mariti sui Iior parentando. Insuper Swantoslaus filius Iior, & Olhæ, ætatem pertingens adultam, Drewlianos graui cæde domuit, & sub iugum mittens, tributa eis imposuit, Olhaque matre sua monente, fidem Christi suscipere noluit. Transfretauerat etenim Olha in Constantinopolim, & de fide Christiana per Patriarchā edocta, spurcitijs gentilitatis abiectis in baptismo nomen Helena, pro Olha suscepit, in recessuque benedixit ei Patriarcha Constantinopolitanus, dicens: Benedicta tu inter mulieres Ruthenorum.

Rurko dux Russiæ. Iior. Iior interitus. Olha uxor Iior. Drewliani per Olham uicti. Swantoslaus. Olha fidē Christi accepit, Helena nominata

CAPVT XVII. LIB. I.

QVæ in historijs Polonorum reperiuntur, iam sub breuitate tacta sunt: deinceps quæ exteri de Vandalis, & Sarmatis, hoc est, de Polonis, & Russitis annotarunt, haud abs re in fine huius primi libri etiam sub breuitate inducam. Refert Suetonius Tranquillus, & meminit Eutropius, quod Imperator Domicianus de Dacis, Catisque duplicem triumphum egit. De Sarmatis solam lauream usurpauit, multas quidem calamitates ijsdem bellis passus est. Nam in Sarmatia (quæ nunc Russia dicitur) legio eius cum duce interfecta est, & à Dacis (ubi nunc sunt Valachi) Appius Sabinus consularis, & Cornelius Fuscus præfectus prætor cum magnis exercitibus occisi sunt. Narrat Iulius Capitolinus Imperatorem Antonium pium Germanos, & Dacos (ubi sunt Besserabes, & Valachi) rebellantes contudisse per præsides ac legatos. Alanos uerò (qui fuêre Rutheni circa Tanaim fluuium) bella molientes, sæpè refrenauit. Idem Iulius Capitolinus refert, & meminit Eutropius Imperatorem Romanum Antonium Ferum, multa millia hominum interfecisse. De Marcomannis, Squadis, Vandalis, Sarmatis, & Sueuis, & liberasse Pannonias à seruitio eorum, Romæ rursus cum Commodo Antonio filio suo, quem iam Cæsarem fecerat de eis triumphasse. Hæ sunt gentes, ut nunc est dicere Morauí, Poloni, Rutheni, & qui circa fluuium Sueuum commorati sunt Slaui, ubi nunc Marchia est, & eam occupant Teuthoni. De his Sueuis iuxta Sueuum fluuium extra septimum clima ad mare Germanicum olim habitantibus. Et non de illis, qui nunc Sueui in sexto climate habitant. Dixit Martinus in sua Martiniana in secunda parte sub Octauiano, quòd Drusus priuignus Octauiani trans Albulam fluuium, qui in barbarico solo longè ultra Rhenum est (labis uulgari Sla-

Suetonius. Eutropius. Legio Domiciani à Russis interfecta. Antonius Pius. Iulius Capitolinus. Antonius Ferus. Marcomanni. Squadi. Vandali. Sarmatæ. Sueui.

uonico

tonico dictus) fortißimas nationes, quibus & natura uires, & consuetudo experientiam uitium dabat, pariter uno bello, sed suis aspero superauit, id est, Sueuos, & Sicambros, ubi & Drusus occisus mortuus est, & sepultus in Maguntia: hæc Martinus. Item Eutropius: Sub Imperio Galieni Pannonia à Sarmatis, Squadisq; populata est. Item Flauius Vopiscus scribit: Erumpentes Sarmatas in Illyrico cum trecentis præsidiarijs, solus Imperator Aurelianus attriuit. Refert Theoclius Cæsareorum temporum scriptor, Aurelianum manu sua bello Sarmatico, una die quadraginta, & octo interfecisse: plurimis autem & diuersis diebus ultra nongentos, quinquaginta. Et Flauius Vopiscus, qui priùs in descriptione triumphi Aureliani dicit, præter captiuos gentium barbararum, Gothi, Alani, Roxolani, Sarmathæ, Franci, Sueui, Vandali, Germani religati manibus captiui præcesserunt. Idem Vopiscus de Probo in Illyrico Sarmatas, cæterasquè gentes ita contudit, ut propè sine bello cuncta reciperet, quæ illi diripuerant. Idem de Proculo: Centum ex Sarmathia uirgines cœpi, ex his decem una nocte iniui: omnes tamen, quod in me erat, mulieres intra 15. dies reddidi. Gloriatur (ut uides) Proculus rem ineptam, & satis libidinosam, atque inter fortes se credit haberi, si criminum densitate calescat. Item Vopiscus de Imperatore Caro: & idem inducit Eutropius Sarmatas adeò morte Probi feroces, ut inuasuros se non solùm Illyricum, sed Thraciam, Italiam quoque minarentur, ita se inter bella pariendi contulit, ut paucißimis diebus Pannonias securitate donauerit, occisis Sarmatarum sedecim millibus, captis diuersi sexus uiginti millibus. Eutropius uaria deinceps simul, & uiritim Diocletianus, & Galerius Maximianus bella gesserunt Carpis, & Basternis subactis (& sunt populi Rusiæ sub montibus Sarmaticis) Sarmatis uictis (& sunt Rutheni in communi) quarum nationum ingentes captiuorum copias in Romanis finibus locauerunt. Paulus Diaconus de gestis Romanorum. Valentinianus anno Imperij sui undecimo, cùm Sarmatæ sese per Pannonias diffudissent, eosquè uastarent, bellum in eos parans, dum apud Brigionem oppidum Squadorum legationi responderet, anno eius quinto, & quinquagesimo subita effusione sanguinis, quæ Græcè apoplexis uocatur, uoce amissa, sensu integer, expirauit.

Pãnonia à Sarmatis populata. Aurelianus. Flauius Vopiscus. Proculi de uitio gloria credita. Caro Imperator. Diocletianus. Galerius. Carpi. Basterni. Paulus Diaconus. Valentinianus

CAPVT XVIII. LIB. I.

Vandali à Sigiberto in Chronica, à Vincentio in speculo historiali, & plerisque alijs scriptoribus ex Scythia perhibentur oriundi. Inconcinnè quidem, quoniam regionum Septentrionalium distinctam non habentes cognitionem, prout & antiquißimi historici, omnem oram Septentrionalem Scythiam dixerunt. Isidorus uerò, & posteri magis propriè Vandalos à Vandalo flumine dixit, quem (ut antè retuli) nunc Vislam dicimus, quia circa eum habitabant. Hi ergo à Gothis pulsi (ut referunt præfati Sigibertus in sua Chronica, & Vincentius in speculo historiali, uolumine tertio, libro decimo septimo, capite octauo) alienas terras inuadere cœperunt, qui suas retinere non potuerunt. Hos circa Danubium commorantes, rursum post multum temporis Giberith Gothorum rex bello uictos inde exturbauit, & hoc coëgit, ut Romano Imperio se subijcientes, à Constantino Magno locum habitandi sibi dari postularent, & Pannonias ab eo sibi delegatas, per 40. annos pacificè inhabitarunt. Anno uerò 13. Arcadij, & Honorij (qui imperare cœperunt anno Domini trecentesimo, nonagesimo octauo) instinctu Stuliconis euocati, meditantis rebellionem contra Rempub. infuderunt se per Gallias, iunctis secum Alanis, easquè aliquandiu miserrimè dilacerauerunt, & inde eos expellebant Gothi non quidem prospicientes Galliarum quieti, sed uacuæ facientes patriam suæ rapacitati, Vandali Hispanias aggreßi, nunc Hispanias, nunc Gallias, multo tempore depopulati sunt. Honorius autem deliberato consilio Hispanias, & Gallias, quas sibi à Vandalis præreptas dolebat, Gothis donauit. Cùm ergo Gothi Vandalos effugare maturarent, grata eis fœlicitate occurrente, per Bonifacium ducem Romanum, ad occupandum Lybiam, & Aphricam euocati transiuerunt, ubi regnum suum multo tempore confirmarunt. Primo igitur anno Gratiani, puta anno Domini 381. & deinceps: Super Vandalos de regno Poloniæ exeuntes regnauit Modigisilus annis triginta. Post hunc filius eius Gundericus in Hispanijs annis 16. Hic capta Hispali, quæ nunc Sibilia dicitur, cùm manus in Ecclesiam ipsius ciuitatis extendisset, à dæmone correptus, interijt. Cui Gensericus frater succeßit, ut refert Paulus Diaconus, ab Hispanijs ad Aphricam transiens, cuncta penè Aphricam ferro, flamma, rapinis crudelißimè deuastauit. Fidem Catholicam impietate Arriana infectus, subuertit, Episcopos exulauit. Sub hoc turbine, teste eodem Paulo Diacono, & Poßidonio, Beatus Augustinus Episcopus Hipponensis, ne suæ ciuitatis ruinam cerneret, expletis annis uitæ suæ septuaginta sex migrauit ad Christum. Deinde Gensericus Carthaginem inuadit,

Sigibertus. Vincentius. Isidorus. Scythæ à Gothis pulsi. Giberith Gothorum rex. Constantinus Archadius. Honorius. Vandali Gallias, & Hispanias depopulati. Gothis donata. Gratianus. Modigisilus. Gundericus. Sibilia Auicennæ patria. Gensericus. Diuus Augustinus moritur.

uadit atque capit. Cum ualidisimo exercitu ex Africa aduectus, Romam spoliat. Multa millia captiuorum cum regina Eudoxia, & duabus filiabus in Carthaginem duxit; quam Nansamundo filio suo in matrimonium copulauit, Campaniam, & Apuliam flammis consumpsit, Capuam, & Nolam pari ruina strauit. Inter has procellas, uir prisimus Paulinus Nolanæ urbis Episcopus, pro cuiusdam uiduæ filio, sese in seruitutem tradidit: regnauit Gensericus annis 48. eoque mortuo successit Honoricus filius eius, qui effugatis amplius, quam 334. Catholicis Episcopis, & Ecclesijs eorum clausis, plebem uarijs supplicijs affecit: & quidem innumeris, manus, & linguas abscidit. Illis tamen expeditisime loquentibus, ut refert Gregorius in tertio libro Dialogorum, & Paulus Diaconus in gestis Romanorum, tandem iudicio Dei percussus, scatens uermibus, miserabiliter expirauit. Post hunc, Guntamundus nouem annis regnauit: post quem Trasamundus, qui ducentos uiginti Episcopos in Sardinia exilio relegauit. Deinde anno Domini quingentesimo, uigesimo regnauit Hildericus filius eius, ex Eudoxia filia Valentiniani Imperatoris à Genserico captiuata. Hunc pater Trasamundus ad mortem ueniens, sacramenti nodis astrinxit, ne unquam in regno suo Catholicis consuleret. Qui mox patre mortuo, antequam regnum susciperet, omnes catholicos ab exilijs reuocari, & Episcopis Ecclesias iussit reformari, regnauit annis octo. Hunc Gilimer pertimens, annis quinque post eum regnauit, qui tantæ crudelitatis fuit, ut nec parentibus parceret. Tandem Bellisarius patricius à Iustiniano Imperatore missus, est in Aphricam: is magnas copias Vandalorum fudit, regemque eorum Gilimerum uiuum capiens, Iustiniano Constantinopolim misit. Sic Vandalorum regnum in Africa destructum est, inquit Iustinianus Imperator, in ea famosa lege, quam edidit C. de officijs præfecti præto. Aphricæ, quod Vandali ex Ecclesijs fecerunt stabula: & testatur se uidisse uenerabiles uiros, qui linguis radicitus excisis, prodigiose loquebantur, quapropter eiecit eos omnipotens Deus a facie sua, & de terra, quam acquisierant, erasit memoriam eorum.

Nansamūdus. Paulinus episcopus. Honoricus. Guntamūdus. Trasimundus. Hildericus. Gilimer. Bellisarius. Iustinianus.

CAP. XIX. LIB. I.

Præterea Vincentius in speculo historiali, libro uigesimo quarto, capite 172. meminit, quod Carolus Magnus anno octauo sui imperij: Coloniæ super Rhenum, pontes duos extruxit, & muniuit, & Slauiam ingressus eam subegit. Idem libro uigesimo sexto, capite primo refert, quod Henricus secundus, qui imperare cœpit, anno Domini millesimo tertio, potentiores regni uiros, bella sibi concitare uolentes celeriter deuicit. Et Reges gentilium in interiori Germania commorantes, qui dicuntur Vindi, tributarios sibi fecit: Vindos autem Slauos Almanni uocant: eodem libro, capite quarto decimo, anno Imperij sui quinto. Conradus Imperator secundus, qui regnare cœpit, anno Domini millesimo, uigesimo quinto, rebellantibus Slauis ad eos debellandos proficiscitur: & eodem anno similiter contra Hungaros rebellantes pugnauit. Eiusdem libri capite decimo octauo, inquit Helimandus. Hic Henricus Imperator tertius, Vindelicos subegit populos, Sueuis conterminos, qui Vindelici, ut ait Gwilerinus usque hodie Fortunam adorant, &c. Hos populos Henricus tributarios fecit, ita ut omnibus solennitatibus, quibus coronabatur, quatuor Reges eorum lebetem, quo carnes condiebantur, in humeris suis duobus uectibus per annulos quatuor inductis ad coquinam uectitarent. Hæc ibi. Ecce duo habes: Primum, quod Henricus tertius Vindelicos, id est, Slauos ad mare Germanicum commorantes subegit. Alterum, quod tales Vindelici contermini fuerunt Sueuis iuxta flumen Sueuum cohabitantibus. Pro hi[illegible]ulpa Slauorum Teuthonici, & Saxones à diebus prædictorum Imperatorum terras eorum incolunt, & hæreditant. Blondus autem libro primo Decadis primæ de Vandalis, Burgundionibus, & Sueuis sic refert: Habent omnes istæ gentes uetustam originem ex Germania, suntque priscorum Plinij Veronensis, Suetonij Tranquilli, & Cornelij Taciti literis celebratę. Plinius namque Germaniam ex eorum partem Burgundiones unam esse dicit ex quinque interioris Germanię partibus, & paulo post, Sueuos illis proximos ponit. Alani autem etsi origine sunt Scythæ, in ipsi Vandalorum regionibus habitabant. Sed Sueuos Octauius Augustus, teste Suetonio, ex Germania in citeriores Rheni ripas transtulit. Eiusdemque Augusti temporibus, pars Vandalorum, quibus Burgundionibus postea fuit nomen, ad octoginta armatorum millia, ulteriores Rheni ripas insederant, quos Drusus, & Tyberius Cæsares, sicut Cornelius refert, post subactam interiorem Germaniam in sedes proprias repulerunt, & extra urbes, munitaque loca dissiparunt. A quibus habitandi uicatim modis, quos patrio gentis uocabulo, Burgos appellabant: eos Burgundiones fuisse appellatos, asserit Orosius. Deinde Blondus in locum Vandalorum, & Burgundionum per Stiliconem euocatorum Slauos à Bospho-

Carolus Magnus Slauos uicit. Henricus Secundus Vuindos uicit. Conradus Secundus Slauis, & Hungaris bellum intulit. Henricus tertius Vindelicos subegit. Vindelici pro Slauis. Blondus.

Bosphoro Cimerico in Tanaim fluuium habitantium, se contulisse, & transmeasse asserit: & partim Polonos, partimque Bohemos nominatos fuisse. Quod quia à Polonorum, & Bohemorum historia ab initio huius operis posita, in toto discrepat, reijciendum; & salua reuerentia tanti historici pro non uero habendum est.

CHRONICORVM REG. POLON. LIB. II,

CAPVT I. LIB. II.

POST mortem Zemomislai, assumptus est in Monarcham Poloniæ Miesko unicus filius eius: primùm quidem uigilans, & Reipub. intendens, sed ætatem maturiorem nactus, ociosus, & pellicibus alligatus. Tenuit etenim septem pellices uxores eas uocans. Ex nulla autem prolem suscipiens orbitatis suæ incommoda sæpè accusabat. Quod agnoscentes uiri Catholici, qui in curia eius uersabantur, iustè, & sanctè consuluerunt, ut spretis, & abiectis spurcitijs gentilium, unum uerum Deum, & eum, quem misit, Iesum Christum coleret: à quo & prolis solatia, & quæcunque posceret, impetraret, qui, cùm aurem in audiendo accommodaret. Viri religiosi, & spirituales, tunc in regno Poloniæ æremiticè uiuentes, sacra dogmata cognitionis fidei Christianæ ei instillarunt: uniusque legitimæ coniugis matrimonium persuaserunt, intantumque eis acquiescebat, ut propè cathecuminus fieret. Mittit deinde consilio eorum in Bohemiam ad procandum ducalem uirginem Dambrowkã, filiam Boleslai ducis Bohemiæ, interfectoris sancti Venceslai germani sui. Vratislaus siquidem princeps Bohemię genuit ex Drahomicia uno partu geminos, Venceslaũ & Boleslaum. Venceslaũ educauit Ludomilla auia ipsius, & optimis morib. Christianis imbuit. Boleslaum mater eius Drahomicia fouit, & detestabilẽ moribus, quemadmodum ipsa fuit, effecit. Mortuo itaque Vratislao, electus successit ei Venzeslaus filius eius uir pijssimus in ducatu Bohemiæ. Ordinatione autem Drahomiciæ iniquæ mulieris, suffocata est Ludomilla, cuius consilijs sanctus Venceslaus multùm inhæserat, & in numerum sanctorum est relata. Boleslaus autem inuidia ducente, germanum suum beatum Venceslaum post epulas ad orationem euntem, in limine templi obtruncat, & super Bohemos, prout concupiuit, dominatus est. Venceslaus uerò Decalogo sanctorum martyrum asscriptus. Huius ergo Boleslai principis Bohemorum, germani sancti Venceslai natam, Myesko monarcha Polonorum in uxorem popościt. Nec abnuit præfatus Boleslaus dandam, dummodò ritu gentili abrogato, undis sacri baptismatis ablutus Myesko innouaretur. Consensit autem, & conclusione utrinque facta, adducta est in Gneznam uirgo Dambrowka in regiam Myeskonis cum ampla dote. Anno ergo Christi Domini noningentesimo, sexagesimo quinto, uno & eodem die, Myesko princeps Polonorum cum maioribus sui regni, in præsentia Dambrowka, & Bohemorum sacrum baptisma propitiatione diuina Gneznæ suscepit, pro Mieska nomen Myeczslai accipiens, & aliud sacramentum matrimonij, cum uirgine Dambrowka ex Bohemia adue cta contraxit: conuiuia, munificentiam, & spectacula pluribus diebus elargiendo, & cunctis regnicolis baptisari pręcipiendo. Et quia multi restabant sacro fonte baptisandi: ideò per Edictum strictè demandauit, ut omnes in ciuitatibus, & uillagijs nobiles atque ignobiles, septima die Marcij adueniente: idolis confractis, & in lacubus aut aquis submersis, simul & lapidibus ab utriusque sexus hominibus obrutis, sub confiscatione bonorum, & exterminatione baptisarentur. Qua die superueniente, ut erat astutum, cuncti iussa exoluentes: renascebantur in Christo, & baptizabantur: seruaturque ille mos usque in hodiernam diem in maiori Polonia. Nam pueri in Dominica Lætare, facto idolo, seu imagine alicubi in ligno longo portant, alibi in uehiculo ducunt, & in aquam proijcientes demergunt, singuli properè domum repedantes. Ad dilatandum autem, & augendum Orthodoxæ fidei rudimenta, inclytus Princeps, & Monarcha Myeczslaus erexit nouem Ecclesias cathedrales in suo dominio. Duas metropoles, Gneznæ, & Cracouiæ: cæteras suffraganeas Ecclesias inciso lapide extruxit, ferro, & plumbo iunxit, & sufficienter dotauit, prout temporis conditio permittebat. Primam Metropolim in Gnezna, tanquam in loco, protunc celebriori in titulum, & honorem beatissimæ Mariæ. Alteram in Cracouia, ad instantissimas preces suæ coniugis Dambrowka, in titulum sancti Venceslai martyris, quoniam eius neptis erat Dambrowka, fundauit Episcopales Ecclesias septem his subiectas: talibus titulis ornatas consecrari disposuit Crus-

Vratislaus. Venceslaus. Boleslaus.

Ludomillæ interitus.

Venceslaus à fratre necatus

Poloni fidem Christi susceperunt.

Dambrowka regina.

Mos in maiori Polonia.

Myeczslaus Monarcha.

Gnezna metropolis prima. Cracouia 2.

Episcopatus Vladislauien. Vratislauien. uiciensem, quæ propter solitudinem loci in Vladislauiam successu temporis est translata, in honorem sanctissimæ Dei genitricis Mariæ. Smogorzouien. quæ translata primùm fuit in Ryczynam oppidum districtus Bregensis, ex post propter uberiorem situm in Vratislauiam: in honorem sancti Ioannis Baptistæ post intemeratam Dei genitricem inter sanctos maiorem Posnaniensem præcipuis Apostolis Petro, & Paulo: Plocensem sancto Sigismundo Regi, & martyri: Culmensem sanctæ Cruci Camienensem iterum sancto Ioanni Baptistæ: Lubucensem sancto Iohanni Euangelistæ in titulos erexit, & eorum præfatas basilicas dedicari iussit. Primus autem Archiepiscopus Gneznen. ordinatus est Villibalmus: Cracouiensis primus Archiepiscopus Prohorius: Posnaniensis Episcopus primus Iordanus, Vratislauien. primus Gothfridus, Crusuicien. seu Vuladislauien. Episcopus primus Lucidus: Plocensis primus Angelotus: Culmensis primus Octauianus: Camienensis primus Iulinus: Lubucensis primus Iacinctus. Aegidius Cardinalis Episcopus Tusculanus, à summo Pontifice Ioanne XIII. missus, præfatos Episcopatus confirmauit, & singulis, diocoesim, & terminos distinxit, & posuit. Erexit idem inclytus princeps, & primus fidei plantator, plures dignitates, Prælaturas, Canonicatus, Ecclesias collegiatas, Parrochiales, & Conuentuales omnibus pro dote, decimas frugum assignando, Prædia, redditus, Clenodia, & uasa ex auro, & argento. Dambrowka etiam de sorte sua uniuersis Ecclesijs prouidit, uarijs apparatibus, ornamentis, & calicibus. Sed & Barones, uniuersaque nobilitas Polonorum, æmulando principem suum, & eius consortem, Prædijs, uillis, & dotationibus, Ecclesias feruentius dotabat, clerumque uenerabatur: & quotiens sacrum in Ecclesijs legeretur Euangelium. Dum sacerdos diceret: Sequentia sancti Euangelij secundùm Matthæum, &c. De uagina quilibet Baro extrahebat gladium usque ad medietatem, ostendendo se paratum Euangelium tueri, & pro eo mori. Sacerdote autem prosequente lectionem Euangelij, mittebant gladios in uaginas, sed hic mos per incuriam abolitus est. Myeczlao Dambrowka uxor eius: anno Domini 976. peperit filium, cui precatibus matris nomen impositum est Boleslaus, quod sonat magnus, & famosus. Hic est ille Boleslaus Chabri, de quo infrà dicetur. Ipsa uerò Dambrowka post decennium absumpta est rebus humanis, de anno Domini 977. in Gnezna tumulata: lugentibus eam Mieczlao marito, Boleslao filio, & omnibus uiris Ecclesiasticis: non secùs, quàm piam matrē. Hæc coniugata, caput non uelabat, sed instar uirginū serto ornata, incessit. Post dies luctus materni, iussu Mieczlai Boleslaus filius, anno Dñi 984. accepit Iudith filiā Iesse ducis Hungarorū in coniugem, & nuptias in Gnezna sub multitudine prælatorum, & Baronū celebrauit. Quæ Iudith anno sexto, uirilis sexus puerū, effudit, & ei nomē auitum impositū est, Mieczlaus, quod significat habiturus laudem. Interim Mieczlaus Polonorum princeps sedula admonitione suorū consiliariorum, ad Benedictum septimum Pontificem maximum mittit Lampertum Archiepiscopum Cracouiens. & cæteros nuncios coronam sibi, & regionibus Polonorum dari petendo. Cuius petitioni Papa Benedictus septimus respondit: Nondum dignos fore Polonos, ut eis corona hactenus deberet conferri. In proximo uerò Deus placatus, coronam dabit eis, exaltabitque illam: sic locutus Stephano duci Hungarorum, qui & ipse pro corona miserat. Per Astericum nuncium eius tradidit coronam, Polonis uerò denegauit. Expugnauit sub Mieczlao dux Rusiæ Vuladimirus castra Przemisl, & Cyrwen, & Radimiczis in regione Rusiæ parentibus, Polonorum ditioni tributa imposuit. Mortuus est præfatus Mieczlaus primus fidei plantator Christianæ, anno Domini 999. sacramentis Ecclesiæ ritè perceptis: & in medio Ecclesiæ Cathedralis Posnaniens. sepultus.

Posnanien. Plocensis. Culmensis. Camienensis. Lubucensis.

Aegidius Cardinalis missus in Poloniam.

Poloni gladijs extensis euangelium tueri parati.

Boleslaus genitus.

Dambrowka moritur.

Myeczlaus nascitur.

Polonis corona negata.

Myeczslai mors.

CAPVT II. LIB. II.

DIcto initio renascendi in Christo per baptismum Polonorum: dicenda sunt execranda idola eorum, adorata priusquam ad ueræ fidei cognitionem, uerique Dei culturam peruenerunt. Fuerunt autem (ut est in Chronographis uidere) dij, quos more gentilitatis coluerunt, isti: Iupiter, Mars, Pluto, Venus, Diana, Ceres, Iouem uulgari sermone nuncupabant: hunc dixerunt Omnipotentem, omnia dantem, omniaque facientem: quoniam Iouis omnia plena sunt. Martem appellarunt Ledam, ducem bellorum, & largitorem uictoriarum. Plutonem uocauerunt Nya, meliores sedes inferni post mortem ab eo postulantes. Venerem dixerunt Dzidzilila: ab hac impetrabant fœcunditatem, uoluptates, & prolis copiam. Dianam nuncupabant Dzeuiana, continentiam, uenationes, & fœlices aucupationes ab ea precantes. Cererem uocarunt Marzana, fertilitatem agrorum, & arborum ab ea petentes. Et quia ad instar Græcorum (quibus non multùm distant) multa satagebant facere, deos Græcorum

Poloni ueteres colebant, deos Iouem. Martem. Plutonem. Venerem. Dianam. Cererem.

eorum coluerunt: ut ego à maioribus meis accepi. Adorabant Pogoda, quod sonat temperies: adorabant spiraculū, siue flatum tenuis auræ, per spicas frugum, & folia arborum sibilantem, atq; cum sibilo transientem. Vocantes numen eius Pogwisd: adorabant Ledam matrem Castoris, & Pollucis, geminósque ab uno ouo natos, Castorem, & Pollucem, quod auditur in hodiernam diem, à cantantibus uetustissima carmina: Lada, Lada, Ileli, Ileli, Poleli cum plausu, & crepitu manuum: Ladam (ut ausim ex uiuæ uocis Oraculo dicere) Ledam uocantes, non Martem, Castorem Leli, Pollucem Poleli. Omnia iam præfata idola, omnia auguria, incantatores, & phitones abstulit inclytus Princeps Miecezslaus, & de regno relegauit, sub interminatione uitæ mandans, ne quisquam, præter uerum, & unicum Deum, in personis trinum peramplius glorificaret. Ego in pueritia mea uidi tria idola de prædictis in parte confracta, circa ambitum monasterij sanctæ Trinitatis iacentia Cracouiæ, iam dudum sublata.

Temperies. Aërem. Ledam. Castorem. Pollucem.

CAPVT III. LIB. II.

Swantoslaus dux Russiæ, mouens bella Kozaris gentibus Ruthenici generis, obtinuit castrum eorum, Byalauiesza, & ipsos tributarios effecit. Deinde intulit bellum Bolgaris, & expugnatis octuaginta castris eorum, coëgit eos tributa pendere. Ipso autem in Bulgaria demorante, Pyeczinigi obsederunt Kyow, ubi fuit mater, & tres filij ipsius Iaropolkus, Olha, & Vulodimirus. Soluentibus autem Pyeczinigis obsidionem Kiouieñ. (territi enim, & decepti fuerunt per quosdam Ruthenos, quòd Swantoslaus appropinquaret cum ualido exercitu) Olha mater Suantoslai defuncta est. Non contentus autem iam dictus Swantoslaus dux Russię expugnatione Bulgarorum, post duos annos, scilicet anno Domini 972. Græciam ingreditur, & onustus spolijs redibat, occurentibusq; ei Pyeczinigis. In loco iniquo, pugnæ inepto cū eis conflixit, & uictus captus est: Duxq; Pyeczinigorum Kura nominatus, caput ipsius amputando, fecit ex testa poculum, ornansq; ipsum auro, solitus fuit ex eo more cyphi bibere, ad innouandum suum triumphum. Eo autem uiro iam dicto absumpto, filij, tempore quo uixit Swantoslaus diuisi, noluerunt contentari in paterna diuisione, & prouincijs assignatis, quamuis latissimę fuerunt. Iaropolkus enim maior natu, munere, & assignatione patris habens Kyouiam. Inuasit castrum Varasz, in quo germanum suum Olham interfecit, & prouinciam ipsi per patrem designatam, Drewlianorum occupauit. Vulodimirus natu minor, ex diuisione paterna, Nouogrod pro sorte habens, uidens tyrannidem Iaropolkonis, ne ad ipsum quandoq; perueniret, circumuallauit castrum Kyouieñ. in quo erat Iaropolkus: uenientemque ad se Iaropolkum sub conditione pacis: ad suggestionem sui Palatini, & Consiliarij nomine Blud interfecit, & tres ducatus fraternos possedit. Pro cæde autem fraterna gratificando: plurima fana, & simulachra in montibus Kyow locauit. Præcipuè tamen simulachrum fulminis, quod maximè ueneratus est, & ei eminentissimum simulachrum extruxit. Corpus ex ligno formando, caput ex argento, & aures ex auro. Conuertit tandem Vulodimirus animum ad bella, & intulit bellum Myczslao duci Polonorum, expugnauitque sub eo castrum Przemisl, & castrum Cirwen, adiecitq; ditioni suæ districtum Radimiceñ. Conuersus iterum in Græciam conquisiuit insigne castrum Græcorum Korschim, & ex eo totam oram illi uicinam sibi subiecit. Sollicitatus deinde præfatus Vulodimirus à Machometistis, ut ritum eorum assumeret, illicò spreuit, quoniam fœdus, & turpis uidebatur. Postea à Latinis sollicitatus, non acquieuit, quoniam cerimoniæ Latinorum parùm religiosè, & templa parùm ornata, uidebantur. Tertiò à Iudæis requisitus, ut eorum legem complecteretur, noluit: grauis enim lex Iudæorum uidebatur. Græca religio plurimùm commendata per nuncios ex Constantinopoli redeuntes (nuncios siquidem ad omnes nationes rituum prædictorum miserat speculatum, & exploratum iri) plurimùm placuit. Ideò misit nuncios ad Basilium, & Constantinum Græcorum imperatores, optans sororem eorum Annam in coniugium, offerens (si tali coniugio potiretur) de castro Korschim, & regione subiecta, extemplò excessurum. Græci uerò Imperatores responderunt. Non licere principi gentili, & idolatræ germanam eorum sociare. Si uerò errore gentili deserto, fidem Christianam profiteretur: non abnuituros petitionem eius. Vulodimirus autem obtulit sese fidem Christianam prono animo suscepturum, uenirent duntaxat personaliter, sororem adducerent, & ipsum baptisarent. Itaque ueniunt Imperatores Basilius, & Constantinus, cum sorore Anna, iam persuasa, & consentiente (priùs enim consentire recusabat) in Korschim: & Vulodimirum mox cæcitas inuasit: cœpitque fluctuare, an deberet baptisari. Anna uerò coniunx ipsius futura, persuasit ei, quòd baptismate suscepto cæcitas deperiret. Anno ergo Domini 990. baptisatus Vulodimirus ab Episcopo

Swantoslaus. Swantoslaus Græciam spoliat. Swantoslaus interfectus. Iaropolkus. Olha. Vulodimirus. Iaropolkus interfectus. Fanum & simulachrū fulminis. Vlodimirus Polonis bellū intulit. Vlodimirus Græciam turbauit.

Vlodimirus Græco ritu baptisatus.

Episcopo Korschimień. illuminatus est, & celebrauit nuptias. Restitutoq; castro Korschim imperatoribus, lætus cum noua sponsa in Russiam peruenit, idola, & templa eorum confregit: simulachrum fulminis, quod præcipuè uenerabatur, ad caudam equi alligatum trahi, & in fluuium Dniepr mergi iussit. Promulgauit deinde edictum, ut omnes

Russia Græcā fidem suscipit.

populi sibi subiecti, relictis idolis baptisarentur. Quod & factum est: cateruatim namq; Ruthenis in Kyouu confluentibus baptisabantur in flumine Dniepr, qui & Boristenes dicitur, per Episcopum Korschimień. baptisati sunt, & filij Vulodimiri duodecim, quos ex pluribus uxoribus, & concubinis susceperat, Viseslaus, Iseslaus, Suatopolkus, Iaroslaus, Vuseuoldus, Suantoslaus, Mscislaus, Borzich, Hleb, Stanislaus, Poswysd, & Sudislaus. Applicuit insuper pueros, literis Græcis, artifices ex Græcia conductos locauit, & salariauit: Ecclesias ex petra atq; lateribus etiam extruxit.

CAPVT IIII. LIB. II.

ANno Christi Domini 999. Boleslaus Chrabri, unicus filius Myeczlai suffectus est in Monarcham, & dominum Polonorum. Moxq; sollicitando curabat recuperare, & reducere in Poloniam, corpus sancti Adalberti nouiter in Prussia occisi, transtulitq;, & reduxit in Gneznam, quemadmodū paulò inferiùs dicam:

Otto Imperator in Poloniā uenit.

Ottone autē Tertio Romanorum Imperatore uotū emittente, limina sancti Adalberti uisitare, sano facto in Poloniam progredienti. Occurrit ei in metis Boleslaus princeps Poloniæ, cū caterua suorum militū, & cōducebat cū maxima pompa ac ueneratione: Et omnium necessariorum in uictu & suppellectili, tam quo ad Imperatorem, quam curiæ ipsius, sumptuosa prouisione. A' Posnania uerò in Gneznam, septē miliaria (quoniā ex uoto tot

Boleslai magnificentia.

miliaria pedes iturus erat Otto) strauit diuersis pannis uariorum colorū, & una cum Imperatore pedes, usq; in Gneznā incessit. Vbi maxima multitudo, ex præcepto & ordinatione Boleslai confluxerat, Prælatorum, Baronum, mulierum ac uirginum nobilium: Auro, margaritis, & unionibus onustarum. Ad excipiendum Imperatorem. In Ecclesiam autem maiorem Otto ingrediens, prosternens se orauit. Ad sepulchrum beati Martyris Adalberti, & post orationem & oblationem, in palatium principis exceptus introiuit. Honoratus aliquot diebus, non solum superba mensa & uictualibus, sed muneratus uarijs & præciosis muneribus, singulis namq; diebus, alij & alij ordines militum, & ministrorum ferebāt dona Imperatori Ottoni. Vasa aurea & argentea, gemmas uarias & monilia: Equos & uestes, auro, ostroq; intextas, purpuras, pellesq; magni precij. Sic & cunctis optimatibus, principibus & Aulicis Imperatoris condigna munera, sumptuosè largitus est. Quæ omnia Imperator metiendo considerabat, aduocatisq; principibus & suis consiliarijs, uehementer admiratus, industriam, prudentiam, liberalitatem, fastiuitatem, promptam executionem & obedientiam subiectorum, tot munera, tot obsequia. Percontatus est, quo genere remunerandi, tantus princeps dignus nomine regio esset premiandus, & an corona in-

Boleslaus coronatur in regem.

signiendus. De cæteroq; rex uocandus auctoritate Imperiali ueniret. Cunctis autē propositum Imperatoris extollentibus, consulebant coronandum. Itaq; sequēti die, accepto Boleslao, processit cum eo imperator in Ecclesiam: conuocatisq; Gaudentio Gneznēń. cæterisq; Pontificibus, iussit eum in Regem Poloniæ inungi, & deductum supra sedem Maiestatis, corona sua, tempora Boleslai ornauit, & coronauit: à sua, suorumq; successo-

Poloni ab obedientia Imperij absoluti.

rum, Romanorū Imperatorum obedientia, eum & posteros eius Reges Poloniæ perpetuò absoluit, omnibus acclamantibus, gaudentibus, & laudantibus. Intellectumq; est, & completum, quod Benedictus Papa septimus, ad Lampertum Cracouień. antistitem diuino oraculo dixerat. In breui coronam exaltando dabit Deus Polonis: illo ergo triduo delicatissimè Cæsarem cum suis refecit Boleslaus nouus Rex, uasa aurea, & argentea, quibus cibus, & potus mensis inferebatur, peracta refectione simul collecta; Cęsari donabantur. Altera, & tertia die magis & magis preciosa donabantur: hastarum ludi exercebantur: plausus chorearum ducebantur: Musicalibus regia die, noctuq; concrepabat. Anno ergo Domini millesimo primo, coronatione Boleslai peracta: recedens Otto ex Gnez-

Richsza despōsata Myeczlao.

na, munificè donatus, iunxit affinitatem cum Boleslao: desponsando Myeczlao filio Boleslai neptem suam, ex germana sua Machtildæ genitam filiam Ezzonis. Alias Herenfridi Comitis Palatini Rheni, nomine Richszam, uirginem literis doctam. Obtulitq; sæ-

Clauus Domini. Lācea S. Mauritij.

pè dicto Regi Boleslao clauum Domini, & lanceam sancti Mauritij. Rex uerò Boleslaus donauit Ottoni brachium sancti Adalberti, quod reposuit Romæ in insula, in Ecclesia sancti Bartholomæi trans Tyberim. Proximis annis dum Romæ fuissem, per me uisum,

Brachium S. Adalberti.

reduxit Ottonem Rex Boleslaus gratificando ei de corona usq; ad confinia regni sui, redijtq; in Gneznam, Ottone ad Meydenburg diuertente.

CAPVT

CAP. V. LIB. II.

DEinde cum Vulodimiro principe Rusiæ percusso fœdere, collecto uniuerso exercitu, Rex Boleslaus ingreditur Bohemiam: Boleslaus siquidem tertius princeps Bohemiæ, irruperat circa Cloczko in regnum Poloniæ, malo suasu suorum. Et interpositis treugis addidit alteram inuasionem, & spolia. Vastante autem Rege Poloniæ, Bohemiam cædibus, & undiq; ex combustione flammis collucentibus. Princeps Bohemorum sentiens se imparem pugnæ, concluserat sese cum Iaromir filio, in castro Vischrad. Sed rex Poloniæ conquisitis uniuersis castris, & ciuitatibus Bohemiæ. Applicuit Pragam, & forti milite expugnauit, obsessoq; castro Vissehrad. Boleslaum ducem Bohemiæ cum filio comprehendit. Firmatis deniq; rebus Bohemorum sufficienti præsidio militum tam in Praga, quàm in alijs municipijs relicto, Poloniam regrediebatur. Ad consolationem autem suorum fidelium, & ad maiorem Bohemię appropriationem Boleslao duci Bohemiæ fratri suo amitali oculos eruere præcepit (quanquã annales Bohemorum asseuerant hoc facinus Myeczlaum primũ christicolam Polonorum peregisse) Iaromirum uerò filium, commisit custodiæ Vrsouicensium, qui semper sentiebant pro rege Poloniæ perdicto, & adiutorio eorum (multas enim possessiones habuerunt in Bohemia) præualebat contra Bohemos. Hi pro armis gerunt ursum, superscedente uirgine: in Poloniam eorum familia deuoluta uocatur Rauitarum. Præconcepit quoq; anno sequẽti Boleslaus rex Poloniæ, Morauiam expugnare, & expugnauit Deo iuuante: utq; fieret ei perpetua Bohemiæ, & Morauiæ possessio, misit ad Henricum primum imperatorem, ut ei traderet Odalricum, alterum filium ducis Bohemiæ, in curia sua imperiali commorantem, quod & fecit. Indignabatur enim Henricus Bohemis: Boleslaum uerò regem Poloniæ dilexit. Post plures annos idem Odalricus, precibus, & fletu, à uinculis Regis Poloniæ liberatus: Bohemiam turbabat, & germano suo Iaromir, ne hæreditaret, oculos eruit.

Bohemi Polõniã uastabant.

Boleslaus Bohemiam subegit.

Boleslaus dux Bohemiæ oculis priuatus.

Vrsouicensis & Rauitarum familia.

Boleslaus rex Morauiam expugnauit.

CAPVT VI. LIB. II.

SOllicitante deinde Suatopolkone duce Rusiæ, & personaliter implorante reductionem in ducatum Kiouieñ. de quo fuit expulsus per Iaroslaum germanum eius, annuit, & exercitu ualido collecto de proprijs militibus iamiam pugnare assuetis scientibus stare, & sequi. In unum coire, & ordines promptè constituere. Habens secum prænominatum Suatopolkonem, ingressus est Rusiam, inuasiones, spolia, ac iniurias olim regno Poloniæ illatas uindicaturus, recepitq; ciuitates, expugnatu faciles (ligneæ enim erant) usq; ad flumen Bug. Quò cùm peruenisset, inuenit Iaroslaum ducem Rusiæ, parte ab altera cum ingentibus copijs, ex Ruthenis, Varays, & Pyeczinigis conflatis. Excursionibusq; aliquot diebus utrinq; habitis: Budus alumnus Iaroslai ducis, stans in altera ripa exprobrabat, & deturpabat Regem Polonię Boleslaum, dicens se in breui extracturum crassum uiscus eius. Boleslao uerò grauiter id ferente, & iniuriam suam ultum iri Polonis committente, repentè armis correptis fluuium Bug transiuerunt, & in ordines promptè concurrentes, Ruthenos aggresi, prosternunt, & ad ultimum uincunt. Iaroslao, ne in manus Polonorum ueniret uiuus, primùm in Kyow, depòst in loca paludinosa fugiente, ad Kyow rex Boleslaus perueniens, obsessione, & fame eam expugnauit. Pro illa tempestate, ciuitatem insignem, & magnam, trecentas Ecclesias, & ultra habentem, quarum aliquæ nunc stant: Aliarum autem ruinæ duntaxat, apparent. Ingrediens urbem rex Boleslaus, euaginato gladio percusit in portam, per quam ingrediebatur, dictam auream, eam scindendo in signum uictoriæ. Et castro obtento, uniuersos thesauros ducales comprehendens, moratus est, & illic hyemauit. Deprehendensq; Suatopolkonem (quem in sedem Kiouieñ. de qua pulsus erat, restituerat) quosdam milites suos in statiuis hybernantes, & uictualia quærentes occidisse. Iratus contraxit suas copias Suatopolkone fugiente, & Kyouia spoliata, spolijsq;, & captiuis onustus in Poloniam remeabat. Insequente eum clandestinæ Iaroslao cũ grandi exercitu, ut quũ in metis dimitteret exercitũ, inuaderet, & trucidaret Regem, cum reliquijs exercitus. Nec fefellit eum opinio, transito enim flumine Bug, Poloni ad propria ueloci cursu properabant, & Iaroslaus properè Boleslao appropinquabat. Rex per exploratores certior factus, quos potuit, reuocauit, consistentesquè animauit, & commisso prælio, diu anceps bellum agebatur: donec Iaroslai exercitus rarefactus retrocedere cœpit, tunc passim quisque Ruthenorum fugam maturabat: & Iaroslaus dux eorum fugiens, permutando equos non substitit, donec in Nouogrod peruenit. Boleslaus ergo, & suus exercitus ex spolijs ditatus in Poloniam fœlix reueniens, Deo, auctori uictoriæ, gratias egit.

Boleslaus Rusiæ bellum intulit.

Boleslaus Kyouia expugnauit.

Boleslaus rex Iaroslaũ uicit.

Ecclesias

Ecclesias dotauit, milites, bene meritos de publico honorauit, & eleemosynas pro concessa uictoria abunde distribuit. Nomenq; ex relata uictoria Chabri acquisiuit, quod in Rutenico sonat animosus, & potens: pauca enim manu multitudinem Rusitarum fudit.

CAPVT VII. LIB. II.

Boleslaus Marchiae, & Saxonibus bellum intulit.

Rvthenico bello peracto: ne animi militum hebetarentur, rex Boleslaus ad alia obeunda bella animum conuertit. Anno igitur Domini millesimo, duodecimo. Infert bellum Marchitis, siue Saxonibus. Et quia omnes se abdiderāt, & pecora. Ideo per exploratores certior factus, iussit milites longe, lateq; à signis secedere, & populationem in agros, oppida, & uillas extendere, omnia uastando, usque ad fluuium Albim, qui & Labia dicitur. Humiliatis autem Saxonibus, in redeundo posuit columnas ferreas, in flumine Szulawa, quemadmodum alias posuerat in Boristene, in loco, ubi fluuius Szula influit in Boristenem, ad discernendum, & habendum fines regni Poloniae. Anno deinde sequenti inuasit Pomeraniam, Cassubiam, & Cismarinas prouincias Slauorum eas subiugando, quinimò sua liberalitate, & benignitate feudales faciendo. Sciebat enim ipsos processisse de foemore Regum Poloniae: idcirco consobrinos uocabat. Non tributum, sed solam obedientiam ab eis exigens. Demùm Prutenicum bellum indixit, & cum ueteranis atq; tyronibus Prussiam ingrediens, diruit, & exussit Romoue, Radzim, Balga, & caetera oppida, lignea enim erant. Primores autem Prutenorū in abscondito latitantes, ne tota Prussia conflagraret. Primùm per caduceatores, postea per ipsosmet, deditionem faciunt, & tributa quotannis pendere, fisco regio promittunt, quod rex Boleslaus suscepit, agrumq; Prutenicum uastari prohibuit. Vbi uictoriosus princeps, in fluminis Ossa medio, columnam infixit ferream, cuius ex nomine uilla Slup nomen accepit, & deinde Gades regni ad undas maris Balthei extendit, ad propagandum itaq; fines regni Poloniae, Boleslaus posuit Gades, seu columnas in Oriente, Occidente, & Septentrione. Vltimam expeditionem egit Boleslaus in Russiam, aduersus Iaroslaum ducem Russiae uolentem Poloniam clàm ingredi. Et ipse ad reprimendum hostilitatem eius, clàm ingressus Russiam, circa fluuium Bug simul conuenerunt. Equidem Boleslaū crastinus dies Dominicus, à pugna distinebat. Verùm coqui, & serui carnes, & equos lauantes, missilibus cum hostili exercitu se lacesserunt, intantum, ut totum exercitum in arma commouerent. Vniuersus ergo Boleslai exercitus armatus, equis ascensis, flumine transuadato, Rhutenos nondum sub ordinibus consistentes, & pauidos, obtruncat, dirumpit, & prosternit. Dux Ruthenorum fugit, reliquum agmen, tanquam acephalum sine duce è praelio secessit. Polono, in ore gladij fugientes, persequente, & castra Ruthenorum diripiente. Processit tandem Boleslaus, cum signis uictricibus, ad interiora Russiae, castra eius expugnauit. Alia per deditionem accepit, pacem confecit, & moderatum tributum Ruthenis instituit. Ex grauibus autem, & continuis laboribus Reipubl. in ęgritudinem aliquot mensium decidit. Et mortuus est tertia mensis Aprilis, anno Domini millesimo, uigesimo quinto, aetatis suae anno quinquagesimo octauo, cùm regnasset annis uiginti quinq;. Coronatus enim fuit anno Christi millesimo primo. In medio Ecclesiae Posnanieñ. conditus. Signum mortis suae fuit Cometes magna face fulgēs. Hic fuit primus Regum Poloniae Christianorum, moribus generosus, & illustris. Specie digna imperio, decorus. Statura mèdia praeditus. Coma copiosa, crispa, & atra suffultus, publicis, & priuatis abstinuit expilationibus, benignum se per omne tempus praestitit Regem. In subditos modestus: in hospites officiosus: in calamitosos, & delinquentes oratu facilis: in conuersatione, & uita nitidus: in agendis prudēs: in causis iustus: in omnes liberalis. Et ideo semper eius honos, nomenq; manebunt. Fundauit annō Domini millesimo sexto, monasterium sanctae Crucis in Caluo monte, dotem sufficientē ei asignando, ut fertur, ad petitionem sancti Emerici filij sancti Stephani Regis Vngariae, cum eo, uenationi in eodem Caluo monte inrendenti. Donauit dictus Emericus illi loco, crucem bifurcatam, notabilem portionem Dominici ligni continentem. Parenti suo Stephano à Graecorum Caesare ex Constantinopoli, pro magno munere transmissam, quā in pectore gestare Emericus consueuerat. Aliud monasterium de regula etiam sancti Benedicti in Szeczechouu, anno Domini millesimo decimo. In Villagio olim nobilis uiri Sethegy ad fluuium Istulę erexit, & uillas pro dote asignauit. Sethegius uerò Comes, fundum, & uillas duodecim contulit. Ex post Henricus dux Sandomiriensis: item dux Iaczo: item comes Martinus: item Comes Krzyuoszad plures uillas praefato monasterio addiderūt. Ordinauit etiam Boleslaus munitiones, & castra in confinijs regni, & eis armata praesidia militum imposuit. Ne hostes, & grassatores quoquomodo in regnum irrumperent. Constituit & Daciam, dictam Stroza, quia militibus castra custodientibus soluebatur à singu-

Gades Boleslai. *Pomeranicum bellum.* *Prutenicum bellum.* *Prussia subacta.* *Ruthenicum bellum.* *Alia uictoria Boleslai.* *Boleslai mors.* *Boleslai laus, & uirtutes.* *Monasterium S. Crucis in Caluo monte fundatur.* *Monasterij Szeczechouu fundatio.* *Stroze frumētalis institutio.*

ſingulis colonis, quotannis ſoluentibus, de manſo unam menſuram ſiliginis, alteram auenæ, pleriſq; item uillis officium cuſtodiæ conſtituit; ut ſingulis noctibus permutatim excubias nocturnas in caſtris agerent, & uoce ſonora in teſtimonium fidelitatis, cuſtodię declamarent.

CAPVT VIII. LIB. II.

Sancti Adalberti uita.

QVoniam de ſancto Adalberto, & de Pruſsia mentio facta eſt, ideo de his, & cęteris incidentibus, parumper eſt dicendum. Sanctus Adalbertus è nobilibus parentibus, patre Slavvnyk, matre Strzeſzislaua, de Lublycz oppido Bohemiæ extitit oriundus. Apud Albertum Maydenburgēſē Epiſcopū obſeruantiam ægit, & ab eo Adalbertus nominatus eſt. Permutato priori nomine Voyczicch (quod ſignificat exercituum conſolator) ob difficultatem expræſsionis eiuſdem. Aſtitit morienti Dithmaro, primo Epiſcopo Pragenſi. Audiensq; ab ore eius cauſam damnationis ſuæ, plurimum expauit, & terrore conſternatus omnia delitioſa abiecit, & cilicium induit. Electus in Epiſcopum Pragenſ. anno domini 981 ſicut dęmones per obſeſſos prædixerat. Rexit ſubiectum gregem in exhortationibus, diſciplina & manſuetudine. Bohemis documenta eius haud obſeruantibus: maximè in eo, quòd pluribus uxoribus abutebantur, filiós & filias Chriſti nomine baptiſatos, Iudęis in ſeruitutem uendebant. Diebus Dominicis forum frequentabant; & quòd gentiles ritus obſeruabant. Quapropter dimiſsis Bohemis Romam perrexit, & in monaſterio ſancti Alexij unà cum Gaudentio germano ſuo, in maxima obſeruantia & ſanctitate ſeptem annis delituit. Bohemi autem culpam ſcelerum ſuorum in ſanctum Dei retorquentes, inuaſerūt oppidum Lublicz, & quinq; germanos ſancti Adalberti necarunt, uidelicet Sobbobor, Spiczmirū, Sobroslavv, Zimiſza, & Czaslavv. Nec his malis contenti, omnem prolem, & cognationem eorum, cum ſingulis inhabitatoribus Lublicz deleuerunt, ac interfecerunt, oppidumq; flammis iniectis exuſſerunt. Solo Poray, ſexto germano beati præſulis Adalberti in Polonia Boleslai Chrabri ſeruitijs dedito, per abſentiam ſaluato, Bohemiamq; repetere non audenti. Princeps Boleslaus donauit illi ſufficientes poſſeſsiones in Polonia, ex huius ſtirpe, nobiles de armis roſarum, albam roſam in campo rubeo deferentes, quorum proclama eſt Poray, à præfato Poray Sancti Adalberti germano origine ſumpſerunt. Cōpertis malis, quæ dietim in Bohemia fiebant, Archiepiſcopus Maguntinus, metropolitanus Bohemorum, ſupplicauit Papę, ut ſuffraganeum ſuum Adalbertum iuberet ad oues proprias in Bohemiam redire. Sancto Adalberto opponente, quòd gens Bohemorum ſit durę ceruicis, & incorrigibilis. Et iccirco ſedes apoſtolica, tribueret ei licentiam prædicandi euangelium Prutenis potiùs, quàm in Bohemiam redeundi. Si te (inquit) Papa, nō audierint, excuſſo puluere de pedibus, habeto licentiam aggrediendi, & in fide docendi Prutenos. Rediјt itaq; beatus uir Adalbertus in Pragam, & in ſpiritu lenitatis demulcendo, & quandoq; in uirga correptionis arguendo, obiurgabat populos. Nequicquā proficienti, quodam tempore beato Adalberto dormitante dixit illi dominus. Tu ſtertis, & ego iterum infidelibus uendor. Et ſtatim exurgens in forū proceſsit, & quos inuenit Chriſtianos uenales gratioſè redemit, ac liberè abire iuſsit. Obmiſſa ergo Praga, profectus Romam, à Benedicto ſexto confirmationem Prutenis, & alijs gentibus prædicandi uerbū ſalutis obtinuit. Et in redeundo Hungariam ingreſſus, Gyeſſe principem cum filio eius Stephano in fide corroborauit, totamq; perambulans Poloniam, uerbum Dei Slauis & Hungaris quaſi uno anno prædicauit. Exinde in Poloniā conuerſus, anno domini 996 Cracouiam uenit, & uulgari Bohemico quotidie concionando prædicauit; in eo loco ubi nunc eccleſia ſancti Adalberti ſtat, poſt palmam martyrij eius ſuperædificata. Dimiſſa Cracouia, una metropoli Polonorum; in Gneznam aliam metropolim comitantibus, ducentibus, & in uictualibus prouidentibus eum, militibus ducis Myeczlai & eius filij Boleslai peruenit. Illic mortuo Roberto Archiepiſcopo Gneznē. ad inſtātiſsimas preces Myeczslai principis, & filij eius Boleslai cathedram Gneznē. regēdam ſuſcepit. Nec longè pòſt conſtituto Gaudentio germano ſuo in Archiepiſcopatu Gneznē. ad ſeminādum uerbum Dei, & fidem Chriſtianam propagandum, in Pruſsiam proceſsit. Eſt autem Pruſsia regio ſeptentrionalis frigida, à Polonia diſtincta fluuijs Oſſa & Visla, uſque ad mare Sarmaticum continuata. Dicta Pruſsia, ut aiunt, à Pruſia rege Bithyniæ, qui incitamento Hannibalis, infeliciter contra Romanos pugnans, fuſus, in illam oram Pruſsiæ cum ſuis gentibus fugit, nomenq; ſuum illi dedit. Signū huius aſſerentes inducunt quòd uulgare Græcum loquentes intelligunt, pleraq; uerba Prutenorum ex regione Bithyniæ

Pruſsiæ origo & deſcriptio.

nostram ætatem permanent,& semel electi,toto æuo sine quauis innouatione perseuerãt. Quod satis absurdum est & apud exteras nationes alienum. Solent nanq; huiusmodi offi ciales,nunquam permutari,communi bono postposito,priuatis commodis inhiare, suos maiores spernere,subiectos uerò loco administrandę iustitiæ opprimere, utinam Poloni non ad mortem,sed ad annum,ueluti est in alijs nationibus,officia Palatinorum,Castella-norum,Capitaneorum,Iudicum,& reliquarum dignitatum designarent, & his qui reip. utilitatiq; eius sufficerent,pro ipsa toto conatu laborando committerent.Profecto cresce ret regnum eorum in immensum,sed hæc expeditiori oratione,& prolixiori tempore indi gerent,ideò nunc hæc missa faciens sequentia tango.Quo tempore & quotto anno post diluuium princeps Lech ingressus sit Poloniam,& quot lustris imò sæculis ipse, prolesq; eius Polonis pręsidebat,sic& Palatini quanto tempore iura populis reddebant,incertum est,nec ullis traditum literis,quoniam gentes septentrionis proniores sunt (cœlo frigido inclinante)iurgia excitare,mores siluestres tenere,Cererem et Bacchũ supra mensuram co lere,leues capillos & prolixos intorquere,quam castam Mineruam amare,& literis ope-ram dare,idcircò gesta eorum densa caligine præssa,inęternam clauduntur obliuionis no ctem.Non solum autem Lechitarum uerum & Russorum priscæ uetustatis res sepultæ ia-cent,inopia scriptorum usq; ad tempora Kyg,Sczick,& Korew ducum,ab his nanq; pri-mum facinora eorum literis mandata sunt,fuerunt autem uterini Kig, Sczick,Korew & quarta soror Libed,hi principando russitis,loca munitiora construxerunt,Kig castrum su-pra Boristhenem seu Dniepr,quod usq; in hanc diem Kyow dicitur , olim famosa & lata metropolis russorum,alij duo non longè à Kiow etiam sua erexerunt castra Sczick sczek-wicza,& Korew Korewicza,erant & alij duces eorum Radzim à quo radzimczanie su-pra fluuium Szaszu,Viatko à quo Viathczanie suprà fluuium Olka,Dulieba à quo do-liebienie ad fluenta Bug,hi postea Volhanie,& nunc Luczanie appellantur,familię ex du lieba,radzim,& uiathko,more ferarum in siluis habitabant,& cõsanguineas passim pro-ut uoluptas ferebat,sine discretione cognoscebant:demum extinctis & ab hac luce subla tis tribus Germanis kig,sczick & korew,filij eorum & nepotes longo æuo dominaban-tur,quilibet in sorte sua donec successerunt Oszkalt & Dir,duo Germani apud Kyouiam principantes.

Duces primi Russiæ. Kyg. Sczyk. Korew.

CAPVT V. LIB. I.

Post annos plurimos gens Lechitarum perosam habens gubernationẽ Palatino-rum(mala enim uisa est pluralitas principũ,tum quia lacessentes inimicos, & rem eorum turbantes,auertere minimè potuerunt,tum etiã quia singuli quæ sua sunt & non regni curabãt)requirebant unum principẽ & rectorem , scrutinioq; facto, elegerunt uirũ idoneum,solertẽ& strenuum nomine Cracum,ad radices montiũ Sarmati corum iuxta Istulam commorantẽ in rectorẽ,rerumq; suarum tutorem. Qui fasces regimi nis assumendo.inuasores quosdam per pacta,quosdã per bella exturbauit.Gallos ea tem-pestate regna Pannonię demolientes,Lechiã ingredi uolentes,forti Marte repressit & ex eis uictoriã reportauit.Exinde pace confecta,Lechitis indies charior erat, Bohemisq; ob secundã fortunam amabilis imperabat. Erexit arcem habitationis suæ in expedito colle Vauel,supra fluuium Istulæ sito,& ei ciuitatem adiecit atq; fundauit de suo nomine Cra-couiam appellando,fœlicem agris & rebus secundis,nisi olophagus quædã belua(ut aiũt draco)plurima impedimenta intulisset.Rapiebat siquidem è specu de sub monte. Vauel egressa,iumenta & homines incautè oberrantes,rictibus horridis uoracissimè deglutien-do.Quo malo afflictę Cracouiæ,Cracus anxius condolens tria corpora iussit quotidie o-lophago exponi.Nã his contẽtando,cętera nõ requirebat.Sed & hoc graue, onerosumq; erat,propterea suapte industria persuasit exponendis corporibus ,sulfur & cauma ignitũ, cera,piceq; inclusa,admiscere & occultare,belua enim tum naturali rabie, tum uoraci esu-rie exagitata,sine delectione oblatam prædam rapiebat atq; uorabat , sensimq; debilitata extincta est.Cracus uerò lætatus,longos annos in senium deduxit,mortuus , plenus die-rum.Reliquit duos filios Cracum,Lechonem,& tertiam filiam Vandam.Ex commisso pa tris dum uiueret,filij construxerunt sarcophagum in mõte Lassotno(qui nũc dicitur mõs sancti Benedicti)tumorem terræ supraponendo in altum,in hunc diem celebrem & à lõ ginquo uisibilem. Ex hoc asserunt quidam hunc Cracum fuisse Romanum(de familia Cracorum ob leges agrarias superbius quàm fas erat dictatas Romę interfectorum)quo-niam instar sepulchri Romuli sibi dum uiueret,simile de terra(Romuli enim de lapidibus est)erigi præcepit,undecunq; autem fuit,assertio eorum instantiam habet,quia Craci pro-pe natiuitatem Christi,circiter centum annis occisi iacent inulti : is autem Cracus Lechi-tarum princeps ut produnt eorum historiæ quadringentis annis natiuitatem Christi præcessit.

Cracus eligitur. Galli uicti. Cracouiæ origo. Olofagus Cracouiam affligit & interimitur. Craci filij. Cracus. Lecho. Vanda filia. Cracus 400. annis ante Christum.

CAPVT

CAPVT VI.

Cogitantibus Lechitis Cracum natu maiorem ipso Craco patre uita functo in legitimum successorem & regem surrogare, Lech minor natu nacta occasione opportunitatis interfecit eum, & lacerum zabulo texit, dicens illum dum uenationi operā daret, & profusius quàm decuit feras impeteret, à bestijs mortem opetijsse, & hæc ficta dicens lachrymabatur. Lechitę uerò ita fore credētes, eum in thronū paternum euexerunt, & regem suprà se statuerunt: uerum quia nullum malum impunitum crebrescente fama quòd germanum suum inuidia ductus clam necasset, expulerunt & à regno exulare ipsum coëgerunt, tanquam prophanum parricidam. Quanquam alia quędam historia narret nō fuisse exulem nec à regno alienatum, sed ob fratricidium ab omnibus spretum, & inuisum mœrore & cogitationibus cōtabuisse, uitamq; simul cum regno citò finiuisse. Quapropter Vandam filiam Craci nulla amplius prole masculina superstite, pro domina & regina ex unanimi uoto omnium deputarunt, inueneruntq; in sexu fœmineo animum & robur uirile in regendis subditis, & inimicis regni abigendis, nam ea tēpestate Rithogarus princeps Theutonorum regno Lechitarum uicinus, audita Vandæ mira specie, pulchritudine, gloria, moribus, & regno, misit procatum iri seu eā in sponsam deposcere. Vanda autem desponsationem Rithogari, una cum ipsius ambasiata seu legatione renuit. Mittit iterum amoris impatiens Rithogarus, ut sibi nuberet, aut arma & deuastationem regni sentiret, putabat nanq; fœminam metu belli ad coniugia posse impellere, quam sponte matrimonium refutasse didicerat. Moxq; aciebus instructis, regnum Lechitarum ingreditur, iussit & Vanda celeriter suos arma capere, & copiā resistendi Rithogaro præstare. Videntes autem purpurati principes Rithogari potentem exercitum, Vandæ pulchritudinem dictu mirabilem, qua tanquam hamus (Vanda enim hamum sonat) corda inspicientium alliciebat, industriam, audaciam, & causam sine noxa, recesserunt in castra sua denunciantes principi eorum, ut uiraginem iustè pugnaturam, & exercitum potentiorem, instructioremque habentem, suo damno non inuaderet, quos cum nec persuasionibus, nec minis ad pugnandum reuocare potuit uehementi afflictione consternatus, bello cessit, & in conspectu eorū gladio sese confodit. At Vanda pace cum magnatibus Theutonorum composita, Cracouiam redijt, & pro tanta uictoria dijs uota (plurimas uictimas immolando) persoluit, seductaq; illius temporis errore, ne celebs uita eius quoquo modo defloresceret, dijs seipsam uictimam, pro uictoria assecuta, exposuit. De ponte enim in Vislam salijt & ab aquis suffocata circa Mogilam, uno miliari à Cracouia reperta est, illic suprà fluuium Dlubnia sepulta, aggere & mole terræ in altum, quemadmodum Craco genitori eius supra positis, diciturq; locus ille usq; in nostram ætatem Mogila: quod sonat sepulchrum: dictus est & fluuius in quo mersa est Vandalus, & gens circa fluuium cohabitans Vandalitę.

Cracus interficitur à Lech. *Vāda eligitur.* *Rithogarus princeps, theutonum.* *Vandæ interitus.* *Fluuius à Vanda.*

CAPVT VII.

Extincta Vanda cum qua & tota Craci familia interijt. Abrogarunt iterum Lechitę regem: & loco unius regentis duodecim Vuoyeuodas, id est, exercituum ductores seu regentes: pro numero prouinciarum constituentes. Sub quibus longo tempore (ut aliquæ Chronicę narrant centum annis) in libertate uixerunt, donec exorti grassatores, & bonorum expilatores, non mediocriter eos affixerunt, ad ultimum uerò exercitus ualidi Pannoniorum & Morauorum Poloniam inuadentes, prædam agebant impunè, agros depopulantes, & res diripientes ut libertate ablata, sub iugum seruitutis miseros Lechitas mitterent & cogerent. Vuoyeuodis nequicquam repugnantibus, quoniam aduersam fortunam experti, de summa rerum desperabant. Erat sub hoc turbine quidam Polonus nomine Przemisl, disciplinæ militaris peritus, uiribus strenuus, ingenio astutus, qui circa Caluum montem, hostes omnia negligentius agentes, astu terruit & opportunitate deuicit. Nā galeas formatas, pictas & coloratas, ex aduerso hostiū sole Oriente in arboribus mōtis locauit, quibus uisis, repentè radiorū solis reuerberatione hostes perculsi arma corripiūt, ad debellandū q; aciem Polonorū uisam procedūt, quo cū peruenissent, neminē inuenerūt. Mox etenim Przemislaus, ut uidit hostes arma capessere, simul sacra Galearū remouit. Reuertūtur itaq; in sua castra aduersarij, putātes Polonos auersos fugisse. Przemislaus uerò rē bene gerendi belli concipiēs, animauit cōmilitones, qui ad ipsum confluxerāt, certam uictoriam eis promittens, dū modo consiliū eius sequendo, animū & arma uiriliter in hostē conuerterent. In tēpestę ergo noctis aduentu, hostibus somno deditis, & securè cubantibus, Przemislaus manum Polonorum, iam de uictoria certificatam & animatam adduxit, à tergo & à lateribus medios in hostes irrupit, quosque & dormientes, & repugnare uolentes prosternendo, cæteros è somno excitatos, trepidos & agēdorū immemores dispergēdo, Przemislaus ergo castra desertata diripuit & inimicorū opulentias,

Polonia uastatur. *Przemislaus.* *Hostes astu uicti.*

laum, Visimirum, Czesimirum, & Vislaum: ueritus autē ne eo ex humanis absumpto contentiones, & bella inter fratres orirentur: partitus est regnum, Pompilio dedit monarchiam regni: cæteris maritimam oram Slauorum, Rugianorum, & Cassubitarum, usque ad Misnam, & Vuestphaliam distribuit Boleslao primo genito naturali Baruino, & Bogdalo Pomeraniam inferiorem, Kazmiro, & Vuladislao Cassubiam: Iaxæ, & Semiano Serbiam, Vuratislao Ramam, Przibislao Czesemiro, & Oddoni Ditwoniam, quæ nunc Olsacia, seu Lusacia: Przemislao Semouito, & Semomislao: Sgorzeliciam, quæ nunc Brandenburg appellatur: uerò alijs fratribus residuis, quasdā sortes, in huiusmodi prouincijs, adiectis quibusdam desertis syluis, & nemoribus assignauit: Vislaus autem condidit castrum Miedziboze, quod nunc Meydburg dicitur: Sobeslaus castrum Daley, quod Dalemburg uocatur: Visimirus castrum, & ciuitatem in ripa maris sitam Visimiriam, quæ in hanc diem eodem nomine nuncupatur. Cæteri fratres alia castra erexerunt, Brzemyę castrum in confinijs Vuestphalorum, & Frisonum sitū: sic dictum, ut susciperet hostile Brzęinia, id est, pondus. Castrum lyma, quod nunc Limburg uocitatur in petra latissima à longinquo uisibili, & lucente: Slaui enim nocturnum splendorem limam uocant. Castrum item, & ciuitatem, Bukouiecz, quā Teuthones uocant Lubeck: Slaui uerò in circuitu commorantes Bukouiecz, similiter castrum Rathibor: castrum Swerin: castrū Lukow à quodam Miclone conditum: unde Teuthonici illud Mickelburg uocant. Item castrum Gilow à crassitudine terræ: castrum Rostoki à dissolutione aquarum: castrum Verla à credulitate: castrum Swanow à uocādo: uocatus enim Slauicè Swani dicitur. Item castra Ostrow, à loco insulæ, in qua stat Teszin, Marlow, Bolel Trzebiessow, Vologost, Czasni Vuolyniecz. Pluraq; alia castra, & municipia, præfati filij Leskonis, & eorum nepotes iuxta mare Germanicum condiderunt, quæ natio Teuthonica occupauit: & usque in præsens occupat paucis populis Slauis, & Zerbis in rure, & uicis etiam in hanc diem permanentibus, & linguam Slauicam confusè, & corruptè propter commixtionem sonantibus.

Prima diuisio cum iactura. *Meydburg.* *Dalemburg.* *Visimiria.* *Brzeinia.* *Limburg.* *Lubeck.* *Rathibor.* *Swerin.* *Myckelburg.* *Gilouu.* *Rostoc.* *Verla.* *Suuanouu.* *Ostrouu, &c.*

CAPVT X. LIB. II.

Pompilius, quem Poloni Popiel, Teuthones Osserich uocant, suscepto regno Polonorum, colles, & montium radices, in quibus urbs Cracouia est sita pertęsus, transtulit sedem regni Gneznam in planicie sitam, ubi prisci Polonorum morabantur principes. Hanc quoq; spernens, nouas sedes inter lacus posuit, ac extruxit Crusuiczam nominans, & in ea principalem sedem regni constituens. Mortuus est in ætate uirili, morbo correptus ex uita torpente, & uoluptuosa. Nihil egregium edidit, quod posteris dictu, factuúe celebre foret, nisi quòd in omni execratione solitus erat dicere, utinam me mures uorarent, utiq; omine mali, quoniam filium eius, alterum Pompilium, quem ætate puerili reliquerat: regnantem mures deuorarunt.

Pompilius primus.

CAPVT XI. LIB. II.

Adolescentia Pompilij Secundi minimè expectata, ipsum in Regem Poloniæ extulerunt, & ei obedientiam homagialem patrui unà cum proceribus regni præstiterunt. Causas, & decisiones quæstionum, quæ ad eum perferebantur, patrui donec adolesceret, determinabant. Sed cùm pompilius annos adolescentiæ supergressus, suæ potestati est relictus, in deterrimos incidit mores, in petulantiam, choreas, plausus, ebrietates, flagitiosissimus ruebant, Rempubl. prostergando, & ab incursu hostium deprauatus, & meticulosus, non defendendo. Desponsata est ei ex Teuthonia, elegantis pulchritudinis de genere principum fœmina, quæ blandicijs, & calliditibus eum sic irretiuit, atq; captiuauit, ut totius regni potestas, & expeditio circa eam consisteret. Ad peioresq; illecebras maritum intrusit patrandas. Videns enim maritum suum ab omnibus subiectis spretum, & ad ignominiam ipsius cum ludibrio koschysko (quod sonat attritam scopam) uocatum, propter raros capillos, timensq; ne succederet ei quispiam patruorum, ob scelera suapte ipso expulso. Iubet dolos, & ægritudinem mortalem fingere, patruos, & proceres regni adlocare. Coram eis exponit Pompilius in lecto decumbens, & lachrymans se in breui moriturum, rogat, obtestaturq;, ut filios, quos binos ex legitimo matrimonio suscepit, Lechonem, & Pompilium successores ipso mortuo sur rogarent, & iamiā migraturo exequias more gentilium in præsentia ipsius celebrarēt. Luget & coniunx lamentando, & fictas lachrymas aborciendo. Exhibita tandem refectione, iterum ad aulam Regis introducuntur patrui cum primoribus regni, & potus exitialis per reginam compositus. Post oscula Regis ualedicentis iam propè morituri in poculo aureo administratur, quo hausto, singuli discedunt. Nox enim instabat, rexq; se dor-

Pompilius secundus. *Pōpilij uiginti patrui ueneno extincti.*

miturum ſopore ingruente ſimulabat, expaueſcens ne aliquis eorum coràm moreretur. Correpti ergo toxico tempore noctis, uerſi in furiam excruciabantur, donec ſpiritum & animam exalauerunt. Exhilaratus itaque Pompilius cum coniuge, contulit ſe ad tripudia patruos calumnioſé criminando. Aſſerens illos ob facinus in regem & filios eius cogitatum, cœleſti plaga miraculoſè percuſſos interijſſe. Accumulãsq; peccata peccatis, inhibet à quoquam cadauera extinctorum ſepelire. Sed Deus uindex iuſtus, grauitate ſupplicij ſcelera compenſans. Pompilium conuiuia celebrantem, mero madentem ſertis coronatum, unguentis delibutum, crapula & luxu reſolutum, ultione condigna punit. De cadaueribus ſiquidem patruorum & procerum, multitudo murum ingentis magnitudinis ebulijt, & in conuiuantem tyrannum, conſortem eius, & filios, rabidis morſibus inſilijt, militum caterua nequicquam abigente, quoniam humano ſuffragio fatigato, mures infatigati perſeuerabant noctu, dieq;. Extruuntur ardentes foci, & in medio eorum locatur Pompilius, coniunx & filij: illic autem, & mures per flammas tranſeuntes parricidam rodere non ceſſabãt. Ad aliud tandẽ elementum uentum eſt. In nauibus abducitur occiſor patruorum Pompilius cum ſuis in ſtagni altitudinem, mures tamen inceſſanter ſecuti, abductos, & naues rodebant in tantum, ut aqua perforatis rimis ingreſſa ſubmerſionem minaretur. Ideò nautæ timentes ſuffocationem ab aquis, deduxerunt nauem in littus, unde alia caterua murum occurrens, iuncta prioribus acriùs infeſtabat. His uiſis, defenſores, diuinam ultionem cognoſcentes, omnes fugierunt. Pompilius autem protectoribus nudatus, recepit ſe in turrim altiorem in Cruſuicza, ubi mures rapido curſu aſcendentes conſumpſerunt, & uorauerunt: duos filios, uxorem, & facinoroſum Pompilium cum ſingulis artubus, ita ut nerui, oſſa aut aliud ueſtigium non relinqueretur. Ecce non eſt poteſtas, nec conſilium contra Dominum, non proſunt ſceptra, nec opes in conſpectu eius, minuta animalia, & imbelles mures Pompiliũ miſerabiliter conſumpſerunt, quemadmodum pediculi, uermes minutiores muribus Arnulphum Regem Francorum, & Imperatorem Romanorum, pulpa, carnibus, ac uiſceribus exeſis, medicis nequidquam proficientibus ad internitionem uſq; perduxerunt, ſolis cartilaginibus, & oſsibus relictis, ut in deſcriptione Romanorum Imperatorum, & regum Franciæ legis.

Ex cadaueribus extinctorum copia murum naſcitur.

Horridus Pompilij conſortiſque & filiorum interitus.

CAPVT XII. LIB. II.

POſt miſerum, & horridum interitum Popiel, indicta conuentione pro noui Regis electione, conuenerunt maiores, ac nobiles regni in Cruſuiczam, factaq; diſſenſione, pluribus regnare cupientibus: ſoluerunt conuentionem abſque Regis electione, ortis tandem multis difficultatibus, bellisq; externis, & domeſticis, quotidianis etiam ſimultatibus, & damnis inter regnicolas. Indicta eſt altera conuentio in præfatam Cruſuiczam. Erat ea tempeſtate quidam agricola, & mellarius in ciuitate Cruſuiczień. nomine Pyaſt, eò quòd ſtatura erat non alta, ſed robuſta, habuit uxorem Rzepycza nuncupatam, & filium unicum nondum nominatũ, homo multæ hoſpitalitatis, peregrinorum, & miſerorum fotor: aduenerunt autem in diebus regis Pompilij, duo hoſpites uultu, & habitu uenerandi, & cùm uoluiſſent ingredi regiam, pulſi ſunt à ianua, & prohibiti ab ingreſſu. Diſcedentes ergo declinauerunt ad tugurium Pyaſt, parentis aduenarum, & peregrinorum, qui ſumma alacritate unà cum uxore excepit eos in domum ſuam, occidens porcum ſaginatum, quem ſeruabat pro tondenda cæſarie, & nominatione filij ſui, prout mos gentilium fuit. Obtulit & uas medonis eadem intentione reſeruati, uidelicet pro tonſura filij eius, dumq; potus medonis ducillaretur (mirabile dictu) augebatur, & in altum effluebat. Conſilio itaq;, ac iuſſu duorum hoſpitum, ut creditur duorum angelorum, in ſpecie humana hoſpitatorum (quamuis alij credant fuiſſe Ioannem, & Paulum martyres Romanos) uaſa quot, & quantacumq; habere potuit à uicinis mutuauit, & ea impleuit, ſed & carnes porci, in tantum auctę creuerunt, ut decem linteres implerent, iubent tandem prælibati hoſpites ſupplicatum ire, inuitareq; Regem Pompilium & militiam eius ad tondendum, & nominandum filium, & in præſentia eorum, iam dicti bini hoſpites totonderunt filium Pyaſt, nomenq; nouum ei adaptantes, nominauerunt Semouitum. Refectio tandem copioſa appoſita eſt opiparè, Deo cuncta augente per miniſterium hoſpitum, ſtatimq; poſt refectionem diſparuerunt ſæpiùs nominati duo hoſpites: donec ſecunda cõuentio Cruſſuiczień. collecta, ob diſparitatem uotorum ferè in omnibus uictualibus ex diuturnitate temporis defecit, tunc denuò gratioſi duo aduenæ ad Pyaſt redierunt hoſpitatum, qui humaniter ab eo & ſua conſorte collecti ac honorati, prædixerunt eum poſt triduum in Regem Poloniæ eligendum, uas ergo Medonis paruum ante tugurium perſuaſerunt exponendum, & cunctis confluentibus nobilibus, ac ignobilibus (ſinguli enim caruerunt uictualibus) biberunt de illo ua-

Rzepycza.

Pyaſt.

Ioannes & Paulus martyres.

Semouitus.

ſe, ac

se, nedum ad saturitatem, sed etiam abundantius, Deo optimo Medonem uasis augmentante. Et ideò non deficiente, quemadmodum mulieri in Sarepta lecytus olei non defecit. Altero die consilio inito cunctis proceribus regni, & populis quasi quadam religione concorditer in animo insedit, Pyast eligendum in Regem, postpositis filijs, & nepotibus patruorum per Pompilium necatorum, postpositis & quibusuis magnificis regni: proclamatione deinde facta, tota nobilitas unà cum plebe ad ostium tugurij Pyast descendens, eum regnum suscipere coëgit. Ille uerò territo, ac repugnante propter insufficientiam, & rem monstrosam, Eulogium hospitum, dum in memoriam redijt, eum post triduum regnaturum consensit, & in aulam regiam de tugurio transiuit. Hic fuit homo simplex, sed rex iustus: unicuiq; quod suum erat, secundùm merita administrans, Deo in cunctis ei prosperante. Hic fuit prima stirps Regum usq; prope ætatem nostram in Polonia dominantium: terminata in Kazimiro secundo, & Ludouigo. Eiusdem stirpis rami sunt moderni principes Slesiæ, & filij Conradi Masouiæ. Quantæ fœlicitatis fuit hospitalitas, & iusticia Pyast, propago principum usq; in nostram ætatem permanens demonstrat. Non uidi, inquit Dauid, iustum derelictum, nec semen eius mendicare panem. Electus est rex in ætate uirili, mortuus senio confectus, ut ferunt anno ætatis suæ centesimo uigesimo. In pace regnauit: regiamq; ex Crussuicza in Gneznam locum originarium transtulit.

Pyast eligitur.

Ex Pyast principes Slesiæ.

Pyast plenus dierum moritur.

CAPVT XIII. LIB. I.

Semouitus filius Pyast, princeps militiæ sub patre creatus: post mortem uerò eius rex factus: multum uigilantiæ, temperantiæ, militiæ, munificentiæ, & uirtutum heroicarum ante electionem habens. Multò amplius rex factus omnibus uirtutibus redimitus floruit. Dilatauit regnum, de finibus eius pannonios adhuc Pompilij tempore occupantes, uictoriosè expellens. Kassubitas, & principes iuxta mare Baltheum commorantes, olim de fœmore patruorum Pompilij toxicatorum homagia denegantes aggressus, dum in parte expugnauit, morte immatura absumptus est. Cunctis regnicolis tanquam parentem patriæ deflentibus. Reliquit unicum filium, minorennem, nomine Leschko. Circa hæc tempora sub imperatore Romanorum Arnulpho, Græcorum uero Imperatore Michaële, aduenerunt Cirullus Doctor, & Apostolus omnium Slauorum, & Methudius, lingua Græca, & Slauonica prompti missi à præfato Imperatore Michaële Græco, ad postulationem principum, Slauorum in Morauiam, & iacientes fundamenta Christianæ fidei, erexerunt Ecclesiam cathedralem in Vielagrad Morauiæ. Euocati tandem Romam, & inquisiti, quare in lingua Slauica diuina celebrarent, & non in Latina. Responderunt eo, quod scriptum esset: Omnis spiritus laudet Dominum. Post altercationes ergo Romanus Pontifex permisit, ut lingua Slauica celebrando laudaretur Deus, perinde atq; Latina, & Græca. Qui mos ad tempora mea circa Cracouiam in Ecclesia sanctæ Crucis in Clepardia obseruatus, sed iam extinctus est.

Semouitus in regem.

Semouiti mors.

Cirullus Apostolus Slauorū.

Methudius.

CAP. XIIII. LIB. I.

Lesko ætatis nondum debitę, de procerum, & nobilium cōmuni assensu in principem assumitur, certis Baronibus procuratoribus, donec adolesceret illi deputatis. In ætate uerò adulta cœpit imitari paternas uirtutes, probitatem, prudentiam, liberalitatem, & iustitiam: militiæ tamen munera non ęquè, ut pater coluit, quinimò bellum contra principes Pomeranorum, & Cismarinorum per patrem initiatum intermisit: mortuus est relicto filio perfectæ ætatis Zemomisl, quod interpretatur terram recogitans, uel de terra cogitans.

CAPVT XV. LIB. I.

Leskoni successit Zemomislaus in regno, uirtutes paternas, & auitas enixè sibi uendicans, non armis, sed toga, & prudentia regno proficiens: uehementer autem angebatur, quòd sine prole coniugem sterilem longo tempore habuit, maiori deinde molestia affligebatur, quòd effuso unico filio dudum optato, cæcutientem uidebat, & penitùs nihil uidentem, ampliusq; doluit, quia uxor sua itgrum sterilis, ut antè, absque spe ulterioris prolis permansit. Adueniente anno tonsuræ, utcunque ualuit, Zemomislaus conuocat maiores regni Gneznam ad tondendum, & nominandum filium. De uoluntate omnium imponens ei nomen Myeska, quod sonat confusionem, seu commotionem: quoniam cuncti suspicabantur, metuentes post mortem patris oriri commotionem. In diebus uerò patris confusione ex cæcitate nati, appositis denique epulis, conuiuabant, & ecce subitò nuncius accurrit, referens ipsi Zemomislao, My-

lao, Myeskam perspexisse, clareque uidere. Obstupuêre omnes, statimque mater exiliens de triclinio reperit filium, habentem orbes oculorum clarissimos, & acceptum in ulnas, inter conuiuas detulit, singulis gaudentibus, & mirantibus. Super quo genitor eius Zemomislaus sæpenumerò percontatus, quid'nam cæciras nati, eiusq; diuina clementia, illuminatio portenderet, ab ariolis, & phitonibus accepit. In diebus regiminis eius regnum Poloniæ plurimùm illuminatum iri, & clarescere, quod ille putabat de gloria humana uerificari. Impletum autem est de spirituali uisione, & illuminatione eius, & regni per eum, quæ est renascentia in Christo, per fidem, & baptismum extunc suscepta, & dono Dei usque in hanc diem absq; hæsitatione, & erroribus tenta atque defensa. Mortuus est autem Zemomislaus plenus dierum, in ætate protaui eius Pyast, & more gentilium appositus suis patribus in castro Gneznensi.

Zemomislai mors.

CAP. XVI. LIB. I.

IN Russia principantibus apud Kyowiam Oskald, & Dir: nationes Ruthenorum multiplicare, nouas sedes ad Septentrionem dilatauerunt, & duces super se constituerunt ex alienigenis, quoniam ex proprijs propter parilitatem non placuerunt. Primus dux Rurko, qui in Nouogrod: alter Sziniew, qui in Byaleyezoro: tertius Trubor, qui in Sborsk sedes suas posuerunt. Processu autem temporis, mortuus Sziniew, & Trubor absque prole, Rurko utriusque possedit ducatum, & ipse moriens reliquit filium adolescentem lior nomine, is dolosè occidit Oskaldum, & Dir principes Kiouień. nil hostilitatis ab eo suspicatos, & possedit terras eorum. Inuadit deinde Drewlianos populos Ruthenici generis, & Nyszkinam ducem eorum, coëgitq; eos tributa soluere, & non contentus unica contributione eodem anno alteram exigebat, propter quod insurgentibus Drewlianis, occisus per eos interijt. Miserunt depost nuncios primos, & secundos præfati Drewliani ad Olham uxorem lior, ut acciperet in matrimonium principem eorum Nyskinam. Ipsa uerò opportunitatem, & astuciam concipiens simulabat se nupturam Nyskine, dummodò ueniret cum suis matrimonium celebraturus. Quo procedente cum suis, dudum retentos apud se nuncios, clàm uarijs affectos tormentis interfecit. In occursum deinde procedit, & locato suo forti exercitu, in angustijs, & locis malignis, Drewlianos cum duce aduenientes insperatè occidit in numero quasi quinq; millia, occisioni mariti sui lior parentando. Insuper Swantoslaus filius lior, & Olhæ, ætatem pertingens adultam, Drewlianos graui cæde domuit, & sub iugum mittens, tributa eis imposuit, Olhaque matre sua monente, fidem Christi suscipere noluit. Transfretauerat etenim Olha in Constantinopolim, & de fide Christiana per Patriarchā edocta, spurcitijs gentilitatis abiectis in baptismo nomen Helena, pro Olha suscepit, in recessuq; cui benedixit ei Patriarcha Constantinopolitanus, dicens: Benedicta tu inter mulieres Ruthenorum.

Oskalt. Dir.
Rurko dux Russiæ.
lior.
lior interitus.
Olha uxor lior.
Drewliani per Olham uicti.
Swantoslaus.
Olha fidē Christi accepit, Helena nominata

CAPVT XVII. LIB. I.

QVæ in historijs Polonorum reperiuntur, iam sub breuitate tacta sunt: deinceps quæ exteri de Vandalis, & Sarmatis, hoc est, de Polonis, & Russitis annotarunt, haud abs re in fine huius primi libri etiam sub breuitate inducam. Refert Suetonius Tranquillus, & meminit Eutropius, quod Imperator Domicianus de Dacis, Catisque duplicem triumphum egit. De Sarmatis solam lauream usurpauit, multas quidem calamitates ijsdem bellis passus est. Nam in Sarmatia (quæ nunc Russia dicitur) legio eius cum duce interfecta est, & à Dacis (ubi nunc sunt Valachi) Appius Sabinus consularis, & Cornelius Fuscus præfectus prætor cum magnis exercitibus occisi sunt. Narrat Iulius Capitolinus Imperatorem Antonium pium Germanos, & Dacos (ubi sunt Besserabes, & Valachi) rebellantes contudisse per præsides ac legatos. Alanos uerò (qui fuère Rutheni circa Tanaim fluuium) bella molientes, sæpè refrenauit. Idem Iulius Capitolinus refert, & meminit Eutropius Imperatorem Romanum Antonium Ferum, multa millia hominum interfecisse. De Marcomannis, Squadis, Vandalis, Sarmatis, & Sueuis, & liberasse Pannonias à seruitio eorum, Romæ rursus cum Commodo Antonio filio suo, quem iam Cæsarem fecerat de eis triumphasse. Hæ sunt gentes, ut nunc est dicere Moraui, Poloni, Rutheni, & qui circa fluuium Sueuum commorati sunt Slaui, ubi nunc Marchia est, & eam occupant Teuthoni. De his Sueuis iuxta Sueuum fluuium extra septimum clima ad mare Germanicum olim habitantibus. Et non de illis, qui nunc Sueuj in sexto climate habitant. Dixit Martinus in sua Martiniana in secunda parte sub Octauiano, quòd Drusus priuignus Octauiani trans Albulam fluuium, qui in barbarico solo longè ultra Rhenum est (labia uulgari Slauonico

Suetonius. Eutropius.
Legio Domiciani à Russis interfecta.
Antonius Pius.
Iulius Capitolinus.
Antonius Ferus.
Marcomanni. Squadi. Vandali. Sarmatæ. Sueui.

nonico dictus) fortissimas nationes, quibus & natura uires, & consuetudo experientiam uirium dabat, pariter uno bello, sed suis aspero superauit, id est, Sueuos, & Sicambros, ubi & Drusus occisus mortuus est, & sepultus in Maguntia: hæc Martinus. Item Eutropius: Sub Imperio Galieni Pannonia à Sarmatis, Squadisq; populata est. Item Flauius Vopiscus scribit: Erumpentes Sarmatas in Illyrico cum trecentis præsidiarijs, solus Imperator Aurelianus attriuit. Refert Theoclius Cæsareorum temporum scriptor, Aurelianum manu sua bello Sarmatico, una die quadraginta, & octo interfecisse: plurimis autem & diuersis diebus ultra nongentos, quinquaginta. Et Flauius Vopiscus, qui prius in descriptione triumphi Aureliani dicit, præter captiuos gentium barbararum, Gothi, Alani, Roxolani, Sarmathæ, Franci, Sueui, Vandali, Germani religati manibus captiui præcesserunt. Idem Vopiscus de Probo in Illyrico Sarmatas, cæterasque gentes ita confudit, ut propè sine bello cuncta reciperet, quæ illi diripuerant. Idem de Proculo: Centum ex Sarmathia uirgines cœpi, ex his decem una nocte iniui: omnes tamen, quod in me erat, mulieres intra 15. dies reddidi. Gloriatur (ut uides) Proculus rem ineptam, & satis libidinosam, atque inter fortes se credit haberi, si criminum densitate calescat. Item Vopiscus de Imperatore Caro: & idem inducit Eutropius Sarmatas adeò morte Probi feroces, ut inuasuros se non solùm Illyricum, sed Thraciam, Italiam quoque minarentur, ita se inter bella pariendi contulit, ut paucissimis diebus Pannonias securitate donauerit, occisis Sarmatarum sedecim millibus, captis diuersi sexus uiginti millibus. Eutropius uaria deinceps simul, & uiritim Diocletianus, & Galerius Maximianus bella gesserunt Carpis, & Basternis subactis (& sunt populi Russiæ sub montibus Sarmaticis) Sarmatis uictis (& sunt Rutheni in communi) quarum nationum ingentes captiuorum copias in Romanis finibus locauerunt. Paulus Diaconus de gestis Romanorum. Valentinianus anno Imperij sui undecimo, cùm Sarmatæ sese per Pannonias diffudissent, eosque uastarent, bellum in eos parans, dum apud Brigionem oppidum Squadorum legationi responderet, anno eius quinto, & quinquagesimo subita effusione sanguinis, quæ Græcè apoplexis uocatur, uoce amissa, sensu integer, expirauit.

Pãnonia à Sarmatis populata. *Aurelianus.* *Flauius Vopiscus.* *Proculi de uitio gloria credita.* *Caro Imperator.* *Diocletianus.* *Galerius.* *Carpi.* *Basterni.* *Paulus Diaconus.* *Valentinianus*

CAPVT XVIII. LIB. I.

VAndali à Sigiberto in Chronica, à Vincentio in speculo historiali, & plerisque alijs scriptoribus ex Scythia perhibentur oriundi. Inconcinnè quidem, quoniam regionum Septentrionalium distinctam non habentes cognitionem, prout & antiquissimi historici, omnem oram Septentrionalem Scythiam dixerunt. Isidorus uerò, & posteri magis propriè Vandalos à Vandalo flumine dixit, quem (ut antè retuli) nunc Vislam dicimus, quia circa eum habitabant. Hi ergo à Gothis pulsi (ut referunt præfati Sigibertus in sua Chronica, & Vincentius in speculo historiali, uolumine tertio, libro decimo septimo, capite octauo) alienas terras inuadere cœperunt, qui suas retinere non potuerunt. Hos circa Danubium commorantes, rursum post multum temporis Giberith Gothorum rex bello uictos inde exturbauit, & hoc coëgit, ut Romano Imperio se subijcientes, à Constantino Magno locum habitandi sibi dari postularent, & Pannonias ab eo sibi delegatas, per 40. annos pacificè inhabitarunt. Anno uerò 13. Arcadij, & Honorij (qui imperare cœperunt anno Domini trecentesimo, nonagesimo octauo) instinctu Stiliconis euocati, meditantis rebellionem contra Rempub. infuderunt se per Gallias, iunctis secum Alanis, easque aliquandiu miserrimè dilacerauerunt, & inde eos expellebant Gothi non quidem prospicientes Galliarum quieti, sed uacuæ facientes patriam suæ rapacitati, Vandali Hispanias aggressi, nunc Hispanias, nunc Gallias, multo tempore depopulati sunt. Honorius autem deliberato consilio Hispanias, & Gallias, quas sibi à Vandalis præreptas dolebat, Gothis donauit. Cùm ergo Gothi Vandalos effugare maturarent, grata eis fœlicitate occurrente, per Bonifacium ducem Romanum, ad occupandum Lybiam, & Aphricam euocati transiuerunt, ubi regnum suum multo tempore confirmarunt. Primo igitur anno Gratiani, puta anno Domini 381. & deinceps: Super Vandalos de regno Poloniæ exeuntes regnauit Modigisilus annis triginta. Post hunc filius eius Gundericus in Hispanijs annis 16. Hic capta Hispali, quæ nunc Sibilia dicitur, cùm manus in Ecclesiam ipsius ciuitatis extendisset, à dæmone correptus, interijt. Cui Gensericus frater successit, ut refert Paulus Diaconus, ab Hispanijs ad Aphricam transiens, cuncta penè Aphricam ferro, flamma, rapinis crudelissimè deuastauit. Fidem Catholicam impietate Arriana infectus, subuertit, Episcopos exulauit. Sub hoc turbine, teste eodem Paulo Diacono, & Posidonio, Beatus Augustinus Episcopus Hipponensis, ne suæ ciuitatis ruinam cerneret, expletis annis uitæ suæ septuaginta sex migrauit ad Christum. Deinde Gensericus Carthaginem inuadit,

Sigibertus. *Vincentius.* *Isidorus.* *Scythæ à Gothis pulsi.* *Giberith Gothorum rex.* *Constantinus* *Archadius.* *Honorius.* *Vandali Gallias, & Hispanias depopulati.* *Gothis donatæ.* *Gratianus.* *Modigisilus.* *Gundericus.* *Sibilia Auicennæ patria.* *Gensericus.* *Diuus Augustinus moritur.*

uadit atque capit. Cum ualidissimo exercitu ex Africa aduectus, Romam spoliat. Multa millia captiuorum cum regina Eudoxia, & duabus filiabus in Carthaginem duxit, quam Nansamundo filio suo in matrimonium copulauit, Campaniam, & Apuliam flammis consumpsit, Capuam, & Nolam pari ruina strauit. Inter has procellas, uir pijssimus Paulinus Nolanæ urbis Episcopus, pro cuiusdam uiduæ filio, sese in seruitutem tradidit: regnauit Gensericus annis 48. eoque mortuo successit Honoricus filius eius, qui effugatis ampliùs, quàm 334. Catholicis Episcopis, & Ecclesijs eorum clausis, plebem uarijs supplicijs affecit: & quidem innumeris, manus, & linguas abscidit. Illis tamen expeditissimè loquentibus, ut refert Gregorius in tertio libro Dialogorum, & Paulus Diaconus in gestis Romanorum, tandem iudicio Dei percussus, scatens uermibus, miserabiliter expirauit. Post hunc, Guntamundus nouem annis regnauit: post quem Trasamundus, qui ducentos uiginti Episcopos in Sardinia exilio relegauit. Deinde anno Domini quingentesimo, uigesimo regnauit Hildericus filius eius, ex Eudoxia filia Valentiniani Imperatoris à Genserico captiuata. Hunc pater Trasamundus ad mortem ueniens, sacramenti nodis astrinxit, ne unquam in regno suo Catholicis consuleret. Qui mox patre mortuo, antequam regnum susciperet, omnes catholicos ab exilijs reuocari, & Episcopis Ecclesias iussit reformari, regnauit annis octo. Hunc Gilimer perimens, annis quinque post eum regnauit, qui tantæ crudelitatis fuit, ut nec parentibus parceret. Tandem Bellisarius patricius à Iustiniano Imperatore missus est in Aphricam: is magnas copias Vandalorum fudit, regemque eorum Gilimerum uiuum capiens, Iustiniano Constantinopolim misit. Sic Vandalorum regnum in Africa destructum est, inquit Iustinianus Imperator, in ea famosa lege, quam edidit C. de officijs præfecti præto. Aphricæ, quòd Vandali ex Ecclesijs fecerunt stabula: & testatur se uidisse uenerabiles uiros, qui linguis radicitùs excisis, prodigiosè loquebantur, quapropter eiecit eos omnipotens Deus a facie sua, & de terra, quam acquisierant, erasit memoriam eorum.

Nansamūdus. *Paulinus episcopus.* *Honoricus.* *Guntamūdus.* *Trasimundus.* *Hildericus.* *Gilimer.* *Bellisarius.* *Iustinianus.*

CAP. XIX. LIB. I.

PRæterea Vincentius in speculo historiali, libro uigesimo quarto, capite 172. meminit, quod Carolus Magnus anno octauo sui imperij: Coloniæ super Rhenum, pontes duos extruxit, & muniuit, & Slauiam ingressus eam subegit. Idem libro uigesimo sexto, capite primo refert, quòd Henricus secundus, qui imperare cœpit, anno Domini millesimo tertio, potentiores regni uiros, bella sibi concitare uolentes celeriter deuicit. Et Reges gentilium in interiori Germania commorantes, qui dicuntur Vindi, tributarios sibi fecit: Vindos autem Slauos Almanni uocant: eodem libro, capite quarto decimo, anno Imperij sui quinto. Conradus Imperator secundus, qui regnare cœpit, anno Domini millesimo, uigesimo quinto, rebellantibus Slauis ad eos debellandos proficiscitur: & eodem anno similiter contra Hungaros rebellantes pugnauit. Eiusdem libri capite decimo octauo, inquit Helimandus. Hic Henricus Imperator tertius, Vindelicos subegit populos, Sueuis conterminos, qui Vindelici, ut ait Gwilerinus usque hodie Fortunam adorant, &c. Hos populos Henricus tributarios fecit, ita ut omnibus solennitatibus, quibus coronabatur, quatuor Reges eorum lebetem, quo carnes condiebantur, in humeris suis duobus uectibus per annulos quatuor inductis ad coquinam uectitarent. Hæc ibi. Ecce duo habes: Primum, quòd Henricus tertius Vindelicos, id est, Slauos ad mare Germanicum commorantes subegit. Alterum, quod tales Vindelici contermini fuerunt Sueuis iuxta flumen Sueuum cohabitantibus. Pro hi[illegible] culpa Slauorum Teuthonici, & Saxones à diebus prædictorum Imperatorum terras eorum incolunt, & hæreditant. Blondus autem libro primo Decadis primæ de Vandalis, Burgundionibus, & Sueuis sic refert: Habent omnes istæ gentes uetustam originem ex Germania, suntque priscorum Plinij Veronensis, Suetonij Tranquilli, & Cornelij Taciti literis celebratę. Plinius namque Germaniam ex eorum partem Burgundiones unam esse dicit ex quinque interioris Germanię partibus, & paulò pòst, Sueuos illis proximos ponit. Alani autem etsi origine sunt Scythæ, in ipsi Vandalorum regionibus habitabant. Sed Sueuos Octauius Augustus, teste Suetonio, ex Germania in citeriores Rheni ripas transtulit. Eiusdemque Augusti temporibus, pars Vandalorum, quibus Burgundionibus postea fuit nomen, ad octoginta armatorum millia, ulteriores Rheni ripas insederant, quos Drusus, & Tyberius Cæsares, sicut Cornelius refert, post subactam interiorem Germaniam in sedes proprias repulerunt, & extra urbes, munitaque loca dissiparunt. A quibus habitandi uicatim modis, quos patrio gentis uocabulo, Burgos appellabant: eos Burgundiones fuisse appellatos, asserit Orosius. Deinde Blondus in locum Vandalorum, & Burgundionum per Stiliconem euocatorum Slauos &

Carolus Magnus Slauos uicit. *Henricus Secundus Vuinados uicit.* *Conradus Secundus Slauis, & Hungaris bellum intulit.* *Henricus tertius Vindelicos subegit.* *Vindelici pro Slauis.* *Blondus.*

Bospho-

Bosphoro Cimerico in Tanaim fluuium habitantium, se contulisse, & transmeasse asserit: & partim Polonos, partimque Bohemos nominatos fuisse. Quod quia à Polonorum, & Bohemorum historia ab initio huius operis posita, in toto discrepat, reijciendum, & salua reuerentia tanti historici pro non uero habendum est.

CHRONICORVM REG. POLON. LIB. II.

CAPVT I. LIB. II.

POST mortem Zemomislai, assumptus est in Monarcham Poloniæ Miesko unicus filius eius: primùm quidem uigilans, & Reipub. intendens, sed ætatem maturiorem nactus, ociosus, & pellicibus alligatus. Tenuit etenim septem pellices uxores eas uocans. Ex nulla autem prolem suscipiens orbitatis suæ incommoda sæpè accusabat. Quod agnoscentes uiri Catholici, qui in curia eius uersabantur, iustè, & sanctè consuluerunt, ut spretis, & abiectis spurcitijs gentilium, unum uerum Deum, & eum, quem misit, Iesum Christum coleret: à quo & prolis solatia, & quæcunque posceret, impetraret, qui, cùm aurem in audiendo accommodaret. Viri religiosi, & spirituales, tunc in regno Poloniæ æremiticè uiuentes, sacra dogmata cognitionis fidei Christianæ ei instillarunt: uniusque legitimæ coniugis matrimonium persuaserunt, intantumque eis acquiescebat, ut propè cathecuminus fieret. Mittit deinde consilio eorum in Bohemiam ad procandum ducalem uirginem Dambrowkā, filiam Boleslai ducis Bohemiæ, interfectoris sancti Venceslai germani sui. Vratislaus siquidem princeps Bohemię genuit ex Drahomicia uno partu geminos, Venceslaū & Boleslaum. Venceslaū educauit Ludomilla auia ipsius, & optimis morib Christianis imbuit. Boleslaum mater eius Drahomicia fouit, & detestabilē moribus, quemadmodum ipsa fuit, effecit. Mortuo itaque Vratislao, electus succesit ei Venzeslaus filius eius uir pijssimus in ducatu Bohemiæ. Ordinatione autem Drahomiciæ iniquæ mulieris, suffocata est Ludomilla, cuius consilijs sanctus Venceslaus multùm inhæserat, & in numerum sanctorum est relata. Boleslaus autem inuidia ducente, germanum suum beatum Venceslaum post epulas ad orationem euntem, in limine templi obtruncat, & super Bohemos, prout concupiuit, dominatus est. Venceslaus uerò Decalogo sanctorum martyrum asscriptus. Huius ergo Boleslai principis Bohemorum, germani sancti Venceslai natam, Mycsko monarcha Polonorum in uxorem poposcit. Nec abnuit præfatus Boleslaus dandam, dummodò ritu gentili abrogato, undis sacri baptismatis ablutus Myesko innouaretur. Consensu autem, & conclusione utrinque facta, adducta est in Gneznam uirgo Dambrowka in regiam Myeskonis cum ampla dote. Anno ergo Christi Domini noningentesimo, sexagesimo quinto, uno & eodem die, Mycsko princeps Polonorum cum maioribus sui regni, in præsentia Dambrowka, & Bohemorum sacrum baptisma propitiatione diuina Gneznæ suscepit, pro Mieska nomen Myeczslai accipiens, & aliud sacramentum matrimonij, cum uirgine Dambrowka ex Bohemia aduecta contraxit: conuiuia, munificentiam, & spectacula pluribus diebus elargiendo, & cunctis regnicolis baptisari pręcipiendo. Et quia multi restabant sacro fonte baptisandi: ideò per Edictum strictè demandauit, ut omnes in ciuitatibus, & uillagijs nobiles atque ignobiles, septima die Marcij adueniente: idolis confractis, & in lacubus aut aquis submersis, simul & lapidibus ab utriusque sexus hominibus obrutis, sub confiscatione bonorum, & exterminatione baptisarentur. Qua die superueniente, ut erat astutum, cuncti iussa exoluentes: renascebantur in Christo, & baptizabantur: seruaturque ille mos usque in hodiernam diem in maiori Polonia. Nam pueri in Dominica Lætare, facto idolo, seu imagine alicubi in ligno longo portant, alibi in uehiculo ducunt, & in aquam proijcientes demergunt, singuli properè domum repedantes. Ad dilatandum autem, & augendum Orthodoxæ fidei rudimenta, inclytus Princeps, & Monarcha Myeczslaus erexit nouem Ecclesias cathedrales in suo dominio. Duas metropoles, Gneznæ, & Cracouiæ: cæteras suffraganeas Ecclesias inciso lapide extruxit, ferro, & plumbo iunxit, & sufficienter dotauit, prout temporis conditio permittebat. Primam Metropolim in Gnezna, tanquam in loco, protunc celebriori in titulum, & honorem beatissimæ Mariæ. Alteram in Cracouia, ad instantissimas preces suæ coniugis Dambrowka, in titulum sancti Venceslai martyris, quoniam eius neptis erat Dambrowka, fundauit Episcopales Ecclesias septem his subiectas: talibus titulis ornatas consecrari disposuit Cruscuiciensem,

Vratislaus. Venceslaus. Boleslaus.

Ludomillæ interitus.

Venceslaus à fratre necatus

Poloni fidem Christi susceperunt.

Dambrowka regina.

Mos in maiori Polonia.

Myeczslaus Monarcha.

Gnezna metropolis prima. Cracouia 2.

Episcopatus Vladislauien. Vratislauien.

uicienſem, quæ propter ſolitudinem loci in Vladislauiam ſucceſſu temporis eſt translata, in honorem ſanctiſsimæ Dei genitricis Mariæ. Smogorzouień. quæ translata primùm fuit in Ryczynam oppidum diſtrictus Bregenſis, ex poſt propter uberiorem ſitum in Vratislauiam: in honorem ſancti Ioannis Baptiſtæ poſt intemeratam Dei genitricem inter ſanctos maiorem Poſnanienſem præcipuis Apoſtolis Petro, & Paulo: Plocenſem ſancto Sigiſmundo Regi, & martyri: Culmenſem ſanctæ Cruci Camienenſem iterum ſancto Ioanni Baptiſtæ: Lubucenſem ſancto Iohanni Euangeliſtæ in titulos erexit, & eorum præfatas baſilicas dedicari iuſsit. Primus autem Archiepiſcopus Gnezneń. ordinatus eſt Villibalmus: Cracouienſis primus Archiepiſcopus Prohorius: Poſnanienſis Epiſcopus primus Iordanus, Vratislauień. primus Gothfridus, Cruſuicień. ſeu Vuladislauień. Epiſcopus primus Lucidus: Plocenſis primus Angelotus: Culmenſis primus Octauianus: Camienenſis primus Iulinus: Lubucenſis primus Iacinctus. Aegidius Cardinalis Epiſcopus Tuſculanus, à ſummo Pontifice Ioanne XIII. miſſus, præfatos Epiſcopatus confirmauit, & ſingulis, diocœſim, & terminos diſtinxit, & poſuit. Erexit idem inclytus princeps, & primus fidei plantator, plures dignitates, Prælaturas, Canonicatus, Eccleſias collegiatas, Parrochiales, & Conuentuales omnibus pro dote, decimas frugum aſsignando, Prædia, redditus, Clenodia, & uaſa ex auro, & argento. Dambrowka etiam de ſorte ſua uniuerſis Eccleſijs prouidit, uarijs apparatibus, ornamentis, & calicibus. Sed & Barones, uniuerſaq́ue nobilitas Polonorum, æmulando principem ſuum, & eius conſortem, Prædijs, uillis, & dotationibus, Eccleſias ferentiùs dotabat, clerumq́ue uenerabatur: & quotiens ſacrum in Eccleſijs legeretur Euangelium. Dum ſacerdos diceret: Sequentia ſancti Euangelij ſecundùm Matthæum, &c. De uagina quilibet Baro extrahebat gladium uſque ad medietatem, oſtendendo ſe paratum Euangelium tueri, & pro eo mori. Sacerdote autem proſequente lectionem Euangelij, mittebant gladios in uaginas, ſed hic mos per incuriam abolitus eſt Myeczlao Dambrowka uxor eius: anno Domini 976. peperit filium, cui precatibus matris nomen impoſitum eſt Boleslaus, quod ſonat magnus, & famoſus. Hic eſt ille Boleslaus Chabri, de quo infrà dicetur. Ipſa uerò Dambrowka poſt decennium abſumpta eſt rebus humanis, de anno Domini 977. in Gnezna tumulata: lugentibus eam Mieczlao marito, Boleslao filio, & omnibus uiris Eccleſiaſticis: non ſecùs, quàm piam matrē. Hæc coniugata, caput non uelabat, ſed inſtar uirginū ſerto ornata, inceſsit. Poſt dies luctus materni, iuſſu Mieczlai Boleslaus filius, anno Dñi 984. accepit Iudith filiā Ieſſe ducis Hungarorū in coniugem, & nuptias in Gnezna ſub multitudine prælatorum, & Baronū celebrauit. Quæ Iudith anno ſexto, uirilis ſexus puerū, effudit, & ei nomē auitum impoſitū eſt, Mieczlaus, quod ſignificat habiturus laudem. Interim Mieczlaus Polonorum princeps ſedula admonitione ſuorū conſiliariorum, ad Benedictum ſeptimum Pontificem maximum mittit Lampertum Archiepiſcopum Cracouienſ. & cæteros nuncios coronam ſibi, & regionibus Polonorum dari petendo. Cuius petitioni Papa Benedictus ſeptimus reſpondit: Nondum dignos fore Polonos, ut eis corona hactenus deberet conferri. In proximo uerò Deus placatus, coronam dabit eis, exaltabitq́ue illam: ſic locutus Stephano duci Hungarorum, qui & ipſe pro corona miſerat. Per Aſtericum nuncium eius tradidit coronam, Polonis uerò denegauit. Expugnauit ſub Mieczlao dux Ruſsiæ Vuladimirus caſtra Przemisl, & Cyrwen, & Radmiczis in regione Ruſsiæ parentibus, Polonorum ditioni tributa impoſuit. Mortuus eſt præfatus Mieczlaus primus fidei plantator Chriſtianæ, anno Domini 999. ſacramentis Eccleſiæ ritè perceptis: & in medio Eccleſiæ Cathedralis Poſnanienſ. ſepultus.

Poſnanien. Plocenſis. Culmenſis. Camienenſis. Lubucenſis. — Aegidius Cardinalis miſſus in Poloniam. — Poloni gladijs extenſis euangelium tueri parati. — Boleslaus genitus. — Dambrowka moritur. — Myeczlaus naſcitur. — Polonis corona negata. — Myeczſlai mors.

CAPVT II. LIB. II.

Dicto initio renaſcendi in Chriſto per baptiſmum Polonorum: dicenda ſunt execranda idola eorum, adorata priuſquam ad ueræ fidei cognitionem, uerique Dei culturam peruenerunt. Fuerunt autem (ut eſt in Chronographis uidere) dij, quos more gentilitatis coluerunt, iſti: Iupiter, Mars, Pluto, Venus, Diana, Ceres, Iouem uulgari ſermone nuncupabant: hunc dixerunt Omnipotentem, omnia dantem, omniaq́ue facientem: quoniam Iouis omnia plena ſunt. Martem appellarunt Ledam, ducem bellorum, & largitorem uictoriarum. Plutonem uocauerunt Nya, meliores ſedes inferni poſt mortem ab eo poſtulantes. Venerem dixerunt Dzidzilya: ab hac impetrabant fœcunditatem, uoluptates, & prolis copiam. Dianam nuncupabant Dzeuiana, continentiam, uenationes, & fœlices aucupationes ab ea precantes. Cererem uocarunt Marzana, fertilitatem agrorum, & arborum ab ea petentes. Et quia ad inſtar Græcorum (quibus non multùm diſtant) multa ſatagebant facere, deos Græcorum

Poloni ueteres colebant, deos Iouem. Martem. Plutonem. Venerem. Dianam. Cererem.

eorum coluerunt: ut ego à maioribus meis accepi. Adorabant Pogoda, quod sonat temperies: adorabant spiraculū, siue flatum tenuis auræ, per spicas frugum, & folia arborum sibilantem, atq; cum sibilo transientem. Vocantes numen eius Pogwisd: adorabant Ledam matrem Castoris, & Pollucis, geminosque ab uno ouo natos, Castorem, & Pollucem, quod auditur in hodiernam diem, à cantantibus uetustissima carmina: Lada, Lada, Ileli, Ileli, Poleli cum plausu, & crepitu manuum: Ladam (ut ausim ex uiuæ uocis Oraculo dicere) Ledam uocantes, non Martem, Castorem Leli, Pollucem Poleli. Omnia iam præfata idola, omnia auguria, incantatores, & phitones abstulit inclytus Princeps Mieczslaus, & de regno relegauit, sub interminatione uitæ mandans, ne quisquam, præter uerum, & unicum Deum, in personis trinum ampliùs glorificaret. Ego in pueritia mea uidi tria idola de prædictis in parte confracta, circa ambitum monasterij sanctæ Trinitatis iacentia Cracouiæ, iam dudum sublata.

Temperiem. Aërem. Ledam. Castorem. Pollucem.

CAPVT III. LIB. II.

Swantoslaus dux Rusſiæ, mouens bella Kozaris gentibus Ruthenici generis, obtinuit castrum eorum, Byalauiesza, & ipsos tributarios effecit. Deinde intulit bellum Bolgaris, & expugnatis octuaginta castris eorum, coëgit eos tributa pendere. Ipso autem in Bulgaria demorante, Pyeczinigi obsederunt Kyow, ubi fuit mater, & tres filij ipsius Iaropolkus, Olha, & Vulodimirus. Soluentibus autem Pyeczinigis obsidionem Kiouieñ. (territi enim, & decepti fuerunt per quosdam Ruthenos, quòd Swantoslaus appropinquaret cum ualido exercitu) Olha mater Suantoslai defuncta est. Non contentus autem iam dictus Swantoslaus dux Rusſię expugnatione Bulgarorum, post duos annos, scilicet anno Domini 972. Græciam ingreditur, & onustus spolijs redibat, occurentibusq; ei Pyeczinigis. In loco iniquo, pugnæ inepto cū eis confligit, & uictus captus est: Duxq; Pyeczinigorum Kura nominatus, caput ipsius amputando, fecit ex testa poculum, ornansq; ipsum auro, solitus fuit ex eo more cyphi bibere, ad innouandum suum triumphum. Eo autem uiro iam dicto absumpto, filij, tempore quo uixit Swantoslaus diuisi, noluerunt contentari in paterna diuisione, & prouincijs assignatis, quamuis latissimę fuerunt. Iaropolkus enim maior natu, munere, & assignatione patris habens Kyouiam. Inuasit castrum Varasz, in quo germanum suum Olham interfecit, & prouinciam ipsi per patrem designatam, Drewlianorum occupauit. Vulodimirus natu minor, ex diuisione paterna, Nouogrod pro sorte habens, uidens tyrannidem Iaropolkonis, ne ad ipsum quandoq; perueniret, circumuallauit castrum Kyouieñ. in quo erat Iaropolkus: uenientemque ad se Iaropolkum sub conditione pacis: ad suggestionem sui Palatini, & Consiliarij nomine Blud interfecit, & tres ducatus fraternos possedit. Pro cæde autem fraterna gratificando: plurima fana, & simulachra in montibus Kyow locauit. Præcipuè tamen simulachrum fulminis, quod maximè ueneratus est, & ei eminentissimum simulachrum extruxit. Corpus ex ligno formando, caput ex argento, & aures ex auro. Conuertit tandem Vulodimirus animum ad bella, & intulit bellum Myczslao duci Polonorum, expugnauitque sub eo castrum Przemisl, & castrum Cirwen, adiecitq; ditioni suæ districtum Radimiceñ. Conuersus iterum in Græciam conquisiuit insigne castrum Græcorum Korschim, & ex eo totam oram illi uicinam sibi subiecit. Sollicitatus deinde præfatus Vulodimirus à Machometistis, ut ritum eorum assumeret, illicò spreuit, quoniam fœdus, & turpis uidebatur. Postea à Latinis sollicitatus, non acquieuit, quoniam cerimoniæ Latinorum parùm religiosè, & templa parùm ornata, uidebantur. Tertiò à Iudæis requisitus, ut eorum legem complecteretur, noluit: grauis enim lex Iudæorum uidebatur. Græca religio plurimùm commendata per nuncios ex Constantinopoli redeuntes (nuncios siquidem ad omnes nationes rituum prædictorum miserat speculatum, & exploratum iri) plurimùm placuit. Ideò misit nuncios ad Basilium, & Constantinum Græcorum imperatores, optans sororem eorum Annam in coniugium, offerens (si tali coniugio potiretur) de castro Korschim, & regione subiecta, extemplò excessurum. Græci uerò Imperatores responderunt. Non licere principi gentili, & idolatræ germanam eorum sociare. Si uerò errore gentili deserto, fidem Christianam profiteretur: non abnuituros petitionem eius. Vulodimirus autem obtulit sese fidem Christianam prono animo suscepturum, uenirent duntaxat personaliter, sororem adducerent, & ipsum baptisarent. Itaque ueniunt Imperatores Basilius, & Constantinus, cum sorore Anna, iam persuasa, & consentiente (priùs enim consentire recusabat) in Korschim: & Vulodimirum mox cæcitas inuasit: cœpitque fluctuare, an deberet baptisari. Anna uerò coniunx ipsius futura, persuasit ei, quòd baptismate suscepto cæcitas deperiret. Anno ergo Domini 990. baptisatus Vulodimirus ab Episcopo

Swantoslaus. Swantoslaus Græciam spoliat. Swantoslaus interfectus. Iaropolkus. Olha. Vulodimirus. Iaropolkus interfectus. Fanum & simulachrū fulminis. Vlodimirus Polonis bellū intulit. Vlodimirus Græciam turbauit.

Vlodimirus Graeco ritu baptisatur. Episcopo Korschimeñ. illuminatus est, & celebrauit nuptias. Restitutoq; castro Korschim imperatoribus, lætus cum noua sponsa in Rusiam peruenit, idola, & templa eorum confregit: simulachrum fulminis, quod præcipuè uenerabatur, ad caudam equi alligatum trahi, & in fluuium Dniepr mergi iussit. Promulgauit deinde edictum, ut omnes populi sibi subiecti, relictis idolis baptisarentur. Quod & factum est: cateruatim namq; Ruthenis in Kyouu confluentibus baptisabantur in flumine Dniepr, qui & Boristenes dicitur, per Episcopum Korschimieñ. baptisati sunt, & filij Vulodimiri duodecim, quos ex pluribus uxoribus, & concubinis susceperat, Viseslaus, Iseslaus, Suatopolkus, Iaroslaus, Vuseuoldus, Suantoslaus, Mscislaus, Borzich, Hleb, Stanislaus, Poswysd, & Sudislaus. Applicuit insuper pueros, literis Græcis, artifices ex Græcia conductos locauit, & salariauit: Ecclesias ex petra atq; lateribus etiam extruxit. *Russia Græcã fidem suscipit.*

CAPVT IIII. LIB. II.

ANno Christi Domini 999. Boleslaus Chrabri, unicus filius Myeczlai suffectus est in Monarcham, & dominum Polonorum. Moxq; sollicitando curabat recuperare, & reducere in Poloniam, corpus sancti Adalberti nouiter in Prusia occisi, transtulitq;, & reduxit in Gneznam, quemadmodũ paulò inferiùs dicam: Ottone autẽ Tertio Romanorum Imperatore uotũ emittente, limina sancti Adalberti uisitare, sano facto in Poloniam progredienti. Occurrit ei in metis Boleslaus princeps Poloniæ, cũ caterua suorum militũ, & cõducebat cũ maxima pompa ac ueneratione: Et omnium necessariorum in uictu & suppellectili, tam quo ad Imperatorem, quam curiæ ipsius, sumptuosa prouisione. A' Posnania uerò in Gneznam, septẽ miliaria (quoniã ex uoto tot miliaria pedes iturus erat Otto) strauit diuersis pannis uariorum colorũ, & una cum Imperatore pedes, usq; in Gneznã incesit. Vbi maxima multitudo, ex præcepto & ordinatione Boleslai confluxerat, Prælatorum, Baronum, mulierum ac uirginum nobilium: Auro, margaritis, & unionibus onustarum. Ad excipiendum Imperatorem. In Ecclesiam autem maiorem Otto ingrediens, prosternens se orauit. Ad sepulchrum beati Martyris Adalberti, & post orationem & oblationem, in palatium principis exceptus introiuit. Honoratus aliquot diebus, non solum superba mensa & uictualibus, sed muneratus uarijs & preciosis muneribus, singulis namq; diebus, alij & alij ordines militum, & ministrorum ferebãt dona Imperatori Ottoni. Vasa aurea & argentea, gemmas uarias & monilia: Equos & uestes, auro, ostroq; intextas, purpuras, pellesq; magni precij. Sic & cunctis optimatibus, principibus & Aulicis Imperatoris condigna munera, sumptuosè largitus est. Quæ omnia Imperator metiendo considerabat, aduocatisq; principibus & suis consiliarijs, uehementer admiratus, industriam, prudentiam, liberalitatem, fastiuitatem, promptam executionem & obedientiam subiectorum, tot munera, tot obsequia. Percontatus est, quo genere remunerandi, tantus princeps dignus nomine regio esset premiandus, & an corona insigniendus. De cæteroq; rex uocandus auctoritate Imperiali ueniret. Cunctis autẽ propositum Imperatoris extollentibus, consulebant coronandum. Itaq; sequẽti die, accepto Boleslao, processit cum eo imperator in Ecclesiam: conuocatisq; Gaudentio Gneznen. cæterisq; Pontificibus, iussit eum in Regem Poloniæ inungi, & deductum supra sedem Maiestatis, corona sua, tempora Boleslai ornauit, & coronauit: à sua, suorumq; successorum, Romanorũ Imperatorum obedientia, eum & posteros eius Reges Poloniæ perpetuò absoluit, omnibus acclamantibus, gaudentibus, & laudantibus. Intellectumq; est, & completum, quod Benedictus Papa septimus, ad Lampertum Cracouieñ. antistitem diuino oraculo dixerat. In breui coronam exaltando dabit Deus Polonis: illo ergo triduo delicatissimè Cæsarem cum suis refecit Boleslaus nouus Rex, uasa aurea, & argentea, quibus cibus, & potus mensis inferebatur, peracta refectione simul collecta; Cęsari donabantur. Altera, & tertia die magis & magis preciosa donabantur: hastarum ludi exercebantur: plausus chorearum ducebantur: Musicalibus regia die, noctuq; concrepabat. Anno ergo Domini millesimo primo, coronatione Boleslai peracta: recedens Otto ex Gnezna, munificè donatus, iunxit affinitatem cum Boleslao: desponsando Myeczlao filio Boleslai neptem suam, ex germana sua Machtildæ genitam filiam Ezzonis. Alias Herenfridi Comitis Palatini Rheni, nomine Richszam, uirginem literis doctam. Obtulitq; sæpè dicto Regi Boleslao clauum Domini, & lanceam sancti Mauritij. Rex uerò Boleslaus donauit Ottoni brachium sancti Adalberti, quod reposuit Romæ in insula, in Ecclesia sancti Bartholomæi trans Tyberim. Proximis annis dum Romæ fuissem, per me uisum, reduxit Ottonem Rex Boleslaus gratificando ei de corona usq; ad confinia regni sui, redijtq; in Gneznam, Ottone ad Meydenburg diuertente.

Otto Imperator in Poloniã uenit.

Boleslai magnificentia.

Boleslaus coronatur in regem.

Poloni ab obedientia Imperij absoluti.

Richsza desponsata Myeczlao.

Clauus Domini.

Lãcea S. Mauritij.

Brachium S. Adalberti.

CAPVT

CAP. V. LIB. II.

DEinde cum Vulodimiro principe Rusiæ percusso fœdere, collecto uniuerso exercitu, Rex Boleslaus ingreditur Bohemiam: Boleslaus siquidem tertius princeps Bohemiæ, irruperat circa Cloczko in regnum Poloniæ, malo suasu suorum. Et interpositis treugis addidit alteram inuasionem, & spolia. Vastante autem Rege Poloniæ, Bohemiam cædibus, & undiq; ex combustione flammis collucentibus. Princeps Bohemorum sentiens se imparem pugnæ, concluserat sese cum Iaromir filio, in castro Vischrad. Sed rex Poloniæ conquisitis uniuersis castris, & ciuitatibus Bohemiæ. Applicuit Pragam, & forti milite expugnauit, obsessoq; castro Vissehrad. Boleslaum ducem Bohemiæ cum filio comprehendit. Firmatis deniq; rebus Bohemorum sufficienti præsidio militum tam in Praga, quàm in alijs municipijs relicto, Poloniam regrediebatur. Ad consolationem autem suorum fidelium, & ad maiorem Bohemię appropriationem Boleslao duci Bohemiæ fratri suo amitali oculos eruere præcepit (quanquã annales Bohemorum asseuerant hoc facinus Myeczlaum primũ christicolam Polonorum peregisse) Iaromirum uerò filium, commisit custodiæ Vrsouicensium, qui semper sentiebant pro rege Poloniæ perdicto, & adiutorio eorum (multas enim possessiones habuerunt in Bohemia) præualebat contra Bohemos. Hi pro armis gerunt ursum, supersedente uirgine: in Poloniam eorum familia deuoluta uocatur Rauitarum. Præconcepit quoq; anno sequẽti Boleslaus rex Poloniæ, Morauiam expugnare, & expugnauit Deo iuuante: utq; fieret ei perpetua Bohemiæ, & Morauiæ possessio, misit ad Henricum primum imperatorem, ut ei traderet Odalricum, alterum filium ducis Bohemiæ, in curia sua imperiali commorantem, quod & fecit. Indignabatur enim Henricus Bohemis: Boleslaum uerò regem Poloniæ dilexit. Post plures annos idem Odalricus, precibus, & fletu, à uinculis Regis Poloniæ liberatus: Bohemiam turbabat, & germano suo Iaromir, ne hæreditaret, oculos eruit.

Bohemi Poloniã uastabant.

Boleslaus Bohemiam subegit.

Boleslaus dux Bohemiæ oculis priuatur.

Vrsouicensis & Rauitarum familia.

Boleslaus rex Morauiam expugnauit.

CAPVT VI. LIB. II.

SOllicitante deinde Suatopolkone duce Rusiæ, & personaliter implorante reductionem in ducatum Kiouieñ. de quo fuit expulsus per Iaroslaum germanum eius, annuit, & exercitu ualido collecto de proprijs militibus iamiam pugnare assuetis scientibus stare, & sequi. In unum coire, & ordines promptè constituere. Habens secum prænominatum Suatopolkonem, ingressus est Rusiam, inuasiones, spolia, ac iniurias olim regno Poloniæ illatas uindicaturus, recepitq; ciuitates, expugnatu faciles (ligneæ enim erant) usq; ad flumen Bug. Quò cùm peruenisset, inuenit Iaroslaum ducem Rusiæ, parte ab altera cum ingentibus copijs, ex Ruthenis, Varays, & Pyeczingis conflatis. Excursionibusq; aliquot diebus utrinq; habitis: Budus alumnus Iaroslai ducis, stans in altera ripa exprobrabat, & deturpabat Regem Polonię Boleslaum, dicens se in breui extracturum crassum uiscus eius. Boleslao uerò grauiter id ferente, & iniuriam suam ultum iri Polonis committente, repentè armis correptis fluuium Bug transiuerunt, & in ordines promptè concurrentes, Ruthenos aggressi, prosternunt, & ad ultimum uincunt. Iaroslao, ne in manus Polonorum ueniret uiuus, primùm in Kyow, depòst in loca paludinosa fugiente, ad Kyow rex Boleslaus perueniens, obsessione, & fame eam expugnauit. Pro illa tempestate, ciuitatem insignem, & magnam, trecentas Ecclesias, & ultra habentem, quarum aliquæ nunc stant: Aliarum autem ruinæ duntaxat, apparent. Ingrediens urbem rex Boleslaus, euaginato gladio percussit in portam, per quam ingrediebatur, dictam aurea, eam scindendo in signum uictoriæ. Et castro obtento, uniuersos thesauros ducales comprehendens, moratus est, & illic hyemauit. Deprehendensq; Suatopolkonem (quem in sedem Kiouieñ. de qua pulsus erat, restituerat) quosdam milites suos in statiuis hybernantes, & uictualia quærentes occidisse. Iratus contraxit suas copias Suatopolkone fugiente, & Kyouu spoliata, spolijsq;, & captiuis onustus in Poloniam remeabat. Insequente eum clandestinæ Iaroslao cũ grandi exercitu, ut quũ in metis dimitteret exercitũ, inuaderet, & trucidaret Regem, cum reliquijs exercitus. Nec fefellit eum opinio, transito enim flumine Bug, Poloni ad propria ueloci cursu properabant, & Iaroslaus properè Boleslao appropinquabat. Rex per exploratores certior factus, quos potuit, reuocauit, coasistentesq́ animauit, & commisso prælio, diu anceps bellum agebatur: donec Iaroslai exercitus rarefactus retrocedere cœpit, tunc pasim quisque Ruthenorum fugam maturabat: & Iaroslaus dux eorum fugiens, permutando equos non substitit, donec in Nouogrod peruenit. Boleslaus ergo, & suus exercitus ex spolijs ditatus in Poloniam fœlix reueniens, Deo, auctori uictoriæ, gratias egit.

Boleslaus Rusiæ bellum intulit.

Boleslaus Kyouu expugnauit.

Boleslaus reuit Iaroslaũ uicit.

Ecclesias

singulis colonis, quotannis soluentibus, de manso unam mensuram siliginis, alteram auenæ, plerisque item uillis officium custodiæ constituit; ut singulis noctibus permutatim excubias nocturnas in castris agerent, & uoce sonóra in testimonium fidelitatis, custodię declamarent.

CAPVT VIII. LIB. II.

Sancti Adalberti uita.

Quoniam de sancto Adalberto, & de Prussia mentio facta est, ideo de his, & cęteris incidentibus, parumper est dicendum. Sanctus Adalbertus è nobilibus parentibus, patre Slavvnyk, matrē Strzeszislaua, de Lublycz oppido Bohemiæ extitit oriundus. Apud Albertum Maydenburgēsē Episcopū obseruantiam ægit, & ab eo Adalbertus nominatus est. Permutato priori nomine Voyeziech (quod significat exercituum consolator) ob difficultatem expræssionis eiusdem. Astitit morienti Dithmaro, primo Episcopo Pragensi. Audiensque ab ore eius causam damnationis suæ, plurimum expauit, & terrore consternatus omnia delitiosa abiecit, & cilicium induit. Electus in Episcopum Pragens. anno domini 981 sicut dęmones per obsessos prædixerat. Rexit subiectum gregem in exhortationibus, disciplina & mansuetudine. Bohemis documenta eius haud obseruantibus: maximè in eo, quòd pluribus uxoribus abutebantur, filiós & filias Christi nomine baptisatos, Iudęis in seruitutem uendebant. Diebus Dominicis forum frequentabant, & quòd gentiles ritus obseruabant. Quapropter dimissis Bohemis Romam perrexit, & in monasterio sancti Alexij unà cum Gaudentio germano suo, in maxima obseruantia & sanctitate septem annis delituit: Bohemi autem culpam scelerum suorum in sanctum Dei retorquentes, inuaserūt oppidum Lublicz, & quinque germanos sancti Adalberti necarunt, uidelicet Sobbobor, Spiczmirū, Sobroslavv, Zimisza, & Czaslavv. Nec his malis contenti, omnem prolem, & cognationem eorum, cum singulis inhabitatoribus Lublicz deleuerunt, ac interfecerunt, oppidumque flammis iniectis exusserunt. Solo Poray, sexto germano beati præsulis Adalberti in Polonia Boleslai Chrabri seruitijs dedito, per absentiam saluato, Bohemiamque repetere non audenti. Princeps Boleslaus donauit illi sufficientes possessiones in Polonia, ex huius stirpe, nobiles de armis rosarum, albam rosam in campo rubeo deferentes, quorum proclama est Poray, à præfato Poray Sancti Adalberti germano originē sumpserunt. Cōpertis malis, quæ dietim in Bohemia fiebant, Archiepiscopus Maguntinus, metropolitanus Bohemorum, supplicauit Papę, ut suffraganeum suum Adalbertum iuberet ad oues proprias in Bohemiam redire. Sancto Adalberto opponente, quòd gens Bohemorum sit durę ceruicis, & incorrigibilis. Et iccirco sedes apostolica, tribueret ei licentiam prædicandi euangelium Prutenis potiùs, quàm in Bohemiam redeundi. Si te (inquit) Papa, nō audierint, excusso puluere de pedibus, habeto licentiam aggrediendi, & in fide docendi Prutenos. Redijt itaque beatus uir Adalbertus in Pragam, & in spiritu lenitatis demulcendo, & quandoque in uirga correptionis arguendo, obiurgabat populos. Nequicquā proficienti, quodam tempore beato Adalberto dormitante dixit illi dominus. Tu stertis, & ego iterum infidelibus uendor. Et statim exurgens in forū processit, & quos inuenit Christianos uenales gratiosè redemit, ac liberè abire iussit. Obmissa ergo Praga, profectus Romam, à Benedicto sexto confirmationem Prutenis, & alijs gentibus prædicandi uerbū salutis obtinuit. Et in redeundo Hungariam ingressus, Gyesse principem cum filio eius Stephano in fide corroborauit, totamque perambulans Poloniam, uerbum Dei Slauis & Hungaris quasi uno anno prædicauit. Exinde in Poloniā conuersus, anno domini 996 Cracouiam uenit, & uulgari Bohemico quotidie concionando prædicauit, in eo loco ubi nunc ecclesia sancti Adalberti stat, post palmam martyrij eius superædificata. Dimissa Cracouia, una metropoli Polonorum, in Gneznam aliam metropolim comitantibus, ducentibus, & in uictualibus prouidentibus eum, militibus ducis Myeczlai & eius filij Boleslai peruenit. Illic mortuo Roberto Archiepiscopo Gneznen. ad instātissimas preces Myeczslai principis, & filij eius Boleslai cathedram Gneznen. regēdam suscepit. Nec longè post constituto Gaudentio germano suo in Archiepiscopatu Gneznen. ad seminādum uerbum Dei, & fidem Christianam propagandum, in Prussiam processit. Est autem Prussia regio septentrionalis frigida, à Polonia distincta fluuijs Ossa & Visla, usque ad mare Sarmaticum continuata. Dicta Prussia, ut aiunt, à Prusia rege Bithyniæ, qui incitamento Hannibalis, infeliciter contra Romanos pugnans, fusus, in illam oram Prussiæ cum suis gentibus fugit, nomenque suum illi dedit. Signū huius asserentes inducunt quòd uulgare Græcum loquentes intelligunt, pleraque uerba Prutenorum ex regione Bithyniæ

Prussiæ origo & descriptio.

Græci sermonis propagata. Aduenerunt deinde ut fama est gentes Romanæ, ob bella ciuilia Italiam deserentes & permiscuam mansionem cum eis fecerunt, Prussiam, Lithuaniam, & Samagithiam mixtim cõstituentes & linguagium confundentes. Propter quod multa uerba, latinam Linguam redolentia in eorum sermone audiũtur. Sed & hoc signũ certificatores addunt, quod principalem ciuitatem Romoue uocauerunt, à Roma nomine deriuato. Et in ea summum Pontificem, more gentilitatis constituerunt, sermone eorũ Crivve appellatum. Aeneas Syluius in epistolis, Prutenos nititur dictos, quasi Brutenos litera cõmutata capitali, quia moribus fuerũt brutales. Habuerũt namq; tot uxores quot emere potuerunt, ancillarum officia obeuntes: Ebrietates, commessationesq; diligentes, balneis frequentibus eas diluentes & curantes. Hanc igitur Prussiam per milites Myeczslai, & filij ipsius Boleslai conductus S. Adalbertus attingens Ossam fluuiũ nauigauit, & dum pro nauigio nummis careret, à remige in caput remo percussus, gratias Deo ægit, & non maledixit. Circuibat uicos & oppida prædicando Prutenis per interpretẽ, & idola confutando. Docens solem, lunam, ignem, lacus, & syluas quæ adorabant, non esse deos, sed creaturas Dei. Sacerdotes autem & pontifex lingua ipsorum Crivve dictus. Ne amplius prophanando deturparet deos & ritus eorum, conspirauerunt necandum. Die ergo Veneris nonas Kalendas Maij in colle saxoso cuidam uico imminenti, iuxta littus maris, prope oppidum Fefchhaus inuenerunt sanctum Dei diuina celebrantem, & insilientes in eum, septies confossum, pluries scissum, & ictibus quassatum, occiderũt, capiteq; abscisso, in arbore suspenderũt, quem aquila per triduum custodiuit, donec membra scissa per hospitem uiri beati in sportam collecta, iuxta locum martyrij in terra absconsa sunt. Audiens Boleslaus Chrabri necem sancti Dei, missis nuncijs requirebat corpus eius. Ad quem Pruteni, Deum tuum inquiunt occidimus, terraq; obrutum, minimè poteris habere, nisi argentum tantum appendas, quantum ponderat. Misit ergo Boleslaus uiros ecclesiasticos, cum certis militibus, qui iuxta Romoue corpus oblatum, primum recognoscentes esse sancti Adalberti. In altera parte tabulæ appenderunt argenti quantitatem, quantã æstimabant appendere corpus. Sed mirabilis Deus in sanctis suis, tantam corpori sancti Adalberti tribuit leuitatem, ut prope nihil ponderaret, secundum pacta igitur, argento in scrinia reposito, accipiẽtes corpus in capsam nouam ad hoc paratam, condunt, & honorificè in Poloniam detulerunt. Boleslaus certior factus, intra metas Poloniæ adesse corpus sancti Adalberti, coassumptis uicinioribus Episcopis, uirisq; spiritualibus & secularibus cum maxima multitudine occurrit, & prostratus in terram, excepit, & usq; in monasterium Canonicorum regularium sancti Augustini, dictum Tremeszna, quod Myeczslaus pater suus, quum uiueret condidit, deduxit & locauit. Breuiq; tempore exacto, collecta multitudine pontificum, ecclesiasticorumq; & sæcularium uirorum: in Gneznam tanquam in locum digniorem & metropolitanum 13 Calendas Nouembris transtulit. Vbi mira Dei uirtute, stupendis miraculis cœpit clarescere, Germanis, Pãnonijs & prouincijs uicinis ad sacrosanctum eius confluentibus, & in necessitatibus salutaria solatia reportantibus. Sed & Otto tertius imperator, instinctu suo, suorumq; astantium suasu, in graui ægritudine facto uoto, uisitare sanctum Adalbertum in Gnezna, subito & miraculosẽ conualuit. Et ut dictum est, uoto expleto, per merita beatissimi Adalberti, coronam Boleslao & successoribus eius, regibus Poloniæ, perpetuò duraturam, donauit.

Sancti Adalberti martyrium.

Sancti Adalberti corpus argento à Prutenis redemptum.

Sanctus Adalbertus in Poloniam allatus claruit miraculis.

CAPVT IX. LIB. II.

REgnante Boleslao Chrabri, floruerunt sex fratres in Polonia: Duo, Benedictus & Ioãnes, ad instantiã præfati Boleslai, & promotionẽ imperatoris Henrici. Ex Pereo cœnobio uiri insignis sanctitatis Rommaldi, pro neophitis in Polonia edocendis concessi, & tanquam angeli Dei, per nuncios ad Boleslaum adducti. Et quatuor Matheus, Isaac, Christinus, & Barnabas, Poloni natione, illis spõtè cõiuncti. Habitabant in æremo, prope oppidum maioris Poloniæ Kazimirz, in arctissima uita & obseruantia, in orationibus, & ieiunijs assiduis, docentes uerbo & exemplo quosque requirentes & aduenientes. Quadam autem die rex Boleslaus, commendans se, & regnum suum orationibus ipsorum. Obtulit eis magnam massam auri, palã in conspectu omniũ, quod tamen fratres inutile eis profitentes, nequaquam accipere uolebãt. Et post triduũ, per Barnabam fratrem minorem in Gneznam Boleslao remiserunt: uixq; medium itineris Barnabas emensus est, & expilatores auri sacra fame incitati: sanctos uiros orantes in nocte comprehenderũt, & per minas, plagas, per ligamenta: ad ultimum, per uarios cruciatus

Sex fratres sancti.

Alia historia habet centum marcas pecuniæ.

ciatus & exustiones ignis, tormentis affectos trucidarunt. Vtque tanti reatus crimen tegeretur, ignem iniecerunt sex casis, & quinque corporibus sanctorum necatis, ut casuali flamma conflagrati putarentur. Verum nec pilus de capitibus decidit eorum. Neque exustio tetigit tellus & corpora eorum. Rex Boleslaus ex Gnezna celeriter accurrens cum tota curia, & e rure uicino, colonis peditibus accersitis, inuenit expilatores in siluis uagantes, aré factis brachijs, gladios exertos & nudos ferentes, ligatos & cathenis uinctos, ad locum sanctorum martyrum adduxit: Diram ultionem ex eis sumpturus. Dei tamen clementia & sanctorum meritis, ut locum attigerunt, mox cathenis confractis liberati sunt. Et miraculo facto abire permissi sunt libere. Delata corpora eorum in Gneznam, simul in una tumba in ecclesia maiori sunt sepulta. Anno domini 1005. agitur festum eorum pridie idus Nouembris, quoniam ea die passi, cœlestia meruerunt. Barnabas uero confrater martyrum magno eiulatu gemebat, quod simul coronam cum eis non percœperit. Factoque æremitorio in eodem loco, deuotus permansit. Et citò post uita functus, appositus est fratribus suis, Gneznæ conditis. Extant nunc quinque capellæ deuotione fidelium, in locis habitationum sanctorum superædificatæ.

Quinque fratrum martyrum.

CAPVT X. LIB. II.

VAstatis Kantatis, Vulodimirus dux Russorum, etiam Pyeczinigorum exercitum, iuxta fluuium Trubiesza profligauit post singulare certamē, unius ex pieczinigis gigātęque staturę deiecto & occiso, à Rutheno de Pereassavv medię staturæ, quo cum duellum ingressus fuerat. Sed Pyeczinigi recollectis uiribus, anno sequenti uehementi cœde ac igne terras Russorum uastauerunt. Vvlodimirum eis occurrentem cum suo exercitu conterendo, & fugientē persequendo: Donec sub pontem qui fugienti occurrerat, se recondit, et eius beneficio hostes insequētes fefellit. Hac de causa ecclesiam transfigurationis in Kiovv extruxit, quoniam in festo transfigurationis secundum ritum Græcorum sua euasio contigerat. Tandem ueritus Vvlodimirus ne decedente eo, inter filios bella orirentur, sic inter eos regnum diuisit. Vislao natu maiori, dedit Nouogrod, Isoslao Poloczko, Suatopolkoni Thurovv, Iaroslao Rostovv: Sed Visoslao fatis rapto: Iaroslao Nouogrod, Borisz Rostovv, Hleb Moronye, Suatoslao Drevvianie, Vvseuoldo Vvladimiriam, Mscislao Thimutuchani: Cæteris iunioribus Kiovv, & Berestovv principatus, post mortem suam reseruauit. At Iaroslaus sorte sua non contentus, creditus in pace uenisse castrum Kiovv occupat. Quod pater Vvlodimirus molestissime ferens, ex omnibus suis & filiorum principatibus, bellatores aduersus Iaroslaum contrahit. Iaroslaus uero resistentiā patri facturus: Pyeczinigos cum Varais conducit. Non potens autem Vvlodimirus prę mente ęgritudine, ordinationi belli adesse. Præfecit exercitui suo Borisz: Ipse uerò post paucos dies, in castro Berestovv moritur. Et in Kiovv in ecclesia uirginis Mariæ, quam uiuens ędificauerat sepelitur. Ignorantes patrem Vvlodimirū mortuū bini filij, Borisz & Suatopolk, certamen cum Iaroslao inierunt, & eum superauerunt. Suatopolkus ergo rapit principatū Kiouień. & germanum suum Borisz loco patris se colentem, per subordinationem quorundam Nouogrodensium in cubili suo orantem lānceis trāsfodit, & cū armigero eius Gregorio Hungaro interfecit. Misit & alios nequam uiros, & Hleb alium fratrē abscisso capite interfecit: Colit Ruthenica Ecclesia hos duos fratres pro sanctis martyribus: In ecclesia sancti Basilij Kiouień in uno sepulchro tumulatos. Nec impunis fuit Suatopolkoni occisio fratrum. Venit namque contra eum dux Iaroslaus cum Ruthenis & Varays, Suatopolkone cū Ruthenis & Pyeczinigis, circa castrum Lubiecz resistentiam opponente, flumine Dniepr utriusque exercitum dirimente. Et post trimestre spacium, Iaroslaus superato flumine: Inuasit exercitum Suatopolkonis inermem, diffugientemque in lacus: fragiles glacies habentes, cum submersione plurium, interfectioneque multo maiori aliorum Suatopolkus uix manus hostiles euadens, præpeti cursu in Poloniam fugiēs Boleslai Chrabri personale auxilium & reductionem in sedem Kiouień meruit. Per Iaroslai circa fluuium Bug profligationem, & kiouiæ expugnationem: Vt paulò ante de Boleslao dictum est: Contra Suatopolkonem iterum dux Iaroslaus anno sequenti cum nouo exercitu processit, & occurrēnte Suatopolkone in loco ubi Borisz occisus fuerat succubuit Suatopolkus. Et cōtractis copijs ex Pyeczinigis celerrime reuertitur in fortitudine magna. Cui occurrente Iaroslao circa fluuium Olham, in crastino (& fuit dies Veneris) sole oriente conflixerunt. Et Suatopolkus uictus fugit in Brzescze, ad prę fectum Boleslai regis Poloniæ. Exinde Poloniā ad rescindendum suas calamitates processurus.

Vlodimirus Pyeczinigos debellauit.

Vulodimirus uictus.

Vlodimiri mors.

Suatopolck fratres interimit.

cessurus. Sed in itinere repentino correptus languore, mortuus est, & in loco ignoto ac deserto sepultus. Post cuius mortem Iaroslaus pacificè Kiouień. possedit principatum. Et quanquam pro uno aduersario Suatopolkone extincto, alter aduersarius, nepos eius Brzetislaus, filius Isoslai ducis de Poloczko consurrexerit, & sub eo Nouogrod occupauerit, tamen & hunc duro certamine superauit, Nouogrod recuperando. Et Rededa ducem de Koschohon singulari certamine uicit, & tributa ei, regioniq; gentis Koschohon, imposuit. Post hæc, Mscislaus dux de Thimutukani, comparato exercitu de Kozaris, & Koschoys inuasit Iaroslaum fratrem suum ducem Kiouień. Et licet Iaroslaus in sui auxiliū ducem Vorahimorum Iakuy acciuisset, & duplici certamine conflixisset, tamē succubuit, & Kiovv in Mscislai ditionem concessit. Qui sedem Kiouień. fastidiens. Iaroslaum securitate promissa reduxit, sedemq; Kiouień. ei resignauit. Repete, inquit, frater sedem Kiouień. quon am natu maior es, & ea pro tuo libito utere, quam ego uictor uicto æquo animo restituo. Hæc omnia in diebus Chrabri Boleslai Russius facta contigerunt. Cui Boleslao, dux ipse Ruthenorum Iaroslaus, de anno domini, millesimo decimooctauo nouum & ultimum intētauit bellum, clandestinè inferre, sed dexteritate Boleslai uiriliter superatu est, quemadmodum historia de Boleslao suprap osita continet.

CAPVT XI. LIB. II.

Myeszko secūdus eligitur.

Conuentione habita in ciuitate Posaniensi, anno domini 1025. Electus est in regem Myeczlaus siue Myeszko secundus filius Boleslai Chrabri. Et dominica Penthecostes sub frequentia Prælatorum, Baronum, & nobilium, Myeczlaus in regem, Richsza cōiunx eius in reginam, Gneznæ uncti & coronati sunt, Per Ipolitū Archiepiscopum Gneznen. assistentibus ei Gompone Archiepiscopo Cracouień: Paulino Posnanień. Marcello Vvladislauień. Clemente Vvratislaueń. Albino Plocēn. pontificibus. In ipso autē regnandi initio apparuit Myeczlaus Poloniæ rex ingenio hebes & tardus: animo & moribus inconcinnus, cōsilio ineptus, actione leuis. In expeditionibus parum idoneus: Nihil paternę industriæ, nihil frugalitatis, munificentię ue regię habens. Ex muliebri pendens arbitrio, à consorte regina Richsza regebatur. Ad nutū eius & iuuenum consiliariorum præsignationē, omnia moderans, uacans uentri, ocio, somno, & uoluptati. Ea propter exteræ nationes per patrem ipsius subiugatæ, ab obedientia recesserunt homagiali: Brzetislaus siquidem filius Vdalrici ducis Bohemiæ, adolescens ferox, & impiger, ex muliere rusticana Bozena, aliàs Beatrice, primum concubina, postea in coniugem assumpta, progenitus, ulciscens aui sui excæcationem, & paternam captiuitatem Bohemiæ, ac Morauiæ, castra & ciuitates expugnauit. Polonos ciuitatibus præfectos trucidauit, Vrsouicenses & cæteros nobiles Bohemiæ Polonis fauentes attriuit, & persequebatur: Totamq; Bohemiam & Morauiam, suæ iurisditioni subiecit. Prouinciæ cis Albim, & circa mare Germanicum, Kassubitę, Serbiani, & insulæ marinæ, quas Boleslaus ditioni et imperio Polonorum restituerat, defecerunt. Nicolaum aliàs Mickelą à quo castrum Mickelburg principem Slauorum: Henricus primus imperator Romanorum, terris & possessionibus exuit, & comitatum Magnopolensem possidendo, cuidam militi tradidit, & eum comitem Magnopolensem creauit. Marchionatus Brandenburgeń. surrexit, subactis aut extinctis principibus terræ. Pro aquila alba, insigni uniuersali Poloniæ, aquilam coccineam, seu rubeam gestans: Ob hoc à polonis Sgorzelicz uocitatus: Ab eo tempore hæ gentes & oræ, à corpore regni Poloniæ distractæ, nunquam ad integritatem reductę sunt. Ruthenos tamen defectionem meditantes: Iaroslao & Mscislao ducibus Russiæ (quosdam agrestes ex dominio Polonorum captos circa Kiouiam supra fluuium Porszi locantibus) adhęrere uolentes, in fide rex Myeczlaus continuit, per hoc quod principaliores eorum captiuauit, & in castris Poloniæ, loco obsidum aliquot annis tenuit. Pomeranos uerò apertam rebellionem opponentes, bello coercuit. Nam instigantibus eum proceribus Poloniæ copias numerosas contraxit, & tres Hungarorum duces, Andream, Belam, & Leuentam sancti Stephani regis Hungariæ nepotes, ab Hungaria exulantes, & in regno Poloniæ iure hospicij susceptos, secum habens, cum Pomeranis conflixit, & eos uicit. Et quia Bela dux Hungarorum in ea pugna macte uirtutis, strenuus apparuit, ideo Myeczlaus dans ei suam filiam, in generum ipsum assumpsit, & uniuersum censum Pomeranicum, ad tenendum statum ducalem sibi consignauit. Nōdum autem quinquagesimum annum supergressus rex Myeczlaus, incidit in amētiam, qua aliquot mensibus molestatus, exosus, & contemptibilis mortuus est in castro Posnanień. 15 mensis Martij, anni

Brzetislao Bohemiæ dux Bohemia & Morauia potitur. Poloni trucidati. Prouinciæ multæ defecerunt à Polonis. Marchionatus Brandenburgens. Ruthenorum rebellio prohibita. Pomerani rebelles uicti. Myeczlai mors.

anni domini 1034. In Posnanień. ecclesia Cathedrali in paterno sepulchro conditus.

CAPVT XII. LIB. II.

EXtincto Mscislao, duce Cirnieiouień. Iaroslaus dux Kiouień. in principatu ei successit & monarchā Russiæ, sese gerere cœpit, quod lingua Ruthenorū sonat Yedzynavvlascecz. Pxeczyniegos autem Kiouiam grandi multitudine uallantes, celeriter cōtractis undiq; copijs Iaroslaus superueniens, fortiter deturbauit, & ipsos uicit, quibusdam Pieczinigis captis. Cæteris aut fugatis, aut in aqua mersis. In signum uictoriæ, Iaroslaus ecclesiam diuę Sophiæ in Kiovv erexit, turrimq; eius deauratis tabulatis texit. Eidem pro adornamentis uasa aurea & argentea libros & uestes praeciosas largiendo, & Metropolitanum in ea instituendo. Portam insuper uersus Poloniam pro magnificentia sua & urbis, profuso sumptu ædificauit: cacumen eius seu pinnaculum tabulis deauratis ornauit, & auream uocari iussit.

Ecclesia sanctæ Sophiæ in Kiovv.

CAPVT XIII. LIB. II.

ERat Kazimirus, filius Myeczslavv & Richsze uigesimum annum agens, adolescens probus, & litteris imbutus, qui primus inter principes Poloniæ legitur didicisse literas. Non tamen est (genitore extincto) in regem electus, tum ideo, quoniā regnicolæ circa Posnaniam anno domini 1035 congregati, timuerunt ne paternam segniciem, amētiam, tenacitatem, & regni pessundationem, sectaretur, tum quia Rychsza genitrix eius, olim Myeczlauum patrem, pro suo uoto gubernauit. Ne & filiū suis persuasionibus illaqueatum corrumperet: tum etiam quia oblationes & certas munerum donationes pro mensa regis, & reginæ in uillis nobiliū per Richszam tempore mariti constitutas abrogare noluit. Huc adde quoniam Richsza exosos habuit Polonorum nobiles, sordidos, & immorigeratos uocans. Consortia eorum deuitans, & Theutonis quæq; officia & dignitates distribuens. Nolens ergo prædicta immutare, denegata ei obedientia, coacta est de regno secedere, receptis itaq; thesauris, uetustæ gazę principum Polonorum, unionibus, armillis, monilibus, uasis & desideratis uestibus cum geminis coronis: una, quæ maritus eius, altera, qua ipsamet una coronati fuere, accepto secum filio Kazimiro indignata, recessit in Saxoniam, quærulatum iri imperatori Henrico, oblatisq; ei muneribus, de thesauris asportatis, simul & duabus coronis materialibus, regni Poloniæ adiunctis, precabatur, ut iniuriam suæ eiectionis de regno, in Polonis ulcisceretur, quod imperator promisit, emptoq; sufficienti censu, pro statu suo in Saleueld morata est. De bonis & possessionibus, dudum à se coëmptis, dum senuit duo monasteria fundauit: unum Brūuilcense, sub honore sancti Petri apostoli, & sancti Nicolai confessoris: Aliud in loco ubi sancti Kiliani, sociorumq; extabat martyrium. Super quo pię fundationis opere, ipsius reginæ Richszæ priuilegium apud prædicta loca ostenditur. Defuncta apud Saleueld, Coloniam delata est, & in ecclesia sanctæ Mariæ ad gradus humata. Filium uerò Kazimirum dum uiueret literis uberioribus imbuendum expensis sufficienter prouisum, Parisios misit, ubi existens per biennium: sæpenumero cogitauit, an in Poloniam esset regressurus, an in Theutonia cum matre sugillationes passurus, moram deligeret. Delegit tandem matre consentiente monachari. Et accedens personaliter Romnaldum, uitę sanctitate pollentem in Italia, donato ei pulchro caballo, exposuit quis esset, poscens ab eodem susceptionem & professionem regularem: quo annuente, redijt in Cluniacum, ubi professus, ad gradum diaconatus peruenit. Interim uerò, dum e Polonia secessisset turbo dissensionum Poloniam inuasit. Ingenui & præcipui bellatores, mutua cæde absumebantur. Possessiones innocentum occupabantur, matronę & uirgines, absq; impunitate uiolabantur, loca diripiebantur, sacerdotes spoliabātur, latrones & siccarij latronūq; et siccariorum duces, consurrexerunt, agros depopularunt, tecta exusserunt, pecora abegerunt, remansitq; terra populis uacua, confusa cædibus, destituta defensione, & omni auxilio orbata. Maslaus, regis Myeczlai sub pincerna charus, purpuram induit, & Plocensiū principem, se gerere cœpit. Brzetislaus Bohemiæ dux, intelligens Poloniam absq; rectore laceratam: Collecta nobiliū & agrestium multitudine, Poloniam ingressus, Vratislauiam & Posnaniā oppida quoque uicos & uillas, quæ ciuilis belli stridor nondum deleuerat diripit & exurit: Gneznam metropolim, quoniam nec situ, nec arte munita erat, facile capit. Ecclesiā beatæ Mariæ metropolitanam, suasu Seueri Episcopi Pragensis, qui huiusmodi bello se miscuerat, spoliat. Corpus sancti Adalberti quod certi prælati & ministri ecclesiæ de se-

De Kazimiro Myeczlai filio

Coronæ regni ablatæ.

Brūuilcens. monasterium.

S. Kiliani monasterium.

Kazimirus Parisios missus.

Kazimirus in Cluniaco monachus factus.

Bohemi Poloniā uastarunt.

 pul-

pulchro extractum in zabulo occultarant. Perquirit & non inueniens sollicitauit, non solum probris, sed amplissimis promissis, ministros ecclesię de corpore inueniēdo. At illi ex industria corpus Gaudencij Archiepiscopi Gnezneñ. ostendunt, quod Bohemi Pontificalibus indutum, rapuerunt, credentes fore corpus beatissimi præsulis Adalberti. Rapuerunt & corpora quinque fratrum martyrum, Ioannis, Benedicti, Isaac, Mathei, & Cristini, Morauisq; instantius petentibus corpus sancti Cristini tradiderunt, quod in ecclesia Olomuncēsi, sub tabulis argēteis tinctis auro locauerūt. Sub titulo & nomine eius, postea ecclesiam cathedralem Olomunceñ. dicando. Rapuerunt insuper Bohemi, imaginē crucifixi, tricentas libras puri auri pendentem. Per Boleslaum primum ecclesiæ Gnezneñ. donatam. Rapuerunt & tres tabulas maioris altaris, auro puro, & præciosis lapidibus, per Boleslaum regem decoratas. Cæteraq; clenodia, uasa, campanas magnitudine & sono notabiles, abstulerunt. Cum his & multitudine captiuorum utriusque sexus Brzetislaus in uigilia sancti Bartholomęi anno Domini 1038. Pragam perueniens, sacrilegam prædam in maiori ecclesia Prageñ. deposuit. Captiuos uerò, inter quos & sacerdotes uidebantur, in colonias distribuit. Et licet Stephanus metropolitanus Gnezneñ. coram sede apostolica super spolio suæ ecclesiæ, Brzetislao duci, & Seuero episcopo Prageñ. lites intentasset & diffinitiuam obtinuisset, nihil tamen de ablatis rehabuit. Iterum ab Oriente Iaroslaus dux Rusiæ inuasit Poloniam, bellis plurimum attritam, & oram Mazouiæ, igne, cæde, & spolijs depopulatus, cum magna præda hominum utriusq; sexus in Rusiam liberè redijt. Adhuc aliæ uicinæ nationes Poloniam prædijs & direptionibus lacerabant, ex tunc Polonorum primores & proceres, non sentiendo, non uidendo, excœcante ira, quo amentiæ progressi forent. Quid periculi & insaniæ, in se, quid in patriam, quid in penates, quid deniq; in Deum & religionem eijciendo Kazimirum commiserint, tarda recogitatione pensare, & sero sui facti pœnitere cœperunt. Mittunt itaque (post uarias & scrupulosas sentencias ac conclusiones) notabilem ambasiatam seu legatum, ad quærendum & reducendum Kazimirum in regnum, quoniam ex eo unico solacio, salus Poloniæ & redintegratio speraretur. Legati ergo de Polonia egressi, primùm adeunt reginam Richszam in Brunsuig, & exposita causa legationis, acceperunt responsum, Kazimirum frustra quærendum, quoniam monachus in Cluniaco factus, nequaquā in Poloniā reuersurus esset, nec reuerti posset. Legati responso reginæ Richsze non territi, in Cluniacum diuertunt: Et Kazimiro recognito in habitu cucullato, ex Abbate, postulata & obtenta uenia, cum lachrymis in collum Kazimiri ruendo incidunt, legationem pontificum & Baronum Poloniæ exponunt: rogantq; ut ad suscipiendum regnum in Poloniam cum eis rediret. Et nunc hunc, nunc Abbatem instanter flagitant & obsecrant. Abbas Cluniaceñ. compassionem quidem super desolatione regni Poloniæ se habere dixit: Monachum uerò professum & iam diaconum, à regula & ordine absoluere, non suæ, sed Papæ fore auctoritatis, & potestatis affirmauit. Quo audito oratores Polonorum, rectiori quo possunt tramite Romā cōtendunt, & peruenientes, Papæ Benedicto nono, humili uoce & gestu, regni Poloniæ eneruationē & desolationē, propter Kazimiri hęredis exiliū longa oratione exponūt, additisq; lachrymis & gemitib. supplices uultu demisso, iterū atq; iterū rogāt, ut monachum Kazimirum eorum regem ex monasterio exire iuberet, auitum regnum Poloniæ restaurare, & prolem sumpta uxore propagare. Summus Pontifex, cum cætu cardinalium habitis aliquot consultationibus, miseratus calamitatibus, & interitui regni, extremò licentiam (regula & ordine dimissis) redeundi in Poloniam, regnum suscipiendum, reparandum, & per prolis generationem ac successionem in futurum prouidēdum Kazimiro concedit. Polonis uero iniungit, ut successoribus sancti Petri, Romanis pontificibus, de quolibet capite nobilium capitibus circumscriptis, usualem nummum annis singulis soluerent. Ex tali solutione nummi sancti Petri, & fines regni Poloniæ & prouinciæ occupatę, Polonorum fuisse cognoscuntur. Item ut cæsariem capitis & comam nō nutrirent, sed patentibus auribus, ad instar Latinarū nationū tonsum caput gestarent. Et tertio quòd in præcipuis Christi: & uirginis matris eius festiuitatibus, panno lineo albo, in modum stolæ dependente, ceruicem exornare perpetuò redderentur, astricti, quatenus his tribus insignijs & ex monacho, & ex diacono, apostolica concessione & benignitate (dum aliter concretum periculum dispelli non posset) Polonus regem sibi creatum, & redditum recognoscēs, tam in Deum, quam in Christianam religionem existeret gratior atq; deuotior. Restitutione Kazimiri à sede apostolica impetrata, è Roma cōcito cursu, in Cluniacum ouantes cum literis apostolicis oratores ueniunt, quibus mox ab Abbate pari-

Præda sacra ex Gnezneñsi ecclesia ablata.

Rutheni Poloniam uastant.

Legati pro Kazimiro.

Tria edicta à Papa Pol. imposita.
1 Denarij Sancti Petri institutio.
2 Tonsura Polonorum.
3 Stola dependens.

Kazimirus per Papam restituitur.

tum

tum est. Valedicto Abbate, cũ fratribus, Kazimirus Cluniacum egressus, in Almaniam, ad Richszam genitricem suam, in Saleueld peruenit. Et persuasionibus maternis nõ acquiescens, quibus mollita est eum retinere, ne ad regnum Poloniæ desolatum & exustum rediret. Profectus ab ea pluribus clenodijs in auro, argento & gemmis olim ex Polonia eductis, honestatus & muneratus, caterua equitum Almanorum, & sufficienti [illegible]co, per matrem prouisus, unà cum Polonorum nuncijs ad Henricum tertium imperatorem Romanorum, in insula sancti Svviperti commorantem, accesit, quæsiturus atq; petiturus, ut Brzetislaum Bohemiæ ducem compelleret, ad restitutionem spoliorum abs Polonia eductorum, & ut esset ei auxilio contra Bohemos. Quod Henricus promisit, infœliciter tamen postea, contra Brzetislaum primo ingressu pugnauit. Improuisè enim in syluis Bohemorum attritus in Almaniam cum reliquo exercitu se recepit, sed anno sequenti Bohemiam subiugauit, & Brzetislaum ad Homagium compulit. Kazimirus autem ab eo insignium militum numero prouisus, & duabus coronis, a regina Richsza munere donatis, redditis, multitudine exercitus stipatus, in Poloniam terribilis aduenit.

Almani honorificè Kazimirum reduxerunt.

CAPVT XIIII. LIB. II.

INgresso Kazimiro regnum Poloniæ, castra per hostes & prædones intercepta & occupata inuadit, expugnat & conquirit. Quosdam maleficos in patibulum agit, quosdam gladio ferit, quosdam in manibus & pedibus mutilat, singulosq; improbos supplicijs deterret & rescindit. Bonos uerò extollit & dignificat. Veniens ad Gneznam añõ Christi millesi. quadragesimo primo. Coronatus est corona quã retulerat, p Stephanũ Archiepiscopum Gneznen. astantibus ei pontificibus et magnificis regni, uniuersoq; populo acclamante & laudante. Vt autẽ successor regni haberetur, consilio suorum, accepit in coniugem Mariam, sororem Iaroslai ducis Rusiæ, filiam Vvlodimiri, ex Anna sorore Basilij & Constantini imperatorum Grecorum genitã. Nuptijs Cracouiæ celebratis, percœpit dotẽ magnificam in auro, argento, clenodijs, equis & reliqua præciosa supellectili, simul affinitatem & auxilia promissa contra quoscunq; inimicos percœpit. Iaroslao uerò Kazimirus in signum amicitiç, resignauit castra Rusiæ, olim per Boleslaum auum suũ cõquisita. Maria autẽ, abrogatis nomine, & ritu Grçco, de more Romano in ecclesia Cracouien. baptisata, nominata est Dobrognievva. Ex pòst in Gnezna in reginã Poloniæ coronata. Ecce de monacho rex, & de professo continentiam, uxoratus. Simile in Chronica Hispanorum hisce uerbis legitur. Expulso Petro Tares regnicolæ Arragoniæ, communi consensu reuocarunt à monasterio Ramirum monachum presbiterum, filium legitimum Sancij, regis Aragonum, & fratrem Alfonsi sine filijs præmortui. Cui dederunt nobilem uxorem filiam Raimundi, Comitis Pictauien. obtentaq; dispensatione Apostolica, genuit unicam filiam. Hæc ibi. Coronato rege & regina facta est pax totius Poloniæ, solo Maslao tyranno Plocensi: resistentiam Kazimiro opponente. Ad quem debellandum, processit cum uniuersis militibus Polonis, & ex Almania adductis, habens in auxilium Iaroslaum ducem Rusiæ: cum uniuersis copijs eius. Maslaus uerò armatis non solùm nobilibus sed plebeis, et seruis, habuit suffragatores Prutenos & Iaczvvingos gentiles: Pruteni equidem noti sunt ex supradictis. Iaczvvingi autem fuerunt populi feroces, in finibus Lithuaniæ, iuxta Mazouiam commanentes. Hij in bellando non referebant pedem, quin uincerent aut uincerentur. Hac de causa pauci supersunt nostris temporibus: sparsim inter Lithuanos commorantes, & proprium linguagium loquentes. Lithuani item & Samagitæ proprium linguagium sortiti sunt, aliud â Iaczvvingis. Quemadmodum Lotibali etiam appropriatum linguagium loquuntur à præfatis gentibus distinctum, ij habitant in Liuonia, & confinijs eius. Quatuor ergo gentes, Pruteni, Iaczvvingi, Lithuani cum Samagitis, & Lotibali: habent propria linguagia, ualde in paucis consonantia & conuenientia. Itaque Maslaus habens Prutenos & Iaczvvingos coadiutores duro Marte cum Kazimiro congressus, & pro uictoria decertans, superatus est, & districtus Plocensis in potestatem Kazimiri deuenit. ex tunc à Maslao Mazouiæ nomen sortitus. Addidit sequenti anno Maslaus alteram oppugnationẽ regi Kazimiro circa ripam fluminis Visla in Mazouia. Ante hanc pugnam, rex Kazimirus fluctuabat, desperans de uictoria, cernens suum exercitum exilem, in respectu Prutenorum & Iaczvvingorum pro Maslao decertare uolentium, tamen diuino oraculo inter dormiendum confortatus, in cõgressu fœliciter pugnauit (quodam

Kazimirus primus coronatus in ordine regũ tertius.

Attenditur similis casus apud Hispanos.

Iaczvvingi qui sint.

Maslaus tyrannus uictus.

Mazouia originem nominis à Maslao hic traxit.

uiro in ueste candida, in æquo niuei coloris cum uexillo albo exercitum eius antecedente & Polonos contra paganos animante) in tantum pro uictoria adnixus est, ut more boni militis, [illegible]tes insequens & feriens, ex lassitudine, semiuiuus per quendam militem gregarium in [illegible]ra est delatus. Capta sunt in eo prælio, duo millia hostiũ, & quindecim millia cæsa. Maslaum iterum ad Prutenos confugientem, & nouum bellum molientem. Captiuatum Pruteni uarijs pœnis affecerunt, & in altum patibulum egerunt, insultantes ei & dicentes, alta petisti, alta tene. Regnauit post superationem Maslai, rex Kazimirus in pace, omnibus diebus uitæ suæ, regno Poloniæ sub eius regimine reflorescente, ad pristinumq; statum perueniente, mortuus est Posnaniæ 28 Nouembris, sacramentis perceptis, & iusso apparatu cum cineribus aui & patris in ecclesia cathedrali Posnanieñ. consepultus anno regni decimooctauo. Incarnationis uerò dominicæ millesimo quinquagesimo octauo. Signa mortem eius præcedentia fuerunt, fames ualida, & defectus uictualium: Stellaq; crinita, pluribus noctibus apparens: Erat autem Kazimirus statura procerus, capillo copiosus, habitudine uegetus, studio pius. Reliquit tres filios & unicam filiam: Boleslaum (quem moriens regem post se designauit) Vvladislaum & Myesko siue Myeczlaum Othone filio quarto, immatura morte (uiuente patre) diem obeunte. Filia nominabatur Svvatochna, postea Vvratislao duci Bohemiæ in coniugem data. In memoriam autem & recompensam professionis monasticæ, Kazimirus dum uiueret anno Domini 1044 fundauit, & centum uillis dotauit, monasterium in Thynyecz iuxta fluenta Vislæ. Ex Cluniaco (ubi ipse monachus fuerat) duodecim fratribus ordinis Sancti Benedicti accersitis, & cum libris, cantuq; chorali perductis. Aaron natione Gallicus, uir doctrina & sanctimonia rarus, fuit Abbas primus prædicti cœnobij in Thynyecz, propter uirtutes eius, per Kazimirum (nouerat siquidem laudabilem conuersationem ipsius in Cluniaco) ad Archiepiscopatum Cracouieñ. promotus. Huius Aaron ordinatione, gradus uiuorum tempore quadragesimali introducti in ecclesia Cracouieñ. dicuntur, huius etiam constitutione & priuilegio quilibet Abbas Thyniceñ. fit Canonicus natus in ecclesia Cracouieñ. Aliud Cœnobium eodem anno supra Odram fluuium in Lubeus extruxit, & dote liberali ac sufficienti prouidit, prælibatis fratribus Cluniacensis ordinis Ecclesiam Ricinensem olim Smogorzouiensem, cupiens meliorare in Vvratislauiã transtulit. Assignans loca pro Pontifice & Canonicis. Exinde putabatur ab aliquibus cathedram Vvratislauieñ. fundasse. Cùm eam duntaxat transtulerit, & donatione uberiori prouidit. Fuit illo tempore, Hieronymus episcopus Vvratislauieñ. post quem deinceps cæteri præsules Vvratislauienses titulantur in hanc diem.

Victoria Kazimiri. Maslai interitum. Kazimirus primus moritur. Fames ualida. Monasterium in Thynyecz fundatur. Aaron primus Abbas Thyniceñ. Abbas Thyniceñ. natus Canonicus Cracouieñ. Monasterium Lubeus extructum. Vvratislauieñ. sedis translatio.

CAPVT XV. LIB. II.

IAroslaus Russorum monarcha, ad augendum gloriam & diuitias, misit filium suum natu maiorem Vvladimirum cum exercitu nauali in Constantinopolim. Confractisq; nauibus tempestate exorta, uix aridam attigerunt, ubi pedes in patriam redeuntes, lacessiti, & continuo à militibus imperatoris Græcorum persequuti sunt, donec prælio inito Græcos in fugam conuerterunt, sicq; in pace Russiam attigerunt. Ista refert historia Russitarum. Sigibertus uerò prodit in Chronica, quòd Russorum rex sciens Græcos occupatos bello contra Sarracenos, & custodia insularum, misit mille naues uel plures ad Constantinopolim. Præsentiens autem imperator Græcorum Romanus, milites contra eos misit, qui pice Græca & flammis in naues Russorum iniectis, plurimos submerserunt, alios captos decapitarunt, pauxilli admodum fuga salui euaserunt: Non dixit Sigibertus tempestate, sed expugnatione militum Græcorum fractos: Sentiens sese Iaroslaus grauatum, & senio confectum, hortatus est filios suos, ut quilibet sorte sua esset contentus, quam hoc modo diuisit, Saslao natu maiori Kyovv: Suantoslao Czirnieiovv: Vvseuoldo Pereaslavv: Gregorio Vvladimiriam: & Veczeslao Smolensko. Post hoc moritur Iaroslaus septima Nouembris anno ætatis suæ, septuagesimo sexto. Sepultus in ecclesia diuæ Sophiæ, quam ædificauerat in Kyovv: Citoq; post eum mortui sunt bini filij eius, Veczeslaus, dux de Smolensko, & Gregorius Vvladimirieñ.

Iaroslai bellũ in Græciam. Russitans opinio. Sigiberti assertio. Iaroslaus in filios principatum diuidit. Iaroslai mors.

CAPVT

CAPVT XVI. LIB. II.

Boleslaus liberalis, & audax, postea efferus dictus: Eò quòd esset natu maior Kazimiri primi, & regno idoneus, per patremq; dum uiueret ad succedendum post eum designatus. Coronatus est Gneznæ in regem Poloniç, anno Domini 1048 per Stephanum Gnezneñ. & Aaron Cracouieñ. Archiepiscopos, assistente Dobrognievva regina Poloniæ, genitrice ipsius, episcopisq; magnificis, & multitudine nobilium Poloniæ. Hunc Boleslaum, Vvratislaus dux Bohemiæ irato animo, sugillabat, quòd germanum ipsius Iaromirum (gradu diaconatus reiecto. & habitu laicali reassumpto) profugum ex Bohemia, & exulantem iure hospicij susceperit. Veritusq; ne aliquando ducatum eius, Polonorum stipatus suffragijs inuasurus, Bohemos ad defectionem inclinaret. Cum tota potentia, regnum Poloniæ ingrediens, uastabat eam oram, quæ Slesia dicitur. Boleslaus autem agmine & milite tumultuario & ueloci collecto, peruenit ad exercitum Vvratislai, in quadam sylua, statiua agentem, qui crastinam pugnam non expectans, omnibus sarcinis abiectis clam & properè: de nocte festinus in Bohemiam fugit, sed Boleslaus pluribus diebus eum insecutus & non compræhendens, Morauiam uastauit, & onustus spolijs: in Poloniam redijt. In sequenti uerò anno: forti exercitu comparato: Boleslaus Bohemiam expugnare uoluit, nisi eum Vvratislaus concordia & satisfactione præuenisset. In signum autem reconciliationis, & perpetuç pacis affinitatem iungendo, accepit Vvratislaus in coniugem uirginem Svviatochnam, germanam Boleslai regis, ut in proximo est expressum. Hanc Bohemi uocitarunt Suathauarz. Iterum insurrexit bellum Prutenicum: nam gentiles Pruteni, extructa firma munitione, quam Poloni Grodek appellauerunt: prouincias Polonorum inuadebant: in tantum ut fere totam Pomeraniam eorum subijcerēt ditioni. Ad reprimendum autem Prutenorum audaciam, coadunato milite, rex Boleslaus Grodek obsedit, & non ualens expugnare (strenuè enim a Prutenis tutabatur: tum etiam quòd locus ille erat & natura, & arte plurimum munitus) regressus est, tandem cum expedito milite clam cōstituit opprimere inuasores Prutenos, copiam pugnæ subtrahentes: & cognoscens per exploratores, Prutenos iuxta fluuium Ossa congregatos, ad ingrediendumq; Pomeraniam paratos: subitò iubet suos arma corriperet, & fluuiū tranare. Primis autem in flumine Ossa, & grauitate armorū & inundatione aquæ suffocatis (intumuerat siquidem flumē aquis) sequentes reiectis armis, superato flumine, unà cum rege silenti agmine super Prutenos irruerūt: & quasi totā illam multitudinem deleuerunt. Exinde pax facta est, & Pomeraniæ recuperatio.

Boleslaus audax qui & efferus dicitur coronatur.

Bohemi Poloniam hostiliter ingressi.

Poloni morauiam uastant.

Bellum prutenicum.

Pruteni uicti.

CAPVT XVII. LIB. II.

Confecta itaque pace cum Prutenis & duce Bohemiæ Vvratislao Bela profugo Hungarorum, assiduis precibus ingeminante, & reductionē in Hungariā, tanquā ab affine suo postulante. Rex Boleslaus (ut refert historia Hungarorū) fideliter Belç auxiliando ex omnibus terris suis belligeris conuocatis: Hungariam contra Andream regem Pannoniæ ingreditur. Causa autem bellandi fuit, quoniam præfatus rex Andreas spreto & abiecto, germano suo Bela, coronari iussit in regem Hungariæ, filium suum Salomonem, minorēnem, nedum septimum annum trāsgressum. Conuenerunt itaq; reges, & exercitus eorum, iuxta fluuium Czisse: Andreas rex fultus suffragijs imperatoris Henrici quarti, soceri filij eius Salomonis (desponsauerat siquidē ei Henricus filiam suam Sophiam) & suffragijs Vvratislai ducis Bohemiæ, generi sui (quoniam idem Andreas rex, Adleydam filiam, in consortem olim dederat illi.) Et constituit tres ordines bellatorum, unū ex Almanis, quibus duo duces Gvvilhelmus, & Ponth prçerant: Alterum ex Bohemis quem Conradus Morauiæ dux, germanus Vvratislai ducis Bohemiæ regebat. Tertium numerosiorem ex Hungaris, quem ipsemet Andreas, per suos prçfectos ducebat. Boleslaus identidem, tres ordines ex suis ordinauit, rariores quidem, sed belli officia & processum ex assuefactione iam dudum scientes. Adiecit & quartum ordinem Hungarorum, duci Belæ adhærentium, in eis paucam fiduciam habens. Facto ergo congressu, diu ancipiti marte pugnatum est utrinq; pluribus cadentibus, sed cum rarefacti sunt exercitus Almanorum & Bohemorum, & acies eorum fuissent inclinatç: Hungari machinationes Belç metuentes, relicto Andrea rege, accesserunt ad Belam, quo comperto, rex Andreas fugam inijt, & compræhensus ad portas Musim, in sylua Bokon, trucidatus, expirauit: Conradus Morauiæ captus, miserç excæcationi datus: milites uerò Almanorum crudeli trucidationi per Hungaros adiudicati, per Boleslaum Poloniæ regem

Boleslaus Vngariam ingressus Belam restituit.

Boleslaus Ger. & Boh. in Vngaria uicit.

Andreas Vngaria rex cæsus.

Boleslai in Germanos & Morauos liberalitas & munificentia.

Monasterij in Mogilno origo.

gem libertate sunt donati. Ex loco certaminis directis aciebus, rex Boleslaus, perduxit Belam in Albam regalem ad coronationem, qua perfecta muneribus plurimis, & Boleslaus, & suus exercitus præmiatus, in Poloniam reuersus est: Pro tantis uerò beneficijs, Deo gratias agens, ut par erat, Boleslaus monasterium in Mogilno oppido Gneznen. diocœsis anno Domini. 1065. fundauit & dotauit. Ex Thiniecz quoq; monasterio diœce. Cracouien. ordinis Sancti Benedicti, monachos in ipsum introducens, cõtulit & præfato monasterio oppidum Mogilno ac profundo assignauit: cum uillis Czíruensk, Chrenovv: Bolmo, Velerich, Cossouo: Cremnovv: Columbino, & alios plures redditus ex curijs suis piscinis, foris, & Theoloneis. Fuit autem primus Abbas Mogilnensis Mengosius natione Gallus, olim de Cluniaco cum alijs fratribus receptus.

CAPVT XVIII. LIB. II.

SVb hac tempestate accepit Boleslaus in coniugem Visseslauam principis Rusiæ unicam filiam. Exindeq; occasione accepta, Rusiam subiugare in animo destinauit, ut se Boleslao Chrabri protauo suo æquaret. Habebat siquidem Boleslaus, tres exules insignes, in sua curia: Zaslaum principem Kiouien. Belam Germanum Andreæ regis Hungariæ, & Iaromirum germanum Vvratislai ducis Bohemiæ. Introductoq; Bela ac in regno Hungariæ locato: Iaromiro etiam splendidè munerato in Bohemiam remisso, & episcopatu Pragen. oblato, solus Zaslaus qui prior ante illos in Poloniam profugus aduenerat, restabat in Rusiam & in sedem Kiouien. (de qua eiectus erat) reducendus. Cum enim nobiles Kiouien. instanter petijssent, ut Zaslaus princeps ipsorum, è uinculis in quæ coniecerat Visseslaum fratrem suum ducem Polocensem cum filijs eius relaxaret, & non acquieuit, seditione mota eum à sede sua expulerunt, & Visseslaum in principem Kiouien. Dominum suum crearunt. Conuocato itaque milite, ex suis prouincijs, habens in suo comitatu præfatum Zaslaum cum filijs eius, Mscislao & Suatopolkone, profectus est in Rusiam, & cum appropinquaret urbi Kiouien. Visseslaus cum agmine exercitus non contemnendi, uoluit sese opponere, & transitum regi Boleslao prohibere, sed uisa potentia Boleslai perterritus, clam à suis in Poloczko fugit, quare Boyari Kiouien. nimio metu perculsi, cum pignoribus suis & omni substantia, uolebant exusta urbe, & castro Kiouien. suam salutem duntaxat conseruando, sese in Græciam recipere, sed adhortamento Suatoslai & Vvseuoldi Czirnieouiensium ducum, caduceatores miserunt ad Zaslaum, ut relictis Polonis ad sedem suam in pace rediret. Boleslaus ergo rex sarcinis dimissis, & parte copiarum relicta, ut paulatim se insequerentur, ipse cum Zaslao & expedito milite, celeri gradu in Kiouiam processit, præmisitq; Mscislaum, filium Zaslai ad explorandum, an in pace sint omnia apud Kiouien. uel in dolo. Qui ingrediens Kiovv, reperiensq; eam tranquillam, trucidans septuaginta (ut uidebatur) seditiosa capita: intimauit tam regi Boleslao quàm Zaslao suo genitori: quòd omnia pacificata essent. Aduolauerunt ergo rex, & Zaslaus itumq; est eis in obuium, susceptique sunt maxima cum reuerentia. Ingressus ergo Boleslaus urbem Kiovv, secunda Marij: mansit in ea tota æstate: autumno & hyeme: militibus Polonorum in oppidis & uillis hybernantibus. Zaslaus uerò princeps Kiouien. acceptis suis copijs: & regis Boleslai: insecutus est Visseslaum in Poloczko, quo per fugam elapso: compræhendit castrum Ploczko: totamq; regionem eius: & filium suum Mscislaum primum ibi locauit: eoq; morte assumpto, Suatopolkonem alterum filium ei surrogauit. Transacta autem hyeme, plurimis donis per Zaslaum rex Boleslaus: & sui milites remuneratus: in auro, argento: uasis, gemmis: uestibusq; preciosis uersus Przemisliam diuertit: & ui receptis uicis ac oppidis: alijs uerò spontè se dedentibus ad Przemisliam applicuit, quam postquam tumor: ac inundatio fluminis Szan decresceret, tribus diebus continuis oppugnauit: quarto uerò die Ruthenis subsistere non ualentibus: in castrum cum omnibus suis rebus excedentibus eam recipit: & prædam eius militibus concessit: refectisq; militibus: castrum obsidione cinxit: tota æstate expugnationi eius immorando, donec aqua deficiente: & peste in castro inualescente: missis caduceatoribus: pacis contractu inito: ut saluis substantijs & equis possint è castro recedere: castrum Przemisli Boleslao dedere. In quo demorando per hyemem hibernauit. Venerunt autem ad ipsum illic commorantem, Geysza, Ladislaus & Lampertus duces filij Belę regis Hungariæ in Demes regis Villagio: casu solij seu ædificij confracti: & mortui. Post cuius mortem, in principio ueris sequentis: Henricus imperator Romanorum: ducens secum Salomonem gene-

Boleslaus Rusfitis bellũ pro Zaslao mouit.

Boleslai ex Rusia redditus.

Przemislia expugnata.

generum suum: Hungariam ingressus: iussit denuo coronari prælatum Salomonem in regem Hungariæ, à quorum potentia Geysza, Ladislaus & Lampertus duces uidentes eis subtractam obedientiam Hungarorum: in poloniam ad consanguineum suum Boleslaum regem fugerunt, supplicantes pro restitutione & reductione eorum in Panoniam, de qua metu perculsi excesserunt. Boleslaus uerò obmisso Ruthenico bello, cum delecta manu suorum militum, iam nominatos duces ex Przemisl in Hungariam perduxit. Et cum statiua proxima Bude ageret, rex Salomon uidens se ab Hungaris deseri (iam enim Salomon in dominando erat eis pertæsus) in castrum Moson, natura & structura munitissimum diffugit.

Boleslai in Hũgariam ingressus secundus.

Pontifices uerò Hungariæ, quibus cura fuit patriæ, pacem inter eos in hunc modum confecerunt, ut rex Salomon, quamuis natu minor, regio diademate insignitus, binas partes regni possideat. Geysza uerò, Ladislaus, & Lampertus ducalem honorem, & tertiam partem habeat. Rex Boleslaus de ærario utriusq; partis remuneratus discedat, sicq; cum gloria & fauore utriusq; partis remuneratus in Russiam discessit, tamen totum æstatis tempus in huiusmodi compositione pacis in Hungaria absumpsit.

Pax Hungarorum.

Et hyeme transacta, uolẽs reducere in suam sedem, Zaslaum ducem Kiouieñ. secundo eiectum de Kiovv, per Suantoslaum & Vvseuoldum duces Czirneouieñ. reduxit agmina suorum exercituum, & diuertens, inuasit territoria & castra Russiæ Chelm, Vvladimir & & Volhin, quod nunc Luczko appellatur. Et his conquisitis anno sequenti, scilicet M. septuagesimoquarto, recto tramite ad Kiovv processit.

Boleslaus in Russiam redijt.

Cui Vvseuoldus dux Czirneouieñ. occupator Kiovv (iam enim Suantoslaus germanus eius morte intererat) animatus per Ruthenos, cum forti exercitu Boleslaum inuasit, & longo prẹlio confecto, dextra ala Polonorum incœpit declinare, & prope fugam spectare, Ruthenicq; clamoribus cœperunt exultando uociferare, hostes fugiunt, hostes superati cedũt. Quod cernẽs Boleslaus rex, uir acerrimi pectoris, & magnæ audaciæ, nouam cohortem militum in laborantem alam dextram induxit, tandem & cum suis, in fortiorem cuneum Ruthenorũ impegit, & eum disiecit, tunc potentia Ruthenorum corruit, & fuga extemplò secura est. Dux Vvseuoldus fuga saluatus est. Rutheni effusi plurimi ceciderunt, ex Polonis uerò prope mille occisi & sepulti, reliqui omnes in Poloniam uictricia tela & spolia intulerunt: Viditq; rex Boleslaus, eo anno cum suis grande miraculum. Piotrek hæredem de Piotrauin humatum, post triennium per beatissimum Stanislaum Episcopum Cracouieñ resuscitatum, prout in sequentibus tangetur.

Boleslai uictoria ex Russis.

Præterea sequenti anno qui fuit millesimus, septuagesimus quintus maiori exercitu comparato, ex milite equite & pedite, rex Boleslaus, itinere tecto, ad Kiouiam metropolim Russiæ pro ea tempestate, urbem insignẽ & amplam contendit, & eam obsedit, undiq; prouidens per seipsum, undique prohibens, ne quidpiam in urbem inferretur.

Boleslaus iterum Russiam ingressus.

Certabant autem & præliabantur ex urbe effusi milites Ruthenorum, donec charistia, fame, ac peste tam ipsi nobiles, quàm populares laborarẽt & contabescerent. Miserunt ergo legatos, promittentes subiectionem & fidelitatem, dũtaxat ne in eos rex sæuiret, postulantes, quod & promisit, & non differentes, eodem die susceperunt eum cum maximo honore. Ingrediens autem per portam, mucrone geminando percussit in portam ferream, & laminam ipsius transuerberauit, instar protaui sui Boleslai Chrabri. Prohibuitq; cunctis suis militibus, ne spolia & expilationes in ciues agerent, ob quam beneficentiam sponte congesserunt Kiouieñ. munera, & regi obtulerũt, quæ in milites quos nouerat conspectiores, uigilantioresq; distribuit. Præfecit autem Zaslaum gubernationi Russiæ.

Kyouia subacta.

Ipse uerò moratus est cum suo exercitu in Kiovv. Ex qua mora tã ipse rex, quàm eius exercitus, incidit in perniciem uoluptatum, comessationum, ebrietatum & libidinũ: Kiouia siquidem urbs ampla, & uicis largis porrecta erat: ferax frumẽto, carne, pisce, melle, & fœminis staturæ proceræ speciosissimis, quarum pulchritudine capti, in sentinam omnium libidinum corruerunt. Ipse insuper rex Boleslaus, in crimen spurcissimum Sodomiæ, Kiouiensibus commune & usitatum, prolapsus est. Vt quos armis uicerit; horum fœdissimis facinoribus uinceretur.

Exemplum Capuæ.

Diuina ultio nil mali impunitum relinquens, merito super eos uenit, in regem quidem, quoniam tam à suis, quàm ab exteris contemni cœpit, in Polonos uerò, quoniam uxores, sorores & filiæ eorum, libidinibus uictæ, & uiris prope septennium orbatæ, in tedas & complexus seruorum conuolauerunt. Dum hæc in castra regis, per crebros nuncios & rumores deuoluta sunt, quidam militum Polonorũ frementes & impatientes iniuriæ thori coniugalis, clandestinè ad propria discedunt: alij exemplo illorum, rege nequicquam prohibere ualente, de nocte fugientes abscedunt, ultum iri uiolata matrimonia, in suis mulieribus & seruis. Rex animaduertens se spretum, & desolatum,

latum, cum raro & paruo agmine eos insecutus, peruenit in Poloniam, & primos fugę initiatores quos potuit compræhendens pernecat, sequaces eorum alios carceribus, alios priuatione possessionum, reliquos exilio damnat. Matronas & mulieres, quibus ab earum maritis, parsum erat, truculentus dehonestat, et pectore saxeo immotus: prole ammota catulos ad sugendum ubera applicat. Res inaudita sæculis: dat lac humanum catulis: abiecta prole tenera. Insuper (ut aiunt) ad augendum crimen Sodomiæ: potius uerò ad inferendum dehonestationem matronis: iumentum purpura uelatum: publicè post se duci iubet. Omnibus inuisus: omnibus dirus tyrannus. Et quamuis plures fuerunt in Polonia pontifices: nullus tamen ausus est curare excessiua regis scelera: nisi beatissimus Stanislaus Episcopus Cracouieñ: qui hanc palęstram ingressus est, quoniam Petrus Archiepiscopus Gnezneñ: cuius officij principaliter erat regem à prauitatibus reducere, uidens lupum uenientem non se opposuit. Stanislaus uerò zelo diuino, & plebis iniuria accensus regi sese opposuit, tanquam alter Archiepiscopus, quoniam sedes eius nouissimè Archiepiscopatum, incuria antecessoris sui Lamperti Zule amiserat. Sed ut pauca de beatissimo Stanislao perstringam, hactenus de bellis & actibus Boleslai sufficiant, ultima eius in uita sancti Stanislai complectar finiendo.

Boleslai tyrannis.

Archiepiscopatus Graccouiensis in Lamperto desijt.

CAPVT XIX. LIB. II.

Boleslaum audacem regem Poloniæ, peracta ac reportata belli uictoria de Vvseuoldo duce Russiæ, ob raptum, & crimen adulterij, in nobili fœmina Christina, militis Mscislaui consorte perpetratum. Beatus Stanislaus Cracouieñ episcopus, monuit & corripuit, ut conuersus ad Dominum saluaretur. Ipse uerò fremens, & tãquam leo è cubili suo excitatus, minas spirans, tendiculam & insidias uiro sancto parauit, & opposuit ut malum pro bono redderet. Sciens namq; uirum beatum, coëmisse uillam Piotrauin pro ecclesia Graccouieñ. Induxit nepotes nobilis olim Petri dum uiueret cognominati Piotrek, hæredis de Piotrauin, promittens eis regiam assistentiam, ut repeterent hæreditatem Piotrauin, beatum Stanislaum impetendo & conturbando. Itaq; agente rege magnorum terminorũ iudicium, in papilionibus & tentorijs, super pratis & campestribus, inter Solecz & Piotrauin. Cõuentus sacer præsul per eos, negauit uillam esse de proprietate eorum, sed eam iure emptionis fuisse & esse suam. Et dum (rege & consilio ei deferente) dies testibus probandi aduenisset, timore regis & comminatione requisiti testes suam præsentiam subtraxerunt. Inquit ergo sacer antistes Stanislaus. Video ò rex: deficiente hominum testimonio, operepræcium fore, diuino adiutum suffragio, principalem uenditorem ad perhibendum ueritatem, in quatriduo me producturum quod rex & assessores tanquam deliramentum accipientes in termino sequenti quatuor dierum operiebantur. Iubet ergo beatus Stanislaus omnibus sacerdotibus, quos habere potuit, Deum orare: missis, & obsecrationibus, ieiunium triduanum omnibus instituendo. Ipse autem die, noctuq; in ecclesia parochiali sancti Thomæ Apostoli, in præfata uilla Piotrauin, in districtu Lublineñ. sita, conamine orabat, assiduis suspirijs & lachrymis intermixtis. Quarta uerò die indutus pontificalibus sub præsentia cleri, & multitudine populi, sarcophago Petri, iam triennio mortui aperto, prostratus in faciem super terram, deuotissimè orauit, & ab oratione surgens, baculo pastorali cineres defuncti Petri nobilis tetigit, dicens. In nomine patris, et filij, & Spiritus sancti: Surge Petre: ad perhibendum testimonium ueritati, qui mox surrexit & stetit: sacer uerò pontifex Stanislaus, manu porrecta eduxit eũ de sepulchro. O' Stanislae quã magna fides tua erat, ut Petrus triennio uita functus, uoci tuæ obediens, protinus ab inferis euocatus paruerit. De ecclesia ergo sancti Thomæ Apostoli egressi, peruenerunt in præsentiam regis pro tribunali sedentis. Ad quem beatus Stanislaus: En, inquit, rex, adduxi Petrum uenditorem uillæ Piotrauin ad euincendum & referendum, singula quæque, uenditionem huiuscemodi concernentia. At rex cum assessoribus, stupidi obmutuerunt. Omnes siquidem conticuerant intentiq; ora tenebant. Petrus uerò ad regem: Ego ò rex Boleslae fateor me uendidisse hæreditatem meam uillam Piotrauin, huic uiro beato pontifici, & completam accepisse solutionem: nepotes uerò & cognatos meos, nil proprietatis, nilq; reseruationis in ea habuisse, neq; habere. Et conuersus ad impetitores nepotes suos dixit. Quis uos in hanc uæsaniam impulit, ut ueritate prophanata, friuolè & iniuriosè uirum beatum inuaderetis? Ideo nisi pœnitentiam ægeritis grauem pœnam, & uindicem iram omnipotentis Dei incursi lugebitis. Expedito resuscitationis, ac testimonij officio, à conspectibus regis & consilia-

Sanctus Stanislaus Petrum suscitauit triennio mortuum.

Petri testimonium.

consiliariorum uir Dei Stanislaus, cum Petro in uillam Piotrauin diuerterunt, maxima multitudine eos concomitante, ac inspectante, ut regem in castris solitarium desererent. Peruenientes autem in locũ sepulturæ Petri, tali sermone adorsus est eum. Vir beatus Stanislaus, uis inquit Petre ut precando, à Domino meo saluatore, longam tibi uitam obtineam? Respondit Petrus. Non expedit præsul beatissime, uerum magis precare obsecro, ut à pœnis purgatorij liberer tuis meritis, quas breui tempore si pro me oraueris, spero me euasurum. Et ingressus tumulum locato corpore, resoluit spiritum. At pontifex cum omni clero & populo, decantatis Psalmis & orationibus pro liberatione Petri fusis, tumulum ex more composuit & abijt.

Petrus rediit in sepulchrum.

CAPVT XX. LIB. II.

Post reditum autem regis Boleslai è Kiow, quam expugnauerat: & in Poloniam tyrannidem exercẽdo in milites profugos, quoniam in terra aliena relicto eo abierant, & in mulieres atq; matronas, quarum uberibus corde ferreo & effero prospectans, catulos applicabat, quoniam inter bellandum non suis maritis adhæserant, & pepererant. Et in subiectos, quoniam excessiuis exactionibus ac oppressionibus eos expilabat & extenuabat: dum neminem haberet qui à tyrannide et deprauationibus suis eum reduceret, Stanislaus zelo iustitiæ armatus, plebis iniuriæ compatiens, primum in secreto, tandem cum non acquieuisset, coassumptis secundum formam euangelicam alijs prælatis & baronibus, regem aggressus, obsecratus est. & monuit, ut iustitiam colendo, beluinam tyrannidem abijceret, subuectiones (quæ in Polonico Poduodi nuncupantur) non exigeret, stationes & exactiones superfluas non extraheret, & à pessimo facinore Sodomię (cui uelut iumentum inuolutus & sordescens inhiabat) cessaret. At ille uelut lignum tortuosum exasperatus non deflexus, in sanctum Dei maledictoria, & contumeliosa, ore minaci congessit, & eum sectioni minutatim destinatum, interfecturum iurabat. Adueniente termino monitionis præfixo, nullaq; regis emendatione facta, Stanislaus Episcopus per se (quoniam alij omnes sacerdotes timore perculsi hoc officium subire recusarunt) contumacem & excommunicatum publicauit. Mandans ut in omnibus Ecclesijs suæ diocœsis, tanquam lignum putridum excommunicatus denunciaretur. Ei quoq; ecclesiam Cracouien. sub diuinis ingredienti Beatus Stanislaus occurrens. Qua, inquit, temeritate rex audes diuina prophanare, Deum cuius iram uindicem non expauescis exacerbans, & tuis deprauatis actibus, finem humiliatus non imponens? Rex ardentissimam bilem incidens, ore & manu minitans: de ecclesia exiuit, & in castrum Cracouiensis ecclesiæ contiguum se recepit, & fremebundus iurauit, dissecturum Episcopum ubicunq; reperiret. Almus tamen præsul Stanislaus, ne ecclesia sponsa sua propter eum quippiam mali incurreret: in abditis, occultisq; locis degebat, uacans missarum sacrificijs & orationibus, pro reductioneq; regis & saluatione uberrimis fletibus inundabat, sicq; elusit conatus regis plusquam uno anno. Anno autem Domini. M. septuagesimo nono, tertio Idus Maij die ipsa in feriam quintam cadente, sancto Stanislao, in ecclesiam sancti Michaëlis de rupella cum suis clericis, ut diuina celebraret, descendente, ab exploratoribus uisus, & regi Boleslao delatus est. Rex uerò correpto acinace & pluribus militibus accersitis ad insequẽdum se properanter ad Ecclesiam sancti Michaelis, tunc inter prata in parua rupe extantem peruenit, beato Præsule missam nondum finiente, iussitq; stãs foris, milites ingredi, & eum ab altari extrahere. Qui ingressi, & sacrum antistitem tangere uolentes, abierunt retrorsum & in terram ceciderunt: prouolutiq; exiuerunt de ecclesia. His obiurgatis rex plures iubet ingredi, ad perpetrandum scelus in sanctum Dei. Sed hi magno casu retrorsum ceciderunt, & reptantes manibus, pedibusq; de ecclesia sunt euoluti. Adiecit excœcata mens, tertium introitum repetere, cum stomachatione ac maledictione: ô inquit degeneres & non milites, fœminæ & non uiri: non potestis unum sacerdotem protrahere de ecclesia, meas graues iniurias in eo ulturi. Ipsi uerò obiurgati audacius ingressi: corruerunt ac fortius, quam prius retrorsum abierunt. Et ipsis exeuntibus rex non credens narratis, rapto gladio & exerto, furiosus ecclesiam intrauit, & sacrificantem præsulem gladio in caput percussit, dirupit atq; prostrauit, sanguinem eius recenti sacrificio altaris commiscendo. O scelus immensum, impius & scelestus occidit pium, & sanctum: sacrilegus præsulem, sponsum in gremio sponsæ, pastorem in suo ouili. Tunc satellites sceleris accurrentes, alius præ alio strictis ac uibratis gladijs, repetitis uicibus, ad complacendum regi, & ad abolendum ignominiam, per eum ipsis inflictam, beatum uirum in multa frusta cõciderunt, nonnulla historia referente in septuaginta duas partes: Non contentus scelestus rex in rabie patrati sceleris: iussit partes & membra, in plano circumiacentis campi disijci, ut à bestijs & sanguipetis alitibus deuorarentur, sicq; deleret memoriam eius de terra. Sed

Rex excommunicatur.

Rex ab ecclesia prohibitus.

Martyrium diui Stanislai.

Diuus Stanislaus sacrificãs per regem occiditur.

Miraculum 1. Deus in sanctis suis mirabilis, nocte sequenti radios è coelo supra qualibet particulam uelut lampades miræ rutilantiæ stantes demisit. Et quatuor grandes aquilas, a quatuor mundi partibus aduenientes, in custodiam nocte & interdiu deputauit, quæ superuolantes, omnes bestias & carniuoras alites abigebant. Cernentes quidam patres, Prælati, & Canonici ecclesiæ Cracouiensis religione pleni, corporis beati partes in nocte illustrari, disiectos artus, tertia nocte collegerunt, membrum ad membrum, & partem ad partem, prout *Miraculum 2.* uisum est eis, apponendo. Mirabile dictu, mox coelestis medici uirtute, coaluit, ac integerrimum sine nota cicatricum redditum est. Exhilarati ergo posuerunt illud in tumbam & sub diuo, ante fores ecclesiæ sancti Michaëlis de Rupella sepulturæ tradiderunt: Ne si in ecclesia sepulturam egissent, rex, exhumatum ut prius per campum dispersum proiecisset. Aiunt interfectores regi Boleslao in nece sancti Stanislai cohærentes, fuisse de armis Streparum, de armis Sreniawa cum cruce & sine cruce, & babati cum cruce. Gregorius Papa septimus, perlata ad se crudeli nece beati uiri Stanislai, dedit in mandatis, ad Petrum Archiepiscopum Gneznen. & omnes episcopos regni Poloniæ, ut interdictum generale in tota prouincia obseruarent, & ecclesias obseratas clauderent, regemq; Boleslaum anathematisauit, & coronam regno Poloniæ abstulit, ne de cætero quispiam principum in Polonia absq; speciali consensu sedis apostolicæ coronaretur, absoluitq; à Boleslai obedientia, omnes Principes, Barones, Vasallos, Feudarios & subiectos: Milites uerò, qui cum rege in necem beati pontificis auxilio aut consilio conspirarant, cum tota eorum domo & nepotibus, ad beneficia ecclesiastica habita & habenda, ad dignitates quoq; & honores, usq; in quartam generationē inhabilitauit. Et quamuis obediētia per Papam regi Boleslao subtracta fuisset: ipse tamen se pro rege gessit, & singulos parere suis imperijs, coegit, donec quosdam primores regni, in captiuationem eius & mortem conspirasse cognouit, tunc enim cor eius culpa redarguente concidit. Et accepto secum filio suo Myeczlao, annum agente duodecimum (qui postea ad regnum reductus mortuus est) relicta Polonia, festinè totus meticulosus in Hungariam, ad Ladislaum regem Hungariæ perrexit. Cui & fratribus eius, Geijsze & Lamperto, fideliter auxiliatus fuit eos in regnum Hungariæ, prout antè expressum est, reducendo. Ladislaus uerò rex Hungariæ in summo honore, & omnium necessariorum prouisione, Boleslaum cum suis fouit. Deo autem uindicante, citò postea in amentiam rex Boleslaus incidit, & per siluas uagus 12. Calendas Aprilis morte interijt. A suis canibus (ut ferunt) eum insequentibus deuoratus. Tradunt quædam annalia, quòd audita sugillatione Hungarorum, de occisione beati præsulis Stanislai, compunctus, dimissis omnibus & filio Myeszko apud regem Vuladislaum relicto atq; commendato, in clamide abiecta, unico comitatus seruo, clam in Corinthiam peruenit ad monasterium Ozia iuxta lacum de propè Villacum, alijs referentibus quòd secesserit in monasterium Vilthnia, prouinciæ athesis propè Isburg, ubi omnibus ignotus, in squaloribus coquinæ strictam agens pœnitentiam, reatum occisionis beati antistitis Stanislai diluit. Ego uerò percunctando, non potui inuenire in prædictis locis, patentem ipsius professionem ac pœnitentiam. Et utinam aliquando compunctus, ob suæ culpæ expiationis remedium eam suscepisset. Iste est Boleslaus qui post suum protauum Boleslaum Chrabri, patriæ fines tropheis magnificè propagauit. In omnes liberalissimus fuit, in audacia cæteros superauit. In uitio Sodomiæ fœdissimus apparuit. In tyrannide militum & subditorū, efferus innotuit. In beati Stanislai nece truculentus carnifex cognomen inuenit & reportauit. De hoc ecclesiasticè legitur, affluens diuitijs, largus beneficijs, belliger in hostibus, tyrannus militibus, hic fuit Boleslaus. Cuius in temporibus plebem Dei regens legibus occubuit Stanislaus.

Regnum Poloniæ corona priuatum.

Rex è Papa anathematizatus.

Boleslaus in Hungariam fugit.

Boleslai miser interitus.

Alia opinio pro morte Boleslai.

Tertia opinio de morte Boleslai.

Boleslai uirtutes & uitia.

CAPVT XXI. LIB. II.

IN principio regni Boleslai largi in Polonia, uenerunt Polowczi Barbari cum Duce suo Szekal contra Vuseuoldum ducem Rusiæ de Pereaslaw, & secunda die Februarij inito certamine, uincunt Vuseuoldum & ducatum ipsius crudelissimè uastarunt. Hoc primarium malum fuit, quod Rusia ex post passa est à Polouuczis. Deinceps addiderunt alteram irruptionem Polouuczi in terras Rusiæ, quibus tres duces Zaslauu Kiouien. Suantoslaus Czirnieouien. & Vuseuoldus Pereaslauien. circa flumen Olcha occurrerunt, commissoq; certamine, Polouuczis cessit uictoria, qua obtenta uastationem terrarum Rusiæ longè extenderunt: Oppida & uillas, cæde ac spoliatione debachantes, milites uerò Ruthenorum diffugientes, flagitare cœperunt, quatenus bini duces Zaslaus & Vuseuoldus: Visseslaum Polocensem ducem, & duos filios eius, quos anno superiore in dolo captiuauerant, à uinculis soluerent, quod dum impetrare non possent, in seditionem uersi. Duces Zaslaum & Vuseuoldum de Kiouu exturbant. Præfatis autem ducibus,

Polowzi Ruthenos uicerūt.

bus, Zaslao & Vuseuoldo diffugientibus, milites substantiam & suppellectile castri Kiouiens. diripuerunt, & ergasculo aperto, ducem Visseslaum cum filijs ipsius à uinculis liberauerunt, & in dominum Kiouiens. præfecerunt. Zaslaus uerò, dux Kiouiens. nō audens in Rusia consistere, cum uxore & duobus filijs in Poloniam ad regem Boleslaum fratrem suum amitalem fugit, à quo benignè acceptus & fotus est. Insuper & ad sedem Kiouiens. reinductus atq; repositus, prout superiùs in historia de Bolislao narratum est. Polowczos uerò contra Czirnicow diuertentes. Dux Swantoslaus, nil clade superiori deterritus, habens tantum tria millia uirorum in suo exercitu, prima die Nouembris anno Christi millesimi, quinquagesimi noni, circa Sznowsko inuasit, ubi multitudo à paucitate succubuit. Nam duodecim millia Polowczonum profligauit: Ducem eorum, & primates uiuos cœpit, & prædam quam in terris Rusiæ quæsierant excusit. Post aliquot annos sedente Zaslao in Kiow, post eius recuperationem, orta est contentio inter eum ab una, & duces Swantoslaum & Vuseuoldum partibus ex altera, pro finibus & spolijs. Perpendēs autem Zaslaus fluxam suorum militū fidem, discessit ex Kiow & iuit in Poloniam, ad regem Boleslaum cum uxore & filijs: Swantoslaus uerò & Vuseuoldus duces, uigesima secunda die mensis Martij Kiouiam ingressi, sedem eius & principatum occupauerunt. Et Swantoslao in breui, quia uicesima prima Decembris anni occupationis eiusdem, scilicet, millesimi, septuagesimi secundi mortuo, & in Czirnicow ad ecclesiam S. Saluatoris ad sepeliendum relato, Vuseuoldus frater suus, in principatu Kiouiens. succedit, quo cum Boleslaus rex Poloniæ iterū Zaslaum reducendo, prope Kiow forti pugna conflixit, & eum debellauit, Kiouiamq; obsidendo expugnauit atq; possedit. Zaslaum ei præficiendo atq; surrogando. Filius autem Zaslai Suatopolk, in Nouogrodens. ducatum successit, quoniam Hleb Swantoslai ducis Czirnicouiens. filius, ultimus possessor eius, recenti morte à suis nequiter occisus erat. Vuladimirus uerò alter filius Zaslai obtinuit & sedit in Smolensko, & Iaropolk tertius filius locatus erat in Vissegrod. Sicq; terræ Russorum uidebantur pacificatæ. Verum stimulante odio, Borzisch & Olech duces Rusiæ, aduocatis Polowczis, terras Rusiæ uastare incœperunt. Dux autē Vuseuoldus Czirnicouiens. eis occurrens, in loco qui dicitur Ziczcze, cum ipsis die uicesima quinta Augusti conflixit. Et uictus etiam sedem suam castrum Czirnicouiens. perdidit. Exindeq; plurimum angustiatus, ad fratrem suum Zaslaum ducem Kiouiens. cum Vuladimiro filio suo diuertit. Quos ille benignè excœpit, & fouit, dicens: Ego sim uobis in exemplar, qui omnibus spoliatus in terris alienis, stipe Polonorum uixi, & suffragio eorum omnia mea rehabui. Coadunata itaq; militia, Zaslaus dux Kiouiens. cū filio suo Iaropolko, & Vuseuoldus dux Czirnicouiens. cum filio suo Vuladimiro, uadunt contra Czirnicow: in quod se Borzisch & Olech robore Polowczonum freti, recœperant. Persuadebat autem Alexius, qui & Olech duci Borzisch aiens: Non pugnemus contra quatuor duces fratres nostros, quoniam fortiores nobis sunt, sed æquis cōditionibus pacem petamus. Et Borzisch in superbiam elatus, non acquiescens respondit. Non te aliqua sollicitudo de uictoria detineat, sed plenus spe euentum belli expecta. Et facto congressu, interficitur Borzisch filius Czeslai, qui pacem abnuebat. Sed & dux Zaslaus Kiouiens. dum prælio confecto, inter pedites securus uersaretur, ab uno milite ducis, Olech qui tāquàm proprius peditibus sese ingesserat, percussus inter scapulas, trāsfoditur & occiditur, & per filiū ipsius Iaropolkum relatus in Kiow, cum magno planctu sepelitur in ecclesia beatæ Mariæ, anno Christi millesimo, septuagesimo sexto. Erat autem Zaslaus uir altæ staturæ, uerus cultor iustitię, castrū Czirnicow recuperans Vuseuoldus, tradidit filio suo Vuladimiro natu maiori. Iaropolkum uerò alterum filium locauit in Thurow. Ipse autem Vuseuoldus tanquàm germanus Zaslai, successit in principatu Kiouiens. Propter quod liuore excitati aliqui Rusiæ principes, mouerunt ei bella. Romanus namq; dux Rusiæ, uolens sedem Kiouiens. occupare, cum Polowczis in auxilium sui conductis, uenit contra Vuseuoldum, & circa Pereaslaw, secūda die Augusti mediātibus Baronibus pacificantur. Polowczi uerò, mota seditione, ducem Romanum, eò quòd ipsis inconsultis pacem consumasset occiderunt. Iterum insurrexit contra Vuseuoldum Iaropolkus filius Zaslai, quoniam præripuit ei paternam successionem principatum Kiouiens. Vuseuoldus autem frequenti consilio aduocato, ex uno consiliariorū tale documentum accepit. Mitte filium tuum Vuladimirum cū exercitu contra Iaropolkum, quem ego præueniendo, sine armis debellabo, & meo uafro consilio, fallam. Venit itaque ille fallax consultor ad Iaropolkū, dicens: non confidas consiliarijs, & militibus tuis, quoniam uolunt te decipiendo tradere Vuseuoldo. Sed concito pede uadę in Poloniā, quemadmodum Zaslaus pater tuus fecit auxilia pro restitutione petiturus. Credidit Iaropolkus fallaci sermone, & relicta matre uxore, & filijs in castro Lucko, fugit in Poloniā ad regem Boleslaum, quem Boleslaus non ualens in propria persona restituere, propter scisma

Polowzi uicti.

Dux Borzisch occisus.

Dux Zaslaus occisus.

inter ipsum & suos milites exortum, misit cum illo milites Polonos, quorum robore recuperauit castrum Luczko. Post discessum Iaropolci, per Vuladimirum expugnatum & occupatum, aliaq; castra Vuladimirus eidem reddidit, aut reddere promisit. Iaropolcus remisso exercitu Polonorum, dum ex Vuladimiria uehiculo in Szuumingrod ueheretur, à familiari suo Nyeradzecz quiescens obtruncatur. Et in Kiouu deductus, cum magno planctu, in ecclesia S. Demetrij sepelitur, Vuseuoldo duce & binis eius filijs Vuladimiro & Roscislao, item Ioanne Metropolitano & Boyarijs, uniuersisq; ordinibus Kiouiensibus præsentibus. Is Iaropolcus fuit uir mansuetus, & amator fratrum, decimas soluens de omnibus frumentis, pecoribus, & armentis, cunctis diebus uitæ suæ. Sed & uiuens sępius uotis uacabat, ut simili morte moreretur, quali Hleb & Borzisch protaui eius necati sunt, & in sanctos per Ruthenos relati.

Iaropolci interitus.

CHRONICORVM REG. POLON. LIB. III.

CAPVT I. LIB. III.

EXCEDENTE in Hungariam Boleslao audaci: Prælati & Barones Polonię, formando nouum statum Reip. suffecerunt pro eo germanum ipsius ducem Vuladislaum, cognomento Hermannum, anno Christi 1082. Is quanq; se titulabat regem Poloniæ, nunquàm tamē fuit coronatus. Horrentibus Archiepiscopo & episcopis Poloniæ apostolici mandati pręuaricationem. Cœpit autem post intronisationem dux Vuladislaus innocentes & imbecilles, à potentibus & oppressoribus defensare, stratas & uias pacificare. Iniusta decreta regis Boleslai rescindere, & malè ablata restituere. Misit insuper ad Gregorium Papam septimum, ad tollendum interdictum in ultionem occisionis sancti Præsulis Stanislai latum, quod & fecit. Ad sollicitationem Lamperti, Canonici Cracouiensis oratoris ad relaxandum interdictum missi: & quia idem Lampertus nobilis, de familia Habdanck, ut præmissum est, Canonicus Cracouień. à capitulo in Pontificē Cracouień. electus, domino Papæ notus fuerat, propter priorem eius diuturnam uersationem, & causarum in curia Papæ intentationem. Idcirco prouidit ei sanctissimus dominus de episcopatu Cracouień. ut immediatē succederet beatissimo Stanislao. Ne autem prosapia regia in Vuladislao extingueretur, consilio suorum iussus, accepit in coniugem uirginem Iuditham, filiā Vuratislai ducis Bohemiæ, olim ex Adleyda filia Andreæ regis Hungariæ susceptam, suasu ac speciali inductione germanæ suæ Suuatochnę, præfati Vuratislai alterius cōsortis, quę instituerat eam optimis moribus, & totam ipsius laudabilem conuersationem nouerat. Sed cum eidē cohabitaret dux Vuladislaus, & nullam prolem ex ea suscepisset, cœpit uehementer anxiari super sterilitate ipsius. Suasu quoq; Lamperti Episcopi Cracouień. facta imagine, quantitate unius infantis de puro auro, & adiunctis alijs muneribus, uasis ac uestibus præciosis auro intextis, misit in prouinciam Prouinciæ, ad monasteriū ubi corpus B. Egidij requiescit prope fluuium Rhodanum, supplicando abbati & monachis eiusdem cœnobij ordinis S. Benedicti, ut meritis beati confessoris Egidij ac interuentu precū eorum, consequeretur prolem iamdudum desideratam. Abbas uerò triduano indicto ieiunio, iubet omnibus monachis quàm deuotissimē orare, ut interuentu pręclari confessoris Egidij omnipotens Deus largiretur prolem duci Poloniæ cum sua consorte. Necdum triduo finito, uni religiosiori monacho reuelatum est, uterum Iudithę completum esse, & masculinam prolem concepisse. Vocatos ergo oratores ducis Poloniæ, inter quos primus erat Petrus Canonicus Cracouień. Abbas iubet bene sperare, & in patriam redire, quoniam princeps Iuditha filium perinde ac desiderauit concepit. Reuersi itaq; in Poloniā, ut prædixit abbas, inuenerunt Iuditham fœcunda tam uterum porrexisse. Construxit ergo Ecclesiam Vuladislaus sub castro Cracouień. in honorem S. Egidij, gratificando de prole sibi cōcessa. Sed & in alijs locis regni Poloniæ ob similem depellendā sterilitatem, constructa sunt oracula in honorem S. Egidij, quę hactenus extant. In Krobia, Kczinya, Clodawa, in Sborow, Gebolrow & Czirnielow, tandem uigesima Augusti Iuditha effundens concupitum infantem Boleslaū nomine, cui cognomentū accessit Crziuousti, breui ipsa superuiuens tempore, de ergasculo huius carnis nono Kal. Ianuarias, uenientes in uigiliam natiuitatis Dominicæ, in nocte sequēti, soluta est, plancta à clericis & miseris personis, quoniam benigna mater fuit orphanorū. Huius munificentia Comitatus Chroppi in terra Siradień. qui nūc Pabyanicze dicitur, cū hominibus & seruitutibus eorum, & cum omnibus tributis ex frumēto, melle, & pellibus mardurinis, atq; aspergillinis, donatus est Canonicis ecclesiæ Cracouień.

Vuladislaus Hermannus Monarcha primus.

Hermanni uirtus.

Interdictum sublatum.

Vuladislao nupta Iudith ex Bohemia.

Ecclesia S. Egidij Cracouiæ erigitur.

Boleslaus Crzyuousti ad preces S. Egidij conceptus, nascitur.

Iudithæ mors.

Pabyanicze capitulo Cracouiens. donatur.

couien. In cuius recompensam horas B. Mariæ astricti sunt singulis diebus explere. Episcopatui uerò Cuyauien. contulit, Castellaniam Lagouien. in districtu Sandomirien. cum omnibus inseruientibus. Hæc eadem monasterio Thinicen. præbuit Xasznicze, cũ alijs uillagijs supra Vissoka iacentibus & eorum attinentijs. Orbatus prima coniuge Vuladislaus, & lugubribus seu funerali pompa expletis, consilio suorum expugnatus, accepit alteram coniugem Sophiam, aliâs Sophoniam Henrici tertij Imp. filiam, & Henrici quarti Imp. tunc regnãtis sororem Salomonis olim regis Hungariæ relictam. Ex qua processu temporis tres generauit filias. Ordinauit etiam Meczlao, alias Myeszko, filiastro suo ex Hungaria reducto, Eudoxiam, Swatopolci ducis Kiouien. germanam in consortẽ, ut Ruthenos in fide & obedientia conseruaret, & uno tempore, ambobus geminas celebrauit Cracouiæ nuptias, anno Domini, uidelicet, 1088. Verumenimuerò in anno sequẽti mortuo Meczlao Boleslai audacis filio, & semen eius interijt, & Rutheni ab homagio apertè discesserunt Vuladislao Polonorum monarcha nequicquàm resistente.

Xasznicze monasterio Thynicens. donatur.

Vladislaus Hẽrici 3. imp. filiam duxit uxorem.

Ruthenorum defectio.

CAPVT II. LIB. III.

Exemplo Ruthenorum, Pomerani & Pruteni prouocati, similiter obedientiam & tributa denegarunt, capitaneos & præfectos ducis, aut necantes, aut contumelijs affectos depellentes. Vuladislaus uerò non secus, quàm par erat, copias suorum principatuum contra eos mouit, & post festum Ioannis Baptistæ ingressus Pomeraniam uastabat. Pomerani autẽ iuncti barbaris Prutenis, occurrentes Vuladislao, in die assumptionis gloriosissimæ uirginis Mariæ circa flumen Rzeczen, cum eo confluxerunt, tamen rarescentibus Pomeranis & Prutenis, primum cœperunt pedẽ referre, ad ultimum autem in fugam uersi sunt, magnaq; cędes in fugientes à Polonis edita est. Hac pugna Pomerani & Pruteni fracti, se & omnia sua Vuladislao tradiderũt, ueniam deprecãtes, quam reportarũt Vuladislao munitiones, & castra eorum auferente, & suis fide dignis locante. Nonnulla uerò diruente, ut maior in eis conseruaretur fides. Post discessum ducis in Poloniam, affertur ei nunciũ Pomeranos & Prutenos denuò rebellare, qua per motus instabilitate, concitatus cum parua manu, tamen exercitatorum militũ in mense Februario in Pomeraniam reuertitur, bipartitoq; agmine cum Sethegio palatino Cracouien. principe militiæ, celeri gressu percursa Pomerania & Prussia, nemineq; copiam pugnãdi opponente, omnibus ad inuia & syluas diffugientibus, spolijs onustus ad Poloniam regrediebatur. Cumq; peruenisset ad locum, qui dicitur Drzen, speculatores à tergo derelicti aduenientes nunciant adesse multitudinem Pomeranorum & Prutenorum, nec plus quàm quinq; miliaria abesse. Consilio adhibito: quid facto opus esset, stetit sententia hæc, quòd melius est mortem cum gloria oppetere, quàm turpi fuga salutẽ quærere. Signis itaq; collatis, pugnatum est ab hora tertia, usq; in noctis crepusculũ, marte duro & ancipiti perseuerante. Instantibus tenebris crepusculi, Pomeranorũ acies pro uicta discessit, absq; Polonorum insecutione, quoniam quisq; aut sauciatus, aut fessus substitit. Pro uictoria habentes de loco non cessisse, & prædam è manibus non amisisse. Et quia propè erat dies Paschæ, cum præda inuecta dux Vuladislaus Gnezniam descendit, statimq; primo ueris tempore pluribus pugnatoribus uocatis, & externis pretio conductis, in copioso exercitu Pomeraniã regreditur, ubiq; uastando, & spolijs, tàm Pomeraniam quàm Prusiã expilando. Quum uerò pugnæ copia non daretur, ne tantum exercitum frustrà reduceret, inops consilij, castrum Nakel uallauit, in quo multitudo Pomeranorum sese concluserat, frequenterq; exercitus obsidens, ludificationes umbrarum, speciem armatorum præ se ferentium, passus est. Corripiebant milites arma, noctis sub silentio ad propulsandum hostes è somno excitati, nemine comparente unaq; noctium longius à castris tanquàm phantasmata pugnatorum insecuti, progressi, damnum incendij pertulerũt. E castro siquidem Nakel obsessi descendentes, ignem in tabernacula & tentoria culmine & sicco gramine tecta iniecerũt, & cum tabernaculis exusti sunt plures homines, iumenta, machinæ, & bellica instrumẽta, sed & milites conducti, quales fuère Bohemi, non ferentes frigus hyemis quod instabat, recessum optabant, propter quod solutio obsidionis facta est cum magno periculo. Hanc aũt phantasmatum uexationẽ & ignominiosam à castro Nakel discessionẽ referunt prouenisse historię Polonorum, ad ulciscendum pręuaricationes, per milites factas, quoniam tota quadragesima trãsacta, bellatores uiolato ieiunio, carnibus & butyro gulosius uescebantur, sic quibusdam timoratis uiris cœlesti munere reuelatum esse perhibetur. Congessit iterum numerosiorem exercitum dux Vuladislaus, & quæq; derelicta Pomeranorum & Prutenorum primo æstatis tempore abrasit, munitiones, tecta, agros, captiuos & pecora. Exuti fortunis omnibus, ad Vuladislaum uenerunt humiliati Pomerani & Pruteni. Quibus exanimatis seditiosos decapitauit, alios in alia loca transtulit, & multitudine pacificatæ pepercit.

Pomeranorũ, Prutenorumq; defectio.

Vuladislai uictoria.

Pomeranorum altera defectio.

Pomerani iterum uicti à Polonis.

Vuladisl. iterum in Pomeraniam redijt.

Vallatur Nakel castrum.

Polonis ex igne iactura.

Vltio diuina ob ieiunij præuaricationem.

Vuladislaus tertiò Pomeraniam ingreditur.

Bellum Bohemicum.

SEcutum est extemplò, finito certamine Pomeranico, Bohemicum bellum. Nam Brzetislaus dux Bohemiæ sciens occupatum Vuladislaum bello Prutenico, inuasit eam oram, quæ est à castro Grecz supra Albim fluuium sito (quod iuris Polonorum erat) depopulando, & uastando usq; ad fluuium Odram, ad reprimendum facinus & audaciam eius, sequenti anno dux Vuladislaus morbo grauatus & impeditus, misit Sethegium, aliâs Seczech, Palatinum Cracouiensem, & principem militiæ, cum numeroso exercitu ad uastandam Morauiam, & resarciendum mala per Brzetislaum illata. Dum autem præsignaret & mandaret Vuladislaus Sethegio, ut obmissis locis munitis, solis spolijs & uastationi intenderet. Puer Boleslaus nouennis (nonũ enim agebat annum) audiens mandata patris de bellis gerendis, cœpit ardenter supplicare, ut mitteretur cum exercitu ad Morauiam, cui pater renitens prohibuit, asserens eum, uires & ætatem bellis aptam nondum attigisse. At Boleslaus puer: Satis, inquit, genitor ætatis est mihi & roboris, dummodo tu me non prohibeas. Expugnauit itaq; continua supplicatione & instantia, ut pater eius ipsum ad bellum Morauicum mitteret. Strictè mandans Sethegio ut curam eius ageret, unicus namq; fuit patri & intimè dilectus. In tota autem expeditione Boleslaus, nouus miles obiuit cuncta militum officia, noctis uigilias cum eis peragens, arma quotiens congrediendum erat corripiens, & ad principium ni cohiberetur currens, disciplinam militarem diligentissimè auscultans, & exequẽs, in dormiendo, sagulo militari tenerum corpusculum supra nudam humum tegens. Morauia uastata & uehementer afflicta, cum plurimis spolijs, & captiuis tirunculus Boleslaus cum Sethegio & exercitu ad patrem reuersus est. Et quia quidam inuasores Pomerani, castrum Miedzirzecz in confinijs Saxoniæ, astu interceperant, & ipsum muniendo, rapinas ex Polonia abducebant: Boleslaus maiori cum instantia qua potuit, parentem suum rogauit, ut daret ei exercitũ, ad conquirendum præfatum castrum Miedzirzecz. Vuladislaus uerò admiratus indolem pueri, præbuit exercitum, subijciens curam tum tyronis Boleslai, tum exercitus, ipsi Sethegio principi militię, ut omnia expeditionis officia secundum ordinationem eius progrederentur. Aduenientes ergo Boleslaus & Sethegius ad locum castri, ipsum uallarunt, tabulis & roboribus undiq; sepiendo & concludendo, ac bombardis quatiendo, donec Pomerani fame attriti, demissionem petentes, saluis personis & suis equis obtinuerunt. Et quia dux Vuladislaus, pius dictus habuit ex concubina naturalem filium Sbignieuu nomine, sic à Iuditha legitima uxore nominatum, quod interprætari licet, euadens iram, uel profugus, à nomine Sbig, eò quòd illi operæprecium fuisset uitare iram Iudithæ, & ab oculis eius fugere. Hunc literis eruditum tradidit cuidã monasterio in Saxonia, ut illic delitescens, tonsus & monachatus, pro abstergenda ignominia, extra regnum Poloniæ perpetuò maneret. Brzetislaus autem dux Bohemiæ callidè Poloniæ nocere cupiens, persuasit exulibus Polonis, qui Bohemiam oppleuerãt, odio aut persecutione Sethegij palatini Cracouieñ. tanquàm alterius ducis proscriptione, atroganter pulsi, ut Sbigneo accepto, Poloniæ orã, Bohemiæ proximam occuparent, ad ulciscendum suæ exulationis iniuriam, habituri suffragia ex propinqua Bohemia. Poloni uerò exules animati, ac Brzetislai persuasioni obedientes, Sbigneum de monasterio extraxerunt, monachis nequicquàm resistentibus. Et componentes cum capitaneo Vuratislauieñ. nuncupato Magnus, uiro probatę fidei, pro Sbigneo tamẽ, & expulsis inclinato & stante, ingressi sunt castrum Vuratislauieñ. Quod dum comperit dux Vuladislaus, ægrè ferens non cunctando, sed properè cum exercitu peruenit ad Vuratislauiam, & Ziroslao episcopo Vuratislauieñ. cum processionibus excipiente, & eum in ciuitatem introducente, intrauit castrum, quod sibi patuit, Magno capitaneo humiliter ipsum suscipiente. Sbigneo uerò cũ suis exinde dilapso, & ad Cruszuiczam diuertente, indignatus Vuladislaus capitaneo Magno, prius eum obiurgans, capitaneatum Vuratislauieñ. ei abstulit. Pro eoq; surrogauit Boleslaum filium suum cum Voislao curatore eius, & cum exercitu insecutus Sbigneum, peruenit iuxta Cruszuiczã, ubi magnum exercitum Sbigneus contra patrem conflauerat, ex Pomeranis & Prutenis suapte natura, duci Vuladislao infestis, & iuxta lacum Goplo congressi (heu natura horret filium contra genitorem arma leuare) magnum certamen, magnamq; stragem ediderunt, ut aqua & pisces lacus Goplo cadaueribus & sanguine occisorũ fœdati, longo tempore inutiles permanerent. Sbigneus uictus, ad castrum Cruszuicza fugit, & uiuus in manus parentis deuenit, quem cathenatum pater Sethegio principi militiæ ad custodiendum tradidit. Postea tamen in consecratione ecclesiæ Gneznens. duce Vuladislao præsente, Martinus archiepiscopus Gneznens. cum optimatibus, prælatis & baronibus Poloniæ, supplicationibus precantes, Sbigneum à uinculis relaxandum obtinuerunt, multum enim pius fuit Vuladislaus. Iunctus Boleslao Sbigneus contra Sethegium, aliàs Szeczech

Virtus in puero.

Morauia uastata.

Boleslai expeditio.

Sbigneus monachus armis patrẽ infestat.

Altera pugna inter patrem & filium.

Sbigneus uictus.

Szeczech palatinum Cracouiensem suum uinculatorem in Vuratislauia conuentione habita, se obstrinxerunt, & parente eorum in Zarnouiecz, ignobili uico Mazouiæ offenso, plurimis querelis deposuerunt, etiam cum exercitu quo cum aduenerant, quòd regnum Poloniæ sibi usurparet, omniaque castra regni possideret, ipsis tanquàm hæredibus neglectis & spretis. Demolitus accusationibus filiorum, & cæterorum prelatorum atque militum, abdicauit à se Vuladislaus Sethegium, qui ominans meliorem fortunam, discessit in Russiam. Post annos plures benignitate ducis Boleslai, ad postulationem pontificum, recollectus & restitutus, auctoritate tamen qua prius abundauerat caruit. Fuit hic Sethegius nobilis, de genere bipennium, factiuus, uersatilis, & multum possessionatus. Bini autem fratres Boleslaus & Sbigneus contra Pomeranos rebellantes missi, in nouam seditionem uersi, nihil effecerunt. Pro uirtutibus heroicis in festo Assumptionis Beatæ Mariæ in Ploczko balteū militię Vuladislao exhibente filio suo Boleslao, auditoque quòd Pomerani insilientes, castrum Santok obsederunt. Dimissa Boleslaus dignitate militiæ, & iussis militibus, qui conuenerant ut sese insequerentur, noctis tempore superueniens, Pomeranos in tabernaculis quiescentes trucidauit, & obtruncauit, tandem reuersus cingulum militiæ sub frequentia & conuiuio multorum acceptauit. Sic prius obsidentibus Pomeranis prædictum castrum Santok, & Sbigneo cui hanc prouinciam pater delegauerat, sua segnitie illis non repulsis discedente, Boleslaus cum paucis superueniens, fortalitium ex opposito castri Santok per Pomeranos locatum demoliuit, & Pomeranos sugere coëgit. Sic & Ruthenos antea profligauerat, nam Ruthenorum duces, Vulodimir Nouogrodens. Dauid Olech Pereaslauiens. Volodor Premisliens. & Iaroslaus Iaropolcicz, exercitu quadripartito Poloniam ingressi, & usque ad fluenta Vislæ grassati, plurimis damnis illatis copiosas prædas abducebant. Iamque Russiam reintrauerant læti, dum Boleslaus eos consecutus est, & in diem Dominicum, sub quiete noctis (quoniam illam multitudinem aliter superare nequiuit) in eos cum altis clamoribus irruens, fudit & prostrauit, prædamque de manibus eorum ereptam, in Poloniam cum ampla gloria reduxit. Et quia Boleslaus, mactæ uirtutis erat adolescens, & in ore omnium laudatus, Sbigneus tanquàm pusillanimis & iners, ei inuidebat, itaque pater ne inter eos scissio maior orietur, post ipsius mortem, iam enim senuerat, diuisit dominia Poloniæ in hunc modum: Boleslao meliorem partem assignauit, scilicet terras Cracouiens. Sandomiriens. Siradiens. Slesiam cum Vuratislauia. Sbigneo naturali filio, Mazouiam, maiorem Poloniam, Pomeraniam & Prussiam. Hæc prima sectio fuit regni Poloniæ in plures principes. Quanquàm Sbigneo naturali filio, & illegitimo nil hæreditatis cum Boleslao debuit assignari, dictante scriptura: Eijce ancillam & filium eius, non enim poterit esse hæres cum filio liberè. Vuladislaus autem grauiter infirmatus in Ploczko, sacramentis per Martinum archiepiscopum Gneznens. procuratus, mortuus est quarta die mensis Iunij, anno Domini millesimo, centesimo secundo, sepultus in choro ecclesiæ Plocensis, Boleslao gemente, & parentem in ægritudine & post mortem deflente, & usque in quinquennium lugubria ferente. Sbigneo uerò cum fistulatoribus & cantoribus exultante. Orta quoque seditione super thesauris paternis, quos integrè Sbigneus compræhendere nitebatur, quoniam in ditione suæ prouinciæ ipsi spectare uidebantur. Martinus archiepiscopus Gneznensis cum cæteris episcopis & magnificis regni, inter fratres ex æquo diuiserunt, & ad sua quemque abire persuaserunt.

Sbigneus à uinculis liberatus.

Sethegij exilium.

Rutheni Poloniam hostiliter ingressi.

Victi à Boleslao Rutheni.

Polonici regni scissio prima.

Vuladislai mors.

CAPVT IIII. LIB. III.

Vratislaus dux Bohemię, datis munificis donis Henrico quarto Imperatori in Maguntia, in auro, argento, unionibus, & cœlatis uasis, primus coronari in regem Bohemiæ obtinuit. Misso itaque ab Imperatore Engelberto archiepiscopo Treuerensi, Vuratislaum in Pragensi ecclesia coronauit in regem Bohemiæ, & Suatochnam consortem eius, olim Kazimiri regis Poloniæ filiam in reginam, decimoseptimo Kalendas Iunij, anno Domini millesimo, octuagesimo septimo. Sub illo itaque tempore penè eodem regnum Poloniæ desijt, & regnum Bohemiæ incœpit. Similiter dum Vniuersitas Cracouiens. cœpit, Pragens. Vniuersitas defecit. Item dū reges Bohemiæ tractis ad se principibus Slesiæ, glorificati contra Polonos pro Cruciferis Prutenorum pugnarunt, reges Poloniæ humiliati contabuerunt. Nunc uerò regibus Poloniæ exaltatis, & usque in Bohemiam & Hungariam eleuatis, Bohemia decreuit. Hæc est regnorum mundi pessima alternatio, ut uno crescente, aliud uicinum decrescat, talique uicissitudine regna diminuantur. Translatio S. Stanislai, de Basilica S. Michaëlis in Rupecula, ad ecclesiam cathedralem Sancti Venceslai facta est, anno Domini millesimo, octuagesimo nono, & est annus decimus ab occisione eius. Nam cuidam matronæ beatissimo Stanislao

Primus rex Bohemiæ coronatus.

Translatio S. Stanislai.

deuotæ, nomine Suanteslawa, extra ecclesiam S. Michaëlis ad tumulum præfati martyris, noctis tempore flagrãtisime oranti, in extasim raptæ, beatus Pontifex Stanislaus, pontificalibus indutus, ad altare diuina celebrans, asistentia uenerabilium personarum circumdatus, in iam dicta ecclesia luminaribus referta fulgentibus apparuit, quam finitis diuinis, talibus affatus est. Surge inquit filia, & intrepida aggredere successorem meum Lampertum episcopum Cracouieñ. & fratres meos canonicos, ut in ecclesiam maiorem transferant corpus meum, quoniam absq; debito honore his cineribus tectus delitesco. At illi relatione ad se perlata, incunctanter ab omnibus urbis processionibus, corpus beati martyris & pontificis transtulerũt, & in medio ecclesiæ maioris, in tumba deaurata honorificentisime locauerunt, ubi in hanc diem quiescit. Post paucos dies huius translationis, Meczlaus filius Boleslai efferi, qui anno proximo uxorem acceperat, extinctus est, ut scilicet semen occisoris pessundaretur & periret, quando occisus antistes, glorificatus est. Et sicut corpus sancti Præsulis in plurima frusta scissum est, & postea absq; nota cicatricum reintegratum, sic & corpus regni Poloniæ, ut religiosis personis reuelatum fuit, à diebus ducis Vuladislai Hermanni in plurimos principatus scissum est. Ex pòst uerò in unum regnum coaluit, sicut nunc cernimus, incipiendo a rege Bremislao, usq; ad regem Sigismundum, sub cuius imperio felicibus cœptis hanc historiam scripsi. Visseslawa Meczlai genitrix, geminato malo uexata, & filij fato, & mariti exilio, non longè post filium, quinto Idus Martias ex humanis absumpta est. Vrbanus Papa secundus, olim monachus Cluniaceñ. in concilio, quod in Claromonte celebrauit anno Domini 1095. statuit, ut horæ B. Mariæ quotidie dicerẽtur, officium uerò eius diebus sabbathi expleretur, & dicitur quòd hoc reuelatum sit fratribus de Carthusia, quorum primarium, uidelicet magistrum Brunnonem Papa, secum asiduè tenuit.

CAPVT V. LIB. III.

S. Ladislaus Hungariæ rex moritur. Dalmatia & Croatia Hungariæ adiecta.

SAnctus Ladislaus rex Hungariæ, anno Domini 1095. quarto Kal. Augusti mortuus est, & in Varadieñ. ecclesia sepultus. Is adiecit regno Hungariæ, Dalmatiam & Croatiam. Refert chronica Hungarorum, quòd Ladislaus irruit in Poloniam & confligendo, de Polonia triumphauit, castrumq; Crakow tribus mensibus obsedit, & expugnauit. Similiter eadem chronica refert, quòd Bela, pater S. Ladislai sibi Poloniam & Bohemiam subiugauit, quod absurdum & falsum quisq; sciet. Ex eo primo quòd annales Polonorum & Bohemorum hoc non continent. Secundo ex eo, quòd tam rex Bela, quàm filij eius, Geysza, & Sanct. Ladislaus alumni fuerunt, in Polonia (ab Hungaria exulantes) nutriti, non eam impugnantes, quod scriptor regum Hungariæ non discernit. Tertio ex eo, quòd Boleslaus audax, Sanct. Stanislai occisor, Belam reduxit in Hungariam, & profligato exercitu, tam Imp. Henrici, quàm Hungarorum & Bohemorum, Andrea rege Pannoniæ expulso, ipsum regem Hungariæ creauit, ut in historia de præfato Boleslao præmissum est. Geyszam quoq; & Ladislaum cum Lamperto filios prædicti Belæ personaliter auxilium regis Boleslai postulantes contra regem Salomonem, ex Premislia cum forti exercitu in Hungariam reduxit, pacem pro eis conficiendo cum rege Salomone, per pontifices regni Hungariæ. Ladislaus coronatus est in regem Hungariæ, regnante Boleslao audaci in Polonia. Vita uerò functus est, principante Vuladislao pio Hermanno cognominato.

CAPVT VI. LIB. III.

Rutheni ex Polonis spolia legerunt.

VAsilko Roscislauicz dux Rusiæ, intelligens regem Boleslaum efferum, è Polonia excessisse, & exulando in Hungariam migrasse, collecto exercitu ex Ruthenis & Polowczis, ingressus Poloniam quasdam munitiones exusit, & prædam cum spolijs in Rusiam festinè abduxit. Vuseuoldus autem filius Iaroslai, & dux Kiouieñ. peste absumptus est, tredecima die Aprilis, anno Domini 1083. (quo anno atrocisima pestis terras Rusiæ inuaserat) & sepultus est in ecclesia D. Sophiæ Kiouiensis. Hic fuit amator pauperum, & spiritualium, reliquit duos filios, Vuladimirum & Roscislaum. Vuladimirus natu maior, timens Swatopolkonis filij Zaslai inuasionem ducatus Kiouiens. (quoniam ea sedes patris eius fuit) accersiuit ipsum, & ei de ducatu Kiouiens. cesit. Cuius administratione assumpta, uenit in Kiow, dominica cõductus Paschæ, exceptus à Kiouiensibus muneribus & occursu. Vuladimirus uerò iuit in Czirnieouu, Roscislaus autem frater eius in Pereaslauu. Audientes Polouuczi, Suuatopolkum Zaslai filium in principatum Kiouiensem succesisse, mittunt ad illum legatos, ut cum eis pacem firmaret, quemadmodum pater eius fecerat, & de tributis retentis responderet. Suuatopolkus legationem Polouuczonum ægrè ferens, captiuat nuncios eorum.

Vuseuoldus interijt.

Swatopolkoni ducatus Kiouienf. restitutus.

Legati Polowczonum intercepti.

Quo

Quò percepto Polouuczi, furore acti, terras Rusſię crudeliſsimè uaſtare cœperunt. Suuatopolkus intelligens ſe iniquè egiſſe, nuncios Polouuczonum ſoluit & remittit, pacē flagitando, qua non obtenta, mittit ad Vulodimirum Czirnieouienſ. & Roſcislaum Pereaſlauienſ. duces, ut ſibi ſuccurrerent. Qui coadunatis exercitibus, uenerūt ad ipſum Kiouu, increpatoq́ Suuatopolkone, quòd contra ius gentium nuncios Polouuczonum uiolaſſet. Eduxerūt unà ſecum copias bellatorum, ad flumen Stuhnya ubi dubitatum aliquandiu, an eſſet decertandum uel non, tandem in ſententiam Kiouienſium (nullam ſe cum Polouucis pacem habere clamantium) itum eſt. Ordinatisq́ aciebus, Suuatopolkone dextrum cornu, Roſcislao læuum, Vuladimiro medium tenente, pugnam cum Polouucis uigeſima ſexta Maij committunt, & Suuatopolkus cum ſuis à ſagittarijs Polouuczonum conflictus, fugit in Othropol ad ueſperam, ſub caligine uerò noctis peruenit in Kiouu. Polouuczi deinde in Vuladimirum & Rocislaum irruunt, & eos confligunt atq́ diſpergūt. Roſcislaus autem fugiens, periclitatus eſt in flumine Stuhnya, quoniam aquis intumerat, quem Vuladimir tranato flumine cum paucis, in altera ripa fleuit, repertoq́ corpore Roſcislai, tumulatum eſt in eccleſia S. Sophiæ Kiouienſ. in ſepulchro paterno.

Swiętopolkonis fuga.

Roſcislai interitus.

Polowczi uictores.

Polouuczi uictoria potiti, caſtrum Torcz uno agmine obſident, alterum agmē in Kiouu iuit, cui Suuatopolkus obuiam exiens, pugna commiſſa conflictus eſt, duntaxat comitātibus duobus in Kiouiam regreſſus. Reuertentes itaq́ Polouuczi ad alterū agmen circa caſtrū Thorcz, oſtentabant obſeſsis in caſtro ſpolia & captiuos, ex duce Suuatopolkone reportata. Qui non ualentes ſe ultra propter famem tenere, ſpemq́ nullam de ſubueniendo habentes dedunt caſtrum Polouuczis. Quo accepto Polouuczi ſuccendunt illud magnam multitudinem Ruthenorum in ſuas regiones abducētes, ubi plurimi miſerijs preſsi, frigore & nuditate perierunt. Gemina clade excepta, Suuatopolkus dux Kiouienſ. ſera pœnitentia ductus, cum Polouucis fœdus iniit, filiam Thuhortkani ducis Polouuczonum, pro maiori ſolidatione pacis in conſortem accipiens, tamen nec ſic euenit pax terris Ruſsiæ: Olech namq́ dux Ruſsiæ, impetrato auxilio Polouuczonum caſtrū Czirnieouu, & eius regionem inuaſit, Eccleſias, monaſteria, uicos & rura cremando, donec dux Vulodimir de caſtro Czirnieouu per compoſitionem ei condeſcendit, & de ipſo excedens, in Pereaslauu abiuit.

Olech dux [R]uſsiæ.

Nec adhuc exinde ora Czirnieouienſ. à uaſtatione Polouuczonum quieuit, quinimò multi Rutheni capti ſunt, multiq́ in ſeruitutē abducti. Inſuper locuſtæ in terras Ruſsiæ appulſæ, omnia genimina abraſerunt.

Locuſtæ.

Vadunt deinde bini duces Polouuczonum, Kithan & Ithlar, & bellum inferunt duci Vuladimir de Pereaslauu, qui ſolus intactus reſtabat. Qui miſsis nuncijs, pacem ſub iniquis conditionibus accepit, ad perſuaſionem tādem ſuorum militum, & Slauathe nuncij ducis Suuatopolki Kiouienſ. Primum filio ſuo Suatoslao obſide à Polouuczis ſubducto (negligētius enim à Polouuczis aſſeruabatur) obtruncat Kithanum, & Ithar duces Polouuczonum, cum omni comitiua eorum. Contractisq́ copijs dux Suuatopolk Kiouienſ. & Vuladimir Czirnieouienſ. ſtationes Polouuczonum nil hoſtile ueritos, inuadunt & trucidant, turbamq́ imbellem, fœminas impuberes, pecora, camelos & equos in Ruſsiā deducunt.

Duces Polowczonum trucidati.

Non quieuerunt poſt hoc Polouuczi, ſed nouo exercitu comparato, caſtrū Vhrouu ducis Suuatopolkonis tota æſtate circumſident, nec receſſerunt, donec Suuatopolkus miſsis muneribus eos placauit. Succedunt Polouuczis, Pruteni & uigeſima octaua Auguſti, anno Domini 1089. terras Ruſsiæ in magna multitudine ingreſsi uaſtant.

Polowczi uicti.

Pruteni Ruſsiā uaſtant.

Iterum Manyak dux Polouuczonū uenit cōtra Kiouu, Thuhortkan uerò alter Polouuczonum dux, & Suuatopolki ſocer, uenit contra Pereaſlauu. Suuatopolkone autem & Vuladimiro defenſionem opponentibus, decimanona Iulij ad flumē Tribosza pugnatum eſt, & uictis Polouuczis occiſus eſt Thuhortkan, & filij eius. Sed Polouuczi nil hac clade territi, nouo exercitu inſtaurato, ſilenti agmine uenientes parum abfuit, quòd caſtrum Kiouienſ. non interceperunt. Qui ſpe ſua fruſtrati, templa, monaſteria, ruraq́ incendunt. Et curiam ducalem in Bereſtouu cōburunt.

Polowczi Ruſsiam uaſtantes uicti ſunt.

Prouiſuri ergo duces Ruſsiæ inuaſioni Polouuczonū, conuentum apud Kiouu agunt, nuncijsq́ ad ducem Olech miſsis, præcantur ut illic ueniret. Qui irridens legatos, nō adducetis inquit, ut Epiſcoporum monachorum & uilium perſonarum imperijs, caput meum ſubſternā. Hoc reſponſo offenſi duces Suuatopolk & Vulodimir, prius in Olech arma uertunt, quàm in Polouuczos, & obſederunt eum 32. diebus in Starodub. Qui fame attritus, pacē petijt, offerens ſe iureiurando cruce deoſculata, imperata ducum facturū, quod minimè fecit. Præuaricato ſiquidem iuramento, ducatum Moromoſz inuaſit. Aſſerēs ipſum ad ſe hæreditariò pertinere. Hacq́ occaſione conflixit cū Iſaslao filio Vulodomiri ducis Kiouienſ. & eo occiſo, accepit caſtrum Moromoſz etiā caſtrum Roſtouu in ſuam retorſit poteſtatem.

[I]ſslaus dux occiditur.

Mſciſlaus germanus Iſaslai occiſi, dux Nouogrodenſ. ueritus tyrannidem Olh, ſpondet ſibi & patri ſuo Vulodimiro, Olh reconciliaturum. Olh autē ambiens Nouogrodeñ. ducatum,

collecto

collecto exercitu, substitit in Tuhrow, præmittens Iaroslaum germanum suum ad speculandum, quo intercepto à Mscislao, Olh territus secessit in castrum Rostow, deinde in Moromosz, cum quo Mscislaus eum persequens, componit per nuncios missos, & dissoluit exercitum. Quod Olh intelligens uiolato fœdere, cum suo agmine uenit contra Mscislaum, qui fugit à facie eius, & uocatis in arma militibus, acceptisq; in auxilium gentibus Kiouiens. & Polowczis, & fratrem Viecesiaum à patre Vulodomiro in sui auxilium missum, pugnam acerrimã confecit, in qua uictus est Olh, & fugit in Moromosz, æstimansq; propter plures dolos commissos, in terris Rusiæ se non fore tutum, in Reszanos fugit. Quem Mscislaus persecutus, uerbis dulcoratis plenam spem redolentibus allocutus. Turpe est, inquit, tibi, turpe nobis fratribus tuis, turpe & militibus tuis, ut calamitosus in alienis terris delitescas. Reuertere itaque in terram Rusiæ, quæ huiusmodi uerbis pellecto, ipsum & milites suos ex fuga reduxit. Deinceps duces Rusiæ facta conuentione in Lubiecz, concludunt pacem inter se, & mutuam resistentiam contra barbaros Polowczos. Sed illico uiolata pace, Swatopolk dux Kiouiens. cum Dauid Hreorouicz conspiratione facta, uenientem ad se in pace ducem Vasilkonem Roscislauicz, habens eius fidem suspectam, captiuat & utroq; oculo excæcat, propter quod duces Vulodimir, Olech & Dauid Swatoslauicz, bellum Swatopolkoni mouerunt, qui timens parabat fugã in Polowczos, nisi præfati duces à metropolito, & in primatibus Kiouiensium supplicibus sermonibus fracti & placati fuissent. Dauid autem Hreorouicz uolens inuadere principatum Vasilkonis excæcati, obsessus in Boszko, à Volodoro fratre Vasilkonis, omnẽ culpam in Swatopolkum refudit. Et concitauit cõtra se Swatopolkum & Volodor. Primo ergo Vere, uenit excæcatus Vasilco cum fratre suo Volodoro in terrã Volhinens. contra Dauid Hreorouicz, & expugnato castro Vuseuolosz, incendunt illud, & homines repertos crudelissimè perimunt. Deinde applicantes ad castrum Vladimiriens. omni multitudini obsessę pepercerunt, solos Vasilkonem, & Lazarum in alto suspensos, frequentissimo iactu sagittarum interimerunt, eò quòd causa excæcationis Vasilkonis prohibebantur, Swatopolk. Kiouiens. etiam sumpturus ultionem de Dauid, quia de cæcatione Vasilkonis culpauerat ipsum, contulit se ad castrum Brzescze, poscens à militibus Polonorum castrum tenentibus subsidium. Dauid autem aduersarius eius uelocissimè peruenit ad Vuladislaum ducem Poloniæ suffragia deposcens cõtra Swatopolcum, quos ambos Vuladislaus dux Poloniæ, cum exercitu ad flumen Bug ueniens, uoluit pacificare & componere, sed dum nequiuisset, reuersus est in Poloniã, neutri ducũ auxilio prẹstito, & obsedit Swatopolk ipsum Dauid in castro Vuladimiria: Vnde fugiente Dauid, post septẽ hebdomadas in Poloniã ad ducem Vuladislaum: Swatopolk potitus est castro Vulodimirz, producit deinde exercitum Swatopolk Kiouiens. contra Volodor, & Vasilconem, & commissa pugna, cessit uictoria Vasilconi & Volodor. Itaq; Swatopolk congregans nouum exercitum in Kiow, misit Iaroslaum filium suum ad Colomannum regem Hungariæ, auxilia petitum ire, uenit ergo Colomannus cum octo millibus pugnatorũ, & duobus Episcopis, positisq; castris ad fluuium Vyar, obsedit castrũ Przemisl. in quod se Volodor receperat. Et ut habet Hungarorum historia, uxore ducis Przemisliens. nomine Lauca, ad pedes regis Colomanni procidente, & solutionem obsidionis flagitante, pedibus calcatam iussit abire inexauditam: asserens, non esse regis strenuitatem, mulieres inter arma audire, fortuna autem regente. Dauid negato ei à Polonis subsidio, ad Polowczos iuit, reperitq; in itinere Bonyak principem Polowczonum cum exercitu, & eum contra Hungaros conduxit. Haud procul itaq; à Premislia positis statiuis, transit sub nocte media Bonyak in proximam syluam, & ululatu ædito, lupi conuenientes uicissitudinarium ululatum reddiderũt. Reuersus Bonyak ad suos, arma iubet capere, certã suis ex ululatu luporũ promittens uictoriã, altero q; die tripartito exercitu, duabus turmis occultatis, cũ tertia Hungaros inuadit, simulãsq; se uictam, fugere cœpit. Hungari credentes eam debellatã, effusi illam sectabantur, tunc Bonyak cũ residuis turmis, in terga eorum irrumpens, eos prostrauit, & quatuor millia Hungarorum occidit. Episcopis Hungarorum, quorũ nomina Kopanus alias Kupan, & Laurentius erant, etiam occisis. Reliqui Hungari in syluas & montes sparsi, biduo à Ruthenis & Polowczis persecuti sunt. Colomannus aũt rex Hũgariæ, clipeis militũ protectus euasit. Dauid ex hac uictoria resumpto spiritu, uallauit castrũ Vulodimir. Intellecto aũt obsessorũ periculo Swatopolk, misit Putatam suũ Palatinum ad succurrendũ castrensibus, in silenti agmine castrum ingressus, Dauid, & exercitum eius quiescentem, conflixit, & obsidionem dissoluit. Constitutoq; Basilio in capitaneum, Putata in Kiow discessit. Dauid autem fugiens in Polowczos, conquisitis auxilijs, redijt cũ Bonyak duce Polowczonum, & sub Swathesza, filio alterius Dauid, expugnauit castrum Luczko, quoniã opportunè non certificarat ipsũ de aduentu bellatorũ Swatopolkonis, prout se astrinxerat, ad castrũ uerò Vulodimiriam

Olech uictus.

Dux Vasilico i. Basilius excæcatur.

Dauid dux Vasilko bellum mouit.

Vasilkonis & Lazari interitus.

Dauid dux in Poloniam fugit.

Swatopolk ceditur.

Colomannus rex Hungariæ.

Barbarorum omen.

Altera Hungarorum clades.

Dauid clades.

Vulodimiriam antequam applicaret Basilius capitaneus, relicto castro diffugit, & Dauid facile potitus est castris Lucens. & Vulodimiriens. Primo autem uere procedente Swatopolkone, cum suis copijs ad recuperãdum Vulodimiriam: Dauid sciens ambiguitatem suorum militum, cum uxore, & tota supellectili, ad Vuladislaum ducẽ Poloniæ diuertit, Swatopolkone castrum Vulodimir pro suo uoto sortito. Dum autẽ quatuor duces Swatopolk, Dauid, Olech, & Volodor, Russiæ generalem conuentum in Vyethiczc agerent, mutua pace ordinata, accersitus est Dauid ex Polonis, & quærenti de spoliatione hęreditatis suæ Vulodimiriensis ducatus, responderunt ei per legatos pręfati duces, nolle reddere Vulodimiriensem sedem, quoniam frequenter terras Russiæ bello uexauerint, tamẽ ne sit ludibrio exul, & profugus in exteris gentibus, constituerunt ei possessiones & census. Swatopolk assignauit Ostrog, Dubyn Czartherisk, et postea adiecit Drohobusch Vulodimir assignauit centum marcas, Dauid & Olech adiecerunt alias centũ marcas annuas. Acceptauit ergo Dauid tum assignatas donationes, tum adiectas conditiones, & degendo in Drohobusch absumptus est.

Dauid moritur.

CAPVT VII. LIB. III.

DVx Boleslaus à concauitate oris ex morbo inflicta Crziuousti appellatus, quod sonat indirecti oris, altero post obitum patris anno, & fuit annus Domini millesimus, centesimus tertius, accepit in coniugem Sbislauam Swatopolkonis ducis Kiouiensis natam, quarto gradu consanguineitatis eum contingentẽ, dispensante Paschali papa secundo ad procurationẽ Balduini Episcopi Cracouiensis, eóque nuptias magnificè instructas sedecima Nouembris Cracouiæ agente. Sbigneus frater naturalis totius regni Poloniæ ambiens dominium, cõuiuij Boleslai solennitatem ad quam uocatus erat obmittens, ad Bohemiam perrexit ducem Bohemiæ Borziuoy, & nepotem eius Swatopolk ducem Morauiæ in arma aduersus Boleslaum pellicendo, iamque exercitus Bohemicus oram Polonię contigerat, cum seditione inter Bohemos suborta, quòd ad obeunda iniusta bella compellerentur, duces Borziuoy & Swatopolk una cum exercitu reuersi sunt in Bohemiam. Sbigneus uerò naufragium fortunę apud Bohemos pâssus, ad Prutenos & Pomeranos diuertit, sollicitando & ad inuadendum Boleslaum ducem Poloniæ ipsos animando. Quo comperto Boleslaus, ut par erat, iratus contra Swatopolk ducem Morauiæ, quoniam ardentius aduersus Poloniam arma sumpserat, conuocatis ueteranis militibus duntaxat ex suo dominio, præficiens illis Comken Zelislaum principem militiæ. Iussit ut tribus agminibus ingressi, Morauiam uastarent, quod cum tota quadragesima, & diebus sacris Pascha peragerẽt, magnam multitudinem captiuorum & spoliorum ducentes, reuertebantur, iamque prope fines Poloniæ peruenerant, dum speculatores adesse Swatopolk ducẽ Morauiæ, cum frequenti exercitu, plus de pedite quàm equite habente, retulerunt. Substitit illico Zelislaus, & præmissis imbecillioribus, cum captiuis sarcinis & spolijs in Poloniam: in statiuis hesternis præstolato Swatopolko, congressus est uterque exercitus, magna ui pro uictoria utroque plurimum adnitente. Ad uesperũ tandem, cum hora tertiarum pugna cœpisset, discessit utraque acies æquo marte, hæc in Poloniam, altera in Morauiam præda non excussa. Zelislaus uerò dux militiæ, dum pugnam instauraret, manum dextram amputatione amisit, qui sinistra manu amputatorem occidit. Huic Boleslaus dux Poloniæ manum ex auro fabrefactam loco carneæ obtulit & adaptauit, nec contentus præfatus dux Boleslaus de his, quæ Zelislaus cum exercitu in Morauia egerat, altero exercitu fortiori collecto, per alpes Poloniæ Morauiam ipsemet ingressus est, & singulis ad munitiones, & abdita syluarum, cum fortunis diffugientibus, nec Swatopolco resistentiã opponente (plurimum enim ex prima pugna debilitatus erat) liberè Morauia peruastata, ampliorique incendio afflicta, incolumis cum spolijs in Poloniam redijt. Sumpta ultione de Morauis, ultũ iri cupiens de Pomeranis iubet milites equestres in Glogouia conuenire, tanquàm in Bohemos transiturus hac cautela usus, ut Sbigneum & Pomeranos fallat, clandestinéque prosiliens quinque diebus per syluas & inuia, ad Cholberk peruenit, & duabus cohortibus à tergo relictis, cùm tertia in diluculo portam ciuitatis oppugnat, iamque effractis foribus, in ciuitatem cum suis insiluerat, duxque Pomeraniæ terrore perculsus, subitò elapsus erat, cum ciues eorum paucitate conspecta, sese adhortantes glomerati eos excluserunt, & muros strenuè defenderũt, ut etiam iunctis duobus agminibus post se relictis, & usque ad uesperam Colbergensem oppugnando, nihil profecerit. Direptis itaque suburbijs, pariter & uicinijs incensis, signo dato in Poloniam cum spolijs discessit. Reuersus in æstate cum eodem exercitu Pomeraniam uastabat, & nisi Swatoborum uiuum restituant, ab incendijs & uastatione Pomeraniæ non cessare aiebat. Fuit Swatoborus princeps oræ maritimæ, uasallus & cognatus Boleslai, sed fide uagus & instabilis, hunc

Sbignei sed tio Bohemorum commotio.

Boleslaus in Morauos arma sumpsit.

Poloni & Morani æquo Marte pugnauerunt.

Morauia denuò depopulatur.

Colbergensis oppugnatio.

Boleslai altera in Pomeranos expeditio. hunc subiecti eius Pomeranis, propter crudelitatem ipsius, occidendum tradiderunt. Itaque illico ex carcere eductum Pomerani in castra Boleslai Swathoborum perducunt, & pro libertate patriæ deprecati, discessum Boleslai obtinuerunt: attamen non satis pacatus Boleslaus de Pomeranis, anno Domini M. centesimo sexto, misit Scarbimirum principē militiæ cum exercitu in Pomeraniam, qui uicis & oppidis munitis, sed ignobilibus expugnatis, cum captiuis & spolijs in Poloniam redijt, & illico eadem uia qua regressus erat, cum priori exercitu ad castrum Bithom peruenit, & illud expugnatum exussit, prædamq; *Altera expeditio in Pomeranos.* conquisitam in Poloniam intulit, & cum nonnullis militibus ad Boleslaum apud unum suum nobilem, in dedicatione ecclesiæ conuiuantem, accessit, deq; gestis in Pomerania eū certiorem reddidit. Exhilaratus dux Boleslaus, de suorum militum fœlici reditu, relictis senibus in conuiuio, ipse cum centum militibus iunioribus, & Scarbimiro ad uenandum feras in proximo saltu processit, reperitq; Pomeranorum circiter tria millia ad uastandum Poloniam post uestigia Scarbimiri per syluas & abdita progredientes. In quorum multi- *Boleslai audacia.* tudinem non referendo pedem Boleslaus cum centum militibus insiliens, quosq; obuios prosternebat, cuneos Pomeranorum pertranseundo, & perforando: Et iterum altera uice, tanquam leo ferox, innumeros occidendo, hostile agmen penetrauit. Donec in tertia giratione ac reuersione, unus exclamauit apertum discrimen Boleslao imminere, & ideo cessandum fore. Caballus siquidē ducis perforatus, omnia uiscera defluxa emiserat. Scarbimirus etiam princeps militiæ uulneribus confossus, dextro oculo mutilatus fuerat, & princeps duntaxat quinq; militibus sequentibus tutabatur. Accepto ergo militis equo, dux Boleslaus ad conuiuantes regrediebatur, hos ipsos conuiuas in obuium pro subsidio ei ferendo, audita pugna, occurrentes & de præsumptione Boleslaum redarguentes. At ille ex temeritate uictoriam, & ex præsumptione gloriam assecutus, iubens suos arma corripere, ad ulciscendum in Pomeraniam anhelabat. Verùm Swatopolk expulso de Bohe- *Swatopolci in Polonos bellū.* mia Borziuoy suo patruo, iusto duce Bohemiæ, in Boleslaum exacerbatus, quoniam patruum eius ipsum Borziuoy, hospitio comiter susceperat. Cum copijs equestribus & pedestribus contra Poloniam procedens, usq; ad Cloczko peruenerat & morabatur. Diuisit itaq; Boleslaus exercitum, utriq; negotio satisfacturus, & cum una parte uersus Bohemos, iter arripuit. Quo audito Bohemi, acie dissoluta in domos regrediuntur. Scarbimirus uerò cum altera parte exercitus, Pomeranos attriuit & subiugauit, ut cuncti præter Albenses, qui Bialagradenses dicuntur iussis Boleslai parerent. Ad hos Boleslaus binos cli- *Albensium expugnatio.* peos blancum & rubrum, pacem & cruentum bellum, per eos signans misit, ut pacem aut pugnam eligendo complecterentur. Qui arrogantia plurima utrumq; contra Boleslaum acceptarunt, Boleslaus meritò lacessitus eorum ciuitatem adorsus expugnabat, ipseq; primus anteibat, & multis supernè interfectis portam ciuitatis cum cæteris resecuit & perfregit. Ingressusq; urbem, passimq; cunctos nemini parcendo trucidabat, uerum Albenses cognita sua præuaricatione, uenerunt cum pueris & mulieribus, pronique & ad pedes procidentes à Boleslao gratiam precati sunt, non pro se, quoniam supplicio dignos se iudicabant, sed pro coniugibus & minorennibus. Cunctis proceribus Polonorum ad excidium ciuitatis anhelantibus: Boleslaus clementissima indulgentia misertus, prohibuit militibus ciuitatis prædationem: Albenses in gratiam acceptando, ex inde occasione sumpta, aliæ ciuitates de pietate Boleslai confidentes, homagia Boleslao sponte præstiterunt, scilicet Caminensium, Golibergensium, Velunensium, Cosominen. & cæterarum ac maritimarum ciuitatum, astringentes se in illius subiectione fideliter permansuros. Adiecit insu- *Czarnkow expugnatio.* per dux Boleslaus in autumno eiusdem anni oppugnationē castri & oppidi Czarnkow, in deditionemq; redacto castro & oppido, quod fuit iurisdictionis Pomeranorum, Gniewomirum eiusdem castri hæredem, ad gratiam baptismi cum tota ipsius genealogia adduxit, ei noua prouisione Czarnkow largitus est, & inscripsit. Contigit eodem anno Martino archiepiscopo Gneznen. cum Nicolao Archidiacono præfatæ Gneznen. ecclesiæ secum præsente in ecclesia Spiczmerien. sub audientia missæ, aduenerunt Pomerani & o- *Pomeranorum sacrilēga præda.* mnibus territis. Nicolaus Archidiaconus euoluit se de ecclesia fugiēs: At Pomerani comprehendentes ipsum (putabant enim fore Archiepiscopum) posuerunt in uehiculo, ingredientesq; ecclesiam, abstulerunt sacra uasa, & res ecclesiæ. Archiepiscopum uerò Martinū non tenuerunt, quoniam omnibus ministris ab eo diffugientibus, collectis uiribus effœti corporis ascendit sub tectum oratorij, seq; inter laquearia occuluit. Plagauit autem omnipotens Deus Pomeranos, familiam, coniuges, & affines eorum, qui uasis sacris abutebantur, ut mania, ac epilepsia agitarentur, seq; inuicem morbo agitati, ferro & saxis impeterēt, & plures occiderent. Donec compuncti reatum suū cognoscentes, & idololatriæ renunciantes. Nicolaum Archidiaconum cum uasis & rebus ecclesiæ ablatis, ad suum Archiepiscopum remitterent, reatuq; baptismate diluto, decimas diu negatas tribuerunt, & ido-

la muta

la muta confregerunt, prout antea per predictum Martinum archiepiscopum monebantur. Et hac de causa intercipere & captiuare ipsum in oratorio Spiczmerieñ. nitebatur. Item Kosle castrum ad fluenta Odræ in Slesia situm, fortuito conflagratum erat. Dux uerò Boleslaus uelociter cum suis accurrens, ipsum ex fundamentis ædificabat, ueritusq; ne Bohemi paucitate ipsius explorata, & ducem, & castrum inuaderent, misit legatos ad Sbigneum naturalem fratrem, ut gentes suas mitteret ei in subsidium. Sbigneus autem aduersus Boleslaum arroganter & acerbius locutus est, & nuncios eius turpiter tractauit, quod Boleslaus moleste quidem, sed patienter tulit. Castroq; Cosle perfecto, ad animum iniurias Sbignei reuocans, quid in hac re agendum foret, ad consilium retulit, inuentumq; est prout rumore publico uulgatum erat: Sbigneum Bohemos, Pomeranos, & Prutenos in fratris Boleslai & suarum terrarum excidium, suggestionibus, fœderibus, pecunijs, & multiuarijs promisis, animasse, singulisq; præsentibus, tetriora adijcientibus, intercipiuntur nuncij Sbignei cum literis, ex quarum lectione multæ fraudes repertæ sunt, interimq; nunciatur Sbigneum Bohemos & Pomeranos contra Boleslaum & sua dominia concitasse, uniuersis cõsiliarijs pessima facinora Sbignei execrantibus, censent uelut pestem communem exterminandum. De omnibus terris quas ei paterna indulgentia donauerat eijciendum, tres hostes unà contra se Boleslaus animaduertens, deliberabat cui primum occurreret. Conduxit itaq; ex Pannonia, & Russia mercenarios milites, significauitq; socero suo Svvatopolkoni duci Kiouieñ. ut in suo periculo, personale cum suis copijs illi ferret auxilium. Prudentiq; usus consilio, primum Bohemos sibi conciliauit, & in Bohemiam redire persuasit, ad Pomeranos pugnatum contendens cunctos terrore concussos, dissipatos comperit. Sbigneus intelligens sese quæsiturum, pauore perculsus ex maiori Polonia (ibi siquidem Pomeranos iuuabat) in Mazouiam fugit. Boleslaus uerò expugnata Gnezna: & castris Spiczmierz: & Lacicia, quæ ditionis Sbignei erant, insecutus est Sbigneũ cũ auxilijs Hungarorũ & Ruthenorũ, quæ ei aduenerant. Tum Sbigneus in desperationem uersus, cœpit sollicitus esse de uita, & mediantibus inter Boleslaum ac Sbigneum, Baldvvino Episcopo Cracouieñ. cum Baronibus communibus, adductus est Sbigneus, obiectisq; & exprobratis sibi uicijs, suppliciter orauit, ut concessa ei uita aliquam portionem regni sibi concederet, iuramento precibus & fletibus astruens nunquam se Boleslao aduersaturum, sed ut miles suo principi obediturum. Boleslaus misericordia motus, assignauit ei duntaxat Mazouiam, & utrunq; exercitum Hungaricum & Ruthenicum remisit ad sua.

Expeditio in Pomeranos.

Sbignei deditio.

CAPVT VIII. LIB. III.

ANno uerò Domini. 1108. Colomannus rex Hungariæ conuentione facta cum Boleslao duce Poloniæ, in territorio Scepusieñ. fœdus inierunt, auxilia mutua contra quemcunq; hostem, præcipue tamen contra Henricum imperatorem, eo anno Pannoniam demoliri conantem, concluserunt, accessit fœderi & affinitas. Nam Stephanus filius regis Colomanni natu maior, accepit Iuditham Boleslai ducis Poloniæ natam. Cui pro dote assignauit terram Scepusieñ. & ab eo tempore in proprietatem Hungarorum transijt. Henrico autem imperatore Hungariam inuadente, misit Boleslaus, appellatus Crziuousti fortem exercitum in auxilium regi Golomãno. Boleslaus uerò cum nobilibus ex Polonia, habens secum Borziuoy, Sobeslaum duces (sed exules) Bohemiæ, in potenti exercitu ingressus est Bohemiam, quoniam Svvatopolk dux Bohemorum, cum Bohemis Henrico imperatori contra regem Colomannum Boleslai affinem ferens auxilia in Hungariam exierat. Et facilè profligatis Vaczkone, ac Muthina quos pro gubernatoribus Bohemiæ Svvatopolk reliquerat expugnatis aliquot castris, & Bohemorum oppidis, in Poloniam cum spolijs reuersus est. Iurauitq; Henricus imperator Svvatopolko, ulcisci quam primùm iniuriam eius in Boleslao duce Poloniæ. Boleslaus in Poloniam reuersus duo mala offendit. Sbislauam suam consortem mortuam, & castrum Vscze à Pomeranis interceptum, quod antequam expugnaret (sciuit enim illud ualido præsidio munitum) obsedit castrum Velen, in quod Gnieuomirus auctor proditionis & traditionis castri Vscze, à Boleslao olim baptisatus, se receperat. Sbigneo naturali fratre in exercitu Boleslai officio coadiutoris fungente, clandestinè Pomeranos contra Boleslaum concitauit, ut obsessis ferrent præsidia. Et uenientibus Pomeranis noctu, in Boleslaiq; exercitum irrumpentibus, dux Boleslaus, qui excubias secundum consuetudinem ultra exercitum agebat, à tergo Pomeranos inuadens, eos profligauit

Scepusiũ Hungaris datum.

Henricus Hungariam inuadit.

Boleslaus Bohemiam hostiliter inuadit.

Boleslaus geminum malũ reperit.

Velen obsidetur.

Vscze interceptum.

Sbignei proditio. *Pomerani capti.* *Dolꝰ Sbignei.* *Sbignei auxilium.* *Gnieuomirus captus et interemptus est.*

uit & prostrauit, captusq; est inter eos Sbigneus: & detracta galea cognitus. Qui pro excusatione finxit se antecessisse Pomeranos: ut eorum aduentum prænunciasset, & ita captum esse. Verum notissima fuit fraus & dolus ipsius, ideo dolo non patrocinante exilio damnatus, in Bohemiam se contulit. Velenses uero ad ultimum in desperationem uersi Boleslao portas aperiũt in signum pactionis, chiroteca de dextra Boleslai petita & obtenta, quod milites animaduertẽte in murmur & odium commoti, omnes Pomeranos in Velen occiderunt. Boleslao multitudinem nequicquã castigare ualente, captus est & Gnieuomirus, qui Pomeranos à fide Boleslai alienauerat & pro perfidia, fuste capite eius discusso, interijt.

CAPVT IX. LIB. III.

Expeditio Henrici quarti in Poloniam.

MAgna atque heroica huius Boleslai facinora, & quæ nulli regum ac Poloniæ principum tam prospere ut sibi obuenerunt, prosequendo tangenda est uictoria, quam de imperatore Henrico quarto reportauit. Anno siquidem Domini. 1109. Henricus quartus, ad ulciscendum rem belli in Pannonia malè gestam, & inuasionem atq; uastationem Bohemiæ, in Boleslao duce Poloniæ, habens secum Svvatopolkum ducem Bohemiæ, & Sbigneum fratrem naturalem præfati Boleslai ducis Poloniæ, ingressus est Poloniam, & expugnato castro magno Lubusz (quod post expugnationem Maydenburgensi Archiepiscopo contulit) processit ad interiora Slesiæ, usque ad Bithom, & cum aliquot excursiones de Bithom milites Polonorum in exercitum imperatoris fecissent, sine oppugnatione discessit. Et ad Glogouiam singula obuia uastando in die sancti Bartholomei peruenit, eam machinis & expugnatione afficiens. Quapropter postularunt Glogouieñ. sub pacto inducias quinq; dierum, in quibus si dux Boleslaus Dominus ipsorum non præstaret eis auxilium, cederent sub iugum & potestatem imperatoris, quod ille annuit, dummodo primores ciuitatis Glogouieñ. darent filios suos natu maiores in obsides, quod & fecerunt. Boleslaus uero dominus Glogouieñ. audita eorum legatione, laudauit fidelitatem ad constantiam ipsorum, ne quoq; subijcerent se quouis modo imperatori, sub interminatione prohibuit, asserens plus ualere bonũ reip. quam filios primeuorum Glogouię, iurauitq; dux Boleslaus nisi Glogouieñ. in fide manerent, omnes crudeliter post discessum imperatoris exterminare uelle. Quo relato ad Glogouieñ. turbati quidem, tamen ut par erat, remp. prætulerunt. Et muros humiles, duobus diebus, quib. induciæ durarũt, refecerũt, fimoq; & roborib. abrupta repleuerũt. Henricus imperator lapsis quinque diebus, cognita rebellione Glogouieñ.ui, quanto maiori potuit ciuitatem expugnabat. Et ne tot præcipui eius milites inter pugnandum occiderentur, iussit filios Glogouieñ. obsides, extendi supra pallia, seu supra asseres, quibus milites tanquam pallijs expugnantes fortalicia muniuntur. Sed nec sic mansuetiores redditi sunt Glogouieñ. simul hamq; iacula in filios, quemadmodum in Cæsarianos contorserunt. Boleslaus autem dux Poloniæ, nedum sub Glogouia, uerum ab initio ingressionis imperatoris in terras Poloniæ die, noctuq; exercitum eius lacessiuit, pabulantes captiuando, palantes & oberrantes interficiendo, ad egerendum exeuntes rapiendo, de nocte sæpenumero exercitum imperatoris inuadendo & perturbando, ita quòd imperator de necessitate duplaret noctis custodiam, sic & uictualia imprædantes, in maiori numero & robore necesse fuit mittere. Et quia Suatopolk cum suis Bohemis, fuit grande robur imperatori, Boleslao uero ex antiquo fuit perosus, & magnum impedimẽtum, ideo proposuit dux Boleslaus plurima donaria, si quispiam suorum militum Suatopolk obtrũcaret. Ad quod patrãdum supra cæteros, obtulit se Ioannes Bohemus miles filius Czisce, de familia Vrsouiensium, qui nunc Rauitę appellantur. Is quoniam notos & cognatos in exercitu Bohemorum habuit, securè inter eos (gerens se pro milite Bohemorum) deambulabat, perspectoq; uigesima prima die Septembris Svvatopolkone, stante in papilione antè imperatorem, contorsit fortissimè acutissimam lanceam et pectoralia Svvatopolkonis, à brachio in brachium transfixit, ut illico cadens sine uoce expiraret. Ioannes autem Czisce, statim arrepto equo, quem paratissimum habuit exiliens de tentorio Cæsaris, cœpit fugere, uulneratisq; & alijs occisis, persequentibus se ad ducem Boleslaum saluus peruenit, & plurimas possessiones in regno Poloniæ donatione Boleslai percepit, & tãquam alter Mutius Romanus pro patrato facinore laudatus est. Henricus uero imperator perterritus, tota nocte exercitum in armis tenuit, Boleslai aduẽtum opperiendo. Sequenti die iussit cadauer Svvatpopolk in Pragam ad tumulandum duci, Bohemos secum præliatum iri satagens retine-

Lubusz expugnatur, archiepiscopo Maydenburgensi datum est. *Obsessa Glogouia.* *Altera Glogouiens. magnanima fides.* *Boleslai consilium in necem Swatopolkonis.* *Swatopolko interemptus.* *Exemplum Mucij.*

retinere,qui minimè consentientes,abierunt unà cum ducis sui funere in Bohemiam. Sbigneus quoq; Boleslai frater naturalis,eos est secutus, imperatore malè cōtēto de discessu Bohemorum. Occiso Svvatopolko,dux Boleslaus legatum ad Henricum regem Romanorum,pro pace tractanda quendam comitem Scarbek misit,tres tracturas pro armis deferentem,tales W. qui imperatori monstranti ei thesauros suos,ad expugnandum Boleslaum cum sua gente(ut aiebat)sufficientem, si homagia & seruitium imperatori non impenderent, facetia usus, detracto annulo ex suo digito,proiecit in thesaurum Cæsaris: inquiens,aurum iungatur auro. Ad quem Cæsar Henricus ait, *hab'danck* quod ex Alamanico sonat,habeas gratias. Vnde usq; in hodiernam diē familia illius domus uocatur *habdanck*. Infecta legatione imperator remisit legatos & ipse suadentibus suis præfectis discessit,nō expugnata Glogouia,sub qua tot pericula,tum in militibus, tum in Svvatopolkonis ducis nece acceperat. Et procedens contra Vvratislauiam, aduenit in uicum uno miliari à Vvratislauia distantem,nunc Psiepole nominatum. Quem Boleslaus consequi properauit,iam enim suppetiæ ei ex Mazouia aduenerant,ex terris Sandomiriensi,Lublinensi, ac Russia:& ordinatis aciebus,à mane usq; ad meridiem,durissimo Marte pugnauerunt. Erat autem exercitus Imperatoris,longè maior & fortior:exercitus uerò Boleslai minor, & de agrestibus plures continens, multiq; ex pugna uolebant excedere, nisi Boleslaus circuens omnes strenuè pugnare compelleret, & pro sauciatis nouos substitueret. In furore autem pugnæ,dux Boleslaus aciem Slesitanorum,quam usq; ad illud tempus in subsidijs reseruauerat,in latus Cæsarianorum,quam fortissimè induxit,& ordinem Cæsarianorum dirupit: tum exercitus Boleslai esse melior,& Cæsaris fugere cœpit. Ipse quoq; Henricus imperator illico suorum monitu,abiectis signis imperialibus, ne cognosceretur in fugam se conuertit. Plerīq; ergo Almanorum interfecti,alij in fuga capti,& duci Boleslao præsentati sunt,quos in honore iusto semper habuit. In hunc modum dux Boleslaus gloriosam uictoriam de Henrico imperatore strenuè reportauit,& tanquam Hannibal post Cannēsem pugnam laudibus est celebratus. Ad locum autem certaminis tanta confluxit ad cadauera canum copia,ut iter agentibus suo morsu diu noceret. Ideirco usque in hodiernam diem uicus ille Psiepole(quod sonat campus canum)nominatus est.

Ex facetia habdanck familiæ origo.

Obsidio Glogouiæ soluta.

Henrici quarti clades ex Polonis.

Boleslai in uictos liberalitas.

CAPVT X. LIB. III.

ANno autem sequenti imperator Romam ad coronationem transire cupiens, ueritus est,ne eo absente dux Boleslaus uicinas regiones inuaderet & exureret, utq; milites captiuos liberaret,suggessit per communes amicos ut Boleslaus cū accederet. Super quo dux Boleslaus diu deliberabat, tandemq; ad uota & amicorum promissa in comitatu instructissimo Henricum quartum in Bamberg accessit, excusans se imperatori de retroactis bellis, & asserens se,& gentem suam nunquam seruiuisse, nec tributa à prædecessorib. eius,imperatori præstitisse, ideoq; in prisca libertate sese conseruandum postulauit. Imperator autem eo benignè & honorificè suscepto, pro suo uoto se facturum spopondit omnia. At Boleslaus nacta oportunitate,sororem imperatoris sibi in uxorem postulauit. Filiam uerò imperatoris, nomine Christinam minorennem, ad nubendum filio suo seniori Vvladislao & irrecusabiliter obtinuit. Composita itaque pace, cum gemina sponsa, & dote copiosa in Poloniam redijt, & omnes captiuos Almanos Henrico regi Romanorum remisit. Henricus uerò castris in Polonia conquisitis abrenunciauit,et quia occiso Svvapolko Bohemorum duce, Vvladislaus ducatum Bohemię Othone Svvatopolkonis germano repulso occupauerat, qui post Svvatopolkum præfatū ducatum Bohemiæ susceperat. Ideò Borziuoy natu maior Vvladislai Bohemiam regentis pertesus exilij in Polonia, accepto exercitu à Boleslao Polono,ingressus Bohemiam pluribus eum Bohemis iuuantibus, ad Pragam peruenit & eam possedit, totamq; Bohemiam recuperare adnitens, ad lamentabilem Vvladislai quærelam per imperatorē euocatus,mancipatus,carceribusq; deputatus est. Vvladislaus uerò restitutus est in ducatū Bohemię,quod dum cognouit Boleslaus,cum ualido exercitu circa festum sancti Michaëlis ingressus Bohemiam,per plures nuncios euocabat Vvladislaum Bohemiæ ducem,ut inter eum & fratres eius,tāquam cognatos suos pacem honestam componeret. Vvladislao autem dolum timente,& Boleslaū de Bohemia expellere satagente, ira cōcitatus Boleslaus totam oram circa fluenta Albeæ deuastauit & exussit, congressusq; cum exercitu ipsius circa fluuium Czibnia,eum octauo Idus Octobris cōflixit. Anno Domini. 1111 & Vvladislaus cum reliquijs in Pragam refugit. Boleslaus uerò plurimis spolijs & captiuis onu-

Boleslaus Bambergam uenit.

Cæsaris & Boleslai affinitas.

Borziuoy Bohemiam ingressus.

Borziuoy uinculis inclusus.

Boleslai in Bohemia strategema.

onustus, in Poloniam saluus cum Sobeslao & suo exercitu rediit: Vidēs Svvathavva seniorem filium suum Borziuoy carceribus apud imperatorem mancipatum, alterum filium Sobeslaum in Polonia exulantem, tertium minorem natu Vvladislaum ducem Bohemiæ in bello uictum, et prostratum: timens peiora indies oriri, interposuit sese tanquam matrem & mediatricem, & pacem inter Sobeslaum, & Vvladislaum germanos composuit. Asignataq; ei ciuitate Zacensi cum suo districtu, euocauit ipsa & dux Vvladislaus ex Polonia Sobeslaum. Depost uerò intelligens Vvladislaum de consilio Vaczkonis baronis, ac consiliarij eius, cōnclusisse Sobeslaum captiuandum, obtrūcauit Vaczkonem, ueritusq; Vuladislaum fugit per Sirbiam (ubi uno mense detentus seruabatur) in Poloniam, à duce Boleslao iterum benignè, & liberaliter susceptus. Quem uolens reducere Boleslaus cum magna potentia Bohemiam intrauit, requisiuitq; Vvladislaum, ut prænominatum Sobeslaum in gratiam reciperet, & possessionem ei debitam asignaret. Ad quod respondit Vvladislaus: Iamdudum tum amplam gratiam, tum legitimam portione Bohemiæ asignasse Boleslao, quas nolens conseruare, indignum se reddidit. Verùm si (inquit) Boleslaus Sbigneum fratrem suum naturalem apud me exulantem reassumpserit, portionesq; sui ducatus debita prouiderit, prosequar & ego gratia Sobeslaum. Cernens Boleslaus, quòd æquitati Vvladislaus non interetur, ad ulteriora Bohemiæ exercitum ducens, uicos & agros Bohemorum igne et gladio deuastare imperat. Ad quod prohibēdum cum suo exercitu aduenit iam dictus Vvladislaus, locauitq; sua castra proximè solo fluuio Czibnia, satis limoso, & sine periculo impermeabili inter ipsos medio. Ad conserendam ergo & conficiendam pugnam cum Vvladislao, quum fluuius Czibnia nō posset transiri, mouit castra sua Boleslaus uersus Albeam fluuium, ubi transitu reperto, flumē Czibnia permeauit, ad stationemq; Vvladislai accurrens duntaxat focos & fauillas comperit. Quorsumq; cum suis gentibus silenter abierit perquirendo reperire non potuit. Laxaris igitur & latè sparsis militibus, prædas & spolia collegit, sicq; in Poloniam referebatur, in transitu ciuitatem Cleczko exussit, & militibus spoliandam concessit. Cùm peruenisset ad syluas magnas, Poloniam & Bohemiam disterminantes, per exploratores didicit Bohemos in syluis insedisse. Et iter incisione roborum clausisse, tum altera die illucescente, militibus animatis, ordinauit per turmas exercitum. Ipse cum suo exercitu dextram tuebatur, Scarbinirū principem militiæ sinistrum cum suo exercitu tenere disposuit, aliqua distantia inter exercitus interposita. Cùm uerò ad extrema syluarum aduenissent, ubi putabant eos Bohemi & ordinem dissoluisse, & prouidentiam abijecisse, sparsim & singillatim in eos insiluerunt, in unamquāq; cohortem, & ordinationem, ut alia alterius periculi esset inscia. Boleslaus uerò dux Poloniæ ad suam cohortem, primum occurrētem Bohemū hasta confixit & deiecit, sequentē Derslaus suus pincerna, idētidem ex equo deiecit, et interfecit, pugnaq; in immensum in omnes partes creuit, Bohemis pluribus cadentibus, quorū periculum euitando Vvladislaus eorū dux signum receptui dedit. Discedētibus autē Bohemis, Poloni primum suspicati sunt dolum, tādem comperta fuga eorum, persecuti sunt eos, quoad consequi potuerunt, interficiendo & captiuos reducendo. Peracta pugna, Boleslaus impositis in plaustra sauciatis, rediit cum toto exercitu in Bohemiā longè, lateq; uastando, & iterum atq; iterum urendo, & depopulando, plurimis spolijs, & captiuis oneratus, cum Sobeslao, & toto exercitu in Poloniā triumphans, & de uictoria laudes Deo personans, reuersus est. Insequenti anno ad inuadendum Bohemiam, nouam expeditionem parabat, quam Vvladislaus dux Bohemiæ (non enim eum latuit) nuncij & supplicationibus intercœpit, pollicens æquas conditiones pacis tenere, Sobeslaoq; congruā sortem in Bohemia præstare, itaq; conuenientibus in die sancti Procopij ad fluuium Nissæ tribus ducibus, Boleslao Polonię, Sobeslao & Vvladislao Bohemiæ pacem firmant & asignāt. Acceptante Sobeslao pro sua sorte Hradecz cum quatuor castellis, & toto districtu in Bohemia, & ciuitatem Olomuncz cum suo districtu in Morauia, manumisisq; captiuis, & exulibus restitutus, ab utraq; parte discessum est cum lætitia.

Mater filios composuit. Vaczko trucidatur. Sobeslai in Poloniam reditus. Boleslai in Bohemiam regressus. Boleslaus Bohemiam uastat. Boleslai inspe rata pugna & uictoria. Boleslaus Bohemiam depopulauit. Pacis conditiones.

CAPVT XI. LIB. III.

Pomeranicum et Prutenicum bellum.

DVm Boleslaus finitimis bellis detineretur, Pomerani & Pruteni quietem non ferentes, in Mazouiam non denunciata hostilitate irruerunt, depopularunt, conflagrarunt, captiuosq; abducentes, discedebant. Magnus uerò Comes, Mazouiam gubernans, qui olim Vratislauiensem oram rexisse antè commemoratus est, extemplò & quantò celeriùs potuit agrestibus bellatoribus eos insecutus est, & dum se tu-

se tutos æstimarent, sopori deditos ante diei lucem, inopinatè inuasit, & oppressit, sexcentos occidit, mille atque ducētos captiuauit, paucosque ex eis fuga saluauit, & in syluas dispersit, quos de syluis nedum uictores, sed & mulierculæ tanquam pecudes ligatos è nemoribus extrahebant. Maxima causa huius uictoriæ (ut Vincentius in sua Chronica meminit) fuit Simon Plocensis præsul, qui ab initio irruptionis hostium, usque ad deletionem ipsorū, non relaxauit animum & ora, unà cum toto clero à ieiunijs, planctu, & obsecrationibus, pro uictoria suæ genti diuinam clementiam deuotissimè implorando. Similis uictoria eodem anno obtigit Slesitanis, qui satellites Sbignei fratris naturalis Boleslai, Slesiam deprædantes conflixerunt, & in uincula dira coniecerunt. Dux autem Boleslaus de ultione in Pomeranis & Prutenis per magnum Mazouiæ præfectum patrata non contentus, in sequenti anno 1113. eis bellum indixit: & conuenientibus bellatoribus in Cruszuiczā, uiderunt lucidissimum adolescentem in pinnaculo oratorij sancti Viti ciuitatis Cruszuiciensis existentem, splendore latè, & usque ad campestria micantem, motoque exercitu de loco stationis, prælibatus adolescens è pinnaculo desiliens, exercitum antecedebat; pomum aureum (antiqua historia habet pilum, id est, iaculum non pomum) quod in manu gestabat per uiam antè se iaciendo. Hunc Boleslaus tanquam fœlix omen, cum exercitu suo secutus est, donec ad Nakel peruenit, ubi disparente ductore adolescente, spemque capiendæ urbis, ex uibratione & pomi proiectione uersus Nakel relinquente, uallauit Boleslaus castrum, & oppidum Nakel, in quo Pomerani se recludentes, assidua damna regno Poloniæ inferebant, & post tormentorum proiectiones, considerantes se non posse subsistere, ac contra Boleslaum tueri, quindecim dierum inducias petierunt, & obtinuerunt, quibus lapsis, si auisati Pomeranorum principes non ferrent eis subsidium, potestati Boleslai subderentur. Interuenerunt autem legati Naclensium, ad obeundum bellum supra quàm quinquaginta millia Pomeranorum & Prutenorum: qui militari iuramento se obstringentes, equisque relictis, omnes per inuia & syluas usque ad Nakel silenti, & composito agmine peruenerunt. Erat autem dies sancti Laurentij martyris, quem Poloni festiuum habuerunt, armis (eo quòd induciæ essent) depositis, missarum solennijs occupati. Verum peractis diuinis officijs, hostium innumerabilis multitudo apparuit. Quare tumultuariè arma corripiunt, qui si à Pomeranis sic fuisset inuasi, sine negocio, faciliterque uicti fuissent. Sed à Deo propitio aliter dispositum est. Nam Pomerani defensioni satis aptum locum conspicientes se fossis muniebant, sudibusque & hastis acutis, & longis, in extremitate, à tergo, fronte & lateribus, ordine denso, terræ infixis, igneque posito sese uallabant. Properè itaque Boleslaus, relictis in castris præsidijs, ordines in hostes ducit, exercitum in duo agmina diuisit, primo ipse præfuit, secundum Scarbimiro præfecto militiæ commisit. Quum autem obequitando, hostes tergo non esse septos exploraret, Scarbimirum superatis postremis hostium fossatis immisit, qui in eorum terga inuectus, impigro Marte Pomeranorum tyrones trucidabat: hinc clamores æditi, eos, qui in acie erant perturbabant; qui iam socijs (imminente Boleslao à fronte) auxilia ferre non poterant. Boleslaus concitato equo, ducis & militis officium gerens, in hostes irrupit, superatisque fossatis per sudes, & lanceas, pluribus militibus obtritis, pluribus equis aut necatis, aut confossis, alijsque suffectis, in omni parte pugnatum est: & Pomeranis atque Prutenis dirutis, qui obliti præstiti iuramenti, omnes quà poterant passim exilientes, fugiebant, in proximis syluis latibula, & salutem quærentes. Occisa feruntur eo prælio quadraginta millia Pomeranorum, & Prutenorum; duo millia capta. Cæteri in paludibus, & locis limosis mersi perierunt. Extat in hodiernum diem, haud paruus collis ex congestione cadauerum & super iniectione terræ resultans, in monimentum perpetuum, & certaminis locum quotannis demonstrandus. Castellani & oppidani Naclensium cum sex alijs oppidis uicinioribus (uisa suorum nece) in ditionem Boleslai se dediderunt. Pro his summo opifici Deo glorioso, & beato martyri Laurentio, in cuius festo uictoriam Boleslaus nactus erat, Poloni gratias, laudesque peragebant.

Pomeranorum clades in Mazouiam.
Causa uictoriæ.
Similis uictoria apud Slesitanos.
Boleslaus in Pomeranos bellum agit.
Nakel ex omine uallatum.
Boleslai ex Pomeranis maxima uictoria.
Quadraginta millia cæsa.

CAPVT XII. LIB. III.

SBigneus ducis Boleslai frater naturalis, sciens omnem spem recuperandi aliquam sortem in Polonia, tum ex concordia, cum Bohemis & duce eorum, apud quos exulabat, ad flumen Nissæ facta: tum ex graui cæde, totalique humiliatione Pomeranorum atque Prutenorum circa Nakel inflicta sibi ademptam, misit legatos oratum ire ducem Boleslaum, ut miseratus suæ inopiæ, & deiectionis aliquam porciunculam

in Polonia pro sustentatione ipsius de mera pietate largiretur: Boleslaus misericordia motus, dissuadentibus ei consiliarijs acceptauit eum in gratiam, dummodo Sbigneus reconciliationem, probitatem & humilitatem cum cæteris uirtutibus indueret. In hanc spem reduxerunt nuncij Sbigneum in Poloniam: uenit autem in curiam Boleslai cum pomposa arrogantia, cum cantoribus modulantibus, tubis psallentibus, & timpanis sonantibus, ense ante ipsum præcedente. Boleslaus licet ulcerato animo hæc uideret, tamen dissimulatione (ut decuit) usus, suscepit eum magnifice ac gratiose. Ilicocp consiliarij suapte ulceratum animum Boleslai cœperunt bile inflammare, coarguentes eum, quod hostem patriæ, fotorem latronum, omnibus dolis ac fraudibus, pessimisq; facinoribus plenum, in sui, totiusq; regni exitium reassumpsisset. Ne ergo uitā Boleslao, ueneno aut ferro præriperet, aut regno nouum dissidium induceret, antequam de Polonia fugam arriperet, regno lugubrem iacturam pararet: consulunt ut maturaret cruentam beluā occidere. Boleslaus ira concitus, consensit militibus occidendum Sbigneum, uisa itaq; opportunitate, & loco inter exprobrandum ei utilia, & patriæ damna per eum illata, orta contentione eum interfecerunt. Quanquam alia historia dicat fuisse exoculatum, & post ex doloribus breui uitam finiuisse. Scarbimirus palatinus Cracouiensis & princeps militiæ Boleslai, sequutus Sbigneum ad eam lapsus est insolentiam, & arrogantiam, ut primum submurmurationibus, deinde publicis probris Boleslaum sugillaret. Postremo conciliata manu consanguineorum, affinium & ei fauentium, cœpit Boleslao rebellare, & cum eo (contumacia suadente) si quid Boleslaus attentaret bello decernere. Quo compræhenso iussit Boleslaus eum in carcere excæcare, & dignitate palatinatus Cracouiensis priuare, totaq; illa procella perinde ac si nunquam fuisset conquieuit, & dispersa est. Et ne in posterum similis temeritas obueniret, præposuit Castellaniam dignitati palatinatus Cracouiensis, quod usque in hodiernum diem permanet, & custoditur. Doluit tamen Boleslaus, & eum utriusque facti pœnituit. Post plures enim annos, scilicet, anno Christi 1129, totam Quadragesimam ieiunauit in pane, & aqua, in nuditate, & cilicio pro expiatione necis fratris, & Scarbimiri. Post festa autem Paschæ, in priuato habitu ne agnosceretur, peregrinatus est cum clericis, & sacerdotibus, paucisq; militibus ad sepulchrum sancti, Egidij sui patroni, cuius meritis conceptus erat, & multas uictorias reportauerat, singulis diebus exeundo de hospicio, orauit horas canonicas maiores, & minores beatæ Mariæ uirginis. Insuper & septem Psalmos pœnitentiales cum Letanijs: Inter orādum autem nudis incessit pedibus, & de austeritate pœnitentiæ, quicquam non obmisit. In transitu omnes Cathedrales, & collegiatas Ecclesias, abatiales ac Conuentuales, & hospitalia uisitauit, singulisq; insigne clenodium ex auro, uel argento obtulit. In monasterium sancti Aegidij, processionatim inductus est per Abbatem, & religiosos præfati monasterij, qui ei obuiam exiuerant, mansitq; inter illos 15 diebus cum summa deuotione, orationibus, & elemosynarum largitionibus. Ad sepulchrum sancti Egidij ut sæpe prostratus & gemebundus, multa donaria monachis præciosa relinquens, & eos ualedicens, reuersus est, simili ordine, ut prius habito, in deuotione, elemosynarum erogatione, ac Ecclesiarum uisitatione, donec Poloniam ingressus est, cum maxima hilaritate à suis exceptus. Nec his contentus in altero anno, cum uiris ecclesiasticis, & suis militibus pedestri itinere, corpus sancti Stephani Alba Regali conditum, in habitu cognito uisitauit, & perspexit, ab Hungariæ rege Stephano socero suo, episcopis & magnificis regni Hungariæ sumptuose prouisus & tractatus. Ex Hungaria per Cracouiam transiens, more peregrino adijt Gneznam, ad uenerandum reliquias beatissimi Pontificis Adalberti, proxime ante hoc in anno Domini 1127. Kalendas Martij septimo, per Iacobum archiepiscopum Gneznensem, ex abditis locis (ibi propter metum Bohemorum scrupulose occultatis) in publicum productis, & omnibus christifidelibus ad uenerādum reuelatis. Ad sepulchrū itaq; sancti Adalberti ueniens, prostratus cum lachrymis, scelus suum precabatur sibi dimitti. Obtulitq; ea uisitatione ecclesiæ Gneznensi octuaginta marcas auri puri, pro sacrosano beati Adalberti struendo, donauit quoque omnibus pontificibus canonicis præsentibus personis ecclesiasticis, & suis baronibus nobiles & splendidas uestes, sed & sanctuarijs ac ministris Ecclesiæ Gneznensibus uestes decentes tribuit.

Sbignei in Poloniam reditus.

Consilium in Sbignei necē.

Sbignei interitus.

Scarbimiri rebellio.

Scarbimirus excæcatur.

Castellania Cracouiensi tunc Palatinatui præficitur.

Boleslai pœnitentia.

Boleslai peregrinationes sūmaq; liberalitas.

CAPVT XIII. LIB. III.

ET quia dux Boleslaus expugnatam Nakel, & alia sex oppida (prout in superioribus tactum est) tradiderat in potestatem Svvatopolkoni, uni ex satrapis & consiliarijs Poloniæ, dexteritate & fide plurimum ualenti, cuius origo fuit de domo Griphonũ, gentis Polonicę ueteri familia, nihil fraudis in eo suspicatus, intellexerat que eum uiolato iuramento à fide defecisse, uolens eius perfidiam ultum iri, anno Domini 1118. impeditus est maximis pluuijs, & diluuijs, in Polonia & circumuicinis regnis uigẽtibus. Cœlum siquidem post occasum Solis in tãtam rubedinem uersum est, ut quasi ignis, tribus horis collucerer, & statim sequutæ sunt pluuiæ toto ueris tempore, nec cessarunt in æstate, inundationes fluminum effundendo, & quasi alterum Cataclismum producendo. Itaque in anno sequenti multum uentoso & instabili, armato milite Pomeraniam deuastabant, congressusque cum exercitu ex Pomeranis & Prutenis, ex ualidis iunioribus, atque agrestibus coadunato, ferè totum florem iuuentutis eorum extinxit, nec duci Boleslao Pomerani, & Pruteni ultra resistere proposuerunt, sed quoad uixit, deuotè in obedientia ipsius permanserunt. Exinde uersus Nakel ad opprimendum Svvatopolkonem fidefragum, & fidelitatis uiolatorem, peruenit, & à festo natiuitatis Mariæ, usque ad natalem domini, Nakel expugnare non ualuit, prouiderat siquidem Svvatopolk uiris, & uictualibus peroportunis, ac sufficientibus Nakel, nec ira qua Boleslaus in perfidiam eius exarserat, nec uulnus, quod à sagitta de Nakel exceperat, effectum, & uindictam sortiri potuit, propter hyemis ergo asperitatem, & militum intollerantiam, nec non propter instantiam, quæ sæpenumerò precatus est Svvatopolk, cum ipso pacem confecit, pecunia pro demulctatione, & filio pro obside ab eodem receptis. Nec tamẽ perstitit in fide Svvatopolk, sed ut priùs rebellauit. Iustè ergo Boleslaus furore incensus, in tertio anno cum expedito milite Nakel obsedit, & primum ingenijs, & armis bellicis expugnabat, tandem turribus ligneis altitudinem murorum excedentibus per fossata impleta usque ad murum deductis, fortiori ui defensores oppidi afficiebat. Sed Pomerani consilio Svvatopolkonis persuasi, turribus ligna pinatica subiecerunt, & desuper proijcientes resinam, lardũ, butyrum, cæteraque inflammabilia. Polonis ea amouere negligentibus, turres igne cõsumpserunt, secundoque & tertiò alias turres celeriter erectas, & ad murum perductas, simili incendio depastas exusserunt, quartò uerò admotas prohibentibus Polonis minimè ualuerunt exurere, ex turribus identidem cominus per iacula, & certamina afflicti: fracti tandem Nakellenses, & uiribus destituti, telis simul & uictualibus deficientes, saluum discessum cum suis rebus à Boleslao petierunt: quo negato, treugas pacis in aliquot dies postularunt, & his non obtentis, iterum affectarunt ut solam uitam eis donaret, & Svvatopolkonem ei tradendum uiuum assumeret. Hoc acceptauit, & castrum cum oppido Nakel inuasit atque spoliauit. Svvatopolkonem uerò uiuum cõpræhendit, & perpetuis carceribus deputauit, nec amplius cuipiam de familia ipsius, munitiones tanquam hominibus dolosis tradidit. Tandem Volodorum, Przemisliæ ducem ex Polonia prædas ut sæpe agentem, per milites & suos præfectos conflixit, & cum post conflictum fugientem, in loco qui Vissoko dicitur compræhensum, milites in Cracouiam duci Boleslao adduxerunt, hunc uinculatum Vasilko dux Premisliensis uiginti millibus marcarum argenti redemit, statimque datis duodecim millibus argẽti, pro residuo filium Iaroslai pro obside posuit. Ex post uerò quingenta uasa argentea, uidelicet lances, picaria, ciphos, de opere Gręco, pro complemento solutionis impendit, sicque Volodorũ in toto liberauit. In anno quoque Domini 1123. Boleslaus Poloniæ dux, Iaroslaum ducem Vvladimiriensem affinem suum in Russiam reducens, qui apud eum in Polonia per quadriennium moratus est, conuenit circa Przemisliam cum auxilijs & ducibus auxilia præfato Iaroslao præbentibus. Colomanno fratre regis Hungariæ, Volodoro, & Vasilkone Przemisliensibus, & duce Vvlodimir Vvlodorouicz, acceptisque Hungarorum, & Polonorum septem millibus, Iaroslaus exercitum prænominatorũ ducum antecedebat, & expugnatis castris olim suis, è quibus spoliauerat eum Vvlodimirus Kiouiensis dux, scilicet Belsz Czimeovv Vvlodimiria præuenit castra Colomãni, & Boleslai ducũ, & appropinquãs portę Kiouiensi, quæ Polonica dicitur, cõgressus est cum peditibus ex Kiovv cõtra eũ egressis, quib. obtritis, & fugatis, alij noui in supplementũ eorũ superuenιẽtes, plures milites Hũgaros & Polonos, qui Iaroslaum comitabanẽ occiderũt, equumque Iaroslai ducis telis cõfoderũt, sic quod uulnerum impatiens, sessorem suum Iaroslaum ducem in terram deiecit, pugnaque ingens facta

Boleslai postrema in Pomeranos expeditio.

Boleslai uictoria.

Nakel oppugnatio.

Nakel captũ. Swatopolko uinculis mactatus.

Volodorus Premisliæ dux uictus.

Iaroslai in Russiam reditio.

est. Ruthenis illum capere adnitentibus: Hungaris uerò & Polonis defensionem ducis opponentibus, Rutheni in Kiovv fugere coacti sunt. Iaroslaus aliquot uulneribus confossus, paucis post diebus mortuus est. Colomannus itaq; & Boleslaus cum cæteris ducibus ad Kiovv uenientes, cœptam obsidionem castri Kiouiensis continuauerunt. Sed Andreas præfectus castri, à Vvlodimiro in tutelam relictus, exiens, supplex pacē orabat, & quoniam Iaroslaus gratia cuius bellum assumpserant uita functus erat, Duces Boleslaus & Colomannus instantibus Volodoro & Vasilkone ducibus Przemisliens. suffragatoribus suis pacem concesserunt, singuliq; duces ad sua redierunt.

Iaroslai interitus.

CAPVT XIIII. LIB. III.

Anno Domini 1124. præparatis naucleris & nauibus circa Gedanum, dux Boleslaus accepto secum Petro de Dacia, qui postea dictus est Piotrek magnus comes de Skrzin, & tota militia bene armata, secundis uentis in Daciā peruenit. Erat autem causa nauigandi, quoniam pater Petri comitis de Skrzin, per literas nunciauerat, Henricum regem Daciæ à fratre suo germano, cuius nomen Abel, pluribus uulneribus interfectum, omnesq; thesauros præfati regis sibi occultè commissos, ne ergo in manus occisoris, quouis modo deuenirent, hortatus est, ut Petrus tales thesauros reciperet in Poloniam. Dux itaque Boleslaus per totam Daciam publicat & insimulat sese uenisse ad ulciscendum innocentem regem Henricum suum amicum, in Abel occupatore regni, germano prædicti occisi regis. Exinde cuncti nobiles Daciæ, deficientes à truculento occisore, adhæserunt Boleslao, & castra omnia in manus Boleslai contulerunt. Occupator uerò regni, uidens se desertum, exul de regno profugit: tum Boleslaus persuasit regnicolis Daciæ, ut legitimum regem eis eligerent. Ipse uerò clàm à parente Petri recepto aureo uellere, & plurimis thesauris à longo tempore congestis, totaq; cognatione Petri, bene ditatus prosperè in Poloniam renauigauit. Iste est Petrus, cui ob merita, dexteritatem, & fidem eius, contulit Boleslaus comitatum in Skrzin, cum alijs multis possessionibus, in uxorem eidem dando Mariam principem Russiæ, germanam Iaroslai ducis Vvlodimireñ. Iste est, qui in Polonia extruxit septuaginta septem ecclesias lapide secto & & dolato. Iste est, qui duo monasteria construxit & dotauit, unum sanctimonialium ordinis Præmonstratensis in uilla Chalino Vvladislauiensis diocœsis, quod successu temporis transtulit, propter uberius solum in oppidum Strzelno eiusdem diocœsis Vvladislauieñ. Aliud monasterium extra muros Vvratislauiæ ad sanctum Vincentium, quod abundè dotauit, & fratres Præmonstratenses nouiter propagatos introduxit. Iste pro insigni gessit, in campo albo figuram similem literæ capitali K. in parte anteriori tres tractutas, ad similitudinem trinæ crucis habentem hoc modo ж, supra galeam uerò cignum ferebat. Nunc autem eiusce Genealogiæ nobiles Poloni à præfato Petro propagati, cignum duntaxat pro armis ferunt, alia præclara facinora, & exitus mortis huius comitis, postea dicentur. Boleslaus dux Poloniæ quanquam sospes gloriosus, & multum ditatus in Poloniam ex Dacia rediјt, tamen urbem Cracouieñ. in toto conflagratam, exinde turbatus reperit. Reperit & eam oram, quæ est à Przemislia usque ad Byecz deprædatam à Vvladimiro, filio Volodori ducis Przemisliæ, qui nacta oportunitate, absente Boleslao, spoliata pecora & plurima suppellectili, nemine repugnante, secundis successibus in Przemisliam intulit. Ob hoc Boleslaus frendens, aduersus Przemisliam cum omnibus suis militibus processit, & quæq; obuia uastando prostrauit. Cui Volodor cum suo, & aliorum ducum exercitu, in loco qui dicitur Vilihevv occurrens, pugnauit, sed à Polonorum exercitu frequentissimo tanquam sicci calami contritus, & castris exutus est. Cecideruntq; inter alios Ruthenos, duo Boyarij magis strenui, scilicet Navvrotnik & Zaszithnik. Volodor uerò in fugam uersus, ad Halicz diuertit, ubi exercitum renouans uita functus est, & in ecclesia sancti Ioannis, quam ipse fundauerat in Przemislia sepultus. Relinquens duos filios Vvlodimirum, cui cesit Svvinigrod & Rosczislaum, cui Przemislia pro sorte obuenit. Sequuta est eo anno hyems sæua & frigida, in qua perierunt non solùm pecora, sed & homines, fames quoque in Polonia uiguit. Boleslaus autem dux beneficiorum per insignes triumphos diuinina bonitate perceptorum memor, muros ecclesiæ cathedralis Cracouiensis profundos erexit, duas eidem turres adiungendo, plura ecclesiastica ornamenta, calices & cruces donauit, & uiginti canonicos seu præhendatos cum Radoszchone Cracouiensi episcopo addidit. Boleslao certis uillis & possessionibus, Radoschone pontifice Cracouiense decimas manipulares, contribuentibus.

Nauigalis expeditio in Daciam.

Petrus comes de Skrzin.
Monasterium in Strzelno.
Monasterium sancti Vincētij extra muros Vvratislauieñ.
Arma familiæ cum cigno.

Cracouia conflagrata.

Boleslai uictoria contra Volodomirum.

Viginti canonici in ecclesia Cracouieñ addidit.

Colla-

Collationem omnium præbendarum circa antiſtitem Radoſchonem & ſuos ſucceſſores perpetuò manere iubens.

CAPVT XV. LIB. III.

MOrtuo Stephano rege Hungariæ, filio Colomanni, & genero ducis Boleslai, anno Christi 1131. de uoto & unanimi uoluntate Hungarorum, poſtergatis filijs præfati regis Stephani, ſuffectus & in regem Hungariæ coronatus eſt Bela cœcus filius Almi, quem olim Colomannus penè ab utero matris infantulum, ut ei ſpes regni reſcinderetur cœcauerat, quod tamen omnium prouiſor Deus aliter diſpoſuit, & eum regnare fecit. Filij ergo, iam dicti Stephani, unà cum Matre Iuditha, ad auum ſuum ducem Boleslaum in Poloniam uenerunt, ſupplicantes, ut eorum conditioni pupillari miſertus, eos in regnum Hungariæ reſtitueret. Is uerò cum magna potentia ſuorum militum, prænominatos nepotes ſecum ducens, Hungariam potenter ingreſſus eſt, & in Scepuſio occurrente ei Alberto, Marchione Auſtriæ, qui ſororem Belæ in coniugem acceperat, cum copijs Germanorum, & regis Hungariæ duro commiſſo prælio, primos in acie contriuit, & reliquos in fugam conuertit, duxq; ipſe Albertus Auſtriæ ad regem Belam refugit. Boleslao autem duce Poloniæ uerſus Budam, cum filijs Stephani, & toto exercitu procedente, legati ex Polonia aduenium, Sobieslaum ducem Bohemiæ oram Vratislauieñ. cis Oderam deuaſtaſſe, & prædam in Bohemiam abegiſſe, nunciantes. Re infecta & conſilio ſuorũ inductus, reuerſus eſt Boleslaus cum exercitu in Poloniam, tutiùs propria defenſare, quam aliena oppugnare ratus. Cõpoſito exercitu, in Bohemiam tranſire uoluit, ſed nepotes eius, & hi qui cum ipſis erant Hungari, popoſcerunt, & cum maxima inſtantia obtinuerũt, ut relictis nobilibus prouinciæ Vratiſlauienſis ad opponendum Sobieslao & Bohemis, iterum Vngariam repeteret, & ingrederet, quod illo agente, & uerſus Budã ſine reſiſtẽtia procedente plurimis Vngaris filijs Stephani indies adhærentibus: Belaq; rege in caſtrum Viſſegrad confugiente, nuncij ex Polonia conſequentes ipſum, expoſuerunt nobiles prouinciæ Vratislauieñ. impetum Sobieslai non ferentes ex campo diffugiſſe, & Sobieslaum trecentas uillas cum monaſterijs, eccleſijs & aliquot oppidis conflagraſſe, copioſamq; prædam in Bohemiam deportaſſe. Dux Boleslaus relicta Hungaria ad tuendum propria diuertit, & rectiori uia in Morauiã ueniens, ſingula quæq; obuia exuſsit & ſtrauit, prędam ingentem hominum & pecorum in Poloniam deferendo. Refert nouiſsimus Chronicæ Hungarorum ſcriptor, regem Stephanum filium Colomanni filios legitimos nõ habuiſſe, nec uxorem, ſed pellices tenuiſſe, & idcirco carens hærede, poſt ſe regnaturum deſignauit Belam per ſuum parentem cæcatum, ad ſuſcitandum ſtirpem regiam, filiam Vros de Seruia tradendo ei in uxorem. Ob hoc quidam Polonorum hiſtorici aiunt, hunc Boleslaum ducum Poloniæ tradidiſſe filiã ſuam, ex Ruthena genitam, Colomanno altero filio Colomanni regis Hungariæ ad coronandum eum in regem Halicieñ. & non Stephano maiori natu regis Hungariæ, illiusq; Colomanni ducis Halicieñ. prolem fuiſſe, ad aſſequendum regnum Hungariæ. Addidit inſuper dux Boleslaus in anno ſequenti aliam expeditionem in Bohemiã cũ omniũ ſuarũ terrarum potentijs, & Ruthenorũ auxilijs, ad ulciſcendum in Sobieslao ſuas iniurias, qui uiolato iure hoſpitij commorationis in Polonia, & fauendo pactis cum Bela rege Hungariæ initis, Poloniam afflixit, & incipiens à finibus Poloniæ, uſq; ad flumen Albeam uillas, uicos, & oppida exuſsit, homines captiuauit, pecora & ſuppellectilẽ abegit, Bohemis cũ duce Sobieslao in certamen publicũ prodire non audentibus, duntaxat longius ab exercitu uagantes Polonos in locis iniquis rapientibus, aſſumpta præda abſq; quauis reſiſtentia, dux Boleslaus cũ ſuis in Poloniã reuerſus eſt. Dimiſsisq; & abeuntib. in ſua loca Polonis, Sobieslaus à tergo cum Bohemis & Morauis in orã Poloniæ propinquiorem Bohemiæ, irrupit, & illatis aliquibus damnis, properè in Bohemiam reuerſus eſt. Reparanti Boleslao in anno ſequenti nouum exercitũ, aduenerũt legati Lotharij regis Romanorũ, hortantes & poſtulantes, ut ad ipſum perſonaliter accederet, offerens ſe inter eum, & ducem Sobieslaum, æquam pacem compoſiturum, ſuper quo adhibito conſilio, dum ab omnibus fuiſſet approbatum, Lotharium regem Romanorum in Bamberg cum notabili comitiua acceſsit, ubi aderat dux Sobieslaus, tentauit ergo Lotharius cum ſuis principibus pacificare Boleslaum Poloniæ, & Sobieslaum Bohemiæ duces, ut in ſubſidiũ acceptis gentibus ducis Bohemiæ progrederetur in Italiam, ad ordinandũ res eccleſiæ turbatas, & accipiendum coronationem Romæ. Re uero infecta utroq; duce ſuas iniurias plurimum perpen-

Boleslai in Vngaria uictoria.

Sobieslaus Poloniam uaſtauit apud Oderam.

Sobieslaus iterum Sleſiã ſpoliauit.

Boleslaus Morauiam uaſtat.

Opinio Hungarici ſcriptoris.

Boleslai in Bohemos expeditio.

Præda ex Bohemia.

Sobieslaus Poloniam ingreſſus hoſtiliter.

Boleslai cũ Lothario in Bamberg conuentio.

Treugæ trienn-ales. perpendente, cœpit postulare Lotharius à duce Poloniæ quietem & pacem Bohemis per triennium, ne subsidio Bohemorum frustraretur. Cui acquieuit & per triennium soliditatem pacis cum Bohemis seruare repromisit, & priusquam triennales treugæ inter duces expirarent, per communes Barones Bohemiæ & Poloniæ, facta cōuentione in Cleczko, *Pax perpetua firmata.* in præsentia ducum Boleslai & Sobieslai, confecta est pax inter eos perpetua. Ex Italia autem Lothario reuerso accessit eū Boleslaus Poloniæ dux, & iussus Homagia pendere ex terris Pomeranorum & Rugianorum, tanquam ad imperium spectantibus. Respondit terras proprias Polonorum, nunquam imperatori tributarias fore. Dimissus igitur ab imperatore in Poloniam rediјt in pace, uerum dum talia gessit cum Hungaris, Bohemis & Imperatore. Principes Russiæ defectionem & rebellionem meditari cœperunt, quā prior *Ruthenorum defectio.* persuasit, & aliјs Ruthenis proposuit. Iaropolkus Vvlodimirouicz, inquiens, quoniā turpe esset totiens ad aliena bella obeunda Ruthenos trahi, & sub principe alterius ritus cum dedecore & scandalo eorum detineri: Nunc ergo excutiendum est inquit iugum seruitutis nostræ, non enim poterit Polonus tribus hostibus implicitus, Hungaris, Bohemis & Ruthenis cum omnibus satis pugnare. Hac defectione ad Boleslaum perlata, dum in cōsilio sciscitaretur, quid agendum foret, inter alios iussus dicere cōsilium Petrus Vvlosczouicz, comes de Xansz, sic orsus est. Non potest compesci fluxus aquarum, nisi fons prius extirpetur aut occludatur, nec frondes oriri prohibentur, nisi radice euulsa, sic neq; potest Ruthenorum meditata defectio compesci, nisi is à quo processit Vvlodimiriæ princeps opprimatur. Ipseq; suscepit hanc prouinciam prouidendam & principes Russiæ in fide continendos. Vafro itaq; usus ingenio, accepto apparatu lugubri, cum paucis fidis comi-*Dolus Petri Vulosczouicz.* tibus facti ignaris, ad ducem Vvlodimiriæ Iaropolkum peruenit, & causam sui aduentus, tyrannidem Boleslai ducis Poloniæ, cum frequentibus iniuriјs asseruit. Rogans ut ipsum tanquam princeps æquissimus, comitate & humanitate decorus, iure hospitiј exciperet & confoueret. Gratus fuit Iaropolko aduentus Petri Vvlosczouicz, gratus & principibus Russiæ, putabant enim destinatam rebellionem ex hoc tempore oportuno maturaturos. Verumenimuero Petrus obseruabat ducem Iaropolkum, & quodam tēpore cum paucis prandentem, iubens suos arma corripere, hostem se protestatus, comprehendit, eum prostrauit, atq; in uincula coniecit, celerrimoq; cursu in Poloniam detulit, & Boleslao tanquam munus optatum præsentauit, laudatus & multis possessionibus remuneratus, eò quòd unius hominis captiuatione omnes Ruthenos in fide continuit. Sed longè aliter quàm sperauit prouenit, nam Vasilko genitorem suum Iaropolkum redimendo, ad arbitrium Boleslai grande precium expendit & tribuit. Quendam quoq; Hungarum, pari uafricia atq; dolo subordinauit, & ad Boleslaum decipiendum misit. Is ne fraudator no-*Vicißitudo doli.* taretur, exulem se finxit, omnibus rebus exutum per Belam regem Hungariæ, quoniam partem nepotum Boleslai fuisset secutus. Boleslaus primum fauore hominem dolosum prosecutus, tandem Visliczam oppidum natura & aquis munitum, Nidę fluuiј in modū coronæ circumfusum ei gubernandum commisit. Ille nacto tempore oportuno cum Boleslaus pro reformanda pace ad Lotharium regem Romanorum se reciperet, sub confiscatione bonorum, camerę ducali applicandorum, cunctis uicinis cum pignoribus & fortunis eorum in Visliczam cōfluere pręcepit, quoniam ex certis literis accepisset duces Russiæ rebellione publicata properè in Poloniam accelerare. Singuli ergo territi cum omnibus fortunis in Visliczam sese receperunt. Hungarus uerò dudum meditatus dolum, intimat duci Vvladimiriæ, ut cum multis gentibus ad Visliczam sexto Idus Februariј ueniret, pro uoto suo populis & oppido potiturus. Anno ergo Domini, 1135. sexto Idus Februariј, noctis tempore sub silentio apertis portis ciuitatis infidelis Hungarus Ruthenos omnia debacchantes introduxit, senibus & impuberibus non parcentes, in omnem sexū, omnemq; conditionem hominum in ore gladiј sæuientes, ad ultimum omnem substantiā *Vislicia capta.* extirpantes, cum hominibus & pecoribus exusta ciuitate in Russiam abduxerunt. Hoc tristi nuncio ad Boleslaum perlato, fremens & exagitatus, collectis ingenuis una cum a-*Boleslai in Ruthenos uindicta.* grestibus, ad interiora Russiæ penetrauit, ducesq; non reperiens (omnes siquidem in longinquas syluas & inuia Boleslaum tanquam fulmen metuentes ad delitescendum fugerant) in plebem Ruthenam, & tecta innocua desæuiens, ad ulciscendum mortem & damna suorum prouehebat. Contritisq; omnibus, acceptis hominibus & spoliјs in Poloniam rediјt Russiæ principes pro desolatione suarum terrarū, dura & graui tristitia afflicti, conuentiones circa Vvladimiriam faciunt, & ultionem ex Boleslao sumendam concludunt, persuadente tamen Iaropolko duce Kiouieñ. occultis dolis & non manifestis modis, circumue-

circumueniendum ac opprimendum ipsum statuit, quoniam Polonorum potentiam aperto bello frangere nequirent. Eijciunt ergo & expellunt Hallicień. ducem Boleslai affinem, quia consilia eorum Polonis proderet, qui ad Boleslaum secessit in Poloniam. Subordinat postea Iaropolkus Kiouień. primores Hallicień. ut apud Boleslaum reditum & restitutionem sui ducis peterent, ut pro honestamento ipsius personalem reductionem ei præberet. Adueniunt & Hungari uicini regioni Hallicień. Ruthenis similia referentes, restitutioni ducis Hallicień. se auxiliaturos promittentes. Constituto itaque & præfinito die, dux Boleslaus Hallicíensem principem paruo exercitu reducebat, appropinquanti autem Halliciæ, occurrens exercitus Hungarorum utrumque ducem excepit, & in extremam, posterioremque partem abijt, deinde turmæ Hallicień. similem salutationē, & applausionem facientes, in terga exercitus Polonici, quæ Hungari iam occupauere diuerterunt. Quo inspecto dux Boleslaus ad Vvieborium Palatinum Cracouień. principem militiæ dixit. Suspicaris ne Vvsebori hostilitatem nobis parari, & à fronte alijs uenientibus, à tergo Hungaros & Hallicień. nos inuasuros, principijs obstandum est, nec eo sermonē complente, copiosissimus exercitus Barbarorum & Ruthenorum cum duce Iaropolko aduenit. Paucis igitur suis adhortatis ut se uiros meminerint, & animam potius honestè funderent, quam miserabilem seruitutem subirent, sic fatus cum esset circumclusus hostibus in aduenientes à fronte irruit, & contrita ala ei obuia, in alios insiluit, & magna cæde attriuit, fortunæque confidens uictorem se euasurum sperabat, uerum quodam Palatino, cuius nomē scriptores subticent, timore perculso, de pugna fugiente, pertracta est post eum magna pars exercitus Boleslai, ut certo certius posset uidere se uincendum, quam uictorem, non destitit tamen bellicosissimus princeps omniquaque hostes prosternere, donec ab omnibus, telis, lanceis, & gladijs impetitus, equo sub eo confosso & interfecto, pedes pugnando, hostes reprimeret. Quo uiso quidam miles gregarius, de suo equo descendens, eum duci Boleslao præstitit. Cape, inquit, illustrissime princeps hunc equum, & te meliori fortunę reserua, sicque excessit & in Poloniam utcunque mœrens regressus est. Miles quoque ille gregarius saluus redijt, cui ob præstitum beneficium, plures possessiones, magistratus, & dignitates Boleslaus tribuit. Palatino uero profugo, misit colū, pensum, & pelliceam leporinam. In colo signans eum fœminam: in pellicea leporem & meticulosum: In penso chordam & suspensionem ipsius. Palatinus acceptis donis & signatione eorum intellecta, mœstissimus in nocte in Campanili proprij oratorij se suspendit. Thesauri regni, pro redemptione captiuorum expositi sunt, non tamē omnes captiui redempti sunt, plures eorum deficiente publico ærario uenūdati, in seruitute perpetua & fame uitā finierunt. Boleslaus uero semper ingeminans accusabat fortunam quod eum dereliquisset, accusabat & fugam Palatini suspensi, nihil consolationis accipiens, nec ex animo mœrorem ex conflictu perpessum dimittens, donec in ægritudinem lapsus est; & propè annum in lecto decubuit, sentiensque se moriturū, diuisit regnū inter filios. Vvladislao inter fratres seniori ex Ruthena genito, legauit terras Cracouień. Siradień. Lancicień. Slesiam, Pomeraniā, & primęuitatē principandi. Ex Adleyda uero sorore Henrici imperatoris genitis, legauit: Boleslao Crispo terras Mazouień. Dobrzineń. Cuiauienſ. & Culmeń. Mieczslavvo seni, à maturitate morū nuncupato, Gneznień. Posnanień. & Calissień. Henrico primo Sandomirień. & Lublineń. Kazimiro autē infantulo nihil appropriauit, hortatusque ut ei portionem ęquam assignaret. Respondit iamdudū assignasse, mirantibusque astantibus dixit, non intelligitis inter quatuor rotas currus, quintam sedem esse in medio. Sic & huic infantulo, intra quatuor Tetrarchas, mediam esse successionem. Suscepto autem uiatico ditiuissimæ Eucharistiæ expirauit, anno Domini, 1139. ætatis quinquagesimo quarto, regni uero trigesimo sexto, sepultus in ecclesia Plocień. cum cineribus paternis. Fuit Boleslaus habitu corporis mediocris, colore fuscus, ad credendum facilis, faciliter ex credulitate ad leuitatem & pericula incidens, uelut in profligatione Hallicień. Pluribusque alijs euentibus ei obtigit, fuit in teneris unguiculis laboris, inedię, & frigoris impatiens, robustus corpore, ab adolescentia Martialibus deditissimus: nullus regum & principum Poloniæ usque in hanc diem bellicosior eo fuit. Nam quadraginta septem uicibus, publica acie, signisque collatis pugnauit, totidemque uictorijs potitus, triumphauit, præter in ultima Hallicienſi pugna, in qua fortuna pessum iuit, & eum deseruit tanquam alterum Hannibalem. De liberalitate ipsius monasterium Szczechouień. ordinis sancti Benedicti, pluribus possessionibus, in sui memoriam & mercedem sempiternam, post Szczechonem magnificum fundatorem dotauit.

Boleslai ex Ruthenis clades.

Regni diuisio in filios Boleslai.

Boleslai mors & laudes.

Boleslai uictoriæ.

Monasterium Szczechouiē fundatum.

RVthenorum duces Svvatopolk, Vvlodimir, Dauid, Olech, & Iaroslaus, facta conuentione cum ducibus Polovvczonum in Stachovv, pacem conficiunt, & ad maiorem firmitatem obsides ex utraq; parte inuicem dant, non diu tamen Polovvczi pacem seruabant. Inuadebant nanq; Rusiam excursionibus, & prędis assiduis; ea propter Svvatopolk Kiouieñ. Dauid Svvatoslauicz, Dauid Vvseslauicz, Mscislaus nepos Hreorij, Vieczeslaus Iaropolczicz, & Iaropolk Vvlodimiriuicz, duces Rusiæ uocando Dauid, & Olech Dauid comparente. Olech uerò ægritudinem simulante, anno Domini. M. centesimotertio, cum suis gentibus æstate nõ expectata in Schuten uenerunt, quos ut audiuere aduenisse Polovvczi, in maxima multitudine collecti sunt in superbissimo spiritu cum Ruthenis pugnaturi. Immisit autem Dominus terrorem Polovvczis, ut tam ipsi, quam equi eorum contristati tremerent, mœstiq; procederent. Ruthenis (preces Deo & eleemosynas ecclesijs porrigentibus) lætis animis, & æquis eorum hinnientibus cum spe contra Polovvczos gradientibus, quos ut uiderũt Polovvczi, perculsi terrore terga uerterunt. Ruthenis eos cædentibus atq; persequentibus, uiginti duces Polovvczonum eo prælio sunt occisi, scilicet Russoba, Kocza, Harslonopa, Kilthanopa, Kumana, Azupa, Kurthaka, Czenyerepa, Surbor, & alij plures, multa millia cæsa sunt, multaq; capta, castra direpta sunt, aurum, gemmæ, pecora, Cameli, & captiui in Rusiã deducti sunt. In illa die amplam salutem per contritionem inimicorum suorum Deus Ruthenis tribuit. Eodem tamen anno Pruteni & Lithuani terras Rusiæ uastarunt, Polovvczi cladem suam ulcisci uolentes, clam in eam oram Rusiæ, quæ Zarzeczko appellatur insiluerunt. Svvatopolk uerò, dux Kiouieñ. suum exercitum, ei Ioannem & Iuankonem Zacharzycz & Kosorina præficiens, misit aduersus eos, quos apud Danubium consequentes spolia excusserunt. Cum Polovvczis tamen in dimicationem non uenerunt. Adhuc autem spirantes minas, magisq; ulturi clades suas Polovvczy, in magna multitudine in Rusiam cum Bonyak uenerunt, Sarnkan & alijs principibus, statiua circa Lubnya locantes. Svvatopolk uerò Kiouieñ. Vvlodimir, Olech, Svvatoslaus, Mscislaus, Vyeczlaus, & Iaropolk, duces Rusiæ cum suis gentibus, transito flumine Sula anno Domini 1107. duodecima Augusti, in Polovvczos irruerunt improuisos. Qui grandi timore perculsi, non potuerunt in ordines ire, sed alij pedestres, alij raptim conscensis equis, in proximas diffugerunt syluas: Ruthenis eos usque ad Chorela persequentibus, & quàm plures occidentibus, occisus est dux Tasza, germanus ducis Bonyak cum alijs. Rutheni potiti castris, & omni suppellectili eorum, redierunt cum gloria & magno gaudio in sedes suas. Nec his contenti duces Rusiæ, instaurant exercitum & qui ægre inuasionem Polovvczonum propulsabant, iamiam ultro bella eis inferre festinabant. Educunt itaque copias equestres & pedestres, secunda Dominica quadragesimæ, superatoq; flumine Sula, ueniunt in Chorela. Ex inde ordinatis curribus & aciebus procedebant per flumen Oltha & Vorzskla, usque ad flumen Don qui est Tanais, illic arma induentes, & signa militaria extendentes, composito agmine incedebant ad castrum Rukanye, ubi refecti piscibus & uino, ad aliud castrum Szuuorovv pertingunt, quod exurunt, & Polovvczos ad tuendum sua paratos excipiunt, adhortantesq; seinuicem Rutheni, & mori deuouentes potius quàm fugere, acies Polovvczonum fuderunt, reliquos dispersesunt. Post paucos dies, nouo & fortiori exercitu Polovvczonum adueniente, ex pluribus legionibus adaucto, pari fortuna profligatus est per Ruthenos. Et per quatuor dies persequentes ipsos receptis castris, uxoribus, paruulis, camelis, equis, pecoribus, aliaq; suppellectili eorum, in Rusiam reuersi sunt cum maxima lætitia, à processionibus suorum honorati atque excepti. Post hoc in breui uidelicet anno Domini 1112. sedecimo die Aprilis, mortuus est Svvatopolk dux Kiouieñ. socer Boleslai Crziuousti, tumulatus in Ecclesia sancti Michaëlis in Kiovv, quam construxerat, & uertice deaurato decorauerat. In locum eius suffectus est Vvladimirus Germanus eiusdem Svvatopolkonis. Orta autem seditione militum in Kiovv, curia Puratæ Palatini Kiouieñ. dirupta, & Iudæi in Kiovv commorantes spoliati sunt. Celeriter ergo duce Vvladimiro per nuncios accersito & suscepto, militum insultus conquieuit. Iaroslaus autem filius Svvatopolkonis Kiouieñ. cuius germanam Sbislauam, Boleslaus dux Poloniæ habuit in uxorem, possedit Vvladimirieñ. ducatum. Perrexitq; contra Iatzvvingos, quoniam frequentibus excursionibus terras Rusiæ deprædabant, & prælio inito eos uicit, parteque regionis eorum uastata, abscessit.

Ruthenorum uictoria.

Ruthenorum uictoria.

Ruthenorum duplex uictoria.

Swatopolci mors.

Iatzwingi uicti.

Dictum

Dictum autem est in præcedentibus Iaczwingos fuisse idolatras, conformes Lithuanis, & Prutenis, in linguagio non parùm cum eis dissonos, quorum metropolis, & arx fuit Drohiczan usq; in hodiernum diem permanens, deinceps Vlodimir princeps Kiouiens. habens suspectum Iaroslaum ducem Vlodimirien. ne eum de ducatu Kiouiens. expelleret, ipsum in Vladimiria cū auxilio ducum Dauid Vasilkonis Roscislai, Volodorouicz, & filiorum Olech obsedit. Iaroslaus nihil sibi conscius è castro inermis descendit, & uerbis modestis reconciliauit, & sibi Vlodimirum Kiouieñ. placauit: precando ne falsis assentatorum suggestionibus, quibus plena est domus potentū, credat. Continuò ergo Vlodimirus obsidionem soluit, & in Kiow reuersus est: scripsitq; denuò literas præfato, duci Iaroslao, quòd machinaretur eum exturbare de sede Kiouieñ. aut morte necare, eapropter ipsum ad se in Kiow accersit. Qui præcauentibus eum Vladimiri militibus de periculo uenire negauit, persuasusquè uafra suorum militum consilio, commendato castro Vladimirieñ. suis militibus cum uxore, filijs, & omni supellectili in Poloniam ad ducem Boleslaum diuertit, & quadriennio per ipsum benignè fotus est, donec cum duce Colomanno filio Regis Hungariæ reduceret. Castrum autem Vladimirieñ. post discessum Iaroslai deditum est Vladimiro duci Kiouieñ. in quod filium suum Romanum transmisit, quo celeriter obeunte, alterum filium Andream ad regendū Vladimiriam surrogauit. De recuperatione aūt castri Vladimirieñ. & interitu huius Iaroslai sub oppugnatione Kiow, patuit in actis Boleslai ducis Poloniæ. Vladimirus uerò dux Kiouieñ. Iaroslai patruus, anno Christi millesimo, centesimo, uigesimo sexto, decima Maij mortem obijt, sepultus in Ecclesia diuæ Sophiæ, cum paternis cineribus apud Kiouiam: cui succeßit in sedem Kiouieñ. Mscislaus senior filius. Iaropolk uerò alter frater in Pereaslow ducatum possedit. Audientes Polowczi mortuum fore Vlodimirum ducem Kiouieñ. irruperunt in Rußiam. Iaropolk uerò Pereaslauieñ. dux, non expectato auxilio fratrum, eos conflixit, & superauit, multosquè in aquis suffocauit. Hæc in Rußia ad partem Orientalem acta sunt: ad Occasum uerò filij Volodori, olim ducis Premislieñ. Vlodomir, & Roscislaus in dissensionem uersi, aliena comportarunt auxilia, Roscislaus Ruthenorū uidelicet Mscislai Kiouiens. Gregorij ac Iuan Vasilkouicz. Vlodimir uerò Hungarorum, factoquè tractatu de pace per Barones apud Scirzecz, nec pace confecta Vlodimir in Hungariam perrexit cum uxore, filijs & tota familia, auxilia adducturus. Roscislaus autem oppugnauit castrū ipsius Swimigrod, quo non expugnato (reliquerat enim in eo Vlodimir tria millia armatorum castrum benè tutantium) discesßit, aliquot militibus de suis desideratis, & occisis. Repetita autem oppugnatione, denuò obsedit castrum Swimigrod, sed strage frequenti accepta ab excurrentibus de castro, ab obsidione discesßit. Mortuo Mscislao duce Kiouiens. anno Domini millesimo, centesimo, uigesimo nono, surrogatus est pro eo Iaropolkus frater suus dux Pereaslauien. obsidionequè lacessitus dedit duci Andreæ Pereaslaw. Isaslao autem Swantoslauicz Vladimiriam, exurentibusquè filijs Olh cum auxilijs Polowczonum oppida, & uillas circa flumen Sula: tandem in Pereaslaw Vscza, & Szupon, præfatus Iaropolkus dux Kiouieñ. cum filijs fratris Vladimiri egressus eos uicit, & filij Olh cum Polowzis fugierunt. Ruthenis eos longè persequentibus, ipsis autem in locum certaminis redeuntibus, inuasi, & cæsi sunt, per Olhouiczos, captiuatusquè est Iaropolkus Kiouiensis, & nepos eius Vasilko cum pluribus Boyarijs. Sed dux Iaropolkus captiuitatem euadens, fugit in Kiow, quem cum Olhouiczi obsidione cinxissent, habens copiam bellatorum resistere noluit, sed æquis conditionibus cum ipsis composuit.

Iaczwingi qui populi fuerunt

Vlodimiri mors.

Iaropolci uictoria.

Mscislai mors.

CAPVT XVII. LIB. III.

Mœrore, nimioq; dolore Boleslao (in Rußia bello haud prospere gesto) tabefacto, & mortuo, regnicolæ Poloniæ, circa Cracouiam conuenerunt, anno Domini 1140. & principibus præfati Boleslai filijs iuxta patris testamentalem præsignationem regnum Poloniæ diuiserunt: Vladislaumquè, eo quòd natu maior esset, Monarcham, & primæuum ducem, cui cæteri omnes subessent, decreuerunt, atque elegerunt. Non contentus autem Vladislaus sorte sua, cœpit impulsu auaritiæ ducatus fratrum expetere: incitatus à coniuge sua Christina, animum ipsius affligente, & quotidie perurgente, ut ni esset semiuir, non pateretur sortem regni posßideri à fratribus. Cùm Vladislaus tanquam patris succeßor totam hæreditatem paternam, pro integritate, & decore Reipubl. deberet usurpare, turpis siquidem esset peritura regni mutilatio, & diuisio, turpis, & pluralitas principum. Adijciebat non competere filiæ Imperatoris, habere maritum, semiquartam partem, regni tenentem, nec ad huiusmodi truncatam, & tenuem posseßionem, uerùm ad totius regni succeßionem fuisse

Mulieris periculosum consilium.

F despon-

desponsatam, aliter plurimos locupletiores coniuges ex parentibus consecutam fuisse. Vladislaus igitur Christinæ suæ coniugis insultationibus, & assiduis exagitatus suggestionibus, animum, quo suos fratres exueret, possessionibus assumpsit: mandauitque tanquam Monarcha omnibus contributionem, & exactionem in regno Poloniæ ei soluere, & subiectis fratrum ab eorum obedientia secedere, nec aliquis resistebat, duntaxat Vseborius Palatinus, & militiæ Princeps, qui tutando pupillos, fortuna aliquotiens tentata Vuladislai gentes conflixit. Et Petrus Comes magnus de Skrzin, sæpenumerò honestis abducens persuasionibus Vladislaum, ne in propria uiscera ageret, neque fratres suos exhæreditaret, propter quod Vladislaus præcedentem indignationem in Petrum resumpsit. Fuit autem indignatio ex ioco de coniugibus exorta, huiuscemodi, uenationi intentis, Principe Vladislao, & Petro Comite de Skrzin, longeque in abdita nemora feram insequentibus, contigit in nuda humo pernoctare. Et quia mutatione loci, & stramentorum, uentrisque rugitu ex inedia, & siti præcedentis diei, somnus eis non accessit: locans dux Vladislaus, inquit, mollius, Petre, hac nocte tua coniunx cum Abbate Strelneñ. quiescit, quàm nos. Erat autem uxor Petri Comitis Maria, consanguinea matris ducis Vladislai. Petrus autem Comes pro deductione confabulationis aliud simile adiecit responsum. Quid scis, illustrissime Princeps, si tua coniunx non mollius cubat cum Dobyesz: (erat autem Dobysz miles à Christina amatus, eique in tantum & assiduus, & familiarissimus, ut pudicitia Christinæ à plerisque propter frequentionem Dobyesz carperetur) Mox ira concitus dux Vladislaus, eum in corde furorem suppressum occultauit, reuersusque ad uxorem, tum ex mœrore, tum ex interrogatione Christinæ iocosum sermonem Petri Comitis reuelauit. Excanduit fœmina, suamque tuendo famam, assiduè institit, ut de Petro Comite uindicta sumeretur. Expugnatus Vladislaus commisit militi Dobyesz (quoniam is contumeliam pati uideretur) tanquam huic facinori idoneo, ut Petrum Comitē occultè ad pœnam raperet: usa itaque opportunitate, quòd filiam suam Petrus tradebat in matrimonium laxæ duci Zerbiæ in Vratislauia, & hastarum ludos, præmio proposito, uictoribus promiserat, tanquam ad ludum hastarum cum frequentibus complicibus Dobyesz superuenit, & raptum Petrum duci Vladislao obtulit uinctū, qui instante truculenta, & implacabili muliere, lingua excisa, & oculis effossis, uisu priuatus est. Aiunt tamen historici Polonorum, toto quinquennio, quo superuixit præfatus Petrus, miraculosè, & loquelam, & uisum rehabuisse. Mortuo Petro relatus est in Vratislauiam, & in medio chori monasterij sancti Vincentij extra muros Vratislauieñ. ordinis Præmonstrateñ. quod ipse dum uiueret, sumptuosè fundauerat, & ædificauerat, tumulatus. Postea coniunx eius, adiecta est cineribus ipsius, de quibus huiusmodi rythmi ad tumulum dictati uidentur:

Ex ioco indignatio.

Facinus pessimum.

Mira loquutio

Petrus Deskrin mortuus.

Hic situs est Petrus, Maria coniuge fretus,
Marmore splendente, patre Gwilhelmo peragente.

Is Petrus (ut fertur) salutari satisfactione sibi Romæ à pœnitentiario iniuncta: Ecclesias magnificè cōstructas, ac sumptuosè erectas, in regno Poloniæ ex pecunia olim regis Daciæ, auxit plurimùm, è quibus nonnullæ sub his nostris tempestatibus conspectui apparent, atque cernuntur: quædam uerò ædificiorum structura pro temporū curriculo immutatæ. E quarum numero sunt hæ Cracouiæ ad sanctum Iohannem, & S. Andream, extra mœnia item Cracouiana in Zwierzyniecz ad sanctum Saluatorem. In Kazimiria ad sanctum Laurentium, in Vratislauia ad sanctum Vincentium, & ad sanctam Mariam in arena cum earum abbatijs. Idem ad S. Michaëlem, & ad S. Martinum in prædicta Vratis. in Strzelno, in Chelino, in Lancicia, in Clobuczko in utraque Skrzin in Zarnow, in Payazno, in Ruda, in antiqua Syewior, in Chelnycze, in Vuierczyczow, in Kigye, in Tynyecz, in Clewyszka, in Opatow, in Pkanow, in Koszelecz Vladislauieñ. diœcesis, in Kalysch ad sanctum Laurentium, in Cziruuiensko earum Abbatijs, ad sanctum Suuiradū, in Kamzimiercz maioris Poloniæ ad quinque fratres, in Mitouu ad sanctum Petrum, in antiqua Konin, in Nisa, in Kothlouu, in Numbork sanctimonialium prædicatorum, in Rabino, in Cziruuoni Roszczol, in Labyn duæ, conuentualis, & parochialis in Thulcze, in Lezouu. Ante Krobya sancti Aegidij in cœmiterio, autem parochialis Ecclesiæ in Konin saxeam collocauit columnam, in qua sequentia metra per statuarium sculpere iussit:

Ecclesiæ extructæ per eundē ad S. Iohannē. S. Andream. in Zwyerzyniecz. Saluatorem. S. Laurentiū. in Kazimiria. Alia multa tēpla extruxit.

De Kalisch hic medium in Crusczuicze fore punctum:
Indicat ista uia formula iustitiæ:
Quam fieri fecit Petrus Comes Palatinus.

Gubernauit siquidē prouincias Kalisieñ. & Crussuuicieñ. ex Boleslai Crzyuousti donatione. Et dum ex una in aliam crebriter pergeret, mediam illius itineris, & distantiæ intercapedinem in Konin fore, experientia didicit. Sed redeundum est ad Vladislaum. Mutilato

lio Petro Comite, Vuladislaus dux suos fratres è regno exterminare cœpit. Collecto siquidem ex omnibus dominijs proprio exercitu, accersiuit, & auxiliaria subsidia Russiæ ducum, Vusewoldi ducis Kiouiensis, qui sibi Swantoslaum suum filium unà cũ suis gentibus misit: insuper Isaslai Dauidowicz ducis, Vsewoldimiri Hallicienlis. Depulit itaque Henricum de Saudomiriensi, & Boleslaum Crispum de Plocensi castris. Quibus sese in castrum Posnaniense ad Meczlaum senem eorum germanum recipientibus, illicò eos insequutus uallauit, sepibusq; & turribus circumdedit, tormẽtis, arietibusq; quatiens, & multo alio apparatu bellico insultans expugnabat. Rutheni autem Barbarica immanitate conciti, cædes hominum passim faciebant, prædas multiplicabant, uirgines, & matronas ingenuas deflorabant, atq; prostituebant. His itaque probris, Reuerendus pater Iacobus, metropolitanæ Gneznensis Ecclesiæ Archipresul lacessitus, quadriga uectus, quia grandæuus, & senex habitu archiepiscopali indutus, suaq; tiara, seu infula ornatus, in Vuladislai ducis tabernaculum ingressus est: atq; è sella, principi Vuladislao, ne fraternas possessiones raperet, persuadebat, ne quoque genitoris testamentum uiolaret, ac fratrum curatorem, pupillorumq; tutatorem sese gereret: Barbaros Ruthenos compescere, abominaliaq; per exercitum patrata, & patrãda rescinderet. Vuladislaus autem huic prudenti persuasioni, & catholicæ correctioni nullo pacto acquiescere uoluit: idcirco Iacobus Gneznensis Archiepiscopus, uir iam senio confectus, è sella, cui insidebat, sese erigens, inquit: Auctoritate omnipotentis Dei, cuius ego minister indignus officium gero, te monitum, & rebellem excommunico, Pharaonicaq; obstinatione induratum anathematizo, ac ueluti incorrigibilem diuinæ ultioni, te puniendum reseruo. His effatis, quadriga uectus tabernaculum exibat. Vector autem in uehendi officio incautus existens, ultimo axe, statuam papilionis euertit, ita ut papilio totaliter in terram deciderit, in futuri mali præsagium. Vuladislaus autem dux in hisce omnibus, suas animi passiones contriuit, nec Archiepiscopo, & aurigæ eius quopiam maledixit. Cumq; Boleslaus, Henricus, & Mieczlaus germani, fame & fratris tyrannide obsessi angariarentur, nec irruptionibus in hostes ex castro factis, aliqua ex parte releuarentur, ultima desperatione acti, se complectentes mutuò cum suis armatis, quibus castrum munierant, quamprimùm fortunam experiri statuerunt, & aduerso pectore, ex uulnere potiùs, quàm fame mori iudicabant. Quadam igitur die, hostes eos obsidentes, sparsos hincinde considerabant, alios commessationi deditos, alios uoluptatibus, & ludis, cæterisq; iocis aulicis intentos, alios post crapulam somno grauatos, & sopitos, inermes ac inordinatos. Temporis opportunitate freti, extenso de cacumine turris signo rubeo, in hostem cum peritissimis suis militibus, & reliquis infirmioris etiam ætatis ordinibus, cum ualido clamore irruperunt. Et iniecto igne, tabernacula culmis, & straminibus tecta, cõflagrarunt, properecq; uersus ducem Vuladislaum accelerantes, quosque occurrentes inermes trucidarunt, & trementes in omnem partem dispersos confixerunt. Dux uerò Vuladislaus diffugientes insequutus, cum paucis, equorum permutatione adhibita, fugit, & mœrens Cracouiam uenit. Duces uerò Russiæ Swantoslaus, Isoslaus, & Vuesouoldimirus eorum fortunis priuati, per Cracouiam Russiam petunt. Duces uerò, utpote Boleslaus Crispus, Henricus & senex Mieczlaus ex manubijs utriusque exercitus, cum Polonici, tum Ruthenici ditati, plures ex forensibus milites armauerunt, propriosq; omnes asciuerunt, & Vuladislaum insequentes Cracouiam peruenerunt. Ipse uerò eis non exspectatis in Germaniam ad Conradum Romanorum regem fugit. Boleslaus uerò Crispus, Henricus primus, & Mieczlaus senex germani, Cracouiam ingressi arce potiti sunt, uictoriaq; modesti usi, non enim sæuierunt aduersus Christinam glotem suam, nec filios ipsius. Ne autem quidpiam sinistri, & deterioris, aliqua occasione oblata nonnunquã in eam attentaretur, persuasa in Germaniã cum filijs, Boleslao alto, Mieczlauo, & Conrado loripede discessit, ac in Cõradi Rom. Regis curia Vuladislao marito suo sese applicuit. Ecce qui alienos potẽtatus ardẽtiùs expetijt, iustè proprios amisit. Ecce superba Christina leuiros suos perosa, & exitiũ eorũ anhelans, atq; procurãs, absq; leuirorũ machinatione humiliata, abijt, dominiorum spe frustrata. Hæc est illa Christina, quæ omnes Polonos habuit fastidio, consortia eorũ, habitum & mores dedignans, eos incultos, & fœtidos asserens, non ipsos ad officia, nec mensæ admittẽs seruitia solis Germanis contenta, ipsisq; omnia distribuens officia. Hæc Christina rusticos incitabat, & pro sua industria alliciebat, ut pro celebrioribus anni festiuitatibus ad uberiorem regiæ mensæ apparatum offerrent, gallos, anseres, porcos, frumentum, auenam, & cætera esculentorum, & poculentorum genera, quibus secundùm locorum qualitatem ex aëris temperamento gubernatam regnicolæ abundabant. Hoc (ut præsumitur) faciens, nimia habendi auiditate, uel sua illiberalitate, quæ singula uoluptatibus, & luxuriei erant subseruientia. Quum autẽ semel ab eis quicquã oblatum erat,

Vuladislai in fratres sæuitia

Vuladislaus excõmunicatur.

Vuladislaus ab obsidione pulsus.

Vuladislai fuga in Almaniam.

F 2 quo-

quotannis & perpetuò ad fiscum ut darent, inscriptione ratificabat. Contumaces uerò & negligentes uerbere, aut carcere percellebat: ideoq; ex Polonia odiosa discessit.

CAPVT XVIII. LIB. III.

Monasterij Andrzeow fundatio.

CAsualia, & incidentia hoc perpenduntur capite. Monasterium enim Andrzeouiense, Cracouiensis diocœsis, ordinis Cisterciensis, Ioannes aliàs Ianick Vratislauiensis Episcopus primùm fundauit. Expòst uerò Gneznensis Archiepiscopus, cum Clemente, de domo Griphonum suo germano, in prædio suo Brzesnycza, anno Dñi 1140. eidem monasterio oppidum Andrzeow, cũ prædio Brzesnicza, & septẽ uillis, Potock scilicet, Lyszakow, Rakoszino, Rakowo, Lanczno, Tarszawa, Chorzowa pro dote assignarunt, nec quidpiam iuris sibi in eisdem reseruarunt, excepto tributo sibi, & eorum successoribus ex oppido Andrzeouu præstando, corda occisorum pecorum uidelicet, & de singulis halecum uasis in præfato oppido uendendis, aliquot haleca, quod Andrzeowienses Abbates expòst ab eorum nepotibus redimerunt. Fratres autem in prædictũ monasterium introducti ex Morimundo, monasterio in Burgundia sito, accersiti sunt, ob hoc monasterium Andrzeouuiense à plerisque minor Morimundus uocitatur. Eodem anno Sobieslaus dux Bohemiæ, sciens Boleslaum Krzyuousti uita functum Slesiã uastauit, principibus Poloniæ quadrifariam diuisis, nequidquam tamen repugnantibus, & eam sibi totam appropriare cupiens, uicum Kosczan undique paludibus septum, instanter munire cœpit, præsidium eidem imponere uolens, sed acutis correptus febribus, in Pragãq; delatus, diem obijt 16 Calendas Martij, in Vissegradensi Ecclesia sepultus. Item anno Domini 1105 Myeszko, siue Myeczlaus senex, dux maioris Poloniæ, post obtentam cum fratribus uictoriam de Vuladislao eorum fratre, duo monasteria Cisterciensis ordinis fundauit: unum in Landa ducali uilla, supra fluenta Vuarthæ, & aliud in Pagrouuiecz, dotauitq; ea uillis, prædijs, & amplis introitibus: introduxitq; in eam fratres ex monasterio Vetus mons dicto, tribus milliaribus à Colonia Agrippina distante, & priuilegiauit, ut Colonienses duntaxat in præfatis monasterijs susciperentur, & fouerentur, nonq; alterius nationis homines. Quod cum fecisse constat ob honorem à Coloniensibus in uisitatione Ecclesiarum Aquisgrani, & Coloniensiũ sibi exhibitum. Iaropolcus Vulodimirouicz Kiouiensis dux moritur decima die Februarij, anno Christi 1140. & in Ecclesia sancti Andreæ sepelitur. Et licet Vyeczislaus frater suus Kiouiensem sedem accepisset, Vuleuoldo Olhouuicz attamen in Kiouu cum sua militia ueniente, ne secum dimicare cogeretur per medium metropoliti pacificatur, & de Kiouu excessit, & Thurouu acceptauit. Vuseuoldus autem principatum Kiouiensem in pace possedit.

Minor Morimundus.

Sobieslaus Bohemiæ dux Slesiam uastat, moriturq;.

Monasterium Landa fundatur.

Colonienses soli suscipiũtur.

Iaropolci mors.

CAPVT XIX. LIB. III.

ANno Domini quadragesimo sexto, supra millesimum, centesimum, pulso duce Vuladislao, pulsaque Christina eius coniuge, unà cum filijs, Boleslaus Crispus, fratrum consensu, prælatorum, Baronum, regni Poloniæ Monarchiam sortitus est, suamq; hæreditatem terras Mazouiæ, & Cuyauiæ tenuit. Terra uerò Cracouiensis, tum propter Monarchiam, tum propter curam Kazimiri germani infantuli sibi adiecta est. Is Boleslaus fratres magna affectione coluit, modestiam, liberalitatemq; in omnes exercuit, exindeq; cuncti allecti, summa deuotione iussiones ipsius obibant, en quanta uirtutum efficacia, tyrannidi contraria. Conradus autem Romanorum rex, precibus Vuladislai ducis, atq; Christinæ consortis suæ inductus, legatione missa, poposcit, ut Boleslaus Crispus unà cum fratribus, duci Vuladislao portionem eum contingentem redderet. Dumq; Conradus, anno Christi 1147 pro subsidio terræ Sanctæ ferendo, iret per Poloniam cum frequentissima suorum principum, & militum multitudine, & Boleslaus Crispus cum germanis Myeczlao, & Henrico, in metis ei personaliter occurrentes cum magna ueneratione, præfatum Romanorum Regem, & ipsius exercitũ per Poloniam conducentes, omnes sumptus, & expensas liberaliter tribuerunt pontes, & pessagia refecerunt, ad extremumq;, Constantinopolim uersus deduxerunt. Instabat sæpiùs pro Vuladislao, ut in Poloniam reassumeretur. Boleslaus autem tam frequentibus Imperatoris instantijs uictus, se non abnuere respondit, dum Imperator è terra Sancta rediret. Pluribus itaq; militibus perditis, ex calce farinæ, & panibus per Græcos, & Turcos admixta, reuersus tandem post medium annum Conradus, per Vuladislaumq; sollicitatus, per suos Oratores adhortatus est, ut Boleslaus suæ promissionis memor Vuladislaũ in principatus, ad eum spectantes recollectos reacceptaret. Boleslaus uerò Conradum certiorem reddidit, fratris Vuladislai reassumptionem non abnuere, dummodò regni scissio,

Conradus Romanorum rex per Poloniã in terrã sanctam.

Græcorum, & Turcorum in Cõradum pessimũ facinus.

Pro Vuladislao Con. in Polo. expeditio.

scissio, nouaq; bella exinde non orirentur, quod non euenire haud esse uerisimile affirmabat. Eo responso Conradus Romanorum rex furore concitus, cum omnibus Germaniæ ducibus, & Vuladislao duce Bohemiæ Poloniam ingressus est, & transmeato flumine Odra, eam demoliebat, & uastabat. Boleslaus uerò cum suis fratribus, & tota regni Poloniæ militia, uidens se imparem tantæ multitudini exercitus Imperatoris, id quod sibi foret expediens rectè discutiendo, cum Imperatore decertare noluit, sed ex patris consuetudine diuiso exercitu, ex locis insidiosis, & iniquis Cæsareum exercitum lacessiuit, pabulantes rapiendo, longiusq; ab exercitu exeuntes occidendo: obtentaq; securitate, ut magis ingenio, quàm acie confligeret, papilionem Cæsaris ingressus, se, suosq; germanos ei strictiori affinitate iunctos, iustiorem q; habere causam, quam Vuladislaum, nec unquam Vuladislao nocuisse exposuit, sed rogantibus oppressis fratribus, dum eis misereri noluit, suo crudeli facinore in exilium abijt. Exorabilem se præberet Imperator, è Poloniaq; recederet, post recessum ipsius Vuladislaum quandoq; reassumendum nō cunctaretur. Et quia Boleslaus Crispus liberalis fuerat, principes Germaniæ, ut eorum persuasione Cōradus discederet, quod & fecit, plurimis deuicit muneribus: sic Boleslaus sua prudentia Conradū Imperatorē è Polonia abduxit, Vuladislaus promissis Boleslai ludificatus, acceptis ab Imperatore militum subsidijs, & Slesiæ applicans, nec gratiam fratrum reperiens, duo ædificauit castra Nyemcze, & Grerdis, ex quibus spolia, & incursiones agere cœpit. Boleslaus autem cum fratribus, & suis protunc habitis militibus castra occupauit. Vuladislao uerò pro auxilio ad Conradum redeunte, quod antequam per eum adductū esset, obsessi milites ex pacto cum principibus inito, ne quid hostile paterētur, in Germaniam abierunt, Conradusq; Romanorum rex, quoniam à tempore Hierosolymitani pessagij indies languidior fieret, ex ipso languore uitam finiuit, in Haynbergk ciuitate imperiali sepultus, duxq; Vuladislaus spe frustratus permansit. Boleslaus autem Crispus à cęsarie, qua naturaliter adornatus fuerat, Crispus cognominatus, animaduertens solium suæ Monarchię pacatum, accepit in consortem Anastasiam Vuseuoldimiri ducis Haliciensis filiam, & circa Cracouiam nuptias solenniter peregit. Cuius exemplum sequutus Myeszko senior, dux maioris Poloniæ, & Pomeraniæ Eudoxam altam Vuseuoldimiri Russiæ ducis filiam in uxorem accepit, ex moreq; circa Posnaniam nuptias celebrauit, qua breui superuiuente, filiam Belæ cæci regis Hungariæ mortui, & sororē Geiszę tunc regnantis regis Hungariæ, Getrudim nomine, accepit in consortem. Henricus uerò eorum germanus dux Sandomiriensis, & Lublinensis, refutatis nuptijs, quoniam cœlibem uitam elegerat, cū uoluntariorum militum delectu, in pulchro apparatu, ad tuendam terram Sanctam (quoniam illa tempestate à rebus Christianis ipsius querebatur recuperatio) profectus est. In profectionis articulo, Ecclesiam parochialem in uilla Zagoscz ad fluuium Nida cum bona dote fundando, & terras Sandomiriens. ac Lublinens. Boleslao Crispo ad gubernandum commendando, postq; unius anni lapsum, sospes in patriam redijt, militibus suis nonnullis, morte & periculis absumptis. Ducibus Poloniæ aliquot annis tranquillè, & sine bellis uitam agentibus, aduenēre legati Imperatoris Friderici Barbarussæ ex Herbipoli, requirentes prædictos duces Poloniæ, & Vuladislao apud Imperatorem exulanti redderent hæreditatem, & ut quingentas marcas argenti singulis annis ad ærarium Cæsaris inferrent. Respondit dux Boleslaus cum suis germanis, ex restitutione fratris, bellum ciuile, & exterminium patriæ futurū esse. Sub Imperatore uerò & tributis nunquam fuisse regnum Polonię: rogarent proinde Cæsarem nuncij, ut contra duces indignatione non moueretur. Fridericus uerò hac responsione irritatus, magnas concepit iras, & cum amplissimo exercitu ex Germanis, & Bohemis, adunato, undecimo Calendas Septembris Odram transuadando, Poloniam intrauit. Cui duces Boleslaus, Myeczlaus, & Henricus, cum robore exercitatissimorum militum occurrentes, propter imparitatem, & euidentissimum periculum noluerunt congredi, partitis itaq; militibus ex locis iniquis, hostes lacessire non cessarunt, singulaq; loca, & uillagia, per quæ exercitus Imperatoris erat transiturus exusserunt, ut tam milites, quàm equi eorum tabescerent, & consumerentur inedia, sed & fluxus uentris dysentericus exercitum Imperatoris inuasit, ex qua peste plurimi cadebant, & moriebantur. Cæteri metu perculsi, reuersionem à Cęsare precabantur. Cæsar non habens pugnandi copiam, quoniā nec hostis ad confligendum apparebat, nec castra, aut ciuitates munitæ ad expugnandū in Polonia reperiebantur, soli agri innocui exurebantur, & uastabantur. Igitur turpè ratus Cæsar absq; fructu discedere, per medium Vuladislai ducis Bohemię, circa uillam Crisogwe, inter Vuratislauiam, & Posnaniam cōsistentem in hunc modū cum principibus Polonorum conuenit: Vt fratrem eorum Vuladislaum exulem in suos ducatus restituerent, & Imperatori trecentas lanceas aduersus Mediolanū pro ęstate futura mitterent. Acceptata est utraq; conditio,

Conradus Polonia excessit.

Henricus Sandomiriens. dux Hierusalē pergit.

Friderici Barbarussæ postulatio.

Friderici in Poloniā expeditio.

Pax, & affinitas Friderici cum ducibus Poloniæ.

ditio, à Boleslao, Myecziao, & Henrico Polonorũ principibus, ad diuturnioremq́ pacẽ cõficiendam, Fridericus Imperator affinitatẽ cum ducibus Poloniæ dando in coniugem Myecziao duci maioris Poloniæ, & Pomeraniæ Adleydam neptẽ suam, iam enim Gertrudis altera coniunx Myeczlai uita functa excesserat. Post fœdus, & huiusmodi promissa, de restituendo Vuladislao facta, Vuladislaus de calamitoso exilio redire uolens, parabat necessaria commeatui, sed grauissimo correptus morbo, quarto nonas Iunij, anno Christi 1159. animam exhalauit, & in Aldemburk sepulturam percepit, ubi & sua consors Christina commorans, postea fato ex humanis rapta marito est apposita. Refert alia Polonorũ historia, Vuladislaum in fines Poloniæ uenisse, & innouatis castris Grotecz, Velen, Nyemcze Poloniam continuis inuasionibus perturbasse, euocatusq́ per fratres ad colloquium in Ploczko, ueneno sumpto occubuisse, & in eodem Ploczko sepulturam habuisse. Ecce qui fratrum bona rapere conabatur, proprijs priuatus miserè occubuit. Post cuius è uita excessum tres filij ipsius, Boleslaus altus, Myeczlaus, & Conradus loripes. Ad promotionem Imperatoris Friderici Barbarussæ per Boleslaum Crispum, & eius fratres adolescentum patruos, Slesia precariè dotati sunt. Qui inter eos Slesiam diuidentes Boleslao alto oram Vuratislauiensem cum eius appendicijs tribuerunt, Myeczlao Rathibonensem, & Opauiensem Conrado loripedi, Glogouiensem, & Crosznensem: uerùm Myeczlaus amore cuiusdam mulieris infascinatus, Opauiam ei perpetua donatione contulit.

Vuladislai mors.

Slesia in filios Vuladislai diuisa.

CAPVT XX. LIB. III.

Boleslai in Prussiam expeditio.

PAcata undique Polonia, Boleslaus Crispus accepta altera consorte Helena filia Roscislai, ducis Przemisliensis (Anastasia etenim prior coniunx, iamdudum à sæculo migrauerat) communicato consilio fratrum, & nepotum, expeditionem contra Prussiam indixit, & superato flumine Ossa, Poloniam, & Pomeraniam à Prussia disterminante, constituendo tres exercitus secundùm numerum trium ducum. Quorum primum Henricus dux Sandomiriensis, & Lublinensis duxit: alterum Myeczlaus dux maioris Poloniæ: tertium Boleslaus Crispus Monarcha Poloniæ gubernauit. Populationem cum conflagrationibus, & cædibus longè, lateq́ue extenderunt, quum maiores Prutenorum aduenientes pacem supplices precati, in hunc modum à duce Boleslao pacem obtinuerunt: ut tributa Monarchæ Polonorum quotannis darent, & quilibet Prutenus unda baptismatis ablueretur, aliter sub hasta ueniret uenundandus. Vniuersa ergo Prussia, anno Christi 1164. fidem Christi, & baptisma suscepit, idola confregit, tributa Polonis soluenda iurauit. Sed callidè & dolosè omnia egit, Boleslao siquidem cum suis gentibus in Poloniam redeunte, anno nondum elapso, nuncijs ad Boleslaum missis, fidem Christianam abiecerunt, tanquam onus eis importabile, & insuefcibile. Verùm tributa ex more, singulis annis ad fiscum ducis ingerenda promiserunt: & quia dux Vuladislaus, quæ Dei sunt, neglexit, Prutenis resistentiam non opponens, tributa, quæ uidebantur ei sufficere amisit. Collecto siquidem exercitu Pruteni, repentè & itineribus occultis oram Chelmensem, & Mazouiensem inuadentes homines abduxerunt, pecora, & plures uillas cum oppidis exusserunt. Tum Boleslaus dolore, & furore plenus, uolens iniuriam Dei, prophanationisq́ fidei Christo, & sibi fractæ ulcisci, denuò cum fratribus, & totius Poloniæ gentibus Prussiam ingressus est, demoliendo quæque obuia, Prutenis in syluis, & stagna, locaq́ inaccessibilia diffugientibus. Erant quatuor Pruteni, ad ducem Boleslaum è Prussia profugi, fidelitate, & synceritate ex longa inter Polonos conuersatione, ut uidebatur constantes, propter peritiam locorum antecedentes, & exercitus Polonorum deducentes, statiuaq́ secundùm qualitatem locorum præsignantes. Hos Pruteni occultè corruperunt, ut saltem nunc patriæ magis, quàm Polonis fauerent. Ex compositione cum Prutenis, finxerunt præfati ductores, multam prædam hominum, pecorumq́ue, transitis quibusdam densis, & inuijs syluis, reperiendam. Cumq́ loca iniqua, & angusta ingrederentur, à natura uoraginosa, & undiq́ bituminosa, limositate luti circumsita; in superficie uirescentia graminis tecta, Prutenorum cateruæ ex insidijs insiluerunt, inclusos Polonos iaculis, & sagittis urgentes, & profligantes, in tantum ut nec progredi, nec referre pedem retrorsum possent, undiq́ uoraginosis, & locis lutosis septi. Cadebant strenui milites telis obruti, quorsumcunq́ uerò progrediebantur, iniquitate uoraginum absorbebantur: alijq́ super alios calcantes, & Prutenos adire conantes, in profundum scenosæ uoraginis mersi dehiscebantur, & deuorabantur. Henricus uerò dux Sandomiriensis, & Lublinensis celeberrimus in acie uiriliter dimicans, telis obrutus, in terram decidit, & per arma confossus, unà cum reliquis interijt, & à scœno cum eis deuoratus permansit. Pauci admodum cum ducibus Boleslao, & Myeczlao de malignis

Pruteni ad fidem Christi conuersi.

Pruteni à fide desciuunt.

Boleslai altera in Prutenos expeditio.

Boleslai accepta in Prussia clades.

Interitus Henrici.

malignis locis euoluti, reuersi sunt, & in Poloniam peruenerunt, gemebundi, & tristes, tum propter ducis Henrici interitum, tum propter stragem infortunatissimè perpessam. Sed & Polonia tota deplanxit, longos in dies secundùm filios, uxores, & cognatos, mortem suorum consanguineorum, quoniam ferè totum robur militiæ Polonorum Pruteno rum fraude occubuerat. Surrogato Kazimiro, quarto Boleslai Krziuousti filio, in principatus Sandomiriensis ac Lublinensis, cui pater inter quatuor totas fratrum nullam assignauerat sortem, alius inopinatus euentus accidit. Duces etenim Slesiæ nepotes ducum Poloniæ mouerunt eis bellum, & uastabant districtum Posnaniensem: præcipuè uerò ex Boleslao Crispo Monarchiam, ducatusq; Sandomiriens. & Lublinens. simul & Cracouiam cum quibusdam ciuitatibus Slesiæ repetebant, quas usq; in illud tempus Boleslaus Crispus tenuit. Facto ergo conuentu ducum sub treugis pacis, satis prudenter, & grauiter disseruit Boleslaus Crispus Monarchiam, & Cracouiam non pertinere ad nepotes eius, duces Slesię, quamuis ipsorum genitor eisdem potitus fuisset: quoniam delectionem in Monarchatum talia sequerentur, non genituram, nec hæreditatem. Ducatus uerò Sandomirieñ. & Lublineñ. duntaxat ad ducem Kazimirum pertinere, qui nondum ullã portionem regni Poloniæ adeptus esset. Duces autem Slesiæ Boleslaus altus, Myeczlaus, & Conradus loripes iamiam potirentur, & in hæreditatem Slesiam assumpserunt. Ciuitates uerò aliquas Slesiæ, se tenere declarauit ad obeunda onera Monarchiæ, & tutelã Slesiæ: propter bonum autem pacis, iuxta decretum mediatorum, resignauit Boleslaus castra, & ciuitates, quas in Slesia tenuit, suis nepotibus, & facta est pax. Ad extremum autem infirmatus Boleslaus Crispus legauit testamentaliter ducatus Mazouię, & Cuyauię filio suo unico Lestkoni. Curatorem uerò eius, & uxoris suæ, adiecit Kazimirum germanum natu minorem, ducẽ Sandomiriensem, & Lublinensem, quòd si ex humanis priùs Lestko raperetur, præfatus dux Kazimirus succederet in principatus Mazouiens. & Cuyauiens. Thesaurum autem, quem habuit, uasa, & clenodia aurea, & argentea inter Lestkonem filium, Kazimirumq; ducem, & suam consortem, ex æquo diuidere iussit. Obijt autem in arce Cracouiensi, pridie Calendas Octobris, anno Domini 1173. Monarchiæ uerò regni Poloniæ, quam administrauit 29 annis. Sepultus in Ecclesia Cracouiensi, in diebus Gedeonis Pontificis Cracouiensis.

Kazimirus surrogatus Henrico.

Boleslai testamentũ et mors

CAP. XXI. LIB. III.

Mieczlaus, seu Mieszko dux maioris Poloniæ, & Pomeraniæ, anno Domini 1155. in Lubus monasterium à se constructum diocœsis Vuratislauiensis introduxit fratres Cisterciensis ordinis, & eidem liberaliter dotauit, oppida, uillas, & prædia pro introitibus. Narrant ueterum relationes Lubus quondam tempore gentilitatis, Polonorum famosum phanum idolorum fuisse. Insuper præfatus dux Mieszko, suasu Ioannis, qui & Ianik Archiepiscopi Gneznens. ex dolatis lapidibus fabricauit Ecclesiam collegiatam sancti Pauli in Kalisz, & dotem conferendo in ipsa instituit Præpositum, & aliquot Canonicos. Eclypsis Solis satis notabilis fuit anno Christi millesimo, centesimo, quinquagesimo octauo. Quam secuta magna fames in Polonia plures mortales absumpsit, & Hierusalem de manibus Christianorum capta est à Soldano Babyloniæ. Fridericus Barbarussa Romanorum Imperator, pro laboribus, & auxilio in expugnatione Mediolani per Vuladislaum ducem Bohemiæ personaliter impensis, anno Christi millesimo, centesimo, quinquagesimo nono, eundem in regem Bohemiæ coronauit. Abrogatis ueteribus insignijs, scilicet aquilã nigra, quam in eam diem ferebant Bohemorum duces, & leonem album noua insignia ei attribuit. Anno Domini 1162. Iaxa de domo Griphonũ, fundauit conuentum in uilla sua Michow, canonicorum regularium ordinis sacri sepulchri Dominici Hierosolymitani, sub regula sancti Augustini militantium, geminam crucem rubram è regione cordis supra uestem gestantium. Dum etenim præfatus magnificus Iaxa pro defensione terræ Sanctæ personaliter cũ suis armigeris in Hierusalem strenuè decertaret, in reditu petijt à Patriarcha Hierosolymitano, cui nomen erat Monachus, ut secum ad minus unum fratrẽ in Poloniam mitteret ad plantandum Canonicos regulares præfati ordinis. Quod cùm obtinuisset, literas concessionis eiusdem Patriarchæ, quæ incipiunt: Monachus diuina patientia, &c. in Miechow detulit, & Ecclesiam lateritiam de consensu Matthęi Episcopi Cracouieñ. construxit, quę postea meis tempestatibus cessit iñ prorã, & partem priorẽ chori, addita & muro extructa denuò altera parte uersus Orientẽ, cum eminẽti totius chori desuper alta muratione: Ecclesiæ siquidẽ corpus iamdudũ præcesserat, & constructũ, plumboq; tectum à fratribus loci fuerat. Sed anno Christi dñi 1506 in die assumptionis Marię noctis sequẽtis, conflagrato toto oppido Miechow, ob detestandã fratrum incuriam nõ protegentiũ, totus conuentus

Monasterium Lubus.

Templum S. Pauli in Kalisz.

Eclypsis.

Hierusalem capta.

Vuladislaus Bohemiæ rex coronatur.

Monasterium in Myechow fundatur.

uentus unà cum Ecclesia, & amplitudine murorum (tegulis latericijs, & plumbo nequequam releuantibus) consumptus, & exustus est, nec est possibile, ut in diebus nostris tam ornata structura cum Ecclesiæ apparatibus, & palatijs ambitus monasterij reædificetur. Contulit autem antedictus Iaxa pro dote conuentui Miechouiensis tres uillas, Komorouu, Zegorzicze, & Miechouu. Quę Miechouu frequentia, & multitudine populi dilatata in oppidum notabile creuit. Aliud cœnobium uirginibus ordinis Præmonstratens. de regula sancti Augustini, idem ipse magnificus Iaxa erexit, & construxit in Zwierzinyecz prope mœnia famatæ urbis Cracouiensis. Et ambobus cœnobijs libertates à Boleslao Crispo, regni Poloniæ Monarcha expediuit, ut eorum subiecti non soluant Poradlne, & Strozne. Castra non ædificent, Pouosz, & Poduodi non dent: Monetario non obediant, ad bella non uadant, & ut à tributis, ac seruitijs, cæterisque oneribus ducalibus in perpetuum liberarentur, quod cernimus posteriores duces, & reges Poloniæ abrogasse, & uiolasse. Cæteros redditus, uillas, & decimas, pro uberiori impinguatione utriusque cœnobij Episcopi, duces, & nobiles temporum successu addiderunt. Nonis Septembris, anno Domini 1169. tres Soles in Occidente apparuerunt: & post duas horas, duobus disparentibus medius, & unicus occidit. Sic & annis proximis tres Lunæ apparuerunt. Anno Domini 1170. Vernerum antistitem Plocensem, de domo Rosarum, uirum deuotione, & sanctitate mirificum, Byeniassius inductione Bolestæ fratris eius, Castellani Visnens. occasione uillæ Karszko, quam idem Bolesta nitebatur pro se, ab Ecclesia Plocensi abstrahere, occidit quarta die Februarij in Biskupicze, uilla episcopali: tertiaque die post occisionem Byeniassius occisor nusquam apparuit. Creditus omnium æstimatione pro carnificio facinore à terra absorptus. Ad relaxandum autem interdictum, quod Petrus Archiepiscopus Gneznensis in totam prouinciam Poloniæ promulgauerat, Boleslaus Crispus dux, & Monarcha Poloniæ, Bolestam captum, tela noua, cera oblita circumuolutum, iudicialiter condemnatum, in medio ciuitatis Gneznensis, tam Episcopis, quàm proceribus Poloniæ inspectantibus ad abolendam diuinam iram pro illato parricidio, incendio grandi consumere, & exurere præcepit. Cœpitque extunc beatus Vernerus in Plocensi Ecclesia sepultus, miraculis clarescere, & inuocantibus in cunctis necessitatibus succurrere. Gedeon Episcopus Cracouiensis, anno Domini 1171. in oppido Kelcze suæ diocœsis quadrato lapide Ecclesiam ædificauit, in honorem beatæ, & gloriosæ uirginis Mariæ dicatam, & in ea quatuor prelaturas instituit, Prępositturam, Decanatum, Custodiam, & Scholastriam: prębendas uerò sex, & uicarios decem, dotem eis de Episcopali mensa in decimis largiendo, ordinauitque, ut singulis diebus horæ Canonicæ deuotè explerentur. Mieszko dux maioris Poloniæ, & Pomeranię fundauit hospitale pauperum in ciuitate Posnaniensi ad Ecclesiam sancti Michaëlis, pridie nonas Maij, anno Domini 1170. & commisit gubernationem eius fratribus hospitalis sancti Ioannis Hierosolimitani, donauitque ei dotem perpetuam, uillas istas, Nithcouui, Glinka, Goszthouuo, Szamoczicuska, Iagodno, Gleyszouo, Czirnyelino, Iarognyuui, cum uniuersis earundem uillarum appendentijs. Rodouuanus uerò Episcopus Posnaniensis in præfatis uillis decimas, nec non decimas in uillis Myleszkouuo, Andrzeowo, Vigonouuo, Vielikye, Zuchbilyecz, Oberzekye, Lipnyecza de mensa sua episcopali dedit, & præfato hospitali in perpetuum inscripsit.

Myechow exaratur. *Monasterium Zwierzyniecz extra Cracouiam.* *Tres soles.* *Tres Lunæ.* *Vernerus Episcopus Plocen. occisus clarus miraculis.* *Iusta compensatio.* *Ecclesia in oppido Kelcze extructa.* *Hospitale Posnaniæ.*

CAPVT XXII. LIB. III.

ANno Domini millesimo, centesimo, quadragesimo septimo, Vuseuoldus dux Kiouiensis duodecima Iulij mortuus est, & Ihor filius eius obtinuit sedem eius. Kiouienses uerò accersiuerunt Isaslaum ducem Pereaslauiensem in Kiow, contra quem Ihor cum fratre suo Suuantoslao egressi, sine dimicatione ambo fugerunt. Isaslaus autem in castrum Kiouiense introiuit, & post quatuor dies Ihor captus, ad Isaslaum adductus est: primùm in Pereaslauu incarceratus, expòst, prout supplicauit, in sacerdotem est tonsus. Inuidia ergo ducti duces Russiæ, Georgius, Olech, Roscislaus, & Suuantoslaus contra Isaslaum insurrexerunt, de sede Kiouiensi eum eijcere uolentes, & instructis copijs congressi sunt, multisque hinc inde cadentibus, Isaslaus ad extremum succubuit, & capta uxore, cum filijs ex Kiouu in Luczko confugit. Dux uerò Georgius in Kiouu sede auita consedit, tandem Isaslaus erogauit donatiuum Boleslao Cracouiæ, & Mazouiæ, Henricoque Sandomiriæ ducibus Germanis, & Hungaris, qui integra hyeme cum suis gentibus commorati apud eum, uidentes ipsum omnia cunctanter, & pauidè agere, tam Poloni, quàm Hungari ab eo discesserunt. Quo cõperto dux Georgius Kiouiensis, cum duobus filijs Roscislao, & Andrea, dux Vieczeslaus, Georgij frater, & cæteri duces auxiliares Isaslaum in Luczko obsederunt. Ipsoque pacem petẽte per Vulodimir-

Vuseuoldi mors. *Ihor captus.* *Isaslai clades. Kiouia capta.* *Luczko obsessum.*

Vlimirkonem ducem Andrea filio Georgij Kiouienſ. pacem dari perſuadente pacem confecerunt, & eam iuramento firmantes, obſidionem ſoluerunt, tamen mortuo Roſcislao Georgij filio duce Pereaslauieñ uoluit Iſaslaus occupare Pereaslauu, & prohibitus tranſire Dniepr per Georgium, & eius auxiliares duces, & Polouuczos, conflixit cum eis in nauibus fluminis Dniepr, uicitq; Iſaslaus, & reuerſus cū Vyeczeslao patruo ſuo Kiouu accepit. Dux uerò Georgius cum filijs, & Polouuczis fugierunt, inſecutusq; Georgium Iſaslaus Kiouienſis dux in Pereaslauu eum coartauit, & obſedit, donec neceſsitate coactus, nouis conditionibus pacem iurando, & de Pereaslauu cædendo effecit. Hungaros autem precio cōductos, Mſcislaus Iſaslai filius, dum in auxilium Iſaslao duceret Vulodimirko dux Halicien. apud Szapuhoin in diluculo omnes tanquā pecora trucidauit, qui ea die inebriati iacebant, tanquam mortui, nec eos Mſcislaus præ ebrietate ſuſcitare ualuit. Iſaslaus ergo contra Vulodimirkonem miſſo filio ſuo Mſcislao Hungaros conduxit, quibus uenientibus eum Stephano Rege eorum, & cum Vulodimirkone pugnantibus, plures de ſuis occiderunt: alios uerò captiuauerunt, & fugiens Vulodimirko recepit ſe in Przemisl. Hunc inſequutus rex Stephanus, obſedit, & ipſum coanguſtiauit, in tantum, ut pacem precaretur: uenienteq; Iſaslao duce Kiouienſ. cum ſuis copijs in exercitum Stephani Regis Hungariæ, pacem abnuebat, quam illi conceſsit rex Stephanus, & in Hungariam diſceſsit. Iſaslaus uerò in Kiouu abijt. Eodem anno dux Georgius cum filijs ſuis cum Roſztouuczis, cum Suſzdalcis, cum Polouuczis, & ducibus de Reſzani, obſedit Czirnieouu, ſed ueniente Iſaslao in auxilium Czirnieouieñ. Polouuczi territi diffugiunt, quos ſequutus dux Georgius diſceſsit in Nouogrod, illic relicto Vaſilkone filio, iuit in Suſzdal. Iſaslaus autem non inueniens Georgium apud Czirnieouu, abijt in Nouogrod, exinde Vaſilkone diſcedente ad patrem in Suſzdal, data petentibus pace reuerſus eſt in Kiouu, & miſit filium ſuum Mſcislaum in Polouuczos, qui eos uaſtauit, magnam prædam pecorum abegit, & tabernacula eorum recepit. Pluresque Chriſtianos ſoluit, & à captiuitate eduxit, reuerſusque eſt cum gloria. Eo tempore Vulodimirko dux Halicienſis mortuus eſt: Iſaslaus autem dux Kiouienſis ueteres hoſtilitates ultum iri cupiens, mouit bellum filio Vulodimirkonis ducis Halicienſ. milites uerò rogauerunt filium Vulodimirkonis, ut diſcederet in Halicz, unicus enim erat, factaque eſt cędes ingens circa flumen Sereth, & tanta inuolutio, ut ſe inuicem non agnoſcerent, & utrique pro uictis abirent. Veniente quoque Iſaslao in Kiouu, mortuus eſt tredecima Nouembris, anno Domini 1158 ſepultus in monaſterio ſancti Theodori, & ſedem ipſius Kiouienſis Roſcislaus dux de Smolensko accepit, isque aſſumpto ſecum Suuatoslaukone, Vuſeuoldouicz, & Mſcislao Iſaslauicz tranſit uerſus Czirnieouu contra Iſaslaum Dauidouicz. Iſaslaus uerò Dauidouicz miſit pro Hleb Georgij, qui uenit in eius ſubſidium cum Polouuczis, quorum multitudinem Roſcislaus conſpicatus territus eſt, mittensq; ad Iſaslaum Dauidouicz, ſibi Kiow pro ſe, & pro Mſcislao nepote Pereaslauu contulit. Hoc audiens Mſcislaus indignatus receſsit è campo cum ſua militia, quod uidentes alij omnes fugierunt, & perſecuti ſunt eos Polouuczi, plures occidendo, alios captiuando, patrandoque plurima mala circa Pereaslauu, & Eccleſias atque uillas comburendo: poſt hæc Georgius uenit uerſus Kiouu, & interpoſitis colloquijs, ceſsit ei Iſaslaus de Kiouu, quam poſſederat, ex reſignatione Roſcislai. Sedit itaque dux Georgius in Kiouu ſede auita, & diuiſit regiones inter filios: Andreæ dedit Viſſehrod, Borziſz Thurouu, Hleb Pereaslauu, & Vaſilkoni Porſzi. Non cōtentusq; Georgius, quod Mſciſlaus Iſaslai filius fuerit pulſus de Pereaslaw, miſit contra eum exercitū ualidū, in Przeſodnycza ſe continentem, qui re hoſtili actus, imparem ſe uidēs futuræ dimicationi, fugit in Luczko, & exinde in Poloniam ad duces Boleslaum, Mieczlaum, & Henricum, qui congregatis dominiorum ſuorum potentijs, hoſtiliter uerſus Ruſsiam procedebant, uolentes Mſcislaum non tantùm in Pereaslauu, ſed & in ſedem Kiouienſem reſtituere. Dux autem Georgius Kiouienſis ueritus Polonorum potentiam, per ſuffragium Roſcislai ducis Przemislienſis pacificatur cum duce Mſcislao, & ſuis germanis Vulodimiro, & Iaroslao, filijs Iſaslai, & tam ducatum Pereaslauienſ. quàm cætera omnia, quæ ad eos pertinebant, eis reſtituit, iureiurando ſe aſtringens, nunquam ad occupationem eorum dominiorum aſpirare. Sed poſtea non ſeruato iuramento, ducem Mſcislaum in caſtro Vuladimirienſi obſidione cinxit: fiebatque grandis occiſio inter obſeſſos, & obſidentes. Polonis, qui in obſequio ducis Mſcislai fuerunt, uarias cædes in nobilibus ducis Georgij edentibus, in tantum ut Georgius pluribus de ſuis amiſsis, confuſus in Kiouu redijt: illicoq; morbo correptus interijt, in Eccleſia ſancti Saluatoris apud Bereſtouu tumulatus, anno Dñi milleſimo, cēteſimo, ſexageſimo quarto, quindecima menſis Maij. Cui ſucceſsit dux Iſaslaus Dauidouicz. Hunc in hyeme Mſcislaus Iſaslauicz è Kiow expulit, illicoq;

ſedem

Iſaslai in naualis uictoria.

Georgij ducis fuga.

Hungari trucidati.

Hungari ultionē ex Vulodimirkone acceperunt.

Regis Stephani pax.

Vulodimirkonis mors.

Iſaslai mors.

Georgius accepit Kiouu.

Georgij mors.

Iſaslaus Dauidouicz.

sedem Kiouiens. fastidiens, eam tempore Veris Roscislao patruo suo duci Smolnens. resignauit. Sed ille ducatum Kiouień. perosus, cesșit duci Vulodimiro Msciffauicz, quem (indignatione motus) iterum Mscislaus Isaslauicz dux Vulodimirień. eiecit, & Kiouu possedit. Quod Andreas dux de Szuszdala non ferens, misit filium suum Mscislaum cum Rostouuczis, & Vulodimircis. Affueruntq; ei auxiliares nouē duces Russiæ, Hleb Pereaslauień. Romanus Smolneń. Dauid Visschrodeń. Vulodimir Andreouicz, Demetrius Georgij, Georgius & Slauiecz germani, Olech & Gregorius Suuantoslauiczy. Hi obsederunt in Kiouu ducem Mscislaum Isaslauicz, qui famem non ferens in Vulodimiriam effugit. Duces uerò arce potiti, uxorem, & filium Mscislai captiuant; ciuitatem Kiouień. in prædam militibus dant, sed ciuitate non contenti, sacras ædes, & monasteria diripuerunt: locat tandem Mscislaus Andreouicz in Kiouu suum patruum Hleb, quo post lapsum duorum annorum mortuo, Romanus Smolneń. dux, in eius locū substitutus est, processu autem temporis, Ioroslaus Iaroslauicz eo exploso, ipsemet Kiouiensem sedem possedit.

Mscislaus dux.
Andreas dux.
Nouem duces Prussiæ.
Kiouia militibus in prædā data.
Romanus Russiæ dux.

CAP. XXIII. LIB. III.

Migrato autem ex hoc sæculo Boleslao Crispo, Principes, Myeczlaus maioris Poloniæ, & Pomeraniæ, Kazimirus Sandomiriæ, Boleslaus altus, Myeczlaus, & Conradus Slesiæ duces, Cracouiam conuenēre: deq; omnium prælatorum, & Baronum consensu Myeczlaum, maioris Poloniæ, & Pomeraniæ ducem, in Monarcham delegerunt, atque Cracouiens. arcem, cum tota prouincia suæ ditioni præstiterunt, quanquam Cracouień. Kazimirum, ducem Sandomirień. in Monarcham euehere nitebantur, non tamen eorū destinatui satisfacere poterant. Moxque post electionem, spei electorum regimen Mieczlai senis non respondit: nam tyrannide, exactionibus, & iniquis calumnijs subditos opprimere, pro unaqúe damula, & dorca occisa, tam ingenuos, quàm agrestes pœnis afficere, eorumqúe substantiam confiscare, aut per ducis ministeria distrahere cœpit. Ex magna quoque opum affluentia, & copiosa prole in fastum deductus est. Habuit siquidem filios quinque, Otthonem scilicet, & Stephanum, ex filia Regis Hungariæ, Boleslaum, Myeczlaum, & Vuladislaum ex consobrina Imperatoris Friderici. Ex filiarum quoque locatione in matrimonia, & affinitate nacta, clarior euaserat: Sobeslao enim duci Bohemiæ unam, duci Saxoniæ alteram, Friderico duci Lotharingiæ tertiam, Boguslao duci maritimæ orę, & eius filio Boguslao quartam & quintam, Otthoni Halicień. ducis filio, Boleslao duci Pomeraniæ, & Vuladislao duci Rugiæ filias, in consortes collocauerat. Cumq; oppressorum uociferatio, & gemitus per singulos ordines indies augeretur Gedeon, qui & Getka antistes Cracouiens. oppressorum habens rationem, & curam, exclusis arbitris humaniter, & paternè hortari atque precari cœpit, quatenus princeps Myesko à detestabili tyrannide desisteret, exactiones, euectionesq; (in uulgari Polonico Podwody nuncupatæ) rescinderet, officialesqúe, & reliquos præsides à confiscatione, & truculentia prohiberet. Quum autem eius benignis adhortationibus haudquaquam locum daret, quandam matronam habitu lugubri, ac uultu mœsto, principe consilia cum primoribus regni tractante summisit. Quæ lamentando alta uoce proposuit: Habui (inquit) illustrissime Princeps, copiosum balantum gregem, illumq; conductis istis mercenarijs ad custodiendum, & ad caulas reducendum tradidi. Et heu me miseram eorum incuria, & negligentia, totus grex luporum morsibus deperijt. Itaque nisi tu ancillæ tuæ suffragium tuleris tam præcipiti damno pessundatæ, misera necesse est, & orba consumar, tum mercenarij Filius huius matronæ inquiunt suis rabidis canibus nostras uigilias, ô Princeps serenissime, peruicit, ut turba canum irruente, & gregem lacerante nihil adiutorij præstare quiuimus. At filius, non inquit clarissime Princeps oues, sed lupos, canibus solutis diuerso itinere insectatus sum, & pars canum reuersa in oues insilijt. Non in me ergo culpa, qui lupos abegi, contorquenda est, sed in mercenarios credidi gregis desertores. Tulit itaque sententiam princeps Myeczlaus consiliariorum approbatione, ut filius (qui uerius priuignus dici poterat) quoniam damni occasionem præbuisse uidebatur, damnum lueret, ac genitrici solutionem refunderet. Tum Gedeon Cracouień. Pontifex assurgens: Tu, ô Princeps, ille es filius, qui matri suæ Poloniæ prouinciæ ad instar priuigni, truculentos tuorum officialium canes immisisti, calamitosas regni Poloniæ ouiculas te nequicquā prohibente, immaniter trucidantes: proprio igitur damnatus iudicio cōsurge, & fœdā auaritiam animo excutias, nimiamq; habēdi auiditatē posthabeto, ac misero gregi iamiā perituro consule. Dux autē Polonię Myesko senex, eam Pontificis admonitionē iniquo ferēs animo, prosilijt, ac è medio consiliariorū suorum pręsentiā subtraxit, pręsulē Gedeonem in exiliū pulsu-

Mieczlai tyrannis.
Iuridica actio.
Sententia lata ad simile.

pulsurum comminando. Reliquos autem Barones, & consiliarios ad necem, aut membrorum mutilationem cum bonorum confiscatione destinaturum.

CAPVT XXIIII. LIB. III.

Deiecti autem animo ac territi, Gedeon Episcopus, & proceres Cracouień. clàm consilium capiunt, & Kazimirum ducem Sandomirień. sine mora accedendum, & precandum, & adducendum arbitrantur, ut sua liberalitate, iusticia, fortitudine, & temperantia lapsæ Reipubl. succurreret. Quem repugnantem, ac aduersus fratrem Myeskonem senem nil agere uolentem, amplissimis persuasionibus, & precibus deuicerunt, ad Reipubl. quoq; tuitionem, & sustentationem plus, quàm fraternam auscultationem animarunt. Et è Sandomiria Cracouiam nobilibus, & agrestibus cateruatim occurrentibus induxerunt, præ animorum lætitia uociferantes: Benedictus, qui uenit in nomine Domini liberator. Myeczlaus uerò iisdem tempestatibus à Cracouia in maiorem Poloniam, & Pomeraniam secesserat: hinc arx Cracouień. cæteraq; castra, & munitiones absque difficultate, & sponte in Kazimiri deditionem uenerunt. Audita itaque sua eiectione Myeczlaus à monarchatu, arma sumpsit, mittensq; ad generos, à quibus & militaria deposcebat auxilia, Kazimirum de supplantatione Monarchiæ incusabat. Sobeslaus uerò Bohemiæ dux, proprio bello cum Friderico suo fratre sese implicatum respondit: Saxoniæ autem, & Lotharingiæ duces, Imperatori suam in Italiam misisse militiam, aliamq; Imperatoris iussu pro recuperatione terræ sanctæ parandam renunciarunt, cæterisq; affinibus fermè in eundem modum socero se excusantibus. Myeczlao insperatus accidit casus, Ottho nanque eius filius ex primo coniugio natu maior, facta cum quibusdam maioris Poloniæ militibus conspiratione, castra paterna in maiori Polonia occupando, se cum tota prouincia ditioni Kazimiri ducis subiecit, à quo Kazimirus per castrum in ciuitatē Gnezneń. nil recepit: causa autē surreptionis castrorum ab Otthone, deputatio melioris sortis filijs secundi matrimonij fuit, ipso prioris matrimonij filio obmisso. Defectionem maioris Poloniæ, sequuta est Pomerania ulterior, & citerior, ac in Kazimiri obedientiam deuenêre. Est autem ulterior Pomerania, quam Slupsko Poloni uocant: cui dux Kazimirus Boguslaum nobilem, de domo, & genere Griphonum præfecit. Citerior uerò Pomerania est, cuius metropolis Gedanum nuncupatur, cui Samborium, Izironis Mazouiæ comitis filium præfecit. Hi temporis lapsu prædictarum prouinciarum principatum sibi usurparunt. Erat etiam sub ditione, & regimine ducis Kazimiri, Lestko filius ducis Boleslai Crispi, quem cum suis Mazouia, & Cuyauia prouincijs Izironi Comiti grandæuo, & prudenti commiserat gubernandum. Insuper Slesiam ad suam obedientiam, concordatis fratribus reduxit. Myeczlaus siquidem minor natu Boleslaum altum natu maiorem ex Vratislauień. ducatu depulerat. De quo Myeczlaum cedere iubens, duos districtus à Cracouień. prouincia abstractos eidem in recompensam largitus est, Bitomień. scilicet, & Oswancimeń. Ex tunc Boleslai Krziuousti Oraculum uerificatum est, quo moriens prædixerat infanti Kazimiro, quadrigam tetrarcharum concursuram. Super hæc attamen dux Kazimirus anno Domini 1179. prouincias Russiæ Brestens. Vuladimirień. Droycens. & Przemisliens. adeptus est, quarum castris conquisitis, ipsas prouincias per se administrabat: factoque apud Lanciciam conuentu, in quo omnes exactiones, iniusta tributa per Myeskonem suum fratrem constituta pro sua industria, & magna solertia rescidit. Calumniatores nonnullos proscripsit, alios igne, & cauterio notaunt, deprauatas consuetudines in regno Poloniæ exortas abstulit, & remouit, præsertim ne annonam, & uictualia nobiles agrestibus non solùm non caperent, uerumetiam nec fœnum, paleamque uiolenter afferrent, ne uillanorum caballos raperent, neque longa itinerum intercapedine, per se aut suos satellites, ipsorum equos defatigando eneruarent, uel in loca distantiora abducerent. Episcoporum quoque bona tam mobilia, quàm immobilia ne diriperent: & ne tales consuetudines in posterum ab aliquo innouarentur, placuit omnes transgressores horrendo anathemate innodare. Sdzislaus itaq; Gneznen. Archiepiscopus, cum cęteris Poloniæ Episcopis, omnibus pontificalibus indutis, Gedeone Cracouień. Ziroslao Vuratislauień. Onolpho Cuyauień. Cherubin Posnanień. Lupo Ploceń. Conrado Kamianeń Gaudentio Lubucień. astante Kazimiro Monarcha, & tribus principibus Otthone Posnanień. Boleslao Vratislauień. Leskone Mazouień. & Baronum multitudine in hunc modum pronunciauit. Qui agrestium annonam, aut res quascunq; ui, aut quouis alio pacto tulerit, aut auferri iusserit, anathema sit. Qui legationis aut necessitatis publicæ, uel priuatæ occasione, præterquā ad denunciandum hostium in patriam imminentem insultū, cuiuspiam quadrupedē, & iumentū, in angariam uulgò Padwodaticam acceperit, uel accipi iusserit, anathe-

Kazimirus assumptus.

Ottho à patre defecit.

Pomerania ulterior.

Polonia citerior.

Kazimirus prouincijs Russiæ potitus.

Kazimiri iusticia.

Decreta Kazimiri.

Sdzislaus Archiepiscopus Gneznens.

anathema sit. Qui bona Pontificum, aut Ecclesiasticarũ personarum decedentium rapuerit, occupauerit, distraxerit, etiamsi persona sit illustris, & regali, ducali, aut quacunque alia præfulgeat dignitate, anathema sit. Qui Episcopum spoliatores (restitutione non habita) acceptauerit, & raptorum, aut distractorum relaxationem raptoribus (satisfactione legitima non præcedente) impenderit, ueluti sacrilegij particeps, & consentaneus; & qui ambitioni suæ, & commodis inhiando sacrilegio actionem præstiterit, anathema sit. Et responsum est à ducibus, & uniuerso populo, Amen. Ad confirmandum autem, & perpetuandum præfatas constitutiones, simul & obtinendum reliquias alicuius sancti pro decoranda Ecclesia Cracouiens. Dux Kazimirus ex utroque statu nuncios ad summum Pontificem Alexandrum tertium misit, qui Kazimiri constitutiones tanquam iustas, & approbatione dignas laudauit, & confirmauit, legatos de dando sacro corpore bene sperare iubens. Confirmationis rescriptum in Ecclesia Cracouieñ. habetur, cuius Exordium est: Alexander Episcopus, seruus seruorum Dei, dilecto filio, nobili uiro Kazimiro, duci Poloniæ salutem, & Apostolicam benedictionem: ex parte tuæ magnitudinis, &c. Finis. Datum Thuscula, quinto Calendas Aprilis: corpus uerò sancti cuiuspiam non præbuit, quoniam morte præuentus è uita sublatus est.

Legati Romã missi.

CAPVT XXV. LIB. III.

Legati alij Romam. Opinio aliorũ

SVmmisit itaque Kazimirus Poloniæ Monarcha legatos alios ad Lucium Papam tertium, Alexandri tertij successorem pro corpore alicuius sancti promisso impetrando. Habet alia historia, quòd Gedeon Cracouiens. præsul, uulgariter Gedka nuncupatus à præfato Lucio Papa tertio, ueteri sodalitate in studio Patauano motus, suæ Ecclesiæ Cracouiens. quoduis corpus sanctum donandum poposcit. Cumq; Papa annuisset, sacrarium quoddam (ut ueteres nostri referunt in Ecclesia, scilicet Laurentij extra muros Romanos situm) aperire iussit, tactoq; corpore, & ossibus beati martyris Laurentij, percunctatus est, an Deo propitiante Poloniam migrare uelit; illicò autem faciem auertit, sese Poloniam nequaquam abducendum insinuans. Idem egit corpus sancti Stephani Prothomartyris. Dubitante igitur Papa, & astantibus Polonis perturbatis, Sanctus Florianus in proximo his requiescens, manu extensa, proficiscendi in Poloniam indicium dedit, quo cum maximo solatio, & animi gratitudinẽ secretè assumpto, dirigente Aegidio Episcopo Mutinensi Commissario domini Papæ, in Poloniam anno Domini 1184. deuenerunt. Cumq; dux Kazimirus, præsul Gedeon, omniumq; aliarum conditionum homines summis habitis honoribus, obuiam irent, sacrum corpus diui Floriani in loco, ubi nunc eiusdem beatissimi martyris, à parte Septentrionis urbis Cracouiens. stat basilica, uulgariter Cleparz postea & nũc appellato, substitit. Et accepto respõso, quòd illic sanctus Dei habitaculũ, & urbem eius gentem à Septẽtrionalibus inuasoribus protecturus delegerit: à Meridionali uerò plaga alterũ patronum, & protectorem uenturum quum prædixerit: Dux Kazimirus, & Pontifex Gedeon pulchram Basilicam in eodem loco, in honorem sancti Floriani ędificarunt, & brachio ipsius sancti, præfatæ Ecclesiæ relicto, totum corpus in Ecclesiam cathedralem Cracouiensem intulerunt, ac in medio Ecclesiæ, in tumba marmorea, polita, & alta collocarunt. Temporum uerò lapsu, Kazimirus dux, & Gedeon Pontifex, in beati martyris Ecclesia, collegium prælatorum, & Canonicorum, condonatis certis uillis, & decimis fundarunt, præposituram ex prouentibus parochialis Ecclesiæ in Skalka erigendo. Iste est beatissimus martyr Florianus, officio princeps militię, qui cùm percepisset de suis quadraginta milites (quos Aquilino præfecto in Lauriacum Noricum, & est castrum in Bauaria, iussu Diocletiani Cęsaris miserat) pro fide Christi tentos, & in carcerem missos, ad suos se in Lauriacum iturum, & quæq; dura pro Christo passurum retulit. Excedens itaq; de ciuitate, ubi commorabatur Ticia, Lauriacum Ripense in Norico applicuit, & tanquam Christianus, præsidi Aquilino per commilitones oblatus. Primùm bis durè cæsus est fustibus: deinde præacutis sudibus secundùm scapulas transfossus, tandem in carcerem deiectus, ad extremum sententia condemnatus, de ponte, cum saxo ad collum alligato, in Anesum fluuium pręcipitatus est quarto nonas Maij: sursumq; aduersus aquæ fluxum, fluuio undis exuberante delatus, in quodam saxo expositus, & ab aquila alis in modum crucis expansis custoditus atq; protectus est, donec à Valeria matrona Deo deuota, ipsomet beato Floriano reuelante, & uolente occultè abductus, & sepultus est. Noricum dixerunt ueteres, quam recentiores Bauariam appellant, à Boys gentibus Insubriæ, seu Lombardiæ illic delatis, ut Aeneæ Senensi de Picolominibus placet: uel ab auaris, id est, Hungaris B. litera ad caput dictionis apposita, ut Blondus asserit, in eam oram delatis. Priùs itaq; Noricum ex pòst Boiaria, nunc uerò Bauaria uocitata, Germanię prouincia, in qua sanctus Florianus martyrium pertulit.

Ex Oraculo diuus Florianus in Poloniam uenit.

S. Florianus Cracouiam allatus.

S. Floriani tẽplum erectum.

Per sanctoris delibatio uitæ S. Floriani.

CAPVT

CAPVT XXVI. LIB. III.

EXcluſus autem Myeszko ſenex à ſuo principatu, dux maioris Poloniç & Pomeraniæ, in Ratiboriam Sleſiæ ſe contulit, illicq; cum uxore, & tribus filijs ſub magna rerum penuria uitam peragens, tum per nũcios, tum per epiſtolas precatur & obſecrat, quatenus dux Kazimirus in ducatus ipſius eum reſtituat. Nonq; eam charitatem, qua à teneris annis eum amplexatus fuerit, ac in uirum uſq; fouerit obliteratione deperire permittat. Si quoque capitis ſui, canis reſperſi capillis rationem habere noluerit uxoris attamen, ſuæ gloris, & nepotum, ob euitationem dedecoris, & grandis ludibrij ſuę toti proſapiæ eo facto imminẽtis obliuiſci non dedignaretur. Motus itaq; Kazimirus miſericordia, hæreditatem illi reddere, & ſe principatu monarchiæ abdicare uoluit. Conſiliarij autem eius & Barones animis conſternati, quamprimum in murmur, & diſcrimen irruerunt, quòd ſi de Myeczlao præconceptam non immutaret ſententiam, omnes de uita, & rebus eorum aliter proſpicere uelint, hac itaq; Baronum, & conſiliariorum obiectione deterritus, ſuper reuocatione fratris Mieczlai ſententiam ſe immutaturum, & abrogaturum ſuis conſiliarijs eſt pollicitus. Mieczlaus his cognitis, atq; à Friderico imperatore, ad quem ſe contulerat, nullis reportatis auxilijs, recepto à Mſczugio cui filiam locauerat, maritimæ oræ principe, auxilio, Kazimiro inſuper clam fauente, & rei conſcio (quoniam fraternitatis ardebat amore) caſtrum Gneznenſe intercœpit: Ex quo facilè omnes cæteras munitiones conquirit, filiuſq; eius Otha, perſuaſione communium amicorum reconciliatus, ad patris obedientiam redijt. Breui itaq; tempore Mieſzko ſuum ducatum integrè recuperauit, nec eo contentus, ad repetendã monarchiam aſpirare cœpit, & Leſzkonẽ Mazouiæ ac Cuyauiæ ducem, ſuum nepotem, à Boleslao Criſpo, Kazimiri ducis curæ commiſſum: quoniam ægritudine indies debilior redderetur, ad ſe cum ducatibus eius allexit ac uafricijs attraxit, ut eo moriente, ſuis poſſeſsionibus potiretur. Qui cognita ſua culpa Cracouiam ad ducem Kazimirum ipſius patruum, una cum Zira Comite, ſuo directore redijt. Proſtratus igitur & ualitudinarius, gratiam & tutoriam, quemadmodum ſupplicauerat, promeruit ac reportauit. Nouiſsimè autem de uita migrans Mazouiam, & Cuyauiam Kazimiro commendauit. Dux autem Kazimirus, defectione ciuitatis, & prouinciæ Brzeſcze, ſupra flumen Bugſitæ, percepta, celerrimo gradu cum militum copijs perueniens, eam in duodecim dierum ſpacio cœpit, ac defectionis auctores interitu extinxit. Exinde ad Halicz progreſſus Mſcislaum affinem ſuum, uel ut alia hiſtoria refert, ſuę ſororis filium, quem fratres Spurgij nomine ei impoſito eiecerant reduxit. Cõtra quem Vvſeuoldus Belzeñ. & Vvladimirus Haliciẽ. duces germani Mcislai, cum omnis Ruſsię principibus, & Boiariorum multitudine ſuperuenientes, ſignis canere iuſsis conflixerunt, ac multi à paucis ſuperati ſunt, fugitq; Vvſeuoldus in Belſz, & Vvladimirus ad Belam regẽ Hungariæ. Caſtrum igitur & oppidum Halicz Kazimiro uictori illico deditum eſt. Qui illud Mſcislao affini ſuo per prius ſacramento adacto, quòd nunquam Polonos in aduerſis desereret, reſtituit: ipſe uerò in Poloniam reuerſus eſt. Triennio autẽ uix peracto Mcislaum ducem Haliciẽ. Rutheni ueneno extinxerunt, pro Vvladimiro in Hungariam celeriter mittentes, ut ueniat et principatum repetat. Vvladimirus eo nuncio lętus, dum rem ad Belam Hungariæ regem defert, & ſubſidia militum, equorum ac ſumptuum expoſtulans, quibus Kazimiro duci Polonię, & Romano duci Vvladimirię ad Haliciam per eum ſubſtituto repugnaret, capitur & in uincula conijcitur. Andreas uerò Belæ filius, cum copijs ut Halicz occuparet, quam celerrimè mittitur, qui Vvladimirum ſe pręceſsiſſe fingẽs, in caſtrum admiſſus, ipſum occupauit, & totam Halicienſem prouinciam, in ſuam poteſtatem redegit. Vvladimirus autem uinculorum moleſtias, apud regem Belam propè biennium perpeſſus, corruptis cuſtodibus euaſit, & collecta ad ipſum manu, raptu uiuere aſſueta, regiones Ruſſorum perturbabãt, ac Premisliam, quę ſub iugo Kazimiri ducis Poloniæ fuit, anno Chriſti 1187, meſsis tempore circa feſtum aſſumptionis Mariæ afflixit, & multos ex ea captiuos educens uendidit. Verum quum nõ haberet ubi tutè reclinaret frequentibus legationibus, & nuncijs ad Kazimirum ducem miſsis ſibi parſum iride irrogatis iniurijs obtinuit, & ad Kazimiri principis præſentiam admiſſus humi proſtratus meruit, ut præfatus dux Poloniæ, abolita eius culpa, etiam Nicolaum Palatinum Cracouieñ. militiæ principem, cum frequenti exercitu mitteret, ipſum in Haliciẽ. ducatum reſtituendum. Quanquam aũt pleriſq; minus credibile uidebatur, ſub Bela rege Hungariæ, & Andrea eius filio recuperare Haliciã, tulit tamen fortuna, ut Nicolao Palatino Cracouieñ.

Myeſzko reſtitutionem quærit.

Mieſzko rebus ſuis potitur.

Kazimiri in ruſſia uictoris.

Mſcislaus reſtitutus.

Vvladimirus uinculis uinctus.

Andreas Belæ regis Hungariæ filius. Halicz occupat.

Vvladimirus ſolutus.

Vvladimirus Kazimiro reconciliatus.

G

Vvladimiri restitutio in Halicz.

eñ. obsessa Halicia uictualia deficerent. Petentibus itaq; castrensibus saluis rebus dimitti, cum suis omnibus in Hungariam excesserunt. Vvladimirus autem in Halicz eo pacto locatus est, ut principi Kazimiro, et posteris eius syncerus semper, & subiectus maneret. Orta est ex inde, inter Belam regem hungariæ, & Kazimirum ducem Poloniæ, grandis procella, & dissensionum turbo, intulitq; rex Hungariæ damna Polonis Hungariæ finitimis. Dux quoq; Kazimirus haud impiger Hungariam inuadens, idētidem quęq; reperire potuit abegit, locatisq; in plerisq; locis præsidijs, confinia Hungariæ tutatus est. Aegrè tamē, & cum incusationibus (quòd pro homine indigno et nulli partium fido, Vvladimiro principe bella cum Hungaris agerent) militiam Poloni obibant. Tandem per communes regnorum Barones treugas pacis per triēnium acceptarunt, donec Hungari & Poloni temporis successu solidam firmarent pacem. Accidit autem Kazimiro duce, & monarcha Poloniæ in Rusia agente, & compositionem inter duces Romanum Vvladimiriæ, & Vvseuoldum Belzeñ. tractante, septuaginta principales Barones contra Kazimirum conspirarūt, & ut faciliùs rem aggrederentur diuulgarunt eum Rusiæ ueneno interijsse, mittentesq;, aduocarunt Myeskonem senem, suapte cupiditate ad inuadendum monarchiam procliuem. Quo aduentante urbs Cracouia, & omnia proximiora & circumiacentia castra ei sunt tradita, præter castrū Cracouieñ. quod Fulco Cracouieñ. Episcopus, cum suo germano Nicolao Palatino Cracouieñ. de armis uulpium pro Kazimiro conseruauerat. Myesko uerò ex blancatis asseribus, & durissimis roboribus munitionē in Cracouia contra arcem Cracouieñ. erexit: Et audito quòd Kazimirus cum Rusiæ ducibus Vvseuoldo Belzeñ. & Romano Vvladimirieñ. Cracouiam ꝑperaret, in erectū castrū, forti imposita præsidio, & filio suo Boleslao, ac Henrico Kethlick milite, relicto, pro supplemēto nouorum militum colligendo, in maiorem Poloniam discessit. Verumenimuerò Kazimiro adueniente, Cracouieñ. ei suam ciuitatē aperiunt, ad ipsumq; omnes redeunt, in breuiq; nouam munitionē die, noctuq; expugnādo adeptus est, ac eam incendit, per pacta ut liberi, & salui discederēt. Non solùm autem liberos, sed tam Boleslaum ducem, qui se fidei Kazimiri patrui sui comiserat, quam Barones Myeskonis, plurimis donis onustando dimisit. Quo factum est, ut Myesko senex cum fratre suo Kazimiro duce pacem per mediatorem Petrum Archiepiscopum Gnezneñ. renouauit, & synceriter composuit. Henricus uerò Kethlicz omnis fratrum dissensionis fons & occasio, ad ecclesiam maiorem castri cōfugerat, Ruthenisq; ad diripiendam supellectilem ecclesiæ irrumpentibus, et Kazimiro sacerdotum clamoribus pro defensione aduocato, expilationemq; compescente, ex Cripta in qua latuit in permixtum uulgus, tanquam ignotus egressus, deq; castro fugere nitens, captus, ac alapis cæsus & ad ducem Kazimirum adductus est: Romanoq; duci in perpetuam captiuitatem traditus, Rusiam abducendus, ne inter fratres dissensionum foret seminarium.

Polonorum et Hungarorum dissensio.

Treuga.

Noua seditio.

Mietko Cracouia potitur.

Henricus Kethlicz uinctus.

Præterea Kazimirus Poloniæ monarcha, mortem Henrici sui germani ulcisci uolēs, & Prutenos in iugum mittere, anno Domini 1192. Prusiam cum omnium terrarum suarū copijs ingressus est. Cum principibus, Boleslao Posnanieñ. quem loco sui Mieczlaus senex pater eius misit, Boleslao alto Vvratislauieñ. & Mieczlao Rathiborieñ. filijs olim Vvladislai, qui personaliter in Prusiam descenderunt. Et magna cautela adhibita per Kazimirum, suosq; officiales, ne dēsissima opacitate syluarum, & limosarū uoraginum perpetua bituminositate gentes Polonorum, uelut temporibus superioribus circumuenirentur, longè lateq; uastationem extendendo, habitacula & domicilia conflagrando, & utriusq; sexus homines puberes, & impuberes trucidādo, quibus maiores Prutenorum ad se uenire impulit, qui ad pedes eius in terram prolapsi, ut eorum reliquias non annihilaret, misericordiā deprecati sunt. Kazimirus uerò, acceptis retentis tributis, receptisq; captiuis, receptis & centum obsidibus, cum Prutenorum perpetuo homagio in Poloniam fœlix remeauit. Et anno sequenti pacem cœptam integram confecit, cum Bela rege Hungariæ personaliter in antiqua uilla cōueniendo, quæ prius attentata, & præsignata fuit per medium Fulconis antistitis Cracouiensis, & germani ipsius Nicolai Palatini Cracouieñ. Ex Hungaris uerò per Archiepiscopum Strigonieñ. cum Episcopo Agrieñ. & palatino Hungariæ, conclusumq; fuit ut rex Bela amplissimo regno Hungariæ contentaretur, Rusia ad regnum Poloniæ spectante.

Expeditio Kazimiri in Prussiam.

Pruteni Homagia & tributa soluere coacti.

Pax cum Hungaris firmata.

Anno autem Domini 1194. in die sancti Floriani patroni ex more antiquo in urbe Cracouiensi dux Kazimirus hostias obtulit, & miserabiles personas munificè pauit. In crastino uerò quæ est dies. S. Gothardi pontificibus, & regni proceribus mensam opiparè struxit, omni-

omnibusq; epulantibus, & lætantibus, dum quæstiones de immortalitate animæ Kazimirus dux pontificibus scrupulosas proponeret, modico poculo hausto, subito relapsus corruit, & pauló pôst expirauit. Incertum morbo ne, an ueneno (quod mulier quædam ut fertur de Cracouia ad Venerem ipsum inflammando propinauit) extinctus occubuerit. Depôst quarto die in latere chori ecclesiæ Cracouień. in monumento murato iusto honore, tanquam desideratus instaurator patriæ tumulatus est.

Kazimiri interitus.

CAPVT XXVII. LIB. III.

Boleslaus altus dux Vvratislauień. anno Domini 1175. prima die Maij, exclusis de monasterio Lubus monachis ordinis sancti Benedicti per regem Kazimirum ex Cluniaco introductis, locauit fratres Cistercień. ordinis, ex monasterio Portuensi sumptos: supra fluuium Szola situato, cum consensu Ziroslai Episcopi Vvratislauiensis, & Mieczlai senis monarchæ regni Poloniæ sui patrui. Cum consensu quoq; germanorum suorum Myeczlai & Conradi Rathiboricsis, & Glogouień. ducũ, et filiorum suorum. Ferunt hos fratres in Poloniam importasse genus pomorum Dapornutr cupatorum, quasi de porta Albatorum. Fuit autem primus Abbas Cistercień. ordinis in præfato monasterio translato Florentius, anno Domini 1176. quarto Idus Augusti, cœnobium in Suleyovv ordinis Cistercień. fundauit dux Kazimirus Sandomirień. supra flumen Pilcza in prædio Ruslai comitis, qui Christum reliquit hæredem, quia liberis caruit, donauitq; præfato monasterio dux Kazimirus uillas Suleyovv, Strzelcze, Cãpa, Puczonovv, Myanovv, Dambrovva, Baldrzyczovv, montẽ Bucitiam, Sczepanovv, Piotrovv, Chẽnaz, Thanyovv tredecim plaustratas salis ex Sãdomiriẽsi teloneo: Et itẽ alueũ salis in Cracouia, nouẽ quoq; castores de Camera ducali. Petrus uerò archiepiscopus Gneznẽsis ad petitionem ducis Kazimiri de mensa Archiepiscopi, contulit eidem monasterio, manipulares decimas in Sulykovv, Lanczno, Belam Mileovv, Stapm, Stibor, Domczelan. Incorporauit eidem cœnobio ecclesiam in Bubzykovv cum decimis Standovv, Chennã, & Pasturovv. Samborius Pomeraniæ dux monasterium ordinis Cistercień. in Oliua ducali uilla sua Vvladislauień. diocœsis anno Domini 1178. quindecimo Kalendas Aprilis fundauit, & ei pro dote uillas septem Oliuam, Szalkovvicze, Stanovve, Sterczovv, Glãbouy, Graprczouy, & Szinczincze præstitit. Assignauit & decimam teloneorum, piscationum, prædiorum atq; pecorum.

Cisterciensis ordo in monasterium Lubens introductus.

Monasterium in Suleyow fundatur.

Eiusdem monasterij dotatio.

Monasterium in Oliua fundatur.

Anno salutis septuagesimo nono supra millesimum centesimum Gedeon Episcopus Cracouień. fundauit monasterium in Vanchoczko ordinis Cistercień. supra fluuium Camyona. Et donauit ei de bonis episcopatus Cracouień. plures decimas. Ecclesiam quoq; construxit de quadro lapide, quam postea in honorem sancti Floriani cõsecrauit. Eodem anno 1179. Vitus de Chotel, ex districtu Sandomirień. de domo Ianyna, episcopus Plocẽn. creatus est, qui tria monasteria ordinis Premonstrateń. scilicet, in Ploczko, in Vitovv, & in Buszko fundauit.

Monasterium in Vanchoczko fundauit.

Monasteria fundantur in Ploczko, in Vitow, in Buszko.

Anno Christi octuagesimo quinto supra millesimũ centesimum, Kazimirus dux Poloniæ fundauit monasterium Coprzivvnicze nse Cracouiensis diocœsis, & in eo locauit fratres Cistercień. ordinis ex Morimundo sumptos. Cui oppidum Coprzivvnicza pro dote contulit, & libertates plures concessit. Ecclesiam quoq; de quadro lapide in honorem beatissimi Floriani martyris, & patroni tanquam noui hospitis fabricauit: Post ducem Kazimirum Comes Nicolaus Bogorius plures uillas dicto cœnobio contulit, cęteriq; nobiles de armis Bogoria, & *bab danck* reliquas sortes, & prædia deuotè contulerunt.

Monasterium in Coprzywnicza fundatur.

Eclipsis solis notabilis fuit anno Domini 1186. quam secuta fuit pestis in Polonia & in Russia.

Eclipsis. Pestis magna.

Anno Domini 1189. Ioannes cardinalis, cognominatus Malabranka à Clemente Papa tertio missus, Poloniam uenit, & facta synodo in Cracouia pro reformatione cleri, tam episcopis, quam uniuerso clero, pro recuperatione terrę Sanctæ, decimam imposuit. Svvaroslaus dux Czirnieouień. congregato haud paruo exercitu, ex inuidia Iaroslaum Isslauicz ducem Kiouień. inuasit, & ipsum in castra Kiouień. nulla diffidentia præmissa obsedit, sic, quòd uix aufugit, spolia itaq; colligens, omnes thesauros, uxorem cum filio iuniore, & militiam Iaroslai captam, in Czirnicovv (castro Kiouiensi relicto) inuexit. Quo audito Iaroslaus Isslauicz, cũ duobus nepotibus Roscislai, & coprjs militaribus in Kiovv ueniens, omnes ditiores Kiouień. spoliauit: pręcipuè Abbates, sacerdotes, monachos, moniales, & omnes Laicos, totam culpam facinoris per Svvatoslaũ Cirnicouień. patrati in

Cardinalis in Poloniam legatus decimas imposuit.

Res Ruthenicæ.

Swatoslaus Kiow cepit.

eos refundens. Pro liberationeq; cōprehensorū graue censum exegit, alias uerò uendidit. Svvatoslaum denique Czirnicouien. in Czirnicovv obsedit, sed cum nō proficeret, pacē cū eo iniit. Mortuus est aūt Iaroslaus Isaslauicz, año Domini 1184. & successit ei in ducatu Kiouien. Svvatoslaus Czirnicouien. Vvseuoldus uerò dux Vvladimiriæ successit Michalkoni fratri suo quartadecima Iunij eiusdē aāi uita functo: superatoq; Micislao Roscislauicz, qui cum Rothovvczis uenerat, cum de Vvladimiria exturbaturus. Processit contra Hleb ducem Resżanen. habens secum binos filios Svvatoslai ducis Kiouiensis. Olham & Vvladimirum atq; nepotem suum Vvladimirum Hlebouicz ducem Pereaslauien. Hleb autem dux Reszanen. callido usus cōsilio, cum Polovvczis terram Vvladimiriæ ingressus eam crudelissimè afflixit, ecclesiasq; & monasteria spoliauit: unde Vvseuoldus festinè reuersus, conflixit cum Hleb & Polovvczis. Captiuauitq; peracta uictoria Hleb, & in carcerem missum necauit. Duos uerò nepotes ipsius Micislaum & Ioropolcum excæcauit. Polovvczos autem trucidauit & deleuit, cæterosq; liberos dimisit.

Iaroslaus Kiow potitus moritur.

Vvseuoldus uicit Hleb & Polowczos.

CAPVT XXVIII. LIB. III.

AD substituendum nouum principem Año Christi 1194. Conuenerunt primores minoris Poloniæ in Cracouiam, & suasu Fulconis antistitis Cracouiensis elegerūt Leskonem album, natu maiorem ducis Kazimiri in monarcham, adhuc ætatem puerilem agentem. Ob hoc quidam magnificus opponēdo electionem infirmare cœpit: Non decere pueros remp. gubernare: qui enim non sufficit ut seipsum regat, multitudinem plebis nec regere ualebit. Recurrendum fore ad Myeszkonem senem (cuius partem tuebatur) cēsuit, aut ad alium quempiam ducem. Verum ex aduerso Fulco Episcopus Craco. curatus est nominationem Leskonis albi procedere. Cessit ergo successio Leskoni albo, à cæsarie alba, nuncupato. Et quia mentes hominum fluxibiles, ac instabiles sunt, Nicolaus Palatinus Cracouiensis & princeps militiæ ad ratificandum & perpetuandum electionem Leskonis cum egisset gratias omnibus proceribus, ab uno quoque eorum iuramentum confirmationis exegit, moxq; curatores et reipub. gubernatores creati sunt, Fulco Episcopus Cracouien. & Nicolaus Palatinus germanus eius, donec adolesceret princeps Lesko. Conradus uero alter Kazimiri filius, cui Mazouia & Cuyauia obtigerat, Cristino Plocensi Palatino educandus, atque dirigendus commissus est. Quo audito Myezlaus senex dux maioris Poloniæ, mente consternatus est, & conuocatis omnibus suis gentibus, et auxiliaribus ducibus Myeczlao Rathiborien. Boleslao Vratislauien. nepotibus suis, & Mścziugio Pomeraniæ duce genero suo Cracouiēsibus bellum indixit, eò quòd se inconsulto Leskonem puerum immaturæ ætatis sublimassent, allegando de iure ad ipsum pertinere, tam monarchiam regni, quam nepotum suorum Leskonis & Conradi gubernationem, tanquam ad unicum patruum, & tutorem pupillorum. Iamq; uenerat, temis flāmas iniiciendo in diocœsim Cracouens. ad Mosgauā fluuiū, à cœnobio Andrzeouien. quatuor miliaribus distātē. Cum Cracouien. Sandomirien. Lublinen. Bresten. supra Bug. Mazouitæ et Romanus Mścislauicz princeps Vvladimiriæ, quæ Lucensis appellatur sororinus ducis Kazimiri nouissimè mortui, ad Mosgauam applicuerunt, progressum Myeczlao seni impedituri: Ordinatisq; aciebus anno Domini 1195. Nicolao palatino Cracouien. dextrum cornu, Romano duce Vvladimiriæ sinistrum tenente, et Gouoricio Palatino Sandomirien. in subsidijs relicto, cum Myeszkone sene confluxerunt, mutua se cæde obtruncando, perinde ac si inter infestissimos & perpetuò dissidentes hostes bellum gereretur. Neutraq; parte gradum referente, strages horrenda cadauerum utrinq; ædita est. Ad duces quoq; ipsos clades peruenit, Boleslaus siquidē filius Myeskonis senis in conspectu patris lancea traiectus, ex equo lapsus occubuit. Myeszko senex à quodam milite gregario impetitus morti destinabatur, frequenti ictuum ingeminatione: nisi clamore magno se ducem Myeczlaum asseruisset, & cassidis detractione ueneranda canicie militem terruisset. Quapropter ille miles educens ipsum ex acie, ne ab alijs uiolaretur, fugere consuluit. Dux uerò Romanus pluribus uulnerib. aduerso pectore sauciatus, & Ruthenis interfectis, alijs uerò dispersis Russiam reuertebatur: omnibusq; pro uictis abeuntibus Mieczlaus princeps Rathiborien. & Oppolien. cum nepote suo Iaroslao filio Boleslai Vvratislauien. superuenit. In quem Gouoricius Palatinus Sandomiriensis irruit, & facta cæde cūm impar fuisset numero hostium, captus est. Discedenteq; præfato duce Rathiborien. ex prælij loco, quoniam audierat Myeczlaum senem uulneratum, lectica in Posnaniam referri, abduxit in Slesiam secum Gouoriciū palatinū, apud

Delectus principum pro Monarcha.

Lesko albus monarcha.

Myezlai senis bellum intestinum.

Maxima clades domestica.

Boleslaus cæsus.

Dux Romanus.

apud quem longo tempore captiuitatem cum alijs militibus perpessus est. Polonis itaq; sic se inuicem occidentibus fœda strage commissa. Fulco Episcopus Cracouiensis consequuto duce Romano Vvladimirieñ. nocte sequenti, precabatur ut in Cracouiam diuerteret, ad defendendum Leskonis albi partem. Sed illo uulneribus se debilitatum, & militibus derelictum, dicente: Consilium tamen, ut Cracouiam tanquam caput regni tutaretur, dante, tutatus est Fulco, cum Nicolao Palatino, & alijs nobilibus forti præsidio arcem Cracouiensem & reliqua pupillorum castra: siluitq; utraq; pars militum maioris Poloniç & Cracouiensiū, & bellum propter ignominiā acceptā, quasi ex cōposito diu distulerūt.

Accidit interim, anno scilicet Domini 1198. quòd Vvladimirus dux Haliciæ per ducem Kazimirum olim reductus, & in Halicz restitutus prole non relicta moreretur. Misetunt ergo consiliarij Leskonis Nicolaum Palatinum Cracouiens. cum copijs equestriū & pedestrium, ad occupandum, & in Prouinciam Poloniæ redigendum ducatum Haliciēñ. Puer autem Lesko albus minorennis cœpit complexibus & instantijs suos postulare proceres, ut in illam expeditionem reciperetur. Helena autem matre ipsius, & nobilib. inquientibus, tutiùs esse in aula eum permanere, quàm in bellis nondum utilem uersari. Respondit, cur igitur signa muta & inutilia uobiscum fertis: me uerò ducem uestrum recipere, & à grege mulierum inter quas me commorari tedet liberare recusatis? Laudarūt indolem pueri milites, & eo accepto contra Russiam processerunt. Quibus Halicienses occurrentes, Lesskonem tanquam Dominum suum, uafrè quidem, & subdolè salutarunt, quoniam audito quòd Romanus dux Vvladimiriæ esset eis præficiendus, rebellantes infestis signis, cœperunt impugnare exercitum Lesskonis. Verum prima acie repressa Haliciēñ. cæteri & postremi eiusdem exercitus per fugam dispersi sunt, obsessoq; castro, missis caduceatoribus obedientiam repromiserunt, & Lesskoni portas castri aperuerunt. Tunc diuersi Russiæ principes substitutionem in Halicz postularunt. E quibus Romanus Mscislauicz dux Vvladimirieñ. instantius postulauit, nunc blandè, nunc comminatoriè, recensendo cognationem Vvladimiri, quoniam patruus eius foret, & affinis Leskonis; recensendo labores stragem suorum, & uulnera, quæ ad Mosgauam pro Leskone susceperat, ut de ducatu Haliciēñ. inuestiretur. Poloni uerò attento, quòd durum esset antè & retro cum duce Romano, & Myeszkone sene pugnare, ducem Romanum in Halicz non in titulum, nec proprietarium, sed tanquam precarium & homagiarium susceperunt. Blandus primum, mox infestus: ad extremū truculētus Romanus Haliciensibus esse cœpit, quosdam trucidando, & gladio necando, quosdam terræ uiuos infodiendo, quosdā excoriando, & membratim incidendo: alios uerò ad statuam ligatos sagittis conficiendo: pluresq; tam fœdam crudelitatē fugientes, blandis promissionibus euocatos, & parumper in honore habitos, uarijs tormentis interfecit, solitus prouerbium allegare & inducere, mella non posse uesci securè, nisi prius examen apum opprimatur. In rebellionem tandem uersus dux Romanus, anno Domini 1204. tributa Leskoni negauit, & terras sibi finitimas Lublineñ. & Sandomirieñ. clandestinis & publicis incursionibus uexauit, in plerisq; locis præsidia militum locando, & terras ducis Leskonis infestando.

Anno autē Domini 1205. ferè ex uniuersa Russia turmas equestres, & pedestres contrahens, ad sui ritus Episcopum Vvladimirieñ. dona misit, ut sibi in Poloniā eunti, & eam triennio uastaturo, auctoritate Pontificali benediceret. Qui donis spretus, & benedictionem tanquam ad iniquum, & execrabile properanti denegauit, comminationemq; concussionis à duce Romano ei inflictam confutando dixit. Inquiens iniusta bella obeuntes, in patriam nō redire uiuos. Ingressus itaq; Romanus cum copijs pugnatorum, primo æstatis tempore Lublin obsedit, & cum non prosperaretur, propè etenim à Polonis defendebatur, in terras Sandomiriæ grassando descendit, & flumine Istula superato Zauichost consedit. Principes uerò Lesko Albus & Conradus, ex omnibus terris suis Sandomirieñ. Lublineñ. Mazouia & Cuyauia bellatores ex nobilibus, & plebeis circa Sandomiriā collegerunt, & eis Christinum comitem Palatinum Ploceñ. præfecerunt, qui industria & altu decimanona Iunij oriente sole appropinquauit Russorum exercitui. Romanus uerò uix tumultuariè suos ordinauerat, sagittarijs Polonorū eum perturbantibus, cōmissoq; prælio, & eo in longum protracto, milites Polonorū in necem ducis Romani sidefragi conspirarunt: globoq; militū facto in ducē Romanū, & eum protegētes insiluerūt. Equo igitūr sub ipso telis confosso, & eum deijcere satagenti, ad ripā Istulæ per medias acies cucurrit: dextrarioq; cadente, ac fœta equa sibi administrata, Istulam tranauit, & gratus equæ, de salutis ministerio, inter alios dispersos & fugiētes pedes promiscuus cucurrit, ab insequutoribus

Vvladimirus moritur.

Expeditio in Russiam.

Romanus præficitur Haliciensibus.

Romani tyrannis.

Romani ducis defectio.

Romani ducis in Poloniā expeditio.

Altera clades. Romani ducis interitus. *Somnium Romani.*

Polonis, miles gregarius æstimatus, occisus est, in Sandomiriamq; relatus, à duce Leskone fuit sepultus: depóst à Ruthenis & proceribus Vvladimiriæ mille marcis argenti, & restitutione omnium captiuorum Polonorum redemptus, in Vvladimiriam ductus est tumulandus. Somniauerat dux Romanus nocte præcedente conflictum, à parte Sandomiriæ paucos aduenisse carduellos (& sunt aues quantitatis passerum rubea capita habentes) & multitudinem passerum deuorasse, quod dum mane amicis retulisset, iuniores somnium laudarunt, seniores uerò uituperarunt, & triste omen, ac in malum cedere prognosticarunt. Adepta uictoria duces Lesko & Conradus altare sanctorum Geruasij & Prothasij in ecclesia Cracouień. erexerunt, quod usq; nunc superest, quoniam in die prælibatorum sanctorum potiti sunt uictoria. Et ut fertur notabili atq; largissimo fundo dotauerunt, de quo hactenus non superest, nisi parua domus in platea legatorum Cracouiæ, intitulata domus sanctorum Geruasij, & Prothasij, & locus sterilis piscinæ post murum ciuitatis Cracouień. retro domos Canonicorum uersus solis occasum sitarum, prouideturq; nostris temporibus præfato altari notarius capituli Cracouiensis quotannis. Sed redeamus ad Myeszkonem senem unde discessimus.

Altare Geruasij & Prothasij.

Myeszkonis nouũ bellũ intestinum.

Is dux Myeszko qui post cladem ad Mosgauam acceptam pacificus constiterat, ad controuersias gerendas animum inclinauit, & Anno Domini 1199. Cuiauiensem prouinciam, quæ fuit ducis Conradi occupauit. Præterea ad inuadendum ducatum Cracouień. & monarchiam Polonorum, omnes conatus astu & dolis, quæ omnibus armis potentiora existunt, intendit. Et quia animos Fulconis Episcopi, Nicolai Palatini Cracouiensis, cęterorumq; procerum expugnare non ualuit, ad Helenam principem, matrem Leskonis et Conradi, suas calliditates diuertit, suggessitq; ei, & suasit ut non cunctaretur cum filio de ducatu Cracouień. excedere, stabilitura ex hoc regnum filijs, quos ipse adoptando & balteo militari cingendo, post breuissimum tempus, quo in ætate decrepita moribundus in proximo uideretur, hęredes relinqueret. Cuyauiensem uerò ducatum ex nunc resignaret, quòd si ipse ad quem monarchia tanquam ad natu maiorem spectaret, eis regnum non stabiliret, nunquam tutam ac diuturnam sedem regni habituri essent. Credidit Helena princeps muliebri facilitate his sermonibus, & anno Domini 1200 pro festo Bartholomęi Apostoli habito in Cracouia conuentu, ab utrisq; principibus & proceribus partis utriusq; sub præfatis conditionibus iureiurando in manibus pontificalibus icta, & sancita promissa sunt, sub excommunicationis sententia per Archiepiscopum Gnecznen. & omnes pontifices regni in præuaricatorem ferienda. Sicq; princeps Helena cum Leskone in Sandomiriam secessit, Myeczlaus uerò senex possessionem monarchię, et Cracouię iam tertio accepit. Et ad continendum milites Cracouień. in fide, castrum forte in oppido Bitomień. ædificauit, & ei præsidium militum imposuit. Audita mutatione principum Goworcius Palatinus Sandomirień. qui metu Nicolai Palatini Cracouiensis, in Bohemia apud cognatos suos exulauerat, reuersus est, diuisis principatibus hostilitatem in terra Sandomiriensi non ueritus à Palatino Cracouiensi. At alter iam agebatur annus, nec Myeszko senex hominum uersutissimus ex multiplicibus promissis duci Leskoni, suæq; genitrici Helenæ aliquid impleuerat, quem glos sua, primum benignitate, postea muliebri importunitate conuenit. At ille respondit proprios filios maturæ ætatis & prudentię, non debere, nec posse, legitimo successu priuare, & nepotes ephœbos anteferre. Abiret proinde, & intelligeret, ius publicum priuato iure non conuelli, nec eneruari. Neque posse alios hæredes, quã q ex lumbis suis processerunt creare aut scribere. Eo responso dux Helena perculsa, gemens, & tristis, Sandomiriam reuersa, Cracouień. Barones obsecrando sollicitauit, ut filios suos in principatum Cracouień. restituerent: promittens de cætero nihil se nisi ex arbitrio eorum in rebus publicis acturam. Myeczlao itaque in terras maioris Poloniæ abeunte Nicolaus Palatinus Cracouień. arce Cracouiensi occupata, Leskonam album, & matrem eius Helenam in Cracouień. principatum introduxit, et officiales Myeczlai, qui plures Cracouień. proceres iamiam perturbauerat, post illum ex omnibus castris iussit transmigrare, solum castrum Bitomiense pro ipso Myeczlao sene tenebatur. De quo Cracouiensi prouinciam spolijs & rapinis uexabat. Ad repetendum quoq; Cracouiensem principatum trita & nota ingenia conuertit. Mittit ad Helenam Leskonis & Conradi genitricem, & blandioribus sermonibus, quam antea eam extenuando tum responsa, tum perfidiam priorem aggreditur. Charissima (inquit) glos non ex me fœdera, et conditiones promissæ, pro bono filiorum tuorum nepotum meorum, uiolatæ sunt, sed iniquitate procerum Cracouiensium, qui me principatu Cracouiensi (quia contra eorum cõsilia, tuis filijs

Myeczlaus ter cio monarchiã adeptus.

Cracouia pro Leskone albo capta.

lijs iuxta pacta prodesse uolui, exuerunt. Ex nunc itaque resigno ducatum Cuyauiensem, & monarchiam cum principatu Cracouiensi mihi assignari opto, ut filios tuos successores perpetuos substituam & relinquam. pacata dux Helena Myeczlai promissis, spopondit se cum filijs è principatu Cracouiensi cessuram, ad uota quoque Myeczlai promisit Nicolaum Palatinum Cracouieñ. exulatum mittere, quoniam liuore inuidorum coram ipsa, & filijs eius inculpabatur, cum syncerę fidei erga Leskonem, & Conradum semper extiterat, cuius fidei synceritate, metuebat Myeszko senex Cracouiense dominium sibi denegandum. Accedit Nicolaus Palatinus Helenam, & supplicat ei, & filijs eius, ne hosti cõmuni caput ipsius deuouerent. Non consecutusque gratiam, personaliter Posnaniam ad Myeczlaum senem contendit, sperans ex hoste facilius gratiam consequi, quam ex suis implacabilibus Dominis, quod & factum est. Nam cum gaudio & magno honore eũ dux Myeczlaus excepit, & omnem culpam liberaliter ei remisit, confidens Cracouiam per ordinationem Nicolai Palatini assequi, quemadmodum assequutus est. Ad uota siquidem eiusdem Palatini omnes proceres inclinati, arcẽ Cracouieñ. & cæteras munitiones oẽs Myeczlao tradiderunt. Et iam quartò, anno Domini 1202. in principatum Cracouiensem reductus erat. Nec Cuyauiã resignauit nepotib. neque eis successionem prout promiserat in Cracouiam præbuit, quoniam ut aiebat non ex eorum cessione, sed Nicolai Palatini ordinatione optatam monarchiam fuerat assequutus, quinimò sub ipsis nepotibus occupauit, Visliczam oppidum districtus Sandomirieñ. cum tribus castris, asserens ea ad ducatum Cracouieñ. pertinere, paranti præterea alia nepotum occupare fortalitia, morte inseparata in Kalisz absumptus est, in ecclesia collegiata sancti Pauli Kalissieñ. quam ipse construxerat & dotauerat, sepultus, translatoque oppido Kalisz in locum, quem nunc tenet, & ecclesia sancti Pauli collegiata commutata in ecclesiam beatæ Mariæ collegiatam, relictum est sepulchrum Myeskonis sub diuo, quod fuit, & filij ipsius Myeczlai, et ab incolis in hanc demonstratur diem, quanquam uetera certificare sit difficile. Reliquit autem Myesko senex duos filios Vuladislaum magnum, cognomento Laskonogy, à gracilitate pedum nuncupatum, dimicatorem peritissimum, & in ea arte dum in Germania ab ineunte ætate commoraretur eruditissimum: & Otthonem natu minorem. Eo itaque breui obeunte superstes fuit filius eius Vuladislaus minor Pluvacz à multitudine sputi appellatus, cuius curam Vuladislaus magnus patruus ipsius egit.

Myeczlaus quartò in monarchiam restitutus.

Myeczlai senis mors.

Vuladislaus magnus dimicator.

Ottho.

Vuladislaus minor.

CAPVT XXIX. LIB. III.

Defuncto Myeskone sene, proceres Cracouienses Leskonem album ducem Sandomiriæ, sibi in Dominum, & monarcham elegerunt, prosapia & benignitate Kazimiri parentis eius delectati, adijciente Nicolao Palatino Cracouieñ. conditionem, ut prius Gouoricium Palatinum Sandomirieñ. uirum probum & strenuum, sed ipsius inimicum ammoueret, & in exilium pelleret, uelut ante pulsus erat. Non enim consilia ducis forent stabilia, ubi duo capitales inimici congrederentur. At Lesko albus, maluit principatum Cracouiensem nõ suscipere, quàm uirum innocentem & utilem expellere. Celebrato igitur alio conuentu, Cracouienses miserunt oratores ad Vuladislaũ magnum ducem maioris Polonię cognomento Laskonogy, ut iure hæreditario ex patre quæsito, & iure electionis de ipso factæ, principatũ Cracouieñ. susciperet, & celeriter adueniret. Qui rem ad Leskonem album per epistolam dedit, an ducatum Cracouieñ. susciperet nec ne. Et si ipse recusaret, an sibi suscipiendum censeret, ne se, & patriam ciuili bello inuolueret. Cùm didicisset per rescriptum, ipsum non suscepisse prælibatum Cracouieñ. principatum. Captata beneuolentia, pro maiori cautela à Myeczlao Oppolieñ. & Rathiboreñ. & ab Henrico Vvratislauiensi ducibus, in Cracouiam profectus, honorificè susceptus est, atque de dominio Cracouiensi & monarchia inuestitus, Anno Domini 1203. qui licet omnibus benignitatem, postulantibus facilem aditum, oppressis defensionem, indigentibus & militibus munerum profusionem, exhiberet: tamen paulò pòst, mortuo Nicolao Palatino Cracouiensi, qui ad uotum duces ammouebat, Fulco Episcopus cum tota nobilitate Cracouiensi, contulerunt Dominium Cracouiæ Leskoni albo. Ille uerò supplicationibus eorum, & persuasionibus Sandomirieñ. annuens in magno exercitu Cracouiam uenit, & eius possessor ex tunc ab anno Domini 1206. usque ad finem uitæ permansit. Vuladislaus autem magnus Myeszkouicz dux Gneznẽn. à monarchia reiectus in pace se continuit, quoniam uir mansuetus & pacificus fuit.

Lesko albus tertiò restituitur.

Vuladislaus magnus Cracouiæ potitus.

Lesko albus quartò principatu potitur.

CAPVT XXX. LIB. III.

Legatus de latere in Poloniam uenit.

ANno Domini 1197. Petrus Cardinalis Diaconus Capuanus, tituli sanctæ Mariæ in uia lata, legatus de latere à Cœlestino Papa tertio missus, Cracouiam uenit, & consequenter in alias Diocœses Polonicas uisitãdo descendit, & sacerdotes ne mulieribus, & concubinis potirentur coërcuit. Plures siquidem ea tempestate sacerdotes mulieribus, uelut uxorib. legitimis utebant: laicis uerò quacũq; dignitate pollentibus, iussit connubia in facie Ecclesiæ cõtrahere. In Praga aũt sabbato Sitientes ordines celebraturus, uix presbyterorum castitatis uotum spernentium manus euasit, per Henricum Pragensem Episcopum, ducalem tunc in Bohemia exercentem, potestatem, repressis sacerdotibus liberatus. Anno Domini 1198. Iaroslaus filius Boleslai alti ducis Vvratislauiensis dirigente patre ordinatus est Episcopus Vvratislauieñ. Hic de consensu paterno ecclesiæ Vvratislauiensis terram Nissensem, perpetua donatione contulit, & inscripsit, uixq; triennio exacto, mortuus est, decimo kalendas Februarij anni Domini. 1201. in Ecclesia Vvratislauiensi tumulatus. Quem pater eius Boleslaus altus dux Vvratislauieñ. sequutus, codẽ anno octauo Idus Decẽbr. uita functus est, in monasterio Lubeus sepultus. Is Boleslaus duas habuit uxores Venczeslavvã Ruthenã, ex qua Iaroslaũ præfatũ Episcopũ Vvratis. & Boleslaũ atq; Algam uirginẽ genuit: Et alterã Adleydã sororem Conradi secundi imperatoris, de qua genuit Henricũ cum barba, Cõradũ, Ioannẽ, & filiam Adleydam, Dipold marchioni Morauiæ matrimonialiter copulatã, omnibusq; filijs Boleslai alti immaturè obeũtibus, & in monasterio Lubeus sepultis, solus Hẽricus cũ barba superstes, patri in ducatu Vvratislauiẽsi successit. Anno Domini 1200. die quinta Maij, tempore meridiei exortus est terræmotus in regione Polonorũ, & in uicinis regnis, & resumebatur aliquot diebus cum deiectione altiorũ ædificiorũ. Eodem anno capta Constantinopoli à Venetis & Francis, Ascarius imperator Græcorũ transijt Tersonã, & abinde in Gallaciã, quæ est Hallicia Rusiæ superioris prouincia, & illic aliquãtò tẽpore à Romano duce Rusiæ benigniter exceptus, atq; fotus est. Monasteriũ sancti Iacobi fratrũ Prædicatorum in Sandomiria, ædificauit Adleyda uirgo religiosa filia Kazimiri ducis Cracouiæ & Sandomiriæ. Anno Domini 1200. Hec in uirginitate Deo seruiens, mortua est año Domini 1211. octaua die mensis Decẽb. & in præfato monasterio sepulta. Trebnicz monasterium sanctimonialium ordinis Cistercieñ. tituli sancti Bartholomæi Apostoli, tribus miliaribus à Vvratislauia distãs, fundauit dux Henricus cum barba.

Nissa episcopatui Vvratisl. data.

Boleslai alti mors.

Henricus cum barba.

Constantinopolis à Venetis & Francis capta.

Monasterium S. Iacobi in Sãdomiria.

Monasterium Trebnicz fundatur.

Anno Domini 1203. frequentib. precibus deuotissimæ fœminæ sanctæ Heduigis cõsortis suæ inductus, quod in quindecim annis perfectum, ad triginta millia marcarum Polonicalium peruenisse calculatũ est. Pro dote monasterij, idem dux Henricus donauit oppidum Trebnicẽ, & uillas, Lipniczam, Breitnovv, Cothouicze, Comestam, Tuczmaydorff, Harthlipdorff, Strankavva, [illegible], Sadilno, & Rozothnycze. Pluresq; alias uillas introitus & census, qui pro mille personis sufficerent donatione perpetua contulit, & donauit. Beata Heduigi abdicante se iure dotalicij, quod in bonis monasterio largitis habebat inscriptum. Moniales ad incolendum illum locũ ex Bambergensi monasterio accitæ sunt, primaq; abbatissa fuit uirgo Petrussa Almana. Secunda Gertrudis Henrici ducis & beatæ Heduigis filia. Nomen loco adaptatum ferunt ex responso Petrussæ abbatissæ & sanctimonialium, quod duci Henrico interroganti, an aliqua re ipsa, uel monasterium amplius indigeret, responderunt, Trzebanycz, inde nomen indidit loco Trzebnycza, quod in Polonico sonat nullius indigens. Circa hæc tempora, nomen gentis Lithuanicæ auditum est, prius incognitum. Qui cum serui Ruthenorum forent, pro solutione tributorũ perizomata, suberes, & pelles, quotannis pendentes, circa annum Domini 1205. in magna multitudine glomerati cõtra Rusiam uenerunt. Duces autem Olhouiczi cum ipsis campestraliter congressi, ferè ad ultimum eos conflixerunt, licet ex Ruthenis etiam multi cecidissent. Principes Rusiæ habito conuentu apud Kiovv, intrauerunt terras Polovvczonum, & uigesima die Iunij anni Domini 1194. Polovvczos de sua uirtute gloriãtes, in maxima multitudine occurrentes, conflixerunt, & magna clade prostrauerũt, tabernaculisq; eorum potiti, & spolijs onusti, uictores cum gloria reuersi sunt. Ihor aũt dux Rusiæ uolens parem assequi gloriam, cum duobus filijs, & fratre suo Vvseuoldo Olhouicz, militibusq; de Czirnicovv iuit cõtra Polovvczos, & nõ cõtentus una uictoria, superauit fluuiũ Don (q est Tanais) omne genus Polovvczonũ deleturus, superuenitq; ingẽs multitudo Polovvczonũ, & prope Don conflixit, & deleuit totũ exercitũ Ihor, ut nemo ex

Rusi Polovvczos uicerunt. Ihor dux Rusiæ uictus.

da se euaserit superstes. Quapropter terras Rußiæ circa Pereaslavv irrumpentes, omnia bella in flumine Sula cõpræhenderunt. Anno autem Domini 1198. mortuo Svvantoslao duce Kiouiensi & in ecclesia Cirilli Czirnicouieñ sepulto, dux Rurik Mcislauicz principatum Kiouiensem cœpit, sed processu temporis à Kiouiensib. pulsus, ad Polovvczos cõfugit. Ad suscipienda suffragia corã habens in suo comitatu filios Olhæ, in numerosa multitudine secunda Ianuarij castrum Kiouiense, nemine repugnãte, cœpit. Barbari igitur Polovvczi Ecclesiam metropolitanã sanctæ Sophiæ, & uniuersas alias ecclesias, atq; monasteria destruentes, spoliarũt, senibusq; & infirmis partim trucidatis, partim cœcatis, sacerdotes, monachos, monachas, boyaros, ciues, uulgus, cũ uxoribus, & paruulis, in regionẽ suã deduxerunt captiuatos. Captiuati fuerunt eodem tempore, Mscislaus Vvladimirouicz, & Roscislaus duces cum eorum militia. Rurik in sede Kiouieñ. quanquã desertata residẽte. Dolente Rußiæ principes, præfatam crudelem uastationẽ, põst tres annos collectis suis copijs contra Polovvczos processerũt, Rurik Kiouieñ. Iaroslaus Vvseuoldouicz Pereaslauieñ. Romanus Mscislauicz Halicieñ. & Vvladimirieñ. & Roscislauicz, Mscislauieñ. et inuadentes tabernacula eorum, quę ipsi Vyeze uocant, magnam hominum copiam utriusq; sexus trucidarunt, & in Rußiam prædas camelorum, pecorum simul, & nonnullos Ruthenicę gentis captiuos induxerunt. Et quia Rurik dux Kiouieñ. ad uastandum terras Rußiæ Polovvczos conduxerat, à Romano Mscislauicz Halicieñ. & Vvladimirieñ. duce, cæteris approbantibus & rogantibus, dum ex Polovvczis redirent, captiuatur. Qui illum in Kiovv deducens totondit in monachum, & uxorem ipsius in monachã. Filias uero liberas dimisit, filios autem ipsius, Roscislaum & Vvladimirum captiuauit, & in Halicz deduxit. Cernens autem dux Svvantoslaus Mscislauicz, Kiouiensem sedem uacuam principe, appræhendit illã principaturus in ea. Sed Romanus Mscislauicz Halicieñ. dux, qui monarcha Ruthenorum reputari uoluit, ueniens in Kiovv, Svvantoslaũ Mscislauicz cum ignominia ex Kiovv deturbauit, in sedeq; Kiouieñ. Roscislaum Rurikouicz, quem apud se tenebat captiuum, locauit, germanum quoq; eius Vvladimirum de captiuitate dimisit. Famam potentiæ & clementiæ exinde aucturus, expeditionemq; in Polonos, quã eo anno parabat liberiùs prosequuturus.

Rurich dux Kiouiis pulsus.

Mscislaus. Roscislaus duces capti.

Polovvczy clade affecti.

Rurik captus cum filijs.

CAPVT XXXI. LIB. III.

PRincipatum Cracouiensem, & monarchiam Polonorum, Lesko albus assequutus, constituit Capitaneum Pomeraniæ, Svvantopolkonem olim Msczugy præfecti Pomeranię filium, de armis Griphonum, recepto ab eo iuramento corporali, quòd præfatam terram Pomeraniæ pro duce Leskone, pro filijs eius, & successoribus ducibus Polonorum, fideliter teneret, singulisq; annis mille marcas argenti, in fiscum ducalem Cracouiam inferret. In Ruthenorum quoq; duces, & Lithuanos, excursiones in Poloniam facientes, misit Sulislaum Castellanum Sandomirieñ. cum expeditis militibus. Ruthenorum autem duces pugnandi copiam facientes, fusi sunt & fugati, captiq; sunt duces, Svvantoslaus Mscislauicz, Georgius, & Iaroslaus, item Vvladimirus, & Constantinus, multitudoq; nobilium Rußiæ, quos Sulislaus in Poloniam uinctos deduxit, et duci Leskoni præsentauit. Anno Domini 1211. quorum quidam redempti, alij liberalitate ducis Leskonis manumißi sunt. In anno autem Domini 1226. Lesko habens annos duo de triginta, accepit in uxorem Grzimslauam, filiam Iaroslai ducis Rußiæ, ex qua succeßiuè genuit filium Boleslaum, & filiam Salomeam nomine. Cõradus uerò germanus, & minor natu Leskonis albi monarchæ Polonorum, terras Mazouiæ & Cuyauiæ, quę ei sorte, & æqua diuisione obuenerant, accepit. Et anno Domini 1217. tyrannidem qua refertum erat pectus ipsius, in Christinum Plocensem Palatinum zelatorem & conseruatorem adolescentiæ ipsius egregium, hæredem in Gosdzovvo, de domo & familia Gosdzouitarum, quæ pro insigni lilium defert, cuius prudentia salutem, & uictoriam in bello Zauichostieñ. Deus Polonis dederat, pro eo, quod ipsius mores depsauatos corrigẽdos persuasit, malignè effudit. Nam improbo consilio Ioannis Czapla, scholastici Ploceñ. & Cancellarij ducalis, cæterorũq; inuidiosa accusatione, in uilla Kouale, primũ captiuatus, & squalido carceri inclusus, tãdẽ excœcatus & ad ultimũ iugulatus est. Miles strenuißimus cuius strenuitate Prusseni, Lithuani, cæteriq; gentiles sub iugum coacti, ducibus Polonorũ tributarij fuerunt. Moxq; corpore eius in ecclesia Plocensi tumulato, Barbaræ nationes Prutenorum, audita morte Christini, iusso Dei iudicio terras ducis Conradi depopulati sunt, & per frequentes incursiones impunè deuastauerunt. Qui inuocato auxilio Henrici ducis Vvra-

Svvantopolkus Pomeraniæ præficitur.

Rutheni in Polonia uicti.

Christini Palatini Plocens. miserabilis interitus.

Pruteni Mazouiam uastarũt.

Primus Cruciferorũ in Prussiam ingressus. anno 1215.

Vvladislai Othonis bellum.

Vvratislauiensis & repressis Prutenis terram Chelmeñ. & castrum Dobrzin Cruciferis, quos in sui auxilium uocauerat assignauit. Nec tamen sic potuit suas prouincias defendere, tenuem siquidem resistentiam barbaris Cruciferi opponebant. Et terræ Culmeñ. & Lubauieñ. penitùs desertabantur, quinimò pestem & flammas uexationis in sua uiscera Conradus immisit, quæ usque in hanc diem de terris Prussorum & Polonorum non sunt extinctæ. In maiori Polonia, Vvladislaus filius Othonis, à multitudine sputi Plvvacz appellatus, nondum annos pubertatis egressus, non ferens disciplinam Vvladislai sui patrui: Magni ob proceritatem dicti, uel Laskonogy ob tenuitatem pedum cognominati, anno Christi 1214. occupauit castrum Calisz. At Vvladislaus Magnus, dux Gneznensis cum exercitu bellatorum castrum cinxit, & obsidione Vvladislaum Plvvacz circumsedit, missisq; caduceatoribus pacem composuerunt, uiri qui cum eo inclusi fuerunt. Ipse uerò Vvladislaus Plvvacz, timens squalorem carceris cum septem uiris tempore noctis oportunè fugit, & peruenit ad Andream regem Hungariæ, illic ferè nouem annis commoratus. Anno autem Domini 1223. per internuncios contraxit sponsalia, cum Helinga germana Svvatopelkonis, præfecti Pomeraniæ, in spem suffragiorũ, quibus à patruo paternam sortem repeteret, qua occasione in habitu monachali aduenieñs, ope & ingenio Svvatopelkonis septima die mensis Octobris eiusdem anni, occupauit castrum Vscze, exindeq; uexabat regionem maioris Poloniæ. Ad reprimendum igitur insultus nepotis, Vvladislaus Laskonogy primo Vere, anno Domini 1226. uallauit castrũ Vscze, suumq; nepotem Vvladislaum Othonis, in eo usque in dies caniculares conclusit. In die uerò diuisionis Apostolorum, uidens supernè ex arce Vvladislaus Othonis, quosdam stationibus desertis, longius à castris progressos, quosdam somno stratos, alios ebrietate temulentos, cum omnibus qui secum obsidebantur è castro prorupit, & tumultuario inermes aggressus, omnes strauit & fugauit: Dobrogostiumq; Palatinum Posnaniensem obtruncauit: donec clamore Vvladislai Magni, milites facto globo in castrum ipsum hostem retro cedere compulerunt. Qua clade deterritus Vvladislaus Laskonogij, altera die obsidionẽ soluit. Vvladislaus autem Othonis fretus potentia Svvatopolkonis sui affinis, & suæ partis fautorum insequutus patruum Posnanieñ. & Callissieñ. castra, & ciuitates, quæ sortis ipsius erant, dedentibus se castellanis, & ciuibus comprehendit, & omnia quæ suæ ditionis erant, recuperauit. Sed ad Leskonem albũ redeamus. Henricus cum Barba, dux Vvratislauiensis, æstimans Leskonem album sibi iniuriatum iri, quòd minor natu existens ei seniori monarchiam Poloniæ præripuerit. Super hæc ampliùs persuasus, ac animatus incitationibus Marci Palatini Cracouiensis de domo Griph[illegible]um, & suæ partis factiosis. Anno Domini 1225. uenit prope Cracou[illegible] ad fluuium Dlubnya, uolens Leskonem album è monarchia depellere. Cuius proposiu Lesko non ignarus ei cum suarum gentiũ multitudine, & Cõrado duce Mazouiæ, quem in auxilium uocauerat, cum omnibus militibus Mazouiæ, & Cuyauiæ occurrit, à quorum multitudine Henricus cum barba territus, expetijt per nuncios colloquium cõuenientibusq; ducibus in tabernaculum, in meditullio utrorumq; castrorũ defixum. Henricus cum barba ius monarchiæ, longo sermone sibi tanquam maiori natu, & non alteri competere astruebat. Lesskone ex aduerso inductiones & rationes eius refellente, atq; dissoluente, per medium Iuonis Episcopi Cracouiensis & Baronum communium. Tandem inter ipsos fœdus ictum est, ut Henricus cum barba Lesskoni cederet, de omni iure & titulo monarchiæ, in quantum ei competeret: Et ut confœderarẽtur aduersùs quoslibet hostes, quodq; unus alterius sortẽ non impeteret, nec optaret. Oblatisq; Lesko albus magnificis donis principibus, Henrico cũ barba, & Cõrado suo germano, ac militibus eorũ. Inuitauit etiã ipsos Cracouiã ad reficiendũ & solaciandũ. Sed Conrado abeunte in Mazouiã, Henricus Cracouiam ingressus, humanissimè cum suis exceptus, & octo diebus tractatus est. Post quos onustus amplis donis Vvratislauiam remeauit. Anno autem Domini 1227. Svvatopelkone præfecto Pomeraniæ tributa Lesskoni albo solita non mittente, & ad defectionem spectante. Dux Lesko indixit conuentum pro festo Sancti Martini, apud Ganszauã prædium monasterij Trzemesznensis, prope oppidum Zneinam tenendum, iussitq; Svvantopelkonem personaliter interesse, ut rebuspublicis consuleret, reuera aũt, ut Svvantopelkũ absq; suspicione uenientẽ, opprimeret. Aduenientibusq; ducib. Henrico cũ barba Vvratislauiensi. Conrado Mazouiæ & Cuyauiæ, Vincentio Archiepis. Gnezneñ. Ivvone Cracouieñ. Laurentio Vvratislauieñ. Michaële Vvladislauieñ. Paulo Posnanieñ. Laurentio Lubuceñ. Episcopis, Gunthero electo Ploceñ. & quamplurimis Baronib. Svvantopelkus calliditate edoctus, non

non contra alium, nisi se, & suum periculum cōuentum indictum ratus, aduenire distulit, aduentum tamen suum duci Leskoni frequentibus nuncijs intimabat, explorandæ rei gratia, quæ in Ganszavva gereretur. Quarta uerò die iam plurima rerū expeditione perfecta, balneum ad curandum corpora duces intrauerāt, cum subito Svvantopelkus Pomeraniæ capitaneus, opportunitatem temporis per exploratores ratus & nactus, cum gentium multitudine superuenit, & hostiliter irrumpēs, hospitia & tabernacula ducalia, & militaria singulos resistentes obtruncauit. Quo intellecto Lesko albus, de balneo exiliens, & equo conscenso cum paucis eum comitantibus fugere cœpit, hunc Svvantopelcus tanquam prædam concupitam omnibus præteritis insectatus, circa uillam Marczinkovvo, cum omnibus suis diu & strenuè certantibus, tanquā nepharius proditor interfecit. Henricus uerò cum barba, in balneo nudus aliquot uulneribus sauciatus, in pauimentum cecidit, quem suus miles nomine Peregrinus de Veszinburgk, mira fide & deuotione protegens, & ipse multis uulneribus confossus, super corpus ducis Henrici procidit, & uterq; mortuus creditus, sæuitiam carnificum remisit. Eadem die quæ fuit quartadecima Nouembris, magna strages in alios edita est. Cadauer Leskonis albi per suos relatum, in ecclesia Cracouiensi cum maximo luctu sepulturæ mandatum est. Dux Henricus in Vvratislauiam, lectica uectus, diuertit de uulneribus inflictis in breui curatus, peregrinum spectatæ fidei militem semper cōmendans, & prolem suam larga donatione exaltans. Svvatopelcus quoq; præfatus, de domo Griphonum, ab ea die legitimum se principem Pomeraniæ gerere cœpit, & quod uiuente Leskone albo sceleratus carnifex assequi non poterat, morte sui Domini, quam intulit assequutus est.

Leskonis albi miser interitus.

Magna militis in principem fide.

CAPVT XXXII. LIB. III.

ANno Domini 1207. Magister Vincentius Kadlubkonis de Karuovv uico, prope Opathovv, nobilis de domo Kosze Præpositus Sandomirieñ. propter ingenij excellentiam, per Capitulum Cracouieñ. in Episcopum Cracouieñ. electus est, quamuis in ecclesia Cracouieñ. nullam obtineret præbendam, ab Innocentio tertio confirmatus, & ab Henrico Archipræsule Gnezneñ. consecratus. Hic undecim manipulares decimas, & septem pecuniales, in uillis circa oppidum Czchovv sitis, ad mensam Episcopalem, uel quod alij astruunt ad Ecclesiam in Brzeze pertinentes, Ecclesiæ Cracouieñ. perpetua donatione contulit. Ex quarum introitibus, in uino, oleo, luminaribus, cæterisq; necessitatibus, ecclesia Cracouiensis & prælati, cum canonicis eam frequentantibus, quotidianis distributionibus prouidetur. Nomina uillarum manipularium decimarum sunt hæc, Gnoynik, Gothprzidovva, Thymovva, Thvvorkovva, Iurkovv, Vyasd, Opathkouicze, Luczslauice, Fasczessovva, Concziska, & Zdanya. Nomina uerò pecunialium, Brzozovva, Olszovva, Slona, Byesznik, Polichta, Poszna, item de Cazimiria Cracouieñ. urbi uicina. Idem Vincentius Kadlubconis Episcopus Cracouieñ. habitum & ordinem religionis Cistercieñ. in monasterio Andrzeouieñ. professus resignato episcopatu, assumpsit, & ex bono factus optimus, nudus, nudum Christum, sequutus est, anno Domini 1218. Et post quinq; annos ergastulo carnis solutus, in domino quieuit, octaua die mensis Martij anni Domini 1223. in monasterio Andrzeouieñ. in medio chori sepultus. Hic dum cathedram Cracouieñ. regeret, Chronicam Polonorum (quæ incipit: Tres tribus ex causis theatrales odere solennitates) scripsit. Plura de exteris, quam Polonorum gestis, nodosè & inuolutè in primis tribus libris perstringens. Hic etiam decem præbendas in Ecclesia Kyelceñ. fundasse, & dotasse asseritur.

Vincentius episcopus Cracouiensis.

Vincētij Chronica.

Rutheni ad sedandum ciuilia bella inter eos orta, anno Domini 1208. A rege Hungariæ Andrea, ut filium suum Colomannum eis præficeret, intestinos motus bellorum compressurum, supplicarunt & obtinuerunt. Quo in Halicz ueniente, & in regem Gallaciæ, per Vincentium Cracouieñ. & alios Hungariæ Episcopos, coronato atq; inūcto, Rutheni in odium & alienationem uersi sunt. Veriti ne per hoc ritus, & genus eorum in exterminiū deduceret. Mscislaus itaq; Mscislauicz Chrobri à Ruthenis ob præstantiā appellatus, Polovvczonū adiutus auxilijs, expugnauit arcē Halicieñ. rege Colomaño, Vincētio Epis. Cracouieñ. & Iuone Cācellario Poloniæ, qui regi Colomāno Salonicā Leskonis albi sororē in uxorē procabant, per turpem fugam elapsis, plurimisq; Hungaris & Polonis occisis, aut captis, & in seruitutē uenundatis. Ad ulciscendū ergò eiectionē Colomañi filij sui, Andreas rex Hungariæ misit notabilē exercitū, misit & Lesko albus exercitū Polonicū, quem rex Hungariæ mitti ab eo precatus fuit. Quatuor aūt ducibus Russiæ cū suis & omnium principum Rusiæ exercitibus, scilicet, Mscislao Mscislauicz, Vvladimiro

Colomannus Rex Gallaciæ.

Ruri-

Rurikouicz, Roscislão Dauidouicz & altero Roscislao Mscislauicz uenientibus, aduenit & Polovvczonum exercitus, geminato numero Hungaricum & Polonicum agmen excedens, incastellato itaq; Halicień. castro, ordinatis aciebus processerunt Hungari & Poloni contra Ruthenorum turmas, superaruntq; Poloni exercitum Vvladimiri, & Roscislai Dauidouicz, Roscislaiq; Mscislauicz, & fugientes, in multa milliaria plurimos trucidando persequuti sunt. In terga uerò Hungarorum & Halicienſium Mscislaus cum Polovvczis, qui in insidijs remotiùs latitabant, irruentes, facilè eos prostrauerunt, & passim trucidarunt, quoniam solutis ordinibus incedebant. Atiliam Filnyam Palatinum Hungariæ cœperunt. Polonos à cæde & persequutione Vvladimiri redeuntes, captiuorum numerum ducentes, & carmen patrium canentes, dum locus euadendi non esset, occiderunt. Extenso insuper signo Polonorũ in alto, residui Poloni, qui ex cæde diffugerant, uel ex persequutione Vvladimiri redierant, illic confluentes, & suos consistere credentes, omnes trucidarunt. Iacebantq; cadauera interfectorum circa Halicz tanquam arena insepulta. Castrum Halicień. Mscislaus accedens primò, & secundò, & tertiò repulsam passus, ipsum sepiuit. Colomanno autem, & qui secum in arce erant negligentius portam castri posteriorem obseruantibus, una noctium suffossione facta, Rutheni in castrum irruperunt, & sub caligine noctis Hungaris & Polonis fugientibus, & sese de muro præcipitantibus, Mscislaus castro potitus, ecclesiam sanctæ Mariæ, in quam Colomannus cum potiorib. militibus & fœminis se receperat, obsedit, & renitentes fame ac siti maceratos expugnauit. Nam uitam duntaxat pacti, ostia aperuerunt, mandanteq; Mscislao Barones & fœminæ educebantur, quos omnes Polovvczis aut suis aulicis donauit. Vltimus omnium Colomannus cum uxore sua eductus, à Mscislao acceptus est, & in Torczsko ad asseruandum missus, nec est de captiuitate solutus, nisi post plures tractatus, anno Domini 1210. habitos. His conditionibus adiectis, ut Bela filius regis Hungariæ, in coniugem Mariam filiam Mscislai reciperet; & quòd Mscislaus post triennium Colomanno de Halicz cederet. Et quòd liberè solueret è captiuitate Colomannum & uxorem eius, omnesq; captiuos suæ potestatis, quæ omnia fuere consummata, quia Mscislaus dux in Thorczsko secessit, annoq; sequenti mortuus, sepultus est in ecclesia sanctæ Crucis in Kiovv, quam uiuens fabricauerat. Colomanno uerò principatus Halicień. non fuit diuturnus: nam Daniel Romanouicz occupata arce Halicień. Colomannum exinde abegit, & fugauit, quem Andreas rex Hungariæ uix post binam expeditionem in ducatum Halicień. restituit. Duce Daniele Romanouicz non audente sese potentiæ Hungarorum opponere. Seditq; Colomannus tribus annis in Halicz, & anno Christi 1225. mortuus est, morbo, an ueneno, incertum est. Postquam Daniel Romanouicz Halicz occupauit. Sed Isaslaus dux Halicień. auxilio Polovvczonum fretus, eum expugnauit, & duci Michalkoni principatum Halicień. concessit.

Poloni et Hungari cõtra Ruthenos. *Poloni cũ Hungaris fusi.* *Halitia capta.* *Colomannus captus.* *Colomannus restitutus.* *Colomannus iterum pulsus.* *Colomannus tertiò restitutus.* *Colomanni mors.*

Sub anno domini 1209. prima die Augusti, scribunt quidam Myecezlaum filium Boleslai uictoriosi, fundasse monasterium sancti Benedicti in Koſczol, ante Kalisz, & illud in monasterio Tinicień. subiecisse, pro dote q; uillas contulisse Koſczol, Gora, Rosztyovvo, Crankovvo, Glogovva, Krzyuosandouo, Klissouo, Pyotrkouo, Nadzerzouo. Cũ molendino ante Kalisz & Lyszecz ante Konin, bona illius ab omnibus tributis & angarijs Polonicis libertando.

Michalko dux Halicia potitus. *Monasteriũ in Koſczol S. Benedicti.*

Cometes apparuit año Domini 1211. decemocto diebus mensis Maij durãs, & supra Polovvczos Tanaim ac Russiam girans, caudamq; in occasum porrigens, & aduentum Tartarorum significans. Nam sequenti anno gens Tartarorũ in eam diem ignorata, conflictis pluribus septentrionis nationibus, ad Polovvczos uenit. Polovvczi siquidem fuerunt gentes, secundùm latus septentrionale Euxini maris commanentes, ultra Paludes Meotidis, quos alij Gothos appellant: & linguagium habuisse asserunt, quale locuti sunt diebus nostris principes de Mankup: ultimò per Baissetum imperatorem Turcorum, anno domini 1486. exterminati, in Chersoneso & insula Tauricæ, quã uulgari nostro Przecop dicimus, à Tartaris Przecopensibus occupata. Tartaris itaq; terras Polovvczonum ingredientibus, per legatum ipsos principes Ruthenorum, uniuersis copijs, & potentijs se adiuuari, postularunt, quoniam par exitium & discrimen eos, sicut & Polovvczos expectaret. Superuenerunt autem & Tartarorum nuntij ducibus Russiæ denũciantes. Ne immiscerent sese Polovvczonum bello, & adiutorio, sed potiùs exterminium eorum, tanquam aduersariorum procurarent. Russitæ uerò immaturo usi consilio, nuntijs Tartarorum comprehensis & occisis, Polovvczis terra, mariq; auxilia dedere, uidelicet Mscislaus Roma-

Cometes *Tartarorũ prima cognitio.* *Polowczy qui fuerint.* *Tartarorum nuntij ad duces Russiæ occisi.*

Romanouicz cum militia Kiouienſ. Mſcislaus Mſcislauicz cum militia Halicienſ. Itemq; cæteri duces Ruſsiæ Vulodimir Rurikouicz, duces Czirnicouienſ. & duces Smolnenſ. iunctiq; exercitui omnium Polouuczonum peruenerunt in Protholcze. Et ab inde ſinguli aſcenſis equis, duodecim ſtatiuis ad fluuium Kalcza uenerunt, ubi iam Tartari caſtra metati fuerant, & illicò reſpirandi ſpacio non dato, Tartari in eos irruerunt. Et contritis ac diffugientibus Polouuczis, acies Ruthenorũ diſijciuntur, plurimaq; cæde peracta, bini duces Mſcislaus Kiouienſ. & Czirnicouienſ. captiuantur: reliqui fugientes (abominabile dictu) à Polouucis ſocijs, per quorum terram fugam maturabant, trucidabantur. Equites quoq; propter equos, pedites propter ueſtes occidebãtur, & in aquis ſuffocabantur. In illa ergo die Rutheni in peſsimum, horrendumq; inciderũt periculum, quale in terris Ruſsiæ unquàm auditum eſt. Eaq; prima clades extitit, quam Rutheni à Tartaris pertulerunt. Mſcislaus autem Mſcislauicz Halicienſ. dux, dum ad naues fugiendo perueniſſet, ſuperatis fluuijs perſecutionem Tartarorũ ueritus, naues abrumpi præcepit, abindeq; fugax in Halicz pauore & trepidatione plenus peruenit. Vuladimirus autem Rurikouicz, fuga & ipſe ſaluatus, in Kiouu perueniens, ſedem Kiouienſem accepit. Alia uerò omis multitudo Ruthenorum, dum ad naues fugiendo perueniſſet, & eas abruptas offendiſſet, in mœrorem uerſa, dum undas tranare non poſſet, fame contabeſcens, illic conſumpta eſt. Præter paucos duces, & aliquos eorum milites, qui in lembis fluuios traiecerunt.

Tartari Polowczos & Ruthenos uicerunt.

CAPVT XXXIII. LIB. III.

ANno Domini 1211. die 16. menſis Maij, Myeczlaus dux Rathiborieñ. & Opolieñ. primus filius olim Vuladislai exulis, & circa Poſnaniam à fratribus conflictus, multum agilis, proceræ ſtaturæ, peritus artis gladiatoriæ, mortuus eſt, cui ſucceſsit unicus filius eius Kazimirus. Iſte Myeczlaus fundauit monaſterium ſanctimonialiũ ordinis Præmonſtrateñ. in Ribniky, quod Kazimirus filius eius in Czarnouuanſz ad fluuium Malpadeuu, qui illic ad prope Odræ miſcetur, tranſtulit.

Myeczlaus dux Ratiboriens. mortuus.

Monaſterium Czarnoviens.

Anno Domini 1213. Vuladislaus Othonis dux Kaliſsieñ. 3. Kal. Nouemb. monaſterium ſanctimonialium in Olobok ordinis Ciſtercienſis diocœſis Gnezneñ. fundauit. Pro dote aſsignans ei uillas Olobok, Tikadłouuo, Zidouuo, Pole, Vurosle, Rablauy. Et contulit eidem uillam Stauu, à filijs Laurentij Dobrogoſtio & Czeſſacha, pro tribus uillis Chotinino, Golikouuo & Pyenyaſzkouuo commutatam. Item Virzbyatha filius Clementis militis, eidem monaſterio contulit quatuor uillas, uidelicet, Conarouuo, Grzibouuo, Myslakouuo, & Druskouuo. Henricus autem archiepiſcopus Gneſnenſem conſecrans baſilicam in Olobok, ad petitionem ducis Vuladislai contulit præfato monaſterio decimas archiepiſcopales de conſenſu ſui Capituli in uillis inter flumina Olobok & Baricz incluſis. Reſignauit Epiſcopatum Cracouienſ. Vincentio Kadlubkonis, anno Domini 1218. ſuffectus eſt Iwo, filius Saulis comitis de Conske, nobilis de domo Odrouanſz, Cantor Gneznenſ. Canonicus Cracouienſ. & ducis Leskonis albi Cancellarius. Qui dum pro confirmatione ad Honorium Papam tertium ſe contuliſſet, & per Hugolinum Cardinalem, Epiſcopum Hoſtienſ. propter familiaritatẽ, quam cum eo in ſtudio Pariſienſ. contraxerat, omnia ad nutum expediuiſſet: uiſis prodigijs ſanctitate, religione & prædicatione beati Dominici, in Poloniam deducendos fratres ſui ordinis petijt. Et alios obtinere non ualens, quatuor familiares & comites ſuos, ſcilicet, Iaczkonem Canonicum Cracouienſ. nobilem de domo Odrouanſz, de prouincia Oppolienſ. & uilla Lanka ortũ. Item Ceslaum Polonum, Henricum Morauum, & Hermannum Theutonicum, per beatum Dominicum ad ordinem aſſumi obtinuit, & illos in Poloniam deducens, S. Dominico ſuperſtite, in Polonia ordinem Prædicatorum plantauit. Anno autẽ Domini 1222. communicato conſilio cum duce Leskone albo, cum capitulo & conſulatu Cracouienſ. eccleſiam S. Trinitatis, quæ matrix & origo fuit parrochiarum, & locũ ſpacioſum pro monaſterio prædictis fratribus S. Dominici aſsignauit, & ornamentis, calicibus, libris, & cæteris neceſſarijs dotauit & prouidit. Et eodem anno in circulo Cracouienſ. nouam eccleſiam parochialem in honorem Dei genitricis uirginis Mariæ præfatus Iwo Epiſcopus Cracouienſem erigi curauit, & in eam ius parrochiæ quod in eccleſia Sanctæ Trinitatis fuit, tranſtulit.

Iwo epiſcopus Cracouienſ.

Iaczko.

Ceſzlaus, Henricus Morauus, Hermannus Theutonicus, or. P. Præ. ſuſcepetunt.

Eccleſia S. Trinitatis.

Eccleſia S. Mariæ in circulo Cracouienſ.

Anno Domini 1221. A feſto Paſchæ uſq; ad autumnum, continuus imbrium deſcenſus inundationẽ cauſauit, & uernales ſegetes ſeminare impediuit: per autumnumq; ſeminata deſtruxit, exinde pabulis deficientibus, mors animalium obtigit: homines uerò plurimos, præcipuè agreſtes fames ualida per triennium continuata abſumpſit, ut plures uillæ, & oppida habitatoribus conſumptis, remanerent deſerta.

Aquarum inundatio.

Fames magna.

Iuuo Epiſcopus Cracouienſ. anno Domini 1222. fundauit monaſterium Ciſtercieñ.

Monasterium in Kaczycze fundatur translatum in Mogilam.

ordinis in uilla patrimonij sui Kaczicze prope oppidum Slumniki. Pro dote eidem assignando Kaczicze, Prandoczin, Monikouicze, Choleuicze, necnon decimas manipulares mensæ episcopalis, de eisdem quatuor uillis prouenientes. Verùm cùm intelligeret locum pro monasterio parum idoneum, anno Domini 1226. ad Mogilam locum paternæ sortis uberem prope Istulam illud transtulit. Ecclesiam quoque ex dolata petra, & partim ex cocto latere in titulum S. Pauli Apostoli (quod nunc S. Bernardi uocant) extruxit & dedicauit. Decimisque manipularibus de mensa episcopali in oppido Dobschycze in uilla Vinari & circumiacentibus uillis dotauit.

Monasterium in Henrichow fundatur.

Anno Domini 1222. Nicolaus de Henrichow, ducis Henrici cum barba notarius, genere & actione nobilis, de consensu & annuentia eiusdem ducis, fundauit monasterium ordinis Cisterciens. in prædicta uilla Henrichow, sui patrimonij Vuratis. diocœsis prope Nissam: & tam uilla, quàm alijs ad illum locum spectantibus dotauit. Nec sua omnia Deo donasse contentus, assumpto habitu in eodē loco, usque ad mortē fœlix fundator militauit.

Mazouia uastata per Prutenos barbaros.

Eodem anno Domini 1222. ciuitas Plocen. & tota Mazouia per Prutenos & Pomeranos uastatur & comburitur.

Hospitali Sancti spiritus Cracouia fundatur prius in Prandnik 1223.

Anno Christi 1223. Iwo episcopus Cracouiens. hospitale pro personis utriusque sexus in Prandnik fundauit, quod Fulco episcopus Cracouiens. nisi morte præuentus fuisset fundare & dotare decreuerat: & in præfato hospitali fratres hospitalarios de Saxia constituit, geminam crucem albam in nigro pallio deferentes, sub regula B. Augustini militantes. Donans eidem hospitali uillam Krowodrza. Item utramque Vuronij, item nonnullas decimas manipulares de mensa sua Episcopali. Verum perpendens huiusmodi hospitale, à frequentia hominum longè distare, de Prandnik in Cracouiam ipsum transtulit. Et Ecclesiam in honorem Sanctispiritus, monasterium, & monasterij officinas pro fratribus, habitacula uerò pro miserabilibus & infirmis personis construxit. In translatione autem huiusmodi anno Domini 1244. sexta die Aprilis facta, præfatus Iwo episcopus duas ecclesias parochiales, unam S. Crucis in Cracouia, alteram S. Martini in uilla episcopali Biskupicze supra Vyeliczkam sita, cum earum decimis & prouentibus, pro eiusdem hospitalis subsistentia uniuit.

Monasterium Oliua à Prutenis barbaris uastatur.

Barbari Pruteni, anno Domini 1224. facta irruptione in monasterio Oliuo, Abbatem cum fratribus & uniuerso conuentu captiuant, & uersus Gedanū deductos, crudeli morte omnes interimunt. Et ex tunc terras Culmeñ. & Lubauiens. per insultus & clandestinas incursiones uastare cœperunt, nec dux Conradus Mazouiæ, neque Cruciferi rubeo ense & cruce signati, per ipsum uocati, desertationi prædictarum terrarum subuenire potuerunt.

Lubusz occupatur.

Eodem anno Lanthgrauius Poloniam inuasit, & castrum ac ciuitatem Lubusz expugnando occupauit.

Monasterium ord. præd. Gedano anno 1225. fundatur.

Suuantopolcus Pomeraniæ dux, de consensu & consilio Michaëlis Vuladislauiens. episcopi, anno Domini 1227. die 23. Ianuarij, fundauit monasterium prædicatorum S. Nicolai in ciuitate Gedanens.

Ruthenica intestina clades.

Duces Rusiæ Georgius Vuladimiriens. & Iaroslaus Pereaslauiens. ab una. Item Vuladimirus Constantinus, & Mscislaus duces Smolnenses, & Nouogradēses fratres germani parte ab altera. Anno Dñi 1206, die Aprilis 12. confligūt, & cæsis Ruthenorum decem millibus, cessit uictoria Constantino, Vulodimiro & Mscislao. Qui Georgium Vladimiriam diffugientem obsidentes pacem ei petenti concesserunt, & ad eos exeunti, ea conditione ut de castro excederet. Quo excedente datum est Constantino, deinde uictores contra Iaroslaum in Pereaslauu exercitum duxerunt. Qui illicò ab eis pacem petiuit, & obtinuit, castrumque Pereaslauu retinuit, tamen plurima munera reconciliatis ducibus transmisit.

Lithuani à Ruthenis cæsi.

In æstate autem sequentis anni duces Ruthenorum Vulodimir Rurikouicz Kiouien. habens in comitatu Smolnensium militiam, Romanus Borzisz ouicz, Constantinus, Mscislaus & Roscislaus filij Dauid Lithuanos Rusiam uastantes, magna cæde conflixerunt, Lithuanorum duces occidendo, fugientes persequendo, in syluis & abditis plurimos interficiendo.

Eadem tempestate Hleb dux Reszanorum, auaritia ductus, sex germanos & plures Boyaros crudeliter peremit, ut integrum principatum Reszanorum occuparet. In hyeme autem anno Domini 1217. Lithuanos rapta præda de Rusia fugientes, dux Iaroslaus Vuseuoldouicz, & Nouogrodenses consequutos prostrauerunt: Plures tamen milites Rusiæ desiderabantur, & dux Dauid Toropeczki occisus iacuit. Iterum sequenti tempore alio exercitu Lithuanorum uastante regionem Poloczko, dux Mscislaus Dauidouicz, cum militia Smolnensium celeriter superueniens, incautos absque numero in Poloczko occidit. Alios in lacubus, paucis admodum euadentibus, mersit,

Kamyenyecensem regionem uastant.

Anno autem Domini 1218. duces Czirnieouiens. cum suis gentibus, cum Mscislao Smolnensi, & Polouuczis Kamyenyecensem regionē, nemine repugnante, uastauerunt.

CAPVT

CAPVT XXXIIII. LIB. III.

POst funestam Leskonis albi necem, per Suuantopelcum Pomeraniæ præfectum, de annuentia & scientia Vuladislai Othonis maioris Poloniæ ducis, & sceleris socij, actam, Anno Domini 1228. inter Henricum cum barba ducē Slesiæ, & Conradum ducem Mazouiæ, super monarchia & Leskonis albi puerorum cura, dissensio orta est: aggressusq; dux Conradus Mazouiæ munitiones, quas dux Henricus cū barba erexerat, aliam supra collem fluuij Prandnik, prope oppidum Skala: alteram in Medzboze prope uillam Vuroczirzisz: Cum clade & captiuitate suorum, ac occisione filij sui Premislai, per ducem Henricum conflictus, inexpugnatas reliquit, & in Mazouiam diuertit. Cumq; Henricus Slesiæ filium suum Henricum cum copijs in Slesiam remisisset, & in Cracouiense ducatu securus uersaretur, dux Conradus ab exploratoribus certior factus, in terram Cracouiens. adueniens, Henricum ducem Slesiæ in Spitzouicza auditioni missæ deditum offendit, & eum captiuatum in Mazouiam deduxit. Ad quem liberandum, dum filius eius Henricus pararet exercitum, Beata Heduigis plurima mala auersura, ad ducem Conradum personaliter in Mazouiam se contulit, & prudentia, qua pollebat, inter duces pacem composuit: ut dux Henricus de iure monarchiæ & tutoriæ Conrado cederet, captiuosq; Conradi libertati restitueret, renuntiationem corporali iuramento firmādo. Duas insuper neptes, filij sui Henrici filias, filijs Conradi in uxores desponsauit, Kazimiro Constantiam, & Boleslao Gertrudim. Cœpitq; ex tunc Conradus Mazouiæ se monarcham & Leskonis puerorum tutorem gerere.

Henrici cū barba & Conradi Mazouiæ ducum super monarchia dissensio.

Beata Heduigis.

Conradus [illegible] monarchiam gessit.

Rursum in anno sequenti ortum est aliud bellum, inter duces maioris Poloniæ, Vuladislaus siquidem Laskonogy, ad propulsandum iniuriam sibi illatam, cum Vuladislao Othonis nepote suo congressus est, & eum fudit, captiuatumq; in uincula coniecit, qui suffragio fauentium euadens, ad Suuantopelcum uxoris suæ fratrem peruenit. A quo nedum gentes ipsius Pomeranicas in subsidium sibi obtinuit, sed & personaliter cum eo aduersus Vuladislaum Laskonogy uenit. Vuladislaus autem Laskonogy eorum aduentu territus, relictis castris maioris Poloniæ, ad Rathiborz fugit, & à Kazimiro Myeszkouicz, duce Rathiborieñ. amicè susceptus est, Vuladislao Othonis omnia castra propria, & sui patrui occupante. Anno uero Domini 1231. Vuladislaus Laskonogy ex Rathiborz cum exercitu egrediens, Gneznam castrum, quod fortis ipsius erat obsidione uallauit, & cum duobus mensibus obsidio continuaretur, & nemo ex subditis suis (propter fœdos & lasciuos mores eius) ad eum deficeret, uulgatumq; foret Vuladislaum Othonis cum socero suo Suuantopelcone & ualidis copijs aduentare, tristis & gemens inexpugnato castro Gneznensi in solitum sui exilij locum Rathiboriam remeauit. Et 15. Kalend. Septemb. eiusdem anni in oppido Sroda fato subtractus est, apud Rathiboriam. Vel ut alij uolunt in monasterio Lubeus, nulla prole relicta, sepultus. Vuladislaus ergo Othonis, tota maiori Polonia possessa, diuinam miserationem, & sui sublimationem recolendo, libertates & priuilegia binis cathedralibus ecclesijs sui principatus, Gnezneñ. & Posnanieñ. contulit, uillas ecclesiarum & earum incolas, ab omni seruitute & contributione, quæ olim cameræ ducis soluebatur, absoluendo. Et ab omni iurisdictione ordinaria & extraordinaria Palatinorum, Castellanorum, & cæterorum officialium: donauitq; utriq; Pontifici auctoritatem in bonis ecclesiæ uenandi, & monetam fabricandi. Præterea donauit Paulo Posnaniensi Episcopo, & suis successoribus, uillam Sulkouua, Krobya, ratione suæ, & patrum suorum sepulturæ. Occasione itaq; harum libertatum, edax liuor corda nobilium maioris Poloniæ persuasit, & clandestinis, contra Vuladislaum Othonis, qui & Pluuacz dictus est machinari cœperunt insidijs. Verùm ubi solertissimas ipsius cognouerunt deuitationes, & cautelas, ad defectionem uersi sunt, & uocauerunt Henricum cum barba ducem Slesiæ, & Vuratislauiæ inimicū Vuladislai, propter uulnera ipsi olim inflicta, de annuentia Vuladislai Pluuaz, & occisionem Leskonis albi in Ganszaua. Quo cum forti exercitu ueniente, præfatus Vuladislaus Othonis à suis desertus, exussit castra Bnin & Srem. Ne hostis his potiretur, & refecto castro Gnezna, fortiq; præsidio eidem imposito, ad Suuantopelcum præfectum Pomeraniæ perrexit. Henrico autem oblata sunt per Barones maioris Poloniæ castra, Posnaniense, Calisiense, Pisdrense, Sredense, & castrum Byechow. Castra uerò demolita, Bnin & Srem recuperauit, & Borziuoyo ex sorore nepoti, filio Dipoldi marchionis Morauiæ in administrationem tradidit.

Vuladislaus altus pulsus.

Vuladislaus altus in exilio moritur.

Vuladislai Othonis [illegible] in diuinis [illegible] religione.

Henrici cū barba cōtra Vuladislaum Othonem expeditio.

CAPVT XXXV. LIB. III.

INterea Conradus Mazouiæ dux, feritate & frequentibus incursionibus Prussorum plurimum attritus, de consilio Cristini Episcopi Culmensis, religiosi de ordine Cisterciens. uocauit de domo Theutonica, septem fratres ordinis sepulchri Dominici Hierosolymitani, nigram crucem in albo pallio ferentes, quorum magister & primicerius erat Hermannus Balke de Salcza, & ipsos in castro Dobrzin locauit. Hermannus uerò magister ordinis, post se reliquit fratrem Conradum de Landisbergk, qui cum auxilio ducis Conradi Mazouiæ, in littore Istulæ, anno Domini 1231. locauit castellum vogilsang, in arbore quoque quercus aliud castrum ædificauit, locauit & ciuitatem Thorun, eamq; postmodũ in priorem locum transtulit, cœpitq; ex his locis Prutenos impetere, & eorum incursiones prohibere. Fabricarunt etiam Pruteni duo castra, unum supra Istulam ultra Thorun, quod uocarunt Rogow: aliud iuxta Thorun, in loco ubi nunc stat antiqua Culmensis cathedra, & Pipinus Prutenus, Christianis infestissimus, tertiam munitionem in lacu posuit, quæ in hanc diem lacus Pipini dicitur. Hæc tamen Prutenorum castra, per fratres Cruciferos & milites Polonorum sub paucis diebus fuerunt expugnata. Pipinus uerò captus, aperto uentre ad arborem agitatus in circuitum euisceratus est. Aedificauit insuper magister Cruciferorum castrum Qwiedzin, in territorio Culmens. & ex eo Vilna castrum propinquum Prutenorum expugnauit, & conquisiuit.

Rogow. *Lacus Pipini.* *Pipinus Prutenus.* *Qwiedzin.*

Anno Domini 1234. Gregorio Papa nono incitante, collegerũt ualidum exercitum principes Conradus Mazouię, Hēricus Vuratislauiens. S. Heduigis maritus, & Vuladislaus Othonis maioris Poloniæ, Swantopelk & Sambor germani, Pomeraniæ, una cum Hermanno & fratribus Theutonicis S. Mariæ, & tempore hyemis in Prussiam duobus agminibus descenderunt, ac totam terram Prussię in girum, ferro & ignibus uastauerunt. Prutenisq; copiam pugnandi non facientibus, occisis quinq; millibus Barbarorum, & castro Radzin expugnato, atq; locato, in propria remearunt. Instantibus autem, duce Henrico cum barba Vuratislauiensi, Agasia consorte ducis Conradi, & filijs suis Boleslao, Kazimiro & Semouito. Item Guntero Plocens. Michaële Vuladislauiensi, Cristino Culmensi, Episcopis, Pacoslao comite Derszouiensi, Conradus dux Mazouiæ fratribus Cruciferis præfatis, terras Culmens. & Lubauiens. sitas infra fluuios Ossam, Drwanczã, & Vurokam, donauit & de facto inscripsit, ut postquàm fratres Cruciferi terras Prussiæ conquirerent, donatione terrarum Culmens. & Lubauiæ irritata, & ad ducē Mazouię Conradum, suosq; successores reducta atq; deuoluta. Possessio terrarum Prussiæ conquisita, ex æquo inter Conradum ducem Mazouiæ, suamq; progeniem & Cruciferos, partiretur. Huius ordinationis apices & instrumenta (ut aiunt) apud duces Mazouiæ conseruata reperiuntur. Quantum uerò dissidij, quantũmue cruentarum occisionum, per fratres Cruciferos in regno Poloniæ de post factarum, talis Cruciferorum introductio intulerit, historiæ satis patefaciunt. Et quamuis sub Kazimiro tertio, ad extremum subiugata uideretur Cruciferorum potentia, manent tamen usq; in hanc diem prisci uestigia mali, magistro Cruciferorum Alberto de familia Brandeburgens. principum cum recalcitratione, pro homagio in obedientiam opponente. Sed hæc hactenus.

Prima expeditio in Prutenos per fratres. *At, fratribus donata et quibus conditionibus.*

CAPVT XXXVI. LIB. III.

DVce Conrado Mazouiæ, bello Prutenorum occupato, Boleslaus pudicus dux Cracouiæ & Sandomiriæ cum genitrice ipsius Grzimislaua, beneficio & auxilio Nicolai Abbatis Szeczechouiens. ordinis S. Benedicti captiuitatem euasit, siquidem Boleslao pudico regimē terrarum suarum, & è tutoria patrui sui Conradi in ætate pubertatis liberam dimissionem optante. Conradus dux Mazouiæ, captum cum matre eius Grzymislaua primùm in castro Czirsko, deinde in Szechzechow arctauit, & strictæ custodiæ deputauit. Quam intempestę noctis silentio, post unum annum captiuationis, & paulòpòst euadens, in castra propria Sandomiriæ & Zauichost peruenit, & tanquàm hæres susceptus est. Hisq; militibus munitis, nouam captiuitatem metuens, ad ducem Henricum cum barba tertio gradu affinitatis eum contingentem concessit, & principatuum suorum optatam defensionem ab eo obtinuit. Dux enim Henricus Vuratislauiens. cum omnibus suis potentijs unà cum duce Boleslao pudico, in terram Cracouiens. aduenit, & à singulis nobilibus Cracouiens. & Sandomiriens. exceptus est. Arxq; Cracouiens. & cæteræ munitiones (deferentibus eas prefectis ducis Conradi) duci Boleslao pudico traditæ sunt. Anno autem sequenti scilicet 1235. Conradus Mazouię cum copijs tàm proprijs, quàm auxiliaribus, in terrã Cracouiens. uenit & eam exustionib. affecit. Henrico uerò cum barba in publicam dimicationem nō ueniente, sed per insidias ex iniquis locis gentes Conradi plurimum lacessente. Dux Conradus Mazouiæ, incastellatis

Boleslaus pudicus cum matre captus. *Boleslaus pudicus sua recuperat.* *Conradus repugnat.*

quatuor ecclesijs, S. Andreæ, sub castro Cracouiens. nondum muro Cracouiens. inclusa. Item ecclesia in Prandocz in ecclesia collegiata Scarbimiriens. & monasterio Andrzeouiens. pluribus difficultatibus inuolutus, mœrens in Mazouiã discessit. Post cuius discessum Henricus cũ barba, & Boleslaus pudicus, alijs castellis de lignis è regione & in proximo erectis, aliquot mensibus angustatos milites Conradi expugnauerunt. Exinde Henricus cum barba in maiorem Poloniam perrexit, & castrum Gnezna quod unicum restabat expugnandum, obsedit, adhibitisq; omnibus uiribus & conatibus, expugnare nõ ualuit, & è castro quod pro maiori parte ligneũ erat inexpugnato, multis dãnis exceptis, & tribus machinis potioribus ex continua proiectione fractis, in Slesiam discessit. Vuladislaus uerò Othonis post discessum ipsius, cum suis militibus superueniens, oppida & uillas maioris Poloniæ spoliauit, & exussit: castrumq; Srem, corruptis uigilibus, nocte inuasit, & Borziuogium Dipoldi marchionis Morauiæ filium, Henriciq; cum barba ex sorore nepotem, à Paulo Posnanieñ. præsule excommunicatum, pro eo, quòd in quodam colloquio, in Srem habito, eum captiuauerant, cæteris diffugientibus, occidit. Castroq; Srem spoliato & incenso, ad castra Nakel & Vscze, quæ in sua fide manebant, diuertit. Henrici tamen cum barba auctoritas, ex tutoria Boleslai pudici plurimum creuit. Nam eo tempore monarcham Poloniæ & ducem Cracouiens. Sandomiriæ maioris Poloniæ & Slesiæ se titulauit, & prædictos ducatus in pace gubernauit. Exclusisq; Templarijs de Opathow, ubi eorum monasterium notabile erat, tàm oppidum Opathow, q; decimas manipulares, & sedecim uillas Boleslao pudico annuente: itẽ in maiori Polonia oppidum Kazimirz, cum quatuordecim uillis & totidem decimis: item in Slesia oppidum Borek, cũ uillis, decimis, & lacubus ecclesiæ Lubuceñ. sui dominij donauit & appropriauit, quod in hanc diẽ inuiolatum obseruatur. Paucos tamen ante annos Christopherus de Schidlouicz Palatinus Cracouieñ. ab Episcopo Lubuceñ. Opathow cũ omnibus uillis hæreditariè coëmit.

Munitiones Conradi expugnatæ.

Vuladislaus Othonis.

Templarij ex Opathow exclusi.

Anno autem Domini 1238. dum in Crosnam prope terminos Bohemiæ sitam, dux Henricus cum barba, sese recepisset, grauiter languens, sacramentis ecclesiasticis deuotè perceptis, 14. Kal. Aprilis animã exhalauit. Beata Heduigis cõsors sua, quamuis per nuncium certior de ægritudine mariti facta fuisset, uisitare illum intermisit, dumq; in monasterio Trzebnicz adductus sepeliretur, cæteris funus & sepulturã cohonestantibus, illa sola beata fœmina in monasterio Trzebnicensi substitit, nec lachrymas admisit. Et ad moniales lamentantes, ac inconcinna eiulatione uociferantes, incõcussa dixit. Iniquum esse tanto mœrore diuinæ contrauenire uoluntati. Iste Henricus appellatus est cum barba, quoniam sex lustris (quæ triginta annos constituunt) sua coniuge Beata Heduigi in sororem commutata in cœlibatu uiuens, barbam more conuersorum produxit, & tulit, uestibusq; auro ac ostro nitentibus abiectis, lineo & simplici habitu utebatur. Iste quoq; Henricus cum barba, rempub. Poloniæ prouidè rexit, audaces coërcuit, maleficos & calumniatores exterminauit, leges concussionis Pomocznæ uirginale, & uiduale elisit, & libertatem ecclesiæ confirmauit.

Henricus cum barba moritur.

Henrici cum barba laudes.

CAPVT XXXVII. LIB. III.

IVuo Episcopus Cracouiens. dum Gregorium Papã nonum (olim in studio Parisiensi familiaritate sibi obstrictum) apud Perusiũ reperisset, dignitate metropolitica suæ Cracouiens. ecclesiæ expedita & reobtenta, redeundo è Roma (propter indulgentias aggressa) febribus correptus, anno Dñi 1229. die 21. mẽsis Iulij, duodecim annis in pontificatu exactis, in itinere mortuus, & à familiaribus suis in ecclesia Mutineñ maiori, iusto honore sepultus est, ossa autem ipsius, frater Martinus de Sandomiria cum alijs fratribus monasterij S. Trinitatis Cracouieñ. in Italiam missis, de licentia Episcopi Mutineñ. in Cracouiam retulerunt, & anno Domini 1237. in medio chori præfati monasterij, ob beneficium fundationis recondiderunt. Iste antistes dignè recolendus, fundauit monasteria in Kaczicze, in Mogila, in Dlubnya, in Mstouu. Item ecclesias parochiales in Vaurzinczicze, in Dzerzaszna, in Daleszicze, & S. Pauli in Sandomiria. Item hospitale pauperum in Cracouia. Circa annum Domini 1236. dũ turris ecclesiæ cathedralis Cracouiens. sumptibus testamentis Iwonis, olim præsulis Cracouiens. plumbo tegeretur, ex negligentia operarij carbo ignitus fortuitu decidens, uniuersam ecclesiam nocte incendit, & conflagrauit. Huius etiam ecclesiæ Cracouiens. antea decemocto annorum spacio, ærarium seu totus thesaurus & preciosa ornamẽta cum scrinijs & cistis, tactu fulminis, tempore ducis Leskonis albi, & Vincentij Cadlubkonis episcopi Cracouiens. anno Domini 1212. in mense Iulio, hominibus nequicquàm contingere ualentibus, ignibus consumpta fuerũt. Paulus Episcopus Posnaniens. cum consensu sui capituli, monasterium fratrum Prædicatorum in Srodka prope ecclesiam S. Margarethæ, anno Domini 1231. undecimo Kalendas Nouembris, fundauit.

Iwo episcopus Cracouiensis moritur.

Monasteria in Kaczicze, Mogyla, Dlubnya Mstow.

Ecclesia Cracouiens. conflagrata.

Monasterium prædicatorum in Srodka.

Anno Domini 1234. Theodorus Palatinus Cracouiens. de domo & familia Griphonum, quem Poloni appellarunt Cedronem, monasteriū ordinis Cisterciens. sub titulo S. Mariæ in uilla sua Ludzimirz, prope oppidū Nouytarg, de sub montibus Sarmaticis fundauit, & fratres ex Italia accersitos, locauit, pro dote præfatam uillam Ludzimirz cum pluribus alijs assignando. Vislaus autem Episcopus Cracouiens. idem monasterio manipulares decimas omnium uillarum monasterio prædicto attributarum, & locandarum, adiecit. Cumq; à uiris bellicis, fratres prædicti persæpe deprædarentur, post decenniū in Sczirzicz, uillam à Sulislao Canonico Cracouiens. filio Ioannis militis, pro centum marcis argenti comparatam, transtulit, ubi in hanc diem permanet. Prandotha uerò Episcopus Cracouiens. Villeslai episcopi immediatus successor, de cōsensu capituli, decimas manipulares mensæ suæ, in uillis Posnanouicze, Gostachouu, Dlichouu, & in nigra sylua, præfato cœnobio, inscripsit & perpetuò donauit. Eiusdem anni Kal. Februarij, Bronisius de Gosczikouu, comes & palatinus diocœsis Posnanien. de domo & familia Vyenyeuua, caput Zubronis pro insignijs deferente, in prænominata uilla Gosczikouu, quæ extunc paradisus uocari cœpit, monasterium ordinis Cisterciens. sub honore & titulo dominæ nostræ Mariæ fundauit, pro dote præfatam Gosczikouu, & uillas uidelicet Linam, Clodauuam, Gorzikam, & Polencz, assignando. Fratres in hoc cœnobium de monasterio Lemnens. de annuentia Hermanni Abbatis Lemneñ. monasterij, introduxit. Primus autem Abbas in huiusmodi nouiter fundato monasterio, fuit frater Menszo.

Monasterium Sczirzicz.

Monasterium Gosczykow.

Anno Domini 1234. fratres Cruciferi cum auxilio marchionis Misznens. uictis Prutenis de territorio Pomeraniæ, fidem Christi illos assumere coëgerunt. Et post hoc Henricus marchio Misznens. cœpit castrū Ploczko, quod Conradus dux Mazouiæ cum filijs suis Boleslao & Kazimiro reacquisiuit, & Misnens. trucidauit. Alios cū ecclesia cathedrali comburendo, alios per pedes suspendendo, alios uarijs tormētis afficiendo. Eodem anno dux Conradus Mazouiæ, monasteriū fratrum prædicatorū in Ploczko fundauit. Anno Domini 1236. die Iulij secunda, Conradus dux Mazouiæ principatus suos inter duos filios diuisit. Boleslao ducatum Mazouiæ, Kazimiro uerò ducatum Lanciciæ & Cuyauiæ assignando, & ambo iureiurando in præsentia Episcoporum Vuladislauiens. & Plocens. ac plurimorum Baronum se huiusmodi diuisionē seruaturos, promiserunt. Eodem anno, 6. die mensis Maij, in Oppol Kazimirus, dux Oppoliens. & Rathiboriens. mortuus est: filius Myeszkonis, Henrici cum barba frater patruelis, & in monasterio Czarnouansz, ordinis Præmonstratens. à se illic ex Ribniki translato, sepultus, qui duos filios, Myeczlaum natu maiorem, & Vuladislaum minorem, reliquit. Anno Domini 1237. dux Myeszko ob deformitatem capillorum Cosziszko appellatus, ex cōcessione patris sui Conradi ducis Mazouiæ ducatum Cuyauiens. sortitus. Quia uiduarum & orphanarum uaccas occiderat, & substantias spoliarat, inter conuiuandum iustissimo Dei iudicio, fluminibus & aquis nequicquam suffragantibus, à muribus miserabiliter deuoratus est. Ecce saluos fecit Deus filios pauperum, & humiliauit oppressorem. Ecce iniuriæ pauperum & uiduarum uindice Christo ultæ sunt.

Pruteni fidem Christi susceperunt.

Monasteriū in Ploczko.

Kazimirus dux Oppolien. & Rathibo. mortuus.

Myesko dux Mazouiæ à muribus deuoratus.

Eodem anno 1237. Fratres minores, ordinis S. Francisci, Boleslaus pudicus in annis pueritiæ constitutus persuasione genitricis suæ Crzimislauuę inductus, ex Praga in Cracouiam uocauit, pro monasterioq; & Ecclesia locum amplum donando, tàm ecclesiam, quàm monasterium coctis lateribus ædificauit & consumauit. Item anno quo supra, scilicet 1237. Magister Cruciferorum Hermannus, auxilio ducū Conradi Mazouiæ, Swantopelci & Samborij Pomeraniæ castrum, & oppidum Elbyang in districtu Pogoszono ædificauit, dato nomine ciuitati à flumine Elbing hic decurrenti, & magno stagno, quod Hab dicitur se miscenti.

Fratres minores Cracouiam inducti.

Elbyang ædificatur.

Anno Domini 1238. monasterium fratrum Prędicatorum apud Halicz fundatur, & fratres è Polonia illic domum acceperunt.

Monasterium fratrum Prædicatorum in Halicz.

Anno Domini 1238. in maxima multitudine Tartari Russiam ingredientes, uniuersam terram Rzeszanska uastauerunt, ducem occiderunt, senes & impuberes necauerunt, certam multitudinem in captiuitatem abduxerunt, castra incenderunt. Iterum hyeme eiusdem anni Tartari in terram Szusdalorum uenerunt, & ea uniuersa uastata, ducē Georgium & filios eius, pluresq; alios Szusdalorum principes interfecerunt, castrum Rostouu incenderunt, captiuos & prædam pro libito abduxerunt. Sequenti quoq; anno in Smolnens. & Czirneouiens. regiones uenientes, eas crudelissima cæde nullæ ætati parcentes, peruastarunt. Castra & fortalicia, ex quibus duces & milites præ timore fugerant, incenderunt, & onusti captiuorum multitudine, in terras suas redierunt.

Tartarorum uastatio.

CAPVT

CAPVT XXXVIII. LIB. III.

Henricus secundus.

DEfuncto Henrico cum barba, succeſsit ei in omnibus principatibus unicus filius eius (alij namque omnes morte abſumpti erant) Henricus ſecundus, qui & pius dictus eſt, ex Beata Heduigi progenitus. Et quum Vuladislaus Othonis maiores Polonos frequentiſsimis pollicitationibus ſollicitaſſet, quòd in dominium maioris Poloniæ tanquàm hęres proprius reaſſumeretur, non tamen exauditus eſt, nec reaſſumptus. Ea propter triſtitijs tabefactus, in proximo uitam cum gemitibus, anno Domini 1239. in Pomerania exulans, finiuit. Verum ſepulturam cũ auis & patribus ſuis in medio maioris eccleſiæ Poſnanienſ. mandante Henrico ſecundo, & matre eius Beata Heduigi perſuadente, habere meruit. Reliquit autem præfatus Vuladislaus Othonis binos filios, ex Helinga Suuantopelconis filia genitos, ſcilicet Premislaum & Boleslaum. At Conradus dux Mazouiæ opportunitatem temporis nactus, fœdera irritando, pluribus incurſionibus clandeſtinis, & publicis, nepotem ſuum Boleslaum pudicum ducem Cracouiæ & Sandomiriæ perſequi cœpit, quia tutor ipſius Henricus cum barba morte extinctus eſſet. Quapropter accepto cõſilio idem Boleslaus pudicus Clementem de Clenyanthow, & Ianuſsium Palatinum Cracouienſ. ad Belam regem Hungariæ confœderandum, & procandum filiam eius Kunegundim, quæ in Hungarico Kinga dicta eſt, miſit, & facta diſpenſatione, adducta eſt in Cracouiam, anno Domini 1239. cum dote quadraginta millium marcarum. Quo audito territus Conradus dux Mazouiæ, laceſſere nepotem ſuum Boleslaum pudicum deſtitit. Iſta eſt fœlix Kinga, quæ matris aluò fuſa, non fletum ut cæteri pueri, ſed ſtatim in lingua Hungarica articulato ſermone protulit: Aue regina cœlorum. Iſta in infantia ferijs quartis & ſextis, uelut beatus Nicolaus Pontifex mi re ſemel ſugebat ubera. Iſta maritum ſuum Boleslaum pudicum, ut cœlibatum, & perpetuam uirginitatem una cum ipſa teneret, induxit. Ob quam continentiam pudicus appellatus eſt. Iſta eſt Kunegundis, quæ per pietatis opera, non ſecus quàm beata Heduigis, cuius ipſa neptis ex ſorore germana fuerat, in Polonia refulſit. Et licet Conradus Mazouiæ dux, externa bella nõ attentaret, Boleslaumq́ pudicũ minimè inquietaret, inteſtina tamẽ lite haud carere potuit. Ioannem ſiquidem Czapla ſcholaſticum Vuladislauienſ. & Plocenſ. eccleſiarum, & cancellarium ſuum, uirum doctum & iuris benè peritum, in æculeo prius tortum, in patibulum ægit, & ipſum ignominioſè ſuſpendit, quem fratribus Prædicatorum ad tumulandum ducentibus, Agaſia ducis Conradi uxor, tanquàm altera Iezabel eripi iuſsit, & denuò in altero patibulo ſupra Iſtulam, iuxta S. Benedicti eccleſiam, è regione & in conſpectu maioris eccleſiæ Plocenſ. alligauit & ſuſpendit. Sed Martinus Prior ordinis Prędicatorum, miſsis fratribus, ſecundo depoſitum, in Eccleſia cathedrali ſepeliri ordinauit. Cauſa huius mali in perſpecti ſuſpitio ducis Conradi fuit, quoniam Kazimirus filius eius cum noua ſponſa filia ducis Henrici ſecundi, Cõſtantia nomine, nepte beatæ Heduiguis Vuratislauię diutius commoratus, repetitisq́ uicibus, per Conradum patrem ipſius euocatus, amore ſponſæ uinctus, nõ aduolauit. Suſpicabatur dux Conradus quòd conſilio præfati Ioannis Scholaſtici Pædagogi filij ſui, cum duce Henrico Vuratislauienſ. de proditione patris ſui, ad ulciſcendum captiuationem olim Henrici cũ barba, per Conradum factam, tentaret. Sicq́ dux furore actus, ſine ſufficienti examinatione, Ioannem Scholaſticum ſacerdotio decoratum, ſuſpendio turpiter dedecorauit, & terribili morte extinxit. In cuius ultionem Pontifices ducem Conradum cenſuris innodarunt. Primum etenim Andreas Epiſcopus Plocenſ. eum excommunicauit. Deinde Petrus Archipræſul Gneznenſ totam diocœſim Plocenſ. unà cum duce Conrado & uxore eius, interdicto ſuppoſuit. Donec ipſe dux humiliatus, anno Domini 1240. in conuentione Lancicienſ. pœnitentiam ægit, & pro ſatisfactione ſceleris in ſacerdotem patrati, uillagium Louicz, cum ſyluis & pertinentijs, Archiepiſcopo Gneznenſ. perpetuo inſcripſit. Et ut Archiepiſcopus Gneznenſ. ſit Canonicus natus, & prębendatus in eccleſia Plocenſ. ducem tamen Mazouiæ unam marcam auri ſoluendo recognoſcat. Eccleſijs uerò Vuladislauienſ. & Plocenſ. æuiternè certas libertates donauit, quod Apoſtolici cõmiſſarij, Thomas Epiſcopus Vuratislauienſ. & Gerardus Scholaſticus Cracouienſ. per Gregorium Papam nonum deputati confirmarunt, & beneficium abſolutionis ab Archiepiſcopo Gneznenſ. promulgatum & caſſatum, denuò auctoritate Apoſtolica impenderunt. Quæ omnia in inſtrumento originali conceſsionis præfati ducis Conradi (quod in eccleſia Vuladislauienſ. conſeruat) cuius initium eſt: Cùm piarum ſit mentium &c. manifeſtè continentur.

Beata Kunegundis.

Mulieris crudelitas.

CAPVT XXXIX. LIB. III.

POst hęc Tartarorum horrenda uastatio ex ordine subnectenda est. Anno Domini 1241. Tartari per Rusiam, trucidatis tyrannis & principibus Ruthenorum, in Poloniam uenerũt, receptaq; prædia in oppidis Lublin, & Zauichost, uiciniscq; eorũ, eam in Rusiã reduxerunt, festinanterq; redeuntes, Sandomiriã cum castro expugnauerunt, illicq; Abbate Coprziwnicien. cũ fratribus eius, & magnum numerũ utriusq; sexus, nobilium & ignobilium, uirorum ac matronarum, ad conseruandum uitam Sandomiriæ collectorũ, occiderunt. Inde exeuntes per Visliczam, in Skarbimiriam uenerũt, & prædam deducturi in Rusiam reuertebantur, dũq; statiua ad fluuiũ Czarna, apud uillã, quę maior Thursko uocatur, tenerent. Irruit in eos Vuladimirus Cracouien. Palatinus cũ militibus Cracouien. ubi inter pugnandum omnis captiuorum multitudo diffugiens, in propinquas syluas se recepit, superati tamen sunt pauci à multis. Vulodimirus Palatinus Cracouien. cum suis à Tartaris, uerum strage suorũ Tartari perculsi, per syluam Stremech in Rusiam recesserunt. Et in supplementum accersitis plurimis Tartaris, cum fremitu & ira in Poloniam redierunt. Et quia maximum habuerũt exercitum, ad Sandomiriã peruenientes, bifariam eum diuiserunt: minoremq; exercitum in Laciciam, Siradiam, & Cuyauiam, cum principe Kaydano, destinârunt, qui nullo obice apparente, crudelissimè illos districtos cædibus, atq; igne uastarũt. Et sanctimoniales monasterij Vithouien. præter tres, quæ in syluas fugerant, rabie barbarica occiderunt, propter quod processu temporis, moniales illius loci, in locum tutiorem, Cracouien. diocœsis translatæ sunt. Abbacia Buszen. de Buszkq in Vithow translata. Maior autem Tartarorum exercitus, cuius ductor Bathi rex, & primus Imp. Tartarorum fuit, uersus Cracouiam, omnem transitui propinquã cæde & incendio præuastans, iuit. Occurrunt ergo ei in uilla Chmyelik prope oppidũ Szidlow, Vulodimirus Palatinus, Clemens Castellanus, Cracouien. Pacoslaus Palatinus, Iacobus Racziborouicz Castellanus Sandomirien. cum nobilibus & militibus Cracouien. & Sandomirien. Et facto conflictu cum una Tartarorum turma: ipsaq; attrita, pedẽ referente, & ad alteram præstantiorẽ turmam sese diuertente. Poloni certamine priori fessi, pauci à plurimis, aduerso pectore confossi ceciderunt, reliqui uerò in fugam cõuersi, per itinera nota euaserunt. Ceciderunt in eo cõflictu desiderati Cristinus Sulkouicz de Myeduiedz, Nicolaus Vithouicz, Albertus Stampocicz, Zementa, Granibina, Sulislaus, milites strenui, & alij plures ualidi. Ex quorum strage, tantus pauor irrepsit, ut alij in alias regiones fugerent, agrestes uerò cum pignoribus & pecoribus, in paludes & syluas & inuia se cõderent. Sed & Boleslaus pudicus, dux Cracouiæ & Sandomiriæ cum Grzimislawa matre, & Kinga coniuge sua. Primùm uersus Hungariam in castrum Plenini de prope oppidum Sandecz. Postea uerò in Morauiam ad monasteriũ ordinis Cistercien. effugit. Tartari autem post cladem apud Chmyelik peractam, Cracouiam in die cinerum uenerunt. Et eam uacuam hominibus inuenientes (omnes siquidẽ in abdita diffugerant) in ecclesias & domos incendio sæuierunt. Ecclesiam uerò S. Andreæ, tunc extra muros Cracouiens. extantem, uallantes, oppugnabant, expugnare tamen non ualuerunt, quoniam pluribus Polonis magna ui & fortitudine se & sua illic defendẽtibus, custodiebatur, cœpto irrito, recesserunt. Et in Vuratislauiam perrexerunt, quam similiter ut Cracouiens. desertatam habitatoribus, sed & conflagratam habitationibus reperientes. Ciues etenim Vuratislauiens. pauore consternati (ferè omnib. relictis, preciosioribus duntaxat festinè raptis) fugã inierunt, quod gentes ducis Henrici uidentes, descenderũt & opes cum uictualibus in arcem inducentes, urbẽ cum tectis eius flammis exusserũt, Tartari in urbe nil reperientes, castrũ uallarũt, & post aliquot dies obsidionem soluentes (ut aiunt orationib. & lachrymis Ceslai, Prioris ordinis prædicatorum, & fratrum eius in castrum admissorum depulsi) recesserunt. Interim feria secunda Paschæ Tartaris qui Cuyauiam uastauerũt superuenientibus, simul iuncti in Leniczam profecti sunt. Dux etenim Henricus secundus, S. Heduigis filius, per illud tempus, ibi tã nobiles, q; agrestes maioris Poloniæ & Slesiæ collegerat. Aduenerant & principes cum suis militibus, Myeczlaus Kazimirides dux Oppolien. Boleslaus filius Dipoldi marchionis Morauiæ expulsi, qui Szepiolka cognominatus est. Et Pompo de Hosterno magister Cruciferorum de Prusia cũ fratribus sui ordinis. Insuper & crucẽ signati plures, cumq; ex oppido Legnicen. agmina duceret, & ea obequitaret, lapis de summitate ecclesiæ B. Mariæ decidit, parumq; abfuit, quin caput ducis Henrici nõ dirupit, quod reuera infaustum omen fuit. Suburbana itaq; oppidi Legnicen. prætergressus, quatuor acies instruxit & ordinauit. Primùm de cruce signatis uoluntarijs, & de aurifossoribus oppidi Goltberg, alijsq; peregrinis militibus. Hanc Boleslaus Szepiolka filius marchionis Morauiæ ducebat. Altera acies militum Cracouiensem, & maioris Poloniæ fuit. Huic Sulislaum fratrem Vulodimiri olim Palatini Cracouiens. circa Chmielik

Tartarorum crudelitas in Polonia.

Poloni à Tartaris cæsi.

Abbacia Buszensis in Vithow translata.

Polonorum altera clades.

Tartari Cracouiam acceperunt.

Tartari Vuratislauiam acceperunt.

lik occisi præfecit. Tertiam aciē, in qua erant milites Oppolieñ. & Pompo magister Prussiæ cum fratribus & militia sua, Myeczlaus dux Oppoliens. gubernauit. Quartam, ex præstantioribus militibus Slesiæ & maioris Poloniæ, ac precio conductis militibus, Henricus dux regebat. Totidem erant Tartarorum agmina, sed robore & frequentia pugnatorum prestantiora. Ita ut unum agmen eorum, omnia Polonorum agmina excederet. In campo igitur, qui bonus cāpus dicitur, porrecto & in omnes partes lato, uterq; exercitus 5. Idus April. alias feria secunda post octauas Paschæ conuenit. Primumq; Crucesignatorum & Aurifossorum exercitus cum Tartaris magno impetu congressus, uelut teneræ aristæ à grandine percussæ, à sagittis Tartaricis obtritus est. Deinde duo agmina sub gubernatione Sulislai militis, & Myeczlai ducis Oppolieñ. consistentia, pugnam cum tribus Tartarorum agminibus ingressi, ualidam in Tartaros stragem ædiderunt, ita ut pedē referrent, & fugam inirent. Quidā autem celerrimo cursu, circa utrumq; exercitū discurrēs, terribili uoce clamauit: Byegayczе, Byegaycze, quod sonat currite, currite. Polonis terrorem incutiens, quam uocem Myeczlaus dux Oppolien. audiens, deserto prælio fugit, & secum magnam partem militum traxit. Quod uidens dux Henricus ingemiscens dixit: Gorzesze nam stalo, id est, peius & moleste nobis accidit. Indicansq; suam quartam aciem fortissimorum militum, tres acies Tartarorum à duabus aciebus Polonorum disiectas, prostrauit, & in fugam conuertit. Quarta autem acies Tartarorum, & maior omnium cum suo rege Bathi, superueniens horribili impetu bellum instaurauit, quod acerrimū inter utrosque durauit. Magnaq; ex parte Tartaris cęsis, & in fugam spectantibus, quidam Tartarorum uexillifer, ualde magnum uexillum ferens, in quo chi litera Græca depicta erat talis X, & in summitate hastilis, imago teterrimi & nigerrimi coloris cum barba prolixa, cœpit incantando, fortiter caput imaginis quatere, ex quo illico fumus & nebula horrendi & intollerabilis fœtoris in Polonos diffusa est, ut penè exanimati, & inualidi ad bellandum redderentur. Clamore itaq; horrendo eleuato, in Polonos Tartaricus exercitus conuersus, acies eorum quæ interim integrè erant, dirupit, & eas magna strage affecit, in qua dux Boleslaus filius marchionis Morauiæ Szepiolka dictus, & Pompo magister Cruciferorum de Prussia, cum multis insignibus militibus occisi sunt. Dux uerò Henricus corona à Tartaris circumfusus est, ut à tergo & fronte cæderetur. Iamq; ad extremum circa eum, non nisi quatuor milites uersabantur, Sulislaus frater olim Vulodimiri palatini Cracouiensis, Clemens palatinus Glogouiens. Conradus Cuuirathouicz, & Ioannes Iuuanouicz, quanta potuerunt, ui & conatu principem Henricum ex prælio educentes, ad fugiendum disponebant, sed ducis equus sauciatus subsistebat. Tartari igitur ueloci cursu consequutum cum tribus præfatis militibus, quarto Ioanne Iuuanouicz, ab eis segregato, uallauerunt, cum quibus aliquanto tempore decertabat. Ioannes uerò Iuuanouicz equum recentem à Roscislao aulico ducali receptum, penetratis hostium cuneis, duci administrauit, quo ascenso dux, Ioannem Iuuanouicz, uiam per medios hostes ei parantem, sequebatur. Ipsoq; in cursu uulnerato & euadēte, dux Henricus intercipitur, & tertio circumuallatur, dumq; audacissimè cōtra Tartaros dimicaret, & manu sinistra eleuata Tartarū sibi obuiū feriret, ab altero Tartaro, lancea sub ascella transfixus, ex equo demisso brachio, moribundus defluxit, quē Tartari ingenti strepitu inconditarū uocū facto, capiunt, & extra locum certaminis, quantū esset geminatus balistæ iactus pertractū, framea caput absciderūt, corpusq; insignibus omnibus despoliatū, nudum reliquerunt. Occisa est in eo prælio multitudo nobiliū Poloniæ, inter quos clari & insignes fuerūt Sulislaus frater Vlodimiri Palatini Cracouiens. Clemens Palatinus Glogouieñ. Conradus Cunrathouicz, Stephanus de Virbna, & Andreas filius eius, Clemens filius Andreæ de Pelenicza, Thomas Piotrkouicz. Petrus Kusza, & pleriq; alij. Hāc cladē uniuersam Beata Heduigis, quę cum sororib. ex Trzebnicza in Crosna fugerat, per spiritū hora qua acciderat cognoscēs, Adleydi sanctimoniali reuelauit. Ioannes Iwanouicz fugiēs cum duobus suis armigeris, iunctus est Luczmanno militi duos similiter familiares habenti. Et dum in quodam rure, uno miliari à loco prælij distante, à nouem Tartaris sequeretur, quamuis duodecim uulneribus esset confossus, octo ex illis occidit, & nonū pro captiuo reseruauit. Postea ordinem prædicatorum ingressus, deuoto Domino cęli, à quo protectus erat, famulabatur. Corpus ducis Henrici, post cladem ex sexto digito sinistri pedis uix cognitum & repertum. Per Anniam coniugem ipsius, in medio chori ecclesiæ Sancti Iacobi apud fratres minores Vuratislauiæ sepultum est. Pomponis uerò magistri Prussiæ, & militum insigniorum supra expressorum, in eodem monasterio Sancti Iacobi Vuratislauiæ corpora tumulata sunt. Boleslai autem filij marchionis Morauiæ funus, in Lubeusz in choro conuersorum humatum est. Super cætera corpora fidelium in loco prælij sepulta, ecclesia in hanc diem durans constructa est. Maxima uictoria de duce Henrico & Polonis, Tartari

Horrenda clades Polonorū & Theutonū ex Tartaris excepta.

Bathi Tartarorū imperator.

Vexilliferi fascinatio.

Henricus dux à Tartaris occisus.

Pompo sextus magister Prussiæ occisus.

Boleslaus marchio Morauiæ occisus.

Tartari potiti, lectis spolijs, unicuiq; interemptorum unam auriculam absciderunt, & nouem saccos grandes, ad sciendum numerum occisorum, repleuerunt. Ducis autem Henrici capite in longiori hasta erecto ad castrum Legnicza, Oppidum enim metu Tartarorum exustũ fuerat, applicuerunt. Mandantes ut duce eorum occiso castrum eis aperirent. Castrensibus cõuenienter respondentibus, quòd pro uno duce occiso, plures duces filios occisi haberent. Illi uerò circa Legnicz uillis uastatis & incẽsis, in Othmuchow se receperunt, ubi quindecim diebus statiua continuando, omnem regionem per circuitum uastauerunt. Exinde Rathiboriens. oram adeuntes in Bolesiszko, octo diebus cõmorati in Morauiã secesserunt, & Venceslao rege Bohemiæ, in castris se continente eam plusquàm uno mense incendijs & cædibus uastauerunt. Ab Olomuncz septimis castris in Hungariam peruenerunt, eamq; crudelissimè prope duos annos afflixerunt, regem Hungariæ Belam quartum, cum fratre eius Colomanno prope fluuium Czitzam miserabiliter luderunt, & persequuti sunt, totum uerò regnũ Hungariæ ex utraq; parte Danubij, simul Slauoniam, Bosnam, Rasciam, & Bulgariam, miserabilius, quia usq; ad internitionem deuastarunt, finaliterq; in Scythiam sedes patrias redierunt. Refert alia Polonorum historia, & cõcordat cum Rogerio in tractatu de destructione Hungariæ per Tartaros, quòd Bathi rex Tartarorum non in Polonia fuit, ut præmissa asserit Chronica. Sed cum in Hungariam contenderet, & ex Russia intrare Hungariam properaret, partem sui exercitus cum principe nomine Peta, ad uastandum Poloniam misit, qui ut prædictum crudeliter afflixit, & eam desertauit, principemq; ipsius Henricum nomine suo exercitu deleuit. quod ex tempore lucidius claret. Nam Bathi per montanam portam ex Russia in Hungariam fracta, potentia comitis regni Hungariæ, ad custodiendum eandem portam per regem locati, duodecima Martij intrauit, & ante Dominicam Palmarum exurendo usq; ad Pest aduersus regem uenit, retrocedensq;, & rege Bela eum insequente, Hungaricum exercitum circumdando, interfecit & dispersit. Hoc autem tempore ante Dominicam Palmarum, Peta de Cracouia in Vratislauiam perrexit. Bathi autem in duobus regnis sub eodem tempore esse nõ potuit. Item narrante eadem historia Bathi (fugiente rege Bela faciem eius) suis principibus regnum Hungariæ diuisit, uocans ex Morauia Petam, ad sortiendum portionẽ Hungariæ, quod post expulsionem regis Belæ quarti fuit. Item Cadan alter princeps Tartarorum, quem Poloni Kaydanum uocant, per syluas & Comauiam ac per fluuiũ Sereth, eodem tempore cum Bathi partem orientalem Hungariæ quam Almani inhabitabant, introiuit, & eam destruxit. Non ergo in quadragesima Poloniam ipse, aut Bathi uastauit, sed princeps Peta. Ne autem rei ueritatem nesciuisse uideamur, utranq; historiã tetigimus, & legentibus obiecimus, ut eam alibi ex integro si uoluerint, legant. Potentia Tartarorum cum qua Hungariam ingressi sunt, fuit quinquies centum millia pugnatorum.

Copia auricularum.

Tartarorum in Hungaria crudelitas.

Peta Tartarorum princeps.

Cadan Tartarorum princeps.

CAPVT XL. LIB. III.

ANno Domini 1239. Conradus dux Mazouiæ castrum Bydgostiens. sub Suuatopelcone duce Pomeraniæ recuperat, in cuius ultionem præfatus Suuatopelk cum exercitu terram Cuyauiæ ingressus, tumultuariè eam deuastauit, oppidum Iuniuuladislauiens. cum pluribus uillis exussit. Item castrum Santhok per Polonos negligenter custoditum, per Saxones interceptum est. Item Villebrandus Archiepiscopus Maydenburgens. castrum Lubusz obsedit, asserensq; suæ ecclesiæ perpetuò, per Henricum quartum Imperatorem donatum esse, olim per eum acquisitum, & sub Boleslao Crziuousti expugnatum. Henricus uerò dux maioris Poloniæ & Slesiæ Sanctæ Heduigis filius, cum forti exercitu super eum ueniens, gentes ipsius dispersit, & cum plurimorum occisione in turpem fugam conuertit. Pompo magister Cruciferorum Prussiæ, post deletionem suarum copiarum à Prutenis, noua manu collecta, castrum Balgam sub Prutenis conquisiuit. Barbari uerò Pruteni reacquirẽdo castrum, in circuitu duo castra, uidelicet, Portegal & Shrandin erexerunt, & intantum gentes magistri afflixerunt, ut se cum castro potestati Barbarorum subijcere cogitarent, nisi Otho dux de Brunsuik, cum noua militia superueniens Barbaros repulisset, & castra in circuitu ædificata expugnasset, Monasterium fratrum minorum in Thorun, sub titulo Sanctæ Mariæ uirginis, eodem anno Domini millesimo, ducentesimo, trigesimo, nono, erexit, & aream ad inhabitandum fratribus, Pompo magister Prussiæ assignauit. Anno Domini 1240. monasterium fratrum minorum Sancti Iacobi Apostoli in Vratislauia, dux Henricus secundus erexit, quod Anna relicta eius (ipso pro fidei defensione per Tartaros occiso) ad plenum consumauit, & in eius ecclesia ducem & maritum suum sepulturæ commendauit. Sub eodem tempore frater Vuolquinus ordinem suum, qui dicebatur Ordo militum Christi, cum ordine Cruciferorum Prussiæ nigræ crucis uniuit. Et eodem anno in congressu cum Lithuanis habito, cum quinquaginta fratribus & multis alijs pugnatoribus interficitur.

Henricus contra archiepisc. Maydeburgensem.

Monasterium fratrum minorum in Thorun, aliud in Vratislauia.

titur. Post commendabilem ac strenuum Henrici secundi Cracouiens. maioris Poloniæ & Slesiæ ducis, per Tartaros occisi, obitum. Barones minoris Poloniæ qui cladi superfuerunt, Boleslao caluo filio primogenito præfati ducis Henrici se subiecerunt, quod ægrè ferens Conradus dux Mazouiæ, cum filijs suis Boleslao, Kazimiro, & Semouito, ac gentibus eorum & cum pluribus alijs auxiliarib. uenit, & cum militibus Pomeraniæ per Suuantopolconem missis, cum Prutenis quoq; & Lithuanis, mercede conductis. Et terras Cracouiens. Sandomiriens. ac Lublinens. omnesq; arces & munitiones earum occupauit. Boleslaus uerò caluus, dum cum gentibus suis & Theutonicis Cracouiam accederet, iniuriam rescissurus. Conrado Mazouiæ cum ualidiori exercitu superueniente, pugnæ se non committens, recessit. Clemens ergo de Rusecza, palatinus Cracouiensis nullum auxilium à Boleslao caluo habens, Conrado duci Mazouiæ, ipsum in Skala oppugnanti, se subiecit, incensoq; castro Skala, Conradus dux castrum per eum Cracouiæ iuxta ecclesiam cathedralem erectum, funditus disijci præcepit, statimq; plenam possessionem nactus, graues uniuersis exactiones imposuit. Nedum agrestibus, aut ciuibus, uerum & militibus, atq; sacerdotibus, ad ædificationem quoq; nouorum castrorum atq; antiquorum instaurationem, passim omnes compulit. Quapropter clamor & uox tribulatorum ascendit, quòd post miseras Tartarorum clades, miserabilius & grauius à proprijs opprimerentur. Missisq; extemplò in Hungariam ad Morauiam crebris nuncijs, Boleslaum pudicũ quærebant, & ut afflictæ patriæ subueniret, tanquàm hæredem reducere satagebant, qui non est reuersus, nisi anno Domini 1243. In maiori autem Polonia Barones & nobiles, specialiter Bogumilus, Dirszicraius, Palatinus Posnaniensis, Cecundus Gneznensis, Thomas Posnaniensis, castellani, Domaradus iudex Posnaniensis, pertæsi principatum ducis Boleslai calui filij Henrici per Tartaros occisi, propter oppressiones maiorum Polonorum, & exaltationes Theutonicorum, Przemislaum & Boleslaum filios ducis Vladislai Othonis, in dominos & hæredes naturales acciuerũt, qui unicum castrum Vscze possidebant. Nam sub eis alterum castrum Nakel Suuantopelk auunculus eorum dux Pomeraniæ intercœperat, omniaq; castra & munitiones præfatis suis principibus Przemislao & Boleslao, necnon castrum Przemanth post eius expugnationem, maiores Poloni præsentarunt & obtulerunt. Quibus Boleslaus caluus non restitit, sed affinitatem iungens, germanam suam Elizabeth nomine Boleslao duci Kalissiensi copulauit. In Prussia uerò Suuantopelcus princeps Pomeraniæ, uir callidus & uafer, cernens Cruciferos per Conradum ducem Mazouiæ uocatos, in immensum creuisse, & castra ac munitiones plurimas locasse, Prutenosq; sibi subiectos ad baptisma coëgisse. Cœpit uehementer expauescere. Ne sicut ipse dolo Pomeraniam sub Leskone albo acquisiuit, eadem mensura metiendo, à Cruciferis quandoq; exueretur, & è Pomerania expelleretur. Hac itaque occasione omnes Prutenos tam Neophitas quàm gentiles sibi conciliat, & idolatriæ ritus nepharios reassumere persuadet. Edictoq; certo tempore, omnes Christianos in Prussia tàm Polonos quàm Alemannos interemit. Castraq; singula Cruciferorum, ui & expugnatione Prutenorum, præter Balgam & Elbing conquirit. Nec ea per Guilhelmum Mutinensem Episcopum, Innocentij Papæ quarti legatum, auctoritate sedis Apostolicæ monitus resignauit, quinimò collecta manu Pomeranorum & Prutenorum, totam terram Chelmens. uehementer attriuit & uastauit, præter tria castra Thorum, Chelm, & Radzin, quæ acquirere non potuit. In utriusq; anni spacio, quod Tartarorum rabies non attigit, Prutenorum barbaries deleuit.

Boleslaus caluus.

Poloni à Boleslao caluo deficerunt.

Pruteni idolatriam reassumunt.

CAPVT XLI. LIB. III.

Sed redeamus ad Boleslaum pudicum. Anno Domini 1243. Intelligens Conradus dux Mazouiæ, Boleslaum pudicum, cum nonnullis militibus reuersurum. Indicit conuentionem Baronibus Cracouiens. & Sandomiriens. apud Scarbimiriens. oppidum, quasi ad prouidendum rebuspublicis tertio Kalendas Iulij celebrandam, ubi omnibus conuenientibus, ex occulta maliuolentia prius concepta, dat signum suis militibus, & captiuati sunt Przibislaus Vauuszriczouicz, Vitek Byenyouicz, Andreas Sulconis de Myedzuiedz, Nicolaus Iaszko, Sadek de Chodcza, & alij plures, uictiq; & in Mazouiam ducti, ergastulis inclusi sunt, & quasi post duos menses, prima die Augusti, quæ est Sancti Petri ad Vincula, diuina commiseratione, fractis compedibus, sub intempestæ noctis caligine, omnes euaserunt. Clemens uerò Palatinus Cracouiensis, de domo & familia Griphonum, qui cum fratribus suis, Sulcone, Theodoro, & alijs, de medio captiuantium in Hungariam fugerat, audita solutione captiuorum reuersus est, & simul iuncti, tàm arcem quàm ciuitatem Cracouiensem eiectis ducis Conradi præsidibus obtinuerunt. Aduenientemq; Boleslaum pudicum cum sorte sua Kinga, tanquàm hæredem & dominum connaturalem cum magno plausu, Prandotha

Conradi dolus.

Mira uinctorum liberatio.

episcopo

Boleslaus pudicus receptus. episcopo Cracouiens. persuadente, in ducem assumpserunt. Quo rumore Conradus dux Mazouiæ excitus, cum multis gentibus uersus Cracouiam uenit, Boleslaoq; pudico copiam pugnandi non faciente, & sola mœnia defendente. Dux Conradus Mazouiæ incastellatis ecclesijs S. Andreæ extra muros Cracouiens. & S. Georgij in arce Cracouień. fossatisq; factis, cum exercitu in Mazouiam discesit. Post cuius discessum Bogutha præfectus incastellationis ecclesiæ S. Andreæ (miles hic Cracouiens. erat) ipsam ecclesiam Boleslao pudico reddidit, & omnis hostilitas circa Cracouiens. ammota est. Itaque Conradus dux Mazouiæ, Myeczlaum ducem Oppoliensem desertorem, Henrici ducis Vratislauiæ per Tartaros occisi, in sui præsidium uocauit, uocauit & Przemislaum ducem Posnaniensem, Lithuanosq; & Iaczuingos. Et cũ ipsis, filioq; suo duce Kazimiro, terram Sandomiriensem ingressus est. Quibus Boleslaus pudicus cum militibus Cracouiensibus & Sandomiriens. cum Clemente palatino Cracouiens. & Floriano palatino Sandomiriens. & quibusdam Hungarorum militibus in Suchdol occurrit, propiciante Deo, exercitum Conradi numero & robore superiorem, confregit & dispersit. Ducesq; præfatos in turpẽ fugam egit. Ex qua pugna exercitus ducis Boleslai, præda uariarum nationum ditatus est, duxq; Boleslaus Pudicus cæteras munitiones, quæ pro Conrado principe Mazouiæ tenebantur, ui accepit. Post hunc triumphum milites Cracouiens. iterum Boleslaum pudicũ Prandotha Episcopo Cracouiens. diuina solenniter in ecclesia Cracouiens. agente, in suum dominum assumpserunt & intronisarunt. Conradus autem dux Mazouiæ cladem in Suchdol acceptam ultum iri cupiens, Lithuanos, Prutenos & Iaczuingos ordinauit, qui in copiosa multitudine ingressi, terram Lublineń. uastauerunt, eam more barbarico usq; ad fluuium Istulam, cum districtu Szeczechouień. & Lukouień. infestando, homines utriusq; sexus cum numerosis pecoribus abegerunt. In Prandotham uerò Episcopum Cracouiensem quia Boleslao pudico adhærebat, præfatus Conradus dux Mazouiæ suos armigeros misit, & curias episcopales Tharseń. quæ nunc Bodzancineń. appellatur, Kelceń. & Cunouień. primum expilatas, cum uillis ipsarum incendit, & prædam in Mazouiam intulit, propter quod Prandotha Episcopus Cracouień. cum auctoritate propria anathematisauit. Cuius processus Fulco Archiepisc. Gneзneń. in synodo Lacinień. confirmauit, & in singulis ecclesijs denunciare mandauit. Verum Conradus eodem anno 1244. mala additura malis, terram Cracouiensem cũ exercitu ingressus, nouas munitiones erexit, quas eo discedente, milites Cracouiens. expugnauerunt, sed Conradus rediens, iterum eas expugnauit, & aliquas diruit, tot & tantis malis non saciatus Conradus dux Mazouię, contra Boleslaum pudicum nepotem suum, ulceratũ gerens animum. Anno Domini 1246. cum Lithuanis & gentibus proprijs terras eius inuasit. Cui Boleslaus pudicus, cũ militibus Cracouień. & Sandomirień. in Zarzissow, alias in Iaroszin occurrens, diro marte conflixit, & à multitudine superatus, pluribusq; militibus Cracouień. aut occisis, aut captis, Boleslaus pudicus fugus elapsus est. Conrado prædam acceptam in Mazouiam referente, & sine mora in Cracouień. cum filio suo Kazimiro Cuyauiæ & Lanciciæ duce. Item cum Myeczlao Oppolień. duce genero suo, redeunte, castra tria, unum in faucibus Rudaue, ubi Istula ingreditur: aliud supra ripam propè monasterium Thinyecz, extruxit, & hæc duo suis militibus commisit. Tertium in Lelow, & illud Myeczlao Oppoliensi duci genero suo in administrationem dedit, sed Conrado in Mazouiam diuertente, Boleslaus pudicus castra prope Thinyecz, & in ora Rudawe expugnauit. Tertium uerò in Lelow paulò pòst Myeczlao duce Oppoliensi mortuo, illico Boleslao pudico redditum est. O' quàm misera conditio minoris Poloniæ sub illo tempore fuit, sub eoq; tempore Pruteni Mazouiam irrumpentes, eam circa Czechanow uastauerunt, festinè autem occurrentibus Mazouitis & Lancicienfibus, noningentos Prutenos occiderũt, alios uerò aut captiuarunt, aut disperserũt. Lithuanisq; procurante Conrado Mazouię duce, silenti agmine in Opparow oppidum Sandomiriensem uenientes, ipsum & uicinia eius spoliarunt. Mortuus est tandem Deo uolente Conradus dux Mazouiæ ætate maturus, nepotis sui Boleslai pudici iniustus oppressor, & in ecclesia Plocensium maiori sepultus, anno Domini 1247. & reliquit duos filios Kazimirum & Semouitum. Boleslaus siquidem tertius filius breui patrem sequutus, morte absumptus est.

Conradus auxilia petit.

Conradus à Boleslao uictus.

Furor Conradi in Prandotham episc. Cracouiens.

CAPVT XLII. LIB. III.

Castrum Zartaucza capitur. ANno Domini 1243. castrum Zartauicza Thedricus Marsalcus Cruciferorum de Prussia, cum uiginti uiris duntaxat, in uigilia S. Barbaræ, nocte scalis appositis, intercepit, & quinquaginta uiros in eodem castro repertos (cum eis à medio noctis usque ad ortum solis certando) partim occidit, partim in deditionem accepit. Accepit & thesaurum cum reliquo deposito, sed & caput S. Barbaræ uirginis asportauit, quod

quod Kazimirus tertius Rex Poloniæ, de Thorun in Gedanum transferri concesſit, ubi in hanc diem conſeruatur, & à multis deuotis atque peregrinis ueneratur. Suuatopelcus intellecta caſtri ſui Zarthauicza occupatione, fultus Pruſſorum ſuffragio, ipſum obſidio ne cinxit, & cum reliqua medietate exercitus, in Chelmenſem terram deſcendit. Et per Theodricum Marſchalcum, ac per Kazimirum ducem Cuyauiæ filium Conradi ducis Mazouiæ uictus, utriſque caſtris eſt exutus. Vocatoq; in auxilium Przmislao duce maioris Poloniæ, idem Theodricus Marſchalcus, & Kazimirus dux Cuyauiæ, potentijs unitis, caſtrum Viſſegrad in Pomerania ſitum expugnauerunt, & terram Pomeraniæ flammis, & uaſtatione afflixerunt. Exinde ad caſtrum Nakel proceſſerunt, quod illicò Pomerani, duntaxat uitam cum paucis rebus pacti, Przemislao, & Boleslao ducibus maioris Poloniæ tradiderunt, quoniam ſub his ducibus Suuatopelk, ipſum intercœperat.

Suuatopelcus uicius.

Eodem anno à præfatis ducibus Poloniæ Przemislao. & Boleslao caſtrum Zbaſsin conſtructum eſt: ueritus Suuatopelk, ne unita potentia Polonorum, & Cruciferorum, de Pomerania expelleretur, concordiam cum Cruciferis inijt, & in obſides filium ſuum Meſtuuinum, aliàs Mſczugium, & Veyat comitem, Vimarumq; Burggrauium dedit. Cruciferi autem omnes captiuos Suuatopelconi reddiderunt: caſtrum uerò Zartauiczam nequaquam reddere uoluerunt, propter quod in anno ſequenti Suuatopelcus iuramenta temerando, & pacta uiolando cum Lithuanis, Prutenis, ac Iaczuuingis uenit, & terram Culmenſem horribili cæde, & incendio affecit. Quos Cruciferis inſequentibus, cùm eſſent impares uiribus, placuit Theodrico antiquo Marſchalco, ultimam medietatem exercitus ex antiquis locis inuadere. Prima medietate lacum tranſgreſſa, at Berluuinus nouus Marſchalcus, à fronte inuadendos cenſuit, & inuaſit. Suuatopelkus uerò paucitate Cruciferorum conſpecta, ad paludem, quæ Renſzin dicitur, cum eis conflixit, & omnes trucidando, unà cum Marſalco deleuit, uix uiginti uiris effugientibus. Similiter exercitum auxiliarem ex Thorun uenientem, uicit, & proſtrauit, uictoresq; ſpolijs interfectorum ouantes potiti ſunt. Exhilaratus Suuatopelcus de ſuorum uictoria, clandeſtinè ad Remkam aduocatum, & ciues Culmenſes miſit, ut irrumpentes caſtrum Culmenſe, quod licebat eis quotidie ingredi, filium ipſius Mſczugium cum cæteris obſidibus ſoluerent, præmijs potituri promiſsis, quod Ioannes ſeruus Cruciferorum in prælio uulneratus intelligens, traditionem prodidit. Quare Capitaneus Chelmenſis Remkam aduocatum cum ciuibus caſtrum ingredi prohibuit. Obſides quoque nocte uinctos in caſtrum Zarthauicza miſit. Furens ergo Suuatopelcus dolos ſuos detectos eſſe, clandeſtinè per appreciatos pecunia, Culmenſem ciuitatem, & Zarthauiczam conflagrare procurauit. Ipſe uerò cum Lithuanorum, Prutenorum, & Iaczuingorum multitudine terram Cuyauiæ uniuerſam miſerabiliter per incendia, & ſtragem barbaricam uaſtauit, eò quòd Kazimirus dux Cuyauiæ omnes expeditiones cum Cruciferis obibat. Dum autem Suuatopelcus ſæpenumerò caſtri Zarthauicza, & filij recuperationem requireret, Cruciferi denegarunt, & filium eius per triginta armigeros, quos illis dux Auſtriæ miſeras, in Auſtriam tranſmiſerunt. Hoc cognito Suuatopelcus, ad ripam Iſtulæ in terra Culmenſi caſtrum Zantir ædificauit, nullam nauem inſpoliatam relinquens. Aliud caſtrum Suuiecze appellatum, adfluenta Iſtulæ in terra Pomeraniæ ædificare cœpit. Kazimirus uerò dux Cuyauiæ, & Pompo magiſter Cruciferorum uenientes in nauibus, caſtrum Putirburk è regione Suuyecze conſtruxerunt, & multa in deſtructionem nouorum caſtrorum Suuatopelconis machinantes irrito diſceſſerunt. Suuatopelcus ergo occaſione præbita, Suuyecze conſumauit, & Zantir militibus roborando, utrumque uictualibus impleuit. Anno autem Domini 1245. Kazimirus dux Cuyauiæ, & Lanciciæ, Magiſter Pompo, & Cruciferi cum eo, Henricus Lichterſtein, & Druſeliff pincerna Friderici ducis Auſtriæ, nonnulliq; & pauci cruce ſignati, qui ex Auſtria uenerant, ordinatis aciebus Pomeraniam ingreſſi, rependendo uiciſsitudinem uaſtationis terrarum Chelmenſium, & Cuyauienſium, Pomeraniam ipſam nouē diebus exurentes, prædam, Suatopelcone non reſiſtente, ſed auxilia Pruſſorum præſtolante deducebant. Quibus uenientibus inſequutus eſt, & eos à fronte, & tergo inuaſit, facileque Henricum Lichterſtein, & Druſeliff fudit, & fugauit: nec Druſeliff fugam ſiſtere uoluit (tanquam miles Auſtralis) niſi in Thorun, tamen duce Kazimiro, & Cruciferis acerrimè cum Suuatopelcone pugnantibus, & neutra parte pedem referente. Henricus Lichterſtein cum ſuis reuenit, & exercitum Suuatopelconis à tergo inuaſit: moxq; exercitus Suuatopelconis contritus eſt, mille quingentis occiſis, cæteris captis, aut fuga dilapſis.

Terræ Cuyauienſ. ſtrages maxima.

Suuatopelci filius Auſtriæ ducitur.

Caſtrum Putirburgk erigitur.

Pomeraniæ uaſtatio.

CAPVT XLIII. LIB. III.

ANno Domini 1243 Przemislaus, & Boleslaus germani, duces maioris Poloniæ, cum Helinga matre ipsorum, de consensu Fulconis Archiepiscopi Gneznensis, & sui Capituli, cōtulerunt ordini, & conuentui sepulchri dominici Hierosolymitani Miechouiens. hospitale sancti Ioannis in Gnezna, statuendo ut in eo singulæ mirabiles, & languidæ personæ, & aliqui scholares, expensis magistri, seu præpositi præfatæ domus, fouerentur. Eodem anno 1243. septimo Idus Octobris, Beata Heduigis ducis Henrici cum barba, sanctitate, & prosapia illustris, relicta functa est. Et in monasterio Trzebniciens. humata: hæc per annos uiginti octo omnem illecebram carnis uitando, cœlibem uitam duxit.

S. Heduigis mors.

Anno 1244. Conradus dux Mazouiæ, monasterium, & Ecclesiam sanctæ Trinitatis in suburbio ciuitatis Plocensis fundauit: illicque fratres prædicatores de domo sanctæ Trinitatis Cracouiens. locauit, & introduxit. Item eodem anno quadragesimo quarto, supra millesimum, ducentesimū, fratres prædicatores Przemislaus dux maioris Poloniæ cum fratre Boleslao, & consensu Boguphali antistitis Posnaniens. de Srodka in ciuitatem Posnaniens. ad Ecclesiam parochialem sancti Gothardi transtulit. In cuius recompensam præfatus dux, ius patronatus Ecclesiæ sancti Adalberti Episcopo Posnaniens. contulit. Daniel dux Kiouiens. sciens terram Lublinens. uastatione Lithuanorum, & Iaczuuingorum nequitia Conradi ducis Mazouiæ desertatam, contra Boleslaum pudicum subordinatorum, uenit exercitualiter, & tam ciuitatem, quàm arcem Lublinens. accepit, turrimque rotundam ex coctis lateribus cum circuitu in summitate in medio castri, & propugnacula cum fossis, & uallis profundis mira celeritate ædificauit, uniuersam terram sibi appropriando, & parere cogendo.

Anno Christi Domini 1244. Prutens. Plocensis ciuitatem cum territorio Mazouiæ in proximo ei adiacente uastauerunt. Anno Domini 1243. Item anno sequenti Pruteni equestri exercitu, terras Mazouiæ, Suuatopelcone Pomeraniæ ad hoc illos pellicente, intrauerunt (quoniam Conradus dux Mazouiæ cum suis militibus in expugnatione terræ Craco. tunc uersabatur) spolijsque, cædibus, & incendijs oppida, & rura replentes, discesserunt. Anno Domini 1244. Boleslaus Caluus, & Henricus, filij Henrici ducis Vuratislauien. à Tartaris occisi, paternum ducatū diuidentes. Boleslaus Vuratislauiens. Henricus Legnicens. sortem accepit. Verùm Boleslaus Caluus pœnitentia ductus, putans Legnicens. portionem fore pinguiorem, per commutationem Legnicens. portionem accepit: de Vuratislauiens. Henrico fratri cedens. Superant bini fratres eorum Conradus, & Vuladislaus literis operam dantes. Et equidem Vuladislaus Archiepiscopus Zalczburgens. factus, ducatum Vuratislauiens. qui eum contingebat, Henrico fratri integrum reliquit. Conradus uerò cùm fuisset subdiaconus, & in Bambergensem Episcopum breui promouendus, fastidiens Episcopatum, & studium deserens, sortem Legnicens. quæ ipsum contingebat, à Boleslao Caluo expetebat: à qua exclusus, ad Henricum alterum fratrem se contulit. Ob hoc Boleslaus sortem Vuratislauiens. pacificam repetebat: conductisque precio Saxonibus, & cæteris Teuthonicis, terram uastauit, & ciuitatem Vuratis. prima, & altera obsidione obsedit: cumque nil prosperè gesisset, in Legniczam redeuntē, proprij Barones ipsum captiuarunt. Postea sponsione de non nocendo recepta, dimissus, captiuationem ultum iri uolens, castra Teuthonis locauit, & Archiepiscopo Maydenburgensi castrum Lubusz donauit, propterea Przemislaus dux Posnaniensis suam germanam inuxorem habens, ipsum tanquam delirantem captiuauit, & honestè seruauit.

Pruteni Mazouiam ingressi.

Anno Christi 1245 Barones maioris Poloniæ, liuore acti, principes suos Przemislaum, & Boleslaum rogarunt, ut libertates Ecclesiarum Gneznen. & Posnanien. iura ducalia, & specialiter de moneta cudenda, per Vuladislaum Othonis parentem eorum concessa, rescinderent, & cassarent, qui nullis precibus aut instantijs fracti. Priuilegia in honorem Dei, & Ecclesiarum libertatem emanata, non uiolarunt, sed confirmarunt, & innouarunt, in forisque ciuitatum, & castellorum preconum uoce obseruanda publicarunt.

Polonorum petitio.

Principū constantia.

CAPVT XLIIII. LIB. III.

ANno Domini 1246. per Bohemiam in Vuratislauiam, frater Ascelinus ordinis prædicatorum, cum pluribus fratribus eiusdem, & aliorum ordinum, uenit, exceptusque & ueneratus est à Boleslao Slesiæ, & Vuratislauiæ duce. Exinde transiens, ad Lanciciam peruenit, à Conrado duce Mazouiæ cum suis recollectus, & hospitatus. Dehinc ad Cracouiam deductus, à Boleslao pudico, à genetriceque eius Grzimislauua, & à Prandotha ordinario loci, benignè suscepti, & habiti sunt, pluribus pellibus subtilibus prouisi, supra id, quod proprio ære emere potuerunt; quoniam princi-

Frater Ascelinus legatus Vuratislauiā uenit.

principes Tartarorum sine munere adire nephas est. Tulit autem fortuna, ut esset apud Boleslaum pudicum principem Cracouiæ atque Sandomiriæ, Vasilco princeps Rusiæ, nepos matris suæ, huic itaque cõmendati, in Rusiam per ipsum deducti sunt. Ad Kiouiam uerò aduenientes equos pro conditione terrarum Tartarorũ ualentes acquisierũt, qui pedibus aquam, & pabulũ sub niuibus sibi quærerent, tandem ex Kiouu procedentes, plures duces Tartarorum pertransierunt: donec ad Cham, seu Imperatorem Tartarorum applicuerunt. Cui legatione domini Papæ Innocentij quarti, qui ex Lugdunensi consilio eos illûc miserat, exposita, ut Deum uniuersorum agnosceret atque coleret, & eum, quem misit Iesum Christum, utque gentem Christianam crudeli nece, quemadmodum in Polonia, Hungaria, & Morauia fecit, non perderet, postulauerunt. Et accepto responso, quòd Cham per quinquennium gentem Christianam non inuaderet, per eandem uiam ad dominum Apostolicum cum literis Imperatoris Tartarorum redierunt. Habes in speculo historiali Vincentij libro 32. hanc historiam, quam cautè legas, necesse est, quoniam in aliquibus superstitiosa est.

Cracouiæ à Boleslao, & Prandotha suscipitur.

Legationem Tartarorũ Imperatoris exponit.

Reditus Ascelini ad Papam Innocentium.

Anno quo supra, scilicet 1246. per Cracouiam in Prusiam, & Pomeraniam, Opizo Abbas de Meszano, sedis Apostolicæ legatus, ex Lugdunen. concilio per Innocentium quartum missus, transijt. Qui Suuatopelconem Pomeraniæ ducem per Episcopũ Manden. sedis Apostolicæ nuncium anathematizatum, sumpto ab eo iuramento, quod de cętero cum Brutenis, & Barbaris, consortia contra Christianos non ageret, absoluit. Danielem autem Drohicien. & Kiouien. principem inter principes Rusiæ potentiorẽ, rogantem, & pollicentem se cum omnibus Russorum terris, Græco ritu derelicto, in obedientiam, & communionem Ecclesiæ Romanæ transiturum, præfatus legatus Opizo anno eodem 1246 in regem super Rusiam in castro coronauit, & inunxit, quod omnes Pontifices Poloniæ dissuadebant, scientes ducis Danielis fidem uafram, & fluxam, ueluti postea compertum est.

Opizo Papæ legatus Suuatopelconem anathemate liberat.

Daniel in regẽ Rusiæ coronatur.

Anno Domini 1247 Przemislaus, & Boleslaus maioris Poloniæ duces, terrarum maioris Poloniæ inter se talem diuisionem celebrarunt. Przemislaus natu maior, terras Gneznen. & Posnanien. cum eorum castris, & appenditijs accepit: Boleslaus uerò ducatum Calisiensem à fluuio Przosna usque ad Przemant, castro Przemant etiam incluso, ab inde usque ad fluuium Vartam, & Moszinam. Item ad paludem Sepno, & fluuium Obra: appositumque est anathema per Boguphalum Posnanien. Episcopum in uiolatorem huiusmodi diuisionis, quæ tamen depòst fuit uiolata. Et quia in sorte Boleslai ducis Kalisiens. monasterium Ladense ad fluuium Varta sitũ, Kazimirus dux Cuyauien. & Lancicien. occupauerat. Filius Cõradi ducis Mazouię, prędfatus dux Boleslaus eodẽ anno depulso prędsidio ducis Kazimiri, & uniuersis propugnaculis disiectis, locũ monachis restituit. Eodem anno 1247 super Odram nouũ castrum Copaniczam Boleslaus dux Legnięen. ædificauit, repetens maioris Poloniæ ducatum, quem pater suus tenuerat. Sed Przemislaus, & Boleslaus maioris Poloniæ duces, exercitualiter egressi, cum eo ante pugnã composuerunt, & castro Copanicza demolito, castra Sandok, Myedzirzecz, & Dzbasin pro bono pacis ei assignauerunt. Vnum autem castrum ex prædictis Santok, Baruuin dux Kassubitarum obsedit, prætendens ipsum sui iuris esse. Przemislaus autem dux Gneznen. & Posnanien. festinus cum gentibus suis accurrens, castrensibus obsidione fatigatis, succurrit. Accelerante autem & Boleslao Legnicen. cuius castrum erat, Baruuin eorum potentiam ueritus, nocte discessit, nec amplius redire statuit, pro quo beneficio Boleslaus Legnicens. commendata ducis Przemislai probitate, castrum Santok perpetua largitione sibi reddidit. Anno præexpresso 1247 mortuo Popone altero magistro Cruciferorum Prusiæ, tertius magister Henricus de Vita electus est: is castrũ Cristburg in terra Pomeraniæ extruxit, uolens fręnare temerarios ausus Suuatopelconis. Verùm Suuatopelk explorato tempore opportuno, castrum Cristburg nocte intercepit, & occiso Cruciferorum præsidio, suum illi imposuit. Insuper compositione pacis uiolata, Suuatopelk plures ex Cruciferis circa Golub, partim extinxit, partim captiuauit. Et cum manu Barbarorum, terram Cuyauiæ irrumpens, eam ferro, & igni uastauit, non parcens etiam fœminis, & pueris. Eo autem Cuyauiam uastante, Henricus magister Cruciferorum, aliud castrum è regione Cristburg erexerat. Ad quod expugnandum, Suuatopelk exercitum cum curribus, & propugnaculis misit, quem Cruciferi superarunt, & in fugam conuerterunt, potiti spolijs, rebusque plurimis, eam cladem Suuatopelk ulturus, nouo exercitu comparato, partem eius ad lacessendum uersus Christburg misit, qui à Cruciferis uicti, fugientes ad statiua Suuatopelconis tam inconditas uoces ediderunt, quod exercitum Suuatopelconis terruerunt, ut statiuis ac tabernaculis derelictis, præcipitanter trans ripam Istulæ fugerent, nonnullis ab undis Istulæ absorptis. Quo facto, exercitus

Diuisio terrarum Poloniæ maioris.

Castrum Copanicza erigitur.

Secundus magister Crucifero rũ moritur.

Electio tertij magistri Cruciferorum.

Castrum Cristburgh ædificatur.

Monasterium Oliua destructum. Cruciferorum in Pomeraniam descendens grauem uastationem per ignes ac cædes intulit: sub hoc tempore monasterium de Oliua in horreis, equis, & pecoribus, extremè damnatum est.

CAPVT XLV. LIB. III.

Conrado Mazouiæ duce morte sublato, pax est reddita terris maioris Poloniæ Cracouien. Sandomirien. & Lublinen. Thronus uerò Boleslai pudici extunc Polonorum Monarchiæ firmatus est, hoste & infestissimo ipsius aduersario è uita cadente, cœpitque dux Boleslaus pudicus unà cum beatæ uitæ, Prandotha Craco. antistite, pro canonisatione beatissimi Stanislai Episcopi Craco. laborare, & eam prout inferiùs dicetur, adiuuit. *Boleslai pudici thronus firmatus.* Ad petitionem autem Belæ regis Hungariæ soceri sui cum gentibus pedestrium, & equestrium in suo comitatu habens Danielem ducem Rusiæ cum auxilijs Ruthenorum, anno Domini 1253. Morauiam, & districtum Oppauien. intrauit, factisque incendijs ac spolijs, cum multitudine captiuorum in Poloniam rediit, & Rutheni in Rusiam. *Oppauien. terræ duplex inuasio.* In sequenti quoque anno præfatus Boleslaus pudicus dux Cracouien. & Sandomirien. cum Vuladislao Oppolien. & Rathiborien. duce, & cum Ruthenorum exercitu, terram Oppauien. pro eo quod à Premislao cognominato Ottocarus, postea rege Bohemiæ esset occupata, hostiliter ingressus, totam flammis, & cædibus uastauit, & cum præda hominum atque pecorum fœlix remeauit: & cum terræ Craco. & Sandomirien. inter alias terras Poloniæ desiderata pace gauderent. Ecce ingens Tartarorum exercitus ex multis legionibus conflatus, & per gentes Ruthenorum ac Lithuanorum adauctus cum ducibus Tartarorum, Nogay, & Thelebuga, post festum sancti Andreæ, anno Domini 1259. in terram Sandomiriens. aduenit, transiensque per glacies cõcretas fluuij Istulæ, ciuitatem Sandomirien. incendit, & eam cum Eccle[illegible]sijs conflagrauit. *Polonia minor à Tartaris uastata.* Castrum quoque in quod uniuersa Sandomiriensium regio cum uxoribus, pignoribus, & fortunis confugerat, cinxit, & illud nocte ac interdiu oppugnauit, sed cùm nõ præualuisset, Vasilko dux, germanus Danielis, insuper Leo, & Romanus filij Danielis regis Rusiæ ad Petrum de Crampa Sandomiri. capitaneum miserunt, ut potiùs humiliatus tributum imponendum securus pendat, quàm arcem, & qui in eam confluxerunt, omnes perdat. *Ruthenorum fraus.* Credidit Petrus de Crampa, dolositatis, & fraudis Ruthenorum expers atque ignarus, factaque treuga pacis cum Sbigneo germano suo, & insignioribus militibus, è castro descendit, & in statiua Tartarorum per duces Ruthenorum deductus est, ubi tametsi Tartarorum duces adorasset, & tributum pensurum se promitteret, tamen Tartari fide uiolata, eum cum omnibus suis captiuarunt, spoliatosque & uerberatos, ad ultimum capite cæsos, obtruncarunt: cum ualido deinde cõcursu, & clamore ad castrum inuecti, omnes crudeli supplicio (uirginibus duntaxat ac ingenuis mulieribus pro explenda libidine seruatis) truculentissimè enecarunt, fluxitque sanguis occisorum de colle arcis, tanquam quidam riuulus in Istulam. *Magna sanguinis effusio.* Alios uerò homines occidere fastidientes, tanquam gregem cumulatos in Istulam ad submergendum impulerunt, rebus deinde castri omnibus potiti, ipsum incenderunt: effusique è Sandomiria Tartari, ducatum præbentibus Ruthenis, in Cracouiam aduenerunt, & eam uacuam habitatoribus reperientes (omnes siquidem in arcem Cracouiensem confugerant) in recta & ualitudinarios sæuierunt, tribusque mensibus grassati, nullam resistentiam passi (dux etenim Boleslaus pudicus cum Kinga coniuge in Hungariam, tantæ multitudini resistere nequiens, fugerat) cum ingenti præda, & maiori cæde, quàm priori ingressu, & strage, apud Chmielik, & Legniczam factam, onusti in Tartariam reuersi sunt. *Tartarorum ingressus usque ad Legnitz factum.* Quod malum dum Boleslaus pudicus, & Prandotha, Ecclesiæ Cracouiensis Pontifex, Alexandro Papæ quarto, per nuncios Bodzantham Decanum, & Albertum Canonicum Cracouiensem ad illum missos, declarassent, uisitantibus Ecclesiam sanctæ Mariæ Sandomirien. (quoniam illic in Ecclesia, & cœm[illegible]rio corpora occisorum per Tartaros, sepulta sunt) parem indulgentiam, quam habet Ecclesia sanctæ Mariæ ad martres de urbe concessit. *Nunciatur clades Papæ.* Hanc indulgentiam merentur, & prosequentur Poloni, & peregrini quotannis Ecclesiam Sandomirien. secunda Iunij uisitantes, & eam, magnas indulgentias appellantes. Deinceps anno sequenti ualidus exercitus Tartarorum subitò ueniens, Sandomiria conquisita magnam multitudinem hominum, utriusque sexus barbarica sæuitia trucidauit: aliosque more pecorum in Istulam pulsos, undis suffocauit, & per Cracouiam usque in Bithom prædã egit, monasterium Zauichosten. & Calui montis uastauit, & duobus mensibus integris in Polonia debachatus, factis multis incendijs, cum maxima præda ad propria reuersus est. Duce Boleslao Craco. in Hungariam secedente, Prandotha Episcopo Cracouiensi in castro Rathiboriensi commorante, cæteris magnificis, & nobilibus in arcibus, aut syluis degentibus. Hanc Tartarorum uastationẽ induxisse culpatus est dux

est dux Kazimirus Cuyauiæ: quem propterea duces Poloniæ multis contumelijs, ut infrà dicetur, affecerunt. Ne autem barbari, tam frequenti incursu, terras Boleslai pudici inuaderent, cum omnibus copijs suis circa Zauichost contractis, ipse dux Boleslaus pudicus, anno Domini, 1264. composito agmine incedens, Iaczuuingis bellum intulit, quibus decimo Kalendas Iulij cum principe eorum Comath, propere, & læte occurrentibus. Pugna conserta est, & alteris in alteros cæca, & obstinata mente tuentibus, æquis uiribus aliquot horis præliatū est, tandem acie Iaczuuingorū succumbente, & Comath principe eorū à Polonis pugionibus confosso, ad extremū cæsi, & obtriti sunt: omnisq; natio Iaczuuingorum eo bello (quoniam pedem referre, nec unquam pugnam etiam iniquam detrectare uoluit) deleta est, ut pauci agrestes superstites essent. Extunc & in temporibus nostris Lithuanis coniuncti, sic quod nomen Iaczuuingorum perrarum, & paucis notum extet. Horum reliquias Boleslaus pudicus fidem Christi profiteri iussit, detractantes uerò capite multari. Supplicauit etiam dux Boleslaus pudicus, Alexandro Papæ 4. ut pro Neophitis, gentis illius. Episcopum institueret, quod & concesit, & Archiepisco Gneznen. super ea re scripsit: in effectum tamen non cernimus fuisse deductum.

Boleslaus pudicus Iaczwingis bellum parat.

Iaczwingi ubi. Iaczwingi ubi.

CAPVT XLVI. LIB. III.

Repressis autem & extinctis Iaczuuingis, Ruthenorū bellum surrexit. Rutheni siquidem anno Domini 1265. frequenti, & magno exercitu duce Suuarnone collecti, Sandomirien. districtum depopulantes, rapinis, & incendijs afflixerunt, quos Barones Sandomirien. duce Boleslao non consulto actualiter congregati, per agros sparsim palantes, & uastantes fuderunt, & interimerunt, & omnes rapinas recuperantes, castro eorum potiti sunt. Hanc iniuriam, & alias dux Boleslaus pudicus rescissurus, anno sequenti scilicet 1266. Petrum palatinum Craco. cum copijs circa Ropczycze collectis, in terram Suuarnonis misit, quo secundas statiuas agente, feria sexta, quæ fuit decima octaua mensis Iunij, in loco Pyetha appellato, dux Suuarno cum magno Ruthenorum, & Tartarorum exercitu aduenit, haud longè à Polonis locato. In crastino autem, quæ fuit dies sabbati sanctorum Geruasij, & Prothasij martyrum (in quo die superioribus annis Romanus dux Rusiæ potentia Polonorum circa Zauichost contritus fuit) infestis animis occurrerunt, acies Ruthenorum, & Polonorum, maximaq; strages in Ruthenis edita est. Ita ut ad ultimum Suarno ad fugam prosiliret: deinde Rutheni eum sequuti passim in fugam uersi sunt. Et Poloni adepta uictoria, duobus diebus in loco certaminis commorati. Post hoc totam terram Suuarnonis depopulati sunt, multiplicemq; uariæ suppellectilis prædam referentes, in Poloniam ouantes redierunt. Hæc clades Ruthenos adeò domuit, ut terras Polonorū pluribus annis contingere nō auderent.

Rutheni bellū repetunt. Swarno eorū dux.

Polonorum in Ruthenis, & Tartaris uictoria.

Anno autem Domini 1273. conuenientibus in Oppauia, Przemislao rege Bohemiæ ex una, & Boleslao pudico duce Craco. & Sandomiriæ ex altera partibus. Quum Przemislaus districtum Oppauiæ, legitimè ad se deuolutum per Myeczlai Oppolien. ducis mortem, testamento sibi legatum assereret. Et Boleslaus pudicus portionem terrarum regni Poloniæ ab origine tentam, & appropriatam esse affirmaret: nolletq; alter alteri cædere, Barones communes, & consiliarij eorum per sufferentias pacis, in annos uiginti huiusmodi quæstionem suspenderunt decidendam. Interim dum hæc fierent, Paulus Episcopus Craco. cum nonnullis militibus, Boleslao pudico rebellaturi, ad Vuladislaum Oppolien. ducem, precantes, ut ipsum potiùs in dominum, quàm Boleslaum, & quem designauit successorem Leskonem nigrum haberent. Nec abnuit dux Vuladislaus suscipiendos. Occurrente autē exercitu Boleslai pudici ex aulicis, & nobilibus, qui ipsum sequebantur. In Bogehim uilla monachorum, die Veneris, quarto nonas Iunij, duro certamine, cum potentia Pauli Episcopi Craco. & nobilibus eum sequentibus, conflixerunt, pluribusq; interfectis, militibus Boleslai uictoria cessit, licet non incruenta. Bona ergo rebellium singula dux Boleslaus, aut usibus, aut uictoribus distribuendo confiscauit. Prima autem die mensis Iulij eiusdem anni, subito in graui exercitu Lithuani, Pruteni: & Samagitæ, in terram Lublinensem descenderunt, & maiorem partem eius incendijs, & strage uastauerunt, spoliaq; abduxerunt. Insimulatus est Paulus Craco. hanc miserabilem cladem in ultionem eorum, qui in Bogehim ceciderunt duci Boleslao pudico subordinasse. Hic namq; Paulus grauitate pontificali obmissa, pro concubina moniali de lapide Mariæ, aliàs de claustro Skala uiolenter abstracta abutebatur, uenationes per se tractauit. Cum Lithuanis Polonorum hostibus, ut à Boleslao pudico securior esset, affinitates, & connubia iunxit. Ecclesiam suam Crac. perrarò ad diuina peragenda; uisitauit, cum assuetis rapto, aut furto uiuere, conuentus habuit. Quare cùm in monasterio sanctæ Trinitatis in Cracouia esset, uox de aëre lapsa insonuit: Ve tibi Paule Episcope, me-

Monasterium Oliua destructum. Cruciferorum in Pomeraniam descendens grauem uastationem per ignes ac cædes intulit: sub hoc tempore monasterium de Oliua in horreis, equis, & pecoribus, extremè damnatum est.

CAPVT XLV. LIB. III.

Conrado Mazouiæ duce morte sublato, pax est reddita terris maioris Poloniæ Cracouien. Sandomirien. & Lublinen. Thronus uerò Boleslai pudici extunc Polonorum Monarchæ firmatus est, hoste & infensissimo ipsius aduersario è uita cadente, cœpitq; dux Boleslaus pudicus unà cum beatæ uitæ, Prandotha Craco. antistite, pro canonisatione beatissimi Stanislai Episcopi Craco. laborare, & eam prout inferiùs dicetur, adiuuit. *Boleslai pudici thronus firmatus.* Ad petitionem autem Belæ regis Hungariæ soceri sui cū gentibus pedestrium, & equestrium in suo comitatu habens Danielem ducem Russiæ cum auxilijs Ruthenorum, anno Domini 1253. Morauiam, & districtum Oppauien. intrauit, factisq; incendijs ac spolijs, cum multitudine captiuorum in Poloniam redijt, & Rutheni in Russiam. *Oppauien. terræ duplex inuasio.* In sequenti quoq; anno præfatus Boleslaus pudicus dux Cracouię & Sandomirien. cum Vuladislao Oppolien. & Rathiborien. duce, & cum Ruthenorum exercitu, terram Oppauien. pro eo quod à Premislao cognominato Ottocarus, postea rege Bohemiæ esset occupata, hostiliter ingressus, totam flammis, & cædibus uastauit, & cum præda hominum atq; pecorum fœlix remeauit: & cū terræ Craco. & Sandomirien. inter alias terras Poloniæ desiderata pace gauderent. Ecce ingens Tartarorum exercitus ex multis legionibus conflatus, & per gentes Ruthenorum ac Lithuanorum adauctus cum ducibus Tartarorum, Nogay, & Thelebuga, post festum sancti Andreæ, anno Domini 1259. in terram Sandomiriens. aduenit, transiensq; per glacies cōcretas fluuij Istulæ, ciuitatem Sandomirien. incendit, & eam cum Eccle[illegible]sijs conflagrauit. *Polonia minor à Tartaris uastata.* Castrum quoq; in quod uniuersa Sandomiriensium regio cum uxoribus, pignoribus, & fortunis confugerat, cinxit, & illud nocte ac interdiu oppugnauit, sed cùm nō preualuisset, Vasilko dux, germanus Danielis, insuper Leo, & Romanus filij Danielis regis Russiæ ad Petrum de Crampa Sandomiri. capitaneum miserunt, ut potiùs humiliatus tributum imponendum securus pendat, quàm arcem, & qui in eam confluxerunt, omnes perdat. *Ruthenorum fraus.* Credidit Petrus de Crampa, dolositatis, & fraudis Ruthenorum expers atq; ignarus, factaq; treuga pacis cum Sbigneo germano suo, & insignioribus militibus, è castro descendit, & in statiua Tartarorum per duces Ruthenorum deductus est, ubi tametsi Tartarorum duces adorasset, & tributum pensurum se promitteret, tamen Tartari fide uiolata, eum cum omnibus suis captiuarunt, spoliatosq; & uerberatos, ad ultimum capite cæsos, obtruncarunt: cum ualido deinde cōcursu, & clamore ad castrum inuecti, omnes crudeli supplicio (uirginibus duntaxat ac ingenuis mulieribus pro explenda libidine seruatis) truculentissimè enecarunt, fluxitq; sanguis occisorum de colle arcis, tanquam quidam riuulus in Istulam. *Magna sanguinis effusio.* Alios uerò homines occidere fastidientes, tanquam gregem cumulatos in Istulam ad submergendum impulerunt, rebus deinde castri omnibus potiti, ipsum incenderunt: effusiq; è Sandomiria Tartari, ducatum præbentibus Ruthenis, in Cracouiam aduentant, & eam uacuam habitatoribus reperientes (omnes siquidem in arcem Cracouiensem confugerant) in tecta & ualitudinarios sæuierunt, tribusq; mensibus grassati, nullam resistentiam passi (dux etenim Boleslaus pudicus cum Kinga coniuge in Hungariam, tantæ multitudini resistere nequiens, fugerat) cum ingenti præda, & maiori cæde, quàm priori ingressu, & strage, apud Chmielik, & Legniczam factam, onusti in Tartariam reuersi sunt. *Tartarorum ingressus usq; ad Legnitz factus.* Quod malum dum Boleslaus pudicus, & Prandotha, Ecclesiæ Cracouiensis Pontifex, Alexandro Papæ quarto, per nuncios Bodzantham Decanum, & Albertum Canonicum Cracouiensem ad illum missos, declarassent, uisitantibus Ecclesiam sanctæ Mariæ Sandomirien. (quoniam illic in Ecclesia, & cœmi[illegible]rio corpora occisorum per Tartaros, sepulta sunt) parem indulgentiam, quam habet Ecclesia sanctæ Mariæ ad matres de urbe concessit. *Nunciatur clades Papæ.* Hanc indulgentiam merentur, & prosequentur Poloni, & peregrini quotannis Ecclesiam Sandomirien. secunda Iunij uisitantes, & eam, magnas indulgentias appellantes. Deinceps anno sequenti ualidus exercitus Tartarorum subitò ueniens, Sandomiria conquisita magnam multitudinem hominum, utriusq; sexus barbarica sæuitia trucidauit: aliosq; more pecorum in Istulam pulsos, undis suffocauit, & per Cracouiam usq; in Bithom prædā egit, monasterium Zauichosten. & Calui montis uastauit, & duobus mensibus integris in Polonia debachatus, factis multis incendijs, cum maxima præda ad propria reuersus est. Duce Boleslao Craco. in Hungariam secedente, Prandotha Episcopo Cracouiensi in castro Rathiboriensi commorante, cæteris magnificis, & nobilibus in arcibus, aut syluis degentibus. Hanc Tartarorum uastationē induxisse culpatus

est dux

est dux Kazimirus Cuyauiæ: quem propterea duces Poloniæ multis contumelijs, ut infrà dicetur, affecerunt. Ne autem barbari, tam frequenti incursu, terras Boleslai pudici inuaderent, cum omnibus copijs suis circa Zauichost contractis, ipse dux Boleslaus pudicus, anno Domini, 1264. composito agmine incedens, Iaczuuingis bellum intulit, quibus decimo Kalendas Iulij cum principe eorum Comath, propere, & læte occurrentibus. Pugna conserta est, & alteris in alteros cæca, & obstinata mente tuentibus, æquis uiribus aliquot horis præliatū est, tandem acie Iaczuuingorū succumbente, & Comath principe eorū à Polonis pugionibus confosso, ad extremū cæsi, & obtriti sunt: omnisq; natio Iaczuuingorum eo bello (quoniam pedem referre, nec unquam pugnam etiam iniquam detrectare uoluit) deleta est, ut pauci agrestes superstites essent. Extunc & in temporibus nostris Lithuanis coniuncti, sic quod nomen Iaczuuingorum pertarum, & paucis notum extet. Horum reliquias Boleslaus pudicus fidem Christi profiteri iussit, detractantes uerò capite multari. Supplicauit etiam dux Boleslaus pudicus, Alexandro Papæ 4. ut pro Neophitis, gentis illius. Episcopum institueret, quod & concessit, & Archiepisco Gneznen. super ea re scripsit: in effectum tamen non cernimus fuisse deductum.

Boleslaus pudicus Iaczwin. bellum parat.

Iaczwingi uicti.

CAPVT XLVI. LIB. III.

Repressis autem & extinctis Iaczuuingis, Ruthenorū bellum surrexit. Rutheni siquidem anno Domini 1265. frequenti, & magno exercitu duce Suuarnone collecti, Sandomirien. districtum depopulantes, rapinis, & incendijs afflixerunt, quos Barones Sandomirien. duce Boleslao non consulto actialiter congregati, per agros sparsim palantes, & uastantes fuderunt, & interimerunt, & omnes rapinas recuperantes, castro eorum potiti sunt. Hanc iniuriam, & alias dux Boleslaus pudicus relcissurus, anno sequenti scilicet 1266. Petrum palatinum Craco. cum copijs circa Ropczycze collectis, in terram Suuarnonis misit, quo secundas statiuas agente, feria sexta, quæ fuit decima octaua mensis Iunij, in loco Pyetha appellato, dux Suuarno cum magno Ruthenorum, & Tartarorum exercitu aduenit, haud longè à Polonis locato. In crastino autem, quæ fuit dies sabbati sanctorum Geruasij, & Prothasij martyrum (in quo die superioribus annis Romanus dux Russiæ potentia Polonorum circa Zauichost contritus fuit) infestis animis occurrerunt, acies Ruthenorum, & Polonorum, maximaq; strages in Ruthenis edita est. Ita ut ad ultimum Suarno ad fugam prosiliret: deinde Rutheni eum sequuti passim in fugam uersi sunt. Et Poloni adepta uictoria, duobus diebus in loco certaminis commorati. Post hoc totam terram Suuarnonis depopulati sunt, multiplicemq; uariæ suppellectilis prædam referentes, in Poloniam ouantes redierunt. Hæc clades Ruthenos adeò domuit, ut terras Polonorū pluribus annis contingere nō auderent.

Rutheni bellū repetunt.

Swarno eorū dux.

Polonorum in Ruthenis, & Tartaris uictoria.

Anno autem Domini 1273. conuenientibus in Oppauia, Przemislao rege Bohemiæ ex una, & Boleslao pudico duce Craco. & Sandomiriæ ex altera partibus. Quum Przemislaus districtum Oppauiæ, legitimè ad se deuolutum per Myeczlai Oppolien. ducis mortem, testamento sibi legatum assereret. Et Boleslaus pudicus portionem terrarum regni Poloniæ ab origine tentam, & appropriatam esse affirmaret: nolletq; alter alteri cædere, Barones communes, & consiliarij eorum per sufferentias pacis, in annos uiginti huiusmodi quæstionem suspenderunt decidendam. Interim dum hæc fierent, Paulus Episcopus Craco. cum nonnullis militibus, Boleslao pudico rebellaturi, ad Vuladislaum Oppolien. ducem, precantes, ut ipsum potiùs in dominum, quàm Boleslaum, & quem designauit successorem Leskonem nigrum haberent. Nec abnuit dux Vuladislaus suscipiendos. Occurrente autē exercitu Boleslai pudici ex aulicis, & nobilibus, qui ipsum sequebantur. In Bogehim uilla monachorum, die Veneris, quarto nonas Iunij, duro certamine, cum potentia Pauli Episcopi Craco. & nobilibus eum sequentibus, conflixerūt, pluribusq; interfectis, militibus Boleslai uictoria cessit, licet non incruenta. Bona ergo rebellium singula dux Boleslaus, aut usibus, aut uictoribus distribuendo confiscauit. Prima autem die mensis Iulij eiusdem anni, subito in graui exercitu Lithuani, Pruteni: & Samagitæ, in terram Lublinensem descenderunt, & maiorem partem eius incendijs, & strage uastauerunt, spoliaq; abduxerunt. Insimulatus est Paulus Craco. hanc miserabilem cladem in ultionem eorum, qui in Bogehim ceciderunt duci Boleslao pudico subordinasse. Hic namq; Paulus grauitate pontificali obmissa, pro concubina moniali de lapide Mariæ, aliàs de claustro Skala uiolenter abstracta abutebatur, uenationes per se tractauit. Cum Lithuanis Polonorum hostibus, ut à Boleslao pudico securior esset, affinitates, & connubia iunxit. Ecclesiam suam Crac. perrarò ad diuina peragenda, uisitauit, cum assuetis rapto, aut furto uiuere, conuentus habuit. Quare cùm in monasterio sanctæ Trinitatis in Cracouia esset, uox de aëre lapsa insonuit: Ve tibi Paule Episco-

pe, melius esset, si natus non fuisses. Quidam autem religiosus per quietem, lupum anterioribus pedibus erectis, humana uoce exclamasse uidit: Ve tibi Paule Episcope, quoniam cœpisti, & occidisti. Qua relatione plurimùm contritus, in cubiculo solitarius planxit, donec audiuit. Ne timeas, inquit, Paule Episcope, age quod bonum est, septimo anno moriturus. Sed hæc hactenus. Boleslaus pudicus ciuili bello attritus, Lithuanis resistere non ualuit: Lesko uerò, & Conradus Cuyauiæ, & Mazouiæ duces, pro terræ Lublinen. uastatione, terras Polesitarum, & Prutenorum igne, & spolijs, & cædibus, nullam resistentiam passi, depopulati sunt. Dux uerò Boleslaus Pudicus cum omnium suarum terrarum copijs, & cum Boleslao pio Kalisien. & Leskone nigro Siradien. ducibus, terram Oppoliensem in festo sanctorum Simonis, & Iudæ ingressus, uicos, oppida, & suburbia ciuitatis Oppolien. exussit, uastationem usque ad Koszlye, & Rathiboriam extendendo. Vuladislao Oppolien. copiam pugnandi non faciente, sed ex insidijs per agros palantes inuadente, & obtruncante.

Boleslaus Pudicus terram Oppolien. uastat.

In anno quoque sequenti, qui fuit 1274. utroque duce Boleslao Pudico Craco. & Vuladislao Oppolien. minas spirante, & armaturam contrahente. Boleslaus pius dux Kalisien. per plures tractatus, redditis hinc inde captiuis, & damnis compensatis, pacem inter eos composuit. Cumque septem & triginta annis Boleslaus pudicus regnasset, mortuus est, satis deuotus in Cracouia, die Solis septima Decembris, aliàs quarto Idus Decembris, anni Domini 1279. in monasterio sancti Francisci, quod ipse fundauit, in choro ad aquilonarem partem sub lapidibus sectis, in altum eleuatis, sepultus hic princeps bonus, simplicis, non fucati ingenij, sobrius & pius moribus, sed in decisione causarum uarius, & à corruptela munerum, parùm abstinens uenationum sectator, à contactu fœminæ alienus, cœlebs, & uirgo fuit. Ob quod mactæ uirtutis meritum, Boleslaus Pudicus, quod nulli principum Poloniæ in hanc diem contigit, cognomen sortitus est. Nonnullas Ecclesias, & monasteria fundauit, prout in incidentibus claruit, & patebit. Kinga autem uirgo, & relicta Boleslai Pudici humato funere mariti, cum Iolenth, seu Helena Boleslai pij Kalisien. ducis relicta, in Ecclesia sancti Francisci Cracouię ordinem sanctę Claræ professæ, caput uelarunt, & in cœnobium sanctimonialium Sandecens. abeuntes, residuam illic in bonis operibus ætatem contriuerunt.

Boleslai pudici mors.

Vnde Pudicus dictus est.

Kinga & Helene mũdo abrenunciant.

CAP. XLVII. LIB. III.

Dicamus nunc euentus, & contingentias ducum maioris Poloniæ, Slesiæ, Mazouiæ, & Pomeraniæ. Ab initio Monarchię Boleslai Pudici usque in finem eius, anno Domini 1249. Przemislaus dux Posnanien. irritata priori diuisione terrarum cum Boleslao duce Kalisien. germano suo facta. Proprio motu, & sensu ab eo ducatum Kalisien. recepit, & ei quæque peiora, & sterilia consignauit, scilicet, Gneznam, Bnin, Gredecz, seu Gedcz, Nakel, Ostrouu, Burchouu, Czarnkouu, Vscze, & Srem. Adiecit insuper captiuationem ipsius, tanquam uitæ, & principatui eius insidiaretur. Ob hoc meritò à Fulcone Archiepiscopo Gneznen. argutus est, donec in festo paschæ, anno Domini 1253. eum à captiuitate absoluisset. Et reconciliatione facta, per medium eiusdem Archiepiscopi, & Baronum, nouam principatuum diuisionẽ fecit, tribuendo duci Boleslao Gneznã, Kalisz, Vielun, Sroda, Pisdri, Gedcz, Pobiedziszka, Bnin, & Biechouu. Posidente duce Przemislao Posnaniam cum omnibus alijs pertinentijs maioris Poloniæ. Ab eo tempore in fraterna dilectione concordes permanserunt. Captiuauerat, & anno sequenti Semouitum ducem Mazouiæ, & Gertrudim uxorem eius. Kazimirus germanus ipsius dux Cuyauiæ, Lanciciæ, & Siradiæ, & captiuos in Siradia detinuit. In Slesia autem Boleslaus Caluus, dux Legnicen. post duas expeditiones superioribus annis contra Henricum germanum suum ducem Vuratislauien. factas.

Semouitus cũ uxore captius [illegible].

Adiecit tertiam in æstate, anno Christi 1250. & à Vuratislauia repulsus, in Legniczam rediens, singula in ducatu Vuratislauien. igne uastauit. Teuthonici uerò & prædones, quibus stipendia non soluit, in territorijs Legnicen. & Vuratislauien. plura loca incastellauerãt. Ipse quoque Boleslaus Caluus de omnibus equis, & fortunis se exuit. Nec soluenda stipendia soluere potuit. Castrum Lubucen. Ioanni, & Othoni Brandenburgen. Marchionibus obligauit. Et ab eo tempore, anno scilicet 1250. districtus Lubucen. cũ castro, ad Marchionatũ Brandenburgen. à regno Poloniæ iniustè alienatus trãsijt (illic in Ecclesia sancti Petri sub castro Lubusz quiescit, tumulatus Myeszko dux Polonus, cuius fuit castrum Lubusz dum uiueret) ad tantamque egestatem Boleslaus peruenit, ut frequentiùs pedibus iret, quàm equo ueheretur, & idcircò faciliter à militibus Henrici fratris sui compræhensus in uincula Vuratislauiæ coniectus erat. Sed ad iussa Henrici fratris sui dimissus fuit: oppida sortis suæ Zithauuiam, & Gerliczam subditis suis in

Boleslai infortunium.

grauē

grauibus summis obligauit: Hinkonem filium Mirzonis Castellani Crosnen. spe exigendæ pecuniæ captiuauit, ac Germanis, quorum consortio delectabatur, pecunia mulctandum dedit. Qua de re nobiles Poloni, Crosnense castrum, & oppidum Crosna, cum cæteris munitionibus, Conrado fratri, & aduersario suo tradiderunt. Quod Boleslaus Caluus dolens, Conradi fratri suo insidias ut captiuaretur, & occideretur, tetendit. Conradus autem declinans insidias Boleslai, ad Przemislaum Posnaniens. & Kalisiensem ducem diuertit. Qui comiter cum excipiens, & pascens, Boleslaum Caluum Legnicen. in Henricum Vuratislauien. duces requisiuit, ut Conrado sortem paternam assignarent, & stipe aliena cum ludibrio suo, & suorum eum uiuere nõ sinerent. Ipsis autem nolentibus, & sese excusantibus, Przemislaus dux præfatus Posnaniens. & Kalisiensis cum equestri, & pedestri exercitu, habens secum ducem Conradum, in ducatum Legnicen. intrauit, & castrum Bithom prope Glogouiam supra flumen Odram construxit, fossatisque uallis & militibus muniens, ac duci Conrado tradens mandauit, ut non priùs à uexatione ducatus Legnicen. cessaret, donec æqua per Boleslaum ei portio redderetur. Contigit eo tempore, ut Boleslaus Caluus incautius speculans exercitum Przemislai, ab eius militibus excubias agentibus caperetur, & in uincula per Przemislaum coniectus, custodibus pecunia corruptis, euasit. Dux autem Przemislaus Posnanien. Posnaniam reuersus, Salomeam sororem suam præfato duci Conrado desponsauit, & magnificas nuptias sub præsentia Fulconis Archiepiscopi Gneznen. Boguphali Episcopi Posnanien. & Baronum terrarum suarum celebrauit. Ibidem Thomam Castellanum Posnaniens. Thomislaum pincernam, filiumque eius Sandiuogium, nobiles, de domo Nalancz, accepta cautione, quod sibi, & Boleslao duci Gneznens. fratri suo fideles, & sinceros se præstarent, à uinculis absoluit. Captiuati siquidem ante tres annos fuerunt, quoniam accusati erant Przemislaum, & Boleslaum fratres de ducatibus maioris Poloniæ eiiciendos conspirasse, & ad Boleslaum Legnicen. defecisse, ipsi ducatum maioris Poloniæ tradituri. Baruuin item dux inferioris Pomeraniæ, interim Przemislao bello Slesiæ implicato, castrum Drdzen compræhendit, quod post unius mensis spacium Przemislaus expugnans, milites pro eius defensione relictos, captiuauit, & bona eorum militibus suis in prædam dedit. Anno uerò Domini 1254 Przemislaus Posnaniens. Boleslaus Kalisien. germani, & Conradus gener eorum, in districtum Vuratislauiens. dominij Henrici ingressi, spolia plurima circa Vuratislauiam, Olesniczam, Trzebniczam, Siczouu, Cyrequiczam, & alia loca intulerunt, eò quod dux Henricus fratri suo Conrado, neque portionem suam dabat, neque apud Boleslaum Legnicen. ut daretur, instabat. Insuper & pro summa quinquaginta marcarum argenti duci Przemislao debitarum. Ecclesijs tamen, & monasterijs honos, & debita libertas seruata est: Opizo autem Abbas de Meizano sedis Apostolicæ legatus, in Vuratislauia commorans, Przemislaum ducem & terram ipsius Posnanien. interdicto supposuit, læsum se & Apostolicam sedem asserens, quia eo præsente Vuratislauien. districtus uastaretur, nuncijs tamen Przemislai requisitus, & allegationibus conuictus post appellationem ei intimatam, aliàs post uiginti sex dies interdicti, à die Veneris post Dominicam Reminiscere, usque ad diem Martis post Dominicam Iudica computatis interdictum relaxauit. Eodem anno dux Conradus de castro Bithom Henricum ducem Vuratis. germanum suum captiuauit, nec dimisit, donec obsides posuit, quod portionem suam à duce Boleslao Legnicen. repeteret, aut portionem ducatus Vuratis. bona fide sibi præstaret, propter quod duce Henrico Vuratislauiensi instante, in anno sequenti uidelicet 1255. Conuentione ducis Boleslai Legnicen. & Henrici Vuratis. apud Glogouiam habita. Ex sententia Thomæ Episcopi Vuratis. & communium Baronum, Boleslaus Legnicen. multipliciter detrectãs, atque resistens duci Conrado portionem suæ sortis Glogouiam, cum attinentijs ferè conuictus tribuit, & dux Conradus obsides duci Henrico Vuratis. restituit.

Boleslaus Caluus captus, & pecunia liberatur.

Baruuin dux Pomeraniæ castrum Drdzen occupat.

Opizo legatus Papæ interdictum ponit.

Conradus Henricum germanum captiuat.

Concordia eorum ex restitutione.

CAPVT XLVIII. LIB. III.

IN Pomerania quoque anno Domini 1255. Suuatopelcus Pomeraniæ dux Mscziugium filium suum olim apud Cruciferos Prussiæ obsidem, cum exercitu, & nocte præcedenti in diem sancti Michaëlis misit, castrum Nakel intercœpit. Quod cùm Przemislao duci Posnaniensi, cuius castrum erat, nunciatum esset, obsidione castrum cinxit, habens secum Boleslaum Kalisiensem, & Kazimirum Cuyauien. Lanciciens. & Siradiens. duces, habens in auxilium mille milites Boleslai pudici Craco. & Sandomiriens. Semouiti uerò Mazouiæ ducis octingentos. Non tamen cum tanto exercitu profecit, sed nouo castro è regione antiqui castri uersus occiduum locato. Ad prohibendum ingressum, & egressum Pomeranorum de castro antiquo, soluta obsidione, disces-

sit: etiam & auxilia principum remisit. Vt autem expugnationem castri Nakel maturaret; Przemislaus cum ducibus Boleslao Kalisien. & Cazimiro Cuyauien. nocturnis temporibus ad castrum Raczansz, quod à Suuatopelcone tenebatur, ante lucem diei ueniens oppugnauit, & uociferationibus præmissis, ignem iniecit. Castellani autem maximo pauore concussi, alij per medias flammas exilientes in potestatem ducum uenerunt. Alij ab igne miserabiliter deuorati sunt. Castrum autem totum, præter cellaria, & foueas con flagratione perijt. Suuatopelcus irritatus, ad Nakel in medio quadragesimæ cum omni sua potentia uenit, & fossato castri noui, lignis aridis ac pinosis implens, conflagrare nitebatur. Milites uerò Przemislai igne adhibito, antequam alia conducerentur, omnes strues iniectas exusserunt. Tandem castrum nouum expugnare cœpit, ubi occisis uiginti, & pluribus uulneratis expugnationē Suuatopelk intermisit, & ad Pomeraniam tristis redijt: & congregato nouo exercitu, usus arte, & astu. Dominica Rogationum, in montanis exercitum in insidijs collocauit, manecq; milites Suuatopelconis ex castro Nakel iuxta præsignationem ipsius erumpentes, in certamen prouocarunt, milites Polonorum de nouo castro, & fugere se simulantes abduxerunt, & ipsos ad insidias perduxerunt. Suuatopelcus etenim cum suis à tergo consurgens, & ex fuga à fronte conuersi, uelut quasdam uictimas in medio conclusas occiderunt, castrum tamen non obtinuerunt. Ad ultimum Suuatopelcus ad reconciliandū duci Przemislao, Poponem fratrē ordinis Crucifero rū submisit, Polonus hic erat, genere nobilis, natione Cracouita, per maternam lineam Przemislao sanguine iunctus, & conuentum in uigilia sancti Iacobi, apud uillam Eczinam agentes, auctoritate compromissi Popo sic sententiam pronunciauit: Suuatopelcus crastina die sancti Iacobi, castrum Nakel iniustè interceptum, nepoti suo duci Przemislao restituat, & omnes captiuos liberos dimittat: Przemislaus uerò pro expensis, & demolitione castri Raczansz, Suuatopelconi quingentas marcas argenti, in certis terminis soluat, & interim obsides ponat. Qua pronunciatione ab utroque principe acceptata, reconciliatio facta est, castrum Nakel duci Przemislao resignatum. Nouum uerò demolitum, & nouem adolescentes nobiles pro obsidibus scilicet Dirsicraius, & Dobrogostius filij Vincentij, Vulodimirus Prandothæ, Iacobus Boguphali de Czirnelin, Ianussius Dobiessouicz de Pnyeuu Samson Guyeuomirouicz, Derslaus Iareczeuicz, Mroczko Przeczslauicz, & Sanduuogius Sbiluthouicz, Suuatopelconi dati sunt, quousque quingentæ marcæ argenti effectualiter ei soluerentur. Redeamus nunc ad Slesiam, Boleslaus dux Legnicensis sæuus appellatus, Thomam Episcopum Vuratislauien. uirum ætate & uita laudabilem, in Gorka prædio Abbatis de arena, dum illic Ecclesiam consecraturus aduenisset, in nocte effractis ostijs, die sexta Octobris: anni Christi 1256. captiuauit, & Teuthonici complices ducis Boleslai, quos in Slesiam induxerat, cōsilio eorum utens, cognito, quod Thomas Episcopus usum equitandi non haberet, eum in equum trotantem unica camisiola, in qua dormierat tectum, transposuerunt, latrunculus autem quidam ex Teuthonicis, uisa nuditate Episcopi, & stridore dentium præ frigore, misertus illius, cum ueste sua uirgulata, & ocreis antiquis induit. Deductum autem Pontificem in Vlay castrum, cum Boguphalo Præposito, & Hecardo Canonica Vuratisl. quibuscum captus erat, in carcerem & uincula idem Boleslaus sæuus coniecit. Donec decimas manipulares in fertones commutaret, ac decem millia marcarum solueret. Dissimulauit, & silentio hanc rem transijt. A' Capitulo Vuratisl. requisitus dux Henricus dux Vuratisl. Sed non dissimulauit Fulco Archiepiscopus Gneznens. qui celerrimè Episcopis prouincialibus Lanciciæ conuocatis, Boleslaum ducem Legnicensem cum diœcesi Vuratislauiensi interdicto supposuit: mittensque ad Alexandrum Papam quartum in mandatis accepit, ut Boleslaus sæuus cum complicibus facinoris interdiceretur, quoadusq; Christos domini relaxaret. Superuenit, & aliud mandatum Apostolicum, post accusationem proteruiæ ducis Boleslai calui (qui interdictum tanquam stipulam reputans ex Vlay castro in Legniczam pontificem cum sodalibus ipsius Præposito Boguphalo, & Canonico Hecardo transferens, separatim quemque squaloribus carceris afflictis addens afflictionem deputauit, & coniecit) ut Archiepiscopus Gneznensis, & Maydenburgensis cum eorum suffraganeis, in Germania, & Polonia crucem contra sæuum Boleslaum, & eius subiectos prædicarent, quod non cernitur continuatū, quia iam in festo Paschæ anni Domini 1257. pacificatus, à uinculis solutus erat. In uniuersa diœces. Vuratislauien. capitulo suo Vuratislauien. & metropolitano suo Archiepiscopo Gneznen. ir requisitis, cōmutationem decimarū manipularium in fertones, & duorū millium marcarum argenti solutionē, ultra pannos farlaticos à Boguphalo Preposito, & Hecardo Canonico exactos, pollicitus, medietateq; pecuniæ soluta de residua medietate soluēdā, trāsmutatione decimarū manipulariū in fertones nō reuocāda, obsides filios nobiliū, & sculteto rum

Suuatopelcus sine uictoria Pomeraniam regressus.

Stratagema.

Popo sententiam concordiæ profert.

Obsides dati nomine.

Thomas Episcopus Vuratisl. captiuatus.

A' Teuthonis in Vlay ducitur.

Fulconis interdictum, cui successit id [illegible] Apostolicum.

Cruce signati à Papa contra Boleslaum decreti.

rum suorum posuerat, cum consortibus captiuitatis Præposito, & Canonico, ut præmissum est, in festo Paschæ liberatos. Originale autem literarum Apostolicarum ad prædicandum crucem contra Boleslaum sæuum Legnicen. apud Ecclesiam beatæ Mariæ Sandomiriæ habetur, quarum initium est tale: Alexander Episcopus seruus seruorum Dei, uenerabilibus fratribus Archiepiscopis Gneznen. & Maydenburgen. eorumq; suffraganeis salutem & Apostolic. bened. nō absq; multa cordis amaritudine iamdudum accepimus. Finis earundem, Datū Laterani tertio Calend. Aprilis, pontificatus nostri anno 5.

Liberatio eorum.

Originale pro cruce signatis.

CAP. XLIX. LIB. III.

ANno uerò natiuitatis Domini 1256. adiecit & aliud facinus malignum Boleslaus dux Legnicen. eodem anno, in germano suo Conrado duce Glogouien. patrandum. Inuitauit siquidem ipsum ad continuandum: reuera autem ad captiuandum, quod persentiens dux Conradus, plures pro numero secum in Legniczam transiens assumpsit, & maiori parte eorum in sylua proxima Legniczæ relicta, cum expedita aliorum manu in castrum Legnicense peruenit: à Boleslao, ut uidebatur, benignè acceptus. Et antequam ad superna per gradus ascenderet, uidens Teuthonicos Boleslai milites turres, & mœnia occupasse, Boleslaum sæuum captiuauit, ac extra portam castri, antequam milites Boleslai descendissent ad eos, qui in sylua operiebantur, deportauit, & abinde in Glogouiam deductum, arctę custodiæ deputauit. Nec dimisit, donec qui Thomam Episcopum Vuratisl. deprædatus fuerat, de omni pecunia ab eo data, & danda deprædaretur, exegit namq; ab eo totam prædictam pecuniarum summam.

Conradus fratris dolum fugit.

Subtracto item ex humanis Przemislao duce Posnaniensi (de cuius obitu infrà dicetur) Boleslaus germanus eius, dux Gneznen. & Kalisien. cum gentibus suis, & præfati Przemislai ducis, ut præfertur mortui. Habens secum Varcislaum Boguphali Slauiæ, & Kassubiæ ducem, quo cùm confœderatus erat contra Kazimirū ducem Kuyauien. Lancicien. & Siradien. anno Dñi 1258. Cuyauiam inuasit, & Iunislauiā obsedit, & oppugnauit. Causa erat, quia prelibatus Kazimirus dux Cuyauiensis Castellaniam Landen. in hęreditate ducis Boleslai aliquot annis iniustè occupauerat. Kazimirus autem cernens se haud parem Boleslao missis caduceatoribus, sub certis condicionibus reddere Castellaniam Landen. promisit. Boleslao autem credente, & obsidionem soluente, nil eorum, quæ promiserat adimpleuit, quinimò sequenti anno cum exercitu quasi duorum millium militum, terram Kalisiensem clandestinè ingressus, in ea desæuit. Boleslaus autem dux Kalisiensis cùm de hoc certior factus fuisset, de itinere, quod in Posnaniam continuabat reuersus, cum suis duntaxat Curiensibus, & triginta militibus in transitu collectis, ac agrestibus, quibus pecus ereptum fuit, ipsum ducem Kazimirum pecus agentem in nemore pinoso dicto Solecz inter Opatouu Archiepiscopalem, & Kalinam, aliàs Clamam militarem, uillas situato, consequutus est: postremisq; aciebus disturbatis, primi quum fortem, & numerosum exercitum Boleslai existimarent, terga uerterunt: referebant enim se tanto pauore correptos, ut circa singulas nemoris arbores, ingentes hostiles copias arbitrarentur consistere. Excussa est ergo, & reddita agrestibus præda, militesque ducis Boleslai trecentis equis, & spolijs sunt potiti. Non quieuit Kazimirus dux Cuyauiensis hac clade perturbatus, sed cum adiutorio ducis Suuatopelci Pomeraniæ, erecto nouo castro in oppido Pakosćz, ad ducem Boleslaum pertinente, uicinam eram spolijs infestauit, tot & tantis iniurijs Boleslaus dux Kalisienlis prouocatus, uenit sexta die Octobris in terram Lanciciensem cum Boleslao pudico Craco. & Sandomiriens. Ruthenorum ac Cumanorum habente præsidia. Cum Semouito Mazouiæ germano eiusdem Kazimiri, Cuyauiens. ducis, habente secum Romanum filium Danielis Regis Rusiæ cum exercitu Ruthenorum, ducibus, & patruis suis Kazimirum ducem Cuyauiensem, uelut publicam pestem persequentibus, & tam incendijs, quàm spolijs ac cædibus in miserabilem solitudinem eam uastauerunt: castroq; in illa ædificato atque munito, illud in fidem, & potestatem Semouiti Mazouiæ ducis ad uastandum ulteriora tradiderunt. Humiliatus dux Kazimirus sufferentias pacis ad diem sancti Andreæ petijt: & in præfato festo iuxta arbitrium communium Baronum de castris, & finibus occupatis se cessurum iureiurando spopondit. Nec tamen cessit, sed iam alterum contractum, & iuramentum perfregit, propter quod denuò Boleslaus dux Kalisiensis circa festum sancti Bartholomæi, anno Domini 1261. terram Cuyauiæ uastauit, nec copias ex Cuyauia deduxit, donec castrum Landense, & castrum quod Kazimirus ædificauerat, suis officialibus fuere reddita. Relicto Boleslao Kalisiens. repentè eodem anno sibi Kazimirus dux Cuyauiensis, & Lanciciensis districtum Lelouiensem usurpauit, castrumq; in col ... oppido Lelouiensi proximum ædificauit, quod eo discedente, Boleslaus pudicus dux Craco-

Kazimiri ducis fraus promissionis.

Kazimiri exercitus meticulosi.

Kazimiri periurium.

Boleslai ducis Kalisien. bellica instantia.

Cracouiæ, & Sandomiriæ, conquisiuit, & suæ iurisdictionis fecit. Accidit & aliud infaustum duci Kazimiro malum facinus. Nam duo filij ex priori uxore suscepti, insurgentes, Zemomisl Lanciciens. Lesko Siradiens. castra, & districtus, sub patre militibus uniuersis tyrannidem patris perosis, sibi adhærentibus, & in eorum subiectionem concedentibus, occupauerunt.

Item Semouito duce Mazouiæ in curia sua Iasouusko, aliàs Iasdow cōmorante, anno Dñi 1262. Rutheni, & Lithuani inter se liga cōfœderati, per syluas, & nemora silenter in uigilia Ioannis Baptistę aduenientes, incautum cū filio eius Cōrado, & militibus præsentibus occupauerunt. Suamirus autem seu Suarno, nepos Danielis regis Rusiæ, quia in sortem eius cesserat, ducē Mazouiæ Semouitum truculenter decollauit. Conradū uerò filium ipsius Mendog, & Lithuani conseruarunt, & eodē anno ab eis redemptus est, tunc Rutheni cum Lithuanis ex Iasouusko egressi, Mazouiam prædabantur, quibus Barones Mazouiæ cum agrestibus in arma coactis in rure, cui nomen Dlugosyedle occurrerunt, & fortiter præliando à multitudine hostili superati sunt. Victores autem Rutheni, & Lithuani, uniuersa Mazouiæ ora, & maiori parte Cuyauiæ peruastata, cum immensa præda hominum, & pecorum, succensis oppidis, & uillis, in suas terras redierunt. Superuenit tandem Boleslaus pius dux Kalisiensis in festo sancti Michaëlis, precibus frequentibus Gertrudis relictæ ducis Semouiti peruictus, & ciuitatem Plocensem à Barbaris exustam, cum castro refecit: fossatisq́ꝫ, & uallis communiuit, & Boleslao ac Conrado filijs ducis Semouiti de sua liberalitate præsentauit. Non contenti autem Rutheni cum Lithuanis de præda, & clade Mazouiæ illata: sequenti anno in Mazouiam remearunt, & in ea propter desolationem nil reperientes in castellaniam Louicens. ad Archiepiscopum Gneznen. pertinentē, concito gradu peruenientes, igne, & multiplicibus prædis eā consumpserunt: nemineq́ꝫ defensionem opponente, in terras suas superbiendo discesserunt.

Mazouiæ clades.

Castellania Louicen. Archiepiscopi Gneznen. uastatur.

CAPVT L. LIB. III.

Mendolphus Lithuanorum rex occiditur.

PRopitiaturus dominus Polonis specialiter Mazouitis, dissensiones, ciuilesq́ue discordias inter Lithuanos, & Ruthenos immisit: nam Mendolphū, aliàs Mendog regem Lithuanorum, nepos eius Stroynath principatum apud Lithuanos nacturus, quiescentem obtruncat, & omnes filios eius præsentes, & principatū rapit, anno Domini 1263. Voysalk autem filius, & Theophilus consobrinus Mendog, anno sequenti uidelicet 1264. Stroynath uenationes tractantem, exprobrata ei cæde patris interimerunt. Fuit autem Voysalk monachus Rusiæ tonsus, qui occidēs Stroynath, ducem Lithuanorum se gerere cœpit.

Anno autem Domini 1267 propter simultates, & odia pro terris Rusię, quas Voysalk sibi appropriare nitebatur in quodam rure circumuentus, à Leone duce Rusiæ, filio Danielis olim regis Rusiæ occisus est, sed de Lithuanis hactenus. Castrum Santhok per Saxones anno Christi 1265 compræhensum, Conrado Marchioni Brandenburgen. tanquam munus dotale consortis suæ est præsentatum. Sed Boleslao pio duce Kalisien. ad expugnationem illius contendente, per communes Barones conclusum, & acceptatum est, ut Boleslaus pius suum castrum Santhok: Conradus uerò Marchio Brandenburgen. alterum suum castrum Drdzen tanquā iacturas generantia, demoliat, quod tandē uterq́ꝫ exercitus executus est. Sed anno sequenti Boleslaus pius dux Kalisien. contraueniendo pacti, & ordinationi cum equestribus, & pedestribus copijs profectus, castrum Santhok ex roboribus infra unius mensis spacium affatim ædificauit, præsidioq́ꝫ, & uictualibus imposito, discessit. Quo abeunte Conradus Brandenburgen. Marchio, castrum Santhok obsidione uallauit, & expugnabat. Boleslaus autē pius dux Kalisien. pugnā, & dissidiū cū uicino ac genero suo horrens, missis nuncijs deducto pręsidio Polonorū, castrū Santhok Conrado Marchione, & exercitu ipsius inspectāte exussit. Otho tamē Othonis Marchio Brandenburgē. sibi appropriare Castellaniā Santocen. cupiens, anno Domini 1269 castrum Sulenz de roboribus lignorū properè, inter oppidū Poloniæ Myedzirzecz, & Lubusz ædificauit, tandem in oppidū Myedzirz, quod fossis, & propugnaculis ligneis eo tempore muniebatur, irruit, & ipsum spoliauit, castrū tamen non cōpræhendit. Quem Boleslaus dux Kalisien. cū suis gentibus sequutus, terrā pręfati Marchionis Lubucen. in girū uastauit: eaq́ꝫ uastata, castrū Sulencz succendit, & cōquisiuit. Saxonibus ferè omnibus pro præsidio illic relictis igne cōsumptis. Solo Sabel Capitaneo uiuo in manus, & captiuitatē Polonorum ueniente. Verū anno sequēti Boleslao pio duce Kalisien. uisitante Boleslaū pudicū apud Cracouiā, Otho Marchio Brandēburgen. castrū Sāthok de lignis ędificauit, quod ubi Boleslaus pius cognouit, ē Cracouia reuersus, forti agmine militū stipatus, castrū Drdzen in octo dieb. incipiendo in festo S. Georgij cōstruxit, & præsidium militum ei imposuit. Sed dum negligentius seruaretur, à Saxonibus decima septima Decembris

Voysalk occiditur.

Santhok, & Drdzē castra demoliuntur.

Castrum Sulenz ædificatur.

Sabel captus. Castrū Drdzē reædificatum intercipitur.

cembris nocte interceptū est,& utroq; castro Otho Brandenburgens. potitus est. Quod Boleslaus pius dolens, cū omnibus equestribus, & peditibus maioris Poloniæ, tam suis, quàm nepotis sui Przemislai, & Cuyauiæ, quia tunc Zemomislaus dux Cuyauię in eius deditionē concesserat, tribus aciebus, seu exercitibus Castellaniā Sandocen. anno Christi 1271 ingressus, oppida, & uillas, spolijs, & incendijs uastauit. Hostibus in munitionibus sese conseruantibus, & pugnam subterfugientibus, ad oppidumq; Soldin ueniens, scalis appositis ipsum cœpit, & in milites spolijs diuisis incendit, ac cum frequentibus gregibus, & spolijs in sua rediit. Interim primores, & omnes nobiles terrarum Cuyauiæ, & Lancicię, uidentes quòd dux eorum Semouitus, aliàs Zemomisl, fratrum Cruciferorum Prusiæ, apud quos nutritus erat, Barones suos contemnendo, sequeretur consilia, anno Christi 1269. Boleslao pio duci Kalissiens. adhæserant. Zemomisl uerò cernens se spretum, & derelictum, Boleslao duci Poloniæ notabile castrum Crusuiciens. donauerat, qui tali munere præuentus deditionem militum Cuyauiens. & Lanciciens. abnuens, Zemomislao duci eorum, ita ut ipsorum consilia tanquam probatiora sectaretur, reconciliauerat. Et post biennium eidem duci Zemomisl castro Crusuisza restituto, ne à quopiam hostium interciperetur, deleri iussit. Sub eodem tempore Boleslaus pius Kalissiensis tria castra erexerat. Vnum in uilla comitis Sczedrici quod appellauit Dupin. Aliud in uillagio Gnieuomiri filij Trzebeslai, quod uocauit Nyeslusz. Tertium in terra Vyelunens. su per fluuium Prosznа, quod ex nomine suo Boleslauiecz nominauit, & id solū de tribus prædictis usq; nunc manet: à rege Kazimiro secundo muro roboratum.

Oppidum Soldin. captum.

Primores Cuyauiæ, & Lanciciæ deficiunt

Boleslaus [illegible] lissien. castra erigit.

CAPVT LI. LIB. III.

TRanseamus nunc ad Pomeraniam. Anno Domini 1270 Msczugius dux Pomeraniæ auxilijs Prutenorum infidelium fretus, terram Culmensem uniuersam Cruciferorum, & Episcopatum Pomesaniensem spolijs, & cędibus uastauit. Insuper quindecim naues oneratas uictualibus, Cruciferis abstulit: in cuius uitionem Ludouicus magister Prusiæ collecto exercitu, Pomeraniam circa oppidū Noue, in die Apostolorum Petri, & Pauli ingressus, eam igne, & spolijs afflixit. Nec ea uastatione contentus, aliam in die sancti Bartholomæi egit, & Pomeraniam circa oppidum Tsczouu ignibus, & spolijs desolauit. Post hoc Mscezugius dux Pomeraniæ, cum Lodouico Prusiæ magistro damnis hinc inde compensatis, pacem inter se custodiendam concluserunt. Sed magistro Ludouico mortem obeunte, Mestuuinus, seu Mscezugius dux Pomeraniæ præfatus, terram Culmensem, & Episcopatū Pomesaniensem, ferro, spolijs, & flammis deuastauit: quem Theodricus magister Prusiæ nouiter electus, insequutus, magnam partem Pomeraniæ armis, & igne depopulatus est.

Terræ Culmēsis & Pomesanien. uastantur.

Orta est deinde de principatu Pomeranię discordia, anno Domini 1271 inter Mscezugium natu maiorem, & Varcislaum natu minorem, germanos filios Suuatopelci, olim ducis Pomeraniæ, ueritusq; seditionem Mscezugius, Varcislaum captiuauit, & aliquanto tempore apud Redzk in uinculis tenuit, qui euadens bellū Mscezugio intulit, facileq; à Mscezugio fusus, in syluas refugit. Stragem autem mutuam omnibus Pomeranis excitantibus, fratres in concordiam, & æqualem Pomeraniæ diuisionem compulerunt, tamen Varcislaus minor natu, ulceratū erga fratrem gerens animum, suæ captiuitatis dedecus prosequuturus. Conradum Marchionem Brandenburgensem filiam Przemislai olim ducis Posnaniensis matrimonio habentem, enixiùs sollicitauit, ut ei præsidiā aduersus fratrem præstaret, qui non abnuit, dummodò præmia offerret. At ille pecuniæ, & donatiui inops, castrum, & ciuitatem Gedanum, quæ sibi in sortem cesserat, ei obligauit, & tradidit: secedensq; in Villegrod, morbo correptus interijt, à militibus in Ianiuuladislauiam delatus, in monasterio fratrum minorum sepultus. Mscezugius ergo munitiones, & omnes possessiones, quas Varcislaus obtinuerat, possedit, præter castrum, & oppidum Gedanum, quod milites Conradi Marchionis Brandenburgensis compleuerant, & possederant, nec dimittere uolebant. Et quia expugnatio eius difficilis erat, cùm sit locus naturà, & arte satis munitus, ad Boleslaum pium ducem Kalissiensem animo, & militia illa ætate pollentem, ex matertera Mscezugij genitum, consilio suorum Baronum confugit, qui ad obtundum huiuscemodi negocium, tempus hyemis sequentis consignauit. Et quintadecima Ianuarij in Pomeraniam uenit, simulq; cum Mscezugio, & Pomeranis Gedanum, tam terra, quàm aqua, graui obsidione strinxit: & quum tormētis, & apparatu bellico non proficeret, nona die expugnationē per admisionem militū egit: pugnaq; utrimq; in longum feruente Saxonibus missilia tela, & saxa defecerunt, & idcircò defensionem remissiùs prosequuti sunt. Propter quod Poloni, & Pomerani, castrum in aliquot locis perforantes, clamore in altum eleuato, uictores in castrum irruperunt, & Saxones [illegible] quosq;

Dissensio diuidendæ Pomeraniæ.

Varcislai interitus.

Gedanum obsessum.

quosque obuios obtruncarunt, & trucidarunt, spolijs, & rebus Saxonum potiti. Boleslao itaque duce Kalisiensi discedente, Mscezugius dux Pomeraniæ in quosdam Gedanens. animaduertit, Arnoldumq; & Iacobum cum cognatis eorum capite damnauit, & bona eorum confiscauit, quoniam hi in mortem suam, & suorum Baronũ conspirassent, & Marchioni Brandenburgensi tenacius adhæsissent. Duas quoq; uillas, quæ ad illos pertinebant, Scrobothouu, & Vithomino Episcopo Albero, & suæ Ecclesiæ Vuladislauiensi perpetuò donauit.

Mscezugij in Gedanen. sententia.

Boleslaus autem dux Kalisiensis eodem anno 1272. sexto Calendas Iunij, Przemislaum ducem Posnaniensem, nepotem suum sextumdecimum agentem annum, misit cũ copijs equestrium, & pedestrium occasione castri Santhok occupati contra Marchiones Brandenburgens. curam traducendi, & regendi exercitus Przethpelconi Palatino Posnaniensi, & Ioanni, qui & Ianck appellatus est, castellano Kalisiensi demandando. Qui Marchiam ingressus, castrum Strzelcze à Conrado Marchione Brandenburgensi nouiter extructum, expugnauit, & recepit. Deinde tota ora circa Odram uastata, & hostiliter exusta, cum exercitu, & spolijs redeunti, iuxta castrum Vyclen nunciatum est, castrum Drdzen paruo militum præsidio teneri, à Kassubitis quoq;, qui cum Polonis erant, primam portam igne apposito, incensam esse. Mouit ergo exercitum, & Saxonibus uitam duntaxat paciscentibus, castrum Drdzen conquisiuit: fœlixq; ad penates redijt, duorum castrorum conquisitione insignitus atq; laudatus. Et quia Marchiones Brandenburgenses occupato castro Santhok, ex eo sæpenumerò Poloniæ fines lacessebant. Ideò dux Boleslaus pius Kasilliens. anno Domini 1278. coadunato exercitu ex gentibus suis, & nepotis sui Przemislai ducis Posnanieñ. Mscezugio fratre suo duce Pomeraniæ, personaliter cum gentibus suis ei adhærente, in terras Marchionum Brandenburgens. descendit, & occurrentem sibi circa Soldinum Otthonem longum, filium Otthonis tertij, quũ multò inferior esset uiribus, prælio commisso, eum uicit, & fugauit. Ac omnem terram circa Odram peruastando, spoliando, & exurendo. De spolijs, diuisione cum Mscezugio ex æquo facta, in sua remeauit, ipseq; anno sequenti uidelicet 1279. in castro Kalisiensi febribus correptus, die Veneris septimo Idus Aprilis, sacramentis procuratus, mortuus est, in Posnaniamq; relatus, in Ecclesia cathedrali in sepulchro patrũ suorum tumulatus. Przemislao duce Posnaniens. nepote eius in ducatum Kalisien. succedente. Is Ioheleth, alias Helenam Boleslai pij relictam, dote abundanti emancipauit. Et ipsa paulò pòst ad Kingam sororem eius, germanam Boleslai pudici, Cracoui. & Sandomirieñ. ducis consortẽ, concesit, Deo peramplius famulatura. Expediuit & filias præfati Boleslai pij Kalisiensis neptes suas, Heduigim priorem Vuladislao Loktek duci Brestensi, filio Kazimiri ducis Cuyauiæ tradidit. Alteram Elizabeth Henrico uentroso duci Legnicensi filio Boleslai calui, qui & Rogathka appellatus est, locauit. Tertia Anna in uirginitate diem clausit extremam.

Brandenburgẽsis terra uastatur.

Boleslaus Kalisien. moritur.

Helena uxor Boleslai, ad Kingam sororem pergit.

Anno Domini 1248. Iacobus Leodiensis Archidiaconus Innocẽtij Papæ quarti ex concilio Lugduneñ. legatus, in Poloniam uenit, & synodum apud Vuratislauiam egit. Ad quam Fulco Gneznensis Archiepiscopus, Prandotha Cracouiens. Boguphalus Posnaniens. Thomas Vuratisla. Michaël Vuladislauiens. Andreas Ploceñ. Nankerus Lubucens. Henricus Culmensis, Episcopi, uenerunt, & nomine Apostolicæ sedis expositis pluribus angustijs eiusdem sedis, medietatem fructuum per tres annos continuos pro reuelamine poposcit. Pontifices uerò Ecclesiæ Polonicæ, quintam partem fructuum suorum beneficiorum, & sui cleri obtulerunt. Et summo Pontifici, per Gothfridum pœnitentiarium citò transmiserunt. Et quia uetus obseruantia in regno Poloniæ ab initio fidei susceptæ, in illam diem tenta custodiebatur, ut ieiunium quadragesimale, à Dominica septuagesimæ in diem Paschæ continuaretur, cum frequenti præuaricatione, & graui discordia inter clerum, & laicos. Ideò inter prælatum Iacobum Leodiensem Archidiaconũ, legatum Papæ ac Pontifices Ecclesiæ Polonorum, huiusmodi consuetudine à Romana Ecclesia, & alijs regnis catholicæ religionis discrepante, uentilata. Auctoritate Apostolica, & consensu præsentium Pontificum, prædictus Iacobus legatus, tam Ecclesiasticis, quàm sæcularibus personis esum carnium, ad diem cinerum exclusiuè concesit, ab eoq; tempore Dominica septuagesimæ à Polonis uetus carnispriuium nominari cœpit, & in hactenus nominatur. Anno Domini 1249. Bruno Olomucensis Episcopus, dignitate sacerdotij neglecta, ob quasdam cum Vuladislao duce Rathiborieñ. inimicitias, oppidũ Rathibo. obsidione cingens, expugnauit. Et tam oppidũ, quàm Ecclesias, & monasteria incendio conflagrauit. Ad castrum autẽ Rathibo. quũ machinas admouisset, turpiter repulsus abijt, tandem habitis hinc inde pro pace tractatibus, Vuladislaus oppidum Rathibo. à Brunone Episcopo tribus millibus marcarum redemit. Eodem anno Albertus omni Episco-

Bruno Episcopus Olomucen. Ratiborià expugnat.

Episcopus Armacanus, tunc uerò, ab Innocentio papa quarto in Episcopum Prusiæ promotus, ad Danielem Rusiæ missus, obedientiam Romanæ Ecclesiæ ab eo præstari, requisiuit. Qui requisitioni apostolicæ minimè paruit, & legatum apostolicum sine honore dimisit. Anno quo supra 1249. Cruciferi, qui Balgam & Elbing castra in Prusia custodiebant, non mediocri exercitu coadunato, Prutenorum regionem Nactaga hostiliter ingressi, flammis & cædibus grauissimè uexarunt. Dum autem redirent, à Prutenis iniquitate locorum circumsepti, cum euadere non possent, se hostibus dederunt. A quibus ad unum circa uillam Vitke appellatam, trucidati sunt.

Cruciferi Nactagam inuadunt.

CAPVT LII. LIB. III.

Boleslaus pudicus dux Cracouiens. & Sandomireñ. Et Prādotha Episcopus Cracouiens. ambo deuotionis uiri anno Domini 1250. miserunt in Lugdunum ad Innocentium papam quartum, magistrum Iacobum de Skarzessovv, decretorum doctorem, Decanē Cracouiens. humilis quidem sortis & staturæ exiguæ, sed perraræ doctrinæ, & magnæ fastiuitatis uirum. Et magistrum Gerardum Canonicū Cracouiens. atq; Boguslaum, fratrem ordinis prædicatorum Subpriorem domus Cracouiens. nuncios, qui per organum Iacobi de Skarzessovv, summo Pontifici, crebrescentia ac stupenda miracula, per beatum Stanislaum multimodè facta, exposuerunt. Summus autem Pontifex grauitate solita in huiusmodi rebus custodita, per speciales literas, examē miraculorum beati Stanislai Episcopi Cracouiens. Archiepiscopo Gneznen. Episcopo Vvratislauiensi & Abbati de Lubeus cōmisit. Præcipuè examen cuiusdam militis centenarij (Gethko hic erat) qui etsi sanctum Stanislaum non nouerit, eos tamen qui illum nouerant, ferebatur nouisse, & ex eis puritatem, conuersationem, causam martyrij, & miracula beati uiri Stanislai didicisse. Anno autem sequenti, acceptis codicibus examinationis à commissarijs apostolicis, Nuncij priores ad procurandum canonisationem beati Stanislai, ad Innocentium quartum, iterum per Prandotham Episcopum & Capitulum Cracouiens. adiunctis nonnullis fratribus de ordine prædicatorum maiorum & minorum, de domibus et monasterijs Cracouiens. propter faciliorem expeditionem, missi sunt. Hi dum papam super consumatione canonisationis sollicitarent, & Ioannem Gaiethani tituli sancti Nicolai in carcere Tulliano Cardinalem Diaconum, ad uidendum examen testium obtinerent. Propter uetustatem temporis Cardinales hæsitantes, infecto negocio Papæ persuaserunt, ut nuncij ad commissarios apostolicos redirent. Et uita ac miracula beati Stanislai, scrupulosius examinata, per noua scripta reportarent. Itaque secundario examine de uita, martyrio, & magnificis miraculis beati Stanislai accepto, nuncij magister Iacobus de Skarzessovv, & magister Gostvvinus canonicus, impensis Prandothæ Episcop. & Capituli Cracouiensis & totius cleri diocœsis Cracouiens. qui in id opus gratuitè, quotiens requirebantur, contribuebant. Ad Innocentium Papam quartum, è Gallis in Italiam egressum, in Perusio residētem. Vbi beatum Petrum, nouum martyrem canonisauit, tertio reuertuntur, noua scripta & testimonia, nouos ac præsentes testes, in quos miraculosa beneficia beati Stanislai fuēre collata, exponētes Pluribus diebus sollicitando prope diem semotis omnibus difficultatibus, canonisationem expectabant. Cum subito quidam Cardinales, presertim Rainoldus, Cardinalis et Episcopus Hostien. ob diuturnitatem temporis canonisationi beati uiri Stanislai obstantes repugnarunt, propter quod nuncijs Cracouiensis ecclesiæ percunctantibus, quid facto opus esset Ioannes Cardinalis Gaietanus inspiratus, dixit: Necessum habet sanctus uester Stanislaus unum finale miraculum operari, ut discordes & obstantes Cardinales, in unā & concordem impellet sententiam. Quo audito nuncij ecclesiæ Cracouiens. negocium huiusce rei, Christo & beato Stanisl. nil hæsitantes supplices comiserūt. Rainoldus itaq; Cardinalis canonisationis sancti uiri hostis & aduersarius, graui correptus est ægritudine, ut suo suorumq; physicorum iudicio, mortem timeret & expectaret. Vigilanti ergo & soli in grabato iacenti, Sanctus uir Stanislaus apparens dixit. Agnoscis ne me? Qui stupens, nō agnosco inquit, quæso tamen quis sis? Ego sum ait Stanislaus Episcopus Cracouiens. à Boleslao rege Polonorum sectus & occisus, cui te aduersarium, non rectè opponis. Ad quem Rainoldus Cardinalis. Ignosce (inquit) mihi Præsul sanctissime. & errori meo ueniam præstare digneris. Fortiorem promotorem, quam impeditorem Canonisationis habiturus. Cui beatus Stanislaus. Vt inquit me martyrio sanctificatum cognoscas, ab ægritudine illicò incolumis surge. Caueq; ne de cætero canonisationi meæ aduerseris. Qui accersitis

Legati ad Papam pro Sancti Stanislai canonisatione.

Secunda legatorum ad Papam expeditio.

Tertia legatorum expeditio.

Resistentia Cardinalium.

Petitur miraculum concordiæ.

Rainoldus canonisationi aduersarius miraculosè sanatur.

seruis, surrexit, & equum sibi sterni iubens conscendit, ac Innocentium Papam accessit, & obuiam eunti occurrit. Modumq; repertinæ sanationis retulit, & pro canonisatione sancti martyris exorauit supplex. Papa ergo Innocentius quartus, cum cœtu Cardinalium tali prodigio permoti, Stanislaum sanctitate gloriosum, in die natiuitatis Mariæ canonisandum decernunt in Asisio, quoniam illic Innocētius Papa exercitum uersus Apuliam ducens, uenturus erat.

Supplex petit Innocentium.

Anno itaq; Domini 1253. die natalis beatissimæ uirginis, in basilica sancti Francisci Asisinj, Summus Pontifex missarum solennijs expletis, & sermone longo de uita, martyrio, & miraculis beati Stanislai recitato, Ambone conscenso, beatissimum Stanislaū Cracoui. Pontificem canonisauit, et sanctorum catalago adscripsit. Festum eius octauo Idus Maij statuens, ab uniuersis debita celebratione uenerari. Et ut deuotius tam festum, quā sepultura eius ueneretur, unum annum & quadraginta dies indulgentiarum largitus est. Edidit etiam idem summus Pontifex Innocentius quartus, collectam de Sancto Stanislao. Populum tuum quęsumus Domine intercedente beato Stanislao, &c. Luminaria ardentia & uexillum cum titulo & imagine sancti, tempore canonisationis fuerunt adaptata, more canonisationis aliorum sanctorum. Bulla autem canonisationis in ecclesia Crac. habetur, quæ incipit, Innocentius Episcopus seruus seruorum Dei, Venerabilibus fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, ac dilectis filijs, Abbatibus, Prioribus, Decanis, Archidiaconis, Archipræsbyteris & alijs ecclesiarum Prelatis. Ad quos literę istæ peruenerunt, Salutem et Apostolicam benedictionem. Olim à gentilium oculis tenebrarum detersa caligine, ac ab eorum cordibus infidelitatis gelida hyeme secedente, uernalis ex eo successit amœnitas, &c. Finis autem bullæ est iste. Omnibus uere pœnitentibus & cōfessis, qui ad dictam sepulturam in memorato festo, & usq; ad octauas ipsius causa deuotionis accesserint, annuatim ipsius suffragia petituri, de omnipotētis Dei misericordia, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, unum annum & quadraginta dies. Accedētibus uerò annis singulis ad prędictam sepulturā infra eiusdē festi quindenā, quadraginta dies de iniuncta sibi pœnitētia, misericorditer relaxamus. Datū Asisij quintodecimo Kalendas Octob. Pontificatus nostri anno undecimo, prefatas literas canonisationis beati Stanislai nuncijs prænominatis Iacobo Skarzessovv Decano, Gostvvino Canonico Cracouiens. Fratribus prædicatorum maioribus, & minoribus Cracouiam inferentibus Prandotha Episcopus Cracouiens. & uniuersus clerus, uniuersaq; plebs, obuiā processerunt effusi, magno honore illos excipiendo, & Deum de eorum reditu glorificando. Prandotha insuper episcopus Cracouiens. indixit, & per uniuersam ecclesiam Polonicam prædicari ordinauit, diem Octauam Maij, anni Christi 1254. leuationis ossium beati Stanislai è tumulo. Ad quam conuenit in Cracouiam multitudo plebis utriusq; sexus, ex Polonia, Hungaria, locisq; alijs, tanta, ut nedū in urbe, uerū & in campis iuxta Cracouiam persisterent. Ex spiritualibus autem aderant, Opizo Abbas de Meszano, sedis apostolicæ legatus, Fulco Archiepisc. Gnezneñ. Prandotha Cracouiens. Thomas Vvratislaueñ. Volimirus Vvladislaueñ. Andreas Ploceñ. Gerardus Ruthenorum, primus ordinis Cistercieñ. quondam Abbas de Opparovv, Virus Lithuanorum primus, ordinis prædicatorum, Episcopi, & cæteri Abbates Prępositi, Sacerdotes, atq; Religiosi. Aduenerant & principes Polonorum, Boleslaus pudicus, Cracouieñ. & Sandomirieñ. monarcha regni Poloniæ, Przemislaus Posnanieñ. Kazimirus Cuyauieñ. & Lancicieñ. Semouitus Mazouiæ, & Vvladislaus Oppolieñ. Sub horum præsentia & populi multitudine, ossa beati Stanislai, uino abluta, in Ecclesia cathedrali Cracouiēs. leuata sunt, & in ecclesias Cathedrales, et alias principaliores sunt distributa. Facta itaq; cōputatione annorū est reperire, septuaginta quinq; & cētū annis, canonisationē beati martyris Stanislai neglectā fuisse.

In die natiuitatis Mariæ Asisij. S. Stanislaus canonisatur.

Bullæ Innocentij tenor.

Prandothæ Episcopi deuotio et aliorum

Reliquiæ. S. Stanislai distribuuntur.

CAPVT LIII. LIB. III.

ANno Domini 1251. Vvladislaus Oppolieñ. dux, uolens glotem suam Iudithā Conradi ducis Mazouiæ filiam. Et Myeczlai ducis Rathiborieñ. fratris sui relictam pro dote quingētarum marcarum argenti, in possessionibus Rathiborieñ. inscriptarum redimere, terram Rudeñ. quę nunc Vieluneñ. dicit de consensu Kazimiri ducis Cuyauiæ & Lanciciæ germani ipsius Iudithæ, ei assignauit. Sed antequam gentes Kazimiri præfati Cuyauiæ & Lanciciæ ducis, ex cōdicto castrum Vielun, acceptare uenissent, Przemislaus dux Posnaniensis tanquam hæres legitimus præuenit, & castrū Rudense compræhendit, nobilibus Rudensibus sponte & unanimiter ei adhærentibus.

Quo

Quo cognito Kazimiri ducis gentes, retrorsum abierunt, Vvladislaus etiam Oppoliensis æquo tulit animo, sciens districtũ Rudense, uiolenter de cõsensu Henrici ducis cũ barba sub Vvladislao Othonis patre Przemislai ducis maioris Poloniæ, occupasse. In signumq; & fœdus maioris amicitiæ, Vvladislaus dux Oppoliensis, Euphemiam sororem Przemislai ducis Posnaniensis & Kalisiensis in coniugem desponsauit. Et Iudithæ gloti suæ summam argento parato exoluit. Quæ Henrico Vvratislauieñ. duci nubens, Henricum filium & Heduigim filiam ei peperit.

Vvladislaus dux Oppoliẽs Euphemiã desponsauit.

Anno Domini 1251. in Bochnya uillagio à Cracouia quinq; miliaribus distante, sal minerale in Bãcis & pecijs magnis repertũ est, quod meritis beatæ Kunegundis Boleslai pudicis consortis est adscriptũ. Ita ut uulgus in Poloniã ex Hũgaria sal transtulisse, & secũ aduexisse affirmaret, moxq; oppidũ locatũ & ecclesia parrochialis in honorem sancti Nicolai erecta est, & à Boleslao pudico liberaliter dotata. Eodẽ año Henricus, qui & Heydenricus, aliàs Albertus olim Episcopus Armacanus, tunc uerò Culmensis, in die beatæ Mariæ Magdalenæ, ecclesiam suam de seculari, cum esset frater ordinis prædicatorum, in regularem transtulit, & collegium Canonicorum regularium, in illa, mẽsam, domicilium, & bona temporalia in communi habentium, constituit.

Sal minerale in Bochnya repertum.

Eodem anno 1251. Marchio Brandenburgeñ. cũ Episcopo Morsburgeñ. & Henrico Comite de Svvarczburg, cum gentibus armatis in Præsidium Cruciferis Prussiæ uenerunt, & Prutenos frequenti strage attriuerunt. Ita ut etiã quinq; districtus, Pomezanũ, Erminium, Pogezanum, Nactaginum, & Bartiñum, idola relinquere, & Christũ colere coegerunt. Sub quo tempore Hermanno de Zaleza, quarto magistro Prussiæ obeunte, Frater Conradus Thuringiæ Lantgrauius in quintum magistrum suffectus est.

Quintus magister Prussiæ eligitur.

Anno Domini 1252. Fratres Cruciferi Pomeraniam uastauerũt, et exercitum Svvatopelci depopulationes prohibentem, superauerunt. Monasterio Oliua grauem spoliationem paciẽte, Svvatopelcus itaq; dominus Pomeraniæ, sufferentias pacis postulare, & per medium Iacobi Leodieñ. Archidiaconi, apostolici nuncij, pacẽ cum Cruciferis Prussiæ firmare, coactus est. Eodem anno 1252. Mendog, qui Mendolphus & Mindale princeps Lithuanorum, à Cruciferis Prussiæ inductus, fidem Christianam cum nonnullis Lithuanis & Prutenis suscepit, deditq; literas Cruciferis Prussiæ, quibus astruit & recognoscit se ab illis multipliciter honoratum & adiutum. Et ideo terras suæ ditionis uidelicet Samagitarum, Iaczvvingorum, Curouieñ. Veyzeñ. & totam terram Lithuaniæ perpetua & irreuocabili donatione ipsis donasse & inscripsisse. Cõsilioq; fratrum Cruciferorum Prussiæ, nuncios suos, nuncijs magistri & Cruciferorum adiunctos, ad Innocẽtium Papam quartum misit. Profitens se puritatem Christianam suscepisse, & coronam super Lithuanos regnandi petens. In cuius fauorem Innocentius papa fratrem Heydenricum, olim prouincialem Poloniæ, & Episcopum Armacanum, tunc uerò Culmeñ. Episcopum, cum alijs Episcopis de Riga misit, qui Mendegonẽ in regẽ iniunxerunt. Sub eodem tamen anno, cum omnibus baptisatis ad uomitum & idololatriã, siue pœnitentia & dolore amissionis terrarum, siue alia causa motus, rediit.

Mendog Christianam fidem suscepit.

Mendog in regem unctus modico post fidei præuaricator factus.

Anno Domini 1253. monasterium Stugnyadki sanctimonialium ordinis sancti Benedicti, diocœsis Cracoui. Innocẽtius Papa quartus confirmauit. Quod Clemens de Clemyonthovv de familia Griphonum, Comes & Castellanus Cracouienſ. de proprijs facultatibus fundauerat, erexerat, & dotauerat. Huius Clementis Comitis & suæ coniugis Raczslavvę corpora, in sacrario dicti monasterij sepulta quiescunt. Et filia eorum Visanega prima Abbatissa eiusdem claustri fuit.

Annus Christi 1253. adeò pluuiosus erat, ut frumenta & agros in quibusuis bassis & humilibus locis aqua cooperiret, & campi perinde ac si fluuij nauigabiles fuerunt. Nocte siquidem & interdiu à festo Paschæ usq; ad diem uigesimamquintam Iulij, imbres & continuas pluuias in regno Poloniæ cœlum effuderat.

Imbrifera tempora Poloniæ.

CAPVT LIIII. LIB. III.

De mandato Innocentij Papæ quarti, anno Domini 1253. Opizo de Meszano sedis apostolicæ legatus, assumpto secum Prandotha episcopo Cracouiensſ. & nonnullis alijs Episcopis, Danielem ducem Russiæ, altera uice priorem coronationem innouando, in castro Drohicieñ. in regem Russiæ inunxit, accepto ab eo iuramento, quòd ritu Græco deserto, tam ipse quam natio Ruthenica, ritum Romanũ fideliter sectaretur. Przemislaus qui & Ottocarus Venceslai regis Bohemiæ filius, Mar-

gare.ham Leupoldi ducis Austriæ filiam, Henrici filij Friderici imperatoris relictam, accepit in uxorē. Quę cum sterilis esset, unā de uirginibus sequacib. eius, filiā Baronis de Kutting in concubinā recepit, et ex ea filiū Nicolaū genuit. Huic Nicolao in sortem assignauit ducatum Oppauicasem, quē Myeczlao duce Rathiborień. mortuo uiolenter occupauerat. Ex hoc Nicolao, duces olim Oppauień. & moderni Rathiborień. suam traxerūt originem. Boleslaus pudicus Cracouień. & Sandomirień. dux, quarto Kalēdas Iunij, anno Domini 1254. monasterium sanctimonialium ordinis Pręmonstrateń. diocœsis Cracouiens. in uilla sua Krzisanouicze, supra Nida fluuium sita, fundauit, Ecclesiam de petra alba fabricans. Cōtulitq; eidē monasterio uillas, Krzisanouicze, Sarbkovv, Kliczanovvo, Conari, Lesnicza, Kouale, Kobilniki, Solnyk, Volya, Grochouiska, Svvieborouize, Costirz, Biernathouicze, & Iunouidz. Libertando præfatas hæreditates ab omnibus oblationibus, expeditionibus & tributis. Anno Domini 1255. Mendog dux Lithuaniæ, in regē Lithuaniæ ut præmissum est sublimatus, oppido Lublin exusto, prædas & spolia in circuitu eius plurima fecit, & plurimos captiuos in Lithuaniam abduxit. Eodē anno 1255. Premislaus qui & Othoçarus Bohemiæ dux, comparato exercitu de Bohemis & Morauis, habens in comitatu suo Brunonem Prageń. Item Henricum Culmeń. & Anselmum Ermelień. & Olomuceń. Episcopos. Item Marchionem Brandenburgeń. Item Marchionem de Merano. Item ducem Austriæ. Contra Barbaros militiam acturus in Prussiā cum alijs cruce signatis descendit, & in regione Samensi uastādo, Prutenos deditionē facientes baptisauit, per Brunonem Prageń. Episcopum suum illis nomen imponens. Cruciferi ergo in honorem Premislai Bohemiæ ducis, nouā ciuitatē prope mare Balteum in flumine Pregor Konigsbergk, quod regium montem sonat, quāuis Premislaus tunc non rex, sed filius regis existeret, appellatam constituerūt. Et aliam Brunsberg in memoriam Brunonis Episcopi Prageń. in qua ecclesia Cathedralis Varmień. sita est, ædificarunt. Premislao autem duce Bohemiæ, cum sua comitiua ex Prussia discedente. Aliarum regionū Pruteni in Samienses irruerunt, & ualido agmine, cuncta furore polijs & cædibus fœdarunt, eò, quòd iniussu eorum hostibus se dediderunt, nouamq; munitionem quam Cruciferi Vilovv uocauerūt, è regione castri Konigsberg erexerūt, & Konigsbergk oppugnarūt.

Konigsbergk & Brūsbergk eriguntur.

Sextus Prussiæ magister.

Tunc quoq; Conrado magistro Prussiæ. 9. Kalendas Augusti morte sublato, Herardus de Herdzburg (secundum alios uerò Popo de Osterna) in sextum magistrum Prussiæ successit. Anno Domini 1256. Boleslaus Cnezneń. & Kalisień. dux, Iolentam, quam Poloni Helenam uocant, Belæ, regis Hungariæ, fratris Germani beatę Elizabeth filiam, & Kingæ ducis Boleslai pudici cōsortis sororem germanam, in curia ipsius Cracouię nutritam, in coniugem accepit.

Anno Domini 1257. pridie Kalendas Februarij hora tertiarum, grandis terræ motus in regno Poloniæ fuit. Anno eodem 1257. Boleslaus pudicus dux Cracouiæ & Sandomiriæ, Cracouiam in meliorem conditionem ordinare, excrescere, & perducere, cupiens, Ius illi Theutonicum tribuit. Et aduocatum in ea constituit, qui circo in medio urbis primum ordinato, plateas sine ordine consistentes translocauit, et proportionaliter distinxit. Eodem anno 1257. Noua religio mendicantium Canonicorum regularium sanctæ Mariæ de Petro. De urbe, de pœnitentia beatorum martyrum, sub regula sancti Augustini militantiū, per Alexandrū papā quartū instituta, Cracouiā aduenit. Cuius fratrib. Boleslaus pudicus Cracouiens. & Sandomiri. Dux, ecclesiā sancti Marci Euangelistę Craco. fūdauit, sumptusq; simul cum loco pro ædificatione Ecclesiæ & monasterij dari iussit.

Ecclesia Sancti Marci Craco. fundatur.

Przemislaus Posnaniēs. moritur.

Vitæ suæ commendatio.

Anno quo supra, Illustris princeps Przemislaus Posnanień. dux Vvladislai Othonis filius trigesimum sextum annum agens, ægritudine quindecim dierum pressus, pridie nonas Iunij, in castro Posnaniensi mortuus est, & in ecclesia maiori Posnanień. cum patribus suis tumulatus. Hic inter principes Poloniæ mitissimus, & supra ætatem prudēs fuisse dicitur. Hic in quadragesima cilicio uestiebatur, & ceruisia parum sapida, aut uino aqua diluto utebatur. In pronunciando sententiam, aut dirimendo litem adeò iustus, ut nulla pars decretum eius improbaret. Hic die sancto cœnę domini, duodecim pauperum ablutis & deosculatis pedibus, quemlibet nouo pāno uestiebat. Media nocte, quasi ex necessitate consuetudinariū ei fuit, cursum beatæ uirginis & postea, aliquot psalmos & orationes orare. Hic Ecclesiæ Gnezneń. uillam Czimilin, Ecclesiæ uerò Posnanień. Bgk, cum ciuitate & moneta, cum teloneo & tabernis contulit, & pluribus libertatibus extulit. Hic ex uxore sua Elizabeth quatuor filias, uidelicet Cōstantiam, Veronicam, Euphemiam & Euphrosinā reliquit. Et filium posthumū, in die Dominico in festo sancti Calixti natum,

Cui

[illegible] Boguphalus Posnanieñ. episcopus Przemisl, nomen paternũ, Bascone custode Posnanieñ. baptisante, adaptauit. Processu autem temporis Boleslaus pius Kalissieñ. patruus & puerorum curator, primam filiam Constantiam Cõrado Marchioni Brandenburgeñ. filio de Sgorzelecz, in castro Santhok matrimonialiter copulauit, pro doteq; Castellaniam Santhoceñ. & non castrum, insano usus consilio, donauit & inscripsit. Pro cuius proprietate multa dispendia & certamina inter Polonos & Saxones sequuta sunt. Reliquæ tres Przemislai filiæ, monasteria impressę sunt. Veronica Euphrosina Trzebniceñ. ordinis Cisterciẽñ. postea Abbatissę. Euphemia Gnezneñ. sanctę Clarę, à Boleslao pio patruo & duce Kalissieñ. prout infra dicetur fundato. Iaczko frater ordinis Predicat. Polonus ex districtu Oppol. Et uillę Lanka, anno Christi 1257. die 15. mensis Aug. Hora. 9. cœnobio S. Trini. Cracouiæ deuotissimè uita excessit. A matre misericordiæ, Ibo mihi ad montem mirræ cantante, & angelico cœtu persequente, quẽadmodum deuotę sanctimoniali Sronislavvę in Zvvierzineñ. monasterio professę, per uisum est monstratum. Hic quinq; monasteria sui ordinis scilicet in Cracouia cui solus præerat, in Frisak, cui fratrem Hermanum Theutonicum præfecerat. In Praga quod fratri Hieronymo, in Vvratislauia quod fratri Czeslao & fratri Godino, in Gedano quod fratri Benedicto commendauerat, fundauit. Hic inter alia miracula, quæ extant plurima deficiente nauigio apud Vissegradeñ. oppidum, strata cappa super aquam, cum tribus fratribus sui ordinis, Floriano, Godino, & Benedicto ascendit, & Istulam populo Vissegradeñ. inspectãte sicce transnatauit. Anno Domini 1258. De consensu Kazimiri Cuyauieñ. Lanciciẽñ. & Siradieñ. & Semouiti Mazouiæ, ducum nec non Prandothę episcopi Cracouiens. procerumq; & consiliariorum suorum in conuentione apud Corzin sexto nonas Martij habita & tenta, Boleslaus pudicus Cracouiens. & Sandomiri dux, ad instantiam Kingæ consortis, & Salomeæ olim Gallacię reginę sororis suę, fundauit monasterium sanctimonialium in Zauichost, tam Ecclesiam, quam monasterium cum habitationibus proprijs sumptibus ædificando. Et illic uirgines sancti Damiani de regula sancti Francisci, quæ nunc sanctæ Claræ uocitatur, introduxit. In hoc prouidens conditioni pannosæ, uel connubia aspernaturæ filiarum Baronum & nobilium suorum, largitusq; est & inscripsit pro dote præfato monasterio oppidum Zauichost & uillas uigintiquinq;, prædia, lacus, & telonea, donationem huiusmodi ab omni regum, ducum, & dominorum exactione & tributis perpetuando & libertando. Sub hoc tẽpore Grzimislavva Boleslai pudici pia mater defuncta est, in monasterio fratrum minorum in Zauichost sepulta. Hæc duos & triginta annos, in uiduitate uiuẽdo peregit. Anno quo supra, in regnis Poloniæ, Hungariæ, Bohemiæ, & Russiæ, motus terræ uniuersaliter apparuit & fuit. Eodem anno Stroynath Lithuaniæ dux, partem Mazouiæ circa Czirnin deprædatus est. Et castrum Orzimovv diripens, in ore gladij mares & puberes occidit, impuberes uerò igne concremauit: Fœminas autem in captiuitatem abduxit.

Iaczkonis fratris Prædicatorum sex ix obitus.

Transnatura-lis nauigatio in ueste monachali.

Monasterium in Zauichost erigitur.

Grzimislavva Boleslai mater moritur.

Terræmotus.

CAPVT LV. LIB. III.

ANno Domini 1259 Varcislaus Kassubitarum dux, cum suo & Polonorũ exercitu, quem Boleslaus dux Kalissieñ. in subsidium ei miserat. Cum Episcopo Camieneñ. contra Svvatopelcum Pomeraniam ingressus est. Et procedẽs cum electioribus militibus, in Sluppi quæ alio nomine Scolp apellatur, Episcopum Camieneñ. cum exercitu ipsius, & nonnullis suis militibus, ad sarcinas in stationibus custodiendas dimisit. Svvatopelcus autem potentię Varcislai resistere non ualens, cognito per exploratores, quæ circa Episcopum Camieneñ. in stationibus gererentur, irruit in stationes & Episcopum Camieneñ. cum suo exercitu deuictum dissipauit & fugauit, plurimos occidendo, & nonnullos captiuando, & acceptis multis spolijs, illęsus discessit.

Anno quo supra. quinquagesimo nono supra mille ducẽtos Boleslaus pius Kalissieñ. dux cœnobiũ minorisarũ & monialium sanctæ Claræ in ciuitate Gnezneñ. fundauit, & uillis, prædijs, ac introitibus dotauit atque liberauit. Non contentus Kazimirus Cuiauieñ. & Lanciciẽñ. dux de suis principatibus: Anno Domini 1259. castrum Raczansz sub Volimiro Episcopo Vvladislauieñ. occupauit. Quo communicato & cum terris eius ecclesiastico interdicto subiecto, præfatus Episcopus in diocœsim Cracouieñ. discessit; & apud Lagovv commoratus est. Dux aũt Kazimirus cum nõ posset sæuire in Episcopum, plures episcopi curias cum horreis & frumentis tempore quadragesimæ extusit. Anno ueto Domini 1261. S. abbas sanctæ Mariæ Vvratislauieñ. Canonicorum regularium san-

Cœnobium sanctæ Claræ Gnezna fundatur.

cti Augustini, & P. custos Vvratislauieñ. huiusce causæ iudices, per Gvvidonē tituli sancti Laurentij in Lucina præsbyterum, Cardinalem, Clementis Papæ quarti in Polonia legatum, designati. Apud antiquam Vvladislauiam tribunali posito, quartadecima die Aprilis, castrum Raczansz cum suo districtu episcopo Volimiro, & suæ ecclesiæ Vvladislauieñ. adiudicarunt, & compositione facta, duce Kazimiro absoluto, interdictum relaxarunt.

Mendog Mazouiam depopulatur.

Anno Domini 1260. Mendolphus, qui & Mendog princeps Lithuanorum, ordinatione Cruciferorum Prusiæ, regem se gerens, ualido exercitu ex Lithuanis, Prutenis, Iaczyvingis, & Samagitis ad triginta millia pugnatorum collecto, Mazouiæ oram crudelissimè depopulatus est, castrumq; Ploceñ. & ciuitatem à defensoribus deserta reperiēs, succendit, cætera oppida & uillas totius Mazouiæ incendijs & cædibus uastauit. Deinde Prusiam inuadens, Cruciferis tantummodò castra tuentibus: Ciuitates quas Cruciferi extruxerant, flamma & euersione deleuit, omnesq; christianos illic repertos, cæde permiscua ac horribili lacerauit. Demonstraturus insuper furorem suum, aspernabatur captiuitatem hominum, pecus duntaxat cum spolijs in Lithuaniam deportando. Item anno eodem Magistro & Cruciferis Prusiæ, erigentibus castrum Karszouin, in monte sancti Georgij Barbari Pruteni & Lithuani, pro exterminio eius cum magnis copijs aduenerunt.

Karszouin castrum erigitur.

Duobusq; exercitibus scilicet Prusiæ & Liuoniæ pro defensione castri aduolantibus. In die sanctæ Margarethæ iuxta fluuium Durom, in Curlandia conflixerunt & magna strage ædita, Henricus de Hornsnuszen magister Liuoniæ, & Henricus Marschalus Prusiæ, pluresq; alij Cruciferi occisi sunt. Barbari autem uictoria potiti, tam castrum Karszouin, quam Heiszburgk maceratis famè defensoribus conquisiuerunt. Ad castrum deinde Konigsbergk obsidione promota, in ponte quem super flumen Progor construxerant, plures numero à Cruciferis interfecti, obsidionem residui soluere coacti sunt. Deinde Pruteni Neophitæ ad idolatriam uersi, in uigilia sancti Matthæi constituto sibi Glappino pro duce, correptis armis, omnes Christianos & sacerdotes crudelissimè sæuientes obtruncarunt. Ecclesias igne consumpserunt, sacramenta contaminarunt, sacra uasa diripuerunt, & sacras uestes prophanarunt.

Prutenorum in Christianos sæuitia.

Anno Domini 1261. Exercitus catholicus de regno Poloniæ, de Cruciferis Alemanis & alijs fidelium nationibus collectus, ad terras Prusiæ in districtum Nactangorum in die purificationis sanctæ Mariæ descendit, paganos delere cupiens. Et cum in interiora peruersarum nationum penetrarent, reliquum exercitum ad sarcinas dereliquerunt. Barbari autem ab exploratoribus certificati, christianos ad sarcinas relictos inuadentes, paruo negocio fuderunt. Et de sua potentia confidentes, reditum aliorum Christianorum expectarunt, reuenientibusq; Christianis, durum certamē inter utrosq; pluribus horis, æquo Marte continuabatur. Et quamuis multi Barbari cecidissent, Deo tamen permittente, uictoriam Barbari obtinuerunt. Cecidit autem in hoc prælio insignis miles Schinkol de Bithen, genere Vvesphalus qui Barbarorum cuneos transuerberans, antequam medietatem attigisset, Barbaricis frameis obtritus est. Cecidit & Comes de Reiderer, & plures alij equestris ordinis uiri. Ex quibus dū iuxta suas nepharias superstitiones, dijs suis pro consequuta uictoria oblaturi libamina unum sorte deposcerent flammis cremandum, & sors in Hirczhasz ciuem Maydenburgeñ. cecidisset. Beneficio quoq; aliquorum Barbarorū illum noscentium, bis liberatus foret. Tertiā demum uice dum illum sors deposceret, sponte se obtulit, & sacrilego ritu cū equo cui insederat, flāmis est crematus. Postea Comes de Barboyge in Prusiam cum sua militia ad succurrendū Christianis afflictis, & descendens in terram Sambieñ. spolijs & cædibus eam afficiebat. Quem Sābieñ. aggressi in die Agnetis, pluribus de suis occisis, ipsum captiuarunt. Post hæc castrum Heidlsbergk obsidentes Cruciferis ex eo discedētibus, conquisierunt. Deinceps tria castra uidelicet Cruczeborg, Konigsbergk, & Bartēstein circumdederunt, & obsessi extrema fame macerati, castra Barbaris dederunt. Quartum uerò castrum Keyszil antequā obsideretur, ueriti, Cruciferi periculum, quod in alijs castris obtigit, exurentes ipsum deseruerunt. Eodem anno quædam secta flagellatorum rusticorum, ex Gallijs ut ferebatur emanans in Poloniam aduenit. Bis in die hora prima & hora nona processionatim incedentes, secūdum caput uelati, corpore ad umbilicum nudati, duobus cum uexillis præcedentibus & candelis, quandam cantilenam inconditā & dissonam, cum ex uarijs linguis & nationibus ipsa colluuies esset cōcreta cātādo, flagellis quaterno corrigio nodatis, alter alterū sequēdo, alterius dorsum acriter cędebat. Ianusius aūt Archiepiscopus Gnezneñ. cū suæ prouincię suffraganeis sub

Strenuorum militum casus.

Insignium castrorum occupatio.

Inaudita flagellatorum rusticorū secta.

magnis

magnis pœnis & carceribus talia prohibuit. Et principes Poloniæ persuasi, ne quispiam huiusmodi errores sectaretur, sub confiscatione bonorũ & grauibus pœnis, propter scandala ex eis pullulantia inhibuerunt. Nam quum fuissent laici, de quantumcunque enormibus peccatis confessos absoluebant, & pœnitentes solenniter introducebant, &c. Apud alia regna hic error igne & gladio exterminatus est. De consensu Prandothæ Episcopi Cracouiens. & procerum Poloniæ, Boleslaus pudicus Cracouiens. & Sandomiriæ dux anno Domini 1261. Ne ancillis Christi sanctimonialibus ab infidelibus Lithuanis, Ruthenis, & Tartaris ludibrium castitatis contingeret, de monasterio Zauichosteñ. in lapidem sanctæ Mariæ qui Skala dicitur, locum tutiorem eas transtulit. Et oppidum Skala in loco qui Stankoy appellabatur erexit. Prioremque donationem sexto nonas Martij apud Corczin factam, de oppido, uillis, & cæteris libertatibus, nouis priuilegijs confirmauit. Et incrassando priorem dotem, uillam Zarnouicz & tria telonea, ecclesiamque bene dotatam cum decimis in Zarnouiecz, addidit.

CAPVT LVI. LIB. III.

Canonisationem sanctæ Heduigis, principes Slesiæ, Vvladislaus Salczburgeñ. Archiepiscopus, Conradus Glogouieñ. Henricus Vvratislauieñ. nepotes eius, Thomas episcopus Vvratis. cum clero & ecclesia sua expediturì. Salomonem archidiaconum Cracouiens. magistrum Nicolaum Scholasticum Cracouiens. & Aherengebertum Decanum Vissegradeñ. Canonicos Vvratisla. ad Vrbanum Papam quartum transmiserunt. Qui solita grauitate seruata Volimirum episcopum Vvladislauieñ. & fratrem Simonem ordinis prædicatorum Prouincialem Poloniæ, commissarios pro examinatione uitæ, meritorum, ac prodigiorum beatæ Heduigis deputauit. Huiuscemodi autem examen continuabatur per præfatos commissarios, Volimirum Episcopum, & Simonem prouincialem Poloniæ, usque ad annum Domini 1264. cum anno Domini 1262. septimo Kalendas Nouembris incepissent. Accepto autem registro examinis, & literis commissariorum, nuncij priores in fine Augusti anni 1264. egressi, Perusium contenderunt, & Vrbanum quartum uita functũ inuenientes, turbati, alterius Papæ Clementis quarti electionem præstolabantur. Dumque ob uarias difficultates interpositas desperarent, Beata Heduigis Salomoni Archidiaconi Cracouiens. per quietem apparuit, & consolans, diem, quo canonisanda esset, prænunciauit. Exinde confortati, dum frequentius Clementem Papam & cœtum Cardinalium pro canonisatione fatigarent, Clemens Papa pro filia sua pluribus annis cœca, quam ex legitima coniuge, cum ad hucsortis laicalis esset, susceperat, ut beatæ Heduigis meritis uisum reciperet, in missa precabatur. Et cum filia uisum percepisset, decimo octauo Kalendas Decembris, die, quam ipsa sancta Heduigis Salomoni Archidiacono prædixerat, Anno Domini 1266. in ecclesia fratrum Prædicatorum Viterbij, eam sanctorum catalogo adscripsit. Ad leuandum autem ossa benedictæ fœminæ sanctæ Heduigis, cum indiceretur dies, quintodecima Kalendas Septemb. anni 1267. frequentia populi utriusque sexus ad Trzebniceñ. monasterium ubi sacrum corpus conditum erat, confluxit. Nicolaus itaque Abbas de Lubeus, & Mauritius abbas de Camyencz, cum Prælatis & Canonicis ecclesiæ Vvratislauieñ. ossa sacra beatæ Heduigis è tumulo leuata, & uino abluta, in thecam specialem in monasterio Trzebniceñ. rep[illegible]erunt, cætera in Vvratisla. & Polonicas ecclesias distribuerunt, caput cum cerebro integro nulla putredine tabefactum. Item tres digiti dexteræ, quibus paruulam ex ebore imaginem uirginis Mariæ comprimendo gestabat. Sicque cum diuelli non poterat sepulta erat, salui à corruptione reperti sunt. Huic leuationi sacrorum ossium, unicus duntaxat nepos eius Conradus Glogouieñ. dux cum tribus suis filijs Conrado, Henrico, & Premislao aderat. Duo alij Vvladislaus Archiepiscopus Salczburgeñ. & Boleslaus sæuus Legniceñ. dux, cum essent superstites & in uicinatu, non honestarunt auiæ suæ sublimationis celebritatem.

Expeditio pro canonisatione S. Heduigis.

Dies canonisationis prædicta.

S. Heduigis sublimatio.

Anno Domini 1263. Eclipsis solis in die sancti Dominici fuit, quam siccitas, charistia, & fames, maxime in Bohemia sequuta est. Eodem anno Frater Hanno de Saygerhausen, septimus magister Prussiæ, quarto nonas Aprilis, monasterium sancti Nicolai ordinis Prædicatorum in noua Thorun, super fluuium Maka fundauit, pro dote conferens fratribus libertatem piscandi in omnibus fluuijs, lacubus, & stagnis. Anno Domini 1263. Fundata est ecclesia parochialis in honorem beatæ Mariæ Magdalenæ in ciuitate Posnanieñ. nomine Capituli Posnanieñ. sic quod diebus Dominicis, clerici ciuitatis & suburbij,

Septimus Prussiæ magister

Ecclesia S. Mariæ Magdalenæ Posnaniẽs. erigitur.

suburbij, ad processionem ecclesiæ Cathedralis deberent conuenire. Et quòd scholam nō haberent, sed pueros ad erudiendum in schola cathedralis Ecclesiæ tenerēt. Quod postea in meliorem conditionem uersum est.

Anno Domini 1264. monasterium in Brzescze Cuyauień. Kazimirus Cuyauień. Lancicień. & Siradień. dux fundauit, & in eo fratres ordinis Prædicatorum, ex conuentu Cracouiensi locauit, casulisq;, calicibus, & alijs apparamentis adordinauit. Non contentus Henricus frater ordinis Prædicatorum Culmeń. Episcopus, quòd suam Culmensem Ecclesiam in regularem Canonicorum regularium sancti Augustini, ut supra præmissum est, transtulerat. Iterum illam in Cruciferorum ordinem, ad instantiam Magistri, & Cruciferorum transmutauit, cōsentiente & gratificante Anselmo Episcopo Varmień. Apostolicæ sedis in Prussia legato. Metropolitano uerò Gnezneń. super ea re non interrogato, neque consulto, Hospitale infirmorum, sub titulo sancti spiritus, extra portas ciuitatis Posnanień. anno prædicto 1264. iuxta fluuium Varta, fundauit, & aliquam dotem de mensa Episcopali donauit. Boguphalus Episcopus Posnanień. constituens, ut Præpositus prædicti hospitalis stallum in choro, & uocem in Capitulo ecclesiæ Posnan. haberet. Anno Domini 1264. Obsidentibus Barbaris Prutenis castrum Berfrid, irruit in eos, somno præssos, Cruciferorum exercitus, & ex eis mille tricentos occidit, reliquos uerò dispersit. Castrumq; Berfrid ne in manus Barbarorum ueniret, exussit. Pruteni autem nouo exercitu reparato, terram Culmeń. uastauerunt. Quibus resistens Helmericus magister Prussiæ cum Theoderico Marschalco, & quadraginta fratribus Cruciferis occisus est. In locum Helmerici Prussiæ Magistri occisi per electionem Lodouicus de Baldenstein succesit.

Festiuitas corporis Christi ab Vrbano instituta.

Anno eodem Sidus ignitum seu Cometes maximus, ab oriente usque ad medium cœli, comam in occasum porrigens apparuit, & citra tres menses durauit. Eo disparente Vrbanus Papa quartus, qui festiuitatem corporis Christi instituit, in Perusio mortuus est. Et in Polonia mortalitas quadrupedum subsequuta est. Anno Domini 1265. Boleslaus pudicus, princeps Cracouiens. & Sandomiriæ, castrum Cracouiense totum montem complectendo, nouis ædificijs instaurauit. Et Leskonem nigrum Siradień. ducem Kazimiri Cuyauień. & Lancicień. ducis filium, tanquam patruus, cœlebs & filijs orbus, in filium adoptauit. Ac omnium principatuum suorum hæredem instituit, utq; terræ suæ quietiores essent, in matrimonium Griphinam Roscislai Ruthenorum ducis filiam ei coniunxit. Anno Domini 1266. Exercitus Prutenorum & Lithuanorum in Mazouiam ueniens, quod repetit uastauit, & abrasit. Insultu etiam in Ploczkam facto, Boleslao & Conrado Mazouiæ ducibus nullam resistentiam opponentibus. Eodem anno 1266. die uigesima prima mensis Septembris, Prandotha Cracouiens. Episcopus, canonisationis sancti Stanislai promotor præcipuus. Cum in episcopatu decemocto annos exegisset, circa principium noctis mortuus est. Apud ecclesiam Cathedralem Cracouiens. in medio capellæ Apostolorum Petri & Pauli sepultus. Eodem anno nonis Decembris, Henricus Slesiæ & Vvratislauien. dux, filius Henrici à Tartaris occisi, morte absumptus est. A nonnullis militibus, prout inculpati sunt, intoxicatus, & in monasterio sanctæ Claræ tumulatus. Is binam prolem ex Iuditha filia Conradi ducis Mazouiæ Henricum filium, & Heduigim filiam reliquit, quos moriens Vuladislao germano suo Archiepiscopo Salczburgeń. unà cum secunda coniuge filia ducis Saxoniæ, in tutelam & curam commendauit. Anno prędicto 1266. Daniel rex Russiæ schismaticus, & Ecclesiæ Romanę apostata, uitam finiuit, duos filios Leonem & Romanum relinquens.

Prandotha Episcopus Cracouiens. moritur.

Daniel Russiæ Rex moritur.

CAPVT LVII. LIB. III.

ANno Domini 1267. Gvvido frater Cistercień. ordinis, sanctæ Romanæ Ecclesiæ presbyter, Cardinalis, & sancti Laurentij in Lucina legatus de latere, à Clemente Papa quarto in Poloniam missus. Primum in Cracouiam quarto Kalendas Iulij peruenit, à Boleslao pudico, & Paulo Episcopo Cracouiens. processionatim ueneratus & exceptus. Dehinc Vvratislauiam diuertēs, in festo purificationis Mariæ generalem synodum, in quo erant Episcopi Ecclesiæ Polonicæ, Ianussius Archiepiscopus Gnezneń. Paulus Cracouiens. Thomas Vvratislauiens. Volimirus Vvladisla. Nicolaus Posnanień. Thomas Ploceń. Vvilhelmus Lubuceń. Henricus Culmensis, Episcopi, tenuit. Pro subueniendo terræ sanctæ anni iubilei gratiam, & crucem contra Sarracenos prædicauit. Constitutæq; in maioribus Ecclesijs capsæ fuerunt, pro pecunia à merentibus

tibus iubileum colligenda. Anno quo supra quinta Decembris, castrum Mazouiæ Czechanovv, per Prutenos Barbaros captum & combustum.

Castrum Czechanow combustum.

Anno Domini 1268. die decima mensis Nouembris, illustris uirgo Salomea Gallaciæ seu Halicienfis regina, Boleslai pudici Cracouienf. ducis germana, in cuius fauorem monasterium Zauichosteñ. fundauerat & dotauerat, in lapide Mariæ mortua est. Hæc cum sponso suo rege Gallaciæ seu Haliciæ, absque omni illecebra carnis cœlebs uixit. Mortuo uerò sponso religionem sanctæ Claræ professa. Primum in Zauichosteñ. monasterio, deinde facta translatione, in lapide sanctæ Mariæ ut nunc uulgò dicitur in Skala commorata, utrobiq; Abbatissæ officium gessit. Hæc annis duo de triginta seruiens, nunquam à carne cilicium ammouit. Hæc quarto Idus Nouembris in monasterio de lapide Mariæ sepulta, sequenti anno quarto Kalendas Iulij Cracouiam transuecta, in medio chori sancti Francisci fratrum minorum Cracouienf. sub lapidibus sectis in altum leuatis, humata est. Et sicut septem diebus antequam sepeliretur in Skala, sic & in translatione in Cracouiam, fragrantia & suauis odor de corpore ipsius emanabat. Sed & quædam monialis præfati cœnobij Martha nomine grandæua & religiosa asseruit, de corpore eius, nedum suauitatem odoris, uerum & oleum redolens, manasse, quo plures ægri inuncti, perfectam recepisse sanitatem testati sunt. Frater autem Boguslaus ordinis minorum uir religiosus & deuotus, in uisione eam cœlum ascendentem uidit, & cœtum angelicum canentem. Fronduit, floruit, Aaron uirgula. Anno præfato 1268. Kazimirus Conradi filius Cuyauieñ. Lancicieñ. & Siradieñ. dux, diem clausit extremum. In Vvladisla. ecclesia sepultus, & statim sequuta est defectio castri Bugosceza. Præfectus siquidem illius Theodecus genere Prutenus, post idolatriam fidem Christi professus, nulla necessitate coactus, præfatum castrum Bugosceza Boleslao pio duci Kalisieñ. tradidit. Serò tandem perfidiam admisisse cognoscens, accito familiari ut se interficeret imperauit, qui iussa temeraria, ceruicem ipsius extensam mucrone præscindens, exequutus est. Reliquit autem Kazimirus dux prædictus, duos filios, Leskonem nigrum ducem Siradiæ, & Semouitum ducem Cuyauieñ. & Lancicien. Et huic Semouito seu Zemomislao, pater adhuc uiuens Salomeam uirginem Svvatopelci Pomeraniæ ducis filiam in uxorem desponsauerat. Ex qua tres filios Leskonem, Przemislaum, & Kazimirũ genuit: & duas filias Fenuennam, quæ Stephano regi Hungariæ nupserat, & Constantiam Trzebniceñ. monasterij Abbatissam. Svvatopelcus dux Pomeraniæ quartadecima die mensis Iulij añô Domini 1268. humanis exemptus est, in monasterio Oliueñ. sepultus, reliquit quatuor filios Mestvvinum, alias Mscezugium, Varcislaum, Samborium, & Ranborium. Circa Mscezugium natu maiorem imperio & regimine manente.

Beatæ Salomeæ mors.

Kazimirus Conradi filius moritur.

Swatopelci mors.

Anno Domini 1269. Discordante Zemomislao duce Cuyauiæ & Lanciciæ cum suis militibus, Lithuani quarto nonas Septembris Cuyauiam inuaserunt, & raptam prædam hominum, & quadrupedum in Lithuaniam abduxerunt. Eodem anno duo exercitus equestres in nubibus concurrere & durum certamen gerere, uisi sunt. Vvladislaus dux Vvratislauieñ. & Archiepiscopus Salczburgeñ. Henrici à Tartaris occisi filius, longa ægritudine laborans uitam finiuit, in ecclesia Salczburgeñ. sepultus, anno Domini 1270. uigesima quarta Aprilis, quæ est in crastino sancti Adalberti: A quibusdam Slezitis ut aiunt toxico uenenatus, quia tam ducatum, quam Episcopatum Vvratisla. solus administrabat. Et Henricus quartus pubertatem ægrediens, hæreditariè in bona patris & patrui successit. Thomas uerò secundus, à Capitulo Vvratislauieñ. diu electus in Episcopatum Vvratislauien. successit, fertur de hoc Vvladislao Archiepiscopo Salczburgeñ. dum studijs Paduæ daret operam, ciuis Paduanus depauperatus, ei filiam suam decoram turpis quæstus gratia adduxit. At ille utriusq; miseratus, egenti patri subuenit, & uirgini seruato pudore dotem contulit.

Lithuani Cuyauiam uastarũt.

miraculum.

Eodem anno Domini 1270. Quædam matrona nobilis nomine Margaretha, Comitis Vvroboslai coniunx in terra Cracouienf. in uilla Nakel, trigintasex pueros uiuos, uno partu, sed eodem die mortuos, edidit. Simile dicetur infra de Czechna quæ sexaginta pueros uno partu peperit. Et si placet uide Auicennam de animalibus asserentem, unam mulierem septuaginta octo formatos uno partu effudisse. Et Albertus magnus in nono, de historijs animalium refert se à fideli medico in Germania audiuisse, quod una mulier abortiuit, centum quinquaginta inuolutos, quantitatis digiti auricularis, pluresq; habuisse motum constrictionis & dilatationis.

Ecce 36. pueri uiui uno partu eduntur.

Prolis fœcunditas.

Anno quo supra apud oppidũ Kalisz, intra octauas Natiuitatis Christi, natus uitulus, [illegible] pelle

Vitulus duorum capitum & 7 pedum. pelle uitulina contectus, habens dentes caninos, & duo capita quorum unum maius in suo loco, aliud minus ad caudam situm erat. Pedes autem septem habuit uitulinos. Cadauer eius nec canes, nec alites sanguipete contingere uolebant. *Pluuia sanguinis.* Eodem anno tribus diebus aqua sanguinea in fluuijs Slesiæ Odra, & Nissa fluxit, apud uillam autē Michalovv eiusdem regionis æstiuo tempore cœlum sanguinem pluit. Item à uigesima die Iunij usque prope medium Augusti die, noctuq; cōtinue pluebat, & fluuij aquis aucti adeò exuberauerant, ut agros, prata, segetes, & bassarum uillarum fastigia, operirent. *Aquarum ubertas.* Insuper Istula plures domos, pecora, reptilia, molendina absorpsit, & agris exterminium atque sterilitatem induxit.

Rex Hungariæ Crac. uenit. Anno supra dicto scilicet 1270. septimo Kalendas Septembris, Stephanus rex Hungariæ, filius Belæ, & germanus Kingæ cōsortis Boleslai pudici Cracouiam uenit, limina sancti Stanislai uisitando. Et debito honore à Boleslao pudico exceptus est. Factoq; fœdere super pace inter regna Hungariæ & Poloniæ inuiolabiliter tenenda, muneribus munificē dotatus, in Pannoniam discessit. Anno Domini 1271. Conradus Glogouieñ. dux, obeunte Salomea uxore prima, filia Vvladislai Ottonis maioris Poloniæ ducis. Alteram superduxit Brigittam filiam Theoderici Marchionis Misznen̄. relictam, Conradi nepotis Romanorum imperatoris Friderici. Et pro dote Crosznam, Greyfenstein & Przin, castra ac oppida ei inscripsit. Illa uerò in breui fato absumpta, præfatus Theodericus Marchio Misznen̄. prædicta bona occupauit, & Conrado Archiepiscopo Maydeburgen̄. pro decem millibus florenorum uendidit.

Griphina à sexennio marito cohabitans uirginem se gessit. Eodem anno Griphina Leskonis nigri Siradien̄. ducis consors, impotentiam & frigiditatem marito suo obiecit, necab eo fuisse cognitam, cum prope sex annis ei commansisset fassa est. Et cum esset Cracouiæ in monasterio fratrum minorum detraxit peplum, & uirginem se deinceps intecto capite gerere cœpit. Quod dedecus & ignominiam fratris sui Leskonis nigri, Boleslaus pudicus Cracouiens. & Sandomiriæ dux, molestē ferens. Postea scilicet anno Domini 1275. sexta die Augusti in Siradiam personaliter descendens, rescidit, & mutuam charitatem inter utrosque ordinauit, quæ extunc in diem mortis seruata est.

CAPVT LVIII. LIB. III.

ANno Christi 1271. Paulum Episcopum Cracouiens. in Cunovv suo prædio cōmorantem, & tanquam salutaria monita ducis sui Boleslai pudici & Prælatorū, Canonicorumq; Cracouiens. contemnentem duo militares de domo bipenniū, Otho, & Zegotha, captiuarunt, & per syluas in castrum Siradiense deduxerunt, ubi à Leskone nigro duce Siradien̄. sub honesta custodia detinebatur. Hac occasione Ianussius Archiepiscopus Gneznen̄. totam prouinciā Gneznen̄. interdicto supposuit, quo Boleslaus pudicus affectus, Paulum Episcopum à captiuitate soluit. Et in quadragesima per arbitros Magistrum Dersicrayum Præpositum, & Valterum canonicum Cracouiens. sub his conditionibus cum ipso concordauit, ut Otham & Zegotham captiuatores puniret, & à sua communione sequestraret, ut ducentas marcas argenti illi solueret. Et ut sortem ducalem in Dzerzasna illi donaret. *Paulus Episcopus Craco. captus.* Quæ singula dux Boleslaus adimplens, Otham & Zegotham per unum mensem uinctos tenuit, qui soluti hereditatibus, quas in Cracouiens. & Sandomirien̄. districtibus obtinebant, uenditis, ad Vvladislaum ducem Oppolien̄. commigrauēre, & illic incolatum acceperunt.

Anno Domini 1272. In die sancti Vincentij in Prussiam duo Comites de Iulich, & de Marcha, cum suis gentibus in auxilium Cruciferis uenerunt, & ordinatis aciebus in terrā Sambien̄. descenderunt, & Sambienses cum eis acerrimē pugnantes, ad extremum uicti sunt. *Captiuatores puniti Oppol. migrant.* Fugieruntq; ad uillam Sklumen, ubi certamine innouato, Cruciferis uictoria cessit, & Barbari superati sunt.

Dux Iuliacen. Cruciferorum uictoria. Anno Domini 1273. Przemislaus Posnanien̄. dux, annum decimum septimū agens: Ad habendum hæredem masculum, persuasus à Boleslao pio duce Kalisien̄. patruo suo, accepit in coniugem Luberdem neptem Barvvin ducis Slauorum apud oppidum Stetin, quæ fuit filia Henrici ducis de Visczimirz, uel ut alij uolunt, filiam Nicolai ducis Kassubitarum. Hanc die septima Iulij in Posnaniam adduxit, Anno Domini 1274. Mśczugius dux Pomeraniæ quarto nonas Ianuarij, monasterium Cistercien̄. ordinis nouum Dobrany appellatum, & per Samborium ducem Pomeraniæ patruum Mśczugij fundatum & dotatum, in Polplin in territorio Thimauien̄. terræ Pomeraniæ, tituli beatæ Mariæ uirginis tran-

nis transtulit. Et illud multis libertatibus & ampla dote adornauit. Eodem anno Henricus magister Prussiae, cum omni sua potentia, Barbaros Prutenos, Culmensem terram uarijs spolijs uastantes, apud Lubauiam cõsequutus inuasit. Barbari autem fuga simulata, in nemus fugierunt, & ex eo Cruciferorum exercitum dispersum inuadentes, magistro Henrico & Marschalco Theoderico, pluribusq; alijs occisis, prostrauerunt & uicerunt: praedamq; quam tulerunt, in suam regionem abduxerunt. Et quamuis cõsequenter in auxilium Cruciferis dux Brunsuicien. Lantgrauius Thuringiae, Rex Bohemiae, Marchio Brandenburgen. cum filio, & alij Christiani aduenissent, tamen propter hyemis molliciẽ, tum intemperiem nulla re memorabili edita, ad propria redierunt. Verum Marchio Brandenburgen. castrum & oppidum constituit, quod à sua regione Brandenburg appellauit. Anno Domini 1275. apud Cracouiam puer natus, uix semestris articulata uoce, Tartaros uenturos: & Polonorum capita praecisuros praedixit. Cunctis trementibus interrogatus, an ipse etiam Tartarorum aduentum timeret? Respondit plurimum sese timere, cum inter alios suum caput essent praecisuri.

Fratres Cruciferi clade à barbaris affecti.

Omen futuri mali.

Anno Domini 1276. ne à regno Poloniae castra & oppida Crosnae, Greysenstein & Przin alienarẽtur, Henrico quarto, Probo cognominato, delegata est prouincia, exemendi ea tam à ducibus Cõrado Glogouien. & Boleslao Legnicen. quàm à Baronibus & militaribus Slesiae. Qui decem milibus aureorũ ab Archiepiscopo Maydenburgen. ipsa exemens, sui iuris & proprietatis ea fecit, statimq; inuidia ducum Conradi Glogouien. & Boleslai Legnicen. sequuta est, incrementis rerum Henrici Probi uehementer inuidentibus. Visoq; tempore oportuno Boleslaus Legnicen. Henricum quartũ Probum ducem Vvratisla. nepotem suum nullas insidias patrui uerentem. In curia & uilla sua Ielcze quiescentem, missis satellitibus & latrunculis feria quinta ante dominicam Reminiscere, duodecimo Kalendas Martij, in nocte soporatum capit, & in castrum suum Lethen deductum, in dira uincula conijcit. Pro causa obijciẽs, quod portionẽ Vvratisla. ducatus ex morte Vvladislai Archiepiscopi Salczburgen. aequè ad se, & ad Conradum Glogouien. spectantẽ, teneret. Mouent itaq; graue bellum Boleslao duci Legnicen. nobiles & milites Vvratisla. Et obtentis auxilijs a quinq; ducibus Poloniae, Boleslao pudico Cracouiens. & Sando. Boleslao pio Kalissien. Przemislao Posnaniens. & Gnezne. Cõrado Glogouiens. & Vvladislao Oppoli. Cum praefato Boleslao Legnicen. uarias gentes aere conductas ex Misnen. Saxonibus, Sueuis, & caeteris habente, conflixerunt. Neutraq; parte pedem referente, caede ingenti suorum Boleslaus Legnicen. conspecta, cum uno tantum comite fugit. Filius autem eius maior natu Henricus, pugnam habentem restituit, & animo pertinaci, aduersarios debellauit, captusq; est in eo praelio Przemislaus dux Posnaniens. & plures milites auxiliares. Vvratislauien. autem ea clade territi, ad Premislaum, qui & Othocarus dicebatur regem Bohemiae cõfugiunt. Et ut fidior esset, parti eorum castrum & oppidum Cloczko ei tradunt. Cuius interpositione, & opera inter Boleslaum Legni. & Henricum Probum Vvratisla. pax est composita sub his conditionibus, ut Boleslaus Legnicen. nepotem suum Henricum Vvratisla. à captiuitate soluat, ut Przemislaum Posnanien. & milites in praelio captos dimittat. Vt Henricus Probus Boleslao Legnicen. de castris & oppidis Strzegom, Strosza, Nouoforo, Greyfenberg, Przin, & Gelsvvindorff perpetuò cedat. Quibus ab utraq; parte acceptatis, Henricus Probus dimissus est. Ex eo tempore arx & oppidum Cloczko in potestatem regis Bohemię deuenit, quò ad temporale, quò ad dioecoelim uerò ad Vvratis. in dioecoesim Pragen. per nephas & uiolentiam concessit. Thoma secundo Vvratisla. Episcopo huiuscemodi notabilem mutilationem non rescindente. Crosnam uerò à Baronibus Vvratislauiensibus, Ioanni Brandenburgen. Marchioni, ne arma contra eos pro Boleslao Legnicen. ferret, obligatam. Henricus Probus redimens, praefato Ioanni Marchioni, damna, sumptus, & expensas iniustas computanti, sex millia marcarum persoluere, cum tantum in quatuor milibus extiterat pignorata, coactus est. Anno Domini 1277. Lithuani gentiles terram Lancicien. quae tunc à duce Kazimiro germano Leskonis nigri, ducis Siradien. tenebatur. In festo sancti Lucae subito ingredientes, caede, spolijs, & tectorum exustione uastauerunt, senes & impuberes occiderunt. Et quasi quadraginta millia animatorum, simul cum pecoribus aestimando, nemine resistente, in miserabilem seruitutem abduxerunt.

Henricus Probus captus.

Bellum intestinum Slesianorum.

Przemislaus dux Posnaniens. captus.

Lanciciens. terra uastatur.

Eodem anno septuagesimo supra mille ducentos, Nonus magister Prussiae, Conradus de Tirborg electus est, absumpto Theoderico de Gatirslevve octauo magistro. Tũc duo duces Prutenorũ, Henricus de Nociaga, & Cappe de Sczenavva, à Cruciferis capti fuerunt

Nonus Prussiae magister.

runt: & in patibulum acti. Divvan autem tertius dux Prutenorum de Barthena, duorum necem miserabilem ulciscendo, terram Culmensem cum copijs subintrans, graui extermi nio eam afflixit. Conradumq; magistrũ Prussiæ, qui eum inuaserat, & cũ Cruciferis pro triumpho obtinendo fortiter pugnãtem, in fugam uertit, quingentis Christianis & duodecim Cruciferis occisis, pauloq; post Barbari Pruteni, castrum nouum quod inter Culmeñ. & Pomezanieñ. oppida, à magistro Conrado magnis sumptibus erectum. Itẽ castrum Radzin. Item castrum Vartembergk fortissima impugnatione conquisierunt. Et omnes Cruciferos & Christianos in præfatis castris repertos, rabie barbarica interfecerunt: Castra uerò igne consumpserunt. Boleslaus caluus Legniceñ. dux, parum uoluptatis & utilitatis ex uictoria & possessionibus Henrici Probi, nepotis sui ducis Vvratis. nactus ex senio & languore mortuus est, anno Domini 1278. Et in monasterio fratrum prædicatorum, à se fundato sepultus. Homo uiolentus in proprios & exteros, adeò uelocis & corrupti sermonis, ut plerunq; audientes in cachinnum & risum solueret. In factis & moribus tortuosus, in iudicio & causis sanguinis præceps & iniustus. Merito sæuis & Rogatka (quod in Latino cornutus sonat) uocatus: fœdo pellicis amore usq; ad mortem uinctus. Ob quam pellicem & graues molestias, altera cõiunx eius Adleyda, filia Samborij ducis Pomeraniæ, deserto Boleslao Rogatka marito suo adhuc in uita ipsius, dum aliter nequiret, in domum paternam pedes remeauit. Reliquit autem Boleslaus tres filios superstites, ex prima cõiuge Heduigi, filia Comitis Henrici de Hanhalt, uidelicet Henricum Legniceñ. qui crassus & uentrosus est appellatus. Boleslaum Svveidniceñ. & Bernardum agilem, tanta siquidem illi agilitas inerat, ut quatuordecim robora in aliquo ædificio supernè ordinatim erecta, præpeti cursu ascenderet. & resiliens in pedibus fixus staret. Reliquit & quatuor filias ex eadem Heduigi consorte sua, Agnetem, quam Comiti de Vartemberg tradiderat. Alteram Heduigim, quam Conrado duci Mazouiæ filio Semouiti desponsauerat. Tertiam Annam in monasterio Trzebniceñ. professam, & tandem Abbatissã. Quartam Katharinam in iuuentute defunctam.

Boleslaus Caluus moritur.

Proles eius derelicta sexus utriusque.

Anno Domini 1278. Boleslaus Mazouiæ dux, intulit bellum in æstate, Conrado duci Glogouiæ, & circa castrum Cziruin cum ipso confligens, omnem potentiam eius prostrauit. Martino autem Abbati Lubensi & Iesizouieñ. cum suis monasterijs pro denunciatione clandestinè hostium irruptionis (beneficij memor) multas libertates & priuilegia, etiã de consensu Semouiti & Troideni, idem dux Boleslaus concessit. Eodem anno 1278. Trinotæ filius ducis Lithuaniæ coadunatis Lithuanorum & Prutenorum copijs, quæ ad triginta millia pugnatorum explebant, eas trifariè diuidens, unam partem in Mazouiam: Duas uero in terram Culmeñ. transmisit, & omni terra Culmeñ. peruastata, castroq; Bergelovv sub Cruciferis conquisito & incenso, multas gentes in seruitutem abduxerunt. Eodem anno Skomand dux cum Prutenis Sandouitis repetendo, in terram Culmeñ. aduenit, & duo oppida Lubavv & Chelm obsessa, & machinis expugnata cõquisiuit. Et terram Cuyauieñ. circa oppidum Kouale prædatus est. Eodem anno ciuitas Lanciciẽ. à Lithuanis subita incursione spoliata est.

Culmensis regio uastatur.

CAPVT LIX. LIB. III.

LEsko niger, sublato & tumulato Boleslao pudico, successit ei in terris Cracouieñ. Sandomirieñ. & Lublineñ. anno Domini 1279. Per concordem omnium Baronum & Pauli Episcopi Cracouieñ. electionem. Quoniam ducem Boleslaum pudicum strictiori consanguinitate contingeret, ab eoq; adoptatus & designatus successor foret. Et quòd princeps frugi & comis, principatu ꝓ dignus uideret, statimq; nouam successionem ducis Leskonis nigri, noui motus, nouiq; stridores bellorum insectati sunt. Nam Leo princeps Russorum, filius Danielis regis Russiæ, uolens sibi appropriare terras Leskonis nigri. Primum terra Lublineñ. peruastata, in terram Sandomi. descendit, & à castro simul & oppido Sando. cum ignominia repulsus. Ad uillam Goslicze duobus à Sãdomiria miliaribus positã ueniens, statiua tenuit, ubi ordinatione ducis Leskonis nigri. Occurrerunt ei Varsius Castellanus Cracouieñ. Petrus filius Alberti Cracouieñ. & Ianussius Sandomirieñ. Palatini, certamineq; inito die Veneris, tertia Februarij, anno Christi 1280. conflixerunt, & Rutheni plurimi numero, à paucis Polonis uicti sunt. Primis siquidem ductoribus & ordinibus cœsis, reliqui trepidantes, armis proiectis, tanquam lymphatici fugam inierunt. Tartari uero qui cum Ruthenis aduenerant, breui oppositione facta mox & ipsi fugierunt, Leoq; principalis dux cum paucis confusus euasit. Occi-

Rutheni à Polonis uicti.

Occisa sunt eo prælio octo millia, duo capta: Signa militaria septem intercepta. Lesko niger parum ratus bellum repellere, nisi iniuriantibus bella inferret. Post quindecim dies cum exercitibus, quasi triginta millibus equitum, & duobus millibus peditum, terras Leonis inuadens, multa castra occupat, expugnat, & euertit. Et usq; ad Leopolim terra depopulata, prædam frequentem hominum & pecorum in Poloniam intulit. In ea uastatione quinq; millia cæsa, quatuor uerò millia in captiuitatem abducta, scribuntur.

Lesko Nig. Russiam grassatur.

Sequenti quoq; anno 1281. Lesko niger cum omnibus terrarum suarum copijs in terram Vvratisla. descendit. Et aduenientibus ei in præsidium Mscezugio Pomeraniæ duce. Item omnibus maioris Poloniæ militibus, triplici agmine terram Vvratislauieñ. spolijs & incendijs confecit. Causa erat quia Henricus quartus Probus, potius uerò facinoribus attestantibus, improbus, dux Vvratislauieñ. corrogando principes, ad tractandum pro bono pacis & ordinis principatuum, Dominica septuagesimæ in uilla Baricz, nullam fraudem suspicantes, Przemislaum maioris Poloniæ, Henricum Legniceñ. & Henricum Glogouieñ. duces, iure diuino & humano prophanato captiuauit, & in Vvratislauiam deductos, uinculis singillatim inclusit, precantibusq; Vvratislauiensibus ut dux eorum Henricus quartus, aut captiuos dimitteret, aut cum duce Leskone nigro cōponeret. Saxeum pectus ducis Henrici Vvratislauieñ. lachrymis, contumelijs, & increpationibus ad compassionem flecti non potuit, quin uniuerso ducatu Vvratis. in fauillam redacto, & præda ingenti in Poloniam abacta, nec cum hostibus decerneret, neque captiuatos duces a uinculis emanciparet. Duces itaque captiui, molestias diuturnæ captiuationis cauturi, cum illo per pacta conuenerunt, ut Przemislaus dux Posnanieñ. frater ipsius amitalis, terram Rudeñ. quæ nunc Vieluneñ. dicitur (asserens illam sui iuris esse) ei resignaret. Ab Henrico Legniceñ. & Henrico Glogouieñ. fratribus patruelibus, quum nullas terrarum sortes ab eis exigere posset, seruituros se sibi per quinquennium cum triginta lanceis, contra quemlibet hostem obligauit, sicq; à captiuitate laxatos in suos principatus remisit.

Vvratislauiensibus merito bellum infligitur.

Anno autem Domini 1282. irruentibus Lithuanis & Iaczvvingis uigesimaquarta die Septembris in terram Lublineñ. & quindecim diebus eam uastantibus, magnum numerum prædarum in Lithuaniam referebant. Lesko autem niger illicò accepto nuncio, de Cracouia se recepit, & celeri cursu in itinere milites colligens, in terram Lublineñ. deuenit, hostesq; abijsse reperiens, turbatus, cogitabat, an persequi Barbaros deberet, cùm essent plures numero, quia quatuordecim millia. Ipse uerò ultra sex milia militum haud contemnendorum non collegisset. Inter cogitandum uisio angelica, quæ se archangelum Michaëlem profitebatur, per soporem monstrata monuit, ut omni cunctatione abiecta, hostes persequeretur, certam illi futuram uictoriam promittens, uocat Lesko in contentionem milites, & ea uisione narrata, meticulosos militum animos exhilarat. Et insequuti Barbaros repererunt, & eos tredecima die mensis Octobris, præda onustos, inter flumina Narevv & Niemyeñ. consequuti sunt. Et dux Lesko niger, adhortatus suos, ut pro fide Christiana, & pro patria uiriliter pugnarent, insilit in Barbaros, conspectu Polonorum & latratu canum captiuos sequentium, attonitos, & cùm primi & secundi ordines obtriti sunt, reliqui uersi sunt in fugam, & cædesq; in omnes fugientes edebatur, quā captiui ex terra Lublineñ. operosè promouebant. Canesq; diris morsibus, quasi nossent, quos insectari deberent, lacessebant: Mirabile dictu, recensito exercitu Polonorum, nemo repertus est in eo prælio cecidisse, ut oraculum Leskoni duci per quietem factum, non Phantasticum, sed diuinum uerificaretur. Ab eoq; tempore Lesko niger beatum Michaëlem singulari ueneratione prosequebatur, & in Lublin reuersus, Basilicam parochialem in hanc diem permanentem, tituli sancti Michaëlis fundauit. Quæ beneficia Archangeli & cladem Barbarorum Polonis demonstrat. Redeunte Leskone nigro ex Lithuanica expeditione in Cracouiam, Conradus dux Mazouiæ, patruus Leskonis, in terram Sandomiriæ per rebelles Ianusium Palatinum, Christinum Castellanum Sandomirieñ. inductus est, quibuscum Paulus Episcopus Cracouieñ. astruebatur sensisse, qui Sandomirieñ. Zauichosteñ. & cætera castra in realem possessionem ei tradiderunt. Lesko autem niger, nil territus, cum Curiensibus & armigeris terræ Cracouiens. properè uersus Sandomiriam processit. Conradus autem de Sandomiriensibus ambiguus, non exspectato duce Leskone nigro, in Mazouiam discessit, copias ampliores (ut aiebat) comparaturus. Superueniēs autem Lesko, singula castra recuperauit, & auctores defectionis Ianusium Palatinum, Christinum Castellanum, cæterosq; milites sibi reconciliauit, ac omnem rebellionem extinxit.

Leskoni nigro uisio diuinitus facta.

Prodigiū perrarum.

Ianusius & Christinus deficiunt.

Auctores defectionis pœnas pendunt.

Sandomirieñ. rebellione suppressa, Lithuanicum nouum bellum surrexit, qui anno Domini

mini 1283. quarta Octobris maioribus copijs, quam ante, per districtum Lukouień. & siluas in eo consistentes, in terram Sandomirień. improuisè irruperunt, & multa cæde patrata, senibusq;, & impuberibus interfectis, sex millia Polonorum & iumenta abducebant. Dux autem Lesko niger armis correptis, de Cracouia tribus exilijt, & tam die, quam noctu celeri gressu iter conficiens, pernicios nobiles & agrestes occurrere iussit, quibuscum in Lukouień. prouincia Lithuanos graues præda, cõsequutus est, qui ne cũ Leskone [illegible] captiuis pugnare congerent, ad syluas proximiores densas limosas secesserunt. Vbi a Polonis obsessi, alligatis captiuis, & sarcinis sub custodia imbecillium relictis, sylua glomerati, aciebus ordinatis processerunt, & uoces inconditas emittentes, ad stationes Polonorum in loco, qui Rovvne appellatus, peruenerunt. Dux Lesko niger animatis suis, exercitum in duas alas diuisit, quarum unam Zegothe Palatino Craco. Alteram Ianusio palatino Sandomirień. commisit, & in hostes insilijt: primaq; ala Zegothe palatini Cracoui qua Curienses duces erant, cœpit uincere. A qua tandem ad aliam eadem sors peruenit, fusiq; sunt Lithuani, & eorum plura millia occisa, quamuis & de Polonis aliquot insignes milites ceciderint, uictoria obtenta, captiui in sylua soluti sunt, sarcinæ Lithuanorum in milites diuisæ, & præda erepta in terram Sandomirień. reducta est. Paulus Episcopus Cracouień. hanc Lithuanorum inuasionem procurasse insimulatus est, quapropter dux Lesko niger per milites eum in oppido Lagovv captiuauit, & altera uice in castrum Siradień. deportatus fuit. Vnde post aliquantum tempus honestè dimissus est.

Lithuanorum strages.

Paulus Cracouiens. Episcopus captus.

CAPVT LX. LIB. III.

Post bella Barbarica contra Leskonem nigrum, magna procella, magnaq; insurrexit rebellio. Nam anno Domini 1285. Paulus Episcopus Cracouienś. Varsius Castellanus, Zegotha palatinus Craco. Ianusius Palatinus, Cristinus Castellanus Sandomirień. cæteriq; Barones terrarum Cracouienś. Sandomirień. & Lublineń. Vno uoto Conradum Mazouiæ & Czirneń. ducem, in Sandomiriam inducentes & conuentum generalem celebrantes, ei obedientiam iurauerunt, & omnia castra, ciuitates & munitiones ei subiecerunt, præter arcem & urbem Cracouienś. in qua se Lesko niger continebat, ad eamq; expugnandam Conrado Mazouię & Czirnień. duce procedente. Lesko mœstus & consilij inops, quum militum præsidio careret, Cracouiensibus ciuibus Theutonicis arcem, Griphinam suam consortem commisit, pollicitus fidem eorum abundè se premiaturum. Ipse uero celeri cursu, quartadecima die Iulij è Cracouia egressus, in Hungariam auxilia quæsiturus diuertit. Ciues autem Cracouienś. ciuitatem & arcem eodem tempore tueri nõ ualentes, deserta Cracouia, cum uxoribus & pignoribus in arcem se receperunt. Veniente autem duce Conrado, & urbem uacuam inueniẽte, in eam intrauit, & Barones ad ciues Cracouienś. familiares & eis notos mittit, ut à communi uoluntate militarium non desiperent, sed arcem traderent habituri Cõradum plusquam Leskonem nigrum propicium. Qui post paruam deliberationem responderunt. Non licere illis Leskone nigro uiuente, iuramentum quod cum omnibus Baronibus Cracouiensibus & Sandomirień. præstiterunt, etiam si extrema sors ipsos impeteret, uiolare. Exacerbatus Conradus dux Mazouiæ & Czirneń. unà cum omnibus Baronibus respõsione Cracouiensium, urbem Cracouienś. igne conflagrauit: Interimq; Lesko niger cum Hungaris & Cumanis, quos Ladislaus rex Hungariæ in præsidium ei dederat, ex Hungaria redibat. Cui Conradus dux cum multitudine militum occurit, & in campis uillæ guczicze haud procul à flumine Raba secunda Augusti cum eo conflixit. Et Conradus dux Mazouiæ strage magna superatus quoniam iniusta arma induerat, in Mazouiam fugit. Nec amplius in minorem Poloniam redire ausus fuit. Dux uero Lesko niger Cracouiam ingressus, Hungaros & Cumanos pro opera conductionis & prælij munificè remuneratos in Pannoniam remisit. Captos Barones in libertatem restituit, alios ueniam deprecantes in gratiam & priorem statum admisit, Cracouiensibus, qui ab illius fidelitate nullo modo euelli potuerunt, multas libertates concesit, & ciuitatem eorum muris, fossatis, ac uallis muniuit, Gubernationemq; illius loci, solis Theutonicis cõmisit. Et Theutonicos Cracouienś. interim coluit & extulit, ut in moribus, habitu & coma (indignantibus nobilibus) eis se conformaret. Post aliquantum tempus, concessæ quietis, Lesko niger simulans se trãsactas iniurias, & inuasiones Lithuanorũ ultũ iri.

Bellum grande inducitur Leskoni.

Leskonis fuga in Hungariam.

Leskonis spes in Theutones.

Constantia fidei ciuiũ Crac in suum principem.

Lesko Conradum uicit.

Leskonis remuneratio in Cracouienś.

Magistratus & libertates Theutonicis Cracouienś. data.

Anno Christi 1287. generalem expeditionem omnium suorum principatuum indixit, & cruce ab Apostolica sede, contra Lithuanos & Prutenos tunc concessa & prædicata, se

&

& suos milites signauit: omissisq; Barbaris, in Mazouiam, terram Conradi sui aduersarij triplici agmine intrauit, & crudeli ferocitate, cædibus, igne, & spolijs eam uehementer uastauit. Conrado duce Mazouiæ ullam resistētiam faciente. Eiusdem anni undecima die Decembris, sub intensissimis frigoribus & densissimis niuibus ferocissima gens Tartarorum famen sedatura, ducibus Nogay, & Thelebuga. Primum in Lublineñ. & Mazouię, ex post in Sandomirieñ. Siradieñ. & Cracouieñ. oras, in numero locustarum uenit. A' castro & ciuitate Sandomirieñ. cum ignominia & strage, militibus qui in præsidio erant strenuè tutantibus, repulsi. Plures ecclesias, monasteria, & munitiones obtinuerunt & incenderunt, tamen à monasterio, sanctæ Crucis, Calui montis, suasu Ruthenorum abstinuerunt, ad Cracouiam in uigilia Natiuitatis Christi applicantes, & eam expugnare adorsi, aliquot insignes eorum amiserunt, ululatuq; ædito, ab ea discesserunt, & depopulationem cum spolijs longius extenderunt. Dux Lesko niger, de uiribus suorum militum diffidens, in Hungariam cum Griphina sua cōiuge secessit, & Tartari grassantes ad Alpes pannonicas peruenerunt: sub quo tēpore Kinga Boleslai pudici olim relicta, cum septuaginta sanctimonialibus & duab. germanis suis: Iolentha Boleslai pij Kalisieñ. & Constātia Danielis Russiæ regis relictis, multisq; sacerdotibus & militibus, in castrum Pienini, quod supra Dunaiecz prope oppidum Croscezenko situm habet, natura & arte munitissimum: Vno tantum angusto transitu adibile, se contulit, & illic per tempus uastationis Tartaricæ permansit. Monasteria quod dereliquerunt Sandeceñ. à Barbaris illæso permanente, prece & meritis fœlicis Kingæ restringentibus, terris itaque prædictis spoliatis, sacerdotibus, lactantibus, & senibus trucidatis, cum ingenti preda hominum ac pecorum abscesserunt, quam apud Vuladimiriam partientes, uiginti unum millia de uirginibus nondum nuptis computarunt. Ex quo multitudo cæterorum uirorum & fœminarum poterat æstimari.

Leskonis in Mazouiam expeditio.

Tartari Poloniam uastarunt.

Beata Kunegundis.

xx. millia uirginum innuptarum abacta.

Anno immediatè succedente 1288. Dux Lesko niger, Matthæum Palatinum Siradieñ. cum militibus terræ Siradieñ. tantum (Cracouienses enim & Sandomirieñ. clade Tartarorum plurimum attriti, munus expeditionis obire se excusarunt) contra Conradum Mazouię ducem, fratrem patruelem altera uice destinauit, qui uniuersam ferè Mazouiam incendijs & spolijs peruastauit. Conrado duce Mazouiæ, nullam repræssionem faciente. Et cùm confinia Mazouiæ Matthæus Palatinus Siradieñ. cum suo exercitu, tum præda onusto, tum incomposito agmine incedente, redeundo attigisset. Dux Conradus Mazouiæ, cum militibus & agrestibus per inuia & abdita loca accurrens, securos & quiescentes in diluculo, septimo Kalendas Iulij inuasit, & territos ac uelut lymphaticos discurrentes dispersit. Matthæus uerò dux exercitus cum paucis militibus constanter pugnās occisus est. Hanc cladem & præcedentem Tartarorum, cum peste & fame, quæ his annis in regno Poloniæ acciderant, aliqui scriptorum uindice, Christo euenisse protulerunt. Ex eo quod Lesko niger, arma, cruce signatorum, à Barbaris in fideles conuerterat, quod Deus melius nouit & iudicat. Sensim etiam post præfata mala Lesko niger in uiribus defluere cœpit, & acerbiori morbo correptus, ultima Septembris anno Domini 1298. in castro Cracouiensi. sacro percepto uiatico animam exhalauit. In monasterio sanctæ Trinitatis ordinis prædicatorum Cracouiensi. in parte sinistra chori, quem locum uiuens delegerat, ducali honore sepultus est.

Altera in Mazouiam expeditio.

Lesko niger moritur.

CAPVT LXI. LIB. III.

Lithuani gentiles, anno Domini 1279. in quodam particulari prælio Cruciferos de Prussia superantes: duos ex eis captos, horribiliori morte affecerunt. Vnum equo insidentem igne ingenti extructo cremarunt. Equus quidem illicò igne consumptus, super Cruciferum autem aperto cœlo splendor cœlestis demissus est, ignem in partes disiecit, tandem splendor in cœlum cum corpore Cruciferi (sic quòd nullum illius uestigium relinqueretur) in similitudinem pulcherrimæ uirginis, mirantibus & stupentibus Barbaris conscendit. Lithuani incantatione procuratum fuisse asserentes. Alterum Cruciferum superstitem in rimam arboris, cuneis, & clauis elisis uiolenter inclusum & compræssum exurebant. Hunc auis quædam candida, nunquam aliàs conspecta, de flammæ medio ereptū, Barbaris supra modū attonitis & mirantibus, in cœlū detulit.

Grande miraculum.

Eodem anno Prutenis Barbaris ad expugnandum castrum & oppidum Elbing uenientibus, Molendinum quod principaliores ciues Elbingeñ. defendebant, obsederunt. Dumq; Cruciferi præsidium quod promiserant non attulerunt, ex pacto uigintiquinque obsi-

Barbarorum Prutenorũ facinus pessimũ.

obsides, ut cæteri essent liberi, dederunt. At Barbari quorum fides fluxa est ac modica: Obsidibus crudeliter enecatis uniuersos in molendino, etiam uario carnificio extinxerunt. In quorum ultionem Conradus magister Prussię regiones Prutenorum, aliquot hebdomadis ferro, & igne uastauit, & castrum Heidlsbergk conquisiuit.

Decimus Prussiæ magister et sequaces.

Anno Domini 1280. Conrado de Tirberg e uita secedente, decimus magister Prussiæ Popo de Ostiria successit: quo breui moriente Hayno subsitituitur. Sed quum is quoque absumptus esset, Herthmannus de Heterunge duodecimus in officiū assumptus, Conradum de Vuchtevvange successorem habuit. Quo libere cedente Manegolde Konigsbergeñ. cōmēdator quartusdecimus magister suffectus est. Sub cuius regimine in loco castri & oppidi Czanthir ueteri nomine abrogato, castrum Mariemburg erectum est.

Castrum Mariemburgk erigitur.

Anno Domini 1281. Quidam animosiores Prutenorum milites, castrum Plocen̄. expugnare, & terram Mazouiæ affligere nitebantur, quos Boleslaus dux Mazouiæ cum gentibus suis inuadens, paucis fugientibus conflixit. Eodem anno, exercitus Prutenorum terram Culmeñ. ingressus, tantis flāmis & spolijs in ea grassatus est, Magistro & Cruciferis decernere non audentibus, ut quinque castris, uidelicet: Crudzāz, Marieuerder, Czāthir, Christburg, & Clementh expugnatis et conquisitis, singulos homines quos in eis repererant, miserabiliter trucidarunt.

Fames Poloniæ, Bohemiæ, Germaniæ.

Ab anno Domini 1282. Per biennium horrenda fames in Polonia, Bohemia, & Germania urguit. Polonia perniciem famis uitaturi, relictis laribus, uxoribus, & pignoribus, aliqui in Hungariam diffugerunt, & ab Hungaris Cumanis tunc gentilibus uenundabātur. Alij in Russiam, & hi a Ruthenis pro tributo Tartaris tradebantur. In Bohemia uerò sæuior fames urgebat, adeò ut matres oblitæ pietatis, fœtus suos famem exclusuræ manderent. Post horrendam famem, sæuissima pestis ex perniciosis & nociuis herbis & cibis emersit. Cuius simile Romanis Galienus accidisse in principio libri, de Euchimia & Cacochimia meminit. Philippus Episcopus Firmanus, apostolicæ sedis legatus à Ladislao Kunlaczko cognominato, rege Hungariæ, ignominiosè tractatus, & de regno Hungariæ turpiter eductus, cum interminatione ne in Hungariam rediret, quoniam relicta legitima uxore, mulieres Cumanorum, Ayduam, Cupcheck, Mandulam, & alias plures sectabatur, & pro concubinis tenuit. Pro quibus ipsum corripuit & excommunicauit. Binos quoque Episcopos Ladislao regi Hungariæ blandientes, deposuerat, & Episcopatu priuauerat. Is ergo Episcopus Firmanus, anno Domini octuagesimo secundo supra mille ducentos, in Poloniam uenit, & magno honore exceptus est ab uniuersis ecclesijs & procuratus. Ob quod Romam reuersus, Polonicam nationem maximis laudibus celebrauit & extulit.

Pestis ualida.

Legatus Apostolicus Hungaria pulsus.

Polonia ex hospitalitate cōmendabilis.

Anno Domini octuagesimo secundo supra mille ducentos, duodecima mensis Augusti, Thomas Abbas Thiniceñ. ad instantiam ducis Leskonis nigri, monasterium fratrum Prędicatorum in oppido Opatouyecz fundauit, & nonullos agros, fratribus pro prædio & cultura dedit.

Anno quo supra 1283. pridie Kalen. Ianuarij, Przemislaus secundus dux maioris Poloniæ hospitale infirmorū ante portā ciuitatis Kalisseñ. fundauit, regimēque illius fratris lohānitis tradidit, & ipsum cū dote ei collata libertauit. Idem Przemislaus secūdus, dux maioris Poloniæ, sexto Kalendas Ianuarij, claustrum monialium ordinis prædicatorum in Posnania fundauit. Cui in dotem tres uillas, uidelicet Pyanthkovv, Rudicze, & Zaparczicze dedit. Item lacus Bostunyno. Coronatus autem in regem Poloniæ, confirmauit donationem Vincentij Vicecancellarij, & fratrum eius Nicolai palatini, & Miroslai de uillis Donathovvo & Grzmislavve. Item Nicolai palatini Kalisseñ. de uillis Roszczinmo, Bialekozi, Sokolniki, & molendino ante Posnaniam. Item Ioannis Scholastici de uilla Popovvo, prædictas hæreditates libertando.

Duo claustra à Prmezislao erecta.

Anno Domini octuagesimo tertio supra mille ducētos die quartadecima Decembris, Lukerdis Przemislai secundi ducis maioris Poloniæ coniunx, in castro Posnanieñ. diem clausit extremum, ut fertur iugulata à familiaribus & ancillis proprijs, ordinatione uel insimulatione præfati ducis Przemislai secundi, quoniam sterilis erat, ducique desideratam prolem uirilem non produxerat. Auxit quoque suspicionem, dissimulata ultio, & indignę necis præstita impunitas. Sed & carmina, & atque cantulenæ prope & quasi ad ætatem nostram decantare, flebiles Lukerdis preces depromebant, quibus se à marito in unius camisiæ tegumento, ad lares patrios deduci exorabat, dummodo uita non eriperetur ei postulata. Et quamuis sterilitatem præfatæ consortis Lukerdis, dux Przemislaus una cum uita,

Lukerdis moritur.

Suspectio cædis eius.

ut est insimulatus, abstulerit tamen altera consorte, uirgine Richsza, filia regis Svvecię superaccepta, & año Domini 1285. undecima Octobris in Posnaniam adducta, prolem ui nlem habere non potuit, sed fœmineam duntaxat obtinuit.

CAPVT LXII. LIB. III.

Anno pręfato 1283. Varcislaus germanus Msczugij ducis Pomeranię ordinem Cruciferorum de Prusia assumpsit, & sortem sui principatus, licet tenuem, eis contulit. Similiter alij duo fratres, Samborius, & Rathibor sortes suas donauerunt, ut eis in habitu laicali permanentibus, & seruitoribus ipsorum, ordo Cruciferorum expensas & sumptus decentes procuraret. Mscrugius autem maior, natu omnes sortes trium germanorũ in suam ditionem redigens, apud Martinum quartum summum Pontificem, de ambitione Cruciferorum quæstus, Philippum Firmanum Episcopum, ad rem introspiciendam obtinuit. Qui utriusque partis auditis propositionibus & responsis, donationem Varczislai, Samborij, & Ratiborij ordini factam, tanquam inualidam & iniustam infirmauit & rescidit. Ducem uerò Msczugium, ad donandum, donatione perpetuo Magistro & ordini, oppidum & districtum Gnyevv, cum quindecim tantummodo uillis induxit. Quo facto, Magister & ordo castro Puterberg demolito, castrũ & oppidum Gnyevv muro cinxerunt.

Tres fratres Cruciferorum ordinem assumunt.

Anno Domini 1284. ultima Septembris, castrum Kalisien. (ciuitas namq; ante, puta septimo Kalendas Septembris proprio incendio conflagrauerat) tradidit Henrico quarto duci Vvratislauieñ. Sandivvogius, Ioannis Posnanieñ. palatini filius, ab ipso duce inescatus & corruptus. Przemislaus autem dux maioris Poloniæ, ad recuperandum suum castrum Kalisſ. cum omnium suorum principatuum militibus aduentens, ordinatis propius castris, magno conatu & impetu, expugnationi toto die, cassos labores impendit, interpositisq; per communes Barones tractatibus, sub his conditionibus pax composita est. Vt Henricus dux Vvratisla. de castro Kalisz occupato, duci Przemislao cedat. Przemislaus uerò in oppido Olobok, proprijs sumptibus castrum ædificet, & illud cum toto districtu Olobocen. Henrico Vvratisla. consignet, & per hunc modum obsidio soluta est.

Castrũ Kalisz Henrico wratisla. traditur.

Olobock ædificatur.

Anno autem Domini 1287. milites maioris Poloniæ absq; iussu ducis sui Przemislai, coadunati, perrexerunt, & castrum Olobok (aliquot de suis desideratis) conquisierũt, milites Slesiæ in præsidio castri repertos, aliquos trucidantes, alios uerò in uincula conijcientes, tam castrum Olobok, quam districtum eius, principatui maioris Poloniæ restituerũt. Et quamuis dux Henricus Vvratisla. missis nuncijs ad Przemislaum, castrum & districtũ Olobok repetebat, restitutionem tamen non est assequutus.

Anno præexpresso 1284. Henricus quartus dux Vvratis. non consequutus pro ut imperauerat, contributionem & notabiles summas pecuniarum, à Thoma Episcopo, & clero Vvratislauieñ. cum magna furia castrum episcopale Othmuchovv, & oppidum Nissa occupauit. Deinde omnes possessiones tam Episcopi, quàm cleri, oppidorũ et uillarum; castrumq; Ellenstein Ecclesiæ Vvratislauiensi, in certa summa pecuniarũ obligatum, per suos satellites appræhẽdit. Decimas insuper uniuersas in suo ducatu, sibi pręstari iussit, rogatusq; tam submissè, quam humiliter, iterum & iterum per nuncios & prælatos, ad extremumq; per Thomam Episcopum Vvratis. nõ remisit spiritum furoris, & superbiæ, nec bona Ecclesiæ reddidit. Tãdem Archiepiscopus Gneznen. Iacobus Svvinka, ad supplicationem & instantiam pręfati Thomę Episcopi Vvratisl. in synodo generali Lancicien. de cõsilio & assensu omnium Episcoporum ac Prælatorum, Henricum quartum ducem Vvratisla. & omnes satellites, familiares & adhærentes, præbentes ei auxilium aut cõsilium excommunicauit. Diocœsim autem Vvratisla. interdicto supposuit, quod uniuersę Ecclesię Vvratislauieñ. seculares & regulares obseruarunt, præter fratres minores ordinis sancti Francisci, in monasterio sancti Iacobi Vvratisla. Qui coram duce Henrico & Vvratislauiensibus, ad ignominiam eorum, nefariè & publicè diuina officia celebrauerunt. Cęteri ergo clerici omnes, Episcopus, Prælati, & fratres prædicatorum expulsi sunt, & in exilium acti: abijtq; personaliter Thomas Episcopus Vvratis. in Lugdunum, & quum reperisset Henricum ducem Vvratisla. per suos nuncios obtinuisse absolutionem à censuris Metropolitani Gneznen. absq; satisfactione damnorum ei illatorum, in Poloniam redijt, & per Kazimirum ducem Oppolieñ. recollectus, in Rathiborz ferè per quinquennium commoratus est. Henrico quarto duce Vvratislaui. terroribus & comminationibus Kazimirum ducem Oppolien. afficiente & sollicitante, ne hostem suum Episcopum Vvratisla.

Bona Episcopi ab Henrico occupantur.

Henricus cum suis complicibus excommunicatur.

Clerici omnes explosi.

 unà

una cum clero eius seruaret, quo irridente comminationes ipsius, uenit cum exercitu dux Henricus quartus Vvratislauiens. anno Domini 1287. & Rathiborieñ. obsedit atque coarctauit, ut præ fame & maceratione, Thomam antistitem Vvratisla. execrationibus & improperijs impeterent. Quibus compatiens Episcopus, melius est (inquit) me in manus tyranni incidere, quam hos fame perire. Et indutus uestibus sacris, & thiara pontificali, cum clero suo ex quibus nonnulli similiter uestibus sacris induti fuerunt, in castra ducis extra ciuitatem processit. Quo à longe uiso dux Henricus diuinitus territus, ocius de tabernaculo suo exilijt, & accurrens pronus in terram ante Præsulem procidit, ueniam precatus. Quem Thomas Episcopus subleuans, ueniam contrito promisit, & secedentes ambo in proximam ædem sancti Nicolai absque arbitris pacem inter se in hunc modum concluserunt, ut castra, oppida, uillas, decimas, & percepta redderet dux Episcopo & clero. Pro culpa uero expianda, plures libertates Ecclesiæ Vvratislauiensi ut donaret. Ea reconciliatione sequuta, interdictum Archiepiscopi Gnezneñ. Iacobi Svvinka sublatum est. In memoriam uero beneficij ac hospitalitatis, Thomas Episcopus Vvratisla. postulante Kazimiro duce Oppolieñ. ecclesiam sancti Thomæ Cantuarieñ. in castro Rathiborieñ. fundauit, & de mensa Episcopali dotauit. Postea translatione Ecclesię ex arce in oppidum Rathiborz facta, plures præbendę largitione ducum Rathiborieñ. additæ sunt.

Episcopus ultro hostes accessit.

Foedus ineunt.

Anno Domini 1284 Brzemislaus Sprotauieñ. dux in oppido suo Zegano, ad instantiã Alberti plebani Zeganeñ. quartodecimo Kalẽdas Iunij, fundauit monasteriũ N. et dotẽ de bonis ducalibus illi largitus est. Eodem anno Manegoldus magister Cruciferorum Prussiæ mortuus est, & Burckhardus de Svvaden pro ipso suffectus, qui ciuitatem Acconin terra Sancta ab obsidione Sarracenorum liberauerat, sed breui cessit officio magisterij, fratribus reclamantibus, & ne resignaret flexis genibus rogantibus. Cùm autem in ordine Iohãnitarum quem assumpserat parum reputaretur, officium magisterij in Prussia repetebat, in quo repulsam passus est, & in locum eius Momor de Querinvvorth Saxo genere electus est.

Manegoldus magister Prus. Burckhardus magister Prussie.

CAPVT LXIII. LIB. III.

Anno autem sequenti uidelicet 1285. In Prussia circa finem Iunij nociui uermes, caudas uelut cancri habentes, multiplicati sunt, & quoscunq; pupugerunt, altero, aut tertio die extinguebantur.

Prodigiũ uermium.

Eodem anno 1285. Boleslaus dux Mazouiæ Semouiti filius Russiam cum potentijs & gentibus suis ingressus, eam uastauit, & spolia multa in Mazouiam intulit. Quem Rutheni insequuti, Mazouiam repente irrumpẽtes, uicissim illam uastauerunt, & frequentia spolia in Russiam, duce Boleslao nequicquam prohibente, retulerunt.

Mutua spolia Mazouitarum & Ruthenorum.

Eodem anno Tartari, per Cumanos inducti, Hũgariam cædibus & spolijs usq; ad Pest uastauerunt. Et in ea ab octaua Epiphaniarum, usq; ad festum Paschę commorati sunt, tãdem subsequuta fuit grandis mortalitas. Item eodem anno Tartari, imperium Cõstantinopolitanum inuaserunt, & plurimis hominibus trucidatis, multa loca occupauerunt.

Tartari Hungariam uastauerunt.

Tartari Græciam inuaserũt.

Anno Domini 1286. Conradus dux Mazouiæ & Czirneñ. adepturus castrum & districtum Gostinin, subordinauit traditores in castro Gostineñ. & Lithuanos cum Ruthenis concitauit, quibus uenientibus, & castrum oppugnantibus, ut erat condictatum castrum Lithuanis, & Ruthenis per traditores datum est, & homines quasi sexcenti, partim necati, partim in seruitutem abducti sunt, castro ergo Gostineñ. per ducem Cõradum occupato. Vvladislaus tandem Loktek, dux Bresteñ. & Cuyauiæ cuius erat castrum & districtus Gostinin, iustam iram ut par erat contra Conradum ducem Mazouiæ & Czirneñ. concipiens, collecto exercitu silenti agmine ueniens sub intempestæ noctis quiete, castrum Ploceñ. trucidatis uigilibus, comprehendit & conquisiuit. Nec prius duci Conrado restituit, donec per communes Barones concordia interposita, & damna illata, et castrum Gostinin, sibi sunt reddita. Deo autem uindice, Lithuani & Rutheni qui Cõradum ad conquirendum castrum Gostinin adiuuerant, eodem anno Mazouiam ingressi, castrum Szochaczovv, & castrum Ploczko interceperunt & exusserunt, trucidatis hominibus utriusq; sexus, & quibusdam in seruitutem abductis.

Ob castrum Gostinin altercatio.

Anno prædicto 1286. Pelusza dux Lithuaniæ, suas iniurias ulturus, ad Albertum de Myszen commendatorẽ in Konigsbergk secreto ueniẽs, uiginti uiros militares sibi dari petijt, quorum principales erant Martinus de Golin, & Conradus Tvvil, & cum complicibus suis ad locum ubi principes Lithuaniæ nuptias celebrabãt perueniens, irruit in eos

nocte,

nocte, in soporatos & dormientes, & septuaginta duces seu principales, plurimamq́; multitudinem utriusq; sexus occidit. Sponsum uerò & sponsam cum matronis & uirginibus, cum spolijs & clenodijs insignibus in Konigsberg deduxit.

Pelusza sponsum & sponsam capit.

Anno Domini 1287. Lithuani, Pruteni, & Samagitæ, furtiuo & silenti agmine in terram Dobrzineñ. uenientes, principalem ciuitatem Dobrzin, die Dominico ciuibus diuinis officijs occupatis compræhenderunt, & trucidatis senibus atq; lactantibus, cæteros in ciuitate & rure cōpræhensos, spoliata & incensa ciuitate, in miserabilem seruitutē abduxerunt. Occisorum numerus, ad tria millia hominum utriusq; sexus computatus est. Zemomisl Cuyauię, aliàs Vvladislaueñ. dux, filius Kazimiri ducis Cuyauiæ, Lanciciæ, & Siradiæ. In exilio quod duodecim annis passus est (quia Polonos eliminare, & externos fouere nitebatur) prima die Octobris, año Domini 1287. mortuus est. Et quia nullos liberos reliquerat, ducatus eius ad fratres peruenit. Anno Domini 1288. Ingens pestis & sæua mortalitas in partibus Rusiæ inualuit, & plurimos extinxit, ex infectione ut aiunt aquarum, quas Tartari plusquam centum corda Polonorū occisorum, fortissimis uenenis inebriantes, in uteribus & longis contis in aquis positis, infecerunt, ut omnes illas cōtingentes intoxicarentur. Anno quo supra octuagesimo octauo supra mille ducentos, quarto Kalendas Maij, aliàs in die sancti Vitalis martyris, Vislaus Episcopus Vvladislauieñ. monasterium Bischouieñ. de Bischouia, in uillam Smeysze transtulit, quam uocauit fœlicem uallem, hodie autem Coronovv dicitur. Hoc monasterium primum locū in hospitali uilla supra Istulam, è regione ciuitatis antiquæ Vvladislauieñ. habuit. Inde Bischouiam, ubi septuaginta annis durauit. Postea in Coronovv uelut locum magis oportunū ob fluuiū Brda, qui præterfluit, translatum est.

Dux Zemomisl mortuus.

Anno Domini 1288. Henricus quartus dux Vvratisla. ecclesiam collegiatam sanctæ Crucis in summo Vvratislauieñ. fundauit & erexit, certum Prælatorum, Canonicorum, & Vicariorum numerum instituens, & unicuiq; munificè de suis introitibus largiens. Per hoc diuinæ maiestatis iram placaturus, quam exiliando Thomam Episcopum, & clerum Vvratislauieñ. incurrerat, & uehementer offenderat. In crastino uero huius fundationis fratres suos patrueles, Henricum Legniceñ. uocitatum Crassum, & Boleslaum Svveidniceñ. balteo militari cinxit.

Ecclesia S. Crucis Vratisla. fundatur.

CAPVT LXIIII. LIB. III.

POst mortem Leskonis nigri, Ducatus Siradieñ. in ditionem Vvladislai Loktek ducis Cuyauiæ tanquam germani, ac legitimi Leskonis nigri successoris, concessit. Paulus autem Episcopus Cracouienſ. cum nobilibus terrarum Cracouienſ. Sandomirien. & Lublineñ. conuentionem generalem circa Sandomiriam agentes, pro principe Boleslaum ducem Mazouiæ elegerunt & assumpserunt. Et tam arcis, quam ciuitatis Cracouienſ. assignarunt ei possessionem. Ciues uerò Cracouienses metuentes, ne suasu Baronum nouus princeps Boleslaus, pro Conradi fratris sui repulsa aliquipiam duriùs contra eos animaduerteret ad Henricum quartum Vvratislauieñ. ducem mittunt, tam castrum, quam ciuitatē Cracouienſ. ei tradere promittētes, aliasq; munitiones si adueniret, cōquirere. Cui cōfestim cum exercitu uenienti, ciues Cracouienſ. magis tamē Ianij portis apertis, quas dux Boleslaus clauserat, ciuitatē tradiderūt. Boleslaus itaq; dux Mazouiæ ex Cracouienſ. prorūpens, & militib. acies instruentibus, ac ne sese desereret prецantib. Furore plenus & increpationibus, q̄ ad bellū & nō ad principatū eum euocassent, in Mazouiā discessit. Et Henricus quartus Vvratislauieñ. accepto castro Cracouieñ. à Sulcone milite de Miedzirzecz, huius siquidē custodiæ Boleslaus dux Mazouiæ castrū consignauerat, & proceres ac nobiles Cracouienſ. Sandomirieñ. et Lublineñ. ad eū uenientes, & homagia præstātes, acceptauit, rebusq; apud Cracouiā cōpositis, in Vvratislauiā abijt. Cuius præsidia exclusurus Vvladislaus Loktek, corpore exiguus, natura uerò ferox, & manu prōptus, legitimusq; Leskonis nigri successor, qa, ppinquior ipsius ac germanus.

Henricus quartus Cracouiensem principatum accepit.

Primo Veris tempore año Domini 1290. cum exercitu notabili uersus Cracouiā processit, Kazimiro Lancicieñ. Boleslao & Conrado Mazouię ducibus in proprijs personis: Przemislao uerò maioris Poloniæ, & Msczugio Pomeraniæ, per milites illi suffragia ferentibus. De hac hostilitate Henricus quartus Vvratis. certior factus, cum esset ualitudinarius, Henricū Legniceñ. & Przemislaum Sprotauieñ. duces, cum suarū gentium copijs, ad tuendum Cracouiam transmisit. Quos rebus apud Cracouiam bene ordinatis, in Slesiam reuertentes, Vvladislaus Loktek dux Cuyauieñ. cum ducibus sibi adhærentibus apud oppidum Szieuyor statiua agentes, quarto Kalendas Martij inuasit, & utrinq; ma-

Vuladislaus Lo ketek uictor.

gna strage facta, cessit uictoria, licet non incruenta Vvladislao Loketck, milites Slesiani plurimi capti fuerunt. Przemislaus autem dux Sprotauień. filius Conradi ducis Glogouień. uix adolescentiam attingens, occisus est, & in Slesiam relatus, in monasterio Lubeń. sepultus. Cui ad hoc bellum iturus duas uillas uidelicet Liszoszkouicze, & Zirkovv testamento donauerat. Boleslaus Oppolień. dux uulneratus, captus est. Duo insuper certamina & duas strages in Slesitanis, milites Loketkonis effecerunt unam apud Skalam, alteram apud Svvetnic. Itaq; Vvladislao Loketek Cracouiam uenienti tanquam uictori, arx & ciuitas tradita est, & princeps Craco. declaratus est. Nihil clade suorum Henricus dux Vvratis. perfractus, nouas copias fiduciam illi ciuibus Cracouiens. afferentibus, sub ducatu Henrici Legniceń. transmisit, & nocte exercitu deueniente Cracouiam (à ciuibus partes Henrici sectantibus) exceptus est, parumq; abfuit, ut Vvladislaum Loketek inter præsidia militum obuersantem uiuum nō caperet. Qui tardè persentiens hostes pedester in monasterium sancti Frācisci fugit, et depōst in habitu monachali per murū demissus, ægrè manus hostium euasit. Pluresq; ex militibus qui aut cæsi, aut capti, à Slesitis fuerunt amisit. Sed & Paulus Episcopus Cracouiens. tanquam præcipuus Henrici Vvratis. aduersarius, omnibus rebus exutus, captus est, & iam tertiò captiuitatem sustinuit. Bona deinde militum rebellium, ædes & agri uastati sunt, & curiæ incensæ, ut his malis confecti militares rursum Henrico Vvratis. se subijcerent. Qui forti præsidio militum in Cracouia posito, Paulum Episcopum, & militares à captiuitate relaxauit. Ipseq; Henricus quartus, Probus cognomento, sentiens ægritudinem ex ueneno per Slesitas subministrato indies augeri, Thoma Vvratis. præsule & Baronibus accersitis, cum nullum superstitem relinqueret, Vvratislauień. ducatum Conrado Glogouień. patruo suo, Cracouiens. uerò & Sandomirień. Præmislao maioris Poloniæ ducibus testamentaliter consignauit.

Princeps Craco. declaratus.

Henricus moritur.

Et undecimo kalendas Augusti, anno Domini 1290 in castro Vvratis. decedens, in ecclesia sanctæ Crucis per eum nouiter erecta, sepulturam accepit. Conradus Glogouiæ dux, sciens Vvratislauień. ducatum sibi ab Henrico quarto consignatum, Vvratislauiam uenit, & possessionem illius, una cum ducatu requisiuit. Vvratis. autem tam proceres, quàm ciues pro ludibrio Conradum ducem habentes, eò quòd in sermone parum fidus, ad rixasq; pronus esset, Henricum quintum Legniceń. ducem, filium Boleslai sæui, qui & Rogatka in principatum Vvratis. accersiuerunt. Et ipso per unam portam Vvratislauiam ingrediente, Conradus Glogouiek dux per alteram discessit & abijt, totoq; conamine & uigilantia principatum Vvratis. repetendo, Henricum quintum impetebat. In bona eius insultum faciendo & prædas abigendo, fecitq; cum Boleslao Svveidniceń. duce germano Henrici quinti Vvratis. ac Legniceń. ducis, ligam & conspirationem, ut quibusuis modis Henricum quintum opprimerent. Sed Henricus quintus conspirasse fratrem suum Boleslaum aduersum se ignorans, facta conuentione cum eo, de sorte sua duas ciuitates Iavvor & Strzegom ei assignauit. Pro quorum donatione astrinxit se iureiurando, contra Conradum Glogouień. assistentiam præstiturum. Non tamen præstitit, sed nunc intemperiem aëris, nunc ægritudinem, nonnunquam militum renitentiam, pro excusatione opposuit. Ideò altera conuentione cum eo facta, & excusatione quòd ei tenuem sortem largitus esset, audita, ad priora Henricus quintus adiecit præfato Boleslao Svveidniceń. duci, tria oppida, uidelicet Reichenbach, Frankenstein, & Strzelin, nouumq; iuramentum appositum est, omnibus potentijs auxilia aduersùs Conradum ducem Glogouiæ, Boleslaum Svveidniceń. præstiturum. Parem tamen priori iuramento præuaricationem fecit, & auxilia non præstitit. Cernens autem Conradus Boleslaum Svveidniceń. bona sua impinguare, oppidaq; pro se callidè acceptare, & secum contra Henricum quintū bella non agitare, deserto eo Luthkonem aggressus est, & eum in necem, aut captiuitatem sui principis Henrici quinti pellexit.

Boleslaus Schweidnicens. in fratrem conspirat.

Fuit autem Luthko adolescens, quasi annorum uiginti, cuius patrem Pacoslaum nomine de stirpe Habdanck, primum quidem Henrico quinto benemeritum, ac industria & fastiuitate charum. Postea uerò cum per homicidium, quendam militem occidisset, amicisq; & consanguineis instantibus, Henrico quinto in throno sedente, iudicialiter cum superbia & in fauore principis confidens, homicidium patrasse recognouisset, monitusq; per ducem Henricum secundo & tertio, ut secedens deliberaret, & meliùs responderet, ipse iterum & iterum reueniens, ampullosè, gloriabundus, fatebatur se occidisse cognatum accusantium: Iusticiaq; efflagitante, ex propria confessione condemnatus est, & per scalas deductus in castro Legniceń. capite truncatus est. Plures ergo cōsiliarij fideliter duci Henrico quin-

rico quinto consuluerunt, ut Lutkonem filium Pacoslai a se, & seruitio suo amoueret. Quem cum Henricus quintus in conspectu consiliariorum aduocasset, & super his interrogaret, fidelissimum se famulum profitebatur, parentemque suum iuste pœnā capitis sumpsisse confirmabat, & hanc dudum à se obliteratam respondit. Itaque hunc Lutkonem fauore prosequens, multis beneficijs, & possessionibus liberaliter donauit. Sed dura pectora, donaria non reconciliant. Luthko siquidem Henricum quintum ducem Vuratisl. & Legniceñ. dominum suum in balneo ad fluenta Odræ prope castrum Vuratisl. repertum, die nona Octobris, anno Domini 1293. captiuauit, & ex balneo ignominiose nudo corpore tractum, equo imposuit. Cunctis familiaribus nudis fugientibus, unico qui ducem corpore suo tutabatur, uarijs uulneribus confosso & interfecto. Captum itaque ducem Henricũ superiecto palliolo, uehementi cursu in Santhvvoth abduxit, & Conrado duci Glogouieñ. præsentauit. Conradus uerò in Glogouiā perductum, in carcere tetro in uas ferreũ angustum inclusit, ubi non sedendi, non iacendi, sed ægre hærendi facultas erat, duo foramina & hæc parua, & breuia. Vnum ad inspirandum, & cibum capiendum: aliud ad egerendum in uasa erant, hic per tempus semestre quo detinebatur inclusus, scapulæ & fœmora eius sanie & uermibus scaturientia defluebant. Mortem ergo & crudeles passiones euasurus, triginta millia marcarum in medio pōtis supra flumen Czarna, qui Legniczam circumfluit ex composito primum soluit, deinde subscriptos districtus castra & oppida Namislouiam, Berolthovv, Cruczbork, Biczinam, Cunczestad, Rotembergk, Haynouiam, & Boleslauiam, cum finibus & terminis suis Conrado duci Glogouieñ. donauit, perpetuoque inscripsit. Dimissus autem nunquam ad pristinam sanitatem usque ad mortem restaurari potuit. Et ipse tertius ex ducibus Poloniæ fuit. Alij autem duo Lesko albus, & Henricus cum barba, quibus balnea cum pernicie & iactura obuenerunt. Reuertamur nunc ad alios duces Poloniæ.

Henricus quintus in balneo captus.

Magnis bonis redemptus.

CAPVT LV. LIB. IIII.

MOrtuo Henrico quarto Vvratislauieñ. ducatus Cracouiens. a Premislao maioris Poloniæ duce, cedentibus sibi de illo militibus Henrici quarti Vvratisl. obtentus est. Sandomirieñ. uerò Vvladislaus Loketek, fauore militum Sandomirieñ. assequutus est. Et Przemislaum maioris Poloniæ ducem, multifariè pro Cracouiensis ducatus cessione armis, & bello lacessiuit. Accessiuit autem his grandius malum: nam Griphina Leskonis nigri relicta, Venceslao Bohemiæ duci literis demandauit & commisit Cracouiens. & Sandomirieñ. ducatus accipere, quoniam ius prædictarum terrarum, quod sibi Lesko niger maritus ipsius hæreditariè commisit, & literis publicis inscripsit, in Venceslaum ducem Bohemiæ, tanquam Cōsobrinum & nepotem suum ex sorore germana Kunegunde progenitum transfunderet. Hanc donationem cachinno & ludibrio similem, à muliere nihil iuris in regno Poloniæ habēte Venceslaus acceptauit. Et instructum exercitum cum Thobia Prageñ. Episcopo Cracouiam misit. Potuisset Premislaus maioris Poloniæ dux Thobiā Episcopum & exercitum Bohemicum, cum esset superior & instructior copijs, milite & apparatu bellico à Cracouieñ. ducatu excludere: liuore tamen quo in Vvladislaum Loketek agebatur, Thobię Episcopo Prageñ. de arce & urbe Cracouiens. cessit, & possessionem ipsius tradidit. Pro consequendo autē principatu Sandomirieñ. exercitus Bohemicus de Cracouia egressus, Visliczam oppidũ natura munitum cœpit, & castrum Oblekom prope Istulam situm expugnauit, à Sandomirieñ. autem castro & oppido per Vvladislaum Loketek turpi strage & repulsa in Cracouiam, & deinde in Bohemiam, relicto præsidio in Cracouia discessit. Griphinam Leskonis nigri relictam secum ducens, quæ apud Bohemos Pragæ aliquot annis cōtemptui ac ludibrio habita, mortua est. Et in monasterio minorum sancti Iacobi iuxta sororem suā Kunegundim, matrem Venceslai ducis Bohemiæ, sepulta. Vvladislaus Loketek discedente Thobia cum exercitu, ex ora Cracouiens. Visliczam oppidum & omnes munitiones in suam potestatem redegit, & usque ad suburbana Cracouiens. ciuitatis cuncta uastando, sibi tributis seruire coēgit, propter quod militibus & ciuibus Cracouieñ. Venceslaum Bohemiæ ducem, pro subsidio fatigantibus, Thobiam Prageñ. Episcopum, cum nouo exercitu misit, & re infecta, in Pragam reuersus, maioribus copijs opus fore ad resistendū potentijs ducis Vvladislai Loketek denunciauit.

Griphina Venceslao Bohemiæ duci ducatus commisit.

Vislicza capta à Bohemis.

Griphina mortua.

Anno ergo Domini 1292. maiorib. copijs ex Bohemis & Morauis acceptis, & Othone longo Brandenburgeñ. Marchione in pueritia suo curatore, in subsidium uocato & condu-

conducto, bipartito exercitu, per Oppolień. ducatum, Cracouiam, post festum assumptionis Mariæ uenit, & à Cracouiensibus, militibus, & ciuibus, iusto honore exceptus, aliquot hebdomadis illic de ordine belli contra Vvladislaum Loketek gerendi consultando peregit, tandem contra Siradiam exercitum mouit, agros duntaxat oppidorum & uillarum depopulando & exurendo, Vvladislao Loketek in uniuersam dimicationem non ueniente, sed pabulantes & ab exercitu oberrantes lacessente, & de nocte in statiuas Bohemorum ac Alemañorum irruente, ad oppidum autem Siradień. nec natura, nec arte munitum, Venceslaus dux Bohemiæ cum Othone longo Brandenburgeń. Marchione perueniens, obsidione ipsum cinxit, & in die sancti Veńceslai conquisiuit. Arce uerò Siradień. quæ paludibus est septa, non conquisita, in Bohemiam re parum prosperè gesta discessit. Et Vvladislaus Loketek post eius discessum, & occupationes, quas in Misnia cũ Adulpho rege Romanorum affinitatem iungendo, gerebat, pertinacius & acerrimè in Bohemos & rebelles grassando, plures ex Bohemis referebat triumphos.

Tartarorum incursio

Superueniente autem ingenti Tartarorum agmine, anno Domini 1293. & circa Sandomiriam magnam multitudinem hominũ utriusq; sexus captiuante & abducente, uires ducis Vvladislai Loketkonis, circa oram Sandomirień. plurimum debilitatæ sunt.

CAPVT LXVI. LIB. III.

Dux Oppoliensis ad Bohemos desciuit.

ANno Domini 1289. Kazimirus Oppolień. & Bithomień. dux, filius ducis Vvladislai Oppolień. non bello uictus, nec aliqua necessitate prostratus, prosapiæ nobilissimæ, quam a regibus Polonorum ducebat, oblitus, dominio & ditioni Vencelslai ducis Bohemię nõdum in regẽ euecti & coronati, temerariè se subiecit, & Vasallum se Bohemorum effecit.

Monasterium in Tshczow fundatur.

Eodem año 1289. octaua Maij, Mscziugius dux Pomeraniæ, agẽs in suo castro Svvyecze, monasterium ordinis Prędicatorum, in Tshczovv, alias in Dersovv, in honorem gloriosissimæ uirginis Mariæ fundauit. Concedens fratribus in toto suo principatu licentiam ligna recipiendi, & lapides scindendi. In Istula quoq; & quibusuis aquis circum circa Tshczovv piscandi, & naulum per Istulam eundo non soluendi. Anno quo suprà, exercitus Lithuanorũ in numero octo milliũ armatorũ, in terrã Sambień. descendens, flãmis, spolijs, & cędibus eam uastauit, & spolijs onustus in propria rediit. Cruciferi decernere cũ hostibus non audentes, quinquaginta duntaxat Lithuanos interceperunt.

Lubuanorum incursio.

Anno Domini 1290. Mscziugius dux Pomeraniæ, Przemislao secundo duci maioris Poloniæ, de ducatu Pomeraniæ cessit, & eum successorem designauit, iubendo milites iuramentum fidelitatis & homagij sibi præstare. Hic Msczugius caruit prole, lubricè enim & incontinenter uixit. Et pro concubina monialem Sulkam nomine de cœnobio Stolpiczensi tenuit. Anno eodem Andreas germanus Ladislai regis Hungariæ, metu præfati Ladislai regis fugit, & in Poloniam uenit, à Premislao maioris Poloniæ, ac Cracouiæ duce recollectus. De cuius prouisione accepit Chroberz, pro mãsione & introitibus. Accepit & quosdam Hungaros aduenas, in necem ipsius à germano suo rege Ladislao corruptos: Qui fugientes se propter fidelitatem & assistentiam, Andreæ a Ladislao rege pulsos, benignè suscepti, cum eo permanserunt, uisoq; tempore oportuno, in flumine Nida, qui Chroberz circumfluit, Ducẽ Andream submerserunt, & de regno Poloniæ properè excesserunt. Funus autem Andreæ de flumine extractum. Primùm in Corczin in monasterio minorum. Postea ordinatione Kunegundis materteræ eius Boleslai pudici relictæ in cœnobio Sandeceń. professæ, funus ductũ est, decimaoctaua die Nouembris, in prædictum monasterium Sandeceń. & illic sepultum.

Andreas Ladislai Hungariæ regis germanus interemptus.

Andreas Ladislai regis Hungariæ germanus submergitur.

Ladislaus à Cumanis occiditur.

Anno autem sequenti, scilicet 1291. Frater eius Ladislaus rex Hungariæ, à Cumanis in tabernaculo quiescens, nona die Iulij occisus est. Et Andreas alter de Venetis, ex prosapia regum Hungariæ, in regem substitutus & coronatus est. Anno Domini 1291. Cruciferi de Prussia, duce fratre Bertoldo de Brunhauim, Cõmendatore Konigsbergeń. usi, castrum Koleyn in Lithuania conquirunt, & exurunt, multisq; Lithuanis peremptis, & septingentis captis, in Prussiæ oram reuertuntur. Inuasionem autẽ Cruciferorum Lithuani in terras suas prohibituri, castrum Mingedin extruere cœperunt. Cuius erectionẽ Commendator Konigsbergeń. Bertoldus auersurus, nouo cõparato exercitu, illuc pergit. Sed multitudine Lithuanorum, quæ ædificantes obseruabat, deterritus, in alia loca diuertens, castrum Lithuanicum Mederabé conquisiuit. Vbi omnes catholicorum captiuos soluit, Barbaros obtruncauit, aut captiuitati reseruauit. Vixq; Bertoldus Cõmendator Konigsbergeń.

Lithuanorum clades.

bergeń.

bergeñ. ex Lithuania redierat. Et magister Prussiæ Memer, continuo cum forti exercitu Lithuaniam aggressus, duos districtus Passonovv & Gerszovv in cinerem redegit, & cũ multa præda captiuorum & pecorum reuersus est. Egit, & tertiam, magistro reuerso, Henricus Commendator de Balga in Lithuanos expeditionem, & mille quingentis ac uiginti militibus assumptis, duos districtus, Onkaim, & Menegedin igne & cædibus uastauit. Post paucos deinde dies, Vithenen Lithuanorum dux, terram Cuyauiæ hostiliter ingressus, cædibus & spolijs circa oppidum Brzescze patratis, hominum & rerum prędam non paruam secum abduxit. Et licet Vvladislaus Koktek, & Kazimirus Cuyauiæ & Lanciciæ duces cum militibus suis, Magister quoq; Prussiæ Mĕhardus, tempestiuè eos fuissent insequuti, re tamẽ nulla memorabili edita, omnes abiêre retrorsum. Mirę deuotionis & sanctitatis beata fœmina & uirgo Kunegundis, Belæ regis Hungariæ filia, & Boleslai pudici Cracouieñ. & Sandomirieñ. ducis relicta, quum tredecim annos suæ professionis in cœnobio Sandeceñ. peregit, & uno ferè anno graui ægritudine uexaretur, deuotissimè uigesima quarta mensis Iulij, anno Domini 1292. mortua est, & in monasterio Sandeceñ. sepulta, horam mortis suæ dudum ante nutu diuino præsciens, Christianus Canonicus Visliceñ. uir deuotus in oratione positus, eam in cœlum niueo candore progredientem, uidit, agminibus angelicis canentibus, Regnum mũdi, &c. quod quum admiraretur, dictũ est illi, Beatam Kunegundim, in illa hora ab ergastulo corporis solutam.

Kunegund. moritur.

Ab anno autem suprascripto in quo mortua est, ad annum 1329. octuaginta mortui, meritis ipsius, uitæ pristinæ sunt restituti. Sexaginta cœci illuminati, quindecim captiui a uinculis soluti. Septingenti aũt homines utriusq; sexus a uarijs ægritudinibus curati. Et tñ principes & prælati illius ætatis Canonisationem eius proch dolor nõ procurauerunt.

Miraculis claret.

Anno eodem Mĕhardus magister Prussiæ, cum exercitu ad fines Lithuanię perueniẽs, celerrimè die, noctuq; ad Konigsberg reuersus, coniurationem ad eum perlatam oppressit, & ingens periculum euasit, quoniã per Lithuanos a fronte, & per Prutenos proprios, qui ad gentilitatis errorem relabi statuerant, a tergo inuadi debebat.

Anno Domini 1293. Conradus Stange Commendator de Ragneta, circa festum sancti Iacobi, castrum Mingede in Lithuania expugnauit, & comprehendit, & magnã multitudinem Lithuanorum occidit, alios uerò cœpit. Quorum uestigia sequutus Vithenen, Lithuanię dux, cũm multitudine Lithuanorum & Ruthenorum, Prutenicã oram octuaginta diebus uastauit. A Cruciferis autem inuasus, & uictus, uix cum paucis fugit.

Castrum Mingede Lith. expugnatur.

Anno Domini 1294. Vithenen Lithuaniæ dux cum mille octingentis equitibus, per syluas, & nemora silenti agmine in terram Lanciciẽ. post festum Pentecostes ingressus. Primum in Ecclesiam collegiatam Lanciciẽ. impetum fecit, & frequentiam populi, quæ illuc confluxerat, trucidauit, alios captiuauit. Prælatos, Canonicos & sacerdotes in seruitutem accepit, uestes sacras & uasa diripuit. Eos qui supra ecclesiam confugerant, & strenuiter defendebant, domibus ecclesiam circumstantibus accensis, suffocauit. Ad rura deinde & uicos discurrendo, præda plurima ex hominibus & pecore accepta, citato cursu redibat. Quem Kazimirus Lanciciẽ. dux, cum suis militibus in uilla Zuchovv, prope oppidum Szochaczovv, supra fluuium Bsura sita, secundum alios in uilla Trovanovv consequens, hostili multitudine minimè pensata, in Barbaros irruens, inter confertissimos hostes audacissimè pugnans nobilem effudit animam, multis captiuis feruente prælio fuga elapsis, multis ex bello fugientib. in flumine Bsura submersis. Peracta pugna cuilibet Barbaro uiginti Christiani Poloni in sortem cesserunt. Ex tũc aũt Vvladislaus Loktek Cuyauieñ. dux, germanus Kazimiri terrã Lanciciẽ. cœpit, quoniã Kazimirus dux Lanciciẽ. aliquem superstitem de lumbis suis non reliquit. Eodem anno duodecimo Kalendas Nouembris. Conradus Mazouiæ dux, & dominus Czirneñ. filius Semouiti in Iasdovv à Lithuanis occisus, mortuus est, in monasterio Canonicorum regularium in Czirvviensko, & in eodem monasterio sepultus. Hic construxit & dotauit monasterium in Blonye.

Lithuani Poloniam uastant.

Kazimirus Lãcicensis bello moritur.

Monasterium in Blonye.

In fine hyemis eiusdem anni Domini 1294. Menhardus Prussiæ magister, binos districtus Lithuanorum, Passovv & Gerschovv uastauit: duobusq; castris conquisitis, & exustis, dum tertij expugnatio difficilior uideretur, remissis captiuis Lithuanorum in castra Prutenorum ad castrum Vuszen Boleslai ducis Mazouiæ diuerit & illud conquirens exussit. Pro eo quia in ipso Lithuani commorantes, frequentius ex illo terras Poloniæ & Prussiæ infestabant. Ideoneç Boleslaus dux Mazouiæ obsessis succurrere curauit. Eodem tempore Ludouicus Commendator de Ragneta Lithuanorum castrum Kymel conquisiuit & succendit.

Lithuanorum dist ictus duo capti.

CHRO-

CHRONICOR. REGVM POLONOR.

LIBER IIII.

CAPVT I. LIB. IIII.

CVM Proceres & Prælati regni Poloniæ, præclaras suorum regum imagines, tum res à se pace, belloq; gestas, tum deniq; scissionem, & in plures ducatus regni distractionem contemplati sunt. Deo propitiante par uisum est, cunctis unum sibi ex multis Poloniæ deligere principibus, & in regem constituere, qui in unum corpus distracta regni colligeret, salutē & pacem subditorum procuraret, & à singulis coleretur, atq; ueneraretur.

Przemislaum in regem unctus. Anno itaq; saluatoris 1295. die Solis uigesima sexta mensis Iunij, in festo Ioannis & Pauli martyrum: Principem præclarissimum, moribus & institutis Heroicum, Przemislaum secundum maioris Poloniæ & Pomeraniæ ducem (iam siquidem post mortem Msczugij, & ipsius in monasterio Oliua sepulturam, Pomeraniæ receperat plenam & pacificam possessionem) in regem. Consortem uerò suam Richszam in reginam Poloniæ, inunxit, & diademate regio, quod diligenti studio uirorum ecclesiasticorum in illum diem custoditum, conseruatumq; erat, coronauit, reuerendissimus pater Iacobus Svvinka de familia Porcaria, Gneznen. Archiepiscopus, in ecclesia Gnezneñ. Metropolitana, asistentibus Ioanne Gerbisz Posnanieñ. Ioanne Romka Vvratisla. Goslao Ploceñ. Conrado Lubuceñ. Episcopis, Palatinis & Baronibus, ac plebis multitudine copiosa. Cœpitq; rex Przemislaus cogitare, & cum suis satrapis curare, quomodo molle corpus regni Poloniæ coalesceret, & in uirile robur perueniret, utq; Maiestas regia reluceret, in sigillo literis capitalibus in gyrum circumcirca aquilam, hunc textum in una parte inscribi iussit. Reddidit ipse solus uictricia signa Polonis. In altera autem parte sedebat in throno regio, imago regalis, tenens in manu dextra sceptrum: in sinistra uerò pomum cruce signatum tenebat, cum titulo literis capitalibus inscripto: Sigillum Przemislai Polonorum regis & Pomeraniæ ducis. Verum ipsius in regale solium sublimatio, inuisa ac molesta, & ad rescindendum parata fuit ducibus Poloniæ, qui fremebant regali gloria Przemislaum se anteire. Finitimis uerò tyrannis & nationibus terribilis, & suspecta esse cœpit. Præcipuè Marchionibus Brandenburgeñ. aliàs de Sgorzelecz, in necem itaque Premislai, Otho longus, & alter Otho ac Ioannes Marchiones Brandenburgeñ. conspirarunt, & rege in carnispriuio absque custodia in Rogoszno solacijs dedito, per noctium tenebras & syluarum abdita, feria quarta cinerum sexto Idus Februarij, quæ fuit dies sanctæ Dorotheæ, præfati Marchiones uenerunt, & nullis nuncijs, aut literis diffidentes, in Przemislaum & suos milites uarijs hospitijs disiunctos, ac hesterna crapula grauatos & soporatos, insiluerunt. *Przemislaus à Marchionibus necatur.* Rex autem Przemislaus suos animando, in hostes insilijt, & multos sternendo, alios uerò uulnerando, ad extremum multitudine sagittarum & iaculorum obrutus dimicans cecidit. Quem rapientes in iumentum imponebant, satagentes uiuum abducere, sed præ debilitate moribundus in terram defluebat. Nec spes erat eum uno die uiuere, pugionibus ergo confossum crudelissima morte extinxerunt & abierunt. Corpus eius exanime ex Rogoszno, in Posnaniā ductum, in ecclesia cathedrali Posnanieñ. in sepulchro patrum suorum regum Poloniæ, debita cum magnificentia sepultum est. Vixit autem Przemislaus annis trigintaocto, mensibus tribus, diebus uerò uigintiquatuor. Regnauit uerò mensibus septem diebus undecim. Ecce qui Lukerdam consortem suam, ut nonnulli æstimant occidi procurauit, crudeliter occisus est. Asserunt quidam, quòd adiutores & participes occisionis regis Przemislai, fuerunt Barones & nobiles de armis Naluecz, & Zarabi, & pro signo adducunt, quòd ob eam causam nobiles prædictarum familiarum, usque ad tempora Kazimiri secundi, prohibiti fuerunt inter uiros equestris ordinis numerari & assumi, rubeoq; colore prohibiti fuerunt uti & uestiri, quod tandem rege Kazimiro secundo cum ducibus Russiæ pugnante, sublatum & abolitum erat. Et quamuis rex Przemislaus reliquisset filiam octennem Richszam nomine, tanquam hæredem, tamen periculorum ingens moles ne regnum pessundaretur, coëgit Prælatos & Barones regni Poloniæ & ducatus Pomeraniæ, in cōuentione generali pro festo sancti Adalberti Posnaniæ, anno Domini

Domini 1296. congregatos, matura deliberatione & consilio Vuladislaum Loktek cognomento, ducem Cuyauiæ, Kazimiri ducis Cuyauiensis filium, cuius auus erat Conradus Mazouiæ & Cuyauiæ princeps, & Conradus frater erat Leskonis albi, sextum à Boleslao Poloniæ rege Sancti Stanislai interfectore, consanguineitatis ducentem gradum. Inter fratres suos Leskonem nigrum Cracouiens. Sandomiriens. & Siradiens. Zemomisl, Kazimirum & Semouitum, Lanciciæ, Cuyauiæ, & Dobrzniens. duces, tertiò natum, in regem Poloniæ eligere & assumere, quia princeps magnæ prudentiæ, & singularis animositatis esset, tum quòd illi post mortem germani sui Leskonis nigri Cracouiens. Sandomiriens. & Siradiens. & ratione consortus suæ Heduigis filiæ olim Boleslai pij Kalisiens. & Posnaniens. ducis dictorum Posnaniens. & Kalisiens. ducatuum iusta & legitima debebatur successio. Hic quoque unus credebatur, qui distractum regnum Poloniæ, ad unius corporis reduceret compaginem. Auctoritate igitur electionis omnes ducatus, castra & ciuitates in ipsius obedientiam & ditionem concesserunt, præter quædam castra Cracouiens. & Sandomiriens. districtuum, quæ Venceslaus Bohemiæ rex occupauerat. Et ratione illorum non solùm Bohemiæ regem, & Cracouiensem & Sandomiriensem ducem, ac Morauiæ Marchionem se titulabat. Ob quorum districtuum inassequutionem diademate regio Vuladislaus Loktek distulit coronari. Nec se regem, sed ducem, & hæredem Poloniæ scribebat, præfectosq; Bohemos, & qui partes Venceslai Bohemiæ regis sectabantur, Polonos continuis inuasionibus per se, & gentes suas lacessebat. Slesiæque principes de eius in regem Poloniæ electione iocantes, & deridentes inuasit. Et illic maiorem partem æstatis anni Domini 1297. consumpsit. Oras tunc Slesiæ igne & spolijs, magis tamen ducatum Vuratislauiens. Henrici mortui uastauit, iniuriam ulciscens, quam sibi Henricus Vuratislauiensis dux, Cracouiensem ducatum & ciuitatem occupando irrogauerat. Inde in maiorem Poloniam ueniens, cum exercitu quieuit. Milites autem sui, spolio & rapto uiuere soliti, externis deficientibus, in proprios manus conuerterunt. Pauperes & locupletes opprimentes, & bona ecclesiastica diripientes, Saxones & uicini hostes in Pomerania grassati, spolijs & prædijs eam ad uastitatem ferè redegerant. Sed & ipse Vuladislaus Loktek, in uitia militum prolapsus, uirginum & ingenuarum matronarum pudicitiam uiolenter prostituebat. Nec reformationem promissam, hortatus per Pontifices & Magnificos exequi curauit. Quapropter Andreas Episcopus Posnaniensis ecclesiæ suæ, cleroque, & populi suæ diocœsis iniurias ampliùs non tollerans, Diocœsim suam Posnaniensem, in qua dux Vuladislaus cum suis commorabatur, generali supposuit interdicto. Quæ res Vuladislaum Loktek in pœnitudinem & satisfactionem induxit. Vnde per certas ecclesiasticas & sæculares personas reconciliari ecclesiæ, & Andreæ Episcopo Posnaniensi, ecclesiasticumque tolli interdictum obtinuit, & pro hyemis tempore in oras Cracouienses transiuit. Quo discedente, Prælati & Barones contra ipsum frementes, quum maioribus transgressionibus, & tyrannide præsumebatur usurus.

Vuladislaus Loktek consetur reassumendus.

Distulit coronationem ducem, nō regem se appellando

Vuladislai uitia.

CAPVT II. LIB. IIII.

Anno Domini millesimo, tricentesimo, circa Posnaniam facta conuentione electionem de Vuladislao Loktek nondum coronato, tanquàm perniciosam, abrogarunt. Et Venceslaum regem Bohemiæ, qui se Cracouiensem & Sandomiriensem ducem gerebat, in regem Poloniæ elegerunt. Qui per solennes nuncios ad Pragam missos, rogatus est, ut regnum susciperet. Et Richszam quæ & Elizabeth, filiam olim Przemislai regis Poloniæ unicam hæredem desponsaret. Iam etenim Gutta coniunx eius regina Bohemiæ, Rudolphi regis Romanorum filia, & Alberti ducis Austriæ soror, uita functa obierat. Is Venceslaus electione de se factæ consentiens, per Kalisin apparatu regio Gneznam uenit, & per Iacobum Swinkam archiepiscopum Gnezniensem, in ecclesia Gneznens. assistentibus sibi Voyslao Vuladislauiens. Andrea Posnaniensi, Ioanne Romka Vuratislauiens. Episcopis, Palatinorumq; Baronum, & nobilium multitudine copiosa in regem Poloniæ inunctus & coronatus est. Exinde in Posnaniam diuertens, uirginem excellentis formæ Richszam, quæ & Elizabeth, unicam regni Poloniæ hæredem, in facie ecclesiæ in uxorem accepit, & matrimonium consumauit. Nuptijsque more regio celebratis, omnium terrarum Poloniæ & Pomeraniæ plenam adeptus est possessionem. Collectoque notabili Polonorum exercitu, ducem Vuladislaum Loktek omnibus castris & præsidijs, quæ pro ipso tenebantur priuauit. Sed & de ducatu Cuyauiæ atque Lanciciæ patrimonio eius ipsum exuit, & exutum de regno Poloniæ expulit. Et ut solidius regnum ipsius permaneret, Barones Bohemorum locauit, Hinkonem de Duba in capitaneum regni Poloniæ. Quo destituto Nicolaum Oppauiæ ducem capitaneum

Loktek repulso Venceslaus Bohemus suffectus est.

Venceslaus coronatus in regem.

Regno ordinato in Bohemiā migrat.

regni Poloniæ in terris Cracouiensibus adiecit. Friezonem uerò Slesitam genere, in terris maioris Poloniæ & Pomeraniæ. Thassam de Vittemburg in terris Cuyauiæ. Sicq; rex Venceslaus ordinato regno Poloniæ, quod sibi de cætero uidere nō contigit, cum Richsza alias Elizabeth noua sponsa in Bohemiam transiuit. Dux uerò Vuladislaus Loktek ab eo tempore, quo rex Venceslaus in regem Poloniæ coronatus est, numquàm in uno loco permansit, sed per inuia & abdita uagus discurrebat, & in syluis densis, aut paludibus inaccessibilibus pernoctabat, rarissimè sub tecto quiescens, Bohemos simul & Polonos perhorrescens, & suspectos habens. Et ne in manus eorum quandoque, præsertim in manus Vlrici de Boskouicz Bohemi, Cracouiens. & Sandomiriens. capitanei, cui singularius captiuatio eius fuit commissa, incideret, in Hungariam perrexit. Exinde autem Romam in priuato habitu, quoniam eo tempore Iubileus sub Bonifacio octauo uiguit, adijt. Reuertensq;, & suarum ærumnarum uicissitudines deplorans, ad Amadeum Hungariæ palatinum supplex & calamitosus aduenit, qui cum hospitio recolligens benignè prosequutus est, fouit, & tractauit, liberalem se in eum & munificum gerens. Anno uerò Domini millesimo, trecentesimo primo. Andrea Hungariæ rege Budæ mortuo, quidam Prælatorum & procerum elegerunt ad coronam Hungariæ Carolum Marcelli regis Siciliæ in Hungaria præsentem, alij uerò Venceslaum regem Bohemiæ & Poloniæ. Et hi Pragam ingressi, regem Venceslaum de acceptanda corona Hungariæ sollicitarunt. Qui senectuti suæ indulgens, filium eius unicum Venceslaum nomine, ex Gutta priore uxore genitum annum duodecimum agentem, insigni militum robore stipatum cum eis misit, & coronatus est in Alba regali. Verum quum rixæ & dissidia quotidie inter Hungaros crescerent. Pluresq; ad Carolum propter uenustatem morum deficerent, & Venceslaum desidem atque superbum perosi relinquerent. Pater ipsius Venceslaus rex Bohemiæ & Poloniæ, numeroso comparato exercitu, Hungariam ingressus, filium suum de faucibus mortis eripuit, & certa loca in Pannonia diripiendo, in Bohemiam reduxit. Rege autem Venceslao & filio suo bello Hungarico implicato, Vuladislaus Loktek, Amadei hospitis sui fretus suffragijs, in Poloniam peruenit, & castrum ecclesiæ Cracouiens. Pelgziska oppido Visliceñ. imminens occupauit, & exinde præsidium Bohemorum de Vislicza disturbauit & expulit. Castrum quoque & oppidum Lelow, in suam deditionem & tributum redegit.

Loktek fugit in Hūgariam.

Andreas rex Hungariæ moritur.

Venceslaus iunior in regem Hungariæ coronatur.

Tempore autem quo Albertus Romanorum rex, cum filio suo Rudolpho Morauiam & Bohemiam hostiliter depopulatus est, usque ad montes Cuthnos, ubi in diebus præfati Venceslai primum fodinæ argenti repertæ sunt, rex Venceslaus in ægritudinem aduersam Pragæ incidit, morboq; grassante, nono Kalendas Iulij, anno Domini 1305. ut aiunt ex phthisi, Pragæ mortuus est, & in monasterio Aulæ regiæ Cisterciensis ordinis, quod ipse uiuens erexerat & dotauerat, magnificè sepultus. Anno coronationis regni Bohemiæ sexto, Poloniæ uerò quinto, in solium eius filius ipsius unicus Venceslaus successit coronatus.

Venceslai regis mors.

CAPVT III. LIB. IIII.

AT Vuladislaus Loktek audita morte Venceslai secundi, cum exercitu plus agrestium quàm militarium in terram Sandomiriensem contendit, & eam sine resistentia cœpit. Sic & Cracouiensem in obedientiam & regimen eius, iam enim illos Bohemorum facietas & fastidium oppleuerat, concesserunt, in urbemq; Cracouiensem prima Septembris admissus, castrum Cracouiense quod per Bohemos tenebatur, Bohemis nequicquàm resistentibus accepit. Rex itaque Bohemiæ Venceslaus tertius, qui se regem Bohemiæ & Poloniæ titulabat, quanquàm de regno Poloniæ non foret inuestitus, auditis continuis querelis ab his, qui de castris Poloniæ turpiter eiecti fuerunt, expeditionem in Poloniam parauit, sed fatum ineuitabile quod incidit, insanas eius mentes illusit. Nam dum in Olomuncz in domo Decani Olomucensis consisteret, propter aëris cauma in camisia duntaxat uelatus, in meridie sopori deditus, à quodam milite, tertia die Augusti confossus & obtruncatus est, custodibus regijs minimè sentientibus, & quis auctor necis extiterit, ignorantibus. Miles tamen quidam Conradus de Potenstein natione Duringus, quòd à quibusdā de domo Decani Olomucensis currere, & gladium cruore aspersum ferre, uisus est, correptus repentina rabie, causa non digesta nec audita, trucidatus est, cadauerq; suum canibus proiectum est. Asseruerunt nonnulli Albertum Romanorum regem, tres milites Sueuos ad curiam regis Venceslai misisse, & huiusmodi necem procurasse. Asseruerunt & alij quosdam Bohemos ipsum propter facinora eius occidisse occultè. Vno autem anno plus minusúe parumper regnauit, in quo soboles masculina regum Bohemiæ prorsus extincta est, & Bohemia ab externis & alienigenis principibus

Venceslai tertij interfectio truculenta.

cipibus in hodiernum diem subiecta regitur. Anno Domini 1295. Premislaus Rathiboriensis dux, in uigilia natalitij Sancti Stanislai moritur. Et in die festo Sancti Stanislai, in monasterio sanctimonialium ordinis Prædicatorum in Rathibor, quod ipse uiuens fundauerat & dotauerat, sepelitur, quamuis fratres sui & Barones, in alium diem sepeliendum, asseruari uoluissent. Is ut fertur deuotissimus in beatum Stanislaum Episcopum Cracouiens. cui in extremis laboranti apparuit, monens ipsum ut se ad festum eius celebrandum, & cereum altum, excedentem staturam eius, prout quotannis consueuerat, à castro in monasterium deferret. Et illo interrogante, quomodo id faciam quum sim ualetudinarius. Sanctus Dei respondit: Ego te, inquit, adiuuabo, & mortuus in profesto eius creditur apud altissimum adiutus.

Regnum Poloniæ ab alijs gubernatur. Przemislaus Ratiboriensis dux moritur. S. Stanislai miraculum.

Anno quo supra Boleslao Mazouiæ duce castrum suum Vizna, per Magistrum Cruciferorum destructum restauranti, Expeditionem contra eum Menhardi Magistri Prussiæ prædicti, deficientes à fide Prutenorum Zambień. & Noctageń. ac occisionem per eos fratrum Cruciferorum in Barthenstein & alijs locis auertit. Commendator enim Konigsbergeń. obmisso duce Boleslao, in Prussiam reuersus, seditiosos oppressit atque puniuit. In Lithuaniam deinde traducto exercitu, quandam munitionem exussit, & castrum Kymel occisis multis Lithuanis conquisiuit.

Castrum Kymel captum.

Anno Domini 1296. Præposituram Sancti Andreæ Santhoceń. habentem iurisdictionem in singulis ecclesijs, clero & populo, infra fluuios Odram, Iuam, Drawam, Vartham, & Nothesz. Ad ordinariam dispositionem Episcopi Posnanień. pertinentem, Marchiones Brandenburgeń. abstraxerunt, Capitulo ecclesiæ Soldineń. attribuendo. Pro qua re habenda, Andreas Szimonouicz, & Domancus Posnanienses Antistites, in consistorio Apostolico litigarunt. Sed Ioannes Lodza in Episcopatum succedens, rem multis fatigis prope finem uictoriæ perductam prosequi destitit, quod in negligentiam eius & iacturam ecclesiæ Posnanień. cessit. Similis, & maior iactura eodem anno in ecclesia metropolitana Gnezneń. accidit. Nam Magister & Cruciferi Sanctæ Mariæ de Prussia, Culmeń. ecclesiam sub Gnezneń. ditione plusquàm tricentis annis consistentem auulserunt, & ecclesiæ Rigeń. eiusque Archiepiscopo in Liuonia, adulterino more subiecerunt. Eam iniuriam Iacobus Swinka Archiepiscopus Gneznens. molestius ferens, Episcopo Culmensi litem auctoritate rescripti Apostolici nil proficiendo mouit. Tenor rescripti Apostolici sic incipit: Bonifacius Episcopus seruus seruorum Dei, Dilectis filijs Decano & Præposito, ac Scholastico ecclesiæ Vuradislauień. salutem & apostolicam benedictionem. Sua nobis uenerabilis frater noster Iacobus Archiepiscopus Gnezneń. petitione monstrauit &c.

Ecclesiæ Gneznens. iacture. Culmens. ecclesiæ alienatio.

Anno prædicto millesimo, ducentesimo, nonagesimo sexto, decimoseptimo Kalendas Nouembris, Ioannes Gerbisz Episcopus Posnanień. de ecclesia parochiali in Glussin suæ diocœsis fundauit ecclesiam collegiatam, Præpositum & tres Canonicos in eam instituendo, & certas decimas, reditus, & prouentus eisdem assignando.

Anno præfato 1296. Vithenem dux Lithuanorum, ingressus terram Culmeń. & districtum Golubień. spolijs & cædibus ea afflixit. Deinde in Liuoniam suas duxit copias. Sigfridus autem Commendator de Balga, & alius Commendator de Konigsbergk Lithuaniam ingressi, castrum Garthin obsederunt, quo dimisso & comperto, quòd dux Lithuaniæ Liuonia non uastata rediret, quàm celerrimè mille personas secum ferentes, in propria redierunt.

Eodem anno Henricus dux Vuratislauień. & Legniceń. filius Boleslai, intelligens se tormentis transactæ captiuitatis debilitatum ac confractum, propeque moriturum. Accersito germano suo Boleslao Sweidniceń. curam & tutelam filiorum suorum ei commendauit, qui tutoriam subire detrectabat, nisi sibi de castro Sobotha perpetuò cæderet. Henrico autem duce uehementius excandescente, & maledicente, quòd non contentus prioribus, residua auferre conaretur. Dux Boleslaus Sweidniceń. discedebat. Astantes autem duci Henrico persuaserunt, ut de castro Sobotha etiam ratione tutoriæ cederet, ne ex orphanitate plura filij ammittere cogerentur. Quo reuocato & castrū Sobotha ei resignando filiosque, nobiles, atque uasallos, ei in tutoriam tradidit. Et dux Henricus post triduum octauo, uidelicet Kalendas Martij, mortuus est, ac in monasterio monialium S. Claræ sepultus, tres filios, Boleslaum, Henricum & Vuladislaum relinquens. Et quinque filias, Heduigim, quæ Marchioni Brandenburgeń. desponsata fuit, quo mortuo, religionem Sanctæ Claræ Vuratislauień. intrauit. Annam in uirginitate mortuam, Helenam & Elizabeth ordinem S. Claræ in Gnezna professas, & Euphemiam alias Offkam Othoni Marchioni Carinthiæ desponsatam.

Henricus dux Vuratislauiensis mortuus. Proles relicta.

CAPVT IIII. LIB. IIII.

Anno Domini 1297. Boleslaus Sweidniceñ. molestè ferens germanum suum Henricum Vuratislauieñ. & Legniceñ. ducem captiuitatem passum, & notabili portione ducatus Vuratislauieñ. exutum fuisse, contra Conradum Glogouieñ. bellum cœpit, interpositisq; tractatibus pacis, duo oppida illum restituere compulit, uidelicet Boleslauu, quod pro se & filijs suis, & in districtu eius castrum Cliczdorff erexit, & Haynouu quod pueris ducis Henrici Vuratislauieñ. fratris sui reseruauit. In cuius limitibus castrum Kroczonouu cõstruxit. Idem Boleslaus castra & ciuitates Bregam, Nyempcz, Grotkouu muris cinxit, ducíq; Bohemiæ Venceslao uastationem ei minitanti, cum exercitu occurrit & decernere paratus fuit. Ad ciuitatem quoq; Vuratislauieñ. tan quàm puerorum tutor, non admissus, obsidione eam strinxit, & supplicibus ignoscere, ac ciuitatem Vuratislauieñ. ingredi noluit, donec altitudo murorum ciuitatis quatuor cubitis fuit detruncata.

Castrum Krozonow. Brega, Nyempcz, Grotkow muro cinguntur.

Eodem anno, quarto Nonas Iunij, Dominico die in festo Penthecostes, Venceslaus Bohemię dux se in regem, & Gutham coniugem suam in reginam, in ecclesia Prageñ. per Archiepiscopum Maydenburgeñ. coronari procurauit, & post triduum Gutha noua regina, sed uetus coniunx, mortua est.

Venceslaus dux Bohemiæ in regem coronatur.

Anno Domini 1298. Venceslaus rex Bohemiæ, & dux Cracouieñ. atque Sandomirieñ. Cracouia ex integro muro cinxit, deducendo muros, à conuentu Sancti Francisci iuxta domos Canonicorum in castrum Cracouieñ. & ex altera parte depost ecclesiam S. Andreæ usq; ad Stradomya. Item castrum Cracouieñ. anterius muris arcuatis, & turribus altis obduxit & cinxit. Sub regimine huius Venceslai regis Bohemiæ, grossi Bohemicales & denarij argentei in Poloniam inducti sunt. Prius siquidem argento nigro, & pelliculis capitum, aut extremitatum asperiolorum fœnerabantur, & mercantias Poloni exercebant.

Prima argentea moneta, in usu illo Polonorum.

Anno Domini 1298. Conradus dux Glogouieñ. gradu Diaconatus spe consequendæ ecclesiæ Bambergeñ. insignitus, à nonnullis suis militibus uenenatus, mortuus est, & in ecclesia Glogouieñ. collegiata, quam cum Thoma Episcopo Vuratislauieñ. communiter fundauerat, sepultus, reliquit ex Salomea filia Vuladislai Othonis ducis maioris Poloniæ, duos filios superstites, Henricum Glogouieñ. & Conradum Stinauieñ. qui & Krokeleñ. dux, ob gibbositatem corporis appellatus est, postea in Prępositum Vuratislauieñ. promotus. Tertius filius Przemislaus Sprotauieñ. dux, in bello ante Sieuyor occiderat. Reliquit & tres filias, Annam, Euphemiam & Heduigim. Eodem anno, 16. Kal. Martij, monasterium minorum in Radzeyouu Vuladislauieñ. diocœsis, Vuladislaus Loketek, Poloniæ & Pomeraniæ dux fundauit.

Conradus Glogouieñ. intoxicatur.

Anno præfato Lithuani oppidum Strasburg nouæ fundationis in terra Chelmeñ. ussitauerunt, & uasa sacra contaminarunt. Quos Conradus de Szak Commendator, cum militibus Culmensibus, in nemoribus consequutus, prostrauit, & omnem prædam hominum, pecorum, & aliarum rerum reduxit.

Anno Domini 1299. uastantibus terram Prussiæ sexingentis Lithuanis, Commendator de Brandenburg cum multitudine suorum, apud Noctageñ. regionem eos expectabat, Lithuanisq; illuc uenire tardantibus, gentes Crucifericæ ad propria dilapsæ sunt. Et Lithuani interim superuenientes, Noctageñ. districtum prædabantur, ducentos & quinquaginta captiuando, alios uerò occidendo. Eodem anno Ioannes Querin Archiepiscopus Rigensis per Magistrum Liuoniæ & fratres Cruciferos domus Theutonicorum Sanctæ Mariæ, captiuatus est, quia subijciendam aut penitùs delendam ciuitatem Rigensem ipsis fratribus consentire noluit, quod alijs duobus Archiepiscopis antecessoribus suis, Ioanni Vochta, & Alberto, terribili mente intulerant. Superioribus quoq; annis, Fridericum de Hazeldappe Episcopum Dabatzensem à suo episcopatu proiectum excluserant.

Noctagens. districtus à Lithuanis uastatum.

Ioannes Querin captiuatum.

Anno Domini 1300. Principes Russiæ scientes digladiationes & dissidia in regno Poloniæ, inter Venceslaum regem Bohemiæ & Poloniæ, ac inter Vuladislaum Loktek exclusum, uigere, cum robore suo terram Sandomirieñ. repentè, & torrenter percurrentes, plurimis damnis illatis, prædam ex hominibus & pecoribus agentes, in suam regionem redierunt. Eodem anno absumpto Ludouico de Szippen Magistro Prussiæ, Eluulgus de Golthach natione Duringus substitutus est, qui parum uiuens, Conradũ de Szak habuit successorem. Item Lithuani spolia ex Prussia ducentes, in redeundo à Commendatore de Brandenburg, in angustijs syluarum quas præterire non poterant, occisi sunt, tribus duntaxat ex illa cohorte euadentibus. Item Draycolitus prodito castro Onkaym in Lithuania

Russiæ principes in Sãdomiriam irruunt. Elwigus Soltbach magister Prussiæ. Conradus de Szak magister Prussiæ.

in Lithuania Cruciferis, cum omnibus Lithuanis, qui in illo erant fidem Christi suscepit.

Anno Domini 1301. Stella crinita, quæ Cometes dicitur tempore autumni in signo Scorpionis apparuit, uirgam seu radios, aliquãdo ad Orientem, aliquando in Meridiem mittendo, durauitq; per unum mensem. Eodem anno Boleslaus dux Suueidniceñ. filius Boleslai Legniceñ. ducis mortuus est, & in monasterio Grisʒouu ordinis Cisterciceñ. quod fundauit & dotauit, sepultus. Hic primus exactiones principatibus suis, & nepotũ suorum imposuit, Nobiliumq; seruitia, & numerum armatorum ad bellum expediendorum per respectum ad bona hæreditaria descripsit. Hic reliquit tres filios, Bernhardum Suueidnicensem, Henricum Iauoriensem, & Boleslaum Sambicensem, aliàs Monsterbergensem.

Cometes. *Boleslaus Sweidnicensis moritur.* *Seruitium bellicum primum institutum.*

CAPVT V. LIB. IIII.

ANno supra expresso, exercitus Lithuanorum ad sex millia æstimatus, terram Dobrzinensem uastauit, quem Poloni persequuti sunt, tamen prædam in abdita syluarum conditam non excusserunt. Idem exercitus Lithuanorum auiditate maioris prædæ stimulatus, terram Culmens. deprædare cœpit, quem fratres Cruciferi inuadentes fuderunt, & septuaginta occisis, alios fugauerunt, uirginesq; & matronas Dobrzinens. eripientes, soluerunt. Ruthenis castrum & terram Lublinens. aliquot annis occupantibus, Proceres & nobiles terrarum Cracouiens. & Sandomiriens. anno Domini 1302. congregato exercitu, ad Lublin peruenerunt. Quibus Rutheni cum robore Lithuanorum & Tartarorum occurrentes conflixerunt, iustoq; Dei iudicio, Rutheni numero & multitudine superiores, uicti succubuerunt, & in fugam uersi sunt. Qui autem in castrum Lublinens. sese receperant, obsessi tabe & fame consumpti, castrum & seipsos Polonis tradiderunt.

Poloni in Ruthenis uictores.

Anno Domini 1303. ciuitatem nouam Sandecz Venceslaus rex Bohemiæ & Poloniæ erexit, inter duos fluuios, in confinijs Hungariæ sitam, in loco uillæ Kamyenycza, ad episcopatum Cracouiens. pertinentis, loco cuius castrum & ciuitatem Biecz per cambium, Ioanni Muscatam episcopo Cracouiens. donauit, iure patronatus Sancti Adalberti ecclesiæ martyris, & Sanctæ Margarethæ tanquàm filiæ episcopo Cracouiens. reseruato. Eodem anno Venceslaus rex Poloniæ & Bohemiæ, illustrissimam consortem suã Richszam, quæ & Elizabeth Przemislai regis Poloniæ filiam, de speciali consensu Maguntinens. & Gnezneñ. Archiepiscoporum, in ecclesia Prageñ. per Henricum de Virbna Vratislauieñ. episcopum coronari & inungi in reginam procurauit. Anno quo supra, Conradus dux Stinauieñ, qui & Korkerleñ. ob gibbositatem appellatus est, Præpositus Vratislauieñ. in Archiepiscopum Saltzburgeñ. electus, possessionem eiusdem accepturus, dum ad Viennam ueniens, Saltzburgum unum tantummodo, & non ceruisiam triticeam habere cognouisset. Ex Vienna in suum ducatum Stinauieñ. iam à fratre suo Henrico occupatum reuersus est, quem quum armis repeteret, à duce Henrico captus, in Glogouiamq; deportatus, in turrim proiectus est, uasallorumq; & nobilium suorum cura, de ergastulo noctis tempore ereptus, ducatum suum plenè repetens anno sequenti, quinto Idus Octobris mortuus, in Lubensi monasterio sepultus, & uniuersus Glogouiensis ducatus ad Henricum deuolutus est. Potuisset iste Conradus, si fuisset rationis compos, ex frumento cuius copia ubique reperitur, ceruisiam sibi ordinare, & decus Pontificale non contemnere.

Noua Sandecz erigitur. *Richsza Venceslai consors in reginam coronata.* *Conradus Stinauiensis mortuus.*

Sub anno Domini 1304. Lesko Michalouieñ. & Gnyewkouieñ. dux, filius Zemomisl ducis Cuyauiæ Vuladislai Loktek nepos germanus, sectatus partes Caroli Marcelli in Hungaria, captiuitatem apud Venceslaum regem Bohemiæ & Poloniæ incidit. Pro liberatione igitur sua ducatum Michalouieñ. reclamantibus fratribus Premislao & Kazimiro, obligauit. Conrado Szak, Magistro Prussiæ in centum & octuaginta marcis Thorunneñ. sub hac conditione, quòd infra biennium reddito mutuo haberet, potestatem terram suam eliberandi, aliàs lapso biennio & pecunia non soluta, apud Magistrum & ordinem eius remaneret ducatus, ampliùs non redimendus. Quamuis autem ante decursum prædictorum annorum, dux Lesko & fratres eius Michalouiens. per Ioannem de Plomikouu Palatinum Vuladislauiens. integram mutuatæ pecuniæ Magistro & ordini obtulissent solutionem. Nullatenus tamen mutuum recipere, & terram Michalouien. reddere uoluit. Nã carior erat prouincia Michalouiens. quàm pecuniæ. Chirographus magistri Prussiæ, de hac obligatione sic incipit: Vniuersis præsentium literis inspecturis, Nos Conradus Szalkus magister domus Teuthonicorum per Prussiam, notum esse uolumus &c.

Eodem anno Vernerus Comes de Hohenberg, Adolphus cum germano suo de Vittchimel, & Theodricus Elner, pluresq; alij Rineñ. milites, in Prussiam Cruciferis contra Li-

Conradus Szak Prussiæ Magister cum cöplicibus Lithuaniam uastat.

thuanos auxiliaturi aduenerunt. Magister autem Prussiæ Conradus Szak exercitu bipartito Lithuaniam hyemis tempore ingressus, illam circa territorium Garthin cædibus & flammis uastauit, spoliaq; in hominibus & pecoribus secum retulit. Deinde sub tempore Quadragesimæ, Commendator de Konigsbergk in ampliori gentium turma, uenit in Onkaym, ubi Lithuanus uocatus Suuirtil, iuxta clandestinam pollicitationem Cruciferis factam, castrum præfatum, cuius erat Burgrauius Cruciferis apperuit, qui illud nocte ingressi, omnes passim matres & fœminas, senes & paruulos interimerunt. Castrum flammis tradiderunt, & discurrendo in uicinas regiones, congesta præda, eam in Prussiam deduxerunt.

Anno prædicto, scilicet 1304. Lithuanorum exercitus terram Lancicienseṁ in die sancto Penthecostes furtiuè ingressus, eam cædibus & spolijs deuastauit, ciuitatem quoq; Lanciciẽ. sine resistentia capiens, succendit. Cui reuertenti & præda grauato, Kazimirus Dobrzineñ. dux, Vuladislai Loktek germanus, occurrens, durum certamen in uilla Troyanouu commisit. Et licet fugientibus Lithuanis, Polonis cessisset uictoria, omnisq; præda fuisset erepta, tamen dux Kazimirus in ala quæ debilitari cœperat fortiter pugnans, multitudine telorum & lancearum confossus, generosum spiritum fudit.

Kazimiri generosus interitus.

CAPVT VI. LIB. IIII.

VEnceslao rege utroq;, patre & filio mortis debitũ soluente Poloni bipartiti, quidã, ut maioris Poloniæ nobiles Posnanieñ. & Kalissieñ. exacerbati contra Vuladislaum Loktek, sibi in principem Henricum ducem Glogouiens. Conradi ducis Glogouieñ. filium eligerunt, eo quòd ex Salomea sorore germana Premislai regis Poloniæ esset natus, qui quamdiu uixit, hæredem & dominum Poloniæ ducemq; Slesiæ Posnaniens. & Kalissiens. se titulabat. Reliqui uerò Poloni, ut Cracouiens. Sandomiriens. Siradiens. Lanciciens. Cuyauiens. Dobrzinens. & Pomerani, Vuladislao Loktek regnum innouauerunt. Non enim pro ea tempestate, uir in armis melior, & regnum Poloniæ adunaturus reperiri credebatur, qui anno Christi 1306. collecto exercitu ex omnibus suis terris, Henricum ducem Glogouiens. inuasit, & longum æstatis tempus depopulando, ipsius dominia consumpsit, Henrico prædicto duce nullam opponente resistentiam. Peracta expeditione dux Vuladislaus Loktek in terram Pomeraniæ descendit, & publica negotia tractando, uniuerso tempore hyemis in ea permansit. Quumq; discessisset, Petrus Suuancza Cancellarius Pomeraniæ, Suuancze Gedaneñ. filius, dolens se negligentius tractari, dolensq; se à solutione pecuniarum, quas in tuenda Pomerania expendisse asserebat repulsum iri, nouare res cœpit, Marchionibusq; Brandenburgensibus adhærens, tradere illis Pomeraniam, quum esset administrator eius, & nouem castrorum possessor spopondit. Vuladislaus autem Loktek, hac nouitate ad se perlata, celerrimè infrequenti exercitu Pomeraniam ueniens, præfatum Petrum Cancellarium compræhendens, in castro Cracouieñ. captiuitati inclusit, duobusq; germanis dicti Petri Cancellarij, Nicolao & Ioanne, cum alijs Baronibus pro liberatione ipsius laborantibus, & loco fratris captiuitatem subeuntibus, Petrum Cancellarium à uinculis liberauerunt, sed captiuitatem corruptis custodibus euadẽtes, & in Pomeraniam ouanter peruenientes, cum Petro Cancellario mox in rebellionem uersi, Voldemarum & Ioannem nepotem eius Marchionis Brandenburgeñ. in Pomeraniam exercitualiter induxerunt, & certa municipia expugnarunt. Ad Gedanum quoque applicantes, & ipsam uallantes, ciuibus Gedaneñ. quorum maior pars ex Alemannis erat, assentientibus, in obedientiam Marchionum uenerunt, castrumq; expugnare conati sunt. Bogusza autem iudex Pomeraniæ, & Capitaneus Gedaneñ. commisso castro fidelibus Baronibus, cum uno Barone præstantis conditionis, Niemyerza uocato, ad Vuladislaum Loktek in Sandomiria agentem, celeriori quo potuit cursu peruenit. Et facta narratione de castri impugnatione, ciuitatis Gedanenses ammissione, & cæteris ex ordine anxietatibus, Vuladislaum Loktek celerrimè auxilium ferre (quum esset uir ad singula agenda, animo & manu impiger) promittentem. Bogussius & Niemyerza salubriori cum consilio usurum deducebant, ut Magistrum Prussiæ & ordinem Cruciferorum, tanquàm suos eleemosynarios & pluribus beneficijs obligatos, pro suffragio ac repulsa hostium, postularet, quod acceptatum est, & ordinatio huius negotij Boguszẽ ad plenum commissa. Is Magistrum Prussiæ Henricum de Ploczko, natione Saxonem conueniens, & pluribus beneficijs per Conradum ducẽ Mazouiæ, auum ducis Vuladislai Loktek, ordini Cruciferorum impensis commemorans, suffragium per gentes & uictualia obtinuit. Non ipsius ducis Vuladislai, sed proprijs Magister Prussiæ consulturus profectibus, quemadmodum processu temporis liquidissimè apparuit. Ex composito ergo unam partem castri Gedaneñ. gentes Magistri tutatę sunt. Alteram Bogusza

Dissensio electionis.

Petrus Swancza Cancellarius Pomeraniæ captus.

Liberatus rebellauit.

Busza cum Pomeranis defensabant,& coniunctim Brandenburgeñ. à castro repellebant, quandoq; trucidabant,& crebrius in eorum castra incursus faciebant. Intantum ut Marchiones Brandenburgeñ. omni spe acquisitionis castri destituti, ad propria remearunt. Post quorum excessum ciuitas Gedaneñ. per Polonos & Cruciferos expugnata est. Et milites præsidij, à Marchionibus constituti, plurimi occisi, quorũ corpora Budgerus Abbas de Oliua, ad monasterium suum deducta, in cœmiterio Sancti Iacobi ante claustrum sepeliuit. Ciues quoq; Gedaneñ. defectionis auctores, capite sunt cæsi. Dux autem Vuladislaus, Petrum Suuanczam & fratres eius castris Trczel & Sbasśin, ac duobus oppidis Babimost & Sbasśin exuit, ducali fisco applicando. Gentes autem Henrici Magistri Prusśiæ, ad hoc studiosè directè, cum Bogusza Iudice Pomeraniæ in castro Gedaneñ. ad lites & controuersias superbæ factæ, intantum creuerunt & uersæ sunt, ut præfatũ Boguszam, & Barones Pomeraniæ principales in captiuitatem conijcerent. Bogusza autem suæ & suorum libertati consulturus, facto fœdere cum Magistro & ordine, ut castrum Gedaneñ, ad requisitionem Vuladislai Loktek purè resignarent & restituerẽt. Habita expensarum de media castri custodia, plena solutione, excessit de altera castri medietate, magis tamen eiectus abijt, quàm liberè cessit.

Brandenburgens. Marchio à Gedano repulsus.

CAPVT VII. LIB. IIII.

QVo comperto Vuladislaus Loktek, magna cœpit cum suis consiliarijs anxietate torqueri. Intelligens Cruciferorum fidem dolis uelatam in perfidiam uersam fore, uehementiq; tunc primum cœpit pœnitudine urgeri, quòd Marchionum Brandenburgeñ. impetus, non suis repulisset armis, requirensq́ue Magistrum Prusśiæ per nuncios. In Kray. aliàs Kroyauicze, uilla prope Radzieiouu, in terra Cuyauieñ. personaliter dux Vuladislaus & Magister cum aliquot Commendatoribus, conuenerunt, ubi in præsentia Geruuardi Episcopi Vuladislauieñ. & Baronum Poloniæ dux Vuladislaus querimoniam eiectionis militum suorũ de castro Gedaneñ. longa oratione disseruit, petens & requirens eam rescindi, & castrum Gedaneñ. restitui, iniquum & acerbum nimis contestans. Si ex auxiliatoribus hostes, ex eleemosynarijs persequutores, ex amicis & socijs infestos suos, & suarum terrarum impugnatores debeat experiri. Magister autem Prusśiæ Henricus, uerbis competentibus usus, exclusionem Bogusze & militum Pomeraniæ, ut seditio rixantium euitaretur, egisse, respondit, offerens se de castro Gedaneñ. excedere, dum impensæ ei refunderentur. Et quum dux Vuladislaus quota esset huiusmodi impensarum de uno anno quantitas requireret. Magister Henricus latens uirus euomuit, centum inquit millia marcarum latorum grossorum, sine quorum solutione castrum Gedaneñ. nullo colore, nullaq; diminutione taxę resignare uellet, re itaq; infecta & animis irritatis discessum est. Magister ergo & Cruciferi ualido exercitu ex partibus Alemannię coadunato, in die Sancti Dominici, & est dies nundinarum, quando frequentior concursus populi adesse consueuit, anno Domini 1310. ciuitatem Gedanensem obsidione cinxit.

Conuentus ob concordiam in Cuyauia celebratus.

Et post aliquot dies quibusdam ciuibus Gedanensibus, tempore noctis per tradimentum portam ciuitatis aperientibus, hostes ciuitatem compræhenderunt, & omnes quos inuenerunt, nobiles & plebeios uario genere mortis occiderunt. Et quod his crudelius est, puberes & impuberes infantes & lactantes, more barbarico extinxerunt, ut fama tantæ crudelitatis diffusa, cæteræ ciuitates metu perculsæ sine resistentia occuparentur. Exinde ad castrum Tsczouu, Carolus de Luczemburg Magister Prusśiæ exercitum promouit, ad quem non longè statiua tenentem, Kazimirus dux Michalouieñ. & Gnyeuukouieñ. è castro Tsczouu descendens, cum Vincentio Decano Gnezneñ. & alijs Baronibus processit, precatus humiliter, etiam genu flexo, ut arma deponeret, & terram Pomeraniæ non uastaret, suæ, germaniq; sui ducis Przemislai à Vuladislao Loktek gubernationi commissæ. Sed non est exauditus, in tabernaculo enim cum Magistro Prusśiæ prædicto duce Kazimiro prandente, exercitus Crucifericus Tsczouu obsedit. Vixq́ue dux Kazimirus obtinuit, ut saluis personis & rebus è Tsczouu excederet. Eóque abscedente, & ad germanum suum ducem Przemislaum in castrum Suuyecze tendente, Magister Prusśiæ castrum Tsczouu incinerauit. Et uersus Suuyecze procedens, quæq; obuia aut diripuit, aut igne conflagrauit, Choynicza Nouuæ & alios ignobiles uicos. Ad castrum tandem Suuiecze perueniens, quod bini fratres principes, Przemislaus & Kazimirus Gnyeuukouieñ. Pro duce Vuladislao Loktek teñebant quatuor ualidis tormentis bellicis castri structuras humiles interdiu & nocte ualidisśimè quatiendo concutiebant. Duobusq; patibulis contra faciem castri erectis, Przemislao & Kazimiro ducibus, alijsq; castri defensoribus denunciabat, nisi castrum dederent, castro expugnato, patibulo suspenderentur. Et ut maiori percellerentur terrore, singulis diebus duos, tresúe, aut plures

Gedanum obsessum & dolo captum.

Tsczouu captum.

Swyecze obsessum.

hominesagrestes in rure captos suspendebant. Zifridus quoq;, quem Commendatorem oppidi Gnyew uocabāt, Polonis infestissimus, mane è castris exiens, & funibus equo cui insidebat alligatis, deuouebat se ea die nō pransurum, donec omnes cordas in suspendendis Polonis consumeret, quod & faciebat. Cumq; una dierum ad focum staret corpus calefaciens, & sua flagitia efferret, subito à dæmone correptus, iugulatus est, & tandem in ignem proiectus, ut qui alios suspensione iugulabat, ipse iugulatus, in igne, non in terra, incendio absumeretur. Sed continuemus narrationem de Magistro Prussiæ, qui uidens oppugnationem castri Suuiecze ultra spem protrahi, ad dolos animū conuertit, & quendam ex militibus castri Andream Cedrouicz, de armis Griphonū auro corrupit, qui sub intempestę noctis silentio, omnia instrumenta bellica fregit & præcidit. Ad magistrumq; fugiens, quæ præstitit ministerium patefecit. Castrenses ergo solis oppositis corporibus repugnabant, & ne in periculum extremum inciderent, cum Magistro & Cruciferis paciscuntur, ut dominum suum Vladislaūm Loktek, pro subsidio requirerent, quod si infra mensem non prouenirer, saluis omnibus rebus & personis excederent. Cumq; nullum subsidium & repulsam cernerent (Andreas enim Castellanus Rospergensis iussus ad Suuiecze cum gentibus suis accedere, retrorsum etiam non uiso hoste abijt) Castrum Suuiecza post decem hebdomadas, ex quo obsideri cœpit, Magistro & ordini deditum est. Et ambo duces germani, Przemislaus & Kazimirus, Bogumil Capitaneus castri. Otho Lexik inter Barones præcipuus, aliaq; multitudo Baronum Pomeraniæ, fortunam suam increpantes, & fraudem Andreæ Cedrouicz detestantes, cum rebus omnibus excesserunt. Sic tota Pomerania à regno Poloniæ abstracta, & à Cruciferis per iniuriam usque in annum Domini 1466. tenta est, donec Kazimiro rege tertio Polonię, assistentibus ei militibus & ciuibus Pomeraniæ, quindecim annis assiduè ordinem bello prę mente, regno Poloniæ reunita est.

Mors Zifridi turpissima.

Castrum Swyeczę occupatū.

Eodem anno 1310. Henricus maioris Poloniæ & Glogouiæ dux, ad comprimendum seditionem maiorum Polonum, misit Ianussium Comitem Beberszein cum forti exercitu, qui quum castrum Kloczko obsidere cœpisset, Dobrogostius de Szamotuli cognominatus paruus, de domo Nalancz, filius olim Thomislai Palatini Posnanieñ. congregato notabili exercitu ex Polonis, præfatum Ianussium Beberszeyn cōflixit, & omnibus spolijs priuauit.

Pomerania recuperata.

Et idem Henricus maioris Poloniæ & Glogouiæ dux, quinto Idus Decembris, anni præfati 1310. Glogouiæ mortuus, & in monasterio Lubensi sepultus est. Hic in administranda iustitia nimis seuerus fuit, Polonis infestus, mores & conditiones illorum plurimum fastidiebat, furum, prædonum, & maleficorū maximus persequutor. Propter quod sub regimine suo terra maioris Poloniæ securitate & pace abundabat. Mechildim filiam Alberti ducis Brunsuiceñ. acceperat in uxorem, & ex ea quatuor filios, Henricum cui Zegan, Conradum cui Olsna, Ioannem cui Stinauia & Gora, & Przemislaum cui Glogouia in diuisione cessit, reliquit. Prælati ergo & Barones maioris Polonię, morte ducis Henrici audita, Conuentione generali Gneznæ facta, duci Vladislao Loktek adhæserunt, principatum filiorum Henrici in toto abrogantes. Quidam tamen ciuis Posnanieñ. Przemek nomine, decreto dominorum contraueniendo, ciuitatem Posnanieñ. ducibus Glogouieñ. tradidit, & ecclesiam maiorem Posnanieñ. præsidio militum: incastellauit quoq; domus Prælatorum & Canonicorum exussit, & Nicolaum Archidiaconum Posnaniensi. dictum Szamotula interfecit. Pręsidio autem huiusmodi per milites Poloniæ depulso, in pœnam Przemkonis ciuis Posnanieñ. sancitum est, quòd nemo ex filijs ciuium Posnanieñ. ad dignitates & præbendas ecclesiarum Cathedralium regni Poloniæ promoueretur. Et de Henrico hactenus.

Henricus Poloniæ & Glogouiæ dux mortuus.

CAPVT VIII. LIB. IIII.

Magister deinde Prussiæ Carolus & ordo eius, Pomerania dolo & armis expugnata, per nuncios & literas precatus est, anno Domini 1311. ut secum Vladislaus Loktek in loco competenti conueniret, super terra Pomeraniæ & eius occupatione tractaturus, & conuenientibus duce Vladislao cum Magistro & ordine in Brzescze oppido Cuyauieñ. cœpit Magister Carolus supplicare duci Vladislao & Baronibus Poloniæ, ut terram Pomeraniæ, circa eum & ordinem consistere sinerent. Vtque refusione in auro & argento accepta per patentes literas se in perpetuum terram Pomeraniæ uendidisse profiterentur. Ad hæc offerebat se Magister & ordo constructurum cœnobium cuiuscunque ordinis, cum dote sufficienti, pro quadraginta personis, pro salute ducis & suorum progenitorum, Castrumq; Nyeszouu, cum uillis Orlouu & Murzinouu restituturum. Et in qualibet necessitate regni Poloniæ in quadraginta

Decernitur cōuētus in Brzescze super terram Pomeraniæ.

ginta lanceis, expensis suis & damnis perpetuò seruiturum. Hæc supplicatio & oblatio ducem Vuladislaum in bilem & indignationem mouit, quòd pro terra Pomeraniæ, quædam indigna & leuia offerrentur. Datoq; responso, quòd nulla oblatione ad uendendum Pomeraniam peruinceretur, tristis & furibundus discessit. Magister autem Prussiæ Carolus, uidens se in petitione sua spretum, ad Voldemarum Brandenburgēsem Marchionem & nepotem eius Ioannem nuncios misit, ut sibi terram Pomeraniæ pro decem marcarum millibus latorum grossorum uenderet, inscriberet & resignaret. Non ueritus ab eo terram Pomeraniæ petere, quem non longo tempore suis & Polonorum armis fugauerat. Voldemarus autem Brandenburgeñ. pecuniam oblatam, pro lucro insperato, per Pleczkonem de Lessouu, & Lutkonem de Voel in Slupsk (ut autem alij asserunt) in Noua Kalis accipiens, literas phantasticas de re non sui iuris (quòd uidelicet uendiderit terram Pomeraniæ, pro decem millibus marcarum latorum grossorum) tradidit, quarum tenor sic incipit: In nomine Domini amen. Quoniam iuxta uerbum uiri sapientis generatio præterit, & generatio aduenit. Nihil stabile, nihilq; permanens est sub sole, sed uanitati atq; mutabilitati subiacent uniuersa, & ne cum labentibus annis, rerum magnificè gestarum & petutiliter, labatur & aboleatur memoria: Munificentias & libertates, præsertim in pias causas & loca religiosa collatas, scriptura conuenit perpetuari: Nos igitur Voldemarus Dei gratia Brandenburgeñ. & Lusacieñ. Marchio, tutorq; illustris Ioannis Brandenburgeñ. Marchionis. Ad uniuersorum notitiam, præsentium & futurorum cupimus deuenire. Finis earundem. Actum & datum in curia Breden. Anno Domini 1311. in uigilia B. Iacobi Apostoli, quæ uenditio quantæ fuit ualoris, uel ab imperitis facilè cognoscitur.

Magistri oblatæ conditiones per Vuladislaum reijciuntur.

Pomerania falsò uendita.

Venditionis literæ.

Sequenti anno uidelicet anno Christi 1312 Albertus aduocatus Cracouiensis, cum magistratibus Cracouieñ. molestè ferens quòd oneribus, exactionibusq; grauibus pro administrandis bellis quibus impetebatur Vuladislaus Loktek Craco. præmebat, furtuq; & prædonum flagitia non coërceret, cum Boleslao Opolieñ. duce de Cracouieñ. ciuitate illi dedenda componit. Qui Opolieñ. congesto exercitu apertas ciuitatis portas ingreditur, arce loci eiusdem in fide Regia manente. Ad cuius præsidia & ciuitatis recuperationem Vladislaus assurgit, obsidioneq; urbem præmendam decreuit. Sed legatis mediantibus, Boleslaus Alberto aduocato, & cæteris qui se nouerant, ciuibus parum fidens motus comminationibus Cubitalinis, adhortationibusq; legatorū eius, præsertim uerò prospiciens Kazimirum Cubitalis filium, uerum atq; iustum eius successorem, causas aduentus sui coram legatis in Aduocatum retorquet. sic sub cōditionibus regreditur Opoliam, Aduocato & cæteris factionis auctoribus secum receptis, Vladislaus hoste per conditiones uicto, Cracouiam uictor ingreditur. Amplissimas aduocatiæ possessiones, & suppellectilem ciuium sceleris consciorum confiscat, plures uerò obtruncat, nonnullos alijs pœnis uitæ damnat. Ex domo uerò Aduocati, arcem erigit, & in ualua S. Nicolai turrim extollit, in quibus præsidia locat, sic feliciter regnat. Sic quoq; Ius eligendorum. Consulum quondam in communitate perenne in Palatinum · oci mittit, aliquid tamen restrictionis & limitationis, per priuilegium regis Sigismundi moderni patiens, ut cum consensu aliquorum de consulatu seniorum, & ex his qui ius publicum dicunt, quos Scabinos appellant, & non ex se Palatinus Cracouieñ. electionem consulum prosequeretur. Ne passim inualidi reipub. ad magistratum eueherentur. Villam optimam Lanthkouicze, non longè à flumine Srenyawa sitam, per uxorē Gnyeuomiri, & filium eius monasterio Miechouieñ. in primordio fundationis donatam, nō interueniente aliquo demerito. Nisi quia Albertus aduocatus Cracouieñ. à Præposito Miechouieñ. germano suo, donatione eius ad tempus utebatur, uiolēti & iniusto brachio à monasterio Miechouieñ. abstulit, & suo fisco ducali appropriauit. Ioannem Muscatam Episcopum Cracouieñ. insimulatum licet falsè, eo quòd Slesita esset, tradimenti predicti consortem fuisse, odio & intentatione capitulitatis persequutus est. Nec eum ad possessionem castri & districtus Biecz, ab Hungaris iam resignati, admisit. Interceptum enim fuit olim castrum Biecz per Hungaros, regente illud Abbate Thinicen. & eius possessio per regem Venceslaum, pro loco ciuitatis nouæ Sandecz Episcopo Cracouieñ. inscripta. Accessit tandem pax in regno Poloniæ domesticis & externis sedatis bellis, uerum fames omni bello atrocior, regiones Poloniæ & Bohemiæ inuasit, & dietim augmentata tribus annis durauit, & plures mortales absumpsit, parentes filios, & filij parentes pro excludenda fame occiderunt. Nonnulli cadauera in patibulum actorum rapuerunt, ut rugientem implerent uentrem. Lupi in obuios quosq;, etiam tensas balistas portantes, insiluerunt, & peruictos edacissimè deuorarunt.

Aduocati Cracouiens. in Vuladisla. Loktek resistentia.

Vuladislaus aduocatiam confiscat.

Palatio electio ingratam data.

Ioannes Muscata episcopus Cracouiens. captus.

Fames ualida.

Vuladislaus Loktek coronari cupit.

INterim maiori Polonia in unam Monarchiam & dominium Vuladislai Loktek per mortem Henrici Slesiæ & Glogouiæ ducis redeunte, cœpit dux Vuladislaus Loktek de coronatione sua, simul & recuperatione terræ Pomeraniæ cogitare. Ad quæ consequenda, Gerwardum Vuladislauiensem Pontificem, uirum singularis prudentiæ, & patriæ feruentissimum amatorem, ad summum Pontificem Ioannem uigesimum secundum, in Auinione tunc sedem tenentem, anno Domini 1316 misit, cum instructionibus & literis tam à duce Vuladislao, quàm à Prælatis regni Poloniæ, ad summum Pontificem & Cardinales datis. Quo cognito Magister Prussiæ, & ordo Cruciferorum, nuncios in Auinionem qui propositiones & quærelas regni Poloniæ sinistris responsis eliderent, miserunt. Alios quoque nuncios ad Ioannem Bohemiæ regem transmiserunt, donis & precibus eum sollicitantes, ut Vuladislaum Loktek suum & illorum hostem, in regem erigi non pateretur. Quum ipsum ius regni Poloniæ iustius ratione suæ consortis Elizabeth filiæ Venceslai regis Bohemiæ & Poloniæ contingeret. Quemadmodum ex instigatione Bohemorum, regem Poloniæ idem Ioannes rex, nulla possessione in Polonia habita, se titulabat. Summus igitur Pontifex Ioannes 22. ex Gerwardi Episcopi Vuladislauiensis, & aliorum multorum instructione, graue odium in Crucifericum ordinem concepit, & causam super occupatione terræ Pomeraniæ Ianislao Archiepiscopo Gneznēn. Damaratho Episcopo Posnanien. & fratri Nicolao de Mogilno, per rescriptum commisit audiendam, & fine debito decidendam. Super iure uerò & titulo regni Poloniæ, Ioanne rege Bohemorum impediente, qui cum Philippo Francorum rege, affinitatem illo tempore iunxerat, filiam eius suo filio Venceslao, qui mutato nomine, Carolus nomen sortitus est iungendo, decretum non dedit. Prælatis tamen & Baronibus regni Poloniæ, subtilibus celaturis quod agendum esset scripsit. Super quo Gerwardus Episcopus Vuladislauiensis schemate largiori & expresso, Apostolicam habens exploratam uoluntatem, Prelatos & Barones commonefecit, quatenus sine aliqua cunctatione coronationem regiam prosequerentur. Anno itaque Domini 1320. die Dominico Sanctorum Fabiani & Sebastiani, dux Vuladislaus Loktek in regem, Heduigis uerò consors sua, ducis Boleslai Kalissiensi. filia in reginam Poloniæ, in ecclesia Cracouiensi, per Ianislaum Gneznensem Archiepiscopum, assistentibus sibi Ioanne Muscata Cracouien. Damaratho Posnaniens. Episcopis. Et Thinicen. Mogilnen. Andrzeouien. Breszen. Abbatibus insulatis, & multitudine procerum & nobilium copiosa, inuncti, & coronati sunt, diadematibus regijs ex Gnezna cum pomo & sceptro in Cracouiam translatis. Ab eoq; tempore Cracouiens. ecclesia iure coronandi Poloniæ reges primum dotata & priuilegiata est, perpetuis temporibus eo fruitura: communiq; edicto sancitum est, ut in castro Cracouien. uelut arce firmissima, corona, aliaq; deponantur & obseruentur regalia, quæ in Gneznensi rure hostilem inuasionem nequicquàm prohibere ualente, tutè seruari non poterant. Peractis coronationis solennijs, Vuladislaus rex Poloniæ reipub. præsertim de uiarum pacificatione, furum exterminio, & Pomeraniæ recuperatione, de cuius ammissione uehementer angebatur, prouidebat, & iuxta commissionem Apostolicam Archiepiscopo Gneznen. Episcopo Posnanien. & Abbati Mogilnen. rescriptum exhiberi iussit. In procuratores huiusce causæ Philippum Cancellarium, Sbigneum Vicecancellarium regni Poloniæ, & Ioannem Canonicum Rudensem, Capellanos suos constituens, quæ integro anno cum obseruatione terminorum essentialium, testiumq; notabilium inductione, usque ad sententiæ diffinitiuè prolationem, pro reddenda terra Pomeraniæ, pro solutione triginta millium marcarum monetæ Polonicalis, ratione fructuum perceptorum, & pro soluendis centum quinquaginta marcis grossorum latorum Pragensi. ratione expensarum, perfecta & deducta est. Primus autem terminus in Brzescze, alij uerò translata sede iudicum Iunipladislauia continuabantur. Pro Magistro Friderico & ordine Cruciferorum citatis per Sifridum de Papow presbyterum, mandatum sufficiens ad causam producentem, contra iurisdictionem iudicum exceptum est & appellatum à grauamine in primo & ultimo termino, tamen iudices Apostolici, processus exequutoriales cum censurarum fulminatione tradiderunt. Interdicto etiam ecclesiastico, in terras, & loca, in quibus Magister & Commendatores demorarentur adiecto. Et licet uigore appellationis à sententia diffinitiua, multis uarijsq; fatigijs, apud sedem Apostolicam etiam promotionibus principum pro absolutione Cruciferi desudassent. Nullatenus tamen regijs procuratoribus impedientibus, donec in totum parerent rei iudicatæ, eam impetrare potuerunt. Præterea perpendens rex Vuladislaus, terras regni Poloniæ clandestinis & furtiuis Lithuanorum inuasionibus desertatas, crebra de liberatione ac consilijs, cum Prælatis & suis Baronibus habitis.

Cruciferi coronationem impedire conantur.

Vuladislaus Loktek coronatur una cum coniuge.

Cracouiens. ecclesia regũ Poloniæ coronandi locus.

Actio super terra Pomeraniæ.

A'Gedi-

A Gedimino Lithuanorum supremo principe, missis procis, filiam in coniugium filio suo Kazimiro, anno Domini 1325. accepit. Et quum Lithuania aurum & argentum non haberet, omnium captiuorum annis superioribus ex Polonia abductorum, cuiuscunque sexus, status, & conditionis fuerunt, restitutionem pro dotalibus accepit. Sponsa ad Cracouiam perueniens, à Nankero Episcopo Cracouień. de fide instructa, in uigilia Sanctorum Petri & Pauli Apostolorum, in ecclesia Cracouień. baptisata est, & Anna nominata, Kazimiroq; filio regis sedecimum annum attingenti, solenniter desponsata. Pax quoq; per huiusmodi affinitatem inter Polonos & Lithuanos composita est. Et hi qui ex Lithuanica captiuitate relaxati redierant, terram colere adorsi, non ueteres solum, sed & nouas uillas in cruda radice locatas, habitabiles, arabiles, & frugiferas fecerunt. Deinceps reuocatis pluribus iniurijs rex Poloniæ Vuladislaus, quibus regnum Poloniæ per Marchiones Brandenburgēses superiori tempore, in interfectione regis Przemislai, in uastatione Pomeraniæ, & eiusdem iniusta uenditione, lacessitum fuit cum copijs suarum gentium, & auxilijs Lithuanorum, Ruthenorum atque Valachorum, anno Domini 1326. Marchiam Brandenburgensem & Voldemarum eius Marchionem, tempore æstatis, post festum Sancti Ioannis Baptistę inuasit, & citra & ultra Odram, à Brandenburgk usque ad Frankfordiam quantò latiùs potuit, depopulationem, per prædas, exustionesq;, expugnationi castrorum & urbium non intendens extendit. Vniuersaq; Marchia prædata, & omni genere spoliorum ditatus, absq; aliqua resistentia Brandenburgensium, cum uniuerso exercitu sanus & incolumis in Poloniam redijt. Multa fœda ea expeditione in Ecclesias Dei, & matronas, à Barbaris cum Polonis militantibus, Vuladislao rege Poloniæ nequicquàm inhibente, commissa sunt. Centum quadraginta uillæ, & totidem ecclesiæ, igne consumptæ, duo monasteria Griseorum, & duo monialium exusta sunt. Impuberes & senes cæsi, & plusquàm sex millia animarum in miserabilem captiuitatem abducta sunt. Quædam sanctimonialis ne stupraretur à Barbaro, spopondit se instructuram illum, quo pacto nunquam ferro uiolaretur, experimentum primum, ceruicem eius fortiter feriendo, sumpturus. Id dum Barbarus exequitur, uirgine occisa, ludificatus, magis pudicitiam illi curæ fuisse quàm uitam didicit. Quidam miles Polonus Andreas ex Mazouia, iniurias suas & suæ gentis à Dauid Lithuano Capitaneo in Garthin illatas ultum iri æstuans. In Lithuanicum exercitum iam tunc à rege Poloniæ destitutum uenit, & præfatum Dauid, in omnium conspectu obtruncans, persequentium illum manus Lithuanorū effugit.

Filia Gedimini Kazimiro desponsata. Captiui pro dote.

Vuladislaus Pomeraniam ingreditur & uincit.

Religiosa castitas.

Sequenti anno, scilicet 1327. Princeps Lithuanorum collecto exercitu, secretis & inuijs itineribus, nona die Martij Marchiam ingressus, & circa Frankfordiam supra Odram statiua ponens, residuitates & reliquias uniuersæ terræ, more barbarico abradens, incolas trucidando, aut captiuando, nemine aduersante, festina fuga cum rapta præda in Lithuaniam reuersus est.

Lithuani Marchiam depopulati.

CAPVT X. LIB. IIII.

DEinde perpendēs Vuladislaus rex Poloniæ Magistrum & Ordinem Cruciferorum de Prussia obstinatos, & censuras apostolicas contemnentes, patrimoniumq; suum, terram Pomeraniæ, occupatum, muris fortissimis cingentes, anno Domini 1328. cum proprijs gentibus, & auxilijs Caroli Hungariæ regis generi sui, aliorumquè auxiliatorum in grandi numero terram Chelmensem ingressus, eam uastauit, uillas omnes & curias exurendo. Vrbes tamen & castra non expugnando, nullamq; resistentiam passus, cum omni præda & uniuersis illic quæsitis, in Poloniam, postea in Cracouiam sanus redijt. In ducem autem Mazouiæ, Vankonem alias Venceslaum, quòd Cruciferos clandestinè & publicè gentibus suis & uictualibus in eo bello iuuerat, misit exercitum, & omnem ducatum ipsius spolijs & igne uastauit. Et Vanko dux Mazouiæ cum Cruciferis & gentibus suis uicissitudinaria ultione, terram Cuyauię grassabatur. Militibus autem Poloniæ accurrentibus, duro certamine commisso, acies Crucifericæ & Mazouica fracta est. Vankone autem duce Mazouiæ fuga sibi consulente, Commendator Thorunensis cum omnibus suis occisus est.

Vanko dux Mazouiæ suspectus molestatur.

Victoria Polonorum.

Ioannes tandem rex Bohemiæ, & Comes de Luczemburgk, multis largitionibus & promissis Cruciferorū euocatus, cum exercitu suo & Vernero de Orzela magistro Prussiæ, ordineq; Cruciferorum terram Dobrzineń. in quadragesima, anno Domini 1329. ingressus, castrum Dobrzineń. machinarum proiectionibus contriuit, & per deditionem Pauli de Spiczmir, dicti Ogon, Palatini Lacicień. qui in illo erat Capitaneus, defensionem castri amplius tueri non ualentis, castrum Dobrzinense accepit. Exinde totam terram Dobrzinens. in Magistri possessionem redigendo. Kerstrannus autem Crucifer, qui castrum Dobrzinense tenebat, cum multitudine exercitus ecclesiam cathedralem & ciuitatem

Rex Bohemiæ cum ordine. Vernerus Magister Prussiæ. Castrum Dobrzinens. capitur.

uitatem Vuladislauienſ.cum domibus Canonicorum & uillis proximis ſpoliauit,& igne ſuppoſito,cum reliquijs Sanctorum & ornatu earum conſumpſit. Matthiæq́ Epiſcopo Vuladislauienſi, Canonicis, clericis, laicis & ciuibus, ſub pœna capitis, ne quoquiſmodo ædificare præſumerent inhibuit. Diſtrictum inſuper Czechoczin, ad menſam Epiſcopi pertinentem occupans. Nulli alteri niſi Magiſtro & ordini ablationes ac tributa perſolui mandauit. Poſt hæc Ioannes Bohemiæ rex, cum Vernero Magiſtro Pruſsiæ ciuitatem Plocenſem obſedit, Mazouiamq́ ſpolijs & incendijs affecit, ſed duce Mazouiæ obedientiam ei præſtante, obſidio ſoluta eſt. Magiſter autem & ordo, ſciens uenditionem & inſcriptionem Voldemari marchionis Brandenburgenſis ſuper terra Pomeraniæ factam, eſſe inanem & nihil iuris habentem, ſacra auri oblatione porrecta, à Ioannne rege Bohemiæ inſcriptionem & reſignationem eius obtinuit. Ioannes enim rex Bohemiæ (apud poſteros meritò ridendus, quòd aliena iniuſtè uenderet. Et noſtris diebus Deus iudex æquitate perſpecta eam immutauit) literas reſignationis & inſcriptionis dedit tales: Nos

Ioannis Bohemiæ regis inſcriptio.

Ioannes Dei gratia Bohemiæ & Poloniæ rex, ac Luczemburgenſis Comes, & Elizabeth per eandem gratiam eorum regnorum regina, ac comitiſſa Luczemburgenſem, conthoralis ſua. Ad uniuerſorum notitiam, tàm præſentium quàm futurorum, uolumus tenore præſentium in perpetuum peruenire. Quod quum inter ſingula pietatis opera, quibus ad æterni regis peruenitur ſolium, &c. Finis. Datum & actum Thoruniæ, anno Domini 1329. Dominica Inuocauit. Præſentibus ſpectabilibus & nobilibus uiris, fidelibus noſtris &c. Ex aſsiſtentia itaque & inſtigatione Ioannis Bohemiæ regis, Vernerus Magiſter Pruſsiæ, conducto numeroſo exercitu in æſtate anni ſequentis, caſtra Nakel & Viſſegrod intercœpit, & ea exuſsit. Caſtrum autem Radzieyow, præſidium regium adhibito igne conſumpſit. Ne Magiſter eo potiretur, ad caſtrum quoque Raczanſz Epiſcopi Vuladislauienſ. applicans, crebra machinarum proiectione ipſum confregit. Cumq́ puteum aquæ, ex quo multitudo defendentium cum coniugibus & pignoribus reficiebantur, ademiſſet caſtrum conquiſiuit, multis theſauris hominum & ſpolijs potitus, multos nobiles & plebeios illic captiuando, quos Matthias Epiſcopus Vuladislauienſ. compaſſus eorum calamitatibus, quadringentis marcis Polonicalibus à Magiſtro redemit, & in priſtinam libertatem reſtituit, tandem quintadecima Septembris caſtrum Gnyewkouienſe, per eoſdem Cruciferos conquiſitum, flammis conſumptum eſt. Matthias etiam Præſul Vuladislauienſis, ſiue id puſillanimitate, ſiue alio affectu egit, habito conuentu cum Vernero Magiſtro Pruſsiæ, in Thorun in die Sancti Bartholomæi, abſque conſilio regis ac Metropolitani, & ſui Capituli, omnes decimas terræ Pomeraniæ manipulares, in ſex tantummodo groſſos commutauit. Obligando ſe primum metropoliticam, deinde Apoſtolicam confirmationem infra unum annum, ſuper hoc expedire. Diuertentibus tandem Cruciferis in Pruſsiam, Vuladislaus rex Poloniæ, qui toto illo tempore cum magna diligentia exercitum comparabat, cum ſuis gentibus, cum auxilio Hungarorum, à Carolo rege Hungariæ miſſo: cui Vilhelmus dux Auſtriæ præerat. Cum exercitu Lithuanorum & Samogitarum, cui princeps Gedimin perſonaliter præerat, terram Culmenſem ingreſſus, ſingula quæque paſsim uaſtauit & exuſsit. Ad fluuium autem Drwancza perueniens, aliquot diebus illic conſiſtere coactus eſt. Magiſter enim Pruſsiæ cum Magiſtro Liuoniæ, ripas fluminis per aliquot miliaria, truncis Oxigonis & compaginibus lignorum præcluſerant, proiectione machinarum tranſitum regis prohibentes. Rex uerò ab uno agreſti, uado fluminis monſtrato & cognito, relictis aliquot militibus armatorum in ſyluis occultatis, quamprimum hoſtes ſecederent fluuium ſuperare, fumoq́ ſignum præſtare iuſsit. Ipſe autem cum exercitu retrorſum uerſus Brodniczam iter per tria miliaria conficiebat. Et quum omnis exercitus Crucifericus ad Brodniczam diuertiſſet, Milites regij ex ſtatione prodeuntes, fluuium Drwancza abſque impedimento ſuperarunt, & ſignum fumo oſtenderunt. Quo rex uiſo, concito gradu ad heſterna ſtatiua reflexo itinere perueniens, circa molendinum Lubicz fluuium facilè ſuperauit, & acies ordinauit. Cruciferi autem, præter opinionem ſuam, exercitum regium, ſuo multo ſuperiorem uidentes, diſſoluto campeſtri exercitu, in munitiones ſe receperunt. Rex autem deſiderio pugnæ fraudatus, latiùs uaſtationem iuſsit extendi, prædas coactas in Poloniam aliquotiens mittendo. Dumque ad ulteriora exercitum promoueret, Caduceatores à Magiſtro & Cruciferis circa Grudzancz aduenientes, pacem cum rege ad feſtum Sanctæ Trinitatis, ſequentis anni compoſuerunt. Ea conditione, ut ſuper occupatione terræ Pomeraniæ, & damnis inde ſequutis, Carolus rex Hungariæ, pro parte Vuladiſlai regis Poloniæ, & Ioannes rex Bohemiæ, pro parte Cruciferorum inducijs durantibus, iuſtum pronunciarent decretum, & poteſtatem compellendi utramque partem ad ſuæ ſententiæ obſeruationem haberent. Verum Cruciferis Ioannem regem Bohemiæ ad

Nakel & Viſſegrod caſtra exuſta.

Raczanſz captum.

Caſtrū Gnyewkouienſ. exuſtum.

Vuladislaus rex reſtitit.

[illegible] pactum neglectum.

concordiam

concordiam non adducentibus, pacis conditio neglecta, & bellum periculosissimum denuo ortum est.

Vuladislao etenim rege Poloniæ anno Domini 1331. in die Sanctæ Trinitatis, quæ fuit quartadecima mensis Iunij, agente conuentum omnium suarum terrarum generalem in oppido Chaczini, abrogato & destituto Vincẽtio, de Pomorzani palatino Posnanieñ. de familia Nalancz, à Capitaneatu maioris Poloniæ, Filium suum ducem Kazimirum uiginti & unum annum natum præfecit, ut eo administrante longinquiora regni, ipse rex Vuladislaus quietior Cracouiæ consisteret.

Vincentius Palatinus de Capitaneatu deponitur.

CAPVT XI. LIB. IIII.

Vincentius autem de Pomorzani, ademptum sibi maioris Poloniæ capitaneatum dolens, ad Magistrum Prusiæ Luderum, spe nouandarum rerum transiuit, & pluribus promissionibus, ut inuaderet maiorem Poloniam eum pellexit & induxit. Magister autem & ordo oportunitatem benè gerendi belli non negligens, cum potenti exercitu, cui Theodericum de Aldemborg Marschalcum, & Othonem de Luterberg præfecit, Vincentium palatinum in Poloniam transmisit. Qui pertransiens Brzesczę & Iunivvladislauiam, occultis itineribus perueniens, Slupczam oppidũ episcopi Posnanieñ. cœpit & incendit. Exinde ad Pisdri, ubi Kazimirus filius regis commorabatur, properè aduenit. Sed duce Kazimiro præmonito, & cum suis militibus in loca syluestria tempestiuè se recipiente, spesq; hostiles fallente, Cruciferi furore repleti, in oppidanos Pisdrenses debachati sunt, & succenso oppido cum ecclesijs, omnẽ orã citra & ultra Vartham, spolijs & incendijs cõplentes. In Thorum ad Magistrum Prusiæ, cum præda Vincentio palatino Posnanieñ. comitante, reuersi sunt. Luderus autem de Brunsvvig magister Prusiæ, commendato Vincentio de Szamotuli palatino Posnanieñ. quòd fidem promissam syncerè custodiret: multò maiorem exercitum ex Alemania conductum, tum ex proprijs gentibus, & magistri Liuoniæ militibus copiosa multitudine refertum. Cum commendatoribus singularum terrarum ad uastandum uniuersum regnum Poloniæ, ducente Vincentio Palatino Posnanieñ. transmisit. Qui terra Cuyauiæ absq; uastatione pertransita, in ciuitatem Lancicieñ. peruenientes, ipsam in girum succenderunt. Castro Lancicieñ. per milites regios strenuè defenso, uillis autem & oppidis omnibus in gyrum discurrendo succensis. Exinde in Kalisz ducente Vincentio Palatino iter uerterũt, & castro conquisito, ab oppido cum strage eorum repulsi sunt. Illicq; statiua quinq; diebus, Ioannem regem Bohe. expectantes, qui se in auxilium eorum cum exercitu uenturũ spoponderat, tenuerunt. Sed rege Bohemiæ non adueniente moto exercitu, Zneznam, Nakel, Pobiedziska, Sroda, Kostrzin, Kleczovv, & uillas in gyrum exusserunt. De ecclesia Gnezneñ. haud secùs quàm Barbari uastã facta, & ornamenta diripuerunt, corpus tamen sancti Adalberti non reperientes. A Gnezna eorum exercitum dirigente Vincentio Palatino, ad Vnycovv mouerunt, & castra Vnycouieñ. atq; Siradien. cum oppidis eorum. Item Vartham, Stavv, Szade, igne demoliti sunt. In monasterio Siradien. Nicolaus Prior ordinis prædicatorum prouolutis genibus, Hermannum Commendatorem Elbingeñ. precatus est. Cuius noticiam bonam, quum esset in conuentu Elbingeñ. contraxerat, ut à spolio & incendio monasterij eorum abstineret, qui superbè respondens in uulgari Prutenico, se non intelligere ait, cum alijs in monasterium irruit, & calices, cruces, ornamenta fortunas diuersorum hominum illic cum bonis suis causa conseruationis fugientium abstulerunt. Monachos cappis, homines uerò utriusque sexus indutis, usq; ad extremam denudationem exuentes. Et quum per oppidum Konin uersus Prussiam redirent, tria millia equestrium, ad lacum Niszamisl miserunt. Illic enim nobiles & agrestes cum pecoribus congregati, iuxta præfatum lacum aggerem, & fossata, septem miliaribus in longum, à Zuola & Kampa uillis usque ad oppidum Glusino extruxerunt, & sese abdiderunt, certioresq; facti de hostium aduentu, Vuladislao regi Poloniæ, qui haud longè distabat, prò subsidio supplicarunt. Qui illis Marschalcum cum aliquot centenis suorum aulicorum transmisit, quibuscum aduenientes, hostes tanta cæde conflixerunt, ut pauci ad modum mortem euaderent, quod ossa occisorum in eodem loco monstrant. Vuladislaus autem rex Poloniæ quàmuis stridores bellicos refugeret, & in ætate penè decrepita deficeret, tamen iusta ira uiuacitatem subministrante. In altero Cruciferorũ ingressu, exercitu ex suis duntaxat terris collecto, in discrimen uniuersæ dimicationis non uenit, quum hostiles copias, multò superiores cerneret, ex abditis tamen & insidiosis locis, data oportunitate,

Ad Magistrum Prusiæ accessit.

Luderus de Brunswig magister Prussiæ.

Vincẽtius dux Prutenorum factus.

Grande sacrilegium.

Vuladislaus suis auxilia mittit.

tunitate, crebra strage ipsas afficiebat: anxiusq; & dolens de sui regni uastatione quum uires deficerent, ad dolos se conuertit. Nunciosq; secretò ad Vincentium palatinum Posnanień. misit, ut patriam hosti proditam, post tot fauillas & cineres commeratus releuaret. Habiturus perpetuam importunitatē scelus scelere compensaret. Vincentius ergo palatinus ad omnia pro salute patriæ sufferenda sese obtulit, et nocte tan quam exploratum iret, ad secreta colloquia regis uenit. Primumq; obtenta uenia de malè perpetratis, hostilem exercitum magnum numero fore docuit, onere uerò sarcinarum ac spoliorum, et sibi ipsi grauem & ad fugam magis, quam ad pugnam procliuem, & ut fidelior cognosceretur, ad inuadendum hostem à fronte pollicetur, regressoq; Vincentio palatino ad Cruciferos, rex in magnos ausus erectus, filio suo duce Kazimiro ad tutiora loca cum Gregorio Nekanda (miles hic de genere bipennium erat) secedere iusso, aciebus ordinatis, uigesima septima Septembris, quæ est dies trāslationis sancti Stanislai patroni Polonorum, in uillagio Plovvcze, quod alio nomine Blevvo dicitur, prope oppidum Radzieyovv sito, sole oriente, ad pugnam paratum se ostendit. Crucifersiq; tantam turbationem iniecit, ut abiectis cathenis ferreis, tumultuariè acies constituerent, & obuiam regi procederent. Vuladislaus uero rex, ut interim nebula resolueretur, quę adeò densa erat, ut uir uirum uix cerneret. Milites adhortatus est, ut ferociore quo possent animo pugnarent, & pœnas debitas ex hoste exigerent. Iubensq; signa canere, primam cohortem ex curiensibus, & ueteranis, in medios hostes induxit: Vincentiusq; de Szamotuli palatinus Posnanień. ad purgandum suæ infidelitatis infamiam, inspectante rege & uniuerso exercitu, in hostes cum suis armigeris irruit. Sic & cęteri exercitus Polonorum in prælium gradum promouebāt, donec Cruciferi fugientes terga darent, plenamq; uictoriam rege Vuladislao se consequutum fuisse autumante; Nouus exercitus quem magnus Commendator & Ruffer de Plavven ducebant, superuenit. Prælium ex integro resumptum est, obstinatiùs autem utrisque pugnantibus. Commendator magnus Otho de Brunsdorff (qui quasi certam in suis manibus teneret uictoriam, mandauerat suis ne quempiam Polonum seruarent uiuum) Hermannus in Elbing, Albertus in Gedano Commendatores, & plurimi alij occisi sunt, crucifersisq; in fugam conuersis, maxima cędes fugientium ædita est, rege Vuladislao magna uoce hortante, ut fugientes cędere milites non desisterent. Durauit hęc pugna ad horam diei nonam cum in ortu solis incepisset. In ea quadraginta millia hostium cæsa feruntur: Polonis (suffragijs ut creditur sancti Stanislai, cui illa dies fuit dicata) nō admodum cruenta uictoria, insignioribus paucis occisis cessit. Inter quos hi præcipui fuerunt, Zegotha de Morauicza uexillifer Cracouiens. Cristinus de Ostrovv uexillifer Sandomirień. filius Prandothæ Castellani Cracouiens. & Iacobus de Szumsko Castellanus Zarnouień. Castris hostium exercitus Polonicus potitus uehementer ditatus est. Captiui insigniores in Cracouiam cum signis perducti sunt.

Vincentius dolum machinatur.

Insignis cōflictus utrinq;.

Polonorum uictoria.

CAPVT XII. LIB. IIII.

Postero die rex in certaminis locum descendens, & suorum cæsa cadauera recognoscens. Vnum ex suis militibus, Florianum Szari dictum multis spiculis confossum, inter mortuos supino corpore iacentem, utraq; manu uentrem & intestina attrectantem, offendit. Quem diligentiùs intuitus ad comitantes, quam acerba (inquit) est huius nostri militis pœna, tum ille resumpto spiritu, acerbior est respondit, si quis durum uicinum, in una uilla consistentem, qualem ego sum expertus, tulerit. Tum rex, bono animo inquit esto, si incolumis euaseris, scito te liberalitate mea duri uicini societate cariturum. Sublatus inde & curatus regia largitione in fœliciorem gradum euectus est. Et stirpi suæ, quæ tres lanceas pro insigni defert ab euentu rei: Nouum insigne lelita, abrogato uetusto Koslirogy indidit, aceruι ossium humanorum in uilla Plovvcze, magnitudinem cladis testantur.

Familia lelitarum.

Quæ Matthias Episcopus Vuladislauiēsis erecto illic oratorio contexit. Nec profecerunt hostibus longæ cathenæ, quibus per balteos cōnexi, ut fertur dimicabant, quin iusta Polonorum ira dissoluerentur, & prostrati in Polovvcze cernuntur. Ioānes rex Bohemię tunc Vvratislauiæ commorans, audita strage Prutenorum, uentus ne rex Poloniæ quicquam duriùs de recuperandis terris, & de euertendo ordine Cruciferorum nouaret, celeritate nimia cum copijs undecunq; contractis, ciuitatem Posnanień. obsidione cinxit. Qua nouitate rex Vuladislaus accepta, Prussia in quam uastandam processerat obmissa, uersus Posnaniam diuertit. Quem rex Bohemię & copias eius, suis multò fortiores pertimescens,

Ioānes rex Bohemiæ Posnaniam obsedit.

ſcens,citato curſu in Vvratislauiam rediјt.De ſuis quingentos milites amittens,& machinas relinquens,contentus auertiſſe Pruſsiæ uaſtationem,quam intendebat. *Fuga eius.*

Hæc facta ſunt anno præexpreſſo 1331.Anno uerò ſequenti 1332.Cruciferi ne eorũ potentia diminuta uideretur,miſsis in inferiorem Alemãniam & Bohemiam nuncijs, nouos milites conduxerunt,& totam terram Cuyauiæ & Dobrzineñ.caſtris expugnatis occupauerunt. Oppidumq; Brzeſcze demolientes,in alio loco aptiori, arcem & ciuitatem muris coctilibus communierunt.Vvladislaus autem rex Poloniæ,ad recuperandum terras occupatas,cum proprijs gentibus & auxiliaribus,à Carolo rege Hungariæ illi miſsis, circa feſtum aſſumptionis Mariæ, habens ſecum filium ſuum ducem Kazimirum per terras Mazouiæ deſcendit,& terram Chelmeñ.uaſtauit,ac exuſsit. Magiſtroq; & ordine per legatos pacem petente,& occupata reddere promittente, induciæ pacis ad feſtum ſanctæ Trinitatis alterius anni datæ ſunt. Exinde rex cum uniuerſis copijs,ad maiorẽ Poloniam remeans,Duces qui ad Ioannem regem Bohemiæ defecerant,terraſq; regni ſui inuaſionibus laceſſebant, expugnauit, & munitiones eorum ſuccendit ad caſtrumq; & oppidum Roſczan,quod pro rege Bohemiæ tenebatur, perueniens,illud obſidione cinxit. Bohemis autem Sleſitis qui caſtrum tuebantur, obſidentes Polonos irridentibus. Dux Kazimirus filius regis cohortatus milites ſuos ad impugnandum caſtrum, iniuſſu patris proceſsit,quo uiſo uniuerſus exercitus mira celeritate accurrens, caſtrum per uiolentiam cõſcenſis mœnibus recepit,oppidumq;,capto caſtro, abſq; mora in poteſtatem regis inſperato uenit. Kazimirus tandem parentando mortem ſuorum,in expugnatione caſtri occiſorum, hoſtes qui caſtrum defendebant, omnes gladio percuti iuſsit. Hoc ultimum bellum Vvladislai regis fuit, poſt quod Cracouiam remeando langueſcere cœpit, & in grabatum decidens, deficientibus uiribus, fratre Helia ordinis prædicatorum doctrina perſpicuo uocato,confeſsione facta, ſingulari auctoritate Apoſtolica pro mortis articulo ei cõceſſa abſolutus eſt,ſacramentoq; euchariſtiæ procuratus.Commendato filio ſuo Kazimiro Baronibus,in caſtra Craco.ſecunda die Martij, qui in dominicam Reminiſcere cadebat,uel ut aliæ hiſtoriæ tradũt,quarto Idus Martij, & eſt dies ſancti Gregorij,anno Domini 1333.in Domino obdormiuit, in maiori Eccleſia Cracouieñ.in parte ſiniſtra chori uerſus ſacrarium,ante aram ſancti Vvladislai regis,quam ipſe erexerat,dotaueratq; ſepultus.Sepulchrum eius alba petra, per ſculpturas & teſtudinem adornatum eſt. Fuit autem iſte rex Vvladislaus, fortis manu, animo ferox, & uſq; ad decrepitam ætatem robuſtus. Habitu uerò corporis exiguus,& iccirco Loktek quaſi cubitalis ob breuiorẽ ſtaturam cognominatus.Regnauit autem poſt coronationem duodecim annis,menſe uno, diebus ſedecim,tempore regiminis ſui,ante coronationem non computato.

Brzeſcze tranſlatum.

Ordo Cuyauiam uaſtat.

Rex ultionem parat.

Kazimirus caſtrum Korſczan capit.

Vvladislaus Cracouiæ mortuus.

CAPVT XIII. LIB. III.

ANno Domini 1306.audientes Lithuani gentiles, ſciſsiones in regno Poloniæ, per nemora & inuia in terras maioris Poloniæ irruperunt, & oppida & Kaliſſ & Stauiſsino,uillaſq; in uicinijs eorum deprædati ſunt, ſenes & impuberes trucidarunt,pluraq; millia permiſcui ſexus, abſq; ulla reſiſtentia,in ſeruitutem abduxerunt.Eodem tempore Henricus de Pletzho genere Saxo,eo anno in Magiſtrum Pruſſiæ aſſumptus, miſſo exercitu in Lithuaniã, caſtrum Garthin,forti preſidio Lithuanorum munitum,tempore nebulę apertum reperiens,omnes Lithuanos,aut trucidauit, aut captiuauit,ſpoliatoq; caſtro & incenſo ad propria regreſſus eſt. Commendator autem de Konigsbergk,caſtrum Garthin non fuiſſe locatũ moleſtè ferens,cum eodẽ exercitu illuo pertexit,ſed prœoccupatum à Lithuanis offendens, nouis irrogatis ſpolijs diſceſsit. Multis deinde militibus peregrinis Pruſsiam aduenientibus nouum bellum Lithuanis illatum eſt, & diſtrictu Karſzovvin ſpolijs & igne uaſtato,in Pruſsiam redierunt.

Lithuani Poloniam deprædati.

Henricus de Pletzho magiſter Pruſſiæ.

Caſtrum Garthin deprædatum.

Cruciferorum in Lithuanos uictoria.

Anno quo ſupra 1306.Ciuitate Cracouieñ.prope eccleſiam parochialem omnium ſanctorum ardente, carbo ignitus flatu uenti ſupra tectum Eccleſiæ Cathedralis laminibus plumbeis coopertum proiectus, octaua die Maij,tectum conſumpſit,& muros cum parietibus eccleſiæ debilitauit.Vniverſo caſtro Craco.cum turribus & domibus ex lignis fabrefactis totaliter exuſto.Cracouia uerò huiuſcemodi iacturam incendij, in pluribus domibus & in hoſpitali perpeſſa eſt.

Ignis Craco.

Anno Domini 1307.in die ſancti Galli, Lithuani terras Siradiæ & Kaliſsieñ. ſubitò irrumpentes plurimam rapientes prædam, cædeq; & igne plurima loca uaſtantes, concito greſſu in Lithuaniam redierũt. Eodem anno Henrico duce Bauariæ cum ſuis gentibus

Lithuanorum incurſio.

Theodricus de Aldemburgk.

N 2 adue-

Fridburg, Beyer castra erecta.

aduueniente, Theodricus de Aldemburg magister Prussiæ, facta expeditione in Lithuanos, in uicinio castri Lithuanorum Vyelunya appellati, duo castra noua erexit. Nomen uni imponens Fridburg, id est, mons pacificus: Alteri Beyer, id est, Bauariæ. In eisq; frequenti præsidio uictualibus, & machinis ducis Henrici Bauariæ derelictis, ut castrum Vyelunya in deditionem cogeretur, discessit. Gediminus autem supremus dux Lithuaniç imminẽs periculum depulsurus, noua castra forti exercitu circumdedit, & cum uiginti duobus diebus ad eorum conquisitionem intenderet, quidam Crucifer sagittandi peritus, ob id sagittariorum magister uocatus, præfatum ducem Gediminum ignea sagitta per dorsum transfixit, qui illicò animam exhalauit. Cuius morte sequuta exercitus Lithuanorum obsidionem soluit. Magister uerò Prussiæ Theodricus eodem anno misso Henrico Prussiæ Marsalco cum exercitu, districtum Lithuaniæ, Viedulki cædibus & flammis uastauit, & captiuos in Prussiam induxit. Sequenti autem anno Olgeth Lithuanorum dux, necem Gedimini patris sui & patriæ uastationem ulturus, in forti exercitu Prussiam ingressus, eam cædibus & ignibus uastauit, depopulatione latiùs extensa, prædam hominum & pecorum in Lithuaniam ducebat. Quem Henricus Prussiæ Marsalcus quartadecima die Augusti, apud nemus quod Galebonke nominatur consequutus, quamuis hosti impar uidebatur, conflixit, & utrisq; acriter pugnantibus tanta cędes ædita est, ut utraq; pars pro uicta discesserat. Maior tamen clades in Lithuanis uidebatur, qui mille ducentos et uiginti ex suis perdiderunt. Captiuosq; & pecus relinquere coacti sunt.

Dux Lithuaniæ sagitta ignea interemptus.

Magister Prussiæ Lithuaniã uastat.

Kazimirus filius Loktek natus in Kowale. Eclipsis. Fames.

Anno Domini 1310 pridie Kalendas Maij, in oppido Kovvale terræ Cuyauieñ. natus est Kazimirus filius Vladislai Loktek, & Heduigis consortis eius, qui regnum Poloniç prudentia, fabrica murorũ, & legibus decorauit & adornauit. Eo anno maximç tempestates & aquarũ inũdationes in Italia, Alemannia, Bohemia & Polonia fuerũt. Sol quoq; ultima Ianuarij eclipsim passus est. Ex his magna sterilitas subsequuta, qualem nemo meminerat, nec à prędecessoribus audierat, deficiẽteq; pane, herbas homines manducarũt.

Eodem anno Boleslaus dux Vvratislauieñ. filius Hẽrici quinti, ulturus iniurias patris, terram Henrici filij Conradi Glogouieñ. uastauit, factoq; conflictu, Hẽricus Glogouieñ. succubuit. Et Boleslaus dux Vvratis. in superbiam elatus, multa bona procaciter consumpsit, ut postea ære alieno uiueret. Inter filios autem huius Henrici Glogoui. Przemislaus quum esset uigetioris ingenij, nunquam Ioanni regi Bohemiæ subijci uoluit. Hic ueneno à proprijs uasallis intoxicatus interijt, & apud monasteriũ Lubense sepultus, quiescit. Et quia nullam prolem reliquerat, Hẽrico Zeganeñ. & Ioanni Stinauieñ. fratribus eius Glogouia cessit in commune, Conrado per Stinauiam contentato. Sed postea Ioannes Stinauieñ. mediam partem Glogouiæ, Ioanni regi Bohemiæ uendidit, qui rex exercitualiter in Glogouiam ueniens, alteram partem Glogouiæ in suam redegit ditionem. Et hoc grauamen, Henricus Zeganeñ. mortuus est, in monasterio Lubeñ. sepultus. Filius autem eius unicus, eiusdem nominis Henricus, adeò Ioannem regem Bohemiæ & filium eius in regno successorem Carolum inuasionibus turbauerat, ut Carolus rex Bohemiæ, alteram partem Glogouiæ, quæ fuit patris eius, ipsi restitueret, suam ditionem tamen & subiectionem ex composito profitensi.

Henricus Zeganens. mortuus.

Victenen Lithuaniæ dux Prussiam uastat.

Anno Christi 1311. Victenen supremus dux Lithuaniæ, cum omnibus suis copijs terras Prussiæ sub carnisprivio ingressus, per cædes & flammas, magnam partem terræ in fauillam & desolationem redegit. In Lithuaniamq; cum quingentis captiuis reuersus, dijs suis libamina obtulit, Commẽdator, interim de Konigsbergk, uno agmine, & quinq; alij Commendatores altero agmine, diuersoq; itinere Lithuaniam furentes, ingressi, singula quæ occurrebant, aut captiuarunt, aut occiderunt: Et Lithuanorum ducem Victenen epulantem perturbauerunt, in Prussiamq; magno cum captiuorum numero regressi sunt. Eam uastationẽ dux Victenen ulturus, quatuor millibus ex cęteris delectis, in uigilia Ramispalmarum in Prussiam intrans, cuncta ferro, et igne usq; ad Brunsberg uastauit. Ecclesias uasis & clenodijs spoliauit, & eas incendit. Diuinissimum eucharistiæ sacramentum, in terram cum ignominia proiectum, ore consputt, & pedibus conculcauit. In Lithuaniamq; magnam captiuorum multitudinem pellens, dum in limitibus in una syluarum captiuos inter suos diuisurus staret, & corã uirginibus (quę absq; uiris & cęteris mulieribus mille quadringenta numerum explebant) sacramentum eucharistiæ ex terris Prussiæ in sacrario allatum, prophana manu exertum, ante pedes uirginum proijciens, spurcicissimo ore conspuens, & pedibus conculcans. Interrogabat, ubi esset Deus earum, qui ei resistere non ualeret, neq; suis cultoribus auxiliari: non autem diuina maiestas blasphemiam tulit.

Commendator Konigsbergens Lithuaniam regreditur.

Victenen Prussiam repetit.

Dehonestatio sacramenti Eucharistiæ.

Altera

Altera siquidem die in diluculo, quæ fuit dies Martis, octauo Idus Aprilis, Henricus de Ploczk Magister Prusiæ. cum octuaginta fratribus Cruciferis, & forti aliarum gentium exercitu, ducem & exercitum Lithuanicum in eisdem statiuis consequutum, conflixit, & ad extremum uicit: singulos uictos in patibulum agens, aut undis suffocans. Ex tanto autem Lithuanorum exercitu, nemo præter ducem, & duos eius comites, qui & ipse in capite uulneratus, aufugit. In memoriam tam famosi triumphi, Cruciferi in domum reuersi, monasterium sanctimonialium in Thorun fabricarunt & dotarunt. Alteram expeditionem Commendator de Brandenburg in Lithuanos egit, & uastato districtu Pongrödne, citato agmine discessit. Tertiam expeditionem eo anno magister Henricus de Ploczke egit in Lithuanos, & secunda Iulij Lithuaniam ingressus, districtum Salsemken ferro & igne uastauit. Etiam tria castra illic conquirens incendit, multisq; militibus Lithuanorum occisis, septingentos in captiuitatem duxit.

Cruciferorum de Lithuanis uictoria.

Commendator Brandenburgens. secundam expeditionem in Lithuanos peregit.

Anno Domini 1312. Henrico de Ploczk, de officio magisterij cedente, Henricus de Trit, qui & Carolus appellatus est, successit. Eo anno duæ expeditiones in Lithuaniam actæ sunt. Vna per magistrum contra castrum Bisen itinere terrestri. Altera per Vernerum Commendatorem de Ragneta, nauali classe per fluuium Memel, contra castrum Mergist, ambæ parum profectus, præter paucos captiuos attulêre. Tertiã expeditionem egit Henricus Marsalcus, cum ingenti sui exercitus pernicie. Nam castro Bisen inconquisito, in tres districtus, uidelicet Miedniki, Crinuiczin, & Trziulczany descendit. In quibus nusquam uictualia reperiens, fame indies inualescente, per spacium centum & amplius miliarium rediens, multos de suis inedia consumptos amisit. Miserat & dux Lithuaniæ suum præfectum Surminum, uirum callidum cum classe centum nauium, cõtra castrum Tristmemel, qui naues Cruciferorum in flumine Memel reperiens, incendit, tandem à Cruciferis uictus, trecẽtis quadraginta de suis amissis, cum reliquis eadem classe in Lithuaniã refugit.

Henricus de Treuiri magister Prusiæ.

Anno Domini 1313. Boleslaus dux Mazouię, filius Semouiti filij Conradi Mazouię, frater patruelis ducis Vuladislai Loktek, in Vissegrod octauo Kalẽdas Maij mortuus est, in ecclesia Plocen. sepultus. Hic sæuissimus persequutor furum & malefactorum fuit. Hic tres filios superstites, Semouitum Troydenum ex prima coniuge Lithuana multum honesta, & Venceslaum seu Vankonem ex altera coniuge Bohema, & unicam filiam ex eadem Bohema reliquit.

Boleslaus dux Mazouiæ moritur.

Anno Domini 1314. Magister Prusiæ Carolus, & ordo Cruciferorũ, à quolibet manso culto in Pomerania, & terris occupatis, de quib. decima manipularis reddebatur, duos scotos usuales colonis soluere iussit. Sua uerò & omniũ Cõmendatorum atq; terrigenarũ prædia, à solutione cuiuslibet decimæ penitus libera esse decreuit. Propter hoc Episcopus Vuladislauien. in cuius diocœsi ferè tota Pomerania consistit, cum assistentia Archiepiscopi Gneznen. et Episcopi Posnanien. monasteriorum quoq; et aliorum beneficiatorum, Magistrum & ordinem, ac uillarum rusticos censuris ecclesiasticis percelluit, & loca eorũ interdicto supposuit. Verùm Magister & ordo appellationibus ad sedem apostolicam se tuebantur, & rigorem censurarum eludebant. Eodem anno circa Natalẽ Domini, Cometes cũ longa coma circa polũ apparuit, durauitq; usq; ad finẽ mensis Februarij. Et paulò pòst, alter Cometes in parte orientali apparuit, qui sicut quãtitate minor erat priore, ita & minor duratione. Tres etiam lunæ simul eo anno apparuerunt.

Cometes duorum mensium.
Tres lunæ.

CAPVT XIIII. LIB. IIII.

ANno Domini 1315. Henricus & Vuladislaus filij ducis Henrici quinti Vuratislauien. annos pubertatis trãsgressi, fratrem suum seniorem Boleslaum magna importunitate ad partiendum patrimonium cõegerunt. Ne ipsius prodigalitate partes hæreditatis illorum consumeret, & Boleslaus quidem Bregam accepit, aspirans ad pecunias à fratribus addendas. Henricus uerò Vuratislauiam sorte accipiens, quadraginta octo millia marcarum Boleslao exsoluit. Vuladislaus autem iunior fratrum Legniczam sortitus, in subdiaconi gradũ promotus, in triginta duobus millib. marcarũ, quæ nõ potuit, p additamento soluere, Legnicen. ciuitatẽ Boleslao Bregen. fratri suo obligauit. Sed idẽ dux Vuladislaus ęgestate ductus, cõtra Boleslaũ ducẽ Bregen. bellare cœpit, ut sibi de Legnicen. Ducatu cederet, quẽ sæpius fusum & fugatũ tãdẽ cõprehẽdit, & in Legnicen. castro in carcere dimidio ãno alligauit, quo recõciliantib. amicis, ut singulis annis quingentas marcas, quibus statum suum ducere possit, dux Boleslaus sibi daret, dimisso, propter graues molestias in phrenesim incidit, & delirãs cuidam militi, castrũ

Patrimonij inter fratres diuisio.

Vuladislaus natu minor Phreneticus.

Hornsberg in mōtibus habebat, se adiunxit, & prædas in Bregeñ. ac Legniceñ. ducatibus agere cœpit. Dumq; in uillas Iankovv, & Virbin in terram Bregeñ. impetum fecisset, à rusticis qui pro sua securitate centum armatos conduxerant, cum uiginti complicibus captus est, & Boleslao Bregeñ. duci præsentatus, in uincula trusus, in castro Legniceñ. integro anno detinebatur, ubi tantam phrenesim incidit, ut singulos sibi ministrantes conaretur occidere. Mitigata tandem phrenesi, à uinculis dimissus, nūquam stabilem tenuit gradum, sed in modum delirantis ambulabat.

Ragneta à Samagitis cincta.

Anno quo supra 1315. Samagitæ numeroso exercitu Ragnetam cinxerunt, & quum longum tempus in obsidendo castro non expugnato consumpserunt, conculcatis segetibus, & omnibus in circuitu uastatis atq; exustis, in Samagitiam reuersi sunt. Vitenen autem dux Lithuaniæ cœptum Samagiticum continuans, cum frequenti exercitu castrum Tristmemel obsidione uallauit, proiectioneq; machinarum decemseptem diebus expugnabat. Ducentos milites ab Henrico magistro Prusiæ missos, ad obsessos ingredi contendentes, ad unum omnes contriuit. Magistrumq; Prusiæ cū sex millibus armatorum uenientem, quum ab exploratoribus cognouit, in Lithuaniam se recepit. Quem magister Henricus non ualens consequi, terras hostiles nihilominus intrauit, & plures ex Lithuanis, aut occidit, aut captiuauit. Eodem anno Hēricus de Ploczk Saxo genere, & Marsalcus Prusiæ, cum proprio milite Lithuaniam ingressus. Districtum Pastovv uastauit & exussit, & quingentis Lithuanis captis, Prusiam reuersus. Plures milites ex Rheno in Konigsberg gratia exercendæ militiæ offendens, alteram illicò expeditionem in Lithuanos egit, castroq; Bisen conquisito, octuaginta Lithuanis, qui illic reperti erant, necatis, districtum Medniceñ. continua uastatione in fauillam redegit. Magister deinde Prusiæ Henricus cum maioribus copijs Lithuaniam repetens, exercitu quadrifariam diuiso, & populatione latiùs extensa, plures districtus Lithuanorum ad eam diem intactos, deuastauit, & magnum captiuorum ordinem ex Lithuania duxit. Frugibus autem ad maturitatem pertingentibus, iterum Marsalcus in Lithuaniam ingressus, & duobus castris Ingedin & Pistin expugnatis & exustis, sata omnia conculcauit, aut exussit. Eam molestiam Dauid Præfectus castri Lithuanorum Garthin ulturus, cum octingentis armatis Prusiam inuadēs, districtum Vunsdorff deuastauit. Quem Commendator de Capyovv dum rediret consequutus, certamine inito, captiuos liberauit, & quinquagintaquinq; occisis, cæteros in fugam uertit. Ab exordio institutionis denarij sancti Petri pro lampadibus, de qualibet domo & familia tres tantummodo obuli usuales, & auenæ cribrum soluebatur.

Districtus Pastow uastatur.

Cruciferorum uictoria.

Ingedin et Pistin castra expugnata.

Institutio denarij sancti Petri immutatur.

Hac autem prisca consuetudine anno Domini 1318. per collectores apostolicos abrogata, sancitum est ut de quolibet capite rusticani hominis, unum obulum usualem annuatim soluant, quod usq; in hanc nostram ætatem continuatur.

Restitutio Boleslao Bregēs. facta.

Anno Domini 1319 Boleslaus, Bregeñ. & Legniceñ. dux Conrado filio ducis Henrici Glogouieñ. cui Olszna obtigerat, propter Henrici quinti patris sui captiuitatem & depactationē bellum mouit, olim per auum eius Conradum Glogouieñ. factam, & aliquot certaminibus superatum, ad tantam ægestatem ipsum ducem Cōradum redegit, ut unum tantummodò equum, & pallium lineum, quo amiciebatur possideret. Ictoq; fœdere, ex sententia Baronum communium, Conradus Olesznēñ. Namislauiā, Beroltovv, Cruczbork, Piczczē, & Cunczestad duci Boleslao Bregeñ. restituere coactus est. Volauiam uerò & Lubeus compassus ægestati Conradi Olesznēñ. ei dimisit. Accessione autem tot bonorum Boleslaus sumptus prodigos iterum facere cœpit, intantum ut debitis uarijs inuolutus, oppidum Nyempcz cum suo districtu, duci Bernardo Svveidniceñ. Item Haynouiam & aureum montem creditoribus ciuibus Vratis. obligaret.

CAPVT XV. LIB. IIII.

Elizabeth regi Hungariæ nupta.

ANno Domini 1320. Vvladislaus Loktek rex Poloniæ, filiam suam Elizabeth nomine, die Dominica infra octauas Petri & Pauli apostolorū, Carolo regi Hūgariæ matrimonialiter copulauit. Hæc fœlicius duabus morte absumptis coniugibus regi Carolo nupsit, & commansit, filiosq; insignes ei genuit.

Ecclesia Cracouiens. extruitur.

Eodem anno 1320. Nankerus nobilis de domo Oxa, ex prouincia Oppolieñ. ortus in Episcopū Cracouiē. electus, ecclesia Craco. ueterē, angustū situ habentē, & humilibus structuris ædificatam, recentiq; incendio deformatā, deiecit, & nouā opere sumptuoso ex alba, & quadrata petra initiauit, latitudinē atq; lōgitudinē eius quantū spacia loci patiebantur extendens, quæ & qualis in hanc diem cernitur & permanet, hinc factum est ut

multa-

multa insignia sepulchra Principum & Pontificum, noua ædificatione superueniẽte, obruta perierunt. In ædificationem autẽ tam sumptuosam Ecclesiæ Cathedralis Craco. Nankerus Episcopus Craco. duas partes: Capitulares uerò tertiam, & clerus totius diocœsis Craco. subuentionem charitatiuam contulit. Cuiuslibet etiam beneficij & parochialis Ecclesiæ decollatione, siue spirituali, siue regia & laicali, uacantis, primi anni fructus pro fabrica Ecclesiæ exigebantur, & reddebantur.

Eodem anno Henricus de Plocko Marschalcus Prussiæ, habens secum quadraginta fratrum ordinis cum exercitu bene instructo, Lithuaniã ingrediens, districtum Mednicen. quàm latiùs potuit uastauit. Interim Lithuani & Samagitę, nihil ea uastatiõe deterriti, angustias unius saltus, quem Cruciferi in redeundo transituri erant, occupant, & maioribus arboribus circumquaq; succisis, insidias parant, dumq; Marschalcus Prussiæ & exercitus eius insidiarum ignarus saltum esset ingressus, à Lithuanis circumuentus, in primis ipse, deinde alij ad unum omnes aut deleti, aut capti sunt. Lithuani pro uictoria & spolijs hostium, dijs thura litantes, unum ex Cruciferis uocatum Gerardum Rudde de Samlenth, cum equo & armis in pira extructa incenderunt, & conflagrarunt.

Marschalcus Prußiæ Lithuaniam uastaturus ingreditur.

Ordinis milites uicti.

Anno quo supra, in festo exaltationis sanctæ Crucis, Lithuani terram Dobrzineñ. quæ tũc à relictis ducis Semouiti tenebaẽ, im,puisẽ uastauerũt, & oppido Dobrzineñ. exusto, cũ captiuis utriusq; sexus, ueloci fuga regressi sunt. Ioãnes rex Bohemię, et Comes de Luczemburg, sciens duces Slesiæ uiros simplices, calliditate sua eos ad se trahere cœpit.

Primum itaq; anno Domini 1322. Boleslaum ducẽ Zambiceñ. aliàs Monsterbergeñ. Bernardi ducis Svveidniceñ. germanũ, amplißimis promißionibus inescatum, induxit, quòd castrũ & oppidum Cloczko pro tenui pecunia ei uendidit, & resignauit. In quo homines & præda, & rapinis uiuentes locauit, ut cæteros duces Slesiæ spolijs uexarent, & discordiarũ semen iacerent. Vvratislauiensis insuper ciuitatis ambiens possesionem, Boleslaum Bregeñ. & Legnic. ducem, profusis donationibus contra germanum eius Henricum sextum ducem Vvratisla. subordinauit, qui dum bellis præmeretur, quum esset princeps pacificus, ad Vladislaum Loktek regem Poloniæ se conuertit, & Vvratislauieñ. ciuitatem sibi cum ducatu perpetuò resignauit. Vladislaus autem rex apprehensa possessione ciuitatis & ducatus Vvratis. aliquanto tempore ipsam gubernans, compassus paupertati ducis Henrici, Vvratislauiam sibi restituit. Quo audito Ioannes rex Bohemiæ exhilaratus, callidis blanditijs & iam non bello, sed liberalitate & astutia. Ad resignandum sibi ducatum & ciuitatem Vvratislauiensem ducem Henricum induxit, receptoq; oppido Cloczko in administrationem solum ad tempora uitæ Vvratislauiam perpetuò resignauit, cum graui iactura regni Polonię, de cuius corpore ducatus Vvratisla. erat, & cum iniuria fratrum Boleslai Bregeñ. & Vladislai Legniceñ. ducum, filiarumq; eius trium nubilium Offcze, Grithe, & Elizabeth, ad quos, & ad quas spectabat succesio hæreditaria. Ab eo ergo tempore ducum Vvratisla. cessauit succesio, ciuitate Vvratislauiensi obedientiam regis Bohemiæ profitente. Tandem Vladislao duce Legniceñ. ducatum suum Legniceñ. quem Boleslao Bregeñ. in triginta duobus millibus marcarũ obligauerat, uenalem exhibente, Ioannes rex Bohemiæ solita uafricia usus, cominatus est auferre ducatũ Legniceñ. Boleslao, nisi in suam & regni Bohemiæ ditionem concederet, qua denunciatione Boleslaus Bregeñ. territus, se & sua Iohanni regi Bohemiæ subiecit.

Variæ altercationes pro ducatu Vvratislauiensi.

Vvratislauiã ad Bohemos cessit.

Eodem anno Domini 1322. Bernardus dux Svveidniceñ. cum sua gente. Item Dominus de Sueuia: item duo Comites de Rheno: Item aliorum Christianorum exercitus Cruciferis de Prussia illum dirigentibus, in terras Samagitiæ & Lithuaniæ descendens, tres districtus Varken, Rusigem, & Klogen uastauit, & castrum Pisten conquisiuit, Barbarisq; prædictorum districtuum, callidè obedientiam promittentibus, à cæde & captiuitate temperatum est. Sub idem tempus Lithuanię dux, in Liuonia uastato episcopatu Darbatensi, & alijs districtibus, quinq; millia captiuorum & multitudinem spoliorum in Lithuaniam deduxit. Eam uastationem Christianorum exercitus uindicaturus, iam instante hyeme in Lithuaniam expeditionem egit, nullo tamen opere memorabili, asperitate hyemis præmente, edito, in Prussiam remeauit. Dauid uerò Capitaneus castri Lithuanorum Garthin frigore non torpens, cum frequentibus copijs, districtum Reuel in Liuonia uastauit, ecclesias incendit, sacra uasa recepit, sacerdotes aut occidit, aut cœpit. Et quinq; millia captiuorum cum ingenti præda in Lithuaniam intulit. Deinde sub eadem hyeme Lithuani & Samagitæ ciuitatem Memel, & tria castra in eius uicinio expugnauerunt, & conquisierunt, multisq; Christianis illic aut cæsis, aut captis, tam ciuitatem, quàm castra exusserunt. Post

Dauid Capitaneus Reuel uastat.

hæc districtum Vilovv adeuntes, strage magna edita, Commendatorem de Capyovv, cum suo exercitu occiderunt, & in multitudine captiuorum atque spoliorum Lithuaniam reuersi sunt. Mazouiæ etiam ducatum uastauit, Dauid Capitaneus Lithuanorum de Garthin, & pluribus uillagijs ac ecclesijs spoliatis & incensis, plures agrestes in Lithuaniam captiuos duxit. Sub eo tempore Carolus magister Prussiæ mortuus est, & pro eo Vernerus de Orzele substitutus est.

Carolus magister Prussiæ mortuus. Vernerus de Orzele magister Prussiæ.

CAPVT XVI. LIB. IIII.

ANno Domini 1323. Lithuani clandestinis itineribus subito insilientes, oppidum Dobrzinen. ipsum deprædati sunt, & conflagrarunt, in terramque Dobrzinen. senes & impuberes occidendo, festinè cum captiuis ad nouem millia æstimatis, in Lithuaniam redierunt. Ea propter Vvladislaus Dobrzinen. dux, & Vvladislai Loktek regis Poloniæ Germanus nepos, personaliter ad eumdem regem Vvladislaū Cracouiam ueniens terram Dobrzinen. cum suis municipijs ei perpetuo resignauit, quia ad ipsius defensionem & incursionem, tam à Cruciferis, quàm Lithuanis factam, & futuram intendere nō potuit. Precibusque porrectis pro se, & sua genitrice Anastasia relicta olim Semouiti ducis Dobrzinen. terrā Lancicien. obtinuit, terra Dobrzinen. gleba & introitibus multò superiorem, duntaxat ad tempora uitæ, quia orbus & sine prole fuit.

Lithuanorum excursio.

Anno Domini 1324. Dauid Capitaneus in Garthin, iussu Gedimini ducis Lithuaniæ oppidum Poltuvvsko episcopi Plocen. & centum triginta uillas in circuitu, in die sanctæ Elizabeth inuadens, cædibus, flāmis, & spolijs uastauit, & triginta Ecclesias parochiales igne deleuit, ac quatuor millia animarū in captiuitatē duxit. Alius quoque exercitus Lithuanorū in Liuoniā descēdēs, in aliquot locis eam uastauit, & prædā cum captiuis reduxit.

Polowsko oppidum uastatur.

Sequenti autem anno uidelicet 1325. Anna filia Gedimini principis Lithuanorum in coniugem duci Kazimiro filio Vvladislai regis Poloniæ, cum omnium captiuorū ex regionibus Polonorum per Lithuanos receptorum redditione pro dotalibus, adducta est. Et pax desiderabilis, ex hac affinitate inter Polonos & Lithuanos sequuta est. Año prǫexpresso 1325. iussu Vvladislai regis Poloniæ, milites Craco. & Sandomirien. Mazouiā hostiliter depopulati sunt, & ciuitate Plocen. conquisita, flammis ipsam exusserunt. Venceslaus enim aliâs Vanyek dux Mazouiæ, conditionis suæ oblitus, hostilitatem infestam cum Cruciferis Prussiæ regno Poloniæ inferebat.

Pax cum Lithuanis.

Anno Domini 1327. Principes Slesiæ, Oppolien. Tessnen. Glogouien. Zeganen. Olesznicen. Stinauien. & Falkembergen. suæ illustrissimæ conditionis ex regibus Poloniæ tractæ obliti. Obliti & libertatis, qua in illam diem perfuncti sunt, ad Ioannem regem Bohemiæ infestum hostem regis Vvladislai Poloniæ, defecerunt, iugo & feudo Bohemico sese supponentes. Causa non alia extitit, nisi liuor & acerba inuidia, quòd Vvladislaus Loktek sibi imposuerit regni Poloniæ diadema, ipsis inconsultis, unde illum non Poloniæ, sed Cracouien. regem uocitabant, & à suis subditis uocitari mandabant. In quorum ignominiam, quia absque legitima causa à regno secesserunt, factum est laudum in regno Poloniæ, quòd nullus illorum principum, quamdiu alienum iugum non excusserit, in regem, gubernatorem, aut Capitaneum in Polonia assumatur. Hinc factū est, sathana zizania superseminante, quòd principes & nobiles Slesiǫ, adeò Polonos exosos, & contēptos habere cœperūt, ut in casibus & infortunijs eorum, detractionibus & morsibus magnopere periclitentur. Ex hoc ægritudinem suam declarantes, quæ uterum suum à quo excidit, corrodit. Licet Polonia pietatis maternæ ubera, in eorum necessitatibus non auertit, sed solatur & reficit. Hinc etiam factum est, ut aquilam candidam uniuersale signum principum Poloniæ, duces Slesiæ, hi quidem in nigram, alij in glaucam, nonnulli in camporū uariationem, & colorum permixtionem permutarunt. Ne quid cōmune cum regno Poloniæ habere uiderentur. Census tamen & denarius sancti Petri, qui ex uniuersa Slesia summo Pontifici præstat. Sic & ecclesiæ Cathedralis Vvratislauien. per Boleslaum primū regem Poloniæ, & patrem suū Myeszkonē fundatio & dotatio. Cæteraque insignia clamant & demonstrant Slesiam, & Vvratislauiā regni Poloniæ prouinciam fuisse. Propitiatione diuina ad corpus, & unitatem regni Poloniæ postea reuersuram.

Principes Slesiæ ad Bohemiæ regem deficiunt.

Anno Domini 1330. æstas nimiū calida erat, ex nimioque feruore solis, ultra solitū cursum in Polonia segetes in debitā maturitatē ante festū sancti Ioannis Baptistæ perductǫ erant, & undis desiccatis, flumina suos alueos deseruerant. Anno eodē, Ciuitatē Rigen. cum omni Dominio ad Rigen. ecclesiam pertinentem, expugnauerūt & occupauerunt,

Aestas calida.

fratres

fratres Theutonici Sanctæ Mariæ de nigra cruce, in Archiepiscopum Rigeñ. fundatorem suũ usi officio. Quo Cruciferi de Prussia in reges & principes Poloniæ in occupanda Pomerania, & alijs terris usi sunt. Anno quo supra sedecimo Kalendas Iunij, Venceslaus, alias Vonyek filius iunior Boleslai ducis Mazouiæ crudelis, & sæuerus in milites & subiectos, in Vissegrod mortuus est, & in Ecclesia Ploceñ. sepultus, reliquit unicũ filium Boleslaum ex filia Gedimini ducis Lithuaniæ. Anno præfato die decimanona Octobris, Vernerus de Orzela magister Prussiæ multis uulneribus, in castro Mariemberg, ab uno fratre Crucifero Ioanne de Gindorff confossus, occubuit, in locũ eius Lutherus de Brunsuigk successit.

Venceslaus filius Boleslai Mazouiæ ducis moritur. Verneri mors. Lutherus magister Prussiæ.

Anno prædicto postulante rege Vuladislao Loktek à summo Pontifice pessagium cruce signatorum, & aliquot millia florenorum, contra Barbaros, Tartaros, ac Lithuanos, accepit rationes & excusationes summi Pontificis, & non ea, quę postulauit, tamen ne nuncij regij uacui redirent, gratiam anni Iubilei concessit, ea conditione, ut quilibet illam meriturus, duos aureos in capsam imponeret. Agebatur itaq; Cracouiæ annus Iubileus, pro festo sancti Stanislai in Maio tribus diebus, & in autumno festi eiusdem sancti Stanislai alijs tribus diebus, magna multitudine ex uniuerso regno Polonię, sed & ex Hũgaria atq; Slesia concurrente. Exinde non mediocris summa auri collecta fuit.

Anno Domini 1332. in festo natalis sancti Ioannis Baptistæ, Vincentius de Pomorzani palatinus Posnanieñ. cuius ductu & proditione Polonia ferè perierat, quamuis regio edicto in patria tutus consisteret, tamen eorum, qui uastati & incommodis confecti erant conspiratione, telis confossus, & obtritus, teterrimæ proditionis pœnas soluit.

Vincentius de Pomorzani mortuus.

CAPVT XVII. LIB. IIII.

AD surrogandum nouum regem in locum regis Vuladislai nuper absumpti, Prælati & Barones Poloniæ conuentu omnium terrarum apud Craco. agentes unanimi uoto ac uocatione ducem Kazimirum, filium præfati regis Vuladislai in regem Poloniæ elegerunt. Diemq; sancti Marci pro coronatione eius designarunt, regina autem Heduigis regis Vuladislai relicta, & ducis Kazimiri mater, quæstionem iniecit. Ne ipsa uiuente, Anna consors Kazimiri in reginam coronaretur, affirmansq; quòd unius regni una regina diademate sit insignienda. Expugnata tandem precibus ducis Kazimiri, quẽ tenerrimè diligebat, in coronationẽ Annæ cõiugis Kazimiri consensit. Ipsa aũt in cœnobium sanctimonialiũ monasterij in antiqua Sandecz se recepit, & professa regulam sancti Francisci, ieiunijs, orationibus reliquũ ætatis suæ expleuit.

Anno itaq; Domini 1333. in festo sancti Marci, quod in diem Dominicũ cadebat. Dux Kazimirus in regem, Anna uero consors ipsius in reginam Poloniæ, in ecclesia cathedrali Cracouieñ. per Ianislaum Archiepiscopum Gnezneñ. assistentibus ei Ioanne Craco. Ioanne Posnanieñ. Matthia Vuladisl. Stephano Lubuceñ. Episcopis & Baronum ac nobiliũ Poloniæ magna copia, inuncti & coronati sunt. Adiunctusq; est regi Kazimiro in gubernatorem (quoniã nõdũ ad maturã ætatẽ peruenerat) Iaszko de Melstein Castellanus Craco. uir industrius, & in remp. magni zeli. Cœpit aũt rex Kazimirus post coronationẽ, pacem regno ordinare, & bellũ cũ Cruciferis de Prussia, p ulteriores inducias ad festũ Ioannis Baptistæ anni sequentis suspendit. Cœpit & prædonũ atq; furum frequentiã exterminare, & publicas stratas purgare. Multosq; nobiles & uulgares furtis ac rapinis uiuere cõsuetos, neminem uereritus, suspendere, mutilare, partire, aut exilio damnare iussit.

Kazimirus coronatus.

Pacem regno afferre nititur.

Anno uerò Domini 1335. ex compromisso occasione terrarũ regni Poloniæ, per Cruciferos occupatarum, Carolus rex Hungariæ, pro parte regis Kazimiri, & Ioannes rex Bohemiæ pro Cruciferis, in die sanctæ Elizabeth in Hungaria, in castro Vissegrad conuenerunt. Rex etiam Poloniæ Kazimirus ad sollicitandum in sua causa, à magistro & ordine Cruciferorũ, Henricus Ruthenus Prouincialis Culmeñ. Marquardus de Spaneberg Thoruneñ. & Conradus de Brunestein Svvieczeñ. Commendatores, aduenerunt. Habita autem deliberatione regum arbitrantium, terras Cuyauiæ & Dobrzineñ. regi Poloniæ Kazimiro adiudicarunt. Terram autem Pomeraniæ, quæ ferati or est prædictus, Magistro & ordini Cruciferorum appropriarunt, quod rex Poloniæ Kazimirus, præuaricando paternum mandatum, quo moriturus interminando præcepit. Ne unquam super patrimonio suo terra Pomeranię cum Cruciferis paciscæretur, amaro corde, ne recrudescente bello ampliora perderet suscepit. Castro nihilominùs Nyeszkovv, quamuis de sorte terrę Cuyauię esse, circa Magistrum & ordinem manente, ut facultas utriusq; ripæ fluminis Istulæ apud

Sententia Hungariæ & Bohemiæ regum. eos remaneret. Sententia regum Hungariæ, & Bohemiæ sic incipit. In nomine Domini Amen. Nos Carolus & Ioannes Dei gratia, Hungariæ & Bohe. reges, perpetuæ memoriæ tenore præsentium notum facimus, quibus expedit uniuersis, cùm magnificus princeps Dominus Kazimirus eadem rex Poloniæ ex una, & religiosi uiri generales præceptores, & fratres uniuersi ordinis Cruciferorum de domo Theutonica parte ab altera, super terris & districtibus Culmeñ. Dobrzineñ. Cuyauiæ, Pomeranię & Thoruneñ. &c. Finis. Actum & datum in Vissegrad in Hungaria, præsentibus, &c. Anno Domini 1335. Dominica proxima post festum sanctæ Elizabeth.

Legitur in Chronica Hungarorum, quòd rex Poloniæ eo tempore Homagiarius, & subiugalis regi Bohe. fuisset, quòd quia nusquam alibi, uel apud Bohe. uel Polonos reperitur, errori historici ascribendum est. Post sententiam pronunciatam, requirente rege Kazimiro Magistrum & ordinē Cruciferorū, super resignatione terrarū Cuyauieñ. & Dobrzineñ. non aliter decisioni arbitrali sese parituros responderunt. Nisi rex cum Prælatis, Baronibus, nobilib. ac ciuib. regni Poloniæ, p patentes literas terris Pomeraniæ, Chelmeñ. & Michalouieñ. corporali etiā præstito iuramento, renuncient & se obligent. Quo responso in deliberationē & conuentum omniū Prælatorū ac Baronū uniuersi regni Poloniæ perducto. Noluerunt ullo pacto in ipsas conditiones cōsentire, sed si bellum inferretur repellere consultabant, & sedi Apostolicæ quæstum iri, eiusq; suffragium implorari. Ad quod opus prosequendum Ioannes Grothonis de Slupcza Craco. Episcopus, uir præstātis ingenij, & experientiæ, in Auinionem ad sedem Apostolicam missus est.

Episcopus Gracouienſ. ad ſedem Apoſtolicam.

Summus uerò Pontifex Benedictus duodecimus, regni Poloniæ quærela audita, & ueritate comperta, Sedis Apostolicæ nuncios uidelicet Galhardum de carceribus, Tituleñ. Præpositum, Coloceñ. diocœsis, & Petrum Geruasij Canonicum Aniceñ. in Poloniam cum cōmisionibus & largis prærogatiuis misit. Qui Apostolici nuncij tribunali in Varszouia posito, Theodericum de Aldemberg, Magistrum Prussiæ & ordinem Cruciferorum, ad quartam Februarij diem, per Nicolaum Præpositū sanctæ Crucis Oppolieñ. diocœsis Vuratislaueñ. per edictum citauerunt. Et quarta die Februarij, magistro Bartholdo, Alberti de Rathibor syndico Kazimiri regis Poloniæ, petitionem regis inscripto Iudicibus offerente Magister Iacobus, Plebanus de Arnoldi uilla, Culmeñ. diocœsis, pro parte Magistri, & Cruciferorum, appellationem à iurisdictione iudicum interponens, eamq; relinquens discessit. Iudices autem datis refutatorijs pronunciauerunt se iudices competentes, & causam ferè per unum annum cum dimidio continuantes.

Legati in Poloniam.

Anno Christi 1339. quintadecima Septembris, in Ecclesia sancti Ioannis Baptistæ Varszouiæ, regi Kazimiro, terras Pomeraniæ, Culmeñ. Michalouieñ. Cuyauieñ. & Dobrzineñ. adiudicauerunt. Copia sententiæ sic incipit. In nomine Domini Amen. Nouerint uniuersi, quòd nos Galhardus de Carceribus, Præpositus Tituleñ. Coloceñ. diocœsis, & Petrus Geruasij Canonicus Aniceñ. ecclesiarum, Apostolicæ sedis nuncij, & exequutores ac iudices. In causa quæ uertitur, &c.

Sententia legatorū Sedis Apoſtolicæ.

CAPVT XVIII. LIB. IIII.

Anno 1339. rex Kazimirus facto generali conuentu omnium terrarum regni, in Cracouia pro festo sancti Stanislai in Maio, eo quòd filium successorem non haberet, Ludouicum Caroli regis Hungariæ filium, & nepotē suum ex sorore germana regnaturum post se nominauit. Quum enim militum auxilia pro subsidio regni Poloniæ à Carolo rege Hungariæ, rex Kazimirus postularet. Interrogauit quid præmij pro talibus beneficijs rex Carolus habiturus esset. Kazimirus rex Poloniæ, Lodouicum filium eius tanquam nepotem suum post se regnaturū renunciauit. Ob hoc Carolus rex Hungariæ filios suos, Andream in Sicilia, Stephanum in Hungaria, & Lodouicum in Polonia regnare in animo destinauit, quod sic euenerat, sed alijs morte præoccupatis, Lodouicus in Hungaria & Polonia regnauit: Anna autem regina consorte sua, & filia Gedimini principis Lithuaniæ, eiusdem anni decimaoctaua mensis Iunij in castro Cracoui. mortua atque sepulta, & unicam filiam Elizabeth relinquente. Kazimirus rex cū certis Episcopis & magnificis personaliter septima mensis Iulij in Vissegrod Hungariæ perueniens, præfatū Lodouicum regē Poloniæ se absumpto, sub certis fœderibus, ac conditionibus successurum ore tenus designauit, & non duces Mazouiæ, nec Oppolieñ.

Ludouicus Hūgariæ designatur in regē Poloniæ.

Año uerò Domini 1340. Boleslao filio Troideni ducis Mazouiæ (qui Leopolieñ. ducatū, & cæteras terras Russiæ iure ppinqtatis ex morte ducis Leopolieñ. & Vvladimirieñ.

nactus

nactus fuerat) nono Kalendas Aprilis, aliàs in die Annunciationis Mariæ, ueneno per Ruthenos extincto, quoniam sectam eorum immutare conabatur, rex Kazimirus contractis copijs, concito cursu post octauas Paschæ, Leopolim obsedit, & per deditionẽ accepit: clenodiaq; magni ualoris illic repertẽs, scilicet, duas cruces aureas, notabili portione ligni dominici insignes, duo diademata, uniones, & lapides præciosos habentia, tunicã, & sellam auro & gemmis superba, in suũ redegit ærarium, tandem Vvladimiriã, tam arcem, quam oppidum in suam ditionẽ redegit. Castrisq; Leopolicñ. & Vvladimirieñ. ligneis exustis, ne ad rebellionem spectarent, in Cracouiã rediit, & thesauro deposito ac spolijs, cum maiori potentia & exercitu ex omnib. terris contracto, in Russiam reuersus, terras Przemislieñ. Luceñ. Vvladimirieñ. Sanoceñ. Lubaczovv, Trebovvla, Custan, aliaq; castra & ciuitates Russiæ, per uim aut ultrò se dedentibus sub una expeditione, unaq; æstate accepit. Nec ab illo tempore à regis & regni Poloniæ obedientia Russia desciuit, missisq; nuncijs rex Kazimirus, ad Henricũ Hassiæ Lantgrauiũ, filiam eius Adleydã uirginem in coniugem, anno Christi 1341. pro festo sancti Michaëlis accepit. Henricus autem Hassię Lantgrauius, qui sua præsentia personali Adleydã in Cracouiã adduxerat, duo millia marcarũ tantũmodo grossorũ Pragensiũ pro dote se daturũ inscripsit: Breuiq; rex Kazimirus Adleydam à facie sua, habens eam despectam relegauit, & in curia regia oppidi Zinouicz tanquam uiduam eam abundè in omnibus necessarijs prouidebat. Ipse uerò concubinis secundam pestiferam consuetudinem, aut incantationem utebatur.

Boleslaus ueneno à Ruthenis extinctus.

Kazimirus Leopolim obsedit.

Expeditio Kazimiri in Russiam.

Russiæ ultima deditio.

Kazimirus Adleydam Lantgrauij Thoringie duxit uxorem.

Propterea Henricus Lantgrauius Hassiæ, precib. suæ filiæ uictus, anno Domini 1356. decimooctauo Kalendas Octobris, Adleydam reginã cum omni supellectili ad eam pertinente, ex curia Zarnouieñ. per regem Kazimirũ latere cocto murata, accepit, & in Hassiam rege Kazimiro, & suis capitaneis non prohibentibus deduxit. Vbi prædicta regina non post longum tempus diem obijt extremum. Magistro autem Prussiæ & ordine Cruciferorum censuras ecclesiasticas per Galhardum, & Petrum iudices Apostolicos, usque ad sententiam interdicti inclusiuè latas non curantibus, & sola appellatione illudentibus, rex Kazimirus cum Magistro & ordine in Iunivvladislauia in die Mariæ Magdalenę, anno Domini 1343. per utramq; partem præstito iuramento, exceptis Episcopis Poloniæ, qui iurare noluerũt, sub iniquis conditionibus pacem composuit, cessitq; de iure, proprietate, & titulo terrarum Pomeranię, Culmeñ. & Michalouieñ. & de sigillo Maiestatis illum eradere se obligauit. Et terras Cuyauieñ. & Dobrzineñ. cum plenaria possessione accepit. Et pace cum Magistro confecta, eadem æstate contra ducem Henricum Zeganeñ. & fratres eius expeditionem cum plurimo apparatu egit. Primumq; oppidum Vvschovva obsidione cingens, demolitis, ruptisq; muris conquisiuit, & ipsam cum territorio regno Poloniæ restituit, prærogatiuam cudendi monetam eidem non abrogando.

Adleyda regina moritur.

Pax cum ordine.

Deinde in ducatum Zeganeñ. copias producens, castrum & oppidum Stinauiã in Polonico Stizyinavva appellatum, satis munitum expugnauit, & muros solo ęquauit. Insuper populationem in agros & uicos latius extendens, ad ciuitatem & castrum Zeganeñ. exercitum promouit: feroq; dux Zeganeñ. Henricus temeritatem suam perpendens, pacem per caduceatores petiuit, rex autem humiliatione hostium pacem fecit, & eam literis confirmauit. Sequenti autem anno imperator Tartarorum secretis nuncijs Daszkonis, quem rex Kazimirus capitaneum Przemislieñ. fecerat, & Danielis de Ostrovv inuitatus, ualidum exercitum ad uastandum Russiam & Poloniam, & ad rescindendum imperium regis Kazimiri misit. Rex autem raptim collectis copijs, in una fluminis Istulæ ripa, alterã Tartaris tenentibus, ne hostis fluuium superaret locauit. Aliquot igitur diebus hinc inde proiectiones ex arcubus, & balistis facientes, discesserunt Tartari, unico Alberto Czeleyo de Vvrzaui & Sepnicza, Palatino Sandomirieñ. de domo Habdanck Tartarico telo perculso occumbente, prædasq; agentes, ad castrum Lublin uenerunt, quod tunc ligneum erat, non tamen expugnare ipsum ualuerunt.

Stinauia expugnatur.

Tartarorum incursio.

Ioannes cœcus rex Bohemiæ senio confectus, etiam duodecima mensis Iulij, anno Domini 1345. in Czirzin ante Cracouiam uenit, & post duos dies repulsus. Alia historia habet post octo dies, à Cracouia uersus Bohemiam cum paucis discedens, reliquum exercitum suum bifariè diuisit, unumq; uersus Lelovv, alterum uersus Ilkusz uastatum ire Poloniam misit: quos milites regis Kazimiri, qui uersus Lelovv in uilla Biala, & qui uersus Ilkusz in uilla Pogonya consequentes, disiecerunt & prostrauerunt. Plurésq; ex eis captiuantes, inter quos erat Hinek de Damb, Zaiecz, Ptaczek, Alszo de Stramberg, & cæteros uinctos regi Kazimiro præsentarunt. Causa autem ingressionis Ioannis regis Bohe.

Ioãnis cæci Bohemiæ regis expeditio in Poloniam.

uersus Cracouiam,oblatio territorij Vvschovva,et incineratio ducatus Zeganeñ.fuit.Bohemi autem referunt non discessisse regem eorum Ioannem cœcum, nisi manu tacta porta ciuitatis Cracouieñ.secundum compactata.

CAPVT XIX. LIB. IIII.

Kazimirus iura dedit.

POstea sanctiones pragmaticas,seu iura regni municipalia, quæ in hanc diem Poloni colunt & obseruant,confecta & ordinata rex Kazimirus in conuentione generali,apud Visliczam oppidum Sandomi.pro dominica Lætare tenta,año Domini 1347.pronunciauit, publicauit, & teneri præcepit:quantum autem sint u tiata,quantumúe in certis passibus legi diuinæ & humanæ contraueniant,rectores Polonorum ratione,& intellectui uigentes,uideant,iudicent,& corrigant.

Kazimirus Russiam expugnat & imperio subiugat.

Anno item Domini 1349.comparato numeroso exercitu rex Kazimirus, terras Russiæ,castra & ciuitates,quæ nondum suo imperio parebant,expugnauit,& subiugauit,Luczko,Brzescze,Chelm, & eorum uicinia in suā ditionem redegit. Hisq́; secundis successibus elatus,ad incontinentiæ, impatientiæq́; pestes diuertit. Et regina Adleyda consorte sua,moribus honesta, spreta concubinarum amplexibus publicè utebatur, quarum greges in Opoczno, in Czechovv, in Crzeczovv, & alijs locis, quasi quasdam turpitudinis officinas locauerat. Pontificumq́; & Baronum suorum monita negligebat. Summi ergo Pontificis Clementis sexti Papæ, seuero processu, suggestione ecclesiæ Polonicæ Pręsulum,monitus est,ut omnibus concubinis relictis,in thoro,cōtinentiaq́; coniugali permaneret. Sed & uillas Episcopales, Zloteñ. potestatis prope Sandomiriam,uiolando libertates ecclesiasticas per Othonem de Pilcza, Palatinum & Capitaneum Sandomirien. de domo bipennium,tributis & laboribus seruire cogebat. Quam iniuriam Bodzantha Episcopus Cracouiens.rescindens,primum Otham de Pilcza,deinde regem Kazimirum censuris ecclesiasticis percelluit. Ad quas exequendas Martinus Bariczka Vicarius Ecclesiæ Cracouien.per Bodzantham,Episcopum Craco.missus erat. Tametsi rex Kazimirus iratus manus tunc à Bariczka contineret, ex post tamen satellitum suorū suggestione inflammatus,præfatum Martinum Bariczka in die sanctæ Luciæ compræhendi,& sequenti nocte in flumine Istula per Cochanum familiarem suum suffocari mandauit. Post hoc Deo puniente omnis prosperitas a rege Kazimiro & populo suo abscessit, & stirpem eius uindex iustus de regno Poloniæ eiecit. Lithuani etenim in terram Lukouieñ. & Radomieñ. postea quoq́; in Sandomirieñ.impetum fecerunt,& eas affligentes,raptam prędam hominum & pecorum abduxerunt.

Delictum Cazimiri.

Lithuanorum incursio in Poloniam.

Deinde uidentes sibi impunè Poloniæ uastationem prouenisse, Lithuani cum Ruthenis & Tartaris anno Christi 1351.omnes uillas in circuitu Leopoli, spoliarunt, ac incendijs consumpserunt. Et quatuor terras notabiles, uidelicet Belzeñ. Vvladimirieñ. Chelmeñ. & Bresten,à regno Poloniæ abstraxerunt. Ob hoc rex Kazimirus habens auxilium & copias Lodouici regis Hungariæ, grandem in Lithuanos egit expeditionem, & Vvladimiriensis terram, castrumq́; conquirens, etiam Keystutonem ducem Lithuaniæ in quodam particulari certamine, cæsis Lithuanis, cepit. Qui cum omnibus fratribus Lithuaniæ ducibus,& suis terris fidem se Christi suscepturum iureiurando promittens, à regibus comiter & honestè detentus est,sed reges deludens, nocte effugit: Fraterq́; eius senior Olgerdus dux Lithuaniæ sequenti anno promissionibus Tartaros euocauit, qui magna multitudine glomerati,terram Plodoliæ regno Poloniæ subiectā, uaria cæde & spolijs uastauerunt.Fuit autem Olgerdus pater & genitor Iagellonis,qui factus rex Polonię, Vvladislaus secundus fuit nuncupatus.

Keystuth dux Lithuaniæ.

Olgerdus Lithuaniæ dux pater Iagellonis.

Insuper Lubardus dux Lithuaniæ secretè ad ciuitatem Halicziensem, quæ per Kazimirum tenebatur,septima die Iulij,anno Domini 1353.perueniens,inducijs, inter regē Kazimirum & Lithuanos iureiurando firmatis,iniquè uiolatis,eam impugnauit, & magna multitudine ciuium atque mercatorum occisa, ciuitatem succendens, cum spolijs ueloci fuga in Lithuaniam redijt: prædaq́; in tugurijs deposita, cum maioribus copijs uersus Zauichost,nona die Septembris uenit,& uillas,atq́; rura in quatuor miliaribus à singulis partibus consistentes,spolijs,cæde,& igne uastauit, & antequam milites Polonorum arma sumerēt,raptam prædam in latibula Lithuanorum deduxit. Hæc mala propter scelera regis Kazimiri æstimantur prouenisse, maximè propter culpā in Christi Dominos Bodzantham Episcopum Craco.& Martinum Bariczkam patratam, ad quam delendā anno præcedēti,scilicet 1352.Albricū Cancellariū Dobrzineñ.& Plebanum Bochneñ. rex Kazimirus ad Clemētē sextū in Auinione misit,simulq́; ne Vvratisl.ecclesia à suo Gnezneñ. metro-

Pœnitētia Kazimiri.

metropolitano alienaretur. Carolus enim Romanorum, & Bohemiæ rex, missis solennibus nuncijs ad Papam, Pragen. Archiepiscopo eam subijci deposcebat, suscepitque, sustulit, ac deuotè rex Kazimirus omnes conditiones pœnitentiæ iniunctas peregit. Primum enim ius libertatis uniuersis uillis Ecclesiæ Craco. reddidit: Ecclesiamque Vislicien. quadra, & polita petra sumptuoso opere, priori Ecclesia humiles muros habente, demolita. Item Ecclesiam sanctæ Mariæ Sandomirien. item Stobniceen. Szidlouien. in Zagosz, & in Gargouu Ecclesias, in satisfactionem sceleris, & supplementum pœnitentiæ pulchris muris formauit. Obtinuit etiam præfatus Albricus à summo Pontifice, ut per decimam quadriennalem uniuersus Poloni clerus contra subitos Lithuanorum insultus subueniret. Obtinuit etiam, ne Ecclesia Vratisl. à corpore Gneznen. metropolitico scinderetur: deducendo in consistorio Apostolico euidentibus probationibus à Regibus, & ducibus Poloniæ eam fundatam, & dotatam, prout superiùs dictum est. Sub eo quoque tempore Kazimirus rex Poloniæ certo priuilegio, Ecclesiæ, & diocœsi Craco. concesso, omnes colonos, & rusticos ad ducendum manipularem decimam, ad loca per dominos decimarum electa, perpetuò esse astrictos decreuit. Considerans quoque Rex Kazimirus perniciosas in Maydenburg ex regno Poloniæ appellationes, fortunas atque substantias subditorum deuorantes. Ius supremum Teuthonicale in castro Craco. anno Domini 1356 constituit, aduocatum per solum Regem eligendum. Septem uerò Scabinos ex certis ciuitatibus Craco. urbi uicinis, per procuratorem generalem Craco. legendos commisit, & prouocationes ad Maydenburg peramplius fieri per patentes literas prohibuit, quarum tenor sic incipit: In nomine Domini, amen. Quoniam humana conditio, &c. Et quia eo anno 1356 regina Adleyda (per Henricum Hassiæ Lantgrauium genitorem ipsius ex Zarnouiecz in Hassiam reducta) rebus humanis excesserat. Ideò anno sequenti, uidelicet 1357 rex Kazimirus tertiam uxorem Heduigim uirginem, Henrici Glogouiensis ducis filiam, moribus, & forma spectabilem, sibi matrimonio collocauit.

Pœnitentia Kazmiri.

Ius Teuthonicum in castro Cracouien. institutum.

Appellationes in Maydeburg prohibitæ.

CAPVT XX. LIB. IIII.

PRæterea orta contentione de principatu, & successione in locum Stephani Moldauiæ Voyeuodæ inter duos fratres, Stephanum, & Petrum præfati Voyeuodæ filios, Petrus minor natu eo, quod liberalioris esset ingenij, fauore maioris partis Valachorum, & subsidio Hungarorum, Stephanum maiorem natu expulit. Is ad Kazimirum Regem Poloniæ confugiens, se per illum in principatum restitui petiuit. Rex autem Kazimirus anno Domini 1359 post diem Apostolorũ Petri, & Pauli cum eo exercitum militum ex terris Cracouiens. Sandomirien. Lublinen. & Russiæ misit. Hi post aliquot fœlices particulares triumphos, syluam uastam, Plonini, à solitudine (eò quòd profectum non ferat) dictam, in terra Sepeniceen. sitam, ingressi, arboribus succisis, & subserratis ordinatione Petri minoris natu obruti sunt. Valachi siquidem arbores succisas impellentes, alia in aliam cadente, atque uiciniorem præcipitante, uiros, equos, armaque sine bello attriuerunt, & deuicerunt. Pluribus exanimatis, alijs in manibus, pedibusue, aut alia parte corporis mutilatis. Cætera multitudo inopinato casu perculsa, in deditionem, & captiuationem uenit. Ea clade Kazimiro nunciata, illicò misit, qui omnes captiuos milites, & uulgares redimerent, & facili ære redimerunt. Captus fuit in ea clade Sbigneus de Olesznicza de domo Dabno, Sbignei Cardinalis, & Episcopi Craco. auus, qui in diem mortis propter tibiarum uiolationem claudicauit. Nauogius de Tanczin, filius Andreæ de Tanczin palatini Craco. quum inter tumultus manus Valachorum effugisset, ex loco cladis Romam adijt, & se presbyterum ordinari disposuit. Et pòst in patriam reuersus, in decanum Cracoui. fuit promotus. Ea quoque clade undecim signa capta fuêre, regia seu terrestria tria Craco. Sandomirien. & Leopolien. Militaria nouem uidelicet Bipennium, quod præfatus Nauogius erexerat: alterum de Leliua: tertium Vulpium: quartum Rauitarum: quintum Griphonum: sextum Strenicuitarum: septimum Habdankonum: octauum Volukossarum: nonum Streparum: tandem charistia, & atroci fame in regno Poloniæ, & uicinis eius exorta.

Poloni à Valachis cæsi.

Clades Polonorum.

Fames ualida.

Anno Domini 1362 rex Kazimirus horrea sua in singulis terris regni sui frugibus abundantia aperiri, & moderato precio uendi iussit. Poprij autem homines pecunias ad emendum non habentes, rerum commutatione aut labore, præstitum frumentum merebantur. Castrorum, & ciuitatum fabricas, & muros, piscinarum, & fossatorum aggeres, & alueos, tum aquę ductus, & ædificiorum uariorum structuras extendendo. Ex quibus illud memorabile fossatum, quod à Cracouia uersus Bochnyam tendit, & flumine Istula in id immisso, ligna per id, & sal traduci destinabat, adhuc eminet, & apparet.

Liberalitas Regis.

Anno autem Domini 1363 bella parantes, Carolum Imperatorem Romanorum, &

regem Bohemorum Ludouicum Hungariæ, Kazimirum Poloniæ, & Sigismundum Daciæ reges: eò quòd Imperator Carolus coram nuncijs Ludouici Regis Hungariæ dixerat eius matrem parùm pudicam. Vrbanus Papa quintus, per religiosum fratrē Ioannem ordinis minorum, prudentia ac eloquentia pollentem composuit. Is namq; prostabilienda inter reges pace persuasit, & induxit, ut illustrem uirginem Elizabeth Boguslai ducis Stolpen. filiam, Kazimiri uerò regis Poloniæ ex filia Elizabeth neptem, ac Ludouici regis Hungariæ consobrinam, ex amitali sorore susceptam Carolo regi Romanorum, & Bohemorum, cui tres coniuges, Blanka, & Anna, atq; Mecellina breui discesserant, in uxorem desponsarent. Ad quod Apostolicus nuncius (ita enim per Carolum Imperatorem rogatus erat) pro carnispriuij diebus nuptias constituit. Ad futuram itaq; nuptiarum solennitatem, auus uirginis Kazimirus rex Poloniæ, uicinos reges, & principes, uidelicet Ludouicum Hungariæ nepotem suum Sigismundum Daciæ, & Petrum Cypri reges Othonem Bauariæ, Semouitum Mazouiæ, Boleslaum Suuidnicen. filium sororis suæ, Vladislaum Oppolien. & cæteros principes corrogauit ac inuitauit. Rex Cypri per mare in Valachiam uectus, tandem in terras Rusiæ: Sigismundus uerò rex Daciæ in Stolpen. ducatum mari adueniens, cum duce Stolpen. affine suo, & uirgine Elizabeth, sumptibus regis Kazimiri: Ludouicus autem rex Hungariæ per Sandecz in Cracouiam aduenerūt. Tandem Carolo regi Bohemiæ, & Imperatori, quatuor reges, Hungariæ, Poloniæ, Daciæ, Cypri, cum principibus, & multitudine copiosa ad unum milliare egredientes, accurrerunt, ipsum cum omni honore benignè excipientes. Dumq; urbi appropinquaret, uirgo Elizabeth cum patre duce Stolpensi in regio apparatu multis comitata uirginibus, Carolum futurum maritum excepit. Processiones deinde omnium Ecclesiarum, & statuum Craco. ciuitatis subsequutæ, exceptione sua diem in uesperum prorogarunt. Regibus omnibus speciales thalami, & habitationes purpuris, & cortinis, auro, gemmis, & ostro, superbè in castro Craco. decoratæ: cæterisq; principibus, & Baronibus honesta hospicia, omnibus necessarijs ad usum, uoluptatemq; hominum plenè distributa, singulis non solùm uictualia largissimè, sed etiam quæ cuiusq; postulasset priuata necessitas, in abundantia ultrò largita sunt, & ultra necessaria omnium rerum in hospitia importata. In circo ciuitatis Craco. in certis locis, dolia, uasaq; plena uino, & alia grano auenæ locata fuēre: ex quibus singuli hospites, & inuitati pro libidine hauriebant. Tertia die aductus Caroli Imperatoris in Cracouiam, uirgo Elizabeth ducis Boguslai filia, in Ecclesia maiori Craco. præsentibus regibus, Iaroslao Archiepiscopo Gneznen. uerba dicente, Carolo Imperatori desponsata, & in matrimonium tradita est: cui Kazimirus rex Poloniæ centum millia florenorum in dotem dedit. Instaurati sunt postea chorearum, hastarum, & plausuum ludi, Reges, Principesq; Rex Kazimirus delicatis cibis, opiparè tractans, reficiebat, & post singula fercula omnibus diebus singulis regibus, & hospitibus magni precij munera misit. Vierzinek consul Craco. genere nobilis, & natione Rhenen. de domo & armis Lyagoda, omniū officiorum in curia Regis gubernator, introituumq; & pecuniarum regalium receptor ac dispensator, quinque Regibus, & uniuersis principibus, in domū suam ad prandium inuitatis. Impetrata à regibus licētia, ut iuxta propriū arbitrium, loca regibus distribueret: Kazimirum Regem Poloniæ primum: secundum Carolum Romanorum, & Bohemiæ Regem: tertium Hungariæ: quartum Cypri: & ultimum Daciæ, Reges locauit, ratione reddita, quòd nulli magis, quàm domino suo Kazimiro pro immensis beneficijs, ad fauendum amplissimum honorem obligaretur, quos cibarijs delicatis reficiens, etiam unicuique excellentia munera inter prandendum obtulit. Verùm Kazimiro Regi Poloniæ, alijs Regibus inspectantibus, quæ obtulit, tanta fuisse perhibentur, ut summam centum millium florenorum excederent. Diebus conuiuij (qui usque in uigesimum diem differebantur) peractis: firmata inter Reges, & Principes amicitia, & icto perpetuæ pacis fœdere, sacramenti iuramento firmato, missis inter se muneribus, in regna principatus, & dominia sua, Kazimiro per Præfectos, & prouisores suos, usquequò proprias regiones contingerent necessaria administrante, digressi sunt.

Rex Herorum suscepta.

Nuptiæ ingentes Cracouiæ hospites.
Imperator.
Rex Hūgariæ.
Rex Daciæ.
Rex Cypri.

Virzinech Teuthonici magnificentia, & liberalitas.

CAPVT XXI. LIB. IIII.

Kazimiri in Lithuania bellum.

Deinde Rex Kazimirus ualido exercitu ex uniuerso regno Poloniæ generali expeditione contracto, anno Domini 1366 post festum Ioannis Baptistę, terras per Lithuanos quindecim annis occupatas, recuperauit, Bresten. Lucen. Chelmen. & Belsen. Sed dux Georgius, qui Belsen. terram occupabat, eam blanditijs, non hostem, sed feudalem se asseuerando, ementitus, & sub fraude obtinuit. Et eidem Rex Kazimirus terram Chelmen. cū castro in administrationē dedit. Portionem uerò terræ Vuladimirſen. Alexandro duci Lithuaniæ, filio Keystutonis, & Olgerdi ne-

pot/

poti uiro expertæ, sinceræq; fidei, in gubernationem commisit, & in Poloniam exercitum reduxit.

Dum autem altera die post festum Natiuitatis Mariæ anno Domini 1370 ceruum fugientem circa Przedborz uenando, auidius sequeretur collisus, adeò uehementer concussus, in tibia sinistra uulneratus, & febre correptus est, ut non nisi in curru ueheretur, sed cura medicorum à febre liberatus, in Sandomiriam transiuit, & spretis medicorum, præsertim magistri Henrici de Colonia uiri conscientiosissimi consilijs, inordinatè utendo fructibus, crapula, & balneo, in grauem recidiuam (iuxta quod præfatus Henricus medicus prænunciauerat) incidit: sentiensq; morbum inualescere, uersùs Cracouiam processit, dum quoq; in Ossek perueniret, magistri Matthæi alterius medici assensu, cæteris medicis improbantibus, medonem bibens, in fortiores febres deuenit. Cumq; penultima Octobris in Cracouiam adductus, uahidiùs ab ægritudine premeretur, medicis longam uitam dilatatis sermonibus portendentibus, rex se debiliorem intelligens, tertia die Nouembris accersitis in cubiculum Floriano Episcopo Craco. & Vuladislao duce Oppolien. nepote suo, ex Elizabeth filia sororis suæ, per Ludouicum Hungariæ regem ad uisitandum regem Kazimirum misso, testamentum condidit. Duabus filiabus suis uirginibus Annæ, & Heduigi, ex Heduigi filia Henrici Glouien. susceptis, omnia ornamenta lectorum, cortinas, & uelamenta de bisso, purpura, gemmis, margaritis, & lapidibus preciosis. Item omnes scultellas ex puro auro fabricatas. Item omnium uasorum iocalium & clenodiorum de argento medietatem, reliquam uerò medietatem Heduigi consorti suæ. Itē nepoti ex filia Elizabeth primi matrimonij Kazimiro filio Boguslai ducis Stetinen. Siradien. Lancicien. & Dobrzinen. ducatus, & quatuor castra Crusuiciam, Bidgostiam, Balathouu, & Valcz. Item ecclesiæ Craco. crucem magnam auream, pluribus gemmis & lapidibus ornatam, quæ decem millibus florenorum pensabatur. Item ecclesiæ Gneznen. delatorium sacramenti, uulgò monstrantiam dictum argenteum, deauratum, reliquis sanctorum refertum, & bibliam decoram. Item brachium sancti Cosme in reseruaculo argenteo deaurato, ecclesiæ Posnanien. Item Sbigneo Przedborio & Paccossio filijs, Sbignei de Brzeze, oppidum regium Vulodzislauu cum aliquot uillis. Item duobus filijs suis naturalibus, Niemyerze quem ex Iudęa susceperat, & Ioanni Boguecze, uillas Cuthauu, Iurznicz, & Drugnia, & alias uillas. Item Ioanni Zaclika castrū Miedzigorze in terra Sandomirien. Iaszkoni Zarouuski Podgaye, Paulo Zlodzey Nycklay. Et pluribus alijs aulicis & seruitoribus uillas, aduocatias, pecunias dedit & legauit. Executorem huiusmodi testamenti Ioannem de Strzelcze, Szuchiuilk cognominatum, Grzimalitam Decanum Craco. & Cancellarium regni Poloniæ constituens. His itaq; compositis, sacramentis eucharistiæ & sacræ unctionis perceptis. In palacio inferiori amplo castri Cracoui. ad meridiem sito, feria tertia proxima ante festum sancti Leonardi, quæ fuit quinta Nouembris, anno ætatis suæ sexagesimo completo, circa ortum solis, spiritum Deo reddidit, tertia autē die mortis suæ, quæ fuit septima Nouembris, à tribus Pontificibus Iaroslao Gneznen. Floriano Craco. & Petro Lubucen. à Vuadislao duce Opolien. & Baronum ac popularium frequenti numero, in latere dextro prope maius altare in Ecclesia Craco. sepultus. Sepulchrum successu temporis tabulis, imaginibusque marmoreis postea extructum, ornatumq; est. At Semouitus Mazouiæ dux, morte Kazimiri audita, castra illicò Ploczko, Rauua, Gostinin, Vissegrad, & Szochaczouu accepit, & ea sibi appropriauit. Fuit autem rex Cazimirus, crassus, & medius corpore, fronte uenerabilis, crine plurimo, & crispo, barba promissa, uoce aliquantulum balba, sed sonora. In commessationes, & Venerem, cæterasq; uoluptates præceps, in patriam clemens, in subditos modestus, in mulieres intemperatus. Regnauit annis quadraginta, hic ex omnibus regibus, & principibus, quos unquam Polonia habuit, regnum Poloniæ magnificauit, templorum, castrorum, ciuitatum, & curiarum uaria structura. Castrum Craco. palacijs, turribus, tectis, & picturis ornauit: item ciuitatem Kazimiriam, Cracouiæ iunctā erexit, muro cinxit, & de suo nomine Kazimiriam uocauit: item Vieliczkam, Skauinam, Ilkuss, Bandzin, Lelouu, Sandomiriam, Visliczam, Opoczno, Szidlouu, Radom, Vauelnicza, Lublin, Stauissin, Calis, Pisdri, Vielun, Konin, Lanciciam, Piotrkouu, Ploczko, Iuniouulodz, Leopolim, Sanok, Crosnam, Czchouu muris cinxit. Item castra, & curias Posnanien. Kalissien. Sandomirien. Lublinen. Leopolien. altiùs & inferiùs, Pisdren. Vielunen. Siradien.. Lancicien. Plocen. quod murum habuit, ipse alium addidit. In Kolo, Nyepolomicze, Szidlouu, Bolesczauiz, Ostrzessoau, Przemislien. Lanckoronam, Lelouu, Bandzin, Ocecz, Crzepicze, Czorstē, Szeczechouu, Solecz, Zauichost, nouę ciuitatis dictū Korcin, Konin, Nakel, Vielen, Miedzirzez, Cruswicza, Zlothoria, Przedecz, Bidgostia Labaczouu, Trebouula, Halicz, Custan, Opoczno, Przisouu, Rauense, Vissegrad,

Aegritudo Kazimiri.

Testamentum pro sua prole.

Kazimiri mors.

Bene gesta eius memoratu digna.

Extructiones ciuitatum, castrorum, templorum, hospitalium.

ſegrad, Przedborz, Brzeſnicza. Item ſacras ædes, & templa, duas Eccleſias in caſtro Craco. uidelicet ſancti Michaëlis, & ſancti Georgij. item hoſpitale in Stratomya. item Sandomirien & Viſlicien. collegiatas. In Stobnicza, Szidlouu, Lapſzicze, Karguu, Niepolomicze, Solecz, Opoczno, Korczin, ſancti Stanislai in rupella: item teſtudinem Eccleſiæ Craco. Cathedralis ſtellis deauratis decorauit, & chorum eius plumbo texit. In eadem cathetrali ſacellum aſſumptionis beatæ Mariæ, & aliud apud prædicatores conſtruxit, & exornauit: item monaſteria in Piotrkouu, Lancicia, noua ciuitate Korczin, & alia conſtruxit, picturis, tectiſq; decorauit. Ac eiſdem Eccleſijs, & monaſterijs, calices, cruces, & libros, iuxta magnificentiam regiam donauit. Item in circo Craco. palacium cum officinis ad uendendum pannos, & mercantias, uulgariter pannicidium nuncupatum. Et hortum ferarum uulgò ferale aliàs teritrophium appellatum hodie demolitum, cuius ruinas, & portiones cum altiſsimis arboribus ante ingreſſum adoleſcentiæ meæ præueni, & perſpexi, nunc indicijs eorum non apparentibus, condidit ac muro extruxit. Et quidquid Polonia in caſtris, ciuitatibus, Eccleſijs, curijs, muratum continet, id pro maiori parte ab ipſo Kazimo, & ſuis ſumptibus eſt perfectum. Et licet ipſe incontinens fuerit, clericos tamen bonæ conuerſationis, & caſtos plurimùm dilexit: eiſq; prælaturas ac beneficia Eccleſiarum, de infima plebe exiſtentibus, ultra nobiles, & ſeruitores ſuos conferebat. Omnes peculiari cura ſpirituales adhortando, ut circa ſuas Eccleſias reſidentiam facerent perſonalem. Colonis & ſubditis agreſtibus, à nobilibus, & militaribus ne fierent oppreſsiones, & iniuriæ, ſummè prouidebat. Fures & prædones etiam quantumcunque fuiſſent nobiles, ſuſpenſi, decollari, uel alia nece interimere iubebat, humanas minitationes non metuens. Calumniatores uerò ſi quoſpiam repetit, ferro ignito in facie aduri mandauit. Exempto quandoq; maiori nummo, homini uillano de ſua heroa querenti monuit, ut ignili cõparato, & ſilice, in campo reperto, ſi aliter non daretur, incendio ſe ultum iret, tradidit: eaq; licentia multorum militarium, ſubſtantias ſuorum ſubiectorum per iniuriam expilantium, refrænauit.

Emporium. *Ferale.* *Canonica Prælatorũ electio.*

CAP. XXII. LIB. IIII.

ANno Domini 1335 ingens multitudo locuſtarum per turmas, & turmas diuiſa, in Poloniam ſpicis luxuriantibus uenit. In ea frequentia, & ſpiſsitudine, ut radios Solis obumbraret, & tanta altitudine, ut ungulas equorum excederet. Abraſerunt ubicunque deſcenderunt ſuo morſu, frumenta, herbas, & gramina. Poſt locuſtas, ualidiſsimus uentus, uniuerſum Poloniæ regnum concutiens, domus, & arbores euertẽs, incœpit, & ſuperuenit, uigeſima nona Septembris, & pluribus diebus durauit. Eodem anno tredecima menſis Iulij, Boleslaus dux Bregen. monaſterium ordinis fratrum minorum in oppido ſuo Brega fundauit, quod Nankerus Epiſcopus Vuratisla. auctoritate Ioannis Papæ uigeſimi ſecundi, in anno ſequenti uigeſima nona menſis Iulij confirmauit. Eodem anno mortuo Luthero de Brunſuuigk magiſtro Pruſsiæ, Theodricus de Aldemburgk Marſchalcus, Saxo genere, à captiuitate Polonica liberatus, in magiſtrum ſucceſsit.

Locuſtæ in Polonia. *Monaſterium Bregen. erigitur.* *Theodricus de Aldemburgk magiſter Pruſ.* *Monaſterium in Ratibor fundatur.*

Anno Domini 1336 Przemislaus Rathiborien. & Oppauien. dux, monaſteriũ ſanctimonialium ordinis prædicatorum in Eccleſia Sancti ſpiritus in Rathibor fundauit, deditq; illi dote uillas ducales, molendina, & plures libertates. Proceſſu autẽ temporis Euphemia aliàs Offka princeps Mazouiæ pro eodem monaſterio oppidum Iauorouu cũ ſeptem uillis coëmit, quod & quas Nicolaus dux Rathiborien. filius Ianuſſij uiolenter occupauit, & ſibi appropriauit: filijq; ſui Vuenceslaus, & Ianuſsius haud ſecùs, quàm hæreditaria ſpretis Apoſtolicis cenſuris inter ſe diuiſerũt: Boleslaus Bregen. & Legnicen. dux prodigè uiuendo ferè omnia conſumpſit, ut de cætero unde ſe aleret, non haberet.

Mortua interim ſua conſorte Margaretha, filia Vuenceslai regis Bohemiæ, aliam de Cracouia Catherinam, anno Domini 1336 ſuperduxit: doteq; per eam allata, Bregam & Olauiam redemit, & in Brega ſuum domicilium conſtituit, terram autem Legnicen. uarijs pecuniarũ ſummis grauatam, filijs ſuis Venceslao, & Ludouico dedit, ut ſibi quantum ſcirent, conſulerent. Qui ſuffragio à militaribus, & agreſtibus petito, & obtento, Legnicen. terram à creditoribus liberauerunt. Nonnullis creditoribus conditionem eorum miſerantibus, ſuarum pecuniarum portionem remittentibus.

Anno quo ſupra triceſimo ſexto ſupra mille trecentos, ſedecimo Kalendas Nouembris duces Lithuaniæ, filij Gedimini, Olgerth, Keyſtut, Koributh, Patrikyg, Lubardus, Szuriuuil, Buthauu Mazouiam ingreſsi (quamuis affinitatem, & pacem cũ ducibus Mazouię iunxerant, & firmauerant) eam hoſtiliter prædati ſunt, & exuſſerunt. Et pluſquam mille ducentos Chriſtianos, & pecora in Lithuaniam abduxerunt. Eodem anno adueniente

Lithuania uaſtata.

niente exercitu ex Alemannia in Prussiã, in quo erãt Marggrauius Brandenburgen. Comes de Namen, & Comes de Hennenbergk, in terras Lithuanorum ingressi sunt, & castrum Pullen oppugnauerunt, in quod Lithuani, ad quatuor millia hominum, cum coniugibus, pignoribus, & fortunis confluxerant. Et quanquam Lithuani probè restitissent, tamen castrum ex frequenti proiectione machinarum dirutũ, & expugnatum iri uidentes, in castri medio rogo extructo, omnes fortunas suas, & substantias incenderunt: coniugibusq́, & paruulis trucidatis, iugulum præfecto castri omnes præbuerunt, ne uiui in hostium manus uenirent. Et Christiani castrum irrumpentes, paucos ex tanto numero superstites repererunt, & hos aut necarunt, aut captiuarunt. Castro incenso, & funditùs demolito, regioneq́ in circuitu uastata, in Prusiam redierunt.

Cruciferorum uictoria.

Anno Domini 1337. Ioannes rex Bohemię castrũ Mielicz sibi dari mandauit, quod Nankerus Episcopus Vuratisl. tanquã uir Heroicus denegauit. Ob hoc Ioannes rex Bohemiæ misso exercitu, castrum Mielicz obsidione cinxit, & quum eius expugnatio difficilior uideretur, uafriciæ solita usus, ad Henricum de Virbna Archidiaconum, & Canonicum Vuratisla. administratorem castri, familiares, & notos cum lagenis uini meri, sciens ad potationes uinorum auidum, & inclinatum, misit. Quumq́ inebriatum tum blanditijs, tum terroribus, de resignatione castri requirerent, Henricus Archidiaconus uir pauidus nulla eum necessitate stringente, castrum Mielicz resignauit, & de ipso excessit. Nankerus ergo per literas, ablatum castrum restitui Ecclesiæ apud Ioannem regem laborauit. Quo abnuente totam diocœsim Vuratisla. interdicto supposuit. At ubi Ioannes rex Bohemiæ Vuratislauiam aduenisset, plures super castri Mielicz restitutione interponebantur tractatus, quos dum uideret Nankerus in irritum cedere: cùm quatuor tantum modò Prælatis, & Canonicis, cæteris metu se subtrahẽtibus, uidelicet Apeczkone Scholastico, qui postea in Lubucensem Episcopum fuit promotus, Othone de Domy, Cunczkone de Szalkouu, & Petro de Bitkouu, in monasterio minorum sancti Iacobi regem in parua stubella refectorio proxima se continentem, gestans in collo stolam, & in pectore crucem, intrepidè accessit. Inquiens, moneo te Domine rex primò, item secundò, item tertiò, & peremptoriè, ut castrum Mielicz à te uiolenter occupatum, mihi & Ecclesiæ meæ Vuratisla. reddas. Denegante autem restitutionẽ, tum Nankerus cruce in manu cũ ligno Dominico accepta. Auctoritate, inquit, omnipotentis Dei, te uelut Ecclesiasticorum bonorũ inuasorem excõmunico, excommunicatumq́ denuncio, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, amen. Ioannes rex in furorem uersus, quàm temerarius est, inquit iste Pop, id est, sacerdos, querit sui interfectorem. At ego à sanguine suo me continebo. Egredientem à conspectu Regis Episcopum, Consules Vuratislauienses carpebant, quod alijs uijs neglectis Regem excommunicauerit. At ille: ego uos consiliarios, & adiutores suos, eadem auctoritate Dei omnipotentis, qua & Regem uestrum excommunico, & excommunicatos decerno. Sed neq; Rex uester glorietur se fore Regem, quum magis regulus, quàm Rex sit extimandus. His uerbis Rex duriùs, quàm censuris se læsum existimans, nuncios ad Episcopum Nankerum misit, ut qua ex causa Regem Bohemiæ putaret Regulum, non Regem appellandum edissereret. Quibus Episcopus, qui in suo regno Metropolitano caret, & in coronatione sua, precĕ, & precio aliarum nationum Archiepiscopos conducit, regulus est, & inter omnes Catholicos Reges minimus. Sugillatio huiusmodi Ioannem Regem Bohemię adeò mouit, irritauitq́, ut ex Pragen. Ecclesia metropolitanam creari temporis processu procurauit. Post triduum discedens Nankerus in Nissam cum omni clero sæculari, & regulari, quem rex quia appellationi à se factæ non adhærebat, eijciendum mandauit: & omnes Ecclesias obserari iussit. Rege autem mandante, & ciuibus Vuratislauien. Ecclesijs per uiolentiam patefactis, celebrare diuina presbyteri uagi, & discoli cœperunt, populo autem communi fastidiente Ecclesias ingredi, compellebatur à lictoribus, & recusantibus uestes detrahebantur. Post alias tandem maiores censuras, tam in Regem Ioannem, quã consiliarios eius, & ciues Vuratisla. latas, rex furore plenus, bona temporalia Episcopi, ac omnium Ecclesiarum, & monasteriorum ducibus Slesiæ occupare iussit, sed omnibus alijs iussionem detestantibus. Boleslaus Bregensis dux, inopiæ suæ succursurus, oppida, uillas, decimas, & introitus omnium Ecclesiarum in suo ducatu Bregen. inuasit, & diripuit. Pro quo ipse, & terra sua, quod longo tempore pertulit, supposita interdicto fuit. Summus Pontifex Benedictus duodecimus etiam confirmauit, & aggrauauit sententias Nankeri Episcopi. Nec priùs respondit se Ioanni regi requirenti, & petenti absolutionem impensurum, donec de castro Mielicz cæderet, & bonorum Ecclesiæ plenam faceret restitutionem. Sed Rege aliquot annis cum ciuibus Vuratislauien. anathema tollerante, Ecclesia Vuratisla. direptionem Ecclesiasticorum introituum pertulit.

Castrum Mielicz obsidione cingitur.

Nankerus Episcopus castrum repetit.

Ecclesia Pragen. Metropolitana facta.

Bona Episcopi occupata.

CAPVT XXIII. LIB. IIII.

Ingressus Lithuanorum in Mazouiam.

Anno quo suprà in festo sanctæ Heduigis: Lithuani furtiuis itineribus Mazouiam ingressi, Polthouusk,& Czechanouu oppida cum uicinijs eorum uastauerunt. Et plures mortales in Lithuaniam abducebant, quos milites Mazouię insequentes, prædam,& captiuos excusserunt,& Lithuani fugierunt, pluribus ex eis in flumine Nareuu, præsertim, qui sarcinas non abiecerant, suffocatis.

Castrum Lublin impugnatur.

Anno Christi 1337. Tartari cum Ruthenis castrum Lublin. duodecim diebus obsidentes impugnabant. Sed principe Tartarorum sagitta ex castro missa, occiso statim cum magno clamore recesserunt.

Monasterium in Kalisz fundatur.

Lithuania uastatur.

Anno Domini 1339 monasterium fratrum minorum sub titulo sancti Stanislai Kazimirus rex Poloniæ in suo regio oppido Kalisz fundauit, & muro coctili erexit. Eodem anno Theodricus de Aldemburk magister Prussiæ habens in suo comitatu Comitem, Palatinum Rheni, & fortem exercitum ex Alemannis congregatum, Lithuaniam hyeme ingressus, castrum Vielunya cinxit. Verùm quum omnes suos conatus in irritum recidere uideret, in Prussiam redire coactus est. Et in æstate cum multis forensibus Lithuaniam ingrediens, eam uastauit,& multos captiuos duxit. Tres quoq; aggeres,& totidem alueos, seu aquæductus, quibus Barbarorum clandestina in terras Prussiæ arceretur, inuasio disposuit.

Anno Domini 1340 die uigesimaquinta Martij, in antiqua Vuladislauia in monte, nouus chorus per Matthiam episcopum Vuladislauien. iactus & initiatus est. Cui processu tẽporis & corpus superaddidit pulchro opere. Anno quo supra octaua die Septembris, Lithuani cum suis ducibus in magna multitudine terras Mazouiæ uastarũt, nulloq; resistentiam opponente, captiuos abduxerunt. Eodem anno relicta Vuladislai Loktek, Heduigis & genitrix Kazimiri secundi in Sandecen. monasterio tumulatur, Kazimiro rege iusta funeri magnifico sumptu persoluente.

Nankerus Episcopus Nisse mortuus.

Anno Domini 1341 decima mensis Aprilis, quæ in Parasceue cadebat, mortuus est in oppido Nissa Nankerus Episcopus Vratisl. plenus bonis operibus,& in Ecclesia Vuratisl. sepultus. In morte eius quædam religiosa fœmina suauissimum audiuit cantũ. Cui reuelatum est, animam Nankeri Episcopi Vuratislauien. ab angelis in cœlum deferri, fertur sub ordinatione Ioannis Regis & Comitis de Luczembergk ueneno propinato mortem uiolentam incidisse. Fertur quoq; hic Episcopus miræ deuotionis, ac magnæ abstinentiæ fuisse. Et missas quotquot legi poterant, in Ecclesia, in qua aderat, audiuisse,& ad quamlibet earum specialem oblationem obtulisse. Fertur etiam singulis annis, certam summam pecuniæ uicarijs Ecclesiæ Craco. pro annua strena (uulgo columbatione) de Vuratisla. misisse. Eodem anno quindecima mensis Iunij, Theodricus de Aldenburg Magister Prussiæ in Thorun, in præsentia Caroli Marchionis Morauiæ filij Ioannis Regis Bohemiæ mortuus est. Cui Lutherus Commendator maior aliàs Ludolphus Konigk natione Saxo successit.

Mors Theodrici de Aldenburgk.

Ludolphus Konig mag. Prus.

Carolus rex Hũgariæ mortuus.

Ludouicus in Regem coronatus.

Anno Domini 1342 decimo septimo Calendas Augusti, aliàs feria tertia post Margarethæ, Carolo rege Hungariæ in castro Vissegrod rebus humanis exempto,& in alba regali condito. Ludouicus filius eius, ætatis agens annum decimum septimum, in regem Hungariæ, Dominico die ante festum sancti Iacobi, aliàs duodecimo Calendas Augusti per Chanadinum Archiepiscopum Strigonien. assistentibus ei Vuladislao Quinqueecclesien. Nicolao Agrien. Mieczlauo, Vesperimen. Colomanno Iaurien. Petro Sermien. Vito Nitrien.& Laurentio Bosnen. Episcopis,& Baronum ac nobilium multitudine copiosa coronatus est. Eodem anno Przeczlaus de Pogorzelecz successor Nankeri in episcopatu Vuratisla. per Benedictum Papam 12. confirmatus,& consecratus, ex curia Romana reuersus in Nissam uenit, ubi ad illum Carolo Marchione Morauiæ, filio Ioannis de Luczemburgk regis Bohemiæ adueniente, reconciliationem cum eo æquis conditionibus super indicto composuit: eoq; ex Nissa in Vratislauiam diuertente,& Carolo Marchione eum concomitante, cõsules ac iurati Vuratisla. pedibus nudati, ac capitibus, pallijs quoq; & cingulis ammotis, ex prætorio usq; ad monasterium sancti Adalberti uenerunt,& prostrati, culpaq; simpliciter recognita, ueniam suppliciter deposcebãt, per plures execrationes astringentes se nunquam simili rebellione Ecclesiam Vuratisla. molestaturos, unde & interdictum sustulit. Verùm digna plaga, indignam expulsionem Episcopi ac cleri,& cædem Ioannis inquisitoris Vuratis. repentè superuenit. Casuali enim igne octaua die Maij in octaua sancti Stanislai in Vuratislauia exorto, tota ciuitas conflagrata est: uisusq; est tempore incendij à quadam religiosa fœmina, apud sanctum Mauricium extra muros Vuratisl. inclusa, angelus contra ciuitatem exortum, gestans gladium,& ardentibus carbonibus ciuitatem feriens,& incendens.

Vuratislauia conflagrata.

Eodem

Eodem anno Lithuani in numeroso exercitu Prufsiam ingrefsi, ferè uniuerfam fpolijs, cædibusq; & captiuitatibus implerunt. Magiftro Luthero in expeditione contra nouam Marchiam, quam fibi geftiebat fubijcere occupato, & fuis defenfionem non ferente. Qui reuerfus tanta consternatione de fuorum cæde, & captiuitate anguftiatus eft, ut fenfu amiffo, delirus & amens fieret: in cuius locum Henricus Dufemer fuffectus eft.

Lithuani Prufsiam uaftant. Henricus Dufemer magifter Prufsiæ.

Anno Domini 1343 in fefto fancti Matthię, quod in carnifpriuium cadebat, nuptię per Kazimirum Regem Poloniæ in ciuitate Pofnanien. cum magna folennitate celebratæ funt. Bogusla o duci Stetinen. filiam fuam uirginem Elizabeth, ex Anna prima coniuge, Gedimini ducis Lithuaniæ filia, defponfando. Eidem uiginti millia marcarum latorum grofforum Pragenf. & fupellectilem in uafis aureis, & argenteis, equis, & ueftibus pro dotalibus afsignando. Et uicifsim contra quofcunq; hoftes & fignanter contra fratres Cruciferos de Prufsia, quadringentis galeis armatorum Regi, & regno Polonię perfonali auxilio Boguslaum, & germanos eius Baruin, & Varcislaum obligando. Eodem anno Ludouicus Hungariæ, Ioannes Luczemburgen. Bohemiæ Reges, Carolus filius eius Marchio Morauię. Item Comes de Halles, & alij quàplures illuftres uiri in Prufsiam cum eorum potentijs aduenerunt: atq; cum Magiftro Prufsiæ in Lithuaniam defcenderunt. Lithuani autem interim, quò eorum terra uaftabatur, cum omni potentia in terram Zambienfem, & in Liuoniam perrexerunt, & eas graffabantur. Magiftro Liuoniæ abfente, & Samagitas oppugnante: quæ uarietas adeò Reges afflixit, ut Magiftrum conuitiarentur, tanquam huius pefsimi euentus auctorem.

Nuptiæ Bugufslai ducis Stetinenfis.

Vicifsitudo fpoliorum.

Anno Domini 1344 hactenus Ecclefiam Pragenf. Epifcopalem, & fuffraganeam Maguntinen. Archiepifcopo, in Archiepifcopalem, & metropoliticam Luthomislien. uerò, quæ Abbacialis, feu conuentualis fancti Benedicti fuerat, exclufis monachis in Cathedralem Ioannes cęcus Bohemiæ rex Philippo Francię Rege enixiùs factum adiuuante, per Clementem Papam fextum ultima die Aprilis in Auinione permutari procurauit: & Arneftum Pragen. tunc Epifcopum Archiepifcopali, & pallij honore infigniri, Olomuncenfeq; in fuffraganeam adijci obtinuit. Sed Vratisl. quam fucceffu temporis Carolus Romanorum, & Bohemiæ Rex, Pragen. Archiepifcopo fubijci depofcebat. Impediente uerò Kazimiro Rege Poloniæ, tanquam à regibus Poloniæ fundatam, & dotatam obtinere non potuit.

CAPVT XXIIII. LIB. IIII.

ANno Domini 1345 Henricus Dufemer magifter Prufsiæ, habens in fuo comitatu milites Hungariæ, & Bohemiæ, item Marchionem Holandiæ, Calendis Martijs expeditionem in Lithuanos egit, fed parùm proficiens, tum quia Lithuani in caftris, & nemoribus delitefcebât, tum quia lubricitas terrę ex refolutione, & glaciebus acciderat, in Prufsiam redire coactus eft.

Anno Domini 1346 Ioannes Lodza Epifcopus Pofnanien. uita excefsit mortali, in Ecclefia Pofnanien. fepultus. Is compofuit antiphonam, Lux clarefcit in uia. Sequentiam de affumptione, quæ incipit, Salue falutis ianua. Item fequentiã de fancto Adalberto, in laudem facri Præfulis: item fequentiam de Sancto Petro, Tu es Petrus: item fequentiam de fancto Paulo: hæ fequentiæ in Ecclefia Pofnanien. decantantur. Eodem anno Ioannes cæcus Bohemiæ rex, Philippo Francorum Regi affini fuo, contra Eduardum Anglorum Regem Franciæ regnum oppugnantem, forti congefto exercitu auxilia ferens, in hoftes denfiores inductus, & infiliens, occifus eft, Philippo Rege Francię cum filio, & Rege Nauarræ terga uertentibus: relatusq; Ioannes Rex Bohemiæ in Luczemburgk in Ecclefia maiori fepultus eft: & Carolus filius eius in Regem Bohemiæ eft fuffectus. Eodem anno in hyeme Henricus Dufemer magifter Prufsiæ Lithuaniam ingreffus cum agmine ad quadraginta millia æftimato, eam crudeliter uaftauit. Olgerdus autem Lithuaniæ dux, habens fecum copias Smolnenfium, Polocenfium, & Ruthenorum, in die Purificationis cum magiftro, & exercitu eius conflixit: & maxima cæde utrimq; edita, Lithuani, & Rutheni fuccubuerunt: duo de uiginti millia Lithuanorum, & Ruthenorum cęfa referuntur. Magifter, & Cruciferi fpolijs potiti, in propria reuerfi, in fignum obtentæ uictoriæ monafterium uirginum in Konigsberk dotarunt. Aeftate uerò adueniente, nouo inftaurato exercitu, alteram in Lithuanos Henricus Dufemer expeditionem egit, & caftrum Vielunya obfidione cingens, & conquirens conflagrauit: populatisq; uicis, & uillis incenfis, fpolia ferens, & captiuos, in Prufsiam redijt: Olgerdus uerò dux Lithuaniæ, ualido congregato exercitu, in terram Zambien. ex improuifo irruit, & aliquot millia Chriftianorum promifcui fexus captiua abduxit.

Ioannes Lodza Epifcopus Pofnanienf. mortuus.

Ioannes rex Bohemiæ mortuus.

Lithuania uaftata.

Cruciferorum uictoria.

Quidam nequam & famelici latrunculi, fub octauis corporis Chrifti, anno Domini 1347

ni 1347 de Ecclesia parochiali omniũ sanctorum in Cracouia delatorium diuinissimi sacramenti (uulgò monstrantiam) furati sunt: compertoq; quòd esset ærea, illã in paludem Mothe arbustis plenã, ab Ecclesia sancti Laurentij nunc in Kazimiria extantẽ proiecerũt: tunc autem Ecclesia parochiali in uilla Bauol, ad proprietatem Capituli Craco. pertinente, nec longè distantem. Et quùm plures mortales luminaria die, noctuq; in palude relucentia uiderent, ad Pontificem Craco. eiusq; uenerabile Capitulum, ac deinde ad regẽ Kazimirum, rem tanquam prodigiosam pertulêre. Qui processionibus totius urbis ordinatis, triduano priùs ieiunio indicto, & exacto. Cum hymnis, & uexillis paludem adeuntes, delatorium cum sacramẽto diuinissimo acceperunt, & illud ad Ecclesiam omnium sanctorum unde erat ablatum retulerunt. Excellentissimus autem rex Kazimirus in loco inuentionis tam ineffabilis sacramenti, quamuis scenoso & paludinoso, ecclesiam in honorem & titulum corporis Christi se fundaturum uouit. Nec mora anno altero nobilem chorum & sacrarium cocto latere initiauit & consumauit. Parochia quam ex antiquo ecclesia sancti Laurentij habebat ei adiuncta, calicibusq; ac apparatibus, crucibus, cæterisq; clenodijs munificentia regia adornauit. Et titulum corporis Christi, quo ecclesia sancti Francisci à primęua sui fundatione illustrata fuerat, fratribus minoribus precio precibusq; contentatis, ut solidior sua fundatio permaneret, abrogari & extingui procurauit. Villa quoque Bauol in suam ditionem & proprietatem traducta. Oppidum de suo nomine Kazimiria nuncupatum, processu temporis muris communiuit. Amplius monasterium insigne, in decus sanctarum Margarethæ & Catharinæ, in quo sunt fratres æremitę ordinis sancti Augustini constituit. Chorum Ecclesię eiusdem monasterij magnifico, & liberali sumptu usq; ad integrum cum sacrario muro coctili, & excelso locauit. Et profundato annulos, quos ferebat, in iactu fundationis, & primi lapidis posuit. Expòst autem deuotio fidelium corpus Ecclesiæ cum sacellis adiecit.

Fundatio Ecclesiæ Christi in Kazimiria.

Ecclesia S. Catharinæ.

Anno Domini 1348 Henricus Dumeser, uno lustro in magisterio Prusiæ exacto, mortuus est. Et in die Epiphaniarum Venrich de Kniprode, Commendator generalis in magistrum substituitur. Qui in Lithuaniam cum exercitu copioso ingressus, districtum Pastrim cęde, spolijs, ac flamma uastauit, & cum captiuis ac spolijs in Prusiam redijt. Cuius uestigia Lithuaniæ dux Olgerdus, cum fratribus Keystut, Patrikyg, & alijs sequutus, exercitu catholico disperso, in Prusiam irrupit. Et crudeli cæde in Christianos, nullo ferente subsidium, debachatus, spolijs onustus, & septingentos homines ducẽs, in Lithuaniam reuersus est. Nec multò pòst dux de Smolensko cum nouis Ruthenorum, & Lithuanorum copijs Prusiam circa Labiouu ingressus, singula in circuitu igne, ferro, & uastitate compleuit. Commendator autem de Labiouu, copijs suis longè imparibus cum ipso conflixit, & uictoria Cruciferis cessit. Lithuani autem, & Rutheni cum suo duce in fugam acti, dum flumen, ad quod pugnabatur, more tumultuario superare contenderunt, plures illic ab undis, quàm ab hostibus suffocati sunt. Sed & ipse Smolnensis dux in eodem flumine submersus, celebriorem uictoriam apud Christianos effecit.

Henricus Dusemer mortuus.
Venrich de Kniprode magister Prußiæ.
Lithuania uastatur.
Prußia uastatur.
Cruciferorum uictoria.

CAPVT XXV. LIB. IIII.

ANno Domini 1349 Venrich magister Prusiæ cum quadraginta millibus armatorum, qui de Francia, & Anglia uenerãt, Lithuaniam ingressus, omnem sexum passim occidens uastauit. Et dum spolijs onustus rediret, dux Lithuanicus Keystut, uigesima quarta Ianuarij pugnam cum eo conseruit. In qua de Lithuanis & Ruthenis decemocto milia ceciderũt. De Cruciferis Gerardus de Stegin Commendator Gedanen. Item Commendator Gobiensis, item sex fratres de ordine, quinquaginta milites & plures alij equestris & pedestris ordinis pugnatores. Eiusdem anni æstate Kazimirus rex monasterium Mogila à suo fundatore Iuuone de Konske, Episcopo Craco. inconsumatum consumauit. Murum meridiem uersus consumans, tectum superimponens, & testudines à turri usq; in occidentem, & transuersales perficiens. Hic annus pestifer apud Polonos erat.

Monasterium Mogila consumatum est.

Pestis.

Anno Domini 1353 Kazimirus rex Poloniæ, propter furtiuas incursiones Lithuanorum, ciuitatem Plocen. coctili muro & castrum altero superaddito eo anno muro muniuit. Eodem anno Olgerd, Keystut, & Patrikyg duces Lithuaniæ, congesto exercitu, cladem circa Labiouu acceptam ulturi, terram Prusiæ circa Resil ingredientes feritate Barbarica sæuiendo, singula uastauerunt, populationeq; latius extẽsa, multis trucidatis mortalibus & plurimis captis, nullam resistentiam passi, Lithuaniam redierunt.

Prußia uastatur.

Anno quo supra uigesima die mensis Iunij, uirginẽ Elizabeth filiã Stephani regis Bosnę, quẽ Husupusban uocabant, summo Pontifice permittẽte, Ludouicus rex Hungariæ, matrimonialiter accepit. Genuerat siquidẽ prefatã Ludouici nuptã, Elizabeth filia Kazimiri

miri ducis Gnieuukouien. soror patruelis germana Elizabeth antiquioris reginæ Hungariæ, Caroli relictæ, unde Ludouicum regem quarta consanguineitatis linea contingebat. Eodem anno sabbato in uigilia Pentecostes, subitò immensis frigoribus coortis, nix ualida duorum cubitorum insperatè decidit, & descendit, usq; in diem sextam sine resolutione durans, pauentibus agricolis frumentorum destructionem sexta die niuosus imber resolutus, terram rore suauissimo rigauit, & fœcundauit.

Nix in uigilia Pentecostes.

Anno Domini 1354 Lithuaniæ duces Olgerd, Keystut, Patrikyg, & Skirgello, in Prussiam circa Vartemberg ingressi, tectis, & uicis incensis, senis & impuberibus necatis. Vinricho de Kniprode magistro Prussiæ, cum multitudine Barbarorum, decernere non audente, in Lithuaniam cum captiuis, & pecoribus reuersi sunt.

Prussia uastatur.

Anno Domini 1355 in die Ioannis Apostoli, & Euangelistæ, tertio die post natiuitatis Christi, dux Mazouię Semouitus, homagium, & obligationem feudi in oppido Kalisz personaliter præstitit. Cum Nicolao Episcopo Plocen. & omnibus Baronibus Mazouiæ, regi Kazimiro regalibus uestito, & diademate ornato. Literæ homagij habentur in thesauro Craco. quæ incipiunt: Nos Semouitus Dei gratia dux Mazouiæ, &c. Eodem anno in uigilia purificationis Mariæ, Vinricus de Kniprode magister Prussiæ, districtum Miedniki, & Samagitiam depopulatus est, & deuastauit: incensisq; uillis, & tectis, ac impuberibus & senibus cæsis, cum multitudine captiuorum, & spolijs Ragnetam redijt, ubi castrum Ragnetha fortuito igne conflagrauit. Et magister Vinricus equo prolapsus in dextra manu confractus est.

Semouitus Mazouiæ dux Kazimiro præbet homagiū.

Anno Domini 1356. In uigilia sanctę Agnetis Lithuanorum duces Olgerd, Keystut, & Patrikyg in magno & forti exercitu terrā Prussiæ ingressi, pluribus diebus tam in longū quàm in latū eam cædibus, & spolijs depopulati sunt. Adeò ut ferè uniuersam Prussiam hostiliter peruagasse crediti sunt. Magistro & Cruciferis in aciem nō prodeuntibus, & cum plurimis & penè innumerabilib. tam captiuis, quā spolijs in Lithuaniam rediêre.

Prussia uastatur.

Anno Domini 1357 turrim & māsiunculas rex Kazimirus in uillagio Lobzouu iuxta Cracouiam ad occidentem construxit. In ea ut fertur cum omnium rerum abundantia tenuit Bohemam quandam nobilem Rokiczianā nominè, forma pulchra & præstanti. Ex Praga in quam sæpe descendere cōsueuerat adductam, quam, per desponsationem Abbatis Thinicen. pontificalibus induti, mulier Episcopum Craco. existimans, in suos amplexus transire pellexerat, & ardenti amore dilexit. Relatione tandem unius sui cubicularij edoctus, quod & oculis proprijs postea comperit, quia in capite calua & scabiosa foret, eam illico repudiauit. Et Iudaici generis fœminam Hester nomine propter formæ elegantiam in concubinam asciuit. Ex qua duos filios Nyemyerzam & Pelkam suscepit. Et Pelka quidem immatura morte obijt, Niemyerza uerò postea in obsequijs Vuladislai regis Poloniæ, Lithuani obuersatus, orta contentione propter Poduuodorum exactionem, in Coprziuunicza occisus est. Filię autem ex eadem Iudęa Hester susceptę, in ritum Iudaicum ut asseritur transierunt, quoniam eum matre permanserant.

Lobzouu castrum erigitur.

Eodem anno Almanorum principes & milites de Franconia, Sueuia, & Anglia contra Lithuanos gentiles laturi auxilium aduenerunt. Et Vinricus magister Prussiæ expeditionem suis contra Lithuaniam indicens Sifridum de Dauelth Prussiæ Marschalcum constituit ductorem. Qui, Barbaris Lithuanis dimicationis copiam non facientibus, in agrestes, tecta & rura omne genus sæuitiæ iussit depromi. Cum captiuorū & spoliorum magno numero, nullam resistentiam expertus, Prussiam rediens.

Anno Domini 1358 rex Kazimirus Maczkonem Borkouicz Palatinū Posnanien. captiuatum, in castro Holstein fame extinxit. Et castra eius ac fratris ipsius Koszmin, Czacz, & uniuersa quæ habebant, abstulit. Causa erat, quia furum & latronum in illis oris fuerat conseruator. Eiusdem anni feria tertia infra octauas apostolorum Petri & Pauli, Kazimirus rex Poloniæ, monasterium uel potius cellam fratrum Canonicorum regularium sancti Augustini, in uilla Manka medio miliari à Siradien. oppido fundatam, de consensu Conradi Abbatis sanctæ Mariæ Vuratisla. in arena, sub cuius obedientia consistebat, ad Ecclesiā parochialem sancti Nicolai in Kalisz transtulit, quæ tunc per fugam sui rectoris immediati Martini uacabat, præfatus enim plebanus parùm modestè iniuriam suæ coquæ, quam nonnulli adolescentes filij ciuitatis in dolium aqua sordida plenū, totando proiecerant, uindicans. Vnum ex illis gladio transfossum occidit, & ex Kalisz fugeret. Tulit autem rex Kazimirus à præfato monasterio quatuor uillas, uidelicet Mankā, Polkouuo, Vanglouu, & Luboradzice, & eas mensę regię applicuit. In quarū recompensam monasterio Kalisien. uillam bonam Kuchari cum prædio. Item duas uineas circa Kalisz cōtulit. Huius quoq; monasterij sic trāslati primus Præpositus frater Matthias fuit. Priuilegium, & mandatū Bodzanthę episcopi Craco. ad instantiam regis Kazimiri de deci-

Maczko Borkouicz famè extinctus.

de decimis, & columbatione, ut presbyteri citò post messem, sine aliqua temporum prorogatione decimarent, strenamq; (uulgò colandã) quæ datur reciperent, non extorquerent, neq; extraherēt. Habetur in Ecclesia Cracouien. de data anno Domini 1359. cuius initiũ est: In nomine Domini amen. Nouerint uniuersi præsentium notitiã habituri, &c.

CAPVT XXI. LIB. IIII.

Triplex expeditio in Lituanos.

ANno Domini 1360 Vinricus de Kniprode magister Prusiæ, aduentu Marchionis Brundenburgens. animatus, in Lithuanos expeditionem egit, & exercitui Schindekop Marschalcum Prusiæ præficiens, terras Lithuaniæ uastauit, spoliaq; & captiuos in Prusiam reduxit. Alteram expeditionem hyeme instante in Lithuanos resumpsit, & tertiam eadem hyeme peregit. Quibus quidem tribus expeditionibus Lithuaniam adeò uehementer afflixit, ut pro maiori parte desertam reliquerit. Expeditio tertia reliquis duabus, ducis Keystut captiuitate uisa insignior. Qui datis pluribus Catholicorũ captiuis apud Prusiam captis, eodē anno à captiuitate solutus fuit.

Subita mors in contaminatorem conceptionis beatæ uirginis.

Anno Domini 1361. Quidam lector ordinis prædicatorum in Cracouia, frater Paulus nomine, coram clero, & populo in maiori Ecclesia Craco. beatam Mariam uirginem non absq; originali peccato fuisse, in Polonico declamans, & prædicans, cecidit, & expirauit. Eodem anno Vniuersitatem Pragen. Carolus Romanorum, & Bohemiæ rex instituit, & dotauit, quam Innocentius Papa sextus ad instantiam eiusdem Caroli Regis confirmauit, hæc uix quinquaginta annis durauit. Cum hæresi infecta exterminari cœpit, tamen reliquiæ suppositorum, hæretica peste deprauatorum, præfatæ Vniuersitatis exiguo numero in hanc diem Pragæ cernuntur, & supersunt.

Kazimiri fundatio Vniuersitatis in Kazimiria.

Anno prædicto 1361 Kazimirus rex Poloniæ, in uilla Baimol, aliàs in oppido Kazimirien. secùs murum, & Ecclesiam sancti Laurentij, domos, cameras, lectoria, lapideo muro pro habitatione, & lectionibus Doctorum atq; Magistrorum nouæ uniuersitatis, pro decore regni Poloniæ erigendæ, ædificauit: missisq; notabilibus nuncijs in Auionem ad Vrbanum Papam quintum, huiusmodi fundationem à sede Apostolica admitti obtinuit. Iacobus enim secundus, Suuinka cognominatus Archiepiscopus Gneznen. per literas Apostolicas Commissarius, & exequutor designatus, præfatum studium Kazimirien. seu Craco. confirmauit. Quod tamen morte Kazimiri interueniente, non fuit sortitum effectum, nec ipsa fundatio, atq; dotatio progressum habuit. Priuilegium Vrbani Papæ sic incipit: Vrbanus Episcopus seruus seruorum Dei charissimo in Christo filio Kazimiro Regi Poloniæ illustri, salutem, & Apostolicam benedictionem. Decet regiam celsitudinem, &c. ut in dicta ciuitate huiusmodi studium existeret generale: illudq; perpetuis temporibus inibi uigeret, tam in iuris Canonici, & Ciuilis, quàm alia quacunq; licita, præterquam in Theologica facultate. Et quòd legentes, & studentes ibidē omnibus priuilegijs gaudeant, &c. Datum Auione Calendis Septembris, Pontificatus nostri anno secundo. Priuilegium autem Regis Kazimiri de libertatibus studij Craco. postea concessum, sic incipit: In nomine Domini, amen. Ea quæ ex regalis magnificentiæ beneplacito, &c. Actum Cracouiæ in die Pentecostes anno Domini 1364. Consulum uerò Craco. qui ad uota regis Kazimiri omnes libertates per regem concessas, se custodire, & obseruare submiserunt, priuilegium sic incipit: In nomine Domini, amen. Expedit Reipublicæ perpetuo, &c. Actum Craco. in die Pentecostes, sub anno Domini 1364. Prędicta priuilegia habentur in maiori Collegio artistarum uniuersitatis Craco. Item rex Kazimirus per eosdem Oratores in Auionem missos, Ecclesiam metropolitanã in ciuitate Leopolien. per Vrbanum quintum octauo Idus Aprilis, ad dotationem sufficientem erigi, & fundari obtinuit, quod & factum est. Præfatus enim Archiepiscopus Gneznen. Iacobus Suuinka literis sibi præsentatis, personaliter Leopolim transijt, & ex parochiali Ecclesia Leopolien. inspectante Kazimiro rege, & uniuersa eius militia Archiepiscopatum erexit: primumque Archiepiscopum dictæ sedis Cristinum uirum nobilem instituit, & consecrauit.

Studium Cracouiense confirmatum.

Priuilegia pro uniuersitate Cracouien.

Ecclesia metropolitana Leopoli fundatur.

Vuratislauia conflagrata.

Anno quo supra 1361 uigesimaquinta die mensis Iulij Vuratislauia est conflagrata, & Iudæi expulsi sunt. Eodem anno Domini 1361. Vinricus magister Prusiæ, præficiens suo exercitui Henricum Cramfelt generalem Commendatorē in ducem, ad uastandum terras Rusię misit. Sed propositũ suum assiduus imbrium descensus impediuit. Ne ergo frustrà arma induisset, in Lithuaniã descendit, & eam uastare cœpit. Lithuanorũ autem principes Olgerd, Keystut, & Patrikyg clandestinè cum copijs suis aduenientes, Prutenicum exercitum nihil aduersi suspicantem inuaserunt, duroq; marte commisso, Cruciferis uictoria cessit, eo quidem gratior, quo insperatior. Auxit autē triumphi gratitudinem Keystuthi ducis captiuitas, qui ab Henrico de Eckersberg Crucifero equo deiectus

uiuus,

uiuus in manus hostiles uenerat. Alter uerò ducum Lithuaniæ Patrikyg, ex equo & ipse à Conrado de Hoberk præcipitatus, à suis defensus, periculum euaserat. Cruciferorum uerò exercitus cum uictoria, & spolijs in propria redijt. Dux autem Keystut in castrum Mariemburk delatus, illic in testudine forti uinctus, catenatus, & conclusus, molestias captiuitatis biduò tantummodò perferens, unius Lithuani Neophiti, apud Mariemburk demorantis adiutus suffragio euasit: pallio siquidem albo cum cruce nigra se amiciens, omnes Cruciferos, & ciues equo uectus fefellit. In syluam deinde densiorem, & uastiorem perueniens, equo relicto in palude, diebus aliquot, persequutores euasurus, latuit. Noctibus tandem pedestri itinere gradum promouens, dum se uersùs Lithuaniam ire credidit, in Mazouiam peruenit, ubi à filia germana Anna, aliàs Danuta principe, consorte Ianussij Mazouiæ ducis cognitus, & ab ea cum magno gaudio exceptus. In Lithuaniam datis equis, & armigeris deductus, magno solatio tam fratribus, quàm genti fuit. Congesto autem exercitu, captiuitatem suam ulturus, in Prussiam irrupit, & castram sancti Ioannis primùm oppugnans conquisiuit, & incendit. Abinde ad castrum Danczik uenit, & id quoque conquirens, & Commendatorem Ioannem Collin cum multis alijs capiens, exussit. Applicauit post hæc ad castrum Eckersberg, & conquisitum incendit, multisque spolijs oneratus redibat. Quem duo Commendatores de Rosenberg, & Barthenstein cum exercitu persequuti conflixerunt, spoliaque, & captiuos excusserunt. Dux ipse Keystut, equo à Vernero de Vindeken deiectus, pedibus audacissimè pugnans, deiectoris sui equo interfecto, per Commendatorem de Nieszouua uulneratus, à Commendatore de Barthenstein capitur, sed parū prouidè asseruatus. Iterū Cruciferos fallens, de quo apud eos magni morsus habebantur, captiuitatem euadens, & in Lithuaniam peruenit.

Cruciferorum uictoria.

Keystuth captus.

Keystuth uinculis euasit.

Keystuth iterum captus.

CAPVT XXVII. LIB. IIII.

ANno Domini 1362 Vinricus de Kniprode magister Prussiæ, congesto numeroso exercitu ex domesticis, & peregrinis primo Veris tempore castrum Kouuno obsidione cinxit. Duces autem Lithuaniç Olgerd, Keystuth, & Patrikyg, obsidionem huiusmodi repulsuri, cum suis copijs aduenientes, feria quinta ante Dominicam Reminiscere cum magistro Prussiæ certamine inito, uicti refugerunt. Quibus fugatis magister Vinricus strictiori obsidione castrū Kouuno coarctauit, machinarumque crebra contusione, & telorum ignitorū proiectione debilitauit, tandē sabbato in uigilia Paschæ, muro suffosso, & castro accenso, ipsum cœpit, tamen murus suffossus ruens, plures mortaliū de Cruciferorum exercitu oppressit, & in castro succēso magna multitudo Lithuanorum ab incendio perijt. Tria millia Lithuanorū ea in obsidione cæsa & mortua referuntur, Voydath Keystuthi filius, cum triginta sex potioribus captiuitati reseruatus fuit. Dies resurrectionis Dominicç celebratus est, & missa per Bartholomeum Sambiensem Episcopū expleta fuit. Subsequenti uerò die murorū parietibus dirutis, & omnibus fossatis solo æquatis, ad castrum Pisten exercitum Magister applicauit, quod à Lithuanis desertum reperiens, incendit. Et ad castrum Vielunya ueniens, quarta die per impugnationem illud conquisiuit, euersoque funditùs castro Vielunya, cum multitudine captiuorum, & spoliorum in Mariemburgk redijt. Anno præfato undecima die Martij, & post, pluribus diebus apparuit Cometes in fine Aquarij prope Venerem: caudam in piscibus uersus Orientem in locum Mercurij retorquens: durauit ad quinque hebdomadas.

Castrum Kouno obsessū expugnatur.

Apparitio Cometes.

Vinricus magister Prussiç, adueniente Comite Bauariæ Vuolffgango, anno Domini 1363 in die Agnetis motis castris, Lithuaniam grauissimè in multis locis, præsertim in districtibus Parnrey, Eroglem, Labima, cædibus, flammis, & spolijs afflixit: cui magister de Liuonia cum altero exercitu, in duo agmina, quorum alterum magister, alterum Marschalcus regebat, dispartito, in auxilium aduenit, iunctisque potentijs simul, in uniuersam Lithuaniæ regionem, Lithuanis decernere non audentibus grassabantur: & multis captiuis onusti in Prussiam alter, alter in Liuoniam, nulla hostilitate lacessiti, redierunt. Resumpsit & alteram in Lithuanos Marschalcus Prussiæ Hemyk, Schindekop expeditionem: & à castro Garthin per ducem Lithuanorum Patrikyg, qui illud probè tuebatur repulsus, spoliato districtu Garthin, Prussiam cum captiuis remeauit.

Lithuania per Vinricū grassata.

Anno Domini 1364 Kazimirus rex Poloniæ, in terra, & diocœsi Craco. nouum oppidum Crzepiczē iuxta fluuium Isthuuarta fundauit: castrumque fortè in loco palustri ac limoso ex muro coctili, non longè ab oppido fabricauit: cuius quidem oppidi Ecclesiam parochialem Iaroslaus Gneznen. Archiepiscopus de domo Bogoria, interpellationibus regijs acquiescens (hoc enim Bodzātha Episcopus Craco. penitus facere noluit) duas decimas manipulares mensç suç in uillis regijs Zayancki, & in Crzepicze in dotē contulit.

Oppidū Krzepicze extructū

Et Ka-

Et Kazimiro rege Poloniæ consentiente, limites diocœsium confundens, præfati oppidi Iurisdictionem occupauit, quum Istbuuarta fluuius utriusque diocœsis limes perpetuus erat. Matthias Episcopus Vuladis. dum annos duos, & quadraginta pontificatus sui exegisset, senio confectus, Episcopatum Vuladislauien. nepoti suo Sbilutho de Golancza, Præposito Vuladislauien. anno Domini 1364 resignauit. Is Matthias Episcopus Ecclesiam in loco ciuitatis, quoniam prima Ecclesia ante castrum sita angusta, parùm celebris habebatur, à fundamentis ad consummationem: item castrum Vuladislauien. item castrum Raczansz: item Ecclesiam sancti Vitalis in Vuladislauia, pulchro opere, & muro coctili construxit, & muro cinxit.

Castrum Kowno dirutum reædificatur. Eodem anno principes Lithuaniæ castrum Kouuno demolitum lignis, & roboribus reficiebant: & pontem maximum in flumine Niemyen pro tuendo castro constituerant. Quam ædificationem Commendator de Ragneta cum exercitu ueniens, Lithuanis castrum reficientibus, diffugientibus, exussit, & funditùs euertit. Interim Vinricus magister Prussię, cum maiori exercitu ad castrum Pistouu aduenit, quod uacuum Lithuanis fugientibus reperiens, incēdit. Deinde ad castrum Vielunya admoto exercitu, inter pugnandum congesta lignorum strue, & incensa, ualidissimo uento adiuuante incendium, castrum Vielunya conquisiuit, multis Lithuanis in eo flamma pereuntibus, Capitaneus castri Gastauudus captus, inter ducentium manus ad tabernaculum Marschalci, ab Almannis occisus est. Cruciferorum autem exercitu ad propria redeunte: Dux Lithuaniæ Keystut, clandestinis itineribus cum exercitu ingressus, omnem regionem circa Iurgembork uastauit, & multa præda capta, in Lithuaniam reuersus est. Commendatore de Iurembork, paucos quosdā ex Lithuanis, qui tardiùs agmen sequebantur, in deserto captiuante. Deinde Marschalco Prussiæ Samagitiam uastante, Keystut dux Lithuaniæ occurrens, extremum sui exercitus inuasit, & prostrauit, prędaque recuperata, & strage aliquanta edita, Marschalcum cum reliqua parte in fugam egit.

Hyems autem huius anni 1364 intensione frigoris in Polonia animalia domestica, & syluestria, aues, & frugiferas arbores occauerat.

CAPVT XXVIII. LIB. IIII.

Zemomislaus Gnyewkouien. mortuus. Ducatus diuisio. ANno Domini 1365 Zemomislao duce Gnyeuukouien. fratre germano Vuladislai Loketek obeunte, Ducatus suus Gnyeuukouien. inter tres filios, quos reliquerat Przemislaum, Leskonem, & Kazimirum in hunc modū partitus est. Przemislao siquidem cessit Bidgostia, Leskoni Iuniuuladislauia, & Kazimiro Gnyeuukouu. Verùm Przemislao, & Leskone non relinquentibus hæredes, quum *Proles Kazimiri.* solus Kazimirus natu minor, in sortes fratrū successisset, & plures filios ac filias procreasset, ferè singulis morte absumptis, unicus tantummodò suus filius, Vuradislaus à candida cæsarie albus cognominatus, & unica filia Elizabet, superstites relicti sunt. Et filiam quidem Elizabeth præfati Kazimiri ducis, quum formæ præcellentis esset, Elizabeth regina Hungariæ, consors Caroli regis Hungariæ, uelut consobrinam tertio affinitatis gradu sibi iunctam, in regiam assumens: eam regi Boszne Stephano Hisubusban desponsauit, à qua pulcherrima F. Elizabeth edita: à Ludouico rege Hungarię, & Polonię in coniugium acceptata est, prima uxore eius filia Caroli regis Bohemiæ, & Romanorum obeunte, ex qua Ludouicus rex duas filias, Mariam, & Heduigim susceperat. Vuladislaus *Proles Ludouici regis.* uerò albus inconstantia laborans, & uaria fortuna iactatus, ad ultimum monachus factus est: primùm in Cistercio, postea alteram professionem faciens in Duuione ciuitate Burgundiæ, annis quatuordecim pro monacho, & professo illic mansit.

Ecclesia in Vnyeiow fundata. Anno pręfato Iaroslaus de Bogoria Gneznen. Ecclesię Archiepis. castro Vnyeiouu ad flumen Varta coctili muro perfecto, Ecclesiam collegiatam sanctæ Mariæ in oppido Vnyeiouu simili muro fundauit, & consummauit: duosque Prælatos, uidelicet Præpositum, & Archidiaconum: item quinque Canonicos, septem quoque Vicarios in ea creans, dotem sufficientem cuilibet adiunxit. In eodem etiam oppido Vnyeiouu monasterium, & Ecclesiam sub titulo sancti Nicolai, ordinis sancti Benedicti, subijciens illud Thinicen. monasterio, Craco. diocœsis ædificauit: cui in dotem contulit, uillam Byeldrzikouu cum omni iure supra fluuium Notesz sitam, ubi Ownya fluuius sibi commiscetur.

Castrum Angerpork expugnatum. Anno quo suprà Keystut dux Lithuaniæ, copijs Lithuanorum, & Samogitarum collectis, per syluarum inuia, & latebras Prussiam ingressus, castrum Angerbork per uim expugnauit, uastataque uicina regione, in Lithuaniam prædam duxit. Sequutus illum Aduocatus Samen. & aliqui ex Commendatoribus dum prædam raptam excutere nequiuerunt, districtum Eroglen uastarunt, spoliaque in Prussiam retulerunt. Deinde quatuor duces Lithuaniæ, uidelicet Olgerd, Keystut, Patrikyg, & Alexander, magnis potentijs collectis,

collectis,quadripartito agmine Prusiam ingressi sunt, eamq; crudeli, & barbarica uastatione afflixerunt: expugnatoq; castro Ragnetha, & alijs multis quoq; uicis incensis, illic dijs suis patrio ritu, uictimas de pecorum sanguine immolarunt. Nulla tandem resistentia reperta, octingentos captiuos ex christianis: item septuaginta equos maiores, quos spadones uocant referentes, Lithuaniam remearunt. Præterea magister Prusiæ Vinricus, barbaricam uastationem ulturus, proprio milite contentus, Lithuaniam in multis locis prædatus est, & multis damnis patratis, Lithuanis in syluis & munitionibus se cõtinentibus, ducens non paruum numerum captiuorum, in Prusiam redijt.

Prusia uastatur.

Lithuania uastatur.

Sub eo tempore Szuriuil & Buthavv germani Olgerdi & Keystuthi ducum, cum nõnullis Lithuanorum Boyarijs, & nobilibus Prusiam uenientes, fidem christianam baptismo apud Kohisbergk suscepto, professi sunt. Magister autem Prusiæ Vinricus alteram expeditionem in Lithuanos agens, aliquot eorum munitiones cœpit ac incendit, & cum præda in Prusiam regressus est. Quo regrediente Lithuani per itinera occulta, Prusiam circa Nordembork ingressi, maxima damna hominibus incautiùs se gerentibus intulerunt, & cæde multa ædita, cum spolijs & captiuis euaserunt. Keystuth quoq; Lithuaniæ dux, etiam expeditionem contra Prusiam resumens, castrum sancti Ioannis impugnauit & conquisiuit, ac spoliatum incendit, necatisq; plurimis fidelibus, cæteros ligatos in Lithuaniam traxit.

Anno Domini 1362 Vinricus magister Prusiæ, peregrinorum & forensium militum motus aduentu, binam eo anno in Lithuanos expeditionem ægit. Et magna uastatione facta, captiuatis pluribus Lithuanorum, in Prusiam redijt. Quem dux Lithuaniæ Keystuth insequutus, tam secreto & silenti agmine Prusiam ingressus est, ut parum abfuit, quin castrum Iusterbork interciperet, & Commendatorem prandio se reficientem captiuaret. Aegrè itaq; & castrum defensum, & Commendator saluatus est. Omnibus tamen equis & rebus, quæ ad Commendatorem pertinebant receptis, duobus districtibus spoliatis & incensis, cum prȩda pecorum & captiuorum, in Lithuaniam euasit. Propter quod magister Prusiæ Vinricus tertiam in Lithuanos expeditionem mouit, & longiùs progressus uastauit singula. Ac supra fluuium Memen castrum & pontem ædificauit, clandestinas Lithuanorum irruptiones restricturus. Eam ædificationem Keystuth impedire bina uice conatus est, sed abinde fugatus & repulsus est. Eodem anno Bodzantha de Iankovvo nobilis de domo Rosarum Episcopus Craco. uisu perdito, obijt, hic oppido Bodzanczin, situm & nomen indidit.

Lithuania uastatur.

Prusia uastatur.

Bodzantha Episcopus Cracouiens. mortuus.

Anno Domini 1367 Bithomien. ciues furore acti, plebanum & Prædicatorem submerserunt. Et ex hoc uenæ argenti & plumbi cessauerunt. Eodem anno ex proprijs militibus Prusiæ magister Vinricus comparato exercitu, & tradito Henrico Schindekop Marsalco generali, in terras Lithuaniæ misit. Qui nullam resistentiam reperiens, ferociter & gradu concito quinq; districtus uastauit, usq; ad Kovvno grassatus, octingentosq; captiuos & plures equorum, & pecorum greges abduxit.

Lithuania uastatur.

Anno Domini 1368 Lithuani cum duce Keystuth ad Poltovvsko castrum & oppidum Episcopi Plocen. insperatè peruenerunt, & oppido, quia munitum non fuerat, illicò potiti, castrum, quum crebris lignorum pinnatorum struibus defenderetur, mœnibus in propinquo appositis incenderunt. Ex quo incendio serpente flamma castrum & homines in eo cõclusi comburebantur. In uicinas deinde uillas populatione extensa, cum multa præda celeri cursu diffugerunt.

Anno Domini 1369, Lodouicus dux Bregen. ad honorem sancti Ioannis Baptistæ & sanctȩ Heduigis, Collegiatam ecclesiam & certum Canonicorum numerum in Brega instituit. Imperato à sede apostolica priuilegio, ut Decanus illius, solennibus diebus mitra utatur Pontificali & baculo. Item fundauit Mansionarios, qui horas beatæ uirgini psallerent. Reliquit duos filios Venceslaum & Henricum. Venceslao autem immatura morte obeunte, Henricus solus paternam sortem possedit. Eodem anno Vinricus magister Prusiæ in Lithuaniam lapides, cæmentum & lateres, castrum constructurus secum uehens, ad fluuiumq; Niemyen perueniens, multam materiam pro erigendo muro à Lithuanis reperiens, castrum à fundamentis nomen ei Gotisuerder. i. insula Dei imponens initiauit, & infra tempus semestre consumauit, præsidioq; militum forti ei imposito, pro die Pentecostes terram Lithuaniæ circumcirca depopulatum exusit. Lithuanorum autem duces Olgerd & Keystuth super extructione castri furore & indignatione pleni, magistro Prusiæ discedente, contra castrum Gotisuerder aduenerunt: Et quinq; heddoma-

Ecclesia Collegiata Bregens. instituta.

Gotiswerder, castrum erectum.

dis illud assiduè nocte & interdiu expugnando conquisierunt: maiorics parte præsidij trucidata, cæteros in uincula coniecerunt. Deindè Henricus Marsalcus Prusiæ in magno exercitu Lithuaniam intrauit, & castrum Beyery circumdedit, ac uehementi impetu expugnatum conquisiuit. Requisitus autem per nuncios ducis Keystuthi, ut castrum exquisitum, antequam in eum grassetur, redderet. In indignationem, & castrum cum noningentis Lithuanis simul conflagrauit, cæteros uincijt. Dux Keystuth mansuetiori usus animo, colloquium petiuit, ubi captiuorum permutatio hinc inde sequuta est. Sed tunc dux Keystuth comminatus est Prusiam se pro anno futuro aduenturum. Ea comminatione Vinricus magister Prusiæ motus, duplicem iterum eo anno in hyeme, in Lithuanos expeditionem per Marsalcum Henricum Schindekop ægit, & in utraqs feroci cæde & flamma in Lithuanos debacchatus est.

Lithuania uastatur.

Prusia uastatur.

Anno Domini 1370. Comminationes suas contra Cruciferos de Prusia, anno superiore prolatas Keystuth Lithuaniæ dux impleturus, Tartarorum, Ruthenorum, & cæterorum Barbarorum quæsitis præsidijs, ingenti equitatu, peditatucs, unà cum Olgerdo germano suo aduenit, & districtum Sambień. bipartito exercitu uastauit, & incendit. Deinde ad castrum Ortelsbergk duxit exercitum, & illud conquirens incendit. Ab inde uersus Rudovv alias Rovvdin castra metatus est, ubi Prusiæ magister Vinricus cum omnibus potentijs etiam ultra peregrinos milites, ciues, & agrestes armando aduenit. Et Barbaros in dominica Exurge quare obdormis, inuasit. Et atroci pugna commissa, Henrico Schindekop Marsalco Prusiæ, & uiginti fratribus de ordine, centumcs armigeris de parte Cruciferorum: mille uerò Barbaris, cadentibus. Duces Lithuaniæ dato signo receptui, pro uictis abierunt, & proximis suis se commiserunt. Aduenit post hæc Lupoldus Austriæ dux, ordini in auxilium, cuius suffragio Magister & ordo freti, in Samagitiam quadripartito agmine descendentes, ferè uniuersam Samagitiam incendijs subiecit: cæsiscs senibus & impuberibus, puberes in magno numero captiuos Prusiam reduxit. Quem abeuntem dux Lithuaniæ Keystuth sequutus, castrum & districtum Gogelanken inuasit & expugnauit. Et multis utriuscs sexus hominibus cæsis, aut captis, properè in Lithuaniam refugit. Commendator uerò de Iusterbork Vigandus de Beldersheim eo discedente, in Lithuaniam ingressus, uillas nondum uastas inuasit. Et multis captiuis, atqs spolijs potitus, in Iusterbork regressus est.

Cruciferorum uictoria.

CAPVT XXIX. LIB. IIII.

Keystuth cum Lithuaniæ ducibus castrum Vuladimiriẽse obsidet.

Audita morte Kazimiri regis Poloniæ, dux Lithuaniæ Keystuth cum Lubardo cæteriscs Lithuaniæ ducibus, castrum Vuladimirień. obsidione strinxerunt. Petrassius uerò Turski lancicita, Capitaneus castri, comminationibus eorum territus, saluis rebus ipsius, quas secum eduxit, castrum utrunqs Lithuanis tradidit. Illi autem castro ligneo contenti, castrum nobile muratum iam prope perfectum, quod impensis præfati regis Kazimiri trecenti homines, & multa iuga atqs equorum integro biennio consummauerant, euerterunt, & usqs ad fundamenta in perpetuam ruinam redegerunt. Amplius per terram Lublineń. Olgerth & Keystuth duces Lithuaniæ ingredientes, terram Sandomirień. uastauerunt, & prædam citato agmine abegerunt. Inter alias prædas lignum Crucis uiuificum, ex Caluo monte receptum abducebant. Et quum essent in finibus Poloniæ, currus in quo uehebatur lignum crucis, repentè substitit, nec ullo modo moueri potuit. Flamen autem Lithuanicus dixit, currum moueri non posse, nisi crux in locum suum redderetur: Moxcs in Caluum montem per unum nobilem captiuum, Polonum, Karabolam dictum, ob id libertate donatum, remissa est. Insuper Hasso miles de Huchtenhaym, filius Hassonis de Vedel, Capitaneus Othonis Marchionis Brandenburgeń. filij Lodouici olim regis Romanorum, castrum Santhok cum paucis & ferè agrestibus obsidione cinxit, & per deditionem accepit. Lodouicus autem rex Hungariæ, per oratores Polonorum, Florianum Episcopum Cracouień. & Ianussium regni Poloniæ Cancellarium, ut regnum Poloniæ susciperet, sollicitatus. Impugnantibus aliquibus Hungarorum consiliarijs recusauit, ad extremum tamen petitione uictus, suscepit. Cui Sandecz aduenienti, multitudo Prælatorum & Baronum Poloniæ occurrit, & Cracouiam perduxit. Processiones autem ecclesiarum, & omnes ordines ciuitatis Ludouico ad montem Lassotinum obuiam exiuerunt, & uexillo urbis Cracoui. in quo arma ciuitatis cum clauibus picta erant, præcedente, omnium artificum cum eorum picturis uexilla subsequebantur. Quibus ordinatim regi oblatis, ipse cum maxima pompa Cracouiam ingressus, & castrum

Miraculum.

Lodouicus regnum Poloniæ suscipit.

strum ascendit. Altera autem die perquirente Ianusio Szuchiuilik Decano Cracouiens. & Cancellario regni Poloniæ. An testamentum regis Kazimiri, ritè & ex integro exequendum foret. Ludouicus rex legitimè & integro exequendum respondit. Reiecta tandem ad consiliarios huiuscemodi percunctatione. Decreuerunt Prælati & Barones Poloniæ, oēs donationes regis Kazimiri robur habere, præter donata duci Kazimiro Stetineñ. & Niemyerza ac Ioañi filijs naturalibus regis Kazimiri. Kazimiro em̃ duci Stetineñ. propter unitatem regni, terras Siradieñ. Lanciciens. cum earum castris detrahēdas censuerunt, & in solo ducatu Dobrzineñ. & castris ac oppidis Bidgostieñ. Verathovv, & Valcz contentari debere. Sic & Niemyerze, atq; Ioanni filijs naturalibus regis Kazimiri in toto donata rescissa sunt. Cæteræ verò omnes donationes secundum testamentum effectum sortitæ sunt. Iniecta tandem per Iaroslaum Archiepiscopum Gneznens. & Barones maioris Poloniæ difficultate, ut in Gnezna coronaretur. Floriano præsule & Baronibus Cracouiensibus refellentibus, Lodouicus rex secundum reges immediatè sese antecedentes, auum & auunculum uidelicet Vuladislaum Loketkonem, & Kazimirum secundum, coronatus est in ecclesia Craco. dominica post Martini, quæ fuit decimaseptima mensis Nouembris, per præfatum Iaroslaum Gneznens. Archiepiscopum, asisistentibus ei Floriano Craco. & Petro Lubucens. episcopis. Præsentibus & inspectantibus Elizabeth Hungariæ regina antiquiore, genitrice regis cum Heduigi regina Kazimiri regis Poloniæ relicta: & duabus filiabus regis Kazimiri Anna & Heduigi, præsentibus Kazimiro Stetineñ. & Dobrzineñ. ac Vvlad. oppolieñ. ducib. In ipsis aūt primitijs regni, mox Vvladislao Oppolieñ. duci terram Vieluneñ. cum uniuersis castris. Item castris & oppido Brzesnicza in terra Siradiens. Prælatis & Baronibus Poloniæ improbantibus, rex Lodouicus contulit. Et feudum tam à duce Stetinens. Kazimiro, quam à duce Vvladislao duce Oppolieñ. accepit. Exequijs deinde regis Kazimiri in eam diem obmissis, die Martis decimanona Nouembris, per regem Lodouicum & officiales regis Kazimiri per ecclesias solitas, cum cęremonijs ac oblationibus pomposè celebratis ac peractis, rex Lodouicus in maiorem Poloniam processit, & in Ecclesia Gneznen. solium & thronum regium præparatum, conscendere negauit. Ne ad sui ludibrium uerteretur, sed citò euoluēs se de Gnezna in Posnaniam transiuit, postea Cracouiā redeunte. Elizabeth regina genitrice sua instante, Heduigis regina Kazimiri regis relicta portionem suam accepit, quę solum ad trecentas triginta tres marcas & dimidiam argēti, & mille marcas latorū grossorū tendebatur. Ad paternamq; domum reuersa, Ruperto ducis Legnicens. Venceslai filio nupsit. Filię uerò regiæ, Anna & Heduigis cum omni thesauro, auro, argento, unionibus, cortinis, & suppellectili à patre eis largita, per Elizabeth reginam in Hungariam translatæ sunt. Vbi à Lodouico rege locato iudicio, quasi non de legitimo thoro natæ forent, abiudicatum est illis ius, succesisio, & hæreditas regni Poloniæ. Ne potentes maritos sortitę, nouarent res pro regno Poloniæ consequendo. Hei scelus abominabile propter regnum, quod & tædę socios habere nolunt, filiæ regis Kazimiri, nedum regno spoliatæ, sed & tanquam de thoro spurcissimo ac illegitimo inhonestatæ & infames redditæ sunt. Desponsatæ tandem fuerunt, maior natu Anna Comiti Ciliæ Vilhelmo. Altera Heduigis Romero duci. Rex insuper Lodouicus genitrice sua ut fertur Elizabeth instigante, ne alius rex à Polonis substitueretur, coronam regni Poloniæ materialem, sceptrum, pomum, gladium, & cætera insignia regia in Hungariam accepit.

Kazimiri testamentū confirmat.

Lodouicus coronatus.

CAPVT XXX. LIB. IIII.

Anno autem Domini 1373 percepta Kazimiri regis Poloniæ morte Vvladislaus albus dux Gnievvkouiens. ut erat præceps & instabilis de religione ex Diuione Burgundiæ monasterio sancti Benigni, ubi propè quatuordecim annis moratus est, excesit. Et spe dispensationis apud papā in Auinione frustratus, Lodouicum Hunga. & Poloniæ regem in Buda adijt, instando ut regis promotione dispensationem consequeretur, sed uix asiduis obsecrationibus reginæ Hungariæ Elizabeth iunioris Vvladislai albi neptis, rex Lodouicus expugnatus (minus siquidem gratè ducem Vvladislaum album intuebatur) secum oratores suos in Auinionem ad Gregorium papam undecimum misit, ut dispensatus ducatum fas illi esset repeteret, repulsam autem passus, in Poloniam diuertit. Et die Veneris in crastino natiuitatis Mariæ, tria castra Vvladislauiens. Gnievvkouiens. & Zlothoriens. uno eodem die sine armis inuasit

Vvladislaus Albus monasterium egreditur.

Vna die tria castra occupat.

inuasit & conquisiuit. Altera autem die, & erat sabbati, castrum Sarlen oppugnauit, & in crastino die Dominico per deditionem accepit. Sandiuogius autem de Subino, Capitaneus maioris Poloniæ, ueloci nuncio in Hungariam misso, regi Ludouico castrorũ occupationem significauit, exercituq; maioris Poloniæ properè collecto, Vuladislauiam uallauit: regijs aũt literis aduenientibus, Dux Vuladislaus albus, metu regis à nobilibus desertatus, castra singula quæ occupauerat, Sandiuogio de Subino Capitaneo maioris Poloniæ resignauit: & gratiam regis quæsiturus in Hungariam perrexit, ubi nullam gratiam consequutus. Castra Zlothoriam & Gnievvkovv año dñi 1375 per quosdam exploratores intercepit, & assiduis oppugnationibus ac captiuitatibus maiorem Poloniã molestauit. Sandiuogio autem de Subino inuasiones prohibere nequeunte Iaszko Kmitha, de domo Sreni cutarum, Capitaneus Siradieñ. cum gentibus Siradiensibus uersus Zlothoriam processit. Currusq; sui ab exercitu semoti, per gentes Vuladislai albi capti sunt. Iaszko uero cum Barthossio de Vissemburk. Capitaneo Bresteñ. potentijs coniunctis, prope Gnievvkovv ducem Vuladislaum album conflixerunt & fugarunt, & gentes eius strage deletæ, aut captæ, cætera dispersæ sunt, ipso duce uix per nauem in alteram partem Istulæ euadente. In sequenti autem anno præfatum Vuladislaum albũ Gnievvkovieñ. ducem, Sandiuogius de Subino, Capitaneus maioris Poloniæ, dux Kazimirus Stetineñ. & Dobrzineñ. Barthossius de Vissemburk Capitaneus Cuyauiæ, & Barthossius de Szokolovv in castro Zlothoria obsederũt, castriq; proditionem quodam Hankone Bresteñ. molendinatore pollicente, dux Vuladislaus albus prætereiens ex cruciatu & candelarũ incendio Hankoni inflicto, subordinauit generum Hankonis molendinatoris, ut milites Sandiuogij castrum, quasi per traditionem accepturi ingrederētur. Et quum nocte uiginti sex ingressi fuerunt per demissionem cratis supra portam compræhensi, ac interfecti fuerunt. Eiectoq; Hankone molendinatore cum genero ipsius extra portam castri, iussu ducis Vuladislai albi conflagrati, & incensi sunt. A mane autem incipiendo per totam diem castrum ab uniuerso exercitu obpugnatum est, ubi Kazimirus dux Stetineñ. & Dobrzineñ. iactu lapidis uehementer læsus, in breui uita functus est, uidelicet anno Christi 1377 in mense Ianuario. Hic dux Kazimirus fuit prodigus & instabilis, corpore debilis, sed uehemens & animosus, in curijs plurium regum enutritus. Facta autem compositione inter ducem Vuladislaum album & obsidentes, deditoq; castro, & omnibus captiuis manumissis. In expensis Barthossij de Vissemburk, & Barthossij de Sokolovv ad regem Ludouicum in Hungariam dux Vuladislaus deductus, post plures tractatus regi Ludouico ducatu Gnievvkovieñ. pro decem millibus florenorum uendito, & Abbacia insigni in Hungaria ordinis Cistercensis, in qua uitam degeret, accepta, reconciliatus illic constitit. Habitationem deinde Pannoniorum pertæsus; relicta Abbacia, in Diuione monasterium transiit, ibi moriendum salubrius ratus.

Iaszko kmitha.

Sandiuogius de Subino.

Proditionis merces.

Kazimirus iactu lapidis læsus tandē mortuus.

Eodem anno 1376 Elizabeth regina Hungariæ antiquior regnum Poloniæ, quod anno præcedenti filio suo regi Ludouico resignauerat, denuo regendum cum importuna instantia extorquendo reassumpsit. Et ingredienti per Sandecz Poloniam, occurrentes nobiles Sandomirienſ. & Craco. retulerunt ei in Bochnya totam potentiam Lithuanorũ parasse arma contra Poloniam. Quæ respondit non eos debere curare, quoniam filius suus rex Ludouicus tam longam, ualidamq; haberet manum, ut Lithuani, & omnes in circuitu nationes tremerent ad ipsius nominationem. Duces autẽ Lithuanorum Keystuth, Iagello, Vithovvdus, quẽ Vitoldũ uulgariter appellant, ex Troki, ex Vilno, & Grodno. Item Lubardus ex Luczko, & Georgius ex Belsz, per uastas solitudines terræ Lublinensis silenti & citato agmine usq; ad fluuium Szan, secunda die Nouembris peruenerunt, uniuersamq; oram inter Istulam & Szan, usque ad Tarnovv uastauerunt: Homines utriusq; sexus in seruitutem abduxerunt: sacerdotes, impuberes, & senes trucidarunt, ecclesiasq; exusserunt. Quorum concursus Petrassius filius Cztani, germani Ianussij Archiepiscopi Gnezneñ. arrepta cõiuge & infante nouiter ædito, nõdum baptisato, de uilla Baranovv, per medios hostes in equo exiliens, uix per fluuium Istulæ euasit. Relicta domini Michaelis de Tarnovv Castellani Vislicieñ. eodem die, cum grandi apparatu ad reginalem maiestatem Cracouiam ibat, sentiens Lithuanorum aduentum, relictis curribus, equis, & omni apparatu, per famulos citissimè in nauigium Istulæ inducta, uix manus Lithuanorum euasit. Elizabeth uero regina Hungariæ, molestias ex uastatione Lithuanorum lenitura, Choreas Dominica in crastino sancti Nicolai, quamuis octuagenaria foret, instaurando aspiciebat, uiditq; ex castro Cracouien. Hungaros cum familia Przedbory de Brzeze

Ludouici aduentus in Poloniam.

Polonia à Lithuanis uastata.

Elizabeth regina Hungariæ.

propter

propter fœnum contendere (plerosq; nam currus in forum Craco. cum blado & fœno uenientes, Hungari ex animi maleuolentia occupabant. Ad quorum repreſsionem præfatus Przedborius miles de Brzeze, ne ſuis curribus rapinam intuliſſent, familiam iuxta domũ ſuã ad portã Bochnenſ. quæ in Kazimiriam ducit, poſuit) miſſoq; Iaſzkone Kmitha de domo Srenieuitarum, Capitaneo Cracouienſ. ut litem dirimeret, illico equo uectus ſuperuenit, ſeditionemq; molitus iuſſu reginæ extinguere. Ab uno Hungaro, cuius ſors ignota erat, telo Hungarico in collum percuſſus, ex equo defluens expirauit. Cuius morte uulgata, fratres, cognati, & familiares ſui in magna multitudine concurrerunt, in furiamq; uerſi, uniuerſos Hungaros, parentando morti ſui affinis, nemini parcendo occiderunt. Quidam miles Slauus Michaël Pogan, de ueſtibulo, ſeu de cellario ſui hoſpitij extractus, miſerabiliter occiſus eſt. Duo adoleſcentes ingenui Hungari, à Przedborio ad cuius domum confugerant, cameræ potiore incluſi, Przedborio in caſtrũ diſcedente, fracto oſtio, argenteis cingulis & ueſtib. nudatos, familiares Przedborij, pimerũt & perẽptorũ corpora intra muros proiecerunt. Centum ſexaginta Hungari eo die cæſi ſunt. In ſacello ambitus eccleſiæ ſancti Franciſci ſepulti, quod ex bonis Hungarorum dotatum, ab eo die ſacellum Hungarorum nuncupationem accepit.

Iaſzko kmitha interemptus.

Hungari cæſi 160 numero.

CAPVT XXXI. LIB. IIII.

Regina poſt paucos dies è Cracouia in Hungariam triſtis rediens filio ſuo regnum Poloniæ iterum gubernandum reſignauit. Ludouicus autem Hungariæ & Poloniæ rex, uaſtationem terræ Sandomirienſ. ulturus in Lithuanis, anno ſequenti per alpes Sanocenſ. cum copijs Hungarorum uerſus Sandomiriam uenit, & confluentibus ad illum Baronibus Poloniæ, uidens copias ualidas, Cracouienſ. & & Sandomirienſ. milites ſub ducatu Sandiuogij de Subino, tunc Cracouienſ. Capitanei, ad expugnandum caſtrum Chelmenſ. tranſmiſit. Ipſe uero cum reſiduis uerſus Belſ perrexit, & Cracouienſ. quidem ac Sandomirienſ. exercitus, expugnato infra octo dies caſtro Chelmenſ. inſuper & alijs caſtris videlicet Grabouiecz, Hrodlo, Seuoloſz expugnatis, ad regem Ludouicum in obſidione caſtri Belſ commorantis peruenerunt. Vbi Keyſtuth dux Lithuaniæ, ſub ſaluo conductu introductus, pacem his conditionibus compoſuit: Vt captiuis, quos Lithuani cœperant reſtitutis, Georgius dux caſtrum Belſ regi daret, & gratiæ illius ſe deuoueret. Deditione itaque caſtri facta, Ludouicus rex duci Georgio, caſtrum Belſ obligauit. Aliudq; caſtrum Lubaczovv adiecit, & centum marcas annui cenſus in Bochnya ad tempora uitæ inſcripſit, ut regi regnoq; Poloniæ fideliter inſeruiret. Orta autem inter Hungaros & Polonos contentione, Petrus Zaffraniecz miles de Lucziecze, in facie uulneratus fuit, & ne res in grandem procederet ſeditionem, rex Ludouicus Petro Zaffraniecz caſtrum regium Pieskoua, ſkala, perpetua donatione dedit, creſcentem ſeditionem extinxit. Et quia Vvladiſlao duci Oppolienſ. rex Ludouicus plures diſtrictus, & caſtra in terris Ruſsiæ perpetua largitione donauerat. Ideò ut eorum acceſſio ad regnum Hungariæ facilior foret, ducatum Dobrzinenſem cum caſtris & oppidis Bidgoſtia, Vvlathovv, & Valcz, ex morte Kazimiri ducis Stetinenſ. deuoluti. Item ducatum Gnievvkouienſ. decem millibus florenorum, à duce Vvladiſlao albo comparatum, illi perpetuò donauit. Diſtrictus verò caſtra, oppida, & uillas Ruſsiæ, Hungaris (Polonis nequicquam improbantibus) partitus eſt. Horrentibus autem Polonicam auram, rege Ludouico & regina Elizabeth antiquiore, rex Ludouicus Vvladiſlao duci Oppoliẽſ. regnum Poloniæ gubernandum commiſit.

Seditio Hungarorum & Polonorum.

Vvladiſlaus dux Oppolienſ. regni Poloniæ gubernator.

Anno tandem Domini 1381. Elizabeth regina Hungariæ, regis Caroli relicta, filia Vvladiſlai Loktek, & ſoror Kazimiri Poloniæ, genitrix uerò Ludouici Hũgariæ, & Poloniæ regum, uigeſimanona Decembris in ætate grandæua, in caſtro Budenſ. mortua. Et in monaſterio in inſula Budẽſi ſepulta. Rex Ludouicus in medio quadrageſimæ uocatis Prælatis, & Baronibus Poloniæ in Budam, Gubernatores regni Poloniæ, Zauiſsium epiſcopum Craco. Dobeslaum de Curoſvvanki patrem eius Caſtellanum Cracouienſ. & Sandiuogium de Subino Palatinum Caſsilienſ. & Capitaneum Cracouienſ. conſtituit, qui regnum Poloniæ pertranſeuntes, largas expenſas fecerunt, bona pauperum diminuentes. Iudicia & terminos proclamarunt, & cauſas non audierunt, nec ullam iuſticiam adminiſtrarunt. Sentiensq; rex Ludouicus uiribus ſe deſtitui, anno Domini 1382 filiam ſuam natu maiorem Mariam, Sigiſmundo Marchioni Brandenburgenſ. quartumdecimũ ætatis annum agenti, filio Caroli olim imperatoris Romanorum & regis Bohemorũ ex

Mors Elizabeth.

Sigiſmundus Marchio Brandenburgen.

Elizabeth Boguslai ducis Stolpensf. progenito, copulauit, uocatisq; pro die sancti Iacobi Polonis ad Solium, aliâs Svvolen, oppidum & castrum Hungariæ propè Cremnicium, Prælatos & Barones Poloniæ ad suscipiendum in regem Poloniæ Sigismundum Marchionem præfatum Brandenburgeñ. & præstandum ei homagium per iuramentum fidelitatis, compulit. Missoq; Sigismundo ad suscipiendum regni Poloniæ possessionem, plerasq; in regno Poloniæ insolentias amputare, & exterminare præcepit. Qui castrum & oppidum Koszmin. Item duo fortalicia Nabiszicze, & Koszminiecz, breui expugnauit. Castrum uero Nodolanovv, Barthossio pacta secum inita non seruante, circũsedit. Sed quum illius expugnatio difficilior censeretur, copias Polonicas & Hungaricas in Mazouiam traducens, ducatum tantummodo Semouiti, præstare Ludouico ut Poloniæ regi homagium detractanti. Ianussius enim alter dux Mazouiæ, dudum in ditionem regiam concesserat, uastare spolijs & incendijs cœperat. Interim uerò Ludouicus rex Hungariæ, & Poloniæ apud oppidum Hungariæ Tirnaua tredecima Septembris fatis interceptus est, ad Albamq; regalem relatus, in sacello ab eo dotato, sepultus. Quum apud Polonos annis duodecim, apud Hungaros uero annis quadraginta regnasset. Cuius excessũ Sigismundus Marchio per festinum nuncium sibi denunciato, de agro Mazouico excessit, uersusq; Posnaniam perrexit. Et a Posnaniensibus ciuibus cõgruo honore susceptus, fidelitatis iuramenta exegit. Temporibus istius regis Ludouici, nulla stabilitas, nullaue iusticia in regno Poloniæ fuit, bona pauperum rapiebantur, negociatores ac uiatores deprædabantur. Prælati ac nobiles cum eorum rebus, equis, & suppellectili de regno captiuati educebantur. Exactiones sæpenumerò, contra pacta & promissa regis, tempore coronationis facta, exigebantur. Sed prælatis resistentibus raro soluebantur. Iniuriam passi pro complemento iusticiæ in Hungariam currebant, quos rex ad reginam genitricem suam, & uice uersa regina ad filium regem Ludouicum remittebat. Literis apportatis, quæ ex Cancellaria regis graui pecunia redimebantur. Capitanei minime parebant proprijs duntaxat commodis incumbendo.

Ludouicus rex Hungariæ & Poloniæ mortuus.

CAPVT XXXII. LIB. IIII.

POst mortem regis castra Russiæ Crzemienyecz, Oleszko, Hrodlo, Lopatin, Snyatin, duci Lubardo tunc castrum Luczko obtinenti, Hungarorum milites, quibus Ludouicus rex castra commiserat prodiderunt & uendiderunt. Et regina Hungariæ Elizabeth plerosque eorum in carceres coniecit, alios capite mulctauit.

Eodem ãno apud Radomske oppidũ, pro die S. Katharinę cõuentu habito, regnicolæ Polonię alteri ex filiab. regis Ludouici pręstare homagiũ concluserũt. Prudentẽ principẽ personalẽ residentiã facturũ eidẽ iungẽdum & Sigismũdum abijciẽdum, clandestina decoctione includendo, scripto & sigillorũ appẽsione roborarũt. Bodzantha Archiepiscopo Gneznen. & Damaratho Castellano Posnanień. ac Capitaneo maioris Polonię contrauenientib. S. Nicolai uerò lucescente die magnus Visliciæ conuentus haberi cœptus est. Cui Sigismundus Marchio interfuit. Duo etiam Episcopi Stephanus Agrień. & Ioannes Cenadiensf. totidemq; Barones ab Elizabeth Hungariæ regina uenerũt, precati sunt, ne cui alteri, sed nec Sigismundo Marchioni, fidem & subiectionem præstarẽt, donec per reginam de vtraque filia certior ordinatio fieret. Quaprópter conclusio apud Radomske habita ratificata est. Cui Archiepiscopus Gneznen. Bodzantha, & Capitaneus maioris Poloniæ Damarathus, assentire coacti sunt. Ex Visliciensf. dieta Sigismundus Marchio Cracouiam uenire desiderauit, sed Dobeslao de Curosvvanki, Castellano Craco. dissuadente, non est admissus. Sed in Niepolomicze exinde in Bochnya & in nouam Sandecz deductus, & sumptu Polonico procuratus, in Hungariam redijt.

Conuentus in Radomszke.

Deinde Elizabeth regina Hungariæ fatigata & sæpenumerò adhortata est per proceres Poloniæ, ut unam ex filiabus suis ad Poloniam regnaturam mitteret, quos in conuentione Siradiensf. ante penultima Februarij, 1383 celebrata per Nicolaum Vespeniensf. Episcopum, & duos Barones Hungariæ patentibus literis à iuramentis & fide, qua filiæ Mariæ, & Sigismundo Marchioni sponso eius se deuinxerant absoluit. Et alteram filiam natu minorem Heduigim pro festo Paschæ in Poloniam mittere promisit. Post hoc uigesimaoctaua die Martij prædicti anni in conuentione Siradiensf. Semouitus dux Mazouiæ, rex Poloniæ decernebatur, tamen totum negocium dilatum & suspensum est ad Heduigis filię regis Ludouici aduentum. Quare prefatus Semouitus dux

Mazo-

Mazouiæ, uolens decretum de se factum exequutioni demandare, personam suam occultando cum Bodzantha Archiepiscopo Gneznen. in Cracouiam processit, sed aduentu suo publicato, septima Marcij Cracouiam ingredi non est permissus. Declinauit ergo cum Bodzantha Archiepiscopo Gneznen. in curiam sancti Floriani extra muros Craco. quam idem Bodzantha Archiepiscopo existens Præpositus sancti Floriani insigniuerat & construxerat. Ibique latitare non ualens, à consulib. Cracouiensibus, & quibusdam nobilib. legationem accepit, quòd nisi abscederet, uarijs modis eum uexaturi, propter imminens ciuitati periculum. Qui quum circa curiam sancti Floriani, in nocte festi Pentecostes custodiam adhiberet, tandem die sequenti sole oriente Cracouiam reliquit, & per Prossouicze in Nouam ciuitatem Corczin, ubi quindecim diebus immoratus, Heduigim filiam regis operiebatur, & expectabat, uolens eam suasu & suggestione plurium, si sponte non daretur, rapere, & per eam regnum Poloniæ obtinere. Prælati autem & proceres Poloniæ ad excipiendam & inducendam Heduigim filiam regis Ludouici in nouam Sandecz, pro festo Pentecostes iuerant, quos regina ad se in Cassouiam trahens & uocans promissa immutauit & conclusit, pro festo Martini proximè futuro Heduigim filiam reginam in Cracouiam missuram. Semouitus ergo spe sua frustratus, Conuentionem generalem apud Siradiam pro die sancti Viti omnibus Polonis indixit. Illi autem plerique singuli, Semouiti ducis edicta, & comminationes aspernati sunt. Solus Bodzantha Archiepiscopus Gneznens. cum nonnullis maioris Poloniæ iuuenibus militibus Siradiam adueniens. In monasterio fratrum prædicatorum Semouitũ ducem Mazouiæ, regem Poloniæ, eum in altum cum alijs leuando, pronunciauit. Propter quod exercitus Hungarorum duodecim millia armatorum, duce Sigismundo Marchione Brandenburgens. habente in suo comitatu Demetrium Archiepiscopum Strigoniens. post festum sancti Iacobi per nouam Sandecz aduenicns, & per terram Radomiens. aucto exercitu Cracouiensibus & Sandomiriens. militibus, Mazouiam intrauit. Et singula quæ ad Semouitum ducem pertinebant, uastauit & crudeliter incendit. Deinde uigesimaquinta Septembris Brzescze ciuitatem Cuyauiæ obsidione cinxit, quoniam ipsa duci Semouito parebat, & sub undecim diebus, quibus obsidio continuabatur, Cuiauiens. terra perinde ac hostilis à Polonico & Hungarico exercitu uastata est. Donec Vladislaus dux Oppoliens. Vielunens. & Dobrzinens. mediatorem se ponens, inducias pacis in festum paschæ duraturas inter Sigismundum Marchionem, & Semouitum Mazouiæ ducẽ ordinauit, Damaratho etiam de Pleszchno Castellano Posnanien. in fauorem Sigismundi Marchionis & Elizabeth reginæ Hungariæ, Saxonibus & Pomeranis conductis Cuyauiens. terram, sub diebus, quibus a Sigismundo Marchione Mazouia uastabatur, spoliorum ingeminatione ex oppido Zneinen. obterente. Vladislaus dux Oppolien. apud Iuniwladislauiam commorans, gentes eius, quia in terra sua prædas agebant, magna strage cum excussione prædæ, quam abigebant, obruit. Elizabeth autem regina Hungariæ, pacta, quæ cum proceribus Poloniæ in Cassouia pepigerat temerante, anno Domini 1384. Missus Sandiuogius de Subino Kalisien. palatinus, & Cracouiens. Capitaneus apud Iadram eam reperiens, hortatus est ut filiam regiam Heduigim in Poloniam mitteret. Videnśque suas & Polonorum spes in irritum recidere, & se à regina detineri, nec abire permittente, donec Cracouiam Hungaris resignaret, irritatus & ipse equis permutatis, prout antea ordinauerat, ex Iadra euolans, in una die naturali, quod uix credibile dictu est, sexaginta milliaria confecit, Cracouiamque defatigatus, omnes nuncios præuolans, peruenit. Et conuentu uno in Lelovv, altero secunda Martij in Radomske constituto, leui nuncio Przeczlao Vanuelski, reginæ apud Budam mandata proceres Polonorum miserunt, rogaret imprimis, ut filiam Heduigim mitteret pro festo Sancti Stanislai, abstineretque ludibrijs, quibus tantoperè usa est Polonos afficere, Polonos de cætero nec legatos mittere, nec missionem Heduigis expectare. Mouit tam aspera legatio Elizabeth reginam, propter hoc Sigismundum Marchionem Brandenburgens. generum suum ad regendum regnum Poloniæ, misit, quoad filia Heduigis adolesceret. Quod quum apud Craco. percrebuisset, irritati iusto exercitu collecto in Sandecz processerunt, missisque ad Sigismundũ Marchionem, qui tam apud Lobovvla hospitabatur, nuncijs, monuerunt ne regnum eis inuitis introeat. Illum nec pro rege, neque pro gubernatore ullo pacto se accepturos, quin etiam ingressum illi non secus, atque hosti armis interdicturos. Qui hac denunciatione territus, gradum repressit. At regina promissiones suas impletura, Heduigim filiam cum magno Baronũ præcipuè Demetrij tituli sanctorũ

Spes Semouiti de Heduigi cõsequenda.

Semouitus rex pronunciatur.

Sigismundus Marchio huic rejistit.

Oppoliẽs dux mediator bonorum.

Cracouiensium minæ.

Heduigis, filia Elizabeth mittitur.

quatuor Coronatorum Præsbyteri Cardinalis, ac Archiepiscopi Strigoniens. & Ioannis Cenadiens. Episcopi, comitatu, ferentem secum in auro, argento, in uasis, pannis, clænodiis, gemmis, & cortinis, insignem & regiam supellectilem, pro festo sancti Michaëlis träsmisit. Ad quam excipiendam Prælati & Barones Poloniæ certatim occurrentes, cum ingenti alacritate Cracouiam, omnium ecclesiarum processionibus, omniumq; statuum ordinibus, obuiam illi effusis, perduxerunt. Et die Solis decimaquinta Octobris, ipsam in Craco. ecclesia, quo die apud Polonos sanctæ Heduigis agitur celebritas, per Bodzantham Gneznens. Archiepiscopum, Ioannem Craco. Ioannem Vuladislauiens. Dobrögostium Posnaniens. Episcopos, sub præsentia Strigoniens. Cardinalis, & Baronum atque militarium utriusq; regni Polonici & Hungarici copiosa frequentia, in reginam Poloniæ inungi, consecrari, & diademate reginali coronari procurarunt: tributa ei plena facultate regnum Poloniæ administrandi, donec quispiam principum in regem Poloniæ coronandus ipsi adiungeretur.

CAPVT XXXIII. LIB. IIII.

Lithuanorum & Ruthenorũ clades.

ANno Domini 1370 Keystuth dux Lithuaniæ, cum tumultuario exercitu Prussiam subintrans, districtum Stisten uastauit & exussit: celerrime se de Prussia cum captiuis recipiendo. Quàm uastationem Vinricus magister Prussiæ ulciscens, in Lithuaniam intrauit, & exercitu in quatuor partes partito, captiuos plurimos in Prussiam deduxit. Quo redeunte Elner Commendator de Balga, partes Russiæ ingrediens castrum Dreuik impugnauit, quod quum conquirere nequiret, spoliata regione in Prussiam cum captiuis redijt. Deinde concurrentibus multis forensibus tertiam expeditionem Commendator de Iusterbork egit, qui castrum Dirseme expugnatum incendit, & multos Lithuanos, aut occidit, aut captiuauit.

In anno autem sequenti scilicet 1371 Keystuth dux Lithuaniæ uicissim in Prussiam cum exercitu ueniens, districtum Stisten uastauit, & multis christianorum occisis, spolia in Lithuaniam duxit, propter quod Vinricus Magister Prussiæ, Lithuaniam & Samagitiam uastauit, & succendit, ac cum spolijs redijt. Postea alterum exercitum frater Elner Commendator de Balga in Russiam duxit, castrumq; Dreuik expugnare non ualens, spolia tantummodo cœpit, & onustus in Prussiam redijt. Egit & tertiam expeditionem in Lithuanos Commendator de Iusterbork, & expugnato atq; incenso castro Dirseme, multos ex Lithuanis aut cœpit, aut necauit.

Anno Domini 1371 die quindecima Aprilis in Dominica Iudica, fulmen uerticem dextræ turris ecclesiæ Posnaniensis percussit, & extremitatem angularem abrumpendo, exiguo testudinis foramine in sacellum regium penetrans, imagines Przemislai regis Poloniæ, & suæ consortis Richsza nomine in parietibus sacelli sculptas fregit & decussit.

Pestis.

Eo anno & sequenti grãdis pestis, deprædationes, & spolia in maiori Polonia fuere.

Filia Ludouici Maria Sigismundo imperatori desponsata.

Anno Domini 1372 Ludouicus Hungariæ & Poloniæ rex, filiam suam natu maiorem Mariam, Sigismundo filio Caroli Imperatoris ac regis Bohemiæ, Marchioni Brandenburgens. desponsauit. Eodem anno bina à Prutenis in Lithuanos expeditio facta est, quarum unam frater Vigandus de Belderstein, alteram Commendator de Iusterbork administrauit, nihil memorabile in vtraq; gestum est.

Anno Domini 1373 Elner Commendator de Balga Russiæ bellum intulit, & terram Volniska uastans, usq; ad Kamienyecz prædatus est: congestisq; captiuis & pecoribus Balgam redijt. Quadragesimali uerò tempore Keystuth Lithuaniæ dux, omnes custodes Cruciferorum fallens, per deserta & nemora Prussiam ingressus, circa uillam Bibersitein hostilitate facta, plures aut occidit, aut cœpit: ab exploratoribus uerò certior factus de Cruciferorum exercitu, in syluas & deserta illic refugit, relictis insidijs in locis opportunis si Cruciferi fugentem insequerentur. Commendator igitur de Brandenburk qui ducebat exercitum, insidias incidere ueritus, persequi Keystuth destitit.

Anno Domini 1374 Commendator de Iusterbork cum equestri & pedestri agmine Lithuaniam ingressus, districtum Veygovv uastauit, & cum captiuis, spolijsq; Iusterbork regressus. Consurrexerunt post hoc omnes Commendatores & terras Dirsingen, & Veygovv, duce Gothfrido de Thilia Marsalco Prussiæ ferro & igne uastarunt, septingentosq; captiuos in Prussiam deduxerunt.

Filia Ludouici Heduigis Vilhelmo desponsata.

Anno Domini 1375 Ludouicus Hungariæ & Poloniæ rex, Heduigim filiam natu minorem Vilhelmo, Lupoldi ducis Austriæ filio, qui in aula soceri nutriebatur, desponsauit.

fauit. Et eodem anno præfatus rex Ludouicus ad Gregorium Papam undecimum, missis nuncijs in Auinionem, Halicieñ. oppidum archiepiscopali, Przemislieñ. uerò Chelmeñ. & Vvladimirieñ. episcopali honore insigniri obtinuit ad metropoliticam Haliciens. ecclesiam Iacobus Polonus fuit consecratus, & sedi suæ ecclesia Græci ritus fuit assignata. Ad Przemislieñ. uerò Hēricus frater minorum natione Alemānus, genere nobilis, primus Episcopus fuit consecratus. Eodem anno Ioannes Posnanieñ. episcopus de domo Dolivva, hydropisi in Sbicouo mortuus est, & Posnaniā relatus, in die Cathedræ S. Petri ante altare beatæ Mariæ sepultus est. Hic oppidum Dolszko fundauit, multasq; uillas circa Crobyā & Bugk erexit, & locauit. Anno quo supra, gemina expeditione in Lithuanos Cruciferi usi, maior exercitus, in quo erant oēs Commendatores, in Lithuaniā, Commendator uerò de Ragnetha cum rariori agmine in Russiam diuertunt. Vterq; autem exercitus cædi & uastationi intentus, spolijs refertus redijt. Interim Lithuaniæ duces Olgerdus, Keystuth, & Svverderko cum proprijs & auxiliaribus gentibus Prussiam trifarie diuisi intrauerunt. Olgerd districtum Velovv, Keystuth, Caplanken, Svverderko Insterbork, igne, cædibus & spolijs vastarunt. Occisisq; noningentis christianis & castro Insterbork expugnato, & exusto, magnum numerum spoliorum, nullam resistentiam experti, retulerunt. Secunda die Iulij Berardus Commendator de Ragnetha, per unam partē, frater uerò Theodoricus per alteram Lithuaniam, ingressi, cædibus & spolijs per aliquot dies, nullam resistentiam experti, uacabāt. Compræhēsisq; centum quinquaginta captiuis, in Prussiam regressi sunt.

Ioannes Episcopus Posnanieñ. mortuus.

Prutenorum & Lithuanorum uastatio mutua.

Anno Dñi 1376 Przeczlaus de Pogorzala Episcopus Vvratisla. quum añis triginta-quinq; ecclesiæ Vvratis. utiliter præsedisset, in medio Quadragesimæ mortuus est. Et in ecclesia Vvratis. in sacello Mansionariorum sepultus. Hic à Boleslao Legniceñ. & Bregeñ. duce, castrum & ciuitatem Grotkovv cum suo districtu in sortem Vvratisla. ecclesiæ coēmit. Hic Mansionarios in ecclesia Vvratisla. & Conuentum duodecim pauperum laicorum, singulis diebus stipem, & añuum amictum sumētium, in Nissa fundauit & dotauit. Hic ecclesiam Vratisla. murorum ædificijs, piscinarum structuris, uillarum emptionibus, & locationibus, uasis aureis, & argenteis, ornamentisq; uariæ suppellectilis, adeo extruxit, adornauit & magnificauit, ut uulgari fama aureus Episcopatus appellaretur. Prælati autem & Canonici ecclesiæ Vvratislauiens. Polonis uiris idoneis de suo gremio contemptis, in die electionis Theodoricum Bohemum Decanum Vvratisla. qui uiciosè in Decanatum intrauerat, in Episcopum elegerunt. Cui Gregorius undecimus in Auinione permanens respondit, non prius de ecclesia Vvratis. prouidere, donec ex Auinione Romam transmigraret. Interim uerò ad Vvratisla. ecclesiam fratrem Nicolaum ordinis prædicatorum episcopum Mayoriensem misit, ut fructus & redditus ecclesiæ Vvratisla. tanquam eius procurator perciperet, & omnia per Przeczlaum derelicta, cameræ Apostolicæ ad plenum reddi mandaret & procuraret. Qui ueniens Vvratislauiam publicato mandato apostolico, in hunc modum cum Capitulo Vvratisla. conuenit. Vt singulis annis, quo Vvratisla. ecclesiam uacare contigerit, octo millia florenorum apostolicæ redderent cameræ. Pro derelictis uerò Przeczlai Episcopi triginta millia. Pro collecta & contributione biennali ecclesiæ Polonicæ impósita, pro sorte ecclesiam Vvratisla. contingente, duo millia, & pro expensa ac fatiga in pecunia huiusmodi Romam ferenda, unum mille, reddere tenerentur. Eo igitur pacto Capitulum Vvratisla. nuncio apostolico Nicolao Episcopo Mayoriens. triginta tria millia florenorum, sub uno tempore & die persoluit. Et papa Gregorius à tempore uacationis fructus percipiens, Vvratislauiensem sedem uacare permisit.

Przeczlai Vvratislaui. Episcopi mors.

Electio altera.

CAPVT XXXIIII. LIBER IIII.

IAroslaus de Skotniki, qui excæcatus fuerat, & de Archiepiscopatu Gneznens. cesserat, plenus dierum, quia centenarius, in Kalisz. ueniens, in Archiepiscopali domo anno Domini 1376 die sedecima Septembris mortuus est, & uigesima eiusdem mensis in ecclesia Gneznens. in sacello ab eo fundato, & dotato sepultus. Hic oppidum Kamien in metis Pomeraniæ situm fundauit, & Zneinā instaurauit, hic ad ornandum patriam & ecclesiam Gneznens. castra Lovvicz, Opathovv, Vnieyovv, Kamien. Item ecclesias in Gnezna, Curzelovv, Oppathovv, Kalisz sanctæ Mariæ. Item Curias in Gnezna, in Lancicia, in Vielun, in Kalisz. in Cracouia extra muros Cracouiens. sub castro, muro construxit. Curiam tamen sub castro Cracouiens. desertam Ioannes Albertus rex Poloniæ, tempore quo Turci, Tartari, & Vvalachi in diebus nostris, Russiam usque ad

Iaroslaus de Skotniki mortuus.

ad Kanczugam Anno domini 1498 uastarunt, deijcere præcepit, ne ipsius occupatione castro Craco. immineret periculum. Is Iaroslaus Archiepiscopus districtū Louicens. penè desertum, utpote qui nonnisi duas marcas in censibus habebat reperiens, locatum & populatum octingentas marcas fundentem, de suo censu annuo ultra censum frumentorum reliquit.

Anno præfato in synodo Vnieyouiens. contributionem biennalem à singulis Polonicæ ecclesiæ diocœsibus modestam quantitatem, de qualibet marca, uidelicet taxæ papalis, duos grossos, Nicolaus episcopus Mayoriens. nuncius apostolicus dari consensit. Eodem anno sciens Vinricus magister Prussiæ Lithuanos in regni Poloniæ inuasione occupatos, in Samagitiam proprium duntaxat militem traduxit, ubi nullo prohibente districtus sex uidelicet Miedniki, Eroglen, Aruisten, Rosgein, Gessovv & Pastovv cæde & flammis uastauit. Castrum post hoc Kovvno pugnare adorsus, dum in eius expugnatione plerique notabiles milites de ordine cecidissent, castro inexpugnato relicto, Marsalcum cum decem millibus armatorum misit, qui uniuersam regionem ad Niemien fluuium sitam demolitus est, & cum multitudine captiuorum Prussiam remeauit. Anno præexpresso instante Carolo imperatore Romanorum, & rege Bohemorum, magnis conatibus & muneribus Venceslaus filius eius sedecimum ætatis agens annum, electus est in die Barnabæ apostoli in Frankfordia in regem Romanorum, coronatus Aquisgrani in octaua Apostolorum Petri & Pauli.

Vinricus magister Prussiæ Samagitiam ingressus.

Anno Domini 1377 Dolis magis, quam uiribus Keystuth Lithuaniæ dux, copias suas per Mazouiæ terras in Prussiam traduxit, & omnem oram circa Dzoldovv & Nidbork uigesimanona Septembris graui cæde & igne, cum multorum hominum captiuatione, uastauit. Circa festum verò sancti Iacobi filius Keystuthi, adolescēs manu & animo promptus, nomine Vitovvdus, primam expeditionem in Prussiam egit. Et circa Taynovv & Iusterbork populationem & conflagrationem peragens, spolijs onustus, illæsus ad patrē rediјt. Magister itaque Prussiæ Vinricus cum frequenti militum suorum armatura, primum in Russiæ oram descendit, & circa castrum Byelyagi aliquot diebus statiua tenuit, deinde in Kamienyecz applicuit. Ab inde verò in terras Lithuanorum & Samagitarum descendit. Quas quum ferociter peruastasset, cum spolijs & captiuis Prussiam redeunti, Lithuani insidias, sylua uasta, qua iturus erat, in plerisque locis succisa, tetenderunt Prutenicum exercitum, iniquitate loci uehementer adiuti, in primario congressu uiginti milites, qui ordinum ductores extiterant, strauerunt. Cæteri syluarum latebris tecti, manus Barbaricas effugerunt. Fecerūt post hęc duo Lithuanorum principes Olgerd & Keystuh in terris Prussiæ, habentes fortem exercitum trifariè diuisum, irruptionem. Et terra circa Iusterbork & Velovv exusta, & in solitudinem redacta, in terram Salovv, quam Canonici de Konigsbergk obtinent, aduenientes, eam funditus cædibus, spolijs, & flammis euerterunt, & per Iusterbork cum cœtu magno captiuorum Lithuaniam reuersi sunt. Commendator deinde de Ragnetha uno agmine, & Commendator de Belga altero. Item frater Kune de Hattenstein tertio, seorsum in Lithuaniam ingressi, quilibet populatione latius, quā poterat, extēsa, multa spolia atque incendia peregerunt, & Prussiam uinctos deduxerunt. Congessit post hæc omnia, Magister Vinricus exercitum copiosum, cum quo Lithuaniam ingressus, duo castra in eius confinijs erexit, atque ædificauit, uidelicet Bartemburk & Demrin. Interim uero quo perficiebatur opus, Gothfridum de Linda Marsalcum, cum expeditiori milite Lithuaniam misit, qui plures captiuos cum spolijs incolumes reduxit. Sed neque ea expeditione magister Prussiæ Vinricus contentus, aduenientibus in sui subsidium Australibus, in Samagitiam transiuit, & duabus regionibus, uidelicet Kalthaneuen. & Veduke per dies decem uastatis, spoliatis & incensis, spolia in Prussiam in quadrigis reduxit.

Keystuthi cum filio Prussiam uastant.

Vinricus repugnat.

Lithuanorum exercitus trifariè diuisus.

Bartemburgk & Demrin castra eriguntur.

Anno Domini 1378 Marsalcus Prussiæ Gothfridus de Linda, habens in suo comitatu duodecim millia pugnatorum, Lithuaniam ingressus, usque ad castrum Troki aduenit. Trocens. autem districtu uastato, etiam Vilnens. simili subiecit clade. Cuius potentiam Keystuth plurimum perhorrescens, colloquium petiuit, & tractatibus mutuis factis, rogatus à Keystutho, Marsalcus à cæde temperauit, & partis tantummodò contentus, in Prussiam exercitum reduxit. Incontinenti uero Commendator de Ragnetha frater Kune de Hattenstein cum nouo exercitu in die sancti Ioannis baptistæ Samagitiam & Lithuaniam ingressus, districtus Przeuan, Labyovv, Aruisch, Pasterin, Eroglen, & Pernarey, cædibus, spolijs, & flammis uastauit, ac cum multitudine spoliorum in Ragnethām rediјt.

Districtus Lithuanici uastantur.

Præ-

Præterea cum noua militia, quæ ex Alemannia aduenerat, Gothfridus de Linda Marsalcus Prussiæ tertiam in Lithuanos expeditionem ægit, habens in suo comitatu omnes Commendatores, & quintis statiuis ad Vilno peruenit, omnia igni & ferro subijciendo. Dux autem Keystuth, qui tunc in Vilno agebat, inducijs in unum diem obtentis, ab exustione ciuitatis Vilnens. abstinere petebat, quod etsi sibi fuerit per Gothfridum Marsalcum promissum, media tamen ciuitatis pars igne conflagrata, altera ægrè defensa est, inducijs cessantibus, castri Vilnens. expugnatio est tentata, quam quum Marsalcus prouenire non posse animaduerteret, obsidione soluta, Prussiam remeabat. Interim uerò Vitovvdus Keystuthi filius, cum quingentis Lithuanis, Prutenicum exercitum antecedens, commeatus, quos Cruciferi in solitudine pro reditu reliquerant, occupauit, recepit & distraxit. Quapropter exercitus Prutenicus illic ueniens, & uictualia occupata offendens, sex diebus atrocem famem perpeti coactus est. Eiusdem anni penultima Nouembris Carolus Romanorum imperator, & Bohemiæ rex, quum annis uno & triginta imperasset, mortuus est, apud Pragam & in maiori Pragen. ecclesia sepultus.

Vilneum Ciuitas exusta.

Caroli Romanorum imperatoris mors.

CAPVT XXXV. LIB. IIII.

ANno Domini 1380. Florianus Cracouiens. Episcopus, dum tredecim annos in Episcopatu exegisset, sexta Februarij mortuus est. In ecclesia Cracouiens. in sacello sancti Thomæ per eum dotato sub tabula ærea sepultus. Hic in oppido Bodzanczin castrum muro erexit, & oppida Bodzanczin & Islza muro, & turribus cinxit. Item ecclesiam in Dobrauoda & alteram in Vanglesżin uilla patrimonij sui muro construxit. Huic Zauissius de Curozuanki Archidiaconus Craco. nobilis de domo Rosæ successit.

Florianus episcopus Craco. mortuus.

Zauissius eius successor.

Anno Domini 1381 decimaseptima mensis Iunij, Semouitus filius Troideni, totius Mazouiæ dux, in castro Plocen. mortuus, & in ecclesia eiusdem tumulatus. Reliquit tres filios, duos ex prima uxore, filia Nicolai ducis Oppauiæ, uidelicet Ianussium & Semouitum: tertium Henricum ex altera coniuge filia Vvladislai ducis Zambiens. uenustissima corpore, quam de adulterio suspectam habens suffocari præcepit. Et dum ex lineamentis & physionomia filium Henricum præfatum sibi similem comperit, de morte suffocatæ matris perpetuò doluit. Item reliquit duas filias, quarum unam Vvladislao Oppoliens. Vielunens. & Dobrzinens. duci: Alteram Kazimiro Stetinens. quo absumpto, Hērico Lodouici filio Bregens. ducibus in cōiuges tradidit. Is Semouitus onerosus & grauis omnibus, præsertim suis subditis fuit. Ducatum Mazouiæ in duos tantummodo filios partitus est. Ianussio Varszouien. Semouito verò Plocen. ducatū consignando. Henrico reassumpto, de Lancicien. præpositura prouidit. Anno quo supra die octaua mensis Augusti, monasterium Carthusiensium in diœcesi Vvladislauien. inter duos lacus, quatuor militaribus à ciuitate Gedanens. distans, per Ioannem Ruscinki militem natione Polonum, pro insigni nobilitatis, leonem cum capite sturionis deferentem, fundatum est. Qui pro dote præfato monasterio, tres uillas suas hæreditarias, Kolplen, Czaple, & Gdinya prope fluuium Radunya in terra Pomeraniæ consistentes donauit, ad incolendumq; fratres Carthusien. ex monasterio Pragens. uocauit. Et extunc locus ille paradysus Mariæ uocari cœpit.

Semouiti mors.

Monasterium Carthusianorum.

Eodem anno noua molestia ad molestiam uacantiæ sedis Pontificis accessit, ecclesiæ Vvratislauiens. Ceruisia siquidem Svveidnicens. Henrico Decano Vvratislaui. ad celebritatem instantis natiuitatis Christi, à Ruperto Legnicens. duce & germano missa, mandato consulum Vvratisla. ablata est, & uector captus ac incarceratus est, quia contra constitutionem consulum Vvratislauiens. ceruisiam extraneam adduxerat. Propter quod Venceslaus Lubucen. Episcopus, & Vvratislauiens. sede uacante administrator, Vvratislauiensem ciuitatem interdicto supposuit. Venceslaus autem rex Bohemiæ litem inter clerum & populum Vvratislauiens. sedaturus uigesimaseptima Iunij, & est quarta dies post Ioannis baptistæ Vvratislauiam aduenit. Et diu na ob reuerentiam sui resumi petijt. Clero autē abnuente, ut scelus prophanationis non incurreret, rex Venceslaus iratus, oppida & uillas Ecclesiæ & monasteriorum spoliare iussit. Et tam ingens gregum, pecuduūq; numerus Vvratislauiam inductus est, ut trecentæ oues pro tribus marcis usualibus, bos uerò pro fertone uenderentur, & propter emptorū penuriā maior pars ad Bohemiā pulsa est. Iussit deinde Abbatē sanctæ Mariæ in arena, penultima die Iunij, quæ est dies Petri, & Pauli apostolorū captiuare, & plusquam octo diebus in prætorio Vvratis. captiuitatem pertu-

Seuitia Venceslai regis Bohemiæ in clerū Vvratislauiensem.

pertulit. Frater uerò Marcus Abbas sancti Vincentij extra muros Vvratisla. se altera die infulatum coram rege diuina celebraturum fictè promisit. Nocte autem sequenti cum singulis fratribus suis, ad monasterium Strzelneń. in regno Poloniæ fugit. Sæuitum est præterea in curias Episcopi, canonicorum, monasteriorum, & uicariorum, de ablatis thesauris, clœnodijs, & argentarijs rege sortem cum militibus diuidente accipiēte, oppidis insuper & uillis ecclesiæ, sibi obedientiam & tributa præstare iussit.

Eodem anno uigesima Decembris Nicolaus Strosberk, Præpositus Gneznen. collector fructuum sedis Apostolicæ in regno Poloniæ, à Thoma Episcopo Lucerino nuncio Apostolico, cameram apostolicam primum in mille quingentis florenis, quos restituere cogebatur.

Præpositus Gneznensis capitur.

Deinde suspitione aucta ex quitationibus & registris succollectorum, coram se per compulsoriam productis, in duodecim millibus florenorum decepisse conuictus, capitur, & Vvratislauiæ perpetuis carceribus deputatus est.

Zauissius Cracouiens. Episcopus moritur.

Anno Domini 1382. Ianuarij duodecima Zauissius de domo Rosarum, Episcopus Cracoui. in uillagio ecclesiæ Craco. Dobrauoda, prope Visliczā æger factus, uel ut alij tradunt, dum aceruum per scalam ad corrumpendum uirginem rusticanam ascenderet, cum scala deiectus, collisus mortuus est. Et in Ecclesia Cracouień. in sacello corporis Christi tumulatus. Patre eius Dobeslao Castellano Cracouiens. & germano eius Creslao Castellano Sandomirień. pompam funeris more uulgi, equis purpuratis, & currib. supbè adornantibus. Vnde nocte sequēti strepitus uelut equorum per ecclesiam discurrentiū, & uociferatio dæmonum dicentium: Poiedzmy na bops, quod sonat equitemus meretricatum, à sanctuarijs ecclesiæ audita est. Hic anno pontificatus sui secundo, collegium Mansionariorum septem personarum, qui officium beatæ Mariæ in sacello post chorum ecclesiæ Craco. cantarent, duodecim decimas & unum hortum in nigra uilla, mensæ Episcopalis donando, fundauit. Hic in Chodovv uilla sui patrimonij prope oppidum Michovv ecclesiam parochialem fundauit. Largiens ei pro dote in uilla Poramba, & aliibi decimas manipulares. Hic à rege Lodouico pro domo Episcopali, quæ nunc granarium regium dicitur in castro Craco. obtinuit, & uillam Pystrzecz cum allodio dicto Crussicze, & domū ligneā cum turri lapidea in castro Craco. recepit. In locū eius Ioañes Radlicza medicinæ Doctor, Canonicus Craco. & regni Poloniæ Cancellarius succesit, affectuosissimis precibus apud Capitulum Craco. per regem Lodouicum promotus. Hic Ioānes Episcopus ex maiori Polonia de uilla Radlicze prope Kalisſ fuit, de nobilibus parentibus, qui galeam, seu nauem, aliàs Korab pro insigni deferebant. Is post studia liberalia, dedit operam medicinæ, & in monte Pessulano pluribus annis commoratus, doctor factus, Lodouico regi Hungariæ & Poloniæ, à rege Franciæ expertum medicum petenti, missus, facilè pro doctrina artis suæ fauorem regis Lodouici, & Baronum Poloniæ fuit consequutus.

Ioannes Radlicza successor.

CAPVT XXXVI. LIBER IIII.

Eodem anno Semouitus Mazouiæ & Plocen. dux, audita morte Ioannis Szuchiuilk Archiepiscopi Gneznens. castrum Archiepiscopale Louicz feria secunda Paschæ obsedit & expugnabat, requisitusq; per nuncium Suffraganeum Gneznen. qua ex causa obsidionem intulisset. Respondit quod propter hostem suum præcipuum Derslaum Castellanum Gneznen. qui se gubernatorem castri Louicz gereret, propter hoc accelerata electione Archiepiscopali, sedecima die Aprilis Dobrogostius de Nouidvvor, decretorum Doctor, Decanus Craco. & Cantor Gneznens. de familia Nalancz electus, suo & Capituli Gneznen. nomine Bronislaum Cancellarium, Boguslaum Canonicum Gneznen. Sandiuogium de Kazimirz, Ioannem de Czarnkovv iudicem Posnaniens. ac Castellanum Naclen. & Oszeponem de Grodzisko ad ducem Semouitum destinauit. Quibus petentibus obsidionem solui, destitutionemq; de gubernatoria Louicen. Derslai Castellani Gneznen. pollicentibus, Semouitus dux grauibus damnis irrogatis, de agro & obsidione Louicen. abscessit.

Prouisio Episcopatus wratislauiens.

Anno præfato Vrbanus papa sextus Vvratisla. ecclesiæ septennalem uocationem respiciens, Venceslaum Lubucen. Episcopum, filium Boleslai ducis Legnicen. ad postulationem nunciorum Capituli Vvratisla. de ecclesia Vvratisla. prouidit. In Lubucen. ecclesiam Adam de Kretlicz, Canonicum Lubucen. substituens. Hanc prouisionem perosus Venceslaus rex Bohemiæ multipliciter impediebat, tandem sub iniquis conditionibus huiusmodi discordia sic sedata est, ut omnia damna ecclesiæ Vvratisla. per regem Vences-

laum

laum irrogata,& quinq; millia marcarum Carolo patri suo per Capitulum Vvratis. mutuata remissa forent,& ut ad placandum regem,noua pecunia adijceretur. Id unicum pro sui doloris lenimine Vvratislaui.ecclesia solamen retulit. Vt consulares Vvratisla. denuò creandi,ex prætorij loco,creatione celebrata,proprios lares non introirent. Nisi primum ecclesia Vvratis.adita corporale iuramentum de defendendis & manutenendis iuribus, ac libertatibus Ecclesiæ in manibus Canonicorum præstarent.

Mors Vinrici de Kniprode. *Cõradus Czolner Magister Prussiæ.*

Eodem anno octauo Kalendas Iulij Vinricus de Kniprode magister Prussiæ, dum unum & triginta annos in magisterio exegisset, mortuus est. Cui Conradus Czolner de Cottestein successit.

Monasterium Czanstochouuensis fundatur.

Anno quo supra octuagesimosecundo,supra mille trecentos,nona die Augusti. Vvladislaus Oppolien.& tunc Vieluneñ.& Dobrzineñ. dux, monasterium fratrum æremitarum sancti Pauli primi æremitæ in Czanstochovva fundauit. Et in eo imaginem beatæ Mariæ ut fertur de pictura sancti Lucæ,quam de Russia per eum olim gubernata, apportauerat,quæ in hodiernum diem ibidem permanet,collocauit.Huic monasterio præfatus dux uillas antiquam Czanstochovv, & Krouodrza cum fabrica ferraria, molendino & prædio perpetuò donauit. Item decimas frumẽtales in uillis Gayanczieze, Dvvorzissouicze,Dupicze,Kruplin,& antiqua Brzesnicza. Item decimas frumentorum & braseorum,de molendinis constructis & construendis, oppidorum Czanstochozvva & Zari. Item decimas mellis,uillarum Przemikouicze, Przeuodzissouicze, Bobrovvniki,Nadalicze,Koszanczin,Biskupicze,in districtu Holstineñ. Bobrovvniki & Kamien.in districtu Vieluneñ.Libertando bona monasterij prædicti ab omnibus oneribus, tributis, exactionibus ordinarijs,& extraordinarijs.

Gedimini proles. *Partitio Dominij in prolem.*

Anno Domini præexpresso 1382.Iagello magnus dux Lithuaniæ,una cum matre per Keysthuthum ducem Lithuaniç,& patruum captiuatus est.Pro completiori autem cognitione originis præfatorum Lithuaniæ principum,& animaduertendum est digressiue, quod Gedimino(qui dominatione rapta,iusto principe apud quem stabulatus officio fungebatur occiso,imperium in Lithuanis exercuit)erant septem filij,quibus pater dum adhuc uiueret,terras à Ruthenis abstractas diuisit. Montiuido siquidem natu maiori Kernovv & Slonim consignauit,Narimuntho Piensk,Olgerdo Kreuam,cui dux Russiæ de Vitevvsko unica quam reliquerat filia,in matrimonium tradita,ducatus sui successionem tradiderat,Iavvnuthe Vilnam caput gentis,Keysthutho Troki,Koriatho,Nouogrod.Septimus & ultimus Lubardus,sortem inter fratres non accepit, matrimonium filiæ unicæ ducis Vvladimirieñ.sortitus,cum qua illi ducatus Leopolieñ.& Vvladimirieñ.obueniebant. Inter prædictos autem septem germanos duces, Olgerd & Keysthuth uegetiora sortiti ingenia, etiam strictiori se complexi sunt charitate. Indignumq; rati parere Iavvnuthæ, deijcere illum ex Vilna & ducatu magno,diemq; quo destinata exequantur, constituunt. Serius autem Olgerdo ex Vitevvsko,propter itineris lõgitudinem ueniente, Keysthuth die, qua inter eos conuenerant,cum gentibus armatis Vilnam occupat,parumq; abfuit quin & Iavvnutham ducem occupasset, qui sub tumultus tempore, de Vilna exiliens, in syluasq; & montes transmigrans,pedibus præ frigore rigescentibus,à persequutoribus captus, Vilnam relatus est. Misit itaque Keysthuth, in fratres sui Olgerdi ducis occursum,nuncium,significans se ducem Iavvnutham & Vilnam cœpisse, Olgerdum Vilnam celerius uenire cogens.Quo ueniente,quis eorum præsideret in ducatu magno,aliquanto tempore,uno alteri deferente honorem imperij, certamen habitum est, tandem ea conclusio capta est: Vt aliquibus districtibus inter se partitis,duci Iavvnuthæ, quem ciecerant, Zaslavv cum suis pertinentijs consignaretur. Olgerdus Vilnam & magnum ducatum possidens in omnes fratres exerceret imperium. Si alicuius terrarum obueniret occupatio, ex æquo inter Olgerdum & Keysthuthum partiretur, & unus alterius fide in iuramento interposito, non necem aut Dominia ambiret,sed pro posse commoda & profectus procuraret. Amplius erant Olgerdo duodecim filij ex eadem matre Ruthena, ducis Tvvereñ. filia suscepti,scilicet Iagello,Skirgello,Svvitrigello, Borzisch, Koributh, Vigunth, Korigal, Narimunt,Langvvin,Lubarth,Andreas,Buthavv,omnes adolescentes spectabiles, quos genitrix eorum,ad mores formabat Græcos,ritum Græcũ illis instillans. Dux præterea Keysthuth hos filios ex una coniuge generauit, uidelicet Vithovvdum, Patrikyg, Thotuil,Sigisdum,Voydath,& Vithovvdus mores patrios,formamq; & indolẽ singillatius expresserat.Eodemq; Iagellonis apud Olgerdum sors & conditio,qui cæteris neglectis adamabant, & iunxerant inter se societatem, & ex assiduo contubernio, germanitatis se prosequeban-

Contentio exorta. *Olgerdi proles duodenaria.* *Keysthuthi proles.*

Q

quebantur amore. Absumitur interim Olgerdus anno uidelicet Domini 1381. & Keystutho seruāte fidem Iagello patri in ducatu magno successit. Quem Keystuth patruus suus, eadem, qua patrem suum Olgerdum solitus erat, subiectione & reuerentia coluit, eius solium & consilia frequentando. Sed puritati fidei suæ, teterrimo genere premij responsum est. Erat quidam uir apud Olgerdum Voydilo uocitatus, sortis rusticanæ, primum pristinæ, deinde cubicularij, postremum pincernę munus agens, qui ad hoc peruenerat, ut maior inter omnes suos haberetur: Nec Iagellonis minor fauor erga illum erat, sic ut sororem suam germanam Mariam, duce Keystutho non consulto, Voydiloni coniunxerat. Voydilo contra se Keystuthi prudentiam & potentiam habens suspectam, apud Iagellonem uehementissime odiosum & suspectum effecit. Voydilonis quoq; persuasione cum Magistro & ordine Cruciferorum de Prussia Iagello contra Keystuthum patruum suum clandestinum inscripsit fœdus. De quo Keystuth per Sundstein Osteroden. Commendatorem ex affinitate secum iuncta, filiam enim Keystuthi Ianussio duci Mazouiæ desponsatam de sacro fonte leuauerat, auisatus, uocato Vithovvdo in quanto sint periculo edixit. Mittenteq; Iagellone Lithuanicum & Ruthenicum exercitum contra Polocenses, germanum suum Skirgellonem detractantes suscipere, & Magistro Liuoniæ cum suo exercitu auxilium personale ferente. Keystuth silenti agmine ad Vilnam ueniens, & Iagellonem ducem & castrum Vilneñ. ut à principio propositum est comprǣhendit: singulisq; in suam ditionem redactis, dum & inscriptionum fœdera, quibus Iagello cum Magistro & ordine Cruciferorum contra se obligauerat, deprǣhendisset, Vitovvdo filio per celerem nuncium in Vilnam ex Grodno uocato. Inscriptiones cum hostibus ictas, deprǣhensas monstrauit. Sortem suam paternam Vitevvsko & Crevva Iagelloni reddendo, magnum ducatum Lithuaniæ ei abstulit. Misit & Keystuth ad exercitum Lithuanicum Poloceñ. obsidentem & eius iussioni est paritum, solutaq; est obsidio. Voydiloneq; ducis Iagellonis genero in patibulum acto, dux Keystuth expeditionem contra Szcuierski Nouogrodek, & ducē eius Koributh indixit, suæ ditioni parere detractantem. Et quamuis dux Iagello auxiliū cum gentib. Keystutho promiserit, uiolato tamē promisso, conceptos dolos nectens, Hanulonem & ciues Vilneñ. primores promissis pellexit, qui castrum Vilneñ. obsederunt, uenienteq; Iagellone castrum ei Vilneñ. traditum est. Duxit deinde Iagello copias contra Troki, in cuius subsidium Marsalcus cum exercitu Prutenico ueniebat. Vitovvdus itaq; obsessionem à Lithuanico & Prutenico exercitu timens, de Troki cum matre in Grodno fugit, & patri Keystutho quæ fierent intimauit. Troceñ. autem paucis diebus obsidione tollerata se dederunt. Keystuth igitur obmissa obsidione Nouogrodek, ad Samagitiam transiens, exercitum collegit, ueniensq; ad flumen Vilia, & iunctis copijs Vithovvdi, obsedit Troki. Iagello uerò certitudinem subsidij Prutenorum sentiens, & Prutenos ac Lituoneñ. ad prope cognoscens, uersus Troki processit, utroq; exercitu ad pugnam instructo. Iagello caduceatores ad Vithovvdum, ut esset inter Iagellonem & patrem suum Keystuthum pacis arbiter, misit, & duce Skirgellone fidem faciente, Vithovvdus ad ducem Iagellonem utroque exercitu inducias agente, aduenit. Placuit autem ducem Keystuthum ad tractatum pacis acciri, suadente Vithovvdo & duce Skirgal securitatem promittente, dux Keystuth in exercitum Iagellonis aduenit. Vbi circumdante illos in coronæ modum, Iagellonis & Prutenico exercitu, se in laqueum incidisse deprǣhenderunt. Astruente autem Iagellone duce, neque loci, neq; temporis, qualitati de pace tractanda conuenire, redeundumq; Vilnam, & illic de pace agendum, ab utroq; exercitu, quasi signo dato discessum est. Verum quum ad Vilnam uentum esset, duce Vithovvdo sub custodia Vilnæ reseruato, dux Keystuth ferreis cathenis uinctus, Creuamq; deductus, ad fundum turris obscuræ & sordidæ proiectus est uinculatus, quinta denique nocte à Proxa Iagellonis ducis pincerna: Item fratre suo Bilgeny: Item Mostevv, Getkone, Crevvlanin, Cuczuk, Kiszicza, qui Zibinthe focum & lucernas accendentis gerēbat officium. Cæterisq; quibus à Iagellone imperatum erat, uiolato iure gentium, iugulatus est, & funus suum à Skirgellone in Vilnam relatum, ritu ueteri additis armis, equis, uestimentis, canibus potioribus crematum est. Ducem insuper Vithovvdum cum sua coniuge Anna, Iagello in Creuam sub honesta, arcta tamen obseruandum custodia transmisit, ubi consorti suæ principi Annæ, cum duabus fœminis ad maritum ingrediendi pro nocte, & egrediendi de mane, concessa fuit potestas. Consilio uxorino Vithovvdus unius fœminæ induto habitu, habitationem cum principe coniuge sua egreditur, relicta altera fœmina in cubili, quæ Vithovvdum repræsentaret. Et de nocte sequenti, per funem ex castro se demittens,

Insidiæ fraternæ.

Iagello & Vilnens. castrum capiuntur.

Trocens. obsessi & uicti.

Keystuth captus Vilnæ.

Mors Keystuth.

mittens, ad Ianusium Mazouiæ ducem primum uenit, à quo recollectus, & secundum aliquos baptismate lotus, Conradiq́; nomen sortitus, possessione insuper aliquarum uillarum donatus, consistere illic, ne à duce Iagellone opprimeretur, parum ausus, in Prussiam Magistro Prussiæ Conrado cum colligente transijt.

CAPVT XXXVII. LIB. IIII.

Anno Domini 1383. In maiori Polonia detestabile bellum ciuile inter Damarathum de Pirzchno, genere Grzimalitam, Capitaneum maioris Poloniæ, & militares ac nobiles eiusdem maioris Poloniæ ortum est. Barones siquidem Demarathum pro Capitaneo habere nolentes, duce Vincentio de Câpa Palatino Posnanieñ. Barthosio de Koszmin & Mazouitarum gente adiuti, Dominico die infra octauas Epiphaniarum Domini, oppidum & castrum Pisdri expugnauerunt. Deinde ad Kalisz uigesima Ianuarij uenientes, ciuitatem illicò acceperunt, castrum uerò resistens obsederũt. Interim Damarathus Capitaneus cũ suis ex castris & fortalicijs Myedzirzecz, Vielem, Sbanszino, Myedzichost, Kepilovv, Grzimala de Olesznyza Costrzineñ. Andreas de Svveradovvo Camienensis Castellani, Virzbantha de Smogulecz, & Theodricus de Margonino, fratres sui et consanguinei, ex castro Nakel, quod in eorum ditionem Damarathus commendauerat. Item reliqua pręsidia ex castro Labissino, Alberti Palatini Cuyauieñ. & fortalicio Pakoscz Hectoris olim iudicis Cuyauiensis, assiduis crudelibus spolijs, omnẽ terram circa Gneznã. Cloczko, Svvanovv Zneinam, Kiskovvo, Vvronki, Szamotuli, Buk, & Grodziszho consistentem, nulli parcendo conditioni immaniter uastabãt.

Bellum intestinum Damarathi & nobilium.

Insignis uastatio maioris Poloniæ.

Aduocatisq́; per Damarathum Saxonibus, Pomeranis, & Cassubitis in sui auxilium, uastato oppido Vvronki, & uillis in circuitu eius, oppidũ Szamotuli diripuit. Sãdiuogius aũt Svvidua. Naclensis Castellanus, quem nobiles cũ certis copijs de Kalisz ad Posnanã custodiendam destinarãt. Bartholomæum de Odolanovv. Item Castellanum Sremeñ. & plures alios per nuncios secretos Posnaniam aduocauit, quibus Sabbatho ante Dominicam Reminiscere, cum trecentis lanceis Posnaniam uenientibus, eadem nocte cum ipsis citato agmine ad Damarathi castra peruenit, illucescenteq́; Dominico die Reminiscere, quæ fuit quindecima die Februarij in castris Damarathi trepidatum est, & hostibus subitò irruentibus, uix media parte exercitu Demarathi tumultuariè armata, de castris exilijt, & cum exercitu Sandiuogij dimicauit, sed inermes in fugam facilè uersi sunt, quos Sandiuogio Svvidvva ad plura miliaria persequente. Virzbantha de Smogulecz partiuni Damarathi cum centum lanceis equitum, & quingentis peditum ueniens, gentes Sandiuogij per agros palantes, & profligatos capientes atq́; spolia legentes, inuasit & prostrauit. Pauloq́; antè uictores, uictor debellauit, & ex gente Damarathi uinctos ac captos dissoluit, & arma eorum, atque spolia abstulit. Sandiuogius Svvidvva à persequutione fugientium reuersus, conspecta cominus inimicorum multitudine, mente consternatus, equo uectus diffugit, & cum paucis ad fortalicium Derszkonis Grochale Castellani Santhoceñ. nomine Ostrorog uix euasit. Cætera autem sui exercitus multitudo à Damaratho & Virzbantho, tam equis, quam armis exuta, capta. Quumq́; fortalicium & Svviduam subitò expugnare non ualuerunt, nocte oppidum Oborniki ingrediẽtes, plurimas commiserunt rapinas. Tandem legati reginæ fœdera pacis, inter Damarathum Capitaneum, ac Nobiles, à dominica Iudica, usq; ad festum Ioannis Baptistæ confecerunt. Et tamen Damarathus cum Grzimala, & Virzbantha ac societate sua, multa oppida, uillas, nobiles, & plebeios, spolijs & inuasionibus affecerunt. Sed & bona Archiepiscopi Gnezneñ. & Canonicorum circa Gneznam & Zneinam spoliarunt. Et Zneinam sibi dandam ex conflictis persuaserunt, ac eam possidebant, quam Bodzantha Archiepiscopus cum magistro & ciuibvs Zneineñ. re secretò communicata, & portis sibi apertis, cum notabili numero gentium ingressus nona Octobris, Saxonibus ac Pomeranis eiectis recepit. Ammoto autem Demaratho à Capitaneatu maioris Poloniæ, & peregrino de Vanglesin filiastro, olim Floriani episcopi Craco. surrogato, non fuerunt sedatæ lites & spolia, tam per Capitaneum peregrinum, quàm alios nobiles se inuicem captiuantes. Eodem anno sed tempore præcedenti oppidum Brzescze cum terra Cuyauiæ & castro Crusvvicza, per Petrum Malocham Capitaneum. Cuyauiæ, & alios proditores Semouito duci Mazouiæ fuit traditũ. Attentauitq́; præfatus dux cum suis complicibus, & Barthosio de Odolanovv expugnationẽ Kalisz, & oppida atq; uillas spoliauit, & regnare in Polonia concupiuit. Et ideo exercitus Hũgaricus cum minoribus Polonis, ducatum ipsius & ter-

Interuentu Reginæ pax inter Damarathum & Nobiles facta.

Oppidum Brzescze Castrũ Cruszwijcza prodita.

Castrum Drohiczin interceptum.

ram Cuyauień. ut est præmissum, in altum affixerunt. Quia principibus Lithuaniæ inter se ut præmissum est altercantibus, duces Mazouiæ castrum Drohiczin interceperant & tenebant.

Anno igitur præfato 1383. Iagello dux Lithuaniæ, castrum expugnaturus aduenit, Szasin autem Marsalcus ducis Mazouiæ successor castri, quum absens intellexisset, periculum imminere obsessis, per media castra hostium triginta lanceis, & sexaginta balistarijs intrepidus ad castrum ualociter peruenit. A suis illicò cognitus intromissus, uirilem hostibus defensionem opposuit. Interim tamen à Ruthenis in castro consistentibus pretio corruptis, in aliquot locis castrum incensum est, qui in stationes hostium per funes se demittentes effugerunt. Quapropter Szaszinus strenuissimè decertans, ad extremum se principi Iagelloni dedere coactus est. Cæteri uerò plurimi igne ac gladio consumpti sunt. Eandem sortē eodem anno Cruciferorū de Prussia exercitus in Lithuania pertulit. Nam quum Magister Prussiæ Conradus Czolner, castrum Troki obsidione assidua, & machinarum frequenti, proiectione pro maiori parte confractum conquisisset, & forti militum atq; uictualiū præsidio imposito abscessisset, Iagello magnus dux Lithuaniæ illicò castrū antequam ruinæ illius refici possent, noua obsidione uallauit, omnibusq; conatibus ad illius cōquisitionem insistens. Cruciferos & Alemānos ut cum rebus uniuersis abscedere liceret pactos, quæsitum paulò antè castrum reddere coegit.

Castrum Troky obsessum.

Pestis ualida.

Anno præfato in terris Craco. Sandomirień. in Slesia, Bohemia, Pomerania, atq; Italia atrox pestilentia sæuiebat.

CAPVT XXXVIII. LIB. IIII.

Proci Iagellonis ducis Lithuaniæ ad Heduigim Poloniæ reginam.

EXploratū habens Iagello dux magnus Lithuaniæ, uirginem Heduigim ex Hungaria adductam, regnum Poloniæ administrare & possidere. Ad procādum eam suo connubio, quum specie foret uenustissima, anno Domini 1375. binos fratres suos Skirgellonem & Borzish misit. Hanulonemq; Capitaneum Vilneñ. eis adiungendo. Qui ad reginam Heduigim & consilium introducti, nomine Iagellonis muneribus magnæ existimationis reginæ oblatis, per uerba ducis Skirgellonis, desponsationem præfatæ uirginis postulauerant. Si inquiunt, dominum nostrum Iagellonem magnū ducem Lithuaniæ in sponsum accipere dignaberis, spondit se fidem Catholicam Romanam cum omnibus fratribus suis Lithuanorum ducibus, cum proceribus & uniuersa Lithuania, atq; Samagitia suscepturum, Omnes et singulos captiuos ex Polonia sublatos dimittere, terras suas Lithuanię, Samagitię, atq; nōnullas Russiæ armis quæsitas, regno Poloniç perpetuò uenire promittit. Offert se terras Pomeraniç, Culmen. Slesię, & alias quascunq; à regno Poloniæ alienatas, recuperare. Offert & omnes auitos thesauros in Poloniam inducere, & pro commodis regni Poloniæ conuertere. Ea legatio reginæ Heduigi parum grata. Prælatis uerò & Baronibus Poloniæ accepta fuit: ad arbitrium tamen reginæ Hungariæ Elizabeth reiecta est. Iussi sunt itaq; nuncij Hungariam ire, adiunctis eis tribus Baronib. Poloniæ, uidelicet Vvlodkone de Ogrodzenyecz subpincerna Craco. Nicolao de, N. Castellano Zauichosteñ. & Cristino de Ostovv possessore Kazimirieñ. Hi reginam Buda offensa pro responso retulerunt. Contētam fore reginam Elizabeth, ut Prælati & Barones Poloniæ pro republica fidei Christianæ, & regni Poloniæ, quæ meliora sunt amplectantur. Extemplò igitur nuncij, scilicet Vvlodko de Ogrodzenyecz subpincerna Craco. Cristinus de Ostrovv possessor Kazimirieñ. Petrus Zaslianyecz de Luczicze, Hinczka de Roskouicze ad Lithuaniam, ut Iagellonem ducē Lithuaniæ de implendis oblatis conditionibus denuò obligatum in Cracouiam adducerent, decreti & missi sunt. Quod persentiens dux Austriæ Gvvilhelmus, cui Lodouicus Hungarię & Polonię rex, filiam suam Heduigim minorēnem, dandam in coniugem deuouerat, cum comitatu, cleenodijs & thesauris Cracouiam uenit, longoq; tempore mansionē in ea, cōgratulante regina Heduigi, fixit. Quumq; successu temporis ingressus in arcem, qui anteà illi patuit, prohiberetur, Heduigis regina ad cœnobium sancti Frācisci cum suis uirginibus e castro frequēter descendebat, & in refectorio cum Gvvilhelmo duce Austriæ choreas, & quidem parcè & honestissimè ducebat. Explorata tandem eorum uoluntate, Nobiles & Barones Polonię, quibus talis copulatio summè displicebat, Gvvilhelmum ad arcem, & thalamum reginæ ad copulandum perduxerunt, & antequam carnali commertio potiretur, sequestratum cum iniuria et dedecore excluserunt. Regina autem Heduigis exclusionem eius molestè ferens, ad illum in ciuitatem descensum parabat. Inuenta autem porta castri, manda-

Legatio in Hungariam.

Regressus legatorum cum responso ad Iagellonem misso.

Dux Austriæ competitor.

mãdato, Baronum clausa, accepta securi manu propria seracula uiolare nitebatur, sed precibus Demetrij de Goray expugnata, cœptum obmisit. Gvvilhelmus autem se uiolari timens, clàm ex Cracouia in Austriam cum paucis refugit.

Recessus eius.

Anno autem Domini 1386. Iagello magnus dux Lithuaniæ, cum fratribus suis, atque grandi comitatu, cum quadrigis & plurima suppellectili, die Martis duodecima Februarij, Cracouiam ingressus, ad arcemq; perductus, reginam Heduigim adijt & inuitauit. Altero uerò die illi munera magnæ æstimationis per Vitovvdum, Borzish, & Svvitrigellonem obtulit, iam enim Vitovvdus alias Vitoldus Iagelloni reconciliatus ex Prussia redierat. Deinde multiplici sollicitudine Prælatorum & Baronum Poloniæ, regina Heduigis expugnata est, ut priori fœdere cũ Vvilhelmo abiecto, Iagelloni duci Lithuaniæ nuberet. Preterea die Iouis quartadecima Februarij, quæ fuit sancti Valẽtini, Iagello cum fratribus suis, in articulis fidei Catholicæ edocti, in ecclesia Craco. per Bodzantham Archiepiscopum Gneznẽ. baptisati sunt, & duci Iagelloni nomen Vvladislaus, Viguntho Alexander, Corigalloni Kazimirus, Svvitrigelloni Boleslaus, nomina imposita sunt. Rursus eadem die in eadem ecclesia Craco. sacramentum matrimonij, cum uirgine uenusta regina Heduigi, per ministerium præfati Bodzanthæ Archiepiscopi Gneznẽ. cõtraxit, terrasq; Lithuaniæ, Samagitiæ, & Russiæ regnò Poloniæ perpetuo inscripsit, ac incorporauit. Et populum earum ad fidem Orthodoxam reducturum, & baptisaturum iureiurãdo se adscripsit. Deinceps die Solis, uidelicet decimaseptima Februarij, quæ fuit Dominica Quinquagesimæ, nouo diademate, quum uetus & Priscum Ludouicus Hungariæ & Poloniæ rex in Hungariam transtulisset, per Bodzantham Gneznẽ. Archiepiscopum, Assistentibus ei Ioanne Craco. Dobrogostio Posnanieñ. Episcopis, in regem Poloniæ in ecclesia Cracoui. unctus, & coronatus est. Qui ex gente Lithuanorum primus diadema regni Poloniæ assequutus est. Dum hæc fierent Conradus Czolner Magister Prussiæ (qui per ducem Iagellonem ad baptisma, & nuptias fuit inuitatus, spreta uocatione) Lithuaniã ingressus, eam uastauit, castrumq; Lithuanicum Lubomlya expugnauit. Polocẽn. uerò ab obedientiã Iagellonis desciuerunt, & dux Andreas per Prutenos in possessionem eorum surrogatus. Quo cognito rex Vvladislaus Skirgellonem & Vitovvdum fratres, adiunctis eis Polonis in Lithuaniam direxit. Qui castrum Lubomlya expugnauerunt ac recuperarunt. Et Polocẽn. defectionis auctoribus gladio percussis, in gratiam receperunt. Tandem circa medium Quadragesimæ, rex Vvladislaus ex Cracouia cum noua sponsa regina Heduigi, in maiorem Poloniam ad rescindendum & componendum dissentiones Baronum, processit. Et dum in Gnezna largas expensas, uulgo stationem, rustici non dedissent. Iussit more Lithuanorum gregem & pecudes recipere, Spirituales uerò Gneznẽ. ecclesiæ, de quorum uillis depulsa fuerunt pecora, interdictum promulgarunt. Quod sentiens regina Heduigis, ad regem cucurrit, & eum corripiendo instruxit, subiectorum bona non esse rapienda. Qui pecora nondum uiolata respondit, & ea rusticis recipienda concessit. At illa, boues quidem tollent, lachrymas uerò eorum quis resartiet & soluet, tantæ etenim commiserationis riuulus, in benignissima regina apparuit.

Iagellonis aduentus.

Iagello cum fratribus baptisatus.

Lithuania & Samagitia Poloniæ regno inscripta.

Iagello primus ex Lithuanorum gente rex Poloniæ.

Nouus rex maiorem ingressus Poloniam.

CAPVT XXXIX. LIB. IIII.

PRæterea rex Vvladislaus gẽtem Lithuanicam ab idololatria reuocaturus, anno Domini 1387. in Lithuaniam perrexit, assumptisq; secum Bodzantha Archiepiscopo Gneznẽ. & pluribus uiris ecclesiasticis atq; religiosis. Item assumpsit secum reginam Heduigim, Semouitum & Ioannem Mazoniæ, Conradum Olesznicẽn. duces, Bartholomæum de Vissembu rk palatinum Posnanieñ. Cristinum de Kozeglovvi Sandecẽn. Nicolaum de Ossolni Vislicieñ. Castellanos, Zaclikam de Miedzigorze Cancellarium, Nicolaum de Moskorzovv Vicecancellarium regni Poloniæ, Vvlotkonem de Carbimouicze pincernam, Spitkonem de Tarnovv Subcamerariũ, & Tomkonem subpincernam Cracoui. pluresq; alios. Pro ampliori autem cognitione animaduertendum est, quòd uetustioribus referentibus. Quidam Itali deserentes Italiam, terras Lithuaniæ ingressi sunt, & nomen patriæ Italia, genti uerò Itali indiderunt, quę per posteros terra Litalia, & gens Litali. L litera præposita, nũcupari cœpit. Rutheni autem & Poloni eorum uicini maiorem immutationem facientes, usq; in hodiernam diem, terrã Lithuaniam, gentem uerò Lithuanos appellant. Hi primum condiderunt oppidum Vilno, eleuationis poli 57. graduum. Et ex nomine ducis Vilij, quò cum illas regiones ingressi fuerant, Vilno uocarunt. Fluminibus quoq; circa ipsum fluentibus Vilia et Vilna, ex eiusdem

Lithuaniam ingressus.

Vilno ab Italis condita.

Lithuania unde dicta ſit.
Lithuanorum idoli.
Idola Lithuaniæ per regem deleta.

ducis nomine indiderunt nomina. Samagitiam autem de ſuo ſermone ſic nominarunt, quod lingua eorum, terra inferior ſonat. Aliqui autem hiſtoriæ ignari, à lituo quod eſt cornu, & uenatorum tuba eò, quòd regio illa plures uenationes exerceat, Lithuaniam appellare uoluerunt, quòd ad effectum, non ad hiſtoriæ originem ſpectat. Hęc gens Lithuanorum, annis ſuperioribus adeò obſcura, contempta, & uilis apud Ruthenos fuit, ut Principes Kiouieñ. ab ea ſola perizomata & ſubera, ob ægeſtatem & ſoli ſterilitatem, in ſignum tantummodò ſubiectionis exigerent. Donec Vithenen dux Lithuanorũ rebellionem primum contra Ruthenos indicens, & ſeipſum ducem inter populares cõſtituens, aſtu Ruſſiæ principes aggreſſus conflixit, ſenſimꝗ adeò creuit uiribus, ut iugo principibus Ruſsię iniecto, etiam in tributa eos redigeret ſibi pendenda, quæ per plures ætates Ruthenis ipſe penderat. Colebant autem ab origine Lithuani numina, ignem, ſyluas, aſpides & ſerpentes. Ignem qui per ſacerdotem lingua eorum Zincz nuncupatum, ſubiectis lignis adorabatur. Syluas autem & lucos ſacroſanctos, & habitacula deorum putabant. Aſpides uerò atꝗ ſerpentes in ſingulis domibus, uelut deos penates nutriebant, & uenerabantur. Rex itaque Vvladiſlaus, ignem, ſacrum putatum in ciuitate Vilneñ. barbaris inſpectantibus extingui, templum & aram in quibus fiebat hoſtiarum immolatio, deſtrui. Syluas uerò ſuccidi, & confringi, ſerpentes quoque necari præcepit, Barbaris flentibus deorum ſuorum falſorum exterminium. Aduerſus tamen regem nec muſsitare audentibus, mirantibus quoque, quod Poloni ſacrorum uiolatores, ignis, ſyluarum & ſerpentium, intacti, illæſiꝗ à dijs eorum, ſecus, quam ipſimet quotiens uiolabant, fuerunt. Exterminatis itaque idolis, gens Lithuanorum per aliquot dies de articulis fidei, & oratione Dominica per ſacerdotes Polonos, magis tamen per regum Vvladiſlaum, qui linguam gentis nouerat, edocebatur, & ſacra baptiſmatis unda renaſcebatur. Largiente pio rege Vvladiſlao ſingulis ex popularium numero, poſt ſuſceptum baptiſma, ex panno de Poloñia adducto, nouas ueſtes, qua prouida liberalitate effecit, ut natio illa rudis & pannoſa, lineis in eam diem contenta, fama huiuſmodi liberalitatis uulgata, pro conſequendis laneis, cateruatim ad ſuſcipiendum baptiſma, ex omni regione accurrebat. Et quoniam unumquemque credentium baptiſare ſingillatim immenſus labor uidebatur, mandante rege, multitudo in turmas, & cuneos ſequeſtrabatur, & uniuerſis, cuiuslibet turmarum benedicta aqua ſufficienter conſperſis, cuilibet turmæ, & uniuerſis, qui ea conſtiterant, nomen uſitatum Petrus, ſecundæ Paulus, tertiæ Ioannes, &c. fœminis per turmas diuiſis, Catherinam, Margaretham, &c. iuxta turmarum numerum imponebatur. Militaribus tamen ſpecialis impendebatur baptiſmus.

Fidei Chriſtianæ ſuſceptio.
Copia baptiſatorum.
Fundatio Eccleſię Vilnens. & Epiſcopatus.

Fundauit inſuper rex Vvladiſlaus in Vilna eccleſiam cathedralem ſub titulo ſancti Stanislai patroni Polonorum: principalemꝗ aram in loco ubi ignis (qui falſò perpetuus credebatur) conſtituit. Vt error gentilis cunctis patentior fieret, etiam in prædicta Vilneñ. epiſcopum, uirum ſpectatæ uirtutis Andream Vazilo, natione Polonum, genere nobilem, de domo Accipitrum, profeſsione fratrem ordinis minorũ, olim Elizabeth reginæ Hungariæ confeſſorem, & prædicatorem inſignem, epiſcopum Ceretheñ. conſtituit. Huic ut ſtatum pontificalem inter Neophitas poſsit ducere honeſtum, eccleſiam parochialem in Clodavva Gnezneñ. diœceſis eò, quod notabiles haberet introitus, adiunxit. Conſtituit & quatuor prælatos, octoꝗ prębendarios, in prædicta Vilneñ. eccleſia, ſufficientẽ dotem, uillas, prædia, lacus & poſſeſsiones eis largiendo. Fũdauit præterea ſeptẽ parochiales eccleſias, uidelicet in Volkomaria, Miſzohola, Nyemczã, Myedniki, Crevva, Obolce & Hayna. Item prębendã ſancti Martini in caſtra Vilneñ. altiori, & his bona dotalia aſsignauit, & inſcripſit. Terrã quoꝗ Lithuanię germano ſuo Skirgelloni, tanquã ſupremo duci Lithuaniæ regendã cõmiſit. Cuius ferocitatem dux Vitovvdus fugiẽs ad Ianuſsium ducẽ Mazouiæ primũ, deinde ad Semouitũ Mazouię ducem conceſsit, à quibus parum benignè tractatus, ad Conradum Czolner Magiſtrum Pruſsiæ tranſijt.

Dux Vitowdus à Vvladiſlao reuocatus.
Vitowdi aſtucia.

Tandem à rege Vvladiſlao ſpe nanciſcendi magnum ducatum Lithuaniæ certificatus, tria caſtra Cruciferorum, uidelicet, Iurgemburg, Mergemburk, & Nauandz cõprehendit, & conflagrauit fratrib. & adminiſtratoribus ordinis occiſis, & in foſſata proiectis. Quiꝗ in Lithuania conſiſtens, ſpes ſuas differri uideret, caſtrum Vilneñ. aſtu intercipere molitus eſt. Ordinatus ſiquidem pluribus uehiculis, armatos incluſit, carneſꝗ ferarum deſuper poſuit, & in caſtrum Vilneñ. miſit, fingens ſe nuptias ſorori celebraturum. Fraude autem detecta, metuens ſibi Vitovvdus cum uxore & amicis in Pruſsiam refugit, & nouo fœdere cum Cruciferis icto, biennio illic mãſit, ac Lithuaniã cum Prutenis ſæpius afflixit.

Cui rex Vvladislaus resistens, anno Domini 1390. castra eiusdem ducis Vitovvdi Brzesczc Grodno, & paruum Kamienyecz expugnauit, ex quibus in regiones Lithuanorum incursiones fiebant.

CAPVT XL. LIB. [illegible]

Lithuanica itaq; expeditione rege Vvladislao occupato, Heduigis regina Poloniæ, congregato altero exercitu ex militibus Poloniæ, Przemisl, Iaroslavv, Grodek, Halicz, Leopolim ciuitatem, & castrum in monte, Trebovvla, & cęteras munitiones, expugnatione aut deditione conquisiuit. Vitovvdus uerò suorum castrorum expugnationem ulturus, triplici agmine Lithuaniam aduenit. Vnum Conradus Vokerod Magister Prussiæ rexit, in quo erant Alemanni, Anglici, & Francigenæ: aliud Magister Liuoniæ: tertium dux Vitovvdus, oppidoq; & castro Troki succenso, castra Vilnensia graui obsidione afflixerunt, & toto obsidionis tempore, quod à festo Ioannis Baptistæ usq; ad feriam sextam post Michaëlis durauit, pro uictoria operam nauarunt. Poloni uicissim castrum Vilneñ. incunctanter defenderunt. Dux Korigal aliàs Kazimirus germanus regis Vvladislai, ex castro succenso fugiens, ab hostibus captus eueſtigio decollatus est. Dux Narimunth arces regias tuendo, in duello captus, & in prato in arbore ulmi, uulgo Vyasz per pedes inter machinas Prutenicas suspensus, à Vitovvdo crudelius, quàm conueniebat sagittis proiectus, necatusq; est.

Vitowdi repugnatio.

Korigal occisus.

Narimunth captus.

Sequenti anno primo æstatis tempore Vitovvdus cum Magistro Prussię ad castra Vilnensia regressi, neutiquam profecerunt, nam Iaszko de Olesnicza Capitaneus Lithuanicus, castra tuendo plurimos uulnerabat & occidebat. Discesserunt ergo & castra Volkomirsam, & Nouogrodek à duce Skirgellone supra fluuium Vilia constructa, expugnarūt & conquisierunt. Tempore quoq; hyemis Lithuaniam reuersi, supra fluuium Niemyen in circuitu castri Kovvno, tria castra de lignis erexerunt. Nomen uni castro Kovvno uicinori Navverder, quod noua insula sonat, alteri Ritteruerder, quod insula militum sonat. Tertiò Metemburk, quod castrum metarum interpretatur, frequētibus incursionibus ex eis oram Lithuanicam inuadendo. Misit ergo rex Vvladislaus ad Alexādrum Vitovvdū in Prussiam Henricum filium Semouiti senioris mortui, & germanum Semouiti uiuentis ducis Mazouiæ. Et reconciliatione inter regem Vvladislaum, ac ducem Vitovvdum ordinata, germanam Vitovvdi Ringalam nomine, in ordine subdiaconatus constitutus, & in Episcopum Plocen̄. electus, atq; per Bonifaciū nonū confirmatus, in uxorem præfatus Henricus dux Mazouiæ accepit, & nuptias de more celebrauit. Post paucosq; dies ueneno toxicatus interijt, inter duces Mazouiæ in ecclesia Plocen̄. tumulatus.

Castra Nauuerder, Ritteruerder Mettēburgk erecta.

Henrici ducis Mazouiæ mors.

Vitovvdus autem regi reconciliatus, tria castra Ritteruerder, Nauvverder & Metemburk spoliauit & succendit, occurrētesq; Prutenos prostrauit. Et in Lithuaniam ueniens, anno Domini 1392. in magnum ducem totius Lithuaniæ per regem Vvladislaum, amoto Iaszkone de Olesnicza Capitaneo, præfectus est, sub hac conditione. Vt præfatas terras Lithuaniæ pro rege, & regno Poloniæ fideliter teneret & regnum Poloniæ in prosperis & aduersis nunquam desereret. Cruciferi autem de Prussia Vitovvdi discessum, & triū castrorum demolitionem ulciscentes, in Lithuaniā descenderunt, & castra Schurasz, Barthen & Stramel conquisierunt, captiuorumq; tria millia utriusq; sexus Prussiam deduxerunt. Intronisato quoq; Alexandro Vitovv in ducatum Lithuaniæ, Suitrigello qui & Boleslaus, à facie eius in Prussiam fugit. Dux uerò Skirgello alter frater manu & lingua prōptior, contra Vitovvdum seditionem intentauit.

Tria castra succensa.

Quo cognito rex Vvladislaus anno Domini 1393. cum Heduigi regina celeriter in Lithuaniam perrexit, & ad uinculum charitatis binos fratres reduxit, utq; ingentem & concitum spiritum dux Skirgello mitesceret, supra ducatum Kiouien̄. rex Vvladislaus ei Starodub, Starotroki & Crzemyenyecz in possessionem adiecit, præcipiens ut Alexandro Vitovvdo in singulis pareret. Boleslaus autem Suitrigello cum Conrade de Iungingen Magistro Prussiæ, cum Alemannis, & Francigenis, anno Domini 1394. castra Vilnensia bimestri tempore obsedit Vitovvdo eis resistere non sufficienti, solum ex insidijs eos lacessente, & impetente. In hyeme Vernerus Tetingar Marschalcus, altera uice Vlricus de Iunigen Aduocatus Sambien̄. & Magistri germanus, in Lithuaniam descenderūt, & prædas abegerunt. Dux quoque Vitovvdus in Prussiam descendit, & circa Insterbork omnem regionem igne & cæde uastauit. Dehinc Conradus de Kobork Commendator in Balga terram Drohicen̄. spoliauit. Sub ea autem tempestate dux Skirgello (ut ferunt) toxico mortuus est.

Fratrum concordia.

[illegible]

Vuladislao Oppolien. bellum illatum.

Intulit deinde rex Vuladislaus, anno Domini 1396. duci Vuladislao Oppolieñ. bellum, super quo integro anno decoquebat, & consilia secretò captabat. Et cum regnicolis expugnauit, alia uerò per præfectos aut deditionem recepit, castra & ciuitates, Hollteim, Crzepicze, Vielun, Bobolicze, Brzesnicza, Ostrzessovv, & Grabovv, quæ omnia intra septem dies recuperauit. Castrum autem Boleszauicz septem annis obsessum, siti, fameque maceratum, per Euphemiam, aliàs Offkam Vuladislai Oppolieñ. relictam deditum est. Christinus quoque de Ostrovv Castellanus Sandomirieñ. ex mandato regis, terram Dobrzineñ. occupabat, & quum obsideret castrum Bobrovvniki, Conradus de Iunigen Magister Prussiæ cum exercitu copioso aduenit, & eum ab obsidione fugauit. Huic igitur Cõrado magistro Prussiæ, Vuladislaus dux Oppolieñ. per Polonos exacerbatus, in quadraginta millibus florenorum castra Dobrzin, Bobrovvniki, Rippini, Zlotoria, & Lipno obligauit, ueritus ne uelut cætera sibi eriperentur. Præterea idem dux Vuladislaus Oppolieñ. mercatores Cracouieñ. in medio quadragesimæ ex Vratisl. redeũtes, spoliauit, & nobiles quos captiuabat, pecunijs mulctabat. Ob hoc Vuladislaus rex Poloniæ, terrã ipsius uastauit, & castra Strzelcze, & Lublinyecz expugnauit. Dumque ciuitatem & castrum Oppolieñ. obsideret, Conradus Olesznieeñ. & Bernardus Nemodlimyeñ. aliàs Falkenbergeñ. duces Slesię regi supplicauerunt, & inter eos concordiam fecerunt, rex itaque omnium spoliorum satisfactione percepta, obsidionem soluit.

CAPVT XLI. LIB. IIII.

Vitowdi in Tartaros expeditio.

SEquenti uerò anno recõciliatum Boleslaum Svvitrigello germanum suum in Polonia, & non Lithuania (ne seditiones, ut consueuerat, concitaret) locauit. Tunc pacificata Lithuania, Alexander Vitovvdus Lithuaniæ dux anno Domini 1397. cum notabili exercitu in Tartaros expeditionem egit, & trãsito flumine Tanais, quem Tartari Don appellant, repertaque Tartarorum multitudine, in ipsam irruit, & plura millia Tartarorum cum uxoribus, paruulis, & pecoribus cœpit, & usque in Lithuaniam deduxit, quorum mediam partem regi Vuladislao in Poloniam misit, & hi fidem Christi professi, unus populus cum Polonis effecti sunt. Reliquam uerò mediam partem in Lithuaniam locauit, & hi in secta Machometi, usque in hãc diem permanent. Tartari tamen Lithuanici, & Abram modernus iudex & scriba eorum, non per captiuationem, nec debellationem se Lithuaniam intrauisse asserunt, sed quum bella dux Vitovvdus contra Cruciferos agitaret, eos in subsidium uocauit, & sponte uenientes, in Lithuania locauit, uillas & libertates oportunas eis donando. Alteram dehinc expeditionem contra Tartaros Vitovvdus magnus dux Lithuaniæ duxit, Vuladislao rege, & Heduigi regina Poloniæ improbante & dissuadente. Et dum superatis fluminibus, in planiciem diffuse porrectam, circa fluuium Vorzskla, quartadecima die Augusti, uidelicet feria tertia post Laurentij peruenisset. Apparuit acies Tartarica maxima, cuius numerus ad liquidum æstimari non potuit. In cuius comparatione exercitus ducis Lithuaniæ uidebatur pusillus. Concussus igitur timore exercitus Catholicus, Spitkone de Melstein Palatino Craco. consulente duce quoque Lithuaniæ approbante, de pace tractandum persuasit. Neque Ediga dux exercitus à Cæsare Tartarorum Themerlin constitutus, pacem aspernabatur. Verum conditiones ab eo propositæ, parum honestæ uidebantur, quibusdam autem Polonis, Alemannis, Lithuanis, & Ruthenis conflictum optantibus, infestissimis signis concursum est. Abundante tandem multitudine Tartarica, Christianorum res deteriori loco esse cœpit. Vitovvdus hortantibus militibus ad custodiam sui corporis constitutus, Sandiuogio de Ostrorog, & Dobrogostio de Szamotuli, equos mutando effugit. Exercitus uerò suus à multitudine Tartarica fusus atque uictus est. Occisi sunt in eo bello ex Polonis Spitko de Melstein Palatini Cracouieñ. Szocha Palat. Plocẽñ. Pylik Palatinus Varszauieñ. Vocassius aliàs Varsius de Michalovv, Ioannes Glouacz, Dominus Bogussius & plures alij. Iste Temerlanes in Tartarico Temir Kudilu uocatur, quod sonat fœlix ferrum, in cuius conspectu terra siluit. Quamuis hoc Tartari tribuant principi ab ipso misso, Aksak themir, quem Latini scriptores Tamerlanem appellant, Aksak, id est, claudus, uel claudicans Themir.

Secunda expeditio Vitowdi in Tartaros.

Christianorũ clades.

Vitovvdus uictus.

Magna Tartarorum strages.

Heduigis regina Poloniæ mortua.

Sub idem tempus anno uidelicet 1399. duodecima Iulij Heduigis regina Poloniæ in castro Cracoui. mortua est. Enixa fuit siquidem duodecima Iunij filiam binomyam Elizabeth Bonifaciam uocatam, quæ in triduo obijt. Regina uerò Heduigis ex partu ægrotare cœpit, & deuotissimè sacramentis percœptis, duodecima Iulij hora meridiei defuncta est. In

est. In Ecclesia Cracouiens. in sinistra parte chori ante sacrarium, per regem Vvladislaum quartadecima Augusti sepulta Epitaphio apposito, Sidus Polonorum iacet hic Heduigis eorum. Regina nobilis generosa, &c. Vide appensum ad eius sarcophagum. Hæc fuit facie & moribus uenustissima. Hæc in diebus quadragesimæ & aduentus Domini, corpus aspero, ieiunio, & cilicio domabat. Hæc in egenos profusissima, hæc sua instantia & cura regem Vvladislaum, ad conficiendum collegium Psalteristarum in ecclesia Cracouiens. induxit, Psalmos cantantuum. Et ad instaurandum, atque complendum generale gymnasium per Kazimirum secundum olim regem Poloniæ incœptum. Hæc duo altaria in ecclesia Cracouiens. unum sub titulo uisitationis sanctæ Mariæ, aliud sub titulo sanctæ Annæ erexit. Hæc monasterium uisitationis Mariæ in arena extra muros Cracouienses sua uigilia & inductione sui coniugis fundauit. Hæc monasterium fratrum Slauorum, sub titulo passionis, & Crucis Christi de post Cleparz erigere ceperat. Hæc pecunias, uestes, clenodia & uniuersam suppellectilem regiam in fundationem Vniuersitatis studij Cracouiensis, & in releuamen miserabilium personarum exequutoribus testamenti, uidelicet Petro Visch Episcopo Cracouiensi & Iasckoni de Tanczin Castellano Cracouień. commendauit. Hæc plures adolescentes ingeniosos in gymnasijs tenuit & aluit. Legebat autem consuete testamentum uetus & nouum, Vitas patrum, homelias quatuor doctorum, Libros sermonum, & passionalia sanctorum, libros meditationum & orationum sancti Bernardi, & sancti Ambrosij, libros reuelationum sanctæ Brigittæ, & quàm plures alios de Latino in Polonicum translatos. Post mortem autem reginæ Heduigis, nulla prole extante, rex Vvladislaus eiectionem metuens, totus ad regressum in Lithuaniam spectabat. Prælati autem & Barones regni Poloniæ, regem fluctuantem, aliam hæredem regni Poloniæ, Annam Comitis Ciliæ Vilhelmi filiam superesse docuerunt, quam illi Anna Kazimiri secundi Poloniæ regis filia pepererat. Ad quam procandum, extemplò ad Ciliam Ioannem, aliàs Iwan de Obichovv Castellanum Sremeń. de domo Vyenvaua, Hinczka de Rogovv de domo Dzialosza, & Ioannem de Ostrovvcze de domo bipennium misit: quam sedecima Iulij anno Domini 1400. Cracouiam adduxerunt. Et quoniam præfata uirgo nullam linguam præter Alemannicam nouerat, ordinatione regis prope octo mensibus Polonico idiomate Cracouię imbuebatur, quod postquam intelligere didicisset, regio thoro coniuncta est, quàuis rex Vvladislaus moliebatur rescindere & eam abijcere, eo quod parum præstantis formæ sibi appareret. Inde & in procos prouocabatur.

Commendatio suæ uitæ.

Pia opera eius.

Fundatio monasterij in Arena.

Vvladislaus pro alia coniuge procos misit.

Coronatio autem eius ad annum Domini 1402. dilata erat, & prædicto anno in Dominica Quinquagesimæ in reginam Poloniæ Cracouiæ coronata & inuncta fuit. Amplius anno supra expresso uidelicet 1400. Vvladislaus rex Poloniæ, ad honorem omnipotentis Dei & gentis Polonicæ, ac Lithuanicæ profectum, studium generale in ciuitate Cracouień. feria secunda post Iacobi Apostoli, de consensu Bonifacij Papæ noni erexit. Cuius fundationem Heduigis regina dum uiueret maxima instantia procurabat: accersitisq; Doctoribus & magistris Polonici, Bohemici & Alemanici idiomatis ex uniuersitate Prageń. assignauit eis cēsus in exactionibus, teloneis, & alijs introitibus, assignauit & prælaturas atq; præbendas omnes collationis regiæ S. Floriani in Cleparz, sola præpositura sibi reseruata. Assignauit & lapideā Akersdorff in platea sanctæ Annæ pro Artistarum & Theologorū. Domum uerò Sandiuogij de Subino Palatini Posnanień. in platea Castreń. pro Canonistarum & Medicorum collegijs, quarum utraq; pecunijs Heduigis reginæ, in huiusmodi opus derelictis, per exequutores extructa est. Confirmatoq; prælato gymnasio Cracouień. generali, per Ioannem Papam 23. & ex post per Martinū quintum, in uarijs scientijs & suppositis uehementer crescere & florere, ac uiros doctos, & industrios producere, in regni Polonię dilatationem, diffusionem, & gloriam immortalem, cœpit. Cuius etsi plura numerent, extentq; opera decora, nullum tamen æquè magnificū ac necessariū pro confutandis, opprimendisq; hæresibus, erroribus, & uitijs, pro serendis uirtutibus, pro defendenda iustitia, & pro illustranda ueritate, cerniť ac inuenitur. Sobrietatem enim, sapientiam, iustitiam, & uirtutem docet, quibus nihil utilius est hominib. in uita. Quod studium esti per Kazimirum secundum regem Poloniæ orditum, priuilegijsq; Vrbani Papæ quarti regis Kazimiri præfati, & ciuitatis Cracouień. munitum & dotatum, Collegiumq; in Kazimiria muro erectum fuit, ut præfatum est. Non tamen fuit consumatum in hanc diem, unde in hac die feria secunda post Iacobi Apostoli, prima lectio in Iure Canonico per reuerendissimū Dominū Petrū Visch utriusq; iuris Doctorē, & Episcopum

Erectio Vniuersitatis studij Cracouiens.

Doctores Cracouiam accersiti.

scopum Craco. & Cancellarium Vniuersitatis nostræ, fœliciter incœpta est. Data autem, & institutio eius, in die Mariæ Magdalenæ præcesserat.

CAPVT XLII. LIB. IIII.

Conradus de Iunigen Lithuaniam uastat.

ANno deinceps Domini 1403. Conradus de Iunigen Magister Prussiæ, habens in suo comitatu Boleslaum Svvitrigel cum notabili exercitu terras Lithuaniæ circa festum Sanctæ Dorotheæ spolijs & igne uastauit, & in terras suas circa Ragnetham redijt. Quo egresso, repente nouus exercitus Magistri Liuoniæ ingressus est, & multis damnis, atque spolijs illatis, cum pluribus captiuatis in Liuoniam excessit. Propter quod Vladislaus rex Poloniæ missis nuncijs, ex Prussia Svvitrigellonem reuocauit, & ei terram Podoliæ: Item terram Zidaczouień. Item districtus Stry, Szidlovv, Stobniczam, Drugnyam, Vscze. Item mille quadringentas marcas annui census in Zuppis regijs assignauit. Ea tamen largitionis magnitudo leuem Svvitrigelli animum, stabilire non potuit, quin ad Cruciferos perfugeret & Lithuaniam perturbaret. Itaque ad pacem conficiendam, anno Domini 1404. pro festo Pentecostes diæta generalis in Raczansz celebrata est sub presentia Vvladislai regis Poloniæ, Vitovvdi magni ducis Lithuaniæ, Conradi de Iunigen Magistri Prussiæ cum suis Commendatoribus. Et pax sub his tunc conditionibus confecta: ut Vvladislaus & Vitovvdus de terra Samagitiæ Magistro & ordini Cruciferorum excederent, & quod Vvladislaus terram Dobrzineń. quadraginta millibus florenorum redimeret. Item quod relegatos hinc inde non fouerent, & quod captiuos soluerent, ac manumitterent. Præterea sequenti anno dux Lithuaniæ Vitovvdus, alterum conuentum cum Magistro & ordine Cruciferorum celebrans, pacem necessariam, magis quàm honestam composuit, de terraque Samagitiæ cedere, & armis Samagitas in ditionem Magistri & ordinis, impellere Vvladislao rege nequicquā abnuente consensit, terramque præfatam Samagitiæ per literas publicas geminato idiomate, Latino. scilicet & Alemanico scriptas, Magistro & ordini Prussiæ, donatione perpetua, etiam a rege Poloniæ Vvladislao prochdolor confirmandas donauit & inscripsit.

Vitowdus contra Moskam Vasilonem.

Anno autem Domini 1406. Vitovvdus magnus dux Lithuaniæ prima expeditione in Moskouiam contra generum suum Vasilonem, seu Basilium ducem Moschouiæ (cui filiam suam Anastasiam desponsatam locauerat) mota, eam prædis & spolijs uastauit. Altera deinde expeditione anno Domini 1408. contra eundem ducem Vasilonem, cum auxilio mille lancearum à rege Poloniæ, & Magistro Prussiæ Vlrico de Iunigen uno uexillo expeditarum gentium, habito in Moskouiā irrupit, & eam uastabat. Quo cognito Svvitrigal uir instabilis, castra sita Bransko & Starodub exussit, & ad Basilium ducem Moskouiæ fugiens, in contumeliam Vitovvdi, exercitum ipsius die, noctuque pro Moskouitis lacessijt & turbauit. Tandem restitutis possessionibus, quas dux Moskouiæ usurpauerat, pax sub equis conditionibus firmata fuit. Verum frumenta à rege Poloniæ Vvladislao per Isulam duci Alexandro Vitovvdo usque in Ragnetham missa, per magistrum Prussiæ Vlricum de Iunigen, allegantem quod Barbaris arma contra Christianos mitterentur, recepta sunt. Propter quod rex Vvladislaus per suos oratores, restitutionem eorum postulauit, & in bellum aspirare cœpit. Vitovvdus uerò dux Lithuaniæ, Samagitiam ordini Cruciferorum donatam abstulit & recepit. Vlricus quoque Magister Prussiæ, bello moto, castrum & oppidum Dobrzin: Item Ripin, & Lipno anno Domini 1409. in uigilia assumptionis Mariæ expugnauit, & Iacobum de Plonini, nobilem de domo Prussi, Capitaneū Dobrzineń. capite truncauit. Deinde castra Dobrovvniki, Zlatoria, & Bidgoscza expugnauit & accepit. Vvladislaus ergo i ex Poloniæ uocata totius regni expeditiōe in octaua Natiuitatis Mariæ, in Volborz, ad quā Vitovvdus minimè uenire potuit, Bidgostiam obsidione cinxit, & in octo diebus expugnauit. Oratoribusque à Venceslao Romanorum & Bohemiæ rege, uidelicet duce Conrado antiquo Olesznicześ. & Ienkone Vvratislauień. ac Svvidnicień. Capitaneo, aduenientibus. Pax cum Magistro Prussiæ usque ad festum Ioannis Baptistæ inclusiue, composita est, & Venceslaus rex Romanorum, Dominica Iudica inter regem & magistrum iuste arbitraturum se obtulit. Quā Dominica ueniente, suasu Iodoci Marchionis Morauiæ sententiam protulit, quod terra Dobrzinensis in manus suas traderetur. Cuius possessione infra unum annum tenta deliberaret, & decerneret, ad quem eius Dominium pertineret. Item quod regnum Poloniæ peramplius ex Lithuania & partibus orientis nunquam sibi regem eligeret, sed ex partibus

Commeatus Vitowdo surreptus.

Venceslaus Romanorum rex partium sedator.

bus occidentis. Ex qua sententia, liquidissima apparuit iniquitas, quoniam super re iuridico processu non deducta, sententiam tulit.

CAPVT XLIII. LIB. IIII.

Vladislaus autem rex non expectato arbitramento, iudicioq; Venceslai Romanorum, & Bohemiæ regis, pro die sancti Andreæ præcedentis anni, cum duce Vitovvdo in Brzesczie Ruthenica conuentum tenuit, & illic progressum belli futuri contra Cruciferos gerendi secretissimè cum eo confecit. Imperatorisq; Tartarorum Zauolhensium auxilium cum sua multitudine & copijs, ibidem præsentis, persuasionibus & promissis obtinuit. Hunc imperatorem Tartarorum toto tempore hyemis, & usque prope festum Ioannis Baptistæ cum gente & uxoribus Alexander Vitovvdus in suis terris tenuit & aluit.

Tartarorũ imperator in auxilium accersitus.

Dominica uerò Misericordia Domini anno Christi 1410. rex Vvladislaus cum duce Lithuaniæ Vitovvdo in nouam Sandecz ueniens, cum ad Sigismundum regem Hungariæ in Kesmark misit, ut syncerìter inducias pacis, ad sedecim annos cōfectas, quorũ adhuc quatuor restabant, obseruaret. Rex autem Sigismundus respondit, huiusmodi inducias non esse licitè seruandas, si Cruciferi in Prussia bello impeterentur. Et secreto Vitovvdum magnum ducem Lithuaniæ, ad defectionem & noui diadematis assumptionē pellicere conabatur.

Interim rex Vvladislaus in noua Sandecz commorans, anno præfato 1410. monasterium seu hospitale sancti spiritus ordinis Præmonstrateñ. cum Abbate infulato fundauit, pro dote uillam suam Dambrovvka, insuper uiginti marcas annui census in Zupis Vieliczeñ. ei assignando. Die autem Lunæ, in crastino sanctorum Petri & Pauli, per eum cōstituta rex Vvladislaus ad Istulam supra monasterium Cziruensko uenit, ad locum ubi pons ex nauibus apud Cozmice applicatus fuerat, & ipse & totus exercitus Polonorum cum quadrigis, & machinis ordine composito transijt. Eodem quoque die, magnus dux Lithuaniæ Alexander Vitovvdus cum imperatore Tartarorum, & gentibus suis aduenit, & feria quarta nona Iulij in terras hostiles intrauerunt. Illicq; primum signa militaria, rex & dux Lithuaniæ, ducesq; Masouiæ Semouitus & Ianussius, atque Barones omnium terrarum extenderunt, & patrium carmen Bogarodzicza Poloni uociferare cœperunt. Illo die Lithuani & Tartari quandam ecclesiam spoliarunt, & sacramentum diuinissimum ex sacrario eiecerunt, quo facto Poloni uehementi dolore tacti, ad regem contra Barbaricas crudelitates clamauerunt. Quumq; ex commisso regis duo Lithuani magis culpabiles oblati fuissent, iussu magni ducis Lithuaniæ, more illius gentis seipsos in patibulum egerunt, ac suspenderunt. Et de cætero nemo in ecclesias manus rapaces intulit. Et quia fluuius Drvvancza, quo peruentum erat, altis tignis in utraq; ripa cum exercitu hostili machinis bellicis sagittis munitus erat, rex cum exercitu ad ortum fluuij feria sexta ante Margarethæ undecima Iulij retrocessit. Et die Dominico Sanctæ Margarethæ tredecima Iulij ipse rex & uniuersus exercitus in uilla Vissoka prope Dzoldovv uiatico corporis Christi procuratus est. In feriam autem tertiam diuisionis Apostolorum de nocte ualidus uentus, fulgura & pluuia exercitum molestarunt. In castris uerò Cruciferorum etiam tentoria disiecerunt, ut carmen Claudiani futuræ cladis præsagium uerissimè adaptaretur hoc.

Monasterium in noua Sandecz fundatum.

Lithuanorum & Tartarorũ facinus.

Tempestatum incrudescentia.

> *O nimium dilecte Deo, cui militat æther,*
> *Et coniurati ueniunt ad classica uenti.*

Motis castris manè à Dambrovvno spacio duorũ miliarium, uniuersus exercitus regius inter arbusta uillarũ Thanenbrik & Grimuald uenit, & in loco æditiori extensis tentorij telis, iniuriam aëris repellentibus, rex missam audire accelerabat. Veneruntq; nuncij alius post alium, hostilem adesse exercitũ nunciando. Rex aũt repentino hostiũ aduẽtu nihil motus, duas missas p Bartholomæũ plebanũ in Clobuczko, & Iaroslaũ Præpositũ Kalisieñ. sacellanos suos lectas, deuotissimè audiuit. Et flexis genibus in oratione procumbens, Deum precabatur, ut sibi fœlix pugna & uictoria proueniret. Interim dux magnus Lithuaniæ suum exercitum, Zindramus uerò de Masz kouicze macherophorus seu gladifer Craco. Polonicum exercitũ in ordines & signa, mira celeritate ordinauerunt. Quinquaginta signa seu uexilla insignibus militibus referta Polonica, Lithuanica uerò quadraginta erant. Prutenicus autem exercitus & milite, & robore inferior, quinquaginta unum uexillum habuit. Alexander autem Vitovvdus moræ & tarditatis impatiens, ad regem per frequentes nuncios, tandem per seipsum ingenti uociferatione instabat, ut neglectis oratio-

orationibus consurgens, in bellum properaret, qui non, nisi complemento orationis ad integrum perfecto, abduci potuit. Tandem armatus, equum ascendit, & ad uidendum hostilem exercitum, in editiorem collem, unde utrunque exercitum perspexit, & cõtemplatus est, processit, & ad suos rediens, eos breuiter admonuit. Mutatoque cætero, equum fortem ascendit, subrufi coloris, seu taxei, aliàs Czissaui, tenuem in fronte habentẽ caluitiem, galeaque accepta, singulos presbyteros & notarios ad currus ire iussit.

Sub hoc tempore Magister Crucifericus Conradus de Iunigen duos caduceatores, quorum unus regis Romanorum aquilam nigram in aureo campo, alter ducis Stetinen. rubeum grifonem in albo campo deferebat, misit, duos enses nudos in manibus deferentes. Qui aliquali reuerentia regi facta, Teuthonico idiomate Ioanne Manszik interpretare dixerunt. Illustrissime rex, Magister Prussiæ Conradus, tibi & fratri tuo Vitovvdo duos gladios in suffragium pugnæ misit, quatenus minus cunctanter, & magis audaci, quàm præ te fers animo cum eo congrediaris. Sicque arctum campum habere existimas, ad certamen te alliciendo, de planicie campi quantum uoles tibi cedit. En superbum nuncium. Et in eo puncto retrocessionem Prutenicus exercitus haud exiguam fecit. Rex autem Vvladislaus acceptatis gladijs, qui in hanc diem in thesauro castri Cracouien. seruantur, non in bilem, sed lachrymas resolutus, ait. Quamuis (inquit) sufficientes gladios habeam, pro maiori tamen suffragio etiam hos duos gladios accipio. Campi uerò electionem propitiationi diuinæ committo. Sic fatus, signa canere iussit, & uniuersus exercitus Bogarodzicza uociferando cecinit.

Proteruitas nuncij.

Duo gladij Vladislao & Vitowdo missi.

CAPVT XLIIII. LIB. IIII.

Refert Aeneas de Piculominibus Poëta, postea Cardinalis & Papa, & alij sequaces: primum congressum Lithuanos & Tartaros inermes fecisse, & his superatis, Polonos rigido ferro armatos successisse. Nostri uerò tum antiquiores milites, tum scriptores, simul iunctos processisse narrant: Polonosque læuum cornu, Lithuanos uerò & Tartaros dextrum tenuisse. Verum exercitus Lithuanicus ducis Vitoldi iussu prior à parte sua ad congressum uenit: tantusque fragor & sonitus aciebus congressis, quasi moles immensa ruinam pateretur, editus est. Vtrisque sibi quadam cõnexione cohærẽtib. & quasi ad unius horæ spaciũ ancipiti prælio dimicãtibus: donec acies Lithuanica impetum hostilem ferre non ualens, pedem referre cœpit, Cruciferisque eam præmentibus, in fugam, duce magno Lithuaniæ nequicquam fugam clamore, & uerbere sistente, coacta est uerti. Nec prius, nisi Lithuaniam perueniens, fugam stabiliuit, & regem Vvladislaum cæsum, cæsumque magnum ducem Lithuaniæ, & eorum exercitum usque ad internitionem nunciauit. Milites tamen Ruthenorum Smolnensium, ad tria propria consistentes signa, pertinaciter pugnarunt, & insignem laudem reportarunt. Fugerat & uexillum sancti Gregorij sub quo Bohemi & Morauí mercenarij militabant, quod Ioannes Zarnovvski Bohemus regebat, & ideò postea honore priuatus, infamis permansit. Duro itaque certamine, & quasi nouo fugatis Lithuanis, Polonis & Cruciferis pugnantibus, grandis iactura in acie Crucifer ica facta est. Successerunt interim sedecim agmina hostium, sub totidem signis, nondum belli fortunam expertis, locata. Ex quibus miles quidam Alemannus genere, Dipoldus Kikerzicz appellatus de Deeber, de Lusacia, cingulo aureo, alba Diploide in Polonico lakla uocata, & armis per totum uestitus, in equo rufo exiliens usque ad regem decurrebat. Quem rex dum hasta uibrata excipere niteretur à Sbigneo de Olesznicza regio notario, postea Episcopo & Cardinali Cracouien. inermi, regis ictum præueniente, sua manu de equo deiecit, quem supinum rex Vvladislaus hasta feriendo reliquit, attamen illicò à militibus, regem obseruantibus, occisus, à pedestribus uerò armis exutus est. Agmen uerò Cruciferorum sub sedecim signis constitutum, ducente uno Crucifero, albo insidenti equo, exercitumque clamans conuertit in dextram partem, in qua uexillum maius regium constiterat, & aciebus irruentibus, aliquandiu durum conficiebatur certamen. Ad extremumque tamen multitudine Polonorum undique eos circundãte, obtriti sunt, ferèque singuli sub sedecim signis cæsi, aut capti. In eo agmine Magister Prussiæ Conradus & Commendatores ceciderunt, cætera multitudo, quæ potuit euadere fugam inijt. Tunc capti sunt duo duces, Kazimirus Stetinen. per Skarbkonem de Gori, & Conradus albus Olesnicen. per Ioannem Bohemum de Zalcz, qui Cruciferorum partem adiuuerãt. Captus est & Georgius Kerczdorff cum quadraginta commilito-

Prutenorũ & Polonorũ grãdis conflictus.

Ruthenorum palma.

Polonorũ bellicositas.

Conflictus mutuus.

Strages Prutenorum.

militonibus. Capti sunt & diuersarum nationum milites, currus Prutenici oppugnati & dirupti sunt, repertæq; sunt aliquæ quadrigæ cathenis & uinculis onustæ, ad uinciendum Polonos paratæ. In alijs repertæ sunt faces de pino, sepo & pice, oblitæ, sic & tela, sepo, & pice perfusa, cum quibus debellatos Polonos persequerentur. Vasa uini, iussu regis scissa, fractaq; sunt, ne exercitus fatigatus bibens languidus & inutilis redderetur: Tunc persequutio fugientium ad plura milliaria est extensa, in eo conflictu quinquaginta millia hostium occisa sunt. Aeneas uerò Syluius, & historiæ Alemannorum, quadraginta millia supputant. Polonis quoque non incruenta uictoria cessit, duodecim tamen insignioribus duntaxat cæsis. In crastino diuisionis apostolorum, quæ fuit feria quarta sedecima Iulij, missæ & Te Deum laudamus decantabantur. Cadauera illustrium sepeliebantur, & captiui præsentabantur, atq; inscribebantur. Seorsum Cruciferi, seorsum Culmenses, Liuonitæ, Bohemi, & Morani, seorsum Slesitæ, Bauari, Misznenses, Rinenses, Sueui, Australes, Frisones, Vuestphali, Lusacẽses, Pomerani, Casubitę, Saxones, Frãcones, Bohemi tamen & Slesitæ numero excedebant, milites noua sponsione obligati dimittebantur. Duces uerò exercituum & Cruciferi custodiæ tradebantur. Postea rex Vuladislaus feria sexta in die Iacobi apostoli, uigesima quinta Iulij castrum Mariemburk uallauit. Et quia Vitovvdus dux Lituaniæ obtenta licentia regis ab obsidione Mariemburgensi feria quinta infra octauas Natiuitatis Mariæ discessit, ducesq; Semouitus & Ianussius paulò post cum gentibus suis discesserunt. Ideo rex Vuladislaus, soluta obsidione, die Veneris ante Matthęi decima nona Septembris a Mariemburk etiam discessit. Cruciferi autem numerosum exercitum congesserunt, Grzimala antiquior subiudex castri Cracouiensi qui pugnæ aderat, decem millium fuisse referebat, inter quos multi aulici Sigismundi regis Hungariæ erant. Principalis autem Capitaneus eorum Michaël Kochmaister, nouæ Marchiæ aduocatus fuit. Die itaque Veneris sancti Gereonis acies regis Vuladislai, ad sex millia pugnatorum ex aulicis & ex reliquijs stipendiariorum, iunctis nobilibus maioris Poloniæ conflata, eis circa Coronovv occurrit, & cum maximo clamore concurrerunt, fortissimè ęquo Marte diutinè decertantes, lassatiq; de utroq; exercitu acclamarunt, ut pugnandi parumper obseruarentur induciæ, quibus utrinq; acceptatis, disgressæ acies respirarunt, pausarunt, & sudores absterserunt.

Castrum Mariemburgk uallatum.

Deinde sublatis inducijs, acies itidem congressæ sunt, eadem in utrisq; animositate permanente, & multis hinc inde mortalibus cadentibus, lassitudineq; accedente, uice altera ab utroq; exercitu, resumendas esse inducias acceleratum est. Quibus concessis & acceptatis, strenuissimi milites, noua requie potiti, uulnera ligauerunt, captiuos commutarunt, equos hinc inde interceptos uicissim restituerunt, uina ad sitim repellendam inter se miserunt. Post hoc tertio, fortius quo poterant decertarunt, interimq; miles regis Polonię Ioannes Nashion de Ostrovvcze de domo bipennium, hostilem primipilarium ex equo strauit, & uexillo adempto, sellę suæ contorquens apposuit: illicoq; hostilis exercitus amisso signo, pauore perculsus, deteriori loco esse cœpit, & in fugam spectabat. In quos Poloni inuecti, graui cæde eos angustiabant, & singulis manipulis hostilibus dispersis plena uictoria potiti sunt. Vix autem antea ullum certamen tam clarum fuit, in quod ueterani exercitati, & summo conatu pro uictoria adnitentes milites, conuenissent.

Triplex congressus cum temporis interpolatione.

Victoria Polonorum.

CAPVT XLV. LIBER IIII.

SVb idem tempus Stiborius de Stiborzicze Polonus, sed palatinus Transsyluanus, cum duodecim uexillis gentium Sigismundi regis Hungariæ, oppidum ueteris Sandecz, cum suburbijs nouæ Sandecz, & aliquot uillis exustis, citato agmine regrediebatur. Quem nobiles illorum districtuum, ad tuendum fines regni per regem relicti, præcipiti cursu insequentes, prope Bardeyovv, aliàs Baripham, consequuti sunt. Factaq; pugna acerrima, hostilis exercitus numero superior, conflictus & debellatus est, Stiboriusq; in Bardeyovv refugit. Is ergo annus notabilis & uictoriosus Polonis fuit.

Sequenti uerò anno, scilicet 1411 pax perpetua inter regem Vuladislaum, magnumq; ducem Lithuaniæ Vitovvdum ex una, & Henricum Magistrum Prussiæ ex altera partibus, sub conditionibus parum regno Poloniæ utilibus, est conclusa. Prima conditio fuit, ut rex Poloniæ omnia castra in terris Prussiæ iure belli quæsita, Magistro & ordini restituat. Altera ut omnes captiui Magistri & ordinis, in quibuscunq; conflictibus capti relaxen-

Vuladislai regis triumphus.

relaxentur. Item quod Magister & ordo regi Vuladislao, & suo regno pro tribus terminis, festo uidelicet Ioañis Baptistę, festo sancti Michaëlis, & festo sancti Martini anni currentis, centũ millia sexagenarũ latorũ grossorũ Pragensium exolueret. Item quod terra Samagitarũ ducatui Lithuanię relinqueret. Post mortẽ Vuladislai, & Alexãdri Vitovvdi, ad Magistrũ Prussię & ordinẽ Cruciferorũ reuersura. Eodem año in die Catharinę ex Niepolomicze rex Vuladislaus pedester ad limina sanctorum Cracouiam uenit. Præcedentibus cum uexillis Cruciferorũ, quę in ecclesia maiori Cracouien. in signum uictoriæ deposuit.

Coronationis insignia Cracouiã reportata.

In anno Domini 1412 Hungariam iniit, & ex Buda in regnum suum reuersus, die Dominico ante Laurentij Cracouiam ingressus, coronam materialem regni Poloniæ, gladium, pomum, & sceptrum, per regem Sigismundum sibi reddita, attulit, quę omnia Elizabeth regina Hungariæ, germana Kazimiri Poloniæ, & mater Ludouici Hungariæ, & Poloniæ regum, in Hungariam detulerat. Attulit & reliquarum delatorium argenteum, deauratum, cum inclusis uarijs ossibus, sanctorum per regem Sigismundum ei datum, anulo regis Ludouici olim signatum. Et quum esset in Russia, uenientes ad eum in die sanctæ Heduigis Sigismundi Romanorum, & Hungariæ regis legati, Ioannes Strigoniens. Archiepiscopus, & Michaël Kochmeister, nouæ Marchiæ Aduocatus, precati sunt, ut ad prosequutionem imperialis fastigij, Sigismundo quadraginta millia latorum grossorum Pragensium mutuaret, quę iuxta condemnationem iudiciariam, pro pœna damnis & interesse (quia in constitutis diebus summam capitalem centum millia sexagenarum soluere neglexerat) Magister & ordo Prussiæ regi Poloniæ dare tenebatur, offerentes in summa prædicta terræ Scepusieñ. obligationem. Rex autem Vuladislaus cum suo consilio, præfata quadraginta millia sexagenarum latorum grossorum mutuauit, & terram Scepusieñ. octo scilicet oppida seu uillagia, ac duo castra sub forma Riczolt in pignus accepit, ut si uno anno mutuum non solueretur, sequenti anno duplaretur, tertio triplaretur, & sic in immensum cresceret fœnus. Michaëliq; Kochmeister demandauit, ut præfatam pecuniam manibus regis Sigismundi consignaret. Et Magistrum ac ordinem Cruciferorum Prussiæ, specialibus literis regis Vuladislai de eisdem absolueret.

Lithuaniæ cũ regno Poloniæ unio.

Anno Domini 1413 Lithuania denuò Polonię incorporata, & asscripta est. Et sicut fidem Orthodoxam Christianam ex Polonis prius assumpsit, ita & signa nobilitatis eo anno percepit. Ordinatione siquidem regis Vuladislai, ducisq; Vitovvdi, pro maiori adhærentia prouinciarum, clœnodia nobilitatis Polonorum, Lithuanis distributa & consignata sunt: pro ut latius in literis desuper confectis, sic incipientibus, patet. In nomine Domini amen. Ad perpetuam rei memoriam, debitores sumus spiritualis alimoniæ salutaria illis pocula administrare, quibus præsidentes temporalium commodorum præstitimus suffragia, &c.

Samagitiæ descriptio.

Eo quoq; anno Samagitia fidem Christi & baptisma, opera regis Vuladislai suscepit. Ad cognoscendum autem naturam prouinciæ & gentis illius, animaduerte quod regio Samagitia est Septemtrionalis & gelida Lithuaniæ Liuoniæ, & Prussiæ contermina, syluis, collibus, & fluminibus circumsepta. In hos districtus distincta, scilicet Iragola, Miedniki, Chrosze, Roszena, Vidulki, Vielunya, Kolthini, Czethra.

Gentis conditio.

Gentes regionis, proceræ & altę staturę, agrestes & incultæ, parco & modesto uictu uiuentes, sitim aqua sedare solitæ, rarò ceruisia aut medone, Auri, argenti, æris, ferri, uini in illa tempestate expertes & ignaræ. Apud quos licitum erat, uni uiro plures habere uxores, & patre mortuo nouercam, fratrisq; glorem in uxorem accipere. Nullus illic stubarum, aut ędificiorum nobilium, sed tantummodo tugurij, usus, uentrem distensum & porrectum, extrema uerò habens coarctata. Ex ligno & culmo structura, largius ab imo sensim operis incremento, ædificium in arctius cogitur, in carinæ maximę similitudinem elaborata. In cacumine fenestra uno supernè lumen reddens, subter quam focus, & cibos parabiles coquẽs, & frigus quo regio pro maiori anni parte prędita est repellens. In ea domo, se, uxores, pignora, seruos, ancillas, pecus, armentum, frumentum, & omnem suppellectilem, condunt, gens ad diuinationes & auguria procliuis.

Ignis numen Samagitarum.

Præcipuum numen Samagiticum erat ignis, quem sacrosanctum & perpetuum putabant, qui in montis altissimi iugo, super fluuium Nieuyasza sito, assidua lignorum appositione à sacrorum sacerdote alebatur. Accedens itaq; Vuladislaus turrim in qua consistebat, incendit, & ignem disiecit & extinxit. Succidit deinde per milites suos Polonos syluas, quas non secus quàm sanctas, & deorum suorum habitacula, Samagitiæ iuxta illud poëticum, habitarunt dij quoq; syluas, uenerabantur. In eam caliginem mentis prolapsi, quòd & syluę præfatæ, & aues, feręq; in illis consistẽtes sanctæ forent, & quicquid in illas ingrederetur, ut sanctum censeri deberet, uiolanti quoq;

quenemus, feras uel alites, manus aut pedes, demonum arte curuabantur. Maxima itaque Barbaros tenebat admiratio, quod Polonorum milites, nemus ritu eorum sanctum, excidentes, nulla læsio, qualem ipsi in se, frequentius experti erant, sequeretur. Habebant præterea in syluis præfatis focos, in familias & domos distinctos. In quibus omnibus charorum & familiarium cadauera, cum equis, sellis, & uestimentis potioribus incendebant. Locabant etiam ad focos huiusmodi, ex subere facta sedilia, in quibus escas ex farre, in casei modum præparatas, deponebant, medonemq; focis infundebant, ea credulitate illusi, quod mortuorum suorum animæ, quorum illic combusta fuerant corpora, nocte uenirent, escaq; se reficerent. Insuper prima Octobris die, maxima per Samagitas in syluis præfatis celebritas agebatur, ex omni regione uniuersus utriusque sexus, populus illuc conueniens, cibos & potus, quilibet iuxta suæ conditionis qualitatem deferebat, quibus aliquot diebus epulati, dijs suis falsis, præcipuè Deo, lingua eorum appellato Perkuno, id est, Tonitru, ad focos quisq; suos libamina offerebat.

Superstitio idolatriæ Samagitarum.

CAPVT XLVI. LIB. IIII.

Rex itaque Vuladislaus, primum eos orationem dominicam, deinde symbolum docuit, quoniam nullus sacerdotum linguam Samagiticam nouerat, & undis baptismatis ablui iussit. Vnus autem ex maioribus Samagitarum pro omnibus respondit. Ex quo inquit serenissime Rex, dij nostri, uelut inermes & languidi à Deo Polonorum deleti sunt deos nostros, & sacra eorum deserimus, & Deo tuo atq; Polonorum fortiori adheremus. Sicq; baptisati sunt. Rex autem in Miedniki Cathedralem Ecclesiam sub honore, & titulo sanctorum martyrum Alexandri, Theodori, Euancij. In alijs autem locis ecclesias parochiales fundauit, & illis dotem sufficientem consignauit & inscripsit. Mednicē. ecclesię successu temporis, primus Episcopus Matthias origine Almanus, in Vilno tamen natus, eo, quod linguam Lithuanicam & Samagiticam norat, præfectus & cōsecratus est. Contigit autem in prima plantatione, dum Samagitę per Magistrū Nicolaum Vanzik, fratrē ordinis prędicatorū, regium predicatorē, per interpretē instruerentur, de fide, creatione mundi, & lapsu primi hominis Adæ, unus Samagitarum, sufferre sermonem predicantis non ualens, in hęc uerba prorupit. Mentitur, inquit, illustrissime Rex sacerdos iste. Asserit mundum creatum fore, quū sit homo nō lōgæuæ ętatis. Sunt etenim inter nos plures, annorum numero seniores eo centenarium numerum supergressi, qui creationem nullam recordantur, sed solem & lunam, cęteraq; sydera, semper eisdē motibus luxisse referunt. Rex autem Vuladislaus cum silere iubens, magistrum Vanzik, creationem mundi non asseruisse in diebus suis incepisse, sed longè ante declarauit. Puta ante sex millia annorum & pauló post ordinatione diuina prouenisse.

Conuersio Samagitarum.

Episcopatus in Mieniki fundatur.

Præterea anno Domini 1414 Rex Vuladislaus cum duce Vitovvdo, iterum Prussiam in numeroso exercitu, qualem & quātum antea nunquam habuit, ingressus est, pluribusq; castris conquisitis, quum in obsidione Brodniceñ. esset, uenit nuncius Apostolicus Ioannis Papæ 23. Ioañes Episcopus Lansaneñ. & obtinuit, quod rex bello per inducias ad biennium suspenso, decisionem suæ causæ per Concilium generale Constantieñ. iam tunc indictum expectaret. Eo siquidem anno Concilium Constantieñ. in Kalendis Nouembris initiatum fuit, & quatuor annis durauit. In quo schisma Ecclesiæ trium summorum Pontificū, simul papatū gerentiū extinctū est. Et Ioañes Husz, Hieronymusq; discipulus eius, tanquā heretici damnati, & combusti sunt. Dū aūt mortua fuisset Aña regina Poloniæ, in die sancti Benedicti año Dñi 1416 rex Vuladislaus die Dominico in die sancti Sigismūdi eo anno, cū tertia uxore Elizabeth Granovvska ex familia Ottonis de Pilcza, in ecclesia parochiali in Szanok, p Ioannē Rzeszovvski Archiepiscopū Leopolieñ. p uerba de pręsenti matrimoniū cōtraxit. Quū fœmina ętate marcida, phthisi cōsumpta, iā triū uirorū scilicet Villonis & Ioañis filij Laczek de Morauia, tertij Vincētij Granovvski, cōnubia experta, in die Elizabeth eiusdē anni coronata, qđ omnib. Polonis displicuit. Displicuit & importunitas ipsius, qua apud regē Vuladislā obtinuerat, ut Ioañes de Pilcza filius eius, ex Vincētio Granovvski susceptus, in Comitē crearet, & quosdā nobiles circa Iaroslavv subiectos ac infeudatos acciperet, quæ creatio p magnificos regni, pręcipuè tñ p Albertū Iastrzebiecz Episcopū Craco. & Cancellariū regni Polonię, infecta & abrogata fuit. Ipsa aūt Elizabeth regina Cracouię Dominico die āte Ascēsionē Dñi año 1419 defuncta est, quę nouitas mortis, totā Poloniā exhilarauit, sepulta in sacello Manlionario rū in ecclesia Craco. Sollicitarunt tandem plures regem Vuladislaum de desponsanda Euphemia, aliàs Offka filia Venceslai regis Bohemiæ mortui, quorum conatus Alexander

Vuladislaus, Vitovvdus Prussienis bella mouent.

Incineratio Ioannis Husz & Hieronymi discipuli.

Mors Elizabeth.

Vladislaus Szonkam uirginem matrimonio copulat.

Vitovvdus magnus dux Lithuanię dissoluit, & neptē suam uirginē principem Szoncā, filiā Andreę filij Iyvonis ducis Kiouień. nullam secū deferentē dotem, in matrimoniū accipiēdam induxit. Hanc año Dñi 1422 in diebus carnispriuij in Nouogrodek, tertio, & quarto affinitatis gradu illum cōtingentē, fonte baptismatis, Greci em ritus erat, ꝑ prius lotā, & ꝑ Szonca mutato nomine, Sophia appellatā, in quartā uxorē accepit. Matthia Episcopo Vilneń. inter dispares ætate, Vuladislaū decrepitū, & Sophiā uirētem ac forma uenustā, uerba ꝓnunciāte, & matrimoniū conferēte. Sollicitabāt interim Bohemi, & requirebāt Vuladislaū, ut regnū Bohemię susciperet, quibus post plures requisitiones respondit in Niepolomicze, de regno Polonię cōtentari, regnū aūt Bohemię ab Ecclesia ꝓpter heresim damnatū, nequaꝗ̄ suscepturū. Post cuius respōsum Alexāder Vitovvdus Lithuanię dux, in regē Bohemię postulatus, post cōductū paschę anno Dñi 1422 Sigismūdi Koributh Lithuanię ducē, nepotē regiū germanū, rege Vuladislao consentiēte, & approbāte, ad acceptandū regnū Bohemię nomine Vitovvdi, cū frequēti, & ualido exercitu, impensis Alexandri Vitovvdi expeditam, misit. Quo ꝓgrediente, Sigismūdus Romanorum & Hungarię rex, cōquisitione castri & ciuitatis Ostrog in Morauia occupatus, singulos apparatus bellicos concremauit, & obsidionem soluit, ne in ipsum irruisset pertimescens. Ille uerò dux Sigismūdus Koributh per Morauiā trāsiens, oppidū munitū Vinczovv, quia ipsum nō suscipiebat, expugnauit, & militib. in prędā dedit. In Bohemiā cōtendens, Pragam aduenit, & a plerisꝗ̄ nobilibus Bohemię: a Pragensibus uerò ciuibus uniuersis possessionē ciuitatis, & castri utriusꝗ̄, cū clauibus ei asignantibus exceptus est. Tunc Sigismūdus rex Hūgariæ & Romanorū, in Vuladislaū regē Poloniæ, & Vitovvdum ducē Lithuanię cōmotus fremuit. Et pacē perpetuā, ꝗ̄ rex Vuladislaus cū duce Vitovvdo & copijs suis Prussiā in æstate eiusdē añi depopulati, in die trāslationis sancti Stanislai circa lacū Melno cū Cruciferis cōfecerāt, disturbauit, & eā tenere Magistro & Cruciferis ꝓhibuit. Donec año Dñi 1413 concordia inter reges Hungariæ & Poloniæ Sigismundū & Vuladislaū stabilita ac innouata est in Kesmark: in hunc modum, ut rex Vuladislaus Sigismūdū Koributh ex Bohemia & pernūcios, & literas reuocaret, & ut Magister ac ordo Cruciferorum de Prussia, pacem perpetuam apud Melno firmatā impleret, signanter in castri Nyeszoua demolitionē. Post ꝗ̄ concordiā, rex Vuladislaus solēnitatē coronationis reginę Sophię, ꝑ Dominica, Esto mihi, in año Christi 1424 indixit. Ad ꝗ̄ peragendā, Sigismundū Romanorū & Hungarię regē, & Ericū Daciæ regē, multosꝗ̄ principes inuitauit. Exceperat reges ex Mislimicze, per Vieliczkam in Cracouiā ꝓcedentes. Venit & Brāda tituli sancti Clementis presbyter, Cardinalis Placentinus, in solennitatē coronationis, à Martino papa quinto missus. Item dux Sigismundus Koributh ex Bohemia reuocatus, in qngentorū equorū numero, reges & reginā Hūgarię excepit. Aderat & Ludouicus Bauarię dux, frater germanus reginæ Frācię, q & si inuitatus nō fuerit, sola fama pellectus aduenerat. Itē duces Mazouię. Itē Bernardus Oppolień. Boleslaus Teschneń. Ianussius Rathiborień. Kazimirus Osvvancimień. Venceslaus Oppauień. Conradus niger, & Conradus albus Koslensis, Venceslaus Zeganen. Item Lithuaniæ & Russiæ principes. Itē duo Cōmendatores Elbingeń. & Toruneń. nomine Magistri Prussiæ Pauli de Ruszdorff. Ex spiritualibus uerò Branda Cardinalis, Albertus Archiepiscopus Gneźneń. Ioannes Archiepiscopus Leopolień. Sbigneus Cracou. Andreas Posnanień. Ioannes de Valdovv Lubuceń. Episcopi, Ioañes de Cęsarinis, auditor cameræ apostolicæ. Prandebāt in stuba Laskouiecz, ad unā tabulam discūbentes, Sigismūdo in medio sedente Vuladislao rege dextrū, Erico Daciæ sinistrum latus ambiente. Proximus Vuladislao regi Branda Cardinalis, deinde ceteri Pontifices: lęua principibus sæcularibus cesserat. Quindecim diebus reges apud Cracouiam commorati & firmata inter se amicitia disgressi sunt.

Sophia regina coronata.

Hospites coronationis plurimi et celebres.

Ordo Conuiuarum.

CAPVT XLVII. LIB. IIII.

Sigismūdi Koributh in Bohemiam reditus.

Vladislai ex Sophia primo genitus.

Dux autem Sigismūdus Koributh Bohemorum uanis promissionibus illectus, eodem anno Bohemiam redijt. Vuladislai regis Poloniæ & consiliariorum spreta prohibitione, sperans se Bohemiæ regnum facili negocio obtenturum. Rex uerò Vuladislaus Bohemiam progressus cum duce Koributh, confiscatione bonorum si extabant, si minus, perpetuo exilio damnauit. Ad finem anni puta ultima Octobris, die Martis in uigilia omnium sanctorum Cracouiæ primogenitus filius ex Sophia regina

regina natus est, Dominica Esto mihi, añi Domini 1425. quæ fuit decimaseptima Febru arij, per Albertum Iastrzambiecz Archiepis. Sbigneum Craco. & Andream Posnaniens. Episcopos baptisatus, eiq; paternum nomen Vvladislaus adaptatum est. Aderant baptis malibus Martini Papæ quinti, & Sigismundi Romanorum, ac Hungariæ regis, multorumq; aliorum Regum & Principum Oratores & nuncij.

Secundus filius Vvladislai regis, anno Christi 1426 die sextadecima mensis Maij in ortu solis natus est, baptisatus secunda Iunij, & Kazimirus nominatus. Is secunda die Martij anno Domini 1427 mortuus est Cracouiæ, ante altare sancti Erasmi sepultus. Tertium filium regina Sophia præfato anno conceperat grauida proficiscẽdo. Cuius fœcunditatem Vitovvdus magnus dux Lithuaniæ per inuidiam suspectam habens, conuentum cum rege Vvladislao pro die Exaltationis sanctæ Crucis in oppido Hrodlo egit & propter Regiam iam susceptam prolem timens futurum esse, quod Dominiorum Lithuaniæ etiam successio à se & posteris suis, in Regiam successionem transferretur, & ita ipse omninò excluderetur. Quare miris modis quærebat primum occultè etiam à Sigismundo Romanorum & Hungarorum Rege, quibus modis posset Lithuaniam sibi perpetuò ascire, & ex eodem Ducatu, Regnum etiam facere, eundem etiam Sigismundum Regem cum Vvladislao Poloniæ Rege in dissensionem inducere, maximis etiam bellis Regem Poloniæ implicare, ut tantò facilius, ipse interim Lithuania potiretur, idq; primum sub specie boni occultè, deinde dum aliquantulum res firmasset, apud Sigismundum Romanorum & Hungarorum Regem, eò uentum est, quod Sigismundus Romanorum & Hungariæ Rex. Vladislaum Poloniæ Regem cum Vitovvdo Duce Lithuaniæ ad conuentionem [illegible] conuentionem, utrinq; ex omnium [illegible] commodo reipublicæ Christianæ docens, plura bona se expediturum promittens. Annuit Rex Vladislaus amore pacis, Vitovvdus item non inuitus huic sententiæ accessit, quod antea sibi nonnihil rerum gerendarum constaret, & quod conceptæ inuidiæ propter Regiam prolem, iam effectum præstare speraret, certo sibi persuadens quod Sigismundi opera uoluntatis suæ desiderium obtineret, quo obtẽto facilè ipse in Lithuania solus principatum obtineret, harum rerum Vladislaus & consiliarij ignari, in conuentionem annuerunt.

Anno igitur Domini 1429 in Luczka pro festo Epiphaniæ, conuentionem Sigismundus rex Hungarorum & Romanorum, Vvladislaus rex Poloniæ, & Vitovvdus dux Lithuaniæ, cum principibus eorum tenuerunt. Proponebatq; rex Sigismundus, gentem Valachiæ cum eorum Voieuodis exterminandam, quia nemini fida foret, & furto ac spolijs uiueret. Rex uerò Vvladislaus respondebat, non esse æquum Valachos regno Poloniæ subiectos exterminandos fore, qui si aliqui furto uiuerent, id tamen in omnes non posse retorqueri. Interim ut nuper secretè conuentum erat Sigismundus rex Romanorum & Hungarorum, Vitovvdo magno duci Lithuaniæ, quasi ex se ipso suggerebat, ut quum esset princeps immensæ famæ, se in regem, Lithuaniam uerò in nouum regnum creari per mitteret. Facilem dux Vitovvdus huic persuasioni dabat consensum, eo quòd princeps alti pectoris foret, & honoris regij auidissimus, & plurimum Vvladislai proles eum angeret, similiter ipse prius hoc quæsierat. Poloni inficiendo negocium, ueneno regis Sigismundi restiterunt, & mox discesserunt, regiq; Vvladislao extemplo locum linquendum consuluerunt, qui nocte sequenti discessit: Sigismundo rege in Kuczka cũ duce Vitovvdo quinq; diebus manente. Sollicitarunt itaq; Poloni apud Martinum papam quintum, ne coronatio ducis Vitovvdi admitteretur, qui ad instantiam eorum, bullam regi Romanorũ Sigismundo unam, alteram duci Vitovvdo de non creando eum in regem misit. Misit & tertiam bullam regi Vvladislao, & Vitovvdo, ut contra Bohemos arma sumerent, & eos exterminarent. Ioannes ergo Czarnkovvski Subcamerarius Posnaniens. de mandato regis, Baptistam Czigalla utriusq; iuris doctorem, militem Italicum Ianuensem, & Sigismundum Roth Alemannum Slesitam literas ferentes, & nuncios coronas apportãtes præcedentes captiuauit. In quibus literis, quia legebatur processus coronationis Vitovvdi in regem, & Iulianæ suæ consortis in reginam, & liga perpetua regnorum Hungariæ, Bohemiæ cum Lithuania, Cruciferis de Prussia & Liuonia. Legebatur & nunciorum regis Sigismundi cum coronis transitus per Saxoniam Prussiam uersus. Ideo Barones maioris Poloniæ, Sandiuogius de Ostorok palatinus & Capitaneus Posnaniensis, Dobrogostius de Szamotuli Castellanus Posnaniensis, Iarandus de Brudzevvo palatinus Vvladislauiensis, clara patriæ sydera, uelut ex composito nullo mandãte arma sumpserũt, & exercitu ualido stationes in solitudine, in loco qui Turzagora uocat, posuerunt. Quo intelle-

Secundo genitum.

Mors eiusdẽ.

Conuentus in Luczka.

Decretum contra Valachos.

Vitowdus Lithuaniæ rex fieri cupit.

Poloni adiutorio papæ resistunt.

tellecto nūcij cum coronis, qui iam ex Nuremburga in Frankfordiam supra Oderam, & usq; in Kossem peruenerant duobus mensibus immorati, pauore nimio consternati, ad Sigismundum regem regressi sunt. His auditis dux Vitovvdus, anthrace inter scapulas nato correptus ex melancholia, feria sexta in uigilia Simonis & Iudæ, quæ fuit uigesima septima Octobris, anno Domini 1430 dum iam terris aurora illucesceret, in præsentia regis Vvladislai spiritū Deo tradidit. Profecto nullus in illa ætate princeps Vitovvdo comparandus fuit, quia liberalitate & fastiuitate nullus eo præstantior erat.

Vitovvdi laus.

CAPVT XLVIII. LIB. IIII.

MOrtuo Vitovvdo, rex Vvladislaus non requisitis cōsiliarijs magnum ducatū Lithuaniæ, germano suo Suitrigello contulit, & ipsum annulo sibi misso de eodem inuestiuit. Hominē ebriosum, inconstantē, ac uehementē. Nondum aūt mors Vitovvdi diuulgata erat, quū Paulus Episcopus Kamyenicen. & Barones Podoliæ omnes Poloni, uidelicet Hriczko Kierdeouicz, Theodoricus, Michaël, & Musilo germani de Buczacz, Crusina de Galovv, cognito obitu ducis Vitovvdi, de castro Kamyeniecz ad consilium suum Doygerth palatinum Vilnen. & Capitaneum castri Kamyeniecz ignarum mortis Vitovvdi euocauerunt. Et quum essent robore & numero hominum plures, eum comprehenderunt, & prædictum castrum Kamyeniecz, & alia castra Podoliæ in suam potestatem redegerunt. Ab illoq; tempore Podolia regno Poloniæ reunita est. Dux ergo Svvitrigello de tali nouitate fremendo, regem Vvladislaum non uenerabatur, sed improbrijs afficiebat. Tu (inquit) rex cum duce Vitovvdo me captiuabas, & ligabas annis nouem. Ecce aduenit tēpus, in quo tibi par reddere possum, & nisi mihi Podoliam & Kamyeniecz reddideris, uincula non euades. Sic contumelijs regem afficiebat. Barones uerò & aulicos eius Polonos, carceribus, & morte omnes perdere machinabatur. In Polonia ergò & longè distantibus regionibus, regem Vvladislaum per fratrem in Lithuania captiuatum detineri percrebuit. Quod recēs factum usq; ad summum Pontificem Martinum quintū peruenit, qui literas ad Suitrigal super emancipatione, & fratris dimissione misit. Poloni autem in arma consurrexerunt, & bella Suitrigelloni pararunt, nisi rex dimissus, in Poloniam rediisset.

Suitrigello in ducatū Lithuaniæ inuestitus.

Suitrigello Vladislao aduersatur.

Literæ papales.

Dum hæc in Lithuania fierent, ad submouendum materiam litis, rex Vvladislaus terram Podoliæ cum castro Kamyeniecz Suitrigelloni restituit. Et misit Zaclikam, Tarlo de Szczekarzouice militem de armis Topor, ad Michaëlem Buczaczki, districtē imperans, ut castrum Kamyeniecz cum terra Podoliæ in manus ducis Michaëlis Baba (Ruthenus hic erat) pro duce Suitrigal resignaret. Andreas autem de Tanczin, & Nicolaus Drzeuiczki, qui sigillum regium ferebat, literas ad Buczaczki & consules Kamyenicens. scripserunt, & in ceram includentes, puero Zaclicze dederunt. Adijcientes mandata uerbalia quatenus ne errarent, in cera lumen quærerent. Buczaczki itaq; literis repertis & lectis, quod rex nihil ex arbitrio, sed captiuitate strictus, fecerit, tam Tarlonem, quàm ducem Baba in uincula coniecit, nec castra resignauit.

Ob hoc dux Suitrigal contra Podoliam processit, & rex Vvladislaus cum toto exercitu Podoliæ, anno Domini 1431 pro festo Margarethæ contra eum ad Luczko perrexit, & aliquæ congresiones ac interfectiones fuerunt. Castrum tamen Luczko non expugnatum fuit, sed concordia festum purificationis interposita, discessum fuit. Sub eo tempore Alexander Voieuoda Valachiæ, qui homagialis regis putabatur, castra & terras Podoliæ uastauit. Sed illicò Theodoricus, Michaël, & Musilo fratres de Buczacz cum Russiæ & Podoliæ terrigenis, ex Luczko per regem transmissi, exercitum Voieuodæ sparsum prostrauerunt, prædam eripuerunt, & fugientes persequuti sunt. Magister quoq; Prussiæ Paulus de Ruszdorff cum Commendatoribus, rege Vvladislao circa Luczko occupato, rupta pace circa lacum Melno conclusa, insurrexit, & terras Cuyauiæ & Dobrzinens. post festum assumptionis Mariæ crudeliter uastauit, uigintiquatuor oppida, & uillas plus quam mille exurens. Liuoniæ tamen exercitus, Pruthenicis in auxilium ueniens, totus per agrestes Polonos fuit contritus, quos Ioañes Iarognievvski, Bartholsius Villemburk. & Dobrogostius Colmski, milites feroces & strenui, duxêre. Post cōflictū, quatuor uexilla in signū rei bellicæ Cracouiā relata sunt, & alijs in Cathedrali ecclesia apposita. Anno aūt Dñi 1432 circa purificationē Mariæ, Cometes exiguæ quātitatis in Septētrione, caudā faciis sue porrigēs, apparuit, ex quo, oēs duci Suitrigal mortē aut expulsionē iudicabāt. Nec eos fefellit opinio. Nā dux Sigismūdus Starodubski rege Vvladislao cōsentiēte, & ordināte, cū principib. & Boyarijs Lithuaniæ, Boleslaū Suitrigal de Lithuania expulit. Et quū præ-

Bellum fraternum.

Alexander Voieuoda Valachiæ.

Paulus Ruszdorff Magister Prussiæ.

Cometes.

Expulsio Suitrigal.

prædictus Sigismundus in magnum ducem Lithuaniæ institueretur, denuò incorporatio Lithuaniæ ad Poloniam cum iuramento ducis & Lithuanorum introducta est.

Marchia uastata.

Eodem anno Noua Marchia per maiores Polonos, & per Bohemos quos Czapko du cebat, uastata est. Et quum in Pomeraniam descendissent, Cracouien. aduenerunt, & cum eis iuncti, Nicolao de Michalovv Castellano Cracouien. dirigente, totam Pomeraniam uastauerunt, intantum, ut solum quatuordecim uillæ in tota Pomerania intactæ remanerent. Rex autem Vvladislaus de Polonia non exiuerat, quia oculi eius præ senectute caligauerant, in tãtum ut corpus Christi tempore eleuationis non uideret. Ideo sacerdos ad eum conuersus, corpus Christi oculis ut uideret approximabat.

Pomerania quoque uastata.

Et quum esset idem rex Vvladislaus in Przissovv anno Domini 1433 uenit ad eum in die sanctæ Hedvvigis nuncius Magistri Cristanni de Praga, astronomi magni nominis, qdam sacerdos secta hæresis Bohemicæ infectus, referens, quòd ipso anno plures coniunctiones planetarum, & eclipsis sub terra fierent, uarietates & mortes Principũ significantes: monuitq; ut & ipse domui suæ disponeret. Apparuit & tunc Cometes notabilis & lucidus, a uespera ad auroram rutilans, quasi tribus mensibus apparẽs, singulorum præsumptione regis Vvladislai mortem portendens. Vnde præfatus rex minus præcauens, frigus, feria sexta post sancti Adalberti, anno Christi 1434 audiendo cantum Philomenæ in syluas processit, & illic ad mediam noctem permansit, frigoreq; irrumpente læsus est, & uiribus destitui cœpit. Et quum in Grodek peruenisset, Sabbatho in uigilia Pentecostes ad tabulam residens, præsentibus Stephani Voieuodæ Moldauiæ nuncijs, inter prandendum febribus correptus, quas decemseptem diebus patiens, sacramenta confessionis, eucharistiæ, & extremæ unctionis deuotissimè percepit, & testamento confecto, feria secũda, quæ fuit ultima Maij, hora noctis tertia, in Dño obdormiuit. Feria sexta in die Sanctorum Marci & Marcellini, quæ fuit decimaoctaua mensis Iunij, in sepulchro marmoreo, dudum pro illo præparato, uersus dextram partem in Ecclesia Cracouiens. satis pompose sepultus. Additum est & Epitaphium per Magistrum Gregorium de Szanok, qui expost fuit Archiepiscopus Leopoliens. æditum, huiuscemodi.

Astronomus Pragens. Vladislao prognosticans.

Cometes.

Vuladislai mori: alias Iagellonis.

Hanc tibi nimbiferam quondam pie sceptriger odam:
Gratior illibuit, pingitur ista tibi, &c.

Quod longa serie in tabula appẽsum legitur. Hic Iagello dũ fuisset dux Lithuaniæ, pluribus incursionibus, subitis quidẽ & lupinis cũ fratribus suis, quos. 11. habuisse memoratur, finitimos & signanter regnũ Poloniæ affligebat. Miseratione tamen diuina illum respiciente, ad fidem conuersus Vvladislaus in baptismo nominatus. Consortem nobilissimã Heduigim Ludouici regis Hungariæ & Poloniæ filiam sortitus est. Qua mortua tres alias, uidelicet Annam, Elizabeth, & Sophiam superduxit. Venator ab infantia sua, usq; ad diem mortis, uir staturæ mediocris, faciei oblongæ, auribus grossis, uoce tubali & cita, oculis nigris, & paruis, nunq̃ stabilibus, sed continuè in suo orbe cursum quendam & uolubilitatẽ habentibus. Corporis nitidi & gracilis, ceruice longa; laboris, & frigoris, æstus, uentorum, fumi pacientissimus. Tam incessu, quam in uestibus humilis. Sabellinis, mardurinisq; contemptis, pellibus agnellinis utebatur. Cõmessationi longè intentus, sopore & quiete ut sæpè usq; ad meridiem uacãs, in administrandis bellis remissus & tardus, oẽm sollicitudinem in alios deferebat. Balneorum fomentis alternaus diebus crebrius utebatur. Ad effundendum sanguinem humanum continentissimè se gessit, ut etiam sæpe nocentissimis parceret. Clementiæ in subditos, & uictos singularis, per singulas hebdomadas diem Veneris mira abstinentia in pane & aqua ieiunabat. Homo semper sobrius, nec uinum, nec si ceram aliquando gustans, poma & odorem eorum magna nausea execrabat. In morib. grauis & singularis, in orationib. & poplitũ flectionib. plixus, in prætereundis Ecclesiis multũ deuotus, in promisso & concluso cõstans & fidelis. Tam sua q̃ Baronum decreta, abrogare aut uariare, nisi necessitate, aut utilitate magna pueniẽte, passus non est. Pauperũ, orphanorũ, & uiduarum causas, etsi per se expedire & audire non poterat, alijs tñ bonis uiris expediẽdas cõmittebat. Certarũ superstitionũ, quas eum asserunt, ex bona causa cõtinuasse, & quas illũ mater sua, ritu Græcorũ fœmina asserebatur instruxisse, sectator. Vt si prius sinistrũ inopinatè calceum accepisset, infaustum ei diem ominabatur, quasdam etiam girationes in uno pede uersando, antequã de habitaculo progrederetur interdum faciebat. Sub eleuatione diuinissimi sacramenti, quicquid iuxta se inueniebat, puluere, stramen, aut festucas, digitis comminuebat, & proijciendo, expuebat. Super quo, dum à Præsulibus prouinciæ Polonicalis redargueretur, excandescens in bilem prosilijt & nõ

Delibatio uitæ eius.

Corporis lineamenta.

Superstitiones eius à matre exortæ.

ominatione, incantatione ue, prout putabant uti respondit. Verum stramen, aut alia minuta atterendo, & in puluerem redigendo, seipsum in conspectu diuino puluerem, & abiectissimum æstimatum iri, docebat. In reddendo mutuo gratus & uerax, prodigus magis, quàm largus. Singula quæ habere poterāt, imò & regni sui amplissima dominia, militibus suis erogabat, multò plura largiens, quàm sibi reseruans, paruam in largiendo ad merita & conditionem hominum considerationem habendo. Vniuersitatis Cracouiensis & Psalteristarum in Ecclesia Cracouieñ. cum Heduigi regina. Item monasterium Sanctæ Brigittæ in Lublin. Et Sancti Spiritus Præmōstrateñ. ordinis in Sandecz. Itē Sanctæ Mariæ in arena ante Cracouiam ordinis Carmelitarum. Item ecclesiæ parochialis corporis Christi in Kazimiria, in conditionem Canonicorum regularium permutator, & fundator. Castrorum & ciuitatum suarum, aliorumq; ædificiorum parum diligens prouisor, ut pleraq; in diebus suis prolabi, & ruinari permitteret. In Lithuaniam patriam suam, consanguineosq; & fratres adeò charitate, affectioneq; procliuus, ut regnū suum Poloniæ bellis periculisq; plurimis miscere non horruerit, omnes thesauros & prouentus regios, aut pro defendenda Lithuania, aut pro locupletanda, effundens. Gentem aut Lithuanicam & Samagiticam, opera sua ad fidem Catholicam conuertit, ut meritò gentium illarum conuersor, & apostolus appellari posit. Cordis erat simplicis, sed magnifici intellectus tenuis, sed uafri. Ecclesiarum Vilnens. & Mednicens. seu Samagitiens. in Lithuania, Chelmens. Kiouiens. in Russia, fundator & dotator. In Venerem, non permissam modo, sed etiam prohibitam procliuus. In religione Catholica pijssimus, in pauperes munificus. Pro suis meritis, signanter pro fidei Orthodoxæ dilatatione, gaudijs cœlestibus perpetuò fruiturus.

Pia opera eius.

Ecclesiarum fundator.

CAPVT XLIX. LIB. IIII.

Marchio Brādenburgens. in Hungariæ regem coronatur.

ANno Domini 1387 Dominica Ramispalmarum, Sigismundus Brandenburgens. Marchio, in regem Hungariæ, in Alba regali per Dionysium Archiepiscopum Strigoniens. in præsentia Mariæ reginæ Hungariæ filiæ Ludouici coniugis suę, matre eius Elizabeth regina Hungariæ, per Ioannem Horvvath Banum Croaciæ, aquis ante hoc suffocata coronatus est anno Domini 1389 Conradus Czolner Magister Prussiæ obijt, & pro eo Conradus Vallerode suffectus est.

Mors Conradi Czolner.

Conradus Vallerode Magister Prussiæ.

Año Domini 1390 feria quinta post festum Sancti Iacobi Apostoli, rex Vvladislaus cum sua consorte regina Heduigi, monasterium Slauorum ordinis sancti Benedicti ex Praga sumptorum, tituli Sanctæ Crucis, extra muros Cracouien. in oppido Cleparz fundauerunt, chorumque ecclesiæ cum sacrario perficiendo vt cernitur, Corporis Ecclesiæ fundamenta solum iecerunt, quæ sub terra delitescunt. Et domum ligneam cum horto pro monachis, dotemq; uiginti marcarum de teloneo Cracouiens. assignarunt, ut uoce sonora, tam horas Canonicas, quàm missas in idiomate Slauonico celebrarent, & explerēt. Heduigi autem regina defuncta, ulterior prouisio & fabrica sunt intermissa. Verū in diebus pueritiæ meæ presbyter Slauus, missas idiomate Slauonico continuabat. Succesit tandem sermo Latinus, reiecto Slauonico, primum Nicolao Lithvvos Archidiacono Lublinens. deinde Alberto dispensatore regio, hanc ipsam ecclesiam concessione regum usurpantibus. Donec à rege Alexandro, Prælati & Prębendarij sancti Floriani in Cleparz, per medium doctoris Ioannis de Ossvvanczim Canonici Cracouiens. collationem præfatæ Ecclesiæ pro se perpetuam obtinuerunt.

Fundatio ecclesiæ S. Crucis in Klepardia.

Anno Domini 1393 Venceslaus Romanorum, & Bohemiæ rex de uniuerso regno Bohemiæ, fratres Teuthonicos ordinis Sanctæ Mariæ cum nigra cruce eiecit, eos inutiles fore asserens, bonaq;, castra, & ciuitates ipsis abstulit.

Fratrum Teuthonicorū ex Bohemia expulsio.

Eodem anno Conradus de Vallerod Magister Prussiæ mortuus est, & Conradus de Iunigen pro eo concorditer electus.

Conradus de Iunigen magister Prussiæ.

Anno quo supra duodecima mensis Februarij, Elizabeth Romanorum imperatrix, Caroli imperatoris relicta, filia ducis Stolpens. & Sigismundi regis Hungariæ genitrix è uita excessit, in ecclesia Pragens. sepulta.

Anno præfato 1393 uigesima quarta Februarij, rex Vvladislaus fundationem monasterij sancti Nicolai, ordinis Sancti Pauli, extra muros Vielunens. innouauit. Et uillam regiam Dersniki in terra Vielunens. decimasq; frumentorum in uillis Trumbaczovv, Iansussovva, Szithi, Niuiszka. Item duas urnas mellis in uilla regia Sokolniki eidem donauit. Idem rex Vvladislaus & eodem anno die uigesimasecunda Februarij, erectionem monasterij Czansthochouiens. denuò fundauit. Et dotem incertam rescindens, quam illi Vvladislaus dux Oppolieñ. in braseis & decimis consignauerat, nouam dotationem contulit.

Innouatio Czansthochouiens. monasterij.

Anno

Anno prælibato 1393 Castri Cracouiens. humilem murum & mœnia, in altum cocto muro rex Vuladislaus erexit: Burgrauijsq́ singulis castrensibus, ad salarium quinquaginta marcarum, per Kazimirum secundum consignatum, decem marcas ex Zuppis adiecit. Eo tamen pacto ut quilibet eorum, unum equum & sagittarium pro omni tempore Cracouiæ ad quamlibet necessitatem teneret, in defensionem oræ Cracouien. Capitaneo aut Vicecapitaneo Cracouień. ad repellendum hostilia illum adiuturus.

Anno Domini 1395. Ecclesiæ & monasterij Sanctæ Mariæ in arena extra muros Cracouiens. Vuladislaus rex & Heduigis regina Poloniæ, in honorem uisitationis Mariæ festi nouiter instituti, regio sumptu initia fecerunt, & eam cum cœnobio ordini fratrum Carmelitarum, quem Albertus Patriarcha Hierosolimitanus, anno Domini 1204 monte Carmeli instituerat, consignauerunt.

Monasterium in Arena fundatum.

Eodem anno die Lunæ, 17. mensis Maij. Maria regina Hungariæ, consors regis Sigismundi, & germana Heduigis reginæ Poloniæ, Budæ mortua est.

Mariæ reginæ interitus.

Anno quo supra 1395 Collegium psalteristarum in ecclesia Cracouien. de sedecim presbyteris manualibus, ad cantandum psalmos Dauidicos, cessante cantu ordinario, Vuladislaus rex Poloniæ cum Heduigi sua consorte instituit, & fundauit. Cuilibet decemocto marcas ex Zuppis donatione perpetua largiendo. Collationem uerò & omnimodam ipsorum dispositionem Episcopo & Capitulo Cracouiens. concedendo & transfundendo.

Psalterij in ecclesia fundatio.

Anno Domini 1397 die decima Decembris, Heduigis regina Poloniæ pro neophitis Lithuanorum, & fidei Orthodoxæ in terris Lithuaniæ plantatione, domum muratam in antiqua Praga coëmit. Cuius posticus in fossam uersus nouam Pragam tendit, & certis uillis pro notabili summa comparatis, de speciali consensu Venceslai regis Bohemiæ, censum perpetuum ducentarum sexagenarum latorum grossorum Pragensium, pro præfatis Lithuanis instituit. Et Collegium reginæ uocatur, quod in hanc diem, sed in manibus hæreticorum perseuerat. Quidam autem historiæ ignari, Elizabeth reginam Hungariæ tale Collegium posuisse putant, quod propter obliterationem euenit. Sigismundus rex Hungariæ eodem anno nulla inuitatione uocatus, in Cracouiam uenit, & amplissima humanitate à Vuladislao rege Poloniæ, & Heduigi regina exceptus, plures dies in lætitia & splendida abundantia deduxit, hastiludijs publicis per Vuladislaum institutis ipse interfuit, donisq́ regijs acceptis, & consimili liberalitate remissis, in Hungariā lætus redijt.

Sigismundus rex Hungariæ Cracouiæ hospes.

Anno Domini 1399 sacramentum diuinissimæ eucharistiæ in pratis ciuitatis Posnaniens. est repertum quod mulier quædam, die Veneris quindecima Augusti, in monasterio fratrum prædicatorum, post procurationem ex ore sumens, Iudæis uendere uoluit. Ob cuius rei deuotionem Vuladislaus rex Poloniæ in eodem loco prati, ecclesiam corporis Christi initiando, chorum de latere cocto in altum extruxit: & cœnobium fratrum Carmelitarum, apud præfatam Ecclesiam fundauit. Dans eidem in dotem, sustentationemq́ molendinum regium. Corpus uerò ecclesiæ expost de beneficijs christifidelium adiectum & completum est.

Anno Domini 1400 Petrus Visz Episcopus Cracouiens. ad petitionem magnifici Ioañis Palatini Sandomiriens. in oppido eiusdem magnifici Ioannis Tharnovv, ex ecclesia parochiali beatissimæ Mariæ uirginis, Collegiatam erexit. De prouentibus ecclesiæ tres prælatos creando. Præpositum cui curam animarum, & Vicariorum commisit. Custodem & Cantorem. Item duos Canonicatus & præbendas, quorum uni prouentus prębendę in castro Tarnovv. Alteri prouentus altaris sancti Bartholomęi attribuendo, erexit. Et collationem tam dignitatum, quàm prębendarum, prefato Ioanni Tarnovvski, Palatino Sandomiriens. & posteritati suę, sexus duntaxat masculini reseruauit. Item quinque Vicarios Canonicas cantaturos, per Prelatos & Canonicos soluendos instituit. Processu autem temporis sub pontificatu Alberti Iastrzembiecz, ad petitionem Ioannis de Tarnovv Palatini Cracouiens. filij prędicti Ioannis palatini Sandomiriens. alij duo Canonicatus prębendati in eadem Tarnouiens. ecclesia fuēre instituti.

Ecclesia Collegiata in Tharnow fundata.

Eodem anno in principio quadragesimę Cometes apparuit. Et in ęstate commisso conflictu Temerlanes Tartarorum imperator, uictum Pesaitem, seu Bayzetum imperatorem Turcorum captiuauit.

Tartarorum imperator captus.

Hungari quoq́ in sequenti anno, scilicet 1401 Sigismundum regem suum in die sancti Vitalis captiuauerunt.

CAPVT

CAPVT L. LIBER IIII.

ANno Domini 1401 Magister Liuoniæ Lithuaniam hostiliter ingressus, eam multifariè uastauit. Vitovvdo, quia inferiorem se sensit, resistentiam non faciente, sed Liuonitis discedentibus, clàm eos insequutus, Liuoniam ferro & igne uastauit, oppidumque munitum Dvvina cœpit & castrum expugnauit.

Liuonia uastata.

Anno Domini 1403 coadunato exercitu Vitovvdus, terram Smolnensem, quam decem annis bellis turbauit, & assiduè uastauit, possedit: castrumque Smolenszko obsidione uallando, cum suorum dispendio cœpit. Vaszilo autem dux Smolnens. amisso ducatu suo, in Hungariam fugit, & annis pluribus in obsequijs Sigismundi regis Hungariæ uersatus, in cuiusdam castri conquisitione interijt. Eodem anno Cometes inter orientem, & septentrionem, in fine Martij, & principio Aprilis in uespera apparuit, caudamque in Septentrionem porrexit. Anno quo supra tredecima Nouembris Albertus Iastrzembiecz, Episcopus Posnaniens. collegium Mansionariorum, pro decantandis horis beatæ Mariæ, in ecclesia Posnaniens. fundauit. Conferens pro dote eidem aliquot altarium Posnaniens. Ecclesiæ introitus. Item duas decimas mensæ Episcopalis, circa Kalisz & Odolanovv, in uillis Glogovva, Bandeszino, Crapa, Sczuri, utrumque Galanski, Iankovv, &c. Ordinās ut Vicarij Posnanieñ. huiusmodi māsionarias habeāt, & tertia pars eorū horas, missas, & officia mansionariorū expleāt. Annō Dñi 1404 conuentio inter Vvladislaū Poloniç, & Venceslaū Bohemiç, reges, in Vvratislauia pro festo sancti Iacobi celebrata, & fœdus perpetuum inter reges & regna sancitū, utque pro qualibet necessitate, regi Bohemiç quadraginta lanceis rex Poloniæ auxilium præstaret compromissum est.

Smolensko expugnatum.

Vasilo Smolnens. interijt.

Conuentus regum.

Anno Domini 1406 die Mercurij quinta mensis Ianuarij, Ianussius dux Mazouiæ, & dominus Czirnieñ. de consensu Alberti Iastrzembiecz Episcopi Posnaniens. in Ecclesia parochiali sancti Ioannis in Varszouia, Collegiatam ecclesiam fundauit, & tres præbendas de sacello sanctorum Petri & Pauli castri Czirszko in illam transtulit. Item de ecclesia parochiali Tharczin fundauit præposituram, de ecclesia in Varka Custodiam, de ecclesia Varszouiens. Decanatum. Item septem alias præbendas Canonicales super uillis, censibus & decimis manipularibus fundauit; quas & quos præfatus dux Ioannes cuilibet deputauit præbendarum. Item quatuordecim Vicarios perpetuos, horas in eadem ecclesia Varszouiens. expleturos, fundauit.

Collegiata ecclesia in Varszouia.

Añō Dñi 1407 feria tertia Paschæ, quæ erat uigesimaseptima dies Martij, Concionāte & prædicante ad populum in Ecclesia sanctæ Barbaræ Cracouiæ. Magistro Budek Canonico Vislicieñ. & exponente, quòd nocte præcedenti Iudæi infantem Christianum necauerunt, & abominabilia in sanguine eius peregerunt. Item quòd in sacerdotem ad ęgrotum sacramentum deferentem lapides iniecerunt. Vniuersus populus quasi signo dato, in Iudæos irruebat, & pluribus interfectis, spolia ex eis retulerunt. Clemens autem de Moskorzovv, Castellanus Vislicien. & Capitaneus Cracouiens. & Nicolaus Lithvvos procurator generalis cum militibus armatis accurrentes, seditionem & spolia restrinxerunt. Factaque tranquillitate, & militibus pro custodia Iudæorum relictis, discesserunt. Maximo deinde omnium consensu ex uniuersa ciuitate concursum, & spoliatio, direptioque atque strages Iudæorum, quam nemo inhibere poterat, ex integro instaurata est, & domus Iudæorum incensæ. Et dum nemo restringeret, aliquot plateæ circum Collegium Artistarum, ubi pro tunc Iudæi commorati sunt, sed & ædes sanctæ Annæ conflagratæ sunt. Collegium verò Artistarum, maximo conatu à studentibus uix defensum est. Aliqui autem Iudeorum discrimen mortis euitaturi, in turrim supra ianuam sanctę Annę uicinam, se receperunt. Et quum usque prope crepusculum uespertinum se defenderent, igne adhibito succensi, se ultro dederunt. Durauit autem huiuscemodi strages ab hora sexta diei usque ad crepusculum, sub qua plures Iudęi fuerunt cesi, nonnulli uero cum pueris baptisati. Anno quo supra duodecima Octobris, Iacobus de Cobilani, miles de domo Grzimalitarum, à Vvladislao rege Poloniç, quasi stupri cum regina Anna reus captiuatus, compedibus in castro Leopolieñ. superiori inclusus est. Et Andreas Tanczinski de domo bipennium, similiter insimulatus in castro Cracouieñ. Nicolaus uerò Chrzanstovvski de domo Strzegomia eodem probro insimulatus, exulauit. Circa hæc tempora heresis Viclephistarum in regno Bohemię & urbe Pragensi initium cœpit, per Ioannem Husz suscitata, in Anglia olim per Ioannem Vicleph seminata. Ioannes siquidem Husz de prebenda Pragens. per quosdam impetrantes spoliatus, quum esset ingenio acer, & lingua facundus: Dialecticis & peregrinis quæstionib. multum oblectatus, adepta doctrina Viclephistarū

Cracouianus tumultus in scelestos Iudæos.

Sectæ Ioannis Husz origo & fomes.

tur-

turbauit Magistros Teuthonicos, quibus admodum infestus erat, cupiens eos studium Prageñ. relinquere, quod quum non succederet. A' Venceslao rege Bohemiæ impetratum est, ut Teuthonicis exclusis, gymnasium Prageñ. per Bohemos regeretur. Qua ignominia Magistri & scholares Teuthonici commoti, Praga relicta, apud Lipsko ciuitatem Misznæ uniuersale studium erexerunt. Tunc Ioañes Husz scientia magnus, lingua promptus, & potens propter uitam mundam, & exemplarem, actusq; claros, ex prædicatione apud scholares, uulgusq; facilè dilectus, hęresis uirus plantauit. Venceslao rege dissimulante, & Sophia regina Bohemiæ de Bauaria eam nutriente. Aduenit tandem alia noua pestis, Petrus namq; Dresnensis in Pragam è patria Miszna pulsus uenit. Ex cuius suggestione Iacobellus etiam patria Misznens. populum publicè commonere cœpit, ut communionem calicis non negligerent. Cui hęretici consensêre, haud modica gestientes lætitia, quòd articulum inuenissent, in euangelica ueritate fundatum, per quem Romanæ sedis ignorantia, & negligentia, ut putabant, redargui posset. Videns Sbinco, aliâs Sbigneus, Pragensis Archiepiscopus Venceslao rege inertia torpente, hæreticos impunè multiplicari, & in regno Bohemiæ debacchari, ad Sigismundum regem Romanorum, & Hungariæ se contulit, obsecrans, ut Pragam personaliter ueniret, & hæresim fratris negligentia inductam extingueret, quo pollicente, & differente, & Sbinco apud Posonium in Hungaria expectans, mortuus est. Eiq; Albicus natione Bohemus, Sigismundo propter peritiam medicinæ charus, suffectus est, qui suæ auaritiæ consulens, fomentum surgentis hæresis neglexit, quæ intantùm processit, ut hæretici spiritualium bona occuparent. Differente igitur Sigismundo rege Hungariæ aduentum, Albicus sedem Archiepiscopalem refutauit: & Conrado de Vestphalia pro eo in Archiepiscopum electo in præfatam hæresim lapso, grex ferè uniuersus, pastore errante, scandalisatus, in præcipitium actus est. In aliam quoque fœdam insaniam, quæ Picardorum hæresis appellatur Bohemia postea, circa annum Domini 1420 incidit. Nam Picardus quidam ex Gallia Belgica in Bohemiam penetrans, & plebem sibi concilians, nudos utrosq;, mares scilicet & fœminas incedere persuasit, Adamitasq; uocauit. Se uerò quandoque filium Dei, quandoq; Adam asseruit, nonnunquam Orecz, id est, patrem uocari iussit. Prodigia & miracula fecit, & præstigijs, quibusdam plebem decepit, auesq; & bestias iussu ipsius obedientes, aduocatas cœpit, & connubia suis permiscua (allegando scripturam, Crescite & multiplicamini) permisit. Atq; cum his insulam Amne Lisznicio cinctam incolens, uicinos agrestes cædibus & spolijs lacessijt. In quos Ziszka, quamuis sceleratus & Hussita hereticus, tamen scelus spurcissimum abhorrens, exercitum duxit, insulaq; expugnata, Adamitas omnes gladio & igne deleuit. Duobus tñ reseruatis, ex quibus superstitionem gentis cognosceret, & hi dum mactarentur, & incenderentur, ridentes, cantantesq; occisionem, & incendia pertulêre. Fuit & alia in Bohemia hæreticorum factio Orebitarum appellata, quæ territorium Cretense, uicinasq; fidelium gentes magnis affecit cladibus. Verum his temporibus binæ duntaxat supersunt in Bohemia sectæ hæreticæ, Hussitarum, & communionis calicis, seu sub utraq; specie, pro una: & fratrum seu Valdensium pro altera computatæ.

Exordium ruinæ Pragensis Vniuersitatis.

Petrus Dresnēsis hæresis multiplicator.

Archiepiscopi resistentia.

Ecce Picardorum insana origo.

Adamitæ.

Orebitæ.

Hæreticorum sectæ.

CAPVT LI. LIB. IIII.

ANno aūt Dñi 1411 die sexta Decembris. Ioañes Cropidlo Episcopus Vvladisla. & dux Oppolieñ. in prętorio Vvratisla. captus est. Ob quod Venceslaus Episcopus Vvratisla. ciuitatem Vvratisla. interdicto ecclesiastico subiecit.

Anno præfato 1411 Ioannes papa 23. ad instantiam Vvladislai regis Poloniæ ex Halicz in Leopolim metropoliticam dignitatem transtulit.

Anno Domini 1412 Arnestus dux Austrię Cracouiam ueniens, in coniugem Cimbarcam filiam Semouiti ducis Mazouię, neptem regis Vvladislai, ex sorore germana, accepit, de qua Fridericus tertius Imperator Romanorum natus est, qui pluribus annis imperauit. Eodem anno Petrus Viszh Episcopus Cracouiens. allegante aduersam eius ualetudinem, Alberto Iastrzembiecz per potentiam regis Vvladislai, obtinente consensum Ioannis Papę uigesimi tertij, in Episcopum Posnaniens. translatus est, & econtrà Albertus Iastrzembiecz Episcopus Posnaniens. in Episcopum Cracouiens. oblatus est. Et depòst citò Petrus Viszh in Czanszim prædio episcopatus Posnaniens. mortuus est.

Anno Domini 1413 Henricus de Plavven Magister Prussiæ per Commendatores captus,

Interdictū ob captiuitatē ducis Oppoliens.

Petrus Viszh Episcopus mortuus.

ptus, depositus, & incarceratus est: & pro eo Michaël Kochmeister, nouæ Marchiæ Aduocatus, surrogatus.

Michaël Koch meister Magister Prussiæ.

Anno Domini 1415 Alexander Moldauiæ Voieuoda, cum sua consorte, & militum multitudine, ad regem Vvladislaum profesto Pentecostes in Sniathin uenit, & cum omnibus suis Boyarijs terræ Valachiæ solenne fidelitatis homagium, regi in maiestate sedenti, præstitit. Sub eodem tempore, nuncij Patriarchæ & Imperatoris Græcorum, cum literis & bullis plumbeis ad regem uenerant, petentes, ut eis à Turcis multifariè lacessitis, & oppressis, frumenti tantummodo largitione subuenire dignaretur. Rex autem petitam quantitatem frumenti in portu suo regio Kaczubrzeovv recipiendam consignauit. Anno quo supra feria sexta post corporis Christi, hora tertiarum, adeò notabilis eclipsis Solis fuit, ut alites subita caligine deterritę, in terram deciderent. Et sydera nō secus, quàm nocte collucerent.

Valachorum homagium. Imperatoris Græcorum & Patriarchæ legatio. Insignis Eclipsis Solis.

Eodem anno Ioannes Husz, in Concilio Constantiens. ut hæreticus damnatus, à brachio sæculari igne crematus est, & cineres sui in lacum, qui Constantiam præterfluit, proiecti sunt. Tanta tamen caligo Bohemorum animos obduxit, ut suum Natalem, sexta die Iulij, perinde atque sancti ac martyris ueneranda celebritate in hanc diem colunt.

Ioannis Husse combustio.

Anno Domini 1416 feria quarta proxima post festum sanctæ Catharinæ, Ioannes Rathiboriens. & Oppauiens. dux, in ecclesia S. Mariæ in Rathibor, de consensu Venceslai Episcopi Vvratislauiens. ecclesiam Collegiatam fundauit, de duobus Prælatis, uidelicet, Præposito & Decano, & de duodecim Canonicis, totidemq; uicarijs. Eodem anno Nicolaus Archiepiscopus Gneznens. à Concilio Constantiens. Primatem se Polonicæ Ecclesiæ declarari per speciale priuilegium obtinuit: ab eoq; tempore ipse & sui successores Archiepiscopum & primatem Ecclesiæ Gneznēn. sese inscribunt.

Gneznens. primas.

Anno Domini 1418. Dux magnus Lithuaniæ Vitovvdus, suspicione ductus, ducem Boleslaū Svvitrigal captiuauit, & in castro Crzemyenyecz detinuit. Suitrigal autem conspiratione cum Ruthenis facta, in nocte Parascheue dn̄i solutus, Conrado Polono castri Pręfecto obtruncato, ad Sigismundum Romanorum & Hungarię regem fugit. Postea interuentu Vvladislai regis Poloniæ Germani sui, per Vitovvdum admissus & susceptus, Bransk, & Nouogrodek, Szeuiroski in possessionem usq; ad obitum ducis Vitovvdi tenuit. Sub eodem anno, mortuo Zoldan Zeledin Tartarorum imperatore, qui Vvladislaum regem Polonię, & Vitovvdum magnum ducem Lithuanię in Prutenicis expeditionibus iuuerat, Keremberden filius eius in paternum solium euectus, Alexandro Vitovvdo hostilia intentauit. Contra quem Vitovvdus alium principem Tartarorum Bethsubular, quem moderni Tartari Tachtamisz Czar appellant in imperatorem apud Vilnam Trabea, de purpura aurea uestitum creauit, & constituit, & gentes suas Tartaricas gentibus illius adiungens. Ad dimicandum contra Keremberden transmisit, qui in pugna atroci à Keremberden uictus, capite truncatus est. Non post multos dies, & ipse Keremberden à germano suo Ieremferden occisus. Is autem ducem Vitovvdum non secus, quàm suus genitor coluit, & ferè singulas expeditiones cū Alexandro Vitovvdo obibat.

Switrigal captus. Mutuus conflictus principū Tartarorum.

Anno Domini 1419 Venceslaus rex Bohemiæ, paralysi correptus, assiduè decem octo diebus fratrem, & principes in auxilium uocans, die Mercurij sedecima mensis Augusti, quum annis quinquagintaquinq; regnasset, è uita excessit, nocte tumulatus, omni pompa funeb. a'i omissa, propter Viclephistarū metum. Ioañes Ziszka bellis exercitatus, Hussitarūq; ueneno infectus, coadunatis sibi quadraginta millib. pugnatorū hęreticorū arcem Vissegradeñ. inuasit, Pilsznamq; ciuitatem Bohemiæ oppugnauit. A qua repulsus, locum tutum & munitum non habens, ad Liszmicium amnem sub hoc tempore consedit, & ciuitatem construxit. Imperando suis, ut quisq; prout tentoria fixerat domos sibi ędificaret, nomenq; ciuitati Thabor imposuit. Cuius maiorem partem fluuius Luszmicius abluit, reliquum torrens non modicus ambit.

Venceslai regis Bohemiæ interitus. Ziska Vysse grad Castrum occupat. Tabor ciuitas erigitur.

Anno Domini 1420 Sigismundus Romanorum, & Hungarię rex, cum forti exercitu de Vvratislauia circa festum Ioannis Baptistæ egressus, Pragam obsedit. Pragensibus portas die, noctuq; non claudentibus, sed continuis ac secundis eruptionibus obsidentes molestantibus. Quod uidens rex Sigismundus, dimissa Praga, in castrum sancti Venceslai se recepit, & coronationem atque inunctionem in regem Bohemiæ, Dominica in die sancti Iacobi à Conrado Vestphalo Prageñ. Archiepiscopo percepit: obsidioneq;, quam sex hebdomadis continuauit, soluta, & corona materiali regni Bohemiæ, lancea domi-

Praga absque periculo obsessa.

domini, & clauo, alijsq; reliquijs & thesauris receptis, in Hungariam nulla memorabili re in rebelles Bohemos peracta, migrauit.

Reliquiæ ex Bohemia Hungariam delatæ.

Anno Domini 1423. Nicolaus Gneznen. Archiepiscopus, Mansionariam Gneznæ pro decem personis, ad explendum officium de Assumptione B. Mariæ uirginis, instituit. Decimas suæ mensæ pro dote in uillis Czeslauicze, Borouuo, Zorauua, Lippini, Lutho. uuo, Visznieuua, & Maldratas in Mirczeuura assignando. Ille Nicolaus Archiepiscopus Ecclesiam collegiatam Sanctæ Mariæ in Ruda, in Ecclesiam Sancti Michaëlis in Vielun transtulit.

Mansionaria Gneznens. instituta.

Anno Domini 1423. domum & ordinem Carthusiensium in nemore prope Legniczam, Lodouicus Bregen. & Legnicen. dux in die Sanctorū Felicis & Adaucti fundauit.

Carthusiani apud Legnicz à Lodouico fund. ti.

CAPVT LII. LIB. IIII.

Anno Domini 1425. penultima mensis Iunij. Clauus unus crucifixionis Domini nostri Iesu, Vuladislao regi, & Sophiæ reginæ, per Latinum Cardinalem de Vrsinis, Episcopum Hostien. missus est. Omnium processionum urbis Cracouien. debito honore exceptus, & ecclesiæ Cracouien. perpetuò donatus. Item eodem anno pestis in Polonia uiguit.

Clauus Domini Cracouiā donatus.

Anno Domini 1428. Electores Imperij cum magno exercitu Henrico Cardinali Angliæ, Episcopo Vinthonien. cum mille Anglicorum arcubus illis auxilium personale ferente, in Bohemiam intrauerunt. Erat exercitus ingens ualde, ad euertendum Bohemiam satis uirium habere creditus. Contra quem Procopius Bohemus, & Biedrzicli fortis obscuræ & ignotæ præsbyter, Orobitorum ductor, collecto exercitu, processerunt. Ad quorum aspectum duntaxat aduenientium, omnis ille Alemannorum & Anglicorum numerosus exercitus, fugam pro prælio circa Taczouu iniit, castra omni opulentia referta prædanda hosti relinquens. Veniebant & Slesiæ principes electoribus in subsidium. Cognitaq; Alemannorum fuga, quisq; sibi consulens, præcipiti festinatione domum reuertebatur. Verum Bohemi pulsis Alemannis & Anglicis, Slesiam ingressi, ipsam crudeli cęde & incendio, nemine resistente, depopulati sunt, & ciuitates uastauerunt, Glogouiam maiorem, Czygenhalsz, Veydnam, Falkenberg, Paczkouu, Camyencz, Henrichouu, Opol, Bregam, Frankenstein, Kanthi, Nouumforum, Heynouu, & suburbia Vratislauiæ, monasteria diruendo. Anno quo supra, Sigismūdus Hungariæ & Romanorum rex, castrum Golubiecz expugnabat, ueniente q; imperatore Turcorum Omarath, aliàs Calapino, Sigismundus obsidione soluta, in Transyluaniam superato Danubio transijt, minorem partem sui exercitus, propter paucitatem nauium deserens, inter quos Zauisza niger de Garbouu, Capitaneus Scepusien. erat, cui, quum rex Sigismundus scapham misisset, eam renuit, nolens deserere suos comites, & obuiam Turcis processit, illicoq; à Turcis circumfusus compræhensus est, & galea deposita, imperatori Turcorum præsentandus ducebatur, duobusq; Turcis super eo contendentibus, inter ducendum caput eius amputatū est. Huius Epitaphium Adam Suuinka nobilis de domo Porcariorum, notarius regius & Canonicus Craco. dictauit, quod in ecclesia S. Francisci Craco. & alibi appensum cernitur hoc:

Electores imperij Bohemiā ingressi.

Bohemorum resistentia.

Slesia à Bohemis vastata.

Castrum Golubiecz inuasum.

Zauisza niger captus.

Mortuus.

Arma tua fulgent, sed non hic ossa quiescunt,
Diuæ memoriæ miles o Zauisza niger.

Eodem anno circa festum Natiuitatis Mariæ, Semouitus, Kazimirus, & Boleslaus duces Mazouiæ, cum omnibus suis uasallis, fidelitatis homagiū regi Vuladislao in ornamentis regijs, in thalamo castri Sandomirien. iuxta turrim sedenti, præstiterunt.

Duces Mazouiæ homagiū præbent.

Anno Domini 1430. Vuladislaus rex Poloniæ relaxauit & abrogauit stationes in regno Poloniæ quomodocunq; introductas, per priuilegium de data in Iedlna quod incipit: Vuladislaus Dei gratia rex Poloniæ. Necnon terrarum Cracouiæ Sandomiriæ &c. significamus tenore præsentium quibus expedit uniuersis. Quomodo libramine ueræ rationis pensan. Intemeratæ fidei & insuperabilis uirtutis cōstantiam &c. Anno Dñi 1431. Iuliano Cardinali tituli S. Angeli de latere præcedente, Electores imperij in multitudine magna tàm equestrium quàm pedestrium, exercitu ualido congesto, Bohemiam ingressi sunt. Bohemi etiam exercitum eorum tenuem Sigismundo Koributh, & Procopio sacerdote ducentibus, contra eos processerunt. Vixq; uiginti millibus stadiorū aberant, quando ingens pauor, cuius causa nō suberat, Almannorum animos adeò concussit, ut ex denunciatione aduenientium hostium. Primū Marchione Brādenburgen. fugiente, omnes terrore concussi, in fugam uersi sunt. Castris, curribus omni genere diuitiarum & epularum plenis relictis, & per Bohemos captis. Capta fuit & crux legationis, ac uestes Cardinalis, & ludibrio à Bohemis habitæ sunt.

Eodem anno Sabbato in die Conceptionis Mariæ, Heduigis uirgo filia regis Vula-

dislai ex Anna regina, Kazimiri regis in nepte progenita, Friderico Marchioni Brandenburgeñ. desponsata, mortua est, in sepulchrum matris suæ reginæ Annæ sepulta. Causam mortis suæ nonnullæ reginæ Sophiæ nouercæ suæ assignabant, quasi eam ueneno è uita sustulisset.

Heduigis filia mortua.

Anno Domini 1432. Balduuinus de Noris regni Cypri Marsalcus, cum ducentis equitibus, ac duobus filijs suis adolescentibus, & Petro de Bnin à Iano rege Cypri, Hierusalem, & Armeniæ, missus ad regem Vuladislaum in Visliczam uenit, petebat, ut rex Vuladislaus Iano regi Cypri ducenta aureorum millia mutuaret, ad excutiendum tributum quod Zoldano pendebat, quinquaginta millia florenorum in anno. Postulabatq; ut filiam suam Heduigim, quam uiuere æstimabat, filio Iani regis Cypri unico in coniugem desponsaret. Horum occasio Petrus de Bnin miles, natione Polonus, celebris & factiuus fuit, qui in Cypro incolatum suum figens, talia regi Cypri persuaserat. Eodem anno, duodecim signa seu uexilla, deuicto duce Fetkone, per regium exercitum alijs in castro Cracouieñ. addita sunt.

Legatus à rege Cypri.

Anno Domini 1433. in æstate, Alexander Voieuoda Moldauiæ morte absumptus est, duos filios è diuersis matribus genitos, Heliam & Stephanum, aliàs Steczkonem, relinquens. Helias maior natu per patrem dum uiueret ad Voieuodatum & dominium Valachiæ designatus & sublimatus, Steczkonem fratrem eiecit, & matrem ipsius aquis suffocauit. Steczko uerò faciem fratris fugiens, quum montanos sibi conciliaret, & à Cæsare Turcarum subsidium obtineret, Heliam expulit, qui in Poloniam ueniens. Primum possessionibus dotatus, ex post de fuga quam inierat per nobilem Cola reportatus, in custodiam castri Siradieñ. in fauorem Stephani fratris eius est traditus.

Alexāder Moldauiæ Palatinus mortuus.

Anno præfato ad fastigium imperiale Sigismundus Hungariæ & Bohemiæ rex, per Eugenium Papam quartum fuit coronatus, & è Roma ueniens concilium Basilieñ. ne Eugenium Papam quartum deponeret, impediebat. In Bohemia Thaboritæ & Orphani à nobilitate fusi sunt, maxima strage utrumque ædita. Procopius ubi suos ex ordinibus dilapsos, in fugam spectare uidisset, hostilem impetum aliquanto sustinuit, sed multitudine equitatus circumuentus, telo iaculatus transfossus est. Procopius minor in eodem globo pugnans occisus est. Ioannes Czapko Thaboritarum ductor in Coloniam fugit, Halisz & Menhardus publico edicto iusserunt, ut omnes hæretici qui stipendia mereri uellent, in horrea proxima agrestibus exclusis, se reciperent. Intrauerantque Thaboritarum & Orphanorum pleraq; millia, & illico clausis horreis, & igne adhibito uniuersum illud nephariorum hominum, & cædibus madentium agmen conflagratione interijt.

Sigismundi coronatio.

Procopij interitus.

CAPVT LIII. LIB. IIII.

Anno quo Vuladislaus Iagello è uita excessit 1434. Indicta est dies coronationis alterius Vuladislai filij eius natu maioris, ad festum Sancti Iacobi Apostoli, & grandis multitudo Prælatorum, Principum, Baronum, & Communitatum in Cracouiam aduenit. Dux autem magnus in Lithuaniæ Sigismundus quum esset ualetudinarius, nuncios cum plena autoritate nomine suo & Lithuaniæ misit. Idem Voieuoda Moldauiæ Stephanus, ducesq; Mazouiæ Semouitus, Kazimirus & Boleslaus fecerunt. Spithko autem de Melstein, Abraham de Sbanszin Iudex Posnanieñ. & Ioannes Strasz de Koszczelniki, difficultatem inijciendo, mouerunt quæstionem. An liceret puerum in regem coronari. Et consiliarij rationabiliter coronandum responderunt, deducentes & confirmantes hoc ex libro decretorum regis Kazimiri, ecclesiæ Cracouieñ. donato. Sicq; tractando, usq; post meridiem tempus protraxerunt. Et post meridiem missa incepta, Albertus Iastrzembiecz Archiepiscopus Gneznen. Vuladislaum primogenitum (quum omnibus lineamentis corporis ad figuram patris accederet) in regem unxit & coronauit.

Vuladislai Iagellonis filij coronatio.

Anno autem sequenti conuentione in Siradia facta, ut Stephanus Palatinus Moldauiæ in fide & obedientia contineretur conclusum est. Nullatenus Heliam dimittendum, uerum conuentione soluta, Helias ex castro Siradiensi, quod per Petrum Zaffraniecz Palatinum Cracouiensem tenebatur, clandestinæ, ut ferunt, euasit & in Valachiam diuertens, bellis & cædibus eam impleuit. Donec anno Domini 1436. rege Vuladislaó instante, diuisio terræ Valachiæ inter fratres Heliam & Stephanum facta est. Et Helias partem Valachiæ cum Szoczauua & teloneis, Stephanus uerò alteram cum Albo castro & portu maris possedit. Venitq; Helias in festo S. Michaelis in Leopolim, & homagium regi Vuladislao præstitit, obligans se ducentos currus de piscibus Husonum, quadringentos boues pro coquina regis, & quadringentas purpuras, centumq; equis singulis annis pro tributo solsturum. Rex uerò Vuladislaus castrum Halicz eidem in possessionem, ut illic thesauros suos recenderet, consignauit,

Territorium Valachiæ diuisum.

Heliæ homagium.

Tandem

Tandem Sigismundo Imperatore ex Praga egresso, & in Znoima, anno Domini 1437. die septima Decembris mortuo, & in Varadino sepulto. Bohemi inter eligendum bifariè diuisi, quidam Albertum Hungariæ regem, alij uerò Kazimirum germanũ Vuladislai regis Poloniæ tredecim annos natum sibi in regem elegerunt, & per notabiles nuncios suis electis, electionem intimarunt, instantissimè rogitantes, ut acceptarent, & cum subsidio exercituali aduenirent. Rex ergo Albertus rectiori, qua potuit uia properauit, & Pragam (illa enim partes suas sequebatur) Sabbato ante Iacobi Apostoli ingressus, in crastino die Dominico per Philibertum Episcopum Constantiensem, qui legationis officio nomine concilij Basiliensis in Bohemia fungebatur, coronatus est. Bini uerò Palatini Poloniæ, Sandiuogius de Ostrorog Posnanieñ. & Ioannes de Tanczin Sandomirieñ. cum exercitu notabili per regem Vuladislaum ad prosequendum electionem germani sui missi, Bohemiam quotidie affligebant, & rebelles ad obedientiam Kazimiri coarctabant. Rex ergo Albertus electoribus ac principibus Alemanniæ & Hungariæ inuitatis, & conuenientibus cum triginta millibus armatorum, ad exercitum Polonorum ex quatuordecim millibus conflatum, circa Thabor (Thaboritæ enim Kazimirum sequebantur) peruenit. Et utrinq; curribus & fossatis muniti, non longè distantes stabant, & particularia certamina quotidie intentabant. Ciuitas tamen Thabor, à dorso castris Polonorum iuncta, magno erat adiumento. Quumq; utrique exercitui annona defecisset, Poloni in ciuitatem Thabor se receperunt. Albertus uerò exercitu dimisso, Pragam descendit. Vuladislaus autem rex Poloniæ, literis suorum Palatinorum de fortitudine regis Alberti certificatus, cum exercitu per Slesiam processit. Et quum propè Opauiam esset, uenit ad eum Ioannes de Thanczin Palatinus cum pluribus Polonis & Bohemis. Nuncians exercitus abinuicem discessisse, quare ad regnum Poloniæ per Rathibor, Slesiam igne & spolijs uastando, diuertit & redijt.

Sigismundus Imp. mortuus. *Electio regis Bohemiæ.* *Alberti coronatio.* *Vuladislai exercitus.* *Bohemorum pugna circa Thabor.*

Anno autem sequenti, scilicet 1439. dieta generali pro pace inter Albertum Romanorum & Vuladislaum Poloniæ, eiusq; germanum Kazimirum, reges, pro die Epiphaniæ in ciuitate Vuratislauieñ. constituta. Eugenius Papa quartus Ioannem Episcopum Segineñ. Concilium uerò Basilieñ. Alphonsum Episcopum Burgeñ. de regno Hispaniæ transmiserunt, ubi quum opera legatorum pax perpetua firmari non potuit, fœdus in aliquot annos confectum fuit.

Sub eodem anno Imperator Turcorum Amurates, castrum Smiderouu in Rascia, supra Danubium uigintiquinque turribus munitum obsidebat. Ad quem repellendum Albertus Romanorum & Hungariæ rex, precibus & lachrymis Stephani Rasciæ despotę uictus, cum exercitu processit. Auditaq; castri fortissimi per pacta receptione, domum redibat, & peponibus nimium delectatus, dysenteriam contraxit. Ex qua in uigilia Simonis & Iudæ è uita decessit, in Alba regali sepultus. Prælati ergo & Barones regni Hungariæ, quum Elizabeth regina eorum æstimante se filiam parituram, ad Vuladislaum regem Poloniæ, legatos Ioannem Segnicensem Episcopum, Mathkonem de Taloncz Slauoniæ & Dalmatiæ Banum, Emericum de Machaly magistrum curiæ, Ioannem de Peren maiorem, & Ladislaum de Paloncz, miserunt, quibus anno Domini 1440. in die Septuagesimæ Cracouiam uenientibus, Kazimirus germanus Vuladislai regis cum pluribus Prælatis & Baronibus in obuiam exiuit. Hi in Dominica Reminiscere in ecclesia Cracouieñ. missa solenniter celebrata, regem Vuladislaum in regem Hungariæ secundum electionem de eo factam postularunt, qua acceptata, Te Deum laudamus decantarunt: Omnibusq; præparatis, de Sandecz feria quinta ante Adalberti in Hungariam exiuit, & Sabbato in uigilia Trinitatis, superato in nauibus Danubio, Budam per portam quæ ducit ad Eczelburg, intrauit. Elizabeth autem regina Hungariæ, quum filium Ladislaum peperisset, infantulum die Dominico Pentecostes in Alba regali, per Dionysium Cardinalem Archiepiscopum Strigoniensem, in præsentia Matthiæ Vesprineñ. & Benedicti Iauriensis Episcoporum, Vlrici Comitis Ciliæ, Stephani de Rosgon &c. coronari procurauit. Moxq; infantem Ladislaum, cum corona regni Hungariæ clandestinę ablata, in Austriam deducendo, Friderico tertio regi Romanorum, tanquàm consanguineo nutriendum & conseruandum tradidit: Baronibus uerò Hungariæ ad regem Vuladislaum in Budam confluentibus. Aduenerunt etiam sub treuga pacis Dionysius Strigonieñ. Cardinalis & Archiepiscopus cum Ladislao de Gara Bano Machouieñ. qui in castro Budeñ. conclusi, nec dimissi sunt. Donec præfatus Ladislaus de Gara, castrum Vissegradense & coronam regni Hungariæ, quæ suæ custodiæ deputata habebatur, regi Vuladislao restitueret, quo quum pergeret, obligatus cum alijs, coronam non reperit, quoniam per reginam occultè fuit sublata. Alia itaq; corona reliquiarum capitis Sancti Stephani regis Hungariæ olim præparata, Vuladislaum die Dominico Sancti Alexij in

Castrum Smiderow obsessum. *Alberti mors.* *Kazimirus in Hungariæ regem postulatur.* *Elizabethæ filius infans coronatus.* *Cum corona in Austriam ductus.*

regem Hungariæ in Alba regali coronarunt, & fomes multorum bellorum inter regem Vuladislaum ac reginam Elizabeth & sequaces eorum concitabatur.

CAPVT LIIII. LIB. IIII.

Vuladislaus in Lithuaniam conductus.

Discedente rege Vuladislao de Polonia, Kazimirum germanum eius de Cracouia feria sexta ante Penthecostes exeuntes, duces Mazouiæ Kazimirus & Boleslaus, Ioannes de Czizouu Castellanus & Capitaneus Cracouieñ. Dobeslaus de Olesznicza Palatinus Sandomirieñ. & cæteri milites electi, habentes in comitatu plusquàm duo millia lancearum, in Vilnam Lithuaniæ deduxerunt. Et quum Lithuani Kazimirum in magnum ducem Lithuaniæ (iam enim Sigismundus magnus dux Lithuaniæ, per ducem Iuuan Czartorziczki Ruthenum genere interfectus occubuerat) postularent, Poloni tanquàm rei incommissæ, & eis per regem Vuladislaum prohibitæ non adquiescebant. Mane autem Lithuani sumentes Kazimirum, Polonis interim dormitantibus, in magnum ducem Lithuaniæ eum sublimauerunt, & uoce sonora publicantes, Te Deum laudamus cum pulsu campanarum decantauerunt; Lithuanisq́;, ut linguam & mores eorum disceret adiunxerunt.

Kazimirus clandestinè sublimatur.

Sed redeamus unde digressi sumus ad Hungaros. Exercitus Hungarorum & Polonorum Vlricum Comitem Ciliæ, omnium seditionum & bellorum seminatorem in castro Iaurino obsedit, qui clam de castro fugiens, ad Elizabeth reginam Posonium uersus properabat, sed cum milites regis Vuladislai insequentes, in syluis densissimis latitantem in die Geruasij & Prothasij compræhenderunt, & captiuum in Budam deduxerunt. Ladislaum etiam de Gara, cum ipsius sodalibus bellum regi Vuladislao intentantibus, conflixerunt & confregerunt. Nicolaus Fristaczki, aliàs de Vlak, & Ioannes de Huniad, ubi Andream Bothos hominem seuerum, & Ericum filium Palatini Thamasij occiderunt, & castra hostium circa oppidum Batta diripuerunt. Ob hoc utrumque, tàm Nicolaum de Vlak, quàm Ioannem de Huniad Palatinum Transyluaniensem rex Vuladislaus creauit. Insuper Ioannem Huniad propter dexteritatem, animositatemq́; ipsius, contra Turcas Capitaneum ordinauit, & castra omnia in confinibus Turcorum sibi in possessionem & administrationem assignauit. Regina uerò Elizabeth, Ioannem Iskra Bohemum de Brandis, in Cassouia, Bartpha, Cremnicia, Leutscha, in castro ueteris Zolij, & ferè in tota altiori parte Hungariæ in Capitaneum præfecit, qui stipendiarijs accersitis, fideles & regi Vuladislao obedientes ab ipso auertebat. Ciuitatem Aperiasz abstraxit, castrum Szarisz fraude intercepit, & castrum Kyszik funditus euertit, deinde oppidum Kesmark sub Polonis occupauit. Nicolaum Czaika de Iauor, & Petrum Komorouuski in Podolino possessores, qui scalis appositis, oppidum Aperiasz ascenderant, spoliarant, & incenderant, ac regrediebantur, cum suo exercitu celeriter consequutos, captiuauit. Alios uerò cum præda dilapsos perturbauit, & castra eorum obsedit, quorum unum postea ex pulueribus pixidarum conflagratum est. Alterum uerò Brzosouuicza traditum est.

Vlricus Comes uallatus in castro Iaurino.

Vlricus captus

Ioannes Iskra Capitaneus creatus.

Molitio Ioannes Iskræ.

Telephus insuper ciuitatem Agriensem regi Vuladislao parentem inuadens prædatus est, & Polonos ac Hungaros captiuauit. Sed Poloni & Hungari collecti, Telephum persequentes prostrauerunt, gentesq́; eius occiderunt, ipsummet uerò cum aliquot Bohemis & Australibus, Simoni Episcopo Agriensi tradiderunt. At Vuladislaus Hungariæ & Poloniæ rex, castra & ciuitates quæ Australes in confinijs Hungariæ occupauerant, expugnauit & conquisiuit. Iulianus de Cæsarinis Cardinalis Sancti Angeli, ad componendum præfata mala, ab Eugenio Papa quarto in Hungariam missus, pluribus uicibus de Buda in Iaurinum & econtra discurrens, & conditiones unionis comportans, pacem inter regem Vuladislaum & reginam Elizabeth composuit, quam subitus mœror consequutus est. Elizabeth enim regina dolore matricis & disenteria tertia die extincta, in Alba regali, in sepulchro Alberti mariti sui tumulata est. Tunc rex Vuladislaus, castra, ciuitates telonea, in Polonia abligans & arendans, singulis quæ contra Turcas necessaria uidebantur comparatis.

Iulianus de Cæsarinis Cardinalis.

Elizabeth reginæ mors.

Anno Domini 1443. in die Mariæ Magdalenæ, cum magna militum caterua, cum Iuliano Cardinali legato, & cruce signatis è Buda egressus, ad Albam Nandor contendit; & circa Salsum lapidem Danubio superato, terras hostium ingressus, oppidum Sophia expugnans, conquisiuit. Sic & alia castra, ciuitatesq́; in Rascia per Turcas occupata, compræhendit. Et quum ab exploratoribus Turcarum exercitum in propinquo fore didicisset, plura millia pugnatorum cum Ioanne Huniad misit, qui ex improuiso eos inuasit & prostrauit. Ex eoq́; prælio quatuor millia captiuorum, & signa militaria nouem compræhensa reduxit. Pertransierat rex Vuladislaus totam Romaniam, ad Macedoniamq́; peruenerat, quum Turcarum Cæsar magnum exercitum cum affine suo Palatino Nadhuliæ transmisit.

Vuladislai expeditio in Turcas.

transmisit.

transmisit. Vt alpes & strictissimos meatus Romaniam & Macedoniam disterminantes, tueretur, & regem Vuladislaum, ne montes transiret, prohiberet. Verum Bassa cernens Turcas superiores & plures fore, exercitum regium aliquotiens inuasit, sed adeò magna clade fusus est, ut & ipse Palatinus Nathuliç dux exercitus alijq; Turcç principales caperentur. Reliqui uerò ad montes fugierunt, quos rex Vuladislaus usque ad radices montium, insequens, in uigilia Natiuitatis Christi, tota die à mane usque ad uesperam, durum sibi & suo exercitui à densissimis sagittis & iactis supernè iaculis, Turcarum certamen sustinuit, tresq; sagittas rex excœperat, tamen armis protegentibus innocuas. Ex aduerso autem machinarum ictibus certos Turcarum globos prosternebat. Sed inædia præmente, læsioneq; plurium à sagittis Turcarum crescente, à clausuris mõtium discessit, & Turcas insequentes, illico conuersus, magna strage cõfregit, ut de cætero nullus suum exercitum auderet lacessere. Narrat historicus Hungarorum, Ioannem de Huniad, & non regem Vuladislaum hunc triumphum in ordine sextum, & alios priores quinque conflictus uictoriosos cum gentibus regijs peregisse, tandem post quinq; menses cum ingenti præda exercitum ad castra regia reduxisse, & uexilla uictoriæ regi obtulisse. Sicq; rex & Ioannes de Huniad promouẽdo gressum, ad Albam Nandor, deinde per Hungariam Budam nudis pedibus cum signis hostium captis, clero & populo obuiam processionaliter egresso gloriosos intrauisse, & signa hostium in ecclesia uirginis Mariæ ciuitatis Budeñ. futura pro memoria appendisse, sed iam uetustate consumpta defluxerunt. Sed tu Philippum Calimachum lege.

Multiplices casus bellorũ.

Opinio triumphi.

CAPVT LV. LIB. IIII.

CVmq; Reges & Principes Catholici regem Budam aduenisse comperissent. Vniuersi, legatos aut literas disertissimas ad eum miserunt, & in alteram contra Turcas expeditionem animauerũt, pollicentes se auxilia terra, mariq; ei præbituros. Polonorum uerò nuncij aduenientes, ut paternum regnum reuideret, precati sunt, quoniam eo absente, Tartari Poloniam uastassent, & Slesitæ furtis ac spolijs eam attriuissent, & adiunxerunt, ut una expeditione contra Turcas contentus, alteram non obiret. Superuenerunt & Amuratis Turcarum Imperatoris legati, rege Vuladislao cum Iuliano Cardinali, & nobilibus Hungariæ, in Segedino agente, pacem temporalem aut perpetuam cum eo & regno Hungariæ firmare postulantes, & conditiones adiungentes. Vt omnibus castris in Rascia conquisitis, uidelicet Golubiecz Zarnouu, Smiderouu, Crussouiecz, Kouin, Seuerin, Srebrnik, Ostruuicza, Nouobardo, Szurin, Kosznik, Koperhã Procopia, Lascouiecz, Zelenigrod, & toti Rasciç, atq; parti Albaniæ, quas Despota tenebat. Turca perpetuò cedat Bassa Nathuliæ, duoq; filij Despotæ ex captiuitate soluãtur. Bulgaria tota sub Turca permanẽte. Hæc legati Turcarũ. Qua legatione in consiliũ reiecta, pax in decennium sub conditionibus appositis composita est, & iuramentum parte ab utraq; præstitum est, quod utinam nunquã depositũ fuisset. Superuenientibus autẽ literis à Francisco tituli Sancti Clementis Cardinali, classis apostolicæ Capitaneo. Item à præfectis galearum ducis Burgundiæ, Venetorum Ianuensium, forti exercitu strictũ mare, ne Turci ex Nathulia in Romaniã traijcerent, sufficienter prouidisse: Imperatoreq; Cõstãtinopolitano Ioanne Palçologo maximã spem uictoriæ promittente, eo Iuliano Cardinali autoritate apostolica iuramentum cassante atq; dissoluente.

Auxilium Catholicorum Principum.

Turca pacem postulat.

Legatio alia Conditionalis adiuncta.

Rex Vuladislaus cum nouo exercitu circa uigesimam Septẽbris, anni Christi 1444. à Segetino castris motis, iam tunc castra Smiderouu, Golubiecz, & alias omnes in Rascia munitiones, Despotæq; geminos filios Turcis conditionibus fœderum satisfacientibus, restituentibus, imò restitutis, non per Rasciã, ut prius, sed per regnũ Bulgariç iuxta flumen Danubij transijt, obmissis ad latus dextrum uersus meridiẽ urbibus Philopoli & Andrõnopoli, donec quatuor de triginta diebus ad urbem Nicopolim peruenit. Humilis siquidem est ciuitas Nicopolis, & cuius præsentia famam diminuit, licet sit Metropolis in Bulgaria, ubi rege statiua tenente Palatinus transalpinæ Valachiæ, qui & Dracula dicitur ad eum uenit. Et adorato rege, atq; paucitate exercitus ipsius conspecta, regi persuasisse fertur, ut in Hungariam obmisso cœptæ expeditionis itinere rediret. Debilem nimis & partum numero ac robore, regium exercitum asserens (qui uix quindecim millia equitũ continebat, currus uerò onusti uictualibus, auro, & suppellectilibus, ultra quam bis mille aderant) quum Cæsar Turcarum maioribus potentijs uenationes ferarum exercere consuesset. Sed superioris anni fortuna & maritimæ classis adiutoria Hungaros animabant. Interea Iulianus Cardinalis legatus, qui ipso in bello regi semper astitit, literas à Francisco Cardinali Venetiarum, maritimæ classis apostolicæ Capitaneo, transitum Turcarum in magna multitudine, ex Asia in Europam, custodia nequicquam prohibente, transfretasse,

Rex Vuladislaus in Turcam agit expeditionem.

Nicopolis Bulgariæ Metropolis.

Dracula precibus annexis dissuadet.

Potentia Turcæ.

nunciantes accepit, & quod classis maritima apostolica prohibere nequiuerit, quin Turcę furtim noctu in paruis cimbis, per inferiorē partem Phari Galiopolis traiecissent. Hęc tamē denunciatio neq; regē terruit, neq; animū suum à futuro periculo auertit, & descensū cum exercitu à castello Petrzecz iam exusto faciens, & ab ipsa Nicopoli usq; ad mare Galatum, qua Messembriam itur, intra mōtes penes lacum qui apud castellum Petrzecz coepit originem transiuit, donec Varnam peruenit. Varnen. Galaten. & Szunien. metuentes, sese in regis potestatem feria secunda, nona die Nouembris, dederunt. Eadem autem nocte qua Varnam & alia castella rex muniuit, conspecta sunt castra Turcarum, quorum ignibus cœlum quoque corruscabat. Mane autem facto feria tertia in uigilia sancti Martini, una duntaxat hora post ortum Solis, Turcas aduentare, & pariter adesse, totus ecce conclamat exercitus. Capiunt arma milites, bellorumq; auidi, cœlum & mare uocibus opplent, & tentorijs leuatis acies instruunt. Sed statim uexillis auro micantibus extensis, impetuosus turbo consurgens, ea scidit, & dilaniauit, ut altum per aërem uolarent: Turci uerò magno ordine, magnisq; copijs, dextrum cornu aggressi sunt, cui Varadien. Episcopus præfectus erat. Ibi primū pugna initium cœpit, Hungari primarum acierum, & quatuor uexillorum, Varadien. Episcopi Iuliani Legati, Franconis Bani, & præsulis Agrien. primum impetum Turcarum non sustinentes, statim uersùs Galatam, & montes uersùs Romaniam fugierunt, quos Turcę ferientes insequuti sunt. Valachi pari exemplo hinc inde dispersi. Restitit autem ex quatuor uexillis, uexillum sancti Ladislai. Ad quod defendendum Iulianus legatus, & Franco Banus uix cum equitibus ducentis accurrerunt: Rex uerò Vladislaus ubi Hungaros à dextro cornu terga uertentes uidit, ubi plus aduertebat interponi discriminis, uelut alter Cęsar inuasit, & omnes quotquot offendit, aut morte afflixit, aut in errorem, fugamq; conuertit. Regis exemplum Palatinus Ioannes Capitaneus exercitus sequutus est, magnoq; in Turcas animo irruens, quatuor millibus passuum Rex cum Palatino Turcas persequebatur.

Tartarorū, & Hungarorum conflictus.
Hungarorum fuga.
Vladislai animositas.
Turcæ cæsi, et fugati.

CAPVT LVI. LIB. IIII.

Reuersus postea Rex, postquam uexillum sancti Ladislai acriter expugnari uidit, pro liberatione accurrit. Cuius præsentia Turcę terrore consternati, partim cæsi, partim in fugam conuersi sunt tria millia Turcarum in illo duntaxat loco corruisse uisa sunt. Exigua tamen strages in Turcis apparuit, propter nimiam eorum multitudinem, dum recentes, & nouæ acies uictis, & prostratis succederent. Inuasit præterea Rex, & quasdam copias Tartarorum electissimorum prostrauit. Fluxerat & consumpta iam fuit maxima pars diei, & campus cadaueribus scatens utrique hosti terrori fuit. Itaq; cuncto Turcarum equitatu nutante, & ad fugam spectante, sola Cæsaris Amuratis castra innumerabilibus peditum Ianczaronum agminibus munita, suo in loco cū timore stabant. Rex ergo Vladislaus cū agmine pro custodia sui capitis deputato, in pedestres Ianczaros appellatos diuertit, nec sine damno ingenti, ac lesione suorū militum, & equorū. Nam Ianczarones in uno loco firmati, & longis scutis, ne læderentur, in terrā defixis, protecti. Adeò frequentes emittebant sagittas, ut aër quasi grandine è cœlo cadente oppleretur: dumq; terribilis esset, tum multitudine, tum sagittarum misione: pedestrium Ianczaronū acies, omnibus dissimulātibus, regio mandato, Polonorū milites in illam irruerunt. Deinde rex ipse, desertor suorū militum esse nolens, pugnæ mediæ se ingessit, & magnam stragem in pedestri illo exercitu egit. Adeò ut Ianczarones ipsi nutabundi, & deliberabundi presso gradu sisterent, sed multitudine Ioannes de Huniad territus, è prælio per fugam se subduxit, & Regi Vladislao, frequentibus nuncijs, ut pugna & acie obmissa secum una, & locorum peritis, fuga se saluaret, intimauit. Rex uerò animo feroci respondens, sibi & sanguini suo fugam competere negauit, nec honestatis esse regiæ, & uincere uelle, & fugere. Rex itaque, quem Poloni sui fortissimi nunquam deseruerunt, usque ad crepusculum noctis cum hostibus dimicauit. Nocte autem superueniente, utraque pars uictā se credens, abijt. Hungari autē tanto terrore perculsi fuerunt, ut quæcunq; opaca & inuia loca, per arbores, per saxa, per densissima nemora, uelut in apertos, & planos campos, tenebrosa nocte cōcurrerunt. Plerique de exercitu regio nocte tota, atq; die sequenti pacificè steterunt, assiduè reditum Regis, & totius exercitus expectantes, & in eadem æstimatione ipsi quoque Turcę uersabantur. Ausi enim non fuerunt sequenti die, uel (ut ferunt alij) tertia die, usque iam uesperè regios currus inuadere, metuentes, ne Christiani milites ad currus reuersi fuissent. Iulianus Cardinalis (ut Hungari referunt) inter castra, & currus, cum alijs religiosis occisus est. Nostri uerò Poloni eum cum Ioanne de Huniad fugisse, atque à consortio ipsius Ioannis distractum, dum in tanta societate ad

Copiæ Tartarorum uictæ.
Vladislai in Ianczaros irruptio.
Ianczaronum resistentia.
Polonorū milites decertant.
Ioannis de Hunia i fuga.
Constantia Polonorum.
Hungarorum fuga.
Super morte Iuliani Cardinalis opinio.

tate ad Danubium peruenisset, à quodam Valacho, qui in parua cimba unum duntaxat ipsum traijciebat, cognito auro, quod gestabat, & cuius pondere cimba demonstrabat molem, occisum esse, & corpus exanime, singulis uestimentis, & auro spoliatum, in Danubium proiectum fore affirmant. In hac pugna octuaginta millia hominum cæsa sunt, de qua Hungari pro maiori parte salui reuersi sunt: Polonorum uerò præter duos nullus euasit. Saluati enim sunt per fugam, Ioannes Rzeszouuski de domo Polukoza, expost Episcopus Cracouien. qui pugnæ propter uulnerationem interesse non ualens, in curru regio decumbebat. Et Gregorius de Szanok, in Archiepiscopum Leopoliens. promotus, de domo Streparū. Rex uerò Vuladislaus, postquā bellum nocte direptum est, nusquā apparuit, nec est repertus, qui eum aut capi, aut interimi uiderit: sed omnibus testantibus uno ore, magnam stragem propria manu in Turcis commisit. Fuit autem Vuladislaus Regum optimus, homo condecentis proceritatis, fusca facie, nigris crinibus, in armis strenuus, in suos beneuolus, morum honestate præclarissimus, mente & animo compositus. Perijt anno regni Poloniæ decimo, regni autem Hungariæ quarto, ætatis suæ uigesimo primo, anno uerò Domini 1444.

Vuladislai interitus.

Anno Domini 1435 dux Suuitrigal consilijs Sigismundi Imperatoris Romanorum animatus, cum Prutenis, Ruthenis, Liuonicis, Tartaris, & duce Sigismundo Koributh ex Bohemia regresso, Sigismundum magnum ducem Lithuaniæ inuasit, sed per Lithuanos, & præsidia Polonorum, in tutelam ei per Polonos cum ductore exercituum Iacobo Kobilienski missorū contritus est, captusq; fuit in eo conflictu dux Sigismundus Koributh, & quidam Sigismundus Roth, regni Poloniæ magnus persequutor atq; hostis. Et ambo aquis suffocati sunt.

Sigismundus dux Lithuaniæ inuasus.

Anno Domini 1436 in festo Pentecostes, Georgius Stosz cum nonnullis nobilibus Slesiæ, oppidum Klobuczko, & uillas circumuicinas spoliauit. Dumq; regrederetur per Laurentium Zaramba Capitaneum, & omnes nobiles Vielunen. persequutus, derelictis omnibus spolijs, fuga se, & suos saluauit: & oppidanis in Klobuczko spolia sunt restituta.

Anno Domini 1437 Dux Suuitrigal, postquam omnia perdidisset, serò se recolligens, Cracouiam tredecima Augusti personaliter ueniens, Regi, & consiliarijs, se in gratiam, & protectionem recipi supplicauit. Sed duce magno Lithuaniæ Sigismundo instante, cum lachrymis Suuitrigal tanquam hostis reiectus est.

Dux Suuitrigal gratiam petit.

Anno Domini 1438 Derslaus de Rithuuiani cum pluribus equestribus, & pedestribus uersus Hungariam iuit, sed eorum castrorum, quæ in Hungaria occupare destinauerat, spe frustratus, ad oppidum Zathor feria tertia Carnispriuij applicuit, & prædictum oppidum scalis appositis nocte, oppidanis nihil tale suspicantibus compræhendit. Et exinde uniuersum ducatum Oßuanzimiensem ad homagia compulit. Verùm dum circa medium Quadragesimæ gentes suæ ex Tost, præda onustæ in terra Szeuueriensi, circa uillam Voykouicze inebriatæ prosternerentur. Derslaus hoc casu debilitatus est, oppidum Zathor potestati Regis tradidit, milleq; marcas à Rege pro expeditione gentium primùm recepit. Et oppidum quidem Rex aliquanto tempore per suos præfectos tenuit: tandem tamen illud duci Vuenceslao Oßuancimien. sub hac conditione, ut castrum Beruald, proprietatis regiæ, & Dux ipse perpetuus regni Poloniæ feudalis, deinceps Vasallus fieret, restituit.

Zathor oppidum compræhensum.

Eodem anno Cæsar Tartarorum Szadchmat, terras Podoliæ cum magno exercitu circa festum Pentecostes ingressus, Polonos accurrentes, & iniquitatem loci non suspicantes, in ipso congressu limosis, & paludinosis locis sic constrictos occidit: & multa millia nobilium, Baronum, & militum occisa sunt. Ab eoq; tempore Tartari, facilitate uictoriæ crebris inuasionibus terras Russiæ lacessere cœperunt.

Cæsar Tartarorum Podoliam ingressus

Item eodem anno Cæsar Turcarum regnum Hungariæ, præsertim Transsyluaniam uastauit.

Anno præfato 1438 in regno Poloniæ, & partibus uicinis, magna charistia frugum erat: una enim mensura siliginis uno floreno pendebatur, quia Veris, & æstatis tempore, ualidæ descendentes pluuiæ, ubertatem frugum extinxerunt. Nec minor pro eodem tempore prædictum regnum incommoditas, falsificatio uidelicet monetæ præmebat.

Annonæ charitas.

Spithko de Melstein praedatur.

ANno Domini 1439. Spithko de Melstein, collecto ex amicis & forensibus precio conductus equestribus, de subditis uerò omnium uillarum suarum pedestri exercitu, curribusq; more bellico ordinatis, ad conuentionem in nouam ciuitatem uenit, & hospitium Vuladislai Episcopi Vuladislauień. & Nicolai Lassoczki Decani Cracouień. Ioannis de Konyeczpole Cancellarij, & Ioannis Glouuacz de Olesznicza Marsalci praedatus est, oppidumq; illico exiens. Rex autem maturando sibi pugnam contra egressus, castra eius disiecit, & ipso in multos impetum faciente, pluribus lanceis & sagittis balistarum transfossus, equo prolapsus, expirauit.

Occisio eius.

Cometes.

Eodem anno Cometes inter Occidentem & Meridiem apparuit, caudā ad Meridiem dirigens. Et sub eo tempore Eugenius Papa quartus, cum Concilio Basilień. de praeeminentia dissidebant, reuocatoq; concilio, Eugenius Papa in ciuitatem Florentinam, unionem ecclesiae Orientalis cum Occidentali tractauit, in quo aderant Patriarcha & Imperator Constantinopolitanus, & Praelati maiores Graeciae, classibus & expensis Eugenij Papae adducti. Sed qui in concilio Basilień. permanserant, Eugenium Papam excommunicando, deposuerunt, & Amadeum ducem Sabaudiae loco eius Papam creauerunt, Felicem quintum appellatum. Inter creandum autem Cardinales, uterq; Pontifex Eugenius & Felix Sbigneum Episcopū Cracouień. Cardinalem creauit. Inter alios uerò Eugenius Papa, binos Cardinales Graecos creauit, Vissarionem Episcopum Nicenum, & Isidorum Metropolitanum Kiouień. de Russia.

Amadeus dux Sabaudiae Papa creatus.

Iwan Czartorzieczki Lithuaniae ducis occisor.

Anno Domini 1440. dux Iuuan Czartorzieczki Ruthenus de ritu Graeco, facta conspiratione cum quibusdam Ruthenis & Lithuanis, Sigismundum magnum ducem Lithuaniae, Dominica Ramispalmarum in castro Troki diuina audientem, multis uulneribus affectum, interfecit. Putabat (ut referunt) praefatus dux Sigismundus ursam domesticam & mansuefactam, ostium habitaculi pede agitare. Cui aperiēdo, Rutheni qui ostium nouerant, super ipsum irruerunt & occiderunt, ac extra castrum corpus eius in uehiculo sine ductore emiserunt, & castrum cum thesauris occupauerunt. Barones uerò Lithuaniae corpus ducis in ecclesia Vilneń. in uno sepulchro cum duce Vitouudo sepelierunt. De hoc carmen lugubre usq; in aetatem meam Lithuani concinnebant. Audaces Principes Russiae occiderunt Sigismundum ducem Lithuaniae &c.

Sigismundi inopima mors.

Intensio brumae charistiae, ac pestis in Polonia.

Eodem anno in regno Poloniae & partibus circumuicinis, erat hyems ualida, mortalitas quadrupedum & caristia magna, nobiles & rustici de stabulis antiqua stramina detrahebant, & utcunq; poterant, esuriem, boatum, & clamorem gregum atq; pecudum mitigabant. Nonnulli homines ex herbis, folijs, radicibus, & ex uisco, panem facientes, uorabant, qui postea aestate adueniente, peste infecti moriebantur, quoniam malae frutices, herbae, & tristia legumina pestem, praecipuè post famem & charistiam, adducūt. Prout Galienus in principio de Euchimia & Cachochimia docet.

Anno quo supra, Isidorus natione Graecus, Archiepisc. Kiouień. Cardinalis nouiter creatus, & Eugenij Papae legatus in Russiam missus, uir maturus & prudens, ferens secum bullas Apostolicas plumbeas, & Imperatoris Constantinopolitani aureas, intrauit in Sandecz feria sexta Parasceue, ubi per Sbigneum Episcopum Cracouiensem hospitio fuit receptus, & ad celebrandum diuina more suo Graeco, tanquàm Romanae ecclesiae reunitus, admissus, unio tamen illa ecclesiae Latinae & Graecae breuiuscule durauit. Graecis & Ruthenis illam irridentibus & contemnentibus, unde dum praefatus Isidorus ad suos suffraganeos in Russiam & Mosquam uenisset, & illam unionē eis praedicaret, per principes Mosquae captus, in carcere reclusus, & omnibus thesauris, quos iam notabiles conquisierat, spoliatus fuit. Expost tamen de huiusmodi captiuitate, fauente Deo, per fugam saluatus erat. Anno praefato Alberto rege Hungariae & Bohemiae mortuo, Bohemi Albertum ducem Bauariae regem Bohemiae declarauerunt. Albertus Bauariae dux, insigni modestia usus, & à Friderico Romanorum rege admonitus, oblatum regnum spreuit. Bohemi à Bauaro repulsi, ad Fridericum Romanorum regem miserunt, petentes ut tutorio nomine Ladislai regnum susciperet, qui oblationem eorum perosus, eam reiecit. Gubernatores ergo eligere placuit, Ptaczko & Meinhardus designati. Meinhardus Catholicorum tutor, Ptaczko haeresis peste infectus, haereticorum fotor erat. Ptaczkone autem ui morbi absumpto, Meinhardi potestas sensim creuit. Id dum aegrè Hussitarum pars ferret, ad Georgium de Posdzebrad se contulit, eumq; sibi ducem elegit, is Pragam inuadens, passim trucidauit resistentes. Meinhardus in eo tumultu captus, molestia carceris, siue ut alij astruebant, toxico, diem obijt. Ex illo itaq; tempore, non Praga solùm, uerum & uniuersa Bohemia Georgio paruit.

Isidori Archiepiscopi captiuitas.

Albertus dux Bauariae regnum Bohemiae spreuit.

Meinhardus et Ptaczko gubernatores eliguntur.

Georgius Hussitarū praeses.

Meinhardi interitus.

Anno Domini 1442. Barones maioris Poloniae furtis & spolijs, per Silesiae latrunculos

los lacessiti, exercitualiter Slesiam ingressi. Duobus fortalicijs Gorzouu & Czeczerzin, ex quibus regno damna inferebantur, expugnatis & demolitis plurimis damnis Slesię illatis, in sua remearunt. Quidam tamen Zaiecz de Austria Capitaneus Vuratislauiensis, Elizabeth reginæ per terram Vieluneñ. prædas agebat, nec quispiam eius conatus rescindebat. Tartari insuper eo anno terras Podoliæ & Russiæ usque ad Leopolim uastabant, & homines utriusque sexus abducebant. Solo Vindica nobili administratore in Glinyani eis resistente, à multitudine Tartarorum superueniente, uicto & interfecto. Anno Dñi 1443. quinta mensis Iunij, motus terræ generalis in regnis Poloniæ, Hungariæ & Bohemiæ, partibusq; uicinis adeò ualidus erat, ut turres, ædificiaq; domorum corruerent. Maior tamen motus in Hungaria fuit, ubi & plura castra euersa sunt. In Kazimiria illo motu testudo monasterij Sanctæ Catharinæ decidit, quæ usque anno Domini 1505. denuò reædificata & locata est.

Barones Poloniæ Slesiæ uastatores.

Vindica nobilis in Tartaros restitit.

Motus terræ insignis.

Anno Domini 1444. Sbigneus Cardinalis & Episcopus Cracouieñ ecclesiæ Cracouien. possessiones augere, & terminos regni Poloniæ dilatare cupiens, terram Szeuierienem à Venceslao duce Tessneñ. pro sex millibus marcarum latorum grossorum emit. Eodem anno Boleslaus dux Oppolieñ. hæresi Hussitarum infectus, negociatores Cracouieñ. merces ad nundinas Vuratislauieñ. pro festo Ioannis Baptistæ uehentes, æstimationis ad minus ducentorum millium aureorum, in oppido Cruczbork quiescentes spoliauit, captiuauit, ac impunè consumpsit.

Testudo ecclesiæ S. Catharinæ ex eadem ruinam passa.

Cracouien. per ducem Oppolien. spoliati.

Anno quo supra 1444. Lithuani cum duce suo Kazimiro contra Boleslaum ducem Mazouiæ pro terra Drohicieñ. recuperanda, arma sumpserunt, sed pax inter partes conclusa fuit, ut Boleslaus Mazouiæ dux receptis à Kazimiro duce Lithuaniæ sex millibus sexagenarum latorum grossorum Pragensi, tàm iure quàm possessione terræ Drohicieñ. restitutus literis cæderet. Districtumq; Vingrouu suo ducatui appropriatum perpetuò retineret.

Altercatio pro terra Drohicensi.

CAPVT LVIII. LIB. IIII.

ETsi rumor & fama de casu regis Vuladislai, circa lacum Varnensem in Poloniam peruenisset, tamen fides non adhibebatur, donec aliqui Poloni & equidem exigui, fuga saluati, rem gestam, redeuntes plenè publicarunt, tunc & credulitas, & ingens mœror regnicolis accessit. Alterum attamen regem non elegerunt, quoad Hungari Ladislaum, Alberti regis posthumum, in regem Hungariæ coronarunt, tunc quoque & Poloni facta conuentione; anno Domini 1445. una pro die Sancti Adalberti in Siradia. Altera pro festo Sancti Bartholomæi in Piotrkouu, Kazimirum magnum ducem Lithuaniæ, in regem Poloniæ elegerunt, & legationem electionis ei miserunt, qui suspitione fraternæ uitæ, persuasioneq; Lithuanorum dissimulabat, & electionem non acceptauit.

Kazimiri ducis Lithuaniæ in regem Poloniæ electio.

Anno itaque Domini 1446. facta conuentione pro Dominica Lętare in Piotrkouu, Poloni in regem Poloniæ Boleslaum ducem Mazouiæ elegerunt, non tamen postularunt. Quo audito Kazimirus dux, & domini Lithuani anxij parti suæ timere cœperunt. Instaurato igitur conuentu pro festo Michaelis in Parczkouu Kazimirus electioni consensit, diemque coronationis festum Sancti Ioannis Baptistæ anni sequentis constituit & intimauit.

Electionem assumpsit.

Et pro die coronationis assignato, anno Domini 1447. feria sexta post octauas Corporis Christi Kazimirus Cracouiam post meridiem, magna cum solennitate intrauit, omnes processiones urbis & uniuersitas obuiam illi exiuerant. Ad ecclesiamq; maiorem perueniens, adoratis reliquijs Sanctorum, quinquaginta aureos prò offertorio posuit, & in aulam se recepit. Sequenti autem die, uidelicet festo Sancti Ioannis Baptistæ, Cracouiam dux Boleslaus, & dux Vuladislaus Mazouiæ intrauerunt, uterque in sua comitiua seorsum mille equos habuit. In crastino uerò Sanctæ Ioannis Baptistæ die Dominico, præfatus dux Kazimirus in regem Poloniæ per Vincentium Archiepiscopum Gneznen. astantibus ei Episcopis Poloniæ, inunctus & coronatus est, & obtulit centum aureos. Aderat huic coronationi Sophia regina Poloniæ mater ipsius, Boleslaus & Vuladislaus Mazouiæ, Vuladislaus & Boleslaus Tessneñ. Venceslaus Rathiborieñ. & Venceslaus Osuuancimieñ. duces. Item dux Boleslaus Suuitrigal cum aliquot principibus Russiæ, scilicet Georgio Szemienouicz, Vasilone Ololkouicz, & Vasilone Crasni. Item duo fratres Cruciferi de Prussia, Henricus de Plauuen, de Elbing, & Lodouicus de Neuue, Commendatores, per Magistrum Conradum de Erlichshausen missi. Item plures Barones, Lithuaniæ, Bohemiæ, Morauiæ & Slesiæ aderant.

Aduentus eius in Cracouiam.

Coronatio.

Hospites.

Anno sequenti puta 1448. post Corporis Christi in conuentione Lublineñ. Prælati, Principesq;

Instantia petitionis Lithuanicae Prelatum. Principes, & Boyarij Lithuaniç, à Prælatis & dignitarijs Poloniæ optabant, ut inscriptiones, fœdera, & uniones terrarum Lithuaniæ, Rußiæ & Samogithiæ, cum regno Poloniæ tollerentur, rogabant deinde & requirebant, ut eis terra Podoliæ, item castrum Oleszko, & districtus Viethli, Lopacin, & Hrodlo redderetur. Super quo Proceres Poloniç responderunt: *Responsum Procerũ Poloniæ legitimum.* Non licere eis inscriptiones prædictas corrigere, uel ab eis aliquicpiam detrahere, quoniam caßè ac uanè uiciarentur & redderentur. Ita etenim Vuladislaus Iagello quatuor suscepit conditiones, & confirmauit. Primam ut fidem Catholicam cum omni gente sua acceptaret. Alteram ut omnes terras suæ ditionis regno Poloniæ appropriaret, & perpetuò incorporaret. Tertiam ut omnes thesauros suos in regnum Poloniæ induceret. Quartam ut singulos captiuos Catholicos à captiuitate solueret. Is tandem uobis fonte baptismatis renatis, arma nobilitatis quæ Poloni deferunt uobis dediț, uos regno Poloniæ inuiscerando ac glutinando. Sed & multas inscriptiones diuersis temporibus habitas, duce magno Vitouudo, totoq; ducatu Lithuaniæ laudante, consentiente & approbante, dictauit, appropriauit & rectificauit. *Inscriptiones pro terris Lithuaniæ & Podoliæ corroborantur.* Præterea terra Podoliæ, nunquàm de proprietate ducatus Lithuaniæ fuit. Constat enim Kazimirum secundum regem Poloniæ, eàm sub Tartaris conquisiße, & pacificè tenuiße. Castraq; multa, uidelicet Camyeniecz, Chaczen, Chzeczim, Bakotha, Braczlouu, Miedziborze, & alia muro aut lignis construxiße. Post Kazimirum quoque Lodouicus rex Poloniæ præfatam terram tenuit. Quo sublato, Vuladislaus Iagello in eius poßeßionem, ut rex Poloniæ succeßit, & illam iure suo regali Spithkoni de Melstein propter seruitia eius infeudauit. Deinde eandem deliberando, Vitouudo primum, tandem Suuitrigal fratri suo ad tempora uitæ suæ contulit. De quo Poloni certißima munimenta & testimonia seruant. Liberalitas ergo regis Vuladislai temporali conceßione, non uos in usurpationem prædictæ terræ trahat, & non solum terræ Podoliç, sed & prædictorum districtuum, Oleszko, Lopacino, Viethli, & Hrodlo, quos Sigismundus magnus dux Lithuaniæ, per suas literas patentes, publicè non eße iuris aut proprietatis ducatus Lithuaniæ, sed regni Poloniæ recognoscit. His auditis Boyarij Lithuaniæ conticuerunt. *Taciturnitas Boyarorum.* Veniente deinceps rege Kazimiro in Voinicz, nuncius aduenit, referens Palatinum Moldauiæ, Romanum filium Heliæ Palatini, à quibusdam suis Baronibus toxico propinato, feria tertia in die Visitationis Mariæ diem obijße, quare rex celerius in terras Rußiæ procedens. *Romanus Palatinus Moldauiæ mortuus.* In Camyenyecz feria sexta in uigilia Sancti Laurentij uenit. Et Petrum Palatinum Moldauiæ super homagio requisiuit, eoque ad regem Kazimirum aduenire non audente, & à Ioanne de Huniad gubernatore Hungariæ suffragia contra Kazimirum habente, rex ad ipsum cum plenitudine potestatis, Ioannem Castellanum Cracouieñ. Petrum Odrouansz Palatinum Leopolieñ. Ioannem de Konieczpole regni Poloniæ Cancellarium, & Ioannem de Pilcza misit, qui iuramentum fidelitatis ab eo, & omnibus suis nomine regis & regni Poloniæ cœperant, & nouas inscriptiones, ac fœdera firmauerunt. *Kazimiri restitutus in Ioannem de Hu... 1441.* Et postea postulante Alexandro Moldauiæ Palatino, rex Kazimirus contra Bogdanum, qui se filium naturalem Alexandri olim Palatini Moldauiæ aßerebat, exercitum ex terris Rußiæ & Podoliæ misit, cuius curam & gubernationem Ioanni Oleszki de Senno commisit, qui Bogdanum ex Moldauia fugauit, & eiecit, & Ilichnoni, aliàs Alexandro, castra consignauit. Eo autem cum exercitu recedente, præfatus Bogdan qui in montanis latitauit, Ilichnonem cum matre sua in Podoliam expulit. Contra quem iterum rex Kazimirus exercitum misit, & pace inter partes confecta, recedebat. Cui Bugdan die Dominico ante festum Natiuitatis Mariæ, sexta die Septembris prælium intulit, quod à mane usq; ad occasum solis durauit. *Strages partis utriusq;.* Et quamuis regio exercitu uictoria prouenerat, tamen ingens multitudo nobilium militum occisa iacuit, unde plus mœror, quàm lętitia obtigerat. De numero autem occisorum, Petrus Odrouansz Palatinus Leopolieñ. in clara tumba, Nicolaus Porauua & Michaël Buczaczki in Leopoli cum ingenti mœrore sepulti sunt. Ioannes quoque Odrouansz Archiepiscopus Leopolieñ. audita germani sui Petri Palatini morte, graui dolore oppreßus extinctus est, & in ecclesia Leopolieñ. post duos menses, obtenta à sede Apostolica absolutione, quoniam in sententijs auctoritate Apostolica latis obierat, tumulatus est.

CAPVT LIX. LIB. IIII.

Szadachmath Tartarorum Imp. Podoliæ, Rußiæ inuasor. Accesit & alius mœror. Imperator Tartarorum Szadachmath intelligens nobiles Rußiæ & Podoliæ bello Valachico occupatos, ex improuiso terras præfatas inuasit, & usq; ad Grodek & ad terminos terræ Belzeñ. grassatus. Homines utriusque sexus cum armentis & pecudibus in magna multitudine abduxit, & addita fuerat regnicolis afflictio & tribulatio.

Bogdan truncatur. Item anno sequenti, scilicet 1451. prefatum Bogdanum ebrium repertũ, Petrus qui se Palatinum

Palatinum Moldauiæ asserebat, custodiam ipsius fallens, capite truncauit, & Alexandro, cum quo fœdus inierat, hostem se professus est.

Anno Domini 1452, circa festum Ioannis Baptistæ Tartari Podoliam ingressi, multa damna intulerunt, urendo & occidendo, castellumq; Rouu conquisierunt, & in eo Stogneum Rey, de domo Oxa, cum ipsius uxore captiuauerunt. Circa Bartholomæi uero Tartari cum Szadachmat imperatore eorum Russiam ingressi, usq; ad Leopolim grassati sunt, & aliquotiens se cum prædis de terra exire finxerunt. Et subitò redeuntes, aliquos incautos occuparunt. Quumq; ad terras suas reuerterentur, quidam Barones Lithuaniæ, de quibus dicuntur fuisse Gastouldus & Moninuid nuncium Raduuilonem Hostikouicz ad imperatorem Tartarorum Szadachmat cum uarijs muneribus miserunt, qui gratias pro uastatione terrarum Russiæ ageret, & ut maiores oppressiones regno Poloniæ affatim inferret, rogitaret. Sed quum Raduuil ad imperatorem Szadachmat in campestribus accederet, illico Eczigeri imperator Tartarorum Przecopeñ. contra Szadachmat irruit, & acerrimè ac diu pugnando eum contriuit & uicit, ut omnis exercitus illius ad Eczigeri transiret. Szadachmat autem fuga saluatus, in Lithuaniam perfugit, & à rege Kazimiro illic præsente, susceptus & necessarijs prouisus est. Verum quum suspectus esset, & etiam ut Eczigeri in fide contineretur, mandato regis & dominorum Lithuaniæ captiuatus, cum omnibus suis in Kouuno relegatus est, ubi in misera senecta, & perpetua captiuitate uitam finiuit, & pœnas attritionis Russiæ uelut & Bogdan Moldauieñ. damnabili morte soluit. Sed nihil ultionis, molestiæúe passi sunt inuasores & prædatores, terram Vieluneñ. spoliantes & exurentes. Nec ultum est in Boleslao duce Oppolieñ. qui plures stipendiarios Bohemos conducens, terram Szicuierieñ. & Vieluneñ. spoliabat rege Kazimiro in Lithuania immorante, & Poloniam non protegente.

Stogneus Rey captus.

Radwilo Hostkouicz nuncius.

Anno autem Domini 1453. Kazimirus Poloniæ, & Ladislaus Hungariæ reges, per suos oratores matrimonium inter præfatum serenissimum dominum Kazimirum, & illustrissimam Elizabeth filiam Alberti olim Hungariæ, Bohemiæ & Romanorum regis, in ciuitate Vuratislauieñ. sanxerunt, & literis firmauerunt. Super quo Ioannes de Capistrano in prætorio Vuratislauieñ. feria secunda post Assumptionis Mariæ disertam fecit orationem, cuius thema erat: Hæc dies quam Dominus fecit exultemus, & lætemur in ea. Is Ioannes de Capistrano, ferè quadraginta annis Verbum Dei in Italia prædicando sparserat, & de licentia Nicolai Papæ quinti, de Italia egressus, anno Christi 1451. in æstate ad Olmuncz peruenit, & in monasterio minorum stetit. Positaq; Cathedra in circulo Olomunceñ. quotidie diligentissimè Verbum Dei per duos interpretes prædicauit, unum Bohemum, alterum Alemannum, rationibus ut sæpè confutans, non esse de necessitate salutis, ut populus laicalis sub utraque specie communicaret, & sermones suos prodigijs ac stupendis curationibus infirmorum confirmabat. Hunc Sbigneus Cardinalis & Episcopus Cracouieñ. tandem & rex Kazimirus per literas rogauerunt, ut si à Bohemis contemneretur, ad Poloniam uenire non dedignaretur. Qui per Vuratislauiam transiens, cum legatis sponsam, ut est præmissum, regi Kazimiro ordinantibus, in Poloniam progressus, Cracouiam die Martis in festo Sancti Augustini applicuit & intrauit. Cui in obuium tota ciuitate effusa, ab omnibus ordinibus itum est, rex quoque Kazimirus cum Sophia regina, Sbigneus Cardinalis & Episcopus Cracouieñ. cum multitudine cleri & militiæ, in campum ante Cleparz exeuntes, ipsum exceperunt, & cum magno honore ciuitatem introducentes, in domo Georgij Suuarcz seu nigri in circulo hospitauerunt & locauerunt, qui posito throno iuxta ecclesiam Sancti Adalberti, quotidie lecta missa, uerbum Dei in Latino duabus horis prædicauit. Alijs quoque duabus horis ipsa prædicatio in uulgari per aliquem sacerdotem Polonum resumebatur, populo audiente, & sine tædio præstolante. Vbi uerò frigora & niues aduenerunt, locato throno in ecclesia Beatæ Mariæ uirginis in circulo prope sacrarium, singulis diebus prædicationes continuauit. Mansit autem in urbe Cracouieñ. à die Sancti Augustini, usq; ad quartamdecimam diem Maij, sub quo tempore magnam multitudinem infirmorum, cæcorum, claudorum, & alijs languoribus oppressorum, in spectante populo curauit. Sub eo centum personæ & amplius sacram religionem Sancti Francisci de obseruantia absumpserunt. Quibus Sbigneus Cardinalis & Episcopus Cracouieñ. monasterium pro conuentu & obseruantia, in Stradomia in area germani sui Ioannis de Oleznicza Palatini Sandomiriensi crexit. Constructaque ecclesia lignea, illam in die Natiuitatis Mariæ, in honorem Sancti Bernardini (omnibus processionibus totius urbis ipsum Cardinalem & fratres ducentibus) consecrauit. Et post biennium sumptibus eiusdem Cardinalis, coctili muro ecclesia ædificata & adornata est. Habitationes monasterij fratres ex eleemosynis contribuentium & proprijs laboribus construxerunt, & in hanc diem construunt, amplificant & decorant.

Affinitas Kazimiri Poloniæ & Ladislai Hungariæ regum iuncta.

Ioannes Capistranus diuini uerbi interpres celeberrimus.

Capistrani in Cracouiam aduentus.

Pia opera eius.

Erectio monasterij in Stradomia.

Et quia illustrissima uirgo Elizabeth ex composito & pactis in Vuratislauia cōdictis, pro die Purificationis Mariæ in Tessin constitui & adduci debuit.

Rex Kazimirus pro tali die Purificationis Mariæ, anno Domini 1454. ad excipiendum nouam sponsam duo millia equestrium transmisit, quos uirgo Elizabeth cum Baronibus Australibus noningentorum equorum numero, una hora ingressu suo in Tessin præcessit. Exinde per Pisczinam, Osuuanczim, in Skauinam uenit, ubi quum tribus diebus stetisset, domini Australes æstimantes uirginem Elizabeth à rege Kazimiro spretum iri, clamantes accelerabant, ut in Cracouiam progrederentur. Verum alia causa pausationis in Skauina fuit, quàm suspicarentur, scilicet inexpeditio ornamentorū regi & suis militibus necessariorum. Sabbato itaque in die S. Appoloniæ, rex Kazimirus in splēdore suorum apparatuum cum Sophia genitrice sua in obuium egressus, nouam sponsam hylariter excepit, sed non fauit cœli dispositio. A mane siquidem ad uesperam largos fudit imbres, & suppellectilem nobilium uestimentorum & cooperimenta equorum de axameto cum puro auro, frena quoque & sella in ualore quadraginta millia ducatorum humectando corrupit. Processionesque omnium ecclesiarum & omnium statuum, officia sua explere non poterant, nec loca debita tenere pluuia inundante. Sequenti autem die Dominica S. Scholasticę, altercatione inter Barones facta, an Sbigneus Cardinalis & Episcopus Cracouień. uel Ioannes Sprouuski Archiepiscopus Gneznień. desponsationem ac matrimonium conferret. Vocatus est Ioannes de Capistrano, ordinis minorū tanquàm sedis Apostolicę legatus, qui cum magna humilitate prostratus, quum licentiam desponsandi à Cardinali obtinuisset, non ritè desponsationem peragere potuit, quia ignarus idiomatis Polonici & Teuthonici erat, Cardinalis ergo Sbigneus, qui utramque linguam nouerat, matrimonium confecit, & Archiepiscopus Gneznień. missam de Sancto spiritu cum festinatione, quoniam aduesperascebat, peregit. Præfatamque Elizabeth in reginam inunxit & coronauit, & octo dies sequentes in choreis deducti sunt.

Elizabeth aduentus. *Kazimiri obuiam egressus.* *Dies ingressus pluuiosa.* *Dissensio super desponsatione.* *Sbigneus Archiepiscopus Gneznens. coronatur.*

CAPVT LX. LIB. IIII.

SVb eo tempore, scilicet feria quarta ante Cathedram S. Petri, legati Prutenorum ad regē Kazimirū aduenerunt, & procidentes rogauerunt, ut eos in subditos & protectionē contra Magistrū Lodouicum & Cruciferos Prusiæ susciperet. Præcedenti etenim anno militares nobiles & ciues Prusiæ, dissensione inter eos ex una & Magistrum Lodouicum, Commendatores & Cruciferos ab altera partibus suborta, ex omnibus castris & ciuitatibus Cruciferos eiecerunt, & in solo castro Marienburg incluserunt. Et super hoc prodigia in cœlestibus, & apparitiones Cometarum uisæ. Omnes itaque Consiliarij regis (præter Sbigneum Cardinalem & Episcopum Cracouień. qui summopere dissuadebat) suscipiendos consulebant & approbabant Prutenos. Et accepto homagio, præstitisque iuramentis remissum est eis prout postularunt, tributū Frintczol. Item obligatio annua dicta Porcus, aliàs Narasz. Item thelonea in terra, & in mari, & merces naufragio demersæ, eis in libertates sunt cōcessæ. Item Gedaneń. ciuitati census septingentarum marcarum ex ciuitate prouenientis, & omnia molendina ciuitatis cum insula & uillis in ea cōsistentibus (tredecim duntaxat uillis & duabus curijs, pro rege reseruatis) donata sunt. Ea tamen conditione apposita, ut singulis annis ciuitas Gedaneń. duo millia florenorum solueret, & quatuor diebus regem & curiam ipsius omnibus necessarijs procuraret. Et in loco castri per eam demoliti, curiā regiam de lateribus coctis sumptu notabili & magnifico ædificaret. Rex ergo Kazimirus, ad tuendū sibi subiectos nobiles & Prusiæ ciues, aduersus Magistrum & Cruciferos in Prusiam exercitualiter intrauit, uituperabant autem Mathematici horam egressus. Et quū oppidum Choynicza obsideret, feria quarta in crastino Lamperti, anno præfato 1454. circa horam uesperarum, exercitus hostium in tres cuneos tantummodo diuisus apparuit. Aciebusque congressis, primi hostiū occurrentes contriti & contracti sunt, una cum eorum ducibus, inter quos Balthasar dux Zegnaneń. cæsus est, dux uerò Bernardus Szumborski captus. Feruente autē pugna, extremus regius exercitus, ex nouis & insuetis pugnatoribus compositus, quodā subito terrore perculsus, terga uertit, & cæteros in ignominiosam fugam traxit. Rex autē pugnam restituere, & fugientes reuocare cum magna diligentia tentabat, nec potuit, parumque abfuit, quòd in manus hostium peruenisset, donec custodes ei adhibiti reluctantem abstraxerunt, & fugere cum fugientibus compulerunt, cæsique sunt de exercitu regio quamplures, capti uerò trecenti triginta. Rex interim anxius, nouo exercitu ex Polonia & stipendiarijs ex Bohemia, Morauia & Slesia comparatis, ex uilla Oppoki prope Thorun, ubi locus cōsignatus fuit, conuenientibus. Feria quinta post Catharinæ castra mouit, & abinde in Prusiam transitum & bellū cœptum continuauit. Pro contentandis quoque & soluendis stipendiarijs Magistri

Prutenorum legatio. *Pruteni homagium præstant.* *Kazimirus eos tuendos egreditur.* *Conflictus mutuus.* *[illegible] Kazimi- [illegible]* *Exercitum recuperat.*

gistri Prusiæ, ut secundum compositionem è castris cederent. Ad requisitionem regis, Ecclesiæ Gneznen. Vvladislauien. & Posnanien. calices, clœnodia, cæteraq; Ecclesiarum uasa dederunt. Sola ecclesia Craco. cum sua diocœsi non contribuit, quoniam Pontifex eius Thomas Strzampinski, cum suo Capitulo talem conclusionem abhorruit. Itaq; maiores Poloni, Vlrico Cziruoncze & suis stipendiarijs 25. millia florenorum tradiderunt. Cui per Gedanen. 40. millia aureorum iam fuerunt tradita. De residuo autem soluendo de resignatione castrorum, & relaxatione captiuorum, pactum protelandi ad festum Paschæ fecerunt.

Ecclesiarũ clenodia in stipendiarios exposita.

Et post festa Paschæ, anno Domini 1457. Czirvvonka cum alijs stipendiarijs recepta solutione finali Ludouicum Magistrum Prusiæ (culpantem propter hoc ipsum suos stipendiarios) ex Mariemburg in Tsczovv eduxerunt, & castrum Polonis tradiderunt, atque discesserunt. Rex ergo Kazimirus in Gedano commorans, dum talia intellexisset, feria tertia Pentecostes, cum suis gentibus ex Gedano egressus, castrum Mariemburg, feria quarta Pentecostes, quæ fuit octaua Iunij, hora tertiarum fœliciter intrauit. Summa pro redemptione & resignatione castrorum, sex millibus stipendiariorum equitum data, ad quadringenta, septuaginta sex millia ascenderat. Agente autem rege Kazimiro bellum Prutenicum, & obsidione oppidi Laszin occupato, Girzik Stosz de Olbrachczicze, Morauus seu Slesita, & Ioãnes Svvieborovvski, Polonus, circa oppida Ilkusz & Slavvkovv spolia egerunt, & octuaginta equos, quibus in fodinis Ilkusiensibus aqua pellebatur, acceperunt. Oppidoq; Slavvkovv conflagrato, cum præda abierũt. Tandem in terra Vielunen. fortalicium Campno occupauerunt, quod per obsidionem uix liberatũ est. Preterea quedam colluuies gentium, ex Bohemis, Polonis, & Slesitis in sui ductoris improperiũ Kavvki, appellata, quorum ductores erant Gracculus, uulgò Kavvka, & Svvieborovvski bini fratres, montem qui dicitur Zebracze prope Osvvanczim incastellauerunt, & plurima damna regno, precipuè circa Osvvanczim irrogauerunt, quoniam stipendium in Prusia ipsis non erat solutum. Ad quos frænandos, deposito Ioanne de Czizovv, Castellano Cracouien. à Capitaneatu Cracouien. quem decemseptem annis tenuit, Nicolaus Pienyazek de Vithouicze, aucto sibi salario, ut copiosam foueret familiam, Capitaneus Cracouien. creatus est.

Castrum Mariemburg à Kazimiro adeptum.

Ilkusz et Slawkow spoliata.

Nicolaus Pienyazek Cracouiens. Capitaneus creatus.

Anno autem Domini 1459. rege Kazimiro Lanciciæ commorante, uenerunt ad eum feria sexta, in die sancti Bartholomæi, cõsules & primores ciuitatis Vvratislauien. qui suo & Namislauien. nomine rogarunt, ut in suam possessionem, & defensam eos suscipere dignaretur, tunc enim Ladislao rege Hungariæ, & Bohemiæ extincto, Girzik aliàs Georgius de Podiebrad Hussita, regnare in Bohemia cœperat. His aũt responsum est, regem bello Prutenico sic implicatum fore, ut nullatenus eos suscipere posset.

Vratislauiẽs. & Namslauiens. ad Kazimirum ueniũt.

In anno autem Domini 1460. mortuo Thoma Strampinski Episcopo Cracouien. duo per Capitulares diuisos in episcopatũ Cracouien. Ioannes Luthkonis de Brzeze utriusq; iuris Doctor, & Ioannes Episcopus Vvladislauien. electi sunt. Iacobus quoq; de Senno, Prothonotarius Apostolicus, ad præstandum obedientiam in Concilium Mantuanum, quod Pius Papa secundus tenuit, missus, ante electionem Capitularium quindecim diebus, sibi eundem Episcopatum prouideri obtinuit. De quo rex Kazimirus malè contentus, Iacobum de Senno, cum ei adhærentibus proscripsit, & relegauit. Et Cracouiam ueniens, Georgium Episcopum Laodicien. & suffraganeũ Cracouien. eo quòd Iacobo Szenenski munus consecrationis impendit, de Cracouia propelli iussit. Qui in Oppol secedens, in monasterio minorum sui ordinis moratus, & illic uita functus est. Preterea ex statiuis apud Choynicza, rex Petrum Curovvski Lublinen. & Dobeslaum Kmitha Voinicen. Castellanos, ad obsidendum Iacobum de Senno in castro Piendziczovv, & ad occupandum bona monitorio Apostolico parentium, & ipsos è sedibus eorum exturbandum & eijciendum misit. Nicolaus itaq; Pienyazek Subcamerarius, & Capitaneus Cracouien. bona præbendarum Pauli Decani, Ioannis Dlugosz senioris & iunioris, & cæterorum occupauit ac distraxit. Derslaumq; Crzizanovvski Præpositum Vislicien. & Canonicum Craco. egrede sua Canonicali superpellicio & almucio indutum, ut per familiares suos dignosceretur, de Cracouia extra portam eduxit, & expulit. Item Nicolaum Bogdan, Ioannis Dlugosij senioris, Ioannem Bialek, Iacobi Lelouien. Canonicales Vicarius, & Martinum Rincza Mansionarium, in superpellicijs ex medio circuitu ecclesiæ, idem Nicolaus Pienyazek Capitaneus extractos, extraq; portam ciuitatis, populo communi ingemiscente, eductos, expulit & relegauit.

Dissensiones super Episcopatu Cracouiens.

Nuncij Regij.

Derslaw Crzizanowski ignominiam passus.

T CAPVT

CAPVT LXI. LIB. IIII.

ACcidit et aliud malum sub idem tempus: nam Andreas Tanczinski die Iouis sedecima Iulij, anno Domini 1461. quendam Clementem armificem, aliàs Placnerza obiurgauit, et uiolenter uerberauit, quia arma parum tempestiuè illi expedisset. Qui uiolento clamore ædito, uniuersam plebem concitauit, mox consules ad reginam Elizabeth in castrum Cracouiense ascendentes, quærelas uiolationis cõtra Andream Tanczinski deposuerunt, quæ absente tũc rege utrosq; pacificos in alteram diem esse iussit. Sed Consulibus ad prætorium redeuntibus, frequens armatorum numerus ex ædibus omnibus iam aduenerat. Obseratis igitur portis ciuitatis, & cãpana ad sanctam Mariam in unam partem pulsata, uehemens seditio, consulibus prohibere nõ ualentibus, orta est. Quod uidens Andreas Tanczinski, qui prius in domo Nicolai Kislingk in platea fratrum se concluserat, metu correptus, in monasterium sancti Francisci cũ Nicolao Szeczignovvski, Spitkone de Melltein & Ioãne filio suo fugit, & in turrim Ecclesiæ se recepit. Illicq; parum munimenti sibi ratus, comitibus in ea remanentibus, in sacrarium cucurrit, et se occuluit, sed illic ab irruente, rabida, et furiosa turba repertus, testa capitis rupta & cerebro effuso, occisus est, & de ecclesia usq; ad prætorium per plateam fratrũ, per furiosam plebem, mortuus, tractus est. Illic quoq; in cadauer sæuitum est, & iuxta prętorium cadauer biduò tentum, tertio demum die ad sancti Adalberti ecclesiam illatum, & quarto amicis redditum est, & tandem in oppido Xansz sepultum.

Seditio Cracouiæ orta.

Andreæ Tanczinski interitus.

Citati ergo Cracouieñ. ciues anno Domini 1462. petebãt feria tertia in uigilia Epiphaniarum, se coram Aduocato in urbe iure Maydenburgeñ. secundum priuilegia eorum iudicari, rege uerò & cõsilio (quod ipsi Cracouieñ. in hoc casu iuris Maydenburgeñ. ordinẽ non seruassent) ad pœnam capitis eos damnante, uenerunt sabbato infra octauas Epiphaniarum ad prætorium, Nicolaus Skora de Gay Castellanus Kalisieñ. & Nicolaus Pienyazek Subcamerarius, & Capitaneus Cracouieñ. à rege missi. Et repenentes consules ac cõmunitatem simul congregatos, quatuor ex consulibus uidelicet Cõradum Lang, Stanislaum Lamither, Iaroslaum Szarley, Martinum Belze. Item ex communitate Ioãnem Tessnar, Ioannem Volvvram pellificem, Albertum pictorem, Nicolaum Serliang calcarificem, & Nicolaum magistrum lictorum, ad pœnam poposcerunt. Qui ut reliquum corpus ciuitatis saluum fieret omni culpa uacantes, dediti sunt, & altera die in castrum deducti, in turris partem demissiorem trusi sunt. Vbi quinq; diebus commorati, sacra confessione, sacroq; uiatico perfuncti, die Veneris quintadecima Ianuarij, per Petrum de Vaszmunthovv iudicem Sandomirieñ. sententiati, sex tantummodo uidelicet Conradus Lãg, Stanislaus Lemither, Iaroslaus Szarley, Albertus pictor, Nicolaus Szerlang, & Nicolaus magister lictorum, publico gladio in castro Cracouieñ. sub turri quæ Thinczieñ. intitulatur, decollati sunt & in Ecclesia sanctæ Mariæ in medio Ecclesiæ in uno tumulo, non sine uniuersæ ciuitatis grandi comploratu sepulti. Tres residui, scilicet Martinus Belze, Ioannes Thessnar, & Ioannes Volvvram, Ioanni Rapscinski iuxta condemnationem traditi sunt, & altera die in Rapstin deducti, in custodia habiti sunt. Nicolaus uerò Creidlar tanquam mente alienatus, in Melltein se contulerat. Accidit & tertia plaga in eadẽ ciuitate Cracouieñ. Nam die Martis, uigesimaseptima Aprilis, anno Domini 1462. ignis è monasterio sanctæ Trinitatis (certis fratribus ut fertur Alchimiam laborantibus) exiliens, tectum Ecclesiæ subita celeritate corripiens, latè incendium diffudit, & monasteria & ecclesias, sanctæ Trinitatis, & sancti Francisci consumpsit. Item plateas Castrensem, Fraternitatis, Columbarum, Argentariorum, Lixarum, Legati, Pistorum & Iudæorum. Et fuit plaga ingens, ducentis millibus florenorum uix restaurabilis. Propter hæc mala & ministrorum Ecclesiæ persequutionem, testa beati Stanislai prodigiosè, à Ioanne Archidiacone & administratore Cracouieñ. in processione portata, sudauit, & dum abstersione siccaretur, sudare non destitit.

Consules Cracouieñ. pœnas pendunt.

Ignis ex Claustro sanctæ Trinitatis exortus.

Prodigium.

Eodem anno 1462. die Martis, decimaoctaua Maij, rex Kazimirus, gentibus suis in sex agmina partitis, ex Vvschovva in pulcherrimo apparatu, uersus Glogouiam egressus est. Et dum Glogouiæ appropinquaret, Georgius rex Bohemiæ, ad unum miliare ei occurrit, & in equis sese mutuò salutantes rex Poloniæ in arcem Glogouieñ. Bohemiæ uerò in prætorium deducti sunt. Superatum se rex Bohemię Georgius à Kazimiro rege Polonię, tam apparatu, quam numero & robore gentium, plusquam triplicato numero asseruit, & miratus est. Nouenis diebus consilio uacabant, & fœdus in mortem utriusque regis du-

Kazimiri Poloniæ, Georgij Bohemiæ regum conuentus et pacta.

ratu-

ratiarum sanxerunt. Et ne super castris Osvvanczim, Volek, Zathor, Ziuiecz, & Szeuior regem Poloniæ Bohemus inquietaret, edixerunt. Circa festum autem Bartholomęi eodem anno Borzny de Skrzin, ex Bitheza & Vvlodex filius eius ex castro Lethavva, cum mille quingentis hominibus rapto uiuere solitis, in terra Osvvantzimień. Petram situ & natura firmissimam, quam fluuius Szola abluit occuparunt, & eam spolio oppido Zari incastellauerunt: & Bukouiecz appellarunt. Exinde uniuersam terram Osvvancimień. spolijs & flammis trastabant. Hos feria quarta post Matthæi, Nicolaus Pienyazek Capitaneus Cracouień. obsedit, & grauissima fame pręssos, ad deditionem feria quarta in uigilia Simonis & Iudæ apostolorum compulit. Petrus Donin de domo Agnorum, regij exercitus Capitaneus, simili & maiori fortuna usus, die Veneris, die decimaseptima Septembris, prope oppidum Puczki, exercitum Prutenicum conflixit, cuius duces erant Fridericus Revvneckæ & Caspar Nostvvicz, acerrime expugnabant, & fatigati obmissa pugna omnes quiescebant, superuenienteque nouo, quamuis pauco subsidio Polonis, bellum resumpserunt, temerariè plusquam strenuè decertantes. In quo Friderico Revvnecka sauciato, hostilis acies in fugam uersa est, & in ore gladij persequuta. Ex tunc negotia belli regis Kazimiri in Prussia dietim meliora succedebant. In Mazouia uero mortuo Boleslao duce Plocen. iudicialiter rex Kazimirus in Piotrkovv contra ducem Conradum processit, quod terram feudalem regi Kazimiro debitam occupasset. Diffinitumque fuit per iudicem Stanislaum de Ostrorog, uigesima Nouembris, ducatum Plocen. regno pertinere, & ideo regem in possessionem ipsius mittendum decreuit. Et rex Kazimirus in die sancti Nicolai Rauam perueniens, à Grothone Czelink, deinde in Gostinin progrediens, à Nicolao Kuczinski possessionem sibi traditam, à militaribus uerò utriusque districtus, fidelitatis iuramentum accepit.

Conflictus Polonorum & Prutenorum.

Processus iudicialis Kazimiri in Conradum ducem Plocen.

CAPVT LXII. LIB. IIII.

Anno autem Domini 1466. oppido Choynicza in Prussia per obsidionem & emacerationē conquisito. Facta est pax perpetua, die solis decimanona mēsis Octobris, & in priuilegio perpetui fœderis, Rudolphus sedis apostolicæ legatus, manu propria se subscripsit, & tres notarij publici. Sigillis insuper regis Kazimiri, & Lodouici Magistri Prussię, Prelatorum quoque & Consiliariorum partis utriusque roboratum est. Tunc recuperatæ sunt, & ad corpus regni Poloniæ, terra Pomeranię, Chelmeń. & Michalouień. redierunt. Pro quibus recuperandis centum, & quinquaginta annis pugnatum est. Tunc etiā Culmeń. Ecclesia metropoli & matrici suæ Ecclesię Gnezneń. reunita est, q̄ per años circit̄ ducētos, ab Ecclesia Polonica abstracta, Liuonicæ Rigēsi (in rerū natura dū Chelmeń. fundaret̄ nōdū extāti, & per lōga terrarū, mariūq; spacia distanti) adiecta erat. Tunc quoque bellū Prutenicū quattuordecim annis sub rege Kazimiro agitatum, finitum est. Et rex Kazimirus ad pugnandum & euertendū Bohemos hæreticos, per Rudolphum apostolicum legatum, Lauantinum Episcopum adhortatus est.

Inscriptio pacis.

Bellum 150. annorum.

Bellum annorum. 14. finitum.

Rudolphus legatus apostolicus.

Et anno sequenti, Cracouiam feria tertia post Iacobi apostoli, quæ fuit uigesimaoctaua Iulij ueniens, idem Rudolphus omnium processionum ac uniuersitatis honore exceptus, supplicauit. Vt rex Kazimirus unanimi electioni, de eo, Iglauiæ per Barones Bohemiæ, de mandato summi Pontificis factæ, consentiendo, regnum Bohemiæ per se, uel suum filium susciperet, sed propter fœdus, quod cum rege Girzik in Glogouia pepigerat, non acquieuit. Aiunt Astrologi regi Kazimiro horoscopasse & ascendisse in suo natali principium Capricorni, & ex naturali inimicitia Prutenos sub signo Cancri, quod est oppositum Capricorno locatos, expugnasse. Non autem talis inclinatio contra Bohemos Leoni subiacentes fuit.

In anno item Domini 1470. Alexander uir insignis electus, confirmatus Forlinień. & Orator apostolicus, Cracouiam uenit. Postulauit, ut Kazimirus rex Poloniæ, in Georgium regem Bohemiæ hæreticum, & Ecclesiæ Romanæ rebellem consurgeret. Item ut affinitatem & fœdus cum Matthia rege Hungarię, per filiam quam antea per Prothasium Episcopum Olomunceń. in coniugem postulauit, iungeret, & quod regem Matthiam in ecclesiam Romanam optimè meritum, a iure regni non rescinderet. Kazimirus uero nuncijs ad Imperatorem Romanum Fridericum missis, obtinuit, ut primogenitus ipsius filius Vvladislaus uiuente & consentiente eo, in regem Bohemiæ coronaretur. Et sequenti anno Georgio Poidziebraczbi rege Bohemorum defuncto, eum in Pragam in regem Bohemiæ coronandum misit.

Orator apostolicus Cracouiam uenit.

Primogenitus Kazimiri in regem Bohemiæ coronatur.

Georgij mort.

Mortuus est autem Georgius rex Bohemiæ morbo enormi, & inflatura pedum grauatus, in Praga, in curia regia anno Domini 1471. die Veneris uigesimasecūda Martij. Quē preceptor suus scelestus, & Bohemorū seductor erroneus, Ioannes de Rockenczan, quindecim ante diebus fato & morte præcesserat. Cadauer autem ipsius Girzikonis altero die exenterando, hepatis medicīnas corrupta, & in felle lapillus ouo columbino similis, & abdomen quantitatis palmæ, reperta sunt. Quod sequentibus diebus in Ecclesia sancti Venceslai, inter busta regum Bohemiæ debili pompa conditum est. Bohemi ergo reiectis cæteris competitoribus regni, Vuladislaum Kazimiri regis Poloniæ primogenitum, in regem Bohemiæ feria secunda post Vrbani, die Lunæ, quæ fuit uigesimaseptima Maij, hora duodecima, concorditer acclamarunt & elegerunt. Præter tres Dominos, uidelicet Ioannem Rosemberski, Sdenkonem Konopniczki, & Henricum Hradeczki qui partem regis Hungariæ sequebantur. Audito Matthias rex Hungariæ Bohemos eius parti non fauere, in furorem uersus, cæde, igne, & graui crudelitate in Bohemos debacchatus, arces & oppida eorum diruit, & in deuictos desæuit. Vuladislaus autem in regem Bohemiæ electus, eodem anno die Iouis 25. die Iulij, quæ est dies sancti Iacobi Apostoli, de Cracouia egressus, habens in exercitu septem millia equitum, & duo millia peditum exercitatorum militum per Skauinam & Osvvăczim, usq; in Pragam peruenit, quam die Lunæ decimanona Augusti attingens, summo honore omnium processionum & omnium ordinum, atq; statuum exceptus est, & in regiam deductus. Die tādem Iouis 21. Augusti in ecclesia metropolitana Pragen̄. per Nicolaum Episcopum Camienyecen̄. aliàs Podoliæ, assistētibus sibi Paulo Laodicien̄. & Vincentio Enesiensi Episcopis, quindecimo gradu Libræ ascendente, cum ingenti lætitia omnium coronatus & inunctus, sacramento eucharistiæ, sub una tantummodo specie deuotissimè procuratus est. Auditis his, quæ in Bohemia facta fuēre, Hungari, regem Poloniæ Kazimirum, frequentibus nuncijs & promissis fatigarunt, ex quibus precipui fuerunt Ioannes Archiepiscopus Strigonien̄. Ioannes Episcopus Quinque ecclesien̄. & Roinoldus de Rosgon, ut eis secūdo genitum filium suum Kazimirum pro rege mitteret, quia Matthias rex eorum exterminium, per spolia, & improtectionem Turca eis strueret. Rex itaq; secundogenitum suum cum duodecim millibus equitū & peditum, inter quos mille Tartari erant, in Hungariam misit, qui usque ad Nitram peruenit, & illic consedit, & nemo ex Hungaris ad eum uenit, nec sumptus in expeditionem, & bellum secundum promissa præbuit, sed fide uariata, Matthiæ regi in Buda commoranti subsidia ferebāt. Et quum donatiuū deficeret, Alemañicus exercitus, qui apud principem Kazimirum merebatur, discessit, quem plures aulici regis Poloniæ, Kazimiro principe filio eius deserto, in domos reuersi sunt. Postea opprobria & aliqui eorum carceres passi. Hoc cognito rex Mathias, cum nouo exercitu Kazimirum, in Nitra uallare appropinquando disponebat, qui ex Nitra feria quinta in die sancti Stephani Prothomartyris, nocte cum aulicis egressus, tam præcipiti cursu nullo persequente in Ituvva castrum suarum partium peruenit, ut sexaginta quadrigas illum sequētes, ab agrestibus intercipi permiserit. Paulo Iassenski cum quatuor millibus armatorum pro defensione Nitræ relicto, quam egregiè contra regem Matthiam defendit. Et facto pacto uersus Turzecz in comitatu quatuor millium armatorum discessit. Hunc rex Matthias rupto pacto, insequutus est, sed cognito Pauli Iassenski, & sui exercitus animo obstinato retrorsum abijt. Et quatuor loca incastellata, scilicet Illauiam, Turcz, Michalovv, & Vbyena expugnauit, quintū uerò præsidium in Stropkovv, in obsidionem non peruenit. Inflatus ea fœlicitate Hungariæ rex, plura figmenta de suis tropheis, quasi exercitum principis Kazimiri, de quindecim millibus acie conflixisset, & pluribus clænodijs, & uasis preciosis spoliatum, de Pannonia turpiter eiecisset, summo Pontifici & pluribus regibus, & principibus orbis, ad potentiam & gloriam suæ uirtutis perscripsit. Ioannem Strigonien̄. Archiepiscopum ex Vvratislauia oriundum, Ioannē Quinque ecclesien̄. & alios afflixit. Armigeri qui apud Pannonias militauerant, in Poloniā reuertētes, dum stipendia illis tardiùs soluerētur, in bona Ecclesiastica diocœsis, præsertim Cracouien̄. sæuè ac crudè, deinde in quoslibet obuios grassari liberè cœperunt, etiam in suburbijs Cracouien̄. affuerunt, & apparuerunt.

Resistentia electionis.

Vuladislaus Cracouiam egressus.

Vuladislai exceptio & coronatio.

Nuncij Hungarorum.

Dolus Hungarorum in Vladislaum.

Matthias rex Hungariæ dolos Kazimiro struit.

Ficta uictoria.

Duo Cometes notabiles.

Duo Cometes præfatorum malorum causæ, unus in autumno præcedentis anni, ualdè magnus & rubens, ante lucem auroræ oriens, caudam antrorsum & in occasum porrigens, uno mense uel circa durans. Ego in pueritia mea ad literarum palæstram cum pædagogo ante lucanum pergens, sæpius eum inspexi, artem astrorum nondum sciens: quam [illegible] cōquisiui, Cometem Mathucam aut militem de natura Martis, per finem signi uirginis;

ginis,& per libram gradientem iudicaui. Alter Cometes in proximo, scilicet in Ianuario, anno Christi 1472. apparuit, solem post occasum suum sequens, caudam uersus orientem post sesatis longam trahens, respectu tamen praecedentis multo minor fuit, qui duobus mensibus, uel circa perdurauit. Scioq; quod talem Astronomi Dominū Astone, de natura Mercurij & parum Saturni nuncupant, primò sub Aquario transijt, postea sub piscibus & Ariete, semper Solem sequens. Subsequutus fuit ingens ardor caliditatis & siccitas qua si per tres aestates, litesq; & bella in Hūgaria, in minori Polonia, Bohemia, Germania, Burgundia, & Francia emerserunt.

Duratio ignis.

CAPVT LXIII. LIB. IIII.

IN hoc anno Marcus, natione Venetus tituli sancti Marci praesbiter Cardinalis Patriarcha Aquilegień. ad Kazimirum Poloniae regem, à Sixto Papa quarto missus, Cracouiam die Saturni, quarta mensis Iulij aduenit. Kazimirus Poloniae rex obuiam illi personaliter Vieliczkam uersus, cum Kazimiro filio in comitatu insigni exiuit, & à processionibus omniū ecclesiarum, ac uniuersitatis magno honore, à tribus tandem filijs regijs, Alberto, Alexandro, & Kazimiro pulchrè corā perorantibus, exceptus fuit. Altera die splendido prandio refectus, & audientia illi die sequenti concessa, commemoratis perniciosis criminibus Turcae pacem cum Hungariae rege multipliciter persuasit, obsecrans regem, ut quae armis quaesiturus erat, per conditiones pacis susciperet, & cum caeteris Catholicis regibus contra Turcam in arma prodiret, ex Cracouiaq; transiens, in Nissam & postea in Oppauiam, Cardinalis Marcus pacem inter reges Poloniae in Hungariae componere nitebatur, nec efficere potuit. Concitauerunt ergo Poloni, & immiserunt in Hungariam belligeros pedites, qui nationis Polonicae fuerunt omnes, fratres appellati. Hos rex Matthias in duobus montibus, Modragora & Bukouiecz, quos in Hungaria incastellauerant, expugnauit & contriuit.

Legatus Papae ad Kazimirū.

Et in principio sequentis anni 1474. misso Tarczithomasz cum sex millibus armatorum, oppidum Smigrod nocte intempesta, oppidanis nihil suspicantibus, clàm conquisiuit, et arcem machinis expugnauit. Deinde oppida Iaszel, Brzostek, Colaczicze, Fristath, Dambrovvdzal, Dublia, Pilsno & uillas prope ducentas incendio conflagrauit. Et oppidum Crosno uallando, liberè in praedis & cędibus grassabatur. Donec per constitutiones pacis à rege Hungariae Matthia, tardè impetratas, gentes ipsius in Hungariam fuerunt reuocatae. Conuersusq; contra Petrum Comorovvski Polonum de nobilitate Ciphorum, sub eo munitiones & castra Rosemberg, Hradek, Zabnyecz, uetus castrum & Sancti Nicolai, & Likavva expugnauit. Castro uerò Horavva in quo se concluserat, octo millibus florenorum redempto, cum omni suppellectili in Poloniam ipsum abire permisit. At Kazimirus rex Poloniae, in rege Matthia, suas & Vvladislai regis Bohemiae iniurias ultum iri uolens, die Veneris duodecima Augusti, anni praefati, ex noua ciuitate in Mistovv processit, & exercitum Polonorum, Lithuanis & Tartaris illum augentibus, ac sexaginta millia pugnatorum aestimatum, collectum, in Slesiam uigesimasexta Septembris promouit, & duobus oppidis Cruczbork & Biczina conquisitis, caetera obmisit. Oderaq; apud Chrapkouicze superato, statiua prope Olauiam tenuit, ubi pabulatores eius die Mercurij, duodecima Octobris in ortu solis, exercitus regis Matthiae de Vvratislauia, in qua se concluserat, emissus, iuxta uillam Svvonouicze inuasit, & facilè fudit. Qumque tumultuarij milites & caterua Tartarorum accurrisset, grandis instaurata fuit pugna, regeq; Kazimiro uexillum maius cum aulicis & Lithuanis mittente, sub ducatu Pauli Iassenski, extemplò hostilis exercitus terrore nimio agitatus, terga uertit, fugientesq; passim caesi & capti sunt. Numerus desideratorū mille, captiuorum uerò insignium sexaginta erat. De captiuis fuerunt; Vlricus Perstenski, Petrus Haugvvicz, Paulus Karvvath, & caeteri.

Exercitus Polonorū à Matthia rege deuictus.

Petrus Comorowski.

Kazimiri ultio.

ingressus in Slesiam eiusdem.

Conflictus.

Desiderati & captiui.

Venit tandem die Lunę 24. Octobris Vvladislaus rex Bohemię, cum uiginti millibus, quorum maior pars erat peditum, per regem Kazimirum, adhuc statiua circa Olauiam tenentem, hilariter exceptus, & dudum expectatus. Ipsius enim causa bellum gerebatur, exinde ad Vvratislauiam coniunctis exercitibus itum est, & ciuitas ex una parte, à longe tamen est obsessa, sed non expugnata, quia absq; ordine omnia fiebant, populationemq; & pabulationem absq; duce agentes intercipiebantur. Intantū ut omnes turres, & omnia ergascula Vvratislauień. captiuis Polonorum impleta fuerūt. Casualiq; exorto incendio, quod uentus augebat uehemens, multi mortales, equi plurimi, et currus cum uictualibus

Captiuitas Polonorum.

Ignis uehemen tia Vratislaui. Matthia audētia. quingenti, tanto exercitu opem non ferente, absumpti sunt. Repertæq; fuerunt in semiustis quadrigis pixides diuinissimum sacramentum eucharistiæ cōtinentes, & intellectum est, conflagrationem ignis, plagam fuisse Dei. Videns autem Matthias rex Hungariæ, utrumq; regem cum tot gentibus nihil agentem, timiditate quæ eum inuaserat, deposita, gentes suas in terras Vieluneñ. & maioris Poloniæ misit, quæ illas oras frequentibus incendijs, rege Poloniæ non obstante uastarunt. Irruerant & gentes ducis Nicolai Oppolieñ. in oppidum Clobuczko, sed ab oppidanis magna clade deuicti sunt. Caspar Szak, & Melcher Leber, cæteriq; homines ducis Kozuchouieñ. & terrigenæ Glogouieñ. oppidum Miedzirzecz, negligenter obseruatum, nocte intempesta incenderunt, & receperunt, arcem uerò Sandiuogius Capitaneus, auro ut fertur illis tradidit. Qui omnem illam oram usque ad ciuitatem Posnanieñ. in spolijs, & incendijs afflixerunt. Accidit deinde in exercitu Poloniæ & Bohemiæ regum, charistia, fames, dissenteria, & æpidimia. Coactiq; sunt ambo reges sufferentias, quæ ab illis à rege Matthia Hungariæ expetebantur, concedere & certis habitis tractatibus fœdera in duos annos cum dimidio conclusa sunt cum maxima Polonorum, & Bohemorum iactura, qui nulla re memorabili gesta, discesserunt. *Sinistra fortuna exercitus Polonorum.*

Literæ Matthiæ. Rex autem Matthias Hungariæ, more suo literas ad summum Pontificem, ad Imperatorem Romanorum, & alios Reges ac Principes scripsit, suam potentiam efferendo, & regū Poloniæ atq; Bohemię extenuando. Scripsit & Gabriel frater minorū Episcopus Agrieñ. postea Cardinalis, carmina inuectiua contra Polonos, quæ incipiunt.

Bruma uenit, nix alba ruit, migrate Poloni,
O' fugite ad proprios algida turba lares, &c.

Cui ex aduerso Gregorius Archiepiscopus Leopoliensis pro Polonis rescripsit.

Garrula lingua tace, nec sensu nec ratione,
Vlla uales, uerba pudenda uomis, &c.

CAPVT LXIIII. LIB. IIII.

ANno autem Domini 1477. instigāte, ut ferebatur, rege Hungariæ Matthia, Cruciferi Prussiæ defectionem parabant, & Nicolaus Comorovvski castra quędam incastellauit. Misso uerò Petro Donin Castellano Siradieñ. cum sexingentis equitibus & quadringentis peditibus. Adiuncto ei Ioanne Biali, in Mariemburg Cruciferi cum quibus duces Mazouiæ pactum habuerunt à defectione cesserunt. Iacobo quoq; Dabienski Palatino Sādomirieñ. & Capitaneo Cracouieñ. aduersus Comorovvski expedito, castra Barvvald, Szefflari & Ziuiecz, per obsidionem sub septem septimanis conquisita sunt. Et castrum Barvvald ualdè spissum & forti muro munitum, iubente rege Kazimiro deiectum, & solo æquatum est. Ziuiecz uerò incendio deletum, Szefflari Marco Ratoldi, eò quòd pecunias à rege in eo haberet inscriptas, est restitutum. *Castrum Barwald demolitum.*

In anno quoque sequenti bellum contra regem & regnum Martinus Treslar Magister Prussiæ, & Nicolaus Tungen occupator Varmieñ. Episcopatus resumebant, sed ex tempore deciderunt.

In Anno 1479. Nicolaus Tungen in Piotrkovv ueniēs, regi Kazimiro reconciliatus, iuramentum fidelitatis præstitit. Tandem & Martinus Treslar Magister Prussiæ, omni pertinacia deposita, die Saturni, nona Octobris eiusdem anni, iuramentum fidelitatis regi in arce nouæ ciuitatis, in præsentia oratorum regis Hungariæ, Stephani Comitis Scepusieñ. & Venceslai Beczkovvski Bohemi, præstitit. *Homagia Kazimiro præstantur.*

Anno autem Domini 1485. die Iouis, quindecima Septembris, quæ fuit in crastino exaltationis sanctæ Crucis, Stephanus Palatinus Valachiæ iuramentum fidelitatis cum suis Boyarijs regi Kazimiro in Kolomya oppido Russiæ præstitit. Vbi nonnulli stipendiarij Bohemi, qui noctu exercitum præfati Stephani Palatini inuadentes deprædati fuerant, rege mandante, capite truncati sunt. Acceptoq; exercitu mercede conductorū à rege, Stephanus Palatinus Turcas grassantes, de Valachia expulit, & duces exercitus remuneratos, una cum exercitu in Poloniam remisit. Et quia Tartari sæpenumerò terras Russiæ & Lithuaniæ uastabant, rex Kazimirus contra eos Ioannem Albertum tertiò genitum, expediuit, quo aduentante, Tartari ad sua se receperunt.

Ioannis Alberti in Tartaris uictoria. In anno quoque Domini 1489. iterum contra eosdem missus, decima die mensis Iulij de Cracouia exiuit, & Tartaros circa scænosa loca compræhensos fudit, & reliquos dissipatos terris Russię effugauit, ad genitricemq; cum triumpho & gloria redijt. Matthia autem

tem rege Hungariæ, in Vienna Austriæ morte absumpto.

Anno Domini 1490. die Lunæ, quinta mensis Aprilis, Dominica siquidem Palmarum quum lætaretur ex peroratione legatorum regis Franciæ, inter prandendum ficus afferre sibi iussit, quas quum ab aulicis consumptas didicisset, nimio furore & ira captus, in Apoplexiam incidit, qua oppressus mugitus quosdam edidit, insensibilis tamen iacuit, donec in crastino post palmarum spiritum exhalauit, tunc Ioannem Albertum ab Orság, id est, communitate nobilium in Rakosz electum, rex Kazimirus in Hungariã misit. Qui die Solis 27. mensis Iunij, cum notabili exercitu summo mane diuinis officijs ex mandato festinanter peractis, de Cracouia egressus, per Sandecz & iuxta Cassouiam transiens, usq; ad Pest peruenit. Compertoq; quod Vvladislaus germanus eius senior natu, & rex Bohemiæ à pontificibus & potentibus regni Hungariæ dudum uocatus, & Dominica circa exaltationis sanctæ Crucis, quæ fuit decimanona mensis Septembris, in regem Hungariæ in alba regali fuisset coronatus, & Budæ residentiam tenens, oppidum Pest & loca uicina gente armata aduersus Ioannem Albertum opplesset, à Pest retrocedens, Cassouiam obsedit: castrumq; Szarisz & oppida Aperies, & Cibinium cum adiacentibus in deditionẽ accepit, sed & nouam ciuitatem seu Riuulum dominarum, per quosdam suos armigeros expugnauit, quod Hungari perpendentes & Cassouiensibus obsidione laborãtibus subuenire cupientes, pro concordia fratrum instabant, & eam circa carnispriuium in præsentia præfatorum principum, & fratrum in campo iuxta Cassouiam confecerunt. Vt Vvladislao Hungariam, tanquam rege legitimè coronato possidente, Ioannes Albertus ducatum in Slesia maioris Glogouię cum Kozuchovv, Vvladizslavv & possessione oppidorum olim ducis Zeganeñ. acceptaret & teneret, quod & factum est.

Mathiæ regis obitus.

Successor sibi eligitur.

Dissensio propter regnum.

Sub eo tempore puta circa festum Epiphaniarum, sydus crinitum, quod Cometem uocant, sub tertia facie piscium apparitione emersit. Ab Astrologis Dominus Astone nominatum capite non magno, cauda uerò prolixiore, sed tenui & paruæ lucis, de natura Mercurij, sequebaturq; solem post occasum, cauda post se ad orientem protensa. Tametsi concordia fratrũ conflata fuisset, & decreto firmato, Glogouia cum certis oppidis Slesiæ duci Ioanni Alberto assignata esset, simul & per Capitaneum ipsius Ioannem Polak, in usufructum, & possessionem acceptata fuisset. Attamen Ioannes Albertus persuasus de Hungaria minimè exiuit, quod Hungari molestè ferentes, Stephanum Comitem Scepusieñ. & regni Hungarię Palatinum ac gubernatorem cum duodecim millibus armatorum aduersus eum destinauerunt, quo cum in Kalendis Ianuarij, aliàs prima Ianuarij anni Christi 1492. circa occasum solis congrediens, Ioannes Albertus facilè superatus est, quoniam duntaxat bellatorum duo millia habebat. Nox tamen atra non parum adiumenti superatis, & fugientibus præbuit. Dux quoque Ioannes Albertus à suis in tenebris derelictus in captiuitatem Hussaronum uenerat, quem ex loquela quidam aulici cognoscentes, singillatim unus post alterum cum clamore (ut putarentur plures) accurrentes eripuerunt, & in Aperies deduxerunt. Et sequentibus diebus per compositionem facta pace, Hungari uersus Budam, dux uerò Albertus Cracouiam diuertit, quem uenientem, Cracouienses honorificè suscipientes in arcem Cracouieñ. deduxerunt, & illic usq; in diem mortis Kazimiri genitoris sui permansit.

Apparitio Cometæ.

Ioannis Alberti permanẽtia in Hungaria.

Stephanus Comes Scepusieñ. aduersus eum pugnat.

Ioannes Albertus superatus.

Kazimirus siquidem genitor ipsius & rex Poloniæ, post festa paschæ eodem anno 1492. sensim ex profluuio uentris in Lithuania ægrotare cœpit, & quum sui philosophi restringere, aut noluerunt, aut non potuerunt, Monachorum minorum de obseruantia, quos uulgariter Bernardinos nuncupant, accepto consilio, pane grossissimo ac nigerrimo Lithuanico in Grodno uentrem constrinxit, & exhilaratus in suos medicos inuexit, quòd religiosorum medicina pluris ualeret, quàm in arte medica Doctorũ. Cœpit tamẽ statim secundum pedes tumere, quod quum nec fratres, nec philosophi curarẽt, Iacobum de Zalesze suum medicum percõtando requisiuit. An adhuc spes esset sanitatis? qui quũ respondisset minimè, tanquam fortis athleta imperterritus subiunxit, ergo moriendũ est, & medico addente, utiq;. Vadas ergo (inquit) astanti, pro confessore & pro sacerdotibus, ut mihi salutaria præbeant sacramenta. Perceptis itaq; ritè sacramentis, & testamento facto, in priuatis & abditis locis centũ millia aureorum ostẽdit, quos inter filios partiendo, Ioanni Alberto minimã sortẽ designauit, quoniã (inquit) in Hungarico bello multa absorpsit, sicq; in pace mortuus est, in castro Grodneñ. die Iouis, septima mẽsis Iulij ꝓxima ante festũ Penthecostes, ut eiusdẽ mẽsis principiũ exitiũ mortis esset, cuius finis initiũ regni & coronæ erat. Regnauit autem in Polonia 45. annis, absq; 18. diebus. Non cõputatis duo-

Kazimiri ægritudines.

Kazimiri mors.

bus annis & medio, ab interitu germani sui Vuladislai in Thracia, quibus regnū Poloniæ uacauit. Relatus autem & adductus Cracouiam, eadem die, scilicet undecima die mensis Iulij, quæ est dies translationis Sancti Benedicti post meridiem, in dextra parte sacelli noui sanctę Crucis, per reginam Elizabeth consortem eius constructi, sepulturā accepit. Cuius opera mausoleum est superpositum marmoreum, cum supereminentia lignorū rubefactorum. Erat autem maxima pompa tam in sepultura, quàm in exequijs, cohonestante & funebria peragente regina Elizabeth, cum filijs, Prælatis, Pōtificibus, & Baronibus regni. Aderant processiones totius urbis, & equites armati cum uexillis secundum numerū prouinciarū, quibus dum uiueret imperabat. Aderat & uniuersitas studij Cracouień. clerici, & plebis multitudo copiosa. Fuit aūt rex Kazimirus procerę staturæ, secundùm anteriorem capitis partem à uertice per totum caluus, faciei oblongæ & macræ, uocis blæsæ, ab ineunte ætate usq; in finem uitæ semper uenator & auceps. Canes uenaticos plurimū diligens, quod ex uno exemplo cognosce. Dum Vuladislaus dux Ribniceń. & Pleziń. fatuus agnominatus, donaria Vuladislao regi Bohemiæ missa intercepisset, & parsum iri sibi precaretur. Canes (inquit) uenaticos dūtaxat reddat, & cętera possideat donaria, tanquam canes maioris ualoris fuissent rebus cęteris. Fuit homo semp sobrius, aquā bibēs, uinum, siceram, ceruisiā, & pharmacū nunquā gustans, & odorem eorū execrans, atq; fastidiens. In Venerem proclitius, balnea & fomentationes crebras amās. Cōmessationi & cōmestioni indulgens ac intētus, laboris, frigoris, fumi, uenti, æstus patientissimus. Postquā ex ducatu Lithuaniæ in regem Poloniæ assumptus esset, clerum perturbauit, præcipuè p Episcopatu Cracouień. contendentes. Deinceps uerò ad tempora uitæ, eum multum ueneratus, ad prandia sæpenumerò uocabat, ut quotannis Cracouiā ueniret, Prælatos, Canonicos, Doctores & Magistros aleret, & prandijs oppiparè instructis reficeret. A' subditis suis pecunias corrogabat, petebat, & mutuabat, promissi memor & uerax. Mutuataq; persoluens, regios prouētus, castra & oppida arendans & inuadians. Aedificia negligēs, ita ut pleraq; castra sui Dominij colapsa ruerent, aut tectis denudata priuarentur. Coniugis suæ reginæ Elizabeth feruidus amator, & ab ea reciprocis adamatus amoribus, ut fœlix coniugium inter eos ore omnium diceretur. Prolem quoq; frequētem & numerosam, mares sex, fœminas septem procreauit. Ex quibus quatuor reges fuerūt. Vuladislaus primogenitus rex Hungariæ, Bohemiæq;. Ioannes Albertus, & Alexander. Item Sigismundus, reges Poloniæ successiuè regnantes. Kazimirus autem secundo genitus, phthisi præfocatus, in Vilna tumulatus requiescit. Et ut fertur pro sanctitate uitæ miraculis coruscat. Vltimus filius Fridericus, Cardinalis tituli sanctæ Luciæ in septem solijs, Archiepiscopus & primas Gnezneń. Episcopusq; Craco. fuit. Septem autem filiæ fuēre. Heduigis maior natu Georgio duci Bauariæ desponsata. Sophia secunda filia Friderico Marchioni Brandēburgeń. Anna quinta filia Boguslao duci Stolpeń. & Stetineń. Barbara sexta filia Georgio duci Misneń. Vltima earum Elizabeth Legnicensi duci nupta. Elizabeth autē tertia inter filias immatura morte præuenta, in sepulchro Heduigis materteræ Cracouiæ tumulata, quiescit. Similiter Elizabeth inter filias quarta in pueritia occumbens, in dextra parte chori sepulta est. Insuper rex Kazimirus cū Cruciferis fratrib. Teuthonicis in Prussia longum & periculosum gessit bellum, quos tandem post quatuordecimum annum superauit ac domuit. Et resurgentes iterum & iterum tanquam Hercules claua, hydram renascentem, & Anthæum e terra surgentem occidit, & silere coēgit. Glorificet ergo Deū Polonia, quòd castra & ciuitates munitas, labore alienigenarum constructas, per regē Kazimirum regno Poloniæ contulit, ut custodiret legem Domini, & iustificationes eius requireret, quemadmodum in Psalmo 104. dicitur. Dedit illis regiones gentium, & labores populorum possederunt, ut custodiant iustificationes eius, & legem eius requirant.

Pompæ funebralis descriptio.

Kazimiri statura, mores, & gesta.

Patientia eius.

Proles Kazimiri sexus utriusq;.

Expreßio potentiæ suæ in Prutenos.

CAPVT LXV. LIB. IIII.

Anno Domini 1447. Sbigneus Episcopus Cracouień. ecclesiam Collegiatā in noua Sandecz cum aliquot Prælaturis & Præbendis fundauit. Eodem anno multa spolia & furta in regno Poloniæ sub hyemem per raptores, & fures de Slesia & Hūgaria suborta fuerūt, & nō erat defensor, rege Kazimiro in Lithuania manēte.

Raptores in Poloniam.

Anno Domini 1448. ueniente ex Lublin à rege Kazimiro in Cracouiā Baptista Episcopo Camerineń. nuncio Apostolico. Prælati & Capitulum Cracouień. Consulatusq; & ciues Cracouień. in mille quingentis equis, splendidè obuiam exeuntes, eum susceperunt. Vniuersitas autem Cracouien. nullam ei, etiam monita & rogata, reuerentiam facere

cere uoluit, quoniam cōcilio Basilienſi, & non Papæ electo, aſsiſtebat. Propter quod præfatus Epiſcopus Baptiſta contra uniuerſitatē fremebat, & eam beneficijs priuare conabatur. Ac eum conſenſu regis de regno expellere, quem Sbigneus Cardinalis & Epiſcopus Cracouień. perſuaſionibus ſuis abducebat & mitigabat. Et ut fertur ipſo redeunte Romā, Nicolaus Papa quintus, quod arroganter & minus prudenter egiſſet, eum in cōſpectum ſuum admittere noluit, & exinde tabefactus, præ triſtitia in breui uitam finiuit.

Baptiſta Epiſcopus Camerinenſ. Cracouienſ. Vniuerſitatis hoſtis.

Eodem anno Ioannes de Huniad gubernator regni Hungariæ numeroſo & forti exercitu coadunato, Turciam, aliàs Græciam intrauit, & quum ad campum Coſſovvo peruenisset, Imperator Turcarum cum trecentis millibus equitum, & ſexaginta millibus peditū superuenit: ubi feria quinta ante Lucæ Euangeliſtę æquo marte pugnatum eſt. Altero die Hungarorum exercitus occidebatur, & à multitudine Turcarum cōcludebatur, ita quod confractus in nocte fugam inijt. Sabbatho autem pauci ex Polonis & Bohemis in caſtris remanentes, à mane ad meridiem machinis, & baliſtis ſe tutabātur tandem ad extremum uicti, ferè quindecim millia occiſi ſunt. Capti autem fuerunt duodecim millia. Ioannes autem de Huniad fugæ ſe cōmittens, ſolitarius in Raſcia, in quodam caſtro de mandato deſpotę Raſciæ captus fuit, & ad iuramēta ac promiſſa Prelatorum & Baronum Hungariæ, dato filio eius in obſidem, dimiſſus erat, qui liberatus non ſolum caſtra promiſſa non reddidit, ſed & quæ iuris Deſpotæ erant expugnauit.

Ioannes de Huniad Turciam ingreſſus.

Poloni & Bohemi uicti.

Anno Domini 1449. Fœlix Papa quintus, olim Amadæus dux Sabaudiæ nuncupatus ceſsit, & publicè papatum reſignauit, & ſublatum eſt ſchiſma, quod ferè decem annis durauit, uerſu adagioſo teſte.

Lux fulsit mundo ceſsit fœlix Nicolao.

Schiſma decē annorum ruptum.

Eodem anno Nicolaus Papa quintus miſit Capellum Sbigneo Epiſcopo Cracouien. per Ioannem Dlugoſz ſeniorem Canonicum Cracouień. Felix Sbigneus Cardinalis qui trino capello redimitus erat, ab Eugenio quarto, & Felice quinto. Item à Nicolao quinto, quolibet eorum ad ſua ſuffragia ipſum Cardinalatu alliciente.

Anno Domini 1451. Dauid Imperatoris Turcarum fratris filius Muſtapha nominati à rege Kazimiro optauit, ut ei per terras ſuas in Conſtantinopolim tranſire liceret, quoniā Omarath imperator Turcarum diem ultimum obierat. Annuit Kazimirus ſuæ petitioni, & remuneratum cum conductoribus remiſit. Caſſus tamē ſuus fuit labor, Turcæ enim iam alium imperatorem elegerant.

Dauid Conſtātinopolim petit.

Anno quo ſupra annum Iubilæum Nicolaus Papa quintus, pro uniuerſo regno Poloniæ, & magno ducatu Lithuaniæ ad intercesſionem Sbignei Cardinalis Cracouień. conceſſerat, qui à menſe Decembri ad finem Auguſti durauit.

Iubilæus cum peſte.

Eodem anno grandis peſtis in terris maioris Poloniæ inualuerat.

Anno præfato 1451. Iskra de Brandis cum quatuor millibus militum. Ioannē de Huniad gubernatorem regni Hungariæ, ſedecim millia ducentem, feria tertia in uigilia natiuitatis Mariæ, circa Luczencze ludit, quia inchoato prælio, magna pars exercitus gubernatoris fugere cœpit, quam gubernator à fuga cohibere non ualuit. Anno Domini eodem feria quinta decima mēſis Februarij, quæ fuit dies ſanctæ Scholaſticę, dux Boleslaus Svvitrigal in caſtro Luczko mortuus eſt.

Iskra uictor in Ioāne Huniad.

Switrigal obitus.

Anno Domini 1453. quoniam duces Ianuſsius Oſzuanczimień. & Przemislaus Toſſeceń. regionem Polonicam deprædabantur, Ioannes Sczekoczki Capitaneus, & Ioannes Kuropatvva Subcamerarius Lublineń. pro Capitaneis electi cum gentibus precio conductis contra eos miſsi, illicò caſtrum Oſvvanczim obſidione cinxerunt, & ipſum in poteſtatem regis, & regni redegerunt, & Ioānes de Czizovv Caſtellanus & Capitaneus Cracouień. in eo locatus eſt, donec Oſvvancimień. dux pecunias pro ſtipendiarijs expoſitas ſolueret, aut ipſe cum terra ſua feudum regi præſtaret. Eodem anno exercitus Tartarorum Podoliam uaſtabat. Ioānes uerò Laſcz adminiſtrator in Zukouiecz, nobilis de domo Pomiany cum alijs adminiſtratoribus, uidēs ſe hoſtibus imparem, in campo Kraſnevv, nocte omne illud robur Tartarorum proſtrauit.

Ioannes dux Oſwancimień. uictus.

Ioannes Laſc Tartarorum uictor.

Deinde interdiu reliquos exercitus Tartarorū (qui haud longè aberant) aggreſſus ducem Tartarorum, Deo fauente occidit, & reliquum agmen Tartarorum in fugam conuertit, præda de manibus ipſorum erepta.

Anno præfato 53. ſupra mille quadringentos Conſtantinopolis Græcorum metropolis, per Mahumeth imperatorem Turcorum, die uigeſimonono, Maij capta eſt. Poſt 54. diem oppugnationis Imperator Grecorum Conſtantinus nomine, pugnans obtruncatus

Conſtātinopolis capta.

catus est, turba populorum trucidata, matronæ & uirgines ad libidinem raptæ. Saluatoris nostri simulachrum in cruce pendentis derisum, & contemptum præcedentibus qui dicerent. Hic est Christianorum Deus, in castra delatum, sputo, luto, & sagittis iactatum est. Pera Ianuensium ciuitas, simile periculum uerita, missis nuncijs deditionem fecit. Turca autem mandante, turres & mœnia rupta, & solo æquata sunt. Campanæ sublatæ & in machinas resolutæ, & 16. millia aureorum pro tributo imposita sunt.

Pera Ianuens. ciuitas capta.

Eodem anno dux Ianusius Oszvvancimień. castrum Osvvanczim obsedit, qui cum ignominia & iactura suorum repulsus, antiquum castrum per patrem suum ruinatum Volek nuncupatum reformauit, & ex eo non solum terram Osvvanczimień. sed & continia regni spoliauit. Barones itaq; regni, rege absente & in Lithuania commorante, Volek obsederunt, & pacem concluserunt. Et quia Polonis ducem Ianusium patrimonio suo uiolenter spoliari iniustum uidebatur, ex pacto ei uiginti millia latorum grossorum pro terra Oszvvancimień. dederant, & de ea perpetuò cessit. Ladislaus rex Hungariæ & dux Austriæ, Pragæ in regem Bohemiæ eodem anno, scilicet 1453. Dominico die qui fuit festum Simonis & Iudæ, per Dionysium Cardinalem & Archiepiscopum Strigonień. coronatus est. Peracta autem coronatione, ut quisq; secundum arbitrium sub una specie, uel duplici communicaret, concessit. Ipse tamen rogatus, hæreticorum ecclesias nunquã intrauit.

Castrum Volek restauratum.

Ladislai regis Hungariæ coronatio.

CAPVT LXVI. LIB. IIII.

Anno Domini 1455. feria tertia post palmarum, quæ erat prima dies Aprilis, Sbigneus Cardinalis & Episcopus Cracouien. Sandomiriæ, dum passio Domini in Ecclesia Sandomirień. cãtaretur, mortuus est: ex Sandomiria in Cracouiam delatus, feria quarta paschæ, quæ fuit nona Aprilis, in medio chori sub urna ærea, per eum dum uiueret ordinata, sepultus. Et tres capelli rubei sup sepulchrũ suspensi sunt, quorum iam nullus apparet, quoniã à tribus summis Pontificibus Eugenio quarto. Felice. 5. & Nicolao quinto Carpinalis factus erat, quod perraro uni contigit. Exegerat annos uitę 66. in põtificatu Craco. años 32. in Cardinalatu uerò sedecim. Testamẽtũ suũ ecclesijs, monasterijs, studẽtibus, ęgenis & miserabilib. psonis, & nõ suis, ppinquis distribui iussit.

Sbigneus Cardinalis Episcopus Cracouień. mortuus.

Añn præexpresso feria secũda Pentecostes, quæ fuit 26. Maij hora uesperarũ, dũ mechanici in cãpo auẽ sagittarent, ignis de domo Thomæ lorificis Cõsulis Craco. proxima ædi sancti Petri erupit, & Castrẽsem & Canonicalẽ plateas, & quatuor ædes sacras scilicet sanctorũ Petri, Andreæ, Martini, & Mariæ Magdalenæ cũ collegio Canonistarũ consumpsit. Duę dũtaxat domus canonicales magistri Nicolai Spiczmeri Cãtoris, & Ioãnis Dlugosz Canonici Craco. ægrè defensæ fuerunt. Ab eo ergò tẽpore sagittatio galli ad octauã in diẽ ferialem non festiuum, diem scilicet Lunæ post Trinitatis proximum translata est.

Magna incineratio Cracouiæ.

Eodem anno interierãt frumenta & sequuta fuit charitas annonæ. Insuper prædicto anno 1455. tertia Octobris monasteria fratrum minorum de obseruãtia in Posnania, Costen, Vvschovva, & Cobilino per ciues fundata sunt.

Charistia annonæ.

Anno Domini 1456. Nicolaum de Turza presbyterum, gerentem se pro Scholastico Cracouień. & germanum eius patruelem de Gnoinik clericum, gerentem se pro Canonico Cracouiensi (& uterq; eorum sub uiuis beneficia impetrauerat) æculei pœna examinatos, & furtum quo ordine egerunt confessos. Consulatus Cracouień. intra muros Craco. portæ sancti Floriani proximos mucrone percussit, & supposita fuit Cracouia interdicto, usquequò Vvladislaus primogenitus regis Kazimiri nasceret. Natus aũt erat feria secũda post Dominicam Oculi, quę fuit prima mensis Martij, post horã tertiã noctis, & in octaua paschæ per Thomam Episcopum Cracouień. baptisatus. Is diu in Hungaria & Bohemia rex pacificus, quem pax uelut umbra corpus sequebatur, fœliciter regnauit.

Interdictum Cracouiæ.

Anno præfato Crux auctoritate Apostolica contra Turcam prædicabatur. Imperator autem Turcarum Albam regalem Rasciæ, ad fluenta Savvi & Danubij sitam, obsedit, & decimę hebdomadis continua quassatione, turres, & muros solo prostrauit. Ioannes autem Capistranus cum octingentis cruce signatis de Buda per Danubium in nauibus demissus castrum introiuit. Ioannes uerò Huniad cum gente armata per terram aduenit, & fortissima pugna, sine ulla pausa tam in die, quàm in nocte fuit, donec uictoria ex alto catholicis data, Turcæ cum suo imperatore in fugam uerterentur: Et Christiani centum insignes machinas, sexaginta quatuor galeas, & multitudinem captiuorum consequuti fuerunt. Gloriabatur itaq; pater Ioannes Capistranus, quòd cũ bubulcis & ruralibus, pugnates Turcas Deo iuuante cõtriuisset. Gloriabatur & Ioannes de Huniad gubernator regni

Cruciferi contra Turcam. Ioannes Capistranus cũ suis cruce signatis.

Flun-

Hungariæ, quòd robore, militia, & perseuerantia eius Turcas superatos, & imperatore eorum Mahumete uulnerato, ad extremum profligauit. Sed ambo eodem anno absumpti, gloriæ finem imposuerunt. Nam Ioannes de Huniad in mense Augusti mortuus est, uir in armis & administratione bellorum celebris. Ioannes uerò de Capistrano 23. in Vlak oppido Hungariæ Christo spiritū reddens. In Ecclesia conuentuali S. Mariæ ordinis sancti Francisci eiusdem oppidi sepulturam accepit.

Mahumetes uulneratus & profligatus. Ioannes de Huniad mortuus atq; Capistranus.

Eodem anno post Viti Cometes ad Septentrionem quātitatis mediocris apparuit, tota nocte usq; ad ortum solis apparens. Duratio autem eius uno mense exacta est.

Cometes.

Anno Domini 1457. Ladislaus rex Hungariæ assistentiā primorū cōsiliariorū Hungariæ nactus. Ladislaū filiū gubernatoris, interfectorē Vlrici Comitis Ciliæ capite trūcauit, & Matthiā germanū eius cū amicis, & comēsalib. in carcerib. captiuatū obseruauit.

Interfector Vlrici comitis Ciliæ.

Eodem anno die Mercurij 21. Septembris hora completorij, Elizabeth regina Poloniæ in Cracouia Heduigim filiam parturijt. Anno quo supra Kazimiro rege Poloniæ conuentionem in Piotrkovv agente, nuncius est allatus Ladislaum regem Hungariæ & Bohemiæ, ac ducem Austriæ, cui uirgo Magdalena regis Franciæ filia, fuit desponsata, in die Cæciliæ subitò infirmatum, in die sancti Clementis diem obijsse. Ac in die beatæ Katharinæ in Ecclesia Pragen. in sepulchro protaui sui Caroli imperatoris esse sepultum. Et nouā sponsam ex medio itinere reuersam fuisse. Varij autē fuerunt rumores de morte eius. Vulgatiori tamen & crasiori sermone, Georgius de Poszdzebrad de morte sua insimulabatur, & eo præsumptuosius, quòd se in regem Bohemiæ erexit. Insimulabatur & Ioanna Georgij Poszdzebraski uxor, quòd in pomo regi dato, ueneno interlito mortem procurārit. Interijt autem rex Ladislaus anno ætatis suæ decimonono.

Ladislai regis Hungariæ & Bohem. mort.

CAPVT LXVII. LIB. IIII.

ANno Domini 1458. die Dominico 22. Ianuarij, quæ fuit Sancti Vincentij, Matthias Ioannis de Huniad, olim gubernatoris Hungariæ filius, tredecimum agēs annum, apud Budam nondum ex captiuitate, qua per Georgium de Poszdzebrad gubernatorem Bohemiæ detinebatur solutus: & Michael Szuladin auunculus eius, qui cum quinq; millibus gentium aduenerat, in gubernatorem regni Hungariæ electus, & pro liberatione electi regis quinquaginta millia aureorum congesta sunt. Apud Pragam uerò in quatuor temporibus cinerum, Georgius Poszdzebrad Gubernator Bohemiæ, in regem Bohemiæ, feria quinta ante Dominicam Oculi, quæ fuit secunda dies Martij electus est. Vir in administrandis rebus bellicis prouidus, sed erroribus Viclephistis plurimum deprauatus. Die autem Dominico post sancti Georgij, quæ fuit ultima Aprilis, per Augustinum Episcopum Iaurien. assistentibus sibi Vincentio Vacien. Episcopo, & Prothasio electo Olomuncen. Girzik in regem: Ioanna uerò consors eius in reginam Bohemiæ coronati sunt.

Matthias de Huniad è captiuitate liberatus.

Girzik in regē Ioāna uxor in reginam Bohemiæ inuncti.

Eodē anno Hūgari cōtra Nicolaū Comorovvski, & Thelephū, uictoria potiti sunt. Ioannem aūt Iskra, & Petrū Rathkouiecz, certis castris & munitionibus exuerunt.

Nicolaus Comorowski & Telephus ab Hungaris uicti.

Die quoq; Dominico Pentecostes circa Pothok oppidum Hungariæ cum Thelepho congressi, omnes eius copias conflixerunt. Pressit etiam Georgius Bohemiæ rex Austriā bello, nec prius destitit, donec certa fierent pacta, per quæ illi Vlricus Eczinger de ueneratione Ladislai regis insimulatus, traderetur.

Austria oppressa.

Eodem año feria quinta, in uigilia sancti Francisci, tertia Octobris in aurora, Elizabeth regina secundum filium progenuit, cui nomen Kazimirus imposuit.

Kazimirus.

Anno Domini 1459. Quidam Barones, quorum princeps Nicolaus Fristaczki erat, Matthia relecto, Fridericū imperatorem, & Austriæ ducem, in regem assumpserunt. Qui electioni à paucis factæ consentiens, totam Hungariam bello ciuili inuoluit exercitibus utriusq; regis concurrentibus atrox bellum fuit. Ad extremum tamē Cæsarinis uictoria cessit. Tandem pace perpetua composita, sub his conditionibus, ut Cæsar Fridericus titulo regni Hungariæ, sibi & suis successoribus retento, coronā materialem regni Hungariæ, per Elizabeth apud illum deposita, redderet. De administratione regni Hungariæ, ad uitā duntaxat Matthiæ cederet, post mortem sibi successurus. Pro restitutione quoq; coronæ Matthias rex, Friderico octuaginta millia aureorum solueret. Dum pax sub his conditionibus completa est, rex Matthias à Cæsare in filium susceptus tum primum se coronari in regem, in alba regali huiusmodi corona obtinuit & procurauit.

Fridericus rex electus.

Fridericus & successores titulum regni Hungariæ habent.

Anno Domini 1460. die Iouis 27. mensis Decembris in die Ioannis Euangelistæ

filius

Ioannis Alberti natiuitas.

filius tertius Kazimiro, ex Elizabeth in Cracouia hora duodecima natus est. Cui nomen binonymum Ioannes Albertus inditum est.

Alexandri natiuitas.

Anno Domini 1461. die Mercurij, quinta mẽsis Augusti, apud Cracouiam Elizabeth regina quartum filium enixa est. Qui à Ioanne Pniovvski Archidiacono & administratore Cracouieñ. baptisatus, Alexander uocitatus est.

Sophia Poloniæ regina mortua.

Eodem anno Sophia Poloniæ regina, Vvladislai regis Poloniæ relicta, ex nimia facietate melonum febre acuta contracta, ad extremũ paralysi tacta, omnibus sacramentis procurata, in castro Cracouieñ. die Lunæ 21. Septembris, hora uesperarum mortua est. Die uerò Lunæ 27. Septembris, apud maiorem ecclesiam Cracouieñ. in sacello S. Trinitatis, quod à fundamentis quadrata petra erexerat, & octenario numero ministrorum, clenodijsq́; & indumentis regijs splendidè dotauerat, celebri apparatu funeris sepulta, uno & quadraginta exactis annis, ex quo regi Vvladislao coniugio cõiuncta, in Poloniæ regnũ aduenerat. Carmine tali celebrata.

Epitaphium eius.

Sanguine clara ducum Rußiæ clarißima quondam,
Laudibus ipsa meis gloria summi fui.
Iuncta Polonorum diuino fœdere regi,
Contraxi populos in mea uota meos, &c.

Rex Bosnæ à Mahumeto captus.

Anno Domini 1463. Mahumeth imperator Turcarum, accepto & expugnato regno Bosnæ, cœpit regem Bosnæ in castro fortissimo Iaycze, & eum sagittis militum necauit. Rex uerò Hungariæ Matthias, aliquas arces & præsidia Turcarum expugnans, Emericũ Diak hominem magnæ fastiuitatis regem Bosneñ. præfecit: arcemq́; Iaycze, quam septem millia Turcarum egregiè tutabantur, longa obsidione macerans per deditionem cœpit.

Polonorum milites Hungaris prælati.

Sub tempore illo Poloni militares, regis Matthiæ pauci numero, quorum Fœlix de Panyovv genere Godzaba, & Ioannes Albus de Sreczkovv genere Dolua, ductores erant, quatuor millia Turcarum noctis tempore inuasorum profligarunt. Septingentos autem equestres Hungaros quorum Sokolopeter ductor erat, quoniam deserentes socios suos præfatos Polonos, abscesserant, Matthias rex obiurgatos, capitibus eorum braccis impositis, & uultibus uelatis, extra castra non nisi post triduum reuersuros, ut cæteris in exemplum forent, propulit.

Crucifirorum in Iudæos seuitia.

Anno Domini 1464. Pius Papa secundus generale pessagium contra Turcã instituit. Ad quod plura hominum millia crucem apud Cracouiam assumentes: feria tertia paschæ, quæ in tertiam Aprilis cadebat, in Iudæos, & eorum domos ad uesperũ irruerunt, & confractis tam domibus, quàm synagoga Iudaica, uniuersas substantias eorum diripuerunt, trigintaq́; homines, de utroq; sexu trucidarũt. Cætera uerò multitudo Iudæorũ in æde Ioannis de Tanczin ad portam se receperat. In crastino uerò ampliori seditione gliscẽte, uix caterua Iudæorũ defensa, in arcem Cracouieñ. est deducta.

Sophia filia 6.

Eiusdem anni sexta Maij, hora prima noctis regina Elizabeth filiam genuit, quæ die solis quartadecima Iunij per Ioannem Episcopum Cracouieñ. baptisata, Sophia nomen accepit.

Vladus captus.

Anno Domini 1465. Vvladum superioris Moldauiæ principẽ, Matthias rex Hungariæ, quasi cum Turca contra illum sentiret captiuauit. Radul autem germanus Vvladi Mahumeti Turcarum imperatori adhærens, tributarium se illi præstitit, & præfatam maiorem Moldauiam ab illo regendam sub tributo suscepit.

Kilia capta.

Oppidumq́; Kiliã, quod Græci Likostomos appellant, exclusis Hungaris occupauit. Veritus Stephanus Palatinus Valachiæ Turcæ uicinitatem, & ipse in tributum Turcæ concessit. Habita tandem conspiratione cum ciuibus Kiliæ, porta una subserrata, Stephanus Kiliam sub noctis medio compræhendit, duosq́; arcis Capitaneos, qui forte ad nuptiarum solennitatem inuitati, delicatiùs epulati fuerant, in oppido offendens. Vnum cœpit, alterum uerò in arcem effugientem, terrore & spe uitæ ac munerum, quæ offerebantur affectum corrupit, & arcem in potestatem Stephani tradidit. Maxima, his auditis Turcarum Cæsar frangebatur molestia & ira. Sed nuncium Stephani cum tributo & muneribus ad se missum captiuatum, quem tenebat, honoratum remisit, & excusationes de interceptione Kiliæ ad satisfactionem accepit.

Elizabeth 7.

Eodem anno die solis, nona Maij, in festum Trinitatis cadẽte, sub missa maiori Elizabeth regina Poloniæ in castro Cracouieñ. filiam partu septimo effudit. Quæ altero die solis: sedecima Maij baptisata, Elizabeth est uocata. Eodem quo orta fuerat die año sequẽti mortua, Cracouiæ in sepulchro Heduigis materteræ sepulta.

Ruina partiũ ecclesiæ sancti Francisci.

Anno præfato die solis 26. Maij, infra cõcionẽ ad populũ, clipeus Ecclesiæ sancti Francisci Craco. inter chorũ & corpus Ecclesiæ cõsistens, decidit. Post quẽ turris altissima eius-

dem

dem monasterij a Boleslao pudico duce Cracouien. cum ambitu circa summitatem, magnifico sumptu ędificata, quoniam & eidem clypeo adhærebat, & per incendium debilitata fuerat, solotenus decidens, corruit: & columnas ac testudinem in corpore. In choro uerò testudinem pro aliqua parte concussit, neminem tamen ex hominibus læsit.

CAPVT LXVIII. LIB. IIII.

Anno Domini 1466 Ioannes Rokiczan, Bohemicæ hæresis uertex, & auriga dolosus, subita paralysi percussus, apud Pragam loquendi usum amisit. Iustissimo Dei iudicio, ut qui lingua sceleratissimam hæresim extulit, & prædicauit, lingua languidata puniretur. Eodem anno circa medium mensis Augusti, Eczigeri Imperator Tartarorum Przecopensium absumptus est, qui sub omni tempore sui Imperij pacem optimam cum regno Poloniæ, & terris Russiæ custodiuit, & tenuit. Eodem anno pestis in regno Poloniæ uiguit.

Paralysis Ioannis Rokiczan.

Anno præexpresso Georgium Poszdebradski Regem Bohemiæ tanquam hæreticū 23 Decembris omni honore, Paulus Papa secundus Romæ priuauit, & omnes subditos regni Bohemiæ ab eius obedientia, & iurisdictione absoluit: ipsumq; ac filios suos, & posteros ad consequendas quaslibet dignitates, & honores inhabilitauit.

Inhabilitatio Gyrsic cū prole.

Anno Domini 1467 Rege, & regina Poloniæ in uilla Kozmice in Radomiensi districtu, supra Istulam propter pestem commorante, quintus filius, sed octaua proles natus est, die Iouis, prima Ianuarij sub noctis medio in diem succedentem fonte baptismi à Ioanne Episcopo Cracouiens. in eodem loco regeneratus, Sigismundi nomen sortitus. Post duos Germanos reges Poloniæ uita functos, in Polonia his diebus regnans. Die Saturni quarta mensis Aprilis ante conductum Paschæ præfati anni, Ludouicus de Erlichauszen Prussiæ Magister uigesimus nonus, quindecim diebus infirmatus, apud Konigsberk mortuus est, & in Ecclesia Zambien. tumulatus, quum annos decem octo in Magistratu exegisset. Tribus de Palatinatu Moldauiæ, uidelicet Stephano, Petro, & Berenden aliquot annis contendentibus, & se de prosapio Alexandri Palatini descendere differentibus. Stephanus quoniam astu, fastiuitate, & solertia præstabat, facilè alijs duobus exclusis, apud Valachos principatum obtinuit.

Sigismundus 8.

Ludouicus de Erlichauszen magister Prussiæ mortuus.

Anno autem prædicto 1467 Matthias rex Hungariæ contra eum ueniens, & Berenden Valachiæ præficiens, ac Palatinum instituens, per Palatinum Stephanum in oppido Banya profligatus est, tribusq; uulneribus rex sauciatus, de loco certaminis in lectica elatus est, & multa millia Hungarorum occisa. Hæc est rei ueritas, quamuis Hungari Regi Matthiæ blandientes, aliter factum retulerunt.

Conflictus ob Valachiæ præfecturam.

Eo anno Poloniam pestis, & charistia turbauerat.

Anno Domini 1468 die Iouis, 27 Aprilis, post horam sedecimam, Elizabeth regina in castro Cracouien. sextum filium, nonam uerò prolem parturijt, qui Fridericus appellatus est. Hic Cardinalis tituli S. Luciæ in septem solijs fuit.

Fridericus 9.

Eodem anno Victorinus filius Girzikonis Regis Bohemię, monasterium Pulger in Austria, eiectis monialibus incastellauit: de quo adueniente exercitu Friderici Imperatoris, in Morauiam ad castrum Spelberk, quod Brunnæ imminet, fugit. Matthias autem rex Hungariæ, bellum Bohemiæ, & Morauiæ illaturus, exercitum suum circa oppidum Austriæ Lauy, in loco paludinoso collocauit. Ad quem Georgius Podzebradski, rex Bohemię cum exercitu haud modico, pedite, quàm equite magis referto, aduenit: & quatuor hebdomatis, aut ampliùs neuter exercitus, quum esset ad prope, in dimicationem uenit, sed de pace tractatus fuère, re autem infecta, & fame prę mente. Georgius Bohemus campum deserens, Bohemiam redijt: filium tamen Victorinum apud oppidum Morauiæ Trebiczouu suæ ditionis reliquit. Mouit & illicò Matthias Hungar. castra, & illa oppido Trebiczouu applicuit: pro cuius conquisitione suburbana incēdit, ex quo incendio oppidū corrupit. Victorinus autem periculum incendij ultaturus, in monasteriū ante muros oppidi, expulsis monachis, se recepit: Rex uerò Hungariæ Victorinum in monasterio obsidere cœpit, fameq; præmente, Henricus Girzikonis alter filius cum nouo Bohemorum exercitu superuenit: ad quem Victorinus nocte diem Pentecostes antecedente, quæ fuit quinta Iunij, cum mille trecentis peditibus egressus, & hostilem custodiam dirumpens, in castra Henrici deuenit, & magna sui spe Hunga. regem fefellit: arx uerò, seu monasterium Trebiczouu, illis discedentibus, regi Hungariæ eo pacto est dedita, ut liceret omnibus incolumibus media parte armorum, & equorum relicta, discedere.

Victorinus filius Georgij regis Bohemiæ.

Matthias exercitus.

Regressus Georgij.

Victorini secessus.

Trebiczow Matthiæ cedit.

Anno Domini 1469 Tartari Przecopen Nardulab expulerunt, qui in Moschouiam fugiens exulauit, & fratrem eius Mengligeren substituerunt, quem ægrè illis Caphenses, apud quos hospitabatur, imperij Tartarici ingentem collisionem ueriti, restituerunt. Pręfato

V

Matthias Bohemiã affligit. fato anno Matthias rex Hungariæ Bohemiam uersus montes Cuthne bello presſit. Ad quem Georgius Poſzdzebradski cum quinq; millibus equitũ, & decem octo millibus peditum superueniens, inducias pacis usq; in diem circumcisionis Domini duraturas, ſolitarij inter se concluſerunt: Rex itaq; Matthias in Olomuncz intrauit.

Fœdus initũ. *Matthias aduenit in Vratislauiam.* *Homagium capit.* *Victorinus captiuus.* Deinde Vuratislauiam die Veneris 26 Maij aduenit, ubi cum magna pompa, & gratitudine, ac processionum honore ſuſceptus eſt, & tertia die à ciuibus homagio accepto, ſequentibus diebus ferè omnes duces Sleſiæ homagium præſtiterunt. Exeunte autem inde rege Matthia, & oppidum Viſzteliç obſidente, Victorinus Girzikonis filius de accenſo oppido erumpens, non ſine ſuorum clade captiuatus eſt, & in Budam miſſus.

Eodem anno Stephanus Palatinus Moldauiæ cum mille octingentis equitibus tantummodò Tranſsyluaniam ſpoliauit, & Petrum ſuum aduerſarium, qui patrem eius occiderat, quem rex Matthias fouebat, intercœpit, & capite truncauit. Anno quo ſuprà, Mamak Imperator Tartarorum Vltrauolhanus, tripartito exercitu, duas turmas in terras Ruſsiæ, & Lithuaniæ, tertiam in Valachiam miſit. Hanc Valachi confixerunt, & filium Imperatoris Mamak uiuum captiuauerunt: quem proceſſu dierum Mamak minis recuperare poſſe ratus. Centum legatis ad Stephanum Palatinum miſsis, ſuperbè denunciat, ut filium eius libertati redderet. *Tartarorũ clades enormis in principe Mamak.* Stephanus autem ingentis uir ſpiritus, ea legatione irritatus, filium ſuum ſub legatorum conſpectu, in quatuor petias diuiſit, omnesq; legatos, uno duntaxat excepto, cui naſo abſciſſo, & ad Mamak remiſſo, ut factum illi nunciaret, in palos ſubfixit. *Henrici de Plawen interitus* Eodem anno Henricus de Plawen Magiſter nouus Pruſsiæ comiter à Rege Kazimirò acceptus, ius ſubiectionis die Solis ultima Decembris præſtitit. Et ex dicta Protrkouien. reuerſus, apud Thorun inter prandendum ſubitò apoplexia percuſſus, è tabula in terram prolapſus eſt, & organis loquẽdi concluſis, die Martis ſecunda Ianuarij mortuus eſt, ac in Konigsberk reductus: illic die Veneris quinta Ianuarij ſepultus eſt. *Henricus de Richtemburk magiſter Pruſſiæ.* Poſt cuius mortem Henricus de Richtemburk, magnus Commendator, ad locum tenendum Magiſterij, donec uerus eligeretur Magiſter, ſuffectus eſt.

CAPVT LXIX. LIB. IIII.

Mahumetus Euboiæ inuaſor. Anno Domini 1470 die Veneris tredecima Iulij, Mahumet Turcarum Imperator, Euboiam inſulam Græciæ tunc à Venetis terram, inuaſit: & Nigropontum ciuitatem illius inſignem expugnando ſolo æquauit. *Exercitus Turcarum in Pannoniam.* Vndecima uerò Octobris exercitus Turcarum ſatis debilis per alpes, & nemora Hungariam ingreſſus, uſque ad Zagrabiam liberè graſſatus, decem millia captiuorum utriuſq; ſexus in miſerabilem captiuitatem deduxit. Quo malo ineſcatus geminata uice, circa feſtum natiuitatis Christi Pannonicam oram, nullo reſiſtente, iterum uaſtauit.

Inteſtina Sleſitarum bella. Anno Domini 1471 ex caſtro Cloczko, & cæteris locis præſidium Girzikonis Vuratislauiam, & uniuerſam Sleſiam, ſpolijs, incendijs, & cædibus afficiebat: item duces Przemislaus Teſsinen. Vuenceslaus Rathiborien. & Ianuſsius Gliuicen. ab una, & Vuenceslaus Ribnicen. ab altera, partibus, mutuo, & ciuili bello ſe cõſumebant: item moneta noua, & leuis groſſorum in Vuratislauia cudebatur.

Mors Stiborij Epiſcopi Plocenſis. Eodem anno Stiborio Epiſcopo Plocen. mortuo, Capitulum Plocen die electionis tripartitum, pro feſto Trinitatis, tres ad pontificatum, Stiborium Archidiaconum Plocen. Andream Opporouuski, & Kazimirum ducem Mazouiæ elegit. Sixtus tamen Papa ternis literis, Friderici Imperatoris Romanorum, propria manu ſubſcriptis permotus, Kazimiro duci Mazouiæ minorenni, quia decem octo annorum, de Plocen. Eccleſia die Lunæ, ſexta decima Decembris Andreæ uerò Opporouuski de Eccleſia Varmien. Nicolao Tungen dudum ad illam promoto, in Camienen. tranſlato, eadem die prouidit. Fuit autem Kazimirus dux, & prouiſus Plocen. ex patre Boleslao duce Mazouiæ, matre autem Barbara principe Ruſsiæ progenitus. *Captiuitas Chriſtianorũ à Turca.* Item iam anno expreſſo Iſabeck, aliàs Iſaac Satrapa Imperatoris Turcarum, Boſne regnum tunc detinens, cum quindecim millibus equitum, ex Boſna in Croaciam in Carniolam tranſgreſſus, inopinatam excurſionem ingerens, & omnia ferro, & igne uaſtans, tribus illic menſibus abſq; omni repreſsione liberè immoratus, uiginti millia hominũ, pecorum ritu, in perpetuam ſeruitutem detrudenda abegit. Nulla deniq; mora facta captiuis Catholicorum in arces, & ciuitates ditionis ſuæ conductis per eandem uiam, qua uenerat Carniolam reuerſus, alia rurſus uiginti millia hominum impunè abduxit. Quum uerò Fridericum Imperatorem apud Ratiſbonam agere conuentum ſenſiſſet, cum quindecim millibus equitum mirabili celeritate per Croaciam in craſtino Pentecoſtes circa occaſum, ad portas, & mœnia Laybaci uenit. *Diuiſio exercitus Turcarum.* Poſtridie uerò copias partitus, partem unam per alpes, qui Carniolam a Stiria diuidunt, tranſmiſit, & triginta millia hominũ capta abduxit: alteram per Sauum in Illyricũ: tertiam

per

per Transsyluaniam ultra Danubium, cladibus omnia complens egit.

Anno Domini 1472. die Solis, tredecima mensis Maij in meridie, apud Cracouiam Elizabeth regina quintã filiam, decimam uerò prolem effudit: à Ioanne Episcopo Cracouien. Rzeszouuski baptisata, Elizabeth nomen accepit. Eo anno Huszakassen imperator Persarum, qui ex homine obscuro, in uirum maximum frequentibus uictorijs clarus euaserat. Contra Mahumeth Imperatorem Turcarum, & filium eius Baissetum uenit, & eos graui clade conflixit: at illi ignominiam abstersuri, maiori multitudine collecta, iterũ contra Huszacassen cum quadringentis millibus equitum, & magna multitudine peditum uenerunt: Huszacassen autem auxilia Caramanni, & Tartarorum Cæsaris consanguineorum suorum habens, omnem Turcarum exercitum mirabili strage deleuit, & ciuitatem Trapesuntem in Asia inuadẽs, cum toto imperio Trapesuntem cœpit. Exinde mirabili celeritate ciuitatem Sinapolim in Natulia expugnatam, obtinuit, & contra Turcas fœlicior indies factus. Nuncios etiam notabiles ad Kazimirũ regem Poloniæ circa medium Iulij Cracouiam ingressos, fauores & subsidia contra Mahumetem Imperatorem Turcarum expetens, misit, qui sibi denegati non fuerunt.

Elizabeth 10 proles.

Huszacassen Persarum imperator fortis natus in Turcas.

Anno prædicto 1472, in die decem millium militum, quorum festũ in diem Lunæ, 22 Iunij cadebat, Ioannes Dlugosz senior Canonicus Cracouien. contentato Ioanne de Szebnia plebano duabus prebendis Sando. & Kelcen. De Ecclesia parochiali in Rupella conuentualem per Ioannem Rzesouuski Episcopum Cracouien. creauit, & monasterium fratrum æremitarum, beati Pauli primi æremitæ fundari obtinuit. Vt horis diurnis & nocturnis laudes Deo, & beato Stanislao concinerentur: contentato etiam Stanislao Bieczki altarista sanctę Crucis eiusdem Ecclesiæ per aliud beneficium, & medietate census magistri montium in Zuppa Vieliciensi apud Spitkonem de Melstein coempto, perpetuo consensu regio accedente. Prouentus pro uictu fratrum præfati loci in Rupella idem Dlugosz adiecit. Eiusdem anni æstate Turcarũ exercitus ex Bosna egressus, Illyricum, & Slauoniam uastauit. In mense Septembri terras Patriarchatus Aquilegien. à Venetis occupatas, descendens, & usq; ad castellum sancti Danielis, excursiones in foro Iulij faciens, citra duodecim millia hominũ in seruitutem abegit. In mense deinde Nouembri, apud Goriciam, & per totam Histriam, terribili clade in sexum utrumq; sæuiendo, ferro, & igne omnia, nullo principe resistentiam opponente, complebant.

Fundatio fratrũ in Rupella.

Turcarũ seulla tis bellica.

Anno Domini 1473 Mahumet Cæsar Turcarum contra Huszacassen in Natulia omnes gentes suorum principatuum collegit, præter senes, impuberes, & fœminas, prælio tamen cõserto, uictoria Huszacassen prouenit. Et de exercitu Turcarũ quinquaginta sex millia occidit, & centũ quinquaginta sub Bassas: item Turcæ ex Bosna Carinthiam, & Stiriam ferè totam eo anno sunt depopulati.

Mahumeti cõtra Huszacassen cõflictus.

Eodem anno, Ioanne Gruszczinski Archiepiscopo Gnesnen in domo Abbatis Thinicen. in Cracouia die Veneris, octaua Octobris mortuo, rixa illicò, & contentio inter germanos eius, Bartholomæũ Castellanum Calissien. ex una, & Nicolaũ Cosmider Pincernam Siradien. ab altera partibus, pro oppido Coszmin, & uillis ad illud pertinẽtibus, exorta est, quę Archiepiscopus uiuens grandi pecunia apud Hinzã de Rogow pro Bartholomęo fratre coemerat, & lis, & occisio pluribus annis etiã inter filios eorum durauit.

Anno prædicto incẽdia crebra in regno Poloniæ fuerunt: nam die Martis, 26 mensis Iulij, Stradomia cum Ecclesijs & monasterijs sanctæ Heduigis, & sancti Bernardini arsit: altera die apud sanctimoniales sancti Andreæ igne consurgente, monasterium cum Ecclesia sancti Andreę, platea Canonicalis: itẽ & platea Castren. conflagrauit. Arserunt & oppida Vieliczka, Conin, Bels, Chelm, Lubouula: item clara Tumba, aliàs Mogila cũ omnibus officinis. Euenerũt talia incendia ex nimia siccitate, qua annus iste in omni Europa, & in uniuerso regno Polonię multũ feruidus fuerat: in tantũ ut flumina desiccarẽtur, propter Cometes præcedẽtes in anno Domini 1471. & anno 1472. Alij præsumebant Matthiam regem Hungariæ immissis incensoribus Polonis huiusmodi incẽdia effecisse.

Crebra incẽdia Poloniæ.

Causa eorũdem.

Anno quo suprà 73 supra millesimũ, quadringen. celeberrimus ac egregius uir magister Ioannes de Canthi, prope Osuuanczim oriundus, Professor, & lector ordinarius sacræ Theologiæ in Gymnasio Cracouien. 13 Decembris, in uigilia natiuitatis Christi mortuus est, & in Ecclesia sanctę Annæ sub ambone præfata uigilia sepultus: qui eodem anno, signis, & miraculis corruscare cœpit, & usq; in hanc diem uarios languores, diuersosq; morbos hominũ, & iumentorum diuina propitiatione, ad uota, & inuocationẽ nominis sui releuat, ut assumptione Decalogi sanctorũ dignissimus inueniatur. Verũ quemadmodum cæteri beati in hoc regno Poloniæ, in factis & prodigijs mirabiles, & gloriosi, sic & ipse Ioannes Canthinus canonisari negligitur. Hic operibus misericordię insudans, pannos, & calciamenta pauperibus quotannis ære suo comparando distribuebat. Non-

Doctoris Canthini interitum.

Opera pietatis eius.

V 2 nunquam

nunquam diebus frigidioribus uiso paupere non calciato, se exuens de calceis inopi algido dabat, & ipse nudipes dimisso uersus terram pallio, ne incalceatus notaretur, domū redibat. Romam peregrè proficiscens, à latronibus spoliatus, quum ab eis elongaretur, se mentitum fore clamare cœpit, dicendo nō plures pecunias habere, quoniam in diploide aliquot reperiret insutos aureos, de quibus immemor fuit, redirent ergo, & eos tollerent. Qui synceritate ipsius cognita, priùs ablata etiam reddiderunt. Interrogatus Romæ à Polonis corsitanis, cur Romam accederet, ex quo causas non foueret, & beneficia non impetraret? Respondit: Peregrinationem, & Romæ uisitationem esse purgatorium, & ut à uitijs purgaretur Romam frequentare. Quum pro ueritate in conuocationibus Doctorum, & Magistrorum uerba fudisset, ad cellam, & cellas eorum accedens, dicebat se diuina celebraturum, & ideò si in aliquo uerbo quempiam commouisset, sibi parsum iri obsecrabat. Quandoq; in conuocatione probra, & uerba iniuriosa audiens, in pariete dealbato suæ habitationis exteriùs, uersùs ambitum carbone lineas in alterutrum finem scripsit: Conturbare caue: non est placare suaue: infamare caue: nam reuocare graue. Et custodiebatur scriptura hæc, ne deleretur, donec ædificando, paries cum cæteris habitationibus eiectus fuit. A die autem mortis eius, usq; in annum Domini 1512 uarijs ægritudinibus oppresi, uoto facto curati sunt octuaginta tres homines. Febricitantes uerò tredecim, paralitici quinq;: Verè mortui addicti sunt uitæ pristinæ sedecim. Ferè autem mortui, & deplorati sex: Phrenetici sex: Demoniacus unus liberatus: iumenta morientia facto pro eis uoto sanata duo. Laus tibi Christe, qui in nostro Doctore Canthino quotidie gloriaris. Epitaphium postea ad tumbam eius superadditum incipit:

Vitæ integritas.

Carmine ne sileat mecum mea tibia laudes,
Gentis Hyperboreæ, cuius nunc gloria celsi.
Crescat in immensum diuis poscentibus odas,
Atq; tuos titulos extremo tempore cerne, &c. Vide in Ecclesia sanctæ Annæ.

CAPVT LXX. LIB. IIII.

Legatio ad Kazimirum Regis Persarum.

ANno Domini 1474 Katherinus Zeno Venetus, uir nobilis, & industrius, ad Kazimirum regem Poloniæ, ab Huszacassen rege Persarum cum legatione, & literis in Caldaico scriptis uenit. Summa literarum, & legationis hæc erat, ut Kazimirus cōtra Mahumeth Turcam, hostem fidei Christianæ à se aliquotiens uictum, cum cæteris Catholicis regibus, primo Vere consurgat, certus existens, ipsum Huszacassen cum decem centenis millibus pugnatorum pro Turcæ exterminatione uenturum. Eo anno circa Plsczinam Venceslaus dux Ribnicen. & Henricus Podebradski bellum agebant: Matthias autem rex Hungariæ inde occasione sumpta, Plsczinam per Bielik intercepit. Agebat & dux Zeganen. bellum circa Vuschouua: item Aydor filius Eczigeri Tartari, in terras Rusiæ, & Podoliæ circa festum Ioannis Baptistæ exercitum Tartarorū pannosum, quasi septem millium induxerat, & cum prẹda discessit.

Anno Domini 1474. die Martis decima septima Ianuarij, Stephanus Palatinus Moldauiæ, exercitum Mahumeth Cæsaris Turcarum, centum, & uiginti millia pugnatorum habentem, cui & Besserabi auxilia ferebant, Valachiam populantem, circa palū Rakouiecz, & fluuium Berliad, proprio Marte, quinq; tantummodò millibus Siculorum, quorum terrā ab Hungariæ rege abstractam in suam ditionē redegerat, magna clade, sed non incruenta suorum uictoria mirabili Dei potentia fudit. Vix quadraginta millia pugnatorum habēs, in quibus maior pars agrestium erat, nec in superbiam ex hac uictoria elatus, diebus quatuor continuis ieiunium in pane, & aqua egit. Per uniuersam quoq; terram suam Bannum edixit, ne quis auderet sibi, sed soli Deo uictoriam illā appropriare. Cum iudicio omnium uictoria illa ex uno stetit, omnem regionem Valachiæ, per quam Turcę ituri erāt, longè antè Stephanus Palatinus flammis exusserat, quæ res maximi adiumenti ad uictoriam fuit, Turcis, & equis eorū macie consumptis. Omnes ferè Turcas captiuos, præter principaliores palis suffixit, cadauera interfectorū cremauit, unde ossium illorum extant aliquot aceruí. Quatuor duces Turcarū principales, & triginta sex signa militaria, manubiasq; nobiles Kazimiro regi Poloniæ in Lithuaniā per primores suos Stephanus transmisit. Rex autem Hungariæ Matthias scripsit Papæ, Cæsari, & alijs regibus sublimi iactantia, insignem Turcarum exercitum per gentes suas, quorū Stephanus Valachię Palatinus ductor erat, deleuisse, uanitate solita, alienos sibi titulos uendicando. Stephanus tamen Palatinus aliquos captiuos Sixto Papæ misit, & scriptis suæ sanctitatis auxilia poposcit. Misit & Matthiæ regi Hungariæ pares manubias, nec his legationibus ad amicos Stephanus contentus. Ad ipsum quoq; infestissimum hostem suum Mahumeth Cæsarem Turcarum, insignem legatum, dona non mediocria ferentem misit. Quæstus est, se à

Stephanus Voieuoda Moldauiæ uictor in Turcis.

Tartarorum strages.

qui-

quibusdam Turcarum latrunculis, & exulibus temerarie, & præter scientiam Cæsaris lacessitum esse. Illam omnem furum, & exiliatorum manum, in manu Dei potenti confecisse. Petens ut reliquiæ huiusmodi latrunculorum, si quæ in dominia sua refugissent, sibi traderentur: pari supplicio cum cæteris pœnas meritas soluturæ. At Cæsar legatione huiusmodi exasperatus, legatos iure gentium uiolato, in ergastulis aliquandiu tenuit. Postea omni substantia spoliatos, pedites & penè nudos Valachiam remisit. O Stephanum uirum admirabilem, & uictoriosum, qui sub nostra ætate tam magnificam uictoriam inter Principes mundi primus ex Turca retulit. Iubileus hoc anno Romæ celebris, sub Sixto Papa quarto, à Paulo antecessore eius, priùs per uniuersum orbem Christianum institutus, agebatur.

Laus Stephani

Iubileus Romæ

Eodem anno Matthias rex Hungariæ, Ianussium Gliuicen. ducem captiuauit: & Bitom, Suuirkleniecz, Kosle, Olesnicza, & Volouu recepit. Venceslaum etiam ducē Ribnicen. qui & fatuus appellatus est, fortalicio, & oppido Plscz(i)na, & tandem captiuitate diuturna mulctauit.

Ianussius dux Gliuicen. captus.

Anno quo supra duodecima mensis Februarij, consentiente rege Hungariæ, & Bohemiæ, Barones apud Pragam concluserunt, ut Vuladislaus Bohemiæ rex uniuersam, Bohemiam, cum utraq; Lusacia, & duobus ducatibus Suueidnicensi. & Iauuoriensi. Matthias uerò Hungariæ Morauiam cum residua Slesiæ parte habeant. Quod si Hungarus prior obiret, non suscepto pignore, ad regem Vuladislaum uniuersa simpliciter deuoluerentur: si uerò pignore suscepto obiret, ducenta millia florenorum darentur filijs suis, & de omnibus excedere tenerētur. Et eadem uicissitudo in rege Bohemiæ obseruetur, stante Kazimiro rege Poloniæ in Lithuania. Isaac genere Græcus de Trapesunda, sed secta Mahumetus, insignis ab Huszacassen. nuncius in duodecim equis uenit anno eodem, rogans, ut primo Vere cum cæteris regibus Catholicis contra Turcam consurgere dignaretur. Hunc nuncium quum benignè tractasset, spe optima præditum, Cracouiam, qua cupidè uidere desiderabat, misit. In qua quum propè mense uno immoratus fuisset ad Matthiam Hungariæ regē in Brunnam: deinde ad summum Pontificem, & ad Venetos transijt, similem legationem apud illos obiturus.

Pactum Matthiæ Hūgariæ, & Vuladislai Bohemiæ regū

Legatio ab Huszacassen.

Anno prædicto, die Veneris ultima Martij, hora octaua noctis in urbe Cracouien. ignis à porta noua, usq; ad portam S. Nicolai omnes domos consumpsit.

Ignis notabilis

CAPVT LXXI. LIB. IIII.

Anno præexpresso 1475 exercitus Mahumet Cæsaris Turcarum ab Andronopoli soluens, ad Caffam insignem Ianuensium ciuitatem, quæ se ab eius exitio per annos tres & uiginti, ex quo Constantinopolis capta erat, muris fortissimis, & altissimis munire non cessauerat, manu nauali, & terrestri perueniens. Ipsam sexta Iunij cum Tartarici exercitus auxilio obsidendo, & impugnando, sexta die per fraudem primorum ciuium Italicorum alijs ignorātibus, cœpit: & ciuitate potitus, continuò traditores cum uxoribus, pignoribus, & omni familia in uincula coniectos, ad classem suam deportauit. Vulgo autē pepercit, & in ciuitate illud degere permisit, media parte omnium substantiarum ablata. Quodam tamen processu temporis inde remouens, in perpetuam captiuitatem sustulit, & non nisi Turcas illic locauit: Tartarorum etiam Imperatorem Menglikeron, qui tunc casualiter apud Caffam cum duobus germanis agebat, cœpit, & tam illos, quàm insigniores Caffensium in Constantinopolim captiuos duxit.

Caffa à Mahumetis exercitu capta.

Captiuorum primores.

Eodem anno horrenda Istulę fuit inundatio, in tantum, quod circa Cracouiam undę operuerant Kazimiriam, Stradomiam, & suburbia, Ecclesias, & domos aquæ impleuerant: pontem maiorem, quo Kazimiria Cracouiæ iungitur, & omnes pontes circa Kazimiriam, fregit, euertit, & abduxit: ex imbribus circa festum Iacobi in mense Iulij causatæ.

Aquarum inundatio.

In mense Aug. in terris Lancicien. Sradien. & Mazouiæ, locustæ ad longitudinem unius digiti humani, capita instar uespertilionum habentes apparuerunt, quę ex Pannonijs per Morauiam, & Slesiam prodijsse ferebantur. Longitudo congregationis earum trium milliarium, & latitudo unius, cum medio milliari feretatuolabāt ordinatis aciebus, & prælantium more cognatæ illę acies mutuo congrediebantur, & una quasi duce surgente, cæteræ ordinibus suis subsequebantur. Loca frugum, & arborum, in qua cadebāt, deuorabant, nil præter terram, & fimum sordidum relinquentes, densitatem earum uix sol penetrare potuit.

Locustarum prodigium.

Anno quo supra, in fine æstatis, Matthias rex Hungariæ, in ripa fluuij Sauue munitionem à Turca erectam expugnauit, & redijt: Turcę uerò in magna multitudine ingressi, regnum Hungariæ, nemine resistentiam faciente, usq; ad Varadinū grassati, ciuitatem Varadien. sexta die Februarij, & uniuersam eius regionem uastarunt. Locustæ etiam eo anno Hungariam afflixerunt.

Turcarum in Hungariam ingressus.

Elizabeth 11.

Anno Domini 1476. duodecima mensis Martij, hora uesperarum, in castro Nyeszoua filiam quintam, prolem uerò 11. Elizabeth regina parturiuit: cui in baptismo Anna nomen per Vincentium Kelbassa Episcopum Culmen. datum est.

Monasterium ad Tessen fundatum. *Mahometus et Tartari valachiā ingreßi.* *Stephani bellicositas.*

Eodem anno post festum Paschæ, Przemislaus dux Tesinen. monasterium fratrum minorum de obseruantiâ ante portam Tesinen. Septentrionalem fundauit. Mahumeth Turcorum Cæsar, contra Stephanum Palatinū Valachię fremens, contra illum hostiliter ueniebat. Sub idē quoq; tempus Tartarorū numerosus exercitus, Turca laturus auxilia, in Valachiam intrauit, & eam priùs, quàm Turca cladibus, & uastationibus affligere cœpit. Stephanus autem Palatinus omnibus frumentis, & uictualibus, ne hosti in pabulum cederent, igne absumptis, in Tartarorum exercitum intrepidus irruit, & magna clade illum contriuit, tantoq; ardore fugientes persecutus est, ut plures in fuga, quàm pugna occideret. Deinde in Turcam, Danubium nauibus superantem, irrupit, & plures occidit. In particularibus quoque congressibus, dum frumentatum ex syluis ibant, inuadēs, uictor & superior, singulos captiuos Turcarum aut uiuos excoriabat, aut in palos suffigens occidebat, donec Turca illum in multitudine abundans, exercitu dispartito, à fronte & tergo circumdedit, & sic strenuissimè cum suis pugnantem Turca uicit, & non ampliùs, quàm ducentos de suis prostrauit. De Turcis uerò propè triginta millia cecidisse referuntur. Stephanus aūt cum suis ad futura se reseruans, quò sors ferebat, fugit: Cęsar uerò Turcarum incendijs Valachiam conterens, & exindè sibi, & suo exercitui famem generans, propter inediam ex Valachia abscessit. Matthias autem Rex Hungariæ in suam laudem traducens, scriptis uulgauit, metu sui processus Turcam fugisse. Quapropter & Papa Sixtus quartus, & Ferdinandus Apuliæ Rex, Principesq;, & communitates Italiæ collatione facta, ducenta millia aureorum ad conterendum Turcam illi transmiserunt, qui ipsis uictoriam, & perpetuum Turcæ exterminium promittebat. Sed interim copiosus Turcæ exercitus, ex regno Bosnæ subitò circa sedecimam Octobris adueniens, totam Carneolam, Corinthiam partem Styrię, Salczburgēsemq;, & Bombergen. Episcopatus, grauiter afflixit, & usq; ad montes Italiæ grassatus est. Multas Catholicorum cateruas in captiuitatem perpetuam abducens: insuper quinque propugnacula fortissima ex lignis in littore Histri, in parte inferiori castri Smiderouu, per Regem Matthiam fabricata expugnauit. Quibus Papa Sixtus, Principes, & communitates Italiæ cognitis, tum se primùm à Matthia Rege Hungariæ circumuentos intellexerunt.

Turcæ uictoria. *Falsa laus Matthiæ.* *Turcæ Christianos clade affecerunt.*

Fulminis ictus notabilis in Ecclesia sancti Francisci.

Anno quo suprà die Martis, trigesima mensis Iulij, hora duodecima, fratribus sub eleuatione, Benedictus qui uenit, cantātibus, fulmen cum terribili sonitu è cœlo ueniens, pinnaculum per modum turris supra Ecclesiam sancti Francisci percussit, & incendit, ita ut totum tectū eiusdem Ecclesię exureretur, crucifixum in medio chori pendentem scidit, & euertit: lapides sinistri parietis detruncauit, & abrasit. Vnum monachum occidit, & aliquot homines propinquos suo flatu, non tamen mortaliter, læsit.

Beatricis coronatio.

Eodem anno Matthias Pannoniorum rex, pro Beatrice filia Ferdinandi Regis Apuliæ, Rudolphum Vratislauien. Ioannem Varadien. Episcopos: item Ioannem ducem Oppolien. & cæteros in comitatu sexingentorum equitum misit, pro die Galli apud Budam diem nuptiarum constituens. Quæ adducta in Albam regalem, feria quinta in die sancti Lucæ Euangelistæ coronata est, & die Dominica sequenti thoro regio iuncta est.

Dracula Besserabiæ Voieuoda occisus.

Eodem anno rex Matthias Hungariæ Vuladislaum Draculam Voieuodam Besserabiæ, annis propè duodecim in captiuitate tentum, restituit, & in Besserabiam remisit, qui fraude serui sui, currendo in equis uelocibus decapitatus occubuit.

CAPVT LXXII. LIB. IIII.

Przemislai Teßinēsis interitus.

ANno Domini 1477 Przemislaus Tesinens. dux, tristitia & mœrore (ut aiunt) confectus, quòd Matthias Hungariæ Rex illum de dimittenda arce, & ciuitate Tesinen. aut de soluendis sumptibus in bellum Slesiticum in eius liberationem impēsis, graui molestatione requirebat. In arce Tesinen. undecima Martij diem obijt, in monasterio Prædicatorū in Tesin sepultus: unicam tantummodò filiā Hedüigim relinquens superstitem. Non tamen illam, sed nepotem suum germanum Kazimirum, filium Boleslai germani ducis Fristatens. testamento omnium principatuum suum hæredem reliquit. Heduigis uerò postea Stephano Trencinen. Palatino, & gubernatori Hungariæ, Comitiq; Scepusien. nupsit.

Vuladislai Bohemiæ regis Viennam aduentus.

Eodem anno Vuladislaus rex Bohemiæ, auxilia Imperatori Friderico tertio laturus in Austriam uenit, certificatus per Cæsarem de regalibus quamprimū ueniret illi consignandis, gratissimeq; fuit à Friderico ab uniuersitate, & cunctis statibus ciuitatis Viennen. exceptus. Altera aūt die aduentus, feria scilicet tertia post Viti sub magna frequentia, in Ecclesia sancti Stephani, Fridericus imperialibus indutus regalia Regi Bohemiæ contu-

contulit: & tradendo sibi uexilla Bohemica, ipsum de Pincernatu imperiali inuestiuit. Omnibus autem pacatis, Rege Vuladislao ex Austria discedente, Matthias Rex Hungariæ intrauit, in Austria, & Styria omnia perturbando, & usq; ad Bauariam grassando: factaq; compositione, Imperator ei regalia secundò contulit, quæ primò Vuladislao contulerat, & renunciauit de regno Hungariæ, & octuaginta millia florenorum soluere promisit, quæ tamen non adimpleuit.

Anno præexpresso circa festum Michaëlis Turcę cum triginta millibus armatorum, omnem regionem circa forum Iulij usque ad Kunianum, aliàs ad Kingllianum depopulati sunt. Tria quoque millia stipendiariorum, quos Veneti circa angusta, & clausuras alpium locauerant, facta impugnatione, & conquisitione loci, trucidauerunt, & multos captiuos uelut pecora abduxerunt.

Turcæ cum triginta millibus armatorum.

Anno Domini 1478 quintadecima Iulij, Elizabeth regina in Sandomiria sextam filiam, prolem uerò duodecimam, enixa est, quæ à Ioanne Rzeszouuski Episcopo Cracouien. baptisata, Barbara nomen accepit. Eodem anno circa festum sancti Laurentij, Turcę omnem Corinthiam ab oppido Malburgeta, usq; ad Villacum, & prope Grecz celeriter transcurrendo, cædibus, & captiuitate omnia fœdarunt. Tartari quoq; sub idem tempus Braczlauu spoliarunt, & incenderunt.

Barbara 12.

Anno Domini 1479 in Iunio dieta Olomucen. inter Matthiam Hungariæ, & Vuladislaum Bohemiæ Reges agebatur. Conclusa fuit pax inter Reges sub conditionibus priorum fœderũ, ut Vuladislaus rex Bohemiæ uniuersam Bohemiam haberet, Matthias uniuersam Morauiam, Slesiam, & Lusaciam. Fouebatur tunc Vuladislaus rex, munificentia, & expensis regis Matthiæ. Eodem anno circa festum Galli, exercitus Turcarum maximus, quinq; Bassarum, in terram Septemcastren. circa ciuitatem Cibinium irrupit. Batherystuuan autem cum suo exercitu coactus pugnã inijt, & multitudine Turcarum conterebatur: interim duo Capitanei partis Hungarorum, Knezipauel, & Iaxi, frequentibus nuncijs Batherystuuan sollicitati, habentes secum omnes aulicos regios, & noningentos Rascianos, superuenerunt. Et dimissa fronte Turcarum, in latus studiosè irruerunt, magnamq; stragem in Turcis facientes, in fugam eos conuerterunt, ita ut non amplius pugna, sed strages fuit.

Fœdus Matthiæ Hungariæ et Vuladislai Bohemiæ regum.

Congressus Batherystwan cũ Turca.

Anno prædicto Iuuan, quod sonat Ioannes dux Mosquæ, uir singularis fastiuitatis, ciuitatem amplissimam Nouogrod, à Kazimiro Rege Poloniæ neglectam, in suam redegit ditionẽ: omnibusq; ciuibus spoliatis, tertia tantummodò parte cuilibet relicta (quod dictu apud posteros forsan erit parũ credibile) trecentos currus: auro duntaxat, & argento, margaritis, & lapidibus preciosis, usq; ad summum refertos, ante se de spolijs Nouogrodensium egit: de supellectili uerò nobilissima sine numero.

En spoliũ ducis Moscouiæ.

Anno Domini 1480. die Veneris, 29 Maij, uir celebris conditione, ac insignis reputatione Ioannes Dlugosz senior de Nyedzelno, Canonicus Cracouien. diem uitæ clausit extremum. Erat autem staturæ proceræ, faciei gracilioris, & macræ, nasi longi, & aquilini, ætatis grandæuioris, & prouectæ, ut ipse de se scripsit. Sexaginta quinq; annorũ, moribus probus, uirtutibusq; fulcitus, industria sagax, sermone eloquẽs. Inter alia historiarũ maximus amator, ac lector, & Chronicorũ scriptor. Huius Aeneas Syluius de Piculominibus, Poëta Laureatus, deinceps Cardinalis, & Papa creatus, Pius secũdus uocatus, meminit, & in epistolis Sbigneo Cardinali tituli sanctæ Priscæ, Episcopoq; Cracouien. missis, magnificè extollit. Asserendo eum hominẽ doctissimum, & in promptu habentẽ eloquentiam, multo sale conditam, quem præter nullus tam clarè, tam disertè, tamq; prolixè, res Polonorum in pace, & bello intùs, & foris gestarum, quòadusq; uiueret scripsit.

Ioannis Dlugosz uiteritas uitæ, et morũ eius descriptio.

Vnde in hoc anno Dñi 1480 uita, & Chronica ipsius finitur: preterea scripsit diserto stylo legendã beatissimi Stanislai, Presulis Cracouien. & patroni Polonorũ gloriosi, uitamq; beatę Kunegundis coniugis, & perpetuò uirginis Boleslai pudici ducis, ac monarchę Polonorũ, in Sãdecen. cœnobio uita functę, & sepultę. Scripsit & Geographiã, imò uerius Chorographiã regni Poloniæ, urbes, castra, oppida, flumina, mõtes, atq; uillagia, cuius situs, & dispositionis sint. Scripsit & libros inuẽtarios prouentuũ cathedralis Ecclesię Cracouien. & cunctarũ Ecclesiarũ Collegiatarum Conuentualiũ, & parochialiũ diocœsis Cracouien. Ad quẽ, uel ad quos pertineant, distinctius adnotãdo. Item scripsit familias, arma, & clenodia nobilitatis Polonorũ cũ origine, & causa eorũ, & alia opera regno Polonię frugi, & decorẽ eternũ paritura. Erudiebat preceptor cõstitutus, illustrissimos natos Kazimiri tertij regis Polonię, quibuscũ non paucis annis cõtritis, dũ postulatus, & electus fuisset in sedẽ Archiepiscopalẽ Leopolien. obijt antequã cõsecraretur, anno, mẽse, & die, quibus suprà. In Ecclesia S. Stanislai Kazimirię Cracouien. de Rupella nominatę, iuxta sepulchrũ beatissimi Stanislai tumulatus. Cuius Ecclesiã prefatã in Rupella personis re-

nis religiosis Pauli primi æremitæ, & prouisionibus largis, ac priuilegijs antè prouiderat ac dotauerat. Principibus filijs regijs, ipsius discipulis, cum cœtu uniuersitatis, prælatorum ac populorum funus eius sequentibus, & exequias cohonestantibus, quibus inter-fui, & prædicta omnia uidi.

Rhodis à Turcis obsessa. Eodem anno Turcæ ciuitatem Rhodis obsederunt, & machinis partes murorū rumpentes, & uarios uarijs modis occidentes, murum ascenderunt: pluribusq; ex utraq; parte cadentibus, repulsi, illatis innumerabilibus damnis, discesserunt, & in regnum Apuliæ traijcientes, multas clades fecerunt, oppidum Bestiam ad montem Garganum deleuerunt, & Hidruntem ciuitatem expugnantes, Archiepiscopum per medium secuerunt, & penè omnes in urbe occiderunt.

Sequenti anno audita morte Mahumeti Cæsaris Turcarum, Alphonso filio Regis Apuliæ, & duce Calabriæ expugnanti, & subsidia Matthiæ Regis Hungariæ generi sui habenti, sese subdiderunt, qui in mancipia ipsos redegit.

CAP. LXXIII. LIB. IIII.

Mahumeti mors. Anno Domini 1481. die tertia Maij, Mahumetes Imperator Turcarum, qui triginta annis multos populos atrocissimis bellis afflixerat, & suo Imperio subiecerat, mortuus est, & in Constantinopoli sepultus: fuitq; idem mensis mortis, qui adeptionis, & expugnationis urbis Constantinopolis fuit.

Expulsio fratris. Eodem anno Baissetus, filius ipsius natu maior, in Cæsarem Turcarum electus, Zeliabum fratrem suum minorē imperare gestientem expulit, qui in insulam Rhodis, causa salutis fugiens, captus est, & in Franciam per Cruciferos religionis sancti Ioannis de cruce alba missus, in captiuitate pluribus annis detinebatur, donec ab Alexādro Papa sexto acceptus fuit. Sed Carolo rege Franciæ in Apuliam per Romam cum magna potentia transeunte, & uim Papæ inferente. Inter alia clœnodia, & obligationes à Papa Alexandro extractas, acceptus erat, & antequam Apuliam rex attigerat, Zeliabus in Campania extinctus quieuit.

Pestis magnitudo Cracouiæ. Anno Domini 1482 pestis sæuissima ex Hungaria progressiuè transiens, in minori Polonia uiguit. Ab octaua corporis Christi ad assumptionem beatæ Mariæ uirginis, hoc est, à medio dierum Iunij usq; ad medium dierum Augusti perdurans. Moriebantur Cracouiæ singulis diebus quadraginta, interdum quinquaginta homines in parochia sanctæ Mariæ in circulo. Ad sanctum Stephanum uerò singulis quibusq; diebus triginta, interdum quadraginta, sic suo modo in cæteris parochijs.

Anno autem sequenti, scilicet 1483 deuenit, & inualuit pestis in maiori Polonia, Mazouia, & eorum uicinijs, multam frequentiam mortalium occidendo.

Simon de Lipnicza moritur. Eodem anno Pater Simon ex oppido Lipnicza natus, frater minorum prædicator gloriosus, & feruidus, peste quindecimo Calendas Augusti, die Iouis, decima octaua Iulij, quæ fuit dies sancti Arnolphi mortuus est, in choro Ecclesiæ sancti Bernardini in Stradomya per fratres tumulatus. Sed quum miraculis corruscaret, à fratribus honorificè in corpus Ecclesiæ ad sinistram partem translatus, & conditus est. Cuius Epitaphium unum est hoc:

Lipnicius iacet hic Francisci ex ordine Simon
Diuino frater feruidus eloquio.
Cuius perpetua fruitur iam spiritus aura,
Quod probus hic sanctè uixerit atque pius.
Quod decorare Dei studuit genitricis honorem,
Doctrinam factis atque probare bonis.
Hunc mirandà uides testantur signa beatum,
Qui miseris meruit ferre salutis opem.
Hunc igitur studeas tibi conciliare patronum,
Vt uoti compos efficiare tui.

Kazimiri secundo geniti mors. Anno Domini 1483. die Iouis in crastino cinerum, Dux Kazimirus secundo genitus Kazimiri tertij regis Poloniæ, ptlusi suffocatus Vilnæ interijt, ubi & sepulturā accepit. Et post mortem prodigijs miraculorum splendescere ferebatur.

Bessarabia à Baizeto uastata. Anno Domini 1484 Baizetus Imperator Turcarum, qui (ut ferebatur) ocio deditus, uoluptatibus immersus operam dabat, per suos excitatus & inductus, cum maxima potentia tempore Veris in Besserabiam uenit, & Kiliam, & Bialagrod obsidendo expugnauit, & in hanc usq; diem possidet.

Tres præstantes peregrini Cracouiam exeunt. Eo tempore magister Michaël de Vielun Collegiatus maioris Collegij Cracoui. cū magistro Nicolao de Glogouia maiori prædicatore Teuthonico, & Georgij de Lanczhuth presbytero ad sanctam Mariam in circulo Cracouien. nolētes per terram pedestres

Sanctam

Sanctam ciuitatem Hierusalem uisitare, quum in Valachiam intrarent, Turca exercitualiter appropinquante, Kiliam ingressi, captiuati, & uenditi fuerunt: biniq; eorum magister Nicolaus prædicator, & Georgius de Lanczhut in Constantinopoli, per mercatores Venetos redempti, in Poloniam per Venetias, & terras Christianorum redierunt. Magister uerò de Vielun ter uenditus, & liberatus, de terra sancta cum uno côuerso minorum natione de Kaliss peregrè rediens, quia caumata, & aëris feruorem nô uitauit: in Rhodis febribus acutissimis correptus, diem obijt extremum. Hic fuit in omni facultate doctissimus, & promptus, Hebraicamq; linguam perfectè profitens, & sciens.

Eodem anno Domini 1484. die Saturni quinta mensis Maij, quæ fuit uigilia Pentecostes, Christophorus Saffranyecz de Pyeszkouua Skala, mercatores Cracouien. ad nundinas in Lublin transeuntes, hos, Stanislaum Lanthman, Ioannem Reichil, Ioannem Nonert, Conradum Bncziger, Suantoslaum, & Bartholomeum Sintich trucidauit. Qui in Cracouiam adducti, in choro Ecclesiæ S. Mariæ in circulo prope sacrarium iuxta subsellia Vicariorum matutam missam cantantium sepulti sunt. Ob hoc itaq; crimen, & spolia quæ fecerat, primû de regno bannitus, tandem per Pyeczik, & Szus circumuentus, captiuatus est, & Cracouiam adductus, in testudine reclusus in arce Cracouien. detinebatur: donec sub nundinis post festum sancti Michaëlis mandato Regis Kazimiri capite truncatus, in Ecclesia sancti Bernardini sepultus est.

Christophori Saffraniecz grassatio.

Interitus eiusdem.

Anno Domini 1485 frater Michaël ordinis S. Mariæ de metro de patientia beatorû martyrum ad sanctum Marcû Cracouiæ quarta die mensis Maij uitâ finiuit, in choro ad ualuas sacrarij Septêtrionem uersûs sepultus. Fuit statura breuis de natura Gnauuorum, miraculis (ut fertur) gloriosus, & clarus. Hic uerentibus fratribus, & metu concussis, ne ignis nô longè exortus, monasterium S. Marci corriperet, dixit: Non timendû pro hac uice, sed dum moriar, plaga per ignem grandis huic monasterio accidet, quod ita factum, post mortem ipsius uerificando superuenit, semper humilis, orans, & deuotus fuit.

Fratris Michaëlis mors.

Eodem anno Domini 1485. die Mercurij, sedecima Martij, fuit ecclypsis Solis undecim punctorû, super quinto gradu Arietis, in regno Poloniæ, ante occasum Solis satis notabilis defectuositatis, & diminutionis lucis: hanc in Mirâdula ciuitate Lombardiæ satis claritatis habentê inspexi, nec illic aliqua obscuratio, aut splêdoris diminutio notabatur.

Ecclypsis Solaris.

Anno Domini 1486. die 28 mensis Martij, quæ fuit feria tertia Paschæ. Maximilianus in Aquisgrano in Regem Romanorû, per Archiepiscopos Maguntinen. Colonien. & Treuerien. in præsentia patris eius Friderici tertij Imperatoris Romanorum, & multorum principum, prout ante conclusum in Frankfordia tempore electionis fuerat, coronatus est.

Maximiliani coronatio.

Anno Domini 1488. die Solis, tredecima Aprilis, quæ fuit Dominica côductus Paschæ illustrissimus Fridericus Kazimiri tertij Regis Poloniæ filius postremò natus. Per Capitolum Cracouien. ad populationem præfati Serenissimi domini Regis Kazimiri, in Præsulem Cracouien. fuit electus. Et octaua die, quæ fuit uigesima Aprilis, minores ordines de manu Reuerendissimi domini Vrielis de Gorka antistitis Posnanien. in Piotrkouu in Ecclesia prædicatorum suscepit. In crastino aliàs 21 Aprilis per Paulum de Glouina Decanum Cracouien. cum eius collegis, nomine Capituli Cracouien. postulatus, spiritualibus adiectus fuit: in his omnibus principio Leonis ascendente.

Fridericus Episcopus Cracouien.

Eodem anno, die Mercurij sedecima mensis Iulij, concordia inter Conradum, & Ianussium germanos Mazouiæ duces, super bonis hæreditarijs, per Boleslaum, & Kazimirum fratres eorum uita functos derelictis facta est.

Anno Domini 1490. die Lunæ, quinta mensis Aprilis, Matthias rex Hungariæ apoplexia (qua præcedenti die oppressus erat) in castro Viennæ Australis suffocatus, & extinctus est, & in Hungariam relatus: sepulturam in alba regali absque pompa communem accepit.

Matthiæ Regis Hungariæ obitus.

Eodem anno, die Mercurij, tredecima mêsis Octobris Cracouiam in pulchro comitatu Ioannes Varadiên. idem & Olomucen. Episcopus aduenit, in circulo Cracouien. apud Sebastianû hospitio exceptus, Kazimiro regi Poloniæ persuadebat, ut filiû eius ducem Albertum tertiò genitum, ex Hungaria reuocaret: & Vuladislaum primogenitû regem Bohemiæ in Hungariam pacificè regnare annueret. Is Rege Kazimiro dissentiente, die Lunæ, decima octaua mensis Octobris, quæ fuit Lucæ Euangelistæ, incôsolatus è Cracouia per Silesiâ, & Morauiâ in Hungariâ recessit, postea in breui monachus factus.

Ioannes Episcopus Olomucen. Cracouiâ aduenit.

Anno Domini 1491 Cometes dominus assone dictus, de natura Mercurij, circa festum Epiphaniarum sub tertia facie piscium, Solem post occasum sequens apparuit, & circa carnisprîuium resolutus disparuit.

Cometes.

Eodem anno, die Solis, octaua mensis Maij, & fuit dies celebris sancti Stanislai Polo

Ecclypsis Solis. norum patroni,& Dominica rogationum,accidit ecclypsis Solis nouem punctorum super 26 gradu Tauri:subsequutaq; fuit gregum,& pecudū miranda contagio,& infectio, *Pestis subsequutio.* præsertim boum & suum,siue porcorum. Iacebant etenim inualidata artubus,& iuncturis,& surgere non poterant:linguaq; eorum abrasa,excoriata,& ferè ulcerata,pabula contingere,& masticare non ualebant.

Collegij artistarum cōflagratio. Anno Domini 1492 mortuo,& tumulato Kazimiro tertio rege Poloniæ,incendium de domo aciali Mikosz nuncupata,iuxta portam sutorum exilijt,& omnes domos iuxta Ecclesiam sanctæ Annæ Cracouiæ, cum collegio artistarum maiori,& horologio nouiter immutato,die Solis 29 Iulij in nocte sequenti consumpsit, & conflagrauit.

CAPVT LXXIIII. LIB. IIII.

Conuētus pro rege eligendo. AD eligendum nouum Regem,posita conuentione pro festo assumptionis Mariæ in Piotrkouu eodem anno Domini 1492 conuenere optimates, & Satrapæ regni Poloniæ, Prælati,Magnifici,& Nobiles. Et quia Alexandrum quarto genitum, Lithuani mortuo Kazimiro tertio rege Poloniæ statim asciuerunt,& in magnum ducem ex sententia,& uoce eiusdem Regis uiuentis. Sed moribundi, & tunc ab Lithuanis illud optantis sibi prefecerunt,& duobus super remanentibus alte- *Partes Ioannis Alberti.* rum Poloni in Regem cum quadam animorum insensione,& controuersia eligere adnitebantur. Communitas nobilium,familiaq; Rosarum,& urbs Cracouien. cum alijs ciuitatibus regni Ioannem Albertum,tanquam maiorem natu regnare uoluerunt. In contrarium Sbigneo de Oleśznicza Archipræsule Gneznen. ducibus Mazouiæ Conrado,& *Partes Sigismundi.* Ianusio,Raphaele Iaroslauuski Marschalco regni,& omnibus de armis bipennium:cęterisq; ei assistentibus adnitente,& Sigismundum minorem natu deligere,& erigere,seu sicut communitas cū sibi adherentibus rebatur electionem regina in eundem Ianusium ducem Mazouię,qui personaliter cum eodem Archiepiscopo campestraliter post uillam anteurbij Pyotrkouien. per omne tempus electionis egit,transferre conante. Donec dux Ioannes Albertus hac campestrali statione Archiepiscopi, & ducis Mazouiæ prouocatus,iuuamine genitricis suæ Elizabeth reginæ Poloniæ ad Illustrissimū,& Reuerendissimum dominum Fridericū electum, & confirmatum Cracouien. germanū suum in curia paterna atq; regia cū auctoritate præsidentiæ,tanquā sub illa Archiepiscopi in campo statione usurpari simulata,ac ad alios prælatos, & proceres in locis cōsuetis residentiarū anteurbij illius electionem repræsentantes armato milite in Pyotrkouu misso,electioni suæ renitentes, & spolia parti eius inferentes cōpescuit. Die itaq; Lunæ 27 mensis Augusti, luna applicante ad ascendens radicis eius: Ioannes Albertus in Pyotrkouu rex Poloniæ proclamatus,& publicatus est, Ioanneq; de Tarnouu filio Palatini Cracouien. ad electū *Ioannes Albertus rex eligitur* ducem Albertū uelocissimè in Cracouiam aduolāte, & electionem publicāte: Te Deum laudamus in crastino electionis Cracouiæ (mirū in modum omnibus gratulantibus, & gaudentibus)ignes multis locantibus,uasa quoq; uini,& ceruisiæ exponētibus decanta- *Mox coronatur.* tum est. Coronatio tandem eius in regem Poloniæ Dominica in crastino Mauritij, quæ fuit 23 Septembris celebrata.Coronatus autē,& inunctus est per Sbigneū Gneznen. Archiepiscopum,debilē,& hydropicum, assistentibus ei prædicto Friderico electo Cracouien.cōfirmato,Petro Moszczynski Cuiauien. Vriele de Gorka Posnanien. Episcopis,cęterisq; Pontificibus,& prælatis,Regina quoq; Elizabeth genitrice ipsius inspectante, ac multitudine copiosa.Sbigneo Archiepiscopo Gneznen. Marschalco regni Iaroslauuski, alijsq; eius coronationē dedignantibus,depost breui mortuis. Et quū anno sequenti rex *Legati Venetorum.* Ioannes Albertus in Polonia esset,insignes legati Imperatoris Turcarū pro treugis etiam ad uitā utriusq;,& Imperatoris,& Regis cōstituendis, & dominij Venetorū ad eum uene- *Legati Turcarum.* runt.Retentis aūt secum in Posnania legatis Turcę de pactis induciarū tractantibus,Marcum Dandalū doctorem utriusq; Iuris, & principalem Oratorem cū collega ipsius Paulo Capello,& reliquis Venetis gratulatū iri de Venetijs missis de sublimatione Ioannis Alberti in Regem Polonię Cracouiam ire iussit. Qui die Iouis secunda Maij Cracouiam ingressi,& in circulo apud Nikel Karle hospicio honorificè suscepti, & optimè tractati, uotorumq; suorum compotes facti,die Lunæ,tredecima mensis Maij recesserunt.

Regū ac principum in Leuczouiam conuentus. Anno autē Domini 1494 die Iouis,decima septima mensis Aprilis, conuenerunt in Leuczouia germani, Vuladislaus Hungariæ , & Bohemiæ, Ioannesq; Albertus Poloniæ Reges, dux Sigismundus , & Fredericus Archiepiscopus Gneznens. Episcopusq; Cracouien.& Cardinalis pronunciatus. Item Fredericus Marchio Brandenburgen. Regum sororius, cum magnificis, & consiliarijs regnorum Hungariæ atq; Poloniæ, multisq; ac uarijs interpositis tractatibus super regnorum unione super bello in Turcas, & uindicanda patrui truculenta nece, qui pro regni Hungariæ defensione, ut suo iam antè loco dictū est, contra immanissimum Turcarum Imperatorem strenuè pugnādo interijt, & exili-

& extirpatione Valachi. Irritatis & omnibus articulis ferè conclusis reiectis, uacui ad propria discesserunt: uacui tamen animi regij haud fuerant, quod in proposita capitis immediate sequentis expeditione declaratur, sed ut deliberationes regum Turcam latuissent irritationes eiusmodi consulto erant publicatæ.

Anno præfato die Martis, tertia mensis Iunij, notabilis legatus Imperatoris Turcarū, 12 camelos habens, Cracouiam aduenit, in domo ducū Mazouiæ in acie circuli Cracouien. hospitio exceptus: præparabantq; & quasi singulis diebus Turci in circulo Cracouien. sub prætorio fimum, & pabula camelorū desiccabant. Astruebant tunc memores, & seniores, eum fore annū quadragesimum, quem diuus Ioannes Capistranus prædicando Cracouiæ prophetice dixerat: Veniet Turcus hûc, & equos suos in circulo Cracouien. locabit, si correctio morū, & uitæ in uobis non aderit. Vtq; narratores affirmabāt, tametsi de Turcarum Imperatore non fuit uerificatū, in nuncio tamen eius sub conditione expressa, uerissimè impletum fuit. Terribile quoq; dictu, horribilis plaga eo tempore accidit: nam die Solis, 29 mensis Iunij, quæ fuit Apostolorum Petri, & Pauli, in nocte sequenti, maximus ignis à pistoribus circa nouā portam exortus, omnes structuras iuxta murū & in medijs plateis, præter circulum usq; ad plateam sutorū conflagrauit, & consumpsit: cecideruntq; portæ sancti Nicolai, sancti Floriani, Slaukouien. Ecclesia sancti Marci, & clypei eius, cū toto monasterio ceciderūt, turres ciuitatis in prædicto circuitu, & turris Ecclesiæ sancti Stephani cum campanis, & domo pastorali exustæ sunt. Iudęi post sanctum Stephanum commemorantes uehemēter arserunt, & immisericorditer per stipendiarios, quorū magna copia illis diebus Cracouię aderat, direpti sunt: nos q; in domo aciali Turzonis plateæ sancti Stephani arsimus. Hęc cū uidissent Turci, omnia sua in camelos ac equos imposita ligarūt, parati de ciuitate egredi: sic & Cardinalis Fridericus, quæ sua fuere, in currus cuncta imponere iussit. Et si incendium Episcopali curiæ appropinquaret, è Cracouia excedere disposuerat, continuata est hæc plaga incendij, à prima hora noctis, usque post ortum Solis. Legati quoq; Turcarum extunc quarta die, cum licentia Alberti regis, die Iouis, tertia die mensis Iulij de Cracouia abscesserunt: ad instantiam autem ciuiū Cracouiensium, tanquam propter ipsos huiusmodi plaga conflagrationis euenisset. Rex Albertus Iudæos de Cracouia in Kazimiriam sub murum, iuxta Ecclesiam Laurentij, ubi cellæ pro collegio, & lectorijs per Kazimirum secundum Regem Poloniæ extructæ fuerant, ubi in hanc diem morantur, transtulit.

Legatus Turci Cracouiam uenit.

Capistrani uaticinium.

Iudæi Cracōuia expulsi.

CAP. XXV. LIB. IIII.

ANno Domini 1497 his calamitatibus, grandius malū successit: nam rex Albertus à Valacho magnanimæ suæ uoluntatis effectum prosecuturus, perinde atq; Leuczouiæ, sicuti suprà scripseram, cum fratribus constituit, ulturus patrui per Turcas in Vuarna occisi interitum, castra Turci in Vualachia occupata expugnaturus, bellū ingens, atq; idem periculosum uersus eadem castra per Turcas in Vualachia occupata concepit, quo uniuersam Poloniam, Russiam, Mazouiā, Ioannemq; de Tiffen magistrum Prussiæ, reliquas terras: imprimis uerò illustrissimū principem dominum Alexandrum magnum ducem Lithuaniæ germanum suum, qui cum uniuersis magni ducatus Lithuaniæ proceribus in auxilium fraternū per campos inferioris, superiorisq; Podoliæ processit, & circa Braczlauu fraternū expectando auisamentum substitit, in arma concitauit, præterea mercenarium militem equestris, pedestrisq; ordinis, immodicum his iunxit, atq; instructum exercitū ad dies Iunij apud Leopolim recensuit. Quo reuiso, ordinatoq;, die 26 Iunij, feria secunda post diui Ioannis Baptistæ diem, cum toto exercitu, & Sigismundo fratre, à Leopoli soluit, iterq; in Valachiam non sine malo omine dirigens. Hæc inter prodigia infœlicis expeditionis numeranda precessêre, boues ducenti post exercitum pulsi, Leopolim uersus turbinis uehementis impetu dispersi sisti non potuerūt, sed partim in ipso suburbio fossatis se immittentes, partim in campos, & alia loca delapsi, uix (sed nō integro numero) fuêre recollecti. Rege ipso fluuium, exiguo alueo dilabentē, transeunte, dextralis equus candidissimus, regiq; charus corruit, & erat submersus. Preterea quidā Sropeki genere nobilis, alioqui pauci sensus, Leopoli iteratis uicibus nostros succubitores nō sine terrore exclamabat. Fulmen itē castris dilapsum, nobilē unum, & equos 12 interemit: sacerdote apud Regē diuina celebrante, hostia finibus manipularis à sinistra pendēris, quod rex ipse uidit, è sacro altaris ac ministerij loco detracta, seu casu quodā, seu improuidentia celebrātis excidit, in terramq; est prolapsa, quę per ministrantē Capellanum regē cum admiratione hostiam demonstrāte, una & per ipsum celebrantē fuit collecta. His terrorē incutiētibus, nihilominùs à scelerib. nihil temperatū exercitus, permissis mulierib. refertus, ferturq; ipsi Primores, & duces, nocturna libidine nō saciati, clara luce publicis balneis, & una, inter amplexus mulierū uoluptatib. indulsisse.

Omina infœlicis belli.

Quumq;

Quumq; in expeditione ipsa procederent, quamuis post solutam Leuczouien. conuentionem Albertus Rex per insignes suos Oratores, & magnæ auctoritatis ac prudentiæ Consiliarios scilicet Creslaum de Curosuuanky Decanum Cracouien. & regni Poloniæ Cancellarium: iam uerò per ipsum Regem ad Ecclesiam Vuladislauiensi. per mortem Petri Moszinski de Bnyn uacantem pronunciatum eligẽdum, & per Podlouuski de Przytyk Castellanum Radomien. cum eodem Cancellario una legatos Stephanũ, aliàs Chari Bogdan Vuoicuodam Vualachiæ de illarum secretarum, ac earum contra Turcas fraternarum regiarum deliberationum Leuczouien. quæ consultò tanquam irritatæ fuere auisatum facit, & hortatus est ad assistendum ipsi regi, & in suo sanctissimo proposito auxilium ferendum, quod ipse Stephanus data fide, & manu repromisit, non tamen priùs illud laturus, ne per Turcas præuentus esset, donec uideret Regem, uel apud castra Kyliani, & Byalogrod, uel in Danubio cum exercitibus constitui, cuius tamen profectionẽ in terra sua impedire nollet, quin etiam æquè permitteret commeatum liberè ministrari. Cumq; Rex terras Rusiæ ingrederetur Creslaus Rozensis nuper nominatus, iam uerò Electus, Vuladislauien. & regni Poloniæ Cancellarius senator, atq; zelator regni uigilantissimus, & rerum peritus, ut audiuit Stephanum Vuoieuodam in perfidiam uersum, à uotis promissis discessisse, & Hungaros malè contentos esse de Rege suo, qui eis inconsultis Leuczouiæ fratri Alberto Regi annuit, in castro Turci Valachiæ occupata expeditionem faciendum, timore perculsus, ne Stephanus per Hungaros zelo inuidiæ concitatos, persuasus Turcas, & Tartaros auisatos efficeret, & in Regem conuerteret, subitò cucurrit ex ædibus suis, & Regem expeditionem continuantem in Przemislien. oppido adijt, orat, & obtestatus erat, ut ab expeditione desisteret, sed eam ad loca solitudinum per Tartaros uastari solita conuerteret munienda. Quæ Creslai adhortatio per Regẽ abiecta fuit ut cum despectu quodam eum à se Rex licentiaret, ad ædesq; suas Episcopales redire iuberet, qui potiùs domi oraret, aut quæ suæ Episcopalis sunt professionis, ageret: Rex uerò, quod sibi innatum ac proprium est, armis, & bello insisteret. Sic quoq; Albertus Rex non ignorans Vuoicuodæ illius dolos Matthiam de Loncza Episcopum Camienecen. ad Vuoieuodam præmissum exploratum dirigit, an in proposito abstinentiæ perseueraret, quod Vuoieuoda coram ipso oratore Episcopo confirmauit. Tamen cùm rex terræ Valachiæ appropinquaret, Vuoieuoda per Turcas, Moldauos, & Siculos atq; Transyluanos, qui uotis fortasse quorundam dominorũ Hungariæ, quibus secretè Leuczouien. deliberationes non erant creditæ, concitatus, sententiam mutauit, & non solùm commeatum exercitui regio recusauit, uerùm etiam pro uoluntate assistentium sibi Turcarum hostem se Regi eius terram ingredienti nunciauit, sollicitatusq; per frequentes Regis nuncios, ut ad se rediret, promissorumque firmus esset obseruator, conuerti ad prima promissa noluit, quamobrem tela regia, quæ rex non in eum, sed in Turcas acuerat, in se conuertit. Et cùm hæc insperata eueniret mutatio, nec minùs populus regius uoluptati illius deditus fortunam, & propitiationem non mereretur diuinam, timore non uulgari erant concussi Poloni, ut plerumq; à paucis hostibus infidelibus, & schismaticis, aut fugarentur, aut trucidarentur, secundùm illud Deutronomi[illegible] Psalmi ultimi sabbati, quomodo persequebatur unus mille, & duo fugarunt decem millia. Nónne ideò quia Deus suus uendidit eos, & Dominus conclusit illos: ipseq; Stephanus Vuoieuoda nonnullos dira morte perimebat, ut tandem clamarent ad Regem Poloni, quò illos in domos redire permitteret. Nanque absque licentia Regis iure regni Poloniæ uetante, sub amissione capitis, & bonorum omnium mobilium, non liceret illis à Rege, & exercitu discedere, neque facultas reditui patuit propter loca ubiq; per hostes occlusa, quæ rex terram Valachiæ ingrediendo non muniuit, fidei per Vuoieuodam promissę fidens, unde cum rebùs nullibi digno Marte prosecutis, neq; redire honestum, neq; castra Turci Vualachis ipsis Turcis Moldauis, Besserabis, Siculis, & Transyluanis obstantibus accedere tutum, aut possibile esset. Nihilominus Albertus rex dolis Valachi impeditus ut aliquid egisse uideatur decreuit, Castrũ Szoczaua (sedes ubi Vuoieuódæ esset) aggrediendũ, quod exercitibus admotis oppugnabat, bombardisq; quatiendum mandauit. Interea Vuladislai regis Hungariæ regno Prælatorum ac Baronum nomine certi oratores Hungari ad exercitum Regis, sed tanquam in fauorem Vuoieuodę, ne desperatus se Turcis dedat, missi, Regem Albertum à prosecutione belli cõsilijs, & rationibus inductis, quod se malè crediderit Vuoieuodę fidei, quam neq; Christo, neq; hominibus seruaret, solantur, & mitem in Vuoieuodam eius animum reddunt.

Legati in Hungariam & in Valachiam missi.

Legati Hungariæ regis.

Interea Rex Albertus ægrè ac malè se in corpore habere cœpit, tantamq; pro Valachi dolis, & occultis Hungarorum maleuolentijs molestiam concœpit, ut breui posthàc uiueret, & eam mortis futuræ, sed proximè occasionem sibi insumeret: unde etiam confessum

festim euentus istos per celeres nuncios Magnoduci Lithuaniæ per Podoliam in auxilium regis uenturo notificat, hortaturq; fraterne, ut Magnus dux attentis his, quæ regem permouent, et præsertim legatione ipsa Hungarorum, ab ulteriori supersederet itione, qui tamen ut in sua uidebis historia locum Braczlauień. muniuit. Rex autem illa Hungarorum suasione præualente fœdus cum Voieuoda Stephano pepigit, ad reditumq; gentes conuertit, quæ cum redirent obstante regis ægritudine, quę etiam Ducem Sigismundum eius germanum secum in exercitu agentem, atq; optimates quosq; Polonos, & ipsos belli duces nimium in animis cōsternatos effecerat, omnia negligenter erant custodita, ibantq; maioris Poloni cum ægrotāte rege per syluam Bukouyna primi, quos subsecuti minores, terrarum scilicet Craco. proceres tanquam armatiores postrema regis tutati. Prima Lucæ 26. Octobris quę fuit feria quinta ante Simonis & Iudę, à Turcis & Valachis, alijsq;, quorum supra meminerim, per Vvoieuodam tanquam fidefragū ictum fœdus minime obseruantem clam subministrans, in eadem sylua per suffragia nemoralū impedimentorū aggressi, percussi, fusiq; erant, inter quos plures de domo bipenniū corruerunt, pręcipue Nicolaus Palatinus Russię, & Gabriel hęres in Morauicze ambo de Thanczinqui perierūt, Ioannes Sbignei eodem Thanczin Subcamerarij Cracouień. et Capitanei Mariehurgeń. filius, qui in Turciam adductus erat, postea per fugam liberatus.

Clades Polonorum.

Interea etiam Cruciferorum de Prussia ab ordine & Ducum Mazouię & terris illorum milites sub certo numero pro iure generalis expeditionis regni Poloniæ missi, regios sequuntur, sed non adeunt exercitus, quos cum præsciret Voieuoda, ueluti ultimæ sorti relictos, seorsum scilicet ex eadem causa insecutorum exercituum profectos, seu potius diuisos, per Turcas procurat cladibus affici crudelibus, ex quibus qui nō erant occisi in Turciam sunt abacti. Sic quoq; in nemore Bukouyna cum hac minoris Poloniæ nobilissima gente infeliciter actum, quæ dum terga ægrotantis Domini, suis uita & sanguine tutaretur pro felici regis reditu, miserè perijt, quorum uiuentes aut Turciam, aut Tartariam, aut in alias Barbarorum, infideliumq; freti Pontici, Asię, Scythiæq; regiones sunt deducti. Exercitus autem regius, quem Dux Sigismundus fraternæ condolens ægritudini uehementer, ac maiores regni de maioribus Polonis constituerant, regem maleualentem ductabat, licet ab ijsdem Voieuodæ fraudibus immunis non fuerit: quippe qui undiq; lacesseretur per Turcas, & Valachos eorundem ductores, ac ueluti per canes ex foraminibus sic per istos ex lucis tenebrosis prosiliētes. Tamen per dies plures nemoralibus & tāquam inuijs locis, ut magnis exercitibus commune est, tens; integer ab agro Valachico ad terras Russiæ regias feliciter, ac uictoriosè redijt. Tantumq; ipsa expeditio lucri, monumentiq; æuiterni Polonis & suo regi præbuit, ut communi laudi statuerint, nunquam regibus suis permittendum expeditiones facere generales, scilicet proceres regni, nunquam generaliter ad arma mouendos contra infideles Turcas aut Tartaros, nisi primum consulta apostolica sede, sed & alijs regnis, regibus Christianis ad expeditionē ipsam accedentib. Mœror quoq; summus hoc improsperæ expeditionis casu hoc regnū implet pro cōmuni fratrū regnicolarū casu, qui ab incōsulta paucis cōmunicata expeditione euenerat, proq; amissa existimatione, quia Turcæ & Tartari nihil plusquā generalē Polonorū timuere expeditionem. Summa uerò culparum omnium rejciebatur in Philippum Callimachum Italum Florentinum, qui cum Alberti regis in paterna educatione nutriti preceptor esset, uir doctrinæ summæ, & humanarum non uulgaris professor literarum cæculus & fauter ciusdem, rex consilia senatorum omnium regni consilijs præposuit, quæ imitatus fraternas consultationes (Philippo animum regium in eam expeditionem contra omnium consiliariorum uota dirigēte) celebrauit, quæ talem habuêre exitum, ut breui Rex uitam cum morte & summam regni existimationem, tanquam perpetuam gloriam infidelibus semper terribilem cum summa publici status iactura permutaret. Insuper afflictis addita est afflictio. Nam sequenti anno in principio Maij, Turcę, Tartari, & Valachi iuncti, Russiam irrumpentes, plurimam stragem in hominibus crudeliter fecerunt, iacebant passim in uijs & campis occisi. Omnia oppida sub montibus & in medio circa Leopolim, & Przemisliam, usq; ad oppidum Canczugam incenderūt, uastarūt, et diruerunt. Et tempore modico commorati, cum maxima præda salui discesserunt.

Philippus Callimachus præceptor Alberti regis.

Turcarum Tartarorumque incursio.

Hæc nouitas, quum die Mercurij sedecima Maij Cracouiam esset delata, non parum omnem statum terruit, etiam nonnullos fugæ accinxisset, nisi uel timor, uel spes a rege prohibuisset. Extunc Cracouień. fossata uersus campestria, & Cleparz expurgari cœperunt, & iacto fundamento ad propugnaculum extruendum ante portam sancti Floriani (quod

X pro-

proximis annis magnis impensis finierunt) oppidum Cleparz in magna sui parte, quæ fluuio Rudavvka superimminebat demoliti sunt, deiecerût atq; diminuerunt, turres quoque muri Cracouiensis uersus Cleparz, quas post exustionem muro in altum erigere cœperant, complebant & ædificarunt. Cœpit deinde rex Albertus quærere modos resistendi hosti, auxiliaq; à Vvladislao rege Hungariæ & Bohemiæ, germano suo atque ab ipsis Hungaris expetere.

Et ueniente legato eorum Episcopo Vesprimeñ. Cracouiam . prima Iulij anno præfato 1498. concordiam inter Hungaros, & Polonos ad opponendum communi Marte sese hostibus concluserunt: & Te deum laudamus: die Iouis, quæ fuit decima Iulij decantauerunt. Sed talis cõcordia, nil iuuamenti attulit. Tartari nãq; Russiã in fine Iulij inuadentes, longè lateq; grassati, cũ præda ad propria remearũt. Cõtra quos rex Albertus, regnicolarũ exercitu collecto, de Cracouia die Martis, septima mẽsis Augusti exiuit, sed cognita hostiũ fuga circa Sandomiriã uillis multis destructis, exercitũ ad sua abire permisit. Post Tartaros, Turcę circa diem sanctæ Catharinę sub mõtana Russiæ codẽ anno circa Sambor & Halicz deuastauerunt, neq; aliquo certamine lacessiti. Verum uel Deo, uel eorũ fortunio sic cogente, frigoribus aërisq; in temperie, inædia atq; niuibus, supra quam quadraginta millia equorum, hominumq; periêre, reliqui tamen, quorum ultra uiginti millia dicuntur fuisse, salui post damna illata recesserũt. Sed per Valachos percusi erant. Alium itaq; modum pacis nanciscendæ aggresi, quoniam absq; Valachis, exteras ac barbaras nationes ad inuadendum regnum excitantibus pax non fieret, persuasi & uocati Cracouiæ conuenerũt Episcopus Varadieñ. nomine Hungarorum, oratores Stephani Palatini Valachiæ, oratores Alexandri magni ducis, & Lithuanorum, & Poloni.

Fœdus cum Hungaris. *Tartarorum incursio.* *Turcarum inuasio.* *Turcarum incursio.* *Pacis studium.*

Hi omnes post longas moras & consilia, anno Domini 1499. die Veneris, decimanona Aprilis sibijnuicem mutuam assistẽtiã, & auxilia contra Turcas et thartaros iurarunt. Episcopo autem Varadieñ. de Gracouia 22. Aprilis quæ fuit feria secunda ante Adalberti recedente, legati ducis Ivvan Moschouiæ in crastino, & fuit dies sancti Adalberti aduenerunt. Et hi similiter de pace requisiti tractauerunt & promiserunt.

CAPVT LXXVI. LIB. IIII.

Anno autem Domini 1500. die Martis 25. Februarij, quę fuit dies sancti Matthię apostoli in año bissextili, Oratores imperatoris Turcarum Baizeti Cracouiam aduenerunt, & antequam inducias pacis cum rege Alberto firmarent, Kurzanoga habitaculum & specula regia castri Cracouiensis, in præsentia eorum die Veneris, decima Aprilis, & fuit feria sexta ante Ramispalmarum exusta est. Deinceps Cometes Dominus astone, flagellum iræ Dei, feria quarta 20. Maij, in parte Septemtrionis sub signo Capricorni apparuit, & notatus est supra Lithuaniam, Russiam, & minorem Poloniam girans. Et eo disparente in diebus Pentecostes, aliàs circa octauam diem Iunij, statim Tartari regnum Poloniæ intrauerunt, & circa Lublin, Thurobin, Belsz. Krasnystavv, & alia loca eis propinqua depopulãdo uastauerunt. Eodem tempore Ivvan dux Moschouiæ, altera uice Lithuaniam ingressus, circa Smolensko uastauit, & eam, non habito respectu pactorum, fœderum, & affinitatis (quia ipse fuit socer, & dux Alexander gener) attriuit, Rex Albertus aduersus Tartaros die Veneris, decimanona Iunij, ante uigesimamprimam horam egrediens, nihil memorabile effecit. Et ad matrem die Mercurij 22. Iulij in die Mariæ Magdalenæ redijt. Ad quem legatus Alexandri Papæ sexti Caspar Episcopus Calliensis (homo callidus & facundus) aduenit: & Iubilęum cum cruciata contra paganos, die Dominica, quæ fuit 30. Augusti, Cracouiæ de Ecclesia sanctæ Mariæ in circulo processionatim in Ecclesiam Cathedralem incedendo rege Alberto sequente, publicauit: Et mox Tartari iterum irruerunt, & terribiliter Russiam, Lithuaniam, Sandomiriam, & Lublineñ. terras Vrzadovv, Lanczhut, Lasensko, Crasnystavv, Zauichost, circa Opparovv, circa Lublin, in Brzesko Lithuaniæ & uicinijs eorum subito, insperatoq; cursu uastauerunt. Magnaq; præda abacta, & nobilibus terrarum adeò celeriter ad arma consurgere non ualentibus, liberè abscesserunt. Qui autem transitum Tartarorum opposuerant, & obsiderant, Domini Petrus Myskovvski Palatinus Lancicieñ. & Capitaneus Leopolieñ. Nicolaus Kamienieczki palatinus Sandomirieñ. & Capitaneus Cracouieñ. & cæteri nobiles, quamuis non pauci fuissent, in Tartaros non insiluerunt, quia Tartari illos multitudine superarunt. Rex autem Albertus die Lunæ, quarta-

Oratores Baizeti imperatoris. *Cometes.* *Tartari Poloniam depopulan.* *Moschus Lithuaniam uastauit.* *Legatus summi Pontificis.* *Tartarorum incursio.*

quartadecima mensis Septembris, & fuit exaltationis sanctæ Crucis, contra eosdem Tartaros de Cracouia circa horam quindecimam cum quibusdam cruce signatis exeundo, eadem sorte, qua prius, nihil defensæ adducens rediit. Verum cruce signati, inter quos plures religiosi, & monachi fuerunt, post discessum regis de Cracouia, Iudæos in Kazimiria per uiolentiam effracta porta Kazimiriæ Glinyana, cæterisq; portis, & hostijs Hebræorum, die Mercurij, sedecima Septembris tumultuosè spoliauerunt, & ex eis de utroque sexu ꝑpe uiginti occiderūt, & Cracouiā clausis portis ingredi prohibiti, ꝑ uallum ad campestria iuxta Cleparz progrediētes, legatis Turci in domo Pileczki supra murum hospitatis, manibus & armis tēsis minitarūt, & die tertia regē uersus Rusiā insequuti sunt.

Cruce signati Iudæos inuadunt. *Iudæorum exclusio.*

Anno Domini 1501. rex Albertus in Martio, ex cōuentione Piotrkouieñ. in Cracouiā diuertens, Heliā Valachū (ut ferē heredem Valachiæ), ꝑpter uiolatas literas suas, de cōsilio cōsiliariorū suorū in Czchovv in ꝑsentia nunciorū Stephani Voieuodę Valachię decollari iussit. Fuit aūt Helias filius olim Petri competitoris Stephani in principatu Valachiæ.

Heliæ Valachi occisio.

Post festa Paschæ anno præmisso 1501 die Martis uigesima Aprilis, quæ fuit feria tertia post cōductum Paschę, rex Albertus Cracouiā relinquens, in Prusiā perrexit & in oppido Thorun splendidè extructo, apoplexia die Iouis, decimaseptima Iunij, & fuit octaua corporis Christi, & tertia dies post Viti, hora quartadecima occubuit. Hoc fato tantus rex immatura morta non sine suorum mœrore absumptus est. Cui magnanimitas, fides, dexteritas, consiliū, prudētia, & in rebus gerēdis, industria nunquam defuère, sed fortuna, quæ non ex æquo sedes suas apud homines locauit, plerunq; illius rebus contraria fuit, hincq; factū est, ut quum in omni reipub. euentu sapienter, citoq; consuleret, iniqua fortuna omne consiliū euerteret. Alberti aūt mors uti Sarmatis luctū, ita plerisq; exteris nationibus, quib. tanti regis in gerēdis reb. industria suspecta esset, lætitiā attulit, tanto maiorē, quo magis insperata mors omnia consilia interciperet, potuisset hic princeps, si fortunā cū cęteris animi dotibus habuisset, omniū maiorū uirtutē adæquare. Albertus quoq; prudentia & audatia nulli ducū secundus fuit, ut etiā summis se periculis non subtraheret. Sed quū ad maximas iures aspiraret, iniquo fato sublatus est. Signa mortem eius portendētia, fuerat Cometes prædictus Septemb. Kurzanoga regia habitatio exusta, & globus turris prætorij Craco. supremus uento abruptus, ac die Mercurij 20. Februarij, quę fuit dies Fabiani & Sebastiani martyris in nocte sequenti deiectus. Præcedēti siquidē æstate hūc globum faber lignarius nouiter posuerat, & omniquaq; firmauerat, ut humana æstimatione hunc cadere nō fuit possibile, & postq̃ cecidit casum capitis regni, & ciuitatis Cracouiēsis signare. Exiuerā ad eum de Cracouia tanq̃ medicus, post uesperas eiusdē octauæ corporis Christi, & die mortis suę. Et circa tabernam in Prandnik, curru in limū & profundū lutum deuexo, quauis octo equis Podvvodorū seu conductorū extraheretur, incassum laborando, penitus extrahi non potuit. Equis ergo ad postrema currus ãredatis & ligatis, nobis prius ad ripas exiliētibus, uix & ægrè retrorsum, Cracouiam uersus extractus est, qđ fuit omen mali, et ad Cracouiam inconsolatè redeūdi. Et adhuc nobis in Piotrkovv uenientibus, obtentoq; subuectigali & poduodis atq; discessum parantibus, oppidani insurrexerunt (quoniā regem Albertū uita functū intellexerant) & aulicos regis gladijs, fustibus, & lignis grossæ sectis persequuti, occidere conabantur, qui fuga sese saluarunt, & in hospicio apud Adam scribam oppidi clauserūt. Tardè igitur egressi, & molestias plures admodū, & frustra passi, in Cracouiā reuersi sumus. Funus aūt regis Adalberti, post hoc Cracouiam die Lunæ uigesimasexta Iulij, quæ fuit dies sanctæ Annæ post meridiem adductum est, & hora uigesima, cū decentia, & honore regio, in sacello sancti Ioannis Euāgelistę, Ecclesiæ Cathedralis Cracouieñ. ad dextram chori sitam, sepulturę traditum est. Cuius sacelli alterā partē regina Elizabeth pariete facto diremit, & seclusit. Et tā sarcophagū, quam ipsum sacellū, proprijs impensis, prout matrē decet, adornauit, duosq; lectores missarū pro anima defuncti in perpetuū fundauit. Post huiuscemodi quoq; sepulturā, Fridericus Cardinalis, Primas Gnezneñ. & Episcopus Cracouieñ. quosdam spirituales aulicos mancipauit, turbauit, & cum sua societate tanquam reos & thesaurorū ablatores, in carcere, reliquos in feraculis reclusit. Qui excusatione adhibita, liberati sunt. Fuit autem Ioannes Albertus rex Poloniæ proceræ staturæ, oculorum rubicundorū, & faciei cum quadam morphatione et exituris robustus, ossosus, et audax: secundum pectus, manus, & pedes, pilosus, secundum caput paucis, raris & nigris crinibus respersus. Fuit prudentia atq; solertia præditus, lingua expeditus, sermone Latino tanquam alter Rhetor (ultra Polonicum & Theutonicū) ornatissime & sufficienter imbutus. Historias legebat, & disputationes Do-

Alberti regis *Signa mortem præcedentia.* *Omen malum.* *Sepultura Alberti.* *Staturæ ac uitæ suæ descriptio.*

ctorũ amabat. In incessu maturus, & in incedẽdo (ut sæpè) cultro ad latus suũ accincto progrediẽs, uoluptatibus & libidini tanquã homo Martialis indulgebat. Et quũ multa pertinentissimè et prudenter, consultando atq; respondendo dissereba, in hoc defectuosus diminutus, & sine laude fuit, quòd bene tractata, & dicta non exequebatur, nec effectui demandabat. In obeundis bellis infortunatus: in ædificando negligens, ac nullus, & regnicolis ultimatim propter cladem Valachiæ per eos perpessam inuisus. Regnauit supra Polonos 8. annis, octoq; mensibus & uigintiquatuor diebus. Vixit annis quadraginta uno mensibus quinq; & uiginti uno diebus.

Morum qualitas.

CAPVT LXXVII. LIB. IIII.

ANno Domini 1493. per omnes dies usuales Ianuarij, usq; ad medium Februarij, adeò calidi dies fuerunt, ut gemmæ & pullulationes in hoc regno Poloniç turgerent, & uiderentur. Puluis è terra uelut in ęstate surgebat, & spargebatur. Aues nidificabant, & fœturam nouã educabant. Verũ post mediũ quadragesimæ, intantũ frigus duabus hebdomadis fuit intensum, quod omnia arefacta & destructa fuerunt.

Temporis qualitas præter cõmunẽ cursum.

Eodem anno die Lunæ 26. Augusti. Fridericus imperator Romanorum, postquam in imperio à sua coronatione, per Nicolaum quintum regnauit ferè quadraginta uno annis, Viennæ mortuus est, ibidem tumulatus. Huic crus & pedem chirurgici in senio resecuerunt, & absciderunt, qui aliter in uita ipsum conseruare non poterant, pauco tamẽ postea tempore superuixit. Eodem anno circa sedecimã Septembris, Turcę per Croaciam diffusi, ipsam uastauerunt, & prædam abegerunt. Anno quo supra 1493. die Veneris 20. Septẽbris Fridericus Kazimiri tertij regis Poloniæ natus, ad promotionẽ Vyladislai Hũgariæ & Bohemiæ, atq; Ioãnis Alberti Poloniæ regũ, Romæ per Alexandrũ Borgia Papã sextũ Cardinãlis pronũciatus est. In cuius honorẽ, Te Deũ laudamus Cracouiæ uigesima quarta Octobris decantatum est. Attamẽ capellũ summus Pontifex ei non misit, usq; anno Domini 1495. Quem tali anno die Lunæ, uigesima Aprilis, quę fuit feria secunda Paschę suscepit. Primam autem missam cecinit, anno Domini 1495. in die natiuitatis Christi in porticu laterali ostij ad meridiem, quoniam propter Iubilæum per Alexãdrum Papam sextum, omnibus huiusmodi solennitatem diuinorum pręsentijs suis decorantibus à culpa & pœna concessum. In Ecclesia Cathedrali Cracouieñ. et per omnes areas iuxta Ecclesiam uix homines consistere propter pressuram potuerunt. Rege Alberto in porticu, & circa populum compescente, dirigente & ammouente. Morbus Gallicus hoc anno Domini 1493. sub oppositione duorum ponderosorum, Saturni & Iouis in partibus medijs inter meridiem, & occidentem, ubi est Dominium Martis, scilicet in Mauritania, Cæsarea, Hispania apparuit, & anno sequenti in Italiam & Franciam uenit.

Friderici Romanorum imperatoris mors.

Fridericus Kazimiri filius Cardinalis pronunciatus.

Primordialis morbi Gallici origo atq; incrudescentia.

Deinde pedetentim ad Orientales processit regiones, apud nos in Cracouia prima mulier hoc morbo infecta, añno 1495. quę ex peregrinatione de Roma redeũdo, præfatũ morbũ secum Cracouiã attulit. Deindè ex Hungaria eodem anno 1495. & 1496. aduenæ tali morbo infecti, adueniebant, & morbus per Cracouiam spargi ac multiplicari cœpit. Meritò plaga Dei uocitandus, quoniam præuaricatores & homines superfluè uiuentes, in libidine, uino, acutis & grossis, Deus uindex malorum, hoc morbo tanquam singulari plaga puniuit: Et ex aduerso homines sobriè uiuentes, perraro aut nunquã hoc morbo laborare comperti sunt. Vnde & moderamen huiusce mali Franczosæ, potior cura inter alias reperitur, & quum cælestium rimatores Mathematici & prognostici hunc morbum molestissimum à coniunctione Saturni & Iouis, quæ consequẽter fuit in Cancro anno Christi 1504. destituendum & finiendum prædixissent; tamen (prædictionibus eorum haud uerificatis) usq; in hanc diem, anni 1521. post prædictam coniunctionem debacchatur & sæuit, quamuis minus acutè & paulò tollerabilius quam antea. Vocatur autem hæc labes pro uarietate regionum in quibus accidit uarijs nominibus. Nam Italici malam Franczosam aut morbum Gallicum uocitant, quia rege Carolo cum Francis circa annum Domini 1494. Italiam ingresso, hæc pernicies in Italia sæuire cœpit, & nomen ab euentu eorum accepit. Parisijs & in alijs ciuitatibus Galliarum, grossa uariola nuncupatur. In Hispania propinquiori & in Aragonia, morbus Sancti Sementi, eò quòd malum prædictum inuocatione Sancti Sementi, qui in Britãnia requiescit, curatur. Cuius sororium ac proximum in morbo Gallico mortuum credũt, ultra Hispanias & in Granata morbus curialis (quia curiosè ac crapulosè uiuentes insequitur) appellatur. Ego uerò sub deflorationibus, prout apud Galienum in decem tractatib. & Alsahaphati, prout apud Auicennãin 7. fen. quar-

Variæ eiusce nuncupationes ex gẽtium diuersitate.

te. aut

te,aut sub scabie fœda,hoc perniciosum malum locando curabam,& Deo propitiante affatim prosperabar.

Anno Domini 1494,die Veneris 27.mensis Iunij, domini Collegiati maioris collegij Artistarũ in platea Sanctæ Annæ Cracouiæ,inuenerunt in muro lectorij Socratis thesaurum 2508.aureorum,& tantundem in annulis,unionibus,ac gemmis,& fuit dies Sancti Ladislai regis Hungariæ.Ob hoc præfatã diem Sancti Ladislai illa domus festiuat & colit.Quumq; rex Albertus inuentum thesaurum cognouisset,aureos intitularos Maria regina Hungariç,à collegiatis redemit,& eis monetam medientum largitus est:de quo collegiati bene contenti fuerunt. Fridericus uerò Cardinalis ab eisdem gemmas & annulos præciosos tulit,quos dilapidauit & distraxit,et 50.dũtaxat marcas monetç requisitus pro eis tribuit:de quo malè contenti omnes sunt & fuerunt.

Anno prædicto die Mercurij 22.mensis Octobris, quædam mulier in nigra uilla ante Cracouiam,monstrum peperit, quod collum & aures leporis habuit,& loco stomachi unum intestinum, ore q; distento spirabat. In antea uerò altera mulier in platea sanctispiritus Cracouiæ, puerum mortificatum & serpẽtem uiuum peperit, qui cauauit,exodit, atq; profundè dorsum infantis corrosit. *Monstri productio.*

CAPVT LXXVIII. LIB. IIII.

In hoc quoq; anno die Saturni,in uigilia Bartholomæi Apostoli aulici & stipendiarij regiæ maiestatis,circa Visznyevviecz,per Tartaros non pauci, licet in hoc bello Tartarico communiter ante uictores,nunc tamen quadam syderum, fatorumq; inclemen tia profligati & occisi sunt. Inter quos Henrzych Kamyenieczki germanus Nicolai palatini,& Capitanei Cracouieñ. Et Dzerseknepos Pauli de Glouina Decani Cracouieñ.occisi ceciderunt. *Tartarorum uictoria.*

Anno Domini 1495.die Lunę 23.Februarij,Ianussius dux Mazouię germanus ducis Conradi,absq; uxore & prole mortuus est.Iccirco rex Albertus Mazouiam, tanquam terram feudalem repetiuit & obtinuit,cũ ciuitatibus & castris Ploczko,& cæteris quę ipsius ducis Ianussij fuerunt. Eodem anno post coniunctionẽ Iulij,diluuiũ Istulę, supra quam memoria hominum teneret maximũ fuit,priora diluuia aquarum ubertate præcellens. *Mors Ianussij ducis Mazouiæ.* *Diluuium Istulæ.*

Anno Domini 1496.Philippus Callimachus Florẽtinus,Poëta laureatus, regi Alberto inseruiens,fluxu uentris resolutus Cracouiæ in Kalendis Nouẽbris, quæ est dies Omniũ sanctorũ de mane occubuit,in ecclesia sanctæ Trinitatis Cracouiæ,in sinistra parte introitus chori sub altari sepulturã percepit,tectusq; est urna erea,erecta in altera, Epitaphio suprapositó.Hic tempore Pauli Papæ secundi,cõpræhẽsó Platina cũ reliquis poëtis,è Roma in Poloniã fugit. Scripsit carmina elegiaca de amore plura. Itẽ uitam & successus Vvladislai regis Poloniæ & Hungariç,in Thracia circa lacũ Varneñ.per Turcas profligati & perẽpti.Item de Attila,ortuq; & progressu Hungarorũ. Item epistolium longum in fauorem & laudem regum Poloniç ad Innocentium Papã octauum,nonnullaq; alia opuscula egregia,&c.Epitaphium suprapositum est tale. *Callimachus Poeta laureatus Florentinus moritur. Scripta sua.* *Epitaphium.*

Hic tacet heu patria Procula regione sepultus,
Progenitus Thusco sanguine Callimachus.
Quem fatum uarijs a luci fum erroribus egit:
inuiit am hu tandem constituitq; locis.
Illius u: postquam uirtutem regia sensit,
Vidit florentem Sarmatis ora uirum.
Qui memor hospitij tam mitis contulit isti,
Consilijs regno commoda multa sui.
Quod sentit præsens & postera sentiet ætas.
Cuius iudicium sanctum esse solet.
Plura quoq; aggressum & quædam maiora parantem,
Haud opportuno tempore mors rapuit.

Anno Domini 1497.post principium mẽsis Aprilis Turcę per Croaciam ingressi,Corinthiã & Styriam deprædati sunt,& captiuos secum abduxerunt. Et iterum eodem anno circa festũ Ioannis Baptistæ clam ingredientes Turcæ, prædã & captiuos quasi sex millia de eisdem Corinthia & Styria abegerunt. Eodem anno circa festum Ioannis Baptistæ, Ioannes de Tieffen magister Cruciferorum Prussiæ regem Albertum secutus, non adito rege bellicam expeditionem contra infideles,obeunte in Leopoli infirmatus, mortuus est, & ad sepeliendum in Konigsbergk eductus, pugna infidelium non gustata, neque uisa. Cui per Cruciferorum uocationẽ, & Elizabeth reginæ Poloniæ ad regem Albertum promotionem, Fridericus dux Misznensis successit. *Turcæ ingressus.* *Ioannis magistri Prussiæ obitus.*

Anno præfato die Lunæ 26.mensis Iunij,quæ fuit Ioannis, & Pauli martyrum,dux Nicolaus Oppolieñ.Nissæ ante pretorium plexus et capite truncatus est,quoniam insiluerat primum contra ducem Henricum Gloceñ. deinde in Ioannem Roth Episcopum Vvratislaui- *Nicolai ducis Oppoliens. interitus.*

tislauieñ. tandem in Kazimirum ducem Tesinen. & Capitaneum Slesiæ, cum pugione intentione transfodēdi eum accurrerat, & sese inter iurgandum & defendendū tenentes, de gradu in terram ceciderunt. Et quum ereptū pugionem dux Nicolaus Oppolien. sensit, in ecclesiam fugit. De qua etiam præcepto Ioannis prænominati Episcopi Vratislauieñ. extractus & reductus, per cōsules Nissenses iudicatus, gladio decapitatus est.

Pestis incrudescentia.

Anno prætacto 1497. in æstate & autumno maxima pestis in minori Polonia, in districtu scilicet Gracouieñ. & Sandomirieñ. uiguit. A Cracouia incipiendo orientalem & septemtrionalem plagam uersus, quæ sæuiendo plurimos rapuit, & consumpsit mortales. In anno uero præcedenti uidelicet 1496. in partibus occidentalibus à Cracouia & uersus Slesiam ad Hungariam eadem sorte præsit mortales pestis. In inicioq; hyemis Cracouiam uenit, & paucis absumptis, intensum gelu superueniens, & perdurans, pestem diremit, quinimò prohibuit. Ita quòd sequenti anno, puta 1497, prætermissa Cracouia in uno milliari, scilicet à Mogila Crzeslauicze, &c. reincepit, & satis acriter ut præmissum est afflixit, & continuauit.

Vniuersitas Craconiens. iure patronatus donata est.

Præterea eodem Anno 1497. in Leopoli feria quinta in uigilia conceptionis Mariæ, Ioannes Albertus Poloniæ rex ad uniuersitatem Craco. singularem gerēs affectum, cultum diuinū in Ecclesia Przemislieñ. adaugere uolens, ius patronatus, Canonicatus, & prebendæ ecclesiæ Przemislieñ. qui de iure patronatus regis Poloniæ extitit, uniuersitati prædictæ purę & donatione perpetua irreuocabili, motuq; proprio donauit, quā donationē Alexander Poloniæ rex subsequutor approbauit. Et has, donationē & approbationē, Matthias Drzeuiczki Episcopus Przemislieñ. & regni Polonię Vicecancellarius auctoritate ordinaria confirmauit. Literas desuper nouas dando et concedendo.

Cœmiteriū Petri & Pauli apostolorum una cum ecclesia erectum.

Añō Domini 1498. Magister Ioānes Velsde Posnania Licētiatus medicinæ, olim præceptor, & informator filiorum regis Kazimiri tertij Ecclesiæ parochialis Sancti Stephani Cracouiæ rector, diem clausit extremum, die Martis, decimaseptima Aprilis, quę fuit feria tertia paschæ. Hic coëmptis aliquot areis extra urbem Craco. ad occidentem, amplum & spaciosum construxit cœmiterium, ad sepulturam parochianorum Sancti Stephani, & aliorū quorūcunq; illic sepeliri uolentium. Ecclesiam, quoq; in eodem cœmiterio intra robora muratam, in titulum & uenerationem Petri & Pauli apostolorum erexit. Et lectorē missarum in eadem ordinauit. Et ut in nocte tempore necessitatis ingruētis confessiones in lingua Alemannica & Polonica audiret instituit. Ante fores Ecclesię præfatæ ad partē meridionalem, prout uiuens mandauerat, sepultus est.

Sigismundus.

Anno prædicto die Mercurij, tertia mensis Octobris, Illustrissimus est Sigismundus de Cracouia in Hūgariam exiuit, & germano suo maiori natu Budæ Vuladislao rege Hungariæ & Bohemiæ commansit.

CAPVT LXXIX. LIB. IIII.

Portētum Cracouiæ genitum.

ANno Domini 1499. die Mercurij, quinta mensis Iunij, natus est uitulus in Kaziria Cracouiæ inter Iudæos, cum duob. capitibus, unum caput antrorsum ut solet naturaliter produci. Aliud in postremo in loco caudæ. Ipsa uerò cauda in medio dorsi excreuit, pedes septem in latere dextrō habuit, in sinistro nullum. Cætera membra completa fuēre in suis locis ad modum duorum gemellorum complicatorum ante & post. Expositumq; fuit tentum & inspectum hoc monstrum, aliquot diebus ante portam Glinyana alias glebeam.

Turcarum immanitas.

Eodem anno bella gerentibus summa potentia Turcis cum Venetis in mari Aegeo & Adriatico, submissi octo millia Turcarum per latera maris in Gunciam & Feriolam intrauerūt, & iuxta mare, & fluuium Mincinum depopulati sunt. Præcipuè inter Teruisium & sanctum Danielem, usque ad montana occidentis, receptamq; prædam absque ulla resistentia abduxerūt. Sed & peregrinos ad Iubileum pergentes, aliquos interceperunt, nōnullos uerò excruciatos occiderunt. Nos quoque ad Iubilæum Romam transeuntes, & in proximo existentes, continuimus nos in Villaco in fine dierum Octobris, donec Turcę abscesserunt.

Insignis Iubilæus Romæ.

Anno Domini 1500. Iubilæus annus centesimus sub Alexandro Papa sexto, toto anno Romæ durauit et peragebatur: Confluebatq; multitudo hominum pro capescēdis indulgentijs ex toto orbe Christianorū. Eo ipso anno supra solitum regni Polonię messis ante festum Ioannis Baptistæ fuit. Fuerunt namq; uer, & æstas satis calida. Canicula autem à principio ad Iacobi pluuiosa ac frigida, & reliquum tempus serenum & calidum fuit.

Eodem

Eodem anno Turca insulam & ciuitatem Modon, duodecima mẽsis Augusti obsedit, expugnauitq; & eam sub Venetis uigesimaquarta eiusdem mensis recepit. Muros demoliẽdo, omnes mares occidendo, mulieres uero & impuberes abducendo. Anno præexpressato, in mẽse Septembri, multi Morauí & Poloni in Lithuaniam, aliarumq; nationum homines militares in fraternitatem pro Lithuanis contra ducem Moschouiæ ibant ære, et auro Alexandri ducis magni Lithuaniæ conducti, quibus miles & Baro, Thesaurariusq; magni ducatus Lithuaniæ nomine dicti magniducis stipem, & literas Polnamiæ dabat. Nãq; gener contra socerum suum, de illatis iniurijs se uindicaturus, præsertim, quòd circa illa tempora idẽ Moschus de ducatibus Lithuaniæ abstraxerat, et sibi appropriauerat septuaginta miliaria in longitudine, & tantundem in latitudine. Quumq; cõuenissent supremũ rectorem exercitus stipendiariorum, Rex Ioãnem Polak constituit, quia uerò stipendiarij negligenter conueniebant, itaq; propter eorum morosum trãsitum hyeme tum præmente, Rex soluendum præcepit: binum itaq; damnum Lithuanis exinde prouenit. Vnum ex hoste duce Iwan Moschouiæ: alterum ex propriorum stipendiariorum depopulatione, & de rapina suorum de more ipsorum uiuentium.

Modon insula à Turca uastata.

Polonorũ, Morauorum, Lithuanorum: in Moschum concurs egressus.

Detrimentum Vilnens.

Anno prædicto 1500. Illustrissimus dux Sigismundus, Kazimiri tertij regis Poloniæ natus, ducatũ Clogouieñ. per germanos suos, per reges Vladislaum Hungariæ & Bohemiæ conferentem, per Ioannem Albertũ cedentem, atq; resignantem obtinuit. Et eodem anno Ioannes Thurzo coadiutor Vratislauiensis factus fuit.

Sigismundus ducatum Glogouiæ possidet.

Anno Domini 1501. die Saturni, nona Ianuarij, nũcij imperatoris Turcarum Baizeti de Cracouia discesserunt ferè integro anno commorati, & per regem Albertum in Cracouia seruati. Post quorum discessum Oratores Szachmetczar imperatoris Tartarorum Zauolhensium, tertia die, quia undecima Ianuarij superuenerunt, & perpetuam amicitiam, ligam atq; societatem interpositis iuramentis concluserunt: rege Alberto cum suis optimatibus, sic & oratoribus ducis magni Lithuaniæ Alexandri præsentibus, super sacra Euangelia deponentibus, & iurantibus. Legatis uerò Tartarorum Zauolhensium supra frameas iurantibus, ritu eorum, & aquam abintionis gladiorum, atq; framearum epotantibus, atq; uerba talia adijcientibus. Quicunque pacta, ligam, & fraternitatem uiolauerit, aut contra eam uiolandam insurrexerit, uel aliquidpiam intentauerit, à frameis incidendus, occidendusq; pereat, & tanquam aqua defluat, atq; euanescat. Misit itaq; rex Albertus Christophorum Teslik, & Alexander dux magnus Lithuaniæ alterum propriũ nuncium, ambos Tartarorum sermonem callentes, & intelligentes. Qui in mense Septembri præfati anni 1501. rege Alberto iam defuncto atq; sepulto, Tartaros Zauolhenses cũ imperatore eorum in terras Lithuaniæ propè Kiovv induxerunt, & locauerunt, & statim Tartaros Przecopenses (contra hos siquidem adducti fuerunt) occurrentes, & castrametationem prohibentes strauerunt. Sicq; in hyemem plurimam, rigidamq; perdurantes in campestribus commanserunt.

Legatio imperatoris Tartarorum ob pacem.

Alberti regis legatio rursus.

Duplicẽ Tartari pugnam ineunt.

Anno eodẽ 1501. Ioannes Roth Episcopus Vvratislauieñ. episcopatũ Friderico filio ducis Kazimiri Tesineñ. maiori natu tamẽ minorenni resignauit. Ideo contra eum Capitulũ Vvratislauieñ. quæstum iri, in Budam Vladislao regi per relationem Doctoris Osvvaldi Stravvbinger, plebani ad Sanctam Mariam Magdalenã, & Sigismundi Gußinger Canonicorum Vvratislauieñ. misit. Et rex Vladislaus factum non admisit, quinimò prohibuit, prima mensis Septembris, anno 1501.

Vratislauiensis episcopatus resignatio.

CAPVT LXXX. LIB. IIII.

DVm in conuentionibus particularibus, de substituendo altero rege Poloni tractarent, antequam negotium generale diffiniretur, miserunt, Petro Kmitha de Visnycza regni Poloniæ Marschalco instigante, Petrum Miskovvski Palatinum Lanciciẽ. cum Nicolao Vvroblovvski Canonico Craco. in Budã ad Vladislaum Hungariæ & Bohemiæ regem, postulatum ire, ut regnũ Poloniæ uacans, tanquam prior natu acceptare dignaretur. Qui annuit ac suscepit, & ad amicos, literas gratulatorias præsertim ad Maximilianum Romanorum, & ad Ludouicum Franciæ reges scripsit, quòd Deus optimus maximus, ultra regna Hungariæ & Bohemiæ, ad solium paternum ipsum cuexisset. Post quod in cõuentione uniuersali Piotrkoueñ. ubi ius, mosq; est reges non priuatim in conuenticulis eligendos, quæ errores, & seditiones plerũq; gignũt, ueluti ex illis instigãte Marschalco summissis secutæ fuissent, quoniam iam tunc parũ abfuit, quin iterum fraternum bellum fuisset excitatũ pro regno hoc paterno ac fraterno, ac pro magno ducatu Lithuaniæ, ad quod Alexander aspirabat, nisi per Elizabeth reginam

Vladislaus Hũgariæ rex ad regnum Poloniæ postulatur.

Pyotrkow locus eligendi reges.

genitricem suam fuisset prohibitus: Ideoq; cum uniuersi regnicolæ ad quos pertinet deliberarent, non solùm pro eligendo rege, sed primũ de modo utraq; Dominia ista ab Christi fidelibus defendendi, & de eorundem unionis integratione, sicut tempore aui patrui, & patris modernorum principum, scilicet præmortui Alberti, & Alexandri inducta, & firmata erant. Cuncti sane consultũ putarũt, si ob hoc gentes uires, & opes utriusq; Dominij adunarentur. Quapropter Alexandro magno duce Lithuaniç istud per Albertum Tabor Episcopum Vilneñ. Ioannem Zabrzezinski Marschalcum magnũ ducatus illius, & Nicolaum Radiuil Pincernam Lithuaniæ suos consiliarios coram uniuerso cœtu electionis proponẽte, & Friderico eius germano Archiepiscopo Gnezneñ. & Episcopo Craco. Cardinali præsidente, assistenteq; eidem in præsidẽtia Creslao de Curosuanki Episcopo Vladislauieñ. & regni Poloniæ Cancellario, Alexander Magnus dux Lithuaniæ non unius aut certorum tantummodo eligentium uoto, sed cõmuni omnium clamore rex erat declaratus unione, & defensione omniũ cõmoditati, de Vladislao rege, & quocunq; alio speranda præualente. Celerrimo itaq; ac uelocissimo nuncio super hoc rex Vuladislaus certificatus, maxima cum festinatione Dromedarios & cursores reuocatum ire, & intercipere suas literas regibus destinatas misit. Iussumq; est ut ante præsentationẽ, exhibitionemq; literarum nuncij præuenti reuocarentur. Et quum Poloni multas super hoc rationes electionis Alexandri, regi Vladislao scripserunt, non molestè tulit, sed gratulabundus commendat uterq; Dominio patrimoniorũ suorum prudenter prouisum sic esse. Factis ergo articulis in Piotrkovv cum prædictis magni ducis Lithuaniæ oratoribus, Alberto Episcopo Vilneñ. & Ioanne Zabrzesynski Marschalco Lithuaniç, super inuisceratione, & perpetua unione ducatus Lithuaniæ cum regno Poloniç, ut ex utrisq; foret unum regnũ & una gens, & in ipsis unus rex, unumq; ius. Quod in antea in intronisatione ducum, & regum semper attentatum, & repetitum fuit, uix autem custoditũ. Vt igitur deinceps inuiolabiliter custodiretur, & sempiternè firmaretur, ad acceptandum iuramẽta ducis Lithuaniæ Alexandri, & Dominorum Lithuaniç, ex Polonia in Lithuaniam, Andreas Rosa Archiepiscopus Leopolieñ. Ioannes Lubranski episcopus Posnanieñ. Andreas de Szamotuli Palatinus Posnanieñ. Ioannes Szram Tharnovvczik Palatinus Lublineñ. & cæteri cum eis missi fuerunt. Suscepit aũt dux Alexander cum suis Lithuanis omnia iuramenta, obligationes, & inscriptiones per Polonos inductas, & requisitas. Et ex Lithuania procedens, per Radom, Islza Szidlovv, Visliczam, & Proszouicze transiuit. In Islza uerò episcopali Cracouieñ. Ecclesiæ, sigillum annullare ad officium Cancellariæ regni dedit, sub quo ex tunc negociorum publicorũ expeditio fieret, donec sigilla non extarent, ac donec die Lunæ uigesima Nouembris alijs feria secunda in uigilia Andreæ, cum notabili apparatu Polonico & Lithuanico, in numero quatuordecim centorũ militum Cracouiam ingressus, in regiam castri Cracouieñ. est perductus. Ad quem die Martis, septima Decembris, Legati Szachmetczar imperatoris Tartarorum Zauolhensium uenerunt, illum in ciuitatibus & castris commorari dicentes. Ipsos uerò Tartaros intensissimo frigore & inedia in campis sterilibus consumi, requirebantq; ut celerrimè accingeret se, & cum eis pariter in hostes, secundum prius conclusa, egrederetur. Et accepto responso, quòd peracta coronatione, susceptoq; regno postulata prosequeretur, & ad bellandum exiret, ad suos redierunt. Dux uerò Alexander tertia Dominica aduentus Domini, quæ fuit duodecima mensis Decembris, in regem Poloniæ, in ecclesia Cathedrali Cracouien. hora decimaseptima, per Fridericum germanum suum, assistentibus ei Andrea Rosa Archiepiscopo Leopolieñ. Creslao Cuyauieñ. & Cancellario regni, Ioanne Lubranski Posnanieñ. Vincentio Przerapski Ploceñ. Luca de Thorun Varmieñ. Episcopis, & pluribus abbatibus infulatis. Præsentibus insuper & inspectantibus Elizabeth regina Poloniæ genitrice regis, Conrado Mazouiæ de regno Poloniæ, Item principe Mosaiczi, Michaële Glinski, Georgio Grodzinski de magno ducatu Lithuaniæ ducibus, & maxima copia plebis ac nunciorum, inunctus & coronatus est. Deinde prandijs Prælatos, Duces, Barones, & uniuersitatem Cracouiens. refecit, hastiludijs & solatijs interpositis. Aduenerunt tandem ad regem Alexandrum illustrissimus dux Sigismundus ex Hungaria frater eius die Saturni, decimaoctaua mensis Decembris, Ioannes Baduarius Orator Venetorum, ad commendandum sese Alexandro regi nouiter intronisato. Et Helena coniunx regis Alexandri, filia Ivvan ducis Moschouiæ, quæ solenniter per Cracouiam in arcem regiã, die Veneris, quarta Februarij, in medio horæ uigesimæprimæ inducta est. Cõstitutoq; de cõsilio totius senatus regni Friderico Cardinali & germano in gubernatorẽ regni Poloniæ, rex

Alexander in regem eligitur.

Cautele circa electionem.

Legati ex Polonia in Lithuaniam.

Sigillum annulare Cancellariæ regni datum.

Alexandri aduentus.

Alexandri coronatio.

Sigismũdi aduentus.

rex Alexander in Lithuaniam die Martis, tertia Maij, horâ tredecima, & fuit dies inuentionis Sanctæ Crucis exiuit. Quem Creslaus Cancellarius senectute, uti se excusabat, grauatus, Matthias autem de Drzewicza præpositus Scarbimiricñ. & Vicecancellarius regni ægra corporis laborans ualetudine, non erant secuti, quamobrem senatu regni promouente, Ioannes de Lasko Canonicus Cracouieñ. de Cancellario, Curiæ episcopalis Creslai Episcopi Vladislauieñ. in secretarium regium uices Cancellarij, & Vicecancellarij absentium apud regem gesturus, creatus, & institutus erat, sigillo annulari per regem manui suæ imposito, & iuramento corporali per eum in manibus præfati Friderici. & aliorum prælatorum regni in præsentia regis, quod senatores regni iurare consueuerunt, præstito.

Alexandri in Lithuaniā reditus.

Ioannes de Lasko Secretarius creatus.

Et quum omnia pacata uiderentur, Tartari Przecopeñ. prope festum Sancti Michaëlis propter negligentiam præfectorum, crudeliter gladio, igne, & occisione Russiam & districtum Sandominæ uastauerunt. Exusserunt Rzeslovv, Iaroslavv, Radimno, Bels, Dauniczza, Kunovv, Lagovv, & magnam Oppatovv, quoniam hucusque Cometes præcedens girabat. Depellentesque innumerabilem prædam, in aquis ultra quam mille homines tranatando Istulam suffocarunt. Fertur autem Tartaros numero triginta millium, sed ut eorum mos est in stadia diuidi per quatuor aut circiter millia diuisim sparsis fuisse, & usque ad magnam Oppatovv regni Poloniæ peruenisse. Dux insuper Moskouiæ Ivvan eodem tempore per filium suum Demetrium, castrum Smolensko obsidebat, quod gentes regis Alexandri strenuè defenderunt. Verum plurima negligebantur per præfatum Alexandrum & ægrè defensa erant.

Tartarorū uastatio in Russia.

Smolensko castrum obsessum.

CAPVT LXXXI. LIB. IIII.

ANno autem sequenti, scilicet 1503. Friderico Cardinali longa ægritudine malè Franczosa fatigato, & in Martio defuncto, rex Alexander in Apulsi circa Dominicam Palmarum in Lithuania cum suis, dux Ivvan Moschouiæ tenere inuiolabiliter pacem sex annis iurauit. Et econtra dux Moschouiæ pari uicissitudine custodire, & seruare pacem duci magno Lithuaniæ Alexandro, & ipsius Boyarijs iurauit. Rediensque ex Lithuania rex Alexander conuocationem in Lublin, pro die Apostolorum Simonis & Iudæ, pro metis & resistentia opponenda Stephano Palatino Valachiæ, qui districtum Pokucze sub montibus Hungariæ temerè inuadens occupare nitebatur, atque pro defensa à Tartaris teauit. In eadem conuentione Ioannes de Lasko secretarius regis creatus, & pronunciatus est Cancellarius regni Poloniæ. Stipendiarij autem ære communi conducti, & in Russia positi, pro defensa ab incursu Barbarorum, in Poloniam redeuntes, uillas spiritualium Episcopi Cracouieñ. Abbatis Andrzeiouieñ. Præpositi Michouieñ. & cæterorum expilarunt, & uastauerunt. Nec contributio spiritualium liberabat, quoniam rector gregis aberat. Rege Alexandro in Prussiam de consilio consiliariorū tam Poloniæ, quam Prussiæ terrarum secedente.

Pax facta inter Alexandrū & ducem Moscouiæ.

Conuentio in Lublin.

Anno quoque Domini 1505. die Saturni, undecima mensis Ianuarij, Rex Alexander de Cracouia in Brzescie Ruthenicum, ad tenendum conuentionem Lithuanorum & Ruthenorum exiuit, quam ibidem cum prælatis, & Baronibus, alijsque optimatibus illius ducatus celebrauit, personaliter, sed seorsum uenientibus Alberto Tabor Episcopo Vilneñ. Ioanne Zabrzezinski palatino Troceñ. Item duobus alijs æquè magnificis, scilicet Stanislao Zarnouiecz Capitaneo Samagitiæ, & Stanislao Kyska in Piotrouitz Capitaneo, exercituum magni ducatus Lithuaniæ Campiductore generali, sed ad consilium regis, & magni ducis uenire abstinentibus ob suspectas insidias uitæ eorum apud regem & magnum ducē in castro ipso Brzesteñ. per Michaëlem ducem Glinski subministratas: quippe qui occulto pectore seditiosum quiddam pro imperio & gubernatione eiusdem ducatus gestare consueuerat, quod ipsi Domini cōtra eum affirmarunt, suadebat, mussitabatque apud aures regias diu, noctuque ad istorum Dominorum sibi publicè, & priuatim resistentium uitæ, honoris, & officiorū priuationem, actumque fuisset de illis, nisi tunc à summo uitæ honoris, & officiorū periculo eruisset illos Ioānes de Lasko Cancellarius regni, Ioāne de Oszvvyaczim Theologo Canonico Cracouien. confessore regio sibi in hoc pietatis opere ingenuè assistente, contra insultū regis, & magni ducis deliberationē, quā rex ad uota ducis Michaëlis non diffidebatur pectori suo regio hærentem, ac contra Michaëlis ipsius temeritatem proposita sibi strenuè auctoritate regni Poloniæ, cuius Cancellarius esset, protestabatur, quia à rege discedere in regnū mallet, quam isti errori seditioso interesse. Quo quidem Cancellario instante temperatū erat ab exitioso illo processu, tantummodò

Conuentio in Brzescie.

Michaël Glinsky magnū ducatum Lithuaniæ affectat.

modò Ioanni Zabrzezinski palatinatus Trocen̄.adimebatur, ad quem Nicolaus Radiuil non iure priuationis,sed cuiusdam maleuolentiæ, & eo ipso Ioãne Zabrzezinki illud paruipendente suffectus erat, qui tamen Zabrzezinski cum ipsis alijs hac donati erant gratia,ut & in regno,& in isto magno ducatu curarẽt interim Maiestatem regiam sibi efficere reconciliatam,quod Domini ipsi conscij innocentiæ,& integritatis suę existentes se facturos obtulerunt.Ibidem aduenit Szachmetczar imperator Tartarorũ Zauolhensiũ, quem rex Alexander ad unum milliare in obuiũ illi pompose exeundo, honorifice suscepit,& tractauit.Is Szachmetczar in illa horridæ frigiditatis hyeme,qua regem Alexandrũ ad bellandum requisierat, ab imperatore Przecopen̄. Mendligero, contra quem fuit adductus,profligatus(uxore Zauolhensis & maiori parte exercitus eius horrente frigus,miseriam,& defectum uictualium,imperatori Przecopen̄.Mendligero adhærẽte)solus ipse Szachmet Zauolhensis cum trecentis equis,ad Bialogrod Valachiæ fugit,ad Turcã pro subsidio transiturus. Vt autem certa relatione didicit imperatorem Turcarum Baizetum commisisse Capitaneo Bialogrodensi,ut Szachmetczar detineretur,ac incarceraretur, & in Bizantin̄. ad Cæsarem mitteretur uinctus, Szachmetczar celeriter de campis Bialogrod se arripiens, fugit & non substitit, donec prope Kiovv peruenit, & illic resedit. Hunc Capitaneus Kiouien̄. circumdando, coëgit in Vilnam Lithuaniæ transire. Quo longo tempore, mora & expectatione afflicto, fugere pluries ad Tartariam tentauit, tamen consequutus reducebatur, & custodiebatur, donec regi Alexandro in Brzescie adduceretur. Cui rex, quamuis se hilarem exhibuerit, tamen nonnihil ægrè tulit, quod secus fecerit, quam debuerit fecisse, nihilominus fraterne eum prosecutus Poloniam secum illum ad conuentionem Radomien̄.abduxit,ut liberius accusationem in eum transferret. Rex autem in Poloniam ad conuentionem Radomien̄.transiens,præfatum Cæsarem Zauolhensem secum adduxit. Et primum locato eo in Noua ciuitate Mazouiæ, accersiuit tandem ipsum,& in quadam uilla iuxta Radom posuit. Hic Szachmetczar personaliter in concilio regis Radomien̄.constitutus,tum lamentabiliter, tũ rationabiliter, tum etiam audacter regi Alexandro,& eius consilio exposuit,et imputauit,quod propter eos, & ligam eorum tam exercitum,quam omnia sua perdidisset. Agerent itaq; quod libertate donaretur,& sua per eosdem ueluti confratres rehaberet. Aliter Deus iustus iudex,coram quo cum rege Alexandro æquo pede, certissime cõstitui asserebat, iudicabit causam nostram in condemnationem Alexandri uiolatoris iuramenti,& promissorum. Hæc Barbarus. Responsum tamen accepit nomine utriusq; Domini prolatum, quia neq; Deum, neque homines accusare debeat,sed solus ipse sibi & tam præmortuo Alberto regi, quam regnanti Alexandro reus,uel maxime fuerit. Inprimis quia initam cum ipsis regibus confœderationem non seruauerit, quippe cum in fide promissa cum gente sua tota permitteretur in campis magni ducatus consistere, ipse fœderis immemor nonnihil hostiliter circa Kyouiam cõtra magnum ducem attentare non erubuit,& tandem,quod dictum est,gentem perdiderit, hostemq; regni & magni ducatus sua gente auxerit, cum tamen pius princeps magnus dux hoc illi patienter ferre,& ad propositam actionem bellicam eum seruare uoluit,& hortatus est,ut à Kiouien̄.districtibus,ac à uicinitate Tartarorum Tauricanorum uersus Starodub in fines Moskorum soluisset,secessissetq; procul ab eo loco,unde periculum illi indubitanter immineret, ne incaute circumuentus gentem perderet suam, quod Cæsar faciundum respuit,& tantos in gente, familiaq; sua motus per quandam immodestiam excitaret, ut uxorem, & multos ex suis ad defectionem impelleret, qui quod supradixeram dum conscius negare, & se iustificare haud potuerat, petijt se nihilominus ad recuperationem suæ Tartariæ iuuandum,cumq; de modo recuperationis mutuo deliberaretur præsumebat faciliter futurũ, si eius frater permitteretur ad Tartaros Nohayskie progredi,qui fratres Cæsares illorum Tartarorum sibi in auxilium educeret, qui ut nõ inconsolatus esset bene sperare, & expectare iubetur,donec gentes ad bellandũ ordinarentur. Ille inspecta multitudine hominum,& isti inquit, cur non bellarent. Responsum est, non sicut in Tartarijs Christianos omnes passim bella obire,attamẽ ut gratus & acceptus apud Cõsiliarios utriusq; Dominij esse uideretur tam Poloni,quam Lithuani,quorũ tunc cum rege ex Lithuania in Radom non pauci uenerant,promiserunt Cæsarem cum gente armata Polonorum, Lithuanorum, & Tartarorum magnum ducatũ incolentium ad recuperandam suam Tartariam uersus Tauricanum Cæsarem expediendum, à quo Tauricano credidit ipse Szachmetczar suos ad se redituros Tartaros, quamprimum pileum suum inspectare possent,quã in spem per Szachmetczar declaratã. Rex cum Consiliarijs utriusq;

Cæsarum Tartaricorũ intestinum bellũ.

Mandatum Turcæ.

Conuentio Radomien.

Cæsar Tartarorum fidefragus.

utriusq; Dominij Kozack, Soltan germanum Czaris eiusdem expediuerunt, & libertate donarunt ad Tartarias Nohayskye ultra fluuium Volham iturum, quo Cæsar Szachmetczar adeo exhilaratus erat, ut ibidem plurimùm se lætatum, consolatumq; diceret, semperq; in fide absque suspicione perfugij se mansurum promitteret, expectaturus absq; dolore, & mœstitia reditum, responsumq; fraternum, & ita optime in hac Radomień. conuentione contentatum se professus erat. Germanus autem Cæsaris Kozack Soltan ad fines Lithuaniæ deductus, trans Volham fauste peruenit, & ei commissa fideliter ordinauit. Interim rex Alexander contra grassatores, raptores, & deprædatores in conuentione Radomień. agens, iussit quandam mulierem nobilem Russinovvska nuncupatam, in ocreis, & calcaribus (quoniam fur erat equestris, multos nobiles in illis locis spolians & domos diruens) suspendere. Alios uerò raptores, de quibus erant Olsitchovvski & Missovvski decollare iussit. Item reconciliationem Dominorum Lithuaniæ ut dictum, sine causa infamatorum consiliarij regni Poloniæ curabant cum rege Alexandro componere. Cumq; causam criminationis exquirerent, Dux Michael nomine regis obijciebat illis inobedientiam, quia rege mandante, quòd Georgius Illinytz castro Lyda cessisset in personam Droszdza Rutheni, illi prohibuerunt castro cedēdum. Sed qui Droszdzam factionis Michaëlinæ consciū clam assererent, quia Michaëlis consanguineus esset, cessionemq; eiusmodi ex ea causa ad Regiæ Maiestatis in Lithuaniam ex regno aduentum suspendendam putarunt, clam apud regem ibidem in Radom obtinuerunt, ut ad uota, & intercessiones consiliariorum Poloniæ rex promitteret, quamprimum Lithuaniam rediret, admittere illos in suam pristinam gratiam regiam: Consiliarij autem Poloniæ de hac maiestatis regiæ benignitate erant contenti, non indignum putantes rem in Lithuaniā reijci, tanquā propter auctoritatem illius reipublicæ, quia tanquam domesticum Lithuaniæ negocium esset. Igitur Lithuani post Dominicam Trinitatis discesserunt. In eadem conuentione Minores Poloni oblationem fertonum admiserunt: Maiores uerò denegarunt. Dehinc rex Alexander soluens habenas (consulentibus medicis, quoniam paraliticus erat) ad Cracouiam transiens. Szachmetczar cum Lithuanis in magnum ducatum Lithuaniæ misit in Troki honeste & libere ad suum usque in Lithuaniam reditum seruandum, quatenus rex secum Lithuaniæ fœliciter conueniens, pro ipsius expeditione in Radom deliberata consuluisset. Interim tamen cum Cæsar libertate in Troki frueretur, octuaginta nuncij seu Tartari de Tartarijs Nohayskie sese à Cæsaribus, quorum multi illis Tartarijs imperare consueuerunt ad eundem Szachmetczar in Nohay ad Cæsares illos, tanquam fratres & Commilitones reducendum missos asserentes Vilnam ueniunt, permissi ad Cæsarem alloquendum liberè ei conuersantur. Interim etiam dum unà cum Cesare omnibus necessarijs uictus, & uestium per Lithuaniæ consiliarios prouiderentur, Szachmetczar cum suis omnibus pro quibuscunq; equos & iumenta ad insedendum habere potuit, ex Troky insalutatis consiliarijs Lithuaniæ clam fugæ se committit, oblitus promissorum omnium pro ipso, & per ipsum in Radom consultorum, & iureiurando roboratorum. Sed per Lithuanos insecutus compræhensus, & in Troky reductus erat, ad regis ex regno reditum custodiendus. Sub id etiam tempus dum rex in regno immoratur, adueniunt Vilnam ad consiliarios Lithuaniæ oratores Mendligeri Cæsaris Przecopeń. seu Tauricani commissa Cæsaris referunt, ut si saperent Cæsarem Szachmetczar captiuarent, quemadmodum patruo ipsius Mendligeri prisci, & antiquiores Lithuanorum fecerūt, quod si facerent eis pacem, & adiutoria sempiterna promitteret, quæ melius præstaret ipsis tanquam propinquitate, & adiacentia loci iunctus, quam imperator Zauolhensis remotus. Crediderunt Lithuani uerbis Menligeri satis dolosis, & nunquam uerificatis, responderuntq; oratoribus eius optata isthic ad Regiæ Maiestatis noticiam reijcienda.

Alexā der grassatores intercepit.

Contributio fertonum decreta.

CAPVT LXXXII. LIB. IIII.

NVnc ad regem redeamus. Ex Radom rex Alexander in Cracouiam diuertens Dominica decem millium militum, quæ fuit dies uigesimasecunda Iunij, hora decimaoctaua eam intrauit: & subsequuti sunt Oratores Bogdan Palatini Valachiæ, qui in Radom aduenerant, & Elizabeth uirginem ultimo natam, sororem regum in matrimonium suo principi postularunt, quod ut faciliùs assequeretur districtus, iunctos Russiæ Valachiæ Czelsibieszi, & Thieszmienieza, quos pater eius ui, & armis occupauerat, regi Alexandro reddidit. Sed uirgine penitus dissentiente, & quia esset homo alterius ritus, ac monoculos obijciente, infecta re incōsolati abscesserūt. Regniq; Poloniæ

Reditus Alexandri de Radom.

Oratores Palatini Valachiæ.

loniæ Elizabeth, regum & uirginis genitrice, penultima Augusti moriente, spem cõiugij protraxit, & abstulit: excusationemq; propter lugubritatem opportunè intulit.

Conuentus in Lublin. *Morsus in spirituales.* Tandem rex in Kalendis Octobris è Cracouia peramplius eam non uisurus, hora decimanona exiuit, & conuentionem in Lublin in mense Ianuario anno Domini 1506. celebrauit. In qua primum dissensio suborta fuit sæcularium aduersus spirituales, ut scilicet iuxta regem spirituales non ambas partes eius cingentes, sed tantummodo in dextra parte sederent. Et quòd spirituales ad bella irent, & maiores expeditiones (quia plura, quam sæculares posiderent) facerent & expedirent. Quibus sedatis & spiritualibus in suo ueteri præsidentiæ, & libertatũ iure cõseruatis, pro defensione regni nouam monetam mediorũ grossorum cudere constituerunt. Et quòd stipendiarij conducerentur, in Russiamq; mitterentur, tunc rex ex Lublin, in Lithuaniã circa Gregorij perrexit: initoq; Vilnæ cõsilio pro Szachmetczar, & pro illis octoginta ad eum ex Nohay missis, qui illum, ut rebatur, ad fugam sollicitarunt, reuocauit Vilnam ex Troky Cæsar, in tentorijsq; sub custodia cum Tartaris & suis, & illis Nohayszczy stetit, celebratoq; maturè consilio de non obseruato iuramento, & de insidijs magno ducatui circa Kyovv structis accusatus, tandem de unanimi Lithuanorum, & Ruthenorũ consilio per Michaëlem Glynski cum aulicis Lithuanis aggressus, iussus est in Kovvno deportari, seruandus ibi, tamdiu quousq; Kozak Soltan auxilia illi ex Nohay adduceret, reliqui diuisim in curijs, & uicis designati ad id seruandi. Et

Tartari Russiã Lithuaniamq; uastant. Tartari Przecopeñ. circa festa Paschæ Russiam & Lithuaniam ingressi, tyrannide terribili usi, domos & aceruos cum frumentis exurebant, homines & pecora, quæ abducere nõ ualebant, secabant, utq; certificatores referebant, super prædicta ferè infinitum populum, quia centum millia abduxerant. Et quum uix quinq; millia Tartarorũ fuerunt, cuiq; Tartaro uigintiquinq; homines sorte cesserunt. Illisq; diebus erat quidam deceptor prope oppidum Ilkusz in uilla Balin, ab euentu propheta Balinski agnominatus. Is quum esset

Fictimedici de fraudatio. Polonus in Hungaria, & Septemcastreñ. terris empyricam medicinam exercens, & ut sæpe plures occidens, in præfatam Balin perueniens, Græcum genere & lingua se asserebat, & peritissimum medicum. Ad quem ex uniuerso regno, præcipuè tamen ciues ex Cracouia plures confluebant, & in ædibus ipsius uillanis iacentes, remedijs ac incantationibus utebantur, fiducia & promissis pleni. Ex ditioribus non nisi centum aureos exigens, propter q à certis medicis Centurio uel Centenarius, à mercede centum ducatorũ

Medicus Balinsky a regẽ accersitus. nuncupabatur. Hunc itaq; ex fama multorum rex Alexander languidus, & paraliticus resciens, ad sese curandum accersijt, qui nullatenus acquieuit, nec ire uoluit, nisi prius trecentis aureis pro uia subarrhatus, & equis optimis cum curru & equitibus deducentibus prouisus. Et ferè totam apothecam ex apothecario regio secum recipiens, iuxta Cracouiam per Cleparz (non enim in Cracouiam unquam descendebat) ad regem Alexandrum in Lithuaniam perrexit, in castro Vilneñ. (cedentibus non tamen empyrico consentientibus, sed ad uotum, & imperium Michaëlis Glinski, secus facere nõ audentibus medicis regijs) ex stuba grandi facto balneo iussu empyrici, uapores ex coctione herbarum

Prodigiosa eius medicina. producens, regem ad sudandum desuper locabat: ad bibendumq; uinum, & maluaticum ei in balneo, & mox exeunti balneum porrigebat, quæ in paralysi apud omnes medicos suspectissima sunt. Et quum rex debilitatus, uiribusq; destitutus in pessundationem ac desperationem deductus erat, Matthias de Blonie regius physicus Ioannem de Lasko Cancellarium sollicitat, curaret auctoritate sua & regni, regem de manu pseudomedici eruendum, alioqui rex subitò cum sudoribus spiritum exhalaret. Qui Cancellarius dum contra empyricum inuehit, Michaël Glinski ne regis impediatur cura, cum defendit, quousq; conuocatis & persuasis per Cancellarium consiliarijs decernitur capiendus ad arbitrium fratris regij ducis Sigismundi, qui pro corrupta fratris regis uitæ sanitate faceret cum insano medico iudicium demeritum. Captus pseudomedicus, in carceres

Medicus in carceres deijcitur. deijcit, Michaël tamen Glynski de ipsius missione, & fuga insimulatus, qui medicus clam de carcere quomodocunq; dimissus per Prussiam ad monasterium sanctimonialium in Svvierzyniecz ante Cracouiam perueniens, uxorem suam filiam Balinski cum propheta prædicto commorare, ob infamationem & delusionem eius recusantẽ, requirebat, ac repetebat, & ea non rehabita, in Teisin se transtulit. Deinde in Rupellam Kazimiriæ sancti Stanislai, ad monasterium eremitarum sancti Pauli declinauit, & clam permansit. Quem Laurentius Miedzilesky, Notarius Cancellariẹ regis, qui olim in cura eius fuit, reperiens, cum societate sua prophetam Balinski traxit, & in carceribus loci ordinarij, in curia episcopali conclusit. Inde ne moreretur dimissus euasit: & postea interiecto longiusculo

tempo-

tẽpore, Alchimiã & Philosophiã denuò in Cracouia clãdestinẽ practicare cœpit: quũq; in ambabus tã Alchimia, q̃ Philosophia defecisset, & notatus fuisset: acceptis in mutuũ ab aliquibus ciuibus pluribus ducatis, nocturno tẽpore fugit, nec usq; cõparuit. Et quũ tales seductores plures apparuerunt, nostri tñ homines uanitatibus oblectati, usq; in hos dies cauti esse nolunt. Circa festum S. Laurentij dum rex maleualens Vilnæ decũbit, Tartarorũ uiginti quatuor aut sex millia nũciant, nõ solùm in Lithuaniã, sed directè uersus Vilnam pgredi. Quorũ trãsitu rex cõmotus, tametsi languidus Consiliarios uocat, cõsultat, & cõtra Tartaros expeditionẽ decernit. Cui cum Michaël nomine procerũ responderet, absq; rege nequaq; ituros, Matthias Blonye Physicus regius obsecrat ne rex moueat, quẽ præsagit hoc ipso solo æstiui tẽporis trãsitu, citiùs ad suũ, q̃ hostiũ interitũ perducendũ. Vicit tñ pertinax Michaëlis respõsio ut rex ipse animo, quãuis debili tñ audacter declararet se cõtra Tartaros iturũ, puenitq; in quadriga uectus ad castrũ Lyda, cui appropinquabãt Tartari, Helena Magna dux & cõiunx, sequuta erat regẽ, q̃a uidit moribũdũ. Cũq; speculatores regẽ auisatũ facerẽt de triginta millibus Tartarorũ Kloczko uersus euntiũ, in quib. Cezarelli essent aliquot. Rex nimiũ molestiæ cõcepit, q' equo insidere nequiret, exinde subito morbũ incidit, à q̃ suffragio medici excitat, & Stanislao Kyska Cãpiductori generali exercitũ cõmittit, qui obuiã Tartaris iret. Cum Kyskà uniuersi Barones, & Michaël missi. Ad custodiã uero corporis regij Albertus Vilnens. Episcopus, Ioañes Zabrzezinski cũ Ioañe de Lasko Cancellario deputati. Qui cũ sup istis extremis mutuò deliberarẽt euentibus, cõmuni cõsensu statuunt Sigismundũ ducẽ, regis fratrẽ, Glogouiæ agentẽ uocandum. Suggerũt etiã Michaëli, q' & ipse literas pro duce ipso scribat, ut quantotius Lithuaniã aduenire acceleret, siue eñ uiuet, siue morietur rex, & similiter siue uincẽtur Tartari siue non, putarũt necessariũ de ijs ducem, tanq; futurũ regis successorẽ, & hæredẽ auisandum. Interim Kyska quadã ægritudine incepit laborare, adeò ut uix equũ ascẽderet. Tartari aũt à Kloczko uersus Lydã nunciãtur appropinquare, relictis ultra Kloczko impedimentis, & bissaccis eorũ in uno certo delecto securiori loco, & parte suorũ minus ualentiũ pro tutamẽto cũ his remanẽte, numeratis circiter uiginti millibus delectorũ pugnatorũ Tartarorũ. Interim etiã medicus regius de Blonije Cancellarium auisatum facit, pcuraret prouidendam regis animæ salutẽ, sic in exercitu Kyska ęgrotatus ad exercitũ dirigendum Michaëlem substituit, sibiq;, & Baronib. per eũ prius ordinatos, exercitus cõmendat ęgrè ualens. In Lyda aũt Cancellarius, inito cũ assessoribus regis custodiæ consilio, regẽ Eucharistiæ sacramẽto pcurat, cõuocatis Helena Magna duce, & his ipsis assessoribus, ac Cancellariæ Lithuanæ Secretarijs. Thesauros regis de scrinijs curruũ, ac ab Helena magna duce recipi, & corã rege secerni, sup eisq;, & sepultura ultimã à rege exquirit, & cõscribit uolũtatẽ, q̃ sigillatã ad aduentũ fratris regij, ducis Sigismundi una cũ supellectili regia, quæ in auro, argẽto, gemmis monilibus, anulis, & uestibus ad cẽtum millia, aut circa ęstimabat, pcurat seruãdam. Et cum tanq; uolatiles frequẽtes ab exercitu regis nũcij aduenirẽt nunciantes, q' nec mora securitati regiæ cõsulatur, quia temerè Tartari se opponãt, & uersus Lydã pergere cõtendant. Corpus regiũ uix spiritũ retinẽs cõsilio medici in pheretra ponitur, & inter equos alternatim p duos pheretrũ portãtes ducturæ Nobiliũ Polonorũ duorũ Nicolai de Roszoczycze, qui demũ Castellanus Bijechouień. creatur, & Ioañis de Sobothka eiusdem Cancellarij consanguineorũ cõmittitur, qui aurigarũ uices gessere, eorũq; ductu & assistentiũ cura, rex iam moriturus, Helena cõiuge comitãte diu, noctuq; Vilnam defertur. Cuius custodijs diurnis, atq; nocturnis fratres minores adhibẽtur. Moxq; nuncij adueniunt uictos Tartaros nunciant. Rex tametsi iam tunc usu dictionis abuteretur, audita tñ relatione uictoriæ, eliquat lachrymas, oculos ad Deum leuat, & manu ægrè ualente tanq; gratulatus astantibus uestes grabatũ regis regẽtes remouet, & astãtibus manu leuatas donat, cuius munificẽtia & liberalitas uniuersos astãtes religiosorũ, & aliorũ conditionũ ad cõlachrymãdum & eiulandum concitat. Deinde mox rex Deo Spiritũ reddit, & patrimoniũ magni ducatus suo piculo inter agonizãdum ab hostibus defensum successori reliqt integrũ. Cuius corpus debita reuerẽtia cõditum, usq; ad Sigismũdi ducis aduẽtum adseruatum est. Congressi aũt cum Lithuanis erãt Tartarorũ quindecim millia circa Kloczko per Lithuanos uictoriosissimè fusa, cæsaq;, paucis de curia regis ex Vilna aduenientib. Polonis, quorũ Sandiuogiũ de Czarnkovv Baronem palatini Posnanień. filium, cũ cæteris familiarib. Cancellarius ductorẽ præfecerat, qui licet certamine se nõ immiscuerãt, quia tardiusculè uenerãt, armis tñ fulgẽtes in monticulo, ppe lacũ & paludem pugnæ per Tartaros uisi, nõ parũ hostibus timoris, & Lithuanis animi præbuẽre: quippe ut illos inspectarent

Tartarorum in Lithuaniam subita irruptio.

Alexander in morbum incidit.

Dux Sigismundus in Lithuaniam uocatur.

Alexander ultimo salutis prouidetur.

Alexander Deo Spiritum reddit.

Tartari à Lithuanis cæsi.

rent Tartari, qui tū ꝑ palude cum Lithuanis certabāt, putātes à Polonis, quos per habitū & equites nouerāt, nouū, magnaq; Lithuanis præsidia aduētasse, fugæ se committebant, quos Lithuani insequentes strauerūt, ut ueluti in messe manipuli per aliquot milliaria iacerent corpora occisorū, quorū Lithuani nūnullos uinctos, equorū uerò circiter duodecim millia ex ipso cōflictu retulerunt. Duo uerò Cæsarcoli seu filij Cæsaris, ad paludes & loca limosa fugiētes, noctis obscuritate saluati euaserūt. Præfata aūt uictoria nō Campiductori Kyska, aut duci Michaëli Glynski, uel eorū, sed Dei solius prouidētiæ, & regis fœlicitati attribuebatur, qui dum cū morte & terreno hoste simul luctaret, deuicto hoste, per mortē uictor uictus erat. Sub codē tēpore puta die Saturni, octaua mēsis Augusti, Stella crinita, nigra nūcupata de natura Saturni, circa polum supra septētrionem apparuit: altera nocte inter prædictas septē stellas, quæ currus dicunt, tandē sub eis alijs noctibus, continuò declinās ꝑ Cancrū, Leonē, & Virginē, usq; prope horizontē Septētrionis inclinata, in uigilia assumptionis Mariæ disparuit. Et rex quoq; Alexander, quia Cometes ille per horoscopū eius trāsijt. Itē quia globus igneus clarissimus eo tēpore supra turrim prætorij Cracouień. in una noctiū desuperiorib. uelocissimè descēdit, obitū principis loci significans. Obijt aūt mortē Vilnæ, die Mercurij, quæ est decima nona Augusti, noctis sequentis hora quarta. Sepultus in Ecclesia Vilneń. in sacello iuxta germanū suum ducem Kazimirum, die Dominica, undecima mensis Octobris. Delegerat qdem & ipse sibi locū sepulturæ, & per legitimū testamēti tenorē inscripserat Cracouiæ in Cathedrali Ecclesia, ꝑ qua re Cancellarius adueniente Sigismūdo duce cōcionabat, publicè obsecrādo ducem, & Cōsiliarios Lithuaniæ, q; ultimæ uoluntati regis nō præiudicarent, sed eum permitterēt cum regis funere ad regnū redire, tū quia suspicio de Michaële uehemens erat, quod cū funus de Lithuania educeretur, idq; sequerētur dux Sigismūdus frater, & Barones sūma darēt commoditas Michaëli Vilnam cum castris occupandi. Idcirco decreuerunt uoluntati ultimæ regis derogatum iri, & appositus est uicinus corpori beati Kazimiri germani præmortui. Et quo audentius decernunt uoluntati ultimæ derogandum, frater dux & Consiliarij Lithuaniæ, eò magis ipsi Cancellario regis promittunt honorificētia tumuli, & anniuersariorū fundatione memoriā regis testatā facere. Iste unicus rex Polonorū in Lithuania tumulatus quiescit. Fuit aūt rex Alexander mediocris staturæ faciei aliquantulum oblongæ, ossosus, neruosus. & uiribus corporis præditus, sed uiribus animæ diminutus. Nam inter oēs fratres suos, minus benè discernebat. Et in persuasionibus ac rationibus oppositis, quid sequendum, eligendumq; foret, rarò dijudicabat, unde sæpenumerò taciturnitate, plura interrogata, proposita'ue absoluebat. In bellis fortunæ nō omninò exps, primū qdem ꝑ expeditionē cōtra Moschos, ductore suorū Lithuanorū fidelium existēte Bohemo Czyernyn Moschos tunc uirib. & multitudine supantes cum paucis Lithuanis & stipēdiarijs deuicit. Itē in auxiliū fraternū Alberti regis cōtra Turcas ꝑ Valachiā expeditionē facientis, ueniēs dum in cāpis Podoliæ cum Tartaris secum cōfligere declinātibus cōsisteret, castrum Braczlavv erexit, & pennē suorum magnorū opum memoriā cōstituit, tā regno Poloniæ, q̄; magno ducatui Lithuaniç, in eo ipso castro tutamen & singulare contra Tartaros propugnaculum. In ultimo uero mortis articulo, sicut supra scripserā, mortēs hostes uictoriosè profligauit. Sub principatu eius crebræ incursiones, sed nō inultæ fuerunt: adeò tñ pius, liberalis, & æris, auriq; cupidus erat, ut quicquid peteret, libēs tribuebat, & nō prius esset sollicitus numorum habēdorum, nisi prius se offerret indigēs, aut supplicās, cui subueniēdum foret, aut ipsa necessitas urgeret. Curiā tenuit copiosam, dilectioribusq; plura donabat, adeò liberaliter, ut eorū gratia nōnulla bona oppignoraret, & nōnunq; thezaurum exhauriret, q̄; pro status sui tēporali ꝑusione ex prouentib. regijs cōgerebat. Histriōnū, ludiorū milites & magistros q̄; plures, cātores quoq; & fistulatores habuit. Et quia cōiunx ipsius Helena de Moschouia schismatica, prolem ædiderat nullā. Igitur sicut dux Sigismūdus de loco cāpestralium stationum, & de loco expeditionis cōtra Tartaros factæ ex Lyda de moribundo rege auisatus erat, sic eo uita functo, prælati & Barones Lithuaniæ pro ipso duce Sigismundo, germano regis defuncti, festinè in Glogouiam Slesiæ miserunt, erat enim dux Oppauiæ maiorisq; Glogouiç, & Capitaneus supremus utriusq; Slesiæ, qui propere per Posnaniam & Mazouiam procedens, in Lithuaniam deuenit. Et prius per ducem Michaëlem Glynsky, se de insimulata seditione, hoc ipso occursu purgātem cum fautorib. suis inuitatus & exceptus est. Demum per alios dominos Lithuanos salutatus, usq; in Vilnam perductus est. Vbi reperto fratre mortuo rege Alexandro, subsistit, & usq; in diē sepulturæ ꝑmansit. Pro qua per eundem aduenientē ducē adoptata erant

Cometes notabilis.

Signa mortis Alexandri.

Alexander Vilnæ moritur & sepelitur.

Descriptio morum Alexandri.

Sigismundus in Lithuaniam uocatur.

Aduentus eius ad funebralem pompam.

phere,

pheretra præciosè tecta triginta unum. Equi axaminro, adamasco, & cæteris preciosis tecti, triginta duo. Vexilla octo, & quatuor equites singillatim hastã, gladium, & uestes regis ferentes. Commẽdatus est ergo sepulturæ, die qua supra, quũ explellet ætatis suæ annos quadraginta quinque, & dies quatuordecim. Regni uerò Poloniæ annis quatuor cõpletis, mẽsibus octo, & diebus octo. Magni ducatus aũt Lithuaniæ annis quatuordecim, & quasi duobus mensibus. Post prædicta eodem anno 1506, die Martis, uigesima Octobris, quæ fuit translationis Sancti Adalberti, Illustrissimus dux Sigismundus in magnum ducem Lithuaniæ, hora sedecima, cum solennitate magna, & subiectorum eius, etiam ducis Michaëlis Glynsky iuramentis, sublimatus est.

Sigismundus in magnum ducẽ Lithuaniæ electus.

CAPVT LXXXIII. LIB. IIII.

ANno Domini 1502 in conuentione Korczyn, feria tertia infra octauas corporis Christi, Alexander rex Poloniç, de consensu expresso consiliariorum regni, ad petitionem Reuerẽdi patris dñi Creslai de Kurozuanki Episcopi Vuladislauieñ. & regni Poloniæ Cancellarij, ac Ioañis de Lasko Decani Vuladislauieñ. facientes cõpensationẽ pro iure, quod Capitulum Ecclesiæ Vuladislauieñ. ad præposituрã sancti Michaëlis in castro Cracouieñ. per dotationem de mẽsa episcopatus Vuladislauieñ. & deinde per incorporationẽ apostolicã habuit, Capitulo Vuladislauieñ. facta. Iuspatronatus parochialis in Gambin diocœsis Posnanieñ. quæ de iurepatronatus regis Poloniæ existebat, donatione perpetua & irreuocabili, Ecclesiæ Vuladislauieñ. donauit, Literas desuper nouas sub sigillo suo decernendo. Quam donationem Ioannes Lubransky episcopus Posnanieñ. auctoritate ordinaria cõfirmando, eandẽ ecclesiã Capitulo Vuladislauieñ. incorporauit, cõfirmatione apostolica subsequuta. Eodẽ anno in mẽse Iulio Turcas obsidentes castrũ Iaicza, Hungari profligauerunt & repulerunt, uerum cum multis suis desideratis & occisis. Item eclipsis Solis, decẽ punctorum sup. 16 gradu Libræ, eodem anno in Kalendis Octobris fuit, ut Mathematici testati sunt abũdantiæ boni significatiua, quoniã Venus principalis significatrix eius fuit. Anno quo supra 1502 Serenissimus Vuladislaus Hungariæ & Bohemiæ rex accepit in coniugẽ uirginẽ Annam de regno Franciæ, quæ per Italiã & Venetias in Hungariam ante festũ sancti Michaëlis introducta. Coronata fuit ipso die sancti Michaëlis, & fuit dies Iouis uigesimanona Septẽbris, in Alba regali. Deinde Budam adducta, nuptiæ more regio die Iouis, sexta Octobris cũ plurib. triumphis & solatijs celebrabrãtur. Eisdẽ tẽporibus ex cõmisso Hungarorum, intrauerunt Turciam Petrus Palatinus Transsyluanieñ. Ioza, & Ioañes aliàs Hanzlyg olim regis Matthiæ naturalis filius. & Bodoñ. ciuitatẽ habentẽ emporiũ exusserũt, oppidaque ac uillas uicinas, & sine offensa redierunt. Anno Domini 1503, die Martis, quartadecima mensis Martij, aliàs post Dominicã Reminiscere, feria tertia in nocte sequenti, Illustrissimus ac Reuerendissimus dñs Fridericus Cardinalis presbyter sanctç Romanç ecclesiç in septẽ Folijs, primasque Gnezneñ. & Episcopus Craco. in curia episcopali Cracouiæ, uitã tẽporalẽ morte cõsumauit & finiuit. Causa fuit resolutio uirtutũ, ex pnicioso morbo Gallico, cũ inobseruatione regiminis; bibit siquidẽ ultra modũ & mẽsuram fortia potagia, & ut sæpe nocte, spreta philosophorũ doctrina & obedientia. Extinctus est & Marianus Suffraganeus eius Craco. Dominica Reminiscere post occasum solis. Signum præbens mortis dñi Cardinalis, ut sicut in uita, ita & in morte illi fideliter famularetur ac præcederet. Fuit Marianus genere Slauus de Hungaria religiosus ordinis sancti Dominici, Theologus acutus, lingua facundus, plura genera linguarum callens, & expedite pronuncians, Latinum, Slauonicum, Polonicum, Alemannicum, & Hungaricum. Traditus aũt fuit sepulturæ dñs Fridericus Cardinalis, die Mercurij, quinta Aprilis, & fuit post Dominicam Iudica, in scalis ante maius altare ecclesiç Cathedralis Craco. sub crate tumulatus. Extant ac eminent secti lapides in præfatis scalis pro sempiterna memoria eleuati. Hic Fridericus Cardinalis fuit proceræ & altæ staturæ, secundum collum procliuus & inclinatus. Hic cũ matre sua Elizabeth regina Poloniæ, tabernaculum & inclusorium testæ sancti Stanislai patroni nostri gloriosi, de puro auro, unionibus, & lapidibus præciosis circumdatum ordinauit. Cuius ualor & summa preçij cum labore cõpẽsando, atque cõputando ad septem millia & medium millenariũ aureorum se extendit, & hoc uulgariter mediusoctauus millenarius uocitatur. Hic in diebus suis clerum non patiebatur, nec permittebat a nobilibus opprimi, requiescat ergo in pace. Eodem mense Aprili, & eiusdem anni, die Mercurij post Dominicam Iudica ante meridiem, & fuit quinta mensis Aprilis, in qua Fridericus Cardi

Iurispatronatus permutatio.

Eclipsis Solis.

Anna ex Francia Vuladislao regi Hũgariæ nupta.

Fridericus Cardinalis moritur.

Mariani suffraganei sui obitus.

Friderici Cardinalis statura.

Creslaus episcopus Vuladislauiens. mortuus. nalis erat tumulatus, Creslaus de Kurosuanky, Episcopus Vuladislauiens. ac regni Poloniæ Cancellarius diem clausit extremum in conuentione Piotrkouiens. sepulturamque in sua ecclesia accepit. Año præexpresso 1503, Mansionarij sanctæ Crucis in sacello Hierusalem, foris oppidum Svveidnicz in quartali cinerum instituti sunt. *Mansionarij in Sweidnicz instituti.* Anno præfato 1503 continuabatur cultura montanarum Thatri in cupro & argento, quam anno preterito inchoauerant post oppidum Nouifori tribus milliaribus, & non fuit æqua sors factorum cum domino, quoniam rex Alexãder plura millia aureorum impendebat. Factores autem paucis redditibus datis, spe regem & promissis, non lucro implebant.

Anna Vuladislai Hungariæ regis filia. Anno quo supra, die dominica, uigesimatertia Iulij, quæ fuit Sancti Apollinaris martyris, nata est regi Hungariæ & Bohemiæ filia primogenita, hora medij horalogij septima, ascendente tertia facie uirginis. Quæ fonte baptismatis renata, nomine matris suæ Anna est nuncupata. Eodem anno die Saturni, uigesimaoctaua Octobris quæ fuit Simonis & Iudæ Apostolorum. *Conradus Mazouiæ dux mortuus.* Conradus dux Mazouiæ & dominus Varszouiæ, finem rebus suis imponens mortuus est. Et rex Alexander iure deuolutionis & feudi, ducatum eius & Varszouiam possedit. Qui denuò magnis personis instigantibus, Stanislao & Ioanni filiolis in feudum locauit. Quemadmodum idem rex Alexander, oppidum Sambor cum districtu, quod rex Albertus legitimè pro se & regno à domina Odrovvazovva literas sufficientes non habente receperat, instantibus pro ea quibusdam magnis uiris, & asserentibus non omnino iustè ademptum liberaliter restituit.

CAPVT LXXXIIII. LIB. IIII.

Iurispatronatus impetratio. Anno Domini 1504 feria quinta ante Dominicã Lætare, in cõuentione generali Piotrkouiens. Alexander rex Poloniæ, ad petitionẽ Domini Matthiæ Drzeuiczky Præpositi Scarbimiriens. & Vicecancellarij regni, iuspatronatus ecclesię parochialis in Brudzeuicze, diocœsis Gneznens. ad regem Poloniæ pertinẽs, eo respectu & ad illum effectum, ut mansionariæ in oppido Drzeuicza ex fructibus utriusque ecclesiã, uidelicet in Drzeuieza & Brudzeuicze erigerentur, de consensu consiliariorum regis purè & liberè donatione perpetua & irreuocabili donauit. Quam donationem Andreas Rosa Archiepiscopus Gneznens. auctoritate ordinaria confirmando, ac Ecclesiam prædictam in Brudzeuicze parochialem, ecclesiæ in Drzeuicza parochiali auctoritate ordinaria uniendo, annectendo, ac incorporando. Mansionarios ad decantandum, matutinum, missas, uesperas, & horas de beata uirgine perpetuis temporibus erexit, literas desuper nouas concedendo. Eodem anno in fine dierum Martij & in Aprili diluuia fluminum propter exuberantes pluuias cum frigore fuerunt. *Stephani Valachiæ Palatini interitus. Gesta eius celebria.* Anno quo supra quingen. quarto supra millesimum die Martis, secunda Iulij, Stephanus Valachiæ Palatinus, bellis, ætate & podagra attritus, fato absumptus in æternam clausit lumina, noctem post ortum solis una hora. Hic fuit à natura prędi tus, fortuna, astutia, & pluribus uictorijs. Hic Matthiam regem Hungarię in oppido Bayne bello superatum, & tribus sagittis non lętaliter in dorso uulneratum, de Moldauia eiecit. Hic Mahumetum imperatorem Turcarum cum centum uiginti millibus in Valachia parua manu (mirabile dictu) fudit, & cum ignominia expulit. Hic denique Ioannem Albertum regem Poloniæ post pacta, & firmatam secum pacem ad terras sui regni ex Valachia exercitus suos sub fide sibi data ducentem, usque ad extrema suæ prouinciæ telis, & armis persequutus est. Hic Tartaros Zauolhenses & Przecopens. sæpenumero strauit, & faustè repulit. O uirum triumphalem & uictoriosum de omnibus regibus uicinis gloriosè triumphantem. O fœlicem hominem, pleraque omnia munera fortunę pleno cornu tenentem. Quodque alijs natura per partes donauit, quibusdam prudentiam cum astu, quibusdam heroicas uirtutes & iustitiam omnium uirtutum præclarissimam. Nonnullis uerò de hostibus uictoriam, huic cuncta simul largita est, & concessit, ut esset in omnibus, iustus, prouidus, astutus, & de omni impetitore, uir uictoriosus. Non immeritò inter heroas in nostra ætate computandus, successit ei in principatu Valachię Bogdan unicus filius, uno oculo orbus.

Kazimiriæ exustio. Eodem anno die Iouis, uigesimasecunda mensis Augusti, Kazimiria Cracouiens. à circulo usque ad muros ciuitatis partis meridionalis, pręsente rege Alexandro & magnificis in castro Cracouiens. post meridiem usque in noctem arsit, & totam partem meridionalem ciuitatis, & turres supra murum præcipuè portam magnam uersus montem sancti Benedicti consumpsit. *Bohemi à Maximiliano uicti.* Anno quo supra in mense Septembri. Quinque millia Bohemorum in Bauaria pro Pfaltzgraff seu Palatino Rheni, contra Maximilianum regem Romanorũ

ad

ad bellandum procedentia, per eundem Romanorum regem conflicta sunt, suntque de eis occisi bismille & centum. Septingenti uerò capti, cæteri uerò dispersi. Item eodem anno in medio dierum usualium Nouembris, Turcæ in Croacia unum castrum uastauerunt, & mille personas abduxerunt, nouitas huiusce rei uenit in Budam in crastino sanctæ Elizabeth, me illic præsente & commorante. Præfato anno Domini 1504 Ciues Vvratislauiens. nomine Hávvnoldi Capitanei Vvratislauiens. sacerdotem notarijs consistorij Vvratislauiens. captiuauerunt. Causa fuit quia nocturno tempore aperuerant portulam ad suburbium & exiuerunt ad Summum Ecclesiæ Cathedralis. Officialis itaque interdictum in ciuitate Vvratislauiensi posuit, & concertatio ac controuersia inter Prælatos, clerumque longo tempore fuit. Duces autem Slesiæ in consilio congregati, noluerunt locum dare spiritualibus consedendi in medio eorum, nec protectionem, neque amicam conuersationem eis exhibuerunt. Anno Domini 1505, die Lunæ, decimanona mensis Maij, hora uigesimasecunda. Grando magnæ quantitatis, maioris quam oua columbarum, cum crepitu, fremitu, & sonitu maximo, cum horrendissimis tonitruis, terribilibusque fulminibus descendit, & frondes ac tecta perfregit, turrimque Lubranka nuncupatam in castro Cracouien. fulmen percussit, cum abruptione tegularum & muri eiusdem turris. Eodem anno ad finem dierum usualium Augusti, Tartari Przecopen. Minsko ac loca ei uicina spoliarunt, & magnam prædam abegerunt. Anno præfato 1505, die Saturni, trigesima mensis Augusti, Elizabeth regina Poloniæ mater plurium regum, fato absumpta est. Sepulturæ demandata, Dominica in die Matthæi Apostoli & Euangelistæ, quæ fuit uigesimaprima mensis Septembris, in sarcophago proprio per eam dum uiueret constructo, in sinistra parte sacelli Sanctæ Crucis ecclesiæ Cathedralis Cracouien. Præsentibus ac sepulturam decorantib. Alexandro rege Poloniæ, & magno duce Lithuaniæ. Item Sigismundo Oppauiens. & maioris Glogouiæ duce, filijs eius. Item Andrea Rosa Gneznen. Archiepiscopo, Ioanne Konarski Cracouiens. Ioanne Lubranski Posnaniens. ac Matthia Drzewiczki Przemislien. episcopis. Hæc preclarissima Elizabeth, fuit ex Cæsareo, regioque sanguine progenita. Et quod mirabile dictu uidetur, fuit filia regis, uxor regis, soror regis, mater regis, imò plurium regum, quod in multis seculis uix, & perraro accidit. Nec ulla suarum eius æqualem fœlicitatem usque in hanc diem est assequuta. Et ut sententiam Plinij de fœlicitate fœminarum extendam, ante retro, dextrorsum, sinistrorsum, in situ & sua positione regibus est circumsepta. Fuit namque filia regis, quia nata Alberti ducis Austriæ, Hunga. Bohe. & Romanorum regis. Fuit uxor Kazimiri tertij Poloniæ regis fœliciter eius coniugium sortita. Soror regis Ladislai Hunga. & Bohe. regis in Praga extincti. Mater regum serenissimorum dominorum nostrorum, Vvladislai Hunga. & Bohe. regis defuncti. Ioannis Alberti, & Alexandri. Item Sigismundi fœliciter regnantis, Poloniæ regum. O fœlicem Elizabeth tot regibus undique septam. O fœlicem Elizabeth copiosa prole refertam, quia, ut præmissum est, de Kazimiro tertio, marito ipsius, sex mares & septem puellas genuit. E quibus filijs, fuerunt quattuor reges coronati, & quintus Cardinalis presbyter Romanæ ecclesiæ. Sextus uerò phthisi suffocatus interijt, sed inter sanctos ubi prodigijs corruscat relatus. Hæc Elizabeth sacellum Sanctæ Crucis de petra secta, ad dextram partem in introitu Ecclesiæ Cathedralis Cracouien. proprijs impensis fabricauit. Et in ea octo presbyteros & nonum clericum, officium de sancta Cruce, matutinum, missas, & omnes horas quotidie cantantes dotauit. Domumque muratam ex opposito eiusdem sacelli pro præfatis presbyteris ad commanendum emit & ordinauit. Hæc eadem Elizabeth Mansionarios octo in ecclesia sancti Michaelis Archangeli castri Cracouiens. instituit, & stipendiauit. Domum pro eisdem ligneam, iuxta scholam sub turri comparando & relinquendo. Cuius Elizabeth amore filiali permotus Albertus rex sibi, & pro habitatione commodiori sua domum ex opposito porticus meridionalis Ecclesiæ Cathedralis, iuxta domum Vicariorum eiusdem Ecclesiæ perpetuorum, à fundamentis erexit, ædificauit, & compleuit. Et moriens, in manibus filiæ ultimo genitæ Elizabeth ad disponendum de ea testamentaliter reliquit. Preterea eadem regina Elizabeth cortinas pro ornamento parietum chori supra subsellia, ecclesiæ Cathedrali donauit: & uexilla cum crucibus argenteis deauratis, eidem largita est. Alia quoque pia opera fecit, præcipuè linthea, casulas, & quæ suis elaborauit, aut texuit ornamenta manibus, Ecclesijs tribuit. Et quia pietas ad omnia ualet. Pietas illius ualuit ei, & ualet ad obtinenda beneficia diuina temporibus æuiternis.

Croaciæ uastatio. *Notarij Vuratislauiens. cum sacerdote captiui.* *Controuersia spiritualium & secularium prælatorum.* *Grando notabilis.* *Elizabeth regina mortua.* *Exequiarum præsentes.* *Proles sua.* *Fundatio eius.* *Pia eiusce opera.*

Vuratislauiens. erigere uniuersitatē machinati sunt.

EOdem anno in æstate, Ciues Vvratislauiens. instigatione Havvnoldi Capitanei, & Gregorij Notarij Vvratisla. animati, Gymnasium generale omnium bonarum disciplinarum, quod Vniuersitas Vvratislauiens. diceretur, erigere conati sunt. Et super hoc Vvladislai regis Hunga. & Bohe. consensum, auxilia, literas erectionis, Iurispatronatus omnium præbendarum ecclesiæ Collegiatæ. S. Crucis de collatione regia, donationem, & literarum promotorialium, tam regis, quā reginæ Hunga. ac Episcopi Vvratislauiens. ad Iulium papam secundum, expeditionem obtinuerunt, & multo ære Budæ in Cancellaria regis soluerunt. Quibus cū literis & promotionibus, tria millia aureorum Romam, pro expediendis bullis papæ & confirmatione destinarūt. Vniuersitas aūt Cracouī. euigilans, ad sedem apostolicam, Dominica post omnium Sanctorum, quæ fuit secunda Nouembris, literas Alexandri regis Poloniæ, cassatorias & rationes confutatorias per doctores conceptas, misit, quibus Iulius papa secundus acquiescens, erectionem Vniuersitatis Vvratislauiens. inhibuit. Et quum putarent homines dormire, post duos annos Vvratislauiens. iterum apud sedem Apostolicam enixius ac occultē ꝑ Vniuersitatis erectione laborare cœperunt. Sed eadem qua prius difficultate perculsi, deciderūt atq; repulsam passi sunt. Anno quo supra, æstas nubium pluuiosa fuit, ab Aprili ad Septemtrionem inclusiuē, ferē quotidie pluens. Anno præexpresso in fine dierum usualiū mensis Nouembris, Ivvan Vassilouicz, quod sonat Ioannes Basilij, dux Moskouiæ, finē rebus suis per mortem imposuit extremā. Hic fuit princeps frugi & utilis suis terris. Nam excussit iugum Tartarorum & sua prudētia ac fastuitate, quibus prius tributum soluit, soluere sibi subiugatos coēgit. Terras Scythiæ Asiaticæ, longissimē ad orientē & Septētrionē porrectas, diuersarum nationum & linguarum, bellis cōpescuit, & sub iugum obedientiæ misit. Sed & Nouogrod ciuitatē maximam atq; opulentissimam, tanq̃ per Kazimirum regem Poloniæ tertium, neglectam occupauit, & sibi appropriauit, quę tamē respublica fuit auctoritate, & nomine cōmunitatis suę moderata ante istam occupationem, interdū magnū ducē Lithuaniæ, interdum alios recognoscens. Vicinasq; gentes Svvetię ac Liuoniæ armis idem Basilius Moschus lacessiuit. Ducatus aūt Lithuaniæ septuaginta milliaria in longitudine, & tantundem in latitudine cum nonnullis castellis seu munitionibus ligneis occupauit, & possedit. In Moschouia ebrietates & potagia inebriantia prohibuit, & aboleuit. Reliquit quinq; filios, primum Vassil Ivvanouicz, qd' sonat Basilius Ioānis: Alterum Iurgi Ivvanouicz, & sonat Georgius Ioannis: Tertium Demetriū: quartum ducē Szemyen. quintum ducem Andreā. Assignauerat aūt iste Ivvan dux Moschouiæ successorem & hæredem post se, Demetrium nepotem suum, quem postea saniori usus consilio in carcerem detrusit, & in carcere tenens, filium suum maiorem natu Vassil Ivvanouicz in ducem Moschouię sublimauit, qui usq; in hanc diem in solio paterno residet, atq; principatu. Anno eodem 1505 feria secunda in uigilia Matthiæ Apostoli, in conuentione generali Lublinens. rex Poloniæ Alexander accipiens ex narratione Ioānis de Lasko Decani Vvladisla. regni Poloniæ Cancellarij, q; fructus, redditus, & prouētus Vicariorum Ecclesiæ Cathedralis Vvladislauiens. sint pauci & exiles, ut deuotius, diligētiusq; in dicta Ecclesia domino Deo inseruirent, Iuspatronatus ecclesiæ parochialis in Gostinyn diocœsis Plocen̄. quæ de iurepatronatus regis Poloniæ extitit, de consilio & cōsensu consiliariorū regni, præfatis Vicarijs & Collegio ipsorum, purē, liberē, ac donatione perpetua & irreuocabili contulit. Quā donationē Erasmus Czolek Episcopus Plocen̄. auctoritate ordinaria cōfirmauit. Alij quoq; de regno Poloniæ uidentes fontes largitatis in concessione petitorum apertos, Abbaciam Thinicen̄. Præpositurā Miechouiens. Item & Abbaciā Szuleouien̄. cum cæteris beneficijs Cancellariæ, & Vicecancellariæ regni. Item Archiepiscopatui Leopolien̄. & Episcopatibus Russiæ, annumerare & inuiscerare instantes, laborarunt. Verū enimuerō quia monachi non ad regem, sed ad Sanctā Romanam sedem prouocarunt & miserunt, prętermissis monasterijs, alia beneficia regię donationis acceptarunt. Ecclesiam quoq; parochialē in Biala episcopatui Chelmen̄. Russię, ecclesiam in Mszonovv Posnanien̄. & altare in Nachelnicza Pręposituręę Lancicię iunxerunt, & perpetua regis donatione incorporauerunt. Año Dñi 1506 Dominica Lætare, & fuit uigesimasecunda mensis Martij Ioañes de familia Thurzonum, senior natu, munus cōsecrationis in Episcopū Vvratislauien̄. percepit. Ex Reuerendiss. patrib. & Domi-

Vniuersitas Cracouiens. restitit.

Vuratislauiens. iterant frustra ti.

Iwan Vassilouicz dux Moschouiæ mortuus.

Bellicositas eiusdem.

Sobrietatis auctor.

Proles sua.

Iuspatronatus ecclesiæ Gostinens. Vuladisla. impetratum.

Largitas Alexandri.

Ioannes Thurzo in Vuratislauiens. Episcopum consecratur.

minis Stanislao Thurzone germano suo iuniori, Pontifice Olomuncen. & Ioanne Pop. fratre ordinis minorum de obseruantia, olim Episcopo Varadiensi, & Olomuncen. Deinde die Mercurij uigesimaquinta Martij, quæ est annunciationis Mariæ, præfatus Ioannes Thurzo Vvratisla. antistes sicut premissum est nouiter consecratus, primam missam in Ecclesia Sancti Ioannis Vvratislauiensi Cathedrali, cum indulgentijs à sede Apostolica omnibus præsentibus confessis, & contritis à culpa & pœna concessis, cecinit. Et magnus concursus principum atq; Baronum fuit, prandium quoq; pro eis oppiparè & laute constructum exhibitum est.

Indulgentiæ primitiarum suarum.

Hoc anno 1506. Lithuani pluribus incursionibus Tartarorum agitati & uexati, Vilnam ciuitatem eorum capitalem muro circumdare cœperunt. Non totam in toto ambitu, sed quantum uidebatur muro comprænhenderunt & cinxerunt, reliquum pro suburbijs sine muro dimiserunt.

Anno præfato die Mercurij, quæ fuit Kalendarum Iulij, primus filius, sed proles secunda Serenissimo Vvladislao Hungariæ & Bohemiæ regi, parum ante meridiem natus est. Qui in baptismo Lodouicus est nominatus. Anna uerò regina Hungariæ genitrice huius Ludouici ex partu debilitata, Dominica in die Sanctæ Annæ, quæ fuit 26. Iulij hora uesperarum uita functa extincta est.

Ludouici natiuitas.

Eodem anno die Saturni. 15. mensis Augusti, quæ fuit assumptionis Mariæ uirginis, in nocte sequenti, oppidum Miechovv cum conuentu, monasterio, & Ecclesia insigni plumbo tecta, igne in toto conflagratum perijt, plaga Dei fuit ista.

Anna eius mater mortua.

Miechow oppidum exustũ.

Anno quo supra, circa festum Michaëlis Exercitus stipendiariorum Polonorum, quasi quatuor millium, sexingentos Valachos de territorio Russiæ prope fluuium Nyestr per eos in antea occupato & possesso eiecit. Post aliquot autem hebdomadas, ingenui adolescentes, & bello uiuida uirtus, duo filij Strusz, ab exercitu Polonorum separati, cũ suis quinquaginta equitibus, in multos Valachos gloriæ cupidi irruerunt, & a multitudine fusi atq; prostrati sunt. Sczasny alias fœlix unus ex filijs Strusz in loco duelli occasus est, alter Georgius Struszouicz captus, coram Palatino Bogdano decapitatus est. Et post eum alij decollati sunt, isti, Iacobus Zamboreczki Stanislaus Strelenski, Gurzik familiaris Strussonũ, Stanislaus Drab, Derasinski, Mirek, Iacob familiaris Zamboreczki, Thomas familiaris Kozuchovvski. In crastino huiusmodi conflictus Strussonum, exercitus Polonorum Valachos prostrauit, & mortem Strussonum ultus est, qui uixissent vtinam reip. strenuè ualituri. Interfectus est eo prælio Capitaneus de Choczin. Cõpacz uerò ductor exercitus Valachi fuga dilapsus, saluus euasit.

Valachi pulsi.

Filij Strusz bello extincti.

Strenui Poloni occisi.

Eodem anno die Martis tertia mensis Nouembris, hora septima noctis præcedentis, Nicolaus senior natu dux Rathiborien. qui filiam Sbignei de Thanczin in uxorem matrimonialiter acceperat fato interceptus & mortuus est. Is ægritudine pressus, & iamiam moribundus Cracouiam ad medendum ei adductus, sine profectu medicinarum uitam finiuit. Et reductus, sepulturam in Rathiboria accepit. Post quem germanus ipsius dux Ioannes sequutus eum, breui mortuus est. Tertius Valentinus nomine, gibbo & struma uiciatus, tamen discretione & uirtute præstans, tanquam superstes, amborum possessionem legitimè percæpit.

Nicolaus dux Rathiboriensis mortuus.

Ioannes quoq; frater eius.

FINIS CHRONICORVM MATTHIÆ DE MIEchouia, de Polonorum regum rebus gestis.

IODOCVS LVDOVICVS DECIVS DE VETVSTATIBVS Polonorum Lib.

SERENISSIMO AC INVICTISSIMO PRINCIPI, AC DOMINO, DOMINO SIGISMVNDO DEI GRATIA

Sarmatiæ ac Poloniæ Regi, magno Lithuaniæ Duci, Rußiæ, Prußiæq; &c. Domino, ac hæredi Iodocus Ludouicus Decius eius Maiestatis Secretarius, longam sanitatem ac fœlix in tranquillitate imperium optat.

AD hæc tua Inclytißime princeps tẽpora, quatuor libros historiæ, & annaliũ regni Poloniæ excellentißimi Dñi Matthiæ Miechouieñ. artiũ & medicinæ doctoris, à sacris, Cracouiensisq; Canonici, uiri tum optimi, tum in patriam gloriam studiosißimi in lucẽ dedi: Quibus & tua Maiestas, & cãdidus lector facilè cognoscet, quantũ laboris susceperit, me quidẽ iudice, non sine piculo assumptã prouinciã esse crediderim, eo q, in tanta rerum magnitudine uarij sint casus, præsertim quum hi sequẽdi sint, qui aut nihil, aut parũ, ac id ipsum quoq; mutilum, posteris tradidêre. Etenĩ in prima hominũ ætate, uix illis tãta sollicitudo, rataq; hæc cura fuisse creditur, ut rerũ ab se gestarũ memoriã quæq; gens ad posteros literarũ monumẽtis perferret. Hinc factum certo constat, multa egregia gentiũ facinora clara, perenniq; memoria digna, scriptorum penuria in æternam, gemendamq; obliuionis noctem abijsse. Populorumq; potißimum martialium, & eorum, qui initio ab expeditioris linguæ iactabundus Barbari sunt appellati, his manibus, corpore & sanguine, totis deniq; uiribus agere, facereq; impensius, quã dicere lubuit, illis expedita lingua, ut sæpè minus etiã clara facta, sermonis cultu adornare, sua extollere, aliena semp pessundare placuit, ut qui non armis, lingua tñ essent uictores, & si quando uicti, magis fessi pugnando cessisse, quàm in apertam fugam acti crederentur, effecêre. Hinc Græcorũ gesta, atq; Italorum facta toto orbe memoranda, literis cõmendata. Verum (si licet dicere) aliquanto minora, quàm fama feruntur credenda. Hinc Hispaniarum atq; Gallorum, & his proximæ, Germanorum res tanto sunt & uetustiores atq; clariores, quò citius linguæ facundiam armis iunxêre. Vbi enim & illud compertum, in armis uim, & potestatem, in literis uerò laudem & gloriam consistere. Facilè factum est, ut qui Martia uirtute Italis aut æquales essent, aut superiores etiam lingua expeditiori sumpta illos ingenio quoq; uincerẽt. Hincq; euenit, ut qui totius orbis imperiũ non tam ui, aut armis, quàm arte, & consilio, paulò antè possedisse perhibentur, apud Germanos literarũm studijs paulisper crescentibus, aliena mittere, suaq; tueri, & tandem simul cum imperij dignitate, externis colla submittere sint coacti. Ac initio diuersis dißimile studium fuit, quisq; sua arte contentus, cupiditate, & inuidia nihil dominante, satis cuiq; sua placebant. Postquam uerò (Salustio teste) libido dominandi hominũ mentes inuasit, uaria quoq; studia repta sunt. Eorum qui in altũ uel fato, uel ingenio agebantur, summa ars credita, nationes atq; populos subigere, classem parare, terra, mariq; imperium augere, uicißim quibus sua chara, urbes muro cingere, mœnia erigere, certis instrumẽtis hostem remouere studebant: quò sæpius fœliciter gesto, in hostium castra excurrere: uarijs artibus molestare, atq; libertatem suam aut uendicare, aut conseruare statuerũt. hinc urbem, urbi: nationẽ populis iungere, & reges sibi constituere placuit, qui miro omniũ consensu leges dicerent, domi, forisq;, pace & bello imperium summum haberent. Sub his gentes & populi aliquãdiu militantes in regna & imperia uarijs nominibus ascitis creuêre. Verum enimuerò Poloni populus maximus, suis his sedibus ab initio contentus, nec unquam pulsus, quo tempore, aut quibus ducibus intrauerit, in opinione magis receptum, quàm certa traditione cognitum crediderim. His tamen egregia facinora, nũquam defuêre. Sed dolenda scriptorũ penuria, cuius supra memini, clara illorum facta obscurauit. Necesse itaq; fuit ex multis fragmentis congerere, quod nostram ætatem præcesßit, & hinc laboris facere periculum. Cæterùm quia à plerisq; uel sentẽtia, uel stylo dissentiendum erat, quod omnia ad usum patriæ essent citanda, atq; scribenda, periculi metus auctus esse uidebatur. Quum uerò alterutrum uiolandum esset, uicit amor patriæ, & ab optimo uiro prouincia assumpta est, nõn quæstus, aut ambitionis gratia, sed studio patriæ, ut abscõditum diu, in lucem daret, simul ut his, qui ad hoc nati magis crederentur, uel exemplũm, uel argumentum præstaret, illud tamen fecisse comperi, quod sua sponte neminem læderet, & quantum historiæ fides permitteret, de rebus benè uel malè sentiret. Hęc omnia quantulacunq; sint, de illius ingenio & labore, meis uerò impẽsis nata, Inclyte Princeps tibi, uti ab initio in Epistola mea præfatus sum, debentũr. Et tua Maiestas pro sua Clemẽtia suscipere nõ dedignetur. Iam uero quando ad tua uentum est tempora, quibus tua Maiestas, quod faustum ac bonum sit, fœliciter huius solij apicem conscendit, Regniq; ac imperij habenas beatis, & auspicijs, & consilijs susce-

Ex incuria literarum, res gesta plerorũq; ingloriæ.

Polonorum origo incerta.

Domini Michouiens. candor.

suscepit: Ego uerò sub regni tui initio, Deo uel fato uolente, in hoc regnum ex Germania, mea patria, intraui, moxq; in fidelissimi tuæ Maiestatis clyentis, Magnifici Ioannis Boneri Laudani famulatum assumptus sum. Statui igitur ab eo tempore, quo & Polonia te optimũ sibi principẽ & regem præfecit, illaq; & tua Maiestas clementer me susceperitis, annalium, temporumq; tuorum historiam meo marte conscribere, simul eam in ipsa fœtura in lucem dare, me, atq; hoc qcquid est, tibi Principi Clementissimo nuncupatũ offerre: haud nescius quod laborem meis maiorem uiribus susceperim, occurrunt enim in ipso scribendi initio, non uulgaria argumẽta, quæ me (nisi sum̃a in hoc regnum obseruantia ad nullũ recusandum laborem moueret) ab incepto meritò deterrerent, omnium primum, quod hæc meam professionem & facundiam exuperát, foretq; hominis alioqui doctioris me, officium. Huic proximum est, quod uix omnibus per me satis fiet, atq; ut in apertum, altiusq; res euadunt, ita multorum iudicijs exposita omnia cernuntur, ea, quæ sibi quisq; uel suo iudicio tribuit, uel facilia putat, æquo fert animo, atq; æternis laudibus exornat: At si quid contra opinionem, uel uerissimum scripseris, hoc ut supra captum, uiresq; cuiuspiam ita protinus falsum quoq; habetur. Præterea ubi de bonorum uirtute atq; gloria agitur, ut gratiæ, uel odij stimulus est, eleuatur: quũ uerò de malorum uitijs & sceleribus est sermo, pleriq; supra quam credibile est, & prudentes decet, in bilem efferuntur. Addit hæc nostra corrupta ætas, cui omne alienum ludibrio est, & sua cuiq; maxima uidetur, non paruum ab incæpto terrorem. Verum dum rerum gestarum omnium gentium scriptores cõsidero, nõnihil consolationis accedit, quod passim doctissimi etiã ab his calamitatibus nõ fuere exempti. Pro me quidem satisfactũ putabo candido (si quẽ nactus fuero) lectori, qui dum nihil in historia pinde, ac fidem spectãdum esse meminerit, nõ facũdiæ ornatũ, & uerborũ fucum, subsultantesue orationes, uel Liuianum requiret liquorẽ. Quod ad humanũ est iudiciũ, nihil ad me pertinere uidetur, quid singuli sentiant, aut credant. Dum em̃ uolunt uniuscuiusq; iudiciũ esse integrũ, fit ut per licentiã singula corripiãtur. Cæterũ de maiorũ uirtute, uel uicijs nõ uideo, qđ maximè cuiq; alienæ res gloriæ, uel indignitatis addant. Frustrà em̃ uitiosus & in omni scelere uersatus maiorũ suorũ imagines recitabit, & per ambitionẽ de pereñi eorũ gloria sibi gratulabitur, quos talẽ ab se genuisse pœnitet. Sed & hoc parũ cuiusq; gloriã inficiet si maiores sui à recti tramite diuulsi, in æternã labẽ præcipites acti sunt, modo illius uirtus, & nobilitas ita refulgeat, ut potius maiorũ gloriã augeat, quam partã aliquãdo ab illis turpiter cõmaculet, atq; demum is sit nobilior, qui uirtutis studiosior, & ad colendam iustitiã feruẽtior. Cõtra qui uicijs delibuti, uirtute carẽtes, alienæ laudis æmuli, extra bonorũ fines, cũ nulla memoria agãtur. Postremò neq; mordax ætas me ab incepto deterret, quæ, ut est in oẽs licentiosior, ità mihi facilior erit omnis euẽtus, tantoq; mihi plus ueniæ debebitur, quominus illa (his calamitatibus adacta ineuitabile sequẽs fatũ) ambitionẽ suã sistere potest. Sed iam ad institutũ redeo Optime Princeps, Scripsi igitur temporũ tuorum historias, quæ ut perfectius emitterentur, hũc seruare ordinẽ placuit, ut à primordio regni adusq; aui tui tẽpora, qui primus ex alta, inclytaq; maiorũ tuorum familia, Poloniæ sceptra gessit, quædam obiter quæ in Domini Miechouiens. Chronica (quod ad rem pertinere non uiderentur) prætermissa, tamen scitu non iniucunda referrẽ, intereaq; à primo Polonorum principe singulos qui imperium apud Polonos habuisse traduntur, paucis recenserem, idq; totum uno libro absoluere uisum est. Ab auo uerò tuo ad tua ipsius tẽpora maiorum tuorũ quædam gesta, quasi per Catalogũ altero libro enarrare placuit. Postremò ab eo die quo tu fœliciter sceptra Poloniæ suscepisti, in annum salutis humani generis, M. D. X V I. omnia quæ memoratu digna apud te, atq; exteras quoq; nationes regnis tuis uicinas acta sunt, Tertio libro cõpræhendere uolui: hosq; libros hisce characteribus excusos meo marte similiter, & ære in lucem dedi, tuæq; Maiestati Inclytissime Rex hunc meũ laborem nuncupaui, uel illud à maiorib. sumens exemplum, qui lucubrationes suas dignissimis quibusque uiris solebant nominatim dicatas emittere, ut si quando scriptorum auctoritas ab æmulorũ, & inuidiæ morsibus nõ redimeret, eorum saltem, quibus nuncupassent, uel uirtute, uel auctoritate liberarentur. Quare ego tibi, qui summa regni sceptra tenes, atq; uirtute, iusticia, clementia, benignitate, humanitate, liberalitate, domi, forisq;, pace ac bello cuncta gubernas, hanc meam (quantulacunq; est) assumptam & utcumq; perfectam una mecum nuncupatam offero prouinciam. Nemini enim conuenientius, quã tuæ clarissimę Maiestati dedicari potuit, ut enim Deus, Opt. Max. te in regno summam auctoritatem, & ipsum imperium gerere uoluit, ita etiam cunctas uirtutes, heroicasq; dotes, quantum in humano potuit fieri corpore, in te uno peculiari quodam munere collocauit. Facilè igitur tuæ maiestatis auctoritate meus labor ab omni æmulorum molestia erit securus. Iam superest ut receptui canam, & tuæ Maiestati immaturum quidem fœtum offeram. Quæ ut omnia solet clementer suscipere, hos annales simul, & eorum scriptorem deditissimum Maiestatis tuæ clientulum non dedignetur. Faxit Deus ut te regnante aurea (quod sedulò anniteris) redeant secula, regnaq; sint te imperante beata, constituatq; te idem multorum regum parentem, ac Regnis tuis, & nobis fortunatum ualentem, ac incolumem conseruet fœliciter.

Materia operis.

Difficultas operis.

Ordo rerum.

Primi libri materia.

II. Libri mat.

III. libri mat.

Nuncupatio laboris.

Sigismundi regis Encomiũ.

P M L.

PHILIPPVS GVNDELIVS PATAVIENSIS, IVRECONSVLTVS ET POETA LECTORI, DE OPERE IODOCI LVdouici Decij.

EN tibi Sarmatiæ Lector primordia gentis,
Atq; Iagelliados clara trophæa domos.
Vsque SIGISMVNDI congesta in tempora Regis
Quo nihil hæc uno sæcula maius habent.
Seu uelis in magnis uictricia robora bellis,
Seu mage tranquillæ munia pacis ames.
Saltem simplicitas & amandi gratia ueri,
Hic tibi sit blando charior eloquio.
Inuenies cultis non aspernanda Camœnis,
Inuenies certa prodita cuncta fide.
Sarmata, Teutho, Getes, Scytha, Vandalus, acer Alaunus,
Et quos præterea iunctior Vrsa uidet.
Mascula queis tribuit per mille pericula uirtus
Terrarum dominis imposuisse iugum:
Hic fuerint omnes aliqua tibi parte legendi,
Ne modo digna odio Barbara uerba putes.
Magna tibi ex alijs poliendæ copia linguæ,
Verum hæc unde queas discere, nullus erit.
Namq; leges Latijs non inferiora triumphis,
Quin etiam Grais anteferenda leges.
Verba petant alij, sed nos mage facta iuuabunt,
Illa leueis Danaos res trahat, ista uiros.
Compenset tenuem rerum uis ardua uænam,
Narrari saltem, non cupit illa coli.
Tu modo tu DECIVM lector dulcissime nostrum
Ne facti maneat gratia nulla caue.
Cui fuerit laboris per tanta negotia curæ,
Qui laudem ueterum commoda nostra iuuet.
Audacis ueniam, quanquam petit ipse laboris
Iudice me meritæ præmia ludis habet.

IODO-

IODOCI LVDOVICI DECII, DE VETVSTATIBVS POLONORVM LIBER I.

PRinceps & rector humani generis, rerumq́; omnium Deus, initio pulcherrimam illam mundi machinam, ut constanti mortalium pene omnium consensu creditur e nihilo fabricauit: eamq́; post primi parentis lapsum, hominibus colendam præbuit atque subiecit. Quæ uero tunc regna, aut quis uiuendi fuerit usus, nullis ab Ethnicis unquam certis traditum literis. Sacri codices unam ætatem ab Adam hominum primo parente ad Noë illius tempora connumerant, eamq́; annis 1242. id est, generationibus decem completam fuisse memoriæ tradunt. Noë uero (qui & Ianus) temporibus, famosa aquarum clades mundum deleuit, nemoq́; præterquam Ianus ipse & filij tres Sem, Cham, & Iaphet cum uxoribus sunt seruati. Cessantibus verò aquis, seruatrix arca in uertice Gordiei, seu ut sacræ literæ habent Armeniæ altissimis montibus inuecta quieuit. Hinc constat atq; facili probatur negocio, secundæ ætatis ab eo loco esse initium, ideoq́; & antiquitate, & dignitate principij cæteris meritò præferri, necesse enim est ab octo his hominibus uniuersum genus humanum esse seminatum. Breui itaq; coaluerunt, & primis Armeniæ sedibus repletis, nouas inquirere operæpretium fuit, hinc orbis totus colonijs & habitatoribus repletus, ut uetustissimis traditum est litteris. Verùm non est in animo orbis situm atq; gentium omnium origenes indagare. Postquam uerò paucis docuero orbem in tres partes, Asiam, Aphricam (quæ & Libya) Europamq́; diuisam, nostramq́; Poloniam Sarmatiæ Europæ prouinciam ostendero, operam dabo ut situm eius, limitesq́; describam, deinde ad gentis illius originem, cæteris omnibus intermissis, stylum conuertam.

Prima ætas mundi.

Cataclysmus.

Secunda ætas.

Mundum igitur in tres partes discretum esse antiquorum traditione apparet, nec in harum rerum approbatione immorandum uidetur. Quandoquidem docti omnes, in hoc pari uoto conuenerunt. De Europa igitur meum erit institutum. Quæ (si poetarũ fabulis fides est) ab Europa Agenoris Libyæ, sed & Syriæ regis filia, quam a Ioue in Taurum mutato e Syria raptam, & Cretam aduectam referunt, nominatam prodiderunt. In huius descriptione nullũ negocium uidetur contrahendũ. Fecit hoc Ptolemæus Geographiæ princeps, & plerīq; alij doctrina insignitī, quibus iam temporum usu fides adhibita est. Cæterum Sarmatia Europæa restat hoc loco describenda, de qua quam uerissimè & breuiter potero absoluam. Eam igitur princeps Ptolemæus lib. 3. cap. 5. ita depinxit. Sarmatia Europæa a Septentrione oceano Sarmatico terminatur, iuxta sinum Venedicum, & partem terræ incognitæ. Ab occasu terminatur Vistula fluuio & parte, & Germaniæ, quæ est inter caput ipsius & montes Sarmatarum, præterea a montibus ipsis. A meridie autem Iazigis Metanastis. Ab Australi fine Sarmaticorum montium, usq; Carpathi montis principium. Præterea cõtinuè per Daciam usq; ad Borysthenis fluminis hostia, & hinc Pontico littore, & linea quæ inde fert per littora ponti, usque ad Carcinitum fluuium. Ab oriente ambitur Isthmo a fluuio Carcinito & per Bicem paludem, & latere paludis Meotidis usque ad Tanain fluuium. Præterea ipso fluuio Tanai à parte quę à fontibus est Tanais amnis ad incognitam terram meridionalis partis, usque ad prędictum finem. Hæc Ptolemæi sunt, obmissis gradibus paralellis, cæterisque descriptionibus. Famosa tamen flumina non abs re uidet ex Ptolemæo adscribere, quæ Sarmatiam præterfluunt ex uetustiori tabula hæc sunt, Vistula qui & Vandalus, & Istula, & Iustula uario, scilicet nomine apud ueteres reperī. Hic ex pedibus quasi montium Sarmatiæ nascitur, in mare Sarmaticum seu Balteũ, qui & sinus Codanus labitur, hodie etiã eo nomine vocatur. Chronus autem fluuius post Istulæ ostia Germanicum quoque mare (quod inde forte Chronium vetenibus) ingreditur, Nyemen hodie vocatus. Rubon fluuius in ducatu Lithuaniæ nascitur, & prælatum mare ingreditur. Hinc Ternutis & Chersinus fluuij prædicto mari se miscentes ex Riphęis montibus Ptolemæo nascuntur, habet Borysthenem qui hodie Dnyepr, Hypanim qui hodie Bug, Tyrã qui Dnyester vocant, reliqua non magnæ famæ censen tur. Hæc apud Ptolemæum libro 3. cap. 5. & octaua Europæ tabula, similiter in moderniori Poloniæ & Sarmatiæ tabula, & in domini Miechouien. Chronicis li. 1. ca. 3. latius videre poterit lector. Pari modo de mõtibus censendũ quos Ptolemæus eisdẽ locis memo-

Orbis diuisio.

Europa.

Sarmatia Europæa.

Sarmatiæ termini.

Flumina Sarmatiæ.

Vistula flu.

Chronus flu.

Rubon.

Montes Sarmatici. memorat, isti sunt, Sarmatici & Carpathi montes qui ad Hungariam se extendunt, Amadoci, Alauni, Venedici, Riphæiq; montes. Hæc utcunque paucis recitata uerbis, uel ideo, quia non lubuit uetusta nomina, & plerunq; nunc incognita adferre, uel etiam quod hoc quantulumcunque sit ad meum institutum satis uisum est: præsertim quod in maiorum traditionibus fusiùs explicentur. Superest ut Sarmatiæ, & Poloniæ fines, qui nostra ætate sunt describam. Illudq; in regnum unum connumerabo, quod à maioribus pace & belli iure quæsitum, Sarmatiq;, Poloniæq; Rex in imperio habet, illud his limitibus terminatur: montibus Sarmaticis, & ad fontem Vistulæ per Silesiam ad Oderam fluuium adusque Marchiam Brandenburgens. per Pomeraniam ad littus Germanici maris, per latus dehinc Septemtrionale per Samagitas ad fluuij Rubonis fontes & Hostia, Lithuaniam ambit ad orientem usque ad Magnum Moschouiæ ducatum, ab ipso Germanico mari, ad Alexandri & Cæsaris aras, usque ad pontum Euxinum ab eius littore redeundo, per Daciam id est, Valachos Iazigas Metanastas, id est, transsyluanos & Hungaros, à meridie ad ipsos Sarmatiæ montes (qui hodie Scepusienses uocantur) per latus meridionale dirimitur. Hæc modernior & uera Sarmatiæ, & Poloniæ descriptio habetur. Nullus totis finibus includitur populus, qui Poloniæ regibus, aut hospitij, aut belli iure non esset submissus. Iam satis constat Poloniæ Reges, tam in Sarmatia, quàm in Germaniæ parte habere imperium, estq; in animo mox gentis originem describere.

Poloniæ limites hodierni.

Poloni unde. Poloni siquidem unde dicti sint non alijs apparet traditionibus, quam ut Miechouiens. noster perhibet ex uulgari Pole (quod planiciem seu campum sonat) nomine, quum itaque Polonia uasta, nemorosaq; sit, paucis montibus intrinsecus adornata, placuit forte hoc nomine terram quondam appellari. Verum diu de habitatoribus, quo tempore, quibus ducibus intrauerint, quasue sedes reliquerint, uaria usq; opinio tenet. Dominus Miechouiens. lib. 1. cap. 1. gentis originem describens ex maioribus traditam, affirmationem sequitur, quòd si hic repeterem frustrà conatus impenderem.

Sarmatiæ gentes. Ptolemæus lib. 3. cap. 5. Sarmatiam gentes maximas tenere perhibet, hos numerat populos. Venedos per totum Venedicum sinum, hodie forte Prutenos, Liuones, Samagitas, supra Daciam Peucinos, Basternos, per totam Meotin Iaziges, Roxolanos, Hamaxobios, Alaunos, hodie isti Rutheni in communi Podolitæ, Luceoriens. Kiouiens. & Lithuani creduntur. Eos tamen quos olim Alaunos dixêre, nostra ætate, cum tractum putauerim, qui Volyniæ, pauló antè Volhaniæ mutatis aliquibus literis quondam Alauni dicti sunt, hodie insigniora loca Ostrovv, & Luczko habet.

Gothialauni. Goui. Hinc Gothialaunos ortum habuisse credendum. Quum Gothi quos olim Sarmatæ Polovvczos barbaro uocabulo appellauêre, ea loca habuerint, quæ à tergo Rusiæ inter Tanaim & Meotidem uergunt, quibus hodie Tartari insident. Gothi uerò à Latinis Getæ olim appellati, his gentibus iuncti Gothialaunos cōstituêre, hi sæpius Polonis, atque Ruthenis molesti fuêre, gens hodie quoque armis ferox, & contra Tartaricos insultus præsidio est. Penes uero Istulam seu Iustulam pauciores gentes affirmat. Sub Venedibus Gitthones, à quibus Getas existimo, hodie sub magistro Prusiæ (ubi Sambiens. ecclesia) crediderim. Post Phinni, post Sulanes, post Phrungundiones, has gentes, hodie Cholmens. Cuiauiens. & ducatum Mazouiæ credere placet. Ad caput Vistulæ Auarini Ombrones sub his, post Auartophracti, post Burgies, & alij populi apud Ptole. libro 3. cap. 5. conscripti. Hodie ad caput & fontem Vistulæ ducatus est Teschinens. Inde ducatus Auschvvinczinienſ. Satoriens. post Cracouiens. districtus, inde Visliciens. Sandomiriens. qui olim populi priscis nominibus appellati, hodie in districtus per uniuersum regnū sunt conuersi. Hinc totidem Palatinatus, & Prouinciæ quot forte Ptolemæus populos annumerat esse creduntur. Ad montes igitur Carpathos ad Daciam uersus Arsietæ, Saboci, Pengitæ, Biessi ponūtur, ut apud Ptolemæū legiē. Reliqui uero à Cracouia sub montibus Carpathis, hodie Sandecens. Biecens. Sanocens. Belsens. Crosnens. Premisliens. Iaroslauiens. existimo ex ducibus seu uictoribus sic appellatos. Hactenus de situ Sarmatiæ placuit commentari. De his plura scire cupientes legant Ptolemæum, Melam, Strabonem, Solinum, Orosium, & ex modernis multos, quibus satiati candidi lectoris esto iudicium. Hoc in loco ad gentis primæuæ originem stylum dirigere operæ precium erit, quibus temporibus, itemq; ducibus ingressa sit perquirere.

Poloni, Bohemiq; eiusdem originis. Polonorum, Bohemorumq; ut unus est loquendi usus, ita uno initio fundatos & multiplicatos maiorum est sententia. Qui suam originem post confusionem linguarum apud Babylonicæ turris extructionem ita posteris referunt. Quando linguarum confusio humanas

manas cogitationes euertit, Slauos parentes suos, quorum ipsi prolem se contendunt, extructioni interfuisse, qui relicta Assyria per Asiam in Europam profecti. Ea loca, quæ nunc Bulgarorū, Seruiorum, Dalmatarū, Croatum, Bosnensiumq; sunt occupasse. Exinde Lecho, Zechio atq; Russo, ducibusq;, ad Danubij ripas Zechios, id est, Bohemos locasse, de principis nomine Zechos uulgari uocabulo appellatos. Conformē de Lechitis rationem ab ipso primo principe Lechio, qui in planicie consederant, quam Pole. i. campos dixêre, inde Poloniam initium sumpsisse perhibent, id astruentes ex eo, quòd linguę commercium hæ gentes in hanc diem habeant, atq; ita omnium gentium, qui Slauonica utuntur lingua Slauos parentes fuisse asserunt. Moderni omnes Sclauos (Italos sequentes) gentem falsò appellāt, non dicam inuidia, sed uocabuli ignorantia: Slaua enim uerbū apud gentem significat, hinc ab ipso primordio uerbosi crediti. Sed Slaui apud Italos emptiçij serui sunt, nulla unquam ratione maximæ huic genti comparandi. Nulla enim in terris lingua, quā Slauorum maior est, qua hodie utuntur Bulgari, Seruij, Dalmatæ, Croati, Bositi, Bohemi, Poloni, Vindi, Rutheni, Lithuani, Moschi, maximi populi ad ignota usq; loca. Hanc fermè originem Dominus Miechouien. affirmat.

Ortus Polonorum. *Slaui.* *Sclaui falsò dicuntur.* *Slauonica lingua.*

Verùm Aeneas Syluius opinionem eam recitat, atq; uehementer irridet, Hebræis exceptis, nullam unquam gentem origines suas tam altis initijs reddidisse, apud scriptores, quibus fides danda sit, legisse asserit, homo sua ætate, ut dignitate summus, ita doctrina, & eruditione clarus: uerùm Polonis, plusquam Pontificem decebat, infestus. Qui si unicum Berosum Chaldæum legisset, potuit & ipse aliam ferre sententiam: nec tamen inficias eo, quin hunc ortum Polonos non habuisse credam. Sed nihilo plus ad eius descriptionem mouebor, qui de Bohemis scripturus incipit: Nugis omissis ad ea, quæ memorabilia traduntur, festinare calamum, & subdit, Zechius Croatinus haud obscuris parentibus ortus, gentem Bohemicam condidit, qui homicidio domi perpetrato iudicium, ultionemq; fugiens in eam regionem uenit, cui nunc Bohemia nomen est, hic nemo miretur, si & à nostris hæc irrideantur. Zechium homicidam domi metu ultionis pulsum, nec sua tueri ualentem, tantam exilij ne dicam sceleris sociam colluuiem armare potuisse, quibus priscos habitatores pelleret, atq; perpetuas sibi conderet sedes. Facilè enim apparet, si illa regna ante horum ingressum hominibus culta fuêre, parua manu id fieri non potuisse, quod Germani nullo etiam negocio sedibus suis pulsi fuissent. Constat igitur hanc gentis non esse originem: atq; nunc alios recitare lubet.

Aeneas Syluius Polonis iniquus. *Zechius Croatinus.*

Qui Bohemos Saruch tēporibus annis duobus septuagintis septuaginta post mundi ortum mare ratibus traiecisse, Bohemo duce, qui Babylonis extructioni affuisse perhibetur, atq; ad Danubij ripas sedes locasse, terram ex nomine ducis Böhemiam uocatam tradiderunt, sed de his alias. In eam calamus festinat opinionem, quæ Polonos ex Scytharum gente originem traxisse perhibet, & his quidem, qui Mauricij principis temporibus mutatis sedibus apud Cimerium Bosphorum consedêre, bipartiti dehinc ad Septentrionem pars una ad dextram deflexit, quæ & ipsa in duos populos scissa, quorum alij Bohemi, alij Poloni creduntur. Hæc iam opinio mox supra præfatam elidere facilè potest, si Mauritij principis tempora ad Babylonicæ turris extructionem conferre uolueris, repéries multas Mauricij ætates interesse. Atquum hæc seipsam quoq; impugnet scriptorum auctoritatē, uel hac sola ratione, quod Ptolemæus princeps Geographiæ Mauritium præcessit, qui in suis tabulis eo loco Bemos magnam gentem ponit. Esse nō potest, quod Mauricij temporibus Poloni, uel Bohemi originē suam, uel nouas sedes habuerint. Hactenus illorum assertiones adduxi, quorum traditio non satis mihi probata uidetur. Iam eorum subdam opinionem, qui tempore, uel dignitate, uel etiam peritia magis mihi precellere uidentur.

Saruch.

A' BEROSO Chaldæo literis mandatum est, post uniuersalem aquarum cladem octo duntaxat homines esse seruatos: eosq; humanum genus uniuersum seminasse, hæc sacræ quoq; literæ testantur. Primas hominum sedes in montibus Armeniæ fuisse, Berosus illis nomen addit Gordiei, eò quòd Armenia plures montes habeat, ut apud Ptolem. lib. 5. cap. 13. & in tertia Asię tabula est uidere. Quum autem Armenia, & non Aegyptus hominum primos parentes ab initio excepit, Scythicæ, Aegyptiæq; de antiquitate litis hinc finem crediderim, nec placet Aegyptios post aquarum cladem ętate Scythis anteferri. Verùm si de regnorum principijs negocium erit. Assyriorum omnium primum non negauerim, hæc enim & Berosus testatur, cuius uerba iam adducere statui, libro is primo ait. Ob hæc igitur anno salutis humanę ab aquis primordio sumpto, nostri maiores innumeros scripserunt, nos uerò tædiosum illorum sermonem abbreuiaturi referemus origines, & tempora, & reges eorum duntaxat regnorum, quæ nunc magna habentur. In Asia quidem omnium celsissimum Babylonicū, in Aphrica Aegyptium, & Lybicum, quæ

Gordiei. *Lis de antiquitate Scytharū, & Aegyptiorum.*

unum primò fuerunt, & sub uno narrabimus. Postremò in Europa quatuor nostri enumerant Celtiberum, Celte, Kytim, quod illæ gentes Italicum appellant, & Tuysconum, quod à Rheno fluuio per Sarmatas in Pontum finit. Addunt quidam etiam quintum Ionicum dictum, hæc ille. Hinc apparent Sarmatum, Tuysconumq; regnorum tempora, & alta initia, quæ etsi Aeneas non uiderit, præterquam Hebræis ulli genti attribui, parùm refert.

Sarmatæ, & Tuyscones. Concordat Cornelius Tacitus, apud Germanos Tuysconem carminibus celebrari, Ioannesq; Viterbien. his accedit. Iam initiò constat Sarmatum, Tuysconumq;, ut unum fuisse principem, & conditorem, ita unum in multa tempora fuisse regnum. Postea Berosus lib. 4. scribit anno 131 à Salute ab aquis prima omnium gentium, & ciuitatum fundata est à Saturno Babylonico nostro urbs, & gens nostra Babylonica, & infrà, ab exordio huius Ianus pater misit in Aegyptum cum colonijs Cham, in Libyam Tritonem, in Aphricam Iapetum, in Asiam Orientalem misit Gangem, cum aliquot ex filijs Comeri *Tuyscon.* galli, & parùm pôst subdit: In Europa regem Sarmatię fecit Tuysconem à Tanai ad Rhenum, iunctiq; sunt illi omnes filij Istri, & Mese cum fratribus suis ab Adula monte usq; in Mesembriam ponticam. Hæc ille. Iam hinc liquet Sarmatum, Teuthonum seu Tuysconum, Germanorumq; ab ipso Iano, siue seruatrice archa altum initium sumere, utcunq; *Ingressus in hæc loca Sarmatarum.* ab Aenea hęc opinio defendatur. Sub Tuyscone igitur gens ingressa ex Armenia per Scythiam in Europam, Sarmatiamq; sedes posuit: neq; eos per mare ratibus traiectos, ut plerisq; placet, affirmo. Eò quod prima hominum ætas non creditur mari potius, quàm terrę se cum paruulis, uxoribusúe commisisse, adde etiam nauigãdi, tum imperitiam, & ipsum in humanis pectoribus post aquarum cladem pauorem, terra autem uenisse putandum est, primumq; Sarmaticas sedes colonis impleuisse, atq; ut paulisper creuêre in immensum aucti, ita in ulteriora loca ducti ad Rhenum usq; propagati sunt. Cæterùm longo æuo omnes hæ gentes unius principis paruêre imperio, quod Berosus eorum Reges enumerans testatur, ubi libro quinto statim in principio inquit, ut suprà diximus. Anno à Salute humani generis ab aquis, cẽtesimo, tricesimo primo, cœpit Regnum Babylonicũ sub *Comerus Gallus.* nostro Saturno patre Iouis Beli, qui imperauit annis 56. Anno huius decimo Comerus Gallus posuit colonias suas in regno, quod pòst Italia dictum est, & regionem à suo nomine cognominauit, docuitq; illos legẽ, & iustitiam. Anno eius xij Iubal condidit Celti- *Iubal.* beros, & paulò pôst Samotes. Anno Nimbroti 15 Oceanus ad Ninum Aegypti cõsedit. Anno 18 eiusdem Babylonici Regis Gogus Sabæam Arabiam Fœlicem cum Sabo suo patre puer tenuit, & Triton Libyam, & Iapetus priscus Atalaa Aphricã. Cur Aethiopiã, & Getulus Getuliam. Anno eiusdem 25 Tuyscon Sarmatas maximos populos funda- *Tuyscon fundauit Sarmatas.* uit, & paulò pôst à Mosco principe coloniarum Moscos in Asia simul & in Europa fundatos. Hinc iterum apparet huius gentis antiquum nomen, pauloq; infrà Babylonicum *Mosci unde.* initium ponendum. Iam subdit Berosus infertus anno huius Nini quarto, Tuyscon Gygas Sarmatas legibus format apud Rhenum. Quampulchrè apparet Sarmatas ad Tanaim usq; priùs legibus formatos, ea ratione, quod tempus illûc aduentus præcesserit, quibus sic legibus edoctis ultra Tuysconi sedes quærere placuit, & ita ad Rhenũ usq; simul & in Bohemiam, & alia loca uenit, nihilominus priores sedes nõ relinquens. Hac ratione *Blondi opinio* saluatur Blondi opinio, qua ostenditur, Slauos (ut appellat) ex regionibus trans Danubium in Istriam uenisse, non tamen prioribus relictis sedibus, sed eorum reliquias Bohemos, & Polonos asserit, quam etiam opinionem refellere non est in animo, licet Bergomen. in suis supplementis, & alij multi, contrariam opinionem adducant, à Bohemo, qui ex Babylonica confusione uenerit, Italiam, Alemanniamq; penetrans, ultra Danubium consederit, terram ex suo nomine Bohemiam esse uocatam.

HACTENVS quod de Regni Sarmatiæ situ atq; gentis origine, & ingressu apud alios legẽdo comperi huic operi inserere uisum est. Eos iam principes annumerare restat, *Successio Regum Sarmatæ ex Beroso.* qui Sarmatis imperarunt, quousq; ad Rhenum regnarũt. Sexto itaq; anno Semiramidis apud Rheni Sarmatas regnauit Mannus filius Tuysconis, sub Zameio Ninias. Quinto Babyloniæ rege apud Tuyscones regnauit Ingheuon. Sub septimo Baby. rege Atalio imperauit Hermion uir ferox armis huic succesit. Sub Baleo Xerxe octauo Assyriorum rege, Marsus, huic sub decimo Assyriorum rege Belocho, successit Gambruus uir ferocis animi: cui sub Baleoxi. Assyriorum rege successit Sueuus. Iterum sub xij. Altada Assyriorum rege imperauit Vandalus (à quo fortè Vandali, seu Vendi dicuntur.) Successit huic sub xiij. rege Assyriorum Mamito Teuthanes (à quo Teuthones.) Huic sub xiiij Assyriorum rege Mancaleo successit Hercules Alemannus, à quo Alemanni creduntur. Tantũ in Beroso reperitur de his, quorum Imperium in Sarmatas, & Tuyscones fuit. Continuauit Berosus usq; ad Ascadem 18 Assyriorum regem, sed nihil ampliùs de horum successione

ſione meminit, qui uel Sarmatis, uel Teuthonibus imperauêre, ſeu leges dixêre. Beroſo ſucceſsit Manethon, qui nihil quoq; de his gentibus induxit, huius forte ratio dabitur ita factum eſſe, quod ſub Hercule Alemanno, à quo Alemanni creduntur, iam populi in immenſum aucti creuêre, nec tum placuiſſe tot populos unius nutu ſubeſſe, atq; colla ſubmittere. Hinc in plures populos ſciſſos, & à ducibus nomina indita eſſe crediderim. Sicq; à Lechio Lechitas, à Zechio Zechos, ſeu Bohemo Bohemos, Alemanno Alemannos, Teuthone Teuthones appellatos. Adde quod ijſdem temporibus Deus optimus maximus (qui rerum neceſsitatibus, quæ ad orbis uniuerſi pertinent, opulentiã nunquam defuit) ingenijs, moribus, potẽtia, uiribusq; humanũ genus auxit, atq; tunc orbis uniuerſus forte in tres famoſas diuiſus eſt partes, Aſiam, Europam, Aphricamq;, quanquã antehàc factum id conſtat. Nihilominùs tamen Europa ſicut cæteræ orbis partes, & ipſa in plura regna ſciſſa creditur, & hac ratione Sarmatæ, Teuthonesq; diuiſi populi diuiſos habuêre principes atq; reges. Præterea, & in ſeipſa Sarmatia diuiſa in plures populos ſciſſa fuit, de quibus ſuprà facta eſt mentio, nec operæpreciũ erit ea repetere, quæ iam abſolui, & apud auctores, quos adduxi, fuſiùs continentur. Cæterùm egregia, & memorabilia facta, his quoq; gentibus nunquã defuêre tam Sarmatis, quàm Teuthonibus. Sed hæc fortunę iniuria deflenda citiùs, quàm reparanda, quod his gentibus, quorũ clara uirtus in armis ſemper fuit, quibusq; facere, quàm dicere, aut ſcribere honeſtius erat, perpetuæ laudes in occulto fuêre. De ſitu, & origine, & principibus gẽtis hucuſq;, quibus cognoſcitur antiquitate nulli regnorum cedere.

Sarmatæ, & Teuthones iuncti olim.

Apparet etiam originis iure Sarmatas, & Teuthones germanitate coniunctos unius olim fuiſſe Imperij, atq; pro temporum ac principũ conditione à ſe prouincias denominatas eſſe, hinc forte Vandalos, Vindos, Sueuos, Lechitas, Zechios, Alemannos, Teuthones, uocatos, omnes tamen uno ortos initio conſtat. Atq; ideò naturali quodam inſtinctu Germani ultrò ad Polonos ſuæ originis ſolùm uenêre, ſua etiam ſponte illorum paruêre imperio. Quod uerò lingua fuerit in his gentibus diſcreta nemo miretur: hodie enim in pleriſq; locis Germanica eſt lingua, ubi quondã Italica ultra Danubium, uel Gallica ultra Rhenum fuit, eoq; uentum eſt, ut plerunq; priſcis populis, & eorum linguis ſint infeſtiſsimi, id quod nulla magis ratione credendum, quàm quod Teuthones priſcis colonis pulſis ſuas poſuêre ſedes, hæc inter Teuthones, & Polonos ratio nunquam fuit, qui non alternis pulſi, ſed fœcunda natura progeniti, in tot aucti creuêre populos, hinc ab initio ſemper Germanos hoc regnum ſummis honoribus extulit. Si quod bellum gerendũ fuit, totum pro Imperij dignitate, aut dominandi libidine, aut etiam pro acceptis iniurijs, & non pro linguarum excidio factum eſt, ita ſemper Poloniæ reges in ſuis regnis Polonis atq; Germanis imperauerunt. Hacq; pace, his ſtudijs, & his denicq; artibus imperium eorum creuit atq; auctum eſt: at malignus ille omnium malorum ſator hanc pacem auertere aggreſſus, ut multa & uaria, ita magna & perniculoſiſsima ſeminat diſsidia. Quæ ſi non in regni iacturam inclinarent, ſilentio tranſmittenda forent. Verùm quum omne regnum in ſe diuiſum deſolabitur, humani generis redemptore teſtante, neceſſe erit initijs obſtare, ne parua mala magnas ferant calamitates, interim tantò faciliùs ferenda, quantò à leuioribus res tentatur, ut enim peſsimus quiſq; inops uirtutum, & apud ſuos gloria carens, uoluntate, non ratione ducitur, ita aliorum periculo clarus fieri cupit: hinc inſtabile uulgus (bonus tamen nullus) factiones quærit, non quod regni decorem, patrias ſedes extollere, aut certè laudem quærant, ſed ut inuidiæ conceptam ſitim, cum ſuoipſius malo, & periculo explerent. Hæc quoq; tantò fœliciora atque tutiora erunt, quò feruentiùs, ſeueriusq; princeps, & ſenatus omnis in has factiones iam pridem animaduerterunt: omnes enim malę factiones orbis terrarum malos ſemper habuêre authores, bonusq; nullus unquam his acquieuit.

Hactenus de imminentibus malis ſatis dictum cenſeo. Res geſtæ domi, foriſq; pace, uel bello à gentis primordio ad Lechi tempora, uel ueriùs ad Chriſtianæ fidei ſuſceptionem nõ ſatis conſtant, neq; enim apud maiores ſcribendi munus, uel poſteris famã ſuam immortalem reddere ſtudium fuit, hinc euenit, quod nullarum, uel paucarum urbium initia, uel conditores habeantur, quo tempore etiam in regno dignitates, diſtrictus, prouincię diuiſę ſint, ęquè neſcitur. Eas urbes, quas Ptolomeus ponit noſtris incognitas certum eſt, modernas etiã ueteribus non omninò pares eſſe apparet, ideoq; utraſq; annumerare neglexi, cũ in ipſis tabulis antiquis, & modernis contineantur, idq; quod à maioribus noſtris poſteris non eſt relictum è propria ſententia addere nõ placuit. Neq; de his principibus, quorũ in Domini Miechouien. Chronica fit mẽtio, tempus perdã, ea paucis abſoluens, donec in ea tempora ueniã, quibus maiorum quædã geſta egregia ſcripturus ſum, quę foris bello acta, atq; parta ſunt. Iam me ad primæuos Polonię duces conuertam,

qui partiti iam regnum dominandi uim atq; potestatem sunt adepti. Hos tamen quia Dominus Miechouien. satis descripsit, paruo negocio expediam.

Lechius. A' LECHIO igitur primo Polonorum principe, cum singulare adhuc regnum obtinerent, Dominus Miechouien. exorditur: is mox in Sarmatiæ simul, & Germaniæ parte imperauit. Sedes suas Gneznam, Ptolemæo Limissaleum dictum, posuit: Gentem pace plusquam armis sibi cōciliauit: agriculturam coluit: populis urbes, & loca assignauit. Imperij illius neq; principium, neq; finis certò habetur. Ab hoc Lecho, quondam Lechitæ gens appellabatur, apud quasdam nationes in hanc ætatem uocabulo manente. *Lechitæ.* Eo mortuo traduntur (opinione potiùs, quàm certa scientia) filij sibi in regno successisse, patrio, auitoq; nomine Lechos quoq; appellatos. De qua re nullæ reperiuntur certæ traditiones. *Ruß.* Sunt qui Lechi fratrem Ruß, Rußios seu Ruthenos, uel Roxolanos fundasse, à suoq; nomine uocasse dicant. Lechio, filioq; & nepotibus successêre iudices, seu principes Palatini duodecim, qui apud Sarmatas, Germanosq; leges dixêre. *XII Palatini.* Quantū enim ultra Vistulam amnem Polonis, seu Sarmatis semper paruit, tantùm in Germania Imperiū retinuêre. Nec paruum sanè hoc quondā fuisse constat, quum & Buckouietz (quod Lubeck uocant) & Maydburgium: omnes deniq; Vendi, & tota Marchia, Silesia, Lusatia, & Meckelburgen. ducatus cū reliquis apud Miechouien. annumeratis regni fines fuerint, *Regni fines ueteres.* quæ partim antiquitùs belli, partim dotalicij iure in Teuthonū manus, & ditionē abiêre.

Præterea quædam nouissimis temporibus ad Bohemos, & Hungaros defecêre, ita Sarmatum in Germania Imperium diminutum est, quod uerò ad hæc tempora Sarmatæ ultra Vistulam amnem tenent, Germaniæ quidem magnæ ascribitur, sed Polonorum paret Imperio. His itaq; legibus atq; ducibus domi, forisq; pace, uel bello res omnes regebantur, donec apud hos (sicuti Romanæ Reip. initio per decemuiros euenit) dominandi potestas in licentiam atq; libidinem uersa est, hinc populus, qui dulcem libertatem sectabatur, ad unius Imperium animum conuertit, hominem ad omne periculum inuictum Cracum nomine ducem præfecit, & regem constituit. Nam hoc nomine sicuti omnium gentium initio mos erat, ita & apud Sarmatas, Polonosq; Imperij primùm fuit. In his si cui ludere uidear æquo fero animo, is modò naturæ ordinem omnibus gentibus eandem dedisse legem, eaq; Polonis licuisse, quæ toto orbe communia fuêre, meminerit.

Cracouia condita. CRACVS annis fermè quadringentis ante Christum fuisse perhibetur, qui sumptis regni fascibus breui domi rebus compositis, foris quoq; hostiū uim prohibuit, Gallos regna sua impetentes uicit, Cracouiam de suo nomine regiam perpetuam sedem fundauit: aucta famæ gloria apud Bohemos imperauit. Hunc Aeneas Syluius secundo loco apud Bohemos imperasse memorat: hisq; traditionibus apparet. Ex Polonis Bohemorum quoq; esse principium, quorum iam altum initium suprà citaui, ostenditq; hoc & naturæ ratio, & populorum olim germana consuetudo. *Craci liberi.* Cracus uerò fœlicibus annis consumptus suprema ætate mortuus, Cracum, Lechnumq; filios, & Vandam filiam reliquit. Sunt qui Cracum Romanum dixêre, ideoq; molem super humatum corpus extructam, *Crac. tumulus* Romuli sepulchri (nisi quod è terra est) similem, monticulus in nostram ætatem apparet, mons diui Benedicti appellatus, propter sacellum illi hoc in loco factum. Verùm Polonorum uetustates hanc refellunt opinionem, eò quòd Cracus humili loco ad regni fastigium sit assumptus.

CRACO iure ordinis, & gentis assensu, Cracus iunior (nisi iniquè præuentus à fratre, necatusq; fuisset) succedere debuit, at Lechus regni cupiditate uictus fratrē interemit, *Lechus fratricida.* idq; à fera actum commentus. A' populo ipse ultrò in imperium adscitus, pauloq; pòst prodito facinore omnibus exosus, regno pulsus est, cæterùm contabuisse, & regni, uitæq; simul tristem ac meritis dignum finem habuisse, apud nonnullos legitur.

Vanda. VANDA Craci filia forma, & uirtutibus clara, uirilem animum induens, regni habenas suscipere non dubitauit. Hæc apud Polonos quarto loco regnauit, pace domi, belloq; foris insignis. Traditur literis à Ritthogaro, seu (ut alij uolunt) Lothogaro Teuthonum principe ob formam, pulchritudinemq; in matrimonium petitam, belloq; ob eam rem temperatam esse, quod quum fœliciter gessisset, hostesq; prohibuisset, pudicitiam suam dijs (in Vistulæ amnem præcipiti casu se mergendo) pro insigni uictoria libasse, mille paßibus infra Craco. exanime corpus repertum, terræ datum, parentisq; exemplo moles terrę imposita fertur, hodie circa Mogilam, cœnobium diui Bernhardi institutum professum apparet. *Vandali unde.* Hinc Vistulæ amnem diuæ Reginæ præcipitatione gens ex eius contactu sacrum putauit, ex suoq; nomine Vandalum appellauit: hinc Vandalos oriundos uetustas Polonorum habet, eousq; hoc nomine uocatos colonos, donec dimißis sedibus in Gallias, Hispaniasq; migrarunt, de quo mihi infrà dicetur. Vanda iam quasi ad Deos relata, Craci familia, & Imperium cessauit.

EXTIN-

EXTINCTA igitur CRACI familia eo tempore Polonis (sicuti omnibus ferme gentibus esse solet) nouarum rerum studium fuit, atque ideo ad duodecim uiros futurum certe malum denuo animum uerterunt. Centum ferme annis sub horũ secundo imperio uixisse traduntur. Sed cùm nihil æquè molestum sit, quàm in Imperio habere sociũ, hinc factum creditur, ut uniuscuiusq; libido cresceret, Regnumq; tot haberet inuasores, quot pari iure id impetere potuêre: hinc factiones creuisse, hinc diuina, humanaq; uiolata esse creduntur, dumq; regnum ciuilibus dissidijs lacessitur, ultrò se hostilibus quoq; manibus exponit. Ea ætate regnum Poloniæ miserabile uisum est, dum multi, qui illius cuperent imperium, qui defenderent, nulli fuêre. Populus tandem & magistratus periculis suis prudentes ad regium decus conuersi, hominũ militia famosum, ingenioq; astutũ, Premislaum nomine accerserunt, atq; totius rei summam illi cõmittunt. Hîc probê mihi Poloni à fratrum suorum moribus non uidentur aberrasse. Cornelius enim Tacitus de Germanorũ moribus habet, gentis fuisse semper usum Regem ex nobilitate, ducẽ ex uirtute sumere. Hos dum prospere Poloni mores sequuntur, unius hominis ingenio grassantes Marcomannos ad extremum uicêre, illisq; ultrò bellum intulêre, quorum paulò ante uim uniuersi prohibere nõ potuerunt. His fœliciter gestis Poloni Premislaum non inuiti in Regem susceperunt, huicq; Leskonis nomen indidêre.

Alterum xij. uirorũ imperiũ.

Premislaus.

Premislaus, idemq; Lesko primus.

LESKO igitur primus, uir ingenio, armisq; potens, uirtutibus clarus, his initijs in ducem præfectus, quibus nobilitas sibi (qua iusto iure in Regem assumptus est) accessit. Regnauit apud Polonos quinto loco. Fama erat, hunc Magni Alexandri exercitum deleuisse: at quia ueræ Polonorum uetustates hoc non habent, & ab omnibus Alexandri historiam scribentibus alienum est, illud pro fabula hucusq; celebratum crediderim.

LESKONE mortuo, successit Lesko secundus non hæreditatis neq; electionis iure, sed ioco regnum cõsecutus, idq; equorum cursu factum asseritur, siquidẽ alter Leschzek deceptione usus oxigonibus terræ fixis currentium equos læserat, solusq; nota uia ad positam columnam illæsus primus omnium peruenerat, & rex salutatus indubiè fuisset, nisi comperto dolo interim Lesko pedes prior ante alios columnam amplexatus esset, fraudis author morti traditus: Lesko pedibus suis auxiliatus in regium decus euectus est, regnauitq; sexto loco, humili genere natus, sui initij, originisq; semper memor. Sunt qui hunc à Caroli magni Romanorum Imperatoris filio bello cęsum scribãt, id nullo modo esse poterit. Nam etsi Carolus magnus bellum intulerit, id tamen supra septingentos uiginti annos esse non potest. Quum uerò Lesko secundus ignota quasi ætate, & fermè tamen circa natiuitatem Christi regnârit, seipsam hęc assertio excludit.

Lesko II.

HVIC successit unicus filius LESKO III. regnauit is septimo loco apud Polonos, uir heroicis uirtutibus clarus, Reip. domi pace præfuit, foris Pannonibus cõtra Grecos, Italosq; auxiliarias copias misit. Genuit legitimum filium unũ Pompilium: ex concubinis uerò naturales uiginti, qui his nominibus appellati sunt, Boleslaus, Kazimirus, Vuladislaus, Vuradislaus, Otto, Baruinus, Przibislaus, Premislaus, Iaxa, Semianus, Semonitus, Semomislaus, Bogdalus, Spitzigutus, Spitzmerus, Sbigneus, Sobeslaus, Visimirus, Czessimirus, & Vislaus. Mortuus uerò Monarchiam Pompilio, cæteris reliquas prouincias assignauit, prima omnium regni, ut periculosa, ita detestabilis iactura, huius rei seriem apud D. Miechouien. lib. 1. cap. 9. lector inueniet.

Lesko III.

Filij Leskonis.

POMPILIVS igitur primus à uulgo Popyel nominatus regni habenis (absumpto) patre susceptis, nihil posteris memorabile unquã gessit, regnauit octauo loco apud Polonos, uita excedens Pompilium unicum filium ætate puerum reliquit.

Pompilius primus.

ASSVMPTVS igitur POMPILIVS II. in regẽ nono loco regnauit. Apud hũc Imperij fasces, & maiestas cæterùm negocia reip. domi, forisq; apud Patruos remanserũt, donec paulisper adultus coniugem regni sociam asciuit, cuius perniciosis assentiens persuasionibus uiginti patruos ueneno homo pessimus extinxit, paulò post sceleris mulctã cum coniuge, & liberis exoluens à muribus uoratus perhibetur, horrenda pœna compensatum: in Pompilio itaq; secundo regia stirps finem accepit.

Pompilius secundus.

POMPILIO uerò morte uitæ moribus digna consumpto. Poloni Piastũ obscurę sortis hominem, ætate maturũ regem præfecerunt, idq; miraculo paulò pòst, quã diui Ioannes, & Paulus Romani martyrij palmam meruerunt, factũ adstruitur, hoc in loco temporũ ratio in mentẽ subit, de qua nonnihil inferre, tandemq; sub iudice litẽ relinquere statui. Suprà enim Craci temporum memini, eaq; fermè annis quadringẽtis ante natiuitatẽ Christi Iesu fuisse (cæteros sequens) asserui, ab ea ętate in Piasti tempora anni nihil minùs, quàm septingẽti, sexaginta tres colliguntur. Sub Iuliano nanq;, qui anno ab orbe redempto 363 imperauit: hi martyres passi, anteà miraculum hoc uix fecisse creduntur. Adde si multò pòst contigerit, quã passi ad superos relati fuerunt, uti paulò infrà mihi dicendum erit:

Piastus.

Temporum ratio.

erit. A' Craci uerò temporibus eo excluso ad Pyasti tempora, si reges annumerentur, non nisi septem fuisse, colliguntur. Ex his annis centum fermè in duodecim uiros distribuuntur anni, reliquos in septem Reges numerare necessum est, atq; ita nonnihil erroris in historia comperitur, sed tantò plus illud erit, quantò serius Pyasti in regnum assumptio perhibetur, iamq; ad iudicem hæc referre lubet. Nunc uerò paulò suprà Pyasti ætatem Sarmatum, Polonorumq; gesta mihi scribenda uidentur, quæ apud exteros scriptores memoriæ prodita sunt: maiorum uerò Sarmatarum incuria literis non mandata. Cùm autem hic labor à me hac sola ratione susceptus sit, ut ea Polonicis historijs adscriberē, quæ ab alijs intermissa (maximè tamen ad rem pertinere uiderentur.) operęprecīu erit hic Gothorum (de quibus plerisq; in locis dicendum erit) initia perstringere. Altiùs fortè hoc erat sumendum, sed dum in Polonorum historijs hucusq;, neq; à mundi exordio, neq; orbe redempto anni adnumerantur, locus dubius sumendus omninò erat, eamq; rationem ab æmulorum morsibus me eripere putaui.

De Gothorum origine obiter.

Gothi uerò aliquibus ex Scythia Europæa oriundi creduntur, alij altiùs eorum sumunt initia, ut Asiaticis, quàm Europæis malint originis solùm adscribere. Non desunt item, & illi magnam scriptorum manum etiam ex ipsis Gothis ortos, citantes, qui gentē hanc ex Scandia insula, alijs Scanzia, alijs Scandanauia, seu Scandauia appellata ortam autument, idq; multis astruere uidentur argumentis. Hos Abbas Vrspergensis sequutus in historia Gothorum multis uerbis eundem genti ortum esse demonstrare nititur, adducitq; quibus principibus inde colluuies illa egressa, in Sarmatico solo consederit, licet Sarmaticum nomen nusquam scribat, ea tamen recitat loca, quæ Sarmatiæ finibus intercluduntur. Sed hinc quasi è seminario quodam nationum, seu gentium officina uarias gentes egressas asserit Danos, Dacos, Herulos, Rugos, Turcilingos, Vandalos, Vuilinos, qui & Longobardi, & postea Burgundiones secundū eum dicti, multasq; barbaras nationes. Ex eisdem etiam Gothos, qui & Getæ dicuntur, cum rege Berich egressos adscribit, tandemq; tot gentiū, populorumq; initia leui negotio deridet, tribus nauibus aduectos barbaros docet, unamq; in Vistulę insula remoratam Gepidarum gentem constituisse affirmat: hoc homo agens Scytharum, Sarmatarum, Vandalorum, Hunnorum, Amazonum, Gothorum, & nescio quarum nō gentium origines ex Scanzia insula, quasi seruatrice humani generis archa sumant, frugiferam insulam sua sponte homines procreantem, at iam multi docti huic sententiæ accedunt, maximè Danorū plerig;, qui omnia Gothorum in orbe terrarum bella ex se gesta gloriantur. Præterea dum Vrspergensis hęc studiosiùs exequitur paulò infrà. Per eosq; etiam Vandalos expugnatos, & suis uictorijs applicatos, quos paulò antè inde egressos asseruit, adscripsit. Hæc in suis Chronicis clariùs lector inueniet. Ego uerò uirum optimum, utpotè alios secutum, nulla omninò culpa maculare uolo, omniumq; opiniones ad iudices referre placet, uerùm in eius & eorū, quos sequutus est sententiam accedere non lubet, neq; tamen inficias eo gentem ex Scandia insula tribus nauibus aduectam, rigidum horrescens cœlum, sed harum sedium non primos cultores, neq; habitatores expulsos crediderim, potiùs Sarmatię uastis insedisse campis, ibiq; spontè primo sine bello multiplicatos creuisse, hinc postquam coaluerunt sedes mutantes Scythis, Asiaticis, Europæisq; & uarijs gentibus bella intulisse, nō tamen eam paucam manum adeò breui auctam, nisi uicinarum nationum, & gentium commixtione, qui illos hospitio susceperunt, ita pro temporum uarietate, & sedes, & nomina accepisse, Getas, Gothos, Dacosq; appellatos esse, id tamen non primis initijs factum constabit, sed regnis ubiq; crescentibus, à Latinisq;, Græcisq;, qui harum gentium, uel inuiti arma senserunt, pro uoto nomina indita credendum, sed etiam hac ratione, sicut cæteros populos à regibus, ducibus, uel trophæis, & deuictis populis appellatos credere quis poterit. Vndecunq; autem orta gens illa fuerit, parùm adferre refert, quum sub cœlo gens nulla sit, quæ Gothorum gestis iustius gloriari queat, quā hi populi, qui in Sarmatico solo constituti sunt, ubi Githones ad Venedicum sinum, Getę, & Daci ad meridionalem plagam, Gothi adusq; paludes Meotides, & in his locis, quibus hodie Tartari insident habitasse memoriæ traduntur. Nunc uerò, quia omnium scriptorum literis (quibus ulla fides est) testatur.

Vrspergensis lapsus.

Gothos in Sarmatiæ solo supra omnium Romanarum rerum scriptorum ætates consedisse, nihil ad me pertinere uidebitur, si quis huius gentis originem in ipsam archam, & Euæ usq; uterum referet, quod & ego de meis maioribus adferre possum, qui ad Adam usq; homines, & non lapides fuēre. Satis ad meum erit institutū, Gothos Sarmatię Europęæ fuisse populos, atq; ex his sedibus in omnes contra Romanum imperium expeditiones excurrisse. Quibus uerò ab initio militauerint ducibus, omitto, reperitur hoc apud scriptores rerum Gothicarum: hinc ego sumpturus sum initium, quando iam cum Romano im-

no Imperio primùm manus conseruêre, licet etiam antè in externas nationes multa gessisse bella perhibeantur, seriùs etiam eorum ciuilia in Sarmatia cũ Roxolanis bella in Polonorum uetustatibus adducuntur, id hac ratione contigit, quod priscorum facta scriptorum inopia sunt abolita.

Gothi igitur Sarmatiæ populi in campis à tergo Russiæ multis ætatibus consederunt Polouutzy barbaro uocabulo sunt appellati. Cuius ego uocabuli uim, seu rationẽ (nisi camporum seu planiciei uenatores fuero interpretatus) penitùs ignoro, ludere nonnullis uidebor, sed quum sint priscę uetustatis scriptores, qui Gothos, Getas, Dacos, Vandalosq;, unam dicant gentem, atq; semper Sarmatas appellatos, nonnisi nominibus inter se discretos, cæterùm in omnibus conuenire. Satis constat, quod idem Gothi non ex seipsis, sed mixti cum his populis in omnes excursiones tantam hominum multitudinem coëgerunt, cæterùm imperio, seu fama apud eos manente, hoc infrà de Vandalis quoq; dicendum ueniet.

Gothi idem & Polouutzy.

Qui Gothicas res scripserunt multos fuisse constat, inprimis Procopius Cęsariensis Græcus Gothica, Vandalorumq; bella literis mandauit. Erat enim ipse in Belisarij castris medicus dum illi cum his gentibus in Aphrica prouincia belli data est. Paulus Orosius, Guido deinde Rauennas, Blondus homo doctus, Leonhardus Aretinus, Abbas Vrspergensis, sed ex ipsis Gothis oriundus Ablauius (quem ego fateor me non legisse) alij etiam multi ex moderníoribus Gothicas res longis sermonibus prosequuti, Marcus Antonius Sabellicus Liuianæ elegantiæ imitator. Volaterranus homo omni sęculo dignus, Bergomensis, & Nauclerus homo in historia multæ fidei, apud quos facilè lector desyderium suum explebit. Ego uerò obiter nonnihil earum rerum, quasi libare uolui, eò quòd ad Sarmaticas res permaximè pertinere mihi uiderentur.

Rerum Gothicarũ scriptores

Gothi itaq; Augusti temporibus res Romanas inuadere non dubitarunt, à Lucullo ex Mysia pulsi traduntur. Miserunt deinde ad Augustum in Hispanijs agentem legatos pacem petitum, hanc facilè obtinuerunt, eò quòd eorum eruptiones Reip. magna incommoda adferrent, pacem data Istri limites transcendere sunt uetiti. Violatis deinde paulò pòst finibus Romanis bella intulerunt. Eam iniuriam Romani duo duces Oppius Sabinus, & Cornelius Fuscus ulciscendã missi, ambo unus post alium cum exercitu, & legionibus ab illis cæsi sunt. Hæc Suetonius in Domiciani uita paucis uerbis insert, dicens de Gothis Dacisq; post uaria prælia duplicem triumphum egit. De Sarmatis lauream modo Capitolino Ioui retulit. Hæc Sueto. Antonius Sabellicus uir multæ eloquentiæ altiùs hæc resumens, quum Domiciani tempora percenset, asserit. Sunt & Sarmatæ bello petiti ob legionem unam cum legato ab his subita defectione cæsam, de his Capitolino Ioui laurea relata est. Hæc Sabellicus commemorat, quasi diu antea Sarmatæ Romanis pressi armis, ab eorum fide cæsa legione defecerint. Hanc lectionem si saluare oportebit, constabit omninò Gothos Sarmatiæ fuisse populos, quum interim non legatur, aliud Sarmatis cum Romanis belli fuisse negocium. Sed Orosius homo eruditione, & fide clarus huius rei lib. 7. cap. 7. mentionem faciens, hæc uerba de Domiciano adscripsit: Bellum aduersùs Germanos, & Dacos gessit pari reip. pernicie, quũ & in urbe ipse senatum, populumq; laniaret, & foris malè circumactum exercitũ assidua hostes cęde cõficerēt. Nam quanta fuerint Diurpanei Dacorũ regis cum Fusco duce prælia, quantæq; Romanorum clades longo textu euoluerem, nisi Cornelius Tacitus, qui hanc historiam diligentissimè contexuit de reticendo interfectorum numero, & Salustium Crispum, & alios authores quamplurimos sanxisse dixisset, & infrà. Domitianus tamen prauissima elatus iactantia sub nomine superatorum hostium de extinctis legionibus triumphauit. Hæc Orosius, quibus apparet, quantam Romano nomini gloriam expugnati Sarmatæ tribuerint. Hæc circa humanæ salutis annum 82 contigère. Traiano deinde principe Romanis finibus pulsi, in propriasq; sedes coacti traduntur, nonaginta fermè annis post Antonius Caracalla ad Parthos ducturus exercitum, dum suspicione hos parum quietos censeret aliquot prælijs uicisse scribitur. Antonius item Verus Orosio lib. 7. cap. 9. teste cum his gentibus bellum gessisse hisce uerbis perhibetur. Nam cùm insurrexissent gentes immanitate barbaræ, multitudine innumerabiles, hoc est, Marcomanni Quallij (secundùm alios Squadi) Vandali, Sarmatæ, Sueui, & omnis penè Germania, & in Quallorum, usq; fines progressus exercitus, circumuentusq; ab hostibus propter aquarũ penuriam potiùs sitis, quàm hostium periculum sustineret. Ad inuocationem nominis Christi (quã subitò magnæ fidei constantia quidẽ milites effusi in preces palã fecerant) tanta uis pluuiæ effusa est, ut Romanos quidẽ largissimè, ac sine iniuria refecerit. Barbaros autem crebris fulminũ ictibus perterritos, præsertim cũ plurimi eorum occiderentur, in fugam coëgerit, quorũ terga Romani usq; ad internicionem cædentes gloriosissimã uictoriam,

Rex Gothorũ & Sarmatarũ, nonnulla.
Augusti tempora.
Domiciani.
Traiani.
Antonij Caracallæ.
Antonij Veri.
Legio Christiana Ceraunobolos.

& omnibus penè antiquorum titulis præferendam, rudi, paruoq; militum numero, sed potentissimo Christi auxilio reportarunt, hactenus Orosius, atq; hic Sarmatę, & Germani nonnihil societatis habuisse cognoscuntur, dum non tam Romanis fugati armis, quã diuina manu uictu traduntur, quod equidem mirari non oportet: diuinæ etenim Maiestatis uis, & imperiũ nulla unquã arte, industria, uel potẽtia ab humana imbecillitate euitari potuit, quod enim semel adeò constitutũ est, illud ut ineuitabile omni æuo impletur.

Gordiani. Gordiani post hæc temporibus Gothi bello petiti atq; leuibus prælijs repressi sunt.

Philippi. Quies deinde ad Philippi tempora (qui primus Christianorum Romæ rerum potitus perhibetur) Gothis fuit. Plerique ferocissimarum gentium Gothorum ductu (nam nõ Gothi soli, sed Daci, & reliqui Sarmatarum populi in hanc, aliasq; eruptiones Gothis accessêre) imperij finibus transcensis, & inuasis trecentis armatorum millibus Thraciam,

Decij. Mysiamq; uarijs, multisq; cladibus afflixerunt. His à Philippo cum exercitu Decius obiectus, aliquot uictus prælijs, infecto bello reuersus est. Philippo paulò pòst cum filio,

Galli, & Volusiani. Decij fraude extincto dolo ipse Imperator factus, eos motus reliquit intactos. Hæc sub annis ab orbe redempto 253 contigêre. Decio sublato Gallus cum Volusiano Remp.

Valeriani. tutandã suscepit, fœdus eorum ætate cum Gothis renouatũ, & hinc ad Valerianam Persicam captiuitatẽ in pace cessatum est. Dum itaq; Romana Respub. post eam infœlicẽ Valerianam captiuitatẽ Galieni desidia, & ignauia à triginta tyrannis inuasa multis incom-

Galieni. modis afficeretur, simul multarum ferocissimarum gentium animi in Imperij fines inue-huntur. Germani penetratis alpibus Italiam Rauennam usq; uastarunt, Alemanni Gallias igne, ferroq; uexarunt. Sarmatæ ruptis Pannoniæ finibus eam prouinciam populati sunt. Tum Gothi cum alijs ferocissimis Sarmatarum populis Asiam inuaserunt, classe Bithyniam uastauerunt, Nicomediam propemodum extinxerunt. Macedoniam quoq; armis tentauerunt, pari calamitate Thracia affecta. Dum uerò in Achaiam progrediuntur, à Macharino prælio uicti feruntur. Alia harum gentium pars maxima, quæ (ut iam narratur) Asiam inuaserant, illud famosum ab Amazonibus conditum Dianæ templum

Claudij. direptum incendunt, pulcherrimaq; prouincia uastata, ultra uim suam extensuriã Claudio penè ad internecionem cæsi sunt, trecentis enim millibus uel cæsis, uel captis, duo-millia nauium, aut mersæ, aut in potestatem redactæ sunt. Atq; hæc circa annũ ab orbe redempto 270 sic se habuerunt.

Aureliani. Aliquot deinde annis Gothis suo malo compulsi quieuerunt, donec resumptis uiribus Romanis bella intulerunt, ab Aureliano, Canabo rege amisso, & quinq; millibus cęsis, ultra Danubium repressi, ex hac pugna quædam bellicosæ fœminæ in triumpho actę à uulgo falso Amazones creditæ sunt, & hæc circa annum Salutis 275.

Constantini. Tricesimo post hanc afflictionem anno, quum iterum Romanis finibus arma inferrent, à Flauio Constantino innumeros quoq; uictos, literis traditum est, atq; hęc circa annum salutis 309. tum tot perculsi malis Romanum fœdus renouarunt: annis ferme septuaginta inuiolata fide Rempubl. reliquerunt intactam.

Valentiniani. Valentiniani uerò temporibus Sarmatæ ruptis Romanis finibus in Pannoniam inuehuntur: hanc iniuriam Valentinianus circa annum Salutis 377. uindicaturus cum e-

Valentis, & Gratiani. xercitu ad Brigionem oppidum ueniens subita sanguinis effusione relicta Sarmatis libera uastandi licentia mortuus est. Postquam uerò Valens Orientis imperium obtinuit, & Gratianus Romæ rerum potitus est.

Hunnorum eruptio. Ea ætate fato res omnes Imperij inclinatæ, tunc ex Septentrione clades multò maxima Italiæ imminebat. Hunni namq; gens Scythica antea inaccessis interclusa montibus Gothos subitò adorta suis expulit sedibus. Adeò ambiguis ambulat fortuna passibus: res enim hinc humanas taxare liquet, nihil omni sæculo ullo fortunæ applausu tam altè euectum, uel etiam nouerca sorte humili loco depressum, quin hîc meliora sperare, illic spe excidere res tempora, fortunaq; ferant. Quod equidem hinc apparet, Gothi paulò antè supra quinq; ætates in hanc diem Romanis, atq; alijs gentibus formidabiles, mutata paulisper fortuna, ceu ludibrium expositi, proprijs sunt pulsi sedibus, suas iam tueri nõ ualentes, qui alienas libidine bellorum sæpius inuaserant. Pulsi itaq; his Sarmatis, qui nuper Pannoniam inuaserant iuncti, Istrum transiuêre. Valens itaq; ad eos motus missus hos sine fœdere ad fluminis ripam etiam non ademptis armis magno Imperij malo constituit, eosq; Arrianis dogmatibus, quibus ipse deceptus periclitabatur, per huius sectæ Episcopos edocuit. Sed quum aliquandiu Romanorum ducum auaritiam, & calamitatem suam simul, & famẽ sustinuissent, increpati tandem Romanum præsidiũ adorti, simul cum ducibus Lupicino, & Maximo interfecerunt, excussoq; metu Mysiam, Thraciamq; armis subigunt, tributumq; imperãt, & iam his fœlicissimis successibus Gothorũ res auctæ atq; Romanis formidolosæ esse cœperunt. Tum de Gothico motu nuncij Valentem

tingere cœperunt, & ipse magno exercitu Antiochiam relinquens, in Thraciam tendit: Gothi uerò uenienti occursum, & pugnam non detrectant. Prælio cum eo ferociter congressi Romano equitatu fuso, legionibus circumseptis, nudatasq; facili negotio soluerunt atq; fugarunt. Valens saucius uiuus in hostium manus ueniens, igni traditus est, iusto Dei iudicio, ut qui alios à ueri luminis cognitione auertit, ipse igne ultrò succensus erroris hostia oberretur, tetra, fœdaq; fuga reliquus exercitus dispersus est. Gothi & hoc successu in spem maioris fortunę arrecti Byzantium urbē obsidione cingunt, quę salubri consilio defensa est. Hęc sub anno salutis humanæ 381 acciderūt Romanis mala, Valente à Gothis interfecto, Gratianus Imperator cū Valentiniano fratre rem Romanā tuendam suscepit, fecit quoq; Gratianus Theodosium ex Hispanijs accersitum Imperij sociū, Orientisq; illi negotia commisit. Is in Gothos profectus aliquibus eos prælijs afflixit. Ad hunc Athalaricus Gothorū rex (icto prius necessariò magis, quàm Romanis optato fœdere) Byzantium accessit: à quo benignè acceptus Athalaricus, postquam magnificentissimū urbis splendorē miratus, morbū incidit, paulò pòst uita accessit. Quem Theodosius honorificentissimo apparatu in exequijs extulit: Gothi Theodosij uirtutem mirati simul ac rege priuati in Romanam fidem accesserunt, stipendia Theodosio facientes, hos plerūq; ferocissimæ atq; Romanæ alioqui fortunæ infestæ nationes sequuti, Byzantium ad Theodosium legatos, aut pacem petitum, aut fœdera innouatum miserunt. Atq; hac fœderis lege sub stipendio Gothi annis fermè uiginti & quinq; non modò res Romanas nō turbarunt, sed & eorum auxilijs ampliarunt, donec Stiliconis perfidia (enecatis priùs à Gildone Theodosij filijs) iniquo cōsilio respublica turbata est, atq; Gothi apud Byzantium stipendio, & commeatu priuati.

Valentis interitus. *Gratiani, & Valentiniani fratrū tēpora.* *Athalaricus.*

Anno 407 Salutis humanæ, Honorij, & Archadij octauo, Gothi noua re moti, Thraciam penetrantes Pannoniam inuadunt, Alaricum uirum fortem Regem constituunt, cui paulò pòst Radagasus cum ducētis millibus partim Gothorum reliquijs ad Danubij ripas relictis, iunctis simul Dacis atq; Sarmatis adiūctus est. Hij mox Thracia, Pannonia, Illyricoq;, & ea Italiæ parte contermina uastatis igne, ferro, & teterrima cæde omnia, neq; sexus, neq; ætatis habentes rationem diripiunt. Ingens deinde multitudo cōmeatus inopia pressa bipartito exercitus ductu scissa est. Rhadagasus Apœninum transiens paulò pòst Vldino & Saru ducibus, qui Hunnorum, Gothorumq; ingenti ui adiuti, qui fortè cū Theodosio in Gallia militarant, in angustias deiectus, interceptis undiq; commeatibus fame confectus post res amissas paucis comitantibus fugam inijt, & in ipsa cęsus est. Alaricus apud Rauennam, multò postquam Rhadagasus interfectus, & ipse à Stilicone consilio magis, quàm uiribus prælio uictus est. Verùm Stilico partam penè uictoriam, aliò uertit, ex usu ratus, si barbaris manentibus ipse ultrò imperij maiestatem sibi uendicare posset, Alaricus hæc sentiens. Honorio per legatos nunciat, atq; eam Galliæ partem postulauit, cui Vandali, Sueui, Alaniq; iamdudū imminerent. Honorius annuit, atq; Stiliconi, ut Gothos pacificos in Galliam dimittat, imperauit: dum autē ille pareret, fœdusq; inijcisset, nihilominùs in abeuntes Saulem Hebreorū ducem cum ualida Iudęorum manu immisit, qui opportunitatē nactus primo motu fœdam stragē in Gothos fecit. Verū dies illa Christianis (quibus Gothi nuper ex fide accesserant, atq; feruentissimi eius religionis cultores erāt) sacra erat, quare Gothi metu religionis perculsi aliquandiu Iudęorū ferrum sustinuerunt, donec Regis iussu arma rapta, atq; impetu facto Hebrei disiecti, cęsi & fugati sunt. Sed & paulò pòst Honorio imperante Stilico cū Eucherio filio cęditur. Quo fortissimo duce sublato Italiam populati. Romam urbem, orbis caput obsidione cingunt, eam aliquādiu fame, ferroq; uexarunt, donec utrumq; malū extremam calamitatē adigeret, armisq; atq; inedia confecta Roma domina gentium, à qua omnia olim capta, à Gothis ipsa capitur.

Honorij, et Archadij res cum Gothis gestæ. *Alaricus.* *Rhadagasus uictus.* *Alarici cædes.* *Stiliconis rebellio.* *Vrbs Rom. capta.*

Anno humanæ salutis 412. ab urbe uerò cōdita per Romulū condita 1164 à sacrorum direptione Halarici regis iussu temperatū, in reliquā urbem triduò sęuitū est. Gothi triduò quum urbe potiti sunt, inde in Campaniam, Lucaniā, Brutiosq; digressi eas regiones populati sunt. Halaricoq; rege mortuo Ataulphum substituerunt, sub cuius Imperiò paulò pòst Barbari regressi urbem denuò miserè etiam Rege eorum inuito diripuère, tamen ab incendio cessatum est. Placidā Honorij sorore (quam Ataulphus post urbem direptam matrimonio sibi iunxerat) id efficiente, atq; ita de Gothorum in Italiam eruptione, & Romanæ urbis direptione se res habuère.

Ataulphus. *Placida.*

HACTENVS de Gothorum origine, externarumq; gentium inuasione scribere placuit, eò quòd ad Sarmaticas res maximè pertineāt, quę apud exteras nationes proles atq; semen eorum fecerint: quando uerò lucusq; uentū est, quod Roma orbis caput Gothorum metu, fame, uel ferro adacta, ut barbarorum ferret iugum, significatum sit, atq; hi

demum

demùm relicta urbe alias quoq; nationes populati sunt, longa deniq; ætate parentibus, aut cæsis, aut naturæ lege sublatis, proles iam nihil, nisi Gothicum nomen seruauerit, cæterùm in Italicos, Hispanicos, uel Aphricanos mores abierit, non uidetur ex uictore eorum ultrò gesta retexere, quum hæc apud eos, quos suprà memini, qui Gothicas res posteris reliquêre fusiùs tradita legantur. Satis mihi hîc uisum est, eam gloriam, si quā Gothi belli iure adepti: sed & illud malum, quod uastata Italia atq; urbe direpta Gothi intulêre Sarmatis quoq;, & Dacis deberi, eamq; posteris relictam esse audaciam, ut ab omni ???an nide antiquitatis suæ maiestatē, & libertatem uindicent. Præterea, quæ à Gothis, uel Italia, uel Aphrica gesta sunt, id à plerisque fusiùs traditur. Procopius quarto libro historiæ hæc breuiter absoluit, alij alios sequuti multa scripsêre, mihi hîc metam ponere, atq; aliò stylum uertere placuit.

DVM hæc Romanis mala à Gothis contigerunt, eodem fermè tempore Gallia à Vandalis gente ferocis armis petita, de qua hic nonnihil referre operæprecium erit, cò quod & gens illa ex Sarmatiæ finibus egressa in externis regnis multa egregia edidit facinora. Vandali igitur priscis Vandali, & Vandali dicti gens ferox, & ipsa Sarmatica, maioribus Sarmatis ab ipso flumine (qui Vandæ reginæ mersione sacratus ex nomine suscepti hospitis Vandalus dictus perhibetur) Vandali appellati. Horum partes sunt Burgiones, postea Burgundiones; quibusdam sunt scriptoribus, fortè non omninò improbato argumento. Nam & ille fluuius Germaniæ atque Sarmatiæ fines nunc constituens, olim unius populi in utraque ripa imperio paruit, ut nuper adscripsi: sed & hodie ab eius quasi fonte ad usque ostia, quibus in mare Baltheum exoneratur, ex utraque ripa Polonorum subest imperio, ita olim Vandalus dictus, in utraque ripa à Vandalis habitatus est, atque hinc in Sarmatia, & Germania Vandali (sicuti nunc Poloni) fuêre. Hi quoque Sueuis, Alanisq; comitantibus Gallias inuasêre, à Stilicone sollicitati paucis antea annis, quàm urbs à Gothis esset capta.

De Vandalis quædam.
Vandali unde.
Burgūdiones.

Qui uerò Vandali fuerint iam secundùm plerosq; suprà narratur, aliorum tamen sententiam infrà descripturus sum. De Alanis nunc sermo erit, hi plerisq; Scythæ dicuntur, Plinio uerò lib. 4. cap. 12. inter Sarmaticas gentes connumerantur. Sunt qui origine Scythas perhibeant, sed cum Vandalis cohabitasse asserant, undecunq; autem fuerint, constat cum Gothis olim atque Vandalis commilitium fecisse, & ipsos Gothos, Vandalosq; Sarmatiæ populos, uti supra narratur extitisse. Quare uerò inde Gothialani perhiberentur, si non uno solo geniti essent, non clarè habeo, scio esse, quibus in externis nationibus illis hoc nomen inditum fuisse uidetur. Ego huius rei quomodò Gothialanos constitos putauerim nuper rationem dedi. Erasmus Stella homo doctus in Borussiæ antiquitatibus eius rei cæteros secutus meminit. Verùm neque eam refellere, neque aliam astruere opinionem est in animo. Sed & hoc non erit à fide alienum, si quis Alaunos, situmq́ue eorum diligentiùs perquiret, comperiet Gethis seu Dacis, & Roxolanis proximos fuisse, & si pro eo fides est cum Getis, qui Gothi, seu Daci creduntur, & Sarmatis unam fuisse gentē: nam si Sarmatiç Ptolemaica descriptio locum habet, constat omnes hos populos in Sarmatia consedisse, neq; tunc aliter fuisse discretos, quàm hodie Australes, Baioarij, Athesien. Heluetij, Alsatij, Rinen. Sueui Franci, Saxones, & reliqui maximi populi, qui uno uocabulo Germani, Teuthones, seu Alemanni uocantur, & cum uniformi lingua commercium habeant, scisi uidētur, qui etsi in plures regulos & principes potentissimos diuisi, ad unius tamen imperium dominādi maiestatem referunt, ita ea quoq; ætate fuisse non ab re credere erit. Sicq; & nationū commixtione Getas, Dacos, Gothos, Visigothos, Ostrogothos, Gothialaunosq; constitutos, qui simul iunctis uiribus nihilominus Sarmatiæ populi existentes, tot hominum millia constituêre, ut ijs freti potentijs, relictis sedibus externas petierint gentes: hinc credendum foret, postquam sub Gothorum imperio hæ gentes, quę Ponto, & Tanaitis proximiores fuêre in Traciam, Macedoniamq; migrarunt, eorum fœlicibus successibus Alaunos, Vandalosq;, qui ad Germaniæ partem primi fuêre, in spem maioris fortunę arrectos patrio solo relicto Germaniam petijsse, ut infrà mihi dicendum ueniet. Sunt qui referāt Constantini Magni temporibus à Gothis Vandalos manu ualida petitos, & Rege Gebrichio Vandalos cum Visimaro duce sedibus pulsis ab ipso Constantino in Pannoniam seruato prisco nomine locatos esse, ibi lustris plus octo in Romanorū in fide mansisse. Verùm & ibi metu Gothorum parū sibi tutum rati piraticam apud Oceanū annis aliquot egisse uitam, hinc quoq; priscis sedibus patrijs repetitis, donec ad Stiliconis dominia fuerint euocati literis tradunt. Burgundiones uerò, qui horū pars perhibētur ad fontē quasi Vistulę amnis, qui & Vandalus dictus, Ptolemęo Burgiones dicūtur, mutata postea dictione Burgūdiones sunt appellati. Procopius uerò Græcus lib. 3. historiarum ita refert. Vandali interea circa Mæotin considen-

Alani qui.
Gothialani.
Er. Stellæ opinio.
Germaniæ populi.
Burgundiones

sidentes ubi fame presi sunt, in Germanos, qui nunc Franci dicuntur, simulq; Rhenum fluuium traiecerunt, in societatem Alanos, Gothicum & ipsum genus adsciscentes, inde postea duce Gogidisco in Hispaniam penetrauere. Hactenus Procopius. Cui si fides est narranti, qui & ipse in Vandalico bello cum Bellisario fuit, statim cognoscitur, & Vandalos, & Gothos, & Dacos unam fuisse Sarmatiæ gentem. Quod & ipse paulò superius eodem libro his uerbis testatur. Gothicæ gentes quidē multæ, & aliæ prius fuere, quā nunc: omnium autem maximæ, & potißimę Gothi, & Vandali, & Vissigothi, & Gepedes iam dudum & Sarmatæ, & Melanchlæni appellati. Sunt & qui Gothicas gentes has uocent, qui omnes nominibus quidem inter se differunt, cæteris conueniunt, & paulò infrà: Et ut mihi sanè uidetur ex una omnes gente procreati, nomina postea ab eorum ducibus uaria sortiti, de his legatur Procopius, qui omnia fusiùs scripsit. Iam satis superiùs probatum mihi uidetur, Vandalos, Alanos, siue Alaunos, Burgionesq; Sarmatiæ fuisse populos. Superest, ut ea, quæ patrias sedes egressi, ætate, qua adhuc Vandali crediti sunt, bello gessere, paucis adscribam: Vandali itaq; Burgundij simul cum Alanis à Stilicone euocati, sub Modigillo patre, & Gandarico ducibus annis fermè duodecim ante captam à Gothis urbem quadringentis, uel secundùm aliquos trecentis hominum millibus domo egressi, per Germaniam euntes primùm in Sueuorum gratiam Francos, Germaniæ gentem (qui septimo Archadij, & Honorij anno relictis sedibus Rhenū transgreßi in Treueris Leucis, atq; hisce confinibus consederant) ex Gallia pulsos, in partem unde digreßi fuerāt, redire coëgerunt, ipsisq; sic Gallia populanda relicta est. Burgiones uerò, seu Burgundij locorum amœnitate pellecti simul, & figendę sedis cupidi Heduorum, Lingonū, Vesunciorum, & Cabilonen. terras sibi uendicarūt. Ea prouincia nouorum colonorum cultu expòst Burgūdia uocata est, reliqui deinde multis exanthlatis laboribus Pyrenęos penetrantes Hispaniam transiuère, Bethicam, quæ Vandalia postea dicta fuit, occupauerunt, Hispali capta Gandaricus, quum templum uiolare statuisset, subita morte interijt. Huic Gensericus successit, qui Honorio iubente Hispania per Gothos expellendus erat; quod dum Gothi facere maturarent: Vandali interim à Bonifacio principe in Aphricam euocati, nacti occasionem Aphricam, & Carthaginem subiugarunt, uictoq; Bonifacio; & Aspare ante omnia Hipponem obsident, in ea obsidione diuus Augustinus septimo mense ad superos relatus est. Gensericus domita Aphrica, in Etruria multa bella intulit: tandem Romam ueniens ab Eudoxia uocatus, Maximi tyrannidem repreßit, eo lapidibus obtruncato. Eudoxiam, & filiam Eudociam cum Placida secum in Aphricam aducens, sibiipsi matrem, filiam uerò Honoricho, seu Honorofico, natu maiori, Placidam Olibio matrimonio iunxit, hic à Procopio Gizericus appellatur, imperauit annis 48. moriens Honorichum (ut Procopius habet) alij Honorricum scribūt, successorem reliquit: hic sæuißimus, & Christianæ fidei scelestißimus persequutor, postquam annis octo Vandalis præfuit, morbo miserè extinctus est: cuiq; Guntabundus succeßit, Genserici ex Gonzane nepos, præfuit annis 26. moriens Ilderichum ex Eudocia, & Honoricho natum hæredem reliquit, iureiurandoq; obstrictum adegit, ne unquam Christianis foret amicus. Mortuo uerò Gundabundo Ilderichus periurus, sed pijßimo facinore omnes in exilium Christianos relegatos reuocauit. Hæc Volaterranus ex maiorū traditione asseruit. Sunt qui Gundabundo Trasamundum succeßisse aiunt, atq; eundem fuisse Guntabundi filium, qui tanta rabie orthodoxos, & Christi cultum persequutus fuerit. Ilderichum (ut supra scriptum est) eo iuramento adegit. Verùm Procopius lib. 3. de bello Vandalico tradit Guntabundo Imperij sui anno xij mortuo. Trasamundum fratrem succeßisse hisce uerbis hæc adscripsit. Honoricho extincto Guntabundus Genzonis fratris filius succeßit, qui propior genere Gizerichū attingebat, cum Aphris plurimis decertauit prælijs, Christianos mutatione suorum supplicijs etiam maioribus afflixit. Exceßit morbo, anno Regni xij. post quem frater Trasamundus rem suscepit, uir indole sapientiæ maxima, tum animi magnitudine omnes maiores antecedens, Christianos non pœnis corporis aut supplicijs ueluti illi, sed præmijs ac honoribus omnibus ad deserendam fidem inuitauit. Hęc Procopius: cuius traditio magis placet, uel ex eo, quod beatus Fulgētius nonnulla nostrę fidei mysteria ad Trasamundum ipso postulante religiosißimè pariter ac doctißimè excussit: hic igitur non satis constat, quare D. Volaterranus Trasamundū regem prætererit, quum tamen & ipse fortè Procopium Latinitate donārit, & suam ex eodem, ut ego, habeat assertionem. Trasamundus 27 annorū rex multa ab Aphris incommoda passus decessit. Cui Ilderichus Honorichi filius succeßit, uir suis, & Christianis æquè mitis, homo ad arma, bellaq; minùs idoneus. Quem Gilmirus primùm custodiæ, uinculisq; tradidit: deinde ipse Imperij habenas suscepit, regnauit annis quinq;, cū quo & Vandalorū Imperium, & regnū in Aphrica finitum est. Hæc apud Procopium duobus absoluuntur libris.

Vandali, Gothi, & Daci sunt Sarmatæ.

Res gestæ Vandalorum.

Burgūdiorum origo.

Gandarici interitus.

Gensericus.

Honorichus.

Guntabundus.

Ilderichus.

Trasamundus.

Gilmirus.

Hic

Hic etiam rerum Vandalicarum ego fines ponam, quando iam Sarmatæ esse desierunt. At si quis & Gothorum, Vandalorum, Burgundionum, Alanorumq; egregia facinora, & uarios successus, item eorum in Thracia, Macedonia, Græcia, Aphrica, Hispania, Sardinia, Sicilia, Italia, Galliaq; militiam imperium, & regnum scire desiderat, quotq; uicibus urbem Romam orbis terrarum principem, & caput cœperint, incenderint atq; uastarint, legatos eos, quos supra ad testimonia, ante omnes Vrspergen. Abbatem, qui historiam suam à Nino Assyriorum rege ad Fridericum secundum, suaq; ætate Imperij maiestatem gerentem conscripsit, legat Marcum Antonium Sabellicum Liuianæ eloquentiæ sectatorem diligentem, & Nauclerum Germanum singularis in historia fidei hominem, comperiet profectò temporum supputatione nullam unquam gentem in tam paucis annis tam egregia, audaciaq; aggressam facinora, si ita Deo uisum fuisset, ut hæ gentes aliquantò in Christianos mitiores apparuissent, potuissent profectò apud eorũ posteros res gestę dignis semper pręconijs adornari, iuuat tamen & hoc egregiam gentis attollere laudem, quod semel recepta fide feruentissimi fuerint cultores. Quod reliquum in Italia bellum fuit non pro fide, sed pro imperio gestum est, atque hoc modo Gothorum, aliarumq; gentium nomen in Italia finem habuit, non tam extinctis Gothis in Italia, aut Vandalis in Aphrica, quàm locorum amœnitate captis, & successu temporum in Italos, Aphrosq; mutatis, & ita Deus Italiæ oram, & urbem ipsam, quæ omnibus manus quondam iniecerat, omnibus ultrò diripiendam exposuit. Nec certò constabit, quare Gothorum etiam extincto nomine maximè de antiquitate illis nobiscum certare placeat, quum si quis origines maiorum suorum paulò altiùs repetat, esse possit, ut magis Gothico, aut Vandalico, quam in ipsa Italia Italico sanguine se procreatũ intelligat, atq; ita se Sarmatis affinem potiùs, quàm alienum genere declarabit. Hęc hactenus mihi adferre ex usu uisum est: iamq; unde digressus sum, meus repedabit stylus.

Vrspergensis. *M. Antonius Sabellicus.* *Nauclerus.*

PIASTVS REGNI habenis susceptis, omni ætate pacem coluit, decimo apud Polonos loco regnauit: mortuus ætatis suæ anno 120.

SEMOVITVM unicum filium hæredem reliquit: ab eo itaq; tota fermè stirps regia Polonorum, principumq; Silesiæ atq; Masouiæ propagata cõstabit. Semouitus mortuo patre rebus præficitur, undecimo loco regnauit. Is dum sub patris Imperio strenuè militaret inter optimos milites numeratus est. Adsecutus uerò regnum armis & uirtute, domi, forisq; præfuit, immatura morte non sine mœrore suorum præuentus est. Sub huius Imperio, de Cyrillo, & Methodio Slauorum Apostolis nonnihil traditur, idq; sub Arnolpho Romanorum Imperatore. Quum uerò Arnolphus anno salutis 894. Romanis rebus præfuerit, non uideo quo pacto id eueniat, quod à Craco. iterum ad Semouitum in decimo loco regnantem anni 1294 tam citò currant: ego uerò scriptorum penuriæ id adscribere, quàm aliquid diffinire malui.

Cyrillus, & Methodius.

Carolus etiã magnus primus ex Germanis, anno Salutis 801. Imperator Augustus factus, qui 93 quasi annis ante Arnolphũ res Romanas tutandas suscepit, uaria bella cũ Vindis, Slauisq; gessisse perhibetur. Verùm Sarmatas populos aggressum, non crediderim, sed ea duntaxat loca, quæ circa Lubecum atq; Rostockium sunt, debellasse, eousq; enim quondam Polonorum, Vandalorumq; regnum fuisse constat: quare & si hæ regiones armis Teuthonicis cesserint, nihilominùs in hanc ætatem per omnem illam oram reliquiæ Vandalorum atq; Polonorum, qui hodie Vindi appellantur, extant, Polonorum lingua, sed corrupta utentes. Carolus uerò Sarmatas non penetrauit, sed huius fortè Slauonici, seu potiùs Vandalici belli occasionem Saxonibus deuictis Carolo sumptam crediderim, quibus quũ Vandali tunc uicini fuerint aliquod fortè belli negotium inde contractum est. Sed hæc ad ætatem Poloniæ principum non poterint conferri quando certo, quibus temporibus semper eius ætatis Polonorum principes imperia susceperint, uel humanis excesserint, nescitur.

Carolo Magnò quid rei cũ Sarmatis fuerit.

SEMOVITO succesit filius Lesko ætate puer, adultus uerò nihil egregium edidit, intermisit paterna bella, quæ ad Baltheum mare Semouitus cœperat, mortuus ætate grandæuus, regnauit duodecimo loco apud Polonos.

Lesko.

HVIC SEMOMISLAVS filius succesit, qui tertio decimo loco regnauit annis Piasti confectus, & ipse mortuus, unicum filium Mieskonem reliquit.

Semomislaus.

ASSVMPTVS igitur ad regni solium Miesko, regnauit quartodecimo loco apud Polonos, anno ab orbe redempto 96[illegible]. Is cæcus natus atq; diuinitùs fuisse illuminatus fertur. Primam ætatem uirtutibus adornauit, mox factus adultior, per licentiam in uitia ruit. Quibus paulò pòst relictis Christianam fidem Mietzlai nomen simul & coniugem Dambrouukam Bohemam suscepit, quam semel cum omni gente assumptã perpetuè magno Christianæ Reipubl. commodo protegebat. Gneznen. Cracouien. Vula-

Miesko.

dislaui-

dislauień. Vuratislauiń. Posnanień. Plocеń. Culmensem, Caminicensem & Lubucēsem, ecclesias Episcopalibus honoribus insigniuit, reliqua uerò quæ Christianus gessit apud D. Miechouień. lib. 2. cap. 1. traduntur. Atq; hic diuinæ maiestatis præscientiæ & ordinationis uim, uel ineuitabile fatum mirari non oportet, quod enim semel cōstitutum fuerit, nulla unquam humana poterit euitari arte, ita & Mietzlaus sine luminibus natus, mox diuinitus illustratus, paulopóst uicijs uitam prostituens atque denuo reuocatus, sacri laticis aspersione lotus, cum regno fidem uerum lumen adeptus, reliquam ætatem ita gessit, ut cum Deo beatis sedibus regnum habere merito credatur. Hæc Polonis sub Othone Imperatore secundo contigêre. Anno Christi quo supra memini, fermè 962. Quibus uerò Sarmatiæ & Polonorum regna ante Christianæ fidei professionem fuerint erroribus irretiti, cæterarum gentiū cultu cognoscitur, haberurq; apud D. Miechouień. lib. 2. cap. 2.

Rerum Mietzlai uarietas.

MIECZLAO primo Christianorum apud Polonos principe humanis absumpto, rebus Boleslaus Chabri, quod magnus aut famosus interpretatur, ex Dambrowka Bohema natus in paternum, auitumq; regnum assumptus. Princeps heroicis uirtutibus clarus, nulli unquàm imperatorum militari disciplina secundus. Is dum lege successionis regnum suscepisset, ab Othone tertio Gnezne regiam accepit coronam, Poloniæ dominia (quæ iam antea regnum iure quidem gentium erant.) Christiano se conformans ritu legitimum atq; Catholicum effecit regnum. Primum omnium inuicta arma omnibus uicinis populis intulit, uarios triumphos egit, & uictricia signa regno reduxit, Bohemos sæpe domitos subigauit, Morauiam expugnauit, uniuersam Sarmatiam ob regulorum pluralitatem ciuilibus dissidijs implicatam ferro ad pacem restituit, Russiam totam Sarmatiæ prouinciam subegit, ducibus aut captis, aut inito fœdere susceptis in fidē, Saxonibus atq; Marchię plura bella intulit, Prutenos barbaros uicit & Polonos subiecit, Hungaros Russiam ingressos, aliquot prælijs eiecit. Columnas ferreas in quatuor mundi partibus uictoriæ suæ signa & Polonici regni fines posuit. Hinc forte in eum locum Cęsaris & Alexādri aræ positæ apud Boristhenem creduntur, ubi Boleslaus magnus uictoriarum suarum posuit monumenta, sed nō sum nescius Alexādri atq; Cæsaris aras à Ptolomæo priscisq; scriptoribus Boleslaum multis ætatibus antecedentibus adscriptas, id parum ad me pertinere uidetur, neq; enim Alexander Magnus, neq; Cęsar in his locis ubi eorum ponuntur arę unquā fuêre. Boleslaus ætatis 58. Salutis 1005. regni 25. anno, humanis excessit, regnauit apud Polonos primo Christianorum regum loco, in ordine uerò regū ab initio quintusdecimus Poznaniæ conditus.

Boleslaus Chabri.

Corone collatio.

Columnæ Boleslai.

HVIC Mietzlaus secundus filius successit per electionem. Sub huius regimine plures prouinciæ paternis armis Polonis submissæ defecerunt. Eius quoq; ętate Marchionatus Brandenburgeń. initia sumpsisse aliquibus perhibetur, ego quid sentiam nō satis scio, quū iam antea Germani imperium uirtutibus meruerint, atq; Romanorum regis eligēdi potestas penes septem dūtaxat principes remanserit, qui ab omnibus scriptoribus ita numerantur. Maguntinensis archipræsul Cancellarij, seu ut Sabellico placet, scribæ Germaniæ nomen sortitus, Decanus principum electorum. Agrippinensis eam dignitatem per Italiam nactus, Treuerensis eo honore apud Galliam insignitus. Extra uerò sacra Principes quatuor, Rheni inclytus Palatinus Dapiferi, seu ut Sabellicus uult, scutiferi munus obit. Saxoniæ dux ensem defert, hunc Marischalcum appellāt. Brandenburgeń. Marchio Quæstoris officium, ut Sabellico & Blondo uisum agit, Camerarium hunc uocant: & Bohemiæ rex pincernæ munus agit. Hęc tum secundum aliquos 1002. firmata sunt. Quanquàm non desint qui magnis argumentis ante illa tempora hæc facta esse contendant, utcunque tamen res se habent, uidetur Marchionatus ille tunc initia non sumpsisse uel hoc unico argumento, quod nō tam citò nouus princeps ad summas imperij dignitates fuisset euectus. Iam boni lectoris iudicium esto. Mietzlaus anno salutis 1034. die 15. Martij, regni nono uita excessit, Kazimirum filium unicum reliquit. Atq; hic non apparet quem Nauclerus generatione 35. secundi operis sequutus dum hæc uerba inferret. In principio regni Conradi dux Polonię Boleslaus, cuius regnum Henricus Imperator Romanorum tributarium fecit, absq; Conradi requisitione nomē sibi regium imposuit, erat sanè uir strenuus & potens. Morte autem præuentus Misikonem reliquit, qui mox defuncto patre, fratrem suum rebellioni acquiescere nolentem, à patria expulit, qui ad Conradum regem confugit, iratus Conradus præmisso Othone cum magno Teuthonicorum exercitu, statim ipse maximo robore militum secutus est, ac omnia intra Poloniam armis miscebat. Misiko uidens se nulla ratione posse resistere, relicta Polonia ad Vdalricum ducem Bohemię hostem imperij confugit. Vdalricus uerò sperans se Imperatoris gratiam quam amiserat recuperaturum, Polonorum ducem, quem exulem & supplicem susceperat, tradere Conrado statuit, atq; hoc illi per secretum nuncium intimauit, sed Imperator uir magnanimus

Mietzlaus II.

Marchionatus Brandeburgensis.

Principes electores.

Quorundam uariæ opiniones.

Naucleri opinio.

filius detestatus perfidiam oblationem proditoriam contempsit,& Misikonem alibi salutem quærere admonuit,qui Imperatoris miratus bonitatē, clam relicta Bohemia ad propria remeauit,atq; reiectis regni insignib.quæ pater assumpserat,modico comitatu contentus ad Imp. Conradū ultro accessit, atq; eius uoluntati se subijciens coronā humiliter Imperatori resignauit,ac ab eo tempore Polonia Romano imperio prius ab Henrico tributaria facta permansit.Hactenus Nauclerus.Cuius assertio (optimi hominis uenia dixerim) ut apud nullos (quos equidē uiderim) inuenitur scriptores,ita à ueritate comperitur aliena.Annales Polonorum qui in aduersis & secundis rebus(& si rudes)uere tamen conscripti apparent. Nam etsi Vincentium in speculo historiali sequutus fuerit,atq; alios omnes qui paucis hoc uerbis adscribunt,comperiet Henricum secundum reges gentilium in interiora Germania cōmorantes qui dicebantur Vindi tributarios fecisse. Deinde de Conrado secūdo est legere,qui anno quinto regni sui rebellātes Slauos perdomuit. Hinc de Henrico tertio infertur,quod Vindelicos populos Sueuos cōterminos subegit, qui in eam ætatem fortunam adorasse traduntur. Hæc apud Vincentium. Quibus apparet Vandilos ad sinum Balthei maris commorantes uictos esse,cum quibus Carolo Magno ante aliquot lustra belli negociū erat.Verum de Sueuis nostro æuo hoc non erit intelligendū, qui tunc non fortunam,sed unum Deum adorauerunt.Polonia uerò Sarmatię prouincia à nullo unq; Conrado uel Henrico uicta,uel tributaria facta est.Boleslaus item omni seculo dignus princeps non ambitione,aut temerè coronam assumpsit,sed ab Othone Gneznæ,ut paulòante mihi narratur,non sine regni summa laude regijs decoratus est insignibus,nec ipse unq; tributarius factus,qui suo imperio tot populos adiecerat. Moriens reliquit Mieskonē,seu Mietzlaum aut Misiconem, ut à Nauclero traditur, unicum filiū sub quo nihil egregiè factū legitur.Bohemia illi erepta non ab Vdalrico sed Brzetislao Vdalrici filio,ut D.Miechouieñ.lib.2.cap.11 tradit. Esto quod Vdalricus fuerit, num is imperij hostis erat,qui ab Aenea apud Cæsarē enutriendus à patre datus fuisse perhibetur. qui imperij hostis & amicus esse non potuit,qui etiam locum inter Principes electores ex pacto obtineret,Aeneę quoq; traditio eius rei nullam facit mentionem,sed cum Miesko bellorum aliam sumunt occasionem,quæ nonnihil cum annalibus Polonorum concordat,licet Bohemiæ ducis excæcatio sub Boleslao & nō Mietzlao facta legatur. Boleslaus itaq; armis & uirtutibus clarus imperatoria auctoritate regiam coronam acceptauit, quam omnes maiores sui iure gentium accipere potuerunt,si modo quis meminerit eam Sarmatis fuisse antiquitus legem, quæ Aegyptijs, Macedonibus, seu Persis, Medis,aut Græcis, alijsq; gentibus fuit, qui reges salutati, quibusq; omne imperij nomen suscipere licuit, quod consilijs atq; armis defendere possint. Sed uana est hæc uerbosa disputatio, Boleslaus dum regiam ab Othone coronam susciperet,non modo tributarius non factus,sed et ab imperij obedientia absolutus legitur,neq; regium diadema à Misicone filio abiectum, sed in illud tempus,quo D.Stanislaus martyrij palmam(ab iniquo rege sectus)meruit,magna regni laude custoditum est. De fratre uerò ducum Poloniæ, in cuius gratia Conradus secundus cum Polonis bellum suscepit infra scribendum ueniet.

Kazimirus Mietzlai filius.

AD MIETZLAVM redeo,qui secundo loco Christianorum regum, ab initio uerò sextusdecimus regnauit,qui mortuus,ut supra narratur,Kazimirum unicum filium ætate puerum reliquit. Hunc mater in Alemanniam secum abduxit. Hic sanè postea Parisijs in liberalibus studijs edoctus,postea in Cluniaco monachus factus est . Polonia interim à diuersis nationibus armis petita,simul & domesticis odijs atq; belli cladibus multis affecta fuit,donec senatui uisum est Kazimirum rebus præficere, missis in Cluniacum, & ad Romanum Pontificem legatis.Kazimirus reductus in paternum regnū assumptus & coronatus est.Regni res per eum restitutæ,Prutenię; bello uicti sunt . Mortuus salutis anno 1058. die 28. Nouemb. regni 18. Poznaniæ patri appositus, regnauit tertio loco rex Christianus,ab initio uerò decimus & septimus.

Boleslaus.

RELIQVIT moriens tres filios, quorū Boleslaus natu maior postea regnum adeptus,audax & efferus dictus:Is dum regnum adeptus esset armis protaui uirtutes æquauit,Bohemiam,Morauiamq; uastauit,Prutenos domuit,Belam Hungariæ regē restituit, Roxolanis plurima bella rebellantibus intulit, tandem regio nomine in Tyrannum uersso,monitus à D.Stanislao,effero animo in præsulem concitatus,in D. Michaëlis sacello, quod illi Kazimiriæ in rupe hodie sacrum est,proprijs manibus euectus,gladio cęsum,ad superos interq; diuos annumerandum transmisit.Gregorius septimus,facinore ad se perlato,regem exautorauit,regnum ab illius obedientia absoluit,anathema imposuit. Poloniam ille exiens,in Hungariam uenit,paulòpòst ratione adempta,in syluis à canibus miserè laceratus fertur perijsse.Traditur tamen ab aliquibus in eo Cœnobio quod ad lacū inter Feltkirchen & Villacū Carinthiæ oppidum situm est pœnituisse,inq; eo sacello quod

D.Stanislai martyrium.

in saxo

in saxo ad laci hostia eminet tumulatum esse. Pari affirmatione extra oppidum Oenipontē, aliàs Inspruck, in monasterio Viltha degisse traditur, sed in his locis huius rei forte nulla apparent indicia, quomodocunq; miser perijt, constat iusta ultione regno pulsum esse. Regnauit quarto loco Christianus rex, facinora à nullo unq; ethnico Sarmatarū principe commissa in se admisit, ab initio uerò 18. annumeratur, regno exutus anno salutis 1079.

HINC iam Poloniæ sceptra Pontificio interdicto cessarunt, atq; regnum in Monarchiam abijt. Cui senatus assensu, Vuladislaus cognomento Hermannus Boleslai germanus præficitur: is uirtutibus multis regno præfuit, fratrem haud secutus. Remp. domi consilio, foris armis uictricibus composuit, cōiuges duas, primam Bohemam, secundam Alemannam Henrici 3. Imperatoris filiam habuit. Hinc iterum apparet Henrico 3. cum Sarmaticis Polonis nullam fuisse simultatem, sed quodcunq; negocium habuerit cum Slauis illi fuisse. Vuladislaus monarcha primus, sed ab eo qui rebus ab initio præfuit decimusnonus, uita excessit anno salutis 1102. die 4. Iunij in ecclesia Plocensi sepultus.

Defectio regni.

Vuladislaus Hermannus monarcha.

IS BOLESLAVM Crziwousti oris retorti filium reliquit, qui Sarmatiæ & Poloniæ monarchiam secundo loco suscepit, eorum tamen qui rerum ab initio potiti uigesimus. Hic unicus Poloniæ princeps nunquàm sine honoris præfatione nominandus, omnem maiorum suorum gloriam exuperauit: regni rebus domi pace firmatis, cum tot populis bella gesit, quot uicinos regnum suū habuit. Belæ Hungariæ regi contra Andream auxiliatus, copias Cęsareas Andreę gratia missas prælio uicit, omnibus Alemannis captis aut cæsis, maxima liberalitate & humanitate usus in eos, in quos fortuna ex pugna seruauerat. Anno ab his gestis altero, cum Henrico 4. feliciter bellum gesit, inito fœdere, Imperatorem Bambergæ adijt, affinitatem asciuit. Iam denuò dicere non habeo quare generatione 37. secundi uoluminis Nauclerus ab Henrico 5. Polonos tributarios factos asserat, quum hoc Polonorum historiæ non habeant, nec etiam apud alios scriptores reperiatur, sed ab Henrico ob iniuriam nuper in Hungaria acceptam bello fuisse petitos constat, quod tamen infeliciter gesit. Bohemis plurimis prælijs superior fuit, Pomeranos penè ad internetionem deleuit. Cum Lothario Imperatore item Bambergę conuenit. Roxolanos à sua fide deficientes maximis uictorijs attriuit. Ac dum fortuna omne eius consilium [illegible]uaret, egregium dedit suæ perfidiæ exemplum, docuitq; nihil in humanis rebus unquàm firmum inueniri, cui non aliquando aduersa atq; plurimum mœsta misceantur. Vltima itaq; in Roxolanos expeditione proditus magis quàm uictus succubuit, deinceps fortunam semper accusans, uiribus corporis nunquàm resumptis uitæ suæ anno 54. principatus 36. Salutis 1139. humanis excesit, in Ploceñ. ecclesia ad patrem appositus.

Boleslaus Crziwousti.

Altera Naucleri assertio.

RELIQVIT filios quinq;, Vuladislaum, Boleslaum, Crispum, Mietzlaum, Henricum & Kazimirum, his regnum periculosè diuisit. Monarchia apud Vuladislaum natu maiorem remansit, hic rerum tertio loco inter monarchas potitus, ab initio autem regni uigesimus primus. Coniugis stultæ sequens consilium, in exilium pulsus moritur.

Vuladislaus

BOLESLAVS Crispus fratrum assensu rerum potitus, incidit hoc in annum salutis 1146. Cum hoc Boleslao Conrado tertio Imperatori negocium fuit pro restituendo fratre, quod non armis primo tentatum est. Quum enim per Sarmatiam Conradus 1147. in Græciam exercitum duceret, hæc res in quæstionem ueniens ad Imperatoris reditū est reiecta. Verum dum Conradus re infeliciter gesta redijsset, id negotium & pace, & bello ab Imperatore tentatum, re tamē infecta discessum est. Tandem à Friderico primo iterum pro eadem restitutione tentata res est bello, postremo inito fœdere & affinitate cum Imperatore facta. Poloniæ duces Vuladislaum in Cęsaris gratiam assumere assenserunt. Verum antequàm reditum pararet morte præuentus nihilominus in exilio uita excesit. Hinc forte error nascitur quod Conradus secundus eam sit restitutionem contra Boleslaum conatus, sed ætatis ratio hæc non admittit. Cæterùm quum Henrici quarti bellica in Poloniam expeditio apud Germanicarum rerum scriptores non reperiatur, & tamē uel legiones illius in Hungaria à Polonicis auxilijs captæ, uel cæsæ apud exteros scriptores legantur. Henrici item quinti Polonici motus apud Nauclerum inueniantur, quæ apud Polonos literis non traduntur, an hæc historiæ inopia an complacendi studio acceperint non habeo dicere. Constat tamen Henricum quartum anno salutis 1109. in quem annū eius in Poloniam motus incidisse adscribuntur, in humanis non fuisse, quum anno 1106. septimo Idus Augusti apud Leodium uita excesisse legatur, hacq; ratione historię nota erroris accedet, quam hominum iudicijs diffiniendam relinquere placet. Boleslaus itaque monarcha quartus, & eorum qui ab initio præfuère uigesimus secundus, principatus anno 24. Salutis 1173. pridie Kal. Octob. obijt, Cracouiæ repositus.

Boleslaus Crispus.

Error temporis.

SVCCESSIT huic fratrum assensu Mietzlaus quinto loco, ab initio uigesimus tertius, hic dominandi auctoritatem in tyrannidem uertit.

Kazimirus.

EOQVE pulso Kazimirus frater sexto loco rem tutandam suscepit, ab initio uigesimus quartus, hic homo iustus & pius sub anno salutis 1194. die 5. Maij subito mortuus, Cracouiæ sepultus est.

Lesko albus. *Cedet Leskonis.*

KAZIMIRO successit senatus auctoritate euectus Lesko albus Kazimiri filius ætate puer, septimo loco monarcha habitus, ab initio uigesimus quintus: huic uaria bellorum fortuna cum Mietzlao patruo pro monarchia fuit, quo tandem humanis absumpto, ipse à Suantepelco Pomeraniæ præfecto crudeliter cæsus. Corpus eius Cracouiam relatum est. Inciderunt hæc in annum salutis 1227. diem 14. Nouemb. Leskone albo cæso, aliquandiu pro monarchia certatum, & in illud tempus resp. uarijs motibus donec Boleslaus pudicus (de quo infra dicendum erit) adultus præficeretur afflicta est.

Origo fratrũ Teuthonici ordinis.

QVVM uerò sub Leskone albo Cruciferi, hoc est, fratres hospitalis B. Mariæ uirginis domus Teuthonicorum in Hierusalem primitus Sarmatiæ solum ingressi perhibeantur, hoc loco ex usu fore uidetur, eorum initia altiùs repetere, tum quia huius professionis uiri nobiles, ob institutionis pietatem & egregia facinora celebre in orbe nomen consequuti sint. Primis initijs Polonorum fines ingressi, Christianæ reip. strenuè militantes, à senatu atq; populo Polonico in maximo pretio habiti sunt, tum etiã quod aucta fortuna atq; paulisper ex fœlicitate ocio crescente, simulq; opibus inualescentibus mutatis institutionis animis, bellis ut maximis ita periculosis, ruptis finibus Polonis negotia fecerunt. Hic igitur ordo sicut reliqui tres, pietatis causa etiam Hierosolymis initia sumpsisse fertur. Crescentibus enim paulisper apud Hierosolymam Christianorum rebus. Ordo militum sepulchri Dominici primũ initia accepit, huic firmatis iam rebus. Sancti Ioannis (qui nũc Rhodiani uocantur) omnium in orbe fortissimi milites successerunt. Post hunc Templariorum initia sumpsit, quo sub Clemente quinto extincto, uisum est in extincti locum iterum tertium addere. A quodam uerò pietatis uiro genere Teuthonico Hierosolymis habitante, ad opus pauperum Teuthenorum peregrinorum Xenodochium extructum, oratoriumq; D. Virgini sacrum adiectum est. Quibusdam deinde Teuthonibus habitantibus, atq; abdicato sæculo bona sua conferentibus pietatis munus paulisper auctum creuit, qui sic iuncti militum templi uiuendi normam susceptam ita custodiebãt, ne unquàm susceptæ nuper hospitalitatis pietatem intermitterent. Quo facto quum Christianorum exercitus anno ab orbe redempto 1191. apud Accã, alio nomine Ptolemaida ciuitatem castra posuisset, quidam Premenses & Lubecenses ciues ex nauium uelis hospitali facto pauperibus eleemosynas & officia præstiterunt, auxilio Friderici Sueuiæ ducis cooperante. Henrico Rom. rege à Celestino Papa ordinem hunc sub titulo hospitalis B. Mariæ uirginis domus Teuthonicorum in Hierusalem confirmari, prærogatiuisq; donari obtinuerunt. Hi deferunt chlamidem albam, nigra inserta simplici cruce, horas Canonicas ex oratione Dominica complentes, Barbam nutriunt omnes, exceptis qui diuinis præsunt, & sacris seruiunt. Frustra igitur qui nobilitatis nomen profitentur, plebeorum uirtuti inuidi, omne egregrium atq; immortalitate dignum facinus à se initiatum posteris referunt. Sed utinam qui unius laticis aspersione Christo renati sunt, omnia pro fide parta memoranda facinora (uti initio fuit) communia haberent, omnibusq; esset nobilior qui uirtutibus resplenderet clarior, atq; ita demum uirtuti honos redderetur: non tot urbes, tot deniq; prouinciæ, nationes & populi Christianorum manibus erepti cernerentur, uel tanta segnitia perculsi hucusq; stertentes obdormiremus. Hæc missa faciens redeo. Eo anno, hoc est 1191. (licet Ordinis historiæ 1190. habeant, hoc forte parùm fidei nostræ cõtrarium erit) Primus ordinis generalis Magister frater Henricus Vualpolt rei militaris peritus apud Accam annis 10. prefuit, mortuus, atq; ibidem sepultus est. Huic per electionem successit frater Otho de Cripin 1200. præfuit in hospitali apud Accam annis sex, ibidẽ mortuus & sepultus. Huic tertius Magister frater Hermannus Barth successit 1206. sedit annis 4. ibidem obijt & sepelitur. Quartus in ordine electus frater Hermannus de Saltza 1210. præfuit annis 30. Hic principum dignitatẽ ab Honorio atq; Friderico secũdo meruit omnes & maiores ordinis prærogatiuas obtinuit. Ordo sub eius magistratu ita auctus creuit, ut in Romania, Alemannia, Armenia, Polonia, Hungaria, Liuonia & Prussia amplissimas possessiones obtineret, ditatus regum opibus par esse cœpit. Anno magistratus 30. apud Barletũ mortuus & sepultus est. Sub huius igitur primi in ordine principis regimine Conradus Mazouiæ dux feritate & uarijs Prussorum afflictionibus attritus, Cristini Culmensis Episcopi ex ordine Cistercien. consilium sequutus hunc ordinem euocauit, ipsosq; fratres in castro Dobrzin locauit. Hermannus uerò Magister ordinis fratrem Conradum de Landtsperg reliquit. Hæc primi ordinis mihi referuntur initia. Licet nõ sim nescius Aeneã Syluium, & qui eum sequuntur aliter habere. Friderici secũdi temporibus post Ptolemaidis amissionem fratres in Germaniam redijsse, Prussiamq; ab Imperatore, & postulasse, & bullis

Ordo militum sepulchri Dominici. *Ordo fratrum S. Ioannis & Templarij.* *Habitus fratrum Teuthonicorum.* *Primus Magister ordinis.* *2. Magister.* *3. Magister.* *4. Magister.* *Primus princeps.* *Fratrum Teuthonicorum in hæc loca aduentus.*

bullis aureis firmatam obtinuisse referunt. Verum nō placet aliquid negotij hic mihi contrahere. Quando Nauclerus hanc assertionem ut uere erroneam generatione 41. secundi uoluminis diligenter elidit. Hoc tamen mihi ex uetusto exemplari nuper ex Prussia conquisito in Alemannico uulgari quondā per ordinis fratrem exscripto traditur, quod paulò antè asserui, & hoc quod mox subijcio, sub Magistro Hermanno hæc gesta esse. Post quem quintus Magister, qui & in ordine Magistrorū nonus adnumeratur, frater Burgardus de Suadm, anno salutis 1283. apud Accam electus, rebus annis septē præfuit, ibidem mortuus & sepultus. Quæ si ita sunt ut ordinis historię tradunt, esse non potest quod post Ptolemaidis amissionem à Friderico Prussiam ordo petierit, quū Fridericus anno 1250. humanis excesserit, & Ptolemais 1290. adhuc in manibus Christianorū fuerit. Hic res militum S. Mariæ monent (quando supra memini Hermannum de Saltza quartum in ordine Magistrum, ut eorum mihi adscribunt historiæ principum honores meruisse, ordinem sub eius magistratu plurimū auctum fuisse, anno uerò magistratus tricesimo uita functū, apud Barletum conditum esse) totius Germaniæ summam miran incuriam: nec satis intelligo qua re effectū sit, ut res ordinis in Apulia olim splendidissimas, ita neglexerint. Ego enim quum in Apuliam uenissem, huius rei gratia studiosius apud Barletū uetera Germanorum monumenta contemplatus sum, eo loco, cæterisq; plurimis, ut apud Mamfredoniam prope montem Garganum, ad S. (ut uocant) Leonhardum. Prǽterea in ipsis Apuliæ campis, prædium extat, hodie turris Alemannorum appellatum, hæc omnia sicuti cæteris in locis, non modo in Apulia, uerumetiam per Romaniam & Italiā totam, Germani olim strenuè militantes magnificè cōdiderunt: hodie ne uestigium quidem religionis apparet. Qua de re minus ueniet admirādum, si hæc quondam periculosa reipub. Christianę bella, ab ordine in Polonicum & Sarmatiæ populū suscepta, Italicis patribus fuerint grata, interim enim ordinis res inclinatæ ad summas peruenerūt necessitates, quo facilius nō modo Apulia, sed & tota Italia eijcerentur hi milites, atq; quicquid olim Germanorum sanguine atq; opibus partum est, tandem in Italorum potestatem omni intermisso instituto pristino abijt. Quid igitur Germani mei in utramq; stertitis aurem? Quid in sterilibus Sarmatiæ quæritis campis affluentis Apuliæ amœnas negligentes delitias? Corruerunt ędificia maioribus nostris magnificè condita, perijt institutum pristinum & religio uestra, manent nihilominus redditus ut uocant. Euigilate, sumite animū, extat unica S. Leonhardi abbatia (sic enim eum locum illis appellare placet) quæ quondam uobis nouem millia aureorum numorum pendebat, hodie bis mille Aegidio ex patrum Cardineo ordine pendet. Reliquum Rex Germanus habet, tanto facilius recuperandū quo magis ille & tenetur & studet Germanorum augere gloriam. O dolenda, & nunquàm satis comploranda iactura, non contenta Italia quod omne aurum à Germanis uarijs studijs emulgeat & sedulos habeat obseruatores, quin hoc afflictis addat malum, ut quod maiorum sanguine & opibus partum est, uiolenter eripiat, atque ultro eijciat, sic Romæ redditibus ereptis manet Teuthonicorum militum domus. Sic dum Germani unicam in sublaco tenerēt memoriam, nuper sub boni specie D. Pauli extra urbem monachis illud Cœnobium unitum, quo facilius omnia uorarēt, qui aliàs plus decies & octo millia ducatorum annis singulis in prouentibus habent. Hoc studentes ne ullum Germanis in Italia ius maneat, neue minimum quod contribuant aliquando recipiatur, hæc placuit hîc inferre. Vos euigilate Germani, sunt his plura atq; maiora, uestrum erit aut semper à maiorum uestigijs degenerare, aut aliquando sumpto animo, si non eorum gloriam superare, æquare saltem & conseruare. Hucusq; de ordinis primæuis initijs inferre placuit, nunc ad incœptum calamum dirigo.

5. Magister. *S. Leonhardi abbatia.*

LESKONE albo iniquè cæso, postquàm ab Henrico cum barba & Conrado multis prælijs certatum est. Postremum Boleslaus pudicus rebus præficitur, octauo loco monarchiæ, ab initio uigesimus sextus, prefuit annis 37. homo uirtutibus adornatus. Sub cuius tamen imperio Polonia uarijs incommodis et bellis maximis, tum gentilium, tū etiam ciuilibus dissidijs uexata est. Obijt anno salutis 1279. die 7. Decemb. apud D. Frācifcum sepultus. Dum igitur Boleslaus princeps remp. administraret, sal in locis subterraneis repertum traditur. In eo loco cui hodie Bochnia nomen est, idq; diuæ Kunegundis meritis factum memoriæ tradunt. Dum enim beata princeps Belam Hungariæ regem parentem suum adijsset, & aliquādiu per regnum ducta, in eum locum qui Marmarus seu Maromus appellatur uenisset, parentem pro salis cauerna exorasse perhibetur, annuit parens, filiæq; ex pluribus unam tribuit, illa rapto à digito annulo, cauernæ quam delegerat arrham immisit, factum dum forte ridiculum, paulò uerò pòst dum illa in regnū redijsset, in eo quem dixi uico casu sal repertum, primisq; initijs lapidum more extractum est, in quorum uno annulus D. Kunegundis nuper Hungarico solo proiectus repertus est: res memoria digna, quam quum Hungari initio deriderent, in hanc tamen usq; ætatem cum Polonis di-

Boleslaus pudicus. *Sal repertū ad Bochniam.*

uino utuntur munere, quodq; semel repertũ durat, & multis effossum cauernis perpetuas diuitias ostendit. Inciderunt hæc in annum ab orbe redempto millesimum supra ducentesimum quinquagesimum primum. Est locus in plano, paucülis sed à longe, nec saxosis septus collibus, cui oppidum superædificatum, eo tribus in locis à luce quadrangularia foramina centum triginta cubitorum ad ima in profundum ducunt, itur dehinc centum & ultra cubitis in plano meatu, ubi secũdum est ad ima nonaginta cubitorum foramen: iterumq; post planum meatum ad usq; tertium totidem cubitorum per descẽsum foramen, reliquum iter per scalas interiectis tamen multis per planum meatibus, in diuersas cauernas non eadem profunditate sitas tendit, ibi sal ingentium saxorum specie excisum execatur, dehinc in æqualia frusta, quæ bancos appellant operarij, funibusq; extrahuntur. Per primum itaq; quod à luce est foramen in funibus penduli homines dimittuntur, reliquum iter per scalas descendenti emetiendum est. Totus tamen descensus unius perficitur horæ spacio, descẽditur atq; laboratur sæpe cum periculo, itur itaq; perpetua spe in profundum per fodinas, nec unquàm D. uirginis Kunegundis meritis efficientibus, thesauri reperti finis apparet. Aqua (nisi quæ desuper à luce penetrat) nusquàm reperitur, utcunq; ab extra aëris intemperies in montibus eadem qualitas habetur. Hoc spectaculum inter orbis spectacula digne connumerandum, uir omni laude dignus Ioachimus Vadianus, doctor & poëta, de quo libro tertio mihi dicendum ueniet superiori anno uidit atque miratus est. Ego quoq; non parum sæpe meis sum pedibus emensus, his paucis enarratis ad institutũ ordinem redire oportet.

Cauernæ fodinæ Bochniens.

Henricus cum barba.

BOLESLAO VERO pudico Henricus cum barba Poloniæ & Silesiæ princeps nono loco secundum aliquos res tutandas suscepit, eorum qui ab initio præfuerunt uigesimus septimus, princeps heroicis uirtutibus clarus. Dominus Miechouieñ. hunc nõ annumerat, forte non sine argumento, eo quòd remp. duntaxat alterius nomine tutatus sit. Ponitur statim ipso anno quo Boleslaus pudicus uita excessit, Lesko niger in nonum locum. Mihi uerò non ab re uisum Henrico cum istis qui interregni rebus præfuerunt, ob uarios motus & multa egregia facinora locum adscribere.

Lesko niger.

ANNO uerò quo Boleslaus pudicus uitam cum morte mutauit. Fertur Lesko niger ad remp. regendam assumptus, qui decimo loco præfuit interregno existente, eorum qui ab initio fuère uigesimus octauus. Dum is remp. moderari cœpisset, multorum animi in eam euecti uarijs motibus ubiq; laboratum est. Bellum grauissimũ cum Conrado Mazouiæ principe & socijs gessit, quo multis incommodis affectus est. Tandem Teuthonicorum Cracouiensiũ opera, arce in fide seruata, ex Hungaria collectis copijs Conradum, & qui eum secuti acie uno prælio uicit, atq; sic rerum potitus Germanos ob fidem innocentissimè seruatam prærogatiuis extulit, hinc Magistratus urbis & alia insignia solis Teuthonicis perpetuo iure concessit. Tanto Teuthones prosequutus affectu, ut habitu atque moribus se illis conformare non dubitaret. Vir profecto magni consilij, qui dum maximo populo præesset, hanc tamen titulis suis laudem addere uoluit, quod Teuthonicis, Germanicisq; populis ultrò se accedentibus imperaret. Ab eo tempore Sarmatiæ principes atq; reges Germanorum fidem in precio habere cœperũt, hincq; in totum fermè regnum iura Teuthonica introducta, atque in hanc ætatem innocentissimè custodita sunt. Germani gens in Europa clarissima, prò cuius imperio multo certatum sanguine, nullo unquàm populo tam se sua sponte coniunxit, miro id fato fieri constat. Nam ut dulcius uideatur primæuæ originis solum repetere, quam externis nationibus subesse, id forte Sarmatiæ regibus non postrema gloria tot Germanicis populis imperare, eosq; humanitate uincere, qui armis semper inuicti fuère. Lesko igitur anno salutis 1289. die Septemb. ultima humanis excessit, Cracouiæ apud sanctissimæ Trinitatis ædem digno conditus honore.

Teuthonũ Cracouiens. fides & priuilegia.

Boleslaus Mazouiæ dux.

SVCCESSIT LESKONI nigro Boleslaus Mazouiæ dux Senatus assensu, paulisper rerum potitus monarchia pulsus est, præfuit ündecimo loco, ab initio uigesimus nonus.

Henricus probus.

HVIC successit Henricus dux Silesiæ & Poloniæ, cognomento Probus, cui pro monarchia uarij cum Vuladislao cubitali motus, hinc inde sæpius uictores rerum potiti, tandem Henricus superior in ipso monarchatu ueneno forte extinctus Vuratislauiæ moritur sub anno salutis 1290. die 22. Augusti, apud S. Crucem sepultus. Is rebus duodecimo loco præfuit, & eorum qui ab initio fuère tricesimus.

Vuladislaus Cubitalis.

HENRICO extincto, tertiodecimo loco successit Vuladislaus Cubitalis, eorum qui ab initio fuère tricesimus primus, sed in ipsis initijs pulsus.

Przemislaus Maioris Poloniæ dux.

PRZEMISLAVS Maioris Poloniæ dux rem tutandam suscepit quartodecimo loco, & eorum qui ab initio fuère tricesimus secundus, & hic quoque mox in ipsis initijs pulsus.

VENCES-

VENCESLAVS Bohemus quintodecimo loco eorum qui interregno præfuere, ab initio uerò tricesimus tertius rebus præfuit, hic uarijs euentibus cū Vuladislao Cubitali bella gessit. Eo itaque rebus præfecto, Senatui atq; populo ad unius regni maiestatem remp. reducere uisum fuit, factis comitijs, Przemislaum ducem regio honore decorarunt. Hic princeps clarus & uirtutibus relucens remp. uotis omnium assequutus, magnam initio de se spem promittens. Sed dum in omni hominum uita nihil non amaritudine admixtum reperiatur, Sarmatiæ populus regis sui fructu breui potitus est, dum enim apud Rogozno comitia agit eodem anno postquàm mensibus septem præfuit à Marchionibus Brandeburgeñ. in gratiam forte Venceslai Bohemi miserè cæsus est, præfuit cessante interregno primo loco, eorum tamen qui ab initio præfuêre tricesimus quartus.

Venceslaus Bohemus.

Przemislaus rex.

Przemislai interitus.

SVBLATO PRZEMISLAO senatus consulto de rege substituendo apud Poznaniam sub anno 1269. in Aprili comitia habita. Vuladislausq; Cubitalis multis comprobatus argumentis coronandus decretus est. Verum dum certis prostitueretur uitijs, & coronationem differret, conceptamq; de se spem non præstaret, abrogata electione rerum non potitus est.

Vuladislaus Cubitalis iterum.

SVB anno Salutis 1300. apud Poznaniam nouis habitis comitijs Venceslaus Bohemus suffectus, & Gneznæ coronatus est. Sarmatarum remp. post inter regnum secundo loco habuit, ab initio tricesimus quintus præfuit, pace uel bello rebus Polonicis compositis in Bohemiam redijt. Sub anno salutis 1305. die 25. Iunij extremum clausit diem Pragæ sepultus.

Venceslaus Bohemus.

HVIC naturæ ordine Venceslaus tertius succeßisset, uerum dum is in Sarmatiam iter maturaret in Olomunez seu Iulimonte necæ præuentus miserè interijt, qui quum rerum habenas non susceperit à me in principum ordinem non adnumeratur.

Venceslaus 2.

SVBLATIS ex Bohemia assumptis regibus Vuladislaus Cubitalis iterum rem tutandam suscepit, non tamen regium fastigium assequutus, nisi post multa pro patria bella & uarios partos triumphos, senatusconsulto sub anno salutis 1320. die 18. Ianuarij Cracouieñ. Regiam maiestatem & regni diadema suscepit, præfuit post inter regnum tertio loco. ab initio tricesimus sextus. Post hæc Vuladislaus rerum gestarum laude clarus, multa atq; maxima pro regno gessit bella, confectus ætate anno salutis 1333. quarta Martij Cracouiæ supremum clausit diem, & in templo maiori humatus est. Sub huius regis temporibus uniuersa fermè Silesia ad Bohemos defecisse traditur. Vuladislao Cubitali morte consumpto apud Cracouieñ. comitia de nouo rege substituendo habita.

Vladislaus Cubitalis tertio.

SVB anno itaq; 1333. die 25. Aprilis senatus consulto Kazimirus, postea Magnus cognominatus, Vuladislai Cubitalis filius, Cracouiæ resp. præfectus, & in regem coronatus est: hic princeps pace domi consilio magnus, bello foris maximus præfuit, tot clara gesta peregit quot unquàm Sarmatiæ princeps facere potuit, tot in regno ædificia extulit, atq; à fundamentis extruxit, quorum à successoribus Poloniæ regibus in Sigismundi primi tempora ne ruerent seruari potuerunt. Multis redimitus uirtutibus pace atq; bello clarus fuit. Verum cum humana imbecilla conditio nunquàm sine incommodo uiuat, atq; nihil ex omni parte reperiatur beatum: ita & hic clarißimus princeps non sine uitijs uitam egit, atq; nonnihil heroicas dotes luxuria & incontinentiæ malo obumbrauit.

Kazimirus Magnus.

Sub anno ab orbe redempto 1370. die quinta Nouembris Cracouiæ ultimum clausit diem, præfuit post inter regnum quarto loco, eorum uerò qui ab initio præfuêre tricesimus septimus.

HVIC ex condicto Ludouicus Kazimiri ex sorore nepos, Hungariæ rex, succeßit corona atq; rerum eo anno, die 17. Nouemb. apud Cracouieñ. potitus, remp. quinto loco post inter regnum, & eorum qui ab initio tricesimus octauus suscepit. Is præfuit apud Sarmatas annis duodecim. Sub anno salutis humanæ 1382. die 13. Septemb. apud Tirnauam mortuus, in Albam regalem relatus est.

Ludouicus rex Hungariæ.

HVIC HEDVIGIS filia Senatus, plebisq; scitu succeßit, quæ primis initijs Vuilhelmo Austriæ principi senatus assensu nupsit, sed is antequàm res tutandas suscepisset, & thalamum fuisset ingressus, regina inuita repulsus est. Præfuit Heduigis uirgo post inter regnum, sexto, eorum qui ab initio fuêre tricesimo nono loco, atq; ita à primordio gentium ad inclytæ uirginis ætatem Sarmatarum & Polonorum se res habuêre.

Heduigis.

PRAEFATIO.

SARMATICARVM gentium originem & uetustates, quæ domi pace, ac foris bello gesserint, quotq; principes ab initio præfuerint, uno iā libro exposui. Hic sicuti cæteris in rebus nimia uetustas negotium obscurat: sed mali huius initium antea mihi dictum, uel quod magno temporum interuallo res memoriæ omnino exciderunt, uel quod nullæ, aut raræ ab initio literæ fuere, quibus (unico uidelicet fideli uetustatis & memoriæ subsidio) gestarum rerum series traditur. Equidem non sum nescius uix omnibus, aut certe paucis meam placituram assertionem, at quum omnium fermè disciplinarum genus uarijs, & ut sępè dubijs obijciatur disceptationibus, esse forte poterit, ut si cominus fuero aggressus, mea etiam opinio non improbis argumentis fulciatur. Cum enim eos potissimum sequutus sim, quorum mihi traditio temporum interuallo firmata perhibetur, negotium erit eosdem una meū euertere, aut ea quæ maiorū traditionibus asserui non lacerata conniuentibus oculis accipere. Iam quod secūdo libro explicare statui calamus efficere festinat. Tu Lector optimè, Vale.

Transgressio.

HEDVIGIS princeps, uirgo & Sarmatici populi regina, quemadmodum primi mihi libri finem effecit, ita ab ea secundi quoq; libri initium sumere ex usu erit, tum quod priscorum principum atq; regum genus in ea rebus præesse desijt, tum etiam quod ea præfecta rebus, externa sed longè clarissima Iagellonum ex Lithuanis accita familia simul & res tutandas, & Christi fidem suscepit. Quando uerò susceptus labor non parum dehinc in Lithuanicis rebus negotium habet, operæpretium erit nonnihil eius principatus facere mentionem. Primo itaq; libro non leuibus argumētis, hanc (sicuti alias gentes in eo solo existētes) Sarmatiæ esse nationem exponere uolui, nō ab re tamē hic uisum est, antequā narrandi initia faciā, nominis atq; gentis reddere originē. Lithuanicū uerò nouū & Latinis scriptoribus incognitū nomen est, qua aūt ętate ea prouincia id nominis sortita sit, longo temporū interuallo non apparet. Aeneas Syluius qui in ea re non parū sudauit, totū negotium ita exponit, ut loci illius sitū magis quā gentis originem aut priscę uetustatis nomen ostendere uideatur. Dū enim curiosius nouissimè gentis ante susceptā fidem ritus & mores ab Hieronymo quodā acceptos prosequitur, nullibi docet quo prisco nomine ea gens fuerit appellata, hic sicuti in plerisq; alijs traditionib. ingēs eum Neotericorū manus sequuta est. Sunt quibus Lithuani simul cū Prutenis Phinni tradātur. Ego Phinnos (si Ptolemęo fides) Prutenos non negauerim, uerū Lithuanos nō crediderim, quum alios in ea regione populos Ptol. depinxerit, qui omnes mihi hodie Lithuani uident. Dubius meus erit plerisq; sermo multos in Lithuania populos tradēs. At illi si Lithuaniā tot populorū altricem reliqua Polonia maiorē meminerint, facilè non minus olim quoq; populi Lithuanici fuisse seruatricē intelligēt. Omnis itaq; Lithuanis culta regio harū olim gentiū qui Ptole. ita dicitur fuisse uidetur, Galindæ, Bodini, Genini, Sudini, Cariones, Amaxobij, Stabani, Sargacij, Sturni, Vibiones, Nasci & Asubi. Hi populi omnes olim eo situ depingūtur, quem hac Lithuani ætate cōprehenderūt. Lithuania uerò hodie his limitib. ambitur. Statim post Vmbrones, id est, Lublineñ. Palatinatū, ad latus Septentrionale ad Mazouiā usq; Venedicos montes & Phinnos, id est, Prutenos protenditur. Hi aliquibus Borussi creduntur, altius enim huius gentis originem repetentes, inueniemus eum populum qui Ptolemæo ad Riphæos montes in ijsdē sedibus, quas hodie Europæi Moschi fortè occupauerunt, Borussios uocari. Hos, sedibus ob rigidum cœlum solicq; infœlicitatem permutatis, in eam oram quæ nūc Prussia est, uenisse tradunt, atq; inde priscis pulsis colonis regionē quasi armis partam ex suo nomine uocasse perhibent. Hanc opinionem Erasmus Stella homo literis eruditus in Borussiæ uetustatibus sequutus hinc gentis & Borussiæ originem sumit argumentum sine controuersia non improbum. Verum & illi ad Borussiæ oram aliqui populi adnumerantur, quos ego Lithuanorum moderniori situi uel limitibus adscripsi, quanq; illud ego non impugno. Esse enim potest ut Borussię limites olim plures (quam hodie habet) populos continerent, multis tamen ab hinc ætatibus potentiorum nutu aliud imperium atque nomen (ut crebro factum constat) sortitos esse. Hac tamen ætate Lithuania cum Prutenis à Septentrione ad usq; Samagitas contigua, Samagitis uerò ad Septentrionis oceanum conterminis Lithuaniam pertinentibus ad usque Liuoniam, & dehinc ad magni Moschi principatum extenditur, quem ab oriente habet. A' meridie uerò Roxolanos redeundo ad Polonos, quos ab occidente habet ad usq; iterum Ombrones, his finibus ambitur.

Lithuaniæ descriptio.

Quæ olim in Lithuania gentes.

Limites Lithuaniæ hodie.

Borussi qui.

Sarmatiæ fermè quarta pars apparet. Quibus ego limitibus supra commemoratos olim populos habitasse non ab re crediderim. Mihi uerò non constat, quare Aeneas Syluius Massagetas post Prussiam habitare in suis descriptionibus asseruit, nomen his finib. nunquam commune. Massagetas enim, qui & Amazones aliquibus sunt in Scythis Asiaticis fuisse constat, Ptolemæo uerò in eum locum nunquàm adscribuntur. Satisfactum credo Lithuaniæ, Samagitiæq; (quæ unius imperio parent) fines his limitibus exposuisse. Si cui aliter tradendum uisum fuerit, parum ad me pertinere uidetur; quum modò Lithuaniam, Samagitiamq; Sarmatiæ populos, atq; iampridem nouum hoc uocabulum sumpsisse admittat. Superest & noui nominis, quod & ipsum in opinione esse uidetur indagare initiū. Lithuani itaq; aliquibus à Lituo, quod cornu significat, certis rationibus dici creduntur, horum opinio perinde ac anilis habita irridetur. Sunt alij qui Italos eam regionem ingressos patrio iam solo Italia, & genti Italię nomen indidisse perhibent. Verum posteris L litera adhibita Lithaliam, atq; Lithalos, fuisse appellatos, maiori dehinc ætate addita uicinioribus populis uocabulo magis corrupto Lithuanos atque Lithuaniam uocatos esse affirmant. Hanc dominus Miechouień. assertionem lib. 4. cap. 39. expeditius scribit. Postremò aliorū opinione traditur. Lithuanos olim ex Borussiæ finibus Lithalano duce egressos, priscas sedes olim uacuas relictas impleuisse, quondā Alani relictis sedibus illis in Borussiæ fines migrasse dicūtur. Cùm uerò Lithalanus priscas sedes repetijsse tradatur, & eas quidem unde olim Alani fuerint egressi apparet Lithuanos hodie quoque eam habere oram quam olim Alani occupauerant. Ego uerò Alanos magis ad Ruthenos pertinere affirmarem. Sed & hoc esse potest, quod illa regio Ruthenis à Lithuanis olim bello quæsita sit. Hanc assertionem Erasmus Stella pulchris rationibus affirmauit. Ego in tanta rerum mutatione & post tot temporum interualla non planè habeo quid dicam; rem (ut est) in opinione relinquo. Lithuania, Samagitiaq; Sarmatiæ regibus parent, præscriptis finibus terminantur, gens quidem nunc Catholica, olim uarijs, ridendisq; addicta religionibus quibus ad Iagellonis usque tempora delituit. Ex hac regione atque his populis Ludouico morte sublato. Vuilhelmoq; duce Austriæ pulso, Polonis rex & Heduigi regni socius assumptus est. Quum uerò ex ea familia in hanc ætatem Poloniæ, Hungariæ, Bohemiæq; regnis plures reges nati sunt, ac plerisque clarissimis principibus inclytæ uirgines per connubia iunctæ tradantur. Ex usu mihi uisum est libro uno eam familiam describere.

Massagetæ ubi.

Lithuani unde dicti.

Lithalanus dux.

VERVM antequàm in hac genealogia regum singulorum quædam gesta describam, uniuersam prius stirpem paucis subijcere placuit. Erat apud Lithuanos princeps Olgerdus nomine, qui post multa bellorum pericula apud suos sublatis sex fratribus uniuersam fermè rempub. tutatus est. Hic etsi uti constat maioribus non caruit, tamen mihi is potissimum (ne ad humani generis primæua initia ad quorundam exemplum omnia referre oporteat) dicendi & familiæ faciet principium. Olgerdus itaque apud Lithuanos rebus præfuit, habuit filios una matre genitos duodecim, omnium natu maior Iagello, Skirgello, Switrigello, Borezisch, Koributh, Vigunth, Korigal, Harimunt, Langwin, Lubarth, Andreas, & Buthaws, qui etsi temporum successu multiplicati fuerint, cæteri tamen uno Iagellone (ex cuius renibus hæc principum propago surrexit) dempto, prætermittendi à me erunt. Iagello itaque quatuor uxorum maritus fuit, quarum prima Heduigis Ludouici Hungariæ & Poloniæ regis filia, ex qua unicam habuit filiam Elizabeth Bonifaciam. Secundam Annam Ciliæ comitis filiam, ex qua unicam filiam Heduigin nomine suscepit. Tertiam Elizabeth ex familia Pilecensium. Quarta Sophia Græci ritus fœmina, sacro prius fonte lota quàm regium thalamum ascenderet. Ex hac quarta coniuge suscepit Vuladislaum, Kazimirum primum, Kazimirum secundum. Verum mihi ne ad generalem huius familiæ descriptionem deueniam, in animo est, pro ætatis & principij ordine, singulorum facere potius obiter mentionem, eo quòd generalis illa demonstratio in arbore quam depinxi continetur. Festinat itaque stylus ut singulorum quædam memoratu digna, heroicaq; facinora tradat, non tamen aliter quam obiter, uti ab initio pollicitus sum. Eò quòd hæc omnia apud dominum Miechouiensem reperiantur, cuius historiæ hic liber index fermè censebitur, iam uerò ad institutum pergit sermo. Olgerdus itaq; Lithuanię princeps rerum inter suos potitus sex habuit (ut supra mihi dictum fuit) fratres. Princeps quidem ethnicus, sed militari disciplina clarus, multa cum ordine Sanctæ Mariæ domus Teuthonicorum bella uario euentu gessit. Quæ etsi Christianis gentilis & barbarus intulit: ueniam nihilominus habent, armorum enim & pro imperio belli studia ad religionem non pertinent, eum si quidem deorum cultum quem dijs patrijs ex maiorum traditione præstitum constat, ut quisquis accepit, ita uel extrema adactus calamitate tutatur. Cum deniq; ea gens uarijs delyraret religionibus, sui quoq; ritus summi uisi sibi sunt,

Stirps Iagellonum.

Olgerdus.

Olgerdi filij.

Iagello.

Vxores Iagellonis.

Olgerdi res gestæ.

Olgerdus

Olgerdus uerò (sicuti cæterarum quoque gentium mos est) & pro dijs patrijs & imperij augmento susceptum bellum ita gessit, ut patriæ studium admonuit. Cuius si quis egregia facta scire uoluerit, ponat de fidei cultu disceptationem, & reliquo in belli ordine ducis optimi officium comperiet. Absumptus est anno humanæ salutis 1381.

Iagello filius. IAGELLONEM natu maiorem in principatu successorem reliquit, hic paternis uestigijs inhærens, suscepta cũ finitimis populis bella prosequutus, barbarico, Ethnicoque animo tàm Polonos quàm Prutenos, & Roxolanos uaria belli sorte molestauit. Verum quæ ethnicus bella gessit, quum alibi habeantur, nec ad institutum ex usu ueniant, exponere nõ est in animo. Ad ea properare lubet quæ ad reipub. habenas tutandas assumptus rex gesserit enarrare. Pulso itaque Vuilhelmo Austriaco quod ad remp. integrè conseruandam illi haud satis uirium esset. Legati Iagellonis Heduigim Ludouici natam suo principi consortem postulauere, is ad reip. commoda facultates omnes ultro obtulit, cæterũ, & Catholicam fidem cum populis quibus præfuit sponte suscipere, & reliqua quę regno ex usu forent extremis etiam periculis pollicitus est. Senatus rem ad reginæ matrem reiecit, missis quidem legatis de rebus domi quoque consultum est. Hinc duplici commodo permoti, ad eos maximè pertinere decretum si ex oriente sumpto rege, patriã ab eruptione tot populorum redemissent, sicque etiam Christiani nominis inimicam manum ad ecclesiæ unitatem ab erroribus auerterent. Firmata res, atque Iagello sacri quidem laticis aspersione lotus ad regnum admissus, Vladislai nomen sortitus est. Sed & fratres fidem edocti ex aqua Christo sunt renati.

Iagello Christianus Vuladislaus cognominatus.

Hæc in annum ab orbe redempto 1386. inciderunt. Sarmatiæ sceptris obtentis rebusque domi pacatis simul cum regina Lithuaniam ingressus, eum populũ, Samagitasque uota Polonis reddens ad fidei Catholicæ lumen conuertit, ea enim gens à prima hominum origine idolatrijs dedita excæcatis animis uarijs & ridiculis, erroneisque opinionibus obumbrãta in hanc ætatem ueri luminis iubar ignorauit.

Lithuani, Samagitæque conuersi.

Anno ab orbe redempto 1387. cum maximo reipub. Christianæ bono priscis abiectis uanitatibus ad ecclesiæ Romanæ obedientiam optimi principis authoritate inducta, Vilnen. & Medniceñ. Episcopatus fundauit. Varios deinde cum fratrib. tumultus habuit.

Heduigis decessus. Anno uerò salutis 1399. die 12. Iulij, Heduigis regina Poloniæ Vuladislai prima consors uita excessit, ex ea paulò antea 12. Iunij filiam Elizabeth Bonifaciam susceperat, quæ triduo tantum superuiuens mortua est. Heduigi uerò ex humanis absumpta, Vuladislaus nonnihil Polonorum fidem quod à repub. reijci timeret suspectam habere cœpit. Verum ea gens quæ semel datam fidem nulla unquàm calamitate adacta uiolauit. Vuladislao consolato Senatus decreto ad secundum induxit connubium. Vilhelmi itaque Ciliæ comitis filia magni Kazimiri neptis eius thalamo 1400. adducta est, quæ & ipsa regni ex Kazimiro hæres anno postea 1402. in reginam coronata fuit. Eo etiam anno generale Gymnasium à Vuladislao ex olim Heduigis reginæ testamento iampridem à Kazimiro cœptum, Cracouiæ optimis initijs firmatum est, uario disciplinarum genere in hanc ætatem clarum.

2. Vxor Vuladislai.

Gymnasium Cracouiens. institutum.

Teuthonici ordinis bellum. Ab eo quoque tempore ordo fratrum Teuthonicorum iampridem in Lithuaniam Samagitiamque cœpta bella confecturus prisco more in Lithuaniam uarias fecit eruptiones, accessit ordini fratrum ducum Lithuaniæ dissidium. Vuladislao atque Vitoldo patriam tueri negotium fuit, quibus rempub. tutantibus cum ordine bellum contrahendum fuit. Quod tum semel paruis initijs & uarijs fortunæ euentibus cœptũ tàm ex Polonia quàm Lithuania, non sine rerum discrimine ad annum usque 1410. gestum est, tanta audacia utrinque pro alieno imperio pugnatum, quantum suum cuique retinere negotium fuit, Polonis ut iampridem belli iure, & quædam contra ius gentium amissa Sarmatiæ imperio redderent. Ordini ut semel parta tutaretur, & dominandi maiestatem ampliaret studium fuit, sed dispar belli initium periculosum uictoriæ euentum præbuit, uarijs dehinc induciarum & pacis præstitis conditionibus. Res publico marte decernenda fuit. Poloni uniuersis Sarmatiæ populis ad hoc bellum negotium fecerunt. Ex socijs quoque & mercenarijs militibus auxilia parauerunt. Est & ad hoc bellum Tartarorum imperator accitus. Prutenicus uerò Magister Germaniæ nobilitatem aduocauit. Præterea Liuonię & sociorum auxilia quæsiuit. Cæterùm mercenario quoque milite exercitum ampliauit, & reliqua domestica arma supra uires adhibuit. Vtrimque hoc ordine maximo parato exercitu multarum gentium populi, ut quisque, uel gratiæ, uel odij stimulo tactus, rebus benè uel malè fauentes, suis singuli fortunam, felicemque uictoriam precati sunt.

Moles belli.

Anno itaque ab orbe redempto supra millesimum quadringentesimum decimo, uterque exercitus die 15. Iulij, quæ diuorum Apostolorum migratione dicata est, in loco prope Tannenbergk & Grinwalt castra posuit, nullum tũc ducum ante memorabilem pugnam colloquium

colloquium fuit. Conradus itaq; de Iungingen ordinis tunc generalis Magister, orto iam sole ex castris militem prælij cupidus eduxit. Oratione quidem rebus atq; periculo accommodata exercitum cohortatus, hac suprema pugna belli finem uictori nō modo in Prussos, sed & in Polonos imperium adesse docuit. Ad hæc recentibus uictorijs & rerum ab se gestarum memoria militibus animum auxit. Contra hostem numero superiorem, uerum inermem, barbarum, multarum gentium colluuiem, non unius linguæ, & non eandem omnibus militandi causam esse exponit, atq; ita credendum hoc in loco nihil quod uel boni imperatoris, ducisúe, uel militis optimi officium erat, neglectum fuisse. Instruit dehinc omnium primos Cataphractatos, hastatosq; & mercenarios milites, ut ad primum terrorem inermes Lithuanos, Tartarosq; turbarent. Aciem deinde secundam ex ueteranis ordinis militibus, & his in quibus negotij uel belli summa spes esset aliquali interuallo relicto locauit. Postremam autem ex auxiliarijs copijs, sociorumq; militibus aciem cōclusit. Hæcq; omnia mira & incredibili animi magnitudine hostium congressum exoptans per cohortes & manipulos sub uno ac quinquaginta militaribus signis distinxit. Sarmatiæ uerò rex Vuladislaus postq; primo diluculo à Dambrowno, in eum locum quem supra adscripsi duobus millibus passuum castra mouisset, uniuersum sisti iubet exercitū, & inter ipsa rubeta ad id paratis sacerdotibus duplicatum Deo offerri iussit sacrificiū, eo loco nisi missarum ut appellant, orationisq; finis esset, nullo pauore uel nuncio moueri potuit. A ducibus interim acies instructæ, Lithuani, Tartari atq; Rutheni in dextrum cornu locati, ijs Alexāder Vuitowdus Lithuaniæ dux præfectus est. Poloni omnes, auxiliaresq; & mercenariorum militum copiæ sinistrum sortitæ. Sed & per cohortes & manipulos locorum interuallo distinctos, ad quinquaginta Poloni. Lithuani uerò & auxiliarij Tartari sub quadraginta militaribus signis instructi traduntur. Ita uterq; exercitus alter alterius aspectu, ut unumquemq; spes uictoriæ aut periculi metus occupauit, ita attonitus uel animo forti congressum præstolabatur. Sarmatiæ quidem exercitus & gentium ferocitate superior contra armorum usu, & linguarum disparitate, quod in rebus bellicis sæpe summum discrimen est inferior. Mariani ordinis item exercitus ut numero inferior, ita equorum armorumq; & machinarum copia instructior apparuit. Nullum omninò in utrisque castris hominum genus, quod non pugnæ auidum, duces militum, milites q; ducū animos spectabant. Dum hæc aguntur. Vuladislaus orationi deditus, multis internuntijs, & per Alexandrum ipsum ad supremum certamen euocatus est. Sunt qui perhibent interim Lithuanos & socios congressos, atq; in fugam uersos fuisse, quo clamore ex fuga ad regem perlato, tandem armatum pugnæ accessisse. Verum neq; Sarmatarū, neq; Ordinis historiæ hec referunt. Magister uerò moræ impatiens, Caduceatoribus missis Regi & Alexādro duos enses misit, cohortatus ut syluis relictis, prælij copiam facerent. Enses à Rege bono omine suscepti, belli euentus Deo cōmissus est. Finitis tandem diuinis officijs, Rex ad pugnam armis accinctus in collem propinquum, unde uterq; exercitus cōspici poterat uectus est, uisis autem quę ex usu uidebantur rex ad suos redijt, admonitisq; militibus, ut pro patria, sacris, ædibus, coniugibus atq; pignoribus, pro libertate atq; gloria audacter pugnarent. Hoc unico prælio rem omnem belli finitam, uictori nihil uitia deficere, totam Prussiam mercedem fore docuit. Hæc nunc Lithuanis, Samagitisq;, nunc Polonis atq; auxiliarijs militibus mutato sermonis usu, ut quemq; intelligere cognouit, læto etiam animo quasi in manibus uictoria foret dicebat. Tum multarum gentium animi, donec tubæ classicum canerent in se inuicem euecti, spe uictoriæ atq; periculi metu adacti, pro summa gloria certare contendunt, ignari quibus Deo placeat uictoriam fauere, & subitò utrinq; tubæ cornuaq; cecinere, datis signis Germani mox cum Lithuanis & socijs pugnæ initia fecerunt, sinistrum uerò cornu quod Polonis commissum, paucula interiecta mora, in Germanorum exercitum inductum est, & quum maximè infensis animis omni parte concursum, clamores multo maximi editi, horribilis sonus & fragor, ut in uarijs populis non eadem pugnandi consuetudo ita non eisdem, sed disparibus militiæ disciplinis funestum Germanis, sed fœlix Polonis prælium initia cœpit. Pugnatum est confertissimis signis aliquādiu ancipiti marte. Sarmatæ non tàm feriebant audacter q; constanter uulnera suscipiebant, donec dextrum cornu quod Lithuani & Tartari occupabāt Germanorum audacem pertinaciam ferre non posset, strage multò maxima in suos ædita pedem primum referre, deinde in apertam fugam abire coacti sunt, Alexander dum suorum fugā frustra cohiberet, ad Polonorum aciem sese conuertit. Ruthenico iunctus militi qui tribus signis pugnabat, prælium à nouo cū Polonis instaurabat, fugato uerò atq; nudato dextro cornu omnē apud regem ipsum & Polonos erat periculum, utrinq; diu intrepidè atq; pertinaciter pugnatum est, donec & perculsis terror additus, ex Polonorum acie Bohemi, Morauiq;, qui stipendio militabant, duce Szarnowskeo Bohemo prælio excesserunt. Nihilo duplicato malo

Conradus de Iungingen Magister ordi. M.

Acies Teuthonum instructio.

[illegible]

Polonorum acies.

Pugna acerrima.

malo perterriti Poloni aciebus à nouo instructis ferocissimis animis in confertissimos ho stes inuehuntur, iamq; in longa prælij mora summum discrimen esse cœpit. Quum Germani pugnando fessi remissius instabant. Subitò itaq; cohors noua per manipulos in Polonorum aciem, & cum locum ubi periculi summa erat inducta, & ex integro nouũ ubiq; prælium ortum est, quippe quum utrinq; ad ueros milites, qui & annorum genere & usu militiæ pares erant peruentum esset. Marianis militibus uictoriæ summa spes, quod iam Lithuanos & Tartaros iam mercenarios milites fugauerant, hinc quod ex prælij usu necesse erat, & dux, & exercitus intrepidè effecerunt, contra Polonis nõ minor partæ uictoriæ fiducia quod strage multo maxima Germani milites diminuti, fortunaq; seruati & superstites remissius certarent, Vuladislaus ducis & militis optimi obibat officium, remotis in postremum locum saucijs, & cõfertis aciebus nouũ ubiq; præliũ instaurauit. Quumq; ad septimam horam dubio marte pertinaciter utrinq; pugnatũ esset, Germani cæsi, fusiq;, undiq; Poloni numero superiores hostes circumsistere ubique fundere cœperunt, hinc in apertam fugam Mariani milites acti, Sarmatis cruenta quidem uictoria cessit. Fugientes Germanos Poloni persequuti. Verum dum certaminis locum hominũ strages, & armorum uis ingens sanguinisq; tabes maxima compleuisset, & prope periculosius corporum aceruos transire quam hostem persequi foret, hinc pleriq; seruati, hostium castra direpta sunt, uini copia reperta. Rex ne fatigati milites potantes periculum facerent, uasa omnia confringere iussit. Eo prælio ceciderunt hostium 50000. ut Polonorum habent historię, in quibus ex ordine Conradus de Iungingen, qui tunc Magistratum gessit: cæterum uiri nobiles & Commendatores fermè sexcenti periêre. Duo duces capti, Kazimirus Stetineñ. & Conradus albus Olesniceñ. Præterea omnium nationum qui fratribus auxiliati sunt milites capti. Altera die singuli seorsum præsentati fuêre. Ex auxiliarijs Australes, Bauari, Sueui, Francones, Rhenenses, Frisienses, Vuestphali, Lusaceñ. Pomerani, Saxones & Misnenses. Ex mercenarijs militibus Bohemi, Slesitæ & Moraui numero ferè plurimi. Sociorum uerò Liuonitæ & Culmenses, demum ipsius ordinis fratres adducti fuêre, milites iuramento obstricti dimissi. Duces & ordinis fratres in custodia seruati. Sarmatarum quoq; & sociorum obscuræ turbæ ingens uis cæsa est. Duces uerò uel quibus auctoritas in regno erat paucos cæsos referunt, atq; ita se summi prælij negocium cum Prutenis habuit. Prouincia fermè tota fortunam sequuta uictori se dedit, præter Mariemburgum & quædam alia. Pugnatum est & posthac ubi Polonis uictoria cessit, uario deinde euentu res gestę, in annum 1411. quo inter regem & Alexandrum fratrem pacis conditiones ordini datæ, resq; firmatæ sunt. Eo quoq; anno die quæ D. Catharinæ sacra est, Vuladislaus ex Neopolomitio tribus millibus passuum Cracouiam ingressus, signa militaria, & quod ad triumphum attineret, ad D. Stanislai tumulum obtulit. Ridebam ego facetam in proximis Sigismundi regis nuptijs mihi iniectam à Marchiano milite quæstionem: Is *enim* cum me Germanum cognouisset, uarios Polonorum mores à me scrutatus est, ferè omnia illi placuêre, præter domorum humilia ædificia, & hoc, summi quandoq; odij causam futurã fore astruebat, quod in templis uidisset, Marianorum olim cæsorum militum crines atq; barbas certis hastis ad D. Stanislai tumulum affixas apparere. Verum ego quòd Tartarorum signa essent & caudæ, quæ Turcarum, Tartarorumq; imperatorum atq; ducum equorum collis affigũtur ex partis uictorijs, sicuti cæterarum gentium signa affixa fuisse, ut res habent, docui, & animo à me pacato dimisi. Iam ego nihil gestorum Vuladislai describam, postquàm hanc supremam cunctisq; sæculis memorandã pugnam hic adscripsi, ad alia calamus progreditur. Anna regina mortua unica Heduigi filia relicta, Vuladislaus anno salutis 1416. tertiam accepit cõiugem Elizabeth ex Pilecensium clara quidem familia, sed ætate spes prolis adempta, quæ res ut senatui atq; plebi luctum fecit, ita mors illius quæ in annum salutis 1419. incidit omnium animos lætificauit. Ea mortua Vuladislaus ad quartum connubium per Senatum cohortatus, quum ex regni atq; omnium commodo uideretur ex optimo principe bonum suscipere hæredem.

Insignis Polonorum uictoria.

3. Vxor Vuladislai è domo Pilecensi.

4. Coniunx Vuladislai.

Igitur sub anno 1422. Sophiam Kiouieñ. ducis filiam, Alexandri ducis neptem, in regni sociam baptismate lotam suscepit, ex ea itaq; anno 1423. ultima Octobris, filium primogenitum, deinde Vuladislaum paterno nomine appellatum suscepit.

Vuladislaus primogenitus.

Anno dehinc 1426. die 16. Maij, Kazimirum secundo genitũ paulòpòst mortuum, & anno salutis 1427. die penult. Nouemb. Kazimirum natu tertium ex eadem genitum suscepit: huius fœcunditatem Alexander Vitoudus & si neptis esset magno dolore tulit, tanta erat dominandi libido, ut cum is à Vuladislai prole sibi, suisq; posteris Lithuaniæ dominia successionis iure præripi cerneret, non dubitaret etiam uiultis execrationibus nepti maledicere. Vuladislaus ætate, rerumq; gestarum gloria plenus uitam senex finiuit, in templo arcis Cracouieñ. sepultus est. Mors eius incidit in annum Domini 1434.

Casimirus II.

Casimirus III.

Excessus Vuladislai.

Princeps

Princeps heroicis uirtutibus sumè clarus, cuius egregia gesta Dominus Miechouień. luculenter narrauit, regnauit apud Polonos post interregnum septimo, & eorum qui ab initio quadragesimo loco.

VVLADISLAO humanis absumpto Vvladislaus Iunior, natu maior, Senatus assensu puer ad regni solium eodem anno mense Iulio assumptus est, hic donec adoleuit, regnum ex Senatus sententia administrauit, primis initijs paternæ laudis spem pollicitus, infœlici omine ad Hungariæ regnum postulatus est, quod non sine difficultate atq; negocio, & inuitis Polonis adeptus. Anno salutis 1443 contra Amurathem Turcarum imperatorem exercitum duxit, unoq; prælio fœliciter pugnauit, ex ea uictoria nominis atq; fortunæ fama aucta, omnium fermè gentium persuasionibus ad secundam in Turcas expeditionem animatus est. Quam dum inuitis Sarmatis pararet, Imperator Turcarũ missis legatis, pacisq; cõditionibus expositis in decennium fœdus inijt, quod paulò post à Turca quidem ratum, ab Vvladislao Iuliani Cardinalis suasu contra ius gentium uiolatum, & secunda in Turcas expeditio effectum sortita est, in ea apud Varnam pugnans ab Amurathe Anno 1444 acie uictus nusquam amplius in terris uiuus, neq; mortuus apparuit, imperauit Sarmatis & Polonis octauo post interregnum, ab initio quadragesimo primo loco. Huius ego optimi principis prima ætate egregia facinora, in Hungariç regnum euectionem, uariosq; rerum sub eo euentus multis uerbis expedirem, nisi dominus Miechouień. omnia quæ domi atq; foris gessit diligenter absoluisset. Ac ad hæc Philippus Callimachus Geminianus uir magni consilij, apud Sarmatiæ reges in precio habitus, Vvladislai historiam suo stylo cõscripsisset, ea nuper apud Augustam Vindelicorum excusa in lucem prodijt. In qua lector eius regis inter spem & metum periculum atq; gloriã, multamq; in humanis rebus fallentis fortunæ mutationem esse intelliget. Hæc duo (& meritò) narrationis mihi ordinem turbarunt.

Vvladislaus Iunior.

Infœlix Vvladisl. in Turcam expeditio.

Clades Varnensis.

P. Callimachi historia.

AD DIVOS VVLADISLAO assumpto, erant qui regnum Poloniæ Brandeburgeń. Marchioni deferrent. Qui princeps uirtutibus clarus delatum sibi regnum spreuit, ac ad Kazimirum illud iusto iure pertinere docuit. Verum Senatus cùm Vvladislai interitum cognosceret comitia egit, uarijs datis hinc inde sententijs Vvladislai Iagellonis studium, & rerum gestarum memoria simul, & periculi moles uicêre. Kazimirus igitur omnium assensu in regem postulatus est, quum uerò apud Lithuanos moram faceret, denuò comitijs apud Piotrkouiam habitis in diebus Martij Bolèslaus Mazouiæ princeps in regem electus est. Hæc dum Kazimiro palàm fiunt electioni nuper de se factæ consensit, propereq; in Poloniam uenit.

Cazimirus rex.

Anno salutis 1447 die 25 Iunij regium diadema Cracouiæ maiorum more suscepit. Is in regni sociam Inclytam Elizabeth uirginem olim Alberti Romanorum Hungariæ & Bohemiæ regis ac ducis Austriæ filiam, Ladislai Hungariç & Bohemiæ regis sororem asciuit. Erroneum itaq; est Francisci Irenici comẽtum, qui in Genealogia ducum Austriæ ponit, Alberti huius filiam Elizabeth, ducis Saxoniæ fuisse uxorem. Inciderunt hæc in annum salutis 1454. Huic Kazimiro cum ordine Teuthonicorum annis fermè quatuordecim sæpiùs alternante fortuna uaria bella fuêre, donec illos longa belli mora conturbasset, & uniuersam Prusiam, quç hodie Polonis paret adeptus est. Magistrum, ordinẽq; Sarmatum ditioni ex pacto subiecit. In supremo rerum discrimine ordo pacem necessariam cum Kazimiro fecit, cuius series ab alijs traditur.

Elizabeth uxor Casimiri.

Irenici error.

KAZimirus hanc inclytam suscepit ex Elizabeth unica cõsorte prolem.

Cazimiri soboles.

Vvladislaum natu maiorem — Anno 1456 die prima Martij.
Kasimirum natu secundum prolem 3 — Anno 1458 die tertia Octobris.
Ioañem Albertum tertium natu prolem 4 — Anno 1460 die 27 Decembr.
Alexandrum natu quartum prolem 5 — Anno 1461 die 5 Augusti

Hic mihi non satis constat si non deuio incedo itinere, eò quod à proximo partu ad 5. Augusti non nisi ducenti uiginti dies intermedij sint.

Sigismundum natu quintum prolem 8 — Anno 1467 die prima Ianuarij.
Federicum sextum natu prolem 9 — Anno 1468 die 27 Aprilis.
Heduigim filiam primam prolem [illegible] — Anno 1457 die 27 Septembris.
Sophiam filiam secundam prolem [illegible] — Anno 1464 die 6 Maij.
Elizabeth filiam tertiam prolem 7 — Anno 1465 die 9 Maij.
Elizabeth filiam quartam prolem 10 — Anno 1472 die 13 Maij.

Annam filiam quintam prolem undecimam — Anno 1476 die 12 Martij.
Barbaram filiam sextam prolem duodecimam — Anno 1478 die 15 Iulij.
Elizabeth filiam septimam prolem tredeci. — Anno die 13 Nouembris.

Hæc generalis Kazimiri atq; Elizabeth fœcundorum parentum inclyta proles, quæ & ipsa multiplicata in fœcundam, illustremq; creuit progeniem. Kazimirus his relictis hæredibus, atq; successoribus, princeps uirtutibus redimitus pace domi, & foris bello clarus postquam Sarmatis & Polonis 45 annis imperasset, uitam cum morte commutauit, eius ad superos migratio in annum ab orbe redempto 1492 diem septimam Iunij in Lithuania incidit. Cracouiam deinde relatus, & honore regio reconditus est. Regnauit apud Polonos post interregnum nono & eorum, qui ab initio quadragesimo secundo loco.

Bergomēsis errores. Iam negocium postulat Iacobi Philippi Bergomensis explodere errores, qui ex prima Vvladislai Iagellonis coniuge, eo quod matrimonium illud haud fuerit legitimum nullam susceptam prolem asserit, sed quod ex secunda sene ac nonagenaria Latislaum & Kazimirum duos susceperit filios, hic sibi quod parum filiorum nominibus quos Latislaum, & Kazimirum appellat erratum sit culpa forte nulla est pro Vvladislao Latislaum adscribere, quum hæc sibi (ut externa nomina) parum fuerint cognita. Verum quod Nonagenaria peperit non constat nouissimis his ætatibus exhaustis iam hominum uiribus unquam contigisse. At quum Bergomeñ. sublectum aliunde sit, Vvladislaum annosam habuisse coniugem ex ea prolem hanc suscepisse illi persuasum crediderim. Tu uerò mecum bene sentias lector, secundam Vvladislai consortem Comitis Ciliæ Annam fuisse uirginem, annosam uerò tertiam, ex qua ut antiquitate frigescente nullam suscepit prolē. Quartam deinde Græci ritus Sophiam in quarto gradu sibi iunctam asciuisse. Ex ea itaq; tres filios sustulit, quorum primus Vvladislaus: secundus & tertius uterq; Kazimirus appellati sunt. Absumpto uerò Vvladislao primo, Vvladislaus iunior in Poloniæ regnum succeſsit, ad Hungariæ quoq; sceptra euocatus in Varnens. pugna occubuit, Bohemis uerò ut Bergomeñ. li. 2. tradit, nunquam imperauit, hæc tibi cognita esse uolui.

Ioannes Albertus Rex Pol. AD SVPEROS Kazimiro principe, tum uirtutibus, tum rerum gestarum memoria clarissimo relato, Comitia Senatus consulto apud Piotrkouiam habita, Ioannes Albertus ad remp. tutandam in regem assumptus est. Fuêre tunc qui (antequam uniuersorum animi in Albertum eueherentur) Sigismundi principis res intrepidè tuerentur. At regina quod ad remp. attinet fideliter persuasit, & de Sigismundo cœptum mitigauit, ita Albertus rerum sine discrimine potitus est. Ad cuius gesta antequam calamum dirigam, locus postulare uidetur Vvladislai natu maioris percensere memoriam. Vvladislaus Kazimiri primogenitus, mortuo Georgio Bohemorum rege hæretico, ad Bohemiæ regni solium euocatus, coronam obtinuit. Incidit hoc in annum Salutis 1471. Ab eo tempore ad mortem Matthiæ regis Hungariæ, quæ in annum salutis 1490 die 5 mensis Aprilis incidit Vvladislaus Bohemis imperauit. Ab initio dum adolescēs uix in regnum assumptus uanitates execrādas, nuperq; admissos cultus, atq; religionum præstigia, uel abrogare nō ualet, uel nō curat, sub eius regno hoc malū adeò multiplicatū est, ut passim longo usu & ex senatu, & ex plebeis nō desint, qui erroneā doctrinā pro religione optima proh dolor tueant. Hoc in loco si permissū esset, nō nihil ex usu rei adscribi posset, ac dum uel ex professione, uel officij ordine nō sit calamū cōsultus refrenare statui. Vnū lubet omninò addere, me quintūdecimū ætatis annū in Morauia agēte uir sacrarū literarū apprimè doctus Georgius Kolerius, diui Dominici sectator, & Bohemiæ tunc (ut uocant illi) Prouincialis, in doctorum uirorū cœtu hæc contristato retulit animo. Dum fuissem (inquit) proximis annis Romam accinctus, res fidei & conditiones ad summi Romani præsulis obediētiā redeūdi ab his, qui in repub. Bohemiæ præsunt, mihi certis conditionib. creditæ fuēre. Legationē quasi usus, summa spe Romam ingressus, Oliueriū Hostieñ. ex patrum ordine conueni, creditam prouinciam publicaui, futurum esse si Pontifex summus, patrum assensu, Bohemos ad Ecclesiæ unitatem, non ademptis nuper per uim abactis Ecclesiæ bonis, susciperet, ut abiectis uanis erroribus, uniuersum Bohemiæ regnum, ad uerum fidei cultum ac religionem, maximo reip. Christianæ cōmodo rediret, docuitum quoq; probis argumentis Bohemiæ admissionem Romanæ Ecclesiæ ex usu fore exposui. Oliuerius ad Pontificem & patres rem detulit. Fuêre tūc, sicut in cæteris rebus, uti diuersi animi ita dispares sententiæ, non defuêre ex patribus & ipse Pontifex, qui rem haud aspernandā rati, suscipiēdos putarēt, pro tēporaneo bono non tot animas perdendas, quū enim parē-

Vuladislaus rex Bohemiæ. Matthiæ Regis Hungariæ mors. Bohemica c. n.

Georgius Colerius.

tibus

tibus absumptis p lineas hæreditatis in uarias abijssent manus, difficulter restitutionē fieri posse, quinetiā breui futurū esse ut pietate religionis permoti Ecclesias sua sponte restituerent. Contra fuêre qui nulla re persuaderi poterant, quin pertinaciter atq; intrepidè negociū inficiarentur. Verum esse admisere pro nullo unq; bono animas fore perdēdas. At quū hac in re uniuersæ reip. Christianæ integritas dependeret, considerandū esse quod de Bohemis nūc decernerēt, proximè de alijs quoq; gētibus futurū fore, quæ ab his sumpto exēplo, rē ecclesiæ spe futuræ ueniæ inuaderēt, tūc quoq; ex Germanis principibus Rheni, qui res monasteriorū contra æquitatē turbarent, nuper ad Pontificē à uiolatis delati, sunt, atq; ita ne per licentiā ecclesia omniū manibus impunè exposita foret, sine restitutione suscipiendos non esse. Vicit proh dolor horū sententia, & postulatio sine spe reiecta est. Hęc ego quasi puer à doctißimo uiro accepi. Sed res sūmi Senatus iudicio subiecta esto, Bohemia inclytū regnum, quod hominū proceritate ac numero, armorū usu, diuitiarū copia & splendore, rerūq; omnium abundantia, nulli unquā cesßit regno, quondā negligentia, ambitione, & superbia cleri (ut illi astruunt) à fide lapsum, in sacerdotes negocium sumpsit, exutosq; rebus ultro regno expulit, his cōditionibus tunc assumi non potuit, quod assumptum, in hanc ætatem, ritè religionem obseruantibus, multa plura pietate, & obseruantia religionis indubiæ contulisset. Ea enim gens in Deum, sacra templa, & patriæ ornamenta, semper fuit intenta, quāquā nunc quoque futurū spero Bohemos in tutanda republica Christiana, quū necesßitas adegerit, non postremos fore, qui multis antea ætatibus pro fide catholica intrepidè militarunt. Hæc hactenus adscribere placuit.

Mortuo Hungariæ rege Matthia Senatus Hungariæ reginæ Beatrici fidem fecisse perhibetur futurū regem non nisi ex assensu suo suscipere. Tum uerò Maximilianus Romanorū rex regnū, ex pacto cum patre assumpto postulat: Remq; armis primis initijs prosperè tentauit, potuissetque ille si Beatricis connubiū placuisset regnū tunc citra controuersiam obtinere: Verum dum ille Ioannis Galeacij Mediolani ducis sororē, quæ nuper Ioanni Duci Matthiæ regis filio in manus Ioannis Vvaradiensis Episcopi, postea monachi certis conditionibus desponsata erat, postulasset, Beatricis etiā mores asperna retur, re infecta discesßit. Animatus ab eo est Ioannes Albertus Kazimiri tertio natus, ut regnū armis impeteret, missurū se illi suppetias promisit, hæc postea in rebus Ioannis Alberti dicentur. Interim anteaquā Maximilianus armis regnū inuasisset, Ioannes Vvaradiens. Episcopus Vvladislaū Beatricis iussu ad regnū sollicitauit, qui Posoniū ueniens Maximiliani copijs impar redire statuit. Ferebatur tunc Georgiū ducē Bauariæ Vvladislai affinē, aut Maximilianū ad reditū persuasisse, aut in Vvladislai gratiam Germanicū exercitū, cuius ipse summus erat imperator, rege inuito reduxisse. Verùm magis apparet affluentia prædæ exercitū pergere recusasse, quā Georgij ducis perfidia effectū esse. Alba eñ regali capta, ingentique præda è direptione militari manu ablata, contra Maximiliani edictū postulatis etiā deinceps ad suppliciū quibusdā dilapsum exercitū certò credendū est. Vtcunque factum Maximilianus redijt, & Vvladislaus reginæ assensu sub spe futuri connubij admissus est, quo tamen illa postea frustrata regno excesßit. Romæ rē tentauit, sed pecunijs pacata in patria sua mortua est. Regnū consequutus Vvladislaus Hungaris atque Bohemis pace magis, quā bello imperauit, sine regni consorte usque in annū 1502 diem 29 Septembris res tutatus. Eo die Anna illustris uirgo ex Gallia adducta, in reginā coronata est, deinceps rempublicā utriusque regni pace tutatus, in annū ab orbe redempto 1516 diē Iouis 13 mensis Martij reipublic. Hungariæ præfuit, Budæ eo die mortuus, Bohemis annis 44. mensibus octo, Hungaris uerò annis uiginti sex imperauit. Princeps omni ætate pacē diligens, Ludouicū unicū filium Hungariæ, & Bohemiæ eo uiuente coronatū regem, de quo nunc infra scribendum erit: Vnicam etiam filiam Annam uirginem in Maximiliani Cæs. tutela tunc apud Oenipontem agentem, reliquit. Sed de ea quoq; suo loco sermo erit.

Maximiliani R. in Hungariam motus.

Vuladislaus R. Hungariæ.

Operæ precium hoc in loco erit Volaterrani assertionem (ne ita ad posteros erronea pergat) explodere, qui in Geographia sua capite de Bohemia circa finem hæc uerba adscripsit. Hoc extincto (uidelicet Ladislao Alberti Romanorum Hungariæ & Bohemiæ regis filio,) pars Kazimirum Kazimiri Poloniæ regis filium iure affinitatis, quod sororē suam Georgius duxerat, pars uerò Matthiam Pannoniæ regem legerunt. Tandem Georgium Pogebratium regno præfecêre. Et parùm infra post Georgij mortem, ad Vvladislaum Kazimiri fratrem, Poloniæ regem, res Bohemica peruenit, deinde ad Ioannem Albertum, postremò ad Alexandrum, qui dum hæc proderem uiuebat. Et de Bohemis

Volaterrani error.

quidem satis. Infra item in capite de rebus Polonicis absoluens res Vvladislai Iagellonis hæc inseruit. Ex secundo matrimonio duos genuit liberos Vvladislaum & Kazimirum, quorũ Vvladislaus maior natu patri defuncto succesit. Is ille, qui post ad Pannoniæ regnum uocatus est, qui in clade Varnensi, una cum Iuliano Cæsarino legato, contra Amurathem Turcam pugnans extinctus est. Kazimirus alter frater, qui Lithuaniam ex hæreditate acceperat, Poloniæ fratri succesit. Is demum habuit liberos, Vvladislaum, qui Poloniæ rex, ac post Matthiæ regis mortem à Pannonijs accersitus est. Kazimirum de quo mox dicam, Ioannem Albertum, qui Bohemiæ, Poloniæq; succesit, Alexandrum qui Lithuaniam primò, postremò Ioanne Alberto nuper defuncto utrũq; regnum obtinuit. Hactenus uerba Volaterrani sunt. Tu lector optime, animo sedato hos libris tuis pellas errores, atq; ego, ut res ipsa habet (fidem modo mihi facias oro) te admonebo. Ex secundo matrimonio Vvladislaũ prolem habuisse asserere ueniam habet: nam Bergomatem sequutus hæc tradidit. Ego eam assertionem suo loco nuper represi, sequitur Ladislao extincto & cætera, apud Bohemos Georgius Pogebratius mox succesit, nemine etiã ad regnum postulato, Matthias enim ut apud omnes est scriptores apud Georgium in uinculis erat, Kazimirus nullus postulari potuit. Nam si de Kazimiro Vvladislai Iagellonis filio uelit intelligi, esse non potest, quia is nullam sororem unquam habuit, itaq; Georgius eam ducere non potuit. Si autem Cazimirum Cazimiri filium Volaterranus intelligit, uti adscribit, ita se res non habent. Nam Ladislao extincto Cazimirus Cazimiri tertia proles in rerum natura nondum fuit, ita nec sororem habere, nec ad regnũ postulari potuit. Incidit enim Ladislai mors apud Pragam sub anno 1457 in diebus Nouembris, Cazimirus uerò Cazimiri filius sub anno 1458 die 3 Octobr. natus est, ut supra adscripsi. Ergo hæc extra ueritatem sic narrantur. Subdit: Post Georgij mortẽ ad Vladislaum Cazimiri fratrem Poloniæ regem, res Bohemica peruenit. Si hoc de Vvladislao rege Poloniæ apud Varnam uicto uelit intelligi, error magnus comperitur, Varnensis enim clades postquam Vvladislaus in terris uisus non est, in annum ab orbe redempto 1444 incidit. At Georgij mors post hæc anno 1471 sequuta. Hæc itaq; ad Vvladislaum hunc minimè pertinent. Nunc item si de Vvladislao Cazimiri fratre (qui Cazimiri filius erat) intelligi mauult, pari ratione esse non potest, is enim Poloniæ sceptra nunquam obtinuit. Est is quidem ad res Bohemicas anno 1471 assumptus, sed in paternum regnum nunquam euectus. Subdit infra, deinde ad Ioañem Albertum, postremò ad Alexandrum, qui dum hæc proderem uiuebat: quam aliena sint hæc, tu lector ex te ipso accipere uales, si Vvladislaũ in annum 1516 superstitem fuisse, Albertũ uerò 1501 die 17 Iunij, & Alexandrũ 1507 die 19 Augusti (uti infra adscribetur) è uita sublatos esse memineris, ea lege Bohemiæ regnum uiuente Vvladislao obtinere non potuisse, adde quòd in recenti hominum memoria est, neq; hunc, neq; illum res Bohemorum unquam habuisse. Superstes quidẽ Vvladislaus erat dum dominus Volaterranus Geographiam suam exscriberet, sed in Pañoniæ & Bohemiæ regnis, Alexander uerò in Poloniæ solio regnauit. Hæc dum candidus lector percipiet, totam de Poloniæ rebus assertionem, quæ ad Bohemicam succesionem pertinet, per se mox erroneam iudicabit, atq; excludet. Hæc magni atq; docti hominis uenia, non liuore adductus inserui, ne dum apud diuersos diuersa lectio reperiatur, lector dubijs irretitus opinionibus periclitetur.

Ladislai Hungariæ & Bohemiæ Regis mors.

Ludouicus rex Hungariæ.

LVDOVICVS Vvladislai ex Anna coniugẽ Galla anno Salutis 1506 die prima Iulij quæ dies Mercurij erat paruo interuallo ante meridiem natus, uiuente adhuc patre, in ipsis quasi cunabulis, sub anno 1508, die 4 Iunij, apud Albam regalem, per Thomam Archiepiscopum Strigoniens. Cardinalem, coronatus & rex salutatus est.

Año deinde 1509, die undecima Martij, apud Pragam Senatus & populi assensu, diademate per Stanislaum & Ioannem fratres Thurzones Olomucens. & Vvratislauiens. Episcopos imposito, Bohemiæ regnum obtinuit, ab eo tempore ad annum 1516 quo parentis mors incidit res apud patrem manserunt.

Viennens. Conuentus.

Ludouico uerò sub anno 1515 diebus Iulij, in Cæsaris & regum Viennæ conuentu, Maria Philippi Hispaniarum, &c. Regis archiducis Austriæ filia, natu ultima, in matrimonium est tradita, quæ tamen ad utriusq; adultam ætatem apud Cæsarem tutanda remansit: mortuo Vvladislao Ludouicus utriusq; regni rerum potitus in hanc ætatem fœliciter præfuit, puer à cunabulis heroicum principem pollicitus, optimis disciplinis instructus, uariarum nationum linguas in prima iam ætate expeditè loquitur, corde magnanimus, corpore agilis, & ingenio docilis. Eum regem pollicetur, qui collapsas regni res breui & posit,

posſit, & uelit reſtituere, huic Maria ſoror Caroli menſe Iunio 1521 aduecta fuit in Hungariam, nuptiales tamen epulæ & eius coronatio tum propter ætatem utriuſq; cum etiam propter Turcarum in Hungariam maximam eruptionem tunc non potuêre ſortiri effectum. Ego ne externarum gentium negocia agere uidear, res Ludouici, ſicut omnium aliorum parcius deſcribere uolui, ſatis enim mihi uiſum eſt, quod ex Poloniæ regibus Ludouicum prognatum docui, facturus identidem de cæteris, qui ex Poloniæ regib. egreſſi, in alienam nationem abiêre, fœlix atq; fauſtum illi Deus Opti. Maximuſq; initium tribuat, ut ſumpto animo Tyrannos pellat, regnum inclytum reſtituat, pace domi res tueatur, & maiorum fortiſsimorum regum exemplo foris bello Chriſtianæ reipublicæ hoſtem intrepide arceat, hactenus de Ludouico.

ANNA reginula Vuladislai regis prima proles ſub anno 1503, die 23 Iunij nata, pudiciſsimis moribus, ſublata etiam matre in annum 1515 educata eſt. Eo autem anno Viennam à patre ducta, Maximiliano Cæſari (ut alterum ex nepotibus maritum ſortiretur) ſub tutela relicta, in Oenipontem poſthac cum Maria fratris futura conſorte, ducta: uirgo ſupra quàm humanum eſt, omnium hominum animos ſpe euehebat, ut uirgo Senatus atq; populi decreto, ab initio in Germaniam aduentus, qui fœlix atq; hauſtus ſit, in hanc ætatem, non niſi imperatrix fuerit appellata, uirtutes ſingulari formoſitate decoras, & formoſitatem optimis redimens uirtutibus, his dotibus beata, etiam ſi humili loco nata fuiſſet: ſummum orbis terrarum principem habere conſortem omnium ore digna cenſetur, hæc in Oeniponte ſimul cum Maria Caroli ſorore adſeruata fuit uſque in annum 1521. Eo anno Ferdinando Caroli fratre nupta eſt, nuptijs in Lincio oppido ſupra Anaſum modica quidem pompa celebratis.

Anna Lud. Re. ſoror.

IAm ad Kazimirum ducem calamus pergit. Hic princeps omnibus uirtutibus redimitus, nihil in uita plusquam iuſtitiam, æquitatem, & continentiam coluit, uirginitatis munus ad mortem uſq; cuſtodiuit. Cæterum ita ſe in omnibus rebus geſsit, ut eo uiuente appareret, quod ſublato clariſsimis miraculis comprobatum eſt. Obijt in Lithuania, apud Vuilnam conditus, anno ſalutis 1483 in Februario migrans ad Deum, in beatorum numerum relatus eſt, claruit in hanc ætatem multis miraculis. Eximium profectò huius inclytæ familiæ decus, quum principum, heroumq; copia alioqui ſit aucta, etiam ex ea non deſint, qui apud Deum, Optimum, Maximum, uel ex officio fraternæ charitatis, uel patriæ ſtudio res tueantur.

Kazimirus dux.

NVNC AD IOANNEM ALBERTum, qui patre ſublato regnū adeptus eſt redeundum erit. Hic uiuente patre legiones in Hungariam, euocante Maximiliano, regni flagrante cupiditate permotus duxit: uerum dum Maximilianus ſuppetias non ferret, qui alibi Hungaris ſe negocium facturum (ut Ioannes Albertus ſine negocio rebus finem facere poſſet) pollicitus, his neglectis Albertus res cunctanter egit, quo cognito ab Hungaris qui iam Vuladislaum ſuſceperant, cum quo etiam Albertus conuenerat, re tamen infecta diſceſſerat, collectis copijs, Ioan. Albertum duce Stephano Scepuſię Comite adiêre, quos ſi ille initio algoribus & inedia confectos inuaſiſſet, ſine negocio ad unum delere potuiſſet, at dum dato ocio uires per multos dies reſumerent, interimq; Poloni longa mora feſſi, & bellum ex nullo uſu faſtidirent, apud Apperiaſium oppidum pugnatum eſt, ubi & ſi Albertus ducis ac militis optimi geſſerit officium, ad extremum tamen fermè ultimus fugientes ſuos ſequutus, equo prius multis uulneribus confoſſo uictus eſt: Hungariamq; ſic exiuit, mortuo deinde Cazimiro patre ad regnum uti ſupra narratur aſſumptus, Princeps ſingularis ſapientiæ, audaciæ multæ, ſed apud quem fortuna nullas poſuiſſet ſedes. Expeditionem unam in Valachos infœliciter fecit, de qua & alijs geſtis eius apud D. Miechouienſ. regnauit poſt interregnum decimo, & eorum qui ab initio 43 loco, in Pruſsia ſub anno 1501 die 17 Iunij apud Thoruniam apoplexia mortuus, Cracouiam relatus in tumulo pietate matris extructo requieſcit. Dum hic remp. Sarmatiæ tueretur. Regnum uarijs cladibus afflictum eſt, uti in eius uita apud dominum Miechouienſ. eſt legere.

Ad Ioan. Albertum redit.

IOANNE ALBERTO extincto, ſucceſsit illi Senatus aſſenſu, & naturæ ordine Alexander germanus: qui patre Cazimiro abſumpto à Lithuanis mox apud Vilnam in Magnum Lithuaniæ ducem præfectus eſt. Quando uerò huius dignitatis apicem ac munus accepit, hæc uerba à Lithauer, eiuſdem ducatus Marſchalco, omnium procerum iuſſu, ac conſenſu, ſtricto enſe dicta fuiſſe mihi relatum eſt. Accipe princeps clariſsime, quem nobis ducem præfecimus enſem, & integrū in nos imperium atq; Lithuanis præeſſe me-

Verba Lubauer in inaugurando duce Lithuaniæ. mineris, quod si animus tibi fuerit strenuus, erit hic ducatus singulis Europæ, imperijs, Regnis, seu principatibus comparandus, modo tu ambabus manibus nobis præesse studeas, altera frameam, altera gratiam semper gestans, hoc est, malefacta seueritate & iustitia coërceas: uirtutes uerò clementia persoluas, atque demũ uotis omniũ rogatus, nos non Italico, Bohemico, seu Germanico more, sed uero Lithuanico, & Vitovvdi exẽplo gubernes. Quòd si feceris singulis certè Regibus cõparandus eris: sin uerò ab eo instituto discesseris, & tui, & nostri interitus tu ipse causam præstabis. Hisque dictis nudum, quem manu gestabat ensem Alexandro porrexit, quo suscepto Lithuanis ad regni Poloniæ susceptionem, ac deinceps ad mortem utrobique pace, quã bello clarior præfuit, utinam huius orationis semper extitisset memor, cuius series in hanc ætatem recitata ualeret, constat enim tam Polonicis, quam Sarmaticis populis maiorum more belli flagrantis animi studium nondum esse extinctum, hodieque innumeros esse quibus ad omne periculum animus est inuictus, atque utinam esset, qui tam ducem præstaret, quã sunt qui inuictos milites agũt. Præfuit Alexander Lithuanis usque ad Alberti mortem, quo sublato ad regni diadema postulatus, Anno 1501 die 12 Decembris Cracouiæ coronatus est. Consors tamen à Polonis, quia Ruthena esset ad coronationem nunquam admissa, tanto ardore res fidei à Polonis tunc custodita fuit. Imperauit Sarmatis ad annum 1507 diem decimamnonam Augusti, quo uita excessit, Lithuaniæ apud Vilnam ibidem diuo Kazimiro fratri appositus. Regnauit post interregnum undecimus & ab initio quadragesimus quartus. Hunc Sigismundus quintus Cazimiri filius, & octaua proles iam sequitur. Verùm quoniã liber tertius suis annis totus adscribetur, nullum hoc in loco mihi negocium faciet. Properãdum erit ut Federici rebus paucis enarratis ad filias quoque Cazimiri stylum conuertam. *Fridericus Cardinalis.*

FEDERICVS Cazimiri sextus filius, & nona proles, in anno 1468 Aprilis 27 natus, Bonis literis est erudiendus traditus, huic pater sub ãno 1488 die 13 Aprilis, Episcopatum Cracouiensem contulit, deinde Archiepiscopatum Gneznens. adeptus, & ab Alexandro sexto Pontifice Romano anno 1493 die uigesima Septembr. patrum Cardinio collegio adscriptus est. His titulis & honoribus insignitus, uixit ad annum salutis 1503 diem 14 Martij, in quam mors eius incidit. Ita se res Federici habuêre.

Hedugis Ducissæ Bauariæ soboles. HEDVIGIS prima Cazimiri filia secunda proles Georgio duci Bauariæ cognomento diuiti nupsit, cui genuit duas filias Margaretham, quæ uirginitatem suam Deo uouit in cœnobio Altenhanovv primum diui Dominici sectam professa, deinde Bauaricis motibus 1503 permota alibi deducta, hodie apud Neuburgum fortè Christo in eadem professione militat. Elizabeth altera filia ante annum 1500 Ruperto Philippi Palatini Rheni electoris filio, Georgij ex sorore nepoti nupsit, uti nõ satis religiosum matrimonium ita infœlici exitu finitum. Rupertus enim uigesimum quintum annum uix adeptus, Anno 1503 postquam Alberto Bauariæ duci bello magna negocia fecisset; immatura morte extinctus est, incerto quidem morbo, & ipsa coniunx paulò pòst ex uita migrauit, dubia utriusque mortis opinio tenebat, medicis dysenteriã, amicis uenenum credentibus, uulgus à iusta Dei ira (quod apud Ethingum diuæ Virginis & alibi. S. Leonhardi templa bonis omnibus Georgius exuisset, & Rupertus illos thezauros in belli usum conuertisset) sumptam pœnam astruebat. Ego in hac rerum uarietate non habeo dicere sententiam. Ruperto ex Elizabeth duo sunt filij superstites relicti, Philippus & Otto Heinricus, qui Cæsaris Maximiliani decreto Neuburgium, atque Rhein Bauariæ oppida, cum alijs rebus sortiti hodie cum hæc scriberem principes uirtutibus clari. Natus erat & alter Ruperto filius, nomine patris appellatus, quasi in ipsis cunabilis excessit, atque sic Heduigis stirps aucta est. *Rupertus Co. Palatinus Rheni.* *Philippus dux Otto Heinricus.*

Sophia Marchionis Brãd. uxor. *Sophiæ soboles.* SOPHIA Secunda filia & sexta Cazimiri proles Federico Marchioni Brandeburgens. matrimonio copulata est, principi sua ætate heroicis uirtutibus, & rebus gestis pace, ac bello apud Germanos clarissimo, qui dum hæc adscriberem à Cazimiro filio rebus nuper exutus, ob phrænetici morbi tabem custodia adseruatur. Sophia ante annos septem uita sublata, hos Federico reliquit liberos. Cazimirum, Georgium, Albertum, Ioannem, Federicum, Gvvilhelmum, Ioannem Albertum, & Gumbertum, & filias Margaritham, Elizabeth, Sophiam, Annam, & Barbaram.

Cazimirus Marchio Brandeb. CAZIMIRVS inter Federici natos primus, ab ineunte ætate militarib. disciplinis instructus, iuuenis ad res magnas flagrantis animi, ipsa adolescẽtia Norinbergeñ. copias ad id repentè accinctus, prælio fudit: cum quib. postea in amicitiam redijt. Hic parẽtis inhærens uestigijs, Maximilianũ Cæsarẽ uarijs obsequijs (domi rebus neglectis) coluit. Patrem

trem dum phrænetico laborare morbo diceretur, custodiæ tradidit, remp. ipse tutandam suscepit. Huic sub anno salutis 1518 in diebus Iulij Susanna Alberti Bauariæ ducis ex sorore Maximiliani Cæsaris filia in Augusta Vindelicorũ matrimonio copulata est, ex qua iam filiam unam suscepit. Maximiliano dehinc Anno salutis 1519 mortuo, Caroli Hispaniarum regis archiducis Austriæ res, pro uiribus tutatus est, quo absente in Romanorum regem electo in Germania cum alijs Caroli præfectus est. Anno eodem Norinbergensibus, ut uectigalia augeret negocium fecit, illi uerò (ut solent) remp. suam intrepide tutati perturbarunt consilium, quod tandem in nihilum redactum, disparuit.

GEORGIVS natu secundus & hic militia insignis, tyro Pannoniam ad Vvladislaum regem auunculum ingressus, in eo regno adoleuit: Ioanneq; Matthiæ regis naturali filio uita sublato, relictam coniugem Comitis Modrusien. Bernardini de Frangepanibus filiam uxorem assumpsit, qua item mortua uniuersa, quæ illi paruêre, Regis atq; senatus munificentia assequutus est. Apud Vvladislaum in Annum salutis 1516 permansit. Vvladislao mortuo apud Ludouicum regem in hos dies cũ maximo Ludouici commodo perseuerauit. Inuitus hoc in loco Francisci Irenici lapsum expono. Qui Albertũ Federici primogenitũ, Cazimirũ secundo loco, Georgiũ uero tertiũ ordine, & fratrũ Teuthonicorũ in Prussia magistratum obtinere adscribit, reliquos tacet. Hic te admoneo Lector Cazimirum primo natũ esse, Georgiũ huic succedere, Albertũ uerò fratrũ in Prussia Magistratũ obtinere. Hæc si nõ in Frãcisci ætatẽ incidissent ex longo temporũ interuallo sumpta, ueniam haberẽt, sed & in hac re Irenicus culpa uacaret, si non tam excelso animo Abbatem, Tritemium uno loco lapsum ipse impeteret. Quid si uicissim ego (pace bene docti hominis dixerim) Irenicum plus triginta uno locis claudicare (ne errare dicam) exponerem? At humanum hoc est, & mihi ipsi fortè futurum, aliorum festucam cernere, & ꝓpriam nescire trabem, à longo interuallo errare plus ueniam habet. Verum quæ supra hominum memoriam ab authore suorum temporum ignaro narrantur, fidem nõn habent, itaq; ignoscendum illi quod in rebus supra multas ætates gestis errauit, quum quæ hodie ad manum sunt non perfectè cognouerit.

ALBERTus tertius Federici filius, fratrum Teuthonicorum in Prussia magistratũ obtinet. Is hoc in loco nullum mihi faciet negocium, quod operæpretium erit non nihil suarum rerum libro tertio in Sigismundi gestis adscribere. Electus est hic ad ordinis magisterium Regis atq; senatus Poloniæ assensu, tenuit utrinq; [illegible] pacis nationum tunc animos, sed in hanc tamen ætatem futuri periculi initia quæruntur, de quo posthac mihi scribendum ueniet.

IOANNES quartus Federici filius, princeps omni dignus laude, Carolũ in Hispanias comitatus, mortuo Ferdinando Rege Arragonũ, relictam illius coniugem obtinuit uxorem. Hac ætate apud Carolum in obsequijs ipse manet.

FEDERicus quintus filius præposituram Herbipolen. obtinet.

GVILHELMVS dum hæc scriberem apud Albertum fratrem in Prussia agebat.

IOañes Albertus & GVMbertus iuuenes adhuc annis, statura uerò ac moribus principes omnium excellentissimi, hac ætate apud Romanum agunt Pontificem inter eius Camerarios (ut illi uocant) adnumerati.

MARgaretha filia prima apud Cazimirum fratrem agit.

ELIzabeth secunda morte absumpta, Marchioni Baden. nupserat.

SOphia inter filias tertia sub anno 1518 Federico Legnicen. duci, qui nup. Elizabeth Sigismundi sororem habuit in uxorem, Romani pontificis indulto nupsit.

ANNA quarta Federici filia. Eodem anno Vvladislao Cazimiri Thessinen. ducis filio matrimonio accessit, utrumq; connubium nuper in Sigismundi cum BOna nuptijs conclusum fuit, & paulò pôst ut pactum fuerat, finem accepit.

BARbara in hanc diem apud Cazimirum agit.

ELIZABETH INTER FILIAS CAZimiri regis tertia uirgo ante adultam ætatem humanis excessit.

Ea quoq; lege Elizabeth quarto loco inter filias nata absumpta est.

ANNA AVTEM quintum filiarum locum occupans Boguslao Pomeraniæ principi sociata erat. Hic necesse foret intermisso negotio ad unius hominis laudem descendere, nisi me quod Germanicis rebus uti nunc alienis non plus iusto uacandum esse tempus admoneret.

BOGVSlai etiam laudes non paucis stringendæ literis ab incœpto deterrerent.

Georgius Marchio Brande. *Francisci Irenici lapsus.* *Albertus Magister Prussiæ.* *Ioannes Marchio Brand.* *Guilhelmus.* *Federicus.* *Ioã. Albertus.* *Gumpertus.* *Elizabeth III. & IIII. puellæ impuberes mortuæ.* *Anna Pomeraniæ Ducissa.* *Boguslai Pomer. ducis encomium.*

Interim unum hoc his inserere lubet, hunc principem, uti sua ætate multos Regulos inge nio atq; corporis præstantia, ita & animi magnitudine summis adactum periculis uicisse. Satius unius erit perpetuæ memoriæ dignæ meminisse laudis. Nam dum hic princeps (uti heroibus mos est) ex patria Hierosolymam se recepisset, & Venetiarum urbem trireмi prætergressus, à Barbaris marino prælio turbatus esset, socijs (uti qui marinam pugnā perhorrescerent) trepidantibus, rerum se ducem fecit. Excelso animo, inuicta manu Barbarorum naues repressit, se, sociosq; non modò periculi metu subtraxit, uerum etiam memoriam ad posteros maximè longam transmisit, semiexustam triremem in alteram prægrauatam partem marinis fluctibus reducens saluauit. Cuius rei memoriam in hanc ætatem Veneta urbs, cum maxima principis gloria retinet. Huic Anna cōiunx accessit, hācq; prolem supra annos circiter sexdecim moriens Georgium, Cazimirū, Bernam filios, Annam, Sophiam & Elizabeth filias reliquit. Georgius natu maior ante años fermè sex Philippi olim Rheni Palatini filiam, Ludouici principis, qui hodie res tutatur sororem Aemiliam, duxit uxorem. Ex ea accepit Boguslaum filium in cunabulis mortuum, Philippum & Margaretham utramq; prolem superstitem habet. Cazimirus uigesimum quartū forte agens annum tertio abhinc anno defunctus est. Bernas princeps iuuenis literarū studio flagrans hanc ætatem literis addixit. Anna filia Georgio Bregensi. Sophia Holsteñ. ducibus nupserunt, Elizabeth uirgo immatura ætate uita sublata est, atq; hæc Annæ in Pomerania proles habetur.

Einsdem uirtus in pugna nauali.

Barbara Cazimiri sexta filia duodecima uerò proles año salutis 1496 in diebus Octobris Georgio Saxoniæ duci nupsit, ex qua is hanc suscepit prolem, Christophorum Ioannem sub 1498, die 24 Iulij, hora quasi septima post meridiem natū, Christophorum, anno 1501 die 25 Februarij genitum, Federicum anno 1504 in Martio natum. Annam Agnetam, Margaritham, Christinam, & Magdalenam. Christophorus primogenitus, itē Christophorus tertio natus humanis sublati. Ioannes uerò princeps à teneris unguiculis bonis literis institutus sub Iacobo Emser erudito præceptore supra, quàm hodie principibus mos est doctus euasit. Huic Guilhelmi Hassiæ Landtgrauij filia nupsit. Princeps, qui Germaniæ decus hodie pollicetur. Federicus autem apud parentes cum hæc scriberem degebat.

Barbara Ducissa Saxoniæ.

Barbaræ soboles.

ANNA Agnes Margaretha iam primum humanis uirgines excesserunt. Christina atq; Magdalena uirgines dum hæc scribo apud parentes agunt. Sarmatiæ itaq; & Poloniæ regis filia Barbara est, & non de Bohemia uti Irenicus astruit, sic se Barbaræ in Saxonia sobolis res hactenus habuêre.

ELIZABETH filia septima Cazimiri uerò ultima proles anno 1515 in Nouēbri Federico Legnitio duci nupsit, año deinde 1517 filiam Heduigim enixa, qua paulò pòst è uita sublata, & ipsa mortem opetijt. Hæc de Elizabeth adscribuntur. Ad omnē uerò Kazimiri prolem cognoscendam, quæ sub breui narratione exposui hæc satis erunt. Nam uniuersa (usq; ad Sigismundum regē atq; Barbarā Saxoniæ ducis Georgij consortem) è uita migrauit. Fœlix beataq; soboles, quæ hac hominum ętate nulli regum neq; principum tam fœcunda atq; inclyta à Deo Optimo Maximo data est, uiris supra corporis proceritatem, quæ singulis speciosa fuit, ad res diuersissimas strenuè agēdas, nunquam ingenium defuit. In pace plus etiam, quàm oportet iusti atq; humani. Bello, cōsilijs, uiribus, & armis ualuêre, Latinis literis (ut quondam summis ducibus mos erat, sed hac ætate apud principes non est in usu) in uniuersum eruditi, qđ supremæ uirtutis munus est nihil supra Christianæ religionis pietatem unquam coluerunt. Tum fœmineus sexus, plusquam fragilis illa sustinet natura uirtutibus redimitus, externis nationibus gratus, maritis fidem seruauit, multa prole clarissimos principes fecit parentes. Hactenus ab Olgerdi temporibus in hanc ætatem Iagellonum soboles in multas postea augenda stirpes, ita mihi fuit enarrata.

Elizabeth Ducissa Legnicē.

Prolis uniuersæ fœlicitatis.

IODOC. I

IODOCI LVDOVICI DECII, DE SIGISMVNDI REGIS TEMporibus. Lib.

AD INVICTISSIMVM, ATQVE CLARISSIMVM PRINCIPEM SIGISMVNDVM SARMATIAE, POLOniæq; Regem, Magnum Lithuaniæ Ducem, Rußiæ, Prußiæq;, &c. Dominum, hæredemq;, Iodoci Ludouici Decij eiusdem Maiestatis Secretarij in historiam temporum suorum, Præfatio.

Diuersarum in autoribus sententiarum ratio.

A Rerum primordio, ad Aui tui (Rex inclyte) tempora, Sarmatarum uetustates obiter, uti ab initio pollicitus sum, uno libro exposui, inibi mihi cũ multis longo iam usu probatis dissentire negotium postulauit, quum autem eousq; hominum studia pertingant, ut opinionibus fermè tota uetustas subiaceat, datur hæc uenia antiquitati, ut quasi impunè permiscere possit omnia, hinc quot scriptores unquam fuère, tot forte sententiæ ad posteros transmissæ cernuntur. Dum enim unicuiq; sua studia maximè placēt, singuli quęcunq; arte gloriam quærunt & discretis per controuersias ingenijs uariæ opiniones in apertũ actæ prodidêre. Mihi quidem, qui uetustissimos sum sequutus, eadem quæ multis uenia debetur, quod quæ ad res Sarmaticas magis pertinere uisa sunt, exscripsi, idq; non temerè, sed rationibus suffultus feci. Ab Aui uerò tui initijs ad tua fœlicia sceptra, maiorum tuorum sobolem, atque stirpem unico etiam libro enarraui, res quod in recẽti esset memoria, & ab alijs conscripta, sicut facilioris negotij, ita minoris periculi fuit. Iam superest ut tertio loco tuorum temporum historiam (uti in operis præfatione testatus sum) singulari libro perscribam. Ea res à priori labore tantum abest, ut (si bene consuluisse uideor) nihil cum eo habeat commune. Nam quod supra ætatem erat nostram, ab alijs exscriptum in opus redactum tradidi. Cæterùm ubi opinionibus certatum, pro me quod uel uisum, uel ab his quos sequutus sum acceptum est, inserui, sententiam nihilominus apud iudicem reliqui. At alia nunc in parte operis, alia necessitas urget. Nam facilitatem, & rerum gestarum præsentem memoriam, metus atq; ingentis periculi difficultates uicere, ubi historiæ fides ueritati accedendum monet, eorum sæpè, qui in alto agunt cum periculo mentionem facere opus exigit, quæ consilij, uel belli augent gloriam gratè suscipiuntur, quàm principis atq; bonorum egregia laus dignis extollitur præconijs, hoc totũ inuidiæ morsibus subijcitur. Ea lege inter Scyllã & Charybdim nihil tutum nauiganti relictũ. Illic ueritas (si periculi metus adegerit) uiolanda, hic adulationis nota (si æmulis uisum fuerit) incurrenda est. Quum itaq; eò peruentum sit, ut neq; consilium, neq; remedium liberet, nihil plus, quàm ueritas, atq; historiæ fides seruanda erunt. Cæterum inter spem gloriæ & periculi metum nullum facere discrimen, satis gloriæ accedit, si nemine ex me ipso læso planam fuero sequutus ueritatem, si cui negocium fecero, tua Maiestas Iudex esto. Ego ad hoc me parabo, ut quæ ingenia, qui mores, quæúe studia te in regnum assumpto fuerint, demum quæ disciplina, quæ uirtutes, quæúe militiæ & armorum gloria, iam te rebus præfecto in hoc regnum inuectæ sint, paucissimis quidem uerbis exponam. Præterea ubi uiciorum immensitas adegerit, operæprecium erit, ut non liuore actus, sed rebus sic postulantibus dicendi ordinem, uel inuitus perturbem. Postremò quod ad me pertinebit si non (uti rerum scriptoribus mos est) altum fecero dicendi initium, uel facundo ornatu, uel sermonis cultu rem deinceps reddam decoram, ueniam facili negocio spero adepturum, tum quòd ueritatem, atq; fidem (primas in historia partes) pro mea uirili sim sequutus, tum etiam quod utcunq; stylo facili intelligibili tamen scripsi. Hæc dum tua Maiestas non dedignetur nullius mortalium odium pertimescendum erit. Hinc intrepidus tua clarissima princeps tempora aggredior, uotisq; omnibus precor, ut Deus Opt. Max. tua augeat imperia, regnisq; te uiuente pacis reddat fœlicitatem.

Tertij libri materia.

SIGIS-

SIGISMVNDI REGIS TEMPORA.

SARMATIAE Europeæ situm atque populos illius finibus interclusos, partim eo libro, quem de Sarmatarũ uetustatibus adscripsi, exposui, reliquum q̃d' ex usu nõ uisum, quia ab alijs traditur, uolens prætergressus sum. Iam in SIGISmundi temporibus Annus ab orbe redempto septimus supra Millesimum, quingentesimum dicendi faciet initium, quo in loco, operæprecium erit, quis tunc in regno Magistratuum fuerit ordo, referre, eò quòd res postulare uidentur, locorum deinceps atque eorum, qui rebus præfuêre crebrò meminisse. Regnum Sarmatiæ, quod posterior ætas Poloniam appellauit, hodie Sarmatiam totam, partemq́; Germaniæ habet, hoc sicuti cæteris regnis mos est, in uarios populos, atque prouincias, seu (ut hodie uocant) districtus separatum est. Quando uero hæc noua sint indita nomina, non planè mihi constat, ab insignioribus locis denominationes fieri certò apparet. Vniuersum regnum in has prouincias discretum cernitur. Poloniam minorem, quæ ad caput Vistulæ & circa est, nobilemq́; habet Cracouiam urbem. Maiorem uerò Poloniam quæ Gneznam, Poznaniamq́; insigniora habet loca, deinde Prussiæ dominium, & Pomeraniæ partem. Hæcq́; omnia ultra Vistulæ amnem in Germania sunt, præter Prussiam cuius maior pars Sarmatiæ solum occupat.

Regni Poloniæ distributus.

Ducatus Mazouiæ.

Apud Poloniam maiorem ducatus est Mazouiæ, regibus Poloniæ feudalis, hos Lithuani attingunt, & apud Lithuanos ad Septentrionem Samagitæ sunt, non Massagetæ, ut Aeneas uoluit. Lithuania à meridie Russiam habet, usque ad Daciæ fines, quos Valachos appellant, ab his quoque ad minoris Poloniȩ fines Rutheni sunt, Podolia Russiæ est prouincia, atq; hæc potiora prouinciarum uocabula. Quæ etsi apud Latinos in usu non habentur, à me tamen propter faciliorem rerum cognitionem non immutabuntur. Nunc festinat sermo ut priuata loca cum districtibus enarret, quiq́; assumpto Sigismundo rege magistratibus præfuerint exponat. Sed anteaquam ad regni Sæculares status (ut nominant) perueniam, negocium exigit à spiritualibus facere initia.

Episcopatus Poloniæ.

Toto igitur regno hac ætate hi sunt Episcopatus. Gneznens. Archiepiscopatus in Polonia maiori primas regni tenet, huic præfuit Andreas Rosa. Proximus huic Archiepiscopatus Leopoliens. in Russia, quem Bernhardinus Vilczek obtinebat. Tertius est in eo ordine Cracouiens. Episcopatus minoris Poloniæ, cui Ioannes Conarius præfuit. Hunc sequitur quarto loco Vuladislauiens. Episcopatus Cuiauiæ prouinciæ, cum Vincentius Przerambski possidebat. Poznanień. Episcopatus maioris Poloniæ quintum seruat locũ, licet sint qui alternatim Vuladislauień. ac Poznanień. dignitatem mutent, hunc Ioannes Lubrantius regebat. Sextus Plocen̄. est Episcopatus Mazouiæ, quem Erasmus Sczolek Cracouień. habuit. Przemislień. Episcopatus in Russia septimo loco adnumeratur, hunc Matthias Dreuicius Viceecancellarius regni gubernabat. Chelmeñ. prouinciæ etiam Russiæ Episcopatus octauus est, cui Nicolaus Cosczieletius præsidebat. Nono loco Camienicen̄. prouinciæ eiusdem Episcopatus adnumeratur. Hunc Iacobus Bussaczky tenuit, Luccorień. decimo loco est eiusdem prouinciæ, quem Albertus Radiuili regebat. Vndecimus eiusdẽ prouinciæ Kyouiens. est Episcopatus huic Matthias Radiuili præfuit. Vvarmień. Episcopatus Prussiæ nũc Polonis paret, hũc Lucas Thorunień. possedit. Culmensis Prussiæ etiam Episcopatus, hũc Ioannes Crapytz habuit. In Lithuania uerò duo sunt Episcopatus uterq; à Iagellone hoc est Vuladislao rege erectus. Vilneñ. prior hunc Albertus Tabor tenuit. Alter Mednicen̄. prouinciæ, Samagitiæ, præfectus quem habuit. Hæc de Episcopatibus sic se habuêre.

Religiones in regno Poloniæ.

Tota Polonia maior atq; minor simul Lithuania cum Samagitia & fermè tota Russia Romanam sequuntur Ecclesiam, nisi quod apud Lithuanos pars quædam Tartarorum insidet, propriam habens sectam, regibus tamen hi quoque obediunt, nec ex raptu uiuere solent. Cæterùm apud Roxolanos & Podolitas sunt Rutheni, qui Græcam habent fidem, à qua tamen nonnihil sunt discreti, & ita ut Bohemi à Romana Ecclesia separati, partim occupant Armeni, sed multò plus perfida gens Iudæorum incolit, atque hæc religionis loca, & fidei cultus erant, quibus sic obiter enarratis, ad sæcularium conditiones pro-

properandum erit. Primarum itaq; dignitatum nomina Palatinatus atq; Castellanorum sunt præeminentiæ. Priores sunt Palatini, Castellano Cracouiens. dempto, quondam propter nepharium Palatini facinus prælato. Inter omnes Cracouiens. post regiam maiestatem primum obtinet locum, cui tunc Spytko de Iaroslavv præfuit, hanc dignitatem sequuntur iam Palatini omnes, dehinc Castellani, quorum toto in regno multi sunt, neque ex usu quod hic adscribantur, quod externis nationibus ad historiam nihil addant, incolis uero regni in statutis iam pridem editis reperiantur. Eorum tamen meminisse forte iuuabit qui inter alios primi existant, & qui in hoc regno locum quem apud Germanos principes obtinent, Palatini Cracouiens. ac Poznaniens. hic maioris, ille minoris Poloniæ primi in dignitate, inter se tamen dignitatis alternam habent (dum simul sunt) commutationem. Cracouiens. palatinatum Ioannes de Tharnovv habuit. Poznaniens. Andreas de Schamotuli tenuit. Suprema Sarmatiæ officia hæc sunt. Cancellariatus magnus regni quem Ioannes de Lasko tunc obtinebat. Vicecancellariatus eo tempore Matthias Dreuicius Episcopus Premislien. Marschalcus Stanislaus de Chodecz, Thesaurarius Iacobus de Schydlovviecz. Præfecturæ dehinc, quas Capitaneatus hæc appellat ætas, innumeræ (ut ita dicam) in quis treis insigniores habentur. Maioris Poloniæ præfectura generalis, quam eo tempore Ioannes Zaramba de Kalinotia administrabat, Minoris Poloniæ cui Nicolaus de Camienieccz præfuit, & Leopolicn. Capitaneatus Rusiç est cum Stanislaus de Chodecz habuit, Scepusien. ultra Carpathios montes in Pannonico solo Polonorum imperio parens, quem tunc Ioannes Iordan tutatus est. Reliquas præfecturas seu (ut uocant) Capitaneatus non multum uidetur ex usu his inserere, tum quod omnibus, fermè cognitæ, tum etiam quod historiæ parum addere uidentur. Iam utriusque status Sarmatici regni supremas conditiones & nomina adscripsi. Hæc omnia nulla acquirūtur successione, sed ut singula regio dependent arbitratu, ita ex illius gratia obtinentur, atq; in benemeritos reipu. conferuntur. Nunc superest paucis quoq; adscribere, quibus moribus, quibus studijs Poloniæ regnum ad regium solium Sigismundo euecto laborauerit, & quam statim eo rebus præfecto in uniuersum fermè uariatū sit exponere. Sub Casimiri primo initio, Poloni longo bellorum usu priscum robur, animumq; adepti nihil plus quā militiæ disciplinam sequuti sunt. Verum dum ille successu annorum domi pace frueretur, paulisper ocium irrepsit, tum quoq; fœlicia fuēre omnia, & ipsam mox fœlicitatem pedissequa superbia sequuta, hinc libido & mollicies pulsis militiç studijs hominum animos effœminatis uitijs subiugarunt. Alberto mox rebus potito aduersa fortuna sæpius certatum neq; sub Alexandri imperio belli uirtus recuperata est, atq; ita maximus corporis ornatus, maxima uirtus haberi cœpit, alios in epulis, comessationū & uentris indulgentia uicit, alios libido atq; luxus præcipites egit.

Postremò uestis non modò mollis, sed fœminea longa, rara plicis, uerum preciosa, parthicam formam habens. Pellibus quoque & mollibus & preciosis usi, caligas uel nunq;, uel raro deferentes, crines plusquam uiros decet longos atq; tortos ferre mos erat, cæterū hæc tanta uicia ingens uirtus æquabat. Summa religionis & in promissis fides. Nobilibus, Patricijs atq; plebi literarum studia ex æquo chara. Rarò apud Sarmatas seu Polonos genere nobilis repertus, qui non quatuor uel trium nationum linguam nouisset, Latinam uerò omnes. Idq; inde sumptum crediderim, quod uulgaribus literis uel scripturis nihil memoriæ mandatum est. Regni Cancellaria (ut uocant) Latinis literis omnia expediuit, atq; ita factum ut passim docti omnes euaderent, habent præterea Poloni cum Italis plus cæteris nationibus linguæ inflexionem communem, ut Latinarum dictionum sonum litius ad Italicum accētum, quadam gratia ac dulcedine inflectere queāt. Ea re Polonia omnium fermè gentium studia uicisse uisa fuit, quum rarus esset qui præter uulgare suum Latinas literas non haberet, deinde Germanicum, Hungaricum & ut sępè Italicum idiomata nesciret, taceo quòd Lithuanicum atq; Ruthenicum plerūq; in usu fuit, his moribus atq; studijs regnum ad Sigismundum peruenisse constat. Ad quem nunc stylus dirigendus est. Eius prima ætate (quod hic facturum secundo libro pollicitus sum) enarrata deinceps ad regni res me conuertam.

SIGISMVNDVS igitur Kazimiri quintus filius, & octaua proles, Anno salutis 1467 die prima Ianuarij natus, postquā cunabula egressus Latinis literis erudiendus optimo preceptori traditus est, creuitq; in literarum studijs, ut hodie non Latinas solùm literas, & uariarum scientiarum cognitionem habeat, sed doctè pariter & eleganter ubi negocium postulat rerū seriem exponat. Ea quoq; ætate Germanico linguagio instructus est,

Dignitatum Poloniæ ordo.

Palatini Cracouiens. & Poznaniens. summa officia.

Capitaneatus.

Rerum Polonicarum mutationes.

Literarum Latinarum familiare Polonis studium.

Sigismundi Regis à puero institutio.

est, quod ita callet ut fermè nescias Polonum ne, an Germanum magis iudices. Verùm hæc non Sigismundo solum, sed illi cum omnibus Kazimiri filijs fuère communia. Primam ætatem supergressus, patre Kazimiro mortuo, atque à Lithuanis Alexandro in ducem assumpto. Sigismundus Ioannis Alberti pro paterno regno competitor, sed Elizabeth reginæ parentis adhortationibus expugnatus, Alberto cessit, qui Sigismūdum, quo ad uixit summo honore atque integerrimo amore prosequutus est. Paulò post Anno salutis Humanæ 1498 die 3 mensis Octobris, per Vladislaum Hungariæ regem in Pannoniam euocatus Cracouiam exiuit fraterno beneficio Glogouieñ. atque Opauieñ. ducatus obtinuit, hac tamen lege, si unquam ad regni Poloniæ solium euectus foret, Glogouiens. ducatus ad Vladislaum liberè rediret, Opauieñ. pecunijs posset à Sigismundo ad Silesiæ principatum redimi, hæc adeptus, simulque ea, quæ ex Polonia quotannis soluebant, Sigismundus, dum Alexander etiam rebus præesset, apud Glogouiam sua sorte contentus agebat. Tum quoque illi Vladislaus frater supremam Silesiæ præfecturam commisit, in qua ita se iustum principem gessit, ut paulò post quā illam suscepisset, latrunculis, quorum tum (ut solet) maxima copia fuit, nihil tutum relinqueretur. Qui dum nullibi salutē reperissent, ad extremam uindictam accincti, certis carminibus principis nimiam accusabant sæueritatem, præfuit Sigismundus Glogouiensibus usque ad regni assumptionem, ac ita dominatus est, ut bonis omnib. charus, malis importabile semper flagellum esset. Sigismundus uerò corpore procerus, ingentis staturæ, ut animo, ita membris fortissimus, subfusci crines, supercilia magna, oculi aspectu minaces, genæ rubedine naturali nitentes, totaque facies ueneranda, & nihil quod ad humanæ formositatis fœlicitatem pertineret solers natura neglexit.

Gesta Sigismundi in præfectura Silesiæ.

Forma habitusque corporis Sigismundi.

Animus uerò ab ineunte ætate in Deum, sacraque religiosus, in maiores obseruantiæ studiosus, in subditos pius & clemens, in egenos misericors, iustitiæ & æquitati ita addictus, ut nullis unquam consilijs à recti tramite potuerit diuelli, promissi ita tenax, ut supra fidem altius nihil duceret: Inediæ atque algoris patiens, quum conditionis occasio esset, militia quoque insignis, tota uita summa abstinentia usus, comessationes, potationesque supra quàm naturæ necessitas postularet in seipsum nunquam admisit, in alijs indignationem execratus est. Vinum, ceruisiam, medonemque à teneris unguiculis nunquam gustauerat, donec Federici Marchionis Brandeburgeñ. affinis precibus uictus, uinum parum sumeret, deinde medicorum cōsilio atque iussu uteretur, nunquam tamen nisi prandens, cœnansque paucissimo, & eo minimè forti utitur, reliquā sitim aqua cruda semper sedare, & extinguere solet: ijs uirtutibus semper redimitus in hunc locum euectus est. Glogouieñ. ducatū adeptus, monetam nouam grossos excudere iussit, qui in una parte Aquilam, in alia ducatus Lithuaniæ habent insignia. Solitus erat singulis fermè annis fratres reges uisitare.

Temperantia Sigismundi.

Quum uerò anno 1506 pro sua consuetudine Alexandrum in Lithuania agentem adire uellet, in itinere regem ægrotare illi nunciatum est, maturabat ille iter, dumque duodecim millibus passuum adhuc à rege distaret uita excessisse percepit, quo nuncio accepto nihilominus locum mortis Alexandri (salubri capto consilio) adijt, fama erat, si Sigismūdus tam subitò non uenisset, de rebus Lithuanicis ex quorundam factionibus propè desperandum fuisse, uerum dum & Senatus & populus suum principem uidissent, Iagellonis memoria & Sigismundi uirtus omne periculum uicere: abiectis itaque factionibus Sigismundus mox Lithuanicis rebus 26 Octobris eodem anno præfectus est, & spes tunc summa pro consequendo paterno regno accessit. Hoc modo Sigismundi res se habuēre in ea tempora, quibus Sarmatiæ sceptra parente Kazimiro, Ioanne Alberto, & Alexādro fratribus prædecessoribus uita sublatis, fœliciter (quod Deus faxit) obtinuit, atque nūc de regni rebus eo in regem assumpto, dicendi mox initium sum facturus.

Sigismundus Lithuaniæ rebus præfectus.

Alexandro in Lithuania apud Vilnam 19 Augusti 1506 morte extincto, Senatus apud Piotrkouiam comitia pro regis electione habuit. Quumque uniuersæ Sarmatiæ Concilium frequens conuenisset, die octaua Decembris, factis eo die diuæ Virginis conceptionis sacris officijs, omnium uotis à Deo Optimo Maximo princeps qui reip. statu fœliciter præesset postulatus, paulò postquā sacra officia ritè peracta essent, totius Senatus assensu Sigismundus Kazimiri quintus filius, Magni ducatus Lithuaniæ, Glogouiæ, Opauiæque dux, & totius Silesiæ summus præfectus Sarmatiæ, Poloniæque rex assumptus, & declaratus est. Eam sorte electionem triplicato mysterio effectum sortitam prodidēre. Primo loco quòd Vladislaus Hungariæ, Bohemiæque rex Osualdum Karlacium ad Poloniæ

Sigismundus ad regnum Poloniæ eligitur.

niæ Senatum legatum miserat, & Sigismundo primogeniti ius cessit, summoq; desyderio pro eius assumptione laborauit, huic accessit, quòd Lithuaniæ ducatus Sigismundo iam assumpto, à regno Poloniæ (alio præfecto rege) discretus abiret. Postremum & inter hæc maximum Kazimiri memoria, & præsens Sigismundi uirtus, summaq; iustitia in contemplationem sui Senatum admonuêre. Præfecto iam atq; publicato Sigismundo, legati in Lithuaniã missi fuêre. Vincentius Przerambsky Vvladislauieñ. Ioãnes Lubrantius Poznanieñ. & Matthias Dreuitius Premislieñ. & regni Vicecancellarius Episcopi, Andreas de Schamotuli Poznanieñ, Ioannes de Tharnovv Belseñ. Palatini, & Ioannes de Lasko Regni Cancellarius, qui Sigismundum apud Mielnick oppidum reperientes, ad regnum postulauêre. Ingens interim Cracouiæ ac toto regno lætitia hominum animos inuasit, ubiq; Deo uota publica, laudesq; persolutæ, hinc domi pacis, foris uictoriæ spes maxima tenebat. Sigismundus nihil moratus Poloniam ingressus Cracouiã uigesima Ianuarij sub año Salutis 1507. instructissimo, pulcherrimoq; apparatu maiori hominũ parte Lithuani co ritu instructa uenit. Vniuersus populus incredibili applausu, ignibus, machinis, uarijsque cærimonijs gratulationem suam ostentantibus, nouum regem suscepit, hisq; auspicijs Sigismundus (cuius nomen & apud externas gentes clarum erat) circa horam uigesimam secundam Cracouiam intrauit, in arcem ductus est.

Ordinatis demum singulis ad coronationem regis ex usu necessarijs, Sigismundus in diui Venceslai arcis Cracouieñ. templo sacramento eucharistiæ salutari religiosè accepto, ritè cerimonijs peractis in regem Sarmatiæ, atque Poloniæ unctus & coronatus est. Coronationis munus Andreas Roza Archiepiscopus Gneznensis exequutus est, huic assistebant Ioannes Conarius Cracouieñ. & Matthias Dreuitius Premisliensis Episcopi, ob differentiam inter Cuiauiensem, & Poznaniensem Episcopos, ob eam rem existentem. Adfuêre item Bernhardinus Vilczeck Leopoliensis Archipræsul, Vincentius Przeraptius Vvladislauieñ. Ioannes Lubrantius Poznanieñ. Erasmus Vitellius Ploceñ. Lucas de Thorunia Vvarmiensis. Et Ioãnes Amicinus Laodicensis et Suffraganeus Cracouieñ. Episcopi. Ad hoc pleriq; ex Abbatibus infulatis affuêre. Hanc coronationem Vvladislai Hũgariæ & Bohemiæ Regis fratris germani legatus Stephanus Theletzki honestauit. Præterea ex ducibus, magnatibusq; Lithuaniæ plurimi fuêre. Insignior cæteris Michaël Helinskeus fuit, cuius apud Alexandrum summa autoritas, etiam usque ad inuidiam non sine reip. incommodo creuerat.

Coronatio Sigismundi.

Hæc Sigismundi coronatio sub annum ab orbe redempto 1507. diem 24. Ianuarij incidit. Sacris expletis, deinde conuiuijs publicis nonnihil temporis principum more indultum est. Sequẽti uerò die induuijs Regalibus indutus, Coronamq; in capite gestãs prælatis status utriusq; comitatus, & optimatibus eques in urbem ex arce descendit, illicq; in suggesto ut moris est thronum Regium representante erecto consedit, & Homagium (ut uocant) à Magistratu ciuitatis Craco. ac claues urbis cum debito iuramento accepit, ubi & uniuersus populus digitis erectis suo regi fidelitatem iurauit. Quibus tandem finitis, & his quibus ad reipu. consilia nihil interesset dimissis: Rex atq; Senatus ad labentis iam antea reip. statum animos conuertunt. Comitijs publicis mox apud Cracouiam indictis, studium summum erat, ut res negligentia præcipitatę domi pace restituerentur. Cæterùm si quod bellum assumendum foret, quibus suppetijs exhausto publico ærario id aggrediendum consultum fuit. Ea conuentione Sigismundus prærogatiuas maiorum regum Sarmatiæ, atq; Poloniæ per edictum confirmauit, certasq; leges statuit, hæc cum in regni statutis habeantur, necessitas his ascribere non postulauit, hinc exactiones impositæ. Regij atque nobilium rustici lugeratim per grossos duodecim. Ciues solitam semialteram exactionem. Nobiles tribuni (aliàs Sculteti) Ciues in ærario publico, & hi qui contractus in uim redemptionis habent, hisq; similes censuum quartam partem. Spirituales contributiones uetusto more, Episcopi decimæ octauam partem, exoluerent. Ex his quoque comitijs monetæ cusio continuata publico decreto fuit; pauló post Stephanus Teleczky Vvladislai Hungariæ regis legatus, regis, Senatusq; decreto in Daciam aliàs Valachiã missus, ut duorum regum nomine pacis conditiones ferret. In Hungariam oratores missi confœderandorum regnorum causa Episcopus Poznanieñ. Marsalcus regni, Cancellarius regni & Christophorus de Schydlovviecz. Reliqua hoc anno in Sarmatia atq; Polonia pacata fuêre. Rerum quoq; Prutenicarum tranquillus status erat.

Homagium Cracouiens.

Exactiones.

RES VERO' LITHVANIAE ingens negocium contraxit, tuncq; Moschici in hanc ætatem perseuerantis belli initia suscepta fuêre, quod quum & maximum, & periculosissi-

Origo bellorũ Moschicorum

est, quod ita callet ut fermè nescias Polonum ne, an Germanum magis iudices. Verùm hæc non Sigismundo solum, sed illi cum omnibus Kazimiri filijs fuêre communia. Primam ætatem supergressus, patre Kazimiro mortuo, atq; à Lithuanis Alexandro in ducem assumpto, Sigismundus Ioannis Alberti pro paterno regno competitor, sed Elizabeth reginæ parentis adhortationibus expugnatus, Alberto cessit, qui Sigismũdum quo ad uixit summo honore atq; integerrimo amore prosequutus est. Paulò post Anno salutis Humanæ 1498 die 3 mensis Octobris, per Vuladislaum Hungariæ regem in Panno niam euocatus Cracouiam exiuit fraterno beneficio Glogouieñ. atq; Opauieñ. ducatus obtinuit, hac tamen lege, si unquam ad regni Poloniæ solium euectus foret, Glogouiens. ducatus ad Vuladislaum liberè rediret, Opauieñ. pecunijs posset à Sigismundo ad Silesiæ principatum redimi, hæc adeptus, simulq; ea, quæ ex Polonia quotannis soluebant, Sigismundus, dum Alexander etiam rebus præesset, apud Glogouiam sua sorte contentus agebat. Tum quoq; illi Vuladislaus frater supremam Silesiæ præfecturam commisit, in qua ita se iustum principem gessit, ut paulò post quã illam suscepisset, latrunculis, quorum tum (ut solet) maxima copia fuit, nihil tutum relinqueretur. Qui dum nullibi salutẽ reperissent, ad extremam uindictam accincti, certis carminibus principis nimiam accusabant sæueritatem, præfuit Sigismundus Glogouiensibus usq; ad regni assumptionem, ac ita dominatus est, ut bonis omnib. charus, malis importabile semper flagellum esset. Sigismundus uerò corpore procerus, ingentis staturæ, ut animo, ita membris fortissimus, subfusci crines, supercilia magna, oculi aspectu minaces, genæ rubedine naturali nitentes, totaq; facies ueneranda, & nihil quod ad humanæ formositatis fœlicitatem pertineret solers natura neglexit.

Gesta Sigismundi in præfectura Silesiæ.

Forma habitusq; corporis Sigismundi.

Animus uerò ab ineunte ætate in Deum, sacraq; religiosus, in maiores obseruantiæ studiosus, in subditos pius & clemens, in egenos misericors, iustitiæ & æquitati ita addictus, ut nullis unquam consilijs à recti tramite potuerit diuelli, promissi ita tenax, ut supra fidem altius nihil duceret: Inediæ atque algoris patiens, quum conditionis occasio esset, militia quoque insignis, tota uita summa abstinentia usus, comessationes, potationesq; supra quàm naturæ necessitas postularet in seipsum nunquam admisit, in alijs ad indignationem execratus est. Vinum, ceruisiam, medonemq; à teneris unguiculis nunquam gustauerat, donec Federici Marchionis Brandeburgeñ. affinis precibus uictus, uinum parum sumeret, deindè medicorum cõsilio atq; iussu uteretur, nunquam tamen nisi prandens, cœnansq; paucissimo, & eo minimè forti utitur, reliquã sitim aqua cruda semper sedare, & extinguere solet: ijs uirtutibus semper redimitus in hunc locum euectus est. Glogouieñ. ducatũ adeptus, monetam nouam grossos excudere iussit, qui in una parte Aquilam, in alia ducatus Lithuaniæ habent insignia. Solitus erat singulis fermè annis fratres reges uisitare.

Temperantia Sigismundi.

Quum uerò anno 1506 pro sua consuetudine Alexandrum in Lithuania agentem adire uellet, in itinere regem ægrotare illi nunciatum est, maturabat ille iter, dumq; duodecim millibus passuum adhuc à rege distaret uita excessisse percepit, quo nuncio accepto nihilominus locum mortis Alexandri (salubri capto consilio) adijt, fama erat, si Sigismũdus tam subitò non uenisset, de rebus Lithuanicis ex quorundam factionibus propè desperandum fuisse, uerum dum & Senatus & populus suum principem uidissent, Iagellonis memoria & Sigismundi uirtus omne periculum uicêre: abiectis itaq; factionibus Sigismundus mox Lithuanicis rebus 26 Octobris eodem anno præfectus est, & spes tunc summa pro consequendo paterno regno accessit. Hoc modo Sigismundi res se habuêre in ea tempora, quibus Sarmatiæ sceptra parente Kazimiro, Ioanne Alberto, & Alexãdro fratribus prædecessoribus uita sublatis, fœliciter (quod Deus faxit) obtinuit, atq; nũc de regni rebus eo in regem assumpto, dicendi mox initium sum facturus.

Sigismundus Lithuaniæ rebus præfectus.

Alexandro in Lithuania apud Vilnam 19 Augusti 1506 morte extincto, Senatus apud Piotrkouiam comitia pro regis electione habuit. Quumq; uniuersæ Sarmatiæ Concilium frequens conuenisset, die octaua Decembris, factis eo die diuæ Virginis conceptionis sacris officijs, omnium uotis à Deo Optimo Maximo princeps qui reip. statu fœliciter præesset postulatus, paulò postquã sacra officia ritè peracta essent, totius Senatus assensu Sigismundus Kazimiri quintus filius, Magni ducatus Lithuaniæ, Glogouiæ, Opauiæq; dux, & totius Silesiæ summus præfectus Sarmatiæ, Poloniæq; rex assumptus, & declaratus est. Eam forte electionem triplicato mysterio effectum sortitam prodidêre. Primo loco quòd Vuladislaus Hungariæ, Bohemiæq; rex Osualdum Karlacium ad Poloniæ

Sigismundus ad regnum Poloniæ eligitur.

niæ Senatum legatum miserat, & Sigismundo primogeniti ius cessit, summoq; desyderio pro eius assumptione laborauit, huic accessit, quòd Lithuaniæ ducatus Sigismundo iam assumpto, à regno Poloniæ (alio præfecto rege) discretus abiret. Postremum & inter hæc maximum Kazimiri memoria, & præsens Sigismundi uirtus, summaq; iustitia in contemplationem sui Senatum admonuêre. Præfecto iam atq; publicato Sigismundo, legati in Lithuaniã missi fuêre. Vincentius Przerambsky Vvladislauieñ. Ioãnes Lubrantius Poznanieñ. & Matthias Dreuitius Premislieñ. & regni Vicecancellarius Episcopi, Andreas de Schamotuli Poznanieñ, Ioannes de Tharnovv Belsen. Palatini, & Ioannes de Lasko Regni Cancellarius, qui Sigismundum apud Mielnick oppidum reperientes, ad regnum postulauêre. Ingens interim Cracouiæ ac toto regno lætitia hominum animos inuasit, ubiq; Deo uota publica, laudesq; persolutæ, hinc domi pacis, foris uictoriæ spes maxima tenebat. Sigismundus nihil moratus Poloniam ingressus Cracouiã uigesima Ianuarij sub año Salutis 1507. instructissimo, pulcherrimoq; apparatu maiori hominũ parte Lithuanico ritu instructa uenit. Vniuersus populus incredibili applausu, ignibus, machinis, uarijsque cærimonijs gratulationem suam ostentantibus, nouum regem suscepit, hisq; auspicijs Sigismundus (cuius nomen & apud externas gentes clarum erat) circa horam uigesimam secundam Cracouiam intrauit, in arcem ductus est.

Ordinatis demum singulis ad coronationem regis ex usu necessarijs, Sigismundus in diui Venceslai arcis Cracouieñ. templo sacramento eucharistiæ salutari religiosè accepto, ritè cerimonijs peractis in regem Sarmatiæ, atque Poloniæ unctus & coronatus est. Coronationis munus Andreas Roza Archiepiscopus Gneznensis exequutus est, huic assistebant Ioannes Conarius Cracouieñ. & Matthias Dreuitius Premisliensis Episcopi, ob differentiam inter Cuiauiensem, & Poznaniensem Episcopos, ob eam rem existentem. Adfuêre item Bernhardinus Vilczeck Leopoliensis Archipræsul, Vincentius Przeraptius Vvladislauieñ. Ioannes Lubrantius Poznanieñ. Erasmus Vitellius Ploceñ. Lucas de Thorunia Vvarmiensis. Et Ioãnes Amicinus Laodicensis et Suffraganeus Cracouieñ. Episcopi. Ad hoc pleriq; ex Abbatibus infulatis affuêre. Hanc coronationem Vvladislai Hũgariæ & Bohemiæ Regis fratris germani legatus Stephanus Theletzki honestauit. Præterea ex ducibus, magnatibusq; Lithuaniæ plurimi fuêre. Insignior cæteris Michaël Helinskeus fuit, cuius apud Alexandrum summa autoritas, etiam usque ad inuidiam non sine reip. incommodo creuerat.

Coronatio Sigismundi.

Hæc Sigismundi coronatio sub annum ab orbe redempto 1507. diem 24. Ianuarij incidit. Sacris expletis, deinde conuiuijs publicis nonnihil temporis principum more indultum est. Sequẽti uerò die induuijs Regalibus indutus, Coronamq; in capite gestãs prælatis status utriusq; comitatus, & optimatibus eques in urbem ex arce descendit, illicq; in suggesto ut moris est thronum Regium representante erecto consedit, & Homagium (ut uocant) à Magistratu ciuitatis Craco. ac claues urbis cum debito iuramento accepit, ubi & uniuersus populus digitis erectis suo regi fidelitatem iurauit. Quibus tandem finitis, & his quibus ad reipu. consilia nihil interesset dimissis: Rex atq; Senatus ad labentis iam antea reip. statum animos conuertunt. Comitijs publicis mox apud Cracouiam indictis, studium summum erat, ut res negligentia præcipitatę domi pace restituerentur. Cæterùm si quod bellum assumendum foret, quibus suppetijs exhausto publico ærario id aggrediendum consultum fuit. Ea conuentione Sigismundus prærogatiuas maiorum regum Sarmatiæ, atq; Poloniæ per edictum confirmauit, certasq; leges statuit, hæc cum in regni statutis habeantur, necessitas his ascribere non postulauit, hinc exactiones impositæ. Regij atque nobilium rustici lugeratim per grossos duodecim. Ciues solitam semialteram exactionem. Nobiles tribuni (aliàs Sculteti) Ciues in ærario publico, & hi qui contractus in uim redemptionis habent, hisq; similes censuum quartam partem. Spirituales contributiones uetusto more, Episcopi decimæ octauam partem, exoluerent. Ex his quoque comitijs monetæ cussio continuata publico decreto fuit; paulò post Stephanus Teleczky Vvladislai Hungariæ regis legatus, regis, Senatusq; decreto in Daciam aliàs Valachiã missus, ut duorum regum nomine pacis conditiones ferret. In Hungariam oratores missi confœderandorum regnorum causa Episcopus Poznanieñ. Marsalcus regni, Cancellarius regni & Christophorus de Schydlovviecz. Reliqua hoc anno in Sarmatia atq; Polonia pacata fuêre. Rerum quoq; Prutenicarum tranquillus status erat.

Homagium Cracouiens.

Exactiones.

RES VERO' LITHVANIAE ingens negocium contraxit, tuncq; Moschici in hanc ætatem perseuerantis belli initia suscepta fuêre, quod quum & maximum, & periculosissi-

Origo bellorũ Moschicorum

Michaël Helinskeus dux.

culosissimum sit, operęprecium erit altius eius initia referre. Michaël Helinskeus dux appellatus, homo ut animo audax, ita ingenio sagax ac corpore robustus, ad omne periculum promptus. Apud Germanos annis plus duodecim militauit, ingeniumq; uires exercuit. Apud Alexãdrum deinde summam fortunam adeptus, sed ea abusus, per felicitatem in ambitionem præceps ruit. Primum paucis gratus, deinde largitionibus amicos quæsiuit, boni fermè omnes (& ipse Sigismundus princeps) suspecti. Postremò Alexandro ægroto in Lithuaniæ principatum succedere ambitio fuit. Hæc ita se habuisse insimulatus est Helinskeus. Constat tamen postquam Sigismundus ingressus erat Lithuaniam omnium primum fuisse, qui cum omnibus amicis illi obuiam egressus pedibus eius prostratus Magni ducatus Lithuaniæ principem salutaret, addebant illi apud Alexandrum partæ opes animum immodicum. Hæc dum Sigismundus consilia aduentu in Lithuaniam præuenerat, Helinskei res apertè inclinatę sunt, eamq; tunc Helinskeus mortalibus communem expertus est fortunam, ut felicibus temporibus amicos plurimos haberet, tum uerò fortuna parumper nutante nullus fòret. Helinskei itaq; insimulata factio Ioanne Sabresiskeo Marsalco Magniducatus Lithuaniæ auctore (ut fama erat) in apertum prodijt, hanc Helinskeus molestiãm, summam ratus iniuriam. Sabresinskeo apud regem negocium fecit. Rex in re difficili consilio capto, ut ex re erat non putabat festinandum, atque ita Helinskeus (ut illi uisum) iniuria affectus summo conatu apud regem ut decerneret, quid ea in controuersia iustum esset postulauit, tantoq; importunius rem tentauit, quo plus illud inter opibus pollentes maturius agendum cognouit. Hinc 27. mensis Martij ad Vuladislaum Hungariæ, Bohemiæq; regem Budam properauit, ubi dum spe frustratus esset, parum moratus in Lithuaniam, acceptis tamen à rege literis, quo minùs dilatio rerum famæ atq; honori suo dedecus esset futurum, redijt. Interim uerò Basilius magnus Moschorum dux exercitum triginta millibus passuũ Smolentzko prætergressus Lithuaniæ induxit. Rex dum hæc ex nuncijs cognouit, domi pace rebus compositis, Crac. 24. Maij egressus, in Lithuaniam celeriter peruenit, contractisq; undiq; copijs, Basilio quam primum obuiare statuit. Moschus ubi regium exercitũ aduenire persensit, simulq; Tartaros Tauricos, id est, Przecopień. Lithuanis auxilia ferre cognouerat, exercitum non uiso hoste domum reduxit. Lithuani Gzycovv à Moschis recuperarũt, certisq; Moschorum oppidis populatis. Sigismundus cum hostes pugnæ copiam subtraherẽt, & comeatuum inopia simul & caloris cruciatu exercitus molestaretur, Vilnam regressus. Cæsar item Tauricus, qui octuaginta hominum millia in exercitu habuisse fama perhibetur, paulòpòst in Tauricam infecta re digressus est. Sigismundus comitijs nouis apud Cracouiam indictis ex Lithuania accelerauit. Cracouiam 24. Ianuarij sub anno 1508. ingressus est. Hic igitur Sarmatiæ rerum status sub anno salutis 1507. adscribitur.

Basilius magnus Moschorum dux.

Ann. 1508.

ANNVS 1508. hoc modo initia atq; finem sumpsit, Rege in ipsis anni initijs comitia agente de Sarmatiæ rebus consilium fuit, quæ domi pace omnes tranquillæ ad anni finem mansêre. Cæterùm nouum regem noua, ubiq; difficultas urgebat: Aëraria tam priuata, quàm publica undiq; exhausta fuêre. Regia passim bona impignorata. Bohemiæ, Germaniæ, atq; Poloniæ milites, qui apud Ioannem Albertum, atq; Alexandrum stipendia meruerant summo conatu solutionem postulauêre, hic Regius honor fidem seruandã mouit, illic ærarij atq; reip. difficultas præmebãt. At Deus qui humanis rebus semper præsens, in summo rerum discrimine uniuersam præbuit opulentiam. Rex itaq; Ioannis Boneri Germani uiri optimi, & Sigismundi rebus à duodecim tunc fermè annis summa dexteritate ac studio præfecti, facultatib. atq; consilio usus, ex monetaria (ut uocant) officina quam Bonerus argento prouidebat, simul & aliunde pecunijs collectis incredibili breuitate rempublicam propemodum lapsam restituit. Primis, initijs bona multa pignore obstricta soluto ære redemit. Comitatum Scepusień. ex manibus Ioannis Iordan duodecim millibus aureorum liberauit. Ducatum Ausvvincień. & salinas Russiæ à Paulo Nigro Cracouiensi Ciue quatuordecim millibus aureorum exemit, Proschouium oppidum à Georgij Lang hæredibus nouem millibus aureis liberauit. Nieschouień. arcem ex manibus Stanislai Coscziele cij nouem millibus redemit. Item paulòpòst inter Cracouień. urbis mœnia uaria officia ad Magni procuratoris arcis Cracouień. præfecturam pertinentia præsertim molendina, custodiam piscium, macella & quædam alia plus duodecim millibus persoluit. Salinas Cracouień. censibus plurimũ grauatas in magna pecuniarũ summa diminuit, quibus tũc in initio regni Ioanne Iordan mortuo Andream de Cosczielecz præfecit. Ilkusiensis plũbi orboram à Seuerino Bethmano quinq; florenorũ millibus exemit,

Ioannes Bonerus.

Redempta per Sigismundum Rex.

mit,

mit,præterea Siradiam quinq; millibus,Gostiniam duobus millibus, Miedzerzecz duobus millibus trecentis. Radomiam tribus millibus,Sochaczouiam septem millibus, Piotrkouiam mille ducentis. Drobobytz quinq; millibus, Rabstinensem arcem mille quingentis, Arcem Rittermille. Lublinense teloneum mille quadringentis,Slochouiensem arcem quatuor millibus, Tucholam undecim millibus, Sandetz quatuor millibus,Iuniuvladislauiā quinq; millibus, teloneum & pontale Thoruniense decem millibus florenorum ex diuersorum manibus eruit, atq; hæc omnia in ipsis fermè regni initijs cum alijs multis regio ærario adiecit. Germanis, Bohemisq; & Polonis militibus, breui deinceps tempore pro Ioanne Alberto, Alexandroq; fratribus plus ducenta millia aureorum exoluit. Postremò arcem Cracouiensem undiq; ruinosam, ueluti sede regia indignam in parte, quæ ad occidentem est à fundamentis nouis erigere, ornareq; ædificijs cœpit, hisq; consilijs usus, ubiq; rebus in meliori statu positis, ad quartum diem Maij Craco. consedit, quo die Cracouiam egressus Lithuanico bello operam dare cœpit. Sed hæc infrà in rebus Lithuanicis adscribentur.

Die 5. Aprilis Iudæus, qui cum cæteris complicibus sacramentum Eucharistiæ dehonestauerat, cæteraq; nepharia facinora perpetrauerat, Cracouiæ in Diuæ uirginis æde frequenti doctorum cœtu præsente in scalam erectam statutus. Nicolaus uero diui Dominici institutum professus, sacrarum literarum doctor, & hæreticæ prauitatis (ut illis dicere mos est) inquisitor, Iudæi facinora arguebat, atque palàm fecit. Ego tunc Polonicæ linguę ignarus actum non potui, nisi ex relatione intelligere. Iudæus postquam summo conatu, atq; intrepidè se tueretur, tandem nolens conuictus, sæculari potestati traditus, atq; igni combustus est. *Inquisitio in quendam Iudæum.*

Dieb. uerò Maij Cracouiæ atq; alijs locis pestis contra Astrologorū opiniones seuire cœpit, durauitq; ad dies Decembris, ea multi mortalium Cracouiæ absumpti fuêre. *Pestilentia.*

Eodem mense die decimaseptima in maiori Xiasznicze prępositura, & quatuor Mansionarij ex parochiali ibidem ecclesia Abbatis, conuentusque Tinicensis patronorum assensu Nicolao de Goprzivvnicza rem promouente, & Ioāne Conano Episcopo Craco. confirmante erecta, & fundata est. In Iulio uerò quod suspitio de Tartarorum esset eruptione in regis absentia ex Senatus decreto Ioannes Camienetius, tunc Leopoliensis Castellanus, & Buscensis præfectus adiunctis illi quingentis equitibus ære publico conductis in Podoliam ad tuenda confinia missus est, qui die 23. illius mensis Miedzibosium perueniens Tartaros clam in Volhynensem prouinciam erupisse comperit, uix tribus horis illic militibus, equisq; refectis, ascitis Braczlauień. & Viniceń. præfectis, ad hoc prouinciæ Nobilibus, ac populi Podoliæ suppetijs acceptis: Itinere quod uiam nigram uocant, ad Vvoronovv Hrodisco eodem die peruenit, eo in loco Tartarorum copias prædam hominum, pecorumq; iam abigentes, numerò supra duo millia equitum existentes animosè inuadit, atq; uiriliter pugnādo strenuè fudit, omnem recuperauit prædam, copiasq; saluas in Miedzibosium triumphans reduxit. Nihil deinceps maximè memoria dignū apud Polonos accidit, regis absentia atq; pestis sæuicia simul efficiente. *Victoria de Tartaris.*

Sub Octobre uerò die decima Ioannes Thurzo de Betlemualua apud Nouam Ciuitatem Hungariæ febribus correptus supremum clausit diem. Vir cum honoris præfatione semper nominandus, natione Hungarus, genere nobilis, sed dudum uaria fortuna uexatus, illud idem Polonicū atq; Germanicū uulgare, expeditè sciens, literis Latinis haud uulgariter doctus, ab initio in Polonia fortuna adiutus. Auro, argentoq; utrumq; regnū magnis cōmodis ampliauit, nomen suū apud exteras gentes adminiculo maximæ industriæ clarum atq; perenni laude celebratum fecit, & cum famatissimis Europæ mercatoribus Fuggaris in Augusta Vindelicorum per connubia societatem iunxit, pleraq; ingenia, uariasq; item artes ad auri, argenti, cupriq; fodinas eius industria magno quæsitas, cœad posteros transmisit, mortuus ad Leuczouium oppidum relatus, in maiorum tumulo adseruatus est. Moriens hos filios insignes duabus uxoribus genitos reliquit. Primo matrimonio Ioannem Vvratislauień. Stanislaum Olomucēsem Episcopos, Georgium Comitem Camerarium montium Hungariæ. Qui uiuente patre affinitatem cum Fuggaris iunxerat, patre absumpto totam prouinciam & negocium patris suscepit, uir magni ingenij, Latina, Germanica, Polonica, Hungaricaq; lingua, peritus, ad omnia patris cæpta natus, ucrum aduersa ualitudine ut plurimū infœlix, qui aliquantò postea uel sanitatis gratia, uel uxore urgente in Augustam Vindelicorū concessit, nunquā integrè conualuit ad 19 Martij 1521. diem clausit extrēmum, pręter eos Alexium quoq; & Ioannē secundo matrimonio *Ioannis Turzonis mors.* *Ioan. Turzonis soboles.*

nio genitos reliquit. Atq; hic hoc año utriusq; Poloniç status erat. Res uerò Prussię in anni finem quietæ fuêre. Iam igitur ad res Lithuanicas calamus remeabit.

Michaëlis Helinskei facinus. Reuerso itaq; ex Lithuania hyberno tempore ad cómitia Cracouieñ. Rege Sigismundo, ut paulò supra abscribitur, interim Michaël Helinskeus in Lithuania remanens, undique socijs, et auxilijs quæsitis, postquam res sibi non ex sententia cessisset, in pessimum facinus animatus est, Ioannem Zabrzezinsky magni ducatus Lithuaniæ Mareschalcũ suũ (ut rebatur) delatorem apud Grodno in hac parte Chronĩ fluuij, nihil hostis arma suspecta habẽtem, sub prima noctis uigilia inuasit, raptumq; per suos satellites ex lecto nudum per cubiculi limen extraxit, tum Turca cædis ministro capite plecti iussit, immensum, uiolentumq; scelus, sed non tam magnum, quin quæsita apud principem gratia ueniam habuisset, si modo hanc initio quæsisset, quum uerò ob patrati sceleris magnitudinem & necati amicorum instantiam. Regem tam facilis rémissio non deceret. Helinskeus desperatis rebus ad maximi belli initia animum conuertit, tumultuariós illicò motus excitauit, aliquot ex optimatibus magniducatus complices, & primum fratrem Basilium Helinskeũ ducem rebellionis socium asciuit: Qui certis castellis traditis fratris partes sequutus est. His uerò malis non satiatus Michaël, summo conatu Lithuaniæ, Russiæq; patricios conciliare sibi operam impendit, hic munera pólliceri, illic spem dubiæ uictoriæ, & prædæ ostentare pergebat. At nondum satis sibi uirium esse ratus, ad Basilium Moschorum ducem

Michaël noui motus Moschi et concitator. thesauris prius, fratre & amicis in Moschouiam perductis confugit. A` Basilio facilè auxilia, qui non modo inuadere, sed & uniuersum magnum ducatum subiugare (ut illi uisum est) posse crederet impetrauit. Fuêre tũc ex Ruthenis atq; Lithuanis, qui rebus Helinskei

Firleius. fauerent, atq; non inuiti si tempus datum fuisset, huic conspirationi accessissent. Sigismundus his cognitis, initijs obstare decreuit. Firleium cum exercitu militis mercenarij sine cunctatione expediuit. Et Polonicis rebus domĩ pacificatis Cracouiam 4. Maij, ipso die diui Floriani egressus, in Lithuaniam celeriter peruenit. Helinskeus uerò interim Regias arces dolo occupatas muniuit. Preterea Moschi auxilijs alias expugnare aggressus, Minskam arcem obsidione cingens, frustrà conatus, pro maioribus auxilijs Basilium Moschorum ducem sollicitauit, qui (sexaginta hominum millia (ut fertur) proprijs tamen ducibus Michaëli iunxit. At Sigismundus Rex Brescium ueniens exercitum percensuit, in quo mercenarij milites Poloni fermè quinq; millia & præterea aulici regij erant, Lithuanorum uis ingens, Ruthenorum & Tartarorum auxilia exercitum circa Nouogrodeck ampliarunt, atque ita Sigismundus Michaëli, Moscouiticisque copijs belli desyderium extincturus, uersus Minskeam arcem obuius processit. Michaël regio aduentu cognito territus, obsidionem arcis Minsko soluit, cum Moschis, quos in auxilijs primis secum habuit uersus Borisovv se contulit. Quem rex prius circa Minsko exercitu toto recensito & ordinato, fugientem apud Orscham citra Borysthenem, ubi iam reliquus Moschorum exercitus ex sexaginta armatorum millibus, Daniele Szennja, et Iacobo Zacharino ducibus peruenerat insequutus est. Duces uerò Michaëlis fuga & regio aduentu cognitis, mox exercitum reducere statuerunt, Borysthenem non sine incommodo superarunt. Exercitum superato Borysthene ad mille fermè passus in nemore ultra collocauerunt, interim fluminis transitum custodia forti munientes. Postquam uerò regius exercitus, qui armis splendens & ordinibus benè dispositus erat, in ea loca uenerat, quibus Moschi Borysthe-

Pugna ad Borysthenem. nem transeuntes fugerant, castra illic pósita sunt, Dies enim illé diuæ Margarethæ uirgini sacra fuit: mox equitum, pedituumq; aliquot centeña bino uado, longo quidem à se interuallo distantibus flumen superarunt, hostes dum uno in loco Regios inuado impedire conãtur, interim equites, qui iam superato flumine, totũm exercitum hostium turbare cœperant, plures interemerunt, spoliaq; non aspernanda rapiunt, ab ipsis cibis hostes magnanimiter deturbant, tum proximiori uado decertantes à Regijs quoque profligantur. Rex cum pugnæ initia iam data conspiceret, equo conscenso, ad fluminis ripam suis animum additurus, uelociter peruenit. Interea tamen quia Sol occideret inclinata die crepusculum rem dirimere coëgit. Quare rex consultè suis receptui signum dedit, ipse uerò ad tertiam noctis horam omnib. prius cõstitutis uigilijs in castra pransurus reuersus est. Præcepit tum rex ut nocte tota milites in armis quiescerent, quo in diluculo citiùs hostem inuadere possent. Michaël uerò qui supremam uictoriam, hoc in bello experiri properabat, magno animo ad uniuersale certamen cum rêge Sigismundo socios animabat, facilem, certamq; uictoriam, si res ex eius consilio gereretur promittens. Duces uerò uel quod aliter à Basilio mandatum esset, uel quod militum suorum uirtuti (quod credibilius est) diffiderent,

siderent, pugnam detrectant, ita timore perculsi, in eius noctis medio exercitum per nemoria inuia, perque paludes periculum imminens fugientes, non sine magno incommodo impedimẽtis, multisque equis relictis, plus quindecim leucarum spacio à regio exercitu abduxerunt. Quos Michaël Helinskeus rebus desperatis, necessariò sequutus, usque ad Stradub celeri cursu ne à regijs ex insidijs impeteretur peruenit. Ea uerò quæ uel ad hominum, uel equorum usum essent relinquenda, in nihilum redacta fuere. Rex autem tum quod armis suorum impedientibus, tum etiam quod itineris modicum esset periculum, exercitum ab Orscha uersus Schmolenskeam arcem duxit.

Fuga Moschorum.

Erant cũ rege in ea expeditione ex Polonicis Consiliarijs Reuerendi D. Matthias Dreuitius Episcopus Premislieñ. Vicecancellarius regni Poloniæ, Ioannes de Lasko tunc Cãcellarius regni, paulòpòst Archiepiscopatus Gnezneñ. coadiutor factus, Nicolaus de Dambrovvytza Lublineñ. tunc Castellanus, & Christophorus de Schydlouietz, tunc subdapifer Cracouieñ. regiæ curiæ Thesaurarius, & plerique alij regni Poloniæ proceres. Rex uerò cum exercitu saluus ad primam Augusti diem ad Smolenskeam arcem peruenit, & in suburbio castra posuit. Tum consilio cum magnatibus & belli ducibus capto, Rex Constantinum ducem & Nicolaum Firleium exercitui præfecit. Capto itaque hostis fines inuadendi consilio, ex re uisum fuit exercitum in Moscouiam ijs ducibus summittere: Regem uerò interea apud Smolensko mansurum postulantibus rebus, quæ ex usu forent exercitui ordinare. Hæc dum tardiùs succedunt ex magnatibus duo inter se dissentiunt, maximè ea res non modò effectum concepti consilij tardauit, uerùm etiam expeditionem non sine incommodo hosti patefecit. Hostis quod ex re maximè sua esset, syluas ac nemora arborum demolitione ingenti celeritate clausit, ac Drohobiceñ. arcem quod eam tueri posse dubitaret igne absumpsit. Effectũ hac re est quod toto exercitui hostium fines inuadere non liceret. Verùm nihilominus Regij milites uarijs factis eruptionibus plurima abegere spolia. Missus est item à rege Kiska cum Polonicis, ac Lithuanicis copijs uersus Vozniam Moschorum arcem, hic celeriter, quæ circa eam arcem essent ferro, flammaque absumpsit. Hæc dux Moschorum intelligens, periculum auertere cupiens, mox militibus suis cõgregatis regijs copijs occurrere iussit, quibus per exploratores ad Kyskam perlatis, qui numero se longè hostibus inferiorem cognoscens regi euestigio nunciauit. Rex ne in tanto periculo suis deesset, non paruam manum Nicolao Firleio duce, submisit. Is diutiùs quam res tanta postularet in syluis immorari coactus, Kyskonis spem interturbauit. Qui nihilominus hostium custodiam, & qui in excubijs essent aliquot particularibus prælijs uicit, qui fugientes suis magnam Polonorum, Lithuanorumque uim adesse nunciant, sicque hostium copiæ solo Polonorum nomine territæ & cunctæ simili fuga salutem quæsiuère. Pariter & regijs fermè contigit, cum hostium fugitiui numerosum Moschorum exercitũ propè adesse nũciarent, & Kyska supremam fortunam omnium suorum periculo tentare recusaret, atque nullo internuncio de auxilijs spem acciperet, & ipse inter uictorem, & fugientem quodammodo medius, ad tria millia passuum exercitum reduxit. Moschus uerò suorum infœlici successu cognito, quod suorum plerique desyderati essent, & longè, lateque regij milites ferro, flammaque uastarent, hyemis quoque mox futuram incommoditatem considerans, caduceatore misso belli inducias à rege expostulauit. Stantibusque inducijs oratores mittendos, qui de pace tractarent, & conditiones secùm dicerent, affectauit. At rex qui rebus uniuersis, quæ ad reip. ampliationem spectarent nunquam deesse uoluit, & ipse periculum perpendebat, quod hostis pugnæ copiam detrectaret, quod suorum uirtus contra ligna, & paludes frustrà exercenda, ac conterenda non uideretur. Item hyberna propè tempora adessent, quod res Polonicæ regis aduentum non parum postularent, & postremò quod tantus exercitus magno sumptu frustrà fatigaretur. Basilij petitis annuit: Ad hoc iter Ioannem Sophiam Ruthenum à secretis notarium rex submisit. Hunc quoque Ioannes Syluius Siculus Amatus Geographus, & orator insignis Græcæ & Latinæ linguæ peritissimus regionis uisendæ causa comitatus est. Secuti sunt & plerique ex mercatoribus mercandi gratia. Sophia dum ad Basilium uenisset, facilè inducias & pacem cum metuente bellum confecit. Res itaque hoc modo conclusæ fuere: ut stantibus inducijs Basilius ad regem oratores mitteret, qui pacẽ his conditionib. cum rege perpetuo duraturam firmarẽt, ut arces iampridem Michaëli Helinskeo parentes, aut nuper in deditionem acceptæ Lithuanis redderentur. Helinskeus rebus omnibus apud Lithuanos exutus apud Basilium exularet: captiui hinc inde dimitterentur. Dimissi tunc fuère ex magnatibus Lithuaniæ uiri insignes diuturna captiuitate apud Moschum consumpti

Expeditionis Regiæ Comites.

Drobobytz exusta.

Kyska circa Vozniam prædas agit.

Ioannes Sophia.

Ioan. Syluius Siculus.

Conditiones pacis.

sumpti Lithaur, Gregorius aliàs Hrehor Bartoslauitz, et plerique alij. A Muscho item legati, qui arces iuxta firmatam pacem restituerent, Helinskij fratres. & coniuges, amicosq; Moscouiam perferrent missi, Helinskei frater Basilius, & coniunx illius mœrentes abducti fuêre. Præterea plærisq; Moschouia carceri adsimilis suspecta fuit, qui fuga sibi consulere maluerunt, ad arcem Odrusko fermè ducenti uenerunt, inter hos Ostaphi miles insignis, & Vlricus Schelndorff Helinskij quæstor fuêre, ex eo loco Ostaphi accepta fide publica in castra regia peruenit, reliqui obtenta uenia ad regem alij, alij ad Constantinum Ostrovvskeum ducem, aliosque uenêre. Quos quidem articulos paulòpòst Basilius per legatos ratificare data fide promiserat. Hæc regi per Sophiam nunciata fuêre. Qui & postquam rex Vilnam peruenisset, supra adscriptis conditionibus cum Moscorum duce Basilio pactis redijt. Regi uerò ex usu uisum erat pacis conditionibus acceptare, quod bello non sine periculo, dubiè etiam obtinendum esset, exercitum propter hyemem iam instantem dimisit. Redijt igitur pars exercitus Vilnam, alia item pars Constantinum ducem uersus Voliniam comitata. Sub illud tempus Tartarorum eruptio in ducatum Lithuaniæ facta, quorum partem Constantinus dux contriuit. Aliam item partem Polusz miles Ruthenus insignis prostrauit, Lucas uerò Morauus ducentorum peditum præfectus in tertiam Tartarorum aciem casu incidit. Verum cum aut fugiendo, aut pugnando moriendum esset, placuit magnum imparibus quidem uiribus conserere. Iunctis igitur celeriter ut tanta res postulabat curribus propugnaculum fecit, & ad amnem qui Sluskeam arcem præterfluit, pugnam cum Barbaris suscepit, in qua non numero, sed industria superior factus est, Tartari abiecta prçda, fuga dilapsi sunt, quos dū pedites insequi non possent, equites ex Sluskea arce erumpētes adsequuti in locis paludinosis nonnullos suppressêre, reliqui fuga sunt saluati, atq; sic Lithuania tunc à Moschorum ac Thartarorum inuasione liberata est. Rex deinde Vilnam die 12. Nouēbris peruenit, ibi parum refectis equis Deo Opti. Max. gratiæ prouincia habitæ, tum inter hilaritatem ac quietem optimus quisq; pro uirtute sua in hoc bello præstita remuneratus est, tādem in Poloniam comitia ad anni iam initium statuta acturus accelerauit. Hic Lithuaniæ atq; demum uniuersæ Sarmatiæ status sub anno salutis 1508. fuisse perhibetur.

Tartarorum in Lithuaniam eruptio. Lucæ Morauii pugna.

Ann. 1509. Bellum Valachicum.

PACEM cum Basilio Regis, Senatusq; Lithuaniæ assensu firmatam, & sequenti anno ut infra adscribitur, à Basilio per legatos roboratam, bellum Daciç seu Valachicum cōsequutum est. Ante huius initia, comitia de more apud Piotrkouiam celebrata sunt. Quibus expletis, Rex 19 Aprilis Cracouiam uenit. Iam inde uisum fuit consortem, regniq; sociam quærere, ne eo absumpto, externorum manibus regnum submitteretur. Missi itaque legati fuêre qui ducis Mekelburgeñ. filiam Annā uirginem postularent, Ioannes Lubrantius Poznanieñ. Episcopus, Ioannes de Lasko supremus regni Cācellarius, et Gnezneñ. coadiutor. Christophorus Scydlouuius regni Camerarius. Hi cùm ad hoc iter accincti, Cracouiam in diebus Iunij egressi essent, subitò negocium interceptum est, uel quod Deus Opti. Max. hoc connubium regno Poloniæ infœlix futurum impediret, uel quod factionibus bello Valachico excitato Rex aliò conuersus, prætermisso matrimonio paulòpòst alibi inducendus speraretur. Certò tamen constat, nullam mutationis consilij caussam accessisse, quam ut insperatum ita periculosum bellum.

Stradomiæ cōflagratio.

Parum antequam hæc fierent die 22. Martij Stradomia inter Cracouieñ. portam & Vistulæ pontem igne absumpta erat, diuorum Heduigis, Agnetis, atq; Bernhardini templis relictis, reliqua ex utraq; parte fermè omnia incendio periêre: summo etiā labore ipsa urbs Cracouia est à periculo liberata. Hijs hoc modo se habentibus, circa Iulij mensis initium nunciatum est Regi, Bogdanum Valachiæ Palatinum, contra ius gentium, rupto fœdere, & obedientiæ iugo abiecto, Russiam, Podoliamq; exercitu magno ingressum, cædibus, flammisq; omnia explere. Hic nuncius regis animum à futuro (ut supra narratur) connubio contrahendo reuocauit. Igitur Regis atq; Senatus edicto arma sumpta, milites stipendijs addicti, suscepti, & omnia ad belli necessitatem celeriter parata sunt: pecuniæ ad hoc bellum necessariæ ex aliquibus Cracouieñ. ciuibus spontanea uoluntate collectæ. His Ioannes Boner & fidem fecit, & partem multò maximam ex suis, amicorumq; facultatibus, ne respublica detrimentum haberet, adiunxit. Rex igitur iterum iam domi rebus compositis, altera post festum diui Iacobi, die quæ 26. Iulij Cracouiam exiuit, per Bochniam, atq; deinde recto itinere Leopolim peruenit, interim Vvladislaus rex Pannoniæ fratrē ab incæpto nitebatur auertere, uel qd' superiorib. periculis Alberti regis temporib. acceptis admonitus esset, uel quod depopulata Dacia Hungaris, atque Polonis Turcam hostem

Expeditio in Valachos.

hostem difficiliorem uicinum putaret. Quid horum fuerit non habeo dicere, constat tamen Sigismundum fratris consilio non annuisse, sed neque bello (tum proditionis, atque cladis qua Ioannes Albertus affectus fuerat memor, tum etiam desiderium cupidine uictoriæ flagrantis animi expleturus) abstinuisse. Antequam Rex exercitũ parasset, & Leopolim applicuisset, Bogdanus Daciæ Palatinus flammis, ferroq; loca, nec natura, neq; arte munita, sed & plerumq; hominibus deserta absumpsit. Arcem Haliciẽ. frustra tentauit. Exercitum dehinc Leopolim duxit, & prædam potius egit, quàm quod obsidione cingeret, à longinquo machinas locauit, atque globos supernè iniecit, accepta uerò non modica suorum iactura, tertia qua uenerat de obsidione soluta, exercitum ad propria (eo quod Sigismundum cum exercitu iam aduentare didicerat) reducere cœpit. Prædam ingentem, uasa aurea, argẽteaq; ex templorum suppellectili, multas etiam æreas Campanas abduxit. Rohatin oppidum per deditionem accepit, & incendit, hæredibus ac populo illius secum abacto. Sigismundus paulò pòst Leopoli exercitum percensuit, dum rebus febribus correptus adesse nequiret. Nicolaum Camienecium Cracouiẽ. Palatinum, & præfectum exercituum regni ducem generalem legionibus præfecit. Deo Opti. Max. diuoq; Stanislao patrio sancto, ut hoc bellum sibi, & Polonico populo fœlix, ac faustum ex usu esset, uota fecit, quæ postea adsecutus uictoriam summa fide, ut mihi suo loco dicendum erit persoluit. Nicolaus Camienecius susceptam prouinciam excelso, lætoq; animo perfecit, superato Tyra amne Daciam ingressus consimili uicissitudine igne, ferro, cædibusq; Valachiam molestauit. Fuère etiam in eo exercitu milites mercenarij ex Bohemis & Germanis, qui sub Sczirneo Bohemo, duce militabant. Multas ciuitates ac uillas, item curias ac prædia in cineres redegit, in quibus insigniores fuère Czarnovvcze, Dorohim, Bothuszanij, Scepanovvscze, & Choczim. Dum uerò ad longum & per transuersum quæq; uastata essent, atque ad Sczocauiam Palatini sedem peruentum, frustrà res tentaretur, neque pugnæ copia appareret, Palatino syluis ac nemoribus se occultante, Nicolaus Camienecius exercitũ reduxit, in eo ingressu atq; reditu passim uiri, fœminæ, impuberes, senesq; & ipsa pecora, quæ ad usum nõ essent cæsa, necataq; fuère. Hac clade Vvladislaus ab Hungaris ne persuasus, an à Bogdano sollicitatus, non satis constat, legatos ad Sigismundum submisit, qui dictis conditionibus pacem conficerent.

Bogdanus Valachiæ Vaiuoda.

Valachiæ uastatio.

Dum ea in re legati operam impendunt, & regius exercitus ad Tyram amnem reductus, iamq; tranatandum esset, & regnicolarum exercitus amnem superasset, mercenario milite, & aulicis regijs remanẽtibus, quibus Thvvorovvsky miles strenuus præfuit, mox in insidijs Palatini copiæ apparuère. Regij imperculsis animis, ut negocium postulauit aciebus instructis, pugnam parant, quam nec hostes detrectant, utrinq; igitur copijs ad certamen inductis, Palatini exercitus, qui & numero inferior erat, fugatus atque partim captus est. Capti fuère in eo prælio ex magnatibus Palatini multi, ex quibus quinquaginta decollati fuère. Supplicium hoc ideo sumptum, quod olim Stephanus palatinus huius palatini parens mercenarios Polonicos milites in Trebovvla captos, postea in Podhaijcze misere securi percussisset, quorum tumulum cum Nicolaus Camienecius uidisset, lachrymans ulturum se hanc iniuriam ac miseram mortem uouisse fertur. Triginta fermè captiui insignes Leopolim ducti, inter quos fuère Matthias Logofeth minor. Hic habuit officium ex cõparatione Vicecancellariatus, Humyenieck Kyerza. Magnus dispensator Petryka & Dobrosteph. De hostium uerò cæsorum numero non satis constat. Incidit hæc pugna in diui Francisci diem, quarta Octobris, qui deinceps perpetuò Polonis festiuus est institutus. Fuère in Palatini Bogdani exercitu primores Daciæ & nobilitatis robur, ad hoc Turcarum duo millia equitum fuisse fama fuit. Redijt tandem in Podoliam exercitus, postquam Daciam uiginti fermè diebus uarijs cladibus affecerat. Ab eo uerò die quo regij Daciam ingressi ad pugnæ iam supra memoratæ diem nullo nuncio rex successus suorum cognouerat. Atque ita in Dacia seu Valachia rebus per exercitum gestis, hyeme tunc instante, & Vvladislao Hungariæ rege pacem sollicitante, exercitus dimissus est. Legati Hungarici Osvvaldus Karlaczkeus & Barlam Bornomisseus collega pacem his conditionibus firmarunt, ut abacta præda redderetur, & damna illata rependerentur. Hæcq; per Palatini legatos ad regem submittendos confirmarentur. Atque hic Valachici tunc belli finis fuit, & Sigismundus in Poloniam reuersus est.

Pugna ad Tyram.

Festũ D. Francisci institutũ.

Pacis conditiones.

Interea dum rex apud Leopolim egit, Iacobus Schydlouitius Sãdomiriẽ. Castellanus regni Poloniæ Quæstor uita excessit, à fratribus in maiorũ sepulchro repositus fuit. Huic Andreas Coszcelecius in quæstura successit.

Iac. Schydlouitius Quæstor mortuus.

Eo autem anno, Tauricus Cæsar Tartaros Nohaijſceos inuaſit, qui raptis armis Tartaros Przecopień. ſeu Tauricos prælio uicerunt, cæſiq; fuêre duo Cæſaris nepotes.

Terræ motus. Terræ motus eo anno maximus fuit. Apud Conſtantinopolim Baizetus Turcarũ imperator metu nutantium ædificiorum perulſus, relictis mœnibus, ſub tentorijs uixit. Per regnum Boſnæ atque Dalmatiam uſq; in Italiam hic terræmotus durauit, apud Cremonam & alibi uidi magnorum ædificiorum ruinas.

Maximiliani Regis Legatio. Hoc etiam Anno die 23 Decembris, Maximiliani Romanorum regis legati Cracouiã uenêre, Vitus de Furſt, & Ioannes Kuchenmeyſter legum doctores, relationem Vitus Latinè, eleganterq; fecit, poſtulatum eſt ea legatione ut comitia pro feſto Ioãnis Baptiſtæ apud Poznaniam indicerentur, ubi miſsis alijs legatis & nuncijs res Prutenicæ per ſalubria conſilia ad concordiam reuocarentur. His auditis, in quartumq; menſem retentis, conuentus in Maximiliani gratiam indictus fuit, atque ſuo tempore illuc uentum & actum eſt, hæc decimi anni narratio poſtea tradit. His iam enarratis ad res Lithuanicas ſtylus conuertendus erit.

Fœdus Moſchorum. BASILIVS IGITVR Moſchorum princeps ut pacis expleret cõditiones in Lithuaniam miſit legatos, qui Vilnam die decimaoctaua Ianuarij trecentis equitibus comitati ingreſsi ſunt, pacem his conditionibus, ſicuti Anno 1508. per Sophiam regium ad Baſilium legatum firmatum erat, iuramentis hinc inde præſtitis, perennibus diebus duraturam confirmauerunt. Captiui omnes uinculis liberati, Moſchi ſupra quinquaginta legatis traditi fuêre. Præterea literis res roborata eſt, & legati cum honore dimiſsi. Fuêre itẽ tunc aliqui ducis Michaëlis factionis cõplices, die 19 Ianuarij cuſtodiæ traditi, inter quos inſigniores hij fuêre. Gaſtoldus ducatus Lithuaniæ quæſtor, Michaël Konivvſze quæſtoris germanus, & Michaëlis ducis gener, cum quibuſdam alijs aulicis Lithuanis, qui genere clari eſſent, in magnatum ædibus liberali cuſtodia adſeruati, obſcuræ ſortis in Trocenſem arcem ducti ſunt. *Pleſcouia amiſſa.* Eo Anno in Octobre Baſilius Moſchorum princeps Pleſcouiã ciuitatem magnam, & arcem per deditionem accepit, eadem urbe patricijs, & ſacerdotibus Græcis priùs blanditijs euocatis, & ſeruatis, dehinc uulgus facilè illi aſſentit, in eam diem campana magna adſeruabatur, qua tumultus excitaretur, ſimul & plebei conuocarentur: hac dimiſſa atq; in Moſchouiam accepta ſine gladio rerum illic potitus eſt. Hæc apud Lithuanos, atq; Moſchos Anno ſalutis 1509. ſic ſe habuêre, & uniuerſæ quidem Sarmatiæ ſtatum huius anni hoc modo ſe habuiſſe conſtat.

Ann. 1510. ANNVS uerò ſalutis 1510. Sarmatiæ regi multorum Principum legatis inſignis, atque memorabilis iam nunc initia ſumit. Maximiliani legatis apud Cracouiam præſtolantibus, diè 6. Ianuarij Iacobus Piſo uir doctus à Iulio ſecundo Pontifice Max. ad Sigiſmundum legatus miſſus, Cracouiam uenit. *Rom. Pontificis legatio.* Huius legationis ſumma fuit, quod Romanus Pontifex totius fermè Europæ principes ad pacem reuocaſſet, ac ea arma, quæ iam pridem in domeſticam cladem ſumpta eſſent ad Chriſtianæ Reipub. hoſtem ferre ſtatuiſſet. Quare & Sigiſmundum per fidem adhortatus, ut domi conſilio rebus pacatis, copias Vvladiſlao iungeret, atque ex Hungariæ, Bohemiæ, Poloniæq; regnis legionibus proprijs in Thraciam bellum mouerent. Hic aliquandiu Cracouiæ cõmoratus. Negotium uerò hoc magnum atque periculoſum ad proxima Petrkouienſia comitia reiectum eſt, *Cæſarianorum & Pontificiorum oratorum contentio.* dum Pontificis atque Maximiliani oratores in diuę Virginis æde eo loco, quem urbis cõſules inter diuina occupant conueniſſent. Pontificis legatus per Vitum primo loco pulſus eſt, dum poſtea de hac re argueretur Romano Cæſari primum honorem deberi, ſed & Piſonem non Pontificis legatum plena poteſtate agere, ſed ſimplicem nuncium, reſpondit. Iam tunc comitia apud Petrkouiam habita, oratorum poſtulationes ad Senatum delatæ, Maximiliani oratores cum promiſſo conuentionis futuræ apud Poznaniam, poſtquam quatuor menſibus retenti fuiſſent, honorificè donati à rege dimiſsi ſunt. Ad Vvlatiſlaum uerò Hungariæ regem legati miſsi, qui communicato conſilio, ſuper bellica expeditione in Thraciam, ut deinde Pontifici reſponderetur. Legationis munus Ioannes de Lasko regni Cancellarius & Gnezneñ. coadiutor, & Nicolaus Firleius Palatinus Lublineñ. ſubierunt. Rege cum Senatu apud Petrkouiam agente, quarta Februarij 1510. *Danica legatio.* Danorum, ſeu Daciæ Regis legatus Cracouiam uenit. Hic à Ioanne Bonero cum alijs legatis ad regis aduentum præſtolari iuſſus. Auditus deinde, Danorum regis filio inclytam Elizabeth Sigiſmundi ſororem uirginem in coniugem poſtulauit. Illa dum maris pericula metueret, atq; apud parentũ oſſa iucundius manere duceret matrimoniũ recuſauit. Legatus uerò honorificè donatus, & dimiſſus eſt. Pauló poſtquã ille ingreſſus eſt

urbem

urbem Cracouieñ. die 16. Februarij, Osvvaldus Karlackeus cum collega regis Pannonię legati, qui nuper inter regem, & Palatinum Daciæ pacem firmauerãt, Cracouiam ingressi, ut cum Bogdani legatis conditiones pacis cõfirmarent. In ipso ingressu Ioannis Boneri præsentia ingens periculum auersum fuit. Nam dum Karlackeus in hospitium illi consignatum ingressus esset, domus illi contigua, quæ Mazouiæ ducum est, & tũc ab Althofio incoleretur ab illo expetebatur. Dum uerò hospes reniteretur, conuocata familia admoto trunco portã ui infringere conatus est, Althofius metu periculi perculsus uiolentię iniuriã exclamauit, mox uulgo accurrente, parum interfuit, quin lugendum facinus patratũ fuisset. Ioannes Bonerus casu Reipub. negocijs postulantibus, paulò antè prætorium ascenderat, is re cognita, festinanter tumultui se immiscens periculum auertit.

Tumultus pacatus.

Decima dehinc mensis Martij Baizeti Turcarum Cæsaris legatus Cracouiã uenit. Huius legationis summa fuit. Postquam Sigismundo Regi munera Turcarum Imperatoris obtulit Baizeti nomine, quod in paternum ac auitum regnum euectus esset congratulatus est, optans ut hæc sceptra diu gestaret, ac reipublicæ fœliciter in nominis sui gloriam præesset. Cupiens cum eo fœdus (quod cum parente ac fratribus Polonici populi regibus obseruasset) firmare. Post hunc Bogdani Palatini Valachiæ legati, uti in pacis conditionibus cautum fuerat 12. Martij uenerunt, hi uerò quando magis necessarium uideretur primum auditi, die quarta postquã aduenerant regem adierunt, deferebant tunc templorum abactam suppellectilem, & ea quæ præda ex Russia, aurea, argenteaq́ receperãt: Manu missi sunt item hæredes Rhohatin oppidi, item populi districtus illius, & hij quoq; palatini proceres, qui ex proxima pugna capti Leopoli tenti fuerant, confirmata pace simul cum Vvladislai legatis dimissi, per Hungariam in Daciã redierunt, eadem prius, quæ cum Polonis pace confirmata. Tredecima dehinc mensis Maij à Vvladislao Hungariæ rege Cracouiam uenit Præpositus Albæregalis legatus, Bogdanus item Palatinus Valachiæ legatum misit, cuius legationis summa de Thraciæ rebus erat. Venit paulò post Cracouiam legatus Basilij ducis Moschorum de rebus adhuc Lithuanię, & Moschouię acturus. Hunc Taurici Cæsaris legati sequuti fœdus cum Kazimiro antiquitus seruatũ renouare postulantes.

Legatio Turcica.

Valachica legatio.

Varij legati.

Eo anno die 20. Aprilis Andreas Roza Archiepiscopus Gneznen̄. morte absumptus est, huic Ioannes Laskeus regni supremus Cancellarius, & regis assensu iampridẽ coadiutor successit, die dehinc 23. Maij per regem confirmatus est.

Andreæ Archiepiscopi Gneznensis mors.

His iam proximè accessit Poznaniæ pro diui Ioannis die institutus conuentus. Conuenêre itaq; Maximiliani Romanorũ regis & imperij legati Abbas Fuldensis, & Comes de Mansfeldt cum alijs collegis, Vvladislai Hungariæ & Bohemiæ regis legatus, Ioannes Thurzo Episcopus Vvratislauien̄. A' Sigismũdo rege atq; Senatu submissi fuêre Ioannes Laskeus Archiepiscopus Gneznen̄. & regni Poloniæ primas. Vincentius Przerampski Vvladislauien̄. Ioannes Lubrantius Poznanien̄. & Lucas Vvarmien̄. Episcopi. Andreas Samotuleius Pozna. Gardzina Calisien̄. Palatini, Lucas de Gorka Poznani. Pampovvskeus Mariemburgen̄. præfecti. A' magistro Prussiæ & Friderico Saxoniæ duce, & ordine legati fuêre Iobus Episcopus Pomesanien̄. & alij ordinis Cõmendatores collegæ. His itaq; conuenientibus aliquandiu dubia spe consultum fuit, donec tandem infecta re discessum est. Negocij summa, legatorum ordinis, & sociorum fuit, ut Prussia tota simul & Pomerania ordini restituerentur. Item ut ab Homagio à Polonis liberarentur. Tertio loco ut expeditiones bellicas cum Polonis nõ subirent. Postremò ut Poloni ad ordinem non assumerentur. Ad hoc ultimum facilè assensum Poloni præbuêre: reliqua à Polonico senatu ut indigna uisa sunt, ita penitùs reiecta fuêre. Non solum hæc Polonis summo iure possessa seruanda fore, uerumetiam ab ipso ordinis præfecto seu Magistro secundum fœderis supra duas ætates seruati uim, homagium postularunt. Quod dum nec ordini acceptum esset, induciæ quibus magister super homagio non molestaretur petitæ fuêre. Sed nec hac spe consolati, legati infectis, ut supra narratur rebus, ad propria redière. Ad hoc regnum Iulius secundus Romanus Pontifex Achillem de Grassis legatum submiserat, qui aut itineris longinquitate, aut quia tardiùs prouinciam suscepisset rem neglexit, nihilominus Cracouia ad Sigismundum regem peruenit, urbem in principio mensis Augusti ingressus, paulò post à rege & senatu auditus est. Is dum prouinciam ad quam delegatus esset neglectam uideret, totius legationis summam Iacobi Pisonis negocium fecit, summo conatu ut regem cum fratre Vvladislao in Turcas animaret laborauit. At dum Rex & Senatus eam expeditionem nihil firmitatis habere censerent, non

Poznaniensis Conuentus.

Rerum Prutenicarum tractatio.

Prutenorum postulata.

Achilles de Grassis.

Turcicæ expeditionis consultatio. ex regni usu fore cum Turca negotium facere decretum est. Accessit ad hoc quod iampridem Turcarum imperator Sarmatis pacis iuramentum transmiserat, contra ius gentiū esse uisum, si Poloni etiam Ethnico principi fidem uiolarent, sed hoc quoq; ingens periculum fuisset Turcarum arma ab alienis bellis auocare, & in propria uiscera conuertere. Vbi si uictoriam Deus fauisset, omnium principum epistolis summè, eleganterq; congratulatum fuisset, sed & summi præsulis benedictio Apostolica non defuisset (hæc quondā Vvladislao ante Varnensem pugnam acciderunt) uerum si armis res inferior fuisset, serò auxilia à Romano Pontifice quærenda, qui ea ætate totam Italiam bellis, periculisq; commiscebat atque hinc forte supremum auxilium fore, si Sarmaticæ res deperditæ apud Romanos lugerentur. Hæc dum in Senatu fortè altius repetita fuêre Turcis fœdus seruatum est, atq; Achilles à rege honoratus, donatusq;, in fine Septembris Poloniam excessit, paulò post à Iulio Cardinei ordinis patribus adscriptus Regnū Poloniæ in hanc diem tutandum suscepit. Hæc Poznanień. conuentus summa fuit.

Tauricorum in Nohaiscecos Tar. expeditio. Interea dum hæc apud Polonos aguntur Taurici Tartari pristinæ cladis memores arma corripiunt, atq; Cæsarem Nohaijsczeum inuadunt, unoq; prælio uicerunt, præda abacta in propria redierunt. Eo prælio tantam fœminarū, puerorumq; uim abegisse ferunt, ut ex Nohaisceis essent, qui sponte eos sequuti societatem, & hospitia susciperent.

Incendium salinarum Veliciens. Apud Cracouiam in Veliciení. oppido, in cauerna montium salinarum homo nequam laborator montanus excundo ignem ipsis cauernis iniecerat, quo exuscitato montes fumo atq; fœtore repleti, plerique ex laboratoribus dum fumo impedirentur aberrantes in ipsis cauernis, aut colla fregêre, aut suffocati sunt. Andreas Coscielecius salinarū tunc præfectus, metu perculsus, periculo se ingenti exposuit. Dum enim ex obscuris etiam nemo esset, qui descendere uellet, ipse accinctus, ut rem saluaret descendit. Eum comitatus est Seuerinus Bethmanus Consul Cracouień. fermè nonagenarius, homo ueneranda canicie montium magister, qui Andream iam fumo delapsum in montis summa profunditate seruauit, nihilominus utriusq; postea industria ignis extinctus, & mōtes in maximo discrimine positi amborum diligenti opera seruati sunt.

Legatus Valachicus. Deinde septima Nouembris Bogdani Palatini legatus Cracouiam uenit, huius legationis summa fuit, ut rex auxilia contra Tauricos Tartaros illi summitteret, utq; ad Basilium Moschorum ducem legatum per Sarmatiam transmittere posset, hæc ut mox promissa, ita seruata fuêre, legatusq; dimissus est. Legato Bogdani uix dum expedito Imbremus Turcarum imperatoris legatus 24. Nouembris Cracouiam uenit, hic auditus Regis iuramentum ad seruandam unius anni pacem postulauit, hoc nuper Turcarum imperator coram Andrea Scarzeovvskeo regio notario fecerat, & hoc mox obtentum, legatus muneratus dimissus est.

Turcicus orator.

Res quædam Prussicæ. Hic annus Prussiæ rebus nihil memorabile addit: hoc uno narrando, apud Marchionatum Misniæ Fridericum Saxoniæ ducem, Magistrum ordinis, & Madeburgeń. Coadiutorem morte extinctum esse. Hic post Ioannem de Tyffeń apud Leopolim in regni subsidijs mortuum, ad ordinis magistratum Ioannis Alberti assensu assumptus fuit: sed Homagium præstare recusans, dum res quasi supremam necessitatem attigisset, Prussiam exiuit, atq; in Misnia mortuus est. Huic per electionē Albertus Friderici Brandeburgeń. Marchionis ex Sigismundi sorore filius successit, de quo infra scribendum ueniet.

Tauricorum Tartaro. in Lithuani. ac Valachiam excursio. Res quoque Lithuanicæ ad ultimum anni tempus quietæ fuêre, in quo Taurici Tartari ducatum illum ingressi, usq; Vilnam, & dehinc duodecim millibus passuum grassati ingentem hominum pecorumq; uim, nemine prohibente abegerunt. His fœlicibus successibus animati, in Daciam eruptionem fecerunt. Daciam autem multis locis uarijs cladibus affecerunt, ingenti præda collecta ad Przecopiam redire conati, ea eruptione supra septuaginta millia hominum, atq; pecorum abacta fama feruntur. Dum autem ad Tyræ amnis ripam uenissent, metu Dacorum sequentium territi, tumultuosius flumine tranato Pethikereus Cæsaris filius cum aliquot Tartarorum millibus, & multis captiuis ab aquis absorptus est. Interea Copacius Palatini militiæ præfectus paucis collectis militibus Tartaros eo in loco abeuntes adsequutus est. Prælium pertinacius, quam prudētius incepit, hostibus circūseptus uiriliter pugnans occisus est. Cecidêre Valachi plus septingenti, fuere item per fugam circiter treceenti seruati, atq; ita Tartari magis aquis, quam hostibus afflicti ad propria redierunt.

Iubilæi indulgentia. Hoc anno in Quadragesima Iulius secundus Rom. Pontifex Iubilæi gratiam pro fabrica Basilicæ S. Petri Romæ in Poloniam destinauit. Ea res initio nō successerat, neuerò frustrà ten-

strà tentata esset, Reip. dux, & Pontifici una pecuniarum summæ partes, seu tertiæ admissæ, duæ partes integræ in Reip. defensionẽ contra Tartaros erogatæ, tertiam Fuggari mercatores summi Pontificis iussu perceperunt, cessit in hanc gratiam summa non modica. At magis fortè Polonicis rebus ex usu erat, arces in confinibus gentilium pro Reip. Christianæ defensione extruere, quàm pecunias Romam mittere, & ut diui Petri templum (postea nunquam ædificandum fortè) dirueretur occasionem præbêre. Hoc mihi certo constat supra partem, quæ reipublicæ cessit, sumptus maximos esse factos, atq; annis singulis ærarium in eum usum exhauriri. Hic Anno ab orbe redempto decimo supra millesimum quingentesimum rerum status fuit.

ANNO sequenti 1511. hæc memorabilia adscribentur. In ipsius fermè anni initijs apud Peterkouiam comitia pro Februario de more habita sunt, in his ad ærarium publicũ tum ex spiritualibus, tum etiã ex sæcularibus exactiones uariæ decretę fuêre. Sed & Senatus monetariã officinã claudere, & à labore cessare uoluit, eò quod moneta argentea crescẽte charius aurei redimendi essent, estq; postea pro festo Pentecostes cessatum. In his comitijs Anna dux & tutrix Mazouiæ cum duobus filijs Mazouiæ ducibus Stanislao ac Ioanne regem adijt, & regis, Senatusq; permissione Visznen. prouinciam Mazouiæ uicinam, ex manibus Ioannis de Lazko Archiepiscopi tutoris rerum quondam affinis sui Glinka duodecim florenorum millibus redimere obtinuit.

Annus 1511. *Comitia Peterkouiens.*

Interea dum rex apud Peterkouiam ageret, Vvladislaus pater & Ludouicus filius Hungariæ & Boëmiæ reges, qui Vvratislauiam die 29. Ianuarij ingressi fuerant, totum tempus in homagijs à Silesitanis suscipiendis absumpsêre. Hungaricus senatus ut Hungariæ regibus præstandum contendebat. Bohemis uero nihil odiosius esse uidebatur, qui Bohemorum regi hoc munus deberi certabat. Hinc & principes Silesiæ & Senatus Vvratislauiensium inter spem, metumq; diu ancipites, neutrũ fecêre. Rex ita infectis rebus cum filio die 15 Martij Vvratislauiam excessit.

Contentio de Silesitico homagio.

Eo anno Silesia plurimis latrocinijs, atq; deprędationibus afflicta fuit. Vvladislaus uerò apud Vvratislauiã agens, Senatus, populiq; Vvratislauien. ex orationibus uictus Emporium, quod à priscis principibus obtinuisse astruebant, renouauit. Miris animis Senatus in eam rem euectus erat, sed nec uulgus nouarum rerum studiosum malam spem præbuit. Fuit hæc nouitas eo anno diebus Aprilis in ferijs, seu (ut uocant) nundinis quadragesimalibus apud Francofordiam ad Mœnum, me tunc coram audiente, & deinceps per totam Germaniam publicata, fuêre multi, qui Vvratislauiensibus benè sperandũ censerent, uel hoc ex proprio commodo, ut rem priuatam augerent, uel ex concepto in Vvratislauien. liuore, quod illorum opes paucis circumactis annis ampliatæ, suspectęq; essent, uel etiam quod Sarmatis hæc res nonnihil incõmodi adferre uisa, in supremum despectũ fieret, his itaq; firmitatibus Vvratislauien. suffulti, emporiũ publicarunt. Cuius hæc summa fuit, ut nec Poloni, nec Germani Vvratislauiam mercandi gratia præterirent, sed ea urbs utriusq; gentis mercium limites faceret, hæc ut firmiora essent Ioachimus Brandeburgen. Marchio à Vvratislauien. negotio adscitus apud Francofordiam oppidum, ad Guttalum amnem, quem Oderam uocant situm cõsimile emporium erexit, ut undiq; uijs interclusis Poloni summa merciũ necessitate rebus assentire cogerentur. Hæc res inter Vvratislauien. & Marchionem pignore sedecim millium aureorũ (ut fama erat) firmata fuit. Vvladislaus nonnihil paterni regni oblitus, ab his, quibus omnia uenalia sunt, inductus, certis literarum munimentis in omnibus regnis ac principatibus suis emporium obseruandum præcepit. Interea dum hæc Vvratislauien. summo studio agerent, Sigismundus rex Senatus cõsulto per uniuersum Sarmatiæ regnum cõmertia cum Vvratislauien. prohibuit. Vvratislauien. item ab ingressu in Poloniam fines interclusi, atq; hæc summa seueritate custodita fuêre. Vvratislauien. qui negocium maximis pecuniarum summis confecerant, hinc operis & impensæ iacturam, hinc quoq; Reipublicæ interitum, si Polonorum cõmercia intercepta essent cognouerũt, sed nec ultimũ periculum animos auocauit, quin in quartum annum maximis sumptibus rem tuerentur. Verùm dum hæc Poloni mercatores cognoscerent, per Bohemiæ regnum iter fecêre, quod item Poloniæ regno etiã nũc, si itinerum securitas adseruaretur, multò maximè expediret. Laboratũ est apud Bohemos miris modis ut Polonos interciperent, & Vvratislauien. priuilegia rata haberent. Bohemi uerò Sigismundi gratia, & priuato cõmodo permoti, Polonos per uniuersum regnũ tutãdos suscepêre. Hæc emporij initia fuêre, cuius finis anno quintodecimo adscribetur.

Emporium Vratislauiens.

Comitijs apud Peterkouiam peractus, Sigismundus Cracouiã redijt, inde secũda Maij egre-

egressus Brescium oppidum Lithuaniæ peruenit, sed rerum illic gestarum seriem in rebus Lithuanicis adscripturus sum. Rebus uti ex usu uisum est apud Brescium cōpositis, in Poloniam rediјt, tricesimaq; die Octobris Cracouiam intrauit.

De Regio matrimonio consultatio.

Interea dum rex apud Lithuanos ageret, Heduigis dux Tesznēn. relicta quondam Stephani Scepusiæ Comitis consors, priuatis consilijs de futuro cōnubio agere cœpit. Dum rex Cracouiam ingressus esset, paulò pòst Kazimirus Tesznēn. dux frater Heduigis simul cum Vvladislai legato Michaël Hanel archipresbytero Budēn. ad regem uenit, eo iam tēpore apud Sigismundum de matrimonio cum Barbara uirgine Stephani Comitis filia consultum & cōclusum fuit, tandem ad ultimos Nouembris dies in uulgus res delata est, non defuêre qui maximis præconijs hoc matrimonium extollerent, & uti fœlix futurum suscipiendum persuaderent. Fuêre item, qui hoc consilium uti iniquum, & non ex Reip. commodo futurum detestarentur, & ut quisq; affectus negocio erat, ita consilium suscepit. Cæterùm constat fœlix, faustum, omniq; ex parte beatum fuisse matrimonium, si non immatura morte, & uirilis prolis defectu infœlicem sortitum fuisset euentum. Atq; hinc Maximiliani Romani Cæsaris odij initiū cœpit, quod tantò acceptius Polonis erat, quantò ex iam propè hoste, Deus Optimus Max. qui hominum mentes semper dirigit, paulò pòst maiorem fecerit amicum. Eo firmato certis conditionibus matrimonio, legati cum muneribus dimissi fuêre. Quod ad hoc matrimonium superest, Annus duodecimus supra Millesimum & Quingentesimum excipiet. Res item Prutenicæ pace atq; tranquillitate hoc anno administratæ fuêre. Verum externum, sed egregiū facinus ad res forte Sarmaticas minimè pertinens apud Gdanum mense Augusto patratum fuit, his rebus, quia tam propè cōmissum, non ab re immiscendum.

Lubecum.

Est ad Balthei maris sinum Lubecum imperij Romani opibus, armisq; pollens oppidum. Hoc à Polonorum quondam maioribus (ut uetustates eorum habent) conditum Buccouecium fuit appellatum, supra septingentos fortè annos ea prouincia Caroli Magni armis subacta esse perhibetur, utcunq; Lubecum conditum credatur. Constat imperij urbem esse, atq; cum Danorum regibus multa, uariaq; bella habuisse, uetustę horum cum rege simultates, hoc quoq; anno renouatæ fuêre. Lubecenses excelsis animis regem sumptis armis, uarijs, multisq; cladibus affecêre, toto negocio in marinū bellum uerso, res eò peruenit, ut Holandiæ nautæ Gdanum, pro diui Dominici die, qui feriatum tempus illûc inducit, hoc mare quod Lubecēn. atq; Danorum regi commune est, nauigarēt. Fama fuit Lubecēn. hos ne regium sinum attingerent monuisse, & omnes qui regem adirent communes fore hostes docuisse. Verùm rex nautas nihil metuendum esse animauit, atq; ita Lubecēn. uis ab Holandis derisa fuit. Lubecenses impigrè tum classem parant, quam constat uigintiquinque triremes nō excessisse, has bonis refertas militibus, additis ad hunc usum necessarijs Iulio mense in altum dimisêre. Ventum est dehinc secundis uelis fermè medio Augusto ad Haël Poloniæ regis oppidum, hic iam Holandiæ naues multò Fuggarorum Germaniæ mercatorum cupro, alijsq; aliorum mercibus onustæ fuêre, nihil nisi aëris tranquillitatem atq; Danorum regis suppetias expectantes.

Lubecensium facinus.

Tum Lubecēn. secundo habito uento summo mane sopitos Holandos in summa periculi securitate repentino tumultu perterritos inuadūt. Prima itaq; eruptione Holandi regis suppetias rati, dehinc clamore excitato hostibus cognitis, uniuersæ naues fuga sibi consulere statuerunt, atque ita quatuor fermè millibus passuum ad Gdanensem portum naues in alto dispersæ: mox Lubecensibus sine negocio uictoria cessit, in ea fuga naues plus quadraginta aut igne absumptæ, aut mersæ fuêre. Captæ sunt item (ut fama est) sexaginta octo naues. Reliquæ eleuatis uelis, uel per altum euaserunt, aut Gdanēn. portum non sine incommodo attigerunt. Tantum Lubecēn. ex fugientibus nauibus capere licuit, quantum lubuit, & commodè ducere potuerunt. Rebus itaq; fœliciter gestis Lubecum summa ciuium congratulatione ingenti parta præda salui peruenêre. Acceptæ fuêre plurimæ merces, multò maxima tum pars Fuggarorum fuit, cuprum per Istulam amnem ratibus paulò antè ex Cracouia dimissum. Hoc successu Cracouiam delato, Sigismundus rex Lubecēn. epistola pro restitutione Fuggaricarum mercium admonuit. Suscepit hanc rem Maximilianus Romanorum imperator. Missi item fuêre ad Lubecēn. senatum & populum legati, summo studio longo tempore negocium actum est, ad extremum Fuggaris pars cupri restituta fuit, sed nec hoc sine magna iactura, à plerisq; sub certa summa traditur. Ego uel ex Fuggarorum familia paucissimis cognitum fuisse crediderim. Hic fermè Poloniæ status fuit.

Rusia

Rusia hoc anno atq; Podolia à Tartarorũ eruptionibus libera fuit, quod fœdus proximè apud Bresceum Lithuaniæ oppidũ cum rege (ut mox infrà in Lithuanicis rebus adscripturus sum) renouandum foret. Cæterùm gens fera, raptu uiuere solita, nihil minus, quàm pacem ferre potest, contractis copijs plus triginta millibus equitum Daciam inuasit. Bogdanus mox collecto ex suis exercitu his obuium se facere cõstituit, iunctæ sunt illi Sarmaticæ auxiliares copiæ Stanislao Lanczkroneo, & Tworowkeo ducibus quatuor millibus equitum, accesit item illi Hungarorum subsidium supra octingentos uelites. His Bogdanus stipendia merentes ex Thracia leuis armaturę milites asciuit, uniuerso exercitu celeriter congregato, spes ingens uictoriæ tenebat. Interea dum Nohaicei Tartari Tauricos in Daciam erupisse cognouissent, sumptis festinanter armis in Tauricam peruenêre, cæde multa patrata, res celeriter Tauricis delata est. Relictis itaq; externis rebus, ad propria tuenda animus euectus est: & sic alieno periculo Dacia ingẽti clade liberata fuit. Verum antequàm Taurici domum redijssent hostes patrato damno dilapsi sunt.

Tartarorum in Valachiam eruptio.

Dum extra fines digressus sum licebit forte hoc loco Turcarum successus referre, circumactus tunc annus erat, quo Salembus Baizeti filius Caffam olim Ianuensium urbem patris imperio ereptam in deditionem acceperat, his in parentem non satiatus malis, hoc anno Albam (quam Bialogrod uocãt) Kiliamq; intercepit. Quum uerò Sophi Persarum imperator multis, uarijsq; uictorijs contra Baizetum hoc anno triumphasset, eumq; supremis sæpè prælijs uicisset, Baizetus relicta Constantinopolis sede Adrianopolim migrauit. Quo cognito Salembus in patrem arma sumpsit, cognouit quoq; hæc Baizetus, contractisq; legionibus, filij exercitum excepit. Post uiolentam pugnam Baizeto uictoria cessit, & Salembus cum Taurici imperatoris filio, paucisq; militibus fuga seruatus est.

Caffa per Salembum intercepta.

Salembi cum Baizeto patre bellum.

Paulò pòst anno 1512. patris assensu, Salembus imperium & Turcarum rempub. tutandam suscepit. Baizetus natiuum solum Hamandatum oppidũ delegit: ubi altera die, qua aduectus morte extinctus est. Quo iam morte sublato, Salembo Ahmatus frater pro imperio negotium fecit, collecto ingenti exercitu, adscitis etiam Persarum imperatoris auxiliarijs copijs, fortunam uniuersali prælio commisit. Post funestam pugnam uictoria Salembo cessit, qui captum fratrem nulla pietate commotus securi percussit. Sunt tamẽ qui strangulatum esse perhibeant, atq; ita post multas credulitates imperium adeptus est. Fertur ante hãc pugnam Vuladislai Hungariæ regis legatum audiuisse, cui dum responsum præstolaretur, Salembus hæc uerba dixisse traditur: Nullo egere respônso, iam præsentis fortunæ successus expectandos, ex euentu satis postea responsum fore. Sed parta uictoria nihilominus legatum retinuit, atq; in uniuersas de hinc expeditiones deduxit, nec dimissus, nisi post totã subactam Syriam, anno 1519. in Iulio ad Ludouicũ redijt. Ex ea quoq; uictoria Salembi, ex necato fratre nepos seruatus in Persiam peruenit, huic Sophi filiã in matrimonium tradidisse perhibetur. Hic postea Salembum multimodis cladibus semper uictor molestauit. Hac parta uictoria Salembus Laskowskeum genere Sarmatam, ex Mosziskeo oppido Rusiæ aduocato (ut uocant) natum, ad Sigismundũ regem legatum submisit, qui relicta Christiana fide, ad Mahumeti errores abierat, hic breuissima oratione Turcarũ lingua per interpretem in hæc uerba loquutus est: Salembus Turcarum nouus imperator pacem eam tecum Sigismunde rex, quam auus & pater eius seruarunt uult tenere. Inciderunt hæc in annum salutis 1512. ad dies Iulij. Is paulòpòst absolutus, in fine mensis Augusti Cracouiã egressus est. Hic duorũ fermè annorum Turcarũ successus fuit.

Baizeti mors.

Ahmatus Salembi frater.

Laskowskeus Turcicus orator.

NVNC ad res Lithuanicas, illisq; uicinas stylus uertendus est. Rex dum Bresceum (ut supra narratur) peruenit, mox uotis Poloniæ, Lithuaniæqúe senatus assentiens, eos qui superiori anno custodiæ propter Helinskei factiones traditæ fuerant, ademptis uinculis in pristinam gratiam suscepit. Dein Mendligeri Taurici imperatoris legati aliquandiu expectati, is filium atque nepotem obsides ex pacto submittere. Singulis item annis contra regni Sarmatiæ hostes arma suscipere debuit. Tum rex Sigismundus illi uicissim annuatim quindecim aureorum millia pro stipendio persoluere assentit, huius medium Polonia, reliquum Lithuania adnumerarent. Hęc aliquandiu hoc pacto soluta fuêre. Verum Mendligerus fidei oblitus, nec obsides misit, sed Daciæ Palatinũ Polonis feudalem (uti supra narratur) magno exercitu inuasit: qua eruptione non satiatus ingentes copias in Basilij Moschorum principis ducatum induxit, eumq; incredibili clade ingenti abacta præda afflixit. Hicq; iam rerum gestarum anni undecimi supra millesimum, quingentesimum finis fuit.

Fœdus Tartaricum.

Mendligeri perfidia.

Annus dehinc duodecimus supra millesimum, quingentesimum, Sigismundi nuptijs celebris fuit, in ipsisq; anni initijs apud Cracouiam comitium regis iussu indictum est. Fuêre item ad Barbaram regiam sponsam legati designati, Ioannes Lubrantius Poznaniensis Episcopus, Christophorus Schidlouicius Castellanus Sandomiriensis, & Lucas

Anno 1512.

Legati pro Barbara regina.

de Gorka Poznanieñ.& maioris Poloniæ Capitaneus: hi splendido ornatu Poloniam egresi, per Silesiam, Morauiamq; Tranczinum uenêre. Noua suscepta sponsa in Poloniam iter diuerterunt. Hanc Heduigis genitrix, Ioannes frater, Kazimirus dux Tessneñ. auunculus usq; Cracouiam octingentis equis comitati fuêre, confecto itaq; itinere, quinta Februarij apud Morauicum pagum nocturna habuit, summo dehinc mane feria sexta, & idem sexta Februarij, Sigismundus instructissimis copijs comitatus, sponsæ nouæ (uehiculo uectus quod niues maximæ, & intensum frigus esset) obuiam egressus est, comitati fuêre Sigismundum pleriq; ex aduenis legatis, atq; oratoribus. Inter hos Ioannes Staphileus auditor Rotæ, legatus Apostolicus, uir excellentis ingenij atq; doctrinę, qui mecum postea familiariter sæpius multa commentabatur. Elizabeth uirgo Sigismundi soror, suo quoque uehiculo uecta: Anna dux uitrix Mazouiæ: Alia item magnatum honestæ, illustresq; fœminæ. Fuêre tunc tentoria apud Lobsouium ad Septentrionem fixa, terra item rubro panno constrata, hoc in loco rex sponsam nouam expectabat. Pauló postquàm illuc peruentum esset, Georgium Bregensem ducem, ad regias nuptias euocatum, septuaginta equitibus armis, undiq; splendentibus comitatum, rex hilari uultu excepit.

Occursus Regis.

Regis comitatus.

Exceptio Barbaræ.

Tandem in multum diem regia sponsa curru à Vuladislao Hungariæ rege ad hoc misso ad regem uecta fuit: dumq; illa ex curru in terram prosiliret per pannum ad hoc stratum regi obuiam uenit. Excepta fuit uulgari primum oratione per Ioannem Laskeum Archipræsulem Gnezneñ. hac expleta, Ioannes Staphileus Apostolicus legatus eleganti Latina oratione huic matrimonio uotis omnibus fœlicitatem, beatumq; euentum precatus est. Rex exceptam sponsam uehiculo assumpsit, atq; inde in urbem Cracouieñ. deducta est. Patrum Gymnasij Cracouieñ. collegium apud Cleopardiam Barbaram sponsam regiam breuiuscula oratione excepit, Senatus, Populusq; Cracouieñ. omni ueneratione ac honore hunc ingressum honestauit. In arcem quæ urbi imminet inclinato iam die sponsa peruenit, atq; ibidẽ per Matthiã Dreuitium Episcopum Premisliensem excepta, hincq; in aulam ad hæc decoratã introducta. Postridie Dominico in Septuagesima, quæ octaua Februarij erat, maiorum more in Diui Vuenceslai æde Barbara uirgo in reginam Poloniæ coronata fuit, munus consecrationis Ioannes Laskeus Archiepiscopus Gneznensis exequutus est, adfuêre his cærimonijs Bernhardinus Archiepiscopus Leopolieñ. Ioannes Lubrantius Poznanieñ. Erasmus Vitellius Ploceñ. Lucas Vuarmieñ. Matthias Dreuitius Premisliensis, Nicolaus Coscieletius Chelmeñ. Ioannes Amicinus Laodiceñ. Cracouieñ. Suffraganeus Episcopi. Præterea Abbates de more uetusto his rebus adesse soliti, fuêre item ad huius coronationis maiestatem ampliandam, summi Pontificis legatus, Ioannes Staphilæus Iurisperitus uir insignis, Vuladislai Hungariæ & Bohemię legati, Ioannes Thurzo Vuratislauieñ. Episcopus, Ambrosius Szarkanus Hungarus Collega. Iobus Episcopus Pomezanieñ. ordinis Sanctæ Mariæ domus Teuthonicorũ cum collega ex Prussijs. Georgius dux Bregeñ. Bartholomæus dux Silesiæ, Anna dux Mazouiæ cum filio, dux relicta Ratiboriæ, horum quoque legati huic coronationi interfuêre. Thomæ Cardinalis Episcopi Strigonieñ. Patriarchæ Constantinopolitani duo, Georgij Quinqueecclesieñ. duo, Episcopi Coloceñ. unus, Episc. Vuaradieñ. duo, Episcopi Olomuceñ. duo, Georgij ducis Saxoniæ, Ioannes de Schonbergk unus, Federici Marchionis Brandeburgensis duo, Decanus de Anspachio, & Philippus de Feltsch miles, Palatini Hungariæ duo, Palatini Daciæ unus, & pleriq; alij. Sacris ritè peractis conuiuijs tempora solita data fuêre, hincq; suis diebus hastarum ludi militiæ exercitia choreæ, & id genus lætitiæ fuit. Ioannes Rechemberger Slesianus apud Sigismundum ueteranus miles hastarum ludo præmium uictoriæ primo loco adsequutus est. Secundo loco Ioannes Tarlo Polonus strenuus miles, hospitibus rerum omnium necessitas regia liberalitate præstita fuit. Lætitia autem omnium applausu expleta, summi Pontificis regum atque principum legati & oratores summis honoribus uenerati muneribus dotati sunt, & dimisi. Barbaræ mater Heduigis, Ioannes frater & Kazimirus auunculus cum Vuladislao filio speciali humanitate atq; liberalitate longius adseruati, tandem ad propria redière, magnates item regni utriusq; status & sexus aulici etiam regij omnes à rege singuli munerati fuêre, hæc primi Sigismundi connubij, Barbaræq; coronationis series, iamq; tunc Sarmatis regina esse cœpit. Aucta hinc fortuna Polonis dum illa principis plusquàm cuiquàm credibile uoluntatibus semper accessit, pariq; clementia quod toto regno intercluditur uera Hester pietate summa tutata est, uirtutibus omnibus redimita, specie formosa, uitæ sanctimonia atque religionis culta clara, his uirtutibus hoc summum adiecit monimentum, ut hos quibus præesse Deo Opt. Max. fortunaq; fauente concessum fuerat, non metu, terroreq; supprimeret, sed pietatis, clementiæqúe beneficijs in contemplationem sui priscis abiectis moribus patrijs uirtuosis ritibus se conformans totis animis eueheret, iusta, sed non

Coronatio Barbaræ reginæ.

Præsentes in coronatione.

Ordo præmiorum uictoriæ.

Ioannes Rechemberger 1.

Barbaræ reginæ laus.

non nimia seueritate importabilis, clemẽs sed nusquam uitijs patrocinata, per omnes fortunæ casus innocentissima uita ad extremos usque dies uenit. Initio (ut supra narratur) hoc matrimonium plerisque domi, forisque odiosum fuit, paulòpòst uti frugi ita omnibus gratum esse cœpit. Hactenus de Barbara regina parcissimè, uerissimè tamen pauca adscribere uolui.

Rerum iam Prutenicarum nullum erit negotium donec anni quintidecimi supra millesimum, quingentesimum, narrationem suscepero, illicque sub compendio quæ interea absumpto Federico Prussiæ Magistro ad illud tempus gesta sunt, enarrabo. Iam interim quæ apud Ruthenos hoc anno gesta fuêre hoc loco referre negotium postulat. Postquàm Barbaræ reginæ coronationis munus expletum est, hincque legati dimissi, paulòpòst Regi atque Senatui Taurici Cæsaris, id est, Przecopeñ. legiones plures 25000. equitum Russiam, Podoliamque inuasisse nunciatum fuit. Tum incredibili celeritate afflictam rempub. liberauit, missus mox aulicis ad mercenarium militem ante hac his necessitatibus adseruatum, præterea plerique ex patricijs maiorum more intrepidè res tutandas suscepêre, hi quantum fieri poterat magnis itineribus ad Barbaros hostes festinabant. Interea dum aulici & nobiles in itineris procinctu essent seruilium copiæ Stanislao Lanskröneo Camieneceñ. arcis præfecto duce Tartaricas copias ad 23. Aprilis diem apud Bielkam particulari prælio uicêre, ex ea pugna Barbari qui Polonorum manus inciderant, ad unum necati fuêre, atque his succesibus Polonica res fœlicitate primum, deinde spe certæ uictoriæ consolata, Omnium dehinc copiæ in unum coguntur ad 23. Aprilis diem haud longè à Visnouicio castra discretis locis posuêre. Ad primam itaque noctis uigiliam Stanislaus Lanskroneus qui hostium exercitum percensendo periculum fecerat Sarmaticis castris quæ apud hostes fierent nunciauit: Ineunt duces consilium, atque paulòpòst ille mutatis equis ad hostium explorationem reuersus, milites seque, equosque reficere iussit, ut eo Lanskroneo, demum redeunte, ad pugnam miles paratus foret. Redijt ad tertiam uigiliam Lanskroneus, & hostes iam sine metu quiescere docuit. Tum uniuersus exercitus lætis iam animis ad persequendum hostem pronus apparuit. Lithuanorum uerò copiæ Polonis adiunctæ uix sex millia equitum fuisse perhibêtur, cæterum toto exercitu nemo qui non excelso animo uictoriam manu consequi, aut pro patria mori uellet. In ipso itineris procinctu circa ultimam noctis uigiliam inter duces uaria belli, pugnæque ratio habita. Constantinus uir nulli sua ætate duci secũdus, sibi, suisque prelij initia desyderabat, hostem hunc longo usu cognoscenti hoc munus deberi, ne dum insueti milites, pugnæ mala facerent initia, reliquam spem desperatam efficerent. Contra Poloni quibus uictoriæ spes animos obsederat, simul cocundum fore rati, neque ex usu esse exiguum exercitum in multas cohortes secernere, magis reipub. cõmodo fore, si æquo marte prælium inirent, paribusque honoribus quam Deus dare uellet uictoriam obtinerent. Verum flagrans Constantini animos Polonorum consilijs non accessit, sed Polonos patricios maximè qui cupiditate gloriæ euecti, partim apud Germanos, partim alias nationes, quibus animus quidem ingens, audaxque ad alios bellorum usus esset, fuisse exposuit, alio hoste aliam militiæ disciplinam, aliud belli studium expetere. Interea dum altercationibus nihilominus exercitus iter continuaret. Primò diluculo hostem adesse nunciatum est, atque ita præsens iam periculum pro honore, litem diremit, instructæ dehinc acies celeriter fuêre. Constantinus cum Lithuanis dextrum cornu sortitus, Poloni sinistrum tutandum suscepêre. Polonicus exercitus Nicolao Camieneciò Cracouieñ. Palatino, uiro ad ultimum uitæ diem armis, bellique studijs claro traditus est. Acies media ex nobilibus, patricijs atque ueteranis militibus ordinata, ante hanc cohortes, sub suis singulæ ducibus constitutæ fuêre, hoc modo hostem per occasionem inuadere statuerunt. Constantinus spe frustratus copias suas in multam partem à Polonorum aciebus collibus pauculis è conspectu sitis abducit, præter spem mox hostes agminibus in Constantinianos milites suo more tripudiantes erumpunt, repentina audacia Cõstantinianis terrorem incutere molientes, susceptum est utrinque magna spe uictoriæ certamen, mixtisque iam cohortibus cum Barbaris, uisum erat Constantino, ut paulò à suis secedens, alio loco Polonorum acies in hostes induceret, atque ita Polonicis aciebus uix dum iunctus erat, quum clamor à tergo ortus Lithuanos Barbarorum insultus atque pertinacem pugnam, telorumque ingentem uim non ferre, nũc fugam inire, perculsusque Constantinus, Polonos suis subuenire hortatur, negotium Alberto Sampolenskeo & Bernhardo Potoczkeo strenuis militibus creditum, qui una cohorte leuis armaturæ ad Constantinianos peruenêre. Constantinus quoque suos fugientes sistit, atque cum Polonis denuò in hostes irruit, subitò mutata fortuna, qui paulò antè fugere cœperant, iam intrepidis animis hostem fugere coëgerunt. Tartari suorum clade & fuga cognita suppetias laborantibus misere, atque paucis ad prędæ, captiuorumque

Tartarorum in Russiam expeditio.

Ducum Polonorum altercatio.

Acies instructio.

Pugna atrox.

custodiam relictis uniuersi ad pugnam accelerant. Verum ne totum negotium in dextrum cornu inueheretur, Poloni iam acies in hostes immisêre, missæ sunt primum cohortes quatuor quæ in medijs hostibus septæ non apparuêre, deinde alia post aliam submissa, media acies tandem in hostes ducta in uniuersalem pugnam res peruenit. Hinc magna audacia utrinque certatum, quumque prælium iam undique mixtum esset, Polonorum cohors una hostes confertissimos penetrans, præsidium ad captiuos relictum deturbauit, uinculisque primũ paucis captiuis ademptis paulisper alter alterius opera solutus, uniuersi compedibus liberati fuêre: qui paulò antè uincti leuatis in cœlum manibus supplices suis uotis omnibus à Deo uictoriam precati sunt, arreptisque securibus, atque cæteris in prædam abactis rebus prælium (ex captiuis mox milites facti) instaurant, iamque Barbari, neque uiribus, neque fortunæ fidentes inclinatis undique rebus fugere cœperunt, qui tandem à Polonis, Sarmatisque passim persecuti atque cæsi fuêre: multò maiorem tamen cladem accepturi, si non tam citò per campos effusi plerunque per fugam dilapsi atque seruati essent. Læta igitur, paucoque cruore parta uictoria Sarmatis cessit. De cæsorum hostium numero non planè mihi constat, quum nec hoc ex his qui aduerso pectore hostium tela suscepêre cognoscere potuerim, uaria de numero opinio erat, hoc uerissimum mihi narratur, ex hostibus quorum à captiuis uiginti quinque millia fuisse perhibentur, multo minorem partem dilapsam esse. Sarmatis ea pugna tantò maiorem lætitiam addidit, quo leuiori negotio parta uideretur. Dum ex toto exercitu uix centum interempti, cæterum plerique telis uulnerati essent, seruata est omnis præda captiui plus sedecim millia omnis sexus & ætatis, uinculis soluti in patriam reducti. Præterea Tartarorum equi supra decem millia capti fuêre. Incidit hæc memorabilis pugna in diem D. Vitalis ad 28. Aprilis circa Lopuszna. Fuerunt in ea expeditione Nicolaus de Camieniecz Palatinus & præfectus Cracouieñ. exercitus Polonici dux generalis, Ioannes Odrouasz de Sprowa, Otho de Chodez Palatinus Podoliæ, Stanislaus de Chodecz regni Poloniæ Marschalcus & Leopolis præfectus, Martinus de Kamieniecz, Ioannes Amor de Tharnowa, Stanislaus Lanczkoronsky, Ioannes Schwirczowsky, Ioannes ac Nicolaus Pilecij, Petrus & Stanislaus Kmithæ uiri insignes & strenui, & alij multi Poloniæ strenui milites, quibus semper pro tuenda patria inuictus animus erat, fuerunt item auxilia ex præclaris Lithuaniæ ducibus, Constantinus de Ostrogo nulli non duci sua ætate comparandus. Andreas de Sbaras & Michaël cum filijs de Vuisnijowiecz cum plerisque alijs copijs, præter hos ingens numerus nobilium, clarorumque militum fuit, horum omnium nomina recensêre negotium non postulat, fuère ea in pugna plerique mercatorij ordinis, qui sua sponte negotium susceperunt, inter hos mihi notior Ioannes Schutz Cracouieñ. ciuis uir audax atque strenuus. Hæc supremæ uictoriæ series est, quamuis etiam Barbari cum Russiam, Vuoliniamque inuaderent, & Belseñ Leopolieñ. Busceñque terras depopularentur, & usque in Crasnystaw Lublineñ. terram prædam agerent, amplius bis sex particularibus prælijs à Polonico milite fusi sunt, & superati. Hac uictoria cum uinctis Barbaris ad regem perlata, Deo Opt. Max. patrijsque sanctis laudes habitæ fuêre, captiui compedibus ædificijs Cracouieñ. arcis admoti, in perpetuam seruitutem traditi sunt, ex ea pugna mirabile dictu quam citò Polonorum animi, moresque mutati. Narratum est quibus studijs Sigismundus rex Sarmatiam & Poloniam susceperit hoc loco non ab re uidetur referre, quibus uirtutibus sub eius imperio hactenus creuerit, abiectis nuper lõgis, strictisque uestibus, nouum uestium usum suscepêre, crines item longo usu tortos, post Valachicam pugnam abijci cœptos tunc communi studio abhorruêre, potationes, commessationesque hactenus obseruatas continentius gessêrunt. Ebrietatem, principis exemplo execrare plerunque inualuit, sobrietati honos ingens habebatur, atque ita paruo temporum interuallo Sarmaticarum rerum, rituumquê summa uariatio fuit, ab his initijs omnes fermè uirtutes hactenus auctæ magis, magisque creuêre, atque hinc multorum populorum animi in Polonicarum rerum contemplationem euecti sunt. Posteaquàm Tartarorũ legiones fœliciter superatæ sunt paulò pòst in diebus Martij Taurici Cæsaris legatus ad regẽ Cracouiam peruenit, ut fœdus anno superiori cœptum renouaret, utque Rex his fidem haberet Dyalaldinum Mendligeri imperatoris nepotem obsidem Vilnam uenisse exposuit, his ita facto cognitis, fœdus cũ Tartaris obseruatum. Dyalaldinus uerò non uiso rege in pueritia agens apud Vilnam sub anno 1513. In Februario febribus correptus interijt. Tartari autem penes quos nullum ius integrum nullaue religio sancta, fœdus sæpènumero uiolarunt, an quia Dyalaldinus apud Lithuanos interijsset, an quia inconstantia fidei effecerint, non habeo dicere, constat tamen nihil unquàm cum illis firmatum postea obseruatum fuisse. Sigismũdus ad finem Octobris Cracouiæ permansit, pro D. Martini festo Peterkouiam ad indicta comitia peruenit, quibus conclusis simul cum regina Poznaniam peruenit, positis hoc anno Peterkouieñ. arcis initijs

Victoris Polonorum insignis.

Mutatio habitus & morum.

Legatio Tartarica.

Dyalaldini obses interitum.

infi-. que posthac in anno 1519. ad integrum completa fuit. Sub eo anno Sigismundus incepta ædificia arcis Cracouien. singulari studio continuauit, in D. Stanislai sacello, quod in rupella appellatur, monumenta posuit, Friderico Cardinali olim Germano æreum fieri fecit tumulum, uotumque Deo ac D. Stanislao patrio sancto de fœlicibus belli Valachici successibus factum, uti eo loco narratur, Imagines argēteas multis aureorum millibus comparatas ad D. Stanislai tumulum erectas expleuit: quæ hodie ab omnibus cernuntur in opere, industria ac artificio singulari ab Alberto Glim Nurenbergæ facto. Interea quod annis superioribus apud Poznaniam frustrà in rebus Prutenicis laboratum esset, atque Romano Cæsari paulòpòst ex Sigismundi nuptijs negotium contractum uideretur. Maximilianus cum Basilio duce Moschorum fœdera iunxit, parum mihi cognitum est, si unquàm Maximilianus à Christiano principe longius recesserit, quàm dum ethnicorum res contra Christianissimum principem tutandas susciperet. Ab eo namque anno Basilius contra ius gentium fœderibus, finibusque ruptis, Lithuaniam crebris, uarijsque eruptionibus Michaele duce afflixit, sæpius Smolenceam arcem infœliciter obsidione cinxit, atque ita aliquandiu Basilij exercitus tanto liberius in Lithuania grassatus, quanto plus factionibus prouinciam implicatam, sperandum illi fuerat, hoc modo se Lithuanorum res anno 1512. habuêre.

Operā quædā Sigis. Regis.

Maximiliani cum Moschis fœdus.

ANNVM 1513. ab orbe redempto Sigismundus Poznaniæ cum regina Barbara excœpit, illic domestica, intestinaque quædam pacata fuêre. Eo anno uigesimaquinta die Martij feria sexta magna ante quartam decimam horam Barbara regina prolem primam apud Poznaniam enixa fuit, quæ in baptismatis fonte, quando hoc nomen apud Polonos familiare esset, Heduigis appellata est. Ex eo loco paulò antè Ioannes Laskeus archipræsul Gneznen. regni Poloniæ primas ad Iulium Pontificem legatus designatus erat. Is confectis domi negotijs, Cracouiam properauit, ibidem quæ ad itineris usum forent comparatis Cracouia initio Aprilis exiuit, summa legationis tum fuit, ut ad concilium Lateranen. nuper à Iulio institutum, regio nomine orator iret, tum etiam res Prutenicas paulisper apud Romanum Pontificem infectas tutandas susciperet. Eò uerò in ipso itineris procinctu existente Cracouiam nunciatum est. Iulium Romanum Pōtificem apud S. Petrum in urbe die 21. Februarij morte extinctū, pauloque pòst undecima Martij Leonem decimum legitimè illi suffectum esse, mutato itaque legationis titulo nihilominus Romanum iter continuauit, in ipso itinere apud Pontem, uulgò Brugk, Styriæ oppidum Stanislaus Ostrorogeus Calisien. Castellanus collega archiepiscopum consequutus est, atque deinceps simul Venetam urbem ingressi, à Venetiarum principe Leonardo Lauredano Senatu, populoque humaniter excepti fuêre. Ioannes Laskeus postridie in Senatum Venetum admissus extemporariam, sed luculentam habuit orationem. Summa huius fuit. Sigismundum præsenti Venetorum calamitati, & quod tanta cæde Christianus sanguis profunderetur condolere, omni uoto atque animo quæ ad pacem communem atque eius reipub. amplitudinem pertinerent, quantum in se foret non inuitus effecturum. Cæterum quod pro Veneta repub. ex usu per eum accidere uideretur, apud Romanum Pontificem, Maximilianumque Imperatorem totis uiribus se laboraturum, ut respub. Christianorum iam supra quatuor annos in Italia afflicta, pristinæ tranquillitati restitueretur, demumque communi omnium uoto in Christiani nominis hostem arma sumerentur. His ferme uerbis pro Sigismundo ad Senatum Ioannes Laskeus usus est. Quæ tum Principi, tum Senatui quantum gestu percipere potui (interfui enim) grata fuêre: an uerò animo ea res fuerit quod nihil legatis (præter quæ publico consessu pro eius rei commendatione dicta fuêre) commissum erat, non habeo dicere, habita oratione Ioannes Laskeus ut est uir ingenij magni cum Leonardo principe quædam incidenter, familiariusque locutus est, negotio uerò sic postulante, Ioannes Laskeus Sarmatiæ regnum multas, uariasque ab hostibus Barbaris eruptiones sustinere, reliquis nationibus contra gentilium insultus murum esse, atque periculis maximis ingentem molē humeris sustentare exposuit. Tum Lauredanus rem Venetam extollens respondit, reipub. Venetæ maxima semper fuisse bella, nihilominus inuicto animo, summis periculis consilio domi, forisque prospere semper rebus præfuisse, fore quoque ut etiam hoc bellum fœlicem finem sortiretur.

Anno 1513.

Heduigis prima proles Barbaræ.

Ioannis archiepiscopi Gneznens. legatio ad Pontificem.

Oratio archiepiscopi Gneznens. in Senatu Veneto.

Laskeus uerò intercœpta oratione, facetum hoc sed serium allocutus, colloquium dissoluit. Longe (inquit) Serenissime Princeps dissimile Venetis atque Polonis belli studium hactenus fuit, dum illi pro gloria, pro rerum amplitudine, & plerunque pro dominandi libidine euocati belli sibi negotia contraxêre. Hij contrà multo suorum sanguine pro repub. Christiana Barbarorum eruptiones excipere, atque cæteris nationibus præsidium esse coguntur, summam hinc fœlicitatem existimantes, si non transcensis finibus alienis sua tueri liceat. Postridie iterum ad Senatum uentum est, de rebusque priuatis nonnihil

Laskei responsum graue.

 nihil

nihil actum & legati expediti Romam festinarunt. Postquàm urbem ingressi de moreq; uires ex longo itinere refectæ fuêre. Ioannes Laskeus apud Pontificem Leonem & patrum Collegium orationem longam & reip. Christianæ necessariam habuit, quæ postea excusa circumlata est, atq; utinam ita patrum animos accendisset, ut syncero animo & uehementi studio dicta fuit. Postquàm Gneznen. archipræsul legationis munus expleuit, collega Ostrorogeus dimissus in Hispanias secessit, atq; inde in Poloniam nō multo post reuersus est. Interea Ioannes Laskeus in Lateranen. consilio multo tempore commansit. Eo loco res Prutenica nonnihil apud Pontificem ab ordine frustra tentata erat. Sed paulò inferius rebus Prutenicis hæc adscribere placebit. Hæc Ioannis Archiepiscopi Gneznen legationis summa fuit. Sigismundo interim apud Posznaniam agente, res Lithuanicæ Moschorum pertinacibus eruptionibus affligi cœptæ, atq; ita in apertum bellum ferme omnia inclinata fuêre.

Helena Alexandri uidua moritur. Apud Lithuanos Helena Alexandri regis relicta, morte absumpta est: quę in annum 1513. diem Ianuarij 29. incidit. Deinde Vilnen. arx nouis, ornatisq; (sed ligneis) structuris paulò antè erecta subitò incendio 21. Februarij conflagrauit, hęc futuri belli fermè auspicia fuêre. *Conflagratio arcis Vilnens.*

Paulòpòst Basilius Moschorum princeps apud Maximilianum pro regia corona per legatos sollicitauit, auxilia cōtra Sarmatas ex nouis socijs quæsiuit, totis uiribus plerosq; ad defectionē pellexit, tū Helincei ingenio Schleinicz genere nobilis Misznen. ad Germaniæ oram submissus, ut uel milites, uel socios huic bello asciret. Fuêre item ex plebeis qui his factionibus adhærerent, ex quibus Lata Cracouien. ciuis natione Bohemus, captus à rege Cracouiam missus atq; capite plexus est.

Apud Prussios atq; Liuones res non ab re suspectæ uidebātur, his malis initijs Sigismundus excitatus, Polonis apud Radomiam pro Iunij diebus conuentum indixit, conuenit Senatus omnis cum Sigismundo apud Radomiam oppidum, his comitijs Polonica resp. domi pace atq; tranquillitate firmata fuit. Tanto maior pacis fiducia atq; à metu bellorum animus liberior erat, quantò cum Taurico Cæsare fœdus nuper susceptum rempublicam ab eruptionibus tutiorem efficere uidebatur. Expletis his comitijs, Sigismundus in Lithuaniā secessit, Laurentius Miskowskeus uir militari disciplina insignis uarijs iniurijs à Ianussio principe Sathoriensi duce affectus, ad regem Radomiam peruenit supplex à rege omni uoto iustitiam precatus, Res ad reditum in Poloniam reiecta. Duci ut ab iniuria interim abstineret perscriptum, at cū regis discessum ille cognouit, ad pristinam molestiam reuersus, aquam quæ certis alueis Laurentij piscinas incurrebat abduxit. Tum Laurentius facinus maximū aggressus, ducem uenationi intentū adijt, dumq; duo simul longius à familiaribus abscederent, uerbis (ut Laurentius memorat) supplicibus ut ab iniuria abstineret admonuit. Sed dum dux his maiora inferre minaretur, arrepto mucrone Laurentius ducem per latus utrunq; inter scapulas sibi belli finem facturum dicēs transfixit. Princeps Ianussius in terram mox ex equo delapsus, antequàm sui adessent expirauit, & Laurentius per loca cognita sequentium manus euasit. Cessit ex fœdere Sathoriensis ducatus ab eo tempore regibus Poloniæ, Laurentius uerò neq; hac morte pacem adeptus, sed pro ea re aliquandiu uarijs periculis laborauit, donec ad extremum in bello Moschouitico, anno Salutis 1514. in Lithuania magna audacia fretus, egregium in hostibus facinus perpetraret, ex eo à ducibus, bellíq; præfectis supplicantibus regi recōciliatus est. Inciderunt hæc in annum 1513. diem 17. Septembris. Postquàm Sigismundus ut paulò suprà narratur Lithuaniam ingressus est. Conuenit deinde primo apud Melnick oppidū, paulòpòst Vilnen. urbem Lithuanicus Senatus, atq; futuri belli euentum consilio præuidit, uarijs modis pax frustra quæsita est, hostis uerò dum nouorum sociorū promissis alitur, animum singulari studio ad nouum bellum inuexit, ac pluribus in locis fortunam expertus nonnullis mœnibus frustrà oppugnatis, ingenti suorum cæde obsidiones ubique soluit. Quo cognito Sigismundus apud Lithuanos existens Taurico Cæsari ex fœdere stipendium persoluit, & iam propè imminenti bello asciuit. Grassantem hostem aliquot particularibus prælijs fœliciter uicit, & hoc anno ab omni conatu āuertit, hisq; consilijs anni 1513. apud Sarmatas rerum gestarum finis erat. *Conuentus Radomiens.* *Laurentius Miskowskeus* *Cædes ducis Sathoriens.*

Anno 1514. Iam mox bello, uictoriæq; insignis quartus decimus annus Sigismundum apud Lithuanos excœpit, in ipsisq; anni initijs consilia belli uaria fuêre, exactiones quæstoribus commissæ, militesq; ad stipendium suscepti, omnis item Lithuania belli rumoribus repleta, Contra Basilius haud segniter exercitum ingentem in Lithuaniam induxit, lōgè, lateq; Lithuaniam spolijs, incendijsq; uastauit, Smolenceam inuictam arcem obsidione cinxit. Fertur in ea obsidione machinas bellicas (quas bombardas uulgus appellat) plus trecentas habuisse. Hoc loco parum omisso negotio contra nostri sæculi corruptos mores & fluxam *Smolentiæ obsidio.*

xam

*cam hominum fidem exclamare liceat. Proh pudor eò res nostra ætate deuenit, ut per licentiam agantur omnia, Basilius princeps Moschorum dux, Christianæ reip. hostis, contra Sigismundum Sarmatiæ & Poloniæ regem bellum suscepturus, neq; uiribus neq; consilio (quantumuis opibus pollens) satis fidens, apud Christianos summos principes facinoris alimenta: quũ nec usu, nec arte tãto principi bello satisfacere posset, ultro Italorum, Germanorumq; ingentem numerum obtinuit, qui fidei ac religionis cultu neglecto Barbaricam rabiem ultro in Christianorum uastationẽ flagrantissimis animis incensam euehunt, factis multis, uarijsq; belli machinis & instrumentis, corporibus etiam proprijs his facinoribus inseruiunt, adde quod pessimũ hominũ genus uarijs ingenijs atq; artibus instruunt atq; edocent. Sic quondã Turcarum gens formidabilis, hominibus pessimis, (& quod dicere abhorreo) Christianis opibus ualentibus inuidiæ atq; odij gratia adiuta, multis deinde prouincijs remp. Christianã, proh dolor, exuit, hincq; ingeniũ natum apparet, ut quũ neq; uires, neq; consiliũ, quo libido dominandi expleatur adsit: extremis artib. ethnicorũ auxilia quærantur, qui dũ eos à quibus euocantur, & in quos inuehendũ est iuxta amant, fit ut labefactis iam utrinq; uiribus, sæpè uterq; ab hoste cõficiatur. His artib. hisq; studijs Sigismundus princeps, Poloniæ rex, totius Christianæ reip. murus & antesignanus iampridem aggressus erat, atq; hinc ex bello mox bellum seminatum est. Deus Opt. Max. labentem iam ecclesiã suscipiat. Mihi uerò in tanto negotio altius referre nõ licebit.

In instructores Barbarorum contra Christianos.

Basilius dum frustra arcem oppugnaret obsidionem soluit, itaq; exercitum hincinde circumagens, frustrà laborans, denuò arcem Smolenceam obsedit: summa dehinc ui nihil quod ad tantæ arcis expugnationem ex usu fore uidebatur intactũ reliquit. Sed dum crebriter frustra anniteretur, multaq; iam millia ex admotis legionibus cæsa essent, inter spem & metum dubius ancipiti consilio aliquandiu deliberaret, ad finem Iulij mensis obsidionem soluere statuit. Michaël uerò Helinsceus factionibus nuper seminatis fidens, Basilij intercœpit consilium. Postremò dum qui Sigismundo fidem seruarunt, subsidia diu frustra sperassent, quumq; factionis numerus inualesceret, facilè regia res inclinata in apertam proditionem peruenit.

Altera Smolenceæ arcis obsidio.

Proditio Smolenceæ.

Smolencea maxima ac inexpugnabilis arx, postquàm supra centum annos in Lithuanorum manibus fuisset, tricesima Iulij mẽsis die, Basilio duci Moschorum, postquàm per biennium sæpius tentata est, à præsidio prodita fuit. Hanc Michaël Helinskeus suscepit, eamq; altera die Basilius ingressus, primũ Ruthenico ritu in templo summo orauit, postquàm sacrificia fecit, totam arcem omni auro, argento, gemmis, margaritis, preciosisq; omnibus spoliauit, prædam ingentem in Moschouiam dimisit. Smolencea arx maxima, & nulla ui inexpugnabilis, in extremis fermè Sarmatiæ finibus, ad Boristhenem amnem sita Moschorum olim ditionis, à Vitoudo expugnata fuit, duabus fermè ætatibus in Lithuanorum manibus permansit, tanto ingenio ac labore firmata, ut nullis unq; missilibus læderetur, id non murorũ munimẽto, sed propugnaculis ingentis magnitudinis ex quercinis lignis, terra, lapidibusúe repletis & circumactis septa, ac undiq; munita est: ab una parte Boristhenẽ amnem habet, cætera inaccessis, palustribusq; locis satis tuta sunt, præterea commeatus uis ingens, militum quoq; tantæ arci necessariæ cohortes fuere. Hęc Sigismundum ne primis initijs obstaret auerterunt, sed dum & uiribus, & necessarijs omnibus satis fideret proditionẽ cauere non ualuit. Hanc Basilius tanto suorũ cruore exemit, ut facilius nouam erigere arcem potuisset. Basilius hac iam secũda fœlicitate euocatus, omnia fermè præsidia exuit, atq; exercitũ ingentem coëgit, uiribus cõfidens relicto (quod satis uisum) secum in Smolencea arce præsidio, præfectis ducibus exercitum ex octuaginta millibus equitum Lithuaniæ immisit. Duces uerò Moschi instructis aciebus (ut in tanto negotio operęprecium est) recta uia quę ab Smolensco Vilnam dirigit exercitum duxêre Basilius cognito ex proditorib. regio aduentu, militũ item paucitate, per nuncios ducibus significat, ut regium exercitum excipiant, atq; supremam belli fortunã uno prælio experiantur, ex facili negotio fieri ratus, quod à tãta hominũ multitudine regius exercitus circũactus, pecorum more in Moschouiæ principatũ pellatur. His consilijs Basilij exercitus intumescens, ingenti clade paulòpòst adfectus est. Interea dum hęc apud Smolenceam arcem fierent, Sigismundus apud Vilnã agens ex nuncijs rem cognouit, exercitũ ex Lithuanis, Polonis & mercenarijs militibus paulòantè conscriptum pręmisit, quem mox ipse sequutus est. Interim Piso uir insignis, Leonis Romani Pontificis legatus, Vilnã Iulio mense appulit. Is à Pontifice ingens & supra uires negotiũ acceperat, cuius hæc summa fuit: Vt Sigismundũ belli studijs auocaret, deinde hoc idẽ apud Basiliũ ageret, repertis utrinq; conditionibus noua fœdera firmaret. Piso rem summo studio tentauit, sed in ipso statim initio pacis spes per armorum strepitum sublata. Sigismundus Leonis de se studiũ grato animo suscepit, sed dum secundis iam successibus hostem flagranti animo motũ nihil auidius ac

Munitio Smolenceæ.

Moschorum in Lithuaniam eruptio.

bellum expetere cognouit, omne periculum facilè spreuit, pacem unica armorum, ac belli uia quærere decreuit, instructoq; exercitu, paulominùs triginta millibus electissimis, tum equitibus, tum peditibus, hosti obuiam uenit, læto hoc negotium animo assumpsit, tantoq; facilior belli residui euentus sperabatur, quantò minus Moschorum res sine Helinskei ingenio ualeret. Nam Michaël Helinskeus occulto Vuladislai Hungariæ & Bohemiæ regis consilio Sigismundo reconciliatus fuerat: quumq; consilium his, quibus fideret apperuisset, Basilio res prodita est, & Michaël uinculis iniectus, in Moschouiam ductus. Preterea Nobilis Trepko nuncius qui rem ad Helinskeum retulit captus, atq; multis supplicijs affectus tandem dimissus est, fama fuit, ueru ligneo igni admotum, à Barbaris assatum fuisse, ita Michaëlis consilium intercœptum, qui si ad Sigismundum redijsset, belli cuius initium fuit, finis esse quoq; poterat. Non defuêre qui Michaëlis captiuitatem grato animo acciperent, tum quod homini non fiderent, tum etiam quod gloriam paulò pòst partæ uictoriæ illi omnium ore cessisse suspicarentur. Hæc autem extrema tanti hominis iniqua fortuna fuit: siue quod proditione insimulatus, siue quod reipsa culpa non uacaret, parum constat, sed quum magno conatu, & uario ingenio, externis armis totam fermè Lithuaniam turbauerit, & omnibus uiribus ultionem quæsierit, tandem forte non sine æmulorum scitu, & applausu uinculis iniectus, pro speratæ uictoriæ gloria, non nisi carceris, compedumq; afflictionem, munus adeptus est. Non defuerunt qui hanc cum Sigismundo reconciliationem ab æmulis, à quibus & prius Sigismundo accusatus erat, Moscho quoq; delatam crederent: quod non modo Michaëlis reditus, sed & aliorum apud principem fauor illis suspectus esset, constat enim omni sæculo dignum uirum & ducem Constantinum Ostrowskeum simili studio ab æmulis impetitum. Quem tamen uita innocentissime acta, ac uulnera pro repub. Christiana suscepta facilè à suspitione liberarũt. Huius uiri dignæ laudes mihi, si studiosius exequi uellem, uel solæ iustũ facerent librum. Verum quod Sigismundo in regem assumpto fuerit, ubiq; suis locis adscripsi. Supra tempus illud ab eo gesta ad historiam meam non pertinere uisa sunt, sed iam ad meum institutum redeo. Inciderunt hæc ante Kalendas Septembris.

Ducis Michaëlis cum rege reconciliationis studium.

Prelia particularia.

Interea Basilij exercitus, ducis sui iussu, Regijs castris per pauca interualla castra admouit, & ad Berisinam amnem peruenit. Sigismundus haud negligenter aliquot cohortes præmisit, qui eodem amne superato, hostem terrore machinarum bellicarũ irritarunt, uarijsq; tentatis fortunis ad 27. Augusti diem, particulari certamine uicerunt. Paulòpòst ad Kal. Septemb. simili fortuna à regijs pugnatum fuit, ex utrisq; uictorijs, qui insignes capti, ad regem deducti, hisq; initijs milites reliqui belli euentum fœliciter auspicati, uotis omnibus in hostem inuehebantur. Rex Sigismundus relictis ad sui custodiã quatuor millibus, reliquum exercitum hostes insequendos submisit, ipse apud Borisouam castra posuit. Tum Basilij exercitus summus dux ex usu ratus, si legiones omnes abduceret, & regios postquàm abiret in pugnæ sibi commodum locum euocaret. Consilium factum sequitur, ducitur exercitus ad Boristhenis amnem, regij hostiũ recessum fugæ simillimum rati, magnis itineribus toto exercitu machinis æneis omnibus hostẽ sequuti sunt, his per exploratores ab hostibus cognitis, operæpretium uisum est, celerius Boristhenẽ amnem tranatare, atq; ita Sarmatis ne flumen superarent negotium facere, nec frustrà consilium fuisset, si tàm strenuè rem facto firmassent, quàm sapienter cõsuluêre. Regius exercitus dũ hostem ultra Boristhenem traiecisse intelligeret, illico quod in tanto negotio ad rem pertinet, effecit, mox uado quæsito copias traijcere destinabat, at dum Boristhenes nullibi q̃ in hostium fermè aspectu permeabilis appareret. Data dehinc inde loquendi fide, Duces ad fluminis ripam conuenisse traduntur, Sarmatæ ut sine metu hostium flumen tranatassent postulasse, uelle dein hosti pugnandi copiam facere, hostes ambigua fide rem confecerunt. Cæterum flagrans cupidine belli Polonorum animus, omnia uirtute peruia facere, uel ingenti periculo destinabat, relictis eo loco aliquot leuis armaturæ millibus, reliquos exercitus ad penultimam noctis uigiliam, alibi ingenio atq; arte ratibus, trabibusq; connexis, quasi ponte facto, pedites omnes atq; tormenta, & machinas bellicas traiecerunt. Equestris ordo suo more acie seruata, quasi signo dato amnem insilijt, cumq; uno solum ab aquis absorpto dempto, omnes fœliciter superarunt. Fama est Basilij ducibus hæc non incognita fuisse, sed pertinaciter hanc opportunitatẽ neglexisse, iusto forte Dei iudicio, ut qui elatis animis Sigismũdi exercitus paucitatẽ cõtemnerent, paulòpòst Dariano exemplo, multi à paucis superati, fœdissima fuga, salutẽ frustrà quærerẽt. Primo itaq; diluculo, amne iam superato, regij duces acies instruxêre, uniuersum exercitum per cohortes atq; manipulos discernunt, Lithuani omnes equites fermè sedecim millia, sub Constantino principe Ostrowskeo duce fuêre. Poloni uerò qui sua sponte regem summo principis amore euocati, sequuti, simul cũ stipendia merẽtibus, sub Ioan. Switczowskeo militabãt.

Boristhenem qua uirtute traiecerint nostri.

Fuêre

Fuere in eo bello ex Polonis insignes Patricij, familię Pilecentium, Kmythonum, Tancinenlium, ac ex maiori Polonia plerique, patriæ ac regis studio euecti, fuere deinde pedites ex usu locati, atque ab hostibus reficiendis aut mutandis aciebus: temporis interuallum admissum, idque non tam ex metu, quàm summo contemptu ab hoste admissum constat.

Ordinatis iam Christianorum aciebus, milites flagranti desyderio pugnā expectant, idque tam excelsis animis, ac si partam iam manibus tenerent uictoriam, hostium exercitus uti multus atque innumerus, ita dissimili usu instructus. Fuere in eo exercitu maxima duo mala, Regijs uerò non postrema uictorię spes, primum quod bellicas machinas ob itineris interuallum & pergendi celeritatem posthabuissent, secundo loco quòd equites cataphractarij eruiti & ipsis militibus armorum uis ingens, ita undique præter consuetudinem ferrati armorum insuetudo periculum haud modicum fecit, hostilis exercitus multas cohortes ante ualidam, mediamque aciem locauit, designati item fuere qui regios à tergo inuaderent, & in hostium frontem impellerent, ut septis undique regijs militibus gregū more sine etiam clade, omne Sarmaticum robur abigerent, aliquot horarum spacium intermedium erat, antea quàm utrinque manus consererentur ad tertiam fermè diei horā, signis iam datis, duces quo cohortes imprimis, deinde ualida acies dirigenda foret assignant. Verum hostes astu Christianorum consilium peruertunt, ad sinistrū ipsi cornu per locum pauculo colle dumetis obsitum cohortem inducunt, his cognitis qui eo loco rebus præfecti erant, clamore citato lætis animis in hostem pertinaciter erumpunt. Tum iam cœpta pugna omni loco horribili strepitu inualuit, hinc tubarum clangor, hinc equorum hinnitus, militum animosus clamor, machinarum, pixidumque metuendus fragor & tonitruus, hominum animos inuasere, atque ita Sarmatæ supremis uiribus negotium suscepere, hostes ubique confertissimos magna ui deijciunt, laborantibus, ubique subueniunt, fessis remotis recentes inducunt, quumque & armorum usu, & militiæ disciplina Sarmatæ, ubique superiores esse cœpissent, & inter pugnandum dies inclinata esset. Tum utrinque summa ui pro uictoria certatum est, uelitum tum maximus usus fuit, qui manualibus pixidibus multa incommoda in hostium exercitu effecerunt, ad extremum hostium antesignani, & primę cohortes Sarmatarum pertinacem pugnā nec ferre, nec septi extremis, ualidisque suorum aciebus à tergo effugere poterant, urgentibus interim à fronte magna ui Polonis, hostibus item à tergo [illegible] imentibus, quæ mediæ fuere legiones, per transuersum campis effusę, fœdam iam fugam inierunt, hisque elapsis Sarmatarum acies uno eodemque impetu, mediam hostium aciem inuadunt, hinc tremor ex suorum fuga hostibus, ac mox Sarmatarum pugnax manus molesta accessit, iamque postremò hostium acies ac cohortes & alæ suis per campum iam effusis conspectis, fuga passim elapsæ & facili iam negotio nudata undique hostium media acies in fugam acta est. Aperta itaque hostium fuga per omnes campos effusa. Sequitur Sarmata fortunā, tum ingens clades in hostibus patrata est, & in ipsa fuga innumeri cæsi, nemo à persequentibus seruatus, nisi qui fuga elapsi, aut nemorum densitate tecti Sarmatarum manus euaderent, ad extremū postquàm quatuor fermè millibus per omnes campos hostes insequerentur, amica hostibus nox rem diremit. Sarmatæ media nocte partim altero primum die ad castra reuersi, hostium castra magnis opibus referta in prædam direpta sunt, Duces exercitus summi decem Barones, & Satrapæ decem & septem, ex Basilij uerò consiliarijs, primoribus, & his qui officijs publicis apud Tyrannum præfuere simul cum nobilibus supra duo millia capti, obscurę conditionis militibus non computatis, prętereа signa militaria multa accepta: eo prelio ex hostibus multi cæsi, multique capti fuere. Sunt qui ad quadraginta millia occisorum percenseant, sunt item qui paulò plus triginta millibus supputent, mihi in re tanta nullum est negotium, nihilque placet asfirmare, satis esse uidetur uicisse Sarmatas, eousque hostes cæsos quousque regijs sequi non fuerit difficile. Certo ex octuaginta millibus hostium exercitum fuisse constat, sed ex captiuis qui à uictoribus Ioanni Bonero uiro de Polonica repub. optimè merito submissi fuere, hoc mihi narratur, exercitus multo minorem medietatem Sarmatarum manus euasisse. Ex regio exercitu insignes, fortissimique Barones quatuor, cæterùm paulò plus quadringēti cæsi, uulnerati uerò multi fuere. Regius exercitus postquàm Deo Opt. Max. (ex cuius clementi dono uictoria cesserat) gratias egisset, Regi captiuos insignes cū signis militaribus submisit. Incidit hæc multis sæculis memoranda pugna, in annū 1514. diem Deiparæ uirginis Natalem. Sarmatis populis omni æuo celebrandam; anno à quo Sigismundus Sarmaticam rempub. tutandam susceperat septimo. Sigismundus posteaquàm ex nuntijs uictoriā cognouisset, ac paulò post captiuos adductos conspexisset, milites adseruatos recentes quatuor fermè millia ad exercitum submisit, iussitque duces fortunam ac uictoriam sequi. Rex cum omnibus insignioribus captiuis Vilnam triumphum agens, ad ultimos Septembris dies ingressus, omnibus deinde templis laudes atque gratiæ

Moschorum copiæ.

Pugna nobilis.

Fuga Moschi.

Captiui insignes & præda.

Dies uictoriæ.

gratiæ omnium uotis Deo Opt.Max.habitæ. Hæc memorabilis uictoriæ summa fuit. Sed mihi uidetur hæc ipsa per Barbaræ reginæ fortunam Lithuanis accessisse, quum paulò postquàm illa cum Sigismundo rerum potita esset, Polonis læta, fœlixq; cesserit uictoria, Lithuanis fœlici Barbaræ aduentu operæprecium erat, similem à Deo Opt.Max. fortunam impetrare, ut qui sub uno imperio degerent, nouæ reginæ beneficio, consimili fortuna redderentur fœlices. Rex ex castris mox apud Borisouo Leoni decimo Romano Pontifici uictoriam significauit. Præterea captiuos Barbaros, plerosq; Christianis principibus submisit. Missus est item legatus ad summum Pontificem Nicolaus Vuolskeus insignis miles, cui quatuordecim nobiles Moschi uictoriæ testes ad Pontificem additi, hos in fine Decembris per Cracouiam Vuolskeus Morauiam, deinde Viennam Austriç perduxit, cuius tunc ego itineris comes eram. Verum quum Viennam saluis rebus peruentum esset, ex amicis iter omne in Italiam interclusum accepimus. Cæsareus Senatus ut tutum esset iter requisitus tanto negotio se exonerās ad Maximilianum Cæsarem eundum censebat, itum est deinde ad Oenipontem Oeni uallis oppidum, sed antequàm illuc uentum esset, apud Hall oppidum ad Oeni fluminis ripā situm, Vuolskeo iter interceptum, ille à Cæsare Maximiliano postridie ad finem Ianuarij sine iniuria dimissus, sed Moschis uincula adempta, paulòpòst haud parum honorati à Cæsare in Asiam per Lubeckum remissi fuêre, iure ea res in Pontificis Romani atq; Sarmatiæ regis cōtemptum facta fuisse uisa est. Vter autem eorum maiorem acceperit iniuriā, non habeo dicere, Vadianus meus apud Pompo. Melam huius rei obiter facit mentionem: eò quòd nouum illorum ritum, atq; externam religionem, uti apud Viennam cognouerat, uidisse placuit. Dum hæc fierent, Basilius suorū clade cognita, metu perculsus, paucissimis comitatus, Smolenceam arcem exiuit, celeriq; cursu in Moschouiam peruenit, fama erat, ut nouum exercitum conscriberet, mihi uerò narratur, Basilium omni desperatum fortuna, id fecisse. Regius autem exercitus à certaminis loco ad Smolenskeam arcem castra mouit, multis quidē id factum incommodis constat. Nam ex longo interuallo atq; uiarum iniquitate, ingens equorum numerus interijt, multæ item quadrigæ (nam suprà sedecim millia in exercitu fuisse constat) equis aut mortuis, aut omninò periclitatis, in ipso itinere relictç fuêre. Smolencea arx quæ natura, ac arte munita est (quod machinæ & instrumenta ad hunc usum in exercitu non essent, simul quod hyems & temporum ratio, ut ea regio naturam habet, inualuisset) frustrà tentata, desideratis aliquot ex regio exercitu. Postremò obsidio soluta est, & milites ad hyberna dimissi fuêre. Hæc ultima huius anni expeditio, cum tanta fuit molestia, ut & equos, & homines multò plures absumpserit, quam etiam in ipsa pugna periêre. Mihi uerò tantæ perfidiç nulla constat ratio, sed hoc unicum bellorum apparet incendiū, quod iam plerunq; in Lithuanicis oris, Ruthenica religio inualuerit. Nam cum Ruthenis, qui sub rege agunt, religio cum Moschis sit per ómnia communis, ad defectionem nihil deest, sed principis tyrannis, & quod opibus nemo diues est, nisi quē uelit princeps, & quousq; uelit, demum ut neq; præstiti iuramenti fides sit, obstat. Vuladislaus Iagello qui ex ea familia primus apud Sarmatas regnauit, Christianæ fidei & religionis primus summusq; plantator, ab initio Orthodoxam fidem tota Sarmatia sanctè religioseq; tutatus est. Ruthenorum secta ligneis templis sua semper perfecit sacra: hoc deinceps sanctè custoditum semper fuit. Sed hac ætate Ruthenorū paucis patrocinantibus inualuere, iamq; sumptu magno templa lapidibus in sectæ ratificationem extruuntur. Hæc me eo anno paulò antea quàm apud Boristhenem pugnatum esset Vilnæ uidere contigit. Præfecti sunt item summis, priuatisq; officijs eius sectæ homines: eo facilè fieri potest, ut religionis obseruantia, & amore plerīq; Moschum quàm regem malint imperatorem.

Captiui à Cæs. dimissi.

Smolenceæ arcis tentatio.

Tyrannis principis Moschorum.

Vuladislai Iagellonis pietas

Mendligerus Thauricus Cæsar qui ex stipendio nuper accepto regi ad hoc bellum accedere debuit uafro usus ingenio non longè à regijs castris legiones suas, hoc est, Ordam locauit, eo loco belli, pugnæq; supremæ euentum præstolaturus. Sarmatis uerò interim uanis spebus auxilia pollicitus, tandem quum regi uictoria cessit, & ipse regiam fortunam sequutus, totum exercitum in Moschouiam duxit, eamquê oram tanta cæde affecit, ut supra hominum memoriam similis præda ex Asia non credatur abacta. His cladibus Basilius mitior factus, qui nuper tam certam sibi uictoriam persuasit, ut etiam ad duces literis (quid post partam uictoriam de rege fieri uelit) mandare non dubitârit: sed Deus Optimus Maximus & principis Sigismundi fortuna, mutato hostis consilio, rem alio fine beatam fecêre. Piso tandem infecta re honoratus & dimissus est. Ioannes Laskeus postquàm faustum, fœlixq; hoc nuntium in urbe acceperat, rem ad Pontificem, Patrumq; Senatum retulit. Patrum Senatus publicas orationes pro Sigismundi uictoria Deo Opt.Max. fieri decreuit, fuêre tunc Romæ, & hi quidem quos minimè decet, qui simultatis gratia rem quantum ex se erat perderent, uicit tamen religio, habitæquê sunt in

Mendligeri Taurici dolus.

Tauricorum in Moschouiā irruptio.

Supplicationes Romæ decretæ.

templis

templis laudes, & belli series longa, luculentaq; oratione à Camillo Porcario homine literis claro celebrata fuit. Hæc Moschici belli, rerumq; Lithuanicarum eius anni fermè summa est. Igitur expositis breuiter quæ apud Lithuanos, Sarmatiæ maximos populos, periculoso Moschico bello, iam circumacto anno, gesta fuêre, operæpretium erit ad Polonorum res diuertere, atq; sub his externa quædam adferre, nō quod aliarum gentiū res mihi maximè negotia faciant, sed quia ad eorū quę subscripturus sum, usum pertinere uideant.

Pacis inter Cæsarem & Poloniæ regem causæ.

Anno 1514. ab orbe redempto pacem Romani Cæsaris cum Polonis excepit. Ea res quando ex insperato quasi accesserit altius eius initia non ab re perscribenda erunt. Diuæ memoriæ Fridericus Romanus Imp. eius nominis tertius, quondā ex fœdere Hungarici regni ius sublato Matthia sortitus fuerat, idq; iam per succesionem ad Maximilianum deuolutū erat, uaria dehinc tum consilia, tum fœdera intermedia fuêre: donec Deus Opt. Max. Vuladislao Hungarię ac Bohemiæ regi prolem largitus esset, hinc uisum Maximiliano affinitatibus rem firmandam fore. Actum est in ea re aliquandiu priuatis consilijs. Legatis tandem adhibitis Ioannes olim Vuaradiensis & Olomucensis Episcopus, cuius apud Matthiam, uel ob singulare ingeniū, uel ita fato uolente summa auctoritas fuerat, qui tunc mundi abiectis uanitatibus Diui Francisci sectam (quam de obseruantia uocāt) professus. Eam prouinciam Iulij etiam Romani Pontificis iussu adsequutus, facturus perpetuum inter Reges fœdus, anno 1507. Constantiam (ubi Cæsar comitium indixerat) inde Oenipontem oppidum ipsum Cæsarem sequutus est. Ea legatione fœdus, quod reipub. Hungaricę profuturum erat, summo studio confecit. Iacta fuêre tunc etiam pro repub. Christiana salubria fundamenta. Ad eam rem optimi duces accesserant, Bernhardinus S. Crucis Cardinalis, Hierosolymitanus Patriarcha, Iulij Pontificis Rom. legatus, uir magnæ, sacræq; doctrinæ, Ioannes Vuaradieñ. Vuladislai legatus, hic quamuis obscuro loco apud Morauos Proscanno oppido, plebeis item parentibus natus fuerat, ita tamē adultus, literarum studijs & optimo ingenio præditus, apud Matthiam Huniadē creuerat, ut primum locum apud Senatum Pannonicum obtineret, & Mattheus Lang Augustæ natus, simile fatū consequutus, paruis initijs per omnes dignitates penetrans, ad Cardineum ordinem sub Iulio adscriptus, tandem Saltzburgeñ. archiepiscopatum opibus in Germania primū, mortuo etiam Maximiliano adsequutus est. Tres uiri ut dignitate summi, ita naturæ dotibus suffulti, apud tres summos in Europa principes, summam authoritatem etiam usq; ad inuidiam adepti. Præcipuis consilijs regnorum res semper tutati fuêre. His itaq; ducibus communi reipub. proculdubio consultum fuisset, nisi & Iulium ingens in Italia bellum, quod proh dolor, fremens concœperat, & Cęsarem à Venetis accepta iniuria auertisset. Ioannes Vuaradieñ. postquâm ad futuram Cæsaris nepotum cum Vuladislai natis affinitatem, quæ ad negotium pertinere uidebantur, effecerat, suæ sectæ cœnobij apud Schwacium Oeniuallis oppidum Cæsaris assensu inuito Brixineñ. Episcopo diebus Septembris initia fecit, deinde ad Vuladislaum regem remissus est: cuius itineris comes ego quoque fueram. Saluæ dehinc res fuêre, non tamen in effectum ductæ, eo quod Cæsar grauissimo bello retentus fuerat, & quod utrinq; Cęsaris nepotibus, & Vuladislai natis ætas non accesserat, & quod Cæsar postremò in Sigismundum omni noxa uacantem odium susceperat. Accessit his quòd in Pannonico, Bohemicoq; senatu non deessent, qui amicitiam cum Cæsare suscipiendam uti iniquam, & ex nullo usu futuram censerent. Actum est totis istis intermedijs annis à Cæsare ad Vuladislaum per legatos, donec Maximiliano uisum fuit, res summo iam uinculo firmari oportere. Missi sunt ad Vuladislaum eo anno insignes legati, qui rem postularent, Vuladislaus contra sine Sigismundi fratris assensu rem detrectauit. Estq; ea res ad Maximilianum delata, non licere cum eo fœdus, amicitiamq; & affinitates iungere, qui fratrem odio & alieno bello persequeretur. His cognitis Maximilianus magis ex suorum usu ratus, Sigismundo Poloniæ regi reconciliari, quâm innoxium principem in aliorum gratiam, contra etiam Cæsaream dignitatem, odijs, bellisq; molestari. Accessêre huic negotio uiri consilij maximi Christophorus Schidlouicius Sandomirieñ. tunc Castellanus, Sigismūdi ad Vuladislaum fratrem legatus, Ioannes Cuspinianus doctor, Cæsaris consiliarius, urbis Vienneñ. præfectus, ad eam etiam submissus. Hi dum Budæ conuenissent, summo conatu uterq; egit, ut alterius principem ad pacis, fœderisq; conditiones induceret, negotium aliquandiu intermissum est, noua & fœda molestia id efficiente. Nam dum Thomas Cardinalis Strigonieñ. Constantinopolis Patriarcha nuper à Leone summo Pontifice (quod Catholicis quondam commune erat) crucem conferendam suscepisset, ut ea signati milites contra Turcas in Thraciam ducerentur, sperabatur ea res Pannoniæ regnis maximo cōmodo accedere. Verum dum uel in consultè, uel negligenter initiata esset, summum, detestabileq; periculum fuit, conuenit sub facinorosis ducibus pessima hominum plebeiorū, rusticorumq; colluuies.

Matthæus Card. Saltzburgensis.

Concordia media.

Christophorus Schidlouicius. Ioannes Cuspinianus.

Coacto

Tumultus Crucigerorum in Hungaria. Coacto itaque exercitu in Thraciam, non modo obmissum iter, sed pessimum in hominum memoria facinus susceptum est. Fuit primum in animo omne nobilitatis & patriciorum nomen deperdere, deinde episcopatibus omnibus deletis, unum archipræsulatum relinquere, incredibile dictu, quàm cito mala hominum pestis irrepsit, insurrexêre pessimi quique, si qui prius pietatis studio rem susceperunt, horum facilè temeraria manu inualescente ad facinora animus mutatus fuit. Tum ingens manus ex omni Pannonia (nouarum etenim rerum studiosum est uulgus) collecta, hos sibi duces constituit Georgium Siculum ex populis, qui mox ad Methanastes sunt, & Seckli uulgo uocantur, *Georgius Siculus.* homo antea militiæ laudibus, præclarisque item facinoribus insignis, cui cum æs deficeret, facilè apud hos imperium consequutus est, Laurentium deinde sacerdotem & Michaëlem monachum imperij socios asciuit, hac scelerata manu, multo maiorem Pannoniæ partem, crudeli, fœdaque strage impleuit, tot uicijs exercitus prouolutus erat, quot forte libido uias demonstrauerat, tribus fermè mensibus ingenti Pannoniæ malo exercitus circumactus est. Eaque sæuitia plus sexaginta hominum millia cæsa perhibentur, pudet referre quam praua facinora hoc malum hominum genus perpetrauit, cæsi fuêre, & palis *Afflicti in hoc tumultu.* infixi uiri insignes, imprimis Episcopus Senadiensis, ex nobilitate fermè sexingenti, qui passim ad palos seu gladium rapti fuêre, matronæ, uirginesque nobiles ad libidinem prostitutæ, cæterum sine ætatis discrimine crudeliter multi necati, pari ferocitate in Christos Domini usi sunt. Ecclesias (ut aiunt) templa quæque prophana uel sancta, superis, inferisque non parcendo diruerunt, & ignibus absumpserunt. At paucis externum hoc negotium *Supplicia ducum factionis.* absoluendum est, quum magis ad Pannonicarum rerum scriptores pertineat, mihi, si uniuersa facinora narranda, tempus uiresque deficerent, ad extremum Ioannis comitis Scepusiensis Palatini Transyluanieñ. Barbaræ Poloniæ reginæ fratris ductu, scelerata manu apud Temisuarum medio Iulio superata fuit. Hic crudelibus quoque mortibus antesignanos & facinoris authores extinxit. Georgium colluuiei regem militum suorum dentibus antea discerptum, ferreo, ignitoque diademate coronatum, capite truncauit, & quatuor in partes corpus distractum, caput ad sceleris socios apud Vuaradinum & Pesthium oppida submisit, qui pari deinde strage affecti fuêre.

Comitium Budæ. Hoc deleto malo comitia apud Budam Vuladislaus suis indixit. Visum hinc fuit Romano Cæsari (qui paulò antè si Hungaris ex usu uideretur auxilia contra plebeorum eruptiones promiserat) ut ad hæc comitia legatum submitteret. Tum quod labanti reipub. Hungaricæ subueniretur, cum etiam (quod uerisimilius est) optatis finem tandem sortiretur, habitum est itaque diebus Nouembris apud Budam comitium. Adhoc Cuspinianus à Cæsare Romano Christophorus Schidlouicius à Sarmatiæ & Poloniæ rege legati fuêre. Quumque legatorum animi utrinque in spem pacis erigerentur, ex re uidebatur paulò pòst reges omnes ad Februarij uenturi anni finem apud Posonium in unum coire. Cuspinianus magno desyderio hanc prouinciam suscepit, qui celeri item cursu ad Cæsarem apud Oenipontem degentem peruenit, neque Cæsar negotium infecit, sed mutato tempore dies ad mediam Quadragesimæ anni 1515. reiectus, atque hoc per Cuspinianum Budam regibus renunciatum est, interea Christophorus pari studio apud Sigismundum egit. Sigismundus qui nihil unquàm æquè ac pacem amauit, lubens negotium suscepit, parauitque mox ex Lithuania in Poloniam aduectum. Positis itaque in arces præsidijs, militibusque in hyberna locatis, Sigismundus cum regina Barbara in Poloniam diuertit, atque hoc modo annus 1514. apud Sarmatas finem habuit.

Anno 1515. ANNVS dehinc ab orbe redempto 1515. Sigismundum apud Cracouiam cum Barbara regina excœpit, iamque statim Sigismūdus cum Senatu de regum conuentu egit, fuêre tunc in utrisque regnis, qui hoc iter regum detestarentur, an priuato hoc commodo, *Conuentus Vien. præparamenta.* an quod Maximiliano non fidendum putarent, fecerint, non satis habeo. Constat autem in comitijs Cracouiæ in Februario habitis, Polonicum Senatum omni uoto in eam expeditionem accessisse, ipsis uerò comitijs de regni rebus consultum fuit. Hoc etiam tempore Reuerendiss. D. Matthias Dreuitius Cancellariatus officiū, ad quod Reuerendissimo domino Ioanne Lasko in Archiepiscopatū euecto successerat, in regias manus resignauit, quod iam ad Episcopatum Vuladislauieñ. euectus esset, qui secundum regni statuta hoc officium habere non potest. Successit huic Magnificus Christophorus de Schidlowietz, antehac Vicecancellarius, cui uicissim in eo officio Petrus Thomicius Episcopus Premislieñ. successit. Domi Sarmatiæ, rebus Ioannes Conarius Cracouieñ. præsul, Nicolaus Caminicius Cracouieñ. Palatinus Polonici exercitus dux, cum reliquis ad hoc munus designatis, præfecti sunt. Cæterum multi ex primis tàm Episcopis, quàm Patricijs Regem sequi iussi. Hæc dum Rex parat, nuntium adfertur, Cęsarem nonnisi ad diem (quam Lætare mediæ Quadragesimæ dicunt) futurum. Rex acceptis literis cum his qui ex

Senatu

Senatu sunt re communicata animum nihilo mutauit. Magno quidem studio ex Pannonia laboratum fuit, ut uel conuentus periret, uel Budæ indiceretur. Sed nec hanc temporis moram Sigismundus molestè ferebat. Tum interim Ladislaus Sternbergius Regni Bohemiæ Cancellarius uir insignis Cracouiam ad Sigismundum legatus ita uolenti principi animum eundi adiecit, hortatus est miro studio, ne quauis ratione iter interciperet. Sigismundus eo remisso paulò pòst ad quintum diem Martij Cracouiam exiturus erat, comitatus equitibus fermè M.D. præter eos, qui in quadrigis & ad onera ferenda designati fuerant. Susceperunt hoc iter cum rege Sarmatiç insigniores, quos ut uno labore rem absoluerem, infrà cum alijs aliarum nationum principibus, qui huic conuentui interfuêre adscribere magis placuit. His itaq; comitatus rex iturus erat, quū Matthias Miechouieñ. Medicinæ doctor, & astrorum præscientia (si his certa fides esse debet) nulli sua ætate secundus, Regem frustra iter suscepisse significauit, accesit statim Miechouieñ. uaticinio nouus nuncius, Cæsarem Matthæum Sancti angeli Cardinalem, Episcopum Gurceñ. ad reges designasse. Fuêre qui infra dignitatem Regiam putarent ad alium quàm Cæsarem eundum. Audiui ego ex Regio ore se Cæsari semel datam fidem inuiolabiliter (etiam si infimos quosq; submitteret) seruaturum, eundum fore quò Deus, & fortuna ostenderēt, nam nihil minus regium esse, quàm datam uiolare fidem. Miechouieñ. regia accepta constantia, & ipse sententiam non mutauit. Per Ioannem Bonerum & regi charum, & sibi intimum rogatus, ut pridiè respondit: Regem non uisurum Cæsarem, nisi ad medios Iulij mensis dies, usq; expectare non grauetur, ea res postea ita euenit. Rex uerò nec his rebus quò minus iret deterritus, iter die 5 Martij ut supra scribitur, incœpit, continuatis itineribus ad Tirnam oppidū peruenit, illicq; ab Episcopo Quinqueecclesieñ. & Georgio Marchione Brandenburgeñ. utriusq; regis nepote exceptus, Posoniū deductus est. Sigismundo Posonium uenienti Vuladislaus frater cum filio Ludouico obuiā uenit, eumq; humaniter non sine lachrymis excepêre.

Matthiæ Miechouien. uaticinium.

Conuentio Posonij.

Cæterùm Posonium ingressus, paulò pòst Strigonieñ. Cardinalis, cæteriq; ex Pannonico Senatu secuti fuêre, actum est deinde inter Reges de regnorum Hungariæ, Poloniç, & Bohemiæ commodo. Interim magno desiderio expectatus Maximilianus, aduentum in multos dies differebat, uel quod uarijs, & maximis auocaretur negocijs, uel quod cum desiderio diu expectatus maiori ueneratione exciperetur, uti Fruticeni amicissimi uiri erat sententia, uel etiam regum constantiam cognosceret, interimq; cōmeatus, cæteraq; omnia quæ ad tantorum principum susceptionem pertinerent subordinaret. Ego in ea re neq; affirmare quippiam, nec reprobare ausim. Sed nec hunc celeberrimum conuentum singillatim describere susceptum postulat negocium, quum hoc Cuspinianus Vienneñ. præfectus, Richardus item Bartholinus uiri doctissimi tanto studio effecerint, ut neq; ad eius rei seriem addi, nec minui quicquā ualeat. Ego uerò historię seriem scripturus, ita agā, ut nec breuitate sterilis, nec dicendi copia prolixus nimiū, idemq; fastidiosus uidear. Quū itaq; Cæsar Romanus aduentum suum regibus diu subtraheret, actum est aliquādiu per legatos. In primis ad reges à Gurcensi missi fuêre, Marquardus de Stein, Ioannes Moraxus, Cuspinianus & Vuolfgangus Hamerlus, paulò pòst ipse Cardinalis Gurceñ. Posonium ad reges peruenit, comitatus pristinis oratoribus, simul Laurentio Saurer Vicedomino Austriæ & Gabriele Vogt, habitus est illi à regibus tribus, maximus (ut par fuit) honor. Cerimoniæ item maximæ fuêre, acta sunt & priuatim, & publicè pro principum unitate multa. Verum dum reges nihil æquè ac Cæsarem uidere cuperent, factis, datisq; hinc inde pacis fœderis ac affinitatis conditionibus, ut regibus coëuntibus faciliùs omnia firmarentur. Cardinalis Gurceñ. à regibus honoratus, atq; muneratus die 12. Aprilis ex Posonio soluit. Pòstquam Viennam peruenit, Cæsareos consiliarios Gvvilhelmum de Rogendorff & Laurentium Saurer Vicedominū Austriæ ad Imperatorē submisit, illi longū hoc iter usq; in Augustam mira celeritate quatuor diebus confecerunt.

Acta cum Gurcensi.

Interea uerò dum Cardinalis apud reges Posonij esset, Bartholomæus Minsterburgeñ. dux, à Cæsare ad reges submissus, in Danubij fluctibus, non sine aliquorum mœrore interijt. Paulò pòst item quàm Cardinalis Viennam ingressus esset, pridie Kalend. Maias, subito igne Posonij fermè medietas absumpta fuit. In eo igne Vulatislai regia, suorum incuria absumpta est, Sigismundi uerò Poloniæ regis ædes summo suorum studio seruatæ fuêre. Latum est & oppidanis à Polonis auxilium, ut quod reliquum esset eorū opera seruaretur. Rediêre post longam moram ad Cęsarem à Cardinale missi legati. Visum deinde Cardinali altero ad reges itinere, aut tædiosam moram leuem facere, aut ceptis iam pri-

Caroli Ducis Munsterbergen. interitus.

Incendium Posoniense.

dem negocijs maius addere robur, ad undecimũ diẽ Maij ex Viẽna ad reges p Danubiũ naui dimissus est, hominis aduẽtus regibus gratus, Tum noua statim consilia aliquot habita diebus, ad 20. Maij diem, conditiones tam fœderis, quàm matrimonij regum, legatorumq; manibus subscriptæ in ipso consilio publicatæ fuère. Nam à duobus regibus, duobus item Cardinalibus duntaxat rebus finis datus perhibetur. Interea dum hæc apud Posonium aguntur, triste nuncium Pannonico regi allatum est, Ioannem Scepusiæ Comitem, Transyluaniç Palatinum transcensis hostium Turcarum finibus bellum intulisse, eoq́ue haud prosperè gesto, ab hostibus superatum, castrisq; exutum fuisse, ea quoq; fama ad reginam Poloniæ uenit, quæ fratris in fortunio summo mœrore afficiebatur. Postquam hæc Cardinali apud reges ex sententia accesserant, ex Posonio ad Cæsarem soluit. Quem multis exantlatis laboribus, atq; consilijs ad hoc iter sua (ut est uir maxima prudentia) industria accinxit. Missi fuère item post Cardinalem regum ad Cæsarem nuncij. Hieronymus Balbus Italus, & Bretislaus de Schvvyhavv Bohemus, Nicolaus Cæculus Hungarus, & Petrus Kmitha Polonus, quondam ob singularem, & incomparabilem uirtutem, Cæsari dum in aula eius esset summè charus, hos ultimos Cæsar magna aduentus sui spe, cum literis humanissimis ad reges subitò remisit. Eos ipsos sequutus decima Iulij die Viennam uenit. Aduentu Cæsareo cognito à regibus, legati missi fuère, qui Cæsarem Regum, Reginulæq; nomine exciperent. A' rege Pannoniç, & Bohemiç fuère, Georgius Quinqueecclesieñ. Episcopus Pãnon. Ladislaus de Sternbergk Bohemus eius regni summus Cancellarius, Moises de Buslai uir insignis aulæ regiæ præfectus. A' Poloniæ uerò rege Ioãnes Lubrãcius Posnanieñ. Episcopus, Lucas de Gorka Maioris Poloniæ generalis præfectus, Christophorus Schydlouicius regni summus Cãcellarius, submissi sunt undecima Iulij die legati ad Cæsarem, & Senatum tunc ex principus frequentem admissi. Georgius Episcopus uerba fecit, quæ uel negocium, uel Cæsarea dignitas postularet, oratione finita Cæsaris nomine Petrus Mota Hispanus uir summi consilij eleganti grata, concinnaq; breuitate respondit, altera die regum legati à Cæsare dimissi ad reges rediêre. Misit dehinc Cæsar legatos qui Reges suo quoque nomine exciperent. Ad Vvladislaum & Ludouicum, Christophorum Archiepiscopum Premensem ex Brunsvviczeñ. familiá insigni, Kasimirum Brandeburgeñ. Marchionem regum nepotem, Vvilhelmum de Rogendorff, & Cuspinianum, hi quartadecima Iulij legationis munus exequuti, Reges Viennam summo studio euocabant. Ad Sigismundum uerò Gvvilhelmum Bauariç ducem Cæsareum ex germana sorore nepotem, Christophorum Labaceñ. Episcopum, Balthasarem Præpositum Valkircheñ. & Moraxium Bohemum misit. Datis inde coeundi finibus in Hamburgum & Pontem seu Bruggum oppida. Cæsar quindecima Iulij ex Vienna ad reges soluit, tam equitibus, quàm peditibus plusquã cuiq; credibile decoriter compositis stipatus. Sequenti die 16. Iulij, quum Cæsar utrisque regibus per Cuspinianum prius conueniẽdi locum, exceptionisq; modum, ne uel ipse, atq; Vvladislaus lecticis, quibus uidebantur exilire, uel Sigismundus, & Ludouicus ab equis interim prosilire, uel etiã Anna Reginula è quadriga descendere cogerentur dedisset. Ita rebus compositis, piro in finibus locata, Sigismũdus ex Hamburgo, Vvladislaus cum liberis ex Brugg nocturnis, priores ad designatos fines uenêre. Posterior Cæsar in eam planiciem ex iugo dumetis aliquandiu antea obumbratus lectica uectus descendit. Meum non postulat institutum hoc loco multarum tunc gentium mores, uel splendorem referre, constat enim, quamque nationem suo more, ut in tantorum principum, populorumq; conspectu famam, gloriãq; augeret, supremam imposuisse operam. Germani armis, & belli apparatu (uti aliás solent) facilè omnes uicère: contra Sarmatæ Poloni Pannones, & Bohemi gentium, ritumq; uarietate, & equorum numero miro, item uestium precio ac splendore anteíbant. Fuère enim in eo comitatu multarum gentium populi, atq; consuetudines, Pannones, Rasciani, Siculi seu Cçculi, Sarmatæ, Poloni, Roxolani, Daci, Tartari, Lithuani, Moschi, Turci, Bohemi, Morauí, Slesitæ & Pruteni. Cæterùm in tot populis, atq; linguis unus fermè animus ab initio fuit. Sigismundus itaque prior, paulòpòst Vvladislaus, & postremò Maximilianus Cæsar suis comitatus ad pirum accessère, missi fuère aliqui hinc inde legati, in ipsa statim planicie, anteaquam ad mutuum congressum peruentum esset. Iamq; magna fide utrinq; pacatis animis Cæsar ad reges lectica uectus substitit. Ludouicus primo loco Cæsarem uti patrem ac Dominum salutauit. Secundo loco Anna reginula successit, inde tertio Vvladislaus apud Cæsarem uerba fecit. Postremò Cæsar Sigismundum humanissimè excepit, ferturq; his uerbis loquutus fuisse. Hæc est dies quam fecit dominus lætemur & exulte-

Ioann. Co. Scepusiens. infortunium.

Legati è Posonio ad Cæsarem.

Legati alteri ad Cæs. excipiendum.

Oratores Cæs. ad Reges.

Congressus Regum.

Apparatus singulorum.

Excipiendi alternus ordo & modus.

exultemus in ea. Ad hæc mox Sigismundus Latinis uerbis (ut singularis est eruditionis) respondisse perhibetur. Serenissime Cæsar utinam hic conuentus noster, sit fœlix ac faustus nobis, subditis nostris, & toti reipublicæ Christianæ. Expleto salutandi munere interuallo pauculo facto, præclarissimi cuiusque nationis principes, & Cæsaris, & regum dextras complexi sunt. Interea Cæsar Romanus reges Viennam intrare per Gurceñ. hortabatur. Disputatum est in ea re aliquandiu, quum Pãnonicus Senatus iter hoc non probaret. Verum Sigismundus è Cardinali ad hoc quoque iter Cæsareo nomine rogatus, utque fratrem cum liberis induceret postulatus est, Sigismundus hisce uerbis ad Cardinalem usus est. Ego relicto Poloniæ regno patrio solo, ut sacram Cæsaream Maiestatem uiderem, hûc perueni, quare non solum Viennam, sed (si sua maiestas iusserit) quocunq; lubuerit sequi libenter uolo, quandoquidem aliam de sua maiestate fidem nunquam habui, quam de integerrimo principe consanguineo, & maiori honorãdo sperare liceret, fratrem cum liberis mecum tum ducturus, qui uelint nos sequantur. Hæcq; ad Cæsarem iussit referre: fertur & suis loquutus esse, se in Cæsarea fide nihil dubitaturum, ire decreuisse quo fortuna persuaderet, qui uellent illum sequerentur: sed facile Sigismundi uirtus hæc persuasit. Solet plerunq; fieri ut homines ex seipsis aliorum uirtutes metiantur, ita dum Sigismundus constantis, integræq; fidei existat, læui negocio Cæsareum animum, ex cuius sanguine ortum duxit, suis uoluntatibus parem cognouit. Gratum fuit hoc nuncium Cæsari, suntq; qui hæc uerba Cæsarem locutum testantur, nunquam tantę fidei Polonię regem pœnitentiã habiturum, futurum esse, ut eam synceritatem illi pari beneuolẽtia persoluere posit & uelit. Tum Sigismundi cognita sententia, ab uniuersis assensum, hicq; cõuentus mox solutus, non nisi altera die Viennam peruentum est. Sæpius autem interim Miechouiensis uaticinium, cuius iampridem mentio facta, memoriæ incidit, reges Cæsarem ante sexdecimum Iulij diem non uisuros. Eo namq; die ex nocturnis Cæsare cum regibus conuenientibus Viennã iter cœptum, eamq; urbem, cuius Germania in ædificijs continuis parem non habet ingressi, Cæsareo iussu mira celebritate, & summis honoribus omnium statuum ordinibus ultrò obuiam prodeuntibus sunt excepti, Cæsar uerò postquam tantos hospites dignè susceperat, summa utrinq; liberalitate fouit.

Consultatio an Viennam eundum.

Vienna.

Postquam ad decimam nonam eius mensis diem peruentum est Cęsar & Reges, & horum omnium consiliarij ad Cæsaris arcem conuenêre, explosis his, qui superuacanei credebantur. Cæsar Maximilianus Latina oratione orsus reges longo etiam tempore adloquutus, eius orationis summa hæc fuisse perhibetur, ut inprimis moram aduentus sui humanissimis uerbis excusaret, deinde omnia, quæ ad pacem communem atq; futuram affinitatem uidebantur necessaria adferret, postremo loco ad expeditionem in Turcas bellicam hortari cępit, & quam flagrantissimo animo annis plus uiginti eam fortunam, & temporum commoditatem à Deo Optimo Maximo dari postulauerit, luculentis uerbis exposuit, hisce immiscens, quam sæpè per Ludouicum undecimum, Carolum octauum, & Ludouicum duodecimum Gallorum reges, aliasq; externas nationes bellis grauissimis ab animi instituto sit auocatus. Iam uerò quum à Deo Opt. Max. occasio rei benè gerẽdæ sit oblata, his iam rebus se non defuturum, si modo regum, principumq; Christianorum animi in eam egregiam expeditionem consentirent, operæprecium fore, ut quum Deo, fatoq; uolente ipse, Cæsar tot populorum Reges, Pontificis uerò, aliorumq; regum legati adsint, omnium animos inuicta spe, his duntaxat rebus sanctis accommodari. In hanc fermè sententiam Cæsar orationem absoluit. Responsum est regum nomine Cęsari à Strigonieñ. Cardinale, Gurceñ. dehinc plura uerba Cæsaris iussu fecit, ita ille dies consilijs absolutus fuisse traditur.

Maximiliani Cæsar. ad reges oratio.

Ad uigesimum secundum Iulij diem, quæ diuæ Marię Magdalenæ sacra est, Cęsar cum Regibus, & reginulis ad diui Stephani insigne templum, cum summi Põtificis, Regumq; legatis, & omnibus principibus conuenêre, ritè diuinis officijs peractis, Maximilianus Cæsareo habitu, & Maiestate amictus, in theatrum ad hoc erectum spectaculum conscẽdit, & regibus cinctus Annam Hungariæ regis filiam, per Strigonieñ. Cardinalem matrimonio sibi, uel alteri ex nepotibus ritè assumsit, corona imposita reginam salutauit. Pari lege Ludouico regi Maria Philippi regis filia nupsit. Creati fuêre paulòpòst aliquot à regibus milites, dataq; à Cardinale benedictione, sacrisq; ritè peractis ad prandium itum est. Sequentes dies regijs epulis, hastatorũ ludis, torneamentis, hisq; similibus absumpti fuêre. Reges item & trium regnorum Senatus à Cæsare liberaliter uarijs donis munerati fuêre. Sigismundus uicissim Cæsarem, & eos, qui uel ex charis, uel ex secretis erant liberaliter

Contractus initi.

Annæ Reg. coronatio.

muneribus honestauit. Hæc omnia perpetuæ memoriæ digna tãto studio, tantaq; fide supra quam dici potest, gesta sunt, ut calamus ad ea scribenda deficiat, sunt tamẽ singula ab his, quorum pridem feci mentionem diligenter, atque summa fide perscripta, ego paucis quod reliquum erit absoluturus ad res Polonicas reuertar.

Publicatio fœderum.

His itaque hoc ordine compositis, Cæsaris cum regibus fœdus die 28. Iulij Cuspiniano dicente publicatum fuit, in ea tamen publicatione nihil quod a secretis decretum fuit, memoratũ est. Paulòpost pridie Kalẽ. Augusti reges tres Cæsarem in Nouam ciuitatem, quæ octo millibus passuum à Vienna distat sequuti, eo loco uenationibus, alijsq; animum recreantibus rebus dies fermè tres absumpti.

Valedictio Regum.

Tandem Cæsare, regibusq; & Cardinalibus in unum coëuntibus plusculum temporis priuato consilio absumptum fuit, quo absoluto, Cæsar Romanus cui in orbe sua ætate rebus gestis nemo anteibat, tribus regibus Vuladislao Sigismundo, & Ludouico quos nũquam deinceps uisurus erat, non sine lachrymis, utrobiq; fusis supremum dixit Vale: Anna, Mariaq; iam filiabus obseruatis dimisit. Tertia Augusti Sigismundus fratrem, nepotemq; pari obseruatione ualedixit, ipse Viennam reuersus est, summisq; denuò honoribus exceptus, reditum in regnum parabat. At subita Danubij inundatione rupto põte ad sextum Augusti diem remoratus fuit, ea tandem die, ualedictis prius, & salutatis quarta eius mensis die Anna, Mariaq; reginulis in regnum suum iter agressus est. Hæc conuentus huius summa est. Qui Cæsaris liberalitate habitus summo amore obseruatus sine (quum tot populi fuerint) aliquo strepitu solutus erat. Fuêre in hoc cunctis seculis memorando conuentu Maximilianus Romanorum imperator, Vuladislaus cum Ludouico filiò Hungariæ, & Bohemiæ, Sigismundus Poloniæ Reges, Thomas S. Martini in montibus Cardinalis, Archiepiscopus Strigonieñ. Cõstãtinopolitanus Patriarcha, Matthęus Sancti angeli Cardinalis, Episcopus Gurczeñ. Coadiutor Salisburgeñ. Leonis summi Pontificis legatus Episcopus Feltrensis. Petrus Vrrea Hispaniarum, Ropertus Angliæ, &c. regum legati. Præterea ex Cæsareanis illi fuêre. Archiepiscopus Bremeñ. ex Ducib. Brunsuiczeñ. Ioannes Ratisponeñ. Palatinus Rheni. Vigilæus Patauieñ. Christophorus Labaceñ. Bertholdus Chyemeñ. & Georgius Vieñ. Episcopi. Ex Ducibus Vuilhelmus et Ludouicus fratres Bauariæ duces. Casimirus Brandeburgeñ. Marchio. Albertus Mechelburgeñ. Vlricus Vuirtenburgeñ. duces, Bertholdus Princeps de Heñenbergk. Georgius de Montfort. Carolus de Oeting. Georgius de Schaunberg. Ioannes & Vdalricus de Hardegk. Comites insignes. Ex Satrapis, proceribusq;, & aulicis plurimi, quos adscribere negocium non postulat. Ex Pannonia, & Bohemia fuêre præter Cardinalem Archiepiscopus Coloceñ. Georgius Quinqueecclesieñ. Stanislaus Olomũczeñ. Ladislaus Vacieñ. & Michaël Bozneñ. episcopi. Georgius Brandeburgeñ. Marchio. Carolus Munsterburgeñ. dux. Ioannes Comes de Canyscha. Ladislaus de Sternberg regni Bohemiæ Cancellarius. Præter hos quamplurimi insignes tam Hungari, quam Bohemi fuêre. Ex Polonico uerò Senatu erant Matthias Dreuicius Vvladislauieñ. Ioannes Lubrancius Poznanieñ. Petrus Thomicius Premislieñ. Episcopi. Christophorus de Schydlouicz Cracouieñ. & regni cancellarius. Nicolaus Firleus Sandomirieñ. Nicolaus Raduilius Vilneñ. Andreas Tanczinus Lublineñ. Georgius Mariemburgeñ. Palatini. Lucas de Gorka Castellanus Poznanieñ. & maioris Polonię præfectus. Nicolaus Schydlouicius Sandomirieñ. Stanislaus Ostrorogeus Kalisieñ. Andreas Coschielecius Voniceñ. & regni quæstor. Castellani Stanislaus Halicius magnus regni Marschalcus. Ioannes Pilecius Lublineñ. præfectus. Ioannes Tarnouieñ. dominus, fuêre item ex Lithuanis atq; Prussis plurimi in negocijs cũ ordine necessitatem assumpti. Cæterùm ex uniuersa Polonia multa nobilitas in eam expeditionem assumpta fuit. Decorarũt hũc quoq; conuentũ uiri doctissimi, nã præter eos, quos Vienneñ. Gymnasiũ (quod in uniuersa Europa nulli secundũ est) eruditissimos habet. Accesserunt Petrus Mota sacrarũ literarũ professor, homo tũ consilio, tum eloquentia clarus, Ioannes Cuspinianus Vienneñ. præfectus, Ioannes de Bannissis, Iacob. Spiegelus, Ioãnes Renner, Paulus Oberster, I. V. Doctor, Ioannes Stabius, Sebastianus Sperantius, Richardus Bartholinus, Georgius Tannsteter Collimitius, Ioachimus Vadianus, Gaspar Vrsinus, Philippus Gũdelius uiri tres mihi amicissimi, Cæsariani oẽs. Hieronymus Balbus, Ioãnes Dãtiscus, & pleriq; alij in re literaria insignes. Hęc aliũdè accepi. Reliqua forte nõ ab re his inserere licebit, qđ uel ex his, quibus res magis cognitas fuisse cõstat accepi.

Qui Viennæ conuenerint reges. Antistites. Germani principes. Comites. Proceres. Ex Hungaria & Bohemia. Optimates. Polonici Primores. Viri eruditione clari.

Altiùs supra narratum est, quibus ex causis Maximilianus Romanus imperator, in Sigismundum principem negocium assumpserit, paulòpost asscriptum est, quibus item occasioni-

casionibus res aliò uersæ meliorem induerint conditionẽ. Iam postremò quæ hoc cõuentu publicè acta fuêre annumeranĩ: quædam uerò priuata hoc cõuentu firmata fuêre, quę ego quantũ licebit his mox subscribam. Conuenientibus igitur Romano Cæsare, Hungariæ, Bohemiæ & Poloniæ tribus potentissimis regibus, positis primo loco simultatibus, atq; odijs, fœdus perpetuum miro omniũ consensu factum, successit fœderi noua inter reges, atq; alterna affinitas, qua utrinq; dotium onere regna liberarentur, res sanè reipub. utilissima. Suscepta tertio loco à Cæsarea Celsitudine Polonica res in curã, fœdus cũ Moscho schismatico nuper pactũ, uel à Cæsare reuocandũ, uel per legatos inter Sarmatiæ regem, & Moschorum Tyrannũ honestis conditionib. pax firmanda esset, fratrũ Teuthonicorum in Prussia magister, per Cæsarem quoq; ut Poloniæ regno infra certũ tempus debitum prestaret inducendus, uel deserendus omninò, utrinq; hostes cõmunes esse, tẽpore dehinc idoneo in Turcas expeditio decreta, Regibus, ut firmiora essent omnia, & ut citiùs, faciliusq; ꝓ republica cõtra Turcas assumeret expeditio, de fœdere & pace inter Cæsarem & Senatũ, populumq; Venetũ agere uisum est. Designati fuêre ad hoc negociũ ex Pannonico Senatu legati. Postea quod ex ærario commeatus non daretur remorati.

Acta in hoc cõuentu.

Tentatio fœderum inter Cæs. & Venetos.

Poloniæ uerò rex Matthiã Dreuiciũ Vvladislauiẽ. præsulem, & Raphaëlem Leschnicium ex Senatu ad hanc prouinciam legauit, iunctus est illis Ioannes Dantiscus à secretis regijs, iureconsultus ac poëta. Hij paulòpòst ad Venetum Senatum bis submissi, uel quod conditiones pacis importabiles uiderentur, uel quod Veneti belli finem potiùs expectare uellẽt (quod citiùs crediderim) infectis negocijs ad Cęsarem, deinde in Poloniam postquam satis diu his rebus præfuissent, redierunt. Relictus est apud Cæsarem Ioannes Dantiscus, qui postea aliquot uicibus apud Venetum Senatum Cæsareo nomine uerba habuit, sed quum nec ille proficeret, diu apud Cæsarem retentus, uix uno circumacto anno, ad Sigismundum dimissus est. Emporium etiam Vvratislauiẽ. extinctum, et in Posoniẽ. conuentu deletum fuit, negociandi hincinde iterum libera potestas data est. Interea dum Sigismundus apud Posonium in expectatione Cæsaris ageret, apud Polonos acta referre, hic negocium postulat. Sigismundo enim regnum egresso, paulòpòst Tartaros in Russiam erupisse nũciatum fuit. Indictum est à regni magnatibus, & his, qui domi in hostiusus relicti fuerant apud Cracouiam consilium, præsidioq; ordinato, septingenti equites in Podoliam missi fuêre, quibus ut in Trebovvla cõgregarentur commissum fuit, tardius uerò mandatis parentibus, & uix ad medium congregatis, subito impetu in ipso Trebovvlio oppido à duobus Barbarorum millibus nihil tale suspicantes, & adhuc dormientes 13. Martij inuasi. Ioannes uerò Tvvorovvsky omni seculo ob militiæ disciplinam laudandus miles, tunc copiarum præfectus inopinato periculo nihil territus, milites ad arma congregat, qui imperio parentes, incredibili audacia Scythas oppido eiecerunt. Barbari consilio mox capto oppidum circumdabãt, atque hinc incendium parant, quò facilius militem mercenarium cuius paucitatem cognouerant, ad unum præhenderent. Præfectus recognita, quod paucum haberet militem, & quod in oppido nulla fermè defensionis spes esset, per pontem duobus tantum desideratis ex oppido militem abduxit. Pro eo deinde ponte tota die dimicatum, à Tartaris nihil factum est, qui sic uotis non potiti abiêre. Poloni uerò milites sub arcem Buczasz ducti, atq; ibi congregati, Scythas ad Medzybosium usq; persequuti, uerum hostes iam uisa oportunitate in manipulos dispersi tribus itineribus fuga dilapsi sunt.

Polonici ad eã rem legati.

Emporium Vratislauiẽse sublatum.

Tartarorum in Russiam eruptio.

Paulòpòst Nicolaus Camienecius Cracouiẽ Palatinus & præfectus. Polonici quoq; exercitus dux summus 18. Aprilis extremum clausit diem, hac nouitate ad regem perlata pro dignitatibus summo studio, uarijs modis etiam Cęsareo suffragio apud Sigismũdum laboratum fuit. Obtinuit tãdem Christophorus Schydlouicius regni Cancellarius supremus (præter patriam consuetudinem, quod simul Cancellarius esset mansurus) in Cæsaris gratiam. Palatinatum & præfecturam Cracouiẽ. in ea re tum rex, & senatus, cum etiam populus Polonicus, quod uir dignus, consilio syncerus, fide integer, & apud omnes gratus esset, lubenter & non immeritò Cæsari gratificati. Qua re Andream Coscieiecium uirum summum, quum Cracouiẽ. præfecturæ competitor esset, ita mœrore confectum fama erat, ut ea causa, & quod nuper filij interitus sibi nũciatus fuisset, paulòpòst in ægritudinem lapsus, medicis non proficientibus, mortem oppetijsse credatur. Barbara regina secunda Iulij die pręcedentis noctis prolem secundam enixa, filiam quę postea baptismatis fonte lota Annæ nomen accepit, genuit; fuêre qui ingrato animo hoc ferrent. Rex uerò inuicti animi homo, qui nullis unquam fortunę etiam casibus mouetur, læto animo, &

Nicolai Pala. Craco. mors.

Altera filia Anna nata.

hoc donum Dei asserens, idque grata mente suscepit. Totum hoc tempus aquarum inundationibus molestiam adferebat. Tartari à suo proposito auocati, legatos Cracouiam miserunt, qui in Kazimiria regis aduentum expectabant. Reliqua Sarmatiæ negocia domi, forisque eo tempore tuta fuisse constat.

Sigismundus uerò sexta Augusti die Viennam egressus, magnis itineribus in regnum festinabat. Est eo itinere à Stanislao Olomuceñ. præsule eundo in Kremsirio, ac in reditu apud Vvischouiam summis exceptus honoribus, simul cum magnatib. liberaliter & magnificè habitus. Deinde in Olomuncz omnibus ciuitatis ordinibus effusis summa ueneratione exceptus, pari officio ac rex eorum habitus est, ea enim ciuitas preter ædificiorum formositatem humanissimum habet populum. Sigismūdus deinde ad 19. Augusti diem Cracouiam ingressus, Barbaram Reginam ex proximo puerperio non integrè sanam reperit. Consilio dehinc uario habito, hi qui ex itinere longo defatigati, remissi fuere. Andreas Coszielecius ærarij præfectus, quum ex Vienna rex rediret subita ægritudine correptus, ad Icinum oppidum uectus, eo loco testamentum composuit, indeque Cracouiam allatus 6. Septembris die mortem obijt, idque uel ex mœrore post filij mortem concepto, uel quod frustrà de certis dignitatibus consequendis factum credebatur, quicquid est, cōstat tamen dysenteria eum extinctum esse, homo regijs commodis natus, omnium primus, qui salinarias officinas restituit, & in meliorem formam omnes prædecessores superans renouauit: tantæque fuit industriæ ut omnia fermè uectigalia, tam ad ærarium publicum, quam ad priuatam rem regiam pertinentia solus magna integritate, et singulari fidei cōstātia administraret. Eo sublato Nicolaus Schydlouicius. Quæsturę officium adeptus, Scepusieñ. uerò Sathorieñ. & Auschvvinceñ. ducatuum præfecturas: magnæ item Cracouieñ. procurationis officium Nicolaus Iordan obtinuit. Salinarum præfecturam Ioannes Boner Rege omninò uiolente, & Senatu persuadente, obtinebat, homo & regi charus, & reip. summè necessarius de utrisque ob singularem uirtutis et fidei integritatem optimè meritus, hic non parum sępè suis, amicorūque opibus Reipu. subuenit: res regias summa dexteritate tutatus, in omnes omnium fermè ordinum publicas seu priuatas personas singularib. beneficijs benemeritus, ita regni rebus affectus, ut sua quæque negligeret, et Reipub. se accommodaret. Huius ingenio Andreas Coszielecius salinarū ordinem restituit, quas ipse postquam illius nomine administrasset, ut supra narraui adeptus, longè quam unquā antea fuere melius instituit, ac maiore commodo administrauit. Eo quoque mense, Ioannes Thurzo Vvratislauieñ. Episcopus à Federico Legnicio duce Cracouiam legatus, ut matrimonium inter eum, & Elizabeth Sigismundi sororem nuper, dum reges Posonij fuere, initiatum perficeret. Ea res dum paulò antequàm retuli, firmata esset, facilè obtenta, non multò pòst, ut infra adscripturus sum, finem accepit.

Legatus perfectis rebus ad Fridericum principem in ultimis Septembris diebus expeditus redijt. Interea ex magna fortè undique aquarum inundatione, cæterisque malis humoribus aër infectus ex contagioso & pestilenti morbo, plerique apud Cracouiam insigniores etiam absumpti fuere. Sed & Barbara regina Sigismundi cōsors subita ægritudine pręcipitata morte extincta est. Varias de illius morte opiniones fuisse apparet, fuere qui apoplexia tactam crederent, non defuere etiam, qui culpam in medicum retorquerent, illud non inficias eo, neque hoc improbo, mihi tamen constat partus seu puerperij (ut aiunt) legibus non seruatis, neque post purgationis tempus ad mortis usque diem integrè restitutam fuisse. Incidit clementissimæ reginæ mors in annum tunc currentem M.D.XV. diem secundam Octobris, quæ ab omnibus ordinibus tanto maiore luctu, atque mœrore deplorata est, quanto maiore fortuna Polonia ea regnante à Deo Optimo Max. prædita fuit. Funus eius sumptibus maximis et splendido obsequio celebratum. Corpus uerò in eo sacello, quod postea Sigismundus rex disfractum, suę, Barbaræque memorię magno sumptu, ac cultu à fundamentis nouis extruxit, tumulatum est. Barbaræ uerò uirtutes atque laudes, tot fuere, ut si tantæ reginæ clarissimas dotes referre oporteret, mortali exutam corpore ad diuorum mox consortia assumptam fuisse credere operæprecium erit. Nam ut corporis dotes & ingenuos, humanosque mores (quibus summè dotata fuerat) oratione non percenseam, constat nullam unquam in tam alto loco egisse fœminam, quæ in religionem, & sancta tam pia, in subditos tam clemens, in egenos tam misericors, in omnes denique ordines & hominum status tam benigna, & placida semper fuerit, neminem unquam lædere, ab iniuria omnes tueri: regni ritibus, ac moribus se cōformare, noxijs sæpè principem placatum reddere, & quod uel maximè contra hominum, qui in alto agunt, mores est, superbire

Olomuntium.

Andreæ Coszielecij mors.

Successio officiorum quorundam.

Proci Friderici pro Elizabet.

Pestis Cracouiæ.

Barbaræ Reginæ mors.

Barbaræ Reginæ Encomiū.

perhibere nunquam. Sed summa in humilitate plusquam reginam oporteat uiuere, totam denique uitam per omnes fortunæ casus innocenter, sancteque peregit, ut ex hominum consortio sublatæ diuorum merito beatæ debeantur sedes. Hac re effectum est, ut sicuti uita sanctior, omnibusque charior & gratior, ita illius immatura, lugubrisque mors, omnibus fuerit acerbior, atque tristior. Hæc ex minimis Barbaræ uirtutibus adscribere placuit, dabit illa mitis parcè de se spero loquenti ueniam, quæ uiuēs nulla ambitione unquā iactata, uel superbia tumescens irata fuit. Hæc Barbaræ mortis summa est, quæ ad diuos relata Polonorum patrocinium hactenus assumpsit.

Paulopòstquā illa absumpta fuit, Stanislaus Iaroczki eius aulæ præfectus subito item morbo prostratus, decima Octobris die noctis sequentis extinctus est. Barbara itaque mortua, & rebus Lithuanicis sic postulantibus, Sigismundus in Lithuaniam iter parabat: Polonicisque rebus domi ut tempus postulabat compositis, ordinatis item, quæ ad Elizabeth sororis expeditionem pertinebant, sexta Nouembris die Sigismundus cum Heduigi, & Anna liberis, ac Elizabeth sorore Cracouiam egressus. Sandomiriam cum liberis ipse petit, illa Legnicium ad Fridericum ducem sponsum profecta est, paulò pòst nuptiarum festa peregit. Dabit iam mihi Polonicus lector loco ueniam, quod his intermissis rebus parum alio, quam assumptum postulat negocium stylum conuertam.

Stanislaus Iaroczki moritur.

Dum nuper cōtagione ut suprà narratur multi absumerētur mortales, Seuerinus Bethmanus iuuenis nobilis omnibus, item redimitus uirtutibus in ipso flore contra parentum spem, ea sæuicia nona Octobris extinctus est, hanc mortem Seuerinus pater, adeò perturbato animo tulit, ut postquam Sophiam filiam Seuerino Bonero insigni iuueni matrimonio ad 23. Octobris diem tradidisset, ipse ad 28. eius mēsis diem uitam cum morte nimio mœrore confectus, mutaret, confecit mœstum etiam animum in tanto uiro annorum numerus, qui 95. fermè ętatis anno ex hac uita migrauit, inter omnes tota Sarmatia opibus insignior, iamque in alio parum digredior ab incepto.

Seuerini Bethmani iunioris mors.

EST in Heluetiorum ultimis finibus clarum atque insigne Vuissenburgium oppidum quod hac ætate apud Alsaciam describunt, ad Vogesi montis radices situ amœnum congruum, collibus undique humilibus clausum, nemoribus uarijs arborum generibus ad occidentem fœlix, tellus cœli benignitate frugifera, oppidum ab omni parte natura, atque deinde humana firmatum industria, Lutherus amnis, cuius fontes in ipsis montibus paulò altiùs septem millibus passuum ad oppido surgūt, penetratis iam montibus per medium interluitur, qui ubi sub oppidi mœnibus elabitur, stricto alueo duobus millibus passuum præcipiti cursu in Rheni fluuium uno ostio exoneratur. Loci tanta est uetustas, ut etiam apud nullos rerum scriptores eius origo reperiatur. Sed dum annis ab hinc octingentis, nonagintaquinque, Dagobertus Gallorum rex, postquam ob patratam in sancta loca tyrannidem, ad diuinum raptus tribunal, à diuis pro commisso scelere accusatus, flagellisque cæsus, & ad diui Dionysij preces restitutus esset, in eo loco quem diu antea Vuissenburgium appellatum suis literis declarat, insigne ac regale monasteriū infinitis extruxit sumptibus, Monachis diui Benedicti profitentibus sectam, tradidit. Addidit regalibus his ædificijs agrum copiosum atque fertilem, oppidum ipsum & circum loca, quæ Gallorum tūc parebant imperio assignauit, oppida præterea, uillas, arces, uectigalia, immunitates, & iura pleraque cōtulit, ab omni item regum, principumque iugo exemit. Tanta etiam postea huius cœnobij Maiestas fuit, ut Marchionem Badeñ. & ex Reneñ. Palatinatu plerosque haberet feudales, perfectis rebus omnibus, quę Dagoberto ad tantam rem uidebantur ex usu, coronam ex auro, argentoque (ut fertur) mixtam, decem octo cubitorum per transuersum circuli latam, ornatissimo tēplo appendit. Hęc item quę regali munificentia fratribus assignauerat, literarū munimentis perpetuis temporib. seruanda firmauit. Dagoberti literę, quibus diuinā in se iustā testatur iram, quibus item cęnobij agrum finibus intercluderet in eo loco habentur, quarum exemplum (nisi omninò extraneum uideretur) his adscriberem, dehinc res fratrum supra annos septingentos gloria atque opibus in immensum creuêre. Tum Vuendelinus quondam Abbas oppidum muro quadrato saxo cinxit, turribus, propugnaculisque, aggere, uallo, fossis & pomerijs muniuit. Ita paucis temporibus oppidum natura alioqui munitum humana industria auxit, ut potentissimo principi paulopòst belli studio non cederet. Sed quum fermè omnia Vuissenburgeñ. Abbati fœliciter accessêre, extra oppidum in monasterij fines arces, templaque magnis sumptibus constructa sunt, apparent hodie magnorum ædificiorum ruinæ, ab oriente 300. passibus diui Remigij arx munita, hac ætate in Abbatis manibus, à meridie 100. passibus diui Pantaleonis insigne

Vuissenburgiū oppidum describitur.

Fundatio monasterij Vuissenburgensis.

Vuissenburgensis cœnobij opes.

Vuendelinus Abbas.

templum,quondam per Fridericum Rheni Palatinum, dum res Philippi nepotis tutandas susceperat uiolatum,postea ne in oppidi periculum extaret,ex aliqua parte deiectum, ad occasum 500.passibus diui Germani templum fuit, olim etiam propter hostium metum solo æquatum, à Septentrione 500. passibus diui Pauli arx fuit pulcherrima quam maiorum nostrorum ætas pari metu demolita est. Aliæ item arces atq; oppida in horũ manibus fuisse constat,fortissima omnium Barbenstina arx fuit, ante meam ætatem ingenio pro Troten nobili Palatini Rheni Marschalco intercepta, reliqua plurima tam arces, quàm oppida in feudum collocata à monasterio alienata sunt. Quando uerò ex fœlicitate,& opibus plerumq; surgit superbia,eamq; mox ambitio,auaritia,& multa malarum artium studia comitentur. Factum est ut cum religio optima in dominandi libidinem uerteretur, abiectis plebeis pleriq; ex patritio ordine non religionem, sed monasterij opes assumpserint,hi dum præfecti rebus essent,sacra officia cultum atque religionem in alios retorquebant, ipsi dominandi libidini intenti ocio marcescere, suis quisque auxilia præstare,atq; hinc finitimorum principum odia conflare,periculum atq; ingens negocium facere studium fuit. Hinc Vuissenburgum oppidum mœnibus fortissimis natura, arteq; nulli in Imperio secũdum Romano Cæsari, & imperio Abbatis assensu populi item miro desyderio accesit,perpetuis temporibus à monasterio disiunctum est. His tandem artibus ad Friderici Philippi Rheni Palatini patrui tempora monasterij rebus, qui ubiq; opes distraherent præfecti sunt. Fridericus sub boni specie eam uitam corripere intentus mutata religione, eiectis his,qui Diui Benedicti institutum,quanquã superbè sequerentur. Præposituram(ut uocant) efficere satagebat,eam rem dum frustrà sæpe tentasset belli fecit negocium, quod à Vuissenburgeñ.quibus Friderici institutum suspectum erat,cum monasterio simul susceptum est, leuibusq; belli studijs aliquandiu afflicti in apertum bellum tandem peruentum est. Interea fuêre apud Fridericum Palatinum,qui maximè ad oppidi obsidionem hortarentur, leui negocio eius deditionem posse efficere rati, atque ita princeps optimus accenso animo,uel ut institutum expleret, uel ut nobile oppidum ab imperio receptum subigeret. Vuissenburgeñ. (non nunciato bello) obsidione cinxit, & tribus fermè mensibus uarijs belli artibus,machinis,ignibus supernè iactatis, missilibus atq; tormentis frustrà molestauit,donec dux exercitus cohortem unam (quæ ex oppido eos qui ligna inciderent,atq; proiecta in flumen in oppidanorũ usum defluitarent, tutandos missa fuerat) explorans a uelitib. cognitus, fugiensq; à Vuissenburg.captus est,qui hunc ducebant facilè per cognita loca Vuissenburgeñ.manus euaserunt. Dux paulò pòst pacem atq; fœdus inter Fridericum & Vuissenburgeñ.confecit. Magna crudelitate Friderici milites in ea obsidione usi. Diui Pantaleonis templum uiolatum stabulum publicum fecerunt: uineta securibus inciderunt: frugiferas undique arbores adempta cortice denudarunt,& quicquid ad hominis accederet usum insatiabili animo absumpserũt. Hoc malum Friderico ignorante & exercitus duce intercepto factum certo constat, quum enim Friderico pro restituenda religione belli negocium assumptum credatur,esse non poterit, ut eo permittente hæc fuerit admissa crudelitas. Cæterùm oppidum, Diuorum Sergij & Bacchi,quorum corpora illic requiescunt præsidio,quod ab omni incommodo fermè seruatum est,tutatum perhibent.

Vuissenburgũ inter imperij urbes.

Friderici Palatini in Vuissenburgens. uiolentia.

Expleto iam ad paruum interuallum bello, Comitibus,magnatibus, atque nobilibus, qui tunc monasterio præfuerant, plerumq; absumptis, nihilominus in Palatini gratiam ex plebeis ueram religionem obseruantes introducti fuêre, atque ita dominandi libidine extincta, uerus Dei cultus crescere cœpit, donec iterum Philippus patruo absumpto res susciperet. Is dum multam haberet prolem,dum item nobilitas sub eo magnam haberet licentiam, ut res Vuissenburgeñ. quas ipse ex officio ab imperio tutandas susceperat, denuò à quibusdam molestarentur,non ignorans assensit. Henricus Abbas per Ioannem Troteñ. quasi belli ducem Philippi aulæ Marschalcum miris artibus afflictus, donec Romam ire compulsus, Alexandri sexti temporibus Philippum Palatinum, & Ioannem Troteñ. cum uniuersis complicibus anathemate in septimum fermè annum persequutus est. Statuit inde in Germaniam redire, sed fato apud Florentiam decessit. Successit huic Vuilhelmus Abbas, qui & ipse Romam profectus ad Iulij secundi tempora permansit. Philippus uerò à Iulio censuris sæpiùs innodatus satisfactionem recusauit. Verum quũ anno ab orbe redempto M.D.III. Bauaricis motibus tota fermè Germania arma sumpsisset multorũ principũ,populorũq; animi in Philippũ euecti armis undiq; lacessitus est. Tũ primũ Vuissenburg. Abbas inclinatis ubiq; Philippi rebus, cõditionib. nõ tã hone-

Philippus Palatinus Rheni.

Henricus Abbas.

Vuilhelmus Abbas.

honestis, quàm necessarijs cum Philippo per Ludouicum Spirensem episcopum reconciliatus est. Soluitq; Philippus Abbati quindecim millia nummûm aureorum, quum supra centum millia aureorum Monasteriū, & Vuissenburgeñ. in hoc bellum perdidissent. Itaque restituta est pax Vuissenburgeñ. postquam annis plus centum sæpiùs perturbati, tunc uerò annis fermè quadraginta continuis molestijs afflicti fuissent. Fuêre item aliæ cōditiones inter Philippum & Vuissenburgeñ. quę & si mihi cognitæ sint, quū tamen ad institutum meum non pertineant, prudens omisi. Post Bauaricos motus Philippo mœrore (ut suspicantur) sublato, Illustr. Ludouicus filius nunquam sine honoris præfatione nominandus in Palatinatu successit. Hic in nullo patrem sequutus, optimū se principem primis initijs gessit. Vuissenburgeñ. atq; Landanos, reliquaq; oppida, quæ patris assensu sæpè molestata fuêre, singulari gratia prosequutus est, in hanc ætatem tantam de se spem præbuit, ut facilè appareat, per eum quandoq; restitui posse religionem, & diuinum cultum, à maioribus perturbatum & extinctum. Faxit Deus Optimus Max. ut opibus crescat, & cœptis uirtutibus domi, forisq; pace sub statera iustitię cuncta diu, sanctèq; gubernet. Iam ego longa, tædiosaq; narratione digressus, stylum reflecto, ut ea, quæ animus instituit, describam. Stantibus apud Vuissenburgeñ. his longis, periculosisq; bellis, fuêre qui domi, aut ocio torpescerent, aut honestis studijs priuati patriam fastidirent, hincq; factum, quod multi egregij iuuenes in externas nationes migrauerint. Alij in Galliam quæ propior est, alij in Italiam, pleriq; in Sicambros transiêre, multò maior pars in Poloniā concessit, atq; ita à centum fermè annis Polonia, potissimumq; Cracouia Vuissenburgeñ. domicilium fuit, mihi tamen non constat, qui primi in hoc regnum ingressi sedes hîc quęsierint. Constat uero annis ab hinc octuaginta circumactis Reinfredum uirum nobilem ex Vuissenburgo ortum, propter belli metum relicta patria Poloniam ingressum apud Cracouiam sedes locasse. Hic Polonica assumpta coniuge, paulò postquā res firmauerat, Seuerinum Bethmanum genere quoq; nobilem in Poloniam deduxit. Reinfredus uerò absumptus testamento Seuerino coniugem reliquit, qua assumpta apud Cracouiam omnes honores, magistratusq; assequutus est, paulò pòst Federicus Ioannes Iodocus, & Nicolaus Schillingi Vuissenburgeñ. Cracouiam inducti fuêre, qui item paulo pòst Christophorum, Petrum, & Federicum Hersteinos ex matre germanos 4. Ioannem Heluigum nepotem item Vuissenburgeñ. euocarunt. Hos sequutus est Ioannes Bethmanus Seuerini ex fratre nepos, & aliquantò postea Erasmus ac Vendelinus huius fratres, & ipsi Vuissenburgeñ. hos iterum Iacobus Vetter sequutus, post hunc Iodocus, & Iacobus Ludouici Decij fratres, post hos Fridericus, & Balthasar Smaleczij fratres. Postremo Ioannes Lembock, & multi alij adolescentes egregij hoc regnū ingressi sunt, atq; ita in hanc ętatē Vuissenburgeñ. Polonia patria habita est. Fuêre præterea multi, qui aliquanto tempore uel literarum, uel mercium gratia cōmorati in patriam redirent, eos ego frustra annumerarem, cum has sedes non susceperint. Euocatus est item à Vuissenburgeñ. in hoc regnum uir insignis Ioannes Bonerus Landanus, qui primis initijs ex mercatura opibus auctus, & apud diuæ memoriæ Kazimirum, Ioannem Albertum, & Alexandrum Poloniæ reges in precio habitus est. Postquam uerò Inuictissimus Sigismundus princeps res tutandas suscepit, tanto studio remp. sæpiùs sustinuit, ut haud infimum meriti, gratiæq; locum apud regem assequeretur, authoritasq; illius usque ad inuidiam, malæ hominum ætatis uitio, creuerit, Bonerus Iacobum & Federicum, Andreamq; fratres Poloniæ induxit. Huius ego uiri summas laudes nisi me æmulorum inuidia deterreret, merito percenserē, uerùm ne adulationis nota (quod 14. fermè annis illi addictus fuerim) culparer, alio loco perscribendas adseruare interim placuit. Habes iam lector sub cōpendio quot Vuissenburgeñ. Sarmatiam ingressi sint, si modo eorū familias, quib. in Polonia auctæ sunt, referre liceret, cognosceres haud paruā Craco. sobolē Vuissenburgeñ. sanguine prognatā esse. Reinfredus, Seuerinus Bethmanus, Federicus & Nicolaus Schilling uiri ex Senatu apud Cracouiam decesserunt, Iodocus Schillingus, Ioānes item Heluigus Cracouiæ quoq; mortui. Ioānes Schillingus apud Posnaniā absumptus est. Christophorus Hersteinus apud Cassouiā uita excessit. Petrus itē frater in Hungaria mortuus, reliqui adhuc quousq; Deo placuerit supersunt. Hæc de Vuissenburgensiū ingressu paucis adferre placuit, tu optime lector quod patriæ nostræ tam effusam fecerim mentionē, ueniā præbe. Iam ad institutum redeo.

Ludouicus Palatinus. *Vuissenburgēs. pleriq; Cracouiæ consedêre.* *Reinfredus.* *Seuerinus Bethman.* *Schilling.* *Ioannes Bonerus Landanus.*

Posteaquam Rex Cracouiam 6. Nouembris die egressus, Sandomiriam peruenit, positisq; in ordine rebus, designato item pro natis nouo loco, ad Lithuanos ipse concessit, Bresciumq; oppidum perueniens, aliquandiu moratus est.

Redijt

Gneznenſ. Archiepiſcopi legati nati.

Rediјt hoc tẽpore ex Romana urbe Reuerẽdiſs. archipræſul Gneznẽn. Ioãnes de Laſko, qui inter alia à Leone Romano Pontifice obtẽta Archiepiſcopis Gneznẽn. legationẽ in ſuam prouinciam perpetuò duraturam obtinuit, ut deinceps legati nati Archiepiſcopi Gneznẽn. haberentur, atq; ita Sarmatiæ rerum Anno M. D. X V. finis fuit.

De rebus Prutenicis quædã.

SVPEREST ut res Prutenicas, uti ſuprà pollicitus ſum, in huius anni finem adſcribam. Conſtat itaq; poſt ultimum renouatum fœdus ſeu (ut uocant) perpetuam pacem utrinq; pace, ac tranquillitate fines non ruptis fœderibus tutatos eſſe, atq; ita pauliſper tam ordinis, quàm Sarmatarum res ſemper creuiſſe donec eo bello quod Ioannes Albertus in Daciam ſeu Valachiam infœliciter geſsit, Ioannes de Tieffen magiſter Pruſsiæ morte extinctus eſſet, cui Fridericus Saxoniæ dux in magiſtratu ſucceſsit. Erat utrinque eo ſublato magna pacis ſpes, ſed quum Fridericus pro homagio (ut uocant) ſæpius fruſtra euocatus fuiſſet, ad extremum Pruſsia non præſtito homagio exceſsit, paulò pòſt magiſtratum cum uita ſimul M. D. X. uti ſupra narratum eſt finiuit. Fuêre tũc in ordine uiri Germani (quos Commendatores appellant) conſilio præſtantes, qui nullum dehinc ex principibus deligendum putarent, ne uana auxilij ſpe à ſuis illecti, ordini cum Sarmatiæ regibus negocia cõtraherent, neu tem principum more regales, & importabiles ſumptus facerent. Sanum profectò conſilium, primiſq; conforme inſtitutis, uicit tamen aliorum manus, & Albertus Friderici Marchionis Brandenburgẽn. filius ad magiſtratum aſſumptus eſt. Ea res pleriſque optima uiſa, tum quod ex alta, magnaq; familia princeps eſſet, qui aliquando (uti ordinis inſtitutum eſt) arma in Chriſtianæ reip. hoſtes ſumere poſſet, cum etiam quod ex Poloniæ regibus ſecundùm maternum genus natus eſſet, id ad futuram pacem plurimi ex uſu rati, nunciata fuit ea res Sigiſmundo regi primum anno M. D. X I. in Nouembre ex Pruſsia, paulò poſt in diebus Iulij, Anni M. D. X I I. Friderico patri, atque Alberto filio aſſenſum eſt, tam à rege quàm Senatu, conditionibus, quibus olim fœdus atq; pax firmata fuiſſet, nõ interruptis. Indicta fuêre paulò pòſt comitia pro diebus Nouembr. apud Peterkouiam, ubi de his quoq; rebus conſultum eſt.

Ioãnes de Tieffen Magiſter Pruſsiæ.

Fridericus Saxoniæ dux Magiſter Pruſsiæ.

Albertus Marchio Brandeburgenſis Magiſter Pruſsiæ.

Pacta inter Magiſtrum & Regem Poloniæ.

Interfuit his comitijs Caſimirus Friderici filius Alberti Magiſtri frater, res uerò omnes inter Polonos, & ordinem, uti ex utriuſq; commodo uidebatur, honeſtis conditionibus firmatæ fuêre. Varij intermedij erant articuli, non multum ex uſu omnium facere hoc loco memoriam. Suprema hæc ſumma fuit. Admittendum fore in magiſtratum Albertum, qui Pruſsiam ingreſſus, maiorum more homagia præſtare deberet, Polonos dehinc ad ordinem non ſuſcipiendos, Magiſtro atq; ordini apud Roxolanos, & Podolitas certam prouinciam perpetuò dandam ubi pro ordinis inſtituto, Chriſtianæ fidei hoſtes excipere poſſent, quum ſancti, fœliciſq; belli huius apud Pruſsios (undiq; uicinis Chriſtianis) copia his temporibus non ſit. Duo millia item aureorum nummum quotannis à Polonis, quò faciliùs forte militiæ inſtitutum proſequi ualeret, Magiſtro aſsignanda fore. Has cum cæteris conditionibus Caſimirus frater, Magiſtri, ordiniſq; nomine ſuſcepit, Sigiſmundo honoribus ſummis affectus, muneratus dimiſſus eſt. Ad Albertum fratrem Anno 1513. Pruſsiam ingreſſus, aliquantiſper ibi moratus per Mariemburgum oppidum ab arce ſubductus, per pontem Iſtulam ſuperauit. Gdanenſiſq; mœnia prætereequitans, domum rediјt. Interea quum Sigiſmundus apud Lithuanos ageret (uti paulò antè cœptum fuerat) Albertus pro homagio poſtulatus per Cazimirum ſuſceptas conditiones reiecit, minimè id ſibi abſq; Germaniæ, Italiæq; magiſtrorum aſſenſu ſuſcipere licuiſſe, exponens, atq; ita res omnes palam inſectæ.

Principia defectionis Prutenicæ.

Laboratum eſt interea ſummo conatu tum apud Leonem Pontificem Romanum, tum etiam apud Maximilianũ Cæſarem, libelli item duo famoſi contra Sarmatas uulgari Germanico incerto auctore ſcripti, & Friderico uiuente ſparſi iterum circumagi cœpêre, tria mox magnæ defectionis indicia apparuêre. Primo loco ut Romanus Pontifex reiectis pacis perpetuæ conditionibus denuò decerneret. Secundo loco ut Cæſareum auxilium his rebus accedere poſſet. Tertio, ut Germanicæ nobilitatis animi exacerbarentur quæſitum eſt. Primùm a Ioanne Laſkeo Archiepiſcopo Gneznẽn. Romæ apud Pontificem, & patrum collegium biennio ſuſtinebatur. Secundum apud Maximilianũ tanto ſtudio ſollicitatum, effecit, ut etiam cum Moſcho fœdus in huius rei gratiam ſuſceperit, atq; ea ex re Baſilius perſuaſus, ruptis fœderibus nuper cum Sigiſmũdo factis, trãſcenſis finibus nouũ Lithuanis bellum intulit. Quo fraude ac dolo Smolenceam arcem intercepit, ac paulò pòſt apud Boriſthenem (uti ſupra narratur) ſummo certamine uictus, & caſtris exutus eſt. Verum poſtquã Maximilianus de rebus meliùs edoctus eſſet, ex iam ꝓpè hoſte ſummus

factus

factus amicus est. Tertium apud Germaniæ nobilitatem (quam potissimum inflammare studium fuerat) nihil efficere potuit, tum quod rei difficultatem altiùs fortè repetebant, cùm etiam quod integritas atq; uirtus eorum aliter monuêre, igitur infecta undiq; re, ad illud tempus quo Cæsar Romanus Hungariæ, Bohemiæ, ac Poloniæ reges conuenerūt. Ita actum fuit uti supra paucis adscriptū apparet. Postquā uerò Sigismūdus domū rediit, nouisq; molestijs, tum ex Barbaræ morte, tum etiam nouis moribus affectus, & postremò ad anni finem Lithuaniam ingressus, Prutenicæ res ferè per obliuionem neglectæ fuêre. Interea Ioannes Laskeus urbem quoq; egressus est, & totū negocium hoc anno ex omni parte sub silentio delituit. Hæc iam Anni M. D. XV. summa est.

ANNVS iam dehinc post orbem redemptum M. D. XVI. uti uarijs rebus mixtus, ita confusus, mixteq; omninò referendus erit, eius mox initia Sigismundum apud Lithuanos excepêre, atque inde mox Balthasar Oderus à Maximiliano Cæsare ad hoc munus legatus, in Moschouiam Basilium principem adijt. Sed dum is aliud præter spem & opinionem nuncium Basilio adferret: sed & Maximiliani Cæsaris alter orator cum pristinis adhuc mandatis perseueraret, Balthasar à primo legato qui ex primo fœdere à Cæsare cū Moscho erat apud Basilium pro exploratore accusatus, parum interfuit, qui inique illi accidisset, adseruatus à Basilio Balthasar fuit; usq; ad dies Aprilis, tandemq; infectis negocijs rediit. Maximilianus per hunc atque quos postea submisit, apud Basilium summa cura egit, ut pacem inter Sarmatas ac Moschos nuper perturbatam restitueret, uel fœdus per inducias conficeret. Basilius uerò Cæsarem quod eum desereret accusauit, neq; facili negocio ab instituto reuocari potuit, ad quod nuper tanta cura inflāmatus fuerat, Sigismundus in Cæsaris gratiam aliquantisper bellum distulit, sed quum pro Lithuania armis duntaxat pax quærenda uidebatur, & ex longo bello plurimum attritis rebus Tauricus Cæsar ad hoc negocium ex debito suo, ex usu accedebat, qui mox ad ueris initia in Moschos eruptionem parare iussus fuit.

Ann. 1516.

Lithuanica quædam.

Interea rebus etiam apud Pannones inclinantibus, Ioānes Karnkovvskeus in Februarij principio eo legatus est, sed paulò pòst die tredecima Martij ante Lucanū VVladislaus Pannonum, Bohemorumq; rex Sigismundi frater, cōfectis iam annis sexaginta moritur. Ludouicum filium antea ad utrumq; regnum assumptum, & coronatum reliquit. Fuêre dehinc plurimæ etiā apud Hungaros factiones, atq; suo quisq; (uti fit dum princeps puer est) consilio usus in remp. aduertit, horribile est referre, quam citò regnum illud nulli in orbe secundum, opibus, armisq; potens, splendorem suum exuerit, atq; ex nuper domestica, & paulò pòst etiam à Turcis accepta clade, uix dum respirans, uarijs intricatum fuerit factionibus. Missi fuêre in ea re ad Maximilianum Cæsarem à Sigismundo nuncij, ut Ludouici rebus maturè consuleretur, nec Maximilianus grauissimo etiam bello implicitus eam opportunitatem neglexit. Ante uenit tamen Sigismundo absente Poloniæ Senatus, & Ioannem Laskeum Archiepiscopum Gnezneñ. & Christophorum Schydlouicium Palatinum Cracouieñ. comperta mox Vvladislai morte, in Hungariam submisit, qui cum Cæsareis legatis & Pannonico Senatu Ludouici rebus, quantum temporum conditio postularet, summa sollicitudine atque cura (uti iussi fuerant) consuluerunt, & ita firmatis paulisper rebus, domum redierunt, in eundem postea usum ad Bohemiæ Senatum Andreas Thanczinus Palatinus Lublineñ. uir ingenij excellentis ad dies Nouembris submissus est. Qui dum apud Pragam summis honoribus exceptus esset, atq; Cæsareanos aliquandiu frustrà expectasset legatos, infectis rebus redire coactus est. Maximilianus interea, quamuis Italicis bellis detineretur, memor tamen Viennensis fœderis, quod tunc literarum apicibus firmatum erat, de Sarmaticis rebus sollicitus, legatos nouos ad Basilium designat, Sigismundum de Erberstein & Petrum Moraxium, uerum ad prouinciam tardiùs accincti, non nisi in anni fine (ut infrà dicetur) rebus principia fecêre: intereaq; nihil de Moschicis rebus tentatum est. Mox ad Iunij mensis initia, Tauricus Cæsar, qui nuper ex pacto, ut suprà adscripsi, eruptionem in Moschos assumpserat, arma parabat, nunciatum est, per exploratores in Roxolanos & Podolitas statim futurum. Verum dum hæc fama frustrà sæpè uenisset, atque Tauricus Cæsar Sarmatis iure fœderis obstrictus esset, minimè futurum à plerisque creditum, quod suscepta arma Tartarorum in Roxolanos conuerterentur. Quumq; duces & rerum (Sigismundo absente) præfecti cunctanter in eam rem animaduerterent, & hostium nihilominùs aduentus Podolitis nūciaret, Martinus Camienecius Podoliæ Palatinus uir maiorib. suis dignus prouinciā suā ingressus, Podolitū arma euocauit, sub exilib. copijs Stanislao Lanskronco, Tvvorouicioq;

Vvladislai Regis Hungariæ mors.

Legati Poloni ad Hungariam.

Orator ad Bohemiam.

Legati Cæsarei ad Moschum.

Tartarica in Russiam eruptio.

Camieneceñ. arcis præfectis in Podolia iunctus est, nec dum satis hostium animus explo-
ratus fuit, dum Iulio mense Tartarus hostis sub quatuor ducibus, quos Barbari Cæsareo-
los appellant. Russiam exutam præsidio irrumpunt, feruntur in eo exercitu Barbarorum
supra triginta millia fuisse, hostes penetrata Russia haud longè à Busthio oppido castra
posuêre. Deinde uti Barbaris mos est, per cohortes destinatas uniuersam prouinciam i-
gne, ferroq; uastarunt, hominum, pecorumq; prædam egerunt, ut omnes dato die ad ca-
stra semper cum spolijs redirent. His eruptionibus plerosq; districtus, & oppida in cine-
res uerterunt, superato Tyra amne ad Hunnorum usque montes spolia legerunt. Exustæ
sunt hac eruptione uillæ Pannonum imperio subiectæ, quod in hominum memoria acci-
disse non constat. Cæterùm hostes tanta in Christianos crudelitate usi, quanta uictoribus
Barbaris placuit. Homines, pecoraq; iuxta abegerunt, matronas, puellasq; nobiles ad li-
bidinem ac uoluptatem rapuerunt, feruntur supra quinquaginta millia hominū tunc ab-
acta, preter eos, quos tenera ętas, atq; annosa senectus, ad iter haud idoneos fecerat, ex his
in frusta concisi, alij capite truncati, præterea plerique inter fugiendum exanimes relicti fuê-
re. O' infortunata hominum ætas, & primum postquā fœlix Barbara absumpta malum.
O' misera tanto Christianorum sanguine respersa clades, quibus postea adsimiles quoq;
fuisse constabit, sed ô Sarmatiæ regnum Reipub. Christianæ murus, fossa, uallum, & pro-
pugnaculum truculentissimis undiq; expositum hostibus, quod dum tantam sęuitiā, atq;
impetum humeris sustines, non desunt tamen, qui iniquis factionibus tuum perpetuum
quærant exitiū, atq; ultrò infestissimos in te hostes Reipub. Christianæ inuehant. Sed hæc
aliâs effusiùs, quàm magis licebit deplorabimus. Interea dum hæc ab hostibus Barbaris
magna sæuitia undique aguntur, Sigismundus rex apud Lithuanos Moschicis curis an-
xiè intentus, Senatui rempublicam tuendam assignauit, Christophorus Schidlouicius
Cracouiensis Palatinus res reipublicæ diligenti studio suscepit, apud Proscanum dele-
ctum conuocat nobiles summo studio, ut arma contra hostem sumerent cohortatus, (us-
sus est suo exemplo alios euocare, aut ære publico militem comparare, dum uerò neu-
trum ex usu uideretur, infecta re Cracouiam redijt, fuêre ex patricijs quibus reipub. ma-
lum auertere cura erat, congestis (sed serò) copijs ad Buscium oppidum, paruaq; manu ho
stium uim sustinuerunt. Nam dum onusti præda in reditu essent, supra gentis morem Bu-
scij expugnationem parant, an quod paludes quibus oppidum munitum insidet æstiuo
calore exiccatæ essent, an quod ad omne nephas licentia fuerat parum cōstat, sunt tamen
suburbijs incensis prohibiti. Altero postquam oppugnare cœperant die, omni congesta
præda, digressi sunt ad quadraginta milia passuum igne, ferroq; omnibus absumptis, eos
magnificus Nicolaus Firleus, Regni exercitus generalis præfectus, cum proceribus Rus-
siæ ac Podoliæ ad Vvisnovvicz usq; persequutus, sed ob paucitatem militum rem dimit-
tere coactus est. Quum uerò ex Lituania (quod maximè sperabatur) nullum præsidiū
adesset, nec etiam ex Polonis exercitus sperandus foret, eo loco hostis intactus abijt. Mar
tinus uerò Caminicius cum paucis copijs, quàs supra iunxisse docui, & mercenario mili-
te ex Medzybose educto hostium cohortem apud Trebosium fœliciter pugnando supe-
rauit, & spolijs exuit. Item apud Podocium aliam cohortem 500 equitum ad unū fudit,
sed eo loco ingens ab hostibus sæuitia patrata. Quum enim Barbari Sarmatarum copias
cognouissent, atq; de rerum summa desperassent, conuersi in miseras puellas, & innocuos
infantes, quos in prædam abegerant, in quibus fugæ nulla spes esset, irrumpunt, crudeli-
terq; cædunt, atque enecant. Præterea apud Vvisnouicium ducenti fermè hostium, præ-
ter gentis consuetudinem armis instructi superati, atq; cæsi sunt. Hæc (dum hostes per li-
centiam uagarentur) contigêre. Interea ex Buscio oppido reliquæ copiæ Nicolao Firleio
duce Martino iunctæ uix supra duo millia equitum constituunt, hostes uerò in ipsorum
aspectu prædam agentes in planos iam campos excurrerant, dum Polonicus miles longè
impar numero pugnam non suscepit, ita omnis illa hominum, prædæq; multitudo aba-
cta est. Fuêre matronæ, puellæq; nobiles, atq; innuptæ plurimæ, quadrigis panno tectis a-
uectę. Viri uerò, ut ex insperato hostium manus inciderant, ita uinculis colligati pecorum
more pellebantur. Hanc Sarmatiæ regnum iacturam per Iulium atque Augustum men-
ses accepit, docuit tunc rerum euentus in mora esse periculum, quod enim initio facili ne-
gocio auerti potuisset, paucorum negligētia, principe absente, ignominiam pariter & ia-
cturam reip. peperit. Iam hinc Tartarorum frequentes eruptiones, iterum initia sumpse-
runt, quæ fortè tam negligentia in tuendis rebus, quàm populi peccatis merentibus, iusta
Dei ira, quę ad sui uindictam tardiùs graditur, permissa creduntur. Nam postquam nuper
res ali-

Calamitas à Tartaris illata.

Buscium à Tartaris tentatum.

Caminicij uirtus.

Sæuitia Barbarorum.

Causæ tot in Poloniam Barbaricarū excursionum.

res aliquãtulum fœliciores esse cœperãt, in Deum, ac religionẽ timor refriguit, nõ modò diuina aliqb. neglecta, sed etiã Dei, religionisq; hostes souere in usu fuit. Hoc tẽpore (qđ iam antea cæptũ) Iudæi magis in præcio habiti, uix teloneũ, aut uectigal ullũ, cui nõ præfecti, aut quod saltẽ inuadere non caperẽt, passim ea in re Iudæis Christiani submissi, uix etiam ex magnatibus, & ipsis reipublicæ primorib. aliquis, qui rem domesticã per Iudæũ non curaret, Iudæis in Christianos imperiũ permitteret, atq; citiùs, q̃ Christianos ab iniuria, uel simulata eriperet. Rectè itaq; quod Deus quondã Hebræis minatus est, in hos cõuenit, quia uidelicet Dei ac crucis hostes cõtra legem diuinam, ac canonũ sanctiones fouerẽt, & ipsi hostib. suis expositi præda in direptionẽ fierẽt. Sic quoq; Armenis ius summum erat, circũuagabãtur quidã per uniuersum regnũ mercãdi gratia (sic ẽm titulus fuit) qui non ignorantib. ijs, qui rebus præfuẽre, arma hostib. aduehere studebãt. De Ruthenis profectò nõ habeo dicere, quãdo illi non longè à fide nostra recedant, licet cærimoniis longissimè, sed æquabiliùs ferẽdi, quod utiq; parũ interest, quin omninò nobiscũ sentiant, in ipsis tamẽ fidei articulis fermè nobiscũ cõueniunt. Præterea in seipsam res publica diuidi cœpit, atq; iam Barbara è uita sublata, breui oẽm fermè decoris speciẽ exuit. Irrepsit hoc malum pedetentim, atq; utinã non coalescendo in regni ruinã ante maturũ fœtũ interiret, ne sic in seipso diuiso humani generis seruatoris uaticinio in desolationẽ cogeretur abire, hoc ẽm in multis rebuspublicis cõpertũ est, quãdo malum pœna digna nõ mulctatũ, uirtus & benemerita nõ remunerata, sed passim ut quæq; libido tenuit ad uicia, & rerũ inuasionẽ licẽtia creuit, mox ex splẽdidissima specie turbata induta facie, in præceps cuncta ruere cœperunt: ad usq; lachrymas hęc ingemiscẽs adscribo, ita tamẽ se res habuẽre, atq; in hãc diẽ creuẽre. Eo malo, & quod pestifera sæuitia fortius, q̃ ãno superiore irrepserat, regnũ adeò perturbatũ fuit, ut reipublicæ nuper subleuata species plurimũ inclinaret. Verũ externis mira hæc uidenẽ, tanta licẽtia Barbaros ut sæpè in hoc regnũ, quod etiã natura locorũ facilem habet, accessum excurrere, quicũq; existant qui Sarmatarũ ꝓprio etiam malo, & reipub. irrecuperabili iactura rident incõmoda, animũ statim satiabũt, si crebras Barbarorũ ex Thracia, Asia, Aphricaq; in eos populos, atq; nationes, quæ natura locorũ, ac arte simul etiã armorũ usu, & regnorũ excellentia antecedere se æstimant. Meminerint eruptiones, ac eas duntaxat clades, quas in hominum ætate Pannoniæ, Dalmatiæ, Croatiæq; regna susceperint, preterea per Illyricũ splẽdida Venetorũ respub. passa est, sed etiã populi qui ad Germanos pertinẽt, in principatib. Carniolæ, atq; Charinthiæ experti sunt. Taceo qđ paulò pòst q̃ hæc Sarmatis cõtigerũt Mauri, parua manu, per mare Tyrrhenũ uecti, apud ciuitatẽ ueterẽ spolia legerũt, ac parũ abfuit (uti fama erat) quin Leonẽ Pontificẽ Romanũ paulò antè digressum intercepissent. Quid in ipsa Apulia sæpiùs nostra ætate accidisse cõperiẽ, & nouissimis dieb. in Hispaniarũ regnis Barbarorũ eruptionibus patratũ cõstat: qui Carolo maximorũ in Europa regnorũ rege pręsente, per oceanum occidentalem, exigua classe aduecti, per licentiã impunè spolia abegerũt. Non deesset animus summas reipub. Christianæ calamitates referre, sed quũ ad nostrũ institutũ non pertineant, missas eas faci.i: libuit tamen externarũ nationũ afflictiones adnumerare, quò faciliùs Sarmatica mala ferant. Si etẽm populis, gentib. ac regnis natura, arteq; munitis, armis, militibus, ac opibus pollentib. hæc accidunt, multominùs mirandũ quod Sarmatarũ regnũ, omni ex parte hostib. permeabile expositũ tot cladib. afficitur, quas tamẽ ꝓprijs uirib. Deo auctore aliquãdo auerteret, si non ab his, quos minimè decet, & Christianæ pietatis uinculum meritò cohiberet, ultrò iniustè impeterenẽ. Euagatus parũ ab instituto, redeo. Tartari quũ impunè fermè prædam abegissent, superato Boristhene, præda in Tauricum pauca manu missa, secundam parabãt eruptionẽ. Sigismundus Tauricũ imperatorem pro patrato scelere, & rupto fœdere appellat, qui missis legatis facinus excusat, in effrænatã iuuentutẽ rem oẽm reiecit, antiqua fœdera renouare cupiebat, ultrò arma in Moschos & proprijs militibus hoc bellum suscipere obtulit. Verũ quũ frustrà cũ perfido hoste quodcũq; fœdus susciperẽ, nec etiã abacta pręda restitui sperarẽ, res ad Poloniæ Senatũ reiecta est. Interea egregiũ facinus pauci milites Sarmatæ susceperũt, sine ducũ iussu, transcensis Turcarũ finib. apud Bialagrodeñ. urbem, magnã uim ouiũ ex multis millibus abegerũt, hos Turcæ insequuti particulari certamine adierunt. Sarmatæ quum nulla uia nisi quam ferro, manuq; aperirent effugere possent, excusso metu, intrepidè hostiũ incursionẽ exceperũt, & dum utrinq; aliquãdiu, Turcæ pro præda, Sarmatæ pro uita, prædaq; simul pugnassent, cęsis aliquot hostib. præda cũ uictoria Sarmatis cessit. Dum hæc apud Roxolanos & Podolitas agerenẽ, Basilius Moschus legiones nouas Lithuaniæ immisit,

Iudæorum nimia dignatio.

Armeni.

Rutheni.

Regnicolarum discordia.

Incursiones in cæteras terras.

Militum quorundam Polonorum facinus.

Camienecẽ.arcis præfectis in Podolia iunctus est,nec dum satis hostium animus explo-
ratus fuit,dum Iulio mense Tartarus hostis sub quatuor ducibus, quos Barbari Cæsareo-
los appellant. Rusiam exutam præsidio irrumpunt, feruntur in eo exercitu Barbarorum
supra triginta millia fuisse, hostes penetrata Rusia haud longe à Busthio oppido castra
posuêre. Deinde ut Barbaris mos est, per cohortes destinatas uniuersam prouinciam i-
gne,ferroq; uastarunt, hominum, pecorumq; prædam egerunt,ut omnes dato die ad ca-
stra semper cum spolijs redirent. His eruptionibus plerosq; districtus, & oppida in cine-
res uerterunt,superato Tyra amne ad Hunnorum usque montes spolia legerunt. Exustæ
sunt hac eruptione uillæ Pannonum imperio subiectæ,quod in hominum memoria acci-
disse non constat. Cæterùm hostes tanta in Christianos crudelitate usi, quanta uictoribus
Barbaris placuit. Homines,pecoraq; iuxta abegerunt, matronas, puellasq; nobiles ad li-
bidinem ac uoluptatem rapuerunt,feruntur supra quinquaginta millia hominũ tunc ab-
acta,prçter eos,quos tenera ętas,atq; annosa senectus,ad iter haud idoneos fecerat, ex his
in frusta concisi,alij capite truncati,præterea pleriq; inter fugiendum exanimes relicti fuê-
re. O' infortunata hominum ætas, & primum postquã fœlix Barbara absumpta malum.
O' misera tanto Christianorum sanguine respersa clades, quibus postea adsimiles quoq;
fuisse constabit,sed ô Sarmatiæ regnum Reipub.Christianæ murus,fossa,uallum, & pro-
pugnaculum truculentissimis undiq; expositum hostibus,quod dum tantam sęuitiã, atq;
impetum humeris sustines,non desunt tamen, qui iniquis factionibus tuum perpetuum
quærant exitiũ,atq; ultrò infestissimos in te hostes Reipub.Christianæ inuehant.Sed hæc
aliâs effusiùs,quàm magis licebit deplorabimus. Interea dum hæc ab hostibus Barbaris
magna sæuitia undique aguntur, Sigismundus rex apud Lithuanos Moschicis curis an-
xie intentus, Senatui rempublicam tuendam assignauit, Christophorus Schidlouicius
Cracouiensis Palatinus res reipublicæ diligenti studio suscepit, apud Proscanum dele-
ctum conuocat nobiles summo studio, ut arma contra hostem sumerent cohortatus, ius-
sus est suo exemplo alios euocare, aut ære publico militem comparare, dum uerò neu-
trum ex usu uideretur, infecta re Cracouiam redijt, fuêre ex patricijs quibus reipub. ma-
lum auertere cura erat,congestis(sed serò) copijs ad Buscium oppidum,paruaq; manu ho-
stium uim sustinuerunt. Nam dum onusti præda in reditu essent,supra gentis morem Bu-
scij expugnationem parant, an quod paludes quibus oppidum munitum insidet æstiuo
calore exiccatæ essent, an quod ad omne nephas licentia fuerat parum cõstat, sunt tamen
suburbijs incensis prohibiti. Altero postquam oppugnare cœperant die, omni congesta
præda,digressi sunt ad quadraginta milia passuum igne,ferroq; omnibus absumptis, eos
magnificus Nicolaus Firleus,Regni exercitus generalis præfectus,cum proceribus Ru-
siæ ac Podoliæ ad Vuisnovvicz usq; persequutus,sed ob paucitatem militum rem dimit-
tere coactus est. Quum uerò ex Lithuania (quod maximè sperabatur) nullum præsidiũ
adesset, nec etiam ex Polonis exercitus sperandus foret, eo loco hostis intactus abijt. Mar
tinus uerò Caminicius cum paucis copijs,quas supra iunxisse docui, & mercenario mili-
te ex Medzybose educto hostium cohortem apud Trebosiium fœliciter pugnando supe-
rauit,& spolijs exuit. Item apud Podocium aliam cohortem 500 equitum ad unũ fudit,
sed eo loco ingens ab hostibus sæuitia patrata. Quum enim Barbari Sarmatarum copias
cognouissent,atq; de rerum summa desperassent,conuersi in miseras puellas,& innocuos
infantes,quos in prædam abegerant,in quibus fugæ nulla spes esset,irrumpunt, crudeli-
terq; cædunt,atque enecant. Præterea apud Vuisnouicium ducenti fermè hostium, præ-
ter gentis consuetudinem armis instructi superati,atq; cæsi sunt. Hæc (dum hostes per li-
centiam uagarentur) contigêre. Interea ex Buscio oppido reliquæ copiæ Nicolao Firleio
duce Martino iunctæ uix supra duo millia equitum constituunt, hostes uerò in ipsorum
aspectu prædam agentes in planos iam campos excurrerant,dum Polonicus miles longè
impar numero pugnam non suscepit, ita omnis illa hominum, prædæq; multitudo aba-
cta est. Fuêre matronæ, puellæq; nobiles,atq; innuptæ plurimæ,quadrigis panno tectis a-
uectę. Viri uerò,ut ex insperato hostium manus inciderant,ita uinculis colligati pecorum
more pellebantur. Hanc Sarmatiæ regnum iacturam per Iulium atque Augustum men-
ses accepit,docuit tunc rerum euentus in mora esse periculum,quod enim initio facili ne-
gocio auerti potuisset,paucorum negligẽtia, principe absente, ignominiam pariter & ia-
cturam reip.peperit. Iam hinc Tartarorum frequentes eruptiones, iterum initia sumpse-
runt,quæ fortè tam negligentia in tuendis rebus,quam populi peccatis merentibus,iusta
Dei ira,quę ad sui uindictam tardiùs graditur,permissa creduntur. Nam postquam nuper
tes ali-

Calamitas à Tartaris illata.

Buscium à Tartaris tentatũ.

Caminicij uirtus.

Sæuitia Barbarorum.

Causæ tot in Poloniam Barbaricarũ excursionum.

res aliquãtulum fœliciores esse cœperãt, in Deum, ac religionẽ timor refriguit, nõ modò diuina aliqñ. neglecta, sed etiã Dei, religionisq́; hostes fouere in usu fuit. Hoc tẽpore (qđ iam antea cœptũ) Iudæi magis in præcio habiti, uix teloneũ, aut uectigal ullũ, cui nõ præfecti, aut quod saltẽ inuadere non caperẽt, paßim ea in re Iudæis Christiani submißi, uix etiam ex magnatibus, & ipsis reipublicæ primorib. aliquis, qui rem domesticã per Iudæũ non curaret, Iudæis in Christianos imperiũ permitteret, atq; citiùs, q̃ Christianos ab iniuria, uel simulata eriperet. Rectè itaq; quod Deus quondã Hebræis minatus est, in hos cõuenit, quia uidelicet Dei ac crucis hostes cõtra legem diuinam, ac canonũ sanctiones fouerẽt, & ipsi hostib. suis expositi præda in direptionẽ fierẽt. Sic quoq; Armenis ius summum erat, circũuagabãtur quidã per uniuersum regnũ mercãdi gratia (sic eñ titulus fuit) qui non ignorantib. ijs, qui rebus præfuêre, arma hostib. aduehere studebãt. De Ruthenis profectò nõ habeo dicere, quãdo illi non longè à fide nostra recedant, licet cærimonijs longißimè, sed æquabiliùs ferẽdi, quod utiq; parũ interest, quin omninò nobiscũ sentiant, in ipsis tamẽ fidei articulis fermè nobiscũ cõueniunt. Præterea in seipsam res publica diuidi cœpit, atq; iam Barbara è uita sublata, breui oẽm fermè decoris speciẽ exuit. Irrepsit hoc malum pedetentim, atq; utinã non coalescendo in regni ruinã ante maturũ fœtũ interiret, ne sic in seipso diuiso humani generis seruatoris uaticinio in desolationẽ cogeretur abire, hoc eñ in multis rebuspublicis cõpertũ est, quãdo malum pœna digna nõ mulctatũ, uirtus & benemerita nõ remunerata, sed paßim ut quęq; libido tenuit ad uicia, & rerũ inuasionẽ licẽtia creuit, mox ex splẽdidißima specie turbata induta facie, in præceps cuncta ruere cœperunt: ad usq; lachrymas hęc ingemiscẽs adscribo, ita tamẽ se res habuêre, atq; in hãc diẽ creuêre. Eo malo, & quod pestilera sæuitia fortius, q̃ año superiore irrepserat, regnũ adeò perturbatũ fuit, ut reipublicæ nuper subleuata species plurimũ inclinarẽt. Verũ externis mira hæc uidenẽ, tanta licẽtia Barbaros ut sæpè in hoc regnũ, quod etiã natura locorũ facilem habet, accessum excurrere, quicũq; existiant qui Sarmatarũ, ꝓprio etiam malo, & reipub. irrecuperabili iactura rident incõmoda, animũ statim satiabũt, si crebras Barbarorũ ex Thracia, Asia, Aphricaq́; in eos populos, atq; nationes, quæ natura locorũ, ac arte simul etiã armorũ usu, & regnorũ excellentia antecedere se æstimant. Meminerint eruptiones, ac eas duntaxat clades, quas in hominum ætate Pannoniæ, Dalmatiæ, Croatiæq; regna susceperint, prætera per Illyricũ splẽdida Venetorũ respub. passa est, sed etiã populi qui ad Germanos pertinẽt, in principatib. Carniolæ, atq; Charinthiæ experti sunt. Taceo qđ paulò pòst q̃ hæc Sarmatis cõtigerũt Mauri, parua manu, per mare Tyrhenũ uecti, apud ciuitatẽ ueterẽ spolia legerũt, ac parũ abfuit (uti fama erat) quin Leonẽ Pontificẽ Romanũ paulò antè digressum intercepissent. Quid in ipsa Apulia sæpiùs nostra ætate accidisse cõperit, & nouißimis dieb. in Hispaniarũ regnis Barbarorũ eruptionibus patratũ cõstat: qui Carolo maximorũ in Europa regnorũ rege pręsente, per oceanum occidentalem, exigua classe aduecti, per licentiã impunè spolia abegerũt. Non deesset animus summas reipub. Christianæ calamitates referre, sed quũ ad nostrũ institutũ non pertineant, missas eas faciã: libuit tamen externarũ nationũ afflictiones adnumerare, quò faciliùs Sarmatica mala ferant. Si etenĩ populis, gentib. ac regnis natura, arteq; munitis, armis, militibus, ac opibus pollentib. hæc accidunt, multominùs mirandũ quod Sarmatarũ regnũ, omni ex parte hostib. permeabile expositũ tot cladib. afficitur, quas tamẽ ꝓprijs uirib. Deo auctore aliquãdo auerteret, si non ab his, quos minimè decet, & Christianæ pietatis uinculum meritò cohiberet, ultrò iniustè impeterent. Euagatus parũ ab instituto, redeo. Tartari quũ impunè fermè prædam abegissent, superato Boristhene, præda in Tauricum pauca manu missa, secundam parabãt eruptionẽ. Sigismundus Tauricũ imperatorem pro patrato scelere, & rupto fœdere appellat, qui missis legatis facinus excusat, in effrænatã iuuentutẽ rem oẽm reiecit, antiqua fœdera renouare cupiebat, ultrò arma in Moschos & proprijs militibus hoc bellum suscipere obtulit. Verũ quũ frustrà cũ perfido hoste quodcũq; fœdus susciperet, nec etiã abacta prędæ restitui speraret, res ad Poloniæ Senatũ reiecta est. Interea egregiũ facinus pauci milites Sarmatæ susceperũt, sine ducũ iussu, transcensis Turcarũ finib. apud Bialagrodeñ. urbem, magnã uim ouiũ ex multis millibus abegerũt, hos Turcæ insequuti particulari certamine adierunt. Sarmatæ quum nulla uia nisi quam ferro, manuq; aperirent effugere possent, excusso metu, intrepide hostiũ incursionẽ exceperũt, & dum utrinq; aliquãdiu, Turcæ pro præda, Sarmatæ pro uita, prædaq; simul pugnassent, cæsis aliquot hostib. præda cũ uictoria Sarmatis cessit. Dum hæc apud Roxolanos & Podolitas agerent, Basilius Moschus legiones nouas Lithuaniæ immisit,

Iudæorum nimia dignatio.

Armeni.

Rutheni.

Regnicolarum discordia.

Incursiones in cæteras terras.

Militum quorundam Polonorum facinus.

uerum nihil memorabile gestū, nec ad iustum etiam certamen uentū est. Tauricus interea Cæsar, uel quod ociū fera gens ferre nō poterat, uel quod patratū nup cōtra ius gentium facinus excusare uellet, oēm euentū non sine gloria, quod uictori spolia, prędāq; ingentē, & à Sarmatis ex fœdere belli præmiū deberi, uictis etiā pro adseruatæ fidei integritate patrati facinoris ueniā non posse negari existimabat. Exercitū ex octuaginta equitū millib. (ut fama erat) collegit, inspataq; eruptione Basilij fines trāscēdit. Basilius subito motu perterritus, legiones ex Lithuania reducere iubet, uti res postulant: grassantē iam ubiq; hostē phibere statuit, mira celeritate exercitū parat, eundemq; Taurico Cæsari obuiā submisit. Tartari coactā prædam abigere, & reditū parare iam statuerunt, quū Basilij exercitus pugnæ copiā expostularet. Tartari & adeptæ nup ex Podolitis secūdæ fortunæ memores, & Moschorū apud Boristhenē acceptæ cladis audaciores, cominus cōgressi, pugnā suscipiūt, quūq; in supremū discrimen dimicatio peruenisset, Moschi fuga per cāpos effusi, Tartaris uictoriā cum præda reliquêre. Ea pugna Moschorū plus uiginti millia cecidisse mihi narraṫ, præterea tāta hominū multitudo abacta, ut tumida Basilij mēs ad pacis conditiones paratior, q̄ ante sit effecta. Quot ex Tartaris cæsi fuerint, mihi minime constat, quum ea gens nihil posteritati literis cōmendare soleat, nec etiā de seipsa quidq̄ referat. Secūda hac fortuna Taurici Tartari euecti, iam mox iterum etiā post excusatū facinus, apud Hercinij nemoris saltus, quē Sarmatæ nigrā syluā appellant exercitū locauit, ut accepto secūdi itineris fœlici auspicio irrumperēt. Habent eñ Barbari in stellis atq; lunæ motu uniuscuiusq; sortis indicia. Cæterùm quādo religionis sacerdotibus ex usu uisum, eruptiōes parāt, mox in ipso itinere, primùm obuiū barba ruffum interimunt, ereptū cor igni ad hoc paratū inijciunt, astant tunc religionis primores, & cordis quosdā saltus, sudoresq; suspiciūt, ex his aruspicū more secundam fortunam pollicētur, uerum si cor unico saltu extra ignē prosiliret, mali ominis, & infortunati itineris apud Barbaros est indiciū, hisq; semper auspicijs, rebus suis benè uel malè futurū pollicētur. Quū uerò hostes in eo loco eruptionē parare Senatui nūciaṅ, decretū est regni uires (ne pristini mali exēplo respub. damnū patiaṫ) excitare, hostiūq; incursionē armis excipere. In eum effectū, Christophorus Schidlouicius Craco. Palatinus syncero studio apud Myleciū cōuentū indixit, ibi Senatus cōsulto mille equites priori in Podolia pręsidio addere, & ut expeditio publica reuoceṫ, decretum est, illud ad hostiū terrorē satis uiriū, uel nominis habere, istud ex reipub. usu multo maximè utile uisum est. Solet eñ in publicis expeditionib. plerūq; amicus exercitus, q̄ hostium legiones molestior amicis esse, hoc modo firmatis, paulisp rebus ab armis tutū fuit. Eo loco iam parta tranquillitate apud Lithuanos Moschica arma nihilominùs expectabanṫ, sed & apud Samagitas Prussorū irruptio fama nūciata tumultum fecit. Sed quū præfectus Samagitiæ arma celeriter corriperet, frustrà eruptio tentata omissa est. Hac æstate apud Mazouitas quū fœminæ imperiū fastidirēt, tumultus inter nobiles excitatus est. Huius summa fuit occasio sumpta, quod Stanislaū natu maiorē, Conradi olim Mazouiæ ducis filium, ad rempub. suscipiēdum postularēt, & quod fœminæ iugū (quæ alieno consilio usa prouinciā multa pecunia exueret) quasi intollerabile abijcerēt. Quūq; frustrà laborarēt, Stanislaum, Ianusiūq; duces cū matre, & his qui ex cōsilio erant in Mackovv arce conclusos adorti, ui eripere nitebātur. In eo tumultu parum interfuit, quin Stanislaus natu maior Mazouiæ dux ex arcu sagitta iacta, fuisset interēptus, ita quē præficere tota nobilitas auidè cupiebat, iniquo fato nolens etiā penè extinxisset, hic tumultus paulò pòst per Ioannē Laskeum archipræsulem Gnezneñ. pacatus, ad futura comitia reiectus erat. Interim uerò nobilib. quibus Salevvskei cōsilium plurimū suspectū fuit, comitia apud Vvarschouiā indicta. Quod quū Anna dux, & tutrix cognosceret, edicto Vvarschouieñ. ne nobilitatē admitterēt præcepit. Verum nobiles cognito cōsilio, immissis qui partem suā sequerētur, summo mane ciuibus ignorātibus, perfractis portis ingresi, habitisq; & expletis comitijs, nulla facta molestiā, Vvarschouiā excesserunt, hæc in proximis comitijs, quæ Senatus absente rege apud Peterkouiā sub anni 1517. initijs celebrauit, utrinq; exposita, missi fuerāt in eo negocio legati, Stanislaus Ostrorog Castellanus Calisieñ. Palatinus Raueñ. & alij qui Stanislaū iam adultū rebus præficerēt, nouū consiliū adderent, & alia, quæ ex usu reip. illius uiderenṫ, ordinarent. Edictæ fuêre cōditiones, & utrinq; acceptæ, sed paulo pòstq̄ legati abijssent, Senatus nobiles, & populus sua spe frustrati, ad pristina cōsilia redierūt omnia, hæcq; apud Mazouitas ex sedecimo āno ad decimū septimū initia seditionis facta constant. Hoc tēpore Leo decimus Pontifex Romanus Iubilei gratiā in Poloniā dedit, cuius quarta pars in restaurationē arcis Camieneceñ. triū uerò reli-

Taurici Cæs. in Moschos excursio.

Cædes Moschorum.

Sortes Tartarorum & aruspicina.

Tumultus Mazouiticus.

Comitia Vuarschouiana.

Iubilei indulgentiæ.

reliquarũ partiũ directa medietas, una in reipu. cõtra infideles defensionẽ, altera in restaurationẽ Ecclesiæ Gneznẽ. Archiepiscopo cessit. In eam uerò gratiã, & quæ annis duob. postea data est, hominũ deuotione, uel frigescẽte, uel de indulgẽtijs & uenijs iam remissiùs sentire incipiẽte, parũ pecuniarũ accessit. Albertus Fontinus natiõe Italus professionis Franciscanæ nup in Poloniã legatus, atq; fratrib. præfectus est, uir singulari doctrina, & uitæ sanctimonia conspicuus. Is dum apud Cracouiã fratrũ licentiã, seuerius, quam uellent cohiberet, facta à fratrib. conspiratione quinta Septẽbris nocte, dormiẽs reseratis portis inuasus, nudus lecto extractus, curru forte inijciẽdus, atq; in Bohemiam euehẽdus (ut fama habuit) mutata sentẽtia cõcionatoris manib. miserè perfracta ceruice iugulat, p religione uitã dedit, sceleris auctores fuga dilapsi, decẽ postridie Ioañis Conarij Cracouieñ. præsulis sum̃a cura, uno cõcionatore dẽpto oẽs capti atq; uinculis iniecti sunt, missi ad Lipouiciũ quod castellũ sacerdotũ carcer est, & res ad sedẽ apostolicã data. O facinus in hominũ memoria pessimũ, & cui in hoc regno post diui Stanislai necẽ simile patratũ nõ sit, homo, qui præter quod optimos mores institueret, quod uitæ sanctimoniã induceret, & quod iam pridem labefactatã religionẽ restitueret, nemini iniuriatus, p tanto beneficio pessimã tulit mortẽ, & à fratrib. sed minorib. rectè sic appellatis, ut euentu rerũ gestarũ nomẽ ad posteros perferrẽt. O pessimũ hominũ genus, quod neq; per uitæ institutionẽ, neq; p facinoris immẽsum pondus, ab instituto malo animũ auocare potuit, malos ego appello, neq; boni poterint recẽsere, qui tales ppetuò negabũt habuisse fratres. Postq̃ ad sedem Apostolicã res data esset, Sigismũdus in ea re sum̃a cura egit, ne tantũ facinus sine mulcta præteriret, ad pontificẽ literas dedit. Deinde uerò Anno 1517, Pontificis Romani mandatũ Cracouiã peruenit. In dieb. Februarij quatuor sceleris cõplices per loci ordinarios sacris de more exuti, duo ex eisdem capite trũcati, reliqui ppetuis carceribus addicti fuẽre, nõ multò pòst cõcionator apud Bardeouã, in Bohemia Vuilhelmi Bernstini oppido cũ eius assensu captus, & Cracouiã adductus, qntadecima Maij sacris exutus, capite quoq; die 12. Iunij plexus est. Qui uerò perpetuis carceribus addicti nuper fuerãt, ruptis postridie uinculis, quibus apud Episcopũ Cracouieñ. detinebant, ad unum fuga saluati sunt. An consilio, ac fortuna, an custodibus admittentibus non habeo dicere, tamẽ immẽsum scelus in primis autorib. nihilominus grauissima mortis pœna uindicatum est, sed ad narrationis seriẽ de rebus anni M.D.XVI. redeundũ est. Eo anno die sextadecima Octobris, Frãciscus Italus architectus insignis, Gallico morbo antea multis annis correptus, morte extinctus est. Hic quicquid Italici operis in Cracou. arce in eũ diẽ perfectũ fuerat, per totũ latus quod urbẽ respicit, & hoc quod diui Vuenceslai tẽplum ambit, suo ingenio ad integrũ perfecit. Hæc p æstatẽ apud Polonos, Roxolanosq; gesta. MAXIMILIANVS Romanorũ Cæsar, & fœderis memor, & Sigismũdi amore incitatus, iam de secũdo matrimonio sollicitare cœpit, sub æstate Brzetislaũ de Svvyavv Bohemũ à suo consilio ad Sigismũdum in Lithuaniã usq; legatũ misit, per eundẽ, quid de Sigismũdi matrimonio fieri desideraret exposuit, obtulitq; duplex connubiũ utrũq; tanto rege dignũ, & quod Sigismũdus deligeret coniecturũ se ultrò obtulit. Verũ dum Sigismundus belli urgentib. curis detineret, & recẽs simul ex Barbaræ reginæ, paulò pòst fratris Vvladislai morte uulnus sauciũ animũ à matrimonij conditionib. longo tẽpore auocaret. Alterũ ex oblatis Maximiliani, Sigismũdiq; assensu alio uersum est. Cæterum pòstq̃ Maximilianus mox post Balthasari Oderij ex Moschouia reditũ, Sigismũdum de Erberstein & Petrum Mraxiũ denuò in Moschouiã legatos uti supra narrat designauerat, Sigismũdus ægritudine (uti fama habuit) præuentus iter intercepit. Sigismũdus uerò rex ex legatorũ aduẽtu oẽm rei bene gerẽdæ occasionẽ intermisit, quũq; diu frustrà sperarent, missis crebriter hinc inde literis, Petrus Mraxius in fine Octobris Cracouiã peruenit. Verũ quũ nec apud eum legationis instructiones essent, Sigismũdum p totũ mẽsem Nouembrẽ apud Cracouiã expectauit, quũ & hoc frustra euenisset, in initio Decẽbris, Viennã non sine Sarmatarũ stomacho discessit, breui reditũ pollicitus, sed anteq̃ collega ad hoc iter se accingeret, morte præuentus, breui malo, diuturno itineri & ingenti negocio se subtraxit. Paulò supra quam hæc facta, apud Prussios, qui Polonorum imperio parent, tumultus inter nobiles, ac Gdaneñ. simul, & plebẽ ortus, qui Sigismundo iubente, per Matthiã Dreuicium Vvladislauieñ. præsulem, in ipsis initijs placidissimo hominis ingenio mox extinctus est. Ad finem itẽ mẽsis Nouẽbris Tartari, qui apud Hercinios saltus consedisse (supra narratur) accepto auspicio quatuor exercitibus Russiã ingressi, aut quod præda nup abacta animauerat, aut quod pestis sæuicia (ut tradit) ex cãpis pellerent, adacti. Primus Caminicium

Albertus Fontinus Minoritanus à fratribus occisus.

Supplicium fratrum.

Franciscus Architectus.

Maximilianus imper. auspex nuptiarum.

Legati Cæs. ad Moschos.

Tumultus Prutenicus.

Excursio Tartarorum in Russiam.

uerum nihil memorabile gestū, nec ad iustum etiam certamen uentū est. Tauricus interea Cæsar, uel quod ociū fera gens ferre nō poterat, uel quod patratū nup cōtra ius gentium facinus excusare uellet, oēm euentū non sine gloria, quod uictori spolia, prędāq; ingentē, & à Sarmatis ex fœdere belli præmiū deberi, uicto etiā pro adseruatæ fidei integritate patrati facinoris ueniā non posse negari existimabat. Exercitū ex octuaginta equitū millib. (ut fama erat) collègit, insperataq; eruptione Basilij fines trāscēdit. Basilius subito motu perterritus, legiones ex Lithuania reducere iubet, uti res postulant: grassantē iam ubiq; hostē phibere statuit, mira celeritate exercitū parat, eundemq; Taurico Cæsari obuiā submisit. Tartari coactā prædam abigere, & reditū parare iam statuerunt, quū Basilij exercitus pugnæ copiā expostularet. Tartari & adeptæ nup ex Podolitis secūdæ fortunæ memores, & Moschorū apud Boristhenē acceptæ cladis audaciores, cominus cōgressi, pugnā suscipiūt, quūq; in supremū discrimen dimicatio peruenisset, Moschi fuga per cāpos effusi, Tartaris uictoriā cum præda reliquēre. Ea pugna Moschorū plus uiginti millia cecidisse mihi narrāt, præterea tāta hominū multitudo abacta, ut tumida Basilij mēs ad pacis conditiōnes paratior, q̄ ante sit effecta. Quot ex Tartaris cæsi fuerint, mihi minimè constat, quum ea gens nihil posteritati literis cōmendare soleat, nec etiā de seipsa quidq; referat. Secūda hac fortuna Taurici Tartari euecti, iam mox iterum etiā post excusatū facinus, apud Hercinij nemoris saltus, quē Sarmatæ nigrā syluā appellant exercitū locauit, ut accepto secūdi itineris fœlici auspicio irrumperēt. Habent eīm Barbari in stellis atq; lunæ motu uniuscuiusq; sortis indicia. Cæterùm quādo religionis sacerdotibus ex usu uisum, eruptiōes parāt, mox in ipso itinere, primùm obuiū barba ruffum interimunt, ereptū cor igni ad hoc paratū inijciunt, astant tunc religionis primores, & cordis quosdā saltus, sudoresq; suspiciūt, ex his aruspicū more secundam fortunam pollicētur, uerùm si cor unico saltu extra ignē prosiliret, mali ominis, & infortunati itineris apud Barbaros est indiciū, hisq; semper auspicijs, rebus suis benè uel malè futurū pollicētur. Quū uerò hostes in eo loco eruptionē parare Senatui nūciant, decretū est regni uires (ne pristini mali exēplo respub. damnū patiat) excitare, hostiūq; incursionē armis excipere. In eum effectū, Christophorus Schidlouicius Craco. Palatinus syncero studio apud Myleciū cōuentū indixit, ibi Senatus cōsulto mille equites priori in Podolia prȩsidio addere, & ut expeditio publica reuocet, decretum est, illud ad hostiū terrorē satis uiriū, uel nominis habere, istud ex reipub. usu multò maximè utile uisum est. Solet eīm in publicis expeditionib. plerūq; amicus exercitus, q̄ hostium legiones molestior amicis esse, hoc modo firmatis, paulisp rebus ab armis tutū fuit. Eo loco iam parta tranquillitate apud Lithuanos Moschica arma nihilominùs expectabant, sed & apud Samagitas Prussorū irruptio fama nūciata tumultum fecit. Sed quū præfectus Samagitiæ arma celeriter corriperet, frustrà eruptio tentata omissa est. Hac æstate apud Mazouitas quū fœminæ imperiū fastidirēt, tumultus inter nobiles excitatus est. Huius summa fuit occasio sumpta, quod Stanislaū natu maiorē, Conradi olim Mazouiæ ducis filium, ad rempub. suscipiēdum postularēt, & quod fœminæ iugū (quæ alieno consilio usa prouinciā multa pecūnia exueret) quasi intollerabile abijcerēt. Quūq; frustrà laborarēt, Stanislaum, Ianusiūq; duces cū matre, & his qui ex cōsilio erant in Mackovv arce conclusos adorti, ui eripere nitebātur. In eo tumultu parum interfuit, quin Stanislaus natu maior Mazouiæ dux ex arcu sagitta iacta, fuisset intereptus, ita quē præficere tota nobilitas auidè cupiebat, iniquo fato nolens etiā penè extinxisset, hic tumultus paulò pòst per Ioannē Laskeum archipræsulem Gneznen̄. pacatus, ad futura comitia reiectus erat. Interim uerò nobilib. quibus Salevvskei cōsiliūm plurimū suspectū fuit, comitia apud Vvarschouiā indicta. Quod quū Anna dux, & tutrix cognosceret, edicto Vvarschouien̄. ne nobilitatē admitterēt præcepit. Verum nobiles cognito cōsilio, immissis qui partem suā sequerētur, summo manè ciuibus ignorātibus, pertractis portis ingressi, habitisq; & expletis comitijs, nulla facta molestiā, Vvarschouiā excesserunt, hæc in proximis comitijs, quæ Senatus absente rege apud Peterkouiā sub anni 1517. initijs celebrauit, utrinq; exposita, missi fuerāt in eo negocio legati, Stanislaus Ostrorog Castellanus Calisien̄. Palatinus Rauen̄. & alij qui Stanislaū iam adultū rebus præficerēt, nouū consiliū adderent, & alia, quæ ex usu reip. illius uiderent, ordinarent. Edictæ fuēre cōditiones, & utrinq; acceptæ, sed paulò pòst q̄ legati abijssent, Senatus nobiles, & populus sua spe frustrati, ad pristina cōsilia redierūt omnia, hæcq; apud Mazouitas ex sedecimo an̄o ad decimū septimū initia seditionis facta constant. Hoc tēpore Leo decimus Pontifex Romanus Iubilei gratiā in Poloniā dedit, cuius quarta pars in restaurationē arcis Camienecen̄. triū uerò reli-

Taurici Cæs. in Moschos excursio.

Cædes Moschorum.

Sortes Tartarorum & aruspicina.

Tumultus Mazouiticus.

Comitia Vuarschouiana.

Iubilei indulgentia.

reliquarũ partiũ directa medietas,una in reipu.cõtra infideles defensionẽ, altera in restau rationẽ Ecclesiæ Gneznẽ.Archiepiscopo cessit.In eam uerò gratiã, & quæ annis duob. postea data est,hominũ deuotione,uel frigescẽte,uel de indulgẽtijs & uenijs iam remissi-us sentire incipiẽte,parũ pecuniarũ accessit. Albertus Fontinus natiõe Italus professi-onis Franciscanæ nuper in Poloniã legatus, atq; fratrib. præfectus est, uir singulari doctri-na,& uitæ sanctimonia conspicuus.Is dum apud Cracouiã fratrũ licẽtiã seuerius,quam uellent cohiberet,facta à fratrib.conspiratione quinta Septẽbris nocte, dormiẽs reseratis portis inuasus,nudus lecto extractus,curru forte inijciẽdus,atq; in Bohemiam euehẽdus (ut fama habuit) mutata sentẽtia cõcionatoris manib.miserè perfracta ceruice iugulat', pro religione uitã dedit,sceleris auctores fuga dilapsi, decẽ postridie Ioanis Conarij Craco-uieñ.præsulis sũma cura,uno cõcionatore dẽpto oẽs capti atq; uinculis iniecti sunt, missi ad Lipouiciũ quod castellũ sacerdotũ carcer est,& res ad sedẽ apostolicã data. O facinus in hominũ memoria pessimũ, & cui in hoc regno post diui Stanislai necẽ simile patratũ nõ sit,homo,qui præter quod optimos mores institueret,quod uitæ sanctimoniã induce ret,& quod iam pridem labefactatã religionẽ restitueret,nemini iniuriatus,pro tanto bene ficio pessimã tulit mortẽ,& à fratrib.sed minorib.rectè sic appellatis,ut euentu rerũ gesta-rũ nomẽ ad posteros perferrẽt.O pessimũ hominũ genus, quod neq; per uitæ institutio-nẽ,neq; per facinoris immẽsum pondus,ab instituto malo animũ auocare potuit, malos e-go appello,neq; boni poterint recẽsere, qui tales propemodũ negabũt habuisse fratres. Postq; ad sedem Apostolicã res data esset,Sigismũdus in ea re sũma cura egit,ne tantũ facinus si-ne mulcta præteriret,ad pontificẽ literas dedit. Deinde uerò Anno 1517, Pontificis Romani mandatũ Cracouiã peruenit.In dieb.Februarij quatuor sceleris cõplices per lo-ci ordinarios sacris de more exuti,duo ex eisdem capite trũcati,reliqui perpetuis carceribus addicti fuẽre, nõ multò pòst cõcionator apud Bardeouã,in Bohemia Vuilhelmi Bernsti ni oppido cũ eius assensu captus,& Cracouiã adductus, quintadecima Maij sacris exutus, capite quoq; die 12.Iunij plexus est.Qui uerò perpetuis carceribus addicti nuper fuerãt, ruptis postridie uinculis, quibus apud Episcopũ Cracouieñ.detinebant,ad unum fuga saluati sunt. An consilio,ac fortuna,an custodibus admittentibus non habeo dicere,tamẽ immẽsum scelus in primis autorib.nihilominus grauissima mortis pœna uindicatum est, sed ad narrationis seriẽ de rebus anni M.D.XVI. redeundũ est. Eo anno die sextadeci-ma Octobris,Frãciscus Italus architectus insignis,Gallico morbo antea multis annis cor-reptus,morte extinctus est.Hic quicquid Italici operis in Cracou.arce in eũ diẽ perfectũ fuerat,per totũ latus quod urbẽ respicit,& hoc quod diui Vvenceslai tẽplum ambit,suo ingenio ad integrũ perfecit.Hæc per æstatẽ apud Polonos, Roxolanosq; gesta. MAXI-MILIANVS Romanorũ Cæsar,& fœderis memor,& Sigismũdi amore incitatus,iam de secũdo matrimonio sollicitare cœpit,sub æstate Brzetislaũ de Svvyavv Bohemũ à suo consilio ad Sigismũdum in Lithuaniã usq; legatũ misit,per eundẽ, quid de Sigismũdi ma trimonio fieri desideraret exposuit,obtulit itẽ duplex connubiũ utrũq; tanto rege dignũ, & quod Sigismũdus deligeret consecturũ se ultrò obtulit. Verũ dum Sigismundus belli urgentib.curis detineret,& recẽs simul ex Barbaræ reginæ paulò pòst fratris Vvladislai morte uulnus sauciũ animũ à matrimonij conditionib.longo tẽpore auocaret. Alterũ ex oblatis Maximiliani,Sigismũdiq; assensu alio uersum est.Cæterum postq; Maximilianus mox post Balthasari Oderij ex Moschouia reditũ,Sigismũdum de Erberstein & Petrum Mraxiũ denuò in Moschouiã legatos uti supra narrat' designauerat, Sigismũdus ægritu-dine(uti fama habuit) præuentus iter intercepit.Sigismũdus uerò rex ex legatorũ aduẽ-tu oẽm rei bene gerẽdæ occasionẽ intermisit,quũq; diu frustrà sperarent, missis crebriter hinc inde literis,Petrus Mraxius in fine Octobris Cracouiã peruenit.Verũ quũ nec apud eum legationis instructiones essent,Sigismũdum per totũ mẽsem Nouembrẽ apud Craco uiã expectauit,quũ & hoc frustra euenisset,in initio Decẽbris,Viennã non sine Sarmata-rũ stomacho discessit,breui reditũ pollicitus,sed anteq; collega ad hoc iter se accingeret, morte præuentus,breui malo,diuturno itineri & ingenti negocio se subtraxit. Paulò supra quam hæc facta,apud Prussios,qui Polonorum imperio parent,tumultus inter no biles,ac Gdanẽ.simul,& plebẽ ortus,qui Sigismundo iubente, per Matthiã Dreuicium Vvladislauieñ.regulũ,in ipsis initijs placidissimo hominis ingenio mox extinctus est. Ad finem itẽ mensis Nouẽbris Tartari,qui apud Hercinios saltus consedisse (supra narrã-tur) accepto auspicio quatuor exercitibus Russiã ingressi,aut quod prædã nuper abacta a-nimauerat,aut quod pestis seuicia (ut tradit') ex cãpis pellerent,adacti. Primus Camini-

Albertus Fontinus Minoritanus à fratribus occisus.

Supplicium fratrum.

Franciscus Architectus.

Maximilianus imper. auspex nuptiarum.

Legati Cæs. ad Moschos.

Tumultus Prutenicus.

Excursio Tartarorum in Russiam.

cium, secundus Lithauitium, tertius Medzibozium, ultimus Sincouieñ. districtus inuadunt, Sarmatarum duces, qui rebus nuper præfecti sunt, cum militibus, qui ex Miletio conuentu suscepti fuerant, & nobilitate, quam patriæ malum armauerat, hostibus intrepidè occurrunt. Stanislaus Lanskroneus Camieneceñ. arcis præfectus, Miedzibozium, Lithauitiumq; districtus tutandos suscepit, bino congressu hostes omni præda exuit, atque fœliciter superauit, captis item ex primoribus aliquot. In horum hostium recessu, illustris Romani ducis, Constantini nepos eos inuadit, sed quum auidius pugnans in hostium medio esset infœlici sorte equus, quo uehebatur cecidit, ipse ab hostibus in frusta concisus est. Septima uerò Decembris usq; sub Medzibosium Quadringenti Tartari uenerūt, his milites mercenarij, qui eò loci tunc erāt Paulo Pharurcy duce occurrerunt, atq; apud Radzymycze uillam uiriliter pugnantes tertia fermè noctis hora superarūt. Sequenti aūt die apud Synckovv, Saczygnjovvskeus mercenarij militis præfectus, homo ad omne periculum inuictus, & dux, & miles omni sæculo dignus: mille Tartarorum equites adsequutus, flagranti animo gloriæ immortalis cupidus, impari numero congressus est, cuius furentem manum hostes aliquantum ferentes, paulò post & ducis, & militum inuicta manus hostibus terrorem & nullam præterquam fuga quæsitam salutem ostendit, fusi igitur ac cæsi sunt barbari, capti item nonnulli, aliqui fuga ad futura mala seruati, & dilapsi sunt. Atq; hic anni M.D.XVI. supra adscripti finis est.

Romanis cædes.

Victoria apud Medzybosiū.

Victoria duce Saczygniowsko.

AVTOR AD LECTOREM.

HACTENVS Lector candide Sigismundi inclyti Regis tempora, Inuictissimiq; populi Polonici sub eius imperio res gestas, per compendium scribere, atq; eius rei metam facere, placuit. Reuocārat enim ab instituto meo, tria potissimùm. Primum quod uiuentium res non satis tutè publicantur, ubi si gloriç aliquid dederis adulationis nota est: si contrà uitio uerteris crimen hic quoq; periculū ingens est. In sum̄a ueritatis studium, & in hac potissimū ætate ubiq; & ab omnib. (uerè malis) impetitur. Huic secundū est, quòd nonnisi de transactis rebus integrū est iudicium. Postremo loco, quia decimus septimus annus noui matrimonij facit initia, noua ac inclyta Regina ex Arragonū regum, Mediolaniq; ducum familijs clara, deinceps uel mihi, uel alteri ad hoc magis nato quarti, seu noui libri faciat quoq; initia. Præterea ille an̄us Moschi belli narrationē faciet, dehinc decimus octauus, Reginç coronatione insignis erit, decimus nonus uerò Prutenici belli initium cōnstituet, cuius inducias quadriennales uigesimus primus excipiet. Quarum omnium ego seriē consultè reliqui incontextam, posthac (si uiuere dabitur) tibi lector ea perfecta aliquando daturus in lucem. Ego quidem si uerè candidum nactus fuero lectorem, facilè ueniam habiturus sum, si me subinde & ubiq; de meipso monentem intelliget. Verum si cui domi, uel foris ex me negocium fecerim, tu lectori iudicium in omnibus facito, tamen mortalium omnium res uarijs periculis, atque casibus subiectas, & quum tot fermè sensus, quot hominum capita existant, difficulter ab uno, quod omnibus sapiat emanare posse memineris. Vale.

Ancipitia scriptorum.

Summa annorum aliquot post 1516.

FINIS IODOCI LVDOVICI DECII LIB. *de Sigismundi temporibus.*

COMPEND.

COMPENDIVM CHRONICORVM POLONIAE SECVNDVM SERIEM ET SVCCESSIONES OMNIVM PRINCIPVM, REGVMQVE

gentis, à Lecho primo Duce, Authoreq; Polonorum, usq; ad Regem Henricum Valesium ordine seruato.

AVTORE ALEXANDRO GVAGNINO VERONENSI.

LECHVS PRIMVS DVX ET Autor Polonorum.

EX hac gente bellicosa Slauonica, siue Sarmatica, cuius deductionem copiosè descripsimus, duo Illustres, magnanimiq; Principes ortum duxerunt, quorum unus Cechus, alter Lechus appellatͣ, fratres germani hi exanthlatis, superatisq; multis & difficilimis laboribus, miserisq; bellicis temporibus illis turbulentis, in Illyrico & Dalmatia, domesticæ seditionis (quæ ex pace compositis bellis oriebatur) pertæsi, uegetiora, nobilioraq; nacti ingenia, uiuendi in aliam rationem elegerunt, cum exercitibusq; suis à castris suæ tribus Slauonicæ, ciuili bello dissidente, ex Croatia Illyrici regione sese subduxerunt. Occidentem uersus in Germaniæ ditiones contendentes, Regiones sitas inter fluuios celeberrimos Albim & Veseram occupauerunt, ciuitatemq; cum arce munitam in ripa Veseræ condiderunt, cui nomen Bremiæ indiderunt, ut significarent se in ea onus miseriæ deposuisse, Bremiæ enim Slauis, onus sonat, & hucusque hæc ciuitas Bremen à Germanis appellatur, illicque multa & præclara bella cum Germanis de sedibus decertantes gesserunt, multæque ciuitates & arces terrore eorum perculsæ, libenter se illis dedideruͣt. Atque ita Cechus ad Danubium & Albim fluuios in Bohemia antiqua Germanorum Colonia, quæ nunc Bohemia dicitur, primũ domiciliũ habuit, incolis regionis prioribus partim expulsis, partim inter suos connumeratis. Deinde Austriã, Lusatiã, Morauiã, Misnã ditioni suæ subegit. Lechus verò frater suus magnanimus Heros ulterius cũ suo exercitu, año quo Diuina potestas humana in specie ad salutẽ nostrã cœlitus sese demisit 550. pcessit, inuestigandi, eligendiq; pro sui arbitrio causa sedes cultiores, primoq; ab occidente in septentrionẽ plagã se cõferens, hos in cãpos, ubi nunc Polonia, peruenit, ad Vistulamq; fluuium, vnde Vandali Sarmatica gens surrexerat, cõseditibiq; cum suis requieuit. Deinde à Vistula ad Oderam vsq; fluuiũ orientẽ & septẽtrionẽ uersus, oẽs has prouincias, ubi nunc est Silesia, Marchionatus Brandeburgẽsis, Prussia, Mekelburga, Pomerania, Holsatia, Saxoniaq; armis imperio suo subegit, quibusdã incolis earũ partim cæsis, partim expulsis, cæteris uerò in gratiam susceptis. Cùm igitur imperiũ suum strenuo Marte sic dilataret, Regulus quidam Germanorũ Lechum ad duellum euocauit, ut secũ de Imperio ferro decertaret, cui id fortuna obtulerit. In primoq; cõgressu Lechus Germanum trucidauit, Regnumq; illius cum omnibus maritimis regionibus, quæ nunc Pomeraniæ nomen retinẽt Marte cõcedente occupauit. Pacato itaq; Imperio suo, deserta Poloniæ peragrans, loca munitiora ciuitatibus, arcibusq; erigendis idonea circumlustrabat, forteq; reperit locum inter lacus paludesq; lutosas natura & oportunitate loci munitum, ubi primam omnium Poloniæ ciuitatem, & arcem fundauit, quam Gneznam à nidificantium multitudine Aquilarum appellauit. Nidus eñ auiũ Slauis *Gniazdo* dicitur. Ariolorũq; & Aruspicũ cõsilio Aquilam albam cum expansis ad volandum alis pro insigni, Stẽmateq; patrio sibi elegit, qua in uexillis, cæterisq; signis bellicis utebatur, & ab hoc tẽpore hoc celebre Stẽma à regibus Poloniæ gestatur. Itaq; à Lecho primo Duce, authoreq; Polonorũ Poloni, à Ruthenis cæterisq; Slauis Lechitæ, Bohemi uerò à Czecho, Czechi appellantur. Hoc uerò nomen quo Poloni uocantur, à Regionis planicie, campisq; quos incolunt apertis retinent. Campus enim ut diximus pole significat. Multis itaq; præclaris gestis exactis, rebusq; in Polonia omnibus rectè constitutis, extremum diem fœliciter clausit.

Lechus & Cechus fratres germani.

Lechus cũ Cecho fratre in Germaniæ ditionibus Bremen ædificãt.

Cechus in Bohemia cõsedit.

Lechus primus Polonorũ Dux et autor.

Quidam de tẽpore aduentus eorũ dubitãt.

Imperij Lechi promotio.

Lechus Regulum Germaniæ duello uicit.

Gnezna prima Poloniæ ciuitas.

Insigne Polonorum Regũ Aquila alba.

Poloni unde dicti.

Post mortem Lechij nihil certi de legitimis hæredibus successoribusq; eius reperitur, magnaq; hac de re Historiographorum Polonorum lis est, sed hic testamento moriens se gauerat, ut aliquem dignum uirum ex sua gēte de patria & rebus bellicis benè meritum, summæ rerum præficerent, cui in omnibus obtemperarent.

VISIMIRVS ex nepotibus Lechij, Princeps Polonorum cùm ad Danorum fines usq; imperium suum extenderat, & ob uicinitatem à rege eorum Syuardo uarijs excursionibus infestaretur, undecunq; potuit auxilia coëgit, nauesq; adornauit, & armato milite compleuit, ex quibus unam ingentem fabricasse dicitur, cuius solo aspectu Dani perterriti fuere. Nauali itaq; prælio fortuna auspicante, Syuardum Regem cum ingenti classe Danorum occurrentē strenuè fudit, fugauitq;, & ad interiora terræ hostes persequēs has insulas in Dania, Rugiam, Hemeriam, Feondiam, Salendiamq; occupauit, plurimasq; ciuitates & castra in eis Polonorū præsidijs munita extruxit, ubi ad hæc usq; tēpora hæ oēs ciuitates nomina à Polonis Slauonico idiomate indita retinēt, ut pote Vvisimer, à Vvisimiro, Lubeca urbs opulentissima & populosa, Danczik siue Gedanum ciuitas celeberrima ad mare Germanicum à Polonis contra Danorum excursiones arcendas imprimis condita. Prædictum itaq; Danorum Regem filio eius in obsidem sumpto, Vvisimirus uectigalem sibi efficiens, & rebus in Dania rectè dispositis, multimodis spolijs onustus classē in Poloniam reduxit. Hocq; primo nauali prælio Poloni quasi quodam tyrocinio instructi cum inimicis nauali prælio bella gerere animosiores effecti sunt. Tandem aliquot annis exactis, Syuardus Polonorum iugum ægrè ferens, conspiratione cum Holsatis, Svvetijs, Danisq; aduersus Polonos facta, exercitum numerosum contra eos eduxit, sed secundò maiori clade cum tota suorum manu in Scania à Polonis prostratus est. Ipse uero pernici fuga elapsus mœrore & dolore ob amissum exercitum, deploratumque rerum suarum casum consumptus, spiritum exhalauit. Vvisimirus uero magnam Daniæ partem imperio suo subegit. Postea multis præclaris gestis editis, finibusq; imperij Polonici prolatis absq; posteritate decessit.

Poloni Danos nauali prælio superant, insulasq; eorum occupant.

Ciuitates à Polonis fundatæ.

Dani iterum à Polonis prosternuntur.

Syuardus moritur.

DVODECIM PALATINI.

CVm itaque tota domus Lechij decessit, Poloni libertatem strenuè asserentes, neminemq; extraneorum Principum sibi imperare patientes, duodecim Palatinos (ut dicitur) uiros præcipuos ex sua gente solenni consensu Gneznæ celebrato, ad Rempublicam gubernandam subornant, quam uiginti annis administrabant. Sed multis & diuersis imperantibus discordiæ & ambitionis impulsu, bellis ciuilibus, cladibusq; mutuis & intestinis sese afficiebant. Finitimæ uerò gentes præcipuè Germani discordia Polonorum considerata rebellare cœperunt, iugoq; excusso suas prouincias ab eis occupatas recuperauerunt. Hoc detrimentum & diminutionē imperij sui Poloni ex pluralitate gubernatorum animaduertentes Comitijs generalibus celebratis, ad Cracum quendam siue Crocum uirum tunc temporis insignem de genere Cechij oriundum, sceptra deferunt.

Multorum imperiū damnosum.

CRACVS PRINCEPS POLONORVM.

CRacus nepos Cechij Bohemorū Principis, ad Imperij Polonici fasces communibus omnium suffragijs euectus, finitimas gentes iam Polonis rebellantes, iugumq; excutientes coërcuit, finesq; Regni ab omni insultu hostium tutauit. Gallorum copias prostrauit, quæ Hungaria deuastata in Poloniam excurrebāt. Tandem pacato armis imperio, deserta loca, solitudinesq; agricolis adornauit, ciuitatē celebrem cum arce in scopulo Vanel dicto ad Vistulam fluuium condidit, quam à suo nomine Cracouiam appellauit. In hoc autem scopulo Draco ingens tunc temporis delitescebat, qui sordido suo anhelitu cum esuriret, de antro prorepens multos uelut peste quadam inficiebat, per ciuitatemq; & loca circumiacentia grassando, omnia obuia deuorabat. Quam ob causam incolæ ciuitatis ordine tria iumenta per diem ei ad antrum offerre cogebantur. Cracus igitur Princeps suorum deploratum statū uidens, cùm iā omnib. iumentis expilarentur pellem uituli excoriati, sulphure, nitro, pice infarcire iussit. Quod ubi hora consueta ad antrum Draconis opponeretur, bestia prorepens, famelica, iumentum putans, uenaculum illud deglutijt. Cumq; in eo illa materia igne sulphureo accedente accensa esset, de antro sese proripiens in Vistula aquam tamdiu sorbebat, quousq; medio creparetur. Cracus tandem Princeps rebus imperij rectè dispositis, Cracoq; & Lecho filijs, filiaq; Vanda relictis è uita sublatus est.

Cracouia Poloniæ metropolis à Craco fundatur.

Draco in Cracouia.

Draco artificiosè peremptus.

Iustis

IVstis Craco gentili ritu persolutis Poloni conuentu celebrato, Cracum secundum, natu maiorem Craci filium, in solium paternum substituunt, sed Lechus frater iunior ambitione tumens, inuidensque illi imperium, inter uenandum eum occidit, dixitque falso lachrymas addens, eum equi lapsu, dum temere persequitur feram, dilaniatum, strangulatumque esse atque hac arte callidus imperium assecutus est: sed paulo post dolo in lucem prodeunte Regno pulsus, fugatusque est.

Lechus fratrē Cracum trucidat.

VANDA VIRAGO.

ANno à nato Christo 730. Vanda filia Craci in ordine Ducum Poloniæ quarta, unica, legitimaque hæres Regni, omnium acclamatione ad Imperij fasces euehitur. Hæc summa prudentia, & rara fortitudine Rempublicam (uirginalem, cœlibemque uitam ducens) strenuè gubernabat, non aliter atque illa Pentesilea, Ortigiaque. Erat autem formosa & pulcherrima nimis, ut pulchritudine sua plurimos Principes ad se alliceret, & ueluti hamo pisces caperet, vnde Vanda vel Venda quæ dictio Slauis Hamum quo pisces capiuntur sonat, appellata est. Ritagoras igitur Princeps Germanorum uirtute illius, prudentia, atque pulchritudine commotus, Procos ad illam destinauit, solicitans ut sibi nuberet, illa uero obstinatè connubium repugnando Procos uacuos sæpius dimisit. Quapropter Ritagoras putans se ab ea contemptum, Poloniæ bellum indixit, terroreque & ui ad coniugium eam cogi sperabat. Illa è contra impauida celeriter undecunque auxilijs coactis, eum in conflictu bis capitali & cruenta clade fudit: ipse autem pernici fuga elapsus, præ pudore quod virginis manu fusus, fugatusque fuerit, nolens testem sui dedecoris Solem amplius esse, gladio proprio sese interemit. Vanda uero memorabili uictoria Polonis relicta, prout Dijs uirginitatem deuouerat, uolens uoti compos esse de Ponte in Vistulam sese præcipitauit, sicque aquis obruta interijt. Cadauer illius repertum est in ostijs Dlubnæ vbi Vistulam influit, atque in scopulo uno miliari à Cracouia in Mogila gentili ritu sepulta est.

Vanda Ritagoram Germanorum Principē fudit.

Vanda in Vistulam de Ponte triumphans desiijt.

Demum post Vandam nullo successore legitimo existente, iterum duodecim Palatinos, ut unusquisque Prouinciæ suæ præesset, Poloni elegerunt, unde magnum detrimentum, diminutioque Regni. uelut & prius subsecuta sunt. Quæ enim in inimicos arma essent conuertenda, in se conuertebant: ambitioneque flagrantes, mutuis cladibus inter se dissidebant, qua de causa Marcomanni, Hunni, & Germani, Poloniam vndique angustabant.

Duodecim Palatini iterum.

PREMISLAVS SIVE LESCO PRIMVS.

ANno uirginei partus 750. ex his bisenis Palatinis intestina bella mutuò mouentibus, unus Premislaus Lesko, non sua, sed patriæ commoda quærebat. Cumque Morauí Poloniam uastarent, ille pro tempore coacto, instructoque exercitu, hostes iam spolijs & exuuijs onustos ad sua reuertentes, insecutus est: in quos ad montē, ut dicitur caluum, ubi nunc templum sanctæ Crucis conditum est, sublatis nemoribus ea strametatos impetum fecit: statimque se in abdita Syluarum cum suis subduxit. Hostes uero armis arreptis, in ea loca ubi Lesco eis se apparuerat uenientes neminem inuenerunt, perterritumque exercitum Polonorū fugere credētes ad sua castra reuersi sunt. Cumque iam tutissimè omnia agerent Bacho indulgentes, Premislaus nacta occasione ex abditis Syluarum cum suo exercitu, intempestiua nocte inopinatos, somnoque oppressos Morauios, magna ui, à fronte, & à tergo inuasit: omnesque ad unum cruento prælio funditus trucidauit: & spolia, captiuosque recuperauit. Qua insigni uictoria clarus, omnium suffragijs, spreta pluralitate gubernatorum, Regni habenis præficitur, multisque egregiè gestis editis, ruinisque patriæ magna uirtute restauratis, absque posteris è uiuis decessit.

Premislaus Morauios prostrauit.

LESCO SECVNDVS.

ANno à Christo nobis cœlitus misso 780. Premislao Lescone absque posteris decedente, de electione Monarchæ uoces communes, & sententiæ Senatorum discrepabant, communique omnium consensu, post multas litigationes, hunc modum eligendi Principis constituerūt: columnā ante Cracouiā statuerūt, desuperque Diadema & Sceptrū Regale posuerūt, ac palā omnib. & singulis preconis proclamatione notū fecerūt, ut quicunque a flumine Pradnik dicto, equi sui celeriori cursu ad columnā subordinatā cæteros anteuerteret, Monarcha designaretur. Quidam igitur iuuenis infirmæ familiæ, sed astutus & callidus, re diligēter cōsiderata, clauos ferreos in uia qua currendū erat occultè

Modus electionis certare equis.

Equorum cursu de Imperio decertatur. infixit, terraq; occuluit, præsignita sibi ad currendum uia. Inter currendum autem equi omnium ferro subordinato saucij substiterunt, nemoq; ad columnam ex illa multitudine, solummodò ille peruenit: & sic Principatu dolo acquisito, potitus est. Sed occulta fraus illicò innotuit. Paulò enim post duo iuuenes ex plebe ludentes Symbolo iacto, per illa *Dolus Lescij.* loca cursu pedestri à fluuio Pradnik ad columnam prædictam decertabant, ambabusq; sautijs effectis unus leuius claudicans primus columnam attigit, socius uerò suus clauos in terra considerans brauium ei denegabat: causamq; ad Senatum detulit: ubi patefacta est: *Dolus aperitur.* peruersa astutia Lescij: qui dolo supradicto, ad Regni fasces euectus erat. Omnes igitur *Premium fraudis.* nobiles & magnates de iniuria coram senatu expostulantes. Lesconem solio deiectū tractu equorum membratim dilaniari, dilacerariq; fecerunt. Ille uerò qui ludendo pedester ad columnam uenerat, Lesco secundus appellatus, communi omnium acclamatione Re*Lesco plebeius ad Regnū euehitur.*gno præponitur. Hic quamuis plebeius esset, attamen talem se præbuit, ac si Regali ortus esset prosapia: idq; totis diebus uitæ suæ diligenter obseruabat, quod ornamentis Regijs solenniter induturus, uestes quas olim ex uili lana gerebat, desuper indueret: pro monumento prioris uitæ id habens: utq; fortunam instabilem, quæ sursum eleuatos ad ima *Mos Lescij.* deijcit, eluderet. Quam consuetudinem multi Principes Polonorum solenniter obseruabant. Tandem Lesco plurimis Heroicis gestis exactis, filioq; huius nominis tertio relicto, uitam cum morte commutauit.

LESCO TERTIVS.

FVnebribus exequijs Lesconi gentiliter persolutis, Lesco filius eius, huius nominis tertius in ordine Principum Poloniæ septimus, Monarcha salutatur. Hic à moribus paternis minimè degenerauit, omnes finitimos hostes sedauit. Imperijq́ue sui fines in pace & securitate cicurauit. Postea otij impatiens, Hungaris, Saxonibusq́ue, aduersus Carolum Magnum Romanorum Imperatorem auxilia suppeditabat. Tandem Anno Domini 801. cum Bohemis, Pomeranis, Prutenisq́ue à Carolo in Silesia cruento prælio ad Oderam fluuium prostratus est. Cui filius Popilius ex legitimo thoro natus (uiginti enim illegitimos natos ex concubinis; Pomeraniæ Duces generat) successit.

POPELVS PRIMVS.

POpelus huius nominis primus Lescij tertij filius, qui à Germanis Osserich dicebatur: patre decedente, Regni habenas regendas suscepit, Anno Domini 815. Hic à uirtute paterna degenerauit: in urbe Cracouiensi sede spreta, eam in Gneznam, demum in Crusphiciam transtulit: ibiq́ue arcem in lacu Goplo condidit. Nil amplius de eo scribendum restat: cum nulla egregia gesta memoriæ digna ediderit, semper enim libidinibus, delicijsq; indulgebat. Hac uero execrandi particula sæpissimè utebatur, dicens: O' utinam à muribus corroderer, quod quamuis non ipsi, sed filio eius prout inferius dicetur, contigit.

Sedis translatio.
Arx Goplo.
Mos execrandi sese Popeli.

POPELVS SECVNDVS.

ANno salutiferi virginis partus 830. Popelus secundus, patri in regno succedens, à moribus eius libidinosis minimè degenerauit: postpositisq́ue negocijs Reipub. uanis otijs, choreisq́ue, & delicijs domesticis indulsit. Insuper non ille sed uxor eius, quam insano amore prosequebatur, pro sui peruerso arbitrio imperabat. Quapropter Magnates & Equites regni, cum ut hominem nihili Sardanapalum Poloniæ appellantes spreuerunt. Popelus uerò re considerata, ueritus ne Poloni aliquem ex Patruis suis in locum suum substituerent: uxoris astuto consilio infirmitatem simulauit: Patruosq́ue omnes qui uiginti numero erant. Principes Pomeraniæ accersiuit, & decumbens in lecto, obnixè ab eis rogauit, ut unum filium suum ex duobus, Regno se decedente præficerent, quod libenter Patrui se facturos spoponderunt, si magnates regni consenserint. Regina uerò intereà poculum cum ueneno mixto adornauit, & vnicuiq́ue bibendum pro sanitate Regis obtulit. Egresfi illi à Rege, maxima corrosione ex ueneno hausto excruciati, omnes pariter expirauerunt. Regina autem cum lætitia dixit: Deos in eos quod malum Regi Domino suo machinati fuerint, iustè animaduertisse. Ideò cadauera eorum inhumata quasi perfidorum, in lacum Goplo reginæ iussu, proiecta sunt. Statimq́ue Deus iustus uindex & ultor nefandi homicidij, murum uim

Astuta simulatio infirmitatis.
Grāde, turpeq; facinus.
Mira, iustaq; uindicta diuina.

uim numerosam, dictuq; horrendam, ex illis cadaueribus mira quadam metamorphosi, excitauit, quæ Regem in arce lautè conuiuantē, vxoremq; & filios eius cum terribili strepitu vndiq; inuaserunt: & neq; armis, neq; igne, se arceri passæ sunt. Rex metu inauditi inusitatiq; periculi perturbatus, in arcem quæ est huc usq; in lacu Goplo, iuxta Crusphiciā oppidum, cum uxore & filijs profugit: mures verò adhuc plures terram & aquas cooperientes, cum horridis sibilis eum persequebantur: Nautæ præsens præ oculis exitium uidentes, timentes ne in medio lacus nauem corroderent, ad ripam otius appropinquantes, aufugerunt. Popilius quoq; in turrim natura loci munitam, & aquis oportunè circūfluam cum suis se recepit: ubi cum uxore & liberis à muribus corrosus, consumptusq; est, ut ne monumentum quidem eorum relictum fuerit.

Ex cadaueribus mures.

Popelus à muribus cum uxore & liberis corroditur.

PYASTVS CRVSPHICENSIS.

ANno incarnationis Diuinæ 842. Popilio secundo à muribus portentosè absumpto, multæ controuersiæ in Crusphiciensi conuentu de electione Principis exortæ sunt. Erat autem tunc temporis in Crusphicia Pyastus quidam uir simplex, uirtute tamen & pietate præstans. Huic eodem conuentus tempore filius natus est, cui ad nomen solenniter gentili ritu imponendum, melis mulsati duo uasa præparauit, propter conuiuas tractandos, porcumquè mactauit. Interdum aiunt ad eum duos uiros ignotos uenisse peregrino habitu (quos Paulum & Ioannem Martyres Romanos ferūt esse:) Hi in palatium vbi electio celebrabatur non sunt admissi, à Pyasto uerò humaniter hospitio excepti fuere, infantemquè natum gentili more subraserunt, nomenquè ei Semouiti imposuerunt, & tandem discesserunt. Tunc temporis autem in Crusphicia ob magnum confluxum populi ad Comitia Electionis plurimi commeatus, pabuliquè penuria laborantes, ad Pyastum ut sibi aliquid pro victu venderet, veniebant, qui singulis gratis necessaria suppeditabat, quantum cuique opus fuerat, carnis autem Suillæ & mellis, panisquè copia, apud eum non deficiebat: nam incrementa omnium rerum à Deo copiosissimo largitore & remuneratore illi procedebant. Omnes igitur manum Diuinam cum Pyasto esse uidentes, communibus suffragijs & uocibus, Monarcham eum salutant, Regnumq; oblatum quamuis agresti familia natus, strenuè cum summa fortitudine, & dexteritate uiginti annis gubernauit. Postea 120. annis ætatis suæ exactis, relicto filio Semouito, extremum diem clausit. Ex huius sanguine Duces, Regesq; Polonorū ad Ludouicum Hungarum usq; genus duxerunt.

Hospitalitas larga remuneratur.

Pyastus Ruricola regni fasces obtinet.

SEMOVITVS.

ANno humanæ redemptionis 895. Semouitus patri gentili ritu iustis persolutis ad regni fasces euehitur. Hic insigni prudentia, fortitudineq;, & prouidentia, populum sibi commissum regebat, omnesquè hostes à finibus Imperij sui sæpissimè fugabat, Hungaros, Bohemos, Cassubios, Pomeranosquè ad tributum sibi pendendum compulit, multisq; præclaris gestis editis, quatuor in regno duntaxat annis exactis. Patria in pace relicta, immatura morte peremptus est, relicto filio Lescone quarto.

Virtus Semouiti.

LESCO QVARTVS.

ANno uirginei partus 902. Lesco quartus patri Semouito iuuenili ætate, in principatu successit, sub tutoribusq; ad annos cōpetentes erat. Postea Imperium à patre pacificatū relictū, in pace à nemine lacessitus regebat, patrijs & auitis uirtutibus correspondens, relictoq; filio Semomislao immatura ætate è uiuis decessit.

SEMOMISLBVS.

ANno à Christo nato 921. Semomislaus patre è uiuis decedēte regni habenis præficit. Hic etiā ex auitis morib. minimè degenerauit, filiū uix in senectute & ipsum cæcum obtinuit, cumq; in Gneznam Primates & Equites regni ad subradendū nomēq; imponendū filio gentili ritu cōuocaret, Miesconē eum appellârunt. Postea cōuiuio indulgentib. in primo mēse accubitu, nunciatū est patri, filiū cęcū uisum recepisse, omnibusq; cōuiuis attonitis, cū claris aptisq; oculis infans affertur. Cumq; Rex ab ariolis sciscitaretur quid hoc sibi uelit? responderūt, sicut hic infans gratia Deorū est illuminatus, sic per eum Polonia in breui illuminabitur, quod & factum est. Tandem Semomislaus finibus Imperij in pace relictis uitam cum morte transmutauit.

Semomislao filius cæcus nascitur, qui postea illuminatur figuram illuminandæ Poloniæ per Euangelium præsagiens.

MIESCO

MIESCO PRIMVS.

ANno Domini 962. Miesco qui erat cæcus natu, patri ex more funebribus exequijs peractis. communi omnium acclamatione in Monarcham Poloniæ eligitur. Hic concubinas septem habuit, nullam tamen ex illis fœcundauit, quamobrem maximo mœrore discruciabatur. Quapropter frequenter à quibusdam Christianis solicitabatur, ut Christo cum sua gente nomina daret, si uellt charam sobolem à Deo obtinere. Christianorum itaq; persuasionibus adductus, Procos ad Regem Bohemiæ Boleslaum, qui fratrem germanum diuum Venceslaum nepharie occiderat destinauit, matrimonium filiæ eius expetens, cui rei Boleslaus libenter annuit, hac conditione si sacrum Baptisma cum suis susciperet. Miesco itaq; cum uniuersa gente sua alacriter Baptisatus est Anno Domini 965. Miesconisq; priori nomine immutato, Mieczslaus appellatus est, quasi gladio nomen acquirens clarum. Mandauitq; confestim omnibus & singulis suo imperio subiacentibus, die septima Martij, idola omnia uanorum Deorum comminuere, demolire, igneq; consumere. Nam antea quaslibet uanas creaturas Solem, Lunam, Auram, quam Pogvvisd appellabant, cultu diuino prosequebantur. Præterea Iouem quem illi Iessam, Plutonem quem Lacton, siue Lactonem, Cererẽ quam Niam, cuius templum Gneznę celeberrimum erat, Venerem quam Marzanam, & Dianam quam Zieuoniam gentili lingua appellabant, Lelum quoque & Poletum Romanis Castorem & Polucem appellatos, pro dijs colebant. Et adhuc in compotationibus illa gens nomine eorum utitur. Lelum Poletum uociferantes. Solebant autem uiri, mulieres, iuuenes, & senes horum Deorum diebus festis ad lusus & choreas pariter conuenire, maximè uerò 25. die Maij, & 25. Iunij. Quam congregationem populi Stado, id est, agmen appellabant, quod adhuc apud Ruthenos & Lithuanos passim in uillis obseruari uidetur. Post dominicam enim conductus Paschæ ad Diui usq; Ioannis Baptistæ festum mulieres & uirgines diebus festis ad choreas turmatim conuenire solent. Ladonemq; canentes, & Lado Lado frequẽtius ingeminatis, manib. cõplaudẽtes in gyrum choreas ducunt. In Silesia quoq; confini Poloniæ 17. die Martij quo uidelicet tempore hæc idola demolita sunt, pueri in uilis & oppidis ex more recepto simulachrũ quoddam ad similitudinem mulieris conficiunt, oppidoq; turmatim egressi quandam cantionem ingeminantes simulachrum illud de Ponte in flumen præcipitant. Expurgata itaq; ab idolis Polonia Mieczslaus Princeps, ad euidentius signum Christianitatis instituit, ut infra officium Missæ dum Euangelium prælegeretur, singuli uirorum ad medium gladij è uaginis depromerent, quo se testarentur propter Euangeliũ Christi ad mortem usq; decertare paratos esse. Multas Ecclesias, parœcias & Episcopatus fundauit, copiosisq; prouentibus ditauit. Ex uxore Bohema Dambrovvka dicta, filium Boleslaum Chabri suscepit, quæ post partum paulò post decessit, Gneznæ sepulta est, alteram uero Mieczslaus in matrimonium accepit, Iuditham filiam Iessæ Principis Hungarorum, quæ ei filium Mieczslaũ genuit. Tandem multis Christianitatis monumentis in Polonia relictis è uiuis fœliciter migrauit. Destinauerat quoque legatos ad summum Pontificem Benedictum, Diadema Regium ab eo postulans, quod illi denegatum est, suspicabantur enim nondum eum perfectum Christianum esse.

Poloni fidem Christi amplexantur.

Idola demoliuntur.

Ritus Religionis gentilis Polonorum.

Mos Polonorũ antiquus infra lectionẽ Euangelij.

BOLESLAVS CHABRI, PRIMVS REX POLONIAE.

ANno à Christo nato 999. Boleslaus huius nominis primus ab Heroicis gestis Chabri appellatus, Mieczslai filius natu primus, cõmuni omniũ acclamatione in fasces Regni euehitur. Corpus diui Alberti Episcopi Pragensis, ex Prussia in Gneznam magno cũ labore honorificè transtulit, quẽ gentiles Pruthenì, iuxta Sauũ fluuiũ prope oppidum maritimũ Fischaus, salutifera pabula animæ ferentẽ, crudeliter occiderũt, ad cuius busta Gneznæ plurima miracula, uirtute diuina edita sunt. Eodẽ tẽpore Otto tertius, Romanorum Imperator, acerba infirmitate præssus, iamq; animam agens, audiens tanta miracula ad sepulchrum diui Alberti in Polonia fieri, uoto uouit se busta illius, si de infirmitate leuaretur, accessurum, atque statim post uotum promissum, sanitatem integram diuina benignitate recepit. Cumq; uota persoluturus religiosis Imperator ad Poznaniam urbem maioris Poloniæ appropinquaret, Boleslaus splendido equitatu nobilium & magnatum Poloniæ cinctus, obuiam ei processit, honoremq; ut Cæsari hospiti exhibens, uarij coloris pannos præciosos, sericeos quoque, & id genus alios in uia per septẽ milliaria Polonica, à Poznania in Gneznã usq; sternere fecit, & ultro citroq;

Diui Alberti corpus è Prussia in Gneznã transfertur.

Otto Imperator ex uoto diuo Alberto facto sanatur.

Otto Imperator in Poloniã uenit.

citroq; data salute, illa insigniter strata uia vterque manibus iunctis, multa inter se conferentes, pedestri itinere ad Gneznam usque peruenerunt. Ingressus itaque deuotus Imperator limina templi, pronus prouolutus ad sepulchrum diui Alberti, ardenti corde Deo omnipotenti, quod mirabilis sit in sanctis suis, gratias agit, uotoq; persoluit. Tandem honorificētisime, sumptuosissimeq; per aliquot dies, à Boleslao tractatus, multisq; & splendidis muneribus ab eo donatus est, quibus hospitalitatis officijs Otto in se exhibitis consideratis, Boleslaum eodem in templo Gneznæ Imperiali diademate solenniter coronauit, eumq; Regem Poloniæ declarauit, & in æternum authoritate Imperiali confirmauit, ab omnibusq; tributis & obsequijs Romanis Imperatoribus pendendis, posteros eius omnes in Regno sibi succedentes immunes fecit. Deinde in digressu quo euidentius uinculum societatis inter se conciperent, Otto Imperator Boleslao nouo Regi lanceam Sancti Mauricij, clauumq; de cruce Christi donauit. Boleslaus vero uicissim illi brachiū Sancti Adalberti pro munere hospitalitatis dedit, quod Romæ in templo diui Bartholomæi Imperator posuit. Insuper uinculo consanguinitatis sibi iuncti sunt. Otto enim neptē suā, filiam Palatini Rheni nomine Rischam, in matrimonium locauit. Tandem Imperatorem ad sua reuertentem Boleslaus cum insigni pompa, splendidoq; equitum & magnatū Poloniæ agmine, ad terminos usq; Regni sui honorificè deduxit.

Boleslaus Cæsar splendidè & lautè honorem exhibet.

Otto Boleslaū Poloniæ Regē creat, suoq; Diademate coronat.

Hic primus Rex Poloniæ omnia, summa cum prouidentia & fortitudine administrauit, supra modumq; bellicosus extitit. Marte enim fœlici omnes finitimos hostes frequenter strauit. Regnaq; eorum sæpius, nullo repugnante, peruastauit, Bohemiæ Regem Boleslaum cum innumeroso exercitu fudit, Regnumq; eius, nullo repugnāte infestis armis uastauit, & ipsum captum execare fecit. Iaroslaum quoq; Ducem præcipuum Rusiæ validissimo exercitu fretum insidiosè, contra se procedentem memorabili, cruentaq; clade, prostrauit, Kiouiam urbem Rusiæ Metropolim cœpit, indeq; thesauros ingentes asportauit, & omnes principes Rusiæ tributarios sibi effecit. Prutenos, Saxones, Cassubiosq;, & Pomeranos debellauit, cum Ruthenis ad fluuium usq; Tyram, & Boristhenem fines suos posuit, cum Prutenis, Cassubijsq;, & Saxonibus ad fluuium Albim, usque ad mare Germanicum siue Balticum Imperij sui terminos constituit, Herculemq; imitatus, ad perpetuam rei memoriam columnas æreas illic collocauit. Sicq; Imperio suo amplissimè dilatato delicto Miescone filio è uiuis decessit.

Boleslaus, Bohemos, Russos, Prutenos & Pomeranos sternit.

Boleslaus fines Imperij sui prolatat.

MIESCO SECVNDVS.

ANno virginei partus 1025. Miesco secundus, patre defuncto, ad Regni habenas moderandas euehitur. Hic ex moribus patrijs degenerat: postpositisque negocijs reipublicæ coniugis consilio utebatur, & Imperium à patre amplissimum relictum, suis libidinibus diminuit, debilitauit, laboresq; patrios perdidit. Tandem ab omnib. spretus: infirmitate correptus, relicto Cazimiro filio, è uiuis decessit.

Miesco degenerat.

Mortuo igitur Miescone, multæ controuersiæ circa electionem principis exortæ sunt. Quidam enim ad Cazimirum filium eius sceptra deferenda uolebant: cæteri uerò timentes ne mores paternos peruersos sequeretur, huic sententiæ acerrimè repugnabant. Tandem Regina Miesconis Regis relicta, uidens se à Polonis spretam, ad fratrem Cæsarem in Saxoniam accepto Cazimiro filio, Coronaq; Regni & ingentibus thesauris Regalibus sublatis: profecta est. Interim filium Cazimirū studendi gratia Parisios misit: ubi tandem in Monasteriū Cluniacense ingressus, Sacris initiatus est. Poloni verò multis annis hærede legitimo orbati, cum sui & Reipublicæ ingenti detrimēto, in Gallia eum quærere coacti sunt: qui eis multis de causis denegabatur ab Abbate Monasterij. Tandem uix magno cum labore impensisq; Polonorū, per Benedictū nonum Pontificē à professione absolutus est, pœnitētia Polonis indicta, pro eo quod Dn̄m suū, hæredēq; legitimū expulerint, ut ab una quaq; persona quotannis obulum unū Romano Pontifici penderent, quod uocatur debitum Sancti Petri. Item ut singuli uiri crines supra aures tonderent. Deinde ut præcipuis festis diebus linteo albo pro cingulo uterentur.

Regina cum filio Cazimiro exulat.

Debitum S. Petri.

CAZIMIRVS PRIMVS.

ANno Dn̄i 1041. CAZIMIRVS huius nominis primus, è Monasterio acceptus, Miesconis secūdi filius, tertius Rex Poloniæ, Gneznæ cōmuni omniū applausu sacro Diademate coronat̄. Hic primū in latrones, deprædatoresq; qui tūc tēporis in Regno passim latrocinabant̄ animaduertit. Demū Regiōes tributarias à

Regno

Casimirus Maslaum cum Prutenis bello uicit. Regno deficientes ad iugum pristinum redegit. Maslaum Ducem Masouiæ bello furentem intestino, cum Prutenis & Piecingis conspirantem, ad Vistulam fluuiũ cruento prælio prostrauit, iuxta Ploczko ciuitatem. Tandem Maslaus exercitum coëgit: sed iterum à Cazimiro funditus fusus, desperatis suis rebus ad Prutenos profugit, ubi uarijs tormentis examinatus laqueo uitam finiuit. *Masouiæ denominatio.* Ab hoc Maslao Masouia appellata est. Postea Cazimirus pacato undique Regno, relictisqúe tribus filijs, Boleslao, Vuladislao, Miescone, & filia Suuatochna, extremum diem fœliciter clausit. Monasterium in Tyniec eius Regulæ quam ipsæ olim profitebatur, regalibus, sumptuosissimisq; immunitatibus & bonis opimis fundatum dotauit.

BOLESLAVS AVDAX.

ANno salutiferi uirginei partus 1068. Cazimiro Boleslaus filius ab heroico animo Audax appellatus, communibus omnium suffragijs, Rex declaratur. Huic statim Vvratislaus Bohemiæ Rex bellum indixit: infestisq; armis in Silesiam uastaturus excurrit. Boleslaus re comperta, armato milite cinctus, celeriter contra eum contendit: cuius aduentu Vvratislaus perterritus, relictis castris terga pudenda dedit. *Boleslaus Bohemiam uastat.* Boleslaus uerò eum in meditullium Bohemiæ persequens, eam vndiq; peruastauit: spolijsq; multimodis onustus, ad sua nullo repugnante reuersus est.

Postea Anno sequenti, Boleslaus ualidioribus copijs coactis, Morauiam, Bohemiãq; *Iterum Bohemiam infestat.* iterum infestis armis peruastauit: donec cum Vvratislaus Bohemiæ Rex, maius periculũ timens recõciliauit. Perdomitis igitur ab una parte Bohemis, & Morauis, à Prutenis tandem & Pomeranis infestatur: *Pruteni cũ Pomeranis uicti uectigales Boleslao fiunt.* quos Boleslaus ad fluuium Ossa undique circumuentos, ad internecionem prostrauit, & deleuit: Pomeraniamq;, & plurimas munitiones Prussiæ ditioni suæ subegit: & ipsos Prutenos sub iugum cõpulit, Anno Dñi 1059. Intereà Bela hæres Regni Hungariæ, ad Boleslaum exulans profugit: auxilium contra fratrem Andreã (à quo Regno pulsus erat) implorans. *Boleslaus in Hungaria triumphat.* Boleslaus itaq; infestis armis in Hungariam cum Bela contendit: Henriciq; Imperatoris copias, Bohemosq; & Teutones, partes Andreæ defendentes profligauit: ubi & ipse Andreas Rex interemptus est. Sicq; Bela auxilio Boleslai ad Regnum peruenit. Boleslaus uerò Rex in Poloniam reuersus, unicam hæredem Ducum Russiæ, Viseslauam nomine, in matrimonium accepit: iureq; dotis Ducatus quosdã Russiæ acquisiuit. *Russiam uexat Kiouiamq; capit.* Kiouiam quoq; Metropolim Russiæ ui cœpit, ubi hybernũ tẽpus transegit, uniuersamq; Russiam terrore suo cõpleuit, & cõcussit, adeò ut cõplures duces (parum se tutos in Russia putãtes) fugam in Græciam adornauerint, ciuitates oẽs oppidaq; & munitiones plurimæ, ultrò se ei dediderunt. Postea Præmisliam ciuitatem celebrem, unam ex Ducatibus Russiæ expugnauit, & exussit, *Præmislia dedita.* sed arcem propter exundationem fluuiorũ, capere non potuit: quæ ei postea certis sub cõditionibus dedita est. Tandem in Hungariam cum exercitu profectus, inimicitias inter Belæ heredes, & Salomonẽ *Hungariam petit.* Hungariæ Regem cõposuit: exindè rectà in Russiam reuersus, Volodimiriã & Chelmiã ciuitates cum suis prouincijs occupauit: postea totũ Ducatum Volhiniæ cœpit. *Volhiniã expugnat.* Inderectã in Kiouiam exercitum duxit, ubi Svvatoslaum Principem Russiæ cum ingentib. copijs sibi insidiantem cruento prælio profligauit, fugauitq;, *Svvatoslaum fugat, fuditq;.* ac omnes uires Russorũ prorsus debilitauit, multumq; temporis in Kiouia transegit; ubi in delicias, libidinesq; uenereos, & cætera uitia prolapsus est. Postea septennio in castris exacto in Poloniam reuersus, *Episcopũ Cracouiæ Diuum Stanislaum occidit.* Diuum Stanislaum Episcopum Cracouiensem occidit, membratimq; dissecare fecit: cuius postea corpus Diuina prouidentia insimul compactum, coactumq;, & honorificè sepultum, multis miraculis claret, prout latius in Polonorum Chronicis patet. Conscius itaq; Boleslaus perpetrati facinoris pœnitentia adactus, cum filio Mieczslao Regno relicto in ignotas regiones profectus est: *Boleslaus exulat uoluntariè.* ubi in habitu peregrino uitam clausit. Filius uerò Mieczslaus postea in patriam reuersus est.

VVLADISLAVS HERMANNVS.

ANno à Christo nato 1082. Vvladislaus Hermannus fratri Boleslao in Regno successit. Hic ex Iudita Vvratislai Regis Bohemorum filia, filium Boleslaum tertium suscepit, Krzivvousti ab ore recuruo appellatum. Ex secunda uerò vxore, Henrici 4. Romanorum Imperatoris filia, tres filias produxit: multas Ecclesias, Monasteriaq; construxit & ditauit. *Prussos Hermannus & Pomeranos domuit.* Prussos, Pomeranosq; rebelles cruento prælio penes fluuium Drvvancza profligauit, ad deditionemq; coëgit. Intereà Bratislaus, Bohemorum Princeps uidens Regem bello in Prussia occupatum, magna damna

Poloniæ

Poloniæ intulit. Rex itaque Siecziechum Palatinum Cracouiensem cum filio suo Boleslao nouem annos habente, cōtra hostes destinauit, quos una cum principe Bratislao strenuè fuderunt: & Morauiam undique ferro, & igne uastantes peragrarunt: spolijsq; multis onusti, in pace ad Regem reuersi sunt. Tandem nunciatum est Hermāno regi, Pomeranos fœdifragos Miedzirzecze arcem munitissimam in finibus Saxoniæ intercepisse. Boleslaus igitur duodecim annorum iuuenis patrem obnixè cum lachrymis solicitat, ut sibi copias propter recuperandam arcem committeret, cuius audaciæ, prouidentiæ, animositatiq; Rex admirans, legionē unam cum certis rectoribus illi commisit: cætero exercitui Siecziechum Palatinum Cracouiensem præfecit. Arcem itaque obsessam fortiter oppugnarunt: sed quia in loco natura munitissimo sita erat: ideò incassum laborabant. Qua de causa Dux exercitus obsidionem soluere suadebat: sed Boleslaus Regius filius à proposito eum retraxit, & militibus confirmatis domos & tuguriola circa arcem, hyemis tempore imminente, erigere iussit, ut uideretur arcem se per hyemem oppugnare uelle. Qua re conspecta, Pomerani obsessi ad Boleslaum cum muneribus supplices ueniunt, se & sua ei offerentes. Quos ille liberos dimittens, arcem recuperat: prudentiaq; sua omnia damna à Pomeranis illata resarcijt: ad patremq; ingenti cùm præda, ouans reuertitur. Postea Hermānus senio confectus, multis fortibus, præclarisq; gestis exactis, uitam cum morte fœliciter commutauit.

Bohemia à Polonis uastatur.
Miedzirzecze intercepta.
Astutia oppugnationis.
Miedzirzecze à Polonis recuperatur prudētia Boleslai.

BOLESLAVS KRZIVOVSTI.

ANno Domini 1103. Boleslaus Krziuousti ab ore recuruo siue retorto (quod ex morbo contraxerat) appellatus, patre è uiuis sublato, communi omnium applausu: Regni habenis præficitur. Hunc Zbigneuius Monachus, frater illegitimus sceptra sibi inuidens, in primis lacessiuit: Boriuoiumq; Bohemiæ Regem, & Suatopolkum Ducem Morauiæ, contra eum commouit: quos Boleslaus egregiè per Zelislaum Ducem exercitus sui profligauit. Anno deinde sequenti ualidioribus copijs coactis, in Morauiam excurrit: quam nullo repugnante, ferro, & igne, peruastauit. Tertiò Boleslaus exercitum in Bohemiam & Morauiam duxit: dumq; agrum hostilem undiq; armis & flamma peragraret, Bohemi ex insidijs in loco arctissimo in eum impressionem fecerunt. Rex uerò strenui militis & Imperatoris officium agens, unum ex hostibus primus gladio interemit. Dersniak quoque Eques Polonus, secundum hasta transfixit. Cæteri Poloni animosiores effecti, Bohemos fugientes insigni clade profligārunt. Tandem Boleslaus Pomeraniam armato milite aggressus, eam undique peruastauit: plurimisq; oppidis & munitionibus occupatis, spolijs onustus, ad suos reuersus est. Accidit autē dùm, post hanc insignem uictoriam, in festo dedicationis templi apud quendam nobilem conuiuium celebrāret, recreationis gratia, centum duntaxat equitibus cinctus, uenatum processit: ubi in tria millia Pomeranorum insidiantium incidit, in quos ipse Rex ueluti Leo rugiens, primam impressionem fecit: tribusq; interfectis, suos animosiores reddidit. Quidam uerò Pomeranus in ipsum regem collimans, equum sub eo transfixit: attamen à persequendis hostibus equo altero nacto, haud destitit: donec multo cum labore à tanta obstinata audacia uix retractus fuerit: uictorq; ad suos conuiuantes, profligatis hostibus redijt. Interea Boriuogius Rex Bohemiæ exulans ad eum uenit, auxilium contra Svvatopolkum nepotem suum implorans, quem Boleslaus in Regnum reduxit, Bohemiamq; peruastauit. Tandem in Pomeraniā expeditionem adornauit, qua undiq; peruastata, Bielgradum arcem munitissimam cum ciuitate, & multitudine Pomeranorum, expugnauit: cæteræ autem ciuitates & munitiones, utpotè Camenecia, Golimberg, Vielim, Czarnkouia, libenter sese ei dedidērūt. Postea Boleslaus irritatus Bohemiam deuastauit: Zbigneuiumq; & Gueuonirum Pomeraniæ Duces rebelles, & fœdifragos, fudit, cœpitq;.

Zbigneuius Monachus.
Zelislaus Bohemos, Morauosq; profligauit.
Boleslaus Morauiam Bohemiamq; uastat.
Bohemi profligantur.
Pomerania uastatur à Boleslao.
Boleslaus strenuè dimicat.
Bohemus auxiliū impetrat.
Expeditio Boleslai in Pomeraniam.

Henricus 4. Romanorum Imperator, Boleslao ob damna Bohemis sæpissimè illata infensus, coniunctis uiribus cum Svvatopolko Rege Bohemiæ, ualidissimas copias contra eum in Silesiam duxit, Lubusaq; ciuitate expugnata, Glogouiam urbem Glogouiensis Ducatus sedem, acerrimè frustrà tamen oppugnauit: magna & crudeli strage in militibus accepta. Boleslaus quoque ualida Polonorum manu stipatus, cōtra Imperatorem & Bohemos processit: & in exercitu suo proclamari fecit, ut quicunq; se talem uirum præbuerit, qui Svvatopolkum Bohemię Regem occiderit, ille dono insigni in sempiternum cum posteris suis remuneraretur. Vnus igitur Bohemus in Castris Polonicis militans conditionem datam accepit, exploratàq; habens Castra Bohemorum ad tentorium usque

Henricus 4. Cæsar in Boleslaū arma extollit.
Boleslaus repugnat.
Cōditiones dantur à Boleslao, Qui Bohemiæ Regem occiderit.

Bohemiæ Rex occiditur. *Arma Oxa.*

Regium peruenit, & horribiliter in uocem prorupit dicens, Fuge, fuge ô Rex. Multitudo enim Polonorum nos undiq; inuasit, Regem itaq; ex tentorio prosilientem lancea transfixit, & ad Polonos frustra insecutus aufugit, ac munera promissa, Stemmaq; Oxa dictum Securim uidelicet accepit, & in magnam familiam Poloniæ excreuit. Henricus tamen Imperator magna damna Polonis in Silesia exercuit, quẽ cum Boleslaus ad amicitiam iustis conditionibus perducere non posset, armato Polonorum milite accinctus, in aurora impetum in Cæsarianos fecit, distantia unius miliaris à Vratislauia urbe Silesiæ, sicq; ad uesperam usq; acriter decertabant. Boleslaus autem cum fortiori agmine Polonorum & Silesianorum in acies Cæsarianas à latere irruit, totumq; exercitum dispersit, fugauit & ad internitionem prostrauit, ut ipse Imperator fuga sibi consulens uno duntaxat seruo commitatus uix euaserit. Poloni uerò spolijs, exuuijsq; occisorum ditati uictoriæ palmam obtinuerunt, adhuc locus in quo conflictus erat Polonicè, Psie pole, id est, caninus campus appellatur: nam illic multitudo canum ad cadauera humana confluxerat, ut multo tempore uix prætereuntes tuti transire posśint. Tandem anno sequenti Henricus Imperator expeditionem Romam uersus obuiam summo Pontifici adornabat, timensq; ne Boleslaus se absente prouincias suas uastaret, legatos ad eum destinauit, rogans eum sub certis conditionibus habita dignitate Imperatorio, ut ad se Bambergum ueniret, promittens illum huius conditionis nequaquam pœnituisse. Vbi Boleslaus ueniens Imperatori omnia obsequia ad quæ præstanda attrahebatur, in perpetuum renunciauit, abdixitq; & consanguinitatis uinculo (ut fit inter pacificantes Principes) sibi iuncti sunt. Boleslaus enim sororem Imperatoris Adehleydam nomine Vuladislaus uerò filius eius Christinam filiam eiusdem Imperatoris in matrimonium accepit, sicq; pace composita captiuos utrinq; restituerunt.

Acre & memorabile certamen Boleslai cum Henrico Cæsare. *Henricus Cæsar funditur & fugatur.* *Psie pole. Poloni triumphant.* *Henricus cum Boleslao amicitiam inire optat.*

Anno deinde Christi 1113. Pomerani & Pruteni postposito iuramento inopinatè in Masouiæ Ducatum excurrerunt, Regionemq; totam infestis armis peruastauerunt, sed eius oræ præfectus hostes cum spolijs reuertentes inopinatè aggressus, omnes trucidauit & spolia abegit. Hac perfidia Pomeranorum Boleslaus exacerbatus, instructis copijs cõtra eos processit, Nakloq; arcem in qua erant 10000. Pomeranorum graui obsidione cinxit, sed obsessi ad quindecim dies inducias impetrauerunt, hac conditione ut si intra concessum tempus nullum auxilium à suis haberent. Intereà uerò nunciatur Boleslao, Pomeranorum & Prutenorum quinquaginta millia in subsidium obsessis clãculum per syluas aduentare. Quorum castra Boleslaus explorata habens, à fronte & à tergo in eos impetum fecit, omnesq; inopinatos funditùs prostrauit, quorum 4000. cæsa sunt, cæteri capti & fugati. Naklocenses uerò se & arcem cum ciuitatibus Regni ultrò dediderunt. Postea Pomerani cum Prutenis uires magnas insimul coniunxerunt, omnes tamen à Boleslao uelut à leone fortissimo iugulati, Princepsq; eorum perpetuis carceribus mãcipatus est. Rex itaq; rebus in Pomerania & Prussia rectè constitutis, expeditionem in Daniam Regionem transmarinam nauali classe adornauit, Anno Domini 1124. unde thesauros ingentes abstulit, regnum uerò ultro oblatum respuit, & thesaurariũ Regni Danici cum tota familia in Poloniam transtulit, cuius posteri hucusq; in Polonia, & Prussia celebres restant. Duniniq; à Dania uocantur. Boleslaũ itaq; è Dania in Poloniam reuertentem principes Russiæ seditiosi bello appetierunt, & quo magis eum irritarẽt, Principem Haliciensem consanguineum Regis expulerunt. Quos Boleslaus egregiè ultus est, Præmisliensemq; Ducem cum ingenti exercitu prostrauit, ubi tres Duces Russiæ in conflictu occubuerunt. Postea Iaropolhi Ducis Kiouiæ consilio astuto omnes Principes Russiæ aduersus Boleslaum Regem conspirauerunt, utq; eum facilius sub prætextu amicitiæ obruere possent. Legatos ad eum destinauerũt, obstringẽtes se omnes tributarios, ac subditos Poloniæ Regno fore, utq; Ducem Haliciensem in locum pristinum reduceret optabant. Rex igitur nihil mali suspicans expeditionem in Russiam paruis copijs cinctus adornauit, cumq; ad Haliciam ciuitatem appropinquaret, ecce Principes Russiæ cum auxiliarijs copijs Hungarorum, quasi congratulantes ei ex insidijs eruperunt, Regemq; undiquaq; circundederunt. Rex autem astutiam Ruthenorum considerans, milites suos qui pauci erant, ad resistendum hosti fœdifrago fœcunda oratione confirmauit. Sed Palatinus Cracouiensis admonitione regia minimè motus cum præcipua ala equitum, cui præfectus erat, inter primum tumultum aufugit. Rex uerò rem aliter non posse fieri uidens, strenui militis & Imperatoris officium agens, primo cum suæ aulæ equitatu Hungaros aggressus est, quos strenuè repræsit & prostrauit, uiribusq; resumptis cum ualidis Ruthenorum copijs

Pruteni & Pomerani fœdifragi trucidãtur. *Naklo obsidetur.* *Pomerani uincuntur.* *Iterum Pomerani sternuntur.* *Boleslaus in Daniam nauigat.* *Ruteni in Boleslaum concitantur.* *Insidiæ Boleslao parantur.* *Boleslaus circumuenitur.* *Palatinus fugit cõflictum.* *Boleslaus strenuè sese defendit.*

copijs manus acriter conseruit, iamq; Ruthenorum acies inclinabantur, dum recentes legiones auxiliares ualidiores. Polonos undiq; circundederunt, uiresq; eorum perfregerũt, equus sub Rege ipso confossus ut intestina ex eo profluxerint, alium tamen Eques ei suppeditauit, sicq; uix à suis ad fugiendum compulsus illęsus euasit. Quapropter mœstus animo angebatur, non tam Ruthenorum fœdifragorum insidias, sed Palatini Cracouiensis perfidiam turpissimam execrans, cui pelliceum Leporinum, & colum instrumentum quo mulieres fuso fila ducunt, liniq; fasciculum, & cordam misit, indicans eum Lepori in fugiendo similem esse, & quod indignus sit uir, sed mulier haberi: resq; muliebres & non uiriles potius tractare, suspendiq; dignum. Palatinus itaq; ille, in desperatione adactus, in campanili oratorij sui fune campanæ sese suspendit, cuius nomen propter posterorum dedecorem in Chronicis reticetur, ab hocq; tempore Castellanus Cracouiensis, Palatinum autoritate dignitateq; antecellit. Boleslaus autem quotidiè aduersam fortunam execrando tristitia consumptus, sumptis Sacrosanctis Sacramentis extremum diem clausit, annos ætatis suæ 54. Regno 36. annos præfuit, in Ecclesia Cathedrali Plocensi sepultus. Porrò nullus Rex Poloniæ ad hæc usq; tempora illo fœlicior bellicosiorq; extitit. Omnes enim Reges & Monarchæ finitimi undiq; in eum irruebant: ille uerò eos strenuè casu non uariante fidem propugnabat, & Regna eorum secundum arbitrium suum militis strenui & Imperatoris mœnia obiens peragrabat. Conflictus cum hostibus principales & memorabiles ac publicos 47. commisit, exceptis congressibus excursionibusq; paruis, qui sæpissimè eueniebant, excepto quoq; hoc ultimo certamine, quod cum eo Rutheni astutè commiserant, ex quo ille non secus atq; ille Hector Troianus, Hannibalq; Carthaginensis suo Marte sese strenuè defendẽs, aciesq; hostium instructas fortitudine, dispergens euasit. Adhuc uitæ superstes filijs suis Imperium disposuit, Vuladislao natu maiori Cracouiensem, Siradiensem, Silesiæq; & Pomeraniæ Ducatus legauit. Boleslao Crispo Masouiam, Dobriniã Cuiauiãq; Mieslao Gnesnẽsem, Posnaniensem, Calisiensemq;. Henrico uerò Lublinensem, Casimiriensemq; tractum testamento ordinauit. Casimiro autem omnium iuniori quicquã reliquit. Admonentibusq; se de eius sorte Senatoribus, respondit: An ignoratis, inquit, quod in curru quatuor rotæ currentes necesse habent, ut aliquis eis insideret, quod & factum est, ut inferius dicetur.

Donum Palati no profugo à Boleslao di gnum mittitur.

Castellanus Palatino Cracouiensi dignior titulo.

47. conflictus Boleslaus uictor habijt.

VVLADISLAVS SECVNDVS.

ANno Domini 1140. Vvladislaus secundus, Boleslao patri in Regno successit. Hic ex moribus patrijs degenerauit: uxorisq; impulsu sorte sua non contentus, fratres suos Ducatibus exuendos proposuit, eosq; bello appetijt, auxiliaribus copijs à principe Russiæ acceptis. Henricus itaq;, Boleslaus & Crispus, cum Mieczlao in arcem Posnaniensem fratris metu sese receperunt: quos Vvladislaus oblitus fraternæ charitatis, grauiter obsedit. Iamq; obsessi penuria uictus coacti, deditionem moliebantur: sed ueteranorum militum persuasione confirmati, aleam belli tentare proposuerunt: nactaq; occasione, cum hostes choreis temulenti indulgerent, intempesta nocte ex arce cum ingenti uociferatione unusquisq; facem accensam manibus gestando eruperunt: castraq; hostium incenderunt: & ipsos hostes ferro protriuerunt. Vvladislaus uix turpi fuga elapsus est: quem fratres uictores Cracouiam usq; insequuti sunt. Sed postea in Germaniam ad cognatos uxoris suæ aufugit: quem postea uxor cum filijs secuta est. Sicq; proprio uiuere non contentus, alienis inhians, sua amisit.

Vvladislaus degener.

Vvladislaus fratres oppugnans ipse fugatur regnoq; exuitur.

BOLESLAVS QVARTVS CRISPVS.

ANno Domini 1146. Boleslaus Crispus, à capillis cõtortis dictus, fratre Vvladislao seditioso expulso, habenas regni suscepit. A' Conrado Imperatore frequenter sollicitabatur, ut aliquam regionem exulanti fratri concederet, quod ille strenuè repugnabat, qua de causa Imperator in Silesiam exercitum duxit: sed pluribus damnis à Polonis affectus, re infecta discessit. Eadem de causa cum Friderico Barbarossa Imperatore Boleslaus bella gessit. Inimicitijsq; utrinq; compositis, Vvladislaum fratrem ex Germania reuocatum, in gratiam accepit: qui postquam aduenit, in Ploczko ciuitate non sine ueneni suspicione spiritum exhalauit. Tandem anno Domini 1164. Rex cum fratribus triplici exercitu instructus, in Prussiam descendit, quam ferro & igne latè peruastauit, ad Christianismum Prutenos sollicitans, donec se baptisari spoponderent: sed

Cum Conrado Imperatore et Friderico Barbarossa belligeratur.

Vvladislaus in Poloniam reuertitur.

Pruteni à Boleslao oppugnantur.

demum baptiſmo ſpreto, contra Polonos in Maſouiam excurrerunt: contra quos denuò Boleslaus cum fratribus exercitum duxit. Intereà uerò, ad Polonos duo Pruteni, ſub prętextu exulum aſtutè defecerunt, qui ſe totius Pruſsiæ ſitum exploratiſsimè noſſe affirmabant: ideò eos Poloni, Duces belli ſibi delegerũt: qui exercitum perfidè inter denſiſsimas paluſtroſaſq; ſyluas induxerunt, ubi in palude quadã ceſpite uiridanti contecta, tanquam muſcæ in pice hæſerunt: ut nec ulterius progredi, nec retrogredi potuerint. Pruteni autem ex inſidijs prorepentes: Polonos ingenti clade affecerunt, ubi Henricus Lublinenſis, & Sendomirienſis Dux, frater Boleslai ſtrenuè dimicando occubuit. Princeps uerò Boleslaus in Poloniam reuerſus eſt. Qui poſtea multis geſtis ſtrenuè peractis, extremum diem clauſit. Anno Domini 1171. ætatis ſuæ 29. in arcis Eccleſiæ templo Cracouiæ ſepultus.

Profugi è Pruſſia fraudulẽti.

Profugis non credendum.

Poloni fuduntur.

MIECZSLAVS SIVE MIESCO TERTIVS.

ANno Domini 1174. Mieczslaus ſenex, fratri Boleslao Criſpo in Monarchia ſucceſsit. Hic rapax, crudelis, ſeueruſq; in ſubditos extitit, & tyrannidem ingentem exercuit: quapropter ab omnibus diris execrationibus maledicebatur. Epiſcopus itaq; Cracouienſis Gedeon nomine, cum cæteris Senatoribus conſilium occultè inijt, de Caſimiro in locum eius ſubſtituendo: & nacta occaſione temporis, cum Mieczslaus Rex in maiorem Poloniam diſceſsiſſet, ad Caſimirum fratrem eius iuniorem, quamuis inuitum, ſceptra detulerunt.

Mieczlaus Tyrannus Regno exuitur.

CASIMIRVS SECVNDVS IVSTVS COGNOMINATVS.

ANno ſalutiferi uirginei partus 1104. Caſimirus facinus fratris aboleuit, in comitijſq; generalibus Lancitię celebratis, omnes qui erant cauſa inteſtinæ diſſentionis dignis ſupplicijs affecit. Fratrẽ poſtea Mieczslaum in gratiam accepit, Gneſnenſemq; tractum & Poſnanienſem ei conceſsit. Tandem Pruteni & Pomerani Caſimiri regis clementia conſiderata, ultro ſe ei obtulerũt. Interea uerò Lithuaniæ ciuitas Breſtia, à Polonis defecit. Eò itaq; Rex cum exercitu profectus, ciuitatem cum arce cœpit: eoſq; qui erant cauſa defectionis, dignis ſupplicijs affecit. Inde rectà in Ruſsiã profectus, Seuoldum & Volodimirum Duces rebelles, cruento prælio fudit. Rege autem in Ruſsia militante, Mieczslaus ſenex priorẽ dignitatem affectans, Cracouia potitus eſt, arcem capere nõ potuit, ciuitate uerò ſuis præſidijs firmata, ad comparandum maiorem exercitum, profectus eſt. Caſimirus autem ex Ruſsia exercitum reducens, Cracouiam libenter intromiſſus, de ſeditionis ſeminatoribus, dignas accepit pœnas. Poſteà non oblitus cędis Henrici fratris cladiſq; Polonorum, in Pruſsiam exercitum duxit: quam undiq; armis peragrauit, Prutenoſq; & Pomeranos tributarios ſibi effecit: Cracouiamq; reuerſus, anno Domini 1194. extremum diem clauſit: non ſine ueneni ſuſpicione. Eius & cura & impenſis, corpus ſancti Floriani Roma Cracouiam allatum eſt: anno Domini 1184.

LESCO QVARTVS.

IVſtis Caſimiro perſolutis, Leſco filius eius à crinibus Albus cognominatus, ab omnibus Rex ſalutatur: Anno Domini 1194. Mieczslaus tamen ſenex, patruus eius Monarchiam regebat: pro qua poſtea, uario Marte cum eo Leſco bella geſsit. Tandem comitia Generalia in Zueyman ciuitate celebrauit, ad quæ plurimi Magnates, & Principes Poloniæ conuenerunt, ubi citatus eſt mandato Regio Suatopolus, Capitaneus Pomeraniæ, qui tributum 10000. marcarum argenti per aliquot annos iuxta pacta Regi nõ pendebat. Qui occaſione per exploratores nacta, armata manu ad ciuitatem prædictam inopinatè accelerauit, diuerſoriaq; obruens, qui ſe defendere uolebant, interfecit. Regi ſtatim tumultus cauſa qui in balneo tunc temporis erat, ſignificatur. Ex balneo itaq; exiliẽs, cum paucis famulis equis conſcenſis, aufugit. Suantopolus uerò eum inſequutus, ut fœdifragus, & nequiſsimus, ſine ulla dignitatis ratione trucidauit. Henricum quoq; Vratislauiæ principem, lætali uulnere affecit, & plures alios trucidauit: Anno Domini 1227. Cadauer Lesconis per ſuos relatum, in Baſilica Cracouienſi cum maximo luctu terræ mandatum eſt.

Leſco cum Mieczslao patruo de Monarchia certat.

Leſco nefariè occiditur à Pomerano fœdifrago.

BOLES-

BOLESLAVS QVINTVS PVDICVS.

Anno Domini 1243. Boleslaus Pudicus, patri crudeliter occiso, in regimine succedit. Eo regnante multa mala Poloniam præmebant: id uero ob principũ pluralitatem, qui tunc temporis 24. erant. Quod malum tandem peius redintegratum est. Tartarorũ enim 100000. in Poloniam, Rußiamq; populabundi uenientes, utramq; regionem crudeliter uastabant: ciuitatibus, uillisq; succensis captiuos educebant. Rex igitur Boleslaus cum Henrico Duce maioris Poloniæ, cæterisq; principibus contra Tartaros unanimiter progreßi, prælium cum eis acre commiserunt. Iamq; Tartari inclinabātur: sed quidam Vexillifer Tartarorũ, cum uexillo, in quo erat scripta litera Græca tali modo, X, processit, superius uero in cuspide hastæ, erat caput quoddam terribile infixum, arte magica confectum, ore fumum, uaporemq; sordidum in Polonos euomens: quo uelut peste quadam infecti, & incantationum ui fascinati, uires amiserunt. Sicq; funditus à Tartaris nõ secus, atq; à grandinibus frumenta, prostrati sunt. Cupientesq; Barbari numerũ occisorũ peruestigare, auriculam unicuiq; dextram amputātes, nouē saccos magnos eis impleuerunt, ubi diminuta est multitudo principũ Poloniæ, Silesiæ, atq; Rußiæ. Tunc temporis Tartari totam ferè Rußiam, & Poloniam, Hungariæq; & Germaniæ partem, flamma ferroq; peruastauerunt, terroreq; inaudito omnia compleuerunt.

Tartari in Polonia crudeliter grassantur. Poloni à Tartaris diminuti. Incantationis uis. Poloni à Tartaris funduntur. Auriculis [illegible] nouē s[illegible] plentur. Miracula, Monstraq; in Polonia.

Anno Do. 1269. uisus est in cœlo exercitus equestris, inter se acerrimè confligens.

Eodem anno mulier quædam Nobilis, in terra Cracouiensi triginta sex pueros uno partu edidit.

Eodem anno in Calißia ciuitate uitulus duo capita, septemq; pedes habens enixus est, cuius cadauer nec à canibus, nec auibus comestum, permansit.

Boleslaus postea Rex exactis in regno 37. annis, è uiuis decesit, absq; prole: cœlibem enim uitam (unde Pudicus appellatus est) duxisse fertur.

LESCO SEXTVS NIGER.

Anno Domini 1297. Lesco niger Dux Siradiensis, mortuo fratre Boleslao Pudico, habenis Regni præficitur. Quē statim pericula insecuta sunt. Tartari enim ualidis copijs Rußiam, & Poloniam iterum crudeliter peruastauerunt.

Tartari Poloniam uastant.

Tandem Anno Domini 1280. Lesco Rex meliori fortuna usus, Leonem principem Rußiæ superbum, cum ingenti exercitu Tartarorum & Russorum cruenta clade prostrauit, Rußiæq; prouincias fugato hoste: infestis armis peruastauit, ex quibus multis trucidatis, sex millia captiuorum abduxit.

Lesco Niger Leonem Rußiæ ducem prostrauit.

Postea anno à Christo nato 1282. Lithuani in terram Lublinensem ualida manu excurrerunt: ingentemq; captiuitatem hominum eduxerunt: quos Lesco collectis undecunque pro tempore copijs persequutus, ad Nemen & Narevv fluuios insecutos, clade cruenta prostrauit, captiuosq; liberauit. Cæsa sunt tunc temporis 14000. Lithuanorum infidelium.

Lithuanorum 14000. cæduntur.

Demum anño Domini 1285. Lithuani collectis maioribus copijs, per abdita syluarum in Lucouiensem tractum excurrerũt: quos Lesco similimodo assecutos fudit, & fugauit, spoliaq; & captiuos ademit. Tandem multis gestis strenuè editis è uiuis decesit: Cracouiæ terræ mandatus est.

Iterum Lithuani funduntur.

HENRICVS PROBVS.

Anno à Christo nato 1290. Henricus Probus Dux Vratislauiæ, Lesconi Nigro in regimine succeßit. Episcopus quoq; Cracouiensis cum cæteris proceribus, Boleslaum, Masouiæ Ducem ad regnum uocauerant: sed ab Henrico eiectus est. Tandem Vladislaus Cubitalis (ad quem etiam Monarchia iure naturali competebat) Dux Siradiensis, adiunctis sibi in auxilium maioris Poloniæ equitibus, cum Henrico de regno acriter contendebat, exercitumq; eius cruenta clade in Silesia ad Sieuieram ciuitatem, prostrauit: ubi Ducis Glogouiensis filium, & Sprotauiæ principem occidit. Vnusquisque eodem tempore ex Silesijs insignem uictoriam reportauit: & uictor Cracouiam ultrò deditam occupauit. Sed Henricus denuò ad expugnandam Cracouiam, exercitum duxit: quem Teutones ciues clandestino noctu, in ciuitatem immiserunt: adeò ut Vladislaus uix cucula monastica indutus, effugerit. Et sic Henricus regno potitus est. Sed paulò pòst, anno in regimine non exacto, è uiuis decesit: non sine ueneni suspicione: Vratislauiæ terræ mandatus.

Discordia principũ Poloniæ de Monarchia. Cracouia bis capitur.

PREMISLAVS SECVNDVS.

Anno Domini 1295. Premislaus princeps maioris Poloniæ & Pomeraniæ, regni habenis præficitur. Hic omnibus principibus finitimis terrorem incusserat: ideò Marchiones Brandeburgenses, impulsu regis Bohemiæ Vvenceslai, nacta occasione, cum Rex ipse die S. Dorotheæ cum suis conuiuaret, ex improuiso in eum irruerunt: multisq; uulneribus affectum (quamuis sese strenuè cum suis aulicis defenderet) occiderunt. Septem tantum menses regno præfuit.

Premislaus Rex occiditur.

VVENCESLAVS BOHEMIAE REX.

Anno uirginei partus 1300. Vvladislaus Rex Bohemiæ ad regnum Poloniæ uocatur. Cum Vvladislao Cubitali de regno acriter cōtēdebat, omnesq; possessiones & arces ei ademit, quibus non Polonos sed Bohemos præfecit. Vvladislaus uerò omnibus spoliatus (ad quē Monarchia iustè cōpetebat:) in Hungariā exulans perrexit, inde Romam petijt. Demùm Roma in Hungariā reuersus, sumptis ab Hungaris auxiliaribus copijs, uarijs excursionib. Bohemos in Polonia infestabat. Postea Pelcen, Visliciam, & Lelouiā arces occupauit. Tandem post nebulam (ut dicitur) Phœbo illucescente, Vvenceslao Bohemo è uiuis sublato, Vvladislaus Cubitalis regno multis ab annis expectato potitur. Hic Vvēceslaus Bohemus, primus monetā argenteā, grossos uidelicet Bohemicos, in Poloniam intulit: qui adhuc in usu Cracouiæ passim habentur. Primò uerò frustulis quibusdā argenti, pellibusq; Aspreolorum, & cæterarū rerum transmutatione, necessaria comparabant. Eo quoq; regnante, Cracouia muro cincta est.

Peregrinatio Vvladislai exulis.

Vvladislaus regno potitur.

Argentea moneta in Polonia.

VVLADISLAVS CVBITALIS VVLGO LOKIETEK.

Anno Domini 1306. Vvladislaus Cubitalis, post multa pericula perpessa, frequentibusq; repulsis exantlatis, Monarcham Poloniæ se gerere cœpit. Hic eodem anno, collecto exercitu, contra Henricum Ducem Glogouiæ, in Silesiam processit: quam flamma, ferroq; nullo repugnante peruastauit. Posteà anno Domini 1320. Vvladislaus præfatus Dux, in uerum Regem & Monarcham Poloniæ coronatur cum Heduigi consorte sua: ab eoq; tempore Ecclesia Cracouiensis iure coronandi Poloniæ Reges primum dotata, & priuilegiata est. Primò enim in loco minimè tuto Gneznæ coronabantur. Demum anno Domini 1326. ualidioribus copijs ex Lithuanis, Ruthenis, & Polonis conscriptis, Rex Vvladislaus, cædem fratris Præmislai ulturus, in prouincias Marchionum Brandenburgensium infestis armis excurrit: omniaq; ab Odera fluuio & à Brandeburga, Francfordiam usque in latitudinem & longitudinem igne, & gladio peruastauit: multisq; spolijs onustus, cum sex millibus captiuorum, ad sua in pace reuersus est. Cùm Crucigeris Prussiensibus, plurima bella gessit. Posteà cum præfati Crucigeri iniustè in Polonia grassarentur: eorum iniuria Rex prouocatus, exercitum in Prussiam duxit. Cum ualidissimisq; Teuthonicis copijs, anno Domini 1331. Mense Septembri, ingenti armorum fragore acerrimè conflixit, ac primas acies Polono milite protriuit, fugauit & dispersit. Posteà uiribus recentes phalanges Teuthonicorum (quibus præerant Commendatores Russer de Plauno Comes, & Ottho magnus de Brunsdorff) contrà Polonos processerunt, bellumq; redintegrauerunt: omnes tamen à Polonis prostrati sunt. Cæsa sunt in eo conflictu 4000. Crucigerorum Prussiensium, cum plurimis Commendatoribus. Posteà Vvladislaus Cubitalis infirmitate correptus, extremum diem uitæ Cracouiæ clausit, anno Domini 1333.

Vvladislaus Silesiam uastat.

Cracouia pro Coronatione regum delecta.

In Marchiam uastabundus contendit.

Cum Crucigeris acre certamen.

Crucigeri prosternuntur.

CASIMIRVS MAGNVS.

Anno Domini 1333. Casimirus Magnus, patri iustis persolutis, Rex communi omnium acclamatione salutatur. Regnum oblatum ex omni parte in primis pacificatur: in seditiososq;, & passim latrocinantes animaduertit. Posteà anno Domini 1339. Ludouicum nepotem ex sorore, Caroli regis Hungariæ filium, successorem post se in regno Poloniæ assignauit, & declarauit, constituitq;. Tandem 1340. Casimirus armata manu in Russiam progressus Leopolim regionis Metropolim cœpit: unde thesauros ingentes asportauit. Deinde ad Volodimiriam contendit: qua expugnata, Cracouiam triumphans exercitum reduxit. Denuò in Russiam ualidioribus copijs cinctus descendit: hasq; prouincias, cum ciuitatibus ad deditionem cōpulit, Premisliam, Haliciam, Leopolim, Sanociam, Lucouiam, Volodimiriam, Lubaczouiam, Treblouiam, Tustaniam, & complures alias, quæ hucusque à regno Poloniæ nō separantur.

Casimirus Leopolim cœpit. Volodimiriam expugnauit. Casimirus Russiæ prouincias tributarias reddidit, subiugauitq;.

tur. Tertiò Casimirus anno Domini 1349. exercitum in Rusſiam duxit, arcesq; quas nõdum poſſederat, ſuæ ditioni ſubegit.

Posteà anno Domini 1365. Casimirus Rex Carolo 4. Romanorum Imperatori, Neptim ſuam Elisabetham, Ducis Stolpensis filiam in matrimonium dedit: ad nuptiarumq; ſolennia ipſe Carolus Imperator, Ludouicus quoq; Hungariæ, Petrus Cypriæ, Sigiſmundus Daniæ Reges, Ottho Bauariæ, Semouitus Maſouiæ, Boleslaus Suidniciæ, Vladislaus Opoliæ Duces, ſatis ſplendido apparatu Cracouiam conuenerunt, abſolutoq; nuptiarum cõuiuio, quidam ciuis Cracouienſis, Vierinok nomine, à Rheno oriundus, Theſaurarius regius, hos omnes reges, & principes cum Imperatore, lautiſsimo conuiuio aliquot diebus excepit: muneraq; inſignia ſingulis obtulit.

Ad nuptiarum ſolẽnia tres reges imperator, & multi Principes à Casimiro inuitantur.

Anno tandẽ Domini 1370. Casimirus Rex, iuxta Przedboriam ciuitatem, inter uenandum, ceruum inſequens, equo ſuccumbente pedem fregit: a quo uulnere ſpiritum exalauit Cracouiæ: ibidemq; ſepultus. Hic omnes ferè ciuitates & arces, in Polonia muro cinxit: plurimasq; arces & Basilicas condidit. Legibus quoq; tam Equestribus, quàm ciuilibus patriam locupletauit: quæ hucuſq; uigent: & omnes Reges anteceſſores ſuos, ſumma dexteritate in promouendis theſauris & prouentibus regni ſuperauit: ideò Magnus iure appellatus eſt.

Casimirus à pedis fractura mortuus.

Casimirus bonus paterfamilias.

LVDOVICVS HVNGARVS.

DEcedente Casimiro Magno abſq; hærede maſculino legitimo, Ludouicus Rex Hungariæ nepos eius, anno Domini 1370. Sacrum diadema Polonicum ſuſcepit. Eo in Polonia regnante nihil memoria dignum gerebatur: ſed homicidia, latrociniaq; paſsim exercebantur, propter abſentiam illius. Qui uerò de iniuria ſibi illata in Hũgariam ad Regem proficiſcebantur. Hi à rege ad reginam: à regina uero ad factores regios, & à factoribus ad gubernatores in Poloniam cum literis relegabãtur, plurimisq; iniurijs, & anguſtijs Polonia tunc temporis premebatur.

Hungarus Poloniæ Rex creatur.

Posteà anno Domini 1381. Ludouicus filiam ſuam Mariam, Sigiſmundo Marchioni Caroli quarti Romanorum Imperatoris regis Bohemiæ filio, deſponſauit, regemq; Poloniæ poſt ſe futurum declarauit. Qui in Poloniam armata manu ueniẽs: quaſdam rebelles puniuit: rectaq; contrà Maſouiæ Ducem exercitum duxit, qui etiam ſceptra iure propinquitatis affectabat. Maſouia itaq; flamma & ferro peruaſtata Posnaniam Maioris Poloniæ Metropolim profectus, ab omnibus honorifice pro Monarcha agnoſcitur. Interea uerò Ludouicus Hungariæ & Poloniæ rex è uiuis decedens: Albæ regiæ ſepelitur, anno à Christo nato 1382. Regno Poloniæ 12. annis præfuit. Poloni itaq; Ludouici regis morte audita: conſilium clandeſtinum inierunt, ut Sigiſmundo relicto pro hærede regni, Ludouici regis filiam ad ſe reciperent: eamq; in matrimonium tali Principi, qui Rempub. rectè gubernaret: ab hoſtibusq; uindicaret locarent. Regina itaq; Hungariæ Ludouici coniunx, filiam Heduigim in Poloniam miſit, quæ honorificentiſsimè a Polonis proceribus accepta, Sacro diademate ſolenniter Cracouiæ ex more coronata eſt.

Sigiſmũdus Caroli filius regnum Poloniæ ui obtinere tẽtat.

Poloni Sigiſmundo ſpreto pro hærede regni filiam Ludouici accipiunt.

Anno igitur Domini 1385. Iagielo magnus Dux Lithuaniæ certior factus de Heduigis reginæ ex Hungaria in Poloniam aduentu: pulchritudine, moribusq; eius honeſtis commotus: oratores ad eam fratres ſuos, Skiergielonem, & Boriſſum cum peramplis muneribus deſtinauit: coniugium, regnumq; dotale expetens, promittens ſeſe cũ uniuerſa gente ſua baptiſaturum: omnesq; ciuitates & arces cum ſuis prouincijs, quas Lithuani à regno abſtraxerunt: & etiam captiuos liberaturum: inſuper etiam Magnum ducatum Lithuaniæ cum regno Poloniæ uniturum, & incorporaturum, Sileſiam, Pruſsiam, Pomeraniam, armis recuperaturum, theſaurosq; omnes in uſum regni Poloniæ conuerſurum, omnia deniq; quæ ad amplitudinem Reipub. Poloniæ, & ad incrementum totius Christianitatis ſpectarent, acturum, curaturumq;. Hæc legatio Lithuanorum, grata, periucundaq; Polonis erat: ſed regina eam detractabat: à barbari enim matrimonio abhorrebat. Nam adhuc patre uiuente, Vuilhelmo Auſtriæ Duci deſponſata erãt: ideo illum priorem ſponſum ardenti animo complectebatur. Qua de cauſa oratores Polonorum legationẽ Iagielonis Lithuani, ad reginam Heliſabetham in Hungariam detulerunt: quæ in omnibus ſe contentam eſſe reſpondit: quidcunque boni proceres regni conſtituerint. Legati igitur Polonorum in Lithuaniam profecti, ut Iagielonem in Poloniam cum promiſsis muneribus, Heduigi reginæ maritum, adduxerunt. Interea uerò Vuilhelmus Auſtriæ Dux, certior rerum Polonicarum factus, Cracouiam ſplendido aulicorum equitatu ſtipatus cum

Iagielo Lithuanus, Heduigim Poloniæ hæredem cum Regno ſub conditionibus petit.

Oratores in Lithuaniam pro Iagelone.

Vuilhelmus Auſtriacus Cracouiam uenit.

ingentibus muneribus, ad præcipiendum matrimonium uenit, à reginaq; alacriter acceptus, multa conuiuia quotidiè alterutrum celebrabant, choreisq; honestè tamen & modestè indulgebant: qua de causa proceres Poloni Vuilhelmum Austriacum apud reginam uidentes acceptum, gratumq; hospitem, & propensam utriusque erga se uoluntatem animaduertentes, in arcem eum deducunt: cum regina desiderato matrimonio copulāt. Sed Iagielonem aduenisse audientes Vuilhelmum ex arce propellunt: portasq; post eum obserant. Cuius expulsionem Regina animo ægreferens, suis manibus seras portæ frangere, & contundere cœpit: optatis cum eo nuptijs in ciuitate fruitura. Sed per Consiliarios longa dissuasione à proposito retracta est. Vuilhelmus uerò uidens sibi proceres Poloniæ apertè & obstinatè aduersari: de aduentuq; Iagielonis audiens, è Cracouia cum suis (relictis thesauris) clandestinè discessit.

Vuilhelmus Austriæ Dux, Cracouia eijcitur.

IAGIELO SIVE VLADISLAVS LITHVANVS.

ANno à Christo nato 1386. Iagielo Magnus Dux Lithuaniæ (cuius Geneologia in Lithuaniæ descriptione latius patet,) cum fratribus suis Borisso, Suidrigielone, & Vitoldo, Cracouiam satis splendidè 12. Februarij uenit: ubi ab omnibus ingēti cum letitia acceptus & in arcem honorificè deductus est. Itaq; 14. die Februarij, cum fratribus in fide Christiana instructus, sacro Baptismi fonte abluitur, & Vladislaus appellatur. Eadem die Baptismo absoluto matrimoniū cum Regina Heduigi cōtraxit, Magnumq; Ducatum Lithuaniæ, Samogitiæ, Russiæ, sicut promiserat regno Poloniæ incorporauit, uniuit, diplomatibusq;, & iureiurando confirmauit. Tandem hebdomada elapsa in Regem Poloniæ solenniter constituitur, & sacro Diademate coronatur. Posteà nuptiarum solēnis peractis, Iagielo cum Regina in maiorem Poloniam sub Quadragesimæ tempore profectus est, propter pacificandas seditiones, quæ per Domaratum Capitaneum Generalem maioris Poloniæ, & Vincentiū Palatinum, excitabantur. Rebus itaq; in Polonia maiori compositis, in Lithuaniam expeditionem adornauit: nolens eam amplius cultui idolorum & dæmonum uacari: in Comitatu suo magnam Procerū, & Equitum Poloniæ cateruam habens. Archiepiscopus quoq; Gnesnensis, plurimisq; Ecclesiasticorū, & Semouitus Masouiæ, Conradusq; Olensniciæ Duces eum secuti sunt. Vilnæq; solenniter conuentu indicto, sub initium Quadragesimæ, de uano idolorum cultu abolendo tractare cœperunt, sicq́ue illa gens barbara Lithuaniæ, & Samogitiæ sacro Baptismi fonte lauata est. Porrò turmatim stantes aqua lustrali (nomine unicuiq́ue turmæ, Stanislai uel Petri, &c. imposito) aspergebantur, prout latiùs in descriptione Lithuaniæ patet.

Lithuanus in regnum Poloniæ acceptus.

Lithuania Poloniæ adiūcta.

Expeditio in Lithuaniam Iagielonis.

Lithuaniæ & Samogitia ad fidem Christi conuertitur.

Rebus in Lithuania pius Rex rectè dispositis, Vitoldum patruelem summæ rerū præfecit, in Poloniamq; reuersus recta in Silesiam exercitum duxit, arcesq; & ciuitates sub Vladislao Duce Opoliensi rebelli cœpit: Krzepice, Bobolicze, Olstin, Brzeznice, Ostreseuo, & Grabouo dictas, Boleslauiecz arx septem annis obsidebatur, quam postea Ofka Ducissa uidua, penuria cōmeatus coacta Regi subdidit. Dux igitur Opoliensis reliquas arces quadraginta millibus florenorum, uidens se eas non posse defendere: Crucigeris Prussiensibus uendidit, quas illi suis præsidijs munierunt: sed Rex destinato exercitu cæteras arces ditioni suæ subegit.

Iagielo arces in Silesia recuperat.

Opoliensis Dux arces uendit.

Moritur anno Domini 1399. Heduigis Regina, de cuius uitæ sanctimonia testantur annales Polonorum. Posteà anno 1400. Regi, Ciliciensis Comitis de Hungaria filia Anna Cracouiam allata est.

Heduigis moritur.

Tandem anno Domini 1410. Rex armatis copijs cinctus contra Prussienses Crucigeros profectus, superato Vistula fluuio ad Ciemiensko oppidum castra metatus est, ubi etiam Vitoldus patruelis Regius cum suis Lithuanis & Tartaris uenit. Semouitus quoq; & Ianusius Masouiæ Duces, suas cohortes adduxerunt, uiribus itaq; coniunctis castra ad Tanebrigum & Grimoaldum oppida mouerunt. Intereà uerò Rege officium missæ manè in tentorio audiente, duo nuncij alterutrū sese anteuertentes uenerunt, nunciantes iam iam imminere sibi Prutenos. Attamen Rex pius à Diuino officio quin prius absolueretur discedere noluit: quo absoluto militem in acies celeriter instruxit, quinquagintaq; uexilla Polonorum ordine suo distribuit. Vitoldus similiter copias suas contrà hostem rectè direxit, quadragintaq; uexilla Lithuanorum iusto ordine disposuit: quibus Tartarorum manum ingentem adiunxit. Interea uerò Magister Crucigerorum Prussiensium, Vlricus Iungingen illudens Regi duos gladios euaginatos, totidemq; clipeos ei dono misit, dicens:

Expeditio contra Prussienses Crucigeros.

Iagielonis deuotio.

Superbia Crucigerorum.

dicens: Quid remoraris prælium ô Rex, si tibi desint gladij: en tibi unum, fratríque tuo Vitoldo alterum mitto: si uerò campum ad ordinandum exercitum arctum habes, ego tibi tuo cedam. Rex igitur pius gladios oblatos humiliter accipiens ingemuit, dicens: Quamuis armis omni generis abundo: attamen hoc munus per quod mihi signum uictoriæ (Deo fauente) datur, libenti animo accipiam, his dictis, signa utrinque canuntur, inde maximo clamore infestis signis cōcurritur, Tartari & Lithuani arcubus & sagittis assueti, creberrimo telorum iactu æthera obumbrant, à Teuthonibus tamen in primo conflictu fugati sunt, in quorum locum Poloni armis & uiribus recentes, cum ingenti sonitu, armorumq; fragore successerunt, Pruthenasq; acies perfregerunt, & undiq; circumdatas, ad internitionem funditus prostrauerunt. In hoc conflictu Magister Crucigerorū Prussiensium, Vlricus cum suis Cōmendatoribus (quos Syluius 300. recenset) occubuit: Duces quoq; Stetinensis & Olesnicïensis capti, cum multis alijs præcipuis Germanis Equitibus. Cæsa sunt tunc temporis 50000. Prutenorū, Teuthonicorū. Syluius uerò 40000. testatur. Ingentes exuuias ex castris Prutenorum Poloni tulerunt: uictoriamq; insignem obtinuerunt, & uexilla hostium præcipua 50. ad perpetuam rei memoriam Cracouiæ in Basilica arcis posuerunt.

Humilitas Iagielonis. Certamen acre initur. Magister Crucigerorum cæsus, omnisq; exercitus suus profligatur. Ordinis Commendatores erant quasi Palatini prouincijs commendatis præsidentes. Poloni triumphant.

Denuò Crucigeri auxiliares copias ex Saxonia, & à Sigismundo Romanorum Rege cōtraxerunt, quibus Poloni pro temporis necessitate exercitu conscripto occurrerunt: manumq; cum eis conseruerunt. Interea quidam Eques Polonus Ioannes Missai exercitum Crucigerorum strenuè dimicando, ad uexillum usque principale pertransiuit. Vexilliferoq; trucidato uexillum arripuit, & post tergum sibi infixit, ad suosq; acies disuerberans incolumis redijt. Crucigeri itaq; Vexillo orbati, ordinibus solutis, terga uerterunt, quos Poloni insequentes per agros & syluas pallantes passim trucidabant, in quo conflictu 10000. Teuthonicorum cæsa sunt.

Aliud cōflictus Polonorum cū Crucigeris. Poloni palmā uictoriæ è Crucigeris obtinent.

Eodem anno Hungarorum copias duodecim uexilla habentes, in Poloniam excurrentes, Poloni fuderunt. Postea anno Domini 1414. Rex cum Vitoldo ingentem in Prussiā exercitum Polonorum & Lithuanorū: (quod Crucigeri promissis non starent) duxit, plurimasq; ciuitates & munitiones expugnauit. Militibus aūt & Equitibus Lithuanorum in bello benè meritis insignia, Stemmataq; nobilitatis Poloniæ pro donarijs distribuit.

Poloni Hungaros trucidant. Poloni cum Lithuanis Prussiam diripiūt. Lithuani insignia nobilitatis Polonorū accipiunt.

Tandem anno Domini 1432. Rex Iagielo senio confectus multis gestis strenuè editis, Vvladislao & Casimiro hæredibus relictis uitam cum morte fœliciter commutauit. Cracouiæ in Basilica arcis sub marmoreo sacrophago ubi sua imago expressa est, terræ mandatur.

Iagielo moritur.

VVLADISLAVS QVINTVS.

Iagielone Vvladislao è uiuis decedente, Vvladislaus filius eius, anno Domini 1434. habenas Regni moderandas suscepit. Tandem anno 1437. Sigismundo Imperatore Romanorum, Rege Hungariæ & Bohemiæ fatis concedente, Vvladislaus, Hungariæ procerum assiduis precibus, ad Regnum Hungariæ suscipiendum uocatus est. Itaq; anno 1440. in eo profectus Budæ coronatur.

Polonus Hungariæ Rex coronatur.

Anno Domini 1443. Vvladislaus expeditionem bellicam contra Turcas suscepit, arcesq; in Rascia ab eis occupatis recuperauit. Audiens tandem Turcas contra se processisse: Ioannem Huniadem Palatinum Transsyluaniæ, cum armatis copijs Polonorū & Hungarorum aduersus eos destinauit, qui absque rumore in Turcas irruens omnes funditus prostrauit & dispersit 4000. captiuorum & nouem uexilla abduxit, omnesq; Sclauonicas prouincias Macedoniam usque, Hungari cum Polonis peragrarunt. Turcarum uerò Imperator exercitum propter Romaniam & Macedoniam defendendam in montibus collocauit. Baissa itaque Turcicus numeroso exercitu fretus, uictoriam sperans cum Polonis & Hungaris conflixit, sed spe frustratus cum Turcarum uiribus ingenti clade à Christianis prostratus est: adeò ut Turcarum Imperator Amurates ad Regem Vvladislaum legatos pro pace impetranda mittere cogeretur, omnes possessiones, arces & ciuitates in Rascia occupatas restituendo, quibus restitutis ad decem annos fœdus utrinq; iecerunt, & iureiurando confirmârunt. Interea uerò Iulianus Cardinalis, Legatus Apostolicus ad Regem uenit: multisq; & uarijs persuasionibus hoc fœdus irritum fecit, Regemq; summi pontificis potestate à iuramento, quo se Turcis obstrinxerat, absoluit: utq; expeditionem aduersus Turcam Christiani nominis hostem cum uniuersitate Christianorum susciperet, persuasit.

Vvladislaus arces Rasciæ recuperat à Turcis. Vvladislaus Turcas profligat. Turcæ profligantur. Turcæ pacem petunt. Papa fœdus frangere suadet.

Anno

Vladislaus cōtra Turcas. Anno igitur 1444. armatis copijs Rex contra Turcarum Imperatorem Amurhatem processit. Amurhates uerò re comperta inconstantiæ, leuitatisq; Christianorum admirabatur: quod Dei sui nomen floccipenderent, exercitu itaq; ualidissimo ex Asia cōscripto, ad Varnam paludem iuxta littus ponti Euxini, prælium acre cum Christianis cōmisit, quos undiq; circundatos cruenta clade prostrauit, ubi & Rex inclitus strenui militis, & Imperatoris officium adimplens occubuit, cum multitudine Polonorum, quæ clades ingentis mœroris planctusq; toto orbi Christiano causa extitit. *Hungari & Poloni cum Rege suo à Turcis ob fœdus fractum profligati.*

Præfuit Vuladislaus Poloniæ Regno decem, Hungariæ uerò quatuor annis. Anno uerò ætatis suæ uigesimo primo, ad Varnam à Turcis occisus est, consilio summi Pontificis parens, qui eum ad frangendum fœdus barbaro hosti impulerat.

CASIMIRVS QVARTVS.

ANno humanæ redēptionis 1447. Casimirus Magnus Dux Lithuaniæ, fratri Vuladislao Poloniæ & Hungariæ Regi, à Turcis perempto in regimine succedit.

Homagium Palatini Valachiæ. Anno Domini 1448. Petrus Valachiæ Palatinus in uerba Regis iurauit: tributumq; debitum & obedientiam se præstiturum obstrinxit, quem Bochdamus frater ex illegitimo toro natos dominatu propulsare nitebatur: sed ipse à Polonis cū exercitu pulsus, fugatusq; & trucidatus est. *Valachi fidantur.* Tandem anō Do. 1454. legati à Nobilibus, ciuibusq; Prutenorum uenientes, Regi sese in clientelam & patrociniū subijcientes uenerant. *Prußi à Crucigeris ad Regē Poloniæ deficiunt.* Crucigeri enim intollerabili onere adinuenticijsq; eos exactionibus præmebant, uxores à uiris, uirginesq; teneras ui tollebant, possessiones, iumenta colonis abstrahebant, uulgum in seruitutem redigentes, eorum opera uelut iumentorum in acribus, mœnibusq; erigendis utebantur, quos Rex certo tributo indicto in clientelam suscepit, & sicut pro temporis breuitate potuit, exercitu conscripto, in Prussiam contra Ludouicum Crucigerorum Magistrum infestis armis contendit. *Tyrannis Crucigerorum. Expeditio in Prußiam.* Ludouicus quoque ingentem exercitum Teuthonicum opposuit, prælium itaque ad ciuitatem Choynicze atrox oboritur. Primam alam Crucigerorum Poloni perfregerunt: funditusq; profligauerunt, & Balthazarem Ducem Zeganensem occiderunt, Bernardumq; Stumbarg Ducem exercitus cœperunt: ubi uerò ad unam cohortem Polonorum malè ordinatam peruentum est. *Dux Zeganensis occisus.* Poloni Prutenorū uim sustinere non ualentes, solutis ordinibus terga uerterunt, quos Rex frustrà tamen ut cōuerterentur admonebat: parumq; abfuit quin ipse hostium manus effugerit, multi Poloni cæsi, 300. uerò captiuorum abducti sunt. *Clades Polonorum à Crucigeris.*

Rex tandem nouis copijs conscriptis Prussiam infestis armis aggreditur, plurimasq; munitiones & ciuitates expugnauit, & occupauit. *Rex Prußiam uastat.* Prussiæ autem Magister non habens unde stipendium suis militibus persolueret, Marienburgam arcem præstantissimam eis in potestatem dedit, quousq; illis stipendium persolueretur. *Marienburga Polonis uenditur.* Qui arcem Casimiro Regi pro summa 476000. florenorū: año Do. 1457. uendiderūt, eamq; cum omnibus tormentis, instrumētisq; bellicis dediderūt. Pōstea Magister Prussiæ iniuriā à rege sibi illatam ulturus, quasdam munitiones Regis in Prussia expugnauit: qua de causa Rex armata manu egressus, Crucigeros cum ualidis copijs cruenta clade ad internitionē prostrauit: ipse uerò Ludouicus Magister uix elapsus est: sicq; Poloni (quamuis magna cum difficultate) omnibus arcibus Crucigeros exuerunt. *Crucigeri funditus profligati.*

Pax cum Crucigeris. Tandem anno Domini 1466. Casimirus Rex ciuitate, arceq; Choynici ui expugnata, concordiam fœdusq; perpetuum, suffragijs multorum Principum adductus, cum Magistro Prussiæ & ordine Teuthonico inijt. Ab hocq; tempore Pomeraniæ Ducatus, Michlouiensis quoq; & Culmensis terra, Regno Poloniæ adiuncta est, pro quibus Poloni 180. annis, armis cum Crucigeris decertabant. *Pomerania recuperata.*

Casimirus moritur. Tandem año Domini 1490. Casimirus Rex multis egregijs gestis exactis, uitam cum morte fœliciter Grodnæ in Lithuania commutauit, filios sex Vuladislaum, Casimirum, Albertum, Sigismundum, Fridericum, Alexandrum: filias uerò septem, Heduigim, Sophiam, Annam, Barbaram, Elisabetham, &c. genuit. *Casimiri proles.* Vuladislaus post mortem Matthiæ communibus Hungarorum suffragijs, in Regnum Hungariæ euehitur, qui etiā postea Regnum Bohemiæ in tutelam suscepit. Albertus uerò patri in solio successit, Alexander Magnum Ducatum Lithuaniæ, Sigismundus Glogouiæ, sorte acceperunt. Fridericus Episcopatum Cracouiensem & Posnaniensem accepit, postea inter Romanos patres Cardinales scilicet connumeratus.

IOAN.

IOANNES ALBERTVS.

ANno à Christo nato 1492. Casimiro Rege cuiuis ad superos cõmigrante, Ioannes Albertus filius in locum eius substituitur: sacroq; Diademate solenniter insignitur. Ad quem oratores Venetorum uenerũt: cuncta prospera, fortunamq; contra hostem Christianum propitiam illi exoptantes. Posteà Turcarum legati inducias petentes uenerunt: cum quibus Rex fœdus ad certum tempus pepigit.

Legati Venetorum.

Oratores Turcarum inducias petunt.

Tandem 1494. Albertus Rex cum fratre Vladislao Bohemiæ & Hungariæ Rege, in Liuocza conuentum habuit: consultantes quomodo coniunctis uiribus, cædem crudelissimam Vladislai patrui sui, ulcisceré possint: propositumq; constitutum nemini reuelabant. Sed Turcarum Imperator omnium exploratissimus erat: qua de causa legatum magnum ad Regem Albertum propter confirmandum fœdus destinauit. Interea uerò Stephanus Palatinus Valachiæ, ut feudalis, à Rege auxilium contra Turcas implorauit: qua de causa Rex apertam occasionem ulciscendi barbari hostis nactus, ingentem ualidissimumq; exercitum ex Polonis, Lithuanis, Masouitis, Ruthenis, Prutenisq; & Silesijs conscripsit: expeditionemq; in Moldauiam contra Turcas celeriter adornauit. Vbi statim signa aduersæ fortunæ apparuerunt. Equus enim generosus in quodam paruo torrente, iuxta Leopolim Russiæ Rege succubuit: pauculoq; aquæ obrutus est. Leopoliæ etiam Eques quidam Polonus Sropski dictus: insanę mentis clamabat dicens: Nostri in suum malum proficiscuntur. Fulmen quoque quendam Equitem in tentorio cum duodecim equis interemit. Palatinus autem Moldauiæ Regi commeatum, pabuliq; necessaria & uniuerso exercitui, se suppeditaturum promisit. Rex itaque falsis eius promissis fidem adhibens, ubi in Valachiam exercitum induxit, ad Palatinum, ut promissis staret: contra Turcasq; expeditionem secum adornaret, misit. Ille uerò perfidus respondit: Caueat sibi Rex à Turcis, uel ab alijs, quod ausus sit in ditiones meas, me inscio uenire. Rex uerò secũdò & tertiò eum admonuit, ut promissa persolueret: sed Palatinus hæc flocci pendebat: qua de causa Poloni iniustè exacerbati arma quæ in Turcas parauerant in suos conuerterunt. So[illegible]auamq; Valachiæ Metropolim obsederunt: quam grãdioribus machinis bellicis admotis oppugnarunt. Sed Vvladislaus Rex Hungariæ in Regem fratrẽ suum, & Palatinum inimicitias, per legatos composuit. Fœdere itaque alterutrum firmato: Rex infirmitate, partim ex aduersa fortuna: partim ex nimijs curis correptus, in Poloniam cum uniuerso exercitu reuertitur. Cumq; in meditullium syluæ amplissimę (quę Bukouia, à faginis arboribus dicitur,) penetrarent: ubi arbores succisæ erant, Stephanus Palatinus Valachiæ fœdifragus: contra ius diuinum & humanum, à fronte & à tergo armata manu in Regis copias irruit, ingentiq; & cruenta clade Polonos inopinatos oppressit, captiuorũq; multitudinem abduxit. Inter quos insigniores erant, Nicolaus Palatinus Russiæ, Gabriel Comes à Tenczin, Ioannes Zbigneuius Capitanei Mariemburgensis filius, & alij complures qui sanguine suo uitam Regis redimerunt. Vbi adhuc signa huius cladis infœlicis ossa, uidelicet albentia in hac sylua ipsemet uidi, cum Magnificus Dominus à Lasko: Palatinus Siradiæ, Despotam Heraclidem in occupãda Valachia iuuaret, in cuius castris ego peditum præfectus fui: anno Domini 1562. Sed ad rem redeo.

Conuentus Alberti regis cũ Vladislao Rege Hungariæ fratre contra Turcam.

Turca inducias petit.

Expeditio Alberti contra Turcarum Imperatorem infœlix.

Signa aduersa.

Perfidia Palatini Valachiæ.

Arma in Turcas parata in Valachos conuertuntur.

Valachus Polonos fœdere fracto sternit.

Anno Domini 1493. Mense Ianuario, & Februario tantus calor, quod in illis regionibus mirum est, in Polonia extiterat, ut pomeria florerent, aues nidificarent: graminaq; pulcherrimè uirescerẽt. Postea mense Martio tanta frigora subsequuta sunt, ut hæc omnia gelu arrefacta marcescerint.

Calor insuetus.

Anno sequenti iuxta Cracouiam in uilla Czarna dicta, mulier quædam puerum cum Leporino collo, & auribus peperit: qui ore aperto hiabat. Non multũ post, altera mulier serpentem cum puero edidit: qui serpens puerum ad intestina usq; corrosit.

Monstra nata in Polonia.

Anno Domini 1499. Cracouiæ Iudæa mulier uitulum bicipitem peperit, qui unũ caput in cauda, aliud uerò in principio habebat: cauda uerò in tergo sita erat, pedes septem in dextro latere: in sinistro uerò nullum habebat: multo tempore extra Cracouiã hoc mõstrum, ut ab hominibus uideretur expositum erat.

Aliud monstrum.

Tertium monstrum inter Iudæos natum.

Anno Domini 1501. Albertus Rex Cracouia in Prussiam profectus, Toruniæ apoplexia correptus extremum diem clausit. Aetatis suæ 41. anno. Regnauit octo annis totidemq; Mensibus.

Ioannis Alberti Regis mors.

ALEXAN.

ALEXANDER.

Perfidia Valachorum ulciscitur.
Tartarorum à Lithuanis fusi 20000.
Alexander moritur.

Anno à Christo nato 1501. Alexander Magnus Dux Lithuaniæ, fratri Alberto in regimine succesit. Postea anno Domini 1506. expeditionem in Valachiam adornauit, multasq; arces ad Tyram fluuium sitas sub Valachis expugnauit. Eodem anno in Lithuaniam profectus, Vilnæ infirmitate correptus est. Interea uero Tartarorum 20000. populabundi in Lithuaniam excurrerunt: contra quos Rex Stanislaus Kiskam Lithuanū cum armata manu destinauit: ipseq; sua persona semiuiuus ferè exercitum sequutus est, recensitisq; copijs in Lida arce remansit. Lithuani igitur inopinatè in Tartaros securos, ad Kleczo oppidum ingenti impetu irruerunt, quos a[illegible]um cruenta clade fuderunt, & spolia, captiuosq; abegerunt. Quæ uictoria cum Regi iam iam animam agenti nunciaretur: ille quamuis beneficio linguæ priuatus, manus tamen in altum extollens, suspiransq; cum lachrymis Deo gratias egit, omnibusq; circumstantibus manum porrigens, ad superos commigrauit: anno ætatis suæ 45. Vilnæ ubi & sepultus quiescit: quatuor annis, & mensibus octo Poloniæ regni sceptra tenebat. Magno uerò Ducatui Lithuaniæ 14. annis præfuit.

SIGISMVNDVS PRIMVS.

Anno Domini 1507. Curato sumptuosè funere Alexandri Regis, Sigismundus frater eius Dux Glogouiæ, & Opauiæ Capitaneus Generalis, Magnus Dux Lithuaniæ regni gubernacula suscepit. Hic lapsam ferè Rempub. Polonam humeris suis erexit, qua rectè constituta, & undique pacata aduersus Moschouiæ Principem Basilium armatas copias duxit, Tartaris Præcopensibus in auxilium sibi acceptis: arcesq; plurimas expugnauit, & suorum præsidijs muniuit.

Moschouia depredatur.

Eodem anno Tartari in prouincias Russiæ excurrerunt, contra quos Castellanus Leopoliensis, cum quingẽtis equitibus Polonorũ profectus, gentem barbaram auspice Deo inopinatè oppressit, & profligauit, spoliaq; abegit.

Tartari profligati.
Valachus Poloniam infestat.
Poloni ulciscũtur, Valachos egregiè.
Valachi ceduntur à Polonis.

Anno 1509. Palatinus Valachiæ fœdifragus in Russiam armata manu excurrit: Leopolimq; spoliauit unde thesauros plurimos abstulit, Rohatiniam arcem deditione cœpit, de Polonorumq; contra se expeditione audiens in Valachiam aufugit: quem Poloni insequuti, damna in Valachia ferro & igne nullo obstante: (ipse enim Palatinus in abditis syluarum latitabat) maxima intulerunt. Hasq; munitiones, Dorochiniam, Sczepanouicze, Czarnouicze, Botusaniam, Chocimiam cœperunt, Soczauā Metropolim regionis grauiter oppugnarunt: sed re infecta multimodis spolijs onusti, uniuersa regione peruastata, ad sua reuertuntur. Cumq; Tyram siue Nestrum fluuium traijcerent, Valachij nacta occasione è syluis ad pugnandum instructi erumpunt, cum quibus equitatus aulæ Regiæ qui adhuc in hostili ripa remanserant: manus acriter commiserunt, à tergoq; hostium aliquot cohortibus Polonorum clandestino transmissis omnem exercitum Valachiorum fuderunt.

Tartari in Russia grassantur Poloni triumphãtur de Tartaris.

Postea anno Domini 1512. Tartari Præcopenses stipendiarij Regis, in 24000. equitũ in Russiam excurrerunt, ad Visniouiciumq; in Podolia castrametati sunt, ad quorum uim reprimendam Poloni & Lithuani expeditionẽ susceperunt: certamenq; acre cum eis commiserunt, & dum una ala Polonorum ad castra hostium, ubi captiui Polonorũ, Lithuanorumq; erant, penetrârunt: captiuos soluentes, ad arma excitarunt. Statim igitur captiui soluti à tergo, illi à fronte in Tartarorum ordines solutos irruerunt: quos paruo negocio fuderunt, & celebrem uictoriam impari Marte obtinuerunt.

Expeditio Regis cõtra Moschorum Ducem Constantinum Ostrouski.
Andreas Celadin.

Anno 1514. Sigismundus Rex audiens Smolensko arcem munitissimam in ditione Lithuanorum à Moschouiæ Duce Basilio captam, exercitum ad ulciscendum hostem duxit. Moschus uerò 8000. equitum contra Regem destinauit: Polonorum aũt, & Lithuanorum copiæ 35000. non excedebant. Constantinus itaque Ostrovvski Dux, exercitus strato ponte pedites ultra Boristhenem iuxta Orsham oppidum transfert. Equitatus uerò Augustum uallum sub ipso castro Orshæ superat. Mox ubi dimidia pars exercitus Boristhenem transiret, nunciatur Ioanni Andreæ Celadin cui summa rerum à Moscho commissa erat, ut hanc exercitus partem inuaderet. At ille respondit: si partem hanc exercitus oppresserimus, quid postea faciemus: cùm cęteri metu perculsi terga uertent, expectemus tantisper dum totus exercitus transferatur: tantæ enim sunt uires nostrę, ut circumuentos hostes Moschouiam, usq; uelut iumenta agere possimus. Tandem quod unicum restat to

tam occupemus Lithuaniam, signa itaq; utrinq; canuntur, Moschouitæ primi in Lithuanos impetum faciunt: illi haud timidi strenuè resistunt. Postremò maxima ui certatur, Lithuani studio cedentes ad collem ubi tormenta collocata erant: ea in Moschos insequentes exonerāt: extremamq; aciem eorum in subsidijs collocatā feriunt, turbant, dirimuntq;: hoc nouo belli genere Moschi perterriti terga uertunt, quos Lithuani cum Polonis conuersi omnibus copijs effusis insequuntur, fugant, confodiunt, cæduntq;, bellum sola nox diremit. Est inter Orsham & Dubrounam, fluuius Cropiuna dictus: in cuius dubijs & altis ripis Mochi fugientes, tot submersi, ut cursus fluminis impediretur. Capti sunt in eo conflictu omnes militiæ prǽfecti, & Cōsiliarij, qui ad Regem missi sunt. Ioannes uerò Celadin supremus Dux exercitus cum duobus præcipuis uiris, Vilnę in compedibus ferreis detinebatur. Cæsa sunt tunc temporis Moschorum 42000. capti 2000. exceptis ijs qui in fuga aquis obruti sunt. Ex Polonis & Lithuanis 300. duntaxat occubuēre, ab hoc tempore Moschouiæ Dux campestre prælium non audet Regi Poloniæ opponere. Moschouię Principes accepta suorum clade, Smolensko continuò relinquens in Moschouiam fugit, Lithuanicus uerò exercitus Smolensko obsedit: sed eam capere non potuit, benè enim firmatam Moschus reliquerat: tribusq; alijs castris citra Smolensko occupatis, quibusdam peruastatis præda onusti ad sua reuersi sunt.

Certamen acre cum Moschouitis.
Moschouitæ crudeliter profliguntur.
Numerus Moschorum occisorum.
Moschus fugit.
Smolensko obsidetur.

Anno Domini 1515. Mense Iulio, Sigismundus Poloniæ, & Vvladislaus Hungarię, Bohemiæq; Reges, fratres germani, cum Maximiliano Imperatore Viennæ Austriæ conuentum insigni, splendidoq; apparatu habuerunt.

Conuentus Regum Poloniæ & Hungariæ cum Imperatore.

Tandem anno Domini 1518. Bona Ioannis Sfortiæ Ducis Mediolanensis filia, Sigismūdo Regi, Cracouiam allata est: cui Episcopi, Magnates, Equitesq; Polonorum, insigni ac splendido apparatu obuiam processerunt. Hæc anno Domini 1520. filium Sigismundum Augustum Cracouiæ in absentia Regis peperit.

Bona Ducis Mediolani filia Sigismundo nupta.

Anno 1525. Albertus Marchio Brandenburgensis, Magister in Prussia ordinis Teuthonici, post plurima bella & simultates cum Polonis susceptas, uidens frustra contrà stimulum calcitrare, Regni Poloniæ Sigismundo iuramentum Cracouiæ solenniter præstitit, habituq; ordinis abiecto in Ducem sæcularem Prussiæ creatus est.

Magister Prussiæ ordinis Teutonici Regis iugū subit.

Postea anno Domini 1526. decedentibus immaturè ætate Stanislao & Ioanne Ducibus Masouiæ: Ducatus Masouiæ Regi Poloniæ cessit.

Masouia Polono regi cessit.

Anno Domini 1530. Sigismundus secundus Augustus patre uiuente sacro Diademate solenniter Cracouiæ coronatur, decem duntaxat ætatis suæ annos habens.

Sigismundus Augustus coronatur.

Anno 1531. Petrilo Palatinus Valachiæ infestis armis in Pokuciam irruit, Snijatinq; & Coloniam cum adiacentibus pagis exussit. Rex itaque sex millibus militum pro stipendio conscriptis, Ioannem de Tarnouia Comitem eis præfecit, contra Valachiosq; destinauit. Poloni igitur ad Obertinam castra metati sunt, in loco munitissimo. Petrilo uerò Palatinus Valachiæ cum quinquaginta millibus Valachiorum, & Turcarum atq; Hungarorum in colle editiori sese apparuit: tormentaq; bellica aliquot in Polonos direxit: nihil tamen effecit. Postea utrinq; tormenta exonerantur, plurimosq; Valachiorum Poloni globis, glandibusq; ferreis trucidant. Inde infestis armis maximo clamore utrinq; cōcurrunt, gladijs, lanceis, omniq; telorum genere res geritur. Poloni fortudine, Valachij multitudine superabāt. Posteà Poloni tormenta, bombardasq; in Valachos exonerant: exercitumq; eorum fudunt, dissipant, & undique affligunt. Sicq; Valachij ordinibus solutis terga uertunt, quos Poloni omnibus copijs effusis insequuntur, fugant, cædunt, turbant, trucidantq;. Itaque omnis generis rerum copia ex castris eorum onusti, quinquaginta maioribus tormentis ablatis, milleq; captiuis insignioribus abductis, ad Regem reuersi sunt cum insigni uictoria.

Valachus Poloniam infestat.
Acer conflictus.
Poloni Valachos profligant.

Anno Domini 1532. in Morauia supra Olomunciam tres soles apparuerunt.

Tres soles.

Anno 1535. Ouczina tutor, Gubernatorq; moderni Ducis Moschouiæ, ualida manu in Lithuaniam excurrit, quam igne et ferro peruastauit, quindecim milliaribus à Vilna reuersus est. Rex itaq; Polonię milites stipendiarios, uoluntariosq;, quibus Ioannem de Tarnou præfecit, in Moschouiam destinauit, cum quibus Lithuani uires suas coniunxerunt, finesq; hostiles ingressi arcē Homel expugnarunt, suisq; præsidijs munierūt. Inde rectà ad Starodub arcem munitissimam, in qua Ovvczina, Suyski, & Koluczovv, cæteriq; Proceres Moschorum erant, contendunt: eamq; grauiter tormentis bellicis adactis oppugnant. Moscouitę quoque quorum numerosa multitudo in arce fuit strenuè sese defendunt. Arx ex roboribus ædificata, terraq; & lapidibus propugnacula, & parietes impletæ erant: ideò

Moschouitæ Lithuaniam uastant.
Poloni in Moschouiam contendunt.

tormenta in cassum exonerabantur. Postea pulueribus, bombardarijs suppositis, arcem inten derunt: thesaurosq; ingentes quibusdam flamma absumptis asportauerũt. Ovvczina Gubernator totius Moschouiæ, Suijski, Koluczovv, cæteriq; Magnates & proceres Moschouiæ capti sunt. Vulgi uerò multitudo exercitũ Regiũ numero 60000. superabat: qua de causa Ioannes Comes de Tarnovv, supremus Dux exercitus, omnes senes, plebeios, & parum idoneos decolari iussit, iuuenibus, nobilibusq; & uirginibus relictis.

Starodub capta.

Sigismundus moritur.

Anno Domini 1548. Sigismundus Rex multis gestis præclaris summa cum laude strenuè editis, imperioq; in pace relicto, & Reipub. rebus rectè dispositis, uitam cum morte fœliciter commutauit, ipso die solenni Paschæ ætatis suæ 81. annos, menses duos [illegible] dies septem peregit, Cracouiæ in Basilica arcis honorificè 26. die Iulij sepultus.

Melstinski se Christum fore finxit.

Martinus Bielski Polonus, qui annales Polonorũ uulgari lingua conscripsit: facit mentionem, in principio imperij huius Sigismundi primi: Nobilem quendam Iacobum Melstinski, prætorem de Brezinij ciuitate, ex leuitate quadam animi, seu potius desperatione, nomen, autoritatemq; Christi sibi asciuisse, Petrumq; Zatorski ciuem Cracouiensem, cæterosq; sibi similes latrones duodecim, secundum numerum Apostolorum elegisse: singulisq; nomina Apostolorum imposuisse: se uerò Iesum Christum appellasse. Qui per uillas ubiq; ambulantes: prodigia, morionum, et præstigiatorum more exercebant: sycophãtasq; alios, & latrones uelut mortuos subornantes suscitabant: pisces in paludes lutosas primo impositos, ubi nunquam eos nasci possibile erat, in nomine Christi sui manibus capiebant: panes in fornaces imponebant: in nomine Christi cum illic ante non essent, depromebant: cum ingenti simplicis uulgi admiratione. Quodam tempore ad Cestochouiam Monasterium diuæ uirginis imagine celebre, prædictus Christus cum suis Apostolis ubi adhuc ignotus erat uenit, cumq; illic aliquot diebus morarẽtur, unum ex suis quasi absessum à dæmone subornauerunt: cuius opera uictum acquirebant, cum sua coquina carerent: ille enim quasi dæmophoretus per hospitia, diuersoriaq; ambulans, carnes de coquinis rapiebat, in suosq; proijciebat, qui cruce illas munientes carnes comedebant. Illic autem ingens erat confluxus populi tunc temporis ad diuæ uirginis imaginem, quæ ibi perinde, ut apud nos in Loreto miraculis celebris est. Prædicti itaq; sycophantæ, illum obsessum suum, ad altare diuæ uirginis ducũt: duplici ueste ad id studio præparata indutum, in cuius intercapedinem necessaria imponere posset: lapillos uerò intra indusium à corpore ei imposuerunt, cumq; ad altare deduceretur, ille è manibus ducentium furibundus, sese proripiens, in altare oblationibus pecuniarijs onustũ irruit, pecuniasq; de altare rapiens in uestis duplicatæ intercapedinem eas imponebat. Monachus uerò ab altari diuino officio intermisso aufugit: cæteri Monachi stupidi accurrentes cingulum illius resoluunt, putantes eum pecuniam intra indusium posuisse: sed lapilli duntaxat quos ante studio imposuerat, in terram exciderunt: pecunia uerò in ueste publicata remansit. Monachi igitur mœsti pecuniam arte dæmonis in lapillos transformatam putantes, exorcismos, orationesq; supra lapillos sine intermisione fundunt: ut deinde in pristinam formam transformarentur: sed cum lapilli immutati in sua forma perseuerarent, Monachus librum Agendam (ut dicitur) indignabundus in terram proiecit dicens: adhuc talem dæmonem nunquam experti sumus: abite cum eo ad omnes dæmones. Hoc latrocinio prędicti sycophãtæ perpetrato, cum illa pecunia recta in Silesiam uicinam Poloniæ perrexerũt, simplicem uulgum suis præstigiationibus seducentes, ubi ad quandam matronam nobilem, in quodam pago diuertentes, dicũt ad illam Christus te cum suis Apostolis uisitat ô mulier, ideò te offer illi, et saluabitur anima tua. Illa uerò uirum domi non adesse, in cuius absentia id sibi non licere, respondit. Cui Apostoli dixerunt: Habes ne mappas uel telam ad sacrificandum: mulier uerò ligaturam telæ illis obtulit. Qui dixerunt, hanc nobiscum accipiemus, Christusq; tibi benedicet, ut tibi linum abundantius crescat, ostende aliam si habes telam: quam cùm similiter accipere uolebant, mulier dixit: non dabo uobis hanc: maritum enim timeo. Illi autem frustulum fomitis cum igne in telàm inuoluentes mulieri reddiderunt: quam illa nihil suspicans in cistam reposuit. Itaq; cista à tela, à cista uerò domus accensa in flammã abijt. Vir igitur illius uxoris reuersus domũ, conflagrantem inueniẽs: causam sciscitatur, cui uxor se malè Christum cum suis Apostolis tractasse respondit: ideò hanc plagam iniustè in se permisisse. Vir autem ira excandescens, latro hic inquit nequissimus, & non Christus fuit. Ideò cum uicinis malefactores persequitur, quos in quadam uilla insequuti sunt. Ille itaq; Pseudochristus re animaduersa ad illum qui uocabatur Petrus dixit: Petre iam mea passio, calixq; quem bibiturus sum appropinquat. Cui Petrus: Et mihi ue

Latrocinium insigne.

Exorcismi supra lapillos.

Aliud latrocinium Pseudochristi.

videο

uideo Domine imminet. Christus uerò dixit: Petre ego aliter nō possum, nisi per fenestrā hinc euadere. Ad quem Petrus: Et ego te quò ad uiuam non derelinquam Domine, sed quocunq; tu fugieris, sequar te. Sicq; ille Christus per fenestram, Petro sequente aufugit: cæteri quoq; Apostoli qua potuerunt euaserunt. Quos uillani una cum suo Christo insecutos, & undique circumuentos baculis, fustibusq; preustis cædunt, dicentes. Prophetisa nobis Christe cum tuis Apostolis, qua in sylua hij baculi creuerint. Sicq; plagis emendati uitam suam pœnitentiam agētes, postea emendarunt, dicentes: Difficile est nobis Christi passionem, Apostolorumq; tormenta subire.

Fuga Pseudochrysti.

Pseudochristus cum apostolis baculatur.

SIGISMVNDVS AVGVSTVS.

Anno salutiferi uirginis partus 1548. iustis Sigismundo primo honorificè sumptuoseq; persolutis, Sigismundus Augustus, filius eius Magnus Dux Lithuaniæ: Regni habenas moderandas suscepit, quas summa cum prudentia & fortitudine in pace gubernauit.

Sigismundus Augustus.

Hic anno Domini 1543. Ferdinandi Romanorum Hungariæq; & Bohemiæ Regis filiam Helisabetam, matrimonio sibi copulauit, quę Cracouiā honorificè allata est. Postea immatura ętate & sine prole añō Domini 1545. decimaquīta lunij è uiuis decessit.

Prima uxor Augusti.

Deinde Barbaram Lithuanam ex domo Radiuilorum, quæ ante Gastoldo Lithuano nupta fuerat, duxit. Inuita matre Regina Bona, Proceribusq; Poloniæ repugnantibus, hocq; matrimonium indignè ferentibus, & parum abfuit quin rebellio eorum cœpta in perniciosam seditionem abijsset. Hęc quoq; non multo post è uiuis sublata est sterilis: non sine ueneni suspitione, quam Rex Cracouia, Vilnam usq; Metropolim Lithuaniæ deduxit, ibidemq; in Basilica arcis diuo Stanislao sacrata, honorificè tumulauit.

Secunda uxor.

Hac mortua ad redintegrandam cum Ferdinando amicitiam, et affinitatem conuersus, alteram filiam eius Catherinam, quam Franciscus Dux Mantuæ uiduam reliquerat, germanam sororem Helisabetæ duxit. Nuptiarum solennia celebrata sunt Cracouiæ 31. Iulij anno Domini 1553. quam postea sterilitate causata repudiauit: Maximilianoq; fratri Romanorum Imperatori Germaniam honorificè remisit.

3. uxor.

Tandem anno Domini 1553. iustissimum bellum aduersus Guilhelmū Furstemberk, Magistrum Liuoniæ ordinis Teutonici suscepit: centenisq; millibus equitum & peditum electorum, tam Polonorum quam Lithuanorum, Rutenorumq; accinctus, in Liuoniam sua persona contendit. Sed Liuoniæ Magister difficilè contra stimulum calcitrare uidens, supplex pacem efflagitat, præliumq; deprecatur, & se cum uniuerso ordine, & tota ditione in fidem & clientelam Regis submittit, prout latiùs in Liuoniæ descriptione patet.

Augustus contra Liuones contendit.

Tandem Princeps Moschouiæ anno Do. 1558. hæreditarij cuiusdam iuris & denegati tributi prætextu numeroso cum exercitu in Derptensem Liuoniæ prouinciam excurrit, Derptamq; ciuitatem Episcopalem cum arce cœpit, ac plures munitiones temporis successu expugnauit. Itaq; Sigismundus Augustus Rex, Liuones feudales & clientes suos strenuè propugnando bellum (pio dolore stimulante) cum Moschouiæ Magnò Duce suscepit, quod uario Marte tam in Liuonia, quàm in Russia alba, diu durauit, & in hūc diem fœdere intercedente perseuerat.

Bellum cum Moschorum Duce.

Anno Domini 1562. sub tempore Carnispriuij Februarij 23. die, Ioannes Basiliades, Magnus Dux Moschouiæ, trecētenis millibus armatorum coadunatis in sua persona Poloczkam dura oppugnatione cœpit, unde thesauros dictu incredibiles, captiuorumq; octuaginta millia quibusdam cæsis, in Moschouiam abduxit. Iudæos uerò omnes baptismum abhorrentes, aquis Dvvinæ fluuij submergere fecit. Solummodò Polonos stipendiarios remuneratos, liberos dimisit.

Dux Moschouiæ Poloczkā capit.

Postea anno Domini 1564. Magnus Dux Moschouię, detentis oratoribus Lithuanorum, diutiùs in Moschouia, exercitum celeriter conscripsit, quem absolutis oratoribus in Lithuaniam populabundum destinauit. Hic exercitus in duas partes diuisus unus à Smolensko Duce Srebrnij, alter à Poloczka Duce Soiski cōtendebat, qui in campis Czasnicienfibus ad Vlam fluuium castrametatus est. Nicolaus uerò Radiuil Palatinus Vilnensis, Dux exercitus Lithuaniæ supremus, et Gregorius Chodkievvicz. Campiductor, rem certam ab exploratoribus de illis tenentes, parua manu hostes aggrediuntur, securosq; & inopinatos cædunt, trucidant, confodiunt, fugantq;: qui per syluas & agros paludes, partim à colonis cæsi, partim aquis submersi sunt, quorum triginta millia occisa esse compertum est. Ibidem Petrus Soiski supremus Dux exercitus Moschouitici uulneratus fuga euadens,

Moschouitæ funduntur.

Soihki occisus. uadens, à Rustico securi (cum magno dolore Lithuanorum, quod uiuus non caperetur) occiditur, Vilnam delatus honorificè in Ruthenorum Basilica sepelitur. Alius uerò exercitus, qui à Smolensko ad Orsham cum Duce Srebrnij contendebat, audita suorum cruenta, infœlicique clade, metu perterriti, omni bellica ipsaque copiosissimo suppellectili abiecta, in pedes sese coniecerunt, turpique fuga saluti suæ consuluerunt. *Sbreny fugatur.*

Anno Domini 1564. ipso festo diuæ Margaretæ, Magnificus Dominus Stanislaus Pacz Archidapifer Sacræ Regiæ Maiestatis Magni Ducatus Lithuaniæ, ac locum tenens tunc temporis Palatinus Vitebliensis, collecto ex Vitebliensi Palatinatu exercitu, adiuncta curia sua, & duobus centurionibus, alijsque cohortibus, quibus præfecerat Duce Stido rum Signiferum Vitebliensem, & Ioannem Sniеporod tenutarium Vitebliensem, hi in armatura leui duorum millium, contra hostem Moschum, qui tunc temporis arcem Iezeriscza tredecim millibus armatorum grauiter oppugnabat, processerunt, manusque acriter conseruerunt, & hostium perrupta acie tormenta obtinuerũt: ulterioremque exercitum qui fugam cœperat, insequuntur, trucidant, uerberant, confodiunt, nonnullos captiuant: octoque millia Moschorum cæsa, cæteri armis abiectis quoquo potuerunt fuga saluti suæ consuluerunt. Nostri uero omnem supellectilem bellicam, & uniuersa hostium arma, tormentumque magnum: tela ignea, uexilla, bombardas, & id genus alia abstulerunt, & ipsi Dei benignitate sani & incolumes spolijs onusti paucis in conflictu desideratis, ad Vuitepskã redierũt. Georgiũ autẽ Tovvmak Dux exercitus hostilis uix euasit, qui posteà uiribus resumptis, eandẽ arcẽ Iezeririscza acerrima oppugnatione, & igneis telis expugnauit. *Moschouitæ sternuntur.*

Postea aliquot annis uario Marte utrinque certatum est, magnis & paruis congressibus, arces quoque alterutrum tentate & Dux Romanus Sangusko Campiductor exercitus Lithuanici uires Moschorũ debilitauit: paruaque manu magnas copias hostiles sæpius fudit. Sussam & Vlam arces Moschouiticas sæpius tentauit. *Dux Romanus.*

Anno Domini 1567. 16. Septembris, nostrates ex Vvitebsza in Sitno lacu Moschorũ trecentos occiderunt, bombardas 120. pulueris, globorumque multitudinem, & spolia abstulerunt. Eodem anno, pedites nostri ex Vitebska 12. Decembris, sub arce Vvielisſ multos Moschos prostrauerunt, cæteri ex ijs fugientes in Duna fluuio submersi sunt. Duo nobiles Alexius Simiczovv, & Bachdanus Hreori cum multis alijs captiui abducti. *Sitno lacus.* *Moschouitæ cæsi.*

Tandem anno Domini 1568. Sigismũdus Augustus Rex, conscripto ualidissimo exercitu, ipsoque electissimo plusquam centum millium cum tormentis, & omni suppellectili bellica sufficienti sumptuosaque, in Moschouiam sua persona tendere proposuerat, ad Rodoskovvicze, que à Vvilna 24. milliaribus progressus, ibidẽ castrameratus, aliquot hebdomadis transactis, re infecta exercitus parte dimissa, ipse Grodnam reuersus est. Stipendiariorum militum, equitum, & peditum copias, cum tormentis magnis muralibus, ad Vlam arcem Moschorum expugnandam destinauit, quibus Illustrem Dominum Ioãnem Chothievvicz, Capitaneum Generalem Samogitiæ, uirum militiæ peritum, & in bellis de Carolo quinto optimè meritum præfecit: sed quamuis arcem grauiter strenueque oppugnarent, auxilio obsessis adueniente, re infecta obsidionem soluere coacti sunt, quam postea Dux Romanus Sãgusko inopinata irruptione cœpit & exussit, anno Domini 1568. 28. die Septembris. Hostium maior pars cæsa, cæteri combusti, quidam in Duna & Vla fluuijs, qui eam præterfluunt fugientes naufragio perierunt: pauci captiui abducti, ex nostris aliqui uulnerati, spolia magna, exuuias, pecuniæ argenteæ multitudinem, & tormenta aliquot abstulerunt, & cætera multa instrumenta bellica. Victus maior pars combusta, arcem ipsam nostri occupauerunt, quam & nunc suis præsidijs tenent, attamen longè à priori structura, (ut eam Moschouitæ firmauerant) differentem. Hanc nos anno Domini 1564. cum eam in primis Moschouitæ ædificare cœperunt obsideramus, nihil tamen nescio cuius causa (alter iudicet) effecimus, quamuis in strenua peditũ oppugnatione quidquam defuerit. Ibi Nicolaus Venetianus Rotmagister peditum in Leplo, glandæ bombardæ ictus strenuè officium suum adimplens hebdomada elapsa in Vitebsca occubuit. Ego quoque cum peditibus Rotæ meæ tormenta defendens, undique hostili manu ex arce erumpente circundatus, uim impetuosam sustinere non ualens, uix de manibus ferè hostium armata manu euasi. *Expeditio in Rashouice Regia.* *Vla obsessa.* *Vla capta.* *Venetianus occisus.*

Eodem anno 1568. nostri pedites Vitebliensis nocturna irruptione inopinata iuxta Velisiam arcem Moschouiticam ciuitatem exusserunt, hostiumque 300. occiderunt, et spolia magna abegerunt. Ianuarij 5. die. *Vielis exustio.*

Postea 17. Ianuarij, ijdem pedites nostri sub arce Moschouitica Vsvviat, ciuitatẽ septis penetra- *Vsuuiat direpta.*

penetratis, perfractisq; exusserũt, multis occisis bombardas & spolia exuuiasq; multas abstulerunt, parum abfuit, quin arcem ipsam caperent.

Eodem tempore Ianuarij 18. Birula cum suis peditibus (qui uulgo *Kozacy* dicuntur) id est, qui hostem furtiuè et inopinatè adoriri solent, Italicè Corsari, Germanicè Freibiteri dicuntur, qui in mari latrocinantur, sed Ruthenis huiusmodi *Kozacy* dicuntur, qui uias hostium circumsident, & furtiuè, inopinateq; interdũ decem *Kozacy* prędicti ad centum Moschos ex insidijs irruunt, inopinatosq; trucidant, ex Moscouiæ terra à Ducatu Biela magnis spolijs onustus, cum captiuorum multitudine Vitebskam redijt.

Kozacy. Corsari. Freibiteri.

Tandem 28. Ianuarij nostrates pedites ex Vitebska & Surasa arcibus, cũ equitibus Domini Palatini Viteblensis Paczi, Vilesiam circũuserunt, erumpentes hostes ex arce cum Rotmagistro eorum Poluiato occiderunt. Aulicos quoq; Magni Ducis pręcipuos triginta, cum trecentis equitibus ad præsidium arcis ferendum eadem nocte uenientes, inopinatos in ciuitate fuderunt, cæteris fuga dilapsis nondum enim in arcem quod intempestiuè uenerint, intromissi erãt, Ioannem Michaelis Holouinum insignem uirum, Magni ducis Pincernam captiuum multis spolijs onusti Vitebskam abduxerunt.

Vielis exusta. Captiui insignes.

Eodem anno 27. Maij die, in festo Ascensionis Domini, nostrates ex Moschouia cum magnis spolijs & exuuijs uenerunt. Rotmagistrũ cum uxore & septem nobiles, cum multis alijs captiuos adduxerunt.

Eodem tempore 29. Augusti Viteblienses nostri, ciuitatem sub arce Vsvviat exusserunt, captiuisq; & exuuijs onusti, Vitebskam redierunt. Huiusmodi autem excursiones innumeras nostri pedites Viteblienses cum maximo damno hostili quotidiè, dies, noctesq; exercebant, propter suam utilitatem, uidelicet, spolia enim magna referebant. Arcium reliquarum finitimarum excursiones taceo, nisi huius mentionem facio cuius ipse præsidia egi.

Vsuuiat exusta.

Anno supradicto 1565. Septembris 29. die in festo Diui Michaëlis Archangeli noctu diem ueneris præcedente, Moschouitarum cum Tartaris Nahaicensis Hordæ, sex millia numero, sub Vitebskam uenerunt, quibus præerant tres Palatini præcipui, Seremiet, Basilius Buturlin, & Hreori Szoborovv, duobus diebus sub arce exactis, ciuitate in duobus locis succensa nocte tertia sequente discesserunt.

Tartari Nahaicenses cum Seremiet Vitebskam oppugnant.

Postea per legatos, oratoresq; generales, Magnus Dux Moschouiæ & Rex Poloniæ, fœdus ad tres annos utrinq; percusserunt. Legati nostri anno Domini 1571. Vorsouiam ad Regem ex Moschouia fœdere confirmato redierunt, ex Polonia Palatinus Ino Vvladislauiensis, ex Lithuania Castellanus Samogitiæ.

In hoc fœdere año Do. 1572. Serenissimus, Inuictissimusq; Rex Poloniæ Sigismũdus Augustus, Magnus Dux Lithuanię, Russiæ, Prussię, Masouiæ, Samogitię, Liuoniæ, &c. Dominus & hæres, pacis in tota uita sua amantissimus, uereq; Christianissimus appellandus obdormiuit in Christo, Iulij 18. die Knyssiniæ, in confinibus Lithuaniæ, & Podlassię, Masouiæq;. Interregnum per integrum annum pacificum, & Diuina ferè protectione communitum, contra spem omnium, nullo finitimorum hostium ne quidam mussitante durauit.

Sigismundus Augustus Rex moritur.

Interregna Regni Poloniæ fuère nouem à Lecho primo authore & propagatore gentis, ab anno Domini, ut quibusdam placet 550. usq; ad hunc annum currentem 1572. in quo naturæ debitũ persoluit prædictus Inuictissimus Princeps Sigismũdus Augustus.

Primum interregnum post Lechij deficiẽtem progeniem in Polonia extitit, cui postea incerto tempore Visimirus, secundum quosdam, Visimiro autem Cracus successit.

Secundum interregnum post Vandam Craci filiam, quæ dijs uirginitatem deuouens, uicto tribus cruentis prælijs, Ritagora Duce Germanorum, in Vistulam sese pręcipitauit, postquam duodecim Palatini prouincias distributas rexerunt.

Tertium interregnum cum equorum cursu Præmislao sterili decedente, de Principatu decertarent, dum Lesconi infimæ familiæ iuueni Sceptrum obueniret.

Quartum interregnum post Popelum secundum, Crusphiciæ à muribus deuoratum, quando Piastus ille Crusphiciensis ciuis, & agricola simplex, sed probitate pollens, communi omnium consensu Monarcha designatus est.

Quintum interregnum post Mieczlaum siue Miesconem 2. quando Rixa uxor sua Senatus consensu, Imperium aliquod annis, cum detrimento Regni administrauit, quæ postea ob suam peruersitatem à Polonis iustè in Saxoniam ad fratrem Imperatorem Romanorum, cum Casimiro hærede innocuo exclusa est.

Sextum interregnum post Præmislaum occisum ab Othone Lango, & Marchionibus Brandenburgensibus, quando Venceslaum Bohemorum Regem, ad sceptra regenda uocauerunt.

Septimũ interregnum post Casimirũ Magnum Vvladislai Lokietkonis filium, quando Ludouico Hungariæ Regni obtulerunt.

Octauum interregnum post Ludouicum Hũgariæ & Poloniæ Regem, qando Iagelonem Lithuanum, ad Reginæ Heduigis filiæ Ludouici connubium uocauerunt, cui & Regnum obtulerũt. Huius posteritas ad hoc usq; nonum modernum interregnum durauit. Sed ad rem unde digressus sum redeo.

Conuentus de electione Regis. *Varijs in legationibus.*

Año eodem 1572. statim post mortem Regis multi conuentus particulares, nobilium & procerum Regni, Magniq; Ducatus Lithuaniæ celebrati sunt, de pacificandis finibus tam Podoliæ à Tartaris, quàm Lithuaniæ, Russiæq; à Moschouitis, & de electione Regis tractantes. Subindè multi legati & oratores, tam à summo Pontifice, Imperatoreq; Romanorum Maximiliano, quàm à Rege Franciæ & fratre suo Henrico Andegauensium, et Borboniorum Duce, à Rege Suetiæ, alijsq; Monarchis, Ducibus, & Principibus circumiacentibus adueniebant. Omnia tamen in pace Diuina protegente clementia, cõtra spem omnium agebantur.

Tartari prostrati.

Tandem año Domini 1573. in Sabbato magno Paschæ præcedente Tartarorum mille octingenti, cum Ducibus Baca & Sicoza, in Podoliam sub Baram arcem excurrerunt, uicisq; aliquod & prædijs circumiacentibus succensis, cum spolijs reuertentes ab aulicis & seruitoribus Buczacij Capitanei Camienecensis, inopinata irruptione trucidantur, confodiuntur, & spolijs abiectis cæteri in fugam conuertuntur.

Electio Regis.

Electio incœpta est celebrari extra Vistulam orientem uersus apud Varsouiam in tentorio magno 7. Aprilis die, ubi omnis Senatûs Regni, & Magni Ducatus Lithuaniæ de eligendo nouo rege consultabant. Intereà Machmet Bassa supremus cõstantinopoli, literas intercessorias per oratorem suum ad Senatũ destinauit, intercedẽdo nomine Imperatoris sui pro Henrico Andegauensiũ, Borboniorũ Duce Regis Galliæ fratre, in Regem eligendo, multis cõditionibus utilibus Regno proposuit. Hic legatus retentus erat à Buczacio Capitaneo Camienecẽsi, tandiu donec innotesceretur Senatui. Venit itaq; Varsouiam 12. Maij, auditus 17. absolutus. 21. Postea ab ipso Imperatore Sultano Zelim orator Achmet Czaus fuenit, Imperatoris sui gratiã, amicitiam & beneuolentiã omnem Senatui denuncians, rogando, synceriterq; optando, quatenus aliquẽ ex suis dignum uirũ, in Regem eligere dignarentur, ex hijs præcipuos proposuit. Iacobũ Vchanski Archipresulẽ Gnesnensem, Primatem regni, Ioannẽ Fierlei de Dambrouicza Palatinũ Cracouiẽsem, regni Marschalcum, Georgiũ Iazlovvieczki Palatinum Russiæ, Nicolaũ Mieleczki Palatinum Podoliæ, quod si id facere tenuerint, obnixè rogauit, ut huiusmodi Regẽ ab extraneis quærerent, qui fœdus et amicitiam cum Imperatoribus Turcarũ & Tartarorũ auxiliares copias, ad quemuis hostem eorum si oporteret reprimendum. Pro quo beneuolẽti auxilio Senatores ei gratias egerunt: dicẽtes, sibi benignitate Diuina ad quemlibet hostem propulsandum uires proprias sufficere, huiusmodiq; auxilijs minimè egere.

Orator à Bassa Turcarum. *Orator Imperatoris Turcarum:* *Legatio Turcica.*

Itaq; post multas consultationes, Henricum Andegauẽsium, Borboniorumq; Ducem, eligendum censuerunt, aliquot Palatinatibus, Cracouiæ uidelicet, Sandomiriæ, & Podoliæ non consentientibus, priusquam sententiæ de religione in suo statu concluderentur, & iura, ac leges cum immunitatibus nobilium rectè cõstituerentur: sed in eundem Regem in quem cæteri consentiebant.

Archiepiscopus itaq; Gnesnensis, Primas regni, Henricum prędictum Andegauensiũ Ducem, Regem electum esse denunciauit. Quamobrẽ commoti sunt Domini Marschalci, & cæteri ordines ad quos hoc officium pertinebat, multiq; re incõtinuata, domos suas repetere proposuerant. Postea diuina affulgente gratia, dissidijs utrinq; compositis, insimul conuenerunt. Maijq; 13. & 14. diebus, pacta & conditiones ad libertatem, immunitates, leges & iura regni, Magniq; Ducatus Lithuaniæ, cum Legatis Frãcicis Henrici Ducis statuerunt. Quæ omnia iuramento solenniter (cuius formam Episcopus Cracouiensis tradebat) prædicti legati confirmauerunt, & firmiter tenenda, administranda, augendaq; semper à Duce suo, Rege futuro promiserunt. His solenniter peractis, omnes & singuli, tam Poloni quàm Lithuani unanimiter concordibus uocibus, & suffragijs electum & cõfirmatum Regem Poloniæ, Magnumq; Ducem Lithuaniæ, & c. supranominatum Duçem Andegauensium Henricum Caroli Regis Galliæ fratrem, denunciauerunt, solenniterq;

terq; confirmauerunt. Quem Ioannes Fierlei de Dambrouicza Palatinus Cracouiensis, Marschalcus Regni Poloniæ, & Ioãnes Chodkievvicz, Capitaneus Samogitię, Marschalcus Generalis Magni Ducatus Lithuaniæ Lithuanis, proclamauerunt. Sicq; rebus omnibus cõclusis, Varschouiæ in Ecclesiam Diui Ioannis, tam Catholici quàm Euangelici cõuenerunt: concordibusq; uocibus unanimiter, Te Deum laudamus, & alia secundum ritum Ecclesiæ Romanæ decantauerunt: bombardas & tormenta grandia, ad lætitiam exprimendam explodentes.

Concilio nondum dimisso tabulæ electionis confectæ sunt. Ad eas in Galliam perferendas, & salutandũ Regem Electum delecti tam à Senatu Poloniæ, & Lithuaniæ, quàm ab Equestri ordine, tredecim oratores magno nati loco, & singularis prudentiæ uiri. Legationis Principem locum obtinebat Adamus Conarski Episcopus Posnaniæ, eius collegę Albertus à Lasko Palatinus Syradiensis: Ioannes Comes à Tenczin Castellanus Voiniciensis: Ioannes Tomiczki cum Nicolao filio, Gneznensis Castellanus, Andreas Comes à Gorka: Ioannes Herbortus Castellanus Sanocensis Stanislaus Criski Castellanus Raciaznensis: Nicolaus Christophorus Dux in Olika & Niesvviez, Ioannes Zamoiski Belsensis Præfectus: Ioannes Zborovvski Odalanouiensis: Nicolaus Fierlei Casimiriensis: Alexander Prunski Palatinides Kiouiensis: petita quidem facultate nondũ tamen impetrata per Germaniã transeundi accelerantes in Galliam salui peruenerunt. Parisijs 14. Calendas Septembris fœliciter appulerunt, nullo suorũ in itinere relicto, quorum præter legationis Principes & complures nobilissimos adolescẽtes, in comitatu erant amplius ducenti quinquaginta: omnesq; à Rege Carolo & suis procuratorib. comiter qua cum decebat reuerentia suscepti, omnibus officijs blandè hospitalitatis tractabantur.

Legati in Galliam.

Conclusionibus autem & conditionibus ultro citroq; alterutrùm absolutis & compositis, frequentibus cõuiuijs lautissimè apparatis interuenientibus, Rex electus Henricus omnibus rebus ad tantum iter comparatis, Parisijs ualedixit 4. Calen. Octobris. Abeuntẽ uniuersa Gallica nobilitas, ciuium omnium turmæ faustis ominibus sunt prosequuti.

Henrici regis Parisijs discessus.

Rex Carolus proposuerat cum uniuerso comitatu ad ultimos regni fines cum fratre amantissimo progredi, nec prius diuelli, quàm ad Germaniæ limites uentum esset: uerùm in ipso itinere morbo correptus propositum mutare coactus est: animo & corpore fratris discessum ægrè ferens. Rex electus, fratre Carolo amantissimo infirmo relicto, à Catalonorum finibus Nansium peruenit: ubi à Duce Lotharingę Sororio, cum omni comitatu, lautissimo hospitalitatis apparatu exceptus est. Tunc temporis uero duplex gaudium accidit: nam Claudia coniunx Ducis filiam recens enixa erat: cui in sacrosancto Baptismo, Posnaniensem Episcopum, & collegas, Christiano ritu sponsores esse uoluit.

Itinera Henrici Regis.

Postea ualedictione Sororio data, Henricus ad Imperiũ citato cursu pergens Blamontum peruenit, ubi cum Catharina charissima matre, & Francisco Duce Alenconiorum fratre dilectissimo, cum Margaritaq; sorore amantissima, & alijs proceribus Galliæ ultimo amplexus est. Eum in Poloniam usq; sedis Romanæ nuncius, Episcopus Montisregalis, & magna nobilitatis Gallicæ caterua, Duces & Comites, magnoq; in illis regionibus natali loco uiri sexcenti ferè, cum suo comitatu Gallico, præter Polonos secuti sunt. Germaniæ Principes Blamontum usq; regi obuiam uenerunt, utpotè Christophorus Friderici Comitis Palatini filius, Princeps Paruæpetræ cum Ludouico fratre, per quos uelut itineris duces Rex Tabernas oppidum deducitur, ubi àb Episcopo Argentorati susceptus est incredibili hospitalitatis officio, cũ uniuerso comitatu. A Tabernis per Nemetes & Vangiones ad Rhenum fluuium celeberrimum uenit, quo superato ad Fridericum Comitem Heidelbergæ agentem diuertit, qui etiam Regem & insperatum hospitem, summa hospitalitate prosecutus est. Transito postea Rheno ad Vangiones reuertitur, & Moguntiã peruenit, à cuius urbis Antistite cum sexcentis equitibus Germanis, honorificè exceptus est: Rhenoq; fluuio tertio superato, Francofordiam ad Mœnum sitam contendit, ubi etiam à ciuibus summa cum obseruantia tractatus fuit. Francfordia mouẽs Fuldam oppidum in uigilia Natalis Domini peruenit, ubi festis trãsactis, Vahicum appulit, ubi etiam à Vilhelmo Landgrauio cum tribus equitum Teuthonicorum millibus occurrente, maximo hospitalitatis honore susceptus est. Postea superatis Visurgi & Albi fluuijs in Saxoniam intrauit, ibiq; à Casimiro Saxoniæ Principis genero, cum duobus millibus equitum, nobilitatis Saxonicæ armatorum salutatus est, et ad fines ipsos regionis honorificè perductus. Locris postea à Legato Maximiliani Imperatoris mille quingẽtis equitibus cincto susceptus, & salutatus ad Marchiæ Brandeburgensis Principis Poloniæ Vasalli, fines perdu-

Henrici regis in Germaniã ingressus.

In Saxoniam ingressus.

Ingressus Marchiam.

Hb 4 ctus,

ctus, à cuius quoq; aulicis nullo officio hospitalitatis prætermisso honorificentissimè exceptus Francfordiam Oderæ fluuio qui Poloniæ fines cum Germanis dirimit contiguam perducitur. Poloni itaq; fines suos ultra Oderam iam læti considerantes, Deo omnipotenti uota persoluebant. Rex etiam Henricus Imperatori, omnibusq; Germaniæ Principibus, per quorum regiones iter habebat, pro fide publicè data, & sincerè conseruata gratias immensas per facundū oratorem, suoq; ore proprio confirmatas egit. Tandē fœliciter Miedzirzece oppidum Polonicū peruenerunt, ubi maximo cum gaudio à Nobilitate gentis Poloniæ, proceribusq; & magnatibus summo apparatu pōpis, copijsq; instructissimis susceptus est. Post hoc in maioris Poloniæ Metropolim Posnaniā honorificentissimè deductus, magnificentissimeq; acceptus plures dies in ea transegit, et Cracouiā contendens, ad sepulturā Sigismundi Augusti prædecessoris solenniter honestandā, Albertum Marschalcum Franciæ, Comitē Radesiarum præmisit. Quæ tunc temporis ante aduentū suū solito more peragebatur, ea nunc nobis breuiter describenda uidentur: nam cum de Serenissimi & potētissimi Regis Diui Sigismundi Augusti uitæ curriculo, rebusq; feliciter gestis, tum placida & beata ex hac mundi colluuie emigratione, interregniq; fœlicissima tranquillitate, multa superius cōmemorata sint, id unū re humanissime Lector, desiderare amplius uelle existimaui, qua is funeris pompa, et honore ad sepulturam latus, quoq; splendore, & qua magnificentia, iusta ei facta essent, de qua re, quoniā ea quoq; ut reliqua, honorificentissima ipsi meritò contigerunt, quàm potero paucis dicam.

Ingressus in Poloniam.

Cùm enim iam annos 50. exegisset, & arduis curis, ijsq; frequentibus regni debilitatus, & lenta morbi diuturni tabe confectus esset, integris planè uniuersis, & immotis animi sensibus, de ærumnosa hac uita, obitu sanè per quam trāquillo, & pio discessisset, Knysiniæ quo se Varsouia Lithuaniam inuisurus contulerat. De Knysinia postea Tikocinam arcem quam ipse ædificauerat munitissimam, duobus milliaribus distantem, funus deductum, tandem Tarsouiam uno quasi añō exacto, Varsouia Cracouiam cum magna Senatorum pompa, Regina sorore sequente, deducitur ad sepulturam, cùm iam fœlix aduentus Regis electi Miedzirzeciam nunciaretur, ante Cracouiā aduectum, Pradnik Curia depositum, triduoq; exacto, omnibus pro iustis persoluendis tāto Principe dignis præparatis 15. Februarij die Omnes Senatores, & Episcopi, ac Equites qui ad id funus cohonestandum & expectationem futuri regis undiquaque confluxerant, lugubri uestiti habitu, ad Serenissimam Reginulam Annam Infantem, prudentissimam, pijsimamq; & honoratissimam uirginem, in arcem omnes sese conferunt. Similiter matronæ Illustres tetris uelamentis capita obuolutæ confluunt, quæ Principem mœstam, atq; adeò exanimatam largifluisq; cōfectam lachrymis, amanter & diligenter consolabantur. Hæc dum fierent, interim æreæ campanæ, in ædibus sacris urbis omnibus, & circumquaq; in pagis uicinis parœcialibus, nuspiam cessabant, quibus & urbs ipsa, & omnis circumuicinia latè personuit: sic omnes Senatores Reginulam Pradnik usq; prosequuntur. Inde funus plumbeo loculo depositum serico uiloso nigro obductum, Stemmatibus & Insignijs regni ornatum octo equis absolutæ nigredinis deducitur, aulicis circumquaq; serici uilosi tegumenta longè per terram errantia tenentibus. Sequebatur uerò longè honestissimus Illustrium & ornatissimorum uirorū comitatus, quibus omnibus unus habitus atratus & lugubris erat. In his Nobilissimi, grauissimiq; uiri Legati externorum Principum, Archiepiscopusq; & Episcopi cum Abbatibus conspiciebantur. Infans mœstissima à Legato summi Pontificis & Venetorum oratore pedetentim deducebatur.

Hinc 32. pharetra serico uiloso, & pannis aureis, holosericoq; preciosè tecta præferuntur cum Insignijs Regijs. Equi 33. similiter omnis generis serici coloris tecti uelamine, utrunq; latus armis regni ornati deducuntur. Demum singularum Prouinciarū uexilliferi, uexilla terrestria, armati equites insidentes generosi præferunt.

Primo uexillum nigrū aulæ regiæ, aquila alba coronata cū expansis ad uolandum alis in campo rubeo præferebat: aquilā uero omnia insignia Prouinciarū regni cingebant.

Postea Magni Ducatus Lithuaniæ uexillum rubeum equo currenti cum equite armato gladium supra caput tenenti, ex alia parte quatuor columnis insigniebatur, in campo rubeo. Postea uexillum Goncza dictum cruce duplici in campo lasurino insignitum.

Cracouiensis terræ uexillum rubeum, aquila alba similiter insignitum.

Sendomiriensis terræ uexillum rubeum insigniter, clipeo siue scuto diuiso, in una medietate lineas tres rubeas, & tres albas, in altera campum lasurini coloris cum tribus ordinibus stellarum portante.

Kalis-

Kalisſienſis terræ uexillum capite biſontis inter cornua coronam auream geſtante, per naresq; circulum aureum habente, in campo more ſcachorum diſtincto albo & rubro inſignitur.

Poſnanienſis terra aquilam albam ſimplicem in campo rubeo geſtat.

Siradienſis terra leonis rubei & aquilæ nigræ medietate, corona inſigniti.

Cuiauienſis leonis nigri, & aquilæ rubeæ coronatorum medietate.

Lanciciensis aquilæ albæ & leonis nigri coronatorum medietate.

Rauenſis terræ uexillum aquila nigra R, in pectore aureum geſtante inſignitur. Similiter Plocenſis litera P, in pectore ad differentiam ornata.

Belzenſis Griſone albo in campo rubeo inſignitur.

Lublinenſis terra Ceruum in collo coronatum geſtat in campo rubeo.

Podolienſis terræ uexillum, Sole radianti in campo albo.

Leopolienſis, Leone petram aſcendente in campo laſurino.

Premislienſis aquila aurea bicipiti coronata in campo laſurino.

Chelmenſis urſo inter tres arbores gradienti in campo glauco.

Dobrinenſis capite humano coronato ex corona cornubus eminentibus.

Vielunenſis agno Dei cum uexillo cruce inſignito, & calice, in campo rubeo.

Sadecenſis ſcuto diuiſo, in cuius medietate, tres lineæ rubeæ & glaucæ, in altera nouem ſtellas in campo rubeo geſtat.

Liuenſis aquilæ rubeæ & urſi albi medietate coronati.

Drohicinenſis Stemmate Magni Ducatus Lithuaniæ, ex alia parte aquila alba inſignitur in campo rubeo.

Kiouienſis ſancto Georgio draconem lancea feriente in campo laſurino, ex alia parte urſo albo in campo uiridi ornatur.

Ducatus Pruſsiæ aquila nigra, ex alis manu armata cum gladio prominente, uexillum rubeum ornabatur.

Ducatus Sileſiæ Griſone albo in campo rubeo uexillum inſignitur.

Palatinatus Valachiæ uexillum capite biſontis inter cornua ſtella & latere dextro luna defectuoſa ornatum, cum circulo per nares tranſducto, in campo cœleſtino.

Zatorienſis Ducatus uexillum cœleſtini coloris, aquila alba literam Z, in pectore ornata inſignitum.

Oſvviecimenſis aquila nigra O, literam in pectore ornata in campo Lazurino.

Maſouiæ Ducatus aquila alba cum Ducali pileo in campo Rubeo.

Slupcenſis Ducatus Griſone rubeo in campo albo, uexillum inſignitur. Similiter Pomeraniæ Ducatus iiſdem armis utitur.

Ante funus Regium Magnificus Dominus N, Maczieivvski integra armatura cum equo tam affabrè facta, ſubtiliſsimeq;, tum argento, tũ coloribus diſtincta, ut omniũ oculos in admirationem converteret armatus; in manu gladium auratum punctura ad latus conuerſum geſtabat. Hunc ſequebatur armiger atra ueſte circundatus haſta cuſpide in terram conuerſo cum uexillo, ſcutoq; à lęua cum inſignijs Regijs armatus. Enſifer quoque Regni gladium punctura conuerſum ad latus præferebat. Tum pomum typum mundi repræſentans, ſceptrum, corona aurea à Senatoribus, quibus id competebat, portabantur. Legati autem ſingularum prouinciarum antecedebant. Poſt Nobilitatem ſuccedebat urbis Senatus & populus longo ordine. Omnes quoq; proceſsiones omnium Eccleſiarum præibant, longo, honoratiſsimoq; & præcedentium & comitantium agmine. Ex ludis, deinde literarijs pueri de more antecedebant cum cantoribus lugubres cantiones decantantes, hos almæ uniuerſitatis doctores, & magiſtri, omniſq; ſtudioſorum ordo inſequebatur. Hinc pluſquam 4. millia obſcuro, & triſti habitu ueſtiti uulgus, cum funalibus & candelis undique collucentibus ibat. Vbi iam in arcem uentum eſt, in ædem cathedralem, quæ undiquaq; defixis cereis collucentibus ardebat, funus honorificentiſsimè deponitur, regalibus ſupra impoſitis. Exinde finitis cantionibus uſitatis & ſolẽnibus, orationem funebrem habuit Abbas Magilenſis, pietate & doctrina uenerabilis, poſtea cõuenientiſsimis, decẽtiſsimiſq; cæremonijs exequiarum abſolutis, in tumulum maiorum ſuorũ deponitur. Poſtera die in omnibus Eccleſijs Epiſcopi omnes ſacra celebrabant, ad omnes ſanctos, ad ſanctum Franciſcum, apud ſanctam Annam, Stephanũ, Marcum, apud ſanctã & indiuiduam Trinitatem, & in arce apud Diuum Stanislaum. Vexilliferi quoq; ſinguli cum ſuis uexillis, & turba uulgus cum cæteris eadem ut prius proceſsione cum equis to-

tidem

tidem, & pheretris prædictis urbem lustrabāt, eques quoq; ad funeris pheretrū catafractus undique casside pro plumis cæreis ardentibus circumuolutus, equo delabitur, hasta confracta, & gladio proiecto, cumq; cantaretur Agnus Dei, Cancellarius, & Vicecancellarius sigilla Regis mortui confregerunt: cæteri autem Senatores sua sceptra posuerunt in altari. Ciues quoque urbis suas exequias funebres in Ecclesia parochiali apud sanctam Mariam celebrabant.

DE CELEBERRIMO INGRESSV CRACOVIAM, ET CORONATIONE PRÆCLARISSIMA HENRICI VALESII, *Potentißimi & Inuictißimi Poloniæ Regis.*

ANno quo Diuina potestas humana in specie salutis nostræ restaurādę gratia cœlitus sese demisit 1574. curato solēniter sumptuoso funere Diui Sigismundi Augusti, & depositis atris, lugubribusq; uestimentis, & pullis integumētis, omnes ordines regni, & Magni Ducatus Lithuaniæ, Russiæ, Masouiæ, ac cæterarū regionū Sarmatiæ, in noui regis desideratissimum aspectum anhelantes, tædioq; uisendi illius expectatissimi uultus, non secus ac patres in lymbo ardentes, animos affectionatissimos ad honores illius adiecerunt, nullisq; sumptibus quāuis profusissimis ad cohonestandum tantum Principem pepercerunt. Longum esset hic referre incredibilem, inæstimabilemq; uestituū apparatū, quibus inter se cum pōposi Poloni, tum Magnifici & profusi Lithuani, & uinci impatientes cum Masouitis Rutheni, magnificētissimis sumptibus concertabant, & quisq; quibus potuit quam maximo sumptu cōparatis, suum præ cæteris in Regem affectum ostētare nitebatur. Hij aureis, isti argenteis, illi holosericeis, alij polymitis, alij planis, alij uillosis, tum infectis purpura, & tinctis murice & cocco, tū Attalica, Semiramidaq; textura, & Phrygio opere elaboratis, insertisq; cum unionibus uariarū gemmarum lapillis, resplendebant. Equi omnib. tales, quales Vergilius Turno fuisse describit, & Homerus ad Troiam narrat uenisse Menonis, Euripidesq; Rhesi Thracum Principis. Ea erat pomparum solennitas, cui nihil adijci ad gloriæ magnitudinem potuisset. Cracouia quoq; urbs Regni caput & Metropolis nihil ad tanti Principis aduentum expectatissimum omisit, non sumptibus, non continuis laboribus quicquam pepercit, quid referam publicos, priuatosq; apparatus, quacunq; ingressurus erat, Rex expurgatę plateę, frondibusq; abiectum, ac pinearū semper uirentium exornatæ, parietes peripetasmatibus auro purpuraq; distinctis, & hinc longè pendentibus, in arce ubiq; radiabant, affixa longis tractib. in palatijs aurea balthea, tum aurea & argentea uasa instar scalarū per gradus exposita, crebris repercussi Solis radijs fulgurabant, illa quoq; olim puluerib. squalentia ob diuturnam Regis mortui absentiam inaurata pauimenta, aurea lacunaria optimè extersa, excussa, & expolita resplendebant. Plebs quoq; passim portas, ac fenestras uirentibus sertis coronabat, alij ad nocturna lumina funabula parabant, alij lignorū strues cōgerebant, tormenta bellica in uallo & propugnaculis arcis, & urbis disponebātur, nullus aut ætate, aut ualetudine tam imbecillis, qui otio detineretur, qui non aliquid ad publicum gaudiū pari lætitia, diligētiaq;, aut excogitaret, aut operaretur. Cumq; iam omnia apprime & plusquā perfectè apparata optatam diem expectarent. Rex electus ad Balicias sesquimilliari à Cracouia distantem uillam Palatini Cracouiensis hæreditariam aduenit, innumerata Gallorum, & Polonorū multitudine stipatus: ibi noctem ineffabili sua & omniū cum lætitia fœliciter transegit. Die uerò illa optatissima, & niueo calculo signanda illucescente, quæ erat 18. Februarij. Cum discursu triumphali Nobilium turmæ plateas urbis complent, tātaq; hilaritudine cuncta gaudebant, & serena facie gestiebant, ut præter peculiarem morem, etiam equi & canes, & quæq; domestica hominibus animalia, iucundis gestibus, uocibusque exultare sentirentur, canoræq; auiculæ suauissimos concentus, ultra consuetum adsonarent, exultantiumq; uocibus ipsum cœlum reboaret, Phœbus pater, qui caput suum atris olim (ob Regem mortuū mœrorem exprimens) nubibus, occaluerat, obscura caligine pariter cū hominib. disiecta, igniuomis radijs coruscans, propriæq; lucis candore resplendens gratissimus apparuit. Interq; & post coronationem aliquot hebdomadis assiduè lætus permansit, ut nō bruma: sed uer ipsum appareret. Antequā se aūt è Balicijs Rex mouisset, de repentè undarum uiolenter altis de montib. cadentium in speciem effusa Senatorū, equitū, populi, & totius uulgi, utriusq; sexus inæstimabilis multitudo, in occursum eius, magnifico ornatu, spectabiles, Xerxisq; exercitū referētes, omnes campos extra urbē, oēs montes, colles, aggeres, omnes uias, ac uillarum tecta, & summa arborum oppleuerunt, densissimisq; turbarum globis, principi suo quam longissimè obuiam procedere gestiebant.

bant. Primus autem Senatorum Archiepiscopus Gnesnensis Hungarico habitu ducentos hastatos equites fulgentes, holoserico auro intertexto, produxit, quos ipse insequitur rubea rheda, quam sex equi serico rubeo ornati trahebant, uectus in qua cum eo Episcopi Posnaniensis, Adamus Conarski, & Plocensis, Petrus Miscovvski sedebant. Crux autem præferebatur. Hos Leopoliensis Archiepiscopus Stanislaus Slomovvski, cum Camenecensi Episcopo, subsequuntur, qui etiam splendenti equitatu, roboreq; militum magnum triumpho supplementum addiderũt. Cracouiensis Episcopus Franciscus Crasinski, proximus fuit, quem Italico ornatu ducenti equites, holoserico uestiti, marturibus subducti, & argento affabrè depicto, aureis torquibus insigniti, præcedebant. Eius uestigijs Cuiauiensis Stanislaus Carncovvski cum Chelmensi Episcopo, & Lancicienſi Palatino uiris & equis illustres insistebant. Castellanus Cracouiensis Hungarico ornatu, primus post Episcopos, ducentos hastatos equites auro, & argento conspicuos, clipeisq; & uexillis fulgentes produxit. Hinc Palatini summa grauitate insignes procedunt, quorum primus Cracouiensis, cum fratre Sandomiriensi Capitaneo generali, trecentos uiros, auro argento iuxta, ac equos Hungarico more, & Scythico supra modum exornatos producũt. Sandomiriensis quoq; Palatinus, cum fratre Ensifero regni, ducentis quinquaginta equitibus tam ad pompam, quam ad pugnã perfectè instructis holoserico auro & argento fulgenti Hungarico more pariter cum equis uestitis comitati prodeunt. Hos Osvviecimensis, Bresinensisq; Castellani subsequuntur, qui numero & apparatu hoc triumphale cumulabant agmen. Tandem Calisiensis Palatinus Hunnorum habitu instructam turmam clenodijs, monilibusq; corruscantem, & equis auro ornatis superbam ducebat. Hunc lumen patriæ, & firmum uirtutum omnium propugnaculum Albertus à Lasko Palatinus Siradiensis uisendo apparatu, cum quadringentis equitibus Hungarico & centum Scythico more instructis procedit, qui omnium consensu facilè tulit, in hoc triumpho partes priores, tanta enim cura suas apparauerat turmas, ut neq; uirum alio equo, neq; equum alio uiro indigere diceres. Postea Podoliæ Palatinus huic triumphi agmini 150. equitibus armatis decora quasi addidit corollaria. Deniq; Lithuaniæ & Russiæ proceres permiscui, sumptuosè & profusè pomposi, acies tam ad bellũ quam triumphũ instructas producunt. Quorũ primus Nicolaus Georgius Radiuilus Dux, Palatinus Vilnensis, decoris Patriæ, & Senatoris eruditi, ac solertis pleneq; Diuini ingenij equitatus, Polonorũ adæquat laudem. Hunc Castellanus Trocensis decenter tam uiris quàm equis instructus comitatur. Hinc Ioãnes Chodkieuicius Samogitiæ Generalis Capitaneus, &c. bello ac pace clarissimus, & ad res magnas gerendas natus procedit. Deinde eiusdem Ducatus Thesaurarius supremus, & Minscensis Castellanus equis & uiris auro corruscãtibus superbi sequunt̃. Postea Nicolaus Christophorus Radiuilus Dux, Curiæ Marschalcus, Italico eoq; sumptuosissimo equitatu cinctus. Tandem exercitũ Campiductor, Incisor, Dapifer, Pocillator, hij Hungarico, illi Italico, isti Scythico, Moschouiticoq; habitu & ornatu supbè instructi insequũtur, & alij innumeri quos recẽsere longũ esset. Dies me deficeret, si ordine persequar singulos, qui uiri, qui Heroës, qui Duces, ad illam celebritatẽ cohonestandã undiq; confluxerunt. Apparebat Lithuanorum equitatum tria millia superare, holoserico, gemmis, unionibus, corruscantem. Post Lithuanos proceres Dux Constantinus, Kiouiæ Palatinus cum duobus filijs, uno Italico, altero Moschouitico habitu ornato, pręcedentibus trecentis equitibus superbè auro & argento rigentibus stipatus occurrebat. Braslauiensis quoq; Palatinus Vvolinios suos Scythico more pulcherrimè & sumptuosissimè uestitos ducentos produxit, pharetris, & arcubus auro corruscantibus. Tandem Culmensis, Mariemburgẽsis, & Pomeraniæ Palatini Germanico ritu superbas producũt acies. Dulscius quoq; Pruthenus 36. equites loricis indutos & auro fulgẽtes adiunxit, eisdem. Hinc Comites à Tecin, Ioannes Vvoinicensis, & Andreas Belzensis Castellani, familia antiqua, & rebus insigniter gestis illustres, 250. Hungarico more hastatos equites, clipeis, uexillisq; ac uestibus & equis auro micantibus, educunt. Eos Herbortones, ingenio & prudentia, librisq; à se editis clari, cum ducentis. Camenecensis, Sauichvvostensisq; Castellani cũ centum quinquaginta equitibus cincti. Andreas Vvapovvski cum centum, & Biecensis ac Radomiensis cum octuaginta benè armatis egrediũtur. Post hos Stanislaus Comes Tarnovv Castellanus Cechouiensis 200. equitibus, clipeis, hastisq;, & uexillis auro redimitis, marice tincta cocco & marturibus subducta uestitis, cum tormentis duorum curuum affabrè instructis progreditur.

Castellani quoq; cæteri quos sigillatim numerare infiniti laboris esset, benè in acies instructi,

ſtructi,& ad triumphum cohoneſtandũ tanti Principis conuenientes,ſubſequuntur. Cancellarius quoq; cum Theſaurario Regni Hieronymo Buzinski omni uirtute & patriæ amore Senatores uenerãdi,ſuas copias inſigniter adornatas præſentãt: Poſt hos Marſchalcus Curiæ,Andreas Opalinski undiquaq; uirtutibus abſolutus uir,cum 75. equitib. Italico more egregie exornatis. Deinde ultimum agmen claudebant Capitanei,ciuitatumq; & officiorum regiorum præfecti,qui etiam ſuas in acies pompoſe inſtructi ingente exercitum exprimebant,aliorumq; aut adæquabant,aut ſuperabant laudem,& uereor ne tantorum illuſtrium uirorum ſplendore captus obuias imprudens alios prætercam,alios uerò abſq; diſcrimine ponam. Lublinenſis uerò Palatinus Macieovvski cum filio, & nepotibus inſigni uirtute prſtantibus 200.equitibus cum uulturinis alijs & clipeis,ac uexillis Hungaricè terribilibus. Hos Dzialini,Secignieuiorũ,Camieneciorum,Ocieſcij, Coſcielecij, Tomicij Caſtellani Gneſnenſis cum filio,Padnieuij,Barſi,Bonaronũ,Miſcouij,Droieuij,Leſniovvolij,Staskouij,Nemſtę,Reiorum cum Oloribus integris coronatis & lilijs in pectore ſuper clipeos ad ſimilitudinem candidarum aquilarũ inſignitis,Noſcouij, Belzenſis præfecti Zamoiſcij,alijq; innumerabiles & inæſtimabiles equitum exercitus,ut ita dicam, omnibus portis,& ſuburbiorum latebris ſeſe effundebant. Aulici quoque Regis mortui officia ſua minimè neglexerunt, equi quoque ſingulorum Senatorum, & equitum ducticij,magnam triumpho præbebant amplitudinẽ,Cubicularij etiam Regis mortui,hi Italica,illi Hungarica ſpecie auro & argento,ueſteq; prætexta fulgidi, cæteros claudebant,quibus nihil neque dici,neque fingi ſpecioſius poteſt. Poſt Senatorum & equitum turmas,ciues cum plebe,ſubſequebantur,quorum equites Germanico habitu erant 120.pedites 4000.adæquabant,omnes fulgidis armaturis ſplendidi, ac diſcolori ueſtitu & uexillis ſecundum opificum contubernia, corruſcantes, ſimiliter Cleparianæ,Caſimirianæ,& Stradomianæ gentes. Exercitu omni per hunc modum diſpoſito,iuxta Lobzovvium & Bronouice uicos ciuitatis. Rex ſuis Gallis,Guaſconibus,& magna noſtrorum turba ſtipatus aduenit,tormenta autem ubique horribiliter interdum exploduntur,& taratantara,taratantara acriter reſonant,ibi Epiſcopus Plocenſis Miſcouius facunda & Ciceroniana oratione,Regem omnium ordinum nomine ſalutauit.Bibracus poſtea Regio nomine affabiliter ad omnia reſpondit. Dehinc ciues Caſimirienſes,Cracouienſes, & Clepardienſes, eum ſalute humiliter impertiunt, qui etiam placida, & optimè ſpei plena reſponſa retulerunt. Abſolutis ſalutationibus, Rex ſingulos exercitus, agmina conſtricta, oculis perluſtrat auidè, quæ tanta erant hominum benè armata congeries, ut pleriq; uſu rerum bellicarum periti, eandem etiam ualido hoſti opponi potuiſſe affirmarent, tormentorum magiſtri & ſclopetarij tonitrua crebra iterant,reſonant,& concutitur ſonitu æther. Tandem Rex circiter primam noctis horam urbem ardentibus facibus reſplendentem diui Floriani portã ingreditur,albo equo & ſublimi altitudine illuſtri magnificentiſsimè epiphiato,phaleratoq; auro undiq; refulgente uectus,cui inſidens altior omnib.eminebat,ut à cunctis conſpiceretur.Conſules aũt urbis umbellam aureã uſq; in arcem,ſuper illum portauerunt,ueſte nigra pellibus panterinis ſuffulta indutus erat,Vaſcones ſclopetarij 40. & Heluetij cum Alabardis 60.duobus cũ tympano & fiſtulo præeuntib. latera eius muniebant,quibus holoſericæ uirides ueſtes, croceo colore diſtinctæ erant, in primo loco circa Regẽ Niuernenſis,& Dumeneius Duces,Marchio Elbenſis,Duca de Gvviſa,alij primores Galli,& aulici Regij,ſinguli honoris cauſa inter binos Palatinos deducebãtur, ſequebantur & anteibant tympaniſtarum,tibicinum,cornicum,multitudo,ſinguli ſuũ taratantara reſonãtes.Succedebant quoq; diuerſorũ principũ,& populorũ,oratores & legati, populus promiſcuus per uarias turmas & cuneos egrediens Regẽ ſuũ uidere geſtiens,quo ille procedebat ferebatur, omnes ſui ordinis & decoris obliti quem ſors cuiq; locũ obtuliſſet,occupabat.Conſcendũt alij tecta,& ſummis pendent tegulis,alij trabibus inſident,alij columnis implexi,alij muris hærent,omnes feneſtræ,omnes rimulæ ſuis ſpectatoribus refertæ,perforati parietes, diruptæ maceries, quo oculos ſuos tam expectati Regis ſpectactaculo populus expleret,nullus locus non occupatus,ne ijs quidem qui non niſi ruinoſum & periculoſum caperet ueſtigium.Cùm ad forum fuiſſet peruentum, tandem omnium aures tubarum clangore,& ſclopetariorum,bombardariorumq; tonitribus obſurduerãt: in ipſo autem Caſtrenſis portæ ueſtibulo, arcus affabrè extructus erat triumphalis, tapetis exornatus aureis, in quo tibicines officium ſuum ſtrenuè adimplebant,in ſummitate uerò turris aquila alba ſubtiliter & artificioſè facta lilijs in pectore inſignita, in omnes partes quo Rex ibat circumuoluebatur,ſtridentibus alis, & capitis inflexione,ac quodam

ſtrepitu

ſtrepitu lætitiam quaſi præ ſe ferens. Cumq; Rex arcẽ ingrederetur, ſclopetæ omnes, tum & maiores machinæ tanto ſtrepitu, fulgoreq; exonerabantur, ac ſi Iupiter ipſe quicquid uſpiam, in theſauris ſuis fulminum, tonitruumq; concluſum habuerit, id totum pariter, ſimulq; nunc cœlo demiſiſſet, tum uerò genere tympanorum, tybiarum, tubarumq; ſonis, nubes perſtrepebant. Arcem ingreſſus ubi etiam ſupra, aquila affabrè facta alis applaudebat, in Eccleſia D. Stanislai Cathedrali, à Canonicis ſalutatur, & poſtquàm Te Deum laudamus, ſuaui melodia decantaretur, ad Reginalem Maieſtatem recta deducitur, ubi ultro citroq; data ſalute in palatium auro ſplendidum cœnaturus, & acquieturus pergit. Poſtridiè uerò Rex in Senatuſconſultum ueniens per Bibracum Cancellariũ priuatum, omnibus ordinibus Regni gratias egit: quod ſibi integrum atq; floridum tantum Regnum diuinitus adminiſtrandum præſtiterint, Deumq; omnipotentem precatur, ut is ipſis, atque adeò toti Reipub. Chriſtianæ ſit ſalutaris, polliceturq; daturum ſe ſedulò operam, ut conceptæ de ſe apud illos opinioni cumulatæ ſatisfaciat, & ut coronatio properaretur obſecrabat. Ad hæc ſequenti die Sandiuoius Carncouius Refferendarius Regni Maieſtatem Regiam à Nobilitate affabili oratione ſalutauit, in qua & Reipub. incolumitatem, & Regiam dignitatem ſufficienter deduxit, explanauitq;, ut omnibus ſatisfactum uideretur. Regio quoq; nomine ſimiliter reſpõſum eſt, omnibus eum ſatisfacere, & ſalua omnia ſibi concredita conſeruare uelle, & non tantummodo literis approbare, uerumetiam ſanguine obſignare paratum eſſe. Eadem die Sole occidente cum magna Epiſcoporum caterua, & Legato ſummi Pontificis in rupeculam Caſimiriæ, Diui Stanislai (ubi occiſus fuit) ædem, Polonorum patroni, deducitur, ubi Deo deuotiſsimè ſupplicauit, & ſacris de more exoſculatis in arcem rediјt. Quam uiſitationem S. Stanislai in Rupella omnes Reges ante Coronationem obire debiti ſunt, ex more recepto.

ORDO QVALITER SERENISSIMVS REX POLONIAE IVXTA VETERVM CONSVETVDINEM CORONATVR, ET QVAE SOlennitas & cæremoniæ circa id ſeruari ſint ſolitæ.

IMPRIMIS congregantur Epiſcopi & Conſiliarij Regni, alij Officiales, item Abbates infulati, ad minus ex Diocœſi Cracouienſi, qui omnes conuenire tenentur pro die ſtatuto coronationis.

Rex itaq; electus parabit ſe ut dignè accedat menſam Diuinã Corpus Chriſti ſumpturus in die Coronationis, unde ieiunio, eleemoſyna, & confeſsione expiabit peccata ſua. Sequenti autem die quæ erit Dominica, qua Rex eſt benedicendus. Archiepiſcopus & Suffraganei, Abbates infulati, alijq; Prælati omnes conueniunt mane in Cathedralem Eccleſiam, omnes amicti ſtolis, piuialibus, mitris, infulis, ſuperpilicijs, & id genere ſacerdotalium, Senatores quoq; omnes, & equeſtris ordo cõgregatur, quibus ſic peractis, proceſsione ordinata per magiſtrum cæremoniarum, cum turribulo & aqua benedicta, alijsq; Epiſcopalibus de Eccleſia in Palatium eunt, ſchola cum Sacerdotibus & Abbatibus ad ſcalas Palatij remanentibus, ſoli Epiſcopi cum Archiepiſcopo palatium aſcendunt, ad deducendum Principem in Eccleſiam Cathedralẽ, qui antea induitur per ſupremum regni Marſchalcum, uel per Magiſtrum cęremoniarum ſandalijs, tunica, chirotecis, alba, dalmetica, & pallio, ſiue capa, quem ſic ornatum & inter Barones, primoresque Regni ſtantem, Archiepiſcopus aqua benedicta aſpergit, poſt hoc collectam dicit;

Deus humilium inſtitutor, qui nos Sancti ſpiritus illuſtratione conſolaris, prætende ſuper hunc famulum tuum Henricum Gratiam tuam, ut per eum tuum in nobis adeſſe ſentiamus aduentum.

Hinc Rex in Ecclesiam per Cracouiensem & Cuiauiensem Episcopos deducitur, à dextra, leuaq; appręhensa, præferentibus Castellano Cracouiensi coronam, Palatino sceptrum, Vilnensi item Palatino pomum aureum, & Andrea à Zborouu gladium euaginatum, Episcopi cum Archiepiscopo cruce præcedente, Abbates infulati, & cæteri principes suo ordine quilibet succedebant, similiter Duces Franciæ, & externorum Principum legati. Regalia supradicta à Senatoribus qui ea portabant, accepta in altare deposita sunt, Rex in solio sistitur, ante quem Archiepiscopus certas orationes pronũciat.

Antequam autem Rex coronaretur, orta est magna controuersia, ratione Confœderationis, inter quosdam Catholicorum, & Euangelicos sub interregno factæ, Episcopis candẽ, uti diuinis pariter, ac Ecclesiasticis contrariam legibus, ipsisq; inuitis, & reclamantibus factam, improbantibus, Euangelicis contra, propter rerum suarum securitatem, omnino firmam haberi cõtendentibus, sed postea omnis illa contentio, inuento medio Deo uolente sedata fuit, & pace facta unus Episcoporum dicit subsequentem Orationem.

OMnipotens sempiterne Deus, cœlestium ac terrestrium moderator, qui famulum tuum ad Regni fastigium, dignitatemq; dignatus es prouehere, concede quæsumus ut à cunctis aduersitatibus liberatus, & Ecclesiasticæ pacis dono muniatur, & ad æternæ pacis gaudium, te donante peruenire mereatur, per Christum Dominum nostrum, Amen.

Finita oratione admonet diligenter Regem, de fide, de pietate in Deum, & de alijs uirtutibus Regijs dicens:

Cùm hodie per manus nostras, optime Princeps, qui Christi Saluatoris nostri uices in hac re fungimur, quamuis indigni sacram unctionem, & Regni insignia sis suscepturus, bene est, ut te prius de onere, ad quod destinaris aliquantulum moneamus. Regiam hodie suscipis dignitatem, & regendi fideles populos tibi commissos curam sumis: præclarum sanè inter mortales locum, sed discriminis, laboris, atq; anxietatis plenum, uerum si consideraueris, quòd omnis potestas à Domino Deo est, per quem regnant Reges, & legum conditores iusta decernunt, quodq; de grege tibi commisso, ipsi Deo rationẽ redditurus, primum pietatem seruabis, Dominum Deum tuum tota mente, ac puro corde coles, Christianam Religionem ac fidem Catholicam, quam ab incunabulis professus es, ad finem usq; inuiolatam retinebis, eamq; contra omnes aduersantes, pro uiribus defendes. Ecclesiarum Prælatis ac reliquis sacerdotibus, condignam reuerentiam exhibebis, Ecclesiasticam libertatem non conculcabis, iustitiam sine qua nulla societas diu consistere potest, erga omnes inconcussè administrabis, bonis prœmia noxijs debitas pœnas imponendo, uiduas, pupillos, pauperes, ac debiles, ab omni oppresione defendens, omnibus te adeuntibus benignum, mansuetum, atq; affabilem pro Regia tua dignitate præbebis, & ita te geres, ut non ad tuam, sed ad totius populi utilitatem regnare, præmiumq; benefactorum tuorum, non in terris, sed in cœlo expectare uidearis, quod ipse tibi præstare dignetur, qui uiuit & regnat Deus in sæcula sæculorum.

Absoluta oratione interrogat illum Episcopus his uerbis:

Vis fidem sanctam, à Catholicis uiris traditam tenere, & operibus iustis seruire? R. Volo. Vis Ecclesijs, Ecclesiarumq; ministris tutor & defensor esse? R. Volo. Vis Regnum à Deo tibi commissum, secundùm iustitiam Patrum tenere, regere, & defendere? R. Volo. Et inquantùm Diuino fultus suffragio, ac solatio omnium fidelium suorum ualuero, ita me fideliter per omnia acturum esse promitto.

Finita interrogatione, Rex coram Archiepiscopo genu flexus capite adaperto, dicit in hæc uerba: Ego Henricus, Deo annuente futurus Rex Polonorum, profiteor & promitto coram Deo, & Angelis eius, deinceps legem & iustitiam, & pacem Ecclesiæ Dei, populoq; mihi subiecto, pro posse & nosse,

& nosse, facere atque seruare, saluo condigno misericordiæ Dei respectu, sicut in consilio fidelium meorum, melius potero inuenire. Pontificibus quoque ecclesiarum Dei, condignum & canonicum honorem exhibere, atque ea quæ ab Imperatoribus & Regibus Ecclesię collata & reddita sunt, inuiolabiliter obseruare: Abbatibus, Comitibus, & Vasallis meis congruum honorem, secundum consilium fidelium meorum præstare.

Post hoc, utramque manum ponit supra Euangelia dicens: Sic me Deus adiuuet, & hæc sancta Euangelia.

Postea dicit Archiepiscopus Collectam.

OMnipotens sempiterne Deus, Creator omnium, Imperator Angelorũ, Rex regum, & Dominus dominantium, qui Abraham fidelem seruum tuũ de hostibus triumphare fecisti, Moysi & Iosue populo tuo prælatis, uictoriam multiplicem tribuisti, humilemque Dauid seruum tuum Regni fastigio sublimasti, & Salomonem sapientiæ pacisque ineffabili munere ditasti, respice quæsumus Domine, ad preces humilitatis nostræ: & super hunc famulum tuum Henricum, quem supplici deuotione ueneramur, & in Regem eligimus, Benedictionum tuarum dono multiplica, eumque dextera potentiæ tuæ, semper hic & undique circumda: quatenus prædicti Abrahæ fidelitate, Moysi mansuetudine fretus, Iosue fortitudine fultus, Dauid humilitate exaltatus, Salomonis sapientia decoratus, tibi in omnibus complaceat, & per tramitē iustitiæ inoffenso gressu semper incedat. Tuæ quoque protectionis galea munitus, & scuto insuperabili iugiter protectus, armisque cœlestibus circumdatus, optabilem de hostibus Crucis Christi uictoriam fideliter obtineat, & triumphum fœliciter capiat, terroremque suæ potentiæ illis inferat, & pacem sibi militantibus lætanter reportet, per Christum Dominum nostrum, qui uirtute crucis tartara destruxit, Regnoque Diaboli superato, ad cœlos uictor ascendit: in quo potestas omnis, Regnique consistit uictoria: qui est gloria humilium, & uita, salusque populorum: qui tecum uiuit & regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum, Amen.

ALIA ORATIO.

TE inuocamus Domine, Sancte Pater Omnipotens sempiterne Deus, ut hunc famulum tuum Henricum, quem tuæ Diuinæ dispensationis prouidentia in primordio plasmatum, usque ad hunc præsentem diem iuuenili flore lætantem crescere cōcessisti: eum tuæ pietatis dono ditatum, plenumque gratia & ueritate, de die in diem coram Deo & hominibus ad meliora semper proficere facias: ut summi regiminis solium gratia supernæ largitatis gaudens suscipiat, & misericordiæ tuæ muro, ab hostium aduersitate undique munitus plebem sibi commissam cum pace propitiationis, & uirtute uictoriæ fœliciter regere mereatur, per Christum Dominum nostrum, Amen.

Post hæc Archiepiscopus genua flectit, & Rex in faciem prouoluitur: Cantores autem canunt, choro respondente, & cum cantant hunc uersum: Et obsequium seruitutis nostræ tibi rationabile facias. R. Te rogamus audi nos. Archiepiscopus stans ad Regem prouolutum, cum cruce dicit: Et hunc electum in Regem: Coronandum, benedicere digneris. R. Te rogamus audi nos. Iterum canit: Et hunc electum in Regem Coronandum benedicere & consecrare digneris. R. Te rogamus audi nos.

Post hoc Episcopi omnes cũ Abbatibus genua flectentes, lætaniam prosequuntur supra Regem prouolutum, quam cum finierint, Archiepiscopus Orationem Dominicam exorditur: Pater noster, &c. Et ne nos inducas in tentationem. R. Sed libera nos à malo. V. Saluum fac seruum tuum Domine. R. Deus meus sperantem in te. V. Esto ei Domine turris fortitudinis. R. A' facie inimici. V. Domine exaudi orationem meam. R. Et clamor meus ad te ueniat. V. Dominus uobiscum. R. Et cum Spiritu tuo.

OREMVS.

DEVS qui populis tuis uirtute consulis,& amore dominaris, da famulo tuo Henrico sapientiæ spiritum,cum regimine disciplinæ,ut tibi toto corde deuotus,in Regni regimine maneat semper idoneus,tuoq; munere ipsius temporibus, securitas Ecclesiæ dirigatur,& in tranquillitate deuotio Christiana permaneat,ut in operibus suis bonis perseuerans,ad æternum Regnum te duce peruenire ualeat, per Dominum nostrum Iesum Christum,&c.

Benedic Domine hunc Regem Henricum,qui Regna omnia moderaris à seculo, & tali eum benedictione glorifica, ut Dauidicæ teneat benedictionis & sublimitatis Sceptrum,& glorificatus in eius protinus rapiatur merita,da ei tuo spiramine cum mansuetudine,ita regere populum tuum,sicut fecisti Salomonem tuum continere regnum pacificum,sit tibi semper cum timore subditus,tibiq; militet cum quiete, sit tuo clipeo protectus,cum proceribus,& ubiq; tua gratia uictor existat,honorifica eum præ cunctis Regibus gentium,ut fœliciter populis tuis dominetur,& fœliciter eum nationes adoret,uiuat inter gentium cateruas magnificus,sit in iudicijs æquitatis singularis,locupletet eum tua per diues dextera,frugiferam obtineat Patriam,& eius liberis tribuas profuturam, Protella ei prolixitatem uitæ,& in diebus eius oriatur iustitia,à te robustum teneat regiminis solium,& cum iucunditate & iustitia, æterno glorietur in regno,per Christum Dominum nostrum,Amen.

Postea Archiepiscopus sedet,Rex uerò genua ante eum prouolutus,Dalmatica & piuiali exuitur. Archiepiscopus autem intincto police dextro in oleo sacro ungit illi dextram à palma,ad cubitum,& inter scatulas, & in brachio dextro,dicens:

Vngo te in Regem ex oleo sanctificato, in Nomine Patris,& Filij,& Spiritus Sancti, Amen.

Pax tecum. R. Et cum Spiritu tuo.

ORATIO.

VNgo te in Regem ex oleo sanctificato Spiritus Sancti gratia humilitatis nostræ officio in te copiosa descendat,ut sicut manibus nostris indignis, oleo materiali pinguescis exterius ablutus,ita eius inuisibili unctione delibutus,impinguari merearis interius,eius quoq; perfectißima spirituali unctione semper imbutus, & illicita declinare tota mente discas seu ualeas & utilia animæ tuæ,iugiter cogitare,optare,atq; operari queas, auxiliante Domino Iesu Christo, qui tecum uiuit & regnat, Deus Dei filius Iesus Christus Dominus noster,qui à Patre oleo exultationis unctus est,præ participibus suis, ipse per præsentem sanctæ unctionis infusionem Spiritus Paraclyti, super te Benedictionem infundat,eundemq; usque ad interiora cordis tui penetrare faciat. Quatenus hoc uisibili & tractabili oleo dona inuisibilia percipere,& temporali Regno, iustis moderationibus executo,æternaliter corregnare ei merearis, qui solus sine peccato Rex Regum, uiuit & gloriatur, cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti, Deus per omnia sæcula sæculorum,Amen.

OREMVS.

OMnipotens sempiterne Deus,qui Azachiel super Syriam, & Iehu super Israel per Heliam,Dauidem quoq; & Saulem per Samuelem Prophetam in Reges inungi fecisti, tribue quæsumus, manibus nostris opem tuæ benedictionis,& huic famulo tuo Henrico,quem hodie licet indignis in sacro ungimine delingimus,dignam delibutionis huius efficatiam,& uirtutem concede.Constitue Domine principatum super humerum eius,ut sit fortis,iustus,prouidus,& indefessus Regni huius,& populi tui gubernator,infidelium expugnator,iustitiæ cultor,meritorum remunerator,Ecclesiæ tuæ sanctæ, & fidei Christianæ defensor ad decus,& laudē tui nominis gloriosi, per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum,qui tecum uiuit & regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum,Amen.

Christe perunge hunc Regem in regimen,qui unxisti Sacerdotes & Prophetas, Reges & Martyres,qui per fidem uicerunt Regna,operati sunt iustitiam,atq; adepti sunt repromißiones, tua sanctißima unctio super caput eius defluat,atq; ad interiora descendat,& cordis illius intima penetret, & promißionibus, quas adepti sunt uictoriosißimi Reges, gratia tua, dignus efficiatur, quatenus in præsenti sæculo fœliciter regnet,& ad eorum

eorum consortium in cœlesti regno perueniat, per Dominum nostrum Iesum Christum, qui tecum uiuit & regnat, &c. Vnctus est oleo lætitiæ præ consortibus suis & uirtute sanctæ crucis potestates aereas debellauit, tartara destruxit, Regnum Diaboli superauit, & ad cœlos uictor ascendit, in cuius manu uictoria uirtus & potestas consistunt, & tecum uiuit & regnat per omnia sæcula sæculorum, Amen.

Deus qui es iustorum gloria, & misericordia peccatorum, qui misisti filium tuum, ut pretiosissimo sanguine suo genus humanum redimeret, qui conteris bella, & es propugnator in te sperantium, & sub cuius arbitrio omnium Regnorum continetur potestas, te humiliter deprecamur, ut præsentem famulū tuum Henricum in tua misericordia confidentem, in præsenti regali sede benedicas, eiq; protinus adesse digneris, & qui tua expetit protectione defendi, omnibus sit hostibus fortior, fac eum Domine beatum, & uictorem de inimicis suis. Corona eum corona iustitiæ & pietatis, ut ex toto corde, & tota mente in te credens, tibi deseruiat, sanctam tuam Ecclesiam defendat & sublimet, populumq; à te commissum iustè regat, nullum ius insidiantibus malis iniustitiam uertat. Accende Domine cor eius ad amorem gratiæ tuæ, per hoc unctionis oleum, unde unxisti Reges & Prophetas, quatenus iustitiam diligens, per tramitem iustitiæ familiariter populum ducens, post peracta & disposita in regalia excellentia annorum curricula, ad te peruenire mereatur, per Dominum nostrum Iesum Christum, &c.

Prospice Omnipotens Deus serenis optatibus hunc gloriosum Regem Henricum, & sicut benedixisti Abraham, Isaac & Iacob, sic illum larga benedictionis spiritualis gratia, cum omni plenitudine potentiæ irrigare, atq; perfundere, dignare, tribue ei de rore cœli, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti, uini, & olei, & omnium frugum opulentiam, ex largitate diuini muneris, longa per tempora, ut illo regnante sit sanitas corporum in Patria, & pax inuiolata in Regno, & dignitas gloriosa Regalis Palatij, maximo splendore Regiæ potestatis omnium oculis fulgeat, luce clarissima clarescat, atq; splendore, quasi splendidissimo fulgore maximo perfusus lumine uideatur. Tribue ei Omnipotens Deus, ut sit fortissimus protector Patriæ, & consolator Ecclesiarum atque cœnobiorum sanctorum, maxima cum pietate munificentiæ, atq; sit fortissimus Regū, triumphator hostium, ad opprimendos rebelles & paganos nationes, sitq; suis inimicis satis terribilis, præ maxima fortitudine regalis potentiæ. Optimatibus quoq; & præcelsis proceribus, ac fidelibus sui Regni sit magnificus, & amabilis ac pius, ut ab omnibus timeatur & diligatur. Reges quoq; de lumbis eius per successiones temporum, futurorum egrediantur, qui Regnum hoc ualeant regere totum, & pòst gloriosa tempora, atq; fœlicia præsentis uitæ gaudia æterna in perpetua benedictione habere mereantur. Quod ipse præstare dignetur qui uiuit & regnat in sæcula sæculorum, Amen.

Postea Episcopus aliquis, cotum manu gestans, inuncta loca detergit, dicens:

Deus Rex Regum, & Dominus Dominantium, per quem Reges regnant, & legum conditores iura decernunt, dignare propitius Benedicere hoc Regale ornamentum, & præsta ut famulus tuus Rex noster Henricus, qui illud portaturus est, ornamento bonorum morum, & sanctorum actionum, in conspectu tuo fulgeat, & post temporalem uitam æternam gloriam, quæ temporis non habeat finem, sine fine possideat, per Dominum &c.

Demum induit Regem piuiali, & Dalmatica, dicens:

Accipe pallium, quatuor initijs formatum, per quod intelligas quatuor mundi partes, diuinæ potestati esse subiectas, nec quenquam posse fœliciter regere in terris nisi sibi potestas fuerit collata de cœlis.

His absolutis Archiepiscopus manus abluit, & deposita infula dicit Confessionem. Rex uerò deductus in solium orat, & post Alleluia in Missa, orationes pro Rege aliquis Episcoporum dicit. Postea Regi genu flexo, Archiepiscopus gladium porrigit, dicens:

Accipe gladium desuper Altari sumptum per nostras manus licet indignas, uice tamen, & authoritate sanctorum Apostolorum consecratum, regaliter tibi concessum, nostroq; benedictionis officio, in defensionem sanctæ Dei Ecclesiæ, diuinitus ordinatum, ad uindictam malefactorum, laudem uerò bonorum, & memor esto eius, de quo Psalmista prophetauit, dicens: Accingere gladio tuo, super femur tuum potentissimè, ut in hoc

per eandem uim æquitatis exerceas, molemq́ iniquitatis, potenter destruas. Et sanctam Dei Ecclesiam, eiusq́ fideles propugnes, atq́ protegas, neq́ minus sub fide fallos, quam Christiani nominis hostes execres, ac disperdas, uiduas atq́ pupillos clementer adiuues, & defendas, desolata restaures, restaurata conserues, ulciscaris iniusta, confirmes benè disposita. Quatenus in hoc agendo uirtutum triumpho, gloriosus, iustitiæq́ cultor egregius, cum mundi Saluatore, cuius typum geris, in nomine eius, sine fine regnare merearis, qui cum Deo Patre, & Filio, & Spiritu Sancto, uiuit & regnat, Deus per omnia sæcula sæculorum, Amen.

Ibidem ulterius in Missa proceditur, & accingens illi gladium Archiepiscopus, dicit:

Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime, & attende, quod sancti, non in gladio, sed per fidem uicerunt Regna.

Postea ei Diadema imponens, dicit:

Accipe Coronam Regni, quæ licet ab indignis, Episcoporum tamen manibus capiti tuo imponitur, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, quam sanctitatis gloriam & honorem, & opus fortitudinis intelligas significare, & per hanc te participem ministerij nostri, non ignores ita ut sicut nos in interioribus, pastores, rectoresq́ animarum intelligimur, ita & tu contra omnes aduersitates Ecclesiæ Christi defensor assistas, Regniq́ tibi à Deo dati, & per officium nostræ benedictionis in uice Apostolorum, omniumq́ sanctorum regimini tuo commissi, utilis executor, perspicuusq́ regnator semper appareas, ut inter gloriosos athletas uirtutū gemmis ornatus, & præmio sempiternæ fœlicitatis coronatus, cum redemptore & saluatore nostro Iesu Christo, cuius nomen, uicemq́ gestare crederis, sine fine glorieris, qui uiuit & imperat Deus cum Patre & Spiritu Sancto in sæcula sæculorum.

Demum pomum typum mundi referens in sinistram, & sceptrum in dextram ei dedit, dicens:

Accipe uirgam uirtutis atq́ ueritatis, qua intelligas te obnoxium mulcere pios, terrere reprobos, errantes uiam docere, lapsis manum porrigere, disperdere superbos, & releuare humiles, & apperiat tibi ostium Iesus Christus Dominus noster, qui de semetipso ait: Ego sum ostium, per me si quis introierit saluabitur, qui est clauis Dauid, & sceptrum Domus Israël, qui apperit, & nemo claudit: claudit & nemo apperit, sitq́ tibi author, qui eduxit uinctum de domo carceris, sedentem in tenebris, & umbra mortis, ut in omnibus sequi eum merearis, de quo Dauid Propheta cecinit: Sedes tua Deus in sæculum sæculi, uirga æquitatis, uirga regni tui, & imitando ipsum diligas iustitiam, & odio habeas iniquitatem, qui propterea unxit te Deus: Deus tuus ad exemplum illius, quem ante sæcula unxerat oleo exultationis, quæ participibus suis, Iesum Christū Dominum nostrum, qui cum eo uiuit, & regnat Deus in sæcula sæculorum.

Inter offertorium, Rex panem & uinum in altare offert, Pacemq́ (ut dicitur) exosculat, & sacrosanctum corpus diuinum accipit. Post hoc gladius ei discinditur. Absoluto sacro in thronum medio templo ordinatū deducitur, ubi ab Archiepisc. intronisatur, & gubernaculis Regni præficitur, dicente:

Sede & retine à modo locum tibi à Deo delegatum, per authoritatem Omnipotentis Dei, & per præsentem traditionem nostram omnium, scilicet Episcoporum, cęterorumq́ Dei seruorum, & quanto clerum sacris altaribus propinquiorem aspicis, tanto ei potentiorem in locis congruis honorem, impendere memineris, quatenus Mediator Dei & hominum, te mediatorem cleri & plebis, in hoc Regni Solio confirmet, & in Regno æterno secum regnare faciat, Iesus Christus Dominus noster, Rex Regū, & Dominus dominantium, qui cum Patre & Spiritu Sancto uiuit & regnat Deus, per omnia sęcula sęculorum.

Tandem Archiepiscopus exorditur, Te Deum laudamus, quo absoluto, stans à dextris Regis, dicit: Firmetur manus tua, & exaltetur dextera tua. R. Iustitia & iudicium præparatio sedis tuæ. V. Domine exaudi orationem meam. R. Et clamor meus ad te ueniat. V. Dominus uobiscum. R. Et cum Spiritu tuo.

OREMVS:

OREMVS.

DEVS qui uictrices Moysi manus, in oratione firmasti, qui quamuis ætate languesceret infatigabili, sanctitate pugnabat, ut dũ Amalech iniquus uincitur, dum prophanus nationum populus subiugatur, exterminatis alienigenis, hæreditati tuæ possessio copiosa seruiret, opus manuum tuarum à nostræ orationis exauditione confirma: habemus & nos apud te Sancte Pater Dominum Saluatorem, qui pro nobis manus suas extendit in cruce, per quem etiam precamur altissime, ut tua potentia suffragante, uniuersorum hostium, frangatur impietas, populusq; tuus cessanti formidine, te solum timere condiscat, per eundem Christum Dominum nostrum. R. Amen.

OREMVS.

DEVS inenarrabilis author mundi, conditor generis humani, confirmator Regni, qui ex lumbis fidelis amici tui, Patriarchæ nostri, Abrahæ præelegisti Regem sæculis profuturum, tu præsentem insignem Regem hunc, cum exercitu suo, per intercessionem omnium sanctorum uberi benedictione locupletã, & in Solium Regni firma, stabilitate connecte, uisita eum per interuentum omnium Sanctorum, sicut uisitasti Moysem in rubo, Iosue in castris, Gedeonem in agro, Samuelem crinitum in templo, & illa eum promisione, & syderea benedictione, ac sapientiæ tuæ rore perfundere digneris, quàm Dauid in Psalterio, Salomon filius eius te remunerante percœpit de cœlo. Sis ei contra acies inimicorum lorica in aduersis, galea in prosperis, sapientia in protectione, clypeus sempiternus, & præsta ut gentes illi teneant fidem. Proceres atq; optimates sui habeãt pacem, diligant charitatem, abstineant à captiuitate, loquantur iustitiam, custodiant ueritatem, & ita populus iste pullulet, coalitus benedictione Trinitatis, ut semper maneant tripudiantes, armis gaudentes & in pace uictores, per Christũ Dominum nostrum, Amen.

Tunc Rex accepto in manus sacro gladio, aliquos tum nobiles, tum consiliares uiros, habita cæremoniæ dignitate, ad equestris ordinis dignitatẽ præcinctos prouexit. His peractis Rex in palatium deducitur, cibum capessurus ubi instructis mensis, accumbebat summum tronum ipse, ac deinde per ordinem cæteri principes suas mensas accumbunt, tunc primores Barones & Senatores loca sua occupant, Marschalcis, cæterisq; officiarijs munia Regalia obeuntibus, Dapiferis, Architriclinijsq; præeuntibus cum suis scipionibus, argenteis canistris panem, & auratis patinis uaria tuceta, leucophaga, frictellas, tortas, & quicquid præclarum ars apetitia exquisitissimas, sumptuosissimasq; per ordinem epulas copiosè apponunt, assa, elixa, iusculenta, frixa, pastillia, promulsidaria, pultaria, crustulenta, aliaq; lautissimorum eduliorũ genera sapidissimis succorum, multijugis condimentis suffusa, quæ L. Luculli Romani mensas superabant. Tandem die Lunæ sequenti ijsdem quibus antea insignia preferentibus, in forum summa cum celeritate deducta, à ciuibus in edito solio ad id pulcherrimè iuxta pretorium facto, iusiurandũ & argenti ingentia, peramplaq; munera accepit. Ibi etiã assumens in manũ aureum pomum, tum euaginatũ gladium aliquod strenuos & benemeritos uiros equestri ordini asciuit, ac aurata militia cõdonauit. His peractis ad Andreæ Zborouij nuptias pedes, omnibus plateis & tectorũ summitatibus, multitudine oppletis, iuit. Peracto prandio hastiludia Rege inspiciente exercebantur extra muros, ibidem & postera die Sacra Regia Maiestas liberalissimè tractabatur. Samuel autem Zborouuski qui ad coronationem neglexerat uenire, centum uiginti equites sumptuosissimo ornatu Hungarico ei ostenderat. Plurimi postea dies in audiendis gratulantium Principum externorum legationibus, & in quibusdam causis decidendis transacti sunt. Atq; hanc ueram Coronationis augustissimi Poloniæ Principis descriptionem, Lector candide, boni consule, Vale, & nos redama.

DEDVCTIO ET ORIGO CELEBERRIMAE GENTIS LITHVANORVM, probabilis: hactenus à nemine Historicorum Latinorum explanata.

AVTHORE ALEXANDRO GVAGNINO VERONENSI.

Lithuaniae populi.

PTOLEMAEVS ille uniuersi orbis Geographus curiosissimus, his in regionibus, quæ hodie à Lithuanis coluntur, & quæ eorum ditioni utpote Russia, Podolia, Volhinia, Podlassia, Samogitiaq; subsunt, hos populos colonias suas, (quorum hodie ne uestigium quidem apparet) antiquitus habuêre recenset, Galindos, Bodinos, Geninos, Sudinos, Cariones, Amaxobios, Stabanos, Sturnos, Nascios, Asubios, Vuibiones, Ombrones, inter Lublinam & Brestiam, Sargatiosq;. Quos omnes ex Cymbris, Gotisq;, & Sarmatis ortum sumpsisse idem Ptolemæus asserit. Sarmatorum autem deductio cũ latius à nobis descripta pateat, Cymbrorum nomen, & successiones mihi explanandæ uidentur. Cymbros itaq; à Gomero nepote Nohæ ex maximo natu filio Iapheto ortos esse, nomenq; ab eo per tot sæcula paululum immutatum trahere consentiens omnium Historicorũ opinio est. Hæc posteritas Iapheti, cum maiorem orbis terrarum partem in Europa, Asiaq; minori occupauerit, quod ipsi cum Etymon nominis dilationem significantis, tum fausta Nohæ parentis imprecatio portendebant, pars eorum à Gomero orti, ad Bosphorum Cymerum Mæothidis paludibus proximum, (qui de illis Cymmerius est appellatus) ultra fontes Tanais fluuij, ubi in Ducatu Rhesanensi Moschouiæ Principi subiecto oritur, sedes suas habuerũt. Postea successu temporis, quod haud difficile illis fuit, per regiones propinquas, Russiam, Lithuaniam, Liuoniam & Borussiam, nunc Prussiam appellatã, & Cymbricam Chersonesum, ubi Sweci, Dani, Holandi progressi, toto eo littore se passim diffundentes latè dominati sunt, & castrato paululũ nomine, literaq; interiecta Cymbri nuncupati. Quando uerò & qua occasione hæc migratio cõtigerit: quoniam nulla gentis ab eo tempore monumenta extant, ex quibus id constare possit, ignotum est. Cæterùm fuerũt semper Cymbri gens bellicosa, strenua, manu prompta, id enim res ab ipsis fortissimè, audacissimæq; gestæ testantur. His namq; colonijs Septentrionalibus relictis in numero trecentorum millium, per Germanorum regiones in Heluetiam, Galliamq; imprimis penetrarunt, deindè Hispanias populabundi uastauerunt. Inde annũ circiter 110. ante natum Christum in Italiam excurrerunt, quam uastabundi passim deprædarunt, Romanorumq; Consulem Papyrium Carbonem, cum uniuerso exercitu fuderunt. Postea ab eisdẽ M. Iunius Syluanus, & ipse Consul cõtracta infœliciter pugna superat. Aurelius deinde Scaurus Consulis legatus amissis copijs Romanis, in manus eorum uiuus perueniens, à Bolo Rege Cymbrorum occiditur. Id Tacito affirmante actum est, anno 640. post urbem conditam. Tandem Romani maioribus copijs collectis in aditu Alpiũ contra Cymbros exercitum opponunt, fusi tamen & ad internitionẽ prostrati, ubi C. Manlius in pugna interfectus occubuit. Octuaginta uerò millia Romanorum militum cæsa. Q. Seruilius Cœpio Imperator exercitus, ex conflictu funesto uix cum denis elapsus, Romã tantę cladis nuncius perueniens, bonis omnibus publicatis, ex decreto Senatus, quod temeritate sua exercitũ perdiderit, iugulatur. Aiunt Romanos uno in prælio maiori clade & detrimento unquam affectos esse, quamobrẽ suspensis metu animis, de exitu imperij sui magnopere soliciti, præsentiq; rerum suarum periculo uehementer conturbati, cum hostes initium, ubi minitantes propediem aduentare nunciarentur. Caium Marium ex Lybia, ubi Iugurtam deuicerat, Ducem bellicosissimum & fortunatum uocauerũt, duobusq; annis ab illa clade Romanorum elapsis. Marius Cymbrorum & Teuthonum ad aquas Sextias cruento prælio ducenta millia fudit, tantaq; fertur cæsorum multitudo, ut Massilienses congestis defunctorum ossibus uineas eisdem obsepserint, sanguineq; humano agri, quasi stercore multo pinguescentes uberrimi, feracissimiq; redditi sint. Itaque Cymbri attenuati numero & uiribus, sed animo minimè fracti, in unum conglobati, Q. Catuli Proconsulis exercitum in fugam uerterũt, ad fluuiumq; Athesin castramerati sunt. Quò Marius summa celeritate aduolans, cõiunctis copijs suis cum exercitu Catuli, inito prælio 29. die Iulij centũ quadraginta millia Cymbrorũ occidit. Qua clade ad extrema redacti Italia egressi, patrias oras utpote Daniam, Prussiam, Suetiam, Liuoniam, Lithuaniãq; petierũt, ex quibus illi

Cymbri unde prognati. *Tanais fluuius.* *Cymbrorum patria.* *Cymbri Galliã & Hispaniam ingressi.* *Cymbrorum in Italia bella.* *Infœlix cum Cymbris Romanorum conflictus, eorum strages.* *Marius Cymbros fudit.* *Cymbri ex Italia.*

illi qui Lithuaniam occupauerant Gepidę nuncupati fuêre. Hac uerò in Regione ubi Samogitia, Aeneas Syluius Massagetas, gentem Plinio, celebrem consedisse testatur. Lithuanorum uerò gentem, qui antiquitus Gepidi uocabantur ex Gothis oriundam. Erasmus Stella pulchris rationibus affirmat cum Duce Litalano, siue Lituuone Vedenuti Prusiæ Regis filio, anno Domini 573. in has regiones uicinas patris imperio, quas olim Alani incolebant, uenisse, Lithuaniæq; nomen a sui denominatione eiusdem indidisse. Samogitiam uerò à fratre eiusdem Lithuonis Saimone principe appellatam, idem Erasmus Stella in Prusia historia testatur, quæ tunc temporis longè in Prussiam & Liuoniam usq; extendebatur. Similiter Lotialos, siue Lotuuonos, qui nunc Liuones post Germanorū ingressum Latinis dicuntur, ab eodem Lituuone cum Lituuania pariter nomen traxisse. Hæ autem gentes, utpote Pruteni, Polouuci, Samogitæ, Gepidæ, Lithuani, Liuones, Curlandi, Iatuuingi siue Iaziges & Iaczuuingi appellati, ut unū idioma, ita eosdem mores, consuetudines, legesq; & bellorum expeditiones in Christianos concordi Marte, semper habebant, nisi singuiæ singulis principibus, finibusq; certis dirimebantur. Iaczuuingi autem fuerunt populi crudelissimi, in finibus Lithuaniæ iuxta Masouiam, ubi hodie Podlassia colonias suas habebant, qui in bello non referebant pedem, quin uincerent, aut uincerentur: ideò bellis assiduis interierunt, reliqui eorum in Lithuanos, Russos, & Masouitas ob uicinitatem abierunt. Opinantur alij Lithuanos, à Lithuo quod cornu uenatorium significat, dictos esse, quorum opinio, ut anilis & stulta iure ab omnibus irridetur. Matthias autē Miechouiensis, & Dlugosus Polonicæ historiæ indagatores, ac annales Ruthenorum testantur. Italos Duce Palemone, uel ob tyrannidem Neronis, uel promeritum exilium, aut ab Attila Hunnorū Reges crudelissimas Patriæ uastationes fugientes, has regiones, longa nauigatione superata, ex sinu maris Baltici, quod Prussiam, Samogitiam, Liuoniamq; alluit, per Nemnam fluuium Cronone Ptolomæo dictum, classe ingressos fuisse, quòd & ipsa gens Lithuanica strenuè asserit. Quamplures enim dictiones Latinæ, & Italicæ idiomati eorum intermixtæ habentur. Aiuntq; hunc Palemonem (quem ipsum nomen Latinum, Italumq; esse prodit) cum certa comitiua ex nobilibus propinquitate iunctis collecta, quorum pręcipuos, Vrsinos, Columnas, Iulianos, Cæsarianos, Gastaldos recensent, Lithuaniæ nobilibus familijs & stemmatibus principia dedisse, uulgum uerò Lithuanorum utpote colonos, & agrestes ex Gotis natos asserūt, in hancq; sententiam plurimi Polonicæ & Germanicæ, ac Russorum historiæ scriptores astipulantur, quorum iudicio & authoritati, nos quoq; acquiescentes cum eisdem sentire uolumus.

Lithuani à Cymbris orti.

Lithuaniæ, Samogitiæ & Liuoniæ denominatio.

Iaczwingi siue Iasiges gens crudelis.

Lithuaniæ à Lithuo.

Itali Lithuaniæ gētis propagatores.

Vulgus Lithuanorum ex Gotis, nobiles ex Italis ortu.

Hic itaq; Polemon ob innatam industriam, à gente barbara Princeps salutatus, eam coram nomine Patriæ suę Italię (præposito articulo Italis in fœminini generis nominibus efferendis consueto) *La Italia appellasse* creditur, quæ postea longo temporis successu Italicis moribus, idiomateq; in barbariem populi cōmutatis, Lithuania dicta est. Quidam etiam eosdem Italos à littore maris Baltici, quod Prussiam, Liuoniam, ac Lithuaniæ, Samogitię extrema alluit, eò quod ibi prius consederint, Lithuaniam cognominasse putant. Succedente postea Palemoni quodam ex eadem gente Principe, Itali recens Latinorū nomen non modo deposuerūt: sed ignaram quoq; & peregrinam eorum incolarum linguarum, apud quos principatum arripuerant addiscentes, in suam cooptarūt, uiuendiq; normam & modum cum eiusdem barbaribus susceperunt. Cæterū hæc gens Lithuana longo tempore à sui imperij primordijs, obscura fuit, Ruthenorumq; iugo subiecta, ut Princeps Kiouiensis Russiæ quondam Monarcha, ab eis periomata, suberaq; ob egestatem & soli sterilitatem, in signum tantummodo subiectionis exigeret: Donec Mendolphus siue Mendog, & Vuitenen, Gediminusq; Duces Illustres Heroica Magnanimitate illa innata, dudumq; segnitia rei militaris oppressa excitata, rebellionem contra Ruthenos, ab antecessoribus suis inceptam continentes, unus post alium in Lithuaniæ imperio succedentes, Russiæ Principibus partim strenuo marte, partim astu frequentius aggressis, & quasi debellatis, sensim adeò uiribus creuerunt, ut iugo Rutenis omnibus iniecto, etiam ad tributa sibi pendenda eos compellerent, quæ pluribus ab annis Ruthenis ipsi pendebant, ac pro periomatibus & subere aurum, argentumq; exigunt. Nunc Lithuanorum successus & seriem à primis principatus incrementis, secundum Ruthenorū opiniones aggrediar, à tribus fratribus Palemonis nepotibus, initio sumpto.

Polemon Italus primus dux Lithuanorum.

Lithuania ab Italia cognominata.

Lithuania à littore.

Lithuani olim obscuri, Russiæ tributarij.

Lithuani iugū Ruthenorum excutiunt.

ORDO, GENEALOGIAQVE DVCVM Lithuaniæ.

Palemoni ex Romanis Patritijs genus suū dicenti, fatisq; in Lithuania multis periculis exantlatis commigranti, tres nepotes (quos Ruthœni filios eiusdem cōtra ueritatem Historiæ legitimos scribunt) in imperio Lithuanico successerunt, Borcus, Cunossus & Spera nominati.

Palemonis nepotes.

Borcusq;

Borcus. Borcusq; arce ad Iuriam fluuium ubi in Crononem siue Nemnam exoneratur, in Samogitia erecta, à sui nominis & fluuij composita denominatione, eam Iurborg, quæ hucusq; durat, appellauit, imperiumq; in Samogitas exercuit.

Cunos. Kunossow arx. Cunos uerò ulterius procedens eadem in Regione castrum Kunossouu fundauit, à suo nomine appellatum, ad quod regio subiacens pertineret.

Spera. Kiernus. Gybut. Kiernow arx, & sedes Magni Ducatus Lithuaniæ. Lithuania à Litui tuba. Spera quoque Vilkomir arce ad fluenta Suuentæ ædificata, ibidem dominari cœpit. Tandem Borco & Spera fatis concedentibus, Cunos in utriusq; partes successit, duosq; filios Kiernum & Gybutũ procreauit. Mortuo Kunosso, Kiernus filius in Lithuania principatu ex utraq; ripa Vuiliæ fluuij arrepto, Kiernouu arcem Ducatus sedem erexit. Hunc Lithuaniam à littore & tuba siue lituo cornu uenatorio, appellasse Rutheni, & ipsa gens Lithuanica nulla certa, probabiliq; ratione fulti autumant. Gybutus etiã Kiernouuq; germanus Samogitiæ habenis præfuit, manuq; coniuncta cum Kierno Russiam apud Braslauu & Poloczko longè, lateq; uastauerunt. Cumq; exuuijs onusti reuerterentur, Samogitiam à Liuonibus uicinis spoliatam inuenerunt, quam ulciscentes Liuoniam uicissim igne, & armis, uastatam diripuerunt.

Ziuibundus Dux Lithuaniæ. Muntwil Samogitiæ Dux. Vikint. Kierno è uiuis decedente, Ziuibundus filius in Lithuania succedit, Gybuto uerò in Samogitia Muntuuil, hi quoque fraterna synceritate sese prosequentes, pacificè gentium suarum habenis præfuerunt. Russiæ principibus tributa persoluentes, periomata uidelicet ad balnea & conturnos de subere more gentis contextos. Muntuuilo deinde parcis uocantibus, non diu regnanti, Vikint filius in Samogitiæ principatum euectus est.

Batti Russiam uastauit. Grodno ædificata. Podlassiam ab Erduuilo occupata. Eixis. Gransis. Campa. Interea uerò cum Batti Tartarorum imperator, Russiam magna ex parte deuastasset, potentiamq; Ducum eius diminuisset, & debilitasset, Ziuibundus Lithuaniæ Dux nacta occasione ad iugum Ruthenorum excutiendum, & libertatem uindicandam, fratris Vikinti Erdziuuilũ filium in Russiam infestãdam armata manu destinauit. Itaq; Erdziuuil tranato Vilia fluuio, Nouogrodek arcem & ciuitatem Ruthenorũ occupauit, ibidemq; sedem Ducatus sui posuit. Vlteriusq; castra mouendo ad Nemnam fluuium, scopulo, natura loci munitissimo reperto, castrum quod Grodno appellatur ibidem erexit. Tandem in Podlassiam cum exercitu penetrans Brzestiam, Mielnicum, Drohicinũ per Batti Tartarorum desolatas arces Ruthenorum occupauit, muniuitq;, & omnem eam oram suam in ditionem paruo negotio redegit. In Lithuania uerò benè meritis exercitus ductoribus prouincias, unicuiq; pro sua dignitate, distribuit. Eixio ex quo Douoinorum familia creuit, Regionem hanc ubi ab eo nunc Eixiski oppidum nuncupatur. Granso ubi Gransiski. Campæ uerò ex quo Gastaldorum nomen in Lithuania Osmianam dedit.

Lithuaniæ proceres. Erduuilus Tartaros sternit. Mingailo dux Lithuaniæ. Erdziuil igitur uiribus in Russia & Lithuania auctis, Tartarorum Zauuolhensium Regem Kurdassum nomine cum suis copijs Ruthenorum regiones ex consuetudine deprædantem apud Mozeram oppidũ, in fluuio Okuniouuka dicto prostrauit, fugauitq;. Multis gestis Heroicis exactis factis concessit. Mingailum uerò & Algimuntum filios imperij successores reliquit. Algimuntus Samogitiæ præfuit: Mingailo uerò Polocensibus Ruthenis liberè absq; iugo cuiusquam uiuentibus bellum intulit, quibus apud Grodzecz arcem eorundem quam exussit debellatis, Poloczkam cœpit, imperiumq; in Polocenses, ac Nouogrodenses latissimè exercuit Ginuilo, & Skirmunto filijs, patriæ dominis relictis, è uiuis decessit.

Skirmunt. Ginuil. Skirmunt itaq; persolutis patri funebribus exequijs, Nouogrodecensium & Lithuanorum habenas moderauit. Ginuil uerò Poloczkam iure naturali deuolutam administrauit, qui ducta in matrimonium Maria Twerensium Ducis filia baptizatus est, atque Georgius cognominatus, cum Pskouiensibus & Smolenscijs acerrimum bellum pro patria gessit, Borisso filio in Polocensi Ducatu relicto, spiritum exhalauit.

Boris. Borissow fundata. Basilius Rechwold. Poroskauia Polockæ Ducissa. Boris ex more patri iustis persolutis, Poloczkam summa cum dexteritate moderauit, Basilicam sub titulo Sanctæ Sophiæ in arce de lateribus coctis pulcherrimè sumptuoseq; erexit. Item aliam Saluatoris Iesu Christi, qui Spes Ruthenis dicitur, & monasterium uirginum medium miliari à Poloczka, (ubi modernus Dux Moschouiæ in oppugnatione Poloscæ, domicilium suum habuit) Borisiq; & Hlebi diuorum Ruthenici ritus Ecclesias instaurauit ac dotauit. Borissowo arcem & oppidum ad Beresinam fluuium, à sui nomine appellatam fundauit, ad quam usq; Magnus Dux Moschouiæ fines suos pertinere contendit. Borisso decedenti Basilius Rechwold filius in Polocensi principatu successit, qui ætatis plenus ad superos migrauit, relicta filia Poroskauia, & Hlebo filio. Hlebus paucis annis in Poloczka exactis fatis ccõessit. Poroskauia uerò soror sua cœlibem, uirginalemq; uitam ducens, in monasterio Ruthenici ritus uixit, postea deuotionis causa cum quibusdam monachis Græcis, Romã petijt, ibidemq; mortua, ob uitæ sanctimoniã canonisata & Catalogo sanctorum scripta, Paraxidisq; Latinis secundũ Ruthenorum opinionem

opinionem appellata. Nunc à Polocensibus Ducibus ad Lithuaniæ Principes redeo.

Skiermunt filius Mingaili, & frater Ginuili, Lithuaniæ habenas uiriliter moderans, Mscislaum Ducem Lucensium cum copijs Russorum sibi occurrentē prostrauit, arcesq; Pinskam, & Turouuiam eisdē eripuit. Postea Balaklaium Tartarorum Zauuolhensium Regem apud Keidanouu Rusſiam uastantem, cum uniuerso exercitu fudit, fugauitq;.

Skiermunt Ruthenos prostrauit.

Tandem Rusſiæ principibus bellum intulit, eò quod illum Lithuania pellere niteren tur. Mortisq; successu copijs Russorum debellatis, Mozeram, Cernihouiam, Karasouiam arces cum suis prouincijs expugnauit, imperioq; suo subiugauit, ac tribus filijs, Stroinato, Lauborto, & Pisimonto in hæreditatem concessit.

Kukouoitus patruus Skiermunti in Lithuaniæ & Samogitiæ principatu multis annis exactis, naturæ debitum soluit. Giedrusso uerò genero, qui filiam suam Poiatam matrimonio copulauerat, principatum cōmisit, qui Lithuaniæ & Samogitiæ habenis summa cum dexteritate administrans moritur, Ringolto filio relicto.

Giedrus.

Ringolt patri funebribus exequijs more gentili persolutis, Lithuaniæ & Samogitiæ præficitur. In hunc principes Rusſiæ inuidia ducti, ob tributa non persoluta exacerbati conspirauerunt, quatenus Ducatu paterno exueretur. Itaq; exercitibus conscriptis, in Lithuaniam ualida manu cum Tartarorum auxiliaribus copijs excurrunt, quibus Ringolt uiribus Lithuanicis & Samogitiæ accinctus occurrit, acriq; commisso prælio ad Nemnam fluuium iuxta Mohilnam, Tartarorum sex millia, Ruthenorumq; ingentes copias prostrauit. In quo conflictu ex Ducibus Rusſiæ, Demetrius Drucensis, Suuetoslaus Kiouiensis, Leoq; Vuolodimerensis occubuerunt. Ringoltus hac uictoria & alijs multis clarus humanis excessit, cui Mindog filius in Principatu successit, anno Domini 1240.

Ringolt principes Rusſiæ sternit.

Mendog siue Mindog Dux Lithuaniæ, Samogitiæq;, communibus suorum acclamationibus creatus, cum Prussiensibus Crucigeris & Liuoniensibus multa præclara bella gessit, Smolenskam & Vuolhiniæ Duces imperio suo post uarios conflictus subiecit. Boleslaum Pudicum Regem Poloniæ 1243. anno à Christo nato, Danielemq; Rusſiæ Monarcham & Regem coronatum 1246. sæpius excursorijs pugnis, cruenta cum clade Christianorum molestauit, Masouiam, Dobriniam, Cuiauiam, igne, ferroq;, multis spolijs onustus frequenter peragrauit. Postea anno Domini 1252. à Cruciferis Prussiæ, Liuoniæq; inductus, fidem Christianam cum nonnullis Lithuanis & Prutenis suscepit, deditq; literas Cruciferis Prussiæ (Magistro Henrico de Zalcza in ordine tunc temporis quarto præsidente) quibus astruit, & recognoscit, se ab illis multiplicier honoratum & adiutum, & ideò terras suæ ditionis, uidelicet Samogitarum, Iaczuuingorum, Curouuiensium, Vueizensium, & totam terram Lithuaniæ perpetua & irreuocabili donatione, ipsis donasse & inscripsisse. Consilioq; fratrum Cruciferorum Prussiæ nuncios suos, nuncijs Magistri & Cruciferorum adiunctos, ad Innocentium Papam quartum misit, profitens se puritatem Christianam suscepisse, & Coronam super Lithuanos regnandi petens. In cuius fauorem Innocentius Papa fratrem Heindenricum olim prouincialem Poloniæ, & Episcopum Armacanum, cum alijs Episcopis de Riga Liuoniæ misit, qui Mendognem in Regem Lithuaniæ inunxerunt, sub eodem tamen anno, cum omnibus baptisatis ad pristinos idolatriæ feces, prioribus peiores redijt, siue dolore & pœnitentia amissarum terrarum, quas Cruciferis inscripserat, siue alia causa commotus. Postea anno Domini 1260. Mendog, siue Mendolphus Princeps Lithuaniæ ordinatione Crucigerorum Regem se gerens ex Lithuanis, Prutenis, Iaczuuingis, Samogitijsq; triginta millium exercitu coadunato, Masouiæ oram crudelissimè depopulatus est. castrum Ploczko cum ciuitate exussit, deinde Prussiam inuadens, Cruciferis tantummodò castra tuentibus, ciuitates quas Cruciferi extruxerant, flamma & excisione deleuit, omnesq; Christianos illic repertos trucidauit, opimisq; spolijs onustus in Lithuaniam redijt. Item eodem anno Magistro & Cruciferis Prussiæ, erigentibus castrum Carsouuin, in monte Sancti Georgij, à Lithuanis & Prutenis barbaris prostrati sunt, ubi Henricus de Horshusen Magister Liuoniæ, & Henricus Marschalcus Prussiæ cum multis alijs occubuerunt. Lithuani autem castrum Carsouuin & Heizburg, maceratis fame defensoribus conquisiuerunt, ad castrum deinde Konigsperg obsidione promota à Crucigeris repulsi sunt.

Mendog coronatur, baptisatur.

Mendog Christianam fidem spernit.

Masonia uastata.

Prussia Mendog uastatur.

Tandem Mendog ualido collecto exercitu cum Suuarnone Prussiæ principe, anno 1262. in Masouiam irrupit, ubi in uigilia S. Ioan. Baptistæ Semouitum Ducem Masouiæ incautum in curia Iasdouu cum filio Conrado, & alijs militibus, occupauerunt. Suuarno Dux Rusſiæ Semouitum ipsum crudeliter decolauit. Conradū uerò filium ipsius, Mendog, & Lithuani conseruauerunt, & eodē anno ab eis redemptus est. Lithuani itaq; & Rutheni uniuersa Masouiæ ora & Cuiauiæ parte peruastata, cum immensa præda hominū & pecorū, succensis oppidis & uillis in suas terras redierūt. Sequēte deinde anno, Lithuani

Masouiæ clades, ubi Semouitus obtruncatur.

& Rutheni

& Rutheni non contenti prima deuastatione in Masouiam iterũ remearunt, & in ea propter desolationem nihil reperientes, Castellaniam Louiciensem ad Archiepiscopũ Gnesnensem pertinentem, igne & multiplicibus prædis consumpserunt: neminecꝫ defensionem opponente, in terras suas superbiendo discesserunt.

Louicz exusta

Tandem Deus misericors Polonis, Masouitisqꝫ Christianis propiciaturus, dissensiones ciuiles, inter Ruthenos & Lithuanos immisit. Nam Mendolphum, aliàs Mendog Regem Lithuanorum, nepos eius Stroinat cum Dowmanto genero eiusdem, Principatum Lithuanicum ambiens, quiescentem obtrũcat, & duos filios eius, Ruklam, & Rzepikassam, sicqꝫ principatum arripuit, anno 1263. in quo & fratrem Towciuilum Polocensium Ducem ambitione commotus trucidauit. Vuoisalk autem Monachus tonsus Ruthenicum ritum primo professus, filius Mendolphi, patri occiso parentando Stroinatum exprobando illi, nephariam cædem, anno Domini 1264. occidit. Itaqꝫ Vuoisalk monachus Ducem Lithuanorum se gerere cœpit, Poloniamqꝫ, & Masouiam, ac Cruciferos crebris irruptionibus infestauit.

Mendog cum filijs occisus à Stroinate.

Towciuilus trucidatur.

Stroinat obtruncatur.

Anno autem Domini 1267. prædictus Vuoisalk propter simultates & odia pro terris Rusiæ, quas sibi appropriare nitebatur, in Vurowsko monasterio Ruthenorum S. Michaëlis circumuentus à Leone Duce Rusiæ, qui & Leopolim fundauit, filio Danielis olim regis Rusiæ, occisus est.

Voisalk iugulatur.

Sublatis per huiusmodi seditiones Ducibus Lithuaniæ, Vtenus, siue Vcienus, ex principum Lithuaniæ prosapia familia Kitaurorum communi omnium acclamatione in Magnum Lithuaniæ, Samogitiæqꝫ Ducem substituitur, qui pluribus bellis cum Ruthenis, Cruciferisqꝫ Prusiæ exantlatis Swintoroho filio relicto è uiuis decesit.

Vtenus.

Swintorohus paucis annis in Imperio exactis, Reipublicæ tamen negotijs optimè communitis, constitutisqꝫ, ex hac luce commigrauit, cui Germontus filius succedens, & ipse non multo tempore imperans, relictis Trabuso & Aligino filijs, in fata concesit. Trabus Magni Ducatus Lithuaniæ, Samogitiæ, & quibusdam regionibus Rusiæ iure hęreditario ad se deuolutis imperans, bello & pace clarus oppidum à suo nomine cum castro hucusqꝫ Trahy appellatum, condidit, & quinqꝫ filios legitimos, Narimũdum, Dowmantum, Holsanum, Giedrutum, Troidenum, procreauit, pluribusqꝫ egregijs gestis exactis, fatis interceptus est.

Swintorohus.

Germontus.

Trabus.

Persolutis gentiliter patri funebribus exequijs, eiusdem in magno Ducatu Narimuntus natu maior filius succesit, sedemqꝫ suam de Nouogrodek Kiernouã transtulit. Dowmant uerò Vcianam castrum cum suo districtu tenuit. Giedrotus siue Giedrus, arcem ad lacum quendam, à suo nomine Giedrote appellatam, condidit, in qua sedem sui principatus habuit, ex eo ad hęc usqꝫ tempora innumerabilis progenies extat propagata, Ducum Giedrocensium titulo gaudentes, ac pro Ducibus sese gerentes, & à Vuilna Lithuaniæ Metropoli, quatuor miliaribus intercipiendo, in Lithuaniam usqꝫ ditiones eorum extenduntur per 26. miliaria Polonica, plurimiqꝫ eorum paupertimi uix colonorum conditionem adæquantes, cæteris Dominis inseruientes nihilominus tamen titulo Ducum sese priuari permittunt, atqꝫ aliter appellati ægrè ferũt: uerè enim ex Ducum Lithuaniæ prosapia, genus suum ducunt, & armis Ducatus Lithuaniæ antiquis, quas à Romanis importatas, ferunt, Kijtauro uidelicet secundum illorum opinionem utuntur. Sed ad rem redeo. Holsam quartus Trabusi filius ultra fluuium Viliam uersus orientem procedendo, & Korablam amnem arcem sui Ducatus sedem, à sui denominatione Holsany appellatam cõdidit. Horum Ducum Holsanensium Paulus Episcopus Vilnensis moderni, uerè Reuerendisimi Domini Valeriani Episcopi antecessor familiam terminauit. Ducatus uerò ipse in ditionem regis cesit. Quintus Troidenus Iatwingorum, ubi nunc Podlasia & Doinowiorum principatum ultra sibi oblatum accepit, ubi Rayrodam arcem hucusqꝫ manentem condidit, ad Biebram fluuium.

Sedes de Nouogrodek in Kiernouam translata.

Duces Giedrocenses.

His quatuor fratribus, Narimuntus secundum prærogatiuam natiuitatis, in Magno Ducatu præpositus, cõiunctis eorum uiribus Poloniam, Rusiam, Masouiamqꝫ & Prusiam infestabant, Crucigeros quoqꝫ sæpius, tàm Liuonienses, quàm Prusienses oppugnabant. Postea Narimuntus cum Dowmanto fratre bellum ciuile, quod sibi uxorem rapuerat, mouit. Vczianaqꝫ, quo se Dowmantus receperat obsessa, uxorem recuperauit, & arcem cõquisiuit. Dowmantum uerò Ducatu exuit, fugauitqꝫ, qui Pskouam fugiens in principatum à Pskouiensibus promotus est, quorum armis Polocenses Ruthenos Poloczka conquisita, suam in ditionem subiugauit.

Porrò Ruthenorum annales Narimuntum Magnum Ducem Lithuaniæ primum autorem Stemmatis, siue insignij Lithuanici, uiri uidelicet armatiæ quo insidentis albo, gladium extensum super caput tenentis, in modum persequentis fugientes, unde uulgaritet

Insignia Lithuaniæ.

gariter Pogonia dicitur. Fatis tandem obtemperatis, Narimunto, Troidenus frater in Magno Ducatu Lithuaniæ & Samogitię succeſsit, qui rebus omnibus imperij bene compositis, finibusq́ue ab incursu Ruthenorum & Crucifigerorum undique tutatis summo cum terrore finitimis gentibus principatum gubernauit, filius uerò suus Rimuntus, quem ex Mazouiæ Ducis filia susceperat baptizatus, Monasticam uitam ex præscripto Ruthenorum profeſſus eſt.

Troidenus Lithuaniæ Princeps.

Postea anno Domini 1278. Troidenus coadunatis Lithuanorum, & Prutenorum Barbarorum copijs, quæ 30. millia pugnatorum excedebant, eas trifariam diuisit, vnam partem in Mazouiam, duas uerò in terram Culmensem contra Crucigeros destinauit, maximaq; parte Prusſiæ ditionis Crucigerorum peruastata, castris Burgelavv, Lubavv, Chelm, expugnatis maximam captiuitatem hominum, & iumentorum in Lithuaniam abduxit. Eodem anno terra Cuiauienſis circa oppidum Kovvale, & Lanciciensis ciuitas à Lithuanis, subita incursione spoliata eſt. Postea Dovvmantus Pskouienſium, & Polocensium Princeps, Troidenum natu minorum fratrē, Magno Ducatui Lithuaco dominari ægrè ferens, tres rusticos subordinauit, prætio corruptos, qui eum de balneo euntem incautum obtruncarūt. Dovvmantus itaq; copijs conscriptis ualidiſsimo cum exercitu, ad Lithuaniam occupādam progreſſus, à Rimunto filio Troideni ex monacho principe facto, uiribus Lithuanicis profligatur, trucidaturq;, qui eius sanguine parenti victoriosè parentauit. Facta in Kiernovva conuentione omne ius hæreditarium in Magno Ducatu abdicauit, sæculariq; principatu spreto, uitam monasticam continuare delegit. Vitenen. uerò Samogitam de familia Kitaurorum ex Romanis Principibus oriundum, uirum strenuum & magnanimum, in Magnum Ducem Lithuaniæ constituit: quamuis enim superessent Patrueles sui duo, Giedrocensis, & Holsanēsis Duces, ad quos magnus Ducatus iure hæreditario pertineret, sed quod erant puerili ætate, ad imperium minus habili, ideò principatum ad eos deferri disuasit, dicens: patruum suum Narimuntum fœlicis memoriæ arma siue insigne Magni Ducatus sibi fabricaſſe, uirum armatū cum gladio equo insidentem, ideò oportere, vt princeps, armis bellicosis, strenuè correſponderet.

Prusſiam Troidenus uastat.

Troidenus trucidatur.

VITENES PRINCEPS LITHVANIAE.

ANno quo verbum Diuinum salutiferum, humana in carne, mundo cœlitus apparuit 1279. Vithenes communi omnium suffragio, Princeps salutatus in Lithuania, & magnæ parti Rusſiæ latè imperauit, frequenterq; bella cum Polonis finitimis, Rusſiæq; Ducibus geſsit.

Annoq; Domini 1282. cum Lithuanis & Iaczvvingis 24. die Septembris in terram Lublinensem deuenit, & 15. diebus eam uastando, magnam prædam in Lithuaniam referebat. Lesko autem niger Rex Poloniæ, Lublini ex uisione angelica consolatus, ad persequendos barbaros animatus eſt, quos cum parua manu Polonorum militum inter Narevv, & Nemen consequutos, securè agentes, facilè prostrauit, ad decemq; millia barbarorum trucidauit, & spolia abegit; ac in signum uictoriæ Lublini Ecclesiā parochialem sub titulo sancti Michaëlis Archangeli fundauit.

Lithuani profligantur.

Anno Domini 1286. Pelusia unus ex Ducibus Lithuaniæ suas iniurias in Lithuanos ulturus, ad Albertum de Miſſen, Commendatorem in Konigsberg, secretò confugiens, uiginti uiros militares Teutonicos armatos sibi dari petijt, quorum principales erat Martinus de Golin, & Conradus Tvvil Crucigeri, cum his ad locum ubi principes Lithuaniæ conuiuabant perueniens, nocte incautos oppreſsit, 70. principales Lithuanos dormientes, plurimamq́ue multitudinem utriusque sexus trucidauit, sponſum & sponſam, cum matronis & uirginibus, spolijs, clenodijs, unionibusq́ue onustus in Konigsberg deduxit.

Lithuani in nuptijs trucidantur.

Anno Domini 1287. Lithuani, Pruteni, & Samogitæ, furtiuo & silenti agmine, in terram Dobrzinenſem uenientes, principalem ciuitatem Dobrzin, die Dominico, ciuibus sacris occupatis compræhenderunt, & trucidatis senibus atq; lactantibus cæteros, spoliatis uillis & oppidis, in miseram seruitutem abduxerunt.

Dobrizensis terra uastatur.

Anno Domini 1289. Exercitus Lithuanorum, in numero octo millium armatorum, in terram Sambiensem Prusſiæ, descendens, flammis, cædibus, & spolijs eam uastauit, & exuuis onustus in propria redijt, Cruciferi decernere cum hostib. non audentes, 50. duntaxat Lithuanos intercęperunt.

Prusſia uastatur.

Anno Domini 1291. Lithuaniam Cruciferi Prusſienses, uastauerunt, multisq́ue oc-

Kk cisis

Lithuania uastatur. cisis septingentos captiuos abduxerunt. Postea & Mederabe castrum Lithuanicū, Commendator de Konigsberg conquisiuit. Magister quoque Prusiæ Memer, cum forti exercitu Lithuaniam aggressus, duos districtus, Pastonovv, & Gerssovv in cinerem redegit, & cum multa præda captiuorum reuersus est. Paucis post diebus Vvitenes Lithuanorum Dux terram Cuiauiæ hostiliter ingressus, cædibus & spolijs, circa ciuitatem Brzescie patratis, hominum & rerum prædam ingentem secum abduxit, & licet Vvladislaus Loktek & Cazimirus, Cuiauiæ, & Lanciciæ Duces, cum militibus suis, Magister quoq; Prusiæ Meinhardus tempestiuè eos fuissent insequuti, re tamen nulla memorabili edita, omnes abiêre retrorsum. *Cuiauia uastatur.*

Lithuania uastatur. Anno Domini 1293. Conradus Stange Commendator de Ragneta circa festum S. Iacobi castrum Mindege in Lithuania expugnauit, & magnam multitudinem Lithuanorum, pluribus cæsis in Prusiam abduxit. Vvitenes autem cum multitudine Lithuanorū, & Rutenorum, Prusiam 80. diebus uastauit.

Prusia uastatur. Postea anno Domini 1294. cum mille octingentis equitibus, per syluas & nemora, silenti agmine Vvitenen, in terram Lanciciensem post festum Pentecostes ingressus, primū in Ecclesiā collegiatā Lanciciensem impetū fecit, & frequentiā populi, quæ illuc confluxerat trucidauit, alios uerò captiuauit, prælatos, canonicos, & sacerdotes in seruitutem accepit: uestes sacras, & uasa diripuit, & qui supra Ecclesiā cōfugerant, domibus Ecclesiā circumstantib. accēsis suffocauit. Ad rura deinde & uicos discurrēdo, magnā prædam abigebat, redeuntemq; Cazimirus Dux Lanciciensis, cum militib. suis prope Sohaczovv, ciuitatem, in uilla Troianovv cōsequutum, impari marte prælium cum eo cōmisit, ubi à multitudine Lithuanorum confossus, strenuè dimicando occubuit. Peracto prælio cuilibet Lithuano 20. Christiani Poloni in sortem cesserunt. *Cazimirus à Lithuanis occisus.*

Lithuania uastatur. Anno Domini 1294. Meinhardus Prusiæ Magister, binos districtus Lithuanorum Pastovv & Gierschovv uastauit. Eodem quoq; tempore Commendator de Ragneta Lithuanorum castrum Kymel conquisiuit, & succendit.

Prusia uastatur. Anno Domini 1296. Vvitenen. ingressus terram Culmensem, & districtum Colubiensem spolijs, & cædibus eas afflixit, deinde in Liuoniam uastatrices, suas copias duxit, eamq; igne & ferro protriuit.

Anno Domini 1298. Lithuani oppidum Strasburg in Culmensi terra uastauerunt, quos Cruciferi assequentes, partem prædæ abegerunt.

Postea anno Dñi 1299. sexcenti Lithuani Prusiā igne & ferro ,ptriuerūt. Natangiā'q; districtum deprædati 300. captiuauerunt Teutones, plurimos uerò occiderunt.

Vuitenes à Gedimino obtruncatur. Hic Vuitenes habuit magistrum stabuli, Gediminum nomine, uirum ambitiosum & excelsi animi, qui imperium ambigens prædictum Vuitenem Dominum suum nacta occasione temporis obtruncauit, statimquê magno Ducatu, & uxore Domini occisi (quæ etiam in necem mariti consenserat) potitus est, atque hunc exitum Vuitenes habuit. Chronica uerò Ruthenorum hunc Gediminum legitimum filium Vuitenis testantur, & legitimè eundem patri succesisse, sed cæteri historici probabiliores ab eorum sententia discrepant.

GEDIMINVS MAGNVS DVX LITHVANIAE.

Anno à Christo nato 1300. Gediminus imperio industriosè inter suos arrepto, latè illud propagauit, nonnulla parte Rusiæ partim ui & armis, partim pactis occupata. Dum autem Lithuaniæ habenas strenuè Gediminus gubernaret, à Rutenisq; & Polonis fines suos fœlici marte pacaret, Crucigeri, Prusienses, & Liuonienses armata manu, & conscriptis ex Germania ualidis copijs, Samogitiam hostiliter ingresi, quæq; obuia uastauerunt, Kunossovv arcem obsederunt, machinis eam quatientes, quam uiolenti irruptione cœperunt, & Gastaldum Campiductorem Lithuaniæ in ea captiuauerunt, uniuersamq; terram Samogitiæ occupauerunt. Sequente anno Gediminus ad ulciscendas iniurias sibi illatas, in inuasa & uiolenter occupata Samogitia, Lithuanorum copijs conscriptis, & Rusiæ principum auxilijs, ac Tartarorum accinctus, contra Prusienses, Crucigeros & Lithuanienses expeditionem egit, & ordinatis vtrinque aciebus à mane usque ad meridiem durisimo Marte, ad Okmienam fluuium pugnauerunt, donec Samagitarum exercitus, in ipso furore belli à Crucigeris ad Lithuanos deficiens, Gedimini uires augerent, qui fortiter ordinem Teutonicorum dirupit, copiasquê eorum in fugam uertit, plerique ergo Alemañorum, cum suis commendatoribus interfecti *Samogitia à Crucigeris occupatur.*

alij

alij in fuga capti, Gedimino præsentati sunt, quā uictoriam prosperè nactam persequēs, in Prussiam contendit, duobusq; castris Ragneta & Cilza conquisitis, ciuitatibus & uillis circumquaq; ferro, & igne deuastatis, magna spolia in Lithuaniam triumphator abduxit, & Samogitiam totam recuperauit, præsidijs & incastellationibus Crucigerorum eradicatis. Hoc bello fœliciter continuato, anno Domini 1304. in Russiæ Principes expeditionem parabat, Volodimirum Ducem Volhiniæ, cum exercitu Russorum trucidauit, Volodimiriamq; cœpit. Postea contra Leonem Lucensem Ducem armata manu contendit, quo fugato Luczkum occupauit, & totam Volhiniam in suam ditionem redegit, Brestiam exercitum reducens ibidem hibernauit. Tandem otij pertæsus maioribus copijs conscriptis, contra Kiouiæ Principem Stanislavvlum processit, Vvruczaiumq́, & Zitomiram, castra expugnauit, ipsum Stanislavvlum Kiouiæ, & cæteros Principes Russiæ, Leo Lucensem, Romanum Branscensem, Olham Præslauiensem, coniunctis uiribus sibi occurrentes, fœlici Marte profligauit, ubi Leo Lucensis, & Olha Præslauiensis occubuerunt, Stanislavvlus uerò Kiouiensis cum Romano Branscensi, fuga saluti consulentes Branskam fugerunt. Gediminus autem uictoria hac elatus, Bialygrodek, postea Kiouiā ipsam tunc temporis Russiæ Metropolim, Cerkassos, Kaniovviam, Putvvilam sexaginta milliaria ultra Kiouiam, Slepovvrotum, Branskum, Pereslauiam fauente Marte, partim ui, partim deditione expugnauit, & totius ferè Russiæ, Seueriæ, & Volhiniæ Princeps facili negotio factus, in Lithuaniam triumphantia castra reduxit.

Victoria Gedimini.

Gediminus Principes Russiæ profligat.

Kiouia Principatum cum ius adhærentib. occupat.

Postea Gediminus de Kiernovva ad uenandas feras causa solatij, quinq; miliaribus ultra Viliam fluuium emensis, nacto loco natura & opportunitate apprimè munito, arcem ibidem erexit in lacu, ciuitatemq; eidem adiecit, quam uocauit Troki, in eam Sedem Magni Ducatus de Kiernovva transtulit. Postea anno Domini 1305. Orientem uersus causa uenationis exercendæ progressus, in quatuor milliaribus, ubi Vilna Viliç fluuio cōmiscet, plurimas feras nactus est, ibidemq; in monte Krzyvvagora tunc tēporis dicto, q̄ modo Turzagoria, uel Lissa, id est, calua uocatur, Vrum feram grandem, sua manu trucidauit, uenationeq; lassatus, uespera imminente in eo monte pernoctauit, dormiēsq; per somnium uidit, lupum ferreum rugientem, in cuius uentre alij centum lupi rugiebant, experrefactus somnium aulicis & stipatorib. exponit, quod uarijs uariè exponentibus, Lezdzieiko, sacerdos suus gentilis (quē dicūt in nido Aquilæ repertū) qui etiā auguria, & futura præsagire solebat, huius somnij arcana exposuit, Lupum ferreū rugientē, urbē fortē, insignē, & celebrē significare, lupos uerò in eo rugiētes, multitudinē populorum portēdere. Qua de causa Gedimino Principi suasit ciuitatē & arcē ibidem erigendā, & ideò Lezdzieiko sacerdos plurimis beneficijs, ob singularem uirtutum excellentiam auctus Radivvil, quasi consiliarius Vilnæ ædificandæ, uocatus est; de cuius familia præstantissimi Hęroes semper fluunt, qui belli pacisq; munia, maxima animi ingenijq; ui præclarè in Reipublicæ Christianæ emolumentum obeunt. Itaq; Gediminus persuasione Lezdzieikonis ductus, illico arces duas, unā in monte excelso, alteram in planicie inferiorem erigere muniréq; fecit, ciuitatem etiam populosam ædificare iuxta mandauit, quam Vilnam à Vilna fluuio præterlabente appellauit, & sedem suam de Troki in eam transtulit, ac fœliciter principatus finibus prolatatis imperauit.

Stare Troki erecta in Sedē Ducis Lithuaniæ.

Caluus mons.

Somnium Gedimini de Lupo ferreo.

Vilna condita.

Lezdzieiko ex quo Radiuilones.

Vilna condita.

Anno à Christo nato 1306. audientes Lithuani, dissidia in regno Poloniæ, per nemora, & inuia, in terras maioris Poloniæ, irripuerunt, & oppida Kalis & Stauissino, uillasq; in uicinijs eorum exusserunt, deprædarunt, senes, & impuberes trucidarunt, pluraq; millia promiscui sexus, in Lithuaniam abduxerunt. Eodem anno Henricus de Pleczko Saxo, Magister Prussiæ, castrum Gartin in Samogitia præsidio Lithuanorum munitum, sub tempore nebulæ apertum, cum Teuthonicis inopinatè cœpit, & omnes Lithuanos trucidauit. Multis demum peregrinis, ex Germania in Prussiam aduenientibus aliud bellum Lithuanis illatum est, & districtu Karssovvin spoliato, in Prussiā cum captiuis redierunt.

Polonia maior à Lithuanis uastatur.

Anno Domini 1307. Lithuani in die S. Galli, terras Syradiæ & Kalissiensem subito irrupentes, plurimam rapientes prædam, cædeq; & igne plurima loca uastantes, concito gressu in Lithuaniam redierunt.

Siradia à Lithuanis uastata.

Anno Dñi 1308. Olgerdus filius Gedimini cum Lithuanis Prussiam ingressus eam ferro, & igne protriuit, prædamq; ingentem abduxit. Hanc autem sibi Lithuani, & Prutheni, Crucigeri uicissitudinem sæpissimè alterutrum reddebant.

Lithuani Prussiam, Crucigeri Lithuaniam uastant.

Anno quoq; 1311. idem Olgerdus cum omnibus suis copijs, terras Prussię sub carnis

priuio ingressus, ꝑ cædes & flamas magnam partem terræ in familiam, & desolationem redegit, in Lithuaniam cum quingẽtis captiuis reuersus, dijs suis libamina obtulit, quam cladem Cruciferi ulciscentes, uicissim terram Samogitæ uastauerunt. Lithuani quoq; similiter eorum Regiones deprædauerunt.

Prußia uastatur.

Anno Domini 1315. Samagitæ numeroso exercitu, Ragnetam cinxerant, & cum longum tempus in obsidendo castro non expugnato consumpserant, conculcatis segetibus & omnibus in circuitu uastatis, in Samagitiam redierunt. Olgerdus autem Samagitarũ cœptum continuans cum frequenti exercitu, castrum Trismemel obsidione uallauit, piectioneq; machinarum 17. diebus, expugnabat. Ducentos milites ab Henrico Magistro Prusiæ missos, ad obsessos ingredi contendentes, ad unum oẽs profligauit. Anno Dñi 1320. Henricus Marschalcus Prusiæ, cum benè instructo exercitu Lithuaniam uastauit circa Vorniani, interim uerò Lithuani, & Samagitæ, nihil ea uastatione deterriti, angustias unius saltus, quem Crucigeri in redeundo transituri erant, occupant, & arboribus magnis succisis uias obstruunt, insidias parandas, dumq; Marschalcus cum exercitu ignarus insidiarum, syluam ingrederetur, à Lithuanis & ipse, & exercitus uniuersus omnes ad unum trucidantur.

Lithuania uastatur.

Crucigeri profligantur.

Dobrzin uastatta.

Eodem anno Lithuani terram Dobrzinensem inopinatè excursione uastauerunt, & Dobrzin ciuitate exusta cum præda, ad sua reuersi sunt.

Liuonia uasta ta.

Anno Dñi 1322. Lithuani Derptẽsem Episcopatũ in Liuonia uastauerunt, & quinq; millia captiuorũ abduxerũt. Eodem anno hyemis tẽpore Dauid Capitaneus de Gartin Lithuanus, frigore non torpẽs, ad Raualiam usq; Liuoniam uastauit. Ecclesias incendit, & sacra uasa recepit, & sex milia captiuorum cum ingentibus spolijs de Germanis, in Lithuaniam abduxit.

Prußiæ castra expugnantur.

Henricus de Capiovv profligatur Masouia uastatur.

Deinde sub eodẽ hyeme Lithuani & Samagitæ ciuitatẽ Memel, & tria Castra in eius uicinio expugnauerunt, post hæc, districtum Vilovv in Prusia adeuntes, strage magna edita, Commendatorẽ de Capiovv, cum exercitu Teutonicorũ occurrentem, occiderunt. Mazouiam quoq; Dauid de Gartin, multis uillis & oppidis succensis, uastauit.

Polouuko exusta.

Anno Domini 1323. Lithuani clandestinis itineribus, in Dobrzinensem terram Poloniæ, subito irrumpentes, ipsam ciuitatem exusserunt, & captiuorum nouem millia eduxerunt.

Liuonia uastatur.

Dauid Capitaneus de Gartin, anno Dñi 1324. Mazouiam circa Polovvsko, iussu Gedimini, deuastauit, & centum tr[illegible]ta uillis exustis, trigintaq; Ecclesijs parochialibus deuastatis, quatuor millia captiu[illegible]m in Lithuaniã deduxit. Alius quoq; exercitus Lithuanorum in Liuoniam descẽdens, eam pluribus in locis deuastauit. Sequẽti aũt año 1325. Anna filia Gedimini Principis Lithuanorũ, in coniugẽ Duci Cazimiro, filio Vvladislai Regis Poloniæ, cum omniũ captiuorũ ex regionib. Polonorũ, per Lithuanos receptorũ redditione, pro dotalibus data, & pax Polonis charissima & desiderabilis, per hanc affinitatem à Lithuanis data est.

Filia Gedimini Cazimiro filio Regis Poloniæ nupta.

Pax Polonorũ cũ Lithuanis.

Gediminus postea in oppugnatione castri Fridburg, quod Crucigeri in Samogitia erexerant, à quodam Crucifero sagitandi perito, sagita ignea per dorsum transfixus est, à quo uulnere spiritum exhalauit.

Gediminus occiditur.

Gedimini proles.

Hic Princeps septem filios ex vxore Vithenenis, domini sui occisi, suscepit, Montiuidum, siue Monituidum, Narimundum, Olgerdũm, Iauunutum, Kejstutum, Koriatum, & Lubarum, filias item aliquot, ex quibus unam Casimiro Regi Poloniæ datam diximus. Imperium uiuens inter filios diuisit, ut Muniuido natu maiori Kiernouia & Slonimum, ciuitates cum suis prouincijs. Narimundo Pinskum cum suo tractu de Rusis, uel bello partum, uel pactis quibusdam acquisitũ. Olgerdo Krevvo, Kejstuto Troki, Koriato Nouogrodek ciuitas cum suo territorio. Iauunuto uerò (quem pater impensius diligebat) Vilna Metropolis Lithuaniæ, & summa rerum obuenit. Lubartus Vvolodimiriensem Ducatum Rusiæ obtinuit, [illegible]am cum Russam vxorem Vvolodimiriensium Ducis filiam duxisset, ac socero heres factus esset, nullam inter fratres sortem accepit. Ex his Olgerdus & Keystutus coniunctissimè inter se uixere, & uegetiora nacti ingenia molestè tulerunt penes Iauunutum nihili hominem principatum esse. Itaq; hi duo decedente è uiuis patre Gedimino, Iauunuti de Vilna ejciendi, & principatu exuendi, consilium inierunt, diemq; certam conatus perficiendi inter se constituerunt. Habebat etiam Olgerdus in Rusia Vitepscensem Ducatum cum unicam eius oræ principis filiam uxorem duxisset. Itaque cum eò profectus esset, non uenit ad constitutam cum Keystuto diem. Keystutus

Sortes exdinisæ Ducum Lithuaniæ.

Iauunutus Gedimino patri in Magno Ducatu succeßit.

ſtutus uerò ut uoti compos foret,cum armatis copijs inopinatè Vilnam aduenie̅s, arcem utramq; occupauit,Iauunutus autem inter primum tumultum elapſus in ſylua à Keyſtutanis perquiſitus,captus & Vilnam adductus, in uinculaq; à fratre coniectus eſt, paulò poſt Olgerdus ex Ruſsia aduenit.Ibi præclarum inter coniunctiſsimos fratres de Magno Ducatu ſuſcipiendo,certamen extitit,Keyſtutus enim Olgerdo uelut natu maiori illud concedebat,Olgerdus uiciſsim Keyſtutum ſibi eum habere iubebat, que̅ ei fortuna, uirtusq; obtuliſſet.Tandem ſic inter eos euenit,ut Iauunuti portionem æqua lance diuiderent.Vilna tamen cum principatu penes Olgerdum maneret,neuter alterius ditionem inuaderet,ſed uterq; alterius bona perinde ac ſua curaret,ſi quid uel bello, uel quauis alia ratione deinceps uteruis acquiſiuiſſet, ex æquo ut inter ſe partirentur. Atq; his conditionibus fœdus inter ſe iecerunt, & iureiurãdo utrinq; confirmarunt.Iauunuto uerò Zaſlauienſem Ducatum in Ruſsia,fraterna miſericordia conceſſerunt.

Vilna capitur à Keyſtuto.

OLGERDVS PRINCEPS LITHVANIAE.

OLgerdus Principatu ſub Iauunuto,per Keyſtutum potitus,plurima bella cum Liuonienſibus & Pruſsienſibus Cruciferis finitimis,uario Marte geſsit.

Anno à Chriſto nato 1327.Olgerdus Lithuanorum,Rutenorumq; copijs conſcriptis Pruſsiam hoſtiliter ingreſſus eã crudeliter uaſtauit, Crucigeris decernere cum eo,non audientibus,pluribusq; munitionibus expugnatis, exercitum præda onuſtum in Lithuaniam reduxit, de Teutonibus captiuis trucidatis Gedimino patri nuper occiſo à Crucigeris parentauit.Marchiam quoq; nouã,eodem ãno ſilenti agmine, adortus Francofordiam uſq; & omnem oram circa Odram fluuium,depopulatus eſt.

Olgerdus p... trem in C... geros ulciſ... tur.

Marchia uaſta... tur.

Tartarorum Regulos fratres Germanos Kudubachum,Kaczbeium,& Dmeitrum, pfligauit,Podoliaq; eiecit.

Tartari ex Podolia eiecti.

Poſtea Dux Moſchouiæ Demetrius Ivvanovvicz potentia ſua elatus, promiſit ſe armata manu,uno menſe elapſo ditiones illius uaſtaturum,& Olgerdum in Vilna,cum gladio & igne ſub Paſchalis tempore uiſitaturum. Olgerdus autem tunc temporis Vitebskæ agens fomitem accenſum,illi miſit. Moſchouiæ antequam extinguatur adfuturus, arciq́ue eius haſtam illiſurus.Confeſtim ergo collecto exercitu in Moſchouiam breui itinere contendit,qua obſeſſa inopinatè tyrannum compulit,ad ſe exire, ibi pacis conditionibus ex uoto firmatis, haſtam ipſemet quemadmodum promiſerat, ad arcem fregit, finibusq; Lithuaniæ ultra Mozaiskum ſex milliaribus ex una parte promotis à Moſchouia urbe duodecim milliaribus, ex alia ad Vhram fluuium, in Lithuaniam triumphator redijt.Vniuerſam ferè Ruſsiam ditioni ſuæ ſubiugauit,cuius Principibus olim Lithuani tributa ſoluere cogebantur.

Olgerdus in Moſchouia triumphat.

Suſcepit autem ex Maria uxore Thvverenſium Ducis filia,duodecim filios,Iagielone̅ (qui poſtea ad Regnum Poloniæ uocatus erat) Skiergelonem,Boriſum,Coributum,Vigũdum ,Korigelonem,Narimundum,Languinum,Lubartum,Andream, & Butauum. Ex his omnibus Iagielonem natu maiorem dilexit pater,quod is & effigie, & uirtutibus, uigoreq; animi expreſsius,patrem referebat, huncq; ſucceſſorem ſibi in magno Ducatu annuente fratre Keyſtuto deſignauit.Keyſtutus quoq; ſex filios habuit, Vitoldum,Patricium,Totiuilum,Sigiſmundum,Voydatum,atque Dovvgotum.Vitoldum uerò præ cæteris impenſius diligebat, ingenio enim, animoq; excelſo pollebat, eumq; ſucceſſorem ſibi deſignauit.Inter hos duos Iagielonem ſcilicet,& Vitoldum patrueles ſumma erat animorum,& uoluntatum coniunctio.

Filij Olger...

Keyſtuti fili...

IAGIELO PRINCEPS LITHVANORVM.

ANno Domini 1381.Olgerdo è uiuis decedente, Iagielo paterno principatu fauente Keyſtuto patruo potitus eſt. Multa bella uario euentu cum Ruthenis, Polonisq; & Crucigeris Liuonienſibus, ac Pruſsienſibus geſsit. Erat apud eum Voijdilo quidam ruſticanæ & obſcuræ familię homo,callidus & uafricia polle̅s, qui cum primum piſtrinam apud Olgerdum exercuiſſet,& induſtriam ſuam Principi pbaſſet,cubicularius,ac deinde pocilator fauente fortuna ei factus eſt, fuitq; poſtea intimus ſecretarius Olgerdi quo aduixit,neq; Iagielo quicquam de paterna beneuolentia in eum diminuit,quin ſororem ei ſuam in matrimoniũ collocauit,quæ res non leuiter Keyſtutum patruum Iagielonis offendit.Id ubi animaduertit Voydilo ueritus ne ei authoritate honoris & gratiæ periculum adiret, apud Iagielonem, Keyſtutum, per contumeliam

Voidilo ex ... ſtico,Princ... gener.

Peruerſum Voidilonis cō ſilium. criminari cœpit, eoq́ꝫ conſilijs ſuis iuuenē principem adduxit, ut is clam fœdus cum Crucigeris Pruſsienſib. aduerſus patruū iniret. De eo fœdere Keyſtutus Hoſterodēſis Commēdatoris Crucigeri (qui filiā eius Ioañi Mazouię Duci nuptā baptiſarat) ꝓditione certior factus eſt, tamē Vitoldo filio Iagielonis patruelis cauſam diluente quieuit, donec Iagielo bellū cōtra Polocēſes Rutenos, quib. Keyſtuti filius Andreas Harbati præfuit, ſuſcepit, quo ei etiā Magiſter Liuonienſiū auxilia ferebat. Interea uerò Keyſtutus ſublata omni dubitatione, armata manu Vilnā inuaſit, eamq́ꝫ in poteſtatē ſuam redegit, filioq́ꝫ Vitoldo accerſito (nam ille arma contra patruelem charum non ſumpſerat) depræhenſa fœderum cum Pruſsienſibus Iagielonis munimenta ei oſtendit, ſed ab eo tamen exoratus Vilnam ſolummodò ademit Iagieloni. Kreuam uerò paternam & Vitepſkam maternam ſortem retinere cum paſſus eſt. Voidilonem autem perfidioſè inter ſe inimicitias ſeminantem, laqueo uitam finire fecit. Paulò pòſt, dum Keyſtutus Nouogrodiam Seuerienſem in Ruſsia oppugnat, Coributum rebellem perdomando. Iagielo non modo Vilna per proditionem potitus eſt, uerumetiam Troki arcem oppugnatam deditione occupauit, deinde contra ſe uterque comparauerunt exercitus, Keyſtutus è Samogitis & Rutenis, Iagielo uerò è Pruſsis & Liuonibus Crucigeris, ille ut recuperaret Trokos, hic ut defenderet. Sed cùm in conſpectum ueniſſent antequam infeſtis ſignis concurrerent, Iagielo per fratrem Skergelonem, Keyſtutum, & Vitoldum filium eius ſub ſpecie colloquij ad ſe uocatos, cœpit, Keyſtutumq́ue cathenis uinctum, Kreuam miſſum in carcere ſuffocare ordinauit. Vitoldum uero Patruelem Vilnæ in cuſtodia diutius detinuit, neque Lithuanorum procerum, neque Magiſtri Pruſsienſium, Crucigerorum, neque fratrum & patruum deprecationibus, liberari potuit. Poſteà Kreuam miſſus & morti deſtinatus, nocte quadam uxoris miſericordia, doloq́ue liberatus eſt: nam ea cum liberam habuerit adeundi ad eam poteſtatem, commutato cum una de duabus pediſſequis habitu, ueſte muliebri indutum eduxit: imberbis enim erat, emiſſus ille in Mazouiam ad Ioannem Ducem affinem ſuum, atque inde in Pruſsiam ad Crucigeros confugit, à quibus obiurgatus, primum quod aduerſo demum tempore ſuo ſocietatem ipſorum expeteret, deinde benignè recreatus & benè ſperare iuſſus eſt. Statimq́ue Crucigeri cum Samogitis, qui Vitoldo immenſè fauebant, impetum in Lithuaniam fecerunt, Trokiq́ue arcem expugnauerunt, & præſidijs impoſitis munierunt: ſed eos poſteà illinc, reuerſus ex Ruſsia eiecit. Tandem Iagielo Vitoldum ex Pruſsia per internuncios reuocauit, Grodnenſemq́ue tractum, Breſtiam, Drohicinum, Mielnikum, Bielsko, Suraſum, Cameneciam & Vvolkovvisko oppida, cum ſuis territorijs conceſsit, fidemq́ue & obſequium eius ſibi conciliauit, ita, ut is ne legatos quidem quoquam ſe inſcio mitteret. Lithuanorum annales, etiam Volhiniam, & Podoliam Ducatus Ruſsiæ, Vitoldo tūc datam à Iagielone eſſe teſtantur. Paulò pòſt hærede legitimo Polonorum Regnum poſt Ludouicum Hungarorum, deficiente, Iagielo ex Magno Ducatu Lithuaniæ, à Polonis ad regnum certis ſub conditionibus (prout latiús in deſcriptione regum Poloniæ patet) uocatus eſt: cum fratribuſq́ue & patruelibus Cracouiæ (quæ eſt Poloniæ Metropolis.) Anno Domini 1386. decimaquarta Februarij ſacro fonte ablutus, & fidei Chriſtianæ præceptis incitatus eſt, eademq́ue die ſolenni ritu cum Heduigi unica regni hærede Hungariæ Regis Ludouici, & Poloniæ filia, matrimonium contraxit. Indultumq́ꝫ eſt conuiuijs choreis, & luſibus Cracouiæ complures dies, per quos dies Magiſter Crucigerorum, Pruſsienſium, Conradus Zelner, Lithuanorum Ducibus uacuam uidens (omnes enim in Poloniam cum Iagielone diſceſſerant) hoſtiliter eam duplici agmine, coniunctis uiribus cum Magiſtro Liuoniæ aggreſſus eſt: quam longè, lateq́ꝫ ferro, & igne depopulauit, Lucomliam arcem in Ruſsia ui cœpit, & Andream Iagielonis fratrem apud Ruſſos religionem Chriſtianam profeſſum (quo authore expeditio illa ſuſcepta erat) cum præſidio in ea reliquit, cui ſe quoque Polocenſes, Rutheni dediderunt. Sub idem tempus Svvatoslaus, Smolenſciorum Dux in Ruſsia cum Vitebskum, & Orsha, arces depopulauit, & Mſcislauiam ui cœpit. Iagielo in Polonia re audita, confeſtim Skiergelonem, & Vitoldum cum Polonis uoluntarijs, & Lithuanis, in Lithuaniam miſit, qui feſtinantes cum Crucigerorum exercitum Lithuania diſceſsiſſe comperiſſent, Lucomliam arcem receperunt, inde Mſczislauim profecti, paruo negocio omnem eam oram, in poteſtatem ſuam redegerunt, Svvatoslaumq́ue qui eam occuparat, occiderunt. Poloczkam etiam recuperarunt, de authoribusq́ꝫ defectionis, pœnas ſumpſerunt. Andreas autem Dux Regis frater, cuius authoritate hæc agebantur captus, integro triennio in arce Dheczinenſi Poloniæ

Keyſtutus Magnus Dux Lithuaniæ.
Vilna capitur à Keyſtuto.
Voidilo ſuſpenditur.
Vilna recuperatur à Iagielone.
Troki capta.
Bellum Iagielonis cum Keyſtuto.
Keyſtutus in uinculis trucidatur.
Vitoldus incarceratus.
Vitoldus è uinculis aufugit.
Vitoldus cum Crucigeris Lithuaniam uaſtat.
Vitoldus ex Pruſsia reuocatur.
Iagielo ad Regnum Poloniæ uocatur.
Iagielo Baptiſatus & coronatus.
Zelner Magiſter Pruſsiæ Lithuaniam uaſtat.
Swatoslaus Ruſsiā uaſtat.
Iagielo arces recuperat.
Swatoslaus occiditur.
Andreas incarceratur.

Poloniæ squalido carcere detentus, postea suffragijs Vitoldi patruelis, & cæterorum fratrum liberatus est. Nunc quomodo fidei Christianæ præceptis gens Lithuanica cum suis Ducibus initiata & sacro Baptismo fonte lauata fuerit, pauca quæ ad rem pertinent nobis dicenda restant.

DE PRISCA RELIGIONE LITHVANORVM.

AD Iagielonis Vvladislai Regis Poloniæ ex Ducibus Lithuaniæ tempora, de quo in Polonorū Regum descriptione copiosius diximus, tota gēs Lithuanica, & Samagitica priscæ multorū Deorum, seu potius Dæmonū superstitioni dedita erat. Imprimisq; ignem (quem sua lingua Znicz, ut rem sacram appellabant) cultu diuino prosequebantur, eumq; in celebrioribus locis, atq; oppidis perpetuum obseruabāt, & sacerdotes cum ministris ad hoc munus obeundum adhibebant, quod si in curia ministrorum ignis extingueretur capite plectebantur. Huiusque modi ignis Vilnæ Metropoli Lithuaniæ in arcis medio (ubi nunc Basilica duo Stanislao dicata, erecta est) perpetuo asseruabatur. Fulmen quoq; quod Perunum Slauonica lingua appellabant, pro Deo colebant. Lucos præterea & eximias, procerasque arbores, in syluis singuli sacrosanctas habebant, easq; cultu latriæ uenerabātur, ita ut uiolare eas ferro, iniuriaue aliqua nephas esset, quod si Lithuanus eiusdem fidei perpetraret, ut uidelicet aliquam arborem, uel ignem quolibet modo dehonestaret, statim uel Dæmonum uiolentia interibant, uel mēbro aliquo arrepti priuabantur. Solem forte nubibus obscuratum credebant sibi succenseri, ideo sese illi quo placaretur, deuouebant. Viperas item atque serpentes Deos esse credebant, eisq; cultum præcipuum exhibebant, & singuli patresfamiliâs, ciues, coloni, & nobiles singulos, serpentes domi asseruare solebant, quos pro penatibus, & laribus familiaribus adorabant, lacq; & gallos gallinaceos, eis immolabant, eratq; inauspicatum & exitiabile toti familiæ, quempiam ex eis violasse, dehonorasseue, aut domi non fouisse, tales enim, uel bonis omnibus priuabantur, uel crudeliter lacerati interibāt. Erat autem apud eos, quottannis solenne sacrificium, sub initium mēsis Octobris post collectas fruges, ad quod frequentes, cum uxoribus & liberis, seruisq;, conueniebāt: ac toto triduo opipare epulabantur, de ijs quæ Dijs ad offerendum mactarant. Quod & nunc in Samagitia, Lithuania & quibusdam locis Russiæ, ab agrestibus obseruatur, prout inferius suo loco dicetur. Ex bellis reuertentes manubias & unum aliquē de captiuis præcipuū, & insignem uirum uictimæ loco igni consecrabant. Corpora mortuorum cum pretiosissima suppellectili, qua uiui maxime utebantur, cum equis, armis, & duobus uenatorijs canib. falconeq; cremabant, seruum etiam fideliorem uiuum cum domino mortuo, præcipue uero magno uiro, cremare solebant, amicosq; serui, & consanguineos, pro hac re maxime donabant. Ad busta propinquorum lacte melle mulsato, & ceruisia parentabant, choreasque ibidem ducere solebant tubas inflantes, & tympanas percutientes. Hic mos adhuc hodie in partibus Samagitiæ confinibus Curlandiæ ab agrestibus quibusdam obseruatur. Quos omnes errores & uanas superstitiones. Iagielo postquam cum Hedvvigi hærede Regni Poloniæ, unica ut supra in serie Regum Poloniæ patet, matrimonium contraxit, abstulit, sedauit, & Christianum nomen Lithuanis Baptismi lauacro ablutis, indidit. Rebus enim in Polonia recte constitutis, uolens ne Lithuania patria sua ulterius Dæmonum cultui uacaret, Comitia generalia Vilnæ Lithuaniæ Metropoli, anno Domini 1387. ad initium quadragenarij ieiunij indixit, ad quas ingenti procerum & equitum Polonorum caterua stipatus, una cum Regina in Lithuaniam se contulit, Archiepiscopū Gneznensem, & multos sacerdotes, ac pios homines, secum duxit. Semouitus quoq; & Ioannes Mazouiæ, Conradusq; Olesniciæ, Duces, eū cōmitati sunt. Cōuenerunt quoq; Vilnam, Skergelo Trocensium, Vitoldus Grodnensium, Volodimirus Kiouiensium, & Koributus Nouogrodensium Duces, fratres Principis, & infinita equitum, plebisque multitudo. Ibi de religione Christiana populariter suscipienda, ac de exterminando cultu falsorum Deorum, & omni superstitione diligenter actum, ipso Rege, maximam ei rei operam nauante, non solum hortando, & præmijs alliciendo, sed etiam docendo, cum Polonici sacerdotes linguæ gentilis ignari essent. Porro gens barbara maiorum suorum, religiones ægre relinquebat, sed cum mandato Regis ignis sacer extinctus, templum, araq; eius, vnde oracula à sacerdote edebantur, euersum esset Vilnę, ubi nunc diui Stanislai templum, necatiq; serpentes, & succisi luci, arboresq; sacræ, absq; cuiusquam læsione Lithuani admirantes, stupidique dicebant, quomodo Dij nostri istis peruersis Polonis

Ignis Lithuanorum idolū.

Fulmen idolū.

Arbores uenerabantur.

Sol colebatur.

Serpentum cultus.

Solennes epulæ.

Victimæ.

Sepultura.

Serui cremabantur.

Iagielonis in Lithuaniam ad Baptisandā gentem expeditio.

Idola Lithuanorum demolita.

Christianis, hanc iniuriam dissimulant, secq; lædi scelestis manibus sinunt, quod si hoc aliquis nostrum perpetraret, confestim ira Deorum interiret. Sed cum Poloni præter opinionem barbarorum, Idola euerterēt, tum uerò Lithuani uanitate sua agnita, alacriores, ad Principum suorum religionem facti sunt, plurimam ex his multitudinem Rex aduectis ex Polonia pannis laneis albis, ad Baptismum perduxit. Porrò cum immensi laboris esset, singulos sacro fonte tingere, nobilioribus tantum hic honor tributus est: reliquum uerò uulgus turmatim distributum, aqua sacra à sacerdotibus aspergebatur, unumq; nomē singulis turmis, tam uirorum, quàm mulierum, in nomine patris & Filij, & Spiritusancti, inditum erat, atq; una die triginta millia barbarorum baptisati sunt, exceptis nobiliorib. & illis qui ante sacro fonte, in Polonia lauati erant, atque ab eo tempore Lithuani in fide Christi permanent.

Lithuani Baptizantur.

SKERGELO PRINCEPS LITHVANIAE.

IAgielo rex Poloniæ post baptisatam gentem patriā in Poloniam reuersus, Skergelonem fratrem pro se, Magno Ducatu Lithuaniæ inuestiuit. Vitoldus uerò excelsi animi uir, indignum ducebat deteriori, & nihili uiro subesse, ideò Grodna, & Brzeste arcibus suis, ualido præsidio firmatis, in Mazouiam ad Ioannem Ducem generum suum, cum uxore Anna, profugit, indeq; in Prusiam ad Crucigeros contendit, à quibus humaniter acceptus est, quod ij per eum facilè se Lithuania, & Samogitia potituros esse sperarent. Itaq; Vitoldus Prusiensium, & Liuoniensium Crucigerorum armis Lithuaniam uexauit, sed cum sibi fidem suspectam Crucigerorum uideret, fratrem Iagielonem Regem Poloniæ, per inter nuntios reconciliauit, & accepta ab eo spe adipiscendi Magni Ducatus Lithuanici, insciientibus Crucigeris in Lithuaniam, uestitus habitu Crucigerorum profugit, & ut aliquo cum munere ab hostibus reuerteretur, tres arces Crucigerorū Samogitis confines, Iurgenburgum, Mergenburgum, & Neginhasun, forte cum uelut socius & amicus intromitteretur, cœpit, & exusit, præfectosq; cum presidiarijs militibus Crucigerorum partim trucidauit, partim in seruitutem abduxit. Cum autem spem à rege datam de Magno Ducatu diutius differri uideret, consilium cœpit Vilnæ, per proditionē capiendæ, hoc modo: rumores sparsit quasi sorori nuptiarum solennia Vilnæ facturus esset, currusq; centum ingentes præparauit, quos armato & delecto milite compleuit, & desuper stramine texit, eosq; quasi carnes, & conuiuij necessaria, in arcem Vilnensem duxit, uerum fraude intempestiuè detecta, ad arcem non est admissus. Sicq; spe frustratus, in Prusiā reconsiliatis sibi deinde per internuncios Crucigeris profugit, indeq; biennio cum auxilijs eorum Lithuaniam infestauit. Postea anno Domini 1390. Iagielo Rex ē Polonia ad reprimendas incursiones Vitoldi in Lithuaniā, armata manu venit, Camenecíam cępit, Grodnoq; arcem ad Nemnem fluuiū sitam Vitoldi pręsidijs munitam, post quinquagesimum diem obsidionis cœpit, Vitoldo suis varijs technis, frustra tamen, cum Crucigeris auxilia ferente. Eodē anno maturescentibus segetibus, triplici agmine Crucigeri in Lithuaniam descenderunt, Vitoldi vindicandi, restituendiq; prætextu: re vera autem vt Lithuanam sibi subiugarent, vnum agmen Vitoldus ducebat, alterum Magister Liuoniensium Crucigerorum, tertium ipse Dux belli Magister Prusiensium Conradus Valerodus, hostiliterq; regionem vastabāt, Troki oppidum igni cremarunt, hinc Vilnam, castra mota, arx verò Vilnensis inferior, vix obsessa, à proditoribus Rusis & Lithuanis succensa est, è quo incendio cum sese Corigelo frater Regis & patruelis Vitoldi subduceret, ab hostibus captus & capite plexus est. Cętera multitudo in ea arce, partim igne, partim ferro hostili cæsa est, quatuordecimq; millia hominū ibi periere aiunt. Superiorem arcem Poloni cum Nicolao Moscorouio præfecto tenebant, nec aut clade suorū, & conflagratione arcis inferioris, aut minis hostium, & ostentatione capitis Corigelonis, ac ne acerrima quidem oppugnatione, quāuis pars muri maior deiecta erat, ad deditionē cōpelli poterāt, loca deiecti muri ad extremum corigijs pecudū (fimo, terraq; deficiente) laxè prætēdebāt, & sic tormentorū ictus illudebāt, denicq; corporibus suis aditū hostibus irrūpere conantibus obstruebāt. Skergelo quoq; Regius frater cū suis Lithuanis, & Russis erumpens magnis cladibus hostes debilitabat. Demum Octobris diebus Prusienses Crucigeri cum Vitoldo ingenti strage in Lithuania ædita ab obsidione discesserūt, Aestate sequenti rursus Vitoldus cum Crucigeris exercitū ad Vilnā duxit, q; frustra resistentib. strenuè Polonis aliquot diebus obsidens, re infecta reliquit. Et ne quicq; agere uiderentur

Vitoldus in Moschouiam fugit postea ad Crucigeros.

Vitoldus à Crucigeris fugit.

Vitoldus astu Vilnam capere tentat.

Vitoldus ad Prusiam fugit.

Iagielo Vitoldo obsiſa.

Crucigeri in Lithuaniam tendunt.

Lithuania uastatur.

Vilna obsidetur, capiturq;.

Polonorum strenua repugnatio.

Crucigeri iterum Lithuaniam inuadunt.

tur Crucigeri, reuertentes Vilcomeriam & Nouogrodum castra ui cœperunt, interfectisq; præsidijs Skergelonis exusserunt. Deinde alijs duabus excursionibus Crucigeri eadem æstate Lithuaniam depopulati sunt, apud Covvnamq; tres munitiones extruxerunt Menuerderum, Metenburgum, & Riteuerderum, unamq; Vitoldo concesserunt, reliquas uerò duas suis præsidijs muniuerunt, ex quibus circumiacentem Regionem infestabant. Tandem Iagielo Rex Poloniæ Lithuanorum calamitatis pertæsus, Henricum Semouiti Mazouiæ Ducis filium, ad Vitoldum in Prussiam, ut cum eo clandestino de pace ageret, & in Lithuaniæ Magnum Ducatum reuocaret, destinauit, Hocq; modo inter Regem & Vitoldum de pace conuenit, cum Rex ei Magnum Ducatū Lithuaniæ, post habitis fratribus germanis superstitibus pollicitus esset. Vitoldus itaq; rebus suis cum Iagielone patruele, ex animi sententia compositis, Crucigeros atq; Germanos mercatores Riteuerdero castro secum commorantes inopinatos compræhendit, incensaq; arce, uinctos in Lithuaniam abduxit, abeuntem, Crucigeri relictis duobus castris, persequuti, sed paruo negocio fusi prostratiq; sunt, & castella à Vitoldo ui capta & exusta. Veniens autem Vilnam Vitoldus cum captiuis & ingenti præda parta de Crucigeris, honorificè à Iagielone Rege clementerq; susceptus est.

Lithuania iterum uastatur.

Vitoldus à Crucigeris fugit, damno illato.

VITOLDVS MAGNVS DVX LITHVANIAE.

Vitoldus reuocatus ex Prussia, anno Domini 1392. à Iagielone patruele Rege Poloniæ, apud Lithuanos atque Ruthenos, summæ rerum præfectus & Magno Ducatu solenniter inuestitus est, iureiurandoq;, & literis consignatis, se in fide Regi Poloniæ semper futurum spopondit.

Postea Svvidrigelo & Skergelo indignè tulerunt, quod Germani fratres Vitoldo patrueli à Rege posthabiti essent, bellaq; intestina aduersus Vitoldum commouerunt. Sed Svvidrigelo cum minus animi & uirium haberet, ad Crucigeros in Prussiam profugit, & Lithuaniam cum eis vltro in Vitoldum incitatis, crebris populationibus diuexauit, Surasumq;, Gartenam, & Stramelam arces Crucigeri in Lithuania cœperunt. Skiergelo uerò maiore animo & opibus præditus, armatis copijs ex suis corrasis; collectisq; cū Vitoldo ad inimicitias deuenit. Quorum malorum sedandorum causa, Rex Iagielo rursus in Lithuaniam uenit, Skergelonemq; adiecto ei Cremenēsi, Starodubēsi, & Trocensi tractu placauit. Postea Coributus Vitoldo fratri rebellans ab eodem in conflictu uictus est. Tandem Vitoldus Orsham arcem Russiæ, iussu Regis expugnauit, Vitebskumq; per deditionem sub Svvidrigelone recepit, deinde Duces Odrucenses, & Princeps Smolenscensis Rusi ad Vitoldum in Vitebskum supplices uenerunt, & omnes se in potestate eius semper fore spoponderunt. Postea Vitoldus Zithomiriam, & Kiouiam Metropolim Russiæ in potestatem suam redegit, expulsoq; Volodimiro Duce Russo Skiergeloni fratri eam sicuti promisit, tradidit. Skiergelo tandem ultra Kiouiā Circassos, & Svvinigrodum arces ad Boristhenem sitas cœpit, nec multo post ipse Skiergelo ad uenationē profectus à Monacho quodam Russo, Humeno Metropolitæ uicario ad uillam inuitatus, uenenato poculo intoxicatus de medio sublatus est. Kiouiæq; in Cauernis subterraneis quæ Petzari dicuntur sepultus. Sunt autem Petzari specus uastissimus, apud Kiouiam, illustrium Ducum Russiæ sepultura clarus. Deinde Vitoldus Kiouiensibus præfecit Ducem quendam Olgemundi filium. Rhesanensem autem Ducatum Russiæ per Simonem Ducem quendam, magna ex parte uastauit. Smolenskum deinde ipse contendit, & Glebum Ducem eius oræ iugum excutientem expulit, & alium Smolenscijs præfecit, eoq; ad Vitoldum Basilius Dux Moschouiæ, inuitatus uenit, postea honorificè, & liberaliter dimissus. Tandem Vitoldus per legatum suum Algerdum, Ducē exercitus, Tartaros profligauit, tresq; eorum Duces trucidauit.

Suidrigelo fugit ad Crucigeros.

Lithuania uastatur.

Skergelo contra Vitoldum bellum mouet.

Vitoldus Corybutum uicit.

Vitoldus Vitebskum, Orsham, & Kiouiā capit.

Skiergelo ueneno moritur.

Resanensium Ducatum Vitoldus expugnat.

Vitoldus Tartaros fudit.

Deinde Coriati filium Podoliæ Ducem rebellantem, Theodorum nomine Vitoldus fudit ipsumq; cœpit, & Bratislauiam, Cameneciam, Smotriciam, Scalam, Ceruonigrodū, & omnem Podoliam in potestatem suam redegit, quàm postea Regi Poloniæ Iagieloni concessit. Intereà uerò Crucigeri Prussienses, incitante Svvidrigelone, qui ad eos profugerat, Lithuaniam crebris incursionibus longè lateq; uexarunt. Castella quædam expugnarunt, Vilnamq; caput gentis tentauerunt, à qua re infecta discesserunt. Lithuani uerò cum Polonis similiter in Prussiam excurrerunt, damnaq; Crucigeris, tanta quanta illi in Lithuania intulerunt.

Vitoldus Podoliæ Ducem sternit.

Crucigeri Lithuaniam uastant.

Postea Vitoldus, anno Domini 1396. Expeditionem in Tartaros adornauit, ac tribum

Vitoldus Tartaros profligat, & in Lithuaniam eos collocat.

bum unam, quam illi Hordam uocant, cum liberis abegit, exercitu eorum profligato, partemque captiuorum Regi, & proceribus Polonis dono misit, reliquos in medio Lithuaniæ supra Vaccam amnem, duobus milliaribus à Vilna, agris attributis, collocauit, qui illic manent usque in hodiernum diem, boni ac diligentes patresfamiliâs & uirtutis priscæ, armorumque non immemores, ritus patrios Machometicæ superstitionis seruant, & liberi legibus suis uiuentes, & exæquo cum Lithuanis, Regis Poloniæ, Magni Ducis Lithuaniæ, imperium cognoscunt, vexillumq; proprium, Arabicis literis inscriptum, quo in bello utuntur habent.

Vitoldi expeditio in Tartaros.

In sequēti deinde anno Vitoldus frustra dissuadentib. Iagielone Rege, & Regina, alteram expeditionē maiorib. copijs, in Tartaros fecit, ad quā permulti illustres de Polonica, & Germanica Nobilitate uiri gloriæ cupidi profecti sunt. Fuerunt autem in ea expeditione de Polonis maximè insignes & Principes uiri. Recensitis itaq; apud Kiouiam Vitoldus copijs, bonæ spei plenus longo itinere, Tartarorum campestria inuasit, tunc tēporis apud Tartaros, Tamerlane in Scytia magna regnante, humili quidem loco nato, uerū scientia rei militaris, fortunæ beneficio, eo potentiæ prouectus erat, ut duodecies centena millia hominum haberet in exercitu, ac Turcis profligatis Imperatorem eorum Baiazetum (qui tunc temporis Constantinopolim obsidebat) captum in ferrea cauea, aureis cathenis uinctum per totam Asiam circumuehebant, cæsa sunt tunc temporis Turcarum 200. millia. Anno Dñi 1397. Hiberiā deniq; hic Tamerlanes, Albaniam, Armeniam, Persiam, Mesopotamiā, Asiā, & Aegyptū, incredibili celeritate uastauit, & occupauit, orbēq; terrarū sui nominis, terrore impleuerat. Iamq; transmissis Sula, & Psola fluminib. ad Campestria Tartariæ, Vitoldus cum suis, nullo repugnante, peruenerat, cum Aedigam unum ex Ducibus Tartarorum potentissimum, Tamerlanis legatū cum innumerabilibus copijs, obuiam habuit. Vbi ad conflictum uenit, Tartari uicerunt, non incruenta tamen uictoria, quod nisi multitudine abundassent, uirtute Vitoldianorum superati fuissent, cecidere ibi insignes uiri, ex his fuere Iagielonis Regis fratres, Andreas, & Demetrius, Coributus, & alij nouem Duces Lithuani, & Rusi pauci uiui capti. Vitoldus cum Svvidrigelone patruele, Ostrorogoq;, & Samotulio Polonis, pernici fuga euaserunt, Melstinius Polonus: cum fuga salutus esse posset, inter consertissimos hostes sese coniecit, strenueq; dimicando, honestissimè occumbere maluit.

Vitoldiani profligantur.

Vitoldus Smolenscam capit.

Tandem anno Domini 1403. Vitoldus Magnus Dux Lithuaniæ, cum Smolenscijs rursus rebellibus, bellum gessit, fretusq; Polonorum auxilijs arcem Smolenskam, in quā ciues, & nobiliores vxores, liberos opesq; suas contulerant, post diutinam oppugnationem, ui cœpit: magnasq; opes in ea repertas partim Iagieloni Regi in Poloniam transmisit, partim militibus, ut quisq; meritus erat distribuit, cæteras arces deditione accepit, & principatum in prouinciæ formam redegit.

Vitoldus Liuones ulciscitur.

Deinde Crucigeri Liuonienses, in Lithuaniam excurrerunt, quos Vitoldus cum præda reuertentes, uestigijs clam insecutus, cum ij domos diuersè abijssent, Regionem illorū uicissim longè lateq; uastauit, pagos & uicos incendit, oppidum cum arce munitū à Germanis Dunemburgum appellatum, ad Dvvinam fluuium cōditum, ui cœpit, quibus incensis in Lithuaniam, se cum ingēti præda recepit. Nec multo post rursus Lithuania hinc à Prussiensibus, illinc à Liuoniensibus Crucigeris, Svvidrigelonis profugi, opera peruastata est. Tandem Iagielo Rex, & Vitoldus, patriæ afflictæ uicem miserati, Svvidrigelonē fratrem exulem è Prussia euocauerunt, Podoliæq; Ducatum in possessionem ei concesserunt. Postea Svvidrigelo hac liberalitate Regia minimè sanatus, homo ambitiosus & peruersus, non habens receptaculum apud Prussienses Crucigeros: (nam certis sub conditionibus, propinquos Regis exules, ex Lithuania suscipere, nequaquam Prussienses sese obstrinxerāt) ad Moschouiæ Ducem Basilium profugit, arcibus quas in Russia tenebat succensis. Eodē año 1406. Vitoldus pace nacta cū Crucigeris, transmisso Hugra flumine, primam expeditionem in Moschos adornauit, à genero Duce gentis iniuria prouocatus, peruastataq; longè lateq; Moschouitica regione, præda onustus, in Lithuaniā redijt. Postea maiori ui in id bellum, anno vno intermisso sese expediuit, fretus maioribus auxilijs Polonorum, & Crucigerorum, & usque ad Occam fluuium permagnum, Moschouia deuastata, populabundus peruenit, quominus autem fluuium trāsmitteret, Svvidrigelonis patruelis nuper profugi (qui Moschouitis operam suam nauabat) armis prohibitus est: Impetrauit tandem à Vitoldo, Basilius Moschouiæ Dux pacem, æquis sub conditionibus.

Lithuania à Crucigeris uastatur.

Suidrigelo ad Moschouiam fugit.

Vitoldus Moschouiam uastat.

Dum

Dum hæc aguntur Sigismundus Coributus Vitoldi frater, nihil de inductijs cum Crucigeris Prussiensibus compertum habēs, absente Vitoldo cum Lithuanis in Prussiam excursionem fecit, & tribus oppidis, plurimisq; pagis direptis, & succensis ingentem prædā asportauit. Quos ut Crucigeri ulciscerentur, nullam excusationem ignorantiæ admittentes, simili modo in Lithuaniam per auias solitudines excurrerunt, in Vvolkouisko oppidum improuisē impetum fecerunt, quo succenso multitudinem hominum, qui ad rem diuinam, festo die conuenerant, captiuam abduxerunt. Vitoldus uerò cum septem miliaribus ab eo loco abesset, raptim in interiores syluas cum uxore sese abdidit, donec hostes discessisse cognouit, nunquam enim hostibus regiones suas uastantibus, occurrere ausus erat, sed illis discedentibus uicissim regiones eorum uastabat.

Vitoldus Prussiam uastat. Crucigeri Lithuaniam uastant. Vitoldus latet.

Deinde Vitoldus, anno Domini 1415. conducto ingenti exercitu de Polonia, contra Pskouienses Russos expeditionem fecit, qui pacem magna ui, auri, & argenti redemerunt.

Postea Nouogrodensibus Russis liberè uiuentibus, Pskouiensium uicinis bellum intulit, quibus etiam supplicibus, & ingentia dona afferentibus pacem dedit.

Vitoldus Nouogrodenses capit.

Tandem Sigismundus Romanorum Rex, inimicitias inter Iagielonem Regem Poloniæ, & Vitoldum disseminaturus, societatem cum Vitoldo secreto inijt. Diademaq; Regium, in iniuriam Polonorum ei dare pollicitus est, cupiebat id Vitoldus homo ambitiosus, & ingentis animi, sed ei obnixè Iagielo frater cum Polonis, ne uoti compos foret obluctabatur, denegabatq;, unde uariæ controuersiæ utrinq; intercesserunt. Postea à Sigismundo Rege Romanorum Draco aureus affabrè factus, pignus societatis, per legatos ei allatus est, expetitumq; ab eo iusiurandum de societate utrinq; seruanda. Sed Vitoldus Dracone pro hospitali munere accepto, iusiurandum nullum dedit, nec tamen à cœpto de ambitione Diadematis Regij destitit, legatiq; Regis Romanorum de eo afferendo, certū tempus præscripserunt, ad decimum sextum Calendas Septembris. Hoc ubi Rex Poloniæ, Iagielo rescijt Ioanni Czamkouio Subcamerario Poznaniensi, uiro impigro, negotium dedit, ut ad confinia Poloniæ, & Saxoniæ, legatos Romanorum Regis, & Vitoldi, ultrò citroq; comeantes obseruaret, interciperetq;. Statimq; Baptistam Cigalam Italum iurisconsultum Genuensem, & Sigismundum Rotum Germanum à Cæsare ad Vitoldū proficiscentes intercepit, excussosq; inconsultè dimisit. Literas uerò ab eis ablatas ad Regem attulit. Missi autem ij erant, ut Vitoldo dubitationem omnem eximerēt, Diademaq; ad tempus allatum iri, ab alijs legatis promitterent. Præterea ut confœderationes & societatem Prussiensium, atq; Liuoniensium Crucigerorum, Hungarorumq;, & Germanorū, cum Lithuanis aduersus Polonos confirmarent.

Sigismundus Imper. cum Vitoldo gratiam inijt, & Diadema ei pollicetur.

Legati à Cæsaris intercipiuntur.

His cognitis Poloni nemine iubente, quasi sublatis signis, armata manu apud Turagoram insederunt, pro Patriæ tranquillitate & honore ad extremum Oceanum Germanicum, decernere parati. Iam legati cum Diademate, Prussiæ appropinquabāt per quam profecturi erant, cum didicerunt à Polonis uias obsideri, & non ausi periculo sese committere, cum duos Menses frustra expectassent, ad Cæsarē in Hungariā reuersi sunt. Nec multo post Vitoldus voto frustratus ex angore animi, Anno Dñi 1430. Mense Septembri in Troki ciuitate spiritum exhalauit, cū octuagesimū annū excessisset. Princeps impiger & vegeto ingenio, abstemius in omni uita nihil præter aquam bibere solitus, in uictu tēperans, temporis perparcus, ita ut supra mensam iudicaret, & responsa legatis daret. Cæterū in Venerem procliuior, confecto enim fœlicissimè bello semper solebat relictis copijs in hostico, domum transmutatis equis, ad uxorem otius præcurrere. In externos liberalis erat, suos uerò metu magis quam beneficio, in officio continebat. Statura fuit mediocri, gracili corpore, radere barbam & genas solitus.

Vitoldus moritur.

Vitoldi mores.

SVVIDRIGELO PRINCEPS LITHVANIAE.

Iustis Vitoldo, Vilnæ in arce persolutis, Iagielo Rex Poloniæ, Svvidrigelonem fratrem germanum, patruelem Vitoldi, hominem nihili, & ebriosum, summæ rerum apud Lithuanos præfecit. Poloni uerò primores, patriæ utilitati consulentes, re animaduersa Daugertum Palatinum Vilnensem, qui Podoliam Vitoldi nomine administrabat, rerum omnium adhuc ignarum, euocatum ad colloquium cœperunt, arcemque Kameneciam, Smotriciam, Skalam, & Ceruonigrodum occuparunt, & magnam partem Podoliæ facilè in potestatem suam redegerunt, ne in ditione Lithuanorum deinceps esset. Vbi factum hoc resciuit Svvidrigelo, homo

Poloni magnā Podoliæ partē occupant.

violentus

uiolentus & in iracundiam præceps, beneficiorum Regis fratris oblitus, in eum (tunc tẽporis exequias funebres Vitoldi celebrantem Vilnæ) fremere, maledictisq; lacessere, palamq; uincula & necẽ Regi, Polonisq; qui cum eo aderant minitare, cœpit: ita vt Poloni, die, nocteq; circa Regem excubare cogerẽtur. Rex uerò siue quod sibi metuebat, siue qđ Svvidrigelonis incrementis impẽsius fauebat, Podoliam ei restituere assensus est, eaq; de re Tarlonem in Podoliam cũ literis & mandatis misit, qui eã Michaëli Babæ Russo, Svvidrigelonis nomine recipiẽdam & obtinendã traderet. Andreas uerò Tencinius, & Nicolaus Dreuicius, iuuenes ex Nobilitate Polonica, qui annulum Signatorium habebant, amore Patriæ ducti, literas ad Michaëlem Buczacium, qui Cameneciam Podoliæ obtinebat, scripserunt, Regem extrema necessitate adactum, Podolia Svvidrigeloni cedere, nunciantes, sed ut non modo, non parceret mãdatis Regijs, uerum Tarlonem & Babam pariter comprehenderet. Eas literas quoniam palam ferri nequibant (Svvidrigelo enim omnes iter in Poloniam capescentes excutiebat) cæra obuoluerunt, & contexerunt, ut speciem & similitudinemque cerei præ se ferrent. Tarlonique legato dederunt, ut is cùm primum Cameneciam uenisset, cæreum illum Buczacio redderet, atque hæc uerba adderet, ut si errare ille nollet, ex eo cæreo una cum Magistratu urbano, lumen quæreret. Quæ omnia Tarlo iuuenis omnium rerum ignarus, bona fide perfecit, Buczacius præfectus cæreum acceptum refringit, literasq; inuenit. Tarlonem legatum & Babam compræhendit, in arcesque Podoliæ intromissionem non admisit. Poloni quoque casum Regis sui animaduertentes, exercitum sine mora conscripserunt. Svvidrigelo autem Polonos, arma parare ad uindicandum Regem audiens, confestim eum sibi reconciliatum, auroq; & argento liberaliter donatum liberum dimisit. Tandem Svvidrigelo exercitum in Podoliam duxit, cui Iagielo Rex cum armatis copijs Polonorum, anno Domini 1431. ad diem S. Margaretæ apud Luczkum ciuitatem occurrit, excursorijs pugnis utrinq; collatis, fœdus, ad purificationis diuæ Mariæ festum inierunt. Interea uerò Palatinus Vualachiæ tributarius Polonorũ, infestis armis in Poloniam descendit, cuius exercitum Poloni & Podoliani dissipatum, & per agros, syluasq; pallantem, cruenta clade prostrauerunt. Postea Rex Iagielo in Svvidrigelonem fratrem seditiosum, & ad sanam mentem redire nolentem, Lithuanos concitauit, Sigismundumq; patruelem, Vitoldi fratrem Germanum, Starodubensem Ducem, ad inuadendum principatum Lithuaniȩ animauit. Statimq; proceres Lithuaniæ cognita uoluntate Regis, cum Sigismũdo aduersus Svvidrigelonem Ducem suum, ob nimiam crudelitatem conspirauerunt, in eumq; apud Osmanam, tunc temporis agentem, impetum fecerunt, qui de insidijs à Ioanne Muniuido præmonitus, pernici fuga in Russiam euasit, ideoq; postea adiunctis sibi Liuoniensibus Crucigeris, Lithuaniam uexauit.

Iagielo rex cũ Polonis in periculo.

Lumen ex cæreo quæritur.

Vualachi funduntur.

SIGISMVNDVS PRINCEPS LITHVANIAE.

ANno Domini 1432. Sigismundus Keystuti principis Lithuaniæ filius, Dux Starodubensis, in Russia, Regis Iagielonis patruelis, beneficentia & fauore Lithuaniæ procerũ, expulso iusta de causa Svvidrigelone seditioso, rerum in Lithuania potitur, & Magno Ducatu solenniter in uerba Regis Iagielonis & procerum Poloniæ, Lithuaniæq; iurans inuestiẽ. Ideò tertio Magni Ducatus Lithuaniæ cum Regno Poloniæ unio, incorporatioq; celebrata est.

Eodem anno Rex Poloniæ Iagielo, ultima mensis Maij uitam cum morte fœliciter commutauit, cui Vvladislaus filius in Regno, anno Domini 1434. successit, qui postea Rex Hungariæ creatus est, quo ex Polonia in Hungariam, anno Domini 1440. ad suscipiendum Regnum discedente, Czartoriensis Dux Russus, Sigismundum Magnum Ducem Lithuaniæ, dolosè, perfidioseq; necauit Troki. Atq; post hunc Magnus Ducatus Lithuaniæ ad secundo genitos Regnum Poloniæ translatus est. Quapropter proceres Poloniæ cũ ducib. Mazouiæ Cazimirũ hæredem regni Poloniæ, Iagielonis Regis filiũ, in Magnũ Ducatũ Lithuaniæ duxerunt, quem Lithuani cum ingenti lætitia, susceptum, comunibus suffragijs, sumæ rerũ apud se præfecerunt. Qui postea Vvladislao fratri, anno Domini 1447. in regno successit. Magno uerò Ducatu Lithuaniæ Alexander filius eius ardentibus suffragijs Lithuanorum præpositus est.

Iagielo rex moritur.

Sigismundus Dux occiditur.

Cazimirus Magnus Dux Lithuaniæ.

ALEXAN-

ALEXANDER PRINCEPS LITHVANIAE.

Alexander Iagielonis nepos, Casimiri Regis Poloniæ filius, Magno Ducatu Lithuaniæ potitus, apud Ioãnem Magnum Ducem Moschouiæ, filiam Helenam, in matrimonium accepit, in sponsalibusq; conclusum erat, ut templum Ruthenico ritu, in castro Vilnensi destinato loco, exædificaretur, eiq; certæ matronę, ac uirgines eiusdem ritus iungerentur. Quæ cum aliquanto tempore negligerentur, sumit socer causam belli contra Alexandrum, & triplici exercitu instructo, contra eum progreditur, primum, uersus prouinciam Seueram, in meridiem, secundum uerò, in occidentem contra Toropiec & Biela instituit, tertium in medio, uersus Drohobus & Smolensko collocat, ab ijs exercitum in subditis retinet, quo ei maximè, contra quem Lithuanos pugnaturos animaduerteret, succurrere posset. Postquam autem ad fluuium quendam Vvedrasch, uterq; exercitus conuenisset, Lithuani Duce Constantino Ostroski, maxima procerum & nobilium frequentia septo, ex quibusdam captiuis, numerum hostium ac Ducũ quoq; cum cognouissent, magnam spem profligandi hostem concipiunt, porro cum fluuiolus conflictum impediret, ab utrisq; transitus seu uadum quæritur, Primi autẽ Moschi aliquot, superata ripa, Lithuanos ad pugnam lacessunt, atq; illi haud timidi resistunt, eosq; insequuntur, fugant, ultraq; fluuiolum pellunt, mox utrinq; acies cõmituntur, præliumq; atrox oritur. Intereà dum utrinque eodem ardore animorum, acriter certarent, exercitus Moschorũ in insidijs collocatus, eo latere in medios hostes inducitur, Lithuani metu perculsi dilabuntur. Imperator exercitus, unà cum plerisq; capitur, reliqui perterriti, castra hosti concedunt, se & arces Drohobus, Toropiec, & Biela pariter sese dederunt, exercitus uerò, qui meridiem uersus processerat, cui præerat Machmetemin Tartarus Rex Cazanẽsis, forte Bransko, ciuitatis præfectũ cõprehendit, Branskoq; ciuitate potitur. Paulopòst duo Germani fratres, Seueriæ Principes, Semetcici dicti, alioqui Ducibus Lithuaniæ obedientes, imperio Moschorum Principis se tradunt, sic unico conflictu, & eodem anno adeptus erat Moschus, quæ Vitoldus Magnus Dux Lithuaniæ, multis ãnis, maximisq; laboribus, obtinuerat. Porrò Moschorum Dux cum hisce captiuis Lithuanis crudelius egit, Constantinumq; Ducem exercitus præfectum, crudelissimis uinculis pollicitationibusq; sollicitabat, ut relicto Domino naturali, sibi seruiret, qui cum aliam spem elabendi non haberet, cõditionem oblatam accepit, in uerbaq; Moschorum Principis iurauit. Et quamuis prædia, possessionesq; amplissimas, pro status sui conditione habebat attributas, à Principeq; summo amore prosequeretur, tamen aliquot ibi annis exactis, nacta occasione, per inuias syluas, in Lithuaniam cum ingentibus thesauris profugit. Qui postea, anno Domini 1514. cum exercitu Polonorum et Lithuanorum strenui militis, & imperatoris officium adimplens, sub Sigismundo Rege Poloniæ, octuaginta millia Moschorum strauit, prout superius, in gestis Sigismundi Regis Poloniæ patet. Sed ad rem redeo.

Moschus in Alexandrum Lithuaniæ Ducem insurgit.

Lithuani funduntur.

Arces a Moschis capiuntur.

Duces Seueriæ Moscho se dedunt.

Octuaginta millia Moschorum cæsa.

Alexander magnus Dux Lithuaniæ, postea decedente Ioanne Alberto fratre, Poloniæ Rex creatus, liberatione captiuorum, contentus cum socero Moschorum Principe Ioanne, ad sex annos fœdus init, anno Domini 1503. Postea año Domini 1506. Vilnæ mortuus est, ibidemq; sepultus, ætatis suę 45. annos habens. Præfuit Magno Ducatu Lithuaniæ 14. annis Regnum Poloniæ 4. annis & 8. mẽsibus administrabat, huic in Magno Ducatu Lithuaniæ, & Regno Poloniæ Sigismundus frater Germanus, huius nominis primus succesit.

Alexander moritur.

FINIS.

LI VITAE

VITAE AC SVCCESSIONES SINGVLORVM PRINCIPVM, REGVMQ'VE POLONIÆ, CARMINE ELEGIACO olim descriptæ, à Clemente Ianitio.

LECHVS PRIMVS DVX ET AVTHOR POLONORVM.

Qua modò Sarmatia est, quondam deserta fuerunt
Inuia, post magnas Deucalionis aquas.
Primus in hac Lechus populum deduxit agrestem,
De patria pulsus seditione domo:
Dalmata uir, Pharijs claro patre natus in agris,
Quos rapidus curuis Crupa pererrat aquis.
Colle super pulchro properatæ mœnia Gnexnæ
Struxit, & à nidis nomen habere dedit.
Omine permotus: multas ibi namq; uidebat
Per uicinum aquilas nidificasse nemus.
Exule patre sumus, sed plurima Regna per Orbem
Principia exulibus dant sua, Roma notho.

CRACVS PRINCEPS POLONORVM.

Eluctata iugo multorum patria, CRACVM
Præfecit rebus læta lubensq; suis
Finibus hic pepulit Gallos, qui nostra ruebant
In rura, exustæ post mala Pannoniæ.
Inuitus regni tenuit quoque Sceptra Bohemi,
Et rexit geminum, carus utriq;, solum.
Tunc habitasse Draco fertur sub rupe Vaueli,
Dirus uicini depopulator agri.
Sulphure farcit ouem CRACVS, monstro obijcit: illo
Interijt ingens bellua uicta cibo.
Conditur à CRACO CRACOVIA: fabula Grachi
Friuola Romani iam mihi, quæso, tace.

VANDA VIRAGO.

Connubij ob crebram Virgo formosa repulsam
Teuthonici bello VANDA petita Ducis.
Hosti congreditur: uincit. Magno ille pudore
Incumbit gladio, se peremitq; suo.
At uictrix: mea uirginitas sit uictima nobis
O' superi, per quos est mihi sospes, ait.
Rotogari effugi thalamos: sic fata, sub alti
Se fluuij rapidas præcipitauit aquas:
Bactra Semiramidem, Tomyrin Scythaq; ornet, utriq;
Quàm meus anteferat laude POLONVS habet.
Aequentur Regnis, æquentur Marte, licebit,
Aequari VANDAE quæ, rogo, morte potest?

PREMISLAVS SIVE LESCO PRIMVS.

Restituit patriæ magna uirtute ruinam
LESCO suæ, miris usus in hoste dolis.
Sub nemore hostis erat: Lesco sub nocte silenti
Appendi galeas per nemus omne iubet.
Sol oritur, galeas accendit: id obuius hostis
In nemus, instructi Militis arma putans.
Nil reperit: species quia Lesco remouerat illas,
Sic nostros Morauis terga dedisse putat,
Castra mero celebrat, belli securus: in atterit.
Lesco uenit tenebris: Castra sopita capit.
Aeternumq; hosti dat somnum: longa Polonis
Otia: finitimis fœdera, iura, metum.

LESCO SECVNDVS.

Attulit huic Regnum uariorum cursus equorum,
Et præter morem, Sors oculata suum,
Dignus erat Regno, quamuis patre natus agresti
Rusticus, & modici iustus arator agri.
Non bello quàm pace minor: mireris in illo
Hoc, qui nulla unquam nouerat arma, uiro.
Ante oculos uoluit monumentum uile prioris
Fortunæ sagulum, semper habere suæ,
Et tamen illius non legerat ille poëtæ,
Sarmatico dignum carmen in Orbe legi.
Fortunam reuerenter habe, quicunq; repente
Diues ab exili progrediêre loco.

LESCO TERTIVS.

Quàm fuerit belli cupidus, quàm Martis amicus
Iste, uel hoc signo discere quisq; potest:
Cùm sub eo Patriæ pax arma quieta teneret,
Bellandi fieret, nullaq; caussa domi:
Impatiens otij, Graicos contrà, atq; Latinos,
Pannonibus toties auxiliaris erat.
Viginti genitor uaria de matre nothorum
Infamat quantum tanta libido uirum?
Sæpè, licet magna, post multa trophæa legantur
Et Cypriæ studijs incubuisse Diuos
Quod si defendi exemplo non posset Achillis
Lesco, & Alexandri, Mars quoq; mœchus erat.

POPELVS PRIMVS.

An ne tibi lectum tantum, lasciue, reliquit,
Non etiam clypeos, armaq; dura pater?
Et Veneri tantùm iussit seruire? Gradiuo
Non etiam, ô noster Sardanapale, suo?
Quandoquidem in fratrum tam multa gente suorum,
Legitima solus coniuge natus eras.
Successisse etiam patrijs te laudibus æquum
Non tantùm uitijs, imperioq; fuit.
At genitore tuo fœlicior, ipse fuisti
Hac in tam rari parte POPELE bonis
Quòd tibi tu similem genuisti: quisq; putaret
A' cuculo cuculum degenerare nefas.

POPELVS SECVNDVS.

Dum timet hic Regno pelli, uir inutilis, & mox
Coniuge consultat, quid malè tutus agat.
Vim morbi simulat: patruos accersit, & illis
(Viginti fuerant) toxica mixta dedit.
Orta cadaueribus uis murum erupit: & illum,
Vxorem, natos, undiq; dente petit:
Dilaniat, frustra medios fugiebat in ignes,
Frustra in Goplæas perfidus hospes aquas.
Discite iustitiam, qui propter lucra paratas
Fertis, & exertas ad scelus omne manus.
Est Deus, est scelerum uindicta, est pœna malorum,
Vnde putes minimè posse uenire, uenit.

PYASTVS CRVSPHICENSIS.

O' Priscos hominum mores, ô nescia fastus
Simplicitas, ingens ô probitas, & amor.
Non puduit proceres homini dare Sceptra Polonos
Qui modò cultor agri Crusphiciensis erat.
Ob solas uirtutis opes, uirtutis honorem,
Qua uir in exigua floruit ille casa.
Hoc orti de fonte Duces, Regesq; Poloni
Durauêre dies, ad Ludouice tuos.
Compita Crusphiciæ ueterum, nostro estis in orbe
Euentu gemini nobilitata Ducis.
Regnum ruricolæ deferri: à mure necari
Regem: res æque prodigiosa fuit.

SEMOVITVS.

Sic & Alexander iuuenis uix illa suarum
Ingressus rerum limina magna, perijt:
Vt SEMOVITE peris, patriaq; relinquis acerbos
Mœrores, iustam mortuus ante diem.

Basi

Ense tuo eiecti de nostro turpiter agro
Vltra Carpathium, Pannones usq; iugum.
Tota tibi soluit Pomerania uicta tributum.
Fluctibus & nostris accola quisquis erat.
Quatuor annorum sunt, hæc omnia, quid si
Non abrupta tibi tam citò uita foret?
Quamuis, quantumuis modicæ sub tempore uitæ
Maxima qui gessit, uixit abundè diu.

LESCO QVARTVS.

Quam pater inuictis Semouitus fecerat armis
Pacem, Sauromatis attuleratq; suis.
Filius est illam miro complexus amore,
Et uitæ summam fouit ad usq; diem:
Vir cuius mores nemo reprehendere posset,
Aut nisi quem pugnæ classica bella iuuant.
Sed cur bella geras, frueris qui pace? quid optes,
Contentus proprio qui potes esse, meum?
Gloria ad arma uocat multos, laudumq; cupido,
Spes prædæ multos dites ad arma uocat.
Vtraq; bellandi causa iniustissima: solam
Quæ pacem quærunt, prælia, iusta uoca.

SEMOMISLAVS.

Vltimus iste fuit nostrorum ex ordine Regum,
Ignari falsos qui coluêre Deos.
Huic peperit Coniunx oculorum luce carentem
Hæredem: sterilis cùm foret ante diu.
Mos erat infanti, uitæ ut compleuerat annum,
Ludere, quod uellet nomen habere pater.
Ergò dies uenit simul illa, recepit ocellos,
Ostentum dubia plebe stupente, puer.
Res ea signabat, discussa nocte POLONOS
Visuros lucis lumina uera nouæ:
Visuros illo CHRISTVM sub rege negemus,
Quòd bona præstituat, quæq; futura DEVS.

MIESCO PRIMVS.

Christe, sub hoc ad nos uenisti Principe, ab hoste
Possessas Stygio commiseratus oues.
Cesserunt idola tibi: Mars, Leda, Gemelli,
Cynthia, Pluto, Ceres, Iupiter, Aura, Venus.
Fœmina te nobis ostendit prima, Bohemo
Sanguine: prima crucem nos docuitq; tuam.
Sic tu primus quidem nobis es caussa salutis,
Ipse DEVS, mulier, caussa secunda fuit.
Illa tuo tingi & Mesconem fonte maritum
Fecit: terra suum est tota secuta Ducem.
Plurima tunc data sunt tibi templa, nouemq; Cathedræ,
Et, quas sacrifici dilapidamus, opes.

BOLESLAVS CHABRI, PRIMVS REX POLONIÆ.

Vici, deuictos cepi cum Rege Bohemos,
Subieci Morauos, Saxonosq; mihi.
Cassubios, populosq; freti cis littora nostri,
Et Prussos, dubia, teq; Ruthene, fide.
Imperij fines positis ex ære columnis
Signaui, Herculeum sic imitatus opus.
Nec mihi templa minus curæ, quam castra, fuerunt:
Hac quoq; laude patri cedere nolo meo.
Regia ab egregio sortitus Stemmata Othone
Sum Gneznæ (Gneznæ tunc meus hospes erat)
Quæ quicunq; fac sit hoc dignus honore,
Quo tunc, magno iudice, dignus eram.

MIESCO SECVNDVS.

Degener, imbellis, gula, crapula, sordibus uxor
Vxoris totus fœmina, lurco nihil.
Hic erat: uxor erat, Rex, Princeps, omnia, nostrum
Asperius quouis angue perosa genus,
Teuthonibus tantùm æqua fuit: quam credis ab illa
Tractata est miseris terra Polona modis?
Tunc Boleslai nobis periêre labores,
Ruperunt nostrum Regna subacta iugum.
Vt rapuit tantùm mors fausta phrenitide Regem,
Pellitur è Regno, Rixa fugitq; suo.
Dant pœnas scelerum: furor hunc, dolor abstulit illam
At longo fato dignus uterq; fuit.

CAZIMIRVS PRIMVS.

Innocuus cum matre puer CASIMIRVS eodem
Exilio, matris criminis pulsus erat.
Cluniaci placuit sibi uita monastica: seruus
Quàm cuiusquam hominis, maluit esse Dei:
Nos sumus interea sine Principe, subdita cunctis
Terra, dolor fuerit, quæ numerare malis.
Reddimus eiecto Regnum, multa ille reuersus
Restituit melior uix patre, dignus auo.
Maslaum domuit ciuili Marte furentem,
In reliquos mansit pax sibi grata dies.
Quòd Deus innocuis adsit, quòd corruat insons,
Maiori ut surgat laude: uidere potes.

BOLESLAVS AVDAX.

Quàm bello magnus, quam magnis strenuus ausis
Boleslaus erat, tam truculentus erat.
Vastauit Morauos, Hunnos, te Russe, Bohemos,
Vastauit Patriæ nec minus arua suæ.
Cuncta libidinibus complebat, cuncta rapinis,
Cuncta ignominijs sanguine, cuncta metu.
Pontificem secuit frustratim recta monentem:
Vrbis Pontificem, maximè Crace, tuæ.
O' scelus, ô portentum, ô nostri infamia Regni,
Non tibi sacrilegæ tunc cecidêre manus?
Vnde, & ubi perijt, ne iam dubitate Poloni,
Raptum sub Stygijs obruit orcus aquis.

VVLADISLAVS HERMANNVS.

Plurima rescidit fratris decreta Tyranni
Hermannus Latio par pietate Numæ.
Hunc spurius uetitis uexauit filius armis,
Sed pius arma tulit pro pietate Deus.
Vincitur impietas Gopleæ ad stagna paludis,
Induit usq; feras debita uincla manus.
Dic, qui multa legis, quot dignos laude, piosq;
Legeris, historia per genus omne nothos?
Telogonus, qui pisce patrem obtruncauit Vlyssem,
De turpi Circes natus amore fuit.
Proditor Aeneas patriæ est: ne crede Maroni:
Romulus occisor fratris: uterq; nothus.

BOLESLAVS KRZIVOVSTI.

Hic quinquaginta pugnauit prælia, signis
Collatis, casu non uariante fidem.
Pugnauit quoties, toties & uicit: eorum
Nomina quos uicit, quod breue claudat opus?
Cæsaris Henrici magnas fudisse cohortes,
Sat sibi, si deessent cætera, laudis erat.
Mærore interijt: quòd prorsus inermis ab hoste
Fœdifrago uictus, fraude, doloq; semel.
I, modò Pompeij numera mihi Roma, triumphos,
Nos Boleslai prælia: maior uter?
Pompeium Cæsar bello prostrauit aperto:
Fraus potuit nostrum uincere sola Ducem.

VVLADISLAVS SECVNDVS.

Quatuor in natos Regnum diuiserat æquis
Partibus, egregia cum ratione, Pater.
Ladislae tibi cessit Cracouia natu
Maximè: auaritia maximè, Marte nihil.

Fratribus rieclis, solus dum queris habere
Omnia, possessis pelleris ipse bonis,
Coniuge cumq; tua, quæ rem tibi sua fe, iniquam,
Victus in externam profugit exul humum.
Ignorata tibi fuit alea: discere in illa,
Contentus proprio uiuere quisq; potest.
Namq; aliena petens perdit sua lusor, & aurum
Dum cupit, amisso flens abit ære domum

BOLESLAVS QVARTVS CRISPVS.

Dum cogit Prussos ad Christi dogma Polonos,
Amisso euertit milite Crispus opes.
Transfuga ducebat nostros malefidus, iniquum
Transgressos Ossam pertrahit inq; locum,
In conuestitum uiridanti cespite cœnum,
(A' tergo in Syluis abditus hostis erat)
Insilit: inclusos cœno suffocat in illo.
Vix pauci incolumes se eripuêre fuga
Mens generosa dolo, quia nil agit, ipsa malignis
Opportuna dolis, insidijsq; capi est.
Et quia metitur proprijs uirtutibus omnes,
Est in perniciem credula sæpè suam

MIECZLAVS SIVE MIESCO TERTIVS.

Sæpe dies oritur nitida face, nec tamen illi
Credideris subitò nubilus esse potest
Grandine messores lapidare: tonitribus Orbem
Concutere: & rapidis frangere fulminibus.
Ecce senex noster, Regni cum cœpit habenas,
Vir bonus, & placidi fratris imago fuit.
Mox sobole ingenti, generis affinibus, auro
Inflatus: cœptam destitit ire uiam.
Nil illo peius, nil & crudelius illo,
(Audace excepto) Patria nostra tulit.
Sed tamen est pulsus: Nunquam impunita Tyrannis
Sarmaticis feritas scilicet ulla fuit.

CASIMIRVS SECVNDVS IVSTVS COGNOMINATVS.

Tractus ad imperium precibus, lachrymisq; suorum
Imperij fractas surgere facit opes.
Percussit scelerum fratris iusto ense ministros,
Sacrificis pacem, ruricolisq; dedit.
Qui modò calcati sub direptore iacebant,
Inq; suis rebus nil habuêre sui.
Intulit in patriam corpus, Roma usq; petitum,
Diui qui floris nobile nomen habet.
Mista dedit Domino scelerati aconita ministri,
Inter solennes perfida dextra dapes.
Trusit & in subitum, Patria plangente, sepulchrum,
Delicias hominum, deliciasq; Deum.

LESCO QVARTVS.

Cum sene benani patruo, sed an impius iste
Sit factio, iusti discutitote uiri.
Esset uter rerum Dominus, certauimus: at me
Id uelle in patriam, nudus adegit amor.
Ne paterer regnare lupum, maiore petentem,
A' quo pulsus erat, cum feritate gregem.
Dum lauor: inuadit Pomeranus balnea, inermem,
Dat non speratæ, meq; meosq; neci.
Quanto igitur rerum Dominis securius æuum
(Quod quidam scripsit) cernite pauper agit!
Tempora sunt, loca sunt quæuis metuenda potenti,
Quod uiuit, totum est cura, pericla, metus.

BOLESLAVS QVINTVS PVDICVS.

Tartaricus furor, in cineres regnante Pudico,
Sarmatica totas penè redegit opes:
In flammas abijt Cracouia: quicquid & agris,
Porrigitur ripas, Odera, ad usq; tuas.
Fuerat ad Ingros Princeps, quia uiribus impar
Ad confligendum cum subito hoste fuit:
Stanislae tuos cineres tellure leuauit:
Et sacrum in fastis fecit habere locum.
Coniuge consenuit cum uirgine, Virgo Maritus
Addictus studijs, casta Diana, tuis.
Bochnenses reperit thesauros primus: & inde
Sarcijt à diris damna recepta Getis.

LESCO SEXTVS NIGER.

Quanta locustarum, quo nos hæc scripsimus anno,
Appulit in nostros agmina, uentus, agros:
Agmina tanta ferunt in nos uenisse Getarum
Sub Nigro, & primum congeminasse malum.
Iis cessit solis, alioqui semper in hoste
Cum quocunq; inijt prælia uictor erat.
Arma Ruthenorum, ductore superba Leone
Et magna, exigua contudit ille manu.
Obruit quoties Lithuanum & Iazigas (hoc iam
Interijt nostro funditus ense genus.)
Multa in Christicolas nil laudum habitura fuerunt.
Bella: lacessitus sed quia uicit, habent.

HENRICVS PROBVS.

Teutonibus solis claues permiserat urbis,
Quæ regni titulum possidet una, Niger:
Illi Silesium furtim sub nocte silenti
Mœnibus accipiunt, cui studuêre, Ducem:
Nobilium contra, contra decreta Senatus,
Nam cui legitimè Sceptra darentur, erat.
Perfida pars uicit: regnat Probus, exulat hæres,
Sed res parta dolo non diuturna fuit.
Silesij Henricum dubio rapuêre ueneno:
Quòd fallit alter, nemine & alter erat.
Qui fraudem in uita coluit, rem fraude pararuit,
Qua perijt, dignus fraude perire fuit.

PREMISLAVS SECVNDVS.

Ob scelus Audacis, raptum Diadema Poloniæ,
Retulit istius gloria, luxq; Viri.
Magnus erat, tantum peperit qui primus honorem
Nobis: Magnus & hic qui reuocauit, erat.
Splendidus, antiquis certans Heroibus omni
Virtute, in summo quam decet esse uiro.
Cæditur insidijs, celebrans solennia Lyci,
Inuidiam uirtus dat sibi, & illa necem.
Et cautè, & timidè, Genio seruite potentes
Exitio multis lux Genialis erat,
Hac Cyrus interijt: Macedo interijtq; Philippus,
Hac est Argolicis, Troia cremata rogis.

VENCESLAVS BOHEMIÆ REX.

Ad Venceslai usq; dies, Auguste, Bohemi,
Scortea Sauromatis tota Moneta fuit.
Nummus erat pellis, detracta animantibus illis,
Quas Aspergillos patria nostra uocat.
Hoc ego dum cuidam narro, qui strangulat amplo
Arcas argento, semper egenus ait:
Ergò putrescebant tunc nummi! O' dura priorum
Tempora: tunc nasci res miseranda fuit.
Gratia magna Deo, quòd homo sum natus in isto
Seculo: cùm pelles non nisi sutor habet.
Quod si quando Deus mala uult sæcla illa reuerti,
Tunc ego tunc, superi, mortuus esse precor.

VVLADISLAVS CVBITALIS VVLGÒ LOKIETEK.

Corpore paruus eram, cubito uix altior uno:
Sed tamen in paruo corpore magnus eram.

Non ego Prussorum'q, Bohemorum'q cruorem
Iactabo, cladem nec Gedmine tuam:
Fortunam uici, cum qua mihi bella fuerunt,
Vt niger è terris triste uolârat iter.
Ter cecidi Regno: per te Rammusia semper,
Post lapsum erexi maius ad arma caput.
Corde uir is opus est magno, non corpore: magnum
Qui strauit Goliam, nónne pusillus erat?
Ingentem paruus Poliphœmum uicit Vlysses.
Sed tamen ille hominem: tam graue numen ego?

CASIMIRVS MAGNVS.

Nil hoc splendidius, nil magnificentius uno est,
Quodcunque illius respiciatur opus.
Legibus armauit patriam, placidum'q sub illo
Libertas ad nos protulit alma caput.
Oppida tot cinxit muris, quot penè per omne
Hoc Regnum muris oppida cincta uides.
Tres simul hospitio excepit cum Cæsare Reges,
Cùm tibi dat neptem, Carole quarte, suam.
Rex ingens opibus, bello, pietate: quid illum,
Quid premis infami Cypria sola nota?
Hunc dici Magnum, est iniuria magna Poloni,
Iure suum nomen, Maximus, esse potest.

LVDOVICVS HVNGARVS.

Non quia uir fuerit, nequaquam Ludouicus, & ultor
Crudelis nostras non benè rexit opes.
Sed quia Pannoniæ, dum plus amat arua paternæ:
Linquebat sæuis istud ouile lupis.
Qui nouit quid agant famuli, si longius absit
(Præsertim fuerit qui minus asper) herus.
Hic uidet ærumnas, quas multa absentia ueri
Pastoris nostrum tum cumulabat auis.
Illo Rege quidem Leges creuêre: sed illo
Rege tamen, robur non habuêre suum.
Lex nisi tutores habeat, contra arma potentum:
Est quod æra Neolus sub trabe nectit opus.

IAGIELO SIVE VVLADISLAVS LITHVANVS.

Hic gentilis erat Lithuanus de stirpe Iagello,
Vir bonus, & tantas inter honestus opes
Mox est cœlesti Princeps Baptismate tinctus,
Quem subitò est Dominum gens imitata suum.
Hinc dotale capit pulchra cum coniuge Regnum,
Et tribuit Litauis signa Polona suis.
Rege sub hoc memorem suscepit Prussia cladem,
Sæpius & rigidus concidit ense Gethes.
Quàm multa in Regno struxit delubra Polono,
Monstrat Gymnasium sat puto Croca tuum.
Et linquens gnatos ex iusta coniuge natos,
Lucida fulgentis scandit astra poli.

VVLADISLAVS QVINTVS.

Ladislae tibi Regale Polonia Sceptrum
Contulit, ob proprij splendida facta Patris.
Hinc quoq, & Vngaricus defert Diadema Senatus,
Et quæ sunt lati iugera multa soli.
Egregia uerò tu præditus indole regnas.
Ac regis imperio subdita regna tuo.
Nec piguit Macedum fines uastare remotos,
Nominis ut ferret gloria nota tui.
Donec inire petit tecum trux fœdera Turca,
Quod facis: at latius frangere Papa iubet.
Cui tu dum pares: te ad Varnam Marte paludem
Fudit Amurhates: & tua castra capit.

CASIMIRVS QVARTVS.

Post fratrem Casimirus adest, quem Turca peremit,
Sarmaticas iustus qui regit ultor opes.
Eripit & captas Marianis fratribus Vrbes,
Aetherea terribili discutiente modo.
Hoc Duce Sacrificij magnas sensêre repulsas,
Hic ubi Castaliam Vistula uoluit aquam.
Hinc repetit Mariæ non ui, sed munere Castrum,
Prussiaci quod tunc incoluêre Duces.
Hunc quoq, Choynitium multis licet inde peremptis
Sensit, & illius quæ ditionis erant.
Ducentem reliquæ fœlicia tempora uitæ,
Fata grauem nobis eripuêre Ducem.

IOANNES ALBERTVS.

Ducis Ioannes Alberte binominis agmen
Sarmaticum matre id perfidente tua.
Instauras'q nouo, sed frustrà Marte tumultum,
Vlturus Patrui funera mœsta sui.
Nam Iacus uariat primo quod dixerat ore,
Te contra Turcam uelle iuuare ferum.
Instruit horrendos te contra perfidus hostes,
Et fudit populos Marte iuuante tuos.
Vnde nemus nostris patuli memorabile fagi,
Dum sol sydereo tramite currit, erit.
Sic igitur multis non faustis obrutus actis,
Te rapuit iuuenem Parca seuera Ducem.

ALEXANDER.

Multa laborati hoc recinunt de Rege libelli,
Quàm duri promptus Martis ad arma fuit.
Nil illum morbi, nil frigora sæua mouebant,
Vt non inceptum perficeretur opus.
Sæpius insano compressit Iazigas arcu,
Et dedit horrendæ millia multa neci.
Indigna ulciscens sæui periuria Mosci,
Illius constans abstulit ultor opes.
Nec tantùm bello fluduit, sed legibus æquis,
Subiectam patiens est moderatus humum.
Illa ducis laus est certò uerissima magni,
Qui sacra, qui Iustum cum pietate colit.

SIGISMVNDVS PRIMVS.

Cum iurârat atrox deuicto Glinscius hoste.
Suspectam, pulsa suspicione, fidem.
Qui caperet Regni post mortem fratris habenas,
Tota Sigismundum terra Polona cupit.
Hoc, qui Magnatum tunc nemo tenatior æqui,
Maior consilijs, & pietate foret.
Dos Regum decorabat cum clementia, solus
De'q Iagelona stirpe superstes erat.
Prostrauit fretum numeroso milite Moschum,
Millia quo bello bis cecidêre decem.
Quantus amor populo'q suo, externis'q Monarchis,
Tantus erat Turcis, & tibi Theuto tremor.

MARTINI CROMERI DE ORIGINE ET REBVS GESTIS POLONORVM LIBRI XXX.

AD SIGISMVNDVM AVGVSTVM, INCLYTVM REGEM POLONORVM, MAGNVM DVCEM LITHVAnorum, Russorum, Prussorum, Masouiorum, & Samagitarum dominum & hæredem, totius Operis Procemium.

Petrus Gamratus, archiepiscopus Gnesnensis, & episcopus Cracouiensis.

CVm Petrvs Gamratvs, archiepiscopus Gnesnensis, idemq; Cracouiensis episcopus, uir consilio promptus, gratia populari, & autoritate, quam partim liberalitate & beneficentia singulari, partim egregio in parentes tuos, Sigismvnde Avgvste, Rex inclyte, & in Rempub. Polonã studio collegerat, florentissimus, honestum ac luculentum præsidium ad uitam degendam, & ocium literarium mihi parauisset, post mortem eius retuli me totum protinus ad ea studia, quibus ab ineunte ætate delectatus eram, quæq; ne in ipso quidem aulicæ uitæ cursu penitus deserueram. Tunc autem longè liberior & expeditior, non habui satis, mihi ipsi (quod aiunt) & Musis canere: sed cœpi circumspicere, quónam modo fructum studiorum meorum ad publicam plurimorum utilitatem referrem. Perpendebam cum animo meo, non solum quid à nostris quidem hominibus potissimum expeteretur, ab externis uerò cupidè, & cum nonnulla Polonici nominis fama acceptum iri uideretur: sed etiam quid à me, hac ingenij, doctrinæ, iudicijq; tenuitate & angustia præstari utcunq; posset. Occurrit mihi in primis historia nostræ gentis, quæ tractata quidem est ante nos cùm à Vincentio Cadlubco, episcopo Cracouiensi, & Gallo quodam monacho ante trecentos annos: tum ab Ioanne Dlugosso, & Matthia Miechouiensi, & alijs quibusdam anonymis longè posterius: tum uerò nostra ferè ætate ab Iosto Ludouico Decio, & Bernardo Vapouio, Cantore Cracouiensi: uerùm ita tractata, ut homines partim accuratius, partim emunctius & elegantius aliquid requirerent. Qua de re memineram, Rex optime, quem sermonem Vilnæ mecum familiariter habuisses, prius quàm ad regni gubernacula accessisses: cum eò non modò ab illo ipso Petro Gamrato, patrono meo, uerùm etiam a parentibus tuis præclarissimis ablegatus, ad te uenissem. Tenebam etiam, quam ego spem honestissimi desiderij tui explendi tibi ostendissem: cum indicassem, datum quidem esse à patre tuo, rege sanctissimo & sapientissimo, negocium uiro in primis docto ac pio, & eloquentia, iudicioq; singulari, Stanislao Hosio, præceptori meo, qui nunc opera tua Varmiensis episcopus est, ut historiam Bernardi Vapouij, quam is aliquanto antè mortuus, imperfectã & rudiusculam reliquerat, recognosceret atq; expoliret: sed eum negare, id à se, alijs grauioribus negocijs occupato, commodè prçstari posse: & maioris autem negocij uideri, alienis scriptis limã admouere, quàm proprio Marte opus detexere. Hoc igitur magis de conscribenda Historia cogitare cœpi, quæ & originem ueram, & res gestas gentis nostræ complecteretur. Et intelligebã equidem, quid res tanta requireret. Sed cum neq; Hosius, neque quisquam alius laborem illum susciperet, suscepi ego: non tam uirium mearum, & ingenij, eloquentiæq; fiducia, quàm ne prçclaro tuo, multorumq; præterea nostratium hominum desiderio, & publicæ utilitati deessem. Verùm in prosequendo opere, plus quàm credideram initio, difficultatis reperi. Neque hoc dico, quòd uiri clarissimi, & cùm alijs præclaris uirtutibus, tum integritate & honestate uitæ, humanitate, elegantia, lenitate & mansuetudine ornatissimi, Samuelis Maceouij, episcopi Cracouiensis, & cancellarij Poloniæ, uoluntate primùm: deinde tua quoq;, Sigismvnde Avgvste, Rex benignissime, autoritate, ad scriptionem, aliaq; aulica negocia, & ad longa ac frequentia itinera tecum, legationesq; pro te obeundas, ab instituto opere identidem reuocatus sum: non has, inquam, remoras mihi obiectas esse queror, quanquam hæ quoque diutius me ab absoluendo opere inchoato distrahebant: sed illud magis, quòd in tot seculorum historia, quem certum ducem sequerer, non habebam. Animaduertebam Vapouium, Decium, & Miechouiensem, Dlugossum potissimùm secutos esse: illum uerò non magnopere uersatum in externis historijs, quæ Polonica scribenti magno adminiculo esse poterant: nonnunquam perplexum esse, nec perpetuò sibi constare, nec rationem temporum tenere: & πολλὰ πάρεργα τῶν ἔργων, ut Græcis est in prouerbio, persecutum esse: & operi imperfecto immortuum, ad recognoscendum id nihil temporis habuisse. Neque tamen magis repræhensione dignum iudicabam ob id, quòd non omnia præstitisset, quàm laude, quòd primus maximo labore, & in defesso studio glaciem, quod dicitur, perfregisset. Quamuis enim scripsisset ante eum Vincentius, & quidam alij, quemadmodum superiùs attigi, sed concisè admodum, nonnulla etiam fabulis, ut mihi uidetur, quàm historiæ propiora. Itaque coactus sum externas ueterum iuxtà ac recentiorum historias, uicinarumque gentium annales conquirere, & peruigili cura euoluere. Nec tamen in eo posita erant omnia. Multa a scriptoribus partim ignoratione rerum externarum peruerti, aut omitti, partim

Occasiones scribendæ historiæ.

Polonicarum rerum scriptores.

Sigism. Aug. regis sermo de historia.

Stanislaus Hosius, episcopus Varmiensis.

Autoris consilium.

Impedimenta.

Samuel Maceouius, episcopus Cracouiensis, & cãcellarius Poloniæ.

tim maleuolentia & inuidentia, uel assentandi suaque extollendi studio deprauari solere, non ignoramus. Sic autem æstuanti, tu mihi, SIGISMVNDE AVGVSTE, licet aliud agens, succurristi: idque ultro: siue uiris omni ingenij, prudentiæ, dexteritatis, fidei, uirtutisq; laude cumulatissimis, & erga me propensissimis, Ioanne Ocesio affini meo, Cancellario, & Ioane Pręrembio Procancellario, consultoribus: dum mihi archiuium tuum Cracouiense recognoscendi, & in certum ordinem redigendi prouinciam mandasti. Ibi enim reperi non pauca publica literarum monumenta, quæ magnam lucem Historiæ nostræ attulerunt, quemadmodum suis locis planum fiet. Iure igitur optimo hoc opus nostrum tu tibi quasi proprium uendicabis, quòd & incitator atque autor quodammodo ad id suscipiendum initiò mihi fuisti: & in eo perficiendo, non solum fauore tuo, uerùm etiam archiuio aperiendo, magnoperè me adiuuisti. Non ornabit fortassis, augebit quidem certè hic liber bibliothecam tuam, quam omni genere librorum instructissimam, exornandæ arci Vilnensi, splendidè & magnificè à patre quidem tuo inchoatæ, abs te uerò exædificatæ, quasi colophonem addidisti. Cognosces tamen hic incunabula, incrementa & conuersiones Reipublicæ nostræ, & regni tui. Cognosces non solùm Polonorum & Lithuanorum tuorum, sed etiam aliorum quorundam finitimorum populorum origines, & successus uarios. Cognosces quasi in speculo imaginem rerum præsentium, & quem quæque consilia nostrorum hominum atque regum exitum habuerint: ita ut quamuis absque eo abundes consilio & ingenio, rectius tamen è præteritis præsentium moderandorum rationem inire posse uidearis. Et scitus est ille poëtæ cuiusdam uersiculus:

Ioannes Ocesius Cancellarius.

Ioannes Prerembius Procancellarius.

Archiuium regium ab autore in ordinem redactum.

Vilnensis arx, & bibliotheca regia.

Fructus legendæ huius historiæ.

Fœlix quem faciunt aliena pericula cautum.

Cognosces denique res gestas bello & pace clarissimas proaui, aui, cæterorumq; maiorum tuorum, in gloriam tuam redundantes. Quibus non inferiora sunt, quæ pater tuus diuus SIGISMVNDVS Rex gessit, quæque abs te etiam expectantur. Sed ea nos segregauimus, siue ipsi alio rursus opere prosecuturi, siue (quod malumus) alijs uegetiori ingenio, uberiore doctrina & eloquentia præditis relicturi. nam ad alia nos iam uocat institutum uitæ nostræ. Nihil autem hic auribus hominum nostrorum dedimus, nihil domesticorum malorum dissimulauimus, neque alienas res gestas data opera eleuauimus: sed ueritatem, quæ prima est historiæ uirtus, ubique potissimùm sumus consectati. Ita uerò stylum temperauimus, ut Latinè quidem, quoad à nobis præstari potuit, scriberemus, & succinctè: intelligi tamen cùm ab alijs, tum à nostris hominibus, etiam qui leuiter literis tincti essent, non difficulter possemus. Quo factum est, ut nobis nonnunquam uerbis minus puris uti necesse fuerit, dum lectorum captui seruimus. Cæterùm locorum & hominum barbara nomina, exemplo ueterum Græcorum, & Latinorum scriptorum, inflteximus ita, ut Romanum quidem sonum, & quasi ciuitatem acciperent: indolem tamen suam genuinam, quoad fieri posset, retinerent, quo agnosci à peritis linguæ Polonicæ & Slauicę absque negocio possent. Totum autem opus triginta libris distinximus. Ac primis quidem decem originem, & prima quasi incunabula gentis, sub barbaris & idololatris ducibus: deinde florem iuuentæ sub Christianis regibus: morbum denique & καχεξίαν quasi ægrotantis Reipublicæ sub pluribus ac dissidentibus inter se principibus post sublatum regnum, persecuti sumus. Medios à restituto regno orsi, ad exitum Vuladislai Iagellonis, proaui tui, Rex, detexuimus. Extremos uerò cæteris quatuor regibus, usque ad SIGISMVNDVM patrem tuum, dedimus. Operæprecium autem facturi uidebamur, si gentis nostræ originem, non admodum celebrem, neque multis cognitam, initiò diligentius persequeremur, uerumque in profundo latens erueremus: in quo multum sanè elaborauimus. Cæterùm assecutine id simus, an minus assecuti, æqui & candidi lectoris erit iudicium: alijs quidem duntaxat acriori ingenio, maioriq; siue usu & cognitione rerum, siue felicitate præditis, ad peruestigandum & inueniendum uerum, uiam aperuimus. Quòd si cui morosulo, repræhendendis claris, receptisq; scriptorib. plusculum indulsisse uidebimur, cogitabit is, modicè & uerecundè, ac non nisi necessariò id à nobis factum esse: cum uerum inueniri, & animis aliquo fortasse præiudicio præoccupatis infigi non facilè posse uideretur, nisi falsa aut incerta refellerentur. Sed iam ad rem ipsam tuis, Rex inclyte, auspicijs aggrediamur.

Veritas huius historiæ.

Styli attemperatio.

Barbarorum nominum inflexio.

Operis distinctio.

Origo gentis Polonæ exquisita.

Aliorum scriptorum reprehensio modesta.

MARTINI CROMERI, DE ORIGINE ET REBVS GESTIS POLONORVM, LIBER PRIMVS.

De Slauorum nomine & populis. CAPVT I. LIB. I.

Procop. de bello Goth.
Fl. Blond. ab incl. Imp.
Slauorum res gestæ.

PRimùm omnium constat, Polonos Slauicam gentem esse: Slauorum autem siue Slauinorum nomen ante Iustiniani Imperatoris tempora incognitũ fuit Græcis & Latinis scriptoribus. Primus, quod equidem sciam, Procopius Cæsariensis de bello Gotico huius imperatoris scribens, eorum meminit. Tametsi Fl. Blondus Foroliuiensis, qui ante centum annos historiã ab inclinatione Romani imperij conscripsit, Arcadij & Honorij tempora prosequẽs, Slauorum mentionem facit. Postea uerò sic ij nomen & fines suos armis propagarunt, ut Mœsiam, siue Mysiam, Daciam, Pannonias, Dardaniam, Liburniam, Dalmatiam, Illyricum, Istriam, & nonnullas alias in Septentrionem uergentes prouincias Romanis Imperatoribus eriperent: Macedoniam, Thraciam, Epirum, Greciam, & Italiam uexarent: Romanumq; imperium, diuo Gregorio & Iornande Alano testibus, prorsus uastarent atq; debilitarẽt: ne Germaniæ quidem parcerent. Ad eam deniq; amplitudinem peruenêre, ut propè dimidiam Europę, nonnullam etiam Asiæ partem occuparint. In ea natione maximæ & fortissimæ gentes etiam nunc censentur: nempe Russi, quos Ruthenos pleriq; uocant, Volynij, Moschi, Bulgari, Rasciani, Serbi, Bosnenses, Carni, Croatæ, & ij qui Dalmatiam, Illyricum, Istriam, Vngariæq; montana tenent, Slauorumq; seu Slauinorum nomẽ peculiariter retinent: itemq; accolæ sinus Venedici, & Oceani Germanici, Sala & Albi tenus: quorum reliquiæ hodieq; à Germanis Vindæ seu Vendi uocantur, olim uarijs distincti nominibus ac populis, ut est uidere apud Vitichindum Saxonẽ: deniq; Boëmi, Lusacij, Moraui, Cassubij, Pomerani, Masouij, Silesij, & ipsi, de quibus hæc nobis instituta est historia, Poloni. Cunctæ enim hæ gentes, quamuis dialectis aliquantum uariantibus, eadem tamen lingua Slauica, nec ualde diuersis moribus utuntur, licet autem tam uarijs appellationibus distinctæ sint, cunctæ tamen commune Slauorum nomen agnoscunt. Quo fit, ut & originem cunctis communem & eandem esse necesse sit. Operæprecium ergo facturi esse uidemur, si primùm uniuersę Slauorũ originem perquiramus. Ita namq; faciliùs deinde, quinam homines Poloni sint, ubi habitent, unde & quando exorti sint, inuestigabimus.

Greg. in epist.
Iornã. de regn. & temp. successiõn.
Slauorum populi.
Vitich. de reb. gest. Sax.
Origines gentium obscuræ, & antiquitatẽ affectantes.

De Origine Slauorum tres opiniones. CAP. II. LIB. I.

Romanorum origo.
Persarum.
Thracum.
Atheniensiũ.
Aegyptiorũ.
Itali Aborigines.
Hebræorum.
Arabum.
Saracenorum.
Gallorum.
Hispanorum.
Ios. antiq. Iud. lib. 1. cap. 11.
Beros. antiq. lib. 4. & 5.
Germanorum origo.
Cor. Tacit. de situ & mor. Germa.
Beros. antiq. lib. 4. & 5.

NOn inusitatum est, ut maximæ & nobilissimę quæq; gentes, cum obscuros ortus habeant, & ex paruis initijs creuerint, uetustate tamen originis, & generis nobilitate seu uera, seu ficta duntaxat, sese uenditent, authoresq; & conditores suos uel cœlo à fabulosorum Deorũ stirpe deuocent, uel ab ipso usq; orbis terrarum diluuio, & ex arca Noe memoriter repetant. Ita Romanos, è pastorum & fugitiuorum colluuie ad summam potentiam & claritatem euectos, Romuli sui pœnituit, nisi genus eius atq; suum ad Martem & Venerem deos referrent. Ita Persæ Persea Iouis filium, Thraces Martem, generis sui authorem iactarunt. Athenienses αὐτόχθονας, hoc est, indigenas se esse uoluerunt: itemq; Aegyptij, argumento animalium, quæ secundum Nili inundationes in limo imperfectis etiam membris reperiuntur, iam & prisci Itali Aborigines ex eo sese dixêre, quasi iam inde ab initio & origine mũdi ibi extitissent. Hebræi porro, apud quos ut antiquissima, ita certissima est historia, ab Abrahamo, clarissimo & constantissimo ueri Dei cultore, ortos se esse memorant: eiusq; stirpem non modo à diluuio, sed ab ipso usq; orbe terrarum condito repetunt. Ad eundem Arabes quoq;, & Saraceni, originẽ suam referunt: Galli ad Comerum siue Gomerũ, Iberes siue Hispani ad Iobelum seu Tubal, Iapeti filios, Noe nepotes: Iosepho Hebræo, & Beroso Chaldæo, scriptoribus peruetustis authoribus. Germani siue Teuthones, à Tuiscone prisci Iani, quem eundem Noam esse uolunt, & Araxæ filio orsi, Mañum, Ingæuonem, Hermionem, Marsum, Gambriuiũ, Suæuum, Vandalum, Teuthonem, Alemannum, & alios deinceps reges & progenitores suos, Corn. Tacito & eodem Beroso authoribus, longo ordine recensent. Sic Hunni & Vngari

Vngari, magnitudine rerum gestarum Attilæ sui non contenti, ab Hunore usq; & Magore Nemroti, siue Nini primi Assyriorum regis filijs, perpetua successione (uerane an falsa, non disputo) originem suam deducunt. Sic deniq;, ut ad rem ueniamus, Slauorum genus ab ipso usq; Iapeto Noe filio repetunt ij, qui Polonorum & Boëmorum annales conscripserunt. Ex Iapeto quidem Iauanum ortum esse: ex hoc Philaram: ex eo porrò Alanum: inde Anchisen: inde Aeneam: inde Ascaniũ: ex eo Pamphilum: hinc Reasiluũ: hunc Alanũ secundum, qui primus ex Asia in Europam commigrârit. Eum uero quatuor habuisse filios: ex his natu maximũ Vandalum, Vistulæ flumini, & Polonis nomen dedisse, ut Vandali dicerentur. Hunc deniq; multos liberos suscepisse, qui quartam partem Europæ occupauerint: & Polonorum, Russorum, Cassubiorum, Suetiorum, Bohemorum, Morauorum, Slauorum, Dalmatarum, Pannonum, Bosnensium, Croatarum, Bulgarorumq; regna condiderint: atq; hic subsistunt, quasi aut Phedriæ, ac Thrasones è comœdijs, aut Capeti, Tyberiniq; ex historijs eis defuerint, aut comminisci plura ipsi arbitratu suo non potuerint. Alij uerò ridiculam fabulositatem, nulla neq; authoritate, neq; probabilitate nixã, auersati, longam quidem stirpis enumerationem prætermittunt: ab ijsdem tamen Iapeto & Iauano, sed per Helisam filium, harum gentium genus deriuant: illam rationem secuti, quòd Slauos, Dalmatas & Illyrios esse opinantur, qui retineant etiamnum ferè ea loca, in quibus hæ gentes ab initio, cum à turri Babylonica in uniuersum orbem terrarum coloniæ deducerentur, cum Ionibus, Aeolibus, Hellenibus siue Græcis, ac cætera Helisæ & Iauani siue Ionis posteritate consedisse, à suprà memoratis autoribus Iosepho & Beroso memorantur. Adduntq; Iauani quoq; siue Ionis nomen ei rei argumento esse, quo Slaui etiam nunc multum utantur, Ianum & Iuanum appellantes. In hac autem sententia fuêre Ioãnes Dlugossus, & Matthias Miechouiensis, & alij quidam nostrates: tametsi Miechouiensis uariat in eo libro, quem de Sarmatijs scriptum reliquit: è Bohemis Venceslaus Hageccus, & qui ab eo recensentur Brybislaus & Cosmas Bohemi, Ioannes Merignola archiepiscopus Florentinus, & Philippus Callimachus Itali. Alij porrò, cùm animaduerterent nationem Slauorum Vindos, seu Vendos à Germanis appellari: eamq; gentem antiquitùs hæc loca, quę nunc Poloni, Silesij, Marchiani Brandeburgenses, Cassubij, & Pomerani, sinus Codani siue Bathici, marisq; Sarmatici accolæ tenẽt, antiquitùs ad Chersonesum usque Cymbricam tenuisse ex ueteribus historicis & geographis recognoscerent, eosdem esse existimarunt Slauos ac Vandalos, quos ipsi Vindas seu Vendos, Latini uerò historici & geographi Vinidas, Venedos, & Venetos: & ab eis Venedicum sinum Balthicum appellant. Nec scio an Vindelicos etiam, qui Bohemis uicini sunt, non magna Bauariæ portione intercecta: cuius gentis caput, Augusta Vindelicorum etiam nunc dicitur. Tametsi sunt, qui diuersos à Vandalis Vindelicos esse uelint. Cumq; Germani homines (nam hi ferè sunt in hac sententia) iure suo, ut mihi quidem uidetur, Vandalos sibi uendicarent, crediderunt ad amplitudinem & gloriam nationis suæ pertinere, si cùm ea Gallias per Francos & Gotos, Britanniam per Saxonas, Hispanias & Africam per Gotos atq; Vandalos, Italiam primùm per Cymbros, deinde per eosdem Gotos, Vandalos, & per Langobardos, Pãnonias item, & alias orientis regiones & gentes nobilissimas per eosdem partim uexasset, partim domuisset, subiugasset, ac tenuisset, ne Vandaliæ ac Bohemiæ antiquissima possessione à barbara & obscura gente Slauorum, quæ ne ipsa quidem certam originem suam edere posset, depulsa esse uideretur. Iam huic ita præiudicatæ opinioni nõ solum necesse, uerùm etiam facilè erat cætera attexere, quæ de Vandalorum origine ex Beroso colliguntur: nempe Vandalum gentis conditorem à Tuiscone, prisci illius Noe filio, post diluuium orbis terrarum nato, quemadmodum nos etiam superius attigimus, duxisse originem: eumq; ipsum Tuisconem à Tanai ad Rhenum usq; regnasse. Deniq; & illud: è Bohemia & Polonia ac Vandalia, Slauos, in Dalmatiam & Illyricum progressos esse. Hanc opinionẽ adstruxit in primis Albertus Crantius, qui patrum nostrorum memoria Vandaliam cõscripsit, & in eo opere cunctas res gestas Polonorum, Bohemorum, ac cæterorum Slauorũ Vandalis, atq; ita Germanis suis honorificè attribuit. Idem sensêre Ioannes Dlugossus, & Matthias Miechouiensis alicubi, & cõplures alij recentiores. Antonius quoq; Bonfinius in eo opere, quod in gratiã regis Matthiæ scripsit de origine & rebus gestis Vngarorum, licet non figat ferè uestigium: non uidetur tamen ab illis in hac parte dissentire. Nec defuit eis è uetustioribus author, quem sequerentur, Iornandes Alanus: qui in eo libro, quem scripsit de rebus Geticis, Slauos, siue Slauinos Vandalorum gentem esse, asserere ipsis uidetur.

Marginalia: Hunorum & Vngarorum. — Slauorum origo. — Alia opinio. — Io. Dlugossus. — Matth. Miech. — Vencesl. Hag. — Tertia opinio. — Vinde, seu Vendi. — Vindelici. — Germanorum res gesta illustres. — Crant. in Vãd. — Dlugoss. — Matth. Miech. — Bonf. de orig. & reb. gest. Vngar. — Iornandes.

Superiores opiniones falsas esse. CAP. III. LIB. I.

SEd horum nihil nos probamus: nec id temerè, aut leuibus argumentis adducti, quemadmodum statim demonstrabimus. Et illam quidem fabulosam genealogiam, quam primo loco posuimus, pluribus, quàm suprà fecimus, refellere operæprecium non est. Contra reliquas duas opiniones, quæ quamuis diuersæ, eodem tamen ferè argumento locorum, quę Slaui incolunt, nituntur, illud communiter dici potest: Non esse necesse, Slauos eosdem esse siue cum Dalmatis & Illyrijs, siue cum Vandalis: propterea, quòd eorum loca incoluerunt, atq; etiamnum incolunt: sicut neq; Vandalis cõmunis fuit origo cum Pœnis, Mauritanis, & Afris: neq; Gallis, Gotis, & Lãgobardis cum Italis: neq; Frãcis cum Gallis: neq; Hebræis siue Israëlitis cum Chananæis, quamuis Vandali Africam: Galli, Goti, Langobardi, Italiam, alij post alios: Franci Gallias: Hebręi Chananitidem, pulsis uel deletis uetustioribus habitatoribus, tenuerint. Pannoniam quoq; olim Galli, deinde Goti, Sarmatæ, Vandali, Langobardi, Hunni, Slaui, & Vngari, inuicem sibi succedentes, inuaserunt. Nec tamen omnes hi populi ijdem sunt, aut eandem habent originem, nisi fortè illam omnium gentium communem à Noa, uel Adamo etiam, si quis altius uelit repetere. Non semper sanè eædem gentes easdem sedes tenent, neq; tenuêre: uerùm aliæ subinde ab alijs pelluntur suis sedibus, aut etiam delentur. Nonnunquam ultrò in alias regiones commigrant, aliqua uel commoditate inuitatæ, uel necessitate adactæ: quemadmodum cùm de his, quas modò enumerauimus, tum de Tyrijs, Phocæensibus, Lacedęmonijs, Arcadibus, Troianis, & alijs compluribus uetusti & graues historici literis prodidere: ita ut quod uniuersè à Comico seruo dictum est, Omnium rerum uicissitudinem esse, de hac etiam commigratione populorum, regnorumq; mutatione uerum sit. Sed in alijs quidem gentibus facilius id probari ac demonstrari potest, siue quòd ex ipsæ à literis & humanitate non abhorruerunt, siue quòd ipsæ quidem barbaræ, uicinos tamen habuerunt excultos literis, quibus neq; ocium ac studium ad perquirendum, neq; facultas ac diligentia ad conscribendum non modò uicinarum, sed etiam remotarum gentium res gestas & origines defuit. Poloni & Slaui omnes literas & literatos contempserunt, ac ne ocio quidem ad studia doctrinæ & humanitatis abundarunt, cum barbari inter barbaros consedissent: & continẽtia cum finitimis bella gererent. Cumq; prius obscuri & ignobiles in uasta barbararum gentium colluuie latuissent, ijs temporibus extiterunt, quibus Romani atq; Græci, apud quos literarum atq; doctrinæ studia semper in primis floruere, barbaricis Parthorum, Gotorum, Vandalorum, Alanorum, Langobardorum, Saracenorum, Hunnorum, & ad extremum ipsorum Slauorum armis implicati, diuexati, & penè deleti; doctrina quoq; & eloquentia propemodum exciderunt: & domesticis perpetuis malis atq; calamitatibus impediti, ne ocium quidem ad perquirendum, et literis mandandum origines & res præclarè gestas externorum, eorum præsertim quos meritò oderant, habuerunt. Itaq; cùm omnis illorum temporum historia perplexa & incerta est, tum Slauorum in primis: qui ad faciendum res memoratu dignas, quàm ad memorãdum promptiores, & magis appositi, ne gloriæ quidem ualdè cupidi fuêre. Quo factum est, ut non modò nihil de rebus gestis & origine sua comminiscerentur: quemadmodum Gothi fortassis, & solent multi alij: sed ne tenerent quidem memoria, aut posteris suis uicissim quasi per manus traderẽt, si quid ueri, certiq; à maioribus suis accepissent. Vixdum sexcenti aut septingenti duntaxat anni sunt, ex quo Sclauica gens literas unà cum religione Christiana amplexa est: nec magnopere sanè unquam earum studium postea coluit, satisq; habuit unusquisq; sensa animi sui alteri absenti literis utcunq; aperire, præteritorum iuxtà ac futurorum neutiquam curiosus. Sed nos ita adhuc egimus, ut ostenderemus duntaxat, non esse necesse, eandem esse nationem & gentem Slauorum cum Dalmatis, Illyrijs, atq; Vandalis, deinceps ergo, prorsus non eandem esse, demonstremus, si possumus, & quidem distinctè, prius de Dalmatis & Illyrijs, mox de Vandalis.

Gentium mutationes & migrationes.

Pannoniæ habitatores.

Terent. in Eunucho.

Cur obscura Slauorum origo.

Poloni & Slaui alieni à literis.

Quibus temporibus effloruerint.

Romani & Græci à barbaris euersi.

Slauorum ingenium.

Slaui quando literas acceperunt.

Slauos non esse Dalmatas, neq; Illyrios. CAP. IIII. LIB. I.

MVlta de Dalmatis & Illyrijs peruetusti Græci & Latini scriptores memoriæ prodidêre. Nam & Macedones & Romani olim cum eis bella gesserunt. Appianus quidem Alexandrinus etiam peculiarem de his librum conscripsit, cui nomen dedit Illyrico. In quo originem harum gentium, quamuis diuersam à Beroso, persequitur. Sed hoc nihil ad rem nostram. Cõmemorat aũt is, itemq; Ptolemæus in Geo-

Dalmatæ & Illyrij.

Appiani Illyricus.

Ptol. Geog. li. 2. cap. 17.

in Geographia, & alij scriptores ante, & post eum, urbes earum gẽtium, ut Segestam, Delminium, Salonem, Promonam, Terponium, Metulium, Scardonam, Iaderam: fluuios, ut Naronem, & Saum, siue Sauum: populos, ut Scordiscos, Triballos, Liburnos, Dardanos, Atintanos: quorum nominum etymologia nihil commune habet cum lingua Slauorum, sicut habet eorum quæ posterius ab ipsis Slauis indita, hodieq; in usu sunt: nempe Iaiza, Zagrabia, Cluz, Camenygrad, Belogradum, Nouogradum, Cremen, Otocum, Iablanez, Gurca, Lipa, urbes & arces. Reca & Dobra fluuij. Craina regio, siue territorium. Vnde apparet, nouam gentem post tempora Ptolemæi & Appiani in illis oris consedisse, ueteribus habitatoribus uel pulsis, uel subactis, & pedetentim exstirpatis, quæ noua nomina locis dederit, longè diuersa à ueteribus. Iam uerò quæ ratio excogitari potest, cur populi ipsi, qui prius Dalmatæ & Illyrij dicti sunt, posterius Slaui, & regio Slauonia dici cœperit, si ab initio Slaui eam tenuêre? Sed hę quamuis graues, coniecturę tamen sunt. Quid si demonstramus, quo tempore primùm Slaui Dalmatiam & Illyricum, uelut alienas sedes, armis inuaserint & occuparint? Nullus opinor dubitationi locus relinqueretur. Ad hoc autem demonstrandum non utemur Alberti Crantij, qui quidem & ipse pro nobis facit in hac parte, uel cuiusquam recentioris scriptoris testimonio: sed Procopij Cæsariensis, qui Iustiniano imperatori à commentarijs, & Belisario nonnullarum expeditionum comes fuit: qui eorum quę ipsius tempore, & sub oculis penè ipsius acciderunt, certissimus testis esse potest: nec est causa, cur in gratiam aut odium cuiusquam finxisse uideatur. Is igitur de bello Gothorũ libro primo sic scribit: Martinus interea, Valentinianusq; ad Belisarium peruenere, milites mille ac sexcentos ductãtes, quorũ pars maxima Huni erãt, Slauini, Antæq;, qui trans Istrum fluuium, nec procul ab eius ripis incolunt loca. Libro autem tertio sic: Magnæ nuper Slauinorum hominum manus Istrum fluuium traijcientes, & eius regionis loca depopulati, Romanorum uim maximam cœperant. Et mox: Sed Chilldibius posthac adeò terrori barbaris fuit, ut per triennij spacium, & quamdiu eo præfecturę munere hic fungebatur, barbarorum nemini unquam id flumen licuerit Romanos inuadendi de causa pertransire: quin potius in alteram continentis partem Romani Childibio duce, ac sæpe transuecti, barbarorum uim maximam trucidarant, & in seruitutem abduxerant. Nec multo pòst de ijsdem Slauinis, & consanguineis eorum Antis memorans: Affatimq;, inquit, terras habent, ut qui in ulteriore Istri fluminis ripa incolunt partem. Trans Istrum, qui idem Danubius est, Slauinos tunc incoluisse scribit. Cõstat autem Dalmatiam & Illyricum cis Istrum esse Romanis & Constantinopolitanis. Aliquanto uerò pòst, eodem libro idem Procopius ita scribit: Per id tempus Slauinorum exercitus flumine Istro traiecto, Illyrios omnes adusq; Epidamnum malis ingentibus affecêre, partim hos trucidando, & partim sine ullo ętatis discrimine in seruitutem, quos licuit, abigendo: & eorum bonis direptis desæuiebant. Ad hæc & præsidia illis in locis non pauca, & quidem pręualida occuparunt. Hic manifestè apparet, diuersos tunc fuisse à Slauis Illyrios. Certè ipsi sese tam immaniter non infestarunt, nec ea præsidia occuparunt, quæ prius ditione tenebãt. Prosequitur ibidem idem author multa bella, & nonnulla prœlia à copijs ac ducibus Iustiniani cum Slauis, cùm alibi, tum in Dalmatia minus prosperè gesta: memoratq; eos non incursantium, & prædas agẽtium in morem ea loca infestasse, uerùm perinde ac domi hyberna habere iam tum cœpisse, nihil hostile reformidantes. Atq; hæc fermè Procopius de Slauis. Nam quæ idem scribit de moribus eius gẽtis, inferius loco suo referemus. Gregorius uerò cognomento Magnus eius nominis primus pontifex maximus, qui aliquanto pòst Iustiniani tempora Mauritio imperante, post sexcentesimum annum à Christo nato, ecclesiæ præfuit, ita scribit ad Episcopos Istriæ: Equidem de Slauorum gente, quæ uobis imminet, & affligor uehementer, & turbor. Affligor in his, quæ in uobis iam patior: conturbor, quia per Istriæ aditum iam in Italiam intrare cœperunt. Addamus iam his & Blondum, recentiorem quidem, sed diligentem antiquitatis indagatorem. Is ergo uerbis diui Gregorij, quæ nos modò retulimus, descriptis, hæc addit: Quanquam uerò Gregorius plura de hac Slauorum in Istriam irruptione non scribat, tamen nos compertum habemus, eam gentem, quam ultra Danubium sedes habere, & socerum, filiumq; Mauritij illis oppositos fuisse diximus, tunc primùm oram Adriatici sinus dextri litoris occupasse, & ita habitationem in ea continuasse, ut quicquid prius Istria & Dalmatia dicebatur, ad tempora usque nostra dicatur Slauonia. Sequenti autem libro, Phocæ, qui Mauricio successit in imperio, tempora persequens, ita scribit: Per id etiam tempus imperio Constantinopolitano tumultibus illis in Africa & Asia agitato, Slaui, quos ostendimus in Dalmatiæ &

Dalmaticarum urbium, populorum, et fluminum uetusta nomina.
Noua nomina diuersa à ueteribus.
Mutatarum gentium in Dalmatia et Illyrico argumentum.
Slaui et Slauonia.
Slaui quando Dalmatiam et Illyricum occuparint.
Albert. Crant.
Procopius Cæsariensis.
Proc. de bello Got. lib. 1.
ibid. lib. 3.
Ister. Danubius.
Greg. ad Episcopos Istriæ.
Blon. ab incli. imp. lib. 8. primæ Decadis.

tiæ & Istriæ ora consedisse, quæcunq; propinquis in regionibus imperio parentia inuase- runt, & militibus, quos Phocas præsidio imposuerat, subita irruptione occisis, omnem Dalmatiæ & Illyrici Adriatico adiacentis, prouinciã subegerunt. Hinc igitur satis iam cõ- stat, ni fallor, serò Slauos in Dalmatia & Illyrico consedisse: nec esse eos Dalmatas, aut Illy- rios: atq; ita ne accõmodari quidẽ eis posse ea, quę de illarum gentiũ origine literis & me- moriæ ꝓdita sunt. Iã igiť ad Vãdalos quoq;, quos Procopius Vãdilos uocat, trãseamus.

Quod Slaui Vandali non sint. CAP. V. LIB. I.

AC tenuisse quidem Slauos, atq; adeò nunc etiam tenere eas sedes, in quibus olim Vandali habitasse commemorantur, dubium non est, ueterum & recentiorum scripta euoluenti. Nec de ijs modò locis hoc dictum uolumus, quæ ad utramq; ripam Vistulæ Odra tenus, & secundum Oceanum Germanicum usq; ad Cymbricam Chersonesum, nunc à Polonis, Silesijs, Cassubijs, Pomeranis, Masouijs, Prussis, & Vindis tenentur, olim Vandalis, & Venetis seu Vinidis habitata esse constat: uerum etiam de alijs quibusdam, quæ Vandalis attributa sunt. Nam & Procopius, cuius dudum mentionem fecimus, à Mæotide palude Vandalos, quos ipse Vandilos uocat, prodijsse, indeq; fame pulsos in Francos Germanos impetum fecisse, scriptum reliquit in eo libro, quem peculiarem de bello Vandilico conscripsit: & Iornandes, eiusdem ferè temporis scriptor, in libro de rebus Geticis memoriæ prodidit, eos quodam tempore ea loca tenuisse, quæ ab oriente quidem Gothos, quos tunc in Dacia habitasse scribit, ab occidente Marcomannos, à Septentrione Hermũdulos, à meridie uerò Istrum siue Danubium finitimum habuerint. At Slauini quoq;, & Russi, quemadmodum inferius ostendemus, circa Mæotim incoluere. Tametsi modò quoq; ad eam usque paludem ferè Moschorum imperium protenditur. Ad Septentrionalem etiam Istri partem à Dacis, qui nunc Valachi sunt, & Moldaui, & Transyluani, ad Bohemiam usque, quam Strabo Buiemum uocat, Marobudi Marcomannorum regis regiam, etiam nunc Rasciani, Serbi, Bosnenses, ac cæteri Slaui habitant, olim liberi ac domini, deinde ab Vngaris ferè regnati, ad extremum partim patrum nostrorũ, partim nostra etiam memoria, à Turcis subacti. Fatemur hæc ita esse. Nec tamen hinc necessariò colligitur, hos populos eosdem esse cum Vandalis: sicut ne cum Dalmatis quidem & Illyrijs, quemadmodum superius ratiocinati sumus, nihilq; prohibet, diuersis temporibus diuersas gentes ijsdem in locis habitasse: ac uno etiam tempore amplam aliquam regionem, qualis est Italia, Sarmatia, uel Asia minor, non ab uno unius ue nationis populo teneri. Constat autem & Mæotidis oram longè & latè patere: & quòd ea nauibus adita, notior esset Græcis & Romanis: interiora uerò Sarmatarum incognita, propter barbariem, eos loca remotiora etiam à Mæotide, de quibus auditu aliquid acceperant, ad Mæotim sita esse existimauisse, & cùm Vandalis, tum Romanis atque Slauis attribuisse. Et inter Dacas autem, Marcomannos, Hermundulos, siue Hermunduros, & Istrum, permagna locorum intercapedo est. Denique tractum eum, qui secundùm Vistulam, & mare Germanicum, Vandalis & Vinidis, seu Venetis attribuitur, multarum gentiũ capacem esse, dubiũ non est. Facilè autem est, cùm è supra memoratis Iornande & Procopio, tum ex alijs etiam scriptoribus deprehendere, quid de diuersis hisce Vandalorum sedibus (nam de Vinidis posterius dicetur) sentire debeamus: nempe eos à Mæotide profectos uersus occidentem solem, ad Vistulam in extrema ora Germaniæ consedisse, & cùm alios Germanos, ut quique proximi erant, tum Francos bello uexasse. Deinde uerò ad meliores sedes in Pannoniam, indeq; in Galliam, Hispaniam, & Africam denique commigrasse. Perinfirmæ igitur coniecturæ sunt, quibus isti adstruere nituntur, Slauos eandem esse nationem cum Vandalis & Germanis omninò. Nam quod quidam ridiculè, cum Vandalos à Vandalo fluuio, qui nunc Vistula est, dictos esse uelint, hunc à Vanda Polonorum regina nomen accepisse existimant. Nonnulli porrò opinantur, quòd Vandali Slauica lingua dicantur, quasi Vendali, quæ uox est cohortantium sese, ut ulterius porrò ire pergant, eiusmodi ineptias ne refellere quidem libet. Nos quidem certioribus longè argumentis Polonos & Slauos Vandalos non esse probabimus. Primùm enim mores his gentibus diuersi sunt. Ac Vandalos quidem sub regibus semper fuisse, & mollissimos atque delicatissimos esse, testis est Procopius. Idem uerò Slauinos Antasq; uitam duriorem, & incultam, neglectamq; ducere, & sordibus sese ingurgitare, & incondita quædam tuguria longo ab inuicem interuallo habitare, & singulos domicilij locum sæpe mutare, indeq; Sporos à Græcis cognominatos esse: nec ab uno aliquo

eos

Vandalorum sedes, eædemq; Slauorum.
Slauorum sedes.
Procop. de bello Vandil.
Iorn. de rebus Geticis.
Moschici imperij terminus ad Mæotin ferme.
Strabo geograph. lib. 7.
Slauorum populi à Turcis subacti.
Diuersi populi etiam in una regione habitantes.
Vandali unde, & quò progressi.
Vandalus fluuius.
Vandali falsa etymologia Vandalorum.
A diuersitate morum.
Proc. de bello Vandal. Idem de bello Got. lib. 3.

eos regi,ſed plebea,communiq; libertate uiuere,memorat. Deinde lingua penitus diuerſa utuntur Slaui omnes,ab ea qua Vandali uſi ſunt. Conſtat ſane inter omnes, Vandalos Gotorum & Germanorum gentem fuiſſe,eademq; lingua cum eos uſos fuiſſe. Teſtes ſunt eius rei Eutropius,Paulus Diaconus, Procopius, & his omnibus antiquior Cor. Tacitus: neq; negat Crantius. Quin citat is etiam ex Metodio martyre epiſtolam Vandalorum ad Conſtantinum imperatorem,Germanos ſe eſſe profitentium. Quod Irenicus quoq; facit. His adſtipulantur ducum ac regum eius gentis nomina, quæ Germanicam originem atque etymologiam redolent:qualia ſunt Genſericus,Hunericus,Gildericus,Sigericus, quaſi ex anſerum, gallorum gallinaceorum, auri, & uictoriæ opulentia deriuata:item q; Traſamundus,Gutamundus,Sigiſmundus,& alia eiuſdem modi:quorū ſimilia etiam alia Goti habuerunt, & partim Burgundiones, qui & ipſi inter Vandalos numerantur:partim ij, qui nunc peculiariter Germani ſiue Teuthones appellantur,adhuc retinent. Slauicum uero uocabulum ne unum quidem mihi quiſquam ex omni Vandalorum hiſtoria protulerit:niſi forte illa apud Crantium, Lubecæ,Roſtochij, Viſmariæ,Stargardi,ſeu Starogradi, urbium nomina:quę nos à Slauis poſt migrationem Vandalorum indita eſſe,ſuo loco indicabimus. Satis ne igitur argumenti eſt,Slauos,qui nihil penitus commune habent cum lingua Germanica, niſi forte ex uicinitate & commercijs mutuatum, Vandalos non eſſe? Qui enim, aut unde mutarent linguam ij præſertim, qui uetuſtiſsimas Germaniæ,quam Viſtula ſecundum Plinium, Ptolemæum, Pomponium Melam,Iornandem,& authores terminat,ſedes non reliquerunt? Hic hæret omninò Crantius, & qui eum ſequūtur. Franciſcus uerò Irenicus ui ueritatis uictus, manus dat:quamuis ut uidetur, repugnāte Iornāde. Verum de Iornande ſtatim, ſi prius refutauerimus illud Crantij argumentum, quo is adſtruit,Slauos Vandalos eſſe,quòd à Germanis etiam nunc Vendi ſeu Vindæ uocantur eius linguæ,& generis homines. Non eſt certum inuſitatum,populos,qui aliunde alio cō migrarint, cum à locis & regionibus nomina aſſumere, tum eorum populorum,quibus ſucceſſerint, nominib. appellari. Nec lōgè huius rei exēpla petemus. Cōſtat certè,Pruſsiā ab alijs,quàm nunc populis olim habitatā eſſe,qui ſiue Pruſsi,ſiue Boruſsi,ſiue Boruſci ſecundum Stellam dicti ſunt:quorum extant adhuc reliquiæ quædam in uicis atq; pagis tractus Varmienſis,& Sambienſis,lingua utentes Lithuanicæ nō abſimili. Quodam autem tempore partim à Polonis, partim à Teuthonibus Marianæ militiæ adſcriptis ſubactam & occupatam, in hoc uſq; tempus à Germanis & Polonis habitari, deletis ferè ueteribus illis Pruſsis: nihilo tamen minus hi quoq; Poloni & Germani Pruſſorum nomen retinēt. Quis aūt neſcit, Gallias, Gallis ſiue migratione, ſiue bello exoneratos, quodam tempore Francis Germanis ceſsiſſe: & tamen hos etiam à Latinis Gallos appellari? Sic Troiani cū Aenea profecti,in Latinorū & Italorū: Gothi & Alani, qui corruptè Catalani nūc uocantur,in Hiſpanorū: Zechi Slaui in Bohemorum,Germanorū,quemadmodum poſtea demonſtrabitur, nomen tranſierunt. Eadem igitur ratione credibile eſt,Slauos, eos qui priſcorum Venedorū ſecundum Ptolemæū,ſeu Venetorū & Vinidarum ſecundum Iornandem,ſedes occuparint, Vendos ſeu Vindas à finitimis Germanis appellari non deſijſſe. Indeq; propter linguæ & originis cognationem cæteris quoq; Slauis accōmodatam,hactenus manere. Niſi forte diuerſos eſſe uelimus à Vandalis Venetos, ſeu Venedas,ſeu Venedos,ſiue Vinidas;qua de re nunc diſputabimus.

An Venedi, Seu Veneti, & Vinidæ, iidem ſint cum Vandalis.

CAP. VI. LIB. I.

Cornelius quidē Tacitus dubitat, Germanis ne an Sarmatis Venedos aſcribat: & quamuis ad extremum eò magis inclinet, ut inter Germanos eos referat, infirmis tamen argumentis, id confirmat. Ptolemæus Venedas uult eſſe gentem Sarmaticam. Vandalos autem Germanos eſſe,iam ſatis,opinor, demonſtratum eſt. Iornādes uerò apertius etiam alios omninò eſſe à Vādalis Venetos & Vinidas innuit. Cum enim Vandalos, à Gebericho rege Gothorum profligatos, & ad paucitatem redactos, migraſſe ex ſuis ſedibus, & à Conſtantino magno Imperatore in Pannonia nouas ſedes impetraſſe,narraſſet, unde poſtea in Gallias,Hiſpanias,& Africam commigrarunt, mox Ermanarici,qui aliquanto poſt Gebericum apud Gothos regnauit, mentionem faciens, in Venetos eum arma mouiſſe,& quamuis abundante multitudine,uictos tamen, & ſubactos eos eſſe memorat:ſtatimq; adijcit:Eos ab una ſtirpe exortos,tria tunc nomina reddidiſſe:id eſt, Venetorum,Antarum,Slauorum. Qui quamuis, inquit, nūc ita facienti-

 bus pec-

Linguæ diuerſitas. Vandali Germani ſunt. Eutro. hiſt. li. 10. & 14. Paul. li. 1. ca. de geſtis Lāg. Proc. de bello Vand. Tacitus de ſitu et mor. Germ. Alb. Crant. li. 1. Vandaliæ. Iren. Germ. ex egeſi li. 1. c. 33. Vandalica dura nomina. Burgundiones Vandali ſunt. Venedicarum urbium nomina. Germaniæ finis olim Viſtula. Plin. nat. hiſt. Ptol Geogr. Mela Geogr. Iorn. de rebus Get. Iren. Germ. exegeſi li. 1. c. 13. Crantius. Vindæ ſeu Vēdi. Slaui. Populorum appellationes. Pruſsi priſci. Eraſm. Stella de Boruſsis. Pruſsiam qui homines inhabitent. Franci Galli appellantur. Cathalani. Zechi Bohemi. Slaui cur Vindæ appellētur. Tacit. de ſitu & mor. Ger. Venedæ an Germani ſint. Ptol. Geogr. lib. 3. cap. 5. Iornand. de rebus Getor. Vandalorū migratio in Pannoniam. Venedi à Gotis uicti.

bus peccatis nostris, ubiq; desæuiant, tamē tunc omnes Ermanarici imperijs seruiēre. Hęc ibi Iornādes. Aliquanto autem antè his uerbis scribit: Introrsus illi (Gepidarum genti scilicet) Dacia est, ad coronæ speciem arduis alpibus emunita: iuxta quorum sinistrum latus quod in Aquilonem uergit, & ab ortu Vistulæ fluminis per immensa spacia uenit, Vinidarum natio populosa consedit: quorum nomina licet nūc per uarias familias & loca mutentur, principaliter tamen Slauini & Antes nominantur. Hic meum diligenter perpendant ij, qui Venetos & Vinidas eosdem cum Vādalis esse autumant, uerba scriptoris huius de rebus sui temporis & sibi notis scribentis. Profectò si is eosdem esse uellet Venetos cum Vandalis, non temerè mutasset nomina: ut illicò post factam Vandalorum mentionem, Venetos, ac non Vandalos, ab Ermanarico bello petitos esse, memoraret. Nec mihi quisquàm obijciat, in Venetis quoq; idem eum fecisse, ut Venetos appellaret, cum prius Vinidas dixisset: quos eosdem esse dubium non est, ipsomet etiam authore attestante. Maior est enim cognatio nominū in Venetis & Vinidis, quàm in his utrisq;, & Vandalis. Vel nunc etiam Germani, partim Vendos, partim Vindos, siue Vindas dicunt. Deinde tam Vinidis, quàm Venetis, Slauinos adiunxit. Vandalis non adiūxit, quorum paulò ante Venetos mentionē fecerat: cum rationi magis consentaneū fuerit, in prima mentione genus eius explicare. Præterea in Aquilonem secundum Alpes, hoc est, Carpathum montem, à fontibus Vistulæ, Venetis, siue Vinidis sedes attribuit, hoc est, in Sarmatia: Vandalos autem ad eam partem Vistulæ, quæ Germanis citerior est, habitasse, isti ipsi affirmant. Iam illud longè etiam efficacius argumētum est, nō esse eosdem Vinidas & Venetos cum Vandalis, quòd post deuictos, & ad paucitatem redactos, pulsosq; suis sedibus Vandalos, Venetos multitudine abundātes, ab ijsdem Gothis infestatos & subiugatos esse scribit. Illud uerò longè efficacissimum, quòd Venetos atq; Slauinos, Antasq;, quos in Boream ad Vistulam, Danastrum & Danubiū flumina, Musianum lacum, qui fortè Mysianus est, & mare Ponticum commorari, paulò antè dixerat, ubiq; desæuire suo tempore queritur: cum Vandali longe antè Pannonia non pulsi, sed a Stilicone euocati, in Gallias & Hispanias populariter migrassent, atq; adeò illis etiam regionibus relictis, in Africa Iustiniani armis attriti, afflicti, ac deleti essent: quod quidem tum Paulo Diacono, tum hoc ipso Iornande et Procopio, oculatis ferè testibus, confirmare possumus. Congruunt cum his ea quæ superius de prouincijs Romani imperij ab hac gente afflictis, ex diuo Gregorio & Flauio Blondo descripsimus. Ex his igitur satis, ut arbitror, liquet, Venetos & Vinidas, quos Germani Vendos, seu Vindas uocant, diuersos esse à Vandalis. Atq; hinc apparet error Alberti Crantij, Francisci Irenici, & aliorum, qui in eo quòd Slauos cum Vandalis eandem esse gentem affirmant, Iornandis authoritatem sequi sibi uidentur: cum tamē is, quemadmodum nos modò ostēndimus non cum Vandalis, sed cum Vinidis, seu Venetis, Slauorum gentem coniungat.

Dacia.
Slauini & Antes.
Vindarum sedes.
Vandalorum è Pannonia migratio.
Vandali deleti.
Paul. Diac. de gest. Lang. lib. 1. ca. 17.
Iorn. de reb. Geth. & de reg. ac temp. success.
Procop. de bello Vandil.
Slaui cur Venedi uocati.

Quòd Slaui Germani non sint. CAP VII. LIB. I.

QVòd si quis cum Tacito Venedos quoq; inter Germanos referre contendat, non magnopere pugnabimus: dūmodo is meminerit, fieri potuisse, quod sæpè alijs gentib. usu uenerit, ut Slaui, quos lingua, moresq; arguant Germanos non esse, Venedorum Germanorum nomine iam tum Iornandis tempore etiā appellarentur, cum eorum sedes occupassent: sicut etiam nūnc à Germanis appellantur. Nam quod Crantius ex usu Germanicæ linguæ non infrequenti apud Bohemos, addam ego, & apud Polonos, & è Germanicis concionibus colligit, eos Germanicam gētem esse, eadem ratione colligat licebit, Italos uel Latinos eos esse. Nam hæ quoq; linguæ in usu esse cœpere apud Polonos præsertim. Hispanis quoq; & Italis nostra tempestate, ijs præsertim qui uel militarunt, uel negociati sunt in Germania non insolens est usus linguæ Germanicæ. Ne Latinæ quidem olim fuit Græcis, cum Romanis parērent. Ergòne ijdem erunt aut Greci cū Romanis, aut Itali, & Hispani, cū Germanis? Non rectè hic ratiocinatur Crantius. Quòd si Slaui Germani sunt, uel ex Germanis orti, eadēq; olim lingua usi. Vnde igit. Slauicę linguę usus apud eos inoleuit? quę ut à Germanica, sic ab omni finitimorū, atq; adeò quorumuis aliorū populorū, de quib. auditu aut literis aliquid accepimus, lingua penitùs diuersa est. Quid quod apud Bulgaros, Russos, atq; Moschos, qui & ipsi Slaui sunt, uel nullus omninò, uel certè rarissimus est Germanicæ linguæ usus? Fateatur ergo necesse est Crantius alterutrum, uel non extirpatos penitùs olim esse à Slauis Germanos & Vandalos, uel certè posterius ab ijs colonias è Germania deductas esse, agre-

Germanicæ linguæ usus apud Bohemos & Polonos.
Slauica lingua diuersa ab omnibus alijs.
Germani in Polonia et Bohemia quādo.

agrestium præsertim & opificum omnis generis, cum ipsi ferè militiæ uacarēt. Quod nos à Polonis quodam tempore factum esse suo loco ostendemus. Iam, ne ex illo quidem Berosi testimonio, quo is Tuisconem Germanorū omnium conditorem à Tanai ad Rhenū, usq; regnasse, & ab eo Sarmatas maximos populos conditos esse asserit, satis rectè cōprobatur Slauos Germanos esse. Nam ut illibata sit fides & authoritas Berosi, ut etiā demus Slauos uel Sarmatas esse, uel omninò cū Tuiscone in Europā profectos, in his oris, quas nunc incolūt, inter Tanaim & Rhenū consedisse, certè nō statim consequetur, eos Tuisconis posteritatem esse. Neq; enim necesse est, populos alicui regi subiectos, uel ab eo conditos, ab eodē etiam procreatos, aut eadē dūtaxat cum illo stirpe ortos esse. Quin cernere est nō modò in priscis annalibus, uerùm etiā nostro tēpore multas gentes, externi generis regibus parēre. Legimus etiā nonnullorū populorū colonias ab externis ducibus deductas esse. Quid? q; Sarmatiā Berosus ab ortu solis Tanai fluuio, ob occasu Rheno terminat, Sarmatæ uerò Græcorū, & Latinorū scriptorū testimonio multū terrarū ultra Tanaim tenēt, nec scio an plus quàm citra Tanaim, & quidē antiquitùs, ita ut hinc progressi esse uideantur potius, quàm hinc illuc: cum et solum hic sit uberius, & cœlū mitius, & propinquior sit Asiatica, quàm Europea Sarmatia Babyloniç, unde in totū orbē terrarū coloniæ deductæ sunt, An nō licebit credere uel interpretē perperā nobis reddidisse scriptoris Chaldæi sententiā, cum in diuersis linguis, diuersis nonnunq̄ nominibus & flumina, & loca, & gentes appellētur, uel ipsum etiā authorē de rebus tam procul à se remotis hallucinari potuisse, et aut ignorasse fines harū gētiū, aut Sarmatarū nomine Germanos pariter & Sarmatas cōplexū esse? sicuti Sarmatis quoq; nōnulli uicissim Germanorū nomē accōmodāt: Scytharum uerò nomē usq; quaq; trāsire in Sarmatas atq; Germanos, testis est C. Plinius. Sarmatæ quidē certè Germani nō sunt, q̄d ex hoc ipso Plinio, Corn. Tacito, Strabone, & Ptolemæo rectè colligimus, neq; ex Tuiscone progeniti, quāuis secundū Berosum à Tuiscone conditi, quippe qui à Sarmate, quem Moses & Iosephus Asarmotē uocant, Istri siue Iectani filio, & ipso ex Noa, sed per Semū filiū descendente, nomen & genus duxerint. Nō igitur Vandali, neq; Germani omninò sunt Poloni, Bohemi, ac cæteri Slaui. Vnde aūt Slaui ducant originē, aut unde, et quādo in has oras, quas nūc tenent, aduenerint, utinā tam facile esset uerū inuenire, quàm falsa refellere. Conemur tamen etiā illud, quantū possumus, ut si minus inueniamus, uiam certè ad inueniendum post nos quæsituris uel muniamus, uel indicemus.

Beros. lib. 4. & 5.
Slauos non esse ortos à Tuiscone.
Sarmatiæ fines secundum Berosum.
De Berosi testimonio iudicium.
Scytharum appellatio.
Plin. nat. hist. lib. 4. cap. 12.
Sarmatarum origo.
Genes. 10.
Ioseph. ant. li. 1. cap. 14.

Vnde Slaui & Slauini appellentur. CAP. VIII. LIB. I.

AC nomen quidem Slauorum, & Slauinorum ante Procopij, & Iornandis historiam, & Iustiniani Imperatoris tempora, nusquam neq; apud Latinos, neq; apud Græcos scriptores adhuc inuenimus, quemadmodum initio scripsimus. Nam Alberto Crantio, & Saxoni Grammatico, nisi uetustiores authores proferant, fidem in hac parte nō habemus. Neq; uerò loci ullius in terris neq; hominis cuiusquā prisci nomen apud ueteres, uel geographos, uel historicos adhuc reperimus, hæc unde gens, siue natio uerisimiliter denominata esse uideatur. Slauoniā enim à Slauis, non hos ab illa appellationem accepisse, satis opinor constat ex his, quę suprà memorata sunt. Slauorum autē etymologiam, uel à Slouo, quod uerbum, & sermonem, uel à Slaua, quod famam, siue gloriā genti significat, omnes deriuant, nemo, quod sciam, aliū de: ita ut cum ipsi se Slouacos & Slouanos, quasi uerbosos, ut uult Crantius, siue Slauacos, & Slauanos, quasi celebres dicerent, à Latinis Slaui, & Slauini dicti sint. Propius autem uero est, eos à celebritate & gloria potius, quàm à uerbositate, quæ in uituperio est, nomen sibi sumpsisse, cum res magnas, & præclaras, contra Romanū imperium, & finitimos quosq; gererent. Et cōuenit sanè, cum hac etymologia, quod nō Sloui, aut Slouini, uerùm Slaui, & Slauini à Latinis appellantur. Corrigendus uerò, hic est error eorum, qui eos Sclauos, siue Sclauinos uocant: qui quidē etiam in pleraq; Procopij, & Iornādis, & Blondi exemplaria irrepsit, ab Italis, nisi fallor, quod ij dū mollius loqui student, sæpe i, pro l, proferunt, ut pro flatu, fiato, pro placet, piace: sic pro Slauo, Siauo. Nihil autem ferè interest apud eos in enunciando, siue quis dicat Siauum, siue Sciauum, c litera interserta. Inde fortassis imperiti cum Latinè loqui uellent, uel scribere, non Slauum reddidēre, sed Sclauum: quo nomine nunc quemlibet seruum appellant Itali, cùm alij, tum Adriatici maris accolæ, ex nomine gentis, cum qua multa bella gessēre: quemadmodum Romani olim Getas & Syros. Sed ad institutum reuertamur.

Slauorum nomen quando clarere cœperit.
Slaui à Slouo uel Slaua dicti.
Slauos perperam dici.
Sclaui apud Italos qui uocentur.

Slauorum populi.
Morauiunde nomen habeant.
Marcomanni.
Ptol.li.2.ca.11.
Tacit.de situ et mor.Germ. et annal.lib.2.
L.Fl.Epi.li.4.
Bohemi,qui et unde appellati.
Strabo Geog. lib.7.
Zechi.
Albert.Crant. lib.1.& 2. Vand.
Saxo in Dania.Cassubij.
Polon.nomen ante Christum natum non extitisse.
Moschi.Ptol. li.5.cap 9.& 13.
lib.eod.cap.6.
Plin.nat.hist. li.5.ca.27.
Ibid.li.6 cap. 9.& 10.
Strabo.lib.11. Geogra.
Ioseph.ant.li. 1.cap.11.
Genes.10.
Moschi unde, & quando appellari coeperit.

CVm igitur Slauorum nomen tam sit recens, nec à loco, uel conditore gentis deriuatum esse appareat, uideamus num inter eos populos, qui Slauorum nomine censentur, eademq; lingua utuntur, quisquã sit, qui uetustius nomen habeat: ut inde cæterorum omnium examina prodijsse, & cùm singulos nota nomina, tum uniuersos communem Slauorum appellationem accepisse demonstremus. Ac Polonorum quidem, Zechorum, Silesiorum, Pomeranorum, Bosnensium, Croatarum, siue Caruatorum, Rascianorum, Dulebianorum, Dreflanorum, Traslanorum, Volyniorum, Podoliorum, Palucorum, Pouazanorum, Masouiorũ, Vilzorum, Velataborum, Lusicorum, qui nunc Lusacij uocantur, Lunchinorum, Licauicorum, & si qua sunt præterea nomina, etiam recentiora sunt. Recens est & Morauorũ, siue à Marotho rege, qui longè post Attilæ tempora fuit: siue à Moraua flumine, Olomuciũ urbem primariam præterlabente id inditum est. Marcomanni enim, qui loca illa & uicinam Bohemiam, deletis Boijs, Gallica gente, quæ regioni nomen dedit, prius tenuêre, Germani fuêre: Ptolemæo, Cornelio Tacito, & L. Floro testibus. Vnde & illud apparet, quòd priscorum Bohemorum gens, licet uetustior sit, quippe cuius & Ptolemæus, & Tacitus, atq; etiam Strabo meminerint, Gallica tamen fuerit initiò: deinde, quæ eam deleuit, cum esset Germanica, & ipsa Bohemorum appellationem retinuerit: quam postremò Zechi quoq; Slaui in hanc usq; diem retinent, cum longe post in ea regione domicilium fixissent. Quuãqam ipsi se Zechos appellant, & à cæteris Slauis ita uocantur. Nam quod scribit Crantius, è Bohemia & Pannonia Slauos profectos, in Illyrico ac Dalmatia consedisse: non probat nobis, cum neminem è uetustioribus huius sententiæ authorẽ habeat. Sicut ne illud quidem, quod authore Saxone Grammatico prodidit, Cassubios, & ipsos gẽtem Slauicam, ante Christum natum extitisse: & quæ nunc teneant loca, tenuisse. Nam et Saxo ille non multo uetustior est ipso Crantio: & cum de re procul à memoria sua remota nullo authore scribat, non maiorem & ipse meretur fidem. Itaq; ne illud quidem recipimus, quòd Saxo idem, uetustiora Christo nato tempora persequens, etiam Poloniæ facit mẽtionem. Modocas equidem populos in Sarmatia Asiatica apud Ptolemæũ, Moschicos, siue Moschios mõtes in Cappadocia, siue Armenia, apud eundem Ptolemæum, & C. Plinium reperio. Moschenos etiam populos, & Moschorum tractum, idem Plinius commemorat. Strabo quoq; Moschos populos Colchis finitimos esse scribit. Iosephus uerò Hebræus Moschinos populos, Cappadocas postea dictos, à Mosochim, siue Mosoch Iapeti filio, ut est in Genesi apud Moysen, oriundos esse, scriptum reliquit. Et Modocarum quidẽ nomen minus, Moschenorum uerò, seu Moschinorum, siue Moschorum, admodũ conuenientijs populis, qui nunc in Europea pariter & Asiatica Sarmatia longè, lateq; imperantes, Slauica lingua utuntur, & Moschi Latinè, Moschouitæ, Germanicè, Slauicè uerò Mosqua appellantur. Et à multis quidem seculis ij sedes illas tenent, quod eorum ipsorum annales testificãtur: sed hoc nomen Moschorum non ita pridem usurpare cœperunt, nec uniuersè primùm. Sed unus de multis populis, à flumine & arce Mosqua, ita dici cœptus est, ex eo ferè tempore, quo post diuisum in multos principatus Russorum eius regionis imperium, Ioannes quidam dux Danielis filius, (quemadmodum uir grauis ac diligens, Sigismundus Herbersteinus, regis Ferdinandi consiliarius, in Moschouia sua, ex eius gentis annalibus compertum, nuper memoriæ prodidit) ei territorio præfuit, & instaurata arce, quæ modica & obscura antè fuerat, sedem ibi suam cõstituit. Cuius posteri cum subactis proximis quibusq; eiusdem nationis atq; linguę principibus, principatum suum longè lateq; dilatassent, tum demum cæteri quoq; Russorum populi longè maiores, antiquiores, & nobiliores, quàm Moschi ad eam diem fuerant, nempe Vvladimirienses, Nouogrodenses, Iaroslauienses, Tiuerenses, Mosaiscenses, Susdali, Piskouenses, Rezanenses, Seuerienses, & alij, ut quiq; deuicti sunt, in Moschorum nomen abiêre: sic tamen, ut cuncti pariter Russorum nomen libenter etiamnum agnoscant. Itaq; olim Kiouiensis metropolites, & nunc Moschicus etiam, Rusiæ metropolites cùm ab alijs, tum à patriarcha Constantinopolitano uocatur: & ipse hunc titulum, uelut ampliorem, & augustiorem, quàm Moschouiæ, usurpat: & uerò ipsi quoq; Moschorum principes non tam Moschorum, quàm Rusiæ totius dominatum in inscriptionibus, quanquam falso, sibi arrogant. Vnde liquet, nec antiquũ esse Moschorum nomen: & Russorum partem, ac unum quendam populum eos esse, ab arce & oppido, quod maximis terrarum spacijs à priscorum illorum Moschorum siue Moschinorum tractu abest, non ita pridem appellationẽ mutuatos. Ab his igitur, Slauorum origo de-

Russorum septentrionaliũ populi, qui Moschorum principi parent.
Metropolitæ in Rusia duo.
Moschorum principes Rusiæ totius dominatum sibi arrogant.
Bulgari.

go deduci non poteſt. Bulgaros cum Slauinis coniungit Iornandes, cum ab his pariter, & Antis, atq; Slauinis Romanum imperium uexari ſcribit. Attribuit autem eis alibi ſedes in Europa ſupra mare Ponticum. Huic adſtipulatur Blondus, qui Danubij accolas eos eſſe prodidit. Pomponius autem Lætus memorat, Anaſtaſium Imperatorem duxiſſe longum murum à mari ad Selibriam, ne incurſiones Myſorum, Bulgarorum, & Scytharum Conſtantiopolitanis obeſſe poſſent. Verùm aliunde eos in illa loca ueniſſe, Blondus idē teſtis eſt, nimirum è Scythia. Scythiæ uerò nomine Sarmatiam complexus eſt. Conſtat enim, in Sarmatia Aſiatica Bulgarorum antiquas ſedes eſſe: ad Rha, ſeu Volgam fluuium. Ac Ptolemæus quidem horum non meminit: Sergorum uerò meminit, Sarmatiā Aſiaticam deſcribens. Conſtat autem, hos quoq; à recentioribus in Europa, inter Slauorum populos numerari: nec eos modò qui Bulgaris & Raſcijs proximi conſedere, uerùm etiam eos qui Saxoniam & proxima Albi loca tenuere, & à quibuſdam Sorabi dicti ſunt: quo fit, ut non incredibile ſit, eos ex Aſia in Europam ueniſſe. Sed ij ſiue Serbi, ſiue Bulgari, quota pars ſunt Slauorum? Profectò non eſt credibile, unum aliquem tam exiguū populum ex angusto terræ angulo profectum, tam paruo tempore tantas uires & incrementa ſumpſiſſe, ut dimidiam ferè totius Europæ partem occuparit, impleretq;. Deinde ſi è Bulgaris prognati ſunt Slaui, Serbi Slaui non erunt: ſi ex his illi non erunt: ſin ex utriſq;, profectò ambobus communis origo & commune aliquod eſſe debet. Nec id Slauorū eſt, quippe quod ſit recentius.

arn. de ſucceſ. regn. *Idem ac rec. geſt.* *Blond. Dec. 1. lib. 9.* *Comp. lib. 1. hiſt.* *Blond. ibidem.* *Bulgarorum ſedes.* *Ptol. lib. 5. c. 9.* *Serbi & ... ſedes ...*

Vera Slauorum origo. CAP. X. LIB. I.

RVſſorum nomē latiſsimè patet in Sarmatia, quemadmodum dudum indicauimus. Complectitur enim ferè quicquid terrarum eſt inter ſinum Venedicū, Liuoniam, Suetiam, Oceanum glacialem, Rha, ſiue Volgam, Mæotim, mare Ponticum, Sarmaticos montes, Poloniam, Lithuaniam, & Samagitiā. Sed non perinde celebre aut antiquū uidetur eſſe id nomen: ne illis quidem ipſis ſcriptoribus, qui primi Slauorum & Bulgarorum mentionem fecēre, fortaſſe notum. Extant etiam eius gentis annales, uerum non ſupra ſeptingentos annos à noſtra hac ætate. Nam Ruthenorum uetuſta gens in Gallia Aquitanica, nō eſt eadem cum Ruſsis. Quo fit, ut nos cum Ruſſorum meminimus, nunquam eos Ruthenorum nomine appellemus, quemadmodum fecerunt cùm alij pleriq; ante nos, tum Saxo Grammaticus, qui Ruthenos Ruſsiæ ſiue Ruſciæ populos uocat, cum eiſq; Danos & Suecones ſeu Suetios finitimos multa bella etiam longe antè Chriſtum natum geſsiſſe memorat. Minimè uerò mirum eſt, primùm; nullos extare annales apud gentem barbaram, quę poſt ſuſceptam demum religionem Chriſtianam uix literis, à Bulgaris ſuis paulo ante ad imitationem Græcarum inuentis, uti cœpit; & modicè utitur. Deinde incognitam fuiſſe Græcis & Latinis eam gentē, ſicut alias quoque ſeptentrionales, quas cōmuni uocabulo, uel Sarmatas, uel Scythas appellauēre, cum propter lōga terrarum interualla, incultas regiones, feroſq; & barbaros earum mores, nihil cum eis haberent commercij. Tametſi Roxanorum, ſiue Roxolanorum nomen, quod Ruſſorum uel Ruſsianorum nomini, non ualde diſsimile eſt, non eſt incognitum ueteribus. Nam & Ptolemæus, & C. Plinius Roxolanos populos in Sarmatia ad latus Mæotidis collocat, & Corn. Tacitus Othonis Syluij, qui octauus poſt C. Cæſarem apud Romanos imperauit, tempora perſequens, ita de eis ſcribit: Conuerſis ad ciuile bellū animis, externa ſine cura habebantur. Eo audentius Roxolani Sarmatica gens priore hyeme cæſis duabus cohortibus, magna ſpe ad Mœſiam irruperant. Strabo autem ita: Roxani uerò magis ad Aquilonem ſpectantes, inter Tanaim, & Boriſthenem campeſtria paſcuntur. Et Paulo pòſt: Num qui uerò ſupra Roxanos habitent, ignotum eſt nobis. Roxani quidem aduerſus Mythridatis Eupatoris ductores belligerarunt. Hic mihi conſideret uelim diligens lector, eas ſedes ab his tam uetuſtis, grauibusq; ſcriptoribus attribui Roxolanis, ſiue Roxonis, quas Ruſsi in hanc diem retinent: eoſq; iam tum Othone imperante Mœſiam finitimam infeſtare cœpiſſe: ita ut ueriſimile ſit ab ijſdem poſterius, debilitatis partim Gothorum, Hunnorum, Vandalorum, Alanorum, & Langobardorum: partim Parthorum, Perſarum, & Saracenorū incurſionib. atq; bellis Romani imperij uiribus, non ſolùm eam ipſam Mœſiam, uerùm etiā Daciā, Pannoniā, Dardaniā, Liburniā, Illyricū, Dalmatiā, & Iſtriā ſubactas & habitatas: Thraciā, Macedoniā, & Græciā diuexatas, & ad extremū Græcam linguā penitus corruptā eſſe: rebuſq; tam feliciter geſtis, eos Slauorū, ſiue Slauinorū nomē à gloria ſibi ſumpſiſſe. Eadem autē facilitate alia ipſorū quaſi examina ad occidentē ſolem progredi, & omnem eam Germaniæ partem, quæ à Viſtula ad Salam & Albim; ſeu Viſur-

Ruſsiæ fines. *Ruſſorum nomen.* *Ruſſorum annales.* *Rutheni non iidem cum Ruſsis.* *Ruſsicæ literæ.* *Roxani, ſeu Roxolani.* *Roxanorum ſedes.* *Ptol. lib. 3. cap. 5. Plin. lib. 4. cap. 12. Tacit. annal. lib. 17.* *Strabo lib. 7 Geogr.* *Slaui è Ruſsia prodiiſſe.* *Slaui unde dicti.* *Poloni & Boemi unde uenerint.*

Poloni & Bohemi unde uenerint.

Visurgim usq; inter Carpathū montē, Danubiū, & Oceanū Germanicū protēditur, occupare, et in ditionē suam redigere potuisse, cū ea populis exhausta & uacua esset. Gothorū, Vandalorū, Alanorum, Burgundionū, & Langobardorū continentibus bellis, & in alias sedes migrationibus: easq; gentes mox imperijs distinctas, diuersis etiam nominibus appellatas esse, ita ut partim à ducibus, partim à situ locorū, partim à priorib. incolis, deniq; à studijs, habitu, uel euentu aliquo noua nomina sumerent. Solos autem eos, qui in natali suo solo manserunt, antiquum Roxanorū nomen retinuisse: cuius facilis est flexus in Russianos, & Russos. Nam & inter X literam, & geminum ss, in enūciando permagna est cognatio cùm apud ueteres, tum apud recentiores, Italos præsertim: & Rosiam pro Russia etiamnunc proferunt & scribunt Græci: quod nos in diplomate quodam antiquo patriarchæ Constantinopolitani Vilnæ ante aliquot annos uidimus.

Rox ani ijdem qui Russi.

Authores suprà memoratæ sententiæ. CAP. XI. LIB. I.

Bern. Vapouius. Bonfinius. Fl. Blondus.

IN hac autem sententia fuit ante nos Bernardus Vapouius, qui nostra memoria Polonorum res gestas ab initio ad sua usq; tempora stylo persecutus, imperfectum opus reliquit. Nec diuersum sensisse uidetur Antonius Bonfinius in Vngarica historia, quamuis non satis sibi constet. Vterq; autem Blondum Foroliuiensem secutus esse uidetur, qui libro primo primæ Decadis historiarum, de Vandalis & Burgundionibus mentionem faciens, ita memoriæ prodidit: Facta autē est postmodum alia in dictis gentibus mutatio. Siquidem Vandali à fluuio regionis sic dicti, paulò pòst, quàm illi, quos Stilico concitauit, patria erant profecti, se Slauos dixère, à nomine gentis, quæ à Bosphoro Cimmerio in Tanaim fluuium habitare solita, se contulit in sedes Vandalorum, Burgundionūq;, patria profectorum. Nec tamen diu tenuere hi populi eam Slauorum nominationem: sed cum eorum pars Mauritij Imperatoris temporibus in Dalmatiam, Illyricumq; emigrasset, qui manserunt domi, paulò pòst mutarunt nomina, & partim se Polonos, partim Bohemos nominauère. Et libro octauo de illa Slauorū in Dalmatiam & Istriam inuasione scribens, ita prodidit: Nec tamen omnis illa gens reliquit primas ad Danubium sedes: quin ijdem mutato nomine magnam obtinent partem illius regionis. Siquidem locutionis similitudo ac penè proprietas ostendit, eos qui nunc Poloni & Bohemi dicūtur, ex Slauorum reliquijs fuisse. Incoluerāt autem prius, ut suprà docuimus, ea loca Vandali: quos credendum est, quando ad inuadendas Romanorum prouincias sunt profecti, partem gentis in patria reliquisse. Quare Slaui paulò pòst superuenientes, ita locutiones commiscuere, ut ex utraq; tertiam effecerint, quæ pro regionis & ducū diuersitate partim Bohemica, partim Polonica postmodum sit dicta. Sunt etiam certiores proximis in regionibus Slauorum reliquiæ apud Saxones, quorum coloni maiori ex parte puram habent, qua Dalmatæ utuntur, Slauonicam locutionem. Hactenus Blondus. Perplexè quidem & uariè, ut qui de rebus à sua memoria, aspectuq; & cognitione remotis & alienis scribebat: illud tamen non obscurè ostendit, Slauos Vandalos non esse, Vandalorum tamen nomine fuisse appellatos: & quo tempore, undeue ij primùm in Vādaliam, Saxoniam & Germaniā, Dalmatiamq; & Illyricum aduenerint, nempe à Cimmerio Bosphoro ac Tanai, quæ loca geographi omnes Roxanis, siue Roxolanis & Sarmatis attribuunt. Nec omninò dissentit ab his Iornandes. Is enim cum Slauinos & Antas, & uniuersam Vinidarum nationem ad sinistrum latus Sarmaticorum montium ab exortu Vistulę in Aquilonem per immensa spacia consedisse memorasset, quod nos quoq; susperius retulimus, addit: Slauinos quidem ab exortu Vistulæ usq; ad Danastrum commorari, & paludes, syluasq; pro ciuitatibus habere: Antas uerò, fortissimos eorum, qui ad Ponticum mare curuantur, à Danubio usq; ad Danastrum extendi. Siue autem Danaster is est, quem etiam nunc accolæ Rusi & Valachi Nestrum, siue Dnestrum uocant, et multi Tyran antiquis dictum esse uolunt: siue Boristhenes, ut ipse Iornandes uelle uidetur: dubium non est, eam oram ferè Rusia, Sarmatia quidem certè, contineri. Et tamen de Slauinis & Antis tantum hic ille scribit. Nihil autem prohibet, alios eiusdem linguæ & nationis populos ulterius ad Aquilonem habitasse, aut etiam illos ipsos inde ad meridiem & mitiores, fertilioresq; oras non modò in Mœsiam, & ad Danubium, sed longè ultra etiam, sicut nos iam ostendimus, progressos esse. Rusis igitur Slauorum omnium originem nos quoq; cum his scriptoribus libenter acceptam referimus.

Vandali unde dicti. Slaui.

Poloni & Bohemi.

Slauos Vandalos dictos esse.

Iorn. de rebus Get.

Danaster fluuius.

Russorum denominatio & Origo. CAP. XII. LIB. I.

QVòd si quis porrò quærat, quo tempore primùm Rusſi Sarmatiā habitare cœperint, unde eò uenerint, & unde nomē acceperint: ingenuè fateor, me, quamuis diligenter inuestigantem, nescire tamen. Reperio quidem apud Ezechielē prophetam fieri mentionem principis Ros, Mosoch, atq; Tubal: sic enim legūt Eusebius Cæsariensis, Theodocion, Symmachus, & Septuaginta interpretes. Nam diuus Hieronymus ambigit, proprium' ne gentis alicuius nomen sit Ros, an caput eo loci significet: sicut etiā habet uulgaris editio Latina. Ac de Tubale quidem, & Mosocho, iam nobis dictum est. Ros, si gentis nomen est & ipsum, Rusſis affine esse uidetur. Verùm Eusebius idem, eam gentē Romanos uult esse. Hieronymus, quæ sit, non inuenit. Non incognitū autem iam tūc fuit nomen Roxanorū Græcis & Latinis, sicuti suprà diximus. Quo fit, ut nō ausim Russorum, seu Roxanorū originem ab illo Rosso, siue Ros deducere: præsertim cum neq; apud Berosum, neq; apud Iosephū, neq; apud Moysen in priscis genealogijs de eo quicquam reperiā. Rusſi seu Rusſiæ oppidi antiqui in ditione Nouogrodensi mentionem facit uir grauis ac diligēs, Sigismundus Herbersteinus, in descriptione Moschouiæ: nec inusitatū est, ab ignobilibus etiam oppidis populos denominari, qui cum obscuri fuissent initio, postea uirtute & armis nomē suum unà cum imperio propagarunt: sicut nos de Moschis dudum ostendimus. Et adstipulari uidetur huic opinioni, id quod in annalibus Russorum legitur, dominatum Russorum apud Nouogrodum magnam, Bialoiezorum siue Album lacum, & Isborscum initium sumpsisse à Rurico, Sineo ac Trubore Varaijs fratrib. Quod si quis hoc non probat, uel altiorem etiam gentis originem requirit, nihil opinor prohibet credere, Polonos ac cæteros omnes Slauos Sarmatas esse: præsertim cum constet iam, Bulgaros, Serbos & Roxanos Sarmatiæ gentes esse, indeq; egressos populos quodam tempore, nouas sedes occupasse in Germania & Romano imperio, & Slauos, siue Slauinos sese dixisse: demonstrari aūt non poſsit, unde aut quo tempore populi illi in Sarmatiā aduenerint, & priscos illos Sarmatas (si qui modò alij fuerunt) inde pepulerint, uel deleuerint: sicut de Gothis atq; Tartaris potest, quorum illi quidem tenuerunt aliquando, hi uerò etiam nunc tenent, partem aliquantam Sarmatię. Nam de Prussis, Liuonibus & Lithuanis, & ipsis Sarmatiæ populis, postea suo loco dicemus. Quod si cui non satis adhuc probamus, Polonos ac Slauos omnes Sarmatas esse, non magnopere pugnabimus: modò illud certum teneat, eos populos, qui Slauica lingua & natione censentur, partim in Sarmatia sedes habere antiquitùs, partim inde profectos, p magnam Europæ partē sese diffudisse. Atq; hæc nos de origine Slauorū in uniuersum attulisse sufficiat. Si quis exquisitius ac certius qcquā attulerit, nō modò nō molestè feremus, uerùm sequemur etiā. Nunc certè prolixiores esse nolumus in disceptādis & explicandis ijs, quæ ueteres scriptores uariè de Sarmatarū gente memoriæ prodiderunt. Quin Slauos etiam missos faciemus, & ad institutam Polonorum historiam propius accedemus.

Ezech. cap. 38. & 39.
Eus. Demonst. euang. lib. 5.
Hiero. in Eze. Ros.
Rusſis oppidū uetustum.
Sigism. Herberst. in Moschouia.
Russorū principatus init. 4
Poloni & Slaui omnes Sarmatæ sunt.
Gothi & Scythæ in Sarmatia.

De situ Poloniæ, & nomine gentis. CAP. XIII. LIB. I.

IGitur Slauorum ij populi, qui ad Sarmaticos montes, siue Carpathum, & in extrema ora Sarmatiæ, quā Germaniæ Vistula flumine interlabente coniungitur, & inde porrò uersus occidentem solem ad Odram fluuium (sue is Viadrus, siue Guttalus est ueteribus) atq; adeò ad Bohemiam usq;, & Albim, quà is relicta Bohemia in mare decurrit, ut uolunt nostrates ferè, & ad extremam Sarmatici maris oram consederunt, Polaci, siue Polane, à uicinis eiusdem linguæ populis, atq; inde Poloni à Latinè loquentibus dicti sunt: regio uerò Polonia. Duplex autem nominis huius ratio aſsignatur. Vel enim à Pole, quod & planiciem, & uenationem Slauis significat, Polanos & Polacos appellari uolunt: propterea quòd & planam ferè, apertamq; regionem ij tenent, & apprimè tenentur uenandi studio: uel à conditore ac primo duce gentis Lecho siue Lacho, Polacos, quasi Polachos, hoc est, posteritatem Lachi, dici autumant. Cui rationi ac denominationi adstipulatur illud, quòd Rusſi & Moschi, nec scio an alij quoque Slaui, præter Bohemos, non Polanos, neque Polacos, uerùm Lachos eos in hanc usque diem uocant. Nec multum ab hac diuersa esse uidetur ratio nominis Vngarici, qui Polonos Lengel, quasi Lechel, ut mihi quidem uidetur, hoc est, à Lecho conditos, appellant. Conuenit certè inter omnes, Zechum & Lechum, siue Lachum, germanos fratres, hunc quidem apud Polonos, illum uerò apud Bohemos primùm regnasse. Quamuis enim Vincentius

Poloni qui.
Poloni unde dicti.
Polachi.
Lachi.
Lengel.
Zechus & Lachus fratres principes

Cadlubicus, nullam horum mentionem fecerit: Lechitas tamen Polonos uocat, à Lecho proculdubio. Aliundéne autem ij cum suis populis in has oras cõmigrauerint, an ipsi alibi nati, ad cognatas gentes, antiquitùs ea loca tenentes, accesserint: an uerò & ipsi siue in Polonia, siue in Bohemia nati, quodam tempore gentiũ harum regna, priuati cum essent, inuaserint, aut oblata susceperint: deinde si aliunde uenerunt, undenam, & quo tempore, non perinde conuenit. Qua de re nos, expositis breuiter aliorũ sententijs, quid sentiamus, subijciemus: de Polonis præsertim, de quibus hoc nobis opus instituitur.

Vnde, & quo tempore Poloni in has oras uenerint. CAP. XIIII. LIB. I.

Crant. Vand. lib. 1. Idem lib. 2.

QVi Slauos, Vandalos & Germanos esse uolunt, non habent necesse affirmare, Polonos cum suo duce aliunde in has oras, quas nunc incolunt, post uetustam illam Tuisconis migrationem uenisse, si modò cõstare sibi uolunt. Itaq; Albertus Crantius asseuerat, Slauos regionẽ suam ab omni memoria ad Sarmaticos cãpos tenuisse: & cũ angustæ eis essent sedes in Polonia, Morauia, Bohemia, & Russia, nouas in Pannonia à Cõstantino magno Imperatore eos impetrasse: indeq;, imperante Mauritio, in Dalmatiam & Illyricum profectos esse. Verùm huius opinionis fundamentum iam conuulsum est: cõstititq;, Polonos atq; Slauos Vandalis successisse in his locis, ubi nunc est Polonia. Quocirca refellere nunc eam operæprecium non est. Alij uerò aliunde omninò Polonos & Bohemos uenisse, pro cõperto habent: & quidem cõplures è Croatia profectos esse cõsentiunt. Lechum enim & Zechum fratres, principes uiros, apud Crapinam & Psaros degentes, cum pertæsi essent dissidiorum & bellorum ciuilium, coadunata suorum hominũ & aliorum uoluntariorum manu, ad quærendas nouas sedes è patria uersus occidentẽ solem per syluas, montesq; iter habuisse: donec ad Albim flumẽ, & Bohemiam uenerint. Ibi Zechum soli bonitate delectatum, cum parte multitudinis in incultis locis cõsedisse: Lechũ uerò cũ cæteris ad Aquilonẽ ire perrexisse, eumq; tractũ qui Silesiã & maiorẽ Poloniã cõplectitur, & ipsum habitatorib. uacuũ tenuisse. In hac sententia fuerunt Aeneas Syluius Senẽsis, & ferè Bohemi, Poloniq; Chronographi. Quanquã Ioãnes Dlugossus, & Matthias Miechouiensis, nostri, non satis cõstanter & cõuenienter id asseuerare possunt, ut qui ipsi & Polonos Vandalos, Germanosq; esse uolũt. Adijcit præter cæteros Aeneas Syluius, Zechũ cædis perpetratæ iudiciũ fugisse, eiq; fratrem Lechũ fugæ comitẽ adhæsisse. Vnus est, quod sciam, inter nostrates, atq; is Anonymos, cuius mihi copiã fecere nuper Cracouiæ sodales Dominicani: qui suprà memoratos fratres, ac tertiũ cũ his Russum nõ è Croatia, sed è Pannonia ꝓfectos, Bohemiã, Poloniã & Russiã occupasse scribit. Nam alij Russum hunc, nõ fratrẽ, sed nepotẽ Lechi fuisse uolunt: sed falso, ut nos iã ostendimus. Porrò quo tẽpore id factũ sit, nõ satis cõuenit inter oẽs, nostrates ferè nõ multo post Oecumenicũ diluuiũ opinãtur: quippe qui fratres illos partim filios, partim nepotes, partim pronepotes, aut nõ remotã certè posteritatẽ Iauani et Noe fuisse memorẽt. Vincentius, licet migrationis huius nullã faciat mentionẽ, antiquissimã tamẽ Lechitarũ gẽtẽ (sic enim Polonos nõnunquã uocat) esse ostendit, cum eos cum Gallis (quo tẽpore ij sese ꝑ Europã & Asiã diffuderunt) & cum Alexandro Magno rege Macedonũ bella gessisse, Craco & Lesco, qui post Cracum lõgè regnauit, ducibus, prodiderit. Aeneas Syluius nullum tempus huic migrationi adscribit. Venceslaus Hagecus, imperante Constantino tertio, post IESVM CHRISTVM Deum & hominem natum anno sexcẽtesimo quadragesimo quarto, à creatione uerò mundi quinquies millesimo, octingẽtesimo quadragesimo tertio, fundamenta regni Bohemici à Zecho iacta esse scriptum reliquit. Hæc ferè de Polonorum & Bohemorum origine & aduentu à recentioribus memorantur. nam apud ueteres nihil de ijs reperio.

Lechi & Zechi peregrinatio. Vnde. Quare. Quò.

Matth. Miech. de dupl. Sarm. & Chron. lib. 1.

Aen. Syl. in hist. Bohem.

Anonymos.

Russus Lechi frater, uel nepos.

Quando.

Vincentius.

Aeneas Syluius.

Venceslaus Hagecus.

Refutatio superiorum opinionum. CAP. XV. LIB. I.

SEd nobis horũ nihil satisfacit. Primùm enĩ fabulæ illæ, nẽpe Zechũ & Lechũ filios aut nepotes Iauani, aut certè è ꝓpinqua posteritate eius, & Noe ꝓgenitos, nõ multò post diluuiũ è Croatia, siue Pãnonia in Bohemiã & Poloniã cõmigrasse, ipsæ se refellunt: & facilè ex ijs quæ nos de Slauis superiùs attulimus, refellunt. Neq; enim de prosapia eorũ à ueterib. Græcis & Latinis, ac ne ab ipsis quidẽ Slauis quicquã memoriæ proditũ est: ac neq; de rebus gestis Polonorũ, aut Bohemorũ, aut Slauorũ, aut Vandalorũ omninò (quos quidã ex his eosdẽ cũ Slauis esse uolũt) siue cõtra Alexandrũ Magnũ, siue contra priscos Gallos: quãuis pleraq; omnia de Gallis iuxtà ac de Alexandro ueteres historici cùm Latini, tũ Græci diligenter persecuti sint. Neq; ante Iustiniani tẽpora Slauica gens Croatiã, aut Dalmatiã, aut Slauoniã tenuit, sicut nos iam demõstrauimus: ac ne Pannoniam

Zechũ & Lechum longè post diluuium fuisse.

noniam quidem, q̄ anonymus ille de Pani, quo uerbo Slauica lingua dominus uocat̄, regis nomine dictā esse fabulatur. Multo minus aūt hanc Germaniæ partē, qua nunc Polonia ferè, Silesia, Morauia, Bohemia, Lusacia, & Pomerania continet. Quòd si contendant pertinacius, habitasse quidē lōgè antè, & iam inde à diluuio, has gētes in his locis post Lechum & Zechū cōditores, uerùm alijs nominib. appellatas fuisse: cur quæso tam serò priscorum conditorum nomina accepêre? Sin aūt affirmant, tenuisse quidem eas antiquitùs hasce sedes, uerùm lōgè pòst, Lechum & Zechum, eiusdem linguæ homines peregrè aduenientes apud eas regnasse, & tum primùm noua nomina eis indidisse: de Zechis quidē non penitus absurdè dici id posset: de Polacis etiam fortasis, si à principe, ac non a planicie seu uenatione id nomen habent. Sed Polanorum & Polonorum denominatio à campis certè, quàm à Lecho, rectiùs deducitur. Est' ne autem credibile, externos duces, exules præsertim, ab his gentibus quodam tempore non dico expetitos, sed ea dignatione habitos esse, ut abiectis priorib. nominib. suis, ab ijs ipsæ dominari se paterētur? Subactas quidem, nec ipsi huius opinionis authores dictitant. Nos uerò satis euidēter ostendimus, ad Constantini certè primi tempora Poloniam à Germanis habitatam fuisse: nec esse Germanos eos populos, qui nunc Bohemiam & Poloniam tenent. Iam qui post sexcentesimum demū à Christo nato annum Polonos & Bohemos cum suis authoribus è Croatia profectos, in his locis cōsedisse uolunt: aliquid illi quidem afferunt, in quo non iniuria quisquā acquiescere posse uideatur. Iam enim tunc illustre erat nomen Slauorum, & iam aliquanto prius ij sedes in Illyrico, Dalmatia, & Croatia fixerāt, & numero ac uiribus abundabāt, ita ut in alias quoq; terras deducere colonias potuerint, uerùm tria sunt, quæ nos ab hac sententia reuocant. Primū, ratio migrationis. Nā si Zechus patrati homicidij iudiciū fugitans, ut uult Syluius, sedes mutabat, quid causæ erat, cur Lechus frater insons eū sequeret̄: cui manenti in patria, fratris fuga bono futura fuerat, propter accesionem fortunarum ab illo relictarum? Aut si is tantopere dilexit frātrem, ut omnem fortunam cum eo subeundā sibi esse duceret, uel conscius admissi sceleris pœnam & ipse metuebat: quid multitudo illa tanta, quanta ad occupanda duo perampla regna suffecit, nō potuit ea tam charos principes suos iudicio, supplicioq; eripere? Quomodo autem ea cum uxoribus, paruulis liberis, & omni supellectili fugā, ad quam celeritate opus est, expediebat? Deinde siue patratū facinus, siue intestina disidia migrandi è patria causam eis prębebant, siue commodiores atq; patentiores sedes ij quærebāt, quæ ratio fuit tam longinquæ, & incertæ peregrinationis per altos montes atq; syluas suscipiendæ? Cur non potius petière Macedoniā, aut Epirum & Acarnaniam, aut Italiam, finitimas & nō incognitas sibi, tum cœli clementia pariter & ubertate soli, & omni cultu agrorum, urbiumq; præstantes regiones? Et sanè usitatius est, gentes à Septentrione ad meridiem, uelut è rigidis ad temperatiora, ex incultis ad cultiora loca migrare. Exemplo sunt Galli, Cymbri, Gothi, Vandali, Langobardi, Scythę, Hūni, Normanni, Circasi, Turcæ deniq;. Aut si æstuantibus fortè Boreæ flatus adlubescebat, cur non in Pannonia, uel Bauaria, & ipsis cultis ac fertilibus terris, per quarum alterutram iter facere necesse habuerunt, substitère? Quòd si lacessere bello horum locorum populos nolebant, qui scire poterant, si porrò uersus occidentem solem, uel septentrionē ire pergerent, inculta & habitatoribus uacua loca se reperturos esse? aut si id alicunde cognouerant, cogitare certè secum poterant, ea nō futura fuisse inculta & uacua, si excoli cura & industria humana posse putarentur. Postremò ut hasce coniecturas, tametsi graues, mittamus, certis profectò authoribus demonstrare possumus, ante illud tempus quod supra memorauimus, & ante Constantinū tertiū Imperatorem, atq; adeò ante Mauritium etiam, Slauorū gentem hæc loca tenuisse, quæ nunc Poloni tenent. Non utemur autem ad id probandum neq; Alberti Crantij, neq; Fl. Blondi testimonio, qui Slauos, quemadmodum etiam retulimus, ex his oris in Dalmatiam, Illyricū, & Croatiā, Mauritij temporibus, qui Constantinum tertium propè quinquaginta annis præcesit, profectos esse asserunt. Certior nobis testis erit Iornādes, qui cum ante Mauritij tempora historiā sui tēporis scripserit, Slauorum & Slauinorum mentionem faciens, ad sinistrum latus Sarmaticorū montium, & ad Vistulam fluuiū, qui nunc Poloniā interluit, habitare eos memorat. Per quę tēpora Dalmatiam, Illyricum, & Istriā infestatas quidem, sed nondum habitatas fuisse à Slauis, ex hoc ipso Iornande, diuo Gregorio, & Procopio cōprobatur. Procopius quoq; memorat, Iustiniano regnante Erulos à Longobardis deuictos, partim in Illyrico consedisse: partim cum Istrū flumē haudquaquā traijcere statuissent, Slauinorū gentē prætereūdo, cū in loca deserta euasisēt, ad Harnos primum, deinde ad Dacas, hinc ad Oceanū peruenisse,

coq;

Slaui quo tempore occupauerint eas, quas nunc tenent, sedes.

Pan.

Pannonum etymologia falsa.

Germani fuere olim, ubi nunc Poloni sunt.

Polonos & Bohemos non è Croatia uenisse.

Populi à Septētrione uersus meridiem ferè migrant.

Poloni ante Mauritium Imp.

Crant. lib. 1. Vand. Blon. Dec. 1. lib. 1. & 8.

Iorn de reb. Get.

Procop. de bello Got. lib. 2.

eoq; traiecto in Thulc insula constitisse. Vnde apparet, Illyricum quidem tunc adhuc Slauinos nō tenuisse: tenuisse autē ea loca, quæ Eruli ab Istro, qua is Illyrico proximus est, per Daciam (quæ eadem Dania est) ad Oceanum ac Thulen uersus Septentrionē proficiscentes, præterire necesse habuerunt. Non igitur probabile est, è Croatia tunc Lechum & Zechum cum Slauis in Bohemiam & Poloniam uenisse. Ac ne ex Pannonia quidem: quippe quā ante Valentis imperiū à Vandalis, mox à Gothis, deinde usq; ad Martianū imperatorem ab Hunnis habitatā: post Attilæ uerò mortē à Gothis, siue Ostrogothis recuperatā esse, ex his ipsis Procopio et Iornāde cōstat. Deinde uerò circa Iustiniani tēpora à Lāgobardis subactam, & post quadraginta duos annos ab his ipsis, in Italiā populariter cōmigrantibus, sub pacto Hunnis relictā esse, ex Paulo Diacono notum est: quod quidē paulo ante Mauritij tempora factū esse, dubiū nō est: quo tēpore Slauos iam ad Vistulā habitasse, paulò ante ostendimus. Manifestum est igitur, neq; è Croatia, neq; e Pannonia tūc, aut etiam prius eos populariter uenisse in hanc orā: multò minùs posterius. Quanquā enim regnauere postea Slaui in Pānonia, subiugatis, ut reor, Hunnis, qui pauci post Attilā ibi remāserant, usq; ad Suaten, siue Suatibolugū, siue Suatoplugum Marothi filium, qui post septingentesimum quadragesimum annum à Christo nato, uel ut alij uolūt, longè posterius, ab Hunnis, uel Vngaris ex Asia tunc uenientibus deuictus, fugiens Danubij uorticibus haustus perijt: sed iam tunc longe antè habitata fuit à Slauis Polonia. Quin istum ipsum siue Suaten, siue Suatoplugum nonnulli scriptores Polonum, nōnulli Morauū fuisse memorant: Slauum quidem uel ipsa etymologia prodit. Cæterum ne Blōdo quidem & Crantio assentimur in eo, quòd è Polonia & Bohemia Slauos in Dalmatiā & Illyricum uenisse uolunt. Potest enim probari è Procopio & Sabellico, Thraciam & Macedoniam, uelut uiciniores, ab ijs prius, quàm Illyricum & Istriam, uexatas esse. E Polonia uerò & Bohemia proficiscentibus hæ regiones prius sese offerunt, quàm illæ: nonnullaq; præterea superius à nobis commemorata sunt, & statim commemorabuntur, quę ad refellendam illam opinionem ualde accommodata sunt, si sit operæprecium. Atque hęc aduersus suprà memoratas opiniones dicta sunto.

Poloni non è Pannonia.

Iornan. ibidē Paul. de gest. Langobard. lib. 1. & 2.

Slaui regnauerunt in Pannonia.

Bonf. Vngar. Dec. 1. lib. 9.

Suatoplugus.

Slaui unde in Dalmatiam uenerint.

Proc. lib. 3. de bello Goth. Sabell. Ennead. 8. lib. 4.

De Lecho & Polonis, unde & quando extiterint, probabilior sententia.

CAP. XVI. LIB. I.

QVid igitur certius, aut probabilius duntaxat nos afferimus? Illud nimirū, quòd cum ostensum sit superius, è Russia & Sarmatia Slauos in Mœsiam, Daciāq;, ac Pannoniam secundum citeriorem Danubij ripam penetrasse: inde uerò nō ante Iustiniani Imperatoris tempora, in Thraciam, Macedoniam, Dalmatiam, & Illyricum inundasse: & aliquanto pòst demū, nempe circa Mauritij & Phocæ tempora, in ijs oris certum domicilium fixisse, ante quod tempus iam eadem gens ad Sarmaticos montes & fontes Vistulę, ubi nunc est Polonia, habitabat: aliquanto prius autem Vandalos ex ijs locis in Pannoniam, atq; inde mox in Gallias, Hispanias, & Africam commigrasse: consentaneum, ac propè necessarium est, tunc, uel certè paulò posterius circa Attilæ tempora, eos populos, qui nunc Poloni & Bohemi dicuntur, progressos è Russia & Sarmatia, itidem atq; illos alios Slauos, uacuas, aut certè infrequentes Vandalorum sedes occupasse, indeq; porrò in interiorem Germaniā & Bohemiam arma protulisse. Et sanè minore longè negocio, citiusq; hâc secūdum dextrum latus Carpathi montis ad interiorem Germaniam, uacuam aut certè semiuacuam tunc, sicuti modò diximus, ij penetrare potuerunt, è patria sua profecti, quàm in Slauoniam ac Dalmatiam, longius à se distantes, & Romanorum imperatorum armis defensatas. In hac sententia fuit ante nos Bernardus Vapouius: tametsi neq; tam firmis argumentis, neq; tam multis aut tam certis testimonijs usus. Idem Blondus quoq; sensisse uidetur. Antonius uerò Sabellicus disertè scribit, Slauos à Cimmerio Bosphoro bipartitò digressos, partem unam ad dextram deflexisse septentrionem uersus, scissamque in duos populos, Bohemos & Polonos: alteram transmisso Istro, secundum Sauum amnem ad Dalmatiam usq; sedes tenuisse, nihil mutato nomine. Hæc nos de Polonorum & Bohemorum origine & aduētu ad has terras, grauibus argumentis & authoribus, ratione temporum & locorum consentiente comprobamus. Siue autem ij Lecho & Zecho ducibus initio è Sarmatia profecti, hæc gesserunt, siue cum initiò nullo aut uno duntaxat imperio regerentur, successu temporis, longè lateq; propagato imperio, hi duo principes regnum inter se partiti sunt; alterum Polonis, alterum Bohemis nomen dedisse, dubitandum non est. Neque enim fabulosum omninò habendum est id, quod diuturno non tantum horum ipsorum populorum, sed cunctæ

Polonos & Bohemos è Russia profectos esse.

Bern. Vap. lib. 1. hist. Polo.

Blon. Dec. 1. lib. 1.

Sabell. Ennea. 8. lib. 3.

Bohemi & Poloni à ducibus nomina accepère.

cunctæ Slauicæ nationis consensu celebratur, Lechum & Zechum principes hisce Slauorum populis præfuisse, & nomina indidisse. Vapouius quidem etiam certum tempus edidit, quo hæc acta sint: nempe circa annum Christi quingentesimum quinquagesimũ. Cuius rei penes authorem fides esto. Illud uerò, quod de aduentu Slauorũ è Croatia uulgò & ipsum circumfertur, credibile est à sciolo quopiam, rationem temporum & historiæ ueteris non satis tenente, assutum esse: cum. is aduenas esse in his oris Polonos & Bohemos persuasum haberet, nec unde huc uenissent inueniret, nescîuisse tamen id uideri nollet. Eum uerò locum ab eo potissimùm electum esse, unde cum hi populi commune Slauorum nomen acceperint, originem quoq; duxisse probabiliter uideri possent. Nisi fortè existimandum est, has gentes non ab uno aliquo homine regi, sed ab antiquo plebeia cõmuniq; libertate uiuere solitas, teste Procopio: cum longè antè in his sedibus cõsedissent, quodam tempore uel utilitate, uel necessitate adductas, peregrinos reges, sed eiusdem tamen secum linguæ, è Croatia acciuisse, oblatosúe ultrò accepisse. Quod credere, uel non credere, per nos liberum cuiq; esto. Nos explicata, quoad fieri potuit, origine Polonorum, iam ad res gestas eorum aggrediamur, à Lecho sumentes initium, quando de uetustioribus gentis temporibus nihil exploratum habemus.

Lechus & Zechus quando in has oras uenerint.

550. annis à Christo nato.

DE ORIGINE ET REBVS GESTIS POLONORVM LIBER SECVNDVS.

LECHVS.

LECHVS igitur omni illa, quam siue armis, siue imperio tantum occuparat, regione, quàm latissima, ad colendum & habitandum multitudini suorum distributa, arces & castella opportunis locis muniuit: ipse in una ex ijs domicilium fixit, quã sexto à Varta flumine milliario, uersus Septentrionem in patentissima planicie, ex rudi & non dolata materia inter lacus & paludes, ad necessitatem magis & qualequale receptaculum, quàm ad splendorem atq; delicias extruxit, eiq; oppidũ adiunxit, quo esset tamen aliqua hominum circum principem frequentia: & Gnesno, seu Gnesnæ nomen ipsi imposuit, à nido, quem Gnasdo uocamus, paulùm deflexo uocabulo: siue quòd eo sibi loco arx illa futura esset, quo nidus auibus, per apertam aëra uagantibus: siue quòd aquilarum nidum ibi reperisset, indeq; insigne boni auspicij acceptum, mansisse & manere successoribus eius principibus Polonorũ existimatur, alba aquila, erecta, expansis alis. Sic igitur fundato regno Lechus partim Gnesnæ manendo, partim obeundo regnum, ius dabat populo æquabile, non ex præscripto legum, quæ nullæ erant: sed ex arbitrio suo, hoc est, ex æquo & bono: imperio, quod credere par est, moderato utens, magis ut patris charitatẽ quàm Domini seueritatẽ obtineret, in eos qui fidem, ductumq; suũ secuti essent. Nec enim facilè liber & ferox populus asperum, superbum, stolidum & impotentem tyrannum, aut initiò secutus esset, aut postea pertulisset. Reditus tũc & agros peculiares nullos habebat princeps: sed ei cuncti seminabant & metebant, deq; omnium rerum prouentũ fructibus ipsis uectigal pendebãt. Nam numus tũc incognitus erat apud Polonos: sed permutatione rerũ, quod cuiq; opus erat, sibi comparabant. Quam diu uerò Lechus regnauerit, quid præclari bello, paceq; gesserit, quosq; liberos reliquerit, nihil comperti habemus. Aliquandiu quidem posteri eius post eum regnasse feruntur, ita ut natu maximus principatum, cæteris libenter concedentibus, obtineret: sed quinam hi, quotq; sibi inuicem successerint, donec stirps omnis deficeret, non liquet. Bernardus Vapouius, nescio quem authorẽ secutus, uult, Lechũ aliquoties cum Germanis, secũdis prœlijs dimicasse, ac de regulo quodam singulari certamine uicto & interfecto opima spolia retulisse: multas munitiones partim ui, partim per deditionem cœpisse, & ad Vesseram seu Visurgim usq; imperiũ protulisse, & in eius fluminis ripa urbem condidisse, eiq; propter onus perpetui præsidij Brzemie siue Bremę nomẽ imposuisse: posteritatẽ uerò eius centũ quinquaginta fermè annis regnasse in Polonia, nempe ad septingentesimum ferè annum à Christo nato: multaq; bella gessisse cum Germanis, & alijs finitimis gentibus. Nam ea quæ sequuntur, è Saxone Grãmatico, & Alberto Crantio paulùm immutata sumpsisse uidetur: nempe, maris quoq; fortunã Polonos tunc feliciter tentauisse. Instructa enim classe, traiectoq; sinu Codano, siue Balthico, Rugiam, Fœoniam,

Varta fluuius.

Gnesna condita.

Gnasdo.

Aquila alba, Polonorũ principum insigne.

Lechi studia.

Imperium placidum.

Principis reditus.

Pecunia incognita.

Bern. Vapouius.

Lechi res gestæ.

Brema urbs cõdita.

Brzemie.

Lechi posteri quamdiu regnarint.

Saxo in Dania lib. 8.

Fozoniam, & alias quasdam insulas de Danis Polonos tunc cœpisse, & cum ea gente uario marte terrestribus & naualibus prælijs dimicasse. Ad extremum duce Visimiro, uno de Lechi posteris, Syuardum Danorum regem nauali pugna insigni ab ijs profligatum, pulsumque, precario regni partem sub annuo tributo recepisse, concessa Polonis Iutia, Scaniaque: filias uero eius duas captiuas, alteram Noruegijs, alteram Germanis uenditas: filium autem Iarmericum in obsidis loco asseruatum esse. Inde Visimirum principem captiuis abundantem, duas urbes maritimas citra mare condidisse: & ex his alteram Visimiriam de suo nomine, alteram Dantiscum, siue Gdanum, à Danis deuictis, eoque deductis appellasse: quæ parua, obscuraque aliquandiu, ad eum splendorem postea peruenit, ut sit celeberrimum, & non solum Septentrionis & occidentis, uerùm totius ferè orbis terrarũ copiosissimum, & omni genere mercium refertissimũ emporium, portu ac tribus oppidis permunitum. Addit idem Vapouius, Syuardum postea seruitutis impatiẽtem, Visimiro rebellasse, & in pugna occubuisse: filium uerò Iarmericũ aliquantò pòst è custodia elapsum, nouos motus in Dania concitasse: uerùm eos à Polonis tunc sedatos esse. Quo tempore autem Dani iugum Polonorum penitus excusserint, non memorat Vapouius.

Crom. in Vap. Dani à Polonis bello petiti & uicti. Syuardus rex Danorum uictus à Visimiro. Visimiria quæ nũc Visimaria. Dantiscum, siue Gdanum.

DVODECIM DVCES, SEV PALATINI.

CVm autem stirps Lechi defecisset, Poloni comitijs de cõstituenda repub. Gnesnæ habitis, ad neminem unum principatum deferunt: uel quòd in pari multorum dignitate uariarent sententiæ, uel quòd monarchiæ ad tyrannidem (ut sunt res humanæ in deterius mutabiles) declinantis pertæsi iam essent, duodecim uerò ex omni procerũ numero, potentes & spectatos in primis uiros, deligũt, qui siue nouo tunc populi placito, siue usitato etiã sub principibus instituto, suę quisque regioni, diuisa in totidem regiones tota Polonia, præessent: & Voieuodæ, hoc est, duces belli & copiarum, uernacula lingua dicerentur. His reipub. in pace iuxtà ac in bello summam in commune mandant. Et rectè quidem illi initio, eoque repub. initum magistratum gessère, legesque paucissimas & simplicissimas, ut rude illud ferebat seculum, non in libris, neque in tabulis, sed in animis hominũ atque in usu, perinde atque Lycurgus apud Lacedæmonios quondam, incidêre: quæ instituta uerius, quàm leges dixerimus. Sed post aliquãto ad ambitionẽ uersi, dum ex suo quisque nutu omnia geri uult, & rem priuatã, potentiamque suam augere studet, assentari multitudini, eiusque licentiam alere, suos quisque per fas, nefasque defendere & euehere, terrori esse ijs quos beneuolentia sibi adiungere non posset: inde contentiones, simultates, & factiones denique e studijs partium exortę: inde edicta & imperia ipsorũ uulgo negligi cœpta, rempub. ab unius imperio ad paucorum dominatum dudum traductam, nec multo pòst eò redactam, ut rex iam sibi quisque & lex esset, penè funditus euerterunt. Quibus rebus cõmoti finitimi populi, Polonorũ uim atque potentiam dudum ueriti, & experti etiam: celatum bene ad eam diem timore odium atque dolorem in apertum proferendũ, & armis uindicandum, nomenque Polonum delendum, uel affligendum certè sibi esse existimarunt, tam luculenta occasione sese offerente. Quamdiu uerò horum duodecim ducũ imperium durauerit, nihil comperti habemus. Mansit quidem deinceps etiam sub principibus & regibus, manetque in hanc diem is siue honor, siue magistratus: uerùm aliquãtum restricta potestate & iurisdictione, & ab ijs qui Latinè loqui uolunt, Palatini usurpantur: quo nomine à nobis quoque deinceps appellabuntur, habentque ij principem secundum episcopos in senatu regio locum. Cum autem nõ ijdem perpetuò fines Poloniæ fuerint, sed accisi aliquãdo, rursusque prolati sint, ne regionum quidem eadem distinctio, nec idem Voieuodarum siue Palatinorum numerus mansit.

Voieuodæ. Ambitio rerũ pub. pestis. Palatinorum dignitas.

CRACVS.

PErtæsi igitur malorum Poloni, quæ sub duodecim Palatinorum imperio agminatim ipsis incubuerant, ad unius principatum respexère, & aliquid de gustata libertate ipsi sibi detrahère, quàm perire prorsus malebant. Itaque conuentu apud Gnesnam acto, post longam consultationem una omnes sententia ad Cracũ principatum deferunt: quem nostrates quidem perperam Gracchum appellant, Romanumque exulem fuisse, & supra quadringentesimum, uel ut alij uolunt, quingentesimum annum ante Christum natum apud Polonos regnasse, fabulantur. Quo quidem tempore, needũ Polonorum gens extiterat: & incognitũ, ni fallor, adhuc erat apud Romanos Gracchorũ nomen. Ac ne ijs quidem temporibus, in quæ nos hunc Cracum coniicimus, aliquem de Graccho-

Cracus qui & unus fuerit, et quo tempore.

Grachorum familia superfuisse, in Romana historia reperimus. Verisimilius est igitur, quod etiam Dlugossus sentit, Polonos Polonorum potius, quàm externum sibi regem creasse. Ac Vapouius quidem circa septingentesimum annum à Christo nato id factum esse uult: Hagecus uerò paulò posterius, fingitq; idem Lechi filium Cracum siue Crocum hunc fuisse. Verùm is neq; hoc, neque itē alia multa nobis probat. Siue aūt Cracus unus de Voieuodis fuit, siue non, domicilium quidem habebat apud Vistulam, tertiodecimo milliario à fontibus eius fluminis: uir cùm amicitijs, copijs & facultatibus potēs, tum prudentia, animi magnitudine, & iusticiæ atq; integritatis opinione apud omnes gratiosus, ita ut solus rectè dilabentem rempublic. sustinere & recreare posse uideretur. Is multum diuq; reluctatus, eo quòd perdifficilè esse uideret rempub. partim ciuium licentia & intestinis dissidijs perturbatam, partim externis bellis quassatam restituere & reficere: tandem precibus & contentione multitudinis, & charitate patriæ uictus, reipublic. curam suscepit: hostes alios fœderibus, alios armis à ceruicibus patriæ remouit. In his Gallos, ut uolunt nostrates pleriq; omnes per Pannoniam sese magnis copijs in Poloniam infundentes profligat, atq; depellit. Vnde uerò hi Galli uenerint in has orās, inuestigare difficile est. Nam Scordisci ac Taurisci Gallorū populi, qui Mœsis mixti, ut author est Strabo, multo antè ad Istrum cōsederāt, iam à Romanis primùm, deinde a Gothis, & mox ab Hunnis deleti erant. Boij quoq; & ipsi Gallica gens, qui Bohemiæ, quemadmodum superiore libro indicauimus, nomen dedêre, multo antè iam à Marcomannis Germanis, & hi porrò à Zechis Polonorum consanguineis, uel pulsi, uel subacti erant. Nec per Pannoniam certè ijs Polonos adoriri necesse fuisset: nisi forte eos Bohemia pulsos, in Morauia uel extremis finibus Pannoniæ consedisse, & inde in Poloniam inuasisse existimandum est: aut certè credendum est, eos Francos fuisse orientales, quorum regnum Austrasiam & Bauariam complexum, ad Vngariam usq; pertinuisse fertur: apud quos per ea tempora Pipinum, Caroli magni proauum, dominatum esse, Blondus & Sabellicus memoriæ prodidêre. Illud autem fortasse nostris errandi occasionem præbuit, quòd ea gens, cum Gallias subegisset & insedisset, priscorum Gallorum nomine etiam nunc à Latinis appelletur. Sed quicunq; tandem ij fuêre populi, qui tunc Poloniam bello uexauerunt, eos Cracus represisse memoratur. Vincentius etiam in Carinthiam cum expeditionem fecisse uult, antè susceptum principatum: indeq; reuertentem, cum persuasisset Polonis, ut sub unius principatu, quàm sine principe uiuere mallent, omnium consensu principem factum esse. Deinde uerò Cracus pacatis foris rebus, domi licentiam & audaciam perditorum coërcuit: iudices priuatarum controuersiarum per loca constituit: urbem in læta Vistulæ ripa in loca domicilij sui condidit, ac de nomine suo Cracouiam appellauit: eiq; arcem in colle Vauelo, Vistula eum ab oppido tunc dirimente, fœlicibus auspicijs superædificauit: quam regni caput, Gnezna relicta, fecit. Quæ quidem urbs è paruis illius seculi initijs successu temporum ad eam, quam uidemus, amplitudinem & splendorem, principum posteriorum habitatione & fauore peruenit, ut mœnium ac turrium firmitudine, ædificiorum publicorum iuxtà ac priuatorum magnificentia, copia rerum quæ non modò ad sobrium uictum, cultumq; corporis, uerùm etiam ad luxum & uoluptatem requiruntur: deniq; urbanitate & elegantia ciuium & incolarum, cum Germanicis & Italicis urbibus certet: inter totius autem Septentrionis, nedum Poloniæ, urbes facilè principatum teneat. Fertur etiam, immanem beluam, quam Holophagum uocāt, in antro montis, cui arx Cracouiensis superimposita est, cubile habentem, & uiciniam omnem deuorandis pecudibus, iumentis & hominibus uastantem, à Craco astu interēptam esse, cum corpora illi obijcienda, pice, sulfure & fomite succenso infarciri iussisset, & ignis conceptus uiscera beluæ torruisset: quod nescio an fabulosum sit. Antrum quidem in hanc usque diem extat saxo exeso profundum, quod specum Draconis uocant: quod tamen etiam natura sic extitisse potuit. Celebri Craci fama moti consanguinei Polonorum Zechi siue Bohemi, ipsi quoq; ultrò principem sibi eū asciuerunt, uti Dlugosso & Vapouio placet. Tametsi Aeneas Syluius, & Hagecus, nō hūc, sed aliū Cracū siue Crocū tūc apud Bohemos regnasse uolunt, & Cracouiā siue Crocoueciam arcem in Bohemia cōdidisse: morientemq; eo ferè tēpore, quo noster regnare cœpit, tres filias reliquisse: è quibus una Libussa saga paternum regnum susceperit, assumpto sibi in societatem thori & principatus Præmislo rustico homine, quem missi ad hoc equites in ferrea tabula, hoc est, in uomere prandentem repererant: eorumq; posteritatē longa & perpetua successione per multa secula Bohemis præfuisse. Verùm ad nostra reuertamur. Cracus cum permultum tempus

700. ann. post Christum natum.

Cracus inuitus regnum suscepit.

Franci à Craco repulsi.

Franci orientales.

Pipinus Caroli Magni proauus.

Blondus.

Sabellicus.

Cracus expeditionem fecit in Carinthiam.

Pacis studi[illegible].

Cracouia condita.

Regia Cracouiam translata.

Cracouiæ laus.

Holophagus à Craco extinctus.

Cracus an & apud Bohemos regnarit.

Cracouia in Bohemia.

Libussa cum Præmislo Bohemorum principe.

Craci monumentum.

pus bene & fœliciter regnasset, obijt, & è conspectu Cracouiæ ultra Vistulam in monte Lassotino, aggesto instar montis tumulo, quemadmodum mandauerat ipse, sepultus est: extatq; in hunc usque diem is tumulus, haud procul à delubro, quod diui Benedicti nomine appellatur.

LECHVS SECVNDVS.

Lechi parricidiũ & pœna.

CVRATO Craci funere, filius eius natu minor Lechus, maiorem cui Craco nomen erat, per speciem uenationis in syluas eductum, incautum occultè interemit: ac fortuito casu eum perijsse mentitus, simulatis lachrymis atque luctu honorificè sepelit: principatumque scelerate appetitum, qui maiori natu debebatur, sublato illo suscipit. Verùm aliquanto pòst patefacto scelere, principatu deiectus, & in exilium actus est. Alij dolore & conscientia patrati parricidij, cum dijs hominibusq; exosus esset, domi eum contabuisse, nullis relictis liberis, aiunt. Vincentius uiuente adhuc patre parricidium ab eo patratum, sed mortuo demum patre, & iam ipso regnante, scelus patefactum esse, memorat.

Vincentius.

VENDA.

TAM gratam autem, atque iucundam sui memoriam Cracus princeps apud Polonos reliquerat, ut utroque filio eius, quemadmodum iam commemorauimus, orbati, Vendæ filiæ superstiti, uirgini, principatum mandarent: ea spe ducti, quòd præstantem aliquem & inclytum principem de externis regibus, aut principibus, coniugio Vendæ inuitatum, habituros se esse existimarent. Erat Venda uenustissima puella, ita ut meritò uendæ, hoc est, hami nomen ipsi inditum esse uideretur: quòd quasi pisces hamo, specie eius contemplantes caperentur. Nec sanè fefellisset Polonos opinio, nisi per Vendam stetisset. Nam Ritigerus (Ritogarum ferè nostri uocant) illustris & potens ea tempestate in Teuthonibus finitimis siue Germanis, apud quos in usu etiamnum Rutigeri seu Ritigeri nomen, princeps, missis oratoribus coniugium eius petiuit. At illa excelsi & minimè muliebris animi uirago, facundaq; iuxtà ac prudens, negare se cuiquam nupturam: principem, quàm principis uxorem esse malle. Indignè repulsam illam Ritigerus ferre: orare iterum atque iterum, & minas adijcere. Vbi frustra se omnia tentare uidet, coacto ingenti exercitu, armis negatum coniugium, atque principatum contemptu muliebris imperij persequi statuit. Nec segnius Venda cum expeditis suorum copijs aduenienti hosti ad fines regni sui occurrit. Miscere rursus Ritigerus preces atq; minas. Exprobrare illa armato importunam libidinem. Renunciant oratores duci suo eximiam puellæ pulchritudinem & sapientiam, & animũ ad belli dimicationem quàm ad nuptias paratiorem, adhæc permagnas & instructissimas armatorum copias. Quibus auditis, labascere Teuthonum animi: monere & orare ducem suum, ne sese, exercitumq; suum, propter intempestiuum amorem, atq; cupiditatem suam, tam turpiter conijciat in periculum. Inglorium esse uiro cum fœmina certamen, etiamsi exploratam habeat uictoriam. Ni desinat, relicturos se eum, domumq; signis conuersis reuersuros. Ille ubi omnibus tentatis, obstinatos suorum animos, & à prælij dimicatione alienos esse uidet, cùm amoris impatientia, tum ignominiæ conscientia, quòd à muliere sine ullo prælio uictus esse uideretur, mortem sibi consciuit. Teuthones ictis cum Venda fœderibus, finibus Poloniæ decesserunt. Hæc ita magno consensu à nostris prodita sunt. Quæ nam autem illa gens Teuthonum fuerit, nihil comperti habemus. Marcomannos siue Morauos, uel Saxonas certè fuisse, suspicari nihil fortassis prohibet. Hagecus Prussos fuisse scribit. Lætata hoc successu Venda, ouans Cracouiam inuehitur: mactatisq; quamplurimis uictimis, ad extremum ipsa dijs patrijs solenni ritu sese deuouet, ac de ponte in profluentem Vistulæ, ne quis aduersus casus felicitatem eius contaminaret, proijcit. Proceres inuentum cadauer eius, uno ab urbe milliario editiore loco è conspectu urbis, supra amnem Dlubniam sepeliunt, aggesto, itidem ut patri, tumulo. Indeque subiacens pagus Mogilæ, hoc est, tumuli nomen adeptus, adhuc retinet.

Venda etymologia.
Ritigerus dux Vendæ coniugium ambit.
Teuthonicum bellum.
Ritigeri interitus.
Vendæ uirilis animus, & mors.
Dlubina flumen.
Mogilæ.

DVODE-

DVODECIM PALATINI ITERVM.

POST Vendæ obitum, cùm nemo regiæ stirpis superesset, commutata rursus reipublic. forma, à duodecim ducibus, uel Palatinis, iterum Polonia cuncta militiæ, domiq; administrata esse fertur aliquandiu: donec ex huiuscemodi euentu, rursus ad unum principatus delatus est. Vincentius memorat, Alexandrum magnum regem Macedonum legatos misisse ad Polonos, qui tributum ab ea gente exigerent: eos cùm Poloni uiuos excoriassent, cutesq; auro pariter & herbis infartas ipsi remisissent, Alexandrum indignatum, permagnas copias in Poloniam immisisse: à quibus cum ea crudeliter uexaretur, uastareturq;, Poloniq; sua defensuri occurrissent, & aliquoties profligati animos desponderent, hominem quendam plebeium & aurificem, Præmislum nomine, coadunata aliquanta manu uoluntariorum militum, huiusmodi arte hostem circumuenisse. Nempe galeas & clipeos cum e tenerioribus arborum corticibus, & quauis alia materia magno numero fabricari curasse, eaque partim felle, partim litargyrio extrinsecus illita, noctu è conspectu hostilium castrorum in extrema sylua truncis arborum, arbustis & ramis terræ infixis imposuisse, uel appendisse, ad exorientem solem obuersa, ita ut repercussu radiorum solis armati exercitus speciem eminus inspectantibus exhiberent. Id conspicatos hostes, paucos tumultuariè correptis armis, con temptu sæpe uicti, fugatiq; à se hostis, quasi ad certam prædam procurrisse: & quoniam nostri interea galeas & clipeos summouerant, siue combusserant, fugere creditos esse: ibi illos, cum longiùs in syluas fugientes, Polonos persequi instituissent, in præparatas à Premislo insidias præcipitatos, & concisos esse. Polonos deinde cæsorum armis indutos, ad castra hostilia contendisse, & pro socijs atque commilitonibus habitos, in imparatos & nec opinantes impetum fecisse, magnamq; stragem edidisse: ad extremum re animaduersa, hostes in fugam sese effudisse, omni rerum copia referta castra nostris diripienda reliquisse, & inglorios Polonia excessisse. Ita quidem ferè Vincentius. Verùm Dlugosso id non probat. Itaque non Alexandrum, quem nos quoque multis seculis hæc tempora præcessisse superius attigimus, sed Pannonas & Morauos is ab hoc Præmislo, hoc ipso quem modò retulimus euentu, atq; etiam stratagemate profligatos & eiectos esse refert: præter quòd is uult, exercitum hostilem, cum Polonos, qui sese ostentarant, non reperisset, ad castra reuersum esse, securumq; genio liberiùs indulsisse: Præmislum deinde crapula, somnoq; stratos, prima noctis uigilia è syluis prouolantem, adortum esse. Sed uerisimilius futurum erat, si galeis illis & clypeis de nocte suspensis, relictisq; ibidem paucis hominibus, qui sub exortum solis clamore sublato, tubarumq; ac tympanorum sonitu, & galearum, clypeorumq; illorum asimulatorum agitatione, exercitus aduentantis speciem hostibus præberent. Præmislus cum reliquis copijs diuersa parte in castra hostium impetum fecisset, eosq; ancipiti periculo perterrefactos in fugam uertisset. Sed utut gesta res est, illud quidem conuenit, arte ac dolo hostes illos à Præmislo deuictos & pulsos esse. Qui nam autem hostes illi fuerint, Dlugosso quàm Vincentio libentius assentimur: nisi quod non explicat is, quinam ij Pannones fuerint. Nos, Vngaros, qui è Sarmatia Asiatica, ut superiori libro indicauimus, egressi, Pannoniam tunc iterum occuparant, fuisse existimamus: eisq; Morauos, utpote uictorib. uictos, militasse. In illa quidem tempora Præmisli huius principatus incidere uidetur: nempe post septingentesimum & quinquagesimum, uel sexagesimum annum à Christo nato.

Alexandri Macedonis bellū cum Polonis fabulosum.

Præmislus aurifex magni animi.

Stratagema.

Pannones & Morauī à Polonis pulsi.

Vngari è Sarmatia Asiatica uenientes Pannoniam occuparunt. 760. ann.

PRAEMISLVS, SIVE LESCVS PRIMVS.

OB tam præclarum igitur facinus atque meritum in rempublic. Præmislus omnium acclamationibus princeps renunciatur: & blandum Lesci nomen, gratiosum apud Polonos, ob Lechi conditoris memoriā, oblatum accipit. Quanquam Vincentius Lesticum, ab astu uult appellatum fuisse. Post susceptum principatum, nullum Lesci huius insigne factum, quod ad laudem, uel uituperium pertineat, memoratur: nisi quòd in pace, una illa uictoria sibi, suisq; parta, moderatum in suos gessit principatum. Nec ausus est quisquam eo uiuente Poloniæ fines infestare. Quamdiu uerò regnauerit, ubi, quaq; morte absumptus sit, non constat. Liberos quidem post se nullos reliquisse fertur.

Lestici etymon.

LESCVS SECVNDVS.

PRAEMISLO, siue Lesco eius nominis primo uita defuncto, exoritur noua de principatu contentio. Cumq́ nullus appareret neque modus, neque finis, multis ambientibus, neque quoquam eorum alium sibi præferri patiente, placuit rem fortunæ committere: indictoq́ue ad certam diem maculosorum equorum cursu, qui primus ad metam peruenisset, eius dominus ut princeps esset cunctæ Poloniæ. Figitur meta apud Prandinicum amnem, in aperta planicie ad septentrionalem plagam Cracouiæ. Statuta curriculo dies adest: effunditur ad spectaculum ingens hominum multitudo, uaria studia: sollicita omnium, quem det euentum fortuna, expectatio. Consident delecti iudices & munerarij, dant signum certaminis. Ibi Lescus quispiam, procerũ & cõpetitorũ unus, cũ stadiũ uafro consilio stratis clàm in sabulo ferreis hexagonis, siue stylis cæcis, quibus currentium equorum pedes læderentur, impediuisset, ipse obliquo & minimè impedito tramite primus, cæterorum equis in cursu offendentibus ac cespitantibus, ad metam peruenit. Munierat is etiam equi sui calces ferreis soleis, ut ne offenderet in stylis, si fortè cum impetu currens in eos incidisset, cum omnes omnium aliorum equi de more illius temporis soleas nullas haberent. Rei prorsus ignaris & miraculo attonitis omnibus, & iam uictorem atq; principem diuinitùs sibi oblatum Lescum conclamantibus, techna deprehenditur. Protrahitur Lescus in medium: conuincitur: damnatur: concerpitur. Notarant commentum illud impediti curriculi, duo quidam iuuenes tenues & obscuri. Cum eñ nemine etiã dũ præsente, in stadio illo pedestri cursu fortè certarent, ioco principatum inter se pacti, offendunt in stylis: subsistunt: inuestigant rem curiosius: notant tramitem stylis uacuum. Eorum alter, equitibus à carceribus procurrentibus, procurrit & ipse pedester noto iam sibi tramite, omnibus effuso risu eum prosequentibus. Omnium uerò equis, cum ad stylos uentum esset, ita ut par erat, cespitantibus, iuuenis ille pedester primus post doli fabricatorem ad metam peruenit. Eum igitur, Lesco interfecto, principem populus omnis salutat: & ne quid ad authoritatem ac maiestatem ipsi deesset, Lescus commutato nomine appellatur. Atque is cum tam insperato euentu rei mirabundus atque dubitabundus principatum suscepisset, sedulò dedit operam, ne tanto munere indignus iudicaretur: nec modò repressit finitimorum uim & incursiones, sed quibusdam etiam populis ultrò bellum intulit. Quantum uerò ocij dabatur ipsi à bellis & serijs reipublicæ negocijs, in exercenda militari uirtute atque disciplina ferè consumere: uarios ludos & certamina equitibus pariter & peditibus indicere: certantibus & ampla, & honorifica præmia proponere: ipse arbiter atq; iudex præsidere, & pro meritis quenq; collaudare. Fuit autem in hospites splendidus & munificus: in suos cùm uirtute aliqua præstantes, tum egestate pressos liberalis: ita ut egere ipse mallet, quàm tristem aliquem à se dimittere: adeuntibus facilis & comis: eorum qui potentiorũ ui & iniurijs premebantur, acer uindex. In uictu cultuq́ corporis singulari parsimonia: rudibus & crassis pannis aulæorum loco utens: nisi si quando in publico dare aliquid splendori atq; maiestati principatus, maximè propter externos homines, cogebatur. Quin ibi quoque crassos pannos, quibus ante adeptum principatum usus esset, ob oculos poni sibi iubebat, quibus admoneretur assiduò fortunæ suæ pristinæ, & unde ad tantum honoris fastigium euectus esset. Quod non absimile est illi, quod de Agathocle Siculorum tyranño memoratur: quem, quòd figulo patre natus esset, fictilia inter aurea uasa apponere in mensa solitum esse ferunt. Ab ebrietate uerò Lescus maiorem in modum abhorrebat, quòd pecudis quàm hominis similiorem esse ebrium hominem iudicaret. His moribus & hac moderatione animi quamdiu, quibusq́; rerum successibus regnauerit, & quomodo uita defunctus sit, itidem atq; alia illius temporis, incertum est: nisi fortè ad hunc Lescum pertinere existimandum est id, quod Dlugossus Martinum Gallum memoriæ prodidisse refert, Lechum, seu Lechonem, ut scribit ille, principem, in prælio cum Carolo, Caroli magni imperatoris Rom. filio notho, quem pater contra Polonos & Bohemos, Saxoniam bello uexantes cum exercitu miserat, occubuisse: idq́ue actum esse anno quarto uel quinto post octingẽtesimum à Christo seruatore nostro nato, translato iam ad Francos & Germanos occidentis imperio. Quanquam Blondus Foroliuiensis, & Sabellicus, Leonem Bohemorum ducem ab hoc Carolo interfectum esse scribunt. Sed nullum per ea tempora Leonẽ apud Bohemos regnasse comperio: ne Lechonem quidem. Apud Polonos Lescus regnauit: quem Gallus, & H. Mutius Lechonem, cæteri Leonem uocant. Facilis est autem Lechonis

Prandinicus fluuius. *Cursus equorũ de principatu.* *Styli cæci.* *Lescus arte uictor, deprehensa fraude truci datur.* *Principatum obscurus homo fortuitu adeptus est.* *Lesci studia in pace & in bello.* *Certamina militaria.* *Mores.* *Pristinæ fortunæ memoria.* *Agathocles Siculorum tyrãnus.* *Sobrietas.* *Lesci mors.* *Mart. Gallus.* *Caroli Magni bellum cum Polonis.* *804. ann.* *Imperium ad Francos trãslatum.* *Blond. Dec. 2. lib. 1.* *Sabell.* *H. Mutius de Germ. lib. 9.*

chonis in Leonem commutatio. Tametsi nihil uetat credere, Polonis pariter & Bohemis eum præfuisse. Tam Dlugossus autem cum suo Gallico, quàm Blondus & Sabellicus, Carolum eo bello Poloniæ fines depopulatum, repressis modò hostibus, citò ad patrem reuertisse, memorant. Eginhartus, qui Caroli Magni uitam conscripsit, eumq́ue dominum ac nutritorem suum appellat, Polonorum quidem nusquam meminit: sed omnes barbaras ac feras nationes, quæ intra Rhenum ac Vistulam fluuios, Oceanumq́ue & Danubium positæ, lingua quidem penè similes, moribus uerò atq; habitu ualde dissimiles, Germaniam incolunt, ita perdomuisse Carolum scribit, ut eas tributarias effecerit. Sabellicus uerò Slauorum, Polonorum & Bohemorum legatos Aquisgranum cum amplissimis muneribus ad hunc ipsum Carolum uenisse refert, ut pax sibi cum Gallis (quos equidem Francos fuisse crediderim) incolumis maneret. Verùm de his sententiam nostram statim aperiemus.

Eginhartus in uita Caroli magni.

Sabell. Ennea. 8. lib. 9.

LESCVS TERTIVS.

LESCO huic è rebus humanis sublato, unicus filius, eiusdem nominis, successit, non degener à paternis uirtutibus: qui ita se gessit in principatu bello paceq;, ut patrem non adæquare modò, sed superare etiam uideretur. Multa hic cum finitimis, qui nouitate & humilitate generis eius despecta, nouos ciebant motus, bella gessit: eosq; uel perdomuit, uel ad officium reuocauit: Slauis consanguineis Polonorum, Pannoniam tunc imperio tenentibus, ut uult Dlugossus, & cum orientis atque occidentis imperatoribus bellum gerentibus, rogatus, auxilio affuit aliquoties, collatisq́ signis cum utroq; hoste prosperè dimicauit. Nec tamen is memorat, qui nam hi fuerint imperatores. Fabulosius etiam id est, quod scribit Vincentius, C. Iulium Cæsarem tribus prælijs ab hoc Lesco superatum, sororem suam Iuliam in matrimoniū ei collocasse: Crassum item Romanum cum exercitu ab eo deletum esse. Magis consentaneum est rationi temporum, Lescum superiorem quidem, Vngaris & Slauis promiscuè Pannonias tunc incolentibus cōtra Carolum Magnum, paulo antè quàm Imperatoris Romani titulum, Pontificis maximi beneficio, adeptus est, octo annis in Pannonia bellum gerentem præstò fuisse, & nonnunquam bene rem gessisse: ad extremum uerò debellatis Vngaris propter latam illis opem, uel infestatam, ut uult Blondus, Saxoniam à Carolo, Caroli eiusdem filio, bello petitum: commissoq; prælio interfectum esse: Albiq; & Salæ fluuijs, quod idem Blondus memorat, imposita præsidia. Tum demum autem illud accidisse, quod è Sabellico superius memorauimus, ut filius interfecti, de quo nunc agimus, legationem Aquisgranum ad Carolum patrem de pace mitteret: & quidem cum muneribus: eaq́ue munera tributi nomine ab Eginharto, Carolum suum ornante, appellata esse. Posterius quidem certè hoc bellum contra Bohemos siue Polonos, quàm illud contra Pannonios & Vngaros, à Carolo Magno gestum esse, ab ijs qui res gestas eius quoquo modo attigerunt, memoratur: ante Carolum uerò trecentis plus minus annis uacauit occidentis imperium. Orientis quidem imperatores, nullum per hæc tempora bellum in Pannonia gessisse reperio. Cum Bulgaris gesserunt Imperatores orientis & occidentis, & antè & pòst etiam, sed in Thracia: ac non inferentes, sed illatum depellentes. Quanquam Nicephorum imperatorem in Mœsia contra Bulgaros bellum gerentem, uictum, & interfectum esse huius Caroli tempore, reperio. Sed Bulgaria quoq; & Mœsia longissimè tunc aberat à finibus Poloniæ, partim Vngaris, partim Russis & Valachis, siue Moldauis magna terrarum intercapedine interiectis, ita ut difficulter eò auxiliares copiæ à Polonis transmitti potuerint. Verùm penes lectorem esto horum iudicium. Suscepit autem Lescus hic liberos mares, ex legitima quidem uxore Popielum: è concubinis uerò Boleslaum, Cazimirum, Vvladislaum, Vvratislaum, Otam, Baruinum siue Barnimum, Pribislaum, Præmislum, Iaxam, Semianum, Zemouitum, Zemomyslum, Bogdalum, Spicigneuum, Spicimirum, Sbigneum, Sobeslaum, Vissimirum, Cessimirum, & Vislaum. Ex his Popielum in spem principatus liberaliter educatum, successorem sibi uiuens designauit: cæteris sacramento, ut Popielo pareant, adactis, occidentalem & maritimam oram omnem inter Albim & Habelam fluuios, quemadmodum Dlugossus prodidit, ad Oceanum & Germaniam spectantem, inter eos partitus est. Tametsi Habela qui sit, compertum non habemus. Nisi fortè is est Bola, è lacu quodam in Vistulam ab occidente influens, qui ducatum Stolpensem, nisi fallor, à Pomerania regia quadamtenus diuidit. Et Boleslao quidem natu maximo, Baruino siue Barnimo, atq; Bogdalo Pomerania, quasi tu

Poloni cum imperatoribus Rom. bella gessere.

Vincentius.

Caroli Magni bellum contra Polonos.

Legatio Polonorum ad Carolū Magnū.

Imperiū occidentis quādiu uacauerit.

Bulgarorū bella cum imperatoribus.

Nicephorus imp. à Bulgaris occisus.

Sabell. Ennea. 8. lib. 9.

Bulgariæ situs.

Lesci filij.

Lescus successorem sibi designauit Popielum filium.

Poloniæ diuisio.

Pomerania. Cassubia. Serbia. Rugia. Dituonia, siue Lusaria. Sgorelecia, siue Brandenburgensis. Magdeburgũ urbs. Dalemburgũ. Visinaria. Brema. Luneburgum. Lubeca. Bachiborum. Zuerinum. Mechelburgũ. Vrbes Polonicæ, seu Venedicæ. Alb.Crant. Poloniæ occidentalis fines, quando & à quibus accisi. Eginhartus in uita Caroli.

maritimam dicas, obtigit: Cazimiro & Vvladislao Cassubia: laxæ & Semiano Serbia siue Sorabia: Vvratislao Rama siue Rugia, ut uult Bernhardus Vapouius: Pribislao, Cessimiro, & Otæ Dituonia, quæ nunc à nostris Lusaria, ab alijs Lusitia dicitur: Præmislo, Zemouito, & Zemomislo ea quæ nunc Marchia Brandenburgensis, à metropoli Brandeburgo, quæ à nostris Sgorelecia uocata fuit. Reliquis reliqua eius oræ. In quibus Vislaus Mezibozum arcem, quam nunc Meideburgum siue Magdeburgum uocant: Sobeslaus Dale, quod Dalemburgum: Vissimirus in litore Oceani Vissimiriam, quæ antiquum nomen in Vismariam à Teuthonibus deflexum retinet, condiderunt. Quanquam de Vismaria uariat Vapouius: nunc enim ab hoc Vissimiro, nunc à quodam eiusdem nominis, de Lechi posteris, multo antè uult eam esse conditam, ut nos quoque in Lecho indicauimus. Alias præterea complures & oppida ijdem duces, posteriꝗ eorum ædificarunt, & uernaculis suis uocabulis appellarunt. De quibus sunt Brema, ut uult Dlugossus, in confinio Frisiorum & Vestualorum (tametsi Vapouius à Lecho primo eam conditam esse prodidit:) Luna, quàm Germani Luneburgum uocant, à resplendentia: Bucouicia, quæ à Germanis Lubeca uocatur, apud Slauos uerò accolas antiquum nomen etiamnum retinet: tametsi Lubecæ quoꝗ nomen Slauicam etymologiam redolet. Bacchiborum: Zuerinum: Lubouia siue Lucouia, Germani Mechelburgum à Mikelo conditore: eiusꝗ́ oræ duces Mechelburgenses, nonnulli Magnopolenses, ineptè composito uocabulo dicunt. item Rostocum, Verla, Suanouũ, Ostrouũ, Cessinũ, Marlouum, Bolesum, Trebessouũ, Ciasni, Volynessum: addit Crantius Vinetam & Iulinum, quæ omnes fuêre Polonorum coloniæ. Et subactæ quidem atꝗ possessæ sunt regiones illæ posteriori tempore à Francis, Saxonibus, Turingis, Frisijs, Vestualis, & Holandis, Teuthonum populis, siue per ignauiam posteriorum principum Poloniæ, siue per conniuentiã, cum duces earum, Lesci huius nepotes ab imperio principum Poloniæ, quemadmodum dicemus inferius, desciuissent. Quanquam Eginhardus, cuius dudum mentionem fecimus, iam inde à Carolo Magno Slauos Viulsos siue Velatabos, australe litus sinus Codani siue maris Germanici tenentes, una expeditione ita contusos ac domitos esse perhibet, ut deinceps imperata facere non renuerent. Verùm idem paulò pòst scribit, Salam fluuium Turingos à Sorabis, qui & ipsi Slaui erant, diuidêre. Blondus addit, & Bonfinius, eo ipso tempore Albi & Salæ fluuijs præsidia contra Sorbienses Slauos (sic ille Serbos uel Sorabos uocat) Carolo, Caroli huius Magni filio, uiuente patre imposita esse. Vitichindus quoꝗ longè recentior, bella quædam cum Slauis eius oræ à Francis, Turingis & Saxonibus gesta commemorat: itemꝗ́ Crantius & H. Mutius, ita ut ij à Carolo Magno debellari cœpti, longè pòst partim à successoribus eius imperatoribus & regibus, partim ab alijs ducibus & populis Germanorum paulatim subacti esse uideantur. Pagos quidem atꝗ uicos complures Slaui in tractu illo maritimo etiamnum colunt, communi cum Polonis lingua, quamuis Teuthonicæ admixtione corrupta, utentes. Sed ad institutum reuertamur. Lescus igitur cum ita inter filios imperium diuisisset, uita pariter atque principatu defunctus est.

Blond. Dec. 2. lib. 1. Bonf. Dec. 1. li. 9. hist. Vng. Vitich. de gest. Sax. li. 1. & 2. Crant. in Vandal. H. Mut. de Germ. Slauicæ linguæ usus.

POPIELVS SENIOR.

Popieli ingenium. Regia rursus translata. Crusuicia. Cracouiæ situm.

SVSCEPIT destinatum à patre principatum Popielus, proceribus pariter atque fratribus assentientibus, patris, auiꝗ́ dissimilis, ignauus atꝗ timidus. Itaꝗ nihil is præclari in principatu gessisse memoratur. Regiam quidem & domicilium suum Cracouia Gneznam primùm retulit, indeꝗ́ non pòst Crusuiciam: cum eam arcẽ in planicie ad lacum Goplum, & inter paludes, in ea ora quæ Cuiauia dicitur, ipse condidit & transtulit: uel quod montanæ regionis, in qua sita est Cracouia, pertæsus, apertis campis delectaretur: uel quòd ab Vngaris & Rusśis ferocibus populis longiùs, à fratribus uerò propius abesse, tutius sibi fore existimaret. Iuuenili adhuc ætate, cum aliquot annos regnasset, in morbum incidit: & priusquam fratres fratrem uisitaturi aduenirent, obijt. Fertur autem subinde solitus esse murium deuorationem sibi suisꝗ imprecari: quo malo filius eius, ut mox dicemus, absumptus est.

POPIELVS IVNIOR.

PERACTO soleñi ritu Popieli funere, filius eius eiusdem nominis impubes etiamtum, principatui concordi patruorum, procerumq; uoluntate inauguratur, omnibus subiectionem ipsi interposito iureiurando promittentibus. Pupilli tutela, reiq; publicæ administratio, delectis aliquot de numero patruorum, qui maximè idonei uidebantur, mandatur. In regia ij sedulò & ad latus principis esse: causas & controuersias cognoscere ac disceptare: nec ulla in parte deesse reipub. quoad princeps ipse per se publica munera obire posset, siue adeò donec regi se illorum consilijs passus est. Nam cũ pubertatẽ attigisset, quæ maximè lubrica &, pcliuis ad licentiã, uoluptatesq; ętas est, suo iam arbitratu uiuere: patruorũ monita aspernari: cũ æqualib. consilia capere: cõuiuia, compotationesq; largiores cum ijsdem frequentare: in lustris, & in choreis, lusibus & amplexibus puellarum pernoctare: deinde crapulæ, stuprique plenus ad multam diem stertere, rempublicam. iudicia & querimonias hominum negligere: ad res agendas ineptus, ingenio nullo, stipes, caudexque: indeque omnibus iam erat despicabilis, ita ut Chostek, uulgò per contemptum appellaretur, cum dissolutos & perditos mores eius deformis facies, rarus in capite & in barba pilus, quales ferè lasciui sunt, magis etiam deformaret. Capiunt patrui cum alijs proceribus consilium, quonam modo tam dissoluta illa principis sui uita, tamq; profligata licentia refrenaretur: uxorem ei dant eleganti forma puellam, Teuthonici principis cuiusdam filiam. Et uidebatur sanè mulier auara & ambitiosa mariti uitam ad meliorem frugem reductura, torporemq; ignauo excussura. Sed res aliter cecidit: nimirum, ut nihil ille de flagitijs & nequitia sua remitteret: quibus uerò uitijs antea caruisset, uxoris consuetudine ea sibi adiungeret. Nam & auarior factus, decreta honores atque magistratus uendebat: & cum uirtute ac dignitate non posset, quotidianorum peccatorum suorum sibi conscius, fastu & crudelitate principatum sibi stabilire: & metui à suis uolebat, cum amari non mereretur. Atq; hæc omnia uxore & impellente, & sequestra faciebat. Quæ degustata semel dominatus atq; lucri dulcedine, despectaq; uiri inertia, muliebri astu imperium omne ad se transtulerat: maximè cum duobus filijs Lecho & Popielo aucta, mollem uiri animum amore sui penitus adstrictum teneret, & firmum, perpetuumq; apud Polonos dominatum suum fore, sibi persuaderet. Vnus obstabat scrupulus, patruorum uiri sui gratia, & authoritas apud multitudinem, integritate uitæ, grauitate morum & prudentia collecta. Hos metuebat: hos iam blandius admonentes, iam liberius obiurgantes oderat: horum tacitam etiã conscientiã pertimescebat. Itaque uiros eos quàm maximè potest suspectos & inuisos, confictis etiam criminibus, reddit: persuadet, illis uiuis & incolumibus, principatum ipsi certum, firmũque esse non posse. Quem si retinere ipse uellet, & liberis suis relinquere, tolleret patruos de medio. Si ipse animi satis ad id facinus non haberet, sibi mandaret eam prouinciam: illos armis atque uiribus, se dolis instructiorem esse. Confecturam se negocium sine ulla populi offensione, siue adeò suspicione. Quibus dictis, facilè ægrum atque timidum uiri animum in deteriorem partem impulit. Initur necandorum illorum ratio. Grauem & periculosum morbum princeps simulat. Patruos neci destinatos acciri eius nomine uxor iubet: conueniunt sine mora: circumstant mœsti ægrotum principem: consolantur. Ille morbi magnitudinem gemitu assimulabat: adesse uitæ suæ finem, diuinitùs sibi indicatum: uxorem paruosque filios illorum tutelæ, fideique etiam atque etiam commendabat. Completur muliebribus eiulatibus, planctibus & lamentis regia: parantur funebres exequiæ, ipso iubente principe. Absumpto in his die, cum iam ad occasum sol tenderet, princeps patruos quasi moribundus iam dimissurus, nomine quenq; blandè compellat, & in signum amoris & beneuolentiæ suæ erga ipsos, circumferri medicatũ poculum, paratũ ad eam rem, iubet: prægustare se simulat: cæterũ spumã tantũ à medio extantẽ halitu difflat, potũ ne extremis quidem labijs attingit. Cùm omnes bibissent ordine, fingit somno se premi, & uelle quiescere. Discedunt illi, reuerenter salutato principe. Conceptum præcordijs uenenum uitalia membra occupat. Nec mora, de statu mentis dimoti, & furentes maximo eum cruciatu cadunt & exanimantur. Ibi mulier re statim p exploratores nunciata, cadauera insepulta proijci mandat. Insidiatos eos uitę necessarij & bene merentis principis: iusta & euidenti deorum immortalium uindicta percussos, repentè perijsse diuulgat. Quanquam autem liuores corporum, & effusa ruptis præcordijs uiscera, manifestum ueneni indiciũ faciebant, nemo tamẽ indignũ optimorũ princi-

Tutores principis.

Iuuenilia studia & cõsilia.

Chostek.

Auaritia & tyrannis.

Muliebris improbitas.

Muliebre consilium atrox.

Popielus patruos & proceres ueneno extinxit.

Popielus cum uxore & liberis miserè à muribus absumptus perijt.

pum interitum apertè deplorare ausus est, metu tyranni non amplius morbum mortémque simulantis. Sed non sinit inulta esse diu diuinum numen scelera. Nam ex cadaueribus putrefactis enati mures insitatæ magnitudinis, impium parricidam cum scelerata uxore atque liberis fugientem quoquò uersus per aquam, flammamque persequuntur: nec claustra prosunt, aut abigentium satellitum præsidia. Ad extremum diffugientibus omnibus, absumptis prius filijs, deinde uxore, postremus ipse infelix miserabiliter lenta morte consumitur in arce Crusuicia. Ita non cassæ ceciderunt patris eius imprecationes. In hoc tempus incidere uidetur id, quod H. Mutius in annum Christi 823 confert: nempe duos fratres, quos in Saxonia Polonici siue Slauici generis fuisse constat, cum de principatu paterno contenderent, Francofordiam ad Ludouicum Pium imperatorem, Caroli Magni filium uenisse: eoque authore principatum natu minori, concedente maiore, attributum esse, cum eum magis gens illa per legatos expeteret.

823. ann. H. Mutius de Germ. lib. 10. Ludouicus pius imperator.

INTERREGNVM.

Comitia de rege Crusuiciæ.

Polonia tumultuatur.

EXTINCTO, ut iam diximus, Popielo cum uxore & liberis, conuenit magna procerum multitudo Crusuiciam, ad creandum nouum principem. Agitata re aliquandiu, eò quòd uaria essent hominum studia, & ambitiosi quidā magnas post se traherent factiones, infecta tandem disceditur. Ac dum nemo alteri paret, neque cedit, in summa omnium licentia, cædes & latrocinia passim exercebantur, & iustis interdū prælijs inter dissidentes concurrebatur. Nec finitimæ gentes, Germani præsertim, occasionē impunè uel proferendorū finium suorū, uel prædas agendi prætermittunt: diuexatur miserè Polonia. Indicūt iterū primores comitia, cōsultatur diu frustra. Nā non modò non remittūtur, sed intendūtur etiā studia partiū. Non desunt sibi interfectorū Popieli senioris filiorū filij, quasi hęreditariū principatū poscētes. Verū ij quasi nothi, ex nothis certè orti, & indigni qui bene natis imperēt, repellūtur. Iam tanta multitudo, quantā illuc partim ultrò, partim à potētiorib. euocatū cōuenisse credibile est, caritate annonæ atque penuria premebatur. Neque apparebat tn̄, quorsum tanta contentio euaderet, quæque comitiorū exitus futurus esset: cum ecce insperata salus, diuinitùs, si modo non fabulosum est quod memoratur, afflictæ Poloniæ oblata est. Erat Crusuiciæ oppidanus, Piastus nomine, Cassisconis filius, statura infra mediocrem, crassis atque robustis artubus, mediam ætatem supergressus, agello modico colendo & mellificio uitam sustentans, homo simplex & iustus, & beneficus tamen in egenos, atque hospitalis pro modo facultatum suarum. Is ex uxore à suis moribus non aliena, cui Repichæ nomen erat, unicum filium susceperat: eique, uiuente adhuc Popielo, primam comam gentili ritu tonsurus, & nomen impositurus, amicos ad eam ceremoniam atque conuiuium porco mactato, & aquæ mulsæ uase infuso, inuitarat. Priusquam stata dies adesset, fortè obtulerunt ei sese ignoti duo homines habitu peregrino: quos ille, cum regia excluderentur, comiter inuitatos, hilarè domum suam introduxit: instruxit mensam, apposuit affatim ex his, quę ad futurum conuiuium pręparauerat. Ibi res mira & stupenda accidit. Accreuit porcina, redundauit ex uase mulsa: excepit Piastus, uasis admonitu hospitum conquisitis. Iisdemque authoribus nō ciues modò, uerùm etiam principem ipsum (ut tunc minimè fastuosi ac delicati erant principes) cū omni comitatu destinato conuiuio accepit. Eisdem igitur hospitibus sub tempus comitiorum reuenientibus, & iubentibus, Piastus ex tenui pœnu, cellaque sua conuentū illum omnem penuria laborantem, augescente rerum earum, quæ promebantur copia refecit. Quo miraculo animaduerso, uulgatoque, una uoce omnes Piastum non humanis suffragiis, sed diuino iudicio principē sibi dari cōclamant. Fit domū eius cōcursus orantiū, & obsecrantium, labenti reipubl. ut succurrat. Recusat ille. Tandem hospitibus illis suis authoribus assensus, ita ut erat ueste & peronibus ex tiliæ cortice textis indutus, in regiam à primoribus deducitur. Hospites illi perfuncti officio suo disparuerunt. Existimantur autem ij fuisse angeli Dei, beneficentiam & hospitalitatem etiam in alieno à uera religione remunerantis. Neque id magnopere mirabitur, quisquis de Abimelech rege in Genesi, ac de Cornelio centurione in Actis Apostolorum, non omninò dissimilia legerit. Alij uolunt, eos Ioannem & Paulum, quos Iulianus imperator ob Christi nomen & magnas facultates in usus egentium expensas ante aliquot secula necauerat, fuisse: itaque percontanti Piasto nomina sua edidisse, quemadmodum Dlugossus memorat.

Piasti genus et conditio.

Tonsura primæ comæ.

Miraculum.

Beneficentiæ remuneratio.

Ioannes & Paulus martyres.

PIASTVS.

INAVGVRATVS principatui Piastus, non mutauit cum statu uitæ animum. Quin auctus copijs, multum ad pristinam suam beneficentiam atque benignitatem adiecit: uxore non modò non dehortante, uerùm adiuuante etiam. Conquierunt autem sub eius principatu, hostium incursiones: cessarunt & intestina dissidia, cædes & latrocinia, reuerentia magis boni & uigilantis principis, quàm armis, seueritate & supplicijs: præsertim quòd eum dijs curæ esse, & ipsorum non obscuro iudicio in illa reipublic. specula collocatum, certò sibi persuaderent. Nihil enim æquè ualet ad religandos atque denunciandos hominum animos, & ad moderandas, stabiliendasque respublic. quàm religio: quæ pietate & integritate principis maximè excitatur, & continetur. Nam principum diligentiam & animaduersionem multi frustrantur sæpè: legum etiam uincula uel perrumpunt, uel declinant: diuini uerò numinis nemo est qui se uel prouidentiam fallere, uel uindictam effugere posse credat. Hoc ergo præsidio Piastus & bonis charus, & malis reuerendus, & finitimis uenerabilis erat: eodem longam principum, regumque Poloniæ posteritatem permulta secula usque ad Cazimirum secundum, qui Magni cognomen adeptus est, propagauit. Cuius etiam nunc quædam, licet tenues, extant reliquiæ, in Alberto duce Cessinensium in Silesia, & Anna filia Conradi ducis Mazouiæ: quæ non ita pridem cum Stanislao Odrouanzo Palatino Russiæ, iuuene nobilissimo, nupta fuit, eique filiam peperit: quam nuper Ioannes comes Tarnouius, Castellanus Cracouiensis, uir non solum genere illustris, sed etiam peritia rei militaris & rebus bello gestis domi, forisque clarissimus, ætate, consilio ac dignitate facilè princeps senatus Polonici, unico filio suo Ioanni despondit. Nihil autem ad felicitatem Piasto defuisset, si liberos interfectorum à Popielo ducum, qui prælatum sibi in principatu hominem plebeium atque humilem dolebant, & parére ei dedignabantur, ad officium & parendi necessitatem reduxisset. Qui ex eo tempore non modò alieni à repub. Polona, sed hostes etiam Polonis, progenitoribus suis, nonnunquam fuerunt. Abominatus uerò Crusuiciam Piastus, nefario scelere diroque interitu Popieli contaminatam, Gneznam prisci Lechi regiam, domicilium suum transtulit: cumque per multos annos sapienter, clementerque regnasset, senex admodum mortuus est, annum agens centesimum & uicesimum. Per hæc sanè tempora tres fratres Varaij, Ruricus, Sineus, & Trubor, dominari apud Russos septentrionales cœpisse memorantur, partiti inter se principatum, quemadmodum libro primo ex ipsorum annalibus retulimus: nempe circiter annum 6370. à creatione mundi, secundum supputationem ipsorum: qui nobis uidetur esse à Christo nato 861. Apud Australes uerò, tres item, nempe Kius, Saieccus, & Choreuus, cum sorore Libeda, quatuor principatus fundasse, ac de suis nominibus appellasse feruntur, aliquanto antè, ut uidetur. Quorum stirps cum defecisset, post mortem Rurici, Ascoltum ac Dyrum, Kiouiam urbem à Kio conditam, occupasse, & per Pontum inuectos, nauali bello Constantinopolitanum imperium uexare adortos, naufragium fecisse. Deinde Olgum, cui Ruricus, ueluti propinquo, unici filij sui Igori tutelam moriens mandauerat, interfectis illis, Kiouiensem principatum Igoro adiunxisse, & cum Græcis bellum gessisse: & cum amplissima dona ab ijs accepisset, reduxisse exercitum Kiouiam, ibique serpentis seu uiperæ morsu extinctũ esse. Mansit autem deinceps Imperij Russici sedes Kioui. Circa hæc eadem tempora scribit H. Mutius, Ludouicum cognomento Balbum regem Germaniæ, Ludouici Pij imperatoris filium, Caroli Magni nepotem, aduersus Slauos, gentem irrequietam, & rapinis intentam, in Germania bellum gessisse, uictisque pacem certis conditionibus dedisse: principem autem eorum luminibus priuasse, ut homo ferox inutilis ad ciendos motus redderetur. Hunc aliquem de Popieli posteris fuisse oportet. Mutius quidem nomen eius non edidit. Paulus uerò Constantinus Phrygio, Rasliz eum uocat. Sed ad institutum nostrum reuertamur.

Piasti beneficentia. *Religio efficax ad regendam rempub.* *Piasti posteritas.* *Stanislaus Odrouanzus, Pal. Russiæ.* *Ioannes Tarnouius.* *Regia Gneznam rursus translata.* *Piasti ætas.* *Russiæ principatuum initiũ.* *6370. annus mundi secundum Russos. 861. ann.* *Kiouia cõdita.* *Russorũ bellũ cũ Græcis.* *Olgus.* *Igorus.* *Kiouia sedes Russici imperij.* *H. Mut. lib. 11.* *Ludouicus Balbus rex German.* *Germ. bellum cum Popieli nepotibus.* *Rasliz dux excæcatus.*

ZEMOVITVS.

SVCCESSIT Piasto unicus filius Zemouitus, cuius uicaria opa uiuẽs adhuc & senio cõfectus pater in bellis & grauissimis qb. negocijs magno omniũ fauore & bñuolẽtia usus erat: uir impiger, & ad rẽ militarẽ factus, æstus iuxtà ac frigoris, laboris & inediæ patiẽs: somni parcissimus: uictu, cultuque corporis non multũ à grega-

Principis uirtutes.

rijs

ijs militibus differens: alieni abstinens: de suo munificus: facilitate & liberalitate, militum, procerumque studia & uoluntates tenere solitus: in animaduertendo, si quando necesse erat, lenis: noctu excubias ipse per se crebrò obibat. His artibus atque studijs summam sibi hominum suorum charitatem comparauerat. Principatum post patrem adeptus, constituta primùm disciplina militari, creatoque magistro militiæ, & ordinum ductoribus, ex ijs quos maximè dignos & idoneos nouerat, ad recuperanda ea quæ Vngari, Morawi & Germani sub Popieli principatu inuaserant: neque ad eam diem recuperata erant, totum se conuertit: easque res ex animi ferè sui sententia confecit, eo quidem minore negocio, quòd eæ tunc gentes inter se belligerabant. Morawi enim bello exagitati à Ludouico Balbo rege Germaniæ, post mortem eius, Suatoplugo rege, qui primus cum ea gente Christo nomen dedit, ductore, Germaniam uehementer afflixerant. Contra quos Arnolphus Imperator, idemque successor Ludouici in regno Germaniæ, Vngaros in auxilium euocauit: qui profligatis Morauis, & rege eorum interfecto, cum sibi merita stipendia ab imperatore non exoluerentur, magnis deinde & ipsi cladibus Germaniam affecère. Sic igitur distentis Morauis, Vngaris atque Germanis, facile fuit Zemouito ab ijs sua recuperare, ac plura etiam, de Morauis præsertim, capere, & regno suo adijcere: cum Suatoplugus, quemadmodum Venceslaus Hagecus memoriæ prodidit, filium Suatoboium, è sorore Arnolphi susceptum, iuuenem admodum reliquisset: atque is ob impietatem in Deum, & acerbitatem in sanctum Episcopum Methodium, Christianæ religionis in Slauorum natione propagatorem, afflictus, & suis exosus, in solitudinem & auias syluas sese subduxisset. Vbi etiam pœnitentia anteactæ uitæ compluribus annis religiosè peracta, uitam finiuit: & moriens demum, tribus instituti eiusdem socijs, quinam esset, indicauit. Et in eo Morauorum regnum finem accepit, à Germanis, Vngaris, Bohemis & Polonis, discerptum. Sic igitur prosperè ab ea parte rebus gestis, Zemouitus à Prussis quoque, quæ ij superiori tempore de Polonis cœperant, bello repetiuit. Ad extremum Pomeranorum & Cassubiorum, & Vinidarum, siue Slauorum ducibus, Popieli senioris nepotibus & posteris, qui à patre suo defecerant, bellum infert: quod quidem illi, locorum difficultatibus magis quàm uiribus freti, diutius extraxerunt: domitique essent ad extremum, nisi Zemouitus rebus humanis, Gneznæ moriens, exemptus esset, altero & tricesimo principatus sui anno.

Morawi Germaniam uexarunt. Morawi Christiani facti. Arnolphus imperator. Vngari Morauiam, ac deinde Germaniam infestarunt. Morauia direxata. Suatoboius, Morauorum rex Monachus factus. Morauorum regni finis. Zemouitus de Prussis sua recuperauit. Pomeranis & Cassubijs illatum bellum à Zemouito.

LESCVS QVARTVS.

MAGNO tam boni, tamque bene merentis de republic. principis desiderio ducti proceres, filium eius unicum, cui Lesco nomen erat, in principatu ipsi surrogant adolescentulum, eique custodes & moderatores consiliorum primores aliquot adiungunt. Quorum incuria & ignauia bellum aduersus Pomeranos, Slauos, & Cassubios à Zemouito susceptum, & nonnullo iam successu prospero gestum, intermissum est. Quod ne ipse quidem Lescus postea cum adoleuisset, unquam prosecutus est, quietis & ocij, quàm bellicæ gloriæ amantior: contentus eo, quem à patre per manus acceperat, principatu. Quin & ipse, & filius eius Zemomislus, de quo mox dicemus, habuit eos derelictui, cum Germanis bellum gerentes. Itaque uehementer ij tunc diuexati sunt, & attriti, quemadmodũ Vitichindus memorat, ab Henrico Cæsare, siue rege Germanorũ, qui Cõrado successit: & nõnulli ex ijs cũ deditionẽ fecissent, tributarij facti, Zorelicia siue Brãdeburgũ & Grona urbes captę. Cumque paulò pòst quidam ex eis rebellassent, apud Lunchinos urbem maritimam ab exercitu & legatis eiusdem regis ad internecionem profligati sunt, ita ut ad ducenta millia hominum eo prælio perijsse putarentur. Bohemi quidem duce Venceslao, uiro pio & sancto, in fide regis Henrici permanserunt, donec Boleslaus, interfecto per summum scelus fratre Venceslao, dominatum inuasit, & Ottoni eius nominis primo Cæsari, Henrici filio, semel atque iterum rebellauit, Germanos magna strage uicit, Bohemiaque eiecit. Sed & ipse tandem bello fractus, & Brandeburgum cum omni regione Slauorum citra Odram, proditione Tugumiri ducis pecunia corrupti, in potestatem Cæsaris reuenit. Nec ita tamẽ gens ea quieuit, & Germanorum iugum pertulit, quin subinde eis negociũ facesseret. Lesco certè Polonorũ principi, & Zemomyslo filio nihil horũ curæ fuit. Tametsi Venceslaus Hagecus, subegisse Lescum hunc Pomeranos, & Polonis adiunxisse scribit. Et fieri sanè potuit, diuisa in tot principatus ea gente, ut alij cum Germanis bellum gererent, alij subigerentur à Polonis. Principa-

Consilij regij moderatores ignaui. Vitich. Saxo. lib.1. Henricus Cæsar. Poloni occidentales debellati à Germanis. Brandeburgũ & Grona à Germanis capta. Bohemi tributarij Cæsarib. S. Venceslaus. Otto Cæsar. Vitich. lib. 2. & 3. Brandeburgũ proditione receptum à Germanis. Pomerani à Polonis subacti.

cipatum quidem, iustè, continenter & clementer, magna ciuium beneuolentia complures annos gessit Lescus, ut uult Dlugossus: qui eum senem obijsse, & adultum filium reliquisse, scribit. Quod si uerum est, pauciores ergo Zemouitus regnauit, aut multo ante nongentesimum uicesimum primum, ut idem uult, regnare cœpit. Nos quidem potius desiisse eum tunc regnare credimus: nisi Hagecum sequi malumus, qui Zemouitum anno Christi nongentesimo sexto uult obijsse, cum uiginti annos regnasset: aut nostrum quendam anonymum, qui Lescum hunc anno 913 post Christum natum obijsse, & Zemomyslum filium ei successisse memorat. Alioquin non quadrabit ratio temporum ad posteriorem supputationem, quæ certior est apud nos ex eo tempore, quo Polonia religionem Christianam suscepit.

Lesci moderatio. *Temporum ratio.* *921. ann.* *906.* *913. ann.*

ZEMOMYSLVS.

SVCCESSIT Lesco patri Zemomyslus, probus & ipse, lenis, beneficus, hospitalis, & quietis amans, quas uirtutes quasi hæreditarias à maioribus suis habebat. Sed non alia re nobilior, quàm filio. Nam cum aliquot annis, nullos ex uxore susciperet liberos, nascitur ei tandem filius: sed cæcus. Quæ res ipsi breui gaudio delibuto, maioris mœsticiæ causa fuit, præsertim cum uxor uno illo partu edito, parere desijsset. Septimum annum puer attigerat, quo prima coma pueris gentili ritu attonderi, & nomen imponi solebat. Adsunt ad celebritatem frequentes proceres, epulantur cum principe mœsto, & sortem suam, orbitatis non ita multum dissimilem, deplorante: mœsti & ipsi, & principis uicem dolentes: cum ecce insperata omnibus affulsit lætitia. Puer absque ulla medicorum, aut cuiusquam omnino ope, lucem aspexit. Nec mora, uidentem mater exultans ad patrem in conuiuium adducit. Conuiuæ miraculo attoniti, effuso gaudio principibus, sibi & reipublic. tantum bonum diuinitùs oblatum certatim gratulantur: festum diem largioribus inuitationibus, concentibus, plausibus, choreis, acclamationibus, & omni iucunditate instaurant. Puero, Miezislao, quasi qui gladio gloriam sibi pariturus sit, nomen inditum, ut uult Dlugossus: is postea à matre & pedissequis blandius, ut fit, Mesco uocitatus est. Vincentius cum cæcum adhuc, cum tonderetur, ex tumultu atque turbatione ominosè Miescam appellatum, idque nomen postea boni ominis gratia in Miecislaum in baptismo commutatum esse scribit. Zemomyslus peracto conuiuio, splendidè remuneratis ac dimissis proceribus, diuinos & ariolos de filij successibus, & quid portenderet, quòd is cæcus natus, tanto interuallo uidere cœpisset, sciscitatur. Respondent illi, Poloniam eius principatu illustratam iri. Accuratè igitur puer, & ut principe dignum est, iussu patris educatus est. Quamdiu uerò Zemomyslus regnauerit, non constat sibi Dlugossus, qui octo tantum annorum principatum ei tribuit: & ad Piasti tamen proaui ætatem, perducto ad maturitatem filio, peruenisse eum, & anno Christi nongentesimo sexagesimoquarto obijsse scribit. Venceslaus, supra quadraginta annos uult cum regnasse. Sed iam hic liber unà cum Zemomysli, qui mortuus Gneznæ sepultus est, principatu finem habeat. Alterius initium à mutata religione, quemadmodum par est, faciemus, pauca prius de prisca Polonorum & Slauorum religione præfati.

Zemomysli uirtutes. *Mesco cæcus natus.* *Miraculum.* *Miezislai etymologia.* *Miessca.* *Arioli.* *964. ann.*

DE ORIGINE ET REBVS GESTIS POLONORVM, LIBER TERTIVS.

DE RELIGIONIBVS PRISCORVM POLONORUM *& Slauorum, & religione Christiana ab ijs suscepta.*

Religiones falsæ. *Gradus impietatis.* *Christiana religio.* *Iesus Christus.* *Apostoli.*

TOTVS quidem penè orbis terrarum iam inde ab initio propemodum humani generis, post maximum illud uniuersæ terræ diluuium, fallacium dæmonum fraude inductus, ueram unius ueri Dei religionem, impio multorum & falsorũ deorum cultu & superstitione commutauerat: mortuos homines primùm propter merita & beneficia accepta: deinde impios dæmonas, ementitis miraculis & prodigijs, hominum oculis atq; mentibus sese insinuantes: postea solem, lunam, & eximia quæq; naturæ, Deiq; opera ueneratus: deinde uerò mutis etiam animantibus, feris, beluis, atq; serpentibus, cepis atq; allijs, & ad extremum, nullum exitum inueniente insania, sculptis, fictis, pictisq; humana arte simulachris, diuinum honorem impertitus. Verùm eas tenebras tetras & horribiles, IESV CHRISTI Dei, hominisq; benignitas, post multa secula quasi lux clarissima cœlitùs affulgens, dispulit: dimissis quoquo uersus certis hominibus, omnium, præter uitæ integritatem, miraculorumq; & inspiratæ diuinitùs doctrinæ efficaciam, egenis: qui genus humanum dęmonum fallacia pessundatum, ab errore ad ueritatem, à scelere ad innocentiam, à nequitia ad sanctimoniam, deniq; à falsorum deorum innumerabili multitudine, & abominandis ritibus, ad unius ueri Dei agnitionem, & rectam, sanctamq; religionem reducerent. Sed enim à Slauis, cæterisq; Septentrionalis plagæ populis diutiùs, quàm ab alijs gentibus, inueterata illa de multis dijs opinio & superstitio retenta est, cum propter barbariem & feritatem, ut equidem existimo, difficilis ad eos externis hominibus esset aditus: nec uerò multũ homines militiæ & bellis dediti, de religione disquirerent. Colebant itaq; pro dijs Poloni, & cæteræ Slauici nominis gentes, præcipuè Iouẽ, Martẽ, Plutonẽ, Cererem, Venerem, Dianam: quos Iessam, Ladum siue Ladonem, Niam, Marzanã, Zizililiam, Zieuanam siue Zieuoniam, uocabant. De his eadem quæ cæteri homines ferè sentiebãt: his delubra, lucosq; dedicabant: his simulachra & sacerdotes consecrabant: his libabant, his imolabant: his festos dies epulis, choreis, plausibus, cantibus, lusibusq; uarijs indulgentes, agebant. Quem ritum festorum dierum Dlugossus usq; ad suam tempestatem, aliquot post susceptam religionem Christianam seculis perdurasse memorat. Solitos enim uiros & mulieres, senes & iuuenes, ad lusus & choreas pariter conuenire ijs diebus, quos nos Pentecosten uocamus: eumq; cœtum, Stado, quasi gregem uel armentum appellatum esse. Nec scio an hoc sit, quod Russi & Lithuani, præsertim in pagis, adhuc retinent, dum Ladonem choreas ducentes, & manibus complodentes, ingeminant. Fuisse uerò Gneznæ sanctissimum Niæ siue Plutonis templum, idem Dlugossus refert. Adhæc autem Ziuie, quasi tu dicas uitalis (aura nimirum) Pogoda, hoc est, serenum, siue temperies: Pochuist, quam Miechouiensis auram, nos intemperiem interpretamur (indeq́ue Pochuiscel à Mazouijs adhuc cœli intemperies dicitur) Polonis dij fuêre. Sunt qui his addunt Lelum & Polelum, quos in conuiuijs & compotationibus appellari adhuc audimus, eosq; Castorem & Pollucem esse autumant. Pior unum autem, hoc est, fulmen, & Stribum, & Chorsum, & Mocoslum Russi peculiariter coluêre, ut proditum est eorũ annalib. In hoc igitur errore & uana superstitione hęc natio diu perstitit. Primi Slauorum Bulgari, Nicolao eius nominis primo Pontifice maximo, post annum Christi octingentesimum sexagesimũ: hinc minus q̃ triginta annis interiectis, ꝓximi his Rascij, Serbi, Bosnenses, Croatæ, Dalmatæ, Illyrici, Suatoplugo siue Sueropilo, ut est apud Blondum, regnante, religionem Christianam, cultumq; ciuiliorem à uicinis Græcis & Italis acceperunt. Venceslaus Bohemus Suatoplugum hunc apud Morauos, Velegradi domicilium habentem regnasse, & cum ea gente Christo nomen dedisse, eiusq; opera Boriuoium Bohemorum

Slaui diutiùs falsas religiones retinuerunt. *Polonorum & Slauorum dij falsi.* *Ludi prisci in Polonia.* *Stado.* *Niæ templum Gneznæ.* *Pochuiscel.* *Russorum dij.* *Bulgari Christiani facti. 860. ann.* *Rascij, Serbi, Bosnenses, etc.* *Suatoplugus.* *Morraui.* *Velegradum.*

morum ducem & ipsum Christianum factum esse, et uxorem Ludimilam gentemq; suam in eandem sententiam adduxisse, circa annum Christi nongentesimum, memorat. Dlugossus uerò tres duces Slauorum, Roscislaum, Suatopolcum, et Cocelum à Græcis Christianæ religionis leges accepisse uult circa octingentesimum annum, imperantibus in oriente quidem Michaële, in occidente uerò Arnolpho, qui pediculari morbo perijt. Nos Blondum & Sabellicum, utpote diligentiores, & qui magis sibi constant, quàm Dlugossum in supputatione horum temporum sequi malumus. Præclaram autem his populis nouæ religione imbuendis operam nauarunt Methodius & Cyrillus episcopi: à quibus & illud perfectum est, assentiente pontifice maximo, ut Slauis sua lingua in sacris uti liceret. Aliquanto post Rufsi, imperantibus apud Græcos Basilio & Constantino fratribus, Ioannis Zemiscæ filijs, post nongentesimum octogesimum annum à Christo nato, hoc est, 6497. ab orbe condito, ut ipsorum annales habent, publicè ad eandem religionem accessêrunt, cum Volodimirus dux eorum Suentoslai, siue ut alijs placet, Stoslai è concubina filius, sororem imperatorum in matrimonium, & magistros religionis Græcos accepisset: ac Metropoliten quidem Kiouiæ, Archiepiscopum uerò Nouogrodi, in alijs autem urbibus episcopos, à Constantinopolitano patriarcha sacris initiatos, collocasset. Itaque ergo Græcos ritus ex eo tempore Rufsi mordicus retinent. Tametsi Olga siue Helena Volodimiri huius auia aliquanto antè, post Igori mariti sui mortem profecta Constantinopolim, Zemisce imperãte Christiana facta erat. Lambertus Schafsnaburgensis, qui ante quingentos ferè annos chronicon rerum Germanicarum annotauit, scribit, anno Christi nati 960. Rufsiæ gentis legationem ad regem Ottonem primum uenisse, orãtem, ut sibi episcopus aliquis, qui religionem Christianam apud se docendo propagaret, mitteretur: missumq; esse Adalbertum, qui uix manus eorũ effugerit. Sed hallucinatur Lambertus. Venceslaus Hageceus, à Bohemis eum episcopum nominatim expetitum fuisse memorat, sed iam longè ante Christianis. Et adijt is quidem Vngariam & Poloniam, quemadmodum & nos suo locò attingemus: uerum & aliquanto posterius, quàm uult Lambertus, & post susceptam ab ijs populis religionem Christianam, Rufsiam nunquã adijt. Prufsiam adijt quidem, sed nõ expetitus: neq; manus eius gentis effugit, quod nos inferius narrabimus. Certiora sunt, quæ Rufsi ipsi de se memoriæ prodidêre, qui Volodimirum adhuc impio dæmonum cultui deditum, misisse exploratores ad nonnullas gentes ferunt, cognoscendarum religionum gratia: Christianamq; ipsi in primis apud Græcos & Constantinopolitanos placuisse. Aliquanto autem ante Poloni Miezislao authore, & ipsi Christo nomina dedêre. Quod quomodo & quando factum sit, omissis ijs quæ superius attigimus, cum ipsius Miezislai principatu pariter prosequemur.

MIEZISLAVS.

Peracto Gnesnæ solenni ceremonia Zemomysli funere, Miezislaus filius principatum suscepit: & iustè quidem administrabat, sed tamen infra spem omnium diuinorumq; uaticinia, quorum superiori libro meminimus: ex quibus præclarum quiddam & eximium Poloni de ipso sibi uulgò pollicebantur. Vxores septem barbarico more duxit: ijsq; & libidini suæ liberius indulgens, nullos suscipiebat liberos. Erant iam tunc inter Polonos nonnulli, qui peregrè reuertentes à Bohemis & Morauis, religionem Christianam domum referebant. Erant & externi partim in ministerio & comitatu principis, partim mercaturam in Polonia exercẽtes, partim etiam in recessibus syluarum & solitudinum, quo liberius cultui diuino uacarent, degentes; Christiani nõ pauci. His monentibus atq; suadentibus, & religionis Christianæ ueritatem, castitatemq; prædicantibus, posteritatem deniq; & felicitatem principi, si eam religionem amplecteretur, pollicentibus, Miezislaus priores uxores dimittit, Dambrouucamq; Christianam, Boleslai primi Bohemorum ducis filiam uirginem, de consilij sententia nouo matrimonio sibi iungit. Libet autem hic Dambroscæ huius ac Bohemorum ducum genus paulò altius repetere. Premislus rusticus Bohemorum princeps, Nezamislum filium è Lebussa susceptum, successorem reliquit: huic Mnata filius successit: hunc porrò Voien filius, quem Aeneas Syluius Vorcium uocat, excepit: post hunc filij Cresomyslaus & Vvratislaus principatum inter se partiti sunt, ita ut Cresomyslo Vuisegradensis, Vvratislao Lucẽlis siue Zatecensis cederet. Huic Vvlastislaus, illi Neclan, hij successere. Neclan porro, uicto & interfecto Vvlastislao patruele, & filio eius Zbislao puero, Tunngi curatoris fraude sublato, principatum Bohemorum redintegrauit, hũc Hostiuitus filius excepit: cuius filius Bo

Oo riuoius,

Borziuoius & Ludimila 900. ann.

Methodius & Cyrillus episcopi.

Slauicæ linguæ usus in sacris.

Rufsi.

Ioannes Zemisces imp. Constantinop.

980. ann.

6497. mundi annum secundum Rufsos.

Rufsi Græcorum sectam amplectuntur.

Olga.

Lãb. Schaffnaburgensis error.

960.

Adalbertus episcopus.

Poloni Christiani.

Vxores septẽ.

Christianismi occasio apud Polonos.

Dambrouuca Bohema Miezislai uxor.

Bohemorum ducum propago.

riuoius, primus Bohemorum principũ, cum uxore Ludimila, quemadmodum superius attigimus, religionem Christianam in Bohemia fundauit: priuatamq; uitam secutus Spitigneo filio natu maiori, deinde eo breui sine liberis uita defuncto, Vratislao minori principatum concessit. Hic autem è Dragomira uxore impia, & à Christiana religione aliena Vẽceslaum & Boleslaum filios suscepit: quorum hunc mater, illum auia, suis utrasq; moribus conuenienter cum educasset, patre mortuo sic ij diuisêre dominatum, ut Australem oram ad Albim usq; Venceslaus, inde porrò septẽtrionalem Boleslaus obtineret. Sed crudelis & impius Boleslaus, pio, sanctoq; fratre per dolum interempto, redintegrauit rursus principatum: & ex Brena uxore Boleslaum filium, et hanc istam, de qua nunc agimus, Dambrouucam suscepit. Quæ posteaquam Gnesnam splendido comitatu aducta est, Miesca siue Miezlaus princeps, baptismo, ut conuenerat, ritu Christianorum initiatur, & subsequẽtib. diebus nuptias magna celebritate peragit, año Christi nõgentesimo sexagesimo quinto, deinde Bohemos, q nouam nuptã deduxerant, honorificè habitos, & splendidè donatos, remisit. Mox, totum sese ad propagandam per omnem principatum suum religionem, hortante & adiuuante uxore, conuertit. Basilicas nouem diuersis locis ædificat, easq; suppellectili omnis generis preciosa ornat, censibus & possessionibus locupletat, & in diœceses distributas, duas quidem ex his Archiepiscopis, nempe Gnesnensem & Cracouiensem: reliquas uerò, hoc est, Posnaniensem, Smorogouiensem, quæ postea Bicinensis, ac demum Vratislauiensis dicta est: Crusuiciensem, quæ Vvladislauiam successu temporis translata est, Plocensem, Culmensem, Lubussensem, & Camenensem, singulis episcopis attribuit: ijsq; decimas omnis generis frugum, de suis iuxta, ac nobilitatis plebisq; agris edicto perpetuo adscribit, ita quidem, ut eæ decimæ post messem ab ijs qui dant, ad constitutum locum comportentur. Quãquam annonymus quidam uetustus rerum Polonicarum annotator, uerius quàm scriptor, Cracouiæ quoq; initio non Archiepiscopum, sed episcopum uult esse cõstitutum: deinde uerò Aaronem abbatem Tinecensem à Benedicto papa nono primum Archiepiscopum Cracouiensem renunciatum esse: eam uerò prærogatiuam successorem eius proximum, Lampertum Zulam, neglexisse. De Culmensi quoq; episcopa Dlugosso non assentior. Longè posterius enim eam conditam esse, ac de Plocensi quasi deductam, certa extant monumenta literarum cùm alibi, tum in archiuio regio Cracouiensi, quemadmodum suo loco indicabimus. Nisi fortè initio quidem à Miezislao conditam, posterius uerò à Prussis subacta ea regione deletam, ac deinde à Conrado Masouiorum duce denuò resuscitatam potius, quàm conditam fuisse, existimare uolumus. Vtut est, tunc quidem primùm episcopæ & basilicæ in Polonia conditæ, & solenni ceremonia dedicatæ sunt. His autem rebus perficiendis Aegidius Cardinalis episcopus Tusculanus, Ioannis tertij decimi Põtificis Max. qui per illud ipsum tempus Leoni octauo successerat, legatus præfuit: qui primos Archiepiscopos & Episcopos Italici, nec scio an quosdam Gallici & Germanici generis fecit, cum nostri rudes adhuc essẽt, & nouitij. Additi sunt & inferiores sacerdotes, qui partim socij & consiliarij, partim administri essent Episcoporum, quos uulgò Prælatos & Cannonicos, & plebanos, siue parochos, seu rectius parœcos dicimus: quibus etiam possessiones à principe, & locupletioribus quibusq;, ac certæ decimæ ab Episcopis attributæ sunt: templaq; in oppidis & pagis permulta, studio pietatis certantibus inter se cunctis, extructa. Horum itaq; opera studio atq; diligentia religio Christiana celeriter magna cœpit incrementa in Polonia, præsertim cùm alij muneribus & honoribus à pio principe ditionem suam omnẽ eius rei gratia circumeunte, allicerentur: alij minis adigerentur: deorum simulachra ubiq; in oppidis atque uillis confringerentur, comburerenturq; & uani priscę superstitionis ritus atq; ceremonię abolerentur à magistratibus edicto regio, constituta ad eam rem publicè peragendam septima die Martij. Repræsentari autem eius rei memoriam etiam sua ætate Dlugossus testatur, quòd in pagis quibusdam, simulachra Marzanæ & Zieuoniæ contis præfixa, (uel ut nos è maioribus natu didicimus, trahis imposita) cum querulo & lugubri cantu uulgò in pompa gestari, & in paludem uel in flumen abijci soleant, ea die, quæ est quarta Dominica Quadragesimæ. Dum in his totus est Miezislaus, nascitur ei filius ex uxore Dambrouuaca, anno Christi nongentesimo sexagesimoseptimo, ut uult Dlugossus: eiq; apud sacrum fontem aui materni Boleslai, qui per idipsum tempus è uiuis excesserat, nomen imponitur. Adulto deinde, pater uiuens adhuc uxorem accepit Iuditham, Geisæ siue Iesse Vngarorum principis affinis sui filiam, ex priore uxore susceptam. Nam ea mortua, sororem ei suam Adleidam Miezislaus in matrimoniũ collocarat: à qua persuasus Geisa, cum

Borziuoius dux Bohemorum primus Christianam religionem fundauit in Bohemia.
Diuersæ educationis diuersi fructus.
Venceslaus a fratre occisus.
Dambrouucæ parentes.
Miezislaus fit Christianus. 965. ann.
Religionis propagandæ cura.
Episcopæ & Basilicæ primæ in Polonia.
Decimæ episcopis attributæ.
Cracouiæ Archiepiscopus.
Culmensis episcopa quando condita sit.
Legatus Pontificis Max.
Episcopi Itali in Polonia.
Sacerdotes inferiores.
Parœci.
Religionis propagandæ studium in Miezislao.
Simulachrorum demersio.
Boleslaus natus 967. an.
Boleslai uxor Iuditha.
Adleida Miezislai filia.

Vngaris suis Christianam & ipse religionem quinto post Polonos anno suscepit, quemadmodum Dlugossus & Vapouius memorant. Vngari annales nullam Adleidæ huius, aut omnino alterius uxoris Geisæ, mentionem faciunt: sed eum Christianum iam ante factum, Vngaros ad suscipiendam religionem eãdem adduxisse, & ex Ascolta Giulæ Transsyluanorum ducis filia Stephanum filium, & hæredem reliquisse. Quãdam autem certam eius temporis historiam Vngari non habent, nec satis sibi constat etiam in temporum ratione Bonfinius: nos tamen litem hanc non dirimemus. Illud quidem constat, uel eodem tempore, uel certè paulo posterius Vngaros quàm Polonos, populariter cum suis principibus Christo nomina dedisse, Stephanumq; Geisæ filium a diuo Voiecho siue Adalberto (de quo paulò post plura narrabimus) primis Christianorũ mysterijs initiatum, uel certè confirmatum esse, anno post CHRISTVM natum nongentesimo nonagesimo. Anno 974 narrat Dlugossus acrem & niuosam hyemem à principio Nouembris usque ad æquinoctium uernum in Polonia perdurasse. Tertio autem ãno pòst, Dambrouucam rebus humanis exemptam esse, quæ serto & corona redimita incedere, nec unquam uelare caput solita sit. Pijs autem & quietis consilijs ferè principatum suum Miezislaus annis triginta quinq; administrauit: præter, quod cum Volodimiro Russorũ duce, ditiones suas inuadente, necessarium bellum gessit, successu quidem uario, iam huc, iam illuc inclinante uictoria, euentu uerò non satis prospero. Nam Præmisliam, Ceruenũ, & aliquot prætereà arces & oppida à Volodimiro capta amisit. Quò planior autem decurrat historia, non abs re fuerit, Volodimiri genus paucis repetere: a quo Kiouiensiũ, ac totius Russiæ duces, cum quibus multa bella nostri gesserũt, orti sunt. Iorus, siue Igor Rurici filius, Kiouiæ ac Nouogrodij principatũ obtinens, multa cum Græcis Imperatoribus bella prospero euentu gessit: ictoq; cum eis fœdere, à Dreflianis populis (qui nescio an Bulgari sint) cum grauibus tributis eos premeret, Corostani interfectus est. Quanquam Luitprandus Ingerum Russorum regem (sic enim ille eum appellat) cum ingenti classe uenientem à Romano imperatore Constantinopolitano nauali prælio uictum, et magna strage repulsum esse prodidit. Post Iori mortem circa annum Christi 950. uxor eius Olga uidua principatum aliquandiu administrauit: Dreflianosq; dolo ulta, Stoslao filio, cum adolescuisset, principatum tradidit: et Constantinopolim profecta, Ioanne Zemisce impetrante, religionem Christianam suscepit. Stoslaus uerò, nequicquam suadente matre, ut ipse Christianus fieret, in impietate perseuerans, septuaginta arces secundum Danubium cepisse fertur: reuocatusq; a matre Pecinigos (quos Vapouius Peucinos, eius oræ, qua Danubius in Põtum influit, populos esse uult) ditionem suam infestantes, et Kiouiam obsidentes, repressit. Sed ab his deinde, cum eis uicissim bellum inferret, cæsus est. Viuens autem principatum inter filios Iaropolcum & Olgum, ex iusta uxore natos, partitus erat: Volodimirum porrò è Malussa concubina susceptum, Nouogrodensibus petentibus principem dederat. Sed non diuturna mansit concordia inter fratres. Post mortem enim patris, & annum Christi 971. Iaropolcus Kiouiensium dux Olgo fratri Pereaslauiensium duci bellum intulit, incitante Suenceldo, qui principem gratiæ honoris locum apud Iaropolcum obtinebat, quòd filium eius Olgus interfecerat: Olgoq; suorum perfidia perempto, dominatum eius in potestatem suam redegit. Nec multò post ipse quoque Iaropolcus à Volodimiro per speciem colloquij euocatus, similem exitum habuit. Volodimirus uerò paterno principatu omni potitus, finitimos Bulgaros, Croatas, Viaticos, Dulepios, & Iazygas, quos Iazuuingos nostri uocant subegit, ac tributarios sibi fecit. Cum Piecinigis quoq; prospero Marte bella gessit. Imperatoribus Cõstantinopolitanis Corsunum urbem Ponti, quam Chersonesam uocat Sabellicus, eripuit: ductaq; in matrimonium Anna sorore imperatorum Basilij & Constantini, & religione Christiana suscepta, reddidit. Quibus successibus elatus, proximas Polonorum ditiones adortus est, & quas dudum memorauimus munitiones, anno Christi nongentesimo octuagesimo quinto, de ipsis cepit, quemadmodũ Dlugossus scriptum reliquit. Russorum annales nullam cuiusquam expeditionis Volodimiri huius contra Polonos mentionem faciunt. Venceslaus autem Hagecius memorat, Miezislaum, uiuente adhuc Boleslao pio Bohemorum duce, Dambrouucæ fratre, anno Christi 974. crebris incursionibus Bohemiam tunc infestasse, cum Volodimirus illas munitiones Polonorum, in potestatem suam redegit. Cõtra quẽ cũ Miezislaus, Bohemis omissis, duxisset exercitum, & bello illo Russico distineretur, Boleslaum magnas Bohemorum copias duce Crasata Suchoradio in Poloniam immisisse, & cùm alias munitiones, tum Cracouiam expugnasse, & præsidijs muniuisse: sexto demum anno pòst, cum

Vngari Christiani facti.
Bonfinius.
Stephanus Geisæ regis Vng. filius.
974. ann. hyems aspera.
Dambrouuca mortua.
Russicum bellum.
Præmislia amissa.
Russorum principum stirps. Igorus.
Dreflani.
Corostanum.
Luitpran. rerum per Europam gest. lib. 5. c. 6.
950 ann. Olga uidua Constantinopoli facta Christiana.
Stoslaus.
Pecinigi.
Iaropolcus.
Olgus.
Volodimirus dux.
971. ann.
Volodimiri res gestæ, & uxor.
Sabel. Ennead. 9. lib. 2.
Russi Polonorum fines infestarunt.
985. ann.
Hagecij error.
Bohemicum bellum.

Boleslao pio Bohemorũ principi extincto, filius Boleslaus tertius in principatu successisset, à Miezislao et Boleslao filio eas recuperatas esse, eiectis & ad internecionẽ cęsis Bohemis. Sed uiderit Hageccus, quem secutus sit authorem in eo, quod Miezislaum, mitem & quietis amantem principem, nulla iniuria prouocatum, cum affine suo Boleslao bellum gessisse uult. Nostrorum quidem nemo quicquam eiusmodi memoriæ prodidit. Viuchindus uero etiam adiutum esse à Boleslao socero, Misicam ducem (sic fortasis ille Miesconem appellat) Ottonis imperatoris amicum contra Vigimannum, & cõcitatos ab eo Vuloinos Slauos, indicat. Nisi fortè alius à Miezislao nostro hic est Misica, unus fortè de posteris Pupieli: quem Viuchindus Licicauicorum Slauorum ducem siue regem appellat: qui potius & ipse gener esse Boleslai Bohemi, sed fratis potius, quàm patris Dambrouscæ, si diligentiorem temporum, quibus hæc gesta esse uult Viuchindus, rationem ineamus. Scribit quidem Dlugossus noster, et Vapouius, Miezislaum unà cum filio suo Boleslao fecisse expeditionem in Bohemiam, sed post Russicum illud bellum, & post mortem Boleslai pij, in gratiam filij ipsius pupilli: cui & ipsi Boleslao nomen fuit: cuius imperiũ proceres Bohemi proteruè contemnebant, & bona principis inter se diripiebant. Idq; bellum magna celeritate ab eo confectum esse, Praga metropoli, quæ sola ipsi uenienti portas clauserat, expugnata, præsidióq; militum aduersus rebellionem procerum in ea relicto. Venceslaus Cracouiam à Miezislao & Boleslao Polonorum principibus expugnatam & receptam falsò affirmat: & quidem anno post Christũ natum 1000. nempe altero post Miezislai mortem. Aeneas uero Syluius eam ipsam urbem per fraudem à Mescone Polonorum principe Bohemis ereptam esse refert: qua de re nos pauló inferius in Boleslao sententiam nostram exponemus. Nunc de Russico & Bohemico Miezislai bello hæc dicta sufficiant. Cæterum quò augustiorem posteris suis principatum relinqueret Miezislaus, hortante senatu, Lampertum Cracouiensem Archiepiscopum, tunc episcopum, uirum doctum & eloquẽtem, oratorem mittit ad Benedictum eius nominis septimum Pontificem maximum, ut regium diadema sibi mitteret, regemq; Polonorum se & posteros suos esse iuberet. Quo tempore etiam Stephanus Geisæ filius, post defunctum patrem Vngariæ princeps, eadem de re suum miserat. Atque ille quidem impetrauit, quanquã Vngari uulgò crediderũt, ab angelo cœlitùs ei diadema esse impositũ. Nostro negatum est, uel quòd de morte eius nunciatum esset, uel quód differre eam rem Pontifex diuino oraculo iuberetur: eò quód Poloni uenationibus, rapinis ac cædibus mutuis dediti, dum & immanes, contumeliosi & aspeti aduersus tenuiores atq; subditos, minus castè religionẽ colere dicerentur. Regnauit Miezislaus annis triginta quinq; fere: mortuus uero uicesimosecundo post uxorem lectissimam & pientissimam fœminam defunctam, & nono post natum sibi nepotem Miezislaum anno. Posnaniæ honorificè sepultus est eo anno, qui fuit à Christo nato nongentesimus nonagesimus nonus. Non uidetur silẽtio prætereundum esse, quòd sub hoc principe mos inoleuit apud Polonos, ut homines equestris ordinis in templis, dum sacerdos apud altare pronunciat unde recitaturus sit Euangelium, gladios mediocriter stringerent, quasi profitentes Euangelij & religionis defensionem. Choro autem respondente, Gloria tibi Domine, rursus reconderent. Diuq; hic mos mansit in Polonia. Fuerunt etiam hoc tempore in solitudine apud Donaiecium fluuium, qui è finibus Vngariæ profluens, Vistulæ apud Oparouecium oppidum miscetur, duo monachi sanctimonia uitæ celebres: quorum Benedictus ab Vngaris, quòd Christum profiteretur, cęsus: Suiradus post uitam durissimè exactam, in monasterio Mõtis ferrei in Vngaria, quo ambo commigrarant, sua morte absumptus est.

Viticih. de gest. Sax. lib. 2.

Bohemicum bellum.

Praga expugnata.

Diadema regium à Pontifice Max. petitum.

Vngaricı regni principiũ.

Polonorum mores antiqui.

Miezislai regni & uitæ finis.

999. ann.

Mos distringẽdi gladium, cum Euangelium recitatur.

Donaiecius fluuius.

Donaiec.

Oparouec.

Benedictus & Suiradus monachi.

BOLESLAVS PRIMVS REX, COGNOmento Chrabry.

SVscepit paternum principatum Boleslaus, summa Polonorum omnium uoluntate: quippe quos non indoles tantum eius egregia, sed specimen etiam uirtutis, nec uulgare, nec unum uiuente patre ab eo editum, spe optima implerent. Nam præter ingenij prompti & perspicacis, ad omnia cum decoro atq; dignitate sese accommodantis, acrimoniam, præter studium laudis, rerumq; & hominum militarium singulare, præter animi deniq; magnitudinem summo principe dignam, elucebat in eo rara modestia, uerecundia, comitas, suauitas morum grauitate temperata: nullum intemperans dictum aut factum, sordes nullæ, sed cum delectu ac iudicio paulatim sese proferens liberalitas, & cæteræ mitiores uirtutes, quæ magnopere adolescentiam commendant. Nec sanè

Boleslai uirtutes.

spem

spem & opinionem hominum fefellit. Hic enim princeps, Polonorum nomẽ regia dignitate externorum principum necessitudinibus, & clarissimis rebus gestis uehementer illustrauit: militarem disciplinam auxit, regni fines longè, lateq; propagauit: religionem stabiliuit, & augustiorem reddidit: deniq; feros & agrestes homines ad ciuiliorem aliquanto uitæ cultum redegit. Quæ priusquam explicemus, operæpretium est paulum ab instituto cursu deflectere: quo maiorem sequenti historiæ lucem afferamus. ERAT apud Bohemos secundus ordine Pragensis episcopus Voicechus, qui Adalbertus ab externis appellatus est, uir nobilis, & sanctimonia uitæ, pietatisq; studio clarus. Is Bohemicę pertinaciæ in retinendo impio idolorum cultu, & feritatis, iniustitiæ, rapinarum, & neutiquã conuenientium Christianæ professioni morum pertæsus, cum crebris admonitionibus, acribusq; obiurgationibus nihil proficeret apud populũ, atq; adeò multos etiam infestos sibi reddidisset, Romam primùm, ac deinde impetrato à Põtifice Max. commeatu, tentatis tamen iterum, an resipiscerent, Bohemis, in Vngariam Razino siue Gaudentio fratre, & uiris aliquot religiosis comitantibus, profectus erat: ibiq; annum & amplius commoratus, Geisa principe cum uxore fauentibus, Vngaros religione Christiana, non ita pridem, nec uniuersè adhuc suscepta, per interpretem, acuratius imbuit: Stephanum regis filium uel baptizauit, ut uolunt quidam, uel baptisatũ iam antè confirmauit. Inde Poloniam ire perrexit. Acceptus honorificè à primoribus, & cætera multitudine, ab ipso Miezislao duce, eandem Polonis, quam Vngaris, nauauit operam, cùm Cracouiæ & in itinere, quà ueniebat, tum Gnesnæ in primis: & eò quidem maiore studio & alacritate, quòd linguæ & sanguinis cognatio Bohemis suis cum Polonis intercederet. Mortuo uerò illis dieb. Roberto primo Gnesnẽsi Archiepiscopo, Adalbertus magnis principis precibus exoratus, quẽadmodum uolunt nostrates, sufficitur. Sed non multo interiecto tempore, uiso nocturno diuinitùs admonitus, iam inde ab initio susceptam ad Prussos, de quibus paulò pòst dicemus, peregrinationem, ægrè dimittentibus eum principibus, persequitur: relicto pro se Gaudentio, siue Razino fratre Archiepiscopo. Ibi dum religionem Christianam magna cum difficultate & patiẽtia disseminat, à gente barbara & immani, dæmonum & idolorũ sacrificulis cum antistite instigantibus, ueneranda mysteria peragens prope oppidũ, quod Fisshausum Germani postea dixêre, ad litus Oceani à barbaris confossus interficitur, die uicesimatertia mensis Aprilis, anno Christi nongẽtesimo nonagesimoseptimo. Cuius corpus postea Boleslaus dux, patre iam mortuo, dilata in aliud tempus ultione, à Prussis redemit: & minimo quidẽ, propterea quod appenso in statera, perexiguũ ipsi pondus, diuina, ut creditũ est, uirtute efficiente, inesset. Tantũ enim argenti, siue auri, ut alij uolunt, barbari pacti erant, quantũ corporis ponderi responderet. Deductum solenni pompa primùm in Tremesnẽsi monasterio collocauit: nec multo pòst ad Gnesnẽsem basilicã transtulit. Nec mora, cœpit locus monumentũ inclyti martyris CHRISTI plurimis & salutiferis humano generi clarere miraculis. Hac igitur fama motus Otto Ruffus, tertius eius nominis (quamuis Crantius secundum fuisse uelit) imperator. Rom. ab Italica siue expeditione, siue peregrinatione reuertens, cum permagno & splendido comitatu pacatus in Poloniam ad sepulchrum noui martyris uenit, siue exoluendi uoti, quod graui morbo implicatus uouerat, gratia, siue expiandi sceleris causa, quo comitem quendam insontem, calumnia libidinosæ uxoris suę incitatus, pro adultero indicta causa interfici iusserat. Et erant inter se cum Boleslao Polonorum principe paterni amici. Acceptus est à Boleslao, habitusq; unà cum suis omnibus plusquam regali magnificentia & liberalitate, & cùm alijs amplissimis donis, tum abaco & instrumento mensæ omni aureo & argenteo, quod triduo nouum semper promebatur, auleisq; & uestibus preciosis donatus. Volens aũt tam splendido hospiti & amico principi parem referre gratiã, collocutus cum consilio, quod secum in comitatu habebat, regem eum appellat, sociumq; & amicũ Rom. Imperij: à tributa & omni iurisdictione Imperatorũ immunem. Ac diadema suum, Gaudentio archiepiscopo solennes cæremonias peragẽte, ipsi imponit: eumq; honorem sempiternũ ipsi et posteris ipsius, in Polonia regnaturis esse iubet. His adiungit hospitale munus: unũ de clauis, quibus CHRISTVS Dominus & Deus noster cruci affixus esse dicitur, & lanceam D. Mauritij: quæ in basilica Cracouiẽsi, ubi sedes est episcopi, adhuc uisuntur, uicissim autem brachium diui Adalberti à nouo rege accepit: quod Romæ in insula apud diui Bartholomæi ędem ab eo postea depositum esse fertur. Et quo arctior, firmiorq; esset inter ipsos & posteros ipsorum necessitudo, Rixã Hezois Erenfridi comitis Palatini Rheni filiã, è sorore sua Machtildi susceptam, Miecislao regis filio, puero duodecimum annum agenti, despondet imperator.

Boleslai merita erga Polonum. *Voicechus siue Adalbertus episcopus, uir sanctus.* *Bohemorum mores.* *Adalberti iter in Vngariam.* *Adalb. in Poloniam aduẽtus.* *Robertus primus Archiepiscopus Gnesnensis.* *Adalberti in Prussiam iter.* *Gaudentius archiepiscopus.* *Adalberti cædes.* *997. ann.* *Miraculum.* *Adalberti corpus Gnesnam translatum.* *Miracula.* *Ottonis imperatoris aduentus in Poloniã.* *Crant. lib. 2. cap. 36. Vand.* *Boleslai splendor & munificentia.* *Regni Polonici initium.* *Clauus sacer. D. Mauritij lancea.* *Rixa Miecislao despõsata.*

perator. Quæ paruula apportata in Poloniã, & à socru educata, duodecimo demum año pôst, adulta adulto Miezislao nupsit. Annus autem, quo hæc acta sunt, & Boleslaus rex appellatus est, millesimus primus à CHRISTO seruatore nostro nato fuit. His ita peractis, Otto Romam rursus ad sedandos nouos motus contendit: ijsq; compositis, sequenti anno cum Gregorio eius nominis quinto Põtifice max. propinquo suo, cui Bruno prius nomen fuerat, constituit, ut penes certos Germaniæ principes semper deinceps libera electio Rom. regis siue Cæsaris esset: nimirum tres Archiepiscopos, Moguntinensem, Coloniensem, ac Treuerensem: comitẽ Palatinum Rheni, ducem Saxoniæ, & Marchionẽ Brandeburgensem. Quibus postea rex Bohemiæ septimus à Rudolpho imperatore adiunctus est, qui paribus illorum suffragijs, controuersiam dirimeret: nec tamen prius is qui electus esset, imperator appellaretur, quàm à Pontifice Max. confirmaretur, & ritu solenni ungeretur atq; coronaretur. Cõrado autem Sueuo imperante, quemadmodũ scribit Blondus, illud quoq; his institutis additum est, ut imperator designatus, priusquam Romæ à Pontifice confirmaretur, siue inauguraretur, Modoeciæ primùm palea, deinde Mediolani ferro coronaretur. Posterius deniq; Aquisgrani fieri cœptum est id, quod Modoeciæ prius fiebat. Nõ multo pôst Otto, cum ex Italia in Germaniã reuerteretur, ueneno, ut creditum est, extinctus, Henricũ Bauarorum ducẽ nouo instituto electum, successorẽ accepit, anno Christi 1003. Boleslaus aũt nouus rex, cũ Volodimiro duce Russiæ, non recuperatis ijs, quę is patri ipsius ademerat, pacẽ fecit: ad Bohemicũ bellum spectans, ne pluribus eodem tempore bellis implicaretur. Nam Boleslaus Bohemorũ dux, ferox iuuenis, & futuri incogitans, de quo superius in Miecislao mentionem fecimus, improbo quorundam procerũ suorũ consilio adductus, q ij non permissos se à Miecislao, Bohemiã pro libidine sua uexare dolerent: Poloniæ fines circum Closcum oppidũ ferro & igni, prædisq; agendis uastabat. Mittit ad eum Polonus legationem res repetitum, cognationi, ætatiq; illius aliquid remittens: componitur pax. Eam non multo pôst Bohemus, repetita in Poloniam incursione, rupit. Ibi rex læsam iterum patientiam suam indignatus, & grauib. suorum iniurijs & querelis irritatus, tumultuaria manu Bohemum persequitur: quem cum intra regni sui fines non esset assecutus, auctis copijs Bohemiam longè, lateq; populatus est: oppida & & arces partim ui expugnauit, partim in deditionem accepit: Pragam metropolim, et Vissegradum arcem, quò se dux Boleslaus cum Iaromiro filio receperat, biennio obsessam, fame ad deditionem compulit, fautoribus & adiutoribus ad omnia usus Cochano, & cæteris Rauitis, seu Versouicijs, principe tunc inter Bohemos familia: cuius stemma gentilitium est, puella urso insidens. Ducem Boleslaum, ne nouos posset ciere motus, Bohemorum suasu oculis priuauit: Iaromirum filiũ eius, Rauitis in custodiam asseruandũ tradidit. Ipse, cum præfectos, qui nomine suo Bohemiam administrarẽt, partim de suis, partim de Bohemis, quos fideles sibi expertus erat, constituisset, præsidijsq; opportuna loca firmasset, uictorem reduxit exercitũ: Vdelricũ alterũ Boleslai filiũ, ab Hẽrico imperatore affini suo, qui tunc bello Gallico ualde distinebatur, petenti sibi deditum, cum in custodia habuisset aliquandiu, non modo liberum, sed etiam equis, uestimentis, satellitibus, & uiatico lautè instructũ, domũ remisit, motus lachrymis & pollicitationibus cognati adolescentis: & quòd sanctè is deieraret, semper se in potestate regis Poloniæ futurum. Verebatur etiam rex, ne si Rauitę uel fidem erga se mutarent, uel populi consensum reformidarẽt, Iaromirus, cui propter ætatem paternus principatus debebatur, ex ipsorum custodia elaberetur, & nouos cieret motus. Hũc ergo alterum beneficio suo sibi obligatũ, ac dominãdi cupidum, illi obijciebat. Is posteaquam ad suos peruenit, principatum suscipit, regi Polono obnoxium ac tributarium: fratrem Iaromirum excæcat, quo minus eum metuat. Ita de hoc Bohemico bello Dlugossus, Miechouiensis, & Vapouius, nostri memoriæ prodidêre. Aeneas Syluius, qui postea fuit Pontifex Max. assumpto Pij secundi nomine, aliquanto aliter hæc refert. Scribit is, à Mescone Cracouiam Boleslao tertio duci Bohemorũ per fraudem ereptam: ipsum deinde per inducias, post bellum utrinq; gestum, & agros uastatos, factas, eôdem ad colloquium euocatum, non seruata fide captum, et luminibus orbatum: comitatum eius, exceptis Rauitis, quos ille Vrsouicenses, ab ursa fortasis, uocat, trucidatum: Bohemiam uastatam, et in ditionẽ Polonorum redactam: excepta arce Vissegradensi, quam Iaromirus non filius, sed frater, ut ipse uult, ducis, è manibus Rauitarum, necare eum uolentium, populi concursu liberatus, retinuerit. Vdelricum postea tertium fratrem, re cognita, ab Henrico Imperatore dimissum, Bohemiam omnem deiectis Polonorum præsidijs recuperasse, & Iaromiro fratri oculos eruisse: filium Prædislaum, quem ille de-

1001. ann.

Otto Imperator Romã profectus.

Imperij Romani electores.

Blon. Dec. 2. lib. 3.

Imperij diademata.

Ottonis mors.

Henricus imperator primus. 1003. an.

Bohemicum bellum.

Bohemia subacta à Polonis.

Praga et Vissegradum regi Polono dedita.

Boleslaus Bohemus excæcatus.

Vdelricus dux Bohemiæ, Polono regi tributarius.

Bohemi regi Polono tributarij.

Iaromirus dux excæcatus à fratre.

Aeneæ Syluij error.

Prædislaus Vdelrici filius.

ille deprauatè Bizetislaum uocat, (nisi fortè typographi hic error est, quòd secundam literam i pro e posuit) ex Bozena rustica uxore suscepisse, cumq; adultum Iutham Otthonis Rufi imperatoris filiam rapuisse: eam bellum inter patrem & socerū atq; uirum, propter se exuscitatum, interuentu suo sustulisse. Tametsi Venceslaus Hagecus eam Otthonis, nō imperatoris, uerùm Comitis Bauari filiam fuisse uult. Hæc fermè, tametsi non ijsdem uerbis, Aeneas Syluius: uir magnus quidem ille, & in magnis rebus uersatus, sed uel Polonis ob negatā episcopā Varmiensem, ut aiunt, nimio plus iniquus: uel à Bohemis malè edoctus, cum quib. in aula Friderici tertij Imperatoris, qui tunc Ladislai pueri Bohemorū regis, ꝓpinqui sui tutor erat, familiariter uixit. Obseruare is certè aliquanto diligentius conuenientiam rerum atq; temporum debuit, si scriptis suis fidem derogare noluit. Primùm enim confundit Aeneas hanc expeditionem Polonorum in Bohemiam cum superiori, cuius nos in Miezislao meminimus: & nullā facit Boleslai Polonī, clarissimi principis mentionem. Nostri eas distinguunt, disertecq; utriusq; causas produnt: nec ullum à Miezislao, siue Mescone, bellum contra Boleslaum affinem susceptum, sed principatum ei puero statim post mortem patris uindicatum memorant: & quidem eo ipso anno, quo Miezislaus quoq; mortuus est. Porrò à Boleslao rege susceptū quidem esse bellum cōtra illum ipsum Boleslaum, sed prouocato iniuria. Et sanè, ut demus Syluio, quamuis contradicente Hageco, longè pòst quàm Boleslaus Bohemus in principatu patri successit, Miezislaum nostrum obsedisse: tamq; cupidum eum fuisse, ut affini principatum per scelus eriperet, haud ita pridem suscepta, ac tam sanctè, quàm ostendimus, culta religione Christiana, est ne credibile, eum ab obsidione Vissegradensi re infecta, dimissaq; è manibus uictoria, discessurū, & Iaromiro renouandi belli, atq; eripiendæ sibi tanto studio, labore & sumptu petitæ Bohemiæ opportunitatem relicturū fuisse? Non conueniunt cum tanta cupiditate, tanta incogitantia & ignauia. Iam Cracouia in Polonico solo, quod Syluius non uidit, à Polono condita, & minimū quadraginta milliarib. Germanicis a finibus Bohemicæ ditionis tunc remota, quî eripi Bohemis potuit, quam illi imperio nunquā obtinuerunt, nec sanè potuerunt, nisi pariter interiacentem partem Poloniæ permagnam, quæ postea Silesia dicta est, aut Morauiam etiam finitimam obtinuissent? At Silesia quomodo aut quando Polonis adempta sit, nusquam ille ostendit: nos alibi ostendemus. Tunc aūt eam in Polonorū ditione fuisse, iam liquere debet ex eo, quòd Smogorouiensem siue Vratislauiensem ecclesiam, ac diœcesim, quæ Silesiam ferè omnem complectitur, ab isto ipso Miezislao, quem Aeneas Mesconem uocat, constitutam esse constat. Morauiæ uerò permagnam partem à Polonis subactam fuisse, Arnolpho Romanis imperante (qui sunt sexaginta plus minus anni ante Mesconis tempora) ipse etiam Syluius testatur, & nos superius memorauimus. Bohemi uerò posterius in ea pedem posuêre, uel ipso Hageco teste: qui hæc nō uidit, cum Syluium sequeretur. Quanquam illud tamen animaduertit, non potuisse hæc geri à Miezislao siue Mescone, præsertim quod ad excæcationē Boleslai tertij Bohemi attinet: proinde ipse Boleslao Miezislai filio id attribuit. De Iaromiro quoq;, & Vdelrico, & Prædislao dissentit idem à Syluio: propterea quòd ille temporū rationem ita confundit, ut ipse se paulo pòst refellat. Cum enim & ipse Vdelricum iuuenē etiā tum ab Henrico imperatore, cuius tempora in Mesconis principatum nusquam incidunt, dimissum, ac non Polonorū regi, quemadmodum superius nos diximus, condonatū esse sentiat: mox Prædislaum Vdelrici filiū, Otthonis imperatoris filiam uxorem sibi rapuisse, eamq; cōtumeliā Otthonē bello persecutum esse uult. At enim, non Ottho Henrico, sed Henricus Otthoni defuncto, & quidem priusquam nasceretur Prædislaus, in imperio successit. Fratres quidem Boleslai huius Bohemi fuisse Iaromirum & Vdelricum, ac non filios, ut uult Dlugossus noster, atq; etiā Hagecus, non difficulter Syluio concesserimus. Nam cū pauciores quam decem anni, inter superius illud Miezislai, & alterum hoc Boleslai filij eius bellum, secundum eundem Dlugossum, intercesserint, nō est uerisimile, Boleslaum Bohemū, iuuenem etiam tum, hoc bello adultos iam filios habere potuisse. Tametsi Hagecus aliter sentit de ætate illius, inconstanter quidem & inconuenienter, ut nobis uidetur: de Vlderico autem fabulosè etiam, sicut pleraq; alia. Quem diuinitùs liberatum è carcere Henrici Cæsaris, & in Bohemiam delatum, subulci opera cum paucis adiutoribus, Pragam, pulso ignominiosè Boleslao rege Polono, exercituq; eius cōciso, recepisse scribit. Idem aliquanto pòst memorat, Boleslaum, cum bellum contra Vdelricum & Bohemos instauraret, graui morbo a cœpta expeditione retractum esse: resumptis autem uiribus, mox prosecutum intermissam expeditionē, Closcum obsedisse: inde uerò, coorta in exercitu eius dira peste, quasi

Aeneas Syluius cur Polonis iniquior.

Polonorum expeditiones in Bohemiam.

Cracouia an fuerit in ditione Bohemorū.

Silesia pars Poloniæ.

Morauiæ magna pars subacta à Polonis.

De Vdelrico duce fabula.

diuinitùs admonitum, in gloriam ab inauspicato bello reuertisse: uno autem anno intermisso, Morauis eum bellum intulisse, totamq; Morauiam peruastasse: nec potuisse ab Vngaris inde depelli, ac ne à Bohemis quidem, cum ij Morauis amicis suppetias iuissent. At Morauici quidem belli etiam Vincentius ac Dlugossus, & alij nostri mentionem faciunt, uoluntq; illam quoq; gentem tunc tributariam regi Polono factam esse: Bohemici uerò istius alterius, nemo. Et sanè leuiusculus in eo, sicut in plerisq;, uidetur esse Hagecus. Hæc nos, nō quòd dissimulandum nobis esse in historia domesticum aliquod scelus aut crimē existimemus, neq; contentionis studio, sed ueritatis uindicandę gratia ab instituto digressi, disputauimus. De quibus liberum lectori iudicium relictum esto. Vincentius quidem noster, & qui post eum, ante Dlugossum, Polonorū res gestas literis mandarunt, breuiter, subactos esse ab hoc Boleslao Bohemos & Morauos, ac tributarios factos, prodidêre. Vtrumq; autem bellum, Bohemicum scilicet ac Morauicum, intra quintum annum post susceptum regnum ab eo confectum est. Deinde anno Christi 1008. quemadmodum Dlugosso placet, Rusicum bellum eum excepit, maiore apparatu, ac prolixius, sed nō minus prospero euentu gestum. Rusiæ principatum amplissimum Volodimirus uiuens inter duodecim filios partitus erat, & Visseslao natu maximo Nouogrodum, Isaslao Pultuscū (nisi fortè Poloscum legendum est) Stopolco Turouiam, nescio an Tuuerā potius, Iaromiro Rostouiā. Nec multo post, cum Visseslaus obijsset, translato Nouogrodū Iaroslao, Rostouiā Barislo, Glebo Muromū, Stoslao Dereuos, Vuseuolodo Vulodimiriā, Mescislao Torocanum, Stanislao Smolenscum, Plescouiam Sudislao, Volyniam Posuisdo attribuerat. Verùm ij partitione paterna nō contenti, post mortem patris mutuò inter se principatus inuadebant, bellumq; ciuile concitabant. Ex his Stopolcus, siue Suentopelcus, qui cognita morte patris Kiouiam occuparat, duobus fratrib. Glebo & Borislo, quos Rusi in diuorum numerum postea retulerunt, dolo occisis, ab Iaroslao tertio fratre, cæsorum necē ulciscente, superatus, & Kiouiensi principatu eiectus, in Poloniam ad Boleslaum regem confugit. Eius rogatu suscepit impigrè Boleslaus expeditionem aduersus Russos, cùm ut exulem supplicem reduceret, tum ut ea quæ pater suus Miecislaus amiserat, recuperaret, & regni sui fines cum gloria longius proferret. Ingressus fines Rusiæ, obiter obuia quęq; populatur, incendit, diripit, arcibus oppugnandis abstinet, quæ tamen per paucæ munitę erant. Nam pagis, uicis, & oppidis ferè, nulla arte munitis, Rusi, itidem atq; Poloni, & omnes ferè Septentrionales gentes, antiquitùs habitât. Iamq; ad Lucensem siue Volyniensem oram rex cum infesto exercitu peruenerat. Ibi occurrit ei ad Bogum fluuium, quem Hipanim esse uolunt, Iaroslaus cum expeditis suorum copijs, & magnis Varaiorum atq; Pecinigorum auxilijs: quarum gentium memoria quoq; iam extincta est. Prior rex maledicto Bludi Palatini Rusi, Iaroslao charissimi irritatus, copias suas celeriter armatas fluuium traijcit, hostes subita re tumultuantes, & instruenda acie impeditos adortus, magna strage, quamuis acriter repugnantes, profligat: castra opulenta diripit: Iaroslaum fugientē persequitur, quem ubi suis diffisum, in remotiores paludes sese recepisse accepit, Kiouiam, insignem ea tempestate urbem, cuius amplitudinem & splendorem ingentes ruinę adhuc testantur, non longi temporis obsidione & fame, propter infinitam hominum multitudinem, quæ undiq; eò confugerat, adactā, per deditionem accepit: intactamq; thesauro tantum principis in donatiua militum & in sumptus belli ablato, Stopolco restituit. Distributo in hyberna exercitu, ipse Kiouiæ cum paruo præsidio stabiliendi Stopolco principatus gratia, hyemare statuit. Quo explorato, Iaroslaus raptim coacto exercitu, Boleslaum securum & inopinantem opprimere conatus est. Sed re per exploratores regi nunciata, nō modò frustratur, sed magna iterum occidione superatus, Nouogrodum, quæ urbs in ditione eius, patris instituto erat, profugit. Aliud autē hoc est Nouogrodum in ditione Seueriensi, ab illo, quod magnum uocatur: quod quidem ad occidētem solem & Liuoniam uergens, longissimè abest à Kiouia. Nouogrodenses, ut erant potentes & opulenti, ducem suum ulteriorem fugam, abiecta spe omni, meditantem, recreant, confirmant, stipendio, militibusq; ad instaurandum bellum iuuant. Dum hæc fiunt, Kiouienses pertæsi impendiorum, tamq; diuturnæ moræ regis apud se, milites Polonos nihil tale metuētes per omnē occasionē clàm excipere ac trucidare, siue iubente, siue cōniuēte Stopolco. Hac iniuria cōmotus Boleslaus, cum nihil amicè monendo proficeret, in prædā dat Kiouiā, militibus indignantib. Arcem receptam de potestate ducis, & alia quædam loca opportuna præsidijs munit, ipse cum reliquo exercitu, primoribus Rusis compluribus, atq; duabus filiabus Volodimiri ducis in loco obsidum deductis, quarum unam Prædislauā, ut habēt annales

Morauì Polono regi tributarij facti.

1008. ann. Rußicum bellum. Volodimiri filij.

Russorum bella ciuilia. Stopolci fuga in Poloniam. Gleb. & Borißi sancti apud Russos. Boleslai regis expeditio in Rußiam. Septentrionales populi carent urbibus munitis. Bob fluuius Hipanis. Rußi profligati à rege. Kiouia per deditionem accepta.

Iaroslaus bellum renouans, iterum superatur. Nouogroda duo in Rußia. Kiouia direpta.

Columnæ Boleslai in Boristhene.

annales ipsorum, per uim stuprauerat, primo uere uictor in Poloniam reuertitur, cum tres columnas ferreas permagnas fixisset in Borysthene seu Nepro, qua Zula fluuius influit, ad memoriam uictoriæ sempiternam. Discedentem Iaroslaus cum ualido exercitu, apud Nouogrodum comparato, ad Bogum consequitur: sed tamen uictorem, quamuis incomposite reuertentem, ac dilabentem iam exercitum adoriri non ausus, bene gerendæ rei occasionem, clam subsequens, captabat. Cuius aduentu ab exploratoribus cognito, rex, reuocatis celeriter, quos potuit, militibus, pauca apud eos concionatus est, quibus eos fiducia superiorum uictoriarum ad delendas reliquias bis uicti hostis inflammaret: simul periculi imminentis & ignominiæ admoneret, si pugnam detrectarent, aut adeo trepidarent, & cum præteritas uictorias sibi eripi, tum patriam cædibus & incendiis fœdari, uxores, liberos & parentes suos charissimos in seruitutem & in contumeliam abripi paterentur. His dictis incensos, & ad mortem, si quid durius accidat, pro patria, pro libertate, & pro gloria nuper parta, paratos, in hostem ducit. Ille Polonorum paucitate contempta, acriter inito manus confert. Sed urgentib. nostris, regeque & imperatoris, & militis officium faciente, pelluntur Russi. Magna in prælio, maior multo in fuga cædes editur, ita ut Bogus sanguine cæsorum rubuisse dicatur. Viui multi in potestatem uenere, capta impedimenta, relata ... plura signa militaria: dux hostium abiectis ducalibus insignibus, mutatisque equis euasit. Russorum annales nullam neque secundi, neque tertii huius prælii mentionem faciunt. Sed post discessum regis, Iaroslaum contra Stopolcum arma resumpsisse memorant: eum uero Pecinigorum auxilium implorasse: commissoque prælio prope eum locum, ubi Borissus interfectus erat, totum diem dubio Marte dimicatum esse: ad extremum, Stopolcum uictum in Poloniam profugisse, & in solitudine quadam inter Poloniam & Bohemiam hiatu terræ haustum periisse. Verum hæc etiam post tertiam uictoriam, & postea quam Boleslaus rex Russia excessit, accidere potuerunt. Ille quidem uictor in regnum suum reuectus, uota Deo persoluit: templa complura, sed Gnesnæ in primis, hostium spoliis ditauit, ornauitque: proceres & milites eos, quorum uirtus maxime præclaro aliquo facto perspecta erat, pro meritis collaudatos, honoribus & præmiis affecit. Chrobri, hoc est, acris appellationem, propter excellentem uirtutem & animi magnitudinem a Russis tributam, accepit: atque nouam arcem uno a Vislicia milliario conditam, Chrobersium nuncupauit: usus Chabrium Boleslaum pro Chrobro dici obtinuit. Monasterium Secechouiense supra Vistulam in tractu Sendomiriensi Benedictinis sodalibus construxit, conferente patrimonii sui partem Sececho Palatino Cracouiensi, & magistro militiæ Polonæ ex gente Topororum, a quo monasterium id nomen accepit. Construxerat etiam idem rex iisdem monachis paulo ante Russicum bellum, aliud monasterium in monte Lyszezo, siue Caluo, orante & hortante Emerico Stephani regis Vngariæ filio, uiro sancto & casto, qui lubens cum Boleslao propinquo uitam degebat in Polonia. Atque is portionem crucis CHRISTI, quam Constantinopolitanus imperator patricius Stephano magni muneris loco miserat, quaque ipse pro amuleto utebatur, in eo loco reposuit, ubi in hanc usque diem salutaria hominibus eduntur miracula. Hoc tempore, atque adeo ante Russicum bellum, quemadmodum Dlugosso placet, sex uiri religione & sanctimonia uitæ insignes, duram & incultam uitam degebant in solitudine maioris Poloniæ, ubi nunc est Cazimiria oppidum, ex his quinque a consceleratis quibusdam, crudeliter excarnificati, pridie Idus Nouemb. interfecti sunt: sextus, qui tunc abfuerat, aliquanto post suam morte uitam finiuit. Cum diuo Adalberto eos ex Italia in Poloniam uenisse, Hagecus existimat: Dlugossus uero, duos ex his Boleslao regi postulati, a Romualdo Camaldulensi abbate sancto missos esse, his deinde reliquos quatuor nostrates in societatem uitæ sese adiunxisse, scribit. Causa autem sceleris fuit, aurum, quod latrones a Boleslao rege ipsis donatum esse cognouerant, sed repudiatum, remissumque ab ipsis nesciebant. Ferunt, tugurium eorum ab iisdem latronib. incensa non arsisse: ipsos cum exitum syluæ non inuenirent, regis iussu comprehensos, & ad martyrum tumulum alligatos, ut acerbissimum famis supplicium expenderent, diuinitus cadentibus ultro uinculis solutos esse, cum pœnitentia patrati sceleris ducti, ad Dei clementiam, & eorum quos dudum necarant, patrocinium confugissent. Per hæc eadem tempora Turcæ Scythica gens, subacta Cappadocia, Bithynia & Armenia, imperium in Asiam, Syriamque protulerunt, & Ierosolymam urbem anno Christi 1012. ceperunt. Deinde iidem ex paruis, pudendisque initiis, ad tantam, quantam nunc cernimus, magnitudinem imperium suum successu temporum perduxerunt, Christianis imperatorib. & principib. inter se belligerantibus, & ad restinguendum comune quasi incendium non concurrentibus. Confecto, ut iam diximus, Russico bello, Boleslaus rex, ne sui diuturno ocio torpescerent,

Sub-

Russi tertium profligantur.

Russorum annales.

Donaria ex manubiis Deo dicata.

Chrobri.

Chrobersium arx condita.

Seccechouiense monasterium.

Monasterium in Lyszezo ... Emericus sanctus Stephani regis Vngar. filius.

Crucis Christi portio in monte Caluo.

Sex eremitæ martyres Cazimiriæ in Polonia. Romualdus abbas sanctus.

Miraculum.

Turcarum incrementa.

Ierosolyma capta a Turcis.

Saxonicũ bellum. *Saxonia uastata à Polonis.* *Magdeburgũ.* *Misna.* *Hiltesemum.* *Mechelburgũ.* *Henricus Bauarus imperator.* *Vandalorum seu Slauorum deditio.* *Chersonesus Cimbrica Dania.*

& ut ea quæ Poloniæ maiorum suorũ negligentia adempta erant, recuperaret, eo ipso anno cuius modò mentionem fecimus, Saxonib. bellum intulit. Saxones enim Henrico primo Saxone rege, & filio eius Otthone primo eius nominis Imperatore Rom. regnantibus in Germania, pleraq; omnẽ eam Poloniæ oram, quam Lescum tertium inter uiginti filios partitum esse supra narrauimus, partim armis, partim proditione Tugumiri ducis, ditioni suæ subiecerant, quẽadmodum superius exposuimus. In hos ergo duxit Boleslaus, & sub signis progreditur, sperans hostes ad dimicationẽ prælij uenturos esse. Quæ postquã cum opinio sefellisset (nam hostes in atras syluas ad impeditas paludes sese abdiderãt) lõge lateq; excurrit, rapidi torrentis in modũ obuia quæq; sternens & euertens, ita ut Meideburgum, siue Magdeburgũ, Misna, Hiltensemũ, Mechelburgum, insignia oppida, exitiali illa quasi inundatione & incendio Polonorũ consumerentur. Quæ Henricus Bauarus imperator, de quo superius mentionẽ fecimus, aliquanto pòst à Gallicis & Italicis bellis, quib. tũc impeditus abfuerat, reuersus, instaurauit. Porrò qui Polonici seu Slauici erant nominis, certatim Boleslao, partim propter cognationẽ linguę & sanguinis, partim clementia & liberalitate eius inuitati, partim etiã metu adacti, sese dedebãt. Ita is hostico uexato, uastatoq;, cum nusquã in aciem prodirent hostes, & sua quoq; auertendorũ nostrorũ causa ipsi exurerent, omnẽ illã orã latissimam, quæ olim à Slauis, & Polonis possessa fuerat, usq; ad Albim & Salam fluuios, & Chersonesum Cimbricam, quæ nunc Dania siue Dacia est, magna celeritate in suam potestatem redegit. Principibus Slauis, qui adhuc supererãt, Saxonum dominatu liberatis, nullum tributum imposuit. Ac cætera quidem eos sui iuris esse passus est: sed sacramento tantum in sua & successorum suorũ regum Poloniæ uerba adegit & obstrinxit, & ad suscipiendam religionẽ Christianã, quam propagare quoquo uersus in primis studebat, adduxit: tametsi Henrici Bauari imperatoris armis eos Christianos factos esse, apud Bonfinium, Vngaricarũ rerum scriptorẽ, & alios quosdam historicos reperio: ut & idem Bonfinius, Bohemos quoq; & Polonos uniuersos ab eodẽ imperatore armis ad professionem Christi adductos esse. Verùm facilè id ratio temporũ refutat, cum utramq; gentẽ longè ante hunc imperatorem, religionem Christianã suscepisse constet. Ille enim anno Christi millesimo ac tertio imperare cœpit. Posuit autem Boleslaus rex itidẽ in ripa Salæ tres columnas ferreas, uictoriæ suæ monimentũ, & regni Poloniæ limites. Venceslaus Hageeus, nescio quo authore, scripsit, Boleslaũ prædabundum crebras excursiones in Marchiam Brandenburgensem & Saxoniam fecisse: cumq; legatis Henrici imperatoris ab instituto eum reuocantibus superbius respondisset, imperatorẽ cũ magnis copijs ingressum in Poloniam, haud longè à Cracouia abfuisse. Ibiq; duobus prælijs uictorẽ Boleslaum, dum pertinacius fugientes Germanos persequitur, captũ, Henricoq; traditũ, ingenti pecunia sese redemisse. Verum uiderit ille, ne imprudẽs his Henrico & Boleslao acommodarit, quæ de alijs memoriæ prodita sunt à nostris: & quidem affingens nonnihil, ne dicam multa, de suo, quæ nos suo loco attingemus. Aliorũ quidem quotquot de Henrico hoc literis aliquid mandarunt, nemo quicquã eiusmodi de eo scriptum reliquit, quod ego legerim, præter Lampertũ Schafnaburgensem: qui tamẽ Henricũ bis duxisse modò exercitum contra Polonos memorat, nimirũ anno Christi 1015. & iterũ anno 1017. nisi fortè hûc detorquendũ esse duxit id Hageeus, quod apud H. Mutiũ uel aliũ quempiã Germanum scriptorem legerat: Henricum hunc exercitũ duxisse in Bohemos & Slauos, & cum his sæpius congressum, semper uictorem discessisse, admodũ exigua suorũ iactura passum. Eos uerò prælio præter alia maiore nostri ch... uictos pacem petiuisse, & iugum admisisse. Subiugatis autem Bohemis, & eorum principe Boleslao, quem ille Bodislaũ deprauatè uocat, apud illos iura & leges in rebus prophanis ac sacris ordinasse. Hæc ipsis ferè Mutij uerbis relata, uiderit æquus lector, an ad Boleslaũ nostrũ & Polonos pertineant. Nos ad curriculum nostrum reuertamur. Non multo tempore post hoc bellum quieti dato, aliã rursus expeditionem Boleslaus rex in Prussos suscepit, indignã diui Adalberti, necem ulturus, & illam quoq; gentem suo adiecturus imperio. Fuerit aũt operæ precium hic paulò altius eius gentis originẽ ac mores repetere. Inter multas Sarmatiæ Europeæ gentes Borusci à Ptolemæo in geographia ad Septentrionẽ ualdè remoti ponuntur in ea ora, quam nunc Liuones & Moschi, ut opinor, obtinent, ultra Chersinũ amnem, Rhyphæis uicini. Eos ergo aliquo tempore ad meridiem & occidentem progressos, magnam Sarmatię partẽ, quę alioqui à gente Russis & Moschis cõtingitur, à meridie nemoribus & Hercinio saltu clauditur, & omnem illum tractum qui secundum Venedici, siue Balthei & Codani sinus litus, usq; ad Vistulã & Ossam fluuios pertinet, tenuisse: & Borussos siue Prussos, deflexo paulũ

Boleslai columnæ in Sala. *Hageeus.* *Falsa quædam de Boleslao Chrobro.* *Lampert. in hist. Germ.* *H. Mut. lib. 14. Germ.* *Prussicum bellum.* *Prussorum origo.* *Borusci.* *Vindi religionem Christianam suscepere.* *Bonf. Dec. 1. lib. 2.* *Poloni & Bohemi ante Henricum imperatorem Christiani fuêre.*

nomine,

nomine, dictos esse, cum Erasmo Stella crediderim. Quibus finibus nūc Liuones, Lithua-
ni, Samagitæ, & Prusi uetus nomen retinentes, continentur, gentes imperijs quidem &
reipub. ratione nunc distinctæ, sed eadem penè inter se lingua uulgò adhuc utentes, Sla-
uicæ prorsus dissimili, sed quæ non paucas habeat admixtas Latinas uoces, corruptas se-
rè, & magis Italica uel Hispanica nota signatas quam Latina. Quanquam Teuthones &
Germani in eam oram quæ maritima est, & Prussia ac Liuonia nunc uocatur, deuictam,
colonias posteriori tēpore deduxerunt: quod suo loco attingemus. Hinc usitatior iam est
apud eas gentes lingua Germanica, quam uetus illa & uernacula, præsertim in urbibus &
oppidis: quemadmodum & apud Lithuanos usuuenit, ut propter uicinitatem commer-
ciaque Russorum, & colonias etiā deductas, multum utantur sermone Russico. Nam quod
Dlugossus à Prussia Bithyniæ rege originem illius gētis deducit, fabulosum est omninò,
nec refutatione indiget. Quidā Borussos, quasi Russis finitimos, à Germanis lingua uer-
nacula dictos esse existimant: uerène an fallo, nō disputo. Quando autem & quonam mo
do Latina lingua cum uernacula Prussorum, Lithuanorum, Liuonumque sese miscuerit, di-
cere non habemus. Erasmus quidem Stella Prussiam Romanis armis tētatā magis, quàm
uictā esse, memorat, Pliniumque authorē citat: quo fit, ut cū imperio Latinā lingua eò perue
nire non potuerit. Dlugossus uerò scribit, ciuili bello, quod inter Cæsarem & Pompeium
gestum est, manum quandam Romanorum deserta Italia, in ijs oris consedisse, urbemque
condidisse, & Romoue de Romæ nomine dixisse, eamque diu metropolim gentis fuisse.
Quod si uera est Dlugossi sententia, suspicari quis posset (si quis tamen locus est suspicio-
ni in Historia) eam Romanorum manū, duce Libone aliquo, ad ea litora Venedici sinus,
quę ad exorientem Solem spectant, & Russis finitima sunt, uel ui tempestatum appulsam
esse: uel certo cursu Cæsarum tyrannorum sæuitiam fugiētem, secessisse, & Liuonum siue
Liuoniorum appellationē à Libone accepisse. Deinde propagatis finibus alios, Lithua-
nos, magis iam corrupto uocabulo dictos esse, alios uetus Prussorum nomen retinuisse.
Quanquam autem Pomeraniæ quoque magna pars, & Culmensis, ac Michalouiensis ora,
posteaquam eodem cum Prussis iure uti cœperunt, & in ditionem Teuthonum Crucige
rorum, uti post dicetur, cōcesserunt, Prussiæ nomine censeri cœperunt, atque ita nos quoque
nōnunquam posterius utemur eo nomine: reuera tamen, ac propriè Prussia ea est, quæ est
inter Vistulam, Deruanciam, Ossam & Nemenum fluuios, & sinum maris suprà memo-
ratum: & à Lithuanis atque Masouijs, densis ac palustribus syluis dirimitur. Nemenum au-
tem eum esse uolunt, qui à ueteribus geographis Chronus appellatur, Germani Memelā
uocant: qui in finibus Russiæ, quæ Podlassensis dicatur, ortus, Lithuaniamque & Samagi-
tiam emensus, in sinum Venedicum, qua is extremam Prussiam & Liuoniam alluit, sese
exonerat. Fuit autem antiquitùs gens Prussorum fera & bibax, lac equinum in delicijs ha
bens, ante mellis cum aqua despumationem cognitam. Vxores quot cuique libuisset duce-
re ius, fasque erat, easque pro ancillis habere: hypocaustorum siue balneorum usu penè quo-
tidiano lassitudinem, labore uel intemperantia & ebrietate contractam, depellere, indeque
excalfacta corpora frigidæ aquæ immergere aut abluere, etiamnum hyberno quoque tem-
pore solent. Corpora defunctorū cum preciosissima quaque & charissima uestium, equorū
& armorū supellectili cremabant: manibus interfecti cæde humana parentabant. Solem,
lunam, bestias, serpentes, aues, aquam, ignem, & nescio quid non pro Dijs colebant. Cri-
ue autem uocabant sacrorū antistitem. His ergo Boleslaus rex bellum intulit, & per Cul-
mensem tractum, qui Polonicæ ditionis erat, hostiles terras ingressus, agros uastat: Razi-
num, Romoue & Balgam arces, nullo negocio capit & incendit: uicos & pagos diripit.
Oppida enim pauca, eaque ferè natura locorum, non arte, manuque munita, tunc Prussi habe
bant: sed in syluas atque paludes ad primum aduentum hostilis exercitus sese occuluerant.
Ex quibus cum regionem suam uastari longè, lateque prospicerent, supplices pacem à rege
petūnt, & impetrant: tributum pendunt, & pensuros se deinceps quotannis promittunt.
Dimittit ibi rex, qui barbaram gentem rationem & ritus Christianæ religionis docerent.
Ipse uictor recedens, in Ossa flumine ferream columnam ponit, mille passibus à Rogosno
oppido. Vnde uicina uilla Slupi, hoc est, columnæ nomen accepit. Biennium ab eo bello
quieuit Boleslaus, quo tempore multa quæ ad religionis maiestatem, & ad rempub. belli
domique administrandam pertinere uidebantur, sapienter constituit. Interim optatam pacē
Iaroslaus dux Russorum turbauit. Is enim, dum Boleslaus alijs bellis, quæ modò cōme-
morauimus, distinetur, Kiouiensem principatum, Stopolco fratre uno, quemamodum su
prà indicauimus, siue duobus, secundum Dlugossum, secundis prælijs uicto, & dum ad

Boleslaum

Erasm. Stella.
Prussi, Lithuani, Liuones & Samagitæ, eadem ferè lingua utuntur.
Germanica linguæ usus in Prussia.
Russica in Lithuania.
Prussi unde dicti.
Latina uerba apud Prussos.
Romoue urbs in Prussia.
Liuonij.
Prussiæ nomine etiam Pomerania & Culmēsis quādoque accipitur.
Prussiæ fines.
Ossa fluuius.
Deruancia.
Nemenus, siue Chronus, siue Chronis flu.
Mores Prussorum.
Balnea Prussorum et Lithuanorum.
Prussorum exequiæ.
Dij.
Criue antistes Prussorum.
Culmensis tractus Polonicæ ditionis.
Prussi munitionibus caruere olim.
Prussi tributarij Polonorum regi.
Columna Boleslai in Ossa.
Rogosnum oppidum.
Iaroslaus Russorum dux.
Kiouiensis principatus à Iaroslao occupatus.

Boleslaum refugit in itinere mortuo, denuò inuaserat: Nouogrodensem etiam à Prædislao, Isaslai fratris filio sibi ademptum receperat: Rededam Cosarorū ducem singulari certamine uictum interfecerat, gentemq; illam tributariam sibi fecerat: & quamuis à Miecislao fratre superatus, & Kiouiensi principatu exutus esset, tamē fratris eiusdem benignitate & misericordia restitutus erat, quemadmodum à nostris memoriæ proditum est. Nam Russorum annales hoc loco Kiouiæ captæ & restitutæ nullam faciunt mentionem. Illud modò memorant: post atrox prælium inter fratres commissum, Mescislaum partitum esse cum Iaroslao principatum Russiæ, ita ut ei quicquid cis Neprum est concederet, ipse Seueriensi ditione ultra Neprum contentus. His igitur constitutis rebus, cum fratre Iaroslaus bellum aduersus Boleslaum regem magno apparatu renouabat. Rex non rumoribus modò, sed crebris atq; certis præfectorū suorum, & præsidij, quod in Russia reliquerat, nuncijs excitus, cōtra hostem cum exercitu proficiscitur. Ducebat & Iaroslaus ingentes copias, in Poloniam inuasurus. Veniunt in conspectum apud Bogum amnem exercitus. Decreuerat eo die Boleslaus prælio nō dimicare, ob reuerētiam diei Dominici, simul ut hostium copias & cōsilia prius cognosceret. Sed magnam in bellis uim fortuna habet, paruisq; interdum momentis permagna fit rerum atq; consiliorum mutatio: ut tunc accidit. Nam pugna inter paucos primū lixas & aurigas, dum adaquant equos, apud flumen, quod castra dirimebat, orta, mox pluribus utrinq; concurrentibus incaluit, eminus res sagittis & iaculis, & cominus etiam ab audacioribus nonnullis in flumine gerebatur: cum Polonicus exercitus omnis celeriter armatus fluuium tranat. Committitur acre prælium: cedere loco hostes, nostri magis instare: ibi dux hostiū à suis impulsus, fuga saluti suę consuluit. Tunc effuso cursu omnes passim ex acie diffugiūt. Magna strage cum in prœlio tum in fuga cōcisis atq; debilitatis hostibus, rex pacem dedit supplicibus, tributum modicum imposuit: captiuos omnes, quos uel hoc, uel superiori bello cœperat, uel obsidū loco habuerat, liberaliter dimisit. Hoc bellum anno post Christum natum 1018. confectum est, ut uult Dlugossius. Non assentior autem ijs, qui siue alterum hoc bellum Russicum, siue prius etiam, à Boleslao propter negatum sororis Iaroslai coniugium, quam postea in concubinæ loco ipsi fuisse aiunt, susceptum esse autumant. Nam ut faciamus, principem tam temperantem, ut non melius populis & gentibus, quam suis cupiditatibus dominaretur, prouecta iam ætate, tot rebus gestis clarissimis, tantum libidini indulsisse, ut bello uxorem sibi quærēdam existimaret: quid causæ erat, cur eam aliunde peteret, negatamq; bello persequeretur, quam domi ipse obsidis loco, ut diximus superius, habebat? aut partam bello cur uiduus pro concubina, ac nō pro iusta uxore haberet, cuius amore tantum exarsisset, & in qua ipsa nulla hærebat culpa, quòd à fratre tradita non esset? Sed mitto disputationē: pace per circuitum parta, auctoq; & propagato in omnes partes cum laude atq; gloria imperio, Boleslaus rex reliquum uitæ tempus quieti & constituendæ domi reipub. dabat, duodecim utens cōsiliarijs, quos è tota Polonia probatissimos, & annis, iudicioq; graues delegerat: quos etiam quoties animum remittere uolebat, una cum uxoribus ipsorū mensæ suæ & conuiuio adhibebat, iudicia exercebat: tenuiores, dum litis finē expectant, sumptu, mensaq; sua subleuabat. Fertur autem quadraginta mensas, exceptis minoribus alijs, quotidie apud eum solitas esse instrui, ad quas accumbere uolentibus licuerit. In itinere si quem rusticum hominem, aut alioqui pannosum conspexisset, accersebat ad se ultrò: & num quid à se uellet, percōctabatur. Quod si is de potentioris iniuria querebatur, euocatum illum qui accusabatur, causa cognita, placide obiurgabat: ac in posterum ne quid eiusmodi committeret interminatus, satis facere iniuriam passo iubebat, si quis autē è pauperibus causam ipse suam agere nesciebat, ei causidicū attribuebat, mercede de suo data. Quanquam simplicissimū tunc ius erat apud Polonos, & non summo iure disceptabantur, sed ex æquo & bono, aut armis nōnunquam & singulari certamine dirimebantur priuatorum controuersiæ. Pluris erat fortis uir, quàm disertus causidicus: mentiri, fallere, calumniari, alienum appetere, iniquam litem alere, turpe & infame ducebatur. Hinc maius, ac solum ferè, existebat in hominibus illis laudis & bellicę rei studium. Hoc rex comitate, clemētia & liberalitate sua alebat, hoc moderata seueritate uindicabat: Iuditha regina, fœmina lectissima, quæ sub alterius belli Russici tempus extincta est, mariti iram & seueritatem leniente, & sontium supplicia deprecante. Cuius clemētiæ illud in primis exemplum prædicatur, quòd nobiles quosdam adolescentes ob latrocinium damnatos à rege, occultè seruari insciente rege iussit: aliquanto pòst captato tempore, & iniecta eorum quasi necatorum mentione, ubi regem ad misericordiam flexum uidit, supplex cum nōnullis proceribus

Russicum bellum. — *Prælium.* — *Boleslai uictoria de Russis.* — *1018. ann.* — *Falsa causa belli Russici.* — *Boleslai studia in pace.* — *Consiliarij duodecim.* — *Comitas regis.* — *Polonorū ius atq; studia.* — *Iudithæ reginæ clementia.*

ceribus adolescentum illorum mortem deprecata est. Nulla autem in re Boleslaus erat seuerior, quàm in cōtemptu religionis templorum profanatione, & sacerdotum iniurijs atque contumelijs uindicandis: ad quæ facinora, cum plerique equestris ordinis homines partim pristinæ impietatis consuetudine, partim licentia militari incitati ferrentur, & decimarum quoque onus detrectarent, sacerdotesque pulsarent, in authores quidem pœna capitis animaduertit: cæteros partim uerberibus, partim uerbis atque minis castigauit: episcopos & sacerdotes ipse magnopere colebat, & ab omnibus coli uolebat. Nec sedebat stante aut ueniente Episcopo, nisi et ille assedisset. Ab hoc etiam rege, ipso statim initio regni, descripta est equitibus Polonis militandi ratio per regiones atque tractus, quos nostri uulgo Palatinatus ac districtus uocant: ita ut ex præscripto certū numerum armatorum, quilibet Palatinus e ditione sua, ad expeditionem à rege indictam educeret. Oppidanis quoque pedites & currus onusti commeatu, ad numerum imperati sunt. Sed hæc abusu arbitraria postea facta sunt, magno reipubl. detrimento: de quo nos alibi uberius scripsimus. Equorum quoque dispositio & subuectio oppidis iniuncta, per quam celerrimè regi, si quid cognitu dignum aut necessarium usquam in regno extitisset, nūciaretur, & rex uicissim quæ uellet iuberet, huius regis est institutum. Quod quidem abusu nostri temporis, ualde onerosum est oppidanis. Muniuit is etiam arces plerasque in finibus regni, quo receptus esset equitibus iuxtà atque agricolis ad subitos uicinarum gentium motus, & unde furta & latrocinia domestica, excursiones, prædationesque finitimorum reprimerentur, domi inter ciues pax & tranquillitas præstaretur: ijsque arcibus prefectos cum modicis militum præsidijs imposuit, & certos pagos adscripsit, qui & excubias nocturnas per uices seruarent, & materiam ad reficiendas, cum opus esset, eas arces comportarent, et certam siliginis atque auenæ mensuram in cellam arcis & alimentum præsidij hostiatim quotannis præberent. Indeque id uectigal Strosza, hoc est, custodia, eo quòd custodibus expensum ferretur, dictum est. Ceterum hominibus ecclesiasticis omnium onerum, laborum & pensionum regi & reipubl. præstandarum, immunitatem sempiterno iure concessit. Ipse rex crebrò arces & prefecturas, atque omne penè regnum obibat, ut superstitiones, ritusque priscæ religionis, si qui adhuc usquam extarent, penitus extirparet, ac de iniurijs atque controuersijs omnium cognosceret, & quid quoque loco opus esset præsens mandaret: dicere solitus, malle se gallina uescentem, salutem atque tranquillitatem suorum tueri, quàm delicijs indulgentem, pati ut quisquam uexaretur, aut opprimeretur. Pecuniam cōtemnebat, omniaque ad decus religionis, salutem reipub. ornamentum templorum, & præmia bene merentium de republ. conferebat. Cum autem annis pariter atque laboribus, & contentione animi confectum atque debilitatum se esse animaduerteret, indictis Gnesnam comitijs, Mieczislaum filium successorem sibi summo totius conuentus consensu designauit, eumque deinceps iudicijs pro se præfecit: cætera per se ipse administrauit. Nec multo pòst in morbum incidit: quem ubi mensium aliquot spacio inualescere, mortemque appropinquare sibi sensit, sacris mysterijs ritu Christianorum procurati minimè neglexit. Primores sacri pariter ac militaris ordinis Posnaniam, ubi decumbebat, ad se conuocauit. His mandata dat, de concordia inter ipsos & beneuolentia erga posteritatem suam retinenda. Seorsum filio cùm de rebus priuatis, tùm ut senatoribus suis honorē habeat: ab omnibus amari magis, quàm metui studeat: pietatem erga Deum, uirtutem, iustitiam, benignitatemque in omnes colat: ocium & uoluptates tanquam pestem fugiat. Ad extremum, multa coram omnibus de futuro statu & motibus reipubl. & posterorum suorum successibus quasi diuinitus, prædixisse fertur, quę rerum euentus postea comprobarit. His actis, dictisque, summo omnium dolore atque mœrore moritur: et Posnaniæ moderata, quemadmodum uiuus præceperat, pōpa sepelitur, cùm annos uigintiquinque regnasset, uixisset octo & quinquaginta. Fuitque is annus post Christum natum millesimus uicesimusquintus. Per quod tempus Conradus Sueuus Henrico Imperatori mortuo à principib. electoribus successor datus est. Fuit autem Boleslaus statura mediocrem non excedente, oris & corporis totius habitu elegāti, & ad modestiam composito, capillo denso, crispo, nigroque: uictu, cultuque corporis non neglecto, neque nimis tamē exquisito. Eius morte uniuersa Polonia, optimè merenti rege orbata, annum totum in luctu fuit, ita ut neque conuiuia ulla, neque choreæ celebrarentur, neque cultoribus uestibus quisquam nobilium uirorum aut fœminarum sese uestiret. Scribit Vincētius frequenter Vngaros ab hoc rege superatos, & usque ad Danubium subactos esse. Mihi nō fit uerisimile, aliquid ei hostilitatis cum Vngaris intercessisse, regnante tum apud eos Stephano, cum quo magna necessitudine coniunctus erat. Et iam diximus,

Religio Boleslai.
Sacerdotibus honos habitus.
Militandi ratio.
Cursus publici, siue subuectiones.
Arcium munitio.
Præfecturæ & redditus earum.
Strosza.
Ecclesiastici ordinis immunitas.
Regis peragratio regno salutaris.
Præclarè dictum.
Liberalitas.
Successor designatus.
Iudicia filio mandata.
Pia cohortatio.
Prædictio futurorum.
Boleslai mors.
Aetas.
1025. ann.
Conradus Sueuus imperator electus.
Habitudo corporis Boleslai.
Luctus publicus.
Vngarica bella.

mus, Emericum Stephani filium libenter in Polonia cum Boleslao uictitasse: dicemusq; posterius, eiusdem Stephani fratres patrueles fuga in Polonia salutem sibi quæsiuisse. Nisi forte Stephano regi propinquo aduersus Cupan cognatum, res nouantem in Vngaria, præstò fuisse existimandus est.

MIEZISLAVS SECVNDVS REX.

Coronatio Miezislai.

CVrato Boleslai primi regis funere, Miezislaus filius triginta quinq; annos natus, destinatum iam prius regnum init, frequenti procerū & nobilium conuentu, quid ad exequias regias conuenerant. His stipatus Gnesnam uenit, ibiq; diadema regium ipsi & Rixæ uxori eius, Hippolytus archiepiscopus Gnesnensis cum alijs episcopis solēni ceremonia imposuit ea die, quæ Christianis Pentecoste dicitur. Inde dies aliquot festis epulis et conuiuijs dantur: sparguntur in uulgus missilia: apparantur & in egenos atq; mendicos piæ uiscerationes. Aestate sequenti rex in Russos facit expeditionem. Nam ij Boleslai regis morte nunciata, Iaroslao & Mescislao ducibus rebellauerant: quas oras rex ille ditionis suæ fecerat, eas armis infestabant: Ceruenum, & alias arces, & præsidia Polonorum oppugnabant: abactosq; ex Polonia agrestes complures, ad Porsum amnem non procul à Kiouia collocarunt, ut agros ob assidua bella cultoribus exinanitos colerent. Hos primo aduentu Miezislaus repressit: & multos ex Russis primores comprehensos, in arces suas custodiendos distribuit: sed Iaroslaum tamen ducem ad officium non reuocauit. Quin monarchę is titulum, qui apud Russos Iedinouuladecz dicitur, postea Mescislao fratre defuncto usurpauit. Ex Russia reuertens Miezislaus, plerasq; Poloniæ regiones obit, cùm iuris dicendi, tum uisendi gratia: filium Cazimirum septennem literas docere curat. Bohemicum bellum uix suscepit, & nulla cum laude gessit. Cuius hæc fuit causa. Obtinebat Bohemiæ principatum Vdelricus, cuius in Boleslao superius meminimus. Is morte Boleslai confirmatus, & Pręgislao filio, impigro et feroci iuuene, fretus, tributum, quod Boleslao quotannis pependerat, Miezislao negauit: nec eo contentus, regia pręsidia per filium (nam ipse cæcus erat, & iurisiurandi religione teneri se simulabat) undiq; deturbauit & interfecit: Morauiam, quæ tunc in Polonorum ditione erat, inuasit: oppida aliquot cum arcibus obsessa & oppugnata, nemine opem ferente, in ditionem accepit: quorum autoritatem secuta Morauia cuncta, breui tempore in potestatem Bohemi uenit, Polonis uel eiectis, uel trucidatis. Qua de re non fuit necesse Hageco citare autores Critium & Callimachum, quorū neuter de temporibus illis quicquam scriptum reliquit. His itaq; rebus motus rex Miezislaus, & magnis populi clamorib. & conuicijs uix tandem impulsus, & sibi iam, regnoq; timens, è Russia reuersus, in Morauiā duxit exercitum: & oppidum quidem nullum oppugnatione tētauit: quippe quæ Bohemorum pręsidijs tenerentur, & per se etiam oppidani conscientia deditionis atq; defectionis, obstinatè ea defensuri esse uiderentur: sed agris tantū & suburbanis uastatis, magnaq; hominum, pecudum & iumentorum pręda abacta, domum reuersus, dimisit exercitum. Bohemorum exemplum secuti, qui trans Odram erant duces, & præfecti regij, in ijs regionibus quas Boleslaus rex de Saxonibus uindicarat, molliciem & ipsi, ignauiamq; regis contemnunt: imperium detrectant: uectigalia regia, impendens à uicinis bellum causificantes, pro se usurpant: cū uicinis Teuthonibus clam fœdera, amicitias & affinitates iungunt: postremò ubi inulta hæc esse uident, in apertam rebellionem erumpunt: & partim nouos ipsi sibi dominatus constituunt, partim Romano imperio socios & uectigales sese faciūt: idq; uel conscientia defectionis, & metu regis Poloni: uel ut Germanici scriptores prodidêre, ui & armis Conradi subacti. Nam quod ijdem scribunt, & sequitur Bonfinius, Boleslaum regium titulum, imperante adhuc Henrico usurpantē, tributumq; negantem, à Conrado multis grauibus prælijs superatum & subactum esse, Meschonemq; filium eius aliquanto pòst eadem molientem eiectum: & fratrem eius Ottonem, qui à Mescone pulsus fuerat, restitutum: Mesconem uerò profugum ad Bohemos, ab Vdelrico quidem penè proditum Conradi uerò clementiam, & magnanimitatem expertum, eius fidei sese commisisse: principatum cum fratre partitum, regia dignitate se abdicasse, contentum principis nomine: Poloniam imperatori tributariā mansisse: longè in eo aberrasse à uero uidentur. Nam neq; Conradus imperium uiuente Boleslao adeptus est: neq; Boleslaus præter Miezislaum siue Mesconem alium filium habuit: neque diadema regium ille ipse Boleslaus temerè usurpauit, sed ab Ottone tertio imperatore ultrò oblatum accepit, atq; posteris suis reliquit: neq; Conradus, compluribus alijs externis pariter ac ciuilibus bellis distentus,

Russicum bellum.

Iedinouuladecz monarcha.

Bohemicum bellum.

Morauiam Poloni amisêre.

Morauiam populatus est Miezislaus.

Vindarum defectio.

Otto Frising. Naucler. Tubing. H. Mutius. Bonfinius. Falsa de Boleslao & Miezislao.

stentus, ocium ad persequendos bello Polonos habuit: neq; uerò Polonos principes cuiquam omnino imperatori Romano unquam tributarios fuisse, isti uetustioribus & fide dignis testimonijs aut argumentis docere possunt. Sed cum partē aliquam Poloniæ Germani, ut superius meminimus, seu per deditionē: seu ui cæpissent, uniuersam se Poloniam subiugasse iactarūt. Hoc unus aliquis ab alijs auditum, uel ne auditum quidem fortasis, postea literis mandauit, & cæteri secuti sunt. Gallus quidam, qui non ita multo pôst hæc tempora Boleslai tertij & superiorum regum Poloniæ res gestas tribus libris complexus est, nullam neq; de fratre Mesconis, neq; de ulla Conradi huius Imperatoris expeditione in Poloniam facit mentionem: ac ne Lampertus quidem Saffnaburgensis, aut Hermannus Contractus, quamuis propinquiores etiam illis temporibus, nec indiligentes eorum quæ ad gloriam Germanicæ nationis pertinebant. Hermannus quidem Luiticos, quos eosdem Vilsos à Crantio uocari uideo, Slauos scilicet, citra & ultra Panim fluuium habitantes, non præterijt, quos cum Virbinam castellum in confinio Saxoniæ intercepissent, à Conrado deuictos, & uectigales factos esse memorat. Ab illa autem defectione ducum et præfectorum regiorum, Lubecensis respub. abrogato posteriori tempore unius dominatu, opibus creuit. Hinc Holsatiæ comites, hinc Mechelburgenses, siue Magnopolenses, Rugij Pomerani, & nonnulli alij eius oræ duces, originem habuêre, hinc Marchionum Brandeburgensium ditio exorta, magna cæpit incrementa: quanquam Lubussensem & Camenensem diœceses posteriori tempore detractas esse Polonis, argumento est pensio nummi S. Petri, de quā paulò inferius dicemus: quæ ijs tantum, qui tunc Poloniæ finibus, regnoq; continebantur, imposita est, quam Lubussensis quidem diœcesis adhuc pendit. Camenensi uerò posterius singulari sedis Apostolicæ indulgentia, ob liberatum legatum Apostolicum, remissa est. Cæterùm ex eo tempore nunquam illa loca, quæ tunc sese abalienarunt, in ditionem Polonorum reuenêre: præter Pomeranos, quibus, cum ducem sibi potentem quendam & factiosum inter ipsos creassent, intulit bellum Miezislaus, habens secum in exercitu Andream, Belam & Leuentam, Vngaros, Ladislai calui filios, Stephani regis fratres patrueles: qui, cum Petrus eiusdem regis sororis filius regnum Vngarorum Stephano moriente inuasisset, in Poloniam confugerant. Cum his igitur & magnis suorū copijs cum ingressus esset Miezislaus in Pomeraniā, occurrit illi cum armatis Pomeranus, & in aciem suos educit necessitate magis, ne qua suos defectionis & noui dominatus ipsius pœnitentia subiret, quàm aliqua suarum uirium fiducia. Quanquam non nullam etiam bene gerende rei spem ignauia Miezislai regis ipsi dabat: Concurritur infestis armis, hinc ira stimulante, illinc conscientia defectionis spem ueniæ præcidente: ad extremum inclinata acie, fundūtur Pomerani, & in potestatem regis ueniunt: autores defectionis capitali pœna afficiuntur, cæteræ multitudini parcitur. Nam dux in prælio occubuit. Nonnulli à Bela eum singulari certamine uictum & interfectū esse uolunt: Præclara quidem certè eo prelio uirtus atq; opera Belę enituit. Itaq; generū eum sibi rex filiæ matrimonio adoptauit: Pomeraniam ipsi in dotem dedit. Cætera neglexit, nec unquam ad recuperāda quæ amiserat, animum adiecit. Verùm torpori ac desidiæ se dedit, ac uoluptatibus ijs quæ gustu, tactuq; percipiuntur. Aliarum etiam, præter uxorem, mulierum consuetudine usus esse dicitur. Vxori tamen, mulieri auaræ & importunæ, ita fuit obnoxius, ut eius maximè nutu & arbitrio regnum administraret. Quæ quidem deinceps, cum rex amentia correptus, sui compos non esset, dominatum omnem regium ad se trāstulit: quo maius etiam hominum in se & in regem odium cōcitauit. Moritur haud ita multò pôst ex morbo illo Miezislaus, anno Christi 1034. & Posnaniæ sepelitur: homo tardus & hebes, leuitate iuuenili, & iuuenum atq; uxoris consilia plerunq; sectatus, quibus rebus factum est, ut suis atq; externis hostibus pariter atq; socijs esset contemptui: sic ut in se uerum esse comprobaret id, quod Græcis est in Prouerbio, Heroum filios noxas esse. Regnauit autem annis ferè nouem, uixit quadraginta quatuor. Sunt qui eum in colloquio quodam insidijs exceptum à Bohemis, gigendo inutilem redditum, & mox mente captum, non diu patri mortuo superstitem fuisse uolunt.

Poloni nunquam fuêre tributarij Ro. imperio.
Gallus anonymus Polonicarum rerum scriptor.
Lamp. Saffnaburg. de reb. gestis Germ.
Herm. Contractus in supplemento Chron.
Luitici seu Vilsi à Conrado Cæsare uectigales facti.
Lubecensis respubl.
Holsatiæ comites. Mechelburgens. Rugiæ et Pomeraniæ duces.
Marchia Brandeburgensis.
Lubussensis et Camenēsis diœcesis olim in Polonia.
Pomeranicum bellum.
Andreas, Bela & Leuenta, duces Vngari in Poloniam profugi.
Pomerani uicti & recepti.
Bela gener regis Poloniæ, et Pomeraniæ dux.
Vita Miezislai.
Muliebre imperium.
Miezislaus amentia correptus.
Ann. 1034.
Miezislaus captus, & exceptus à Bohemis.

DE ORIGINE ET REBVS GESTIS POLONORVM LIBER QVARTVS.

INTERREGNVM.

Terrae tremor insolens in Polonia. *Cazimiri aetas.*

VNICVM reliquit post se Miezislaus rex superstitem filium, Cazimirum: sub cuius ortum tremor terrae acciderat. Quod ita rarum & insolens est in Polonia, regione mediterranea, ut magni prodigij loco habeatur, quoties accidit: & tunc quoque habitum sit. Is igitur Cazimirus, siue iam uicesimum annum, ut placet Dlugosso, attigerat: siue paruulus puer adhuc erat, ut uult Gallus, nondum regiam dignitatem & reipubl. curam sustinere posse uidebatur. Itaq; ex uniuersi conuentus, qui Gnesnam ea de re conuocatus erat, sententia, differtur noui regis coronatio. Interim penes Rixam reginam pueri matrem regia potestas relinquitur: qua abusa mulier, pia alioqui & religiosa, quemadmodum uideri uolebat, caeterùm audax & auara: uarijs & grauibus exactionibus, uiuo marito institutis, rusticanos homines tam regios, quàm nobilitatis, magis ac magis premebat: nouas rationes cogendae pecuniae exquirebat: Polonos despicatui habebat: Teuthonas suos in consilium adhibebat, hos ad honores & magistratus euehebat: hos diuitijs & possessionibus augebat, etiamsi nullum industriae & uirtutis specimen prae se ferrent. Indignè haec ferre nostri: orare reginam, ut quorum armis atque sanguine regnum defenderetur, & ad tantam amplitudinem, quanta regnante Boleslao fuit, perductum esset, eorum maiorem, quàm externorum, quamq; suae cupiditatis, rationem duceret. Multa Polonos principibus suis ultrò concedere & indulgere, asperioris dominatus insuetos esse: externis hominibus, in quibus aliquid modò ingenij uirtutisq; sit, maiorem, quàm gens ulla habeat, honorem habere: sed posthaberi se omninò in patria sua, dignisq; indignos praeferri non oportere. Caeterùm ubi uident, orando apud reginam se nihil proficere, fremebant inter se uulgò, atque adeò palàm etiam loquebantur: non ferendum esse uiris tam graue & contumeliosum externae mulieris imperium. Contemnebant uicissim potentiores iussa reginae, & regias possessiones atque reditus nonnulli inuadebant: atque ut inter quosque simultates & clandestina odia antè id tempus fuerant, tunc in apertam hostilitatem erumpebant: comparabantur factiones, & omnia dissidijs atque seditionibus plena erant. Regina uerita, ne in tanta licentia, & irritatis in se hominum animis, maius aliquod malum in se redundaret, consilium fugae cum filio atque Teuthonibus suis clàm init: regium fiscum, in quo cùm preciosae res multae, tum duo diademata Regis & Reginae erant, compilat, regno excedens, in Saxoniam se contulit: ab imperatore Conrado, oblatis ei magnis muneribus, & inter ea duabus coronis è Polonia asportatis, Salefeldũ, uti uult Vapouius, seu Magdeburgum, & Brunsuicam oppida cum suis territorijs uel emit, uel dono accepit. Cazimirum uolunt nonnulli non cum matre pulsum esse, uerùm aliquantò pòst, cum ij qui maternae eius fugae autores fuerant, magnasq; clientelas & factiones comparauerant, ab eo sibi metuerent, siue adeò impotentius agerent: ipsum quoque solum uertisse, & in Vngariam ad Stephanum regem propinquum profugisse. Deinde post Stephani mortem, qui anno Christi 1036. obijt, & cum Emerico filio in numerum diuorum relatus est, à successore & sororis eius filio Petro cõmeatu & comitatu instructum, ad matrem in Saxoniam missum esse: nec Bohemis proditum, qui simulatione misericordiae eum deposcebant, ulturi in eo clades ab auo acceptas: & in posterum ut sine metu essent, sibi prospecturi. Quàm enim Vincentius praeterea refert nescio cuius opinionem, quasi Cazimirus hic paruulus post matris in puerperio mortem, clam nouerca, quae ut necaretur infans, apud uirũ instabat, in monasterio quodam educatus sit: mortuoq; patre cum res reginae odio turbatae essent, proditus ab eo, à quo educabatur, ad paternum regnum uocatus sit: eam inquam opinionem, ne refellere quidem pluribus libet, apertè enim ijs refellitur, quae statim exponemus. Profectus est autem Cazimirus Lutetiam, uoluntate matris, ut ingenium honestis disciplinis excoleret: inde post aliquot annos uisa obiter Italia, & Romualdo abbate sancto, Cluniaci in Benedictinorum monachorum sodalitatem se dedit, monasticam uitam professus. Reginae & regij filij discessu, quasi limphatico furore Polonia cuncta exagitatur. Miscentur omnia caedibus mutuis: latrocinijs

Rixa regnum administrat. *Nouae exactiones, & contemptus gentis.* *Polonorum obsequium erga principes suos.* *Pol. humanitas erga externos.* *Turbatur res in Polonis.* *Rixa profugit è Polonia.* *Salefeldum Rixae emptum.* *Cazimirus in Vngariam.* *Stephanus Vnger. rex cũ Emerico filio in diuos relatus. 1036. ann.* *Cazimirus monachus fit.* *Polonia status turbatißimus.*

latrocinijs uiæ publicę infeſtantur: incenduntur pagi atq; oppida: tumultuaē: collatisq́; ſignis inter ciues atq; proceres concurritur: ut quiſq; audaciſsimus eſt, ita maximam perditorum hominum manum cogit, aliena inuadit, ueteres poſſeſſores poſſeſsionibus deturbat: trucidantur paſsim diuites et locupletes patresfamiliâs, liberi eorum eliduntur, cęſorum coniugijs atque bonis interfectores per uim potiuntur: ſtuprantur honeſtæ uirgines, & matresfamiliâs. In tanta uaſtitate atq; confuſione, agreſtes quoq; à laboribus & agricultura feriati, in patronos ac dominos ſuos inſurgunt: in nobilitatis excidium conſpirant: ueteres nonnullorum iniurias & oppreſsiones, concepto in omnes odio, omni crudelitate ſummaq; acerbitate ulciſcuntur. Neq; miniſtris ſacrorum, ac ne ipſis quidem templis, aris atq; ſacris parcitur: & in priſtinam barbariem atq; impietatem Polonia, abiecto ueri Dei cultu, relapſura eſſe uidebatur. In latebras ſeſe abdebant proceres & epiſcopi. Erat q; miſerabilis ubiq; rerum facies. Nihil uſquam tutum niſi, cuiuſquam proprium: nemo mali exors erat. Per hoc tempus Maslaus, qui & Maſos dictus eſt, qui pocillator regis Miezislai fuerat, uir potens & audax, dominatū inter ſuos in tractu Plocenſi arripuit: confluenteq́; ad eum undiq; magna hominum, partim ui & armis exercitatorum, partim potentiorum uim & iniurias declinantium, multitudine, permagna potentia auctus eſt, & Maſoſsiæ, ſiue Maſouiæ nomen ei oræ, quam dominatu complexus eſt, dedit. Ad hęc domeſtica mala accedebant hoſtiles incurſiones: erumpebant deuota deuictarum dudum gentium in Polonos odia. Hinc Iaroslaus Ruſsiæ dux terreſtribus & naualibus copijs ſecundo Bugo uiciniam omnem, quæ nunc Poleſsia ſiue Podlaſsia eſt, & a Ruſsis atq; Lithuanis tenetur, uſq; ad eam oram, quam Maſouia pòſt ea tempora finibus ſuis complexa eſt, infeſtauit. Illinc Prędislaus Bohemus quum poſt Vdelrici pàtris mortem, Iaromiro cęco patruo concedente, principatum ſuſcepiſſet, cum ualido exercitu ferro et igni Sileſiam, quæ ſic poſterius dicta eſt, & maiorem Poloniam quàm longiſsimè populatus eſt: Vvratislauiam, Poſnaniam, aliaq́; minora oppida complura diripuit et incendit, nulli neque ſexui neq; ętati hominum pepercit, nec à templis impias & ſacrilegas manus abſtinuit (nam de Cracouia Syluio & Hageco non aſſentimur, refellitq; eos locorū ratio) Gneſnam metropolim nec manu munitam, et habitatoribus, defenſoribuſq; uacuam primo impetu cępit: ad baſilicam eius oppidi ſpoliandam, ubi iuſſu ipſius uenère milites, aliquoties irrumpere conati, ſubito cæcitate & lęthargo diuinitùs percutiuntur. Erat in caſtris Prædislai, Seuerus Pragenſis epiſcopus. Is miraculo attonitis omnibus, & ſpoliationē templi in religionem uertentibus, perſuaſit, nō ob id quod putabant omnes, ſed propter neſanda flagitia & enormia ſcelera Bohemorum, cæcitatem illam & obliuionem ipſis accidiſſe: triduanoq; ieiuno diuinam iram placandam eſſe cenſuit. Quo expleto Bohemi liberè iam epiſcopo authore templum ingrediuntur: aurum & argentum omnę, ueſtes ſacras & omnem baſilicæ ſuppellectilem, quæ erat munificentia ſuperiorum principum ſatis ampla, tollunt: itemq́; quinq; eremitarum, de quibus in Boleslao meminimus, corpora, quæ illuc à pio rege tranſlata erant, auferunt. Gaudentij corpus, pro Adalberti corpore à miniſtris templi pio mendacio indicatum, etiam tollunt. Nam Adalberti corpus ijdem miniſtri in adito templi clàm defoderant. Quamuis Bohemi eius reliquias habere ſe iactent. Hæc omnia Pragam aſportauit Prædislaus, & in baſilica Pragenſi repoſuit: præter Chriſtini, unius de quinq; illis eremitis, corpus, quod Olomucenſibus cōceſsit. Atq; hæc anō Chriſti 1038. acciderunt: Hagecum enim multa temerè de hoc bello nugātem, non ſequimur. Nec unquam poſtea Prædislaus, quę iure belli cæperat, Polonis reſtituit: quamuis poſtulatus ea de re apud Pontificem Max. à Stephano archiepiſcopo Gneſnenſi, qui Polonus Polono Bozentæ ſucceſſerat. Grauioribus etiam fortaſſe incommodis ferox Bohemus Poloniam tunc affeciſſet, ni metus domeſtici belli, à Conrado quidem imperatore intentati, ab Henrico autem filio & ſucceſſore Conradi illati, eum repreſsiſſet. Conradum quoque imperatorem Rixæ reginæ precibus & muneribus adductum, ad uexandos & infeſtandos Polonorum fines exercitum miſiſſe, Dlugoſſus memorat: ſed eum non multum progreſſum, nec magnis damnis illatis, citò domum uertiſſe: uel quòd inuitus imperator eo ſe bello cum Polonis implicabat, & reginæ tamen utcunq; ſatis eſſe faciendum putabat: uel quòd ad ſedandos motus Burgundicos & Italicos, & Bohemicum fortaſsis bellum, auocabatur. Nec multo pòſt uitam is cum morte cōmutauit, Henrico filio, ſicut modò attigimus, Imperij ſucceſſore relicto: quem longè ante mortem, Cæſarem, ſiue regem Ròm. ipſe de principum electorum ſententia deſignarat. Nec tamen huius belli Polonis à Conrado tunc illati, quiſquam omnino, præter Dlugoſſum, mentionem fecit. Cæterùm

Ruſticorum tumultus contra dominos.
Vis illata ſacris, & miniſtris ſacrorū.
Maslaus tyrannus.
Maſouia.
Ruſsi uaſtant Septentrionalem oram Poloniæ.
Prædislaus dux Bohemorum meridionalem & occidentalem.
Vratislauia.
Poſnania.
Gneſna incenſa.
Gneſna capta ac direpta.
Miraculum.
Epiſcopi impietas.
Quinq; eremitarum & Gaudentij corpora aſportata à Bohemis.
S. Adalberti corpus occultatum.
1038. ann.
Romæ litigatū cum Bohemorum duce de ſpoliatione templorum.
Conradus imperator Poloniam uexauit.
Henricus filius Conradi ſucceſſor in imperio.

Pomerani Poloniam infestarunt. Pomeranos quoq; defectores Poloniam tunc diuexasse, Gallus innuit. His tam sæuis tempestatibus totos penè sex años iactati ac fatigati Poloni, & acerbiora etiam, extremumq; tam florentis dudum regni naufragium metuentes, ut maximè quisq; consilio, dignitate & authoritate pollebat, remittunt nonnihil de intestinis dissidijs, condonant sibi mutuò priuatas offensas, de republica cogitationem suscipiunt, reçq; per internũcios inter se communicatã, comitia Gnesnam indicunt: ibi de summa reip. consultatur. Et inter omnes quidem conueniebat, rempub. nisi ad unum rursus deferatur principatus, saluam esse nõ posse: quem' nam uerò potissimum deligant, uariabant sententiæ: nonnulli reuocandum esse Cazimirum, optimè de ipsis meriti Boleslai regis nepotem, censebant: alij negabãt, quòd metuendum esse dicerent, ne is paternam ignauiam & maternam auaritiam imitatus, uniuersa perderet: neue memor iniuriæ, crudelis ultor & acerbus tyrannus in ipsos existeret. Sed cum de proceribus atq; ciuibus neminem deligi placeret, externi uerò principes ij qui erant finitimi, partim hostes essent, partim impares tanto oneri iudicarentur, partim etiam domesticis malis atq; dissensionibus laborarent: uicit tandem ea sententia, quæ Cazimirum, ubi ubi sit, quærendũ, placandum, & reducendum esse censebat. Iuuenem esse, & facie liberali, nec sanè crudelis patris filium: facilè ueniam daturum, culpam deprecantibus: indolem uerò eius omnia meliora, quàm de patre, matreq;, polliceri: ad hęc autem, calamitate & exilio non ad ocium & nequitiam, sed ad industriam & modestiam eruditum esse.

Procerum Polonorum prudentia.

Comitia & consultatio de rep. publ.

Cazimirus reuocatur.

Oratores delecti primores uiri ad reuocandum eum, luculento uiatico & amplis muneribus publicè contributis instructi, ad Rixam in Saxoniam proficiscũtur: ei dona dant: quo in statu sit res Polona, ad quidue ipsi ueniant, supplici & miserabili oratione exponunt. Illa implacabilis mulier, aspernari preces: exprobare eiectionem suam: insultare malis miserorum: negare filium postulata ipsorum facturum esse, ipsorum scelere eò redactum, ut calamitatis tædio, exilijq; pudore, in Gallias secederet, Cluniaciq; monasticæ uitæ sese addiceret. Hoc accepto à regina responso, oratores Cluniacum rectà contendunt: inueniũt Cazimirum mutato nomine Carolum, non modò professum religionem, sed iam Diaconum. Deprecantur culpam exilij ipsius, quæ tamen penes reginam ferè fuerit: orant, respiciat afflictam & penè euersam patriam: suscipiat paternum, & auitum regnum ab extremo interitu uindicandum: in eo solo spem Polonorum sitam esse. Quasi decidant, funditùs se perisse. Respondet ille modestè obortis lachrymis: Exilium suum non ipsis, uerùm arcano Dei iudicio, & nonnulli fortassis parentum suorum culpę se imputare: casum dulcissimæ patriæ, quam sui maiores florentissimam reliquissent, miserari: & adiutam eam omni ope & consilio uelle, si integrum id sibi sit. Nec ignorare, maioris esse pietatis & meriti, publica administrantem multorum saluti consulere, quum priuatum, & in solo loco conclusum, innocentiam uitæ suæ tueri. Sed alieni iam se iuris factum esse: datam semel Deo, atq; ijs quorum se potestati ultrò subiecisset, fidem fallere non posse. Mœsti hoc responso legati, ac de spe propemodum deiecti, omnia tamen tentanda sibi esse existimant. Abbatem monasterij adeunt: eadem illa orant: muneribus animum eius mollire conantur. Ab eo ad Pontificem Max. rejciũtur. Ne eum quidem itineris laborem & molestiam defugerunt: Romam è Gallijs profecti, magna diligentia, importunisq; precibus tandem à Pontifice maximo Benedicto, eius nominis nono, uel à Clemente secundo, ut alij uolunt, impetrant, ut Cazimirus monachus & Diaconus, professionis et sacramenti religione solutus, ad regnum maiorum suorum redeat, uxorem ducat, liberos procreet. Pro hoc Polonis, quo beneficium sedis Apostolicæ agnoscant, iniunctum, primùm ut de singulis capitibus, exceptis nobilibus siue equitibus, & qui sacris addicti sunt, quotãnis obolus unus in lucernam perpetuò in æde diui Petri Romæ arsuram pendatur: qui etiamnum sancti Petri numus dicitur: tametsi Dlugossus, regnante apud Polonos Vladislao Loctico ad hanc rationem uult redactam esse pensionem illam, cum prius tres oboli & cribrum auenæ de unaquaq; familia pensitatum esset. Deinde præscriptum est, ut omnes Poloni rotunda in morem monachorum tonsura capillorum utantur, neu ultra auriculas ritu barbarico quisquam omninò comam promittat: tum festis solennibus, dum sacra peragũtur, ut singuli equites fasciam lineam candidam in modum stolæ, qua in sacris utuntur sacerdotes atq; diaconi, è collo suspensam ferant. Suscipiunt non grauatim præcepta & leges Pontificis oratores, & Poloniam omnem ad seruanda hæc obstringunt. His rebus è sententia confectis, curriculo Cluniacum repetunt cum mandatis pontificijs: atq; inde porrò læti Cazimirum reducentes, ad Rixam, ita uolente ipso, diuertunt. Ea frustra reditionem filio dissuadere conata, salutataq;, ad Henricum deinde imperatorem adeũt, orant, ut diademata,

Cazimirus Diaconus.

Cazimiri modestia.

Oratores Poloni Romã profecti.

Votum relaxatur Cazimiro.

Polonis iniuncta onera à Põtifice Max.

Numus S. Petri.

demata, quæ Rixa è Polonia sublata Conrado patri ipsius donarat, propinquo regi reddat, eumq; auitum socium & amicum Rom. Imperij tuendum ac defendendum suscipiat: Bohemum ducem ab inferendo Polonis bello cohibeat: & ad reddenda, quæ superiori tempore abstulerat, cogat. Non difficilem se in ijs quæ petebantur, Henricus præbuit. Nam & coronas reddidit, & sexcentorum equitum præsidium Caziniro deducendo addidit: & de Bohemo, cum quo bellum tunc gerebat, curæ sibi fore promisit. Igitur auctus comitatu Cazimirus, & plenus bonæ spei, salutato Imperatore, in Poloniam contendit. Cum autem Poloniæ fines attigisset, effusa obuiam hominum omnis generis, ætatis, atq; sexus ingens multitudo, officij gratia, læta ac tripudians regem suum tantopere expetitum, quasi præsens quoddam numen, atque salutem suam, faustis ominationibus & acclamationibus, gaudioq; profluentibus ubertim lachrymis, excipit: reducem gratulatur: certatim omnes præteritorum ueniam & obliuionem supplices petunt. Ille lachrymans & ipse, comiter omnes consolatus, suspicione culpæ, metuq; supplicij liberat. Quicquid factum sit, non sine diuino nutu factum, pro suis fortasse & maiorum suorum meritis. Adesse iam se, quem alio uitæ generi deditum, & in eo acquiescentem, tanto studio expetiissent, & reuocassent: salutem omnibus, ac non perniciem cuiquam afferentem, confidere autem se uicissim, ipsos omni fide atque beneuolentia complexuros se esse, boni ac uigilantis principis officio fungentem. Ita densissimis, læticiaq; exultantibus hominum cateruis præcedentibus & subsequentibus, Gnesnam honorificentissime deducitur, septimo posteaquam excesserat anno.

Henrici imperatoris animus erga Cazimirum.

Cazimiri reditus.

Cazimiri comitas & pietas.

CAZIMIRVS PRIMVS REX.

Restitutus igitur paterno regno Cazimirus, uicesimum sextum annum agens, & summa omnium ordinum gratulatione, læticiaq; Gnesnæ de more inunctus & coronatus, legatis externorum principũ gratulantibus, celebritatemq; illam cohonestãtibus, benigne & sapienter respondit, eosq; liberaliter donatos dimisit, mox ad reipubl. uulnera sananda animũ adiecit: pacem publicam inter ciues grauibus edictis sanxit, & quoniam ex tanta rerum perturbatione, obducendam potius afflictæ reipubl. cicatricem, quàm acerbis quæstionibus & iudicijs uulnus refricandum esse existimabat, uetus Atheniensium exemplum imitatus, præteritorũ quidem obliuionem edicit, restitutis modò in suas possessiones ijs quibus per uim ablatas esse constabat: in posterum uerò eis qui se ui, cæde, latrocinio non abstinuissent, omnem spem ueniæ præcidit: in paucos contumaciores, qui à consuetis rapinis ægrè recedebant, ad terrorem cæterorum, nõ sine moderatione tamen, animaduertit. Rebus domi maxima ex parte bene constitutis, ad externa circumspicit: & ut debilitatas regni uires externis auxilijs confirmaret, simulq; ut posteritati suæ consuleret, amplissimi senatus suasu atq; rogatu cum Iaroslao Russorum principe fœdus & affinitatem init: sorore eius Maria, cuius mater Constantinopolitanorum imperatorum, sicut suprà memorauimus, soror fuerat, uxore cum ampla dote ducta: quam ingenti pompa Cracouiam aduectam iuxtà ac exceptam, Gnesnã deduxit: Græcorum schisma abdicantem, ecclesiæ catholicæ reconciliauit: Reginam solenni ceremonia fecit, & pro Maria Dobrogneuam appellauit. Iaroslaum affinem iure omni, quod pater, auusq; suus in Russia habuêre, donauit: societatem tantum, & auxilia contra quosuis hostes pactus. Quibus auxilijs, itemq; sexcentis Germanis equitibus, quos præsidij sui causa ex Germania secum adduxerat, fretus, insequenti æstate Masouios infesto exercitu adoritur. Nec segnius Maslaus tyrannus, non parua suorum manu raptim coacta, aduenienti regi occurrit: nec mora, pugnæ copiam facit: Prussorum, quos in societatem belli asciuerat, auxilijs non expectatis. Fit acre prælium, hinc iusta ira, illinc ueniæ desperatione pugnante, franguntur tandem, funduntúrq; Masouiorum acies: dant manus uictori regi. Dux ipse & author belli Maslaus, nihil sibi tutũ fore inter suos ratus, ad Prussos fugit: ab his simul & à uicinis Slonensibus & Iazygibus, siue Iazuingis facilè non modò auxilia, sed ualidos exercitus contra regem impetrat, quòd ipsorum rem agi diceret. Non quieturum enim esse regem se uicto, quin ipsis quoq; arma inferret: & non tantum tributum quod pendere desijssent exacturum, uerum etiam graues pœnas rebellionis de ipsis sumpturum esse. Tuerentur libertatem, in quam se asseruissent: cogitarent, non eas iam Polonorum uires esse, quæ Boleslai regno floruissent, quibusq; ipsi debellati essent: magnam uim hominum partim externis bellis, partim intestinis cædibus exhaustam esse: qui supersint, quiq; maximè bellicosi sint, eos ferè secũ sentire: & partim apertè id ꝓfiteri; partim

1041. ann.

Consilium salubre in rebus turbatis.

ἀμνηστία.

Fœdus & affinitas cũ Russis.

Dobrogneua regina.

Russorum schismate abdicato, coronatur.

Russia tota Iaroslao duci donatur.

Masouiense bellum.

Maslaus uictus reparat exercitum.

partim clàm consilia communicare: in regem non optimè animatos esse, quippe qui ocio & superstitioni in monasterio imbibitæ deditus, militaribus hominib. minus indulgeret. Se quidem cum paucis non tam iusto prælio superatum, quàm inopinantem oppressum, non incruentam tamē hosti uictoriam reliquisse: ipsos tantis pollere copijs, ut Poloniam omnem nullo negocio possent subigere, afflictam præsertim atq; laceram, ut tunc esset, ad hæc, ipse etiam de suo ingentibus pollicitis eos onerat: nec difficulter homines barbaros ad societatem prædæ magis, quàm belli, quemadmodū uideri uolebat, allicit. Iazuingos autem & Slonenses, siue Slomenses, Prusici tractus populos fuisse, Dlugossus indicat. Siue autem ijdem fuerunt Iazuingi cum Iazygibus Metanastis, quorum extant adhuc reliquiæ quædam ad Tibiscum fluuium in Vngaria, nomen antiquum retinentes, & quodam tempore ad Septentrionem in mediam Sarmatiam progressi colonias deduxerunt, siue diuersi prorsus ab illis, inter Poloniam quidem, Rusiam atq; Prusiam medij, in extrema ora Lithuaniæ habitasse, & acerrimi ac bellicosissimi fuisse memorantur: donec à uicinis attriti, & ad extremum deleti sunt. Quanquam ferūtur adhuc tenues quædam eorum reliquiæ superesse in Lithuania & Rusia. Hi ergo cum Prusis pariter ad inuadendam Poloniam exciti, publico consensu belli totius administrationem Maslao mandant. Per id tempus Cazimiro regi Boleslaus filius natus est. Aestate insequenti Maslaus cum ingentibus barbarorum copijs in fines Masouiæ ingressus, facilè eam recepit: carebat enim præsidijs & munitionibus. Nec multo post Cazimirus de aduētu hostium certior factus, adest & ipse, auctis numero & robore militum superioris anni copijs. Venientem apud Vistulam Maslaus spei & animorum plenus, operitur: conseruntur propemodum castra castris. Rex ubi copias hostium suis longè maiores uidit, concidere animo: pœnitere præsentis fortunæ atq; regni: pristinam monasticæ uitæ quietem atq; tranquillitatem animo requirere. His curis atq; cogitationibus fatigatum sopor opprimit. Ibi per uisum diuinitus recreatus & confirmatus, postero die pro concione militibus uisum exponit, & repletos fiducia diuini auxilij, alacres in aciem educit. Nec hostes pugnam detractarunt, canunt signa: clamor utrinque attollitur. Nusquam deest suis, regis prouidentia & adhortatio, ut duce Deo certam uictoriam amplectantur. Et ferunt, conspectum esse in aëre iuuenem augusta specie corporis, ueste candida, candido equo insidentem, & in hostiles turmas uexillum inferentem. Nec mora, terga uertunt barbari: instant acrius nostri fugientibus: fit strages maxima. In eo prælio cæsa feruntur hostium quindecim millia, capta duo millia: ex nostris pauci saucij, pauciores desiderati sunt. Rex inter primos hostem fugiētem persequens, uociferando, cædendoq; lassus, & cruore respersus, semianimis propemodum à gregario quodam milite in castra relatus est: quem postea militaribus affecit præmijs, & in equestrem ordinem retulit. Cæterùm Maslaus ex fuga perpetuo cursu in Prusiam contendit. Ibi à barbaris cognito euentu prælij excarnificatus, in crucem actus est: insultantibus, ut alta teneret, qui alta petiuisset. Sic mali consilij author, malè perijt. Ab hoc prælio Masouia penitus in ditionem regis reuenit: nomen tamen semel acceptum in hanc diem retinet, quamuis mutatis deinde finibus. Prusi clade suorum permoti, & ueriti ne statim sibi Cazimirus uictricia signa inferret, missis legatis culpam rebellionis deprecantur: Regi se & sua subijciunt: tributa debita persoluunt, ac deinceps quotannis soluturos se esse recipiunt. Ita pax eis data est, & captiui dimissi. Rex altero filio Vuladislao auctus est. Interim autem dum hæc geruntur in Polonia, Henricus imperator, cum meditatum etiam à patre bellum Bohemis intulisset, superbo Prædislai ducis responso, de reddendis Polono regi munitionibus, magis etiam fortassis irritatus, principio quidem rem non satis prosperè gessit: sed altero añó repetita maioribus uiribus in Bohemiam expeditione, uictum, fractumq; Prædislaum grauiter mulctauit, & iureiurando in sua uerba adactum, quas de Polonis cœperat, uel ipse in finibus Poloniæ munierat munitiones, Cazimiro reddere coëgit: concessaq; ipsi Morauia, tributum auxit, ita ut quingentas libras, siue ut uulgo uocant marcas argenti, ac centum uiginti boues dux Bohemus deinceps Romano imperio quotannis penderet. Atq; hoc illud est, quod Aeneas Syluius, & alij nōnulli historici scribunt, ab hoc Henrico Bohemorum ducem domitum esse, quòd is iniussu suo Poloniam uastasset. Neq; enim existimandum est, Poloniam tunc in ditione Romanorum imperatorum fuisse. Nam quod addit Syluius, Silesiam Bohemis ab imperatore, imposito tributo traditam esse: de Morauia id rectius accipitur. Silesiam enim etiam tunc in Polonorum ditione mansisse, uel S. Petri numus, cuius dudum mentionem fecimus, argumento est. Nam cum Silesij quoque, itidem ac cæteri omnes, qui tunc in regno Polono censebantur, etiam

Iazuingi & Slomenses populi.
Prusicum bellum.
Boleslaus Cazimiro natus 1044.
Cazimiri pœnitentia.
Visum.
Prusi & Iazyges profligati à Polonis.
Cazimiri labor in prælio.
Maslai interitus.
Vuladislaus nascitur.
Bohemi ab Hērico imp. uicti, ac denuò tributarij facti.
Morauia Bohemis cessit.
Bohemorum tributum.
Silesia in Polonorum ditione mansit.

etiam nunc pendunt:& aliquãto pòst, ut nos inferius ostendemus, ea regio Silesia dici cœpta est. Adde quòd posterius Cazimirus rex Polonorum, cuius tempora nunc prosequimur, Smogorouiensem siue Bicinensem cathedram et episcopam Vvratislauiam, propter Odræ fluuij commoditatem transtulit: quę urbs in umbilico Silesię sita est. Rectius igitur Silesiæ munitiones Polonis tunc à Bohemo iussu Henrici redditas esse crediderimus. Pacato per circuitum regno, Cazimirus memor pristinæ conditionis, & uitæ monasticæ, uictoriamq; cõtra Maslaum atq; barbaros diuino beneficio acceptã referens, Cluniacũ, ubi monachus fuerat, legationem cum amplis muneribus mittit, benignitatẽ erga se Dei prędicat: sodalitati uniuersæ se suosq; commendat: aliquot monachos ad se mitti postulat, qui sectæ illius quasi colonias quasdam in Poloniam deducant: mittuntur duodecim. His partim Tinecciam arcem uno à Cracouia milliario supra Visitulam, cum centum amplius pagis: partim Lubensum oppidum ad Odram situm, cum compluribus itidem pagis & prouentibus alijs attribuit: domicilia monachis extruxit, atq; templa, eaq; perampla suppellectili ad cultum diuinum apta ornauit. Fuit autem primus abbas Tinecensis Aaron Gallus: cuius integritas, pietas, & industria Cluniaci adhuc Cazimiro perspecta erat. Atq; is deinde Rachelino, sexto archiepiscopo siue episcopo Cracouiẽsi uita defuncto, à sacro eius basilicæ collegio postulatus septimus successit, regis fauore et cõmẽdatione adiutus: decimas, quæ ex bonis Tinecensis monasterij Archiepiscopo Cracouiensi præbebantur, Abbati & monasterio iure sempiterno addixit & adscripsit: diœcesim psalmodijs & precationibus ijs, quæ Graduum uulgo dicuntur, onerauit. Multa item alia Cazimirus rex fecit & instituit, quæ ad religionis & reipubl. instaurationẽ pertinere existimabat: pace perpetua, post Maslaicum bellum fatigatam superioris temporis malis Poloniam, mirum in modum recreauit: eoq; instauratoris pacifici cognomentum meruit. Henrico imperatori bellum in Polonos paranti, quòd auxilia contra Petrum regem, propinquum ipsius Andreæ, & Leuentæ Vngaris misisse dicerentur, missis legatis, & refutatis Bohemorum, qui imperatorem in Polonos irritabant, calumnijs, satisfecit: & contra Vngaros ipsi, Petri necem ulciscenti, auxilia postea misit. Vngari enim pulso Petro, Abam, siue Ouonem, cum quo soror diui Stephani regis nupta erat, regem sibi creauerant. Atq; is ob receptũ ab imperatore Petrum, æmulum suum, Austriam & Bauariam infestârat. Quare irritatus Henricus, defunctus bello Bohemico, in Vngariam semel atq; iterum exercitum duxerat, quo Petrum in regnum restitueret. Sed resistentibus Vngaris, re infecta recesserat. Deinde uerò accitus ab Vngaris, quibus Abas ob crudelitatem & contemptum nobilitatis exosum se reddiderat, Petrum profligato & interfecto Aba restituerat. Sed cum is quoq; impotenter dominaretur, ac Teuthonas, Italosq; Vngaris non modò in consuetudine uitæ, sed etiam in honoribus mandandis anteponeret, Vngari Andream, & Leuentã, Ladislai Calui filios, apud Russos tunc pòst Miezislai Poloni regis mortem exulantes, clàm acciuêre: & regnum ad Andream, Leuenta cõcedente, detulêre, ea conditione, ut sibi, abiecta Christiana religione, extirpatisq; sacerdotibus & externis omnibus, pristinam & Scythicã impietatem publicè resumere liceret. Quod ubi factum est, Petrus fuga sibi cõsuluit: sed retractus & excæcatus, paulò pòst angore animi perijt. Andreas regno potitus, edictum suum de religione abrogauit, capitaliq; pœna sanxit cultum religionis Christianæ. Nec tamen eare Henricum imperatorem placauit, quin is Bohemorum & Polonorum auxilijs accitis, denuò contra Vngaros expeditionem faceret, ut Petri regis mortem ulcisceretur, & Vngariam Romano imperio uectigalem redderet. Ad hoc igitur bellum Cazimirus auxilia ipsi misit. Verùm id bellum æquis conditionibus diremptum est, ut mox in Boleslao referemus. Scribit Bonfinius, & uetustior quidam Vngaricarum rerum scriptor, quem in plerisq; sequitur Bonfinius, Andream hunc Bohemiam, Poloniã & Austriam tribus continuis annis infestasse, & uectigales sibi reddidisse: irritatum, ut uidetur, ob missa contra se imperatori auxilia. Cæterorum nemo ullam huius rei mentionẽ facit. Hagecus uerò memorat, Latrunculos è Polonia, ducibus Versouijs siue Rauitis Bohemis circum Closcum infestasse: & multos ex his à Cazimiro rege captos, & suspendio necatos esse, Prædislao Bohemorum duce postulante: atque ita pacem inter Bohemos & Polonos redintegratam, nequicquam dissuadentibus Prædislai filijs: Vvratislauiamq; & alias urbes Polonis à Prædislao redditas, ea lege, ut Bohemorum principi certũ tributum quotannis inde penderent. Sed hoc quoque inconuenienter & obliuiosè ille, ut cætera ferè. Quomodo enim ad Closcum prius Poloni excurrissent, Bohemis Vvratislauiam & cæteras intermedias munitiones tenentibus? Syluius quidem, ex quo pleraq;

Vvratislauia urbs.

Benedictini monachi Cluniaco acciti in Poloniam.

Tinecense monasterium.

Lubensense.

Aaron archiepiscopus Cracouiensis.

Graduum preces in Cracouiensi diœcesi.

Cazimirus instaurator pacificus.

Vngaricæ res.

Petrus rex Vngarorum.

Abas rex Vng.

Andreas rex Vngariæ.

Vngari à religione Christiana defecêre.

Petri regis mors.

Andreas religionem Christianam apud Vngaros reuocauit.

Henricus imperator bellũ infert Vngaris.

Polonorũ auxilia contra Vngaros.

Bonf. rerum Vngar. Dec. 2. lib. 2.

Bohemorum cum Polonis pacificatio.

pleraque sumpsit Hagecus, Bohemorum principi tributum id ab Henrico imperatore impositum esse uult: sed is quoque re ipsa, quemadmodum superius attigimus, facile refellitur. Nos cætera de Cazimiro persequamur. Suscepit autem is ex Dobrogneua uxore liberos, mares quidem quatuor, Boleslaum, Vuladislaum, Miesconem & Otthonem: fœminam uero unam, Suentochnā. Ex his Ottho puer admodum, uiuo patre: Miesco adultior iam, octauo post patrem anno, rebus humanis exempti sunt. Cum autem Cazimirus decimumoctauum regnaret annum, incidit in grauem morbum: quo mensem unum afflictus, ubi finem uitæ suæ adesse sensit, proceribus liberos commendat, & sacramentis ritè procuratus, religiosè, tranquilloque animo, quarto Calendas Decembris, extremum uitæ clausit diem: & magno omnium mœrore Posnaniæ sepultus est, anno post Christum natum 1058. Mortem eius cometes portenderat. Fuit autem Cazimirus procera statura, forma liberali, bona & uegeta corporis habitudine, capillo denso, promissa barba, cōptus & elegans: literis mediocriter eruditus, primus quidem inter reges Poloniæ: in pupillos & uiduas clemens & beneficus: in Ecclesiasticos homines in primis propenso animo: erga omnes comis, lenis & benignus: denique in omnibus rebus agendis Dei timorem maximè ob oculos habere solitus. Hic rex sedem episcopi, quæ primùm Smogorouiæ, deinde Bicinæ fuit, Vuratislauiam transtulit: insula urbi uicina ad confluentem Odræ & Olauæ fluuiorum sita, Episcopo & collegio sacerdotum attributa.

Cazimiri regis liberi.
Cazimiri mors.
1058. ann.
Cazimiri effigies & mores.
Vuratislauiensis basilica.

BOLESLAVS SECVNDVS REX.

Conuentu apud Gnesnam acto, summa omnium uoluntate ad Boleslaum Cazimiri filium natu maximum, solenni cerimonia regnū & diadema defertur, cùm quod ætati is honor habendus esse existimaretur: tum quòd is adolescentulus etiam tum singulari industria, liberalitate, animi magnitudine, laudis atque gloriæ studio preditus, ad res maximas gerendas factus, & regno dignissimus esse uideretur. Ad eum primis tribus annis tres illustres exules cum confugissent, magnam ei materiam sequentium bellorum præbuerunt. Ii uerò fuerunt, Izaslaus princeps Kiouiensium, Iaroslai Dobrogneuæ reginæ fratris filius: Bela dux Vngariæ, Andreæ regis frater, quorum superiùs meminimus: & Iaromirus, Prædislai Bohemorum principis filius. De quibus omnibus, quo res fiat dilucidior, ab instituto digredientes, paulò altiùs repetemus. Ac primùm de Izaslao. Iaroslaus monarcha, de quo plura suprà scripsimus, inter quinque filios Izaslaū, Suentoslaum, siue Stoslaum, Vvseuolodum, Igorum siue Gregoriū (ut habent Dlugossus & Vapouius) & Viceslaum siue Visseslaum, Russiæ principatus moriens partitus erat. Sextus enim Volodimirus, uiuente adhuc ille obierat. Ex his Izaslaus cui Kiouia, & Vvseuolodus cui Pereaslauia obtigerat, Visseslaum Polocensium ducē cum duobus filijs, post patris mortem dolo captū, in uincula coniecerant. Per id tempus Polouuzi, barbara gens, Russis ab oriente sole & meridie cōfines, quos nostrates quidam Gothos, Vngarici uerò scriptores (nescio an rectè) Cunos & Cumanos esse uolunt, Tanai transmisso, in Vvseuolodi ditionem impetum fecerant: cumque unà cum Izaslao fratre & Russorum copijs sibi obuiam progressum, bis magna strage profligarant: Russiam longè, lateque uastabant, & ingenti terrore extremi excidij cunctos impleuerant. Ibi Russica nobilitas uinctum Visseslaum dimitti sibi poposcit. Cumque id negatum esset, ipsa eum per uim atque tumultum inuitis ducibus suis liberauit, & cum eo arcem Kiouiēsem inuasit, ac ducem eum sibi pro Izaslao constituit. Izaslaus diffisus rebus suis, in Poloniam ad propinquum regem confugit. Ita Dlugossus & Vapouius. Russorum annales nullam faciunt Visseslai, capti & liberati, mentionem: nec ab eo, sed à Stoslao Cernechouiensium, & Vvseuolodo Pereaslauiensium ducibus, Izaslaum Kiouia eiectum esse uolunt, paulò pòst, quàm tres ij Smolenscensem principatum à morte Igori inter se partiti erant. Ac ne Boleslai quidem & Polonici belli meminerunt: sed Stoslaum cum Izaslao in gratiam rediisse, Kiouiamque ipsi reddidisse memorant: atque adeò pleraque omnia, quæ Poloni in Russia præclarè gesserunt, subticent. In Vngaria uerò, Andreas rex prouecta iam ætate, post Leuentæ fratris mortem, alterum fratrem Belām, cum filijs è Polonia & Pomerania euocauerat, ut quem exilij socium habuisset, secundarum quoque rerum participem faceret: & cum eo sic Vngariam partitus erat, ut ipse quidem duas partes regni cum titulo regio, Bela uerò tertiam ac ducis nomen obtineret. Postea bello petitus Andreas ab Henrico Imperatore, quemadmodum dudum memorauimus, pace facta, filiam Henrici uxorem, siue filio Solomoni è Russa uxore suscepto acceperat, siue ipse duxerat, & Solomonem filium ex ea susce-

Boleslai secundi indoles.
Bellorum seminarium.
Russiæ principatuum partitio.
Fratrum dissidium.
Polouuzi Russiam uastant.
Gothi.
Cumani.
Visseslaus è carcere liberatur.
Izaslai fuga in Poloniam.
Russicorum annalium fides de Polonorum rebus gestis.
Bela uocatur à fratre in Vngariam.
Vngariæ ducatus.
Solomon Andreæ regis filius.

susceperat (uariant enim scriptores) & eum ipsum filium, paruulum adhuc, socero contendente, successorem sibi destinarat, regemq; uiuus nuncuparat. Igitur indignè ferens Bela puerum sibi fratri prælatũ esse, initio quidem dissimulauit: mox collectis clam sarcinis, cum uxore, tribus filijs, & familia in Poloniam ad affinem regem se recepit, ueritus ne quid durius in se frater statueret. Subolfecerat enim, eum sibi insidiari. Porrò in Bohemia Prædislaus princeps ex Iudithia uxore quinq; filios susceperat, Spitigneum, Vvratislaum, Othonem, Conradum & Iaromyrum. Moriens Spitigneum natu maximum successorem sibi fecerat: Iaromyrum natu minimum sacerdotio destinarat: tribus autem reliquis Morauiam attribuerat. Eo mortuo, cum Spitigneus impotenter dominatũ gerere cœpisset, Germanos & externos omnes, & in his matrẽ suã Iudithã excedere Bohemia iussisset, primoresq; nobilitatis Morauicæ euocatos ad se prehẽdisset, & p arces custodiẽdos distribuisset, Vvratislaus fratris acerbitatẽ timens, relicta uxore in Vngariã ad Andreã regem profugerat. Vxore deinde mortua, alterã, Andreę regis filiã, ultro oblatã exul duxerat. Id cũ cõperisset Spitigneus, ueritus ne ille soceri auxilio fretus, bellũ sibi inferret, ultrò eum reuocarat: nec multo pòst supremũ uitę clausit diẽ. Vvratislaus à Bohemis ad suscipiendũ principatũ accitus, Morauiã Otthoni & Cõrado fratrib. totã cõcesserat: Iaromyrũ, itidẽ ac Spitigneus, exortẽ patrimonij fecerat, psuaseratq; ipsi episcopæ spe iniecta, ut sacris initiaret. Is igĩ cũ iam esset Diaconus, pœnitẽtia ductus, mutata sentẽtia & uestitu, in Poloniã & ipse, apud Boleslaũ regẽ militaturus, & rebus suis cõmodius cõsulturus, paruo comitatu se cõtulit. Nũc iam ad institutũ nostrũ reuertamur. Vvratislaus ergo pmolestè ferens, receptũ ex fuga fratri suo Iaromyro in Polonia patêre, ueritusq; ne quid ille noui cõtra se Polonorũ fauore auxilijs fretus moliretĩ, cũ infesto exercitu in fines Polonię ingressus est: Silesiam ferè omnẽ, quæ necdũ hoc nomen acceperat, populatus, igni, ferroq; uastauit: quo nũcio ad se perlato, celeritĩ Boleslaus cũ tumultuaria manu hosti occurrit, & inopinantẽ in sylua quadam assecutus, reficere corpora, & iumẽta suos festinatione defatigatos iubet; postera die hostẽ aggressurus. Bohemus regis aduẽtu cognito, ne. n. dimicare cũ Polonis, quorũ uires non nosset, quosq; locorũ peritia adiuuaret, tutũ sibi esse ducebat: & manere eũ diutius in eo loco, penuria reiũ omniũ nõ sinebat: tũ aũt uerebaĩ, ne successiõe arborũ, uel ab agrestib. receptu phiberetur, itaq; fugæ cõsiliũ cœpit: à rege fallendi causa colloquiũ in posterũ diẽ petijt, quasi de admissis satisfacturus, & secũda noctis uigilia relictis impedimẽtis, & paucis infirmis, maioribusq; ignibus, quo facilius excubias nostrorũ frustraretĩ, accensis, silentio suos eduxit, & festinus fugã arripuit. Insequẽti die Boleslaus, ubi hostẽ effugisse animaduertit, dolore atq; ira percitus, aliquot dies eũ psecutus est, nec tñ asseq potuit: sed extremos tantũ agminis debiliores atq; lassos, excepit. Nec mora, in Morauorũ fines diuertẽs, uillas, uicos & oppida incendit, multosq; mortales, nihil eiusmodi metuentes, in agris oppressit, & magnã prædam abegit & abduxit. In sequentẽ uerò annũ maius bellũ parabat. Quod ubi Vvratislaus cõperit, cùm hostiles uires, tũ suorũ proditionẽ, & fratrum insidias metuens, de pace p cõmunes amicos agit: & ꝙ aliò spectabat Boleslaus, facilè impetrat, his quidẽ legibus, ut dãna nostris illata sarciat: sororẽ Boleslai Suentochnã, quã Suantauã Bohemi uocarunt, tertiã uxorẽ ducat: alterã enim anno superiore defunctã amiserat. Suentochna ad spõsum nõ multo pòst à primorib. Bohemis accita ac deducta, et nuptię magno splendore celebratę. Iaromyrus aũt Poloni regis & reliquorũ fratrũ opera in gratiã cũ Vvratislao redijt. & Pragẽsis, deinde uerò etiã Olomucẽsis episcopus nõ sine iniuria alterius factus est. Per id tẽpus Aaroni archiepiscopo uita defuncto, cũ sedes ob discordiã sacri collegij toto biennio uacua fuisset, tandẽ Lãpertus cognomento Zula Polonus successor electus est. Nec tamen is palliũ de more à Pontifice Max. petiuit. Inde igitur in posterũ Cracouia archiepiscopum habere desijt. Per idem tempus Prussi contẽnentes Boleslai regis adolescentiã, & quòd cum Bohemico bello distineri sciebant, rebellarunt: Pomeraniã finitimam transmisso flumine Vistula repẽtina excursione populantur: arcẽ Grodecũ, quò se cum præda recipiant, muniunt, inde crebro in adiacentes oras Poloniæ, nemine prohibente, grassantĩ. In eos igiĩ Boleslaus, pace cũ Bohemis facta, duxit exercitũ: Grodecũ oppugnare adortĩ: uerùm difficultate expugnãdi eius deterritus, eo ꝙ natura munitus esset locus, egregieq; à Prussis defenderetĩ, soluit obsidionẽ, in qua plusculũ tẽporis frustra consumpserat: timensq;, quòd syluis & paludib. & munitione illa sese tenerẽt hostes, nec ullã pugnandi copiam facerent, & se aliò festinantem distinerẽt, arte sibi domandos esse, quos aperto marte nõ posset, existimauit: reducere se exercitũ simulat: cæterùm in insidijs latebat. Prussi abijsse hostẽ rati, è latebris prodeunt, & in Poloniã excursionem facere parant.

Quod

Belæ fuga in Poloniam.

Bohemicæ ret. Prædislai filij.

Spitignei ambitio.

Vvratislai fuga in Vngariam.

Morauię Marchiones.

Iaromyri diaconi fuga in Poloniam.

Bohemicum bellum.

Bohemorum fuga.

Morauia à Polonis uastata.

Pax affinitate sancitur inter Bohemos & Polonos.

Lãpertus Zula episcopus Cracouiensis.

Prussicum bellum.

Grodecum arx.

Quod cum Boleslaus ab exploratoribus accepiſſet, ducit in hoſtem alacer. Priuſquam ad hoſtem ueniretur, tranſmittendus erat Oſſa fluuius, qui Poloniam à Pruſſia dirimit; hunc primi armati incunctanter ingreſsi, pondere armorũ, & altitudine aquarũ, quæ imbribus tunc forte excreuerant, abſorpti ſunt.

Pruſſi uicti à Boleslao rege.

Cæteri exuti armis & loricis, quæ magni ponderis fiebant antiquitùs, minori periculo tranarũt: hoſteſꝗ; ſecutos, & nihil tale ſuſpicantes opprimunt, & ingenti ſtrage conciſos, in poteſtatem ſuam redigunt. Gallus in Pomeranico bello id uſu ueniſſe narrat: nec fluminis nomen prodit.

Armatura leuior Polonorum.

Ex illo autem tempore Poloni grauioribus armis & loricis minus utuntur. Pruſsicum bellum excepit Vngarica expeditio.

Vngaricũ bellum.

nam Boleslaus rex Belæ exulis, & uxoris eius amitæ ſuæ, precibus fatigatus, & perfugientium ad eos Vngarorum multitudine, clandeſtiniſꝗ; nonnullorum procerũ, fidem & ſtudia ſua Belæ deferentium, legationibus motus, neꝗ; prætermittendam ſibi eſſe tam luculentam gloriæ comparandæ occaſionem iudicãs, reducere propinquos inſtituit: ac tribus agminibus, Belam in comitatu ſuo ducens (uxor & liberi in Polonia manſerant) Vngariam ingreditur. Venientibus adiungunt ſe complures Vngari, ita ut quartum ex ipſis agmen conficeretur.

Tibiſcus fl.

Nec ſegnius Andreas rex hoſti aduentanti ad Tibiſcum, ſiue Ciſſam amnem, qui è Sarmaticis montibus ortus, in Danubium influit, occurrit: magnas Vngarorum copias, maioraꝗ; Germanorum & Bohemorum auxilia ducens. Cùm enim bellum contra ſe à Bela & Polonis parari intelligeret, miſerat Solomonem filium in Germaniam.

Henricus quartus imp. Rom.

Regnabat tunc apud Germanos poſt mortem Henrici patris Henricus puer, eius nominis inter Cæſares quidem quartus, inter imperatores uerò tertius, cum Agnete matre: quæ ſiue ſocrus, ſiue auia Solomonis erat. Ab his igitur Solomon non contemnendã auxilia, ducibus Guilhelmo et Botho acceperat: à Bohemis item alia, quibus Vvratislaus ipſe princeps præerat.

Prælium.

His ergo uiribus fretus, tranſmiſſo Tibiſco acies inſtruit: neꝗ; noſtri pugnam detrectarunt. Concurritur infeſtis ſignis, & aliquot thoris dubio marte & incerto euentu pugnatur.

Boleslai uictoria de Vngaris, Germ. & Bohem.

Ad extremum cedunt loco Andreæ copiæ. Ibi Vngari qui cum Andrea rege erant, premi ſuos, noſtros urgere conſpicati, ad Belæ partes tranſeunt: nec diutius Germani & Bohemi, deſerti ac proditi ab Vngaris, impetum Polonorum pariter & Vngarorum ſuſtinuêre.

Vngari ad Belam tranſeunt.

In fuga oppreſsi ſunt multi, capti item non pauci, & in his Vvratislaus princeps, & Germanorum duces.

Bohem. dux captus.

Vapouius pro Vvratislao Conradum fratrem eius, Marchionem Morauiæ, Bohemicis auxilijs præfuiſſe, & captum eſſe, excæcatumꝗ; à Boleslao ſcribit.

Andreæ regis fuga & mors.

Rex Andreas longius fugiens, tandem ad portas Moſonienſes comprehenſus ab Vngaris, & malè tractatus in ſylua Boconienſi, uitam finiuit. Magna eo prælio Boleslai uirtus & ſolertia extitit. Poſt uictoriam Boleslaus Belam Albæ Regię in ſede regia collocauit: uictorem exercitum præmijs ab eo & Vngaris affectum, domum reduxit.

Vxor Boleslai.

Deinde procerum ſuorum ſuaſu uxorem duxit, præſtanti forma uirginem, Viſſeslaũ Ruſſorum principis cuiuſdam filiam unicam, ad quam hæreditas paterna pertinebat.

Ruſsicum bellum.

Tantiſper autem quieuit Boleslaus à bello Vngarico, & à nuptijs, quantum ſat erat ad apparatum belli Ruſsici, ad quod ſummo ſtudio & omni cogitatione incumbebat. Paratis omnibus, coadunatoꝗ; ad conſtitutum locum omni exercitu, in hanc ſententiam apud milites in concione uerba feciſſe memoratur.

Oratio Boleslai regis ad milites.

Non ignoratis milites, compluſculos iam annos Izaslaum cognatum noſtrum, principatu ſuo paterno iniuſtè pulſum, apud nos exulare: eiꝗ; reſtituendo nos hanc operam dare exiſtimatis. Nec ſanè fallimini. Debemus hoc propinquitati: debemus humanitati. Quin ita hoc natura cõparatum eſt, ut afflictæ principum fortunæ, principes quamuis alienos maximè ad miſericordiam moueant. Sed nobis hic nos etiam ſerimus milites. Scitis quantum nobis imperium, quàm amplam gloriã maiores noſtri reliquerunt, & ut alios præteream, Boleslaus quidem proauus meus imperium hoc noſtrum Boriſthene, Albi & Sala fluuijs, Sarmaticis montibus, & Germanico Oceano: gloriam uerò nominis Poloni ijſdem penè, quibus orbis terrarum clauditur, finibus terminauit. Nunc quanto noſtro cum dedecore & imperium hoc acciſum, & gloria obnubilata ſit, quis neſcit? Equidem uix teneo lachrymas, quod ad patrẽ, auumꝗ; meũ hæc infamia in primis attinet. Tametſi patrem ueſtra excuſat iniuria, & afflictæ nimiſi interregno uires. Auo ueniam, niſi ſim ipſe ignauiſsimus, dare non poſſum. Verùm enimuerò eam labem à genere noſtro detergere, Ruſsiam regno huic rurſus adijcere, columniſꝗ; Boleslai (quem ego ut nomine refero, ita & factis referre cupio) imperium noſtrum terminare, mihi in animo eſt. Quod uobis placere debet, milites, niſi forte à uirtute maiorum ueſtrorum degenerauiſtis. Atque maiores quidem noſtri gentem hanc, ſibi prius incognitam, adierunt, uexarunt, debellarunt. Nos iugum excutientem, & quidem domeſti-

corum

corum nostrorum malorum, non suarum uirium fiducia, non ulciscemur? non ad officiũ reuocabimus? Nisi fortè ubertas soli illius admiranda, hominũ ingens opulentia, & ex rerum copia ortus luxus, atq; mollicies, ab hoc bello uos deterrent milites. At ego nobiscum hæc omnia, contra ipsos facere iudico. Quin ista ipsa in primis ad spem luculentæ prædæ nos inuitant. Plura dicere parantem, clamore interpellant uniuersi: duceret quò uellet, bono omine: se impigrè secuturos, & imperata facturos esse. Hinc magnam pecuniæ uim inter milites, ut quenque superioribus bellis meritum esse nouerat, aut usui sibi deinceps fore sperabat, distribuit. Sic animatis & optima spe impletis militibus, instructa acie triplici, Rusiam ingreditur: propterea quòd credebat hostes mox ad prælij dimicationem uenturos esse. Et aderat quidem ad Bialogrodum Visseslaus dux, cum non contemnendis Russorum, Piecinigorum & Varaiorum copijs: uerum explorata nostrorum multitudine atque apparatu, Poloscum paucis conscijs fuga contendit. Exercitus quoque, cognita sui ducis fuga, nullà interposita mora diffugit. Trepidare tota Rusia, Kiouienses deditionem facere uelle, ni metuant iratum Izaslaum, quem principatu eiecissent: implorare Stoslai & Vusseuolodi opem: ni adsint, exsulturos se esse urbem, & in Græciam cum coniugibus atque liberis migraturos. Bono eos animo Stoslaus & Vusseuolodus esse iubent. Ipsi legatos ad Izaslaum fratrem mittunt, orant ut parcat ciuibus atque patriæ, dimittat exercitum, Kiouiam recipiat supplicem: Visseslaum Polosco sese continentem, non iam de uictoria aut Kiouia, uerum de sua salute esse solicitum. Neminem præterea ipsi aduersaturum. Quod si dolorem exilij ex animo delere non posset, ipse de sontibus supplicium arbitratu suo sumeret, Polonis patriam utcunq; de se meritam, in seruitutem atq; prædã ne daret. Cogitaret quàm bene olim Stopolco successisset, qui exul per eosdem Polonos restitutus esset. Ad hæc Izaslaus de Boleslai sententia nihil aliud, quam periculum se facturum esse, quam uerè illa de Kiouiensibus dicerentur, quaq; ij uoluntate in se essent, respondit. Mouet Boleslaus exercitum propius Kiouiam, & Mescislaum Izaslai filium cum expeditis aliquot turmis ad urbem præmittit. Is intromissus, cum opportuna loca præsidio occupasset, authores seditionis, paterniq; exilij septuaginta comprehensos partim necat, partim excæcat. Patri & Boleslao regi pacatas esse res Kiouiæ renunciat. Contenderunt ij tamen, eo pacato agmine. Venientibus tota ciuitas ad septimum milliarium obuiam effusa esse dicitur. Dies ea fuit secunda Maij. Rex restituto in paternum principatum Izaslao, partem exercitus cum eo contra Visseslaum misit. Atque is fuga elapso Visseslao, nulla mora Polosco potitus est, filiumque Mescislaum, & non multo post eo mortuo, alterum Suentopelcum, siue, ut Rusi habent, Stopolcum Michaëlem, cum præsidio ibi reliquit: ipse cum Polonis Kiouiam reuertitur. Rex distributo in æstiua, ac deinde in hyberna exercitu, ipse cum delectis æstatem atque hyemem illam Kiouiæ peregit, amœnitate loci ac delicijs urbis, & mulierum uenustate, teneritudine & lepore admirando captus. Præbuit autem Izaslaus uniuerso exercitui per omne id tempus alimenta & uestes, insuper & regem perquàm honorificè & exercitum pro meritis remuneratus est. Exacta hyeme maturè Boleslaus ex hybernis mouit, & in Præmisliensem tractum, iniuria ne prouocatus, an quòd ea paterna esset uxoris suæ hæreditas, an uerò sola proferendi regni cupiditate ductus, non constat, ac minoribus quidem oppidis, quæ erant in itinere, primo aduentu potitus est: cæterùm Præmislia à Septentrionali quidem latere, quà ipse ueniebat, Sano fluuio, qui è Sarmaticis montibus haud ita longè à Tibisci fontibus oritur, ab reliquis uerò fossis & aggeribus munita erat, & à magna præterea multitudine hominum urbanorũ simul & agrestium, atq; nobilium, qui ex agris eò se cum familijs & facultatibus suis receperant, defendebatur. Ad hæc ab uno latere arx oppido imminebat, in edito loco sita, & ualidis mœnibus, turribusq; expugnatu, ut illa ferebant tempora, perdifficilis. Rex igitur cum fluuium, nequicquam prohibentibus Rusis, uado satis alto transisset, oppidum summa ui oppugnat: nec segnius defendunt Rusi, & crebris eruptionibus, abundante multitudine, nostros oppugnationi intentos adoriuntur: sed reprimuntur, magnaq; cæde in oppidum repelluntur. Postremò uim nostrorum diutiùs sustinere se posse diffisi, deserto oppido, in arcem se receperunt. Rex oppidum summa rerum omnium copia diuitijs q; refertum, quartò posteaquam oppugnare cœpit, die captum, in prædam dat militibus. Arcem, quia difficilis esse uidebatur eius expugnatio, propter multitudinem defensorum, neq; contrucidari suos uolebat, corona obsedit, sperans fame, sitiq; breui se eam sedẽdo in potestatẽ suã redacturum esse: equites, peditesq; quoquò uersus pabulatũ dimit-

Rußiæ ubertas & opulentia.

Liberalitas Boleslai in milites.

Visseslai fuga.

Russorum ducum legatio ad fratrem Izaslaum.

Kiouiæ deditio.

Poloscum redactum in potestatem.

Kiouienses illecebræ.

Fœminarum uenustas.

Præmisliense bellum.

Præmisliæ situs.

Sanus fluuius.

Præmisliense oppidum in prædam datum.

Arx obsessa.

tit, commeatum quàm plurimum in castra comportare, uillarum incendijs abstinere iubet. Ipse dispositis custodijs obseruabat, ne quid ad obsessos importaretur, néue ij libera è flumine aquatione uterentur. Nullas enim arx intus perennes habebat aquas. In magna difficultate, obstinatis tamen animis, obsessi obsidionem sustinebant: donec fame sitique enectis iumentis, & peste in homines grassante, deditionem extremo æstatis tempore fecerunt, uitam, & quæ singuli uno onere secum efferre possent, pacti. Rex arcem deditam quantum potest reficit & adornat, in eaque hyemem sequentem commoratus est, exercitu in hyberna distributo. Fuit hic annus à Christo nato millesimus sexagesimus nonus. Eo tempore, cum Bela rex Vngariæ tertio regni sui anno cameræ ruina in uilla quadam afflictus, paulò pòst obiuisset, Solomon Andreæ filius ab Henrico quarto imperatore affini suo in Vngariam ualidis copijs reducebatur: quo cognito, Geisa, Vvladislaus & Lampertus Belæ filij, nihil præsidij sibi in fluxa Vngarorum suorum fide fore rati, ex Vngaria in Poloniam excesserant: & Cracouiam rectà contendentes, à Vvladislao regis fratre & regina comiter & benignè accepti sunt, Rege tunc apud Præmisliam cum exercitu moram trahente. Cúmque hybernaturus is esse in Rusia referretur, Geisa relictis Cracouiæ fratribus, illuc ad eum uenit, opem eius implorans. Quem Boleslaus comiter consolatus, cogitare ipse secum, ac deinde cum senatu consultare, quid faceret: propinquosne exules atque supplices, intermisso Rusico bello, reduceret, an hoc prius conficeret. Ac consilium quidem in eam ferè inclinabat sententiam, ut Rusiam prius pacandam domandamque, & alienam rem suæ posthabendam esse censeret. Cæterùm regi placuit, non esse differendam expeditionem in Vngariam, donec Solomon regnum suum stabiliret, Germanorumque auxilia accerseret. Igitur æstate proxima, cum iam maturescerent segetes, Boleslaus rex relicto Præmisliæ, quantum satis esset, præsidio, in Vngariam cum reliquo exercitu & Belæ filijs, superatis montibus, qui Poloniam & Rusiam ab Vngaria diuidunt, contendit. Confluxit statim ad ipsos non paruus Vngarorum numerus. Solomon rex, ubi de aduentu hostium cognouit, Buda regia urbe relicta, Mosonum (arx ea erat munitissima) se recepit, eò quòd inops ab externis auxilijs, parum præsidij sibi contra patrueles in Vngarorum suorum uiribus atque fide esse existimaret. Ibi episcopi medios sese interponunt: Belæ filios orant, ne se patriæ parricidio contaminent: pacem deinde eos & Solomonem, non abnuente Boleslao, qui ad intermissum Rusicum bellum festinabat, componunt his conditionibus, ut Belæ filij regium honorem cum duabus partibus regni Solomoni permittant, ipsi tertia, ducumque nomine contenti sint. His rebus magna omnium lætitia confectis, Boleslaum cum exercitu, datis de publico amplissimis muneribus, dimittunt. Reuertens autem Præmisliam Boleslaus, reperit Izaslaum principatu Kiouiensi iterum à fratribus prætextu controuersorum finium illato bello eiectum. Itaque æstate quæ consecuta est, in Volyniensium fines infestum duxit exercitum. Regio tunc erat diues, & omnium rerum propter fertilitatem agri abundans, & oppidis, castellisque frequens, quæ pleraque omnia partim ui capta, partim dedita, citò in potestatem regis uenêre. Arces tres præcipuæ, Luscum, Vvladimiria & Chelma, è materia quidē limoque, ut pleræque oēs harum regionum, constructæ, sed benè munitæ, ualidis Russorum præsidijs tenebantur. Ex his ad Luscum primùm castra ponit, arcem ut capere nititur: ubi sæpiùs res tentata non successit, animi dubius deliberat, quid faciat. Et ad Kiouiam quidem prono animo ferebatur: itaque iudicabat, ea recepta facilè cæteras eius oræ munitiones deditionem facturas esse: uerùm relinquere post se hostem integrū, & cæteris Rusis horum exemplo animos ad resistendum addere, neque consultum, neque tutum fore arbitrabatur. Itaque obsidendo ad deditionem adigere, quos expugnare non poterat, statuit. Obsessi sex propemodum menses, uim & obsidionem cum sustinuissent, ad extremum freti benignitate regis, pactique liberum cum rebus suis discessum, arcem dedunt. Ibi Gregorius, siue Igorus dux, qui oram illam ditione tenebat, diffisus munitioni reliquarum arcium, missis primùm legatis, deinde ipsemet ueniens, imperata se facturum promisit, obsides dedit, pacem impetrauit. Anno sequenti ad Kiouiam mouit castra Boleslaus: obuium sese ipsi offert Vvseuolodus cum ualido exercitu, è suis iuxtà ac fraternis ditionibus collecto. Nam Stoslao fratre mortuo, principatum eius sibi adiunxerat: & ij qui Lusci, Vvladimiriæ & Chelmæ in præsidijs fuerant, dimissi, ad eum ferè sese receperant: eoque inuitum multa suadendo & orando impulerant, ut prælio cum nostris de summa rei decerneret. Rex quod in primis cupiebat adeptus, acies contrà instruit: milites paucis cohortatur, ut optatam conficiendi illius

Præmisliensis arcis deditio.
1069. ann.
Belæ regis Vng. interitus.
Solomon reductus in Vngariam.
Belæ filiorum fuga in Poloniam.
Vngarica expeditio.
Solomon rex in tutum se recipit.
Pax inter Solomonem & Belæ filios.
Solomon regnat in Vngaria.
Rusicum bellum instauratum.
Volynia in potestatem Boleslai uenit.
Luscum obsessum ac deditū.
Igorus dux regi se dedit.
1074.
Vvseuolodus dux.
Oratio regis ad milites.

lius belli occasionem, ab hoste præter spem sibi oblatam, elabi è manibus ne sinerent: & extremum illum eius conatum desperatione magis, quàm spe uincendi susceptum, fortiter retunderent: eundem esse, qui prius ad manus uenire nunquam ausus esset: & ex ijs militibus ferè collectum, qui uicti prius, ac uel fuga elapsi, uel deditione facta dimissi à se essent. Si ipsi uiri esse pergerent, penitus debellatum iri ea uictoria, nec nisi præmia belli, & ea quidem amplissima, ipsis reliqua fore. Quòd si quid eos paululum fefellisset, cogitarent in hostico se esse: ne eos quidem quieturos, quos pacatos à tergo reliquissent, ut sunt Russorum ingenia mobilia. Adniterentur, ne fortuitu, sed sua uirtute atque fortitudine superiores, uictorias adepti esse uiderentur. His dictis, & clamore crepituque armorum alacritatem significante uniuerso exercitu, canere signa iubet. Cohortatur & Vvssewodus suos, fortiter ut pro patria, pro liberis, pro coniugibus, pro parentibus, pro aris & focis, pro libertate denique dimicarent: ex eius prælij euentu uel lætiora omnia deinceps, si uicissent: uel si, quod absit, uicti essent, duram seruitutem, summamque miseriam expectarent.

Russorum leuitas.

Congrediuntur infestis armis & animis instructuræ acies, ingenti illico pugna, & magis quisque ut hostem feriat, quàm ut ictum ipse declinet, dat operam. Adsunt ubique suis duces. Iamque premi & conturbari poloni cœperant in dextro cornu, hostium clamore, fugere nostros uociferantium, magis etiam consternati: cum Boleslaus laborantibus subsidium submisit, & non modò pugnam restituit, uerum etiam hostilem aciem perfregit, & conuertit. Perturbatis ordinibus, fugiunt Russi: Vvssewolodus, ubi aliquamdiu suos nequicquam reuocauit, in fugam se & ipse coniecit. Ita plena, nec incruenta tamen uictoria nostris obtigit. Multi namque saucij in castra relati, mille propemodum desiderati sunt.

Prælium.

Victoria Boleslai de Russis.

Boleslaus aliquantum recreato ab ea pugna exercitu, ad Kiouiam contendit: quam cum primo impetu capere non potuisset, opportuno loco castra metatus, oppugnauit urbē iterū: atque iterū sed nullo opæ precio, imò uerò nō minimo suo detrimēto. Nam etsi locus neque situ, neque opere admodum munitus erat, sed tamen acriter cùm ab urbana multitudine, tum ab ijs qui è prælio dudum fuga elapsi eò se receperant, defendebatur: nec à uiris modò, sed à mulieribus etiam atque pueris, nostri mœnia subeuntes eminus, atque è superiore loco iaculis omnis generis uulnerabantur. Omissa igitur oppugnatione, obsidione urbem, multitudine hominum abundantem, premere statuit, dispositisque in omnes partes custodijs, commeatu oppidanos prohibet. Quod quidem facilè fuit, longum prospectum quoquo uersus præbente planicie, in qua Kiouia sita est. Nec multo pòst cum angustiore annona uti cœpere obsessi: ueritique ne extrema pati cogerentur, & ad extremum in potestatem hostium uenirent, culpam & necessitatem deprecati, urbem dedunt.

Kiouia oppugnata.

Boleslaus ingrediens in portam urbis ferro intectā, gladium uibrauit, quod proauum item suum fecisse acceperat: oppidanorum autem facultates atque corpora capitali edicto à militum ui atque iniurijs & rapinis tutatus est. Qua clementia eius, & animi moderatione moti oppidani, ingentia dona ultrò ipsi accumularūt. Ea rex pleraque omnia inter milites uirtutis ergo collaudatos, pro meritis cuiusque distribuit. Pacata omni Russia, uectigalis magna non solum pecuniæ, sed & omnium rerum ad uictum cultumque corporis pertinentium, instituit. Izaslaum summæ rerum præposuit. Is porrò filios suos, Stopolcum quidem Polocensibus & Nouogrodensibus, Vladimirum Smolenscijs, Iaropolcum uerò Vissegradensibus præfecit.

Kiouia deditur Boleslao.

Moderatio Boleslai.

Russia Polonis uectigalis facta.

Rex quo magis imperiū suum in Russia stabiliret, & quo diutius nouis iam sibi antea Kiouiæ delitijs atque uoluptatibus perfrueretur, hyemem illam ibi mansit. Ibi robur nostrorum hominum illecebris opulentæ, luxuriosæ, & Græcorum cōmercijs corruptæ ciuitatis, ut Pœnorum olim apud Capuam, elanguit, ac disciplina militaris licentia dissoluta, & ille uictor multarum gentium exercitus, deuictæ urbis lasciuia, libidinibus & flagitijs uictus est: ita ut ei uinci magis propemodum, quàm uincere expedierit. Etenim plurimorum, maximorumque malorum, quæ Poloniam postea implicarunt, hæc uictoria causa & origo fuit.

Deliciæ uicere uictorem.

Nam dum illi Kiouiæ nulla se nequitia & libidine, quamuis fœda, & sibi inusitata prius, abstinent, uxores eorum & filiæ domi relictæ, non ferentes tam diuturnā uirorum absentiam (iam enim septimum fortè annum in Russia & Vngaria militantes domibus aberant) tum autem libidinibus eorum quæ crebris nuncijs ad ipsas perferebantur, & iniurijs irritatæ, flagitijs uicissim uiros & propinquos suos pleræque ulciscuntur: nonnullarum etiam pudor & constantia partim blanditijs & falsa extinctorum uirorum persuasione corrumpitur, partim ui expugnatur, iusta diuini numinis uindicta atque permissu. Libet hic præclarum muliebris pudicitiæ exemplum referre. Margaritha Nicolai Zembocij comitis

Polonarum fœminarum petulantia.

Margarithæ Zembociæ pudicitia.

uxor, pudicitiæ suæ metuens, grassante passim impune flagitiosorum iuuenum licentia, in turri templi Zemborinensis, uno a Proslouia milliario cum duabus sororibus per multum tempus latuit, familia per funem alimenta ipsi subministrante. Hæc ubi uiris in hyberna renunciata sunt, fremere multi ad quos illa pertinebant, & indignari, commeatumq; domos uisendi à rege petere. Sed uel non admissi ad regē, uel superbius repulsam passi, clam pauci primùm sese subduxere, deinde plures paucorum exemplum secuti, ipsi quoque discesserunt, ita ut pauci cum rege remanerent. Raptim is quoq; cum reliquis consequitur, ueritus, ne Rusi mutatis animis, despectaq; Polonorum paucitate, opprimendi sui consilium inirent. Posteaquam peruenit Cracouiam, conceptam animo in desertores iram, in apertum profert: à quibus fugæ initium ortum erat, eos capitali pœna afficit: in cæteros autem bonorum confiscatione, aut diuturno carcere animaduertit. Sæuit & in mulieres, quæ culpæ affines esse uidebantur, quibusq; misericordia & indulgentia uirorum pepercerat, & quidem inaudito modo. Abstractis enim, & abiectis infantibus, quos e stupris & adulterijs enixæ erāt, catulos ad ubera earū admouisse dicitur. Adhæc uulgus atq; plebem nouis & grauibus exactionibus premebat. Ius non dicebat, nec iniurias tenuiorū uindicabat: impeditus consuetis uoluptatibus, fœdisq; & abominandis libidinibus, de quibus nihil remittebat. Quin Christina, nobili fœmina, à Mescislao marito abducta, palàm per adulteriū abutebat. His cōmotus, ita ut decuit, Stanislaus Cracouiensis episcopus, ut pius & nobilis de Prussorum, quam uocant, familia, cognomento Scepanouius, qui Lamperto defuncto paulo antè suffectus erat: uidensq; iniurias & exempla regiorum flagitiorum ad multos pertinere, regem adit, & semotis arbitris blande admonet, orat & obsecrat, ut illis moribus & corruptelis finem statuat, ne quod grande malum sibi, suisq; & uniuersæ Poloniæ accersat. Peccata per se maxima, longè tamen maiora esse in rege, quàm in priuato homine: cū eā quoq; quæ in alijs leuia sint, in eo qui loco & honore eminet, grauissima esse uideantur: propterea quòd ultro hominum sese oculis ingerant, & plurimos secum malo exemplo in præceps detrahant. Quo sublimior sit & fortunatior, hoc maiore uitæ puritate & innocentia eum niti, Deiq; beneficentiam agnoscere oportere. Ni faceret, metueret, ne diuina ultione de summo gradu in imum deturbaretur, neu deniq; falsas & momentaneas uoluptates diris, sempiternisq; cruciatibus commutaret. Hæc dicta rex iniquiori animo pati: & ira, odioq; inflāmatus, conuicijs & maledictis sanctissimum antistitem incessere: quærere quo pacto authoritatē eius eleuaret, linguæq; libertatem comprimeret: neq; tamen quicquam eiuscemodi in uita & moribus Stanislai, quod opportunum esset crimini aut reprehensioni, comperiebat. Emerat fortè illo triennio Stanislaus pagum Petrauinum in tractu Lublinensi, à Petrico quodam equite Polono. Atqui is Petricus accepto precio iam obierat: nec satis tamē Stanislaus propter perpetuum bellum & iusticium, actorum publicorum monumentis de iure suo sibi cauerat. Eius rei Boleslaus ab assentatoribus submonitus, Petrici agnatos subornat, qui de interuersa hæreditate sua legitima Stanislaum in ius uocent, auxilium suum ipsis pollicetur. Illi tum authoritate regis, tum insperati compendij spe adducti, iussa faciunt. Fortè tunc iudicia, quæ nostri uulgò colloquia & generales terminos uocant, in pratis inter Solezum, & illud ipsum Petrauinum in papilionibus, ut moris erat antiquitus, à rege exercebātur. Comparet Stanislaus citatus: emisse se pagum, & soluisse precium affirmat: testes eius rei nonnullos citat. Qui cum a rege deterriti, testimonij dictionem subterfugerent: ibi Stanislaus non tam pagi retinendi, quā criminis depellendi causa anxius, tandem facinus aggreditur, humanas uires atq; cogitationes, fidemq; excedens. Tridui dilatione à rege impetrata, Petrauinum contendit: ibi peracto cum sacerdotibus & alijs pijs hominibus, quos in comitatu habebat, ieiunio, Deiq; ope peruigili oratione & perpetuis lachrymis implorata, detectum Petrici putre cadauer, pedo, quo utuntur episcopi, tangit: magnaq; fiducia exurgere Petricum à mortuis in nomine Dei patris & filij, & Spiritus sancti iubet. Nec mora, attollit ille sese, quasi è somno expergefactus, & à Stanislao per manū deductus, ad tribunal regium sistitur. Rei miraculo rege & omnibus qui aderant obstupefactis, Petricus, uendidisse se pagum, & precium omne accepisse fatetur. Regem, ac deinde propinquos quod iniustè innocenti & sancto episcopo negocium facessant, liberè obiurgat. Ita ingratis & inuito rege uincit causam Stanislaus. A tribunali discedens, optionem dat Petrico, reuerti ne ad sepulchrum, an diutius uita hac frui malit. Aeternam ille, coelestemq; malle, à qua non longius abesset, si exiguum id quicquid esset reliquum supplicij, quo anteactæ uitæ suæ maculas eluere adhuc deberet, oratu ipsius sibi remitteretur. His dictis,

Boleslai receptus è Russia fugæ similis.

Boleslai sæuitia & scelera.

Boleslai regis adulterium.

Stanislai Cracouiensis episcopi officium, et animi magnitudo.

Principū exēpla illustria.

Boleslai pertinacia.

Calumniæ occasio.

De Petrauino lis intenta episcopo.

Colloquia generalia in papilionibus.

Petricus mortuus à Stanislao resuscitatus.

dictis,& annuente postulatis eius episcopo, sepulchrum subiens, animam iterum exhalauit. Non deterruit ea res Boleslaum regem, à contaminatis moribus & libidinib. Quin is iterum atq; iterũ monitus,& acrius obiurgatus ab eodẽ Stanislao, adhibitis etiam secundum præceptũ CHRISTI grauib. aliquot uiris, furere, cædéq; minari ipsi cœpit. Nec segnius Stanislaus, ubi nõ resipiscere regem animaduertit, graui anathemate eũ percellit: uetat sacra fieri tota urbe, quò ille detestatione & conuicio populi, qui sacris arcebatur, ad saniorem mentem reuocaretur. Ipse per pontem Vistulæ forâs ad diui Michaëlis ædem, in rupe prærupta supra Vistulam è conspectu arcis sitam, ad faciendam rem diuinam clam cum paucis sacerdotibus commeabat. Quod ubi Boleslaus, à suis certior factus, cognouit, quadam die correptis armis amens cum compluribus asseclis & satellitibus eò contendit. Præmittit, qui Stanislaum sacris operantem ad destinatam necem ab ipsis altaribus abstrahant. qui introgressi erant, subito & insolito fulgore perculsi, supini cadunt: inde manib. pedibusq; reptãtes sese proripiũt. Submittit rex alios iterũ atq; iterum: idem & ijs, quod primis, accidit. Ille moræ impatiens, & furore percitus, increpita satellitum ignauia & formidine, ipse stricto ense in templum irrumpit, lethaliq; ictu sacrosanctũ episcopum in uerticem ferit, ita ut cadens cerebro parietem proximum aspergeret. Ibi satellites cohortati sese mutuò, corpus humi procumbens templo extractum, minutatim concidunt, morem gerentes furori regio, & in subiectis pratis, canibus & uolucribus laniandũ disijciunt. Erant autem ij satellites equestribus & honestis quatuor ferè familijs, quæ in hodiernum diem in Polonia durant, orti: nempe Stremenij, Srenauij, Drucinij, & Iastrembecij. Dies, quo hæc patrata sunt, fuit octauus Maij, anno Christi millesimo, septuagesimo nono: cum Stanislaus uix triennium episcopus fuisset. Rege cum consceleratis satellitibus post perpetratum parricidium abeunte, quatuor aquilæ inusitatæ magnitudinis apparuisse feruntur, circum eum locum uolitãtes, corpusq; sanctum à laniatu canum & rapacium auium defendentes toto biduo: donec moti ea re pij quidam sacerdotes, resumptis animis, membra disiecta collegerunt, & suo ordine composuerunt, quæ e uestigió mirandum in modum coaluisse dicuntur. Ita corpus integrum pro foribus ædis illius, ubi martyr Dei cæsus est, in urna uenerabundi condiderunt: quod decimo pòst anno in arcem Cracouiensem illatum, in medio basilicæ reconditum est. Quin & lucernæ permultæ in aëre supra eum locum ubi disiectum erat corpus Stanislai, nocte proxima, quæ cædem consecuta est, ardere à nonnullis uisæ esse memorantur. Fertur etiam pijs quibusdam hominibus diuinitus reuelatum esse, regnum Polonũ insequenti tempore in multas partes discerptum iri, quemadmodum corpus Stanislai sectum fuisset: itaq; per multum tempus mansurum. Hæc ubi Romæ nunciata sunt, Pontifex Max. Gregorius eius nominis septimus, atrocitate rei commotus, toti Poloniæ sacris interdixit, Boleslaum diris deuouit, regnumq; ipsi solenni ritu abrogauit. In posterum quoque, ne quem episcopi regem iniussu suo ungerent & coronarent, edixit. Qui uerò socij sceleris regi fuissent, eos simul & posteros eorum usq; ad quartam propaginem, à sacerdotij & omnium magistratuum ecclesiasticorum functionibus & emolumentis alienos esse iussit. Nihilominus tamen annum & amplius Boleslaus postea regnauit, sed inuisus omnibus, & externis etiam contemptibilis: ita ut iam Russorũ principes ab eo subacti, imperium eius detrectarent. Conspirarunt deinde in necem eius nobiles & proceres nonnulli: qua conspiratione detecta, ueritus ne ad plures etiam ea pertineret, in Vngariam cum filio Mescone & paucis comitibus fugit. Regnabat tunc in Vngaria post Solomonem eiectum, & Geisam mortuum, Ladislaus Geisæ frater: quos ambos à Boleslao reductos in Vngariã fuisse, superius narrauimus. Ab eo Boleslaus exul sanè quàm comiter & honorificè acceptus est: mansitq; apud eum aliquandiu. Verũm exagitante eum in dies magis ac magis patrati sceleris conscientia, acerbo & infatigabili sceleratorũ carnifice, amentia correptus, mortem sibi ipse consciuit, anno post Christum natum millesimo, octogesimo primo: qui quidem æstu & siccitate insignis fuit. Alij uolunt, eum in uenatione concito equo efferatiore, in auias syluas delatum esse, canibus consequentibus: excussumq;, ab ijs discerptum, ac deuoratum. Sunt qui uelint, eum clam omnibus errabundum inter Alpes ad monasterium quoddam, siue id ad Oenipontem, siue ad Villacum situm sit (utrumque enim memoratur) peruenisse, ibiq; latentem quisnam esset, post multos labores in coquinę ministerio ultro & pœnitentia cõmissi paricidij susceptos & exhaustos, uitam finiuisse. Sed Miechouiensis scribit, quærentẽ se in illis locis, nihil eiusce modi cõperire potuisse. Fuerat autẽ futurus hic rex clarissimus & felicissimus, si fortunã perpetuò cœptis suis adspirantem fer-

Rex diris deuotus ab episcopo.

Interdictorum ratio.

Stanislai cædes.

1079. ann.

Aquilæ defendunt corpus sanctum.

Corpus dissectum ac disiectum coaluit.

Polonici regni discissio.

Poloniæ sacris & regio nomine interdictũ à Pont. Max.

In persectores quæ pœna asse cli.

Boleslai fuga.

Ladislaus rex Vngariæ.

Boleslai interitum.

1081. ann.

Libidinem & iracundiam domare difficile. Lāp. Schaffnaburgen. error.

re didicisset. Verùm secundis rebus elatus & insolens, animo suo minus quàm oportuit moderatus est. Et sanè libidini & iracundiæ moderari longè est cùm difficilius, tum præclarius: quàm gentibus & nationibus, quamuis feris atq; barbaris, imperare. Mirari satis nequeo, à Lāperto Schaffnaburgensi, qui per hæc tempora uixit, & res gestas Germanorum conscripsit, memoriæ proditum esse, quòd anno Christi millesimo septuagesimo septimo, dux Polonorum, qui per multos annos regibus Teuthonicis tributarius fuisset, cuiusq; regnum iam olim Teuthonum uirtute subactum, atq; in prouinciam redactum fuisset, repentè in superbiam elatus, regiam dignitatem, regiumq; nomen sibi usurpauerit, diadema imposuerit, atq; ipso die natalis Domini à quindecim episcopis in regem sit consecratus. Atqui plus septuaginta añis ante hoc tempus Polonia regem cum habuisset, & quidem Ottonis Russi Germani Imperatoris beneficio, per hoc tēpus habere desiit. Iam uerò quindecim episcopos Poloniam, non modò tunc, sed nunquam omninò habuisse, rei euidentia falsum esse conuincitur. Construxit autem Boleslaus uiuens, ac ditauit, Mogilnense monasterium, in eoq; Benedictinos collocauit. Audacis & liberalis cognomentum uiuo inditum, mortuus etiam retinuit. Regnauit autem annos fermè duos & uiginti, cum sextum decimum annum nondum egressus regnare cœpisset. Sed iam Cazimiri, & Boleslai filij regno, librum hunc terminemus. Quintum à sublato regno, auspicaturi, duobusq; principibus finituri, quorum filius patris, atq; adeò superiorum ferè omnium principum claritatem, rerum gestarum magnitudine & gloria sua obscurauit.

Mogilnense monasterium. Boleslaus audax & liberalis.

DE ORIGINE ET REBVS GESTIS POLONORVM LIBER QVINTVS.

VVLADISLAVS PRIMVS PRINCEPS.

Russi populantur fines Poloniæ.

EXACTO rege Boleslao, priusquam ex motu illo sese recolligeret respub. Rusi incunctanter arripuêre eam nouandarum rerum occasionem: & coacto è suis & auxiliaribus Polovuzorū militibus exercitu, Polonas ditiones duce Basilio Roscislai filio, ferro & igni depopulati sunt, & cum magna præda ad sua se incolumes recepêre. Quo incōmodo permoti proceres, ueriti ne quo grauiore etiam casu rursus interregnū illud rēpub. affligeret, comitijs habitis, ad Vvladislaū Boleslai fratrē, quē Hermannū etiā uocarunt, qui unus supererat, regnū deferunt. Et suscepit is quidem principatum: sed tamē regē se appellari passus non est, uel quòd inunctus & coronatus solenni regum ritu, Pont. Max. interdicto, nō esset: uel q̄ reuersurū aliqñ Boleslaū, regnūq; repetiturū existimaret. Principis uerò & hæredis regni Poloni nomē sibi sumpsit: uir prudēs quidem, & uirtute præditus, uerū ad quietē & ociū, q̄ ad bellū ꝓpensior, & humanitatis atq; religionis amantior, q̄ gloriæ. Initio statim principatus sui Poloniā commotam nonnihil, magna dexteritate pacauit, latrocinijsq; purgauit. Ad Pont. Max. de tollendo interdicto, quo Polonia uniuersa ob necē Stanislai episcopi obnoxia, sacris se abstinebat, oratorē misit, uirū eruditū & eloquentē, Lampertū, equestri apud Polonos ortum familia, canonicū Cracouiensem, quē Pontifex diuo Stanislao successorem dedit, & sublato interdicto episcopum remisit. Vxorē deinde Vvladislaus duxit de amplissimi consilij sententia, Iudithā Vvratislai Bohemorū principis filiam, ex Adleida Andreæ Vngarorum regis filia susceptā. Mesconem, siue Miecislaū Boleslai fratris filium, cum cæteris exulibus ex Vngaria reuocauit, fortunę eius misertus: aut ueritus fortasse, ne quando is ope Vngarorum, apud quos ob indolem gratiosus esse dicebatur, paternum regnū repeteret. nam pater eius iam perierat. Reuersum in filij loco dilexit. Atque is cum egregia indole, uirtute & comitate sua paruo tempore animos multitudinis mirum in modum sibi deuinxisset, & optima spe omnes impleret, sexto, posteaq̄ redijt, anno, immaturam mortem obijt, nullis relictis liberis, & magnum sui desiderium apud oēs reliquit. Creditumq; est vulgò, ueneno sublatum à paternæ eius fugæ authoribus, ueritis, ne qñ eos, iniuriæ memor, ulcisceret: Vvladislao principe & patruo si non iuben-

Vuladislaus Hermannus dictus. Vuladislaus regem se dici noluit. Hæres regni Polonorum. Interdicti relaxatio. Lampertus episcopus Cracouiensis. Vxor Vuladislai principis. Miesco Boleslai filius extinctus.

bente, cōniuente quidem certe: ne se aut liberos suos, populari gratia fretus, regno eijceret. Volunt nonnulli, quéadmodum refert Dlugossus, non tunc perijsse Miecislaum hūc, sed altero demū post Vvladislai mortem anno, uenenato poculo, unà cum Eudoxia uxore Russa Stopolci ducis sorore, Izaslai filia, de medio sublatū esse, cum Crusuiciensem tractum cōplures annos obtinuisset. Affirmatq; idem Dlugossus, uidisse se diploma eius authenticum, quo is donationē paternam Mogilnensi monasterio confirmauit. Sed uiderit Dlugossus, ne alius ille sit Miezislaus, nempe Boleslai tertij filius, cuius diploma illud fuerit. Vngarorum historiæ memorant, circa illud tempus, quo Miecislaum à patruo reuocatū esse diximus, regē suū Ladislaū Polonis bellū fecisse, q̄ ij cum Rusis & Cunis, quos nostri Polouuzos uocant, cōspirasse cōtra se dicerent. Cūq; eos insigni & cruento prælio profligasset, Cracouiā urbē tribus mensib. obsedisse, & fame oppidanos ad deditionē adegisse: deinde deditiōe facta, ius omne cū urbe Polonis restituisse, admonitis ne deinceps amicitiā cū Vngaris pridē constitutā uiolarēt. Hæc an uera sint nescio. Nostri quidē, eius belli nusquā meminerūt. Qđ si q̄ tandē Ladislaus expeditionē per hęc tēpora in Poloniā fecit, credibile est Miecislai reducēdi causa, cuius nullam eius illi faciant mētionē, eam esse susceptā, lætioreq; Polonorū euentu confectā, Miecislao cum patruo æquis conditionib. reconciliato. Nam cū Rusis & Cunis non uideo quid cōmune tunc Poloni habuerint, ut pariter contra Vngaros arma sumerēt. Rusi quidē post exactū ē regno Boleslaū, hostiliter etiā uexarant Poloniā: & ipsi uerò uehementer per illa ipsa tempora ab ipsis Polouuzis diuexabantur. Nec facilè crediderim, Vuladislaū nouū principē nondum benè constitutis domi rebus suis externo, & non necessario bello sese implicasse. Neq; uerò intelligo, cur Ladislaus Vngarus dubiā Martis aleam cum Polonis subijsset, ac tam diuturnæ obsidionis laborē hausisset, si culpā omnem uictis & obsessis remissurus, captamq; urbē hostibus liberā omninò & iure optimo cōdonaturus erat. Sed omittamus Vngaros. Iam autem Vvladislaus princeps habebat liberos, cum Miezislaus hic mortuus est, Sbigneū nothū, ante initū principatū è concubina susceptū: & Boleslaū legitimū in principatu ex Iuditha uxore, cum aliquot annis sterilis ea fuisset, diuinitùs, quēadmodū creditum est, in gratiam sancti abbatis Aegidij datum. Cum enim orbitate sua principes coniuges maiorē in modum angerentur, & Iuditha religiosissima fœmina assiduis precibus, ieiunijs, & eleemosynis in egenos liberaliter erogandis de prole Deum assiduò fatigaret, omniaq; tētaret eius rei gratia, admonita à Lāperto episcopo Cracouiensi, mittit unà cū uiro in eandē sententiā adducto, oratores in Narbonensem prouinciam, ad monasterium diui Aegidij, ubi corpus sancti illius uiri mortui conditum erat. Vbi eò peruenerunt oratores, dedicant templo diui amplissima aurea & argentea donaria, quæ secum attulerant: Abbati præterea & monachis non contemnenda dant munera principum suorum nomine: exponunt quid ueniant, quid' ue postulent. Indicitur monachis tridui ieiunium: oratur Deus, ut intuitu grati serui sui Aegidij, masculam prolem concedat pijs principibus. Triduo illo reuelatur per uisum seni cuidam & pio monacho, impetratum esse, quod tanto studio petitum esset. Dimittuntur cum spe certa oratores: reuersi reperiunt Iuditham grauidam: quæ postea maturo partu puerum edidit, cui Boleslao nomen inditum est. Iuditha post quartum mensem à partu, extremum clausit diem, fœmina pietati in primis & beneficentiæ dedita: quæ & ipsa facultates suas, mundumq; muliebrem penè omnem in usus pauperum, & ad cultum templorum uiua elargita est: & à marito impetrauit, ut Croppensem siue Pabianicensem comitatum collegio sacerdotum Cracouiensis basilicæ, Lagouiense territorium Crusuiciensi seu Vvladislauiensi episcopo, Xansnicensia uerò bona Tinecensi monasterio sempiterno iure donaret. Non multò pòst etiam Dobrogneua, Vvladislai principis mater, senex uita defuncta est. Duxit deinde alteram uxorem Vvladislaus, suasu Ladislai regis Vngarorum, Sophiam uiduā, Henrici quarti imperatoris sororem, quæ Solomonis uxor fuerat, honestè & honorificè post mortem uiri à Ladislao rege sancto, pioq; habitam: ex eaq; tres filias suscepit, quamuis ea cum Solomone nullos habuisset liberos. Quanquam Bonfinius eam ex aliorum sententia in Agmondensi monasterio, post Solomonis mortem siue exilium, obijsse memorat. Per hæc tēpora Rusi, cognita Mesconis & uxoris eius morte, in libertatem sese rursus asseruère: munitiones, quæ Polonorum præsidijs tenebantur, recepêre: militibus Polonis partim pecunia & largitione corruptis, partim ui eiectis, partim longa obsidione ac desperatione nequicquam petiti & expectati à principe suo auxilij deditionem facere coactis. Defecère & Prusi & Pomerani. Hos Vvladislaus, dilatis in aliud tempus Rusis, bello

Cuni seu Comani Polouuzi.

Sbigneus nothus Vvladislai filius.

Boleslaus filius legitimus diuinitùs per diuum Aegidiū impetratus.

Aegidij abbatis sepulchrū.

Iudithæ mors.

Pabianicensis comitatus ecclesiæ Cracouiensi donatur.

Lagouiēse territorium Vuladislauiensi.

Xansnice Tinecensi monasterio.

Dobrogneua moritur.

Vuladislai uxor altera.

Ladislaus rex Vngarorum sanctus.

Rusi in libertatem sese asserere.

Pomeranicum & Prussicum bellum.

bello persecutus, & Pomeranorum fines depopulatus est, arcesq; & munitiones aliquot primo aduentu recepit. Nec sibi defuêre Pomerani: sed cum Prusis pariter coniunctis uiribus, magno impetu Polonorum castra die quintodecimo mensis Augusti adoriuntur. Nolebat eo die Vuladislaus cum hoste manus conserere: habebat cum honorem Virgini matri, cuius assumptionem dies ille anniuersaria celebritate repræsentabat. Verùm lacessitus, & iusta penè necessitate adductus, educit suos in aciem. Atrox prælium in magnam diei partem, utriusq; dubio euentu pro uictoria contendentibus, committitur. Incipiunt deinde pedem referre hostes: nostri cohortati se inuicem, instare cedentibus, nec mora, illi effuso cursu diuersi diffugiunt: quos nostri ira elati longiùs persequuntur, magnamq; in fugientibus stragem faciunt: qua fusi, fractiq;, principis potestati, & clementiæ sese, suaq; omnia permiserunt. Facilè dedit ille ueniam uictis & supplicibus, arces tamen & munitiones opportunas, quæ illis rebellandi ansam dare possent, in potestatem suam redactas, partim præsidijs firmauit, partim demolitus est. Nec diu quieuêre Prusi & Pomerani, sed præfectis à Vuladislao sibi datis, partim dolo necatis, partim pulsis, rebellant iterum. Quam rebellionem Vuladislaus ut in primo statim ortu opprimeret, tumultuarijs copijs coactis, media hyeme magnis itineribus ad fines Prussorum & Pomeranorum peruenit. Quos ubi munitionibus sese tuentes, aut in syluas atque paludes abditos pugnandi copiam non facere animaduertit, partitus exercitum cum Sececho palatino Cracouiensi, & magistro militiæ, hostiles terras crudelem in modum uastauit ac depopulatus est. Reuertentu, apud Drenum, quam arcem Naclus amnis circumfluit, nunciatur, hostes subsequi, nec longiùs quinque milliarijs abesse: statuerant enim ij nostros nec opinantes, animaduersa ac despecta eorum paucitate, magna ui adoriri: & magna celeritate sese undiq; conuolantes collegerant. Debilitabat principis animum, hostium multitudo: sed cedere non tam iustis hostibus, quàm fugitiuis & contumacibus seruis, turpe sibi Poloni milites & infame ducebant: barbarorum rabiem, ni mox reprimatur, efferatam, in tergis cedentium hæsuram, & Poloniæ uicissim infesta arma, facesq; illaturã. Dictis in cõsilio castrensi sententijs, uicit ea quæ censebat, occumbendum potius honestè, si ita sors tulisset, quàm per summam turpitudinem concedendam esse ultrò sæpiùs à se uictis uictoriam. Itaq; cõuersis signis pugnam flagitant. Vbi in cõspectum uentũ est, magna uociferatione, magnoq; impetu nostri in hostem feruntur. Concurritur utrinq; infestis, & obstinatis ad uincendum, aut moriendũ animis. Nostri peritia rei militaris hostiũ uim sustinebãt: illi cõtra abundante multitudine integros in sauciorum ac defatigatorum locum submittebant. Pugnatum est à mane usq; ad uesperam, neutrò inclinante uictoria: nisi quòd nocte prælium dirimente, aduersarij pro uictis, nemine tamen persequente, discessêre. Tantus autem erat ardor utrinq; in militibus, ut perpauci uiui caperentur, sed omnes aduersis pectorib. uulnera, mortemq; exciperent. Dies, quo hæc acta sunt, fuit pridie eius diei Dominicæ, quæ Christianis Palmarum nomine celebris est. Postero die dilapsis hostibus, consultant nostri quid porrò faciant, instent ne perculsis & perterritis, nec ullum dent respirandi & colligẽdi sese spaciũ: an potius abacta & ablata præda, quæ ingens erat, domi sese prius exonerent: & mox aucto mercenenarijs militib. q̃ è Bohemia & Vngaria expectabant, exercitu, cõmodiore anni tẽpore, maiore ui hostẽ adoriant: neq; pauci multos in solo ipsorũ inuadentes, sæpiùs fortunã periclitent. Huic sentẽtiæ facilè oẽs assensi sunt, & mouebat illud quoq; plurimos, quòd sacrũ Paschæ tempus pro foribus aderat, quo Christianos impensius cultui diuino uacare oporteret. Itaq; diuersi ex hostico discedunt. Nec ita multo pòst recreatis ab illa hyberna expeditione iumentis, auctisq; tum domestico, tum externo milite copijs, Vuladislaus princeps Pomeraniam ingressus, hostem quærit: quo nusquã in apertũ prodeunte, uastat iterũ agros, pagosq; & oppida quàm acerbissimè. Deinde Naclum arcem in primis munitam, quæ receptaculum erat Pomeranis, ad excursiones in Poloniam faciendas ualde opportunum, cum primo impetu capere non potuisset, eò quòd ualido teneretur præsidio, operibus circumuallare instituit, ut obsessorum eruptiones reprimeret. Vbi res mira & prodigij similis accidit: nocturnis temporibus lucente luna, crebrò uisebantur ab excubitoribus nostris, quasi armatorum hostium acies, ex apertis campis ad statiua nostrorum adequitantes & incursantes: quas nostri exciti, raptimq́ue correptis armis, satis habebant à fossis castrorum propellere, ueriti nocturnas insidias. Cum id sæpiùs accideret, indignari nostri, inquietari sese, nec usquam in apertum certamen prodire hostes: itaque nocte quadam, cum itidem hostes adesse nunciarentur, fremebundi agminatim è castris sese proripuêre, diffugientesq;

Pomerani & Prußi uicti, uictori Polono sese subdunt.

Pomeranorũ & Prussorum rebellio.

Pomeranicum bellũ alterum.

Drenum arx.

Naclus flumen.

Præliũ anceps.

In Pomeraniã expeditio tertia Vuladisla.

Nakel.

Naclum arx obseßa.

Spectra nocturna.

tesq; casso labore longius persecuti sunt. Obsessi tumultu nostrorum exaudito, & excursione e castris animaduersa, erumpunt subito, & ignem in opera atq; tuguria militum stramine, arundineque contecta inijciunt: quo celeriter pluribus in locis sese diffundente, paucis qui in castris manserant defendentibus, facile opera cum magna castrorum parte conflagrarunt. Nocturnas umbras illas fuisse autumant, quae hostilis exercitus speciem ostentantes, Polonos ita diuino permissu exagitarunt: propterea quod solenne omnibus Christianis quadraginta dierum ieiunium, priore expeditione, promiscuo ac temerario esu carnis & lactariorum, moribus & institutis Ecclesiae catholicae contemptis, temerauerant. Hoc incommodo accepto nostri, quod hyemis, quae citius & asperius regiones illas affligit, iam instabat, tuguriaq; amiserant, sine quibus uim & iniuriam hyberni coeli perferre non potuissent, simul quod terrores illos nocturnos in religionem uerterat, re infecta ab oppugnatione Nacli, iussu regis domos discedunt. Insequenti aestate rursus in eosdem Pomeranos, & mox in Prussos, infestis animis impetum faciunt: regionesq; eorum, quae quidem cultae erant, quoquo uersus quam crudelissime uastant, nulli neque sexui, neque aetati hominum parcunt. His igitur, fatigati fractique malis hostes, publico consilio deditionem fecerunt, misericordiam principis supplices implorarunt. Ille populariter adesse iussos, grauiter castigat, authores rebellionis edere imperat, & in eos supplicio capitis animaduertit: caeteram multitudinem metu soluit, & iusiurandum conceptis uerbis dare sibi iubet. Ita perdomiti Prussi & Pomerani, ad tempus quieuerint. Secutum est Bohemicum bellum, quod ut temere excitatum, ita cito, neque graui admodum exitu, consopitum est. Vuratislaum Bohemorum principem Henricus quartus imperator, de consilij sententia Maguntiae regem appellauerat, anno post Christum natum 1087: eiq; & posteris eius Poloniam omnem, in qua uterq; ne tantillum quidem habebat, quantum uestigio calcare posset, attribuerat: Vuratislao, ac deinde Conrado item Vuratislai fratre, qui post fratrem regnum susceperat, intra paucos menses uita defunctis, Praedislaus Vuratislai filius ex Vngaria, ubi iustam patris iram fugiens exulabat, reuocatus successerat. Neque is tamen, ac neque Conradus, neque succedentium post principum quisquam, usque ad Vvladislaum, regium nomen usurpauit. Is ergo Praedislao immemor necessitudinum, quae ipsi cum Vvladislao intercedebant, siue persequendi imaginarij illius iuris causa, & spe occupandi aliquid de Polonis, siue praedae cupiditate, Poloniae fines cum infesto exercitu inuaserat, Vvladislao principe Pomeranico & Prussico bello, quod modo exposuimus, implicato: omnemq; eam oram, quae ab Albi fluuio, & Grezo siue Gradezo, ut uocat Hagecus, arce, quae tunc in Polonorum ditione erat, quemadmodum uult Ioannes Dlugossus, usq; ad Odram amnem pertinet, copiosam tunc diuturna pace, & abundantem, incendijs & populatione diuexauerat. Hanc iniuriam ulturus Vvladislaus, quoniam tunc per anni tempus commode bellum gerere non poterat, proxime consecuta aestate, qui fuit annus a Christo nato 1094, exercitum in Morauiam, Conradi principatu in unius principis ditionem cum Bohemia redactam, mittit, eique Secechum Palatinum Cracouiensem, praestantem in re militari uirum, praeficit. Ipse enim aduersa ualetudine, & pedum dolore proficisci ad eam expeditionem prohibebatur: nec tamen uolebat institutum bellum differre. Mandata cum dabat Sececho proficiscenti Vvladislaus, aderat forte Boleslaus filius, nonum tunc agens annum: attentoque animo omnia hauriebat, & in leonini catuli morem, qui teneris etiamdum unguibus, laniatu tamen iam gaudet, generosum pueri pectus belli, gloriaeque cupiditate impendio exardescebat: neque diutius animo conceptam flammam ferens, genua patris amplexus, & collo eius implicatus, uix magnis precibus, osculis & blandítijs eum exorat, ut cum Sececho ad id bellum mittatur. Sececho pueri cura mandatur. Vbi ad exercitum uentum est, puer singula quae fiebant curiosius obseruare, uersari inter ordines, omnibus arridere, aestum, imbremque pati, uigilare, humi cubare, uigilias cum Sececho obequitare, aliaque multa praeter aetatem facere, ferreque: ita ut indoles illa, studiumque pueri, futuram eius magnitudinem non obscure portenderet. Vastata igni, ferroq; aliquo usque Morauia, & paucis hostium turmis, quae sese nostris tulerant obuias, aliquot praelijs profligatis (munitionum enim oppugnatione abstinere Vuladislaus iusserat) reduxit cum Boleslao copias Secechus, praeda onustas. Hagecus more suo fingit, Vuladislaum illa tam acri Praedislai in ditionem suam inuasione consternatum, statim auertendi belli causa oratores ad eum cum tributo duorum annorum misisse, deincepsq; perpetuo se & posteros suos Bohemorum principibus uectigales fore promisisse, atque ita pacem impetrasse.

Castra Polonorum incensa.

Ieiunium Quadragesimae temeratum.

Obsidio Nacli reiecta.

In Pomeraniã quarta expeditio.

Pomeranorum & Prussorum deditio.

Bohemicum bellum.

Bohemiae rex primus.

Vuratislaus.

1087. ann.

Conradus dux Bohem.

Praedislaus Poloniam infestat.

Odra fluuius.

1094. ann.

Morauia Bohemiae rursus iuncta.

Secechus pal. Cracouien.

Boleslai pueri indoles generosa.

Homo ridiculus, cui pueriliter & leuiter tanquam inter aniculas garrire studium est. Nec tamen memoratis, quomodo aut quando tributum illud ante id tempus Vvladislao fuerit impositum, quod quasi debitum etiam superiori anno, dependisse eum scribit. Reuertente è Morauia Sececho & Boleslao, magna fuit inter patrem & filium gratulatio. Nec diu tamen à bello feriati sunt. Nam cùm arcem Medirezum à Pomeranis quibusdã priuato consilio interceptã esse, ex eaq; latrocinia in subiectas oras, & quicunq; eò iter facerent, exerceri nunciatũ esset: difficulter quidem, sed tamen impetrat rursus a patre Boleslaus, ut sibi cum exercitu ad recuperandum Medirezũ, & coërcendos prædones ire liceat. Summa tamen rerũ, & administratio belli, ipseq; adeò tyrũculus Boleslaus, Secechi curæ fideiq; committitur. Nec mora, operibus à castris ad arcem ductis, quatit murum aries: cuius non exigua ruina cum paucos defensores partim oppresisset, partim debilitasset, mutilassetq; : cæteri diffisi rebus suis, & liberam cum singulis equis & sarcinis ambitionem pacti, arcem dediderunt. Recepta & refecta arce, dimissoq; exercitu, Secechus & & Boleslaus intra dies non ita multos ad Vvladislaum ouantes reuertuntur. Felix admodum sibi esse Vvladislaus tali filio uidebatur: sed fortuna, quæ nihil ex omni parte beatum, nihilq; stabile in rebus humanis esse sinit, felicitatem eius nonnulla ex parte contaminauit. Valebat plurimùm apud eum gratia & authoritate Secechus, idq; nonnullo suo merito: magnamq; potentiam sibi compararat, ita ut ex eius ferè nutu respubl. omnis & princeps ipse pendere uideretur. Magnam ea res ipsi apud nobilitatem Polonam inuidiam conciliauerat, maius ipse sibi in dies odium, intolerabili fastu suo & immoderato dominatu conflabat. Itaq; complures ab eo bonis exuti, proscripti, aut aliqua insigni iniuria uel contumelia affecti: multi item potentiam & importunitatem eius reformidantes, aut necessarios afflictos secuti, solum uerterant. Quibus omnibus apud Bohemos tutus erat receptus, Prædislao principe comiter & benignè eos recolligente. Quos ex crebris sermonibus & querelis, ubi irarum aduersus Secechum, & ipsum adeò Vvladislaum (quod tantum is Sececho indulgeret) plenos esse, & patria ægrè carere animaduertit, odium suũ in Polonos conceptum exatiare, damnaq; ab eis accepta alieno periculo ultum ire cupiens, facilè ægros animos eo, quò ferebantur ipsi sua sponte, impellit: nempe ut armis patriam repetant: auxilia pollicetur: ducem quoq; satis, ut uidebatur, opportunum ad eam rem ipsis edit, Sbigneum Vvladislai principis filium nothum: quem pater literis à puero utcunq; imbutum, propter nouercale odium (& ueritus, ne quid is postea negocij Boleslao, quem post ex iusta uxore susceptum in spem principatus alebat, facesseret) in Saxoniã relegarat, & monasticæ uitæ addixerat. Eum igitur è monasterio extractum, ducem sibi exules Poloni adsciscunt, & Vvratislauiam cum eo & cum auxilijs Bohemorum & uoluntarijs Saxonibus contendunt. Obtinebat præfecturam Vvratislauiensem Magnus, comes illustris & spectatæ probitatis, cui simultas etiam nonnulla cum Sececho intercesserat. Ad eum præmittunt exules legationem, recipi se & Sbigneum principis filium postulantes: nolle se patriæ bellum facere, neq; principi optimo & mitissimo. Parentum, coniugum, liberorum, tectorum ac domorum suarum, ipsius deniq; patriæ aspectu iucundissimo diutiùs carere non posse: unde non ob aliqd' scelus suũ, neq; iusta principis indignatione, sed per summam Secechi iniuriã, & impotentẽ superbiam eiecti essent. Ipsum quoque Magnum, multò prestantiorem, digniorémq; Sececho uirum, scire se tamen haud penitùs expertẽ esse illius iniuriæ. Ne pateret se in auxilio cõsenescere: néue ipse deterioris dominatũ ferret, suaq; patiẽtia aleret. Miseraret uel Sbigneũ principis filiũ, qui Secechi opa suasuq; ab oculis patris auulsus, & in monasteriũ, quasi in carcerem quendam ęrumnosum, retrusus esset. Cauendum esse, ne homo ambitiosus eadem audacia alterum quoque principis filium circumueniat, dominatumq; Poloniæ, non expectata etiam Vvladislai morte, inuadat. Frangendis Secechi conatibus atq; potentiæ neminem aptiorem fore, quam principis filium, iuuenem magni animi, consilijq;, & Sececho infestum. Eum igitur Magnus necessariò illo ipsius tempore beneficio suo sibi deuinciret, per quem ad locum adipisci posset, quem tunc Secechus obtineret. Quieturos se cũ illo esse Vvratislauiæ, quo facilius è ꝓpinquo reuocationẽ à benigno & clementi principe impetrarẽ possent, & reuocati accurrerent. Hac legatorum postulatione, iusta in speciem, & honesta, aliquantum permotus Magnus, tamen ne quid imprudens contra fidem & officium suũ faceret, conuentu Vvratislauiensis territorij, ciuitatisq; celeriter conuocato, rogat ea de re sententias. Exosum erat uulgò Secechi nomen: miserabantur exulum gentilisq; plerique, & necessariorum suorum: miserabantur Sbignei: audierant magna esse principem erga suos

Pomeranica expeditio. MCXIIIXXX. [margin]

Medirezum receptum. [margin]

Secechi Palatini potentia & acerbitas, occasio rerum nouandarum. [margin]

Prædislai Bohemorum ducis odium in Polonos. [margin]

Sbigneus nothus Principis filius monachus. [margin]

Sbigneus dux exulum. [margin]

Exules Poloniam repetũt. [margin]

Magnus præfectus Vvratislauiensis. [margin]

suos indulgentis: non oportere sese inter patrem & filium medios interponere. Alioqui hunc offensuros: ab illo autem paruam uel nullam gratiā inituros. Tum autem uerebantur, ne hostes eos in agris experirentur, quos hospites & amicos recusarent. Ita de conuentus sententia, Magnus exulibus aduenientibus portas urbis aperit: Sbigneum honorifice in arcem deducit, omniaq; ad uictum abunde ipsi suppeditat. Quae cum ad Vuladislaū principem perlata essent, commotus animo maiorem in modum, mittit certos homines, qui Magnū & Vuratislauiēses suis uerbis castigēt, fideiq;, & officij admoneant, eoq; praetextu ociosè & accuratè rem omnem & consilia exulum cognoscant. Responsum est à Vuratislauiensibus, eos nō hostem, sed filium principis recepisse: putasseq; gratum id fore principi, à cuius fide non recessissent, neq; auelli se à quoquam omnino passuri essent. De exulibus aūt orare, ut optimus princeps, calamitosos homines clemētia sua, redituq; in patriā dignaretur, néue desperatione salutis ad duriora consilia capessenda eos cogeret. De Secechi crudelitate eos queri: eum ne plus pateretur posse, quàm ipse sibi sumat princeps: ne omnium uoluntates propter unum hominem, qui dominatum omnem ad se transtulisset, pergat offendere. Haec missi, principi referunt. His addunt, parum se abfuisse, ut lapidarentur à conuentu, cum Secechum purgare uellent. Non cessandum sibi ratus Vuladislaus, neque patientia sua confirmandum uires & ausa exulū, raptim quantas potest copias cogit: cum ijs ipse, quamuis infirmus, proficiscitur. Nam Secechum quò minus mitteret, uerebatur, ne plus incommodi eius odio & inuidia acciperet. Porrò Boleslaus tener adhuc erat, necdum aptus administrando bello: & metuebat pater, ne is à fratre, cuius ambitio & audacia iam sese ipsa prodebat, insidijs appeteretur. Itaq; reliquit eum Cracouiae cum Voislao, quem puero custodem & curatorem, & quasi magistrū dederat. Vbi de principis aduentu Vuratislauienses certiores facti sunt, uniuersa multitudo nobilium pariter & oppidanorum, obuiam sese ipsi effudit cum Ziroslao episcopo, ueniam errati petens. Resalutata comiter pro tempore multitudine, princeps patentem urbem & arcem ingreditur. Deinde aduocata concione, clementer obiurgatis omnibus, culpam remisit: caeterùm Magnū à praefectura amouit, & pro eo Voislaum Boleslai paedagogum absentem illis praefecit. Pridie quàm Vuratislauiam adueniret Vuladislaus, Sbigneus cum suis inde profugerat, & Crusuiciam contendit, frequentem adhuc ea tempestate & copiosam urbem. Eum igitur Vuladislaus, pauculos dies cōmoratus Vuratislauiae, persecutus est: ueritus ne ille uicinorum Pomeranorum, ad nouādas res procliuiū, auxilijs sese confirmaret. Nec eum opinio fefellit. Cognito enim aduentu & consilio Sbignei, magna mox uis Pomeranorum, atq; etiam Prussorum, ad eum confluxit: quorum ille suasu atq; fiducia hostilem prorsus animum aduersus patrem induit. Venienti, cum septem aciebus instructis ad marginem Gopli lacus, qui Crusuiciam in insulae modum ambit, occurrit. Nec mora, expedit & Vuladislaus ordines: canunt utrinq; signa: concurrunt infestae acies: acrius multo pugnabant ipsi exules, utpote in suo periculo, quàm auxiliarij. Ibi sors gentiles etiam, necessarios, agnatos & fratres inter ipsos commisit, ut manus inter se consererent, ita ut necesse erat in ciuili bello accidere: caeduntur q;. Ad extremum acrius instantibus ijs qui cum Vuladislao sentiebant, fusi aduersarij, maxima pars in lacum compelluntur: ibique uel à persequentibus trucidantur, uel aquis merguntur. Magna ea strages fuisse memoratur, ita ut aqua eius lacus cruore & cadaueribus infecta, usibus hominum & iumentorum aliquandiu post apta non esset. E Vuladislai exercitu non ita multi desiderati sunt: uulnerati fuêre plurimi. Sbigneus fuga in urbem relapsus, uiuus in potestatem patris uenit. Vrbs, quòd receptum ipsi praebuisset, militi in praedam concessa: & ex eo tempore in eam, quae etiam nunc cernitur, solitudinem redacta est. Dimisit deinde Vuladislaus exercitum, Sbigneumq; in custodiam Sececho dedit: ipse in Mazouiam inde diuertit. Vnde cum Gneznam ad basilicae dedicationem à Martino archiepiscopo inuitatus, cum multis proceribus, & aliquot episcopis uenisset, eorum precibus expugnatus, ueniam Sbigneo dedit, filium agnouit, & liberaliter apud se deinceps habuit: nec ita multo pòst cum Boleslao legitimo filio, pessimo exemplo, & magno reipub. malo, honore eum exaequauit, & quibus finibus uterque post se principatum obtineret designauit. Cui rei dissensio ipsorum occasionē dedit. Nam quo tempore basilica Gneznensis dedicabatur, Pomerani Santocum arcem penè interceperant. Re enim cum paucis proditionis conscijs constituta, noctu intromissi, caeteros arcis custodes dormientes trucidare parabant. Verùm terrore diuinitùs, ut creditum est, quasi equitis armati cum strepitu & impetu in ipsos incurrentis oblato, perculsi, dum pauidi & locorum ignari

Sbigneus Vuratislauiam occupat.

Vuratislauiensis conuentus postulata à principe.

Vuladislai expeditio contra exules.

Voislaus paedagogus principis.

Vuratislauiensibus uenia data à principe.

Magnus praefectura amotus.

Sbignei fuga.

Praelium inter patrē & filiū, ad Gopli lacum.

Sbigneus captus.

Crusuicia diruta.

Sbigneus in gratiam receptus & Boleslao exaequatus.

Pomerani Santocum adorti repelluntur.

Dissidium Sbignei cum Boleslao.

in tenebris discursant, à custodibus strepitu atq; trepidatione excitis concisi sunt. Hoc sagacinus ulturus Vuladislaus, ambos filios cum exercitu in Pomeranos misit. Qui cum dissidere cœpissent, nulla re memorabili gesta, citò ad patrem reuerterunt. Hac igitur dissensione ipsorũ motus pater, ac ueritus ne magis in dies inter eos odia gliscerent, certos principatus fines utriq; descripsit.

Bohemi Silesiã inuadunt.

Cæterùm interea dum Vuladislaus Sbigneum Crusuiciam persecutus erat, Prædislaus Bohemorũ dux, ad oẽm occasionem, qua Polonis noceret, attentus, simul ut exulibus promissum præstaret, cũ tumultuaria suorum manu raptim in eã oram, quæ ad Nyssam fluuium est, prædabundus excursionem fecit.

Nyssa fluuius.

Bardum captũ & incensum.

Cameneccia arx in Silesia.

Bardum arcẽ defensoribus uacuam, ut in pace, nullo negocio cœpit, & exussit. Aliam ipse in rupe quadã eminenti & undique prærupta, loco opportuno celeriter construxit, & Cameneciam appellauit: relictoque ibi aliquanto præsidio, cum reliquis copijs domum se recepit. Verùm hoc antè, quàm Sbigneus in gratiam à patre reciperetur, acciderat.

Rumor falsus Bohemicæ excursionis.

Tertio autem anno post famã uulgatur, Bohemum clàm comparare exercitum, ut ex improuiso Poloniam inuadat. Contendit statim Boleslaus uoluntate patris, cum expedita suorum manu, quam ex tempore cogere poterat, ad tutandos fines, & uim Bohemi propulsandam: non expectandum sibi esse ratus, dum aliquo prius ille incommodo Poloniam afficeret. Adueniens nullum tumultum, nullum metum reperit ad suos, qui Bohemis & Morauis erant finitimi. Missi exploratores, pacata esse omnia apud Bohemos referunt. Ibi rumor à paucis, ex inuidia ne confictus, an ex uero timore ortus nescio: mox tota peruasit castra: unoquoque, ut fit, addente aliquid ijs quæ ab alijs acceperat: nimirum, famam illam

Secechi inuidia.

de motu Bohemorum à Sececho sparsam esse, ut conflato adolescentis temeritate bello, periculo ipsum obijceret, aut à patre duntaxat seiungeret: ipse interim liberius potentiam suam stabiliret, omniaq; ad inuadendum principatũ, & ad exitiũ absentis Boleslai cõpararet.

Secechi opes & ingenium.

Erat enim Secechus homo callidus, præpotens, & factiosus: magnas habebat clientelas: cum multis proceribus necessitudine & affinitate sese implicauerat: complures propinquos & gentiles suos ad multos honorum gradus euexerat: præfecturas regias plerasq; per suos, & per se ipse administrabat. Is porrò erat fastus & ambitio hominis, & sublatus secundis rebus, & nonnullis in rempubl. meritis animus, ut rem uerisimilem faceret, eum in præsenti illo rerum suarum statu acquieturum non esse: neque æquo animo laturum, ut minus ualeret gratia apud iuuenes, quàm apud patrem: quos animaduerteret suo merito non optimè in se animis affectos esse. Augebat suspicionem & illud, quod Voislaus Boleslao dè more ad expeditionem illam comes non iuerat. Nam & is Secechi cognatus erat. Extollunt apud Boleslaum in immensum omnia ij, quorum animos uel iniuria aliqua, uel nimia potentia Secechi offenderat, & quibus priores cum Sbigneo conatus non malè ceciderant, quiq; crescere ipsi aliena inuidia uolebant. Et facilè ambitiosi adolescentis in eum iram exacuunt.

Conspiratio contra Secechum.

Fremitur totis castris: indignum esse facinus, ab uno sic omnes ludificari. Non ferendum esse diutius impotentem eius dominatum, & intentas in capita principum suorum insidias. Placet acciri Sbigneum, quem sciebant Sececho ob relegationem & custodiam infensum esse. Aduolat ille: initur societas inter adolescentes aduersus Secechum, dato & accepto inuicem iureiurando: patrem aut exorandum sibi esse statuunt, aut terrore exercitus cogendum, ut Secechum à se, & ab administratione reipubl. penitùs amoueat.

Voislaus præfectura amotus.

Vvratislauiam in primis in potestatem suam redigunt, proptereà quòd Voislaum præfectum eius urbis cum Sececho sentire credebant. Ibi dum cætera comparant, uenientem fortè Voislaum, rerum omnium ignarum, urbis aditu prohibent. Miranti, & causam sciscitanti, proditio & insidiæ obijciuntur. Purgare crimen cupiens, non auditur. Repulsus, ad Vvladislaum in Mazouiam magnis itineribus contendit.

Zarnouecia.

Degebat is tunc apud Zarnoueciam, uicum ignobilem. Nec multo pòst adsunt Boleslaus & Sbigneus cum copijs suis: haud longè à uico castra metant̃.

Legatio filiorum ad patrẽ principem.

Missis legatis, constantẽ fidem & pietatẽ suam erga patrem plurimis uerbis, & iureiurando asseuerant: inuidiosam & intolerabilem omnibus Polonis Secechi potentiam, maximo cum contemptu & dedecore principis coniunctam, & ad principatum iam adspirantem, atq; adeo grassantem exaggerant: insidias sibi ab eo comparatas, & manifestè à se deprehensas esse. Orant, ne inultum sceleris illud, & læsam maiestatem suam esse patiatur. Per omnia se patrem indulgentissimum debito honore & obseruantia prosecuturos esse, eiusq; dicto audientes fore: Cæterùm salutem suam, dignitatemq; ipsius minimè neglecturos, & ingratum atq; sceleratum Secechum uel inuito patre persecuturos: idem secum sentire uniuersam Poloniã, paucis necessarijs malefici illius exceptis. Videret ergo pater, utrúmne

uni

uni malefico, ut se incantamentis dementasset, immoderatius indulgendo, plurimorum animos offendere: an unum illum Deo, hominibusq; exosum, à se & a superbo dominatu amouendo, cunctorum beneuolentiam retinere malit. Aderant episcopi aliquot & proceres è uicinoribus locis, qui ad primum noui illius motus nuncium, ad principem euocati accurrerant. Ab ijs persuasum est principi, ut filiorum postulata faceret potius, quàm uim & furorem multitudinis unà cum Sececho experiretur. Restitui postea Sccechum in suum locum, & iuuenibus reconciliari posse, ubi iræ eorum paulum resedissent. Itaq; dat fidem princeps filijs, facturum se de Sececho, quod postulassent. Adeunt ipsi ad patrem adolescentes inermes, & læti euentu illo consilij sui: uenerabundi patrem salutant, & ueniã cœpti sui non tam temerarij, quam necessarij, ut ipsis uidebatur, supplices petunt. Facilè indulget pater, & mox in amplexus eorum ruit. Sccechus conspectum eorum declinans, discessit ad arcem suam Scccchouiam, fossis atq; propugnaculis bene munitã. Id ubi adolescentes cognouerunt, statuunt eum persequi: neq; quieturi esse: nisi aut sublato illo, aut è Polonia pulso, uidebant. Non poterat id pati Vvladislaus. Itaq; nocte intempesta clàm, traiecta nauigio Vistula, trib. tãtum ministris comitatus, ad Sccechũ contendit præsentia sua periculum à capite ipsius, quẽadmodum credebat, depulsurus. Nec eum spes fefellit. Cognito namq; patris consilio, adolescentes mutant consilium: partitiq; inter se copias ad ditiones à patre sibi destinatas uterq; proficiscuntur: arces capitales, eiectis Sececbi partium præfectis & custodibus, in potestatem suam redacturi. Et Boleslaus quidem facile, & nemine repugnante, Cracouia, Sendomiria, Siradia, & alijs quibusdam suæ ditionis munitionibus potitus est. Sbigneus à Plosco repulsus, Boleslai opem implorat. Nec moratur ille: iunctis uiribus Ploscum obsidetur. Interea Martino Gnesnensi archiepiscopo, sene optimo, interueniente & adnitente, pax iterum inter patrem & filios Scccchi exilio sancita est: qui in Russiam exulatum abijt, & quamuis longo post tempore placato Boleslao ab exilio redierit, nunquam tamen ad pristinum dignitatis atq; potentiæ gradum peruenit. Arces quas occuparat Boleslaus, patri reddidit. Pertæsi quietis Pomerani, & commodam rerum nouandarum occasionem ciuili Polonorum bello oblatam sibi esse rati. Santocum arcẽ nostris ad reprimendos ipsorũ motus ualde opportunã, per fraudem intercipere conati sunt: ubi dolus non processit, ac ne aperta quidem uis, alteram & ipsi arcem è regione illius, quæ à nostris defendebatur, magna celeritate excitarunt: unde nostros commeatu & pabulatione prohibeant, & ipsi liberius in Poloniã incursiones faciant. Quod publicóne consilio, an priuato quorundam latrocinio factum sit, incertum est. Valida certè ea fuisse manus memoratur. In eos mittit Sbigneum Vvladislaus, cum iusto exercitu. Verùm is difficultate expugnandæ hostilis munitionis deterritus, re infecta recessit. Indignè id tulit Boleslaus, excelsi animi adolescens: & mox cum expeditis copijs profectus, ad hostem peruenit. Pomerani superioris temporis successu feroces, impetum in Polonos ex arce faciunt. Quos fusos Boleslaus in arcem compellit: parumq; abfuit quin cum fugientibus simul irrumperet. Repressi Pomerani, & qui dudum nostros obsidebant, uicissim obsessi, desperatis rebus, incensaq; munitione sua, sub obscuræ noctis silentio diffugêre. Celebris iam erat Boleslai fama apud exteros. Cuius admiratione ductus Prædislaus Bohemorum princeps auunculus ipsius conspectum eius expetebat: fecit ille satis desiderio eius, & à Santoco rectà ad eum profectus est. Nec minuit famam ueniẽs: paucosq; dies apud auunculum commoratus, maiore beneuolentia & charitate eum sibi deuinxit: & Camenecia arce, quam supra Nyssam amnem à Prædislao munitam esse, superius memorauimus, ab eo donatus, magnisq; præterea muneribus ornatus, quæ tamen ille pleraque omnia mox inter milites distribuit, in Poloniam ad patrem reuertit. Qui alendam sibi esse laude & honore præcocem adolescentis uirtutẽ existimans, balteo militari quatuordecim annos natum cingere statuit. Conuocati primores utriusque ordinis, Ploscum ad præstitutam diem conueniunt. Interim nunciatur, Pomeranos iterum summa ui Santocum oppugnare: nec diutius nostri, qui erant in præsidio, hostiles impetus sustinere posse dicebantur. Ibi Boleslaus cum equitibus, quos ad manum tunc habere poterat, nequicquam retinentibus patre & proceribus, celeriter ad ferendam Santoco opem excurrit. Et facto tota nocte itinere, primo diluculo in hostes, securos ab ea parte, irruit: inermes ac dormientes uel contrucidat, uel capit: pauci ex magno exercitu fuga elapsi sunt. Ita summa celeritate confecto bello, uictor cum longo captiuorum agmine, magnisq; spolijs, Ploscum ad intermissam celebritatem reuertens, ingenti lætitia patrem, omnesq; perfudit. Et mox solenni ceremonia ipse primùm, deinde complures nobiles iuuenes, qui uirtutis aliquod

Boleslaus & Sbigneus ueniam à patre petunt.

Seccchouia arx.

Sececbi gratia apud Vvladislaum.

Ploscum obsessum à Sbigneo.

Sececbus in exilium pellitur.

Pomerani à Boleslao adolescentulo uicti.

Boleslaus in Bohemiam profectus.

Camenecia arx in Silesia Polonus donata.

Pomerani iterum profligati à Boleslao.

Baltheo militari donatur Boleslaus.

specimen ediderant, baltheis militaribus à Vvladislao principe donati sunt. Insequenti anno Rusi ducibus Vvladimiro Nouogrodensium, Dauide Olecho Percaslauensium, Volodoro Premisliensium, principibus, & Iaroslao Iaropelci filio, cum ualido exercitu Poloniæ fines inualere, & ad Vistulam usq; excursionibus longè lateq; factis, ingentem prædam & magnum captiuorum numerum abigebāt. Hos Boleslaus tantisper dum raptim copias cogit moratus, iam extra Poloniæ fines uno agmine euntes, & nihil hostile à tergo metuentes consecutus, nocte intempesta, dum fessi potiꝗ dormiunt, sublato ad terrorem hostium clamore adoritur. Nec magni erat negocij, quamuis longè paucioribus, re subita trepidantes superare. Ad fugam spectabant omnes, resistebat nemo: nec tamen fugæ consilium explicabant, ueriti, ne subducentibus aspectum hostium tenebris, in insidias sese præcipitarent. Impeditos cædunt nostri. Neque captiui cessant: sed scissis ruptisq; uinculis obuios quosque uel obtruncant, uel ijsdem quæ ipsi dudum gestarant, uinculis constringunt. Ita longè maiore, quàm pro numero nostrorum, strage fusi Rusi, temeritatis & perfidiæ suæ pœnas dedere. Duces tamen noctis præsidio cum paucis effugēre. Sequenti anno, qui fuit à Christo nato millesimus centesimus & secundus, Vvladislaus morbo & angore confectus obijt, pridie Nonas Iunij: cum uiginti regnasset annos, uixisset propemodum quinquaginta nouem. Scribit Dlugossus, opinari nonnullos, qui ante se scripserint, eum à Sbigneo filio dolo interemptum esse. Vtcunque est, procuratus quidem certè est ante mortem sacris mysterijs, à Martino archiepiscopo Christiano ritu: & solenni pompa ab ambobus filijs, & magna procerum atq; nobilitatis frequentia in basilica Plocensi sepultus. Mortem uerò eius nō eodem modo tulere filij. Nam Boleslaus quidē mœrori ac luctui totum se dedit: Sbigneus uerò omnibus rebus posthabitis, thesauro manus iniecit, totum sibi uendicans: propterea quòd is in arce Plocensi, quæ ipsi erat destinata, esset reconditus. Tandem episcopis et proceribus medios sese interponentibus, conuenit, ut æqualem uterq; partem acciperet.

Russorum excursio in Poloniam. *Rusi superantur à Boleslao.* *1102. ann.* *Vvladislai principis mors.* *De thesauro controuersia fratrum.*

BOLESLAVS TERTIVS COGNOMENto Crinonsflus.

Persolutis Vvladislao principi iustis, nihil eorum mutatum est, quæ is uiuens de principatu constituerat. Concessit enim Boleslaus Sbigneo fratri Masouiā atq; Cuiauiam, & Lenciciensem tractum: cætera ipse cum summo imperio obtinuit. Nam quod Dlugossus maiorem Poloniam, hoc est, Posnaniensem & Calisiensem tractum, Sbigneo adiungit, mihi nō admodum uerisimile fit, Vvladislaum maiorem portionem, & ipsam Poloniæ totius uetustam metropolim Gnesnam, quæ in maiore Polonia est, notho potius quàm legitimo filio attribuisse. Nec sanè quicquam negocij Boleslao prius, quam in suam potestatem paternum omnem principatum redegit, cum Pomeranis atq; Prussis, quod paulò pòst exponemus, fuisset: si maior Polonia cum Cuiauia & Masouia, quæ oræ populos illos à cætera Polonia dissiūgūt, in Sbignei sortē cessisset. Tāto autem patris desiderio Boleslaus tenebatur, ut diu sanè lachrymis & fletibus non temperaret, gestabatq; de collo suspensam in pectus auream laminam, in qua nomen & imago patris insculpta erat, qua subinde memoriam eius sibi refricaret, & quicquid uel faceret, uel loqueretur, sic ageret, quasi inspiciente omnia, & exaudiente patre, ita ut summa in iuuene existeret modestia & uerecundia. Exacto luctu annuo, suadente & orante senatu uxorem duxit, Sbislauam Suentopelci siue Stopolci Michaëlis (sic eum Russorum annales uocant) Kiouiensium principis filiam: non sine indulgentia tamen Pontificis maximi, ne propter intercedentem cognationem incestæ essent eæ nuptiæ. Fuit enim Suentopelcus hic Izaslai filius: is porrò Iaroslai: cuius soror germana eodem patre Vvladimiro, sed alia tā matre orta Dobrogneua, paterna Boleslai huius auia fuit. Eas nuptias Sbigneus non modò non cohonestauit, sed penē defœdauit & interturbauit, si euentus conatui respondisset. Etenim improba mens, malus animus, cum fraternæ gloriæ inuideret, atq; ad uniuersum principatum adspiraret, moliebatur fratri exitium. Boriuoius Vvratislai filius è Suentochna Polona uxore, tunc in Bohemis post Prædislaum fratrem, Vngara matre natum, suorumq; fraude occisum, principatum tenebat. Ad eum se cōtulit Sbigneus, persuasit precibus & pecunia, ut sub nuptiarum tempus in Boleslai ditionem inuaderet. Ad Grezum iam Bohemi peruenerant, cum subitò murmure & fremitu castra complētur, ad iniustum se bellum & contra cognatos & confœderatos duci: minimè necessaria expeditione: nec minoribus propemodum, quàm in quos eant Polonos, incommodis se ab auaro prin-

Poloniæ diuisio. *Boleslai mores.* *Boleslai uxor.* *Sbignei improbitas.* *Boriuoius Bohemorū dux.* *Bohemorum contra Polonos expeditio.*

ro principe suo confici Boriuoius ubi uidet alienos esse ab illo bello Bohemorum suorum animos, reduxit exercitum. Ita conatus ille primus, sumptusq; Sbignei tūc incassūm cecidit, nisi quòd in sequentem annū bellum tamen conflatum est. Nam Boleslaus incursione illa Bohemorum superiori añō facta prouocatus, primo uere coëgit exercitum, cūq; mox duce Zelislao misit in Morauiā. Nam ipse ne una proficisceretur, magnis precibus à proceribus & noua nupta exoratus est. Iamq; Zelislaus peruastata tripartito agmine Morauia, ingenti prędà onustum reducebat exercitum, cum certior fit, Suentopelcū Morauorū ducem cum magnis copijs à tergo uenientem, non longius duobus miliarijs à se abesse. Itaq; præmissis impedimentis atq; captiuis, signa cōuertit, & instructa acie manus cū hoste conserit. Pugnatū æquo marte aliquādiu, plurimūq; humani sanguinis utrinq; fusum est, ducibus ubiq; prœliū instaurantibus. Ad extremū neutrò inclinante uictoria, utriq; mœsti & pro uictis se gerentes: illi quidem in Morauiā, nostri uerò cum præda incolumes in Poloniam sese recepere. In eo prœlio Zelislaus, dum ducis pariter atq; militis officio fungit, dextrā amisit. Quem Boleslaus princeps, collaudatum pro meritis & uirtute, aurea manu donauit. Nec longa quiete data militibus, iterum eadem æstate Boleslaus ipse transmissis montibus atq; syluis, quibus Morauia à Polonia uersus occidentē solē disiungitur, incursionem in Morauiam fecit: exustisq; nemine resistēte, plurimis uicis atq; pagis, aliquāto tū minorem prædā, quàm Zelislaus reuexit: propterea quòd agrestes à Sbigneo, ut creditū est, de aduentu Boleslai certiores facti, in uastas syluas cum gregibus & armentis sese occuluerant. Reuertente & ouante ex Morauis Boleslao, legatus Pontificis maximi Gualtho episcopus Beluacensis in Poloniam uenit, adhibitaq; scelerum ac flagitiorum indagine & correctione, fauente & adiuuante principe, duos episcopos Gnesnēsis prouinciæ sedibus suis eiecit. Qui uerò ij fuerint, non liquet: nisi quòd Dlugossus alterum ex ijs Ciaslaum fuisse suspicatur, qui Cracouiensem sedē permittēte Boleslao, sine authoritate Pontificis Max. usurpauerat. Geminata est aūt Boleslao uictoriæ Morauicæ lætitia nato filio Vuladislao. Quanq; contaminabant eā lætitiā Sbignei nō obscuræ machinationes, à quo exciti esse Bohemi, sollicitati Pomerani dicebātur: & rem credibilem faciebat, φ ipse cum suis copijs ad Bohemicam expeditionem non adfuisset. Dissimulabat tamē Boleslaus, & patientia sanare fratrem uolebat. Cæterū Pomeranos è Polonia prædas agentes coërcere, & insigniter ulcisci cupiens, æstate sequenti in Bohemos expeditionem simulat. Ad Glogouiam conuenire equites iubet. Inde conuerso itinere, per densas syluas septimis castris, ad Colbergū, frequens & opulentū ea tempestate oppidū, peruenit: & nocte quidē in syluis quieti data, insequentis diei diluculo, uadato amne, qui oppidū præterfluit, & maiore copiarū parte ad subitos hostiū impetus, si forte eos aduētus suus nō fefellisset, sustinēdos relicta, cū reliquis oppidū improuisò adortus est. Iamq; portas oppidi effregerat, cū facto ab oppidanis concursu, recipere se coactus est: ueritus, ne sui pauci à multis, in quibus & pueri & mulieres bonam de domibus atq; tectis operā nauare possent, opprimerētur. Plerisq; enim è nostris prędæ cupidiores, ad suburbana diripienda discurrerāt. Primo tumultu dux hostiū, qui in eo tūc oppido cōmoratus erat, in fugā se eiecit. Boleslaus castigatis ijs, quorum importuna auaritia factum erat, ne oppidū primo impetu caperetur, maiore deinde ui & omnibus copijs oppugnationē aggressus: ubi casso labore & uulnerib. confici suos ab oppidanis strenuè mœnia defendentibus animaduertit, direptis et incensis suburbanis, in Poloniā cum prędà reuersus est. Paucisq; diebus quieti datis, cum ijsdē copijs inexpectatus in Pomeraniam rursus inuadit: Suatoborum maritimæ oræ ducem, socium & consanguineum suum liberaturus. Nam is propter iniustum & crudelem dominatum captus à suis, in uincula coniectus erat. Itaq; præmissis, qui Suatoborum repererent, ipse nō magno interiecto spacio cum exercitu subsequitur. Pomerani repentino hostiū aduentu territi, Suatoborum dimittunt, & in Boleslai castra perducunt. Boleslaus Suatoboro admonito officij sui, & non optime erga se ante eum diem fidei, statim reduxit exercitum. Insequenti anno rursus, missa cum Scarbimiro magistro militum, quem comitem palatij uocat Vincentius, aliquanta manu, Pomeraniam, nemine prohibēte, depopulatus est. Nam ipse cum prædatoribus illis profectus non est. Haud longè tamen à Pomeranorum finib. aberat. Reuertens è Pomerania Scarbimirus, ad principem contendit, ab equite quodam familiari suo ad nuptias pariter atq; dedicationem templi inuitatū. Adueniens maiore lætitia explet conuiuiū. Inde princeps hilarior, uenatū se in syluā cū centū, nō amplius, equitibus e conuiuio proripuit. ibi in Pomeranos, qui tūc forte raptim in Poloniam incursionem fecerāt, sua damna cōpensaturi, cum incidisset: fugere turpe ratus, manus cum hoste,

Poloni infestāt Morauiam.

Suentopelcus Morauorum dux.

Zelislaus uirtutis ergò donatus aurea manu.

Morauia iterū uastatur à Boleslao.

Legatus Pontificis Max. Episcopi duo depositi.

Vuladislaus filius Boleslao natus.

In Pomeraniā expeditio Boleslai.

Colbergum.

In Pomeranos altera expeditio.

Suatoborus Pomeranorum dux.

Pomerania rursus uastatur.

Boleslai periculum & fortitudo.

quamuis lōgè impar, conseruit. Magnaq; in eis strage edita, dum iterū atq; iterū perrūpit hostilē agmen, deficiēte ex uulneribus equo ipsius, & uno de comitib. equū ipsi suppeditante, uix cū triginta suis, int' quos & Scarbimirus erat, saluus euasit: Pomeranis in stuporem uersis, & persequi abeūtes nō ausis, & mox ad suos puenit: q re cognita, correptis armis è cōuiuio ad ferendā principi suo periclitanti opē accurrebāt. Pomerani sine mora, omissa instituta incursione, q̄ malè adhuc ipsis ceciderat, curriculo domos sese recepēre. Ferunt aūt fuisse ad tria millia. Sic temeritatis principis, prosperū tñ euentū habuit. In ea pugna Scarbimirus ualde cōsauciatus, dextrū etiā oculū amisit. Implet mox fama huius prælij atq; periculi principis omnē Poloniā, multa (ut fit) ueris affingēs. Cōcurrunt ad uisendū primores: obiurgant principē periculosæ temeritatis: orāt, in posterū ne se se, remq; pub. in tantū discrimen pcipitet. Ille contrà, reprehensionē facti sui, q iam infectū fieri nequeat, in aliud tēpus, si ipsis uideat, differendā esse censet: hostē uero, si uicē suam, cæsorūq; fratrum doleant, secū statim ulciscantur. Annuunt omnes, et mox domos ad arma capiēda dilapsi, quantū quisq; copiarū ex tempore contrahere poterat, contrahunt. Acciuntur ex fœdere Russorum auxilia: conducuntur etiam ex Vngaris mercenarij milites. Nunciatur interim Boleslao, Suentopelcū Bohemorū principē cum ualida equitum, peditumq; manu expeditionem parare in Poloniā. Erat aūt is Suentopelcus, quē & Conradū dici reperio, Ottonis Morauorū ducis, cuius suprà meminimus, filius: qui pulso Boriuoio patruele, Bohemorū principatum illis diebus inuaserat. Atq; id eo liberiùs faciebat, q magni erāt motus in Germania, bellumq; ciuile primùm inter Henricū eius nominis quartum Cæsarem, & Rudolphum ducem Sueuorum, Henrico uiuenti à principib. Electoribus suffectū: deinde Rudolpho extincto, inter eundem Henricum, & filium eius Henricum, quē pater ipse imperij consortem & regem Germaniæ fecerat. Is igitur Suentopelcus siue suopte ingénio, siue ob receptum è fuga Boriuoiū Polonis infensus, siue adeò à Sbigneo subornatus, incursionem in Boleslai ditionē, dum ille Pomeranico bello distinetur, facturus esse dicebatur. Distrahebatur ancipiti consilio Boleslaus, Pomeranósne prius ulcisceretur, an Bohemorum excursionem reprimeret. Hic salus multorum agebatur: illuc iustus dolor & ira pectus generosum impellebat, ueritum ne crescerent hostibus animi patientia sua. Tandē aduenientibus Rußis & Vngaris, utrumq; bellum persequi statuit, & Scarbimirū quidem cum parte copiarum in Pomeranos mittit: ipse cum reliquis ad saltum Hercinii, qui Bohemiā terminat, Bohemis obuiā ire pergit. Verùm ij cognito Boleslai occursu, quieuerūt: nec eos tūc sibi lacessendos Boleslaus existimauit. Scarbimirus uastatis, ut mandatū erat, Pomeranorum finibus, nemine obuiā prodeunte, exercitū præda onustū reduxit. Mentio facta Vngarorū admonet nos, ut ne prætereamus, id quod in ipsorū annalibus reperimus. Tradunt ij, Almum Geisæ regis filium, propter metum Colomanni fratris, cui Almus regnum, à Vvladislao patruo sibi delatū, ultro concesserat, profugum, hoc anno, qui fuit à Christo nato 1106. à Polonis in Vngariam reductum, & cum fratre pacificatum, non tentata dubia Martis alea, Polonorum auxilia dimisisse. Nostri nullam per hæc tempora Polonorū in Vngariā expeditionē cōmemorant: cæterùm ipsos ab Vngaris contra Pomeranos adiutos esse referūt. Nobis controuersiā hanc dirimere nō libet. Hoc etiā añō Boleslaus filia Suētoslaua auctus est: & cū Sbigneo fratre opera Suētopelci siue Stopolci Kiouiensiū principis, ad quē Sbigneus profugerat, in gratiā redijt. Sequēti añō maiore ui Pomeranis bellū fecit. Iam ij malorū pertæsi, & assiduis agrorū suorū uastationibus fracti, ad deditionē animis inclinabant, soli Bialogradēses, ciuitas ea fuit Pomeranorū in primis diues & populosa, ferociores, cæteros quoq; à proposito auerterūt. Itaq; in eos omnem belli molē cōfert: sed prius tñ missis cū legato duob. scutis, animos eorū tentat, albū ne, in quo pax rubrū, in quo bellū excidiūq; significabat, mallēt. Superbius illi respōsum dedere, ambob. scutis acceptis: Sāguine Polonorū se sibi candidā uictoriā paraturos. Itaq; Boleslaus admotis ad mœnia Bialogradi castris, actis uineis, & turribus celeriter excitatis, summa ope urbem expugnare nititur: quatit murum aries: ipse princeps periculi immemor, inter primos uersari, nec deterreri multitudine telorum hostilium, aut suorum circa se cadētium miserabili interitu, quin ad portam urbis excindendam suis præiret. Depelluntur tandem summa nostrorum ui è propugnaculis hostes, nostriq; liberius effractis portis, cæsisq; uel summotis qui in introitu urbis repugnabant, in urbem signa inferunt. Tunc demum Bialogradenses abiectis armis, clementiam uictoris supplices implorant. Parci iubet inermibus Boleslaus: & receptui signo dato, ab excidio & direptione urbis abstinere milites iubet: euocatoq; & castigato magistratu urbis & omni multitudine, dat ueniam uictis. Hac uictoria

Scarbimirus oculo priuatus.

Senatus principem obiurgat.

Suentopelcus siue Suatopluchus Bohemorum dux.

Germanici motus.

Henricus quartus et quintus, et Rudolphus, Cæsares.

Pomerania uastata à Polonis.

Almus rex Vngarorum à Polonis reductus, 1106. ann.

Suētoslaua Boleslai filia.

Pomeranicum bellum.

Bialogradum Pomeraniæ impetu.

Clemētia Boleslai.

uictoria & uictoriæ moderatione accepta, Colberga, Camenū, Vielenū, Cosminū, & aliquot pręterea oppida Pomeranorū, in potestatē Boleslai uenēre. Zarnicouū excitatis turribus maiore ui oppugnatum, dum Boleslaus ad Bohemię fines excurrit, ad extremū sub autumnum reuertēte eo, per deditionē receptū, & Gneuomiro, qui eius oppidi dominus fuerat, redditū est: cū is religionē Christianā, à qua alieni adhuc erāt Pomerani, à Boleslao de sacro fonte leuatus, suscepisset, & in Boleslai, successorumq; eius principū Polonię uerba iurasset. Quod autē de excursione Boleslai ad Bohemorū fines attigimus, ita se habuit. Cozle arx supra Odrā sita, ad reprimēdas Bohemorū siue Morauorū incursiones peropportuna, conflagrauerat. Suspicabatur Boleslaus dolo Bohemorum incendium id conflatū esse: eosq; mox locum denuò munituros, & præsidio firmaturos, ni ipse anteuerteret. Nec tamen eum, quem in Pomeraniam duxerat exercitum, longo itinere & labore belli defatigatum, nondum confecto eo bello, deducere, & nouo labore conficere uolebat. Itaque Sbigneum fratrem auxilia, cum quibus ad instaurandam arcem Cozle iret, poposcit. At ille nō modo nō fecit postulata, uerumetiam legatis fratris superbo & pleno contumelię respōso oneratis, uix manus abstinuit. Permoleste id tulit, ut par erat, Boleslaus. Itaq; cū paucis uoluntarijs, summa celeritate cōfecto itinere, restaurata arce Cozle, ac mox recepto Zarnicouo, q hyems iā instabat, dimisit exercitū. In Poloniā reuersus, ad amplissimum senatū de iniurijs, contumelijs & perfidia Sbignei refert. Constabat, cū aduersus cōmune placitum (quod inter fratres iureiurādo interposito cōuenerat, ut neuter sine altero fœdus cum quoq̃ percuteret, & alterius hostē, suum uterq; duceret) cū Pomeranis fœderatū esse: his crebros nūcios & munera mittere, uicissimq; ab eis accipere: captiuos, si qui fortè de eius ditione capti essent, ei cōdonari. Proferebāt testimonia, & literę eius interceptæ, ad Bohemos & Pomeranos scriptę, quib. eæ gētes aduersus Boleslaū solicitabant, ac doli in caput Boleslai cōcinati aut meditati aperiebant. Certatim quisq; in senatu partim hæc exaggerāt, partim alia præterea, quæ acceperāt, aut cōpererant, proferunt. Cēsent omnes nō esse ferendū diutius monstrū illud, sed armis persequendū: & aut tollendū de medio, aut certè pellendū hostē publicū, q eo sit capitalior, q sub specie societatis & amicitiæ fallat. His cognitis Sbigneus, diffisus rebus suis, maluit ad clemētiā & misericordiā fratris, q̃ summā esse in eo nouerat, cōfugere: q̃ ultiū & armorū eius uniuersę Polonię consensu nitentium, in se periculum facere: præsertim cum suorum animos alienos à se esse intelligeret, & in Bohemis atq; Pomeranis parū iam spei reponeret. Etenim Boleslaus cum Bohemis quidem pacem fecerat, Pomeranos uerò fregerat: & distinebantur ij tunc, ut uidetur, Saxonum, Danorumq; bellis. Itaq; Sbigneus per Balduinum Cracouiensem episcopum, & Iaroslaum Russorum ducem, ut uult Gallus, ueniam, & Masouiam, cætera ditione sua Boleslao concessa, impetrauit, & in potestate illius semper se fore sanctè promisit. Hoc tempore Pomeranorum manus, siue ea prædabunda fortè incursionem fecerat, siue intētis in unum insidijs ad rem certam uenerat, Spicimirū uicū improuiso inuasit. Secesserat eò tunc cum paruo comitatu Martinus Archiepiscopus Gnesnensis, prius & ueneranduis senex. Atq; is ad primū tumultū & aduētum, hostilē, timore subministrāte cōsiliū atq; uires, inter cōtignationē tēpli abscōsus latuit: ministri uerò & comites eius, dilapsi partim euaserūt, partim in fuga ab hostib. capti sunt, inter quos erat Archidiaconus Gnesnēsis, eū Pomerani, q & sacerdos, & splēdidè uestitus, & magna oris dignitate præditus esset, Archiepiscopum esse rati, spoliato raptim tēplo, secū abduxerūt. Ferunt, Pomeranos omnes, quicūq; Archidiaconū & sacra tēpli uasa attigissent, domū reuersos, cū liberis, cōiugibus, propinquis, atq; domesticis familijs, uel comitiali morbo correptos ad parietes & saxa sese allisisse, uel in amentiā uersos partim mutuis cædibus cōcidisse, partim dētib. & unguibus in seipsos sæuijsse. Hoc malo igit̃ perculsi, causaq; mali notata, Archidiaconū cū sacris uasis, et omni instrumento templi Spicimiriensis conquisito, domum remiserunt. Hæc ita diuinitùs ad preces pij, sanctiq; Archiepiscopi accidisse existimant. Addunt Dlugossus & Vincentius, ex eo tempore Pomeranos religionem Christianā suscepisse. His adstipulantur Albertus Crant. qui et ipse Pomeranos Boleslai huius principis opera Christianos factos esse scribit: tametsi paulò posterius. Longè quidem antè ij cum cæteris eius oræ Slauis, quos Vandalos uocat Crantius, Christo nomina dederāt, partim Germanorum, partim Polonorum armis adacti: sed rursus ad pristinam impietatem semel atq; iterum desciuerant. Post hæc Bohemicum, et ex eo Teuthonicum bellum exarsit in Polonia, ex huiusmodi causa. Henrico quarto Imperatore capto, & in carcerem coniecto, ac deinde angore animi cōfecto, liberè iam Henricus filius eius tenebat habenas imperij: inferebatq; is bel-

Vrbium Pomeranicarum deditio.

Zarnicouum à Boleslao in potestatem redactum.

Gneuomirus Zarnicoui dominus Christianus factus.

In Silesiam excursio Boleslai.

Cozle arx exusta & instaurata.

Sbignei contumacia.

Sbignei doli.

Clementia Boleslai erga malè merentem fratrem.

Spicimirus uicus à Pomeranis direptus.

Archidiaconus Gnesnensis captus à Pomeranis.

Sacrilegij pœna.

Pomerani religionem Christianam suscepere.

Henrici quinti imper. expeditio in Vngariā.

lum Vngaris,ob uexatos & uiolatos milites,q ex uniuerso orbe Christiano ad Asiaticam contra Saracenos & Turcas expeditionē,& recuperandā Hierosolymā per Vngariā proficiscebantur,& Almū Colomanni regis fratrē exulē reducebat.Ad quod bellū Bohemos etiā,utpote tributarios Rom.imperij,secum in exercitu ducebat. Hac tāti belli mole territus Vngarorū rex Colomannus,Geisæ filius,q Ladislao patruo in regnū successerat,à Boleslao colloquiū petijt.Loco,dieq; cōstituto,coueniūt principes in Scepusiensi territorio: societatē inter se ineunt:cōmunes amicos, cōmunes hostes sibi fore,pmittūt: fœdus, quo firmū,perenneq; sit,noua affinitate sanciunt:Colomannus enim Iudithā Boleslai filiā, Stephano filio suo natu maiori despondit: Scepusiense territoriū, quod Polonicæ ditionis erat,in dotē datū,ex eo tēpore in Vngarorū potestatē uenit. Veniebat iam Henricus imperator cum ualido exercitu contra Vngaros, Almū Colomanni regis fratrem natu minorē secū ducens.Idq; factū esse quinq; annis antè,q̄ Bonfinius supputat,multis authorib.& argumentis docere possumus.Ibi Boleslaus Vngaris,quemadmodū cōuenerat,auxilia mittit:ipse cū non contēnendis alijs copijs in Bohemiā inuadit, Boriuoiū & Sobeslaū Suentopelci Bohemorū principis fratres patrueles, Colomāni regis sororis filios exules in comitatu suo habēs.Tametsi Vēceslaus Hagecus uelle uidet̄,nō interfuisse huic expeditioni Boleslaū.Suentopelcus Henricū ad Vngaricū bellū cum auxiliarib.copijs sequēs, Vasconi & Mutinæ procerib. summā rerū Bohemicarū cōmendauerat.Hi igitur Boleslao fines Bohemiæ ingredienti,cū aliquāta suorū manu occurrūt:initoq; prælio profligati,Pragam se receperunt.Polonus uastata magna parte Bohemiæ,oppidisq; aliquot captis atq; direptis,incolumē & ingēti præda ditatum reduxit exercitū. Suentopelcus de domestico periculo certior factus,ęgrè impetrato ab Imperatore fremēte,& Polonis iam tūc minante,cōmeatu,raptim cum suis in Bohemiā reuertit: cumq; Polonos tūc ulcisci procliue ipsi non esset,in suos iram cōuertit,quasi eorū cōniuētia & proditione Bohemia uastata esset. Et Vasco quidē alter de ijs,quib.princeps abiens imperium mandarat,in collegā culpā omnē trāsferebat.Res uerisimilis esse uisa est,eò q Mutina gente Rauita siue Versouius, in Polonos semper propensa,erat. Itaq; is cum duob.filijs, & alijs nōnullis primorib. Rauitis,& paruulis eorū filijs,iussu principis indicta causa capitali supplicio affectus est. Reliqui ex ea familia fuga elapsi,in Poloniā cōmigrarūt.In Vngaria nihil præclari gestum est à nostris: sed rebus cum Cæsare & Almo fratre amicè compositis,dimisit Colomānnus auxilia. Reuertentē aūt à Bohemica expeditione Boleslaū, duæ res aduersæ & molestæ excepêre.Nam Sbislaua uxor eius uitā cum morte cōmutarat:Pomerani aūt Vsce arcē Gneuomiro Zarnicouiensi domino uel authore,uel adiutore, per deditionē interceperāt, deceptis qui in præsidio fuerāt,cū falsum de Boleslai morte rumorē cōfinxissent, quasi is uictus à Bohemis,captusq;,& Henrico Cęsari traditus esset.Itaq; omnib. rebus posthabitis Boleslaus,à Bohemica expeditione maximis itineribus rectà in Pomeraniā cū paucis expeditis militibus contendit,reliquo exercitu dimisso, ut præda Bohemica exoneratus,ad Pomeranorū fines sibi occurreret. Nec tamē expectauit,dum is exercitus conueniret: sed cum paucis illis,ita ut uenerat rapida excursione,cædibus hominū & incendijs uillarū,hostium fines uastauit:non quo sic ulcisceretur eorū iniurias,sed magis ut incolumē se esse,et mox iustas pœnas de perfidis exacturum, ipsis ostenderet. Posteaquam uniuersus cōuenit exercitus, Velenum oppugnat.Nam id quoque recepto Gneuomiro defecerat:nec ita magno,ut Vsce,præsidio tenebatur. Iam autem hyems aduentabat. Erat in exercitu cum fratre Sbigneus: sed cum hostibus,qui aliquanta manu coacta, opportunitatem inuadendorum nostrorum obseruabant,sentiebat,eosq; clàm per internuncios de omnibus rebus & consilijs fratris certiores faciebat, & prodendi,perdendiq; eius occasionem quærebat. Nocte quadā castris clàm egressus,persuadet Pomeranis,ut se duce castra Polonorū adoriantur: perfacilè esse,quamuis paucis multos inopinantes opprimere. Sequūtur Pomerani. Agebat fortè in statione & excubijs Boleslaus, quod quidem crebrò facere solebat, is re animaduersa,hostes cum tumultu & strepitu in castra irrumpentes,cum ijs qui in statione erant à tergo adoritur:suos in castris subita re perculsos,uoce sublata animat: concidunt animis hostes,in insidias præcipitatos se esse rati: conciduntur & capiuntur utrinq;: pauci tegentibus eos tenebris effugiunt. Captus est & Sbigneus, detractaq; galea agnitus,& ad Boleslaum adductus,in sequentem diem asseruatus est. Orto die,refert rem Boleslaus ad castrense consilium. Ibi alius alio acerbiorem in Sbigneum dicit sententiā. Sed omnium acerbissimam Secechus palatinus Cracouiensis, qui iam ab exilio reuerterat. Is grauissimè in genus, mores, ingratitudinē, impietatē & perfidiā Sbignei inuectus,exaggeratis

Boleslai cū Colomanno rege fœdus & affinitas.

Scepusium in dotem datum Vngaris.

Bohemia uexatur à Polonis.

Rauitarum excidium in Bohemia, & in Poloniam migratio.

Pomerani Vsce arcem intercepêre.

Pomeranicum bellum.

Velenum oppugnatum.

Sbignei perfidia.

Pomerani funduntur à Boleslao.

Sbigneus exceptus.

Iudicium de Sbigneo.

gêratis, quæ is in patrẽ indulgentiſsimũ, quæ in fratrem manſuetiſsimum, quæ in patriam optimè merentem peccaſſet, nullo non ſupplicio dignum, & unguib. atq; dentibus, ſi ferrum deſit, populariter laniandum ac diſcerpendum eſſe pronũciauit: Boleslaum etiam de nimia & pernicioſa ipſi, totiq; reipub. facilitate & clementia obiurgauit. Productus, & cauſam dicere iuſſus Sbigneus, cum ſe non explicaret, & re manifeſta redargueretᷣ, non morte tamen, quemadmodũ cenſebant omnes, ſed exilio à mitiſsimo fratre damnatus, in Bohemiam abijt. Velenenſes uigilijs, defendendæq; arcis labore aſsiduo fatigati, & deſperato ſuorum auxilio, arcem apertis portis dedunt. Introgreſsi milites, crebris Pomeranorũ defectionib. & immedicabili perfidia cõmoti, in omne genus hominũ nullo neq; ſexus, neq; ætatis, neq; ordinis diſcrimine deſæuierunt: nequicquã reuocante Boleslao, & uictis parci iubente. Gneuomirus ad principem uiuus adductus, cõminuto fuſtibus capite, iuſtas perfidiæ pœnas dedit. Boleslaus cum per hyemem iam nihil rectè geri poſſet, reduxit, dimiſitq; exercitum. Gallus per hyemem etiam Pruſſos adortũ eum eſſe memorat, concretis glacie lacubus & paludibus, quibus ea regio impedita, difficilem præbet aditum alijs temporibus: per uaſtatiſq; ferro & igni agris, magnam hominum & pecudum prædam abegiſſe, nemine obſiſtente, aut pugnæ copiam faciente. Sequẽti anno, qui fuit poſt Chriſtum natum 1109. Germanicũ bellũ exarſit: breue quidẽ illud, ſed proſpero ſucceſſu, magnaq; gloria Polonorũ & Boleslai principis geſtũ. Cuius hæc fuit cauſa. Adiutos à Polonis Vngaros, & uexatos, retractoſq; è ſuis caſtris Bohemos, ipſe per ſe indignè ferẽs Henricus Cæſar, magis etiam à Bohemis cõtra Polonos incitabatᷣ. Sollicitabatᷣ & à Sbigneo exule magnis pollicitationibus, eaq; ſpe implebatᷣ, ut ꝑ Sbigneũ Poloniã omnẽ nullo negocio in poteſtatẽ ſuã redacturũ ſe eſſe crederet. Affirmabat eñ Sbigneus, primo eius aduentu, certatim ad ſe Polonos defecturos eſſe. Igitur initio æſtatis, quæ Vngaricũ bellum cõſecuta eſt, cũ maximis copijs atq; uirib. totius Germaniæ & Bohemiæ Poloniã, qua Saxonib. atq; Thuringis cõfinis eſt, & nũc Marchiæ Brãdẽburgẽſis ac Sileſiæ nomẽ habet, ingrediᷣ: Lubus arcẽ & oppidũ, quæ ſedes epiſcopi etiã nũc eſt in prouincia Gneſnenſis Archiepiſcopi, capit (tametſi negant quidã) & Magdeburgenſi Archiepiſcopo donat. Bythomiã deinde, nõ hanc quæ in Oppolienſi tractu eſt, tentat: ſed à Polonis audacter ex oppido erũpentibus repulſus, ſpei ſuæ & Sbignei pollicitis nõ reſpondere euentũ, iniquius tulit, & omiſſa atq; in aliud tẽpus reſeruata Bythomia, ad interiora contendit: Recenũ recepit: inde ad Glogouiã duxit. Iam eò Boleslaus partẽ copiarũ præmiſerat, quæ hoſtẽ trãſitu Odræ fluuij prohiberẽt, dum ipſe Ruſſorũ & Vngarorũ auxilia expectat. Verùm Cęſar nouo inuento uado, haud ita procul à Glogouia tranſducit exercitum ad nonum Cal. Septemb. peneq; noſtros ultra Odram ſtatiua habentes oppreſsit: paucos quidem milites in agris uagantes, & magnam agreſtium, pecudumq; prædam cœpit. Reliqua militũ manus partim in oppidum ſeſe recepit, partim fuga diſsipata eſt. Magna ui oppugnatur oppidum, frequens quidem ea tẽpeſtate, ſed non munitiſsimum. Oppidani ueriti, ne capto ꝑ uim oppido, extrema quæq; ab irato hoſte paterentur, quinq; dierũ inducias petunt, quib. niſi ſuccurſum ſibi eſſet, deditionẽ promittunt, obſides dant primorũ ciuiũ liberos: ad Boleslaum principem mittunt, quanto in diſcrimine ſit oppidũ, & quid cum hoſte conſtituerint exponunt: orant, celeriter ſibi ut opem ferat. Collaudat ille eorum conſiliũ: affuturum ſe eſſe maturè pollicetur. Quod ni affuerit ad cõſtitutũ cũ hoſte tempus, ſuſtinere eos porrò impetum hoſtilem iubet. Ni faciant, deleturũ ſe eſſe eos poſt diſceſſum Cæſaris iurat. Malint ergo paucorum obſidum iacturam facere, quàm uniuerſi perire. Valuit apud Glogouiẽſes plus fides & authoritas principis, quàm priuata pietas. Itaq; biduo, quod deinducijs erat reliquum, ad ſuſtinendam uim hoſtium omni ope ſeſe cõparant, turres & mœnia quaſſata & labefactata reficiunt, lapidũ & aliorũ telorum maximã uim in turres congerunt. Adueniente quinta die, imperator promiſſam deditionem poſcit: ubi mutatos oppidanorum animos uidet, iratus corona oppugnat oppidũ, obſides pallijs alligari, & ad mœnia obuerti iubet, ut dum ſuis oppidanorũ miſericordia parcit, facilius & liberius milites mœnia ſubeant. Sunt aũt pallia aſſeres cõpacti, qui milites mœnibus ſuccedentes tegunt, & à miſsilib. defendũt. Sed nihilo minus oppidani omne telorũ genus in ſuos iuxtà ac in hoſtes cõgerũt: qui propius ad mœnia acceſſerant, aut ſcalis admotis muros iam ſcãdebant, eos contis deturbant, lapidib. obruunt, pice & aqua feruẽti perfundunt, præcipiteſq; agunt. Cæſar hoſtium ſiue pertinaciam, ſiue conſtantiã admiratus, & ſuorũ uulnera & pericula miſeratus, receptui canere iuſsit. Sic eo die & ſuccedentibus aliquot deinceps, fruſtra tentata expugnatio eſt. Nec uoluit poſtea Cęſar ſuos periculo obijcere. Permultos

[Margin notes:] *Sbigneus exilio multatus.* — *Velenum direptum.* — *Gneuomirus fuste comminuto capite interfectus.* — *In Prussiam excursio Polonorum.* — *1109. ann.* — *Germanicum bellum.* — *Lubus arx capta à Cæsare, & Archiepiscopo Magdeburgen. donata.* — *Bythomia oppugnata.* — *Recenũ oppidum.* — *Glogouia oppugnata & fortiter defensa.* — *Glogouiensium fides & cõstantia.* — *Pallia.*

enim fortes uiros, Bauaros, Saxonas, & Bohemos una illa oppugnatione amiserat. Ac Bauarorũ quidẽ & Saxonũ funera honorificè domos remisit, Bohemi uerò ad Glogouiã in cãpis tumulati sunt. Nõ recesit tamẽ ab obsidione Glogouiæ Cæsar. Iam Boleslaus expectata auxilia acceperat, ualidasq; de suo milite copias habebat: itaq; ꝓpius hostẽ accedit: nec tñ pugnãdi copiã, quãuis flagitantib. suis, faciebat: sed è latebris & insidijs hostilẽ exercitũ carpebat, pabulatores excipiebat, noctu subducendæ alui causa castris egressos trucidabat: sæpius intẽpesta nocte cũ clamore & clãgore turbarũ hostiũ castris adequitabat, excubias aut opprimebat, aut è stationib. depellebat: interdiu quoq; nõnũquã prãdẽtes aut quiescẽtes tumultuariè adoriri, ꝑsequẽti hosti cedere, recipientẽ sese rursus ꝑsequi, celeritate equorũ suorũ, & hostiliũ tarditate, grauiq; armatura fretus. Itaq; neq; oppugnãdi oppidũ, neq; reficiẽdi se, neq; quiescẽdi spaciũ hosti dabat. Exurebat etiã circũiacẽtes uillas, obsidebat itinera, ita ut integras legiones pabulatũ mittere hostes, & lõgius petere cõmeatũ necesse haberẽt: sæpeq; reuertentib. præda excutiebat̃. Celebre his rebus erat Boleslai nomen inter hostes, totaq; castra laudes & uirtutes eius, cõpositis etiã ad id carminib. ꝑsonabãt: ita ut Cæsar capitali pœna, ne id fieret, sancire cogeret̃, ueritus ne ea res formidine atq; desperatione animos militũ suorum deijceret. Angebat̃ aũt ancipiti malo, obsesso q̃ obsidẽti similior. Et infectis quidẽ rebus ab obsidione discedere turpe, manere aũt diutius in loco, periculosum ducebat: ne nõ mutantẽ castra exercitũ & pestis, & fames, & peruigilia, ꝓpter crebros nostrorũ insultus cõficerent. Tandẽ ui expugnare oppidũ statuit. Cæterùm Suentopelcũ cũ Bohemis ad sustinendos nostrorũ impetus, ne se oppugnationi urbis intento, castra sua caperẽt, obijcit. Et impediebãt nõnihil Bohemi nostrorũ conatus, tum in statione illa, tum aliàs. Verùm Suentopelci mors nõ parũ adiumenti nostris attulit, aduersariorum uerò animos deiecit. Occidit aũt eum Ioãnes Cistes, eques Bohemus exul, siue Boleslai cõsilio, & præmio percussori ꝓposito adductus, (nam & hoc fert̃) siue ꝓprij exilij, cæsorumq; propinquorũ Rauitarũ dolore stimulatus. Certè patrata cęde, fuga, nequicquã ꝑsequentib. Bohemis & Germanis, pernici equo elapsus, magnis præmijs à Boleslao affectus est. Perculit is casus uehemẽter Cęsarẽ, & omnẽ eius exercitũ. Itaq; tumultuatũ in castris, ac tota nocte in armis uigilatũ est, ne qd maius noctu nostri aggrederent̃. Neq; eñ in uno illo tã audaci facinore cõiectura esse Polonorũ audacia uidebat̃. Postero die cõploratione circa cadauer facta, Cæsar ut Bohemorũ studia & uoluntates retineret, ꝓmittit eis, ut principẽ ipsi sibi, quẽ uelint, eligãt. Illi Henrico & Venceslao Suentopelci filijs, & Vuladislao eiusdẽ fratre patruele, quẽ prius Suentopelco successorẽ interposito iureiurando designarãt, præteritis, Otthonẽ eiusdẽ Suentopelci fratrẽ germanũ Morauię Marchionem absentẽ regnare iusserunt: à Cęsare missionẽ flagitarunt, deducendi funeris gratia: & q; uerebant̃, ne Boriuoius & Soboslaus exules, qui uel authores, uel certè cõscij necis fraternæ esse credebant̃, principatũ inuaderẽt. Ac ne Vuladislaus quidẽ tã insigni iniuria affectus, quieturus esse existimabat̃. Et ita sanè accidit. Ad primum enim nuncium fraternę mortis, principatũ is occupauit. Aegerrimè Bohemorũ discessionẽ tulit Cæsar: maluit tamen hoc ipsis concedere, q̃ ut ij nequicquã aduersante se, irritatis animis discederent. Boleslaus ratus Cæsarem non satis auspicati belli iam pertæsum, simul q; hyems instabat, faciliorem, placidioremq; fore, legatos ad eum de pace misit. Edit ille pacis conditiones, ut Sbigneus in principatum suum restituatur, & ut Poloni tributarij sint Romano imperatori. Duræ uidebantur nostris hæ conditiones, neq; existimabant principẽ eas accepturũ esse. Ibi Henricus Cæsar ambitiosè admodum & arroganter, ostendens legatis thesaurũ, quem ingentẽ habebat: Hic, inquit, Polonos perdomabit. Erat legationis princeps Scarbicus comes ex ea gente, quæ insigne habet lineas iunctas in modum duorum trigonorũ ęqualiũ, acutos angulos habentiũ, quorum bases sursum uersus pateant: uel, ut planius ac rudius dicam, in modum VV literæ geminæ maiusculæ. Is igitur Scarbicus stultã Cæsaris iactantiam notans, annulo, quem digito gestabat, in thesaurum proiecto: Aurum, inquit, adijciamus auro. Id scomma intellectum Cæsar, gratias agendo elusit, *Habdank*, inquiens lingua Germanica, quod est, gratias ago. Inde familiæ id nomen mansit, ut Habdanci dicantur. Ex qua familia Michaël comes Lubenense monasterium in maiore Polonia paulò pòst construxit atq; dotauit. Hæc eo libentius commemoramus, quòd ex hac familia fuit Ioannes Choinius episcopus Cracouiensis, & Cancellarius Poloniæ, uir clarisimus, admirabili ingenio, excelso animo, maximo consilio, eruditione & iurisperitia non uulgari, rara celeritate ac dexteritate in rebus agendis præditus, in uictu, cultuq; corporis elegans & moderatus, temporis parcisimus, constantia uerò, integritate & liber-

Belli gerendi ratio.

Suentopelcus Bohemus dolo interfectus.

Ottho dux Bohemus datus.

Vuladislaus principatũ apud Bohemos occupat.

Legatio Boleslai ad Cæsarẽ.

Henrici Cæsaris arrogãtia.

Habdancorum familiæ origo.

Ioannes Choinius episcopus Cracouiensis, & Cãcellarius Poloniæ.

libertate in defendenda iusticia & iniustitia oppugnanda singulari: quibus rebus cum potentes & factiosos quosdam offendisset, eorum obtrectationib. minus gratiosus fuit apud multitudinem, quàm esse debuit. Cæterùm regi Sigismundo, cuius iudicium diuinũ erat, ita fuit charus, ut inuidi quidam & inimici, plus quam filium eum diligi ab illo, dictitarẽt. Atq; is uiueret adhuc fortasse, si chariora sua cõmoda, quàm uirtutẽ & rempub. habuisset. Cæterùm ante octo annos immaturã mortem obijt, maximo nostro dolore. Etenim nõ in clientis, sed in alumni atq; filij loco nos dilexit, ac de ornamentis nostris sedulò cogitabat. Sed unde deflexímus, reuertamur. Reuersi ad Boleslaũ legati, mãdata Cæsaris referũt, mirari ille cõfidentiã Cæsaris, & iniquitatẽ cõditionũ, quasi uictor uictis leges imponeret, ac nõ dubia adhuc esset Martis alea. Itaq; quã nõ impetrabat pacẽ, ui & armis extorquere pergit, ac maioribus ꝙ prius dãnis & incõmodis hostẽ afficit, minus aptũ ꝑ se, abductis Bohemorũ auxilijs, ad nostrorũ insultus diurnos atq; nocturnos reprimendos: nec ullã ei dat lignãdi, pabulãdi, cõmeatus petẽdi, atq; adeò è castris prodeũdi facultatẽ. His malis fatigati Germani, maioraq; metuentes, aliò trãsferre bellũ statuũt, ut loci mutatione & aura meliore, & pabulatione, cõmeatuq; laxiore uterent. Simul aũt elicere se nostros ad decernendum de summa rei uniuersis copijs aliqua occasione posse sperabãt. Soluta igitur Glogouiæ obsidione, ad interiora Poloniæ & Vuratislauiã urbẽ instructa acie contendunt. Inuadit à tergo, carpitq; extremos hostium Boleslaus, turbat ordines, impedit iter: nec sustineri nostrorũ impetus à paucis poterat, uulnerabãt hostes hastis cominus, eminus sagittis: cũ illi cõuersis signis ad prælium se expedirent, nostri diuersi refugiebant, rursusq; ex interuallo, iter prosequentes adoriebant. Orabant principẽ nostri pleni fiduciæ, tota ut acie cũ hoste dimicaret: satis sibi esse animorũ, satis uiriũ ad apertũ certamen: defungi se cupere semel totius belli labore: indignũ esse, uastari agros suos, expugnari arces & oppida se intuẽtib. Quietos esse iubet Boleslaus, & ad omnia paratos: sibi curæ fore, quid facto opus sit. Cæsar magno cum labore & cæde suorũ, ægrè in conspectũ Vuratislauiæ uenit. Est circũ Vuratislauiam latè patens planicies: Boleslao locus uisus est peropportunus ad dimicationẽ prælij, & nostris propter leuẽ armaturã & pernicitatẽ equorũ, equitumq; multitudinem, quàm hostibus, cõmodior. Itaq; paucis milites cohortatus, adesse tempus, quod dudum flagitassent: meminissent pollicitationẽ suarũ: cogitarent in eo prælio imperiũ, salutẽ & libertatem patriæ uerti: uiri, & maiorib. suis digni esse pergerẽt: uastatos agros, incensas uillas, capta oppida, in seruitutẽ redactos agricolas, ulciscerẽtur: gloriã deniq; maiorũ suorũ, imperatore orbis terrarũ deuicto, illustrarẽt. Deinde maiore, quàm aliâs, ui hostes à tergo & ab laterib. lacessit. Cõuertunt illi acies more solito, nostros repulsuri. Non iam refugiebant nostri: sed celeriter ad signa & ordines ita ut iussi erant, concurrentes, præter opinionem hostiũ, pugnandi copiam fecêre. Prælium fermè exoriente sole initũ, durauit usq; ad meridiem. Et inclinabat quidem ad hostes uictoria: reprimebãtur nostri equites graui illorum armatura, nec densas peditum phalanges perrumpere poterant, sed quasi in murũ incurrebant, maiore suo quàm hostium detrimento: iamq; audacius illi uicissim signa inferebant, nutabãt Poloni: uerùm Boleslaus omnia sollicitè prouidens, ubicunq; deteriori loco rem suorũ esse animaduertebat, accurrebat, & hortando, orando, subsidiarias cohortes submittendo, instaurabat pugnam. Ad extremũ cohortes aliquot Silesiorũ, facto cuneo ab aperto latere curriculo in hostiles acies inuehi iussit. Quod ubi factum est, celeriter inuadentib. nostris in auersos & inopinantes, perturbari cœpere hostium ordines. Nostri alacriores, mutua significatione & clamore sese cohortati, instare utrinq; trepidantib. nec spaciũ colligẽdi sese dare. Acrius tamẽ adhuc à fronte nostrorũ impetũ sustinebant hostes: sed ubi suos à tergo cedere nostris urgentib. respexêre, in fugam sese omnes conijciunt, in primisq; Cæsar ipse, nequicquã reuocare fugientes conatus. Iamq; non in ancipiti dimicatione, sed in cæde fugiẽtium & impedientiũ sese, nostri uersabant. Plurimi mortales interfecti sunt, permulti uiui in potestatẽ uenêre: atq; ij honestè & liberaliter iussu Boleslai habiti & asseruati sunt. Multi etiam ex nostris ceciderunt: longè plures (ut in nudis, aut certè leui armatura tectis euenire necesse erat) uulnerati sunt. Campus, ubi pugnatũ erat, plenus cadauerũ, acerbũ & miserabile spectaculũ exhibebat. Ac nostri quidem cõquisiti & sepulti sunt. Germani uerò insepulti, canibus & uolucribus esca iacuêre. Inde cum eò tanta uis canum conuenisset, ut difficilem trãsitum præberet paucis iter facientibus, Caninus campus à Polonis atq; Germanis locus ille dictus est: et in hodiernum usq; diem utraq; lingua nomen hoc, is qui ibi est uicus, retinet. Abest aũt uno à Vuratislauia milliario. H. Mutius longè diuersum ab hoc exitũ, diuersamq; item causam huius belli memoriæ prodidit. Sic enim

Boleslai cohortatio.

Prælium Polonorum cũ Germanis.

Boleslai de Henrico Cæsare uictoria.

Henrici Cæsaris fuga.

Caninus campus.

enim is scribit: Post comitia illa Aquisgranen. sequenti anno iterũ Francofordiæ cõueniũt principes & imperator, deliberantq́; de bello suscipiendo contra Polonos: qui tributũ imperatori debitũ dare recusabant, regemq́; sibi elegerant, ipsiq́; coronã imposuerant: quod tũ imperatoris erat summus contemptus. Quare cõscripto exercitu, in eos proficiscitur. Rex ante imperatoris aduentũ in castris est: pugnatur aliquoties multo utrorũq́; sanguine: ad extremũ uerò uicit imperator, milite Germano fretus, & potentia sua. Polonis igitur in fidem receptis, tributoq́; ueteri aucto ꝓpter belli expensas, reuertiť in patriã. Hactenus Mutius: neq; cum Gallo illius tẽporis scriptore, neq; cum ratione temporũ cõgruenter. Neq; enim tunc regẽ sibi crearũt Poloni: sed ante centũ annos creatũ, paulo ante illud tẽpus habere desierunt. Sed nos cætera persequamur. Boleslaus tam insigni, tametsi nõ incruenta, uictoria triumphãs, ꝙ hyems iam aderat, dimisit exercitũ suum, auxiliares uerò Russos & Vngaros pro meritis remuneratus, in hybernia distribuit. Clarius uerò quàm antehac, ea uictoria Boleslai & Polonorũ nomen apud Germanos factũ est. Itaq; cũ Henricus Cæsar acceptã à Polonis apud Caninum cãpum cladem ulcisci insequenti æstate pararet, minus alacres militum animos ad eam expeditionẽ habuit: & res Italicę præterea eum ab illa cogitatione auertebant. Verebatur aũt, ne se in Italiã profecto, Poloni uicinã sibi Germaniã infestis armis inuaderent. Ad hæc sciebat, multos nobiles & egregios tribunos militũ, centuriones, turmarũ & alarum præfectos, quorum præclara opera in illa Italica expeditione uti posset, captiuos à Polonis detineri, & pacẽ quidem cum Boleslao facere cupiebat: sed offerre eam ultrò, quã dudũ à se petitã negarat, turpe sibi ducebat. Tãdẽ cõmunes amicos subornauit, qui Boleslao persuaderent, ut ipse eam à Cęsare peteret: ac de uoluntate ipsius illi prolixè pollicerent. Vicit animũ suum Boleslaus, ut ipse ad Cæsarem Babenbergã, oppidum id est Franconiæ, splendido apparatu & comitatu proficisceretur. Adueniens comiter & honorificè acceptus est à Cæsare. Ibi multis inter se sermonibus habitis, & causis offensarum & inimicitiarũ discussis atq; sublatis, pacẽ inter se fecerunt æquis conditionib. Renouantur uetera primi Boleslai cum Otthone tertio Imperatore fœdera, nouaq́; affinitate sempiterna amicitia inter ipsos principes & posteros ipsorũ sanciť & stabilitur. Nam Boleslaus Henrici sororem Adleidã uxorẽ duxit, & filio suo Vvladislao impuberi adhuc Christinã eiusdem Cæsaris filiã paruulã despondit: captiuos omnes Cæsari liberaliter remisit, & ab eo uicissim oppida capta superiore bello recepit: peractisq́; magna celebritate & summa omniũ læticia nuptijs, datis & acceptis ultro citroq́; magnis munerib. aucto nobilibus Germanis, nouas nuptas deducentibus, comitatu, Boleslaus in Poloniã reuertit. Tametsi Radeuicus Phrysingensis in eo libro, quem de rebus gestis Friderici imperatoris scripsit, Gertrudim Leopoldi Marchionis Austriæ filiam, Henrici Cæsaris neptẽ, Vvladislao uxorem fuisse memorat. Post Germanicũ bellũ, quod dudum exposuimus, Boriuoius oblatam Suentopelci fratris interitu, & Otthonis atq; Vvladislai de Bohemiæ principatu cõtentione, occasionẽ nõ prętermittẽdã sibi esse ratus, quin principatũ, unde à Suentopelco eiectus fuerat, repeteret, impetrat à Boleslao Polono auxilia: & cõfluentib. certatim ad eum procerib. & equitibus, paruo negocio Pragã Vissegradũ caput Bohemiæ, in suã redegit potestatẽ. Sed euocatus à Cæsare ad cognitionẽ ac disceptationẽ causæ pariter cũ Vvladislao fratre, qui impar uirib. Cæsaris opẽ implorarat, in uincula coniectus est: Vvladislaus uerò Bohemorum princeps declaratus. Molestè aũt ferẽs Boriuoij circũscriptionem Boleslaus Polonorum princeps, motusq́; Sobeslai fratris eius, qui apud se adhuc exulabat, precibus, insequenti anno, cum Henricus Cæsar Romam ad suscipiendum diadema imperatorium profectus esset, in Bohemos duxit exercitum. Præmissis autem legatis, postulat à Vvladislao missionem Boriuoij, & ut se arbitro cõstitui de principatu inter fratres patiatur. Recusat Vvladislaus, & ad arcendam uim Boleslai sese comparat. Itaq; desperata pacificatione noster Bohemiæ oram eam quæ cis Albim est, ferro & incendijs uastauit: Bohemumq́; sua defendentem, commisso ad Cidlinam amnem prælio, profligatum, in fugam uertit: & mox cum magna præda & spolijs hostium, propter anni tempus in Poloniã sese recepit. Ad octauum enim Idus Octobris prælium factum erat. Hagecus Polonos uictos, & præda parta exutos, Sobeslaumq́; humero saucium Bohemia raptim excesisse scribit. Sed neq; Vvladislaus secundis rebus suis tam facile se ad reconciliandum sibi, reuocandumq́; Sobeslaũ fratrẽ adduci passus esset: neq; Boleslaus aduerso prælio debilitatus, Prussos & Pomeranos mox bello persecutus esset. Excurrerant ij prædabundi in Masouiam, uastatisq́; raptim agris & pagis permultis, celeriter se cum præda domũ recipiebãt. Præerat tunc Masouiæ Magnus comes, quem à Vvratislauiensi præfectura amotum

fuisse,

Boleslaus princeps ad Cæsarẽ profectus pacẽ petit.

Pax & affinitas inter Henricum quintum Cæsarem, & Boleslaum Polonorum principem.

Bohemicum bellum, & Boriuoij reductio.

Boriuoius à Cæsare captus.

MC. ann.

Boleslai expeditio in Bohemiam.

Boleslai uictoria de Bohemis.

Pomeranorum & Prussorum excursio in Masouiam.

fuisse, superius in Vvladislao exposuimus. Is tumultuaria manu facta, reuertentes barbaros persecutus, & prima luce inopinantes, & post populationis laborē, largioresq; ex præda epulas altum dormientes adortus, ad internecionem omnem illam hostilem manum deleuit, nullo de suis desiderato. Hostes autem sexcenti interfecti sunt, capti mille ducenti. Cæteri qui in proximas syluas effugerāt, sequentibus aliquot diebus ab agrestibus excepti ac trucidati sunt. Quin à mulieribus quoq; duabus fraga legentibus unus captus, & reuinctis post tergum manibus adductus esse memoratur. Atq; hæc uictoria de barbaris, Simoni episcopo Plocensi, pietate & sanctimonia uitæ uenerando seni refertur accepta, quòd is & animauerit nostros in hostem, & pugnantibus ijs Dei opem implorare nō cessauerit: Moysen populi Dei ducem imitatus, cuius precibus & extensione manuum, magis quàm armis atq; uiribus Amalechitas profligatos esse, sacris Hebræorum literis proditum est. Non satis autem pœnarum Pomeranos atq; Prussos dedisse ratus Boleslaus, æstate sequenti expeditionem in Pomeraniam suis indixit, cōuenit exercitus ad Crusuiciā, iamq; moueri castra debebant: ecce clara die, inspectante omni exercitu, apparuit in culmine basilicæ Crusuiciensis formosus iuuenis, candida ueste refulgens: cunctisq; stupentibus desilijt, & ante signa progressus est. Ibi uniuersus exercitus lætus, e uestigio motis castris, diuinitùs oblatum ducem sequitur, insignem uictoriam ex hoste barbaro sibi pollicens. Vbi ad Naclum Pomeranorū tunc urbem facilè principem, natura loci manuq; munitam, uentum est, iuuenis ille malum aureum, quod manu gestabat, aduersus oppidum proiecit, subitoq; disparuit. Nostri alacres partim scalis admotis muros scandere, partim portas refringere summa ui cōtendunt: parumq; abfuit, quin oppidum eo die caperetur. Sed plenior & illustrior ipsis de perfido hoste uictoria debebatur. Oppidani prima oppugnatione perculsi, quindecim dierum inducias à Boleslao impetrant, ea lege, ut ni sibi interea succursum esset, dederent sese: circum suos dimittunt, qui de periculo urbis certiores eos faciant, & auxilium petant. Iam ingentes Pomeranorum & Prussorum copiæ conuenerant, ac de ratione belli gerendi inter se consultabant: fit fremitus totis castris ad primū nuncium Naclensium. Deinde inito consilio, respondent Naclensibus, in tempore se affuturos, opemq; obsessis laturos. Quanquam autem quadraginta, uel ut uult Dlugossus, quinquaginta millium armatorum numerum excedebant, non ausi tamen aperto Marte cum nostris, quorum uirtutem sæpe experti erant, cōgredi, ex insidijs eos aggredi statuūt. Amotisq; equis, ne eorum hinnitu proderentur, & quo maiore fiducia, exæquato inter omnes periculo dimicarent, per syluas, quæ a statiuis eorum ad Naclum usq; pertinebant, silenti agmine iter faciunt, ut incautos & inopinantes nostros opprimerent. Nec sanè inanis eorum conatus fuisset, si statim ex itinere castra Polonorū adorti essent. Dies erat Laurentio martyri sacra: nostri nihil de hostibus suspicati, & quòd inducię cum oppidanis adhuc durabant, inermes diuinæ rei uacabāt, & iam sacris peractis diuersi discedebant, cum subitò cōspicantur hostes, agmina è uicinis syluis explicantes. Conclamatur ad arma: tumultu ac trepidatione castra complentur. Perturbabat omnes non tam multitudo hostiū, quàm quòd in puncto temporis omnia prouidenda & facienda erant. Sed hostium cunctatio nostris colligendi sese, arma capiendi, & ordines explicandi spacium dedit. Nam posteaquam illi conspectos se à nostris animaduertere, de prima spe deiecti, locum castris cœperunt, frontem & latera sudibus præustis & hastis transuersis in modum sepis muniērunt. Boleslaus metu hostium animaduerso, paucis pro tempore milites cohortatus, in aciem educit, loco se continebant hostes: & difficilis atq; periculosa nostris futura erat pugna, quòd & sepes quibus impeditus erat ad hostē aditus, conuellendi, & fossæ transeundæ, & densa illorum iacula sagittæq; declinandæ erant. Animaduertit fortè Boleslaus nuda esse terga hostium, nec impeditum ea parte accessum. Itaq; Scarbimiro magistro militiæ negocium dat, ut cum ipse hostem a fronte adortus in se conuerterit, ille cum parte copiarum facto circuitu, à tergo in auersos impetum faciat. Quod ubi factum est, clamore cædeq; à tergo orta, impelluntur ab extremis primi. Summa fit inter hostes trepidatio & confusio, perculsis instat etiam à fronte Boleslaus, perrūpit impedimenta. Hostes utrinq; circumuenti, & uallo illo suo ac sepe impediti, fugam non explicabant. Itaq; in medio maxima strage concisi sunt, ita ut cæsorum numerus ad uiginti septem millia peruenisse dicatur: lacubus etiam & paludibus multi hausti esse memorantur: capti fuêre bis mille. Cadauera comportata, & humo, ne tetro odore aërem inficerent, operta, tumulum instar collis effecere: quem Dlugossus ad sua tempora extitisse scribit, monimentum tantę uictorię. Naclenses desperatis rebus suis, deditionem fecêre, eorumq; factum sex alia oppida secuta sunt.

Pomerani profligati à Magno comite.

Simon episcopus Plocensis pius.

In Pomeraniā expeditio Boleslai.

Naclum obsidetur.

Pomeranorum exercitus.

Pomeranorum castra expugnata.

Boleslai de Pomeranis & Prussis insignis uictoria.

Captiuorū numerus.

Naclū per deditionem receptū à Polonis.

ta sunt. Quibus omnibus Boleslaus Suentopelcum, unum de proceribus & consiliarijs suis præfecit, de Gryphonum siue Gryphium familia, hominem non tam opibus aut natalium splendore, quàm uirtute & scientia rei militaris clarum. Exarsit deinde rursus Bohemicum bellum, à Boleslao quietis & ocij impatiente conflatum. Cuius prætextus fuit Sobeslai exulis restitutio. Reuocauerat quidem eum Vvladislaus frater post Polonicum bellum, cuius dudum fecimus mentionem, & in gratiam cum eo redierat, Zatecensemq; tractum ipsi attribuerat, Suatauę matris precibus & lachrymis uictus: & uim Boleslai, cui Cæsare absente impar erat, metuens. Verùm Sobeslaus aliquanto post, cum non satis placatum & beneuolum fratris animum erga se animaduerteret, & à Vascone primo & intimo consiliario incitari eum in se, siue certo indicio, siue falsa æmulorum delatione (ut refertæ sunt æmulationibus, suspicionibus, obtrectationibus & calumnijs aulę principū) didicisset, per insidias eum interfecit: & fratrem ob id facinus iratum fugiens, in itinere ab Ekenbergo Cæsareo arcis Domini præfecto dolo captus, in custodia asseruatus est. Vnde, cum negligētius asseruaretur, post unum mensem elapsus, in Poloniam euasit. Huius ergo rogatu Boleslaus Polonorum princeps, bellum in Bohemos iterum suscepit. Præmisit autem legatos ad Vvladislaum, postulans, ultrò ut cum Sobeslao fratre in gratiam rediret, principatumq; partiretur: cui respondit Vvladislaus: Non eiectum à se esse Sobeslaum, neq; ulla iniuria affectum: sed ipsum ingratum, & immemorem benignitatis suæ, fidelissimum consiliarium suum indignè interfecisse, & conscientia sceleris profugisse. Exulare etiam apud se Sbigneum Boleslai fratrem: cum si Boleslaus in partem principatus à patre attributum restituat, neq; se recusaturum de Sobeslao. Boleslaus cum nihil impetrasset, Bohemiam cum infesto exercitu ingreditur, obuia quæq; uastat & exurit: nequicquam, ne id faceret, orante Sobeslao. Prodit obuiam cum suis copijs Vvladislaus, sua defensurus. Cibina amnis duos exercitus dirimebat, non tam altitudine aquarum, quàm q; limosum solum habet, uadatu difficilis. Dat optionem Bohemo Polonus, ut uel ipse, permittente se, amnem traijciat, uel se transire patiatur. Neutrum Bohemus accepit. Fortè nubila dies & procellæ, tempestatesq; ualidæ prospectum ademerant: ibi Boleslaus paucis ad seruanda castra, & qui clamore atq; strepitu hostem à suspicione auerterent, relictis, reliquum exercitum secundum amnem progressus aliquātum silenti agmine traducit, haud ita longè ab eo loco, ubi Cibina in Albim influit. Cursuq; ad hostilia castra contendens, uacua ea reperit. Etenim Bohemi, cum transmisisse amnem Polonos persensissent, raptim abierant. Vastati deinde sunt à nostris ultra Cibinam agri: Closcum oppidum incensum, & in prædā datū militib. Deficiente porro, quemadmodum scribit Dlugossus, cōmeatu, reduxit Boleslaus alio itinere exercitum, neq; tamen populationes intermisit. Vbi ad syluas, quæ Bohemiam in modum coronæ ambiunt, peruentum est, nocte intempesta clamor ab uno temerè ortus, tumultu ac trepidatione, quasi adessent hostes, castra cōpleuit. Verùm is tumultus statim, procurrente in medium Boleslao, qui tunc fortè uigilans in papilione suo precationi uacabat, sedatus est. Postero die ab exploratoribus cognitum est, Bohemos syluas insedisse. Itaq; re diuina facta, procuratoq; sacris mysterijs exercitu à sacerdotibus Boleslaus graui ac diserta oratione milites ad cauendas insidias, & ad refutandū hostium impetum, si quem in se reuertentes, locorum opportunitate, non uiribus freti facerent, animauit. Primam & extremam aciem, ac latera quoq;, robore militum cōmunit: in medio captiuos, impedimenta, ac infirmos milites collocat. Ita quadrato agmine progreditur. Et iam ferè ad exitum syluæ peruenerat, cum subitò hostes dato signo è latebris prosiliunt, & quàm tumultuosissimè undiq; in Polonos inuadunt. Sustinent nostri impetum inuadentium, saluis & integris ordinibus. In primis Boleslaus dux hostem, qui fortè ante alios pugnā ciebat, manu sua peremit, huic proximū Derslaus pocillator: horū exēplo incensus ardor cæterorum militū, Bohemorū uim ea parte primùm repressit. Nec minore alacritate alijs quoq; locis nostri, non iam sustinebant hostem, sed referre pedem cogebant: præsertim cum Boleslaum bene rem gerere intellexissent. Ibi signum dat receptui suis Vvladislaus: aderant enim unà cum Sbigneo. Nec nostri eos sese recipientes initiò persecuti sunt, ueriti ne in insidias præcipitarentur. Vallis enim, densitate arborum obscura, & insidijs apta, in quam Bohemi refugiebant, suspicionem nostris faciebat, ex composito simulari fugam. Verùm ubi ueram illam esse fugam cognouêre, fugientes aliquousq; persecuti, extremos tamen non paucos hostium partim cœperunt, partim trucidarunt: repetitaq; e uestigio in Bohemiam excursione, quemadmodum Dlugossus memoriæ prodidit, incolumes cum ingenti præda in Poloniam reuerterunt. Hagecius Closcum modò

Bohemicum bellum.

Sobeslaus captus & elapsus.

Cibina fluuius.

Bohemorum fuga.

Closcum exustum.

Bohemi repressi à Polonis.

à So-

Sobeslao incensum ac direptum hoc anno, qui fuit à Christo nato 1114. memorat: nihil præterea. Magni per hæc tempora fuère motus in Italia & Germania. quib distentus Cæsar, ad res Bohemicas animum aduertere non potuit. Etenim Henricus Romam ueniens, Paschalem pontif. Max. et aliquot purpuratos seu Cardinales, ut uocant, sacerdotes cępit, & abductos in custodia habuit: cumq; hoc modo diadema imperatorium, & alia quædã à põtifice extorsisset, diris ab eo deuotus est postea: quę res plerosq; oẽs Germanorũ principes ab Henrico alienauit, ita ut intestino bello Germania Saxonibus authoribus exagitaretur, & sacra iuxtà ac prophana uexarentur. Ipse uerò Henricus pulso Paschali, alium Romanis inuitis dedit pontificem: eoq; celeriter extincto, alium ei suffecit, cum Paschali mortuo Gelasius eius nominis secundus à purpuratorum sacerdotum collegio, ipso inconsulto, successor electus esset. Sequenti anno cum parari rursus in se à Polonis expeditionem Vvladislaus Bohemus accepisset, fractus animo, de pace legationem ad Boleslaũ mittit, Sobeslao fratri partem principatus, & obliuionem superiorum offensarum promittit: constitutoq; loco ac tempore, conueniunt principes apud Nyssam fluuium: ibi pax inter fratres, & Ottonem Marchionem Morauiæ patruelem, quem Vvladislaus paulò antè è carcere dimiserat, authore Polono certis conditionibus atq; iureiurando utrinque dato, redintegrata est: Sobeslao Gradecensis tractus cum quinq; castellis in Bohemia, in Morauia uerò Olomucensis, cuius domini Vdelricus et Litoldus, Cõradi filij, per illud ipsum tempus extincti, & continuatis funeribus elati erant, à Vvladislao fratre concessus: datisq; & acceptis ultrò citroq; muneribus, & conuentu soluto, principes diuersi discessère. Nec tamen quieuit illo anno Boleslaus: uerùm hyberno tempore cũ expeditis copijs Prussiam ingressus, uicos, pagos, & oppida, lõgè, lateq; extenta populatione, ferro & igni uastauit, & nusquam prodeunte ad dimicationem hoste magnam prædam abegit: captiuos, quorum ingens erat numerus, ad colendos agros in Polonia per diuersa loca distribuit: Extantq; etiamnum nonnulli pagi, qui ex eo tempore Prussorum nomen retinent. Sbigneus reliqua spe, quam habebat in Bohemorum & Pomeraniorum armis, penitus abiecta, cùm hos quidem debellatos à Boleslao accepisset, cum illis autem pacem factam esse sciret, Cæsaris uerò affinitate potentiorem etiam Boleslaum esse iudicaret, fratris clemẽtiam & misericordiam supplici legatione rursus tentat. Agnoscit ac deprecatur culpam: fratris fidei atq; potestati totum sese permittit: orat ne inops, egensq; in exilio uitam finire cogatur, ut paululùm quid sibi in patria præ manu detur, unde uitã sustentare posit: quicquid id fuerit, eo se contentum: & fratri, quem ipsi Deus & uirtus ipsius dominum constituisset, obsequentem semper fore. Emollijt, fregitq; hæc legatio Boleslai animũ, pronum suapte natura ad misericordiam: reuocatur Sbigneus, nequicquam reclamantibus proceribus. Veniens, nihil de fastu & uanitate sua remisit: sed quem legati supplicem ad pedes fratris prostraturum se esse polliciti fuerant, is cum tubis atq; tympanis incedens, præferri sibi strictũ gladium de more principum iussit. Dissimulauit id quidẽ Boleslaus, & comẽ se fratri prębuit: sed tamen cœpit mox animum eius subire facti pœnitẽtia, quòd insanabile cernebat ingenium Sbignei. Alebant eum igniculum in pectore Boleslai conceptum proceres, qui Sbigneo infensi erant, & multis uerbis atq; suspicionibus odium eius inflãmabant. Nunquam esse quieturum illum: eoq; reditum impetrasse, ut quẽ aperta ui frustra tentatis multis, tollere de medio nequiuisset, dolo circũueniret. Anteuerti oportere scelus eius, si sibi, liberisq; suis Boleslaus consultum uellet. His dictis eò perpellunt principem mitissimum, ut de nece fratris quibusdam mandaret. Faciunt illi iussa: iurgio de industria agressi Sbigneum, frustrà implorantem fratris opem, interfecerunt. Quidam non interfectum, sed oculis orbatum esse, nec ita multo pòst animi dolore uita cum decessisse memorant. Vehementer quidem Boleslaum admissi facinoris, contaminatæq; una illa labe existimationis suæ pœnituit: multisq; postea lachrymis, eleemosynis et laboribus peregrinationum ultro susceptarum id scelus eluit, quemadmodum inferius exponemus. Non multò autem interiecto tempore, post patratum in Sbigneum facinus illud, Scarbimirum quoque palatinum Cracouiensem cæpit: in carcerem compegit, excæcauit: senatu mouit, & abdicare se utroq; magistratu coegit: propterea quod is elatus rebus secũdis, & bellis aliquot suo ductu prosperè gestis, omnia sibi arrogaret, ac de principis laude, uirtuteq; detraheret: cumq; propinquorum, necessariorum, & beneficiariorum suorum multitudine, & gratia populari fretus, cõtemneret, cõuicijs & maledictis incesseret, & iam in apertam rebellionem euasurus esse uideretur. Erat autem uir magni ingenij, lingua, manuq; promptus, & factiosus, Scarbimirus. Cuius autem gentis fuerit, nõ reperio. Atq; ex eo tempore deinceps Castel-

1114. ann.

Germaniæ motus.

Paschalis pontifex cum Cardinalibus captus à Cæsare.

Saxones rebellant Henrico Cæsari.

Bohem. & Polo. principum conuentus.

Pax inter Bohemos principes.

Prussicum bellum.

Sbigneus fratris misericordiam implorat & impetrat.

Sbignei fastus.

Sbignei cædes.

Scarbimirus Palatinus Cracouiensis excæcatus & magistratu motus propter arrogantiam.

Castellanus Cracouiensis Palatino prælatus.

Radossius episcopus Cracouiensis.

1117. ann.

Boriuoius Bohemus exul restitutus, & rursum profugus.

Vngarorum excursio in Poloniam.

lano Cracouiensi, qui longè inferior fuerat, prior in senatu locus datus est. Hoc tempore Maurus episcopus Cracouiensis, patria Romanus, mortuus, Radossium Polonum successorem accepit. Hoc etiam anno, qui fuit à Christo nato 1117. Boriuoius Bohemus, Henrico imperatore ab Italica expeditione reuertente, è custodia dimissus, Boleslai opera & arbitrio cum Vuladislao fratre reconciliatus est: partemque principatus Bohemici ab Albi fluuio ad meridiem uergentem, ut scribit Dlugossus, secundum Hagecum autem septentrionalem, in ditionem accepit. Nec diu tamen firma fratrum gratia stetit, assentatoribus improbis, ut fit, alterum alteri suspectum & inuisum reddētibus. Itaque non multo pòst Boriuoius à Vuladislao sibi metuens, solum uertit: & ad Polonos primùm, inde mox ad Vngaros se cōtulit, ibique diem uitæ clausit extremum. Per hæc tempora memorat Bonfinius, Stephanum regem Vngarorum, qui aliquanto ante Colomanno patri mortuo successerat, exercitum in Poloniam immisisse, propterea quòd Poloni ipsi, patrique ipsius sæpe iniurij fuissent, & latrocinijs atque incendijs fines Vngariæ uiolassent: eumque exercitum longè lateque grassatum, cūcta ferro & igni uastasse, & abacta ingenti præda domum redijsse. Cuius rei præter Bonfinium nemo facit mentionem. Cum Bohemis quidem ac duce eorum Vuladislao Stephanum fortuito prælio commissum esse, quod idem Bonfinius subiūgit, Hagecus quoque ac Dlugossus noster prodidêre, euentu tamen diuerso. Sequenti āno Boleslaus pacatis domi rebus, statuerat Prussos & Pomeranos, fractos iam atque debellatos magna ex parte, ad extremum perdomare. Verùm imbres anni illius perpetui, & ingens aquārum uis, atque inundatio, quę neque seri agros, neque meti passa est: neque id in Polonia modò, sed in uicinis quoque regionibus, quiescere eum coēgêre. Præcesserat autem eos imbres tale prodigium, quòd cœlū totas tres horas post occasum solis ardere uisum est. Per quod tempus Martinus archiepiscopus Gnesnensis, uenerandus senex, mortuus, successorem sacri collegij suffragijs accepit Iacobum Znenensem municipem. Venit hoc anno in Poloniam Iaroslaus Vuladimiriensium dux, Sbislauę reginę frater, Vulodimiri patrui, qui Kiouiensem principatum post mortē Stopolci fratris occuparat, insidias fugiens. Acceptus à Boleslao comiter & humanè, quadriennio cum eo mansit, dum Prussico & Pomeranico bello Boleslaus defungitur: quod quidem sequenti anno persecutus est, sedatis uentis atque tempestatibus, quæ post imbres superioris anni coortę, uehementes ac diuturnæ fuêre. Extremam autem uastitatem timentes Prussi & Pomerani, iuuētutem omnem, opificumque, & agrestium multudinem armarunt, & Boleslao cum exercitu aduenienti occurrerunt, ultimam prælij fortunam tentaturi, & uiam ipsi ad interiora ditionum suarum corporibus suis præclusuri. Nec noster cunctatus est, quin mox cum hoste, quamuis numerosiore, manus consereret. Pugnatum à primis est marte dubio: ibi enim robur omne exercitus sui hostes collocarāt. Vbi cedere ij loco cœpêre, immittit Boleslaus perculsis nouas aliquot cohortes, quæ mox totam aciem conuertêre. Primis enim partim cęsis, partim perturbatis, reliqua multitudo imbellis in fugam effusa est. Parci iussit Boleslaus fugientibus, ne regio cultoribus prorsus uacua redderet. Itaque multo plures capti, quàm cæsi: reliqui flore omni iuuentutis amisso, cum oppidis & munitionib. & rebus suis omnibus Boleslao sese dedidêre. Restabat Suentopelcus Nacli præfectus, cuius mentionem superius fecimus: qui dominandi cupiditate ductus, minus erat dicto audiēs Boleslao, & cum Pomeranis hostibus Polonorum societatem inierat. Hic perfidiæ suæ sibi conscius cum ueniam desperaret, obstinatius in rebellione permanebat: Naclumque armis propugnaculis, & commeatu bene munierat. Motis igitur castris Boleslaus Naclum obsidere cœpit, ad sextum Idus Septemb. Tenebat principis animum Suentopelcus per internūcios, culpam deprecabat, pecuniam & obsides pollicebatur. Sed surda hæc aure Boleslaus accipiebat, eo quòd pessimi exempli facinus nolebat impunitum relinquere: et uulnere, sagittę iactu, è mœnibus accepto irritatus erat. Sed cum paratiores quàm initiò crediderat, ad perferendam obsidionem hostes, oppugnationem autem oppidi, eo præsertim anni tempore, perdifficilem esse animaduerteret: fremeret uerò exercitus, ne hyberno quidem tempore militiæ uacationē sibi cōcedi, nec solū hostib. uerùm etiā cū frigore, procellis, & niuib. se cōflictari: tandē negatā diu ueniā dat Suētopelco & Naclensibus: pecuniā & obsides imperat: fuitque inter obsides Suentopelci filius. His peractis, dimittit Boleslaus exercitum circa Calend. Ianuarij. Verùm æstate proxima, noua Suentopelci & Naclensium defectione permotus, nō iam cum totis Polonię uiribus, sed cum euocatis haud ita multis raptim in Pomeraniam contendit. Iam enim domiti plerique omnes reliqui Pomerani erant, neque cum Suentopelco sentiebant. Adueniens Vissegradū, arcem & oppidum, quod à Suentopelci præ-

1118. ann.

Inundatio aquarum et tempestates.

Iacobus archiepiscopus Gnesnensis.

Iaroslaus Russorum dux ad Polonos confugit cum uxore & liberis.

Pomeranicum bellum.

Boleslai uictoria.

Suentopelcus rebellis Boleslao.

Suentopelci deditio, & noua rebellio.

Vissegradum captum.

ei præsidio tenebatur, sextodecimo die expugnat & capit: & octo dies ibi, ut ægrotos & saucios reficeret, commoratus, ad Naclum duxit. In itinere quædam oppida primo impetu cœpit. Naclum post superioris anni obsidionem melius etiam munitum, & commeatu refertum erat, & Suentopelci præsentia & industria magnum momentum oppidanis ad resistendum principi afferebat. Itaq; plus ibi negocij, quàm putarat, reperit Boleslaus: eoq; maiore studio & conatu ad expugnationē eius cœpit intendere. Turres oppidi mœnibus altiores excitauit, explensq; fossis ad oppidum admouit, defensoresq; mœnium balistis, catapultis, & scorpionib. e propugnaculis summouebat. Nec segnius oppidani uim nostrorum sustinebant, & uel de superioribus locis saxis, aqua & pice feruētī eos qui propius successerant, propellebant: uel apertis portis in eos, operibus & materiæ comportandæ intentos, erumpebant. Et quidem non sine magno operæprecio. Obseruata enim nostrorum negligentia, & uenti opportunitate, coniectaq; magna ui sarmētorum, butyri, picis, laridi & olei, ter turres nostrorum excusserunt: cum Boleslaus prioribus conflagratis, maxima celeritate nouas subinde excitaret. Quartæ tamen acerrimè defensæ ab incendio, & maiore militum contentione promotæ, nequicquam prohibentibus hostibus, mœnibus adhæsêre. Inde nostri cominus hastis atque gladijs rem gerentes, oppidanos e propugnaculis deiecêre, & ipsi in oppidū transcendere cœpêre. Obstinatè tamen hostes ad eum locum conglobati resistebant, neq; consistere nostros in mœnibus patiebatur. Pacem deinde à Boleslao postulant, ut excedere ipsis oppido & facultates suas omnes efferre liceret. Vbi id negatū est, inducias aliquot dierum petunt: cum ne eæ quidem cōcederentur, tandem desperatis rebus, uitam modò pacti, oppidum & Suentopelcum ducem dedunt: quem Boleslaus mox perpetuo carceri mancipauit. Naclo recepto, cuncta Pomerania, ut uult Dlugossus, in potestatem Polonorum uenit: religionemq; Christianam bis ante susceptam, et bis rursus repudiatam, cum Varcislao duce, tūc demum authore Boleslao Polonorum principe, sicut ab Alberto Crantio memoriæ proditū est, tertium recepit, & hucusq; retinet. Boleslaus pacata omni Pomerania, dimissoq; exercitu reuersus in Poloniam, sequenti anno nuptias Vvladislao filio, cum Christina Henrici Imperatoris filia, qui tūc demum ambo puberes facti erant, maximo apparatu fecit, quibus Stephanus rex Vngariæ Boleslai gener, cum magno procerum Vngarorum comitatu, & Russorū quidam duces interfuêre. Interfuit & Boriuoius Bohemus: itemq; Iaroslaus Vvladimiriensium dux, affinis Boleslai, uterq; fuga salutem sibi quærens, quemadmodum paulo ante memorauimus. Exacto autem post eas nuptias añō, Adleida Boleslai uxor, post decem annorum sterilitatem filium Cazimirum peperit. Eodem quoq; anno Volodor Præmisliēsium dux, cum sæpe latrocinantium in morem prædas è Polonia ageret, nec desisteret, admonitus à nostris apud Vyssokie profligatus, captus, & ad Boleslaum adductus, uicies mille pōdo, siue marcis argenti sese redemit. Fuit etiam eodem anno magna caritas annonæ, arefactis segetibus perpetuo trium mensium uernorum æstu & siccitate. Insequenti anno Vvladislaus Bohemorum & Sobeslaus Morauorum duces, fratres germani, ad iurgia, testatasq; rursus uenêre inimicitias, cùm propter alias causas, tum propter Boriuoium tertium fratrem exulem, quinetiam coactis utrinq; copijs prælium inter se commisêre. In quo uictus Sobeslaus, ad Cæsarem: atq; inde, cum nihil æqui ibi impetraret, ad Boleslaum in Poloniam rursus confugit. Et comiter quidem eum tunc Boleslaus accepit, & consolatus est: sed auxilium tamen distulit, propter Russicam expeditionem, quam Iaroslai affinis sui exulis causa susceperat. Quam cum prosequeretur, coniunxit se cum eo apud Præmisliam Colomannus dux, Stephani Vngarorum regis frater, qui & ipse cum non contēmnendis copijs, reducendi Iaroslai causa ueniebat: itemq; Volodor & Basilius Præmisliēsium duces, & Vvladimirus alteris cuiusdam Volodori filius. Itaq; communibus armis & cōsilijs à Polonis, Vngaris, & Russis illud bellum gerebatur. Breuiq; Belzum, Ciruenum & Vvladimiria arces, & quædam aliæ ignobiles munitiones uel expugnatæ, uel deditæ, in potestatem Iaroslai uenêre. Inde ad Kiouiam Russorum metropolim itum est. Præcedebat autem Iaroslaus exercitum, cum septem millibus equitum ab Vngaris & Polonis attributorum. Qui ubi Kiouiæ propinquauit, obuium habuit ex urbe hostilem exercitum pedestrem, cum quo conserta pugna superior esse uidebatur: sed summisêre suis oppidani subsidium: itaq; instauratum est prælium: Iaroslaus dum inter primos pugnam ciet, confosso ab hostibus equo, in terram excussus est. Acre circa eum certamen fit, hinc Kiouiēsibus opprimere, inde Polonis & Vngaris eripere eum satagentibus. Cedunt tandem Russi, & in urbem se recipiunt. Iaroslaus saucius relatus, paucis diebus mortuus est. Nihilo tamē minus

Naclum oppugnatum & captum.

Machinæ, incensæ à Naclēsibus.

Suentopelcus in carcere perijt.

Pomerania citerior subacta à Polonis, & Christiana facta.

Vvladislai ducis Polo. cum Christina Henrici Imperatoris filia nuptiæ.

1122. ann.

Cazimirus filius Boleslao natus.

Volodor Præmisliensiū dux captus, ac dimissus.

Annonæ caritas.

Sobeslai Bohemi fuga in Poloniam.

Russicum bellum.

Belzum.

Ciruenum.

Vvladimiria deditæ.

Iaroslaus Russus interfectus.

Kiouia pax data.

nus Vngarus & Polonus Kiouiam obsidere pergunt. Sed non multò pòst re infecta discessêre, pace data Kiouiensibus: orantibus Rußis, qui in castris nostrorum militabant, & Andrea præfecto arcis Kiouiensis. Nam princeps ipse Vuladimirus iam inde ab initio in ulteriorem Rußiam se receperat, neq; mœnibus neq; fidei Kiouiensium sese credens. Aliquãto aliter hæc Vngarorum habent historiæ. Bezen eæ uocant principem, cui hęc operá à Stephano rege, qui nullum fratrem habuerit, nauata sit: nec ullam in ea nostrorum expeditione mentionem faciunt. Suos, occiso (quemadmodum & nos exposuimus) eo qui reducebatur, murmure, ac tumultu contra regem concitato, quòd magna strage primo illo prælio fusi essent, & cum periculo expugnare metropolim Russorum iuberentur, conuersis subitò signis nec ulla re cum constituta, in Vngariam reuertisse memorant. Poloniam quoq; iterum ab eodem rege per legatos uexatam uastatamq; narrant. Quod nobis non admodum fit uerisimile, propterea quòd necessitudo et affinitas Stephani cum Boleslao, nihil hostile de ipsis inter ipsos opinari sinit. Et ut fuerit tam ferus, & immemor non solum humanitatis, uerùm etiam necessitudinum Stephanus, quam fuisse fertur: Boleslaus quidem noster tam ignauus & patiens non fuit, ut impunè sua uexari pateretur, præsertim cũ aliis bellis tunc non distineretur: ita ut sequenti año, qui fuit post Christum 1124. nouam in Danos expeditionem susceperit. Est autem Dania, siue Dacia (nam & ita appellatur) ea regio, quæ Chersonesum Cimbricã, & adiacentes in sinu Baltheo seu Venedico insulas, ultra mare uerò magnam partem alterius Chersonesi maximæ, & ueteribus Cosmographis incognitæ, quæ ad Moschiam siue Moschouiam angustis faucibus continenti iuncta est, complectitur: nam reliquum eiusdem Chersonesi, Suetiam & Noruegiam, duo ampla regna continet, illustrata nuper Olai Gothi, archiepiscopi Vpsalensis (quem nos Romæ nuper, cum legatione apud Paulum tertium pontif. Max. Sigismundi senioris regis nomine fungeremur, cognouimus) descriptione: à quo etiam Gothicam historiam fratris eius Ioannis, qui & ipse Vpsalensis archiepiscopus, post diuturnum exilium Romæ mortuus est, expectamus. Sed ad institutum reuertamur. Causa uerò expeditionis Danicę Boleslao fuit, Petrus, clara & illustri apud Danos ortus familia: qui cum se iuuenis in aulam Boleslai, quæ tunc longè florebat apud exteros gloria rei bellicæ, contulisset, magna ingenii dexteritate, industria, uirtute, officio & suauitate morum, adhęc commendatione regis Danorum, citò se in gratiã & amicitiam Boleslai insinuauit, ita ut postea multis, magnisq; possessionibus & in primis comitatu Scrinnẽsi, & uxore illustri è genere ducum Rußiæ, quæ Sbislauam priorem Boleslai coniugem cognatione attingebat, ab eo cohonestaretur. Perdidicerat autem linguam Polonicam, & ita se ad mores Polonorum accommodabat, ut nemo tãta illa bona externo homini inuideret. Pat uerò eius Guilelmus, cui Suẽtoslao nomen nostri dedêre, facilè princeps erat procerum Daniæ, & plurimum ualebat gratia apud Henricum regem Danorum, præfectus ab eo maximis quibusq; regni negociis. Cum autem regem Abelus frater occidisset, regnumq; inuasisset, habebat in potestate sua thesaurum regium ingentem pater Petri. Certiorem is filium facit rerum Danicarum: admonet, ut cum aliquanto præsidio militum ueniens, thesaurum illum auferat, potius quàm ut is ad manus crudelißimi parricidæ, & inuisi omnib. suis tyranni perueniat. Refert ea de re ad Boleslaum principem. Pollicetur is non grauatim opem suam, cùm ut homini de se bene merenti gratificaretur, tum q; ea expeditione & opes Poloniæ augere, & & nominis sui gloriam trans mare etiam, & ad extremos Septentriones proferre & propagare cupiebat. Itaq; classe apud Gdanum Pomeraniæ maritimũ oppidum, ad transportandum exercitum instructa, distributoq; in milites donatiuo, cum primùm per anni tempus rectè potuit, naues conscendit: & commoda tempestate usus, improuisus in primo litore Daniæ, ad quod classis appulerat, nemine prohibente copias exposuit: dimissisq; circum proceres & nobiliores Danos nũciis, per familiares & ministros Petri ac patris eius, omnium Danorum uoluntates facile sibi adiunxit: cum profiteretur se ulciscendi parricidæ tyranni, & uindicandæ libertatis Danorum causa aduenisse. Tyrannus desertus à suis, profugit. Boleslaus facilè potitus omni Dania, munitiones Danis reddidit: regem, eos quem uelint, creare sibi iussit. Confectis & constitutis rebus omnibus thesaurum omnem Petri cognationem secum auexit: & secũda nauigatione usus, paucis diebũs in Poloniam reuersus est. Fertur autem successu temporis hic Petrus 77. templa diuersis in locis in Polonia de secto lapide extruxisse ac dotasse, quorum plæraq; adhuc extant: itemq; duo monasteria, iis qui se Pręmonstratenses uocant, qui tunc primùm extiterunt: alterum quidem puellis in Vuladislauiensi diœcesi, in Chalino pago, quod postea Strelnum transtulit: alterum

1124. ann.

Daniæ descriptio.

Olaus & Ioannes Magni, fratres, Archiepiscopi Vpsalenses.

Petrus Danicus.

In Daniam Boleslai expeditio, & successus.

Petri Danini opera.

Pręmonstratẽses monachi.

terum uerò uiris, in suburbanis Vvratislauiensibus, titulo sancti Vincentij, quod Vvratislauienses nostra memoria prætextu metus Turcarum demoliti sunt. Florent adhuc in Polonia huius ipsius Petri posteri, cygno in rubro scuto insigni utentes, indeq; Labecsorum nomen habet ea familia. Interim dum Boleslaus Danicam expeditionem obit, Volodor Præmisliẽsium dux, cum abesse eum comperisset, immemor fœderũ & iurisiurandi, quod Boleslao Kiouiæ dederat, misso Volodimiro filio cum exercitu, uicinam sibi Poloniam præsidio uacuam, cædibus & incendijs uastauit, usq; ad Biezzum oppidum, ingentemq; pecudum iumentorum & hominum prædam abegit. Itaq; reuersus à Danica expeditione Boleslaus, & hyeme illa quieti militum data, insequẽti æstate bellum Volodoro fecit. Aduenienti occurrit impigrè Volodor, cum non contemnendis suorum copijs, & aliorum Russorum principum auxilijs, uastitatem suarum ditionum prohibiturus. Cui fecit mox Boleslaus pugnandi copiam, nec ille detrectauit, conserũtur manus: sed uix primum nostrorum impetum Rusi sustinuêre: mox in fugam acti, nequicquam reuocante Volodoro, diuersi dilapsi sunt: castra fugientium à nostris direpta. Cecidêre de Rusis in eo prelio, & in fuga multi fortes & insignes uiri: inter quos præstabant, Nauorotnicus & Sazithnicus. Dux Volodor Haliciam fugit, ibi uires reparaturus. Post uictoriam Boleslaus liberius hostiles regiones diuexauit ac depopulatus est, uicemq; Rusis cum fœnore reddidit: citoq; deduxit exercitum, nulla munitionũ expugnatione tẽtata propter urgentẽ hyemẽ, quæ sæuissima ac diuturna eo anno fuit. Cracouia urbs eo anno penitus conflagrauit: incertum, fortuitóne incẽdio, an à Bohemis clàm subornato, propter receptum Sobeslaum exulẽ: cui Bohemiam eodem ãno repetẽti (propterea quòd Vvladislaũ fratrẽ rerũ Bohemicarũ tũc potientẽ, periculose ægrotare acceperat) Boleslaus pecuniã & milites liberalitẽ suppeditauit. Et redintegrata quidẽ pax est inter fratres Suatana matre interueniente. Verùm paucis illis dieb. Vvladislaus extremũ clausit diem: eiq; Sobeslaus in principatu procerum & populi fauore successit. Quod molestè ferens Otto Marchio Morauiæ, cum ipse Sobeslai uiribus impar esset, Lotharij Cęsaris, qui Henrico quinto paulo ante uita defuncto successor designatus erat, opem implorauit. Ac dedit quidem Lotharius Saxonibus suis negociũ insequenti anno, ut eum in Bohemorũ principatũ inducerent: uerùm is exercitus apud Chlumeciũ oppidũ Bohemiæ, à Sobeslao profligatus est. Vbi Otto etiã cecidit: Sobeslaus uerò cum Cæsare, cui grauius tunc à Conrado Sueuorũ duce, Hẽrici defuncti sororis filio, & ipso ad imperiũ adspirante, bellũ imminebat, in gratiã redijt, & impotentius dominari Bohemis cœpit. Fratrũ etẽ filios, & proceres nonnullos in carcerẽ coniecit. Hoc ipso aũt anno Volodor Russorũ Præmislienſiũ dux, in medio belli apparatu uita decessit. Verùm filij eius Volodimirus & Rocislaus, exercitum à patre cogi cœptum, nihilo minus ad uastandos Polonorum fines immiserũt: sed is pauculis pagis ad Vislocam flumen exustis, citò se domum recepit: non plus habens animorum, quàm sui duces, qui ad eam expeditionẽ, pfecti non erant. Quieuit à bellis eo anno & consequentib. aliquot Boleslaus princeps, cũ pleræq; oẽs finitimæ gẽtes partim externis alijs, partim ciuilib. bellis distinerent. Etenim Stephanus Vngarorũ rex cũ Græcis & affine suo Cõstãtinopolitano impatorẽ bellũ gerebat. Apud Russos Volodimirus & Rotislaus Volodori ducis filij belligerantes inter se, uires eius gẽtis distrahebãt. Ne apud Bohemos quidẽ quietæ res erant, quemadmodum dudum memorauimus. In Germania uerò & Italia Conradus Sueuus cum fratre Friderico contra Lotharium Cæsarem arma sumpserãt, donec uicti ab eo, Bernardi Clareuallensis Abbatis, doctrina, pietate & sanctimonia uitę clari, opera ipsi reconciliati sunt. Rogerius aũt Normannus, Innocentio eius nominis secundo pontifice Max. Roma pulso, utriusq; Siciliæ regis titulum primus usurpauit. Quietem igitur nactus Boleslaus, ad religionem cultumq; diuinum animum adiecit. Nam basilicam Cracouiẽsem, humilẽ etiamtum & neglectã, in augustiorẽ formam redegit, excitatis altius muris eius, ac duabus turribus ad latera adiunctis: suppellectilẽ quoq; eius ueste preciosa, auroq; & argento facto maiorẽ in modũ auxit. Quin et collegiũ sacerdotũ siue canonicorũ eius basilicę, uiginti ad ueterẽ numerum adiectis, amplificauit, eisq; certos pagos & possessiones ipse, Radossus uerò episcopus decimas attribuit: permisit autem pius princeps episcopo ius omne cõferendi ea sacerdotia, ipsius arbitratu. Auctus est deinde filio sui nominis Boleslaus: cui quidem postea Crispo, à capillorũ figura, cognomẽtũ fuit. Ãno Christi 1128. memorat Dlugossus, Boleslaũ filio suo filiã regis Danię cum ampla dote uxorẽ accepisse. Sed quinam is filius fuerit, ille non meminit, nec nos cõijcere possumus. Nã Vvladislaus quidẽ natu maximus è Sbislaua susceptus, habebat Christinã uxorẽ superstitem. Cazimi-

Vratislauienses monasteriũ S. Vincentij demoliti.
Labencia familia.
Russicum bellum.
Biezz oppidum.
Rußi uicti à Polonis.
Cracouia conflagrauit.
Sobeslaus Bohe. princeps.
Lotharius Cęsar.
1126. ann.
Saxones profligati à Bohemis.
Sobeslai crudelitas.
Russorum excursio in Poloniam.
Vngari regis cum imperatore Cõstãt. bellum.
Russorum ducum intestinũ dissidium.
Conradi Sueui bellum contra Cęsarẽ Lotharium.
Siciliæ utriusq; primus rex Rogerius.
Cracouiẽsis basilica à Boleslao exornata.
Canonicatus uiginti Cracouiæ additi à Boleslao.
Boleslaus Crispus natus.
1128. ann.
Danorum regis affinitas cũ Boleslao.

rus aūt uix septimū tunc annum attigerat. Saxo quidem Danicæ historiæ scriptor, quem sequitur Albertus Crantius, memoriæ prodidit, Boleslaū Polonorum principē Magno Nicolai regis Danorum filio, filiam suam per internuncios desponsam in matrimonium collocasse, eamq; cum exercitu et classe instructa in Pomeraniam deduxisse: eodem Nicolaum regem & ipsum naualibus copijs instructum, occurrisse: cōiunctisq; copijs Iulinum urbem insignem & uetustam eos expugnasse, & Varcislao duci Pomeranorum communi hosti pacem petenti dedisse: inde Nicolaum sponsam filij secum deduxisse. In Daniam uero expeditionis Boleslai neuter facit mētionem. Post hæc Boleslaus, quamuis magnis in ornatum templorum, & in alimenta sacerdotum atq; egenorum impendijs atq; donationibus, iugiq; precatione & lachrymis, & aspero, tenuiq; uictu, & cultu corporis, cilicio pro ueste utens, & cinere sese aspergens, ægrotorumq; mendicorum pedes subinde manibus suis abluens, admissum in Sbigneū fratrē facinus sedulò expiaret, cum alijs satisfaceret, tamen ipse sibi non satisfaciebat, nisi & laborem longę, molestæq; peregrinationis adijceret. Itaq; solenne Christianis quadraginta dierum ieiunium, pane tantum & aqua gustandis, cilicium indutus cum exegisset, paucis sacerdotibus et alijs pijs hominibus comitatus, ad Aegidij tutelaris diui sui sepulchrū, peregrinationem priuati habitu suscepit, atq; id iter magna ex parte nudis pedibus confecit, nullū templū, nullū monasterium, nullum egentium domicilium, neminem deniq; sacerdotem aut mendicum præteriens, quin liberalitatis & munificentiæ quippiam in eum depromeret. Quindecim dies apud diui sepulchrum ieiunijs & supplicationibus uacans, commoratus, cum in Poloniam reuertisset, & reliquum illius anni tempus quieti dedisset, uere proximo in Vngariam ad diui Stephani sepulchrum alteram peregrinationem instituit: eaq; religiose & pedestri item itinere obita, & quidem non sine molestia, propterea quòd splendidè & honorificè contra animi sui sententiam, à Stephano rege, genero suo, & à primoribus Vngaris acciperetur atq; deduceretur. Gnesnam etiam adijt, ad diui Adalberti reliquias, paulo antè Iacobi Archiepiscopi opera in propatulum prolatas è latebris, in quibus diu post captum & uastatum a Bohemis, exulante Cazimiro rege, id oppidum, paucis conscijs delituerant: & octoginta pondo auri & multas gēmas in urnam diui contulit. His peractis, non ita multo pòst Cazimirum filiū immatura morte defunctū amisit, Verùm cum mœrorē uiri, mox uxor alio filio edito mitigauit, cui Miezislao nomen inditum: senisq; cognomen postea puero, propter grauitatē morū & prudentiā, additū est. Alium item sequenti āno enixa est, qui aui materni & auunculi Cæsarū nomine, Henricus appellatus est. Quo quidē āno Boleslaus expeditionē in Vngariā fecit, ut nepotes suos, quemadmodum Dlugossus memorat, Stephani regis filios, exules cum matre reduceret. Nam obierat Stephanus rex anno superiori, & Vngari Belā cæcū, quē Colomannus rex patruus unà cum Almo patre excæcauerat, regē sibi, præteritis Stephani liberis, creauerant. Ii ergo paterno regno frustrati, & uitę preterea suæ à nouo rege, eiuis propinquo, metuentes, in Poloniā ad Boleslaū auum confugerāt. Motus eorū precibus & calamitate Boleslaus, cum ualido exercitu, & euocatis ex fœdere Russorū auxilijs, in Vngariā contendit. Occurrit ei in Scepusiensi territorio, cum magnis Vngarorū & Austriorū copijs, Albertus, Marchio superioris Pannoniæ, siue Austriç, cum quo soror Belæ regis nupta erat. Cōmittitur durū præliū. Tandē uirtute & constantia nostrorū, ac ducis solerti diligentia, in fugā agunt aduersarij: nec longius eos fugiētes nostri persecuti sunt. ita enim à principe præceptū erat. Duxit deinde ad Budā metropolim Boleslaus, sed in itinere certior fit, Sobeslaū Bohemū in gratiā Vngarorū, excursionē in Poloniā fecisse, & Vratislauiēsem tractū ferro & igni ualtare. Aduocato castrensi cōsilio, consulitur in mediū, quid facto opus sit, uicitq; ea sententia, quę propria defendēda potius, q̄ aliena appetenda esse censebat. Itaq; intermisso in præsens Vngarico bello, Boleslaus magnis itineribus aduersus Bohemū sua inuadentē rectà per Morauiā cōtendit. Verùm Bohemus cognito Boleslai aduentu, domū se cū præda raptim recepit: nec anni tempus spacium nostris dabat, ingratū & perfidū hostem ulciscendi. Quocirca dimisit tūc exercitum Boleslaus. Cæterùm æstate quæ cōsecuta est, parantē eum in Bohemos arma, magnis precibus expugnant exules Vngari, qui ad Stephani liberorum partes multi indies perfugiebāt, ut cœptam potius in Vngariam expeditionem prosequeretur. Itaq; Vratislauiensi conuentu & comitatu omni præsidio ad tutandos fines suos aduersus uim Bohemorum relicto, cum reliquis copijs & auxiliaribus Russis Vngariam ingreditur, & nemine magnopere resistente, atq; adeò compluribus Vngaris cum eo se cōiungentibus, ad Vissegradū, quò Bela se receperat, contendit. Interim cognoscit, Bohemos maiore ui Silesiam

rursus,

Iulinum Pomeraniæ expugnatum.
Boleslaus pœnitet de se ipse samni interfecti fratris.
Peregrinatio Boleslai in Narbonensem prouinciam.
In Vngariam.
Gnesnam.
S. Adalberti reliquiæ è latebris erutæ.
Donarium Boleslai templo Gnesnen.
Miezislaus filius Boleslao natus.
1132. ann.
Henricus Boleslai filius.
In Vngariam expeditio Boleslai.
Bela cæcus rex Vngarorum.
Albertus Marchio Austriæ.
Silesiam depopulantur Bohemi.
Boleslaus ex Vngaris in Silesiam cum exercitu contendit.
Boleslaus iterum in Vngariam ducit exercitum.
Silesia iterum uexata è Bohemis.

rursus, cedentibus suis, qui relicti erant in præsidio, nec sustinere uim hostium ualentibus, crudeliter diuexare. Itaque omissis iterum Vngaris, transmissisque celeriter montibus atque syluis, qui Morauiam ab Vngaria dirimunt, magnam Morauiæ partem, ut par pari referret, depopulatus est: uastatisque agris, & abacta ingenti præda, in Poloniam reuertit, nec deinceps reductionem nepotum & Vngarorum exulum tentauit, ne maiorem quàm pro uiribus belli molem in se attraheret: eo quòd accepisset, Lotharium imperatorem magnis precibus & muneribus à Bela rege inuitatum, opem suam illi promisisse. Aliter hæc ab Vngaricarum rerum scriptoribus narrantur. Negant illi Stephanum regem ullos liberos reliquisse, nec Polonæ uxoris eius mentionem ullam faciunt: sed Borichum ex Russa Colomanni regis uxore natum, siue is uerè Colomanni filius fuerit, siue ex adulterio susceptus, pro Colomanni filio sit habitus: cum inquam, post Stephani mortem à Polonorum & Russorum principibus adiutum, quasi hæreditarium regnum Vngarorum armis repetiuisse. Nec tamen Polonos atque Russos eo bello ad prælij dimicationem uenisse. Sed amica Belæ regis legatione & postulatione motos, deserto Borichio, uti notho, populariter domos reuertisse. Paucos uoluntarios, qui cum Boricho manserant, ab aduersarijs profligatos, & in his fratrem comitis Cracouiensis (sic enim illi habent) captum esse. Horum utrum uerius sit, legentium esto iudicium. Insequenti anno Boleslaus iniurias Bohemorum quàm cumulatissimè ultum ire cupiens, ualidis suorum, & auxiliariorum Russorum copijs Bohemiam longè, lateque usque ad Albim flumẽ, ferro & incendijs omnia miscens, peragrauit. Nam Bohemus, quamuis iustum & ipse haberet exercitum, nusquã tamen cum nostris aperto marte congredi ausus est. Verùm ex insidijs in pabulatores Polonos, & quicunque ab uniuerso exercitu castrisque prædabundi excurrerant, impetum faciebat: interim occasionem benè gerendæ rei captans. Itaque noster agris, uicis & oppidis hostilibus fœdè uastatis, cum ad pugnam elicere hostem non posset, ingenti præda onustum exercitum reduxit atque dimisit. Nec multò pòst Bohemus estiuo agmine eam Polonīæ siue Silesiæ oram, quæ ad Odram est, aliquantisper depopulatus, raptim se inde domum recepit: uerìtus, ne Boleslaus reuocato quem dimiserat exercitu, reditum suum impediret. Hoc tempore Russi cœpêre nouas res moliri, eò, quod molestè ferrent, assiduò sibi milites & auxilia imperari: & ea fortassis opinione elati, quasi sine se Poloni gerere bella non possent. Author eius consilij Iaropelcus Vvladimiri filius, Kiouiensium princeps erat, qui in conuentu cæterorum principum Russiæ, huiuscemodi orationẽ habuisse perhibetur. Quàm dura conditione Polonorum principi seruiamus, Principes, nõ est necesse pluribus uerbis exponere. nam ut uos, qui ad imperandum alijs, non ad parendum nati estis, prætercam: multitudini quidem certè nostrorum hominũ, quæ seruituti assueta, sine alieno dominatu rectè uitam degere non potest, tamen quàm acerbus sit illius seruitutis sensus uidetis. Quis autem omninò tam patiens est, ut & graue tributum pendere, & in alieno solo procul à patria, nullo suo cõpendio, alieno iussu, ductuque perpetuò militare, & apertis periculis obijci se, aliumque expertẽ periculi laborũ & uulnerũ suorum præmia tollere, æquo animo ferat? Sed fuerit hoc maiorum nostrorũ, qui perniciosa ambitione & intestinis dissidijs hoc malũ sibi accersiuerũt, & florentissimũ imperiũ fœda seruitute commutarunt, nullum ne nos queremus eius mali exitum? Ego uerò honestè mori, quàm turpiter seruire malim: principes: idemque de uobis iudico. Subdiderũt colla iugo maiores nostri, suis magis quàm Polonorũ armis uicti, cũ ciuili & parricidiali bello mutuò se afflixissent, & alij contra alios Polonorũ opẽ, suo iuxtà ac aduersariorũ malo, implorassent: hostes experti, quos in auxiliũ aduocarant. Nos coniuncti & concordes id iugum non excutiemus? Quasi uerò non magis nos, quàm Bohemi & Vngari, atque adeo ipsi impotentes domini nostri Poloni, multitudine & uirib. abundemus. Quòd si benè ij rem gerunt aduersus Vngaros & Bohemos, nostrum id est totũ: nostris illi uirib. ualent, nõ suis: nostra iuuẽtus primos et acerrimos hostiũ impetus sustinet, illi sibi cauẽt post principia. Quod si ullũ unquã fuit tempus, quo asserere nos nullo negocio in libertatẽ possemus, nunc certè id nobis fortuna, siue adeò Deus, qui sanctius et rectius à nobis quàm ab illis colitur, obtulit, cum Poloni maximis duobus bellis Vngarico & Bohemico distinentur: quorum neutri sanè pares erunt, si nostra ipsis auxilia detrahamus, tantum abest, ut nostra præterea arma sustineant. Ego uerò, principes, non tam ad certam libertatem, quàm ad uictoriam & amplissimum imperium uos uoco, si uiri esse pergitis. Illi nobis seruierint, nobisque militauerint, quæ nos dudum ipsis præstitimus, si uos uolueritis. Et habemus sanè cùm ad omnia obsequentem, tum odio duræ seruitutis & Polonici nominis inflammatã multitudinem.

Morauia uastatur à Polonis.

Vngarorum historia.

1134. ann. Bohemicum bellum.

Silesiam depopulantur Bohemi.

Russorum à Polonis defectio.

Iaropelci oratio ad Russos suos.

Seruitutis incommoda.

Russi quomodo subacti à Polonis.

Russorum uires.

Occasio recuperandæ libertatis.

Videre modo, ne ſtudium illi ueſtrum ductuſq; defuiſſe uideatur. Aſſenſi ſunt omnes Iaropelco: obſtringunt ſeſe mutuo iureiurando. Conſultatur de apparatu, & de initio belli faciendi. Placuit tandem, celari ac diſsimulari id conſilium ad tempus, dum quæ opportuna ac neceſſaria eſſent ad tantum bellum cōparantur. Permanauit fortè ea res, ut ſunt Ruſ-

Ruſſorum ingenium.

ſorum fluxa & infida ingenia, ad Boleslaum: conturbabat eum illa alieno ſuo tẽpore conſtituta rebellio: quod ad duo maxima bella tertium non minus, nec ſcio an maius, ipſi accedebat. Conuocat ſenatum: exponit de intempeſtiua Ruſſorum defectione: dicũtur ſententiæ, ibi inter alios proceres Petrus Vvloſtouicius, comes Xanſenſis, uir magni ingenij

Petri Vvloſtouicij conſiliũ.

& conſilij, in eam ſententiam uerba fecit, ut diceret non maximo negocio naſcentẽ rebellionẽ opprimi poſſe, ſi caput eius rebellionis Iaropelcus amputetur. Id arte facilius eſſe factu, quam apertis armis: nec dedecere, ſi dolo perfidia uindicetur; ad eamq; rem operã ſuã pollicetur: cætera quietos eſſe iubet. Inde paucis fidis comitibus, neq; tamen conſilij conſcijs, aſſumptis, in Ruſsiam ad Iaropelcum proficiſcitur. Exilium & fugam ſimulat, Boleslai crudelitatem in ſe & graues iniurias incuſat: fugæ perfugium, tutumq; latibulum à Iaropelco, de cuius humanitate & uirtute multa audiuerit, petit: addit multa de impotentia & ſæuitia Boleslai in omne genus hominum, quibus rebus ſuis exoſus factus ſit. Pergratus fuit aduentus Petri Iaropelco, pergrata oratio: gaudebat diuinitùs ſibi oblatum cōſilij ſui aſtipulatorem & adiutorem: multa de Boleſlao, & ſtatu rerum Polonicarum quærit, nonnihil etiam de defectione ſua ſignificat. Accommodabat Petrus reſponſa ſua ad illius uoluntatem, approbabat conſilium. Quibus rebus fidem ſibi adſtruxit apud eum, & in intimam eius familiaritatem ſeſe inſinuauit. Itaq; Iaropelcus communicato cum cæte-

Petri Vvloſtouicij audax facinus.

ris principibus cōſilio, maturare rebellionem ſtatuit. Rus fortè ſeceſſerat cum paruo comitatu: ſecutus erat & Petrus: qui obſeruata bene gerendæ rei occaſione, Iaropelcũ cum paucis prandentem, ſigno dato comitib. ſuis, cōpræhendit, conſtringit: & equo impoſitũ celeriter, diſpoſitis prius per loca equis & nauibus, auehit, & incolumis ad Boleslaum perdu-

Iaropelcus captus, ac dimiſſus.

xit. Collaudauit fidem, ſtudium & operã Petri Boleslaus, & peramplis cum munerib. ornauit, Iaropelcũ uerò cuſtodiæ tradidit. Vnde intra uertentẽ annũ, maximo auri & argenti pondere à Baſiliſco, ſiue Vaſilco, fratris ſui filio redẽptus, ad principatũ ſuum data Boleſlao fide reuerſus eſt: in qua tamen fallenda, patrio indulſit ingenio. Nam cum aperta ui im-

Vngarus perfugã ſe ſimulat.

parem ſe eſſe Boleslao cerneret, ad dolos animum conuertit, ut par pari referret. Vngarum quempiam, hominem non ignobilem, cæterũ uafrum atq; callidũ, ſubornauit, qui pro perfuga ob defenſas Stephani liberorũ partes, ad Boleslaũ delatus, captata occaſione, uel uitam eius pereret, uel inſigni aliqua clade Polonos afficeret. Qui quidem induſtria ſua & eloquentia, & bene aſsimulatis ad tempus officijs, ita ſe in amicitiã creduli principis breui tempore inſinuauit, ut ad conſilia, quæ habebantur de repub. adhiberetur, ac præfectura

Vngarus præfectus Viſlicienſis.

Viſlicienſi donaretur. Cum ſedatos penitus Ruſsicos motus Boleslaus exiſtimaret, maiore apparatu ad Bohemicum bellum ſeſe accingebat. Hoc agentem, legati Lotharij Cæ-

Lotharij Cæſaris legatio ad Boleslaum.

ſaris Rom. cōueniunt: poſtulant, ut iudicio ſiue arbitrio Cæſaris potius quàm armis, cum Bohemo de iniurijs diſceptet: illum Cæſaris eſſe tributarium: à Cæſare ad æqua omnia coactum iri, ſi legatos ad Cæſarem cum ſumma poteſtate Boleslaus mitteret: aut ſi ipſe eò proficiſci dignaretur, quod quidem futurum eſſet Cæſari gratiſsimũ. Hoc eo faciebat Lotharius, q in Italiam feſtinabat, nec uolebat Bohemum Polonico bello diſtineri, quo minus auxilia ex fœdere ſibi mitteret. Proficiſcitur Boleslaus ipſe Bambergam ad Cæſarem per-

Boleslaus ad Lothariũ Cæſarẽ profectus.
Polonorum cũ Bohemis induciæ.

quàm ſplendido comitatu. Venerat eodem & Bohemus. Tentatur pax inter diſsidentes principes: quæ cum coire non poſſet, tamen ne magis irritatis animis diſcederent, triũ annorum inducias, inſtante maximè & orante Cæſare, inter ſe paciſcuntur. Quæ priuſquam finitæ ſunt, pax perpetua inter Polonos & Bohemos, ſed poſt Halicienſem demum cladẽ, de qua paulo inferius dicemus, interuenientib. utriuſq; gentis proceribus firmata eſt. Nu-

Hagecus.

gatur hic more ſuo Venceslaus Hagecus, dum hæc non multò aliter enarrat. Cæterùm H. Mutius magis ocioſum, q̃ tunc fuit, fingit Lotharium. Non tam comiter enim, neq; p legatos cum egiſſe cũ Polonis, ſed bellum in eos cōparaſſe: idq; non ut Bohemis cōmodaret, ſed q rebellabant Poloni, tributumq; Rom. Imperatori debitũ à duodecim annis nō pendebant. Eos uerò bellum timentes, ducem ſuum cum magnis muneribus imperatori obuiã miſiſſe: atq; eum in Saxonia occurrentẽ, ad Lothariũ admiſſum nō eſſe, niſi prius tributa debita ſolueret, & iuſiurandũ daret, ſe Romano imperatori deinceps dicto audientẽ fore. Id utrunq; cum ille feciſſet, magnaq; inſuper dona dediſſet, pacem ei datã eſſe. Huius aũt narrationis penes authorem fides eſto. Multũ ſanè interfuit Lotharij, huiuſcemodi ru-

mores

mores tunc in uulgus spargi. Ac noster quoque Dlugossus scribit, Lothariũ à Boleslao tributũ Pomeraniæ Rugiæque nomine, tanquã ad Romanũ imperiũ pertinentiũ, poposcisse: uerùm illum negasse, quod eas suas prouincias esse affirmaret. Ita constitutis rebus cũ Cæsare, ad Italicam expeditionẽ, pontificemque reducendum, ac diadema imperiale ab eo accipiendum spectante & festinante, Boleslaus in Poloniã reuertit. Dum autem is hac de causa abest à Polonia, Vngarus ille, cuius dudum meminimus, cõmodã proditionis occasionem nactus, celeri nuncio Iaropelcum euocat: ad sextum Idus Februarij ad Visliciã adesse cum expeditis copijs iubet. Est autem Vislicia oppidum nono à Cracouia milliario, in rupe, quam Nidæ amnis restagnatio insulam facit, situm: ad quod non nisi per aggerem, nec eum latissimũ, & pontes sublicios aditus est. Eratque tunc temporis frequens & populosum id oppidũ, quanque ne nũc quidẽ desertũ est. Eò igitur Vngarus, de aduẽtu Russorũ certior factus, cõmigrare uicinitã oẽm cũ liberis, uxorib. & facultatib. suis iubet. Libenter facit iussa plebs pariter & nobilitas, ut se suaque loco munito ab hostium agmis defẽndat. Adsunt ad condictum tempus Rusi: intromittuntur ab Vngaro clàm in oppidum intempesta nocte: ingentem uulgi, nullo neque sexus neque ætatis discrimine aut misericordia, cędem edunt: oppidum succẽdunt: nobiliores ac ditiores cum reliqua præda, pecudum in modũ cursim abigunt. Proditori Iaropelcus princeps præmij loco linguã præcidit, oculos effodit, genitalia membra abscidit. Sic ille perfidus dignã sceleris sui mercedem tulit. Oderunt enim ferè proditorem principes atque reges, quãuis proditionẽ ament. Reuersus aũt è Germania Boleslaus, cum de Visliciensi excidio, & Iaropelci perfidia didicisset, ingentes aduersus Iaropelcũ & Russos iras concipit: cumque primùm per anni tempus res geri potuẽre, non modò ex nobilitate, uerùm etiã ex oppidanis & agrestibus magnũ cõparauit exercitum: & Rusiã fremens, perinde ac leenæ uel ursæ rapto fœtu solent, ingreditur. Cũ autẽ nemo ipsi prodiret obuiã (nam Iaropelcus peccati simul & uiriũ suarũ sibi cõscius, procul in paludes atque syluas sese abdiderat) Vvladimiriensi regione omni & proximis quibusque crudelissimè uastatis, afflictis, & exustis, cũ ingenti præda reuertit in Poloniã. Irritatus magis quàm fractus ea suorum clade & calamitate Iaropelcus, & cæteri Russorum principes, de ratione belli cum Polonis gerendi consultabant: & in eam ueniebãt sententiã, ut dolis aggrederentur eos, quibus uirtute pares non essent. Fortè fortuna optatam eis occasionem obtulit. Etenim cum comperissent Iaroslaum Haliciensiũ ducem cum Polonis sentire, & ab eo consilia sua prodi, principatu eum eiecẽre. Itaque in Poloniã is ad Boleslaũ confugit. Nec ambigebant Rusi, eum à Polonis reductũ, & se ultum iri: anteuertẽdos & fallendos sibi eos esse iudicant, ut pacato agmine tanquã in tranquillis rebus ueniẽtes, ex improuiso opprimerent potiùs, quàm aperta ui non sine periculo graue bellum repellerent. Halicienses subornant, ut simulato principis sui desiderio, à Boleslao petant, ut eũ primo quoque tempore reducat: affirmẽt, pœnitere Russos, quòd eũ eiecissent: quippe qui offensum Boleslaũ uehementer metuant: quieturosque eos esse, & culpã deprecaturos. Faciunt iussa Halicienses: eadem penè confirmant nobiles quidã Vngari, Haliciensib. finitimi, ab ijsdẽ principibus ad astruendam & perficiendã institutã fraudem cõducti & summissi. Habuit dictis fidem Boleslaus, ut erat natura credulus & apertus. Itaque iusto quidem, sed minori tamen, quàm pro belli magnitudine & clandestino apparatu Russorum, exercitu, Iaroslaũ reducit, nihil hostile suspicatus. Appropinquanti Haliciæ, quod oppidũ ad radices Sarmaticorum montium, Vngariam à Rusia diuidentium, situm, salinas habet, primę Vngarorum turbæ instructæ gratulabundæ occurrunt: & præteruectæ nostros, extremũ agmen claudunt: subsecuti deinde Halicienses, idem & ipsi faciunt. Suspecta ea res esse Boleslao cœpit. Accitoque Vvseborio palatino Cracouiensi, & magistro militiæ, suspicionẽ suã cum eo cõmunicat. Dum hæc illi inter se conferunt, ac de euitando periculo & insidijs consultant, ecce apparent procul à fronte instructę Russorum acies, quas Iaropelcus citato cursu ducebat. Sublataque erat omnis dubitatio. Præcipitatũ se in insidias, & in medio hostiũ conclusum Boleslaus uidebat: & quanquã longè imparem se numero hostium animaduertebat, tamen qui semper solitus esset uincere, satius esse ducebat, honestè occumbere, quàm fugiendo uictoriã ultrò hosti concedere. Itaque instructis pro tempore cõtra utrunque hostẽ aciebus, & paucis cohortatus milites, signo dato primus in imminẽtem à fronte hostẽ impetum facit, concurrunt infestæ acies: extollitur ad cœlos clamor uirorũ, clãgor tubarum, & armorum strepitus. Contendunt nostri de salute, Rusi de uictoria. Iamque nostrorũ res, ueterani exercitus uirtute & peritia, meliore loco esse incipiebat: ea maximè parte, qua Boleslaus militis pariter & imperatoris officio fungebatur, magnamque in hostibus stragem edebat:

Vislicia oppidum.

Vislicia direpta à Rusis, & incensa.

Proditionis præmium.

Rusicum bellum.

Vvladimiriensis ora uastata.

Iaroslai Haliciensiũ ducis fuga ad Polonos.

Russorũ fraus.

Boleslaũ credulus.

Halicia situs.

Russorum cum Polonis prælium.

Boleslai uirtus.

Palatini fuga.

edebat: cum subitò perturbatis ordinibus, & fugæ initio à palatino quodam, cuius nomē non memoratur, orto, sequentib. eum qui proximi steterant, magna pars exercitus Polonici in fugā cōiecta est. Pugnabat nihilo minus cum paucis, & iis quidem partim saucijs, partim lassis, Boleslaus: & cum fugere turpe sibi duceret, nolebat tamē inultus mortē oppetere. Fortè equus cui insidebat, multis uulnerib. confectus atq; debilitatus concidit. Ibi

Gregarij militis præclarum facinus.

Boleslai uictoriæ.

miles quidā gregarius, obscurus, & originarius, ut ait Vincentius, subiceatum cum equo suo imposuit, & ut patriæ magis quàm gloriæ suæ rationem duceret, fugaq; melioribus se rebus seruaret, orauit. Sic ille tunc quadragies septies uictor princeps (tot em̄ secūdis prælijs dimicasse memorat̄) nobilissimi uiri fuga proditus, gregarij militis opera præsenti se morti eripuit. Reuersus in Poloniā, palatino quidem illi fugæ principi leporis pellē, colū, & fusum dono misit, meticulositatē eius & muliebrē animū notans, qua ignominia ille ad uoluntariū suspēdiū adactus est: militē uerò salutis suæ authorē (nam & is fortè saluus ē prælio euaserat) insignib. nobilitatis, luculenta pecunia & possessionib. remuneratus, etiā ad honores amplos & magistratus euexit, posteritatemq; eius omnē nobilitauit. Deinde fiscum suū in redemptionē captiuorū, qui permulti erāt, effudit. Nec tamē oēs redimi potuēre: multi barbaris uenditi, in fœda seruitute consenuerunt. Et uehementer quidē angebat animo Boleslaus, ut solent ij, qui perpetuò secūdis reb. usi, aduerso aliquo casu affligūtur: pudebatq;, & pigebat eum sui ipsius, quòd tantæ illius cladis culpā in se agnoscebat, quippe qui credulus nimium & incircumspectus fuisset. Sed tamē de labe illa delenda, & ulciscendis perfidis Russis, atq; Vngaris, sedulò etiam atq; etiam cogitabat. Et quo liberius id faceret, cum Sobeslao Bohemorū principe Closci cōuentū egit, pacemq; fecit, arbitris utriusq; populi procerib. Pudore aūt ac dolore stimulantibus, conspectū hominū & colloquia uitabat. Quæ res ei maturauit mortē. Nam ex mœrore illo & anxietate animi, in languorem corporis & morbū incidit: qui sensim ingrauescens, omnē medicinā renuentē, toto anno lecto affixum, magnopere debilitauit. Nec angorē ac morbū eius natus filius Cazimirus leuauit. Vbi mortem appropinquare sibi sensit, conuocatis proceribus, qui officij causa undiq; conuenerant, & quatuor filijs adstantibus, de concordia apud eos uerba fecit: partitusq; omnia quæ tunc erant Polonicæ ditionis, inter quatuor filios, principatū & summā rerum penes Vuladislaum natu maximū constituit, cæteros eius authoritatem sequi iussit. In partitione quintū filium, qui superiori anno natus erat, præterierat. Id eū proceres obliuione fecisse existimabant. Itaq; admonent, ut ne illum exortem patrimonij relinquat. Respondit princeps: Iam illi quoq; portionem suam esse designatā. Admirantib. cunctis: Non aduertitis, inquit, in curru inter quatuor rotas quintā esse eam partem currus, cui homines insident, & onera imponunt, quæ quidem à rotis sustentatur atq; portatur. Eum igitur locum inter quatuor fratres quintus obtinebit, illisq; suo tēpore succedet. Diuinitus ne id quod futurum erat, præsciuerit, an ut solent homines ferè instante morte alienati mente, diuinare, an uerò discerpere in plures partes principatum noluerit, dicere non habemus. Nec ita multò pòst sacris Christianorum mysterijs ritè procuratus, uita excessit, maximo totius Poloniæ desiderio: cum regnasset post patrē annos triginta sex, uixisset quinquaginta tres. Funus Ploscum solenni pompa elatum, & iuxta patrem conditū est. Fuit autem Boleslaus hic, habitudine corporis satis firma, uegeta, & laborum patiēte, colore fusco, statura mediocri: os ei carbunculus morbus ab ineunte adolescentia distorserat, atq; inde Criuousti cognomentum habuit. Animo uerò excelso fuit, & periculorū cōtemptore: iusti & æqui obseruantissimus: ad iram, gratiā, misericordiam ex æquo pronus: ad credendum perfacilis, quæ res ei multarum aduersitatum, & ad extremum exitij causa fuit. Ad beneficentiam & liberalitatem cùm in omnes, tum præsertim in eos, qui in re militari præstabant, promptus: modestia & clementia singulari: laudis & gloriæ cupidus: pacis artium non penitus expers, uerùm belli studijs longè præstantior ad quæ à teneris, qđ aiunt, unguiculis toto animo ferebatur. Hinc omnem ferè principatū suum bella gerendo exegit: miles strenuus & audax: dux prouidus, solers, animosus & fœlix, excepto ultimo illo Haliciensi prælio. Obijt autem anno Christi nati 1139. cum eum Lotharius imperator uno anno anteuertisset: cui Germanorum principes Conradum ducem Sueuorum, cuius mentionē superius fecimus, suffecēre. Sed nos exitu Boleslai Criuousti claudamus hunc librum: sequentes quinq;, secto ac discerpto monstrosè in plures principatus imperio, bellisq; ciuilibus dicaturi. Ex his autem proximus, Boleslai filiorum res gestas complectetur.

Fugæ merces.
Virtutis præmium.
Boleslai excelsus animus.
Polonorum fœdus cum Bohemis.
Cazimirus filius Boleslao natus.
Polonia diuisa inter Boleslai filios.
Vaticiniū Boleslai.
Boleslai mors.
Anni uitæ & regni Boleslai.
Boleslai figura, & ingeniū, & studia.
1139. ann.
Lotharij imp. mort.
Conradus Cæsar.

DE ORI-

DE ORIGINE ET REBVS GESTIS POLONORVM, LIBER SEXTVS.

VVLADISLAVS SECVNDVS, PRINCEPS.

MOrtuo Boleslao, torpor quidam animos hominum occupauit, futurorum malorum omine, propter sectionem regni, quam testamento Boleslai nuncupatam, filij eius flagitabant. Videbant enim omnes, se, qui dudum sub unius imperio florentes & formidabiles cunctis in circuitu uicinis populis fuissent, deinceps discerptis uiribus atq; studijs, quorũuis iniuriæ fore obnoxios. Neq; enim diu concordiam inter fratres, constitutionemq; paternam ualere posse, cum infida ferè sit omnis regni societas: neque contentos illos fore suis sortibus, degustata semel regnandi dulcedine: sed iniustè aliena inuadentes, & uim atq; iniuriã uicissim propulsantes, ciuilibus & parricidialibus armis inter se cõcursuros esse: quibus necesse esset tam amplam ac florentem dudum rempub. euerti. Itaque aliquandiu triste silentium omnes tenuêre, promiscueq; à fratribus imperabatur, donec ij diuersa iubendo perturbare omnia cœpêre. Tum demum conuentu apud Cracouiam acto, cum flagitatio fratrum, studiaq; & factiones comparatæ, ad unum deferri uniuersam rerum summam non paterentur, nec rectius quicquam in mentem cuiquam ueniret: necessariò Boleslai constitutio approbatur, ut iuuenes certis ac definitis à patre finibus dominarentur: principatus uero & summa belli, pacisq; authoritas penes natu maximum esset. Partitione regni secundum descriptionem patris facta, Vvladislao quidem natu maximo Cracouiẽsis, Siradiensis & Lenciciensis tractus, itemq; Silesia obtigêre: Boleslao, qui Crispus appellatus est, Masouia & Cuiauia, Culmensisq;, ac Dobrinẽsis tractus: Miezislao Gnesnensis, Posnaniensis, Calissiensis & Pomerania: Henrico Sendomiriensis atq; Lublinensis. Cazimirus uerò infans exors, quẽadmodũ pater uoluerat, à Vvladislao curandus atq; educandus susceptus est. Ita ad suas quisq; ditiones & quasi satrapias discessêre, ut Vvladislaũ tamen principem agnoscerent, eiusq; maiestatẽ comiter cõseruarent: qui iam sextum ac tricesimum agebat annum. Nam hæc anno Christi 1140. acta sunt. Extincto uictore ac terrore gentiũ Boleslao Criuousto, mutataq;, uti diximus, forma reipubl. nõ diu uicinorũ arma quieuêre. Primus omniũ Sobeslaus Bohemorũ dux, immemor fœderũ, quæ cum eo principe & uniuersa Polonia iurisiurandi religione interposita dudum icerat, nondũ exacto à morte Boleslai anno, Silesiam infesto exercitu longẽ, lateq; populatus est: nec ea prę da, quamuis magna, contentus, ad subigendã omnem eam oram animum adiecit: & quo facilius id faciat, locum opportunũ apud uicum Coscenũ inter lacus, & paludes munitione & pręsidio firmare adoritur. Sed molientẽ uindicta diuina, iusta uiolati fœderis & iurisiurandi ultione perculit. Nam ualida febre correptus, incœpto desistere coactus est: relatusq; Pragam, non multo post, inualescente morte, extinctus est. Ita bellum exoriens repentè inter initia, unius morte sedatũ est. Neq; enim Vvladislaus, Vvladislai regis filius, qui Sobeslao patruo, filijs eius præteritis, apud Bohemos in principatu successit, & bello uacare potuit, domesticis motibus prohibitus: nec noster acceptas iniurias, uastationẽq; ditionis suæ ulcisci perrexit, ad inferendam, quàm ad propulsandam iniuriam magis spectans, & inuadendis alienis potius, quàm suis defendendis inhians, propterea quod molestè ferret accisum & mutilatum principatum, sibiq; erepta esse duceret ea, quæ fratribus patris uoluntate, cunctæq; Poloniæ consensu cesserant. Aegrum suà sponte eius animum uxor Christina, superba, auara & ambitiosa mulier, & quæ Polonos omnes in porcorum loco habebat: nec eos ad ministeriũ, ac uix ad conspectum suũ admittebat, Germanis suis impendiò delectata, magis etiam inflammauit, quòd eum præter mores, iuraq; gentiũ ad quartam modò partem principatus detrusum esse dictitaret, qui in uniuersum principatum patri, utpotè natu maximus, succedere debuisset: se Cæsaris filiam, Cæsaris neptem, ex inclyta familia, cum amplissima dote in spem uniuersi principatus ipsi nupsisse: nũc uerò ad exiguam sortem cum liberis cõmunibus redigi, qui quidem post patris mortem ad egestatem indignam suo genere, & ipsorũ ordine, redituri essent. Quod si ille uir esse pergeret, nec à moribus & uirtute paterna degeneraret, breui se uisuram esse domi totum regnum.

Principatus multorũ perniciosus reip.

Comitia Cracouiæ.

Diuisio regni Poloniæ.

Vvladislao summa rerum permissa.

1140. ann.

Silesia uexata à Bohemis.

Sobeslaus Bohemus extinctus.

Vvladislaus Bohemorum princeps.

Vvladislai Polonorum principis ambitio.

Christinæ ingenium & mores.

Christinæ maritum in fratres incitat.

regnum. Patrem eius non tulisse unum fratrem participẽ imperij: ipsum tres ferre? Quartum quoque, ubi adoleuerit, si sapiat, portionem suam repetiturum esse. Summum illud ius & authoritatem monarchiæ umbratilem esse: neminem ipsi obsecundaturum. Quid si quis reliquorum fratrum ad summum illum principatum adspiret? Quid si omnes inter se contra unũ conspirent? Tunc uerò nullam ipsi fore spem salutis, nisi in fuga & exilio. Præstare ergo anteuertere, quam anteuerti. Hæc eadẽ identidem iterando, querendo, lachrymando, fremendo & obiurgando, tandem ad maturandum impium facinus uirum impulit. Sed ut sub honesto prætextu latêre scelus: & quo facilius uel adiuuante, uel certè non aduersante multitudine suorum, cogitata perficeret, senatum conuocat: queritur, perniciosam & exitialem esse reipub. partitionem principatus à patre suo institutam, propterea quòd multitudo principum cùm hostes ad inuadendum audaciores, tum ciues ad resistendum infirmiores redderet, cuius rei aliquem iam gustum paruo temporis spacio ipsi fecissent, uexati impunè à Bohemis: qui non modò commouere se, dum penes unum patrem suum fuit imperium, ausi non essent, uerùmetiam pacis conditiones ab eo accepissent. Neq; uerò diu quietam esse posse ab intestinis discordijs atq; ciuilibus bellis eam rempub. quæ à plurib. exæquato dominatu, non certis legibus, sed arbitrio cuiusq; gubernetur. Nec diu maiestatem unius cuiuspiam ab ijs conseruari solere, qui non modò genere, sed uiribus etiam & potentia uni illi pares se esse sentirẽt. Exemplo esse recenti penè hominum memoria Sbigneũ, qui licet genere impar, tamẽ q pater eum fratri ex iusta uxore suscepto exæquasset, tantis malis, cladibusq; rempub. inuoluerit, ut eam euersurus omninò fuerit, nisi iusta fratris indignatio aliquando tamẽ eum de medio sustulisset. Bohemos quoq; & Russos uicinos suos nullam aliam ob causam ciuilibus bellis inter se ad excidiũ, penè collidi, quàm q in multos partita sint eorum imperia. Quocirca uellent, iuberent, ut penes unum se, quem primogeniti prærogatiua cæteris fratribus prætulisset, uerè esset regnũ. Attributurum se esse fratrib. aut definitos è fisco suo reditus, aut uerò agros nõnullos & territoria, in quib. illi uitam honestè sustentare queant, nec tamen calcitrandi materiam aut occasionẽ habeant. Multo esse præstabilius, paucos quosdam incõmodo ac detrimento affici, quàm uniuersos perire. His addit Christina (aderat enim in senatu, quo minus liberè eius intuitu sententię dicerentur) cùm alia quæ uidebantur, tum, sic in sua Germania, sic apud alias gentes, quæ cultu uitæ, ingenijs, & sapientia præcellerent, morib. atq; legib. receptum esse, ut maximus natu in bona paterna succedat, cæteris fratribus paululum aliquid præ manibus det, unde uiuant: hac spe se Vuladislao nuptui datam esse. Deinde sententias rogati senatores, cum stupefacti rei nouitate aliquandiu silentium tenuissent, tandem omnes, paucis à Christina subornatis exceptis, impium & crudele principis consiliũ detestari: orare, monere, ne patris ultimam uoluntatem irritam faciat, ne uniuersę Polonię consensum aspernetur, ne leges naturæ labefaciat. Valde esse dissimile, quod de Sbigneo commemoratũ sit: illum nothum fuisse, nec ullo more aut iure in partẽ principatus admitti debuisse: hos legitima uxore, & quidem Cæsaris filia ortos, exortes paterni dominatus fieri rectè non posse. Illum improbum, impudentẽ, & iam inde ab initio in patrem impiũ, extitisse: hos liberalib. ingenijs, honestissimè educatos, summo esse pudore & modestia: æquissimisq; animis ferre, & laturos porrò esse maxima natu fratris principatũ. Magis autem consultum esse reip. si plurium ea consilijs & armis cõiunctis defendatur, quàm si ex unius iudicio & propugnatione dependeat. Non posse commodè unum omnia prospicere, nec ad omnes regni partes suis opem ferẽtem pariter accurrere, nec omnia per se munia principatus obire. Quòd si uicaria cuiusquam opera utendum sit, magis fidum, magisq; beneuolentem esse fratri fratrem, quàm extraneum. His & alijs dictis propemodum ad sanitatem reuocata erat mens principis, nisi uiolentior uxoris amor, nocturnæq; eius persuasiones & blanditiæ, quæ plurimũ apud uxorios uiros ualent, tantoq; pestilentiores sunt, quantò plus potest is quẽ superant, præcipitem eum egissent. Deliberato scelere, tributum siue subsidium pecuniarium fratribus & fraternis ditionibus primùm imperat, ut eorũ tentaret patientiã: & si renuerẽt, iustũ haberet belli ipsis inferẽdi prætextũ. Vbi paritũ est, deinceps ad intercipienda quæ eorũ ditionis essent, animũ cõuertit, nec tñ Polonorũ, quib. iã suspectus & exosus esse cœperat, quosq; alienos à cupiditate sua esse nouerat, ministerio & militia uti ad eã rẽ ausus est: sed Russorũ, cũ qb. materno genere cõiũgebat, auxilia clam acciet, cũ his apertè iam in fraternas ditiones grassat: edicit, ne cuiq; Poloni, prętẽ se, obediant: cõtumaces aut uinculis, aut uerberib. coërcet, aut bonis mulctat. Nonnullas iam fratrũ munitiones & oppida cum pagis adiacentibus, partim per Russos occupârat, partim

Wladislai principis oratio in senatu.

Christina in senatu.

Primogenitorum ius apud multas gentes.

Libertas senatus Polonici.

Vxorum suasiones efficaces.

Wladislaus princeps pecuniam fratribus imperat.

Wladislaus fratrum possessiones inuadit.

partim in deditionem acceperat, ad florentiorem fortunam uel metu, uel (ut est uulgus fere nouarum rerum, nouorumq; dominorũ auidum) defluentibus passim hominibus. Ibi iuuenes impio fratris proposito perspecto, quid faciant porro cum suis consultant. Animaduertunt à bello ciuili animos populariũ suorum abhorrere: nec ipsi satis animorum ad uim fratris propulsandam habebant, propterea q̃ & uiribus minus ualebant, & quantum cuiq; fidendum esset nesciebant. Itaq; ad misericordiam procerum confugiũt, paternorum meritorum, paternæ uoluntatis, publiciq; omnium ordinũ cõsensus de partiendo imperio ipsos admonẽt, ipsorum fidei & protectioni se, suaq; commendant. Ad fratrem etiam proficiscuntur: & quoniam caput illorum cõsiliorum Christinam glorem suam esse senserant, ad mulieris pedes sese prosternunt: clementiam eius suplices implorant. Verùm ea surdis auribus iuuenum preces accipiebat, & salutem reip. quæ omni necessitudini preponenda esset, causificabatur. Cõmouit ea res multos ex primoribus, cùm iuuenum misericordia, tũ metu exorientis tyrannidis: cuius argumentũ erat, q̃ Vuladislaus externum militem in suos immittebat, tũ aũt auaræ, importunæq; mulieris odio, quę præter hanc in fratres mariti sui inclementiã, nouis etiam exactionibus animos multorũ offenderat. Etenim ea, cùm alia quædam auarè & crudeliter instituerat, tum uerò illud excogitauit, ut homines oppidani & rusticani statis & solennibus ferijs honoraria quædam munera, nempe pullos gallinaceos, anseres, oua, mel, auenam, porcos, triticum in cellam principis inferrent. Quod cum semel atq; iterum ac tertium in gratiam principis non inuiti fecissent, lege uiri, ut id perpetuum deinceps esset, sanciuit. Itaq; impensius iam & apertius nonnulli iuuenibus fauebant. In primis autem Vuseboribus palatinus Sendomiriensis, & magister militię, & Petrus Danus comes Scrinensis, quorum ille nonnunquam Russos ex insidijs paruis prælijs fundebat, Petrus uerò monendo & obiurgando principem ab instituto auocabat: quæ res ei, si non exitiosa, calamitosa quidem certè fuit. Nam Vuladislaus, ut omnibus de rebus cum uxore cõmunicabat, ita de Petri quoque consilio ac studio ipsi narrauit. Excanduit subitò in hominem iracunda mulier, alioqui etiam ipsi infensa, ex huiusmodi causa. Venatum fortè Vuladislaus princeps & Petrus hic in remotas syluas ierant: ibi totum diem inuestigandis & persequendis feris defatigati, ad uesperum ad focum constructa è cespite mensa, cum se pane & ferina carne, & aqua fontana utcunq; refecissent, & humi stratis penulis cubituri essent, Vuladislaus domesticarum lautitiarum, & mollium stratorum recordatus, ioco Petrum appellans: Mollius inquit, nunc Petre uxor tua cum Abbate Scrinensi siue Suleouiẽsi cubat, quàm nos. Petrus contrà, ut iocum ioco retunderet: Fortasse, inquit, & tua cum Dobesso. Erat autem Dobessus iuuenis ex equestri ordine non inelegans, quo familiarius Cristina utebatur, ita ut mussitaretur uulgò, eum cum illa clàm consueuisse. Tetigit id dictũ principis animum, & sermonibus quidem tunc, iocisq; finem fecit: uultu uerò ne postea quidem satis dissimulauit siue dolorem, siue sollicitudinem: incertum, liberiori ne dicto Petri offensus, an de crimine uxoris ex uerbis Petri, & superioris temporis coniecturis, quas nõ tam scrupulosè ad eam diem notarát, suspiciones colligens. Christina ubi tristiorem cogitabundumq; præter morem uirũ reuersum animaduertit, sciscitatur causam, dissimulat aliquandiu Vuladislaus: ad extremum uictus blanditijs & importunitate uxoris, detegit ei uulnus animi sui. Inde grauiores ea in Petrum iras concœperat, occasionemq; ulciscendi eius quærebat: quam cum fortuna percommodam attulisse uideretur, in eo q̃ Petrus apertè cupiditati principis aduersabatur, ibi uerò instare uiolenta mulier apud maritum noctesq; diesq;, ut Petrus de medio tolleretur. Eo uiuo, nunquam animi compotem futurum Vuladislaum. Erat enim uir ingenti spiritu Petrus, summaq; potentia præditus: quippe qui præter priuatas opes & facultates amplis. Calissiensem, Crusuiciensemq; tractum omnem, Boleslai Criuousti nomine, administrasset. Subornat tandẽ Dobessum Christina, partim probri infamia irritatũ, partim pollicitatione bonorum Petri illectum, ut eum quouis modo uel caperet, uel interficeret. Non est tamen ausus Dobessus hominem aperta ui aggredi: sed obseruabat tempus, quo per fraudẽ eum incautum opprimeret. Fortè Petrus nuptias filiæ, quam Iaxę Serborum siue Vinidarum duci in matrimonium collocabat, Vuratislauiæ insigni pompa atq; celebritate apparabat: eò se Dobessus quoq; magno comitatu cõfert, securumq; & nihil eiusmodi suspicantem Petrum, solum fortè conspicatus, dum ministri circa apparandas nuptias, & hospites comiter accipiendos satagunt, correptũ, celeriter paratis & dispositis ad hoc equis asportat, & ad principem adducit. Diu, quid eo faceret Vuladislaus, animi dubius fuit. Reuerebatur hominis dignitatem, gratiamq; popularem: reminiscebatur, quo is honore apud patrem suum

Boleslai filij deprecãtur fratris iniuriam.

Procerum alienatio à Vuladislao.

Exactiones nouæ institutæ.

Honoraria.

Petrus Danus dolo Christinæ petitus.

Iocus perniciosus.

Dobessus de adulterio reginæ suspectus.

Petri Dani opes & præfecturæ.

fuisset. Contrà suggerebat Christina, si incolumis Petrus dimittatur, acerbiorem eum capitalemq; hostem fore principi, iniuria illa exacerbatum. Vbi cunctari uirum uidet, minatur se ab eo discessuram, ubi impunè probro prostitutę pudicitiæ afficeretur.

Petri Dunini calamitas.

Vicit tandem, perfecitq;, ut indicta causa lingua Petro prçcideretur, atq; oculi effoderentur. Sic ei, & sæpè multis, liberior cum principe iocus malè cessit. Vixit tamen post eam calamitatem Petrus quinq; annos. Mortuus apud Vuratislauiam in sancti Vincentij, quod templum & monasterium ipse condiderat honorificè sepultus est. Vnde fit mihi uerisimile, Vuratislauiensem etiam præfecturam eum tenuisse.

Miraculum.

Ferunt nonnulli, quemadmodum Dlugosus memorat, ei postea propter pietatẽ, qua summa erat, uisum, & sermonis usum diuinitùs restitutum fuisse.

Geisa rex Vngarorum Austrios uicit.

Per hæc tempora Bela cæco Vngarorum rege uita defuncto, Geisa filius eius de quatuor natu maximus, regno paterno suscepto, Henricum Austriorum ducem cum totius ferè Germaniæ auxilijs Vngariam inuadentem, cruento prçlio superauit. Petro tam crudeliter, quemadmodum dictũ est, excarnificato, minus ausi sunt cæteri proceres uoluntati tyranni aduersari: creuerunt tamen omnium in eum odia, quæ secundo fortunæ flatu occultata, postea afflictis rebus eius in apertum erupere.

Vuladislaus princeps fratres uiolat cum Rußis.

Minus autem dissimulanter is iam agere, & fratres ditionibus ipsorum pellere, magnis Russorum fretus auxilijs, quibus Suatoslaus, Vuseuolodi Kiouiensium principis filius, Izaslaus Dauidis, & Vuselodimirus Haliciensium duces præfuere. Iamq; Henricum Sendomiria, & Boleslaum Plosco, omniq; Masouia propulerat.

Ciuile bellum inter fratres.

Restabat Miecislaus, ad quem cæteri fratres confugerant. Ad eos igitur Vuladislaus in maiorem Poloniã cum exercitu magnis itineribus contendit, in celeritate plenam uictoriæ spem reponens.

Posnania obsessa.

Veniens Posnaniam, quæ ipsi portas clauserat, cum primo impetu capere non potuisset, obsidione cinxit. Vastabant interim Rußi agros liberioribus excursionibus, exurebant uicos & pagos, captiuos uiros ac mulieres in seruitutem abducebant, diripiebant fana, uimq; honestis puellis ac matronis inferebant, ne à pueris quidem abstinebant.

Iacobus Archiepiscopus principẽ obiurgat, ac diris deuouet.

Viuebat adhuc Iacobus archiepiscopus Gnesnensis, plebeius quidẽ, sed uenerabilis & pius senex, excelsiq; animi. Is igitur cupiditatem & crudelitatem Vuladislai perosus, & cum optimi principis Boleslai Criuousti filiorum, tum patriæ indignam & calamitosam sortem miseratus, sacro pontificum cultu & infula, quo augustiorem speciem principi exhiberet, indutus, & carpento in castra, & usq; ad ipsum Vuladislai tentorium inuectus, comiter principem nefarij cœpti admonet: negat esse boni principis, patriam, a qua in lucem editus, indulgenter educatus, & ad summum honorem euectus sit, externis armis hostilem in modum impetere, uexare, ac diripere: negat esse Christiani hominis, fratres coniunctissimos & obsequentissimos, quos tuendos susceperit, oppugnare: & non modò attributis à patre & uniuersa repub. ditionibus exuere, sed uitam etiam & sanguinem eorum sitire. Desisteret ergo cœptis: moderaretur diræ & insatiabili cupiditati suæ: & cũ optimis fratribus in gratiam rediret: præstare, ut eorũ fideli ope & opera, aduersus quosuis externos hostes uteretur, quàm ut infidis & sitientibus Poloni sanguinis Russorum armis illos iret perditũ, & quasi in sua ipse uiscera sæuiret. Si homines non reuereretur, at Deum metueret, acerrimum scelerum omnium, & maximè uiolatæ humanæ coniunctionis & societatis ultorem. Non commouit hæc Archiepiscopi oratio, quamuis grauis & prudens, Vuladislaum, nec ab instituto deterruit. Quod cum uir diuinus animaduerteret, quasi numine afflatus, è sella assurgens: Quando, inquit, humana simul ac diuina iura superbè contẽnis, & paterna mea monita obstinatè respuis, Dei omnipotentis, cuius uices gero, authoritate, sacris & Christianorum hominum societate tibi interdico, caputq; tuum & omnium adiutorum & asseclarum tuorum diris deuoueo. Deinde multa in eum & in exercitum eius execratus, recedebat.

Omen malum.

Fortè dum imprudentius auriga carpentum conuertit, in columnam, quæ tentorium principis sustentabat, extremo axe impingens, mota loco columna, tentorium solo prostrauit. Mali ominis ea res cunctis uisa est. Tenuit tamen iram Vuladislaus, nec acerbius quicquam in Archiepiscopum aut fecit, aut dixit: ita ut mirarentur omnes patientiam eius. Commouerat nonnullos de proceribus, qui in castris Vuladislai erant, Iacobi archiepiscopi authoritas & execratio. Itaq; deducere & ipsi à proposito principem instituere, sed nullo operæprecio.

Castrensis negligentia.

Nam is diligentius etiam omnia ad expugnationem Posnaniæ administrare perrexit. Tamen cum nullus hostilis subesset metus, nec magnopere è paruo oppido eruptio timeretur; securius agebant Rußi, quàm ratio castrorum exigit: & uel ad prædas agendas quoquouersus discurrebant, uel genialibus epulis & compotationibus, ludisq; & lusibus indulgebant, uel his rebus grauati & fatigati altum stertebant: in stationibus rari,

nec ij sotis sobrij excubabant. Delitescebant in abdito Boleslaus, Miezislaus & Henricus, cum modico militum præsidio, occasionem bene gerendæ rei captantes: ij postea quàm uel ex transfugis, uel è captiuis per insidias, dum incautius pabulantur, exceptis, certò didicere de negligentia & securitate aduersariorum, silenti agmine ad castra propius accedunt. Oppidani è turribus procul suos conspicati, nec ignari quid in subiectis oppido castris ageretur, proposito uexillo signum dant suis faciendi in hostem impetus tempestiui. Animaduertere id uexillum præter morem extensum Russorum duces, qui tunc fortè cum Vuladislao conuiuabantur: rogant, quid'nam rei sit, & quid sibi uelit uexillum illud? Respondet Vuladislaus, deditionis esse signum. parcendum esse Rusi censent supplicibus: negat Vuladislaus ullum fore ijs qui tam obstinatè obsidionem sustinuissent, misericordiæ locum. Nec multo pòst, exauditur ab extremis castris ingens clamor atque strepitus, iam intra uallum, & in cæde uersantium hostium. Erumpunt eodem tempore & oppidani, & turribus ac cæteris operibus, tugurijsque militum, è stipula stramentisque factis, celeriter ignem subijciunt. Fit trepidatio & discursatio totis castris, perculsis re subita & inopinata omnibus: nec quid agerent, aut quò se uerterent, ac ne fugæ quidem consilium explicantibus. Nec à uero abhorret, diuinitùs formidinem illam tanto exercitui meritò iniectam fuisse. Nec fuit, qui se uictoribus opponeret, fusis nullo negocio, qui ad primum tumultum pauci & inordinati occurrerant. Nam cæteri uel ad ducum tentoria, uel ad corripienda arma, uel ad sternendos equos, uel ad efferenda quæ quisque charissima habebat, festinabant, uel attoniti denique amentium more huc atque illuc discursabant. Ad extremum grassante latè undique ferro & incendio, effundunt sese castris, qua quisque exitum inueniebat. Fugientes partim trucidantur ab equitibus, partim in Vartham & Glorunam fluuios, qui non ita procul à castris erant, compulsi merguntur. Vuladislaus cum Rusis ducibus, & paucis quibusdam euadens, effuso cursu Cracouiam contendit. Inde quoque Rusi non multum morati, nudi penè & inermes, & omnium rerum egeni domos sese recepere. Direpta sunt copiosa & opulenta Vuladislai Russorúmque castra. Dlugossus aliquanto aliter hæc exponit. Ait enim, Boleslaum, Miezislaum & Henricum, primo Vuladislai aduentu Posnaniæ se cum paruo præsidio tenuisse, diuturnamque obsidionem in magna commeatus inopia tolerasse: & clementiam atque misericordiam fratris per internuncios implorasse. Cum autem is inexorabilem se ipsis præberet, nec aliter ueniam daret nisi sese & sua omnia ei dederent, dura hæc, ita ut erant sanè uisa esse iuuenibus: & in magna salutis desperatione, decreuisse eos, honestè mori potius, quàm crudelis uictoris, & apud quem nihil sancti esset, fidei sese committere. Erupisse deinde aliquoties ex oppido, & nonnulla strage in hostibus edita, repulsos tamen esse. Deinde cum quieuissent aliquandiu, quasi abiecta iam erumpendi cogitatione, & securiores negligentioresque reddidissent eos qui in stationibus & ad opera excubabant, captato tempore, armatisque omnibus, qui arma ferre poterant in ciuitate, erupisse in inopinantes, eo proposito, ut aut uincerent, aut non inulti occumberent: & clarissima illa uictoria, de qua iam diximus, potitos esse. Annus quo hæc acta sunt, fuit à Christo nato millesimus centesimus quadragesimus quintus. Parsum est autem ciuibus iussu iuuenū, quoad in summa illa perturbatione & confusione fieri potuit. Magna fit statim ea uictoria rerum commutatio. Defluebant omnes passim à uicto ad uictores, & augebant eorum exercitum: arces & munitiones interceptæ, in fidem & potestatem pristinorum dominorum ultrò redibant. Non contenti autem uictores iuuenes eo, quòd fratrem se oppugnantem profligassent, suaque omnia recuperassent, exterminare eum etiā uicissim proprijs ditionibus, & principatu eijcere instituunt, rati nunquam eum ad sanitatem & modestiam rediturum esse: uerùm Russorum auxilijs fretum, bellum renouaturum. Itaque æstate sequenti, cum eo quem ad manum habebant exercitu, ualidiori iam aliquanto, quàm fuerat initio, Cracouiam contendunt. Quod cum Vuladislao nunciatum esset, diffisus munitioni arcis, suorúmque studijs & uoluntatibus, & fratrum desperata misericordia, quippe quos ipse supplices nulla misericordia dignatus esset, relicta Cracouiæ uxore ac tribus filijs, per Silesiam in Germaniam profugit, Conradi tertij Cæsaris, uxoris suæ sobrini, opem imploraturus. Cracouienses cum primùm aduenïente Boleslao, Miezislao & Henrico portas clausissent, cognita principis longiore fuga, & consensu totius Poloniæ, aperuere: nec multo pòst arx etiam deditur. In qua recipienda, summa animorum moderatione iuuenes usi sunt. Liberos & uxorem Vuladislai, quamuis infestam sibi, & quæ origo malorū illorum fuerat, ab omni iniuria & contumelia iratorū

Vuladislaus uincitur & fugatur.

Dlugossus.

1145. ann.

Defectio Polonorum à Vuladislao.

Vuladislaus principatu pulsus.

Cracouia in potestatem fratrum iuniorū uenit.

Moderatio iuuenum uictorum.

militum atque procerum defenderunt: & cum omni supellectili in Germaniam, aut quo uellent, additis præsidij causa, qui abeuntes deducerent, dimiserunt. Sic infelix Vuladislaus, qui suasu uxoris iniuste aliena concupiuerat, sua iuste amisit: & qui in amplissima fortuna, principatusque prærogatiua non acquieuerat, in exilio cum mala consultrice uxore miser contabuit: quemadmodum interius exponemus. Obtinuit autem principatum Poloniæ Vuladislaus, non totos septem annos. Sub ipsum principatus eius initium Ianicus, qui postea Vuratislauiensis episcopus, ac deinde archiepiscopus Gnesnensis fuit, Ianislaus'que dictus est, & Clemens, fratres germani, equestri Gryphium siue Gryffonum, ut uulgò uocant, familia orti, monasterium Andreouiense condiderunt: eique oppidum ipsum Andreouum, & septem pagos de bonis suis attribuerunt, atque in eo Cistercienfis sectæ monachos, à Bernardo abbate sancto conditos, è Morimundensi Burgundiæ monasterio euocatos, collocarunt. Imposuerunt autem conditores illi tributum perenne oppidanis, addictis monasterio: ut corda cæsarum pecudum, & paucula haleca sibi posteris'que suis memoriæ sempiternæ gratia penderent. Verùm id tributum postea Abbas nescio qui redemit. Addiderunt etiam Radossus & Gedeon episcopi Cracouienses, decimas quasdam eidem monasterio: itemque Ianicus, posteaquam Gnesnensis archiepiscopus factus est, non modò decimis, uerum etiam duodecim pagis ad superiores adiectis, id locupletauit.

Andreouiense monasteriũ.

Androuiensis monasterij tributum.

BOLESLAVS CRISPVS.

Exacto cum uxore & liberis Vuladislao principe, concordi fratrum iuxta ac procerum, nobilitatisque sententia ad Boleslaum, qui Vuladislao natu proximus erat, principatus & summa rerum defertur, & quæcunque in ditione Vuladislai fuerant: Cazimirus etiam natu minimus frater, eius curæ commendatus est. Et moderatè is, clementerque regnauit: fratres magna beneuolentia & charitate complexus, beneficentia etiam & liberalitate maiorem in modum sibi deuinxit. Nonnulla enim bona & possesiones, quæ ipsius iuris fuerant, ipsis ultro donauit & edixit: eoque summa ij fide, summoque studio uicissim eum defenderunt, nihil neque Russorum, neque Bohemorum, neque Germanorum & Conradi Cæsaris minis deterriti, aut precibus emolliti. Nam instabat Vuladislaus assiduò, tum apud Vuladislaum ducem Bohemorum, ad quem ea de re adierat, tum apud Cæsarem, ut eorum uel authoritate in paternum principatum restitueretur, uel armis reduceretur. Sollicitabat & Russos legationibus. Verùm hi nondum se satis à clade Posnaniensi refocillarant, & nolebant consentientem Poloniam iritare, à cuius exigua quadam parte uicti, profligatique nuper essent. Cæsar uerò & Bohemus prolixè promittebant: uerùm hic domesticis motibus, ille Asiatica expeditione, impediti, præstare commodè promissa non potuêre. Rebus enim Normanorum in Syria Saracenorum, Turcarumque ui inclinatis, Edessaque nobili & uetusta urbe Mesopotamiæ, quæ tunc à Gallis tenebatur, expugnata, & magno terrore Christianis in Asia militantibus iniecto, Cæsar & rex Gallorum Ludouicus cum compluribus principibus uiris & episcopis à Bernardo Abbate Claræuallis concitati, expeditionem in Syriam susceperunt. Ne tamen Vuladislai causam penitus deseruisse uideretur Cæsar misit legationem ad Boleslaum, cæterosque fratres, ut Vuladislao ademptas ditiones & principatum sua sponte redderent, potius quàm arma sua experirentur. Neque enim se rectè & assini, & calamitoso ac supplici principi deesse posse. Cui legationi Boleslaus princeps de sententia fratrum & procerum ita respondit: Nulla à se, fratribusque suis iniuria affectum esse Vuladislaum, se nequicquam deprecantes impio bello ab eo petitos, & attributis à patre & ab uniuersa rep. ditionibus & principatibus iam penè exutos, cum pacem tamen nullis æquis conditionibus impetrare possent, uitam defendisse suam: illumque omnis diuini & humani iuris uiolatorem, fratres insontes & obsequentissimos eijcientem, intolerabilem in liberos populos dominatum usurpantem, non tam ipsorum uiribus, quàm diuina ultione euidenter perculsum: fugientem'que, magno uniuersæ Poloniæ consensu sempiterno exilio damnatum esse. Recipere eum talem, tamque iustè consensu publico pulsum, neque sibi tutum esse, neque Polonis expedire. Ne ergo Cæsar id à se postularet, neue ab inuitis extorquere pergeret, quod sine periculo, & sine magno malo reipublicæ facere non possent. Esse quidem tanti principis atque Cæsaris, afflictis subuenire: sed ijs demum, qui immeritò afflicti essent. Cæterùm ad uim & iniuriam faciendam

Boleslai Crispi benignitas.

Vuladislai exulis solicitudo.

Conradi Cæs. & Ludouici Gall. regis expeditio in Syriam.

Bernardus abbas Claræuallis.

Cõradi Cæsaris legatio ad Polonos.

Boleslai Crispi responsum.

Principis officium.

faciendam, nemini opem eius patere debere: quippe qui ab innocētia contra scelus, ab officio contra improbitatem, à modestia contra audaciam, à iustitia contra iniustitiam, denique à pietate contra parricidium stare debeat. Esse Vuladislaum affinem Cæsaris se uerò cognatos etiam: auxilium se ab eo sperare, non bellum expectare, cuius nullam, neque dedissent, neque daturi essent occasionem. Habere se illi cum honorem, quem & cognato & maximo principi haberi par esset: libenterque in alijs rebus authoritati eius obsecundaturos, in una illa re id fieri non posse. Libentius se cum quouis capitali hoste, quàm cum illo tali fratre in gratiam redituros esse: & quiduis potius passuros, quam commissuros, ut suo sibi iumento, quod dicitur, malam rem adsciuisse, & rempub. quæ in fidem suam confugerit, prodidisse uiderentur. Fregit ea respōsio Conradi animum, ita ut multum de studio suo in Vuladislaum deinceps remitteret, præsertim quòd ad expeditionem Asiaticam totus spectabat, quamuis à proceribus suis & Bohemo, quos sedulò unà cum liberis & uxore prensabat Vuladislaus, in Polonos incitaretur. Porrò in concilio Remensi, quod Eugenius tertius pontifex max. initio pontificatus sui coegerat, Henricus Bauarorum dux, Christinæ propinquus, de principibus & episcopis Polonorum per legatos questus est, quòd illi quidem fratrem, hi uerò dominum suum contra fidem & iusiurandum paterno principatu pepulissent. Sed quid effecerit, non comperio. Conradus uerò Cæsar expeditionem illam suam cùm maturasset, per Poloniam, quemadmodum scribit Dlugossus, statuit iter facere; quòd & compendiosior ea uia esset, & minus periculorum haberet: simul quòd non diffideret, se Vuladislaum cum fratribus coram reconciliaturum esse. Et acceptus quidem est à Boleslao, cæterisque fratribus perquàm honorificè & liberaliter, unà cum Vuladislao Bohemorum principe, & fratribus eius Henrico & Spicigneuo, omnique Germanorum & Bohemorum exercitu, & usque ad pontum Euxinum deductus: cæterum de reconciliatione nihil tunc aliud impetrauit, nisi quòd pollicitus est Boleslaus cum fratribus, se, cùm reuertisset ab illa expeditione Cæsar, quæ is uellet, facturum esse. Multi uerò uoluntarij è Polonis militiæ illi nomina dedere, & cum Cæsare profecti sunt. Alij, per Vngariam eum non satis composito agmine profectum esse in Thraciam, uolunt. Vincentius uerò crebrioribus legationib. cum de restitutione Vuladislai cum Polonis egisse memorat. Sub hyemem eiusdem anni, duxit Boleslaus cum Henrico fratre exercitum in Russiam, Izaslai Kiouiensium principis, cōspiratione cæterorum principum principatu eiecti, precibus & muneribus inuitatus: castrisque apud Cemerinum positis, totam hyemē ibi consumpsit: & nulla re memorabili gesta, propter ignauiam Izaslai, & non satis certam fidem Russorum, in Poloniam redijt. Izaslaus uerò post discessionem auxiliorum, Lusci obsessus ab hostibus, pacem tandem ab eis impetrauit. Per hoc tempus Iacobus Archiepiscopus Gnesnensis mortuus, Ianicum siue Ianislaum, cuius paulò antè mentionē fecimus, è Vuratislauiensi episcopa euocatum. Boleslai principis studio adiutum, successorem accepit: huic uerò Valterus equestri Zadoreorum ortus familia, successit: qui basilicā Vuratislauiensem, ligneam ad id tempus, muro exædificauit, ritusque Lugdunensis basilicæ in eam induxit. Anno uno interiecto, reuersus ab Asiatica expeditione Conradus, cum non multum ibi operæprecij fecisset, magnamque copiarum suarum partem partim Turcico prælio, partim dolo Emanuelis Constantinopolitani imperatoris amisisset, bellum Polonis intulit, ut per uim Vuladislaum exulem in principatum restitueret: cum Boleslaus, cæterique fratres promissorum admoniti, tergiuersarentur, quòd dicerent, Vuladislao reducto, se nouos motus, noua pericula, summamque reip. perturbationem reformidare. Verùm id bellum in speciem ingens & formidabile, Boleslai principis humanitas & sapientia inter ipsa initia restinxit. Nam ut Cæsar cum ualidis Germanorum, Bohemorum & Morauorum copijs Poloniæ fines attigit, non destitit. Boleslaus cum expeditis turmis, quas de suis tumultuariè coëgerat, omnibus locis opportunis hostilia itinera, pabulationes, frumentationes & aquationes ex insidijs obseruare, & in incautos hostes impetum facere, interdumque totum exercitum reficientem se, aut quiescentem, subito tumultu, & ad castra adequitantis exercitus ostētatione exagitare & perterrefacere. Illis uerò ad arma conclamantibus, ad impedita loca raptim se cum suis recipiebat, nec unquam rem fortunæ & uniuersæ dimicationi committebat. Cum autē ad Odram substitisset, & castra metatus esset Cæsar, eo quòd aquæ eius fluminis tunc fortè excreuerant, & nostri ulteriores ripas obseruantes, difficilem traiectionem ipsi effecerant: simul autem è Germania noui quidam motus ipsi afferebantur, quib. ad rerum domesticarum curam reuocabatur: accepta fide Boleslaus in castra ad eum uenit, factaque publica audientia,

Remense concilium.

Conradi Cæsaris expeditio in Asiam.

Bohemorum principes in Asiam militatū profecti.

1147 ann. Russicū bellū.

Ianislaus Archiepiscopus. Vuratislauiensis basilica, & ritus eius.

1149. ann. Conradi Cæs. expeditio in Poloniam.

Polonorum cū Germanis belli gerendi ratio.

Boleslaus ad

Cæsarem in castra uenit, & obelũ sustulit.

dientia, Vuladislai fratris facinora & peccata omnia, in se ac cæteros fratres, & in omnes ordines reip. Polonæ luculenta oratione exposuit: necessariam expulsionem, iustamq; restituendi eius recusationem suam & uniuersæ reip. excusauit: necessitudinem suam cum Conrado maiorem, quàm Vuladislai commemorauit: studia & officia sua nonnulla in Cæsarem & Germanos modestè refricauit: ne cognatum & Christianum sanguinem sitirent, neu se ad extrema adigerent, orauit. Munera etiam non contemnenda Cæsari & nonnullis principibus, maximeq; ijs quos gratia plurimùm ualere apud Cæsarem didicerat, priuatim misit. Ita poscente Boleslao, suadentibus primoribus, ad sua defendenda festinantibus militibus, ipso Cæsare ductum iri diutius opinione sua bellum animaduertente, & ad componendas res domesticas festinante, bellum illud statim solutum est: demissúsq; postridie exercitus, nequicquam reclamante Vuladislao exule: & item Bohemorum principe, non tam exulis rem agente, quàm Polonis inimico. Hagecus hic nescio quid de Tartaris & Saracenis unà cum Russis à Vuladislao exule contra Polonos ductis, & à Boleslao uictis, pulsisq;: qui utriq; peculi procul tunc aberant à Polonia. Pace cum Cæsare facta, aut uerius bello in aliud tempus dilato, Boleslaus & Miezislaus uxores duxére sorores germanas, Vuseuolodimiri Halicensium principis filias: Boleslaus quidem Anastasiam, Miezislaus uerò Eudoxiam. uerùm is, hac non ita multò pòst mortua, nondum exacto à primis nuptijs biennio, aliam duxit, Gertrudim Geisæ regis Vngarorum sororem, Belæ cæci filiam. Cæterùm Henricus cœlibem uitam secutus, ad Hierosolymitanam militiam cum non contemnendo comitatu profectus est, principatu suo Boleslai fratris fidei ac tutelæ commendato: cumq; iorum annum ibi commoratus, non uulgare uirtutis suæ specimẽ aduersus barbaros Sarracenos edidisset, sospes reuersus est. Reuertens autem, in Zagosce pago ad Nidam amnem parœciam ac domicilium Templariorum sodalitati, quæ tunc bonam in bello Asiatico Christianis nauabat operam, condidit & luculentis reditibus instruxit. Cum hoc Henrico crediderim profectum Iaxam, nobilem & locupletem equitem de familia Gryphium, ut fama est: qui cum in Asia aliquandiu militasset, reuertens, unum de canonicis sepulchri Christi domini nostri, diui Augustini instituto uiuentibus, & gemmam crucem rubram in toga insigne professionis suæ gestantibus, secum deduxit, eamq; sodalitatem in Polonia propagauit, condito templo ac domicilio in pago suo Mechouo, quod nunc oppidum est, quinto à Cracouia milliario: eoq;, & duobus item pagis sodalitati attributo: cui etiam Gedeon episcopus Cracouiensis decimas quasdam posterius adiunxit. Condidit idem Iaxa, dotauitq; etiam monasterium uirginibus professionis Præmonstratensis, ut uocant, in suburbano suo Cracouiensi, quod Zuerinecium, quasi tu dicas uiuarium, dicitur. Impetrauit autem utriq; loco subiectis hominibus à Boleslao Crispo principe, omnium onerum, munerum atq; pensionum, quæ ad principem ac rem. pertinerent, sempiternam immunitatem. Sed ad institutum reuertamur. Vuladislaus exul, quamuis desiderio & spe sua frustratus iterum atque iterum, pergebat tamen molestus esse Cæsari de reductione sua: & commouebat quidem Cæsarem, cùm assidua flagitatione & querimonia, tum aspectu ipso miserabili, ac tanta fortunæ commutatione: pudor etiam cum indignatione mixtus, Cæsarem stimulabat, q; contemni & postulata, & minas suas, nec promissa præstari à Polonis principibus, maiestate sua indignum iudicaret. Sed tamen exulem reducere non potuit: partim aduersa ualetudine ac diuturno morbo impeditus, partim etiam proprijs & necessarijs negocijs, & nonnulla imperij perturbatione distentus. Verùm quo leuius interea Vuladislaus ferret exilium, possessiones quasdam ei dedit utendas fruendas, unde se & uxorem, liberosq; sustentaret: adiungit exiguas equitũ, peditumq; copias, cum quibus ille crebris excursionibus Vuratislauiensem tractum & uiciniam illam omnem, extructis in confinio duabus arcibus Nemcio & Grothecio, quò se tutò recipiebat, infestauit. Non tulit hoc Boleslaus. Nam coacto exercitu, ad prædatores illos persequendos, & arces euertendas profectus est. Id ubi cognouit Vuladislaus, munitis præsidio militum arcibus, in Germaniam se recepit, siue, metu siue auxiliorum petendorum gratia. Qui in præsidijs relicti erant Germani siue Bohemi, sustinuerunt aliquandiu impetum & obsidionem Polonorum: tandem deficiente annona, & morbis inualescentibus, ac desperatis auxilijs, deditionem fecére. Nec ita multo pòst, nempe anno Christi nati 1153. Conradus Cæsar mortuus, antequam imperatoris diadema adeptus esset, solicitudine & metu grauis belli nostros liberauit. Quieuitq; tunc Polonia annis aliquot, donec Fridericus cognomento Barbarossa, Friderici Sueuorum ducis filius, qui

Boleslai & Miezislai uxores.

Henricus dux ad Hierosolymitanam militiã profectus.

Templarij in Poloniam deducti.

Iaxa Gryphius.

Canonici sepulchri Christi.

Miechouiense cœnobium.

Zuerinecense cœnobium.

Vuladislaus exul infestat Poloniam.

Nemcium & Grothecium arces in Silesia constructæ, & Polonorũ principi deditæ.

1153 ann.

Conradus Cæsar mortuus.

Fridericus Barbarossa Cæsar.

Conrado

Conrado patruo in imperio successit, petendo imperiali diademate, pacandisque, seu potius turbandis rebus Italiæ & Galliæ Cisalpinæ, quæ nunc Langobardia dicitur, ac pontificibus maximis arbitratu suo creandis atque deijciendis, occupatus fuit. Reuersum autem in Germaniam, & conuentum totius Germaniæ agentem Vireeburgi, siue Herbipoli, supplex adit Vuladislaus, orat de reductione sua: & quo magis eum ad misericordiam flecteret, tres filios iuuenes pedibus propinqui imperatoris admouit. Idem pro eo petijt Vuladislaus princeps Bohemorum, fastum Polonorum & contemptionem Cæsareæ maiestatis & authoritatis exagerans: idem pleriqꝫ Germanorū principes atque duces, quibus iam Vuladislaus exul diuturna consuetudine familiaris factus erat, quosque ea de re prehensauerat. Quanquam autem rebellarant imperatori Mediolanenses cum socijs suis, tamen exoratus Fridericus, priorem in Polonos expeditionem de amplissimi senatus sententia decreuit. Ac legatos quidem statim ex illis comitijs ad Boleslaum principem & fratres eius misit, qui ipsis, nisi reciperent Vuladislaum, aut nisi ipsi tributum, quod fortasse pollicebatur Vuladislaus, imperatori Romano penderent, bellum denunciant: ipse uerò hyemem illam in apparatu belli consumpsit. Reuersi Cracouia legati, non dissimile eius, quod Conrado olim datum erat, responsum retulerunt: cuius ea uis erat, ut quiduis potius passuri Poloni principes, qui ea de re Cracouiam ad Boleslaum conuenerant, quàm aut tam immanem ac turbulentum fratrem recepturi, aut tributum cuiquam daturi esse uiderentur. Itaque æstate anni sequentis, qui fuit à Christo nato 1158, Fridericus imperator cum maximis Germanorum omnium atque Bohemorum copijs, per Saxoniam in Polonorum fines ingreditur, & ad undecimum Calendas Septembris Odram amnem nemine prohibente uado transijt. Nam Poloni principes, etsi non contemnendam & ipsi manum habebant, nusquam tamen ausi sunt apertè cum tanto ac tam ualido exercitu opponere: sed munera inter se copiasque partiti, quòd equitatu abundarent, & leui armatura uterentur, partim in prædatores & pabulatores ex insidijs uim faciebant: partim uillas & oppida sua, quà iter facturum esse imperatorem suspicabantur, ipsi comburebant: partim etiam munitiones deijciebant, ita ut neque progredi rectè imperator propter pabuli & commeatus inopiam, neque uestigium ponere firmo aliquo & munito loco posset. Eo nostrorū incendio tunc Bythomia, cuius etiam superius mentio facta est, atque Glogouia, non obscura oppida conflagrarunt. Erat in magna difficultate res Germanorum: quippe quibus neque frumentum, neque pecudes ad uescendum, neque uinum aut cereuisia ad bibendum suppetebat, omnia itinera nostris obsidentibus. Itaque intestinorum dolore laborari uulgò cœptum, quo morbo multi mortales absumpti sunt: iamque non mussitabant milites, sed apertis conuicijs & maledictis imperatorem incessabant, quòd ab eo ad inauspicatum bellum ob rem alienam educti essent. Quibus rebus permotus Fridericus, simul quòd res Italicæ discessu eius turbatæ, eum ad se reuocabant, de reducendo exercitu cogitare cœpit: uerùm metuebat, si nulla pace facta retrocederet, ut satis tuto id facere posset: quod non dubitabat nostros terga reuertentium pressuros, & aliquam Germaniæ oram dimisso à se exercitu uicissim inuasuros ac deuastaturos esse: sin pacis mentionem prior fecisset, pro uicto se habitum atque contemptum iri: utrumque autem non ex dignitate imperatoria fore. Etenim ex æquo turpe & ignominiosum est, cum qui bellum alteri intulerit, aut pacem ultro offerre, aut rebus infectis retrocedere. Eum sensum imperatoris cum probè calleret Bohemorum princeps, siue iussus, siue pertæsus & ipse belli, agit cum Polonis, ut de pace ad imperatorem mittant, aut ipsi ueniant: sperare se, ac recipere, æquis conditionibus eam iri compositam. Placabiliorem enim ipsis Fridericum se reddidisse. Amplectuntur nostri eius consilium, petita acceptaque fide, ad hostem proficiscuntur: ibi multis ultro, citroque habitis sermonibus, pax tandem his legibus constituitur, ut Vuladislaus ad Silesiæ dominatum modò restituatur, cæteris se abstineat: & ut Boleslaus unà cum fratribus trecentos hastatos equites Friderico in auxilium ad Mediolanense, siue Langobardicum bellum mittat. Et quò firmior hæc pax sit, Adleidam imperatoris sororis filiam Miecislaus tertiam uxorem ducit. Nam alteram, quæ fuit Vngara, haud ita multo antè amiserat, susceptis ex ea duobus filijs, Ottone & Stephano. Quanquam quod ad restitutionem Vuladislai attinet, perplexus est Dlugossus. Nam cum restitutionem illam, quam postea Fridericus uelut sanctè promissam, mortuo Vuladislao liberis eius efflagitauit, in pactis fuisse memorasset, paulò post subijcit, Boleslaū recepisse imperatori, se ad natalem Christi Dei nostri Magdeburgum uenturū esse, & Polonis, Bohemisque disceptatorib. & arbitrijs de expulsione

Legatio Friderici imperatoris ad Polonos.

1158 ann.

Friderici imp. expeditio in Poloniam.

Bythomia & Glogouia exustæ ab ipsis Polonis.

Friderici consultatio.

Pax inter imperatorem & Polonos.

Silesia Vuladislao attributa.

Polonorum auxilia imperatori in Italicum bellum.

Miecislai tertia uxor filia sororis Friderici imp.

Radeuicus historicus.

& restitutione Vuladislai fratris, usurum: quod tamen non præstiterit. Paulò aliter de hoc bello Radeuicus in supplemẽto eius libri, quem Otto episcopus Frisingensis, illius temporis, de gestis huius Friderici imperatoris conscripsit, memoriæ prodidit. Et caussam quidem belli eandem, quam nos exposuimus, fuisse memorat: successum uerò & exitum aliquanto diuersum. Ait enim posteaquàm imperator in Poloniam (arte scilicet & natura permunitam) penetrauit, & Odram flumen copias trãsduxit, Polonos, quamuis magna haberent Russorum, Parthorum, Prussorum & Pomeranorum auxilia, in fuga tamen spem uitæ constituisse: ac desperatione adductos, non certo consilio, munitiones, oppida, pagosq; suos uastasse. Ad extremum autem peruastata ab hostibus Vuratislauiensi & Posnaniensi ora, Boleslaum ducem supplicem, & imperata se facturum recipientem, prouolutum ad pedes imperatoris, ueniam impetrasse, cum iusiurandum dedisset non ad contumeliam Rom. imperij fratrem à se, suisq; pulsum esse: promisissetque imperatori, præter auxilia ad bellum Italicum, duo millia marcarum, principib. mille, aulico eius comitatui ducentas marcas argenti: Augustæ uerò, siue imperatrici uiginti marcas auri, & obsides Cazimirum fratrẽ cum alijs quibusdam nobilibus dedisset. De Vuladislai uerò iniuria rem ad arbitriũ Bohemorum & Polonorum Magdeburgum, ut nos quoq; è Dlugosso retulimus, reiectam esse. Neq; tamen stetisse ulla ex parte promissis & iureiurando Boleslaum. Tributi Radeuicus hic nullam facit mentionem: quod neque imperator exigere, si prius pensitatum esset, neq; Radeuicus commemorare, si tunc exactum esset, omisisset. Pace facta cum Polonis, deduxit imperator exercitum, & anno sequenti expeditionem in Italiam prosecutus est, Bohemorum & Polonorum auxilijs adiutus.

Vuladislaus rex Bohemorum factus.

In ipso autem procinctu Vuladislao Bohemorũ principi Ratisponæ diadema imposuit, regemq; eum appellauit: quo nomine post Vuratislaum sexaginta annis amplius nemo principum Bohemorum usus erat.

Fames in Polonia.

Fames deinde Poloniam afflixit, frumẽto belli tempore partim non demesso, partim ab hostibus consumpto, partim uerò à nostris, quemadmodum diximus, corrupto.

Boleslai Crispi filij.

Mortua est eo annõ Anastasia Boleslai Crispi uxor, ex dolore partus, cum Lescum alterum filium peperisset: nam bienno ante Boleslaum pepererat.

Boleslaus alteram uxorem duxit.

Duxit postea Boleslaus alteram uxorem Helenã, Roscislai Præmisliensium principis filiam, suasu fratrum, cum ad Adleidæ Miezislai uxoris puerperium conuenissent.

Vuladislai mors.

Apparabat iam Vuladislaus reditum in patriam, opera & beneficio Friderici imperatoris impetratum, post tredecim annorum exilium. Verùm in ipso apparatu extinctus, & Aldenburgij in Holsacia, quæ urbs à Slauis condita, Starigradum olim dicta fuit, sepultus est: ita ut non irrita ceciderit Iacobi archiepiscopi deuotio, nec potuerint humani conatus diuinam sententiam, & iustam fratrum, & patriæ uiolatoris ultionem immutare. Tametsi proditum est à nonnullis, ut refert Dlugossus, eum ad constitutum cum fratribus colloquium uenientem, Plodeci clàm ueneno sublatum esse.

Plodecz. Vuladislai filij.

Vixit autem Vuladislaus quinquaginta quinq;, præfuit Polonis non totos sex annos. Liberos reliquit masculos tres, Boleslaum, Miezislaum & Conradum, cui Lansconogo, propter gracilitatem crurum, cognomen fuit: quem quidem Conradus imperator Fuldensi abbati educandum dederat.

Christinæ mors.

Christina uerò Vuladislai uxor, Aldenburgi in exilio consenuit, & uitam cum morte commutauit. Nam filij non ausi absente imperatore Silesiæ principatum ex fœdere patri promissum repetere, quarto demũ anno post mortem patris, nempe anno post Christum natum 1163 instante precibus atq; minis apud Boleslaum Friderico, cum is ab Italica expeditione capto, euersoq; Mediolano reuertisset, reuocati, Silesiam omnem, quæ continentibus syluis à reliqua Polonia dirimitur, usq; ad Bohemorũ Saxonumq; fines in ditionẽ suam acceperunt, ea quidẽ lege, ut maiestatem summi principis Polonorum comiter conseruarent, neúe patris tyrannidem imitarentur.

1162 ann. Mediolanum euersum. Silesiæ ducum origo.

Silesiæ fines & nomen. Slezaci.

Silesiæ uerò nomen à confluxu multorum populorum inditum esse uidetur, siue tunc, siue aliquanto prius, nempe posteaquam Sbigneus nothus Vuladislai primi principis filius, cum Bohemis & Saxonibus eam oram inuasit, ita ut Silesij, siue Slezaci, quasi conuenæ dicantur lingua Slauica. Eam igitur partem Poloniæ Vuladislai mortui filij ex pacto obtinuerunt. Atq; hinc ferè omnes Silesiorum duces propagati sunt.

Silesiæ diuisio.

Vt autem omnis dissidiorum materia inter fratres deinceps tolleretur, patrui inter eos ditiones partiti sunt, ita ut Boleslao, qui Procerus siue Altus cognominatus est, Vuratislauiensis tractus: Miezislao Ratiboriensis & Oppoliensis, Conrado uerò Glogouiensis & Crosnensis obtingeret.

Oppauia donata amicæ.

Ex his Miezislaus insano mulierculæ cuiusdam amore captus, Opauiam ipsi sempiterno iure donauit. Fuit autem restitutio illa Vuladislai filiorum curæ Friderico imperatori, cùm ob misericordiam cognatorum exulum, & ut perficeret,

ceret, quod se authore cœptum atque constitutum fuerat: tum in primis Boleslai ex ijs natu maximi gratia, qui præclarum uirtutis suæ speciem in exercitu ipsius apud Mediolanum ediderat. Nam cùm eques quispiam uasto corpore & gigantea statura Mediolano prodiens, identidem Cæsarianos contumeliosis uerbis ad singulare certamen prouocare, nec prodiret quisquam, prodijt hic Boleslaus inconsulto imperatore, & inscijs omnibus, non ferens uniuersi exercitus ignominiam: cumque infestis hastis concurrissent, effuso ad spectaculum omni exercitu, obsessis quoque mœnibus prospectantibus, & utrisque euentum pugnæ expectantibus, primo impetu deiecit noster hostem, humique prostratum celeriter de equo desiliens confecit, & cum opimis spolijs uictor in castra reuersus est, acclamante & applaudente uniuerso exercitu, & Boleslai uirtutem ad sidera efferente. Ex eo autem tempore magno in honore iuuenem apud se imperator habuit: & cùm alia amoris sui documenta ei præbuit, tum in restitutionis eius, fratrumque curam maiore studio, sicut iam commemorauimus, confecto Mediolanensi bello incubuit. Restitutis Vuladislai filijs, sublato'que omni metu belli, Boleslaus Crispus princeps Polonorum, ex fratrum & fratris filiorum, consilij'que totius sententia, Prussis, qui iam inde à Boleslai Criuousti morte à fide principum Poloniæ, & à religione Christiana desciuerant, bellum fecit: transductoque Ossam amnem exercitu, tripartito agmine ad interiora ipsorum penetrauit: ferro & incendijs omnia miscens, & magnas prædas agens. Ea uastatione moti Prussorum primores, cum uires suas impares tanto bello sustinendo esse animaduerterent, quippe qui non plus decem millibus peditum, & sexdecim equitum facere possent, pacem supplices à Boleslao petunt, imperata se facturos pollicentur. Negat is pacem se eis daturum, ni stulta & uana multorum deorū superstitione sese abdicent, & Christianam religionem populariter recipiant. Durius hoc Prussis uidebatur: sed tamen præsentibus iuxtà ac impendentibus malis adacti, accipiunt conditionem: demoliuntur fana & simulacra falsorum deorum: uni uero Deo, quem nos colimus, deiecta aut desolata pridem instaurant: liberos post desertam religionem sibi natos, ritu Christianorum initiant. Et quo celerius religio Christiana in tota Prussia coalescat, tributum quidem exiguum Boleslaus genti imposuit: edixit autem, Quicunque ad certum tempus Christiani facti non essent, ut in seruitutem abducerentur, & sub hasta uenundarentur. Et certatim quidem omnes nomina dabant Christo, sed magis deuitandi præsentis periculi metu, quàm ex animo: & lingua quidem iurat, quemadmodum inquit poeta quidam, mens iniurata manet. Itaque ergo deducto exercitu, & amoto metu, citò ad ingenium redire. Neque enim firmā atque stabilem sedem habere potest religio, ut & metu expressa: quæ, quamlibet foris necessitati seruiat, intus quidem in animo liberrima est. Vixdum circumacto anno, Prussi in pristinum errorem apertè relabuntur: ritus Christianos explodunt: sacerdotes, cæterosque qui constantius Christianam religionem retinebant, ejciunt: templa profanant. Veriti autem, ne extrema quæque pro his quæ patrarant paterentur, ad Boleslaum principem legatos mittunt cum donis magni precij: profitentur se in fide eius permanere, cæteraque omnia iussa eius facturos esse, religionis modo Christianæ necessitatem ut sibi remitteret: multitudinem patrias & auitas religiones neutiquam uelle aut posse abijcere, & omnia prius malle perpeti, quàm ab inueteratis tempore & consuetudine ritibus ad nouos transire. Leuius quàm par erat Christiano principi, uiolatam & neglectam ab ipsis religionem Boleslaus ferre uisus est, cum ij de fide erga ipsum sua nihil mutarent. Itaque sic tunc legatos eorum dimisit, ut factum eorum approbasse uideretur, pluris faciēs suam quàm Dei maiestatem: siue adeò muneribus, quæ sapientum quoque mentibus caliginem offundūt, delinitus. neque cogitabat non habere modum, neque finem, temeritatem, cui semel habenæ impunitate relaxatæ sint. Offendunt autem plerunque homines in eo, quod causæ Dei præposuerint: ut tunc accidit. Nam Prussi uidentes impunè sibi cessisse prima ausa, sublatis animis haud ita multo pōst exactores principis propellunt: facta que manu ualida è promiscua hominum multitudine, Culmensem tractū & Masouiam nec opinantibus nostris ingressi, crudeliter uastarunt ac diripuerunt, ingentesque pecudum & hominum prædas abegerunt. Qua de re certior factus Boleslaus, nihil sibi fecit reliqui ad celeritatem: quin cum paucis, quos circum se habebat, & quos proficiscens sibi adiungere potuit, militibus, auxilio suis accurreret. Sed iam barbari abierant, nec eos longius ille cum paucis cursu defatigatis persequi ausus est. Verùm fremens, & sibi ipse ob superiorem conniuentiam displicens, tunc quidē ditionis suæ fines qualiquali

Boleslai proceritatem.

Prussicum bellum.

Prußi religionem Christianam recipiūt, & mox rursus abijciunt.

Religionis cōtemptus non negligendus principibus.

Prussorum defectio & excursio in Culmensem & Masouiam.

præsidio

1167 ann.
Polonorū expeditio contra Prussos.

præsidio aduersus repentinas barbarorum excursiones muniuit: cæterùm anno sequenti, qui fuit post Christum natum 1167, maiore ui & apparatu expeditionem in eos fecit. Aderant & fratres cum instructis suorum copijs. Barbari sceleris & perfidiæ suæ sibi conscij, desperabant ueniam, nec satis uirium ad sustinendos Polonos habere se iudicabant. itaque in remotas syluas & inuias paludes se cum gregibus & armentis abdunt: nihilominus exquirunt, quomodo nostros dolis & insidijs circumueniant. Erant apud Boleslaum in castris Prussi quatuor perfugæ, non ignobiles, qui sic iam probarant fidem suam Boleslao, ut ijs ducibus & consultoribus in expeditione illa maximè uteretur: erant enim periti regionum, & rerum Prussicarum. Eos Prussi clàm per certos homines, qui & ipsi transfugas se simularant, magnis donis, maioribus promissis, ad proditionem pellexerunt. tempus & ratio proditionis constituitur. Magnam iam Prussiæ partem nostri depopulati, ad syluestria quædam, palustria, & uliginosa loca peruenerant, quæ in speciem herbida & compascua, limosos abscessus & uoragines occultabant: circum hæc, uti conuenerat, latebat Prussorum exercitus. Ubi transfugæ magnum numerum pecoris ad ea loca compulsum esse, magnamque multitudinem hominum cum rebus & facultatibus suis se recepisse affirmant, persuadentque principi, ne prædam illam contemnat. Vbi primum agmen, quod Henricus Sendomiriensis dux Boleslai frater ducebat, ægrè aliquantum progressum est, dictitantibus transfugis perbreuem esse eam difficultatem: ibi signo dato subitò Prussi pedites undique è latebris prosiliunt, & sagittas ac omnis generis tela eminus in impeditos conijciunt. nostri neque progredi iam, aut consistere ex aduerso hostium neque regredi poterant, terra abscedente, & equites ac pedites armatos deuorante: & à fronte quidem & ab lateribus acriter instabant hostes, à tergo uerò nostri extremi primorū receptum implicabant, ita ut nihil omnino uirtuti loci esset, neque submitti subsidia laborantibus possent: quin ut quisque suis opem laturus, aut hostem exultantem in cæde ulturus, procurrerat, ita & ipse se, & illos quibus succurrebat, magis etiam impediebat. Eratque miserabile spectaculum, cum nostri sine ordinibus progreſsi, & inopinato hostium occursu aut impulsi, aut perterrefacti, terga uertebant, seque inuicem proterebant & proculcabant. Multi ibi mortales cæsi, longè plures uoraginibus absorpti sunt. Pauci per cæterorum corpora salui ad extremum agmen, quod firmiori loco substiterat, sese receperе. Ibi Henricus dux inter primos pugnans, fortiter occubuit: ibi omne penè robur Polonorum afflictum atque debilitatum est. Reliquas copias Boleslaus princeps cum Mieczislao fratre nihil cunctati in Poloniam tumultuariè reduxere, ne Henrici quidem fratris corpore recepto, aut perquisito. Prussi mortuorum spolijs potiti, dijs ea suis, quib. uictoriam illam acceptam referebant, cōsecrarunt. Sub finem eiusdem anni edixit comitia Cracouiam Boleslaus cùm alijs de rebus, tum de Sendomiriensi atque Lublinensi ditione, Henrico sine liberis extincto, quid fieri oporteret. Post longam consultationem placuit, ut Cazimiro minimo de filijs Boleslai Criuousti, qui ad eam usque diem exors patrimonij fuerat, principatus ille mandaretur. tametsi Sendomiriensis urbs cum territorio & alijs quibusdam proximis oppidis, consentiente Cazimiro, Boleslao Crispo concessa est, quoad uiueret, quò commodius onera principatus posset sustinere. Nec multo pòst duxit Cazimirus uxorem, Helenam Vuseuolodi Belzensium ducis filiam. Displicuerat id, quod factum erat de Sendomiriensi ac Lublinensi ditione, filijs Vuladislai: existimabantque ij, partem eius aliquam post patrui mortem agnationis iure ad se pertinere. Et iam antè alienioribus erant animis à Boleslao patruo, quòd is munitiones quasdam in Silesia, cū eam ipsis traderet, in potestate sua retinuisset. Residebant etiam in animis eorū iræ ueteres, & dolor exilij, ereptique summi principatus, & Cracouiensis ditionis, quæ utraque hæreditario iure secundum patrem sibi arrogabant. Hæc omnia percōmodam repetendi occasionem oblatam sibi esse arbitrabantur, quòd inuisum esse offensione illa & re malè atque inconsideratè gesta imperium nomenque Boleslai proceribus ac equitibus plerisque animaduertebant. Fortassè non deerant etiam, qui eos in spem recuperandi illa uel omnia, uel pleraque, clàm uocarent, & operam studiumque suum pollicerentur. Itaque apertè querebātur de iniurijs Boleslai principis: arma bellumque ciuile non dissimulanter parabant: è Germania auxilia & mercenarios milites accersebant. Id ubi Boleslaus cognouit, uirium suarum & offensionis popularis sibi conscius, ac ueritus ne latius incendium illud diffunderetur, neu certa finitimarum gentium fiducia rem illam iuuenes inceptarent, per proceres & consiliarios communes de componendis rebus agit, ijsdemque arbitris de summo quidē principatu, ac de Cracouiensi, itemque Sendomiriensi & Lublinensi ditione

Proditio Prussorum.

Poloni profligati à Prussis.

Henricus dux interfectus.

Cazimirus Sendomiriensium dux creatur.

Cazimiri uxor.

Silesiorum duces in Boleslaum principē concitantur.

ditione postulata filiorum fratris modestè refutauit, quòd Cracouiensem ditionem cum summo principatu totius Poloniæ consensu coniunctam esse diceret: principatum autem iustè electo patre eorum, summa omnium uoluntate ad se delatum, & alioqui illo è uiuis sublato, ad se qui illi esset natu proximus, nō immeritò attinere. Porrò Sendomiriensem ac Lublinensem ditionem rectè fratri Cazimiro datam, quem non oporteret exortē esse patrimonij. Et eam fuisse mentem patris, ut is cæteris fratribus absq; liberis decedentib. succederet. De Sendomiriensi nonnihil se uoluntate eius detraxisse, quo rectius onera ac dignitatem principatus sustineret. Idem se fecisse in Silesia, cùm fratribus cæteris, tum senatu uniuerso assentiente. Sed tamen liberaliter se eis remittere & condonare, quæ ad eam usque diem in Silesia retinuisset, quo maiorem in se patrui benignitatem agnoscerent. Quo iuniores illi essent, hoc impensius se, qui senior & usu rerum peritior sit, rebus eorum consulere æquum esse, ne temeritate sua, aut prauis aliorum consilijs seducti, eant præcipites. Ita deliniti iuuenes Boleslai commoditate & facilitate, procerumq; persuasione conquieuerunt, & nascens etiamdum perniciosum bellum suppressum est. Non cessarunt tamen seditiosi quidam e Cracouiensi ditione homines equestris ordinis res nouare. Etenim conspiratione facta, cuius capita fuere, Iaxa, cuius superius mentionem fecimus, & Suentoslaus, potentes & factiosi homines, ad Cazimirum Sendomiriensem ac Lublinensem ducem, ætate & gratia populari florentem, summum principatum deferebant: Boleslaum perosi, quod ignauum & imbellem, & ineptiorem ad obeunda principatus munera esse dicerent: simul ut Miezislao, qui ætatis beneficio Boleslao succedere debebat, uiam præcluderent, de quo non optimè sentiebant. Et egit quidem ipsis gratias Cazimirus de studio ac iudicio: cæterum principatum delatum modestè recusauit, quòd negaret suum esse, fratri maiori & optimè de se merito principatum eripere, quem omni ope defensum & adiutum ire deberet. Illos quoque non æquum facere, qui tot annos clementi & moderato illius imperio usi, ad extremum quasi uetulum canem cum expellerent: & quidem benè merentem, & æquitate animi prudentiaq; sua potius, quàm armis exorientia bella amolientem. Nam cladem Prussicam, qua maximè offenderentur, non tam temeritate eius, quàm diuino permissu acceptam esse. Neminem neque tam felicem esse, neque tam omnibus horis sapere, quin offendat aliquando: perturbari etiam interdum diuinitùs consilia principum, & benè consulta male cadere, propter peccata populi. Quòd si deterius etiam aliquantò principatum administrasset, quàm administrarit Boleslaus, ferri tamen cum conueniret, propter patris Boleslai optimi & maximi principis memoriam: in quem ingratissimi futuri essent, si progeniem eius, tolerabiliter tamen imperantem, de principatu, quem ille maiorem in modum auxisset, ornassetq;, deijcerent. Se quidem non modò non fore socium eius consilij & periurij, uerùm etiam summo conatu fratri coniunctissimo & beneficentissimo opitulaturum esse. Ita rursus gliscens ciuile dissidium Cazimiri grauitate & constantia sopitum est. Præerat tunc quartum decimum annum Plocensi ecclesiæ episcopus Vernerus, equestri Rosarum familia, integritate & sanctimonia uitæ clarus, & eleganter eruditus: ei per uim & iniuriam Bolesta uir potens & uiolentus, ex ea familia ortus, quæ soleam equi cum cruce altrinsecus superposita insigne gerit. Carseum pagum adimebat. Erat autem is castellanus Viznensis, & oram illam Prussis finitimam pro Boleslao Crispo administrabat. Eum igitur comiter & blandè Vernerus per se & per amicos orat & admonet, ne uim faciat ecclesiæ Vbi nihil proficit, in ius uocat: causam obtinet: in possessionem reponitur. Molestissimè id ferebat Bolesta, multaq; maledicta in mansuetum episcopum ingerebat, & necem ei machinari cœpit. Erat ei non modica cum uicinis Prussis consuetudo: qui cum non pauci fortè ad eum uel ius petituri, uel compotaturi conuenissent, acceptos lautè, & benè potos, promissis etiam oneratos, noctu ad obtruncandum Vernerum, qui tunc fortè ad Biscupice uillam suam uenerat, cum*Benasso fratre suo germano misit. Peragunt illi iussa: effractisq; portis, in cubiculo dormientem episcopum cum fratre Benedicto, monacho Benedictensis sectæ, trucidant. Delituerat per eum tumultum sub lecto episcopi puer cubicularius: is igitur authores sceleris prodidit. Re cognita, archiepiscopus Gnesnensis Petrus, familia Szenauitus, qui Ianico non multò antè successerat, de consilio & uoluntate cæterorum episcoporum toti prouinciæ suæ sacris interdixit. Motus & atrocitate facinoris, & interdicto Archiepiscopi Boleslaus princeps, comprehendi Bolestam, & ex uinculis causam dicere apud se, condemnatumq; in foro Gnesnensi, ubi hæc agebantur

Cracouiensis & to principatui addicta.

Pacificatio inter cognatos duces.

Cracouiensis nobilitatis motus contra Boleslaū principē.

Cazimiri moderatio & sapientia.

Vernerus episcopus Plocensis Bolestæ fraude occisus. Bolesta familia.

Petrus archiepiscopus Gnesnensis. Interdictum archiepiscopi. Bolesta parricida uiuus exustus.

agebantur extructo rogo cremari iussit. Benassus uero post patratum illud scelus nusquam postea comparuit: creditumq; est uulgò, cum terræ hiatu absorptum, meritum sancto episcopo supplicium expendisse. Verneri corpus Ploscum delatum, honorificè sepultum est. Nec ita multo pòst uarijs & salutiferis hominum generi miraculis cœpit sepulchrum eius celebrari. cui Lupus gente Gozembius custos eius ipsius basilicæ successit. Aliquot deinde annis quibus uixit Boleslaus Crispus, quietæ fuerunt res in Polonia, neque memoratu dignum quicquam gestum est. Postea moritur Boleslaus, & Cracouiæ sepelitur, anno Christi 1173, cum principatum Poloniæ annos 17. tenuisset, uixisset sex & quadraginta, relicto uno filio Lesco, cui posterius Albi cognomen inditum est. Nam maior natu Boleslaus paulò ante patrem obierat. Moriens tutelam filij Cazimiro fratri commendauit, eumq; hæredem filio substituit. Supellectilem autem omnem inter eundem fratrem, filium & uxorem partitus est. Quo quidem anno etiam Stephanus tertius Geisæ filius Vngarorum rex uita excessit, continuato ferè funere cum duobus patruis Ladislao & Stephano, qui alter post alterum infeliciter regnum eius inuaserant. Huic autem frater germanus Bela tertius succesit. Porrò sequenti anno cum Vuladislaus rex Bohemorum senio confectus, Fridericum filium natu maximum inconsulto Friderico imperatore pro se regnum administrare iussisset, successorem ab imperatore accepit Sobeslaum, Sobeslai filium, patruelem suum, quem aliquandiu in uinculis asseruarat. A quo cum sibi metueret, solum uertit cum uxore & liberis, & intra quartum mensem in Germania diem clausit supremum. Sobeslaus autem regio nomine abstinens, principatū paucos annos gessit: ac totus tunc ferè orbis Christianus mutuis bellis collidebatur. Veneti quidem cum Vngaris & orientis imperatore Emanuele de Dalmatiæ dominatu decertabant. Idem autem Emanuel ab Alexandro pontif. max. non ignarus inimicitiarum eius cum Friderico Barbarossa, magnis pollicitationibus ac donis occidentis imperium ambiebat. In Anglia Henricus rex Thomam Canthuariensem archiepiscopum, uirum sanctum, libertatem & immunitatem ecclesiasticam defendentem, cum occidisset, à filio regno pellebatur. Porrò Fridericus Imp. Langobardiam & Italiam uexabat, Germaniæq; motus ab Henrico Saxonum duce concitatos compescebat. Verùm nos à nostris ne longius recedamus. Ante obitum Boleslai Crispi, Gedeon gente Gryphius, post Matthæum, hominem gulosum & helluonem, qui Roberto, uiro bono, pioq;, Radosti successori successerat, episcopus Cracouiensis factus est: & ab Archiepiscopo Gnesnensi Petro, ut tunc moris erat, assentiente Boleslao, confirmatus. Qui postea Kelce oppidum in remotis syluis condidit, in eoq; templum secto lapide exædificauit, & collegium sacerdotum primariorum, quos Prælatos & canonicos uocant, iuxtà ac uicariorum ibi instituit, cum eis pagos ac decimas attribuisset. De Matthæo uerò illud memoratur, eum Boleslai principis nuncium, subsidium in sumptus belli postulantem, ad latrinam duxisse, & spurcè ibi facultates suas reconditas esse dictitasse. Per eadem ferè tempora Crusuiciensis cathedra Vuladislauiam translata est ab Honoldo Italo, eius oræ episcopo.

Miracula ad Verneri sepulchrum. Lupus episcopus Plocensis. Boleslai mors. 1173. ann. Lescus Boleslai filius. Stephanus rex Vng. mortuus. Bela rex Vng. Vuladislaus rex Boemorū regno motus. Sobeslaus dux Boemis datus ab imperatore. Veneti cum Vngaris & Græcis bellū gerūt. Emanuel ambit occidentale imperium. Thomæ Cantuariē. archiepiscopi cædes. Angliæ rex regno pulsus. Friderici imp. acta. Gedeon episcopus Cracouiensis. Episcoporū cōfirmatio ab Archiepiscopo. Kelcense oppidū & collegiū à Gedeone episcopo cōditū. Matthæi episcopi Cracouien. ingluuies. Vuladislauiam translata sedes episcopi.

MIEZISLAVS SENEX.

Boleslai Crispi funebribus exequijs peractis, conuentus Cracouiæ à fratribus eius, fratrisq; Vuladislai filijs, & proceribus cunctis, de creando nouo principe instituitur. Et quanquam omnis eius oræ, quæ minor Polonia dicitur, procerum & equitum studia in Cazimirum inclinabant: uicit tamen maior pars, quæ Miezislaum, qui maiori Poloniæ & Pomeraniæ præerat, utpotè natu maiorem, nequaquam prætereundum esse censebat. Verùm is, qui puer ob grauitatem morum & prudentiam, senis cognomen adeptus erat, suscepto principatu, prouecta iam ætate, spes hominum fefellit. Nam consultore malo Henrico Ketlicio utens, initio statim aspero, & auaro dominatu, hominum uoluntates offendit: noua onera, noua uectigalia, & uarias exactiones equitibus iuxta ac plebeis imponens: & leuibus de causis, uelut ob cæsum ursum aut ceruum, captamue dorcam, bonorum confiscatione mulctans. Solius enim tunc principis erant in Polonia omnes ubique uenationes. Ad hæc, præfectos etiam suos & ministros aulicos in possessiones & facultates aliorum grassari aut iubebat, aut certè permittebat: neque afflictorum querimonias audiebat, sed eos inclementioribus dictis à conspectu suo repellebat.

Miezislaus mutauit mores. Miezislai asper dominatus. Venationes principis erāt in Polonia.

ludicia

Iudicia & alia munera publica quæstuosè mandabat: ita ut mirum non esset, plura peccari ab huiusmodi magistratibus, quàm ab ipso principe. Vendebant enim liberè, quæ ipsi emerant. Audiebantur uulgò suspiria, gemitus, & querelæ calamitosorum hominum: quibus permotus Gedeon Cracouiensis episcopus, uir magni animi & constantiæ, Miezislaum semotis arbitris adit: mixtisq; cum grauitate blanditijs, orat & admonet placidè & benignè, more maiorum ut regnet: contentusq; usitatis uectigalibus, & operis hominū, ne quid præterea à libero populo exigat, abhorrere enim uehementer animos populariū à nouis oneribus, quamuis leuibus. Magistratus ritè atq; ordine dignis hominibus mandet, neu quid iniustè aut crudeliter ab eis fieri patiatur. Eius enim periculo omnes eius uicarios & ministros peccare: commemorabat nonnulla exempla domestica, uetustiora & recentia, quibus eum ab instituto deterrebat. Sed nihil planè profecit, nisi quòd infensum eum sibi reddidit, & ita dimissus est, ut sua curaret: illa ad ipsum nihil pertinere. Addiditq; princeps: non ad cuiusquam præscriptum, sed suo arbitratu se gesturum esse principatum. Tam superbè & procaciter reiectus Gedeon, haud remisit tamen sollicitudinē subueniendi afflictæ patriæ, atq; emendandi tyranni. Cum autem apertis monitis suis præclusum esse aditum ad aures eius intelligeret, callidè comminiscitur, quomodo suo eum sibi iudicio reuincat, mulierem subornat, quæ sordido & miserabili habitu assumpto, ubi in conspectum principis uenit, lamentabili uoce & eiulatu ementito opem eius implorat. Motus eius lachrymis & importuno clamore Miezislaus, accitā quid queratur, quidúe sibi uelit, rogat. Ibi illa: gregem se ouium numerosum habuisse, & filio commendasse, illum porrò mediastinis pascendum commisisse: eorum negligētia gregem à lupis dilaniatum, seq; ad extremam inopiam inde redactam esse: rogare, ut cuius culpa damnū datum esset, ab eo præstaretur. Citati mediastini, qui pariter subornati uenerant, negant sua negligentia damnum datum esse: uerùm adolescentis, qui priuignus, non filius esset eius mulieris, culpa. Eum enim uenationi deditum, feros canes alere: qui soluti, partim ipsi gregem laniarint, partim disiectum ac dissipatum lupis in prædam dederint, eum igitur damnum præstare oportere: se neq; canes abigere, neq; dispersis ouibus succurrere potuisse. Aderat & adolescens, crimenq; in mediastinos referebat: se præsidio gregi canes alere: neq; tamen satis illorum dicta refellebat. Cognita causa Miezislaus, cum nonnihil cogitasset, condemnat matri siue nouercæ adolescentem damni infecti. Approbant, qui tum aderant senatores, principis iudicium, ibi tum Gedeon: Iustè, inquit, & sapienter iudicasti, princeps inclyte. Adolescens certè maternæ calamitatis & laniati gregis culpam sustinet, quippe qui eiusmodi canes apud regem habuerit: & relaxarit: qui non modò præsidio gregi aduersus lupos non fuerunt, uerùm ipsi uel concerpserunt, uel certè dissiparunt, quo magis luporum morsibus esset obnoxius. Verùm tunc demum iusti & ueri iudicis functus eris officio, si iudicatum ipse facias: & quæ in alios statuis, primus ipse in te præstes. In te ipse nunc iustā tulisti sententiam: te ipse condemnasti. Tu filius es huius amplissimæ & florentissimę dudum reipub. Sed tu te priuignū eius dici mauis. Tametsi non tam tua culpa hæc est, quàm aliorum. Te illa in lucem editum, ac tenerè educatum, ad hoc honoris fastigium extulit: tibi gregem suum, seq; ipsam curandam atq; tuendam commendauit. Tu porrò gregem eum numarijs iudicibus & magistratibus tradis: tu feros canes, hoc est, acerbos & crudeles exactores & præfectos facultatibus & sanguine innocentium hominum saginas: quorum cæca cupiditate & asperitate fit, tenuiores ut à potētioribus, perinde quasi à lupis impunè diripiantur & opprimantur. Hæc damna omnia ac incōmoda reipublicæ tibi præstanda sunt, quemadmodum ipse iudicasti, si nō humano, at diuino quidem certè iudicio: quod nemo, quamuis magnus, quamuis potēs, quamuis sapiens recusare potest, aut effugere. Quanquam autem te uolente ac iubente ista fieri, uita abs te antè acta, cuius meritò senis cognomen iam inde à puero meruisti, credere uetat, in te tamen omnis culpa hæret, tu mali occasionem das, dum canes illos tuos nō coërces, dum lupos non persequeris, dū deniq; precio magistratus addicis. Resipisce igitur, & miseram sordidatamq; matrem, afflictam rempublicam, quam florentem accepisti, respice: ne eas perditum, quam seruare debes. Si præstare præterita non uis, aut non potes, at in posterum ne quid loci querelis hominum relinquas. Ita autem existimato, per me tibi nunc uniuersam rempublicam ad genua tua accidentem supplicare. Quod si preces eius repudias, illa quidem fortasse diuinitùs salutem & præsidium nacta fuerit: at tu ultorem Deum experiēre, seueriorem fortasse, quàm cognominis tuus Miezislaus rex, quàm Boleslaus eius nominis secūdus, maiores tui, quàm Vuladislaus frater: quàm deniq; omnes, quicunq; usquam auarè & crudeliter

Magistratuum peccata.

Gedeon episcopus corripit principem.

Miezislai contumacia.

Sapiens commentum.

Gedeonis oratio liberior ad principem.

Numarij iudices.

dominati sunt: quandoquidem eorum exemplis & exitu non commoueris. Incensus hac oratione episcopi Miezislaus, fremens è senatu sese proripuit: multa Gedeoni, multa cæteris senatoribus, qui Gedeonis dicta approbare uidebantur, minitans: & plusculum iræ & odio suo indulgens, grauior etiam deinceps hominibus esse pergit. Fortè is in maiorem Poloniam proficiscebatur: eam occasionem nacti primores, cum auctam etiam esse monendo acerbitatem principis uiderent, & minas atq; sæuitiam eius cum animis suis reputarent, conueniunt certo loco, & secretò inter se de salute sua & reipublicæ consultant. Princeps Gedeon, amouendum esse principatu Miezislaum, tam præfractum & impotenter dominantem, censet. Eius sententiam sequuntur cæteri: sed unus omnes premebat scrupulus, quem ei successorem darent. Ibi Stephanus palatinus Cracouiensis, Cazimirum Sendomiriensium ducem nominat: grauitatem eius, humanitatem, facilitatem, iustitiam, solertiam, uigilantiam, & animi moderationem prædicat, iudicium ac diligentiam in mandandis iudicijs & magistratibus, liberalitatem in remunerandis rectè factis, seueritatem in puniendis sceleribus & flagitijs etiam suorum ministrorum, in primis laudat. Quàm sit fratri dissimilis, uel uno facto eius posse recognosci. Accidisse aliquando, ut cum aulico quodam suo equite, Ioanne Conario, alea luderet animi oblectandi gratia. Incensum utrunque uincendi studio, in profundam noctem ludum produxisse: pertæsos deinde ludi & uigiliarum, uno iactu summam reliqui lusisse: uincentemq; Cazimirum, & quod lucratus erat argentum non modicum auferentem, palma manus in faciem à Conario ictum esse: illumq; noctis beneficio elapsum, postridie inuentum, & ad Cazimirum adductum. Clamantibus autem cunctis, eum capitis pœnam commeruisse, qui principis maiestatem imminuisset: Minimè gentium, inquit Cazimirus, eum occidi oportere, qui dolore grandis iacturæ incogitans deliquisset: & cum fortunam, à qua damno affectus erat, ulcisci non posset, in se fortunæ alumnum commotus esset: se magis in culpa esse, qui conditionis suæ ac dignitatis oblitus, eum ad ludendum prouocâsset. Non modò igitur se illum absoluere, uerùm etiam gratias ipsi agere, quòd se ictu illo admonuisset, ne quid indignum principe in se admitteret, neu se ludo, aut ulli rei leui ac inhonestæ deinceps daret. Sic igitur illum principem, seueriorem in sese quàm in alios iudicem, homini à quo læsus erat, omnium iudicijs damnato, indulsisse. Quin & argentum omne quod ludo quæsierat, ipsi reddidisse. Ad eum igitur deferendum esse principatum: eum iure & more Miezislao succedere debere: eum fama uirtutum suarum & gratia plurimùm ualere apud omnes ordines, ita ut ei nihil negocij futurum sit: uim Miezislai, si is principatum repetat, repellere. Si recuset, consensu suo & authoritate reip. cuius ipsi personam sustineant, uel inuitum cogendum esse, ut causam publicam suscipiat. Huic sententiæ cum omnes assensi essent, indidem ad Cazimirum rectà contenderunt: eum recusantem, & pietatem suam, ætatisq; fraternæ prærogatiuam causantem, & repudiatum à se prius eundem principatum commemorantem, excipiunt illi & refellunt: quòd dicerent, longè diuersam esse rationem huius temporis à superiori: quòd tunc quidem priuatorum quorundam consilio & conspiratione delatum principatum non sine iusta suggillatione uiolati officij in optimè de se meritum, & iustè imperantem fratrem Boleslaum, accepturus fuerit. Nunc uerò Miezislai mores atque tyrannidem publicè perosis omnibus, neque diutius tolerare ualentibus, à publico eum consilio rogari & flagitari, ut afflictæ & oppressæ patriæ subueniat. Si persistat recusando, uideat, ne ingratus & impius in patriam iudicetur, néue ea aliunde opem sibi petere necesse habeat. His atque alijs dictis uix tandem eum, ut postulatis suis annueret, impulerunt. Sic Miezislaus cum non multum supra quatuor annos asperè & impotenter dominatus esset, absens principatu deiectus est, anno post Christum natum 1177. Quo quidem anno cum Alexander tertius Pontifex Max. Friderici imperatoris uim metuens, ad Venetos confugisset, & Ottho imperatoris filius cum classe pontificem repetens, à Venetis uictus & captus esset, pax Italiæ reddita est. In Asia uerò Emanuel Orientis imperator in prælio quodam captus à Turcis, mox ex pacto dimissus, paulò pòst obijt, Alexium filium puerum adhuc hæredem relinquens. Quem cum breui Andronicus, tutor à patre datus, extinxisset, imperium uacans occupauit. Ad nostra reuertamur.

Miezislai contumacia.

Procerum de principe consultatio.

Cazimiri Sendomiriēsiū ducis laus. Iustitiæ & moderationis insigne exemplum.

Cazimirus reluctās ad principatum uocatur.

Miezislaus quandiu principatum obtinuerit. 1177. ann.

Alexander papa tertius fugit ad Venetos.

Otho Pri. imp. filius captus.

Emanuel Const. imperator captus & mortuus.

CAZIMIRVS.

CAzimirus igitur ad ineundum principatum, redigendumq; in suam ditionem Cracouiensem tractum qui principatui peculiariter attributus erat, paruo comitatu profectus est: ne non accitus, sed uelut inuasor alieni, uenire uideretur. Venienti magna cum lætitia & gratulatione obuiam prodijt ingens omnis generis atq; ordinis multitudo, liberatorem & seruatorem eum salutans. Cracouiensis quoque urbis atq; arcis portę ei apertę sunt, & breui nemine aduersante rerum potitus est. Certior autē de exclusione sua factus Miezislaus, cum intelligeret summo totius conuentus Cracouiensis consensu Cazimirum fratrem receptum esse, & ita se comparare, ut nihil domesticas ipsius uires atq; potentiam reformidaret, ad externa sibi auxilia confugiendum existimauit. Habebat magnas cum finitimis principibus necessitudines, plerasque affinitatibus constitutas. Nam generi eius erant Sobeslaus Bohemorum princeps, Saxonum item atque Lotariorum siue Lotoringorum duces, quemadmodum uult Dlugossus. Ac apud Saxonas quidem Henricum, cuius mentionem superius fecimus, tunc dominatum esse, eundemq; Norico præfuisse reperio. De Lotoringo uerò nihil constat: nec eum, aut quenquam alium præter hos duos Miezislao generum tunc fuisse Vincentius memorat, quorum is opem implorarit. Hi uerò rogati, nihil tunc opis socero attulerunt, partim domesticis dissensionibus atque bellis, partim auxilijs imperatori mittendis in Italiam & Asiam, quemadmodum Dlugossus scribit, impediti. Sobeslaus quidem Bohemus à Friderico Vladislai defuncti regis filio graui bello premebatur: à quo etiam ad extremum uictus, & principatu eiectus est. Saxonum uerò dux Henricus cum Fridericum imperatorem in Langobardia bellum gerentē deseruisset, et Germanos in eum concitaret, absens in comitijs Germanorum damnatus ab imperatore, dominatu ferè omni exutus est: ut scribit H. Mutius. Nam Asiatica expeditio posterius à Friderico comparata est. Deiectum autem de spe externorum auxiliorum Miezislaum, ac de recuperādo principatu sollicitum, grauior etiam casus perculit. Otto enim filius eius natu maximus, procerum quorundam fauore & ope fretus, maiorem etiam Poloniam, quæ in fide Miezislai adhuc erat, occupatis nōnullis arcibus & munitionibus, ipsi eripuit, missisq; ad Cazimirum legatis, in potestate eius fore se, & imperata facturum recepit: iratus patri, quòd is præcipua quæq; ditionis suæ natu minoribus filijs, è tertia uxore susceptis, destinabat. Lubens hoc accepit Cazimirus, & potiri paternę ditionis Ottonem facile passus est: Gnesnam modò, propter ueterem loci dignitatem, quippe quæ metropolis Poloniæ fuisset, in potestatem suam redegit. Exemplum Ottonis Pomerani quoq; proceres secuti sunt, & in Cazimiri fidem se contulerunt. Atq; is citeriori quidem Pomeraniæ, cuius Gdanum, siue Dantiscum caput est, Samborium comitem Ziræ, quem Lesco puero fratris filio curatorem dederat, filium, ut uult Vincentius: ulteriori uerò, quæ Slupensis, & corrupto nomine Stolpensis dicitur, Boguslaum siue ducem siue comitem gente Gryphium præfecit. Quorum uterque posteriori tempore non pro præfecto, sed pro domino atq; principe gerere se cœpit, conciliatis sibi popularium & uicinorum studijs. Quanquam perplexi hic sunt nostri scriptores, quod ad res Pomeranicas attinet. Nam qui hic Pomeraniam omnem à Miezislao ad Cazimirum deficientem, duobus præfectis gubernandam mandatam esse scribunt, ijdem alibi ante hæc tempora Sobeslaum, & filios eius Mesciugum & Samborium duces Pomeranorum memorant: Boguslaum etiam à Criuousto Boleslao Pomeranis & Cassubijs ducem datum esse testantur. Ad hæc Boguslaum patrem & filium duces maritimæ oræ, generos Miezislai: Pomeranorum uerò et Rugianorum ducum filias cum eiusdem Miezislai filijs nuptas fuisse produnt. Posterius autem Lescum principem, Pomeranorum precibus exoratum, quòd ij quererentur nimis longè se à principe, Cracouiæ ferè degente, ius petere Suentopelco Mesciugi ducis filio præfecturam Pomeraniæ cum summa potestate mandasse, & Gdanensem Succensemq; palatinos ei parêre iussisse: atq; eum ipsum deniq; Suentopelcum principatum Pomeraniæ arripuisse. Nos hanc difficultatem sic explicabimus. Pomeraniæ nomen longè lateq; patuit, atq; etiam nūc patet, in eo tractu, qui est secundum mare Sarmaticum, unde etiam nomen habet. Eam à suis ducibus longè ante hæc tempora gubernatam fuisse, testes sunt Saxo Grammaticus Danicæ historiæ scriptor, & Albertus Crantius, & nos etiam superius aliquoties indicauimus. E quibus Varcislaum, de Popeli fortasse posteris ortum, Boleslai Criuousti opera cum gente sua ad religionem Christianam conuersum fuisse illi memorant. Nos etiam è Dlugosso et Vincen-

Miezislai conatus ad recuperandū principatum.

Miezislai affines.

Bohemici motus.

Sobeslaus principatu eiectus.

Henricus Saxo dominatu pulsus.

Miezislaus senex ab Ottone filio pulsus.

Gnesna Cazimiro conceditur.

Pomerani à Miezislao ad Cazimirum deficiunt.

Pomeraniæ præfecti.

Gdanensis & Succensis palatini.

Pomeraniæ descriptio, & nomen.

Pomeraniæ ulterioris duces.

tio magnam Pomeraniæ partem ab eodem Boleslao detractam: reliquæ Boguslaum (Varcislai illius, ni fallimur, filium) ducem datum, seu uerius relictum esse retulimus. Hic autem Boguslaus cum à Friderico incitatus Danos bello prouocasset, ut scribit Crātius, ab eis uictus fractusq́;, Vologostum, Iulinum, Olnam, Camenum urbes, & alia nonnulla minora oppida à Danis capta, amisit. Cætera, ut uidetur, retinuit, cum se ad Polonorum opes contulisset, in quorum fide & clientela metu Danorum deinceps etiam mansit. Atq; hæc est Pomerania Slupensis, siue Stolpensis, à Polonis remotior. Citerior uero à Boleslao Criuousto subacta, à præfectis eius, ac deinde filij eius Miezislai cognomento senis administrata, cum ad Cazimirum, uti dudum ostendimus, defecisset, ab eo Samborium satrapam siue præfectum accepit: qui & ipse postea pro principe se gessit, & Oliuense monasterium uno ab urbe Gdano milliario Cisterciensibus monachis condidit. Lescus deinde Cazimiri huius filius, Poloniæ principatum adeptus, Suentopelcum Mesciugi (siue is Samborij frater, siue alioqui præpotens in ea gente uir fuit) filium oræ illi præfecit: ad quē ij Pomerani, qui à Danis subacti erant, defecerunt: quo successu ille auctus & elatus, contemptis Polonorum uiribus & imperio, principatum arripuit, aut certè à patruo patreq; suo, dissimulanter tamen, usurpatum, apertè & ex professo sibi uendicare & gerere cœpit, & ad posteros transmisit. Fieri autem potest, ut librariorum errore, Mesciugi & Samborij pater Sobeslaus pro Zitoslao, qui idem est Zira, apud Vincentiū ac Dlugossum legatur. Nec inusitatum est Dlugosso temporum rationem peruertere, et nonnullos non suis titulis appellare: quod hic quoq; accidere ei potuit: nempe ut ante hæc tempora ducum nominibus appellauerit eos qui posterius ea usurparunt; et generos affinesq; Miezislai uocarit, qui postea facti sunt, uel etiam nunquam fuerunt. Vincentius quidem Mesciugum duntaxat quæstorem & generū fuisse Miezislai memorat. Recuperauere deinde Poloni magnam Pomeraniæ citerioris partem, id quod suo loco narrabitur. Vlteriorem uero partim cùm ab alijs uicinis, tum à Marchionibus Brandenburgensibus accisam, partim exterioris detrimentis auctam, duces etiamnum retinent: sed stirpis Germanicæ, & Romano imperatori obnoxij. Tametsi ijdē Bythouiæ arcis, & Lemburgi urbis nomine beneficiarij sunt, & clientes regum Polonorum. Sed nos ad historiam cursum reflectamus. Pulsus & exclusus omni suo dominatu Miezislaus, Ratiboriam cum uxore & liberis se recepit. Inde ad Fridericum imperatorē affinē suum profectus, cum nequicquā opem eius implorasset, propterea quòd is & Italicis rebus distinebatur, et in Asiam expeditionem parabat: reiectus & omni auxilio destitutus, ad fratris misericordiā per internuncios confugit: nec sanè durū se & inexorabilē Cazimirus fratri calamitoso, & supplici, & sum̄o principatu sese abdicanti, suamq; modò portionem petenti, præbuit. Indignum enim iudicabat, fratrem nihil malè unquam de se meritum, filij scelere omnibus fortunis exutum, exulare & egere: commouebat etiam eum ingens illa in fratre fortunæ mutatio, et inconstans humanarum rerum conditio. Itaq; ad senatum de reuocando Miezislao, & ad dominatum suum restituendo refert. Grauiter cunctus senatus, et non obscuro murmure eam orationem principis excepit: petitoq; seorsum ab ipso colloquendi & consultandi spacio, obiurgat principem, quòd priuatum officium publicæ saluti atq; trāquillitati anteferret, præsentemq; pestem optimè de se merenti patriæ, ac sibi ipsi quoq; uellet accersere. Illum nunquam conquieturum, neq; ullam recuperandi summi principatus occasionem prætermissurum esse: nihil de moribus & crudelitate sua mutaturū, eiectionis suæ recordatione. Desineret itaq; restitutionis illius mentionem facere, aut ipse quoq; sibi ab infensa Miezislao multitudine caueret. Hoc responso senatus deterritus Cazimirus gratias agere singulis de tam constanti erga se uoluntate, neq; quicquam deinceps apertè de reuocando Miezislao mouere: clàm tamen, uincente misericordia & pietate, impensius ipsi fauere, & ut sibi aliqua ratione prospiceret, monere: non aduersante se id facturum esse. Habebat Miezislaus filiam nuptam cum Mesciugo, cuius mentionem paulo antê fecimus, siue is oræ maritimę princeps fuit, ut uult Dlugossus: siue satrapa et quæstor Miezislai in Pomerania, quemadmodum Vincentius prodidit, qui cum Miezislao in illa demum aduersa ipsius fortuna generum factum esse indicat. Florebat autem is opibus & gratia populari inter Pomeranos. Eius igitur opera reconciliatis sibi Pomeranis, & collecta aliquanta manu, inopinantibus omnibus Gnesnam intercepit: nec mora, complures alias munitiones partim ui, partim per deditionem recepit, non ignaro, uerum conniuente Cazimiro. Quibus rebus consternatus Otto, petita & impetrata uenia, patris potestati sese omniaq; permisit. Sic Miezislaus post biennium rursus omni dominatu suo à patre attributo potitus est. Cazimirus uerò

Varcislaus dux Pomer. Christianus.
Boguslaus dux Pomeranorū à Danis uictus.
Boguslaus in clientela Polonorum.
Stolpensis.
Pomeraniæ citerioris ducum origo.
Samborius satrapa.
Oliuense monasterium cōditum.
Suentopelcus præfectus Pomeran. principatum arripuit.
Dlugossi incuria.
Mesciugus quæstor & gener Miezislai.
Pomerania ditionis Polonicæ.
Pomeraniæ fines mutati.
Pomeraniæ duces clientes imperat. & Polon.
Miezislai exilium.
Cazimiri pietas.
Senatus principi aduersatur.
Miezislaus Pomeranorum ope ditionem suam recuperat.
Otto Miezislao patri recōciliatus.

uerò initio statim principatus sui uectigalia illa & labores, cæteraq; onera, quibus instituendis & exigēdis Miezislaus offenderat, sustulit: iudicia correxit; magistratuū licentiam coercuit, infimamq; potestatē circumscripsit: calumniatores uel exilio mulctauit, uel inusta fronte aut facie notauit. Ad maiora deinde animū intēdit. Inoleuerat superiorum principum negligentia & conniuentia, prauus & barbarus mos apud proceres & equites Polonos, ut iter facientes, quocunq; & ubicunque collibitum esset, agros atq; prata agrestium & oppidanorum depascerentur, ac non modò pabulum, sed etiam uictum omnem ipsis imperarent, siue adeò ipsi effractis horreis atq; cellis per uim auferrent: neq; contenti quantum libuisset absumpsisse, reliquum etiam maliciosè profundebant, dissipabant, & corrūpebant, iumenta e pascuis & stabulis, atq; etiam iuncta curribus & aratris, utēda, uel potius ad cursum abutēda abducebāt: eaq; uel defatigata & enecta dimittebāt, uel si fortè placuissent, retinebant, & usurpabāt. Ad hæc in possessiones & facultates morientiū episcoporum, ac cæterorum sacerdotum inuadebant, easq; crudeliter diripiebant. Quin & præfecti principis idem faciebant, & principis horrea, prædia, sicutiq; bonis cultus diuini ministris & egentibus addictis, augebant. Hæc quamuis iniqua, iniusta, crudelia, et impia, quamuis acerba miseris hominibus & intolerabilia: tamen quia longa consuetudine inueterauerant, legisq; uim propemodum obtinebant, & à proceribus, quibus erant utilia, defendebantur, perdifficile erat abrogare. Sed tamen anno Christi 1180 comitiis apud Lenciciam habitis, omni cura studioq; contendit & perfecit Cazimirus, & legē pertulit, qua barbari illi & indigni Christiano populo mores ac abusus omnino sublati sunt. Ac ne quando reuocarentur, octo episcopi, qui in ijs comitijs aderant, de synodi eam ob rem institutæ sententia, graui anathemate, audiente et assentiente uniuerso conuentu execrati sunt, dirisq; deuouerunt, quicunque in posterum agricolæ cuipiam pabulum, annonam, obsonium iumentumúe ui aut arte aliqua, præterquam ad hostium aduentum denunciandū rapuisset, rapiúe iussisset: item qui in bona episcoporū & sacerdotū decedentium inuasisset, aut inuasorem recepisset, adiuuisset, defendisset; quocunque is tandem esset genere, honore ac dignitate etiam summa, præditus. Fuêre episcopi qui hæc decreuerunt, Zdislaus archiepiscopus Gnesnensis, qui non multo antè Petro defuncto successerat, Gedeon Cracouiensis episcopus, Zyroslaus Vvratislauiensis, Onoldus Vvladislauiensis, Cherubim Posnaniensis, Lupus Plocensis, Conradus Camenensis, Gaudentius Lubussensis. Interfuerunt etiam ijs comitijs Otto Posnaniensis, Boleslaus Vvratislauiensis, & Lescus Masouiensis, duces. Deinde legati ex eo cōuentu ad pontificem maximum, de confirmando salutari illo & pio decreto simul & constitutione missi, facilè quod petebant, ab Alexandro tertio impetrarunt. Domesticos quoq; motus quosdam per ea tempora excitatos, optimus princeps placidè & sine bello cōposuit, ita ut nulla non pars reip. curata, ac melius quàm unquam cōstituta esse uideretur. Obtinebant Silesiæ dominatū certis ac distinctis finibus Vvladislai filij, quēadmodū superius exposuimus, ex his Miezislaus sorte sua non contentus, Vvratislauiā Boleslao ademerat: uerùm Cazimirus inter eos pacē fecit, & Boleslao quidem Vvratislauiā restituit, Miezislao uerò, quò æquiori animo conquiesceret, Osuencimense territoriū de suo largitus est, filiumq; tunc ei natum, è sacro fonte suscepit, ac de suo nomine Cazimirum appellauit. Nam quod Dlugossus etiam Bythomiense territorium Miezislao tunc à Cazimiro donatum esse scribit, non placet. Iam inde enim ab initio illud adeptus erat, sicuti nos ex eiusdem Dlugossi sententia suprà memorauimus. Subdit idem Dlugossus, Brestensem, Drohicinensem, Vvladimiriensem & Præmisliensem orā omnē, quæ non parua est pars Russiæ, tunc à Cazimiro in potestatē redactam esse. Ac Brestensem quidem, cum à Polonis defecisset, à Cazimiro mox receptam esse, etiam Vincentius, quo uiuente hæc acta sunt, memoriæ prodidit: de cæteris nullam facit mentionem. Verùm Drohicinensem non incredibile est pariter in potestatem Polonorum uenisse, quippe quæ Brestensi proxima sit: Præmisliēsem, necessarium etiam, si ad hostes reciderat. Neq; enim penetrare ad Haliciam cum exercitu Cazimirus potuit, ut statim exponemus, nisi per Premisliensem terram. Cæterùm Vvladimiriensem tractum, Belzensi & Chelmensi, qui intermedij sunt, saluis & intactis receptum, aut adeo aditum esse, minus uerisimile est. Nisi fortè posterius uictis prælio Russis, Vvladimiriēsium dux Romanus in fidem Polonorum se cum suis tradidit. Adfuit quidem Cazimiri filio Lesco, quod suo loco indicabitur, ex fœdere euocatus. Addit Dlugossus, Cazimirum Breste oppido intra duodecimum, posteaquam id oppugnare cœpit, diem, potitum esse: authores defectionis, capitis pœna affecisse: arcem supra oppidū extruxisse, eiq; præsidium imposuisse:

Cazimiri statuta grata.

Barbara procerum consuetudo abrogata.

Ecclesiastica bona uexata.

1180 annus.

Comitia Lenciciæ.

Synodus Lenciciæ.

Execratio usurpatorum bonorum ecclesiasticorum, & agrestium.

Episcopi Poloni.

Zdislaus archiepiscopus.

Silesiorum duces reconciliati.

Osuencimense territorium Miezislao adiunctum.

Russiæ pars recuperata Polonis.

Bresti Lubus [illegible] receptum a Polonis.

1182. ann. Haliciense bellum. Polonorum fremitus.

atque hæc anno Christi 1182. acta esse. Inde porrò ad Haliciam duxisse exercitum, Mescislaum ducem quasi nothum à fratribus pulsum, reducentem. Molestè ferebant eam expeditionem plerique proceres, fortasis recordatione cladis apud illud oppidum Criuousto Boleslao regnante acceptæ: mussitabantq;, se ad externū & iniustum bellum pro notho contra iustos duces & hæredes, procul domo educi. Hæc ad Cazimirum cum perferrentur, dissimulauit, & in proposito perstitit. Ad Haliciam uentum erat, cum nunciatur, Vvseuolodum Belzensium, & Volodimirum Haliciensium ducem, Mescislai exulis fratrem cum magnis copijs, ac cæterorum Russorum auxilijs appropinquare. Tunc uerò apertè nostri fremere in principem, & in Nicolaum palatinum Cracouiensem, ductorem exercitus, uelut authorem illius expeditionis: queri, se planè prodi hostibus.

Russi magis & sagis dediti. Cazimiri oratio ad milites.

Contrà Russi alacres, & pleni bonæ spei ex responsis sagarum, magorum & aruspicum, quibus ea gens, quamuis Christiana, apprimè dedita est, prospera omnia suis pollicentium, conuitijs nostros lacessebant. Nihil his commotus Cazimirus, paucis pro tempore milites ad prælium capessendum cohortatur: eosdem esse hostes, quos ipsi cùm alias sæpenumero, tum superioribus aliquot annis apud Posnaniam, fratribus suis ducibus, pauci multos uicissent atque profligassent: alacritatem illam inconsultæ temeritatis, conuicia uerò mulierositatis esse argumentum. Ipsi qui se uiros semper, quàm mulieres esse maluissent, manu ferroq; maledicas linguas ulciscerentur: seq; indignos esse illis maledictis, dignos maioribus suis Russiæ domitoribus ostenderent: & manibus partim patrum, partim propinquorum suorum, qui ijs ipsis in locis, non uirtute, sed dolo ac proditione uicti occidissent, sanguine perfidorum hostium parentarent. His animatos in aciem educit: ac sinistro quidem cornu Palatinum Cracouiensem præficit, ipse uerò dextrum administrat: nec mora, signis canere iussis, pugnandi potestatem facit, explicant & Russi suas acies: concurritur infestis animis, ac durum prælium committitur. Premebantur nostri in sinistro cornu à sagittarijs, nec iam satis seruabant ordines. Ibi Cazimirus re intellecta, subsidium suis laborantibus submittit: siue adeò ipse satagens, ut scribit Vincentius, magno uitæ suæ periculo succurrit, & inclinatam aciem uix restituit. Reprimuntur deindè feroces Russi, & mox commutata fortuna, pedem referre incipiunt. Instant nostri acrius turbatis ac trepidantibus: & cohortati sese mutuò, in fugam eos conijciunt. Quo animaduerso cæteri, qui dextrum nostrorum cornu adhuc sustinebant, terga uertunt & ipsi: persequuntur nostri: maiorem longè in fugientibus, quàm dudum in resistentibus, stragem edunt: permultos uiuos capiunt: duces hostium commutandis equis euasère. Deinde reuersi nostri, castra opulenta diripiunt: Halicienses mox deditionem fecère. Quibus Cazimirus Mescislaum ducē præfecit, accepto ab eo iureiurando, quòd semper in fide & clientela principum Poloniæ futurus esset. Aliquanto aliter hæc prodit Vincentius. Nempe statim post receptum Brelte Cazimirum de aduentu hostium certiorem factum, dissipatis suis, cum parua manu ferociter & animosè in multos & instructos impetum fecisse, & per hostilem aciem cum uictrice aquila penetrasse. Id conspicatos cæteros Polonos, & ipsos perturbatis hostibus institisse: atque ita parta uictoria, fugatisq; hostium ducibus, Cazimirum ad Haliciam contendisse, eiusq; dominatum Mescislao sororis suæ filio tradidisse.

Cazimiri uictoria de Russis.

Mescislaus in Haliciensem principatū restituitur, in fide & clientela Polonorum principum se fore promittit.

Miezislaus Masouia & Cuiauia potitur.

Dum hæc in Russia geruntur, Miezislaus senex, iam antè ad omnem recuperandi summi principatus occasionem intentus, & multa sæpè apud suos de Cazimiro fratre questus, conatusq; clàm procerum animos ab eo alienare, ac sibi adiungere, tunc uerò absente Cazimiro magis etiam curam atque cogitationem suam omnem in id studium intendit: Lescum Boleslai fratris filium blanditijs captabat, Ziramq; comitem, qui curator Lesco à Cazimiro datus, Masouiam atque Cuiauiam omnem, & Lesci consilia gubernabat, muneribus & ingentibus promissis, & fallacibus dictis induxit, ut ipse à Lesco, qui lento morbo consumebatur, hæres scriberetur, tutorq; reiecto Cazimiro nuncuparetur. Videbat enim permultum rebus atque uiribus suis accessurum esse, si Masouiam & Cuiauiam sibi adiunxisset. Et expugnata quidem est adolescentis constantia, curatoris persuasione, quòd is uerebatur, ne paulò pòst à curatione illa Miezislai authoritate amoueretur. Asseuerabat enim Miezislaus, conuenisse sibi secretò cum Cazimiro fratre, ut pro interuerso principatu ius succedendi Lesco haberet. Igitur cum à Russica expeditione Masouij & Cuiauij reuertissent, iurant omnes in uerba Miezislai, iubente Lesco. Id cum accepisset Cazimirus, nihil temerè & præcipitanter agere, uerùm tacitus apud se, quidnam facto opus esset, cogitare. A ciuili quidem bello uehementer abhorrebat: insultare ipsi plerique proceres, quòd intempestiua lenitate sua & misericordia

Zira curator Lesci.

Miezislaus hæres à Lesco, tutorq; scriptus.

Cazimiri lenitas & mansuetudo.

ricordia eò redactus esset, ut hostem experiretur, cui ipse impensius indulsisset, quemq; merito pulsum exulem pati nequiuisset. Ferebat tamen hæc æquo animo Cazimirus, & quauis ratione, quàm armis, fratrem, & alterius fratris filium sanare, & ius suum recuperare malebat. Et citò sanè mansuetudini & lenitati eius fortuna respondit. Nam ut Miezislaus curationem Lesci, ac dominatus eius administrationem iniji, amouit ueteres præfectos & magistratus in Masouia & Cuiauia, nouosq; arbitratu suo instituit, ac pro domino, non pro curatore gerere se cœpit. Molestè ferebat Lescus, negligi se, uiuentemq́ue dominatu suo pene excludi: Zira uerò authoritate sua excidisse se, & ad extremum contemptum spretumq́ue iri animaduertebat. Vtrunque pœnitebat præcipitis consilij, quo se ab optimo & benignissimo principe Cazimiro alienassent, & ultimam patris uoluntatem temerè immutassent. Ad hæc, quò magis insignem illam iniuriam dissimulabat Cazimirus, hoc magis iram & potentiam eius reformidabant. Itaque optimum factu rati, malè consulta emendare, ad Cazimirum cum primoribus Masouijs & Cuiauijs proficiscuntur. Fatentur peccatum: excusant imprudenter uerius, quam maliciosè factum: deceptos se esse, & in fraudem inductos à Miezislao, quòd ei credidissent affirmanti, ita sibi cum Cazimiro constitutum esse, ut ipse Lesco hæres esset, procidunt: errati ueniam petunt: orant, & obsecrant lachrymantes, ut se in gratiam fidemq; recipiat: deierant fore se deinceps semper in potestate eius, & Miezislaum cum magistratibus eius propulsaturos. Ignoscit Cazimirus supplicibus, comiter prius castigatis: & quòd resipuissent, collaudatis, inde Lescum amplexatus, exosculatus, & amplius muneratus, flens dimittit, & ad recipienda sua reuerti iubet. Atque ita ille fecit: & uix biennium postea uixit. Cum autem diuturno ac perpetuo morbo exhaustus, destitui se uiribus & uitali uigore sentiret, Cazimirum ad se accersijt, & se uiuente Masouiæ & Cuiauiæ possessionem adire iussit, ne quid postea Miezislaus turbaret. Mortuus, Plosci à Cazimiro honorificè sepultus est. Ex eo tempore Masouia semper, Cuiauia etiam aliquandiu deinceps in ditione Cazimiri, & posterorum eius permansit. Aegrè successionem illam Cazimiri tulit Miezislaus, quòd diceret, iure se quoque è semisse fratris filio hæredem esse. Sed tamen gratiam & potentiam Cazimiri reueritus, quieuit. Anno deinde post Christum natum millesimo centesimo octogesimo quinto, bellum Russicum, & ex eo natum Vngaricum, Cazimirum excepit, ex huiusmodi causa. Mescislaus ad Haliciensem principatum à Cazimiro, quemadmodum superius exposuimus, reductus, uix exacto triennio propter impotentem dominatum, & quòd Polonos milites circum se præsidij causa habebat, in eosq; erat propensior, parum fidei suis habens, ueneno sublatus est: & reuocatus Volodimirus ex Vngaria, quò se ex aduerso illo Haliciensi prælio receperat. Atque is quòd audierat Romanum Vuladimiriensium ducem, fratris sui filium, à Cazimiro Polonorum principe missum Haliciam contendere, commeatum, auxilia & reductionem à Bela rege Vngarorum petijt. Sed non modò non impetrauit, uerùm etiam in uincula coniectus est: missusque celeriter cum non contemnenda manu à Bela Andreas filius, qui Haliciam in ditionem suam redigeret. Venienti Andreæ magno cum plausu Halicienses portas arcis aperiunt, rati Volodimiri eum, non suam rem agere, præsertim affirmante illo, Volodimirum pone se sequi. Occupata arce, profitetur id quod erat, non Volodomiro, sed sibi se dominatum quæsiuisse. Deinde iurare omnes in uerba sua cogit. Renuentes, aut cunctantes modo, capite, cæteros arce excludit, magistratibus amouet, ac per suos Vngaros omnia administrat. Cæterùm Volodimirus tam apertè circumscriptus à Bela, cum biennium ferè in custodia asseruatus esset, corruptis custodibus effugit, ijsdemq; ducibus atque comitibus Haliciam peruenit: sed arce tamen potiri non potuit, tenentibus eam ac defendentibus Vngaris. Confluxêre mox ad eum Russi, cum quibus uiciniam omnem latrocinijs infestare cœpit, ingentesq; prædas hominum, pecudum & iumentorum etiam è Præmisliensi tractu, qui tunc in ditione Cazimiri & Polonorum erat, egit. Non tulit id Cazimirus: uerùm misso cum expeditis copijs Nicolao Cracouiensi palatino, prædatores illos persecutus, in remotiores syluas ac montes, quibus Polonia & Russia ab Vngaria distinguitur, propulit. Cum autem in angusto res suas positas esse Volodimirus secum perpenderet, iamq; non tam de recuperanda Halicia, quàm de salute sua cogeretur esse sollicitus, damnabat ipse consilium suum, quòd Russos atque Polonos, à quibus auxilium sperare debuerat, parui compendij causa in se prouocasset. Respicere deinde ad Cazimiri clementiam cœpit: ad quem cum petita per internuncios fide uenisset, facilè non modò ueniam, sed etiam

Lesci pœnitentia.

Cazimirus Masouiâ & Cuiauiâ potitur, in potestate sua.

Lescus mortuus.

Mescislaus dux Haliciensis ueneno sublatus.

Volodimirus à Bela rege Vngar. captiu.

Vngari Haliciam interuert.

Volodimirus elapsus principatum Haliciensem repetit.

Cazimirus Russos latrocinantes reprimit.

auxilium impetrauit, dato iureiurando, se in fide & potestate Polonorum semper fore. Mittitur ad eum reducendum cum ualido exercitu Nicolaus palatinus, mirantibus cunctis tantam in Cazimiro uel facilitatem, uel lenitatem animi, atque temeritatem, quod hostem adiutum iret: amicumque regem, & quidem potentissimum bello lacesseret. Verum Cazimirus non tam misericordia exulis & supplicis Volodimiri commouebatur, quam quod sibi surreptam esse Haliciensem ditionem, per iniuriam atque fraudem, doleret: cuius recuperandæ primam occasionem Russis ipsis, qui Vngarorum dominatum iam oderant, inuitantibus & fauentibus, non amittendum sibi esse iudicabat. Coniungunt se cum nostris Russi, pariterque corona Haliciam obsident: fossisque & castellis circumuniunt, ne quid ad obsessos importaretur, quos nouerant breui difficili annona usuros esse. Alacres initio obsidionem atque omnia incommoda ferebant Vngari, qui arcem tuebantur, quod propediem Belam regem cum magnis copijs ad liberandum filium affore sperabant. Sed cum is moraretur, nec iam alimenta obsessis supperterent, deditionem fecere, pacti cum Nicolao palatino, ut ipsis una cum rebus suis saluis discedere liceret: excedentibus adiunxit Palatinus præsidium militum usque ad fines Vngariæ, ne quid hostile paterentur. Arx & dominatus Volodimiro tradita sunt. Magnam ea uictoria & restitutione Volodimiri laudem atque gloriam apud exteras gentes, & maxime apud Russos Cazimirus adeptus est: quod quem Bela hospitem uiolarat, ipse hostem, deuicto ac eiecto maximi regis filio, in paterna sede collocasset. Hoc anno, qui fuit a natali Christi 1188. Hierosolyma a Saladino & Saracenis capta sunt, post octauum & octogesimum annum, posteaquam in Christianorum potestatem redacta fuerant. Eam ob rem Clemens tertius Pont. Max. de recuperanda ea urbe sollicitus, cum omnem, quod dicitur, moueret lapidem, Poloniæ quoque totius ecclesijs, episcopis & sacerdotibus decimam, misso ad id legato, imperauit. At Bela rex non ferens contumeliam oppugnati, obsessi & eiecti filij, ereptæque Haliciæ, querebatur uiolata a Cazimiro fœdera, quæ Vngari cum Polonis ex multo tempore sanxissent, & ad illud usque tempus seruassent: et iustum quidem in Polonos bellum maiore ui moliebatur. Tunc autem misso, quem ad manum habebat, exercitu, Poloniæ fines depopulatus est. Idem fecerunt nostri uicissim in Vngaria: uastabantur utrinque agri, exurebantur uillæ, diripiebantur uici & oppida, miseri agricolæ & mercatores in seruitutem abducebantur, greges & armenta abigebantur. Grauiter id ferre nostri, fremere contra principem, uiolatam ab eo cum Vngaris pacem & amicitiam, exuscitatumque minime necessarium bellum, perfidi hostis gratia, quem non adiutum ac restitutum, sed supplicio, propter temeritatem uexatamque Poloniam, affectum esse oportuerit. Nec Vngaris quidem bellum illud placebat. Et detinebantur ij tunc bello Dalmatico cum Venetis gerendo. Quod tamen ipsius quoque Clementis Pontificis Max. opera duorum annorum inducijs interceptum est. Concitabat enim tunc is pontifex omnes Christianos principes atque ciuitates ad recuperanda Hierosolyma, ferendamque rebus Christianorum in Asia afflictis opem: effecitque, ut Veneti & Pisani classes suas in Asiam mitterent: Fridericus uero imperator, Philippus Gallorum, Guillielmus Siciliæ, & Ricardus Anglorum reges, Otho dux Burgundiæ, & plurimi præterea principes uiri & episcopi ipsi per se cum magnis copijs eo proficiscerentur. Sed ea quoque expeditione non multum operæ pretij factum est. Nam plurimi mortales de exercitu Christiano morbis, peste, fameque absumpti sunt, multi a barbaris trucidati. Fridericus uero in Armenia minore, dum se in flumine quo dam abluit, ui & fluminis & uorticæ correptus, extinctus est anno Christi millesimo centesimo nonagesimo. Porro Gallus cum Anglo, & Veneti cum Pisanis ex eo tempore postea diuturnis & grauibus bellis inter se conflictati sunt. Sed unde digressi sumus, reuertamur. Igitur Vngaris iuxta ac Polonis a mutuo bello abhorrentibus, agitur de pace per proceres utriusque gentis. Quæ cum difficilius coiret, quod utrique ab alteris iniuria se affectos esse asseuerarent, tandem triennes induciæ fiunt, ut interim de pace per ocium constitueretur. Collegerat permultum odij Cazimirus apud plerosque proceres atque equites illa Volodimiri restitutione, & bello Vngarico. Igitur cum is forte in Russiam controuersiarum quarundam de finibus inter Vsseuolodum Belsensium, & Romanum Vuladimiriensium duces componendarum causa profectus esset, celeriter conspirarunt contra eum proceres: Miezislaum accersunt ad recipiendum amissum pridem principatum: & quo magis studia populi in eum inclinarent, fingunt Cazimirum in Russia ueneno extinctum esse. Accurrit propere Miezislaus, recipitur a proceribus, præfectis, & cætera multitudine. Cracouiam uenienti, portæ urbis aperiuntur: arcis uero aditu arcetur à Ful-

Volodimirus à Cazimiro reducitur.

Halicia obsessa à Volodimiro.

Vngari Haliciæ eijciuntur à Polonis.

1188. ann. Hierosolyma à Saracenis capta.

Decima imperata ecclesiasticis à pontifice.

Vngaricum bellum.

Vngari cum Venetis de Dalmatia bellum gerunt.

Christianorum expeditio in Syriam.

Friderici imp. mors.

1190. ann.

Gallorum cum Anglis, & Venetorum cum Pisanis bella origo.

Induciæ cum Vngaris.

Miezislaus senex à minoribus Polonis ad principatum reuocatur.

Cracouia arx clauditur Miezislao.

à Fulcone episcopo & Nicolao palatino fratribus, familia Vulpijs, qui à conspiratione illa alieni, firmo eam militum & clientum suorum præsidio tenebant. Nec mora, aliam ex aduersó illius arcem in oppido excitauit Miezislaus, è materia duroq; robore. Boehmæ item aliam, de quarum munitionibus aduersariorum & Cazimiri conatus reprimeret, ac ipse uicissim rebelles impeteret. At Cazimirus certior factus de defectione suorū, auxilia Volodimirô, Romano & Vvseuolodo imperat, ipsosq; duces proficisci secum iubet: præterea quantum potest, uoluntariorum & mercenariorum militum cogit. Cum his copijs Cracouiam contendit: coniungit se cum eo Nicolaus palatinus, cum non contemnenda manu. Miezislaus, ubi appropinquare Cazimirum cum ualido exercitu cognouit, Boleslaum filium cum Henrico Kelicio, qui ipsi cùm aliorum consiliorum, tum repetendi principatum semper author fuerat, in præsidio nouæ arcis relinquit: ipse in maiorem Poloniam, maioris exercitus comparandi causa, magnis itineribus contendit. Verùm antequam ille ueniret suis suppetias, Cazimirus summa ope adnisus, nouam arcem uel expugnauit (nam uariè traditur) uel per deditionem accepit & exussit. Fratris quidem filio & plerisq; omnibus aduersę partis militibus non modò uitā & libertatem concessit, uerùm etiam ampla munera largitus est: qua indulgentia & clementia sua ita sibi cùm omnium, tum in primis Miezislai fratris animū deuinxit, ut nunquam is deinceps, quoad uixit Cazimirus, de repetendo principatu cogitarit. Cæterùm Kelicius, cum culpam illius belli solus sustineret, supplicioq; destinatum se esse intelligeret, in penetralia primarij templi, quod Trinitatis appellatur, Cracouiæ sese abdiderat. Sed Russis uictoriæ fiducia & innata auaritia ad diripiendum templum irruentibus, in turbam se immiscuit, ut ignotus effugeret. Verùm tumultu Russorum, interuentu Cazimiri sedato, defensoq; thesauro templi, Kelicius in turba agnitus et comprehensus, Romano duci a Cazimiro traditus est in exilium deportandus. Rusi præmijs affecti domos remissi sunt. Cum Vngaris deinde certa pax constituta, siue adeo innouata est, & principum ipsorum congressu apud antiquum pagum in Scepusiensi territorio confirmata, ea lege, ut obliteratis utrinq; iniurijs, & condonatis inuicem offensis rex Vngarorum Haliciensi ditione & Russia omni se abstineret: communes amicos communesq; hostes Vngari et Poloni haberent: ad extremum proceres & principes ipsi donis inter se certarunt, conuentumq; amicè soluerunt. Pacatis domi rebus, Cazimirus Prussis ijs quos Polessianos uocant, sicut scribit Vincentius, bellum intulit, ut cladem sub Boleslao Crispo acceptam, fratrisq; Henrici mortem ulcisceretur, & gentem barbaram atque rebellem domaret. Secuti sunt ipsum ad eam expeditionem Boleslaus Miezislai, Boleslaus altus, & Miezislaus Vladislai, fratrū filij. Vbi ad fines barbarorum uentum est, cautius exercitum ducere Cazimirus, instructaq; acie & exploratis itineribus progredi, pabulatum et frumentatum non nisi cum armatorum presidio mittere, omnia deniq; circumspicere, ne quid detrimēti per insidias à uafro hoste acciperet. Nec sane cassa fuit ea cura atq; diligentia. Obseruabant enim nostros ex insidijs barbari, ad omnem occasionem bene gerendę rei attenti. Sed in irritum ipsis cadebant omnes conatus atq; doli. Nostri quacunq; proficiscebantur, incendijs atq; cædibus omnia uastabant, nec ulli ætati aut sexui parcebant, iusta ira & memoria cæsorum suorum animos omnium extimulante. Quibus malis uicti Prussi, pacem supplices à Cazimiro petiuerunt: parci reliquijs suis flagitarunt: superiorum annorum tributa persoluerunt: imperata omnia in posterum se facturos sanctè promiserunt, obsides centum dederunt primorum filios: captiuos Polonos dimiserunt: signa superiori bello de nostris capta reddiderunt. Nam ad religionem Christianam, quam abiecerant, reduci se passi nō sunt. His legibus pacem impetrarunt. Deducto è Prussia exercitu, bellis omnibus uel armis, uel benignitate, sapientia & felicitate Cazimiri extinctis, pacis artibus, hoc est, arcibus & oppidis instaurandis, moribusq; & legibus ciuium emendandis, reliquum ætatis tempus Cazimirus transmittere cogitabat: & magnam sibi uirtutis & sapientiæ opinionem apud exteros iuxtà atq; suos conciliauerat: ita ut felix, & admirabilis, & omnibus suis charus, deinceps regnaturus esse uideretur, cum subitus eum casus humi prostrauit. Impetrarat à pontifice maximo Lucio, eius nominis tertio, reliquias Floriani martyris: easq; ab Aegidio Mutinensi episcopo allatas, ad septimum milliarium a Cracouia cum ingenti omnis generis hominum caterua, & solenni sacerdotum pompa obuiā progressus, reuerenter exceperat: & in suburbano Cracouiæ Septentrionali, quod post in formā oppidi redactū, Cleparia nūc dicitur, extructo magnifico templo, collocarat: idq; templum splendida suppellectili, dotauerat, & collegiū sacerdotum canonicorum in eo instituerat, attributo ijs censu luculento, tum de sua tum de Ce-

Cracouia arx elauditur Miezislao.

Cazimirus principatum recuperat Russorum auxilio.

Clementia Cazimiri.

H. Kelicius malus consultor in exilium missus.

Pax & congressus regis Vngari cum duce Polono. Vngari Russiæ dominatu sese abdicarunt.

Prussicum bellum.

Prussis pax data.

S. Floriani martyris reliquiæ Cracouiā apportatæ.

Clepariæ, e oppidum, templū et collegium sacrum.

de Gedeonis episcopi beneficentia: peculiariter autem Præposito maximam partem redituum parœciæ diui Michaëlis Rupensis detractam, addixerat, & summa ueneratione nouum hospitem & patronum prosequebatur. Fortè dies martyris memoriæ sacra, quæ ad quartum Nonas Maij anniuersaria instituta est, aduenerat. Ibi Cazimirus totum eum diem rei diuinæ in æde diui, & piæ in egenos & afflictos largitioni dedit. Quod ferè omnibus festis diebus facere consueuerat: neq; temerè eos lusibus & conuiuijs contaminabat. Insequenti die grande conuiuium instruxit: proceres omnes, qui tunc aderant, inuitauit. Feruente conuiuio, exhilaratis conuiuis, & multa de præteritis bellis atque periculis inter se conferentibus, & principis res gestas & felicitatem celebrantibus, ipse nonnulla de immortalitate animi, atque cœlitum beatitudine non inepta, in medium proposuit. Erat enim ab ineunte pueritia non pessimè educatus & institutus. Deinde hausto mediocri poculo, subitò concidit, & paucis horis animam exhalauit. Subitúsne morbus eum inuaserit, an uenenum à muliercula, in quam deperibat, præparatum hauserit, incertum est, nam & hoc sermone hominum diuulgatum est. Nec sanè immunis & incorruptus ab illicitis amoribus & adulterijs, de quibus etiam aliquando à Fulcone episcopo admonitus & obiurgatus sit, uixisse fertur. Cæterà moderatus, candidus, frugi & abstinens, seuerus iuxtà atque clemens, bello paceq; clarus, & laude dignus princeps. In fratres uerò & fratrum filios ita pius & indulgens, ut multa detrimenta, incommoda & pericula, eorum gratia subiret. Diuini cultus perquàm studiosus, multa ad ornatum templorum contulit. Monasterium Suleouiense in Gnesnensi diœcesi, Cisterciensi sodalitati, antequam summum principatum adeptus esset, in uilla Ruslai comitis, qui decedens absque liberis, Christum hæredem instituerat, ad Pilciam amnem condidit & locupletauit: cui monasterio postea Petrus archiepiscopus etiam complures decimas eius rogatu adiecit. In principatu uerò & Floriano martyri ædem atque collegium, ut iam cōmemorauimus, instituit, & Copriunicense monasterium eidem Cisterciensi sodalitati excitauit. Quod amplius etiam deinde nobiles Bogorij & Habdanci locupletarunt, principis exemplum secuti. Fit enim plerunque, ut ad principis sui studia cæteri homines libenter sese accommodent. Itaque sub Cazimiri principatu etiam alij alia quædam monasteria condidêre, uelut Gedeon Cracouiensis episcopus Vanchocense in sua diœcesi ijsdem Cisterciensibus: Vitus uerò Plocensis episcopus, gente Ianinus, Buscense in Cracouiensi diœcesi, Vitouiense in Gnesnensi, & Plocense, partim uiris, partim puellis Præmonstratensis sectæ. Oliuense quoque Cisterciensibus item monachis, in Vuladislauiensi diœcesi, eodem tempore à Samborio conditum esse, nos è Dlugosso superius retulimus. Regnauit autem Cazimirus annos septemdecim propemodum, uixit sex & quinquaginta. Reliquitq; duos filios impuberes, Lescum, cui albo, à colore capillorum, cognomen fuit: & Conradum: & filiam Adleidam, quæ septimodecimo post patrem anno mortua est, cum castè religioseq; uixisset. Nam Boleslaum puerum admodum, uiperæ morsu extinctum, uiuens Cazimirus amisit. Fuit autem is annus, quo mortuus est Cazimirus, post Christum natum millesimus centesimus nonagesimus quartus. Quarto uerò post mortem die in basilica Cracouiensi sepultus est, magna uxoris, filiorū, & omnium ordinum comploratione.

Cazimiri pietas. *Cazimiri mors.* *Mores & studia.* *Fulco episcopus Cracouiensis.* *Suleouiense monasterium.* *Copriunicēse.* *Vanchocense.* *Buscense.* *Vitouiense.* *Plocense.* *Oliuense.* *Liberi Cazimiri.* *1194. MR.*

DE ORI-

DE ORIGINE ET REBVS GESTIS POLONORVM, LIBER SEPTIMVS.

LESCVS ALBVS CVM HELENA MATRE.

Funebribus iustis Cazimiro peractis, non existimarunt proceres cessandum sibi esse, quin primo quoq; tempore nouum principem crearent, ne qui nouus motus domi forisúe, præbente occasionem interregno, excitaretur. Itaq; Cracouiæ ut frequentes proceres iuxtà ac equites ad funus Cazimiri conuenerant, comitia instituunt. Ibi dies aliquot uarijs studijs atq; sententijs certatum est. Et Fulco quidē episcopus Cracouiensis, qui Gedeoni succesit, ob memoriam Cazimiri meritorum, censebat ad filium eius Lescum natu maiorem deferendum esse principatū, & quidem priusquàm Miezislaus senex aut Vuladislai filij moliri aliquid possent. Negabat enim omnino ex re atq; dignitate Cracouiensis & Sendomiriensis cōuentus fore, aliunde principem sibi adsciscere. Atq; huic sententiæ Nicolaus palatinus Cracouiensis, Fulconis frater, & magna pars conuentus adstipulabatur. Alij contrà, stultum & periculosum esse affirmabant, puero tanti imperij habenas committere: cauendum esse, ne hæreditarium principatum facerent, quem liberis suffragijs, cui uellent, mandare more maiorum possent. Quod si ualere quicquam deberet sanguis & succesio, Miezislaum senem unum de filijs Boleslai Criuousti superesse: ei deberi principatum, ceteris fratribus extinctis, iure & more gentium. Sin crudelitatem eius pristinā & impotentem dominatum perhorrescerēt, esse proximos gradu Silesiæ duces, Vuladislai principis, qui maximus liberorum Criuousti fuerit, filios. Ex his Miezislaum Oppoliensium & Ratibonensium ducem, & uicinum sibi esse, & armis prudentiaq; multū ualere: eum, si princeps renunciatus sit, & Miezislai senis conatus, quem uerisimile sit non esse quieturum, reprimere, & tributarios principes atq; populos, si qui forte ad res nouas adspirent, in officio posse continere. Quanquam autem non est proditum, quinam huius sententiæ author fuerit, non iniquis tamen auribus ea accepta est: uicissetq; adeò, ni Fulco eam refellisset, quòd diceret, referendam esse hancce gratiam optimo principi Cazimiro, ne eius filij posthabeantur. Potentiores autem eos esse paternis meritis, clientelis, amicitijs, atq; domi natu hæreditario, quam utrunq; Miezislaum. Nam quòd ætatem eorum & infirmitatem consilij quis causificetur, nihil esse. Esse iam pubertati propinquum Lescum: nec obstare quicquam, quin ei, dum adolescit, curatores & moderatores consiliorum de senatu dentur. His grauiter & copiosè dictis, assentiuntur tandem Fulconi omnes, & Lescum Cazimiri filium natu maiorem, principem renunciant. Sed interim dum is adolescit, penes matrem eius Helenam imperium omne, & summi principis authoritatem esse iubent: ea quidem lege, ne quid illa sine consilio episcopi & palatini Cracouiensis, qui curatores puero & gubernatores principatus dati sunt, faceret. Ibi Nicolaus palatinus facta audientia, gratias agit cunctis de gratitudine erga defunctum principem suum, ac de studio erga filium eius Lescum, primusq; in uerba eius iurat: & quoniam se cum fratre curatorē eius esse uoluissent, eiuscemodi iusiurandum ab omnibus exigit, mobilitatem & leuitatem multitudinis, & quorundam propensa in Miezislaos senem & Oppoliensem studia suspecta habens. Nec mora iurant cuncti, semper se Lesco principi fideles & obsequentes fore. Hæc ubi Miezislao seni ita ut acta erant, nunciata sunt, excanduit maiorem in modum, nō modò quòd præteritus esset, sed quòd temporis etiam puncto exclusus, ne adesse sibi in comitijs posset. Itaq; comparare ipse arma ad persequendam iniuriam: & suos, atq; etiam Silesios irritare, quòd ad creandum communem principem, quem communi totius Poloniæ iudicio eligi & creari oporteret, neq; uocati, neq; expectati essent. Facile autem persuasit Silesiorum ducibus, ut secum consilia armaq; in communi causa coniungerent, quippe quos idem stimularet dolor, surrepti quasi per fraudem principatus, quem ad se maximos natu Criuousti Boleslai nepotes, magis quàm ad Lescum puerum, eius quem Boleslaus pater exortem & exhæredem esse uoluisset, filium, pertinere asserebant, & in cuius adipiscendi

Comitia Cracouiæ de creando principe.

Lescus Albus princeps creatur.

Curatores principis.

Iusiurandū in uerba principis.

Miezislaus iterum ad principatū adspirat.

Bellum ciuile inter Polonos. *Mosgaua fl.* *Prælium ad Mosgauam.* *Boleslaus Miezislai filius occisus.* *Romanus Vuladimiriensium dux uulneratus.* *Miezislaus uulneratus.*

scendi spem nonnullam Miezislaus Oppoliensis iam uenerat. A'Mesciugo quoq; genero, Pomeranorum siue duce siue satrapa, auxilia Miezislaus senex corrogauit: & è suis quantum potuit maximum exercitum coëgit, & magna celeritate Cracouiam contendit, sperans terrore solo exercitus, absq; ulla prælii dimicatione se aduersarios & principatum ipsum in potestatem suam redacturum esse. Sed eum spes fefellit. Nam Cracouiensis palatinus cognito hostili aduentu, non contemnendas & ipse copias ex omnibus regionibus, quæ in ditione Cazimiri fuerant, collegit, & Romanus Vuladimiriensium siue Luscensium dux euocatus, non paruam Russorum manum in auxilium Lesci adduxit. Iam in Cracouiensis oræ fines Miezislaus senex inuaserat, & apud Mosgauam amnem septimo à Cracouia milliario statiua habebat, cum hostes adesse prius, ppemodū uidit, quàm audiuit. Nondum ei Silesiorum auxilia conuenerant: id cum scirent aduersarij, anteuertēdum sibi esse prælio existimarunt, dum pares hostibus esse possent, quibus uniuersis, si se coniungerent, impares futuri erant. Itaq; instruunt acies, & pugnandi copiam faciūt. Nihil cunctatus Miezislaus, educit & ipse suos: concurritur infestis animis: magno ardore utrinq; pugnatur: cerneres miserabile spectaculum, notorum, amicorum, affinium, gentilium, propinquorum, atq; fratrum, deuoto odio, nullaq; misericordia aut respectu pietatis inter se confligentium: cadebant multi utrinq;: nemo referebat pedem: & magis ferire hostem, quàm declinare ictum omnes studebant. Boleslaus Miezislai senis filius inter primos fortiter pugnans, in cōspectu patris hasta traiectus occubuit. Romanus pluribus uulnerib. acceptis, Rußis suis partim cæsis, partim disiectis, prælio excessit semianimis. Miezislaus ipse sauciatus, cum sese quinam esset detracta casside prodidisset, & supplex uitam peteret, seruatus, & ex acie clàm eductus, fuga sibi consuluit. Tunc demum maiores Poloni ad paucos redacti, amißis ducibus (nam & Miezislaum cecidisse putabant) pugnandi pertinaciam remisêre. Nec minores cedentibus instit êre, laßi & ipsi, debilitatiq; uehementer, & quòd satis sibi esse ducebant in funesto ciuiliq; bello, belli authores sustulisse. Et ipsi enim credebant Miezislaum in acie inter confertos milites præliantem perisse. Ita ex acie quasi ex composito utrinq; discessum est, cum dubio ferè marte à mane usq; ad uesperam propemodum pugnatū esset. Nec multò post, Lescianis cæsos recognoscentibus, & spolia legentibus, superuenêre Miezislaus Oppoliensium & Ratiboriensium dux, & Iaroslaus Boleslai alti Vuratislauiensium ducis filius, cum recentibus copijs: ad quos se recollegêre dispersi exercitus maiorum Polonorum & Pomeranorum reliquiæ: fixisq; signis quasi uictores, haud longè à loco certaminis consedêre, cum ij qui ex aduerso erant, perterriti atq; diffugientes, pugnandi copiam facturi non esse uiderentur. Sed non tulerunt ij intempestiuam Silesiorum exultationem cum ignominia sua coniunctam: uerùm celeriter à Gouoricio gente Rauita, palatino Sendomiriensi, cuius agmen in subsidijs superiori prælio collocatum, erat integrius, recollecti, & in ordines redacti, in aciem processêre. Nec Silesij feroces pugnam detrectarunt. Certatum est collatis signis, ab his quidem, ut rem sua mora perditam restituerent: ab illis uerò, ut uictoriam partam retinerent. Cum ingens utrinq; cædes fieret, Gouoricius ab hostibus captus est. Quo facto minores Poloni perturbati terga uertêre: sed nox tamen fugientes texit. Postero die Silesij, cum Miezislaum senem saucium lectica domum referri cognouissent, & à maioribus Polonis atq; Pomeranis ducem suum sequentibus deseri se uiderent, nec usq; adeò fractos profligatosq; minores Polonos esse animaduerterent, quin ij recollectis animis atq; uiribus prælium instaurare, aut alioqui negocium facessere uictoribus paucis, & non incruenta uictoria usis, domi præsertim possent, trophæis erectis, & abductis captiuis non paucis ex nobilitate, domum reuerterunt. Erat Fulco siue Pelca episcopus in uilla sua Dersanzina, uariosq; de exitu prælij rumores accipiebat: & quanquam non erant secundæ res Lescianorū, tristiores tamen etiam aliquanto, ut fit ferè, afferebantur. Itaq; anxius & pendens animi, misso uno de sacerdotibus administris suis ad locum prælij, qui duobus tantum aberat milliaribus, rem omnem certò cognoscit: & quòd uerebatur, ne Miezislaus senex reparato exercitu mox ad expugnandam Cracouiam & occupandum principatum rediret, conscenso equo Romanum Vuladimiriensium ducem fugientem curriculo insequitur: quem cum nocte altera cōsecutus esset, orat, ut memor beneficiorum Cazimiri, liberos eius in rebus maximè dubijs ne deserat. Excusat ille debilitatē suam è uulneribus, & partim cæsos, partim dissipatos suos: nec retineri se ullis precibus passus est. Inde reuertens Fulco, cum fratrem suum Nicolaum palatinum ex fuga non contemnendas copias collegisse, & persequi hostes, acceptamq; ignominiam detergere uelle accepisset, ad eum se contulit, & ut

Prælium renouatur. *Gouoricius palatinus captus.* *Silesij uincūt.* *Fulconis episcopi studium.* *Fulconis consilium.*

Cracouiam potius aliasq; arces opportunas præsidijs muniret, persuasit: dubiam esse Martis aleam, hostes diuersos abijsse: metuendum esse, ne, dum alteros insequeretur, alteri ipsum à tergo adorirentur, aut sane uacuas defensoribus munitiones inuaderent: deinde parum esse animorum & roboris in militibus, aduerso prælio dudum perculsis: tum autem incertum esse, quantum sit fidei in singulis præfectis arcium, atq; etiam in oppidanis. Solere plerunq; homines aduersis principum suorum rebus nutare, atq; adeò mutare fidem. Hæc ubi ambobus iuxta placuêre, distributis in cæteras munitiones pro necessitate & ratione locorum militibus, ipsi cum maiore parte Cracouiam tenuêre, ubi uxor & liberi Cazimiri sese continebant. Quieuêre tamen permultum tempus tam Silesij, quàm Miezislaus senex, cùm quòd non satis prosperè primi conatus ipsis cesserant, tum quòd Cracouiensibus & socijs eorum, quamuis malè affectis Mosgauiensi prælio, neque animos, neque uires, neque constantiam ad defendendum Lesci principatum deesse intelligebant. Dum in hoc statu est respubl. Polona, uenit in Poloniam Petrus diaconus Cardinalis, cognomento Capuanus, legatus à pontifice maximo Cælestino eius nominis tertio: habitisq; synodis cum alia quædam, quæ aduersa religioni Christianæ & constitutionibus ecclesiasticis in sacro pariter & profano ordine inoleuerant, correxit: tum sacerdotibus imperauit, ut concubinas & uxores, quibus tunc passim liberè utebantur, à se abdicarent. Quod Poloni quidem non grauatè amplexi sunt. In Bohemia uerò cum idem legatus hoc ipsum ageret, parum abfuit, quin à sacerdotibus occideretur. Non adscripsissemus de uxoribus, cum non ignoremus longè antè decretis synodorum & pontificum in toto Occidente matrimonio interdictum fuisse presbyteris, diaconis, & hypodiaconis: nisi à Dlugosso, uiro graui, memoriæ proditū esset: nisiq; Lampertus Schafnaburgensis, uir pius, idem à Gregorio, eius nominis septimo pontifice maximo, ante centum annos ætate sua in Germania tentatum esse scriberet: & eodem quidem ferè successu, quo in Bohemia Dlugossus memorat. Constituit idem legatus, ut profani homines publicè in templis matrimonio coniungerentur. Annus, quo hæc acta sunt, fuit 1197, à Christo nato. Insequenti anno Volodimirus Haliciensium dux mortuus, nouæ expeditioni occasionem Polonis præbuit. Ambiebant dominatum Haliciensium nonnulli Russorum duces: & in his facilè princeps Romanus dux Vuladimiriensium, suo quodam iure sibi eum deposcebat, quòd & Volodimiri fratris filius esset, & benemeritum de Polonis & Lesco principe ciuili illo bello se esse diceret. Poloni cupiebant Haliciam in formam prouinciæ redigere. Sed eos respectus ciuilis belli nondum extincti mouebat, ut eam Romano traderent, tributo constituto, quod ille Polonorum principi quotannis penderet. Verebantur enim, ne si nulli eam Russorum concessissent, omnes eos penitus à se alienarent. Quanquam autem non satis consultum esse uidebatur reip. Polonæ, Romani potentiam, quæ non minima iam tum erat in Russis, accessione illa Haliciæ magis etiam augere: tamen offendere eum repulsa, alieno suo tempore, minus tutum iudicabant: quippe qui repulsam passus, non modò auxilia negaturus, uerùm etiam ultrò bellum nostris illaturus esse uideretur. Itaq; decreuit frequens senatus, ut Romanum Nicolaus palatinus cum exercitu in Haliciensem principatum induceret. Abhorrebant enim à Romano Halicienses, crudelitatem eius ueriti. Ibi Lescus orare, ut sibi cum exercitu illò proficisci liceret. Pertæsum se iam esse mollis & ociosæ uitæ, quam hactenus inter cœtus muliebres apud matrem exegisset. Cupere se deinceps armatum inter armatos uiros uersari, & quæ principis essent munera, usu condiscere. Si adhuc nequiret alium, tamen eum se usum in exercitu præstiturum, quem signa sua præstarent. Quod si non impetraret, tamen uel cum uno comite se castra secuturum esse. Itaq; approbante senatu, & indolem dignam principe, & neutiquam degenerem à maioribus ipsius certatim extollente, cū exercitu proficiscitur, palatini Cracouiensis custodiæ commendatus. Vbi in Haliciensem agrum uentum est, occurrunt Halicienses armati & instructi: præsenserant enim, Romano se addictum iri. Excipiunt Poloni eorum impetum, & minimo negocio eos in fugam conijciunt. Pulsi fusiq́;, ueniam petunt, auri & argenti, gemmarum, uestium & equorum magnam uim Lesco pollicent, si ipse eos in ditione sua teneat, nec Romanum ipsis dominum imponat. Posteaquam id non impetrarunt, imperata omnia se facturos promiserunt: portas arcis aperuerunt: iussiq; Romano sacramentum publicè dixerunt. Is porrò Lesco & Poloniæ principibus fidē suam obstrinxit: Haliciensibus autem iustè & clementer se dominaturum esse sanctè promisit: quod tamen postea non præstitit. His peractis, dimissoq; exercitu, Lescus Cracouiam redijt.

Legatus pontificis max. uenit in Poloniā.

Sacerdotibus uxores ademptæ.

Legati apostolici periculum in Bohemia.

1197. ann.

Haliciensium dux Volodimirus mortuus.

Haliciensis principatus Romano duci concessus.

Lesci principis indoles.

Russi à Lesco profligati.

Romanus dux iurat in uerba Lesci.

MIEZISLAVS SENEX ITERVM.

Cuiauia subacta à Miezislao sene.

MIEZISLAVS uerò senex, quamuis post Mosgauiense prælium ad malè tentata prius arma esset segnior, animo tamen haudquaquam conquiescebat: neque cogitationem recuperandi iniustè prærepti sibi, quemadmodum ipse existimabat, principatus deponebat. Sed cum aperta ui peruenire se ad eum posse diffideret, ad dolos conuersus est. Ac primùm quidem Cuiauiensem oram, quæ in potestate Cazimiri liberorum erat, ditioni suæ finitimam, fraudem quarto postquam apud Mosgauiam malè pugnauerat anno intercepit. Quod facinus eius cum armis uindicatum non esset, propter ætatem puerorum, atque dissensionem palatinorum Cracouiensis & Sendomiriensis, quæ ab æmulatione & obtrectatione orta, eo usque progressa est, ut Gouoricius solum uertere cogeretur, maiora deinde moliri Miezislaus cœpit. Episcopum Cracouiensem, & palatinum fratrem eius, donis & ingentibus pollicitationibus ad proditionem sollicitat. Quod ubi non successit, muliebrem sexum credulum, atque deceptioni propter infirmitatem consilij obnoxium, blandis dolis adoritur. Ad Helenam Lesci matrem, penes quam tunc erat summa rerum, allegat: negat Lescum ritè principem creatum esse, neque se inuito certum stabilemque principatum obtinere posse: quem ipse bis sibi præreptum, omni ratione repetiturus atque uindicaturus esset. Non deesse sibi consilia, non uires domesticas, non auxilia externa: Lescum uerò puerum esse, curatores eius inuidia laborare, bonam nobilitatis partem clam secum sentire, senatum in duas factiones diuisum inter se dissidere. Hæc omnia pro se, & contra puerum facere. Nuper id adeò rem ipsam declarasse, cum Cuiauiensem terram impunè occupasset. Verùm si sibi ea principatum concedat, redditurum se esse filijs eius Cuiauiam, cincturumque ipsos militari baltheo, & in filiorum locum adoptaturum, certosque sibi successores in principatum ipsos designaturum. Et sanè senem se esse, nec diu uiuere & regnare posse: interim dum Lescus aptus fieret principatui, rectiùs atque conuenientiùs eum à se, qui tamen de regia stirpe, & patruus Lesci esset, quàm ab alienis ac seruis suis administrari. Dedignaturos esse Polonos equites atque proceres æqualium suorum dominatum, quo illi ad stabiliendam potentiam suam abutantur: se uerò & cæteros duces minimè laturos inferioris ordinis hominum imperium: atque ita principatum Lesci unà cum ditionibus paternis in discrimen uenturum esse. Eius rei non obscurum argumentum esse Gouoricii cum Nicolao dissensionem: quem, quamuis in præsens potentiori Nicolao cesserit, credibile sit, non esse quieturum, cùm familiæ & factionis suæ uiribus, tum Bohemorum, ad quos confugerit, & à quibus comiter acceptus sit, auxilijs fretum. Hæc omnia authoritate sua si princeps factus sit, sedatum pacatumque iri, tranquillumque & florentem principatum maturè se esse Lesco relicturum. His inducta & persuasa credula mulier, nequicquam aduersantibus curatoribus, ac cæteris proceribus, annuit Miezislai postulatis, modò ut is iusiurandi religione promissa stabiliat. Quod ille cum se facturum recepisset, condicta die, quæ diui Bartholomæi memoriæ consecrata est, Cracouiam cum splendido procerum suorum comitatu ueniens, haud grauatim fecit. Iurarunt & proceres utriusque partis, se ea omnia, quemadmodum pacta conuenta essent, rata firmaque habituros esse. Episcopi uerò, authore Henrico archiepiscopo Gneznensi, qui Zdislao defuncto, Miezislai contentione, non liberis suffragijs successerat, diris caput eius deuouerunt, quisquis aliquis aliquid eorum non seruasset. Ita rursus Miezislaus principatu potitus est. Helena uerò cum filijs Sendomiriam commigrauit. Nec multo post Gouoricius amicorum literis reuocatus, quòd iam nihil commune cum Nicolao habiturus esset, è Bohemia redijt. Hoc anno, qui fuit à Christo nato 1200, ad quintum Nonarum Maij, terræmotus uehemens meridiano tempore excitatus, aliquot diebus cõsequentib. plurima ædificia in Polonia, & in uicinia eius cõquassauit. Quæ res inaudita propemodũ in his regionib. prodigij loco habita est. Eodem ãno, Constãtinopoli à Gallis & Venetis capta, imperator Constantinopolitanus Alexius pulsus, Haliciã ad Romanũ cõfugit: cui cum Alexius puer à uictorib. suffectus, & paulò pòst interfectus à suis esset, Balduinus Gallus successit, Orientemque sublato schismate Rõ. ecclesiæ recõciliauit & subdidit. In Asia uerò Christianorũ res id per tẽpus in deterius lapsæ, nec multo pòst euersæ sunt. Quin Betica etiã siue Granata à Saracenis subacta est. Anglia & Hibernia insulæ Rom. pontif. uectigales factæ sunt. In Germania uerò Henricus imperator Friderici filius & successor, cum regni Sici-

Dissensio palatinorum.
Gouoricij fuga.
Miezislai conatus.
Miezislai iusiurandum.
Henricus archiepiscopus Gneznensis.
Miezislaus principatum recuperauit.
1200. ann.
Terræ motus.
Constantinopolis à Gallis & Venetis capta.
Orientales cõiuncti cum Romana ecclesia.
Granata à Saracenis subacta.
Anglia & Hibernia Romano pont. uectigales.

Siciliæ uxoris Constantiæ nomine recepisset, ac Fridericum filium trimulum Cæsarem siue regem Romanorum renunciasset, moriens longam litem & controuersiam de imperio reliquit. Philippus enim dux Sueuorum, patruus ac tutor pueri Cæsaris, non pro tutore, sed pro Cæsare se gessit, inunctusq; & coronatus est ritu solenni Maguntiæ. Id uerò molestè ferentes nonnulli principes, æmulum ei excitarunt Ottonem Saxonum ducem: quem Innocentius tertius Pontifex Maximus Philippo diris deuoto confirmauit. Inde studijs partium crescentibus, Germania intestino bello aliquandiu collisa est: donec Philippo interfecto, & Ottone defuncto, Fridericus iam adultus imperio suscepto, pacem restituit. Ab hoc autem Philippo Præmislus, siue Ottocarus Bohemorum princeps regium diadema, à proximis principibus bello ciuili dissentis neglectum, suscepit, & successoribus suis reliquit. In Vngaria uerò per idem tempus Emericus post Belæ patris mortem, cum paruo tempore nec sine impedimento Andreæ fratris regnasset, Ladislaum filium, & eo statim extincto, Andream successorem reliquit. Sed ad nostra redeamus. Annum totum nequicquam Helena Miezislaum senem literis atq; legationibus crebris de promissis admonuerat, nunc occupationes publicas, nunc aduersam ualetudinem causantem: ad extremum ipsa eum Cracouiæ adit, eadem illa quæ in pactis conuenerant, coràm orat & flagitat. Blandis ille eam uerbis & pollicitationibus ducebat. Instare illa importunius, fidemq; datam requirere, & iurisiurandi religionem uiolatam queri. Ibi ille nihil iam dissimulans: iniquis pactis & iureiurando, contra ius gentium atq; ipsius naturæ exacto, se non teneri: habere se iure gentium & naturæ certos & suos hæredes, filios ex iusta uxore susceptos, & quidem iam adultos atq; maturos principatui: eos pactis ullis aut priuilegio à successione sibi debita excludi nefas esse: & adultis filijs præteritis, alienis pueris tantum principatum tradi non oportere. Ita dimissa atq; reiecta Helena, ingenti animi sui dolore damnare ipsa credulitatem suam & præceps consilium: serò procerum dicta & consulta, quibus in tempore non obtemperasset, probare. Neque tamen sollicitudinem pro filiis remisit. Reuersa Sendomiriam, dimissis circum proceres Cracouienses, quorũ prius cõsilia contẽpserat, & apud quos gratam Cazimiri mariti sui memoriam residere iudicabat, literis atq; nuncijs, de iniuria & perfidia Miezislai queritur: eorum fidem implorat: Cazimiri merita publicè priuatimque extantia commemorat: liberorum eius pupillorum solicitudinem, & indignam deiectionem Miezislai fraude & sua stulticia factam deplorat: quæ à se malè consulta essent, ab eis corrigi petit, quippe qui iureiurando suo se inauspicatis illis pactis cum Miezislao staturos esse promisissent. Promissa etiam non leuia addit: adhæc odium Miezislai exaggerat. Et offenderat is iam sanè non leuiter animos procerum atque equitum, propterea quòd nonnullos possessionibus certis & antiquis deturbarat, easque possessiones suis quibusdam è maiore Polonia assectis & ministris donarat: & quòd eisdem magistratus mandabat, indigenas præteriens.

Henricus Imperator Rom.

Germanici motus.

Fridericus secundus Cæsar.

Præmislus. Ottocarus rex Bohemorum.

Emericus rex Vngarorum.

Ladislaus & Andreas reges Vng.

Miezislaus promissa non seruat.

Helena pro filijs solicita.

Miezislai odium.

LESCVS ALBVS CVM HELENA

matre iterum.

ITAQVE quasi sublato signo plerique omnes proceres Cracouienses in Miezislaum conspirarunt: quorum princeps Nicolaus palatinus Cracouiensis, idoneam absente tunc forte Miezislao occasionem nactus, Cracouiam occupauit, Helenamque cum Lesco filio celeriter accersitos intromisit. Reliquas deinde arces atque munitiones Cracouiensis ditionis nullo negocio recepit, cedentibus ultrò, qui eas pro Miezislao tenebant, cum totius Cracouiensis conuentus consensum & conspirationem uiderent. Bythomia modò, ut ait Dlugossus, in potestate Miezislai mansit: quam arcem ille duodecimo à Cracouia milliario, in confinio Silesiorum, iam inde ab initio in eiusmodi casus mœnibus & præsidio munierat. Sed quomodo ea in potestatem eius uenerit, cum in Oppoliensis ducis ditione prius fuisset, non reperio. Inde postea excursiones crebræ in subiectos agros pagosque factæ sunt. Hoc anno Boleslaus procerus, siue altus, Vuladislai filius, dux Vuratislauiensium, amissis intra breue spacium temporis quatuor filijs mortuus, solum Henricum Barbatum hæredem reliquit. Hic pro Benedictinis monachis Cistercienses in Lubensi monasterio collocauit, de Portensi monasterio euocatos: qui delicatorum malorum genus, quæ etiamnum Deporta siue daporta uocantur, in Polonia propagarunt. Filius uerò eius de quatuor natu maxi-

Lescus Cracouia potitur.

Bythomia retenta à Miezislao.

Boleslaus Vuratislauiensium dux mortuus.

Henricus Barbatus.

Lubense monasterium.

Daporta mala.

Nyssa episcopæ Vuratislauiensi donata.

mus, Iaroslaus, episcopus Vuratislauiensis, Nyssam urbem cum territorio à patre sibi datam, Vuratislauiensi episcopæ sempiterno iure adiūxit. Tertium deiectus principatu Miezislaus, non destitit tamen rursus ad eum adspirare: nec eum conatus fefellit, & quidem ijsdem, quibus prius artibus grassantem. Bello enim repetere amissum principatum, perdifficile sibi esse ducebat. Sed Helenam iterum blanditijs atque dolis aggreditur: affirmat, non per se stetisse, quò minus pactis satisfaceret: uerùm per proceres Cracouienses, & in primis per Nicolaum Palatinum. Eos non siuisse se promissa implere: eamq; eiectionis suæ causam esse, quod obnixius contra eorum sententiam filios Cazimiri fratris adoptare pertenderet. Se paratum esse fidem suam liberare, & absque ulla procrastinatione Cuiauiensem tractum ipsi & filijs eius redditurum. De cæteris quoq; quæ in pactis essent, quibus illa uellet modis & monimentis cauturum esse. Quibus cum eam emolliuisset, monet ut clam proceribus omnia faciat: Nicolaum autem ante omnia à se amoueat & releget, si sibi, liberisque suis bene consultum uelit: illum seditiosum esse hominem, & pro libidine sua principes instituere ac destituere, ut ipse alieno nomine dominetur. Probè enim intelligebat Miezislaus, unum illum, cuius authoritatem reliquus conuentus Cracouiensis sequebatur, sibi ad recuperandum principatum obstare. Nec difficulter persuasit mulieri omnia timenti, & omnia credenti. Nec deerant inuidi quidam & maleuoli, qui muliebrem animum in Nicolaum magis ac magis irritarent. Fit enim ferè, ut rectè geri summi magistratus absque offensione multorum non possint. Tametsi ipsis quoque secundis rebus, atque etiam rectè factis necessarius propemodum comes est inuidia. Neque Gouoricium tantam ulciscendi inimici occasionem neglexisse credibile est. Factus autem certior de mulieris consilio Nicolaus, adit ad Helenam & filios eius, merita sua & studium in illos cōmemorat: orat, ne se, famam, caputq; suum æmulis & inimicis suis prodāt: quos quidē inimicos cœpisset, dū ipsis fidelis esse studet, dūq; caput suū pro eorū salute & imperio multis periculis obijcit. Non priuato cuiusq; odio se oppugnari, sed uelut obstantem uafris Miezislai conatibus, & Cazimiri optimi ac de se benemeriti principis filiorum partes enixius defendentē, summa cum contumelia remoueri: propterea quòd se incolumi circumscribi illi, & à principatu excludi non possent. Sic canes à lupis peti, quo liberius in gregem, aut in pecudes deseuiant: ni resipiscerent, in ipsorum capita citò hoc malum esse redundaturum. Vbi uidet non commoueri precibus suis implacabilem mulierem, Posnaniam ad Miezislaum, quamuis infensum sibi hostem, contendit, saluti & incolumitati suæ prospecturus: simul & inimicos ingratamq; mulierem ulturus. Non ferunt contumeliam magni & illustres uiri: sæpeq; irritati, impotentia animi ad multa se indigna impelluntur, atque adeò in perniciem patriæ nonnunquam feruntur præcipites. Existimabat autem, non ingratam Miezislao transitionem suam fore Nicolaus: quippe qui sciret, quantum in se uno momenti esset ad assequendum & obtinendum principatum. Nec eum spes fefellit. Ab eo igitur ueniam præteritarum offensarum petit, & in posterum ei studium suum defert: qua fide erga Cazimirum & liberos eius eousq; fuisset, eadem se erga ipsum fore: quantumq; dudum obfuisset, tantum breui profuturum. Accepit eum comiter & honorificè Miezislaus, benigneq; & liberaliter habitum, & magnis promissis oneratum, dimisit. Ac per eum nullo negocio Cracouiensem omnem regionem in ditionem suam redegit. Tanta erat authoritate & gratia apud omnes ordines Nicolaus.

Helena à Miezislao decepta.

Nicolaus Palatinus Cracouiensis obex conatuū Miezislai.

Nicolaus palatinus ad Miezislaum transijt.

Cracouiensemq; principatum Nicolaus palatinus reddit Miezislao.

MIEZISLAVS SENEX TERTIVS.

ATQVE inde iam apertè profitetur Helenæ Miezislaus, se pactis & iureiurando non teneri, quòd non ipsius concessione aut ex pacto, sed Nicolai opera principatum adeptus esset. Nec satis habuit, non reddere fratris filijs Cuiauiensem tractū: quin & Visliciense territorium, & tria præterea castella de Sendomiriensi ditione ipsis ademit: sua illa esse, & ad principatum pertinere asseuerans. Hæc agentē, ac de redintegratione uniuersi principatus atque regni Poloni cogitantem, mors inopinata oppressit, septuagesimum tertium uitæ annum agentem, anno Christi 1202. Sepultus est Calisiæ in templo Pauli apostoli memoriæ dicato, quod ipse condiderat, & collegio sacerdotum canonicorū instituto ornauerat. Verùm oppido, temploq; in alium locū postea translato, sepulchrū eius sub diuo relictū est. Contulit autē is & alibi non parū ad amplificandū cultū diuinū. Nam Landense & Vangrouecēse monasteria iam inde à pulso fratre

Miezislaus pactorum immemor.

Miezislai mors. 1202. ann.

Calisiense collegiū conditū.

Landense & Vangrouecense monasteria Teutonibus attributa.

Vvla-

Vuladislao condidit, & locupletauit: & in ambobus Teuthonas Cistercienses sodalitatis ex monasterio ueteris montis tertio à Colonia milliario deductos, collocauit: edictoque perpetuo sanxit, ut non nisi Colonienses ad ea monasteria cooptarentur & reciperentur, propterea quòd honorificè à Coloniensibus habitus esset, cum eò adolescens religionis causa uenisset. Extruit etiam Ptochodochium, siue hospitale, ut uocant, recipiendis & sustentandis egenis Poznaniæ apud diui Michaëlis, & compluribus pagis dotauit, eiusque curam hospitalarijs fratribus Hierosolymitanis mandauit. Cosciolense quoque monasterium Benedictorum in suburbano Calissiensi, eius opus esse Dlugossus scribit: itemque Lubense, ad Odram amnem in diœcesi Vuratislauiensi. Tametsi quod ad Cosciolense attinet, non conuenit ratio temporis. Nam octauo demum anno post Miezislai mortem conditum id esse memorat. Nisi fortè uiuente eo inchoatum, tunc demum à liberis eius perfectum, uel ex testamento ædificatum est. De Lubensi autem uariat idem scriptor: quod ex ijs quæ superiùs commemorata sunt, deprehendi potest. Sed Lubinense opinor dicere uoluit, supra Vartam flumen in diœcesi Poznaniensi situm. Reliquit autem Miezislaus senex hæredes, Ottonem & Vuladislaum filios: nam cæteri iam obierant. Quin & Otto non ita multo pòst patrem secutus est, relicto Vuladislao item filio impubere: cui sputatori postea, propter crebræ sputationis uicium, cognomen fuit. Cuius tutelam Vuladislaus patruus, qui Magnus, & Lasconogus etiam à gracilitate crurum dictus est, aliquandiu gessit.

Hospitale Poznaniense. *Cosciolense monasterium.* *Lubinense monasterium.* *Miezislai senis filij.* *Vuladislaus Sputator.*

VVLADISLAVS LASCONOGVS.

MIEZISLAVS sene defuncto, in Lescū album rursus uniuersi ferè cōuentus Cracoui. studia prona erāt: negabātque locū esse creādo principi, uiuēte Lesco, qui iustus princeps esset omniū suffragijs creatus, sed fraude, doloque Miezislai bis principatu submotus esset. Eius aūt principatū diuino quoque iudicio cōprobatum esse, inuasore Miezislao iusta numinis uindicta tam citò de medio sublato. Aduersabatur huic sententiæ Nicolaus palatinus, cum Fulcone fratre episcopo, quorum magna tūc erat authoritas & potentia, propter splendorem familiæ, magnasque necessitudines & clientelas, ita ut perdifficile esset in conuentu quippiam ijs inuitis statuere. Erat autem Nicolaus infensus Helenæ Lesci matri, ob superiorem iniuriam. Adhæc sciebat Gouoricium, cum quo capitales gerebat inimicitias, principem in consilio atque in amicitia Lesci & Helenæ locum obtinere. Cessere tamen & ipsi consentienti multitudini: illud uerò peruicere, ut ea demum lege Lescus principatum reciperet, si Gouoriciū relegaret. Missi ad Lescum legati, mandata conuentus exponunt. Dubius animi Lescus, ob adiectā de Gouoricio conditionem, quid faceret, deliberabat. Stultum, aut certè damnosum esse uidebatur, principatum ultrò oblatum † refutare: & subesse alteri malle, omnibus præesse cùm posset. Sed eijcere per summam iniuriam charum sibi, fidumque consiliarium, ac de se bene merentem nolebat: indignumque iudicabat, tā duras & iniustas leges sibi dici. Cunctantem Gouoricius ultrò hortatur, ne sua causa tanta commoda negligat. Malè uerò sibi, suisque posteris Lescum consulturum esse, si propter se unum seniculum, & pauculos, atque eos incertos dies uitæ suæ, in aliam familiam transferri principatū sinat. Libenter se pro eius commodis atque honore in exilium abiturum, pro quo uitam quoque ponere deberet, atque cuperet. Felix æsempiterna posteritatis memoria gloriosum exilium illud suum fore, susceptum pro dignitate & amplitudine optimi principis. Commouit Lescum ea Gouoricij oratio, & insignis beneuolentia cum animi magnitudine coniuncta: in eam quidem partem, ut is illicò negaret, tanti se facere principatum, ut eius adipiscendi gratia tam fidum consiliarium proderet, immerentemque magistratu simul & patria eijceret. Principatum quidem duplici nomine ad se pertinere, quòd & hæres Cazimiri esset, & à conuentu pridem electus & expetitus, nunquam se eo abdicasset. Verùm tyrañicam illam uocem: Si ius uiolandum sit, regnandi causa uiolandum esse, non placere sibi, qui iusto & legitimo imperio suos regere, à patre & à maioribus suis didicisset. Proinde alium sibi Cracouienses proceres, istis legibus quærerent: se in paterna ditione sua acquieturum esse potius, quàm per scelus principatu potiturum. Et cum his mandatis legatos dimisit mœstos, & palatini sui fastū, arrogantiam, & impotentem iracundiam detestantes. Cognita Lesci sententia, denuò cōsultatur in conuentu Cracouiensi de principatu. Displicebat multis iniquitas & acerbitas decreti superioris de relegādo Gouoricio: admirabantur Lesci uirtutem,

Comitia de creando principe. *Nicolai palatini Cracouiensis implacabilis iracundia.* *† forte recusare.* *Gouoricij palatini Sendomiriensis pietas in principem.* *Lesci albi iustitia, & animi magnitudo.*

& excelsum uerecq; regium spiritum, qui carere principatu mallet, quàm insontem consiliarium iniuria afficere. Nicolao succensebant: neque tamen mutare decretum illud poterant, refragante eo, & responsum Lesci quasi superbum, & plenum cõtemptus cauillante. Nam quo clarius dederat Lescus propensæ in Gouoricium uoluntatis documentum, eo magis potentiam eius Nicolaus reformidabat: contendebatq; summo studio, ut cuiuis potius quàm Lesco principatus mandaretur: perfecitq; tandem, ut Vvladislaus Lasconogus Miezislai senis filius, quasi iustus hæres absens princeps renunciaretur. Missi ad eum legati, uix, ut oblatum principatum susciperet, ei persuaserunt: nec aliter tamen, quàm si Lescus eum omnino refutasset. Verebatur enim eius potentiam, memineratq; patrem suum semel atq; iterum in gratiam eius à Cracouiensibus uel deiectum, uel eiectũ.

Vuladislaus Lasconogus princeps creatur.

Vuladislai æquitas & modestia.

Itaque ad Lescum mittit: postulata Cracouiensis conuentus, & quid ipse responderit, exponit: negat se prorsus quippiam aduersus sententiam Lesci facturum, ad quem longè antè delatum esse principatum sciret, quemqúe inimicum capere nollet: nec se tam cupidum esse, ut principatus causa ius sanguinis uiolaret. Respondet Lescus: ea lege, quæ sibi à Cracouiensibus proceribus diceretur, principatum se accipere noluisse, nolleqúe: nec aduersus animi sui sententiam facturum esse Vvladislaum, si eum delatum accipiat. Hoc ubi responsum à Lesco Vvladislaus accepit, tum demum postulatis Cracouiensium legatorum annuit, & Cracouiam profectus principatum iniit: magnaqúe facilitate, humanitate & iusticia, atque liberalitate etiam, studia & uoluntates hominum adiungere sibi cœpit.

Romani Vuladimiriensiũ ducis tyrannis & superbia.

Prouerbium.

At Romanus Vuladimiriensium & Haliciensium dux immemor iurisiurandi sui, inaudita crudelitate nobilitatem ferè omnem Haliciensem, nullo non supplicij genere usus, exturpauerat: dictum illud subinde usurpans, Melle neminem, nisi interfectis apibus, securè uesci posse. Interfectorum autem & proscriptorum, ac metu tyrannidis diffugientium bona confiscarat, magnasqúe diuitias conflarat: unde potens effectus, finitimis quoque ducibus erat formidabilis, ita ut nonnullos faceret sibi tributarios, & alios eijceret, alios institueret. His rebus elatus, ubi Lescum principatu excidisse accepit, contemnere animi eius angustiam, ut ipse interpretabatur, & ætatem: maioraq; moliri cœpit.

Russicum bellum.

Ac primùm clandestinis excursionibus in Lesci ditionem suæ finitimam, deinde negociatorum Polonorum in Russia rationes habentium, direptione, patientiam Lesci tentauit. Deinde legatis eius amicè res repetentibus, durius ac superbius respondit, ac Lublinensem tractum ultrò à Lesco & Conrado poposcit mercedis nomine, ob stipendia facta aduersus Miezislaum, & ob detrimenta in prælio Mosgauiensi accepta. Sed cum postulata eius Lescus & Conradus refutassent, quòd dicerent, desertori, & ei qui ex acie profugisset, nihil se debere: accensus ira, apertè iam Lublinensem oram latrocinio & populatione agrorum infestabat. Cohibebant uerò Sendomirienses liberiores eius excursiones, & ex eius ditionibus uicissim prædas agebant.

Minæ Romani.

Maiore deinde ui Romanus bellum gerere instituit: coactoqúe ualido exercitu, non modò Poloniam omnem animo & spe complexus, uerùm etiam Latinorum literis atq; religioni (sic enim Russi nos, qui rectè in religione Christiana sentimus, & principatum Romani pontificis agnoscimus, appellant) exitium superbè minitans, Poloniæ fines ingreditur, ac Lublinensem arcem toto mense obsedit.

Lublini obsidio.

Sed certior factus, Lescum & Conradum copias contra se comparare, soluta obsidione ad eos magna fiducia uirium suarum ad interiora Poloniæ contendit, immaniter & contumeliosè in omnem sexum, ætatem, statũq;, & maximè in sacerdotes, atq; etiam in innoxia tecta sæuiens: legatos Polonorum æqua omnia pollicentes, cuius legationis princeps erat Vitus Plocen sis episcopus (nam de Fulcone Dlugosso non assentior, qppe q alienus tunc esset à Lesco) cum incerto responso dimittit. Transmissoq; partim nauibus, partim uado flumine Vistula, apud Zauichostum oppidum in ripa Vistulæ castra locat, altero à Sendomiria milliario. Ibi cognoscit nostros appropinquare: neque tamen credebat pugnandi copiam facturos esse. Vbi se opinione sua falsum esse, & Polonos instructis aciebus adesse uidet, consternari ac trepidare cœpit, quòd imparato sibi preter opinionem dimicandum esset.

Prælium apud Zauichostum.

Neq; rectè explicare ordines poterat, nostris perpetuo cursu & magna cum uociferatione irruentibus, cum ira & indignitas belli à socio ac tributario duce, à quo Lescus optimè esset meritus, illati, animos ipsis suppeditaret. Præerat aũt nostris Cristinus comes, gente Gosdouius, cuius lilium insigne est, palatinus Plocẽsis, uir acer, & rei militaris peritus. Nam Lescus & Conradus adolescentes aberant de consilij sententia, cum aliquanta manu præsidij causa, à longè euentum prælij expectantes, ut si qui durior

Cristinus comes palatinus Plocensis.

Gosdouia familia.

casus

tasus exercitum afflixisset, recipere se commodè ad tutiora loca possent. Romanus uerò in acie inter primos uersabatur, boni ac strenui ducis fungens officio, ne manus quidem à nostris abstinens. Feruente aliquandiu pugna, & multis utrinque cadentibus, cum nostris ira, uirtusque suffragarentur, hostes uerò abundarent multitudine, & dux ipse cohortatione eos animaret, debilitatos confirmaret, & pedem referre incipientes sisteret, conspicati id nostri, globo facto impetum in eum faciunt. Nec segnius ille resistit, donec strage suorum, confossoque multis uulneribus equo, fugæ præsidium mandare coactus est, equam et fœtam nactus: qua uectus cum Vistulam iam tranasset, immixtus multitudini suorum fugientium, a Polonis instantibus in turba interfectus est. Exercitus autem hostilis partim pugnans, partim fugiens, ad internecionem ferè deletus est. Nam Poloni longiùs, & propè Vvladimiriam usque, ut uult Dlugossius, fugientes persecuti sunt. Multi in agris & in syluis latitantes, à rusticis hominibus conquisiti ac trucidati: multo maxima pars flumine demersa perijt, fugam præcipitans, & in angusto uado se impediens, & ruinam facientе ripa ulteriori pressa pondere multitudinis, quæ in prima fugiens tranato flumine conuersa & conglobata constiterat. Reuertentes nostri, castra copiosa & opulenta diripuere. Cadauer Romani repertum, Sendomiriæ iusto honore tumularunt. Verùm postea id effossum Lescus, Russis flagitantib. & captiuos omnes dimittentibus, ac mille pondo argenti appendentibus, reddidit, ut Vvladimiriæ in sepulchro maiorum suorum sepeliretur. Fertur autem Romanis expeditionem illam in Poloniam facturus, missis muneribus petiuisse à Vuladimiriensi episcopo, quem Russi Vvladicã uocant, ut se, exercitumque suũ solenni precatione & omine, siue benedictione, ut uulgò dicunt, dignaret. Qd' cùm ille recusasset, affirmans nefas esse, Christianos Christianis iniustum bellum inferentes eo honore dignari: indignatum Romanum, mortem ei minatum esse, cum ex eo bello uictor domum reuertisset. Illum uerò constanter respondisse, se mortem pro ueritate neutiquam reformidare: nescire aũt Romanum, an ex eo bello reuersurus sit. Vnde postea episcopus ille sanctitatis opinionem apud uulgus nactus est, quasi diuinitus futurum belli euentum præsciuisset. Fertur itentidem Romanum nocte ea, quam prælium consecutum est, somniasse: magnam multitudinem passerum a longè minori numero achantidum ab ea parte, quæ ad Sendomiriam uergit, aduolantium, dilaniatam esse. Idque somnium, cum amicis manè narraret, senioribus atque prudentioribus triste & mali ominis uisum esse. Fuit autem hic dies, quo apud Zauichostium pugnatum est, ad tertium decimum Calendas Iulij: annus uerò post Christum natum 1205. Et quoniam dies ille Geruasio & Prothasio Christi martyribus dicatus est, aram eis postea Lescus in basilica Cracouiensi dicauit. Sed eius aræ prouentus uberes, uehementer accisos esse suc cessu temporum, Dlugossius memorat. Per hoc tempus Lithuani, gens fera, syluestris & obscura, Russorum agros prædis agendis infestare cœpere. A quibus cruento prælio uicti, subera, restes & falces frondeos, quibus ea gens in balneis sudorem prouocare solet, tributi nomine deinceps pendere iussi sunt. Apud Liuones uerò, cùm Meinardus episcopus, & post eum Albertus, Christianam religionem paulò antè propagare cœpissent: Albertus alter, quo facilius barbariem inde extirparet, ordinem siue societatem, quæ militiæ Christi dicta est, instituit, ac tertiam partem redituum Rigensis episcopæ ipsi attribuit.

Romani fuga & interitus.

Russi profligati.

Episcopi integritas.

Vvladica epis copus apud Russos.

Somnium.

1205. ann.

Lithuani à Russis uicti, et uectigales facti.

Liuones ad religionem Christianam adducti.

Ordo militiæ Christi in Liuonia.

LESCVS ALBVS TERTIVM.

MAGNAM è Russica uictoria uirtutis & felicitatis opinionẽ Lescus apud suos pariter atque exteros cõsecutus est, eoque maius sui desideriũ in animis Cracouiensis cõuentus accẽdit. Sũmis eum laudibus passim oẽs efferebãt, Vvladislaumque suum præ eo contẽnebant. Parũ etiã utriusque merita inter se comparabant. Et reiectum à se temerè & iniustè optimi principis Cazimiri optimum filium dolebant. Fortè autem per id tempus, nondum circumacto anno à Zauichostensi prælio, Nicolaus Palatinus Cracouiensis uita defunctus est. Itaque summoto iam eo obice, qui solus Lesco ad principatũ obstiterat, summo consensu cõspirant, ut excluso Vvladislao, Lescũ uelutі iustum principẽ accersant. Acto conuentu, cui & Fulco episcopus interfuit, legatos cum decreto ad Lescũ mittunt. Nec ille, cũ uniuersi conuentus cõsensum uideret, cunctatus est, quin postulatis eorũ annueret: ueniensque, Cracouiã, & omnes quæ ad principatum pertinebant munitiones, nemine repugnante, in potestatem suam redigeret. Nam Vvladislaus, uir modestus & quietis amans, cognito consensu conuentus, cessit,

Lescus ad principatum reuocatur.

Vvladislai Laskonogi modestia.

& Poznaniam se recepit, nec ulla re postea Lesco molestus fuit. Annus autem quo hæc acta sunt, fuit post Christum natum 1206. Insequenti anno Fulco quoque, siue Pelca, Cracouiensis episcopus, Palatini frater uita excessit: qui sibi, & successoribus suis prærogatiuam loci & suffragij secundum Archiepiscopum in Gneznensi prouincia, ab Innocentio tertio Pontifice Max. impetrauit. Successit autem ei magister Vincentius, cognomento Cadlubcus, præpositus Sendomiriensis, gente Roseus, uir doctus, ut tunc ferebant tempora, & pius: qui primus Polonorum, historiam gentis suæ conscripsit: liberis collegij sacri suffragijs creatus & expetitus, quamuis ipse in eo collegio non esset. Perfecerat enim id collegium per Ioannem archidiaconum, ut libera sibi deinceps esset electio episcopi, in quam se principes peruerso more etiam tunc ingerebant. In Russia deinde Lescus princeps per legatos res quasdam uario marte gessit, siue excursionibus eius gentis in Poloniam prouocatus, siue ad ferendam Colomanno Vngarorum regis filio opem inuitatus, siue utrunque. Neque enim constat hic sibi Dlugossus: & Vngarorum annales totum id bellum prætereunt: ne Vincentius quidem attigit. Sic autem, secundum Dlugossum, res habuit. Post Romani mortem, Russorum ducibus, qui in magnum iam numerum excreuerant, dissidentib. inter se, & alijs alios pellentibus, debilioribusq; contra potentiorem aliquem, patronum atq; defensorem sibi accersentibus, cum à Polonico nomine propter proximam superioris temporis cladem abhorrerēt, Colomannus, Andreæ regis Vngarorum filius, Haliciensem principatum adeptus est, à Russis expertus. Veniens autem Haliciam cum magnis copijs, ab episcopis, quos in comitatu suo habebat, solenni pompa inunctus, coronatus, & rex Galatiæ siue Haliciæ appellatus est: quod iam inde ab initio de sentētia Andreæ patris constitutum erat. Insciētib. aūt Rusis hæc acta sunt. Itaq; confestim eorum animos à Colomanno alienarunt, sic ut non diuturna illi esset principatus illius & regni possessio. Non multo enim post, cum ille pacata omnia sibi esse crederet, partemq; exercitus in Vngariam remisisset, conspirant contra eum Rusi, authore Mescislao. Mescislai illius opinor, qui à Cazimiro principe reductus, Haliciensiū Dux fuit, filio uiro forti & magnanimo, ita ut & ipse Chrobri cognomētum adeptus sit: qui ante aduentū Colomāni Haliciēsem dominatū sibi uēdicabat. Is igitur ex Rusis & Polouucis ualida manu facta, Colomānum ejcit cū suis omnib. Inter quos Vincentius, Cracouiēsis episcopus, & Iuo Sauli Comitis filius, gente Odrouāsius, Cācellarius Poloniæ, qui postea fuit Cracouiensis episcopus, fuisse memorantur. Nos, quid ibi duo isti tunc egerint, aut cur potissimum à Cracouiensi episcopo Colomannus unctus, ac regio diademate cinctus sit, non intelligimus. Neq; credimus tam patientes, ne dicam ignauos, tunc fuisse Polonos, ut nō modò præripi sibi Haliciensem dominatū, quē armis suū fecerant, ab Vngaro paterentur, uerumetiā cōsilio ad id ipsi, auxilioq; suo accōmodarent. Itaq; existimamus, Colomannū nō à Rusis expetitū esse: sed uxore ducta Salomea, Lesci Albi sorore, Haliciensem dominatum controuersum in dotem, concedentibus Polonis: accepisse: eoq; nouam nuptam ab episcopo Cracouiensi, & à Cancellario ad constitutum locum deducta, & possessionem Haliciæ Colomanno traditam esse. Quod cum displiceret Rusis, externi dominatus insolentibus, & ueritis ne cum principe religionē pariter, cuius tenacissimi sunt, mutare cogerentur, libenter eos cum Mescislao, qui Haliciam iure hæreditario repetebat, aduersus Vngaros & Polonos cōspirasse. Nec nobis fit uerisimile, Colomannum Galatiæ, siue Haliciæ potius, quàm Rusiæ principem atq; regem se dici passurum fuisse, si Russorū consensu atq; decreto cōmuni accitus fuisset. Longe enim clarius atq; splendidius Rusiæ totius, quàm unius ciuitatis Haliciæ, nomē erat. Nec planè dissentit ab hac nostra sententia Dlugossus. Mox enim post eiectionem Colomanni, subdit, eodem anno Salomeā ipsi nupsisse. Quàm aptè uerò cum strage ac turpi fuga cohæreant nuptiæ, Dlugossus uident. Sed ut ut est, sequenti quidem anno Lescus Colomanno cum exercitu Haliciam repetenti, non contemnenda misit auxilia. Colligebat & Mescislaus ingentes copias. Coniungebant enim se cum eo Volodimirus Rurici, Roscislaus Dauidis, & alter Roscislaus Mescislai, Ducum filij. Educebat & ualida Polouuciorū auxilia: q ppriū etiā dolorē interfecti supiori āno Ducis sui ulcisci in Vngaris cupiebāt. Primo aduētu recepere Vngari & Poloni Haliciā: cōmunitaq; diligētius arce, & Colomāno cū uxore & imbelli multitudine in ea relicto, hostib. aduentantib. obuiā pgressi, præliū cōmiserunt. Nec difficulter Poloni, qui dextrum tenebant cornu, Russos loco mouerunt, fugientesq́ue longius persecuti sunt. Quin in altero cornu iam ad Vngaros inclinabat uictoria: ibi Mescislaus cum Polouucijs eos à tergo adortus, facilè securos dissipauit,

1206. an.
Cracouiensis episcopi prerogatiua.
Vincentius Cadlubcus episcopus Cracouiens.
Episcopi libera electio.
Russorum duces multi ac dissidētes inter se.
Colomannus Haliciæ rex factus.
Mescislaus Dux.
Colomannus Halicia pellitur.
Colomannus coronatus ab episcopo Cracouiensi.
Colomanni uxor Salomea. Lesci soror.
Polonorum auxilia Colomanno contra Russos missa.
Russorum uictoria de Polonis et Vngaris.

pauit, & magna strage profligauit. Maiorem etiam in Polonis sine ordine reuertentibus stragem edidit, cum uexillum eorum captum erexisset. Accurrentes enim ad id, à Polouucijs pariter & Rusis conuersis excipiebantur & trucidabantur. Ita totus ferè ille exercitus ad internecionem deletus est. Colomannus autem à uictoribus in arce diu obsessus, tandem fame & siti adactus, deditionem fecit, & annum ferè totum una cum uxore Salomea in custodia asseruatus est à Mescislao. Deinde Andrea patre satagente per legatos, dimissus est: cōuenitq; inter regē & Mescislaū, ut Maria Mescislai filia, Belæ filio eius natu maiori nuberet: post trienniū aūt Mescislaus Haliciū Colomāno redderet. Quod cū ille fecisset, nō multo post Colomānus à Daniele Romani filio rursus exactus, & à patre longè post, ab Asiatica, ut uidet, expeditione reuerso, restitutus, cū uix trienniū pacatum regnū obtinuisset, incertū ueneno ne an morbo extinctus, uacuā Haliciæ possessionē, & belli materiā Rusis reliquit. Ex eo tēpore Vngari reges Rusia prorsus exciderunt: nihilo tamen minus Galatiæ & Lodomeriæ (Vvladimiriā, fortassis, corruptè sic uocātes) reges deinceps appellari uoluerūt. Elati uictoria illa tam insigni Rusi, adiunctis etiam Lithuanis, crebris excursionibus Poloniam uexarunt & afflixerunt. Quare motus Lescus, Sulislaum Castellanum Sendomiriensem cum expeditis copijs ad uastandum uicissim Rusiam misit. Cui cùm occurrissent Rusi, magna clade profligati sunt: cæsi multi, capti non pauciores: inter quos quinq; fuêre duces, Suentoslaus Mescislai, eius opinor qui cum Vvseuolodo Romani patre & uiro sororis suæ de Vvladimiriensi principatu bellū gessit, filius: Georgius, Iaroslaus, Volodimirus, & Constātinus: qui ad Lescū adducti, & ab eo aliquādiu in uinculis habiti, postea dimissi sunt. Poloni uero magnā prædam tūc è Rusia retulerunt. Fuit aūt hic annus à Christo nato 1211. Quo cometes decē & octo diebus mensis Maij conspecta in orientem obuersa apparuit, futurorū malorum, quæ statim Sarmatiam utranq; afflixerūt, prodigiū. Aliquādiu postea tacito quasi consensu pax fuit inter Polonos atq; Russos. Cuius & illa non minima causa fuit, quòd Rusi anno sequenti nouū, diruq; hostem nacti sunt, qui uires eorū deinceps penitus attriuit, & multas alias Christiani orbis gentes magnis & acerbis calamitatibus atq; cladibus inuoluit, ac penè funditus euertit. Tattari enim, siue, ut usus obtinuit, Tartari, Scythica gens, siue à multitudine nomen habens cum ante ultra Caspium mare, & intra Imaum montem ad orientem solē obscuri, ignotiq; Græcis iuxtà ac Latinis habitassent, circa añum Christi 1202. uel ut alij uolunt, 1182. finibus suis egressi, deuicto & interfecto Indorum rege, cui seruierant, Asiam penè omnem uictores longè, lateq; peruagati, & Rha siue Volga flumine transmisso, ad occidentem progressi, ujcinis Russorum Polouucijs, quos nonnulli recentiores Gothos, nōnulli Chunos siue Cumanos esse uolunt, cāpestria ad Tanaim & Mæotim paludem loca habitātibus indeq; ut nostra fert opinio, finitimorū Russorū lingua nō ualde diuersum à Polonis nomē sortitis, bellū intulerūt. Quāuis aūt perpetui Russorū hostes essent Polouucij, necessitate tñ adacti opem eorū implorarunt. Nec defuêre Rusi rogantibus in commune periculo. Quin legatos Tartarorum monentes, ne sese eo bello implicarent, contra ius gentium intêremêre. Commisso prælio uictores Tartari magna strage Polouucios & Russos fudêre & fugauêre. Fugiētes aūt Russos, ipsi etiā Polouucij excepêre, & spoliatos trucidauêre. Munitiones dein Polouuciorum expugnatæ: ipsi deleti, & omnis illa circa Tanaim & Mæotim ora cum Taurica Chersoneso à Tartaris habitari cœpta. Deinde Rusi debellati & subacti sunt, ità ut non modò tributa ipsis pēderent, & iussa facerēt, sed etiā seruis antè suis Lithuanis prædę essent. Quod suo fortassis loco attingemus. Nunc nostra psequamur. Nullum deinde Lescus quoad uixit bellū gessit, pace & ocio impēsius delectatus. In pace uerò iustè, clemēter, & moderatè principatū administrauit: ædificia partim collapsa instaurauit, partim noua excitauit. Obibat aūt cūctas regiões ditioni suæ subiectas, causasq; & controuersias hominū omnib. in locis ipse per se cognoscebat & iudicabat: insontes, & maximè in sycophātas siue calūniatores animaduertebat oppressos potentiorum iniurijs uindicabat. In Pomeraniam uerò cùm uenisset, atq; eadē illa quæ alibi ageret, rogatus à Pomeranis quòd lōgiùs ij fe ius à principe nō sine magno incōmodo atq; impēdio petere quererent, quēadmodū Suētopelcū superius attigimus, uniuersæ Pomeraniæ præfecit, & amplissimā potestatē atq; iurisdictionē etiā in Palatinos, qui tunc duo erāt, nempè Gdanensis & Succēsis, & in cęteros magistratus ipsi cōcessit. De reditibus aūt totius Pomeraniæ mille pondo siue marcas argenti quotannis fisco principis Polonorū ut penderet constituit, & iureiurādo in sua, posterorumq; suorū principum Poloniæ uerba eum adegit. Quam tamen ille fidem non diu seruauit, quemadmodū posterius

Colomannus capeus cum uxore.
Colomannus Halicium recuperanit.
Vngari Haliscia exciderunt.
Galatiæ & Lodomeriæ regnum cur Vngari sibi uendicant?
Rusi à Polonis profligati, Russorum duces capti.
1211. annus.
Cometes.
Pax inter Polonos & Russos.
Tattari seu Tartari.
Polouucij.
Polouucij & Rusi à Tartaris uicti.
Tartarorum sedes.
Rusi Tartaris uectigales.
Lescus studiosus pacis amplexus.
Iudicis princi pis.
Calumniatores coerciti.
Pomeraniæ præfectus Suentopelcus.
Pomeraniæ uectigal.

sterius exponemus. Mazouiam uerò & Cuiauiam Lescus de consilij conuentusq; sententia Conrado fratri minori in sortem patrimonij concessit, comitijs eam potissimũ ob rem Sendomiriæ habitis. Deinde duodetrigesimũ agens annũ, rogatu procerum uxorẽ duxit Grimislauam Iaroslai unius de Russorum ducibus, quẽ captiuũ habuerat, filiã, anno Christi 1220. Ex qua anno sequẽti Boleslaũ filiũ, qui postea Pudicus appellatus est, suscepit, in arce Corcinensi æditum: deinde filiam Salomeam. Neq; memorabile quicquã preterea est in principatu Lesci huius quãuis diuturno, præter mortẽ eius: quam priusquã persequamur, nonnulla quæ regnante eo acciderunt in Polonia, nõ indigna memoratu, breuiter exponemus. Henricus Barbatus dux Vvratislauiensiũ ex Heduigi uxore, filia Bertholdi ducis Morauiæ et Carinthiæ, fœmina lectissima, Henricum & Conradum, cui Crispò cognomen fuit, filios habebat. Et maiorem quidem mater, minorem pater plus diligebat. Sed tamen partitus inter eos dominatum pater, uxoris suasũ minori quidem Lusaciam & Lubussensem tractum, Henrico uerò maiori reliqua omnia cum Vvratislauia assignauerat. In qua partitione cũ Conradus non acquiesceret, bellum fratri fecit, neqcq; dissuadentib. ac deprecantibus parentib. Nec Henricus iunior sibi defuit. Sed coacto & ipse tumultuariè exercitu, obuiam fratri ꝓdijt. Pugna cõmissa in loco cui nomẽ Studnicia, inter Legniciã & Goltibergã, Henricus uictor extitit. Cõradus cũ se ex fuga Glogouiã ad patrẽ recepisset, salutẽ cõsecutus est. Verũ non ita multò pòst, in Tarnauiensi saltu uenationi uacans, & ferã agitãs, lapso equo ceruices fregit. Ferũt aũt Heduigis diuinitùs filij interitũ præsciuisse. Tam eñ religiosa & pia fuit ea mulier, & sanctimonia uitæ præstãs, ut prophetico spiritu à Deo dignaretur. Huius rogatu Henricus Barbatus Trebniciense monasterium tertio à Vvratislauia milliario maximis sumptibus exædificauit, & puellis Cisterciensis sectæ attribuit. Addixit autẽ Heduigis, indulgente uiro, illi monasterio oppidum ipsum Trebniciam, & complures pagos suos dotales, ita ut in mille hominũ alimenta reditus eius suffecturi esse uiderent. Qđ exẽplum secutus Nicolaus Henrichouius, uir nobilis & locuples, qui Henrico Barbato à secretis fuit, & ipse patrimoniũ suũ omne Cisterciensibus monachis, assentiente Henrico Barbato, donauit: extructoq; eis monasterio in pago suo Henrichouo, ipse quoq; ibi religionem professus, uitã pegit. Tantũ uerò tũc pacatis rebus uigebat in Polonis religionis amplificãdæ studiũ, ut eo potissimũ inter se certarẽt. Nam & Miezislaus Vuladislai filius dux Oppoliensis & Ratiboriensis Ribnicense monasteriũ Præmonstratẽsis sectæ puellis condidit ac donauit: quod postea filius eius Cazimirus, quẽ unicũ reliquit, Zarnouãsum transtulit: & Vincentius Cracouiẽsis episcopus, cum basilicæ Cracouiensi, cuius supellex uniuersa, tacto de cœlo erario cõflagrarat, multa cõtulisset, decimasq; nonnullas collegio eiusdem basilicæ in distributiones quotidianas, & in lucernam, quę perpetua in templo arderet, addixisset, episcopatu se abdicauit, nequicquã aduersante principe, ac dissuadẽte collegio sacerdotũ: & in Androuiensi monasterio reliquos quoq; uitæ años religiosè exegit, cũ 10. añis episcopus fuisset. Huic uero Vincentio qui successit, Iuo Sauli filius, cuius etiã superius mentionẽ fecimus, Romam profectus, ac Dominici Calaguritnia, qui tunc nouę sectæ & sodalitatis, quam à studio concionandi Prædicatorum uocant, autor florebat, doctrinam uitamq; admiratus, Iacium siue Iacinctum gentilem suum de territorio Oppoliensi, canonicum Cracouiensem (qui post mortem multis annis propter sanctimoniã uitæ actæ & miracula, in numerum diuorum relatus est) atq; tres alios de comitibus suis, à Dominico institutum uitæ illius edoctos atq; professos, Cracouiam secum reduxit, nouæq; sodalitati primariũ in urbe Cracouiensi templum, quod Trinitatis nomine appellatur, attribuit, & copiosam supellectilem templo dicauit, uictum uestitumq; sodalibus suppeditauit: Parœciã uerò inde in templum uirgini matri Dei Mariæ dicatum, ob id tunc à se constructum, transtulit. Complura deinde eidem sodalitati cœnobia in Polonia cõdita sunt. Quin Kiouiã quoq; & Haliciam ea paulò pòst colonias suas deduxit. Sed noñ potuit eã diu ferre Kiouiæ dux Volodimirus, ueritus ne ab ea Rusi sui à schismate & ritibus Græcorum abstraherentur. Idem Iuo Cacicense etiam monasterium Cisterciensibus monachis condidit: nec multò pòst Mogilam supra Vistulam uno à Cracouia milliario, locum à Vendæ reginæ tumulo dictum id transtulit, & magnificè locupletauit. Præterea egenis, & morbo ac senio debilitatis ptochodochium, siue hospitale, ut uulgò uocant, suburbano suo Cracouiẽsi Prandinico dicto exædificauit, pagosq; ac decimas quasdam in alimenta attribuit, eiusq; hospitalis curam & administrationem hospitalarijs fratribus, qui se de Saxia uocant, mandauit. Posterius autem incommoditatem loci, ab urbe & frequentia hominum remoti, cum

animo

Lescus fratri Mazouia & Cuiauia cessit.
Grimislaua Lesci uxor.
1220. ann.
Boleslaus Pudicus.
Henricus Barbatus diuidit principatum inter filios.
Lusacia et Lubussensis in ditione Polonorum.
Bellum inter fratres.
Conradi interitus.
Heduigis sanctimonia.
Trebniciense monasterium conditum.
Trebniciensis prouentus.
Henrichouiense monasteriũ.
Ribnicense monasterium.
Cracouiensi basilicæ supellex & decimæ à Vincentio episcopo donatæ.
Vincentius abdicauit se episcopatu.
Iuo episcopus Cracouiensis.
Dominicanorum sodalium secta Cracouiã inducta.
Iacinctus in diuos relatus.
S. Trinitatis monasterium.
S. Mariæ templum Cracouiæ.
Mogilnense monasterium.
Hospitalarij.

animo suo ppendens, Cracouiã id trãstulit, extructis nouis ædibus atq; tẽplo qđ Spiritui sancto dedicauit. Quo tẽpore etiã parœciã uicinã, sanctæ Crucis dictã, in urbe, & alteram in pago suo Biscupicensi, altero ab urbe milliario, illis ipsis hospitalarijs iure sempiterno addixit. Sẽdomiriç quoq; idẽ episcopus Dominicanis fratrib. siue prædicatorib. monasteriũ erexit. Tametsi uariat Dlugossus. Nã & ab Adleida Lesçi sorore monasteriũ illud conditum esse, alibi memorat. Quæ tñ aliquãto ante inuectã eã sectã in Poloniã, ut ipse uult, obijt. Nisi forte pecuniã eius testamẽto relictã, Iuonẽ in ædificationẽ monasterij impendisse existimandũ est, ita ut ambo, hic opa, illa sumptu cõditores illius monasterij fuisse uideant. Idem Iuo etiã Mestouiense atq; Dlubnense monasteriũ, & Dersansnẽsem, Vvauuzinzicensem, Dalessicensem, & S. Pauli apud Sendomiriã parœcias condidit. Iam Henricus Archiepiscopus Gneznẽsis, Theodorici ducis Bernensis ex Eudoxia Polona, filius, bonã & ipse in hoc pietatis stadio nauauit operã. Perfecit eñ diligentia & autoritate sua, ut principis atq; omnium ducũ procerũq; Polonorum cõsensu, & uniuersi cõuentus constitutione, sacer & ecclesiasticus ordo omnis cum adscriptitijs etiã & subditis suis ab omnium profanorũ iudicum etiã ducum, atq; ipsius summi principis iurisdictione prorsus liber esset, ita ut ne per exceptionem ullam quidem, aut reconuentionẽ pertrahi ad ullum profanum, siue laicũ, ut uocant, forum possent. Eamq; cõstitutionẽ Pont. Max. & sedis apostolicæ autoritate cõfirmauit. Sacerdotes uerò oẽs ex decreto synodi à se conuocatæ, uxores & concubinas, quas retinebant adhuc plerįq; post edictum legati pontificij, abdicare coëgit, iureiurando ab eis exacto. Hic etiam obtinuit à sede apostolica Archiepiscopis Gneznensibus perpetuæ legationis munus. Mortuus deinde est anno Christi 1219. cum decẽ & noue annis ecclesiæ illi præfuisset. Cui Vincẽtius successit. Biennio post desi atq; cõtinentes per totã æstatẽ imbres, ingenti aquarũ inũdatione uehemẽter Poloniam afflixêre, plurimos pagos atq; uicos euertêre atq; abripuêre. Segetes hybernas uastauêre, uernã sementẽ fieri passi non sunt. Consecuta mox est hyems acris & horrida. Inde fames & pestis, postea totũ trienniũ sæuientes, maximã uim pecudũ, iumentorũ, atq; hominum absumpsêre. In his tãtis malis, Iuonis episcopi beneficẽtia egentibus passim exposita, permultis saluti fuit. Et sanè mirũ est tũc longe minores, q; nunc sunt reditus episcopæ, suffecisse tã pio & benefico episcopo in tot tantosq; sumptus, in cultũ diuinũ & subleuationẽ egentiũ, ut par fuit, collatos. Verum diuinæ benignitatis fuit, ut liberaliter seminanti uber messis proueniret: moderati uerò ac temperantis episcopi, ut paruo contentus, dispensatorẽ, non dñm se esse meminisset. Sed institutũ nostrũ urgeamus. Mazouiæ, Cuiauiæ, ac Dobrini dominatũ Lescus Cõrado fratri quẽadmodũ iam antè diximus, cõcesserat. Sed quoniã is iuuenis admodũ erat, & ocio, desidiæ, uoluptatibusq; deditus, Cristini palatini Plocensis, grauissimi & clarissimi uiri, cuius etiam superius meminimus, nutu & arbitrio pleraq; omnia administrabat. Et rectè is sanè se gerere, domi scelera seuerè coërcere, foris Prussis, & Lithuanis finitimis formidabilis esse, ita ut uulgò iam ab exteris magnus Mazouiæ palatinus uocitaretur. Inuidére ipsi eam gloriam atq; authoritatem multi, atq; in his Ioannes Zapha, Scholasticus Plocensis, & Cancellarius ducis, cæteris impensius. Itaque is sedulò Cristino apud Conradum obtrectabat, & inuidiam odiumq; omni ratione conflabat. Admonebat crebrò Conradum Cristinus officij sui: & cum remissiorem & nequiorem indies fieri animaduerteret, in frequenti quoque senatu forte acrius obiurgarat. Eam igitur occasionem exoptatam æmuli eius cupidè arripuêre, iratumque sua sponte Cristino Conradum, magis etiam irritarunt, multis falsis criminibus in eum confictis, & in primis quòd is ad dominatum Mazouiæ aspiraret, & Conradi uitæ insidiaretur. His incitatus Conradus, Cristinum in uincula coniecit, deinde excæcauit, postremò necauit, & liberos eius proscripsit: optimè merentem pessimè remuneratus. Verùm non nouum neque inusitatum hoc est apud Principes, apud quos plus ferè loci est perditis palponib. & assentatoribus, atq; calumniatoribus, quàm recta monentibus. Verùm non impunè id scelus Conradus abstulit. Nam ubi sublatum de medio Cristinum, quem Deum uocabant, Prussi accepêre, resumptis animis in ditionem Conradi incursarũt: & Chelmẽsis quidem siue Culmẽsis tractus magnã partẽ, palatini eius loci, cũ is puellæ cuiusdã Prussæ amore captus esset, proditione in potestatẽ suam redegerunt. In Mazouiã uerò progressi, maximis eam affecêre incõmodis, ferro & igni longè lateq; grassantes, ita ut Ploscũ etiã oppidũ, Mazouiæ caput, exurerẽt. Nã basilica Plocẽsis in arce sita iam antè fortuito cõflagrarat incendio, quo supellex basilicæ sanè quàm splendida absumpta est. Ad quæ incommoda illud etiam accessit Mazouiæ, quòd cathedra Plocensis post mortem Goslai, bien-

S. Spiritus prochodochium Cracouiæ.
S. Crucis parœcia.
Sendomiriense monasterium Domin.
Mestouiense & Dlubnense monasteria.
Parœciæ quædam.
Henrici Archiepiscopi opera.
Ecclesiastici ordinis exẽptio à iurisdictione iudicum profanorum.
Sacerdotibus uxores ademptæ.
Legatio nata.
Vincentius archiepiscopus.
Inundatio, fames, & pestis in Polonia.
Iuonis episcopi beneficentia.
Conradi nequitia.
Inuidia & calumnia in aulis principum regnans.
Cristini palatini cædes.
Prussi Chelmẽsem tractum in potestatem suam redegêre, & Mazouiam uastauêre.
Ploscum incensum à Prussis.
Plocensis episcopatus bienuium uacauit.

Cruce signati in Prussos immissi. biennium episcopo caruit, cum plures pariter à collegio electi essent. Quibus malis adactus Conradus, cum Prussorum excursionibus cohibendis per se ipse par non esset, Cruce signatos in auxilium contra barbaros Christiani monachi sectæ Cisterciensis opera undequaque euocauit. Inter quos facilè principes erant Henricus dux Silesiæ, Vvratislauiensisque, & Lubussensis episcopi, & multi è nobilitate Polonica. Quorum ope cũ Chelmensem siue Culmẽsem & Lubauiensem tractũ in potestatẽ suã redegisset, Christianũ ibi primum episcopũ constituit, quo per eum barbari ad religionem Christianã adducerentur, *Christianus episcopus Culmensis.* eique & successoribus eius episcopis Prusiæ siue Culmensibus, partem tractus Chelmensis, in quo fuerunt arces, Grudentum, Vapscum, Coprinum, Villisazum, Colnum, Ruch, *Culmensis episcopi bona & reditus.* Risfinum, profundum Turnum, Pinũ, & Plochum, cũ omnib. uillis & prædijs, ac centũ prterea pagis iure sempiterno donauit. De cęteris uerò agris, quos ipse retinebat, decimã omnium frugum ipsi addixit. Adiecit etiam Gedeon Episcopus Plocensis assentiente toto collegio sacerdotum Tarnouiam, quæ fortasſis Torunia est, & Papouiam, cum omnibus item pagis ac prædijs adiunctis, itemque ius omne ecclesiasticum, quod habebat in ditione Chelmensi. Id adeò anno Christi 1222. Actum est, uti uidere est ex diplomate à Conrado & Gedeone suprà memoratis, pariterque à Lesco Poloniæ, & Henrico Silesiæ ducibus, Vincentio Archiepiscopo Gneznensi, Cracouiensi, Poznaniensi, Vvratislauiensi, Lubussensi, & Cuiauiensi episcopis consignato. Cuius exemplum extat in archiuio regio. Vnde licet colligere, Archiepiscopum quoque ac cæteros episcopos Conrado contra barbaros adfuisse. Nec tamen ab illo Cruce signato exercitu perdomari Prusi potuerunt. Itaque inito consilio, & missa ad Albertum Archiepiscopum Rigensem legatione, sodales siue fratres militiam Christi professos, qui rubrum ensem cum cruce in pallio insutum gestant, è Liuonia euocauit: eisque Dobrinensem tractum inter Camenizam & Culmenizam suos attribuit, ut sibi contra Prussos præstò essent. Verum ij quoque uno prælio, quod biduo durasse memoratur, obtriti à Prusis ac deleti sunt, ita ut quinque soli euaderent: qui & ipsi, Dobrino repudiato, in Liuoniam sese receperunt. Dum hæc ita geruntur, Lesco principi nouus hostis exortus est, ex huiuscemodi causa. Suppetias is Conrado fratri contra Prussos siue miserat, siue ipse iuerat. In eo exercitu & bello Ioannes Clementis filius, gente Gryphius, equestri, nec sanè obscuro loco natus, & nonnulli alij, quorum nomina non memorantur, cum aliter, quàm ipsis & genere eorum dignum erat, se gessissent, cæterique fuga eorum proditi occubuissent, reuersi, ignominia notati, & magistratibus amoti sunt à Lesco, Iuonis episcopi & Hostasij Comitis, Odrouansiorum, aduersæ factionis, suasu & consilio. Permolestè tulit eam notam familiæ suæ inustam Marcus Palatinus Cracouiensis (Nam Gryphius & ipse erat.) Itemque Andreas magister & canonicus Cracouiensis, suprà memorati Ioannis frater. Itaque cum clàm contra principem cum cæteris suæ factionis conspirassent, Marcus Palatinus ad Henricum Barbatum profectus, persuasit homini, ut ad principatum, iure optimo ad se pertinentem, quippe qui natu maximus tunc esset in familia Criuousti Boleslai monarchæ, sibi uendicandum adspiraret: operam ad id studiumque suum, & maximè partis procerum equitumque Cracouiensis conuentus, quibus exosus sit Lesci dominatus, prolixè ipsi deferens, ita ut eum nullo negocio uoti compotẽ fore affirmaret. Henricus, ut est ingenium hominum, quod opes, honores, & eminẽtiam attinet, insatiabile, & facilè sperat creditque quod optat, passus est sibi persuaderi ab homine, quem illustri familia ortum, ac summo honore fungentem, gratia & authoritate plurimum ualere in conuentu Cracouiensi nouerat. Itaque facta de suis manu satis ualida, spei plenus, frustra reclamante uxore Heduigi, Cracouiã contendit. Neque Lescum molimina Marci, & apparatus Henrici ducis fefellere. Itaque exercitum quantum potest maximum contra comparat, & à Conrado fratre auxilia accersit. Iam ad Dlubnam amnem uno à Cracouia milliario Henricus cum suis copijs peruenerat, cum de apparatu & exercitu Lesci, maiore quàm suo, cognoscit: & maiorem longè quàm Marcus pollicitabatur, difficultatem adipiscendi principatus reperit. Nec ausus rem prælij periculo committere, propter non obscurum pauorem suorum, ad Lescum misit, tempus locumque, & modum colloquij petens. Non abnuit Lescus, pacis & ipse amans. Conuenitur utrinque pari numero procerum & stipatorum, erecto inter castra tentorio. Aderat autem & Conradus. Ibi multis ultrò citroque sermonibus habitis, tandem Iuonis episcopi opera maximè, pax componitur inter Duces. Henricus iure suo, si quod haberet ad principatum, sese abdicat. Vtrique uerò, nunquam se alterorum bonis & possesſionibus inhiaturos, sed commoda honoremque alterorum inuicẽ curaturos defensurosque esse paciscuntur.

Tarnouia in Culmensi. Papouia. 1222. ann.

Liuonienses milites Christi contra Prussos euocati.

Dobrinensis tractus.

Liuonięses milites deleti à Prusis.

Ioannes Gryphius ignominia notatus.

Henricus Barbatus ad interuertendum principatum concitatur.

Henrici Barbati expeditio in Cracouiensem principatum.

Dlubna fl.

Pax & fœdus inter cognatos principes.

tur. Deinde inuitatus Cracouiam à Lesco Henricus, octo dies splendidè & honorificè acceptus atq; habitus, qui hostis uenerat, amicissimus discessit. De Marco Palatino nihil memoriæ proditum est, quid factum sit. Sed uerisimile est, ei Lescum Henrici opera reconciliatum esse. Nam post Lesci mortem, in eo conuentu, qui de eligendo principe nouo habitus est, interfuit, & uxori, filioq; Lesci non defuit. Eodem tempore maior quoq; Polonia non immunis fuit ab intestinis dissidijs, & ciuilibus bellis. Nam Vuladislaus, Ottonis filius, cui Sputatori cognomen fuit, nōdum egressus ex ephœbis, æqualium suorum suasu & consilio, dimitti ex tutela à patruo Vuladislao magno, siue Lasconogo, & partiri cum eo dominatum flagitabat. Cum non impetraret, coacta clàm aliquanta manu, Calisiam arcem intercepit.

Vuladislaus Sputator Calisiam intercepit.

Qua de re certior factus Lasconogus, celeriter cum tumultuarijs copijs nobilium iuxta ac rusticanorum accurrit: arcem obsidet, non instructam ad longam obsidionem perferendam. Quintumdecimum diem iam durabat obsidio, cùm commeatus obsessos deficere cœpit. Quocirca qui in præsidio erant, uitam & incolumitatem pacti, arcem Lasconogo dedidere. Porro Vuladislaus Sputator, per noctem cum septem tātum comitibus effugit, & ad Lescum Principem Cracouiam, deinde in Vngariā se recepit: & & ab Andrea rege humanè & benignè acceptus, nouem fermè āños apud eum metu patrui exulauit. Sed hæc aliquantò antè acciderant. Post hæc Vuladislaus, idem Sputator, societate et affinitate clàm per internuncios cum Suentopelco Pomeraniæ præfecto inita, quòd filiam eius Helingam siue Helenam uxorem ducebat, monachi habitu clàm in Poloniam redijt: & Suentopelci ope Vsce arcem cum duorum fluminūm Notesi & Gnidæ allapsu & ambitu, tum manu quoq; munitissimam intercepit, indeq; subiectas ac uicinas oras uexare cœpit: prædia patrui, & Mogilnense monasterium diripuit: complures nobiles, qui cum Lasconogo sentiebant, interfecit: Alberto et Laurentio, Ioannis filijs, non obscuris iuuenibus, inprimis adiutoribus utens.

Vsce arx à Vuladislao Sputatore intercepta.

Notesis fl. Gnida fl.

Hæc ubi accepit Lasconogus, ualidum ex omni dominatu suo conscribit exercitum: arcem Vsce, cum difficilis esset expugnatu, obsidione cingit, castella pluribus in locis extruit: unde dispositi in stationibus milites, obseruarēt ne quid ad obsessos importaretur, neúe iterum Vuladislaus Sputator manus suas effugeret.

Vsce arcis obsidio.

Vineas, turres, & alia opera ad mœnia agit, & machinis murum nequicquam quatit. Vbi hac non proficit, diuturna obsidione & fame ad deditionem obsessos adigere statuit. Cumq; ad medium mensis Iulij à primo uere duraret obsidio, nec obsessi è munitione prodirent, negligentius omnia cœpêre agi in exercitu. Rari, atq; ij inermes ferè, atq; ebrij quoq;, in stationibus apparêre. In castris etiam pauci ac dissoluti obuersari. Hoc animaduerso, hi qui obsidebātur, alere etiam ipsi data opera simulato metu obsidentium negligentiam. Die quadam cum infrequētes admodum stationes & infrequentia castra superne conspexisset Vuladislaus Sputator, celeriter instructis in arce ordinibus, cohortatusq; paucis milites, apertis portis erumpit: deiectaq; nullo negocio statione hostium, ad castra curriculo contendit. Ibi permagnam in inermibus, & inopinata re perturbatis stragem ædidit, donec Lasconogus retractis & animatis suis, globoq; facto, in cæde exultantes repressit, & in arcem compulit. Multos ibi nobiles & fortes milites, & Palatinum Posnaniensem Dobrogostium Lasconogus amisit. Quo incommodo consternatus, postero die obsidionem soluit.

Dobrogostius Pal. Posn. occisus.

Discedentem Sputator magna iam fiducia suarum uirium secutus est, & multi ad eum à Lasconogo, accepta fama prælij, quæ deteriorem etiam quàm erat rem Lasconogi fecerat, deficiebant. Posnania quoq; & Calisia primaria oppida non grauatè sese ei uenienti dedidêre.

Vuladislaus Lasconogus uictus.

Vuladislaus Sputator maiorem Poloniam occupat.

His tam secundis generi sui rebus Suentopelcus Pomeranorum præfectus, cum alioqui magnis opibus & facultatibus terra, mariq; partis, & gratia populari tumeret, insolentior factus, à Lesco Principe magnopere contendit, ut se Ducis siue Principis Pomeraniæ nomine & honore dignaretur, et sempiternum id sibi posterisq; suis esse iuberet, ut ij tamen summo Polonorum Principi obtemperarent. Concessisse id autem eius Criuoustum Boleslaū in inferiore Pomerania & Cassubia Boguslao gentili suo. Refutauit postulata Suentopelci Lescus.

Suentopelci præfecti Pomeraniæ ambitio.

Qua repulsa ille accensus, ad defectionem spectare cœpit: neq; pēsionem annuam de more Lesco misit.

Suentopelci defectio.

Lescus igitur cum consilium eius nō modò hominum sermonibus, uerùm etiam re ipsa deprehendisset, communicato cum Henrico Barbato consilio, Gansauam, quæ uilla est Tremesnensis monasterij prope Znenam in maiore Polonia sita, uniuersæ Poloniæ comitia ad tertium Idus Nouembris, quæ dies diui Martini sancti episcopi memoriæ dicata est, indicit, quasi de republica, ac de componendis intestinis Ducum maioris Poloniæ dissidijs. Re uera autem, ut Suentopelcum prætextu comitiorum euocatum, sine armis et bello opprimeret. Subolfecit id Suen-

Comitia apud Gansauam.

topelcus, & ultrò in Principem insidias intendit unà cum Vvladislao genero, quòd eius quoq; iuxtà ac suam uitam agi, nec minus illius quàm suo periculo comitia illa instituti dicerét, & ad spem summi principatus adipiscendi eum incitaret. Conuenêre ad præstitutum locum atque diem Lescus princeps, Henricus Barbatus, Conradus, Vvladislai duo, Lasconogus & Sputator Duces, Archiepiscopus Gnesnensis, Cracouiensis, Vvratislauiensis, Vvladislauiensis, Posnaniensis, & Lubussensis episcopi, & electus nuper Plocensis, magnusq; procerum numerus. Porrò Suetopelcus nectebat moras: missisq; subinde per speciem excusandæ suæ moræ hominibus, statum omnem comitiorum cognoscebat, & occasionem peragendi cogitati facinoris captabat. Cum triduo de pace inter Vvladislaos actum atq; tractatũ esset, ac Suentopelci aduentus requireretur, propterea quod totius conuentus sententiç eò inclinabant, ut ipse Pomerani maioribus Polonis de damnis ac detrimentis cum Sputatore illatis satisfacerent, quartaq; dies curãdis corporibus data esset, ad balneum se Lescus & Henricus contulêre. Ibi Suentopelcus cum expedita suorum manu adest: propè enim delituerat, & opportunitatem rei peragendæ didicerat: & in diuersoria ac tentoria proxima irrumpẽs, obuios quosq;, rei nouitate attonitos, facilè aut remouet, aut obtruncat. Lescum quærit: ad balneum, ubi eum esse acceperat, contendit. Interim exaudito tumultu certior factus Lescus de hostili aduentu Suentopelci, exilit: & equum nactus, cum paucis fugere cœpit. Fugientem Suentopelcus cum plerisq; suis persequitur: illum unum se potissimum petere, in uno illo capite omnia sibi posita esse dictitans. Vbi effugere Lescus insequentium & prementium se manus non potuit, conuerso equo, & reuocatis fugæ comitibus cum aliquandiu multis & bene armatis nudus penè cum paucis restitisset, fortiter dimicans apud Marcincouium pagum occubuit. At qui ad perscrutandum in balneo Principem descenderant, in Henricum, qui ætate grauis fugam desperarat, impetum faciunt. Sed cum aliquot uulneribus debilitatum, prostratumq; Peregrinus Veisemburgius unus de aulico ipsius comitatu, corporis sui obiectu protexit, confossusq; & concisus deficiente uita super iacentis domini sui corpus se proiecit. Percussores rati utrumq; exanimem, discessere, & recolligendi sui spacium Henrico concessêre: qui raptim, furtimq; Vvratislauiam lectica delatus à suis, haud ita multo post sanitati pristinę restitutus, & posteros Peregrini liberatoris sui magnis muneribus & honoribus prosecutus est. Annus quo hæc acta sunt, fuit à Christo nato 1226, secundum Vincentium, uel ut uult Dlugossus 1227. Ex eo tempore Suentopelcus pro duce ac domino Pomeranię gerere se cœpit. Lesci uerò corpus Cracouiam elatum, in basilica magna omnium comploratione sepultum est. Regnauit autem Lescus à morte patris annos triginta tres propemodũ, cum puer admodum ad principatum euectus esset. Sed in his triginta tribus annis Miecislaus quidem duos ferè, Vvladislaus uerò filius eius tres annos, quibus summoto Lesco principatum obtinuêre, sibi uendicant. Per hoc tempus Prussis Masouiam uehementer uexantibus & uastantibus, inops consilij Conradus dux, habito conuentu suorum, tandem Christiano episcopo suggerente & suadente, fratres siue sodales Teuthonicos, & ipsos piam contra barbaros militiam sub titulo S. Mariæ professos, qui paulò antè à Saracenis e Syria eiecti fuerant, per eum ipsum Christianum Roma acciuit: Chelmensemq; tractum, & quicquid terræ est inter Vistulam, Mocram, atq; Deruanciam flumina, eis tradidit: his legibus, ut contra Prussos sedulò & summis uiribus bellum gererent. Vbi uerò eos domuissent, Chelmensem quidem ditionem redderent: cætera uerò quæcunq; de barbaris cæpissent, arbitrio bonorum uirorum ex æquo secum, seu cum posteris suis partirentur: Polonis ne quam uim aut iniuriam facerent, neúe hostes eorum receptarent, aut ullo fauore prosequerentur: contra barbaros autem, & à religione Christiana alienos, ut ipsis, cum opus fuerit, præstò essent. Si quid horum transgrederentur, pœnæ, quæ contra ingratus est ex iure gentium, subiacerent, hoc est, beneficia accepta amitterent. Hęc ita inter Conradum & suprà memoratos frates Cruciferos, quorum tunc Hermannus de Salza summus magister erat (sic illi ducẽ suum appellant) cõuenêre, & à Gregorio nono pontifice max. approbata est, confirmata sunt. Quæ nos è libro uetusto Germanica lingua scripto, qui in arce Lubauiensi asseruatur, uiri pietate iuxtà ac doctrina & integritate summa præditi Stanislai Hosij dudum Culmensis, nunc iam Varmiensis episcopi beneficio eruta & subministrata bona fide hic inserimus. Nam pacta ipsa publicis literarum monumentis consignata, partim iniuria temporum & negligentia nostrorum amissa, partim fortassis etiam studio Cruciferorum periêre. Friderici quidem secundi Imperatoris diploma sub bulla aurea diligentius ijdem Cruciferi asseruarunt: quo ille confirmauit ipsis possessionem

Lescus interfectus à Suentopelco.

Henricus Barbatus à Peregrino Veisemburgio protectus & seruatus.

1227. ann.

Suentopelcus dux Pomeraniæ citerioris.

Teuthonicorum S. Mariæ ordo.

Chelmensis tractus Teuthonibus concessus iure hospitij.

Pacta Conradi cum Teuthonibus fratribus.

Hermannus de Salza primus Magister Teuthon. in Prussia.

Stanislaus Hosius episcopus Varmiensis.

Friderici secũdi imperatoris diploma.

ſionem terræ Culmenſis, & quicquid ij de Pruſsis poſtea ceperint, itemq; ditionem quam eis Conradus dux Maſouiæ deinceps adhuc donaturus eſſet, inter Pruſsiam & nouam Marchiam: quaſi uero imperium aliquod atq; iuriſdictionem Imperator in illis oris haberet, aut habuiſſet unquã. Ac ditionem quidem illam, quę eſt inter Pruſsiam & nouam Marchiam, ſiue ea Cuiauia, ſiue Pomerania eſt, Conradus eis non donauit. Cæterum Dobrinum, quod Culmenſem tractum & Maſouiam attingit, iure hæreditario eis, filijs & uxore aſſentientibus, conceſsit. Vxor autem eius fuit Agaphia Ruſſa, ſiue ea eſt Agapia, ſiue Agatia potius. Etenim Ruſsi θ Græcum, hoc eſt th, quaſi ph ſiue f pronunciant, ut eſt uidere in Theodoro, quem illi Phedorum dicunt, & alijs ſimilibus. Officam noſtri uocarunt: quæ filia fuit Suentoslai ducis, cuius mentionem ſuperiùs fecimus. Adiecit etiã militibus illis Cruciferis, Gũtherus epiſcopus Plocenſis Gedeoni pauló ante mortuo ſuffectus, uillam cum inſula magna in eo ipſo territorio, itemq; decimas ad epiſcopatum ſuam pertinentes: uerum ex ijs modó agris quos Germani agricolæ colerent. Quin & collegium Vuladislauienſe ius ſuum omne in uilla Viſsin eis conceſsit, accepta à duce Conradó compenſatione. Atq; hæc ferè ſuprà memorato anno Chriſti 1228. acta ſunt. Libet autem hîc adſcribere nomina & ordinem teſtium, quibus præſentibus ſupra ripam Viſtulæ ex aduerſo Ploſci hæc confecta, ac diploma conſignatum eſt. Michael epiſcopus Cuiauienſis: Mikul Archidiaconus, magiſter Ioannes Dobroslaus, magiſter Petrus Canonici Plocenſis eccleſiæ, Gothardus Cancellarius: Gregorius ſubcancellarius: Ioãnes Abbas beati Alberti Plocenſis: Venceslaus abbas, Gerardus prepoſitus, Petrus prior Zerenenſis eccleſiæ: Boguſſa palatinus Maſouiæ: Comes Arnoldus, Cethegus iudex, Abraham pincerna, Martinus dapifer, Vitus Caſtellanus de Plonsk, Matthæus Caſtellanus de Raciaſſ, Seguta dapifer, Barta ſubcamerarius Adalbertus Caſtellanus antiquæ Vvladislauiæ. Biennio porro interiecto Neſſouiam arcem cum tribus pagis in ditione Cuiauienſi Conradus ipſis addidit: Chriſtianus ueró epiſcopus omnia, quæ ab eodem Conrado in tractu Chelmenſi acceperat, preter ducentos aratores, & quinq; prędia eis cõceſsit, modiũ tritici, & alterũ ſiliginis de ſingulis aratris in omni agro Chelmẽſi ſibi & poſteris ſuis epiſcopis quotannis dari pactus. Pauló aliter hæc à Dlugoſſo memoriæ prodita ſunt: ſed nos uetuſta ſcripta ac diplomata, q̃ poſt Dlugoſſum noſtra memoria archiuiũ regiũ è Pruſsia relata ſunt, ſecuti ſumus. Ita Cruciferi Teuthones fixis primùm Dobrini domicilijs, Cõrado Landisbergio, duce quem Hermañus de Salza ipſis præfecit, magiſtrumq; appellauit, Maſouiorum & Polonorum defendendorum, & Pruſsiæ barbaris eripiendæ prouinciam ſuſcepêre, & mox primam in terra Culmenſi munitionem in ripa Viſtulæ excitarunt, eamq; Fogelſangum dixêre. Inde ueró Maſouijs adiuuantibus, & uoluntarijs multis undiq; pietatis ergo accurrentibus, barbarorum excurſiones reprimere, & ipſorum agros, pagoſq; uiciſsim infeſtare cœperunt. Toruniam deinde & Quizinum, quod ipſi Marieuerderum uocauêre, & Elbingam arces & urbes nõ ignobiles paucis annis in ripa Viſtulæ munierunt. Rogouiam uero quód Rogoſnum eſt, niſi fallimur, & Culmam, & alias quaſdam à barbaris munitas ſiue interceptas in poteſtatem ſuam redegerunt, & paruo tempore magna in illis oris incremẽta fecerunt. Per hoc ipſum uero tempus Fridericus Imperator ſublatis æmulis, poſt uexatam Italiam, uix adactus à Gregorio nono pontifice maximo expeditionem in Syriam ſuſcepit. Sed nihil memorabile ibi geſsit, niſi quód Hieroſolyma à Sultano ex pacto recepit, regemq; eius urbis ritu ſolenni appellari ſe curauit. Mox reuerſum Italici motus excepêre: quos ille quidem placidè compoſuit. Sed Hieroſolyma non multo poſt amiſit. Titulum tamen eius regni etiam poſteri & ſucceſſores eius retinuêre. Sed nos ad noſtra.

Dobrinum donatum Cruciferis.

θ quomodo Ruſsi pronuncient.

Cruciferis donatio.

1228. ann.

Neſſouia Cruciferis donata.

Culmenſis epiſcopus, ut donauit Teuthonibus Cruciferis.

Fogelſang caſtellum.

Torunia.

Quizinus ſeu Marieuerder.

Elbing.

Rogoſno.

Culma ſiue Chelm.

Friderici 2. Imp. expeditio in Syriam.

Frider. imp. rex Hieroſolymorum.

DE ORIGINE ET REBVS GESTIS POLONORVM, LIBER OCTAVVS.

BOLESLAVS PVDICVS.

Monarchia elanguit.

NVllam quidem propemodum uim & authoritatem Lesci Albi principatus inter cœteros duces Polonorum habuit, nec ferè is in quenquam, nisi in suæ ditionis homines, perinde atq; cæteri illi potestatem suam exercebat, suáne id ignauia & angustia animi, an illorum contumacia, an uero utroq;, non disputamus. Cæterùm post mortem eius, maior etiam confusio & perturbatio consecuta est, ita ut uix aliquod summi principatus, et cōmunis reipublicæ uestigium in Polonia extaret. Nam cum Boleslaus Lesci filius puer admodum esset, needum aptus administrando per se principatui, excludi eum quidē à principatu non placuit, sed de eius tutela ac de summa rerū nihil constitui publico consilio potuit, cū proceres inter se dissentirent, & nonnulli Conrado, Lesci fratri, fauerent, & iure patruum pupilli tutorem esse debere asseuerarēt: alij uero, quorum multo maxima pars erat, unà cum Grimislaua Boleslai matre, & Marco Cracouiensi, atq; Pacoslao Sendomiriēsi palatinis, profligatos Conradi mores perosi, atq; sæuitiam reformidantes, ad Henricum Barbatum ducem Vvratislauiensium tutelam pueri, & administrationē principatus deferrent. Neq; uerò illi liberis comitiorum suffragijs rem permisere, sed armis ac per uim, quasi oblatam fortuitò prædam, dominatum pro se uterq; usurpare aggressi sunt. Itaq; comparans uterq; magnis uiribus, in Cracouiensem ditionē inuasêre. Et arcem quidem Cracouiensem Grimislaua cum liberis obtinebat: Henricus uerò maiore quàm Conradus celeritate usus, & procerum fauore fretus, duas ex tempore munitiones nouas excitauit, alteram prope Scalam oppidum in colle, quem Prandinicus amnis alluit, alteram ad Meziboslum: easq; ualidis militum præsidijs munierat, ut inde aduersariorum conatus retunderet, tractumq; illum omnem in potestate sua teneret, nec facilè intercludi à sua ditione posset. Porrò Conradus re cum Teuthonicis Cruciferis, uti modò exposuimus, constituta, omnia sibi in eo posita esse existimabat, si nouas munitiones & præsidia Henrici deijceret, quòd eorum fiducia Cracouienses sibi resisterent: itaq; ad Scalensem munitionem oppugnandam contendit. Occurrit ei Henricus: durum prælium committitur. In quo multis utrinq; cadentibus. Præmislus quoq; Conradi filius inter primos pugnans interficitur. Quo aduerso casu fractus Conradus, receptui canere iussit, & pro uicto abijt. Nec multò pòst ad alteram munitionem duxit, quasi mutaturus cum loco fortunam, & acceptam ignominiam deleturus. Verùm ibi quoq;, cum eum Henricus consecutus esset, apud Vurocinsum pagum, eodem quo prius ac deteriore etiam euētu pugnauit. Profligatus autem in syluas & montes proximos, inde uerò in Masouiam ad redintegrandum exercitum se recepit. Henricus uerò debellatum iam credens, & quòd hyems instabat, ut tempori agricolæ sementem facere possent, dimisit exercitum. Ipse uerò sine ullo metu cum paucis comitibus in Cracouiensi tractu uersabatur. De quo certior factus Conradus à suis studiosis, improuisus cum expedita manu aduolat: Henricumq; in Spiteouicensi uilla diuinæ rei uacantem capit, & in Masouiam asportat. Hoc posteaquam accepit Henrici filius Henricus, raptim quātum potest maximum conscribit exercitum ad liberandum patrem. At Heduigis pia, quæ ab initio futuri, ut credibile est, præscia, uiri consilium illud de principatu adipiscendo non probarat, tunc quoq; dubios euētus belli secum reputans, & sanguinis Christiani atq; cognati profusionem, quæq; bellum consequi solent calamitates, & nefanda scelera perhorrescens, iuncto curru in Masouiam ad Conradum, expeditionem filij anteuertens, excurrit, & oriens detestandi atq; parricidalis belli incendium sapientia sua restinxit. Eius enim precibus atq; suasu motus & placatus Conradus, Henricum & cæteros captiuos omnes dimisit duasq; neptes Henrici ex Henrico filio, filijs suis Cazimiro & Boleslao uxores despondit. Henricus autem tutela Boleslai & administratione principatus, iureiurando interposito se abdicauit. Exindè Conradus nec quicquam renitente Grimislaua Boleslai nomine principatum apud minores Polonos administrare cœpit. Per quod tempus Præmislus siue Ottocarus rex Bohemorum uita defunctus, Vēceslaum filium, quem uiuens designauerat, ac diademate cinxerat, successorem reliquit. Nec in maiore Polonia quietæ res per

De tutela Boleslai & administratione principatus controuersia.

Bellum ciuile inter Henricum & Conradum duces.

Præmislus Conradi filius occisus.

Conradus bis uictus ab Henrico.

Henricus Barbatus captus à Conrado.

Heduigis Henricum uirum liberat, & pacem inter cognatos duces componit.

Affinitas inter Masouios & Silesios duces.

Vēceslaus rex Bohem.

res per id tempus fuêre. Nam Vuladislaus Lasconogus post solutam illam Vscensis arcis obsidionem, de qua superius meminimus, similemq; fugę receptum, coadunatis nouis copijs, et uicinorum auxilijs, recupperare amissa, & ulcisci fratris filium statuit. Nec ille quamuis inferior tunc uiribus, quippe qui soceri auxilia dimisisset, ad resistendũ patruo segnior occurrit: & superioris temporis successu confisus, temerè magis quam animose pugnandi copiam fecit: commissoq; prælio fusus, uiuus in patrui potestatem uenit. Verum aliquanto pòst, custodum fauore elapsus, ad Suentopelcum socerum profugit. Quem non modò armis atq; copijs instruxit Suentopelcus, uerùm etiam ipse prosecutus est. Ad primum autem aduentum eorum Lasconogus suis diffisus, quos propensiores in Sputatorẽ esse animaduertebat, non tentata belli fortuna (tametsi superatum prælio nonnulli uolũt) cessit, & Ratiboriam ad Cazimirum ducem se recepit. Vbi cum in quartum annum exulasset, multiq; è maiore Polonia, quos uel Sputatoris tædiũ cœperat, uel æs alienum, scelerisúe conscientia, & iudiciorum metus premebat, ad eum conuenissent, aut per internuncios sua ei studia significassent, magna spe rursus ad recuperandum dominatum aspirare cœpit. Sed eum fortuna in ipso cursu destituit. Facta enim aliquãta manu, Gnesnam, cum ea uenienti portas clausisset, oppugnare adortus est, sperans non illos modò oppidanos, sed & plerosq; alios, atq; etiam nobilitatem ad se defecturam. Verùm ubi frustra duos mẽses in obsidione Gnesnę contriuit, neq; quisquam omninò per id tempus ad eum desciuit, & Vuladislaum Sputatorem cum Suentopelco & magnis copijs aduentare nunciatũ est, soluta obsidione mœstus abijt: nec multo pòst mœrore confectus, Srodæ uitã cum morte commutauit, & in Lubinẽsi monasterio, uel, ut alij uolunt, Ratiboriæ sepultus est, uir propter libidines & fœdos mores suis exosus. Hic autem Vuladislaus Slupensem ditionem in Pomerania incuria sua, uel sanè domestico bello implicatus amisit, ab Euardo Danorum rege, qui maternum genus ad principes Poloniæ referebat, ui subiugatam. Ita quidem Dlugossus inconuenienter, ut uidetur, ijs quæ alibi scripsit. Nos uerò, quid ex alijs scriptoribus ea de re accepimus, superiùs in Cazimiro attigimus. Cæterum per hoc tempus illa ipsa Pomeraniæ pars superbam & iniustam externi regis dominationem indignè ferens, ad Suẽtopelcum Pomeranorum dominum siue ducem defecit. Nullos autem Vuladislaus hic reliquit liberos. Itaq; eius morte uniuersa maior Polonia in ditionẽ Vuladislai Sputatoris recidit. Reperio tñ Boleslaum Lesci filiũ à Vuladislao (sed Lasconogóne an Sputatore, incertũ est) año Christi 1228. adoptatum esse. Cuius adoptionis diploma sub ipsius Vuladislai signo ac titulo extat in basilica Cracouiensi. Sputator uerò Dei benignitati successus suos acceptos referens, ut aliquod grati animi documentum in propagando cultu diuino ederet, Olobocense monasterium Cisterciensibus uirginibus condidit, et locupletauit. Quanq̃ Virbenta quoq; eques Clementis filius nonnihil contulit. Donauit item hic ipse Vuladislaus, quemadmodũ Dlugossus memorat, ecclesias Gnesnensem & Posnaniensem, & oppida, pagosq; earum: etiam quos in posterum ecclesiæ illæ acquisituræ essent, uacatione omniũ laborum atq; munerũ, & immunitate pensionum, quæ principibus, ducibusúe præstãtur: ad hęc ab omni quorumuis profanorum iudicum, præfectorum, palatinorum, atq; adeo ipsorum principum iurisdictione omnes, quicunq; in ditione illarum ecclesiarũ essent, liberauit. Quanquã hoc prius iam in uniuersa Polonia Henrici Archiepiscopi opera in conuentu effectum esse diximus. Fecit etiam idem Vuladislaus potestatem Archiepiscopo Gnesnensi, & episcopo Posnaniensi, monetam cudendi, & uenandi in syluis atq; bonis suarũ ecclesiarum, quod antea nemini præter principẽ licebat. Crobiam quoq; amplum & locupletem pagum, Sulcouam prius dictum, nũc oppidum Posnaniensi episcopo donauit. Quę quidem largitiones, inuidiam ipsi, iniustus uero et superbus dominatus, odium etiam apud plerosq; omnes proceres conflarunt, ita ut in eius expulsionem coniurarent: & Henrico Barbato, quem propter Gansauiensem proditionem & uulnera hostem Vuladislao esse senserant, accito, se, dominatumq; omnẽ dederent. Nec ausus est Vuladislaus Henrico cum ualido exercitu uenienti sese opponere, diffisus uiribus suis, & uoluntatibus militum. Sed Bnino atq; Sremo arcibus, quòd non satis munitæ essent, crematis, Gnesna uerò firmo præsidio munita, ad Suentopelcum socerum confugit. Henricus uerò munitionibus plerisq; omnibus atq; oppidis facilè potitus, Bninum quoq; & Sremum refecit, & præsidia opportunis locis imposuit, eisq; Boriuoium nepotẽ suum ex filia Adleida Dipoldi Marchionis Morauiæ filium præfecit. Ipse reliquas copias domũ reduxit, domestico ne aliquo bello reuocatus, an uindicandæ tutelæ Boleslai pueri, & administrationis principatus gratia, non constat. Vindicauit quidem certê utrumq;

Vuladislaus Sputator pellitur.

Vulad. Lasconogus eijcitur.

Gnesna obsessa.

Vulad. Lasconogi mors.

Pomerania Slupensis siue Stolpensis amissa, & à Suẽtope recepta.

Boleslaus Pudicus à Vuladislao adoptatus.

Olobocense monasterium.

Gnesnensis & Posnaniensis ecclesiarũ immunitates et prærogatiuæ.

Monetæ cudendæ & uenandi ius.

Crobia episcopo Posnan. donata.

Polonia maior ad Henricum Barbatum defecit.

Bninum & Sremum arces incensæ & refectæ.

Boriuoius nepos Henrici ducis.

Poloniæ minoris motus.
Iuo episcopus ad pontificem profectus.
Absolutio à iureiurando.

priusquam ad subiuganda reliqua, quæ in fide Vvladislai persliterant, reuerteretur. Nam ut Conradus dux Masouiæ, concedente & abdicante se Henrico, quemadmodum superius narrauimus, pro tutore & principe gerere se cœpit, Iuo episcopus Cracouiensis, siue Henrici uoluntate, siue sua sponte, & metu, odioq; Conradi, cui aduersatus erat sedulo, profectus ad Pontificē Max. Gregorium eius nominis nonū, cum quo adolescēns in Academia Parisiensi coniunctè & familiariter uixerat, acceptusq; ab eo Perusij honorificē, relaxationem per uim exacti iurisiurandi Henrico impetrarat. Et proximus iam erat pubertati Boleslaus, & à Conrado patruo alienus, in Henricū prono studio pariter cum matre ferebatur, siue adeò sui iam iuris esse cupiebat. Hæc ubi nō obscuris indicijs atq; signis intellexit, Conradus, Boleslaū unà cum matre p̄ speciē colloquij euocatū capit: Cirsciumq;, quę arx est in Masouia, asportat, ac de necando puero cogitābat. Deinde mutata sētētia, suasu Vvladislai Sputatoris, & Marci Palatini Cracouiensis opera, in Secechouiense monasterium, quod in tractu Sendomiriensi supra Vistulā sitū est, eos transtulit, & asseruari iussit. Ipse uerò cum nonnullis ducib. finitimis & cū nouis hospitib. ac defensorib. Cruciferis expeditionē in Prusiā fecit, hostilemq; regionē longè & latè igni, ferroq; uastauit. Dū aūt Conradus eo bello distinet, interim Boleslaus cū Grimislaua matre, opera Abbatis Nicolai Franci, pȧrtim corruptis, partim inebriatis & sopitis custodibus, intēpestæ noctis silentio dispositis clâm equis effugit: Zauichostoq; & Sendomiria potitus, nō ausus est tamen usquā in sua ditione consistere, p̄pterea q̄ præcipuis arcib. Conradus Masouios suos præfecerat: sed in Silesiā ad Henricū profectus est. Venientem humanissimè, ut par erat, Henricus accepit, & consolatus est: cōparabatq; exercitū, quo eum reduceret, Cōradumq; eijceret. Ac Cracouiensis conuentus pleriq; oēs ordines, cognita Boleslai fuga, & apparatu Henrici, nō obscurè illis fauere, & in Cōradū cōspirare. Erat in Sendomiriensi ditione Boleslaus Conradi filius, siue à patre, ad Prusicū bellum proficiscente, cum imperio, ne quid fortè se absente nouaretur, relictus, siue tūc primùm, accepto de fuga Boleslai Pudici (iam enim sic eum appellemus, quò dilucidior fiat historia) ac de motu Sēdomiriensiū atq; Cracouiensiū nuncio, aduolarat: nihil enim de eo certi habemus. Is igitur facta manu suorum, crudeliter in eos, quos aduersæ factionis esse didicerat, imò uero promiscuē, nulloq; amici & inimici discrimine, cædibus & incendijs debacchabatur: & Vislicię belli sede cōstituta, in Cracouiensem oram populabundus excurrebat. Porrò aduersarij Visliciense territoriū uicissim infestabant. Venit tandem cum ualido exercitu Henricus, Boleslaū Pudicum secum ducens: ac decedentibus metu Masouijs, magno omnium ordinum consensu atq; alacritate susceptus est: & Cracouiensem, Sendomiriensem, atq; Lublinensem oram omnē facilè in suā redegit potestatem. Et quoniam per magnos sumptus fecerat, paternus autē Boleslai thesaurus à Conrado direptus erat, Cracouiensem quidē ditionē unà cū principatu summo, permittēte Boleslao, Hēricus sibi retinuit, Sendomiriēsem uerò atq; Lublinensem ei cōcessit. Cū aūt is nō satis tutò se in uicinia Cōradi esse existimaret, Scalā Prægi nensem arcē cum suo territorio, in Cracouiensi tractu, ab Henrico, ubi cū matre uitā degeret, impetrauit, & quinquenniū fermè ibi usq; ad Henrici obitū exegit. Atq; eo quidē aňo, qui fuit post Christum natum 1234. Conradus à Prussica expeditione reuertens, satis habuit exortū domi inopinatū bellum propulsare. Siquidē Misnēsis Marchio, cū ipse quoq; piæ aduersus barbaros Russos militiæ nomen dedisset, Ploscum arcē Conradi interceperat, incertum cupiditaténe ductus, an iniuria prouocatus. Sed eum Conradus cum filijs mox eiecit, multis de exercitu eius cæsis, multisq; cum basilica in quam confugerant, crematis. Insequenti uerò æstate, anno Christi 1235. Conradus in Henricum arma mouit: & proceres Cracouienses atq; Sendomiriēses nequicquā ad defectionem sollicitauit. Cum autē omnes à se alienos esse animaduerteret, admouens exercitū propius Cracouiā, Scarbimiriense & Prandocinense templa, & monasterium Andreouiense communiuit, præsidijsq; firmauit. Deinde Cracouiam oppugnare adortus, in radice montis cui arx imposita est, & ad mœnia urbis castra metatus est: templumq; diui Andreæ, quod tunc suburbanum erat, castelli loco communiuit, primus Polonorum ausus Deo consecrata templa impijs armis profanare. Habebat quidem Henricus magnas copias, sed tamen uniuersæ dimicationis discrimini rem non committebat, facilius & minori incommodo bellum ducendo debellari posse Conradum existimans, propterea quód sibi domi bellum gerenti rerum omnium copia suppetebat. Hostibus cum longius frumentari & pabulari, aut domo supportare commeatum non sine periculo necesse esset, dispositæ ab Henrico turmæ ex insidijs in pabulatores & frumentatores impetū faciebāt. Qui uerò in præsidio

Boleslaus Pudicus captus à Conrado, & elapsus.
Cirsceum arx.
Prussia uastata à Masouijs & Cruciferis.
Cracouiensis nobilitas aliena à Conrado.
Boleslai Masouij crudelitas.
Henrici Barbati expeditio in minorem Pol.
Henricus principatum obtinet.
Scala Pragiensis arx.
1234. ann.
Ploscū à Marchione Misnēsi interceptum & recuperatum.
Conradi expeditio in Cracouiensem oram.
Cracouia obsidetur.

Craco-

Cracouiæ erant, omnes oppugnantiũ conatus frustrabantur. Itaq; Conradus his difficultatibus implicatus, uastatis agris, incensis pagis & uillis, nõ modico etiam uicissim detrimento accepto, in Masouiam redit. Neq; tamen præsidia de quatuor, quibus diximus, locis deduxit. Verùm ea post Hẽricus, extructis & munitis è regione castellis, in angustum redegit. Illud uerò quod in templo diui Andreæ erat, longa obsidione ad deditionẽ cõpulit, & aduersarios incolumes decedere permisit. Agi deinde à procerib. de pace cœptũ, cõuentumq; ut Henricus iuxta atq; Conradus tutela & principatus gubernatione se abdicarent, ac Boleslai Pudici, qui iam pubescebat, arbitrio permitterẽt, utrũ ipse sibi curatorẽ sumeret, cuius consilijs in administrando principatu niterẽt. Facta potestate e uestigio is patruo præterito, Henricũ sibi delegit. Molestè id tulit Conradus, uerùm tamen præsidia ex pacto deduxit. Et desponsas pridẽ filijs suis Henrici neptes, Cõstantiã quidẽ natu maiorẽ Boleslao, Gertrudim uerò Cazimiro uxores accepit, partitus inter eos, ac tertium Zemouitum, dominatũ suum, quibus quisq; finib. post se dominaretur, ne quid dissidij se defuncto inter eos oriretur. Ipse uerò quoad uixit, nihilominus omnia administrauit. Hoc tẽpore Cazimirus dux Oppoliensium & Raboriensium, Miezislai filius, uita excessit, & Miezislaum atq; Vuladislaum filios ex Venceslaua uxore susceptos reliquit. Quorũ Miezislaus cùm Iudithã Conradi Masouij filiã uxorẽ duxisset, sine liberis decedens, fratrẽ habuit successorem. In Vngaria uerò Bela eius nominis quartus, Andreæ patri in regno successit. Facta pace cum Conrado Henricus, quãuis principis ac ducis Cracouiensis & Sendomiriensis titulo abstineret, tamẽ suo nutu eas regiones gubernabat, & magnã redituũ partẽ nõ inuito Boleslao accipiebat, ut sumptus in bellum factos cõpensaret. Et rectè, utiliterq; multa de consilij sententia constituit: leges quasdam improbas & pestilentes, quæ auxiliares, uirginales, & uiduales dicebantur, sustulit: meliores nonnullas sanxit: ecclesiarũ immunitates confirmauit, Magistratus bonis & industrijs uiris mandauit: in maleficos & calumniatores seuerè animaduertit. Opatouiam uerò oppidum cum sexdecim pagis, amotis inde Templarijs, in quorũ ditione fuerat, Lubussensi episcopo iure sempiterno adiunxit & addixit, assentiente Boleslao. Quin & in Silesia Borcum oppidum & territorium. & in maiore Polonia postea Cazimiriã cum quatuordecim pagis atq; decimis eidem episcopo donauit. Quod quidem ille miseratione episcopi fecisse uideri potest, propterea quòd ei Landigrauius nescio quis aliquanto prius arcem Lubussensem cum oppido intercepisset, quemadmodũ Dlugossus memorat. Idem autem nõ multò pòst prodit, à Villebrando Magdeburgensi Archiepiscopo eam ipsam munitionem expugnatã esse, propterea quòd is ab Henrico quarto Imperatore Romano, olim cum Criuousto Boleslao bellũ gerente eam captam, & ecclesiæ suæ donatã esse diceret. Verùm ab Henrico Pio postea, cum is patri Barbato successisset, recuperatã esse. Quæ quidem nõ satis inter se congruunt, nisi hanc Archiepiscopi Magdeburgensis inuasionem in Lubussum ad superius tẽpus retrahamus, eandemq; esse putemus cum illa Lãdigrauiana, qui Archiepiscopo eam munitionẽ quæsiuisse, uel sibi quæsitam illi ex pacto tradere potuit: aut uerò pòst priorem illam interuersionem, ab Henrico Barbato recuperatam fuisse existimemus, & pro ea Henricũ illa, quæ dudum cõmemorauimus, episcopo Lubussensi in compensationem dedisse, statimq; eam rursus amisisse. Nunc quidem oppidum id, est in ditione Marchionis Brandeburgensis. Fieri autem potuit uel librariorum, uel ipsius Dlugossi errore, ut Landigrauium scriberet pro Marchione, quem Germani Margrauium uocant. Cęterùm illud longè etiam inconuenientius, quod idem Dlugossus uigintisex annis ante illa Lãdigrauij tempora Boleslaum huius Henrici filium prodigum & luxu perditum Marchioni Brandeburgensi illud ipsum territorum uendidisse, et ex eo tempore à Polonia alienatũ fuisse scribit. Quo quidẽ tempore necdum Henricus patri successerat, nec scio an iam eum uxorem habuerit. Quin unicum is filium reliquit moriens, Henricum, non Boleslaum. Sed non unũ hoc est Dlugossi peccatum, in huius temporis historia. Sic enim ferè, homo alioqui diligens, hic omnia confudit & implicauit, ut in ueritate & ordine rerum explicando Delio, quod in prouerbio dicitur, natatore opus sit. Nisi fortè librariorum ea culpa est. Verùm de Lubussi alienatione nos inferius, ex eodem Dlugosso, suo loco referemus. Nunc ad curriculum reuertamur: si pauca prius de Iuone episcopo prætermissa resumpserimus. Is igitur cum in cõtentionem de loco cum Laurentio Vuratislauiensi episcopo (qui postea ex rosarum odore decessit) in synodo prouinciali uenisset, nec ei quamuis probanti prærogatiuã suam sedis Apostolicæ diplomate Vuratislauiensis cederet, profectus iterũ ad Pontificẽ Max. quo tempore Conradus dux Masouię principatum administrare cœpit, quemadmodum

Conradus rebus infectis discessit.

Pax inter eos.

Cazimiri Oppoliensis mors & filij.

Bela quartus rex Vngariæ.

Henrici Barbati acta.

Leges malæ abrogatæ ab Henrico.

Opatouia Lubussensi episcopo donata.

Borcum & Cazimiria eidem donata.

Laurentius episcopus rosarũ odore extinctus.

Cracouiensi episcopo metropolitica dignitas reddita, nec tamen retenta.

superius attigimus, metropoliticam dignitatem Cracouiensi ecclesiæ, quam Lampertus Zula episcopus ante centum quinquaginta annos negligentia sua amiserat, recuperauit. Verùm cum Romam religionis ergo Perusio profectus esset, reuertens æstate media, ciui & itineris labore cōfectus, in morbū incidit: ex quo non multò post prope Mutinā decessit, cum duodecim annis episcopus fuisset. Cuius corpus postea Cracouiā a Dominicanis fratrib. relatū, & in ipsorū templo conditū est. Nec postea curæ fuit successorib. eius episcopis, ut metropoliticū honorē resumerent. Vacauit aūt eo mortuo cathedra Cracouiensis biennio, propterea ꝙ Vislaus Cosceleceus canonicus, gente Zabauius, & magister Andreas Gryphius Scholasticus, Marci palatini Cracouiensis filius, qui cū Iuone in Italiā profectus erat, de ea litigarent, hic quidē prouisione Pōtificis Max. ille uerò legitima electione nixus. Ad extremū peruicit Henricus Barbatus, ut Vislao eā pontifex adiudicaret, Andreas uerò postea post Petrum Plocensis episcopus factus est. In interregno aūt illo, ut ita dicamus, basilica Cracouiensis fortuito incendio in turri, quæ ex testamento Iuonis plumbo tegebatur, excitato cōflagrauit. Quā Vislaus postea instaurauit, & alterā turrim excitauit. Nūc iam ad maiorē Poloniā reuertamur.

Iuonis episcopi Cracouiensis mors.
De Cracouiensi episcopatu lis.
Vislaus episcopus Cracouiensis.
Cracouiensis basilica arsit.
Poloniæ maioris motus.
Boriuoij impotentia & cædes.
Paulus episcopus Posnaniensis captus.
Vuladislaus Sputator Sremensem arcem recepit.

Dum Henricus de tutela Boleslai & principatu cum Conrado belligeratur, Boriuoius qui cum præsidijs in maiore Polonia relictus erat, cœpit abuti potestate sua. Etenim cum fines bonorū episcopi & ecclesiæ Posnaniēsis inuaderet, nec alijs iniurijs abstineret, ac Paulus episcopus Posnaniensis ex condicto Sremum ad eum uenisset, ut certorum hominum arbitrio ijs de rebus cum eo transigeret, captus ab eo, & in uinculis habitus est. Verùm non impunè ei cessit uiolasse sacrosanctā episcopi maiestatē. Nam & episcopus cum fortè euasisset, è cœtu Christianorū eum eiecit, & Vuladislaus cū prædatoria manu, qua agros aduersariorū & oppida uexabat, noctu à custodibus in arcē Sremensem intromissus, ipsum cum Sendiuoio nobili & potenti equite, multisq; alijs militibus, qui ad primum tumultum non diffugerant, obtruncauit, arcemq;, ne receptaculum deinceps hostibus suis esset, excisit. Tametsi Dlugossus uelle uidetur alium ab illo, cuius superius mentionem fecimus, hunc fuisse Boriuoium, Polonū, equestri familia ortum.

Henrici Barb. expeditio in maiorem Poloniam.
Gnesna oppugnata, nec tamen expugnata.

Henricus cognitis ijs, quæ in maiore Polonia gerebantur, à Cracouiensibus rebus eo conuersus, ut Vuladislaum reprimeret, neq; ullam ei munitionem, ex qua bellū renouare posset, reliquam faceret, exercitum conscribit: & ad Gnesnam, quæ adhuc Vuladislai præsidio tenebatur, ducit. Materia ferè & roboribus arx Gnesnēsis munita erat antiquitus, sed egregiè tamen à militibus Vuladislai defendebatur: multiq; oppugnantium, cum sub mœnia successissent, saxis atq; alijs telis, aut contis etiam supernè icti cadebant. Erumpendo item sæpius obsessi obsidentes magnis incōmodis afficiebant, ita ut iam segnius munia sua obirent, & machinæ quædam ad expugnationem excitatæ (quas tamen bombardas fuisse, quæ posterius inuentæ sunt, credere non libet) suóne uitio collapsæ, an hostium ui disiectæ, ruinam fecēre. Quibus incommodis permotus Henricus, & ad Silesicæ suæ ditionis res componendas reuocatus, soluit obsidionem: & ad extremas ditionis suæ Silesicæ oras contendens, in itinere apud Crosnam grauiter ægrotare cœpit: nec multò pòst, ritè sacris mysterijs procuratus, diem clausit extremum anno Christi 1238. Cuius corpus ad Trebniciense monasteriū ab Henrico filio, cui Pio cognomen datū est, relatū, honorificè sepultum est. Nam Heduigis uxor in illo ipso monasterio degens, neq; ægrotū uisere, neq; mortui funus deducere, aut obuiā ei prodire uoluit, ne quo rerum humanarū commercio animus eius à diuinis auocaretur. Quin etiam cæteris, uiris iuxtà ac mulieribus plangentibus & lamentantibus, sola moderatè coniunctissimi mariti mortem tulit: impium esse, uoluntati diuinæ aduersari, dictitans. Ac ne uiuentem quidem illum sæpè adijt, nisi fortè ut egenis, & iniuria affectis opitularetur. Cōmuni enim cōsensu totos ferè triginta annos disiuncti & continentes uixēre. Ex quo tēpore Henricus barbā promisit, atq; inde Barbatus uocitatus est.

Henrici Barbati mors.
1238. ann.
Heduigis res humanas despexit.
Henrici Barbati cum Heduigi uxore continentia.
Henricus quare Barbatus dictus est.
Miesco Cuiauiæ dux inuisus à muribus absumptus.
Vuladislaus Sputator moritur.
Vuladislai filij.

Sub illud tēpus stupēda, nec tamen inaudita prius, res in Cuiauia accidisse memoratur. Miezislaus enim siue Miesco, Cōradi ducis filius, cui ꝓpter capitis intemperiē Cosisco cognomen fuit, cui pater Cuiauiā cōcesserat, cū inopū, pupillorū & uiduarū bona iniustè diriperet, indeq; quodā tēpore conuiuiū multis inuitatis præberet, ab ingēti multitudine muriū inuasus: & frustrà naui fugiens, murib. fugientē etiam per aquas persequētibus miserabiliter perijsse dicitur: exemplo futurus posteris, ne se rapinis, iniurijs, & sanguine miserorum hominū sagînent. Defuncto Henrico Barbato, adspirare rursus Vuladislaus ad amissum dominatum cœpit. Sed abhorrentibus ab eo uoluntatibus omnium præter paucos, & Henrico Henrici Barbati filio fauentibus, fidemq; suam obligātibus, mœrore ac dolore animi in grauē morbum incidit, cum apud socerū esset in

Pome-

Pomerania, & paucis diebus moritur, relictis Præmislo & Boleslao, qui postea Pius dictus est filijs. Corpus eius Posnaniã relatum permittente Henrico Pio, in basilica (nam ita mandarat moriens) sepultũ est. Post eius mortẽ Naclensis & Vscẽsis arx cũ territorijs suis in fide filiorũ eius permansère. Gnesna uero deditione facta in potestatem Henrici uenit. Cæterum Conradus Masouiæ dux Henrici morte rursus in spem Boleslai Pudici fratris filij opprimendi erectus, uexare ditiones eius clandestinis latrocinijs, ac mox etiã apertis excursionibus cœpit. Ad cuius conatus reprimendos, Boleslaus, ut externa quoq; auxilia sibi adiungeret, ad Belam quartũ Vngarorũ regẽ legatos misit: cuius legationis principes fuère Clemens Clementouius Castellanus, & Ianussius palatinus Cracouiensis: noua cũ eo fœdera icit, siue adeò antiqua firmauit: filiã eius Kingã, quæ & Cunegundis dicta est, anno Christi 1239. uxorẽ duxit, puellã moribus & sanctimonia uitæ nobilẽ. Dos ei quadraginta milliũ marcarũ fuit. Tali aũt coniuge beatus Boleslaus, tamen primis nuptiarum diebus eam non attigit. Inde confirmata postea cõsensu mutuo religione, ambo perpetuò uouère continentiã. Hinc Boleslao Pudico cognomen inditũ. Post hæc aũt fœdera & nuptias, Conradus Boleslaum bello lacessere ausus non est. Verùm Bydgostiã arcẽ in Cuiauia, quæ ciuili illo inter ipsum & Henricũ bello uigente, à Suentopelco Pomeranorũ domino intercepta erat, in potestatẽ suã redegit. Nec tamen quieuit Suentopelcus, quin postea tumultuaria excursione Inovvaladislauiã oppidũ, cõpluresq; pagos circumcirca ferro et igni depopulatus est. Porrò à Prussis quietior iam erat Cõradus. Nam ij Cruciferorũ & uoluntariorũ quorundã Teuthonũ ducũ atq; etiã Pomeranorũ armis fracti, & in angustũ redacti erant. Cæterum domi nõ ita tranquillas res habuit. Atq; id quicquid erat mali, sua sibi temeritate & furore præcipiti, falsa suspicione inflãmato, accersiuit. Profectus erat Cazimirus filius eius Vvratislauiã, ut sponsam & affines suos uideret: cãptusq; consuetudine eius, diutius ibi, nequicquã reuocante patre, cõmoratus est. Suspecta res ea Cõrado, ut est ferè suspicax & sollicita tyrannis, esse cœpit, uerito ne quod filius cum Henrico socero (uiuebat enim adhuc) contra se & cæteros fratres consiliũ iniret. Neq; enim adhuc Henrico, quamuis reconciliato, ac duplici affinitate secum cõiuncto, fidebat. Erat cũ Cazimiro Ioannes Zapla, iuris peritus, Vvladislauiensis & Plocensis Scholasticus, atq; ducalis Cancellarius, custos & moderator adolescenti à patre datus. Eum igit Cõradus, quasi conscium siue adeò authorem consiliorũ filij, literis reuocauit, captumq; causa nõ cognita in carcerẽ coniecit, ac mox quæstionibus subiectum, eodem furore in patibulũ egit. Cuius cadauer cum Dominicani fratres (quos Ploscũ Cõradus ante aliquot annos, condito eis monasterio induxerat) deposuissent, & Christiano ritu funus deducerent, Agathia Conradi uxor, mariti furori suffragata, ereptum & in plaustro duobus bubus contumeliæ causa uectum, noua furca ad id ex tempore ad ædem atq; monasteriũ Dominicanorum ex aduerso basilicæ erecta, iterum appendi iussit. Nec tamen deterriti sunt fratres Dominicani, quin iterũ id deponerent, atq; honorificè sepelirent. In quo quidem euidenter diuina iusticia apparuit, scelesta & sacrilega tyranni manu ad ultionem patrati prius a Ioanne illo sceleris usa, propterea quòd is iniustæ & nefariæ Christini palatini necis autor, aut sanè incentor fuerat. Et sanè huiusmodi ferè sunt susurronum ac delatorum quibus aulæ & aures principũ patent, exitus. Hoc uerò Conradi facinus, & patratum in sacerdotem Dei parricidiũ, Andreas Plocensis episcopus, Marci palatini Cracouiensis filius, uindicare ausus non est, ne quid & ipse à tyranno pateretur. Cæterùm Petrus Archiepiscopus Gnesnensis, cuius genus & familia non memoratur re cognita, maiore animo uniuersæ Plocensi diœcesi sacris interdixit. Quamobrẽ excanduit quidẽ primũ Cõradus, uerũ pòst ad se reuersus, agnouit culpã, & Lenciciã ad Archiepiscopũ, ut ille iusserat, uenit: de admisso scelere Archiepiscopi arbitratu satisfecit: Louiciã uillã, cũ circũiacentibus syluis sanè q; uastis, Archiepiscopo Gnesnensi sempiterno iure donauit, ea quidem lege, ut is Plocensis Canonicus semper esset, & librã siue marcã auri duci Masouiæ eorum bonorũ nomine quotannis penderet. Vvladislauiensi item et Plocensi ecclesijs idem Cõradus multa largitus est, atq; ita archiepiscopus interdictũ suũ relaxauit, & Conradus dux ab delegatis Pont. Max. Gregorij IX. episcopo Vvratislauiensi, & Scholastico Cracouiensi, à crimine absolutus est, cum ea quę Archiepiscopo, & Vvladislauiensi atq; Plocensi episcopis receperat ac donarat, unà cum filijs suis confirmasset. Id adeò 1240. Christi anno actum est. Circa hæc tempora Boleslaus Pudicus, matris precibus adductus, cœnobiũ Cracouiæ fratrib. diui Francisci Assisinatis nouo tunc instituto uiuentib. Praga accitis, condidit: itemq; Pompo secũdus magister Cruciferorũ in arce noua Torunensi: nec ita multò ante Theodorus palatinus Cracouiensis;

Henricus Gnesna potitur.
Conradus uexat terrã Sendomiriensem.
Boleslai fœdus & affinitas cũ Bela Vngarorum rege.
1239. ann.
Cunegundis uxor Boleslai Pudici.
Coniuges continentes.
Boleslaus unde uocatus sit Pudicus.
Bydgostia intercepta & recepta.
Suentopelcus Cuiauiam populatur.
Prussorum uires fractæ à Teuthonicis.
Ioannes Zapla Scholasticus Plocensis à Cõrado [illegible].
Calumniæ pœna.
Interdictũ Archiepiscopi in Plocensi diœcesi.
Conradi pœnitentia.
Louicia Archiepiscopo donata.
Archiepiscopus Gnesnensis Canonicus Plocensis.
1240. ann.
Franciscani sodales.
Pompo secundus magister Teuthonicorũ in Prussia.

uiensis, gente Gryphius, qui Cedro uulgò appellatus est, in pago Sciricio, monasterium Cistercienfibus monachis extruauit & locupletauit: quod in Ludimiro hæreditario pago suo sub Carpatho monte prius ædificauerat: uerùm transferre coactus est, quòd locus ille in confinio Vngarorum situs, infestus esset latrocinijs, cuius monasterij reditus Vislaus & Prondota episcopi Cracouienses attributis decimis quibusdam auxerūt. Bronisius etiam comes gente Venauius, cuius insigne est caput bisontis, in pago suo hæreditario Gosticouo in Posnaniensi diœcesi ijsdem Cisterciensibus monasterium cōdidit, quod Paradisi nomine tunc dici cœptum, etiam nunc eam appellationem retinet. Nec ita multo ante Brescense etiam monasterium supra Vistulam, quinto à Cracouia milliario Præmonstratensibus monachis ab Iuone episcopo Cracouiensi conditum possessionibus ac decimis dotatum est. Consecutum est deinde tempus, quo Polonia cuncta, dudum intestinis motibus atq; ciuilibus bellis exagitata, ferarū etiam, barbararumq; gentium quasi inundatione quadam noua miserabiliter diuexata & afflicta est. Tartari nanq; Russia, quemadmodum suo loco narrauimus, peruastata, & maxima ex parte subiugata, anno Christi 1240. Lublinensem oram in Polonia Russiæ finitimam magno impetu inuaserūt: exustaq; arce Lublinensi, omnem illam regionē usq; ad Vistulam longè, lateq; depopulati, Zauichostū etiam arcem in ripa Vistulæ sitam incenderūt: indeq; in Russiam reuersi, deposita tuto loco præda, quā ingentē abegerant & asportarant, curriculo in Poloniā hyberno tēpore reuersi, summutrāsmissoq; Vistula flumine glacie cōcreto, Sendomiriā expugnauêre: Coprivvnicense monasterium diripuêre: utrobiq; præter ciues magnam agrestium & nobilium multitudinem, quæ illuc cōfugerat, unà cum monachis interfecêre: progressiq; longius, nemine prohibente, per Visliciam Scarbimiriam usq;, quod oppidū septem milliarijs abest à Cracouia, peruenêre. Inde uero in capite quadragesimæ anni sequentis omnis generis præda onusti, ingentem etiam hominum utriusque sexus forma & ætate florentium, multitudinem, loris adstrictam in morem pecudum præ se agentes reuertebantur. Continebat se Boleslaus princeps Cracouiæ simul cum matre, nusquam ausus tantæ hostium multitudini sese opponere. Cæterum Vvlodimirus palatinus Cracouiēsis coacta aliquanta manu, insecutus abeuntes, apud Tursicum pagum, uno à Polanecio oppido milliario, statiua habentes, ex improuiso adortus est, & magnam in perturbatis & inopinata re perterritis, initio stragem edidit. Verùm postea Tartari animaduersa nostrorum paucitate, facilè multi paucos & multa cæde fatigatos, superarunt: & cæsis nonnullis, reliquos in fugam uerterunt. Neq; tamen longius insequi fugientes ausi sunt, ueriti ne in insidias præcipitarent. Interim aūt dū pugnabāt Tartari, captiui discissis uinculis in proximas syluas effugerūt. Porrò Tartari sua strage perculsi, metuentesq; ne maiorib. nostrorū copijs opprimerentur, raptim atq; tumultuariè sese recipientes, & saucios, & ægrotos abijcientes, ppe Secechouiū in magna sylua, quæ Sremech dicit, aliquot dieb. delituêre, ut insequentes fallerent. Inde postea in Russiā rediêre. Nec multo post auctis maiore modū copijs, iratū pleni in Poloniā reuertêre. Et cūm apud Sendomiriā biduo statiua habuissent, quo plura populationib. cōplecterent, bifariā diuisi sunt. Ac pars quidē Lonciciensem & Cuiauiensem oram duce Kaidano uastarunt: cum reliquo uerò exercitu Battus summus eorum dux & imperator Sendomiriensem tractum, uersus Camionā fluuium & Vislizam arcem & oppidum episcopi Cracouiensis infestauit. Vnde & Batti uiam haud longè ab eo oppido nuncupari Dlugossius memorat. Tametsi Bonfinius de rebus Vngaricis, Battū per id tempus cū longè maximis copijs in Vngariā expeditionē fecisse scribit. Petam uero ab eo cū parte exercitus missum ex Russia, in Poloniam excurrisse, ac deinde per Silesiam & Morauiam in Vngariam ad Battum uenisse. Satis quidem constat, Tartaros Batto & Caidano ducib. per idem tempus Vngariam omnem cum finitimis Rascia, Bosna, Croatia, & Bulgaria, toto triennio cædib. & incendijs deuastasse, Bela rege profligato, & in Dalmatiā fugato. At proceres & equites Cracouienses, & Sendomirienses, non ferentes charissimam patriā, se inspectantibus, tam crudeliter uastari, parentes, uxores, & liberos suos dulcissimos, omni genere contumeliæ affectos, uel miserabiliter trucidari, uel in fœdam seruitutem abduci, uillas atq; penateis incendi, religiones sanctissimas atque templa Dei Opt. Max. cædibus & libidinibus & sanguine sacerdotum pollui: Christi Iesu Dei & hominis corpus cœlitibus uenerandum, impuris barbarorum pedibus conculcari. Hæc inquam non ferentes, simul autem conflictu Tursicensi animati, facta manu Tartaris apud Chmelicum pagum non longè à Sidlouo oppido occurrunt, eo quidem proposito, ut uel corporib. suis uiam ipsis ad ulteriora obstruerent. Tartari ubi de aduentu Polonorū cognouerunt, duas acies instruunt.

Scirciense monasterium. — *Paradisi monasterium.* — *Brescense monasterium.* — *Tartari Poloniam uastant.* — *Zauichostum incensum.* — *Sendomiria expugnata.* — *Coprivvnicense monasterium direptum.* — *Tartari ad Scarbimiriam usq; prædas agendo progressi.* — *Poloni apud Tursicū à Tartaris funduntur.* — *Captiui Tartarorum elapsi.* — *Tartari iterū bipartito agmine totam Poloniam peruastant.* — *Battus dux Tartarorum.* — *Batti uia.* — *Peta Tartarorum dux.* — *Vngaria cum finitimis prouincijs triennio uastata à Tartaris.* — *Polonorū clades apud Chmelicum à Tartaris accepta.*

instruunt: quarum altera magno cum clamore in nostris aduenientes procurrens, ut mos est genti, prælium commisit. Altera in subsidijs erat, ut laborantibus suis ferret opem. Nostri, quòd pauci erant, simplicē aciem instruxerant, & omnes pariter pugnam capessebant. Et læuum quidem cornu Cracouienses cum Vvlodimiro palatino & Clemente Castellano Cracouiensi tenebant. In dextro autem Pacoslaus palatinus, & Iacobus Ratiborij filius Castellanus, Sendomiriensibus suis præerant. Pugnatum est horis aliquot acriter: ad extremum tartari multis fortibus uiris amissis, cedentes ad subsidiariam aciem sese recepere, nostris alacriter instantibus, & debellatum esse credentibus. Ibi uerò denuò instauratur prælium. Tartari integri & recentes fessis & saucijs succedunt, nostri primo successu freti, extremum conatum faciunt, ut aut plena uictoria potiantur, aut uerò honestè pro patria mortem oppetant. Tandem amissis ducibus & fortissimis quibusque militibus ad paucos redacti, terga dedere: & itinerum notitia, syluisque tecti, euasēre. Ceciderunt eo prælio inter cæteros maximè nobiles & præstātes, Christinus Sulcouicius, Albertus Stēpocius, Nicolaus Vitouius, Zementa, Grābina, & Sulisiaus. Factum est autem hoc prælium decimaoctaua die Martij. Continebat se per id tempus Boleslaus Pudicus cum Grimislaua matre & Kinga uxore in arce Cracouiensi. Sed accepto nuncio de clade suorum, in Vngariam cum familia & suppellectili, raptim collectis sarcinis, ad socerum profugit, nihil tuti Cracouiæ & in tota Polonia à barbarorum furore sibi ducens. Sed cum Vngariam quoque maior etiam uis eorundem barbarorum infestaret, ad fines Poloniæ se recepit, & in Pienina arce supra Donaiecium fluuium, haud longè ab oppido Sandecia sub Carpatho monte sita, aliquandiu commoratus est. Principis exemplo plurimi mortales, ditiores præsertim, partim in Vngariam, partim in Germaniā diffugerunt. Teniores uerò in syluas, mōtes, & paludes sese abdiderunt. Porrò Tartari post Chmelicensem uictoriam ad Cracouiā contenderunt, quòd eam urbem caput Poloniæ ac domicilium principis esse didicerant: & cum uacuam defensoribus reperissent, flammis in tecta sæuierunt. Templum tamen diui Andreæ duabus turribus munitum, quod etiam tum extra oppidum erat, egeni ac debiles, qui in id se receperant, interfectis supernè compluribus barbaris, qui propius accesserant, defenderunt. Neque enim immorari Tartari in expugnatione templi uoluerunt, ne quid spacij darent alijs ad colligendum sese, aut fugiendum. Sed in Silesiam ingressi, cum disiectos Odræ pontes reperissent, compactis ex tempore ratibus, apud Ratiboriam flumen traiecerunt. Seruabat ripam ulteriorem Miezislaus, dux Ratiboriensium, Cazimiri filius, cum parua manu. Is igitur in eos qui primi amnem transmiserant, facto impetu, magnam in eis stragē edidit; sed reliquo exercitu celeriter nauigando pariter & natando (ualent enim ea re ipsi iuxtà ac equi ipsorum) superueniente cessit, & Legniciam ad Henricum Pium, Barbati filium, qui ibi cogebat exercitum, se recepit, & cum eo se coniunxit. Tartari uerò continuato cursu ad Vvratislauiam, quòd oppidum oræ illius primarium esse acceperant, festinarunt. Verùm id incensum repererunt. Oppidani namque cognito aduentū barbarorum, munitioni oppidi diffisi, suppellectili sua, frumēto, & commeatu cætero in arcem comportato, id reliquerant: milites uerò qui in præsidio arcis erant, uacuum, ne hostibus prædæ uel receptaculo esset, incenderant. Quam ob rem indignati Tartari, arcem obsederunt. Sed frustrà consumptis diebus aliquot, cum obsessi ad longiorem etiam obsidionem perferendam non imparati esse uiderentur, irrito cœpto inde similes fugientibus abierunt, diuino, ut postea compertum est, ostento perterriti: quod fuit huiusmodi. Ceslaus unus de comitibus Iuonis episcopi Cracouiensis Romæ diui Dominici uitæ institutum professus, præerat conuentui Vvratislauiensi apud diui Adalberti. Et ad primū tumultum cum cæteris sodalibus in arcem confugerat. Eo igitur iugibus precibus & lachrymis Dei misericordiam, & præsentis periculi depulsionem implorante, ecce columna ignea cœlitùs apparuit, & statiua Tartarorum, omneque territorium ingenti atque terribili fulgore collustrauit. Hoc miraculo barbari perterrefacti, nihil cunctati, obsidionem soluerunt: & Legniciam, ubi Henricum ducem cum magnis copijs & auxilijs esse cognouerāt, contenderunt, auctis uiribus suorum aduentu, quos in Lenciciensem & Cuiauiensem tractum excursionem fecisse superiùs memorauimus. A' quibus etiam Vitouiense monasterium in tractu Siradiensi direptum, & monachæ omnes, præter tres quæ in syluam profugerant, interfectæ sunt. Vnde postea quæ superfuēre Busco eum locum commutarunt, & monachi eiusdem sectæ locum illum incolere cœperunt. At Henricus aduentū hostium cognito, obuiam eis progreditur, procurato sacris mysterijs exercitu, eo quidem animo, ut aut uinceret, aut fortiter pro aris atque focis, aut pro populo suo dimicans occumberet,

Boleslai Pudici fuga.

Pienina arx.

Cracouia incensa à Tartaris.

S. Andreæ templum defensum.

Silesia à Tartaris uastata.

Vvratislauia incensa.

Tartari ab arce Vvratislauiensi refugerunt.

Miraculum.

Vitouiense monasterium direptum.

Buscense monasterium.

non

non modò non detrectante, sed etiam atq; etiam hortante matre Heduigi, quæ futuri præscia, tamen diuinæ uoluntati repugnare nefas esse ducebat. Quinq; autem agminibus exercitus eius constabat. In primo erant cruce signati ex uarijs gentibus summi pontificis autoritate & cohortatione post cladem superioris anni collecti: cum quibus ordinati erant fossores ex metallis Goltbergensibus. Cui agmini præerat Boleslaus Dipoldi Marchionis Morauiæ filius. In secundo erant maiores Poloni & Cracouienses nōnulli, quos quidem ducebat Sulislaus Vvlodimiri palatini Cracouiensis frater. In tertio erat Miecislaus dux Ratiboriensis & Oppoliensis cum suis copijs. Quartum tenebat Pompo Magister Prussiæ, cum suis Cruciferis. In extremo erat ipse Henricus, cum flore militiæ Silesicæ & Polonicæ, & mercenarijs externis. Totidem Tartari fecerunt. Est sub Legnicia planicies spaciosa ad Nyslam amnem, quæ bonus campus dicitur. In ea igitur concurrunt acies, primiq; cruce signati (nam id ab Henrico impetrarant) pugnam ineunt, & primos barbarorū præcursores facile fundunt. Verum illis siue pulsis, siue de industria cedentibus (etenim fugiendo pugnare genti maximè usitatum est) primum illud agmen cruce signatorum, productum longius à suis, & à multitudine barbarorum circundatum, denso imbre sagittarum obruitur, ita ut pauci inde euaderent: magna siquidem ex parte nudi erant. Tametsi ne loricæ quidem, aut thoraces, aut galeæ satis uim Tartaricarum sagittarum sustinent. Ibi & Boleslaus dux inter primos pugnans cecidit. Succedit alterum agmen ex duobus iunctum, cui dux Oppoliensis & Sulislaus præerant. Atq; id facto impetu in hostes in cæde primorum exultantes, magnam stragem edidit, cum balistarij contra sagittarios corū constitissent. Quod animaduertentes Tartari, duo item agmina suis laborantibus succursura submittunt. Neq; tamen segnius nostri pugnam cient, donec quispiam de exercitu Tartarorum eques ab latere nostris ex improuiso apparens, Polonica lingua, ut fugerēt identidem uociferatus, eos conturbauit, & in fugam cōuertit, orto fugæ initio à Miecislao Oppoliensi, qui uocem illam amici esse, saluti suorum consulentis, quasi iam reliqua agmina a barbaris deleta essent, credidit. Ibi Henricus nihil suorum strage, fugaq; deterritus, extremo agmine cum Cruciferis coniuncto fugientes insequētium Tartarorum impetum excipit: instauratoq; prælio, Tartaros uicissim premit. Succurrit & Batius, siue Petasius, uehementer debilitatis. Certatur utrinq; totis uirib. pro uictoria: exæquataq; rursus aliquandiu pugna, tandem Henrici res uirtute militum, meliore loco esse cœperant. Ibi Tartari fugam neutiquam simulatam capessunt. Instant nostri fugientibus. Erat in extremo illo agmine inter alia signa uexillum insigne, cuius pictura X Græci elementi figuram præ se ferebat: in cuspide uerò imago erat tetra, nigraq; capitis humani barbati. Id igitur uexillum cum signifer uehemētius quateret, fumum atq; nebulam densissimam & fœtidissimā exhalabat. Ea nebula non modò aspectum barbarorum nostris adimebat, uerùm etiā odore teterrimo eos enecabat: totumq; adeò exercitum nostrorū nouitate & miraculo rei stupefactum perturbauit. Incantationibus id quibusdam Tartari effecerāt. Quibus iuxtà ac ariolationibus atq; diuinationibus cæteris cum aliàs, tum in bello plurimum utuntur: Ex humanis etiam extis de futuris euentibus coniectare soliti. Tunc uerò barbari ubi nostros trepidare senserunt, cohortati sese inuicem, impressionem in eos faciunt: perturbatisq; ordinibus magnam cædem faciunt: in qua Pompo Magister Cruciferorum cum fortissimis quibusq; suorum occubuit. Diffugiunt cæteri ex acie, præter eos qui circum ducem erant. Nam is turpe ratus fugere, non inultus mori uolebat. Ad extremum tamen, cum aliquandiu fortiter pugnans hostium uim sustinuisset, persuaderi sibi passus est, ut se melioribus rebus seruaret: perruptisq; hostilibus cuneis, quatuor tantum comitantibus, nempe Sulislao, de quo superiùs, Clemente palatino Glogouiensi, Conrado Conradi, & Ioanne Iuani filijs, nobilibus & fortissimis uiris, iam periculum euasurus esse uidebatur, cum subitò fortuna conatum eius destituit. Equus enim cui insidebat, multis uulneribus in prælio acceptis, debilitatus concidit. Et quanquam Ioannes alium ipsi, à cubiculario eius petitū, subministrarat, tamē dum insequentes & obuios barbaros ferro summouet, & in prementem se maximè Tartarum sublato brachio gladium uibrat, ab alio quodam hasta sub ascella ictus, moribundus de equo defluxit. Ibi barbari inconditum clamorem attollunt, deductumq; per manus Henricum ad alterum balistæ iactum, capite plectunt, & cadauer nudū detractis armis & uestimentis relinquūt. Tres quoq; illi, qui eum fugiētem comitati sunt, pugnantes cecidêre. Nam Ioannes imposito in alium equum duce, ferro per medios hostes uiam sibi atq; duci patefaciens, saucius cum duobus ministris uix euasit. Quem cum nouem Tartari pertinacius ad unum milliarium persequerētur, nactus Lusmanniū quendam,

Henrici exercitum.

Prælium cum Tartaris apud Legniciam.

Tartari fugiendo pugnant.

Sagittæ Tartarorum penetrant loricas & thoraces atq; galeas.

Stratagema Tartarorum. Slesiorum & Polonorum fuga.

Tartari uincunt Polonos magicæ artis præsidio.

Tartari magica arte multū utuntur.

Pompo magister Cruciferorum Prussiensium occisus. Henrici fuga & cædes.

Poloni Ioānis fortitudo.

dam, & ipsum cum duobus fugientem, conuersus, & eius ope fretus, octo de persequentibus se Tartaris peremit, nonum captiuum abduxit. Tantus autem eo prælio interfectorum Christianorum numerus fuit, ut singulis singulæ auriculæ a Tartaris præcisæ, nouem ingentes saccos explerent. Inter quos inprimis clari Poloni fuêre, Stephanus Vrbenius cum Andrea filio, Clemens Pelcinicius Andreæ filius, Thomas Piotricouicius, & Petrus Kuza. Henrici caput hastæ infixum Tartari ad arcem Legnicie nsem (nam oppidũ nostri iam antè cremarant) accedentes prætulerunt, deditionemq; eos qui in præsidio cum liberis Henrici erant, poscebant. Quam cum negarent illi, uastatis per circumitum uillis atq; pagis, recesserunt ad Othmuchouũ: ubi cum quindecim diebus statiua habuissent, Ratboriensem oram repetita excursione uastarunt: ibiq; octo dies commorati, in Morauiam inuadunt. Quam cum nemine prohibente & Venceslao rege in Bohemia delitescente, amplius uno mense usq; ad Austriæ & Bohemiæ fines crudeliter diu exagitassent, in Vngariam superatis montibus atq; syluis peruenerunt. At Henrici corpus post discessionem Tartarorũ, inter cadauera, sex digitorum in læuo pede argumento, Anna uxore indicante inuentum: cum alijs nonnullis nobilioribus Vratislauiam deductum, & in sancti Iacobi, quod monasterium Franciscanis ipse inchoauerat, Anna uero uxor postea consummauit, honorificè sepultum est. Cæterum Hedwigis mater, quæ monasterij Trebnicẽsis munitioni diffisa, Crosnam unà cum grege monacharum & Annã nuru, sub aduentum barbarorum se receperat, nihil nuncio cladis & interfecti filij cõmota est. Quin monachas & nurum lamentantes & pectora plangentes comiter consolata, minimè deiecto uultu gratias egit Deo, quòd eius munere talem filium peperisset, cuius ipsa uiuentis pietatem summam in se experta semper esset, quiq; ad extremum pro religione et populo suo uitam alacer profecisset. Fertur autem cum Henricus exercitum Legnicia contra Tartaros educeret, saxum grande è culmine templi uirgini Christi matri dicati ante pedes eius decidisse, ita ut parum abfuerit quin eum extingueret. Quæ res infausti ominis uulgo iudicata est.

Strages magna notata. — Legnicia arx obsessa. — Tartari Morauiam infestarunt. — Henrici cadauer inuentum. — Hedwigis constantia. — Omen infaustum.

Henrico Pio cæso, Boleslao Pudico nusquam comparẽte, oppidis, uicis, atq; pagis ad uastitatem redactis, nobilitas Cracouiensis & Sendomiriensis deteriora etiam timens, quòd sine principe & magistratibus esset, inito consilio, Boleslao Caluo Henrici Pij filio natu maximo principatum detulit. Atq; is princeps factus, statim magistratus creauit: plerique enim tempestate illa Tartarica desiderati erant, Clementemq; de Ruscia Sulislai filiũ, gente Gryphium, Cracouiensem palatinum fecit: Quod cum accepisset Conradus dux Masouiæ, permolestè tulit, alienum sibi Cazimiri principis filio, Lesci albi fratri in principatu prælatum esse. Itaq; colloquium à Suentopelco Pomeranorum duce petijt, fœdus cum eo percussit, auxiliaq; ab eo contra Boleslaum Caluum impetrauit. Nam ipse Suentopelcus negauit ad id bellum se posse proficisci, alijs curis & occupationibus distentum, de quibus paulò inferius memorabimus. Interim autem dum Conradus in apparatu belli occupatus est, Tartari ex Vngaria per Scepusiensem tractũ excursione facta in Poloniam, Cracouiam inexpectati aduolarunt: direptaq; urbe, et maiore quam prius cæde hominum facta, cum ingenti præda in Vngariam per Osuencimẽse territorium citi reuersi, atq; ibi tres annos commorati sunt. Cõradus uerò dux omnibus ad bellum ritè comparatis, accitisq; Pomeranorum auxilijs, in Sendomiriensem, ac deinde in Cracouiẽsem tractum duxit exercitum: & facilè munitiones omnes, opera Zegotæ gente Toporij, eiusq; familię & clientium, dedentibus sese ultrò omnibus, in suam redegit potestatem. Cæterum Clemens palatinus Cracouiensis, & alij qui cũ Boleslao sentiebant, cũ impares essent conatib. Conradi reprimendis, Scalensem arcem ualido præsidio tenuerunt. Nec eos Conradus oppugnare tũc adortus est: sed Cracouiam ueniens, arcem muniuit: constitutisq; rebus, in Masouiam redijt. Aduenit mox Boleslaus Caluus cum exercitu suo, & Germanis mercede conductis, recuperaturus ereptum principatum. Cum autem Cracouiensem arcem expugnare niteretur, re cognita, superuenit iterum Conradus cum maioribus copijs: cum quibus Boleslaus Caluus congredi nõ ausus, in Silesiam se recepit. At Conradus Scalam admouit exercitum. Nec mora, Clemens palatinus destitutum se ope Boleslai cernẽs, petita, impetrataq; à Conrado uenia, arcem ei dedidit. Potitus iam omni principatu Conradus, cum belli sumptibus exhaustus esset, grauia mox uectigalia & exactiones non modò oppidanis & agrestibus, uerùm etiam equestri & sacerdotali ordini imposuit: ac ne ocio ad res nouandas inuitarentur, in reficiendis ueteribus, & extruendis nouis munitionibus acerbè uulgus exercere cœpit. Quę post tantas clades atq; calamitates à Tartaris illatas, famemq; grauem, cum pergrauia & intolerabilia omnibus uiderẽtur, magnũ odium

Boleslaus Caluus ad principatũ uocatur. — Clemens de Ruscia palatinus Cracouiensis. — Tartari Poloniam populantur, & Cracouiam diripiunt. — Conradus Masouiorum dux principatum inuadit. — Scala arx Conrado dedita. — Conradus asperiori dominatu Cracouienses à se alienat. — Fames in Polonia.

Conrado conflarunt. Redierat is fortè in Masouiam. Ibi proceres Cracouienses clàm de eijciendo ipso consilia incunt: nonnullos conscios, qui Boleslaum Pudicum perquirerent, dimittunt. Atque is de uoluntate & studio suorum certior factus, reditum parabat, ac de Vngaris auxiliarem manum cogebat. Porrò Conradus cum alienatos esse à se Cracouiensis & Sendomiriensis conuentus animos accepisset, ac de consilio reuocandi Boleslai Pudici & eijciendi sui persensisset, properè accurrit cum non contemnendo comitatu suorum: dissimulatoq; consilio, comitia apud Scarbimiriam indixit. Ad quæ cum frequentes proceres & equites conuenissent, capiuntur quidam ex eis nobiliores, qui contra Conradum sentire uidebantur, & in Masouiam uincti abducuntur. Cæterùm Clemens palatinus cautior, et aduentum Conradi celerem, comitiaq; illa æstate media præter morem indicta, suspecta habens, cum Sulcone & Theodoro fratribus & alijs nonnullis ad Boleslaum Pudicum, qui in Pienina arce in Vngariæ finibus ad eum diem latuerat, profugit. Nec sanè multo post prima die mensis Augusti, illi qui in Masouiam abducti erant, fractis compedibus, in tempesta nocte cum euasissent, omnem suorum multitudinem palàm contra Conradum concitabāt. Eorum reditu cognito, Clemēs palatinus confestim aduolat: & facta manu, coniunctisq; uiribus, Cracouiam in potestatem suam redigunt, eiecto Conradi præsidio. Subsequitur Boleslaus Pudicus cum uxore. Cui uenienti ingens multitudo hominum, omnis ordinis, ętatis, atque sexus exultans atq; gratulabunda obuiam sese effudit. Et mox proceres authore ac principe Prendota episcopo Cracouiensi, gente Odrouanso, cognomento Bialassouio, qui nuper Vislao Coscelecio defuncto successerat, nouum iusiurandum principi dicunt. Quo consensu permoti, qui arces & munitiones pro Conrado tenebant, Boleslao eas reddiderunt. Factus autem certior Conradus de defectione minorum Polonorum, ac de reditu Boleslai Pudici, magnis itineribus Cracouiam accurrit: cumq; uideret Boleslaum Cracouiensis arcis munitione (neque enim spacium cogendi exercitus habuit) sese cum præsidio continere, obsidere eum cœpit: & quòd longius ductum iri obsidionem, neq; satis uirium se ad bellum in hostico gerendum habere sentiebat, templis D. Andreæ, & D. Georgij, quod ex aduerso arcis in eodem colle situm est, sed tunc extra munitionem arcis erat, castellorum loco uallis atq; fossis cōmunitis, cōmendataq; cura exercitus & obsidionis Boguthę equiti Cracouiēsi, q cū ipso sentiebat, in Masouiā, ut mox maiores copias abduceret, recessit. Nec mora Boguthę mutata fide, de templis pręsidia deduxit, obsidioneq; soluit. At Conradus conscripto maiore exercitu, accitis etiam in auxilium Præmislo Posnaniensi, & Miezislao Oppoliensi ducibus, Lithuanisq; item & Iazygibus siue Iasuingis barbaris, tractum Sendomiriensem populabūdus ingreditur. Ac de Lithuanis quidem, quinam sint, superius memorauimus. Iazyges uerò siue Iasuingi eiusdem cum Lithuanis linguę, ut uolunt nonnulli, eorūdemq; morū & religionū fuêre, & ad Austrū finitimas Polonię syluas incoluêre. Quę regio à nostris Polesse siue Podlesse, quasi subsyluana uocatur: alij Podlasse, quasi Lachis, hoc est, Polonis finitimam dici uolunt, cuius caput est Drohicinum oppidum. Gens bellicosa admodum contemptrixq; mortis: uerum pugnandi cupiditate et pertinacia ad paucos redacta, ac deinde deleta est à nostris, quemadmodum inferius exponemus. Fuerunt etiā Dacis & Pannonib finitimi Iazyges Metanastæ. Nescio an ijdem cum his: & an illinc huc, an uerò hinc illud aliquādo cōmigrârint. Hos igitur populos Conradus dux tūc contra Boleslaū exciuit. Nec Boleslaus committendū sibi esse existimauit, quin sua defenderet. Itaque magna celeritate quantū potest exercitū comparauit, in quo erāt & Vngari: & ad Suchodolum pagū Cōrado occurrens, q̄uis esset uiribus longe inferior, tn̄ pugnādi copiā fecit. Et fauit sanè iustiori causæ Deus, hominumq; preces pro Boleslao passim supplicantium exaudiuit. Commisso enim prælio, numerosus ille Conradi exercitus cum ducibus suis à Boleslao fusus, & in fugam actus est. Victorq; uictoria moderatè usus, neq; fugiētes longius persecutus est: & saucios benignè recreauit, & captiuos dimisit. Cuius quidē moderationis fructum mox consecutus est. Etenim statim reliqui de nobilitate Sendomiriensi, qui Conradi partes ad eam diem pertinacius tutati erāt, unà cum munitionibus quas obtinebant, in potestatem Boleslai uenêre. Conradus uerò, qui Prendotæ episcopo Cracouiensi extrema quæq; dudum comminatus erat, quòd ipso authore eiectum se esse non ignorabat, turpiter uictus, in Masouiam se cum Cazimiro filio, cæteris domos suas dilapsis, recepit. Boleslaus recuperatis omnibus quæ absens amiserat, Cracouiam reuertens, ingenti omnium gratulatione exceptus est. Nec in maiore Polonia post Tartaricum bellum quietæ res fuêre. Nam post interfectum Henricum Pium à Tartaris, cum Boleslaus

Caluus

Marginal notes: *Boleslaus Pudicus reuocatur.* — *Comitia Scarbimiriæ.* — *Cracouienses proceres & equites capti à Conrado, & elapsi.* — *Boleslai Pudici reditus.* — *Prendota episcopus Cracouiensis.* — *Boleslaus Pudicus principatum recuperat.* — *Cracouiensis arcis obsidio.* — *Boguthæ defectio.* — *Conradus bellum infert Boleslao.* — *Iazyges siue Iasuingi quinam fuerint.* — *Polesse seu Podlesse siue Podlasse.* — *Drohicinum.* — *Iazyges Metanastæ.* — *Prælium apud Suchodolum.* — *Boleslai uictoria & moderatio.* — *Conradi fuga.*

Caluus filius eius natu maximus dominatum ſuſcepiſſet, grauis nobilitati & cęteræ multitudini eſſe cœpit, atque externos indigenis, Teuthonas Polonis, & quidem infimos optimatibus præferebat: in hos perparcus & reſtrictus, in illos munificus & liberalis, ita ut honores quoque & magiſtratus eis mandaret: et quòd ſine modo familiaritate eorum delectaretur, in conſilium quoque eos adhibebat. Malè hæc res Polonorum proceres habebat. Itaque queſti inter ſe de ſtatu ducis, & contemptione ſui, celeriter contra eum, authoribus Bogundo palatino Poſnanienſi, Cecundo Gneſnenſi, Thoma Poſnanienſi Caſtellanis, & Domaratho iudice, conſpirarunt: & conuētu apud Poſnaniam facto, Præmiſlum & Boleslaum Vuladiſlai Sputatoris filios bonæ indolis iuuenes, acciunt: abdicatoq; Boleslao Caluo, duces eos ſibi conſtituunt. Commorabantur autem ij in arce Vſcenſi, quam de patrimonio ſolam habebant reliquam. Naclum enim Suentopelcus auus maternus eis per fraudem ademerat. Venientibus ijs traduntur arces & munitiones, una excepta, cui Præmentæ nomen. Cuius præfectus in fide Boleslai Calui perſtabat. Quam tamen haud ita multo pòſt nobilitas expugnauit. Tulit eam iniuriam & contumeliam non iniquiſsimo animo Boleslaus Caluus, ſuadente auia Heduigi, quæ & antea maritum, & poſterius filium ab eo dominatu fruſtrà auocauerat, & tūc nepoti, ne iniuſtè iuſtis hæredibus olim ereptum retineret, aut repeteret, perſuaſit. Quin is poſteriori tempore affinitatem etiam cum Præmiſlo contraxit, collocata ei in matrimonio ſorore ſua Elizabetha una de quinq;. Verùm id pòſt mortem Heduigis actum eſt. Vix enim uno anno ea poſtea uixit. Nam altero pòſt maritū obijt, qui fuit à Chriſto nato 1243. ſeptimo Idus Octobris. Corpus eius, quod croceum dum uixit, propter rationem uictus duram atque tenuem, aſsiduaq; ieiunia, fuerat, poſt mortem inſolito ſplendore, coruſcaſſe fertur, Deo perhibente teſtimonium ſanctimoniæ & pietati eius. Quāquam tertio demum & uiceſimo annò pòſt, à Clemente pontifice maximo in numerum ſanctorum, examinato bene ac diligenter negocio relata eſt. Sepulta eſt autem Trebniciæ. Cruciferi quoque Teuthones eodem tempore, hoc eſt pòſt Tartaricam illam inundationem, cum Pomponi apud Legniciam interfecto Henricum de Vida magiſtrum ſuffeciſſent, non modò Pruſsiam bello quæſitam, ſed etiam ea quæ initio à Conrado duce acceperant, penè amiſerunt Suentopelci fraude, & mox aperto bello. Nam cum ij inuitati a Conrado contra Pruſſos cum barbaris bellum uaria fortuna geſsiſſent, nunc uictores, nunc uicti, & arces atque oppida quædam ipſi condidiſſent, quædam de hoſtibus cepiſſent, atq; ex his nōnulla rurſus amiſiſſent, & quodam tempore ui barbarorum magna ſtrage uicti, cæſiq;, in arctum redacti eſſent, ad extremum tamen multis Germaniæ principibus opem ferentibus magna ex parte Pruſſos debellatos domuerunt, & ad recipiendam religionem Chriſtianā adegerūt. His eorum ſucceſsibus inuidens Suentopelcus, ſimul autem ſibi ac dominatui ſuo metuēs, Pruſſos clàm partim ad bellum, partim ad defectionem atq; rebellionem ſollicitauit: & quo magis eos ſibi obnoxios, & Cruciferis infeſtos & irreconciliabiles hoſtes redderet, perſuaſit ijs, qui Chriſtiani iam facti erāt, ut religionem Chriſtianam, quam inuiti ſuſceperant, rurſus abijcerent, Germanosq; & Polonos omnes, qui uel negociabantur apud ipſos, uel etiam domicilia in Pruſsia fixerant, conſtituta certa die trucidarent. Quæ cùm illi impigrè peregiſſent, munitionesq; omnes, præter Balgam & Elbingam, interfectis ubiq; præfectis, & præſidijs, in poteſtatem ſuam redigiſſent, Suentopelcum belli ducem creant, eiq; parituros ſe eſſe recipiunt. Accepit lubens delatum imperium Suentopelcus, confeſtimq; obſeſsis terreſtribus iuxtà ac fluuialibus, quicunq; Crucifericarum eſſent partium, ſiue in Pruſsiam proficiſcerentur, ſiue inde fugerent, excipiebat & necabat: coactisq; celeriter Pruſſorū atq; Pomeranorum ſuorum copijs, Culmenſem tractum omnem ferro & igni uaſtauit, ubi ad quatuor millia hominū partim occidit, partim captiua abduxit. Nec integrum quicquam in eo tractu, præter Toruniam, Culmam, ſiue Chelmam, & Rezinum, arces quibus potiri non potuit, reliquit. Neq; eum authoritas Gulielmi epiſcopi Mutinenſis, legati apoſtolici, ab incœpto deterruit. Qui quidem legatus Pruſsiā tunc in diœceſes & epiſcopas, nempe Varmienſem, Zambienſem & Pomezanienſem diſtinxit, quemadmodum uult Dlugoſſus, tametſi nondum eæ regiones penitus à Cruciferis ſubactæ erant. Fungebatur tūc apud Cruciferos magiſtratu, quem illi Marſalcum uocant, Ditrichus ſiue Theodoricus. Is igitur conuocato conſilio, conſultat quid facto opus ſit. Incōſultum ac temerarium uidebatur, in prælij dimicationem cum Suentopelco uenire, cuius uires Pruſsis & Pomeranis coniunctis maiores erant, quàm ut à ſe tunc ſuſtineri poſſent. Itaq; placuit omnibus, ut munitiones ſuas defenderēt, et per omnem occaſionem Suentopelci ditiones uiciſsim infeſtarent.

Boleslaus Caluus propter propenſionem in externos exoſus fuit.

Maiorum Polonorum defectio à Boleslao Caluo. Bogumilus pal. Poſnan.

Vuladiſlai Sputatoris filij.

Naclum à Suentopelco interuſum.

Præmenta arx expugnata.

Boleslaus Caluus æquo animo ſuſtulit ſceptrum è maiore Polonia.

Heduigis ſanctæ mors. 1243. anno.

Heduigis in diuos relata.

Suentopelci bellum contra Cruciferos Pruſsienſes.

Cruciferorum res geſtæ in Pruſsia.

Pruſſorum defectio à religione & Cruciferis.

Balga & Elbinga munitiones retentæ à Cruciferis.

Suentopelcus à Pruſsis bello præficitur.

Rezinum arx.

Pruſsiæ epiſcopæ.

Zartauicia arx à Cruciferis intercepta. festarent: Zartauicia arx erat in Pomerania, Cruciferorum ditioni finitima arte & præsidio bene munita, ubi thesaurus erat Suentopelci. Eam igitur Ditrichus nocte quadam, quæ est ante pridie nonas Decembris, cum uigintiquatuor armatis, admotis scalis, custodibus partim interfectis, partim captis, intercepit thesaurum, in quo diuę Barbaræ illius siue Antiochenæ, cuius celebre est nomen apud Christianos, an alterius cuiuspiam, incertum est, corpus erat, asportauit, arcemq; accito & imposito prędisio suo muniuit. Aduolat cum expedito agmine Suentopelcus, tentataq; nequicquam expugnatione, & parte copiarum ad obsidionem relicta, cum reliquis in Cruciferorum ditionem excursionem fecit. *Cruciferorum uictoria.* Occurrit ei Ditrichus cum Cazimiro duce Cuiauiæ & Lenciciæ, Conradi filio, quem Ditrichus haud falso conijciens euenturum, id quod euenit, in auxilium acciuerat. Conseruntur manus, uincitur & fugatur Suentopelcus. Neque contenti uictores præsenti uictoria, in Pomeraniam etiam inuadunt. *Premislaus dux maioris Poloniæ.* Coniunxit se cum eis Premislaus dux maioris Poloniæ precibus Cruciferorum euocatus. Quam quidem expeditionem eò lubentius suscepit, ut suam quoque iniuriam in Suentopelco auo materno ulcisceretur. Nec satis habuerunt agros, uicos, atq; pagos populari, Vissegradum etiam urbem expugnarunt. *Vissegradum captum à Cruciferis.* Deinde motis ad Nacium castris, arcem per deditionem recipiunt, & Præmislo reddũt. *Nacium ereptum, & Premislo redditum.* Quibus incommodis motus Suentopelcus, extremaq; metuens, pacem cum Cruciferis Guilelmi legati apostolici opera facit, datis obsidibus Mesciugo siue Mestuino filio, Veiado comite, & Vimaro Burgrabio, primarijs uiris. Captiui utrinq; dimissi ex pacto. Zartauiciam uerò ut Suentopelco redderent Cruciferi, adduci nequiuere. *Pax inter Suentopelcum & Cruciferos.* Itaque minus diuturna pax ea fuit. Etenim Suentopelcus non multo pòst uiolato fœdere, uocatisq; in auxilium Prussis, Culmensem regionem ingressus, crudeliter eam uastauit. *Suentopelcus Culmensem iterum uastat.* Non tulere Cruciferi eam uastationem, & cum prohibere non possent, reuertentem tamen hostem adoriri, & prædam excutere studebant. Sed erat inter eos dissensio. Ditrichus enim antiquus Marsalcus, cum suas uires impares hostibus esse iudicaret, loci opportunitatem, quo hostem inuaderet, quærebat: uolebatq;, ut apud Reusinam paludem, quæ Prussis & Pomeranis transeunda erat, in extremos impetum facerent, cum primi in transeunda palude impediti essent: cui prudentiores facile assentiebantur. *Consilium senile & iuuenile.* Improbabat hoc cõsilium nouus Marsalcus Berlinus, utpote ferocior & minus usu rerum peritus, quòd diceret, prædam sibi abactis, ereptumq; iri, si extremum agmen inuaderent. Vicit huius sententia. *Cruciferi uicti à Suẽtopelco.* Quare aperto campo ultra Ossam, reuertens hostes consecuti, pugnam ineunt: non detrectante Suentopelco, qui paucitatem eorum contemnebat. Nec magno negocio superantur, & ad internecionem cæduntur, ita ut uix uiginti ex eo numero euaderent. Quin & alterum agmen in auxilium suis superueniens, facilè profligatur. Suẽtopelcus geminata uictoria lætus, cum ingenti præda domum reuersus est. Subornat deinde Remcam aduocatum & nonnullos alios oppidanos Culmenses magnis pollicitationibus illectos, ut obsides suos, qui in arce Culmensi asseruabantur, solutos sibi remittant. Sed prodito consilio, proditores in arcem intromissi non sunt. Obsides uerò noctu clàm Zartauiciam deportati sunt, quæ arx firmo tenebatur præsidio Cruciferorum. Animaduertens autem Suentopelcus dolos suos non procedere, subornat qui Culmense & Zartauicense oppida incenderent. *Cuiauia uastatur.* Ipse uerò cum Prussis in Cuiauiam excursionem facit, eamq; longè lateq; ferro & incendijs depopulatur, iratus Cazimiro duci, quòd is cum Cruciferis contra se uenisset. Neq; authoritate legati apostolici, ac ne interdicto quidem ab instituto dimotus est. Quin irritatus magis, cunctæ Poloniæ minari cœpit. *Zantir arx condita.* Excitataq; arce, quam Zantir appellauit, supra Vistulam in tractu Culmensi, seu uerius Pomesaniensi, quo loco post quadraginta ferè annos Marieburgum à cruciferis conditum est, nauigationes & commercia Polonorum cum Cruciferis prohibebat, nauesq; diripiebat. Quibus malis fracti Cruciferi, de pace cum Suentopelco per Samborium fratrem eius agunt. Zartauiciam reddere promittunt. Verùm ille filium quoq; obsidem remitti sibi poscebat. Facilè intelligebant Cruciferi, quàm infirma & incerta ea pax futura erat, si filium Suentopelco remisissent. Itaq; in Pannoniam superiorem, quæ iam Austria dicitur, eum relegarunt, & Friderico duci adseruandum commendarunt. *Suece arx condita.* At Suentopelcus priore non contentus, alteram quoque arcem, cui Suece nomen est, in ripa Vistulæ citeriore ubi uerticosissimus amnis est, ædificat, frustrà prohibentibus Cruciferis, & aliam arcem Puterborgum ex aduerso ædificare orsis. *Puterborgum arx.* Nam à cœpto postea destitêre. Cæterum auxilijs Friderici ducis Austriæ, & aliorum quorundam Teuthonum, & aduentu Cazimiri ducis Cuiauiæ, auctis copijs, in Pomeraniam excursionem faciunt: in qua nouem dies morati, reuertentes ingentẽ prædam abigebant, cum meos Suentopelcus

pelcus accitis properè Pruſsis (nam ipſe cum ſuis adoriri eos auſus non eſt) impetum facit. Et auxiliares quidem qui cum prçda antecedebant, hoſtium uim non ſuſtinentes, funduntur, fuganturq;. Extremum quoque agmen Cazimiri & Cruciferorum perturbari iam à Suentopelco cœperat. Sed Martinus Cruſuicienſis ſignifer cohortatione ſua pugnam reſtituit. Cumq; neutra pars referret pedem, pars Auſtriorum è primo agmine retrò ad ſuos ſe recipiens, fortè fortuna in Pomeranos cum ſuis dimicantes incidit, hoſteſq; auerſos adorta, cum anceps illis eſſet dimicatio, in fugam uertit. Aduenìens autem Opiſſo Abbas Meſſanenſis ab Innocentio quarto pontifice Max. Gregorij noni ſucceſſore legatus, pacem inter Suentopelcum, & Cazimirum, & Cruciferos redintegrauit, exacto à Suentopelco iureiurando, quòd nihil deinceps commune cum Pruſsis habiturus eſſet. Quibus factis, ab interdicto Guilelmi prioris legati eum abſoluit. Sed iam miſsis Cruciferis & Pomeranis ad Boleslaum noſtrum reuertamur. Conradus dux Maſouiæ pòſt Suchodolenſem cladem, de ulciſcendo Boleslao Pudico ſedulò cogitabat. Et cum imparem ſe eius uiribus uideret, Lithuanos & Iazygas finitimos in eum concitauit. Qui rapidi torrentis in morem in Sendomirienſem oram ſibi proximam tunc uſq; ad Viſtulam inundarunt, & magnam pecudum, iumentorum atq; hominum prædam è Lucouienſi & Secechouienſi territorio abigebant. Nec aberat Conradus cum ſuis, cçde & incendijs in obuia quæq; ſæuiens. Coëgit & Boleslaus exercitum, quantum anguſtia temporis patiebatur, querelis & lachrymis ſuorum fatigatus, & aduerſus Conradum duxit, ſua defenſurus, & illatum bellum propulſaturus. Commiſſaq; apud Iaroſsinum pagum pugna, uincitur: & multis cæſis, capuſq; fugit ex acie. Ingens inde trepidatio Sendomiriẽſem nobilitatem inuaſit. Quocirca metu conſtricta & prçſenti periculo, deſperato Boleslai principis auxilio, Conrado ſeſe dedidit. Et parci quidem tunc iuſsit Conradus cæteris omnibus. Solas epiſcopi Cracouienſis poſſeſsiones, quòd is in Boleslai fide permanebat, crudeliter diripuit, & incendit. Atq; ea calamitate Kelcenſe, Cunouienſe, atq; Tarzecenſe, quod nunc Bozentinenſe dicitur, territoria in tractu Sendomirienſi tunc afflicta ſunt. Nam Secechouienſe barbari iam deuaſtarant. Hac iniuria commotus Prendota epiſcopus, Conradum uelut inuaſorem eccleſiaſticorum bonorum, incendiarium, & ſacrilegum autoritate ſua pontificia publicè anathemate atq; diris deuouit. Quam rem Fulco ſiue Pelca, Archiepiſcopus Gneſnenſis, cum uniuerſa ſynodo ea de cauſa conuocata, comprobauit. Muniuit aũt Conradus arces quaſdã in Sendomirienſi tractu. Verùm eas non ita multo pòſt Boleslaus, deiectis eius præſidijs, recepit, cum Conradus curſim in Maſouiam, excurſione Pruſſorum excitus diſceſsiſſet. Barbari enim ſiue à Suentopelco incitati, ſiue ſua ſponte ob negatam mercedem nauatæ dudum in Polonia contra Boleslaum, ut uult Dlugoſſus, operæ indignati, ſiue adeò iuſto Dei Opt. Max. iudicio mala in authorem conuertente, in Maſouiam ipſo abſente excurſionem fecerant, ad Cechanouiam uſq; oppidum progreſsi. Quãquam non impune illud eis ceſsit facinus. Nam à Cechonouia reuerti cum ingenti præda incipientibus, ad tertium Idus Iulij Maſouij, Lencicienſeſq; equites iuxta atque agreſtes manu facta occurrerunt: & prælio inito, nongentis cæſis, captis ducentis, reliquos excuſſa præda in fugam præcipites egerunt. Exuſtum eſt autẽ Ploſcum oppidum, habitatoribus, uacuum, quòd ij ſub aduentum hoſtium in arcem cõfugerant. Sed eane, an anteriore quadam barbarorum excurſione, non liquet. Nec diu moratus Conradus, repulſis barbaris, expeditionem aduerſus Boleslaum renouauit unà cum Cazimiro filio, & Miezislao genero, duce Oppolienſi: & in Cracouienſem oram duxit exercitum. Continebat ſe Boleslaus in arce Cracouienſi, non auſus iterum prælio rem committere. Itaque e regione arcis Conradus caſtra metatus eſt, quo loco Rudaua amnis Viſtulç miſcetur: eumq; locum foſſis, aggeribus, caſtelliſq; muniuit. Et quòd obſidio longior fore uidebatur, uno à Cracouia miliario, ſupra Viſtulam nouã arcem munit in eo colle, in quo monaſterium Tinecenſe ſitum eſt. Aliam item apud Lelouiam oppidum, decimo à Cracouia milliario. Et hanc quidem Miezislao commẽdauit, illam uerò ſuo firmauit præſidio. His actis in Maſouiam reuertit. Poſt cuius diſceſſum Boleslaus Tinecenſem arcem in ſuam redegit poteſtatem. Quo cognito, ij quoque qui in caſtris ad Cracouiam relicti erant, deceſſêre, ueriti ne & ipſi expugnarentur. Et paucis diebus illis Miezislao mortuo, Lelouiẽſis quoque arx Boleslao dedita eſt. Ita paruo negocio omnes Conradi conatus, labòres, atque ſumptus in irritum tunc reciderunt. Nec ita multo pòſt Conradus extremum uitæ clauſit diem, relictis tribus filijs ſuperſtitibus, Boleslao, Cazimiro, & Zemouito, ãno Chriſti nati 1247. Cum autem Boleslaus paucis diebus patrem ſecutus eſſet, Cazimirus non acquieſcens in Len-

Pomerani uicti à Cruciferis.

Legatus pontificis Opiſſo Abbas.

Lithuanorum & Iazygum excurſio in Poloniam.

Boleslaus Pudicus uictus fugatusq; à Conrado & barbaris.

Sendomirienſis nobilitas Conrado ſeſe dedit.

Epiſcopi Cracouienſis poſſeſsiones uaſtatæ à Conrado.

Conradus anathemate ictus.

Pruſsi Maſouiam uexarũt.

Pruſsi profligati à Maſouijs.

Ploſcum incenſum.

Conradi expeditio contra Boleslaum Pudicum.

Cracouia obſidetur.

Rudaua fl.

Tinecẽſis arx.

Lelouia.

Tinecenſis & Lelouienſis arces recuperatæ.

Miezislaus Oppolienſis obijt.

Conradus Maſouiorum dux obijt.

1247. ann.

Boleslaus Cõradi filius mortuus.

ciciensi & Cuiauiensi dominatu, quem ipsi uiuens pater attribuerat, Siradiam, Spicimirum, & Rospram arces inuasit, & fratrem cum uxore Gertrudi captum in uincula coniecit. Boleslaus uerò Pudicus à morte Conradi pacem nactus, collapsa & uastata bello instaurare, deprauataq; corrigere instituit, magnæq; mansuetudinis, & probitatis laudem etiam apud exteros adeptus est. Qui status rerum huius oræ hoc fuit admirabilior, quòd non modò cætera Polonia, uerum tota penè Europa bellis tunc ardebat. Ac in Vngaria quidem Bela rex posteaquam Tartari excesserunt, nihil antiquius habuit, quàm recollectis afflicti regni uiribus Fridericum Austriorum ducem ulcisci, propterea quòd is sibi sub tempestate illa Tartarica tria territoria, & argenti, auriq; permultum, uiolento pacto extorsisset, Vngariamq; nihilo mitior Tartaris populatus esset. Commissoq; prælio Fridericus occisus est. In Bohemia uerò Præmislus Venceslaum patrem regno spoliauit. Sed mox captus ab eo, ac dimissus, in Morauiam illo iubente concessit. Porrò Fridericus Imperator Italiam infestabat, factionesq; Guelforum & Gibellinorum, sumpto à Pisis initio, in singulis ferè urbibus tunc excitatæ, diu postea ipsam exercuerunt & afflixerunt. Cumq; Innocentius pontifex Fridericum à cœpto reuocare non posset, coacto Lugduni concilio, imperium ei diris deuoto abrogauit: Germanosq; principes concitauit, ut Henricum Lantgrauium Turingiæ, diuæ Elizabethæ filium successorem ei absenti crearent, quamuis ipse Fridericus, post Henricum filium captum et mortuum, Conradum alterum filium successorem sibi destinasset, regemq; Romanorum appellasset. Cum autem Henricus apud Vlmam interfectus esset, Gulielmum Holandiæ comitem ijdem principes regem appellarunt. Nec multo pòst Fridericus quoque profligato à pontificijs exercitu, & Entio filio capto, in Apulia perijt, anno Christi 1250. Sed mittamus externa. Nec in maiore Polonia & Silesia quietæ res tunc fuêre. Belli uerò principium illud fuit Silesia. Henricus Pius dux Silesiæ à Tartaris interfectus, ex Anna uxore Ottocari primi regis Bohemorum filia, quatuor reliquit filios, Boleslaum cognomento Caluum, Henricum, Conradum, & Vuladislaum. Ex his duo postremi & natu minimi ab Heduigi auia sacerdotio destinati, & in Italiam missi, literis nauabant operam & Conrado quidem Bambergensis episcopa, Vuladislao uerò Salisburgensis Archiepiscopa promissa erat. Itaque reliqui duo fratres de Annæ matris & consilij sententia dominatum paternum in Silesia inter se partiti sunt, ita ut Boleslao, cui Caluo cognomen fuit, Vuratislauiensis, Henrico uerò Legniciensis tractus sorte obtingeret: & ne duo illi minores omninò exhæredes essent, Conradus quidem Henrico in Legniciensi, Vuladislaus uerò in Vuratislauiensi Boleslao consors accederet. Verùm paulò pòst Boleslaus cupiditate ductus, quòd Legniciensem portionem meliorem esse iudicaret, Conradumq; fratrem, qui in ea consors Henrico factus erat, iam hypodiaconum, portionem suam petiturum non esse existimaret, repudiato Vuratislauiensi dominatu, Legniciensem usurpauit Henrico uerò Vuratislauiensem concessit. Atque hic fomes postea ciuilium & paricidialium bellorum inter ipsos fuit, quemadmodum suo loco exponemus. Tunc autem Boleslaus Caluus pœnitentia ductus, quòd maioris Poloniæ dominatum à Præmislo & Boleslao Vuladislai Sputatoris filijs præripi sibi, suadente auia, passus esset, ad recuperandum eum adspirare cœpit, arcemq; nouam Copaniciam supra Odram in finibus ditionis Præmisli muniebat. Iam enim Premislus quoque cum fratre dominatum partitus erat: & Calisiensem quidem tractum à Prosnia amne ad Præmentum arcem. & inde ad Vartam fluuium, & Mosinam arcem, & Sepnum paludem fratri concesserat, Posnaniensem uerò & Gnesnensem ipse obtinebat. Ad eam igitur munitionem prohibendam Præmislus & Boleslaus fratres copias comparabant. Sed proceribus utriusq; partis interuenientibus, pax inter affines duces constituta est, his quidem legibus, ut Præmislus Boleslao Caluo Santocum, Medirezum, & Sbansinum, quam arcem non ita pridem condiderat, daret, Ille uerò nouam munitionem demoliretur. Nec multo pòst Barnimus Cassubiorum & Slauorum dux, siue is Samborio, siue Boguslao, siue aliunde ortus fuit, Santocum sibi uendicare, & cum exercitu oppugnare adortus est. Et facilè quidem paucis arcem defendentibus expugnasset, ni propere ei Premislus succurrisset. Nec mora Boleslaus quoq; Caluus ad ferendam suis opem accurrit. Quorum amborum uires metuens Barnimus, ab obsidione recessit. Boleslaus autem ut Præmislo gratiam referret, Santocum ei reddidit. Sub idem tempus Cazimirus dux Lenciciensis atq; Cuiauiensis, ut cum alterius iniuria, dominatum suum amplificaret, Landense territorium in tractu Calisiensi inuasit, monasteriumq; eiusdem nominis, supra Vartam fluuium situm presidio firmauit. Verùm id Boleslaus dux Calisiensis de-

Boleslai Pudici studium.

Vngaria uexata ab Austrijs.

Fridericus Austriæ dux occisus.

Italiæ status.

Guelfi & Gibellini.

Friderico abrogatum imperium in concilio.

Germaniæ motus.

Henricus Cæsar.

Conradus Cæsar.

Friderici imperatoris mors.

Gulielmus Cæsar.

Entius Friderici F. captus 1250. ann.

Henrici Pij filij.

Silesiæ principatuum diuisio.

Dissidium inter fratres.

Copanicia arx Poloniæ maioris diuisio.

Pax inter maiores Polonos & Silesios.

Sbansinū arx condita.

Barnimus Cassubiorum dux.

Santocum oppugnatum.

Santocum maiori Poloniæ adiunctum.

Landense monasterium captum, & receptum.

ſis deiecto Cazimiri præſidio mox recepit: diſiectisq́ propugnaculis, monachis reſtituit. Porrò Cazimirus, qui aliena appetiuerat, nõ modicum ſuorum detrimentum tunc accepit. Suentopelcus enim quietis impatiens, uiolatis fœderibus, quæ cum Cazimiro & Cruciferis iecerat, cum ſubitò cum Pruſsis in Cruciferorum ditionem irrupiſſet, multosq́ mortales apud Golubum incautos oppreſsiſſet, in Cuiauiam quoq; impetum fecit, quo luculentiore præda barbaros ſibi deuinciret, ſuorumq́ inopiã releuaret. Anguſtiore enim annona Pomeranĩ iuxta atq; Cruciferi tunc utebantur. Itaq; magna clade Cuiauiam affecit: plurimisq́ interfectis hominibus, abſq; ullo ſexus ac ætatis diſcrimine, incenſis uillis atq; pagis, permagnã prædam aſportauit. Quanquam ea præda à Cruciferis excuſſa eſt, eam Suentopelcus reuertens ex itinere, munitionem, quam tunc illi e regione Chriſtiborgi arcis muniebant, expugnare adortus, commiſſoq; prælio ſuperatus eſſet. Nihilo tamen magis conquieuit Suentopelcus, ſed reparato exercitu mox ad Chriſtiborgum redijt: cumq; præmiſsi ab eo præcurſores à decurrentibus ex arce Cruciferis reiecti, tumultuoſius ad reliquum agmen ſe reciperent, exercitum omnem in fugam conuerterunt. In qua dum ſe mutuo præcipites in Viſtulam impellunt, multi de exercitu Suentopelci periêre. Freti autem hoc ſucceſſu Cruciferi, uicíſsim Pomeraniam excurſione facta, maiorẽ in modum uaſtauerunt. In Pruſsiam quoque ij, qui Balgæ & Elbingæ in præſidijs erant, populabundi excurrêre. Sed cum præda onuſti reuerterentur, in inſidias à barbaris præparatas incidêre, ubi cum propter iniquitatem loci, & circumfuſorum barbarorum multitudinem neque recipiendi ſe facultas, neque ex æquo pugnandi copia eſſet, hoſtibus ſeſe, fruſtra diſſuadentibus Magiſtro & Marſalco dedidêre, & ad unum omnes trucidati ſunt. Qua clade uehementer eorum uires attritæ ſunt: ſed recreatæ non multò pòſt Germanorum principum auxilijs, atque ita recreatæ, ut non modò reprimerent feroces & exultantes barbaros, uerùm etiam perdomarent magna ex parte, uſque adeò, ut quinque conuentus, nimirum Pomezanus, Erminius ſiue Varmienſis, Pogezanus, Barthinus, & Nactaginus ſubacti, religionem Chriſtianam reciperent. Suentopelcus quoque cum iam ſenio confectus eſſet, his Cruciferorum ſucceſsibus, & authoritate Iacobi Leodienſis Archidiaconi legati apoſtolici adductus, pacem cum eis fecit. Venerat autem tunc is legatus ab Innocentio Pontifice Maximo, cùm ad res Polonicas componendas, tum ut pontifici à Friderico Imperatore uehementer exagitato & afflicto aliquid ſubſidij corrogaret & corraderet. Itaque conuocata Vvratislauiam epiſcoporũ ſynodo, impetrauit, ut quinta pars redituũ eccleſiaſticorum ex tota Polonia in triennium ei decerneretur. Relaxauit autem tunc Polonis partem ieiunij eius, quod eſt ſolenne cunctis Chriſtianis ante paſcha. Nam cum id totis nouem hebdomadis ueteri ſummorum pontificum inſtituto uulgò ſeruarent, indulſit, ut eſſet deinceps hebdomadarum ſex & dimidiæ. Per eadem tempora Sileſia, Boleslao Caluo authore & incentore, ciuilibus bellis ardebat. Nam cum Conradus refutato ſacerdotio à Boleslao fratre, præter ſpem eius, portionem Legnicienſis dominatus ſibi deſtinatam, repeteret, Vvladislaus uerò Archiepiſcopus factus, partem ſuam in Vvratislauienſi non peteret, Boleslaus ad Vvratislauienſem, quem prius contempſerat, redire uelle cœpit. Negante Henrico, exercitum coëgit, è Germania mercenarium militem acciuit. Vvratislauienſem Hẽrici fratris ditionem armis atq; flammis infeſtauit. Neimarco oppido cum templo & hominibus incenſo, Vvratislauiam contendit. Nouis tũc mœnibus Vvratislauia muniebatur, & iure Teuthonico ciuitas inſtituebatur. Et tamen trimeſtrem Boleslai obſidionem ſuſtinuit, obſidentesq́ crebris eruptionib. exagitatos, re infecta diſcedere coëgit, cum Henricus impar fraternis uiribus ad prælij dimicationem prodire non eſſet auſus. Rediji mox Boleslaus cum maiorib. copijs, & fruſtra tentata iterum Vvratislauiæ expugnatione, uaſtatis longè, lateq; agris atq; pagis, cum munitiones Henrici præſidijs tenerentur ac defenderentur, reduxit exercitũ triſtior, quòd duabus expeditionibus ſumptuoſis, nullum tantis ſumptibus dignũ operæ precium feciſſet. Sed tamen tertiam deinde adiecit. Et cum ne ea quidem ex ipſius animi ſententia ceſsiſſet, nec haberet unde ſtipendia debita mercenarijs militibus diſſolueret, infeſtare ij latrocinijs deditionem eius cœpere: inde odiſſe eum iam ſui ac deſerere. Qua re adactus, ſupellectilẽ oẽm ſuam in ſtipendia militũ diſtraxit: & cũ ne ita quidẽ eis ſatisfaceret, arces eis quaſdã et poſſeſsiones hypothecæ nomine habẽdas dedit. Deniq; Lubuſſenſe territoriũ, Brãdẽburgẽſib. Marchionib. Ioãni & Otthoni oppignerauit. Atq; ex eo tẽpore, id in Saxonũ poteſtatẽ uenit. Cũ aũt Boleslaus inops, egẽsq; & ſuis exoſus, nec ſatis cõpos mẽtis oberraret, ab Henrici militib. exceptus, & Vvratislauiã adductus fratris benignitate & miſericordia

Suentopelcus Culmenſem & Cuiauiam infeſtat.

Golubum.

Suentopelcus bis uictus à Cruciferis Pruſsienſibus.

Pomerania uaſtata à Cruciferis.

Cruciferi ad internecionem profligati à Pruſsis.

Pruſſorum cõuentus ſiue regiones à Cruciferis ſubactæ et Chriſtianæ factæ.

Pax inter Pomeranos & Cruciferos.

Legatus pontificius Iacobus Leodienſis Archidiaconus.

Synodus Vvratislauiæ.

Subſidiũ pontifici ab epiſcopis Poloniæ decretum.

Ieiunij quadrageſimalis moderatio.

Sileſici motus & bellum inter fratres.

Neimarcum.

Vvratislauia munita, & iure Teuthonico dotata.

Boleslaus exoſus ſuis ob iniurias & mente captus.

Lubuſſenſe territorium Marchionibus oppigneratum.

Boleslaus captus à fratre et dimiſſus.

statim dimissus est. Nec illa tamen lenitate & mansuetudine fraterna, cupiditas & feritas Boleslai uicta est. Quin is Legniciam reuersus, noua aduersus fratres consilia cum animo suo & cum externis militibus (cum suos à se alieniores esse animaduerteret) agitabat. Neque Conrado portionem ipsius, quemadmodum receperat nuper Vvratislauiæ, reddebat: & cum pecunia indigeret, Zichauiam & Gerliciam oppida suis quibusdam hominibus oppignerault. Hinconem Mirsonis Castellani Crosnensis filium, quòd magnas pater eius facultates habebat, ut pecunia multaret, cepit. Quibus rebus magis etiam alienatis ab ipso animis omnium, Crosnense territorium & arx cum alijs finitimis ad Conradum ab eo defecit. Sed cum is comparari sibi à Boleslao fratre insidias comperisset, neque satis uirium ad resistendum ei se habere, ac in Henrico quoque parum spei sibi reliquum esse cerneret, ad Præmislum Posnaniensem & Calissiensem supplex confugit. Quem benignè accepit Præmislus, & bene sperare iusso, sororem suam Salomeam ipsi despondit: & nuptijs Posnaniæ celebratis, Thomam Castellanũ Posnaniensem, & Thomislaum pincernam cum filio, gente Nalencios, quos in uincula quasi contra se conspirassent, coniecerat, Archiepiscopo Gnesnensi, episcopo Posnaniensi, & alijs proceribus, qui ad nuptias conuenerant, rogantibus, dimisit. Reuera autem illi ea re animũ Præmisli offendisse existimabantur, quòd factum eius improbabant, cum is absque consilij sententia Gnesnensem tractum Boleslao fratri pro Calissiensi adempto dedisset. Post nuptias autem illas, Præmislus mox ad Henricum & Boleslaum legationem misit, postulans ut ij Conrado fratri iustam partem patrimonij concederent. At Henricus quidem negauit à se repetendam esse Conradi portionem, sed à Boleslao, & cum eo acturum se ea de re pollicitus est. Boleslaus uerò duriùs respondit: Conradum sacris initiatum, iure omni patrimonij repetendi excidisse. Quo circa Præmislus cum exercitu suo fratrisq́; Boleslai, Legnicensem tractũ ingreditur, Conradum secum ducens, & magna celeritate arcem Bythomiam siue in ueterib. ruinis, siue alio quodam opportuno loco supra Odram non procul à Glogouia excitauit: & turribus, aggeribus, fossisq́; muniuit, turmasq́; aliquot & cohortes Conrado attribuit, cum quibus ille finitimas oras Boleslao Caluo subiectas tamdiu uexaret, quoad ius suum ab ipso consequeretur. Et paucis quidem diebus debellatum erat, si ad extremum fortuna Conradi cœptis respondisset. Nam Boleslaus Caluus dum incautius fortè aduersariorum copias & nouam munitionem speculatur, compræhensus ab aduersarijs in statione excubias agentibus & in custodia à Conrado habitus, ad quamuis iniquas conditiones adduci potuit, nisi corruptis custodibus euasisset. Dum autem Præmislus cũ fratre Boleslao Silesico bello occupatus abest, Barnimus Cassubiorum & inferioris Pomeraniæ dux arcem Drenum quam Germani Dresnam uocant, noctu sopitis custodibus intercepit. Sed eam Præmislus post unum mensem expugnatã recepit, hostesq́; in præsidio repertos captiuos abduxit. Sbansinum quoq; tunc à latrunculis è Lubuiensi arce excurrentibus interceptum, idem Præmislus paruo negocio recuperauit. Nam cum ij fortè in gregem quendam incidissent, eumq́; abigere uellent, pastor gregis direptionem deprecatus, premij loco indicauit eis proximam arcem, Sbansinũ ea erat, quæ à tribus tãtum habitaretur, & à succedentibus sibi quotidie per uices uicinis rusticis custodiretur, facilè eos capere posse, si rusticano cultu quasi ad custodiam uenientes, ianitores fallerent. Itaq; introgressi, ianitores cõstrinxerunt, & arce potiti sunt. Qua de re cum Præmislus nocte sequenti certior factus esset, postero die aulico tantum comitatu suo stipatus, cæteris sequi iussis, festinus ad Sbansinum accurrit: & ostentata specie obsidionis, ad deditionem adegit prædones illos, uitam tantum pactos. Redegit autem hic ipse Præmislus tunc in suam potestatem Rudense, seu Velunense territorium, quod cum ad maiorem Poloniam pertineret, Miezislaus dux Oppoliensis & Ratboriensis interceperat, quo tempore Henricus Barbatus maioris Poloniæ dominatum, pulso Vvladislao, Præmisli & Boleslai patre, inuasit. Ad quod recuperandum Præmislus huiusmodi occasione usus est. Miezislao sine liberis defuncto, Vvladislaus frater germanus legitimus hæres fuit. Is cum uxori Miezislai Iudithæ Conradi ducis Masouiorum filiæ dotem quingentarum marcarum argenti, & alterum tantum quod contra dotem uulgo, elegantiores uerò donationem propter nuptias uocant, de more atq; iure exoluere deberet, nec haberet pecuniam, pactus est cum fratre & curatore eius Cazimiro, ut loco illius pecuniæ Rudense territorium ipsi daret, cuius possessionẽ non satis certam, firmamq́; sibi esse intelligebat. Traditioni certa dicta est dies. Quod cùm resciisset Præmislus, anteuertens Cazimirũ, arcem Rudensem (unde iam Vvladislaus præsidium deduxerat, relicto cum aliquot comitibus

præfecto,

Zichauia. Gerlicia.

Crosnenses ad Conradum defecère.

Salomea Conradi uxor. Nalencij in uincula coniecti.

Conradus portionem patrimonij bello repetit. Bythomia condita uel instaurata.

Boleslaus Caluus uterum captus & elapsus.

Drenum siue Dresna arx intercepta à Cassubijs, & recuperata. Sbansinum interceptum & receptum.

Rudense seu Velunense territorium receptum à Præmislo. Vvladislaus dux Oppoliensium.

præfecto, qui eam Cazimiro traderet) occupauit. Quo cognito, nobilitas omnis ultro in fidem & potestatem eius uenit. Nec multo post aduenêre, qui à Cazimiro ad accipiendam possessionem missi erant: sed cum didicissent à Præmislo Rudam teneri, re infecta recessere. Neque Vuladislaus postea ea de re aduersus Præmislum quicquam tentauit. Pecuniam uerò Henrico duci Vuratislauiensium, qui Iuditham posterius uxorem duxit, numerauit. Alio quoq; incommodo idem Vuladislaus paulò ante affectus est à Brunone Olomucensi episcopo. Nam is inimicitias gerens cum Vuladislao, oppidum Ratiboriense armata manu aggressus, cum templis & monasterijs exussit. Ab arce, siue repulsus, siue tribus millibus marcarum à Vuladislao acceptis (nam & hoc fertur) placatus recessit.

Ratiboria incensa ab episcopo Olomucensi.

DE ORIGINE ET REBVS GESTIS POLONORVM, LIBER NONVS.

CAeterùm in minore Polonia cum pacatum iam principatū Boleslaus Pudicus obtineret, anno Christi 1252. salis metalla apud Bochnam pagum, quod iam oppidum est, quinto à Cracouia milliario inuenta sunt. Vnde uberes principi reditus accessere. Kingę uerò siue Cunegundis uxoris Boleslai pietati & sanctimoniæ beneficium id, non modò Polonis, uerùm etiam finitimis populis perutile acceptū refertur. Excinditur autem id etiam nunc altissimis & late sub terra patentibus puteis, supernè egesta humo solidum, duritie lapidea, molesq; ingentes trochleis, uel equorum, uel hominum opera circumactis extrahuntur, plerœq; crystalli penè in modum pellucidæ. Quin ex eo quoq; columnæ miræ magnitudinis excisę specus cauos, & contignationes eorum, atq; oppidum ipsum super ædificatum, uillasq; sustentant. Aqua item è puteis illis hausta, in sal candidum excoquitur.

1252. ann. Salinæ Bochnenses.

Cum hoc metallo, simul alius quoque thesaurus ingens & incomparabilis extitit Cracouiæ. Nam diuus Stanislaus martyr Christi, & episcopus quōdam Cracouiensis, satagente Boleslao principe, & episcopo Cracouiensi Prendota, ab Innocentio quarto Pontifice Maximo de amplissimi collegij sententia, re diligentissimè iterum atq; iterum examinata, in numerum sanctorum relatus est, centesimo demum & quinto, ac septuagesimo anno post mortem, qui fuit post Christi natalem 1253. In qua re perficienda cum non minima difficultas esset, propter tantam temporum intercapedinem & uetustatem, uno atq; altero miraculo diuinitùs edito, sublata est omnis dubitatio. Primùm enim Reginaldus Hostiensis episcopus, uir grauissimus & summa in collegio Cardinalium authoritate præditus, qui maximè huic negocio aduersabatur, subito, grauissimoq; morbo correptus, & aliquot dies, noctesq; afflictus, nocte quadam in lecto uigilans, uirū quendam augusta specie, cultu pontificali perquàm splendido sibi adstantē, nomenq; suum & morbi illius causam edentem, cum uidisset, audissetq;, impetrata uenia è uestigio sanitati restitutus est: eodemq; puncto temporis ad pontificem cunctis rei miraculo stupentibus profectus, uisum ei suum, ac tam subitam ualetudinis mutationem ordine enarrauit. Nempe Stanislaum episcopum sibi paulò antè apparuisse, & ab eo clementer obiurgatū se esse, quòd unus maximè ipsi aduersaretur, morbumq; suum subitò depulsum esse, cum de sententia decessurum se esse polliceretur. Itaq; orare atq; hortari pontificem, ut sublata omni cōperendinatione, sanctum episcopum in album martyrum adscribat. Quo euidenti miraculo permotus pontifex Innocentius, rem tamdiu cōperendinatā tandem ad sextiū Idus Septembris, Asisij in basilica diui Francisci memoriæ dicata solenni ceremonia peragere statuit. Qua die illucescente, cum ipsemet sacris operaretur; ecce in basilicam infertur adolescens nuper mortuus, caterua propinquorum & amicorum magnó eiulatu funus prosequente. Ibi pontifex humi postratus Deum orat, ut iuueni illo ad uitam reuocando sanctitatem sui martyris Stanislai luculentius declararet. Vix pauca elocutus erat, cum uiuus atque sanus exurrexit, qui erat mortuus, quasi de somno expergefactus. Sacris atque ceremonijs omnibus ritè peractis, ipse pontifex è superiore loco pro concione grauem & luculentum sermonem habuit de uita ac meritis Stanislai: eiusq; memoriæ diem anniuersarium ad octauum Idus Maij, quo die cæsus est, dicauit. Deinde anno sequenti Prendota episcopus Cracouiensis, sacri corporis eius reliquias solenni pompa de sepulchro leuauit,

D. Stanislaus martyr in diuorum numerum relatus. 1253. ann.

Miraculum.

Miraculum.

Russorum episcopus catholicus. *Lithuanorum episcopus primus.* *Legatus Apostolicus in Polonia Opisso iterum.* *Inundatio.* *Lithuanorum excursio in Masouiam & Poloniam.* *Lublinēsis arx incensa.* *Lithuani religionem Christianam accipiunt, & abijciunt.* *Mindacus Lithuaniæ rex creatus.* *Morauicum bellum.* *Venceslaus Luscus rex Bohem.* *Austria & Styria in ditione Bohemorum.* *Bela rex Vngariæ Austrijs bellum infert.* *Opauia à Bohemis occupata.* *Opauiensis tractus uexatus à Polono.* *Hagecei nugæ.* *Vēceslaus rex Bohem. mortuus.* *Otthocarus regnat apud Bohemos.* *Præmislus cū fratre redit in gratiam.* *Fulco archiepiscopus.* *Poloniæ maioris noua diuisio.* *Præmislus dux Silesiam infestat.*

leuauit, & hominum uenerationi exposuit. Interfuêre uerò ei celebritati Archiepiscopus & episcopi Poloniæ quicunq; per ualetudinem potuêre, itemq; Gerardus Russorum, & Vitus Lithuanorum episcopi. Nam & hi ad religionem Christianam iam accedebant, & illi ad societatem ecclesiæ catholicæ sese adiunxerant, quod utrumq; mox plenius exponemus. Adfuêre & cum Boleslao Pudico Præmislus Posnaniensiū, Cazimirus Lanciciensium atq; Cuiauiensium, Zemouitus Mazouiorum, & Vvladislaus Oppoliēnsium duces, & Opisso iterum legatus apostolicus: præterea sacerdotum, abbatum, monachorum, nobilium, & promiscui uulgi non modò ex Polonia, sed etiam è Silesia, Morauia, Bohemia, & Vngaria tanta multitudo, ut urbs non exigua eam nō caperet, sed in campis ea sub diuo gregatim diuersari cogeretur. Præcesit autem anno uno celebritatem illam, ingens aquarum inundatio, in tota ferè Polonia, ex perpetuis imbribus, ab Aprili mense usque ad uicesimam quintam Iulij delapsis, ita ut campi, agri, syluæq;, nauigabiles essent. In Masouia uerò præterea Lithuani Visnensem oram uastarunt. Tertio deinde anno Lublinensem quoque tractum depopulati sunt, & arcem ligneam etiam tunc incenderunt. Erat autem tunc Lithuanorum dux Mendocus siue Mindacus, qui Cruciferorum armis debilitatus, & in angustum redactus, anno Christi 1252. religioni Christianæ initiari cum suis assensus est, & Samagitensem, Veisensem, Curouiensem: & Iazygum siue Polessensem tractum donaturum se esse Cruciferis promiserat, ut imminenti ab ipsis exitio sese eriperet. Quorum opera regium etiam nomen adeptus est à summo pontifice, & à Rigensi Archiepiscopo, atque Culmensi episcopo, solenni ritu diademate cinctus. Verùm non multò pòst stabilitis rebus suis, neque Cruciferis promissa præstitit, & religionem abiecit, & ex finitimis Christianorum regionibus prædas agebat, ut tunc è Lublinensi, pòst ex alijs, quemadmodum suis locis exponemus. Forte autem tunc aberat Boleslaus Pudicus, expeditione Morauica occupatus, cuius expeditionis hæc fuit causa. Post interfectum Austriæ ducem Fridericum, Premislus, siue Otthocarus, Venceslai Lusci regis Bohemorum frater, uel, ut quibusdam placet, filius, Austria potitus erat, ducta in matrimonium sorore Friderici Margarita iam anu, quæ prius cum Henrico Friderici Imperatoris filio, nupta erat, ac Styriam quoque idem Otthocarus sibi adiunxerat, quod eò facilius fuit factu, quòd imperium in Germania tunc uacabat post mortem Friderici, Conrado filio eius, & Guilelmo comite Holandiæ, qui de imperio certabant, intra breue spacium temporis extinctis. Huic igitur Otthocaro cum Bela rex Vngarorum bellum facere uellet, & uirium ad id non satis haberet, Boleslaum generum Cracouiensium principem in auxilium euocauit. Nec ita multò antè, Venceslaus rex, post Miczislai Ratiboriensium & Oppoliensium ducis mortē, cum is nullos reliquisset liberos, Opauiam occuparat, & Nicolao filio suo notho tradiderat. Quocirca Boleslaus, ut in gratiam soceri manum Bohemorum distineret, Opauiamq; Polonis rursus adiūgeret, in Opauiensem oram, & in Morauiā cum exercitu ingressus, ferro & incendijs eam longè, lateq; uastauit, magnamq; prædam abegit, nec tamen Opauia potitus est. Ne Bela quidem operæpreēij quicquam fecit. Quin à Morauis fusus fugatusq; esse fertur. Venceslaus Hagecus & superiora aliquāto aliter narrat, & huius belli, & excursionis Polonicę in Morauiam nullam prorsus facit mentionem. Nugatur autem de auxilijs à Venceslai rege missis Cracouiā contra Tartaros, ac de morte Boleslai principis, & quòd principatus Poloniæ ad Vvladislaum, & mox eo defuncto ad Præmislum Venceslai regis filios delatus, uerum à Præmislo repudiatus sit. Sed nos Hagecium animo suo indulgere sinamus. Hac igitur expeditione Morauica occupato Boleslao, liberior fuit excursio Lithuanis in Poloniam. Venceslaus quidē rex per illud tempus mortuus apud Bohemos, Præmislum filium siue fratrem, qui & ipse Otthocarus dictus est, successorem accepit, cum quo Bela pacem fecit. In Silesia uerò Conradus Henrici Pij filius ditiones fratrum ex arce Bythomiensi armis infestabat, quem quo expeditius adiuuaret Præmislus socer, dux maioris Polonię, cum Boleslao fratre, quem iniuria, quēadmodum superius commemorauimus, affectum, in carcerem etiam quasi insidiatorem coniecerat, in gratiā à Fulcone Archiepiscopo reductus est, ac denuò dominatū cum eo, conuentu apud Gezum, partitus, Gnesnā, Calisiam, Rudam seu Velunū, Pysdros, Srodam, Pninum, Biechouiam, Gezum, & Pobiediscos ei concesit, Posnaniam cum cæteris munitionibus ac territorijs ipse retinuit. His ita transactis, in Vvratislauiensem regionem duxit exercitū, & omnem eam oram, quæ circa est Olesniciam, Syzouum Trebniciam & Cerequiciam oppida usq; ad Vidauam amnē, uno à Vvratislauia milliario, deinde & ultra Odrā uadato flumine depopulatus est, propterea quòd Henricus dux Vvratislauien-

sis

sis neque ipse partem patrimonij Conrado reddebat, neque ad repetendam eam à Boleslao fratre opem ei ferebat. Ad hæc, non soluebat Præmislo quinquaginta pondo siue marcas argenti, de quibus pro redemptione cuiusdam Germani captiui fide iusserat. Templis tamē & monasterijs, & possessionibus eorum atque hominib. ecclesiasticis omninò manus abstinuêre milites, edicto Præmisli. Erat tunc Vuratislauiæ Opisso legatus summi pontificis, existimabatque contumeliā fieri sedi Apostolicę, quòd se præsente, & penè inspectante Vuratislauiensem oram Prēmislus infestaret. Itaque sacris ipsi & omnibus qui sub ditione eius erant, interdixit. Sed mox postulante Præmislo interdictum illud abrogauit, ueritus ne ad summum pontificem deferretur, quòd intemperanter fines legationis transgressus esset. Pax deinde & concordia inter Silesios fratres, episcopi Vuratislauiensis & aliorū procerum interuentu componitur: & Glogouiensis dominatus Conrado à Boleslao Caluo, quanquam inuito, conceditur: Conradus obsides & captiuos dimittit. Alijs item, qui prius ex pacto dimissi erant, æstimationes capitum remittit. Mendocus dux Lithuanorum abiecta religione Christiana, quam simulatè ad tempus susceperat, infestior indies Christianis uicinis erat. Coactoque è suis Lithuanis, pariter atque Prussis idem sentientibus, ualido exercitu, in quo triginta millia armatorum censebantur, Masouiam omnem crudelissimè uastauit, pagos & oppida quàmplurima, & caput gentis Plocensem arcem defensoribus uacuam, incendit: & ingenti hominum, pecudum, & iumentorū præda domum remissa, in Cruciferorū ditionem eodem furore inuasit: & ea peragrata, exustaque, homines quidem captos immanitate barbarica trucidauit, cæteram uerò prædam permagnam abegit. Cruciferi non ausi obuiam prodire tantæ multitudini, munitionibus tunc sese cōtinuêre. Postea uero anno Christi 1255. aduenientibus Otthocaro duce Bohemorum, nec dum enim diadema regium susceperat, Marchionibus Brandenburgensi, & Morauiæ, duce Austriæ, Pragensi, Olomucensi, & Ermeliensi, (qui fortè Varmiensis fuit, quē etiamnum Teuthones à ditione siue diœcesi Ermelandensem uocant) episcopis cum magnis copijs, magnaque item multitudine crucis militiam professa, aucti uiribus & animis, uicissim Prussis bellum inferunt, & illis ad prælij dimicationem nusquam prodeuntibus, ferro, & igni in obuia quæque desæuiunt. Quibus malis adacti hi qui Samensem siue Sambiensem regionem incolebant, barbari, in potestatem Cruciferorum uenêre, & religionē Christianam suscepêre. Et ne facilè ij rursus deficerent, duas ibi arces Cruciferi cum socijs condidêre, præsidijsque firmauêre. Quarum altera ad Preglam fluuium & sinum maris Balthei sita, Kynixberga lingua Germanica, quasi Regius mons, altera Brunsberga, quæ aliquandiu postea fuit sedes episcopi Varmiensis, appellata est. Hæc quidem ob honorem & memoriam Brunonis episcopi Pragensis, siue Olomucensis, ut uult Hagecus, illa uerò Otthocari regis Bohemorū: quæ postea tribus oppidis peramplis ac splendidis adiunctis, & portu maris amplificata, Magistrorum quodam tēpore fuit, nunc ducis est domicilium. Cum autem Otthocari huius & Kynixbergæ mentio facta sit, operæ preciū est Aeneæ Syluij errorem, quem nōnulli alij scriptores secuti sunt, redarguere: qui Otthocarum hunc omnes eas regiones, quæ inter Bohemiam & mare Baltheum sunt, imperio suo subiecisse, deuictisque Tartaris Kynixbergam arcem & oppidum in Prussia condidisse scribit. Quæ ipsi ne de se Bohemi, gens gloriosa, finxerint, an Aeneas gratiam à rege eorum, apud quem legatione functus est, inire uoluerit, non constat. Rem quidem ipsam ab Aeneæ narratione diuersam, quemadmodum se habuerit, series historiæ nostræ & cōsequentium cum præcedentibus consensus, euidenter ostendit, ita ut plurib. hic uerbis triplicem Aeneæ errorē, nempe de superatis ab Otthocaro in Prussia Tartaris, qui eò tunc non peruenêre, ac de subactis intermedijs populis, nēpe Silesijs & Polonis, uel Saxonibus & Pomeranis, & quòd suum ille omninò aliquod in Prussia bellum gesserit, suisque uiribus confecerit, eo arguere necesse non sit. Aut dicat Aeneas, quomodo & quando Bohemi rursus Prussiam, & interiacentes illas prouincias amiserint. Conditum est etiam eodem ferè tempore Brandeburgum in eadem Prussia, in memoriā Marchionis Brandeburgensis. Et tamen Marchiones sibi Prussiam eam ob rem non uendicarunt. Sed nos ad institutum reuertamur. Pacem fecerat cum Cruciferis Suentopelcus Pomeranorum dux, ut superiùs narratum est. Sed quietis impatiens, nouum excitauit bellum. Etenim misso clàm cum expedita manu filio, quem obsidem pace facta à Prussis receperat, Naclum arcē Præmisli nepotis sui, cōscio & adiuuante uno de custodibus, pecunia corrupto, noctu iterum intercepit. Quod ubi Præmislo nunciatum est, quantum potest cogit exercitum. Mittunt ei auxilia duces alij Polonorum tanquam ad restingendum commune incendium. Boleslaus

Premisli religio.

Lithuanorum excursio in Masouiam & Prussiam.

Plocensis arx incensa.

1255. ann. Bohemorū ducis & aliorum Christianorū expeditio in Prussiam.

Ermela olim Varmia.

Sambiensis terra subacta à Cruciferis, & ad religionem Christianā adacta.

Pregla fluuius.

Kynixberga arx condita.

Brunsberga.

Regius mons.

Aeneæ Syluij error de Otthocaro.

Brandeburgū in Prussia conditum.

Suentopelcus Naclum intercepit.

Nacli obsidio.

laus quidem Pudicus mille armatorum, Zemouitus autem dux Masouiæ octingentorum. Porro Boleslaus Præmisli frater, & Cazimirus dux Siradiæ, Lęciciæ, & Cuiauiæ ipsi suas copias ad eam expeditionem adduxêre. Cum his igitur ad Naclum contendit Præmislus. Et cum arx situ, arteq; munitissima egregiè à Pomeranis defenderetur, ac difficilis esset eius expugnatio, aliam è regione eius ad occidentem solem summa celeritate excitauit, eiq; importato copioso comeatu præsidium imposuit, quantum sufficiebat ad uexandos & quasi in obsidione continendos hostes, qui in præsidio antiquæ arcis erant. Quo facto, dimisit reliquum exercitum. Fiebant autem crebræ utrinq; ex arcibus eruptiones & conflictus marte uario. Alteram deinde Præmislus cum Boleslao fratre & Cazimiro fecit expeditionem in Pomeranos: & omissa Nacli expugnatione, noctu silenti agmine ad Racianzum arcem Pomeraniæ, aliam à Cuiauiensi, ut uidetur, & Masouiensi, in quam se magna multitudo Pomeranorum cum facultatibus suis propter bellum contulerat, contendit: eamq; antelucano tempore adueniens, quamuis expergefactis ad primum tumultum custodibus, uerùm inopinata re perculsis, & quasi capta iam arce discursantibus, ac de propugnaculis sese præcipitantibus, incendio consumpsit. Post cuius discessum Suentopelcus cum exercitu non contemnendo, hostibus ex noua arce obsistere non ausis, in Naclum perrupit, & cômeatu importato, suos laborantes uictus inopia, confirmauit. Deinde omnem conatum ad nouam arcem uel capiendam uel euertendam conuertit. Primumq;, quo minore suorum periculo quod uolebat, efficeret, sarmenta & pinguia ligna in fossas, quibus arx munita erat, côportari iubet, ut ea strue incensa arcem cremaret. Magna ui lignorum multo labore à militibus coaceruata, cum ij plura etiã è remotioribus syluis petitum iuissent, erumpunt præsidiarij: subiectoq; igni, id quod iam côportatum erat materiæ, sine ullo arcis periculo côburunt. Hoc primo conatu frustratus Suentopelcus, ui arcem expugnare nititur: factaq; è clipeis testudine, milites eius siccas fossas transgrediũtur, & sub ipsa propugnacula subeunt: atq; alij ignẽ subijciunt, alij asciis & securibus ligneos arcis parietes perrumpere conãtur. Sed saxis & magnis molibus supernè deiectis, iaculisq; uehementius afflicti, amissis uiginti, compluribus uulneratis, irrito cœpto recesserunt. Nec tamen destitit Suentopelcus ab incœpto. Sed cum aperta ui noua arce potiri non posset, ad dolos se côuertit. Reducto enim domum exercitu, auctoq; statim reuertitur, nec longè ab arce in conualle quadam in insidijs considit: suis in antiqua arce noctu per fidum internuncium, quid fieri uelit, præcipit. Orta luce Pomerani ex antiqua arce, quemadmodum iussi erant, decurrunt, & aduersarios ad pugnam prouocant. Non detrectant illi. Pomerani inito prælio fugam simulant. Instant Poloni fugientibus, ita in insidias præcipitantur. Nec tamen inulti cadũt. Quibus ad unum partim cæsis, partim captis, Suentopelcus uictoriæ signa præ se ferens, ad nouam arcem accedit, deditionem postulat. Respondent ij, qui erant in præsidio: Plures in arce superesse, qui de fraudulentis uictoribus pœnas expetituri essent. Videns autem Suentopelcus omnes suos conatus in irritum recidere, difficulterq; se Naclum retinere posse, ad pacem cum Præmislo faciendam inclinari animo cœpit. Nec difficulter ea, Popone uno de Cruciferis, qui Suentopelcum & Præmislum materno sanguine attingebat, interueniente coiuit. Conuentu enim apud Xynam acto, Suentopelcus, per sententiam Poponis ex compromisso latam, Præmislo Naclum reddidit: Præmislus uerò Suentopelco pro impendijs & Racianzi demolitione quingentas marcas argenti, certis pensionibus exoluturum se esse, nouem obsidibus nobilibus datis, cauit: & exoluit postea. Captiui utrinque dimissi. Pax perpetua mutuo iureiurando firmata est, ita ut neuter alterius ditionem unquam inuaderet. Nec toto ab ea pace facta anno circumacto, Præmislus triginta sex annos natus, pridie nonas Iunij immatura morte extinctus, & Posnaniæ sepultus est. Mitissimus sui temporis princeps, & supra ætatem prudens: iusticia autem & animi moderatione in iudicando tanta, ut eius iudicium uictus atq; uictor ex æquo probarent. Ebrium aut iratum eum nemo uidit. Vsque adeò uerò addictus fuit religioni & cultui diuino, ut per tempus quadragenarij ieiunij cilicina ueste super nudum corpus, & uino diluto admodum, aut insipidiore ceruisia uteretur. Nocturnis temporibus, cum dormire putabatur, prolixæ precationi uacabat. Porrò qua die cœnam Christi ultimã anniuersario ritu recolimus & repræsentamus, duodecim pauperũ pedes reuerenter abluere, extersosq; deosculari, & pauperes ipsos uestire quotannis solitus est. Ouanscense monasterium Cisterciensis sectæ puellis ad Vartham fluuium condidit. Srodicense uerò Dominicanorũ Posnaniam transtulit. Gnesnense etiam Xenodochium, siue hospitale sepulchri Christi militib. côtulit & commen-

Noua arx è regione Nacli.
Racianzum incensum.
Racianzũ triplex.
Noua arx frustra oppugnata.
Poloni funduntur à Suentopelco.
Pax inter Suentopelcum & Præmislum.
Xyna oppidũ.
Præmisli mors & laudes.
Sobrietas & animi moderatio.
Pietas & religio principis.
Ouanscẽse monasterium conditum.

commendauit, & præposito Miechouensi subiecit. Præter multas autem alias pias largitiones, Gneznensi quidem ecclesiæ Cornelinum pagum, Poznaniensi uerò Bucum donauit, non sine inuidia & offensione procerum. Plurimis uerò alijs laudibus eum cumulari à Bascone annalium scriptore, Custode Poznaniensi, Dlugossus memorat. Sed eius Basconis scripta nos non uidimus. Reliquit autem Præmislus quatuor filias, Constantiam, Veronicam, Oscam siue Agathiam, & Euphemiam, ex Elizabetha uxore susceptas, & filium posthumum post quartum mensem natum. Cui paternum nomen inditum est. Eodem anno qui fuit post Christum natum 1257. Iacicus siue Iacinctus diui Dominici institutum uitæ professus, post exhaustos multos labores in Polonia & Russia pro religione Christiana, de exilio huius uitæ in cœlestem domum commigrauit, ad decimumoctauum Calendas Septembris. Non omninò tunc Silesia ab intestinis motibus immunis erat. Etenim Boleslaus Caluus cùm dolore amissæ Glogouiæ percitus, tum bello superiore exhaustus, ut iram simul & cupiditatem suam expleret, facinus aggressus est impium & sacrilegum. In episcopum enim Vvratislauiensem Thomam templum Gorcense dedicantem, & Bogusalum præpositum, & Heccardum canonicum cum Teuthonibus satellitibus suis manus iniecit, captosq; ad subuculam usq; exspoliauit, & in arcem Vvlai, atq; inde Legniciam deportauit. Poscebat aũt eos decem millia marcarũ. Quæ cũ non darent, coniecit eos in tetrum carcerem, constrictos compedib. Quare cognita Fulco Archiepiscopus Gneznensis, Leniciam synodum conuocauit, ac de synodi sententia Boleslaum Caluum diris deuouit. Vvratislauiensi uerò omni diœcesi sacris interdixit. Deinde (cum nihilo magis dimitteret captos Boleslaus) pontificem Max. Alexandrum quartum certiorem ea de re fecit: & quid porrò fieri oporteret, rogauit. Rescripsit ille Archiepiscopo, ut Poloniam omnem ad arma contra Boleslaum sumenda Crucis prædicatione unà cum cæteris episcopis concitaret. In eandem sententiam Magdeburgensi quoque Archiepiscopo de concitandis Germanis scripsit. Sed interim Thomas pertæsus diri carceris, duobus millibus marcarum, & commutatione decimarum manipularium in pecuniarias per totam diœcesim suã, unà cũ præposito & canonico se redemit. Cõscijs fratrib. Henrico & Cõrado Boleslaũ hæc patrasse creditũ est: ꝓpterea q̃ illis quoq; commodo pactum illud de commutandis decimis fuit. Reliquerunt q; mordicus tam ipsi, quàm posteri eorum id, quod nunc ab episcopo per uim expulsum est. Neque uerò uno illo scelere Boleslaus contentus fuit. Nam Præmislo, cuius ope Conradus gener nitebatur, mortuo, Conradum quoq; fratrem per fraudem capere, & bonis dudum datis, exuere adortus est. Sed hoc non itidem successit. Certior enim factus Conradus de insidijs fratris, cum Legniciam ab eo dolosè ad conuiuium uocaretur, cum expedita manu profectus est: & reliquis in sylua propinqua Legniciæ latêre iussis, cum paucis expeditioribus ueniens, à Boleslao simulati officij causa obuiam prodeunte in arcem deducitur. Vbi conspicit loca superiora ab armatis teneri, anteuertit meditatum fratris facinus, captumque eum, metu perculsis omnibus, asportauit, & in custodia habitum aliquandiu, atque ea, quam ab episcopo Vvratislauiẽsi emunxerat, pecunia mulctatum, postea dimisit. Sic Boleslaus laqueo, quem alteri tetenderat, ipse se implicauit. Anno sequenti qui fuit 1258. à Christo nato, terræ motus uehemens Poloniam concussit, & animos hominum propter raritatem rei, non metu tantum, uerùm etiam religione impleuit uelut magnorum malorum, quæ mox consecuta sunt, prodigium. Nam & ciuilibus bellis mox agitata, & barbarorum excursionibus afflicta est. Ciuilium bellorum Cazimirus dux Siradiensis, Lenciciensis & Cuiauiensis causa fuit. Cuius inexplebilis cupiditas eò usq; progressa est, ut Zemouito fratre in uincula coniecto, quemadmodum superius memorauimus, Siradiensem tractum, cuius hæreditas secundum Boleslaum fratrem iure ad utrumq; peruenire debebat, solus occuparet: Landense territorium, unde prius à Boleslao Pio duce Calisiensi depulsus erat, iterum inuaderet: itemq; Racianzum episcopo Vvladislauiẽsi auferret, q̃ tñ post reddidit, cum ei litem intendisset episcopus. Lelouiense uerò territorium Boleslao Pudico adimeret, munita arce in colle supra oppidum. His igitur de causis primus omnium Boleslaus Pius Calisiensium dux in eum arma sumpsit, inita societate cum Varcislao Boguslai filio, Cassubiorum & Stolpensium Pomeranorum duce, quod is Suentopelco, cuius tunc gener Cazimirus factus erat, propter iniurias quasdam infensus esset. Obtinebat Boleslaus etiam Poznaniensem dominatum, utpote tutor liberorum fratris defuncti. Itaq; conscripto ex omni maiore Polonia magno exercitu, coniunctisq; cũ Varcislao uiribus, Cuiauiam uastabundus ingreditur. In-

Basco annalium scriptor.
Præmisli liberi.
Præmislus posthumus natus.
1257. ann.
Iacicus monachus sanctus.
Boleslai Calui facinus impium.
Vvratislauiensis episcopus in uincula coniectus.
Vulai arx.
Boleslaus Caluus excommunicatus.
Decimæ manipulares in pecuniarias commutatæ in Vratislauiensi diœcesi.
Boleslaus Caluus à fratre captus.
1258. ann.
Terræ motus.
Cazimiri ducis cupiditas et scelera.
Zemouitus frater captus.
Siradia prærepta.
Landense territorium iterum sum.
Racianzum captum.
Leloui intercepta.
Lelouia arx munita.
Varcislaus Cassubiorum dux.
Cuiauia infestata à maioribus Polonis.

Inouuladislauia obsessa. ouuladi:lauiam arcem cum primo impetu capere nequiuisset, obsidione cinxit. Non habebat Cazimirus exercitum, & Inouuladislauiæ, cæterisq; munitionibus suis metuebat. Itaque consilium ex re capit. Legatione ad Boleslaum missa bellum deprecatur. Landensem territorium redditurum se ipsi esse promittit, arcemq; quam in eo præsidij causa communierat, demoliturum. Secutus fidem eius Boleslaus, obsidionem soluit, exercitumq; dimisit. Sed Cazimirus non modo non præstitit Boleslao quæ receperat, uerum etiam Calisiensem tractum uicissim insequenti anno populatus est, cum de clade Varcislai cui Boleslaus ex fœdere auxilia miserat, in Pomerania, cognouisset. Proficiscebatur tunc Boleslaus Calisia Poznaniam, cum de excursione Cazimiri nuncium accepit. Nec mora, cum solo comitatu suo aulico reuertens, triginta tantum equitibus in itinere collectis, & agrestibus, quos hostes damno affecerat, sequentibus, in sylua, cui Soleciæ nomen est, non procul ab Opatouico Archiepiscopi pago, hostilem exercitum cōsequitur, & magno animo impetum in eum facit: extremisq; perturbatis, & primos impellentibus, & omnibus maiores multo quàm erant insequentium se copias (propterea quód sylua longiorem prospectum adimebat, clamantium uerò sonitum ampliorem reddebat) esse credentib. uniuersum agmen in fugam agit, prædam excutit, & cùm alios quosdā ex hostibus, tū Marcinū Cuiauiēsem palatinū sauciū, captiuos abducit. Nec tñ clade hac affectus Cazimirus acquieuit. Sed nō ita multo pòst, Hercaboldū Gneznēsem, nisi forte mēdose Gneznēsis pro Poznaniēsi apud Dlugossum scriptus est, Nicolaū Calisiēsem palatinos, Simonē sacerdotē Hercaboldi fratrē, & alios nōnullos ex nobilitate, p speciē colloquij euocatos, cœpit ut captiuorū cōmutatione palatinū suū reciperet. Deinde Pacossium oppidū, quod in Boleslai ditione erat, capit, & arcē in eo munit. Indeq; Calisiēsem orā infestis incursabat. Ibi tūc Boleslaus Pudicus, & Zemouitus Cazimiri frater, ut & Boleslao Pio subuenirēt, & suo quoq; nomine Cazimirū ulciscerent, coniunctis cū Boleslao Pio uirib. Lenciciēsem tractum crudeliter uastant, arcem ædificant, & commeatu copioso implent, ac Zemouito commendant. Fractus hisce incommodis, metuq; maiorum Cazimirus, inducias duorum mensium petit, æqua omnia se esse facturum promittit iureiurando dato. Sed elusis ducibus, amotoq; præsenti periculo, nō seruauit fidem. Itaq; insequēti anno Boleslaus Pius in Cuiauiam duxit exercitū. Deprecante uerò Cazimiro, non prius deduxit, quam ille arce Landensi & Pacosso præsidia deduceret. Quod quidem Cazimirus extrema penē adactus necessitate fecit, cū alio quodam infortunio maximo multatus esset. Nam duo filij eius, Lescus, cui Nigro cognomē fuit, & Zemomyslus, è priore matrimonio suscepti, ueneno, ut aiebāt, à nouerca appetiti, ut uerò credere par est, iusta Dei uindicta incitati, Siradiēsem atq; Lēciciēsem ditionē absente patre, proceruib. cū omni nobilitate fauentib. occuparunt: & Lescus quidem Siradiensem, Zemomyslus uerò Lenciciensem obtinuit. Ita qui aliena iniustè appetebat, sua turpiter amisit. Atq; hi tunc sanè ciuiles motus in Polonia, inter propinquos, agnatos, fratres, parētes, atq; liberos extiterunt. Dum aūt hi sic inter se bellum gerunt, ecce Tartarorum ingens uis Nogaio & Celebuga ducibus in Poloniam sese per Russiam mense Decembri effudit, Russis ipsis adiutorib. atq; ductorib. nec scimus an authoribus etiam, ut Cazimiro gratificarentur. Flumina tunc iam glacie concreta erant. Itaque summa celeritate usi, & Lublinensem oram, quam à Lithuanis uastatā superiori tempore, Daniel Russorum rex arce Lublinensi intercepta, ac turri rotunda præsidioq; firmata usurparat, prætergressi, in Sendomiriensem impetum faciunt, & plurimos mortales incautos opprimunt, monasteriū Zauichostense, quod Boleslaus Pudicus nuper condiderat, & uiginti quinq; pagis dotatum puellis diui Francisci, siue diuæ Claræ, quod perinde est, uitæ institutum professis attribuerat, diripiunt, itemq; id quod in Lyssecio siue Caluo monte situm est. Sendomiriense oppidum incendunt, arcem nullo respirandi spacio defensoribus dato die, nocteq; oppugnant: uerùm nullo operæ precio. Nam à multis ea gnauiter defendebatur. Pleraque enim omnis uicina nobilitas, & oppidani atque agrestes multi cum uxorib. liberis & fortunis suis ad primùm aduentum hostium eò confugerant. Ibi Russorum duces Leo & Romanus Danielis filij, & Basiliscus frater, qui in castris Tartarorum erāt, primùm per internūcios, deinde per se ipsi cum Petro de Crempa præfecto arcis agunt, ut si se, arcemq; seruatum ire uelit, ad Tartarorum duces in castra ueniat: & imperata se facturum professus, paruo se arcemq;, & omnem multitudinē redimat: fidem dant, nihil in ea re fore periculi. Se hæc ita cōsecturos esse. Credidit præfectus, Russos Christiani sanguinis misericordia commotos, quemadmodum præ se ferebant, illa suadere & recipere. Confirmabant autem promissa sua, impetratis aliquot dierū indu-

Marginal notes: *Calisiensis regio uexatur.* *Boleslai audacia & uictoria.* *Mar. palatinus Cuiauiensis captus.* *Palatini Poznan. & Calis. capti.* *Pacossium oppidum captum.* *Lenciciensis munitus & Zemouito tradita.* *Landa & Pacossum Boleslao Pio reddita.* *Cazimirus à filijs Siradia & Lencidia pulsus.* *Tartari uastant Poloniam.* *Lublinū à Russis interceptū & turri munitum.* *Zauichostense monasterium conditum, & mox direptū, Sendomiria incensa.* *Russorum dolus.*

ciis. Itaq; præfectus cum Sbigne fratre & primoribus ex nobilitate ad castra hostiū quoad modum conuenerat, proficiscitur. Duces barbarorum, ut erat edoctus à Rußis, adorat: de salute sua & arcis supplex agit. Barbari, ut sunt fallacißimi, fideiq; expertes, in supplices impetum faciunt, spoliatos & uerberatos immaniter obtruncant. Et confestim sublato clamore effuso cursu in arcem, nihil tunc eiusmodi expectantibus defensoribus, inuehuntur, & in cæde hominum, omnibus perterritis, & latebras quærentibus promiscuè grassantur. Matronas tantum & puellas formosiores ad contumeliam & explendam libidinem (ut est gens libidinosißima) adseruarunt. Defeßi autem cædendo, reliquum uulgus hominum gregatim in Vistulam impulerunt. Tanta uerò cædes in arce tunc facta esse dicitur, ut sanguis cæsorum ad Vistulam usque deflueret. Incensa arce barbari nulla mora interiecta uersus Cracouiam Rußis ducibus itineris contendunt, & urbem defensoribus uacuam incendunt, ualetudinarios & mendicos trucidant. Nam Boleslaus princeps accepto nuncio de capta Sendomiria, in Vngariam cum uxore (mater enim anno superiore mortua erat) profugerat. Cætera hominum multitudo partim in syluas sese abdiderat, partim munitionibus arcium sese defendebat: & Cracouiēsem quidem arcem Clemens palatinus tutatus est. Tartari uerò cædibus & incēdijs usq; ad Bythomiā in Opoliensi tractu impunè prouecti, post alterum siue adeo tertium mensem præda onusti in Rußiam reuerterunt. Annus autem quo hæc gesta sunt fuit post Christū natū 1260. Tametsi Dlugossus etiā præcedenti āno de eadē Tartarorū excursione, & strage Sendomiriēsi memorat. Nisi fortè bis tunc Tartari in Poloniam excurrerunt. Quod quidē inde mihi fit credibile, quòd priorem illam sub brumam, initio mensis Decembris factam esse scribit idem. Nam ea quâ Sendomiria capta est, æstatis initio accidisse constat ex eo, quòd in hodiernum usque diem strages illa quasi martyrum Christi, anniuersaria celebritate postridie Calend. Iunij. Sendomiriæ magno populi concursu recolitur, magna Alexandri quarti pontificis Maxim. indulgentia cumulata ac dedicata. Per hæc tempora Michaël Palæologus imperium Constantinopolitanum pulsis Gallis cum Balduino imperatore post annos quinquaginta octo, uel ut alij uolunt, tres & sexaginta, Græcis restituit: nec multo pòst in Lugdunensi concilio concordiam inter Græcos & Latinos tredecies scissam & refectam, redintegrauit. Siculum uerò & Neapolitanum regna, quæ post Friderici Imperatoris mortem Manfredus filius eius nothus inuaserat, Clemens quartus Pontif. Max. Carolo Ludouici regis Francorum fratri addixit. à quo Manfredus, & mox alio prælio Corradinus Friderici è Conrado filio nepos interfectus est. Tartarorum autem duces quidam in Asia religionem Christianam susceperunt, & magnas res in Syria & Persia socijs Armenorum regibus contra Saracenos & Aegyptios aliquandiu gesserunt. E quibus unus Cassanus successoribus suis Persarum regibus nomen dedit. Quod autem Russorum regis mentionem dudum fecimus, ita se res habuit. Post mortem Colomanni Vngari Haliciensium regis, Daniel Romani ducis filius aduersæ factionis ducibus uel domitis, uel in suam sententiam adductis, magnam sibi potentiam & monarchiam ferè in Rußis Australibus usurpabat. Et quo maiorem sibi authoritatem compararet, legatione ad Opissonem legatum apostolicum in Poloniam missa, cum promitteret se cum uniuersa gente sua ad Romanæ & catholicæ ecclesiæ societatem siue unitatem accessurum, & Christianas regiones aduersus Tartaros, qui iam ingentem formidinem omnibus principibus Christianis incusserant, defensurum, nomen ac diadema regium sibi & posteris suis, necquicquam dissuadente Opissoni Prendota episcopo Cracouiensi, & nonnullis alijs, impetrauit. Verùm consecutus id quod concupierat, fidem & iurisiurandi religionem uiolauit: & in pristinum errorem relapsus, nō modò non defendit à barbaris Christianos, uerùm etiam cum Tartaris, ut iam diximus, pariter infestauit, mox etiam cum Lithuanis. Nam cum eis Suarnonem sororis filium cum magna manu ad populandam, uastandāq; Mazouiam misit. Qui celeritate usi, Zemouitum ducem cum Conrado & filio, & aulico comitatu in Iassousco prædio securè rusticantem cœpère, & supellectilem eorum omnem diripuère. Et Zemouitum quidem Suarno barbarica crudelitate interfecit, Conradū uerò Mindacus, cui cesserat, seruauit, & pecunia redemptum postea dimisit. Tunc autē his patratis, Mazouiam penè oēm duce orbā Rußi cum Lithuanis populabūdi peragrarūt. Non tulere Mazouij, duces suos circūuentos esse, & patriā uastari. Itaq; facto agmine equites pariter & agrestes, hostibus obuiā prodeunt: & quamuis longè impares uiribus, tamē indignatione animos ministrāte, apud Dlugoseldū pagū impetū in eos faciūt. Et magnā quidem in eis stragem edunt. Sed ad extremum abundante hostium multitudine supe-

Adoratio principis apud Tartaros.
Sendomiriensis præfectus à Tartaris occisus.
Sendomiriensis arx capta et incensa.
Strages insignis.
Tartari libidinosi.
Cracouia iterum incensa à Tartaris.
Boleslai fuga in Vngariam.
Arx defensa.
1260. ann.
Martyrum dies Sendomiriæ.
Constantinopolitanum imperium Græcis restitutum.
Græci cum Latinis coniuncti.
Siculum et Neapolitanum regna ad Gallos translata.
Manfredus & Corradinus occisi.
Tartari Christiani.
Persarum reges à Cassano Tartaro originem & nomē habent.
Daniel rex Russorum.
Russorum perfidia.
Suarno dux Russ.
Zemouitus Mazouiorum dux interfectus.
Conradus redemptus.
Mazouia uastata à Rußis.
Mazouij uicti.

Cuiauia uexata à barbaris.

rantur, & fugam capessunt. Hac elati uictoria barbari, Cuiauiæ quoque magnam partem depopulati, incensis multis pagis & oppidis, ingentem prædam abegêre. Miseratus autem acerbam illam cladem Mazouiæ Boleslaus dux Calisiensis, & precibus Gertrudis Zemouiti uxoris exoratus, uenit cum exercitu in Mazouiam, copiosum commeatū & fabros secum ducens: releuataq; populi calamitate & inopia, & arce Plocensi, quæ ab hostib. exusta fuerat, refecta, & bene munita, & uiduæ, liberisq; eius Boleslao & Cōrado tradita, discessit. Reuertunt deinde æstate sequēti Lithuani in Mazouiā: & nō respōdēte eorū cupiditati atq; spei pda, longiùs pgressi, Louiciēse territoriū, qd' Archiepiscopo Gneznensi à Conrado primo Mazouiorū duce donatum esse memorauimus, ferro & incendis uastarunt. Graues autem iam admodum non modò Mazouiæ, sed & Boleslai Pudici ditionibus Lithuani esse cœperant, ni diuinitùs auxilium affulsisset. Intestini enim eorum motus respirandi spacium nostris dederunt. Etenim Mindacus Lithuanorū dux à Stroinato fratris filio per insidias dormiens cum filijs interfectus est, & Stroinatus dominatu potitus. Nec pacatior is futurus erat, aut mitior in Christianos. Mox enim initio principatus sui Mazouiam circa Ciruinum depopulatus est: captaq; Orsimouia arce, mares qdem puberes trucidauit, impuberes uerò cremauit, porro fœminas cū cætera pda captiuas abduxit. Sed cito sceleris suorū pœnas dedit. Nam a Voisalco Mindaci interfecti filio superstite, qui monasticæ uitæ institutum apud Russos professus erat, & à Theophilo eiusdem Mindaci consobrino uenationi uacans captus, excruciatus, atque necatus est. Nec ita multo pòst Voisalcus Lithuanorum dominatu potitus, à Leone Danielis Russorum regis filio per dolum interfectus est. Dum hæc ita turbantur in Lithuania, non putauit Boleslaus Pudicus prætermittendam sibi esse illam occasionem, quin Iazygas finitimos & infestos ditionibus suis ulcisceretur. Itaq; duxit in eos exercitum, & quidem composito agmine, instructaq; acie incedebat. Neq; enim dubitabat eos, ut erat gentis ad moriendum iuxta ac uincendum pertinacia, ad pugnam, quamuis iniquam sibi occursuros esse, neque passuros, ut se inspectātibus regio sua uastaretur. Nec sanè opinione sua falsus est. Nam ut Boleslaus fines eorum ingressus est ad uicesimam secundam diem mensis Iunij, adest mox omnis multitudo Barbarorum Conato duce ad depellendum bellum paratæ & uix præuisa à speculatoribus nostris, illucescente sole ad statiua nostrorum magna alacritate contendit. Educit suos Boleslaus in aciem, concurritur infestis animis: cumq; aliquot horis marte dubio pugnatum esset, tandem superante nostrorum multitudine, ad paucos rediguntur barbari, ducemq; inter primos pugnam cientem amittunt: nihilo tamen magis pedem referunt. Ita fortiter dimicantes ad internecionem usq; cæsi sunt, adeo, ut ex eo tempore nomen quoq; Iazygum penè deletum sit. Regione eorum deinde potitus Boleslaus, exiguas gentis reliquias Christianam religionem suscipere capitali pœna in contumaces sancita, coëgit: & ne regio uasta & inculta maneret, colonias eò deduxit. Ab Vrbano autem quarto pontifice Maximo impetrauit mandatum ad Archiepiscopū Gneznensem, ut nouum genti præficeret episcopum, cuius exemplū extat apud Dlugossum. Atq; is est, ni fallor, Lucensis, siue Luceoriensis episcopus, cuius ea est etiamnūc diœcesis, tunc uel aliquanto pòst à pontifice creatus. Annus hic fuit post Christū natū 1264. quo pòst cometæ trimestrem apparitionem pestis acerba in pecora & pecudes in Polonia grassata est. In Prussia uerò Cruciferi aduersa fortuna usi, penè deleti sunt à barbaris. Magistrum quidem Helmericum, qui Conrado Landigrauio Turingiæ successerat, cum Theodorico Marsalco in prælio quodam amiserunt. Insequenti anno Russi duce Suarnone magna ui, in Sendomiriensem oram populabundi inuasere. Sed à proceribus Sendomiriensibus cum nobilitate & agrestibus præter opinionem occurrentibus, & impetū in palantes facientibus, insigni clade profligati: & cæsis, captisq; multis, & præda omni excussa, in turpē fugā acti sunt. Irritatus autem uehemētiùs quàm solebat Boleslaus excursionibus Russorum, eas pariter & Zemouiti cædem ultum ire cupiens, anno sequenti expeditionem in Russiam suis indicit: ad Ropciciam oppidum conuenire omnes iussi. Sūma rerū & administratio belli Petro palatino Cracouiensi commissa. Nam Boleslaus ipse ad eam expeditionem profectus non est. Verùm precationibus & supplicationib. cū Kinga uxore uacans, exercitus sui curam & protectionem Deo cōmendabat. Petrus uerò suscepto exercitu, hostilem regionem ingressus, prudenter & accurate omnia agere, instructis ordinibus cautè progredi, speculatores quoquo uersus dimittere, castris loca opportuna capere, excubias in omnes partes seruare, neque pabulatores, frumentatores, & lignatores absq; firmo armatorum præsidio castris emittere, non ignorans cum uafro hoste

Plocensis arx instaurata.

Louiciense territorium uastatum à Lithuanis.

Mindacus Lithuanorum rex interfectus.

Orsimouia arx.

Stroinatus trucidatus.

Voisalcus Lit. dux interfectus.

Iazyges à Boleslao Pudico uicti ac penè deleti.

Conath dux Iazygum interfectus.

Iazygum reliquiæ ad religionem Christianam adactæ.

Lucensis episcopa.

1264. ann.

Pestis in Polonia.

Cruciferi afflicti à Prußis.

Russorum excursio in Poloniam.

Rußi pulsi.

Rußicum bellum.

Ropcicia oppidum.

Exercitus ducendi ratio.

ſte ſibi rem eſſe. Nihil autem niſi de caſtrenſis conſilij, & maximè Ioannis Sendomirienſis palatini ſententia faciebat. Non multum in hoſticum progreſsis Polonis apud Pietã, hoc loco nomen eſt, occurrit Suarno dux (nam Daniel rex haud multo antè erat mortuus) ingentes Ruſſorum & Tartarorum in auxilium euocatorum copias ducens: nec longè à noſtris caſtra metatus eſt. Et eo quidem die quieuêre noſtri. Sequenti uerò, qui erat decimus nonus Iunij, quòd eo die proſperè contra eoſdem Ruſſos apud Zauichoſtũ ante cõplures annos dimicatũ erat, educit ſuos in aciem Petrus, diui illius, uictoriæq; admonitos. Nec detrectat pugnã Suarno. Eminus primũ Poloni baliſtis, hoſtes arcubus pugnabãt. Sed quoniã eo pugnãdi genere meliore loco erat res hoſtiũ, expeditiori genere armorũ, plures de Polonis uulnerantiũ, magno mox impetu Poloni in hoſtiles acies inuehuntur, & cominus haſtis atq; gladijs rem gerunt. Nec mora, ſuperiore loco noſtrorũ res eſſe cœpit. Referunt pedem hoſtes, inſtant noſtri. Nitebatur reſtituere pugnam Suarno. Sed cum nihil ageret, in fugam ſe conijcit. Hic uerò uniuerſa acies hoſtium cõuertitur, & mutuo ſeſe impellit & impedit. Cædunt noſtri terga fugientium, & plurimos abiectis armis uiuos capiunt, & plena potiuntur uictoria. Direptisq; opulentis caſtris, & agris maiorem in modum uaſtatis, uictores in Poloniam reuertuntur. Itaq; uerò uires & animi Ruſſorũ ea clade fracti ſunt, ut permultis deinceps añis nihil hoſtile cõtra Polonos molirenť. Porrò Boleſlaus abundè contentus repreſſiſſe ea uictoria feroces Ruſſos, ipſe quoque quieuit, benignus & mitis princeps. Cuius cum uxore precibus à Deo impetrata illa uictoria exiſtimata eſt, magis quàm humanis uiribus parta, de tanta ſcilicet hoſtium multitudine, ut quadruplo ea noſtros excederet. Quin & illud memoratur, oranti Kingæ adſtitiſſe duos candidatos, & futurum belli euentum prædixiſſe. Atque ij Geruaſius & Protaſius, quorum memoriæ dicata erat dies illa, qua pugnatum eſt, fuiſſe crediti ſunt. Vaſtata eſt hoc anno rurſus à Lithuanis & Pruſsis Mazouia, Boleſlao & Cõrado ducibus munitiones tantum defendentibus. Sub idem tempus Boleſlaus dux Caliſsienſis cum Conrado Marchione Brandeburgenſi de Santoco bellum, quanquam incruentum, geſsit. Cuius originem perplexè Dlugoſſus attigit. Nam cum Boleſlaũ Conrado Marchioni Conſtantiam Præmisli fratris filiam deſpondiſſe, & Santocum in dotem dediſſe memoraſſet, quinto pòſt anno ſcribit idem, Santocum à Polonis negligentius cuſtoditum, à Saxonibus interceptum eſſe, & Conrado traditum. Atq; id moleſtè ferentem Boleſlaum, exercitum duxiſſe ad recuperandam arcem. Sed intercedentibus utrinq; proceribus, conueniſſe inter duces, ut Boleſlaus Santocum, Conradus uerò Drenum, ne prædonibus, & publicæ pacis turbatoribus eſſent receptui, demolirenť. Duplex hic peccatũ eſt. Nam ſi Santocum in dotẽ datũ fuit Conrado prius, quomodo poſtea uel ab eodem interceptum, uel à Boleſlao qui dederat, armis repetitum eſt? Deinde quid in Drenum Conradus iuris habuit, quod antè aliquot annos in poteſtate Præmisli Boleſlai fratris, fuiſſe, & ab eo recuperatum eſſe, cum a Caſſubiorum duce interceptum fuiſſet, idem Dlugoſſus ſcribit? Nos in ea re quid ſequamur, non habemus. Non ſtetit autem pactis Boleſlaus. Sed cum exercitu, fabrisq; reuertens, magna celeritate caſtellum intra ambitum ruinarum arcis Santocenſis muniuit, commeatum importauit, & præſidium impoſuit. Quo cognito Marchio, poſt perfectam munitionem atq; diſceſſum Boleſlai, cum exercitu aduenit, arcem acriter oppugnat. Et facilè uoti compos factus eſſet, quòd propugnacula recens excitata infirmiora erant, quam ut ſuſtinere uim oppugnantium diutius poſſent, ni citò Boleſlaus ſaluti ſuorum, qui in præſidio erant, conſulens, miſſa ad Conradum legatione, ſeruaturũ ſe eſſe pacta recepiſſet. Nec mora, deducto præſidio demolitus eſt arcem. Ita tũc bellũ illud inter initia reſtinctũ eſt. Fatale hoc tẽpus ducibus Polonicæ nationis fuit. Primùm enim Henricus tertius Vratislaui. dux ueneno, ut creditum eſt, extinctus eſt, relictis Henrico filio, & Heduigi filia impuberib. Quorũ tutelam Vuladisla. patruus Archiepiſcopus Salisburgenſis paucis añis, quibus ſuperſtes fuit, geſsit. Deinde Salomea Halicienſis regina, Boleſlai Pudici ſoror, cũ poſt mortẽ Colomanni uiri integra in Zauichoſtenſi monaſterio, deinde in Scalenſi (nam eò id Boleſlaus tranſtulerat) ſanctè, pieq; uitã exegiſſet, natu iam grandior defuncta eſt, & funus Cracouiam ad diui Franciſci illatũ. Fertur aũt corpus eius multis diebus poſt mortem ſeruatũ, ſuauẽ odorẽ ſpiraſſe, & oleum ſudaſſe, quo inuncti ægroti conualuerint. Iiſdem diebus Cazimirus quoq; Cuiauienſis & Lencicienſis dux obijt, qui moriens Leſcum filium, cui Nigro cognomen fuit, Siradienſem ditionem retinere paſſus eſt, ut ab eo fuerat occupata. Reliquas uerò Zemomyſlo Leſci germano, cui Suentopelci filiam Salomeã deſponderat cum tribus alijs, nempe Cazimiro,

Danielis regis mors.

Ruſſi & Tartari profligati à Polonis.

Suarnonis fuga.

Precum piarũ efficacia.

Mazouia à Lithuanis & Pruſsis uaſtata.

Brandeburgenſe bellum.

Cõradus Marchio Brandenburgenſium.

Santocum & Drenum arces dirutæ.

Drzen.

Hẽricus Vratislauienſium dux obijt.

Vuladislaus Archiepiſcopus Salsburgenſis.

Salomea Halicienſis regina mortua uirgo ſancta.

Scalenſe monaſterium Zauichoſto translatum.

Cazimirus Cuiauienſium dux mortuus.

Cazimiri fil. Leſcus Niger Siradienſium dux.

Vuladislaus cur Locticus uocatus. Cazimirus Lenciciēsium, Zemomyslus Vuladislauien sium. Vuladislaus Brestensium. Zemouitus Dobrinensiū. Suentopelci ducis Pomeranorum obitus. Suentopelci filij. Suentopelci præceptum. Apostolica sedes uacauit tribus annis. Zemomyslus exosus suis. Bydgostia Boleslao Calissiensi tradita. Berda fl.

Vuladislao cui Loctico, quasi cubitali propter breuem staturam cognomen fuit, & Zemouito ex altero matrimonio susceptis, partiēdos reliqt. Et Cazimiro quidē Lenciciēsis obtigit. Cuiauiensem uerò Zemomyslus & Vuladislaus inter se diuisêre, ita ut Zemomyslo Vuladislaui. Vuladislao Brestensis tractus cederet. Dobrinensem uerò Zemouitus obtinuit. Quā uel promisso tenus acceperant, ac nō re ipsa obtinuerāt Cruciferi, uel certè reddiderant Cazimiro post longas cōtrouersias: quas extitisse inter eos argumēto sunt arbitria & cōpromissa, quæ extēt in archiuo regio. Diploma quidem Cazimiri huius anno Christi 1233 editum, Culmensis tantummodo terræ concessionem à Conrado patre factam Cruciferis approbat. Condidit autem Cazimirus hic, pater inquam, monasterium Dominicanis in Breste oppido. Suentopelcus etiam Pomeranorum citeriorum dux eodē anno mortuus est ætate decrepita. Reliquit aūt quatuor filios Mesiuinum siue Mesciugum, Varcislaum, Samborium, & Ratiborium. Quibus moriens præcepit, ut à bello Cruciferis inferendo, quoad possent, abstinerent: Polonos uerò duces omni ratione & beneuolentia sibi deuincirent. Quorū illi præceptorū immemores, magnis se postea calamitatibus implicarunt. Per idem tempus Clemente eius nominis quarto, pontifice sancto & religioso uita defuncto, trib. ferè annis sedes Romana uacauit, propter ambitionē ac dissidium Cardinalium. Porrò Zemomyslus Cazimiri filius, Vuladislauiensem dominatū adeptus, despicatui suos habere cœpit: cum Cruciferis, apud quos ab ineunte ætate educatus erat, familiarius uiuere, eorū arbitratu omnia agere, & consilijs niti. Quibus rebus offensa nobilitas, mussitare primùm, deinde apertius fremere: ad extremum, eo non mutante mores, ad Boleslaum Calissiensium ducem defecit. Qui iam Bydgostia supra Berdam fluuium sita, Theodorici Prussi proditione, qui post susceptam religionem Christianam à Cazimiro Zemomysli patre ei arci præfectus fuit, potitus erat. Cum autem spe præmij frustratus esset proditor, à famulo, sicut ipse iusserat, interfectus, proditionis pœnam exoluit. Exorauit postea Boleslaum Zemomyslus, ut sua sibi redderet, donato ei territorio Crusuicēsi, placataq; nobilitate, quòd reciperet, nihil sibi commune deinceps fore cum Cruciferis. Dissidium autem illud Zemomysli cum suis, ansam dedit Lithuanis, ut Cuiauiam popularentur. Quod sanè fieri non potuit, nisi percursa prius Mazouia. Hoc anno, qui fuit à Christo 1269. longa inter Plocensem & Culmensem episcopos controuersia, arbitrio episcopi Vuladislauiensis & Magistri Cruciferorū, sublata est, ita ut Culmensis pagum Orechouum, ac trecenta iugera inculti adhuc agri in territorio Lubauiensi daret Plocensi episcopo, pro decimis & possessionibus, quas ille sibi in Culmensi diœcesi, præter eas, quas ipsi donarat, uendicabat. Eodem autem anno bellum inter Boleslaum ducem Calissiensem, & Saxonas, siue Marchiones Brādeburgenses, recrudui, ex huiusinodi causa. Otto Marchio, Conradi frater, cupiens Santocense territoriū in potestatem suam redigere, arcem Sulentiam inter Lubussum & Medireciam, comportata celeriter domo materia, extruxit: & argilla altrinsecus, ne incendio esset obnoxia, cōtexit. Id ubi Boleslaus accepit, ratus id quod erat, non de nihilo arcem illam in confinibus Poloniæ munitam esse, tamē quia in suo solo eam Otto muniierat, oppugnatione quidē eius abstinuit, ne prior fœdus rupisse argueret. Cæterùm Medireciam ipse uicissim fossis & ligneis propugnaculis munire cœpit. Necdum perfecta erat munitio, cùm Otto cum expedita manu aduolans, oppidum diripit, & incendit: arce tentata potiri non potuit. Certior earum rerum factus Boleslaus, hostem discedentem cum expeditis, quos ad manum subitò habere potuit, persequitur: & cum consequi eum intra fines suæ ditionis non posset, Lubussense territorium per circuitum uastauit: deinde ad Sulentiā arcem expugnandam reuertitur. Nec mora, milites, facta è scutis & clypeis testudine, munitionem subeunt: dimotaq; securibus argilla, ignem subijciunt. Qui subministratis alimentis mox arcem omnem, nequicquam restinguere conantibus Saxonibus, corripuit, & cum præsidiarijs pariter absumpsit. Pauci cum Sabello præfecto arcis flammis sese eripientes, uiui in potestatem nostrorum uenêre. Ad extremum nostri restincto igne prædam ambustam diripuêre. Ita tunc Boleslaus Ottonem ultus, reduxit exercitum. Sequentis autem anni initio, cum Boleslaus Calissiensis Cracouiam, ut uiseret Boleslaum Pudicū, profectus esset, non prætermisit eam occasionem Otto: sed magna celeritate usus, quamuis hyberno tempore, Santocensem arcem ligneis propugnaculis, uallis, fossis, commeatu, & præsidio muniuit. Reuertens autem Boleslaus, ubi pacta cum Conrado inita ex professo temerata esse comperit, ipse quoq; Drenum instaurauit, & intra octauum diem munitionem perfecit, impositoq; præsidio discessit. Sed aliquanto pòst, cùm nostri negligen-

Boleslai cum Zemomyslo transactio. 1269. ann. Culmensis episcopi cum Plocensi transactio. Brandeburgense bellum. Otto Marchio Brandeburgensis. Sulentia arx condita. Medirecia arx munita. Sulentia expugnata & incensa. Santocum restauratum. Drenum restitutum & à Saxonibus interceptum.

gentius, ut solent, arcem custodirent, à Santocensi præsidio noctu ea intercepta, & Ottoni tradita est. Multa eo anno portenta & prodigia in Polonia extiterunt. In Cracouiensi quidem regione honesta quædam matrona Margarita Virboslai comitis uxor triginta sex pueros uiuos uno partu edidit, uicesima die mensis Ianuarij. Sexta uerò die Decembris crepusculo nouus & insignis splendor, in figuram crucis efformatus, cœlitùs nō modò urbem, sed omnem circumcirca regionem illustrauit. Calisiæ intra octauam diem natalis Christi natus est uitulus cum duobus caninis capitibus, atq; dentibus, & septem pedibus uitulinis: capitum autem maius quidem in loco suo, minus uerò ad caudam situm erat. Ab eius cadauere canes atq; uolucres abhorruêre. In Silesia uerò apud Michalouū pagum, & inter Odram, & Nyssam fluuios, triduo sanguine pluisse dicitur. Præcedente quoq; anno ferebantur uisæ esse in aëre armatorum acies inter se concurrere. Aestas eius anni tota ferè continentibus pluuijs, & insolita aquarum inundatione non modò segetibus, uerùm etiam pecudibus & iumentis, pagisq; & oppidis, plurimum incommodi attulit. Hæc cum ingentem terrorem animis hominum incussissent, supplicationibus & sacrificijs publicè procurata sunt. Consecuta sunt autem cùm externa quædam aduersa nostris bella, tum domestici motus. Quæ ordine exponemus. Insequenti anno, qui erat pòst Christum 1271. Boleslaus Calisiensis Santoci occupatione atq; Dreni ereptione irritatus, coactis magnis copijs, & auxilijs Cuiauiensium & Zemomysli adiutus, bellum fecit Marchionibus Brandeburgensibus: & cum illi ad prælij dimicationem non descenderent munitionib. sese defendētes, uastato Santocensi agro, ad Soldinū duxit: & scalis admotis oppidū cœpit, diripuit, & incēdit, magnāq; prædam abegit. Reuersus Crusuicien-se territoriū Zemomyslo pro nauata opera reddidit, arcem demolitus. At in Silesia Boleslaus Caluus Conradum fratrem parum abfuit quin caperet, in Boleslauice oppido securum. Sed tñ effugit is, de hostili aduentu fratris in ipso articulo factus certior. Oppido autem Boleslaus potitus est. Duxit autem Conradus uxorem alteram, priore defuncta, Brigittam Theodorici Miznensis Marchionis filiam: quæ cum Conradino Friderici imperatoris nepote prius nupta fuerat: cum qua non multo post, Crosnam, Greifensteinū, & Prinum oppida, quæ ei dotalia constituerat, amisit. Nam cum pòst mortem eius dotem non redderet, pater Brigittæ possessionem eorum bonorum adijt, & Magdeburgensi Archiepiscopo ea decem millibus marcarum uendidit. Sequenti deinde anno, bellū quod à Boleslao Calisiensi cum Brandeburgensibus Marchionibus gerebatur, in Pomeraniā trāslatum est ex huiusmodi causa. Post Suentopelci mortem, bellum ciuile inter filios eius Mesciugum & Varcislaum exortū erat. In eo cum firmiores essent partes Mesciugi, Varcislaus è carcere fratris elapsus, Conradi Marchionis Brandeburgēsis opem implorauit, iustam remunerationem pollicitus. Accepit conditionem Conradus. Cùm autem pignoris loco Gdanum ei tradidisset Varcislaus, paucis diebus illis in ipso apparatu belli mortem obijt. Repetit à Conrado Gdanum Mesciugus: negat ille se redditurum, ni sibi sumptus in bellum facti, quos permagno æstimabat, exoluantur. Magna tunc sanè erat potentia Marchionum, ut est etiamnum, ita ut longè imparē uiribus se illis esse Mesciugus non ignoraret. Venit autem ipsi in mentem belli, quòd Boleslaus Calisiensis cum ijsdē Marchionibus gerebat. Itaque missa legatione non difficulter impetrat à Boleslao, ut secum aduersus cōmunes hostes arma cōiungat. Duxit ergo in Pomeraniā exercitū Boleslaus: & iunctis cum Mesciugo copijs, ad Gdanensem admouit. Nam ea capta, nihil negocij futurum erat in potiundo oppido. Tentata deditione, & pulsata machinis arce nullo operepretio, nona deinde die factis testudinibus ex asseribus, Poloni audacius succedūt sub ipsa mœnia & propugnacula, præsertim cum defensores à sagittarijs eminus uulnerarentur: & alij quidem conuellunt & rescindunt munitionem, utpote ligneam, ignem alij subijciūt, alij scalis admotis mœnia scandunt: & quamuis supernè cum pice & aqua seruēti perfunderentur, tum saxis, & alijs telis obruerentur, sed tamen pertinacius urgentes oppugnationem, ad extremum, cum hostibus tela deficerent, ui irrumpunt: & ira, odioq; inflammati, magnam cædem exercent in Saxonibus, & arce potiuntur. Nonnulli hostium in editiorem turrim euaserant: uerùm ij quoq; cum arcem à nostris teneri conspicarentur, uitam tantum pacti, proiectis armis sesē dedidēre: qui compedibus uincti in seruitutem abducti sunt. Arce capta, mox oppidani deditionē fecēre. E quib. paucos quosdam, qui impensius fauerant Saxonibus, uita & bonis mulctauit Mesciugus: in quibus erant precipui, Arnoldus & Iacobus. De quorum bonis duos pagos Scrobotouuiū & Vitominū Vuladislauiensi episcopo donauit. Boleslaū uerò honorificē habitū & remuneratum

Portenta & Prodigia. *Pueri 36. uno partu editi.* *Monstrum.* *Inundatio insolita.* *1271. ann. Brandeburgense bellum.* *Soldinum captum & incensum.* *Crusuiciense territorium Zemomyslo redditum diruta arce.* *Boleslauice oppidum à Conrado duce captum.* *Crosna, Greifensteinum, et Prinum à Polonia alienata.* *Przin.* *Dissidium inter Suentopelci filios.* *Gdanum in pignus datum Marchioni Brandeburgensi.* *Bellum contra Marchionem in Pomerania.* *Gdanensis arx expugnatur.* *Oppidum deditum.*

tum

tum cum exercitu dimisit. Qui domum reuersus, quatuor mensium spacio militibus ad quietem dato, rursus contra Marchiones expeditionem fecit, eiq; expeditioni Præmislū iuuenem fratris filium, sextumdecimum annum agentem, præfecit, adiunctis quorū consilio faceret omnia, Predipelco palatino Poznaniensi, & Ioañe Castellano Calissiensi, grauibus & prudētib. uiris, & pitis rei militaris. Dreno p̄terito, uastat̄ longè, lateq; hostilis regio, quæ cis Odram est, Strelce arx haud ita pridem à Conrado condita, expugnat̄, diripitur, & exuritur. Sæuitur in homines, agros atq; tecta: nonnullis tamen deprecante Præmislo uita conceditur. Abigitur ingens præda. Cum qua reuertens Præmislus, cum apud Velenum exercitū dimitteret, cognoscit, Drenum arcem paruo hostiū præsidio teneri: Cassubiosq;, qui in castris eius militarant, domum abeuntes nauigio, primam portā arcis incendisse. Reuocatis igitur ex itinere militibus, ad Drenum contendit: & Saxonibus deditionem facientibus arcem recepit, præsidioq; comuniuit. Dedititios uerò liberos dimisit, datis qui eos deducerent, ne quam uim à nostris paterentur. Hæc tunc rudimenta militiæ Præmisli fuêre. Sex deinde totis annis utrinq; ab armis cessatum est, pace ne facta, an inducijs, an pertæsis belli ducibus conquiescentibus, nihil compertum habemus. Interea uerò minor Polonia quasi uicissitudine quadam bellis ardere cœpit, authore & incentore Paulo episcopo Cracouiensi, gente Polucosio, Iasci siue Ioannis comitis Premencouij filio, qui cum canonicus Cracouiensis & Boleslai Pudici Secretarius siue Cancellarius esset, Prendotæ mortuo, à collegio sacerdotum electus, successit. Is enim suæ dignitatis immemor, cum totus uoluptatibus, uenationi, & libidini deditus, & subditis suis grauis, aduersus principem uerò Boleslaum contumax esset, nec precibus & monitis neq; collegij sui, neq; principis flecteretur, & præterea monacha quadam de Scalensi monasterio educta pro concubina abuteretur, in Cunouiensi prædio degens, ab Otta & Zegota iuuenibus, equestri Topororū familia ortis, captus, & Siradiam deportatus, à Lesco Nigro in honesta custodia mensem unum seruatus erat, Boleslai Pudici, quemadmodum exitus rei comprobauit, uel iussu, uel pmissu. Sed cū Ioānes Archiepiscopus Gneznensis omni prouinciæ suæ sacris eam ob rem interdixisset, conuicijs & maledictis populi exagitatus Boleslaus, dimitti cum iusserat: & in gratiam cum eo redierat, cum ducenta pondo argenti ipsi appendisset. Nec tamen conquiescebat Paulus: uerùm in hoc erat totus, ut Boleslaum ulcisceretur, & cum Lithuanis barbaris affinitates & amicitias iungebat. Domi quoque factiosorum hominum animos in principem concitabat, in primis uerò eorum qui cum sua turpiter prodegissent, & ad inopiam redacti, aut etiam ære alieno oppressi essent, alienis inhiabant, aut qui ob latrocinia & alia scelera pœnas metuebant, siue adeò multati iam erant, aut etiam qui in pace cupiditatibus suis minus commodè satisfaciebāt. Ferè enim eiuscemodi homines res nouas cupiunt, ducemq; fortuitu oblatum cupidè sequuntur. Incensis autem complurium animis, nec occasio cogitata perficiendi defuit. Erant inter Præmislum siue Ottocharum regem Bohemorum & Boleslaum Pudicum inimicitiæ, propter surreptam Polonis à Bohemo Opauiam, & propter adiutū à Boleslao Belam regem Vngarorum contra Bohemos. Ac fecerat quidem Ottocharo pacem Bela paulò ante mortem suam, cum in Morauia malè rem gessisset. Sed Stephanus filius eius suscepto paterno regno, bellum redintegrauit. Quod ut maiore ui gereret, ad Boleslaum affinē Cracouiā uenerat, & cū eo fœdus paternū renouarat. Mox cū p Vngaros, tū p Chumos siue Cumanos magnis incōmodis Bohemos affecit. Quib. adductus Bohemus, ut Polonorū auxilia Vngaro detraheret, cū Boleslao Pudico de Opauia transigere statuit. Nec abhorrebat à pace Boleslaus. Igit̄ anno Christi, 1273. ad cōstitutū tēpus Opauiā is profectus erat, & cum Bohemo cōuentū agebat. Hoc tēpus nacti coniurati, quo pleriq; proceres Boleslao fauentes cum ipso simul aberant, maturant defectionem illam aduersus Boleslaum, offensionis causam prætexentes, q; is se inscijs, nec de conuentūs sententia Lescum Nigrum (hoc enim cognomen habuit) ducem Siradiensem propinquum suum, hæredem nuncupasset. Erant & aliæ quædam causæ, quæ bonos etiam uiros non paucos infensiores Boleslao reddiderant: nimirum quòd is indulgētia aut neglìgentia quadam, calumnias in iudicijs regnare patiebatur, quibus implicati simpliciores, multi graues mulctas expendere cogebantur, multi patrimonijs exuebantur. Neq; uerò usq;quaq; incorruptus iudex ferebatur esse Boleslaus. Ad hæc aūt onerosus erat nobilitati, propter crebras uenationes, eo quòd & canes principis alere, & equos atque subuectiones ipsi præbere omnibus passim, quacunque iter faciebat, necesse erat. His igitur de causis plures infensi erant Boleslao, sperabantq; mutatione principis defunctum se iri malis illis. Itaque conuen-

In Marchiam Polonorum expeditio.
Præmisli ducis Poznaniensiū tyrocinium.
Strelce arx cōdita & mox capta & incensa.
Drenum receptum.
Pauli episcopi Cracouiensis contaminata uita & improbitas.
Paulus episcopus captus, & Siradiā asportatus.
Interdictum Archiepiscopi.
Paulus episcopus dimissus.
Pauli episcopi conatus improbi.
Conspiratio minorum Polonorum contra principem.
Nouarum rerū cupidi quinam esse soleant.
Stephanus 4 post Belam patrem apud Vngaros regnat, & Bohemis bellum facit.
1273. ann.
Boleslai Pudici conuentus cum rege Bohem.
Lescus Niger hæres nuncupatus à Boleslao Pudico.
Iudiciorum prauitas & corruptela.
Boleslai Pudici prauitas in iudicijs.
Nobilitatis onera.

conuenticulo habito, Paulo authore ad Vuladislaum ducem Oppoliensium mittunt, principatumqúe ei deferunt. Animaduertebat quidem Vuladislaus difficulter se tunc uiuente Boleslao Pudico principatu potiri posse. Sed quoniam senex iam erat Boleslaus, nec ullus habebat liberos, & alienas esse sciebat a Lesco multorum uoluntates, uel in posterum utile id sibi fore iudicabat, si tunc oblatum principatum non refutaret. Itaq; cōuentum illum omnem ad se Oppoliam uenire iubet, ut ibi ea res iureiurando & literarum monumētis cōfirmaret. Faciunt illi iussa, & frequētes Oppoliam proficiscūtur. Nihil hotū latebat Boleslaū. Soluto igitur cōuentu Opauiensi rebus infectis, & inducijs tantū in uiginti annos cum Præmislo factis, festinus ad sedanda domestica mala reuertit, & ꝑficiscentes Oppoliam aduersarios incōpositos & inopinantes, cū aulico suo ꝑcerūq; comitatu apud Bogucinū pagū altera die lunij mēsis adorit. Nec illis animus ad defendendum sese defuit. Committitur atrox pugna, nemine referēte pedem. Ad extremū Boleslao cessit uictoria, sed non incruenta tamen. Plurimi ibi mortales, exceptis ferè aduerso pectore uulneribus, utrinq; cecidēre, sed multo plures tñ ex aduersarijs Boleslai. Pauci fuga ad Oppoliensem ducem euasēre. Bona cæsorum & profugorū partim confiscata, partim inter uictores distributa sunt. Oppressa cōiuratione siue adeò bello ciuili, paucis diebus Lithuani in Lublinensem oram excursionem fecēre, magnamq; prædā auexēre, nemine ꝓhibente. Nam uires minoris Poloniæ Bogucinensi illo prælio uehemēter attritæ erāt. Creditum est aūt, à Paulo episcopo barbaros etiam tunc excitos esse, ut cęsorū apud Bogucinum sanguini parentaret. Tantam autem eius audaciam, tamq; sceleratum animum diuina clementia paululum tūc repressit nouo & inusitato modo. Nam cum Cracouiæ apud Dominicanos fratres commoraretur, quadā die cœlitus increpitus esse fertur, huiusmodi uerbis: Ve tibi Paule episcope: Melius tecum actum esset, si natus non fuisses. Atq; hāc uocem a septuaginta hominibus tunc eum circumstantibus auditam esse. Monachus etiam quispiam per quietem uidisse dicitur, lupum erectis prioribus pedibus contra eum humana uoce exclamantem: Ve tibi Paule episcope, quoniam cœpisti, & occidisti. Hoc quoq; cum ille renunciante monacho accepisset, expauefactus, fertur scelera sua maiorē in modū deplorasse. Dumq; solus in cubiculo fletibus indulget, rursus talibus dictis compellatum esse memorant: Ne timeas Paule episcope: Age quod lubet, septimo deinde anno moriēris. Atq; eum respōdisse: Optimè tecū acturam esse Diuinā misericordiam, si sibi septem annorum spacium ad expianda præterita peccata concederet. Has quoq; uoces ab ijs qui ad fores cubiculi obseruabant, exauditas esse. Credibile est autem, Satanæ eas fuisse, primùm desperationem, deinde securitatem illi & maiorem licentiam ingerentis. Refrenauit tamen ille aliquatenus audaciam suam quādiu uixit Boleslaus. Nec tñ inulta Lithuanis excursio illa fuit. Nā dū illi Lublinēsem orā populantur, Polesiensis eorum ditio & Prusia uicissim à Mazouijs & Cuiauijs uastata est. Resumpserāt eñ uires tunc Prusi cum Lithuanis coniuncti, magna strage profligatis aliquoties Cruciferis, & munitionibus eorum quibusdam expugnatis, & solo æquatis. Boleslaus uerò Pudicus iratus Vuladislao duci Oppoliensium, quòd suis nouas res molientibus fauisset, exercitu conscripto, accersitisq; à Boleslao Calisiensi & Siradiensi ducibus auxilijs, Oppoliensem & Raciboriensem oram omnem infesto agmine depopulatus est, ita ut suburbana quoq; primorum oppidorum exureret. Nec tamen elicere ad pugnam Vuladislaum potuit. Sed carpsit is tamen ex insidijs hostes palantes & prædas agentes, nec paruis affecit incommodis. Maius utrinq; in sequentem annum bellum parabatur: contrahebantur auxilia: mercenarijs stipendia prónunciabantur. Sed gliscens bellum Boleslai Calisiensis opera consopitum est. Nihil autem illo & proximo deinde anno memorabile usquam in Polonia gestum est, præter contracta & conciliata quædam ducum matrimonia. Nam Præmislus iunior dux Poznaniensis sextumdecimum annum iam egressus, uxorem duxit Lucardem Henrici, siue, ut alij uolunt, Nicolai Slauorum ducis filiam, neptem Barnimi Secinensiū ducis ex filia, suadēte Boleslao patruo, q nullos adhuc susceperat liberos ex Iolēta siue Helena Belæ regis Vngarorū filia, sorore Kingæ. Boleslaus uerò Caluus priore cōiuge mortua, alterā duxit Adleidā Samborij ducis Pomeranorū filiā. Sed ea deinde uiri contumelia ꝓpter pellicē offensa, pedes ad paternā domū redijt. Porrò Lescū Siradiensem cū Griffina sua Roscislai Bulgarorū siue Russorū, ut uult alicubi Dlugossus, ducis filia, Boleslaus Pudicus Siradiā ꝓfectus, in gratiā reduxit: cū illa accusata publicè uiri frigiditate, detractaq; uita matronali, totos quatuor años sese ab eo seiūxisset. Duo uerò portēta illo biennio in Cracouiensi territorio extitisse memorantur. Puer quispiam dentatus eodem

Poloni minores ad Vuladislaum ducē Oppoliensium deficiunt.

Polonorum cum Bohemis induciæ.

Boleslai Pudici uictoria cōtra defectores.

Lithuani Lublinensem orā populantur.

Paulus episcopus diuinitus admonitus.

Polesiensis terra & Prusia uastata à Mazouijs & Cuiauijs.

Silesicum bellum.

Præmisli Poznaniensium ducis nuptiæ.

Boleslai Calui nuptiæ.

Griffina Lesci Nigri uxor.

Portenta.

dē q̄ natus est die, distinctè & articulatè locutus est, donec religioni Christianæ initiatus, & dētes, & sermonis usum amisit. Alius uerò semestris in urbe Cracoui. ꝓlocutus Tartaros aduēturos, & Polonorū capita ꝑcisuros esse ꝓdixit, rogatusq́, diuinitúsne id se scire, & si bi q̄q; illud malū impēdere, respōdit. Qđ pòst duodecimū annū euenit, quemadmodū suo loco exponemus. Non libet aūt & miraculū silētio præterire, qđ illo tēpore multis testib. accidit. Homo quidam splendidus equestris ordinis, sed uiolentus & rapax, & suis iuxtà ac alienis grauis, cum grauiter ægrotaret, admonitus crebrò à religiosis quibusdam uiris, ut ad Dei clementiam confugiens, animæ suæ saluti cōsuleret: negauit sibi ueniæ locum relictum esse. Iam enim diuino iudicio traditum se esse dæmonum potestati. Nec mora, audiuntur à circumstantibus uehementium uerberum & percussionum strepitus. Apparēt in corpore ægroti fœdi liuores atq; uibices, ita ut oēs obstupescerēt. Inter hæc ille infelix nullam uocem, nullumq; gemitum edens, ter infelicem animam exhalauit. Hic orsus supplicia, quæ deinde apud inferos æternum expenderet: ut esset exemplo ijs qui ex aliorum incommodis student sua commoda parare. Annus tunc agebatur 1276. quo Ladislaus cognomento Chunus, apud Vngaros post Stephani patris mortem regnare cœpit: & cùm Bohemis infensior etiam patre esset, cum Rudolfo Cæsare, qui post diuturnam dissensionem principum electorum ante tres annos ad imperium euectus erat, contra Ottocarum regem societatem belli init. Repetebat enim Rudolfus ab Ottocaro Austriam, Styriam, Carinthiam, Carniolam, forum Iulij, & portum Naonis, quòd eas terras secundum Fridericum & Vlricum duces iure feudi, ut uocant, ad Imperium deuolutas esse diceret. Post id tempus Silesia rursus intestinis dissidijs exagitari cœpit, materiam subministrante inuidia. Grauiter ferebant & duces, & proceres, Crosniam, Prinum, & Greifensteinum, Conradi culpa in externorum iurisdictionem recidisse. Sed neque Conradus ipse, neq; frater eius Boleslaus, oberati ambo, redimere oppignerata poterāt. Nam decē millia numûm aureorum Archiepiscopo Magdeburgensi exoluenda erant. Abundabat aūt pecunia Henricus Vuratislauiēsis Henrici tertij fratris corū filius, quę eo puero à curatorib. ex ampliori dominatu collecta erat. Itaq; suasu procerum suorū redemit is territoria illa. Quæ res inuidiam ipsi conflauit apud patruos. Acerbior tamē erat Boleslaus. Et cū Henricum circumuenire decreuisset, misit ad eum legationē sub specie repetēdæ portionis hęreditariæ, secundū mortē Vvladislai fratris, qui Archiepiscopus Magdeburgensis fuerat, reuera aūt solicitandorum quorundam Vvratislauiensium procerum causa, quos patrem Henrici, atq; patruum Vvladislaum ueneno sustulisse erat suspicio. Dissimulato aūt dolo, cum ad oēm occasionem attentus esset, rusticantem fortè Henricum in uilla sua Ielce, & nihil tale metuentem, missis satellitibus cœpit, & in arcem Lehen deportatū, asseruari diligenter iussit, donec aliquid ab eo uiolentis pactis extorqueret. Charus erat suis Henricus, propter probitatē, à qua etiā cognomē adeptus est, itaq; eum deinceps nos iam appellabimus. Quocirca de liberādo eo consilia ineunt, exercitū cōparant: à cæteris etiā ducib. Boleslao Pudico, Cracouiensi & Sendomiriensi, Boleslao Calissiensi, Præmislo Poznaniensi, & Vvladislao Oppoliensi, indignitate rei motis, magna auxilia impetrant. Displicebat & Conrado Glogouiensi Boleslai fratris facinus in alterius fratris filium perpetratū. Itaq; misit & ipse Vvratislauiensibus auxilia contra fratrem. Verùm Boleslaus explorata Vvratislauiensiū apparatu, magna celeritate Saxonas, Misnios, Bauaros, atq; Sueuos mercede conduxit, & prior in Vvratislauiensem oram impetum fecit. Educunt & Vvratislauiēses suas copias, & obuiā Boleslao ꝓdeunt. Inter Scorolciū & Procianū in planicie cōgressi exercitus, magno ardore cōmittunt prælium. Et neutris referentibus pedem aliquandiu, tandem Boleslaus Caluus conspecta suorum & cæsorum strage, & pugnantiū paucitate, uno tantum comitatus milite, clàm se ex acie subduxit. At filius eius Henricus, de tribus natu maximus, maiore animo, boni imꝑatoris fungēs officio, nutātes suos cōfirmabat, laborātib. succurrebat. Et nō modò instaurauit præliū, sed etiā uictor magnā in hostibus stragē edidit. Quæ eo maior fuit, quo ꝑtinaciùs utrinq; pugnatū est. Captus est in eo ꝓlio Pręmislus dux Poznanien. Clade hac ꝑculsi Vvratislaui. Ottochari siue Pręmisli Bohemorū regis opē implorant. Et cum ante hac Crosnense territorium Ioanni Brandeburgensi Marchioni, hypothecæ nomine ꝓ quatuor millib. marcarum tradidissent, ne Boleslaū Caluū aduersum se adiuuaret, tūc porrò Closcū dant Ottocharo, ut afflictis Henrici rebus subueniret, q̄ & armis ille tunc multum ualebat, & authoritate apud sororis filiū Boleslaū Caluū meritò ualere debebat. Dant aūt ea lege, ut id post obitum Ottochari in Henrici ducis sui potestatem recideret. Itaq; Ottocharus cū ademptas sibi à Rudolfo Cæ-

sare

Vaticinium infantis.

Rapacis & iniusti hominis supplicium.

1276. ann.

Ladislaus rex Vngarorum.

Rudolfus Cæsar bellum infert Bohemis.

Silesici motus.

Inuidia.

Crosna etiam redempta ab Henrico Vuratislauiensi.

Henricus quartus dux Vuratislauiensis captus à Boleslao patruo.

Lehen arx.

Henricus Probus.

Silesiorum intestinum bellum.

Boleslai Calui fuga.

Henrici filij fortitudo.

Præmislus dux Posnaniensium captus.

Crosna Marchioni Brandeburgensi oppignerata.

Closcum Bohemorum regi traditum.

sare ditiones, quarum superiùs mentionem fecimus, bello repetere necesse haberet, fecit pacem inter Boleslaum & Henricum. Sed iniquis Henrico conditionibus, nempe, ut is Boleslao patruo, Stregomum, Nouum forum, Strozam, Greisenbergam, Pninũ, & Gesuindidorfum, oppida ea sunt, iure sempiterno daret. Accepit tamen eas conditiones Henricus, ut se & Præmislum uinculis liberaret. Cum autem euasisset, recuperauit à Marchione Crosnã, numeratis ei sex millibus marcarũ. Nã duo millia is Henrici causa falso expẽsa referebat. Cœpit uerò Hẽricus & in carcerẽ cõpegit suos nõnullos ex equestri ordine, q cũ Boleslao sensisse dicerent. Eodẽ año Lithuani cũ Prussis puastata Mazouia, Culmẽsiq; & Cuiauiẽsi tractu, Lenciciẽsem quoq; crudeliter depopulati, ingentẽ prædã abegerũt, in qua ad quadraginta millia hominũ fuisse memorant. Tũc quoq; pdigiũ circũ Cracouiã apparuit. Etem nocte media, in qua initiũ noui añi est, cœlũ clara & nõ iniucũda luce ad breue tẽpus resplẽduit, principis mortẽ, qd' re postea cõprobatũ est, portendens. Memorãt aũt & spectrũ quoddã tunc in eodẽ Cracouiẽsi tractu apparuisse. Lacum enĩ quendam peramplũ infestatione dæmonũ piscationib. & usibus hominũ exemptũ fuisse. Ad eum hyberna glacie concretũ uicinos cũ sacerdotib. uexilla, cruces, & reliqas sacras, quibus uis dæmonũ propulsaret, ferentib. piscãdi gratia, cõuenisse. Immisso aũt reti, primo qdẽ tractu, contẽdẽntib. piscatorib. tres pisciculos, altero nihil nisi rete conuolutũ; tertio deniq; monstrũ horrẽdum caprino capite, & in speciẽ ignis ardẽtib. oculis extractũ esse. Territis autem ac diffugientibus cunctis, spectrum illud sub glaciem sese immersisse, ac toto lacu discursans, terribilem strepitum ac sonitum edidisse: afflatosq; ab eo nonnullos homines, fœda ulcera retulisse. Resumpsit æstate sequẽti Boleslaus Calisiẽsis cũ Præmislo fratris filio expeditionem aduersus Marchiones Brandeburgenses ob Santocũ, auctus Pomeranorum auxilijs. Vastanti autẽ ei hostilem regionem cis Odram, occurrit Otto Longus Marchio, Ottonis tertij filius, cum non contemnendis Saxonũ copijs, & alijs quibusdam auxiliarib. apud Soldinum. Cõmissoq; prælio, facile fundit, fugatq;, utpote uiribus inferior, ac deinde intra munitiones arciũ se cõtinuit. Boleslaus uero oẽm orã cis Odram uictor peruagatus ac depopulatus, dimisit exercitũ. Et intra anni decursum febri extinctus est, tribus filiabus relictis, quarum tutelam Præmislo mandauit. Condidit hic uiuens tres arces, Dupinum, Neslussum, & Boleslauceciam in territorio Velunensi. Condidit & monasterium Gneznæ puellis diui Francisci, seu diuæ Claræ institutum pfessis. Consecutus est autem sub finem eiusdem anni, qui fuit 1279 ad quartum Idus Decembris, Boleslaus Pudicus dux Cracouiẽsis & Sendomiriẽsis: & Cracouiæ apud diui Francisci, quod monasteriũ ipse cõdiderat, sepultus est: benignus & religiosus princeps, & in egentes, cultumq; Dei, ac ministros eius munificus. Cuius illa extant in Cracoui. episcopũ, & ecclesiã, memorabilia beneficia, diplomatibus eius consignata, qb. cũctos sacri ordinis homines, eorumq; adscriptitios omni prorsus onere seruitutis atq; pensionis duci debitæ, etiam telonij, liberauit: & ab omni suorum iudicum & magistratuum, suaq; ipsius iurisdictione exemit. Episcopum autem omninò ducali iure in bonis suis esse iussit, modo ut semel quotãnis principẽ hospitio acciperet, subuectiõesq; ipsi ut præberet, qñ ipsi usu ueniret p episcopalia prædia iter facere. Ad hæc fecit potestatẽ singulis prælatis, ut uocãt, & canonicis basilicæ Cracoui. senos ex nobilitate, aut duodenos e plebe, quos uellẽt ab expeditione bellica eximẽdi, ministerij sui causa: inferiorũ uerò ecclesiarũ collegijs dimidiũ eius numeri. Condidit etiã ac dotauit Crizanouicẽse monasteriũ supra Nidam amnẽ Præmonstratensib. uirginib. Cracouiæ itẽ apud sancti Marci, et sectæ mẽdicantiũ, quæ uocãt de Pœnitẽtia beatorũ martyrum. Ciuitatem uerò Cracouiẽsem iure Saxonico, siue Magdeburgensi, quod etiã Sredense & Teuthonicum uocãt, quo pleraq; oppida & uici, & pagi utunt̃ in Polonia, stabiliuit. Regnauit aũt Boleslaus hic, seu uixit potius post mortẽ patris, quinquaginta duos años. Mortem eius Kinga uxor, uirgo etiam tũ, moderatè tulit. Quin gratias egit Deo, quòd se coniugij uinculo tandem liberasset. Ac mox unà cum sorore Iolenta, quæ post mortem mariti Boleslai Calisiensis ad eam se contulerat, distractis & in usus egenorum distributis cunctis facultatibus suis, diui Francisci religioni & instituto uitæ sese addixit: & ueterem Sandeciam, nequicquam refragãtib. & renitentib. pceribus commigrauit, ibiq; reliquum tempus uitæ in monasterio a se & uiro suo cõdito, peregit. Non multo autem ante hos duos Boleslaos, tertius quoque Boleslaus Legnicensium dux, cognomento Caluus & Rogatca, e uiuis excessit, Henrico, Boleslao, & Bernardo filijs, & quatuor filiab. relictis. Quo tempore etiam Ottocharus Bohemorũ rex in Austria commissa cum Rudolfo Cæsare & Ladislao rege Vngarorum pugna, proditio-

Pax iniqua in Silesia.

Crosna redempta.

Prussi & Lithuani Mazouiam Culmensem, Cuiauiensem tractum uastante.

Prodigium: spectrum.

Brandeburgense bellum.

Marchio Brandeburgensis uictus à Polonis.

Boleslaus Pius dux Calisiensium obijt.

Dupinũ, Neslussum & Boleslauecia arces conditæ: 1279. ann.

Boleslai Pudici mors.

D. Francisci cœnobium.

Cracouiensis ecclesiæ ac diœcesos immunitas & prærogatiuæ.

Crizanouicense monasteriũ.

Cœnobium D. Marci.

Cracoui. urbs iure Teuthonico uti cœpit.

Boleslai Pudici ætas.

Kinga princeps cum sorore Iolenta monasticam uitã amplexa.

Sandecense monasterium.

Boleslaus Caluus seu Rogatca Legnicẽsis dux obijt.

Rudolfus Cæsar. *Ottocarus secundus Bohemorum rex occisus in prælio.* *Venceslaus rex Bohemorum.* *Closcum Silesijs redditum.* *Austriæ ducum & archiducum origo.* *Carolus V. imperator.* *Ferdinandus Cæsar & Rex.*

ne suorum occubuit. Successit autẽ ipsi in Regno Venceslaus filius, quinq; aut certè non plus octo annos natus. Tutelam pueri Otto Marchio Brandenburgensis, Bohemis grauis, administrauit. Tunc igitur Henricus Vvratislauiensium in Silesia dux, Closcum iure suo recepit. Rudolfus Albertum filium Augustæ Vindelicorum, in conuentu principum Austriæ, Styriæ, Carinthiæ & Carniolæ ducem appellauit. A quo originem duxerunt ij, qui deinceps illis regionibus præfuêre usq; ad nostra tempora, & Carolum Quintum Imperatorem, Hispanorum, Siculorum, Neapolitanorumq; regem, ac Ferdinãdum Cæsarem, seu regem Romanorum, Vngarorum, & Bohemorum, fratres germanos, & liberos eorum inclytos.

DE ORIGINE ET REBVS GESTIS POLONORVM, LIBER DECIMVS.

LESCVS NIGER.

Leo Russorum dux.

SVCCESSIT Boleslao Pudico in principatu Cracouiensium & Sendomiriensium Lescus Niger, ex fratre ipsius patrucle ortus, quem ipse sibi Boleslaus successorem designarat, quiq́ue siue uiuente adhuc illo, siue iam mortuo Cracouiã cũ uxore aduolarat, & funeri patris adoptiui iusta persoluerat. Nec tũc sanè quispiam ipsi aduersatus est, bello à Rusis ingruente, cuius metus locum atq; spacium nouãdis rebus non dabat. Nam Leo princeps in Russorum ducibus, Danielis filius, post Boleslai mortem media hyeme, in Lublinensem orã cum ingenti Russorum, Tartarorum, & Lithuanorum exercitu inuaserat: eaq́ue peruastata, Sendomiriensem quoque tractum ferro & igni infestabat. Sed cum Varsius Cracouiensis Castellanus, & palatini duo, nempe Petrus Cracouiensis, & Ioannes Sendomiriensis, represserunt, cum ei se apud Goslice pagum altero a Sendomiria milliario cum parua manu temere quidem, sed tamen euentu prospero opposuissent. Commisso enim prælio tertia die Februarij, cum nostri magno animo impetum in Russos fecissent, cæsis primis, magna trepidatio cæteros inuasit, sicut abiectis armis terga uerterent, & auxiliares barbaros secum inuoluerent. Qui tamen, quod fugiendo pugnare consueuerũt, represso gradu restituerunt nostris paululum. Sed mox & ipsi, deserti à Rusis, instantibus nostris in ueram fugam acti sunt. Fugientes longiùs persecuti nostri, magnam stragẽ edidêre. Cæsa feruntur eo prælio hostium ad octo millia, capta duo, militaribus signis septem nostri uictores potiti sunt. Cætera multitudo amissa præda euasit. Non contentus autem ea uictoria Lescus, intra paucos dies maiores coëgit copias, ita ut ad triginta equitum, peditum uerò duo millia peruenirent, & in Rusiam duxit, ut Leonem ulcisceretur: qui nondum resumpto è superiori clade animo, in penitiora Rusiæ sese recepit. Quocirca impunè Lescus hostilem regionem ad Leopolim usque, quæ arx cum oppido ab isto ipso Leone condita esse & nomen sumpsisse uidetur, peruagatus, direptis, exustisq; multis pagis & oppidis, & arcibus nonnullis, quæ negligentiùs seruatæ ac defensæ erant, captis & euersis, ingentem prædam abegit, in qua ad quatuor millia hominum fuisse, cæsa uerò ad quinque millia feruntur. Sequenti deinde anno, qui fuit 1281. Lescus contra Vvratislauiensem ducem Henricum quartum, qui Probus dictus, re postea longè à probitate abfuit, expeditionem instituit ex huiusmodi causa. Henricus is, quem dico, Boleslai Calui patrui fraude per iniuriam bonis quibusdam, quemadmodum superiùs dictum est, mulctatus, induxerat & ipse in animum suum facinus Probi cognomento neutiquam conueniens. Nam Præmislum maioris Poloniæ, Henricum Legniciensem Boleslai Calui, & Henricum Glogouiensem Conradi filium, duces, ad conuentum & colloquium, quasi de re communi Baríciam, qui pagus in ditione eius erat, euocatos cœperat, & Vvratislauiam deportatos asseruabat, ut aliquid uicissim ab eis iniustis pactis emungeret. Indigne id ferre Lescus, qui uocatus & ipse unà cum cæteris ducibus Polonorum, tamen incertum qua excusatione usus, non uenerat. Ac Præmisli maxumè uicẽ dolens, cum crebris

Russorum cũ Tartaris & Lithuanis excursio in Poloniam. *Rußi cum barbaris superati à Polonis.* *Rußia uastata à Polonis.* *Leopolis à Leone condita. Lwow.* *1281. ann.* *Henricus Probus nomine, non re.* *Duces tres dolo capti ab Henrico Probo.* *Lescus bellum infert Henrico Vuratislauiensium duci.*

bris literis atque legationibus nihil equi ab Henrico impetraret, armis illum uindicare decreuit, orantibus maioribus Polonis, & auxilia pariter cum Mesciugo Pomerano pollicentibus. Itaque coadunato exercitu, & auxiliaribus illis maioribus Polonis & Pomeranis ad condictum locum conuenientibus, triplici agmine Vuratislauiensem Henrici ditionem aggressus, acerbè eam diuexauit, usque ad Vuratislauiensia suburbana, maioribus Polonis maximè ob captum ducem suum in agrestes & oppidanos culpæ expertes, & in innoxia tecta sæuientibus. Nec tamen aut his malis, aut lachrymis & conuicijs suorum Henricus commotus est, ut uel propulsaret illatum bellum, & miserabilem suę ditionis uastationem prohiberet: uel captos duces dimitteret, ac se, suosque præsentibus calamitatibus liberaret. Sed in arce Vuratislauiensi se continebat. Peruastata omni ora Vuratislauiensi, & abacta ingenti præda Lescus auxiliares dimisit, & suas copias domum reduxit. Capti uerò duces pertæsi uinculorum eius, in cuius potestate erant, arbitratu se redemêre. Ac Præmislus quidem Rudense seu Velunense territorium ipsi concessit. Legniciensis uerò & Glogouiensis quinquennio se ipsi cum triginta hastatis, militaturos esse dato iureiurando receperunt, obsidibusque cauerunt. Per idem tempus, Siculi trucidatis una hora per omnes urbes ex composito Gallis omnibus, à Carolo ad Petrum Atragonensem defecerunt, & Gallum regem Hispano commutarunt. Quod multorum deinceps bellorum inter duas has gentes & Italos seminarium fuit. Prussi uerò Cruciferorum ditionem uehementer afflixerunt: & longè, lateque ferro & igni grassati, Christiburgum, Clementiam, Zantirum, Maricuerderum siue Guizinum, & Grudentum arces de ipsis cœperunt, ac diruerunt. Insequenti anno Lithuani cum Iazygum reliquijs subita excursione Lublinensem regionem tripartito agmine crudeliter depopulati sunt. Iura tunc de more Lescus reddebat Cracouiæ, cum de barbarorum excursione certior factus est. Nec mora, omissis rebus omnibus, arma corripere his qui circũ se, quique in itinere erant equitibus, & se sequi iussis, magnis itineribus in Lublinensem oram peruenit. Sed hostes iam prædâ onusti recesserant. Itaque angebatur animi, quòd sibi hostem ulcisci, suosque, qui captiui abducebantur, uindicare procliue non esset. Neque enim cum parua manu longè maiorem hostium multitudinem per ignotos sibi, illis uerò notissimos syluarũ & paludum tramites abeuntes persequi audebat. In hoc æstu animi cum eum ex labore itineris & insomnia fatigatum sopor inuasisset, expergefactus deinde postero die lætus, ab Archangelo Dei Michaële in somnis confirmatum se, & sponsione certæ uictoriæ persequi barbaros iussum esse, pro concione exposuit. Quo sermone animatis militibus & impedimentis cum cõmeatu ponè se sequi iussis, ipse cum expeditis arma tantum & aliquot dierum cibaria ferentibus recentibus abeuntium hostium uestigijs insistit, & inter Naruã & Nemenum flumina tertiadecima die Octobris eos consequitur. Neque enim belli præda impediti celerius iter facere potuêre. Perculsi sunt inopinato Polonorum aduentu barbari, quòd neque paucos, neque imbelles, atque timidos tam longè persecuturos se fuisse suspicabantur. Sed tamen arma citò expediunt, authoribus maximè Iazygibus, qui summa erant audacia. Inuehuntur in eos nostri una & simplici acie, quòd & locus syluis cinctus, angustus, & exiguæ copiæ, quippe quæ sex millia equitum uix continerent, diducere manum in plures acies nõ sinebant. Non segniter & illi primos nostrorum impetus excepêre. Sed in pugnam intentos captiui suorũ signa conspicati, fortuitu oblatis telis à tergo adoriuntur. Inermes quoque & fœminæ clamore sublato suos animabant, & hostibus terrorem incutiebant. Quin & canes, quos secum ducebãt barbari, & qui dudum lætiore ululatu aduenientibus nostris gratulari uisi erant, sæuis morsibus barbaros ipsos impetebant. Itaque ancipiti malo perturbati, effusa fuga proximas syluas petunt. Instat fugientibus Lescus: instant & captiui mutuo sese cohortantes, dolore & ira extimulante. Nox tandem persequendi finem fecit. In eo prælio reliquiæ Iazygum, qui pertinacius nostris restiterant, & à suscepta religione defecerant, penitus extinctæ sunt. De Lithuanis quoque, qui quatuordecim millia bellatorum expleuisse dicebantur, non multi sanè euaserunt. Complures enim qui effugerant, partim pudore, partim timore suorum mortem sibi consciuêre. De nostris, quod mirum cuique ac diuini numinis opus uideri debet, ne unus quidem desideratus est. Lescus recuperata omni prędâ, & cumulata etiam hostium cæsorum spolijs, uictor in Poloniam reuersus, Lublini templum, monimentũ uictoriæ suæ condidit: ac diui Michaëlis, quem in somnis uictoriam sibi pollicentem uiderat, memoriæ dedicauit. Pace per circuitum ab externis hostibus parta, ciuiles motus Lescum exceperunt. Sendomiriensis enim conuentus Ioanne palatino & Christino Castellano eius oræ authoribus, cum quibus

Velunensis terra Hẽrico Vuratislauiensium duci concessa.

Sicilia à Gallo ad Hispanum defecit.

Siculæ uesperæ.

Prussi multa de Cruciferis cœperunt.

Lithuanorum excursio in Lublinẽsem orã.

Somnium.

Narua fl.

Lesci Nigri insignis de Lithuanis & Iazygibus uictoria.

Iazygum reliquiæ deletæ.

Sendomiriensium defectio à Lesco.

Conradi ducis Masouij fuga. bus & Paulus episcopus Cracouiensis sentire dicebatur, ab eo defecit: & Conrado Masouię duci accito, sese, munitionesq; suas subdidit: nec uinci beneficijs & secundis rebus Lesci potuit, ut concœptum in eum iam inde ab initio odium deponeret. Verùm Lescus hoc sic abire passus non est. Nam coacto tumultuariè exercitu de Cracouiensi ditione & aulico suo comitatu, in Sendomiriensem oram cõtra Conradum profectus est. At ille de aduẽtu Lesci certior factus, cum se nõ satis crederet Sendomiriensibus, & paruam ipse manũ secum adduxisset, in Masouiam celeriter se recepit, promittens confestim se cum maioribus copijs reuersurum. At Lescus magna animi moderatione & mansuetudine usus, proceres authores defectionis destitutos à Conrado, facilè sibi reconciliauit: per quos cõuentum omnem unà cum munitionibus in potestatem suam redegit, gliscensq; ciuile bellum sapienter oppresit. *Lesci benignitas & moderatio.* Laboratum est fame eo & sequenti anno in Polonia, usque adeò, ut multi de plebe cum uxoribus & liberis præsens malum euitaturi, in Vngariam atq; Russiam commigrarent. *Fames in Polonia.* Sed utrobique pro salute acerbiori calamitate gentium illarum immanitate & perfidia operti sunt. A`Rusis quidem tributi nomine Tartaris in seruitutem traditi, ab Vngaris uerò, Cumanis barbaris uenundati. Per hoc tempus Philippus episcopus Firmanus legatus pontificis ex Vngaria uenit Cracouiam. *Legatus pontificius in Poloniam & Prussiam.* Humaniùs acceptus à Polonis, quàm ab Vngaris, à quorũ rege Ladislao in uincula coniectus erat, propterea quòd eum ob adulteria & Cumanas pellices post leniores admonitiones diris deuouerat. Sed ipse quoque rex pòst ab Vngaris suis in honesta custodia asseruatus aliquandiu, ad extremum à Cumanis, quorum consuetudinem & mores amplexus erat, interfectus occidit. *Ladislai Vngarorum regis nequitia, improbitas & interitus.* E`Polonia uerò legatus in Prussiam contendit, & controuersiam inter Mesciugum Pomeranorum ducem & Cruciferos diremit. Etenim Varcislaus Mesciugi frater, cum se ad Cruciferos contulisset, eorum institutum amplexus, patrimonium suum ipsis donarat. *Pomerani duces Cruciferis sua donarunt.* Eius exemplum secuti alij duo fratres, & ipsi bona sua eisdem Cruciferis addixerunt, honestum uictum quoad uiuerent, ab eis cum familia sua pacti. Ac donationes quidem illas legatus rescidit. Cæterùm Mesciugum induxit, ut Gneuense siue Meuense territorium ipse donaret Cruciferis. *Gneuense territorium donatum Cruciferis.* In quo mox illi arcem condiderunt, præsidioq; firmarunt, Puterburgum demoliti. *Gneua arx cõdita.* Sequẽti anno mense Octobri rursus Lithuani per Lucouiense territorium in Sendomiriensem tractum improuisi excurrerunt, & magnis incommodis atque calamitatibus multos pagos & oppida affecerunt, nemine resistente. *1283. ann.* *Lithuani Sendomiriensem agrum uastãt.* Namq; nobilitas in arces proximas diffugerat. Exercebat tunc Lescus Cracouiæ iudicia, quæ colloquia nostri uocant. Quamprimum uerò de barbarorum excursione cognouit, correptis celeriter armis cum iis qui aderant, ex equestri ordine, cæterisq; sine mora sequi iussis, nocturnis pariter ac diurnis itineribus hostem persequitur. Sendomiriensis autem conuentus nobilitatem simul & rusticanos homines, præmissis ueredarijs de aduentu suo certiores facit, & occurrere sibi curriculo iubet. Concurrentibus omnibus, ubi haud longè se ab hostibus abesse sensit, aduocatis in concionem militibus, graui oratione eos in hostem animat, ut uiri esse pergerent, & coniugibus ac liberis dulcissimis; propinquis, necessarijs, atque etiam agricolis suis, qui in fœdam seruitutem à barbaris abducebantur, subuenirent. *Lesci oratio ad milites.* Cæsos senes atque paruos pueros, uastatos agros, incensas uillas, pagos & oppida, direpta fana, uiolata sacra grauiter ulciscerentur, & insignem suam, patriæq; communis ignominiam, uel cum uitæ suæ discrimine uindicarent. Honestissimum esse pro patria, & pro aris & focis dimicantem occumbere. Gloriæ quàm uitæ bonos, fortesq; uiros cupidiores esse debere. Non prouenire autem magnam atque solidam gloriam sine magnis periculis. Neque tamẽ eò se hæc dicere, quòd de uirtute & alacritate eorum dubitaret, aut quòd periculosum admodum illud cum barbaris certamen fore crederet. Eosdem enim esse, quos anno superiori intra ipsorum iam fines penè ad internecionem nullo de suis amisso profligassent, quiq; furtis modò & clandestinis latrocinijs uicinos infestare soliti, uirtute & arte bellica nihil ualerent. Irent ergo alacres, cæsisq; suis eorum sanguine parentarent, & captiuos opem suam lachrymis & eiulatibus implorantes, liberarent. Et quo meliore spe & fiducia diuini auxilij, Dei contemptorem hostem adorirentur, confessione eos peccata expiare, & sacrosancta eucharistia cõmunire se iubet. Atque ipse princeps sanè quàm religiosè hoc fecit. Præsensère aduentum Polonorum barbari, & anni superioris fortunam reformidantes, in proximas syluas in Lucouiensi territorio sese subducunt, atque ibi de salute sua consultant. *Lithuanorum consultatio.* Syluis sese diu tegere non poterant. Prædam & impedimenta relinquere nolebant, nec adeò tutum sibi receptum esse animaduertebant, eò quòd experti iam nostrorum audaciam, etiam in intimam Lithuaniam persecuturos se eos esse certò sibi

sibi persuaderent. Nec in armis magnam spem habebant. Sed tamen hoc sibi tentandum extrema penè adducti necessitate constituunt. Itaque relictis in sylua cum paruo imbecillium & ægrotorum præsidio sarcinis, captiuisq; arctius colligatis, ne sibi rursus à tergo negocium facerent, magno impetu & cum clamore incondito in nostros feruntur. Perturbauit nonnihil nostros primus eorum aspectus, propterea quòd præter omnem expectationem ad se contendere eos uidebant, quos fugere crediderant, & quòd multitudine ij superabant. Sed tamen cohortante duce, & instruente acies, cito animos resumpsêre. Duas autem is incursantibus hostibus acies obiecit, quarum alteri Zegota Cracouiensis, alteri Ioannes Sendomiriensis palatinus præerat. Ipse in omnes partes oculos & totum corpus circumferre, ac sollicitè circumspicere, quid quaque in parte gereretur, & sicubi laborantes suos conspiceret, ut mox subsidia summitteret. Nec diu primus ille barbarorum impetus uiguit. Sed uirtute nostrorum, quasi firmo muro obiecto, statim refractus est. Primi qui cum Cracouiensi palatino concurrerant, quod in eius acie aulicus Lesci comitatus ordinatus erat, repressi, ad fugam spectare cœperunt. Quo animaduerso, cæteri quoque conuersi syluas petiuerunt. Inde porrò continuato cursu quoquò uersum diffugerunt. Poloni deposita in syluis præda potiti sunt, & captiuos relaxarunt. Quibus adiuuantibus per aliquot dies deinceps barbaros quicunque in sylua delituerant conquisitos trucidarunt. Reuertentesq; magna omnis generis hominum occurrentium lætitia excepti sunt. In Paulum episcopum Lescus Lithuanicarum illarum excursionum, atque item defectionis Sendomiriensis conuentus culpã conferebat. Habebat enim Paulus magnas necessitudines & clientelas in tractu Sendomiriensi, & cum barbaris amicitias & affinitates coniunxerat. Lesco uerò iam inde ab initio propter captiuitatem suam infensus erat, ita ut non incredibile esset cùm nobilitatem Sendomiriensem ab eo concitatam fuisse, tum barbaros in Poloniam euocatos, quo magis Lescum inuisum apud omnes, suis quenque damnis & publica indignitate acuente redderet. Itaque captus is est iterum à satellitibus Lesci, & Siradiam deportatus. Dimissusq; deinde maiorem immunitatem bonorum suorum ecclesiasticorum, & in Derzanzina pago quicquid ad ducem pertinebat, Castellano & Palatino, Decanoq; & Scholastico Cracouiensi arbitris à Lesco accepit. Nam tria millia pondo argenti, quæ & ipsa soluere Lescus debuerat, ei remisit. Extat ea de re diploma Lesci in basilica Cracouiensi. Insignis est hic ipse annus & alio nefario facinore. Etenim Lucardis Præmisli ducis maioris Poloniæ uxor à pedissequis suis iugulata est. Nec expers huius culpæ Præmislus, quòd ne quæstionem quidem de scelere habuisset, nec pœnas exegisset, habitus, & uulgari carmine notatus est: quod carmen sua ætate Dlugossus uulgo cantari solitum esse memorat. In quo oratio fœminæ illius repræsentetur orantis maritum pro amore coniugali & honore, quem illi semper habuisset, ne uitam sibi adimat, sed ut uel una subucula tectam in domum paternam se remittat. Causa uerò huius patricidij Præmislo ea fuisse fertur, quòd nullos ex ea suscipèret liberos. Quasi uerò id in arbitrio sit cuiusquam, ac non diuinitus concedantur liberi. Sed non inultum id scelus tulit Præmislus. Quamuis enim alteram uxorem duxisset non multo posterius Rixam Suetiæ regis filiam, tamen ne ex ea quidem mares liberos reliquit. Quin etiam alijs aduersitatibus fuit obnoxius. Insequenti enim anno Henricus dux Vvratislauiensium Calissiensem arcem proditione Sandiuoij præfecti traditam ipsi eripuit. Oppidum enim paulò antè fortuito incendio conflagrarat. Erat hic Sandiuoius Ioannis palatini Posnaniensis filius iratus Præmislo, quòd ab eo in mandandis magistratibus & honoribus præteriretur. Nisus est quidem Præmislus arcem ui & armis in potestatem suam redigere, sed repulsus à præsidio Henrici, proceribus intercedentibus cum Henrico pacificatus est, ea conditione, ut pro Calissiensi arce Olobocense territorium Henrico daret, & arcem ei suis sumptibus in eo exædificaret. Quam arcem tertio post anno maiores Poloni ui expugnatam in Præmisli potestatem redegerunt. Neque eam tunc Henricus armis uindicauit, sed dolos uersabat in pectore. Ad quos ita factus erat, ut ne à sacris quidem rebus & sacerdotibus manus abstineret, dum nimia opum cupiditate flagrat. Quas tamẽ iusta diuini numinis uindicta postea alienis cũ suo hærede caperet, reliquit. Atq; ut prætermittamus, quod Calissiensis arcis proditorem Ioannem cum Beniamino nescio quo equite in carcere aliquamdiu tenuit, qui minus etiam dignum facto suo præmium tulêre. Illud quidem certè detestabile eius facinus silentio prætereundum non est, quod in ecclesiam Vvratislauiensem, & in episcopum eius Thomam secundum, Thomę illius, quem Boleslaus Caluus in uinculis habuerat, sororis filium, patrauit.

Lithuani iterum uicti à Lesco.

Paulus episcopus turbator iterum captus.

Derzanzina episcopo Cracouiensium donata.

Lucardis Præmisli uxor iugulata.

Calissia Henrico Vvratislauiensiũ duci prodita.

Olobockũ à Polonis recuperatum.

Henricus Probus ad dolos factus.

Vvratislauiensis episcopi & ecclesiæ bona ac decimæ usurpatæ ab Henrico duce.

Etenim permagnã uim pecuniæ ipsi, & uniuerso ordini ecclesiastico eius diœceseos præter ius & morem in bellum, nescio an illud, quod cum Præmislo de Calisiensi dominatu gerere uolebat, imperauit. Quæ cum non daretur, arcem episcopi Othmuchouiam, & Nyssam oppidum, ac deinde cætera omnia episcopo & sacri ordinis bona inuasit, mox & decimas omnes usurpauit. Nec ea reddere episcopo per honestos & graues oratores, ac postea per se ipsum flagitanti uoluit, superbeq́ insuper & minaciter respondit. Erat tunc Archiepiscopus Gnesnensis Iacobus gente & cognomẽto Suinca, Ioanni defuncto post undecim annorum uacationem & plurium competitorum partim obitum, partim reiectionem, crebramq́ pontificum maximorum mutationem, fauore Martini quarti pontificis, electione collegij Gnesnensis posthabita, successor datus. Is igitur synodo Lenciciæ coacta, de eius sententia Henricum ducem communione Christiani populi unà cum socijs & fautoribus sceleris, & sacrilegij sui exclusit: Vuratislauiensi uerò ciuitati & omnibus locis, quæ in ditione Henrici erant, sacris interdixit. Cui decreto paritum est ab omnibus, preter Franciscanos fratres pluris facientes emolumenta sua & fauorem ducis, quàm disciplinam ecclesiasticam. Quæ res maioris pertinaciæ & crudelitatis Henrico causa fuit. Irritatus enim, episcopum & sacerdotes omnes ditionibus suis eiecit. Qui quocumque in Poloniam commigrarant, humanè & benignè recipiebantur. Episcopus autem cum in concilio Lugdunensi de ui & iniuria Henrici nequicquã quæstius esset, propterea quod Henricus iam prius aures concilij falsis criminationibus per legatos occuparat, reuersus mœrens, Ratiboriam se contulit. Vbi à Cazimiro duce Vuladislai filio perbenignè & honorificè acceptus atque habitus est. Quo factum est, ut æquiore animo exilium illud suum in quintum usque annum ferret. Verùm ne ita quidem tyranni crudelitatẽ exatiauit. Nam is & nobiles quosdam, bonosq́ uiros de suis, à quibus repræhensus erat de scelere, trucidauit, & cum Cazimiro literis & legationibus expostulauit, quod inimico suo receptum præberet, minasq́ adiecit, ni eum pelleret. Quæ cum à Cazimiro contemnerentur, coëgit exercitum, & Ratiboriam obsidione cinxit. Nam Cazimirus uiribus eius impar, arcis munitione se continebat. Cum aliquot dies duraret obsidio, murmurare contra episcopũ & cæteros sacerdotes exules plebs à uictu imparata, & præsertim ij, quorum bona in agris atque uillis diripiebantur, & qui ea formidabant, quæ uictis, captisq́ urbibus, ab irato hoste euenire solent. Qua re cognita, episcopus collocutus cum suis, Indignum esse, ait, ut sua paucorum exulum causa, bene merita de se ciuitas periculum subeat, aut ullo prorsus afficiatur incommodo ac detrimento. Præstare, ut ipsi soli uel capitibus suis iram tyrãni exatient, quam ut tot insontes & bene merentes hospites suos eodem secum exitio inuoluant. Induit deinde sacras & pontificales uestes, nõnullosq́ de sacerdotibus quemadmodum ad sacra peragenda solent, indui iubet, ita spectabilis cum uenerando illo cœtu urbe egressus, ad hostilia castra profectus est. Venientes à longè conspicatus Henricus, attonitus & quasi numine afflatus de papilione exilijt: & obuiam procurrens, ad pedes episcopi sese abiecit, & culpam supplex deprecatus est: augustius quiddam humana specie in uultu episcopi contẽplatus. Benignè eum humo episcopus attollit, amplexatur, & exosculatur non sine lachrymis, certamq́ ueniam, si eum factorum pœniteat, pollicetur. Deinde in proximam ædiculam diuo Nicolao dedicatam pariter ingrediuntur. Ibi semotis arbitris inter se in gratiam redeunt, cum Henricus redderet quæcunque episcopo, ecclesijs & uniuerso ordini sacro ademerat, & pro perceptis emolumentis satisfacturum se esse, ad hæc ampla munera & immunitates ecclesiæ largiturum, & reciperet. Quibus peractis soluit obsidionem, & ab Archiepiscopo uinculo excommunicationis liberatus, interdictumq́ sublatum est. Vt autem referret gratiam pro hospitalitate Cazimiro Thomas episcopus, collegium sacerdotum in arce Ratiboriensi instituit, eiq́ decimas quasdam de suo attribuit. Porrò Henricus posteriori tempore templum sanctæ Crucis in insula Vuratislauiensi è regione basilicæ condidit, & collegium sacerdotum, datis de suo luculentis reditibus, instituit. Quin etiam cum ex uxore Otthonis Longi, Marchionis Brandeburgensium filia, nullos liberos susciperet, Vuratislauiam ipsam cum omni territorio ecclesiæ & episcopo Vuratislauiẽsi sempiterno iure donabat, nisi episcopus eam donationem abnuisset. Dum hæc ita gerũtur in Silesia, nec in minore Polonia quietæ res fuêre, turbante maximè Paulo episcopo Cracouiensi, & omnium odia in Lescum ducem, quo captiuitatem suam ulcisceretur, inflammante. Quod malum eousq́ progressum est, ut iam non priuata paucorum conspiratione, sed publico procerum atq́ nobilitatis consilio Conradus Cirnensium Masouiorũ dux ad suscipiendum principatum accerseretur.

Othmuchouia arx.

Iacobus Suinca Archiepiscopus Gnesnensis non per electionem.

Interdictum ac diræ Archiepiscopi cum synodo in Henricum.

Franciscani sodales interdictum contempsêre.

Episcopus cũ sacerdotib. eiectus è Vuratislauiẽsi diœcesi.

Lugdunense concilium.

Cazimirus dux Ratiboriensium.

Ratiboria & Cazimirus dux bello petitus ob receptũ episcopi & sacerdotum exulum.

Thomas episcopus Vuratislauiens. ad hostẽ sacrato uestitu egressus, iram eius fregit.

Henrici ducis cum Thoma episcopo transactio.

Ratiboriæ collegium sacerdotum institutum.

S. Crucis templum & collegium sacerdotum Vuratislauiæ.

Vuratislauiæ donatio refutata ab episcopo.

Polonia minor ad Conradum Masouium à Lesco defecit.

feretur. Cui cum exercitu uenienti Varsius Castellanus, & Zegota palatinus Cracouiensis, Ioannes Sendomiriensis palatinus, & Christinus Castellanus cum Paulo episcopo & maxima nobilitatis multitudine ad Sendomiriam obuiam progresi sunt, & in uerba eius iurarunt. Itaque ille nullo negocio Cracouiensi & Sendomiriensi dominatu omni tunc potitus est. Sola restabat Cracouia, in qua se Lescus cum uxore continebat. Nec tamen explicabat rationem, quomodo eam in tanta contra se omnium cōspiratione retineret. Nam & ij qui ei fauebant, quiq; in comitatu eius aulico fuerant, ab eo se subducebant, ueriti ne sibi fraudi esset, à publico uniuersi conuentus consilio dissentire. Desertus ab omnibus, ad Cracouiensis ciuitatis, cuius studia nō aliena esse à se animaduertebat, misericordiam confugit. Eius fidei atq; tutelæ Cracouiensem arcem commendauit. Ipse cum uxore, uel ut alij uolunt, uxore Cracouiæ relicta, in Vngariam ad Ladislaum regem profugit. Suscipiunt arcis defensionem Cracouienses ciues. Et quoniam difficulter se arcem & urbem pariter tutari posse existimabant, cùm quòd humiles erant urbis muri, nec bene instructi propugnaculis, tum quod distracta multitudo imbecillior futura erat ad sustinendam uim aduersariorum, qui iam appropinquare cum Conrado dicebantur, relicta urbe cōmigrant in arcem cum uxoribus, liberis, & facultatibus suis. Cognita Cracouiensium ciuium uoluntate proceres, mittunt ad eos quorum gratia & authoritate deduci eos de sententia posse credebant, & non modò impunitatem illius cœpti, sed etiā maiora à Conrado, quàm à Lesco præmia ipsis pollicentur, si cōsensum uniuersi conuentus secuti, Conrado sese & arcem dedant: sin recusent, minas adijciunt. Nihil neq; blandiijs deliniti, neq; minis territi Cracouienses ciues, respondent legationi procerum: Non licere sibi fidem & iusiurandum Lesco semel datum uiolare. Re integra in consilium illud se non esse adhibitos: ne nunc quidem ad id accessuros, cum eius rationē probabilem reddere non possent. Scirent proceres quid agerent, se omnia charissima & uitam ipsam prius amittere, quàm fidem frangere decreuisse. Quæ cum Conrado & proceribus renunciata essent, irritati & multum frementes, ad Cracouiam castra admouent. Cumq; per difficilem sibi esse intelligerent arcis & armis, & commeatu bene munitæ expugnationem, urbem uacuam incendunt, ut uel sic ciuium siue pertinaciam, siue constantiam præsenti priuatorum cuiusq; malorum aspectu frangerent. Sed nihilo tamen segnius illi arcem defendebant. Quanquam autem uastarant paulò antè Tartari Transyluaniam & Vngariā usq; ad Pesium totos tres menses, tamen impetrauit Lescus à Ladislao rege non contemnenda Vngarorum & Cumanorum auxilia, & cum ijs iam aduentabat, eo quidem celerius, ut arci Cracouiensi subueniret. Id ubi didicit Conradus, occurrit ei cum exercitu, & collatis signis apud Bogucice pagum ad Rabā flumen uincitur: dissipatoq; longè maiori quàm Lescus habebat exercitu, in Masouiam usque profugit, ueritus ne alienatis à se aduerso prælio uoluntatib. eorum à quibus accitus erat, in potestatem Lesci uenirent. Sic euentus tunc ostendit, uter iustius arma sumpsisset. Lescus moderatè utens uictoria, captiuos omnes dimisit, proceribus culpam deprecantibus ueniam dedit: deinde Cracouiam ueniens, Vngaros & Cumanos liberaliter remuneratos remisit: Cracouiensibus ciuibus gratias egit, urbem fortius muniuit, eiusq; regimen Teuthonibus solis, qui fidem ipsi præclarè seruassent, proprium deinceps attribuit. Quod ad nostra usque tempora durauit. Habitu quoque & cultu corporis cum eis conformato, quanti eos faceret, ostendit. Hæc anno post Christum natum 1285. gesta sunt. Quo etiam Boleslaus Masouiorum Plocensium dux, Conradi frater, Russiam, siue adeò quæ Russi in tractu Lublinensi & Polesiensi de Polonis capta tenebant, repentina excursione populatus, cum præda onustus domum reuertisset, mox idem incommodum à Rusis accepta damna ulciscentibus, in ditione sua uicissim pertulit. Insequenti uerò anno, Conradus frater eius Gostinino, quod in ditione Vuladislai Loctici erat, per fraudem potitus est. Cum enim nonnullos de suis eò prodendæ arcis causa submisisset, Lithuanos deinde euocauit. Quibus ex improuiso aduenientibus, ij qui subornati erāt, arcem prodiderunt. Captam illi ac direptā Conrado concesserunt, plus sexcentis hominibus ibi partim necatis, partim captis. Quos cum reliqua præda abegerunt. Non tulit eam iniuriam Vuladislaus. Verùm tumultuaria manu facta, silenti agmine ad Plosēū contendit, noctuq; aggressus arcem uigilibus cæsis, facilè fit uoti compos. Deinde procerum utriusque partis opera pax fit inter duces, redditis mutuo, quas interceperant, arcibus damnisq; Vuladislao persolutis. Nec tamen impunè abijt, Masouijs alienæ rei manus admouisse. Eodem enim anno ab ijsdem Lithuanis quos in Gostininense territoriū immiserant, graui

Cracouia in fide Lesci permansit.

Cracouiensiū ciuium fides & constantia.

Tartari Vngariam uastarūt.

Conradus uincitur à Lesco & fugatur.

Raba fl.

Cracouiæ urbis regimen Teuthonibus mandatum.

Lescus cultu Teuthonico usus.

1285. ann.

Masouij Rusfiam, Rusi Masouiam populantur.

Gostininum à Cazimiro surreptum.

Plosēū à Vuladislao interceptum.

Pax inter Lencicienses & Plocenses.

Lithuania Masouiam uexāt.

Sochaſſonia et Ploſcum arces incenſæ. In Pruſsia uermes ueneno ſi. Bernardus Legnici dux obijt. Dobrinum à Pruſsis incenſum. Maſouia Cirnenſis à Leſco uaſtata.

Tartari Poloniam uaſtant cum Rußis. Lyſecenſe monaſterium intactum. Cracouia tentata à Tartaris. Sandecēſe monaſterium intactum.

Pienina arx.

Tartarorum præda. Puellarum captiuarum numerus. Rußis ſocijs etiam nocuére Tartari. Tartari malicioſi.

Maſonia Cirnenſis uaſtatur à Siradienſib.

Siradienſes fuſi & præda exuti à Maſouijs. Matthæus palatinus Siradienſis occubuit. Leſci nigri mors. 1289. ann.

graui excurſione uexati ſunt, & Sochaſſauia, Ploſcumꝗ arces negligentius cuſtoditæ, captæ & exuſtæ. Pruſsiam tunc nouo uermium genere per æſtatem infeſtatam fuiſſe ferunt,
qui caudis cancrorum præditi, quoſcunꝗ aculeo pupugiſſent, intra tertiũ diem extinguebant. Hoc etiam anno Bernardus dux Legnicienſium, Boleslai Calui filius obijt. Sequẽti
uerò Leſcus diſsimulato propoſito per ſpeciem Lithuanici belli Conrado bellum intulit.
Vaſtarant Lithuani cum Pruſsis Dobrinenſem tractũ, qui in ditione Zemouiti erat: Dobrinumꝗ oppidum, magna hominũ ſtrage edita, cum inexpectati die Dominico, uacante diuino cultui multitudine, irrupiſſent, diripuerant & incenderant. Fratris igitur iniuriã
ulciſci ſe uelle cùm ſimulaſſet Leſcus, comparato cùm de ſuis, tum de uoluntarijs cruce ſignatis non paruo exercitu, in Maſouiam deflexo itinere, obuia quæque ferro & igni nemine reſiſtente uaſtauit, & cum ingenti præda domum reuerſus eſt. Atque ex eo tempore
prior illa fortuna ab eo receſsit, & ſecundæ res aduerſis commutata ſunt, ſunt, ne impunè
ferret Deum, & homines fefelliſſe, & prætextu pietatis iræ ſuæ impenſius indulſiſſe. Itaque & tunc licet nemine perſequente complures tamen de ſuis in traiectu fluminum amiſit, & mox ad finem eiuſdem anni cunctæ eius ditiones longè, lateꝗ à Tartaris peruaſtatę
ſunt, & ipſe fuga in Vngariam conſulere ſibi coactus eſt. Nam Tartari fame domeſtica
ſtimulati per Ruſſos, & cum Ruſsis, primùm in Lublinenſem oram & in Maſouiam delati, locuſtarum in modum eas regiones cædibus & incendijs nuſquam abſtinentes depopulati ſunt. Inde porrò diuertentes, Sendomirienſem tractum, & nonnullam partem Siradienſis eadem crudelitate peruagati, fruſtrà tentata Sendomiriæ expugnatione, Lyſecenſis monaſterij, quod S. Crucis dicitur, direptione ſuaſu Ruſſorum penitus abſtinuerunt, & ad Cracouiam pridie natalis Chriſti populabundi peruenerunt. In cuius oppugnatione cum nonnullos fortes uiros amiſiſſent, & Leſcum ducem cum uxore & primoribus in Vngariam profugiſſe didiciſſent, maiore licentia, & furore in pagos & oppida uſque ad Capathum montem debacchati, Sandecenſe tamen monaſterium, pauore, ut creditum eſt, diuinitus immiſſo, non attigerunt. Quanquam aberat inde tum Kinga. Nam
cum duabus ſororibus, Iolenta, & Conſtantia, quæ Danielis Ruſſorum regis uxor fuerat,
& cum uniuerſo cœtu monacharum, quæ ad ſeptuaginta fuêre, ad hæc cum magna ſacerdotum & equeſtrium hominum caterua in Pieninam arcem, natura loci munitiſsimam,
ac unum tantum, & eum quidem peranguſtum aditum habẽtem, ſeſe receperat. Tandem
ſatiati cædibus atꝗ præda barbari, in Ruſsiam reuerterũt. Tantam autem hominum prædam tunc abegiſſe dicuntur è Polonia, ut cum eam apud Vuladimiriam recognoſcerent,
& partirentur inter ſe, unum & uiginti millia innuptarum puellarum cenſa eſſe dicantur.
Eas enim libidinis cauſa ſeruant maximè. Prouectiores tum uiros, tum mulieres, itemꝗ
paruos pueros immaniter trucidant. Ne Ruſsi quidem quamuis ſocij ac tributarij prorſus expertes malorum à barbaris tunc fuêre. Nam barbari exceſſuri è Ruſsia, ut eſt maliciosũm genus hominum, & incantationum atque ueneficiorum gnarum, aquas omnes
infecerunt, exectis captiuorum cæſorum cordibus, & præſentiſsimo ueneno imbutis, &
uerubus ſubter aquas defixis. Vnde plurimi mortales poſtea ex aquæ uenenatæ uſu immedicabilibus morbis correpti, miſerabiliter extincti ſunt, cum ſerius mali cauſa animaduerſa eſſet. Nihil acerbius ille cuncti dominatus ſui ſtatus atque uaſtitas animum Leſci emollijt. Quin is reuerſus ex Vngaria in ſequentem æſtatem expeditionem contra Conradum ducem Maſouiæ rurſus parare cœpit. Sed cum ſegniores ad eam eſſe cerneret Cracouienſes & Sendomirienſes, Matthæo Siradienſi palatino mandat, ut ipſe cum Siradienſibus, qui minus calamitatis à Tartaris pertulerant, in Maſouiam populabundus excurrat. Fecit iuſſa palatinus. Et iam permultis uicis, pagisꝗ uaſtatis præda onuſtus reuertebatur, cum eum Conradus, qui ditionem ſuam ſiue ob imbecillitatem uirium, ſiue ex induſtria uaſtari paſſus erat, cum ualida equitum & ruſticanorum manu occultis itineribus ſecutus, uiceſimaquinta die Iunij in finibus Maſouiæ adipiſcitur: & ſecurum incautumꝗ exercitum ex improuiſo adortus, non leui ſtrage fudit ac diſsipauit. Palatinus
cum paucis fortiter dimicans, occumbere quàm fugere maluit. Præda omni Conradus
potitus eſt. At Leſcus his aduerſis rebus & ſugillationibus hominum afflictus, ex mœrore & angore animi in morbum incidit, quo ſenſim tabeſcens ultima demum die Septembris anni ſequentis, qui fuit poſt Chriſtum natum 1289. uitam cum morte commutauit, & in templo S. Trinitatis apud ſodales Dominicanos honorificè ſepultus eſt, bonus & moderatus princeps, & felix, ſi extrema cum primis contexuiſſet. Quod tamen

impro-

improbitati & perfidiæ procerum magis, quàm ipsi imputandum est. Donauit hic episcopo Cracouiensi iure sempiterno decimam de omnibus metallis in cuiuscunque solo essent intra ipsius diœcesim. Præcessit autem Lescum Zemomyslus frater dux Vvladislauiensium non toto biennio, relictis tribus filiis, Lesco, Præmislo, & Cazimiro, de Salomea filia Suentopelci susceptis. Tametsi Dlugossus nullos eum liberos reliquisse memorat. Hoc anno Cazimirus Oppoliensium dux Henrici fortè Vvratislauiensium ducis uim & arma timens, Venceslao Bohemorũ principi & successoribus eius sese cum dominatu & liberis suis subdidit. Quod Henricus quoque Vvratislauiensis aliquãto prius uiuente adhuc Orthocaro rege fecisse memoratur. Quãquam hic, cum nullos liberos reliquisset, non Bohemorum principem, sed cognatum hæredem habuit.

Decima ex metallis episcopo Cracouiensi donata.

Zemomysli ducis Vvladislauiensis mors & filij.

Oppoliensis principatus addictus principi Bohemorum.

Vvratislauiensis itidem.

INTERREGNVM.

TEmpus quod Lesci Nigri mortem consecutum est, usq; ad resumptum atq; renouatum à Præmislo duce maioris Poloniæ regnum, interregnũ nobis appellare uisum est, propterea quód Cracouiensem dominatũ, penes quem summus Poloniæ principatus post exactũ regem Boleslaum secundum, & intermissum regnum per multos annos manserat, nemo tunc unus obtinuit. Tametsi enim ad extremum Boleslaus Pudicus & Lescus Niger, imo & albus ferè Boleslai pater, duces Cracouienses nihil omninò sibi authoritatis & iurisdictionis in cęterorũ ducum ditionibus uendicauerunt. Nos tamen quo minus perturbata esset series historiæ, eos quoq; in principũ siue monarcharum ordinem redegimus. Deinceps uerò pluribus de Cracouiensi dominatu contendentibus, cum penes neminem unum summa rerum esset, interregnũ id tempus uocare collibuit, quod iam prosequimur. Lesco Nigro sine liberis uita defuncto, Cracouiensis, Sendomiriensis atque Siradiensis dominatus in medio erant, quos alius iure agnationis sibi uendicabat, alius gratia populari ambiebat, alius ui & potentia usurpabat. Primum omnium Vvladislaus Locticus Lesci mortui frater, eodem patre, sed alia matre prognatus, Siradiensem dominatum, seiungentem sese à reliquis, & ultrò se ipsi subdentem occupauit. Ad cæteros quoque adspirabat. Verùm Cracouiensis, & Sendomiriensis conuentus proceres ac equites, comitijs apud Sendomiriam habitis, Paulo episcopo authore & suasore, Boleslaum ducem Plocensem Conradi fratrem principem creauere, posthabito Conrado, cui se bis antea uiuente Lesco subiecerant, propterea quód is remissius & ignauius tunc agere uisus, oblatum sibi principatũ non retinuisset, & quód ipsi postea cum Lesco ditionẽ eius uastassent, ueriti ne memor esset acceptæ iniuriæ. Accitus igitur Boleslaus, possessionem principatus adit, Cracouiamq; solenni pompa deducitur. Nec multò post Henricus dux Vvratislauiensiũ omissa Bohemia, ad cuius principatum procerum quorundam conspiratione cõtra Venceslaum inita inuitabatur, a Cracouiensibus ciuibus clàm accersitus, cum iusto exercitu aduenit. Venienti ciues, in quibus lanij maximè ualebant, portas urbis, quemadmodum conuenerat, aperuêre. Ibi Boleslaus noua & inopinata re perculsus, quippe qui spe quieti principatus potiundi cum non maximo, & ad celebritatem & splendorem, quàm ad bellum instructiore comitatu uenerat, ex arce Cracouiensi se proripuit: & necquicquam retinẽtibus proceribus, qui copias ad eijciendum Henricum cogebant, iratus in Masouiam redijt, dictitans, se non ad bellum, sed ad pacatum principatum suscipiendum, accersitum uenisse. Post discessum Boleslai, arx quoque Cracouiensis Henrico à Sulcone Medireclo, cui Boleslaus eam commendarat, dedita est. Ibi tum proceres capto ex tempore & re præsenti consilio, legationem ad Henricum mittunt, leges quasdam ipsi, si apud se dominari uellet, præscribunt. Quas cùm ille accepisset, princeps renunciatus est. Nec tamen diuturna ei possessio principatus fuit. Vvladislaus enim Locticus iam Siradiensis dux, indignum ducens, alienum fratri suo Lesco successorem in principatu quæsitum esse, exercitum cogit: à maioribus Polonis & Pomeranis auxilia impetrat. Cazimirus quoque frater dux Lenciciensis & Conradus ac Boleslaus Masouij cum suis per se ipsi eum adiuuabant. Quibus omnibus copijs coadunatis, Cracouiam primo Vere contendit, ad deijciendum Henrici præsidium. Redierat Henricus in Silesiam, relicto Cracouiæ præsidio. Factus autem certior de consilio & apparatu bellico Vvladislai, cùm ipse ægrotaret, Henricum Legniciensem Boleslai, & Præmislum Sprotauiensem Conrado filios patrueles suos, & Boleslaum Oppoliensium ducem cum expeditis copijs Cracouiam mittit. Quorum aduentu cognito Vvladislaus,

Vvladislaus Locticus Siradiensem dominatum occupauit.

Boleslaus Plocensis deligitur ad principatum.

Henricus Vvratislauiensis Cracouia potitur.

Boleslaus deserit principatum.

Henricus principatum adeptus.

Vvladislaus Locticus principatum bello petit.

Silesiorum expeditio contra Vvladislaum.

laus, ad Seuerum oppidum, quod nunc est in ditione Cracouiensis episcopi, ad quartum Cal. Martias eis occurrit: & prælio commisso, multis utrinque cadentibus, ad extremum Vuladislao cessit uictoria. Præmislus Conradi Glogouiensis ducis filius, adolescens admodum interfectus, Boleslaus Oppoliensis saucius captus est. Duobus item alijs certaminibus apud Scalam Suetnicium Vuladislaus Silesios fudisse fertur. Victor Cracouiam profectus, cum proceres & equites plerique omnes in fidem eius uenirent, apertis portis receptus, omnium consensu & acclamatione princeps renunciatus est. Sed hic item non diu possessionem principatus retinuit. Henricus enim Vuratislauiensis, non deiectus Seueriensi clade, præsertim quod ciues nonnulli Cracouienses clanculum spem eius alerent, nouum rursum exercitum Cracouiam cum Henrico Legnicensi (ipse enim adhuc decumbebat ægrotus) transmittit. Qui latenter profectus, & nihil ad celeritatem sibi reliqui faciens, cum nocte intempesta ad Cracouiam accessisset, in urbem à conscijs recipitur. Clamore sublato à Silesijs, ut fieri solet capta urbe, tumultuatur tota ciuitas. Nox atque tenebræ incerta omnia & longè quàm erant formidabiliora reddebant. Erat in urbe cum præsidio Vuladislaus, uerùm inopinato tumultu perterritus, cum neque numerum, neque genus hostium exploratum haberet, proditionemq; metuēs, ad Franciscanos sodales se recepisset, ubi suos passim per uicos & plateas cædi, & se quæri didicit, sumpto monachi habitu, de muro à Franciscanis demissus euasit. Qui uerò partium eius fuerant in urbe, reperti ab aduersarijs partim necati, partim capti sunt, & bona eorum direpta. Cuius calamitatis ne Paulus quidem episcopus expers fuit, quod impensius Vuladislao fauisset. Deinde in agros & uillas procerum & equitum, qui defectionis ad Vuladislaum capita fuisse existimabantur, ferro & igni sæuitum est. Quibus malis adacti cæteri certatim in potestatem Henrici redierunt. Henricus constitutis utcunque rebus Cracouiæ, & ualido præsidio imposito, episcopo ac cæteris captiuis dimissis, properè in Silesiam reuersus est, quòd Henricum Vuratislauiensem ueneno, à suis, ut creditum est, propinato, animam agere, siue adeò mortuum iam esse accepisset. Veniens autem Vuratislauiam post mortem Henrici, multorum ciuium & procerum ac militum fauore, urbe & arce, ac dominatu denique omni Vuratislauiensi potitus est, elapso per fugam Conrado patruo Glogouiensium duce, quem defunctus dux testamento hæredem in eo dominatu instituerat. Nam Cracouiensem & Sendomiriensem ditionem, cum ipse nullos liberos relinqueret, Præmislo duci maioris Poloniæ legauit. Quem per idem tempus Mesciugus etiam Pomeranorum dux, cum uxorem quidem habuisset, sed monacha quadam pro concubina abusus fuisset, fratribus siue iam extinctis, siue iusta uindicta præteritis, successorem sibi designauit, & mox Pomeranos in uerba eius adegit, & intra quartum annum mortuus, uacuam ipse Pomeraniæ possessionem reliquit. Morte atque testamento Henrici cognito, urbs & arx Cracouiensis Præmislo seruatur. Sendomiriensem uerò dominatum Vuladislaus retinebat, ac de recuperando etiam Cracouiensi cogitabat, cum noua & inopinata res obiecta, rationes eius omnes conturbauit. Etenim Gryphina Lesci Nigri uxor, siue pertæsa belli ciuilis, siue ne dotalibus bonis à uictore eijceretur uerita, missis clàm legatis ad Venceslaum Otthocari & Kunegundis sororis suæ filium, Bohemorum ducem, donauit ei Cracouiensem & Sendomiriensem dominatum: quem sibi à Lesco marito donatum esse, confictis diplomatis affirmabat. Non refutauit quamuis cassam & inanem donationem Venceslaus, cupidus proferendi imperij: quippe qui etiam superiori anno, Nicolaum fratrem suum nothum, per iniuriam Opauiensi dominatu eiecisset. Itaque anno sequenti, qui fuit post Christum natum millesimo ducentesimo nonagesimoprimo, cum ipse motibus quibusdam domesticis, & morte soceri Rudolphi Cæsaris impediretur, Tobiam Pragensem episcopum cum exercitu in Poloniam adeundę possessionis gratia misit. Poterat Præmislus Cracouiam defendere ac retinere, sed quia cum Vuladislao quoque rem sibi fore uidebat, ne duplici bello pariter sese implicaret, & ut exorientem Vuladislai potentiam, quam suspectam habere cœperat, ualidiori hoste ipsi obiecto, reprimeret, deducto præsidio suo, Cracouiam Bohemis tradit. Hinc omnis tractus Cracouiensis in potestatem eorum uenit. Ad Sendomiriensem deinde animos adijciunt: ac Vislicia primùm per deditionem potiuntur, deinde Oblecomum arcem prope Vistulam situm ui capiunt. Sendomiriam uerò oppugnare adorti, à Vuladislao cæsis, captisq; compluribus, & plurimis uulneratis, ignominiosè repulsi sunt. Itaque inde reuertentes, relicto

Seuerum oppidum.
Vuladislaus uicit Silesios.
Vuladislaus princeps renunciatus.
Cracouia proditione recepta ab Henrico.
Vuladislaus Cracouia pulsus.
Paulus episcopus captus.
Henrico principatus receptus.
Henrici mors.
Henricus Legnicensis Vuratislauia potitus.
Henrici Vuratisl. testamentum.
Præmislus successionibus fortunatus.
Pomerania Præmislo donata.
Cracouia Præmislo seruata.
Gryphina donat principatum Venceslao Bohemo.
Opauia Bohemo quæsita.
1291. ann.
Bohemorū expeditio in Poloniam.
Cracouia in potestatem Bohemorum uenit.
Vislicia potiti Bohemi.
Oblecomum arx.
Bohemi repulsi à Sedomiria.

relicto ad tutandas munitiones & maximè Cracouiam forti præsidio, & abducta secum Gryphina, ne sententiam suam de donatione mutaret, in Bohemiam se receperunt. Ibi Vuladislaus, re apud Sendomiriam feliciter gesta erectus, munitiones aduersariorum armis aggreditur, & expugnat. Visliciam deiecto hostium præsidio recipit. Inde ad Cracouiam progressus, omnem circumcirca regionem, utque adeo suburbana etiam ipsa uastat ac diripit. Nec tantum animorum & uirium habebant Bohemi & nostri qui cum eis sentiebant, ut liberiores Vuladislai excursiones reprimerent. Itaque in Bohemiam ad Vẽceslaum mittunt, ut sibi subueniat. Mittit ille eis rursus Tobiam episcopum mediocri manu, ut eos utcunque confirmaret, & uel inducijs cum Vuladislao bellum suspẽderet, si cohibere eum nequiret. Sed is cum neque uiribus Vuladislao parem se esse cerneret, neque ferocem & indomitum animum eius flecteret, mox in Bohemiam rebus infectis rediit. Cum autem uexare Cracouiensem oram Vuladislaus non intermitteret, crebris suorum nuncijs & querelis excitus Venceslaus, ipse per se insequenti anno expeditionem in Poloniam fecit et Ottonem Longum Brandeburgensem marchionem, tutorem aliquando suum, in auxilium cum Saxonibus euocauit. Hi ergo præpotentes duces iunctis copijs per Oppoliensem tractum, post medium mensem Augustum Cracouiam aduenerunt: & accepti honorificentissimè, aliquot septimanis ibi de ratione belli cum Vuladislao gerendi consultarunt, cum ille quiesceret interim, & hostium consilia captaret. Tandem in Siradiensem eius ditionem impetum faciũt, eamque liberiore excursione depopulantur. Habebat quidem exercitum Vuladislaus, sed nusquam tamen ad uniuersæ rei dimicationem ueniebat: uerum ex insidijs uexabat hostes, & sæpe quiescentes & corpora curantes, quàm tumultuosissimè ad castra obequitans exagitabat, pabulatores & frumẽtatores & lignatores è latebris subitò prosiliens excipiebat, ita ut ij postea nusquam è castris absque forti equitum peditumque præsidio prodire auderent, & in castris excubias nocturnas duplicarẽt. Ita eis terrorem Vuladislaus incusserat. Quare non diu morati, oppido Siradiensi exusto, arce uerò in palustri loco sita, ne tentata quidem, Cracouiam, atque inde mox domos suas reuerterũt gloriabundi, quasi magnum operæprecium fecissent, quòd pagos aliquot & oppidum, neque manu, neque situ munitum incendissent. Nec ita multò antè Lithuani, duce Vithene per syluas Masouiæ conniuente Boleslao duce profecti, in Cuiauiam impetum fecerant: ac Brestensẽ territoriũ depopulati, magnã prędã abegerant. Annus hic 1292. post Christũ natum insignis est etiam morte Kingę siue Kunegundis uxoris Boleslai Pudici, sanctæ & religiosæ fœminæ. Quæ nullius unquam uiri experta concubitum, post mariti mortem, distributis in usus egenorum & in cultum diuinum omnibus facultatibus suis, in Sandecensi monasterio plus duodecim annis, duram exegit uitam. Sanctimonia uerò eius multis & stupendis miraculis cùm ab ea uiuente, tum post mortem ad sepulchrum eius editis diuinitùs comprobata fuisse, à Dlugosso memoratur. Sanctam fœminam improbus episcopus Cracouiensis Paulus consecutus est: qui cùm alijs studijs minimè dignis episcopo, tum uenationi sic fuit deditus, ut uenatorem quòd feram imprudens è cassibus repulerat, uenabulo transfigeret. Accepit autem successorem Procopium præpositum Sendomiriensem, & canonicum Cracouiensem, quem Dlugossus Russum de gente Cuflorum, & Gryphinæ propinquum, ac Lesci Nigri cancellarium fuisse memorat. At in Silesia per eadem tempora, Conradus dux Glogouiensis, bellum aduersus Henricum Lenciciensem animo uersabat, ob interuersum Vuratislauiẽsem dominatum. Et cum imparem se illi esse uiribus intelligeret, incautum dolis circumuenire studebat, & clandestinis nocturnisque incursationibus & latrocinijs ditiones eius uexabat. Deinde fratrem germanum Henrici Boleslaum Suidniciensium ducem, felicitati fratris inuidentem, in societatem belli asciuit. Videns autem Henricus bellum à Conrado patruo contra se magno studio comparari, cum non paruam Vuratislauiensis conuentus partem illi fauere non esset nescius, ad eundem fratrem Boleslaum mittit oratum, ut arma secum aduersus Conradum coniungat: ignarus pactorum, quæ ille prius cum Cõrado pepegisset. Causificatur Boleslaus tenuitatem facultatum suarum. Tandem acceptis ab Henrico duobus territorijs, Iauoriensi & Stregomensi, iusiurandum dat, se ipsi non defuturum. Vbi tempus expeditionis faciendæ aduenit, admonitus pacti ab Henrico Boleslaus, moras nectere, & nunc hoc, nunc illud causari. Dat ei rursus Henricus tria oppida, Reichembachum, Frankensteinum, & Strelinum. Nihilo tamen ille magis fidem promissis præstitit. Porrò Conradus cum animaduertisset, non optima fide secum agere Boleslaum, à quo sperarat dolo captum iri Henricum,

Vislicia recepta à Vuladislao.
Vuladislaus Cracouiensem oram infestat.
Pragensis episcopus cum exercitu iterum in Poloniam uenit.
Venceslai Bohemorũ principis expeditio in Poloniã cum Marchione Brandeburgensi.
Siradiensis tractus diuexatur.
Siradia oppidum exustum.
Lithuani Cuiauiã populati.
1292. ann.
Kunegundis principis mors. Castitas. Religio.
Pauli episcopi mors & homicidium.
Procopius episcopus Cracouiensis.
Silesici motus.
Iauoria, Stregomum, Reichembachum, Frankensteinum, & Strelinum duci Suidnicensi donata.

cum, quemadmodum conuenerat, Luticum unum de familiaribus & consiliarijs Henrici, gente Habdancum, donis & promissis ad proditionem heri induxit. Erat hic Luticus in intimis Henrici, & magnis ab eo beneficijs affectus: sed patrem eius Pacoslaum, gratia & fauore principis insolescentem, Henricus capite plecti iusserat, quòd is homicidij reus, crimen, frustra dissuadente ipso iudice, gloriabundus fateretur. Lenierat tamen eum Lutici dolorem Henricus postea, collatis in eum plurimis & magnis beneficijs. Et ille iure cæsum patrem professus, iureiurando dato. Persuaserat Henrico, ne quid ob eam rem de fide sua dubitaret. Hæc non ignota Conrado erat. Itaq; cum faces Lutici animo subderet, ac male curatum uulnus refricaret, effecit, ut plus apud eum ualeret uetus dolor, quàm tot recentia beneficia. Fortè in balneo ad Odram haud longè ab arce Vvratislauiensi corpus curabat Henricus, aduolat eò Luticus cum armatis, Henricumq; præmonitum quidem de aduentu suo, sed nihil tale suspicātem, nudum è balneo extrahit, & uilli palliolo tectum atq; equo impositum, continuato nocte dieq; cursu Sanduoithum, quod in ditione Conradi erat, asportat. Inde uinctus Glogouiam perductus, in angustum uas ferreum concluditur, in quo erant parua foramina, alterum quo cibum sumeret, alterum quo aluum purgaret. In quo sex totos mēses asseruatus, neq; sedere, neq; iacere poterat. Ad extremum eò redactus est, ut iam tabescente corpore, sanies & uermes de scapulis et femoribus eius scaturirent. His malis uictus tandem, numeratis Conrado trigintamillibus marcarum pecuniæ, datisq; Namislouiensi, Berothouiensi, Cruciborgensi, Bicinensi, Cuncestatensi, Rosembergensi, Hainouiensi, & Boleslauiensi territorijs dimittitur. Nec tamen postea conualuit Henricus. Verùm tertio deinde anno lento morbo consumptus est, quintus eius nominis Vvratislauiensium dux, relictis tribus filijs, Boleslao, Henrico & Vvladislao. Quorum tutelam non prius Boleslaus patruus suscipere uoluit orante patre, quàm cum Sobota arx sibi data esset. In minore autem Polonia posteaquam Venceslaus Bohemus uastata, quemadmodum exposuimus, Siradiensi ora recessit, ut cum Adolpho Cæsare, qui Rodolpho successerat, affinitatem contraheret, Vvladislaus Locticus rursum subiectam illi ditionem Cracouiensem infestabat, & magnis incommodis præsidiarios Bohemos uastationem agrorum prohibere uolētes afficiebat. Verùm Tartarica rabies Sendomiriensem oram crudeliter depopulata, uires eius debilitauit. Hoc adeò 1293. anno accidit. Insequenti uerò, Vithenen Lithuanorum dux, quamuis magna strage paulò antè in Prussia fusus à Cruciferis, & uix fuga elapsus, cum mille octingentis equitibus clàm per Masouiam traductis, ex inopinato Lencicensem tractum inuasit. Oppidum Lenciciense atq; templum propter celebritatem quampiam plenum hominibus diripuit, & incendit, agrosq; uastauit. Reuertentem cum præda Cazimirus dux Loctici frater cum tumultuaria manu prope Sochassouiam oppidum, uadato Bsura amne, consecutus est, collatisq; signis magnam in barbaris stragem edidit. Sed ad extremū in confertissimos hostes audacius prouectus & interfectus, uictoriam hosti cōcessit. Nam ducis casu conspecto, cæteri terga uertêre. Tantam uerò prædam hominum abduxêre tunc barbari, ut uiginti capita singulis cederent. Successit autem Cazimiro sine liberis defuncto in Lenciciensi dominatu Vvladislaus frater. Eodem anno Cōradus dux Mosouiæ Cirnensis morte absumptus, cum nullos haberet liberos, Boleslaum fratrem hæredem reliquit. Nec multo pòst Cruciferi Viznam arcem in Masouia expugnarunt & exusserunt, quòd ea receptaculum esset Lithuanis, excursiones in ipsorum ditiones & in Poloniam facientibus, cum Boleslaus crebrò à Cruciferis, ne id fieri pateretur, frustra esset admonitus. Magnus enim ei fuit cum Lithuanis usus, ita ut uxorem quoq; inde haberet Troideni ducis filiam. Sed hic iam decimo libro finis esto. Vndecimi uerò initium à resumpto regno nobis petatur.

Pacoslaus eadem fassus plectitur, quamuis gratiosus apud ducem. Luticus Pacoslai filius, Henricum dominū suum, dolo capit. Crudelitatis exemplum. Transactio. Glogouiensi duci addita. Henrici Vvratislauiensium & Legniciensium ducis mors, et liberi. Boleslai immanitas. Sobota arx. Adolphus Cæsar Vvladislaus Locticus infestat Cracouiensem oram. Tartari Sendomiriensem tractum depopulati. 1294. ann. Vithenen dux Lithuanorum uastat Lenciciensem tractum. Lencicia incensa. Bsura fl. Cazimirus dux Lenciciensium in prælio cæsus. Lenciciensis dominatus Vvladislao accreuit. Conradus Masouiorum dux obijt. Vizna à Cruciferis exusta. Boleslai Masouij uxor Lithuana.

DE ORI

DE ORIGINE ET REBVS GESTIS POLONORVM, LIBER VNDECIMVS.

PRAEMISLVS REX.

PErtæsi malorũ Poloni proceres, quæ Poloniã discerpto in multos principatus regno miserãdum in modum afflixerant, respicere ad regnum & unius dominatum cœpêre. Cui rei tempus etiam ipsum optatam occasionem afferebat. Etenim Præmislus Præmisli primi filius posthumus, uir acer & ad res magnas gerendas factus, maiorem Poloniam omnem solus obtinebat. In Marchia Brandeburgensi & in Pomerania præclarum uirtutis specimen superiori tempore dederat. Pomeraniæ accessione auctus, Henricique Vuratislauiensis testamento Cracouiensibus & Sendomiriensibus princeps nũcupatus erat. His opibus fretus, facilè sperabatur Præmislus & externa bella à Poloniæ ceruicibus depulsurus esse, & cæteros duces ad officium reducturus, & cum dignitate regium nomen laturus. Etiam Cracouiẽsis conuentus animi à Bohemo alieniores facti erant. Erat autem magno & excelso animo Premislus, regnumque ducentis quindecim annis apud Polonos intermissum non modò non aspernabatur, sed appetebat etiam & ambiebat. Igitur anno Christi 1295. indictis Gnesnam, uetustam totius Poloniç metropolim, comitijs, Premislus rex creatur tricesimum octauum annum agens, & mox uicesimasexta die Iunij solenni ritu inunctus, diadema regium ab Iacobo Suinca Archiepiscopo Gnesnensi accepit, adstantibus Ioanne Cerbelio Posnaniensi, Ioanne Romca Vuratislauiensi, Goslao Plocensi, & Conrado Lubussensi episcopis. Nam Procopius Cracouiẽsis, uel iam erat mortuus, uel certè ægrotabat. Vislaus autem Vuladislauiensis incertum qua de causa abfuit. Porrò Culmensis à Cruciferis priùs in ordinem redactus erat, tunc autem, ut nihil prorsus commune cum Polonis haberent, à Gnesnensi Archiepiscopo abstractus, Rigensi subiectus est. Conuentus autem uniuersus, qui erat frequentissimus atque celeberrimus, cum Palatinis & Castellanis, gratulans fausta omnia nouo regi acclamauit, & festis epulis ludisque indulsit. Suscepto regno Præmislus mox cogitationes suas omnes eò cœpit intendere, ut Poloniam uniuersam pacaret, & in concordiam pristinam unumque corpus redigeret. Ac primùm omniũ, offensos ob præsumptum à se regnum cæterorum ducum animos blandis & modestis legationibus demulcere, & ad restinguenda mutua odia, ac dissidia intestina componẽda cohortari instituit. Deinde externis bellis sedandis, tollendisque manum admouit, quò facilius laxatæ exhaustæque suorũ uires reficerentur & coalescerent. Et quoniam Cruciferorum Prussiensium uicinitatem suspectam habebat, & moliri eos iam nonnihil de adipiscẽdo Gdano, quod ipsi propter portus commoditatem ultramarina commercia fructuosius multò quàm tunc erat, fieri à se posse intelligebant, quin potius ad Pomeraniæ totius dominatum aspirare senserat, munire Gdanum orsus est. Tam præclaros autem conatus eius mors immatura præcîdit septimo uel octauo regni suscepti mense. Mortis eius authores Marchiones Brandeburgenses fuisse existimantur. Qui ueteribus odijs incitati, & potentiam uicini & inimici principis, noui regni & Pomeraniæ accessione auctam ueriti, ac de Santocensi territorio, quod Polonis pridem surripuerant, metuentes, cum eum per dolum de medio tollere statuissent, locum atque tempus ad peragendum facinus idoneum nacti sunt, cum ille fessum reipubl. curis atque negocijs animũ apud Rogosnum Polonicum in uicinia Marchiæ Brandeburgensis relaxaret, quòd continentes ei loco syluæ iucundas uenationes præbebant, tempore etiam ad id inuitante, quo uulgo, more ex prisca, uti arbitror, Liberalium seu Bacchanalium superstitione deducto, maiore licentia genio indulgetur. Vt igitur eum ibi securum & incautum opprimerẽt, Otto Longus elector Marchio, cum Ottone altero, & Ioanne Conradi fratris filijs, ex Constantia Præmisli sorore susceptis, & ualida suorum manu nocturno itinere per syluas & auia profecti, diluculo eius diei, quo Christiani anniuersario ritu cinere capitibus aspergẽdo præteritorum flagitiorum abdicationem, & uitæ mutationem profitentur, armatis locum circumdant, rati omnibus qui circum regem erant longa uigilia & crapula pridiana sopitis, nihil sibi negocij

Præmisli opes.

Polonorum regnum quàm diu uacauerit.

1295. ann.

Præmislus rex creatus Gnesnæ.

Culmensis episcopus Rigensi Archiepiscopo subiectus.

Præmisli regia studia.

Cruciferorum uicinitas Polonis suspecta.

Gdanum munitur.

Premislus insidijs Marchionum Brandeburgensium appetitus.

Rogosnum in Polonia: Est alterum in Culmensi.

Bacchanalia.

Cineris dies.

gocij fore in peragendo scelere. Expergefactus tamē primo tumultu Præmislus, nec subita & inopinata re consternatus, cum paucis qui euigilarant, in hostes ad se uenientes nesciens quinam, quamq; multi essent, insiluit: & multis strenui, fortisq; uiri operibus in eos editis, cum unus omnium telis cominus, eminùsq; peteretur, obrutus cecidit. Ibi diffugiūt nostri. Attollunt semianimem regem Saxones, & equo imponunt, ut eum secum abducerent. Sed cum agitationem nullam ferre posse uideretur, pugionibus immaniter confossum reliquêre. Volunt nonnulli Zarembas quosdam & Nalencios, equestres eæ sunt apud Polonos familię, cædis Præmisli si non adiutores, conscios quidem certè fuisse, quòd seueriorem eum uindicem scelerum, & inhonestas parandæ ei rei familiaris rationes refrenantem ferre non possent. Mansisseq; patrati sceleris notam in his familijs, ut neq; rubris uestibus uti, neq; inter equestres homines in acie consistere eis liceret, usque ad id prœlium quo Cazimirus secundus rex cum Rußis cōflixit. Corpus Præmisli Posnaniam relatum, in basilica cum maioribus eius cōditum est, creditur autem uxori peremptæ nece sua pœnas dedisse. Posteritatem quidem, ut concupierat, non reliquit, præter unicam filiam Rixam, nomine materno dictam, decem annos natam. Per idem ferè tempus Procopius episcopus Cracouiensis mortuus Ioannem Muscatam artium liberalium magistrum successorem accepit. Cōdidit autem Præmislus xenodochium siue hospitale in suburbano Calißiensi, Posnaniæ uerò cœnobium puellis sodalitij Dominicani. Porrò Cracouiensi episcopo decimam de dimidijs linis Cracouiensibus iure sempiterno donauit. Cui donationi postea Venceslaus Bohemus reliquū adiecit. Auulserunt postea Marchiones Brādeburgenses ab ecclesia Posnaniensi præpositurā, ut ita loquar, Sancensem, peramplū sacerdotium. Cuius erat iurisdictio ordinaria intra Odrā, Inam, Drauam, Vartā, & Notessum amnes. Conferendæ autem eius potestas penes episcopum Posnaniensem fuit. Sed ereptam Marchiones Soldinensi ecclesiæ adiunxêre. Controuersia diu Romæ agitata, à duobus episcopis, tandem à tertio Ioanne cognomēto Lozia neglecta est. Albertus Crantius etiā complura oppida tunc Polonis à Marchionibus Brandeburgensibus & Misnensibus adempta, indeq; nouam Marchiam uult esse cōstitutam. Nec abhorret à uero. Nam de Prussis ipsi non assentimur. Nisi forti Pomeranos Prussorum nomine appellauit.

Præmisli mors. *Zarembæ & Nalencij Præmisli interfectores.* *Præmisli filia.* *Ioannes Muscata episcopus Cracouiensis.* *Cracouiensi episcopo decima in salinis donata.* *Præpositus Sātocensis.* *Noua Marchia.*

VVLADISLAVS LOCTICVS REX
Designatus.

SVblato per dolum Præmislo rege, ad nonum Calendas Maij, qui dies diui Adalberti memoriæ apud Polonos dicatus est, proceres cum nobilitate & Pomeranis de nouo rege creando frequentes Posnaniam conuenerunt. Iniecta est à nonnullis Rixæ filiæ Præmisli mentio. Sed metus belli, quod à Marchionibus, atque etiam à Cruciferis impēdere uidebatur, uiro forti & potenti potius, quàm imbelli puellæ regnum mādare suadebat. Vvladislaus Locticus inter duces Polonos potißimùm idoneus uisus est, quippe qui & bellis compluribus gestis acer atque peritus rei militaris esset, & nō parum roboris domesticis suis opibus ad teneras adhuc noui regni uires esset adiecturus, cum Siradiensem, Lencicic̄sem, & Sendomiriensem tractum omnem, & Cuiauiensis magnam partem ditione teneret, & Cuiauiensium ducum fratrum germanorum fauor et auxilia non defutura ipsi esse crederentur. Huc accedebat, quòd Heduigim Boleslai ducis Calißiensis filiam habebat in matrimonio. Quare cum per eum maximè Polonia tot imperijs discerpta, rursus in unum corpus coalescere, dignitatemq; suam & amplitudinem pristinam recuperare, & aduersus finitimos defendere posse uideretur, magno consensu eum regem creant. Et in uerba noui regis omnes iurant. Venientiq; arcium & munitionum omnium possessio traditur. Distulit tamen is, incertum qua de causa, solennem regibus inunctionis & coronationis ritum: nec regis nomen, sed heredis regni Polonici usurpauit. Profectus autem in Pomeraniam è maiore Polonia, susceptus est summo cum honore ab omnibus, etiam à Lesco Zemomysli fratris filio, qui mox à Præmisli morte Pomeraniam occupare nixus est, Gdanumq; iam tunc obtinebat. Hoc amoto, ne quid absente se turbaret, secumq; abducto Voislaum quendam Pomeranum nobilem Pomeraniæ præfecit. Sequenti deinde anno in minorem Poloniam se contulit, & Bohemorum præsidia, fautoresq; crebris excursionibus uexauit. Tametsi preter munitiones, quas præsidijs Bohemi tenebant, haud ferè quisquam in fide ipsorum permanebat. Fauebat Silesij fermè Bohemis, & in cæteras oras Poloniæ iter eis præbebant. Vvladislaum uerò regem aspernabantur. Itaque in eos tunc expeditionem fecit Vvladislaus: Silesiamq; longè

Vvladislai Loctici potentia & rei militaris peritia. *Vvladislaus Locticus rex creatur. Heres regni Poloniæ.* *Lescus Gdanū occupauit.* *Voislaus Pomeraniæ præfectus.* *Silesijs bellum facit Vvladislaus rex.*

& latè depopulatus, luculentam prædam, nemine prohibente, auexit. Siquidem dissidebant ipsi inter se Silesij. Boleslaus enim Suidnicensium dux suscepta tutela liberorum Henrici fratris ducis Vvratislauiensium & Legnicensium, moliebatur bellum aduersus Conradum patruum Glogouiensium ducem, quòd is Henricum fratrem suum fœdo, tetroq; carcere ad mortem adegisset, magnaq; parte bonorum mulctasset. Verùm gliscens bellum inter ipsa initia sopitum est inter agnatos, ueritos ne inter se belligerantes, tertio prædæ essent, cum Conradus duo territoria, Boleslauiense et Hainouiense ex pacto Boleslao reddidisset. Quorum Hainouiense quidem, Cozonouia arce munitum, postea filijs Henrici Boleslaus reddidit. Boleslauiense uerò retinuit, et in eo Cliedorfiam arcem condidit. Idemq; cum diuitijs abundaret, Bregam, Nemcium, Grotcouiā oppida muniuit. Et Vvratislauienses imperium suum detrectantes quodam tempore ostentata obsidione eò adegit, ut mœnium urbis altitudinem ad quatuor cubitos demolirētur: Bohemum quoque, bellum sibi minantem, ad Landishutam, intrepidè cum exercitu obuiam progressus, ab instituto deterruit. Nec diu pòst pacificationem illam cum Boleslao, Conradus Glogouiensis superstes fuit: à quo collegium sacerdotum ope Thomæ episcopi Vvratislauiensis accedente Glogouiæ institutum est. Secutus est eum Boleslaus. Qui primus subditis & suis Henrici fratris filiorum, exactiones inauditas ante eum diem in Poloniā imposuit, nobilitatemq; ex censu pro magnitudine possessionum et redituum descripto militare iussit, cum uiritim antea militaret. Reliquit autem filios Bernardum Suidnicensium, Henricum Iauoriensium, & Boleslaum Sambicensium siue Mōsterbergensium duces. Conradus uero Glogouiensis Henricum & Cõradum filios reliquit. Quorum Henricus quidem patri successit, Conradus uerò gibbosus Stinauiensis dux, præpositus Vvratislauiensis fuit. Vocatus autem ad Archiepiscopatum Salisburgensem, cum in itinere apud Viennam accepisset, ceruisiæ usum ibi non esse, repudiato Archiepiscopatu reuersus est. Homo stolidus, si nihil aliud eum mouit. Quasi uero ne frumentum quidem ibi nasceretur, nec posset illuc tantopere concupitæ ceruisiæ coquendæ artifices deducere. Reuertēs autem, à fratre compedibus iunctus est. Vnde suorum ui & ope liberatus, paruo tamen tempore uixit. Post mortem autem eius Henricus frater omni dominatu Glogouiensi potitus est. Per hoc demum tempus Venceslaus cum Iuditha uxore, quæ paulo pòst obijt, Pragæ ritu solenni regium diadema suscepit. At Vvladislaus Locticus post Silesitanam illam expeditionem in maiorem Poloniam cum copijs profectus, quieti se & ocio, uoluptatibusq; dedit. Quæ res ei perniciosa fuit. Etenim milites in bellis rapto uiuere assueti, nec in pace quidem ab iniurijs atq; uexationibus tenuiorū, & ecclesiasticorum bonorum direptionibus, ingenuarumq; matronarum, & uirginum stupris sibi temperabant. Eam licentiam ille non modò non coërcebat, sed indulgentia magis etiam alebat. Cætera quoq; boni & uigilantis principis munera negligentius obibat, muliercularum amoribus irretitus, ita ut externi quoq; & finitimi Saxones plerasq; Poloniæ & Pomeraniæ oras impunè latrocinijs infestarent. Quibus de rebus cum frustrà admonitus & reprehensus esset aliquoties ab Andrea Posnaniēli episcopo, cumq; nihilo minus ecclesiastica bona uexarentur, episcopus toti diœcesi suæ sacris interdixit. Et quamuis satis fecerit episcopo Vvladislaus, tamen odium eius ita altè radices egit in animis hominum, ut conuentu apud Posnaniam habito, regnum ipsi, absenti tunc fortè, & in maiorem Poloniam profecto, post tertium annum abrogarent: Henricoq; Glogouiensi, qui id ambiebat, & alijs suæ stirpis ducibus præteritis, Venceslaum Bohemum regem crearent, quòd retineret is etiam tunc munitiones quasdam in tractu Cracouiensi, & nemo potentior hostis obijci Vvladislao posset. Id autem anno Christi nati 1300. factum est. Quo anno Romæ Iubileus imitatione Hebræorum à Bonifacio octauo pontifice Max. primùm institutus est. Per hæc tempora Lithuani cum reliquijs Prussorum assiduis excursionibus Cruciferos in Prussia & Liuonia affligebāt. Nihilo tamen magis ij insectandi suos episcopos, & in bona munitionesq; eorum inuadendi studium remiserunt. Itaq; et Fridericum Darbatensem episcopum eiecerunt, & Rigensem Archiepiscopum Ioannem patronum suum, quò facilius Rigam ipsi auferrent, in uincula coniecerunt. Per eadem tempora Ottomanus quispiam obscuro loco natus, apud Turcas dominatum arripuit, et res magnas gessit, ac posteris suis regnum & nomen reliquit.

Ccc VENCES-

Silesiorum ducum dissidia.
Cozonouia arx.
Cliedorfia arx.
Brega, Nemcium & Grotcouia oppida munita.
Vvratislauiensium contumacia coercita.
Conradus Glogouiensis moritur.
Glogouiense collegium.
Boleslaus Suidnicensis obijt.
Militandi ratio iussa.
Boleslai Suidnicensis filij.
Conradus Archiepiscopatum Salisburgensem repudiauit propter ceruisiam.
Conradus captus à fratre, & mortuus.
Venceslai coronatio apud Bohemos.
Vvladislai incuria & ignauia.
Militum licentia.
Vvladislaus Locticus amoribus deditus.
Interdictum episcopi Posnaniensis.
Vēceslaus rex Poloniis expetitus.
1300. ann. Iubileus institutus.
Lithuani cum Prussis Cruciferis graues.
Cruciferi in Liuonia episcopis graues.
Ottomanus Turcarum rex [illegible] primus.

VENCESLAVS BOHEMORVM REX.

Venceslaus Bohemus coronatur Gnesnæ, & Rixā Premisli regis filiam uxorem ducit. *Vuladislaus bonis omnibus spoliatus.* *Russi Sendomiriēsem agrum uastarunt.* *Corcinēsis arx incensa à Russis.* *Dobrinum uastatum.* *Vuladislai Loctici fuga & peregrinatio.*

Accitus igitur splendida legatione Venceslaus, adfuit sine mora, Gnesnæq; de more à Iacobo Archiepiscopo inunctus, ac regio diademate cinctus est: & mox Posnaniam profectus, procerum suasu duxit Rixam, quæ & Elizabetha dicta est, Præmisli regis defuncti filiam, quo magis eius coniugio regnum suum apud Polonos stabiliret. Deinde dimißis quoquouersum copijs cum Henrico siue Hincone Berca Dubio, omnia quæ dudum in ditione Vvladislai fuerant, in potestatem suam redigebat. Dum hæc ita geruntur, Rusi tempus aduenisse rati, quo tanquam in uacuam finitimæ sibi Poloniæ possessionem impune possent inuadere, dum Vvladislaus desertus ferè à suis de retinendo siue adeò recuperando regno laborat, Venceslaus uerò nouus rex stabiliendo eo, & redigendis domi in potestatem suam ijs, qui imperium eius adhuc detrectabant, occupatus est, magnis copijs Sendomiriensem tractum infestarunt: & longè, lateq; peruagati, capta & incensa arce Corcinensi, quæ lignea etiam tunc erat, raptim cum ingenti præda domum se receperunt, prius ferè quàm ad Venceslaum regem de excursione eorum nuncius perferretur. Per idem ferè tempus Lithuani Dobrinum depopulati sunt. Malebat autem Venceslaus tunc Vvladislaum persequi, quàm Russos ulcisci. Verùm Vvladislaus cautus atque callidus, nusquam pedem figere, nemini se credere, omnes habere suspectos, in syluis & solis locis latitare, locumq; subinde mutare, famem cœliq; inclementiam patienter ferre, & clàm procerum animos pertentare. Quos ubi partim alienos à se esse, partim arma Bohemorum, & Poloniæ totius consensum metuere, decretumq; comitiorum præuaricari nolle animaduertit, & patrimonio quoque omni à Bohemo spoliatus est, abiecta spe recuperandi regni: & insidias aduersariorum declinans, in Vngariam profugit. Inde porrò Romam priuato habitu profectus, facinora sua duriore pœnitentia expiauit. Deinde reuersus in Vngariam, Amedæi palatini Vngariæ hospitio usus est annis aliquot, occasionem expectans, qua regnum ereptum repeteret. At Venceslaus rex subactis omnibus, quæ in Loctici ditione fuerant, Gostinium quoque & Ploscum adortus est: sed re infecta, agris tantùm uastatis, è Masouia sese recepit. Nec tamen memoriæ proditum est, quæ ipsi causa uel inuadendæ Masouiæ, uel re infecta inde discedendi fuerit. Nisi fortè cum initio Masouij regem eum agnoscere noluissent, armis, belloq; territi, & in potestate eius fore se professi, eum placarunt. Constitutis autem rebus suis in Polonia, relictisq; præfectis Bohemis, penes quos rerum summa esset, in maiore quidem Polonia Nicolao duce Opauiensi, in maiore uerò Fricio Silesio, in Cuiauia uerò Tassa Vissemburgio, in Bohemiam rediit: siue quia prouiso sibi opus esse putabat, ne quid se absente Albertus dux Austriæ & nouus Cæsar uicto & interfecto Adolpho, turbaret in Bohemia uel Morauia, seu quia pestis Poloniam infestare cœperat, seu quia Vngari quoque post Andreæ cognomento Veneti, qui Ladislao successerat, mortem regem eum sibi expetebant. Quanquam enim miserat eis Bonifacius pontifex Carolum Martellum adolescentulum, Caroli Galli Siculorum regis filium ex Vngara matre natum, uiuente adhuc Andrea. Sed non omnes cum eo sentiebant. Multis displicebat exemplum, regem à Pontifice accipiendi. Nec tamen ipse Venceslaus delatum ab Vngaris regnum suscepit: sed filium suum Venceslaum duodecim annos natum eis regem dedit. Nec multo pòst repudiantem controuersum regnum, domum reduxit. Otto deinde dux Bauariæ ab iisdem accitus, & coronatus, à Ladislao palatino Transyluaniæ captus est: nec dimissus, donec & ipse regno se abdicauit. Post id tempus Venceslaus in Poloniam nunquam aspexit. Fuerunt autem eo regnante quietæ res in tota Polonia, præter quòd minores Poloni, cùm uetusta Lublini ereptione, tum noua in Sendomiriensem oram excursione, de qua dudum diximus, irritati ultrò expeditionem aduersus Russos susceperunt. Cuius non ignari Rusi, magnum & ipsi coëgerunt exercitum, Lithuanorumq; ac Tartarorum auxilia sibi adiunxerūt, & apud Lublinum nostris aduenientibus occurrentes, pugnandi copiam fecêre, freti multitudine sua. Nec nostri quamuis longè pauciores pugnam detrectarunt, & summa ope adnixi, uictos hostes in fugam egerunt præcipites. Magna tunc ea strages Russorum & barbarorum fuit, fuissetq; maior, ni propinqua arx Lublinensis receptum eis præbuisset. Tametsi ne munitio quidem satis eos tutata est. Obsessi enim à nostris, cum eruptionem tentare ausi non essent, fame inualescente, ut

Amedæus palatinus Vngariæ. *Gostininum et Ploscum à Bohemis oppugnatur.* *Bohemi Polonis præfecti.* *Albertus Cæsar.* *Pestis in Polonia.* *Vngarorum reges.* *Minorum Polonorum expeditio contra Russos.* *Russi cum Tartaris et Lithuanis uicti à Polonis.*

te, ut fit in magna hominum multitudine, deditionem fecêre. Ita Lublinensis arx post septimum & quinquagesimum, nisi fallor, annum, posteaquam à Russis capta erat, a nostris recuperata est. Condidit autem Venceslaus rex Sandeciam nouam, oppidum ad confluentem Donaiecij & Bialæ fluminum sub Carpatho monte, quem Crempacum opinor nostri uocant. Et erat quidem ager ille in ditione episcopi Cracouiensis. Verùm Venceslaus cum Biecensi arce & oppido, quod & ipsum in confinio Vngarorum situm, nomen Vngarico quàm Polonico similius habet, commutauit: parœciæ tamen conferendæ potestatem penes episcopum reliquit. Cuius monumentum extare Venceslai regis diploma, Dlugossus memorat. Nobis quidem id uidere non contigit. Sed Ladislai regis Vngarorum eiusdem temporis uidimus, quo is arcem & territorium Plothé prope Sandeciam episcopo Cracouiensi donauit. Cœpit deinde noua spes recuperandi regni affulgere Vladislao, cum Polonis exosa iam esse inciperet Bohemorum superbia & auaritia, & Venceslaus Vngarico bello sese implicasse uideretur pro Venceslao filio. Harum rerum cum non ignarus esset Vvladislaus, arripuit oblatam occasionem, & Amedei hospitis ope adiutus, in Poloniam cum aliquanta manu Vngarorum contendit. Adueniens ex improuiso Pelciscam arcem, quæ in ditione ecclesiæ Cracouiensis tunc erat, Visliciæ imminentem, occupat. Mox Bohemorum præsidium Vislicia, fauentibus ciuibus, deturbat. Deinde LeloUiam arcem oppidum in suam redegit potestatem. Hinc iam omnis uicinia ui & metu adacta ad eum deficiebat, & copias eius augebat. Adiuuit autem & fortuna conatum eius. Nam non ita multo post Venceslaus, ut forté Vngarorum perfidiam perosus, ex Vngaria filium repudiato regno reduxerat, Pragæ morbo correptus, uel ueneno, ut existimatum, est appetitus, lenta tabe absumptus est, nono Cal. Iulij, anno Christi Iesu 1305. Eius morte cognita, res Vvladislai aliquantó meliore loco esse cœperunt. Nec magno is negocio agrestium ferè opera Sendomiriensem tractum omnem, deiectis undiq; Bohemorum præsidijs recepit. Tunc uero primores cum pleraq; omni nobilitate Cracouiensis & Sendomiriensis conuentus fortunam secuti; cum Vvladislao se coniungunt, & ad subigendas Cracouiensis oræ munitiones, ducem eum sequuntur. Iam uero & Ioannem Muscatam Cracouiensem episcopum Vvladislaus sibi reconciliauerat, cum ei Biecense territorium cum arce ab Vngaris auxiliaribus suis capta, redditurum se esse promisisset. Venienti cum exercitu, Cracouienses ciues Alberto aduocato authore portas urbis aperuêre. Nec mora, arcem quoque Bohemi dedidêre, cum tardius ipsis subueniret iunior Venceslaus, qui patri hæres in Bohemia successerat, & uictus atq; commeatus inopia longiorem obsidionem sustinere non possent. Fecit tandem anno sequenti Venceslaus iunior expeditionem in Poloniam regni paterni repetendi causa, cuius iam titulum usurparat. Sed antequam Poloniæ fines attingeret, Olomucij, quod primarium oppidum est Morauiæ, meridiano tempore in cubiculo quiescens interfectus est, a suisne, an subornatis ab Alberto Cæsare percussoribus, ne tum quidem in recenti scelere certó sciri potuit. Ex eo tempore Bohemi externos reges & principes habere cœperunt. Ac primùm quidem ad Henricum ducem Carinthiæ, cum quo Venceslai iunioris soror nupta erat, regnum detulerunt. Sed eum statim Albertus Cæsar expulit, & Rudolphum filium suum cum Rixa siue Elizabetha regina uidua matrimonio coniunxit, & principem eis dedit. Qui cùm pauló pôst Pragæ obijsset, Bohemi Henricum reuocarunt. Alterum filium Fridericum Albertus Cæsar eis inuitis præficere uolebat: sed in ipso apparatu belli à Ioanne Rudolphi fratris sui filio, interfectus est. Nec tamen Henrico diuturnus fuit principatus. Perosi enim hominis mores Bohemi, ab Alberti successore Henrico Cæsare eius nominis septimo, Ioannem filium Lucemburgensem comitem, Elizabethæ Venceslai regis iuniori sorori maritum, & sibi regem dari postularunt, & impetrarunt, et ritu solenni regnare iusserunt. Hæc omnia intra sextum annum peracta sunt post mortem Venceslai.

Lublinensis arx per deditionem recepta à Polonis.
Sandecia condita.
Sandecz.
Biala fl.
Crempach mons.
Biecz, arx & oppidum.
Plothe arx episcopo Cracouiensi donata.
Vuladislaus regnum repetit.
Pelcisca arx ecclesiæ Cracouiensis.
Vislicia.
Lelouia.
Vêceslai regis mors.
1305. ann.
Biecz arx ab Vngaris capta.
Cracouiam recepit Vuladislaus.
Venceslai iunioris expeditio in Poloniam.
Olomucium oppidum.
Venceslaus interfectus.
Bohemorum regium stirps defecit.
Bohemorum principes post Venceslaum tertium.
Albertus Cæsar interfectus.
Henricus septimus Cæsar.
Ioannes rex Bohemorum.

VVLADISLAVS LOCTICVS ITERVM.

Bohemi Poloniæ excessere.

Maiores Poloni Henrico Glogouiensi sese subijciunt.

Metropoliticæ sedis uacatio.

Ianislaus Archiepiscopus Gnesnensis.

Vuladislaus Henrico duci bellum facit.

Pomerani iurant in uerba Vuladislai.

Gdano præfectus Bogusslaus.

Lithuani maiorem Poloniã uastant.

Calissia et Stauissinum oppida incensa.

1306. ann.

Cracouiensis arx et basilica arsit.

Nankerus episcopus Cracouiensis. Collecta seu contributio ad instaurationem templi Cracouiensis.

Pomerania Marchionibus prodita.

Palatinus Gdanensis.

Petrus Cancellarius Pomeraniæ proditor captus, & dimissus.

MOrte autem eius uulgata apud Polonos, tunc uerò Bohemi, qui iam antè alienatas esse à se Polonorum uoluntates persenserãt, sibi prospicere, ac de præsidijs undiq; decedere. Nostri uerò, quos ad eum diem metus Bohemorum continuerat, in potestatem Vuladislai ueniunt: & actis Cracouiæ comitijs, magno omnium conuentuum consensu Vuladislaus iterum rex creatur. Posnanienses modò & Calissienses aberant, quòd abhorrerent ab imperiò Vuladislai, pristinorum flagitiorum & iniuriarum eius memores, & ueriti, ne is grauius in se animaduerteret, quòd eum prius eiecissent. Itaq; à cætera Polonia sese tunc ij segregarunt, atque Henrico duci Glogouiensi Conradi filio, quòd ex sorore Præmisli natus erat, subdiderunt. Quod quidem disidium in causa fuit, quo minus tunc Vuladislaus coronaretur, cum diadema ac reliqua regni insignia Gnesnæ de more asseruarentur, & Archiepiscopus, sine quo non fit coronatio, in ditione Henrici esset. Tametsi uacua tunc fuit rursus annis aliquot sedes metropolitica post obitum Iacobi Suincæ Archiepiscopi, propter diuturnam Cardinalium dissensionem in creando pontifice Max. post Benedictum undecimum, qui Bonifacio octauo successerat, & quòd ad extremum Borislaus electus Archiepiscopus confirmatus tandem à Clemente quinto, qui Bonifacio successit, antequam Auinione discederet, extremum uitæ clausit diem. Cui pontifex Ianislaum Sulimæum dedit successorem. Fecit autem bellum Henrico Vuladislaus: uerùm illo nusquam in dimicationem prodeũte, ac munitiones modò defendente, uastatis per æstatem aduersariorum agris, uillis, & oppidis, in Pomeraniam cum nonnullis Polonorum proceribus, in quibus fuit & Kelcius Posnaniensis palatinus, descendit: & Gdani ab uniuerso Pomeranorum conuentu iusiurandum accepit, quòd in potestate eius futuri semper essent. Præfecit autem toti Pomeraniæ Præmislum & Cazimirũ duces, Zemomysli fratris filios, Gdano excepto, quod pariter cum arce Bogussi iudicis Pomeraniæ fidei commendauit. Dum autem Vuladislaus Gdani commoratur, Lithuani silenti agmine per syluas progresi, in maiorem Poloniam excursionem fecêre, Calissiam & Stauissinum oppida incêdêre, & omnem circumcirca regionem uastauêre, & ingentem prædam dissimulantibus Masouijs & qui Vuladislao parebant, abegerũt. Eodem anno, qui fuit 1306. octaua die Maij, basilica Cracouiensis, & arx tota, quæ lignea tunc erat, penitùs conflagrauit, cum ea parte urbis, quæ circum ædem omnium sanctorum est, fortuito incendio ardente carbo ardens uento delatus in tigno basilicæ plumbo tectæ inhæsisset. Sed basilica dirutis ueteribus muris, in eam quam nũc obtinet formam & amplitudinem post quatuordecimum annum reædificata est à Nankero episcopo Silesio nobili gente Oxio, qui Ioanni successit, conferente in eam rem pecuniam non modò collegio & episcopo, uerùm etiam uniuerso ordine ecclesiastico, qui est in diœcesi Cracouiensi. Ad hæc semestribus fructibus omnium sacerdotiorum, quæcunq; per illud tempus uacare contigit, in eum usum cõuersis. Non diu uerò pacatam tenuit Pomeraniam Vuladislaus. Author nouorum motuũ fuit Petrus Cancellarius Pomeraniæ, Suinciæ palatini Gdanensis filius, qui quantò plus posidebat, tantò maiore cupiditate & ambitione flagrabat: & cum repulsam à Vuladislao de quibusdam postulatis passus esset, consilium cæpit nefarium prodendæ Marchionibus Brandeburgensibus patriæ, patre si non impulsore, certè non inscio. Nec difficile hoc ipsi erat peragere, cùm & dignitas inter Pomeranos maxima esset eius familiæ, & nouẽ arces Petrus in sua potestate haberet. Sed proditis re nondum matura eius consilijs aduolat Vuladislaus, captumq; Petrum Cracouiam secum abduxit. In quem si minus lenis fuisset, minùs fortasis postea negocij cùm ipse, tum posteri ius habuissent. Sed erat in fatis, ut Polonia Cruciferorum armis exagitaretur. Dimisit enim eum non multò pòst Vuladislaus, à fratribus eius exoratus, cum ij se obsides fore pro fratre obtulissent. Atque ij quoq;, cum negligentiùs adseruarentur, breui euaserunt, & ad Petrum carceris ignominia & meditati sceleris infamia irritatum, sed de ipsorum tamen salute sollicitum peruenientes, omnem ei dubitationem sustulêre. Acciti Ioannes & Voldemarus tutor eius, Marchiones cum exercitu Pomeraniam ingresi sunt. Nec mora, plerasque omnes eius regionis munitiones partim per deditionem accepêre, partim expugnauêre, adiuuante Petro cum fratribus necessarijs, & clientibus. Ad Gdanum deinde castra admota sunt. Et oppidani quidem, cum magna iam ex parte Teuthones essent, & cum Teuthonibus plurima haberent commercia, Saxonibus portas urbis aperuerant. Arcem tenebat Bogussus iudex cum nobilitate Pomeranica, quæ se perfidia

Gdanenses dedunt se Marchionibus.

Petri

Petri non contaminarat. Is igitur ueritus ne obsessi extrema pati cogerentur, neue aut molestia diuturnæ obsidionis fracti, aut largitione corrupti, hosti arcem dederent, cum . . . mira honestissimo equite maximis itineribus ad Vvladislaum, commendata alijs arce, excurrit, repertumque Sendomiriæ, de statu rerum Pomeraniæ, ac de periculo Gdanensis arcis edocet, opemque eius implorat. Pollicetur Vvladislaus, breui se eis affuturum esse auxilio. Sed quia tardius id fore iudicabat Bogussus, quam præsens necessitas postulabat, si tunc primum indici uniuersæ Poloniæ expeditio in Pomeraniam deberet, præsertim æstate iam declinante, suggerit Vvladislao, ut Cruciferorum Prussiensium opera ad defendendum arcem uteretur, tantisper dum ipse commode bellum aduersus Saxonas comparare posset. Erant uicini Gdano Cruciferi, semperque ferè in armis erant, & facultatibus abundabant. Ad hæc Polonorum se amicissimos, ita ut iure optimo esse debuerant, præ se ferebant. Itaque approbat Bogussi consilium Vvladislaus: extemploque Bogussus ipse, cum regijs mandatis ad Magistrum Cruciferorum proficiscitur. Dato concilio commemorat Polonorum & maxime Vvladislai maiorum in Cruciferos beneficia: pro ijs unam illam gratiam postulat, ut arcem Gdanensem aduersus Saxonas defendendam suscipiant. Non immemorē, nec ingratum fore erga ipsos Vvladislaum. Prolixè illi omnia polliciti, constituerunt cum Bogusso, ut dimidiam arcem ipsi tenerent, & annum unum suis sumptibus defenderent, deinceps uerò post exactum annum quæcunque impendia facerent, ut ea Vvladislao expensa referrent: nec prius arce decederent: quam exoluta illa sibi essent. Damnorum uerò, si qua acciperent, nulla ratio duceretur. Erant pacta in speciem amica, dignamque religione & professione hominum erga patronos gratitudinem ac pietatem præ se ferebant. His igitur conditionibus in arcem recepti, magnam uim commeatus secum importarunt. Ac munera, domiciliaque cum Pomeranis, quemadmodum conuenerat, partiti, non habebant satis defendere munitionem, sed crebris eruptionibus hostem lacessebant, ita ut is in oppidum se recipere cogeretur, & ad extremum instante hyeme obsidionem solueret, relictoque in oppido aliquanto præsidio discederet. Verum id quoque non ita multo post expugnatum, & præsidium interfectum est, ac de authoribus defectionis sumptum supplicium. Etiam non magnopere opus erat adiutoribus ac defensoribus Cruciferis: uerum tamen alebant ij metum Pomeranorum, & subinde plures armati in arcem submittebantur. Cùm autem superiores iam se esse Pomeranis animaduerterent, ferociùs sese gerere, ac sæpè cum illis iurgari atque rixari. Ad extremum apertius totam sibi arcem uendicarunt, & primores nobilitatis Pomeranicæ, ipsumque præfectum arcis Bogussum in carcerem compegerunt. Qua necessitate adductus Bogussus noua pacta cum ipsis iniuit, nimirum ut totam arcem ipsis concederet, ibi uerò eam Vvladislao ad primam eius postulationem deinde redderent, & cum is impensas belli eis exsoluisset. Suspicabantur quidem Pomerani subesse dolum his pactis. Sed quid facerent? Vis eis & iniuria, atque adeò præsens exitium ante oculos obuersabatur. itaque cuncti arce excesserunt. Qua re ad Vvladislaum Cracouiam perlata, cœpit eum pœnitere consilij, de acciendis in auxilium contra Saxonas Cruciferis. Videbat enim se lupis, quod dicitur, oues commendasse: & nō sublatum, sed duplicatum sibi esse bellum, duosque se pro uno hostes cœpisse. Ac tunc demum recordabatur, adhuc Præmislo regnante, Cruciferos ad interuertendum Gdanum adspirasse. Nec multò dissimili cupiditate, quamuis dissimili arte, Michalouiensem ditionem, Culmensi ac Dobrinensi finitimam usurpasse. Acceperant eam hypothecæ nomine à Lesco duce Cuiauiæ ac domino Villegradesi (hoc enim titulo is in diplomate suo usus est) datis ei mutuo trecentis marcis Toruniensibus, quibus ille se in bello Vngarico à Venceslao Bohemorum rege captum redimebat. Conuenerat autem Cruciferis cum Lesco, ut si is intra triennium pecuniam illam non redderet, propria iure sempiterno Cruciferorum fieret ea ditio. Et offerebat quidem eis Lescus cum fratribus pecuniam intra constitutum tempus, nō acceptarunt tamen eam illi, degustata semel possessionis & utilitatis dulcedine, iam hoc, iam illud causificantes, donec aliquantò post Lescus necessitate adductus, acceptis insuper ab eis ducentis sexaginta duabus marcis, dominatu illo, & iure suo omni sese abdicauit. Hæc tunc secum de Cruciferis Vvladislaus reputabat. Nec tamen spem penitùs omnem de fide eorum abijciebat. Existimabat enim, quamuis literis, & legationibus nihil apud eos proficeret, tamen si ipse in colloquium cum eis ueniret, facilè authoritate sua ad æquas conditiones rem perduci posse. Alebant illi hanc spem eius blandis responsis, quo maiore ui ac diuturnitate temporis Gdani possessionem

[margin:] . . . Bogussi fides.

[margin:] Perniciosum consilium.

[margin:] Gdanensis arcis defensio cōmendata Cruciferis Prussiensibus.

[margin:] Pacta Cruciferorum cum Bogusso de defendenda arce Gdanēsi.

[margin:] Gdanum receptum.

[margin:] Gdanensem arcem Cruciferi in suam redegerunt potestatem.

[margin:] Bogussus cum præsidiarijs Pomeranicis captus à Cruciferis.

[margin:] Michalouiensem ditionem quomodo adepti sint Cruciferi.

[margin:] Cruciferorum pacta cum duce Cuiauiæ.

sessionem sibi stabilirent. Tandem constituto loco atque tempore conueniunt rex, et Magister Cruciferorũ, Henricus apud pagũ Craiouice in tractu Cuiauiensi cum primoribus uterque suis. Ibi Vuladislaus exorsus, longa oratione cum Magistro de iniuria occupatæ arcis, & eiectorum suorum expostulat: beneficia maiorum suorum in ordinem Cruciferorum commemorat, pro quibus aliter ij gratiam sibi referant, quàm gratis, bonisq; uiris, & eximiam pietatem atque religionem habitu profitentibus, dignum sit. Atque ut ingrati, iniusti, atque impij esse uellent, fidem quidem certè uel unicum, uel maximum societatis humanæ uinculum, & pacta conuenta, quæ ne barbari quidem temerè uiolarent, seruare eos debuisse. Ad hæc Magister nihil beneficiorum, & ingratitudinis, perfidiæq; exprobatione commotus, placidè & modestè respondet: Se, quicquid fecerit, bono Vuladislai fecisse. Metuentem enim, ne Pomeranorum insolentia, suorumq; impatientia res in maius malum erumperet, excedere Pomeranos arce iussisse, quam retinere ipsi per se non possent. Paratum autem se esse eam reddere, si impẽdia sibi persoluerentur. Aequum eum Vuladislaus postulare affirmat, & edere impendiorum summam iubet. Ibi ille conceptum animo dolum detegit, ac centies mille marcas latorum grossorum (genus est Bohemici numismatis quarta parte nostratem grossum excedens) poscit. Negare Vuladislaus iustam esse eam æstimationem, bonorumq; uirorum arbitrio in ea stare uelle. Recusare idẽ magister, & quantum edidisset poscere. Ingens tunc ea summa fuit in magna annonæ utilitate. Itaq; re infecta, & irritatis magis animis, disceditur. Cruciferi omnem iam Pomeraniam animo complexi, maiore ui bellum comparabant. Augebat autem eis spem potiundæ eius, quòd sciebant Vuladislaum ciuili aduersus Henricum bello de maioris Poloniæ possessione distineri. Lithuanos quoque non modò aduersariorum, sed etiam ipsius Vuladislai ditiones infestos. Nam excurrerant ij superiori tempore populabundi non modò in Calisiensem oram iterum, sed etiam in Siradiensem, quæ in Vuladislai ditione erat. Ipsi uerò Cruciferi prosperiore fortuna contra Lithuanos bellum gerebant. Temporis igitur opportunitate sibi utendum rati, anno Christi 1310. magnas è Germanis suis copias conducunt, cum Marchionibus Brandeburgensibus fœdus iciunt, ea lege ut ij retinerent, quicquid superiori bello in Pomerania occupassent: Gdanũ uerò, Dersauiam, & Suece, munitiones in ripa Vistulæ sitas sibi bello quærendas concederent. Et sanè facile est de alieno esse munificum. Deinde Cruciferi ad Gdanense oppidum, quod in potestate Vuladislai erat, & à Pomeranica nobilitate defendebatur, castra admouent, eo potissimum tempore, quo plurima eò multitudo hominum undique ad mercatum & anniuersarias nundinas confluxerat, hoc est primis Augusti mensis diebus. Idq; eo maximè consilio fecêre, ut ex direptione opulenti oppidi, & mercatorum atque nobilitatis, quæ facultates suas eo importarat, pecuniam in stipendia militum & in cæteros usus belli conquirerent. Defendebatur quidem oppidum strenuè, plurimumq; negocij in expugnando eo habituri esse uidebantur Cruciferi, ni proditio interuenisset. Etenim nocte quadam hostes à ciuibus quibusdam Teuthonici generis aperta porta intromissi, oppidum cæperunt, ingentemq; cædem hominum omnis ordinis, ætatis, atque sexus ediderunt, ut eo crudelitatis exemplo reliquos à defensione cæterarum munitionum deterrerent. Nec in ulla cuiuspiam munitionis expugnatione plus Polonici sanguinis effusum esse proditur ab ullis barbaris, quàm tunc à religiosis illis, & Polonorum beneficiarijs effusum sit. Gdano potiti, ad Dersauiam, quæ Tysciouum appellatur à Polonis, ducunt exercitum: neque tamen interim populationibus & incendijs pagorum & uillarum, hominumq; cædibus abstinent. Præerat arci Cazimirus dux, cui cum Præmislo fratre Pomeraniam à Vuladislao commendatam fuisse, superius memorauimus. Is igitur de aduentu hostium factus certior, ad castra eorum cum Vincentio decano Gnesnensi proficiscitur, quòd non parua ei erat cum Cruciferis & Magistro consuetudo. Sperabat enim eos sua causa susceptum bellum deposituros esse, propterea quòd meminerat, prolixè eos sibi, fratriq; suo de studio & beneuolentia sua polliceri. Admissus in conspectum Magistri & Commendatorum (nam sic ipsi uocant eos, qui rectius legati uel præfecti dicerentur) supplicis habitu, Magistri erga se, fratremq; Præmislum beneuolentiam atque pollicitationes commemorat. Eius hortatu se administrationem Pomeraniæ suscepisse. Nihil unquam hostile, sed bonam uicinitatem, & auxilium ab eo sperare iussos. Orat deinde, ut pollicitationum suarum & officij memor esse uelit, exercitumq; deducat. Si quid ipse, fraterue suus, aut Pomeranorum quisquam, aut patruus denique suus Vuladislaus, in eum, uel in

Vuladislai cum Cruciferis expostulatio.

Magistri Cruciferorum responsum.

Lati grossi siue Pragenses.

Lithuani Calisiensem & Siradiensem tractum uastant.

1310. ann.

Cruciferorum fœdus cum Marchionibus.

Pomerania bello petita à Cruciferis.

Gdanenses nũdinæ.

Gdanẽsis urbs prodita Cruciferis.

Cruciferorum crudelitas.

Commendatores Cruciferorum.

Cazimirus dux supplex Cruciferis.

uel in ordinē Cruciferorum deliquisset, cumulatè satisfacturos esse. Superbè & improbè ei Magister respondit, falsus ea quæ ille commemorarat: uerùm eò id se fecisse, quòd ipsos, quàm potentiorem quempiam uicinum habere mallet. Nunc se, quàm illos Pomeraniam obtinere malle. Sibi se esse amiciorem quàm ipsis. Verùm eam tamen se eis gratiam facere, ut eis præsidium deducere, & res suas saluas auferre liceat. Aut si id nollent, sese suaq; defenderent. His dictis, mensam apponi iubet, inuitat hominem, comitesq; eius comiter. Dum illi prandent, interim exercitus Crucifericus arcem obsidione cinxit. Peracto prandio, cum Cazimirus nihil æqui à Magistro impetraret, & in arcem cum suis reuerti uellet, uidet aditum obsessum ab hostibus. Mittit ad Magistrum qui eum admoneant, pręter officium & ius gentium id sibi factum uideri, quod interim dum ipse de pace agit, arx obsessa sit, & ipse ab ea excludatur. Respondet Magister, errasse Cazimirum, qui existimarit, se cum tanto exercitu ad quietem, somnumq; capiēdum eo uenisse, ullumq; tempus uacuū à rebus gerendis intermissurum esse, donec Pomeraniam in suam redigat potestatem. Si sibi ille auscultarē uellet, arcem sibi, deducto præsidio, rebusq; exportatis, traderet. Ibi Cazimirus cum sciret arcem nō satis munitam esse aduersus tantam uim hostium, neq; commeatu instructam, consilium cœpit necessarium dedendæ arcis: saluisq; rebus & hominibus ad Præmislum fratrem in Succensem arcem se contulit. At Cruciferi Dersauia incensa, ulterius progressi, Choniciam, Nouum, & alia quædam ignobilia oppida partim per deditionem acceperunt, partim expugnata exusserunt. Deinde ad Succe castra mouerunt, quæ una erat arx reliqua in Pomerania, natura, arteq; bene munita, & ad ferendam longiorem obsidionem instructa, quòd in eam se Præmislus & Cazimirus duces, & Pomeranica nobilitas omnis, quæ supererat, cum copijs & facultatibus suis contulisset. Quod cùm intelligerent Cruciferi, maiore cura ad expugnationem eius animos intendere cœperunt: excitatisq; machinis aliquot, mœnia arcis, quæ lignea erant, quatere instituerunt. Ac duobus patibulis è regione arcis positis, exitium obsessis, ni arcem dederent, minabantur. Quò uerò maiorem terrorem eis incuterent, quotidie aliquot homines rusticanos captos appendebant. Facilè autem omnes alios Zifridus quispiam Commendator, optimus scilicet pietatis & humanitatis præceptor (nam & hoc sibi nomen uendicant) crudelitate anteibat: qui quotidie compluribus funibus atque restibus in equum impositis, deuouebat non prius se sumpturum esse cibum, quàm omnes illos funes atque restes in suspendendis Polonis siue Pomeranis expendisset. Verùm hanc eius plus quàm barbaricam immanitatem iusta numinis uindicta diutius impunè grassari passa non est. Etenim quadam die cum ad focum adstaret, furijs derepentè exagitatus in ignem se proiecit, & sic infelix, qui permultos iniustè perdiderat, iustè perijt. Nihil tamen Cruciferorum illa crudelitas minæq;, eorum qui in præsidio erant animos à defendenda arce & obsidione perferenda retardabat. Itaque Cruciferi cum animaduerterent sedendo se tempus terere, & aperta ui nihil proficere, ad dolos sese conuertunt. Andream Cedrouicium, quempiam de Pomeranis, gente Gryphium, auro corrumpunt, ut arcem sibi proderet. Is igitur nocte quadam chordis catapultarum, & balistarum, quibus nostri maximè hostium uim eminus reprimebant, succisis, ad Cruciferos transfugit: & quid egerit, exponit. Igitur postero die Cruciferi magna fiducia turres, quas excitarant, ad mœnia arcis propiùs prouoluunt ab ea parte, quæ interrupto fluminis ambitu liberiorē præbebat aditū. Nostri cum summouere hostem, solito ferocius urgētem oppugnationē, uellent, reperiunt balistas & catapultas redditas esse inutiles. Re noua perculsi, tamen oblatis fortuitu telis extremū conatū faciūt: & partim contis mœnia scandentes hostes detrudūt: partim saxis & molib. deiectis audaciùs succedentes obruūt, ita ut receptui canere Magister cogeretur. At nostri periculo illius diei admoniti, ac ueriti ne grauius in se à Cruciferis capta arce cōsuleretur, misso caduceatore menstruas inducias à Cruciferis impetrarūt, deditionem pacti, ni sibi intra id tempus subueniretur. Vuladislaum de omnib. rebus certiorem faciūt. Nisi celeriter opem sibi ferat, actum esse de se, ac de arce, docent. At ille cum domi quietas res non haberet, Andream Rospirensem Castellanum cum aliquanta manu in auxiliū Pomeranis proficisci iubet, ut bellū modo duceret. Verùm is negligētius agēs, neq; ausus per hostilem exercitū in arcem perrumpere priusquam conspexisset hostem, retro abijt. Finitis inducijs, cum nulla spes auxilij obsessis ostentaretur, post septuagesimum obsidionis diē excedūt arce Præmislus & Cazimirus duces cū Bogumilo præfecto arcis, & Orthone Lexico Castellano, atq; omni præsidio, armisq; & facultatibus suis, & ad Vu-

Magistri superbum & improbum responsum.

Dersouia dedita Cruciferis.

Choinicia & Nouum oppida capta.

Succe arx obsessa & oppugnata.

Zyfridi Commendatoris mira immanitas.

Zyfridi interitus.

Andreas Cedrouicius proditor.

Andreas Castellanus Rospirensis missus.

Succe deditur.

Pomerania sub acta à Cruciferis.

ladislaum profecti, humanè ab eo recreati sunt. Ita tunc Suecensem arcem simul & omnē Pomeraniam Vuladislaus amisit, dum de maiore Polonia sibi adiungenda sollicitus est. Etenim cœperat iam maiores Polonos Henrici, tædium, quòd contemni se ab eo, & iura, institutaq; maiorum suorum uiolari uiderent. Itaque conuentu Gnesnæ habito, deserto Henrico, in Vuladislai fidem & potestatem redierant. Quod cùm accepisset Henricus, Ioannem Biberstelnum comitem cum exercitu ad reuocandos ad officium Polonos misit. Cui uenienti Posnaniam, ciues, authore Premeco quodam, portas urbis aperuêre, præsidiumq; munita basilica accepêre. A qua in prælatos & canonicos, domosq; eorum in insula ad basilicam sitas, sæuitum est, quòd cum Vuladislao sentirent: & Nicolaus cognomento Samotula Archidiaconus Posnaniensis interfectus est. Ad cætera uerò subigenda pergenti Biberstelno, Dobrogostius Samotulius, cognomento Paruus, Thomislai palatini Posnaniensis iam defuncti filius, gente Nalencius, cum Polonis occurrit: uictoq; prælio multis utrinque cæsis, ad extremum uictoria potitus est. Inde præsidium Silesiorum Posnania eiectum: in ciues quòd Henrico fauerant, & occasionem malorum, quibus sacerdotes affecti sunt, præbuisse uidebantur, ea pœna sancita, ne liberi eorum in collegia basilicarum seu cathedrarum episcopalium cooptarentur, reciperentur ue. Nec ita multò post Henricus domi à Boleslao duce Vvratislauensium, Henrici quinti filio, bello lacessitus & profligatus, ex mœrore cùm ægrotasset, quinto Idus Decembris mortuus est, relictis quatuor filijs. Qui sic inter se partiti sunt patrimonium, ut Henrico Zeganensis, Conrado Olesnicensis, Ioanni Stinauiensis, Premislo uerò nato minimo Glogouiensis dominatus cederet. Ad maiorem uerò Poloniam ij ne aspirauêre quidem. Atque ex eo tempore pacatam eam tenuit Vuladislaus. Suscepitq; eodem anno Cazimirum filium ex Heduigi uxore, natum pridie Calend. Maij. Inopia quoque & fame, ex imbribus & inundatione aquarum orta, laboratum est, eo anno in Polonia, & nonnullis alijs regionibus. Subacta omni Pomerania, non deposuêre tamen sollicitudinem Cruciferi, ueriti ne bello à Polonis ea, constitutis domi rebus, repeteretur. Quocirca ut sibi possessionem eius stabilirent, colloquium à Vuladislao Magister Carolus, qui Henrico successerat, petiuit. Nec renuit Vuladislaus, sperans pactis aliquibus (quod malebat quàm armis) recuperare se à Cruciferis amissam Pomeraniam posse. Itaque anno sequenti præstituto die apud Breste Cuiauiense oppidum conuenitur. Ibi Magister grauiter à Vuladislao accusatus, paucis ad excusationem facti sui dictis, magnis precibus ab eo, proceribusque Polonis contendit, ut Pomeraniam sibi & ordini suo iure sempiterno concederent, certam auri, & argenti summam, & Nessouiam arcem cum Orlouo Murinouo pagis uicissim à se acciperent. Ad hæc quadraginta hastatorum auxilium ad quæuis bella Polonis contra quemuis hostem Cruciferorum stipendijs militatura, promittit. Addit etiam, peramplum monasterium, quibuscunque monachis uellet Vuladislaus, pro salute eius, maiorumque eius conditurum se esse. Quasi uerò fraude quæsitis, aut per uim raptis muneribus placetur Deus. Offensus hac oratione Magistri Vuladislaus, quòd irrideri etiam se ultrò ab eo existimabat, indignabundus & minitabundus discessit. Magister uerò repulsam passus, ut aliquem tamen duntaxat in speciem iustum titulum sceleri suo prætexeret, à Marchionibus Brandeburgensibus Ioanne & patruo, tutoreque eius Voldemaro, decies millies marcis latorum grossorum eandem Pomeraniam, de cuius inuasione eos dudum depulerat, emit, eamque emptionem ab Henrico Cæsare sibi & ordini suo confirmari curauit. Nec dissimili parricidio Liuonienses quoque Cruciferi eodem ferè tempore Rigam urbem atque territorium Rigensi Archiepiscopo, à quo ante centum & quatuor, aut quinque annos simili de causa in Liuoniam inducti erant, per summam iniuriam eripuêre. Qua de re cum Romæ lis plus octoginta annis ducta esset, tandem Bonifacius nonus Rigam ordini Cruciferorum quindecim millibus aureorum acceptis addixit. Multa præterea nefaria utrique Cruciferi in Prussia & Liuonia, ac Lithuania quoque designabant, unde apparerent eos delendæ potius, quàm propagandæ apud barbaros religionis Christianæ curam habere. Quæ literis, Clementis quinti Pontificis Max. quibus cognitionem earum rerum Ioanni Archiepiscopo Bremensi, & magistro Alberto canonico Rauennati delegauit, prolixè ac disertè descripta sunt. Quarum literarum exemplum extat apud Dlugossium. Per idem ferè tempus Templariorum ordo potens & ipse ac locuples, per uniuersum orbem Christianum quasi dato à pontifice signo è Viennensi concilio deletus est, ob

Maiores Poloni in fidem Vuladislai ueniunt.
Posnanienses Henrici præsidium recipiūt.
Silesiorum in miiccum acerbitas.
Silesij eiecti à Polonis.
Posnaniēsium pœna.
Henricus à Boleslao uictus et mortuus.
Henrici filij.
Glogouiensis dominatus diuisio.
Cazimirus filius Vuladislao natus.
Fames in Polonia.
Poloni regis conuentus cū Cruciferis apud Breste.
Pomeraniā emunt Cruciferi à Marchionibus Brandeburgensibus.
Riga erepta Archiepiscopo, & Cruciferis addicta.
Cruciferorum facinora.
Templarij deleti.

est, ob nefanda quædam scelera, & prauas de religione opiniones, bonaq; eorum Rhodiensibus D. Ioannis militibus attributa. Sed nos nostra persequamur. Quo minus autem statim Prussienses Cruciferos Vvladislaus ulcisceretur, suaq; ab his erepta recuperaret, ciuilibus quibusdam motibus, & Cracouiensis ciuitatis defectione impeditus est. Nam dum is cæteras Poloniæ regiones, à Cuiauiensi illo colloquio digressus, uisit, ciues Cracouienses, Alberto aduocato authore, Boleslao Oppoliensium duci sese subiecerunt, acceptumq; in urbem receperunt: & ad capiendam arcem, quæ in fide Vvladislai permanebat, adiuuerunt. Sed cum ea neque dederetur, neque expugnari ab eo, qui ad rem certam uenerat, posset, aduocati domum in ipsis mœnibus urbis prope portam, quæ à diuo Nicolao nomen habet, eminentem, pro arce Boleslaus cum suis occupauit. Qua de re certior factus Vvladislaus, nihil sibi reliqui ad celeritatem fecit, quin manu facta ad ejciendum inuasorem contenderet. Legatos tamen ad Boleslaum præmisit, qui de tam insigni iniuria cum eo expostularent, monerentq; eum, ut sua sponte excedere, quàm arma sua experiri mallet. Paruit monitis Vvladislai Boleslaus, cùm non ignoraret, eum cum magnis copijs subsequi, deductoq; de domo aduocati præsidio, urbe excessit. Quem aduocatus & nonnulli alij ciues, qui defectionis capita fuerant, secuti, in Silesia deinceps & in Bohemia exulauerunt. Profugorum bona Vvladislaus adueniens in fiscum suum redegit. Aduocatiæ reditus peramplos e molis, macellis, atque tabernis ademit: primarios quosdam ciues, ut exemplo suo terrori deinceps alijs essent, diris supplicijs affecit, partim equis discerptos, partim rotis implicatos, partim in patibulum actos. Deinde turrim in porta D. Nicolai excitauit, præsidioq; muniuit. Ciuitati uerò ius omne creandi senatus, & ex eo octonos in singulos annos eligendi, penes quos administratio urbanarum rerum esse solet, abstulit, & in palatinum transtulit, ut uel ita superbiam & rebellionem ciuium in posterum reprimeret. Insimulatus est etiam Ioannes Muscata episcopus Cracouiensis conscius fuisse illius defectionis: quod eò facilius creditum est, quod esset Silesius. Itaque multis post incommodis affectus est à Vvladislao: captum quoque & in custodia seruatum referunt. Biecense quidem territorium ei non reddidit Vvladislaus, quemadmodum promiserat. Atque ex eo tempore id in regum potestate mansit. Quin ad Miechouiensem quoque præpositum omnis culpæ expertem, serpsit pœnæ contagio. Nam Lentcouice pagum luculentum & uberem ei Vvladislaus ademit, propterea quòd eius usumfructum Albertus aduocatus præpositi frater habebat. Nec ita multò post Boleslaus Oppoliensis è uita excessit. Masouiæ quoque dux Boleslaus eodem anno, nempe millesimo tricentesimo decimo tertio, mortuus, Zemouitum & Troidenum filios è Lithuana uxore susceptos, & Venceslaum seu Vanconem è Bohema hæredes reliquit. Per idem tempus Henrico Imperatore ui ueneni in eucharistia dati extincto, principes electores per contentionem duos crearunt Cæsares, Fridericum Austrium, & Ludouicum Bauarum: qui Germaniam & Italiam aliquandiu ciuilibus bellis destinuerunt. Quieuit tunc annis aliquot, incertum qua de causa Vvladislaus, nec ad uindicandam Pomeraniã animum adiecit, nisi fortè fames in causa fuit, quæ anno Christi millesimo tricentesimo decimo quinto, ac deinde anno uno interiecto, iterum duobus annis tam acerbè Poloniam omnem afflixit, ut nullò quamuis fœdo edulij genere, ac ne cadaueribus quidem humanis uulgò abstineretur: ac si Dlugosso credendum est, ut parentes in liberos, & hi uicissim in illos sæuirent. Quam famem, ut par erat, dira pestis consecuta est. At Cruciferi augescente in dies cupiditate, ut solet in ijs qui intercute morbo laborant, sitis, ne sacris quidem ac Deo dicatis bonis iniustas manus abstinuêre. Sed ut antea Culmensem ecclesiam occupârant, & à Gnesnensis Archiepiscopi iurisdictione abstractam, Rigensi subiecerant, ita tunc in Pomerania possessiones ac prædia ecclesiarum intrasêre, decimas è suis arationibus sacerdotibus omninò denegarunt: ex agricolarum uerò in pecuniarias pensiones commutarunt, & ita diminuerunt, ut ex manso siue laneo (modus hic est agri, quod Latinè opinor iugerum dicimus) quaterni tantum grossi penderentur. Quibus rebus factum est, ut derelictui haberentur, ac deinde malignè à Cruciferis supprimerentur multa sacerdotia. Iniquius hæc tulêre Archiepiscopus Gnesnensis, & Vvladislauiensis atque Posnaniensis, episcopi, qui decimas è Pomerania capiebant: itemque Ioannes Plocensis, cui etiam ex territorio Michalouiensi decima negabatur. Et cum hoc quidem Carolus Magister transegit ea lege, ut septem annis immune esset id territorium à pensione decimæ, post eos uerò nonaginta marcas Torunenses episcopus decimæ nomine quotannis acciperet. Cæteri uero cum tenaciores essent iuris sui,

Cracouienses ciues ad Boleslaum Oppoliensem deficiunt.

Cracouienses ob defectionẽ puniti.

Ioannes episcopus Cracouiensis captus.

Boleslai Oppoliensis mors. 1313. ann.

Fridericus & Ludouicus Cæsares.

Cruciferorum iniquitas in ecclesiasticos.

De Michalouiensibus decimis transactio.

Magi-

Magistrum, Commendatores, & cæteros Cruciferos publicè in templis execrabantur, & locis quibusdam sacris interdixêre. Verùm contemnebant eam disciplinam, religiosè semper à bonis, pijsq; hominibus obseruatam, Cruciferi, prætextu prouocationis ad Pontificem Max. Qua re adducti episcopi, communicato cum Vuladislao rege consilio, Gerardum Vuladislauiensem episcopum in cuius diœcesi est pleraque omnis Pomerania, & Ioannem eius nominis uicesimum secundum Pontificem Max. qui tunc demum post duorum annorum, triumq; mensium uacationem Clementi quinto successerat, miserunt, ut non modò de ecclesiasticis bonis ac decimis, uerùm etiam de erepta per summam iniuriam Pomerania, regis & uniuersæ Poloniæ nomine contra Cruciferos actionem institueret: simul autem, ut Vuladislao diadema & nomen regium impetraret. Existimabant enim inauspicato id sibi Præmislum iniussu pontificis assumpsisse, quòd non ignorarent interdictum esse ea re nomini Polono post cædem diui Stanislai. Non latuit consilium Polonorum Cruciferos, & ne id procederet, omni ope enitendum sibi esse existimarunt. Itaque miserunt & ipsi ad pontificem, qui nostrorum conatibus obsisterent, litemq; quantum possent ducerent. Regnabat tunc apud Bohemos Ioannes Henrici Imperatoris Romanorum filius, nec solum Bohemorum, sed & Polonorum regis nomen quasi hæreditarium sibi uendicabat. Quæ enim præterea nugatur Hagecus, de expeditione eius in Poloniam, & pace uendita Vuladislao, ne libet quidem adscribere. Eum igitur etiam promissis & muneribus induxêre Cruciferi, ut Vuladislao negocium facesseret: & ne regnum ei decerneretur, summa ope apud pontificem intercederet. Ad quas res perficiendas cum opus haberent grandi pecunia Cruciferi, tributum Pomeraniæ toti imperarunt, binos grossos in marcas, unde triginta millia marcarum redacta esse dicuntur. Ad hæc eiectas naufragio merces in mari, lege Rhodia usurpare cœperunt. Quibus rebus factum est, ut toto ferme quadriennio, nihil aliud impetraret Gerardus à pontifice, quàm ut cognitio causæ inter Polonos & Cruciferos, Archiepiscopo Gnesnensi, Posnaniensi episcopo, & Abbati Mogilnensi delegaretur. Quod uero ad regnum attinet, ut non impediret pontifex, quo minus Poloni iure suo uterentur. (nam apertè Vuladislao regnum decernere noluit, ne Ioannem, & socerum eius Philippum regem Francorum offenderet.) secreto tamen uoluntatis suæ significationem Gerardo dedit. Eamq; Gerardus literis suis regi descripsit: ipse uerò Auinione, ubi tunc degebat pontifex, mansit, suam cum Cruciferis litem persequens. Cum igitur sententiam pontificis, non tam rescripto ipsius, quàm literis Gerardi perspectam haberet Vuladislaus, atque proceres Poloni, comitijs Cracouiam indictis ad uicesimam diem Ianuarij mensis, Vuladislaus cum uxore Heduigi in basilica Cracouiensi tunc primùm instaurata & consummata, ab Archiepiscopo & cæteris episcopis ritu solenni coronatur, anno Christi 1320. Atque ex eo tempore ius coronandi reges atque ipsa regni insignia Gnesna Cracouiam propter amplitudinem, splendoremq; urbis & plurimas, maximasq; commoditates translata sunt. Nec multò post Vuladislaus rex Elizabetham filiam Carolo Vngarorum regi bis uiduo in matrimonium collocauit, & Budam ad sponsum cum splendido comitatu misit. Intendit deinde animum ad purgandam Poloniam furtis & latrocinijs, & ad persequendam litem contra Cruciferos. Verùm detrectarunt ij iudicium delegatorum, apud Bresce Cuiauiense ius dicentium. Sed tamen refutata appellatione, cum causam suam Vuladislaus plurimorum fide dignorum sacri pariter & prophani ordinis hominum testimonijs luculentè probasset, damnati sunt: & Pomeraniam regi reddere, ac centum quinquaginta millia marcarum pecuniæ pro perceptis fructibus, aliaq; triginta millia in litem expensa numerare iussi. Cum autem non parêrent rei iudicatæ, anathemate perculsi sunt, ita ut nusquam ijs præsentibus sacra fieri liceret. Per id autem tempus Lithuani impunè Dobrinum rursus & Masouiam depopulati sunt. Dum hæc ita geruntur in Polonia, & Pomerania, Silesia ciuilibus atque adeò patricidialibus ducum suorum bellis exagitata & labefactata est: & ad extremum libertate partim uendita, partim per uim aut fraudem amissa, Bohemorum iugum accepit, magno reipublicæ Poloniæ detrimento, nec minori suo malo ac dedecore. Author eorum malorum Boleslaus natu maximus filiorum Henrici quinti ducis Vvratislauiensium & Legniciensium fuit. Cuius auaritia maximum dedit Ioanni Bohemorum regi uel dolo interuertendæ, uel per uim subigendæ Silesiæ occasionem. Cum enim adoleuisset hic ipse, quem dico, Boleslaus, & amoto à tutela Boleslao patruo Suidniciensium duce, per seipse paternum dominatum administraret, dilapidare paterna bona cœpit. Qua re offensi cęteri fratres, cum & ipsi iam ado- [illegible] lescerent,

Cruciferi excõmunicati.
Polonorum legatio ad Pontificem Max.
Cathedra Petri plus duobus annis uacauit.
Corona iterum petita Polonis à Pontifice.
Ioãnes rex Bohemorum.
Pomeraniæ tributum impositum.
Lex Rhodia de mercib. naufragio eiectis.
Iudices delegati à pontifice inter Polonos & Cruciferos.
Vuladislaus cũ uxore Cracouiæ coronatur.
1320. ann.
Regni insignia Cracouiã trãslata.
Elizabetha Vuladislai regis filia Carolo regi Vngarorum nupsit.
Cruciferi à delegatis apostolicis damnantur, & excommunicantur.
Dobrinum uexatũ à Lithuanis.
Silesiorum ducum intestina bella.
Silesiæ à Bohemis interuersę causæ.
Boleslaus Vratislauiensiũ dux prodigus & auarus.

lescerent, maturius patrimonij partitionem efflagitarũt. Tres partes pro numero fratrum factæ, Vvratislauiensis, Legniciensis, & Bregensis. Quæ cum inæquales essent, placuit ut cui Bregensis, quæ minima erat, sors obtigisset, ei cæteri certam pecuniam annumerarent. Legniciensis quidem triginta duo millia marcarum, Vvratislauiensis uerò octo & quadraginta. Non tẽtata sortitione, hanc ultrò Boleslaus accepit, illectus pecunia, qua in sumptus quotidianos indigebat. Reliquis uerò duobus sortitis, Henrico quidem Vvratislauiensis, Vvladislao uerò, qui iam hypodiaconus erat, Legniciensis obuenit. Qui quũ præsenti pecunia, quam fratri Boleslao ex pacto debebant, carerent, Henricus quidem à suis hominibus mutuam accepit, & exoluit. Vvladislaus uerò Boleslao Legniciense territorium cum oppido hypothecæ nomine tradidit. Quam ob rem cum tenui admodum fortuna esset, malo usus consilio, uexare & suam, & Boleslai ditionem latrocinijs & populationibus instituit, ut Boleslaum ad remittendam sibi pecuniam, reddendamq; Legniciã adigeret. At ille abundans uiribus, cum fratris conatus improbos aliquoties repressisset, ad extremum eum cœpit, & in uincula cõiecit. Deinde proceribus interuenientibus cum eo pacificatus est ea conditione, ut quingentas ei marcas quotannis ex omni ditione Legniciensi penderet. Quibus pactis, quamuis iureiurando firmatis, non diu stetit Vvladislaus: uerùm infestare rursus latrocinijs cœpit Boleslai ditionem ex Hornisperga arce cuiusdam equitis. Dumq; incautius prædas agit in Bregensi ditione, à rusticis captus cum uiginti socijs, & ad Boleslaum ductus, iterum ab eo in carcerem coniectus est. Vbi cum unum annum asseruaretur, in furorem actus est: dimissusq; postea misericordia fratris, egens, uagusq;, nec satis compos mentis uixit: & in Masouiam profectus, Boleslai eius oræ ducis filiam uxorem duxit. Conrado deinde Olesnicensium duci bellum fecit Boleslaus Bregensis, quòd in eius ditione fermè erant oppida ea, quæ auus ipsius Conradus dux Glogouiensium ab Henrico patre suo iniquis pactis, quemadmodum supra memorauimus, extorserat. Cumq; regionem omnem Olesnicensem peruastasset, eò adegit Conradum, ut is icto fœdere Namislouiam, Berolthouiam, Cruceburgum, Picem, & Cuncestadiam oppida sibi traderet: uicissim autem ipse ei Boleslaus, misertus egestatis eius, Volauiam & Lubensum donauit. Neque tamen hæ tantæ accessiones inopiam Boleslai releuarunt. Sed cùm omnia tanquam in barathrum aliquod, aut in pertusum doliũ caderent, homo sumptuosus ac prodigus tantum alienum æs contraxit, ut Nemcense territorium Bernardo Suidnicensium duci, Hainouiam uerò & Goltibergam Vvratislauiensibus ciuibus oppigneraret. Aliud deinde cœpit parandarum opum consilium. Nam ab Henrico fratre, quòd is nullos masculos haberet liberos, contendit, ut sibi Vvratislauiensem dominatum concederet, Legniciensem uerò à se acciperet. Quod cum negatum esset, facilè æger sua sponte animus eius à Ioanne Bohemorum rege in deteriorem partem impulsus est. Parebant iam Oppoliensium, Ratiboriensium, Cessinensium & Bythomiensium duces Bohemis, à Venceslao rege blanditijs & muneribus allecti. Emerat & Closcum Ioannes rex à Boleslao Zambicensium siue Monsterbergensium duce: unde cum proximas Silesiæ oras latrocinijs per suos infestaret, eò rem perduxit, ut Frankesteinum quoque à Nicolao filio Boleslai paruo emeret. Ad Glogouiam deinde cum animum adiecisset, fauentibus ciuibus, magna iam ex parte Teuthonibus, neque Præmislum ducem eorum uel blanditijs, uel precio ad se pellici, ac ne ui quidem perpelli posse animaduerteret, ueneno eum sustulerat. Cumq; ipsi Henricus & Ioannes fratres pariter successissent, & Conrado tertio fratri Stinauiã concessissent, paruo negocio rex à Ioanne, qui conscius fortassis necis fraternæ fuit, dimidium Glogouiæ pecunia numerata acceperat: & mox corrupto Henrici præfecto, reliquum etiam in suam redegerat potestatem. Tametsi recepit aliquantò pòst paternam portionem Henricus, Henrici huius filius, à Carolo Ioannis regis filio. Nam ipse Henricus senior non diu calamitati illi superstes fuit. Hæc ergo cum haberet iam in Silesia Ioannes rex, totiusq; regionis sibi adiungendæ magna cupiditate flagraret, Boleslaiq; Bregensis & Legniciensis auaritiam atque egestatem suis fraudibus maximè opportunam esse iudicaret, magnis donis atque pollicitationibus eum ad inferendum Henrico Vvratislauiensium duci bellum perpulit. Quare clandestinis primùm incursionibus Boleslaus Vvratislauiensem oram, latrocinantium in morem, uexauit, deinde apertis uiribus infestare adortus est. Agebat hoc quidem rex, ut fratrum dissidijs res suas in Silesia stabiliret, commissosq; inter se ut facilius opprimeret: aut uerò alteri ferendo opem, & illum sibi obnoxium faceret, & alterum subiugaret, sed cum prima hæc spes fefellit. Henricus enim cum fratris iniurias & populationes partim ferendo, partim ar-

Diuisio dominatus inter fratres.
Bregensis dux Boleslaus.
Henricus Vvratislauiensis.
Vvladislai latrocinia.
Hornisberga arx.
Vvladislaus Legniciensis in carcerẽ coniectus à fratre.
Bregensium cum Olesnicensibus bellum.
Boleslai prodigalitas.
Oppoliensis, Ratiboriensis, Cessinensis & Bythomiensis duces Bohemo subditi.
Closcum à rege Bohemo emptum.
Frankesteinũ emptum à rege Bohemorũ.
Præmislus Glogouiensis ueneno sublatus.
Glogouiã rex Bohemorum in suam redegit potestatẽ.
Henricus Zeganensis mortuus.
Bellum inter fratres.
Ioannis regis Bohemorum astrum ingenium.

cendo cohibere tamen satis non posset, ad Vuladislai regis Polonorum auxilium confugit, eiusq; fidei se ac dominatum suum omnem tradidit. Ac facilè quidem Vuladislaus Boleslai conatus fregit, metuq; proprij periculi eum compescuit. Quo facto, uir bonus Henricum sua sibi habere iussit, ut sorores nubiles elocaret. Id ubi cognouit Ioannes rex, qui iam de Vvratislauia propemodum desperarat, noua spe erectus, dolis sibi agendum esse duxit, Henricum per speciem arduorum & arcanorum negociorum ad se accitum, & perquàm honorificè acceptum, blanditijs, liberalitate, precio, ingentibus promissis, & odio denique inimici fratris tandem induxit, ut sibi Vvratislauiensi dominatu cederet: Closcumq;, quoad uiueret, utendum fruendum à se acciperet, adiutoribus ad eam rem Henrico persuadendam usus proceribus, & ciuibus Vvratislauiensibus, quorum consilijs Henricus utebatur, pecunia corruptis. Ita Vvratislauia potitus Ioannes, non multò pòst Hainouiense & Golubergense territoria, quæ Vvratislauienses hypothecæ nomine à Boleslao duce possidebant, per iniuriam eis ademit, condignamq; nauatæ sibi ab ipsis in adipiscendo dominatu operæ gratiam retulit. Expostulauit cum eo de prærepta Vvratislauia Boleslaus: fœdusq; & iusiurandum, quod sibi mutuò dederant, ne quid alter contra alterum moliretur unquam, in memoriam reuocauit. Commemorauit etiam sua merita & beneficia, quòd eum difficillimo eius tempore eiectum à Bohemis omni ope adiuuisset. Sed ea expostulatione tantum profecit, ut Ioannes propinquiorem se sibi quàm illi esse responderet, atque ad eius quoque ditiones per fas atque nefas in potestatem suam redigendas animum adijceret. Ad quam rem non defuit ei, quasi diuina quadam uirgula oblata, occasio. Vvladislaus enim tertius Boleslai frater, quem exclusum Legniciensi dominatu, in Masouia uxorem duxisse, superiùs diximus, dissipata dote, reuertens in Silesiam, Legniciam Ioanni uendere se uelle ostendit: literasq; Legniciensium exhibuit, quæ se illi ad Vvladislaum iure pertinere, & in potestate regis Bohemi libenter fore significabant. Deliberandi spacium Ioannes cœpit, interim Boleslaum ad se accersit, & quæ secum Vvladislaus egerit, ipsi exponit, & literas Legniciensium cōmonstrat. Addit deinde: Si Legniciam ipse retinere uelit, in sua & Bohemorum fide atq; clientela semper se fore profiteatur. Ni faciat, & Legniciā, & cætera omnia amissurū. Quo metu perculsus ille, imperata fecit, eò redactus inopiæ, ut filios quoq; ad extremum Vvratislauiensibus mercatoribus oppigneraret. Sed cum uxorem, quæ regis Bohemi soror fuit, amisisset, & alteram bene dotatam Cracouia duxisset, releuatus aliquantulum, ipse quidem Bregam secessit: filijs uerò Venceslao & Ludouico Legnicensem dominatum, ingenti ære alieno grauatum concessit. Verùm pòst Legniciensis conuentus collata in cōmune pecunia omne id exoluit. Post hæc reliqui quoq; duces Silesiorum, nempe Glogouiensium, Zeganensium, Olesnicensium, Stinauiensium, & Falkembergensium, ultrò in ditionem Bohemorum concessēre: & partim timore potentiæ Ioannis, partim inuidia Vvladislai regis, libertatem suam Bohemis prodidēre. Miliziam uerò arcem episcopi Vvratislauiensis idem rex Ioannes per uim & fraudem interuertit. Quam ob rem diris aliquandiu pòst Nankerus episcopus & anathemate regem præsentem, senatumq; Vvratislauiensem regis adiutorem deuouit, & ipse cum omnib. presbyteris & monachis Vvratislauia excessit: nec tamen arcem recuperauit. Solus Bernardus Suidnicensium dux, gener Vvladislai regis, & post eum filius eius unicus Boleslaus in fide & societate Polonorum permansēre. Retinet etiamnum pleraq; omnis Silesia uestigium uetustæ originis suæ à Polonis deductæ, pensionem, quam S. Petri numum uocant, cuius in superioribus abundè meminimus. Quæ quidem per illa ipsa Silesicæ defectionis tempora eò redacta est, ut numus tantum æreus, quem obolum uocamus, in capita quotañis penderetur, cùm antea tres oboli & cribrum auenæ in singulas familias pendi soleret. Sed nos Silesios deinceps deseramus, nisi sicubi necesse erit propter lucem historiæ institutæ: iamq; ad Vvladislaū reuertamur: quē tot, tantæq; difficultates simul implicarant, ut singulis explicandis uix par esse posset. Nam sollicitum eum faciebat erepta à Cruciferis Pomerania, & auulsa à Bohemis Silesia: postremò crebræ Lithuanorū in Poloniā excursiones, intendere eum animū ad externa illa bella nō sinebant. Itaq; incertus consilij deliberabat, quid faceret, & quò se primùm uerteret. Videbat Cruciferos non modò nō acquiescere in Pomerania, sed Dobrinensi quoq; tractui inhiare, quem redactū penè in solitudinē à Lithuanis, ipse nuper à Vvladislao duce Zemouiti fratris filio acceperat, cōcessa ei, quoad uiueret, Lēcicia. Animaduertebat ita coniunctos esse cum Cruciferis Bohemos, ut ab eorū societate auelli non possent, præsertim cum Silesia in ditionem suam redacta nuper inescati, in spem totius Poloniæ occupandæ p eos uenirent.

Vvratislauiensis dominatus regi Polonorū deditus, & ab eo redditus.
Vvratislauia potitus est rex Bohemorum.
Perfidiæ pœna.
Hainouia & Golteberga Vvratislauiensibus adempta.
Legniciensis dominatus in clientelam Bohemorum regis uenit.
Boleslaus dux filios oppignerauit.
Legnicienses æs alienum sui ducis dissoluerunt.
Silesij duces reliqui Bohemo sese subdidere.
Miliziis arx episcopi intercepta à Bohemis.
Ioannes rex diris deuotus.
Nankerus episcopus Vvratislauia excessit.
Suidnicenses soli in fide Polonorum permansere.
S. Petri numus per Silesiam.
S. Petri numi ratio mutata.
Vvladislai regis Poloni difficultates & consultatio.
Dobrino rex Vvladislaus potitus.
Bohemorum cum Cruciferis societas.

uenirent. Vterq; per se satis ualidus & potens hostis erat, nec tamen alter lacessi poterat quin cum utroq; dimicatio futura esset. Iam Saxones quoq; Brandeburgenses lingua & fœdere cũ Cruciferis cõiuncti, nõ defuturi ipsis esse uidebant, & alioqui imminebãt ipsi quoq; Polonię per omnem occasionem, & qua ui, qua fraude fines eius inuadebant. Intento autem in hæc bella regi, uel prodenda erat Polonia Lithuanorum populationibus, uel certè relinquendo ad excursiones eorum arcendas præsidio militum destinendæ, minuendæq; uires, quæ ne integræ quidem aduersus illos hostes admodum sufficiebant. Assiduis enim excursionibus iam has, iam illas oras Poloniæ, Lithuani uexabant. Ac per illud ipsum tempus etiam Poltouiam episcopi Plocensis oppidum, ac centum triginta pagos, in Mazouia diripuerant, & incenderant. Neq; uerò facilè ij domari poterãt, cum neq; foris dimicandi copiam facerent, sed rapta præda fugerẽt: & domi fluminũ obiectu, syluarumq; & paludum latebris, ac deniq; incultarum solitudinum uastitate tuti essent: ita ut si quis eis bellum inferret, ei non magis cum hoste fugaci & insidioso, quàm cum uiarũ difficultatibus, cum intemperie cœli, & cum fame confligendum esset. Itaque quod erat reliquum, placuit tentare, si fortè eos mitigare ulla ratione & in societatem pertrahere posset. Ad quam rem perficiendam nonnullam ei spem faciebat, quòd communes sibi cum illis hostes Cruciferos esse nouerat. Assidua nãq; bella Cruciferi cum Lithuanis uaria fortuna gerebant. Quam sententiam cum frequens senatus comprobasset, mittuntur ad Gedeminum principem gentis, siue magnum ducem, quod nomen à Russis acceptum, à Lithuanis quoq; usurpari cœpit, legati, qui fœdus cum eo feriant, & filiam eius Cazimiro regis filio uxorem petant, nec dotem aliam ab egeno principe quàm captiuorum omnium Polonici generis missionem postulent. Non grauatè Gedeminus legatorum postulatis annuit: initaq́ue cum Polonis societate, sine longa procrastinatione sponsam cum eis misit. Quæ ingentibus omnis conditionis sexus atq; ætatis captiuorum cateruis comitata, aduecta Cracouiam, religionemq; Christianam à Nankero episcopo edocta, & sacrò lauacro initiata, Annæ nomen accepit, & ritu solenni Cazimiro sextumdecimum annum agenti nupsit anno Christi 1325. Atq; ex eo tempore pleraq; omnis Polonia, magna ex parte uastata & inculta superioribus bellis & populationibus barbarorũ, populosior & cultior esse cœpit, dimissis ac deductis quoquouersus agricolis, qui ex captiuitate redierant. Pace & societate cum Lithuanis constituta, maiore iam fiducia, studioq́ue in Crucifericum bellum Vuladislaus rex cœpit incumbere, primũq; Mazouios & Saxonas Brandeburgenses, qui utrique fœderati erant Cruciferis, ab eorum societate auellere, ac proprij periculi intuitu, ne illis auxilia mitterent, deterrere instituit. Quocirca misso in Mazouiam exercitu è Cracouiensi & Sendomiriensi equitatu comparato, ferro & igni eam longè lateq; uastauit, & oppidum Plocense incendit. Sequenti deinde anno maioribus copiis coactis, per se ipse in Marchiam Brandeburgensem expeditionem fecit, magna Lithuanorum & Russorum auxilia secum habens. Et ad Francofordiam usq; cum infesto exercitu progressus, cum nemo contrà prodiret, munitionum quidem oppugnationibus abstinuit, populationes uerò in oẽs partes exerceri iussit. Incensisq; plurimis pagis atq́; uicis, magnum captiuorum numerũ & cæterã prædã ingentem abegit. Crudelius in eo bello se gessere barbari, & magnã hostiũ cædẽ fecerũt, matronas atq; uirgines cõtumeliosè cõstuprarũt, delubra ac templa passim prophanarũt, diripuerunt, & incenderũt. Memoratꝰ autem fortè & præclarum monachæ cuiusdam facinus: quæ capta à Lithuano quopiam, cũ ad stuprum traheretꝰ, rogauit eũ ne sibi uim faceret: mercedis autem loco promisit, se eum edocturam esse, quî corpus eius uulnerari nullo unquã ferro posset. Quod cũ discere ille percuperet, iugulũ ei fortis puella præbuit, ut in se eius rei periculũ faceret. Credulus ille stricto gladio caput eius amputauit. Sic illa barbari libidinem elusit, stuprũq́; turpe honesta morte euasit. Dimissi Lithuani, per Mazouiã prædabundi domum reuertêre. Non tulit aũt uastationem illã Lithuanorũ Andreas quidã eques Mazouius. Verùm maiore ira inflãmatus, facinus audax & memorabile aggressus est. Nam cum se inter Barbaros insinuasset, Dauidem præfectum Gartinensem, insignem inter Lithuanos uirum, in medijs castris ferro adortus obtruncauit, & inter tumultuantes fuga euasit. Sequenti item anno Lithuani in Marchiam excursionem fecêre: & cum cædibus & incendijs in obuia quæq; deseuissent, prędã raptim abegêre. Cruciferi uerò cũ Venceslao Mazouiorum duce facto impetu in Cuiauiam, Couale arcem cœperunt & incenderunt. Non putauit sibi diutiùs differendum esse bellum in Cruciferos Vuladislaus, qui ne pontificis quidem maximi autoritate, ut Pomeraniam sibi redderent, commouebantꝰ: quin etiam ueteres iniurias no-

Poltouia direpta & incensa.
Poltowsco.
Lithuanorum domandorum difficultas.
Gedeminus magnus dux Lithuanorum.
Polonorum cũ Lithuanis fœdus.
Cazimirus Vuladislai regis filius Lithuanã uxorem duxit.
Dos Lithuanæ sponsæ.
1325. ann.
Poloni Mazouiam populãtur, & Plocũ incendunt.
In Marchiam Brandeburgensem expeditio Vuladislai regis cum Lithuanis.
Francofordia ad Odram.
Lithuanorum crudelitas.
Monachæ facinus memorabile.
Lithuani Mazouiam uastant.
Andreæ audax facinus.
Lithuanorum Marchiam excursio.
Couale arx capta & incensa à Cruciferis.

Prußicũ bellũ. Culmenſis regio uaſtata. Septentrionales populi expugnandarum munitionum imperiti. Cruciferi & Mazouij uicti à Polonis. Nankerus è Cracouienſi epiſcopa ad Vuratislauienſem tranſijt. Ioannes Grotus epiſcopus Cracouienſis. Ioannes Bohemorum rex in Pruſsiam cum exercitu uenit. Dobrinum deditum, & Cruciferis traditũ. Vuladislauia capta & incenſa. Cechocinum epiſcopo Vuladislauienſi ablatum. Prodigioſus partus duodecim filiorum. Mazouia Plocenſis in ditionem Bohemorum uenit. Pomerania Cruciferis donata à rege Bohemorum. Dobrinum uenditum. Ioannis regis uanitas. Cruciferorum cum Bohemis altera in Poloniam expeditio. Viſſegradum & Naclum capta & incenſa. Radeouia incenſa. Racianzum captum. De decimis Pomeranicis tranſactio.

uis cumulabant. Itaque in ſequentem annum, qui fuit 1328. expeditionem toti Poloniæ in Cruciferos indicit. A' Carolo rege Vngarorum genero ſuo non contemnenda auxilia impetrat, à Lithuanis itẽ atq; Ruſsis finitimis. Cum quib. omnib. copijs hoſtiũ fines ingreſſus, Culmẽſem tractũ oẽm uſq; ad Oſſam amnẽ flammis, cædib. & populationib. peruaſtauit: nec tamen elicere hoſtes in aciem è munitionibus, in quas ſe abdiderant, potuit. Munitionum uerò oppugnatione prorſus abſtinuit, quòd & bene munitæ erant, & rudes tunc adhuc & imperiti oppugnationum Poloni erant: ut ſunt ferè hæ gentes, quæ ad Septentrionem habitant. Dimiſit deinde auxiliarios: ſuis uerò præcepit, ut Mazouiam infeſtarent. Quod cum factum eſſet, non multo pòſt excurrerunt uiciſsim Cruciferi cum Mazouijs in Cuiauiam. Quò cum properè noſtri accurriſſent, collatis ſignis fundunt hoſtes: & Mazouij qdem cum duce ſuo Venceslao diffugerunt: Cruciferi uerò fortiter dimicãtes, ad internecionẽ unà cum Comẽdatore Torunẽſi cęſi ſunt. Hoc anno Nankerus epiſcopus Cracoui. ad epiſcopum Vuratislaui. lite duorum competitorum per ſeptẽ annos uacantem translatus, Cracouiæ ſucceſſorem accepit Ioannem Grotũ Slupecium, Ioannis papæ authoritate ultrò datum, cũ quo adoleſcens Bononiæ familiaritatem contraxerat. Inſequenti anno Ioãnes rex Bohemorũ à Cruciferis in auxiliũ uocatus, cum grandi exercitu uere ineunte in Pruſsiam aduenit, & cum Cruciferis ſe coniunxit. Arx inde Dobrinenſis diu & acriter oppugnata & labefactata, deditionem tandem fecit, dedente præfecto Paulo Spicimirio, cognomento Ogono Palatino Lencicienſi: eiectisq; Polonis, Cruciferorum præſidio concedente Bohemo, munita eſt. Vexabãt tñ noſtri carpebãtq; hoſtilem exercitũ, & ex inſidijs in pabulatores & pdatores crebrò impetũ faciebãt: cõmeatũ quoq; qui Viſtula ſupportabat, expugnatis nauib. intercipiebãt. Sed in uniuerſę rei dimicationẽ, cũ eſſent longè impares, nõ ueniebãt. Itaq; hoſtes motis ex Dobrino caſtris, trãſmiſſoq; Viſtula flumine, Vuladislauiã oppidũ adorti, primo impetu cœperunt, & exuſſerunt. Et ab epiſcopi ſacerdotumq; cæde abſtinuère. Cæterùm edixerunt eis, ne quod omninò ædificium ibi denuò excitarent. Cechocinenſe quoq; territoriũ, qđ in ditione epiſcopi erat, abſtulére. Erat autem tunc epiſcopus Vuladislauienſis Matthias Golanzeuius, cognomento Paluca, Slauunici Caſtellani Naclenſis filius, gente Toporus, qui Gerardo Auinione mortuo à pontifice Max. ſuffectus fuit. De cuius prodigioſo ortu illud memorant, Matrẽ eius duodecim filios uno partu edidiſſe: uerùm ex ijs unum illum uixiſſe, reliquis, mox ut nati erant, mortuis. Deinde in Mazouiam pariter ingreſsi Bohemi & Cruciferi, eamq; crudeliter depopulantes, eò adegere ducem gentis, ut ſe Ioanni quaſi iuſto Polonorum regi ſubijceret. Qui nam uero is dux fuerit, Dlugoſſus non memorat: ſed Venceslaum fuiſſe indicant Ioannis regis literæ, quæ extant in archiuio regio: quibus ille teſtatur, Venceslaum à ſe Mazouiã, & preſertim Plocenſem, Viſſegradenſem, & Goſtinienſem iure feudi, ut uocant, obtinere. Dum aũt iuſti uideri, q̃ eſſe malunt Cruciferi, ne iniuſtè ac per uim Pomeraniam uſurpaſſe dicerent, perfecerunt precib. atq; precio apud Ioannẽ regem, ut ſibi Pomeraniam iure ſempiterno donaret. Cuius donationis exemplum eſt apud Dlugoſſum. Dobrinũ quoq; idem ipſe Ioãnes, quatuor millib. & octingentis ſexagenis (ſic enim appellat) Pragenſibus eiſdem Cruciferis ſe uẽdidiſſe conſignatis literis teſtatur, ea qdem lege, ut eos priuilegio pontificio à pẽſione decimarum ex eo territorio liberet: nec aliter pacem faciat cum Vuladislao, qui ſe aſſerit regem Cracouiæ (ut eius uerbis utamur) quàm ſi is, itemq; Zemouiti fratris eius filius omni iure terræ Dobrinenſis ſeſe abdicàrit. His peractis ingruente hyeme, reduxit Ioãnes exercitũ, & ſtulta uanitate, de ſubactis & ad religionẽ adactis Barbaris triumphauit. Aeſtate uerò ſequẽti, matureſcentib. ſegetib. conuenit rurſus magnus Germanorũ & Bohemorum militum mercenariorũ numerus ad Cruciferos: & cõiunxerãt ſe cum eis Liuonienſes quoq; iã inde ab initio. Cum qb. copijs illi facto impetu in finitimas oras Poloniæ, Viſſegradũ Guiauienſe & Naclũ arces ui, ſed non ſine magna ſtrage ſuorũ cœpe, & exuſſère. Nã Radeouiã noſtri cremarant, ne capta receptaculũ eſſet hoſtib. ad excurſiones. Apud Raciãzũ epiſcopi arcẽ diutiùs morati ſunt, & multos fortes uiros in oppugnatione eius arcis amiſerũt, q; à multis ea nauiter defendebatur. Ad extremum tñ ea quoq; potiti ſunt, adempto puteo, qui ſolus ijs qui in arce erant, aquam ſuppeditauerat. Itaq; ibi maiorem exercuère crudelitatẽ in omne genus hominũ, ut uulnera ſua, cædẽq; ſuorũ ulciſcerẽt. Paucos de nobilitate cũ ira iam deferbuiſſet, uiuos ſeruarũt: in quib. erãt inſignes, Suẽtoslaus frater epiſcopi, & Vincẽtius Caſtellanus Starogrodẽſis. Quos oẽs epiſcopus quadringentis marcis pecuniæ redemit. Adhæc ut bona ſua recuperaret, pepigit idẽ cum Cruciferis, ut ſenos mo-

dò

dò grossos annuos in iugera decimæ nomine, tã ipse quàm sacerdotes eius omnes de Pomeraniensib. agris acciperent. Qua re uehementer accisi sunt reditus Vuladislauiensis episcopæ. Tandem ubi aduentare Vuladislaum regem cum magnis copijs, & Vngarorũ, Austriorum atq; Lithuanorũ auxilijs Cruciferi accepere, omissa oppugnatione alienorũ, ad sua defendenda redierunt. Posteaquã aũt hostium fines Vuladislaus attigit, exercitu longè lateq; populationes in tractu Culmensi iussit, nec ullũ crudelitatis genus ab iratis omissum est. In trãsmittẽdo Deruancia aliquantũ difficultatis fuit. Nam uada eius fluminis ripasq; Cruciferi caudicib. ac sudib. per longũ spaciũ impedierãt: ipsiq; in ulteriore ripa castra metati, trãsire nostros prohibebant. Rex facta ibi aliquot dierũ mora, inuentoq; uado liberiore ad molestrinam Lubiciam, cùm animaduerteret, quo secunq; ipse uerteret, hostem sibi occurrere, delectas aliquot turmas occultè prope id uadum reliquit: ipse cum cætero omni exercitu aduerso ab eo loco itinere, uersus Brodniciã iter pergit: consequunt hostes, nihil de fraude suspicati. Ibi nostri ut iussi erant, è latebris prorumpentes, uadum præsidio uacuum superant, fumoq; signũ dant suis. Quo uiso, rex citato agmine retro unde profectus erat reuertitur, & fluuiũ trajcit. Grauiorib. utebant equis hostes, itaq; nõ potuere tempori ad uadũ nostris occurrere, aduẽtantiumq; uim ij, qui primi de nostris trãsmiserant, fortiter sustinuere, donec omnis exercitus traiecit, & ad ordines redijt. Cruciferi inopinata re perculsi cessere nostris pugnãdi copiã facientib. dilapsiq; in munitiones se se recepere. Ibi uero nostri effusè agros, pagosq; hostiles uastarunt, uillas, uicos, & suburbana munitiorum oppidorum, qualia fere sunt in eorum ditione, exusserũt. Deinde præmissa in Poloniam præda omni, Dobrinensem orã ingressi sunt: & arce Dobrinensi tentata, cum eam, egregiè tutantib. Cruciferis, capere non possent, re infecta redeuntes, quicq; d erat reliquum in Culmensi tractu usq; ad Ossam amnem ferro & igni absumpsere. Prussia ultra Ossam, quæ iam Cruciferis parebat, erat reliqua. Quam cum nostri in actam dimissuri non esse uiderentur, tunc den um Magister cum primoribus Cruciferorum, qui Grudenti siue Gruzanzi erant, de pace uel inducijs cum Vuladislao rege agere cœperunt. Induciæ in annũ factæ, ea cõditione, ut Dobrinẽsem arcẽ atq; tractũ & Bydgostiã Cruciferi Vuladislao mox redderẽt. De Pomerania uerò Carolus Vngarorũ & Ioañes Bohemorũ reges arbitri capti. Quanquã Carolum tunc aduersus casus unà cum uxore & liberis pene perculit. Felicianus enim quispiam de Zaachorum familia stricto gladio in cœnaculo ipsum adortus, sed frustratus ictum, dextram modò eius leui ictu perstrinxit. Reginæ quatuor digitos dextræ manus amputauit. Filios uerò pædagogi accurrentes obiectu corporũ suorum, protexere. Mox parricida à Ioanne Patocio nobili iuuene prostratus, cõcursu satellitũ regiorũ mẽbratim dissectus est. De causa sceleris uariãt authores. Nonnulli affectasse eum tyrannidẽ uolunt: alij stuprum Claræ sororis suæ à Cazimiro reginæ fratre, ipsa conscia & conciliatrice illatum, ulcisci eum uoluisse memorant. Nec ita multo pòst idem Carolus cum Bazarado Transalpinensium Valachorũ palatino temerè bellũ intulisset, ab eo per dolum profligatus, uix cum paucis effugit. Rebus ita cum Cruciferis constitutis, reduxit Vuladislaus exercitum, auxiliaq; dimisit. Liberati præsenti metu Cruciferi, minus iam pacem capere: nec Bohemũ ad arbitrandũ de Pomerania, sicut cõuenerat, adducere, cũ Carolus rogatu Vuladislai præstò esset. Paruo deinde momẽto, ut fit, ad renouandũ in sequentẽ annũ, qui fuit 1331. bellũ impulsi sunt. Comitia Vuladislaus rex æstatis initio apud Chencinos habuit. In his cùm alia nõnulla de republ. salubriter de amplissimi consilij sententia constituit, tum q graue sibi & periculosum bellũ cum Cruciferis impendere nõ ignorabat, ætatẽq; suã ingrauescentẽ, & uires magnis laborib. & aduersis rebus attritas & afflictas considerabat, Cazimirum filium unum & uiginti años natũ maiori Poloniæ toti præfecit, ut fama nominis eius non tam facilè se Bohemi & Saxones cõmouerent: ad hæc ut in tuto is esset, si quid sibi aduersi in Prussico bello accideret. Grauiter tulit Vincentius Samotulius siue Pomeranius (utroq; enim modo cognominatus est) palatinus Poznaniensis, gente Nalencius, præfecturã illam sibi ademptam esse, ignominiæ loco id ducens. Simul autem uerebatur, ne priuatas inuidia & odio populari conflagraret, cum non usquequaq; rectè iusteq; magistratũ gessisset: itaq; ira & metu pessimis consultoribus usus, clàm ad Magistrum Cruciferorum Marięburgũ profectus est. Et causis aduentus sui expositis, molienti sua sponte bellũ aduersus Polonos facilè persuasit, ut in maiorem Poloniam expeditas copias mitteret, quòd ibi non modò magna præda potiri, sed & munitiones plerasq; & Cazimirum regis filium sua suorumque opera facilè in potestatem possent redigere. Præfecti copijs Theodoricus Aldenburgius Marsalcus, &

Vuladislai regis cum exercitu ingressus in Prussiam.

Deruanza.

Deruanciæ fluuij traiectus.

Grudziandz.

Induciæ inter Polonos & Cruciferos.

Caroli Vngarorum regis periculum.

Pax tradit Transalpinensium Voieuoda uicit Carolum regem Vngarorum.

1331. ann.

Chencinensia comitia.

Cazimirus regis Vuladislai filius maiori Poloniæ præfectus.

Vincentius Samotulius transfugit ad Cruciferos.

Cruciferorum expeditio in maiorem Poloniam.

Otto Luterbergius, de sententia Vincentij omnia facere iussi sunt. Qui traiecta apud Toruniam Vistula profecti, parum abfuit quin Breste & Inouuladislauiam ex improuiso caperent, ni citato cursu, armorumq; & uexillorum forma pditi ab ipsis usq; portis cõcursu nostrorũ cũ ignominia ducẽtis amissis repulsi essent. Nec eis tũc uacabat oppugnationi oppidorũ insistere, ad aliud lõgè maius facinus ,pfectis. Cuius pagẽdi spẽ oẽm in celeritate, nostrorũq; securitate ponebãt. Itaq; magnis & occultis itinerib. in maiorẽ Poloniã pueniunt: & capta primo impetu, exustaq; Slupcia Poznaniẽsis episcopi oppido, continuato itinere Pysdros contendunt, in quo oppido Cazimirum esse didicerant: magnoq; impetu adorti oppidum non munitum, facile eo potiuntur. Sed euẽtus eorũ spei non respondit. Paulo enim antè Cazimirus de aduentu hostiũ factus certior, cum paucis comitib. oppido se eiecerat, & in proximã syluã receperat. Quamobrem irati Cruciferi, ac dolore amissę prędæ, cuius causa maximè uenerant, incensi, omni crudelitate in oppidanos desæuierunt: direptumq; oppidum cum templis, & sacris iuxtà prophanis rebus omnib. exusserũt. Dein de uiciniam omnem cis & trans Vartã ferro & igni depopulati sunt. Atq; inde cum ingẽti præda retrò unde uenerant abiere. Probauit ea expeditione Vincentius fidem suam Cruciferis. Itaq; & tũc honorificè pro nauata opera muneratus est, & maiorib. promissis oneratus, in maiore precio deinceps apud eos esse cœpit, sic ut eius arbitrio multa in eo bello gererentur. Cum aũt maior militum numerus ex inferiore etiam Germania & è Liuonia ad eos confluxisset, rursus eadem æstate uexare Poloniam, qua parte intacta adhuc eorũ populationibus erat, statuunt: eò scilicet adacturi Polonos cladib. domesticis, ut sibi ius omne in Pomerania, atq; aliquid etiã præterea lubẽtes concederent, pacemq; redimerẽt. Profecti igitur cõposito & pacato agmine per Cuiauiam, quam reuertentes suę ditionis facere destinabãt, in Lenciciensem tractum insultum faciunt, arcem ui capiũt & incẽdũt, pagos & oppida crudeliter uastant. Deinde in Calissiẽsem oram iter flectũt: qua omni p- uastata, oppido tñ potiti non sunt, non sine cæde inde reiecti. Vbi cum quinq; dies cõmorati, Ioannẽ Bohemorũ regem frustra expectassent, ,pgressi longiùs populãdo, Gnęznã, Znenã, Naclũ, Srodam, Pobedifcos, Clecicũ, Costrinũ oppida, ac circumiacentes pagos diripuerunt, & exusserunt, ne tẽplis quidem & monasterijs, sacrisq; rebus sacrilegas manus abstinentes. Reliquias tamen diui Adalberti cupidè quæsitas, sed occultatas à ministris templi, non inuenere. Hagecus memorat, regem Bohemorum hoc anno primùm in Langobardiam, mox aditis Gallijs contra Austrios magnis Vngarorum & Polonorum auxilijs adiutos, prospero ubiq; successu expeditionem fecisse: inde Lucemburgum & in Gallias iterum profectum esse. Et quasi hoc parum sit, addit Ioannes Dubrauius episcopus Olomucensis (cuius historiam Bohemicam latinè conscriptã nunc primũ cũ hæc recognosceremus, editam uidimus) tertiam quoq; cõtra Fridericũ Mysnensem expeditionẽ inter duas superiores interiectam. Sed horũ fides penes authores esto. Nos ad Cruciferos reuertamur. Qui deinde in Siradiensem tractum impetum fecerũt, & pari celeritate uniuersam percurrentes, ferro & igni cuncta uastarunt. Quo incendio Siradia, Vneouia, Vartha, Stauus, Schadecum oppida pleraq; cum arcibus conflagrarunt. Nec matronarum & uirginũ etiam Deo dicatarũ pudori usq; parsum est. In direptione aũt Siradiẽsis monasterij cum præses sodalitatis, quem Priorem uulgò uocant, Hermannum Elbingensem commendatorem Elbingæ cognitum agnouisset, cędemq; innocentium hominum, qui eò cũ facultatib. suis cõfugerant, atq; direptionem monasterij sui supplex deprecaretur, Prussico uerbo, Neprest, quod est, non intelligo, ab eo reiectus est. Quasi non satis esset re ipsa barbaro, nisi & lingua id profiteretur. Ad Calissiam deinde expugnanda reuertẽre: sed amissis nõnullis militibus, post paucos dies re infecta discessere. Est enim permunitum id oppidum, nõ tam arte quidem, quã situ & natura loci: nempe à Prosna flumine latiùs, ut in magna planicie, restagnante ambitum. Hinc Coninense oppidum & territoriũ uastarũt. Porrò qui apud Nezamyslum lacum & Glussinum oppidum habitabãt, equestres pariter & agrestes, munito loco se cum uxoribus, liberis, & familijs, cum gregib. & armentis, & cæteris facultatibus suis continebant: ductaq; fossa ad septem milliaria, & lacu in eam immisso, aditum ad se hostib. præcluserant. Qua re cognita Cruciferi, magnitudine prædæ allecti, tria millia equitum ad expugnandũ locum mittunt. Quibus uenientib. nostri cum paucis turmis à rege ad huiusmodi casum submissis ad aggerẽ intrepidè occurrunt: consertoq; ,plio, fusos & impeditos ingenti strage interficiũt, ita ut pauci admodũ manus nostrorũ, longè agiliorib. equis utentium, effugerẽt: quin & alijs locis opportunis eos palantes & liberiùs prædas agẽtes nostri excipiebãt atq; trucidabãt. Neq; enim lõgè Vvladis-

us

Marginal notes: Slupcia incensa. Pysdri capti et incensi. Cazimiri fuga. Cruciferi in Poloniam rursus. Lenciciensis arx capta & incensa. Calissiensis tractus uastatus. Gnezna, Znena, Naclum, Sroda, Pobedisci, Clecicum, Costrinum oppida direpta, & incensa. Ioannis Dubraui episcopi Olomucensis historia Bohemica. Siradiensis tractus uastatus. Siradia, Vneouia, Vartha, Stauus, & Schadecum arces & oppida incensa. Neprest. Calissia defensa. Calissiæ situs. Coninum uastatum. Cruciferorum strages apud Nezamyslum lacum.

tatus rex etsi nõ contẽdẽdis suorũ copijs aberat, sed nusquam certo loco figebat pedẽ, nec audebat p̃lio rẽ cõmittere: nõ ignarus, quantũ esset robur Germanicarũ phalangũ, & cataphractorũ equitũ. Discruciabat aũt summoperè, uidẽs patriã charissimã tam immaniter uastari, flagrãtes & fumãtes circũquaq; pagos & oppida, & innumerabilẽ penè hominũ omnis generis atq; ordinis multitudinẽ partim cęsam, partim captã. Augebat dolorẽ eius, q̃ neq; opẽ ullã reb. suis tã calamitosis afferre, neq; hostẽ ulcisci, p̃lio sibi esse arbitrabat̃. Cũ igit̃ inops consilij, animũ in oẽs partes uersasset, una tandem uia utriusq; rei expediendæ ipsi se ostendit, nimirum, ut Vincentium sibi recõliaret: eiusq; proditione, uel circũueniret hostes, uel consilia eorum perturbaret. Intelligebat enim quantum in eo momenti Cruciferi ponerent. Itaque secretò per internuncios eum hortatur, ut afflictæ ac penè p̃ditæ patriæ misereat̃, impunitatẽ admissi pollicẽs. Addit aliã, q̃ ad flectendũ, pacandũq; eius animum ualitura esse iudicabat: nec malè ipsi consiliũ hoc cecidit. Subijt enim animum Vincentij patrati sceleris pœnitentia. Reputabat secum diligentius, quantã infamiæ sempiternæ notã nomini suo, familiæq; multam ad posteros esset trãsmissurus. Itaq; p̃ditionis memoriã obliterare, & recẽti beneficio priorẽ iniuriam obscurare statuit: cõstitutoq; tẽpore, nocte quadam, per speciem exploratoris è castris Cruciferorum egressus, ad regem uenit, ueniam supplex petijt, & impetrauit. Deinde regem ad conferendas cum hoste manus animat. Docet in tanta multitudine plurimam esse fæcem hominum inermium & imbellium. Si nostri uiri esse pergerent, & in inopinantes impetum facerent, fore ut uel perturbatos opprimerẽt, uel certè fracta prima hostium acie, cæteri neq; uim nostrorũ sustinerẽt, & in fuga se inuicem impedirent. Sibi uerò eas partes sumit, ut hostẽ ab omni suspicione prælij auersum fallat: ac deinde intentum in pugnã, à tergo cũ suis adortus, noua re perturbet. His ita constitutis, in castra Cruciferorũ reuertit̃, nihil à Polonis p̃iculi ipsis esse renũciat: regẽ pauidũ & conscium uirium suarũ non diutius exercitũ tenere, ut lacessere eos statuisse. Q̃d ubi accepe Cruciferi, sublata spe p̃lij, cum satis iã debacchati in Polonia essent, & ingentem prædam uix traherent, ad hæc imbrib. & frigorib. autumnalib. urgerentur, retro uerti in Prussiam incipiunt. Et quoniam præda grauib. & impeditis, lentius progredi necesse erat, Ottonẽ Brundorffiũ cõmendatorẽ magnũ, & Russum Plauiũ cum expeditiori parte copiarũ ad expugnandũ Breste ex itinere p̃mittunt. Iam extremũ agmẽ ad Bleuum siue Plosce pagũ prope Radeouiã peruenerat, ubi latè patẽs est planicies, ita ut opportunior is locus ad prælũ esset nostris, equitatu maximè ualentib. q̃ hosti, cũ subitò illucescẽte die ij, q extremas seruabãt excubias, renũciant in castra, Polonorũ exercitũ adesse. Non creditũ est narrãtib. Vincẽtio maximè omnia sibi exploratiora esse affirmãte, donec strepitus aduentantiũ, & hinnitus equorũ exaudiri cœptus est: nam cõspectũ dẽsa nebula adimebat: & tñ non credebãt nostros, quos penitùs cõtempserãt, rem uniuersæ dimicationi cõmissuros: sed abeuntiũ modo iter solitis adequitationib. & particularib. certaminib. impedituros. Vbi uerò aciem ad dimicandũ instructã cum signis adesse sensẽre, tũc demum tumultuari, & ad arma cõclamare primores: perturbari re noua cætera multitudo, cũ uix armãdi se spaciũ haberẽt qui pridiana crapula & ebrietate grauati & sopiti, classico expergefacti erant, & semisomnes, quid nam rei esset, alius alium percontarentur. Instructis tãdem utcunq; primis ordinib. in aciem p̃deunt: cathenisq; per baltheos primorum militũ immissis, ordines & phalangẽ colligãt, ne perrumpi & perturbari ab equitib. nostris posset. Rex q̃a nebula caliginosa incerta omnia reddiderat, parumper impetũ suorũ inhibuit, dum ea resideret: atq; interim milites graui oratione ad pugnã incitauit: quæ huiusmodi fuisse fert̃. Non uos latet, milites, cum quib. nobis hostib. res sit, nẽpe qui beneficiarij sunt maiorũ nostrorũ, acciti in hęc loca, & liberaliter inuitati, ut eis auxilio essẽt, cõtra uicinos barbaros: nũc ij ingrati & impij p̃ maximis beneficijs parricidialia arma in nos cõuertẽre. Pomeraniã nobis surripuẽre uerius q̃ eripuẽre, itẽq; Cuiauiam penè oẽm: reliquę etiã inhiãt: neq; hoc satis illis est. Cernitis iam oẽm ferè Poloniã crudeliter ab eis uastatã, populatos agros, incensos pagos, euersa oppida, aratores uestros ignominiosè necatos: parẽtes, coniuges, liberosq; uestros dulcissimos uel cæsos, uel in fœdam & contumeliosam seruitutem abstractos: quorũ quidem ploratus & eiulatus miserabiles exaudire potestis. Adsunt enim propè, & proditi fidem uestram incusant: implorarent, si uos adesse intelligerent. Quid ego commemorem profanata ac direpta tẽpla Dei Opt. Max. & monasteria? abreptas ab ipsis aris & adytis ad incesta stupra monachas? respersa sanguine innocentium hominum & sacerdotum, qui pro uestra salute & incolumitate huius regni sacra faciebant, ueneranda Christi Iesu mysteria? Hæc uos pati potestis, milites? tam ferrei estis, ut

Phalanx & cataphracti Germanorum.

Vincentius Samotulius redit in gratiam cum rege.

Plosce pagus clade Cruciferorum nobilis.

Vladislai regis ad milites concio.

Cruciferorum crudelitas & impietas.

uos uestrarum coniugum, sororum, & filiarũ ad stupra truciũ Teuthonũ asseruatarũ non misereat? Tam duri, ut non paruorũ liberorum & fratrum uestrorum misera conditione commoueamini: quos Germani milites cauponib. lanijs, coquis, & meretricib. in intima Germania in perpetuam seruitutem addicent? At sacra quidem tam indignè, & cõtumeliosè attrectata ferre non debetis, acrius ac promptius pro his semper maiores uestri, quã pro liberis & coniugib. nedum pro facultatib. suis dimicarunt. Quid uerò? Creditis consceleratos hostes malis nostris iam satiatos, aut modũ ullum cupiditati & crudelitati suæ posituros esse? Non facient profectò, nisi uos sedib. uestris omninò ꝓpulerint, aut sanguinẽ uestrum ꝓrsus exsorbuerint, nomẽq; extirparint: nisi uos fugit gentis imanitas, humanis hostijs olim deos placare solitæ. Sed ne ego uirtuti uestræ diffidere uideor, q uos tam diligenter in hostem tam trucem incitare instituerim: quasi uerò nõ per me steterit hactenus, ne cum eo manus consereretis. Fateor equidẽ, ad hanc usq; diem obstitisse me sedulò uobis prælium flagitantibus, & uel hostium, uel si ita sors tulisset, uestro ipsorum sanguine patriæ flagrantis incendia restinguere cupientibus. Sed meliorib. rebus & minori discrimini uos seruaui, milites. Neq; enim semper apto marte bella gerenda esse existimo. Arte doloq; utendum, ubi impar sis uiribus. Plurimum etiam momenti habet temporum & locorum opportunitas. Ita sępè maximos hostium exercitus à paucioib. nostris fusos, ꝓfligatosq; reperiet, qui ueterũ reminisci uolet. Nunc ita nobis instructa, expeditaq; sunt omnia, ut diuina iustitia, quæ proculdubio fauebit iustiori causæ, & uestra uirtute fretus, confidam in manib. nos habere uictoriam, daturosq; nobis illicò perfidos & impios hostes condignas scelerum & audaciæ suæ pœnas. Primùm em̃ certũ exploratũq; habeo, multitudine eos nobis præstare, non uirib. Quanq; ne multitudine quidẽ iam superant. Nuper em̃ florem ipsum & robur exercitus sui ad subigendam reliquam Cuiauiam præmiserunt. Fex ferè imbellis cum captiuis, sarcinis, & impedimentis mansit. Neq; par illis nobiscum dimicatio est. Illi enim mercede conducti ferè, & alienum bellum belligerãtes, & multorum scelerum sibi cõscij, minus studij, minusq; animorũ ad prælium afferẽt. Vos pro ijs rebus quæcunq; sunt charissimæ, & pro patria ipsa iusta & pia arma sumpsistis. Tũ autem securi hi dudum, & soluta omni disciplina militari, re noua & inexpectata conturbantur. Auditis enim clamorem illum dissonum & inæqualem, timoris argumentum. Aspicitis cursitationem trepidationemque ad signa concurrentium, imò uerius fugam circumspectantium. Postremò ita nobis constitutum est, ut eos in pugnam intentos, si modò primũ uestrum impetum sustinebunt, alius & inopinatus hostis à tergo inuadat. Vincentius is est palatinus quondam Poznaniensis, cuius ope & consilio in primis nitimur. Is nãq; iustas iras uestras hostium capitib. placare, & nouis meritis priorem infamiam delere decreuit. Agite ergo milites, impigri & alacres pugnã capessite, totq; millia captiuorum fratrum, liberûm, coniugum, & aratorũ etiam uestrorum uindicare: cæsos ulciscimini, fumantesq; adhuc pagos & uicos uestros inuiso cruore respergite, imperium & libertatem uestram defendite: quæ utraq; in discrimen ueniunt, si quid fortè, quod omen Deus auertat, titubaueritis. Deniq; Deum piorum adiutorem, & scelerum atq; flagitiorum contaminatorumq; sacrorum suorum, & religionis sacrosanctæ ultorem inuocate. Hæc elocutus, ubi alacres & incitatis animis pugnam poscentes aspexit, & iam nebula residere cœperat, canere signa iussit. Prima de quinq; aulicorum acies, quæ erat firmissima, magno impetu & infestis animis in hostes inuehitur. Excipiunt illi qui contrà constituerant non impigrè. Deinde cæteræ acies concurrunt, præter subsidiarias. Pugnatur utrinq; summa contentione, neq; quisq; pedem referebat, & magis quisq; ferire hostem q̃ ictũ declinare studebat. Adest omnib. locis Vuladislaus suos animãs, & fessis integros summittẽs, ipse indefessus, q̃uis effœto & senili corpore. Ferueścente aũt prælio, cũ Vincentius adhuc nusq̃ appareret, subuereri iam rex cœperat, ne quẽ is dolũ necteret. Circũspiciebãt & milites memores promissorũ regis: cũ ille à tergo hostium sublato clamore cum suis impetum in extremos auersos, quẽadmodũ cõuenerat, fecit. Ibi uerò turbari illi noua re perculsi, primi quoq; exaudito post se clamore ac tumultu respicere, & sciscitari inter se, quidnã id esset. Instant nostri acrius respectantibus & remissius pugnantibus. Nec mora, cæsis ducibus, totas acies ancipiti prælio perterrefactas conuertunt. Fit longè maior fugientium strages, q̃ quæ dudum pugnantium fuerat. Adeò nanq; dolori, iracundiæq; Poloni indulgebant, ut neminem uiuum seruarent. Etiam plena uictoria potiti esse uidebant, cùm ecce longo interuallo, utpote discussis iam prorsus nebulis, nouas copias hostium effuso cursu aduenire adspiciunt. Erant autem ij quos ad Breste capiendũ præmissos esse dixi-

Germani olim humanis hostijs deos placarunt.

Prælium.

Aulicorum acies.

Vincentij Samoto(lij) proditio.

Cruciferi uincuntur.

diximus: qui certiores facti de nostrorum aduentu, suppetias suis ueniebant. Ibi Vuladislaus captiuis aliquot nobilioribus cum præsidio retro amandatis, & paucis cohortatus milites, ne labori succumberent, neu sibi partam uictoriam eripi sinerent, mox in uenientes impetum facit, ne quod eis clade suorum conterritis, & fugientium multitudine inter ordines sese immiscente perturbatis, colligendi sese spacium daret. Nec par superiori prælium illud fuit. Non enim uim nostrorum recenti uictoria ferocium hostes sustinuêre. Itaque paruo negocio uertũtur in fugam. Nec tamen multi euadere potuêre, graui armatura & longo cursu defatigatis equis pariter & militib. alioqui etiã laboris impatientib. Cæsa feruntur his duob. prælijs hostiũ supra uiginti millia. Tametsi Dlugossus quadraginta millia refert: de nostris quingenti, uel ut apud alios reperio, triginta tantũ de promiscua multitudine: ac duodecim de nobiliorib. cecidêre. Inter quos insignes fuêre, Zegota Morauicius Cracouiensis, Cristinus Ostrouius Prendotæ Castellani Cracouiensis filius Sendomiriensis, signiferi, & Iacobus Suinscius Castellanus Zarnouiensis. Tam paruo tam insignis uictoria nostris constitit. Castra hostium opulẽta capta ac direpta. Nostri captiui soluti, ubi ingens fuit inter fratres, coniuges, necessarios, parẽtes & liberos mutuo sibi quasi postliminio redditos gratulatio. Dies quo hæc gesta sunt, fuit uicesimusseptimus Septẽbris: qui dies trãslatis diui Stanislai ossibus festus est apud Polonos. Et quoniam ad uesperum ferè pugnatum erat, reliquum diei illius, & mox sequens curandis & reficiendis corporib. data est. Postero die cæsorum quẽ dixi numerus recognitus & spolia lecta sunt. Ibi rex obequitans, fortè conspicatus est unum de suis, hominem equestris ordinis multis uulneribus debilitatum, resupinato corpore iacentem, & ilia per uulnus effluentia manibus cohibentem: conuersusque ad comites, Quàm magnus hic est, inquit, huius uiri cruciatus. Respondit ille: Maiorem esse eius qui in eodẽ pago malũ uicinũ habeat, qualẽ ipse expertus sit. Rex, contrà, Bono, inquit, animo es. Isto ego te malo liberabo, si uixeris. Et sublatus, curatusque, totum pagũ amoto malo uicino regia munificẽtia adeptus est, insuper p̃clarũ uirtutis testimoniũ cõsecutus, ad posteros trãsmisit, ut stẽma eius familiæ, quæ tres hastæ trãsuersæ sunt, Ielitorũ, hoc est iliũ nomine appellet̃, cũ prius Kozlerogi ab hirci cornib. diceret̃. Fuit aũt is Florianus cognomẽto Sari. Vincẽtius palatinus ob nauatam bene opã nõ modò impunitate donatus, uerùm etiã abrogata infamia, pristino honori restitutus est. Sed nõ impunè tñ ei cessit hostes in patriã induxisse. Insequẽti eñ anno conspiratione nonnullorũ equitum, quos ira & dolor amissarũ rerũ charissimarũ in eum stimulabat, interfectus est. Statuerat quidẽ Vuladislaus cursum illius uictoriæ mox p̃sequi, sed eum Bohemi cum Silesijs ab ea cogitatione auerterunt. Qui cũ primũ cladis sociorum nunciũ acceperunt, rati Vuladislaum post uictoriam illam in Pomeraniam, & in Cruciferorum ditionem ducturum esse exercitum, cum subitarijs copijs in maiorem Poloniam fecerunt insultum, Poznaniamque obsidere cœperunt, ut auerso rege Vuladislao Cruciferi respirare possent. Quod cùm accepisset Vuladislaus, murato consilio, ad propulsandum nouum bellum cum uniuerso exercitu contendit. Nec tamen hostem adeptus est. Nam is cognito Vuladislai aduentu, in Silesiam præproperè se recepit. Nec eum tunc Vuladislaus p̃secutus est, quod & hyems iam instabat, & quies danda erat militibus, ut uires in sequentẽ æstatem refocillarent. Ferunt quidem de Bohemis & Silesijs apud Poznaniam cecidisse supra septingentos, præter fossores: qui in cuniculis opus faciebant. Aliquanto aliter narrat hæc Ioannes Dubrauius: & quidem nullo, quod sciam, authore. Nempe Ioannem regem à Prussis euocatum in Pomeraniam primũ duxisse exercitũ, ut ea quæ Polonus ibi interceperat, Magistro restitueret. Quo facto, ad populandam Poloniã cum Prussis eum contendisse, ut ulcisceretur incommoda à Polonis circum Opauiam uastatis agris nuper data. Peruastatis aũt impunè circum Poznaniã agris, cũ nemo ipsi occurreret, Cracouiã obsedisse: quasi nõ longiùs ea abesset à Poznania, q̃ Olomucia à Cremesirio, uel Vyscouia. Et q̃uis fame premeretur exercitus eius, nõ prius tamen discessisse ab obsidione, quã rex Polonus quadraginta millibus nummûm aureorum inducias ab eo redemit. Sic Dubrauius. Quæ quàm sint uerisimilia, cuiuis facilè est iudicare. Tentata est deinde pax inter Vuladislaũ & Cruciferos, Carolo & Ioanne arbitris. Quæ tamẽ nõ cõuenit, Cruciferis Pomeraniã non reddentib. Et paucis pòst diebus ij, cum è Germania nouis copijs aucti essent, Cuiauiã quatuordecim dieb. ad finẽ Nouẽbris populabũdi infestarũt. Nec multo pòst initio noui anni, nihil morati asperitatẽ hyemis, iterũ, sed maiore apparatu, in eandem Cuiauiam ingressi, Breste oppidum obsederunt, rati fame se oppidanos ad deditionẽ cõpulsuros. Sed cũ frustrà tres ferè mẽses in obsidione insumpsissent, ea die, qua uni-

Pugna instaurata.

Strages Teuthonum.

Vicinus malus.

Bohemorum expeditio in Poloniam.

Ioannes Dubrauius.

Breste obsessum & deditum

uersus Christianus orbis salutarem Christi Iesu mortem anniuersario ritu recolit, quę Parasceue dicitur, summa ui oppidum oppugnant. Nec segnius nostri defendunt. Verùm quatriduano labore defatigati, tandem quinto die oppidum dedunt. Alij septimo obsidionis die deditum esse id oppidum memorant, cum die cœnę Domini hostes id obsidere cœpissent. Cruciferi imposito ibi præsidio, ad Inouuladislauiam castra mouerunt, eáq; mox dedentib. oppidanis acceptã, præsidio itẽ munierũt. Progressi ulterius Gnescouiam arcem oppugnant. Erat in ea Cazimirus dux Vuladislai fratris filius. Is igitur pactus cum hoste, ut sibi suisq; res suas asportare liceret, ipse inspectantib. & permittentib. Cruciferis, arcem incendit: & cũ miserabili illo suo Cuiauiensis nobilitatis comitatu ad Vuladislaum regem profectus est. Ignobiliora deinde oppida Cruciferi facilè in potestatem suam redegêre. Pacossiam arcem Albertus Coscelecius, quæ clara familia est, palatinus Brestensis egregiè tutatus est, & non paruis incommodis hostes affecit. Vt autem Cuiauiæ ac Dobrinensis oræ possessionem sibi stabilirent Cruciferi, demoliti Breste uetus, munitiore id loco condiderunt: & arces quasdam in eo tractu cocto latere munierunt. Nam Vuladislaus maturas segetes & Vngarorum auxilia expectauit. Quę cùm conuenissent, per Mazouiam in Culmensem tractum infestum duxit exercitum. Et hostibus prælij superioris euentu, pauidis & pugnam detrectantibus, uastare eorũ regionem longè, lateq; cœpit. Excitus autem quoquouersus collucentibus pagorum, & uirorum suorum incendijs, cædibusq; agrestium Lutherus Magister decernere prælio cum rege cupiebat: uerùm commendatores temeritatem eius reprehenderunt. Itaq; meliore consilio usus, caduceatorem ad regem misit: & cum æquas pacis conditiones accepturum se esse reciperet, facilè à credulo rege annuas inducias impetrauit. Quibus constitutis rex, ne nihil tantis copijs: sumptibusq; dignum egisse uideretur, utq; Silesios qui superiore anno Poloniæ arma intentarant, ulcisceretur, in Silesiam copias duxit. Ac nemine pugnandi copiam faciente, quinquaginta & amplius munitiones hostiũ cœpit, & incendit. Costenum, quod oppidum cum arce inter stagna & paludes situm, ualido hostium præsidio tenebatur, obsidione cinxit. Irridebant obsidionem nostrorum ij qui erant in præsidio, fisi uiribus suis, & situ arcis. Itaq; motus hac indignitate Cazimirus regis filius (aderat enim in exercitu) audacius cum ea manu, quam circum se habebat, ad mœnia progressus, ui expugnare munitionem adortus est. Quod conspicatus reliquus exercitus, ducem secutus, non prius oppugnare arcem destitit, quàm ea per uim potitus est. Quo facto, mox oppidani sese dedidêre. Sæuitum est autem in præsidiarios atrocius, quòd non pauci de nostris in expugnatione ceciderant. Atq; ex eo tempore Costenum rursus in potestate est Polonorum. Extremum id operum Vuladislai regis fuit. Reuersus enim ab eo bello Cracouiam, donatisq; ac dimissis auxiliarijs, languere cœpit. Ac sensim inualescente morbo, ubi imminere mortem sibi sensit, ritu Christiano sacris mysterijs procurari se iussit, deinde admonitus à ꝓximis, Cazimirũ filiũ ꝓcerib. assidentib. languida uoce commendauit, & ut eum post se regem crearent, rogauit. Ipsum uerò ad colendam iusticiam & clementiam in suos, & ad persequendos bello ingratos Cruciferos, recuperandaq; ea quæ illi à regno suo abstraxerant, adhortatus est. Post hæc ad sextum Idus Martias anno Christi 1333. inter suorum lamentantium manus animam exhalauit, & in basilica Cracouiensi ad læuam aræ maximæ sepultus est. Cuius extat monumentum. Fertur corpus eius pluribus post mortem diebus insepultum, dum solennes exequiæ parantur, nihil putredinis aut tetri odoris contraxisse. Regnauit autem ab ęo tempore, quo diademate cinctus est, annis tredecim & paulò amplius: princeps singulari patientia & mansuetudine animi præstans, & adeuntibus perfacilis: statura perbreui: cæterùm manu promptus, uirtute uerò tanta, & animi magnitudine usque ad decrepitam ætatem uaria fortuna exercita, ut cùm maximis regibus rectè comparari possit. Ac eo quidem magis, quo turbulentius & mutilatius regnum accepit.

Inouuladislauia dedita.

Breste nouum conditum.

Polonorum expeditio in Silesiam.

Costenum captum.

1333. ann.

Vuladislai uirtutes.

DE

DE ORIGINE ET REBVS GESTIS POLONORVM, LIBER DVODECIMVS.

CAZIMIRVS SECVNDVS COGNOMENTO MAGNVS, REX.

IVSTIS funebribus Vuladislao ritè peractis, habita sunt comitia Cracouiæ de creando nouo rege. Introducti legati Caroli regis Vngarorum, petierunt ut Cazimiro regnum post patrē mandaretur, auxilia ipsi contra quemuis hostem pollicētes. Et facilè rĳ quod postulabant imperrarunt, cū alioqui etiam omnium procerum pariter & equitum uolūtates eodem inclinarēt. De uxore noui regis scrupulus iniectus est: negabat enim Heduigis Cazimiri mater, se regina superstite eam coronari debere: tamen exorata à filio cessit: atq; ut iniectum scrupulū ꝓrsus demeret, Sandeciam antiquam secedens, diui Francisci institutum uitæ professa est. Itaq; Cazimirus una cum Anna uxore uicesimaquinta die Aprilis, in basilica Cracouiensi ab Ianislao archiepiscopo solenni ritu inunctus, diadema accepit. Datus est autem ei iuuenilium consiliorum moderator Iascus siue Ioānes Melstinius Castellanus Cracouiensis, uir grauis & prudens, & amans reip. Et quoniam uidebat Cazimirus omnem penè Poloniam Cruciferorum armis, atq; domesticis latrocinĳs, quæ patre regnante impunitate increbuerant, attritam, domesticis malis prius quā externis manus admouit. Et cum Cruciferis quidem inducias fecit, per quas perpetua pax, suprà memoratis Vngarorum & Bohemorum regibus arbitris, componeretur. Adiectum in pactus, ut Magister Cruciferorum Breste oppidum Zemouito duci Mazouiorum Cirnensium, aut Matthiæ Vuladislauiensi episcopo tenendum concederet, qui id pace firmata Cazimiro traderent: sin minus coisset pax, Magistro redderent. uerùm in eo magister fidē non seruauit: nihilo tamen minus mansere induciæ: quibus durantibus diligenter ubiq; prædones & infestatores publicarum uiarū perquisiti, exquisitisq; supplicĳs affecti sunt,

Comitia Cracouiæ. Vngari oratores. Heduigis regina in monasterium secessit. Cazimirus cū uxore coronatur. Ioannes Melstinium moderator regis. Induciæ cum Cruciferis.

Neq; quicquam præterea memorabile eo & sequenti anno in Polonia gestum est, nisi q uicesimatertia die Aprilis intra annum à coronatione regis ingens nix decidit: quæ cum quinq; dies durasset, præter omnium expectationem, singularem fertilitatem agris attulit. Insequenti uerò anno, qui fuit 1335. tanta uis locustarum peruagata est, ut uolantes solis aspectum hominibus adimerent: humi uerò stratæ equorum ungulas crassitudine superarent: quæ depastæ maturescentes segetes, angustiorem annonam fecere. Nouembri uerò mense eiusdem anni, pax inter Cazimirum & Cruciferos arbitrio Caroli & Ioannis regum Vissegradi in Vngaria facta est, iniquior Cazimiro, quòd Ioannes homo callidus atq; disertus satagens pro Cruciferis, Carolum in suam sententiam adduxisset, aduocati magis q; arbitri functus officio: id quod deprehendere est ex eius ipsius literis ad Theodoricum Magistrum scriptis. Accepit tamen eam pacem Cazimirus, plus q̄ dignum erat quietis & ocĳ cupidus. Fuit autem in conditionibus, ut Cruciferi Pomeraniā cōcedente rege retinerent, atq; etiam Nessouiensem arcem in Cuiauia supra Vistulam, nēpe ut utraq; ripā & naulum in potestate sua haberent, eodem iure quo Culmensem atq; Torunēsem tractū olim à maiorib. Cazimiri accepissent. Regi uerò Dobrinensem & Cuiauiā relinquerēt, ne ea quidem portione exclusa, quæ ad Cazimirū ducem Zemouiti filiū pertinebat, regi redderent, ac decem millia florenorū pro damnis datis annumerarēt: etsi in decreto nulla fit mentio eius pecuniæ, sed ex diplomate pontificio, quò cognitio controuersiarum inter regem & Magistrum certis iudicib. postea cum non starent pactis Cruciferi, delegata est, apparet, id quoq; conuenisse. Profugis aūt utriusq; partis ut liceret ad possessiones derelictas reuerti, uel uendere eas arbitratu suo. Impendia damnaq; utrinq; cōpensata. Dubrauius cum Hageco memorāt, inter ipsos quoq; reges Polonū & Bohemū Vngari arbitrio tunc pacta conuenisse: ut Polonus Bohemo ius omne in Silesia concederet: Bohemus uerò ne regis Polonorum appellationem deinceps usurparet, ac ius tributi à Polono rege exigendi ut remitteret, acceptis à Carolo quingentis libris auri puri puti. Ac de his qdē conditionib. cōsentiunt: de illa uerò dissentiunt, q Dubrauius illud quoq; cōuenisse scribit, ut Polonus Bohemo pecuniā debitā exolueret: Hagecus, cōtrà, uiginti

Nix sub finem Aprilis. 1335. ann. Locustæ. Cazimirus rex in Vngariam profectus. Pax inter Polonos & Cruciferos. Pacta inter Bohemum & Polonum reges conuenta. Bohemicorum scriptorum dissensio & temeritas.

millia

millia marcarum Polono à Bohemo numerata uult esse, ne quid iuris in Vuratislauiensi ditione, & in omni Silesia & Oppoliensi sibi uendicaret. Addit idem societatem tunc ab omnib. trib. regib. contra Ludouicum Cæsarem initam esse: quod Dubrauius prætermisit: uultq; idem, & quidem solus, hæc omnia uiuente & præsente Loctico cōfecta esse. Aliquid fortaßis horum tunc actum est. Cæterùm Silesiam omnem tunc nōdum Bohemus in ditionē suam redegerat. Tributum aūt illud unde aut qñ ipsi natum sit in Polonia, non possunt ostendere isti, si ultima cum primis aptè & conueniēter uolunt cōtexere. Sed integrum sit suum cuiq; iudiciū. Soluto cōuentu, non tñ reddebāt ex decreto & pacto Cuiauiam ac Dobrinensem Cruciferi Cazimiro, quamuis approbasset is sententiam regū ex compromisso latam, nisi etiam disertè unà cum senatu, nobilitate, & ciuitatibus, diplomatis & iureiurando dato Pomeraniam, Culmensem, & Michalouiensem tractum à se & à posteris suis prorsus abdicaret. Quod cum ille ad senatū & comitia retulisset, omnib. indigna res uisa, post tam iniquum arbitrium, nouas etiā durioresq; pacis leges ab hoste perinde atq; à uictore sibi ferri. Itaq; bellum malle, quam tam iniquam & ignominiosam pacem. Cùm autem de ratione belli gerendi consultaretur, placuit non inferre bellum: sed si inferatur, propulsare atq; ad Pont. Max. primo quoq; tempore de ui & iniurijs Cruciferorum, ꝑpter religionē ad eius iurisdictionē pertinentium, referre. Legatus ad eam rē curandā missus Ioānes Grotus Slupecius episcopus Cracoui. qui nequicq; inficientib. negotiū aduersarijs, magna cura ac diligētia tandem perfecit apud Benedictū eius nominis duodecimum Pontif. Max. ut is Galardum Titulensem præpositum, & Petrum Geruasium Aniciensem canonicum legatos, & iudices ea de re in Poloniam & Prussiam mitteret: qui Polono regi Cuiauiam ac Dobrinum reddi, & decem millia florenorum adiudicata numerari à Cruciferis curarent: de cæteris uerò controuersijs cognoscerent. Cruciferi uerò ut prætextum aliquem iniuriæ, & neq; arbitrorum decreto, neq; pōtificis mādatis parendi haberent, persecerunt apud Ludouicum Cæsarem, cui tunc neq; cum regibus neq; cum pontifice conueniebat, ut is Magistro Theodorico Aldemburgio & uniuerso ordini grauißima pœna adiecta interdiceret, ne cuiusquam præcepto quicquā de ijs terris quas ab imperio haberent, cuiq; concedant, néue apud ullos iudices de ijs disceptēt, præter assensum suum. Cum aūt iudices à pontifice delegati Varsauiæ cognoscēdæ causæ aliquādiu operam dedißent, refutata friuola detrectatione & prouocatione Cruciferorū, anno Christi nati 1339 adiudicarunt Cazimiro & Polonis Pomeraniam, Cuiauiam, Dobrinensem, Culmensem, & Michalouiensem ditionem. Cruciferos aūt ad centū nonagintaquatuor millia & quingētas marcas Polonicas pro damnis datis, itemq; ad mille sexcentas marcas impensarum nomine condemnarunt: ad hæc ut ij templa & monasteria in Polonia, superiore bello direpta & exusta instaurarent. cumq; iudicata non facerent, anathemate deuoti sunt, & sacris interdictum omnibus locis quæ in ditione eorum essent, & ad quæ quispiam eorum peruenisset. Interim annis aliquot quietę res fuerunt in Polonia, nisi q Lithuani crebris excursionib. Mazouiam quāuis affinitate ducū sibi coniunctā depopulati sunt: tametsi non oēs illæ excursiones prosperè eis ceciderunt. nam anno 1337 cū direptis Cechanouia & Poltouia oppidis, cum copiosa prēda incomposito agmine, ut solent, reuerterentur, ingruentib. ex inopinato Mazouijs, cum trepidi mutuò se in traiectu Naruæ fluuij impellerent & impedirent, plurimos de suis partim cæsos, partim impetu & altitudine fluminis absorptos, & prædam omnem amisere. Nec cōtra Cruciferos quidem satis prospera fortuna tunc usi sunt. Libet autem insigne quoddā facinus eorū cōmemorare. Cum Cruciferi Germanorū quorundā principū auxilijs adiuti, agros eorū infestarēt, & arcem Pullen obsedissent, Barbari qui erāt in ꝑsidio, desperatione retinendæ arcis inducti, pyram in medio accenderunt, & facultates, liberos, & uxores suas, ac seipsos ad extremum in eam coniecerunt, ne uiui in potestatem hostiū uenirent. Quid interim Cazimirus rex egerit, non constat: credibile tamen est eum studia pacis, ad quæ factus erat, coluisse: arces & oppida muniuisse: leges partim nouas condidisse, partim ueteres emendasse, iudiciorum rationem correxisse: huius enim regis ea sunt maximè opera in Polonia: quæ certè uno & altero anno perfecta non sunt: sed hæc pluribus persequemur inferius. Vnum quidem nunc est commemorandum, quod propriè huius temporis est: quòd cum nullos ex Anna uxore mares liberos susciperet, præter unam filiam, successorem sibi in regno designauit, indictis ad eam rem comitijs Cracouiā ad VIII diem Maij anno Christi 1339. ubi re in consultationem senatus posita, quamuis alij Zemouitum, alij Ianusium duces Mazouiorum, alij uerò Vuladislaum Oppoliensem mallent, quòd omnes

Cruciferi pactis conuentis cum Polono non steterunt.

Legatus Cazimiri regis ad pontificem.

Delegati Papæ de controuersijs Polonorum cum Cruciferis.

Ludouici Cæsaris interdictum.

1339. ann.

Decretum contra Cruciferos.

Cruciferi anathemate deuoti.

Lithuani Mazouiam uastarunt.

1337. ann.

Lithuani Cechanouiam et Poltouiam diripuere.

Narua fl.

Lithuani fusi.

Lithuanorum facinus forte.

Cazimiri regis studia.

Cazimirus successorem sibi designauit regem Vngariæ.

1339. ann.

omnes hi è uetusta regum Poloniæ prosapia oriundi essent: perficit tamen Cazimirus, ut omnium sententiæ in Carolum regem Vngarorum sororis suæ uirum, & filios eius inclinarent, refutatis aliorum qui dissenserant sententijs, quod diceret, Silesios quidem defectione ad Bohemos, indignos sese eo honore reddidisse: è Mazouijs autem nihil dignitatis & amplitudinis regno accessurum esse, cum ij stipendiarij socij, & uasalli, ut uulgari uerbo utamur, Polonorum sint. In neutris uerò satis fore uirium & præsidij contra hostes. Porrò Caroli filios Ludouicum & Stephanum præclaræ indolis iuuenes, matre Polona ortos, ac tanti regis filios amplificaturos esse regni maiestatem: nec ei defuturas esse Vngarorum opes, siue ad defendendos, siue ad proferendos fines Poloniæ. Re confecta ex animi sententia, conuentuq; dimisso, mox Vissegradum in Vngariam ad Carolum se contulit Cazimirus, cum splendido procerum & equitum comitatu. Ibi fœdera inter uicinos duos populos renouata & confirmata sunt, & pacta quædam cum rege & regijs filijs de sententia totius conuentus Polonici inita. Eodem autem anno Cazimirus uxorem Annam amisit mulierem lusibus, & choreis suprà modum deditam, & musicos, qui uoce, flatu, & pulsu canendo eam oblectarent, quocunq; iter faceret, circũducere secũ solita. Sequentẽ annũ Russia meridionalis subacta, & in puinciæ formã redacta insignẽ facit. Fuerat ea qdem olim in ditione regũ & principũ Polonorũ, quẽadmodũ superiorib. libris exposuimus, Boleslaorum maximè armis subiugata: sed cũ suos tamen duces indulgentia nostrorum haberet, pedetentim deinde iugum excussit eo potissimũ tẽpore quo Polonica resp. multis imperijs discerpta, mox etiam ciuilib. atq; adeò parricidialib. bellis concussa ac euersa propemodum, neq; spacium, neq; uires ad coërcẽdos rebelles Russos habuit. Ad extremum paulò antè hæc tempora, in quib. nunc uersamur; cum mascula pgenies Danielis regis liberorum, quorum summa erat in Russis authoritas & potentia, defecisset, Lubartus Gedemini, Lithuanorum ducis filius, cum Vuladimiriensium ducis filiam uxorem duxisset, omni eo tractu Russiæ, qui Lithuanis finitimus est, Russis ducib. quorum propter multitudinem atq; discordias extenuatæ erant uires, uel deuictis, uel in deditionem acceptis, potitus est. Nam cætera Russia, quæ ab Halicia & Leopoli in Poloniam uergit, in Boleslai, qui Troideni Cirnensium Mazouiorum ducis filius fuit, ditionem cõcessit, q ei Maria Russa matre degenere ducũ Russorũ, edito, legitima secũdum auũculos successio deberi uideret. Nec tñ hic dominatus diuturnus ei mansit. Offensi eñi Russi intemperantia eius, & sororum, uxorum, filiarũq; suarũ stupris, siue grauiorib. exactionibus, siue ob magistratus externis mandatos, seu deniq; propter diuersitatem religionis siue rituum, ueneno cum de medio sustulêre. Quod ubi accepisset Cazimirus rex, ratus uenisse tempus, quo Russiam maiorũ suorum negligentia amissam, facilè in potestatẽ suam posset redigere, subitario exercitu de aulico suo, procerumq; suorum comitatu coadunato stipatus, mense Aprili magnis itinerib. in Russiã cõtendit: Leopolim caput gentis circũsidit. Nec longum tẽpus intercessit, cum sese arcemq; superiorem & inferiorem, atq; oppidum Russi dedidêre: illud unum pacti, ut retinere sibi ueteres religionis ritus liceret. Ingens uis auri, & argenti, gemmarum, præciosarum uestium, & reliquæ supellectilis, uetusta Russorũ ducũ gaza, in ijs arcib. repta est: in qua insignes erãt, duæ cruces aureę plurimis, & pciosis gẽmis distinctæ, quarũ altera portionẽ ligni, in quo Christus Iesus pepẽdit, inclusam habuit: q̃ extat etiãnũ in Basilica Cracoui. itẽq; duo diademata cum sella, & ueste auro gemmisq; rigente. Quã gazam Cazimirus reuertens in Poloniã secũ asportauit, & arces ipsas, utpote ligneas concremauit, ne earum fiducia Russi rebellarent, cum ipse distrahere in præsidia earum copias suas exiguas, non satis tutũ sibi, esse existimaret. Tantisper autem commoratus Cracouiæ, dum ex omni Polonia indicta expeditione uniuersali, copiæ ad certum locũ conueniunt, rursus cum ijs copijs ad subigendã reliq; Russiã reuertit, instãte iam messe, nulloq; negotio Premislia, Sanoco, Halicia, Trebouulia, Lubassouia, Tustano, cæterisq; omnibus eius oræ munitionibus potitur, ita ut ad Cremenetiam usque arma circumferret. Quam tamen penes Narimunthouicium in sequestro ad tempus esse passus est, ex pacto cum Iaunuta, Keystuto, Lubarto, ducib. Lithuanis affinib. suis Gedemini filijs, & nepotib. eiusdẽ duob. Georgijs, Narimunthouicio & Coriathouicio, Olgerdi quoq; & Coriathi absentium nomine id ratum fore promittentib. inito: Vuladimiriensem uerò, Lucensem, Belsensem, Chelmensem, & Brestẽsem ditiones ad biennium intactas eis reliquit. Cauebat aũt Cazimirus ne sibi ad cætera impedimẽto essent. Hoc aũt pactũ paulò post, Iaunuta summo principe & maximo natu inter filios Gedemini ab Olgerdo & Keystuto fratrib. capto ac deiecto, Olgerdus, qui illi in principatu suc-

Cazimirus in Vngariã profectus.

Fœdera inter Vngaros & Polonos.

Anna regina musicis & lusibus dedita.

Russia Australis quando à Polonis defecit.

Russia à Lithuanis occupata.

Boleslaus Mazouius dux Russorum. Czirsk.

Boleslaus ueneno extinctus.

Cazimiri in Russiam expeditio.

Leopolis Cazimiro dedita et incensa.

Thesaurus Leopoli inuentus.

Russia à Polonis subacta.

Polonorum fœdera cum Lithuanis.

Russia quæ in Lithuanorum ditione fuit.

succesſit, renouauit. Vbi recenſentur arces quas Lubartus in Volynia, quáſue Keyſtutus in Poleſenſi, ſiue Podlaſſenſi tractu retinebant: additur etiam, quòd mutuam ſibi opem rex & Lubartus ferre debebant. Si quid autem controuerſiæ inter ipſos exoriretur, ut ea regis Vngari arbitrio decideretur. His ita geſtis rex conuentu Ruſſorum habito, in formam prouinciæ Ruſsiam à ſe ſubactam redegit, Palatinos, Caſtellanos, præfectos, iudices, & alios magiſtratus Polonorum more inſtituit, Ruſſosque eodem cum Polonis iure eſſe iuſsit. Neque deinceps conſilio publico ea pars Ruſsiæ a Polonis deſciuit. Per hoc tempus Lithuani rurſus Mazouiam depopulati ſunt. Ianislaus uerò Archiepiſcopus Gneznenſis extrema ſenectute defunctus, ſucceſſorem accepit Iaroslaum Scotnicium, gente Bogorium. Nankerus quoque Vratislauienſis epiſcopus religioſiſsimus & continentiſsimæ uitæ, ueneno, ut creditum eſt, extinctus, Prædislaum Pogorelecium gente Grimalium Bononiæ tunc ſtudijs doctrinæ uacantem ſucceſſorem accepit. Qui cum Ioanne Bohemorum rege de iniurijs eccleſiæ Vuratislauienſis pontifice Max. arbitro trāſegit. Vvratislauienſem quoque ſenatum nudis pedibus, & capitibus, diſcinctumq; & pallijs depoſitis ad ſe uenientem, & ſatisfacientem deprecante Carolo Marchione Morauiæ in gratiam recepit: arſitq; non multo pòſt tota Vuratislauia. Reuerſus à Ruſsico bello Cazimirus, cum luctum annuum poſt mortem Heduigis matris expleuiſſet, uxorem alterā duxit Adleidam, ſiue Heduigim, Henrici Heſſorum Landgrauij filiam cum dote duûm millium ſexagenorum Pragenſium (ſic enim in pactis ſcriptum eſt) promiſſa. Quæ cum eſſet deformior, mox eam deſpicatui habere cœpit, & concubinarum, quas pluribus in locis alebat, amoribus & illecebris captus atque faſcinatus ſegregatam à ſe in Zarnouecenſem arcem relegauit, quo maiore licentia libidinibus indulgeret. Anno ſequenti ad funus Caroli regis cohoneſtandum, conſolandamq; ſororem in Vngariam profectus, mox ad uoluptates & libidines ſuas redijt. Quæ quidem ſic animum eius emollierunt atq; dementarunt, ut paternorum præceptorum dignitatisq; ſuæ oblitus, iniquas pacis conditiones à Cruciferis acciperet potius, quàm erepta ab his bello repeteret. Ad quod quidem gerendum ſatis uirium præſertim acceſsione Ruſsiæ habere uidebatur. Lite enim cum eis ad extremum perducta, quemadmodum ſuperiùs commemorauimus, cum ij diris deuoti, nihil tamen authoritate Pontificia mouerentur, ut iudicata facerent, facilè Cazimirus conceſsit petentibus, ut iure omni quodcunq; ipſi à maioribus ſuis haberent in Pomerania, Culmenſi, Michalouienſi ditione, ſeſe, poſterosq; ſuos iureiurando interpoſito, & literarum monumentis cōſignatis abdicaret: ac de ſigillo etiam, quo diplomata regia ſignātur, Pomeraniæ nomen eraderet, quo Cuiauiam ac Dobrinenſem ditionem ab eis reciperet. Itaq; conſtituto cum Magiſtro Cruciferorum cōgreſſu Inouuladislauiæ ad uiceſimāſecundam diem menſis Iulij, comitia quoque ſuis indixit. Vbi abdicatio illa ſcriptis facta, Caliſsiæ uerò non modò regis, uerumetiam Zemouiti Viſnenſium, Zemouiti Cirnenſiū, & Boleslai Plocenſium Mazouiorum ducum, procerum quorundam Polonorū, & primariarū ciuitatum, nempe Cracouienſis, Poznanienſis, Sendomirienſis, Sandecenſis, Caliſsienſis, Vvladislauienſis, & Breſtenſis diplomatis conſignata eſt. Epiſcopi uerò neq; ut ſignarent, neque ut approbarent, adduci ulla ratione potuêre. Quo robore animi utinam rex ac cæteri proceres fuiſſent. Annus autem quo hæc acta ſunt, fuit 1343. Tam damnoſa pace facta, recuperataq; Cuiauiæ ac Dobrini poſſeſsione, Cazimirus reliquo eiuſdem æſtatis & autumni tempore, Henrico Zeganenſium duci magnis uiribus bellum intulit, ueritus ne Ioannes Bohemorum rex ſuppetias ei ueniret. Cauſa belli fuit, ut recuperaret Vuſchouenſe territorium, quod Teuthones Freiſtatenſe uocāt, ab Henrico duce Glogouienſi huius Henrici auo interceptum, & à maiore Polonia auulſum. Vbi ad oppidum uentum eſt, quaſſatis aliquot diebus, deiectisq; muris, captum id eſt, nequicquam defendentibus Sileſiis. Quos capi rex iuſsit, & bona eorum militibus diripienda conceſsit: cæterum oppidanis parſum eſt. Inde progreſſus, Stinauiam cœpit, ac diruit, agrumq; circum iacentem depopulatus eſt. Inde porro ad Zeganum cum duceret exercitū, Henricus dux ſupplici legatione ad eum miſſa, ac deinde in caſtra ipſe cum fratribus ſuis, Conrado, Ioanne, & Præmislo uenire iuſſus, pacem æquiſsimis legibus impetrauit, Vvſchouenſis tantum territorij iure omni & uendicatione à ſe abdicata. Neq; uerò ademit rex oppidanis Vuſchouenſibus ius cudendæ monetæ, quod à duce acceperant. Ita bellum illud paucis diebus ſolutum eſt. Collocauit autem eodem anno Cazimirus rex filiam ſuam Elizabetham à priore uxore ſuſceptam, in matrimonium Boguslao duci ulterioris Pomeraniæ ſiue Stecinenſium, quos Germani Stetinenſes uocant. Societatemq; cum eo & fratribus

eius

Ruſsi exæquati cum Polonis iure & prærogatiuis.
Lithuani Mazouiam uaſtarunt.
Iaroslaus Archiepiſcopus Gneznenſis.
Nankerus epiſcopus obijt.
Vuratislauienſes ſupplices epiſcopo.
Vuratislauiæ incendium.
Cazimiri libidines.
Zarnouecia arx.
Carolus rex Vngarorum mortuus.
Cazimiri regis tranſactio cum Cruciferis.
1343. ann.
Cazimiri expeditio in Sileſiam.
Vuſchoua capta.
Stinauia diruta.
Pax cum Zeganenſi duce.
Vuſchouenſes habuerunt ius cudendæ monetæ.
Pomeranorum ducum fœdus cum Polono rege.

eius Barnimo & Vartislao iniijt his legibus, ut mutuam sibi opem ferrent contra quosuis hostes, nominatim autem contra Cruciferos, quoties opus esset, cum quadringentis galeatis, eosq; intra mensem ex quo essent admoniti mitterent, uel ipsi adducerent: ac in sua quidem ditione utriq; auxiliaribus commeatum & pabulum suppeditarēt, in hostico autem sibi quisq; prospiceret: munitiones ab hostibus recuperatæ ut redderentur ei, cui ademptæ fuissent. Quæ uerò ad neutros prius pertinuissent, captæ inter socios diuiderētur: aut dato alteri dimidio precio, ab altero retinerentur. Hoc tunc primum fœdus Pomeranorum ducum cum Polonis fuit, non minus metu Cruciferorum, quàm affinitate conciliatum. Dos autem puellæ fuit uiginti millia sexagenarum Pragensium, præter cæteram suppellectilem & paraphernam, peramplam sanè, & splendidam. Vicissim autem Boguslaus duûm millium sexagenarum prouentus annuos nouę nuptę promisit. Nuptiæ Posnaniæ sub finem Februarij sequentis anni magna pompa celebratæ sunt. Quo quidem anno magna uis locustarum ex Vngaria coorta, & mox ingentes Tartarorum copiæ in Russiam & Poloniam inundauêre à Dascone, quē rex Præmisliæ præfecerat, & Daniele Ostrogio, & nōnullis alijs Russis res nouas molientibus euocatæ. Nam ij nacti tempus, quo rex Gazimirus longissimè aberat Cruciferorum colloquijs, Silesico bello & filię nuptijs occupatus, missis clam legatis, admonuêre Tartarorum principem siue Cęsarem, ne tributariam sibi Russiam à Polonis occupari pateretur: non defuturam ipsi fidem suam, operam q; polliciti. Habebant autem ij inuisum Polonorum imperium, cum quòd non libenter ferè externis parent homines, tum quòd sectæ, ritibusq; suis, ne callidè sensim abolerentur, metuebant. Videbāt enim multos de suis ad nostros ritus, & ad Romanam, siue adeò catholicam ecclesiam se transferre, pluresq; in dies honoribus & alijs premijs à rege ostentatis inuitari. Ab his igitur exciti Tartari & adiuti, obiter transcursa Russia, in Poloniam magna ui contendunt. De quorum aduentu cum tempori Cazimirus à suis è Russia certior factus esset, coacto celeriter exercitu, in Sendomiriensem tractum obuiam eis profectus, positis in ripa Vistulæ statiuis, transitu fluminis arcere eos satis habuit, non ausus cum longè maioribus copijs manus cōserere. Eminus modò hinc balistis, illinc arcubus uelitatum est: in qua uelitatione, Albertus Palatinus Sendomiriensis, gente Habdancus, sagitta ictus cecidit. Tartari frustrà tentato multis in locis transitu Vistulæ, magno cū tumultu populabundi, & ferro atq; igni obuia quæq; uastantes, per Lublinēsem tractum retrò abiere. Nec arcem Lublinensem aliquot diebus oppugnatam, expugnare potuêre. Memorat Dlugossus hoc ipso anno, Masouios malè pugnasse apud Oleinciam, siue Elsam, contra Silesios. Sed quódnam id bellum fuerit, aut inter quos, aut quam ob rem excitatum, non reperio. Nec sanè Masouij confines usquam sunt Silesijs. Contra Lithuanos quidem expeditionem Ioannes Bohemorum rex cum Carolo filio Marchione Morauię, & Ludouicus Vngarorum hyberno huius anni tempore magnis uiribus, sed successu nō satis pari apparatui, cum Cruciferis fecisse memorantur. In sequēti autem intulit Ioannes bellum Polonię, Zeganensi, ut uidetur bello, cuius paulò antè meminimus, prouocatus. Ac tanto quidem ardore animi id fecit, ut cum senio, laboribusq; confectus esset, ac alterum quoq; oculum iam amisisset, tum deinde libenter se moriturum affirmaret, cum Cracouię muros manu uictrice palpasset. Sed eum spes sua fefellit. Et uenit is quidem per Opauiensem, Cesinensem, & Osuencimensem tractum in conspectu Cracouię cum maximis Bohemorum, Silesiorum, atque Teuthonum copijs, biduoq; apud Cirinum pagum Abbatis Mogilensis castra habuit. Sed nostris neq; frumentari, neq; pabulari liberè cum sinentibus, neq; tamen pugnandi copiam facientibus ueritus, ne in angustum redigeretur, siue commeatu, ut scribit Aeneas Syluius, deficiente, siue metu Vngaricorū auxiliorum Poloni à Ludouico nouo rege, Caroli filio & successore missorum, ut uult Antonius Bonfinius, soluit obsidionem: bipartitoq; agmine, quo plura populationibus cōplecteretur, exercitum reuerti iussit: ipse cum paruo comitatu præcessit. Et unum quidē agmen uersus Ilcussum, alterum autē uersus Lelouiam abijt. Quod ubi didicêre nostri ab exploratoribus bipartito, & ipsi hostes abeuntes concito cursu insequūtur. Et hos quidē apud Bialam pagū, illos uerò apud Pogoniam adepti, utrosq; magno impetu à tergo adoriuntur, & re inopinata pauidos citò perturbant, & in fugam uertunt. Pauci famæ & honoris amantes resumptis animis insultum nostrorū paulisper sustinuêre. Verùm ij quoq; paruo negotio, utpote pauci & perturbatis ordinibus fusi, fugatiq; sunt. Cecidêre in utroq; prę lio & fuga de primoribus Bohemis, Zagiz Prassek, & Also de Stramberk: captus Hinco Dubius: multi præterea de inferioribus ordinibus cæsi, captiq;. Captiui Cazimiri iussu benignè curati sunt: diu tamē captiuitatem pertulêre. Ioannes rex accepto à fugientibus suis cladis nuntio, mœstus in Bohemiam redijt. Nostri cum uictoria non contēmnendam prædā reportarunt. Palma rei bene gestæ Prendotæ Galcæ gente Odrouansio data. Itaq;

Dos regiæ filia.

Locustæ in Polonia.

Tartarorum excursio in Russiam & Poloniam.

Albertus Palatinus Sendomiriensis à Tartaris occisus.

Masouiorum cum Silesijs bellum.

Lithuania uexata ab Vngaris, & Bohemis, & Cruciferis.

Ioannes Cęcus rex Bohe. bellum infert Polonis.

Cracouiæ obsidio.

Bohemi profligati à Polonis.

Prendota Galca.

magnis præmijs & militari baltheo à Cazimiro is affectus est. Topori uerò Hinconis nomen, ab Hincone Bohemo capto deinceps usurpare cœperunt. Annus quo hæc acta sunt, fuit post Christum natum 1345. Paulo aliter hæc narrat Hagecus. Vult enim ipse non regias copias à Polonis profligatas esse: uerùm alias quasdam, quas tunc proceres quidam Bohemi regi suo in auxiliũ adducebant. Excessisse tamen statim Ioannem è Polonia magno incommodo accepto. Causam autem belli huius uult idem præbuisse Polonos, propterea quòd Opauiensem tractũ priores infestassent, dum Bohemo, qui Suidnicienlium ducem bello premebat, par pari referre student. Conatus est enim Ioannes rex Suidnicienſem ducem Boleslaum, Bernardi filium, qui unus inter duces Silesiorum cum Polonis adhuc sentiebat, subigere, oppugnauitque Suidniciam: sed repulsus, inde Landishutam cœpit: nec multò pòst rursus amisit, cum Boleslaus armatos curribus, prætextu mercium deuectos, eò clàm immisisset, præsidiumq; Bohemorum partim interfecisset, partim expulisset. Dlugossus, nisi fortè librarij hic error est, Suidnicensium duci posterius, quàm Polonis tunc bellum à Bohemis illatum esse uelle uidetur. Neutrum autem bellum persecutus est Ioannes, cùm stabiliendi Carolo filio imperij studio, tum morte prępeditus. Principes electores Clemente sexto Pont. Max. & Philippo Francorum rege annitentibus, filium ipsius Carolum Morauiæ Marchionem, Ludouico Cæsari uiuentẽ adhuc, sed podagrico, ac diris deuoto, per id tempus suffecerunt. Nec diu postea uixit Ioannes. Nam cum Philippo Francorum regi affini suo suppetias contra Anglos iuisset, inclinante ad Anglos uictoria, in aciem se produci iussit, ibiq; interfectus occubuit. Perfecit is apud Pont. Max. ut Pragæ deinceps esset Archiepiscopus, qui ius haberet coronandi regis. Successit autem Ioanni in regno Carolus filius Cæsar. Nec multò pòst Ludouicus quoq; Cæsar perijt. Quo imperante, in plerisque Italiæ urbibus noui tyranni extitêre. Qui postea Ducum & Marchionum titulis, indulgentibus Pontificibus, sese cohonestarunt. Per idem tempus Ludouicus rex Vngarorum exercitum, in quo multi Poloni militarunt, duxit in Italiam, ut Andreæ fratris, Neapolitanorum regis mortem ulcisceretur. Nam eum Ioanna uxor, eademq; cognata strangulauerat, & Philippum Tarentinũ principem, & ipsum cognatum, thori, regniq; consortem fecerat. Quibus exactis, Ludouicus regnum in suam potestatem redegit. Nec multò pòst, admittente Pont. Max. Ioanne id certo pacto restituit: illa uerò Auinionem urbem Narbonensis prouinciæ pontifici in loco mercedis iure sempiterno donauit: perfrictaq; semel fronte totam sese libidinibus dedidit. Interim in Polonia nihil memorabile gestum esse proditur, præter leges in comitijs Vislicienſibus scriptas: quibus Palatinorum & iudicum infinita potestas certis cancellis coërcita est, ut ne ex moribus aut è libidine sua, sed è scripto iure deinceps iudicarent. Certæ etiam mercedes eis & alijs ministris iudiciorum constitutæ sunt, ut ne quid præterea à litigantibus exigeretur, mulctæq; quas iudices arbitratu suo dicebant & exigebant, definitæ. Ad hæc sublatus mos barbarus, iusiurandi conceptis uerbis dandi, in quo si quis uerbo lapsus esset, atq; adeò titubasset, causa quauis iusta, cadebat. Nec illud sanè silentio prætereundum est, quod eodem anno apud Cracouiam accidit. Nam cum conscelerati quidam homines sacrilega cupiditate adducti, sanctissimum corpus Christi cum ferculo suo è templo omnium sanctorum memoriæ dicato suffurati essent, atq; id ferculum non aureum, ut crediderunt, sed æreum inauratum esse comperissent, apud Bubalum siue Bauolum pagum suburbanum, qui erat in ditione collegij basilicæ Cracouiensis, in cœnosam paludem id impiè & irreuerenter abiecerunt. Mox locus crebris ignibus atq; faculis dies, noctesq; aliquot perpetes collustratus est. Id miraculum cum ad episcopum perlatum esset, neque causa tamen eius pateret, post indictum triduanum ieiunium, episcopus eò cum solenni pompa sacerdotum, & supplicationibus profectus est, repertumque sanctissimum corpus ingenti cum ueneratione eò unde sublatum erat, retulit. In eo uerò loco, ubi id repertum est Cazimirus in sequenti anno augustum templum titulo Corporis Christi de coctis lateribus ædificauit: successuque temporis peramplum spacium muro complexus nouum oppidum condidit, & Cazimiriam de suo nomine appellauit. In quo oppido manasterium etiam aliud excitauit sodalitati monachorum, siue eremitarum Augustinensium. Mortuus est eodem anno, qui fuit post Christum natum 1347. Ioannes Grothus episcopus Cracouiensis. Qui præter uoluntatem Vuladislai regis Nankero ad Vuratislauiensem episcopum propter iram & contumeliam eiusdem regis transeunti, successor datus erat. Ei uerò Petrus Falcouius gente Doliuius à collegio surrogatus est. Qui cum regio nomine legationem obiret apud Pontificem Max. intra uertentem annum Auinione mortuus successorem accepit à Pontifice Bozentam Iancouium, gente Roseum, decanum Cracouiensem, qui comes ipsi fuit itineris. Fuit autem Grothus uir excelsi & cõstantis animi, ita ut Cazimirum regem nouum oppidum Socolnicos prope Scar-

An. 1345.
Suidniciensiũ duci bellum illatum à Bohemis.
Landishuta amissa, & recuperata.
Carolus Cæsar & rex Bohemorum.
Ioan. Bohem. regis mors.
Pragensis Archiepiscopus.
Carolus rex Bohemorum.
Ludouici Cæsaris mors.
Italiæ tyranni.
Ludouici regis Vngarorũ expeditio in Italiam.
Ioanna regina Neapolitana scelesta & libidinosissima.
Regnum Neapolit. Ioannæ concessũ Ludouicum.
Auinio donatus Rom. Pont.
Leges Cazimiri regis.
Iurisiurãdi barbarus mos sublatus.
Miraculum.
Bauolus pagus.
Cazimiria cũ templis condita.
An. 1347.
Petrus episc. Cracouiensis.
Bozenta episc. Cracouiensis.

Scarbimiriam condentem authoritate ecclesiastica, quemadmodum Dlugossius memorat, desistere à cœpto cogeret, propterea quòd futurum erat, ut eo oppido condito Scarbimiria quæ est in ditione præpositi Scarbimiriensis desereretur. Quin & patrocinium eiusdem præpositurae, ut ita dicam, concedente rege, sibi & successoribus suis episcopis uendicauit. Sed paulò antè nostram memoriam uir clarissimus Erasmus Ciolcus episcopus Ploccensis, id simul & cæterorum ferè omnium primorum in unaquaque ecclesia sacerdotiorum patrocinium indulgentia Leonis decimi Pont. Max. in regiam potestatem redegit. Anno deinde 1349. fecit Cazimirus rex expeditionem in Rußiam, ut eam quoque partem eius, quam Lubartus & Keistutus usurpabant, regno suo adijceret. Magnaq; fœlicitate usus una æstate expugnatis, arcibus Lusco, Vuladimiria, Breste & Chelmo, ac cæteris in deditionem acceptis Valyniam omnem, Belzensemq;, & Brestensem tractum in potestatem suam redegit: Russos duces deditionem facientes retinere sua iussit, primarijs modo munitionibus Polonos præfecit. Et quo certior, quietiorq; ipsi esset Russiæ possesio, quoniam Vngarorum reges ad se eam pertinere antiquo iure, sicuti suprà memorauimus, contendebant, cum Ludouico rege eius gentis, assentiente etiam Stephano fratre Ludouici duce Slauoniæ ac Dalmatiæ transegit, & contra Cruciferos societatem inijt. Atque eundem Ludouicum certum sibi successorem in regno Polonorum designauit, si ipse sine masculis liberis decederet. Quòd si Ludouicus quoque nullos masculos liberos relinqueret, Ioannes Stephani fratres eius filius rex Polonorum esset. Misit autem tunc Ludouicus matrem suam in Poloniam, ut suo nomine iusiurandum à Polonis exigeret. Reuersus autem à Rußica expeditione Cazimirus, & secundis rebus, laudibusque hominum insolescens, neque de libidinibus quicquam remisit, sed palam concubinas Oposini & Cressoniæ alebat: & cum à Bozenta episcopo Cracouiensi officij sui admoneretur, non modò non resipuit, sed etiam subiectos ipsi homines in territorio Sendomiriensi per Ottonem Pilecium, gente Toporum, palatinum & præfectum eius loci, indebitis tributis & laboribus uexauit. Porrò cum his de rebus episcopi Poloni Pontifici Maximo indicassent, isq; moneri eum suo nomine uellet, Martinus cognomento Barisca, unus de uicarijs basilicæ Cracouiensis, qui solus id facere ausus est, in profluentem Vistulæ demergi ab eo iussus est: uerùm non diu scelus id diuina maiestas inultum esse siuit: nam & rex diris deuotus est à Bozenta episcopo, & pestis acerba, quam epidemiam Græci uocant, quasi nos dicamus popularem, duobus illis annis Poloniam omnem peruasit: tanta ui grassata, ut pagos atque oppida hominibus uacua redderet. Ac initio quidem triduana febris ardens cum sputo sanguineo miseros mortales passim absumebat: deinde uerò in quintum prolata diem carbunculis & apostematibus enecabat. Quanquàm autem arcano id fiat Dei Optimi Max. iudicio, & ab hominum intelligentia abstruso, tamen non nouum, neque inusitatum est, pro principum peccatis, subiectam eis multitudinem pœnas expendere. Nec Poloniam solùm ea tunc uexauit, sed uniuersum ferè orbem terrarum peruagata est. Creditum autem est uulgo, eam à Iudæis infectis ueneno fontibus effectam esse. Itaque exquisitis supplicijs ij nullo neque sexus, neque ætatis discrimine, per Italiam, Germaniam, & Gallias affecti, & facultatibus spoliati sunt. Increbuêre tunc per uniuersum ferè Christianum orbem greges uirorum pariter ac mulierum nudis umbilico tenus corporibus obambulantium & flagellantium sese, diuinamque clementiam miserabilibus uocibus implorantium, uexillis præeuntibus. Itaque in Poloniam quoque ij tunc uenêre ex Vngaria. Sed cùm ea siue religio, siue superstitio à flagitijs & prauis dogmatibus non penitùs immunis esse deprehenderetur, pœnis coërcita & extincta est. Neque tamen hic tunc malorum finis Poloniæ fuit. Quin ubi pestis conquieuit, Lithuani ob ereptam siue præreptam Rußiam irritati, quamuis graui bello à Cruciferis, qui magna tunc habebant Germanorum & Gallorum auxilia, præmerentur, tamen crebris excursionibus Sendomiriensem tractum penè omnem uastarunt, fusis, fugatisq; nostris, si qui fortè obijcere sese ipsis ausi sunt. Rußiæ quoque eam partem, quam dudum Lubarto Cazimirus eripuerat, Rußis fidem mutantibus, & præsidia Polonorum eijcientibus, in potestatem suam redegerunt. Vuladimiria, Chelma, Belzo, & Breste, quam arcem Cazimirus cocto latere munierat, per deditionem potiti. Vnde liberius finitimam oram Poloniæ populabantur. Habet enim Breste situm uersus Poloniam Bugo flumine nauigabili, & paludibus permunitum. Inde ad Leopolim excurrentes, cum utramque arcem nouis muris & præsidio Polonorum munitam esse cognouissent, non tentata oppugnatione, circumiacentem oram omnem ferro & igni fœdè uastarunt. His tot, tantisque detrimentis excitus tandem Cazimirus anno Christi millesimo, trecentesimo, quinquagesimo

Scarbimiriensis præpositura.
Eras. Ciolcus episc. Ploccensis.
An. 1349.
Rußicum bellum.
Volynia, Belzensis, Chelmensis & Brestensis prouinciæ à Cazimiro rege subactæ.
Cazimiri transactio de Rußia cum Vngaris.
Ludouicus rex Polonorum designatus.
Poloni iurarũt in uerba Ludouici regis.
Cazimiri flagitia & scelus in presbyterum.
Oposnum.
Cressonie.
Mart. Barisca demersus iussu Cazimiri.
Cazimirus iterum excommunicatus ab episcopo.
Pestis in Polonia.
Iudæi trucidati.
Flagellantes sese.
Lithuani Sendomiriensem tractum uastarunt.
Rußi à Polonis ad Lithuanos defecère.
Belzo.
Bugus fluuius.
Leopolis munita à Cazimiro.
An. 1351.

Russicum bellum. Lubartus dux captus & elapsus.

gesimo primo, comparatis magnis copijs unà cum Ludouico Vngarorum rege in Russiam rursus expeditionem fecit, uictisque leui prælio Lithuanis, ac duce eorum Lubarto (quanquam uariat Dlugossus, & Keistutum hoc loco, non Lubartum nominat) capto, arcem, tractumque omnem Vuladimiriensem recepit, exercitumque dimisit hyeme appetente siue adeò remittente, ut uult Bonfinius. Nam is hyeme congelatis paludibus lacubus & fluminibus, & non in Russia, sed in Lithuania bellum hoc gestum esse memorat. Lubartus autem, cum religionem Christianam suscepturum se esse unà cum cæteris fratribus deieraret, non ita multò pòst è captiuitate euasit. Verùm dimissus'ne à rege, an cum negligentius asseruaretur: custodias frustratus, non satis liquet. Fidem certè fefellit, fœdusque ictum statim rupit. Vnde fit uerisimile, dimissum esse icto fœdere, ut alibi Dlugosso placet. Ingressus autem cum tumultuaria manu in Russiam & Vuladimiriam ex improuiso adortus, in suam potestatem redegit, direptámque incendit. Atque ita omnem illum tractum Russiæ dudum à Cazimiro sibi ereptum, recuperauit. Haliciam quidem hic Dlugossus memorare uidetur pro Vuladimiria. Sed librarij fortasis id mendum est. Longissimè enim abest Lithuanis Halicia, confinis Vngariæ & Valachiæ. Et repetitam quidem esse bello posthac à Polonis Vuladimiriam, inferius idem Dlugossus refert. Quando uerò eam amiserint, posteaquàm semel ea tunc potiti sunt, alibi non prodit. Infestarunt deinde ijdem Lithuani Sendomiriensem tractum usque ad Zauichostum. Nec deerant de nostris, qui se barbaris duces ad uastandam patriam præberent. Inter quos insignes erant, Petrus Psonca, gente laninus, & Otto Scecarouicius, de Topororum familia: qui locorum & rerum periti, clàm excursiones Lithuanorum dirigebant, & nostrorum consilia ipsis prodebant, ac sicubi cauendæ essent insidiæ, aut uis nostrorum, præmonebant. Fortè autem accidit, ut Petrus à barbaris, in interiorem Poloniam excurrere destinantibus ad exploranda uada Vistulæ præmitteretur: inuentum autem uadum infixis in alueo fluuij prælongis stipitibus notauit, & renuntiatum Lithuanis rediit. Paulò pòst cum piscatores ad eum locum nauiculis aduecti, animaduertissent, id quod erat suspicati, euulsos stipites non longè in profundiori & uorticoso flumine infixerunt. Nocte intempesta Lithuani, quo faciliùs nostros fallerent, & incautos transflumen opprimerent, ad Vistulam uenientes, secundum signa, monstrante Petro, traijcere incipiunt, & non pauci qui primi agmine in flumen se præcipitauerant, eius altitudine & uorticibus absorpti unà cum equis perierunt. Id ubi duces animaduertêre, dolum subesse rati, Petrum uti proditorem in ripa capite plexerunt: maioresque insidias ueriti, interdiu latitantes, nocturnis itineribus recesserunt. Fertur autem postea Iagello, cum esset rex factus, tàm Petri, quàm Ottonis bona propter proditionem illam confiscasse. Ac Scecarouice quidem uix extremo tandem uitæ tempore magnis procerum precibus exoratus, Zacheæ Tarloni Ottonis nepoti reddidisse. Crissonouum uerò quod Petri fuisset, Lublinensi præfecturæ adiunxisse. Tartari quoque per idem tempus ab Olgerdo euocati, Russiam inferiorem, quæ Podolia dicitur, quæ & ipsa in Cazimiri regis ditione iam erat, depopulati sunt. His tot, tantisque calamitatibus admonitus Cazimirus, tandem admissum in sacerdote necando scelus lachrymis, & austeriore uita expiare instituit, missoque Albrico Cancellario Dobrinensi absolutus, & societati ecclesiasticæ à Clemente sexto Pontifice Maximo reconciliatus est. Simul autem impetrauit, ut sibi decima decimarum ab uniuerso ordine ecclesiastico totius Poloniæ quadriennio in subsidium aduersus barbaros Lithuanos atque Tartaros conferretur: Itémque ne Vratislauiensis ecclesia à Gnesnensis Archiepiscopi iurisdictione abstracta, Pragensi, quemadmodum contendebat Carolus Imperator & rex Bohemorum, addiceretur. Restituit autem tunc Cazimirus ecclesiæ Cracouiensi immunitatem ademptam, cùm quæ ad adscriptitios eorum & agrestes pertinebat, tum quæ ad conuectionem & uenditionem decimarum, rapinasque coercendas: Adhæc possessiones & prædia Radlouiensia, Vsuentsia, cæteráque in regione submontana, quæ per uim occupârat episcopo reddidit. Quarum rerum extant adhuc eius diplomata in basilica Cracouiensi. Condidit etiam complura templa, partim cocto latere, partim secto, quadróque lapide, in quibus sunt, Sendomiriense, Vislicense, Sidlouiense, Strobinicense, Sagoscense, & Gargouiense. Multáque præterea ad placandam diuini numinis iram pia & præclara opera tunc ædidit. Extat in archiuio regio conspiratio, siue confœderatio nobilitatis maioris Poloniæ contra quemlibet hominem, excepto rege, anno Christi millesimo, tricentesimo, quinquagesimo secundo, facta & conscripta, atque uno & uiginti signis consignata, à qua excluduntur furti & latrocinij publici rei. Promittunt autem se non prohibituros, quòminus pecudes & iumenta sua pignerentur. Quòd si regem uel præfectum non exorauerint,

Russia à Lithuanis recepta. Lithuani Sendomiriensem agrum populati sunt. Psonca & Scecarouicius proditores. Piscatorum fraus. Petrus Psonca proditor iugulatus. Proditorum bona confiscata. Tartari Podoliam populati. Cazimirus absolutus. Decima decimarũ regi donata à pontifice. Ecclesiastica immunitas Cracouiensis diœcesis. Decimarũ conuectio & uenditio. Radlouiensia & Vsuentsia bona reddita episcopo. Tépla, à Cazimiro condita. Maioris Polono. cõspiratio.

rint, solituros quicquid id fuerit, propter quod pigneratio facta erit. Vnde autem nata sit, & quid sibi uoluerit, quoue pertinuerit ea conspiratio non liquet, nisi quod iniurijs forte & asperitate praefecti regij expressa esse uideri potest. Inde quietae res domi, sensimque complures annos fuere. Caeterum Prussiam Lithuani crebris excursionibus infestarunt. Per quod tempus Polonia pacis artibus magna cura, studioque regis effloruit, & non exigua ciuilitatis & elegantiae incrementa accepit. Quae priusquam exponimus, libet rem miraculi loco habitam, quae tunc in Polonia accidit, non praeterire. Anno Christi millesimo, tricentesimo, quinquagesimo tertio, cum Martius, Aprilis, & Maius, ultra medium uerno ac pene aestiuo calore ad calamos & aristas segetes perduxissent, coorto de repente acri frigore & gelu, nix duos cubitos alta terram operuit, & in sextum usque diem durauit. Qua soluta postea cum corruptas esse segetes omnes existimarent tanta praeter spem ubertas frugum, quanta uix unquam alias, fuit. Anno deinde millesimo, tricentesimo, quingentesimo quinto, missi ad Ludouicum regem Vngarorum legati nomine totius Poloniae retulerunt diploma eius, quo is recipit, nunquam se, neque posteros suos, ullum tributum aut exactionem, ulli ordini Polonorum, neque sacro, neque profano imperaturos, neque iter facientes oneri cuiquam omnino futuros. Praeterea damna ac detrimenta in expeditionibus quae fiunt ultra fines, accepta, omnibus exoluturos. Accessit eodem anno Masouia ad societatem caeterae Poloniae, & regiae autoritati sese subdidit. Quod ut planius fiat, paulo altius quaedam de Masouiorum ducibus repetenda, ac de profundis tenebris, quantum licebit, eruenda sunt. Conradus & Boleslaus, de quibus in Boleslao Pudico multa commemorauimus, Zemouiti ducis Masouiorum filij fuere. Ex his Conradus cum sine liberis decessisset, Boleslaum fratrem haeredem reliquit. Is porro e Preislaua Russa, siue Lithuana priore uxore duos filios Zemouitum & Troidenum, e Bohema uero Vanconem siue Venceslaum suscepit. Hi post mortem patris Masouiam ita inter se partiti sunt, ut Zemouito Cirscum, Raua, Liuum, Gostininum: Troideno Varsauia, Sochassouia, Viskitki, Cechanouia, Nouigrodum, & Nouiduorum: Vanconi uero Plocensis tractus cederet. Ex his Zemouitus unicum sui nominis filium successorem reliquit, de quo mox plura dicemus. De Troideno Boleslaus & Cazimirus nati sunt: quorum Boleslaus Russiae principatum adeptus, quemadmodum superius exposuimus, ueneno extinctus est: Cazimirus uero patri successit. Porro Vanconi unicus itidem filius Boleslaus haeres fuit. Atque hi omnes socij, & ut ita dicam, feudatarij regis Cazimiri fuere: quanquam non comperio, sua ne sponte regis autoritatem secuti, an ui subacti sint. Illud quidem in pactis fuisse constat, ut si quis eorum nullos mares liberos reliquisset, ei rex haeres esset. Itaque cum primus omnium Boleslaus Plocensis orbus uita decessisset, Cazimirus rex haereditatem adijt, arcemque Plocensem cocto latere muniuit: nec multo post duobus millibus marcarum pecuniae a Cazimiro duce mutuo acceptis, eam ipsam arcem hypothecae nomine ipsi addixit. Neque tamen diu superstes is ipse dux Cazimirus fuit. Anno enim millesimo, tricentesimo, quinquagesimo quarto, extremum uitae clausit diem, nullis & ipse relictis liberis. Quocirca Cazimirus rex & Ploscum, & ditionem eius omnem in suam redegit potestatem. Supererat Zemouitus, qui sibi legitimam successionem secundum fratres patrueles uendicabat. Veritus autem rex, ne is ad Bohemos, uel ad Cruciferos deficeret, fraternamque haereditatem bello repeteret, ita cum eo constituit, ut ei totius Masouiae dominatum traderet, dummodo ille non haereditario iure, sed regia munificentia, & in feudum, ut uocant, se eum habere, regisque maiestatem se cum posteris suis comiter conseruaturum, & contra quosuis hostes barbaros iuxta atque Christianos auxilio semper Polonis affuturum, neque cum quoquam foedus ullum inconsulto rege sanciturum, solenni ritu & iureiurando profiteretur. Cui rei dies dicta est Calisiae ad sextum Calend. Ianuarij, anno Christi millesimo, trecentesimo, quinquagesimo quinto. Itaque uenit eo ad regem ex condicto Zemouitus cum Nicolao Plocensi episcopo, & magna caterua procerum & equitum Masouiorum, & publice uexillum ad pedes regis proiecit, & in uerba eius, posterorumque regum Poloniae iurauit. Ad haec diplomate subiectionem suam testatus est: cuius diplomatis exemplum extat apud Dlugossum, ex archiuio regio descriptum. Quo illud etiam cautum est, ut illa duo millia a Cazimiro duce in mutuum accepta, rex nemini solueret: Plocensem autem tractum omnem, quoad uiueret, retineret, secundum mortem regis in ditionem Zemouiti is una cum Vissegrado & Plonsco eodem iure quo caetera recideret. Quoniam autem Elizabetha Vanconis quondam uxor, tunc uero uidua, pleraque mariti sui bona dotis nomine retinebat, ita de ijs cum Zemouito rex transegit, ut post mortem uiduae ea quidem quae cis Vistulam erant

An. 1353. nix & gelu post medium Maium.

An. 1355.

Masouiorum ducum genealogia.

Masouiae diuisio.

Ploscum munitum.

Pactum cum Venceslai uxore.

Zemouito, ea uerò quæ ultra flumen, sibi primum, ac post suam demum mortem Zemouito cederent. Hæc tunc sic acta atque transacta sunt. Intercessere tamen pòst inter hos principes nonnullæ bonorum commutationes. Facit quidem Dlugossus & alterius Zemouiti Viznensium ducis, qui anno millesimo, trecentesimo, quadragesimo quinto mortuus sit, mentionem: itemque Ianussij ducis Masouiæ: sed undenam ij orti sint, aut quem hæredem Zemouitus hic reliquerit, quámue partem Masouiæ Ianussius obtinuerit, quandò mortuus sit, quem denique successorem habuerit, neque ille prodidit, neque ego inuenio: nisi fortè Zemouiti senioris filij hi fuêre, anticipatis temporibus à Dlugosso, quod in plerisque alijs etiam fecisse eum depræhendimus, in hunc locum coniecti. Verùm de his suis locis uidebimus: nunc ad Cazimirum regem reuertamur. Qui cum Poloniam atque Russiam partim bellis superioribus & excursionibus barbarorum, partim pestilentia exinanitam, minus cultam, minusq́ue populosam esse cerneret, Teuthonici generis hominibus, siue accitis, siue ultrò uenientibus agros attribuit: quorum non exiguę reliquię in submontana & Vngaris finitima regione, & Russia in hodiernum usque diem manent, utentes lingua crassiore ac non dissimili ei qua in Silesia & Prussia uulgò utuntur: eorum cura & opera Polonia frequentari & cultior esse pagis & oppidis cœpit. Sunt enim frugaliores ac diligentiores in re paranda ac tuenda quàm Poloni, & lautius habitant: ita ut facile etiamnum appareat per pagos & oppida iter facientibus, ubi illi, ubi ue Poloni habitent: uidemusq́ue rucre muros oppidorum quorundam ab illis, quod uel nomina testificantur, conditorum, posteaquàm à Polonis habitantur, & administrantur. Fuit autem in eos, Teuthonas inquam, & in cæteros oppidanos & agrestes propensior & indulgentior Cazimirus: nec eos grauioribus laboribus, uel exactionibus, aut ullis iniurijs præfectorum suorum, siue adeò procerum atque nobilitatis premi passus est, animaduertendo in eos, qui aliquid eiuscemodi ausi essent, ita ut uulgò rusticorum, siue plebeiorum rex uocaretur. Nec ipsos modò Teuthonas iure suo Saxonico, siue Magdeburgensi uti permisit: sed suis quoque Polonis indulsit. Quoniam uerò ab ijs iudicijs ad Magdeburgense tribunal prouocabatur, non sine infamia Polonorum, & magno sumptu ac dispendio litigantium, sustulit eam prouocationem Cazimirus, & in arce Cracouiensi supremum, & prouinciale iudicium Teuthonicum constituit, ad quod prouocationes omnes ab inferioribus iudicibus ex tota Polonia minore fierent. Cui quidem iudicio præsidet peritus eius iuris aduocatus cum septem scabinis (sic enim appellari eum quæsitorem cum iudicibus usitatum est) quos magnus procurator arcis legit de certis oppidis atque pagis. Ab eo quoque iudicio ad regem est prouocatio: à quo extrema causæ cognitio binis sex oppidorum, siue ciuitatum decurionibus, seu consulibus, neutri litigantium suspectis, delegatur: à quibus non est prouocatio. Sunt autem eæ ciuitates, Cracouia, Sandecia, Bochna, Velicia, Cazimiria, & Ileussium. Tametsi receptum est posterius, ut rex ipse etiam cum consilio de ijs prouocationibus quæ à supremo illo iudicio Cracouiensi fiunt, si uelit, cognoscat. Habent autem suprà memorati septem iudices cum quæsitore suo ab eodem Cazimiro immunitatem omnium onerum atque exactionum regiarum, neque iudicari à quoquàm nisi rege, aut peculiariter delegatis ab eo iudicibus possunt. Ita tunc Cazimirus populosiorem, cultioremq́ue externis colonis Poloniam reddidit: & ne ij cum indignitate sua ac totius reipublicæ ius aliunde petere necesse haberent, prouidit. Coërcuit etiam succrescentia rursus latrocinia, unius maximè splendidi & potentis uiri supplicio. Fuit is Matthias Borcouicius, ortus equestri Napiuonum familia: cuius insigne est, ceruus inter cornua lupum gestans, Palatinus Posnaniensis, uir impiger: qui cum prædones clàm receptaret, quos punire debuit, consuetudine turpis lucri captus, ducem seipsis deinde præbuit. Quæ res cum ad regem crebris quærimonijs hominum perferretur, nec ille tamen quamuis admonitus & obiurgatus ab incœpto desisteret, captus est Calissiæ, cum eò fortè ad regem uenisset: & in Ostinensem arcem deportatus, in tetro & obscuro carcere inedia uitam finiuit. Cuius mortem cum Ioannes frater ulcisci uelle diceretur, iussu regis interfectus est. Bona eorum, in quibus erant Cosminum & Zàzia munitiones, confiscata sunt. Filius uerò Matthiæ profugus, cum ex Marchia Brandeburgensi in Polonos mercatores atque equites postea grassaretur, quodam tempore in oppido Rosrassouo ab agrestibus trucidatus, pœnas dedit. Fuêre, ut habet Dlugossus, qui existimarent causam tam diræ mortis Matthiæ Palatino fuisse, quòd de stupro reginæ insimulatus esset. Sed quæ nam ea regina fuerit, Dlugossus non meminit. Secunda quidem Heduigis, cum quindecim annis in Zarnouecio castello quasi relegata, honestè tamen & lautè habita uixisset, ad extremum biennio ante hanc

Germani incolæ Poloniæ.

Plebeiorũ rex.

Sex ciuitatum iudicium.

Heduigis reginæ mors.

hanc Palatini necem, à patre, nemine prohibente, domum reducta est, & paulopost è uiuis excessit. Nec diu cunctatus Cazimirus, tertiam duxit, Heduigim Henrici Glogouiensium ducis filiam. Post cuius nuptias anno sequẽti, qui fuit millesimus, trecentesimus, quinquagesimus octauus, illud quod diximus supplicium de Palatino Posnaniensi sumptum esse Dlugossus memorat. Insequenti anno controuersiæ quædam de iure decimarum, de iurisdictione ecclesiasticorum iudicum, de uisitationibus & exactionibus archidiaconorum, præpositorum, & parœcorum; de nouis parœcijs instituendis, de moderatione immunitatis clericorum, ac de semestribus uacantium parœciarum reditibus, qui iam inde à Nauclero episcopo in instaurationem basilicæ Cracouiensis usurpabantur, inter Bozentam episcopum Cracouiensem, & nobilitatem Cracouiensis & Sendomiriensis conuentus exortæ, interueniente rege & Iaroslao cognomento Bogoria Gnesnensi Archiepiscopo, extinctæ sunt: & Lublinensis, Lucouiensis, ac Secechouiensis territorij homines, propter uastitatem ex Tartarorum & Lithuanorum crebris incursionibus, immunitate decimarum spacio triginta annorum donati. Statimque illis ipsis diebus Cazimirus ignominiosam fecit expeditionem in Valachiam. Quam priusquàm persequimur, explicanda est origo gentis, si quid modò certi è tantis tenebris eruere possumus. Dacia secundùm ueterem geographorum descriptionem, Tyra fluuio, quem nos Nestrum uocamus, ab ea Sarmatiæ parte, quæ nobis Russia & Podolia est, diuiditur: ab occidente sole Iazygas Metanastas finitimos habet: ab oriente Hierasso, quem Pruthum nunc dici opinor, & Istro siue Danubio fluuijs ab inferiore Mœsia, quæ nunc Bulgaria est: à meridie uerò eodem Danubio à superiore Mœsia, quæ nunc Bosna & Seruia est, disiungitur. Ea post multa bella cum Romanis gesta, ad extremum à Traiano Imperatore, quemadmodum scribit Eutropius, subacta, & in formam prouinciæ redacta est. Cum autem bellis superioribus exhausta esset, infinitas hominum copias ex toto orbe Romano idem princeps ad agros, urbésque colendas eò transtulit. Sed tamen haud ita multò pòst, sub Galieno, ac deinde sub Aureliano Imperatoribus barbari eam uindicarunt. Deinde Gothi eam sub Gratiano principe possederunt. Ita ex illa colluuie Romanorum & barbarorum commercijs & connubijs commixtorum, Valachi orti, Daciam ueterem patriam etiamnum retinent, lingua noua ex ueteri sua barbara & Romana confusa ac corrupta utentes: tametsi Russicam quoque & Slauicam linguam in usu habent, siue propter uicinitatem & commercia, siue quòd à Slauis ea quoque gens, quemadmodum cæteræ in eodem tractu à Mæoti palude & Ponto usque ad Adriaticum mare pertinentes, subacta fuit. Gens dura, bellicosa, & fraudulenta. Vnde uerò & quando Valachi dici cœperint, non comperio. Vulgaris quidem est opinio, sed nullo ueteri authore nixa, à Flacco quopiam siue præfecto, siue domino eos nomen hoc accepisse, ut primum Flacci, mox corrupto à finitimis barbaris uocabulo Vulassi & Valachi appellarentur. Polonorum quidem atque adeò Slauorum omnium lingua, non modò hi populi, uerumetiam omnes Italici generis Vulassi & Vulosi dicuntur: Quod ipsum etiam argumento est Italicam hanc gentem esse. Agros non magnopere colunt Valachi, sed armentis atque gregibus alendis ferè uictitant, eo quòd optimis pascuis abundet eorum regio. Inde fit fortasse, ut nostris aliquanto maiores oues & boues ibi nascantur: quorum maximam ac penè infinitam [illegible] non modò finitimis Russis atque Vngaris, uerumetiam Polonis, Prussis, Silesijs, Bohemis, Germanis, Slauis, Italis, Turcisque quotannis suppeditant. Religionem Christianam colunt, sed Græcorum ritu. Obscura & ignota penè usque ad hæc tempora, quæ nunc persequimur, ea gens fuit. Primumque hoc nomen in Vngarorum historia reperio tempore Caroli regis, qui anno Christi millesimo, trecentesimo, trigesimo, contra Bazaradum Valachorum regulum, quem illi Slauico nomine Voieuodam uocant, Latinè Palatinum dici usus obtinuit, bellum gessit, eodem ferè quo Cazimirus noster euentu. Vocatur etiam Moldauia hæc ipsa regio, sed utrum à flumine, an aliunde, nondum satis compertum habemus. Posteriori quidem tempore gens una in duos dominatus secta, nominibus quoque distingui cœpit, sic ut ij qui ad orientem & septentrionem uergunt, & Podoliæ finitimi sunt, Valachorum nomen retineant: qui uerò meridionale Transyluaniæ latus attingunt, Multani à nostris, à cæteris uerò Transalpinenses, Moltaui & Valachi uocentur. Huic ergo genti huiusmodi de causa bellum fecit Cazimirus. Mortuo Stephano Voieuoda Valachorum, duo filij eius Stephanus & Petrus de principatu contendebant. Petro quamuis natu minori, tamen propter liberalem indolem & morum suauitatem plures fauebant. Et acceperat is etiam ab Vngaris auxilia. Itaque nullo negotio dominatum occupauit. Exclusus dominatu Stephanus, simul & insidias fratris metuens, in Poloniam cum

An. 1358.

Daciæ descriptio.

Eutropius.

Valachorum origo.

Valachorum studia.

Religio Valachorum.

Moldauia.

Valachicum bellum, eiúsque causa.

nonnullis suæ factionis nobilibus Valachis ad Cazimirum regem profugit: & cum se in potestate & clientela eius fore polliceretur, facilè ab eo impetrauit, ut se ad paternum dominatum ui & armis reduceret. Igitur Cazimirus conscriptum è minore Polonia & Russia exercitum non contemnendum, initio mensis Iulij in Valachiam cum legatis & Stephano misit. Nec malè Polonis ea succedebat expeditio principio. In uelitationibus enim & particularibus certaminibus ferè superiores euagebant. Petrus ubi se imparem esse animaduertit Polonorum uiribus, ad dolum se conuertit. Et quò facilius incautos fal leret, clàm per internuntios cum exulibus redit in gratiam. Superanda erat Polonis interiorem Valachiam ingressuris sylua densa & impedita, quæ Ploniny à soli sterilitate uocatur. Eam igitur Petrus cum suis insedit: & quà nostri iter facturi erant, arbores succidit, ita ut truncis tamen utcunque hærerent. Vbi nostri indaginem illam ingressi sunt, ibi coorti ex insidijs Valachi, arbores succisas ui impellunt, ab extremis orsi, ita ut cæteri mutuò sese impellerent. Qua ruina nostri sic obruti sunt, ut qui obtriti & extincti non sunt, uiui tamen ferè, debilitatis & collisis membris, in hostium potestatem uenirent. Pauci de extremo agmine salui euasêre. Capta sunt in eo conflictu tria uexilla magna, Cracouiensium, Sendomiriensium, & Leopoliensium. Signa minora, militaria seu gentilitia necnon, Topororum, Leliuiorum, Lissorum, Rauiorum, Gryphiorum, Strenauiorum, Habdancorum, Polucosarum, & Stremeniorum. Cazimirus clade hac ad se perlata, mœstus, ac de proditione exulum quæstus, de redimendis captiuis ad hostem misit, & facilè impetrauit. Fuerunt autem inter eos maximè insignes Nauoius Tencinius, Andreæ Palatini Cracouiensis filius, & Sbigneus Olesnicius, Sbignei eius, qui postea fuit episcopus Cracouiensis & Cardinalis presbyter, auus. Cladem Valachicam alia non minor domestica post unum annum consecuta est è pestilentia: quæ cum per populos latè serperet, Poloniam quoque sex mensibus autumnalibus & hybernis afflixit, ita ut in oppidis atque pagis dimidiam fermè partem hominum absumeret. Cracouiæ quidem uiginti millia mortuorum censa sunt. Magis autem ea in nobiles & locupletes, quàm in uulgus grassata est. Cruciferi uerò ope Ludouici Marchionis Brandeburgensis, qui fuit filius Ludouici Cæsaris, Lithuaniam tribus excursionibus uehementer tunc afflixerunt, Keistutumque ducem Gedemini filium cœperunt. Sed is commutatione captiuorum liberatus est: nec multò pòst iterum ac tertium captus, custodias frustratus euasit. Anno sequenti, qui fuit millesimus, tricentesimus, sexagesimus primus. Cazimirus rex missis Auinionem ad Vrbanum Pontificem Maximum, Innocentij successorem, oratoribus impetrauit, ut in Russia cathedra metropolitica, Cracouiæ uerò Cazimiriæ noua Academia institueretur: id quod Carolus Imperator & rex Bohemorum Pragæ iam fecerat. Atque illud quidem perfectum est eodem anno, primusque Archiepiscopus Leopoliensis fuit Cristinus, homo equestris ordinis, quanquam non memoratur cuius gentis fuerit, à Gnesnensi Archiepiscopo præsente rege consecratus. Academiæ uerò cœptum opus, magna parte ædificiorum consequentibus annis magno sumptu excitata, ad finem tamen tunc perductum non est, Cazimiri morte intermissum. Inuidere ipsi fortassis fata hanc gloriam, ut integra solidaque Vuladislao Iagelloni maneret. Præterea repullulans rursus inter episcopum Cracouiensem & regem, sacrumque & profanum ordinem controuersia de iure decimarum & interdictorum, eodem anno arbitrio Iaroslai archiepiscopi Gnesnensis, qui tunc fortè Cracouiensem diœcesim uisitabat, ex compromisso sedata est. Cuius decreti exemplum extat in cōditionibus regni & synodalibus uulgò editis. Hoc eodem anno Vuratislauia fortuito incendio conflagrauit. Insequens annus annonæ penuria & fame apud Polonos & uicinos populos insignis est. Ac ueris quidem tempore lætæ arriserunt segetes, Iunio uerò mense tempestates & aquilones cum pluuijs coorti florem segetum decussere, & iam coalescentia grana corrupere: itaque fame uulgò laboratum est: quod malum tamen regis beneficentia & solertia non sine magno reip. fructu mitigauit. Erat in regijs prædijs atque horreis ingens uis frumenti è superiorum annorum ubertate reliqua. Id frumentum rex externis quidem ac ditioribus suis iusto precio uendi iussit: plebs uerò egena partim commutatione rerum frumentum accipiebat, partim opus faciendo merebat. Quo quidem tempore complures arces & oppida muris, uallis atque fossis munita sunt: piscinæ, aggeres, & aquæductus multis in locis facti. Atque inter cætera alueus à Cracouia Bochnam usque per quinque miliaria duci institutus, quo deriuata ac immissa aqua ex Vistula, sal, ligna, & cæteræ merces ultrò, citroque nauibus uel ratibus portarētur: uerùm is alueus perfectus non est. Redegit autem & pecuniam non modicam Cazimirus è frumēto uendito. Quæ splendori eius anno sequenti nō minimum suffragata est in nuptijs neptis, filiæ Boguslai ducis Stecinensium: de quibus breuiter commemorabimus. Inimicitiæ erant inter

Ploniny.

Pestis.

Lithuania uastata à Cruciferis.

An. 1361.

Pragensis Academia.

Archiepiscopa in Russia institutus.

Fames in Polonia.

Munitio arcium & oppidorū.

An. 1363.

Carolum

Carolum Imperatorem & Bohemorum regem, & Ludouicum Vngarorum regem, qui gener Caroli fuerat, leuibus quibusdam iniurijs, ut fit inter uicinos populos, excitatæ, sed conuitio Caroli sic auctæ, ut bellum utrinque magnis uiribus appareretur. Ludouicus Cazimirum cum Russorum ac Tartarorum auxilijs, & per eum Sigismundum Danorum regem Bogusla. propinquum in societatem belli pertraxerat. Carolus Bohemiam, Morauiam & Germaniam omnem ad arma concitabat. Hoc ubi accepit Vrbanus Pontifex Maximus, de pace cum utrisque diligenter egit per legatum suum, Ioannem quempiam sodalem Franciscanum, uirum prudentem & eloquentem: qui cum impigrè iam ad Carolum, iam ad Ludouicum & Cazimirum recurreret, Carolumq; eò adduxisset, ut is satisfacturum se esse aduersarijs de conuitio reciperet, mitigatis ea re Ludouici & Cazimiri animis, non modò pacem inter inimicos reges, uerumetiam affinitatem confecit, nempe ut Carolus Imperator neptem Cazimiri regis, Elizabetham Boguslai filiam, quartam uxorem duceret. Tertiam enim, Annam Bernardi Suidniciensium ducis filiam, per quam Suidniciensem dominatum sibi & successoribus suis Bohemorum regibus quæsiuit, paulò antè morte sublatam amiserat, cùm Venceslaum filium ex ea suscepisset. Nuptijs dictus locus Cracouiæ ad Liberalia, quod Carnispriuium uulgò uocant. Conueniunt eò inuitati à Cazimiro reges, Ludouicus Vngarorum, Sigismundus Gothorum, siue Danorum, & Petrus Cypriorum, Ponto & aduerso Istro in Valachiam, & inde terrestri itinere per Rusiam Cracouiam aduectus: præterea duces Otto Bauarorum, Zemouitus Masouiorum, Boleslaus Suidniciensium, Bernardi defuncti frater, Vuladislaus Oppoliensium, & Boguslaus cum sponsa filia. Ad extremum uenit Carolus cum splendido comitatu. Cui uenienti omnes Principes atque Reges cum Cazimiro Cracouia ad unum miliarium obuiam profecti sunt, & non modicum spacium pedibus progresi, quod idem facere Imperatorem cognouerant, amicè inter se consalutarunt. Cùm autem urbi appropinquaret Carolus, sponsam cum patre & magna puellarum ac matronarum cateruа obuiam habuit. Deductusq́ue cum ingenti pompa in arce, Cazimiro petente, diuertit: cæteris in urbe hospitia distributa. Omnes autem hi Principes aduenientes in extremis Poloniæ finibus Cazimiri iussu comiter & perhumanè accepti ac deducti, liberaliter & magnificentissimè habiti sunt, durantibus usque in uicesimum diem nuptijs & conuiuijs. Et cum abundè omnia ad nutum suppeditarentur hospitibus regiorum procuratorum atque dispensatorum prouidentia, tamen ne quid magnificentiæ desideraretur, magna dolia in foro seu circo urbis collocata sunt, alia uini, alia auenæ plena, unde sumerent quantum quisque uellet. Præerant autem procuratoribus ac dispensatoribus omnibus regijs Verincus Germanus, consul Cracouiensis, quem Cazimirus propter singularem industriam atque dexteritatem in rebus agendis thesauro suo præfecerat, & omnium consiliorum suorum non modò participem, sed moderatorem propemodum habebat. Is igitur cum esset ditissimus, non habuit satis nuptias illas regio nomine quàm splendidissimè administrare, sed ut sua quoque magnificentia Poloniæ splendorem adderet, Imperatori, Regibus, Ducibus, & Proceribus eorum domi suæ conuiuium magnifico apparatu dedit, & ampla munera omnibus largitus est: in primis autem regi suo Cazimiro, ita ut quæ ei donauit, plus quam centum millibus florenorum æstimata esse dicantur. Nuptijs ritè peractis, & fœdere sempiterno inter Reges icto, & iureiurando firmato, & missis inter se ultrò, citroque amplissimis muneribus, domos quisque suas diuersi discesserunt, ad fines usque regni à Polonis proceribus deducti. Dedit autem Cazimirus sororis filiæ in dotem centum millia florenorum. Quoniam autem habebat Cazimirus uxorem, & ex ea iam filiam unam atque alteram susceperat, remisit ei Ludouicus Rex Vngarorum ius suc cedendi ea conditione, si quem is filium post se relinqueret Polonia. Infestata est etiam deinde hoc ipso anno peste populari. Sequentis uerò anni hyems tam fuit aspera & niuosa, ut feras quoque bestias in syluis & uolucres extingueret. Adiecit deinde Cazimirus animum ad recuperandam eam partem Rusiæ, quam ante tredecim aut quatuordecim annos defectione Russorum magis quàm ui Lithuanorum amiserat: indictaq́ue toti Poloniæ expeditione, cum magnis copijs aduersus Russos & Lithuanos profectus est. Cùm autem Belzensium fines primùm attigisset, uenit ad eum Georgius dux eius oræ, & placato Rege imperata facere pollicitus, impetrauit ut ditionem illam suam retineret. Itaque ibi nihil hostile nostri fecère. Quin & Chelmensem ditionem cum Chelma arce de Lithuanis captã Cazimirus ei adiecit: nam Lubarto petenti ueniam dare noluit. In Volyniam deinde, siue Vuladimiriensem tractum exercitum promouit: & cum nemo pugnandi copiam faceret, Luscum, Valadimiriam & Olescum arces ui in deditionem

Legatus Pontificius.

Pax & affinitas inter reges.

Nuptiarum apparatus.

Dos nepti à Cazimiro regẽ data.

Pestis.

Hyems aspera.

Rusicum bellum.

Georgius dux Belzensium.

Chelma Rusica capta.

Lusck & Vuladimiria arces Polonorũ præsidijs munitæ. Vuladimiria muro constructa.

ditionem suam redegit: cæteras per deditionem accepit. Atque ita Lubarto electo, oram illam omnem subactam ac tributariam factam Alexandro duci Michaëlis Coriathi filio, Gedemini nepoti, addixit. Et quo facilius eum in fide & officio contineret, Luscum & Vuladimiriam ipse retinuit, præsidiaquę ijs arcibus imposuit. Deinde successu temporis Vuladimiriam, cum lignea fuisset, lateritio muro muniuit. Et Alexander quidem in Cazimiri fide perstitit: Georgius uerò ambigua fide aliquoties postea rebellionem tentauit. Porrò Lithuani nunquàm deinde, quoad uixit Cazimirus, neque Russiam, neque Poloniam infestarunt, eo quòd satis habebant negotij cum Cruciferis, & quòd præsidia contra eos opportunis locis rex collocârat: Malouiam semel duce Keistuto impunè depopulati sunt, ad Poltouiam usque prouecti.

Malouia uexata à Lithuanis. Poltouia incensa.

Quo oppido direpto, incensoquę, quippe quòd munitum non esset, arx quoque cum plurimis mortalibus, qui in eam se cum facultatibus suis receperant, conflagrauit, barbaris materiam incendio subijcientibus. Neque memorabile ullum Cazimiri regis factum post subactam Russiam quatuor illis annis, quibus postea uixit, memoratur, nisi quòd cum Petro quoque Lubussensi episcopo, quem bonis quibusdam spoliarat, transegit, ea lege, ut episcopus Lubussensis bona, quæ antiquitùs intra fines regni Polonici iam inde à tempore Henrici barbati ducis habebat, retineret, regem autem dominum & patronum suum agnosceret:

Cũ Lubussensi episcopo transactio.

Comites Dreni & Santoco dedunt se regi Poloniæ.

& quòd comites Dreni ipsi quoque cum ea ipsa arce & Santoco se in ditione Cazimiri & regum Polonorum antiquitùs esse, ac deinceps fore iurati professi sunt: itemquę quòd idem rex magna parte Poloniæ peragrata: in Prussiam se contulit, cum pacato comitatu, uidendi Mariæburgi, aliarumquę arcium & oppidorum, quæ Cruciferi frequentia & permunita & bene constituta habuêre, gratia, ut ad eorum exemplum Poloniam etiam magis cultam redderet. Vbi perhumanè & honorificè à Cruciferis quocunque adijt, acceptus est.

Cazimirus rex in Prussiam profectus.

Cazimiri cum Ludouico fœdus cõtra Imp.

Quin & inimicitias cum Carolo Imperatore suscepit, idquę siue sua sponte & aliqua iniuria prouocatus, siue Ludouici regis Vngarorum gratia: qui hoc ipso tempore Carolo indixisse, & Morauiam infestasse memoratur. Extat quidem in Archiuio Cracouiensi fœdus & societas Cazimiri cum Ludouico anno Christi millesimo, tricentesimo, sexagesimo, nono, disertè contra Carolum Imperatorem & Regem Bohemorum inita.

An. 1369.

Bythomiensiũ metallorum interitus. Bythomiensiũ pœna ob interfectos sacerdotes.

Nec illud silentio prætereundum est, quòd per hoc tempus metalla Bythomiensia, plumbi cum argento intermixto feracia, euanuerunt, post interfectos crudeliter ab oppidanis publico consilio duos sacerdotes, Petrum parœcum oppidi, & Nicolaum, qui ipsi erat à sacris concionibus. Neque hac modò pœna Bythomienses facinus illud luerunt, sed etiã ab episcopo Cracouiensi interdicto perculsi, & honore omni priuati sunt, damnatiquę, ne qui ex posteritate eorum deinceps sacris initiarentur, aut ulla sacerdotia obtinerent. Sed ab interdicto & cæteris pœnis post biennium demum apud Pontificem Maximum permagno se redemerunt.

Florianus episcopus Cracouiensis. Bozentinum arx & oppidum.

Erat autem tunc episcopus Cracouiensis Florianus Morscius, gente lelitius, Castellani Sendomiriensis filius, post Bozentam, qui Bozentino arci & oppido nomen dedit, amissoquę uisu obijt. Sub hoc ipsum tempus Boleslaus dux Suidnicensium & Iauoriensium mortuus, Carolum Imperatorem & Regem Bohemorum affinem suum ex pacto hæredem reliquit. Ita tunc Silesiæ quod reliquum fuerat, Bohemorum regno adiectum est. Sed iam Cazimiri mors stylum nostrum ad se reuocat. Anno igitur Christi millesimo, tricentesimo, septuagesimo, cum hyemem Cracouiæ Cazimirus exegisset, Vere appropinquante in maiorem Poloniam profectus, per æstatem ibi commoratus est.

An. 1370.

Prædboria. Cazimiri casus.

Deinde autumno inde discedens in Sendomiriensi tractu, & in Russia uenationibus hybernum tempus dare decreuerat: iamquę Prædboriam, quod oppidum in Siradiensi tractu est, peruenerat, cum eum grauis casus afflixit. Fortè enim ad sextum Idus Septembris, qui dies Mariæ Dei matris natalis anniuersario & solenni ritu à Christianis celebratur, uenatum in proximas syluas, frustra dissuadentibus nonnullis pijs hominibus profectus erat: ubi dum cupidius ceruum fugientem impedito loco, & inter uepres persequitur, labente magno cum impetu equo quo uehebatur, uehementer homo senex & carnosus conquassatus est, ita ut febre exagitaretur.

Sendomiria fructuum optimorum ferax.

Relatus autem Prædboriam, & citò medicorum ope releuatus, Sendomiriam contendit. Vbi cum spretis medicorum præscriptis, intemperantius uiueret, & pyris, malisq;, ac cæteris fructibus, quos locus ille producit eximios, sese ingurgitaret, balneisquę nimium uteretur, in febrim recidit. Neque tamen tam acris ea fuit quin rheda uehi posset, medicis Cracouiam proficisci suadentibus, quòd ibi faciliorem esse medicationem dicerent.

Chrobrani.

Itaque Sendomiria Chrobranos profectus, cum ex agitatione itineris grauiore æstu urgeretur, frigidam aquam præter sententiam medicorum bibit. Atque inde maiores flammas concepit. Quibus medicorum arte mitigatis, lectica in Copriuunicense monasterium

nasterium delatus succolantibus aulicis, octo dies ibi quieuit. Releuatusq; aliquantulum, iter institutum prosecutus est. Olsseci autem cum alterius de medicis Matthæi permissu mulsam bibisset, rursum deterius habere cœpit: sed tamen Corcinum, atque inde post aliquot dies pridie Calendas Nouembris Cracouiam delatus, languebat magis. Quærit deinde ex medicis, num iam Cracouiam peruenissent, tacite eos admonens promissorum, quibus ei Cracouiæ certam quodammodo sanitatē erant polliciti. Deinde eos rogat, ut uerè ac liberè sibi dicerent, an de uita sua desperarent. Sed ijs, ut fit, bonam spem ostentantibus, nihilominus cum destitui se uiribus animaduerteret, accito episcopo Cracouiensi Floriano, ac Vuladislao duce Oppoliensi sororis suæ nepote, quem Ludouicus rex Vngarorum illis ipsis diebus ad uisendum eum miserat, itemq; insignioribus nōnullis de cœtu sacro basilicæ Cracouiensis, ad hæc & aulicis ministris suis, in Christiana religione, uti Christianū decet mori se professus est, testamentumq; condidit, quo multa multis cùm satellitibus, tum nothis filijs suis, plurima Cazimiro Sceciněsium Pomeranorum duci, largitus est: quædam etiam Gnesnēsi & Posnaniensi basilicis: Cracouiensi uerò crucem illam insignem, quam Leopoli deportarat, cum inclusa portione ligni crucis Christi. Duabus uerò filiabus è tertia uxore susceptis, stragulam uestem omnem, ac dimidium auteæ, argenteæ, & gemmæ suppellectilis: reliquum autem eiusdem suppellectilis matri earum uxori suæ legauit: administrationemq; siue executionem testamenti Ioanni Strelcio cognomento Suchyuilco, Decano Cracouiensi, & Cancellario regni commisit. His ritè peractis, sacris mysterijs de more procuratus Nonis Nouemb. uitā cum morte commutauit, ac tertia die pòst, in basilica Cracouiensi ad dextram aræ maximæ honorificè sepultus est, ubi extat adhuc eius monumentū cum imagine sculpta in marmore. Regnauit autem Cazimirus annos triginta septem, uixit sexaginta: pacis quàm belli artibus & operib. clarior: unde etiam Magni cognomentum solus hic inter Polonorum Principes, non tā uirtute bellica & uictorijs meruisse uidetur, quàm operibus magnificis, & plurimarū arcium & oppidorum munitione, & quòd omnium summorum pariter & infimorū hominum erga se beneuolentiam ijsdem quibus collegerat uirtutibus, hoc est, iustitia, facilitate, humanitate, elegantia & clementia, ad extremum retinuit: etenim ad gloriam quidē plus ualent bellicæ uirtutes. Præsens uerò hominum beneuolentia lenioribus his uirtutibus facilius comparatur. Magis illas ferè homines admirantur, sed has gratiore memoria prosequūtur. Tametsi bellicæ quoq; gloriæ non expers fuit cùm alibi, tum in Russia maximè: quam à maioribus suis amissam, maiore fœlicitate quàm sudore recuperauit. Hic Princeps inextricabiles iudiciorum laqueos resecuit: leges barbaras & iniquas, quoad tūc potuit, uel sustulit, uel correxit: adeuntibus facilis & comis: quærimonias etiam infimorum benignè & patienter audiuit: tenuiores à potentiorū ui & iniuria uindicauit, sic ut ęquior plebi, quàm nobilitati esse uideretur: captos ab hostibus suos promiscuè redemit: ne cuiquam oneri esset, cauit: seueritate, ut medici solent ustionibus & sectionibus, non nisi necessariò usus est: Poloniam superiorum temporum bellis & alijs calamitatibus uastam & infrequentem, populosiorem reddidit, & ad meliorem cultum redegit, maximè indulgentia in agrestes, ac Teuthonum colonijs deducendis. Arcium uerò & oppidorum in Polonia, plerorumq; omnium munitiones, ac templa lateritia, eius sunt opera. Hic enim Cracouiensem arcem exornauit, cuius tamen exornationis uix iam ulla extant uestigia: Cazimiriam Vistula disiunctam à Cracouia, Veliciam Sczuinam, Ilcussum, Bendinum, Lelouiam, Sendomiriam, Visliciam, Sydlouiam, Radomiam, Oposnum, Vauelniciam, Lublinum, Calissiam, Pysdros, Stauisinum, Velunum, Coninu, Petricouiam, Lenciciam, Plocum, Inouulodum, Leopolim, Sanocum, Crosnam, Cichouum oppida & castellum mœnibus cinxit. Arces Posnaniensem, Calisiensem, Sendomiriensem, Lublinensem, Leopoliensem utramq;, Pysdrensem, Siradiensem, Velunensem, Lenciciensem, Colensem, Plocensem, Nepolomicensem, Sidlouiensem, Prædboriensem, Bresnicensem, Boleslauecensem, Ostressouiensem, Bremislíensem, Landiscoronensem, Bendinensem, Lelouiensem, Zorstinensem, Ocecēsem, Crepiciensem, Secechouiensem, Solecēsem, Zauichostensem, Corcinensem, Coninensem, Naclensem, Velenensem, Medirecēsem, Crusuiciensem, Zlotoriensem, Bydgostiensem, Lubassouiensem, Treboūuliēsem, Haliciensem, Tustanēsem, Oposnensem, Prissouiensem, Rauensem, & Vissegradēsem, uel denuò muniuit, uel uetustas refecit. Templa uerò præter ea quę suprà enumerauimus, Nepolomicense, Corcinense, Solecense, Oposnēnse, Lapsicense, & in arce Cracouiensi duo, quorum alterum S. Michaēlis, alterum S. Georgij nomine dedicatum est, è conspectu uerò eiusdem arcis Rupense Diui Stanislai cæde nobile, itemq; ptochodochium siue hospitale Stradomiense condidit. Præterea Corcini, Petricouiæ, Calisiæ, & Lenciciæ monasteria: quibus omnibus amplam & luculentam suppellectilem, ad cultum diuinum accommodam attribuit.

Vuladislaus dux Opoliensis.

Testamentum Cazimiri regis.

Cazimiri mors.

Aetas.

Magni cognomentum unde.

Cazimiri uirtutes & praeclara facta.

Arces & oppida munita à Cazimiro Magno.

Templa à Cazimiro condita.

Mogilense quoque monasterium imperfectum consummauit. Basilicam etiam Cracouiensem exornauit. Eius etiam opus sunt tabernæ mercatorum & propolarum in circo Cracouiensi. Fuit & uiuarium sub arce Cracouiensi ad Vistulam: cuius uestigia se uidisse Mathias Mechouiensis paulò antè nostra tempora memorat. Zemouitum Masouiorum ducem episcopo Posnaniensi, ut decimas de noualibus agris reddi in sua ditione iuberet, condemnauit. In summa, publica regis huius acta, & opera pleraque omnia laude digna sunt: ac eo quidem magis, quòd dissimilem habuit successorem. Cæterùm domestica uita fuit impurior, in cibo, potuque intemperans: in libidines uerò ita proiectus, ut præter greges concubinarum, cum quibus magis quàm cum iustis uxoribus consueuerat, Bohemam quandam Rochicianam, captus eius pulchritudine, in loco iustæ uxoris haberet, promissa ei conceptis uerbis (cum aliter potiri ea non posset) fide matrimonij, interueniente Abbate Tinecensi thyara ornato: quem mulier episcopum Cracouiensem esse credidit. Sed eam deinde cum caluam & scabiosam esse compertisset, eiecit, & Iudææ cuiusdam Hester consuetudine usus est, de qua Nemiram & Pelcam filios suscepit. Nam filias natas, ut Iudaica religione permanerent, matri indulsit. Huius Hester opera gens Iudaica magnas prærogatiuas in Polonia à rege adepta est, cùm nouas, tum quas ipsis olim Boleslaus dux Calissiensis in sua ditione concesserat. Quin & periculi illius, quod Carolus rex Vngarorum cum uxore & duobus filijs à Feliciano intentatum adijt, Cazimiri huius libidinem in causa fuisse existimant. Itaque iusta pœna diuinitùs affectus esse uidetur Cazimirus, quòd nullos post se mares liberos reliquit. Quamuis autem tam libidinosus ipse esset, tamen continentes sacerdotes singulari fauore prosecutus est. Quòd si industria, dexteritateque etiam præditi essent, multum eis utebatur: & quamuis plebeij, & obscuro loco nati essent, nobilibus eos non modò exæquabat, uerumetiam anteponebat. Curabat autem ut omnes sacerdotes, quoad fieri poterat, sacerdotia sua per se ipsi præsentes administrarent. Statura procera fuit & corpulentus, capillo denso & crispo, promissa barba, uoce sonora, sed balbus aliquantulum. Cazimiro etiam regnante, ut ne pios homines suis laudibus defraudemus, Mathias Golanzeuius, gente Toporus, episcopus Vuladislauiensis, qui duos & quadraginta annos episcopi munere functus est, basilicam Vuladislauiensem nouam condidit in oppido, cum prius sub arce fuisset. Aliud item templum Vitalis martyris memoriæ dicatum in eodem oppido construxit: arces Vuladislauiensem & Racianzum cocto latere muniuit. Deinde senio confectus, & uisu orbatus, Sbilutho propinquo suo præposito Vuladislauiensem episcopam concessit. Quanquam postea pœnituit eum facti, cum non pro meritis ab illo tractaretur. Iaroslaus uerò Scotnicius, gente Bogorius, Archiepiscopus Gnesnensis permulta præclara monumenta reliquit, quæ aptius infrà recensebuntur. Per hoc tempus Cruciferi Prussienses atque Liuonienses, & Lithuani mutuis populationibus, & munitionum euersionibus, inter se certabant, nonnunquam etiam ad manus ueniebant, & quidem Marte uario. In Germania uerò Heluetiorum, siue Suitensium societas, ante septuaginta ferè annos instituta, per iniurias principum, quibus ij ciuitates affligebant, magna cœpit incrementa. Sed iam librum hunc unà cum Cazimiri regno finiamus: sequentesque externi generis regibus dedicemus.

Vitia Cazimiri.

Iudæorũ prærogatiuæ in Polonia unde sint.

Effigies Cazimiri.

Vuladislauiensis basilica noua.

Vulatislauia & Racianzum arces munita ab episcopo.

Heluetiorum incrementa.

DE ORI-

DE ORIGINE ET REBVS GESTIS POLONORVM, LIBER TREDECIMVS.

PROOEMIVM.

PER nongentos aliquanto plures annos, quibus historia ab initio usque ad mortem Cazimiri secundi Regis decucurrit, semper Polonia sui generis Reges atq; Principes habuit, Venceslao Bohemo, de quo in superiore libro pertractauimus, excepto. Qui quòd unus inter nostrates interiectus est, nec diu apud Polonos regnauit, in numerum quodammodo à nobis redactus est, ne seriem narrationis interrumperemus. Deinceps uerò quod reliquum est temporis usq; ad hoc tempus, quo hæc scribimus, cùm Cazimirus Rex moriens, quemadmodum superius commemorauimus, nullos mares liberos reliquisset, exteri apud Polonos regnarût, nempe Ludouicus Vngarus, & gener eius Vuladislaus Iagello Lithuanus cum sua posteritate, quæ in hunc usq; diem durat atq; regnat. Quæ tempora dum persequimur, nemo à nobis exactam eorum omnium, quæ ij Reges usquam gesserunt, rationem expectabit. Quanquam enim per Reges atque Principes historiam ducimus, tamen instituti nostri est, non tam uitas Regum ipsorum atque Principum, quàm res gestas Polonorum persequi. Quocirca, quæ Ludouicus, de quo mox scribere aggrediar, siue in Vngaria, siue in Italia, siue usquam aliàs gessit, quæq; ij qui post eum in Polonia regnarunt, quæ quidem ad Polonicam historiam non pertinebunt, uix & obiter attingemus. Lithuanicas uerò res à tempore Iagellonis Regis, quòd coniunctæ erunt cum Polonicis, non ferè omittemus, nisi si quæ erunt, quæ minus ad nos pertinere uidebuntur. Hæc semel præfati, iam susceptum opus à morte Cazimiri secundi Regis proloquamur.

Externi reges.

LVDOVICVS VNGARORVM ET Polonorum Rex.

CERTIOR factus de graui morbo, ac mox etiam de morte Cazimiri regis Zemouitus dux Masouiorum à Ioanne filio, quē hac de causa ministerio Regis addixerat, illicò Ploscū, Rauam, Vissegradum, Gostininum, & Sochassouiam arces in suam redegit potestatem, dedentibus eas ultrò præfectis, cū quòd sciebant ex pactis conuentis eas Zemouito deberi, tum quòd muneribus & pollicitationibus ab eo corrupti erant. In utraq; etiā Polonia & in Rusia, post uulgatam mortem Regis, noui quidam motus exciti sunt à finitimis. Nam Hasso siue Hessus quispiam, Ottonis Marchionis Brandeburgensis, qui fuit filius Ludouici Bauari Cæsaris, præfectus cùm didicisset proditione trium Saxonum, qui in præsidio Santoci erant, arcem eam à paucis custodiri, & à commeatu imparatam esse, præfectumq; eius Sandiuoium Virium Castellanum Bninensem abesse, cū tumultuaria agrestium ferè manu eò accurrit, arcemque oppugnatam acrius, tandem Sendiuoio Slesinio impigro iuuene, qui cessantibus Saxonibus proditoribus cum paucis suis arcem defendebat, uigilijs & labore confecto, per deditionem accepit. Ex alia uerò parte Lubartus Lithuanus cum Keistuto fratre & expeditis copijs Vuladimiriensem arcem in Volynia posteaquàm primo impetu capere non potuit, circumsedit. Præerat arci Petrasius Turscius de tractu Lenciciensi. Is quamuis diutius obsidionem sustinere potuisset, tamen Alexandro duce, cui Volynios parêre Cazimirus iusserat, Cracouiam profecto, cum nec unde quicquàm opis expectaret, ferocitate & minis Lithuanorum territus, arcem ligneam ueterem quam tuebatur, dedidit. Acceptam Lubartus ualido præsidio firmauit. Nouam uerò, quā Cazimirus duobus annis magna cura, sumptuq; cocto latere muniuerat, neq; tamen consummauerat, diruit, & solo æquauit. Inde in Lublinensem atq; Sendomiriensem tractum excursionem fecêre ijdem barbari, magnasq; prædas egêre. Ac inter alia Lyssecense, siue Caluimontanum monasterium diripuêre. Vnde cum inter aliam prædam portionem Crucis Christi auro inclusam asportarent, & ad fines Poloniæ peruenissent, memorabilis res accidit. Plaustrum enim quo Crux cum cætera præda uehebatur, nulla ui, neque iumentorum, neque hominum loco moueri potuit: quin subitò concidebant exanimati homines, equi, & boues, quicunque id plaustrum attigerant. Obstupefacti re noua Lithuanorum duces, cum ex Russo quopiam miraculi & cladis suæ causam cognouissent,

Zemouitus Masouiorum dux munitiones quasdam occupat.

Lithuanorum excursio in Poloniam.

Miraculum.

cognouissent, mox crucem Chorabala quodam nobili captiuo, libertate donato, ad locum suum remiserunt: ipsi cum reliqua præda domos suas salui peruenêre. Neque enim erat qui nostros in arma cogeret, ut fit soluta disciplina omni morte principis. Nam Ludouicus rex Vngarorum, quem Cazimirus multò antè successorem sibi designârat, licet mox de morte auunculi certior factus esset, tamen continuit sese domi: & quorsum consilia Polonorum uergerent, expectabat. Verebatur enim, ne ij mutata sententia alij regnum mandarent. Erant enim superstites duæ filiæ Cazimiri. Erat & Cazimirus Stecinensium dux nepos ex filia. Erant etiam Cuiauiensium & Masouiorum duces, propinqui & necessarij. Matrem tamen suam Ludouicus Cazimiri regis sororem celeriter præmisit. Nec ita multò pòst uenerunt ad eum Vissegradum è comitijs Polonorum oratores, Florianus episcopus Cracouiensis, & Ioannes Strelcius Cancellarius Poloniæ, rogantes ut primo quoque tempore in Poloniam ueniret, regnumque destinatum susciperet, ac præsentia simul & impendentia pericula depelleret. Audita ille legatione aliquandiu, quid faceret, deliberauit. Cunctanti cum & nostri orando, & Vngari proceres suadendo instarent, tandem respondit: Non satis intelligere, neque hos quid suadeant, neque illos quid petant. E neutrorum enim id re fore, sicuti ne duobus quidem gregibus expediat, unum habere pastorem. Satis & abundè esse negotij uni populo præesse. Duas respub. uix ulla ratione sine alterutrius, siue adeò utriusque malo & incommodo ab uno administrari posse. Ita tunc Ludouicus. Sed tandem uictus precibus oratorum annuit. Bonfinius, audita morte Cazimiri auunculi, statim eum, ingenti delectu habito, in Poloniam profectum esse, regnumque testamento legatum à proceribus & legatis populorum petiuisse, & facilè impetrasse scribit. Venientem proceres Poloni cum frequenti nobilitate, ad Sandeciam obuiam progressi, excepêre, & Cracouiam deduxêre. Ibi rursus armatæ ciuitatis occursu honorificè consalutatus est. Postero die rogatus publicè à Ioanne Cancellario, an testamentum Cazimiri regis ratum esse iuberet, præcipitanter assensus est. Sed admonitus ab his qui proximi de senatu aderant, multum detrimenti eam rem Poloniæ allaturam esse propter profusas donationes & legatos Cazimiri, & quòd de fide quoque scripturæ testamenti dubitaretur, ad senatum ea de re per Vuladislaum Oppoliensium ducem retulit. Senatus porrò, ne quem offenderet, cæteras quidem omnes donationes ualere: de ea uerò qua Stecinensi duci Siradiensis, Lenciciensis, quam post mortem Zemouiti auunculi sui Cazimirus recuperauerat, ac Dobrinensis ditio, itemque arces Crosuicia, Bydgostia, Vulotouum, & Valcia cum suis territorijs donabantur, itemque de ea quæ fiebat nothis filijs Cazimiri, apud terrestres iudices, quos uocant, disceptandum esse censuit. Itaque Pelca Zambrus iudex Sendomiriensis, & Vilcius Naborouius sub iudex Cracouiensis, lecti iudices, re bene perpensa, decreuerunt eas donationes irritas esse debere, quòd non de sententia senatus factæ, ualde damnosæ essent reipublicæ. Cui decreto senatus rogatus à rege, subscribere noluit. Et sanè in utramque partem res erat perdifficilis de Stecinensium duce. Nam si is omnibus ijs quæ sibi donata erant, potitus esset, permultum regi detractum esset: cauendúmque erat, ne fretus ea potentia regnum inuaderet: sin repulsam pateretur, bellum ab ipso & à Carolo Imperatore, cum quo soror eius nupta erat, expectandum. Quocirca ita cum eo transegit Ludouicus, ut is in Dobrinensi tantum ditione, & Bydgostia, Vulotouo, & Valcia acquiesceret, cætera regi relinqueret. Quibus rebus tunc peractis, de coronatione rursus noui regis Archiepiscopo & maioribus Polonis scrupulus iniectus est, quòd ij contendebant, ut ea Gnesnæ more ueteri fieret. Sed Ludouicus proximorum regum Vuladislai aui & Cazimiri auunculi exemplum in ea re secuturum se esse dixit. Quo responso sedatis maioribus Polonis, decimoseptimo die Nouembris ab Iaroslao Archiepiscopo Gnesnensi, adstantibus Floriano Cracouiensi, & Petro Lubussensi episcopis in basilica Cracouiensi diadema solenni ritu accepit. Nec tamen desiderium Cazimiri defuncti regis ex animis hominum rex nouus euulsit: imò plus etiam accendit, cum non modò dissimilis esset Cazimiri, sed ne adiri quidem à nostris sine interprete posset: quin res quoque Polonicas negligere ac parui facere uideretur, ac non modò non intenderet animum ad recuperanda ea quæ superiori tempore à Polonia auulsa erant, uerumetiam enormem donationem adijceret, qua Vuladislao duci Oppoliensium, Vngariæ Palatino, Ostressouiensem & Velunensem tractum omnem, qui Rudensis olim dictus est, itemque Olstinense, Crepiciense, & Bobolicense territoria in tractu Cracouiensi, adhæc Brezniciense in Siradiensi ditione, donauit. Sed tamen tum ab hoc ipso Vuladislao, tum à Cazimiro Stecinensi (quanquàm de Vuladislao uariat Dlugossus) solenne iusiurandum accepit, quòd perpetuò in potestate ipsius & regum Poloniæ deinceps futuri essent, & quòd illæ omnes eorum ditiones regno accrescerent, si ij nullos mares liberos relinquerent.

Ludouici regis cunctatio.

Sapiens dictũ.

De legatis Cazimiri iudiciũ.

Iudices delegati.

Ludouicus rex Cracouiæ coronatur.

Ludouicus ingratus Polonis

linquerent. Exequias deinde magnificentissimas & sumptuosissimas auunculo mortuo apparauit. Vbi permultum argenti facti basilicæ Cracouiensi oblatum atque donatum est, & infinita pene hominum multitudo lachrymis, planctu, & eiulatu ingens defuncti regis desiderium testata est, præsertim quòd cum eo successionem regum suorum uetustissimam à Piasso usque propagatam, extinctam esse cerneret, regnumque ad externum regem peruenisse, qui longe abfuturus esset. Quod cum Ludouicus animaduertisset, ueritus ne quam filiæ Cazimiri nouandarum rerum occasionem Polonis darent, ablegauit eas in Vngariam: & constituto ibi iudicio, perfecit ut non ex iusta uxore natæ, atque exhæredes pronunciarentur. Quod adeò ingrati hominis facinus, non sine iusta diuini numinis uindicta factum esse uideri potest, ut filiæ Cazimiri, paternarum libidinum & stupri, ingenuæ puellæ Feliciani filiæ oblati in eodem pene loco quo ille deliquerat, pœnas luerent. Post hæc tamen Anna Vilelmo comiti Ciliæ, Heduigis Romero cuidam duci nuptui tradita est. Vt uerò postulatis maiorum Polonorum satisfaceret Ludouicus, in maiorem Poloniam post paucos dies profectus est, & biduum Gnesnæ commoratus, paratum sibi in basilica Gnesnensi solium ascendere noluit, affirmans id neque sibi, neque Polonis decorum fore, ut coronationem Cracouiæ peractam quasi in dubium reuocaret. Deinde Cracouiam reuersus, cum animos Polonorum uexatione, uiolentia, & rapinis Vngarorum offendisset, neque de recuperando Santoco & Vuladimiria consilij quicquam iniuisset, mox in Vngariam rediit, Transalpinensium Voieuodæ defectione excitus, omni gubernatione Poloniæ matri commissa. Nec mora cum duobus exercitibus Transalpinensem Moldauiam ingressus, alterum quidem in syluis circumuentum ab hostibus amisit, cum altero uictor defectores in suam redegit potestatem: & ne tam facilè ij deinceps rebellarent, Seuerinum oppidum instaurauit, præsidioq; firmauit. Interim Elizabetha mater eius in Polonia muliebri usa consilio, iuuenes & imperitos homines in senatum allegit, compluresque bonos & graues uiros magistratibus mouit, & nihili homines atque assentatores eis suffecit. Ac inter alios inprimis Prædislaus Goluchouius Palatinus Calisiensis uir magnanimus & moderatus, præfectura maioris Poloniæ motus, eiq; Otto Pilecius successor datus esse memoratur. Quam rem ægre tulêre maiores Poloni, & parêre Ottoni, quamuis & genere & uirtute præstanti, detrectabant, propterea quòd nullas is habebat possessiones in maiore Polonia, atque ita contra leges præfecturam obtinebat. Sed tamen homo splendidus & liberalis, ut quemque de nobilitate factiosissimum, & sibi maximè aduersarium esse nouerat, ita os eius comitate & munificentia sua primum obstruxit: sic aliquanto patientius deinde imperium eius ferri cœptum. Sed cum ora illa Poloniæ finitimorum latrocinijs infestaretur, neque Otto domesticis opibus quas ibi nullas habebat, compescere ea posset, & nobilitas uulgo eius odio militiam detrectaret, cessit inuidiæ, & præfectura se abdicauit. Cui Sendiuoius Subinius indigena successor datus est. Neque is tamen satis prædonum uim & furta coercuit. Pestilens hic, itemque sequens annus Polonis fuit. Prodigium etiam insigne Posnaniæ accidit. Basilica enim cum adhærente sibi turre dextra de cœlo tacta est, ita ut perrupto culmine & angulo turris, parua fissura facta in fornice, in sacellum regium fulmen penetraret: ac cæteris rebus intactis, solas Præmisli regis & Rixæ uxoris eius imagines confringeret. Insequens annus nihil ferè memorabile habet, præter quædam de Iaroslao Archiepiscopo, nempe quòd is Zemouitum Masouiorum ducem ecclesiastico interdicto perculit, eoque adegit, ut duorum pagorum donatione ipsi satisfaceret, pro eo quòd Petrassius Cristini Palatini Plocensis filius, bona eius ecclesiastica in Masouia, iubente uel certè conniuente Zemouito latrocinio infestasset, uexassetque. Nec multò post senio confectus & oculis captus Iaroslaus, cum supra triginta annos Archiepiscopus fuisset, Nicolao Cossutouio præposito Gnesnensi propinquo suo Archiepiscopatum concedere statuerat. Sed cum is improuidè sine regia commendatione & collegij Gnesnensis consensu Auinionem ad Gregorium undecimum Pontificem maximum ea de re se contulisset, infecto negotio inanis rediit. Neque tamen Iaroslaus dimittendæ Archiepiscopæ cogitationem deposuit, sed Ioannem Suchyuilkum iuriscanonici Doctorem, cuius antea mentionem fecimus, sororis filium successorem sibi legit: uerùm is quoque plusculum negotij in conficienda re habuit, palàm commendante, & clàm impediente eius causam Ludouico apud Pontificem Maximum. Ad extremum tamen noua regis commendatione & collegij approbatione adiutus, uoti compos factus est. Iaroslaus uerò Pomeranicis & Opatouicensibus possessionibus ac decimis in ora Calisiensi indulgentia Pontificis Maximi ad usum suum retentis, in Landense monasterium secessit, & biennium ferè ibi exegit. Deinde pertæsus monasterij, Calisiam commigrauit,

Cazimiri filiæ relegatæ & exhæredatæ.

Vngarorum uiolentia.

Seuerinum.

Pestis.

Prodigium.

Iaroslaus cecus abdicauit se archiepiscopa.

Ioan. archiepiscopus Gnesnensis.

Iaroslai mors.

ubi intra uertentem annum uita excesit. Permultum hic Archiepiscopam amplificauit, & ornauit. Nam Louiciam, Opatouicum, Vneouiam, & Camenum arces condidit: aulas archiepiscopales Gnesnæ, Lenciciæ, Veluni, Calisiæ construxit. Louicienses reditus primus ita auxit, ut cum antea census duas marcas non excederet, tunc ad octingentas perueniret. Aedificauit etiam templa Gnesnæ, Calisiæ, Curelouic, Opatoueci, & Vneouiæ, ubi & collegium sacerdotum instituit, & monasterium Benedictinis condidit, ac Tinecensis abbatis iurisdictioni id subdidit. Dotauit idem nouam parœciam in oppido nouo Crepiciensi rogatu Cazimiri regis. Atque ob eam rem iurisdictionem sibi posterisque suis Archiepiscopis in ea parœcia, in Cracouiensi diœcesi sita, usurpauit, conniuente Bozenta episcopo Cracouiensi, qui dotare eam noluit. Istiuarta enim amnis eo loci Gnesnensem & Cracouiensem diœceses dirimit. Memoratur etiam de eo illud excelsi animi facinus, quòd cum iuuenis adhuc Bononiensis Academiæ rector esset, transtulit inde Academiam sua autoritate propter Britannum siue Anglum quẽdam scholasticum à magistratu urbis capite plexum: nec prius eam restituit, donec pro cæde Angli satisfactum est. Fertur autem Iaroslaus mandasse moriens, ut cadauer suum non ostio, sed pertuso pariete in basilicam sepeliendum inferretur, quòd non ritè, neque ordine Archiepiscopum se factum esse diceret. Hæc de Iaroslao suffecerint, quæ omitti certè hic à nobis non oportuit. Per hoc tempus Ludouicus rex cum Carolo Imperatore in gratiam rediit, ac filiam suam natu maiorem Mariam, filio eius Sigismundo, è quarta uxore suscepto, paruulo etiamnum despondit, & in aula sua ipsum educauit. Pater uerò Marchiam Brandeburgensem ab Ottone Ludouici filio ipsi emit. Cùm autem duas filias ex Elizabetha Stephani Bosnensium reguli filia susceptas, duóque regna haberet Ludouicus, utrique filiæ uiuens cupiebat prospicere, ita ut altera apud Vngaros regnaret, apud Polonos altera. Ac apud Vngaros quidem iam uni prospexisse uidebatur: de altera autem sollicito, fortuna siue consilium talem occasionem obtulit. Poscebat is Polonos uectigal, quod regium & poradlne, quasi rastrale dicitur, duodenos grossos latos, & singulos modios siliginis & auenæ in iugera siue laneos, quemadmodum antiquitùs pendi solitum erat. Negabant proceres sacri pariter & profani ordinis: quòd ab eo Poloniam immunem factam esse liberalitate Cazimiri dicerent. Cumque ille admonitus à nonnullis, promissam modò, non etiam datam esse à Cazimiro immunitatem illam argueret, solutum enim esse id uectigal, quoad uixerit Cazimirus, tandem eò rem deduxit per internuntios, ut si alterutram de filiabus suis regnare deinceps apud se Poloni iussuros se esse reciperent, binos tantum grossos quotannis deinceps in iugera penderent, quibus regem agnoscerẽt: ab reliquis pensionibus & oneribus quæ regibus ac ducibus antiquitùs debebantur, cuncta nobilitas atque subiecti homines perpetuam uacationem & immunitatem haberent, preterquàm si rex nouam arcem conderet, aut ueterem tempore belli reficeret, tunc ut nobilitatis subditi cum regijs opus facerent. Accepère conditionem Poloni: atque inde in hodiernum usque tempus manet uectigal hoc ita imminutum regi: tametsi episcopi tunc id suos agricolas pendere passi non sunt, defendentes mordicus Boleslai Pudici & Cazimiri remissionem. Cuius quidem remissionis, Cracouiensi duntaxat ecclesiæ factæ, extant diplomata utriusque principis in basilica Cracouiensi. Monasteriorum uerò adscripatij, præfectis regijs exigentibus & conniuentibus episcopis aliquandiu totam ueteri more pendere coacti sunt. Illa quoque in pactis fuère, ne rex magistratum siue honorem ullum perpetuum supprimeret, neue externo cuiquam conferret, ac ne præfecturam quidem arcis cuiusquàm aut oppidi, quæ iurisdictionem adiunctam habeat: imò ne indigenæ quidem illustri ducum genere orto. Hæc ita tunc conuenère Cassouiæ anno post Christum natum millesimum, tricentesimum, septuagesimum quartum. Nunc iam nouos motus, quibus Polonia deinceps agitata est, persequamur, paulò altiùs repetito principio. Zemomyslus Vuladislai Locticí frater tres filios moriens reliquit: qui sic patrimonium inter se partiti sunt, ut Præmislo Bydgostia cederet, Lesco Inouuladislauia, Cazimiro Gnescouia. Ex his solus Cazimirus liberos reliquit, Elizabetham & Vuladislaum, cognomento Album. Atq; Elizabetham quidem cum Caroli regis Vngarorum uxor, Locticí filia educandam suscepisset, Bosnensium regi Stephano in matrimonium collocauit, de qua Elizabetha item filia nata est, quæ secunda Ludouici regis uxor fuit. Vuladislaus uerò cum patri & Præmislo patruo, concedente rege Cazimiro successisset, causamque de ui & alieno agro usurpato quodam tempore apud eundem regem dicere iussus esset, furore percitus temerè Bydgostiam repudiauit: nec eam pòst ullis precibus recuperare à Cazimiro potuit. Postea Gneuucouiam quoque, acceptis mille florenis, regi concessit: & peregrè profectus, cum per multa loca peruagatus esset, tandem Cistercium ueniens,

Vneoniense collegium.

Fines diœceseon.

Marchia Brandeburgensis à Carolo Imp. empta.

An. 1374.

[illegible] Ludouici secunda uxor.

[illegible] uiconia empta.

niens, monachus factus est: nec multo pòst mutato consilio Diuione in Burgundia Benedictinorum sectæ sese addixit: & complures annos ibi commoratus, & sororis, Cazimiriq; regis liberalitate sustentatus est. Cùm igitur proceres quosdam de maioribus Polonis nouarum rerum cupidos, pœnitere externi regis & absentis, muliebrisque dominationis cœpisset, communicato clam inter se consilio, legationem ad acciendum Diuione Vuladislaum misêre, quòd nemo eo propinquior Cazimiro & Vuladislao regibus agnatus uiueret: ac facilè is, ut erat leuis, in spem & cupiditatem adipiscendi regni adductus est. Quoniam autem diaconus iam erat, Auinionem ad Pontificem Maximum obtinendæ indulgentiæ, siue dispensationis causa contendit, legatis Basileæ se expectare iussis. Et quamuis nihil à Pontifice impetrasset, tamen Basileam, atque inde legatorum suasu, dimissis eis in Vngariam dissimulato proposito ad affinem regem profectus est: apud quem reginæ propinquæ suæ magnis precibus perfecit, ut ad Pontificem Maximum pro se legationem mitteret quo sibi mutato ordine, & obiecta professione, possessiones & principatum obtinere liceret: sed repulsam etiam tum passus, clàm se cum quatuor tantum comitibus ex Vngaria subduxit, & ueniens Inouuladislauiam arcem ex improuiso occupauit. Et mox oppidanos accitos in uerba sua iurare iussit. Inde Gneuucouiam, eadem celeritate usus, in potestatem suam redegit, Romliconem Zlotoriæ arcis præfectum in agro fortè repertum cœpit, & Zlotoriam quoque eodem die per deditionem accepit, cum necem præfecto sub arcem abducto minaretur, ni ea sibi dederetur. Ita tribus arcibus uno die potitus, cum uoluntarij multi ad eum concurrerent, sumpta maiore fiducia postero die Sarleium arcem oppugnare adortus, tertio die in deditionem accepit. Hæc ad Sendiuoium Subinium præfectum maioris Poloniæ cum perlata essent, celeriter Ludouicum regem de statu rerum Cuiauiensium certiorem facit: simulque facta non contemnenda manu de nobilitate, ad reprimendos conatus Vuladislai contendit. Obsessa primum Inouuladislauia, cùm nihil esset spei in Vuladislao, deditionem fecit. Qua re permotus Vuladislaus, simul & ab ijs qui cum eo se coniunxerant, desertus, reliquas quoque arces reddidit, promittente ei Sendiuoio clementiam & munificentiam regis. Qua diutiùs expectata cum frustraretur, & inopia premeretur, rursus eadem quæ prius moliri, suadentibus & incitantibus quibusdam improbis, instituit. Sed cum Sendiuoius præfectus consilia eius sensisset, ratus, ita ut erat, Scripinium sororis suæ uirum, quem Zlotoriæ præfecerat, senem inertem & ebriosum, insidijs eius maximè opportunum esse, amouêre eum à præfectura uolebat: uerùm ab eo & sorore sua, ne id faceret, exoratus est. Ad hunc ergo fallendum subornat Vuladislaus piscatores, qui eum allato Torunia uino inebriarent. Quod cum factum esset, sopito eo pariter & custodibus, ut ferè ad exemplum heri familia sese componit, nocte intempesta missa à Vuladislao manus, scalis admotis arcem, custodes, præfectumque cœpit: sed Cristinum propinqui postea mille florenis redemêre. Hinc rursus magnus egentium, ære alieno oppressorum, & facinorosorum hominum concursus ad Vuladislaum factus est. Inter alios etiam Vlricus Bodeæ Drenij, qui superiori tempore inopem Vuladislaum facultatibus suis sustentauerat, filius, impiger iuuenis cum aliquanta peditum, equitumque manu in auxilium eis ueniens, Racianzum arcem episcopi ex itinere capere nixus est: sed repulsus ab ijs qui in arce erant, Gneuucouiam oppugnauit: & fauentibus atque adiuuantibus oppidanis, arcem incendit, præfectumque arcis Gerardum Sloneuium uiuum in potestatem suam redegit: quem Sendiuoius postea magno redemit. Infestabat autem Vuladislaus ex arce Zlotoriensi maiorem Poloniam latrocinijs usque adeò ut Sendiuoius solus cum maioribus Polonis reprimere eum non posset. Itaque & Iascus Cmichia, gente Srenauius, præfectus Siradiensis, cum nobilitate Siradiensi, ad restinguendum gliscens incendium profectus est. Verum eius currus, & impedimenta cum alia uia subsequerentur, à Vuladislao intercepta sunt. Iascus tamen nihilo segnius cum Bartholomæo Veisemburgio præfecto Brestensi coniunctis copijs, Vuladislao ad uexandos Inouuladislauienses numerosam magis quàm bellicosam multitudinem ducenti, apud Gneuucouiam occurrit, consertóque prælio facilè eum fudit, fugauitque. Nactus autem nauiculam Vuladislaus fugiens, Vistulam traiecit, & in Zlotoriensem arcem se recepit. Et quamuis Sendiuoius præsidium militum in munitione Iaroslai Sluzeuij ad arcendas excursiones eius collocasset, agebat ille tamen nihilo minus prædas ex uicinia. Quare maiore ui Sendiuoius contra eum bellum gerere instituit, maioribus Polonis cunctis, & Cuiauijs sumere arma iussis, accitóque etiam in auxilium Cazimiro Stecinensium duce. Ab his copijs Vuladislaus in arce Zlotoriensi oppugnatus ac circumsessus aliquandiu, nō modo sustinuit obsidionem, uerumetiam non leuibus incommodis ac detrimentis obsidentes se afficiebat. Nocturno enim tempore,

Vuladislaus monachus accersitur ad regnum.

Vuladislai noui conatus.

Gnewcouia incensa.

Iascus Zmi[illegible].

Vuladislaus dux uictus.

expeditos milites ex arce nauigijs emittebat, qui præteruecti silentio castra obsidentium, non modò eos qui longius è castris egressi erant excipiebant, uerumetiam extrema statiua infestabant: quin machinis etiam quibusdam artificiosis oppugnationi intentos ex arce conuulnerabant, & summouebant: earum uerò machinarum opifices & administri erant duo molitores, quorum alter Zlotoriam Vuladislao prodiderat, alter, cui nomen Hanco, Brestensis molétrinæ hæres, captus superiori tempore à Vuladislao. Cum autem hic ipse Hanco exitum illius belli & obsidionis, quam diu sustineri non posse propter commeatus penuriam uidebat, secum reputaret, metuens ne fraudi sibi esset hostes patriæ iuuisse, consilium cœpit prodendæ arcis: sed re coniecturis quibusdam depræhensa, subiectus quæstionibus rationem & ordinem omnem meditatæ proditionis aperuit. Quibus rebus exploratis, emisit Vuladislaus Hanconis generum ad hostes cum mandatis Hanconis de proditione. Lætus ea re Sendiuoius, cum gloriam captæ arcis & confecti belli solus obtinere cuperet, Cazimirum quidem ducem, cæterósque proceres consilium suum celauit: ipse uerò intempesta nocte, quemadmodum constitutum erat, cum expedita suorum manu, sine ullo strepitu, ad arcem accessit, patefactáque porta cùm iam uiginti sex milites immisisset, antequàm ipse cum cæteris ingressus est, milites Vuladislai, qui hæc supernè clàm obseruabant, celeriter cratem portæ impendentem deiecêre: cuius pondere & clauis prominentibus insignes duo milites Poloni, Fridericus Vedelius, & Vscensis dominus oppressi sunt. Nec mora, illustrata ignibus arce, uigintisex illi qui primi ingressi erant, saxis & iaculis undique coniectis obruti sunt. Ita in insidias præcipitatus Sendiuoius, tot fortibus uiris amissis, tristis atque cõfusus in castra rediit. Illucescente uerò die fremens ob acceptam ignominiam, totis uiribus arcem oppugnauit usque ad uesperam, nec tamen capere eam potuit. In ea oppugnatione Cazimirus Stecinensium dux saxo per casidem ictus in capite, non diu postea uixit. Postero die cum Vuladislaus de retinenda arce desperasset, crematis palàm ante arcem molitore ac genero eius, itémque ijs quorum opera arcem intercœperat, deditionem fecit: & ad regem in Vngariam missus, decem millia florenorum ab eo pro Gneuucouiensi territorio accepit. Ad hæc abbatia quadam luculenta in Vngaria donatus est. In qua aliquantisper commoratus, Diuionem rediit, ibiqúe resumpto monachi habitu uitam finiuit. At illi qui cum ad res nouandas in Polonia adiuuerant, partim uoluntarium sibi ipsi exilium indixêre, partim carcere & bonorum confiscatione damnati, pœnas dedêre. Aliquanto aliter Albertus Crantius hæc de Vuladislao duce, quem ipse Album uocat, ac toti Poloniæ uult præfuisse, commemorat. Sed quorsum attinet omnes omnium opiniones persequi? Pertæsa Polonicorum motuum Elizabetha Ludouici regis mater, excesserat Polonia, & peramplos reditus in Dalmatia de Venetis dudum recepta, à filio acceperat: sed non ita multo pòst, pœnitentia ducta, indulgente eodem, in Poloniam rediit. Venienti cum magno & splendido comitatu proceres Poloni Cracouienses & Sendomirienses apud Sandeciam gratulabundi obuiam prodierunt: simulqúe renunciarunt, compertum se habere ab exploratoribus suis, Lithuanos de inuadenda, uastandáque Polonia consilium iniuisse. At illa muliebri leuitate, quietos & securos eos esse iussit: filium enim suum tam longis, grauibusqúe manibus præditum esse, ut ad solum nomen eius non modò Lithuani, sed & cunctæ in circuitu nationes contremiscant. Nec mora, Lithuani cum ualida manu è Lithuania & Russia coacta, ducibus Keistuto, Iagellone, Visseudo, Lubarto, & Georgio, percurso magnis & clandestinis itineribus, propter uastitatem Lublinensi tractu, quicquid loci in Sendomiriensi tractu est inter Sanum & Vistulam flumina, populabundi & uastabundi magna celeritate peruagati sunt, ita ut permulti mortales de nobilioribus quoque & locupletioribus, uel in fuga, uel in domibus suis incauti à barbaris opprimerentur. Itaque permagna ea barbarorum præda fuit, quam integram, nihil usquàm hostile passi, abigêre. Per idem tamen tempus ipsi quoque à Cruciferis Prussiensibus domi suæ magno incommodo affecti sunt, sex territorijs Samegitiæ una atque altera excursione peruastatis: neque tamen Elizabetha quicquam de lusibus & choreis, atque symphonia, quibus mulier octogenaria nimium indulgebat, clade illa mota, remisit, donec eam præsentius aliud malum perculit. Vngari qui cum regina uenerant, domestica consuetudine fœnum atque auenam, cum Cracouiam siue ad mercatum, siue ad priuatum cuiusquàm usum importaretur, passim diripiebant. Id Prædborius Brezius nobilis adolescens, ne ipse quoque pateretur, familiam suam armatam ante domum suam, quæ ad portam urbis Cazimiriensem, siue Bochnensem sita erat, obseruare iussit: ibi cum Vngari in fœnum quod aduehebatur, impetum facerent, Prædborij uerò ministri prohiberent, iurgium atque prælium inter Vngaros & Polonos ortum est. Quod cum concursu utrinque suis opem ferentium atrocius fieret, missus à regina la-

Hanco proditionē molitur.

Vuladislai exitus.

Albertus Crantius.

Lithuanorum excursio in Poloniam.

Samagitia uastata à Cruciferis.

Vngarorū uiolentia & rapinæ.

ſcus Cmitha præfectus Cracouienſis, ad ſedandum tumultum, ſagitta Vngarica in turba in collum percuſſus, ex equo defluxit, & expirauit. Ibi neceſſarij & familiares eius furentes, facto undique concurſu in Vngaros coorti, magnam cædem fecêre: non eorum tantum qui ſe in tumultu illo obtulerant, ſed eorum quoque qui in hoſpitijs ac diuerſorijs inuenti ſunt. Centum ſexaginta Vngari eo die trucidati feruntur. Atque ij modò ſalui fuerunt qui in arcem effugere potuêre. Triduo deinde arx clauſa, & ab armatis obſeſſa fuit. Annus quo hæc acta ſunt, fuit poſt Chriſtum natum milleſimus, trecenteſimus, ſeptuageſimus ſextus. Paruo autem interiecto tempore, Elizabetha mœſta in Vngariam reuerſa eſt, Petro Cmitha Iaſci filio in ſolatium necis paternæ præfecto Lenciciensibus dato. Per hoc tempus Gregorius Pontifex, eius nominis undecimus, cum cathedram & curiam pontificiam poſt ſeptuageſimum annum Auinione Romam retuliſſet, accepiſſetque Turcas Amurathe primo duce, traiecto nauibus Genuenſium Helleſponto, plurimas Græcorum & Conſtantinopolitani Imperatoris, à quo contra rebelles Principes in auxilium ex Aſia prius euocati erant, urbes cœpiſſe, magnáque ſtrage Bulgaros, Serbos & Albanos profligaſſe, Italiæ metuens, undique ſubſidia corrogabat. Itaque & in Poloniam ea de re legatum miſit Nicolaum Maioricenſem epiſcopum, qui coacta Vneouiæ ſynodo epiſcoporum, uix illud impetrauit, ut bini groſſi de unius marcæ prouentu conferentur. Quoniam autem epiſcopus Vuratislauienſis Prædislaus Pogorellus paulò antè uita exceſſerat, relicta magna pecunia, præter contributionem redegit legatus ex illa hæreditate triginta millia aureorum: & inſuper octo millia annua pactus eſt Pontifici, do nec aliquis Prædislao ſucceſſor daretur: cuius approbationem ob id Pontifex in ſeptimum annum diſtulit. Sequenti anno Ludouicus nouos præfectos in Polonia de ſententia matris instituit. In maiore quidem Polonia Domaratum Pirſchtuicium, translato Cracouiam Sendiuoio Subino. In Cuiauia uerò amotis Bartholomæo Veiſſemburgio, & Bartholomæo Socolouio, Petraſsium Malocham: propterea quòd hic quidem pluris quàm illi præfecturæ illius fructus redimeret, Domaratus uerò multis Vngaris in cæde ſuprà memorata ſaluti fuiſſet. Quoniam autem Ludouicus excurſionibus Lithuanorum in Poloniam, & Belzenſiū ducis defectione motus, bellum contra eos parabat, datis Domarato ex Vngaria reuertenti mandatis ad epiſcopos & uniuerſum ordinem eccleſiaſticum totius Poloniæ, ſubſidium ab eis & ab eorum agricolis ad pium bellum contra barbaros hoſtes petiuit. Negatum eſt, ueritis epiſcopis ne munificentia illa ſua in morem, & mox inde in legem abiret. Nihilo tamen minus proſequi inſtitutum bellum perrexit Ludouicus: indictáque toti Poloniæ expeditione, & omnibus ad Sendomiriam conuenire iuſsis, ipſe cum non contemnenda Vngarorum manu tranſmiſsis Sarmaticis montibus, per Sanocum rectà Sendomiriam profectus eſt. Ibi conuentu habito, recenſitíſque copijs, cùm abundaret uiribus & multitudine, partem exercitus in qua erant Cracouienſes & Sendomirienſes cum Sendiuoio ad recipiendam Chelmam miſit: ipſe cum reliquo ad Belzum caſtra mouit. Ac Sendiuoius quidem intra octauum diem Chelma potitus, Grabouecciam quoque, & Grodium, & Seuoloſſum munitiones cœpit: deinde ad regem, Belzum adhuc obſidentem, reuertit: erat enim arx ea natura loci permunita. Itaque fame rex præſidiarios ad deditionem compellere decreuerat. Venit interim in caſtra regis Keiſtutus dux Lithuanorum, ex hoſte pacificator factus, & his legibus pacem impetrauit, ut Georgius dux ſeſe, Belzumque regi redderet, ac Lithuani captiuos omnes Polonos redderent. Quæ cùm impleta eſſent, Ludouicus Georgij blanditijs & pollicitationibus delinitus, non modò Belzum ei reddidit, ſed etiam Lubaſſouiam, & centum marcas annuas in ſtipendium è ſalinis Bochnenſibus adiecit, accepto ab eo iureiurando, quòd in fide atque clientela Polonorum ſemper futurus eſſet. Fortaſsis autem & illud adiumento fuit Georgio atque Lithuanis, quòd orto inter Vngaros & Polonos iurgio, ac Petro Safranecio nobili Polono in faciem ab Vngaro quopiam uulnerato, ad ſeditionem & cædem mutuam res ſpectare cœperat. Itaque Petri quidem dolorem rex donato ei territorio cum arce Peſcotia ſcala mitigauit: exercitum uerò, ne quod maius malum irritatis utrinque animis excitaretur, ſtatim dimiſit. Septem uexilla tunc habuiſſe ſola Topororum familia fertur. Bis poſtea rurſus Ruſsiam à Lithuano duce uexatam eſſe, biſque eiectis barbaris à rege pacatam Bonfinius memorat. Cum autem ipſi uber & fertile ſolum Ruſsiæ placuiſſet, & frequentari eam à catholicæ fidei cultoribus animaduerteret, miſſa Auinionem ad Gregoriū eius nominis undecimum Pontificem Maximum legatione, effecit ut duæ ibi cathedræ epiſcopales, nimirum Præmisliæ & Vuladimiriæ, Haliciæ uerò archiepiſcopalis inſtitueretur. Ita qui quidem Dlugoſſius ſcribit. Sed ſi prius metropolis Leopoli conſtituta fuit, quemadmodum nos ſuperius ex eiuſdem Dlugoſſi ſententia prodidimus, epiſcopalem

Iaſcus Cmitha interfectus ab Vngaris.

An. 1376.

Turcæ Græciā inuaſerunt.

Præfecti Poloniæ.

Sanocum.

Chelma recepta.

Grabouecciā.

Grodium.

Seuoloſſum.

Belzum.

Iurgium inter Polonos et Vngaros.

Haliciæ constitutam esse oportet. Vna enim archiepiscopalis est in Rusia,& ea quidem Leopoli. Ego initio Leopoli episcopalem cathedram regnante Cazimiro institutam fuisse dixerim. Neque enim Archiepiscopus usquam instituitur qui nullum in ditione seu prouincia sua episcopum habeat,sicut tunc in Rusia nullus fuit: sed cum Ludouici opera plures episcopi fierent, metropolim Haliciæ constitutam esse,quæ postea Leopolim translata sit,episcopatu Cameneciam translato. Cæterum quoniam propensiore erat animo Ludouicus in Vngaros,quàm in Polonos,Vngaris adiungere Rusiam instituit,Polonis à quibus subacta fuerat,ademptam. Obtinebat in ea nonnullas præfecturas & ampla territoria Vuladislaus dux Oppoliensium Ludouici beneficentia iure hereditario donata,ita ut iam dux Russorum uulgò appellaretur,& ipse hunc titulum usurparet. Quo facilius igitur Ludouicus id quod cogitabat perficeret, dedit Vuladislao Dobrinensem ditionem atq; Bydgostiensem,quæ antiquitùs Vissegradensis ugcata fuit,excepta Valcia & Slochouia territorijs,quæ nuper Cazimiri Stecinensium ducis morte ex pacto recepe rat:itemq; Inouuladislauiam,Gneuucouiam,Zlotoriam & Satleium, quæ à Vuladislao Albo duce,quemadmodum dudum memorauimus,redemerat. Et ea quidem lege hæc ei dedit,ut sacramento adactus, in clientela, quod feudum uulgò uocant,regum Polonorum semper esset,& ad solos masculos hæredes ea transmitteret. Rusicas autem præfecturas ab eo recepit,& Vngaris eas attribuit. Recenset autem Bonfinius Emericum Agriensem episcopum, Georgium Zudarem cum fratribus, deinde Emericum Bebecum,& Ioannem Zapolæum,qui Rusiam Ludouici nomine cum imperio obtinuerint. Suspecta & molesta ea res de Rusia Polonis fuit:sed mussantur ferè principum & potentium iniuriæ. Nec sanè tunc in promptu erat, quid ea re facerent absente rege,aut quomodo uoluntati eius refragarentur. Quin alia magis præsentia mala eos à sensu illius, quod in diem differebatur,auertebant. Increbuerant latrocinia: creuerat audacia perditorum & improborum hominum. Debilior prædæ erat,potentiori: uis, non ius ualebat: iudicia uel silebant penitus,uel potentiorum iniuriæ contra tenuiores suffragabantur, propterea quòd nemo unus uindex legum, scelerumque ultor erat,quem cæteri omnes uererentur. Hæc publica quidem mala, sed cum plurimorum priuato dolore coniuncta, tollerabilius illud uideri faciebant, quod ad neminem priuatim pertinebat. Itaque de præfecturis Rusiæ patienter tunc latum:de domesticis uerò incommodis crebris literis atque nuntijs,& quærimonijs multorum cum rege actum. Quibus ille commotus,cum ipse non ueniret in Poloniam,quòd negarat auram Polonicam se ferre posse,Vuladislaum Oppoliensem pro se gubernatorem & uicarium misit. Et erat quidem id non ingratum plebi ac tenuioribus. Cæterum nobilitas cum proceribus duobus conuentibus,altero Visliciæ,altero uerò Gnesnæ actis,negarũt se homini externo,quem ipsi sibi principem non constituissent,parituros esse, propterea quòd id contra leges & instituta maiorum suorum esset. Atque cum his mandatis legati de primoribus è comitijs ad regem missi,facilè effecerunt ut is Vladislaum reuocaret. Verebatur enim,ne Poloni ea offensa ad res nouas incitarentur. Interim autem dum hæc ita fiunt, uectigal, quod rastrale superius appellauimus,& quod ad duos grossos à Ludouico redactum esse diximus,dimidium eius quod antiquitùs pendebatur, iussu regis ab ecclesiasticorum agrorum cultoribus exigi cœptum est,hoc est seni grossi,& singuli modij siliginis & auenæ in iugera,negantibus exactoribus regijs,gratiam illam quæ nobilitati facta sit, etiam ecclesijs & sacro ordini factam esse. Debere autem ecclesiasticos homines æqui,boniq; facere, quòd dimidium ferè eius uectigalis sibi,suisq; agricolis remittatur. Quod si recusent,integrum se ueteri more exacturos:ita enim se à rege in mandatis habere. Quocirca Ioannes Archiepiscopus Gneshensis synodum Calisiam conuocauit, unde legati in Vngariam missi Florianus episcopus Cracouiensis,ac Dobrogostius decanus impetrarunt,ut eodem iure:quod ad illud uectigal attinet,cum nobilitatis bonis ecclesiarum bona censerentur. Hęc usque ad annum Christi millesimum,tricentesimum,septuagesimum octauum,octo annis regnante Ludouico in Polonia acta sunt,eo ferè ordine quo hic à nobis conscripta sunt. Per quod tempus Lithuani & Cruciferi mutuis se excursionibus & cladibus uehementer afflixerunt: & Carolus Imperator extremo anni tempore uitam cum morte commutauit,cum aliquanto ante Venceslaum filium natu maiorem adolescentulum,regẽ Bohemis designasset,ac deinde,redemptis magno Principibus electoribus, Cęsarem fecisset. Hoc eodem aũt anno & sequentibus aliquot non usquequaq; tranquillæ res fuerũt in maiore Polonia. Quanquam publico consilio nullũ bellum gestũ est: sed priuatis consilijs & latrocinijs propemodũ cùm à Polonis finitimi populi, tũ ab illis Poloni infestati,& uis ui ultrò,citroquè propulsata est. Primùm enim Borcouij Pomerani hominis equestris ordinis, Valcienses oppidanos ita uexarunt,ut cum oppidum id fortuito incendio

Rusiam Ludouicus Vngaris attribuit.

Poloniæ mala ob absentiam regis.

Vuladislaus dux,gubernator Poloniæ.

An. 1378.

Cruciferorum cum Lithuanis bellum.

Borcouiorum latrocinium.

incendio conflagrasset, aliò ciues commigrare populariter uoluerint, ni Domaratus præfectus maioris Poloniæ cum expedita suorum manu ingressus in Pomeraniam Borcouios, peruastatis eorum prædijs, uicis atque pagis, coercuisset. Deinde Sendiuoius Vitius, Castellanus Bninensis, gente Nalencius, ditionem Suatobori Stecinensium ducis, qui Cazimiro fratri germano (ex alia tamen matre) defuncto successerat, igni, ferroq; depopulatus est, adiutus ope Ioannis Zarnicouij, iudicis Posnaniensis fratris filij. Causa uerò hostilitatis denuntiatæ hæc fuit, quòd Sendiuoius Cazimiri duci cum Ottone Brandeburgensi Marchione bellum gerenti aliquandiu cum numerosa cohorte militauerat, nec ei Suatoborus Cazimiri hæres merita stipendia persoluebat. Suatoborus uerò uastatione agrorum suorum commotus, coacto de suis iusto exercitu, accitisq; Stargardensium & aliarum maritimarum ciuitatum auxilijs equestribus & pedestribus, Poloniæ fines ingressus ad arcem Zlopensem, quæ erat Ioannis Zarnicouij, castra metatus est. Postero die non ita multo post ortum solis, arcem ui capere adortus, usque ad uesperum casso labore suos defatigauit, nisi quòd non paucos fortes uiros aridas fossas sub testudine transgressos, & ascijs ac securibus munitionem perfringere conatos, saxis, telisque supernè obrutos, amisit. Induciæ deinde in posterum diem factæ interueniente Sulisio Vedelio, sepeliendorum interfectorum causa. Quibus sepultis Suatoborus pridiana clade deiectior ab obsidione discesit, bipartitoque agmine circumiacentes pagos exussit: nec multo pòst pacem cum Sendiuoio fecit, cum ei debitorum stipendiorum pariter ac damnorum nomine satisfecisset. Nec tamen diu frui optata pace Suatoborus potuit. Etenim anno sequēti, qui fuit millesimus, tricentesimus, octuagesimus, Ioannes Vedelius, cū à Ioanne Zarnicouio arcem ac territorium Zlopense hypothecę nomine utendū fruendum accepisset, facta de asseclis suis ac de Zlopensibus, Tusnensibusq; aliquanta pedestri, equestrique manu, in Stecinensium fines excursionem fecit, ratus impunè id facinus sibi fore, propterea quòd sciebat Suatoborum alio bello cum Brandeburgensibus & alijs Pomeranis gerendo detineri. Sed eum spes fefellit. Reuertentem enim cum luculenta præda è Piricensi ora abacta Suatoborus cum expeditis copijs in finibus Poloniæ consecutus est. Et poterat quidem Vedelius cum suis in arcem Zlopensem propinquam euadere, sed cum prædam partam nollet amittere, nihil motus paucitate suorum, qui rusticani ferè & oppidani erant, manus cum longe ualidiori hoste conseruit, pœnásque temeritatis dedit. Cecidêre in eo prælio de Polònis quadringenti quinquaginta, centum in propinquo lacu submersi periêre. Nec tamen Pomeranis incruenta cessit uictoria. Per hoc tempus, quod certè silentio prætereundum non est, machinam æneam, quam à sono terribili bombardam uocant, certissimo uitæ & uirtutis humanæ exitio, Germanus homo apud Venetos excogitauit. Insequens annus Elizabethæ senioris reginæ, matris Ludouici regis, & Zemouiti Masouiorum ducis morte insignis est. Ac Zemouitus quidem moriens, duos filios, Ioannem & Zemouitum è priore uxore Nicolai Opauiensium ducis filia susceptos hæredes reliquit, ita ut Ioanni Varsauiensis, Zemouito Plocensis ditio cederet. Ex altero autem matrimonio Zambicensium ducis filiæ Henricum filium & duas filias susceperat. Atque ex his alteram Vuladislao Oppoliensi, alteram uerò Cazimiro Stecinensi, ac deinde uiduam Henrico Bregensi Ludouici filio in matrimonium collocârat. Henricum uerò sacris initiatum, Plocensem & Lencicienfem præpositum fecerat. Et Lencicienfem quidem non sine ui & iniuria Pelcæ Garbouij, cui id sacerdotium Archiepiscopus Gnesnensis contulerat. Nam & possessiones eius sacerdotij manu armata inuasit, & Louiciam cum exercitu obsedit, nec prius soluit obsidionem, donec Pelca Henrico ius suum concessit. Porrò matrem huius Henrici Zemouitus, cum in eam deperiret, per satellites iugulauit, quòd adulterij insimularetur. Sed cum postea facti uehementer pœnituit, cum nihil certi de crimine eius comperisset, liberósque ex ea susceptos persimiles sibi esse cognouisset. Fuit autem Zemouitus hic liberalis, ne dicam prodigus, eòque grauior suis, dum crebris exactionibus exhaustum profuso sumptu grarium replere cogitur. Multa ab ineunte ætate ecclesijs largitus, prouectior factus, eas uexauit & afflixit. Atque ob id diris non semel deuotus & anathema perculsus. Cæterùm Ludouicus rex matre defuncta, cum assiduis & grauibus Polonorum querelis fatigaretur, ut reipublicæ Polonæ constituendæ, iudiciorumque aliquam rationem iniret, Budam eis comitia indixit ad medium Quadragesimæ. Erat res noua, multaq; secum ferebat incommoda, ac etiam periculo proceribus atq; nobilitati, & uniuersæ reip. ad exteras oras per tanta locorū interualla euocari, frequētes tamē proceres eò profecti sunt, frequentiores multò ex alijs ordinib. quos priuatæ iniuriæ, factaq; spes iudicij regij excitarat: Multa ibi, uariáque de administratione reipublicę absente rege, ac de summa iudiciorum

iactata.

Zlopum oppugnatum.

An. 1380. Vedelius infeliciter pugnat contra Pomeranos... Vedelius infelix, contra Pomeranum. [Marginal: Vedelius infe- ... Pomera- num.]

Poloni à Pomeranis uicti.

Bombarda inuenta.

Zemouitus uxorem occidit.

Zemouiti mores.

Polonorum comitia Budæ.

iactata. Ad extremum de sententia regis paucis approbantibus summa rerum Polonicarum, iudiciorumque tribus nempe Zauissæ Curosuancio, gente Roseo, episcopo Cracouiensi, qui non ita pridem Floriano mortuo successerat, & Dobeslao Castellano Cracouiensi Zauissæ fratri germano, & Sendiuoio Subinio Palatino Calisiensi & præfecto Cracouiensi mandata. Iudicia uerò nulla ibi exercuit Ludouicus, uerùm omnia ad uicarios illos suos, siue triumuiros (nihil enim uetat eos & hoc nomine appellare) reiecit. Ad hæc autem fecit potestatem Zauissæ episcopo, omnium magistratuum & honorum quicunque uacaturi essent, exceptis Castellania & palatinatu Cracouiensi, in Polonia conferendorum. Ita conuentus ille solutus est, & calamitosi homines spe iuris sui obtinendi frustrati, mœsti domos reuertêre. Porrò triumuiri illi propositis de iure dicendo edictis, cum obire Poloniam à Cuiauia & maiore Polonia orsi cœpissent, noua, sed tamen falsa spe rursus animos hominum erexerunt. Et audierunt ij quidem in compluribus oppidis magno hominum concursu quærimonias multorum: sed nusquam ius dixerunt, omnibus Calisiam se sequi iussis, quòd eò Zauissam episcopum, sine quo iudicare nolebant, uenturum esse sperabant. Nam is profectus non erat cum cæteris, sed magistrum Ioannem Nasichouicium Archidiaconum Cracouiensem, & cancellarium suum pro se miserat. Hoc autem responso accepto, omnis illa quærentium multitudo maledictis incessens regem atque triumuiros, dilapsa est. Vexata sunt eo anno in Polonia nonnullis in locis bona ecclesiastica. Nam Vuladislaus quidem dux Oppoliensium uetuit in Dobrinensi tractu decimas dari Plocensi episcopo. Insuper de agricolis eiusdem episcopi, quaternos & uicenos grossos in iugera seu lancos exegit. Sed anathemate perculsus à Dobeslao episcopo, interueniente Ioanne Archiepiscopo Gnesnensi, & Sbiluto episcopo Vuladislauiensi, in arce Zlotoriensi cum eo in gratiam rediit, ac de omnibus iniurijs satisfecit. In maiore uerò Polonia, cum Domaratus præfectus eius ore, iussu regio expeditionem contra Bartholomæum Chotelium siue Cosminium, uiciniam omnem latrocinijs ex Odalanouia arce sua infestantem, fecisset, crudeliter admodum uulgus equitum in bona Gnesnensis & Lubussensis ecclesiarum debacchatum est: Bartholomæo uerò petenti pax data his conditionibus, ut regi arcem, territoriumque omne traderet: æstimationem uerò eius, hoc est, decem & octo millia florenorum acciperet: deducta tamen inde ea pecunia, quæ Gallis mercatoribus, quorum merces Bartholomæus diripuerat, numerari debuit. Nec multò pòst, Vneouia arx Archiepiscopi Gnesnensis, à Bernardo Garbouio intercepta est. Præerat ei arci Pelca Bernardi frater præpositus Curelouiensis, qui inuitatus ad conuiuium à Petrasio Malocha præfecto Lenciciensi & Cuiauiensi, rixa de uenationibus quibusdam cum Nicolao Castellano Lenciciensi excitata, ab eo interfectus est. Sed nec Castellanus quidem fugiens, manus ministrorum Pelcæ euasit. Cognita ergo cæde fratris Bernardus, arcem occupauit: & quo paratior esset ad sustinendam uim & obsidionem, si qua alicunde afferretur, pecudes permultas mactatas in arcem importauit, hominum quantum potuit in societatem adsciuit, & cum his thesaurum Archiepiscopi diripuit. Nec prius arcem Archiepiscopo reddidit, quàm impunitatem facti simul ac direpti thesauri, Domarato præfecto maioris Poloniæ, Petrasio Malocha, & quibusdam alijs proceribus interuenientibus pactus est. Receptam arcem Archiepiscopus Petro & Nicolao fratribus tenendam & administrandam commisit. In sequentem annum 1382. aliquot primorum episcoporum, & regis mors, subsecutique motus nobilem faciunt. Primùm enim pridie Idus Ianuarij Zauissa episcopus Cracouiensis in prædio suo Dobrouoda, seu repentino & uehementi morbo, seu de scala lapsus, cum aceruum fortè ad constuprandam rusticanam puellam ascenderet (uariat enim fama) extinctus est. Cuius funus cum pompa militari à Dobeslao patre, & Creslao fratre Castellano Sendimiriensi elatum esset, ferunt noctu in basilica Cracouiensi, ubi sepultus est, exauditos esse strepitus & hinnitus equorum discursantium, dæmonumque uoces uociferantium: Proficiscamur meretricatum. Et mirum est, sed multorum sermonibus celebratum, hoc ita ferè usu uenire in hac basilica, nō modò post funera nonnullorum clarorum hominum, ut aliqua terriculamenta existant, uerùmetjam ut principum, episcoporum, atque etiam prælatorum, ut ita dicam, & canonicorum propinquæ mortes signis quibusdam prænuncientur. Instituit autem hic episcopus in basilica Cracouiensi collegium quoddam sacerdotum, quos mansionariôs uulgò uocant: alioqui profanis negotijs, & uoluptatibus magis, quàm diuinis rebus addictus. Præfuit Cracouiensi ecclesiæ annis duobus & dimidio. Successit autem ei Ioannes Radlicius, regis medicus & cancellarius Poloniæ, Ludouici regis fauore adiutus. Zauissam post alterū mensem Nicolaus Curnicius Posnaniensis episc. secutus est: carcinomate morbo in genitalibus membris biennio, ac deinde febre

quartana

Triumuiri in Polonia.

Plocensis episcopi iniuria.

Bartholomæi Chotelij latrocinium.

Odalanouia regi quæsita.

An. 1382.

Zauissæ episcopi mors pudenda.

Cracouiensis basilicæ prærogatiua.

quartana & gutturis atque linguæ exulceratione tanta, ut usum sermonis amitteret, afflictus & extinctus: homo garrulus, contentiosus, & amans litium. Et intra paucos dies Ioannes quoque archiepiscopus Gnesnensis decessit: uir dexteritate ingenij, prudentiaque commendatior uulgo dum priuatus uixit, quàm in magistratu præcipiti iracundia, in ecclesiasticos homines dictis ac factis contumeliosus, nec satis acer defensor & uindex suorum. In agnatos plus æquo propensus. Diripuerunt autem ij supellectilem omnem & facultates defuncti. Quin & bona Archiepiscopalia uexauerunt, & Vneouiam uix tandem successori eius Bozentæ, gente Seligio reddidere. Porrò Zemouitus Plocensium dux eam Archiepiscopum defunctum esse uita accepisset, facta manu pagos Archiepiscopales populatus est, Louiciamq; obsedit. Legato autem Gnesnensis collegij Andreæ Ceretensi episcopo, qui uicarius siue à suffragijs erat Archiepiscopo, causas belli sciscitanti, respondit, ad se pertinere, ut bona Archiepiscopi, quæ à maioribus suis profecta essent, obtineret dum cathedra illa uacat. Neque tamen id se postulaturum fuisse, si Louiciam canonicus quispiam, ac non inimicus suus Derslaus Iuenius Castellanus Gnesnensis teneret. Quo responso accepto, maturauit collegium noui Archiepiscopi electionem. Electus est autem Dobrogostius Nouiduorius Iureconsultus, Cantor Gnesnensis, ac Decanus Cracouiensis, gente Nalencius: quo postulante soluit Zemouitus obsidionem. Sed tamen Archiepiscopam Dobrogostius tunc adeptus non est, aduersante ipsi Ludouico rege, quòd eum Zemouito, ut sibi in regno Poloniæ succederet, fauere Domarati præfecti delatione accepisset. Cum autem Dobrogostius præter sententiam regis Romam ad Pontificem Maximum unà cum Nicolao Posnaniensi episcopo designato profectus esset, Taruisij uterque à Venetis, à Ludouico subornatis, captus est ac detentus aliquandiu. Bozenta uerò Seligius, qui regius procurator Cracouiæ fuerat, ab Vrbano sexto Pontifice Maximi, qui Gregorio successit, Archiepiscopus renunciatus est. Posnaniensis uerò episcopus Ioannes, cognomento Cropiglo, Boleslai Oppoliensium ducis Vuladislai fratris filius, adolescens admodum factus est. In utroque perperam Vrbanus Ludouico regi petenti gratificatus est, ut in schismate, quo tunc ecclesia Romana differebatur, fauorem eius sibi adiungeret, siue adeò retineret, & bene merenti gratiam referret. Miserat enim Ludouicus eo postulante Carolum fratris filium cum exercitu in Italiam, ut Ioannam reginam Neapolitanam, cuius studio æmulus Vrbano à Gallis Cardinalibus excitatus erat, Clemens septimus, ulcisceretur. Per idem tempus Ludouicus rex cum languere se ac sensim uiribus destitui sentiret, ut uiuens adhuc res filiarum stabiliret, indixit Polonis comitia sub finem Iulij Zuolenum, siue Zolium, quod oppidum est in Scepusio. Quò cum frequens senatus conuenisset, successores sibi designat in regno Polonorum Mariam filiam natu maiorem cum Sigismundo sponsó eius, Marchione Brandeburgensi, Caroli Imperatoris & regis Bohemorum, ex Elizabetha nepte Gazimiri regis filio, quartumdecimum annum tunc agente. In quorum uerba proceres Poloni iussu Ludouici statim iurarunt. Eundem'ne autem Sigismundum Vngaris & Polonis, an hunc quidem Polonis propter uicinitatem Marchiæ Brandeburgensis, Guilelmum uerò Austriorum ducem Leopoldi filium, cui minorem natu filiam Heduigim uxorem destinarat, Vngaris propter similem causam atque commoditatem regem dare uoluerit, non constat. Soluto conuentu Zoliensi, profectus est Sigismundus in Poloniam cum primoribus, & non contemnenda Vngarorum manu, ad sedandos intestinos motus, & adeundam uiuente adhuc socero possessionem. Veniens autem in maiorem Poloniam, Cosminum arcem & oppidum, itemque Nabysice & Cosminecium castella Bartholomæi Chotelij, quòd is latrocinari non intermitteret, in potestatem suam redegit. Odalanouiam uerò circumsedit. Nam eam Bartholomæus post priorem obsidionem ex pacto non tradiderat. Deinde cum aliò festinaret Sigismundus, nouis pactis cum Bartholomæo initis, in Masouiam cõtendit, ut Zemouitum ducem detrectantem, per uim sacramento adigeret. Nam Ioannes frater eius ultrò iam id fecerat. Itaque uastare ditionem Zemouiti Sigismundus cœpit. Interim Ludouicus rex tertiadecima die Septembris, Tarnauiæ seu Tirnauiæ quò conuentum Vngaris edixerat, uitam finiuit. Mortem eius cometes prænuntiauit. Quo nuntio accepto Sigismundus omisso in præsens Zemouito, Posnaniam se recepit, Ludouici uerò funus Albam regiam, ubi regum Vngarorum ferè sepultura est, solenni pompa elatum est. Regnauit autem Ludouicus apud Polonos quidem duodecim annis, apud Vngaros uerò uno & quadraginta: uixit sex & quinquaginta. Statura fuit mediocri, prominentibus oculis atque labris, capillo, barbaq; crispa, sereno uultu, humeris parum incuruis. Moribus uerò ita temperatis fuit, ut foris bella acriter & excelso animo gereret, domi placabilitate & iustitia pacem coleret: utrobique prudentia & animi moderatione singulari esset: in cõtumaces seuerus, in supplices clemens: maleficio iuxtà ac beneficio superari

Ioannis archiepiscopi mors & mores.

Bozenta archiepiscopus.

Schisma in ecclesia.

Polonorum comitia in Scepusio.

Sigismundi aduentus in Poloniam.

Ludouici effigies et mores.

perari ſe non patiebatur: in doctos uiros fuit propenſior. Nam & ipſe ſtudia bonarum literarum atque artium libenter coluit. Nec ferè quicquam inconſulta aſtrologia ſolitus erat auſpicari. Pietatis atque religionis ita fuit obſeruans, ut non in poſtremis duceret, Iudæos & Cumanos falſorum deorum cultores ad Chriſtianam religionē adducere. Quod in Cumanis quidem aſſecutus eſt. Iudæis autem cum neque minis, neq; pręmijs propoſitis perſuadere poſſet, omnes proſcripſit. Plebis non minorem quàm nobilitatis curam geſsit. Itaq; nonnunquàm diſsimulato habitu uicos & oppida perluſtrauit, ut cognoſceret quid de publicanis & exactoribus, iudicibus & magiſtratibus ſuis, ac de ſe deniq; uulgus hominum aſſentandi neſcium ſentiret, multaq; ex huiuſmodi ſermonibus in ſe, ſuiſque caſtigauit. Hic rex rebelles Vngaris, Bulgaros, Boſnenſes, Serbos, Croatas, Tranſalpinosq; ad officium reduxit: Valachiam cum Bogdano Palatino in clientelam accepit: Dalmatiam Venetis eripuit. In Italia nonnulla bella geſsit, quibus negotijs diſtentus, non potuit tantam, quantam res poſtulabat, curam rebus Polonicis intendere.

Ludouici res geſtæ.

DE ORIGINE ET REBVS GESTIS POLONORVM, LIBER QVARTVSDECIMVS.

INTERREGNVM.

Ruſsia ab Vngaris præfectis Lithuanis prodita. Lucenſium.

DIVVLGATA morte Ludouici regis Vngari, qui Ruſsiæ pleraſque præfecturas, quemadmodum ſuprà memorauimus, ab eo obtinebant, Cremeneciam, Oleſcum, Grodlum, Lopatinum, & Sniatynum arces cum territorijs ſuis Lubarto Lucenſium duci, magna ui auri & argenti ab eo accepta prodidêre. Atque ex eo ferè tempore Lithuani Volynenſem oram ſibi uſurpare cœperunt. Nec tamen eam proditionem impunè tulêre Vngari. Etenim à regina Vngarorum Elizabetha ſempiterna infamia notati, bonisquè mulctati, & partim capitali pœna, partim retro carcere dânati ſunt. At in Polonia, cum Sigiſmūdus Marchio rex iam eſſet deſignatus, nō magna re magna facta eſt uoluntatum commutatio. Poſtularunt ab eo proceres cum frequenti nobilitate, ut Domaratum à præfectura maioris Poloniæ amoueret. Quod cùm negaſſet Sigiſmundus, omnis illa multitudo quę ad eum confluxerat, domos dilapſa eſt. Profectus autem Poſnania Gneſnam uenit: acceptusq; à Bozanta nouo Archiepiſcopo honorificè, ſolennes ibi exequias Ludouico regi peregit. Inde in Cuiauiam diuertit. Ibi denuò maiorum Polonorum legatione de amouendo Domarato ſolicitatus, cum durius & minaciter reſpondiſſet, ſic animos eorum à ſe alienauit, ut mox conuentu apud Miloslauiam habito, legationem mitterēt ad minores Polonos, ut ij conuentum ſecum pariter de ſtatu Reipub. ac de nouo rege apud Radomſcos agere uellent. Obſecundatum eſt. Lecti de proceribus atq; nobilitate minoris Poloniæ conſtituto loco cum maioribus Polonis ad uiceſimam quintā diem Nouembris conuenêre, eoq; inclinabant plurimorum ſententiæ, ut Hedwigim Ludouici natu minorem filiam Zemouito Maſouiorum Varſauienſium duci uxorem cum regno darent. Tuebantur Sigiſmundi partes Bozenta archiepiſcopus, ac Domaratus præfectus maioris Poloniæ. Itaque res ad contentionem & altercationē uenerat. Tandem ita decretū eſt, ut memores pactorum cum Ludouico initorum, & iuſiurandi ſui eſſent, neq; progeniem Ludouici à regno excluderent. Cæterum eum de generis Ludouici regem crearent, qui in Polonia præſens per ſeipſe regnum adminiſtraturus eſſet. Quo quidem uerbo tacitè Sigiſmundus excludebatur. Altera deinde comitia minorum Polonorum Visliciæ ad ſextam diem Decembris habita: quo uiciſsim legati maiorum Polonorum uenerunt. Venit & Sigiſmundus Marchio cum Bozenta Archiepiſcopo ac Domarato præfecto, ne deeſſet cauſæ ſuæ. Aduenerunt autem & à regina Elizabetha oratores, Stephanus Agrienſis, & Ioannes Canadienſis epiſcopi. Atque hi facta dicendi poteſtate, gratias egerunt Polonis, quòd fidem datam Ludouico de filiabus eius ſeruarent: idemquè deinceps etiam ut facere pergerent, hortati ſunt. Deinde poſtularunt, ne ſententiam præcipitarent, neu quem penitùs regem ſibi ſumerent, donec à regina matre de filiabus conſtitutum eſſet, utram in Vngaria, utram in Polonia regnare uellet. Cupidè hæc oratio à conuentu audita eſt, quòd cum decreto Radomſcenſis conuentus, & cum uoluntatibus omnium ferè congruebat. Itaque in eam ſententiam itum eſt, placuitq; alia comitia Siradiam ad uiceſimamſextā diem

Miloslauia.

Comitia Visliciæ.

Februarij

Februarij sequentis anni indici, & ibi certum à Regina responsum expectari, nec quicquam deprecante Sigismundo: qui utrumque fortasse Regnum obtinere cupiebat. Offenderat autem is Polonorum animos, tum propter Domaratum, tum quòd eijci Polonos cùm cibum sumpturus esset, patiebatur: & quod sacerdocium quoddam in Polonia, repudiatis procerum precibus, Bohemo contulerat. Quocirca repulsam passus, Vislicia discedens, Cracouiam diuertere uoluit. Sed cum Dobeslaus Curosuancius Castellanus Cracouiensis non intromisit, ueritus ne eam uel dolo, uel ui accitis mox ex Vngaria militibus in potestatem suam redigeret, indeq; promissis, & largitionibus proceres, & nobilitatem corrumperet, & sibi adiungeret. Ita acceptus à Polonis, in Vngariam rediit. Sumptus tamen ei de publico suppeditati sunt, quoad per Poloniam iter fecit. Vbi in Vngariam uenit, reperit Mariam spõsam suam ab Vngaris iam, non Reginam, sed Regem renunciatam, & coronatam. Sed ibi quoque maiores etiam motus cum excepêre, alienata ab eo socrus uoluntate, siue ut ipsa cum filia arbitratu suo regnaret, seu qua alia iustiore de causa. Quæ res ipsum quidem & sponsam eius in extremum periculum adduxit, socrui uerò exitio fuit. Etenim cùm mulieres arbitratu Nicolai Garæ Palatini regnarent, eumq; & necessarios eius, cæteris neglectis, ornarent, ac de alio Rege è Gallijs accersendo clàm consilio caperent, moti indignitate rei plerique proceres, Carolum Neapolitanum Regem, Ludouici defuncti Regis fratris filium ex Italia euocarunt. Cuius aduentu cognito Mariam ferunt cum Sigismundo nuptias accelerasse: excessisse tamen Sigismundum ex Vngaria in Bohemiam, metuentem Vngarorum insidias, quemadmodum scribit Bõfinius. Carolus uerò partim dolis, partim aperta ui Regnũ adeptus, haud multò pòst Reginæ senioris opera interfectus est. Quo facinore perpetrato, mulieres securæ omnium ad inferiores partes Regni, & uersùs Croatiam iter fecêre. Ibi Ioannes Horuatus præfectus Croatiæ, quem illi Banum uocant, Caroli, cui ipse studuerat, mortem ulturus, impetum in reginas fecit: trucidatisq; palatino & Blasio Farcasio Caroli interfectore, ac cæteris dissipatis, Elizabetham quidem in profluentem demergi iussit, Mariam uerò aliquandiu asseruauit. Ad extremum Sigismundo Budam uenienti, & bellum contra se comparanti, eam remisit. Ita demùm eodem anno, quo Iagello apud Polonos, Sigismundus apud Vngaros regnare cœpit. Hæc de Vngaricarum rerum eius temporis statu paulò prolixiùs hìc persequi libuit, quò planior historia nobis decurrat. Ad quam iam reuertimur. Iniecta erat nonnulla spes Regni Polonici Zemouito Masauiorum Duci, quam Bartholomæus Chotelius siue Odalanouius homo audax, & factiosus auxit, cùm ad eum uenisset, operamq; suam, & fidem ei pollicitus esset. Visum est autem, faciliùs eum uoti compotem fore, si quas munitiones Poloniæ in potestatem suam redegisset: itaque ad eam rem profectus Bartholomæus acceptis ab eo copijs, Calissiam arcem noctu intercipere conatus est. Et iam quispiam de militibus eius portam arcis terebra perforauerat, immissaq; serra, capax hominis foramen faciebat: & alij murum ascendere nitebantur, cùm exauditus est à uicino pistore strepitus, excitiq; uigiles, saxis, alijsq; telis fortuitu oblatis hostem ad irruptionem intentum supernè simul, & ex equo cominùs repulerunt. Inde reiectus Bartholomæus munitionem suam Cosminecium non ita pridem à Sigismundo Marchione captam, recepit. Chotecianı item præsidio communiuit, & Prosna amne transmisso Cosminum contendit. Verùm illinc à præsidio Domarati Præfecti repulsus, Parscum Michaëlis Thomassij munitionem octo diebus obsedit: eoq́ue dominum loci adegit, ut is deserto Domarato in partes suas transiret. Maiora autem in dies incrementa factio Bartholomæi capiebat, odio Domarati, quod ille (uerisne criminibus, an inuidia hominum, nescio) tantũ sibi uulgo conflârat, ut publico decreto nobilitas pleraque omnis parêre ei detrectaret. Quin cùm is satisfacere in Vislicienſibus comitijs, minoribus Polonis arbitris, uellet, responsum est: Non aliter satisfacturum esse, nisi si magistratu abierit. Auxit uerò maiorem in modum odium eius fama (uerâne, an falsa, incertum est) quòd in Saxonibus, Bohemis, & Cassubijs copias comparare diceretur, quibus aduersariorum contumaciam reprimeret, & uinculis, contumelijs, bonorum direptionibus, & alijs malis eos coërceret. Quæ consilia eius ut præuerteret nobilitas, authore ac Duce Vincentio de Cempa Palatino Posnaniensi arma sumpsit, Bartholomæumq; cum Masouijs adiutoribus sibi adiunxit. Primumq; medio Ianuario ad Pysdros itum, & oppidum post tertium diem in deditionem acceptum est. Arx deinde post triduum dedita, saluis dimissis, qui in præsidio eius fuerant, cum equis, armis, & facultatibus. Inde ad Calissiam castra mota sunt. Sendiuoius uerò Suduua Castellanus Naclensis cum parte copiarum Posnaniam missus, ut esset præsidio illi oppido, ne quid hostile à Domarati præsidio, quod in arce cum Predipelco Staffeuio Medireceñsi Castellano erat, pateretur. Miserant enim ij simul & alij quidã oppidani publicè legationem ad Vin-

Sigismundi offensa apud Polonos.
Sigismundus exclusus Cracouia.
Maria regio diademate coronata ab Vngaris.
Sigismundus ingratus socru.
Nicolaus Gara Palatinus Vng.
Carolus ab Vngaris ad regnũ euocatur.
Sigismundus excepit Vngaria.
Carol. rex Neap. & Vngar. interfectus.
Horuatus Banus Croatiæ.
Elizabethæ reginæ mors.
Maria in custodia asseruata.
Sigismundus quãdo adeptus regnum apud Vngaros.
Zemouitus Masouius ad regnũ aspirat.
Bartholomæi Chotelij conatus.
Calissia tenta ta.
Domarati odium.
Bellum ciuile Polonorum.
Vincẽtius Cempius palatinus Posnaniensis.

centium palatinum, quod in potestate eius futuri essent, si contra uim Domarati defenderentur. Aduenienti aute n Calisiam Vincentio, oppidani portas oppidi aperuere. Arx à Domarati præsidio, cui Ioannes Lencofsinius Lenciciensis Castellanus præerat, tenebatur. Nam ipse Domaratus in Saxonas, Cassubios, & Pomeranos, exercitus comparandi causa, profectus erat. Obsessa est igitur arx Calisiensis, cùm esset expugnatu difficilis, excursionesq; factæ in agros, & pagos aduersariorum. Dum autem obsidetur, aduenit Conradus Olesnicensium dux cum expedita manu, à Derslao Iuenio Castellano Gnesnensi Domarati fratre in auxilium euocatus. Verùm ubi uidit aditum arcis à Vincentio interseptum esse, retulit pedem, & grauiter obiurgatus à Vincentio, domum redijt. Cæterùm apud Posnaniam remissiùs cuncta fiebant. Nam Suiduua domum modò quandam in oppido è regione arcis castelli loco munierat, ad prohibendas hostium in oppidum eruptiones. Exteriore uerò porta, quæ in agrum uergit, ij qui in arce erant, liberioribus excursionibus aduersariorum, & Ecclesiastica bona depopulabantur. Porrò Suiduuæ minùs liberæ erant, magisq; damnosæ excursiones. Nec alibi res quietiores fuêre à factione Domarati: quæ Naclum, Labissinum, Pacossium, Medireciam, Sbansinum, Medichodiam, Velenum, & Keplouiam arces atque castella obtinebat, & ex his uiciniam omnem armis infestabat. Erant autem in partibus Domarati insigniores Grimala Olesnicius Costrinensis, Andreas Suiradouius Camenensis, Castellani, Virbenta Smoguletius, Theodoricus Margoninius, propinqui & necessarij eius, præter eos, quos paulo antè commemorauimus. Fuitq; miserabilis tunc facies maioris Poloniæ, cùm nullus penè locus, nulla cuiusquam possessio, nemo neque uir, neque fœmina extra munitiones, & præsidia utriusque partis uexationum, direptionum, & aliorum malorum, quæ bellum secum trahit, exors esset. Nam quicunque ab alteris steterit, alterorum iniuriæ erat obnoxius. Ac ne mercatores quidem, & insontes agricolæ expertes illarum calamitatum erant. Ad hæc pestis popularis eo ipso anno Poloniam, sicut multas alias regiones infestauit. Aduenit deinde Domaratus cum externo milite, bellum illatum depulsurus: metatusq; castra in Piotricouice Suiduuæ prædio, Vuoroncos, & Samotulios oppida diripuit. Quæ cum Suiduua ab exploratoribus didicisset, Bartholomæum, & Sremensem Castellanum cum suis copijs clàm acciuit, noctuq; cum his ad Domarati castra contendit. Præmonitus quidem erat de aduentu Suiduuæ Domaratus. Verùm de Bartholomæo, & Sremensi Castellano nihil suspicatus, contempto Suiduua, quem paruam manum habere nouerat, quiescere suos iusserat. Illucescente uerò die quintadecima Februarij hostes, ab his, qui in statione fuerant, magna celeritate adesse nunciantur. Trepidatur totis castris, nec satis spacij ad expedienda arma, frenandosq; equos fuit. Neque uerò castra munita erant. Itaque Domaratus cum ijs, quos primùm ad manum habere poterat, obuiam hosti progressus, non instructis ordinibus manus cum eo conserit. Et paruo negocio dissipatis suis, in fugam actus est. Fugientes Suiduua longo est spacio persecutus. Forte Virbenta Smoguletius trans Vartam amnem cum centum hastatis equitibus, & quingentis peditibus erat. Is igitur de aduentu hostium ad oppugnanda castra Domarati noctu certior factus, in auxilium Domarati ueniebat. Cùm autem comperisset Domaratum profligatum esse, nihil ea clade suorum deterritus, concito gradu aduersùs hostes tetendit, palantesq; per agros, dum fugientibus instant, nactus, magnā in eis stragem edidit. Interim Suiduua cum paucis expeditioribus longiùs Domaratum persecutus, uictor captiuis, spolijsq; onustus reuertebatur. Cognitoq; statu suorum perturbato, nihilominùs contra nouum hostem ire pergit. Sed conspecta cominùs multitudine consternatus, prospicere sibi quemque iubet. Ipse in Ostrorogum castellum Derslai Grocholg, Castellani Santocensis concitato equo profugit, & uix persequentium se Virbentæ ac Domarati, qui iam sese ex fuga recollegerat, manus euasit. Magna utrinq; strages hominum, uariante fortuna fuit. Ostrorogum deinde Domaratus acriter usque ad uesperum oppugnauit: sed cùm nouas hostium copias in auxilium Suiduuæ aduentare falsò accepisset, soluit postero die obsidionem, & in Obornicos oppidum copias suas deduxit: indeq; quicquid loci inter Posnaniam, Bucum, Vuroncos oppida, & Vartam fluuium interiacet, infestauit. Instabat iam tempus præstitutum comitijs. Quapropter Elizabetha regina, ut in Vislicienfibus comitijs anni superioris conuenerat, flagitantibus Polonis proceribus, ac pericula ciuilis belli denunciantibus, Vesprimiensem Episcopum cum alijs duobus proceribus Vngaris misit Siradiam, qui Polonos de uoluntate sua certiores facerent. Hi reginæ mandato proceres atque nobilitatem iurisiurandi Religione, quò se Mariæ natu maiori Ludouici filiæ, & Sigismundo sponso eius obstrinxerant, primùm soluerunt: deinde postularunt, ut Regnum ad Heduigim natu minorem decreto comitiorum deferretur, sed ut ea tamen, ubi ad proximum Pascha in Poloniam deducta atq; coronata

Cōradus Olesnicensiū dux.

Pestis.

Vuronci, & Samotuli oppida.

Chocelium.

Domaratus profligatus à Suiduua.

Suiduua uictus & fugatus à Smoguletio.

Ostrorogum castellum.

Oborniki oppidum.

Bucum.

Comitia Siradiæ.

Oratores Vngari ad comitia.

Poloni soluti religione iurisiurandi Mariæ & Sigismundo dati.

coronata esset, triennio deinceps propter teneram & immaturam Regno, uiro cum ætatem in Vngaria apud matrem educaretur. Re in consultationem posita, uariæ dictæ sunt sententiæ: & aberat non contemnenda pars Senatus atque nobilitatis ex maiore Polonia, ciuili bello distenta. Itaque placuit comitia ad uicesimam octauam diem Martij prorogari, & interim per legatos totius conuentus nomine de pace inter dissidentes agi. Lecti ad eam rem Spitco Melstinius Cracouiensis, Sendiuoius Subinius Calisiensis palatini, Nicolaus Bogoria Zauichostensis Castellanus, & Creslaus Sciucouius, uiri graues & prudentes cum literis Elizabethæ reginæ ad eam rem conscriptis. Qui cùm ad Calisiam accessissent, imperarunt præfecto arcis Ioanni Lencosinio, ut sibi arcem traderet: nec ille renuit. Quanquam non constat hic sibi Dlugossus. Nam aliquanto inferius post constitutas inducias, obsessam tamen esse nihilominus Calisiã à factione Bartholomæi, quæ eadẽ Vincentij palatini Posnaniensis fuit, memorat, nisi forte paruit legationi Vincẽtius, non paruit autem Bartholomæus. Peruicit autem Vincentius, ut ea Ioannis Calisien. Castellani fidei committeretur. Inde reuersi Cracouiensis & Calisiensis palatini, in Vngariam ad Reginam profecti sunt: sed qua de causa non proditur. Reliqui uerò duo legati Posnaniam profecti, aduocatis dissidij capitibus, & Radimi tantùm amnis interlapsu diremptis, inducias usque ad octauum Cal. Iulij, qui diui Ioannis Baptistæ natalis est, inter eos confecerunt, ea lege, ut arces Domaratus in potestate sua retineret. Frequentes deinde proceres atque equites Siradiam ad constitutam diem conuenêre, & omnium penè sententiæ in Zemouitum Masouiorum Ducem inclinatæ erant, ut ei cum Heduigis Ludouici Regis filiæ coniugio Regnum mandarent. Aduenerat etiam Vuladislaus Dux Oppoliensium, cum quo Zemouiti soror nupta erat, non sine spe aliqua [illegible] di Regni, propterea quòd propinquitate Cazimirum Regem attingeret. Is igitur Zemouiti fautoribus obnixè refragabatur: sed parùm abfuit, quin ab eis caperetur, ni primorũ Senatorum authoritas interuenisset. Fauebat & Bozenta Archiepiscopus Zemouito. Atq; ei roganti, placeretne Regnum Zemouito mandari? magna acclamatione uniuersus conuentus assentiebatur. Sed unus homo oratione sua mox omnium uoluntates conuertit. Iascus is fuit, siue Ioannes Tencinius Voiniciensis Castellanus, Andreæ, qui fuit palatinus Cracouiensis, filius: qui impetrato silentio, in hanc sententiam uerba fecisse dicitur: Non equidem consensum istum & iudicia uestra repræhendo, proceres, nec à Zemouito alieno sum animo: sed uidete ne quam infamiæ labem nomini nostro Polono aspergamus. Ego si integra ea nobis res esset, liberaq; prorsus suffragia, tamen de re tanta consultantibus, amplius deliberandum esse censerẽt. Periculosa est enim in re quálibet inconsulta festinatio: & præceps consilium ferè pœnitentia sequitur. Nunc uerò cùm mortui Regis Ludouici filiæ fidem nostram obstrinxerimus, perpendite cum animis uestris diligentiùs, an ea præterita rectè nobis Regem creare possimus. Equidem fallendi iurisiurandi nunquam uobis author ero. Quòd si quisquam est in hoc cœtu, qui Religionem illam iurisiurandi, sanctissimum societatis humanæ uinculum, parui pendat, ab hoc mihi liberè dissentire liceat. Neque enim ego ita sum institutus, ut aut homines fidem meam secutos mentiendo, aut Deum mentium inspectorẽ, quem uolens, sciensq; iurisiurandi testem adhibui, peierando fallam. A uobis quoque patres, & à genere nostro talem mentem, seu uerius amentiam, Deus ut auertat, precor. Quid igitur faciemus? dicet aliquis. Ergóne Rege orbi, mutuis cædibus & intestinis bellis peribimus? Procul hoc omen Deus auferat. Quid ergo? Dicam quod sentio. Differri ego hanc de creando nouo Rege consultationem adhuc censeo. Adsunt hîc Oratores senioris Reginæ: quæ mandata siue adeò postulata ad nos attulerint, non ignoratis. His igitur ita respondendum esse iudico. Non mutare uos id quod semel cum Ludouico Rege uestro iurciurando dato constituistis. Liberatos autem à Sigismundi Marchionis fide, libenter in Heduigi minore natu filia Ludouici fidem seruaturos esse. Sed quòd Polonia tamdiu Rege orba in maximo uersetur discrimine, petere uos etiã atq; etiam à regina seniorẽ, ut Heduigim filiã primo quoq; tempore ad uos mittat, diadema ritu solenni suscepturã, & nupturam uiro sibi, nobisq; grato, & cum eo Regno administraturam. Quòd nisi illa ad proximè uenturam Pentecostẽ desiderio uestro satisfecerit, tum demùm testati, non per nos stare, quò minus pacta conuenta cum Ludouico seruentur, siue Zemouitum, siue quem alium uidebitur, Regem creabimus. Neque enim eousque cunctantem, ne dicam ludificantem nos reginam expectare debemus, dum funditus interimus. Cunctis sententia Ioannis placuit. Igitur in eam itum, ac decretum factum est. In quo illud adiectum est, ut Heduigis adueniens, si regina esse uellet, reciperet se de consilio Polonorum nupturam, & in Polonia cum uiro mansuram, & in summo studio annixuram esse, ut Velunensem, Dobrinensemq; tractum, & in Russia quicquid Poloniæ detractum esset, recuperaret.

Comitia prorogantur.

Minorum Polonorum legatio ad maiores.

Poloni Oratores ad reginã.

Siradiensia comitia.

Vuladislaus dux [illegible] regnũ affectat.

Ioannis Tencinij oratio.

Comitiorum decretum.

Et cùm hoc responso oratores Vngari dimissi sunt, solutusq; conuentus. Instante autem Pentecoste, frequentes proceres atque equites Sandeciam, quo Heduigim reginam designatam uenturam esse sperabant, honoris illius causa profecti sunt: sed illa ad constitutum tempus non uenit. Cæterùm palatinus Calissiensis cum mandatis Elizabethæ ueniens, moram eius excusauit, quòd diceret, eam cupientem ipsorum uotis satisfacere, Cassouiam usque peruenisse, inde porrò commodè progredi non potuisse, imbrium ui, & inundatione aquarum prohibitam. In hoc tamen eam esse, ut periculo se commissura sit potiùs, quàm Polonorum uoluntates offendat. Orare autem, quod sine incommodo ipsorum fiat, ut ipsi Cassouiam ad se ueniant, & meliùs atq; certiùs præsentes cum præsente omnibus de rebus constituant. Efficax fuit oratio palatini: quocirca cætera multitudine domos reuersa, primores de Senatu, nempe Boleslaus Curosuancius Castellanus, Spitco Melstinius palatinus Cracouiensis, Iascus Tarnouius Sendomiriensis, Vincentius Campius Posnaniensis, Sendiuoius Subinius Calissiensis palatini, ac Domaratus Castellanus Posnaniensis, & præfectus maioris Poloniæ, Cassouiam profecti sunt. Ibi antiquato quadantenus decreto comitiorũ Siradiensium, noua pacta cum regina inita sunt: nimirum ut ad tertium Idus Nouembr. quæ dies diui Martini Episcopi memoriæ sacra est, Heduigis in Poloniam ueniret, ac de sententia amplissimi consilij matrimonium iniret. Quod si ea deinde nullis liberis relictis decederet, ut Maria soror cum sua posteritate ipsi in Regno Polonorum hæres esset, uicissimq; idem ius esset Heduigi secundùm Mariæ mortem in Vngaria. Ita sempiternum fœdus inter Vngaros, & Polonos sancitum.

Poloni primores Cassouiam profecti.

Interim Zemouitus dux ex actis Siradiensium comitiorum, & non obscuris plurimorum procerum studijs in magnam spem adipiscendi Regni, & coniugij Heduigis erectus, cum quingentis suis equitibus Archiepiscopo ac Bartholomæo Cosminio comitantibus Cracouiam contendit, eo consilio, ut Heduigim ex Vngaria uenientem, si potiri coniugio eius aliter non posset, ui raperet. Nec eius aduentus in tam insigni comitatu latére Cracouienses potuit. Quapropter in urbem intromissus non est, uetitis ciuibus ne per uim eam occuparet: sed in ædibus præpositi diui Floriani, quas Bozenta Archiepiscopus, cùm adhuc esset præpositus eius templi, ædificarat, diuertit: nec ibi diu persistit. Nam cùm suspectum se esse Cracouiensibus intelligeret, ueritus ne quam in se eruptio ex urbe fieret, postridie Corcinum, quæ etiam Noua ciuitas appellatur, se recepit. Atque ibi quindecim dies Heduigis aduentum, ac deinde Cassouiensis conuentus exitum præstolatus, in maiorem Poloniam præproperè abijt, ut maiorũ Polonorum studia propensiora in se, quàm minorum retineret, augeretq;. Spitconi uerò Melstinio maximè infensus, quòd aduersari eum sibi accepisset, oppidũ eius Xianzum incendit. Creditum est autem aduentum Heduigis propter insidias Zemouiti euitandas tamdiu prorogatũ fuisse. Ille uerò postea quàm animaduertit, nihil se dolis proficere, ad apertam uim conuersus est: missoq; Abrahamo palatino Plocensi, & Creslao Dobeslai Crusuiciensis Castellani filio, cum expeditis copijs, plerasq; omnes Cuiauiæ munitiones in suam redegit potestatem, Petrassio Malocha præfecto, & Castellano Brestensi, qui Crusuiciæ præerat, cuius nomen non memoratur, fauentibus. Et quanquam ijs propter non obscura studia in Zemouitum Suborius Moscicius successor datus erat ab Elizabetha, serò tamen is ex Vngaria uenit, occupatis iam à Zemouiti exercitu arcibus: à Brestensibus modò oppidanis crudelitatem Zemouiti formidantibus receptus est: sed non multò pòst excedere oppido coactus, cùm à Masouijs circumsessus esset. Accepto per deditionẽ oppido, multi oppidani in carcerem coniecti, & bonis mulctati. Lencicia quoq; per eundem Petrassium præfectum in Zemouiti potestatem uenit. Igitur accessione Cuiauiæ & Lenciciæ auctus animo, uiribusq; Zemouitus apertè iam regnum sibi uendicare: indictisq; uniuersæ Poloniæ comitijs, Siradiam ad quintamdecimam diem Iunij cædes, & incendia comminari his, qui dicto audientes non essent. Aduenêre Nicolaus Vuladislauiensis, & Sboriius Plocensis Episcopi, & Bozenta Archiepiscopus cum aliquanta maiorum Polonorum caterua. Ibi Zemouitus ab Archiepiscopo rex renunciatur, acclamantibus, qui aderant ex equestri ordine: coronabatur etiam, ni quidam graues uiri dissuasissent. Conuentu soluto, Zemouitus Calissiam cũ exercitu cõtendit, arcemq; cum oppido obsedit. Ibi se cum eo coniunxit Conradus dux Olesnicensium cum trecentis hastatis adueniens, Odalanouiam mercedis loco, concedente Bartholomæo sibi pactus. Quin ipsi quoq; maiores Poloni per idem tempus rursus nouis motibus agitabantur. Nam Costrinensis, & Camenensis Castellani, & Virbenta Smolugetius facta manu Znenã Archiepiscopi oppidũ natura loci munitum capere conati sunt: sed oppidanis petentibus dierũ aliquot inducias, dum Archiepiscopũ dominum suum ea de re consulerent, concessere. Atq; interim Gembice oppidũ, quod in Zemouiti partibus erat, diripuere. Bedenitius uerò Radecius e-

Zemouitus dux Cracouiã non intromissus.

Spitco Melstinius.

Cuiauiam Zemouitus redegit in suam potestatem.

Lencicia Zemouito dedita.

Calissia obsessa à Zemouito.

Poloniæ maioris motus.

Gembice direptum.

eius eiusdem factionis homo Camenum oppidum, & arcem Archiepiscopi per deditionem accepit, cùm Archiepiscopum à regina proscriptum, solum uertisse affirmaret. Porrò Archiepiscopus numeratis quadragintaquinque marcis latorum grossorum, donatisque insuper decimis Palucensibus, Znenam liberauit. Quo facto eius irritati Abraham palatinus Plocensis, & Slaueccius uexillifer Masouiæ, qui Cuiauiam cum præsidio tenebant, Queciffouium oppidum eiusdem Archiepiscopi cum circumiacentibus pagis depopulati sunt. Et iustè fortasis hæc mala tunc in Archiepiscopū ingruerunt, quod & cathedram illā, excluso alio, qui ritè electus erat, interuerterat, & pactorū, decretorumque comitialiū immemor, priuato consilio ad Zemouitū defecerat. Neque hic tamen malorū finis ei fuit. Nā Domaratus Castellanus Posnaniensis, qui iam præfectus maioris Poloniæ esse desierat, successore accepto Peregrino Vēglesinio, Floriani Episcopi Cracouiēsis fratris filio, ex Vngaria reuersus, cum socero suo Alberto palatino Cuiauiensi, Grimala, & Virbenta gentilibus Znenam ad eum uenit: callidoque cōmento persuasit, ut Grimalæ, & Virbentæ Znenam ad tempus obtinendam concederet, quod eum ab Elizabetha regina, & Sigismundo genero eius hostem publicum iudicatum esse diceret, missosque ab his ad summum Pontificem, qui amoueri eum ab Archiepiscopa peterent, quod cum Zemouito sentiens perduellis, & iurisiurandi sui, fœderumque publicorum præuaricator esset. Pactus est tamen ab eis Bozenta Archiepiscopus, ut nihil hostile cuiquam facerent, neque ullam postea impendiorū rationem ducerent. Per idem tempus Glogouiensium duces Henricus, & frater eius rati commodam se nactos esse occasionem recuperandæ Vuschouæ in interregno, dum maior Polonia ciuilibus bellis ardet, sumptis armis oppidum id ui capere adorti sunt: sed reiecti turpiter ab oppidanis, territorium omne populabundi peruagati sunt. Hos igitur ut reprimeret Peregrinus præfectus maioris Poloniæ, simulque ut Calisiæ obsessæ opem ferret, delectum habere instituit: sed paucis conuenientibus, & nomina dantibus, nullum operæprecium fecit, bona tantùm Ecclesiæ Posnaniensis, & Lubinensis monasterij depopulatus est: ad hæc Thomislaum Vissotam cū fratre, quod Poneciam Conrado Olesnicensium duci dedidissent, cœpit, & in uincula coniecit. Deinde ad Poneciam profectus, arcem incensam à Silesijs præsidiarijs, aduentum eius non ferentibus, instaurauit, non sine pressura & calamitate agrestium adscriptitiorū Posnaniensis ecclesiæ, qui circum Crobiam atque Dolscum sunt. Alterum deinde delectum apud Vincesium Episcopi Posnaniensis pagum agere instituit. Ad quem frequentiores equites conueniebant. Sed eum Bartholomæus Cosminius disturbauit, cùm ex inopinato impetum in eos fecisset, oppressosque armis & equis exuisset, ac nonnullos captiuos abduxisset. Hęc cùm ad minores Polonos, apud quos quieta erant omnia, & in Vngariam perferrentur, minores quidem Poloni fratrum uicem doluêre, & indictis Cracouiam ad octauum Cal. Augusti, qui dies diui Iacobi Apostoli memoriæ dicatus est, comitijs, exoratisque Zemouito duce, & Bozenta Archiepiscopo, ut ad ea comitia uenirent, de pace totius Poloniæ, & concordia ordinum cum eis diligenter egêre. Vix tandem inducias bimestres confecêre. Tametsi perstitit nihilominùs in obsidione Calisiæ Bartholomæus, magnisque incommodis circumiacentes pagos & oppida, contemptis inducijs, affecit, donec à Zemouito ueniente abscedere & quiescere iussus est. In Cuiauia quoque præfecti, & legati Zemouiti aduersariorum bona nihilo seciùs uexabant. Porrò Elizabetha regina Zemouito indignata, Sigismundum Marchionem generum suum atque Demetrium Strigoniensem Archiepiscopum cum duodecim millibus armatorū in Poloniam misit, ad coercendum Zemouitum & factionem eius, pacandamque maiorem Poloniam. Transmisso autem Sigismūdus Carpatho monte, apud Sandeciam statiua habuit. Quo cùm proceres Cracouienses & Sendomirienses, siue ultrò, siue euocati ad eum conuenissent, disceptatum est, an Zemouito bellum inferri fas esset, quod alij negarent uiolandas esse inducias, alij contrà iam ab ipso priore uiolatas esse contenderent. Vicitque hęc posterior sententia. Quapropter sumpsêre & ipsi cum Vngaris contra turbatorē publicæ pacis arma. Per Radomiensem igitur oram pacato agmine in Masouiam pariter Poloni, & Vngari duce Sigismundo ingressi sunt, & Zemouito nusquam faciente pugnandi copiam, ditionem eius omnem acerbè igni, ferroque uastârunt. Cęterùm Ioannis fratris eius ditione abstinuêre, propterea quòd is quiescebat, nec temerabat pacta cum Ludouico publicè de Regno inita. Per idē tempus Peregrinus Vēglesinius præfectus maioris Poloniæ, fiducia propinqui exercitus suarū partium erectus, facta aliquāta manu cū Vincentio palatino Posnaniensi, Derslao, Ostrorogo Santocēsi, Sendiuoio Suiduua Naclēsi Castellanis, Arnoldo Valdouio, & nonnullis alijs, ad Gnesnā castra posuit, quòd Archiepiscopus cū Zemouito sentire uideretur. Sed repulsi ab oppido, in agrestes, & suburbana sęuierūt, raptaque pręda Gnesnā profecti domos Archiepiscopi, & sacerdotū diripuêre: Naclense territorium

Camenum interceptum.

Archiepiscopi iusta pœna.

Vuschouiense territoriū uastatum.

Comitia Cracouiæ.

Induciæ.

Cosminius turbator.

Masouia uastatur.

Polonia turbatissima.

ritorium, quod à Domarati factione tenebatur, uastauêre. Domaratiani autem uicissim, cùm præter Lecnum oppidum prædas agerent, oppidanos ad excutiendam prædam effusos persecuti, oppidum id cœpêre, & incendêre. Porrò Drogrosius Chrobrius præfectus Siradiensis Volboriam arcem Episcopi Vuladislauiensis, conniuente Henrico canonico Vuladislauiensi, qui tunc ei post mortem Sbiluti episcopi præerat, intercepit, oppidanosq; & agrestes finitimos uexauit, ratus his malis eò se adacturum esse collegium Vuladislauiense, ut fratri suo Nicolao episcopatum mandaret. Sed eum spes fefellit. Nam Troiano præposito Posnaniensi, & canonico Vuladislauiensi is mandatus est. Tametsi Vrbanus sextus Pontifex max. relecta ea electione, Ioannem Cropidlonem Oppoliensis Ducis filium, de Posnaniensi episcopatu translatum Vuladislauiensem fecit. Cæterùm Sigismundus peruastata Masouia, in Cuiauiam duxit exercitum, & Breste undecim diebus obsedit. Induciæ deinde semestres cum Zemouito usq; ad Pascha factæ interuentu Vuladislai Oppoliensium Ducis: à quo Domaratus, cùm studium suum, operamq; Sigismundo probare uellet, cum Saxonibus, & Pomeranis mercenarijs è Cuiauia prædas agens, apud Inouuladislauiam non leue detrimentum acceperat, quod per ditionem eius ipso inuito Cuiauiam infestasset. Interfuit autem illis pactis etiam Archiepiscopus, & cùm è Sigismundo cognouisset, sed falsis terroribus à Domarato circumuentum esse, ut Znenam necessariorum, & gentilium eius fidei cõmitteret, discedente Sigismundo, poposcit eos, ut eã sibi redderẽt. Negantibus autem illis, & impendiorum solutionẽ contra pacta cõuenta reposcentibus, cõstituta re clàm cũ magistro ciuiũ & primoribus oppidanis aduenïens, receptus est in oppidũ: & eiectis ui Saxonibus Pomeranisq; præsidiarijs, Iarandum decanũ Gnesnensem oppido præfecit. Dum hæc ita geruntur, turbaturq; in Polonia, Lithuani occasionem bene gerendæ rei nacti, Iagellone Olgerdi filio Duce Masouiam inuasêre, Drohicinum arcem, quam Ioannes dux Masouiorum Keistuto Duci socero suo, ciuili bello occupato, non ita multò ante unà cum Melnico, Camenecia, & Surasso interuerterat, obsidione uallauêre. Fortè tunc aberat præfectus arcis Sassinus magister curiæ, siue (ut uulgò dicunt) Marschalcus ducis. Hic igitur ubi de periculo arcis, in qua nihil ipse præsidij reliquerat, accepit, cũ subitaria triginta hastatorum & sexaginta balistariorum manu accurrens, & facto cuneo per medios hostes in arcem perrumpens, receptus est à suis. Qua eius audacia barbari despe potiundæ arcis deiecti, abire parabant. Interim Rusi quidam, à quibus ora illa ferè habitatur, proditionem cum eis pacti, arcem incenderunt, & per funes in stationes hostium sese demiserunt. Lithuani arcem flagrantem summa ui oppugnârunt, ne quod spacium nostris restinguendi incendij darent. Ita plurimi mortales partim hausti incendio, partim hostilibus telis necati sunt. Præfectus uerò cum paucis reliquis omni ope desperata, uiuus in potestatẽ hostium uenit. Turbauerat Polonorum mentes Elizabetha regina, quòd Heduigim filiam ad constitutum tempus ipsis non mittebat. Itaq; frustrà expectato Nouembri atq; Decembri mense, post initium noui anni 1384 Sendiuoius Subinius palatinus Calisiensis, & præfectus Cracouiensis, de sententia Episcopi, & aliorum procerum Cracouiensis conuentus, cum nobilissimorũ quorumq; adolescentum comitatu ad Elizabetham, Iaderam usq; Dalmatiæ profectus est. Statum rerum Polonicarum, & postulata procerum diligẽter exposuit, minasq; precibus adiecit. Petebat autem ab ea, ut quamprimũ Heduigim ad breue tempus in Poloniam mitteret, coronatam mox ipsi remissum iri pollicebatur, ut cùm ipsa esset donec adolesceret: obsidesq; ad eam rem nobilium filios, quos secũ adduxerat, dabat. Nectere moras Elizabetha, & aliam ex alia excusatione quærere, ambiguisq; responsis Sendiuoium ducere. Quibus rebus exacerbatus ille, iram non obscurè præ se ferre, uelleq; discedere. Quod ubi regina animaduertit, uerita ne is, in cuius potestate erat Cracouia, reuersus turbas cieret, laicum siue Ioãnnẽ Tarnouium Castellanũ Sendomiriensem ad occupandam arcem Cracouiensem misit: Sendiuoium autẽ discedere uetuit. Non latebat Sendiuoium reginæ cõsilium. Itaq; unũ de comitibus fidelẽ curriculo mittit Cracouiam, qui Tarnouij aduẽtum anteuerteret, curaretq; ne arx ipsi dederetur, etiamsi ipse extrema pateretur. Ipse uerò clàm sese Iadera euoluens, ferè intra uigintiquatuor horas sexaginta milliaria benè longa, ut sunt Vngarica, crebrò mutando equos, emensus, Cracouiam lassus peruenit, & proceres de omnibus rebus certiores facit. Indixerant Lelouiam comitia minores Poloni ad secundã diem Martij: sed aduenïente Sendiuoio, Radomscos ea transtulêre, ut maiores quoq; Poloni ad ea, propinquitate loci inuitati uenirent, & in commune de Repub. consuleretur: & frequentes ij conuenêre, cùm de legatione & reditu Sendiuoij cognouissent. Vbi cùm multa de superbia & frustratione Elizabethæ, de sedandis intestinis dissidijs, ac de nouo Rege creando, tractata essent, neq; tamen creatio noui Regis malorũ finem allatura esse uideretur, propterea quod neq; solus pacẽ ob uiolata pacta

cum

Lecnum oppidū incensum.

Lithuani Masouiam populantur.

Drohicinum incensum.

An. 1384.

Reginæ consilia.

Subinij celeritas.

Comitia Radomiensia.

Senatusconsultum.

cum Ludouico inita, neq; domi quietem in tantis animorum atq; studiorum dissensionibus habituros se esse iudicabant, ad extremum placuit, ut reginæ animum adhuc leuiore legatione pertentarent, si forte legati humilitas, quæ magnam offensionem & alienationem animorum significaret, pertinaciam reginæ frangeret: deinceps uero ne quis omninò ad eam neq; publicè, neq; priuatim proficisceretur. Statuta reginæ dies, octaua Maij, ut Heduigim Cracouiæ tandem sisteret, si regnare eam in Polonia uellet: ni faceret, aliter sibi prouisuros esse. Hęc ut ita rata manerent, iureiurando mutuò se adstringunt. Missus cũ his mandatis Predislaus Vauelius equestri familia non illustri, commouit reginam, ita ut Sigismundum generum suum uiris, equis, armisq; instructum ad gubernandam Poloniam, tantisper dum adolescit Heduigis, mitteret. Quod ubi apud Polonos proceres percrebuit, indignati, ludibrio se esse fœminæ, eiusq; & Vngarorum arbitratu sibi prefectos, atq; adeò dominos imponi, & Sigismundum peculiariter perosi, exercitum contrahunt, & Sandeciam contendunt. Inde Lubouuliam, siue Liblium, quę tunc Vngaricæ ditionis erat, legationẽ ad Sigismundũ mittunt: monent, ne se inuitis in Poloniã ueniat. Si aliter faciat, pro hoste se eũ habituros esse. Itaq; repressit gradũ Sigismundus: sed illud uicissim impetrauit à Polonis, ut nõnulli de primorib. ad se uenirẽt, ac de rebus quibusdã secum constituerent. Missi Spitcus Melstinius, Sendiuoius Subinius, & Ioannes Tarnouius: à quibus illud modò impetrauit Sigismundus, ut aduentus Heduigis ad Pentecosten usq; expectaretur. Author exspectandi maximè Sendiuoius fuit, quòd ei Sigismundus receperat: liberaturum se esse nobiles illos adolescentes, qui post fugam ipsius Iaderæ detenti, & in custodia asseruati erant; qui ferè propinqui erant Sendiuoij. Neq; tamen præstitit promissa Sigismundus propter motus fortassis illos Vngaricos, quorum superius mentionem fecimus. Interim rursus non quiescebat maior Polonia: certatumq; est mutuis cædibus atq; captiuitatibus inter proceres & equites. Quin & castella quædam magna ui oppugnata: inter quæ Bythinum fuit Nicolai Lodij castellum, qui quòd in Domarati partibus erat, obsessus in eo, & oppugnatus est à Vincentio palatino, Peregrino præfecto Posnaniensi, & Suiduua Castellano Naclensi. Verùm ij non paruis incommodis in oppugnatione acceptis, re infecta discesserunt, pagos tamen adiacentes diripuerunt, & incenderunt. Induciæ deinde inter dissidentes factiones factæ. Quas cum Suiduua & Villota Curnicius contemptu Domarati seruaturos se esse negarent, magnis incommodis à Domarato affecti sunt, direptis eorum oppidis Cazimiro, & Samotulis cum adiunctis pagis. At uerò Cracouienses & Sendomirienses proceres ad octauam diem Maij, quemadmodum constituerant, conuentum rursus egére apud Sandeciam, Heduigisq; aduentum præstolabantur, sed cum ea non ueniret, placebat rursus Oratores mitti in Vngariam, ni Prædislaus Vauelius dissuasisset, quòd diceret, aut se mendacij, aut conuentum omnem leuitatis argutum iri, si cùm constituissent, & reginæ denunciassent, neminem se deinceps neque publicè, neque priuatim ad eam proficisci passuros esse, nouam legationem mitterent, contemptumq; iri eam legationem. Ita placuit in commune, ut mittenda legatione pariter & creando Rege ad tempus adhuc supersederent. Sendiuoius uerò Subinius, cuius animum in primis angebat nobilium puerorum detentio, priuatim in Vngariam profectus, perfecit tandem, ut Heduigis in Poloniam ueniret. Comitati sunt eam Demetrius tituli sanctorum quatuor Coronator. presbyter Cardinalis, & Archiepiscopus Strigoniensis, & Ioannes Canadiensis Episcopus, & plures alij proceres Vngari. Ad cuius aduentus famam exciti Polonorum proceres cum frequenti nobilitate Cracouiam accurrêre: & qui tempori aduenerant, uenientẽ usque ad fines Vngariæ obuiam profecti sunt. Deducta Cracouiam honorificè cùm perampla ac splendida aurea, & argentea, & stragulæ uestis supellectili, qualis decebat tanti Regis filiam, Idibus Octobris, qui dies memoria diuæ Heduigis Legniciensis apud Polonos festus est, regina Poloniæ renunciata, & à Bozenta Archiepiscopo solenni ritu inuncta, & coronata est, magna omnium lætitia, & fausta acclamatione: regniq; amplissimi administratio teneræ puellæ comissa. Lenitum erat in animis Polonorum Regis desiderium, propter suaues, & liberales mores Heduigis reginæ, cum uerecundia, modestia; prudentia, decentiq; suauitate coniunctos: quarum uirtutum non uulgare condimentum erat forma corporis eximia: Neque grauatim uiri muliebri imperio parituri esse uidebantur, nisi ad domesticas procerum inter ipsos dissensiones sedandas, externorum bellorum impendentium metus parùm authoritatis, & præsidij fore in puella iudicassent. Nec satis in tuto Reginæ pudor illa ætate, illaque forma, & necessaria cum uiris consuetudine sine coniugio futurus erat. Ad hæc posteritati quoque prospiciendum erat. Itaque noua cura procerum animos incessit, de adiungendo nouæ Reginæ marito, qui Regiam dignitatem, & molem rerum maximarum rectè sustinere posset. Destinârat quidem Ludouicus Rex

Poloniæ maioris motus.

Bythinum castellum oppugnatum.

Induciæ.

Sandeciæ conuentus.

Heduigis mores, & forma.

De rege consultatio.

Vilelmus dux Austriæ. adhûc uiuens generum sibi & successorem, siue in Vngaria, siue in Polonia, Vilelmum Austriorum ducem, & puerum admodum in aula sua educârat, promisso ei Heduigis filiæ matrimonio: sed non magnoperè placebat Polonis eum habere Regem, qui propter paternum principatum, longo spacio, & interiectu terrarum distantem à Polonia, longiùs aliquando à Regno abfuturus esset: nec multum opis princeps tenui fortuna, & potentia domestica, Poloniæ in rebus dubijs afferre posset. Dum autem diutiùs de re tanta consultatur, commodum aduenerunt oratores ab Iagello magno duce Lithuanorum. Cuius genus explicandum nobis est priùs, quàm cætera prosequimur. Erat apud Vitenen magnum Lithuanorum ducem magister stabuli Gediminus, uir ambitiosus & excelsi animi, qui interfecto domino suo, dominatū inter suos arripuit, & latè propagauit, subacta magna parte Rusiæ. *Gediminus.* Huic septem fuêre filij, Montiuidus, siue Moniuidus, Narimundus, Olgerdus, Iasnuta, Keistutus, Koriatus, & Lubartus: filię item aliquot, de quibus unam Cazimirus secundus Rex Polonorum uxorem duxit, quemadmodum superiùs exposuimus. Inter filios uiuens adhûc Gediminus dominatum partitus est in hunc modum, ut Montiuido Kernouia, & Sloninū, Narimundo Pinscum, Olgerdo, Creua, Keistuto Trocchi, Coriatho Nouogrodecum: Iasnutę uerò Vilna caput gentis obueniret. Nam Lubartus cùm Russam uxorem Vuladimiriensium ducis filiam, quemadmodum superiùs memorauimus, duxisset, ac socero hæres factus esset, nullā inter fratres sortem accepit. *Olgerdi, et Keistuti amicitia.* Ex his Olgerdus, & Keistutus coniunctissimè inter se uixêre, & uegetiora nacti ingenia, molestè tulerunt, penes Iasnutam nihili hominē principatum esse. Itaq; hi duo post mortē patris Iasnutæ Vilna ac de principatu deturbandi consilium cœpêre, diemq; patrandi sceleris inter se constituêre. Obuenerat etiā Olgerdo in Rusia Vitepscensis dominatus, cùm unicam Ducis eius orę filiam uxorem accepisset. Itaq; cum eo profectus esset, non uenit ad constitutam cum Keistuto diem. Keistutus, ut constitutum erat, cū non contemnenda manu improuisò Vilnam adueniens, arcē utramq; occupauit: Iasnuta inter primū tumultum elapsus, in sylua à Keistutanis perquisitus, captus, & Vilnam reductus, in uincula à fratre coniectus est. Aduenit paulò pòst Olgerdus. Ibi pręclarū inter coniunctissimos fratres certamen fuit, de principatu non ambiendo, aut usurpando, *Preclarū certamen.* sed recusando. Keistutus Olgerdo uelut natu maiori concedebat: Keistutum uicissim Olgerdus sibi eum habere iubebat, quem ei fortuna, uirtusq; sua obtulisset. Tandem sic inter eos conuenit, ut Iasnutæ portionem inter se partirentur, principatus tamen cū Vilna penes Olgerdū maneret: neuter alterius ditionē inuaderet: sed uterq; alterius cōmoda perindè ac sua curaret. Si quid seu bello, seu quauis alia ratione deinceps uteruis quęsiuisset ex æquo ut inter se partirentur. His condicionibus fœdus inter eos ictū, & iureiurando mutuò sancitū. *Zaslauiensis dominatus.* Iasnutæ uerò Zaslauiensis tractus in Rusia fraterna misericordia datus. Potitus magno principatu Olgerdus, multa cum finitimis Cruciferis Prusiensibus atq; Liuoniensibus bello uario Marte gessit, quæ persequi hic nobis necesse non est. Suscepit autem è Maria Russa uxore Thruucrensium ducis filia duodecim filios, Iagellonē, Skirgellonē, Suitrigellonem, Borussum, Coributhum. Viguntum, Corigellonem, Narimundum, Languinum, Lubartum, Andream, & Buthauum. *Olgerdi uxor & filij.* Ex his omnibus Iagellonem natu maximū dilexit pater, quòd esset præclara indole, successoremq; sibi in principatu, annuente Keistuto, designauit. Habebat & Keistutus sex filios, Vitoudum, Patricium, Totiuilum, Sigismundum, Voidatum atq; Dougotum. *Vitoudus.* Sed Vitoudum & ipse successorem sibi præ cæteris designauit, quòd is & effigie, & uirtutibus, & uigore animi expressiùs patrem referebat. Inter hos duos Iagellonem, inquam, & Vitoudum patrueles, summa erat animorū, & uoluntatum coniunctio. Mortuo deinde Olgerdo, anno Christi 1381. Iagello paterno principatu, fauente Keistuto, potitus est. Erat apud eum gratiosus in primis Voidilo quispiam rusticanæ, & obscuræ sortis homo, callidus & impiger, qui cùm pistrinam apud Olgerdum exercuisset, & industriam suam probasset principi, cubicularius, ac deinde pocillator ei factus est, fuitq; in intimis Olgerdi, quoad is uixit. Neq; Iagello quicquam de paterna beneuolentia in eum diminuit: quin sororem ei suam in matrimonium collocauit. Quæ res non leuiter Keistutum offendit. Id ubi animaduertit Voidilo, ueritus, ne eius authoritate honoris & gratiæ periculum adiret apud principem affinem, criminari Keistutum apud Iagellonem instituit: eoq; consilijs suis iuuenem perpulit, ut is clàm fœdus cum Cruciferis Prusiensibus aduersus patruum iniret. De eo fœdere Keistutus, Osterrodensis cōmendatoris, qui filiam eius Ioanni Masouiorū duci nuptam de sacro fonte susceperat, proditione certior factus, tamen Vitoudo filio chari patruelis crimina diluente, quieuit, donec Iagello bellum contra Polocenses imperium suum detrectantes suscepit: quo cùm ei Magister Liuoniensium Cruciferorum suppetias uenisset, *Vilna à Keistuto intercepta.* tunc uerò sublata omni dubitatione Keistutus, contractis raptim copijs Vilnam inuasit, & in po-

& in potestatem suam redegit. Accitoq; Vitoudo filio (neque enim is arma contra amicum cœperat) depræhensa fœderum monumenta ostendit. Sed ab eo tamen exoratus, Vilnam modò cum summo principatu Iagelloni ademit. Cæterùm Creuam, & Vitepscũ retinere cum passus est. Voidilonem uerò in crucem egit. Sed non multò post, dum Keistutus Coributum rebellem armis ad officium reducere nititur, siue ut Lithuanorum annales habent, Nouogrodecum Seueriense oppugnat. Iagello non modò Vilnam proditione recepit, uerùm etiam Trocchos oppugnatos per deditionem accepit. Deinde nouos uterque comparârunt exercitus. Keistutus è Samagitis ferè, Iagello è Prussis, & Liuonibus ille, ut recuperaret Trocchos, hic ut defenderet. Sed cùm in conspectum uenissent, antequam infestis signis concurrerent, Iagello Keistutum, & Vitoudum per speciem colloquij seuocatos cœpit: & Keistutum quidem catenis uinctum, & Creuam missum in carcere necauit. Vitoudus uerò Vilnæ in custodia diutiùs asseruatus, neq; Lithuanorũ, neq; Magistri Prussiensium Cruciferorum, neq; fratrum, & patruorum deprecationibus liberari potuit. Postea Creuam missus, & morti destinatus uxoris misericordia, doloq; liberatus est. Nam ea cùm liberam haberet commeandi ad uirum potestatem, nocte quadam commutato cum una de duabus pedissequis habitu, ueste muliebri indutum eduxit. Emissus ille, in Masouiam ad Ioannem ducem affinem suum, atq; inde in Prussiam ad Cruciferos confugit: à quibus obiurgatus primùm, quod aduerso demùm tempore suo societatem ipsorum expeteret, deinde benignè recreatus, & benè sperare iussus est. Iagello uerò dominatu pacato potitus. Quanquam enim fecerunt Cruciferi cũ Samagitis, qui Vitoudo non obscurè fauebant, impetum in Lithuaniam, Trocchosq; munitionem expugnarunt. Sed mox inde eiecti à Iagellone è Russia reuerso, ad sua sese receperunt. Hæc altiùs repetere libuit, cũ propter Iagellonis genus, tum ut lucem afferremus historiæ, quam deinceps de Lithuanicis, & Prussicis bellis, quatenus ad institutum nostrum pertinere uidebuntur, persequemur. Nunc ad intermissam seriem narrationis reuertamur. Ab hoc igitur Iagellone missi oratores, Skirgello & Borissus fratres Principis, & Hanulo præfectus Vilnensis, perampla munera Heduigi reginæ attulerunt: coniugiũ eius, Regnumq; dotale Principi suo petiuerunt, multa, magnaq; pollicentes, quæ ad amplitudinem Reipub. Polonæ, & ad incrementum religionis Christianæ pertinere uidebantur. Non surdis auribus oratio illa à proceribus Polonis audita est. Cæterùm Heduigis abhorrebat à barbari matrimonio. Præpositæ oratoribus causæ, quã ob rem non impetrarent, quibus de rebus uenissent, nimirùm quod Christianæ cũ barbaro nuptę esse non liceret, & quòd pacta iam quędam cũ Vilelmo Austriorũ duce matrimonio priùs intercessissent, adiecta ducentorũ millium florenorum pactione, ni pactis conuentis statum esset. Ad hęc oratores responderunt: Quod ad religionem Christianam attineret, Iagellonẽ cum cæteris fratribus Christiana matre natum, iam inde ab ineunte ætate Christiana religione imbutũ, non alienum ab ea gerere animum, quamuis eius mysterijs de more initiatus non sit. Sed quòd multis principibus uiris petentibus hactenus negauit, id eum Heduigi, & matrimonio eius daturum esse, ut se pariter & fratres, & gentem suam omnem Christianis mysterijs initiari sit curaturus. Illa uerò ducenta millia ipsum etiam præstaturum, & si necesse sit, exoluturum esse, thesaurosq; suos omnes, & maiorum suorum in Poloniam cõportaturum, & Lithuaniam Poloniæ adiuncturum, ut eodem deinceps cum ea Imperio censeatur. Permouebãt hæc magnoperè Polonorũ animos. Magna uidebatur fore ad amplitudinem Regni Lithuaniæ accessio. Perutile non modò pacẽ, uerumetiam auxilium sibi eius gentis adiungere, cuius hostiles excursiones, quibus magna pars Poloniæ superiori tempore ad uastitatem redacta esset, perdifficulter cohiberẽtur: præclarum & gloriosum nomini Polono, si eius opera Lithuania religionẽ Christianam susciperet. Verùm tamen nihil præter senioris reginę sententiam his de rebus statuendum esse uisum est. Ad quam Heduigis etiam prouocabat, cùm aliter procerũ postulationem rectè refutare nõ posset. Itaq; ad Elizabetham oratores in Vngariam ire iussi: missiq; cum eis de conuentu Polonorum Nicolaus Bogoria Zauichostensis Castellanus, Vulodicus Ogrodenecius pincerna, siue subpincerna (ut uulgò uocãt) Cracouiensis, & Cristinus Ostrouius præfectus Cazimiriensis, optatum responsum retulêre. Respondit enim eis Elizabetha, si id Poloni ex re sua publica fore existimarent, nõ remoturam se esse eorũ commoda, neq; religionis Christianæ incrementa præcisuram. Nec multò post in Croatiam cum altera filia tendẽs, ab Horuato Bano de medio sublata est: quemadmodũ superiùs memorauimus. Hoc responsum Elizabethæ cùm in Poloniam relatum esset, de uniuersi conuentus sententia (in quo tamen pauci aderant de maiore Polonia, siue quòd Zemouito ferè fauebant, siue quòd intestino bello destinebantur) Lithuani oratores dimissi, & Vulodicus atq; Cristinus suprà memorati, itemq; Petrus Safranecius, & Hincia Roscouicius legati ad Iagellonem

Voidilonis exitus.

Iagello Vilnam recuperauit.

Keistutus captus, & in carcere necatus.

Vitoudus in custodia seruatus.

Vitoudi uxoris amor coniugalis & virtus.

Vitoudus fuga in Prussiam.

Iagellonis legati ad reginam, & Polonos proceres.

Conditiones futuri matrimonij.

Lithuani oratores in Vngariam profecti.

Elizabetha regina interfecta.

Polonorum legati ad Iagellonem.

Conditio adiecta. *Reginæ pacta cum Zemouito Masouio.* *Vilelmi Austrij aduentus Cracouiam.* *Vilelmus arcis ingressu exclusus.* *Heduigis reginæ amor erga Vilelmum.* *Gneuosij Daleuicij opes.* *An. 1386.*

lonem cum eis missi sunt, ut eum ad coniugium Heduigis, & regnum Polonorum uocarent, & secum adducerent, si is supramemoratas conditiones accepisset, & iureiurando suo stabilisset: una insuper adiecta, de recuperandis ijs, quæ in eum diem à iurisdictione Polonorum regum quomodocunque exciderant. Cum Zemouito autem transegit regina his conditionibus, ut is munitiones in Polonia sub interregno captas redderet: ac pro ijs decem millia sexagenarum Pragensium ab ipsa acciperet: Cuiauiam autem hypothecæ nomine retineret, donec ea pecunia sibi numeraretur. Captiui utrinque dimitterentur liberi. De iniurijs intra inducias ultrò, citroque illatis, & acceptis, delecti utrinque arbitri arbitrarentur. Pactum quod de Lencicia cum proceribus Polonis Zemouitus inierat, esset irritum. Denique Moglinense monasterium idem Zemouitus recuperaret, ac redderet. Dum hæc ita fiunt, interim Vilelmus Austrius certior factus de statu rerum Polonicarū, ac de propensa Heduigis reginæ erga se uoluntate, siue eius ipsius nutu (ut creditum est) à Gneuósio Daleuicio gente Stregomio, Succamerario Cracouiensi (cui sese illa concredebat) ne ipse sibi deesset, admonitus, & adductus, cum splendido comitatu, & apparatu, magnisque diuitijs Cracouiam inopinatus aduenit. Sed arcis ingressu Dobeslai Curosuancij Castellani Cracouiensis, & aliorum procerum authoritate prohibitus, in urbe diuertit. Conuenitque cum eo identidem Heduigis regina in cœnobio diui Francisci luce clara, aulico suo uirorum, & puellarum comitatu stipata, & choreis indulsit. Quin fama etiam seu uera, seu falsa uulgatum est, eam consumandi cum illo matrimonij, priusquam Iagello ueniret, tanta cupiditate flagrasse, ut cùm ille thalamo eius, arceque arceretur, ipsa portam arcis clausam effringere, & in urbe optatis nuptijs cum eo defungi tentârit, nisi Demetrius Goraius thesaurarius regni ei dissuasisset. Intelligens autem Vilelmus apertè sibi Polonos proceres aduersari, simul de aduentu Iagellonis certior factus, post aliquantam moram clàm sese euoluit Cracouia, depositis apud Gneuosium thesauris, quos secum apportârat. Vnde Gneuosius postea multas, amplasque possessiones sibi comparasse existimatus est: sed quæ tamen à liberis eius deinde turpiter distractæ ac dilapidatæ sint. Aduentabat iam cum fratribus Iagello, & cum magno comitatu Lithuanorum. Sed ei Heduigis nupturam se non esse præ se ferebat, Vilelmi amore capta: cui se à patre desponsam esse, eodemque lecto paruulam cum paruulo cubuisse asseuerabat. Ab Iagellone uerò eò magis abhorrebat, quòd eum breui statura, deformem, & barbarum barbaris moribus esse accepisset. Negabant proceres, ualere id matrimonium, quod inter impuberes contractum esset. De Iagellone autem orabant reginam, ut maiorem Reipub. & sanctissimæ Religionis propagandæ, quàm suarum uoluptatum rationem duceret. Vbi emollitus est muliebris animus, cum multiplici persuasione, & precibus, tum relatione Zauissæ Olesnicij, qui ad contemplandam speciem, moresque Iagellonis per speciem salutandi missus utraque commodiora opinione in illo esse renunciaret, tum demum pauci proceres ei obuiam profecti sunt: in quibus principem locum Spitco Melstinius palatinus Cracouiensis obtinebat: quare magnam is apud Iagellonem gratiam inijt: plures eum Cracouiæ cum regina expectârunt. Aduenit autē Cracouiam Iagello duodecima die Februarij anno Christi 1386. qui fuit quartus post Ludouici mortem, habens in comitatu suo cùm alios complures Duces atque proceres Lithuanos atque Russos, tum Borissum & Suitrigellonem fratres germanos, & Vitoudum patruelem. Iam enim cum sibi reconciliauerat, & è Prussia reuocârat, concesso ipsi Grodnensi dominatu, Breste, Drohicino, Melnico, Bielsco, Surasso, Camenecia, & Volcouisco oppidis atque territorijs, pactus sibi fidem, & obsequium eius, ita ut is ne legatos quidem quoquam se inscio mitteret. Lithuanorū annales etiam Volyniam & Podoliam Vitoudo, tunc datam esse à Iagellone memorant. Sed certiora sunt, quæ nos ab ipso Vitoudo literis mandata, & consignata, in Archiuio regio uidimus. His igitur comitatus Iagello uenit. Adueniens, in thalamo Heduigim reginam, magna cum admiratione eximiæ formæ eius, salutauit: postridie uerò perampla ei dona cum Vitoudo, Borisso, & Suitrigellone misit. Sed iam Iagellonis aduentus interregni, & quartidecimi libri finem nobis faciat.

DE ORIGINE ET REBVS GESTIS POLONORVM, LIBER QVINTVSDECIMVS.

VVLADISLAVS IAGELLO REX.

De origine & moribus Lithuanorum scripsimus in superioribus libris, quantum quærendo inuestigare, & ex uetustatis situ eruere potuimus. Nunc de Religione pauca, quæ ad rem pertinent, nobis repetenda sunt, antequã Iagellonis Regnum stylo persequamur. Ad hæc usque tempora, quæ nunc persequimur, fuit gens Lithuanica priscæ multorum deorum, seu uerius dæmonum superstitioni dedita. Quin & ignẽ pro Deo colebat, & eum in celebrioribus locis atque oppidis perpetuum asseruabat. Fulmini quoque, quod Percunum uocabat, diuinum honorem tribuebat. Lucos & eximias quasdam arbores in syluis sacrosanctas habebat, ita ut uiolare eas ferro nefas esset, nec impunè erat tale quicquam ausis. Nam uiolentia dæmonum uel interibant subitò, uel membro aliquo capiebantur. Viperas item atque serpentes diuinitatis non exortes esse crēdebat, & alebantur ij, quasi lares quidam familiares in singulis domibus atque familijs, & lac eis libabatur, & galli gallinacei immolabantur. Eratque inauspicatum & exitiabile toti familiæ, quenquam ex his occidisse, aut uiolasse. Erat autem apud eos quotannis solenne sacrificium sub initium mensis Octobris, post collectas fruges, ad quod frequentes cum uxoribus, & liberis, & seruitijs conueniebant, ac toto triduo epulabantur de his, quæ dijs mactârant & obtulerant. E bellis etiam reuertentes manubias, & unum aliquem de captiuis eximium uictimæ loco igni cremabant. Corpora mortuorum cum preciosissima supellectili, qua uiui maximè usi erant, & cum equis & armis cremabant, & ad busta propinquorum lacte, melle & mulso parentabant. Hos igitur errores, cæterasq; omnes superstitiones Iagello, priusquam cum Heduigi matrimonium iniret, unà cum fratribus & proceribus, atq; uniuerso comitatu suo, exceptis ijs, qui iam apud Russos initiati erant, abdicare iussus, quartadecima die mensis Februarij à Bozenta Archiepiscopo, & Ioanne Episcopo Cracouiensi sacro fonte ablutus, & Christiana Religione initiatus, Vuladislai nomen accepit, & mox matrimonium cum Regina solenni ritu contraxit: Lithuaniamq; omnem cum Samagitia, & ea parte Russiæ, quæ in ditione eius erat, Poloniæ iure sempiterno adiunxit, & in unum corpus redegit, iureiurando interposito. Ad hęc Vitoudus cum Michaële duce Zaslauiensi, & Lubarto, pro ipso his ipsis de rebus reginæ & proceribus Polonis fidem suam obstrinxêre, & obsidum loco fuêre. Quarto autem die post unctus ab Archiepiscopo diadema regium nouum suscepit. Nam uetus in Vngariam à Ludouico asportatum, nondum ad eam diem reportatum erat. Sequenti die in urbem solenni pompa deductus, & in foro posito solio collocatus, iusiurandũ à Cracouiensibus, & alijs oppidanis de more accepit. Lithuani quoq; & Russi duces atq; proceres, qui tũc aderant, in uerba Regis & reginæ iurârunt: consignatisq; diplomatis in fide, & clientela ipsorum, & Regni Polonici se cum ditionibus suis deinceps semper fore promiserunt. Idem postea cæteri quoq; fecerunt: extantq; in archiuio regio eiusmodi diplomata sub titulis & signis Demetrij Coributhi Nouogrodensium Seuerianorum Ducis, & octo Ducum, procerumq; eiusdem ditionis pro Coributho fide iubentium: Skirgellonis, Alexandri, Vigunti Kernouiensis, Theodori Lubarti Lucensis, & Vuladimiriensis, Basilij Pinscensis, Volodimiri Kiouiensis, Simonis Languini filij, quem Rex Nouogrodo præfecit: Georgij Dougoti, Georgij & Andreæ Michaëlis filiorum, ducum: indultumq; est conuiuijs, choreis, & lusibus complures dies. Per quos dies Magister Cruciferorum Prutsiensium Conradus Celner spreta inuitatione Regis & reginæ, qua ad nuptias per Demetrium Gouraium inuitatus erat, hostiliter in Lithuaniam, uacuam tunc Ducibus & militibus duplici agmine inuasit: & longè, lateq; eam depopulatus, Lucōliam arcem ui cœpit: & Andream Iagellonis fratrẽ apud Russos religionẽ Christianam professum, quo authore, & concitatore expeditionẽ illam in Lithuaniã susceperat, cũ presidio in ea reliquit. Cui se Polocẽses quoq; dediderũt. Russorũ historia nõ à Prussiensibus, uerũ à Liuoniensibus Cruciferis Andream hunc adiutũ esse memorãt: quod sanè probabilius est. Quandoquidem uiciniores ij sunt Polosco & Lucōliæ: extantq; in archiuio literæ induciarum, anno

Lithuanorum superstitiones.
Dij Lithuanorum.
Serpentes pro dijs habiti.
Sacrificium solenne.
Humanæ uictime.
Funerũ ritus.
Iagello baptisatus, Vuladislai nomen accepit.
Lithuania Samogitia & pars Russiæ adiuncta Poloniæ.
Fideiussores & obsides.
Vuladislaus Iagello coronatur.
Corona Polonica in Vngariã asportata.
Lithuani, & Russi duces iurant in uerba regis, & reginæ.
Cruciferi Lithuaniam populantur.
Lucōlia capta.
Andreas regis frater.
Polocensium deditio.

sequenti

sequenti inter Lithuanos & Liuones constitutarum, nisi forte & hi, & illi operam Andreę nauarunt. Id quod inde non malè colligitur, quod noster Dlugossus memorat, Cruciferos duplici agmine Lithuaniam tunc infestasse. Eodem autem tempore ex composito Russorum Smolensciorũ dux Suetoslaus Lithuaniam & ipse circum Vitepscum, & Orsam uexauit, & Mescislauiam oppugnauit. Hæc ubi accepit Iagello, mox Skirgellonem & Vitoudum cum Lithuanis, & cum Polonis uoluntarijs in Lithuaniam misit, qui festinantes, cùm Cruciferorum exercitum Lithuania excessisse didicissent, Lucõliam partim trucidato, partim eiecto Andreę præsidio, receperunt. Inde ad Mescislauiam profecti, nihilo maiori negocio omnem eam oram in potestatem suam redegerunt, Suetoslaoq; interempto filium eius Georgium, iurare in uerba Vuladislai & Skirgellonis iussum, Smolenscijs præfecerunt. Polocum quoq; recuperarunt, ac de authoribus defectionis pœnas sumpserunt. Dedit & Andreas dux postea temeritatis suæ pœnas, toto triennio in arce Chemcinensi squalore carceris confectus. Cæterùm Rex ipse Iagello, perfectis ritè solennibus regni mandati cærimonijs, ad pacandam maiorem Poloniam animũ intendit: profectusq; eò cum Heduigi regina, & magno comitatu armatorũ minorum Polonorũ, Posnaniæ Pascha sacrum peregit: & Grimaliorũ atq; Nalenciorum familias capitalibus odijs dissidentes, cum ducibus suis Domarato & Vincentio palatino, de quibus superiùs multa commemorauimus, in concordiam redegit. Bona Ecclesiastica à quibuscunq; per uim siue dolum occupata erant, iustis dominis restituit. Bartholomęum Cosminium prædonicam exercentem, & uenire ad se recusantem proscripsit: Odalanouiam uerò arcem in suam potestatem redegit: Ioannem Venetium, gente Plomenium, iudicem terrestrem, ut uocant, Posnaniensis conuentus, qui propter iniusta iudicia, & scelera perpetrata, cruenti dæmonis cognomentum meruit, confiscatione bonorum & carcere puniuit. Cùm autem Gnesnam uenisset Vuladislaus, & commeatum, seu stationem (ut uocant uulgò) à collegio eius basilicæ petisset, nec impetrasset, fertur more barbarico pignerasse facultates adscriptitiorum Ecclesiæ: sed cùm eam ob rem sacris ciuitati interdictum esset à Nicolao Strosbergo præposito & uicario Archiepiscopi, Posnania orto, reprehensus à regina Vuladislaus, pignora capta reddi iussit. Ibi illa suspirans: Pignora quidem reddemus, inquit, agrestibus, cæterùm lachrymas quis eis reddet? Pium reginæ dictum, & sempiterna memoria dignum. Sic tunc res maioris Poloniæ perturbatas admodùm, placidè Vuladislaus composuit. Autumnus totus cum ęstate his rebus constituendis datus. Hyeme & subsequentis anni initium Vuladislaus nouus Rex ingenti procerum & equitum Polonorum caterua stipatus, unà cum regina in Lithuaniam se contulit: Archiepiscopum Gnesnensem, & multos sacerdotes ac pios homines secum duxit. Zemouitus etiam & Ioannes Masouiorum, & Conradus Olesnicensium Duces eum comitati sunt. Conuentu Vilnam indicto ad initium quadragenarij ieiunij, conuenerunt eò Skirgello Trocensium, Vitoudus Grodnensium, Volodomirus Kiouiensium, & Coributus Nouogrodensium, duces fratres Principis, & infinita equitum, plebisq; multitudo. Ibi de Religione Christiana populariter suscipienda, ac de exterminando cultu falsorum deorum, & omni superstitione, diligenter actum, ipso Rege maximam ei rei nauante operam, non solùm hortando, & orando, & præmijs inuitando, sed etiam docendo, cùm nostri sacerdotes linguæ imperiti essent, ipse autem Russicam callens, Polonos loquentes intelligeret. Aegre gens barbara maiorũ suorum Religiones relinquebat. Sed cum iussu Regis sacer ignis extinctus, templũ, araq; eius diruta, & adytum, unde oracula à sacerdote edebantur, euersum Vilnæ esset, necatiq; serpentes, & succisi luci nulla cuiusquam læsione, quod præter opinionem barbarorum acciderat, tum uerò barbari uanitate sua agnita, alacriores ad Principum suorum Religionem facti, & aliquot diebus capita Religionis, quod Symbolum uocatur, & Orationem Dominicam, pio Rege nullum laborem subterfugiente, edocti, Christianis mysterijs de more initiati sunt. Sed cùm immensi laboris esset, singulos sacro fonte tingere, nobilioribus tantùm hic honor habitus: reliquum uerò uulgus turmatim distributum, aqua lustrali siue sacra à sacerdotibus conspersum est, unumq; nomen cuique turmæ tam uirorum, quàm mulierum inditum. Plurimam ex his multitudinem Rex aduectis è Polonia pannis, laneis & calceis uestiuit, cũ ad eum diem gens illa conficiendarum earum rerum ignara esset, sed aduectitijs tantùm nobiliores uterentur: nam uulgus agreste peronibus magna ex parte etiam nunc utitur, & lineis uestibus, pelliceisq; tunc utebatur. Basilica deinde Vilnæ condita, & reditibus amplis atque sacerdocijs locupletata, ac diui Stanislai memoriæ à Bozenta Archiepiscopo consecrata est: institutusque in ea Episcopus, Andreas Vassilo Polonus, gente Iastrembicius, de Franciscanorum sodalitate: qui Elizabethæ Reginæ à confessionibus fuerat. Septem præterea parœciæ à Rege constitutę, dotatæq;, Volcomiriensis, Missogolensis

Smolensciorũ dux. Suetoslaus Lithuaniam infestat. Lucõlia recepta. Smolensci à Lithuanis & Polonis subacti. Polocum receptum. Andreas dux in carcerem compactus. Vuladislaus rex in maiorẽ Poloniam profectus. Grimalij et Nalencij reconciliati. Ecclesijs bona sua reddita. Barth. Cosminius proscriptus. Odalanouia regi quæsita. Iudex iniustus punitus. Cõmeatus seu stationes ab ecclesiasticis regi negatæ. Heduigis reginæ pietas. Vuladislai regis cum regina profectio in Lithuaniam. Lithuanorum conuentus. Vuladislai Iagellonis studiũ propagandæ religionis Christianæ. Ignis sacer extinctus, & luci succisi. Vuladislaus rex Euangelistæ & catechistæ functus officio. Baptisatio Lithuanorum. Lithuanorum uestitus.

lensis, Nemencinensis, Mednicensis, Creuensis, Obolcensis, & Hainensis. His omnibus templis regina plurimam suppellectilem ad cultum diuinũ accommodam largita est. Remissa deinde regina in Poloniam, Vvladislaus rex totum annum propagandæ in Lithuania religioni Christianæ uacauit, plurimaq; loca per seipse obiuit. Dobrogostium uerò Posnaniensium episcopum ad Vrbanũ pontificem allegauit, eiq; se dicto audientem fore solẽni regum Christianorum more promisit. Deinde Vitepscum & Poloscum profectus, nouos motus sedauit, sumpto de seditiosis supplicio. Inde Vilnam reuersus, Skirgellonem fratrem pro se summæ rerum apud Lithuanos præfecit: legem condidit, ne Rusis & catholicis matrimonium inter se cõtrahere liceret, nisi Russus uel Russa a suis ad nostros deficeret. Aliam item, qua bona ecclesiastica omni onere, labore, pensione, & iurisdictione principis & profanorum quorumuis liberauit. Sorori Alexandræ, Zemouito iuniori Masouio in matrimonium collocatæ, magno apparatu nuptias fecit. Radomiensem ditionẽ nouo affini in dotem promisit. Reuertens autem in Poloniã, per Rusiam iter fecit, Gregorium Curosuancium Castellanum Sendomiriensem Lusco præfecit. Leopoli Petrum palatinum Moldauiæ siue Valachiæ cum proceribus ipsius solenni iureiurando adactos, in fidem & cliẽtelam, accepit, cum ij ab Vngaris sub interregno defecissent. Nec diu post discessum regis quietæ res fuerunt in Lithuania. Cum enim esset æmulatio inter Skirgellonem & Vitoudum, & indignum duceret Vitoudus, excelsi animi uir, deteriori parere, nec respondere promissis suis & spei meritisq; eius Vvladislaum, nec ignoraret Skirgelloni homini feroci, & lingua, manuq; prompto, & qui per ebrietatem compotores suos plerumq; ferro peteret, uicissim se suspectum esse, metuens eius insidias, Grodno & Breste arcibus suis ualido præsidio firmatis, in Masouiam ad Ioannem ducem sororis suæ maritum cum Anna uxore profugit: inde ad Zemouitum eius fratrem se cõtulit. Sed cum ab utroq; malignius tractaretur, in Prussiam ad Cruciferos contendit. A quibus comiter acceptus & habitus est, quod ij per eum facilè se Samagitia & Lithuania potituros esse sperarent. Commoratus autem ibi aliquandiu, administrationem rei familiaris & linguam Germanicam aliqua ex parte didicit. Interim Lithuania & Cruciferorum Prussiensium pariter & Liuoniẽsium armis uexata est: & in duas factiones, quarum altera Vitoudo, altera Skirgelloni fauebat, diuisa, intestinis dissidijs laborare cœpit. Veritus autem Vvladislaus rex, ne Vitoudus Vilna, quod caput gentis esse diximus, Russorum impensius ipsi fauentium proditione per inscitiam & ignauiam Skirgellonis potiretur, misit eò Nicolaum Moscorouium procancellarium Poloniæ cum mediocri militum Polonorum præsidio, & apparatu bellico, ut arcem utramq; tueretur. Iecerat quidem Vitoudus fœdus cum Cruciferis, & spe potiundę Lithuanię ab eis onerabatur: sed cum suspectam eorũ fidem, siue uana suspicione, siue cõiecturis quibusdam habere cœpisset, clàm sibi per internuncium, Vvladislaum regem, proditionem Russorum & Lithuanorum metuentem, reconciliauit: et accepta ab eo spe adipiscẽdi summi principatus, siue magni ducatus, ut uulgò dicunt, in Lithuaniam inscientibus Cruciferis reuertit, & in itinere tres arces Cruciferorum Samagitis confines, Iurgenburgum, Mergenburgum, & Nauanzum, cum uelut socius & amicus intromitteretur, cæpit & exussit, præfectis & præsidiarijs militibus Cruciferorum partim cæsis, partim in seruitutem abductis, ut aliquo tamen cum munere ab hostibus ad suos rediret. Cum autem spem sibi datam à rege diutius duci uideret, consilium cepit Vilnę per proditionem capiendæ. Verum fraude intempestiuè detecta, spe frustratus in Prussiam, reconciliatus sibi per literas & internuncios Cruciferis, sese recepit, indeq; biẽnio Lithuaniã cum auxilijs Cruciferorum infestauit. At in Polonia lites & simultates inter regem & reginam suspicionibus quibusdam ac susurronum delationibus excitatæ eousq; increuerãt, ut nõ longè essent à dissidio, ni se primores interposuissent. Conuenit tandem, ut delatores utrinq; ederentur. Editus Gneuosius Daleuitius succamerarius Cracouiensis, qui sanctissimã fœminam Heduigim reginam clàm apud maritum regem probri insimularat, quòd diceret, absente illo Gulielmum Austrium secretò Cracouiam uenisse, & aliquot diebus cum regina consueuisse. Qua de re satisfecit regina regi iureiurando. Cæterum Gneuosium iudicium de infamia Vislicię in conuentu procerum institutum est. Ibi in accusatus, damnatusq; Gneuosius, cum non probasset quæ dixerat, nec dixisse se negare posset, ex decreto iudicij, mentitum se esse clara uoce & latratu subter scamnum edito professus est. Est autem ea grauissima apud Polonos & infamiæ plena mendacij retractatio, quæ fit publicè latratu canino adiuncto. Ita sublata omni suspicione, amor coniugalis est inter regem et reginam redintegratus. Per illud tempus cum

Heduigis reginæ pia munificentia.

Vitepscum & Polosco pacata.

Skirgello Lithuaniæ præfectus à rege.

Lex de matrimonio disparium in religione.

Ecclesiastica immunitas.

Alexandra regis soror cum Zemouito Masouio nupta.

Lusco præfectus Leopolis (?).

Valachia in fidem regis Poloniæ.

Lithuanorum ducum dissensio.

Vitoudi fuga in Masouiam, et mox in Prussiam.

Lithuania uexata à Prussis & Liuonijs.

Nicolaus Moscorouius cum exercitu in Lithuaniam missus.

Vitoudus regi reconciliatus, redit in Lithuaniam.

Cruciferorum arces à Vitoudo exustæ.

Vitoudus iterũ transit ad Cruciferos.

Lithuania à Vitoudo uexata.

Simultas inter regem & reginam.

Gneuosius Daleuitius infamia notatus.

Mendacij obtrectatoris pœna apud Polonos.

Ioannes Cropidlo Archiepiscopa exclusus à rege, & Vuladislauiensem episcopatum amisit.

Bozenta Archiepiscopus Gnesnensis esset, mortuus, Ioannes Cropidlo, quemadmodum prius Posnaniensem, ac deinde Vuladislauiensem sedem inuaserat, Gnesnensem etiam, neque suffragijs collegij, neque regis commendatione adiutus, unius de duobus, qui de pontificatu maximo tunc cõtendebant, authoritate inuadere conatus est. Sed rege aduersante neque Gnesnensem adeptus est, & Vuladislauiensi excidit, Henrico Legniciensi duce successore accepto. Cùm autem pertinacius de Archiepiscopa litigaret Cropidlo, captus à Sbigneo Brezio Marsalco regni, & omnibus facultatibus exutus, regisque iussu dimissus, inopem uitam aliquot annis egit, donec Camenensis episcopus in Pomerania, ac deinde Henrico mortuo, & Nicolao Curouio successore eius ad Archiepiscopam translato, Vuladislauiensis iterum rege indulgente factus est. Bozentæ autem Dobrogostius Nouoduorius episcopus Posnaniensis, qui Cropidloni Vuladislauiam translato successerat, uoluntate regis successor datus est. Fecit deinde Vuladislaus rex anno Christi 1390. expeditionem in Lithuaniam, ut gliscens inter Lithuanos & Russos studio partium dissidium reprimeret, Vitoudique potentiam frangeret, atque excursiones arceret: cuius iuuandi gratia Cruciferi Prusienses exercitum in Germania & alijs exteris oris comparabant. Tenebantur Vitoudi præsidijs arces Breste, Camenecia Polessensis, & Grodnum, è quibus crebræ fiebant in finitimas oras excursiones. Eas igitur arces primum rex in potestatẽ suam redigere adortus, Breste intra decimum diem cæpit, & Hinciam Roscouicium equitem Polonum cum præsidio ibi collocauit. Inde cum Poloni milites impatientia frigoris (nam initio Februarij hæc agebantur) & pabuli, commeatusque penuria missionem efflagitassent, cum aulico suo comitatu, & paucis uoluntarijs, qui nongentorum numerum non explebant, ad Cameneciam castra mouit, captamque nullo negocio arcem Zindrami Mascouicij equitis Poloni fidei commẽdauit. Inde porrò nihil paucitate suorum ac dubia Lithuanorum & Russorum fide deterritus, transmisso Nemeno fluuio, ad Grodnum castrametatus est. Ibi cõuenère ad eum Skirgellonis, Volodimiri, & aliorum Lithuanorum ac Russorum ducum atque procerum non contemnendæ copiæ. Coributhus uerò Nouogrodensium Seuerianorum dux, cum Rusis de religione sentiens, per seipse cum insigni equitatu in castra regis fratris uenit. His copijs Grodnum, cùm non facile ui caperetur, obsessum est. Non latebant hæc Vitoudum: nec ignorabat is, Grodnẽsis diuturnam obsidionem ferre non posse. Properè igitur cùm non parua Prussorum & Cruciferorum manu in auxilium suis aduenit, ac cis Nemenum à regione arcis castris positis, nouã arcem in aggesto de terra tumulo munire instituit. Verum nihil ea re obsessi releuabantur. Et iam inter o[r] arx inspectante ipso expugnata erat. Igitur intromisso cæpto opere, Vitoudus ferream cathenam nauibus deuectam per flumen ad arcem deligauit, eaque cõtinuatis nauibus in flumine pontem iunxit, quo facilius laborantibus suis subueniret, commeatum supportaret, ægros atque saucios ad se transferret, & pro his recentes submitteret. Contra id opus regij milites ingentes piceas siue pinastros in ripa succisas, & in amnem deiectas secundo flumine implerunt, quę impetu rapidi amnis celeriter delathæ cathenam perruperunt, nauesque nonnulas cum hominibus obluctantibus attriuerunt ac demerserunt. E quibus unus quispiam Germanus, in ulteriorem ripam ad regia castra frustra inclamantibus suis, ut in undis periret potius, quàm in hostium potestatem ueniret, enatauit. De quo rerum hostilium status omnis cognitus est. Insequenti autem nocte Vitoudus cum suis desperata defensione arcis, fugiẽti similis discessit, & arx post quinquagesimum obsidionis diem in deditionem regis uenit. Nec sanè multo leuior ea obsidio obsidentibus quam obsessis fuit. Tanta enim rerũ penuria presi sunt, ut uix ater ac de siligine pariter cum spicis molita factus panis (quali etiamnũ uulgus Lithuanorum ferè utitur) militibus ad uescẽdum sup peteret: equis uerò frondes arborum ac uetus palea de rusticanis tugurijs detracta, ac per quatuordecim miliaria petita pabuli loco esset. Ab ea Grodni deditione quid egerit Vuladislaus, non reperio. Nisi fortè tunc profectus in maiorem Poloniam, Varcislaum ducem Pomeranorum Stecinensium ritu solenni iuratum, in fidem & clientelam suam atque regni, & in societatem contra Cruciferos Prusienses accepit. Extat enim in archiuio regio diploma Varcislai hoc anno cõscriptum, quo is profitetur se iusiurandum eo nomine regi & regno dedisse, idemque Boguslaum fratrem facturum esse Pysdris, & pro tertio fratre Barnimo itidem promissurum esse promittit. Recipit etiam se Naclum regi esse redditurũ, recepta ab eo Bydgostia. Extat & alterum diploma omnium horum trium fratrum biennio antè conscriptum & consignatum, quo ij redditam sibi esse à rege Bygdostiam testatum faciunt, certumque modum auxiliorum & muniorum uti clientes patrono, regi pollicentur.

1390. ann. Vuladislaus rex ducit in exercitum.

Breste captũ.

Camenecia capta.

Grodnensis arx capta.

Obsidentium patientia.

Bydgostia cõcessa Pomeranis ducibus.

centur. Quomodo autem Naclo potiti fuerint quod reddebant, & Bydgostia quam repetebant rursus amissam, nihil compertū habemus, nisi fortè in interregno ac ciuili bello maiorum Polonorum munitiones illas interceperant: aut Naclum quidem interceperant, Bydgostiam uerò post mortem Cazimiri itidem ducis Pomeranorum Stecinensium, siue fratris, siue propinqui sui iure successionis sibi uendicabant. Superius enim memorauimus, eam inter alia ipsi à Cazimiro magno testamento legatam, & à Ludouico concessam, rursusq; post mortem eius recuperatā esse. Interea uero dum rex expeditione Lithuanica occupatus fuit, fertur Heduigis regina alterum de Polonis exercitum comparasse, & Iaroslauiam, Præmisliam, Grodecum, Haliciam, Trebouuliam, superiorem Leopolim, & alias quasdam arces in Rusia meridionali in potestatem suam redigisse, eiectis Silesijs & Vngaris, quorum fidei arces illæ à Ludouico rege olim commendatæ erant. Maturescentibus autem segetibus cum Lancastro Hērici regis Anglorum filius, cum permagna Anglorum, Francorum, Theutonumq; uoluntariorum manu in Prussiam piæ contra barbaros militię opinione uenisset, triplici agmine in Lithuaniam itum est, Vitoudi uindicandi, restituendiq; prætextu, reuera autem ut Lithuaniam sibi Cruciferi subiugarent. Ducebat autem unum agmen Vitoudus, alterum Magister Liuoniensium Cruciferorum, tertium ipse dux belli Conradus Valerodus Magister Prussiensium. Apud Cauunum, quod oppidum in confluente Nemeni & Viliæ fluuiorum situm est, eæ copiæ conuenère. Inde ad Trochos peruentum, & oppidum id crematum est. Hinc ad Vilnam castra mota ibi regiæ hosti aduentanti occurrere, commissoq; prælio terga dedere, multis fortibus uiris amissis: inter quos clari maximè fuēre, duces Simon Iasnutæ, Hilebus Suetoslai filius, & Ioannes Leo. Deinde arx Vilnensis inferior, quam Curuam uocāt, uixdum obsessa, a proditoribus Rusis & Lithuanis succensa est. Ex quo incendio cum sese Corigello frater regis subduceret ab hostibus exceptus, & capite plexus est. Cætera multitudo omnis in ea arce partim absumpta incendio, partim ferro hostili crudeliter cęsa. Ad quatuordecim millia hominum ibi perijsse existimantur. Superiorem arcem Polonicum Nicolao Moscorouio præfecto tenebant, nec aut clade suorum, & conflagratione arcis, aut minis hostium et ostentatione capitis Corigellonis, ac ne acerrima quidem oppugnatione, qua pars muri non exigua deiecta erat, ad deditionem compelli poterāt. Veriti autem proditionem, ipsi inter se custodias ac cætera defendendæ arcis munia, submotis Rusis atq; Lithuanis, partiti sunt. Loca deiecti muri uel humo, fimoq; opplebant, uel corijs pecudum & iumentorum laxe prætendebant, & sic bombardarum ictus eludebant: deniq; corporibus suis hosti irrumpere conanti aditum obstruebant. Skirgello quoq; regius frater noctu ferè cum suis Lithuanis & Rusis erumpens, non paruis detrimentis atq; cladibus hostes afficiebat. Cum autem plus minus tres menses arx irrito labore obsessa, & oppugnata esset, primis demum Octobris diebus hostes magna non modò profanarum, sed & sacrarum ædium uastitate, & inermium hominum atq; infantium cæde perpetrata, ac obsidione discessēre. Non paucos tamē & ipsi fortes uiros in ea obsidione desiderauēre. In his fuit Algardus comes Hoensteinensis. De ducibus autem hinc Nārimūdus Iagellonis, illinc Totiuilus Vitoudi frater perière: hic quidem bombarda ex arce ictus, ille uerò in singulari certamine uictus, captus & pedibus ex Vlmo iussu Vitoudi suspensus, & sagittariorum spiculis confectus. Depopulatus est deinde finitimam Prussiæ Samagitiam Vitoudus cum commendatore Ragnetensi, & præfecto Insterburgensi, quibus hoc negocij datum erat à Cruciferis. Porrò Vladislaus rex opē laturus afflictæ patriæ, mense Nouembri cum magno apparatu armorum, commeatuq; copioso uenit in Lithuaniam, et nutantes, dubiosq; Russorum & Lithuanorum animos liberalitate & largitione maximè lanearum uestium, quarum permagnam uim secum apportarat, confirmauit. Et quoniam Nicolaus Moscorouius præfectura se abdicabat propter Skirgellonis superbiam & crudelitatē, hostiumq; potentiam, & Russorum atq; Lithuanorum fluxam fidem, Ioannem Olesnicium Polonum gente Dembnium, successorem rex ei dedit. Skirgellonem uerò ut Vilna amoueret, Kiouiensi arcis præfecit. Drohicinensem tractum cum Drohicino Melnico, & Bielsco arcibus Ioanni seniori duci Masouiæ hæreditario iure donauit, pactus ut is tractus, sicut ad Poloniam pertinebat, ita deinceps quoq; pertineret. Idem autem eius nomine dux regi præstaret quæ alij duces in Lithuania præstent. Deinde hyeme rex in Poloniam reuertit. Cum Silesijs ducibus Henrico Glogouiensi atq; Stinauiensi, & Conrado secundo Olesnicensi & Cossensi inducias pepigit: ea conditione, ut ij Calisiā ad se uenirent, ac de controuersijs atq; damnis datis secum transigerent. Vnde apparet ipsis aliquid dissidij cum

Rusiæ munitiones receptæ ab Heduigi regina.

Caunnū oppidum.

Trochi incēsi.

Lithuani fusi à Cruciferis.

Vilnensis arx superior à Polonis defensa.

Narimundus & Totiuilus duces interfecti.

Vladislai expeditio in Lithuaniam.

Masouiorum duci donatum.

Cum Silesijs induciæ.

Polonis intercessisse. De quo tamen nihil præterea compertum habemus. In Lithuaniam deinde milites in supplementum, commeatum, atq; arma Olesnicio transmisit. Aestate sequenti rursus Vitoudus cum Cruciferis ad Vilnam duxit exercitum, spe proditionis ab ijs, quibus exosus erat Skirgello, faciendæ inductus. Cognito uerò aduentu hostium Olesnicius præfectus, oppidum, ne receptaculo esset hostibus cremauit: sepibusq; de uiridi robore pluribus in locis extructis, aditum ad arces impediuit, & in uenientes hostes ad ædem Virginis matris, quam Franciscani sodales obtinent, impetum fecit: nulloq; de suis amisso in arcem se recepit. Animaduersa nostrorum audacia, desperataq; ob amotum Skirgellonem proditione, Vitoudus & Cruciferi paucis diebus soluerunt obsidionem: & ne nihil egisse uiderentur, reuertêtes, Vilcomiriam & Nouogrodecum castella supra Viliam fluuium à Skirgellone condita, ui cæpêre & incendêre, interfectis nostrorum præsidijs. Duabus deinde alijs excursionibus eadē æstate, Lithuaniam populati, Mednicos & Velzanos in Samagitia exussêre. Hyeme uerò ad Cauunum, quod regio præsidio tenebatur prouecti, tres munitiones in circuitu excitarunt, Naugardum, Metemburgum, & Ritteruerderum. Et hæc quidem extrema Vitoudo cum suis côcessa. Reliquas uerò duas Cruciferi suis præsidijs firmarunt, & ex his subiectam oram infestarunt. Porrò Ioañes Olesnicius, ut hostium conatus reprimeret, Alexandrum Viguntum regis fratrem cum expeditis copijs ad expugnandas eas munitiones misit. Et tentauit is quidem Ritteruerderum, sed mox infecta re discessit, cum propè abfuisset, quemadmodum postea cognitum est, ut id caperet. Cæperat iam Vuladislaum eius belli satietas, propter Polonicas occupationes, quibus distinebatur, & magnitudinem sumptuum. Cogebatur enim per omne id bellum frumento, larido, leguminibus & pecudibus submittendis, non modò præsidiariorum, sed & Lithuanorum ipsorum nobilium atq; popularium inopiam releuare, ne regionem hostilibus excursionibus peruastatam, & alioqui incultam ferè atq; sterilem delererent, & hostibus occupandam permitterent, nèue ipsi ad eos deficerent. Itaq; Henricum Zemouiti Masouij filium, qui Plocensis episcopus post Suborij mortem designatus erat, subornat, ut ad Vitoudum profectus clàm de pace ageret. Sublatus erat ueneno per eos dies Alexander Viguntus regis frater, qui propter industriam atq; dexteritatem in rebus agendis & mores minimè barbaros, regi charus fuerat, & Bydgostiam Inouuladislauiamq; ab eo acceperat, & Vvladislai Oppoliensium ducis filiam uxorem duxerat, sed nullos ex ea reliquerat liberos. De cuius morte Vitoudus uulgò insimulatus est. Hoc igitur extincto, facilius de pace inter regem & Vitoudum conuenit, cum rex ei principatum siue magnum ducatum posthabitis fratribus germanis superstitibus, pollicitus esset, cum quod illos ignauos & uenationibus modò atq; ebrietati deditos esse cerneret, tum ut se molestia belli Lithuanici, & metu insidiarum Vitoudi liberaret. Hac igitur conditione Henricus Vitoudum Vvladislao reconciliauit: & ipse iam Hypodiaconus repudiato sacerdotio, filiam Vitoudi Ringalam uxorē duxit. Sed paucis diebus ueneno extinctus, temerati uoti pœnas dedit. Qua re cognita, Bonifacius pōtifex, cum Plocense collegium sacerdotum alium sibi episcopum eligere cunctaretur, Mamphiolum propinquum suum episcopum dedit Plocensibus. Sed cum is possessionem episcopæ adipisci non posset, aduersantibus ducibus, sacroq; & equestri ordine, Iacobum Corskeuium siue Curduanouium equitem Polonum, Iurecōsultum & auditorem palatij apostolici, in locum eius suffecit. Atq; hic quoq; ægrè receptus est. Vitoudus autem rebus suis cum Vvladislao ex animi sui sententia compositis. Cruciferos atq; Teuthonas mercatores in Ritteruerdero castello secum commorantes comprehendit, & incenso castello uinctos in Lithuaniam secum abduxit. Abeuntem Cruciferi è reliquis duobus castellis persecuti, & adorti paruo negocio fusi, fugatiq; sunt, & castella à Vitoudo ui capta, & exusta. Veniēs autem Vilnam Vitoudus cum captiuis, & non contemnēda præda parta de Cruciferis, honorificè ab Olesnicio, quemadmodum rex iusserat, acceptus est. Quibus de rebus certior factus Vvladislaus, ad finem mensis Iulij properè in Lithuaniam profectus, apud Ostrouum Vitoudum cum suo comitatu supplicem obuium habuit, clementer eum consolatus, cum Skirgellone in gratiam reduxit, cum ei rex promitteret, ac diplomate etiam caueret se Vilnam, Vitepscum, Mereciam, et Gartenum arces ipso inscio nemini traditurum esse. Vbi Vilnam uentum est, ibi rex Vitoudum amoto de præfectura Olesnicio, summæ rerum apud Lithuanos atq; Russos præfecit, accepto ab eo iureiurando, quod in fide & clientela Polonorum semper futurus esset. Hoc idem Anna uxor eius pro se & pro marito spopondit, & literis consignatis cauit. Id adeò anno Christi 1392. actum est. Nec tamen datus Vitoudo princi-

Vitoudus Vilnam rursus oppugnat.

Medniki & Velzani uici exusti.

Commeatus Lithuanis è Polonia suppeditatus.

Vitoudus regi reconciliatur.

Iacobus Corskeuius auditor palacij Apostolici.

Vitoudi reditus in Lithuaniam.

Vitoudus iurat in uerba regis Polonorum. 1392. ann.

principatus,pacem Lithuanis attulit.Nam Suitrigello & Skirgello indignè tulerût,quòd germani fratres Vitoudo patrueli posthabiti essent.Ac Suitrigello quidem cum minus animi & uirium haberet,ad Cruciferos profugit: & Lithuaniã cum eis ultrò in Vitoudum incitatis,crebris populationibus diuexauit.Per quod quidem tempus Surassum, Barthenam,& Stramelam arces Cruciferi de Lithuanis cæpêre. Skirgello uerò maiore animo & opibus præditus ex æmulatione & iurgijs ad testatas cũ Vitoudo inimicitias uenit.Quorum malorum sedandorum causa rex rursus cum regina anno sequenti in Lithuaniã contendit,Skirgellonem adiecto ei Cremecensi,Starodubensi, & Sarotrocensi tractu,placauit.In posterum si quid noui dissidij inter eos ortum esset,conuenit ut reginæ arbitrio staretur.Ita quidem Dlugossus, & post eum Miechouiensis. Verùm extant Vitoudi literæ, quibus is testatum facit,secum Skirgellone in gratiam rediisse,& societatẽ contra quemlibet,excepto rege Polonorum,iniuisse.Ac se quidem Kiouiensem dominatum armis quęrere,ipsiq; & hæredibus eius iure sempiterno tradere debere: Vvladislaum uerò regem, se assentiente. Cremeneciam & Stoscum eidem donasse, propterea quod is patrimonio in gratiam suam cessisset.Lithuanica historia hic Skirgellonis mentionem non facit. Sed Coributhum fratrem eius,detrectantem imperium Vitoudi, comparato exercitu cum Vitoudo conflixisse:uictumq; Nouogrodecum, ubi uxorem & liberos habebat, fugisse,& cum his expugnata arce à Vitoudo captum esse. Atq; hinc nata esse uidetur sponsio Alexandri Rezanensium ducis pro Coributho regi iacta, & literarum monumentis, quæ extant in archiuio regio,signata,cum eum rex è uinculis liberasset. Nec multo pôst Andreas quoq; frater eius,qui Chencinis asseruabatur,dimissus est, Vitoudo & alijs quibusdam ducibus interuenientibus, regiq; fideiubentibus pro ipso. Theodorus uerò dux Vvladimiriensis (Lubartus is fuit,ni fallor) dominatum Seueriensem tunc à rege accepit promittens consignatis etiam literis,in fide & potestate regis semper se futurum esse. Ita constitutis rebus Lithuanicis,rex & regina in Poloniam reuertêre.Orsam deinde iussu regis à Vitoudo expugnatam esse,Lithuanica prodit historia, Vitepscum uerò per deditionem receptum,eiecto Suitrigellone, qui Theodorum quendam aucupem oræ illi nuper à rege post mortem matris præfectum excluserat,& per dolum interfecerat.Atque hæc fortasse Suitrigelloni causa ad Prussos fugiendi fuit.Occurrisse autem Vitoudo eam expeditionem facienti duces Odruscenses, Smolenscensem uerò Vitepscum uenisse, & omnes professos esse, se in potestate ipsius Vitoudi esse. Vere autem proximo eundem Vitoudum Zithomiriam & Kiouiam in potestatem suam redegisse: amotoq; Vvladimiro duce, Skirgelloni eam,sicuti promiserat, tradidisse: à Skirgellone uerò Cercassos & Suinigrodum munitiones captas esse. Nec multo post ipsum ad uenationem profectum, à monacho quodam Russo Metropolitæ uicario ad uillam inuitatum, uenenatoq; poculo de medio sublatum,in Piezaris honorificè sepultum esse. Sunt autem Piezari specus uastissimus apud Kiouiam, illustrium Russorum sepultura nobilis.Dlugossus in arce Vissegradensi occisum propter intolerabilem crudelitatem refert. Prosequitur deinde Lithuanica historia, Vitoudum Kiouiensibus misisse ducem Ioannem Olgemundi filium, Rezanensem autem tractum per Simonem ducem magna ex parte uastasse.Ipsum uerò Smolenscum contendisse, ac ducem eius oræ Glebum rebellantem amouisse, & alium Smolenscijs præfecisse:eoq; ad Vitoudum uenisse Basilium ducem Moschorum, generum, & honorificè ac liberaliter acceptum esse, ac dimissum. Tartaros deinde è legato Vitoudi, Olgerdo duce profligatos,cæsis tribus eorum ducibus quibus Podolię tributum pendebat: Theodorum autem Coriathi filium Podolię ducem imperium Vitoudi detrectantem uictum,captũq;, & Bratislauiam,Cameneciam,Smotriciam,Scalam,Ceruonygrodum, & omnem Podoliam in potestatem redactam esse.Postea uerò Vitoudum Vvladislao regi petenti partem Podoliæ cum suprà memoratis arcibus concessisse, quadraginta millibus florenorum ab eo acceptis.Hæc ita bona fide è Lithuanica historia hîc retulimus. Tametsi quòd ad Podoliam & Cameneciam attinet,uel errasse,uel data opera seriem rei deprauasse uidet̃ scriptor,quisquis ille fuit.Primum enim ut demus Lithuanis,eam oram Podolię Tartarorum excursionibus desolatam, à Coriathi filijs occupatam,ab eisdemq; arces suprà memoratas,excepta Bratislauia,munitas esse:uicissim illi nobis concedant oportet, id quod superiùs exposuimus, Russiam meridionalem & Podoliam usq; ad Cremeneciam à Cazimiro magno Polonorum rege subactam esse: idq; nos non leui coniectura collegimus, sed pactis ipsorum ducum Lithuanorum, inter quos fuit Georgius unus de Coriathi filijs, Theodori huius frater, quem à Valachis ei oræ finitimis interfectum Lithuanica historia

Suitrigello ad Prussos transijt.

Lithuania uastatur à Cruciferis.

Coributhus cũ uxore & liberis captus à Vitoudo.

Theodorus dux Seueriensis iurat in uerba regis.

Odruscenses & Smolenscẽses duces subditi Vitoudo.

Rezania uastatur.

Podolia subacta à Vitoudo, & pars eius regi Polono uendita.

Podoliam nõ à Vitoudo, sed à Cazimiro rege subactam esse.

memorat, cõprobauimus. Deinde cum ut quæq; ora ad regnum adiuncta est, ita eius oræ palatinus in amplissimo senatu regio locũ tenet, Podoliæ palatinus Belsensem præcedit. Iam aũt hoc tempore cuius res gestas nũc persequimur, Belsensis tractus, in ditione Polonorum erat: imo sequenti aut certè tertio anno pòst Zemouito Masouiorũ duci, à rege donatus est. Ad hæc, sicut cæteræ Russiæ quæ in ditione Polonorũ regũ tunc erat, ita Podoliæ quoq; Vngaros rex Ludouicus præfecit, sicuti nos suprà memorauimus. Et extãt in archiuio regio binæ literæ Theodori ducis Podoliæ ac domini de Muncatio, quæ arx est in Vngaria, pauló pòst hæc tẽpora scriptæ, quibus testatũ facit, se cum Vvladislao rege Polonorum transegisse, & cum Podolia ipsi se in fidem & clientelam tradidisse. Postremò extat exemplum diplomatis ipsius Vvladislai regis sub titulo & signo Alberti Archiepiscopi Gnesnensis, ex ipso exemplari descriptum, quo rex indicat, Camenecẽsem arcem ac territorium Vitoudo & hæredibus eius in feudum, ut uocãt, à se dari, idq; anno Christi 1394. factum esse. Quod quidem tempus cõgruit cum eo, quo scriptor ille eandem Cameneciã cum cæteris eius oræ arcibus Vitoudũ per uim cœpisse memorat. Quo fit, ut sit uerisimilius, Vitoudum, cum partem Podoliæ eam, in qua est Zitomiria, & Cercasi, in potestatẽ suam redegisset, Cameneciam quoq; de Vngaro duce partã, precario tamen à rege, ut quę ad regnum pertineret, obtinuisse. Reliquum uerò eius oræ Vngarum indulgentia regis deinceps quoq; retinuisse. Per hoc aũt tempus Cruciferi Prussienses incitãte Suitrigellone, Lithuaniam crebris excursionib. longè, lateq; uexarunt: munitiones etiã nõnullas cœperunt, & caput gentis Vilnam tentarunt, spe subornatæ per Russos monachos proditionis & incendendarum arcium: sed cum ab uno ex ipsis detecta esset proditio, sumptumq; de conscijs supplicium, Cruciferi re infecta recesserunt. Erant quidem ad manũ Lithuanis non cõtemnenda Polonorum partim à rege missorum, partim uoluntariorum auxilia: sed nusquam tamen ad uniuersam prælij dimicationem cum hoste uentum est. Satis habuêre nostri ex insidijs hostiles uires carpere, nonnunquam etiam ipsi in hostilem agrum populabundi excurrêre. Quo factũ est, ut non minus incõmodi acceperint Cruciferi, quàm intulerint. Dum hæc ita geruntur in Lithuania, interea rex & regina studijs pacis occupati, muros arcis Cracouiensis, qui humiles ad eam diem fuerant, altius excitarũt, præfectis uigilum, quos Burgrabios uocant, stipendia auxerunt, & ut singulos equites sagittarios in promptu semper haberent, iniunxerũt. In suburbano etiam Cracouiensi septentrionali, & in ora Clepari oppidi, monasteriũ titulo S. Crucis inchoarunt, & in eo Slauos Benedictinæ sectæ Praga accitos, qui Slauica lingua sacris operarentur, collocarunt. Quanquã aũt templum id atq; monasterium consumatum nõ est, morte Heduigis reginæ intermissum, cantatum tamen ibi & sacra facta Slauica lingua usq; ad suam ætatem Dlugossus memorat. Aliud item monasteriũ in eodem suburbano occiduo, titulo S. Mariæ in arena Carmelitis sodalibus mendicantibus condidêre. Psaltarum quoq; siue psalteristarum collegium in basilica Cracouiensi ijdem instituêre, attributo eis de salinis salario. Sub idem tẽpus Ioanne cognomento Paruo episcopo Cracouiensi mortuo, successor à collegio designatus est Setegius siue Secechus Chmielecius canonicus. Sed rege & regina postulantibus Bonifacius nonus Pontifex Max. Ioanne abrogato, Petrum Visium iureconsultũ præpositũ Vladislauiensem & cancellarium reginę, equestri Brogorũ siue Aceruorũ familia ortum nõ optimo consilio episcopum fecit. Sed luit is pòst ambitionis suę pœnam. Venit per eadem tempora in Poloniam Sigismundus rex Vngarorum, uisendæ Heduigis reginæ causa. A qua dies aliquot Sandeciæ perhumanè habitus, & post longos tractatus de rebus publicis & priuatis dimissus, in Vngariã reuertit. Id adeò pòst Mariæ reginæ, Sigismundi uxor, Heduigis uerò soror fuerat, mortem factum esse, ratio temporum argumento est. Scribit enim Antonius Bonfinius, Multum negocij Sigismundo Croatas, Bosnienses, Bulgaros, Valachos, atque Transalpinos, mulieris & externi regis imperium aspernatos exhibuisse, armisq; ad officium reuocatos, cæteros quidem quieuisse, Stephanum uerò utriusque Valachiæ palatinum denuò rebellasse. Interim autem dum cum bello persequitur Sigismundus, Mariam reginam obijsse: eoq; cognito, Vvladislaum regem Polonorũ cum ualido exercitu in Vngariam inuadere conatum esse, ut Heduigis uxoris nomine hæreditarium regnum in potestatem suam redigeret: sed occurrente sibi ad fines Poloniæ Ioanne Canysa Strigoniensi archiepiscopo cum armata manu, cœpto destitisse. Extant etiam in Archiuio regio diplomata fœderis cum Mircio Bessarabiæ siue Transalpinæ Moldauiæ palatino fœderato regis Vngarorum à Vvladislao pauló antè hoc tempus icti: quo cautum est, ne Vvladislaus inscio Mircio Vngarorum regi bellum inferat: inducias uerò aut fœdus,

1394. ann.

Cruciferi uexant Lithuaniam.

Cracouiensis arx firmata. Burgrabij.

Electio episcopi abrogata.

Sigismundi regis Vngarorũ aduentus in Poloniam.

Vvladislaus rex conatus Vngariam inuadere.

Mircius Trãsalpinẽsis palatinus fœderatus Polonis.

fœdus, si quod reges inter se icerint, approbet. Inde fortasſis ortum eſt illud colloquium Sigiſmundi cum Heduigi non officij gratia, quemadmodum Dlugoſſus ſ lacet, ſed de ſtabiliēdo regno ſuo apud Vngaros. Quos ille ſibi iam inde ab initio infenſos, in Heduigim uerò ut iuſtam hæredem Ludouici regis propenſos eſſe non ignorabat, ut ea delinita & aſſentiente tranquillius regnaret. Per idem tempus Henricus epiſcopus Vvladislauienſis in fidem Vvladislai regis conceſsit. Vltróne autem, an ui adactus, non comperimus: ac ne illud quidem, cur aut quando à rege defecerit: niſi quòd ueriſimile eſt, cum Cuiauiam rex & regina Zemouito Maſouiorum duci hypothecæ nomine tradidiſſent, eum quoq; cum Cuiauijs Zemouiti fidem ſecutum fuiſſe. Tametſi extant literæ Zemouiti quarto demum anno pòſt ſcriptæ, quibus is teſtatum facit: Decem millia ſexagenarum, quarum nomine Cuiuiam tenuerit, a rege & regina ſibi ſoluta eſſe: nec tamen adijcit, reddat'ne, an iam prius reddiderit Cuiauiam. Extant etiam Vvladislai Oppolienſium ducis literæ per hæc tempora ſcriptæ: quibus ille Cuiauiæ quoque ducem ſe nominat, ita ut eam dotis nomine in pignus accepiſſe à Zemouito uideri poſsit, habebat enim eius filiam Agathiam in matrimonio, niſi forté quòd Inouuladislauienſe territorium habebat in Cuiauia, Cuiauiæ ducem (ut faciunt uulgò principes) ſeſe uocitabat. Fecit quidem per illud ipſum tempus rex bellum huic Vvladislao: nec tamen reperio Cuiauiam obnoxiam fuiſſe eius belli incommodis, præſertim cum in Dobrino id gereretur. Quin regi tunc aduerſus Vvladislaum Cuiauij militarunt. Cauſæ autē belli regi hæ fuiſſe memorantur, ut ſe religione iuriſiurandi, quôd initio regni ſui dederat de recuperandis ijs ditionib. quæ ſuperiori tempore à Polonia auerſę erant, exolueret, et illum detrectantē imperiū ſuum coërceret: nam neq; reddebat ille quæ prodiga Ludouici regis dona, quēadmodū ſuo loco expoſuimus, acceperat: neq; iuſiurandū dabat, ſe cum illis ditionibus in fide & poteſtate Polonorū iure feudi, ut uocant, ſemper fore: in quo rex acquieturus erat, quinetiā contēptim atq; ſuperbè legatis regijs reſponderat, ac tumulis etiam cōplurib. excitatis ditiones illas ſuas ad Zitnū oppidū ab reliqua Polonia diſiunxerat. Ad hæc Inouuladislauienſe, Vvladislauiēſe, Tuſnenſe, atq; Tucholienſe territoria rege inconſulto Heduigi filiæ, quæ cum Alexandro duce nupta fuit, donarat. Magiſtro autem Conrado Valrodio atque ordini Cruciferorum Pruſsienſium, primum Zlotoriam ſex millibus ſexcentis triginta duobus aureis Vngaricis, mox totam Dobrinenſem terram quinquaginta millibus oppignerauerat. Quo facilius autem eum incautum rex opprimeret, cum quinq; modò conſiliarijs (quinam uero hi fuerint, non proditur) rem communicauit. Cum Zemouito iuniore Maſouiorū duce genero ſuo, & affine Vvladislai de quibuſdam controuerſijs, ſiue eę fuerint de Cuiauia, ſiue de dote ſororis ſuæ, quod ueriſimilius eſt, bona eius conditione aſſentiente regina tranſegit, & Belſenſem, Lubaſſouienſem, Buſcenſem, Grabouicēſem, Hrodlenſem, Sokoloſienſem, & Lopatinenſem præfecturas iure ſempiterno & in hæreditatem ei dedit, his legibus ut eas non niſi regno Polonico ſubiectis hominibus uendere poſſet: expeditiones bellicas cum rege & Polonis obiret: nec bellum cuiquam rege inconſulto inferret. His ita prouiſis, & indicta toti Polonię expeditione, Chriſtinum Oſtrouiū Caſtellanū Sendomirienſem cum parte copiarum aduerſus Dobrinum præmiſit: ſiue ut Vvladislaum à ſuſpicione propinquioris belli auerteret, ſiue ut duplici bello uires eius diſtineret: ipſe cum reliquo exercitu, cum ſe Chriſtinum ſubſequi ſimulaſſet, deflexo itinere ad Olſtinum caſtrametatus, tertio die eam arcem expugnauit. Ad cæteras deinde arces, partitus cum Spitcone Melſtinio palatino Cracouienſi copias, aduentu Zemouiti & Ioannis ducum Maſouiorum auctas, properè diſcurrit, ne quod perterritis reſpirandi ſpaciū daret, intra 7 diem Crepicia, Velunum, Oſtreſouia, Breznicia, Bobolice, & Grabouia in deditionem accepta. Zenſtochouienſe & Velunenſe ſuburbanum monaſterium haud multo antè à Vvladislao duce condita, unà cum poſſeſsionibus ſuis edicto prij regis intacta ab huius belli clade manſere. Reliqua erat una arx Bolesłaueccia loco arteq; munita ſupra Proſnam flumen ſita. Quæ quia armis, præſidio, & commeatu, ſecundo flumine importatis abundabat, ſeptem annis obſidionem pertulit. At Chriſtinus Caſtellanus Sendomirienſis, ut primum Dobrinenſem orā attigit, adiunctis ſibi Cuiauijs, Dobrouunicos arcē circumſedit. Sed cum accepiſſet Magiſtrū Cruciferorū Pruſsienſium Conradū contra ſe cū ualidis copijs aduentare, ſoluit obſidionem. Ipſe uerò Vvladislaus dux è Sileſia regias ditiones latrocinantis in modum infeſtauit, mercatorū Polonorū ad Vvratislauienſes nūdinas proficiſcentiū merces & facultates cum currib. diripuit. Confluebāt enī ad eum etiā è Polonia multi, partim qui ſuis bonis pfuſis, alienis inhiabant, partim qui rei capitalis damnati aut

Vvladislauienſis epiſcopus iurat in uerba regis.

Vvladislaus dux Cuiauiæ.

Zitno oppidum.

Ruſsiæ pars in regna Zemouito Maſouiorum duci data.

Olſtinum expugnatum.

Zenſtochouienſe monaſterium conditum.

Vvladislaus dux latrocinium exercet.

proſcripti erant, aut conſcientia ſcelerum ſuorũ profugerant. His igitur irritatus rex, in ditionem eius paternam cum exercitu impetum fecit, Caſtella quædam & oppida cœpit, agros, pagosq́ depopulatus eſt, & Oppoliam primarium eius oppidum cum duabus arcibus obſedit. Et implorauit quidem Vuladislaus dux Vẽceslai Cæſaris & regis Bohemorum opem, ſed non impetrauit, propterea quód iecerat is pauló antè fœdus cum rege Polonorum, quo ſexcentorum haſtatorum, ac totidem baliſtariorum auxilia contra quemuis hoſtem, contra rebelles autem ſubditos ſocietatem principes hi ſibi inuicem promittebãt. Quanquam exceperat Venceslaus electiores imperij, Vuratislauienſem epiſcopum atq́ ciuitatem, ducesq́ Polonos & Sileſios Bohemorum clientes, uerum eatenus modó, ut neceſſe haberet contra eos Polono auxilia mittere. Sed reuera ignauia Cæſaris in cauſa fuit, quód clienti opitulatus non eſt. Cùm igitur in illo nihil eſſet ſpei, Vuladislaus dux Conrado Olesnicenſium, & Bernardo Nemodlienſium ſiue Falkenbergenſium ducibus fratre ſuo de precatoribus ad Vuladislaum regem, miſsis ut uult Dlugoſſus, pacem impetrauit his conditionibus, ut ablata mercatoribus bona reſtitueret, rex uerò Lublineciam & Strelce arces, & præterea neſcio quæ caſtella & oppida de ipſo capta, iure belli retineret: quæ mox Spitconi Melſtinio utenda fruenda dedit. Cæterùm extat in archiuio regio tranſactio Boleslai & Bernardi ducum Oppolienſium, & fratris ipſorum Ioãnis (Cropidlonis nimirum) epiſcopi Camenẽſis cum Vuladislao rege ſub Oppolia, defuncto interim, ut uidetur, Vuladislao, facta, & nouem ſignis ſignata, qua diſertè cauetur, ut illi ipſi duces Oppoliam, Glogouiam, minorem uidelicet, Strelce ac Domarazum arces, oppida ac territoria deinceps retinerent, ſicut Vuladislaus patruus ipſorum tenuiſſet: prouiderent autem ne quid nocumenti inde regi, Poloniæq́ inferretur: captiui utrinq; ut redderentur. Boleslaueciæ, quæ à præſidio Vuladislai defuncti Agathiæ uxoris eius nomine tenebatur, ne quid commeatus, uel auxilij contra regem ſubmitterent: curarent autem ut arx ea nemini alij quàm regi Polon. dedatur: De Oleſno uerò & Lublinecia ne quid negocij faceſſerent Spitconi Melſtinio. Omnia tamen hæc ut ita fierent, ne quid iuri regis Bohemorum derogarent. Fide iuſſerunt autem ducibus pro ſupra memoratis, cuncta hæc rata firmaq́ fore, Venceslaus epiſcopus Vuratislauienſium, Ludouicus Bregenſium, Conradus Olesnicenſium & Gozlenſium, & Præmislaus Opauienſium duces, promittentes cum rege ſe futuros eſſe contra illos, ſi quid feſellerint. Magiſtratus uerò urbani Oppoliæ, Glogouiæ, Strelce, & Crepiciæ promiſerunt ſe ſine ulla tergiuerſatione oppida illa ſuo regi certisq́ proceribus Polonis ab eo deſignatis dedituros eſſe, ſi ſuprà memorati duces ſui pactis non ſteterint. Hæc nos, quàm Dlugoſſum ſequi maluimus. Oppignerauit autem poſtea Melſtinius Lublineciam, Oleſnum, & Gorzouum Præmislo duci Ceſsinenſium, & filijs eius Boleslao & Præmislo mille marcis Pragenſibus. Eiusq́ rei monimentum extãt literæ ab iiſdem ducibus conſignatæ. Dlugoſſus autem memoriæ prodidit, Vuladislaum regem ea bona reddidiſſe Bernardo ſupramemorato Oppolienſium duci, cum is Heduigim filiam Melſtinij uxorem duxiſſet, ac Boleslaueciam regi Vuladislai ducis defuncti uxor reddidiſſet. Hoc ipſo autem anno nempe 1396. Sigismundus rex Vngarorum cum Turcæ, duce Baiazete Amurathis filio, Thracibus, Græcis, & Macedonib. deuictis, Myſos, hoc eſt, Bulgaros & Raſcios uexarẽt & Vngaris abſtraherent, coadunato è uarijs gentibus Chriſtiani nominis ingenti exercitu, infeliciter pugnauit apud Nicopolim; elapſus tamen, traiecto naui Danubio Conſtantinopolim fuga delatus eſt, & inde aliquanto poſt Rhodum, ac deinde in Dalmatiam & Vngariam reuerſus. Interim autem Turcæ anno ſequenti Vngariæ prouincias fœdè populati ſunt, cumq́ Sigismundus rex periiſſe putaretur, Vuladus Beſſarabiæ palatinus & comes Seuerienſis cum ditione ſua in fidem & clientelam Vuladislai regis, Heduigisq́ reginæ Polonorum, ut hæredis Vngariæ ultrò conceſſit. Alij præcedenti anno funeſtum illud Chriſtianis prælium commiſſum eſſe prodidêre. Militauerunt autem in eo bello contra barbaros etiam Poloni uoluntarij, & nõnulli ex ijs fortiter dimicãtes occubuêre. In quibus nobiles in primis fuêre Baſilius Caſtellanus Viſſegradenſis cũ Rolando filio, & Thomas Calſcius. Sciborius uerò Sciboricius gente Oſtoius fugiens cum rege & Vngaris cùm nauim ingredi nõ poſſet, inſequentibus Turcis, ita ut erat armatus, in Danubium ſe proiecit & enatauit, charusq́ poſtea Sigismundo regi fuit. Inſequenti anno Vuladislaus rex iratus Cruciferis Pruſsienſib. quód ij uiolato fœdere arma contra ſe mouiſſent, Dobrinumq́ improbè interuertiſſent, ſimulq́ (& magis quidem fortaſſe) quód Lithuaniam infeſtare nõ intermitterent, & magnam Samagitiæ partẽ occupaſſent, bello eos perſequi cogitabat. Sed abhorrebant ab eo bello procerum Polonorum

Oppolieñſis tractus uaſtatus à rege Polonorum.

Lublinecia & Strelce in tractu Oppolienſi Spitconi donata.

Lublinecia & Oleſnum duci Ceſsinenſium oppignerata.

1396. ann. Sigismundus rex Vngarorũ à Turcis profligatus apud Nicopolim.

Sciborius Polonus armatus Danubium tranauit.

Conſultatio de bello Cruciferis inferendo.

norum animi, quòd non ignorabant se uniuersam Germaniam in se concitaturos esse. Itaque re in consultationem posita, cum maxima pars senatus quieta consilia magis probaret, placuit ut conuentus cum Cruciferis ijs de rebus Inouuladislauiæ ageretur; ad eumque conuentum ut regina modò cum proceribus proficisceretur: Verebantur enim, ne rex dolore acceptarum in Lithuania iniuriarũ exacerbatus, asperiore aliquo dicto intempestiuũ bellum exuscitaret. Neque tamen sic æqui aliquid à Cruciferis impetrari potuit. Sed nectere ij moras & excusationes, nostrorumque patientiam eludere, ut sibi diuturnitate temporis possessionem Dobrini firmarent. Ibi Heduigis reprehensa eorum cùm præsenti auaritia & fœderis atque iurisiurandi uiolatione, tum superiorum temporum ingratitudine & impietate qua in patronos suos Polonos usi erant, disertè quasi fatidico ore adiecit: Se quidem uiuente nihil eos aduersi pro illis ausis passuros esse: post mortem uerò suam maximis incommodis atque cladibus suis illa omnia expiaturos. Ita tunc rebus infectis, neque certa pace, neque aperto bello Inouuladislauia discessum est. Hoc autem anno Vitoudus expeditionem illam in Tartaros, cuius paulò antè Lithuanica historia mentionem fecimus, fecisse memoratur, ac tribum unam Tartarorum, quam illi Ordam uocant, cum pueris & mulieribus abegisse, partemque captiuorum regi & proceribus Polonis dono misisse. Reliquos in media Lithuania supra Vacam amnem prope Vilnam agris attributis collocauisse. Qui manent ibi usque in hodiernum diem, boni ac diligentes patresfamiliâs & uirtutis priscæ, armorumque non immemores. Ritus autem patrios Machometicæ superstitionis adhuc seruant. Tametsi negant ij se à Vitoudo subactos, uerùm ciuili bello domo pulsos, siue adeò in auxilium contra Cruciferos à Vitoudo euocatos, in Lithuaniam ultrò uenisse, & in eo quem incolunt loco à Vitoudo sibi concesso domicilium fixisse. Cui rei argumento est illud, quòd ij in hanc usque diem liberi legibus suis uiuũt, ex æquo cum Lithuanis magni ducis imperium agnoscentes. Verùm utut est de ijs, uictorem quidem certè exercitum è Scythia tũc Vitoudus reduxit, aut recepit, si quidem per legatum id bellum gessisse fertur. Inescatus autem hac uictoria & re benè gesta, annum quidem unum quieti & comparandis maioribus copijs dedit. Quo quidem anno Sigismundus rex Vngarorum Cracouiam, siue uisendi regis & reginæ, ut uult Dlugossus, siue res suas stabiliẽdi causa, magis etiam alienatis ab eo post cladem illam Nicopolensem Vngarorũ animis, & non obscurè nouas res molientibus iterum uenisse fertur. Insequenti uerò anno 1399. Vitoudus, nequicquam dissuadentibus rege & regina, alteram expeditionẽ fecit in Tartaros: ad quam permulti de Polonica & Germanica nobilitate gloriæ cupidi nomina dedêre. Multi Heduigis reginæ, aduersos eius expeditionis successus prædicentis, authoritate de procinctu retracti sunt. Fuerunt autẽ in ea expeditione de Polonis maximè insignes Raphael Tarnouius Iasconis siue Ioãnis Castellani Sendomiriensis filius, Sendiuoius, Ostrorogus Dobrogosthius, Samotulius, Ioannes Glouacius palatinus Masouiensis, Ioãnes Dambrouius, Varsius Michouius, Socha Plocensis palatinus, Thomas Verneus, & illustris in primis Spiteo Melstinius palatinus Cracouiẽsis, ac dominus inferioris Russiæ siue Podoliæ, quã ei Vvladislaus rex ante duos annos frustrà reclamãte reginã cũ procerib. donarat, siue adeò certo pacto obligarat, ea lege, ut accit• à rege ad quoduis bellũ cũ auxilijs præstò esset. Recensitis apud Kiouiã copijs Vitoudus bonæ spei plenus, Scythiã cum infesto exercitu ingreditur. Imperabat tunc apud Tartaros Tamerlanes, humili quidem loco natus, uerùm scientia rei militaris & felicitate eò potentiæ prouectus, ut duodecies centena millia hominum haberet in exercitu: ac Turcis profligatis, imperatoreque eorũ Baiazete capto, & in ferrea cauea feræ in modũ secũ circũuectato, & Iberia, Albania, Armenia, Persia, Mesopotamia, Asia & Aegypto incredibili celeritate uastatis, orbem terrarũ terrore sui nominis impleret. Iamque transmissis Sula & Psola fluminib. ad campestria Tartariæ, & ad Vorsclam amnẽ Vitoudus nemine repugnante peruenerat, cũ Edigam unum inter duces Tartarorum potentissimum Tamerlanis legatum cum innumerabilibus copijs obuiũ habuit. Ibi cõsternatis nostrorũ animis, reginæ monita in mentẽ ueniebant. Itaque suadente maximè Spiteone, de pace cũ barbaris agi placuit: neque illi pacem aspernabant. Verùm id maiorũ cõsiliũ quasi timidũ ferociores plerique cũ reprehenderẽt, re uniuersæ dimicationis discrimini cõmissa, uicerũt barbari, nõ incruẽta quidẽ uictoria. Quod ni multitudinẽ abundasset, uirtute nostrorũ superati fuissent. Cecidêre de nostris plurimi, nec multi tamẽ. In his fratres regis, Andreas & Demetrius Coributhus, & alij nouem duces Lithuani & Russi: pauci uiui capti. Vitoudus cũ Suitrigellone patruele, Ostrorogo, & Samotulio, cum inclinari aciem suorum cerneret, pernici fuga euasit, Melstinius cum seu fuga, seu ducis hostiũ indul-

Conuentus reginæ cum Cruciferis.

Heduigis reginæ uaticinium.

Tartari in Lithuania collocati.

1399. ann.

Contra Tartaros altera Vitoudi expeditio.

Tamerlanes princeps Tartarorum maximus.

Sula fl.

Psola fl.

Vorsclas

Melstinij mors praeclara.

indulgentia, cui uirtutem & prudentiam suam inter colloquendum de pace probarat, saluus esse posset, inter confertissimos hostes honestissime occumbere maluit, quemadmodum ipse optarat & prædixerat Paulo Zucouio siue Sciucouio timorem illi exprobranti: Sciucouius uerò ille dictis quàm factis fortior, Thersitæ in morem, primus propemodum fugam iniecit. Nec diu Tamerlanes ei uictoriæ superstes fuit, eo ipso anno extinctus. Porrò Tartari continuantes cursum uictoriæ, in Lithuaniam populabundi usque ad Luscum excurrerunt. Kiouienses tamen tribus millibus rublorum oppidum, agrumque suum redemerunt. Continet autem in se rublus apud Lithuanos centum grossos. Sub idem ferè tempus Heduigis regina filiam Elizabetham Bonifaciam primo partu enixa est, eique post tertium diem extinctæ nec ipsa diu superstes fuit, & in læua parte basilicæ Cracouiensis ante aram maximam sepulta est, elata magnificentissimo funere, multorum regum & summi pontificis Bonifacii noni splendidis legationibus celebrato. Tametsi non ad exequias, uerum ad leuandam de sacro fonte prolē regiam, rege ipso inuitante eæ missæ erant. Fuit autem Heduigis singulari pietate & sanctimonia uitę prædita, ab omni fastu, leuitate, & iracundia aliena. Ocii iuxtà ac alienorum à suo sexu, atque dignitate negociorum fugiens, tempus omne suum uel diuino cultui, uel lectioni eorum quæ ad pietatē, moresque formandos pertinerent, uel denique audiendis, & leuandis uiduarum, pupillorum, & aliorum miserabilium hominum querimoniis impertiebat. Facultates uerò suas, quas amplissimas è paterna domo secum aduexerat, liberaliter in usus egentiū, in cultum diuinum, & in publicas utilitates expendebat. Ac præter ea quæ superius commemorauimus, uiuens aras duas in basilica Cracouiensi dotauit: Pragæ uerò domū peramplā Lithuanis, qui honestis disciplinis operā darent, siue emit, siue condidit, possessionesque perāplas, unde eis sumptus suppeditarentur, adiecit: quæ domus Reginæ uulgo dicta, Dlugossi temporibus hæreticorum furori intacta unà cum possessionibus suis fuit, sed ad nostram memoriam non permansit. Moriens uerò quicquid habuit reliquum in supellectili, partim egenis dilargiendū, partim ad excitandam Cracouiæ & consummandam Academiā, quam Cazimirus magnus Cazimiriæ inchoauerat, legauit: nuncupatis executoribus ultimæ uoluntatis suæ, Petro episcopo, & Ioanne Tencinio Castellano Cracouiensi. Donauit etiā basilicæ Cracouiensi uestem ad sacra peragēda factam, margaritis & lapidibus preciosis distinctam: duo anni tempora, Quadragesimam & aduentum Domini religiosa abstinentia & ieiunio semper coluit. Delicias, pompas, & ostentationem diuitiarum contempsit, ita ut cum propinqua partui, regali cultu atque magnificentia exornare cubiculum regis absentis literis iuberetur, respondisse ei feratur, se pompam omnem & inanem splendorem pridem abdicasse: nec inscium esse, sæpe mortem partui comitem esse. Tum autem rectiùs se utilitate & neglectu mundani fastus diuinæ benignitati, quæ sterilitatis probrum à se amouerit, responsuram esse. Feruntur autem ob sanctitatem eius, miracula quædam ad tumulum eius postea fuisse edita.

Tamerlanis mors. *Tartari Russiā uastarunt.* *Rublus.* *Heduigis reginæ mors & laudes.* *Lithuanorum collegium Pragæ.*

DE ORIGINE ET REBVS GESTIS POLONORVM, LIBER SEDECIMVS.

IVstis reginæ peractis, Vvladislaus rex mœstissimus, ac de retinendo regno addubitans, quòd non ignorabat se externum uxoris nomine apud liberrimam gētem eò usque regnasse, in Russiam secessit: cogitabatque ultrò regno se abdicare, & ad paternū principatum reuerti potius, quàm ut ui, & armis summa cum ignominia pelleretur. Sed hæc eum cogitantem, primores Poloni placidè consolati cōfirmarunt, cum ei studia sua in posterum quoque detulissent. Quod si quam id ei dubitationem faceret, quòd alienus amissa uxore nihil iam hæreditarii iuris in regno haberet, ostendebant ei malo remedium, quod ipsa etiam Heduigis regina moriens indicasse ferebatur, nimirū ut Annam Vilelmi Ciliciæ comitis filiā, cuius sororem iam Sigismundus rex Vngarorum post Mariam in matrimonio habebat, secundam uxorem duceret. Eam enim iustam regni hæredem esse, propterea quòd Cazimiri regis neptis esset. Placuit consilium Vvladislao. Quocirca missi oratores ad Hermannum patruum puellæ (nam pater iam obierat) Ioānes Obychouius Castellanus Sremensis, Hincia

Vvladislaus cogitat regnum relinquere. *Secundæ nuptiæ Vvladislai.*

ſis, Hincia Rogouius, & Ioannes Oſtrouicius, optata omnia retulêre, ſimulq; ſponſam ad ſedecimam diem Iulij menſis anni ſequentis Cracouiam adduxêre: & cùm ea nullius linguæ præter Germanicam gnara eſſet, octò menſes condiſcendæ linguæ Polonicæ operā dedit, priuſquam nuptiæ celebrarentur. Interea rex in Lithuaniam profectus, pacta & fœdera cum Vitoudo & Lithuanis, ſuo Polonorumq; nomine renouit: ubi promiſſum eſt, & literarum monumentis cautum, ut ſi Vitoudus ſine liberis decederet, in regis & regni Poloni poteſtatem reciderent omnia quęcunq; is poſſediſſet, unà cum magno ducatu: excepta dimidia parte Nouogrodeci, cum quatuor prædijs, quæ Sigiſmundo Vitoudi fratri cedere debeat: ea quidem lege, ut is tamen regi & regno ſit ſubiectus: exceptis etiam bonis dotalibus Annæ uxoris Vitoudi, quę poſt eius demum obitum ad regem atq; regnū redire deberent. Hæc adeò anno Christi 1401. acta eſſe, è literis ea de re tunc conſcriptis & conſignatis conſtat. Reuertens autem rex è Lithuania, quoniam à nuptijs propter deformitatem ſponſę abhorrebat, proceribus Polonis interuenientibus menſe Februario apud Biezum oppidum cum Cilienſibus proceribus conuentum habuit: nouisq; pactis initis, ſeu prioribus confirmatis, liberalibus diebus nuptias peregit: cui celebritati Anna reginæ mater, Cazimiri regis filia, & Vitoudus cum Anna uxore interfuêre. Coronationem uerò nouæ reginæ in ſequentem annum dilatam eſſe Miechouienſis refert. Per hæc fermè tempora Academia Cracouienſis ex teſtamento Heduigis reginæ, & cumulatiore liberalitate regis condita eſt: duæ domus ſiue collegia excitata, alterum philoſophis & theologis in platea, quæ Iudæorum tunc fuit, nunc diuæ Annæ nomine nuncupatur: alterum iureconſultis & medicis, quà ex urbe ad arcem itur. Accitiq; magiſtri & doctores omnis generis è Pragenſi Academia, cenſusq; hiſ in perpetuum attributi à rege è ſalinis & telonio: & adiuncta omnia ſacerdotia apud diui Floriani, præter præpoſituram, ut uocant. Auctior deinceps ea ipſa Academia, & locupletior multorum & maximè doctorum ipſorum beneficentia reddita, magnoperè quodam tempore ſtudijs dialecticis, mathematicis, philoſophicis atque theologicis effloruit. Quietæ tunc res erant in Polonia, eoq; florebant pacis ſtudia. Non item alibi. Apud Bohemos quidem & Germanos Carolus Cæſar, qui ſe totum compotationibus, luſibus & nequitiæ dediderat, ita ut cum de arcis cuiuſdam ſuæ conflagratione nuncium accepiſſet, rogaſſe dicatur, Ancella uinaria incendio ſuperfuerit: ita contemptibilis fuit, ut primùm à Pragenſibus ciuibus caperetur, & aliquot menſibus aſſeruaretur: inde uerò cum euaſiſſet, iterum à proceribus quibuſdam, Sigiſmundo fratre conſcio, captus, Viennam cuſtodiendus deduceretur. Indè quoque cum elapſus eſſet, à principibus electoribus imperio amoueretur: & Robertum Palatinū Rheni, Bonifacio nono Pontifice Max. approbante, ſucceſſorem non inuitus acciperet. Infeſtata eſt etiam tunc ab Vngaris quidem Morauia: Bohemia uerò à Myſnenſibus & Morauijs Marchionibus, incitante Sigiſmundo: ne Vngaria quidem pacata fuit. Nam Sigiſmundus rex, dum fraterno regno inhiat, ſuum penè amiſit: captus quidem & ipſe eſt à ſuis Vngaris ob ſeueriorem in aduerſarios ſuos animaduerſionem, poſt Nicopolenſem cladem: & filijs Nicolai Garæ in cuſtodiam traditus, in arce Socloſſenſi aſſeruatus eſt. Ladiſlaus uerò rex Neapolitanus, Caroli interfecti filius, ad regnum euocatus: qui tamen è Dalmatia Neapolim reuerti neceſſe habuit, ſiue pulſus à Sigiſmundo, cum is è cuſtodia dimiſſus eſſet, ſiue ad comprimendos nouos motus eius gentis reuocatus. Iam & Galeatius Vicecomes, dux Mediolanenſium, totam fermè Italiam ad arma concitarat, & Florentini contra eum Robertum Cæſarem magna mercede & promiſſis in auxilium euocarât. Verùm is re infecta ex Italia in Germaniam ſe recepit. Porrò tota reſpublica Christiana duos tunc habebat pontifices iam inde ab Vrbano & Clemente. Nam Clementi Galli, & qui cum eis ſentiebant, Benedictum eius nominis tertiumdecimum natione Arragonenſem, Vrbano uerò Itali Bonifacium nonum: eoq; per hoc tempus defuncto, Innocentium ſeptimum, & huic mox Gregorium duodecimum ſuffecerunt. Hos alij principes & populi, illum alij ſequebantur. Ipſi pontifices ſe inuicem execrabantur, & pro ſchiſmaticis habebant, & ſtudia principum, multa indulgendo & conniuendo, ſibi comparabant: & tamen pro ſe uterq; concordiæ in eccleſia redintegrandæ, uel cum iactura pontificatus dignitatiſq; ſuæ ſe ſtudere, iureiurando etiam interpoſito & chirographis, præ ſe ferebant. Ita tunc perturbatus erat omninò ſtatus Christiani orbis. At in Polonia tranquilla ferè erant omnia: itaque per aliquot illos annos nihil in ea memorabile geſtum eſſe memoratur, præter quòd perduellium quorundam uias publicas infeſtantium latrocinia tūc Vladiſlaus rex coërcuit, expugnata per aulicum ſuum comitatum Sorſteno arce in Morauia,

Rex in Lithuaniam profectus.

1401. ann.

Academia Cracouienſis condita.

Carolus imperator bis captus, & ab imperio amotus.

Sigiſmundus rex captus ab Vngaris.

Schiſma in eccleſia Christi.

Sorſtenum arx expugnata ab aulico Vladiſlai comitatu.

Grotus Slupecius & Ioannes Rogala latrocinantur.

uia, quæ illis receptaculo fuerat. Fuere autem latronum illorum principes, Grotus Slupecius de Rauiorum familia, & Ioannes Rogala, quod etiam equestris familiæ nomen est, Castellanus Vvladislauiensis. Quorum hic quidem captus, multis annis carcerem pertulit, donec in Zauissij Nigri gratiam dimissus est: ille uerò euasit, sed arx eius Conari in tractu Sendomiriensi diruta est. Latrocinandi uerò occasionem ei dederat prior proscriptio, ob cædem Ioannis Ossolinij Castellani Vislicensis, dum disceptant inter se de limitibus agri præbendæ Sendomiriensis, quam filius Ossolinij obtinebat, patratam. Vlricus uerò Dreni hæres, Vvladislai regis & regni potestati sese subdidit, ea lege, ut si decederet sine liberis, arx ea regi cederet, præfectiq; arcis deinceps etiam ipso uiuente in uerba regis iurarent. Per idem tempus apud Posnaniam, cum diuinum Christi corpus in specie panis (quemadmodum antiquissimo totius ecclesiæ Christianę ritu & ipsius Christi & apostolorum eius instituto in templis publicè uulgò distribuitur) ab infelici quadam muliercula ore sublatum, ut Iudæis ad ludibrium uenderetur, mutataq; sententia in pratis suburbanis eius oppidi abiectum esset, miraculis quibusdam insignibus proditum est, & repertum. Itaq; templum in eo loco Vvladislaus rex condidit, & sanctissimi corporis Christi titulo dedicauit. Tarnouiæ uerò collegium sacerdotum Petrus episcopus Cracouiensis, Ioanne domino loci palatino Sendomiriensi petente, & redituum partem de suo conferente, instituit. Per hoc ipsum tēpus Dobrogostius, siue Bonauentura Archiepiscopus Gnesnensis mortuus, successorem accepit Nicolaum Curouium, gente Srenauium: qui Vvladislauiensem quoq; episcopatum, unde transferebatur, fauente rege, toto biennio simul retinuit.

Christi corpus in pratis Posnanien. repertum.

1403. ann. Valachiæ palatini iurant in uerba regis.

Anno sequenti, qui fuit à Christo nato 1403. Valachiæ palatinus Alexander, & mox Romanus Petri filius, cum è potestate & uinculis Suitrigellonis à rege liberatus esset, iurauit unà cum consiliarijs in uerba regis, in potestate eius atq; regni se esse, foreq; professi sunt. Romanus uerò etiam societatem belli contra quosuis hostes, Prussis atq; Lithuanis propter locorum intercapedinem exceptis, promisit. Boguslaum uerò Pomeranorū ducem rex in aulam suam suscepit, octingentarum marcarum stipendium ipsi pollicitus, ut quoties opus esset, cum centum hastatis sibi militaret. Porrò Vilelmus marchio Misnensis, fœdus & societatem cum eodem rege pepigit: itemq; Vngari proceres cum Polonis: quo cautum est, ne alteri contra alteros regibus suis opitulentur. Ad regem quoq; Vvladislaū ijdem pòst de pace ac fœdere oratores cum certis mandatis misère: sed an inter eos conuenerit, non liquet. Ac ne illud quidem constat, quid his fœderibus causam præbuerit: nisi fortè odium Vngarorum, & perpetratum facinus in regem suum Sigismundum, sed magno studio Vvladislaus de liberando eo laborasse fertur, ita ut regnum quoq; à proceribus Vngaris sibi oblatum contemneret: quin Sandeciam profectus est, ut propinquitate loci terrorem Vngaris obijceret. Euasitq; tunc Sigismundus misericordia nobilis matronæ, cuius filijs in custodiam traditus erat. Non parum autem & Sciborius Sciboricius eques Polonus, ipsi commodauit, propterea quòd armis Polonorum & Bohemorū superiores Vngariæ partes, Poloniæ & Morauię finitimas, in fide eius continuit, compluresq; aduersariorum munitiones in suam potestatē redegit, & proceres quosdam captos in uinculis habuit: & cum neruo belli, pecunia inquā, deficeretur, à Vvladislao rege decem millia marcarum Polonicarum accepit mutua: pro hisq; nouam Marchiam, quæ simul cum ueteri hæreditario iure ad Sigismundum pertinebat, ipsi oppignerauit. Cuius rei monumentum extat in archiuio. Quanquam tunc non nisi quatuor millia ei numerata sunt: nec de reliqua pecunia postea numerata, neq; de possessione Marchiæ regi tradita, quicquam inuenio. At Vitoudus magnus dux Lithuanorum, cum Smolenscijs rursus rebellibus bellum gerebat: fretusq; Polonorum auxilijs, arcem Smolenscum, in quam ciues & nobiliores quiq; uxores, liberos & fortunas suas contulerant, aliquandiu obsessam & oppugnatam cœpit, magnasq; opes in ea repertas partim Vvladislao regi transmisit, partim militibus, ut quisq; meritus erat, dilargitus est. Cæteras uerò arces in deditionē accepit, & principatum omnem in formam prouinciæ redegit: dux in Vngariā profugit, & in ministerio Sigismundi regis uitam finiuit. Cum Cruciferis quoque Prussiensibus & Liuoniensibus bellum paruo tempore intermissum, Suitrigellonis opera ipsi recruduerat. Nunquam is tamē hostibus ditionem suam infestantibus occurrere ausus est: uerùm Liuonienses cum præda reuertentes, uestigijs clam secutus, cum ij diuersi domos abijssent, agros eorum uicissim longè, lateq; uastauit, pagos uicosq; incendit: ac Zuinam munitū oppidum ui cœpit atq; diripuit: arcem uerò oppido imminentem in deditionem accepit, incensisq; arce pariter & oppido, cum ingenti præda in Lithuaniam se recepit. Nec multò pòst rursus Lithuania

Vvladislai regis studium erga Sigismūdū.

Smolensciorū dux profugit.

Zuina oppidū & arx Liuoniæ à Vitoudo capta & incensa.

thuania hinc è Prusiensibus, illinc à Liuoniensibus Cruciferis uehemẽter peruastata est, multiq; mortales in seruitutem abacti, quos Vitoudus permutatione captiuorum liberauit. Tandem Vvladislaus rex afflictæ patriæ uicem miseratus, Suitrigellonem fratrem exulem è Prussia reuocauit, magno ære alieno, quod ibi contraxerat, exoluto. Ac ne quod ei cum Vitoudo noui dissidij seminarium relinqueret, Podoliam ei quinq; millibus marcarum. Pragẽsium à filijs Spitconis Melstinij redemptam, concessit: itemq; Strium, Zidassouiam in Russia, Sidlouiam, Stobniciam, atque Drugniam in Polonia: ad hæc mille quadringentas marcas annuas è salinis adiecit. Nec tamen ea liberalitas regis, animum Suitrigellonis sanauit. Conuentum deinde rex cum Prussicis Cruciferis apud Racianzum episcopi Vvladislauiensis oppidum, ad Pentecosten anni sequentis habuit: ubi sic de pace conuenit, ut rex quinquaginta millia (licet quadraginta sint apud Dlugossum) florenorum Cruciferis exolueret, Dobrinumq; & Zlotoriam reciperet: uerùm ut ratas tamẽ Magistri donationes atq; largitiones haberet, & pacta à Cazimiro Magno cum eis cõuenta rata esse iuberet. Deinde ut Nouogrodi magni dominatus regi, Samagitia uerò Cruciferis cederet: ipsi uerò, ut omni iure quod habebant in Lithuania, sese abdicarent: nec paterentur hostilem aliquem exercitum per ditiones suas in Lithuaniam transire, neq; ipsi per eam sine permissu regis copias suas ducerent: neq; receptarent proscriptos è Lithuania, ac ne profugos quidẽ propinquos regis: deniq; ut liberam mercaturã atq; societatem haberent inter se Lithuani atq; Prussi. His aũt conditionibus implendis annuum tempus constitutũ. Sic necessaria magis, quàm speciosa pace facta, Vvladislaus rex inuitatus à Magistro, Toruniã cum magna parte procerũ diuertit, triduoq; ibi mansit, splẽdidè & magnificè acceptus: per quos dies simulachro equestris pugnæ inter Theuthonas & nostros edito, cũ superiores illi ferè essent in eo genere, in quo sunt exercitatissimi, ad extremũ tamẽ Dobeslaus Olesnicius unus de nostris palmam & brabium obtinuit. Dum aũt Vvladislaus obequitans, situ, munitionẽ, atq; ędificia urbis contẽplatur, sordibus culinę à muliercula quapiam seu casu, seu data opera perfusus, mulierculæ morti ob id destinatę impunitatẽ impetrauit. Inde discedẽs in maiorẽ Poloniã diuertit, æstateq; ibi exacta, & particularibus conuentib. habitis, qui tunc primùm haberi ꝑpter nouam rem cœperũt: Corcinũ, q̃ comitia toti Poloniæ ad undecimã diem Nouembris indixerat, uenit: perfecitq; precario, ut sibi redimẽdi Dobrini causa, agraria contributio noua omniũ ordinũ cõsensu extra ordinẽ decerneretur, nẽpe deni grossi in iugera, ab agrestib. tantũ et oppidanis culta. Ex qua contributione cũ ordinaria illa binorũ grossorum, q̃ Rastralẽ appellauimus, cõiuncta, ad centum millia marcarũ tunc redacta esse memorantur. At nunc quando longè cultior atq; populosior est Polonia, ne ad quadraginta quidem millia peruenit. Vvratislauiam deinde rex splendido plus quàm quinq; millium equitum comitatu profectus est, cum Venceslao rege Bohemorum, illo postulante, congressurus. Animaduertebat enim Venceslaus, quamuis stupidus, cœnoq; uoluptatum penitùs immersus, se de summa rerum periclitari. Bis captus, & ab imperio amotus erat: palàm ab eo Sigismundus frater, ut sibi regno Bohemorum cederet, contendebat, & non obscurè fauebant ei Bohemi proceres. In gratiam eius etiã dux Austriæ Morauiam infestare uidebatur. Quo igitur obuiàm iret conatibus aduersariorũ Venceslaus, & regnũ suũ stabiliret, regis Poloni amicitiã & societatẽ certo fœdere sibi adiungere satagebat. Itaq; aduenientẽ perhumanè, lauteq; accepit, nõ sine admiratione opum eius: ita ut etiam Sbigneo Brezio cum sexcentis equitibus antecedenti, regem in eo comitatu adesse ratus, extra urbem obuiam prodijsse dicatur. Octo diebus de fœdere inter cõsiliarios regum tractatum est: et eò res propemodum perducta erat, ut Bohemus Polono Silesiam omnem redderet, Polonus illi uicissim cum quadringentis hastatis equitibus, quoties opus esset, præstò esset. Sed uel indigna res uisa est Polonis proceribus, Bohemis esse obnoxios, uel certè Ioannes Smiritius consilio & authoritate præstans inter Bohemos superueniẽs rem infecit. Dum hæc ita fiunt, nihilo tamen magis fida pax Polonis fuit à Cruciferis. Etenim cum expedita manu clàm in Masouiam ingressi, Ioannem ducem Cirnensium nihil hostile suspicantem, in prædio quodam, siue apud Zlotoriam arcem, quam tunc ligneam ædificabat, cæpêre: & equo impositum, ac subter aluum equi pedes indignè colligatum, arce incensa secum abduxêre: non multo pòst tamen à rege de uiolato fœdere admoniti, dimiserunt. Dimissus, paulò pòst in eam curam diligenter incubuit, ut nouum prælatorum & canonicorum, & item uicariorum collegium in templo & parœcia Varsauiensi institueretur. Et institutum id est ab Alberto Iastrembecio Posnaniensi episcopo, cum Ioañes dux luculentos reditus de bonis suis, àc de decimis à Plo-

Lithuania uexatur à Cruciferis.

Pax & pacta cum Cruciferis Prussiensibus.

Vuladislaus rex Torunium profectus.

Agraria siue iugeralis contributio noua decreta.

Venceslai regis Bohemorum fortuna.

Marsalci Poloni comitatus.

Acta inter Polonos & Bohemos.

Vrsauie collegium sacerdotum institutũ.

Iii censi

Gneuucouiensis conuentus cum Cruciferis.

censi episcopo permutatione quadam acquisitis, utriq; illi collegio, atq; parœcias aliquot & quædā alia sacerdotia, suppreßis ueteribus titulis, addixisset. Anno à Racianzensi conuentu circumacto, alter conuentus Gneuucouiæ à rege & Cruciferis de perficienda pace inchoata habitus est. Ibi noua res à Cruciferis oblata, negocium omne infecit. Postulabāt ij, ut rex Pomeraniæ nomen in inscriptionibus & sigillis suis non usurparet, quemadmodum cum Cazimiro rege multo antè conuenerat. Negabat ille: cōsiliarijs dissuadētibus. Itaq; Cruciferis Dobrinum non reddentibus, infecta pace discessum est. Tametsi extant in archiuio regio literæ Conradi magistri, hoc ipso tempore scriptæ: quibus testatum facit, quinquaginta millia Vngaricorum florenorum pro Dobrino & Zlotoria sibi numerata esse. Nec melior euentus fuit alterius conuentus cum Vitoudo in Lithuania. Sed tamen is cum ægrè se aduersus potentiam & uim Cruciferorum defenderet, mox deinde cessit ipsis Samagitia. Detrectabant Cruciferorum imperium Samagitæ, & nocturnis incursionibus atq; insidijs præsidium eorum affligebant, Vitoudumq; obsecrabant, ne se immanibus Teuthonibus proderet. Sed uincebat utilitatem necessitas. Itaq; iussu principis obsides dedêre Cruciferis. Quò facilius uerò eos Cruciferi in officio continerent, tres arces in Samagitia condidêre. Duas supra Nauazam fluuium, tertiam uerò in confluente Nemini atq; Dubezę. Profugerat iterum in Prussiam Suitrigello, spę totius Lithuanię per Cruciferos potiundæ: sed Podoliā nihilominus præsidijs suis tenebat. Itaq; conuentu Gneuucouiensi soluto, rex eò profectus, omnem eam cum arcibus in deditionem recepit, orto à Camenecia ciuitate initio: præfecturamq; eius oræ Petro Saffranecio Polono mandauit. Ab Alexandro Valachorū Palatino, iam inde à duobus annis sibi addicto, & consiliarijs eius Camenecīā euocatis, solenne iusiurandū, quod in fide et clientela sua, reginæ, ac filiorum, & regni Polonici permansuri essent, accepit, quanq; idem anno superiori Romanus Palatinus & ipse fecerat: cuius rei extant monumēta in archiuio regio utriusq; diplomata: unde credibile fit, eos inter se de principatu contendisse. At in maiore Polonia Thomas Venglesinius Castellanus Sendomiriensis, & præfectus maioris Poloniæ, Drahimum arcem ab ijs, qui religiosam militiam diui Ioannis nomine profitentur, interceptam, quadriduo expugnauit: eiectoq; præsidio, in potestatē suam redegit. Vitoudus uero pacē nactus à Cruciferis, eodē anno, qui fuit 1406. transmisso Vgra flumine, primam fecit in Moschos expeditionē, siue proferendorū finiū gratia, siue iniuria prouocatus à genero, duce gentis, Basilio. Parua & obscura initiò gēs Russorū fuêre Moschi, quemadmodū primo libro indicauimus: sed iam tunc accesione finitimarū gentiū, partim successionib. iustis adiunctarū, partim ui uel fraude subactarū, nō parua incrementa cœperant. Nec tamen elici ad pugnā potuêre. Peruastata igitur longè, lateq; eorū regione, Vitoudus præda onustus in Lithuaniam redijt. Fuerūt eius expeditionis socij Vitoudo cōplures de nobilitate Polonica, qui præda hostili magnopere ditati sunt. Maiore ui postea Vitoudus in id bellum, anno uno intermissum incubuit, fretus maioribus Polonorū, quibus Sbigneus Brezius Marsalcus præfuit, & Cruciferorū auxilijs: & usque ad Occam fluuium permagnū populabundus peruenit. Quo minus aūt fluuium transmitteret, Suitrigellonis patruelis armis prohibitus est. Nam is seu leuitate quadam ingenij, siue inuidentia stimulatus, Bransco & Starodubo arcibus, quæ in Seueria Vuladislai regis beneficentia obtinebat, incensis, ad Basilium hostem Vitoudi transfugerat, bonamq; illi nauabat operam, exercitum Vitoudi ex insidijs & iniquis locis lacessendo. Atq; hinc potest colligi, Suitrigellonem aut non ad Cruciferos profugisse paulò ante id tempus, sicuti nos dudū è Dlugosi sententia narrauimus: aut certè ex formula fœderis cum Vitoudo icti ab eis exactum siue exclusum, cū hostibus eius Moschis sese coniunxisse. Impetrauit tandem à Vitoudo pacem Basilius æquis conditionibus. Qua constituta, Vitoudus properè equos permutando, in Lithuaniā ad uxorē (ut erat in Venerē pronus) contendit. Exercitus uerò eius sine imperio & ordine ex Moschouia decedens, cum per uastata dudum à se, & ab ipsis etiam Moschis, loca iter faceret, fame afflictus: & magnis incōmodis propter cœli intemperiem in limoso solo affectus, et à Tartaris etiā, quos Moscus uelut cliens patronos in auxilium acciuerat, à tergo & ab laterib. incursantibus uehementer uexatus est. Verùm ij tamen uirtute Polonorum atq; Cruciferorum, pedestri magis quàm equestri, prælio uicti pulsiq; sunt. Poloni amißis armis & equis reuertentes, liberalitate regis abundè recreati. Lithuanica historia nullam belli cuiusquam à Vitoudo contra Moscos suscepti mētionem facit: & quidem trās Occā non Moschica, sed Rezanensis ditio est, quam à Vitoudo uastatā esse constat: quæ quamuis nunc Moschorū duci pareat, tūc quidē suum adhuc habebat ducē, Olgū nomine. Per hoc tem-

Precium pro Dobrino numerata à rege.

Samagitæ detrectarūt Cruciferorum dominatum.

Podolia redacta in ditionē Polonorum.

Drahimū arx recuperata à Polonis.

Moschi.

Sbigneus Brezius dux copiarum Polonicarum.

Lithuanicus exercitus incommodo affectus.

Rezania à Vitoudo uastata.

hoc tempus Iacobus Cobilenius, gēte Grimalius, Nicolaus Chrāstouius Stregomius, & Andreas Tencinius Toporus, de adulterio Annæ reginæ à rege insimulati sunt. Et Chrāstouius quidē solum uertit, Cobilenius uerò triennio in arce Leopoliensi in carcere asseruatus est: Tencinio, quod minus suspectus esset, nihil actum. Obiurgatus aūt rex à senatu de nimia credulitate, & probro reginæ, iudiciū in delatores instaurauit: ubi Clemens Moscorouius castellanus Vislicienſis & pfectus Cracouiēsis delator editus publicè & solēni ritu dicta sua reuocauit, & mendacij seipse dānauit. Per idē tempus Cracouię uulgò in Iudæos impetu concitatæ multitudinis, nequicꝗ̃ prohibentib. Moschorouio pfecto, & Nicolao Lituos, pcuratore arcis, sæuitū est: direptæ & incēsæ eorū domus: serpsitq; p plateas aliquot, etiā in Christianorū tecta, incendiū. Quin & ædes diues Annæ, circū quā tunc erant Iudæorū domicilia, conflagrauit: Academia, quam collegiū maius uocant, ægrè à studiosis iuuenibus defensa. Magnam aūt Christiani in Iudæorū pueris, quib. parsum erat, educandis, & Christiana religione imbuendis, curā impendêre. Adulti quoq;, qui cædi superfuêre, pleriq; ultrò Christiani facti. Inuidia opū fraude & usuris quæsitarum, & opibus aucta licentia, ac scelera, flagitiaq; impunita, ipsis cladis illius causę fuêre. Porrò in Lithuania post Moschicam illam expeditionem, qua res Lithuanorū uehemēter attritæ erant, Cruciferi nullum cupiditati suæ modum statuentes, nouas inimicitiarum atq; belli causas quærere, neq; iniurijs abstinere. Quibus rebus adductus rex Vvladislaus, cum ad pacē quamuis iniquam pronior, quàm ad iustum bellum esset, conuētum cum Vlrico Iuningo magistro Cruciferorum Prutsienſiū apud Caunū oppidū egit. Sed nihil æqui à feroci Teuthone, & ex mansuetudine aliena maiores spiritus sumēte, impetrare potuit: amicè tamē missis ultrò, citroq; munerib. discessum est: Cruciferis bellū, quod meditatū nondum maturauerant, dissimulantibus. Nec diuturna tamen ea dissimulatio fuit. Nam ut reuertit rex in Poloniam, uiginti naues frumento onustas è Cuiauienſibus horreis suis secundo flumine Vistula ad mare misit, ut inde porrò aduerso Nemeno in Lithuaniam ducerētur, subuenturus genti suæ inopia ex malo prouentu frugū tunc laboranti: eas naues Cruciferi intercepêre. Missi ad eos repetitum res legati, Nicolaus Curouius archiepiscopus Gnesnensis, Nicolaus Michalouius Sendomirienſis, Ianussius Tuliscouius Calissienſis, et Vincentius Granouius Naclēſis Castellani, re infecta rediêre, causificantibus Cruciferis, arma ijs nauibus cōtra se barbaris supportata esse. Mox & alterā iniuriā adiecêre. Etenim Lithuanos mercatores apud Ragnetā uiolarūt, & merces eorū diripuerunt. Hac gemina iniuria irritatus Vitoudus, prior bello persequi Cruciferos adortus, Rumboldū Marsalcū clàm cum expeditis copijs in Samagitiā misit: præsidia Cruciferorū, quę erant cum Michaële Cochmeistro pfecto siue aduocato nouæ Marchiæ, uel cæpit, uel interfecit, uel eiecit, & Samagitiam omnē iam inde ab initio à Cruciferorū imperio abhorrentē in suā ditionē redegit. Venêre deinde anō sequenti, qui fuit 1409. post Christū natum Obornicos ad regē legati Cruciferorum, questū de erepta Samagitia, captisq; & cæsis ibi præsidijs suis: & cum bello sibi tantam iniuriam ulcisci necesse esset, propterea quòd res repetitæ à Vitoudo non redderentur, quærebant ex rege, esset ne illi opem laturus? Fluctuabat animo Vvladislaus, quid faceret: si deesset Vitoudo, Cruciferis eum atq; patriam suam planè prodebat: sin opitularetur, omnem difficilimi belli molem in se et Poloniam, commodiorem prędas agentibus & bellantibus, quam Samagitia est, attrahebat: & abhorrebāt ab eo bello Polonorum animi. Itaq; ad amplissimum consilium atq; comitia rem integram reiecit: neq; certi quicꝗ̃ legatis tunc respondit. At illi elati superbia & impatientia, & protestati, non à se, uerùm à rege fœdera uiolari, minabundi discessêre. Comitia deinde rex Lenciciæ ad decimā septimam diem Iulij habuit. Inde, cum omnia prius experiri, quàm ad arma uenire, in cōmune placuisset, tres legati ad Magistrū missi, ijdē q prius, ultimo excepto. Postulabant hi à Magistro, ut conuentu constituto amicè cū rege de omnib. iniurijs trāsigeret. Regis enim, nō Vitoudi proprium & hæreditariū esse dominatum Lithuaniæ. Excandescere Magister, & moram pati nolle, confestimq; arma se Lithuanię illaturum esse minari. Ibi archiepiscopus non ferens Magistri superbiam: Desinas, inquit, nos bello terrere. Si arma contra Lithuanos cæperis, uicissim arma nostra domi tuæ senties. Quod dictum in mandatis ne archiepiscopus à rege acceperit, an bili percitus, inconsideratiùs protulerit, incertū est: optatum quidē certè Magistro accidit. Quocirca statim is subiecit: Bene se rē habere, cùm sententiā regis teneat, caput se potius penturum, quā pedes: & culta magis, quā inculta: agros uberes potius, quàm syluas & solitudines. Ita tūc legati impatiētia bellū approperatū est. Nec mora, dictis facta Magister adiecit. Dimissis enim legatis, ad mediū Augusti mensis cū exercitu

De stupro reginæ insimulati.

Iudæi Cracouiæ diripiuntur et contrucidati.

Conuentus regis et magistri Cruciferorum apud Caunū.

Polonorum legati ad Magistrum.

1409. ann.

Cruciferorum legati ad regem.

Poloni oratores ad Cruciferos.

Archiepiscopi responsum animosius quàm consideratius.

Gneuucouiensis conuentus cum Cruciferis.

censi episcopo permutatione quadam acquisitis, utriq; illi collegio, atq; parœcias aliquot & quædã alia sacerdotia, suppreßis ueteribus titulis, addixisset. Anno a Racianzensi conuentu circumacto, alter conuentus Gneuucouiæ à rege & Cruciferis de perficienda pace inchoata habitus est. Ibi noua res à Cruciferis oblata, negocium omne infecit. Postulabãt ij, ut rex Pomeraniæ nomen in inscriptionibus & sigillis suis non usurparet, quemadmodum cum Cazimiro rege multo ante conuenerat. Negabat ille: cõsiliarijs dissuadẽtibus. Itaq; Cruciferis Dobrinum non reddentibus, infecta pace discessum est. Tametsi extant in archiuio regio literæ Conradi magistri; hoc ipso tempore scriptæ: quibus testatum facit, quinquaginta millia Vngaricorum florenorum pro Dobrino & Zlotoria sibi numerata esse. Nec melior euentus fuit alterius conuentus cum Vitoudo in Lithuania. Sed tamen is cum ægrè se aduersus potentiam & uim Cruciferorum defenderet, mox deinde cessit ipsis Samagitia. Detrectabant Cruciferorum imperium Samagitæ, & nocturnis incursionibus atq; insidijs præsidium eorum affligebant, Vitoudumq; obsecrabant, ne se immanibus Teuthonibus proderet. Sed uincebat utilitatem neceßitas. Itaq; iussu principis obsides dedêre Cruciferis. Quò facilius uerò eos Cruciferi in officio continerent, tres arces in Samagitia condidêre. Duas supra Nauazam fluuium, tertiam uerò in confluente Nemini atq; Dubczę. Profugerat iterum in Prußiam Suitrigello, spę totius Lithuanię per Cruciferos potiundæ: sed Podoliã nihilominus presidijs suis tenebat. Itaq; conuentu Gneuucouiensi soluto, rex eò profectus, omnem eam cum arcibus in deditionem recepit, orto à Camenecia ciuitate initio: præfecturamq; eius oræ Petro Saffranecio Polono mandauit. Ab Alexandro Valachorũ Palatino, iam inde à duobus annis sibi addicto, & consiliarijs eius Cameneciã euocatis, solenne iusiurandũ, quod in fide et clientela sua, reginæ, ac filiorum, & regni Polonici permansuri essent, accepit, quanq; idem anno superiori Romanus Palatinus & ipse fecerat: cuius rei extant monumẽta in archiuio regio utriusq; diplomatis unde credibile fit, eos inter se de principatu contendisse. At in maiore Polonia Thomas Venglesßinius Castellanus Sendomiriensis, & præfectus maioris Poloniæ, Drahimum arcem ab ijs, qui religiosam militiam diui Ioannis nomine profitentur, interceptam, quadriduo expugnauit: eiectoq; præsidio, in potestatẽ suam redegit. Vitoudus uero pace nactus à Cruciferis, eodẽ anno, qui fuit 1404. transmisso Vgra flumine, primam fecit in Moschos expeditionẽ, siue proferendorũ finiũ gratia, siue iniuria prouocatus à genero, duce gentis, Basilio. Parua & obscura initiò gẽs Russorũ fuêre Moschi, quemadmodũ primo libro indicauimus: sed iam tunc accessione finitimarũ gentiũ, partim succeßionib. iusis adiunctarũ, partim ui uel fraude subactarũ, nõ parua incrementa cœperant. Nec tamen elici ad pugnã potuêre. Peruastata igitur longè, lateq; eorũ regione, Vitoudus præda onustus, in Lithuaniam redijt. Fuerũt eius expeditionis socij Vitoudo cõplures de nobilitate Polonica, qui præda hostili magnopere ditati sunt. Maiore ui postea Vitoudus in id bellum, anno uno intermissum incubuit, frẽtus maioribus Polonorũ, quibus Sbigneus Brezius Marsalcus præfuit, & Cruciferorũ auxilijs: & usque ad Occam fluuium permagnũ populabundus peruenit. Quo minus aũt fluuium transmitteret, Suitrigellonis patruelis armis prohibitus est. Nam is seu leuitate quadam ingenij, siue inuidentia stimulatus, Branico & Starodubo arcibus, quæ in Seueria Vvladislai regis beneficentia obtinebat, incensis, ad Basilium hostem Vitoudi transfugerat, bonamq; illi nauabat operam, exercitum Vitoudi ex insidijs & iniquis locis lacessendo. Atq; hinc potest colligi, Suitrigellonem aut non ad Cruciferos profugisse paulò ante id tempus, sicuti nos dudũ è Dlugosßi sententia narrauimus: aut certè ex formula fœderis cum Vitoudo icti ab eis exactum siue exclusum, cũ hostibus eius Moschis sese coniunxisse. Impetrauit tandem à Vitoudo pacem Basilius æquis conditionibus. Qua constituta, Vitoudus properè equos permutando, in Lithuaniã ad uxorẽ (ut erat in Venerẽ pronus) contendit. Exercitus uerò eius sine imperio & ordine ex Moschouia decedens, cum per uastata dudum à se, & ab ipsis etiam Moschis, loca iter faceret, fame afflictus: & magnis incõmodis propter cœli intemperiem in limoso solo affectus, et à Tartaris etiã, quos Moscus uelut cliens patronos in auxilium acciuerat, à tergo & ab laterib. incursantibus uehementer uexatus est. Verùm ij tamen uirtute Polonorum atq; Cruciferorum, pedestri magis quàm equestri, prælio uicti pulsiq; sunt. Poloni ãmißis armis & equis reuertentes, liberalitate regis abundè recreati. Lithuanica historia nullam belli cuiusquam à Vitoudo contra Moscos suscepti mẽtionem facit: & quidem trãs Occã non Moschica, sed Rezanensis ditio est, quam à Vitoudo uastatã esse constat: quæ quamuis nunc Moschorũ duci pareat, tũc quidẽ suum adhuc habebat ducẽ, Olgũ nomine. Per hoc tem-

Pecunia pro Dobrino numerata à rege.

Samagitæ detrectarũt Cruciferorum dominatum.

Podolia redacta in ditionẽ Polonorum.

Drahimũ arx recuperata à Polonis.

Moschi.

Sbigneus Brezius dux copiarum Polonicarum.

Lithuanicus exercitus incommodo affectus.

Rezania à Vitoudo uastata.

hoc tempus Iacobus Cobilenius, gẽte Grimalius, Nicolaus Chrãstouius Stregomius, & Andreas Tencinius Toporus, de adulterio Annæ reginæ à rege insimulati sunt. Et Chrãstouius quidẽ solum uertit, Cobilenius uerò triennio in arce Leopoliensi in carcere asseruatus est: Tencinio, quod minus suspectus esset, nihil actum. Obiurgatus aũt rex à senatu de nimia credulitate, & probro reginæ, iudiciũ in delatores instaurauit: ubi Clemens Moscorouius castellanus Visliciensis & p̃fectus Cracouiẽsis delator editus publicè & solẽni ritu dicta sua reuocauit, & mendacij se ipse dãnauit. Per idẽ tempus Cracouię uulgò in Iudæos impetu concitatæ multitudinis, nequicq̃ prohibentib. Moschorouio p̃fecto, & Nicolao Lituos, p̃curatore arcis, sæuitũ est: direptæ & incẽsæ eorũ domus: serpsitq̃ p̃ plateas aliquot, etiã in Christianorũ tecta, incendiũ. Quin & ædes diues Annæ, circũ q̃s tunc erant Iudæorũ domicilia, conflagrauit: Academia, quam collegiũ maius uocant, ægrè à studiosis iuuenibus defensa. Magnam aũt Christiani in Iudæorũ pueris, quib. parsum erat, educandis, & Christiana religione imbuendis, curã impendêre. Adulti quoq;, qui cædi superfuêre, pleriq; ultrò Christiani facti. Inuidia opũ fraude & usuris quæsitarum, & opibus aucta licentia, ac scelera, flagitiaq; impunita, ipsis cladis illius causę fuêre. Porrò in Lithuania post Moschicam illam expeditionem, qua res Lithuanorũ uehemẽter attritæ erant, Cruciferi nullum cupiditati suæ modum statuentes, nouas inimicitiarum atq; belli causas quærere, neq; iniurijs abstinere. Quibus rebus adductus rex Vuladislaus, cum ad pacẽ quamuis iniquam pronior, quàm ad iustum bellum esset, conuẽtum cum Vlrico Iuningo magistro Cruciferorum Prussiensiũ apud Cauunũ oppidũ egit. Sed nihil æqui à feroci Teuthonæ, & ex mansuetudine aliena maiores spiritus sumẽte, impetrare potuit: amicè tamẽ missis ultrò, citroq; munerib. discessum est: Cruciferis bellũ, quod meditatũ nondum maturauerant, dissimulantibus. Nec diuturna tamen ea dissimulatio fuit. Nam ut reuertit rex in Poloniam, uiginti naues frumento onustas è Cuiauiensibus horreis suis secundo flumine Vistula ad mare misit, ut inde porro aduerso Nemeno in Lithuaniam ducerẽtur, subuenturus genti suæ inopia ex malo prou[illegible]tu frugũ tunc laboranti: eas naues Cruciferi intercepêre. Missi ad eos repetitum res legati, Nicolaus Curouius archiepiscopus Gnesnensis, Nicolaus Michalouius Sendomiriensis, Ianussius Tuliscouius Calissiensis, et Vincentius Granouius Naclẽsis Castellani, re infecta rediêre, caussificantibus Cruciferis, arma ijs nauibus cõtra se barbaris supportata esse. Mox & alterã iniuriã adiecêre. Etenim Lithuanos mercatores apud Ragnetã uiolarũt, & merces eorũ diripuerunt. Hac gemina iniuria irritatus Vitoudus, prior bello persequi Cruciferos adortus, Rumboldũ Marsalcũ clàm cum expeditis copijs in Samagitiã misit: præsidia Cruciferorũ, quę erant cum Michaële Cochmeistro p̃fecto siue aduocato nouæ Marchiæ, uel cœpit, uel interfecit, uel eiecit, & Samagitiam omnẽ iam inde ab initio à Cruciferorũ imperio abhorrentẽ in suã ditionẽ redegit. Venêre deinde ãno sequenti, q̃ fuit 1409. post Christũ natum Obornicos ad regẽ legati Cruciferorum, questũ de erepta Samagitia, captisq; & cæsis ibi præsidijs suis: & cum bello sibi tantam iniuriam ulcisci necesse esset, propterea quòd res repetitæ à Vitoudo non redderentur, quærebant ex rege, esset ne illi opem laturus? Fluctuabat animo Vuladislaus, quid faceret: si deesset Vitoudo, Cruciferis eum atq; patriam suam planè prodebat: sin opitularetur, omnem difficilimi belli molem in se et Poloniam, commodiorem prędas agentibus & bellantibus, quam Samagitia est, attrahebat: & abhorrebãt ab eo bello Polonorum animi. Itaq; ad amplissimum consilium atq; comitia rem integram reiecit: neq; certi quicq̃ legatis tunc respondit. At illi elati superbia & impatientia, & protestati, non à se, uerùm à rege fœdera uiolari, minabundi discessêre. Comitia deinde rex Lenciciæ ad decimã septimam diem Iulij habuit. Inde, cum omnia prius experiri, quàm ad arma uenire, in cõmune placuisset, tres legati ad Magistrũ missi, ijdẽ q̃ prius, ultimo excepto. Postulabant hi à Magistro, ut conuentu constituto amicè cũ rege de omnib. iniurijs trãsigeret. Regis enim, nõ Vitoudi proprium & hæreditariũ esse dominatum Lithuaniæ. Excandescere Magister, & moram pati nolle, confestimq; arma se Lithuanię illaturum esse minari. Ibi archiepiscopus non ferens Magistri superbiam: Desinas, inquit, nos bello terrere. Si arma contra Lithuanos cœperis, uicissim arma nostra domi tuæ senties. Quod dictum in mandatis ne archiepiscopus à rege acceperit, an bili percitus, inconsideratiùs protulerit, incertũ est: optatum quidẽ certè Magistro accidit. Quocirca statim is subiecit: Bene se rẽ habere, cùm sententiã regis teneat, caput se potius petiturum, q̃ pedes: & culta magis, q̃ inculta: agros uberes potius, quàm syluas & solitudines. Ita tũc legati impatiẽtia bellũ approperatũ est. Nec mora, dictis facta Magister adiecit. Dimissis enim legatis, ad mediũ Augusti mensis cũ exercitu

De stupro reginæ insimulati.

Iudæi Cracouiæ corripiuntur & contrucidati.

Conuentus regis et magistri Cruciferorum apud Cauunũ.

Polonorum legati ad Magistrum.

1409. ann.

Cruciferorum legati ad regem.

Poloni oratores ad Cruciferos.

Archiepiscopi responsum animosius quàm consideratius.

Dobrinum captum & incensum.

Dobrinum magna ui oppugnatũ, cæpit & incẽdit. Polonos, qui arcem defendebant, una cum præfecto arcis Iacobo Plominio capitali pœna affecit. Inde Ripinũ & Lipnum oppida primo impetu capta uastauit, magnaq; in oppidanos & agrestes crudelitate debacchatus, ne teneræ quidẽ ætati & muliebri sexui pepercit. Inde motis ad Bobrouunicos castris, arcẽ oppugnare orsus, in deditionẽ accepit: quãuis defendi ea diutiùs, arte, præsidio et cõmeatu munita, potuisset. Quare p̃fectus arcis Varcislaus Gorartouicius de Lissorũ familia, fœdum carcerẽ postea regis imperio pertulit. Cæteri uerò equestris ordinis, qui in præsidio fuerãt, infamia notati. Tametsi ea infamia Bartholomeus, Plomycouius, unus de his, anno sequenti, cũ multa fortis uiri opera in prælio Gruneualdensi edidisset, sese liberauit. Nunquã tamen postea satis compos rationis fuit, cum semel dolore infamiæ de statu mẽtis dimotus esset. Zlotoria deinde acriter oppugnata, post octauum diem in deditionem Cruciferorum uenit, cùm magna pars defensorum ictu balistarum & bombardarum interfecta esset: reliqui captiui abducti, cum de commutatione captiuorum postea cum Vitoudo conuenisset, tamen Cruciferorum perfidia, cùm ij suos recepissent, dimisi nõ sunt. In Bydgostia expugnanda cum plusculum laboris sentirent, propterea quòd arx ea munitissima erat, per proditionem, corrupto præfecti uicario, quem Burgrabium uocant, ea potiti sunt. Quo cognito, præfectus arcis Thomas Venglesinius, qui etiam totius maioris Poloniæ præfectus erat, absens magno mœrore confectus, non ita multo pòst uita excessit, & successorem Vincẽtium Granouium castellanum Naclensem accepit. Rex ubi hæc crebris, certisq; nuncijs accepit, minimè cessandum sibi ratus, expeditionem & ipse toti Poloniæ, Russiæ & Lithuaniæ contra Cruciferos indixit: minores Poloni cum Russis ad Volboriam, maiores ad Lenciciã conuenire iussi. Quod ubi factum est, recensito apud Radcouiam exercitu, ad Bydgostiam sub finẽ Septembris castra admouit, arcemq; obsedit. Ibi Magister, cùm retinere se eam posse diffideret, Conradum Olesnicensium ducẽ ad regẽ cum his mãdatis misit, ut rex Venceslaũ regem Bohemorũ de Bydgostia secũ pariter arbitrum caperet. Quanq; aũt hoc ille agebat, ut apparatũ regium eluderet, non abnuebat tamen Vuladislaus, si non modò de Bydgostia, uerùm de cuncto Dobrinensi tractu, atq; adeò de omni controuersia, Magister illum sibi arbitrũ ferret. Iam enim hyems appetebat, nec Vitoudus cum Lithuanis ueniebat: missoq; excusandi sui causa ad regem nuncio, inducias suadebat. Dum cunctatur Magister cõditionem oblatam à rege accipere, Bydgostia post octauum diem à Polonis expugnata, & mox refecta, præsidioq; munita est. Magister ad Suece suos cõuenire iusserat: quod ubi rex cognouit, partem copiarum statim eò misit: pulsi, dissipatiq;, qui primi de hostibus conuenerant, & castris exuti. Interea interuenêre oratores regis Venceslai, Conradus senior dux Olesnicensium, & Ienco Vuratislauiensium ac Suidnicensium præfectus: bellumq;, inducijs utriusq; patris consensu, usq; ad uicesimã quartam diẽ sequentis anni constitutis, diremêre, ut interim Venceslaus de tota controuersia inter dissidẽtes arbitraretur. Quo nomine senatus regius uulgo malè audijt, quasi corruptus à Cruciferis, nõ satis decoras sibi inducias cõfecisset. Ita tunc ab armis discessum est. Quanquã Sigismũdus Coributus frater Vitoudi cum nihil adhuc de inducijs compertũ haberet, è Lithuania excursionẽ fecit cũ Lithuanis in Prussiã: ac trib. oppidis hostilibus, plurimisq; pagis direptis & incensis, magnã prædam reportauit. Quos ut ulciscerentur Cruciferi, qui excusationem ignorantiæ non accipiebant, mense Martio anni sequentis clàm per auias solitudines atq; syluas tacito agmine progressi, transmisso Netupa amne, & statione Lithuanorum apud lacrum, prodente eam fumo, oppressa, in Volcouiscos improuisò impetum fecêre: multosq; mortales, qui ad rem diuinam festo die conuenerant, uico incenso, captiuos abduxêre. Vitoudus uerò cum septem milliaribus ab eo loco abesset, ac de aduẽtu hostium certior factus esset, raptim in interiores syluas cum uxore sese abdidit, donec discessisse eos cognouit. Sub initium autem huius belli Prussici, concilium Pisis in Hetruria apertum est, extinguendi schismatis causa, quod supra quadraginta años, binis, ac interdũ ternis de summo põtificatu contendentibus, rẽpublicã Christianam afflixit. Ad id concilium Petrus Vissus episcopus Cracouiẽsis profectus est. Cæteri uerò episcopi Polonici, itemq; Academia Cracouiensis, collegium Plocensis basilicæ, q̃ tunc episcopum habebat, & Abbas Tinecensis, legatos misêre. Sed nõ modò nõ oppressum, sed auctũ etiã ibi schisma est, cum duobus, Angelo Corrario, qui Gregorius duodecimus, & Petro Lunensi, qui Benedictus tertiusdecimus appellatus est, nequicquam reiectis, tertius Petrus Cretensis de sodalitio Franciscano pontifex creatus esset, Alexandri quinti nomen adeptus. Causa reijciendi duos illos fuit, quòd ij, cum sanctè uterq; promisisset

Plomycouius uirtute infamiam deleuit.

Vincẽtius Granouius præfectus maioris Poloniæ.

Bydgostia recepta à Polonis.

Lithuani Prussiam uastarũt, et tria oppida incenderunt.

1410. ann.

Netupa fl.

Vitoudus in syluã sese abdidit.

Concilium Pisanum.

issent se abituros esse pontificatu, redintegrandæ ecclesiæ gratia: ubi id Cardinales postulassent, ludificabantur eos, qui fidem suam secuti essent, ac ne ueniebant quidem ad concilium. Secutus est aūt Vvladislaus rex concilij authoritatem, cum superiori tempore Gregorium pro pontifice habuisset: ac decanatus Cracouiensis, & præpositurae Gnesnensis conferendæ ius sempiternum ab eo accepisset. Per idem tempus Praga, ac mox tota Bohemia nouis motibus agitari, Ioanne Husso, & Hieronymo Pragēsi authoribus, cæpit: uicinasq; Morauiam, Silesiam, & Germaniam, ac Poloniā etiam partim pestifero nouæ hæreseos ueneno afflauit, partim cædibus & incendijs exercuit, & multis, magnisq; incommodis uehementer afflixit, ab ambitione & contētione scholastica orto initio: Rege Venceslao non modò non compescente, sed compendij sui causa alente etiam contentionem, cum dictitaret, anserem (hoc enim Husi cognomen apud Bohemos sonat) aurea sibi oua parere. Ac suppressit quidem utcunq; incendium id oriens Sbinco archiepiscopus, quoad uixit: sed cū ipsi Albicus medicus, homo auarus successisset, nec multò pòst, emptā archiepiscopatum auariori etiā Conrado Vestphalo uendidisset, atq; is muneris sui negligēs, pecuniam modò cùm ad ꝓpinquos ditandos, tū ad res suas dubias auarè corraderet, ac miserè compararet, diffudit id sese longè lateq; fomentū subministrante dissidio pontificum; & crucis militia, q̄ iussu Ioañis uicesimi tertij pontificis contra Ladislaū regem Neapolitanū per totū orbē Christianū, uenia peccatorū omniū ꝓposita, cōcitabat. Grauit enim edictū illud pontificiū, ac deinde uitia sacerdotū, Hussus, ut erat disertus, secūdò populo insectatus est: & hoc quasi gradu facto, mox cū sacrū ordinē inuisum uulgo reddidisset, Ioannis Vicleffi Angli heretici praua dogmata unà cum Hieronymo disseminare cœpit. Quorum successu inuitati Iacobellus & Petrus Mysnenses Germani, nōnihil et ipsi de suo ad ea dogmata adiecēre. Inde uires sumente multitudine, ducesq; improbos nacta, coitiones non modò cōtra magistratū Pragensem, sed etiā cōtra regē ipsum uulgò haberi, & res gladijs, nō uerbis geri, bonisq; ecclesiasticis manus admoueri cœptæ: mox omnia suma & ima ꝑmixta, iuraq; humana ac diuina euersa, ita ut neq; Vēceslaus rex, amissis semel per incuriā et cōniuentiā habenis regni, subuenire ꝑditis reb. potuerit. Ac ne Sigismūdus quidē frater eius, q post recuperatū de Turcis Bosnense regnū, & aduersam cum Cyriscelebe siue Calepino Baiazetis filio, siue Mahomete eiusdē nepote, in Golubecijs cāpis pugnā, Roberto Cæsari mortuo successit: aliquanto aūt post etiā regnū Bohemorū post Vēceslaum suscepit, multaq; cōsilio pariter & armis cōtra cōtumaces Bohemos nequicq; tentauit. Sed nos ad nostra redeamus. Reuersus à bello Prusico Vvladislaus ꝑ maiorē Poloniā, apud Nepolomiciā comitia habuit. His pactis, legatisq; ad Venceslaū regē, ad tractādū de pace cum Cruciferis, designatis, mox Breste Lithuanicū contēdit, & ibi cū Vitoudo de ratione totius belli gerēdi secretò, solo Nicolao Tramba ꝑsente, cōstituit. Inde in Russiā diuertēs, uenationib. uacauit, confectāq; bisontiū, onagrorū atq; ceruorū magnā uim, et sale cōditā, secūdis fluminib. Narua & Vistula, Ploscū transmisit. Inde porrò sequētis añi, q fuit 1410. initio, ꝑ Chelmēsem, in Lublinēsem & Sēdomiriēsem tractū reuectus, nusq; uenatiōes intermisit. Inde cum eū Hermannus comes Ciliæ, frater patruelis Annæ reginę, uisisset ac de congressu cū Sigismundo Vngarorū rege instituēdo cōfecisset, Russia ac Podoliā rursus cursim peragrata, post pascha Sādeciā pariter cū Vitoudo aduēnit, quo iam cōplures procères iussi cōuenerāt. Expectabat etiā Kesmarci Sigismundus. Nec tamē cōuenerūt reges. Sed missus à Vvladislao cum nōnullis procerib. Polonis ad Sigismūdū Vitoudus, de stabiliēdis cum eo in reliquos quatuor añōs inducijs, q̄ in sexdecim annos olim pactæ erant, id responsi accepit: si Vvladislaus bellū Cruciferis faceret, Sigismundū eis deesse nō posse. Etenim Roberto Cæsare ꝑ id tempus uita defuncto, adspirabat is ad Romanum imperiū (quod & consecutus est) quamobrē gratiam Germanorū principum, apud quos gratiosi erat Cruciferi, aucupabat. Quin ipsi Cruciferi quadraginta millia numūm aureorū ei prō miserant, si Polonis bellū indixisset. Cæterùm ad pacem componendam operam suam regi pollicitus est Sigismundus. Cum Vitoudo aūt secretos sermones absq; arbitris habuit, quib. eum ad sollicere, & à fide ac societate Vvladislai, spe regni Lithuanici iniecta, auocare conatus est. Verùm Vitoudus dolis Sigismūdi intellectis, insalutato eo discessit. Sed intra unum milliarium consecutus eum Sigismundus, honorificè, magnis donis muneratum, dimisit. Nec celauit is Vvladislaum de Sigismundi consilijs atq; artibus: quibus etsi tunc captus non est, postea tamen irretitus fuit, quemadmodum suo loco dicemus. Condidit autem per hosce dies Vvladislaus rex Sandeciæ monasterium Præmonstratensibus, quos uocant, monachis, abbatiq; eius curam propinqui ptochodochij mandauit. Ad bel-

Bohemici motus.

Episcoporum auaritia.

Ioannes Viclef fus hæresiarcha.

Sigismundus rex Vng. Bosnam recepit et à Turcis iterum uictus est.

Rex in Lithuaniam.

1410. annus

Sigismundus cur fauit Cruciferis.

Sigismundi regis Vngarorū artes.

Monasterium Sandecense.

lum deinde Prussicum summo studio cœpit incumbere, spe pacis, Cruciferorum improbitate & iniquitate Vencesiai præcisa. Nam is cum arbitrium inter dissidentes ex compromisso ad se delatum recepisset, ut erat homo nihili, & uoluptatibus atq; ebrietati totus immersus: ne cognita quidem causa, de sententia Iodoci Marchionis Morauiæ ita pronunciauit, ut nullam prorsus neq; iustitiæ, neq; æquitatis rationem duceret: ad hæc ineptissime quæ extra controuersiam erant, adiungeret, ut Poloni non nisi ex occidentalibus oris regem sibi deinceps peterent: Dobrinensem aūt tractum, ut ipse uno anno obtineret, atq; interim deliberaret, utri parti eum adiudicaret. Quæ sententia cum Germanica lingua a scriba recitari inciperet, nostri discessere, negantes se Germanicæ cōcioni ꝑpter linguæ imperitiā interesse uelle. Erat aūt Iodocus infensus Vuladislao, propterea φ is cuntulū suum Procopium contra se armis adiuuisset. Desperata igitur æqua pace Vuladislaus, dimissis in omnes partes literis restibus alligatis, quæ ex eo restium nomen obtinent apud Polonos, expeditionem cunctæ Poloniæ edixit. Ne quid aūt absente se & in Prussicū bellū intento Sigismundus turbaret, quemadmodū præ se ferebat, Ioannē Scecociniū castellanū Lublinensem, & præfectum Sandecensem, gente Odrouanzū, cum omni Scicicensis atq; Biecensis oræ nobilitate ad tuandā illam oram ab Vngaris reliquit: Vitoudum & aulicū suū comitatū, ut se ad bellū cōpararēt dimisit: militem mercenariū cum ductoribus ordinū atq; centurionib. metandorū castrorū, & instruendarū acierū peritis è Bohemis atq; Morauis, de sententia Sbignei Brezij Marsalci (alijs aduersantibus, & sumptuū magnitudinē, dubiamq; & infirmā externorū militum fidē causificantib.) acciuit: cum Sbigneus diceret, uictorib. quidē illis uictos hostes stipendia pensuros esse: si uerò uicti fortè essent, pro cæsis, captisq; nō fore qui ea peterent: fidelem aūt operā eos nauaturos esse in cōspectu eorū, apud quos stipendia facerent, dimicantes, & infamiā ignauiæ siue perfidiæ ex disciplina militari metuētes. Misit tamē iterum Vuladislaus legationē ad Sigismundū regē: eumq; & fœderū, & promissi de tenēda pace inter se & Cruciferos admonuit. Et prolixè quidē ille pmisit, ipsum se ad Cruciferos ea de causa profecturū esse: sed mutata sententia, Nicolaū Garā Vngarum, & Sciborium Sciboricium Polonū Transyluaniæ palatinos, & Georgiū Kerstorfum Silesium legatos misit in Prussiam, non tam pacis tractandæ, quàm quadraginta millium florenorum a Cruciferis emungendorum causa. Benigneq; ij legati habiti à Vuladislao, et in Prussiam usq; eius iussu atq; sumptib. deducti sunt. Nihilo tamen magis remittebat is institutam expeditionem. Erant in aula & ministerio Sigismundi cōplures Poloni equestris ordinis, & in his nobiles in primis, Zauissius cognomento Niger, & Ioannes Farureius Garbouij fratres germani, gente Sulimæi, Thomas Calscius Roseus, Albertus Malscius Nalencius, Dobeslaus Puchala Venauius, Ioannes Broglouius Grimalius, & Scarbicus Gorius Habdancius, q propter præclara merita sua non contēnendas facultates & possessiones in Vngaria, beneficentia eius regis adepti erāt. Qui oēs ubi regē suū Vuladislaum ad Prussicū bellum proficisci, & Sigismundū ad uiolandū cum eo fœdus pronū esse senserunt, relictis possessionibus, & ingentib. Sigismundi pollicitationib. repudiatis, memorabili exēplo Vuladislaū secuti sunt. Nec malè eis postea respondit Vuladislai gratitudo & liberalitas. Proficiscens aūt is ad bellum Prussicum, Nicolaum Curouium archiepiscopū Gnesnensem Cracouiæ cum imperio reliquit: & quacunq; iter faciebat, profusa in egenos largitione utebat. Cum aūt Slupiā, quod oppidū episcopi Vuladislauiensis sub Lyssecensi monasterio situm est, peruenisset, biduo ibi cōmoratus, diluculo ad ædē sacrā, ligno crucis Christi celebrē, in excelso monte positā, pedes ascendebat, nec nisi uesperi ad sumendū cibum in oppidum descendebat, cum totum diem precationi flexis genibus in templo uacasset. Iam induciæ cum Cruciferis expirarant: Poloniq; equites, quos rex de aulico comitatu suo ad præsidium Inouuladislauiæ, Breste & Bydgostiæ præmiserat, initium belli fecerant, incensis cōpluribus pagis in ripa Vistulæ, Magistro Cruciferorum cum legatis Sigismundi non sine perturbatione animi inspectante. Sed furore eius mitigato, legati decē dierum inducias, per quas de pace ageretur, rursus confecerunt. Quæ quidē induciæ, tametsi nihil per eas de pace actum est, tamen ex re nostrorum fuere: quod nondum copiæ ad constitutum locum conuenerant. Cùm autem eæ apud Cirtiensem monasterium cōuenissent, nauali ponte iuncto, qui multò antè ad eum usum ingeniosè apud Cozinicios saltus excogitatus & paratus erat, Vistulam cum impedimentis, curribus & bōbardis transmisere, & in ulteriore ripa castra posuere. Eò Vitoudus cum Lithuanicis ac Tartaricis copijs aduenit. Neq; uero is suos tantū Lithuanicos Tartaros adduxit, sed Zauolgēses siue Transuolganos etiam, quos per hyemē una cum liberis & uxoribus eam ob rem sustentarat.

Vencesiai regis Bohem. arbitriū inter Polonos & Cruciferos.

Prussicum bellum.

Mercenarij milites externi an utiles sint.

Legati Sigismundi ad Cruciferos.

Archiepiscopus gubernator Poloniæ.

Poloni uexant Prussiam.

Vitoudi exercitus ...

rat. Exactis decem dierum inducijs, cum ne tentata quidem pax esset, Ioānes Brogloiius, quem rex presidio Bydgostiensi præfecerat, cum non contemnenda suorum manu noctu in Succense territoriū ingressus, insidias opportuno loco posuit: ipse uerò postridie cum paucis circūarcē & oppidū populabundus, hostes elicuit, & simulata fuga in insidias induxit: ubi à fronte & à tergo circūuenti, omnes ad unū partim cæsi, partim capti sunt. Quo cognito, Cruciferi Henricum Plauenium cōmendatorem Succenem cum præsidio tueri óram illam iusserunt. Venerunt deinde in castra regis legati Sigismundi, & ꝑspecta uoluntate regis ad pacē equis conditionib. cōponendā inclinata, ad Cruciferos reuerterūt. Fuerunt aūt conditiones à rege editæ, ut Cruciferi Dobrinensem ditionem sibi redderent, Samagitia abstinerent: de damnis uerò, ut Sigismundus arbitraretur. Nec eas tamē Cruciferi accipiebant indignū rati, ab hoste armato, ac ditiones suas infestante, cuiusq; modi cōditiones accipere, quasi uictoriam in manib. haberent. Cum aūt nihil responsi rex ab Vngaricis legatis acciperet, misit ad eos Petrum Corsbocum equitē, ut de Cruciferorū sententia certior fieret. Re in cōsultationē Cruciferorum à Magistro posita, fremere omnes, & bellū ꝙ pacem malle: unus ab omnib. cōmendator Meuensis, comes Vendensis, anīs & usu rerū prudentior, dissentiebat, pacem suadens, & cōmunem esse Martem, dubiumq; euentū belli dictitans. In quem Vernerus Tetinger Elbingensis cōmendator grauius inuectus: Poteras, inquit, cum isto animo domi manere, & ægrotorum fratrum curam gerere. At ille: Ego, inquit, quæ recta & utilia iudico, in medium consulo: sed tamen si his aliter uidebit, ita me Deo propitio geram, ut genere meo dignū est, tu uide, ne sis dictis ferocior, quàm factis fortior. Intercepit rixam cōmendatorum Sciborius, pacemq; enixius suadere cœpit. Sed eum quoq; Magister increpuit: Polonus, inquiens, cum sis Scibori, quæ in rem Polonorū sunt loqueris. Interim dum hæc fiunt, promouebāt castra Vuladislaus, & quodā tempore ex cōposito hostium aduentū nunciari iussit, ut in opinato tumultu negligentiam & securitatem suis excuteret. Cum autem ad Vecram amnem castra haberet (qui locus Masouitiæ quidem ditionis erat, sed eum tunc Cruciferi datis duci mutuò quinque millibus marcarum Pragēsium, hypothecæ nomine obtinebant) ibi Lithuani atq; Tartari non secus ac in hostes omnē crudelitatem, nulla neq; sexus neq; ætatis miseratione, exercuêre. Quā de re grauiter reprehensus, rex à primoribus Polonorum, cùm se ij cum omni nobilitate Polonica tam impia castra deserturos esse minarentur, captiuos omnes solui iussit, ac dimitti. Motis autem ex eo loco castris, cum primùm hostium fines attigit, expandit acies in late patenti planicie: acceptumq; manu sua uexillum maximum, cuius insigne est alba aquila coronata hiante rostro, & extensis alis, explicat, suspiransq; & lachrymabundus sonora uoce ita fatur: Deus Optime Maxime, non modò factorū atq; dictorum, sed & cogitationum omnium cognitor, tu mihi testis es locupletissimus, me inuitum ad hoc bellū cū Christianis qualibus qualib. Christianis tamen, gerendū descendere, maximis & intolerabilibus Cruciferorum iniurijs prouocatū: & officio meo adductum, ut populos abs te curæ & fidei meæ concreditos, de rapacibus & cruentis eorum manibus, & infandis contumelijs uindicem. Tu nosti, consilia pacis me nunquā defugisse, & uel iniqua pace iustum bellum redimere cupiuisse, si quem religiosi homines insatiabili cupiditati, & irreligiosæ superbiæ suæ modum statuere uoluissent. Sed quando nihil apud eos mansuetudine & patientia, uix priuato homini, nedùm principi consentanea, proficio, tuæ iustitiæ fiducia iusta, piaq; arma sumpsi, tuisq; auspicijs uexillum hoc nunc explico. Tu quæso iustiori causæ faueto, & sanguinem Christianorum hominum, qui immaniter hactenus à Cruciferis trucidati sunt, quosq; hoc bellum utrinq; absumet, ab illis qui bello causam dederūt, expetito. Hæc rex, collachrymante omni exercitu. Idem fecêre deinceps, Vitoudus, & Masouij duces, & ꝓceres tam Poloni quàm Lithuani. Deinde Poloni abstersis lachrymis, carmen patrium, siue Pæana Virgini matri Dei dicatum, cuius authorem diuum Adalbertum archiepiscopum ferunt, cecinêre. His peractis, quæsitus est, cui summa administratio totius belli secundum regē cōmitteretur. Detrectantibus autem tantum onus maximo cum periculo coniunctum, Bohemis & Morauis, qui scientia rei militaris præstare in primis uidebantur, ad Zindramum Mascouicium ensiferum, ut uulgò uocāt, Cracouiensem, ortum ex ea familia, cuius insigne sol est, munus id defertur. Erat is quidē statura parua, sed ingenti spiritu, & ingenio, solertiaq; nō uulgari. Huic adiuncti cōsiliarij, Vitoudus, Christinus Ostrouius castellanus Cracouiensis, Ioānes Tarnouius Cracouiensis, Sendiuoius Ostrorogus Posnaniēsis, Nicolaus Michalouius Sendomiriēsis palatini, Nicolaus Trāba ꝑpositus apud S. Floriani & ꝓcancellarius, Sbigneus Brezius marsalcus, & Petrus

Polonorum prima de Cruciferis uictoria.

Pacis conditiones à Polonis propositæ.

Tetingeri ferocia.

Vecra fl.

Vuladislai regis oratio pia.

Bogarodzica Pæan d. Adalberti.

Consilium Castrense.

Saffranecius magister cubiculi, siue succamerarius, ut uocant, Cracouiensis. His constitutis, ad Luterbergam hostile oppidum, quod iam nostri succenderant, castra mota. Ibi res horrenda accidit, ac barbarico duorum Lithuanorũ supplicio disciplina militaris in exercitu sancita est. Dira ac detestanda scelera Lithuani atq; Tartari in excursionib. atq; populationibus pagorũ nihilominus patrabant, matronas atq; uirgines constuprabant, infantes dissecabant, templa cum sacris diripiebant: & quodam loco sanctissimũ CHRISTI IESV corpus, quod in templis de more apud Christianos asseruatur, de argẽteo ferculo profanè in terram abiecerant. Id ubi resciuêre nostri, fremêre cuncti: & ni plectantur sacrilegi, militiam se deserturos esse, populariter minari. Hoc clamore & fremitu cõmotus rex, authores sceleris perquiri iussit. Inuenti duo Lithuani, Vitoudi iussu ipsi sibi furcam excitarunt, & suis uterq; manib. barbaro, sed patrio tamen more, sese suspenderunt, obiurgãtes sese mutuò, ne sua cunctatione iram principis in se magis accenderent: quasi is atrocius etiam aliquid in eos posset statuere. Nec ferê tale quippiam postea designatum est, territis cunctis duorũ supplicio. A' Luterberga deinde ad Curetnicum, quod oppidum cum arce superposita ad Rubicoust lacũ est, haud procul à Deruãcia flumine, castra mota. Vnde cũ pabulatũ nõnulli de nostris excurrissent, quinquaginta equos hostiũ, qui in flumine adaquabantur, sessorib. deiectis cœpêre: & cum his reuertentes, eminùs conspecti, cum speciẽ hostiũ aduentantiũ præbuissent, tumultũ in castris cõciuêre. Sed mox is resedit, errore cognito. Quod ne deinceps accideret, edictũ est publicè regis iussu, ne quis absq; cõmeatu castris egrederetur, neùe in castris tuba uteretũ, præter unum regium tubicinem. In mouendis autem castris hæc ratio instituta, ut ad primum regij tubicinis cantum cũcti sese armarent: ad secundũ, equos sternerent & frenarent: ad tertiũ, uerò, ut Marsalcũ cum regio uexillo minore præcedentẽ, cõpositi suo quisq; ordine sequerentũ. Omnia deniq; cautius & accuratius fieri cœpta, propterea φ haud procul castra habebãt Cruciferi, traiectu fluminis nostros prohibituri, cuius utranq; ripam & alueum densis stipitibus & sudib. præfixis impedierant. Quibus rebus cognitis rex, ne suos in extruendo ponte fatigaret, ac dimicationi obijceret, reflexo ad caput amnis per aspera & mõtosa loca itinere, ppe Zaldouiã oppidum castra metatus est. Venit eò ad regem Fricius Reptius Silesius, cum mãdatis legatorum Sigismundi regis: & quando frustrà de pace apud Cruciferos tentatũ erat, bellũ Vladislao Sigismundi nomine in secreta magistri militiæ & octo consiliariorũ audientia literis Sigismundi exhibitis, denũciauit. Soli aũt regi secretius in aurẽ insusurrauit, ne quid ea denunciatione terreret: quadraginta enim milliũ aureorũ à Cruciferis emungẽdorum causa, eam factã esse, animauitq; eum, ut ne conserere manus cum Cruciferis, quorũ uires longè essent inferiores, reformidaret. Dimissus cũ eo responso, quo Vvladislaus Sigismũdo extremã pro cõplurib. maximisq; suis beneficijs ingratitudinẽ exprobrauit, & ultionẽ diuinam in caput eius, qui prior fœdus rumpebat, imprecatus est. Vbi in castra Cruciferorũ redijt Fricius, certiores eos fecit de castris regijs. Crediderãt eñ ij Polonos atq; Lithuanos subito pauore perculsos, fuga dissipatos esse. Nec multò pòst ab exploratorib. nũciatum est, Polonos Dambrouinum, quod Gilgemburgum Teuthones uocarũt, oppidum frequens & opulentũ, & lacu in orbem ferè circumfuso, & spisso muro munitũ, expugnasse, direptumq; incendisse, & uersus Marieburgũ iter intendere. Quo nuncio accepto Cruciferi ira perciti, uociferari, indignissimũ facinus: impunè ab his ditiones suas infestari, qb. ipsi prius Pomeraniam atq; Dobrinum eripuissent, & quorũ regionem ferro & igni quodam tempore longè, lateq; peruastassent: nec ferẽdum amplius, quin de summa rerũ cum Polonis primo quoq; tempore decernerent. Itaq; in hostem se duci flagitabãt: neq; Magister abnuit. Rex cum altero quoq; die apud Dambrouinum expugnatum statiua habuisset, captiuosq; omnes, exceptis Cruciferis religionẽ professis, benignè relaxasset, prędaq; & cõmeatu copioso exercitum ditasset: tertia die, hoc est, quintadecima mensis Iulij, facto duũm milliariũ itinere, inter fruteta & nemora prope Gruneualdum & Tanebricũ pagos castra metatus est. Fuerat nox præcedens tempestatibus inquieta, sed apud Cruciferorũq; nostrorum castra longè inquietior, ita ut eorũ tentoria disijceret: manè aũt ualidiores uenti flare cœperant. Quam ob rem cum rex non facta re diuina, præter morẽ castra mouisset, apud Gruneualdum demùm erecto tentorio rei diuinæ uacauit. Interim ei nunciatũ ab exploratoribus, alio super alium accurrentibus, hostes adesse. Ad extremũ ueniens ipse Vitoudus, nunciat hostes in cõspectu esse: ni maturetur, in imparatos impetum daturos: nec tamen auelli rex ab altaribus, donec sacra peragerentur, potuit. Et fuit sanè res in periculo, si hostes aciebus nostrorum nondum instructis, illicò signa intulissent. Sed ne id facerent, diuinitùs,

Luterberga oppidum.

Polonorum pietas.

Curetnicum oppidum.

Edictũ regiũ ad disciplinam militarem pertinens.

Sigismundus rex bellum Polonis indicit.

Dambrouuno oppidum direptum & incensum.

Rex rei diuinæ uacare solitus.

diuinitus, uti creditum est, impediti sunt: ueriti, ne quid fraudis & insidiarū nostri nemorū opportunitate occultarent. Interea commodè à Zindramo & Vitoudo acies instructæ: læuum cornu Poloni, dextrū Lithuani tenuêre. Quinquaginta fuêre signa Polonica, Lithuanica quadraginta. In prima acie robur totius exercitus & ueterani milites collocati. Iamq; pugnæ signum à rege poscebatur: & singuli, bini, terniq; inter duas acies procurrentes, cum pari numero hostium manus conserebant: & rex iam peractis sacris armatus in aciem prodierat, imbellemq; sacerdotum & scribarum turbam ad castra remittebat: cùm ex hostili acie duo caduceatores progressi, quòd mādata ad regem à Magistro ferre se significabant, intacti ad regem deducti sunt. Hortabantur autem regem Magistri nomine, ne tam cunctanter & meticulosè pugnam iniret: & quo incunctatius id faceret, duos gladios strictos & cruentos (quemadmodum carmen uulgare de prælio hoc compositum, quod in hanc usque diem extat, habet) ei & Vitoudo obtulêre, ut uel ijs aduersus Cruciferos uterentur. Ne quam uerò angustiarum ad explicandos ordines excusationem necterent, néue inter nemora latitarent, concessurū ipsis esse Magistrum plus campestris spacij. Hæc tam superba mandata dum caduceatores exponunt, interea Crucifericus exercitus, ut fidem dictis eorum præstaret, non modico interuallo retrocessit. Rex (nam Vitoudus aberat, Lithuanicam aciem obequitans) communicato cum his, quos circa se, quemadmodū diximus, habebat, consilio, placidè & modestè caduceatorib. respondit: Quamuis armorum satis habeat in exercitu, accipere se tamen in Dei nomine gladios, contumeliæ causa ab hoste missos: atq; ita accipere, ut omen uictoriæ, quam sibi armorum traditio portēdat. Nunquam se quidem à pace abhorruisse: sed quando bellum mallent Cruciferi, & sanguinem Christianum tantopere sitirent, sperare, mansuetudini suę & iustiori causę diuinū auxilium affuturum, ac de illis condignas crudelitatis atq; superbiæ pœnas expetiturum. Omnem autem eam rem unà cum electione campi, se diuinæ sapientiæ & iustitiæ cōmittere. Accepti gladij, in ærario regio in hanc usq; diē asseruantur. Caduceatores aūt alter Sigismundi regis, alter Scecinensium ducis insignia præ se ferebant. Mox Vuladislaus paucis pro tempore milites adhortatus, excedens ex acie (nam ita uisum erat proceribus atq; consiliarijs, ut in aliquo loco cum delecta manu, quæ ipsi custodiæ & præsidij causa attributa erat, extra discrimen prælij consisteret) canere signa iussit, simulq; exercitus omnis alacer patrium pæana cecinit. Editiore loco Cruciferi constiterant, inde cum duas bombardas dato loco eiaculati essent, nec ullo tamen ferè detrimēto nostros affecissent, per decliue cū infestis signis decurrit. Occurrêre & nostri aduenientibus: cōmissum utrinq; summa ui præliū, ita ut fragor, sonitusq; armorū procul exaudiret. Iamq; ad unius fermè horæ spaciū pugna durauerat, & neutro tamē inclinabat uictoria: ibi Cruciferi animaduertētes debilius esse dextrū cornu nostrorū, in quo Lithuani, Rusſi, atq; Tartari, armis, equis & multitudine Polonis aliquanto inferiores, turmatim instructi erāt, cum aliquot alarū subsidijs maiorē in id impetū dedêre, eo cōsilio, ut eo pulso, totis uirib. læuum cornu, in quo pertinacius Poloni dimicabant, adorirentur. Nec uanus omninò conatus hic fuit. Statim enim res nostrorū ea parte deteriore loco esse cœpit, Lithuanis atq; Tartaris sensim pedē referentibus: & ad extremum, cum ad unius iugeri spacium tamen utcunq; hostium impetū sustinuissent, in fugā nequicquā reuocante Vitoudo effusis. Nec ij sisti ullo modo potuêre: sed perpeti fuga pleriq; in Lithuaniā contendentes, actum esse de uniuerso exercitu renunciarunt. Soli Smolenscij Russi, qui sub tribus signis in eodem cornu constiterant, fœditatē fugæ detestati, eximiæ uirtutis & fortitudinis laudem meruêre: & una turma penitùs deleta, duæ reliquæ cum Polonis in læuo cornu sese coniunxêre. Alia ibi erat rerum facies: nostri enim acerrimè dimicantes, uexillum regium, cuius signifer fuit Martinus Vvrocimouicius, uexillifer Cracouiensis, ab hostibus deiectum, summa ui connixi recuperarunt. Ibiq; primùm inclinari cœpit hostilis acies. Instabāt nostri perturbatis: & cōmodùm leni pluuia delapsa, puluis, qui lōgiorem aspectum adimebat, resederat. Affuêre quidem, sed post tempus fermè, ij qui Lithuanos à dextro cornu pulsos longiùs persecuti erant: & ni confusi iam fuissent suorum ordines, restituissent proculdubio pugnā. Verùm ij quoq; & fatigati, & suorum perturbatione consternati, & sine ordinibus inuecti, nō diu Polonorum impetum sustinuêre. Erat extremū agmē Cruciferorū sub sexdecim signis, quod nōdum prælij fortunam tentauerat, in quo Magister & primores Cruciferorum erant. Id ubi suorum fortunam cognouit, circumduci cœptum, ut ab latere nostros inuaderet. Fortè in ea parte rex cum globo suo, & minori uexillo constiterat, euentum pugnæ expectans: ratusq; in se aciem illam dirigi, Sbigneū Olesnicíū scribam in aciē ad suos misit, ut cohortes aliquot

Signa Polonorum et Lithuanorum.

Gladij missi regi à Magistro.

Regis modestū responsum.

Rex excessit ex acie.

Lithuanorum fuga.

Vexillum regium recuperatum.

aliquot subsidiarias inde sibi adduceret. Sed is reiectus à Nicolao Kelbassa gente Nalencio, negante id fieri cõmodè posse, ne speciem fugientiũ exhiberent: & hostibus perculsis quidẽ, sed nõ deuictis terga obijcerent: retulit, nullũ in acie cuiusquã imperiũ exaudiri. Ibi rex cum experiri nihilominus fortunã prælij cuperet, retentus est ab his, quorũ fidei à toto exercitu cõmendatus erat: & uexillum minus, ne ex eo ibi esse agnosceretur, occultatum. Interim Lusacius quidam Dipoldus Kikericius, miles strenuus, totũ corpus armis tectus, ex hostili acie procurrens, regem & ipsum armis insignẽ infesta hasta petere uidebatur. In eum & rex uicissim hastã direxerat: sed Sbigneus Olesnicius inermis, cum semifracta hasta præcurrens, ut uel suo periculo regiũ periculũ auerteret, ab latere uibrata hasta de equo Dipoldum deiecit: deiectum rex hasta in frontem, reuoluta casu casside apertã, ferire satis habuit: sed regij satellites eum interfecerunt. Præclarum & memorabile nobilis adolescentis facinus: quod rex postea magnis donis & episcopa Cracouiensi remuneratus est, cum ille sacris initiari cogitãs, baltheum militarem abnuisset. Iam nostri totam hostilem aciem, seu quæ initiò contra se constiterat, seu quæ actis in fugam Lithuanis posteriùs accesserat, ingenti strage fractam profligarant, cùm illum fortè cuneum sub sexdecim signis procul aspexêre: & primùm quidem Lithuanos esse è fuga reuersos credidêre: deinde cum error Dobeslai Olesnicij opera & audacia discussus esset, signa in eum cuneum à nostris illata sunt: & auctus is erat accesione non modica eorum, qui è profligata acie fuga eò delati erant. Sed eadem ibi fortuna fuit, uicti hostes non maximo negocio. Cæsis enim primoribus, qui primi pugnã inierant, facilè reliqua multitudo, cùm nihil iam spei opisq; usquam cerneret, in fugam acta est. Fugientium terga nostri prementes, eodem impetu castra iunctis carris atq; curribus munita cœperũt: & plurimos ibi mortales, ira nihil pensi faciente, contrucidarunt, ita ut inde torrens sanguinis longiùs profluxisse memoret. Sed reuera uinum id fuit, sanguine cæsorum tinctũ. Nam cum nostri captis castris ad prædam uersi essent, & magnam uini copiam, ut in opulentis ac delicatis castris, reperissent, auidius eo se, ut qui æstu ac labore diuturno & uulneribus confecti impensè sitirent, inuitgitare cœperant. Qua re, ne à continuanda uictoria retraherentur, neu immoderatiore potatione morbum cõtraherent, dissectis regio iussu uasis, uinum inter cæsorum corpora profluens, speciem sanguinis præbuit. Neque uerò longiore fuga multi hostium euasêre. Nam fugientes quoquo uersus nostri persecuti ad aliquot milliaria, partim ceciderũt, partim captiuos abegerunt. Quodam autem loco palustri aliquot turmæ latitãtes, armorũ splendore proditæ, abiectis armis, pecudum in morem nostris præ se agentibus, in castra compulsæ sunt: paucis, qui primùm resistere ausi erant, interfectis. Cæsa feruntur hostium ea die quinquaginta millia, in quibus Magister & cõmendatores, paucis exceptis, fuêre: capta ad quadraginta millia, signa militaria relata unum & quinquaginta. Nec id mirum cuiquam uideri debet. Nam ad centum quadraginta millia hostium fuisse, autores habeo. Et sanè omnis ferè Germania tũc autoribus Cruciferis in exitium Polonorũ cõspirauerat. Silesiorũ item & Slauorum, qui ad Oceanum Germanicum accolunt, duces, in cõsanguineorũ ac progenitorum suorum perniciem deuoti, armis Cruciferos uirisq; iuuerũt. Ex his Conradus Albus Olesnicensis, & Cazimirus Stecinensis, qui soli per seipsi cum auxilijs affuerãt, uiui capti: multi itẽ alij insignes & illustres uiri: castra opulenta direpta. Ibi magna uis tædarum ad incendia Poloniæ, magna catenarũ ad uinciendos nostros cõparatarum, malo dominorum suorũ reperta. Fertur autem à multis, ex utroq; exercitu per omne tempus prælij conspectus esse in aëre uir uenerandus, pontificali habitu, dimicãtes nostros cõfirmãs, hostibus uerò terrorem incutiens. Atq; is diuus Stanislaus episcopus Cracouiensis fuisse creditur. Quin & ea nocte, quæ prælium hoc præcesit, ostentum in cœlo circa lunam, euentum prælij portendens, multis testibus apparuisse memorant. Monachum enim cum rege aliquandiu depugnasse: & ad extremum, monachum uictum, ac cœlo deturbatum esse. Nec sanè nouum & inusitatum est, futuros maximarum rerum euentus ostentis & prodigijs quibusdam, siue cœlestium conuersionum efficientia, siue sanctissimarum mentium, quos Angelos uocamus, siue impurorum dęmonum, caliginosum hunc ac terrę uicinum aërem incolentium ministerio, non sine diuino tamen nutu, ędictis significari. Et affuit sanè Polonis non obscurè diuinum numen in eo prælio. Nam præter Tartarorũ, Russorum, Lithuanorum stragem, quæ non parua fuit, de nobiliorib. Polonis per pauci cecidêre: inter quos Iacubouius gente Roseus, & Imbramus Zulicius gente Ceuinius, maximè insignes fuêre. Nõnihil fortasse momẽti ad uictoriã nostris & Bohemi, Morauiq; mercenarij, sed imprudentes, attulêre. Nam ij cum uno uexillo, cuius signifer fuit Ioãnes Zarnouius

Rex non permissus pugnã inire.

Cruciferi uicti à Polonis.

Castra capta.

Cæsorum & captiuorum numerus.

D. Stanislaus Polonis dimicantibus adfuit.

Ostentum.

Iacubouius & Zulicius interfecti.

Bohemorum secessio.

nouius Bohemus, siue metu, siue auro Cruciferorum corrupti sub initium pugnæ secesserant. Conspicatus autem eos in sylua Nicolaus Tramba procancellarius, cum ex acie iussu regis in castra cum cætera imbelli turba reuerteretur, accurrit ad eos: & grauiter obiurgatos, in aciem redire compulit, in ductorem suum Zarnouium culpam omnem referentes. Qui quidem ita deinceps infamis fuit apud omnes ob id factum, ut ne uxor quidem coniugali thoro eum dignaretur. Hi ergo reuertentes in aciem, speciem noui exercitus hostibus præbuêre, terroremque addidêre. Dum aũt nostri post uictoriã pertinacius hostes fugientes persequuntur, rex cum impedimentis subsecutus, haud longè à loco prælij uersus Marieburgũ fixit tentoria: & ad uesperum suos cum spolijs & magna captiuorũ multitudine reuertentes, ingenti cum lætitia in castra recepit. Ibi defessa totius diei labore, æstu & inedia corpora, cibo, potuque, ac deinde somno curata sunt: quo quidem factum est, ut complures saucij in loco certaminis neglecti, nocturni cœli, & pluuiæ pernoctis intẽperie afflicti extinguerentur. In sequente die, sacris in primis Deo solenni pompa peragendis, hymnisque iussu regis uacatum est. Hinc cæsorum funerib. cura impensa: collectaque Magistri Vlrici & principũ Cruciferorũ, inter quos comes Vendensis erat, qui ita ut prędixerat, fortissimè dimicans occubuerat, corpora, & curribus imposita, Marieburgum transmissa sunt à rege, mortem hostium simul & humanarũ rerũ uicissitudinẽ pijs suspirijs & lachrymis prosequente. Relata deinde ad regẽ capta signa, & captiui omnes exhibiti, ac secundũ nationes distincti atque descripti: ac cæteri quidem omnes sponsione militari, ut se ad diem sancti Martini Cracouiæ sisterent, à Sbigneo Marsalco, & Petro Saffranecio succamerario Cracouiensi obligati, iussu regis domos dimissi sunt, dato etiã pro cuiusque cõditione uiatico. Cazimirus uerò Scecinensium, & Cõradus Olesnicensium duces, Christophorus Kersdorfius Silesius, Venceslaus Dunius Bohemus, & quicũque erãt de Cruciferorũ ordine, in Poloniã missi, per arces asseruandi distributi sunt. De duobus modò, Marquardo Salisbachio cõmendatore Brandeburgensi, & Sumbergio, nequicquã deprecante rege, à Vitoudo sumptum supplicium: quòd ij in colloquio quodam prope Cauunum, matri eius probrum obiecissent, & tunc captiui nihil de fastu suo diminuissent.

Nicolaus Tramba.

Zarnouius Bohemus infamis.

Regis pietas, & humanitas.

Vitoudi ira.

DE ORIGINE ET REBVS GESTIS POLONORVM, LIBER XVII.

Dimissus autem in Poloniam ueredarius, cum nuncio uictoriæ & literis, ad archiepiscopum, episcopos, ac præsides Academiæ, & ad senatum Cracouiensem à rege scriptis, celeriter cunctam Poloniam immensa lætitia repleuit. Quamobrem solennes supplicationes apud omnia templa habitę, diesque tam insigni uictoria memorabilis, quo dimissio, siue diuisio Apostolorum CHRISTI repræsentatur, inter festos relatus. Triduo uerò in ijsdẽ statiuis nostri mansêre, non optimo consilio, & contra sententiam eorum, qui magnum in re militari usum habebant: quibus placebat, continuari cursum uictoriæ, neque ullum recolligendi sese spacium dari hostibus: si mox ad Marieburgũ eatur, aut pars modò exercitus integrior præmittatur, paruo negocio arcem eam capi posse. Ea uerò capta, omnes Cruciferorum munitiones in potestatem regis & Polonorum uenturas esse. Et sanè ita euenisset: perpauci enim eam arcem asseruabant: atque ij uictis & ad internecionem cæsis suis inopes animi & consilij, partim de deserenda arce, partim de ditione cogitabant: donec tertio die Henrici Plauenij, Suecensis commendatoris, qui ad præsidium eius oræ relictus, prælio non interfuerat, aduentu confirmati sunt. Adduxit autem is quinque millia hominum, ex omni uicinia collecta. Porrò legati Sigismundi regis cum de clade Cruciferorum, & nece Magistri Marieburgi cognouissent, acceptis Gdani reliquis uiginti millibus florenorum, quæ ibi eis Magister annumerari iusserat, ad regem suum reuersi sunt. Acceperant nostri, qui ad præsidium oræ Pomeranis finitimæ cum Matthia Vansosio, gente Toporo, palatino Calissiensi, & præfecto Naclensi, relicti à rege erant, nonnihil incommodi à Michaële Cochmeistro, aduocato nouæ Marchiæ, tertio die ante Grunualdense prelium, cum in hosticum populabundi excurrissent: eiusque rei culpa in præfecto hæsit, qui nostris acriter cum hoste obuio dimicantibus, primus fugam iniit: sed percõmodè accidit, quod

Diuisionis Apostolorum festus dies.

Poloni nescire uti uictoria.

Henricus Plauenius Marieburgum præsidio firmauit.

Matthias Vansosius pal. Calissiensis.

de ea clade post uictoriam demum in castris regijs cognitum est. Debilitasset etiam procul dubio nostrorum animos, si ante conflictum nunciata esset. Mouit deinde castra rex: & cum oppida quaedam cum arcibus, nempe Hoensteinum, Morangum, Preismarcum, Zirgonum in deditionem accepisset, repertamque copiosam suppellectilem Cruciferorum in milites distribuisset, septimis demum castris ad Marieburgum peruenit, & postridie oppidum expugnauit: parumque abfuit, quin eodem impetu arcem quoque caperet, nostris refugientium e capto oppido terga prementib. Quoniam autem arx amplo & spacioso ambitu est, ueriti hostes, ne si undique ea eodem tempore oppugnaretur, diducti & rarefacti pauci sufficere defensioni non possent: pontem quo Nogatus, qui Vistulae pars est, iungebatur, exusserunt, ut ab ea duntaxat parte, qua flumen arcem alluit, securi essent. Arx deinde, distributo in terna castra exercitu, obsideri a nostris coepta: quorum una Poloni in superiore parte, altera Lithuani in inferiore, tertia uero inter utrosque interiecti ad meridiem Rusi & Podolij obtinebant: bombardisque in omnia distributis, & nonnullis etiam in templo oppidi, & alijs in ea parte ubi pons fuerat, trans flumen collocatis, undique quassata moenia. Dum haec ita apud Marieburgum geruntur, pleraque omnis nobilitas Prusica, Culmensis & Pomeranica, cum quatuor episcopis, Culmensi, Varmiensi, Pomesaniensi, & Zambiensi, ultro in potestatem regis uenit: arces quoque & oppida in deditionem accepta, in primis Gdanum, Elbinga, Torunia, Chelma, Kynixberga, Suece, Gneua, Tysciouum siue Dersauia, Nouum, Brodnicia, Brandeburgum, Copriuunum siue Engelsberga, Grabinum, Venceslauum, Golubia, Grudentum, Allenburgum, Osterroda, Nidborgum, Zaldouia, Scithnum, Curemicum, Brathianum, Couale, Hamersteinum, Bythouia, Lemburgum, Holandia, Piscaria, Rogozinum, Stuma, & Tucholia. Sed Elbingensium maxime studium in Ponos enituit: qui Vernerum Tettingerum commendatorem suum, hominem dictis quam factis, quemadmodum commemorauimus, ferociorem, ex arce, quo se ex praelio Gruneualdensi turpi fuga receperat, eiecerunt, arcemque regi dediderunt. Eam uero rex Ioannis Tarnouij palatini Cracouiensi fidei commendauit, repertaque ibi centum uasa partim aurea, partim argentea, & bona fide ab eo missa accepit. Nobilitatem uero omnem & oppidanos, cum in uerba sua iurassent, suo sibi iure utrumque ordinem uiuere permisit. Ex his uero arcibus atque oppidis Kynixbergam & Holandiam Vitoudo duci, Osterrodam & Nidborgum Ioanni, Zaldouiam & Scithnum Zemouito, Masouiorum ducibus: Bythouiam uero & Hamersteinum, itemque Sipelbeinum, Fridelandiam, & Balgenburgum, ac dimidium Slochouiae, Boguslao Stolpensium duci concessit. Coniunxerat quidem se Buguslaus hic anno superiori cum Cruciferis, prioris pacti cum rege oblitus: uerum pari leuitate ijs desertis, post pugnam Gruneualdensem ad regem in castra uenit, & in fide atque clientela eius, Polonorumque se fore deinceps, suisque impendijs contra Cruciferos, et quemuis alium hostem infra fines maioris Poloniae, extra uero regijs stipendijs perinde atque alij clientes militaturum esse, solenni iureiurando interposito, consignatoque diplomate, promisit. Vngaros modo excipiens, quatenus ij ab aequis conditionib. pacis non abhorrerent. Ac de his omnib. etiam subditi ipsius Pomerani, pro ipso fideiusserunt regi. His igitur legibus addixit ei rex ea, quae modo recensuimus. Quin & Cazimirum fratris eius filium dimisit, cum ipse Boguslaus cum suis, eiusque subditis, de sistendo eo quo rex iuberet, fideiussisset. Caeteras uero arces inter proceres & equites Polonos, ne Bohemis quidem praeteritis, pro meritis cuiusque distribuit. Ciuitati uero Gdanensi dimidium omnium emolumentorum molae farinariae, agrumque unius milliarij spacio circum urbem: exceptis ecclesiasticis & priuatorum hominum proprijs bonis, & pratis ad arcem pertinentibus: aliasque item certas uillas, & liberam in mari piscaturam per duo milliaria in parte orientali portus, denique paroeciae primariae, scholaeque, & campanaturarum, ut uocant, patrocinium donauit. Reliquae erant arces Radinensis, Gdanensis, Plochouia, Succensis, Brandeburgensis, Balga, Ragneta, & Troipeda siue Memela, quae hostium praesidijs tenebantur. Ex his Gdanensis, ne quid aduersi a nostris pateretur pacto, de ditione cum primum Marieburgo rex potitus esset, facienda, sese liberauit. Dum autem continuatur Marieburgi obsidio, quadam die obsessi, cum negligentius stationes a nostris seruari animaduertissent, cum impetu erupere: sed mox concurrentibus nostris, non sine strage in arcem compulsi sunt, quos nostri temere prouecti, usque ad murum arcis persecuti sunt. Erat is ab ea parte ictu bombardarum labefactus: itaque facile eum hostes, in nostros incautius succedentes impulerunt, eaque ruina non paucos oppresserunt. Fuerunt in ea statione ij, qui sub Dobeslai Olesnicij, Cmithae Visnicij, & Gryphium uexillis militabant. Petijt deinde, & impetrauit Henricus Plauenius a rege colloquium: adueniensque in castra cum fratre & paucis Bohemis atque Silesijs supplicis habitu,

Hoensteinum, Morangum, Preismarcum & Zirgonum oppida in deditionem accepta.

Prussia ferè omnis in deditionem accepta.

Elbingensium studium erga Polonos.

Boguslaus Pomeranorum Stolpensium dux cum suis iurat in uerba regis Polonorum.

Gdanensi ciuitati donata à rege.

Incommodum apud Marieburgum à Polonis acceptum.

habitu,ita apud regem uerba fecisse perhibetur. Deuicti abs te rex maxime grauissimo prælio,& ad extremũ ferè deleti,nihil est,quod uel tua uictricia arma incusemus,uel fortunæ suc censeamus:penes nos ipsos huius cladis atq; omnium malorum, quæ cumulatè nunc in nos inundarũt,culpa est.Nos iniustè tua appetiuimus,atq; diuexauimus:nos stultè mansuetudinem & patientiam tuam contempsimus: nos deniq; te grauiter læsum,& tamen æquissimas pacis leges ferentem,superbe aspernati sumus.Itaq; iusta diuini numinis uindicta abs te,tuoq; inuicto exercitu perculsi & afflicti sumus. Sed iam satis abundè pœnarum tibi Deoq; ultori dedimus,non modò exercitibus nostris ad internecionem deletis; uerum etiam ducibus & authoribus horum malorum extinctis. Iam agnito errore & culpa nostra,exiguæ miserorũ Cruciferorũ reliquiæ ad tuam clementiam cõfugimus, ne ad extremũ nos excindas. Eiusdem est uirtutis,rex inclyte, Parcere subiectis, & debellare superbos,nouimus te Christianum principẽ esse:& clementiæ magis atq; bonitatis,quàm fortitudinis laudem expetere.Quanquam,quæ fortitudinis laus esse potest, si prostratos atq; iacentes proteras? Ne leones quidem, atq; ursi,id facere dicuntur.Quid tibi seu commodi,seu uoluptatis nostrum afferet excidium? Multa,fateor,in te,tuosq; Lithuanos atq; Polonos peccauimus. Verùm quo maior est culpa nostra, hoc illustrior erit clementia tua. Neque nos tamen tibi omnem uictoriæ fructum eripimus,neq; incolumitatem impudẽter petimus.Pomeraniam, Culmensem & Michalouiensem tractum, & si quid aliud de Polonis siue bello,siue qua alia ratione quæsiuimus & usurpauimus,tibi ut habeas per nos licebit.Prussiam modò,quam olim nostri maiores, dum Mazouiam atq; Poloniã,illo præmio inuitati defendunt,iustis armis & sanguine suo barbaris eripuere, nobis concedas,per te salutarem CHRISTI IESV mortem,& sanctissimæ matris eius Mariæ nomẽ, sub cuius signis militamus,petimus & obsecramus. Maiori tibi,tuisq; Polonis & Lithuanis usui posthac fuerimus in extremo illo terræ angulo relicti, quàm ex hisce sedibus nostris penitùs eiecti & exterminati. Variè hæc oratio Plauenij à consilio regio excepta est. Flexerat enim nonnullos ad misericordiam,humanitatis atq; religionis intuitu,& ipsa æquitate conditionum atq; postulatorum,perpendentes secum fortunæ inconstantiam, & rerũ humanarũ uarietatẽ:alij uerò secundis rebus elati,præsentisq; fortunæ cursum proprium ac perpetuum sibi pollicentes,præsertim, quod innata genti Teuthonicæ siue magnitudo animi,siue superbia uerisimile faciebat,nõ nisi ab extrema desperatione tam demissam atq; supplicem orationem profectam esse,incumbendum esse perculsis,extirpandumq; penitùs ex illis oris germen improbum & insatiabile:ne,quæ tunc necessitate cõcederet, mox resumptis uiribus per uim atq; fraudem usitatam repeteret. Et uidebatur Marieburgum, ubi tunc summa rerum erat,diurnam obsidionem tolerare non posse. Vicitq; hæc in senatu sententia: in quam Sbigneus Brezius Marsalcus Plauenio respõdere à rege iussus,accipere eum à uictore conditiones pacis,non ipsum domo afferre, debuisse,dixit:aut si afferret,non ea sanè uictoribus eum concedere oportere,quæ ipsorũ & olim fuissent,& nũc denuò iure belli atq; deditione facta essent:Marieburgum potiùs,& quæ alia in potestate sua haberet,dederet,ac tunc demum clementiam uictoris imploraret. Offensus hoc responso Plauenius,cum aliud instanti non redderet: At ego, inquit, æquissimas uobis & ultrò expetẽdas conditiones attulisse me arbitrabar: sed quando aliter uobis & regi uestro uidetur,Marieburgum,cæterasq; munitiones,quas adhuc retinemus Cruciferi prius quàm ego dedam,extrema quæq; experiar:& respiciet iam nos, uti spero, deinceps magis propitius Deus,quandoquidem iram & offensionẽ eius, ruptione fœderis, & superbia nostra contractam,partim supplicijs nostris, & mortibus eorũ,qui in hoc bello ceciderunt; partim tam demissa & supplici hac petitione nostra satis,ut opinor,expiauimus. Et cũ his dictis, multa Deum rerũ omnium arbitrum & inspectorem testatus, in arcem se recepit. Neque irritæ fortassis eæ Plauenij preces Deo acciderunt. Nam ex eo tempore minus prosperè nostris res esse,retroq; relabi cœpere. Paucis diebus,quibus hæc acta sunt,statio Velunensium pulsa,bombardæ deiectæ,& alia quædam parua incõmoda accepta. Nec multo pòst Hermannus Liuoniensium Cruciferorum Magister,clàm cum quingentis militibus in Prussiam aduenit,occasionem bene gerendæ rei captans:qua quidẽ nõ difficulter per fraudẽ potitus est.Nã ut rex de aduentu eius cognouit, Vitoudum cũ suis, & cũ duodecim uexillis Polonorum contra eum misit. In quem cùm Vitoudus apud Passariam amnem ultra Holandiam oppidum impetum facere uellet,ille ab armis ad dolos conuersus,colloquio Vitoudi secretò impetrato,persuasit ei,ut suam potiùs, quàm Polonorum rem ageret: ac Samagitarum,Sudorumq; oras pactis secum & cum Cruciferis initis sibi

Plauenij oratio ad regem.

Consultatio Polonorum.

Plauenij responsum magnanimum.

Fortuna Polonorum mutata.

Hermanni Magistri callidum consiliũ.

sibi pacaret atq; stabiliret. Itaq; eo authore Hermannus cætera manu apud Balgã & Brandeburgum relicta, cum quinquaginta equitibus ad regem in castra, atq; inde permittente rege in arcem obsessam, quasi sequester deditionis, uel arbiter pacis peruenit: Plauenium & obsessos confirmauit, cum eos de uoluntate Vitoudi certiores fecisset: ac de ratione ꝑsequendi, si opus sit, belli, & amissa recuperandi, cum eis constituisset. Quibus peractis, pace infecta discessit. Inde iam auctus animo Plauenius, nullam facere pacis mentionem: à nostris uerò factam ita accipere, ut quas ipse prius conditiones tulerat, abnueret. Vitoudus uerò, & ipse missionem a rege flagitabat, & illum ad soluendam cœptam obsidionẽ inducebat: uerùm hoc tamen nõ persuasit, illud partim precibus, partim odio, multa caussificando, post natalem demùm sanctissimæ Mariæ impetrauit. Mox & Mazouiorum duces indulgente rege discessêre. Interim dum hæc ita fiunt, parœcus Gdanensis, senex admodum, quasi molestias obsidionis diutius tolerare non posset, ex arce Marieburgensi nostris permittentibus, & nihil fraudis subesse suspicantibus, ætatiq; & sacerdotio honorem habentibus excessit, & inter supellectilem suam triginta millia aureorum numûm duplicium, siue nobilium, ut uulgò uocantur, ab Henrico Plauenio accepta secum exportauit: & inter Gdanensem, Slochouiensem, & Suecensem commendatores, ut ij mercenarium militem inde conducerent, distribuit. Sed lentius id erat, quàm ut sustineri posset tã diu obsidio: quæ difficilis iam atq; molesta esse Bohemis mercenarijs, propter frumẽti penuriam dysenteria uulgò afflictis, incipiebat. Itaq; ij priuato cõsilio per Ioannem Socolũ, Bohemum & ipsum, in castris regijs militantem, de ꝑdenda arce cũ rege cõstituerunt, incolumitatem & quadraginta millia florenorum pacti. Sed re ad senatum relata, turpe uisum nostris, auro & proditione hostilium munitionum potiri uictores dudum, & ferrum in manibus habentes. Ita reiecti Bohemi. Falso deinde rumore in castris regijs percrebuit, Sigismundum Cesarem cum ualido exercitu in Poloniam intrasisse: quo commoti nostri missionem à rege flagitabant: & suadebant id regi complures proceres, in primis autem Andreas Tencinius castellanus Voinicìensis, non ferens pulchræ & iuuenculæ uxoris, quemadmodum Dlugossus memorat, desiderium. At uerò primores nobilitatis ciuitatumq; Prussicarum & Pomeranicarum, quæ post uictoriam Gruneualdensem ad regem defecerant, sedulò dissuadebãt, ac ne præcipuum illius uictoriæ fructum Marieburgi expugnationem omitteret, orabant. Ni faceret, omnia mox rursus Cruciferorum fore, quæ in potestatem eius dudum uenissent: excusantiq; regi inopiam pecuniæ in stipendiũ, suadebant ut tributũ sibi imperaret. Cùm ille in nouo imperio, nouis dediticijs oneri esse nollet, fuêre qui suaderent, ut arces atq; oppida earum regionum mercenarijs militibus debiti stipendij nomine pignori daret. Ne id quidem probauit, ueritus ne milites illi ciuibus graues essent: neu qua siue ab his, siue ab illis proditio fieret. Itaq; repudiatis salutaribus consilijs, quorum author præcipuus erat Nicolaus Tramba procancellarius, non modò uerbis, sed etiam lachrymis suadens, nequaquam cœpto desistẽdum esse, ad tertiũdecimũ Calendas Octobris incensis statiuis, & mediocri aulicorum comitum præsidio, cum Andrea Brochocio Stumi ad infestandam orã Marieburgẽsem relicto, ab obsidione discessũ est. Iucundũ id fuit spectaculũ obsessis: qui eò iam inopiæ redacti fuẽrãt, ut uix pauculos dies Henricus Plauenius ab eis impetrauerit, ne sese, arcemq; regi dederent: quòd dicerẽt, exploratum se habere, soluturos esse obsidionem Polonos. Ni facerẽt ante quintumdecimum diem, tunc demum milites arbitratu suo arcem dederent. Quò minus autem lætus discessus ille, discedentibus nostris esset, non maxima res effecit: nempe quòd equus regius, qui dudum alacriter hinniens, terramq; scalpens ungula adstiterat, dum rex cum abiturus conscendit, subitò exanimatus concidit. Quæ res mali ominis uulgò est habita. Discedens autem rex, Radinum arcem permunitam, in qua obsidenda & oppugnanda pars exercitus à prælio Gruneualdensi frustra tempus triuerat, in deditionem accepit: cũ iam eam milites facto impetu, portaq; effracta fere cœpissent. Quindecim ibi Cruciferi insignes reperti, & in Poloniam captiui abducti sunt: reliqua multitudo nihil aduersi passa, arx Ioannis Socoli Bohemi fidei commendata. Eoq; mox Toruniæ, quo regem secutus erat, ueneno à ciue quodam Torunensi extincto, Dobeslao Puchalæ & Alberto Malscio pariter rex curam eius mandauit. Socoli uerò paruos filios, propter merita patris, honestè & liberaliter educari Cracouiæ iussit. Non cessabat interim Henricus Plauenius, qui iam Magister Cruciferorum factus erat: sed undiq; contrahebat exercitum, acceptis mutuò in stipendium centum millibus florenorum à ciuitate Gdanensi, quæ iam rursus in fidem eius inclinauerat: totidemq;, & insuper quindecim millibus à Venceslao rege Bo-

Vitoudus è castris discessit.

Aurei nobiles siue duplices.

Andreæ Tencennij consilium.

Nicolai Trambæ consilia.

Socoli liberi regis impendijs educati.

Bohemorum, cum ei bona Chomentouiensia, quæ ordo Cruciferorum in Bohemia habebat, hypothecæ nomine tradidisset. Et quæ prima manus è uicinioribus oris conuenerat, ea Michaële Cochmeistro aduocato nouæ Marchiæ duce, Tucholiam arcem obsedit, cuius oppidani primo aduentu hostium, deditionem fecerunt. Nessouiæ tunc rex erat, cum hæc ad eum perlata sunt. Neq; is expediebat, quomodo cùm his, tum alijs suis, qui similem fortunam ab hostibus expectabant, succurreret, uastationemq; ditionis suæ prohiberet. Centum modò uel paulò plures hastatos de aulico suo comitatu, & ipsos necessariã missionem flagitantes, prece, precioq; adduxit, ut cum suis quisq; ministris, quibus merebat, Tucholiam præsidij causa proficiscerentur: quibus Petrus Mieziuecius, gente Staricouius, magister militiæ præfectus est, opportunè autem Sendiuoius Ostrorogius palatinus Poznaniensis, & Dobrogostius Samotulius castellanus, cum suis cohortibus & nonnullis maioribus Polonis, & Martinus Labisinius palatinus Brestensis, cum his sese coniunxêre. Atq; hæc manus omnis, seu quòd aditu Tucholiæ interclusa esset, seu qua alia de causa Coronouiæ (quod oppidum neque arte, neque natura munitum, haud longè abest à Tucholia) substitit. Cuiauiensem uerò atq; Dobrinensem nobilitatem rex Brodniciæ, Breste, Ripini & Nacli in præsidijs esse iussit, ad tuendas eas munitiones, arcendasq; hostium excursiones. Ipse Inouuladislauiæ cum exiguo comitatu mansit: & quidem damnans consilium suum de soluta obsidione Marieburgi, dimissoq; exercitu, cum alia super alia aduersa ipsi renunciarentur. Nam & Osterroda, Nideborgum & Zaldouia arces, per eos dies ab hostibus receptæ sunt: & Stanislaus Charbinouius Sulimæus, ac Nicolaus Synoues Staricomius, cum de præsidio Coronouiensi decessissent, aduenientes perterruerant regem, quòd dicerent præsidium in magno esse periculo, siue ut honestam causam turpi facto suo prætexerent, siue ut eius consilium opemque implorarent. Erant enim in propinquo iam satis magnæ uires hostium, cum Michaële Cochmeistro. Atq; ij quidem, ut de aduentu & paucitate nostrorum cognouerunt, paucis ad obsidionem Tucholiæ relictis, raptim tanquam ad certam prædam Coronouiam contenderũt, ut nostros nec opinantes opprimerent. Et sanè aspirare initio conatibus eorum fortuna uisa, tamen non ad extremum usq; respondit. Etenim cũ exploratores Polonos incautius progressos excœpissent, & ex his, callidè & constanter omnia eleuantibus, exiguã modò promiscuæ & imperitæ multitudinis manũ Coronouiæ coaceruatã esse didicissent, contemptim, turbatisq; ordinibus ex equis delapsi, latrocinantium in morẽ, impetum fecêre in oppidum. Nostri ubi adesse hostem sensêre, & fortè tunc prandebant, tumultuariè correptis armis ad monasteriũ in crepidine mõtis suprà Berdã amnẽ situ, intrepidè sese recollegêre, celeriterq; aciem instruxêre. Quod cum præter expectationem hostibus accidisset, curriculo ij sese ad equos suos recepêre, atq; his conscensis retrocessêre: idq; siue re inopinata perculsi, siue certo consilio, ut equites nostros à peditum auxilio longiùs abducerent. Nec sanè impigrè Poloni equites pugnæ auidi, recedentibus institêre, audacius adequitãdo, iaculando, & cominus etiam feriendo, remorantes agmen, donec pedites cõsequerentur. Vbi ad Lancicum, qui pagus monachorum Coronouiensium est, uno ab oppido milliario, non sine multis hostium uulneribus peruentũ est, substitêre Teuthones in colle quodam editiori, & ordines instruxêre. Ne Poloni quidem pugnandi moram fecêre. Erant enĩ utrinq; milites & numero, & uirtute, & scientia rei militaris ferè pares. Sed erat ascensus ad hostem ab ea parte qua Poloni constiterant, arduus atq; difficilis. Itaq; ne simul cũ hoste & cum iniquitate loci dimicarent, circumuecti, leniori & accliuiori ascensu aciẽ aduersus collem erexêrunt. Prius uerò quàm signa canerent, Conradus Nemcius Silesius, de cohorte regis Sigismundi ex hostili agmine eques, in medium procurrit, aliquẽ de Polonis ad singulare certamẽ prouocãs. Incunctanter sese ipsi Ioannes Scicius, gente Doliuius, obtulit. Concursum infestis hastis: uictus atq; captus à Polono Silesius: non leue de euentu uniuersi prælij omen atq; præiudicium suis uterq; attulit. Confestimq; sublato utrinque clamore signa collata. Aliquamdiu pugna dubia fuit, nemine ex eo loco, quo primùm constiterat, referente pedem. Itaq; defatigatis militibus, quasi ex composito pugna utrinque intermissa, diuersi paulum retrocedunt, saucios summouent, uulnera alligant, commutant captiuos, sudorem sibi, equisq; ociosè abstergunt. Quin & pocula inter se misisse memorantur, ità ut colludentium, non infestis odijs concurrentium agmina uideri potuerint. Vbi aliquantisper respiratum est, signo dato redintegrant prælium, non minore quàm prius pertinacia. Vulnerãtur & cadunt utrinque multi: nec tamen in alterutram partem inclinat uictoria. Rursus ergo consensu quodam mutuo cessatur, & respiratur.

Tucholia arx obsessa à Cruciferis.

Petrus Mieziuecius.

Charbinouius & Nicolaus Synoues.

Berda fl.

Pugnæ intermissio semel atq; iterum.

Refocillatisq́;, ſicut prius, uiribus, tertiò cōcurritur, obſtinatis utrinq; uel ad uincendum, uel ad moriendum animis. Ibi Ioannes Oſtrouicius, cognomento Naſsianus, gente Toporus, adacto equo uexilliferum hoſtilem obtruncat: uexillumq́;, quo uno totus eorum exercitus (itidem atq; noſter) utebatur, abripit. Qua re tandem hoſtium acies perturbari, ac deteriore loco eſſe cœpit. Inſtitêre noſtri acrius trepidantibus. Ibi uerò illi, metu pudorem ſuperante, auerſi fugam capeſſunt. Premunt fugientium terga noſtri: nox tandem perſequendi finem fecit. Cæſa feruntur eo prælio hoſtium ad octo millia, captorum numerus non memoratur: non exiguus tamen fuit. Inſignior hæc uictoria ſuperiore illa Gruneualdenſi habita eſt, propterea quòd maiore contentione & labore parta eſt: & quòd ita ea uires atque animi Cruciferorum fracti ſunt, ut per multos annos poſteà nunquam auderent rem uniuerſæ dimicationi committere. Parta eſt autem, decima die Octobris. Sequenti die ſpolia à noſtris lecta, humatiq́; qui ceciderant. Deinde motis caſtris, Bydgoſtiæ prædam inter ſe partiti, Inouuladislauiam ad regem, cum longo captiuorum ordine peruenêre. Ibi omnibus à rege gratiæ actæ: compluribus, quorum illuſtriora merita eſſe conſtabat, perampla munera data ſunt, captiuis uerò lautè inſtructa cœna: qua peracta, ſermonem apud eos rex de Cruciferorum ſuperbia & iniuſticia, ac de ſua manſuetudine & æquitate habuit: illosq́ue, quòd iniquiori cauſæ fauiſſent, clementer obiurgauit. Deinde benignè conſolatos, & militari ſponſione, ut ſeſe certo loco ad præſtitutam diem ſiſterent, obligatos omnes dimiſit: excepto Michaële Cochmeiſtro duce exercitus, quem aliquamdiu poſtea in arce Chencinenſi in uincúlis habuit. Nihil tamen conſternati animis ex ea clade ij, qui ad obſidionem Tucholiæ relicti erant, dolo etiam locum ex ea inuenêre. Subornatis enim transfugis Polonis, & qui inter ipſos Polonicæ linguæ gnari erant, & pro captiuis eos oſtentantes, magna ſtrage ſe deuiciſſe noſtros apud Coronouiam illis teſtificantibus mentiti, perſuaſerunt Ioanni Broglouio præfecto arcis atque præſidij, ut arcem ſibi dederet. Augebatur autem in dies Cruciferorum exercitus nouo milite mercenario, & à Tucholia in Poloniam excurſionem facturus eſſe uidebatur. Id ne accideret, celeri conſilio prouidendum ſibi, eſſe rex Vuladislaus exiſtimauit. Quocirca nouam expeditionem toti Poloniæ, excepta ea quæ minoris nomine cenſetur, atque Ruſsia, indixit. Nec ſegniter ea manus Bydgoſtiam, ut à rege imperatū erat, conuenit. Inde porrò eam cum cohorte regia coadunatam Petrus Saffranecius ſuccamerarius Cracouienſis, ſub ſignis duodecim ad Tucholiam duxit. Præmiſsisq́ue ſexcentis baliſtarijs, qui prædas agendo, uaſtandoq́ue ſubiectam Tucholiæ oram, hoſtem elicerent, ipſe cum reliquo exercitu opportuno loco in inſidijs ſubſtitit. Simulatq; conſpexêre equitatum Polonicum per agros palantem hoſtes, contēpta eius paucitate, cū pertinacius eum fugam ſimulantē inſecuti eſſent, in paratas inſidias præcipitati ſunt. Quas cū maturè animaduertiſſent, pedem retulêre. Ibi noſtri tardius, quàm res poſtularat ſigno dato, pauciores aduerſus plures coorti ex inſidijs, uſq; ad portas oppidi fugientes perſecuti ſunt: & quoniam agilioribus equis utebātur, multos ex illis partim interfecêre, partim uiuos cœpére: & caſtris hoſtium, quæ ante oppidum poſita erāt, uacuis potiti ſunt. Non pauci oppido, ne noſtri ſimul erumperent, excluſi, inconſideratè in undas ſeſe præcipitantes, merſi ſunt. Fuêre inter captiuos inſignes quinq; ductores ordinū, tres Bohemi, unus Sileſius, & unus Luſacius. Porrò Ioannes dux Monſterbergēſis, & Ebrardus epiſcopus Vircebur genſis, qui & ipſi uoluntarij in Caſtris Cruciferorum militabant, fuga euaſerunt. Quod ſi maturius noſtri ex inſidijs conſurrexiſſent, creditum eſt, & oppido, & arce eos potiri potuiſſe. Sed ſiue imperitia, ſiue inſidias, & ipſe metuens Saffranecius, tardius ſignum dederat. His ad uiceſimamoctauam diem Octobris geſtis, captiuisq; ad regem miſsis, exercitus omnis, præter aulicam cohortem, mox iniuſſu regio domos dilapſus eſt, propter tempus anni cuius rei magis, quàm bello gerendo commodum. Captiuos rex, accepta ab eis, itidem atque ab alijs prius, ſponſione, dimiſit. His uerò cladibus permotus Plauenius Magiſter Cruciferorum, non auſus denuò fortunam aduerſus regem tentare, in interiorem Ruſsiam reliquias profligati exercitus deduxit: & Stumam arcem aliquamdiu obſeſſam, in deditionem accepit: noſtris, qui in præſidio eius arcis erant, propter incendium turris, in qua tormenta & pulueres bellici fuerant, longiorem obſidionem ferre non ualentibus, & ut ſibi ſaluis rebus ſuis abire liceret, pactis. Eam deditionem Morangi quoque deditio ſecuta eſt. Inde ad Radinum caſtra mota, circumſeſſaq́ue ea arx ſex ſeptimanis. Sed cum in ſpem Toruniæ, Gdaniq́; in deditionem accipiendi Magiſter ueniſſet, ſoluta obſidione, ſaucijsq; quorum non exiguus erat numerus, cum præſidio in oppido

Cruciferi uincuntur à Polonis.

Michael Cochmeiſter captus.

Noua expeditio in Pruſsiam.

Cruciferi rurſus profligati à Polonis.

Stuma per deditionem recepta à Cruciferis.

do Radino relictis, ad recipiendas eas urbes profectus est. Quo discedente Poloni accitis celeriter his qui erant in præsidio Brodniciæ, impetum fecēre in oppidum. Expugnatumq; paruo negocio, diripuēre & incendēre. Non parum aūt & ibi nostros fortuna iuuit. Erat in porta oppidi, quæ ad arcem spectat, sita bombarda, maxima: ea, cum hostes conferti aperta porta in nostros forte erupissent, à sacerdote quodam temere incensa, non modicam in suis stragem edidit, de nostris tres modo extinxit. Quo factum est, ut illi perculsi, doluma; subesse rati, abiectis armis uiui ferè in potestatem nostrorum uenirent: temperatumq; est à cæde supplicum. Porrò Torunenses & Gdanenses aduentante Magistro cum exercitu, miserunt ad regem, ut sibi celeriter opem ferret, quòd ipsi per se oppida sua defendere non possent. Sed cum præter opinionem eorum accidisset, ut rex tempori se illis affuturum esse promitteret, nec mora eò contenderet, rursus ei legationem obuiam misēre Gneuucouiam, se iam necessitate adactos, deditionem cum Magistro pactos esse. Itaq; rex dimissis contra sententiam multorum legatis saluis, quod diceret testatum se cunctis facere uelle, non suam illis, sed sibi illorum fidem defuisse, Inouuladislauiā se recepit. Magister acceptis in deditionem Torunia & Gdano oppidis, arcem Torunensem nequicq; oppugnauit. Nam ea strenuè à præsidio rėgio defensa est. Rex Gneznam ad sepulchrum diui Adalberti, & Poznaniam ad ædē sanctissimi corporis Christi, uotorum quæ ante prælium Grunevaldense nuncuparat, exoluendorum causa profectus, equestrem ordinem totius illius tractus denuò ad expeditionem in Pomeraniam exciuit: eaq; manus, ductu Sendiuoij Ostrorogij palatini Poznaniensis, Nouum oppidum ui cœpit, & exussit: Pomeraniamq; omnē, omissa arcium & oppidorum oppugnatione, longè, lateq; ferro & igni uastauit. Dum hæc ita geruntur in Prussia & Pomerania, interea Sigismundus rex Vngarorum, ut Vuladislaū à Crucifenco bello auerteret, promissisq;, ob quæ quadraginta millia florenorum à Cruciferis acceperat, satisfaceret, Sciborium Transyluaniēsem palatinum cum duodecim uexillis Bohemorum, Morauorum, & Austriorum (nam Vngari fœdera sibi, cum Polonis constare causificati sunt) misit ad uastandam Poloniā: cum iam nostri, qui ad præsidium eius oræ relicti à rege erant, hyeme ingruēte domos dilapsi essent. Sed celeriter tamen, ij ad primum nuncium concurrentes, hostem præda ex agro Sandecensi capta grauem, abeuntem persecuti sunt: & non procul à Bartefa siue Bardeouia adepti, magnoq; impetu adorti profligarunt. Maior pars hostilis exercitus, uel cæsa, uel capta à longè paucioribus nostris. Quanquam ne nostris quidem incruēta fuit uictoria. Iamq; ad fugam spectare cœperant, nisi Bohunek, Caspar, & Dalibor, ductores ordinum fugam inhibuissent, præliumq; restituissent. Fuerunt autem clari maximè in Polonico exercitu, Sciborius Agriensis episcopus cum fratre, exules Vngari, Spitco Iaroslauius, Ioannes Scecocinius castellanus Lublinensis, & Ioannes Valachus Chmelicius. Et uastauit ea manus deinceps repetitis excursionib. finitimā Polonis Vngariā. Hæc de nouo ex Vngaria illato bello, ubi ad regē Inouuladislauiam reuersum plata sunt, ueritus ne quo grauiori incōmodo Sigismūdus Poloniā se absente afficeret: simul aūt q permolesta & difficilis erat uiris, equisq; hyberna militia, mittit ad Magistrū de inducijs. Cōstituta colloquio dies Racianzi ad octauā diē Decēbris. Interea uerò nostri penultima Nouēbris memorabili rursus uictoria de Liuonijs potiti sunt. Hermannus Magister Liuoniensium Cruciferorū, ualidū exercitū e Germania & Bohemia in Prussiam adduxerat, eoq; apud Golubū relicto, ipse cū paucis equib. Mariebburgū, ut de ratione belli cū Prussientib. Cruciferis cōsultaret, pfectus erat. Id cū cōperissent nostri, qui Ripini & Bobrouunicis in præsidijs erāt, ausi facinus audax, ductore Dobeslao Puchala gente Venauio, ad hostē uiris, armisq; longè superiorem contendēre: insidijsq; apto loco dispositis, pauci per agros palantes, & prædas agentes, sub Golubo sese ostendēre. Quos hostes correptis armis auidius persecuti, locum insidiarum incautè prætervecti sunt: ibi consurgens Puchala, cū toto agmine à tergo eos adortus, perterritos & incompositè fugientes usq; ad oppidum insecutus est. Oppidani, ubi id animaduertēre, ueriti ne patentibus portis nostri permixti suis fugientibus pariter in oppidum irrumperent, portas clauserūt. Ita exclusi oppido hostes, cùm cæderentur passim in medio, proiectis armis supplices nostris sese dediderunt: & quadruplo maior numerus captiuorum, quàm eorum qui eos cœperant, fuisse proditur: uerùm illi re inopinata perculsi, alium longè maiorem exercitum nostrorum in syluis latuisse crediderant. Ripinum tandem captiui cum appulsi essent, ingenti cum dolore ac pudore errorem suum cognouerunt. Inde porrò Bresteā ad regem transmisi, sub militari sponsione omnes dimissi sunt: Curouiensibus modo, quòd fidei tenaces non essent,

Radinum oppidum re ceptum, & incensum à Polonis.

Torunensis arx defensa.

Vngari noluerunt arma iungere cum rege suo contra Polonos.

Vngariæ fines uastati à Polonis.

Captiuorum multitudo.

Induciæ menstruæ. essent, & ijs qui religionem professi erant, retentis. Conuentus inter regem & Cruciferos habitus: uerũ in eo tamen de inducijs non conuenit. Posterius eæ menstruæ tantum per Petrum Saffranecium confectæ sunt. Quibus durantibus, rex properè in Poloniam excurrit, & apud Radosśice oppidum cum regina cõgressus, excitisq; denuo ad expeditionem cunctis Polonis ad integrandum cum Cruciferis bellum, post noui anni initium reuertit. Vitoudus quoq; cũ Lithuanicis auxilijs Vuladislauiam ad eum uenit, eiusq; consilium de circumuallanda Torunia, ubi Magister & primores Cruciferorum erant, spe pacis iniecta mutauit: persuasitq;, ut in sylua quadam castra haberet. Interim de pace in insula Torunensi agi cœptum. Fortè accidit, ut induciæ expirarent, & consensu mutuo in longius tempus prorogarentur. Sed eius rei ignarus Ioannes Broglouius, præfectus Bydgostiensis præsidij, cum permagnum numerum equorum hostilium, apud Pappouiam esse didicisset, traiecta cũ quadraginta modò equitib. Vistula, & facto impetu ex improuiso in antemurale Papouięse, equos ibi stabulantes abegit, & antemurale incẽdit. *Pappouiæ antemurale direptum & incensum.* Qua re Toruniam subitò nunciata, emissi sunt nõ pauci equites, qui eũ persequerent. Hoc animaduerso Broglouius, cæteris cũ equis captiuis præcedere ac tranare Vistulã iussis, ipse cũ duodecim modò equitibus persequentes se hostes sustinuit, non ausos sensim cedentem pertinacius seq, metu insidiarũ. Receptus deinde in naues paratas, nullo accepto incõmodo flumẽ traiecit. Pax deinde uictorib.q; uictis iniquior, instãte maximè Vitoudo, pceribus uerò Polonis regis dissuadere non ausis, confecta est: cuius hæc potissima fuêre capita, ut Samagitiam Vitoudo & regi, quoad ij uiuerent, Cruciferi concederent, ducentaq; millia florenorum Pragensis pecuniæ intra annum uertentẽ tribus pensionibus numerarẽt: Zemouito aũt Mazouiorũ Duci Zafreuiense territorium redderet: rex Cruciferis, quæ de ipsis bello cœperat, remitteret: Dobrinum sibi haberet: captiui oẽs inuicem uti dimitterẽtur: de Dreno & Santoco, & alijs controuersijs, seni uiri utrinq; delecti arbitrarentur: q; si inter eos non conueniret, Pontificis maximi arbitrio staretur. Complexi sunt autem hoc fœdere rex quidem duces Stolpensium, & Mazouiorum : Magister uerò Sigismundum regem Vngarorum, si is uellet: interim autem ne ei Polonus bellum faceret. Hæc tam iniqua nostris pax, stipulatione utrinq; interposita, cũ Magister Henricus in castra regis uenisset, firmata est, & mox captiui omnes sponsione soluti. Munera deinde inter principes ultrò citroq; missa. *Podolia Vitoudo concessa.* Vitoudo autem ibi rex, inconsulto senatu Polono, Podoliæ dominatum, amoto à præfectura Petro Vulodico Charbinouicio, utendum fruendum concessit, non sine magno Polonorum incommodo & iniuria. Dimissoq; deinde exercitu, in Poloniam redijt: nec diu ibi moratus, in Rusśiam contendit, cùm Alexandro Palatino Valachorum, iam prius fœderato & cliente suo, nouam contra Sigismundum regem Vngarorum societatem inijt : Snatinumq; & Colomeiam, & omnem tractum Pocucensem, ipsi oppigneraiut, acceptis ab eo mutuis mille rublis, siue siclis argenti. *Stephani Palatini Valachiæ promissa.* Eodemq; anno, Stephanus cum Alexandro siue extincto, siue pulso, in principatu successisset, missis ad regem quatuor oratoribus, in fide & clientela ipsius itidem, ut maiores sui fuissent, se fore: & ubi accitus ab eo fuerit, uenturũ, soleñeq; iusiurandũ daturũ: neq; repetiturũ unquam Pocuce, sed præsentem cum præsenti rege, arbitratu ipsius de eo transacturum esse promisit, quod quidem literarũ monumẽtis, quæ in archiuio extãt, satis cõstat. Vnde sanè colligitur, Pocuce uel non fuisse traditum Alexandro, uel certè mox receptum à rege, alioqui cur negaretur, Stephanus id repetiturus esse? Transactum autem esse de ea ditione, argumento est diploma regium, quo eam Alexandro obligauit: quod & ipsum extat in archiuio, redditum procul dubio à Valachis. Per idem tempus, opera Zauisśij nigri, apud Vngarorum iuxtà ac Polonorum regem gratiosi, effectum est, ut primores Poloni & Vngari simul apud Nouam uillam conuentum de pace inter reges redintegranda agerent: sed ea non confecta, octo mensium inducias tantùm constituerunt, ea lege, ut Polonis cum Cruciferis pax rata maneret. Quòd si eam Poloni nouo bello rupissent, illæ quoque induciæ cum Sigismundo, & Vngaris irritæ forent: sin Cruciferi priores id facerent, Sigismundus sese deinceps ab amicitia, & societate eorum seiungeret. *Rex in Lithuaniã profectus.* His ita compositis, rex per Chelmensem oram sub initium ueris in Lithuaniam secessit. Ad Ioannem uerò pontificem, qui Alexandro quinto mortuo successit, oratores misit, Andream Lascarem prępositum Vuladislauiensem, Martinum Vurocimouicium uexilliferum Cracouiensem, & Sbigneum Olesśnicium secretarium suum, cum peramplis donis, nempe quatuor patinis, duobus crateribus magnis aureis, tribus uestibus sabellinis, & culcitra item ab altera parte è pantherarum, ab altera ex armelinorum pellibus consuta: obedientiam suam i- *Dona pontifici missa.*

psi delaturos, postulaturosq;, ut Pontifex declararet, ipsum iuste bellum contra Cruciferos suscepisse, & quicquid rerum sacrarum e templis, Prussicis per id bellum ablatũ esset, recte in Polonica templa distributum esse: deinde, ut ipsi crucis militiam contra Tartaros concederet. Ac cætera quidem impetrata sunt: extremum hoc ne impetraretur, illud obstitit, quod eiusdem modi militia, contra Ladislaum regem Neapolitanum, ab ipso Pontifice promulgabatur, & obstabant Polonis Sigismundi regis, & Cruciferorum oratores, ne riti fortassis, ne contra se rex uteretur illa militia. Sub id tempus, Iacobo Haliciensi archiepiscopo, & Alexandro Camenecensi episcopo mortuis, huic quidem Andreas nescio qs, illi uero Nicolaus Tramba procãcellarius, rege petẽte a Ioãne XXIII, uno de tribus de Pontificatu Max. contendentibus, successores dati sunt. Quanquam Nicolaus Tramba eodem ipso anno ad Gneznẽsem archiepiscopã, præter collegij Gneznẽsis uoluntatẽ, quod Albertũ Iastrembecium episcopũ Poznaniensem postularat, translatus est, secundũ mortem Nicolai Curouij archiepiscopi: qui cum in Russia regi, e Lithuania reuertenti, ab ipso euocatus occurreret, casu equi collisus & extinctus, iudicio regis, & Vitoudi sese subtraxit. Nam regina ei crimẽ intenderat, quasi ipsam de stupro sollicitasset. Reliquit aũt is permagnas diuitias, quas Petrus frater eius, cum alijs fratribus, & agnatis diripuit. Trãbæ uero Ioannes Ressouius in Haliciensi successor datus: qui archiepiscopã illam postea Leopolim transtulit. Venit deinde rex Cracouiam, pedibus religionis causa incedens: uexillaq; & signa militaria unum, & quinquaginta de Cruciferis capta, ad sempiternã tam insignis uictoriæ memoriam, in basilica suspendit, quæ in hanc usq; diem extant. Haud multo post inde discedens in Lithuaniã, partẽ hyemis in uenationib. exegit. Sequẽtis aũt anni, qui fuit 1412, initio, propere Cracouiã reuersus, de aduẽtu Hernesti ducis Austricorum certior factus, cũ quo affinitatem iunxit, collocata ei in matrimonium Cimbarca Zemouiti Mazouiorum ducis, & sororis suæ filia. Aduenerat, & Venetorum legatio, quingentorum hastatorum stipendium regi pollicens, si Sigismundo bellum facere pergeret. Iam erat creatus Cæsar Sigismundus. Facessebant aũt ei negotium Veneti in Dalmatia. Ipse uero a Ioañe Pontifice in Italiã, & ad liberãdam de manu Ladislai regis, Neapolitani Romã, suscipiendumq; diadema imperiale, inuitatus, Foroiulianam Venetorũ ditionem infestabat. Auerti igitur eum Veneti, ac distineri bello Polonico uolebant: sed nihil impetrarunt. Cauebant enim proceres Poloni, ne uetusta cum Vngaris fœdera uiolarentur. Et cùm sensisset id agi a Venetis Sigismundus, misit & ipse legatos ad Vuladislaum regem, Brandam Cardinalem presbyterum, & Sciborium palatinũ Transsyluanorũ, de renouando fœdere, aut certe de cõuentu, & colloquio. Aegre cõuentus ad certam diem, Lubouuliam siue Liblium impetratus. Prior Anna regina eo profecta est, Barbarã sororẽ, quæ cũ Sigismũdo nupta erat, uisum. Rex deinde, qui Sandeciæ substiterat, secutus, Bolesiao Mazouio, & Sigismundo Coributho fratre, & multis proceribus Polonis deducentib. Venienti Sigismũdus obuiam ꝓdijt, unà cum uxore, usq; ad iugũ montis. Atq; ibi septem diebus tentata nequicquam inter proceres regum pace, cùm discedere iam Vvladislaus uellet, ad secretũ colloquiũ semotis prorsus arbitris, a Sigismũdo inuitatus, blanditijs eius, & ingẽtib. pollicitationibus expugnatus, tandem homo minime malus, in gratiam cum eo, pactis iureiurando mutuo firmatis, redijt. Erat autem in pactis, ut Sigismundus cum Vuladislao, & Vitoudo, duce contra quosuis hostes, & in primis ad extirpandos Cruciferos, arma coniungeret: ac Prussia quidem eiectis Cruciferis, inter reges pro portione copiarũ utriusq; ad id bellũ adductarũ diuideretur: Pomerania uero, Culmensis & Michalouiensis, integre Vuladislao Polonisq;, quorum fuissent olim, cederent. Porro de Russia, Podolia & Valachia, quæ iuris Polonici, & tunc erant sine controuersia, & antiquis fuerant, ut nulla fieret mentio aut controuersia, quoad ambo uiuerẽt, & qnq; annis ꝓximis post obitum eius, qui prior de ipsis obijsset: Valachi duntaxat Sigismundo, cũ Turcis bellum gerenti, mãdato Vuladislai, ut essent auxilio, si ipsi Vuladislao, & Polonis tunc nõ militarẽt. Quod si dicto audiẽtes non essent, ambo simul reges, eos bello ꝓsequerẽtur, ditioneq; eorum subiugatam, certis finibus inter se partirẽtur: tamen ut ea nihilominus sub cõditionẽ, supra memoratam, quinq; annorum post mortẽ alterius caderet. De priuatis uero hominum inter ipsos iniurijs, constitutum in posterum, ut Vngari Sandeciam, Poloni Liuociam siue Leiciam referrent: & quaterni utrinq; designati, omnium controuersiarum atque iniuriarum cognitores & iudices, qui animaduertẽdi in sontes potestatẽ haberent. Hæc ita tunc inter reges priuatim conuenẽre. Publice uero, ne qua mentio Prussiæ, & Cruciferorum fieret, Sigismundi calliditate, & precibus perfectũ est: quod is diceret, Minime si-

Nicolaus Trãba Leopol. & Gneznensis archiepiscopus.

Rex in Lithuaniam uertitur 1412. ann.

Regum Pol. et Vng. conuentus Liblij.

De Russia & Valachia.

Sigismundi Cæ. [illegible] calliditas.

bi expedire, id palàm tunc fieri. Et erant forté tunc apud eum Cruciferorum legati: quib. seorsum prolixè omnia pollicebatur, ut aliquid rursus ab eis emungeret. Quo factum est, ut caput illud de Prussia diplomatis à regibus, & proceribus eorum consignatis disertè non insereret: sed in genere modò caueret, ut reges contra quosuis alterutrius hostes, nemine prorsus excepto, fœderati inter se essent, ac ne assensu quidem alterius, hostibus & rebellibus fauerent: quin uterque alterius incommoda pro uiribus, præmonendo & omni ope auerterent. Nec hoc solum perfecit Sigismundus: uerũ etiam cum Vuladislaũ sub specie uenationũ longiùs in Vngariam secum, nequicquam reclamantibus cõsiliarijs, & in primis Ioanne Tarnouio palatino Cracouiensi, extraxisset, persuasit homini simplici & credulo, ut se iudicem, & arbitratum propitium quidem, ut uideri uolebat, controuersiæ cum Cruciferis per compromissum sumeret: promittens, idem facturos Cruciferos, & iudicato parituros: ni facerent, uim suam experturos. Iam enim rursus Vuladislaus non obscurè præ se ferebat inimicum contra eos animum: propterea quòd ij, primam pensionem ex pacto Torunensi, ad præstitutam diem sibi, non soluissent. Cùm autem iudicium id Sigismundus sanè, quàm libenter assentientibus, Cruciferis instituisset, uarias nectebat moras, ut cùm Vuladislaum spe pacis duceret, tum Cruciferos obnoxios haberet. Tandem grauiores occupationes, & expeditionem contra Venetos causificatus, cognitionem causæ inter Vuladislaum, & Cruciferos, ne deseruisse uideretur, proceribus quibusdam Vngaris delegauit. Interim aduenêre legati Venetorum, quòd eis Vuladislaus rogatu Sigismundi spem pacis æquissimis conditionibus conficiendæ fecisset. Ac tentata quidem Vuladislao interueniente, sed non confecta pax est, propterea quòd nihil æqui Veneti attulissent: nec reddebant Sigismundo ereptam Dalmatiam. Dum autẽ Vuladislaus Budæ commoratur, uenit eò fortè ad eum splendida legatio Tartarorum, cum muneribus, magna auxilia, sicubi opus esset, ei pollicens. Honorificentissima hæc erat ei legatio apud exteros. Persuasit autem is legatis, ut eadem Sigismundo nunciarent. Quo ille ferocior factus, Venetos territabat. Dimissis legatis, ludis ac deinde uenationibus uacatum est, ubi cum Vuladislaus bubalinis caseis recentibus sese repleisset, ac deinde calido balneo usus, in profluente Danubij diutius sese abluisset, febrim contraxit. Ab ea uero paucis diebus regiorum medicorum opera releuatus, & amplissimis muneribus à Sigismundo donatus, per Morauiam atque Cesinensem oram in Poloniam reuertit, quinto demum mense, posteaquàm Vngariam ingressus fuerat. Fuerunt autem præcipua dona, quæ à Sigismundo acceperat, corona, sceptrum, & pomum aurea, & Boleslai Chrobri gladius, insignia regni, quę Elizabetha Ludouici regis mater in Vngariam asportauerat, uerita ne Poloni mutata sententia alium sibi regem crearent. Ea rex Cracouiam ingrediens, publicè sibi præferri iussit. Nec diu moratus Cracouiæ, per Sendomiriensem, Lublinensem & Chelmensem tractum profectus, supra Bugum fluuium propè Rubessouum oppidum cum Vitoudo de omnibus quæ in Vngaria egerat, communicauit. Venerat eò ad exorandum regem Petrus Vissus episcopus Cracouiensis, magna necessariorum caterua stipatus, quòd ab eo de Cracouiensi episcopa in Poznaniensem, quasi delirus & inutilis, Alberti Iastrembecij episcopi Poznaniensis & cancellarij regni ambitione rejiciebatur: sed nihil impetrauit. Et aduersa is quidem usus est ualetudine, ex quo concilio Pisano, & longiore ad sepulchrum CHRISTI peregrinatione redierat, stupore quodã & lethargo afflictus: sed tamen de gradu mentis dimotus non erat. Facilè tamen in dissidio pontificum rex quæ uolebat obtinuit. Non fuit tamen sine metu postea Iastrembecius, propinquis Petri ad omnem occasionem intentis, qua eum de medio tollerent. Dimisso deinde Vitoudo, Russiam rex obibat: quò cum legati Sigismũdi regis ad eum uenissent, octoginta millia florenorum Pragensium ab eo mutua acceperunt, dato ei in pignus Scepusiensi tractu omni, arce modò excepta. Atque ex eo tempore Scepusium in ditione Polonorum est usque in hanc diem. A Cruciferis autem ea pecunia sumpta est: quibus Sigismundus eam mulctam irrogarat, quòd pactis in insula Torunensi cũ Vuladislao initis non satisfecissent. Ita quidem habet Dlugossus. Verùm nos reperimus in archiuio literas Ioannis XXIII, Pontificis maximi, quibus is postulat a Vuladislao, ut proroget Cruciferis tempus soluendarum quinquaginta millia marcarum (quæ sunt octoginta millia florenorum) quæ ij ex pacto debebant. Vnde nobis uerisimile fit, in pactis Torunensibus de ea pecunia numeranda, Cruciferis cum rege conuenisse, licet literis pactorum id insertum non sit. Quin extant testimonia Benedicti Macrini, cui Sigismundus delegarat arbitriũ, & in rẽ præsentẽ in Prussiã & Lithuaniam cũ miserat: qui testificatur Vuladis-

Pacta publica Sigismundi cũ Vuladislao.

Dalmatiam Veneti Vngaris eripuère.

Insignia regni Polonici reportata ex Vngaria.

Albertus Iastrembecius episcopus Cracouiensis per ambitionem factus.

Scepusium oppigneratum regi Polono.

ladis-

ladislaum quidem & Vitoudum iudicatum fecisse, Cruciferos uerò minimè. Inde autem apparet, Sigismundum iudicasse quidem tunc inter dissidentes: quid autem iudicarit, nõ liquet, præter quòd Vuladislaus & Vitoudus parentes rei iudicatæ, tradidere Magistro Cruciferorum diplomata super Samagitia: tametsi Heduigis regis filia testata est, se ei traditioni aduersari.

Cruciferi non paruerunt decreto Cesaris.

DE ORIGINE ET REBVS GESTIS POLONORVM, LIBER XVIII.

RVSSIA peragrata, in Poloniam rex reuertit: paucisq; diebus Nepolomiciæ exactis, in Lithuaniam rursus secessit, & hyemem illam ibi exegit: quæ quidem prodigiosè calida fuisse memoratur, ita ut initio Februarij flores & olera in regione frigidissima existerent. Verno atq; æstiuo tempore Poloniam rursus ferè omnem peragrauit. Poznaniam autem cùm uenisset, Petrũ episcopum in delubrum seuocauit: & in genua procumbens, culpam ab eo deprecatus est, quòd eum sede Cracouiensi præcipitanter eiecisset. Apud Grodlum deinde, supra Bugum amnem, Polonorum & Lithuanorum conuentum habuit. Ibi fœdera inter has duas nationes renouata: concessumquè ius nobilitatis Lithuanis ijs duntaxat, qui ritus Ecclesiæ Romanæ & catholicæ seruarent, ijsdem ut insignibus, ijsdemquè prærogatiuis, quibus Polona nobilitas, uterentur: præterquam ut iussu magni ducis, arces conderent, uias publicas reficerent, tributaquè solita penderent: senatum autem & magistratus more Polonorum haberent: cæterùm honores & magistratus ne alienis ab Ecclesiæ Romanæ institutis mandarentur: Ducem, quando usus postularet, non nisi de sententia regis, & amplissimi consilij Polonorum, legerent: uicissimquè Poloni, ut ne inscijs & inconsultis duce & senatu Lithuanico regem sibi crearent: comitijs communibus quoties opus esset, ut ea Lublinum uel Parsouiam, uel aliàs quò uideretur, mutuo consensu indicerentur: ordo item ecclesiasticus ut eodem iure, ijsdemquè prærogatiuis, quibus in Polonia, uteretur. Hæc omnia proceres Lithuani, libertatem & prærogatiuas nobilitatis adepti, approbarunt, & literarũ monumentis consignarunt. Soluto conuentu, quia pestilens autumnus erat in Polonia, in Lithuaniam rex secessit. Inde porrò in Samagitiã profectus, gentem eam, quæ nondũ falsorũ deorum cultum penitùs abdicarat, magno studio, magnaq; cura, extinctis sacris ignibus, succisis lucis, necatisq; serpentibus, & alijs sacris animalib. ad religionẽ Christianã conuertit, partim donis alliciens, partim autoritate & minis adigens: non modò pij regis, uerùm etiã doctoris & apostoli fungens officio, suggerentibus sacerdotibus nostris, quæ diceret, quæ ue faceret: cũ ipsi barbaros loquentes non intelligerent, nec ab eis uicissim intelligerentur. Populariter autem Samagitæ tunc religionem Christianam susceperunt, per unum natu maximum apud regem professi, se quos in eum diem deos coluissent, uelut infirmos & ignauos deserere: & in eius ius concedere, cuius numine illi à rege uicti & profligati essent. Cùm autẽ nonnulli adhuc, si resuscitare ignẽ extinctũ è calidis fauillis post regis discessum possent, relapsuri esse in pristinum errorẽ uiderent, & hęc inter se mussitarent, substitit ibi rex diutius quàm statuerat, locumq; ignis largiore aqua inundari iussit. Episcopum apud Mednicos, attributis agris & reditibus, & parœcos duodecim (tot enim territorijs cõtinetur Samagitia) ut ijdem tamen canonici Mednicenses essent, instituit. Quanquam hæc quarto demũ anno post à Ioanne archiepiscopo Leopoliensi, & Petro Vilnẽsi episcopo, consumata sunt. Tunc aũt rex, præfecto genti Kesgellone nobili Lithuano, & religionis curam in primis in rudi populo gerere iusso, in Lithuaniam, atque inde porrò post anni sequentis, qui fuit 1414, initium, in Poloniã, & in Cuiauiã, ad constituturũ cum Cruciferis conuentum apud Slonscum, cõtendit. Iam summum apud Cruciferos magistrum Michaël Cochmeister gerebat, amoto & in carcerem coniecto Henrico Plauenio, siue propter profusas largitiones, siue propter inuidiam: siue quòd à Michaële, ambitioso & feroci homine, quasi Polonis impensius faueret, insimulatus esset. Quo comperto, Vlricus Henrici frater, cõmendator Gdanensis, metuens & ipse sibi, clàm ad regem perfugit. Fugisset Henricus quoq; è custodia,

Hyems calida.

Lithuanis prærogatiuæ & leges datæ à rege.

Samagitia ad religionẽ Christianam conuersa.

Kesgello Samagitiæ præfectus.

1414. ann.

Cropidlo episcopus arcanū regis prodidit.

stodia,re clàm per internuncios cum rege composita, nisi cum Ioannes Cropidlo Vuladislauiensis episcopus,cum quo forte rex ea de re secretò communicarat, prodidisset. Pace cum Cruciferis tentata,sed non confecta,causa uerò tota à Strigoniési archiepiscopo, ueluti delegato Sigismundi Cæsaris,iniquissimè disceptata, cũ Cruciferi iniurijs nullum modum statuerẽt,mercatoresq; Poznaniẽses Gdani, direptis eorũ mercib.crudeliter interfecissent,& per subornatos homines multa oppida & pagos in Polonia incendissent, latrocinantiũq; in morẽ è Dobrinẽsi & Polonia finitima prædas agerẽt:& captosq; homines,non modò plebeios,uerùm etiam equestres, in patibulum agerent: cumq; ad extremũ sub signis populabundi in Dobrinensem excurrissent,ac subitò pauore turbati diffugissent,nouam in eos expeditionem rex Polonis,Rusſis, atq; Lithuanis cunctis indixit. Dum aũt bellum id adornatur,ipse maiorem Poloniam percurrit.Forte tunc Petrus Vissus episcopus Poznaniensis,lento morbo cõfectus obijt. Quod ni obijsset,restitutus fuisset autoritate Constantiensis concilij ad Cracouiensem episcopam,Alberto deiecto: sed profuit Alberto mors eius,ut facilius à concilio,rege petente, ueniam impetraret. Etenim tribus tunc de pontificatu maximo contendentibus,& Ioanne Husso turbas ciente in Bohemia,Sigismundus Cæsar magno studio,labore & cursitationibus perfecit, ut conciliũ œcumenicũ,consensu Christianorũ principum,& primorum ecclesiasticorũ, apud Constantiam Germanorũ aperiretur:quod quidem durauit in quartũ annum. In eo cùm alia multa reipub.Christianæ salutaria cõstituta sunt,tum Hussus hæresiarcha condemnatus & exustus,& post eum Hieronymus Pragensis. Ad extremum aũt sublato dissidio,cum tres illi pontificatu partim amoti essent,partim ultrò ipsi se abdicassent, Martinus eius nominis quintus,põtifex creatus est.Verùm hæc & externa sunt,& posterioris tẽporis. Tũc aũt,cum collegium Poznaniense petisset à rege,ut sibi episcopũ arbitratu suo legere liceret,non abnuit:solusq; in consilium sacerdotũ reuerẽter ingressus, impetrauit,ut de quatuor à se editis,inter quos etiam fuit Alexander ducis Mazouiæ filius,è sorore sua natus, unus legeretur episcopus.Lectus est absens,magno omnium consensu, Andreas Lascaris Goslauicius,decanus Cracouiensis,& canonicus Poznaniensis,gente Goziemoius: qui tunc forte legatus à rege cum tribus alijs,ad Sigismundum Cæsarem de causa Crucifericа profectus erat.Aegrè tamen is decreto collegij cum uoluntate regia coniuncto assensus est,uir bonus,& non ignarus,quantum onus in se susciperet.Cuius similes perpaucos fortasse illa ætas habuit:nostra unum,quod sciam,habet,quo libentiùs tam rarum integritatis & modestiæ exemplum commemorauimus.Iam ingentes copiæ ex omni Polonia,Rusſia,Lithuania,& Mazouia,cum suis ducibus,Volboriam conuenerant. Tartarorum etiam non contemnenda auxilia Vitoudus adduxerat. Erat & mercenariorum militum ex Bohemis atq; Silesijs non exiguus numerus.Ad hæc,Silesiorum duces, Bernhardus Oppoliensis,Ioannes Ratiboriensis,Boleslaus Cessinensis,Conradus Olesnicensis,Venceslaus Zeganensis,Ioannes Lubinensis,Conradus Albus Cozlensis,& Venceslaus Opauiensis,auxerant exercitum regium.Quin & Lacicus Crauarius præfectus Morauiæ, unum uexillũ militũ in auxiliũ regi miserat: ita ut tantus ille esset exercitus regius, quãtus nõ modò ad Prusſiã,sed ad magnã orbis partẽ perdomandã posset sufficere. Itaq; rex non moratus diutiùs,in terram hostilẽ eum duxit, instructum inspectantibus legatis hostium,qui siue auertendum bellum, siue ad speculandum uires nostrorum, uenerant. Verùm non ita multum operæpretij cum tantis copijs factum est. Oppida modò & castella quædam ignobilia,partim ui expugnata,partim in deditionem accepta,partim uacua dilapsis habitatoribus occupata,direpta & exusta.Inter quæ fuere Nidburgum, Hoensteinum,Allesteinum,Guttestadia,Zirgonum,Prabutha,siue Risemburgum, Bissouisuerderum,& Cruciborgum.Nam ab Helsbergæ obsidione Ioañes Varmiẽsis episcopus, cuius ea arx est,precib.regem auertit.Holandiæ obsidio, cũ in longũ extractum iri uiderẽt,omissa est.Et nonnihil ibi incommodi Lithuani,cum incautius prædas agerẽt, accepère,capti ab hostibus Butrim magister curiæ,siue Marsalcus Vitoudi,Mikita,& nonnulli alij,peruastati tamen agri longè, lateq;,nemine obuiam prodeunte.Cum autem Chelmæ siue Culmæ atq; Toruniẽ oppidorum dedendorum regi nonnulla spes facta esset,eò moturus erat castra,ni eum Magister Cruciferorum uafro consilio elusum, aliò auertisset, subornato homine cum literis,commendatoris Brodniciensis nomine ad se confictis: qbus perscriptum erat,arcem Brodniciensem à commeatu,tormẽtisq; bellicis imparatam, longiorem obsidionem sustinere nõ posse.Quæ literæ,capto & excusso tabellario,cũ fidẽ fecissent nostris,hoc perfecerũt,ut eius arcis potiundæ spe conatus meliores frustrarẽtur: uiresq;

Albertus Iastrẽbecius ægrè episcopam Cracouiensem retinuit.

Prusſicum bellum.

Lacicus Crauarius præfectus Morauiæ.

Vafrum consilium magistri.

uiresq; nostrorũ nõ hosti magis, q̃ sibiipsis ꝓpter difficultatẽ annonæ graues, incerti obsidione lãguidas & inutiles redderẽt. Nam Brodnicia, præterquã q natura, arteq; ꝓmunita est, ualido hostiũ præsidio tenebat, & cõmeatu, armisq; abũdabat. In eius igit̃ obsidione rex cũ omni exercitu totũ mẽsem frustra cõsumpsit. Inde Vitoudus, necq̃ q̃ retinente rege, non sine animi eius offensione discessit. Et iam morbus uulgò in corpora militũ ex panis penuria grassari cœpat. Continuabat tñ rex obsidionẽ: dimissisq; quoquo uersus frumẽtatorib. cũ præsidio armatorũ, frumentũ in castra cõportabat. In eos cũ quadã die hostes, ad oẽm occasionẽ rei benẽ gerendæ intenti, impetũ fecissent, longe plures à paucioribus fusi, fugatiq; sunt, sexaginta captis, ducentis desideratis. Venit interim ad regẽ legatus Pont. Max. Ioãnis XXIII, Ioannes Lausanẽsis episcopus: q facilè impetrauit à rege, desidis & famelici belli (sic em̃ uulgo appellatũ, id est, postea) iam pertæso, ut duorum annorũ inducijs cum Cruciferis cõstitutis, Constãtiensis cõcilij iudicio causam & cõtrouersiam suam oẽm cum Cruciferis ꝓmitteret. Itaq; rex dimisso exercitu reuersus in Poloniã, de amplissimi consilij sententia legatos ad concilium misit, Nicolaum archiepiscopum Gneznensem, Ioannem Vuladislauiensem, Iacobum Plocensem episcopos, Andreã Lascarem electum Poznaniensem, Ioannem Tuliscouium Callissiensem castellanũ, & Zauissium nigrũ Garbouium, uirum clarissimũ. Pollicebat̃ autem Sigismundus, non defuturum se ibi esse causæ regiæ contra Cruciferos: eiq; uicissim rerum Vngaricarum curam commendauit. Idemq; fecit concilium illud, scriptis ea de re ad regem literis. Ac fecit qdẽ Vuladislaus amici officium, nam cum Turcæ Vngariam infestarent, Bosnamq; à Sigismundo prius recuperatam, ipsi iterum eriperent, fusis, profligatisq; Vngaris, Vuladislaus missa ad Turcas graui & minaci legatione, sex annorum inducias inter eas gentes, captiuis Vngaris, ꝓcerib. liberatis, cõfecit: pacem quoq; perpetuam cõfecisset, ni Pipo Florentinus comes Themessiensis temerè omnia turbasset, capto pro exploratore Gregorio Armeno Vuladislai internũcio, qui Turcicæ legationi de pace uenĩeti tutũ ad Vngaros accessum præstructurus antecesserat. Prosperè tamen postea rẽ cõtra Turcas gessit aliquoties Nicolaus Petri Macedonis filius, absente Sigismundo, eosq; Bosna expulit. Interea Vuladislaus rex Lithuaniam, Poloniam, Russiam continentibus ferè itineribus obiuit. Et Sniathini cùm esset in Russia ad Pentecosten anni sequẽtis 1415, uenit ad eum Alexander palatinus Valachorum, permagna & splendida nobilitatis suæ caterua stipatus: adoratoq; publicè rege, & uexillo ad pedes eius proiecto, & dato conceptis uerbis iureiurãdo, in fide & clientela eius atq; Polonorũ se fore semp ꝓmisit, & pampla munera ei dedit, ab eoq; uicissim accepit. Venit & ab Imperatore atq; patriarcha Constantinopolitano legatio, frumentarium subsidium petens. Vehementer enim à Turcis infestabantur & premebantur. Quorum princeps Mahometes recuperatis in Asia ijs, quæ Tamerlanes auo eius ademerat, impij sedẽ Prusa Adrianopolim trãstulerat: & iã trãsalpinos Valachos uexabat, iam Constantinopoli ac toti Græciæ ferox iminebat. Vuladislaus rex inopia laborantibus Constantinopolitanis liberaliter opitulatus, in Cacybeio portu maris Pontici, qui in ditione Polonorũ tunc erat, frumentum admensus est: inde in Lithuaniam rursus diuertens, uiginti millia marcarum Pragensiũ, quadraginta uestes Sabellinas eximias, centum equos, totidemq; aureos pannos à Vitoudo dono accepit. Anno sequenti cum Annam reginam mortuã Cracouiæ sepelisset, rursus in Lithuaniã ꝓfectus, apud Velunã Samagitiæ cum Cruciferis Prussiensibus pariter atq; Liuoniensib. de regundis finib. Samagitiæ, ac de pace perpetua constituenda conuentũ egit: sed Cruciferis intolerabili fastu tumentibus, neq; ullam æqui & iniqui rationem ducentibus, re infecta discessum est. Augebat autem eis spiritus, ut creditum est, societas cum Tartaris inita, qua eos ad uastãdos Russiæ fines excitarant. Nec multo pòst ingens uis barbarorum duce Ediga in Kiouiensem tractũ improuisò effusa, ferro, igniq; omnia depopulata est. Vrbem quoq; ipsam Kiouiam diripuit ac diruit. Atq; ex eo tempore ea splendorem pristinum nunq̃ recuperauit, arce quidem, summa ui oppugnata, potiri non potuit: & ingentem pecudum hominũq; prædã abegit. Rex pro eo quod hostes bello persequi debuit, Sanoci nuptias celebrauit, indignas illa ætate, & nomine ac dignitate sua, ducta in matrimonium Elizabetha Pilecia, Ottonis palatini quondam Sendomiriensis filia, uidua prouectæ iam ætatis & effœta: quippe quæ uirgo propter magnitudinẽ dotis à Morauo quodam rapta, eiq; aliquanto pòst ab alio quodã Morauo item erepta, & interfecto priori raptore, in loco iustæ uxoris habita: ad extremum Vincentio Granouio castellano Naclensi gente Toporo, despondente Spitcone Melstinio propinquo, nupserat: perq; eam Granouius sese in familiam

Brodnicia arte munita, frustra obsessa à Polonis.

Vuladislaus curam gessit Vngariæ, Sigismũdo absente.

Cacybeius portus in ditione Polonorum.

Rex Elizabetham Pileciam uxorem tertiam duxit.

liam Lelijuiorum inseruit. Siue autem intempestiuo amore & consuetudine eius mulieris captus, siue philtris etiam & magicis artibus dementatus Vuladislaus, eo se tam impari matrimonio implicauit: magnam certè nomini suo infamiam non modò apud suos, uerũ etiam apud exteros aspersit, ita, ut Concilium quoq; ea fama, traducẽtibus Cruciferis, impleret. Huc accessit, quod ritu Christianorum incestum id erat cõiugium, cum illa regi in loco sororis esset, propterea quòd is à matre eius de sacro fonte leuatus erat. Sed instante rege, concilium legitimas esse iussit eas nuptias. Rex inde Cracouiam indicto conuentu, reginãquoq; eam ritu solenni fecit, neqquã aduersantib. nonnullis procerib. & in primis Sendiuoio Ostrorogio palatino Poznaniensi. Quoniã aũt ea ab archiepiscopo Leopoliensi Ioanne Ressouio coronata erat, ueritus Nicolaus archiepiscopus Gneznensis, qui tunc in cõcilio Constantiensi ꝓpter splendorẽ gratiosus erat (ita ut summus põtificatus ad eũ, si Dlugosso credimus, deferret, si eũ suscipe uoluisset) ne sibi posterisq; suis archiepiscopis Gneznensibus ea prærogatiua coronandi reges & reginas surriperetur, obtinuit apud Conciliũ, ut archiepiscopus Gneznensis deinceps Poloniæ primas haberetur: perfecit aũt idem cum collegis suis, ut Ioãnes quispiam Falchembergius sodalis Dominicanus decreto Concilij in tetrũ carcerẽ cõpingeret, ꝙ subornatus a Cruciferis satyram siue famosum libellum in Vuladislaum regem, & in omne Polonũ nomen cõscripserat. Cum uerò mitius cum eo postea Martinus, eius nominis quintus Pont. Max. cui Nicolai archiepiscopi fauor ad pontificatum nõ parum suffragatus erat, ageret, rem nouam legati regis ausi, ad Basiliense concilium, quod in decimũ annũ indicebat, prouocarunt. Verùm satisfecit eis deinde pontifex, authoritate patrum adductus. Cæterùm libellus ille famosus Lutetiæ archiepiscopo oblatus erat, cum eius urbis doctores & studiosos oẽs lauto conuiuio accepisset. Etenim Sigismundo Cæsari ad conciliandum cõcilio regẽ Arragonum, & ad pacificandum Francorũ & Anglorũ reges proficiscenti, comes itineris una cũ Tuliscouio & Zauissio de cõcilij sentẽtia datus erat. Prorogauit deinde Vuladislaus rex inducias cum Cruciferis in aliud biennium, Cæsare & rege Francorum Carolo petentib. Et anno sequenti, qui fuit 1418, rursus apud Velunam Samagitiæ cum Cruciferis de pace conuentũ egit, deductis secum primoribus Polonorũ: unde cum re infecta discessisset, dimissisq; proceribus, ipse cum paucis apud Vigros, syluæ id nomen est, uenationi uacaret, parum abfuit, quin in Rastemburgensis commendatoris insidias incideret. Sub idem tempus Vitoudus amissa pauló antè Anna uxore, alteram duxit Iulianam uiduam, prioris materteram. Atq; id matrimonium incestum Ioannes Cropidlo episcopus Vuladislauiensis, qui etiam regem fortè in Lithuaniam secutus erat, præter disciplinam ecclesiasticã iunxit, cum Petrus Vilnensis, ut id faceret, nequaquam adduci posset. Ita plurima sibi plerunq; præter ius & æquũ permittunt homines excelso loco nati. Insequenti anno cùm rex in Poloniam reuertisset, uenêre ad eum duo legati Martini Pont. Max. Iacobus Camplus Spoletanus, & Fernandus Hispanus Lucensis episcopi, de pace cum Cruciferis conficienda postulantes: qui comiter & liberaliter à rege habiti, cognita eius uoluntate, ad pacem ꝓpensa, in Prussiam inde ad Cruciferos contenderunt. Quorũ corrupti muneribus, cum monumenta ad causam ipsorum pertinentia ijsdem ipsis exhibentibus inspexissent ac descripsissent (ad quam fortè rem magis quàm ad pacem faciendã, Cruciferorum rogatu atq; sumptibus uenerant) regis causam incognitam temerè testimonio suo damnarũt. Qua de re grauiter postea rex cum pontifice questus est. Ac fecit is deinde regi potestatem producendi documenta causæ suę. Dimissis autem legatis pontificijs rex Cassouiam profectus est, ad colloquium à Sigismundo Cæsare inuitatus: ibiq; blanditijs eius inductus, arbitrum eum tulit Cruciferis ex cõpromisso de cõtumelijs, damnis & iniurijs, quas ab illis acceperat, reclamantib. quos secum duxerat procerib. & ad extremum, ut certa tñ formula, certoq; die id compromissum adstringeret suadentibus: quorum princeps fuit Albertus episcopus Cracouiensis, idemq; Cancellarius Poloniæ. Recusabant aũt id compromissum Cruciferorũ legati, qui tunc ibi aderãt, siue adeò recusare se ex cõposito simulabant: qua re Cæsar uehemẽter, ut uideri uolebat, irritatus, arma secum Vuladislao contra eos coniuncturum iureiurando interposito pollicitabatur. Qua de causa remittere ei Vuladislaus pecuniam quam mutuam dederat, Scepusiumq; mox reddere cogitabat, ni proceres, cum quib. ea de re communicarat, id ei dissuasissent. Soluto cõuentu Vuladislaus in Poloniã reuersus, magna cura bellũ aduersus Cruciferos apparauit. Misit & Cęsar episcopũ Pathauiẽsem impialem cãcellariũ, & Ioannẽ comitem de Herdek Cracouiam, ut in speciem arma & cætera ad Prussicum bellum necessaria exercitui suo compararent. Quibus

Elizabetha coronata.

Prouocatio à pontifice ad concilium futurum.

1418. ann.

Legatorum mala fides.

Compromissum regis.

Legati Cæsaris ad Vuladislaum.

Quibus lautè à Rege sumptus suppeditati sunt. Sed ij cùm supra quadraginta dies Cracouiæ mansissent, ultróne an reuocati, incertum est, in Vngariam ad Cæsarem reuerterunt. Rediit deinde ad Regem ex Vngaria Sbigneus Brezius Marschalcus, qui ad deducenda à Cæsare auxilia relictus erat, uanitate Cæsaris perspecta. Lactatus inanibus Cæsaris promissis Vuladislaus, tamen institutam in Prussiam expeditionē non remisit, ne legatione quidem eius motus, qua ille ab eo contendebat, ut in aliud tempus id bellum differretur. Iam copiæ omnes Volborsam conuenerant, indeq; per Masouiam progressæ ad fines hostium peruenerant, cùm uenit ad Regem in castra Bartholomæus Capra Archiepiscopus Mediolanensis, legatus à Cæsare dirimendi eius belli causa. Et perfecit is quidem rursus adiuuante maximè Vitoudo, & accedente Pontificis max. authoritate, duorum annorum inducias, cùm compromissi sui Regem admonuisset, & aliud ei ex aduerso respondens ipse à Cruciferis attulisset. Præfinita autem compromisso dies ad octauum Idus Ianuarij, quam Epiphanias Christiani dicimus. Itaq; irritus tantus ille conatus atq; apparatus belli fuit, non sine magno omnium fremitu, imprudentiam Regis in faciendo compromisso incusantium. Verùm eam culpam Rex in Cancellarium reiecit: quamobrem magno is omnium odio deflagrauit. Cum Erico autem Daniæ, Suetiæ, & Noruegiæ Rege, ac Duce Pomeraniæ, eiusq; consiliarijs, publicè à Vuladislao, & Vitoudo in castris tunc ictum est fœdus, & societas, cùm contra alios utriusq; partis hostes, tum nominatim contra Cruciferos: ea lege, ut etiamsi quis principum ab eo fœdere uellet discedere, subditi tamen ipsius eò nihilominùs tenerentur: ne tamen inscijs alteris alteri Cruciferis, uel cuiquam omninò bellum inferrent. Excepti sunt autem à Vuladislao, & Vitoudo Sigismundus Cæsar, & Venceslaus Rex Bohemorum, propter priora cum ipsis fœdera. Reuertens autē ex eo bello Vuladislaus, per Cuiauiam in maiorem Poloniam diuertit: Posnania uerò Srodam proficiscentem aduersus casus perculit. Nam sub uesperū è sereno subitò atris nubibus cœlum obductum est: inde inter crebra fulgura ac tonitrua fulmen magno fragore decidens, quadrigas carpento, quo Rex uehebatur, iunctas, duosq; stipatores regios, itemq; Posnaniensis, & Sendomiriensis palatinorum, & nouem alios regiorum comitum equos unà cum regio, cui cubicularius quidam hastam Regis ferens insidebat, uno ictu interfecit: aurigæ, & sessoribus equorum nihil actum, nisi quòd cubicularij uestis discerpta est. Rex cùm aliquandiu exanimatus iacuisset, tandem respirauit, cæterà sospes, præter quòd surdaster paucos dies, & modico manus dextræ dolore affectus fuit. Vulgò creditum est, propter incestum matrimonium diuinitùs eo terrore correptum fuisse. Et sanè liberiùs tunc eum Sbigneus Olesnicius secretarius eo de crimine obiurgauit. Per illud tempus Ediga princeps Tartarorum, missa legatione cum muneribus ad Vitoudum, fœdus cum eo icit. Sub idem tempus, cùm uires sumeret hæresis Vicleffi, & Husi in Bohemia, motusq; magni cùm Pragæ, tum alibi cum summo contemptu Regis existerent, & ad quadraginta millia oppidanorum pariter, & agrestium cum mulieribus ac paruulis ad montem quendam coiuissent, magistratusq; nouæ Pragæ concursu populi trucidatus esset, anxio fuit animo Rex Venceslaus: & ira fortè in pocillatorem suum percitus, cùm interficere eum suis manibus uellet, paralysi affectus concidit, & paucis diebus postea uita excessit. Parabat fortè expeditionem in Turcas Sigismundus Cæsar, cùm hæc ad eum perlata sunt. Obierat enim paulò antè Mahometes Imperator Turcarum: unde Sigismundo commoda occasio recuperandi ea, quæ Mahometes de Vngaris cœperat, & ulciscendi clades suas, oblata esse uidebatur. Cùm igitur distracto esset animo, impetrato à Rege Polonorum colloquio, Sandeciam uenit. Ibi de Bohemicis rebus ac de Turcico bello consultatum. Suadebat Cæsari Vuladislaus, ut Bohemiam ante omnia in potestatem suam redigeret, hæresimq; sumentem uires opprimeret: & ad hæc peragenda auxilia ipsi pollicebatur. Sed ille dum inconsultè & intempestiuè Turcicum bellum Bohemiæ pacandæ præuertit, & Turcas, nullo operæprecio facto, magis irritauit, non ausus cum exercitu Danubium transmittere, illis ulteriorem ripam tenentibus, & Bohemię potitus non est. Ac Vngariam quidem atque Transyluaniam Turcæ, Baiazetis noui Imperatoris, qui patri Mahometo successit, ductu siue auspicijs, magnis affecere incommodis. Bohemi uerò Bernam ad comitia euocati à Cæsare, paruerūt, & in potestate eius fore se polliciti sunt: ac fecerunt etiam iussa Pragenses, qui tunc factionibus, & hæreticorum consensu potentes erant, amoliti castella quædam contra arcem erecta, catenasq; & repagula, quibus plateas urbis impedierant: amoti sunt etiam præfecti, quos post Venceslai mortem arcibus regibus imposuerant. Sed cùm Sigismundus Berna non in Bohemiam, sed Vuratislauiam iter deflexisset, ibiq; de seditiosis, qui magistratum urbis necauerant, supplicium sumpsisset, Pragēses ueriti, ne sibi idem ausis idem eueniret, cauere sibi impensiùs cœpére: Taboritas, promiscuam illam fecem hominū, quę

Legatus Cæsaris.

Apparatus belli irritus.

Rex exanimatus.

Bohemici motus.

Sigismūdi bellum in Turcas.

Vngaria uastata à Turcis.

Pragēsium potentia.

à caſtris nomen ſumpſit, ſibi adiunxêre portas urbis Regi uenienti clauſêre, copiasq; eius Germanis & Vngaris ualidas profligauère, & caſtris exuère: ubi plurimi de proceribus, & nobilitate Bohemica, qui cum Rege ſentiebant, cecidère: ipſe uerò Sigiſmundus

Sigiſmundi fuga.

poſt ſuſceptum in arce S. Venceslai regium diadema, fuga ſaluti ſuæ conſuluit. Sed hæc pauló poſteriùs acta ſunt. Illa priùs: Sigiſmundus Vuratislauiam ſe ſequi legatos Polonorum & Cruciferorum iuſſerat, ut ibi inter eos de controuerſijs arbitrium perageret. Sed ipſe ad extremam demùm compromiſſo præfinitam diem, poſt initium noui anni eò uenit. Veritus igitur, ne die lapſa irritum eſſet compromiſſum, ut Cruciferis gratificaretur, cauſa non cognita neq; diſceptata, ſententiam ex ſcheda, quam in pera paratam habebat, iniquiſsimam, inſertis quibuſdam, quæ in controuerſiam non uenerant, recitauit, reclamantibus nequicquam noſtris, & fidem, Religionemq; iudicis requirentibus. Fuere autem Archiepiſcopus Gneſnenſis, Cracouienſis, Vuladislauienſis, Poſnanienſis, &

Oratores Poloni ad Cæſarem.

Plocenſis Epiſcopi: palatini, Cracouienſis, Poſnanienſis, & Sendomirienſis, itemq; Caliſsienſis caſtellanus, Marſchalcus Regni, & Zauiſsius niger: qui omnes duobus relictis actutum diſceſsêre, Cæſare nequicquam retinente: & errorem quidem agnoſcente, ſed culpam in alios transferente, & moderationem decreti pollicente. Quam tamen legati

Sigiſmundi Cæſaris decretũ.

Cruciferorum fieri paſsi non ſunt. Eò uerò ſpectabat potiſsimùm decretum illud Cæſaris, ut abolito decreto delegatorum Apoſtolicorum, Caroli Vngarorum, & Ioannis Bohemorũ Regis arbitrium, pactaq; apud Toruniam inter Polonum Regẽ, & Magiſtrum conuenta, rata eſſent, quamuis ijs pactis iuxtà ac arbitrio priores Cruciferi non ſteteriint. Additum nonnihil de Zlotoria, Iaſeneciaq; arcibus, Lubicia moleſtina, & finibus ditionum Crucifericarum cum Maſouia, itemq; cum Samagitiæ parte, quæ Lithuaniis cedebatur: qui fines tantiſper duraturi eſſent, quoad Rex, & Vitoudus uiuerent. Pœna autem appoſita eſt decem millium librarum, ſiue marcarum argenti. Hæc ubi celeriter ad Vuladislaum, in Lithuania tunc uenationibus cum Vitoudo uacantem perlata ſunt, dolore, & ira uterq; ad lachrymas uſq; & ululatum exarſit. Mox communicato cum paucis conſilio, Rex curriculo Sbigneum Oleſſnicium ad Cæſarem miſit, qui ei beneficia ſua plurima & maxima, & ipſius non modò ingratitudinẽ, & ſummam iniuſticiam, uerùm etiam perfidiam, & periurium exprobraret, ſeq; pariturum eſſe illi ſentẽtiæ negaret. Quod cùm Sbigneus in frequenti Epiſcoporum, & principum conſenſu grauiſsimis uerbis feciſſet, ſimulq; Nicolaus Cebulca ſubſecutus, Vitoudi nomine, cùm alia quædam acerbè

Sigiſmũdi Cæſaris præceps iracundia.

in Cæſarem dixiſſet, tum fœdus, & amicitiam olim cum eo conſtitutam repudiaſſet, ita accenderunt Cæſarem, ut eos uiolato iure gentium in profluentem demergere uoluerit, niſi eum, qui proximi aſsidebant Epiſcopi & Principes à tam præcipiti, & nefario conſilio auertiſſent: ſine reſponſo autem ij dimiſsi ſunt. Nec ita multò poſt Cæſar miſsis duobus legatis ad Regem, correcturũ ſe eſſe pollicitus eſt quòd non malicioſè, uerùm imprudenter Cruciferorum fraude circumſcriptus deliquiſſet. Verùm ne in eo quidem ſeruauit fidem, cùm Vuladislaus rurſùm Epiſcopũ Cracouienſem, & Marſchalcũ ea de re ad eum miſiſſet. Relata deinde re ad Senatum, parendúmne eſſet iniquiſsimo decreto Cæſaris,

Cõſultatio Polonorum.

an eo ſpreto inferendum bellum Cruciferis, placuit ad tempus quieſcere, & expectare, ec quam priores Cruciferi, non parendo decreto Cæſaris, iuſtã belli occaſionem darẽt. Nec ea diu expectata eſt. Cùm enim Cruciferi duodecim millia, & quingẽtos aureos numos regi decreto Cæſaris ad certam diem numerare deberent, nec ſatis auri parati haberent, legati Regij Ioannes Coſcelecius palatinus Vuladislauienſis, & Sbigneus Oleſſnicius ſecretarius, argentum, quod in ſupplementum auri dabatur, non accipiebant: dieq; lapſa, teſtati priores Cruciferos iudicatum non feciſſe, diſceſsêre. Quę res apprimè grata, & exoptata Regi, Poloniſq; atq; etiam Vitoudo accidit. Quietæ tamen aliquandiu poſtea res

Comitia Lencicię turbulẽta.

fuère inter Polonos, & Lithuanos atq; Cruciferos. Cæterùm domi in comitijs Lencicienſibus ad uiceſimam quintam diem Iulij parùm abfuit res à pernicioſa ſeditione. Inſenſa erat Elizabetha Regina Alberto Epiſcopo Cracouienſi, cùm quòd is matrimonium eius cum Rege in primis improbabat: tum quòd Ioanni filio eius, quem Vincentio Granouio pepererat, diploma de comitatu, quo is à Rege contra leges publicas ornatus erat, non ſignabat. Cùm autem non ignoraret mulier, infiniti compromiſsi culpam à Rege in Albertum Epiſcopum, Tuliſcouium caſtellanum Caliſsienſem, & Sbigneum Brezium Marſchalcum, quos etiam alienioribus credo à ſe animis eſſe ſentiebat, reijci mulier uindictæ cupida, urgebat eam occaſionem, Regemq; in eos aſsiduò incitabat: & ut ſunt efficaces ferè apud uiros mulierum ſuaſiones atq; preces, quæ noctu, & in geniali

Reginæ Elizabethæ mors omnibus grata.

thoro adhibentur, propemodùm eò Regem pepulerat, ut Alberto indicta cauſa Cancellarij munus abrogaret: id quidem perfecit, ut in tres illos iudicium publicum in comitijs inſtauraretur. Et mortua quidem eſt Regina ante diem comitiorum, publica omnium

ordinum,

ordinum, præterquam Regis ipsius, lætitia: quam splendidior uestitus omnium testatam faciebat. Iudicium tamen nihilominus in Episcopum, & cæteros duos, quos diximus, institutum est. Ibi cùm propinqui, & clientes Petri Visti Episcopi, ueteris iniuriæ memores, frequentes Alberto insultarent, & Bartholomæus Vulodicus gente Sulimæus, cum quo Petri fratris filia nupta erat, causam aduersus Albertum dicens, acerbiùs in eum inueheretur: non tulerunt id Alberti fratres, propinqui, & clientes, quorum numerosa turba stipatus aduenerat: crescebat iniurijs, & conuicijs mutuis tumultus, & ab utrisque ad arma sumenda, acciendosque socios ex arce in oppidum decurrebatur. Rex cum primoribus in penitius cubiculum se subduxit. Quòd ni mox porta arcis clausa, & pons sublatus esset, multum ibi sanguinis effusum esset. Repressa tandem est à primoribus gliscens seditio, Rexque conciliatus reis, maximè Ioannis Tarnouij palatini Cracouiensis opera, & industria. Consultatum deinde est de Repub. & in primis de Bohemis, an eos petentes Rex in fidem suam reciperet. Nam ij uicto, pulsoque Sigismundo, ad Vuladislaum regnum deferre nunciabantur. Nondum tamen oratores eorum aduenerant. Re diligentiùs agitata in Senatu, placuit, ut Rex regnum à Bohemis delatum ne reciperet, propter hæreses, quæ uariè totam Bohemiam infecerant, & propter intestina gentis dissidia, factionesque diuersas, & quòd inimicus capiendus erat Sigismundus Cæsar, ad quem Regnum illud iure pertinere uidebatur: nec apertè tamen id refutaret, sed ambiguos legatos dimitteret, ut eo metu Sigismundus in officio contineretur. Soluto conuentu Lenecicensi, uenere deinde Bohemorum legati: quibus quæstis de Sigismundi superbia, & acerbitate, Regnumque Vuladislao deferentibus, responsum est: Regem uicem eorū dolere, ipsum quoque multis insignibus iniurijs à Sigismundo affectum, ut meritò Bohemis, pro tam propensis eorum in se studijs, auxilio aduersùs eum esse deberet: sed quoniam res magna esset ac difficilis, quàm postularent, nolle Regem quicquam de ea sine Vitoudi fratris consilio statuere. Hoc responso accepto, pars legatorum in Lithuaniam ad Vitoudum profecta est: cæteris Neppolomiciæ manendi locus datus, sumptusque suppeditati, ne in urbe propter hæreticorum præsentiam supersederi sacris necesse esset. Indictis deinde rursus comitijs Nepolomiciam ad undecimam diem Nouembris legati Bohemorū (iam enim & ij, qui ad Vitoudum fuerant, reuersi erant) præcisa apertè omni spe suscipiendi à Vuladislao Regni, dimissi sunt. Reuerterunt tamen ij post insequentis anni initium, repertoque Rege unà cum Vitoudo in Lithuania apud Mereciam, idem quod priùs postulârunt, adijcientes: sic eum faciliùs coniunctis Bohemorum & Polonorum uiribus, & Cruciferorum, & Sigismundi cōmunis hostis iniurias ulcisci posse: quod ni faceret, Bohemis subactis, ne Poloniam quidem ab iniustis Sigismundi armis tutam fore. Quod ad Religionem attineret, omnia se moribus & institutis Ecclesiæ Catholicæ remissuros esse, quatuor capitibus exceptis. Quę ipsa à Sigismundo quoque concedi sibi postulârant, sed repulsam acceperant. Erant autem ea capita: ut sub specie panis, & uini Eucharistiam ipsis uulgò accipere liceret: ut libera esset cuiuis uerbi Dei prędicatio: ut publica esset facinorum correctio: & ut prædia, cæteraque bona Ecclesiastica, quæ Ecclesijs, & sacerdotibus eripuerāt, ne redderent. Quòd si Vuladislaus Regnum illud abnueret, ut Vitoudus id susciperet. Diu eos Vitoudus suspensos tenuit, ostentata nonnulla spe, uel Sigismundi ulciscendi causa, se id non recusaturum. Tandemque ad 18 Calendas Septembris Lublini certum eis responsum Regis pariter ac Ducis nomine datum est, cuius ea fuit sententia: Licet ambo grauiter à Sigismundo læsi sint, non esse tamen sibi in animo, improbitate cum eo certare: scire se, Bohemiam Venceslai regnum hæreditario iure ad Sigismundum fratrem pertinere: meminisse fœderum, quę cum ipso sibi constent, quamuis non eadem fide utrinque seruentur: Religionem etiam sibi esse, apud hæreticos regnare. Honoris autem Bohemorum gratia se omni ratione curaturos esse, ut eis Sigismundum, & Pontificem Max. & Ecclesiam Catholicam, à qua desciuissent, reconciliarent. Quòd si patiatur Sigismundus, alium eos habere Regem, siue adeò non patiatur, modò ut illi in uiam rectę Religionis, & ad societatem uniuersæ Ecclesiæ redire uelint Reipub. Christianæ causa alterutrum de ipsis, si ita Pontifici Max. uideatur, non esse recusaturum, quin id Regnum suscipiat. Dimissa cum his mandatis Bohemorum legatione, misit Rex legatos ad Sigismundum Cæsarem Ioannem Tarnouium palatinum Cracouiensem, & Sbigneum Olesnicium secretarium suum: qui commemoratis modestè superioribus Vuladislai in eum beneficijs, illiusque uicissim in Vuladislaum iniurijs, perstare tamen Vuladislaum in amicitia, nec mutare fidem ostenderent: peterentque ab illo, ut eum Bohemis in gratiam redire, Ecclesiæque reconciliare clementer eos uellet: si ille pateretur, utranque rem Vuladislao curæ fore: & uel armis, si aliter nequiret, eos ad officium reductur ū, & in ditionem eius, societatemque Ecclesiæ Catholicæ redacturū esse: modò ut postea uicissim Sigismūdus cum ipso

Iudicium in episcopum, & alios duos proceres.

De regno Bohemico, suscipiendo consultatio.

Responsum regis Bohemis datum.

Comitia Nepolomiciæ.

Responsum Bohemorum oratorib. datum.

Poloni oratores ad Sigismundum Cæsarem.

contra Cruciferos, secundùm pacta conuenta, tandem arma coniungeret. Eius autem rei præstandæ pignus interim Silesia in potestate Vuladislai ut esset tantisper, quoad Sigismundus fidem suam apud eum liberasset. Grata hæc fuit legatio Sigismundo, maioraque is ultrò Vuladislao, quàm quæ postulabant legati, obtulit: nimirum coniugium unicę filiæ suæ, cuius Vngaria, & Bohemia hæreditaria Regna futura essent: aut uerò Agathiæ uiduæ, quę cum Venceslao Rege fratre suo nupta fuisset, si magis par coniugium ipsi placeret. Adhûc enim impubes erat filia Sigismundi: ei uerò uiduæ dotem fore Silesiam, & centum millia florenorum. Hæc cùm legati à Cæsare ad Regem retulissent, missus est inde Sbignęus ad Vitoudum in Lithuaniam, ut cum eo rem omnem communicaret. Res autem ipsa relecta est, ad comitia Nepolomicensia. Inde Zauisius Niger de amplissimi consilij sententia ad Sigismundum de Agathiæ matrimonio conficiendo missus, cũ Cæsarem in expeditione Bohemica occupatum sequeretur, eoque ab hæreticis profligato, in proximum oppidum Goram cum multis alijs ex acie sese recepisset, oppido per proditionem ab hæreticis capto, in potestatem ipsorum uenit: Pragamque ductus, per longum tempus in custodia habitus est. Et poterat quidem ante obsidionem oppidi euadere: sed extrema quæque pati, quam socios suos, & milites Cæsaris deserere maluit. Eius igitur captiuitas diuturna impedimẽto fuit, quò minùs matrimonium illud perficeretur. Dum hæc fiunt, Vuladislaus Rex cum Friderico Marchione Brandenburgensi, qui cùm esset Burggrauius Norembergensis, Marchiam à Sigismundo Cæsare dono acceperat, siue emerat, affinitatem iunxit, desponsa filio eius natu maximo Friderico, unica filia sua Heduigi. Atque is cùm impubes etiam tum esset, in aula regia deinceps ab Helia Theologo decano Sendomiriensi, & Petro Chelmio honesto equite, honestè & liberaliter educatus est. Conuenerat enim inter affines, assentiente Senatu Polono, (nam Cracouiæ hæc agebantur, quò Fridericus senior ea de re aduenerat) ut si Vuladislaus nullos mares liberos susciperet, Regnum Poloniæ post eius mortem dotale Fridericus gener, etiamsi ante nuptias moreretur sponsa, acciperet: Marchiamque paternam suam ditionem, quæ à Polonia quondam abscissa esset, iure sempiterno, quemadmodum Dlugossus prodit (tametsi hoc in pactis disertè scriptum non est) eidem rursus adiungeret. Si quas uero alias filias Rex relinqueret, eas Fridericus elocaret. Sin filium hæredem Rex relinqueret, centũ millium aureorum Vngaricorum puellæ dos esset, intra duos annos post consummatum matrimonium exoluenda. Quæ tamen Heduigi defuncta ad Regem, & Regnum rediret, si Fridericus ex ea nullos liberos suscepisset. Quod si Fridericus dote non accepta è uiuis excederet, Heduigis tamen nihilominùs, quoad uiueret, in Marchia certorum prædiorum atque bonorum ducentis millibus aureorum æstimatorũ usumfructum haberet. Pollicebatur autem Fridericus pater Vuladislao magna aduersus Cruciferos auxilia, quoties opus esset. Sed ea cùm ex pacto paulò pòst posceretur, negauit in eum annum se mittere posse: persuasitque Regi, ut in sequentem annum bellum Crucifericum differret, quòd diceret, initurum se esse rationem, ut Cruciferi ultrò imperata Regis facerent, & uel culinarium eius currum ducerent. Accessit etiam, ni fallor, ad prorogandas inducias Pontificis Maximi authoritas, apud quem tunc causa inter Regem, & Cruciferos, Paulo Vuladimirio custode, & canonico Cracouiensi negocia Regis Romæ gerente, disceptabatur. Et uenit quidem sequentis anni, qui fuit à Christo 1422. initio legatus Pontificis Antonius Zenus iurisperitus, uir integer, & incorruptus, siue ad componendas res inter dissidentes Polonos & Cruciferos, siue ad cognoscendam diligentiùs causam, & audienda utriusque partis testimonia, describendaque monumenta: secutus autem is est Regem in Lithuaniam. Nam ibi tunc ille inconsulto Senatu Polonico quartas nuptias cum Zonca Russa, cui Sophiæ postea nomen fuit, Andreæ Kiouiensium Ducis & sororis Vitoudi filia, celebrabat. Id uerò matrimonium sine dote Vitoudus, nequicquam aduersantibus Polonis, qui cum Rege erant, conciliauit: usus illa occasione, quòd Zauisio capto, nihil ad eam diem cum Cæsare constitutum erat.

Sigismundi responsum, et pollicitationes.

Comitia Nepolomicię.

Friderico Marchioni Vuladislaus filiam despondet.

Friderici Marchionis ingentia promissa.

Paulus Vuladimirius.

Ann. 1422.

Quartam uxorem ducit Vuladislaus.

DE ORI-

DE ORIGINE ET REBVS GESTIS POLONORVM, LIBER XIX.

REVERTENTI è Lithuania Regi, legatus Ducis de Monte. cuius ditio ultra Rhenum Burgundiæ finitima erat, quemadmodum scribit Dlugossus, occurrit, orans ut eum Ducem Rex in fidem, & clientelam suam susciperet. Sed ei responsum est: neque Regi, neque Duci eam rem, propter tantam loci inter eos intercapedinem, commodo esse posse. Cùm autem esset Rex in Polonia, poposcit ordinem Ecclesiasticum quinque millia florenorum, quæ ei Pontifex Maximus exigenda concesserat. Verùm ea de synodi sententia negata sunt, ne quid eiuscemodi in consuetudinem ueniret, & quòd nullum tunc Rex bellum aduersus hæreticos Bohemos gerebat: nam in eum usum Pontifex eam exactionem indulserat. Bellum deinde Regi cum Cruciferis præter omnem opinionem exarsit. Nauiter operam dabat causæ disceptandæ Zenus legatus: & iam finis induciarum inter Regem & Cruciferos appetebat. Egit ergo legatus cum utrisque de prorogandis inducijs: eoq; rem perduxerat, neutris recusantibus, ut eæ conuenirent, ni fraus Cruciferorum depræhensa esset. Offensus enim iniquitate Cæsaris Vitoudus, Sigismundum Coributhum fratrem cùm non contemnendis Polonorum & Lithuanorum copijs, in Bohemiam ad recipiendum ac defendendum aduersus eum gentis illius Regnum, haud multò antè miserat, si non annuente, certè non aduersante Rege. Id cùm ægerrimè ferret Cæsar, Cruciferos ad inferendum Polonis bellum incitabat: & ut faciliùs incautos fallerent, suadebat ut inducias nõ abnuerent: illa duntaxat conditione in pactis adiecta, ut eatenus eæ firmæ essent, quatenùs ipsi quid aliud siue à Pontifice Maximo, siue à Cæsare in mandatis non haberent. Ea de re cùm Cæsar aliquot hominibus habitu mendicorum ornatis literas ad Magistrum Cruciferorum perferendas dedisset, unæ ex his inter uestes mendici apud Coninum fortè mortui inuentæ, dolum detexerunt. Itaque cùm Cruciferi in inducijs Pontificis, siue Cæsaris authoritatem disertè exciperent, re infecta, & arguta euidenter à nostris Cruciferorum fraude, irritatisq; animis discessum est, bellumq; magna celeritate, & ingenti animorum ardore comparatum. Intra paucos dies cunctæ copiæ è Polonia, Russia, & Lithuania, quò iussæ sunt, conuenêre. Interim autem Zenus cùm cognitioni causæ apud Vuratislauiam insisteret, mandato Pontificis importunitati Cæsaris concesso reuocatus est. Suspecta enim eius fides & integritas Cruciferis esse cœperat. Ingressus autem Rex hostilem terram, composito agmine, perinde ac si hostes in conspectu essent, incedebat, & habebant ij sanè supra triginta millia equitum pariter atque peditum: commissuriq; erant rem uniuersæ dimicationis discrimini, ne uastari sua sub oculis suis paterentur: nisi Conradus Nemcius Silesius, uir scientia rei militaris præstans, temeritatem eorum, qui cum tanto exercitu pauci dimicare uellent, redarguisset. Erant enim supra centum millia bellatorum in castris regijs. Itaque Cruciferi mutato consilio ad tuandas munitiones dilapsi sunt, relicta aliquanta manu ad prohibendum nostris Deruanciæ amnis transitum. Sed ea facilè à nostris pulsa est, cæsis, captisq; compluribus, circum castella deinde & oppida nostri arma circumtulêre: Risemburgum, quod Vambreznum nostri uocant, ubi cathedra ac domicilium erat Culmensis Episcopi, & Golubium, oppida cœpêre, diripuêre, & incendêre. Duæ Golubo arces imminebant: ex his inferiorem præsidiarij milites Cruciferorum ipsi incenderunt, quò faciliùs superiorem defenderent: & equos suos, ne prædæ Polonis essent, interfecêre. Sed superiore quoque Poloni, cùm machinis eam quassassent, per deditionem potiti sunt. Præsidiarij omnes, qui supra quadringentos fuerunt, cum quindecim Cruciferis in uincula coniecti. Ibi dum Rex castra habebat, uenit ad eum Corbauiensis Episcopus, legatus à Cæsare, petens, ut Coributhum è Bohemia reuocaret, Cruciferos ne bello uexaret. Si quid ij deliquissent, iure cum eis apud Cæsaris tribunal, cui illi subiecti essent, ageret: quod si iniquitate sententiæ Cæsaris offenderetur, Cæsarem, si quid eiusmodi esset, correcturum esse. Si qua alia iniuria læsum se esse à Cæsare arbitraretur, Polonis & Vngaris proceribus rem disceptandam secundùm fœdera permitteret. Ad hæc sic ei responsum est: quod ad Cruciferos attineret, Regem satis perspectam habere fidem, & æquitatem Cæsaris: pariturum tamen eum fuisse eius decreto iniquissimo, nisi Cruciferi priores id contempsissent. Deinde prorogaturum quoque nihilominùs inducias cum eis

Dux de Monte nõ susceptus à rege in clientelam.

Bellum Prussicum.

Sigismundi Cæsaris conatus.

Antonij Zeni integritas.

Vambreznum olim sedes Episcopi Culmensis.

Legatio Cæsaris ad regem Vladislaum.

fuisse, ni sublestam fraudem ex literis Cæsaris deprehendisset. Illud etiam quale esset, quod Cæsaris opera Antonij Zeni, legati Pontificij, incorrupti uiri iudicium intercœpisset. Itaque necesse Regi armis sua repetere, quando aliter non posset. Coributhum non Regis iussu in Bohemia cum exercitu esse. Intulit mox Vitoudus: à se eum illuc missum esse, ut Cæsaris iniurias, & uiolata fœdera ulcisceretur: futurumque ibi esse deinceps etiam ut intelligeret Cæsar, quos homines sub specie amicitiæ dolis falleret. Cum his responsis dimissus legatus. Non intermittebant interea nostri, populabundi hostiles agros longè, lateque dispersi infestare. Fortè quadringenti Valachi expediti (tot enim palatinus Regi in auxilium miserat) sub Mariæburgo prædas agebant. In eos Cruciferi magno numero ex arce effusi, impetum fecerunt. Valachi uenientium contra se hostium multitudine animaduersa, in proximam syluam se recipiunt, ex equis desiliunt, non insueto genere pugnandi pedestres inter condensas arbores sese defensuri. Descendunt & Germani hostes, ut latitantes, quemadmodum opinabantur, è latebris extraherent. Sed mox denso sagittarum imbre à Valachis obruti, cæsis, captisue primis, fugam capessunt. In fuga quoque à persequentibus Valachis non paruam cladem accepêre. Victores Valachi cum præda, & captiuis in castra reuersi sunt. Alia quoque non minori clade per idem tempus Cruciferi inter Orlouiam, & Murinouiam pagos profligati sunt ab Andrea Brochocio præfecto Brestensi, gente Ossorio, non magis uiro forti, quàm pio atque religioso. Erat is cum Matthia Labissinio Brestensi, & Ioanne Coscelecio Inouuladislauiensi, palatinis, & cum omni nobilitate Cuiauiensi, relictus à Rege ad præsidium eius oræ cum summo Imperio, ne quid à Cruciferis ibi moueretur. Indignati uerò palatini, sibi eum prælatum esse, domos cum clientibus suis per speciem comparandi commeatus recesserant. Perstitit in castris Brochocius, nihil ea discessione deterritus, diligentiusque seruabat excubias quoquouersus dispositas. Erant in præsidio Nessouiæ octingenti equites Cruciferorum: ij ut incautos Polonos opprimerent, silenti agmine circumuecti, à tergo, ubi nullas rebantur seruari excubias, noctu eos adorti sunt. Sed non fefellêre tamen. Et ultimas quidem excubias securas oppressêre: uerùm à secundis ad tertias, & inde in castra clamor perlatus, Brochocium cum summis exciuit. Armis raptim correptis, hosti septa castrorum conuellere iam incipienti intrepidè occursum est, commissoque prælio (& lucebat fortè Luna) cessit nostris uictoria: dissipati fuga hostes, cùm per ignota sibi loca, syluasque errarent, agrestibus prædæ fuêre per subsequentes dies. Magnusque fuit numerus captiuorum, in quibus commendatoris Torunensis uicarius, ac duodecim Cruciferi fuerunt. Nam commendator ipse fuga elapsus est. Rex Golubensi arce potitus, ad Coualouiam, quam Germani *Schonese* uocant, castra mouit: & in arcis illius oppugnatione nonnihil incommodi accepit. Nam oppidum ipsi Cruciferi succenderant. Captus cum paucis Dobrogostius Camenensis castellanus, per cuius incuriam Drahimum haud multò antè interceptum erat à Germanis militibus in Prussiam contendentibus. Tametsi intra paucos dies arx ea à nostris recuperata fuit, Pauli Venzici Germani opera: qui cùm esset inter præsidiarios hostium, Polonos clàm noctu cassibus uenatorijs in arcem sustulit: à quibus mox præsidium hostile deiectum est: Paulus perpetuo censu donatus à Rege in salinis Veliciensibus. Omissa Coualouiæ oppugnatione, ad Toruniam Rex duxit. Fortè didicerat ab exploratoribus, Cruciferos non contemnendas copias coëgisse: quanquam non habebant ij in animo, aperto prælio cum Rege manus conserere, sed occasionem, & opportunitatem benè rei gerendæ captabant. Contra hos ergo sexdecim Polonorum, totidemque Lithuanorum uexilla misit. Sed priusquam in conspectum uentum est, hostes aduentu nostrorum cognito, fuga dilapsi sunt. Rex cùm pestem grassari Toruniæ accepisset, contagionem metuens, mutato consilio, uastatis modò suburbanis, in Culmense territorium exercitum reduxit, ut id siue peruastaret, siue in potestatem suam redigeret. Interea Cruciferi, & ipsi inauspicati belli pertæsi, & nobilitatis, oppidanorumque suorum clamoribus, & querimonijs defatigati, legatos ad eum de pace miserunt, non difficulter impetratum: pacis leges supra Ossam fluuium, & apud Melnum lacum in castris conscriptæ: inter quas erant præcipuè, ut Rex Galardi, & Petri iudicium à Pontifice Maximo delegatorum decretum: Magister uerò Cruciferorum, Prussiensium quidem Paulus, Liuoniensium uerò Sifridus, pacta Torunensia, & Sigismundi Cæsaris decreta duo ex compromisso lata repudiarent: Samagitiam, Sudos, Nessouiam, arce tamen ab ipsis diruta, & materia asportata, Rex haberet; itemque dimidium Vistulæ & Nauli apud Toruniam: Cruciferis uerò redderet, quicquid de ijs tunc cœpisset: præteritæ omnes iniuriæ obliterarentur. Quod si ulterius bellum renouare uellent, ut subditis eorum impunè liceret dominis suis nullam opem ferre. Pecuniam quoque certam Regi Cruciferi numerare debebant:

Vitoudi responsum.

Valachorum uictoria de Prussis.

Andreas Brochocius.

Nessouienses præsidiarij fusi à Brochocio

Coualouia Schonese.

Cruciferi pacem petunt à rege, & impetrant.

quanquam

quanquam hoc monumentis literarum mandatum non est. Hæc ita conuenta, Eberhardus quoque generalis Cruciferorum Magister literis suis comprobauit. Nec tamen rata fuêre. Nam discedente Rege, non impleuerunt Cruciferi promissa, ita iubente Cæsare. Vnde cùm irritatio animorum inter Principes maiores motus parturire uideretur, Vngarorum proceres conuentum cum nostris expetiuere: nec difficulter impetrârunt, ut ad Kesmarcum oppidum delecti à Rege de sententia comitiorum secum conuenirent. Ibi constitutum, ut ad medium Quadragesimæ anni sequentis ipsi inter se Cæsar, & Rex conuenirent, & proceribus Vngaris, & Polonis arbitris, quemadmodum erat in fœdere, de iniurijs mutuis disceptarēt: Cruciferorum quoq; legati cum luculentis mandatis, u adessent. In eo uerò conuentu cùm Nicolaus Tramba Archiepiscopus Gnesnensis mortuus esset, successor ei Albertus Iastrembecius, quamuis reluctans, Rege authore datus est. Post eum uerò Sbigneus Olesnicius, aduersante primùm: deinde uerò fauente & adiuuante Vitoudo (nam in Lithuania tunc Rex erat) Cracouiensis Episcopus factus est. Congressi deinde Cæsar, & Rex ad præstitutam diem apud Starciolum, cùm de iniurijs mutuis inter se audientibus proceribus expostulassent, pacem inter se renouârunt: Cruciferi quoque pacta conuenta apud Melnum lacum seruare iussi, dicto audientes fuerunt: & controuersa quædam pactorum conuentorum capita, ad mercaturam, & commercia pertinentia, conuentu cum Polonis apud Nessouiam instituto, explicarunt. Reuocatus deinde est à Rege Coributhus è Bohemia, ubi non contemnendas uires habuerat, & authoritatem sibi apud Bohemos, præter Ziscæ factionem comparauerat: Pragensem ciuitatem lenitate cum sæuitate mixta in meliorem formam, quemadmodum inquit Aeneas Syluius, redegerat: arcemque munitissimam, cui Carlsteno fuit nomen, sex totos Menses frustrà obsederat, & cùm Sigismundi copijs leuibus prælijs aliquoties prosperè fermè dimicauerat. Reuersus inde, cùm Dobrinensem dominatum à Polonis non impetraret, solicitabat animos multorum ad res nouas. Qua re magnum sibi odium apud Regem, & proceres conflauit. Missi deinde à Rege Sbigneus designatus Episcopus, Sendiuoius Ostrorogius palatinus, & Dobrogustius castellanus Posnaniensis, & Stanislaus Ciolcus procancellarius, ad regundos fines cum Cruciferis in Samagitiam, certis signis Samagitiam à Cruciferorum ditione diremerunt. Nihil præterea memorabile eo anno gestum, nisi quòd proceres cum nobilitate in comitijs Vartenlibus, Rege absente, leges quasdam condidêre. Insequenti autem anno, qui fuit millesimus, quadringentesimus, uigesimus quartus, duodecima die Februarij, Sophiæ reginæ diadema solenni ritu impositum est. Quam celebritatem præter Polonos, & Lithuanos proceres, Sigismundus Cæsar cum Barbara uxore, Ericus Rex Danorum, qui tunc fortè Hierosolyma Religionis ergò iter habebat: Branda Cardinalis cognomento Placentinus, legatus Pontif. Max. Iulianus Cæsarinus auditor cameræ Apostolicæ, qui postea Cardinalis fuit, Ludouicus Bauarorum, Zemouitus, Vuladislaus, Cazimirus, & Alexander fratres Masouiorum, Bernardus Oppoliensium, Boleslaus Cesinensium, Ioannes Ratiboriensium, Cazimirus Osuencimensium, Venceslaus Oppauiensiū, duo Conradi albus & niger Cozlensium, Venceslaus Zeganensium, Coributhus Vitoudi frater, Duces, itemq; Elbingensis, & Torunensis commendatores, nomine Magistri Cruciferorum Pauli Rusdorfi, cohonestârunt. Vitoudus uenire noluit, nescio qua de causa infensior reginæ factus. Tentatum est in illo conuentu à Principibus, de Heduigi Regis filia Boguslao Duci Stolpensium, Cæsaris necessario, in matrimonium collocanda: cum Vuladislaus non obscurè alienum à Friderico Marchione, cuius filio ea desponsa erat, animum præ se ferret, propterea quòd is auxilia nulla ex pacto ipsi ad bellum Cruciferi-cum miserat. Sed nihil tamen ea de re impetratum est, dissuadentibus Regi proceribus, fidemq; rebus omnibus potiorē ducentibus. Dissuasit & Vitoudus absens, apud quem tunc Fridericus iunior educabatur, cùm res tota ad eum à Rege reiecta esset, Cæsarq; & Reges ad ipsum ea de re oratores allegassent. Accessit etiam Pontificis authoritas postea qui Fridericum è sua familia Columnensi originem ducere profitebatur. Effectum autem est in eodem conuentu, adnitente maximè Cardinali, ut Rex Vuladislaus, Cæsari, præter uoluntarios, qui certatim crucis militiam à Pontifice promulgatam amplectebantur, quinque millia equitum ad bellum contra Bohemos hæreticos promitteret. Acta & alia nonnulla in secretis colloquijs. Post quintumdecimum tandem diem Reges & Principes liberalissimè, & magnificentissimè habiti, suas quisque domos discessêre. Vuladislaus Rex Visliciam profectus: ibi eum legatio Bohemorum conuenit, petens, ut quando ipse, Vitoudusq; nollent, Coributhum sibi Regem mitteret. Probauerat enim is priore expeditione Bohemis industriam, uirtutem ac diligentiam suam. Non modo negatum, sed bellum quoque denunciatum Bohemis, ni hæresim abijcerent, & Romano

Pax infecta iussu Cæsaris.

Albertus Iastrēbecius Archiepiscopus Gnesnen.

Pax renouata inter Cæsarem & Regem.

Coributhus e Bohemia reuocatus.

Comitia Vartæ absente Rege.

Ann. 1424.

Legatus Apostolicus.

Rex alienatus à Friderico Marchione.

Bohemorum repulsa.

Coributhus ad Bohemos profectus. Pontifici dicto audientes essent. Profectus est tamen iterum ad Bohemos Corsbuthus, Rege inscio, cum aliquanta facinorosorum, & obæratorum hominum manu, quæ ad eum confluxerat. Quamobrem suspicionem Cæsaris, multorumque præterea uitare Vuladislaus non potuit, quamuis promissa equitum auxilia Duce Petro Meziuezio Cæsari misisset. Quin ea quoque, cùm per Morauiam iter facerent, & suspecta se esse ijs, quibus suppetias ibant, haud obscurè animaduerterent, oppidisque excluderentur, uerita nec ubi opprimerentur, in Poloniam ab Olumucio reuertêre. *Vuladislaus filius Iagelloni natus.* Hoc anno natus est Vuladislao filius, pridie Calendas Nouembris, ingenti patris lætitia: & post quartum demùm Mensem Religioni Christianæ ritu solenni initiatus, Vuladislai nomen accepit. Adfuerunt autem ei cærimoniæ, Pontificis Maximi, Cæsaris, Venetorum, & Mediolanensium Ducum, & nonnullorum aliorum Principum à Rege inuitatorum legati, cum amplis donis puerperæ allatis. Vitoudus uerò argenteas cunas centum pondo puero misit. Remisit autem uicissim Vuladislaus omnibus munera. Aduenit postea legatus Pontificis Latinus Vrsinus Cardinalis Episcopus Hostiensis, afferens Regi dono unum de clauis, quibus CHRISTVS IESVS author Salutis nostræ cruci affixus fuit. Acceptus est summo cum honore ueniens Cracouiam, multitudine omni cum sacerdotibus, & monachis obuiam effusa: clauusque sacer, uoluntate Regis in Basilicam Cracouiensem illatus, ubi in hanc usque diem asseruatur. Nihil præterea memorabile gestum *Vuladislaus rex crus fregit.* duobus illis annis, nisi quòd pestis Poloniam, & Lithuaniam peruagata est, ita ut Rex cum regina, & Vitoudo in syluis degere cogeretur: ubi cùm uacaret uenationi, casu crus fregit, in quo curando Menses aliquot Crasnistauiæ absumpsit. *An. 1426.* Anno uerò 1426. ad Pentecosten Lenciciæ comitia habita. Ad ea Rex per Masouiam proficiscens, Zemouitum seniorem Ducem in gratiam recepit, cùm is ipsi primùm per filios, deinde per se ipse satisfecisset de eo, quod insimulatus erat, quasi in potestate Regis esse nollet. Cui quidem suspicioni Stanislaus Pauulouius Archidiaconus Plocensis occasionem dede*Synodus Lenciciæ.*rat, cùm is forte anno superiori in synodo Lenciciensi, in qua de uiginti millibus florenorum Regi Pontificis Maximi iussu ab ordine Ecclesiastico conferendis frustrà actum est, negasset mandatum illud Pontificium ad Plocensem diœcesim pertinere, quòd in ea ac in tota Masouia Rex nihil prorsùs iurisdictionis haberet. Atque id de sententia Ducis, cuius erat Cancellarius, & cuius authoritate non multò pòst Iacobo Episcopo mortuo, Plocensis Episcopus designatus erat, dixisse uidebatur. In comitijs uerò Lenciciensibus permissum Cruciferis, importunissimè efflagitante Vitoudo, ut molетrinam Lubi*Lubicensis moletrina.*censem, quam ex pactis conuentis demoliti erant, instaurarent. Missi ea de re legati ad Vitoudum, Sbigneus Episcopus Cracouiensis, Domaratus castellanus Biecensis, Petrus Saffranecius Succamerarius Cracouiensis, & Nicolaus Dreuicius scriba Regius, Ducem de temeritate promissi, & importunitate grauiter obiurgârunt. Præ se ferebat enim Vitoudus, nisi id precibus suis datum esset, se Dolangense territorium in Samagitia ad mare uergens, Cruciferis donaturum esse. Alia res magna in ijsdem comitijs à Rege tentata, sed non impetrata est: cùm is promissa eam ob rem in superioris anni comitijs Brestensibus, non præstaret. Promiserat autem, confirmaturum, & aucturum se nobilitatis libertatem, & prærogatiuas stationes Ecclesijs, & monasterijs remissurum, Cuiauienses autem auenæ pensione liberaturum, si filium suum anno superiore natum, Regem post se designarent: conuenerat que, ut ijs de rebus Rex in proximis futuris comitijs, diplomatis in singulos tractus siue palatinatus datis, diligenter caueret. Verùm is mutato, suasu Cæsaris, consilio, cùm negaret id se facturum esse, consurgens omnis Senatus, *Senatus regij factû insignæ.* diploma suum, quo Regi de filio promittebat, à Sbigneo Episcopo, cuius fidei côcreditum fuerat, receptum, magno cum fremitu ac tumultu Rege inspectante concerpsit. Sic re infecta conuentus ille solutus est. Alia tamen uia Rex id, quod cupiebat, postea perfecit, cùm singulos Senatores priuatim, quemadmodum Cæsar monuerat, prensasset, & à singulis chirographa exegisset: itemque à ciuitatibus, & plerisque conuentibus nobilitatis, præsertim Russiæ & Podoliæ. Perpauci de proceribus reperti, qui maiorem Reip. quàm priuatorum commodorû suorum, & gratiæ Regiæ rationem ducerent. *Cazimirus filius Vuladislao natus, & mortuus.* Natus autê est eo anno Regi alter filius Cazimirus, & intra annum uertentem mortuus. Portò Vitoudus conducto è Polonia magno numero mercenariorum militum, fecit eodem anno expeditionem in Pscouenses Russos, liberos tûc, sed postea in ditionem Moschorum redactos. Nec ea expeditio satis prospera ei fuit initiò, quippe quæ nulla iusta de causa suscepta esset: perennibus ferè pluuijs madente humo, per se etiam uliginosa, ita ut neque progredi commodè exercitus, neque pabulari posset. Ad extremum tamen Pscouensis magna ui auri & argenti, infecti pariter, & signati, pacem redemerunt. Vuladislaus uerò per idem tempus de nobilitate Russica suæ ditionis quinque millia equitû, duce Ioanne Cobilenio,

gente, Gamalio, præfecto Sanocensi, in auxilium Sigismundo Cæsari contra Turcas misit. Qui ad Braillouum usque (quod oppidum ad confluentem Serethi ac Danubij fluminum, in extremis Valachiæ, & Moldauiæ transalpinæ finibus fuit) longum iter emensi, duos menses in eo loco campestri unà cum Valachis (qui & ipsi ex fœdere iussu Regis præstò fuerunt) castra habuere, dum Cæsarem ultra constitutum tempus expectant. Vbi uerò non uenturum esse, Bohemicis rebus impeditum, intellexerunt: pacato agmine, quemadmodum profecti domo erant, reuertêre. Detrectârant nonnulli de Russis eam militiam, propterea quòd quinæ marcæ in hastas ex Ludouici Regis sanctione sibi non dabantur: eos Rex carcere diuturno coërcuit, & bonis mulctauit. Sed remisit pòst omnibus mulctam, rogatu procerum: Aduocatiam modò Crosnensem retinuit. Mortuus est eo anno Zemouitus Dux Masouiorum, relictis quatuor filijs, & quinque filiabus. Ac filij quidem sic inter se paternum dominatum partiti sunt, ut Zemouito Rauensis, Vuladislao Plocensis, Cazimiro Belzensis ditio cederet: quartus Alexander exors patrimonij, sacris initiatus, Archiepiscopus Tridentinus, & postea Cardinalis fuit. De filiabus uerò Cimbarca Ernesto Austriorum Duci nupsit, de qua Fridericus tertius Cæsar natus est: Eufemia Venceslao Cesinensium: Cunilsa Boguslao Stolpensium Duci: quarta Ofca, quæ eadem Agathia est, Michaëli Duci, qui Sigismundi, Vitoudi fratris filius fuit: quinta innupta obijt. Lascaris quoque Episcopus Posnaniensis eodem anno mortuus, longam, & perniciosam successoribus, Miroslao Nalencio iureconsulto ac datario Apostolico, & Stanislao Ciolco Poëtæ, Procancellario Regni, litem reliquit: cùm hic sacri collegij suffragijs, & Regis authoritate, ille Pontificis prouisione niteretur: & Miroslaus quidem consecratus, possessionem tamen bonorum adire inuito Rege non potuit. Stanislaus uerò omnia bona Episcopi in potestate sua habuit, quanquam non nisi post biennium Episcopus à Pontifice renunciatus, Miroslao uita defuncto. Lascarem haud multò pòst Ioannes Pella, Vuladislauiensis Episcopus, qui ante duos annos Ioanni Cropidloni successerat, secutus, Ioannem Saffraneccium Decanum Cracouiensem, & Cancellarium Regis habuit successorem. Insequens annus nulla ferè alia re, quàm probro reginæ, memorabilis est. Eius uerò author Vitoudus fuit: qui siue odio reginæ, siue cupiditate Regni, quam apertiùs postea præ se tulit, stimulatus, seu denique rumoribus hominum uulgatis permotus, augente suspicionem in decrepita Regis ætate tertiò, quod instabat, reginæ puerperio, cum omnibus minimè mali Regis actionibus moderaretur, facilè credulum hominem, ut in pudicitiam reginæ inquireret, induxit. Captæ duæ puellæ, pedissequæ Reginæ, Catharina, & Elizabetha sorores Sciucouiæ, quæ omnium esse conscię uidebantur, terrore tormentorũ adhibito, confessæ sunt de libidinibus reginæ: sed uerène, an falsò, incertum est. Editi nominatim, cum quibus illa rem habere consueuisse diceretur, Hincia Rogouius, Petrus Curouius, Laurentius Zaremba, Petrus Crasca, Ioannes Conespolius, Petrus ac Dobeslaus Sceocinij. De quibus tres ultimi re intellecta profugerunt: reliqui indicta causa proceribus, qui cum Rege Grodlum (ubi hæc agebantur) à Vitoudo euocati uenerant, partim gratia, partim metu assentientibus, in carcerem coniecti, pedissequæ in Lithuaniam relegatæ, maritos ibi postea nactæ sunt. Regina non audita, plena mœroris ex tam insigni infamia, Cracouiam remissa est. Remittebatur in Lithuaniam asseruanda in custodia, ni Poloni proceres, & in primis Ioannes Tarnouius Palatinus Cracouiensis, cuius magna tunc erat authoritas, dissuasisset. Is enim cùm id à Rege clàm agi ex apparatu curruum, & mox ipsius confessione cognouisset, percontatus est Regem, quid pueris ex ea natis facturus esset: cumque Rex secũ eos fore, & in spem Regni educatum iri, respondisset: Apagè, inquit Tarnouius: túne Reges nobis relinquere uis, quos ipse, dum matrem ipsorum probro afficis, pro tuis liberis non agnoscis? Cæterùm Senatus frequens eò rem perduxit, ut regina se suo ipsius, & septẽ honestarum & nobilium fœminarum iureiurando purgaret. Iurârunt cum ea Catharina Nicolai Michalouij Sendomiriensis palatini uxor: Cochna, quæ cum Iacobo Conespolio Siradiensi: Heduigis, quæ cum Ioanne Glouacio Masouiæ, palatinis: Anna, quæ cum Sbigneo Brezio marsechalco: Clichna, quę cum Nauoio Mocriscio nupta fuerat: Helena Pauli Bogumilouicij iudicis uxor, & Helena Cotca uirgo. Iudicium deinde in Ioannẽ Strassom à regina efflagitatum est, quòd is princeps hunc de ipsa rumorem apud Vitoudũ & Germanos sparsisse diceretur: atque is neque confessus, neque conuictus, cum se etiam decreto Petri Vidauij iudicis Siradiensis, cui rex cognitionẽ eius causæ mandârat, iureiurando purgasset, & accusatores ad singulare certamen prouocaret, in carcerem tamen à Rege coniectus est Sendomiriæ: ubi parùm abfuit, quin fumo & uapore prunarum illatarũ enecaretur. Sed hoc posterius, mortuo demũ Vitoudo accidit. Tunc autem non multò post regina filiũ peperit, cui Andreæ Cazimiro nomen fuit. Erat Cracouiæ Henricus quispiam

Serethus fl.

Russi cõtumaces coërciti à Rege.

Cimbarca Friderici tertij Cæsaris mater.

Ioannes Saffraneccius Episcopus Vuladislauiensis.

De regina adulterio rei.

Ioan. Tarnouius palatinus Cracouien.

Reginæ purgatio.

Bohemus, insignis Astrologus: hic infantem recens natum, longæuum, sed infœlicem fore, Poloniam q; multis ac magnis malis atque calamitatibus eo regnante afflictum iri, ex astris prædixit, fratrem uerò eius Vuladislaum, clarissimum atque uictoriosissimum futurum, & ni fata longiorem ei uitam inuiderent, multis gentibus imperaturum. Quæ utraque euentus postea comprobauit. Post hæc reginæ infamia conquieuit. Sed tamen res ea dissidij, quod deinceps inter Regem, & Vitoudum accidit, seminarium fuit: id uerò dissidium gliscens. Sigismundus Cæsar tertio deinde anno maleuolentia quadam ductus, maxime inflammauit. Cùm enim subolfecisset, subiratum esse Regi Vitoudum, conciliandum esse eum sibi existimauit, de cuius consilijs Regem totum pendere non ignorabat, ut uel committeret eos inter se, uel faciliùs ipse Regem simplicem circumscriberet. Itaq; colloquium utriusq; expetiuit: uerùm id, Turcico bello implicatus, in tertium annum distulit. Duxit autem exercitum in Turcas in sequenti anno, qui fuit à Christo nato, millesimus, quadringentesimus, uigesimus octauus: qui Golubeciam arcem, à Rascio quodam Turcis, cùm ipse emere eam nollet, paruo uenditam, armis recuperaret: siue adeò, quo belli Turcici prætextu cessationem suam à bello Bohemico Martino Pontifici max. id urgenti, quemadmodum scribit Dlugossus, excusaret. Sed priusquã ad congressum cum hostibus ueniret, retrò se, transmisso raptim Danubio cum magna parte exercitus, ad tutiora loca in Transyluaniam recepit: proditis hosti reliquis, quos naues capere non potuêre: in quibus fuit Zauissius Niger præfectus Scepusiensis, de Bohemorũ captiuitate dimissus: qui submissum à Sigismundo lembum ascendere noluit, malolens fortiter occumbere, quàm turpiter socijs proditis fugere. Quare adacto calcaribus equo, in confertissimos hostes irruit: & multis præclaris operibus editis, ad extremum conglobatis circa eum Turcis, uiuus captus, & cùm pro magno munere ad tyrannũ uir robore corporis, oris dignitate, & auratis armis insignis duceretur, controuersia inter duos barbaros orta, ab utro captus esset, ab imbecilliori desecto capite uitam finiuit: uir in omni uita belli, pacisq; artibus clarissimus, & sempiterna memoria dignus. Per idem uerò tempus Vitoudus, Polonis militibus, quos multos circum se & præstantes habebat, partim uoluntarios, partim stipendio proposito euocatos, Nouogrodensibus Russis, libero populo, prætextu controuersorum finium bellum intulit: superataq; præter spem eorum difficultate itineris, cùm ad Oposcam castra haberet, supplicibus, & ingentia dona afferentibus pacem dedit. Fuerunt autem in ea expeditione de Polonis insignes in primis, Cazimirus Dux Masouiorum, Vincentius Samotulius castellanus Medirecensis Dux copiarum, Iacobus Cobylanius, Ioannes Cizouius, Mesciugus Scrinnius, Nicolaus Brezius, Zicus Cadlubius, Matthias Vlcius, Ioannes Sciecocinius, Ioannes Lopata Calinouius, Iacobus Precora Morauianius, Nicolaus Sepinius. Viguisse autem in primis in toto illo exercitu disciplina militaris memoratur, Vitoudi seueritate sancita: præter quòd confecto bello, & tunc, & aliàs solebat is relictis copijs in hostico, domum uxoris, & uoluptatum desiderio præcurrere. Vnde cùm sine Duce, & ordine redirent Lithuani, impeditis locis nonnunquam incommodo afficiebantur. Sed unde digressi sumus, reuertamur. Ex illo igitur inauspicato bello Turcico reuersus Cæsar, Vuladislaum Regem incusare, quod is promissa sibi auxilia non misisset (quæ tamen ille superiori anno frustrà miserat) & maiori in eum odio exardescens, urgere consilium illud suum de adiungendo sibi Vitoudo: colloquiumq; efflagitare, nec difficulter id impetrauit. Dies dicta conuentui apud Luscum, ad sextam diem ianuarij sequentis anni. Interim filij Zemouiti Masouij, superiori anno defuncti, uenientes ad Regem Sendomiriam solenni ritu in uerba eius iurârunt. Et intra paucos dies Ioannes patruus eorum Dux Varsauiensium, uita excessit. Cùm autem conuenissent Luscum Cæsar cum Barbara uxore, Rex, & Vitoudus, actum est aperta fronte de mutuis offensis, ac de Valachis maximè. Postulabat Cæsar ex formula fœderis, ut Valachiam secum pariter subiugarent, & partirentur: propterea quòd nemini satis fidi essent Valachi, & quòd sibi ad Turcicum bellum præstò non fuissent. Negabat Vuladislaus id se facturum, passurumue esse: parêre enim sibi Valachos antiquitùs. Nam quòd suppetias Cæsari non uenissent, ipsius, non illorum esse culpam. Venisse enim unà cum Russis, & expectasse frustrà superiori anno. Et cessit quidem in ea re Vuladislao Cæsar: cæterùm secretò longè alia cum Vitoudo egit. Societatem enim cum eo init, ac diadema Regium ipsi pollicitus est, ut eum cum Vuladislao, Polonisque committeret. Non recusabat Vitoudus, homo ambitiosus, & ingentis spiritus: sed negabat, sibi inuito Vuladislao accipere licere. Itaque ad Vuladislaum callidè & blandè affectata à Cæsare, & uxore eius uia: perfectumque est, ut is cohonestandi patris gratia non abnueret, si Senatus Polonicus assentiretur. Ad Senatum uerò cùm res relata esset, & presens ipse Vitoudus hoc sibi concedi peteret, dicendus

Vaticinium astrologi de filijs regys.

Vuladislaus Vitoudi consilijs nitebatur.

An. 1428.

Nouogrodenses pacem à Vitoudo redemerunt.

Masouij duces iurant in uerba regis Polonorum.

De Valachis cõtentio inter principes.

Sigismũdi Cæsaris secreta pacta cum Vitoudo.

disq; sententijs, quò minùs liberè dicerentur, non optimo exemplo interesset, Princeps Albertus Iastrembecius Archiepiscopus Gnesnēsis, longis uerborum ambagibus usus, nihil tamen certi statuebat. Post hunc Sbigneus Olesnicius Cracouiensis Episcopus præfatus, indignum esse rem tantam longiore deliberatione, grauissimis uerbis Vitoudi præsentis consilium reprehendit: pactorum, conuentorum quæque Rex, quæq; ipse cum Polonis sanctissimo iureiurando interposito olim firmassent, & quibus Lithuaniam Poloni e adiunxissent, admonuit: turpem esse prudenti seni, & saturo gloriæ principi, intempestiuam illam ambitionem, quę magnas secum clades atque calamitates Lithuanis iuxta ac Polonis importatura esset, cogitaret, uenenatam esse illam offam, & exitiale munus, quod sibi a deuoto, & communi hoste Cæsare offerretur: non hoc illum agere, ut honorem ipsi habeat, sed ut dissidium inter eum, & Vladislaum faciat: & quos coniunctos nullo incommodo posset afficere, disiunctis ac dissidentibus omne malorum genus inuehat: reputet secum ingentia Polonorum, & Vuladislai beneficia, magis quàm recentes, & insidiosas Cęsaris pollicitationes: illum nunquam fideliter neque secum, neq; cum Vuladislao amicitiam coluisse, pacta conuenta toties irrita fecisse, sub specie beneuolentiæ, uel maximè semper nocuisse: à Polonis uerò Lithuanos omnium rerum egenos, & aduersus Cruciferos ægrè sese tuentes, in societatem receptos, & ad Regnum, posthabitis claris, & potentibus alijs principibus, uocatos: Polonorum armis atque sanguine inexplebilem Cruciferorum crudelitatem à ceruicibus eorū depulsam esse: ipsum à Vuladislao præ germanis fratribus principatum Lithuanorum adeptum, Regni etiam administrandi moderatorem ferè magis, quàm participem adhiberi: uafrum illud Cæsaris consilium multò antè sibi notum fuisse: sed non esse credibile, Vitoudum tanta prudentia prędituum, unquam eo captum iri: rediret ad se, neque pateretur, tot res, tantasq; in eam diem à se præclarè gestas, & sempiternam sui nominis memoriam aliena fraude contaminari.

Sbignei sententia fortis.

Hæc elocutum Sbigneum Ioannes Tarnouius palatinus Cracouiensis graui oratione, & ipse rem illam, & conatum Vitoudi exaggerauit. Hos frequens Senatus magno consensu secutus est. Itaque repulsam passus Vitoudus, iratus, fremensq; forâs se proripuit, minitans, quando sic ipsis uideretur, alia id se uia tamen assecuturum esse. Correptus deinde Rex à Senatu, quòd tam facilis atq; credulus, hostem suum in Regno in perniciem suam, reiq; publicæ Polonæ grassari pateretur: ni sibi caueret etiam atq; etiam, futurum esse, ut mellitis dolis eius caperetur. Nec mora proceres Lusco frequentes discedunt: quos Rex proxima nocte secutus est. Cæsar paucos dies cum Vitoudo commoratus, ueritusq;, ne quem in se dolum Poloni offensi intenderent, properè in Vngariam redijt.

Ioannes Tarnouius palatinus Cracouien.

Cæsaris discessus.

Venerat autem Luscum ad Regem, & ad Vitoudum Andreas Constantinopolitanus Theologus, de sodalitio Dominicano, magister palatij Apostolici, legatus Pontificis Max. postulans, ut uel pacatis consilijs, & pactionibus, uel armis Bohemos ad rectam Religionem, pacemq; reducerent: pergraues enim ij erant Cæsari, & uniuersæ Germaniæ: sæpè magnos exercitus profligarant: Silesiam, Misniam, Austriam, & cæteras finitimas regiones infestabant, & subigebant, ita ut Sigismundus Alberto genero suo Austriorum Duci Morauiam donaret, quò eam ab hæreticis uindicaret: Ziscam cæcum hostium Ducem, quem armis uincere non poterat, ingentibus promissis ad se pelliceret. Sed nihil tamen legatus propter dissidium Regis atq; Ducis impetrauit. Incitabant Vitoudum assentatores, quibus plenæ semper sunt principum aulæ, ut cœptam rem perageret. Itaq; missis Gastoudum palatinum Vilnensem, & Rumoldum Marschalcum oratores ad Regem, & ad primores Polonos, qui frequentes Corcinum ad Regem de impediendis Vitoudi consilijs conuenerant. Fuit autem legatorum extrema oratio: Vitoudum siue uolentibus, siue nolētibus Polonis Regem fore. Ad eam legationem, qui responsum Vitoudo referrent, Sbigneus episcopus, & Nicolaus Michalouius palatinus Sendomiriensis de Senatu missi: cùm eum fœderum, & iurisiurandi sui, ac temerarij, perniciosiq; incœpti admonuissent: ac ni desisteret, Polonos armatos conatibus eius obuiam ituros asseuerarent, ille in Vuladislaum culpam reiecit, ab eo se detrectantem, ad id impulsum esse: non fore autem è dignitate sua, si rem semel institutam, leuiter remitteret. Nec sanè remisit per internuncios promissum à Cæsare diligentiùs exigere, incitantibus maximè Cruciferis, qui nullam incommodandi Polonis occasionem etiam in pace prætermittebant, fœdusq;, & societatem cum Vitoudo inibant. Id ubi apud Polonos increbuit (nam & literæ, & nuncij aliquot intercepti erant) conuenêre proceres ad Regem Sendomiriam ad natalem diuæ Mariæ (nam cum diem ibi Rex, sicut obitus, siue assumptionis eiusdem Visliciæ libenter peragebat) decreta iterum legatio ad Vitoudum: cuius principes fuêre Sbigneus Episcopus iterum, & Ioannes Tarnouius palatinus Cracouiensis. His datum in mandatis, ut si aliter animum Vitoudi à proposito deflectere nequeant,

Lithuani oratores ad Polonos.

Polonorum legatio ad Vitoudum.

Cruciferi inimici Polonis.

Polonorum

Polonorum Regnum, concedente Vuladislao, ad eum deferrent, ut quando tam appetens esset Regni, ab amicis id potiùs, quàm ab hostibus acciperet. Cæterùm sperarint ne beneficio illo oblato emollitum iri Vitoudum, quem aduersando frangere non poterat, an reuera id agebant, impendens à tanta illa conspiratione exitium patriæ quoquo modo propulsare cupientes, certum non habeo. Vuladislaus quidem non tam altos, seu potiùs tumidos spiritus nactus, & pristinum ingenij sui, quantulumcunque id fuit, uigorem ætate magis ac magis in dies hebescentem, ac propemodùm iam extinctum, uiresq; defectas sentiens, non grauatè Vitoudo longè uegetiori, solertiorique Regnum concedebat, cuius iam ipse satur, & penè pertæsus erat: & filios paruos, Regnoque administrando inutiles adhuc habebat: ad quos tamen id, Vitoudo nullos relinquente liberos, rediturum esse, haud ita multò pòst intelligebat. Iam enim & Vitoudus octogesimum annum non pauló excesserat. Hûc accedebat non aliena à Vitoudo, plerorumque procerum Polonorum uoluntas, munificentia eius conciliata. Ipse quoque Vuladislaus, per multum tempus eius consilijs maximè in omni re nixus, ita eius authoritatem indulgentia sua apud Polonos auxerat, ut illum magis, quàm se reuererentur. Flexisset hæc talis oratio quamuis præfractum, & pertinacem Vitoudi animum, nisi proceres quidam Poloni priuata compendia publicæ rei præferentes, ut largitiones eius in se allectando magis augerent, clàm eum per internuncios hortati essent, ut persisteret in proposito: de quibus etiam cognouerat, priusquam legati aduenirent, quid ij afferrent. Itaque respondit is, nolle se esse tam impudentem, & impium, ut Vuladislaum Regno priuaret: cæterùm cœpto, per omnium gentium atque principum ora uulgato, & cuius author sibi Vuladislaus fuerit, desistere, turpe sibi & indecorum uideri. Nihil se aduersus Regem, & Polonos moliri, sed si quod bellum sibi ab eis inferatur, omni conatu propulsaturum. Dum autem aliquot dies ibi commorantur legati, allatus est Vitoudo à Cæsare draco affabrè factus, in pignus societatis, expetitumq; iusiurandum de seruanda societate certis legibus. Ac draconem quidem pro hospitali munere, non pro pignore societatis accipere se respondit: iusiurandum uerò nullum dedit, ueritus legatos Regios, qui grauiter, & seuerè cum eo agebant: ac Sbigneus quidem longè, quàm collega liberiùs. Itaque illum amplissimis donis Vitoudus honorauit, siue quòd beneuolentiorem sibi esse crederet, siue ut Sbigneo ægrè faceret: cum Sbigneo uerò expostulauit, quòd solus desiderio suo aduersaretur, Tarnouio collega non aduersante. At Sbigneus perspectã habens fidem & integritatem Tarnouij, respondit incunctanter, se quoque ipsi assensurum esse, si Tarnouius assentiretur. Ita Vitoudum refellit uir excelsi animi, & raræ integritatis. Nec tamen cœpto destitit. Dum hæc ita fiunt, constituêre Poloni proceres cum Vngaris, ut certo loco, certoque die simul conuenirent, ac de resarcienda Regum suorum amicitia toties interrupta inter se tractarent. Sed neque ad constitutam, neque ad comperendinatam diem Vngari affuerunt. Omnia uerò tentabat Rex, ut ne consilium Cæsaris de coronando Vitoudo procederet. Itaque & ad Pontificem max. quæstum ea de re misit. Et frustrà is utrumq; missis literis ab instituto dehortatus est. Intelligens autẽ Vuladislaus, quorsum Cæsaris & Vitoudi conatus & molimina, & noua cũ Cruciferis Prussiensib. atq; Liuonicensibus fœdera inita spectarent, anno sequẽti, qui fuit post Christum natum millesimus, quadringentesimus, trigesimus, comitijs Iedlinam (pagus hic est in tractu Lublinensi, uenationibus tantùm nobilis) indictis, ut Polonorum uoluntates beneficijs suis sibi, liberisq; suis obstringeret, Regniq; successionem alteri de filijs suis, utrum ipse postea edidisset, stabiliret, ueteres priorum Regum ac Principũ donationes, & immunitates confirmauit: permulta equestri ordini, nonnulla etiam Ecclesiastico, pauca oppidanæ, rusticanæq; plebi indulsit, ac de pensionibus & oneribus remisit, quę quidem his ferè capitibus continentur: honores, & Magistratus sacri iuxtà ac profani, ut non nisi indigenis in suo cuique tractu mandentur, neque quicquam eorum cuipiam, priusquam uacet, promittatur: arces, & præfecturæ, ne cuiquam Ducali genere orto, neue externo committantur: Ecclesiæ & monasteria cum suis prædiibus, ut pensionum, quas stationes, siue procurationes uocant, immunitatem prorsus habeant: equites ut absque ullo stipendio Regni fines per se ipsi defendant: si extra fines ad bellum proficisci iubeantur, quinas marcas in hastam stipendium accipiant: quod si fortè accepto eo, intra biennium non educantur, deinceps ut pro eo nihil debeant: si prælium intra fines commissum sit, capti ut à Rege redimantur: extra fines uerò etiam damna ac detrimenta exoluantur: captiui hostes, ut eorum sint serui, à quibus capti fuerint: monetam nequam Rex, nisi de sententia Senatus, cudat: equitum aratores, & adscriptitij, ut immunes sint ab omni frumenti iuxtà ac pecuniæ pensione, procuratione, subuectione, & alio quouis onere Regi præstando, excepta rastrali pensione, cuius iam anteà mentionẽ fecimus: & ab ea tamen sculceti, siue

Vitoudi ætas.

Proditio in Senatu Polonico

Cæsaris legatio ad Vitoudum.

Legatio Vuladislai regis ad pontificem.

Ann. 1430.

De ecclesiarũ immunitate.

De captiuis.

De moneta.

teti siue aduocati, qui patroni sunt pagorum, & oppidani, qui agros colunt, ut immunes sint: itemq́ hortulani, molitores, & caupones, qui exiguos agros colunt: equestrem hominem indicta causa ne liceat præhendere, aut supplicio afficere, excepta causa furti, incendij, homicidij uoluntarij, stupri uirginum, & matronarum, latrocinij, & his, qui uadimonium promittere nollent, aut non possent: bona item ne Rex cuiquam equiti absque iudicij authoritate auferat: ad fines regundos recuperatores, quos commissarios uulgò uocant, qui in rem præsentem ueniant, ne cuiquam neget: de controuersijs, si qui pendente lite, amicè inter se composuerint, ut ne mulctæ iudiciariæ ab eis exigantur: quæ uerò mulctæ à litigantibus debebuntur, ut ipse eas Rex per se, uel per procuratores suos exigat, neque cuiquam exigendas donet: actuarij siue notarij terrestres, ut uocantur, ut ipsi per se adsint in omnibus iudicijs: nec uicarijs, nisi necessaria causa impediti, utantur: atque eos tamen, ut integræ famæ apud præsides iudicij edant: Rusi ut eodem penitus iure sint cum Polonis, auenæ modò pensione Vuladislao, quoad uixerit, salua: Cuiauij quoque, ac Dobrinenses post decem annos deinceps, ut ab auenæ pensione immunes sint. Hæc nunc à Rege concessa publicè, & literarum monumentis consignata: receptumq́ue ei uicissim de alterutro filio, uter aptior Regno administrando fore uideretur, Rege creando: & cùm adoleuerit, & prærogatiuas atque beneficia superiorum Regum cunctis ordinibus publicè data confirmauerit, coronando. Obstrinxit etiam uniuersus conuentus ille fidem & honorem suum quisque se pro hoste habiturum, quisquis communi illi placito aduersari, aut turbas aliquas, tumultumq́ in Regno ciere uellet, aut conspiraret ulla de re, aut hæreticis denique & hæresibus faueret. Atque hæc deinceps quoque ternis comitijs Posnaniæ, Breste, ac Dobrini paulò ante mortem Regis repetita sunt à proceribus & nobilitate: quo demùm tempore diploma Regis suprà memoratum scriptum reperio. Missi deinde ex ijs comitijs legati ad Vitoudum Sbigneus Episcopus tertiùm, & Nicolaus Michalouius iterum, qui ei pro Rege satisfacerent. Quærebatur enim Vitoudus, traductum se esse ab eo apud Pontificem Maximum, & alios Principes Christianos. Ad hæc ut fœderum eum admonerent iterum atque iterum, & ad sanam mentem reducerent. Rebellionem enim moliens, nouo sacramento Lithuaniam omnem adigebat, & arces finitimas Poloniæ muniebat. Sic est enim ambitio, ut modum prorsus nesciat, si semel ei habenas laxaueris. His responsum à Vitoudo datum, quæ ille præ se ferebat, non nouandarum, sed stabiliendarum rerum suarum causa ea se facere, ne incautus ab hostibus opprimeretur, propterea quòd accepisset petiuisse à Rege Bohemos, ut se per Poloniam in Prusiam & Lithuaniam exercitum ducere pateretur: ac de eo se præter morem à Rege celatum esse. Rex ubi nulla ratione Vitoudum de sententia deduci posse animaduertit, simulq́ maturari coronationem præstitutam ad decimum sextum Calendas Septembris die didicit: negocium dat Ioanni Zarnicouio succamerario Posnaniensi, nobili & impigro homini, ut ad confinia Poloniæ & Saxoniæ, ubi possessiones ipse lutulentas habebat, obseruaret, atque internuncios Cæsaris & Vitoudi per Prusiam ultrò, citroq́ commeantes interciperet. Nec malè successit Zarnicouio negocium. Etenim Baptistam Cigallam iureconsultum Genuensem, & Sigismundum Rothum Silesium, à Cæsare ad Vitoudum proficiscentes cœpit, excussosq́ inconsultè dimisit: scripturas ab eis ablatas ad Regem attulit. Missi autem ij erant, ut Vitoudo dubitationem omnem eximerent: dubitabat enim is, an Cæsar, siue ut uulgò loquuntur, Rex Romanorum, qui imperatorium diadema nondum adeptus est, potestatem habeat noui Regni instituendi: simulq́ ut diplomata Cæsarea, quibus in Lithuania Regnum constituebatur, & Vitoudus Rex creabatur, ipsi afferrent, ac diadema ad tempus allatum iri ab alijs legatis promitterent. Habebant & alia quędam mandata, de fœderibus & societate Prussiensium atq; Liuoniensium Cruciferorum aduersus Polonos. His cognitis Rex, Zarnicouium splendidè pro meritis remuneratū, & amplioribus pollicitationibus oneratū, ad insidendas diligentiùs uias remisit. Propediem enim Germanorum, Vngarorum, & Bohemorū legationes splendidæ, cum diademate à Cæsare ad Vitoudum profecturę erant. Sed cùm Zarnicouius aduersa ualetudine præpeditus uacare ei rei non posset, nobilitas omnis maioris Poloniæ, Sendiuogio Ostrorogio palatino & præfecto, Dobrogostio Samotulio castellano Posnaniensi, & Iarando Bruzeuio palatino Vuladislauiensi Ducibus, nemine iubente, quasi sublato signo armata, syluas apud Turagoram insedit, dimissis quoquouersus stationibus, & exploratoribus, ut quocunque opus esset, etiam ad extremum Oceanum Germanicum, cuncta accurreret, uel cùm longè maioribus copijs pro patriæ tranquillitate, & honore decernere parata. Iam Francofordiam, quæ supra Odram est, legati prætergressi erant, cùm obsideri uias omnes à Polonis acceperunt: & non ausi periculo sese committere, cùm duos Menses frustrà expectassent, ad Cæsarem

Nobiles quando capi possint.

Poloni Regis Vuladislai filium regem sibi designant.

Legatio regis & Polonorum ad Vitoudum.

Ioannes Zarnicouius.

Legatio Cæsaris ad Vitoudum.

Maiorum Polonorum studium.

Magistri Cruciferorum legatio ad Polonos

reuertêre. Non omisêre tamen Poloni longiorem custodiam: quæ cùm suspecta esset Cruciferis, suorum sibi consiliorum & conatuum conscijs, misit Paulus Rusdorfius Magister perquisitum ab ijs, hostésne eos an amicos ducere deberet? responsum est: nihil eius referre, si ipsi intra fines suos armati, rerum suarum curam habeant. Si bellum illaturi sint, indicturos id esse prius. Aegerrimè hæc tulit Vitoudus, ubi rescijt: sed tamen dolorem apud hospites ad celebritatem inuitatos, sedulò dissimulauit, & ad finem usque Septembris eos apud se retinuit. Fuerunt autem ij duo Magistri Cruciferorum, Prussiensium, & Liuoniensium, cum primoribus commendatoribus: Moschorum, Tuuerensium, & Odoiouiensium Russorum Duces, & Princeps Tartarorum. Fortè tunc Anthracem morbum, siue ex angore animi, seu qua alia ex causa, Vitoudus contraxit: neque tamen quicquam de ambitione sua detraxit. Cùm autem inuitis Vuladislao & Polonis uotis se compotem fieri posse desperaret, arte sibi tendandum esse duxit, quod aperta ui peragere non poterat. Sciebat Vuladislaum hominem non malum, haud difficulter exorari à se posse, si eum in Lithuaniam, cuius uisendæ desiderio teneri eum nouerat, extraxisset. Quòd si qui fortè proceres Poloni cum eo uenissent, eos quoque uel blandicijs deliniri, uel muneribus corrumpi, uel metu deniq; compesci posse. Itaque misso ad Vuladislaum legato, præterita excusat: iam se omnem de Regno cogitationem deposuisse ostentat: in Lithuaniam Regem ad uenationes inuitat. Cupiebat Rex ire in Lithuaniam: sed suspecta erat proceribus, qui cum eo Lublini tunc erant, Vitoudi inuitatio, tamque repentina mutatio: nouerant eius ingenium, nouerant ingentes spiritus, & coniunctam his pertinaciam: aliquid eum doli nectere suspicabantur; sed sanari rursus animum eius posse Regis patientia, & sermonibus, non desperabant. Quare mittuntur cum Rege, cum alij quidam proceres, tum Sbigneus Episcopus, cuius neq; prudentia facilè circumscribi, neq; integritas corrumpi, neque constantia frangi à Vitoudo posset: quemq; Vuladislaus reuereretur, ut ne quid præter sententiam eius faceret. Non ignorabat hæc Vitoudus. Itaq; cùm Regem, & cæteros omnes, qui cum eo ueniebant ab extremis finibus Lithuaniæ, comiter & liberaliter acciperet, unum Sbigneum negligebat. Vbi Vilnam peruentum est, instabat Regi Vitoudus orando, ne sibi Regium diadema inuideret: negabat ille licere id sibi concedere, Polonis reclamantibus: eaq; de causa Sbigneum sibi in Lithuaniam proficiscenti adiunctum esse comitem, ne quid præter sententiam eius faceret. Illum prætentandum, & quoquo modo expugnandum esse. Allegat Vitoudus ad Sbigneum, qui eum orent suo nomine, & ingentibus promissis onerent, ne solus honori suo aduersetur. Si dimoueri ille se de sententia non patiatur, ut existimationi tamen Vitoudi utcunq; consulat, & simulari momento temporis coronationem sinat. Accepta diademata statim se depositurum esse. Si pertinacior, ne hoc quidem concedat, pro hoste se illum habiturum esse, & manibus, pedibusq; adnixurum, ut de Episcopatu deijciatur, quemadmodum Petrus Vissus anteà deiectus esset. Immotus ad hæc omnia Sbigneus, renunciari Vitoudo iussit: dignissimum eum sibi uideri Regio diademate, & summis quibusq; honoribus: uerùm saluis fœderibus, & iurisiurandi Religione assequi id eum nō posse. Quocirca suadere se, desineret id cupere, quod ei non honorem, quemadmodum ipse putet, sed dedecus & infamiam sempiternam pariturum: Poloniæ uerò & Lithuaniæ præsens exitium approperaturum esset. Ne erret, non honoris eius gratia id ei suadere Cæsarem, & Cruciferos, deuotos & sempiternos non magis Polonorum, quàm Lithuanorum hostes: sed ut duos coniunctissimos populos, qui coniuncti graues sibi essent, disiunctos, commissósq; inter se, intestinis atq; ciuilibus propemodum bellis debilitent atq; deleant: idq; Cæsarem uulgò iactare, dictitantem se os in medium duorum canum coniecisse, ob quod ij ad mutuum usq; interitum concertaturi sint. Poneret ergo Vitoudus modum inconsideratæ, & intempestiuæ ambitioni: non conuenire ætati, & prudentiæ eius, ut seniculus capulo proximus, nullos habens liberos, quibus Regnum relinquat, tam cupidè per fas & nefas ad id adspiret: se quidem neq; precibus emolliri, neq; largitione corrumpi, neq; minis deterreri posse, quò minùs in hoc cupiditati eius aduersetur. Pluris apud se esse fidem, uirtutem & charitatem patriæ, quàm fauorem, gratiam, & omnes thesauros Vitoudi. Mirari uerò se magnoperè, quod Petri Vissi, eiusq; deiectionis mentionem faceret, quam sine sua, Regisq; infamia commemorare non posset: neq; id se reformidare. Alia iam esse tempora, & minùs turbulenta, minusq; deprauata cæca plurium de Pontificatu maximo contendentium ambitione. Paratum autem se esse non honoris modò, uerùm etiam uitæ discrimen adire pro patria, quæ tantam illam rem suæ fidei credidisset: neq; falsurum esse unquam eius expectationem. Atque ita quidem Sbigneus, non sine magna ipsius Vitoudi admiratione. Inualescebat interim Vitoudi morbus, ita ut ipse desperatione uitæ suæ cogitationem omnem de Regno ab-

Inuitati à Vitoudo ad celebritatem coronationis.

Sbignei Olesnicij uirtus.

Vitoudi ad Sbigneum allegatio.

gno abijceret, & ad mortem, uti Christiano principe dignum est, obeundam sese componeret: Rex ubi animaduertit, uiuere eum diutiùs non posse, Sbigneum & cæteros Polonos proceres in Poloniam amandauit, quod intelligebat ijs præsentibus Suitrigellonem fratrem se Lithuanis Ducem, quemadmodum destinabat, præficere non posse. Discedens autem Sbigneus, cùm rogaretur ab Iuliana Vitoudi uxore, ut supellectilem suam, gazamq́ inde asportaret, ac superstiti sibi seruaret: si quid autem humanitùs sibi accideret, ut eam ad cultum diuinum conuerteret, assensus non est. Vitoudus uerò, cùm se uiribus destitui sentiret, ritu Christiano sacris procuratus, & uerè Christianum se mori testatus: ueniam superiorum admissorum à Vuladislao petiuit, & Lithuanos ei commendauit, petens ut acta, donationesq́; suas ne rescinderet: nec multò pòst apud Trocos spiritum exhalauit, cùm aliquanto octogesimum annum excessisset: princeps impiger, & uegeto ingenio: abstemius in omni uita, nihil præter aquam bibere solitus: in uictu temperans: temporis perparcus, ita ut supra mensam iudicaret, & responsa legatis daret: cæterùm in Venerem procliuior, in externos liberalis: suos uerò metu magis, quàm beneficentia in officio cōtinere solitus: statura fuit mediocri, gracili corpore, radere barbam, & genas solitus, qualem apud Trocos in templo depictum uidimus. Habebat autem in more, ut procuratores bonorum suorum rapinis ditatos excuteret, atque expilaret, rursusq́ præficeret.

Rex Polonos à se amandat.

Vitoudi mors, mores & effigies.

DE ORIGINE ET REBVS GESTIS POLONORVM, LIBER XX.

POST mortem Vitoudi, suspensis animis Lithuanorum, & Russorum proceres, hærebant, quid nam se fieret. Supererat Coributhus Vitoudi frater: sed aberat, Bohemorum furori Ducem se præbens: nec ullum præclari ingenij specimen in Lithuania ediderat. Porrò Suitrigello Regis frater, qui Vitoudum metuens, ad Sigismundum Cæsarem aliquantò antè profugerat, & Vitoudo indulgente in Lithuaniam redierat, homo erat nihili, & ebriosus, & præcipitis iracundiæ, sed tamen liberalitate multorum sibi animos conciliârat: in primis autem Russi ei fauebant, propterea quòd à sua secta non alieno eum animo esse existimabant: sed tamen sensum Regis, penes quem rerum Lithuanicarum summa erat, non tenebant. Posteaquam uerò persenserunt, principatum Lithuaniæ clàm ab eo ad Suitrigellonem deferri, tunc uerò certatim omnes ad eum concurrere, studiaq́ ei sua probare uelle, ita ut ingens circa Regem solitudo esset. Venit deinde Vilnam ad exequias Vitoudi Suitrigello, ingenti hominum turba stipatus: elatusq́ fauore hominum, Vilnensem, Trocensem, & alias quasdam primarias arces occupauit, & pro duce gerere se absq́ authoritate Regis cœpit. Deinde magis ac magis insolescens, assentatoribus frigidam, quod aiunt, suffundentibus, oblitus omnium beneficiorum Regis, fraternæq́ necessitudinis, contumeliosius eum tractare: carceris, & exilij ueteris memoriam refricare: uenisse tempus dictitans, cùm ulcisci eum probè posset: Polonosq́ qui eum Rege erant, asperiùs appellare: internuncios, qui à Rege in Poloniam, quiue ex Polonia ad Regem mittebantur, excutere, epistolasq́ refringere: plus eius amentia atq́ temeritate, quàm suo periculo Rex commouebatur, & quantum poterat, furorem eius & insolentiam lenitate, & comitate sua mitigabat. Placatiorq́ is iam futurus esse uidebatur, cùm res noua oblata, denuò furorem eius accendit. Podolij primores, nimirum Paulus Episcopus Camenecensis, uir humili quidem loco natus, uerùm generosi spiritus, Risco Kerdeius, Theodoricus, Michaël & Mirsilo fratres Buzacij, & Crussina Galouius, cognita celeriter Vitoudi morte, Doigertum palatinum Vilnensem, qui Podoliam Vitoudi nomine administrabat, rerum omnium adhûc ignarum, euocatum ad colloquium, cœperant: arcemq́ Cameneciam, Smotriciam, Scalam, & Ceruonigrodum occuparant, & omnem Podoliam facilè in potestatem suam redegerant, ut Regi eam & Polonis restituerent, & ne in ditione Lithuanorum ea deinceps esset. Id ubi factum resciuit Suitrigello, homo uiolentus & impotens, fremere in Regem, & maledictis eum, Polonosq́ incessêre, palamq́ uincula aut necem præsentibus intentare, ita ut excubare omnes die, noctuq́ circum regiam necesse haberent. Et non deerat nostris, quamuis paucis, animus, non modò ad defendendum sese atq́ Regem, sed etiam ad inuadendum ac trucidandum Suitrigellonem. Sed Rex siue, quòd sibi metuebat, siue quòd Suitrigellonem impensè diligebat, seu denique.

Suitrigellonis mores.

Suitrigello apud Lithuanos principatum arripuit.

Podoliorum præclarum facinus.

Lithuanorum promissa.

quòd Lithuaniæ, quàm Poloniæ incrementis & amplitudini impensiùs fauebat, inconsultis omnibus assensus est de Podolia Suitrigelloni, recipienti unà cum proceribus Lithuanis, Regi se eam bona fide redditurum esse, si de ea inter Polonos & Lithuanos non conuenerit, ac deinde ius suum persecuturum atque repetiturū: eaque de re Zaclicam Tarlonem in Podoliam cū literis & mandatis misit, qui eam Michaeli Babæ Russo, Suitrigellonis nomine recipiendam & obtinendā, traderet. Aegerrimè id ferebat iuuentus Polona, quæ in comitatu Regis erat: & in primis duo nobiles iuuenes, Andreas Tencinius, & Nicolaus Dreuicius, custos Sendomiriensis, cui Rex annulum suum signatorium, cancellario, & procancellario absentibus, commendârat. Igitur hi duo, ducti amore patriæ, scripsêre Michaëli Buzacio, qui Cameneciam obtinebat, Regem extrema necessitate adactum, Podolia Suitrigelloni cedere: sed si ipse communi patriæ simul & honori suo consultum uellet, non modò non parêret mandatis regijs, uerùm Zaclicam pariter, & Babam compræhēderet. Eas literas, quoniam palàm ferri nequibant, Suitrigellone omnes excutiente, conuolutas, ceraque contectas, ut speciem cerei præ se ferrent, Zaclicæ puero omnium inscio, paucula pecunia præ manu ei data, dedêre: ut is cùm primùm Cameneciam uenisset, cereum illum Buzacio præfecto redderet, atque hæc uerba adderet, ut si errare ille nollet, ex eo cereo unà cum magistratu urbano lumen quæreret. Cùm autē puer bona fide omnia fecisset, miratus Buzacius, quid sibi cereus ille, & ambigua mandata uellent: non de nihilo tamen omnia illa esse suspicatus, refracta cera literas inuenit, Zaclicam & Babam in custodia habuit. Dum hæc ita fiunt in Lithuania, cognouêre tandem Poloni, referente Ioanne Olessnicio Marschalco, qui mille ciclos argenti, & alia quædam munera post reconciliationem à Suitrigellone Regi donata, in thesaurum Polonicum inferre iussus erat, quo in statu Regis sui res essent: & iure quidem optimo ei aduersa, quę accidissent, accidisse cuncta censebant: uerùm aliud tamen succensendi, & repræhendendi eius tempus fore rati, de liberando eo, seclusa omni mora, agendum sibi esse existimârunt. Grassabatur quidem tunc dira pestis in omnem ferè Poloniam, sed nihilo tamen segnius, comitijs Vartam ad sextam diem Decembris indictis, frequentes conuenerunt. Re diligentiùs in cōsilio agitata, expeditio in Lithuaniam decreta: edictumque, ut ad medium Ianuarij apud Kianos, pagum supra Veprum amnem, armati omnes præstò essent: tentari tamen priùs legatione Suitrigellonis animum placuit. Ad eam obeundam designati Sbigneus Cracouiensis, & Ioannes Vuladislauiensis Episcopi: Sendiuoius Posnaniensis, & Ioannes Lichinius Brestensis, palatini, cùm Varsauiam usque progressi essent, mandato Regis, nunciantis liberum se iam esse, domos reuerterunt. Vt enim audiuit Suitrigello, quæ in Vartensibus comitijs acta ac decreta essent, liberum ac reconciliatum sibi Regem dimisit. Ne Pontifex quidem Maximus Martinus quintus prætermiserat, ad Sigismundum Cæsarem, & ad Suitrigellonem de liberando Vuladislao scribere, cùm detineri eum in Lithuania celeri nuncio accepisset. Eiusdem autem Vartensis conuentus decreto, cura Regiorum liberorum educandorum & instituendorum, magistro Vincentio Cotho Dembenio, custodi Gnesnensi, & Petro Ritercio equiti mandata est. Post insequentis anni principium Rex per Chelmensem tractum à Lithuania reuersus, Sendomiriæ comitia habuit. Ibi cùm de Suitrigellonis insolentia, siue amentia pleniùs cognitum esset uulgo, afferreturque, etiam castella quædam in Podolia per illud tempus ab eius copijs intercepta, Smotriciam circumsessam (cuius tamen obsidio nostrorum uirtute non sine strage hostium soluta rursus erat) Trebouuliensem, & Leopoliensem oram excursionibus & populationibus diuexari, damnabant omnes præceps, & peruersum Regis consilium, & bellum aduersus Suitrigellonem flagitabant. Sed peruicit Rex, ut legatio priùs ad eum de repetendis rebus mitteretur. Missi Stanislaus Posnaniensis, & Ioannes Chelmensis, Episcopi: Sendiuoius Posnaniensis, & Ioannes Lichinius Brestensis, palatini: cum his mandatis, ut Suitrigello castella, quæ in Podolia cœpisset, redderet, Lusco & Volynia decederet, ad Regem ad certum diem ueniret, ab eoque principatum Lithuaniæ certis legibus acciperet, quem perperam & contra fœdera inuasisset: aliter, necesse fore Polonis cum Rege ius suum armis persequi. Ferocius his responsum est â Suitrigellone. Nihil enim eorum, quæ postulabantur, faciebat: & asseuerabat, se quicquid egisset, ageretue, rectè & iure optimo egisse, & agere: quin etiam reliquam Podoliam à rege repetebat. Hæc eadem mandata luculentiùs & acriùs postea per Basilium Ducem Russum, cognomento Crasni, apud Regem repetita. Intereà dum hæc fiunt, uenit ad Regem Coributhus, cum cæteris Bohemorum hæreticorum, qui post mortem Ziscæ cæci orphanos sese dixêre, Ducibus: qui Bohemia siue pulsi, siue ultrò excedentes, cùm Lusatiam diuexassent, Silesiam quoque, belli sede Gliuiciæ posita, longè, lateque uastabant: oppida hostiliter diripiebant, & incendebāt, & in templa atque monasteria, sacerdotesque & monachos

Michaelis Buzacij factum.

Polonorum procerum studium erga Regem.

Pontificis Maximi studiū de liberando Vuladislao.

Comitia Sendomiriæ.

Legatio Polonorum ad Suitrigellonem.

Suitrigellonis ferox responsum.

monachos potißimùm barbarico furore debacchabantur, Ziscæ Ducis sui immanitatem secuti: qui quasi uiuens parùm insanisset, moriens cutem sibi detrahi, eamq; tympano induci iussit: fore pollicens, ut ad eius tympani sonum, animis conciderent ipsorum aduersarij. Cum his autem coniunxerat sese Coributhus, captus, & mox pulsus à Pragensibus, quemadmodum Hagecus memorat: & cum primoribus eorum ad Regem uenerat, accepta ab eo fide publica. Actum cum his de Religione: adhibiti Doctores Academiæ Cracouiensis, qui errores ipsorum disputando refellerēt. Rex ipse simpliciore oratione usus, quanta rerum omnium perturbatio secuta apud eos ex mutata & perturbata Religione esset, commemorauit: ut florētißimum quondam Bohemorum Regnum ad interitum properaret, sublatis magistratibus, sacris iuxta ac prophanis: euersis oppidis & munitionibus: cæsis, uel fuga dilapsis optimatibus: constupratis honestis matronis atq; uirginibus: coniugijs nobilißimarum fœminarum in agrestes homines, & ex infima fece uulgatis: agris partim hostiliter uastatis, partim furore quodam ipsorum cultorum desertis: prophanatis, direptis, ac dirutis templis: abrogatis sanctißimis cæremonijs: sacrosancta Religione contaminata, ac tam uarijs, portentosis & abominandis opinionibus discerpta, ita ut nemini propemodùm cum altero conueniret: deniq; peruerso rerum omnium, atq; naturæ ipsius ordine: quæ omnia, ni maturè resipiscerent, præsens & extremum exitiū consequi necesse esset: quòd si his rebus commouerētur, pollicebatur se perfecturum, ut æquis conditionibus res eorū componeret. Sed surdis auribus Bohemi hęc accepēre. Neq; enim facilè est, cum impetu ruentes semel in præceps in uiam reuocare. Quoad autē ij subsitēre Cracouiæ, cessatū est à sacris, interdicto Sbignei Episcopi, cōsecratumq; ab eo chrisma in Mogilēsi monasterio. Itaq; propter solennes Paschæ dies, Cazimiriam Bohemi cū Coributho à Rege eiecti sunt, fremētes in Episcopum: alia quoq; de causa ipsi infensi. Nam cùm paulò ante Lechnicēse monasterium in finibus Vngarorū diripuissent, Sbigneus facta de clientibus propinquis, & amicis subsidiaria manu, reuertentes persecutus erat: & paucos, qui agmen raptim sese recipiens cōsequi non poterant, exceperat. His ergo de causis Coributhus indignans, corā Rege cum Sbigneo iurgatus est: discedensq; Cracouia cum cæteris, nō modò ipsi, sed Ecclesijs etiam ac diuo Stanislao sublata manu comminatus est. Verùm eæ minæ diuinitùs mox in irritū cecidēre. Reuertētes enim, cū Gliuiam à Conrado albo, Olesnicēsium duce, per proditionē captam, direptam & incensam, suosq; magna strage cæsos reperissent, ad paucos redacti, & rerū omnium egeni, in Bohemiam recessēre. Ab ijs autē & Poloni equites latrocinari cū didicissent, quodam tempore Zenstochouiense monasterium, quod propter peculiarē Virginis matris cultū, & frequētißimas nō modò Polonorū, sed etiam uicinorū Vngarorum, Morauorum, Bohemorū, Silesiorum, Saxonū, Prussorum, atq; Lithuanorū peregrinationes magnis diuitijs refertū esse credebatur, diripuēre. Atq; ut patrati sacrilegij suspicionē à se in Bohemos hęreticos auerterēt, imagini uirginis matris, quę uulgò magna Religione colitur, uulnus inflixēre. Sed minorē opinione prædam reperēre: meritasq; sacrilegij pœnas intra illū ipsum annum expendēre. Fuerunt autē authores sceleris Iacobus Nadobni Rogouius, gēte Zialosius, & Ioannes Curopatua gente Srenauius. Dimißis Bohemis cum Coributho, Vuladislaus Rex Biezū profectus, bellum in Suitrigellonē parabat: cōuenit ad ipsum Ludouicus commēdator Turonensis, legatus à magistro Cruciferorum, deferens eius operā ad componendas res inter dißidentes fratres. Ei gratiæ actæ, factaq; potestas, ut id ageret. Tametsi secretò aliud actum esse Dlugossius memorat, nempe postulasse Regē à magistro, ut Suitrigelloni faueret: seq; expeditionē faciente in Russiam, ut ipse Poloniam armis infestaret: citatq; idē non leues authores huius rumoris, qui mortuo demùm Rege diuulgatus latè manarit: quem nos unà cum ipso Dlugosso neq; affirmamus, neq; refellimus. Misit deinde rex Ioannē Brezium, Lutici filium scribam ad Suitrigellonem, ut eum ad saniorē mentem reuocaret. Sed cum Suitrigello exciinderet, cōtra ius gentium uiolauit. Quare irritatus Rex, maturauit expeditionē: motisq; castris, ad Grodlum oppidum, supra Bugum amnē duodecim dies statiua habuit: & maiores Polonos tardiùs uenientes, & hostiliter penes in suos quacunq; iter faciebāt grassantes expectauit. Deinde Bugum amnē traiecit. Interim uulgus omne eius oræ cum iumentis, pecudibus, & facultatibus suis, in densas, palustresq; syluas sese abdidit. Aduenit & Suitrigello cum sex ferè millibus armatorum, arcemq; Lucēsem armis cōmeatu, præsidioq; muniuit. Certatum est deinde leuibus aliquot prælijs cum hoste: in quibus omnibus nostri uel nullo, uel paruo incōmodo accepto, superiores erant: Senco dux Russus occisus, captiui non pauci ad Regē adducti, incensa Vuladimiria, peruastatū Vuladimiriense territorium, quod Rex Theodoreto, siue Feudusconi duci Russo, fratris filio donauit: qui dux non multò pòst mortuus, Regē fecit hęredem. Non intermittebat tamē Rex Suitri-

Ziscæ caeci immanitas.

Regis oratio ad hæreticos.

Interdictum Cracouiæ propter hæreticos

Bohemi minaces profligati.

Cruciferorum legatio ad Regem Poloniæ.

Suitrigello legatum regium uiolauit.

Maiorum Polonorum licentia.

Suitrigello fœdus icit cum Cruciferis.

gellonem ad pacem inuitare. Sed nihil inde pacati referebatur. Sperabat enim ille, Regem breui inde ad aliud bellum à Cruciferis, cum quibus fœdus icerat, reuocatū iri. Aduenêre deinde maiores Poloni. Quibus grauiter de tarditate, & neglecta disciplina militari in itinere, obiurgatis, Rex cum omni exercitu Styrum fluuium, qui Luscum alluit, difficili ac profundo uado transmisit, cùm Suitrigello pontem disiecisset, ulterioremq; ripam frustrà seruasset. Videns autem Suitrigello se ualdè imparem esse tanto exercitui, incenso Lusco oppido, arce uerò Iurzæ Rusi fidei commendata, ne tentata quidem prœlij fortuna, fugam inijt. Ducem suum secutæ copiæ, diuersæ & ipsæ dilapsæ sunt: sed multi mortales ex his in fuga à Polonis cæsi, captiq;. Inter captiuos insignes maximè fuêre, Rumboldus Marschalcus Lithuaniæ, & Gastaudus. Quos Suitrigello deinde liberauit, cùm spopōdisset Regi, eos Cracouiam, cùm Rex iussisset, uenturos esse. Creditus est autem & Suitrigello cecidisse, cùm uestis eius cruenta inter cętera spolia reperta esset. Cecidêre tamen de Polonis quoq; nonnulli nobiles, & fortes uiri, dum incautiùs Tartaros, qui in castris Suitrigellonis militabant, persequuntur. Alia quoq; per eosdem dies uictoria de eodem hoste Belzensem tractum uexante Polonis parta est. Nam eò sex millia hominum Rex cum Cazimiro duce Masouiorum, & Ioanne Menzico Dambrouio Russiæ, ad prçsidium suis miserat. A quibus Olescum arx, cùm capi posset, tamen in potestate Bogdani Rohatinij Rusi, qui ad Suitrigellonem nulla necessitate adactus perfugerat, præfecturamq; eius arcis ab eo, confiscatis à Rege bonis suis adeptus erat, relicta est, ea conditione, ut eam Regi redderet, cùm is Lusco potitus esset. Obsessa est deinde à toto exercitu arx Lucensis, & oppugnata etiam: sed remissè admodùm, atq; segniter, indulgentia quadā Regis, uti creditum est. Et cū pars muri à Polonis bombardarum ictu delecta esset, frustrà tamen impetus factus est. Trium dierum induciæ, per quas de deditione deliberarēt, obsessis datæ à Rege, frustrà dissuadētibus consiliarijs: per quos dies mœnia & propugnacula arcis refecta sunt: saxa & alia missilia cōgesta: & aqua importata, cuius haustu à nostris arcebantur. Deinde iterū quoq; idem factum non sine murmure totius exercitus. Fuêre tamen inter proceres, & consiliarios regios, qui noctu clàm cum obsessis colloquia habere, & arma eis, commeatumq; suppeditare soliti esse dicerentur. Et probri loco id obiectum est, postea Laurentio Zarembæ castellano Siradiensi, à Stanislao Zuicla gente Labencio. At Suitrigello ridiculo magis, quàm callido, ut ipse existimabat, commento nostros ab instituto deterrere aggressus, confictis literis nomine principis Tartarorum ad Regē, ut is Podoliā Suitrigelloni à se donatā, ei redderet. Cæterùm ubi id commentum sibi nō procedere animaduertit, legationem de pace ad Regē misit: siue ex animo id agens, siue ducendi belli, & obsessis subueniendi causa simulās. Intelligebat enim, Polonos belli ob aduentantē hyemem, grassantēq; in equos luem pertęsos, domos reuerti cupere: & ipse Tartarorum & Valachorū auxilia, cum quibus per hyemem Russiam & Poloniam infestaret, expectabat. Conuēnit, ut proceres utrinq; delecti certa die de conditionibus pacis inter se tractarent. Interim dum hæc ita fiunt, arx regia Rathnum, prodentibus eam Rusis defensoribus, ab hostibus capta & exusta est, Chelmensisq; ora diuexata. Sed Ciolcus præfecti Chelmensis uicarius, siue Burggrauius, ut uocant, cum centum triginta nō ampliùs hominib. facto in securos animosè impetu, ultus est: ita ut trecentos ex ijs interficeret, quadraginta uiuos caperet. Ad Cremeneciam quoque eodem tempore benè res à nostris oram eam depopulantibus gesta est. Cùm enim hostes in nostros, paucos consultò per agros palātes, ex arce decurrissent, excepti insidijs, perpauci in arcem refugerunt, plurimis uel cæsis, uel captis. Continuabatur autem ab reliquo exercitu obsidio, & maioribus odijs, quàm uiribus inter obsidentes, & obsessos certabatur. Lithuani, & qui cum eis sentiebāt Rusi, quoscunq; Polonici generis, & catholici ritus in arce reperierent, exquisitis supplicijs in propugnaculis, ut inspectarent nostri, necabant, & omne genus contumeliæ in nostros iactabant, fisi incantationibus, quibus gens ea ualdè utitur, & magicis artibus: quarum professores Iudæi cum alia quædā abominanda faciebāt, tum captiuum quempiam Polonum elegāti forma infixo in iugulum cultro mactārunt: haustumq; sanguinem, & intestina, uitaliaq; membra extracta, & in minuta frusta concisa prunis imposuerunt & adoleuerunt: eoq; suffitu impias, & sacrilegas precationes adhibentes, omnes arcis angulos lustrārunt. Sæuiebant & Poloni uicissim in Rusos quoscunq; cœperant, ut par pari referrent. Conueniebat iam de pace inter proceres: sed eam Suitrigello approbare noluit, nisi Cruciferi quoq; & Valachi fœderati & socij sui pacis eius legibus continerentur. Vtrosq; enim in societatem adsciuerat, eosq; magnis muneribus illectos adduxerat, ut & Cruciferi uiolato fœdere Cuiauiā atq; Dobrinum, & Valachi clientes Polonorum Podoliam, & Russiam finitimā armis infestarēt. Sed Valachos quidem cum ingenti præda è Sniatinensi, Haliciensi, & Camenecensi agro capta

Rumboldus et Gastaudus Lithuani capti.

Olescum arx.

Proditores in exercitu Polonico.

Rathnum proditione captū, & exustum.

Rusorum sæuitia.

Rusi incantationib. dediti.

capta reuertentes Rusi regij Buzacijs fratribus ducibus è castris regijs curriculo profe cti & consecuti, magna strage fuderunt, prædamq; excusserunt: Alexander quidem palatinus, dux & author belli, fuga elapsus est: uerùm nõ multò pòst, pœnitentia facti & mœrore confectus obijt. Nec dissimili, sed pro numero tamen aliquãtò minore clade Cruciferi quoq; Crainensem oram uastantes, affecti sunt ab agrestibus Cuiauijs ac Dobrinensibus, Ioanne Iarogneuio gente Orlęio, Bartholomæo Vissemburgio Nalencio, ac Dobrogostio Colinio equestris ordinis ducibus: cùm ij accepto domesticę calamitatis nuncio, præpeti cursu e castris domum contendissent. Neq; parsum est arma abijcientibus. Theodoricus modò Marschalcus Liuoniensis, & septem commendatores capti cũ quatuor uexillis: Cracouiamq; ad Regem missi, omnes præter Theodoricum in carcere uitam finierunt. De uniuerso autem agmine illo, in quo septingenti Liuonienses equites, præter cæteram Curouiensium, Slochouiensiumq; equitum pariter & peditum manum, fuère, paucissimi equestres ferè euaserunt. Nam reliquus Cruciferorum exercitus peruastata longè, lateq; Cuiauiensi ac Dobrinensi ora, uiginti quatuor oppidis (in quibus præcipua fuère Inouuladislauia, Vuladislauia & Nessouia Toruniæ æmula) & plus mille pagis direptis & incensis, & arce Nessouiensi præsidio munita, incolumis & præda onustus domum reuerterat. Illos uberioris prædæ spes ab Iodoco Tocholiensi commendatore ostensa longiùs prouexerat. Et quidem non sine magno compendio, nisi id sanguine suo exoluissent. Nec mirùm cuiquam uideri debet, tantum detrimenti una illa excursione acceptum esse: proposuerant enim Cruciferi præmia incēdiarijs, oppidorum quidem ternas marcas, pagorum uerò singulas. Munitioribus autem oppidis, & arce Nessouiensi, proditione Nicolai Tumigralæ Secouij, quem Rex ad custodiam Cusauiæ reliquerat, potiti erant: Breste frustrà tentàrunt. Cùm igitur de conditionibus pacis Regi cum Suitrigellone conueniret, inducijs interceptum est bellum, ita ut postridie Cal. Februarij sequentis anni in conuentu Parsouiensi accuratiùs de pace tractaretur. Nec mora, soluta est Lusci obsidio, dimissusq; exercitus. Ac tum demùm Cuiauienses illi, quos dudum commemorauimus, & complures alij eiusdem oræ equites, cursu omnia præuertentes, cum agrestibus coadunati, illam de Cruciferis uictoriam adepti sunt. Miserant quidem Rex & Suitrigello pariter, inducijs sic inter se factis, legationem ad Cruciferos, ut ne Poloniam bello uexarent: sed tardiùs ea peruenit, cùm iam hostes satis in homines omnis ordinis atq; ætatis, & innocua tecta debacchati, præda graues domum reuerterentur. Illud Crucifericο illo bello animaduersum, uariè suspicandi hominibus ansam dedit, quòd Masouiorum fines intacti prorsus ab omni ui hostium fuerunt. Rex uerò à Lusco discedens, in Chelmensi ora aliquandiu substitit: per quod tempus Rusi Volynienses nullum genus crudelitatis omiserunt in nostros: qui ibi post pacem factam, & discessum, Regis cum mercibus omnis generis Lucensibus uenum expositis, siue alia quauis de causa remanserant, aut antiquitùs domicilia fixerant. Templa etiam quæcunque Rusici ritus non essent, impiè & immaniter exusta & euersa sunt. E Chelmensi deinde Rex Leopolim profectus est: quò cùm ingens Cuiauiensium ac Dobrinensium equitum multitudo conflueret, opem & subsidium Regis afflictis, & perditis Crucifericο bello rebus, suis ac suorum implorans, magna in cunctos ac profusa benignitate usus est, nonnullos præsente pecunia subleuans, nonnullis uerò possessiones de suo largiens: cumq; non illius modo, sed & cuncti superioris temporis immensis donationibus sese, & ærarium suum exhausisset, superessentq; adhùc multi, quibus ipsis cum liberis & uxoribus etiam subuento opus esset, Ecclesiastica bona illis dilargiri cœpit, ut per hyemem duntaxat eorum usufructu sustentarentur. Perniciosi exempli res ea uisa antistibus. Itaq; Albertus Archiepiscopus Gnesnensis, & Sbigneus Episcopus, cum primoribus Ecclesiarum sacerdotibus properè ad Regem excurrerunt, tam insultas donationes eius repressuri. Et Archiepiscopus quidem submissiùs frustrà orabat Regem: Sbigneus uerò maioris animi & constantiæ uir, grauiùs in eum inuectus est, cùm præterita eius peccata commemorans, tum iniustas illas alienorum bonorum donationes repræhendens: & ni cœpto desisteret, grauiore se in eum censura, & animaduersione usurum esse minitans: excusantiq; necessitatem, & piam calamitosorum hominum commiserationem, adiecit: nihil ea commiseratione & misericordia opus futurum fuisse, nisi ipse calamitatē illam tam multis inuexisset: uulgò enim iactari, ab eo ipso Cruciferos quiescentes excitatos esse. Quod si id uerum non sit, non esse tamen ipsum culpæ expertē, propterea quòd iustum aduersus ingratũ & sceleratum fratrē bellum, quod paruo negocio debellari potuerit, peruersa quadam indulgentia sua duxisset, commeatumq; & arma obsessis Lucensibus subministrasse diceretur: inducias quidē certè, per quas ille se recrearet, bis eis contra omnium sententiam concessisset. Ita tunc Sbigneus: quanquam nihil cuiquam Rex

Alexander palatinus Volcorum extinctus.

Cruciferi insignes capti.

Nessouiensis arx præsidio firmata.

Inducie cum Suitrigellone.

Masouiorum ditiones expertes incommodorum belli.

Calamitosi immissi a rege in bona ecclesiastica.

in Cracouiensi diœcesi, præter quædam Miechouiensis monasterij, donârat: Sbigneum reueritus: atq; id ipse tum commemorabat; sed nihil tamen ea res animum Sbignei mollijt, non tam suam, quàm publicam Ecclesiastici ordinis causam agentis. Reuersus deinde Rex est in Poloniam ad comitia, quæ Nepolomiciam ad undecimam diem Nouembris indixerat. Ibi Heduigim filiam Friderico iuniori Marchioni Brandenburgensi desponsam, immatura morte defunctam amisit. Creditum est uulgò, ueneno eam à nouerca sublatam esse, ne quo filijs suis impedimento ad Regnum adipiscendum esset: propterea quòd ea Cazimici magni Regis, cuius grata etiam tum erat Polonos memoria, proneptis esset. Rex quoq; ipse æquiori, quàm par erat animo, mortem eius tulisse uisus est.

Heduigis Vladislai Regis filia mortua.

Ann. 1432. Post initium uerò insequentis anni Lublinum Rex, magna procerum caterua stipatus, proceresq; omnes, excepto Alberto Archiepiscopo, Parsouiam ad conuentum cũ Suitrigellone agendum transmisit. Verùm ij cùm diu frustrà Suitrigellonem moras nectentem expectassent, re infecta discesserunt. Erat autẽ apud Suitrigellonem Ludouicus commendator Torunensis, qui hoc agebat sedulò Cruciferorum nomine, ne pax cum Polonis coiret. Rex de statu Reipub. ac de impendentibus undiq; periculis anxius, ad uicesimam tertiam diem Aprilis Siradiæ comitia habuit. Ibi Vuladislaus maior natu Regis filius Regni successor à patre designatus, totiusq; cõuentus suffragijs approbatus est. Constitutum est etiã, ut si plura simul bella ingruissent, cæteris omissis ad tempus, in id quod esset grauissimum, toto conatu, & cunctis uiribus incumberetur, ne diductæ multipliciter, & extenuatæ uires nulli rectè sustinẽdo satis essent. Nicolaus uerò Tumigrala proditionis, cuius superiùs meminimus, ibi damnatus est: quamuis necessitate, cùm nullas ad resistendum hosti uires haberet, eò adductus esse plerisq; uideretur. Vuzeleius is gente fuit, cuius insigne est latruncularia tabula. Nuptias deinde Rex Emiliæ Masouiorũ Ducis & sororis suæ filiæ, Boguslao Stolpensium Duci in matrimonium collocatæ, splendido apparatu fecit. Reuertentem in minorem Poloniam, Pabianiciæ, quod oppidũ cum omni territorio sacri collegij Cracouiensis basilicæ est, legati Bohemorum hæreticorum conuenerunt, auxilia contra Cruciferos pollicẽtes, & Coributho Regẽ reconciliantes: adhæc Basileensis cõcilij propensionẽ erga se nunciantes. Etenim indixerat eò Martinus Põtifex anno preterito conciliũ, eiq; suo nomine Iulianum Cardinalẽ diaconum præfecerat: cumq; interea uita defunctus, Eugenium eius nominis quartum successorẽ accepisset, nihilominus patres, qui conuenerant, Sigismundo Cæsare authore id prosecuti sunt, & cũ alia multa ad salutem Reipub. Christianæ pertinẽtia faciebant, & sanciebant, tum ad Bohemos Egræ conuentum agentes miserant oratores; qui eos blandè in uiam reuocarẽt, aut certè ad congressum, & colloquiũ amicè inuitarẽt, prolixè multa pollicẽtes. Hæc igitur tunc Polonorum Regi Bohemi nunciabant. Grata fuit ea legatio Regi & proceribus, bellũ in Cruciferos molientibus. Quare comiter & lautè legati habiti sunt, &, assentientibus Archiepiscopo & Episcopis, qui tunc aderant ad sacrorum communionẽ admissi. Perfuncti uerò legatione, cùm reuerterẽt, & Cracouiam contra præceptũ Regis exitinere diuertissent, cessatũ est à sacris mandato Episcopi licet absentis, adstipulante uniuerso cœtu sacerdotũ, & Theologorum, & iureconsultorũ, quos Vicarius Episcopi ea de re conuocârat. Contumeliosum id uisum Bohemis: regi uerò (qui tamẽ futurum id diuinauerat) & cæteris Episcopis permolestũ fuit, quod Sbigneus unus omnium acta ac decreta irrita faceret. Accendebant etiam magis iram Regis Ioannes Menzicus Dambrouius palatinus Russiæ, & Petrus Corcibocus, qui Bohemos honoris causa iussu Regis deduxerant. Itaq; excanduit is in Episcopũ, & uenienti ad se Visliciam, dextram beneuolẽtiæ symbolum, non porrexit: quin asperioribus etiam uerbis eum increpuit, & Petri Visi fortunam ei comminatus est. At ille imperterritus respondit: fauorẽ se, non offensam Regis meritũ arbitrari, quòd solus & salutis, & existimationis eius, quæ ab inimicis eius, & maximè Cruciferis, cũ aliàs, tum in Basileensi concilio proscinderetur, optima fide curã haberet: prouideretq; omni ratione, ne Rex meritò pro fautore hæreticorũ traducatur, & cùm de Religione agitur, neq; Regis, neq; cuiusquã omninò uultum atq; minas se reformidare, quin id faciat, quod rectũ esse intelligat. Authoritate Archiepiscopi, & cæterorũ Episcoporum nihil se in hac parte moueri, habentẽ adstipulatores diuini, humaniq; iuris professores. Petri Visi calamitatẽ desineret commemorare, quæ non tam innocenti Episcopo, quàm iniurioso Regi ignominiosa accidisset. Neq; uerò ea se terreri: paratum nõ modò quasuis contumelias pro religione, uerumetiam exilium atq; mortẽ subire. Cùm autẽ Rex subijceret: se quoq; diuini & humani iuris peritos diuersæ sententię authores habere, acciti primores Academiæ Cracouiensis, & cum his commissi Ioannes Saffranecius Vuladislauiensis, Ioannes Theologus Chelmensis, Episcopi: & Vuladislaus Oporouius pontificij iuris peritus, procancellarius Regis, qui postea Vuladislauiensis Episcopus fuit,

Tumigrala, proditionis damnatus.

Bohemorũ hæreticorum oratores ad Regẽ.

Basileense concilium.

Interdictum sacris Cracouiæ propter Bohemos.

Sbignei oratio ad Regem.

fuit, haud difficulter refutati sunt. Neq; tamen penitùs Regis ira in Sbigneum resedit: admonitusq; is est ab Ioanne Tarnouio palatino Cracouiensi, ut sibi diligẽter caueret: subornatos enim esse à Rege, qui eum de medio tollerent. Et egit quidem gratias palatino Sbigneus: sed nihil tamen ea nocte, in quam sibi periculum comparatum esse acceperat, de consuetudine sua remisit. In eodem cubiculo, eodem lecto cubuit, nullam sibi custodiam adhibuit: nocteq; intempesta cum uno sacerdote, & puero lumen præferente, ad matutinas precationes ad templum adijt, neq; aduersi quicquã ei accidit, quòd Rex uel mutasset consilium, uel uanus ille terror fuisset. Nec multò pòst, sacerdotem hæreticũ, qui ad Regẽ uenerat, idem Sbigneus eiecit, uir excelsi animi, & sempiterna posteritatis memoria dignus. Venit autem eòdem ad Regem illustris legatio Iani Cypriorum, Hierosolymorum & Armeniorum Regis, mediterraneo mari per Propontidẽ & Pontum Euxinumq;, atq; inde aduerso Danubio aduecta in Valachiam, & inde porrò terrestri itinere nõ sine magna difficultate in Rusiam & Poloniã profecta. Eius legationis princeps Balduinus de Noris Marschalcus Cypri, donis Regi & reginæ oblatis, connubiũ Heduigis regiæ filiæ, Regis sui filio, ac ducenta millia aureorũ numûm ipsi Regi mutua petebat, besſemq;, hoc est, duas tertias partes Cypriorũ Regni hypothecæ nomine Vuladislao offerebat. Sed nihil impetratũ, quòd & Heduigis iam obierat, & pecuniã se ex habere, assiduis bellis exhaustũ, negauit. Misit deinde Vuladislaus Rex Laurentiũ Zarembam castellanum Siradiensem, legatũ in Lithuaniam, admonendi in speciem, & sanandi Suitrigellonis causa: reuera autẽ, ut Lithuanorum procerum animos sua sponte iam à Suitrigellone, cùm propter crudelitatem eius, tum propter propensiorẽ erga Russos fauorem alienatos, magis etiam clàm in eum incitâret: Sigismundumq; Vitoudi fratrem germanum, Starodubensium Ducem ad inuadendum principatum Lithuanorum animaret. Neq; irritus hic conatus fuit. Cognita enim uoluntate Regis, Lithuani cum Sigismundo conspirantes, in Suitrigellonem, apud Ossinianos tunc agentẽ, arma sumunt. Et euasit quidem Suitrigello fuga in Rusiam, ab Ioanne Moniuido de insidijs præmonitus: cupideq; receptus est, cũ à cæteris Rusis, tum à Smolenscijs: indeq; postea adiunctis sibi Liuoniensibus Lithuaniã uexauit. Vxorem uerò eius Russam, Tuuerensium ducis filiã Sigismundus cœpit, Lithuaniamq; omnẽ in potestatem suam redegit: deinde ad Regem misit oratum, uellet, iuberet, se principẽ esse Lithuaniæ. Missi in Lithuaniam septẽ de primoribus Polonorũ, conditiones Sigismundo tulerunt, ut iureiurando interposito reciperet, se in fide & clientela Regis, qui supremi ducis Lithuaniæ titulũ retineret, & Polonorũ, semper futurum: eosdem cũ eis amicos, hostesq; habiturũ, suisq; stipendijs eis militaturum: cum Suitrigellone & Cruciferis nullũ fœdus contra Regem & Polonos seruaturũ: Olescum, quod tũc ab exercitu regio obsidebatur, Grodlũ, Rathnum, Vetlios, Lopatinũ, & omnẽ Podoliã, quæ in ditione Polonica fuisset, deinceps quoq; esse passurũ: diadema contra sententiam Polonorũ ne ultrò quidem oblatũ, à quoquam accepturũ: neminem, nisi Regẽ & liberos eius in principatu successorem relicturum: Michaëlem uerò filium, & reliquos hæredes suos legitimos in Trocensi tantũ dominatu & patrimonio sibi successuros, fidem & subiectionẽ Regi, Regnoq; profitentes atq; seruantes: ijs uerò, si absq; suis hæredibus decederent, Regem & Regnum hæredes fore: Volyniam, quoad uiueret, sibi concessam & adiunctam, quemadmodum & Vitoudo concessa esset, se mortuo in ius ac ditionem Polonorum reuersuram esse. Hæc omnia Sigismundi ipsius, & filij Michaëlis, Senatusq; Lithuanici, & uniuersæ nobilitatis consensu approbata & accepta, & unis atq; alteris literarum monumentis cõsignata sunt. Quibus ritẽ peractis, Sbigneus Episcopus princeps legationis regiæ, gladiũ, principatus insigne, Sigismũdo Regis nomine publicẽ tradidit. Interfuit his omnibus Ludouicus cõmendator Torunensis, cũ tribus collegis à Paulo magistro Cruciferorũ ad ineundam nouã cum Sigismundo, posteaquã Suitrigello principatu eiectus erat, societatẽ missus. Atq; is enixè studuit infecta reddere, quæcũq; à Polonis procerib. agebantur: adiutorẽ ad id nactus Georgiũ Butrim Lithuanũ, hominẽ ingeniosum, & callidũ, quippe qui multas Christiani orbis regiones peragrasset. Sed irriti tamen ij conatus fuêre: iussiq; Cruciferorum legati, uelut hostes, Lithuaniæ finibus statim excedere. Cõpositis rebus Lithuanicis, ad Podoliã pacandam rex animũ intendit. Et miserat quidẽ eò nonnihil copiarũ: sed hæ in Olesci obsidione tẽpus terebant: & minores erant, quã ut Podoliã, cuius nõnihil munitiones adhûc Suitrigellonis præsidijs tenebâtur, subigere possẽt. Itaq; Leopolim profectus est, ut ex propinquo rectiùs è re nata rebus consuleret. Ibi Lucensi cõuentui ad priores immunitates adiecit, ut nobilitatis subditi nonnisi aduenienti in id territoriũ, regi commeatũ & stationes præberent: templa Russorũ ne uastarentur, neq; cogeretur quisquã transire ad Religionem catholicã. Fortè per eos dies Olescũ expugnatũ erat. Eas igitur uictrices copias, nouo supplemẽto auctas, ad recipien-

Sbignei magnus animus, contemnensq; periculi.

Rex Lithuanos in Suitrigellonem concitat.

Suitrigellonis fuga.

Pacta Lithuanorum cum Polonis.

De Volynia.

Principatus insigne.

Georgius Butrim.

Lucensium priuilegium.

recipiendas reliquas munitiones Podoliæ misit. Nec magno eæ negocio in potestatem Regis redactæ sunt. Braslauiam uerò arcem, ne nostri ea potirentur, Theodoretus, siue

Fedco dux Ostrogius.

Fedco Ostrogius Dux Russus, partium Suitrigellonis, uir strenuus & bellicosus, unà cũ oppido incendit. Habebat is quidem circa se non contemnendam manũ. Sed nusquam aperto Marte cum nostris rem gerebat, nec se certo loco tenebat. Ex insidijs uerò nostros lacessens, sæpè fusus, fugatusq; erat. Cùm autẽ hominem in latè patentibus campis cum expedito equitatu uagantem adipisci & perdomare difficile esset, tempusq; anni hybernum bello gerendo minimè aptum esset, reuertebantur nostri. Reuertentes Fedco occultus sequebatur, opportunitatẽ & occasionem rei benè gerendæ captans: & non minimũ auxerat uires suas auxilijs Valachorum, Tartarorum, & Besserabũ, ita ut numero nostros

Moraqua fl.

longè uinceret. Moraqua amnis est, qui in Nestrum, siue Tyrã influit, limosus & latè restagnans, ac per syluestria loca means. Et iam fragili glacie concretus erat. Ad eius uadũ, quod uirgultis nostri consternebant, alio itinere præcurrens Fedco, occultus & syluis tectus, cum exercitu in ulteriore ripa consedit. Iam pars nostrorũ angusto tramite impeditum locum transiuerat: ponè carri & impedimenta in medium recepta sequebãtur: cùm

Polonorum cũ Russis præliũ.

subitò ille magno cũ impetu, clamore, ac dissono tubarum, tibiarũ, tympanorumq; cantu & strepitu inuectus, nec opinantes primos adoritur. Trepidi nostri re noua & inexpectata, cùm neq; ad extremum agmen receptus daretur, nec ab eo magna auxilij spes affulgeret, tamen impetũ hostium utcunq; sustinuêre. At qui in extremo agmine erant, ubi suorum periculum animaduertêre, nihil cunctati, contempto omni periculo, partim per constratam uiam, euersis, & in cœnũ deiectis carris, partim per infirmã etiam tum amnis restagnanti, glaciem superata difficultate, auxilio suis iam laborantibus accurrerũt, & prælium instaurârunt. Superabant tamen multitudine hostes, perturbatosq; nostros, & sine ordine pugnantes premebãt, pars etiã quasi parta iam uictoria ad diripiendos carros dis-

Kemlicius instaurat pugnã.

currebat: deplorata res nostrorũ erat, cũ subitò quasi diuinitùs eis auxiliũ affulsit. Kemlicius quispiam, siue is Polonus, siue Silesius, ut ex nomine licet conijcere, fuit, tribunus militum cũ centum equitibus pabulatum præcesserat. Is cũ ex clangore tubarũ & fragore armorum pugnari eminùs cognouisset, instructa tumultuariè acie, sublatoq; maximo clamore in auersos, & ad præliũ intentos hostes impetũ fecit. Qua re & illos uehemẽter perturbauit, & nostris animũ addidit. Redintegrato igitur prælio, à tergo pariter & à fronte cæduntur: & qua fugæ patebat exitus, dissipãtur. Fugientibus institêre nostri usq; ad mediam ferè noctẽ, quæ tunc sublustris erat: & cùm neminẽ uiuum seruarent, magnã hominum stragem fecerunt, duodecimq; signa capta retulerũt: dux ipse fuga euasit. De no-

Rumor celer.

stris non adeò multi desiderati sunt, & ij quidẽ ferè gregarij. Abest locus ille prælij à Leopoli non minùs 40 milliaribus benè longis, & tamen quo die hæc gesta sunt, hoc est, ultimo Nouembris, cùm Rex in templo, ubi tunc tòtos dies transigebat, diuinã opem sedulus imploraret, non ignarus tũ quàm grauibus & insidiosis hostibus exercitui suo res esset, rumor de uictoria sparsus totã urbem impleuit. Nec author eius rumoris inueniri potuit, ita ut uana lætitia exultasse homines uiderẽtur. Postero die certo nuncio res omnis, ut gesta erat, cognita est: gratiæq; actæ Deo, ac dona à Rege missa militibus. Nec multò post cumulata est Regi ea lætitia profligato à Sigismundo duce apud Osmianos insigni strage Suitrigellonis exercitu, è Russis, Tartaris & Liuoniensibus collecto: de quo ad 10 millia cæsa, quatuor capta esse, relata sunt. Suitrigello quidẽ pernici fuga crebro mutãdo equos euasit. Sigismundus monimentũ uictoriæ, templũ & collegium sacerdotum apud

Osmianense collegium.

Osmianosq; postea instituit. Hac gemina uictoria rex lætus, Leopoli discedes, Cracouiam ad comitia, ad natalẽ Christi indicta, uenit, & ouans pedibus urbẽ ingressus, apud cõplura templa festas supplicationes obiuit, priusquã arcem ascenderet. In comitijs deinde de Prussico bello agi cœptũ, resq; integra ad alia comitia, quæ ad secundã Dominicã Quadragesimæ Sendomiriã indicebantur, reiecta. Eò porrò aduenerũt oratores è cõcilio Ba-

Basiliensis concilij oratores ad Regem.

siliensi, quod Eugenius põtifex cũ ab initio approbasset, Bononiã transferebat, atq; adeò dissoluebat. Conciliũ contrà, abrogare pontificatũ Eugenio nitebatur. Quanquã obstabat Sigismũdus Imperator, ut gratiã referret Eugenio, à quo Romæ paulò antè diadema Imperatoriũ ritu solenni acceperat. Postulabat autẽ ea legatio, ut rex cũ omnibus ditionibus suis cõcilio aduersus pontificẽ faueret, & ut uexandis bello Cruciferis supersederet, cõcilioq; causam illã omnẽ cognoscendã & arbitrandã permitteret. Cui respõsum est: nõ abhorrere à pace regẽ, si à Cruciferis ipsi satisfieret: porrò de his, quæ prætereà oratores po-

Sigismundus Imperator factus.

stulabãt, diligentiùs eum consultaturũ, ac deinde missurũ legatos suos ad concilium cum certo responso. Ita dimissi oratores concilij, in Prussiam ad Cruciferos, ut eos ad accipiendam conditionem pacis à rege oblatam adducerent, profecti sunt. Cæterũ in comitijs Sendomiriensibus de cogitatione, & apparatu belli nihil à nostris remissum est. Tamet-

si gerea-

ligerendi eius ratio non expediebatur, propterea quòd Rex senio confectus, & caligantibus oculis munia belli per se ipse obire non poterat: & Lithuanorum, Russorum atque Valachorũ auxilia, cùm eæ gentes partim proprijs ac domesticis bellis implicatæ essent, partim à fide Regis desciuissent, defutura erant. Itaq; tertia comitia armatorum ad diem sancti Ioannis Baptistæ natalem Colum indici, & Bohemorum hæreticorum auxilijs utendum esse, quamuis refragantibus Episcopis, decretũ est. Nec ita multò pòst, conuentu inter nostros atq; Cruciferos opera oratorum concilij de pace frustrà instituto, cùm Cruciferi quindecim dies ultra condictũ expectati non uenirent, euocati Bohemi à Rege, duce Zapcone præstò fuêre: coniunctiq; cum maioribus Polonis, quibus Sendiuoius Ostrorogius iussu Regis præerat, nouam Marchiam Cruciferorum imperio subiectã, crudeliter uastârunt: duodecimq; oppida munita partim ui, partim per deditionem cœperunt: quę quidem omnia direpta ac diruta sunt, Chossno, quam Teuthones Kunisbergam dixêre, excepto: quod quoniam erat munitissimũ, præsidio firmatum est, quò facilius omnis ea regio in fide regia contineretur. Per eosdem ferè dies Sigismundus dux Lithuanorum, coadunatis magnis copijs, duodecim dies Liuoniam depopulatus est, & ingentem prædam inde asportauit. In Russia uerò, Risco siue Gregorius Kerdeius Nossum ducem Russum, Suitrigellonis partium, qui Luscũ non ita pridem intercœperat, profligauit atq; cœpit. Vbi statuta armatorum comitiorum dies aduenit, frequens conuentus censuit, ut Rex in Polonia subsisteret: exercitui uerò uniuerso, & summæ rerũ præfectus est Nicolaus Michalouius, gente Roseus, castellanus & præfectus Cracouiensis. Huic Rex dedit in mandatis, ut hostiles regiones longè, lateq; uastaret: munitionũ oppugnationibus abstineret. Retinuit autẽ secum Rex nonnullos de Senatu graues & grandæuos uiros, cũ quibus quacunq; de re ad se referretur, consultaret. Colo profectus Michalouius cum exercitu in Pomeraniam, non diu mandatorũ regiorum memor fuit. Iam maiores Poloni cum Bohemis subacta omni noua Marchia, præter Landsbergã oppidum, in Pomeraniam antecesserant, & Choiniciam obsidebant. Quoniam autem consultissimũ uidebatur coniunctis copijs rem gerere, eò duxit reliquũ exercitũ Michalouius, facileq; persuaderi sibi ab Ostrorogio passus est, ut cœptã Choiniciæ obsidionem prosequeretur. Erat autẽ oppidum benè munitũ, commeatu, præsidio, & omni apparatu belli instructissimũ. Vbi in longius tempus obsidionẽ eius duci animaduersum est, institutus cuniculus, quo ex improuiso in oppidum irrumperetur. Verùm is non altè ductus, priusquã perduceretur, subsidente sabuloso solo obrutus est. Tentata deinde ui & impetu oppugnatio, exiccata fossa oppidum ambiente. Sed inde quoq; multis uulneribus acceptis, re infecta discessum est: cũ primi Bohemi in tutũ se recepissent. Iam difficiliore annona, propter multitudinẽ, & uias ab hostibus infessas, nostri utebantur, & ex pabuli inopia plurimos equos amittebant. Itaq; serò regiorum mandatorũ recordati, cùm totos duos menses in obsidione Choiniciæ casso labore consumpsissent, ea soluta, castra mouerunt, & in interiora Pomeranię populabundi progressi sunt: prętergressiq; nonnulla oppida, direpto Pelplinẽsi monasterio, magnificentissimè ædificato & opulento, ad Tizouiam, siue Dersauiam peruenerunt. Præcesserant & prætererant oppidũ Bohemi, qui primas stationes seruabant, & loca metandis castris capiebant. Poloni uerò quò minùs in suburbana prædandi causa discurrerẽt, cohiberi à Ducibus nequiuêre. Erat in oppido ualidũ hostium præsidium. Nam ij quocunq; admoturos esse nostros intelligebant, omnia præsidia ex propinquis munitionibus deducta, noctu eò contrahebant. Id igitur præsidium occurrit nostris ad extrema suburbana: sed tamen quò minùs ea incenderentur, prohibere non potuit. Itaq; latè uagante incendio, in oppidum se hostes receperunt. Nec mora, aduerso ac uehementi uento flante, urbana quoq; ædificia flamma corripuit: nec ea restingui ullo cũ hostium ipsorum, tum ad extremum etiam nostrorum conatu potuit. Sic oppidum longè munitius & opulentius, quàm Choinicia, quasi fortuito incendio conflagrauit: prędа omnis, præter eam, quæ in subterraneis cellis & fornicibus abscondita erat, igne corrupta: captiuorum supra decem millia fuisse dicuntur. Ex his quicunq; Bohemici generis fuerũt, Zapco reuertens, ut sibi condonarẽtur, impetrauit: traditos, grauiter, quod Teuthonibus contra Polonos eiusdem secum linguæ & originis militarent, corripuit, pyraq; ingenti extructa exussit. Eius exemplũ secutus Ioannes Strassus Bialassouius, piratas in ergastulo conclusos, quorum non exiguus numerus inter præsidia Cruciferorum fuit, circumiecta palea, & arida materia, succendit. Et effregerunt ij quidem ergastulum ligneum: sed cùm effugere uellent, aduersis hastis à nostris excipiebantur, donec Michalouius superueniens cædem eorũ repressit, ignemq; restinxit. Matronis uerò & puellis captiuis iustus honor habitus: adhibitaq; publicè custodia, ne quid in eas cõtumeliosè à quoquam fieret: factaq; diligenti conquisitione, ne qua priuatim à quopiam occuleretur, omnes ad Vistulam deductæ,

Noua Marchia subacta à Polonis.

Liuonia à Lithuanis uastata.

Nicolaus Michalouius dux exercitus Pol.

Choinicia obsessa à Polonis.

Pomerania uastatur.

Pelplinense monasterium direptum.

Dersauia incensa.

Piratæ combusti.

deductæ, traiectæq; nauibus, liberè dimissæ sunt. Perhonorificum id fuit nostris apud ipsos etiam hostes, omnesq; eis omnia bona precari: suis uerò, qui longè essent, fuissentq; in populanda Polonia dissimiles, mala imprecari. Atque utinam in templis, monasterijs, & rebus sacris nostri eadem abstinentia usi fuissent. Sed plus hîc ualuit ira, & dolor immanissimè direptorum à Cruciferis in Cuiauia templorum. Itaque Oliuense quoq; monasterium paulò pòst direptum, & incensum est. Inde ad Gdanum castra mota, quadriduoq; in conspectu eius urbis statiua habita: per quos dies omne id territorium peruastatum, munitio portus lignea disiecta. Equites cùm ad mare uenissent, longius in salum atq; fluctus, ludibundi, & gratulabundi sibi inuicem, quòd mare infestis armis attigissent, procurrêre. Feruntur etiam Bohemi marinam aquam haustam, laguncùlis domum deportasse. Peruastata satis usq; ad mare Pomerania, reuertentes nostri alio itinere, Tucholiensem & Iasenecensem oram uastabant. Cùm autem apud Iaseneciam statiua haberent, de pace ab hostibus tractari cœptum est. Et Bohemi iam præcesserant, ut se in Polonia reficerent. Dum colloquuntur inter se primores, pauci de nostris iuniores temerè impetum in arcem fecêre: eosq; prægressos exercitus omnis, cùm esset sine imperio, quasi dato signo secutus est: capta momento arx, & direpta, & improbitate cuiusdam militis incensa est. Captiui ad unum omnes trucidati, furore militum, ob interfectum in oppugnatione Ioannem Leuinium Vilcinium, nemini parcente. Permolestè id factum, dum de pace agitur, tulêre Cruciferi: sed nostris iniussu id suo, & tamen iure belli, neque pace, neque inducijs adhûc constitutis, factum defendentibus, acceleratæ sunt induciæ trium mensium. Interim autem ad Calend. Decemb. ut in conuentu Brestensi de conditionibus pacis constitueretur. Captiui Cruciferorum nobiliores facta sponsione sistendi sese, si de pace non conuenisset, dimissi: tenuiores & gregarij, uel commutati, uel binis florenis redempti: nostri munitiones in noua Marchia quæsitas retinuêre: pacti nihil munire interim, nec reficere. Mirum autem est, tum demùm Cruciferos de pace & inducijs quàm diligentissimè egisse, cùm nostri peruastata omni Pomerania, ita ut soli quatuordecim pagi inter lacus & paludes siti intacti relinquerentur, domum reuerteret. His peractis, exercitus omnis accepta à Michalouio missione, suam quisq; domum dilapsus est. Sed Bohemorum primores Pysdros ad Regem, ut erat ab eo præceptum, profecti, honorificè ab eo accepti & remunerati sunt. Neq; uerò labis quicquam tunc nostri ex eorum consuetudine contraxêre, quin odisse magis eorum fœditatem & impietatem cognitam cœpère. Nouum etiam tunc fœdus Cazimirus Dux Pomeraniæ Stecinensis cum Rege icit, ueteri, quemadmodum credere par est, uiolato: quo recepit sub fide & honore suo unà cum primoribus suis, nullam opem se laturum esse Cruciferis aduersus Polonos: neque passurum esse quenquam, qui contra eos arma sumpserit, perditionem suam transire. Hoc fœdere icto, & Bohemis dimissis, Rex in Sendomiriensem tractum se recepit, declinans pestem, quæ maiorem Poloniam inuaserat: qua quidem Ioannes Saffranecius Episcopus Vuladislauiensis absumptus, Vuladislaum Oporouium Decanum Cracouiensem, & Procancellarium Regni, Rege suffragante, successorem accepit. Cùm autem Rex esset Prissouiæ, uenit ad eum Bohemus quispiam sacerdos hæreticus, à Christano Astrologo, nuncians ut mortem propè sibi imminentem caueret. Id cùm ille semotis arbitris ageret, Sbigneus Episcopus Cracouiensis ueritus, ne quid de Religione hæreticus ille Regi suaderet, grauiter obiurgauit Regem, quòd neminem de consiliarijs ad audientiam Bohemi adhibuisset. Et satisfecit quidem Rex Sbigneo, nihil Bohemum neq; de Religione, neq; de Republica secum locutum esse: sed tamen coactus est, cum primo quoq; tempore, instante Sbigneo, dimittere, propterea quòd spargebat is uulgò praua dogmata. Non multò autem pòst cometes non obscurus, plus quàm unum mensem pernox, face ad Occidentem uersa apparuit: Regiæ mortis, ut uulgò tunc creditum est, posteà euentus comprobauit, prænuncius. Nepolomiciæ iam Rex erat, quò comitia ad diem diui Martini Episcopi memoriæ dicatum indixerat: eò uenit Helias Alexandri palatini Valachiæ defuncti filius, à minore natu fratre Stephano dominatu paterno eiectus, Regis opem implorans, & in fide, clientelaq; Regis & filiorũ eius ac Polonorum se fore semper solenni iureiurando recipiens. Consecuta est eum & Stephani fratris legatio cum splendidis donis, Lenciciam usque ad Regem sequens: & postulans, ut ipsi magis, quàm fratri omnibus inuiso, Rex faueret: fore & ipsum perpetuò in fide & clientela Polonorum, quemadmodum pater, maioresq; ipsius fuissent. Offensam autem à patre paulò ante mortem contractam, damnaq; data Podolijs, ut sibi Rex condonaret. Habebat quidem Helias in matrimonio sororem germanam Sophiæ reginæ: sed tamen re in consultationẽ Senatus posita, placuit, ut Stephanus, in quem studia gentis inclinassent, dato iureiurando in uerba Regis & Regni Polonici, retineret Valachiam, tractumque

Sepinen-

Oliuense monasterium incensum.

Iasenecensium arx capta, & incensa.

Poloni nō corrupti consuetudine Bohemorum.

Pestis in maiore Polonia.

Prædictio mortis regiæ.

Helias palatinus Valachiæ iurat in uerba Regis.

Sepinensem cum Chocimo, Zczuno, & Chmelouia munitionibus à rege iure sempiterno reciperet. Heliæ uero, quo magis Stephanus eius metu in officio contineretur, luculentæ possessiones à rege in Polonia datæ sunt. Sed cùm in his ille non acquiesceret, & ad recuperandum dominatum paternum aspiraret, ex fuga retractus, Siradiæ deinceps sub honesta custodia cum uxore & liberis uixit. Stephanus uerò, sicut conuenerat, Sozauiæ solenne iusiurandum legatis regijs exigentibus dedit: promisitque etiam se, cùm iussus fuerit, in Rusiam uenturum, & iusiurandum illud coràm repetiturum esse: & ut gratiam referret regi, non ita multo pòst, Tartaros in ditiones Polonicas excursionem parantes repressit: Braslauiam, quæ instaurata, ni fallor, erat, & Suitrigellonis præsidio tenebatur, interceptam regi restituit. Ex iisdem comitijs missi sunt proceres quidam in Cuiauiam ad conuentum Brestensem agendum cum Cruciferis. Verùm ex eo conuentu infecta pace, & irritatis animis, incertum qua de causa discessum est. Lenciciæ rex euentum illius conuentus expectabat: ubi rediêre ad eum legati è conuêtu, de bello agi cœptum: uisumque est, non expectandam esse æstatem, sed quam primùm immittendum in terras hostiles exercitum. Expeditiora fore omnia concretis glacie fluminibus, atque lacubus, quibus abundat Prussia. Vna res difficultatem faciebat, quòd pecunia regi deerat in stipendium: & propè abfuerat res à seditione superiore æstate apud Chonicziam, fremente uniuersa nobilitate contra proceres, quòd ij bellum extra fines Poloniæ sine stipendio decreuissent: receperantque illi, nunquam id se deinceps admissuros esse. Inuentus tandem modus est eius difficultatis explicandæ, ut Palatini suæ quisque ditionis nobilitati de stipendio soluendo cauerent. Hæc ubi didicêre Cruciferi, missis mox ad regem legatis, quas antea repudiarât conditiones, ultrò accepere, in duodecim annos pacti inducias. Adiectum, ut ad natalem Virginis matris diem sequente anno apud Slonscum de pace perpetua tractaretur. Ibi tunc marsalcus Cruciferorum Liuoniêsium ex pacto dimissus, siue adeò sponsione militari solutus: dimissus enim erat, cum desistêdo eo, quum rex iussisset, Suitrigello quoque cauisset, ac Theodoricus Buzauu præfectus Camenecensis pro eo receptus. Captus hic à Fedicone duce, Camenecensem agrû & suburbana uastante, cum paucitate prædatorum contêpta, temerè in eos erupisset, & in paratas insidias incidisset, Magistroque Liuoniêsi petenti à Suitrigellone, donatus erat. Neque enim quiescebat Suitrigello cum Rusis: sed cum ipse per se auxilia Tartarorum & Liuonum habens, Lithuaniam, tum per Fediconem & Nossium duces Rusiam regiam æstate præterita Cruciferis incitâtibus infestârat, illa occasione usus, quòd nostri Prussico bello distinebantur, & quòd is Sigismundum ducem Lithuanorum inuisum iam esse plerisque Lithuanis acceperat. Et sumpserat Sigismundus paulò ante supplicium capitis de Ioanne Monimundo palatino Trocensi, & Rumboldo summo marsalco Lithuaniæ, authoribus conspirationis, quæ in eum côparata esse dicebatur. Itaque liberè tunc Suitrigello Lithuaniam depopulatus est, Sigismundo habente quidem et ipso exercitum, sed non satis ei fidente, propter necessarios & propinquos interfectorum procerum, opportunis modò locis exercitum hostilem is carpebat. Itaque non multum operæ precij tunc fecit Suitrigello, nisi quòd Vilnam, Trocos & Lidam, oppida immunita exussit: Breste Rusicum per Fediconem & Nossum duces obsedit: nec difficulter eo potitus esset, propter commeatus inopiam, dubiamque Russorum fidem, nisi Masouios arma iussu regis sumpsisse, & aduentare eo renunciatum esset. Tartaros quoque magnis donis ad uastandam eam oram Rusiæ, quæ Sigismundo parebat, côcitârat. Verùm ij cum aliquousque progressi, Sigismundum in clientela regis Polonorum esse accepissent, mutatâ statim sententia, in Kiouiensem & Cirnechouiensem tractum, qui in Suitrigellonis ditione erat, populabundi excurrerunt. Insequens annus 1434. Vladislai regis morte insignis est. Ac initio quidem eius anni in Lithuaniam is rogatu Sigismundi ducis profectus, Chrinchos peruenit. Inde uerò stabilito Sigismundi principatu, magnificis muneribus ab eo acceptus, Corcinum, quæ & Noua ciuitas dicitur, uenit: & comitia ibi per tempus quadragenarij ieiunij habuit. In quibus legati ad concilium Basileense designati sunt, qui & uniuersi regni personam ibi sustinerent, & Sigismundi imperatoris, Cruciferorumque obtrectationes & falsas criminationes, quæ aduersus Vladislaum regem iactabantur, refellerent, ac de uniuersa causa cum Cruciferis disceptarent. Fuerunt autem principes eius legationis, Sbigneus Cracouiensis, Stanislaus Posnaniensis episcopi, Ioannes Conespolius cancellarius regni, & Nicolaus Lassocius decanus Cracouiensis. Non putauit autem Sbigneus prætermittendam sibi occasionem castigandi regis, priusquam peregrè proficisceretur. Itaque in illo ipso côsessu amplissimo grauissimis uerbis id egit, in hanc sententiam locutus: non

Sepinensis terra donata Valacho.

Braslauia regi restituta.

De stipendio soluendo nobilitati cautio.

Suitrigello infestus Lithuaniæ & Rusiæ.

Tartari à Suitrigellone euocati, ipsius ditionem uastarunt.

1434. ann.

Rex in Lithuaniam profectus.

Sbigneus episcopus regem obiurgat.

recusare se iniunctum legationis onus pro honore ac dignitate patriæ simul & regis: sed non posse tamen, quin regem quibusdam de rebus pro officio suo, priusquam proficiscatur, admoneat. Vereri enim se, ut eum reuertens è cõcilio superstitem reperiat, quippe qui tam grandis natu esset, & profligatis iam uiribus. Nescire etiam, quònam pacto plerasque Imperatoris et Cruciferorum criminationes in ipsum diluat. Nam & ipsum se, et alios plerosq; omnes in illo consessu, animaduertere, in eo nonnulla reprehensione digna. Multas quidem in eo, dignas bono principe uirtutes relucere: sed non carere eum & uitijs, quibus uirtutum illarum splendor obscuretur: qualia sint, quòd ipso uel iubente, uel permittente multis per iniuriam, aut certè summo quodam iure, & nimis exacta acerba interpretatione iuris bona adimantur: quòd oppressi à potentioribus non uindicentur: quòd calamitosorum hominum causæ non audiantur atq; decidantur, ipso in profundam noctem prolixioribus cœnis indulgente, ac deinde magnam diei partem inerti somno absumẽte. In itineribus etiam pergrauem eum esse ecclesiasticis iuxta ac equestribus hominibus, oppidanisq; & agricolis, propterea quòd aulicum suum comitatum à rapinis, stupris, & iniurijs non cohibeat: subuectionesq; & procurationes præter ius & æquum acerbè, & pigneratione iumentorum exigi patiatur. Ad hæc monetæ cudendæ fœminis cum potestatem fecisse: eam uerò perleuem cudi, magno reip. detrimento. Superstitiones uerò eius quasdam ex prisco dęmonum cultu retentas, quas ipse quoque non ignoret, reticere se, pudore prępeditum. Egisse se his de rebus pleritque omnibus cum ipso primùm quidem semotis arbitris: deinde paucos etiam arbitros adhibuisse: uerùm quando in eam usque diem nihil profecisset, in amplissimi consilij consessu id sibi facere necesse fuisse: ut quem Dei timor in officio non contineret, pudor hominum duntaxat emendaret. Quod ni hæc quoq; profutura essent, acerbioribus deinde medicamentis ad sanãdum eum usurum esse: licere quidem sibi, non minus quàm alijs dissimulando, uel etiam assentando gratiam eius aucupari, sed memorem se esse officij sui, & nullo neque metu, neque gratia deserturũ esse stationem, in qua se Deus & rex ipse, & senatorem & episcopum constituisset. Pluris se facere incolumitatem patriæ, quàm omnia quæ uulgò concupiscantur: & pro magnis regis in se beneficijs, antiquiorem sibi esse eius salutem, quàm præsentem & assentando quæsitam gratiam: quæ tamen certa & stabilis esse non soleat. Nõ poterat se diutius rex tenere, quin sermonem eius interrumperet, ita fremens atq; lachrymans: intemperanter eum & arroganter facere, qui cunctis alijs senatoribus cum Archiepiscopo ipso primate, & moderatore consilij tacentibus, unus tam acerbè in se inuehaẽ. Ibi assurgens cunctus senatus, eandem omnium esse sententiam, & illam episcopi Cracouiensis orationem, suam esse professus est. Quo audito rex accensus magis, è consilio sese proripuit, multa Sbigneo minitans. Verùm citò ad se reuersus, impensius Sbigneum posteà coluit, & corrigere ea quę ille reprehẽderat, studuit. Albertus uerò Archiepiscopus, etiam gratias egit Sbigneo, quòd maiore fiducia, quemadmodum diui Stanislai successore dignum erat, regis peccata corrigere aggressus esset. His ita actis, & conuentu soluto, rex Cracouiam profectus est, ut inde porrò in Russiam proficisceretur, iusiurandum à Stephano palatino Valachorum promissum ipse coràm ritu solenni accepturus. Dum autem itineri se accingit, nunciatum est Fridericum quempiam Russum ducem exulem cum non contemnenda Bohemorum manu arcem nouam prope Sorstenum munire instituisse, unde in finitimos Polonos & Vngaros latrocinium exerceret. Id ubi rex accepit, misso confestim aulico comitatu suo: manum illam dissipauit: deinde iter institutum ingressus, cum Grodecum (oppĩdi id nomen est in Russia) peruenisset, inter prandendum ualida febri correptus est: quam inde accidisse existimatum est, quòd nocte præcedenti, quæ præter tempus anni frigida fuit, in syluis diutiùs lusciniæ cantu sese de more oblectans, cœli intemperiem pertulisset. Vbi uitæ suæ finem adesse sensit, sacris mysterijs procurari se iussit: offensas omnibus remisit, sibiq; uicissim ab omnibus remitti petiuit: testamentum condidit: si quid cuiquam per iniuriam abstulisset, reddi iussit. Filios proceribus præsentibus atq; nobilitati commendauit: ac Vuladislaum quidem diligentius, nam eum tenerius diligebat. Sbigneo uerò episcopo annulum nuptialem ab Heduigi regina, quo nihil charius ipse in omni uita sua habuerat, dono misit, ueniam superiorum omnium admissorum ab eo petens, & animam suam, liberosq; superstites ei commendans. Deinde pridie Cal. Iunias, septimodecimo die posteaquam ęgrotare cęperat, animam exhalauit, cùm regnasset annos duodequinquaginta, & tres ferè menses. Nam quantum uixerit, nõ constat, Vitoudo quidem natu maior fuit. Tãta autem fuit liberalitate & munificentia, ut non

modò

Vuladislai uitia.

Senatus Polonici cõstantia.

Bohemi profligati in finibus Vngariæ.

Extrema acta Vuladislai regis.

Liberalitas sine prodigalitate Iagellonis.

modò fiscum exhauriret, uerùm etiam magnã partem regiarum possessionum etiam immerentibus, & maximè uenationum ac cæterarum uoluptatum suarum, quanquam non inhonestarum, asseclis & ministris dilargiretur, ac tota interdum singulis hominibus donaret territoria: sic ut quodam tempore Martinus quintus pontif. Max. prodigalitatem eius inhibendam sibi esse duceret, dato ad Archiepiscopum Leopoliẽsem mandato, ut donationes eius rescinderet. Arces & urbes neque nouas condidit, & uetustas neglexit, Basilicas Chelmensem atque Kiouiensem in Russia instituit, & episcopis attribuit. Ex his ad Chelmensem Ioannem theologum sodalitij Dominicani extulit: & in gratiam eius Lublinensem tractum omnem à Cracouiensi diœcesi abstrahere, & Chelmensi adiungere conatus est: perficere tamen id, constanter aduersante Sbigneo Cracouiẽsi episcopo, nequiuit. Monasterium quoq; præter ea, quæ superius commemorauimus, Lublini diuæ Brigitæ nomine condidit: in Cazimiriensem uerò parœciam canonicos diui Augustini institutum professos induxit: Gnesnense, Sendomiriense, & Vislicìense templa Græca pictura decorauit. Venationum sine ullo modo auidus fuit: interfectasq; feras maiores, & præsertim bisontes, in prælatos & canonicos, Academiæq; ac ciuitatis Cracouiensis præsides & magistratus partiri solitus: in peregrinos hospitalis & munificus. Nullum quamuis exiguum munus aspernabatur, nec eos qui donarant, irremuneratos dimittebat. Aliquid petentibus à se, ferè dimidium eius quod petiissent largiebatur. Itaque duplum petebant, qui simplum auferre cupiebant. Offensarum immemor: ad supplicia de sontibus sumenda lentus: assentatoribus ac delatoribus aurem libenter accommodabat: cultui diuino apprimè deditus: ieiuniorum diebus pane & aqua ferè utebatur. Superstitiones quasdam ineunte ætate imbibitas, ad extremum usq; retinuit: in quibus illa fuit, quòd quotidie priusquàm prodiret in publicum, ter sese in gyrum uertebat, & stipulam ter confractam in terram abijciebat. Abstemius in omni uita sua, nec nisi aquæ potu usus: cæterùm cibi appetentissimus fuit, itemq; balnei, sic ut alternis diebus eo uteretur: nonnulli quotidie usum esse tefrunt. Cultu corporis neglecto, neq; alijs quàm agnellinis pellibus, & laneis ferè uestibus usus. A malis abhorruit, ut ne odorem quidẽ eorũ ferret. Statura fuit mediocri, facie oblonga, macra, & ad mentum contractiore: capite caluo, paruo & fastigiato: oculis nigris, paruis, & instabilibus: ceruice longa, uoce graui, citaq;. Corpus eius magna põpa Cracouiam relatum, & intra mensem in basilica Cracouiensi magno procerum atque nobilitatis concursu funus celebratum est. Extat eius sepulchrum in media ferè basilica ad dextrũ latus, à Sigismundo rege nepote eius, paulo ante nostram memoriam magnificè instauratum. Ac de Iagellone quidem hæc nobis scripta sunto. Deinceps de Vvladislao, eius filio prosequemur.

Munitionum negligentia.

Venationum studium.

Lenitas.

Cultus corporis.

DE ORIGINE ET REBVS GESTIS POLONORVM LIBER XXI.

VVLADISLAVS TERTIVS REX.

IAm Sbigneus, cæteriq; legati ad concilium missi, Posnaniã peruenerant, cum de morte Vvladislai regis nunciatum est. Hoc igitur nuncio accepto conueniunt mox Posnaniam sequentes proceres, & nobilitatis maioris Poloniæ, rogatu Sbignei: unitoq; consilio, ex eius sententia Vvladislao natu maiori, defuncti regis filio regnum discernunt: eiq; solenni ritu inaugurando diem ad tertium Cal. Iulij statuunt: & ad Sigismundum magnum ducem Lithuanorum, ut ad eam celebritatem uel ipse adesset, uel legationem mitteret, oratores mittũt. Moleste hoc maiorum Polonorum præiudicium minores Poloni tulêre: sed tamẽ qui Sbigneus episcopus Cracouienses, homo suarum partium, autor eius fuerat, & ex repub. esse maximè uidebatur, ne qua dissensio, neu qua mora in re tanta fieret, in eandem & ipsi sententiam decretum fecerunt: dies modò ad octauum Cal. Augusti prorogata est, quo maiore ac splendidiore pompa omnia fierẽt. Erant in equestri ordine duo nobiles, factiosi, ac turbulẽti iuuenes, Spitco Melstinius, ac Derslaus Rituianius, Martini Lenciciẽsis palatini filius, agnatus Alberti archiepiscopi Gnesnẽsis: quorũ hic quidem ingentem thesaurũ ab archiepiscopo, magno patruo suo, clàm paucis conscijs (inter quos ipse quoque fuit) de-

Maiores Poloni cũ Sbigneo episcopo Vvladislao regis defuncti filio regnũ decernũt.

Derslaus Rituianus.

foſſum, paulò antè effoderat, & Euſemiæ Boleslai ducis Maſouiorum filiæ inſano amore captus, paruo tempore decoxerat: ſed magnas tamen ſibi prodigalitate ſua clientelas compararat, ille uerò patris, palatini quondam Cracouienſis, & maiorum ſuorum opibus & imaginibus tumens, nullo neque honore, neque magiſtratu auctum ſe eſſe, indignè ferebat. Cum igitur uterque res nouare cuperet, & uterque magnas poſt ſe iuuentutis cateruas traheret, conuentum Opatouiæ ad tertium Idus Iulias, communicato cum ſuis conſilio, inſtituere. Ibi omnium una erat ſententia: malè tantum regnum puero committi, cuius ætate, & regina mater, ſuperba mulier, & primores ad dominatum abuſuri eſſent: aliter de repub. conſtitui oportere. Cõfirmabat autem id in primis Gouorcus Chrobranius homo ſenex, multa ex ueteri memoria ad rem facientia commemorans. Reuerterat iam Sbigneus cum Coneſpolio cancellario, reuocatus ex itinere, reliquis duobus legatis inſtitutum iter Baſileam proſequentibus. Ab eo igitur Sophia regina, non ignara conſiliorum Spiconis atque Derslai, impetrauit, ut Opatouiam proficiſceretur: turbulentaq; iuuenum conſilia diſsiparet. Non fuit gratus aduentus eius ijs qui conuenerant. Sed tamen ille ſingulari patientia uſus, & in conſilium admiſſus, graui & prudenti oratione plurimis perſuaſit, ut abiecto nouandarum rerum ſtudio, ne quid diſsidij alieniſsimo tempore in Polonia exuſcitarent, præſertim quòd res iam integra non eſſet, Vvladislao defuncti regis filio ante aliquot annos in Breſtenſibus, comitijs ſummo omnium conſenſu rege iam deſignato. Ita conuentus ille re infecta, nequicquam frementibus ſeditionis authoribus, ſolutus eſt. Nec tamen ij quieuerunt, nacti plures ſententiæ ſuæ adſtipulatores. In quibus præcipui fuerunt Abraham Sbanſcius iudex Poſnanienſis conuentus, & Ioannes Straſſus. Nam cùm frequentes undique proceres ac equites Cracouiam ad præſtitutam diem cõueniſſent, iniectus eſt ab ijs ſcrupulus, quòd dicerent, nouum & inuſitatum eſſe, impuberi diadema imponi: in diſcrimen autem adduci libertatem & prærogatiuas equeſtris ordinis, magno labore & ſanguine maiorum ſuorum partas, illa impuberis regis coronatione: neque enim rectè ab impubere iuſiurandum dari poſſe. Quod ſi id in aliud tempus differatur, difficulter exactũ iri ab eo qui iam rerum potitus ſit. Verùm hic quoq; ſcrupulus è maioribus natu exemptus eſt, producto à Sbigneo codice è baſilica Cracouienſi, in quo effigies Cazimiri magni regis impubes depicta erat. De iureiurando autem regis, reiecta res ad pubertatem eius: interim autem placuit, ut Sophia mater, et primores ſacri pariter & profani ordinis pro eo fide iuberent, nec eum prius ad gubernacula regni admitterent, quàm iuſiurandum ritè præſtitiſſet. Conquieturi iam turbatores illi uidebant, cum in ipſo coronationis articulo nouas cõciuerũt turbas, uociferãtes, ne ſibi inuitis paucorum conſpiratione rex imponeretur. Inita denuò ſuffragia: nec ea tamen liberè ferri poterant, factioſis illis altercando tẽpus extrahentibus, præterire dies, & interim ipſi plures de nobilitate ad ſe pertraherent: ij porrò quibus magis placebant quieta conſilia, ut tædiò diuturnæ moræ domos dilaberentur. Quod ubi à primoribus animaduerſum eſt, Ioannes Oleſſnicius: cognomento Glouacius marſalcus è ſenatuſconſulto pronunciauit ad nobilitatem, ut quibus placeret Vvladislaum coronari, in dextram diſcederent: qui aliter ſentirent, in læuam. Id ubi factum eſt, una uoce omnes Vvladislaum regem eſſe iuſſerunt, Melſtinius uerò cum Sbanſcio & Straſſo, qui in editiorem locum contradicturi cõſcenderant, turpiter deturbati ſunt. Non abſtinuit tamen maledictis Melſtinius, cùm in alios, tum in Marſalcum. Verum ille rogatu procerum patienter ea tunc tulit, ne inſtitutum negocium impediretur. Nec mora, coronatio regis in baſilica ritu ſolenni peracta eſt, ſole ad ueſperum declinante: poſtridie in urbem deſcenſum, ad recipiendum ab oppidanis & plebe iuſiurandum. Nec tamen accendit tunc rex in præparatum ſibi in foro ſolium, contentione orta inter epiſcopos ac duces Maſouiorum, quòd proximum regi locum utrique ſibi uendicarent. Subſequentibus deinde diebus conſultatum eſt à proceribus, de ratione adminiſtrandæ reipub. Multorumq; ſententiæ in Zemouitum ducem Maſouiorum inclinabant, ut is gubernator regni eſſet. Erat enim uir bonus, & magno conſilio. Sed uicit plurium ſententia, metuendum ne is dominandi dulcedine deguſtata, ambitione deprauatus, aliquid aduerſus regem & rempub. moliretur: & indignum uiſum eſt, ad eum ſummam rerum Poloniſcarum deferre, qui in clientela Polonorum eſſet. Itaque placuit, in ſingulis tractibus ſingulos prouiſores, in Cracouienſi uerò propter monetariam officinam duos, ex ijs qui ſummis in republ. honoribus non fungerentur, conſtitui, qui quæſtores regiorum redituum eſſent, & intra ſuos quiſque fines negocia publica regio nomine adminiſtrarent, ſed ne quid tamen noui in republ.

Spitco Melſtinius.

Gouorcus Chrobranius.

Abrahã Sbanſcius.

Factioſi turbas cient.

Vladislaus tertius rex coronatur.

Prouiſores inſtituti in Polonia.

publ. nisi ex amplissimi consilij decreto statuerent: his quinquagenę marcę annuę in sumptus constitutæ. Ibi etiam Rusſica & Podolica nobilitas, cum Polonica, omni iure exæquata est à nouo rege, non sine murmure multorum, qui remitti illa quoque Rusſis ægrè ferebant, quòd necesse eis fuerat antiquitùs, quandocunque & quocunque rex iusserat, sine ullo stipendio ad bellum proficisci: ad arces muniendas et reficiendas operas mittere: de quolibet iugero culto duos auenæ, totidemq; siliginis modios, & quaternos grossos quotannis regi pendêre. Verùm illud maximè permouit regem, quòd à patre suo illam exæquationem promissam eis esse constabat. Incessit deinde cura consiliarijs constituendæ reipubl. atque pacis. Multæ undique difficultates impendebant. Cùm Cruciferis adhuc pendebant induciæ, necdum pax certa confecta erat. Sigismundus quoque imperator, ne quid ex inueterato in Polonos odio, uiolataq; sæpius cum Iagellone amicitia, contempta pueri ætate moueret, cauendum erat. Ad hæc Silesij post mortem regis, finitimas sibi oras Nicolao Coricio cognomento Sestrenecio duce latrocinijs infestabant. Ne domi quidem usquequaque quietæ res erant, nouatoribus illis nobilitatem aduersus ecclesiasticum ordinem, ob repressos conatus suos concitantibus, & ius decimandi, censuræq; ecclesiasticæ, siue excommunicationis in controuersiam reuocantibus. His de rebus omnibus in frequenti senatu actum. Et ad Sigismundum quidem imperatorem missi legati, Concspolius cancellarius, & Olesnicius marsalcus, quo æquioribus conditionibus pacem conficerent, coniugium duarum filiarum Alberti ducis Austriorum, generi imperatorij, nouo regi, fratriq; eius petere iussi sunt. Sed reiecta res ab imperatore, ut prius disſidiorum causæ conuentu instituto summouerentur, eiq; rei constituta dies ad Pentecosten insequentis anni. Quòd autem tunc nihil impetratum est in causa fuit illud, quòd imperator tutelam regis, & gubernationem regni sperabat & ambiebat: legatosq; largitione & pollicitatione frustrà tentarat, ut eum sibi honorem publicè uel simulatè deferrent repudiaturo honestius, quàm diuulgarat. In eam autem spem adduxisse eum ferebatur Ioannes Gamratus, præcursor ante legatos missus, qui cum his mandatis uenire legatos regios, à Petro Saffranecio palatino Cracouiēsi, ei nunciarat. Cum Cruciferis conuentus actus apud Racianzum & Zlotoriam ad natalem diuæ Mariæ: sed utrinque re infecta discessum, propterea quòd in expectatione erant Cruciferi, quònam modo succederet Liuoniensibus, qui Samagitiam & Lithuaniam cum Suitrigellone tūc bello infestabant: & iam nostri discedentes Bresie Cuiauiense peruenerant, cum eos commendator Osterodensis consecutus est, de pace postulans. Fefellerat enim Cruciferos euētus Samagitici belli. Nam Liuonienses præda onusti è Samagitia reuertentes, in sylua quadam succisis arboribus impediti à Samagitis, & circumuenti, magnaq; strage profligati erant. Atq; id nostri quoq; eo ipso puncto temporis, quo commendator aduenit, cognouerant. Prorogatus est tamen conuentus, et induciæ ad tertium Nonas Maias insequentis anni. Cum Silesijs quoq; Benzini conuētus actus est, ipsis postulantibus, propterea quòd Cristinus Cozeglouius castellanus Sandecensis damna passus à prędonibus Silesijs, cum fœnore ipsis uicem reddebat, & Gliuiciam oppidum in Silesia interceperat. Renouata pax his conditionibus, ut Nicolaus Coricius turbator pacis unà cum socijs suis utrinque pelleretur: damna data, acceptaq; inuicem ut compensarentur. Deinceps uerò, si quod latrocinium ab alterutris in alteros patraretur, ad id armis persequendum ut præstò essent ij quoq; ipsi, à quorum parte id exitisset: nec diu tamen hæc à Silesijs obseruata sunt ad ingenium redeuntibus. Podoliam uerò cum Suitrigello infestaret, ac Theodoritum siue Fedconem Nesuissensem ducem cæpisset, repressus est à nostris ducibus Vincentio Samotulio, & Michaele Buxacio: receptusq; & liberatus Fedco, Braslauiam & Cremeneciam regi dedidit, moxq; rursus concedente rege eas, quoad uiueret retinendas recepit, cùm se unà cum posteris suis, Sbarassium, Viniciam, Chmelnicum & Socoliciam retenturis, in fide & clientela eius & Polonorū fore solenni iureiurando professus esset: pmisissetq;, non nisi iuratis in uerba regis atq; regni, præfecturas & custodiam illarū arcium se mandaturū esse. Porrò domi diutius res agitatæ inter sacrum & profanū ordinem, conuentumq; sępius, neq; tamen conuenire quicquam inter partes poterat, Melstinio, Sbanscio & Strasso omnia turbantibus. Temperatum tamē est à ui, metu interdicti ecclesiastici. Ad extremum pedetentim turba omnis cōquieuit, compluribus ex ijs, qui signiferi erant illarum turbarum, iusto Dei iudicio, quemadmodum creditum est, intra breue tempus extinctis: cæteris uerò religione & metu perculsis. Illud autem in contentionem uenerat, quòd cupiebant profani ualere cōstitutionem Iaroslai archiepiscopi:

Rusſica et Podolica nobilitas exæquata cum Polonica.

Nicolaus Coricius.

Sigismundus tutelam Vladislai regis expetiuit.

Conuentus cum Cruciferis.

Cristinus Cozeglouius ultus est Silesios, & Gliuiciam cæpit.

Braslauia & Cremenecia et reliquæ munitiones Podoliæ regi deditæ.

Causæ disſidij inter ordines.

qua fanciebatur, ut qui agri ex illo tēpore coli cœpissent, ex ijs ne manipularis decima penderetur. Verùm ea constitutio per uim expressa esse ferebatur. Præterea, quem agrū quisq; eques, agresti & adscriptitio depulso, per se ipse coleret, ut inde parœco suo decimam penderet, quamuis alij prius ea pendi solita esset. Sed neutrum extortum: illud modò concessum equiti, ut quoscunque agros coleret, ex his canapale ne solueret, neq; conueheret suo curru decimam: neque delectum in ea sacerdos haberet, nisi data opera uitiosum frumentum ab equite relinqueretur. Aliud quoque equitum minoris Poloniæ intestinum inter ipsos dissidium mortuo Spitcone palatino Sendomiriensi, de conferendis honoribus in conuentu Vislicìensi diuersis partium studijs excitatum, sedatum est: cùm esset constitutum, ut uacantes honores ijs qui essent gradu proximi, conferrentur. Itaq; Ioannes Cizouius, qui castellanus Sendomiriensis erat, palatinus factus est. In eius uero locum castellanus Lublinensis suffectus, & sic alijs alij deinceps successerunt: Biezensem uero castellaniam Clemens Strelcius, cognomento Vantropca, alter de prouisoribus Cracouiensis tractus, nobilitatis suffragijs adeptus est. Verùm hæc duo extrema insequenti ferè anno, qui fuit à Christo nato 1435. acta sunt. Conuentus deinde rursus cum Cruciferis apud Breste Cuiauiense & Sluzouiam eodem planè, quo superiori anno, euentu actus est, Cruciferis itidem ex euentu Samagitici belli pendentibus, & nostrorum facilitate abutentibus, & ad octauum Idus Decembris conuentum & inducias prorogantibus. Inde Siradiæ comitia rex habuit. Ibi de dimittendo Helia Valacho petitum ab eius fautoribus, nec tamen impetratum. Sed tamen post paucos dies is, siue præfecti conniuentia, siue custodum negligētia euasit, & miscere Valachiam ciuili bello adortus est. Autumno uerò Suitrigellonis exercitus, cum auxiliaribus Cruciferis Liuoniensibus insigni strage in Lithuania à Polonis, duce Iacobo Cobilenio in auxilium Sigismundo duci, à rege missis, & Michaële Sigismundi magni ducis filio, ad Vilcomiriam profligatus est: multi mortales capti, multi cæsi: multi Suantæ fluuij undis, ubi commissum est prælium, extincti: ibi robur omne Liuoniensium cum magistro & marsalco concidit. Captus est in eo prælio Sigismundus Rotus Silesius, is qui à Cæsare ad Vitoudum proficiscens, à Ioanne Zarnicouio captus, & sub militari sponsione dimissus, fidem fregerat: itemq; Coributhus, qui paulò antè è Bohemia, ubi negligi iam se animaduerterat, per Prussiam cum auxiliaribus Bohemis & Silesijs reuersus, cum Suitrigellone se coniunxerat: uterq; in profluentem demersus. Tametsi de Coributho fama uariat: nam & ueneno in medicamentum infuso, à Sigismundo duce extinctum esse, uulgatū est. Suitrigello uerò cum paucis Russis effugit: sed ex eo tempore Smolenscum, Orsam, Poloscum, Vitepscum, & Russiam ferè omnem, uictoris fidem secutam, amisit. Miserat interim, dum hæc in Lithuania geruntur, Sigismūdus Imperator legationem ad Vuladislaum regem, ut bellum inter cognatos duces dirimeret, non tam pacis cupidus, quàm quod Suitrigellonis partibus, quē ipse uanis promissis ad id bellum concitarat, metueret. Ei legationi, priusquam de exitu belli Lithuanici cognitum esset, responsum est: libenter id facturū fuisse regem, si integrum esset: uerùm credere eum, illos collatis signis iam ferro inter se decreuisse. Vtrilibet autem cessisset uictoria, eum difficiliorem fore ad æquas conditiones pacis. Necdum legati discesserant, cum de uictoria Sigismundi allatum est. Quo minus postea negocij fuit cum Cruciferis in conficienda pace perpetua, cum ij fracti animis, duriores etiam conditiones accipe rent. Insequēti demum anno, ad Pentecosten proceres Vngarorum & Polonorum apud Kesmarcum conuenerunt: sublatisq; dissidiorum causis, pacem inter reges suos fecerunt. Qua cōfecta, misit rursus Vuladislaus rex legationem ad Imperatorem, coniugiū neptiū eius sibi, fratriq; postulans. Nec ille abnuit, sed in aliud tēpus, quo esset bellicis curis & negocijs Bohemicis solutior, eam rem reiecit. Iam enim pertæsum erat Bohemos proceres, ciuesq; Pragenses malorum, quę ex dissidio domestico, ac Taboritarum & Orphanorum licentia magis ac magis in dies pullulabant. Inter quos desertores sacrificuli potissimùm prætextu religionis impotēter dominabantur, & in quos collibitum erat sæuiebant. Nam cum inter eos de religione & ritibus sacrorum non conueniret, ut fit, ubi semel a legib. & institutis maiorū priuata paucorū temeritate discessum est, alij in alios leuem, credulamq; multitudinem cōcitabant: ita ut plurimū sanguinis humani effunderetur, templa euerterentur, magistratus in urbibus & oppidis è profligatissimorū hominū libidine instituerē tur ac destituerentur: quin ad supplicia quoq; raperētur, urbes deniq; & oppida diriperentur. Quæ cū explorata haberet Sigismundus, nihil curę, ac diligentię prætermittebat, quo eos qui quietis & ocij cupidiores esse uidebantur, sibi & Ecclesiæ catholicæ reconciliaret.

Ad

Nobilitati prærogatiuæ concessæ à sacerdotibus.

1435. ann. Cōuentus cum Cruciferis irritus.

Sigismundi Roti fidefragi interitus.

Sigismundi Imperatoris legatio ad Vuladislaum regem.

Bohemorū incommoda ex dissidio religionis.

Sigismundi Imper. studiū pacandæ Bohemiæ.

Ad quam rem conficiendam concilij Basileensis ope & authoritate usus est. Ac indultus quidem est eis à concilio promiscuus usus Eucharistiæ, sub speciebus panis & uini, ubi is iam inoleuisset: ea tamen lege, ne diuersum usum improbarent, neu se ab Ecclesia catholica in ceteris ritibus, dogmatibusq; seiungerent. Quibus rebus ita transactis, publicè ab ea gente Sigismundus per hoc ipsum ferè tempus, quod persequimur, rex appellatus est: ingressusq; Bohemiã, ad pacãdas res animũ intẽdit, nec diu postea uixit. Neq; Vuladislaus, bis reiectus, urgere deinceps desideriũ suum eo uiuẽte perrexit. Porrò inter Valachos fratres dissidium tunc rex per legatos cõposuit, partitus inter eos dominatũ, ita ut inferior & maritima ora, quam Bessarabiam uocant, in qua Bialogradum arx est, & Kilia, Stephano: superior uerò, hoc est occidentalis, & Rusis uicinior, cum Sozauia metropoli, Heliæ cederet. Qui quidem Helias incunctanter Leopolim ueniens, in uerba regis præsentis, & habitu regio præsidentis, unà cum proceribus suæ partis iurauit: uexilloq; ritu solenni ad pedes regis abiecto, in fide & clientela eius & omnium deinceps regum Poloniæ semper se fore, & contra quosuis hostes summa ope se ipsis affore professus est. Quo facto, rex eum subleuatum exosculatus est: proceribus uerò Valachis dextram dedit, tributumq; cẽtum equorum: totidem, siue ut uolunt alij, quadringentarum purpurarum, quadringentorum boum, ac ducentorum curruum Visonis siue Vsionis (piscis id prægrandis nomen est, cuius ferax est Danubius) in singulos annos imposuit (quanquam pisces, bouesq; muneris tantum loco tunc ab eo regem accepisse, nonnulli prodiderunt) Sepinensem uerò tractũ, diplomaq; paternum, quo is tractus Stephano donabatur, ex pacto ab eo recepit in compensationem damnorum, quæ Alexander pater eius in Colomeiensi & Snatinensi præfecturis dederat. Tametsi eo demum anno, quo Vuladislaus rex perijt, munitiones eius tractus Ioanni Cizouio castellano & præfecto Cracouiensi, & Petro Odrouanzo palatino & præfecto Rusiæ, à Marilia siue Maria uxore Heliæ & præfecto Chocimensi traditas esse reperio. Porrò Haliciensis arcis usum Heliæ, quoad uiueret, rex concessit. Eius autem precibus adductus Vuladislaus, Ioannem Odrouãzum, Leopoliensem archiepiscopum esse, post Ioannem Ressouium paulò antè mortuum iussit, amoto Syluestro Sciechouio, qui iam paulo antè à collegio electus erat. Ostendebat & Stephanus, missa ad regem legatione cum amplissimis donis, & commemoratione studij, meritorumq; suorũ erga ipsum recentium, simile iusiurandum, se uelle dare, cum diu id prius facere distulisset, sed nescio cur siue ipse distulit, siue relectus est: nisi fortè satis esse uisum est, quòd is Heliæ fratri palatino fidem suam Bialogrodi obstrinxit. Sed post quartũ demum annum & ipse & Helias frater iterum cum uniuerso senatu suo in uerba eiusdem regis iurauit. Sub finem anni fœdus cum Cruciferis Prussiensibus & Liuoniensibus Breste Cuiauiensi ictum est à rege: quo cautum est fide & iureiurando principum, inter cætera, ut fœdus Cruciferorum cum Suitrigellone esset irritum: episcopis & Ecclesijs Polonicis bona sua ac decimæ in ditione Cruciferorum saluæ essent atq; liberæ, fructus uerò præteritorũ duorũ annorũ intercedi, ad Pascha proximum ut eis à Cruciferis restituerẽtur. Episcopo uerò Vuladislauiensi mille ducenti aurei pro domo Gdanensi diruta soluerentur. Nouam Marchiam & Chosnum rex Cruciferis, ipsiq; uicissim Nessouiam ac dimidium traiectum Vistulę apud Toruniam regi redderent, & nouẽ millia florenorũ & quingentos aureos numerarent: Iasẽeciã retinerent: nec fraudi esset cuiquã, à suis dominis ad hostes defecisse: finiũ regundorũ ratio certa præscripta: de controuersijs dirimendis conuenit, ut quotannis bini utrinque delecti arbitri certo loco conuenirent, sed ita, ut Polonos magister, Prussienses rex ederet: atque hæc pacta conuenta noui reges, magistri, atque duces intra annum uertentem à creatione sua, consiliarij uerò atque subditi decimo quoque anno solenni iureiurando coram legatis alterius partis approbarent: nobilitas atque ciuitates cauerent sibi inuicem, non fore se dicto audientes dominis suis, si ij contra hæc pacta uenire uellent: idq; impunè fore, principes ipsi suis quisque subditis intra certum tempus cauerent: quod quidem fecerunt postea. Fatalis autem annus ille fuit archiepiscopis. Nam & Albertus Iastrembecius Gnesnensis archiepiscopus eodem autumno uitam cum morte commutauit. Cui collegium illius ecclesiæ Vincentium Cotum Dembenium, gente Doliuium, custodem Gnesnensem, & pædagogum regium, successorem dedit: nequicquam aduersantibus proceribus & curatoribus regni, qui Vuladislaum Vuladislauiensem episcopũ, cum Sbigneus Cracouiensis renueret, sufficere Alberto uoluerant. Superiori autem anno Ioãnes Lubenius cognomento Slezus Præmisliensis episcopus mortuus, Nicolaum Chranstouium gente Suegomiũ, regis & procerũ uoluntate, summoto Francisco Orecio decano

Cõmunio sub utraq; specie Bohemis concessa à cõcilio Basileensi.

Valachorum tributum.

Haliciẽsis arx Valacho cõcessa ad tempus.

Pax Brestensis & pacta cum Cruciferis.

Nicolaus Chrãstouius episcopus Præmisliensis.

Leopolienſi & canonico Præmislienſi, qui à collegio electus erat, ſucceſſorem accepit. Sequens annus nulla re memorabilis eſt, niſi quòd cum Sigiſmundo Lithuanorum principe de Suitrigellone reconciliando per principes ſenatus, legatos à rege miſſos, fruſtrà actum eſt.

Suitrigello ſupplex, nō potuit tamen cum Sigiſmundo reduci in gratiam.

Commouerat enim Suitrigello regem ſenatumq; Polonicum ad miſericordiā, ſupplici habitu adueniens, & Luſcum, quod adhuc retinuerat, regi tradens: quod nō multò poſt rex Sigiſmundo repetenti ex fœdere tradidit, ea lege, ut eo mortuo in ditionem regis & Polonorum cum tota Volynia recideret. Daugerdus uerò cùm creatus eſſet palatinus Vilnenſis, iuſiurandum dedit, ſe poſt Sigiſmundi magni ducis mortem, nō niſi Vvladislao & ſucceſſoribus eius regibus Polonorum, arcem Vilnenſem traditurum eſſe.

1438. ann.

Inſequenti anno, qui fuit 1438. non uſque adeò quietæ res fuêre domi, foriſq;. Etenim Spitco Melſtinius partim inueterato in Sbigneum epiſcopum, quod conatibus ſuis ad nouandas res intētis obſtitiſſe, odio, partim etiam nouo, quod de hæreſi Bohemica exagitaretur, inflammatus, bona eius Viſſeuenſia Melſtino arci propinqua, armata manu inuaſit atq; diripuit: caſtellum interceptum præſidio muniuit. Citatus à rege uelut publicæ pacis turbator, in gratiam cum Sbigneo rediit, cùm ei communium amicorū arbitrio ſatisfeciſſet: quę tamen gratia diuturna non fuit. Ea uerò niſi fallor cauſa fuit utriuſq; ordinis proceribus,

Comitia Corcin.

ut in comitijs Corcinenſib. menſe Aprili habitis, ſanctè ſe obſtringerent, pro perduelle habituros, quiſquis iudicia contemneret, armiſq; priuato conſilio ſumptis ius ſuum perſequeretur: & quiſquis hæreſim ullam profiteretur, aut profitentes defenderet. Vbi etiā minores Poloni frequentes contra prouiſores ſiue curatores regios conſpirarunt, dominatus eorum pertæſi: ſiue adeò indignum eſſe rati, paribus parêre. Vix dum hoc malum conquieuerat, cum ſubitò aliud exortum eſt. Derſlaus Rithuianius, auctus opibus & animo ex direptis facultatibus pro patrui ſui Alberti archiepiſcopi ſuperiori anno defuncti, validam peditum, equitumq; manum coēgit. Accitusq; ad regem, negauit ſe quicquam cōtra rempub. moliri.

Derſlaus Rithuianius Zatoriam intercepit.

Dimiſſus, nocte quadam ad Zatoriam duxit, & ſcalis admotis oppidum id cœpit, oppidanis nihil eiuſmodi ſuſpicantibus: deinde Oſuencimenſem tractum omnē in ditionem ſuam redigere adortus eſt, & magnum uicinis Sileſiorum ducibus terrorē incuſſit: & iam Sigiſmundus Imperator, ac Vngarorum & Bohemorum rex ætate, laboribus, morboq; confectus obierat. Moleſtum tamen regi, ſenatuiq; fuit, quemadmodū ſcribit Dlugoſſus, uicinum & amicum principem, eamq; oram quæ promptuariū quoddam eſt Cracouiæ, à ſuis uexari. Nec tamē reuocari ſe Derſlaus à cœpto paſſus eſt, donec, dum incautius ſtatiua habet, fuſus, fugatusq; à Sileſijs, regi Zatoriā tradidit, acceptis ab eo mille marcis impendiorū nomine. Rex uerò non prius eam Venceslao Oſuencimenſium duci Cazimiri filio reddidit, donec is in fide & clientela regis Polonorū ſe unà cum Præmiſlo & Ioanne fratribus impuberibus fore deinceps ſolenni iureiurando ſpopondit,

Berualdū accepit rex pro Zatoria.

& Berualdum caſtellum infame latrocinijs ipſi conceſſit. Dederant autem ei rei cauſam duces ipſi Sileſij, qui cū latè propagati patrimonia ſua in tenues portiones diduxiſſent: neq; commodè & pro dignitate inde ſuſtentare ſeſe poſſent, rapto uiuere neutiquā turpe aut ignominioſum ducebant: & cum alias in mercatores, uiatoresq; graſſabantur, tum poſt pacem haud multo antè cum Polonis factam, Velunenſe territorium nouo latrocinio infeſtarāt: quanquam non impunè.

Laurētius Zaremba Sileſios ulcis.

Nam reuertentes a Laurentio Zaremba, cæteraq; Velunenſi nobilitate præda omni exuti, trepidè domos dilapſi ſunt. Sic ergò tunc Vvladislaus Sileſios ultus eſt. Quo fit, ut minus moleſtè factum illud Rithuianij tuliſſe uideatur. Bohemicum deinde bellum exarſit, neq; ſpacio temporis diuturnum, neq; exitu funeſtum. Cuius hæc fuit cauſa. Sigiſmundus Imperator moriens, cùm animaduertiſſet Barbaram uxorem ſuā, de regno magis, quàm de uita ſua ſollicitam, cum primoribus Bohemorū clandeſtina conſilia conferre, Albertum generum ſuum, ducem Auſtriorum, Vngaris & Bohemis proceribus diligenter commendauit: Barbara, quæ regna illa ad Vvladislaum regem Polonorū dotalia afferre, quàm filiam reginam uidere malebat,

Barbara imperatrix capta.

capta Znoimæ, & cum funere mariti in Vngariam ducta eſt. Neq; ſatis cōſtat, an ita Sigiſmundus ipſe iuſſerit. Poſt Sigiſmundi mortem nihilo minus Bohemi in duas factiones diuiſi, partim Albertū, quem Vngari iam ſibi regem creauerant & coronarant, partim Cazimirum Vvladislai regis fratrem ad regnum inuitarunt. Acceptauit delatum regnū Cazimirus, magna & ſaniore ſenatus Polonici parte nequicquam diſſuadente: cæterùm iunioribus & prouiſoribus ſiue curatoribus regni, compendij ſui cauſa, quemadmodum creditum eſt, in primis ſuadentibus.

Polonorum expeditio in Bohemiam.

Itaq; miſſi in Bohemiam ad adeundam poſſeſſionem regni, nomine Cazimiri Sendiuoius Oſtrorogius Poſnanienſis, & Ioannes Tencinius Sendomirienſis, palatini, cum non contē-

nendis

nendis copijs, uel ut habet Bonfinius, cum duobus tantũ millibus equitum, pacato agmine per Silesiam iter fecerunt, cum his sese non exiguus Bohemorũ numerus coniunxit, ita ut ad quatuordecim millia essent in eo exercitu uastabatq; is aduersariorũ agros. Præuerterat eos Pragam Albertus, iamq; solenni ritu diadema susceperat. Quin coegerat etiã longẽ ualidiorem exercitum cùm de Bohemis & Vngaris, tum ex omni ferè Germania, cum eo igitur, monitu suorũ obuiam hostibus prodijt. Cazimiriani ne iniquo loco cũ lõgè potentiori hoste pugnare cogerent, ad Thaborum oppidũ fossis & carris castra cõmuniunt. Nec Albertus castra oppugnare ausus, nõ longè & ipse castra sua metatus est. Crebris excursionibus & leuibus certaminibus haud leuia utrinq; damna accepta. Cum autem Cazimiriani, quo tutiores essent ab ictibus bombardarum, quib. acriter petebantur, in oppidum se recepissent, dimisit Albertus exercitum. Nam difficili & ipse pabulatione atq; annona iam utebatur: & perdifficilis erat oppidi operib. præsidioq; permuniti oppugnatio. Cazimiriani quoq;, nullo operæprecio facto, numis exhausti, & amissis equis Bohemia excesserunt. Verum id priusquã Vuladislaus rex factum resciret, quoniã de periculo eorũ certior factus erat, nihil deterritus minaci legatione Alberti, Poloniã omnẽ ad bellũ Bohemicum exciuit: & qua proximus patebat aditus, Cracouia proficiscenti, in Silesiam cũ infesto minorũ Polonorũ exercitu ingressus, longè, lateq; eam uastauit. Idem ab altera parte maiores Poloni in inferiore Silesia fecêre. Causæ aũt uexandæ Silesiæ hæ fuerũt, quòd Silesij partes Alberti sequebantur, & quòd latrocinijs Poloniã infestare nõ intermittebant. Ad hæc adulterina moneta cudenda & importanda, non parũ incõmodi Poloniæ afferebant. Itaq; hi, metuq; adacti, Venceslaus Opauiensium & Ratiborięsium, Boleslaus Glogouiensiũ & Oppoliensiũ, Bernardus item & Ioãnes, & Nicolaus Oppoliensiũ Silesiorũ duces, & nobilitas Bregensis, fœdus cũ Vuladislao & Cazimiro icerunt, Cazimirũq; electũ regẽ Bohemorũ approbarunt, pollicẽtes tum demũ se in uerba eius iuraturos esse, ubi is diademate a Bohemis redimitus esset: de falsa quoq; moneta inhibenda receperũt. Osuencimensiũ uerò duces, Venceslaus, Premislus & Ioannes, primi omniũ spoponderũt, se contra Cazimirum nemini affuturos esse. Quòd si aliorum Silesiorũ uoluntates in eum inclinarent, se in uerba eius iuraturos esse. Hæc tunc acta in Silesia. Inde uerò in Bohemiã rex progredi, & suis opem ferre parabat. Sed cum de statu rerum Bohemicarũ apud Opauiam è palatino Sendomiriensi, è Bohemia reuertente, cognouisset, exercitũ dimisit, domumq; redijt. Non fuerunt in ea expeditione Rufsi & Podolij, clade domestica, quã insignem eius æstatis initio à Tartaris acceperant, impediti: & ne qua maiore etiam absentes obruerentur, ueriti. Excurrerant enim Tartari populabundi in Podoliã, ingentemq; prædam abigebant. Recedentes eos cum Podolij ualida manu facta persequerentur, in limosam quandam paludem ex metu recipere se coegerũt: ignariq; locorũ, adactis equis impetum in eos fecerunt. Stabant cõtrà instructi Tartari æquiori loco, eminusq; imbrem sagittarum in nostros, cum cœno conflictantes, iaculabantur. Ibi ancipiti malo perculsi primi, extremis, ut retrocederent, sibiq; explicãdi sese ex illa difficultate locũ darent, significabãt. At illi actum esse de suis rati, in fugam se prorsus coniecerunt. Nec Tartari occasioni defuerunt. Obtritis enim primis, cæteros auersos obstinatè persecuti, magna strage profligarũt, neminem unũ seruantes. Ibi pleraq; omnis nobilitas & firmamentũ Rufsię cum Michaële Buzacio præfecto Podoliæ concidit, ita ut crebris deinceps excursionib. Tartari omnẽ illam regionem absq; metu peruastarent. Non est autem prætereundum egregium fortis uiri facinus, tolerantiæq; exemplum singulare, Ioannes Vulodicus, gente Sulimæus, multis uulnerib. cõfectus, cum inter cadauera iacens à uictorib. despoliaretur, ita cõpressit uitalem spiritum, ut cum barbarus caligas de pedib. eius non sine uulnere resclinderet, digitumq; cũ annulo præcideret, tamẽ nullã doloris atq; sensus significationẽ edidit, & incredibili patientia uitam seruauit. Vidisse eum se postea cũ illis notis, Dlugossus memorat. Per illud tẽpus Albertus rex Cæsar à Germanis principib. appellatus est: quem honorẽ uix, ac non nisi assentientibus Vngaris, quib. promiserat se eum non esse suscepturũ, suscepit. Barbara uerò socrus cum ei cunctas possessiones, quas dotales in Vngaria, Bohemiaq; habebat, concessisset, ac duodenũm millium aureorũ pensionem annuam ab eo accepisset, dimissa ab eo ex Vngaria in Poloniam commigrauit, & à Vuladislao rege perhumanè atq; honorificè accepta est: & Sendomiriensem arcem cũ præfectura & omnibus emolumentis ad utendum fruendumq; & habitandum, quoad uiueret, accepit. In Bohemia tamẽ eam nequiter, libidinosè, sine ulla religione & spe futuræ uitæ reliquum ætatis exegisse, uitaq; defunctam, in arce Pragensi in sepulchris regum solenni pompa à Georgio Podiebracio guber-

Albertus rex Bohemorum.

Poloni re infecta Bohemia excesserunt.

Silesiorum pacta cum rege Polonorum et fratre eius Cazimiro.

Tartari Podoliam uastarunt, & Podolios profligarunt.

Ioannis Vulodici patientia.

Albertus Cæsar.

Barbaræ impotentia atque ...

gubernatore conditam esse, Vngaricarum & Bohemicarum rerum scriptores memoriæ prodidêre. Eodem anno confirmatum est Vvladislao regnum in comitijs Petricouiensibus, mense Decembri habitis: amotiq; ab administratione curatores siue prouisores, cum re... iam quintumdecimum annum (qui apud nos finiendæ tutelæ legitimus est) attigisset, ac iusiurandum solenne dedisset. Sigismundo magno duci Lithuanorum, renouati pacta conuenta cũ Iagellone & Polonis, stabilitus principatus regio diplomate. Monetæ quoq; probandæ, qui præessent in singulis ciuitatibus, designati: ualde enim iactabatur numus. Verùm non diu id decretum ualuit, præterquàm in minore Polonia & Rusia. Non conueniebat tunc inter Eugenium papam & concilium Basiliense. Ille enim concilium Ferrariam reuocabat: quò iam Ioannes Palæologus Imperator, & Iosephus patriarcha Cõstantinopolitanus cum compluribus Græcis episcopis ea ipsa de causa appulerant: concilium uerò pontificatum Eugenio abrogauerat, & alium pontificem creabat. Et cõcilium tamẽ & pontifex per oratores de pace inter Cæsarem & regem Polonorum componenda diligenter egit: quò commodius sublato inter hos principes bello, Græcis atq; Vngaris subueniretur. Vtrisq; enim grauis erat rex Turcarum Amurathes: transalpinensem Valachiã uectigalem sibi fecerat. Ac per illud ipsum tempus Rasciam & Serbiam uectigales regum Vngarorum ditiones affligebat: Singidunũ siue Sinderouiam, uel Smiderouiam, quemadmodum nostrates uocant, urbem in ripa Danubij non multo infra Belogradum, quam Nandor Albam appellant, sitam, obsidebat & oppugnabat. Nec succurrere socijs Cæsar commodè poterat, Polonico bello distentus. Non abhorrebat igitur is à pace. At ne Poloni quidem: iam enim refrixerant studia Bohemorum in Cazimirum: Silesij uerò Alberto marchione Brandeburgensi duce accepto à Cæsare, crebris populationibus, quemadmodum scribit Aeneas Syluius & Dubrauius, Poloniã uexabant: siue adeò, ut uult Bonfinius, uexare parabant. Itaq; ex illis ipsis comitijs Petricouiensibus quatuor de primoribus Polonis legati missi ad Cæsarem Vratislauiã, quò is uenerat e Bohemia, multis hinc inde iactatis, eò rem perducebant, ut potestas fieret Bohemis denuò, quem uellent regem creandi. Id eo lubentius faciebant nostri, quòd Cæsar secretò pollicitus esse dicebatur archiepiscopo principi legationis Polonicæ, daturum se Cazimiro Bohemiam in dotẽ cum filia natu minore. Nec tamen de pace conuenire ibi potuit, uariante Cæsare conditiones pacis, Teuthonum quorundam cõsilio & maleuolentia. nam ipse uir bonus erat, & pacis amans. Discedentes autem legati infecta pa[ce], precibus legatorum pontificis atq; concilij ægrè reuocati sunt. Namyslouiæ denuo tentatum de conditionibus pacis: neq; ibi tamen ea conuenit: induciæ modò quadrimestres, per quas commodius pax conficeretur, constitutæ. Atq; id anni millesimi, quadringentesimi, trigesimi noni principio actum est. Quo quidem anno pax foris fuit, domi turbæ quædam, siue nouandarum in religione rerum studio, siue ecclesiastici ordinis odio & inuidia, siue utroq; excitatæ, paucorum supplicio sedatæ sunt. Corcinum ex composito, quemadmodum uult Dlugossus, indicta erant comitia post pascha. Et iam rex, peragrata maiore Polonia, & parte Rusiæ, eò uenerat: conueniebant & proceres, cum Spitco Melstinius, facta clàm non contemnenda manu equitum assclarum, agrestibusq; suis armatis. apud Piascum maiorem pagum suæ ditionis, haud longè à Corcino, in oppidum improuisus irrupit: & impetu facto in diuersoria Vvladislai Vvladislauiensis episcopi, & Nicolai Lasocij decani Cracouiensis, summo manè quiescentibus adhuc omnibus ea diripuit. Idemq; de monasterio fecit, cum ibi Ioannem Conespolium cancellarium, & Ioannem Olesnicium marsalcum, qui ibi diuerterãt, non inuenisset. Commodum enim sese subduxerant, præmoniti à quibusdam Spitconis socijs, quòd eum infensum ipsis esse nouerãt, quippe qui conatibus eius antea restitissent. His patratis, ex oppido suos eduxit: & e regione oppidi, ubi Nida restagnans Vistulæ miscetur, castra curribus & fossis munire cœpit. Sed priusquàm ea perficeret, coadunati omnes qui circum regem erant, impetum in exercitum eius Hincia Rogotio, ac Dobeslao Scecocinio, inermes ferè in armatum fecerunt: commissoq; prælio, cum Spitconem ipsum inter primos pugnam cientem interfecissent, facilè cæteros in fugam egerunt. Nec multũ ibi sanguinis fusum est: parci enim rex agrestibus, qui inuiti dominum secuti erant, iussit. Non pauci tamen in Nidam fluuium, quem à tergo habebant compulsi, submersi sunt: in Spitconem palpitantem adhuc iudicium institutũ, damnatusq; perduellionis, triduo nudus & inhumatus in publico iacuit. Rapstinum arx eius in ditionem regiã redacta: Melstinum uerò uxori eius deprecanti concessum. Quin & iudicium, decretumq; suũ rex proceribus supplicantibus, ne quid factum eius posteris obesset, clementer abrogauit, quòd

Comitia Petricouiæ. *Prouisores abrogati.*

Oratores Eugenij & Basil. concilij ad Cæsarem & Polonos.

Polonorum legatio ad Albertum Cæsarem.

Induciæ Polonorũ cum Cæsare. *1439. ann.*

[illegible]

Spitco Melstinius interfectus, & perduellionis damnatus.

Rapstinũ arx Spitconi adempta.

amentia

amentia deliquisse diceretur. In Sbigneum uerò episcopũ conatus illos suos maximè intendisse Spitco existimatus est, partim propter litem quandam priuatam ex affinitate ortam: partim etiam, quòd diris deuotus, & senatu abstinere iussus erat ab episcopo propter hæresim. Sed uim eius Sbigneus præmonitus, ad comitia non ueniendo, declinauit. Vulgo etiam creditum est, quemadmodũ Dlugossus memorat, suasu & instinctu Sophiæ reginæ Spitconem facinus illud aggressum esse: sed in quem, aut quam ob rem id illa intenderit, coniectura assequi non possum.

Spitco cur Sbigneo fuerit infensus.

Non minores in maiore Polonia per idem tempus motus erant, Abrahamo Sbanscio concitante: fauebat & hic Bohemorum sectæ, Bohemosq; sacerdotes hæreticos domi suæ alebat, per quos uirus in populũ spargeret: Orthodoxis uerò sacerdotibus, & episcopo Posnaniensi Stanislao Ciolco ita infestus fuerat, ut is Cracouiam commigrare cogeretur: eo uerò defuncto, & Andrea Bninio successore dato, magis etiam insaniebat Abrahamus. Et perculit quidem eum anathemate Andreas episcopus: sed cùm ea uia nihil proficeret, ui coërcere nouatores adortus est. Coactos enim nongentos amplius equites de propinquis & clientibus suis, ad Sbansinum arcem duxit, dediq; sibi quinque Bohemos sacerdotes coëgit, quos instaurato Posnaniæ iudicio publicè cremauit: nec multo pòst Abrahamus ipse mœrore, ira & pudore confectus perijt. Sic incendium illud pestilens haud leuiter iam gliscens in maiore Polonia, uirtute episcopi restinctum est.

Stanislaus episcopus Posnaniensis cessit Sbanscio.

Habuit autem hic Andreas in episcopa competitorem Nicolaum Lasocium decanum Cracouiensem: quem bona pars collegij Posnaniensis elegerat, & rex Eugenio Pontifici Max. commendarat: sed tamen Andream prætulit pontifex infensus Lasocio, quòd legatus regio nomine in Basileense conclio, cum ibi de abrogando ipsi pontificatu ageretur, fuisset.

Nicolaus Lasocius electus Posnan. sed nõ confirmatus.

Hoc anno Stanislao Pauulouio episcopo Plocensi mortuo, Paulus Gizicius scholasticus Cracouiensis & canonicus Plocensis successit, confirmatus à Vincentio archiepiscopo Gnesnensi, propterea quòd de Eugenij Pontificis Max. à concilio deiecti authoritate dubitabatur. Eodem anno magna pars Cracouiæ gemino incendio conflagrauit. Superiori uerò Nicolaus Seraphinus præfectus salis, & nonnulli alij de senatu urbis, ob importatam adulterinam monetam, populari inuidia penè deflagrarunt: quod ni conspirationem hominum subodorati, in arcem properè fugissent, cæsi essent tumultu & concursu populi. Gliscentem seditionem Sbigneus episcopus repressit, coniectis reis senatoribus in carcerem, & post aliquot septimanas desidente ira hominum, dimissis.

Ad Pentecosten eiusdem anni actum de pace inter proceres Polonos & Vngaros, neque tamen regibus ipsis absentibus quicquam confectum: reiecta res ad congressum ipsorum regum: qui antequam contingeret, Albertus Cæsar ab expeditione, quam in Turcas nullo operæprecio instituerat, reuertens, disenteria ex immoderato esu peponum contracta, uitam finiuit.

Conuentus Vngarorum cum Polonis.

Post cuius mortem Vngari recta secum ratione perpendentes in quantis essent periculis Turcico bello implicati, communicato cum defuncti Cæsaris & regis sui uxore Elizabetha consilio, ad Vvladislaum regem Polonorum regnum unà cum ipsius Elizabethæ coniugio detulerunt. Tametsi prægnans tunc erat Elizabetha: sed neque certum erat, marem ne paritura esset, neq; tutum, maturam regno ætatem pueri expectare. Missi publicè ad acciendum Vvladislaum è Polonia, Ioannes Signiensis episcopus, Matcq siue Matthias Taloncius, Dalmatiæ & Croatiæ præfectus, quem Banum illi uocant, Emericus Marcellus magister curiæ regiæ, Ioannes Peremæus maior, & Ladislaus Palocius, mense Februario insequentis anni cum splendido comitatu & legatis ciuitatum Cracouiam uenerunt, & postulata totius Vngariæ Vvladislao regi exposuerunt.

Oratores Vngarorũ in Poloniam.

Res in consultationem senatus posita: uariabant sententię senatorum, dissuadentibus multis, difficultatemq; duorum amplissimorum regnorum administrandorum, & Turcici belli magnitudinem exaggerantibus: alijs contra rem splendoris & gloriæ plenam nequaquam repudiandam esse censentibus, neq; prodendã barbaris cum florentissimo regno salutem & amplitudinem reipublicæ Christianæ, quas illo quasi firmissimo quodam propugnaculo niteretur: & præstabilius autem, cõsultiusq; esse, Polonos Vngarorum armis atq; periculo contra Turcarum uim sese tueri, quàm illis proditis, & illo quasi intermedio pariete sublato, per se ipsos omnem maximi ac difficillimi belli molem sustinere. Pronior in eam partem erat Vvladislai animus, ut regno suo paterno cõtentus esse uellet, cùm propter illas, quas paulò ante exposuimus causas, tũ quòd adolescens prouectæ mulieris coniugium fastidiebat. Sed tamen cessit plurium diuersum suadentium sententiæ, & Vngarorum precibus. Et aderat fortè Amurathis Turcarum domini siue imperatoris legatio, quæ uiuente adhuc Alberto Cæsare missa, fœdus & amici-

Turcarum legatio ad Vvladislaum regem.

(tiam)

tiam tyranni, pecuniamq́, & centum millium armatorum auxilia Vvladislao contra Albertum deferebat. De conditionibus deinde cum Vngaris tractatum. Cōueniebat iam legatis, totius conuentus Vngarici & reginæ mandata disertè proferentibus, ut si Elizabetha regina ex Alberto Cæsare masculum posthumum peperisset, eum Vvladislaus ad Bohemorum regnum adipiscendum adiuuaret, Vngaricum ipse ad posteros suos transmitteret: quòd si nullos mares liberos relinqueret, tum demum ut Alberti posthumus in Vngaria ipsi succederet. Hæc dum ita constituuntur, interim aduolat ex Vngaria ueredarius cum literis ad legatos, quibus scriptum erat, ut re infectâ redirent, eo quòd regina filiū peperisset. Verùm non putabant id legati ex dignitate suæ gentis fore: & habebant etiam in eum euentum diserta mandata, ut etiamsi regina marem peperisset, nihilominus Vvladislao regnum deferrent. Abiecerat eo nuncio rex omnem de suscipiendo eo regno cogitationem: sed tamen uictus est legatorum perseuerantia. Tum demum Turcarum legationi, quæ aliquot menses Cracouiæ expectarat, responsum à rege datum est, regnum sibi ab Vngaris delatum esse: quòd si Amurathes amicitiam suam expeteret, Vngariam ne infestaret, socijs Vngarorum Rascijs redderet quæ ademisset. Nam is post expugnatum Smiderouiam, alias etiam quasdam Rasciorum munitiones partim uitente, partim defuncto iam Alberto cœperat. His ita confectis, legati Vngarorum, duobus ad deducendum regem relictis, cæteri in Vngariam reuerterunt: ac Perenæus quidem apud Sarissam arcem suæ ditionis regem uenientem hospitio accepturus substitit: Matthias uerò & Emericus ad reginam, dolorem & iram dissimulantem, contenderunt: eiusq́ iussu comprǽhensi, & in uincula cum omni comitatu suo coniecti sunt. Id ubi Sendiuoius Ostrorogius palatinus Posnaniensis, & Ioannes Conespolius cancellarius Poloniæ, qui legati à Vvladislao ad reginā missi erant, accepêre, omissa, Simonis Agriensis episcopi suasu, legatione, in Poloniam reuerterunt. Scindunt in duas partes Vngari, dum alij reginæ, alij Vvladislao student. Nihil tamen hæc Vvladislaum mouebant, ut mutaret sententiam. Quin aliud quoque longè maius impedimentum fortuna ei obiecit. Nam per eos dies, quibus iter adornabat in Vngariam, nuncium accepit è Lithuania, Sigismundum ducem Lithuanorum auarè & crudeliter dominantem, conspiratione Iuani siue Ioannis Rusi ducis Zartorien sis, & aliorum quorundam Russorum & Lithuanorum procerum apud Trocos interfectum esse, permultorumq́, maximè Samagitarum studia in Michaelem filium eius inclinare: Suitrigellonem uerò Luscum Russorum proditione rursus in potestatē suam redegisse: magnos etiam thesauros Sigismundus reliquerat, eosq́ Ioānes interfector unà cum Trocensi arce occuparat. Sic autem is Sigismundum ex insidijs adortus esse fertur. Vrsam habebat Sigismundus cicurem, quam ad mensam & ad cubiculū familiariter admittebat. Ea siue non ueneràt illo cunte cubitū, siue de more emissa exierat, & à coniuratis alicubi conclusa erat. Eius igitur unguiū strepitu ad ostium cubiculi assimulato, coniurati intromissi, ducem nihil tale suspicantem trucidarunt. Desiderabant nōnulli de primoribus Lithuanis regis præsentiam, & res ipsa flagitabat. Nihil tamen is de sua in Vngariam profectione mutabat, ne leuitate quadā aut metu, & angustia animi cœpto destitisse uideretur. Cazimiro uerò fratri recipiendæ, parandæ & gubernandæ suo nomine Lithuaniæ negocium dedit. Ingressurum autem iter post medium Aprilem, ingens aquarum inundatio, soluta tunc primùm niue & glacie, remorata est. Asperrima enim præterita hyems fuerat, magnaq́ niuium uis ante medium Nouembrē delapsa, ad illud usq́ tempus durarat. Neq uero bene superiore æstate fruges prouenerāt, ita ut hominibus uulgò folijs atq́ tenerioribus frondibus arborum, & radicibus herbarū uesci necesse esset. Pecudes uerò & iumēta uetustis tuguriorū stramentis detractis ægrè sustentata: indeq́ magna uis morbi passim grassabatur. Cuncta hæc agminatim concurrentia, ominosa uulgò habita, regem tamē minimè cōmouerunt. Itaq́ institutū iter adornans, in minore quidē Polonia & Russia Ioannem Cizouium castellanum Cracouiēsem, in maiore uerò Albertum Malscium palatinū Lenciciensem uicarios pro se reliquit: præfectos Cracouiensem, Posnaniensem & Podoliensem nescio qua de causa mutauit, & in Cracouiensi quidem præfectura illū ipsum Cizouium Ioāni Pileccio, in Posnaniensi Creslaum Curozuanzium Stanislao Ostrorogio, in Camenecensi uerò Theodoricum Buzacium Petro Polaco suffecit: porrò Scepusium Sbigneo episcopo Cracouiensi, ut inde sibi debitum pro argento cælato, signatoq́, cuius non modicum pondus regi mutuò dederat, deduceret, commendauit: Boleslao duci Masouiorum, præcepit, ne Drohicinensem tractum, quem post interfectum Sigismundū Lithuanorum ducem, ex fœdere uetusto, sed ab ipso Sigismundo renouato, occuparat, cur-

quam

Pacta Vvladislai regis cum Vngaris.

Turcicæ legationi responsum à rege datum.

Poloni oratores ad reginā.

Luscum à Suitrigellone interceptum.

Cazimirū rex Lithuaniæ pro se præficit.

Præfecti primarij mutati.

Drohicinensis tractus Lithuanis ademptus à Masouijs.

quam concederet. His peractis, & rebus omninò Polonis pro tempore constitutis, cum magnificentissimo apparatu, & comitatu nobilitatis Polonæ splendidissimo, & nulli exercitus speciem præ se ferente, in Vngariam profectus est: præmissoq; Simone Rosgonio episcopo Agriensi, Vincentio Samotulio castellano Medirecensi, Ioanne Senenio, & Andrea Tencinio, Budam in potestatem suam redegit. Quod quidem percommodè accidit: paulò post enim Vlricus comes Ciliæ, reginæ Elizabethæ propinquus, cum quingentis equitibus eandem ob causam à regina missus uenit: sed cognito quòd nostri arcem & urbem tenerent, ad reginam se uacuus recepit. Illa uerò certior facta de omnibus, filiũ suum Ladislaum nõdum quadrimestrẽ, sublato de Alba regali diademate diui Stephani, à Dionysio Zecho cardinali & archiepiscopo Strigoniensi, presentibus et assentientibus Benedicto Iaurinensi episcopo, Vlrico comite Ciliensi, Ladislao Gara ærarij præfecto, Nicolao Fristacio, Stephano Rosgonio, & Thoma Zecho fratre archiepiscopi, coronari curauit.

Vuladislai profectio in Vngariam.

Ladislaus posthumus infans coronatur ab Vngaris.

Posteaquam Budam uenit Vuladislaus, magnaq; nobilitatis & procerũ (in quibus & archiepiscopus Strigoniensis, & Ladislaus Gara fide publica accepta fuêre) multitudo ad eum conuenit, huiusmodi concionem per interpretem habuisse fertur. Alium ego, proceres & uiri Vngari, alium longè quàm uideo, regni huius statũ me reperturum esse speraui. Credebam enim summo omnium ordinum, hominumq; consensu me accitum esse, ut uobis uolentibus imperarem, Turcarumq; arma ab Vngaria depellerem. Itaq; omissis rebus Lithuanicis, quæ meam præsentiam nunc maximè requirebant, desiderio uestro, & precibus legatorum uestrorum satisfeci, & meum ad uos aduentum maturaui. At nunc aduenienti alia se mihi rerum facies offert. Non idem est sensus omniũ: diuersa studia: habet inter uos non paucos nec obscuros fautores Alberti filius posthumus, & iam ab his diademate redimitus est. Quid hinc aliud, quàm ciuile & penè parricidiale bellum inter uos propediem expectandum est? Eius ego uobis author causaq; esse nolo Vngari. Abundè regno paterno contentus sum. Vos, me nihil obstante, quouis modo commodis uestris, & quieti, salutiq; publicę diligẽter etiam atq; etiam prospicite: mei uerò nullam ducite rationem.

Vuladislai regis oratio ad Vngaros.

Hæc elocuto rege, secesserunt in consilium Vngari, admirantes regis modestiam, & excelsum animum. Deinde Laurentius Hedreuarus palatinus Vngariæ ex omnium sententia gratias regi egit, quòd patris clarissimi & optimi regis uestigijs insistens religionem Christianam defendere in primis studeret, quemadmodum ille propagare studuisset, plurisq; publicam salutem, quàm suam amplitudinem, faceret: deinde orauit eum, ut susceptũ semel summa omnium cum lætitia & spe optima regnum ne repudiaret. Non falli eum, quòd crediderit, publico omnium ordinum consensu id ad se delatum esse: permanere autem illum consensum, optima atq; etiam necessaria ratione nixum. Paucos siue muliebri consilio seductos, siue dominandi alieno nomine cupidos, cum regina mutasse sententiam, & alienissimum ab illo tempore de infante coronando consilium iniuisse: sed eorum conatibus improbis se cunctos usq; ad sanguinem obstaturos esse. Ne quam uerò ei dubitationem relinquerent, statim cuncti in uerba eius iurarunt, orsi ab Dyonisio archiepiscopo: sublatumq; de more gentis in humeros Vuladislaũ, acclamante populo, regem renunciarunt.

Responsum ab Vngaris Vuladislao datum.

Vuladislaus ab Vngaris rex renunciatur et attollitur.

Vissegradum deinde itum est, ubi asseruari solebat diadema, quod diui Stephani ferebatur: uerùm id regina inde clàm omnibus surripuerat. Quare parum abfuit, quin Ladislaus Gara Banus, præfectus eius arcis & ærarij, tumultu conterperetur. Captus quidẽ est: sed mox regis beneficio liberatus, cum is Poloniam statim rediturum se esse minarẽt, ni sibi Ladislaus, qui fidem suam secutus eò uenerat, condonaretur: decretum autem est, ut Vissegradensis arcis præfecturam deinceps non nisi Polonus obtineret. Itaq; Vincentio Samotulio Medirecensi castellano tũc ea mandata est. Regi uerò diadema de caluaria S. Stephani detractum ad XVI Cal. Augusti solẽni ritu apud Albam regiam ab archiepiscopo Strigoniẽsi impositum. Accidit per eos dies facinus memorabile. Vngarus quispiã obscurę sortis, indicauit magnam auri uim ab Elizabetha regina sibi obtrusam esse, ut Vuladislaum regem uel ferro, uel ueneno de medio tolleret. Id siue uerum fuit indicium, siue ementitum spe maioris muneris, Vuladislaus irremuneratum, prætermisit atq; dissimulauit, ne quam Elizabethæ infamiam suscepti sceleris inureret: Vngari uerò indicem ignitis forcipibus immaniter dilaniatũ dissecuerant. Coronatione ritè peracta, rex Polonos proceres, qui se in Vngariam deduxerant, dimisit. Ex his Sbigneus episcopus nouo Cardinalis presbyteri honore tam ab Eugenio põtifice Max. quàm ab Amadeo Allobroge, quem concilium Basileense, àmoto Eugenio suffecerat, & Felicem quartum appellârat, auctus, Cracouiam reuertens, magna omnium gratulatione exceptus est. Tametsi in itinere apud

Vuladislai coronatio.

Amadeus dux à concilio Basileẽsi põtifex Max. creatus.

Sbignei periculum apud Keuessum.

Keue. Tum oppidum in Vngaria non multum abfuit à periculo, iurgio & prælio inter oppidanos & familiam eius concitato. Nemo tamen de comitatu eius cæsus est, uulnerati complures. Oppidani uerò multorum sanguine & nece, dimidijq; oppidi conflagratione, excitati temerè tumultus pœnas luerunt. Conuentum deinde minores Poloni bis apud Corcinum egerunt, & auxilia quinque millium equitum regi in Vngariam decreuerunt: in eorum uerò stipendia ut agricolæ duodenos grossos in iugera penderent: sculteti & equites, qui nullos haberent adscriptitios, octonos & quadragenos, quæ marca apud nos dicitur. Cæterùm qui equites per seipsi eam militiam obire uellent, ut & ipsi, & adscriptitij eorum ab omni pēsione immunes essent. Fuit autem necessarium id subsidium propterea quòd Vngari apertius iam factiones alere cœperant, & partim regi, partim reginæ studebant. Et firmiores erant reginæ partes in superiore Vngaria, Austriæ & Morauiæ finitima: cuius ciuitates pleræque omnes à Teuthonibus habitatæ, non contemnendo externi militis mercenarij præsidio, duce Ioanne Iscra Bohemo, in fide reginæ continebantur: ab his aduersariorum agri uexabantur, munitiones etiam partim expugnabantur, partim per proditionem intercipiebantur. Ab altera quoq; parte Ladislaus Gara, malè referens regi liberatori suo gratiam, temerato unà cum archiepiscopo Strigoniensi iureiurando, multos in reginæ partes potentia & authoritate sua pertraxerat, & ualidum exercitum contraxerat. Contra eum rex, non expectatis Polonorum auxilijs, aulicum suum comitatum Vngaris & Polonis constantem, & quos ad manus habuit Vngaros uoluntarios, Nicolao Fristacio, siue Vilacho, ut habent alij, qui à regina ad regem defecerat, & Ioanne Huniade ducibus misit: et certam sibi uictoriam pollicentem, insigni strage profligauit. Ladislaus tamen ipse fuga euasit: sed non ita multo pòst à Friderico Cæsare, qui Alberto patrueli à Germanis principibus successor datus erat, captus, septuaginta millibus florenorum sese redemit, cū reginā secutus in Austriā uenisset. Captiuos autem omnes rex liberaliter dimisit. Qua demētia permagnā apud Vngaros gratiā inijt, Slauoniamq; & Croatiam, misso illuc Nicolao Lasocio decano Cracouiensi legato, sine armis recepit. Fristacium uerò & Huniadem amplissimis muneribus affecit. Et illum quidem Croatiæ Banum, hunc uerò Transyluaniæ Voieuodam siue palatinū fecit, deinde uerò etiam Themesiensi & Seuerinensi præfectura auxit. Inde primùm Ioannis Huniadis, quem & Coruinum à uico in quo natus est, appellauêre quidam, nomen celebre esse cœpit: cum is antè clarus non fuisset, matre Græca, patre autem Valacho natus. Nonnulli eum à Sigismundo Cæsare genitum esse existimarunt. Ab eo quidem Huniadum arcem in extrema Transyluaniæ ora, & inde cognomen ipse accepit. Deinde uerò cum is nauiter rem gereret, Turcasq; Vngariam infestantes aliquoties magnis cladibus affecisset, etiam magister Vngaricæ militiæ factus est à Vuladislao. Dum ita dissident inter se Vngari, ne Bohemi quidem quieti fuêre. Edictis enim Pragam noui regis creandi causa comitijs, cum interim Elizabetha Alberti Cæsaris uxor peperisset, ac de nato hærede regni Bohemos illustri legatione admonuisset, alij bene meritorum de se regum Alberti filium Sigismundi nepotem, [illegible] annis pronepotem prætereundum non esse censebant: alij ineptam regno administrando ætatem pueri, intestinaq; dissidia causati, ad Albertum Bauarorum ducem regnum deferebant: quorum sententia uincebat. Sed Albertus molem turbulenti regni auersatus, & à Friderico Cæsare, ne Ladislao posthumo paternum regnum præriperet, præmonitus, non accepit oblatum regnum. Ad Fridericum Cæsarem deinde itum est, ut is regnum uel ipse susciperet, uel pro tutore duntaxat cognati infantis, quoad ille adolescat, administraret. Vtrunq; negauit: quòd neq; eum, quē omni ratione defensum ire debeat, iniuria afficere sibi conueniret, neq; tam negociosum pauperq; regnum alieno nomine gerere uellet. Ad Ladislaum potius Bohemi hæreditarium regnum deferrent, & gubernatores ipsi sibi legerent, penes quos foret summa rerum, quoad rex adolescat. Fecêre iussa Bohemi, designatoq; rege Ladislao, ad Meinardum & Prasconem primores summam administrandi regni detulerunt: quorū hic erat hæreticus, ille rectè de religione sentiebat. Nec tamen cessabant domestica latrocinia. Non multo pòst extincto Prascone, conspiratione idem sentientiū, Georgius Podiebradius prætextu administrationis dominatum arripuit, Pragam gentis metropolim & Meinardum gubernatorem in potestatem suam redegit. Nec multo pòst Meinardus extremum clausit diem, non sine ueneni suspicione: uires sumpsêre hæretici authore Rochezana pseudarchiepiscopo. Hæc de Bohemicis rebus obiter hic modò cōmemorasse suffecerit. Dū ita res turbantur in Bohemia et Vngaria, Cazimirus regis frater cum plerisq; primoribus minorum Polonorum, & ducib. Masouiorum Cazimiro & Boleslao,

Vngarorum flaxa fides.

Ladislaus Gara fusus, fugatusq;, & à Cæsare captus.

Ioannis Huniadis genus, honores, & res gestæ.

Albertus Bauarus regnum Bohemicum repudiauit.

Georgius Podiebradius dominatum apud Bohemos arripuit.

leslao accepta de ærario regio pecunia, splēdido comitatu pro gubernatore in Lithuaniā profectus, Vilnæ dux magnus à Lithuanis renunciatus est, nequicquam reclamantibus Polonis, & fœdera, regisq; aduersam uoluntatē testantibus. Sed plus ualuit apud Lithuanos præsens metus. Verebātur enim, ne, si uicarius modò ducis esset Cazimirus, Michaël Sigismundi cæsi filius, Samagitarum & aliorum fautorum suorum ope principatum arriperet, pœnasq; mortis paternę à se expeteret. Quin apud Russos iam noui motus extiterant: et Smolenscia plebs in primis tumultuata, sumptis armis præfectos suos cum nobilitate profligarat & eiecerat, arcem in potestatem suam redegerat, & Georgium Mscislauiensium ducem, dominum sibi adsciuerat. Sed Cazimirus nouus dux cum subitario exercitu, exusto oppido, ingentiq; cęde hominum edita, arcem recuperauit. Hæc igitur causa siue prætextus fuit Lithuanis creandi sibi magni ducis præter sententiam regis, & contra pacta conuenta cum Polonis. Petiuit tamen à rege postea per legatos diligenter Cazimirus, ut factum Lithuanorum approbaret: sed non modò non impetrauit, uerùm etiam uehementius eum irritauit, quòd neque exemplū regi placebat, & Michaëlem Cazimirus patrimonio omni exuerat: & Bielscum, Melnicum, ac Drohicinum cum omni eo tractu Boleslao Masouiorum duci eripiebat. Nam Boleslaus eas munitiones auo suo Ioanni ab Iagellone rege olim donatas, sed à Vitoudo deinde ereptas, post Sigismundi demum obitum ex pacto occuparat. Insequens annus nihil ferè memorabile habet, nisi quòd minorum, ac deinde maiorum etiam Polonorum & Russorum auxilio partim, ex mercenarijs militibus, partim ex uoluntarijs collecta, ducibus Ioanne Tencinio palatino Cracouiensi, Ioanne Olesnicio castellano Sendomiriensi, Petro Odrouanzo palatino Russię, Gregorio siue Riscane Kerdeio palatino Podoliæ, Ioanne Sennenio præfecto Sendomiriensi, Derslao Rithuianio, Laurentio Zaremba castellano Siradiensi, Nicolao Scota iudice Posnaniensis regionis, & nonnullis alijs uiris nobilibus, in Vngariam, nequicquam prohibente Iscra, ad regem uenerunt. Quorum opera, ductu Tencinij in ea quidem parte, quæ Austriæ finitima est, superiores ferè partes regis fuerūt, Posoniensis arx obsidione liberata: aliæ munitiones, quæ reginæ præsidijs tenebantur, partim per uim, partim per deditionem extrema adhuc hyeme receptæ sunt: Vlricus comes Ciliæ captus: In ea uerò ora, quæ ad Poloniā uergit, diuersa fortunā regis fuit, ita ut ab obsidione Cassouiæ, re infecta, discedere Poloni cogerentur, Kesmarcum amitterent: Scepusiensem etiam oram, quæ in ditione Polonorum est, & à Sbigneo episcopo tunc tenebatur, Iscra infestaret, & Podolinū obsideret. Nec tamen eò rex arma conuertere ab Vngaris permissus est, siue propter grassantem pestem: siue quòd ij uererentur, ne pertæsus tam negociosi ac turbulenti regni, in Poloniam, propinquitate loci inuitatus, sese subduceret. Pestem tamen ita is contempsit, ut quamuis plurimi passim repentè conciderent, & in intimum quoque cubiculum eius contagio morbi peruaderet, nihilo tamen minus uersaretur in publico, regiaq; obiret munia. Apud Parsouiam uerò Poloni proceres cum Lithuanis conuentum ēgēre: frustraq;, Lithuanis rem inficientibus, concordiam inter Cazimirum regis fratrem, & Boleslaum Masouiorum ducem, & Michaëlem Sigismundi ducis filium tentarūt. Per quod tempus Moschorum dux, adiunctis sibi Tartaris Casanensibus excursionem fecit in Lithuaniam, Vetinensemq; tractum ferro & igni depopulatus est: quem ut ulciscerentur, Lithuani, ipsi quoque uicissim ditionem eius longè, lateq; uastarunt, & ingentem prædam abegerunt, Moschosq; se insecutos commisso prœlio fuderūt, Cazimiro interim Smolensci euentum belli expectante. Sequenti anno maiores Poloni facta manu Silesiam finitimam depopulati sunt: ac duo castella, Garsouum & Cecerinum expugnarunt & incenderūt, ulti crebra Silesiorum latrocinia. Vexatum est tamen postea nihilominus territorium Velunense à Vratislauiensibus, duce Hasenemero, siue Zaiesso Austrio, Vierussouumq; oppidū cum castello incensum, ac dominus eius Vieruss captus. Podoliam uerò atq; Russiam, Leopolim usq;, ingentia Tartarorum examina impunè ferro, igniq; uastarunt, & infinitam penè captiuorum multitudinem, cæteramq; prædam abegerunt. Reuertentes, Vindica Glinianorum præfectus cum parua manu insecutus, magna strage affixit, multosq; captiuos liberauit: sed ad extremum hostium multitudine circumfusus, honestissimam cum suis omnibus mortem oppetijt. Rex ubi de excursione Tartarorum nuncium accepit, Polonos & Russos proceres profusè magis quàm liberaliter, non modò pecunia de reditibus Polonicis prouenīente, uerùm etiam censibus, possessionibus, ac totis præfecturis, præter leges Polonorum, siue donatis, siue hypothecæ nomine addictis, atque etiam alienis bonis perperam per imprudentiam attributis, remuneratos dimisit. Ex his Petrus Odrouanzus

Cazimirus magnus dux à Lithuanis creatus est.

Michaël Sigismundi ducis filius, patrimonio spoliatus à Cazimiro.

Diuersa fortuna regis Vladislai in Vngaria.

Pestem Vladislaus contempsit.

Moschicum bellum.

Anno 1442.

Tartari uastarunt Podoliam & Russiam.

Petrus Odrouanzus captus in Vngaria.

palatinus Rufsiæ, & præfectus Leopolienfis, cum fuis Rufsis properè reuertens, cum Agriæ a Simone epifcopo lautè acceptus effet, à Bohemis, qui Caffouiæ erant in præfidio, fummo diluculo duce Telepho in oppidum improuifo irruentibus, captus eft, currufq; eius direpti: fed Bohemos cum præda raptim fefe recipientes, confecuti noftri pariter cum comitatu epifcopi, ad internecionem penè ceciderunt, fuaq; omnia præter ipfum Odrouanzum recuperarunt. Nam eum Telephus in arcem quãdam propinquam præmiferat: fed eum tamen præfectus arcis Iacobus Zuder regi condonauit: defectionifq; fuæ impunitatem, placato rege eo munere, impetrauit. Pauci hoftium uiui in poteftatem noftrorum uenere: inter quos fuit ipfe Telephus. Hi omnes Simoni epifcopo traditi, non multò poft ab eo, icto cum Ifcra fœdere, & affinitate firmato, dimifsi funt. Sub idem ferè tempus, Nicolaus Zaica Brozouincig, et Nicolaus Comorouius Podolini in Scepufio præfecti, cum parua manu noctu Aperiaffum oppidum, quod modico Ifcræ præfidio tenebatur, admotis fcalis ingrefsi, raptim direptum incenderunt: quo properè cognito Ifcra cum expeditis equitibus eos abeuntes infecutus, facilè fufis uel cæfis, uel captis paucis, qui cum ducibus hoftem à longè confpectum temerè expectarunt, prædam ferè omnem recepit, Zaicam & Comorouium duces cæpit: & ad Brozouiciam admotis caftris, altera arce fiue fortuito incendio, fiue fubiecto à quopiam igni exufta, altera per deditionem potitus eft. Quocirca fubfidiarias aliquot cohortes Sbigneus Cardinalis ad tenendum Scepufium mittere ex Polonia coactus eft. Aeftatis huius initio duo legati pontificij in Vngariam ad regem ijfdem de caufis uenere. Ab Eugenio quidem Iulianus Cæfarinus Cardinalis, epifcopus Sabinenfis: à Felice uerò & concilio Bafileenfi Alexander Zemouiti Mafouiorum ducis, & Alexandræ regiæ amitæ filius, patriarcha Aquileienfis, epifcopus Tridentinus, & Cardinalis presbyter tituli S. Laurentij in Damafo non ita multo antè ab ipfo Felice creatus. Atq; hic quidem ut Felicis, ille uerò ut Eugenij authoritatem rex unà cum fuis omnibus fequeretur, poftulauit. Iuftior Eugenij caufa Vngaris uifa eft, quippe quæ Græcos etiam & Armenos adftipulatores haberet, qui concilio Ferrariam ab eo conuocato, & propter peftem Florentiã tranflato interfuère. Adfuit & Ifidorus Kiouienfis ac totius Rufsiæ metropolites, cum ducentorum equitum comitatu. Polonis, quoniam Academia Cracouienfis authoritatem concilij defendebat, & non modò Sbigneum Cracouienfem epifcopum, fed etiam Vincentium archiepifcopum Gnefnenfem Cardinalis presbyteri honore ornarat Felix, tutius uifum neutrum, donec difsidium illud maneret, pro pontifice Max. agnofcere. Egit deinde Iulianus cum rege & Vngaris de pace facienda cum regina Elizabetha. Quæ relicto in Auftria, ac Friderici Cæfaris tutelæ commendato Ladislao puerulo, cum facro diademate, Strigonium redierat, quo Vngaros partes fuas fecutos in fide contineret: egit & de fufcipiendo bello contra Turcas. Et pax quidẽ cum regina fecretis conditionibus compofita eft, cum ad eam rex Iaurinum rogatu Iuliani ueniffet, morefq;, & uirtutem fuam, ac dignitatem oris ei probaffet. Verùm ea pax, regina paucis diebus ex dyfenteria ac dolore matricis mortua, rurfus infecta eft, defendentibus nihilo fegnius partes Ladislai pofthumi, feu uerius fuam rem agentibus, & nullo amici, & inimici difcrimine omnia infeftantibus ijs, qui in fuperiore Vngaria cum regina fenferant. Iactatum eft uulgò, reginam ueneno fublatam effe. Bonfinius quidem eam Budam ad regem ueniffe, & inde Iaurinum reuerfam, poft tertium diem torminibus uentris ingenti regis dolore extinctam effe, fcriptum reliquit. Neque uerò in perfuadendo bello Turcico plus difficultatis fenfit Iulianus, cum non tam utilitas inferre bellum barbaris, quàm necefsitas illatum ab ijs depellere, & amiffa recuperare fuaderet. Etenim Amurathes nõ ignarus Vngaricorum difsidiorum, ciuilifq; belli, infeftabat reliquum Rafciæ, atq; Tranfyluaniam: Bielogradum obfederat, & fumma ui oppugnarat. Et quamuis Vladiflaus rex per Dobrogoftium Oftrorogium, et Lucam Gorcanum Polonos, oratores fuos poftulaffet ab eo, ut ab obfidione difcederet, & pacem, fœdufq; dudum ultro expetitum fecum fanciret: ille tamẽ ferox, amandatis Smiderouiam oratoribus, continuauit obfidionem in feptimum menfem. Nec nifi maxima fuorum ftrage adactus, ab ea recefsit. Ac ne tunc quidem demifit fpiritus: quin dimittens oratores regios, ijs demum legibus pacem fe daturum effe refpõdit, fi fibi reliquum Rafciæ & Bielogradum traderetur. Pollicebatur legatus regi & Vngaris ad id bellum ingentia pontificis Max. & quorundam principum Chriftianorum auxilia. Ad hæc autem Vngarorum fpes per fe ipfe iam inde ab initio in Vladiflaum erectæ, rebus ad eam diem aduerfus eundem hoftem aufpicijs eius profperè geftis, augebantur. Nam præt id quod Amurathes à feptimeftri illa Bielogradi oppugnatione re infecta turpiter

Iacobus Zuder.

Poloni fufi ab Ifcra.

Alexãder Mafouius Cardinalis.

Pax inter regẽ & reginam in Vngaria.

Bielogradũ à Turcis fruftra obfeffam et oppugnatum.

piter discedere coactus erat, Ioannes Huniades regis huius auspicijs eosdē barbaros trib. insignib. prelijs, uno apud idē Bielogradū, altero in Trāsyluaniā, tertio apud Vascapū in finib. eiusdē Transyluanię per illud ipsum tēpus uicerat, & magnis cladibus affecerat, Mezitem Bassam ducem exercitus bellicosissimum cum filio interfecerat, Sciabadinum alterū Bassam trepidè fugere coëgerat. Commouebat etiam & regem et Vngaros Stephani siue Georgij Despotæ Rasciæ, & Albaniæ misericordia, qui paucis illis annis utraq; ditione à Turcis exutus, & filijs duobus captis, exectis, & excæcatis orbatus, regis beneficentia in Vngaria sese sustentabat: & cùm publicè cunctis supplicabat, tum priuatim singulos proceres prehēsabat, ut in suum dominatum restitueretur. Ad extremum superba Turcarum tyrāni Amurathis legatio in illud fortè consultationis tempus coniecta, omnium animos uehementer accendit: afferebat autem ea pacem uel inducias Vngaris, si tributum tyranno, quem Cæsarem & illi uocant, quotannis penderent: aut Bielogradum, quod Nandor Albam, & Albam Grecam uocant, olim Taurunum fuisse existimatur, traderent. In quam spem barbaros Matthias Taloncius Dalmatiæ & Croatię Banus, illorum uires & felicitatem, ac perturbatum Vngariæ statum secum reputans, & grauiora metuēs, adduxisse existimatus est. Itaq; procerum animis ad bellum inclinatis, comitia Budam ad Pentecosten, anni sequentis, qui fuit à Christo nato 1443. à rege indicuntur. Ibi bellum uno omnium consensu decernitur. Mittuntur oratores ad Fridericum Cæsarem, & ad alios principes Christianos, & ad Cruciferos Prussienses atque Liuonienses, nominatim in hostes Christiani nominis militiam professos, petitum auxilia ad tam piam ac toti Christianæ reipublicæ salutarem expeditionem. Sed nihil usquam impetratum, præter duorum annorum inducias à Cæsare Friderico. Pontifex quidem Eugenius piam Crucis militiam aduersus barbaros per omnes nationes Christianas pronunciari iussit. Inde aliquantulus uoluntariorum militum, siue adeò promiscuę multitudinis numerus confectus est, quem Iulianus legatus, cruce pro uexillo utens, duxit. Poloni regi suo non contemnenda auxilia misêre. Per id tempus Nonis Iunij magnus terræmotus Vngariam, Bohemiam & Poloniam afflixit, quo multa ædificia & arces etiam quædam concussæ ac deiectæ sunt. Vicesimasecunda die mensis Iulij Buda castra mota sunt: transmissoq; apud Salsum lapidem Danubio, ad hostiles terras peruentum. Capta & incensa in Rascia et Bulgaria non pauca ignobilia oppida, & cæterę munitiones: in his insignis in primis Sophia, quàm Sardicam nonnulli antiquitùs fuisse uolunt. Vbi ad Morauam fluuium uentum est, cum didicisset rex ab exploratoribus in propinquo esse hostium copias, Ioannem Huniadem cum decem millibus expeditorum militum, in quibus Poloni erant, contra eos misit: qui cum intempestæ noctis silentio improuiso in statiua eorum impetum fecisset, magna strage ad internecionem hostes profligauit. Cæsa feruntur ad triginta millia Turcarum, capta quatuor. Bulgaria deinde pleraq; omnis, quēadmodū Bonfinius memorat, partim per uim, partim per deditionem, ob linguæ & stirpis cognationem, Polonorum opera potissimum, in potestatem regis redacta, ad fines Macedoniæ peruentum est. Altissimi & celebratissimi apud poëtas & historicos, Græcos præsertim, montes Macedoniā atq; Thraciam à Mysis, Dardanis, & Triballis, qui nunc Rasciani Seruij, Albani, & Bulgari sunt, separant, nec nisi duob. locis peruij, altero ad pontū Euxinū, & in Thraciā uergēte, altero in Macedoniā per angusto ac difficilimo tramite, sed propiore à castris regijs: et insederat iam cum penè infinita uis Turcarum, duce Carambeio, propinquo tyranni, præfecto Asiæ, quam Natholiam corrupto seu detruncato nomine nunc uocant, ab Amurathe ad prohibendum nostris transitum post primam illam cladem transmissa. Edixerat autem Amurathes Carambeio, prorsus ne manus cū nostris consereret: cuius tamen ille edicti, animaduersa nostrorum paucitate, tenax non fuit. Sed nostris ad montes appropinquantibus, pridie natalis Christi Dei nostri impetum fecit in regis exercitum: nec rex detrectauit pugnam: uictosq; & fusos barbaros, duce ipso Carambeio capto, in montes cōpulit: & rupem in qua statiua habebant, usque ad uesperū summa ui frustra, & non sine suo incōmodo, ita ut ipse quoq; licet armatus, aliquot sagittas aduerso pectore exciperet, oppugnauit. Ita quidem ferè Dlugossius noster, & Philippus Callimachus. Antonius uerò Bonfinius aliter paulò hoc prælium literis prodidit. Scribit enim, exercitum regis, cum prope claustra montium peruenisset, partim difficultate transitus deterritum, partim hyberni cœli inclementia & fame confectum, missionem, nequicquā reclamante Huniade, ac deprecante Georgio Despote, efflagitasse. Ac regem quidem cum omni alio exercitu conuersis signis reuertentē, uno die præcessisse. Huniadem uerò cum expeditis lentiùs subsecutum, quò tutiorem transitum regi

Victoriæ tres de Turcis per Huniadem partæ.

Comitia Vngarorum Budæ. 1443. ann.

Terræ motus.

Turcæ ad Morauam profligati.

Montes Macedonici.

Turcæ iterum uicti.

Rex ictus in oppugnatione rupis.

tum regi præstaret: in eam manum Turcas impetum fecisse, & fusos, fugatosq; esse, priusq; rex cum cęteris copijs, opem suis ferens reuerteret. Venientem autem cum omni exercitu, hostem fugientem ad montes insecutũ esse. Ita Bonfinius: qui nescio an assentari Huniadi in gratiam Matthiæ regis filij eius, cui suos illos de rebus gestis Vngarorũ libros dicabat, uoluerit. Vtcunq; res acta est, satis constat Polonos bonam operam in eo prælio regi nauasse, nõ solum equites, uerum etiam pedites, cum ij immixti equitibus, hostiliũ equorum inguina suffoderẽt, equitibusq; ipsis crura pręciderent. Post hanc uictoriam orabat regem magnopere Georgius Despotes, ne reduceret exercitum, priusquam Rasciã & Albaniam omnem receptam atq; pacatam sibi restitueret: ac cẽtum millia numũm aureorum dabat.

Fames in exercitu. Sed uile est infame aurum, nec adduci ullo modo exercitus potuit, diutius ut illic maneret, equis & hominibus uulgo fame tabescentibus. Quoniam autem ostẽtabant se à tergo proficiscentibus Turcæ, ueritus rex insidias, aut uim ullam maiorem, quo expeditius agmen duceret, arma quidem superflua uel de hostibus capta, uel à suis desideratis relicta, in terram infodit: cætera uerò impedimenta, & hostium spolia, quæ oneri futura erant militibus, exussit, magnisq; itineribus Bielogradum peruenit. Ibi aliquot diebus refecto exercitu, cõtinuato itinere Budam attigit: & nudis pedibus urbem ingressus, signa hostium in æde uirginis matris nomine dicata affixit. His in uniuersum orbem Christianum celerrima fama uulgatis, frequentes à plerisq; omnibus principibus & rebuspublicis, etiam à Constantinopolitano Imperatore Ioanne Palęologo, legationes, tam insignem uictoriam regi gratulabantur, & ad prosequendum incæptum bellum eum cohortabantur, pollicentes auxilia. Nominatim autẽ pontifex Eugenius cum Venetis, Genuensibus, et Philippo duce Burgundionum, classem ad prohibendũ Turcis ex Asia transitum deferebant.

Polonorum consilium. At uerò Poloni proceres missis publicè & priuatim legatis, uerè & ipsi gratulabantur tam felices successus regi suo: obtestabantur autem eum, ut uno illo periculo defunctus, ne rursus difficilimi & lõginqui belli fortunam tentaret: sed in Poloniam ut primo quoq; tempore ueniret, ac benemerentis patriæ saluti atq; tranquillitati etiam atq; etiam consuleret. Nam & Tartari crebris excursionibus Podoliam atq; Russiam infestabant: & Lithuani cum duce suo Cazimiro bellum aduersus Boleslaum Masouium ob occupatum Drohicinẽsem tractum apparabant, & uerò è Silesia magna belli moles conspiratione principum existere

Silesiorum motus. uidebatur, ex huiusmodi principio. Sbigneus Cardinalis & episcopus Cracouiẽsis, ut ecclesiam suam locupletaret, emerat à Venceslao Cesinensiũ duce ditionem siue ducatum, ut uocant, Seueriensem, sex millibus marcarum Pragensium: sed in adeunda possessione difficultas ei à Nicolao Ratiboriensium duce obiecta est. Eum uerò dum nostri publicè ea de re ductore Petro Saffranecio bello persequuntur, fortè cõtagio et incommoda belli Boleslaum Oppoliensium ducem, qui extra noxam erat, attigerant. Is igitur à nostris res repetebat: ni redderentur, bellum denunciabat: & adiuturi eum cæteri Silesiorum duces, ut erant ferè cognati & affines inter se, uidebantur. Hæc igitur præsentia pariter & impendentia mala ut rex aduẽtu suo sedaret & auerteret, Poloni magnoperè infestabant. Quòd si is à Turcico bello tamen abduci non posset, certè ne quid se inconsultis de eo statueret.

Regis deliberatio. Hoc optimi regis animum in diuersa distrahebant. Hinc dulcedo degustatæ gloriæ, et cohortationes maximorum Christiani orbis principum: illinc Polonorum, quibus quãtum deberet intelligebat, preces, & impendentia pericula, cogitationes eius differebant. Vicit tamen causa Christiani orbis publica, instante maximè legato. Cæterùm rex ne Polonos omninò despicatui ac derelictui habere uideretur, pollicetur ad Pentecosten se in Polonia futurũ, ac de amplissimi consilij sententia rempublicam constituturum esse. Vngaris uerò

Comitia Vngarorum Budæ. ad diem S. Georgij Budam indixit comitia. Quò Iscra quoq; aduersæ factionis princeps euocatus, data à rege fide aduenit. Nam Vngari proceres post regigę mortem omnes iam in fide & potestate regis erãt. Ibi pactis cum Iscra factione Ladislai pueri inducijs, bellum in Turcas summo omnium ordinum consensu decernitur: oppidanis atq; agrestibus pecunia in sumptus belli, quia ærarium regium nullum erat, imperatur. Dant ultrò nomina piæ militiæ Ioannes Vadiensis, & Simon Agriensis episcopi. Peractis comitijs regem in Poloniam iter adornantem Vngari proceres summo studio atq; contentione retinuêre,

Boleslaus dux Oppoliensis mercatores Polonos diripuit. ueriti, ut à Polonis, desiderium non ferentibus, rursus dimitteretur. Quæ res non paruo Polonis constitit. Nam Boleslaus Oppoliensis posteaquã cognouit, regem Turcico bello implicatum, in Poloniam uenturum esse, maiore confidentia mercatores Cracouienses ad nundinas Vratislauienses proficiscentes diripuit: atq; id damnum ad ducenta millia aureorum numũm æstimatum est. Quæ res, cum regi in Vngaria renunciata esset, quietos

esse

esse iussit suos, quoad ipse à Turcico bello reuerteretur. Dum autem bellum id comparatur, de pace à Turcis agi cœptũ est cum Georgio Despota Rasciæ, & Ioāne Huniade, per speciem redimendi Carambej: pro quo quinquaginta millia numûm numerata sunt Despotæ. Quo uerò proniorem ad pacem redderet Huniadem Despotes, promisit ei cuncta, quæ exul in Vngaria partim Sigismūdi & Alberti Cæsarum, partim Vuladislai regis munificentia nactus erat. Cupiebat autem pacem Amurathes propterea, quòd non ignorabat quanto consensu & quanta mole Christiani principes contra se bellum pararent, et satis iam anno superiore solius Vuladislai uires magno suo malo expertus erat: adhæc aliud ei pergraue bellum in Asia à Carmanorum principe imminebat: in quod totis uiribus incumbere, pace cum Vuladislao facta, cogitabat. Nec Vuladislaus, neq; Vngari ab honesta & gloriæ plena pace abhorrebant: ex multo tempore petere à Turcis, ac non dare ipsis pacem soliti: & nihil dum de classibus & naualibus socijs afferebatur. Segedinum igitur profectus rex, non intermisso tamen apparatu belli, quo facilius hostem in suas conditiones perduceret, oratores Amurathis ampla dona afferētes in augusto Vngarorum & Polonorum consessu audiuit: pacemq; petentibus, siue adeò inducias decem annorum, dedit his legibus, ut Amurathes Golubcciam, Synderouiā siue Smiderouiam, Zarnouiam, Crussoueciam, Couinum, Seuerinum, Nouobardum, ubi argenti metalla sunt, Srebernicum, Ostrouiciam, Surinum, Cosnicum, Coperhanum, Procopiam, Lascoueciam, Zelonigrodum arces, totamq; Rasciam, & eam partem Albaniæ, quæ in ditione Despotæ Rasciæ fuisset, ac duos filios Despotæ captiuos redderet: ad eaq; implenda pauci dies constituti. Interim allatæ sunt literę Francisco cardinali Veneto procancellario & præfecto classis apostolicæ, & aliarum sociarum classium præfectis, itemq; ab Imperatore Constantinopolitano, quibus nunciabatur, Amurathē omnes ferè copias suas in Asiam ad Carmanicum bellum traduxisse: mare socijs classibus teneri. Maturaret rex expeditionē: neq; occasionē tam commodā, tamq; luculentā Græciæ liberandæ, & Europæ uindicandæ, elabi sibi è manibus sineret. Pollicebantur aūt ij, se præstaturos esse, ne Turcæ in Europā rursus traijcerent: Palæologus aūt terrestres etiam copias & societatē belli polliceri. His permotus Iulianus cardinalis, qui pacem frustrà dudum dissuaserat, tūc uerò ad omissum bellum summa cura atq; diligentia regē incitare: belli præmia longè ampliora q̃ pacis, in immensum attollere: necessitate expressam pacem, quæ diuturna futura non esset, labefactare, ac temporis causa simulatam dicere: argumento esse, quòd lapso iam tempore, tamen promissa à barbaris non implerentur: q; si maximè nulla per eos mora in tradendo fieret, priora tamen cum pontifice, duce Burgundionum, Venetis & Genuensibus fœdera, & societatem pij belli initam magis ualere oportere. Quòd si qua religione rex teneretur, ne iusiurandum barbaris datum uiolaret, illo se eum metu, pontificis Max. authoritate prorsus liberare. Hæc identidē agendo & inculcando tandē perpulit iuuenem, ut nouo sacramento se cum proceribus ad prosequendum bellum Turcicum obstringeret, cedēte de priore sententia etiam Huniade, Bulgarici regni promissione illecto. Non placebat hoc regis de uiolandis pactis consilium Polonis proceribus, qui absq; eo quoq; regem illo bello tunc implicari molestè ferebant, & pacis nuncio dudum exhilarati erāt. Itaq; cum primùm hæc acceperunt, comitia Petricouiam ad uicesimamquintā diem Iulij indicunt, legationem ad regem decernunt: sed eos ille anteuertit, misso ad conuentum Ioanne Crusemio custode Cracouiensi, qui referret, regi omninò constitutum esse Turcicum bellum persequi, iuberetq; Polonos auxilio esse Boleslao Masouio aduersus Lithuanos & Cazimirū, si bellum id æquis conditionibus dirimere non possent. Iam enim Cazimirus ad Drohicinū castra posuerat. Habebat & Boleslaus exercitum, genere militum hostili non imparem: in quo multi de Polonica nobilitate uoluntarij militabant: nec Michaël Sigismundi ducis & Boleslai gener aberat, qui non parum momenti rebus soceri allaturus esse uidebatur, propterea quòd complures de Lithuanico exercitu cum eo clàm sentire, cōmissoq; prælio transituri esse ad eum dicebantur. Nec tamen Nicolaus Pouala succamerarius Sendomiriensis, & magister militię Masouiticæ fortunā prælij absente Boleslao experiri uolebat. Intererat enim Boleslaus comitijs. Atq; ibi eo petente, è sententia regis decretum est, ut Lencicienses, Cuiauii, ac Dobrinenses arma pro eo sumerent: præmissi tamen ad Cazimirum Vincentius archiepiscopus Gnesnensis, & Ioannes Olesnicius palatinus Sēdomiriensis, cum pacem nequirent, inducias & controuersiæ totius reiectionem in aduentum regis confecerunt. Sed mox ipsis inter se ducibus de re tota ita cōuenit, ut Boleslaus Cazimiro omnē illam controuersiam ditionē, excepto Vigrouiensi territorio, cōcederet, ac duodecim millia flo-

Turcæ pacem postulāt à Vuladislao.

Induciæ decem annorū grauibus conditionibus Amurathi concessæ.

Absolutio à iuramento.

Mandata regis ad Polonos.

Decretū de iuuādis Masouijs contra Lituanos.

Transactio.

Cazimirus Vigros Masouijs eripuit.

lia florenorũ Pragẽsiũ ab eo acciperet. Nec ad amussim tñ Cazimirus ea pacta cõuẽta seruauit: mox enĩ & Vigrouiẽse territoriũ Boleslao eripuit. Legati uerò, q̃ ad regẽ designati erãt, ubi de Grusciniõ cognitũ est, regẽ iã iter ingredi, reuocati sunt. Mille tñ publicẽ ad regem illa ipsa de re literæ p̃ ueredariũ. At ille post mediũ Septembr. Segedino castra mouit, nõ satis alacer, nec spe optima, propterea q̃ uiolari à se fœdera & iurisiurãdi religionẽ non cogitare non poterat. Iam enĩ Turcæ & filios Despoto, & munitiones promissas reddiderant: & animaduertebat, q̃ longè minores copias, quàm p̃ magnitudine belli, & quàm superiore expeditione duxisset, duceret. Multi enim cùm ex Vngaris, tum ex alijs Christiani orbis nationib. nõ occurrebant, pacis cõuentione decepti: ad hæc de Polonis, qui circum regẽ fuerant, multi, q̃ eorũ spei liberalitas regis minus respondebat, cõmeatu accepto discesserant. Cuius rei inuidiã Nicolaus Lasocius, qui fiscũ regis administrabat, sustinuit. Directo aũt in Bulgariã itinere, tertia die Nouembris rex cũ omni exercitu apud Orsauã Danubium traiecit. Erat cõsiliũ regis, ut Callipolim ad oram Hellespõti sitam, ubi erat statio clasis Italicæ, rectà duceret, & ibi se cum maritimis copijs coniungeret. Atq; eò, si cõpendioso maximè itinere peruenire uellet, per fines Macedoniæ & Adrianopolim proficisci eum necesse erat. Quoniam autem iter illud difficillimum, quemadmodum superius commemorauimus, per montes transitum habet, nec muniri paucitas exercitus proficiscentis obiectu curruum inter angustias poterat, per Bulgariam planiori & flexo in læuam itinere ad pontum Euxinum exercitus iter habuit, nec oppugnationi urbium & arcium intendit, ut milites quàm integerrimi ad dimicationẽ essent. Ad Nicopolim, quæ metropolis Bulgariæ est, quarto de tricesimo die cùm peruenisset, uenit ad regem Vvladus, qui & Draçula, palatinus Transalpinæ Moldauiæ, ueniam petens, q̃ necessariũ cum Turcis fœdus superiori tẽpore icisset: uisaq; paucitate exercitus regij, in quo uix quindecim millia equitum, pedites uerò longè pauciores, & ij ferè cruce signati erant, cũ reditũ regi persuadere nequaquã posset, quatuor millib. suorum hominũ duce filio exercitũ eius auxit: ipse uerò domũ reuertens, duos equos pernicissimos, duosq; iuuenes uiarũ peritos in aduersum belli euentũ ei dedit. Vbi ad fines Thraciæ multorũ clarissimorũ & admirabiliũ signorum atq; monumentorũ, à uetustis Imperatorib. positorũ, quæ barbari demoliti erant, uestigijs etiã tum uisendæ peruentũ est, proposuit rex edictũ, ut milites à Christianorũ templis manus abstinerent: itemq; ut Turcæ liberè & securè saluis rebus suis, munitionũ præsidijs decederent, eiusq; edicti exempla per Turcas captiuos quoquo uersus dimisit: hinc deditæ nonnullæ munitiones. Petressum uerò & Sumenum, quæ Pezechium & Sunium uocat Bonfinius, cum non dederentur, una die summa ui expugnatæ sunt. Vbi præclarum in primis eximiæ uirtutis specimẽ duo Poloni equites Ioãnes Tarnouius, & Lescus Bobricius (uel Vngaricorum annalium testimonio) edidêre, dum alter Sumeni portas, duobus uulneribus acceptis, refregit, alter Petresi murũ primus ascendit. Interim Amurathem cum quadraginta, uel ut Bernardus Vapouius scribit, centum, siue ut Paulus Iouius, octoginta millibus Turcarum infra Callipolim paruis nauib. ex Asia traiecisse allatũ est, siue conniuentib. Venetis & Genuensib. mercede corruptis, siue cũ cõmeatus cõparãdi causa e custodia decessissent. Nec tamen hic nuncius regem ab incœpto deterruit. Decima die Nouembris, cum nostri ad Varnam, quam Dionysiopolim dixêre ueteres, oppidum mox clade sua nobile futurum, quod iam in deditionem receperãt, castra haberẽt, post ortũ solem hostes adesse ab exploratoribus nunciatũ est. Laborare ex apostemate pedis rex cœperat: itaq; Huniades militibus præliũ poscentibus, ita acies instruxit. Sub ipsis radicibus montium, qui ad Varnã terminantur, lacus sinũ maris cõtinẽs, uallem mille passuũ latã in medio inter se & mõtes relinquit: in ea igitur ualle arcuatã Huniades aciem direxit: ac dextrũ quidem cornu montibus continens, Despotæ, Transalpinis, Iuliano legato, Varadiensi & Agriensi episcopis, & Franco Bano, adiuncto ijs Bobricio cũ paucis Polonis, attribuit: sinistrum ipse sibi desumpsit: regẽ in media acie cum cæteris Polonis & Vngaris aulicis collocauit: currus, qui magno pugnantibus munimẽto ab lateribus & à tergo solent esse, nõ optimo cõsilio in extremo cum imbelli multitudine relicti sunt: propterea quòd intra eos multorum ignauia facilè latêre diceretur. Ita instructa acie, ad duo millia passuũ hostibus obuiam itum est: deinde signis defixis, quæ tamen subdita tempestas in tranquillo coorta concerpsit, ad tres horas hostes expectati. Apparuerunt ij pòst, ab extremis collibus in dextrum cornu nostrorum inuehentes: nec eorum impetum nostri ab ea parte, equis insuetum camelorum aspectum & odorem non ferentibus, Transalpinisq; illico dissipatis, sustinuerunt: fusi, fugatiq; per montosa uersus Galatam ad decem ferè millia passuum. Meliore

Nicolai Lasocij tenacitas.

Vvladus siue Dracula palatinus Transalpinensis.

Petressum & Sumenum arces expugnatæ.

Acies Christianorum.

Conflictus apud Varnam.

Galata.

Meliore uerò fortuna à rege & Huniade ab alia parte collata signa, & ad quatuor millia passuũ submoti non sine cæde barbari, instabili ferè genere pugnæ utentes. Inde ad opem ferendam suis, qui reliqui in dextro cornu cum Iuliano & Franco Bano ægrè uim barbarorum sustinebant, rex reuertens, indeque hostes in fugam egit, ita ut ij dissipati Thraciam trepidatione implerent, quasi deletis iam omnibus suis copijs. At rex fuso, fugatoque iam omni equitatu Turcico, in Ianizerorum phalangem, in qua Amurathes ipse erat, & in quam se Bassa Asiaticus ex fuga recipiebat, temerè cum paucis, ijsque Polonis maximè, inuectus, cum ab Huniade, siue persequente adhuc hostem fugatum, ut Vngari & Turcæ ipsi, siue fugiente cum dimidia parte exercitus, ut nostri prodidêre, nequicquam reuocaretur, pedem referre turpe, & se, genereque suo indignum esse duxit: nec enim eius esse, qui bellum inferret, fugere. Itaque cum magnã inter confertos hostes pugnans stragem faceret, atque Asiaticum Bassam, quemadmodum Bonfinius memorat, interfecisset, ad extremum sub uesperum iam, equo ab Ianizeris confosso perijt, princeps longiore uita & immortali gloria dignissimus. Aliquanto aliter Callimachus hoc prælium enarrat. Ac de instructa quidem acie regia nõ dissentit ferè ab ijs quę nos memorauimus, nisi quòd Huniadẽ cum Valachis Transalpinis nullum sibi certum locum sumpsisse scribit, intẽtum ad subueniendum, sicubi suos laborare conspexisset. Cæterum in conflictu memorat idem, eos qui in dextro cornu erant Vngaros, denso sagittarum imbre à Turcis eminùs lacessitos, subijsse temerè non seruatis ordinib. in aduersos colles: indeque aucta hostiũ multitudine depulsos in uallẽ, cũ aliquãdiu dimicassent, tandẽ dissipatos esse: & episcopos quidẽ fugiẽtes perijsse, legatũ uerò cum Despote & Francobano ad munitionem curruum sese recepisse, ibique ancipiti pugna aliquandiu dimicatũ esse: donec Lescus Bobricius, qui audendo, hortandoque, uim hostium potissimum sustinuerat, multis uulnerib. confossus cecidit. Ibi uerò cedentibus iam Vngaris, in currus impetũ factum esse à Turcis. Id animaduertentẽ regem cum Huniade accurrisse, hostemque ferocem ad duo millia passuum submouisse. Reuersos deinde diuersis locis pugnam suorum restituisse, & omnem barbarorũ equitatũ in fugam egisse. Inde nostros ad prędam uersos, fortè in camelos onerarios incidisse: eorum aspectũ & odorem insuetũ equos non tulisse, nec regi, aut retineri à sessoribus potuisse. Regem iterum cum paucis equitibus ad Ianizerorum aciem peruenisse. Ibi cruentum fuisse præliũ: & iam Turcæ penitùs ad fugam spectabant, cum nostros partim camelorum occursu, partim falsa interfecti regis fama perturbatos conspexêre: ibi uerò cohortati sese mutuò Ianizeri instaurant præliũ. Huniades uerò uisa suorum perturbatione & fuga, regem nequicquã inter cõfertissimos hostes pugnã cientem reuocare conatus est. Ad extremũ is excussus ab equo saucio, Ianizerorũ telis obrutus est. Huniades cum regis occisi cadauer recuperare non posset, omnibus diffugientibus, ipse quoque cum paucis Valachis meliori se fortunæ seruauit. Ita ferè, quãuis pluribus uerbis, Callimachus. Nec barbari, equitatu destituti, persequi fugientes Vngaros atque Transalpinos, ac ne currus quidem & castra usque ad tertium diem oppugnare ausi sunt. Nox enim pugnantes adhuc opprimens, incertam eis fecerat uictoriam: & insidias autem timebant. Tertio demum die castra, immaniter trucidatis ægrotis & saucijs, direpta. Iulianus Cardinalis fugiens, à Transalpino nauiculatore, cũ per Danubium ueheretur, propter aurum quod secum ferebat, occisus, & in profluentem nudus deiectus perijt. Callimachus in ualle quadam à latronibus spoliatum, & à Gregorio Sanocio prætercurrente conspectum, & cum exprobratione perfidiæ increpitũ, perijsse scribit. De Polonis duo tantũ ex eo prælio euasêre, Ioannes Ressouius, qui postea Cracouiensis episcopus: & Gregorius Sanocius, cuius modò meminimus, qui Leopoliensis archiepiscopus fuit. Cecidêre autẽ insignes maximè duo fratres Tarnouij, Maior & Gratus, & Martinus atque Stanislaus, Zauissij Nigri filij. De omni exercitu, qui uiginti millia pugnatorum non excessisse existimatur, uix quintam partem eo prælio desideratam esse, & tamen uix tertiam euasisse, multo pluribus in cœno ac longa fuga absumptis: Turcarũ autem ad octoginta millia, ut uult Dlugossus noster: secundum Bonfinium autem supra triginta millia (cum fuissent sexaginta) periêre. De captiuis Polonis Paulus Grabouius, qui Chelmensis episcopus, Albertus Zichlinius, qui procancellarius regni, Ioannes Vantropca Strelcius, qui canonicus Cracouiensis, & præpositus apud S. Michaëlis, Andreas Sennenius, Ioannes Borouinius, Martinus Choranzicius, & Petrus Lathossinius, postea mirabiliter euaserunt. Duodecim uerò alij ingenui adolescentes Poloni Adrianopoli, cum ab Amurathe ex omni captiuorum numero propter eximiam formam secreti, ut circumcisi pro catamythis & cinœdis essent, & in cubiculum tyranni deducti fuissent, in necem

Vladislai dexteritas & audacia.

Bassa Asiaticus à rege interfectus.

Turcarum timor post uictoriam.

Polonorum strages.

Polonorum captiuorum eximia uirtus.

cem eius coniurarunt:peregissentq́; facinus praeclarum, & omnibus seculis memorabile, nisi in ipso articulo à Bulgaro, quem unũ socium consilij adhibuerant, proditi essent. Atq; ij tamen, ubi rem palàm esse cognouerũt, ne tyranni siue libidini, siue crudelitati essent obnoxij, obditis ostio pessulis, armati inter se concurrerunt, & mutuis uulneribus fortiter ceciderunt. Accidit autẽ clades haec anno à Christo nato millesimo quadringentesimo quadragesimoquarto. Regni uero Vuladislai in Polonia quidẽ undecimo, in Vngaria uerò quinto, cum is uicesimum aetatis suae annum uix dum egressus esset. Fuit autem Vuladislaus hic procera statura, facie fusca, sed honesta, ac dignitatis plena, capillis nigris, laboris & inediae patientissimus, abstemius, iustitiae & religionis cultor eximius: probitate, constate & clementia etiam in hostes singulari, liberalitate propemodũ nimia: animi uerò magnitudine tanta, ut nihil humile cogitaret, nulla difficultate ab eo quod consultò instituerat, auelli se pateretur. Deniq; summa in eo fuerunt omnia, quae maximos & optimos principes decent: Poloniae quidem, totus in Turcicum bellum intentus, minorem quàm debuit curam gessit: eiusq; regni non modò aerarium in alienam rem exhausit, uerumetiam reditus profusis largitionibus extenuauit. Sed ne ob haec minus grata esset apud Polonos eius memoria, consequentia tempora effecerunt.

1444. ann.

Vuladislai regis effigies, mores & studia.

DE ORIGINE ET REBVS GESTIS POLONORVM LIBER XXII.

INTERREGNVM.

POsteaquam in Polonia de clade regia incerto primùm rumore, deinde & sermonibus eorum qui fuga euaserant, percrebuit, ingens moeror atq; luctus mẽtes omnium peruasit. De rege ipso, uiueret' ne, an caesus esset, certum sciri non poterat. Non deerant tamen in Vngaria, qui euasisse eum, & uel Constantinopolim, uel Venetias, uel in Moldauiam, uel in Transalpinam peruenisse affirmarent: nõnulli etiam in Rascia siue in Albania cum exercitu incolumẽ esse dictitabant. Et quanquam uarietas suspecta esse poterat, credebatur tamen id quod maximè optabatur, donec residere sensim & languescere ea fama coepit. Tũc uerò missi publicè in Thraciam, Graeciam & Bulgariam Ioannes Ressouius, & Aegidius Suchodolius, perquisitum regem, nihil tamen explorati retulerẽ. Dum autem haec ita fiunt, Poloni proceres inducias annuas cum Bernardo & Boleslao ducibus Oppoliensium publicè pacti sunt Glogouiae: quę argumento sunt, orto à latrocinijs mutuis initio, ne ab armis quidem temperatum esse. Conuenit autem, ut captiui utrinque data cautione dimitterentur: Polonis cum aliquo alio bellum gerentibus, ut liceret ex Oppoliensi agro commeatum petere: duces uerò illi ne cui aduersus eos opem ferrent, ne' ue suos homines ferre paterentur, ac ne transitum quidem praeberent per ditionẽ suam latrunculis & hostibus Polonorum: si quid iniuriae damniue datum esset alteris ab alteris, de eo bini utrinque arbitri certis locis conuenirent, ac deciderent. De uniuersa autem controuersia, ut Vuladislai regis, si is reuersus esset, arbitrio staretur, si cum Polonis proceribus rem non composuissent: promittebant enim ob id uenturos se esse in Poloniam. Cum Vuratislauiensib. quoque & Namislouiensibus & Nouoforensibus tertio pòst anno decennes induciae factae ijsdem ferè conditionibus. Porrò Opauiensium, Ratiboriensium, Cesinensium, Osuencimensium, & Toscensium duces eo ipso anno Cracouiam cùm uenissent, pacem & concordiam cum regibus & regno Polonorum redintegrarunt. Vnde satis euidens est, non leues offensas tunc Polonis cum uniuersa Silesia intercessisse, ex quo tempore rex Vngaricis negocijs, & Turcico bello distentus erat: quae tamen magna ex parte sopitae sunt, incerto adhuc rumore de morte eius. Caeterùm ubi cognitum est, Vngaros alium sibi regem, Ladislaum posthumum Alberti Caesaris filium, nondum quinquennem, creasse, Poloni quoque ad XXIII. diem Aprilis insequentis anni post amissum regem Siradię comitia sane frequentia de rege creando habuẽre: atque ibi in Sbignei Cardinalis sententiam, quamuis aduersantibus nonnullis, qui expectandum adhuc censebant, decretum factum est, ut Cazimiro Vuladislai fratri regnum mandaretur. Facillimè & aequo animo fratrem fratri cessurum, si is uel post aliquot annos reuerteret. Missi legati quos [illegible] episco-

Rumor incertus de rege.

Silesiorum cũ Polonis offensae mutuae compositae.

Cazimirus à Polonis rex creatur.

episcopi ediderũt, ad Cazimirum in Lithuaniam, qui eum re tota suspensa, ad alia comitia, quæ Petricouiam ad XXIIII. diem mensis Augusti indicebantur, euocarent ad consultandum in commune, & constituendum de Republica Polona, rege orba. Et Polonorum quidem legatos ille absq; certo responso dimisit: suos uero ad conuentũ Petricouiensem cum his mãdatis misit. Debilitatũ se ægritudine ex aduerso casu fratris, uenire eò nõ potuisse, & inopem esse consilij, præter, quod immatura sibi ea de surrogando rege cõsultatio uideretur: se quidem, dum adhuc incerta essent omnia, neq; regnum, neq; administrationem ullam suscepturum esse. Videri aũt sibi, ut ij deinceps quoq; summæ rei præessent, quos Vuladislaus in Vngariam discedens, uicarios & gubernatores reliquisset. Non acquieuit in eo respõso cõuentus. Itaq; placuit, ut octo principes senatus ad Cazimirũ proficiscerentur, ac diserte ad regnum suscipiendum eum uocarent: si renueret, aut cũctaretur, alium sibi quæsituros esse. Neq; enim tutum sibi esse, neq; consultum reipublicæ, diutius principe carere. Perstabat in sententia Cazimirus, siue quod de fratris uita nõ desperaret, siue quod Lithuani proceres ægre eum à se dimitterent, libertatis, & lenis, ne dicã lenti imperij, dulcedine degustata: ac ueriti, ne absente eo Michaël Sigismundi filius dominatũ arriperet, interfectiq; patris pœnas à se expeteret: aut si cui alij principatus à Cazimiro mandatus esset, ne is profusas ipsius donationes in se retractaret: adhæc Luscum & Podoliam in suam ditionem redigere cupiebant. Id autem, si regnum susciperet Cazimirus, cõmode fieri non posse iudicabant. Nec tamen Cazimirus regnũ penitus repudiabat. Vbi per Lithuanos stare, quo minus Cazimirus tũc regnum delatum acciperet, animaduersum est, actum est cum eis diligẽter: sed nihil impetratum. Itaq; discedebant re infecta legati, testati sese, Polonumq; nomen omne functum esse officio suo, quod paternum, fraternumq; regnum Cazimiro detulissent. Deinceps aliter sibi prospecturos esse. Regina Cazimiri mater, quæ ea de re in Lithuaniam legatos antecesserat, filium, ut saniore cõsilio uteretur, nequicquam obsecrabat: quem ubi obstinatum uidit, à legatis impetrauit, ut referre illi de re tanta ad Lithuanorum & Russorum conuentum liceret. Ad octauũ Idus Ianuarij sequentis anni, qui fuit post Christũ natum 1446. eum certũ responsum Polonis daturũ esse. Vbi tempus id aduenit, frequensq; nobilitas cum proceribus Petricouiã conuenit, uenêre sex legati à Cazimiro & Lithuanis, differri adhuc rem postulantes: quod ni fieret, bellũ comminantes, propterea quod Cazimirus armis ius suũ persecuturus esset: quẽ tamẽ dicebãt in principatu Lithuanorũ acquiescentẽ, regnũ non appetere. Irritati hoc responso Poloni, alium regem creare sibi statuunt. Sed cùm ad rem uentũ est, pœnitentia nonnullorũ mentes subijt, metuentium ne graues inde motus existerent. Veniebat enim in mentem, Cruciferos, orto inter Polonos & Lithuanos dissidio, minime defuturos esse occasioni uexandæ & infestandæ Poloniæ. Quare placuit rursus rem in tertiũ mensem differre, & interim adhuc Cazimiri animum pertẽtare. Missi ad id Prædiborius Conespolius Sendomiriensis, & Sciborius Sarleius Sciboricius Inouuladislauiensis castellani, qui authores comperendinandi in senatu fuerant, nihilo æquius responsum retulerunt. Itaque ad uicesimamoctauam diem Martij, cum frequens senatus Petricouiam conuenisset, cunctusq;, quo religiosius reipublicæ consuleret, sacris CHRISTI IESV mysterijs procuratus esset, inita de rege creando suffragia, ea tamẽ cõditione, ut Cazimiro etiam tum acceptandi regni locus relinqueretur: persuadebant enim sibi cõplures, mutaturũ eum esse sententiam, ubi intelligeret, alium regem creatum esse. Et episcoporum quidem sententiæ ferè in Fridericum marchionem Brandeburgensem, qui iam antè gener & successor Iagelloni regi destinatus fuerat, inclinabat: præter Paulum Gizicium Plocensem episcopum, qui ad alterutrum de ducibus Masouiorum Vuladislao & Boleslao, regnum deferebat: hunc secuti Ioannes Cizouius castellanus, Ioannes Tencinius palatinus Cracouiensis, Lucas Gorcanus palatinus posnaniensis, & maior pars senatus, & pleraq; omnis nobilitas, Boleslaum regem edebant. Itaq; in hanc sententiam senatusconsultum factum, & Boleslaus à Vincentio archiepiscopo Gnesnensi rex renunciatus: designatiq; quinq; de primoribus oratores ad eum, si Cazimirus ante Pentecosten mutatæ uoluntatis significationem nullam dedisset. Ibi Cazimirum, cum de his quæ Petricouiæ acta erãt, celeriter certior factus esset, pœnitere uehementer consilij sui cœpit: nec modò speratum regnum se amisisse dolebat, uerùm etiam de principatu Lithuanorum, ac de uita deniq; in periculum se uenturum esse propediem augurabatur: non ignorabat, impigrum esse Boleslaum, et sibi merito suo inimicum: Michaëlem uerò hostem itidem suum, generum eius esse: in eumq; rursus Lithuanorum & Samagitarũ studia inclinata esse, alienatis à se animis: quòd molestè ferrẽt, Gastoudi

Comitia Petricouiæ.

Lithuanorum consilium de retinendo Cazimiro.

Reginæ studiũ in eucbẽdo ad regnum filio.

1446. ann.

Comitia Petricouiæ.

Boleslaus Masouius rex à Polonis creatus est.

Cazimirũ pœnitet non suscepti regni.

Gastoudi potētia & authoritas. Gastoudi arbitratu sibi imperari: & meminerat aliquoties iam insidias à coniuratis capiti suo & ferro, & ueneno comparatas esse, etiam ab his quos charissimos & intimos habuerat: in quibus Suesta quispiam Russus fuit, quē tantopere dilexit Cazimirus, ut in eodem cum eo lecto cubaret. Cogitabat ergo, si secundis rebus suis, septies tamē penitus, ægrè insidias depulisset, quid futurum esset aduersis? Itaq; consultores suos, & ipsos per se peccatum suum agnoscētes, reprehendebat: & ad matrem secretò misit, petens, ut erratum suū, si quo modo posset, corrigeret. Nec segniter ea proceres atq; nobilitatē pro filio prælentauit, multa largiendo, plura pollicendo. Nec difficulter minores Polonos induxit, ut cōuentum apud Belzice agerent, indeq; Petrum Curouium castellanum Sandecensem ad Cazimirum mitterent. Is ubi cupere eum iam regnum renunciauit, regem eum nobilitas, quæ frequens Cracouiam conuenerat, renunciabat, reclamante Sbigneo, & nōnullis alijs proceribus, qui leuitatem multitudinis reprehendebant, quòd nulla propria Cazimiri legatione expectata, soli sine cæteris Polonis de re tanta statuerēt. Itaq; reiecta res ad maiores Polonos: ad quos Ioannes Pelecius legationem sibi desumpsit. At illi Coli conuentu acto, in Cazimirum ipsi quoq; rursus animos inclinant: & abrogata Boleslai electione, legationem nouam ad Cazimirum decernunt, ut ad penultimam diem Septembris Parsouiæ, siue usquam alibi in finibus Lithuaniæ inter Breste & Parsouiam conuentum secum ageret. Deinde & minores Poloni ad XVIII. Cal. Septemb. Corcini conuentum rursus egerunt, & Colense decretum approbarunt. Erant enim complures de proceribus atq; nobilitate, qui amplas patris, fratrisq; Cazimiri profusa liberalitate possessiones nacti, uerebantur, ne Boleslaus, regnum adeptus, irritas eas faceret. Et fit ferè, ut priuatæ res publicis præferantur. Conueniunt ergo frequentes proceres ad cōstitutam diem Parsouiam. Cazimirus uerò diu frustra expectatus, & admonitus ut ueniret, negauit ullā se significationem uoluntatis suæ de suscipiendo regno, aut de conuentu pariter instituendo, dedidisse Petro Curouio: sed matris & quorūdam Polonorū procerū sibi amicorū precib. adductū se Breste uenisse. Si quid secū forte Poloni agere uellent, illuc ad se uenirēt. Nimia tūc erat nostrorū hominū patientia, & misera propemodū conditiō, qui barbaricū fastum & ludificationem tam æquis animis ferrent. Et tamen miserunt ij sex de primorib. ad eum Bresten: nam uniuersos proficisci nō placuit, ne qua ui ad iniqua pacta adigerentur. Dicebatur enim Cazimirus nō exiguā Lithuanorū atq; etiam Tartarorum manū secum habere. Eam uerò conditionē ille legatis tulit: non aliter se suscepturū regnum, nisi Podolia, Luscum & Olescum Lithuanis redderentur. Quam cum nostri non acciperent, & re infecta recedere pararent, insusurrarunt nonnulli de nostris Cazimiro, in manu ei fore suscepto regno, ut per seipse faceret ea, quæ tūc aliunde postularet. Ita patrem eius Melstinio, ita Suitrigelloni, ita Vitoudo deniq; eas ipsas ditiones concessisse. Placuit Cazimiro consilium. Sic tandem Polonorum desiderijs assensus est, & ad octauum demum Calend. Iulij sequētis anni in Poloniam ad suscipiendum regnum uenturum se esse recepit. Per pulchrè autem regni, ut ita dicam, crepundia auspicatus est, mox enim, quemadmodum Dlugossus memorat, Lomazos & Polubice à præfectura Parsouiensi & à Polonia abstraxit: ut iam tunc credo documentum daret, meritò sibi à Polonis supplicatum esse. Ita tunc discessum est. Nec multo pòst Nicolaus & Venceslaus Ratiboriensium, & Boleslaus Cesinensium duces aduenientes Cracouiam, pacem cum Polonis, reddita Sbigneo episcopo Cracouiensi Seueria, fecerūt. Per eadem tempora Ioannes Huniades in Vngaria magnas res gessit. Non multo enim post Varnensem cladem, cum à Transalpinēsi palatino Dracula, à quo ex aduerso prælio fugiens captus erat, dimissus esset, coacta ualida armatorum manu, Turcas Rasciam infestantes ad Sauum fluuium nocturno prælio profligauit: mox Vlricum Ciliæ comitem, Croatiæ & Slauoniæ finitimæ, ut in interregno imminentem, peruastata ditione eius, ad deditionem compulit. Inde cum ad comitia Vngarorū, quibus rex creatus est Ladislaus puer, uenisset, omnium consensu prorex siue gubernator factus, Transalpinensem Valachiam cum infesto exercitu ingressus est: uastatisq; agris, Draculam cum uno filio cœpit & interfecit, alterum uita & libertate donauit: regem à Friderico Cæsare, ubi educabatur, bello repetijt: & Austriam, Styriam, Carinthiamq; uexauit: nec tamen peruicit, ut Ladislaus Vngaris redderetur. Ac ne Bohemis quidem efflagitantibus is missus est. Itaq; ibi Georgij Podiebradij nutu & arbitrio cuncta gerebantur. Ita simili quodam fato tria hæc regna tunc, ut aliàs nonnunquam, erant. Sed nos iam Cazimiri regnum ordiamur.

Sbignei graue consilium.

Cazimiri tergiuersatio.

Cazimirus cōditiones fert Polonis.

Pax cum Ratiboriensibus & Cesinensib. ducibus.

Georgius Podiebradius gubernator Bohemiæ.

CAZI-

CAZIMIRVS TERTIVS REX.

IGITVR anno Christi 1447, Cazimirus insigni Lithuanorum & Russorum comitatu stipatus, uicesimaquinta die Iunij, quemadmodum conuenerat, uenit Cracouiam: insequenti die ritu solenni coronatus est: tertia de more castellano Cracouiensi coronam, Palatino sceptrum, Poznaniensi uerò palatino pomum, & Sendomiriensi gladium præferentibus, in forum urbis ad recipiendum ab oppidanis iusiurandum descendit. Ibi priusquam præparatum sibi solium ascenderet, controuersia inter episcopos ac duces Mazouiorum Vuladislaum & Boleslaum (nam Cazimirus anno superiori obierat) de loco, utri dextrum regis latus tenerent, orta, reuerti regem in arcem re infecta coëgit. Cessêre tamen postea duces episcopis. Accidit autem res ominosa inter solennes ceremonias. Nam cùm de pagis aliquot Tinecensi monasterio subiectis pecudes pigneratæ ob negatam regi nouo inusitatam procurationem siue stationem essent, mulieres rusticanæ pecudes suas secutæ, eiulatibus, & lamentis, non sine molestia, & fremitu omnium, templum impleuerunt. Monasterium quoque Mogilense, quo die Cazimirus Poloniæ fines attigit, totum fortuitò incendio conflagrarat. Nec sanè fefellit omen: sensêre enim pressuram ecclesiæ, & monasteria postea hoc rege regnãte. Consultatum deinde est, utrum de duobus rex pontificem Max. agnosceret: Felicem'ne, à quo oratores ea de re aderant: an Nicolaum quintum, qui Eugenio mortuo nuper successerat, & literas ad regem miserat. Hunc agnoscere placuit: missique ad eum legati, Vissota Gorcanus, præpositus Poznaniensis, & Petrus Samotulius castellanus Calissiensis, impetrarunt regi decem millia florenorum in subsidium contra Tartaros, quæ ordini ecclesiastico in Polonia imperata sunt: itemque facultatem conferendi nonaginta sacerdotia, quæcunque in prouincia Gnezneńsi uacatura essent, & ad ius summi pontificis pertinerent. Petierant autem ij regio nomine decimam decimæ, & ius omnium sacerdotiorum in tota Polonia conferendorum, & pensionem siue denarium S. Petri. Sed ea negata sunt. Nec multo pòst Felix in gratiam Nicolai certis pactis interuenientibus, omni iure pontificatus se abdicauit, & concilium Basiliense solutum est, cum acta eius Nicolaus approbasset. Peractis ritè noui regni ceremonijs, dimissisque, & extra portam honoris causa deductis Lithuanis proceribus, rex Cazimirus in maiorem Poloniam comitante matre profectus est: & cùm esset Calisiæ uenit ad eum Michaël Sigismundi Lithuanorum ducis filius, supplex & prostratus ad pedes eius, reddi sibi paternam hæreditatem petens: nihil tamen æqui impetrauit. Poznaniam ubi rex aduenit, tota urbs fortuito incendio conflagrauit. Quam calamitatem infelicium ciuium, rapacitas regij comitatus auxit. Sed rex insontes supplicio capitis animaduertit. Lublinum quoque, Znena, Siradia, Bochnia, & Xianzum oppida eodem anno arserunt. Comitia deinde Petricouiæ ad diem diui Bartholomæi memoriæ sacrum habita: in quibus leges quasdam rex de amplissimi consilij sententia condidit: pacem & pacta conuenta Vuladislai fratris cum Cruciferis approbauit: missisque ad eos uicissim legatis, iusiurandum secundum ea ipsa pacta ab eis exegit, rogatus aũt à proceribus, ne quid eorum quæ in Polonorum ditione essent aut fuissent, Lithuanis concederet: profisciscens in Lithuaniam, ut graues & prudentes uiros de Polonico senatu secum duceret: Theodorico Buzacio præfecto Podoliæ, qui arces quasdam à Lithuanis interceptas recuperarat, ut ueniam daret: omnia de Lithuanorum, quos secum habebat, consilio negauit, & propere in Lithuaniam secessit. Quo quidem facto additi sunt animi improbis & sceleratis hominibus, ut furtis & latrocinijs non modo uias publicas, sed pagos etiam ac domos equestrium hominum, & oppida infestarent, rege interim in Lithuania uenationibus assiduis uacante, & neutiquam curante res Polonicas. Itaque impunitate creuit licentia, adeò ut nostri quoque non pauci, de nobilitate latrociniorum societatem, cum Silesijs & Vngaris inirent, præfectis regijs, & senatoribus nonnullis, si non fauentibus, certè conniuentibus. Multorum tunc mercatorum merces propè Grebottiam direptæ: multi item pagi in ora Velunensi direpti & incensi: Bendinum quoque in oppidum dolo captum, & exustum. Sequenti anno sub finem Maij, comitia cum Lithuanis apud Lublinum habita sunt. Postularunt Lithuani, ut sibi æquo iure fœdera cum Polonis essent, utque caput illud, quo Lithuania Poloniæ Vuladislai Iagellonis diplomate adiungitur & inseritur, de fœdere tolleretur: itemque, ut Podolia, Olescum, Vetli, Lopatinum, & Grodlum territoria, quæ præter ius sibi adempta esse asseuerabant, redderentur. Ad hæc, ut commodè & placidè Poloni responderent, neque Lithuanorum animos à se alienarẽt, rex

1447. ann.

Mogilensis monasterij incendium.

Sigismundi Lithuani repulsa.

Postulata Polonorum à rege negata.

1448. ann.

Comitia Lublini cum Lithuanis.

petiuit. Re in consultationem posita, responsum est: Commodiorem uiam ad retinendos Lithuanorum animos non esse, quàm ut Lithuani, Rusśiq; omnes Polonorum, regno atque nomine, abrogato principatu suo, censeri se deinceps uelint. Quod cùm illi abnuerent, tunc demum ad postulata eis responsum est, primùm quod attineret ad fœdera, rectè ea à Vuladislao rege, & Vitoudo constituta ac descripta esse: nec esse, quod querantur de iniquitate fœderum Lithuani, quibus libertatem, nobilitatem, immunitates, & multa præterea præclara adepti essent: non licere autem Polonis quicquam de ijs mutare, ne penitus ea labefacerent. Podoliam à Cazimiro magno rege, submotis Tartaris quæsitam, & Camenecia, Chaceno, Cecinis, Bacota, Meziboźo arcibus, & quibusdam alijs castellis munitam, a Ludouico deinde possessam, ad Iagellonem quoq; una cum regno peruenisse: ab eo primùm Melstinio, deinde Suitrigelloni fratri, ad extremum Vitoudo ad tempus concessam esse: morte Vitoudi ad ius Polonorum redijsse, prouidente etiam ipso Vitoudo paulò antè obitum, & sacramento præfectos adigente, ut non nisi regi eam traderent: idq; ita factum esse. Nam de Olesco, Vetlis, Lopatino, Lusco & Grodlo, extare etiam apud se diploma, Sigismundi magni ducis Lithuanorum, testatum facientis, ea ad Poloniam pertinere: superesse etiam inter ipsos, qui hæc ita se habere meminissent. Ita tunc responsum Lithuanis, conuentusq; solutus est. Venerat eò Baptista Camerinensis episcopus, legatus à Nicolao Pontifice Max. & auream rosam dono regi attulerat: sed Cracouia demum, rege eò reuerso, dimissus est. Nullum autem honorem ei Cracouiam uenienti Academiæ præsides habuêre, propterea quòd affirmarent, nō Nicolaum, sed Felicem iustum esse pontificem, quippe qui Eugenio inde amoto, à concilio Basiliensi suffectus esset. Needum enim de cessione Felicis increbuerat. Paucos dies Cracouiæ rex commoratus, cùm inducias cum Silesiorum ducibus in unum annum prorogasset, in Rusśiā pfectus est, ad sedandos motus Moldauicos. Stephano & Heliæ fratrib. palatinis uita defunctis, huic qdē Romanus, illi uerò Petrus, filij in dominatu successerāt: ex his Petrus Ioannis Huniadis, qui Vngariam pro Ladislao rege gubernabat, ope fretus, Romanum eiecit: erat autem Romanus consobrinus Cazimiri regis: eiectus in Podoliam profugit. Hunc ergo reducere Cazimirus, & res inter disidentes patrueles componere uolebat. In itinere autem certior fit, Romanum ueneno sublatum esse: itaque accelerauit iter, Russosq; Præmislienses. Leopolienses, Belsenses, Chelmenses, & Podolios arma sumere, & se sequi iussit. Sublato enim æmulo detrectabat Petrus iusiurandum in uerba regis, quod prius per legatos obtulerat: detrectabat enim Petrus imperiū eius. Leopoli cùm esset rex, uenit ad eum matertera, Romani extincti mater, cum ducentis equitibus Valachis: ac equites quidem, fide eorum commendata, præsenti pecunia subleuauit: materteræ uerò Colomeiam concesit. Cameneciam deinde cum uenisset, ingenti Podoliorum lætitia, & liberalitate exceptus est. Inde legatos ad Petrum palatinum misit, Petrum Odrouanzum palatinum Rusśiæ, & Prædiborium Concspolium castellanū Sedomiriensem, & præfectum Præmisliensem, cū his mandatis, ut ille ad se ueniret, atq; in uerba sua iuraret: Michaëlem uerò Sigismundi ducis filium profugum ut sibi traderet. Nam is cum insidiari capiti suo regem intelligeret, è Lithuania in Mazouiam ad socerum, inde in Prusśiam: & cum ne ibi quidem tuto esse posset, in Silesiam, ad extremum in Valachiā profugerat. Et ad præstandum quidem iusiurandum uenturū se esse Petrus, accepta à rege fide, recepit: Michaëlem uerò, qui ad se cōfugisset, ut pderet, neq; ex fide sua, neq; ex dignitate regis fore respondit: sed iussurū se, deinceps ut finibus suis excederet. Itaq; ad Tartaros is deinde profugit. Non expectauit autem rex Petrum: sed missis ad eum quatuor legatis, Chocimi promissum iusiurandum absens ab eo consiliarijsq;, & nobilitate Moldauica accepit: quo diserte illud cauebat, irrita fore, esseq; fœdera, quæ Petrus & Valachi cū qbusuis hominib. atq; principib. prius icissent: quib. uerbis Vngari potisśimū designabant: ipsum aūt palatinum uēturum, esse ad regem intra tres menses, postea quam accitus fuerit, datumq; iusiurandum in uerba eius iteraturum: missis autem Chocimum legatis rex ipse propere in Lithuaniam, ut tempori ad comitia, Nouogrodecensi adesset, se recepit. Venerat autem ad eum Tartarorum principis legatus Cameneciam, auxilia contra Petrum Valachum pollicens: eumq; rex cum secretis mandatis dimiserat. Vix autem in Lithuaniam ad constitutum locum uenerat, cum Tartari rapidi torrentis in modum in Podoliam populabundi sese diffuderunt, ferro & igni cuncta uastantes. Quos tamen Theodoricus Buzacius præfectus Podoliæ, cum expedita manu, angustijs & impeditis in locis, palatos aliquoties adortus, non leuibus incommodis affecit, multosque capti-

uos

Polonorum responsum.

Luscum iuris Polonici.

Huniades gubernator Vngariæ.

Legatio Cazimiri regis ad palatinum Valachiæ.

Tartari Podoliam uastarunt.

nos liberauit. Reuertentes autem Tartari, à Iurza Russo siue Lithuano, ad Braslauiam comiter accepti sunt: unde aucta est suspicio, eos siue à rege, siue à Lithuanis subornatos, Podoliam uexauisse. Per hæc tempora Vincentio Cotto archiepiscopo Gneznensi mortuo, Vuladislaus Oporouius episcopus Vuladislauiensis, à maiore parte collegij in gratiā regis suffectus est. Ei uero in Vuladislauiensi episcopa, Nicolaus Lasocius, à Nicolao Pontifice maximo, contra uoluntatem regis, qui Ioanni Gruscinio fauebat, successor datus est. Nec tamen possessionem bonorum, rege per præfectos prohibente, adeptus est Lasocius: anno autem sequenti, peste apud Camerinum ne uiuis sublatus, liberam Gruscinio episcopam reliquit: uir ingenio, solertia, doctrinaq; singulari, cuius etiā cōsilio Ioānes Huniades multū usus esse fert. Hoc ipso anno, Ioannes Huniades, cum accepisset Amurathem Turcarum principem, in Vngaros arma sumere decreuisse, ultro cum uigintiduobus millibus Vngarorum, & auxiliariorum obuiam hosti in Bulgariam, ad Schitnizam fluuium processit, adiunctis sibi in societatem belli palatino Transalpinensi, & Alexandro Albanensium principe, quem Turcæ Sanderbeccum appellarunt, qui ab Amurathe defecerat. Nam Georgius Rasciæ Despotes, cùm post Varnensem cladem dominatum suum Amurathis munere recuperasset, fidem datam barbaro seruauit. Nec tamen Alexander ad condictum locum, tempusqúe occúrrit. Triduo i x à mane usque ad uesperum infestis animis dimicatum est. Ad extremum superant hostium multitudine, defatigati Vngari succubuêre. Nec tamen Turcis incruenta cessit uictoria. Trigintaquatuor millia Barbarorum in ijs prælijs cecidisse feruntur, Christianorum uerò ferè octo millia. Huniades fuga saluti suæ consuluit: sed cum in Despotæ manus incidisset, ab eo detentus, ac deinde certo pacto dimissus est, dato pro se obside Ladislao filio: quem tamen paulò pòst comminatione belli repetitum recepit: Despota q; contra Turcas, ditionem eius propter dimissum se infestantes, cum exercitu præstò fuit; & inopinato aduentu suo perterritos hostes in fugam egit. Nec diu postea uixit Amurathes: moriens Mahometi filio, quem uiuens successorem sibi designarat, imperium reliquit. Sed nos nostra repetamus. Insequenti anno, cum Michaël dux profugus Starodubum, Nouogrodum Seueriense, & nonnullas alias munitiones in Russia Moschis finitima auxilio Tartarorum intercepisset, tumultuariasq; regis copias fudisset, maiore mole rex cōtra cū arma mouit: eiectoqúe eo, munitiones interceptas recepit. Dum autem in Lithuania commoratur, Sophia regina, & Sbigneus cardinalis, missis in Vngariam Ioanne Zagorenio magistro curiæ reginæ, & Ioanne Dlugosso maiore canonico Cracouiensi legatis regio nomine, perniciosum inter Ioannem Huniadem, & Ioannem Iscram bellum, Polonis quoque propter uicinitatem (nam in Scepusiensi ora gerebatur) metuendum, pace inter eos facta, interceperunt. Decembri demum mense rex in Poloniam ad comitia Petricouiensia reuertit: ubi magna exorta est inter proceres, de prærogatiua loci, & sententiæ dicendæ controuersia, propter Sbigneum episcopū, cui à duobus pontificibus, prius cardinali presbytero designato, Nicolaus paulò ante insignia eius honoris miserat. Nam illo in senatum ueniente, Vuladislaus archiepiscopus, ne principem locum amitteret, cum omnibus maiorum Polonorum proceribus, qui & ipsi prærogatiuam illam, ad minorem Poloniam à se transferri nolebant, discessit. Volunt enim cardinalem etiam presbyterum, & diaconum maiore esse dignatione, quàm episcopum, & Archiepiscopum, atque etiam patriarcham. Rex nihilominùs cum his manserant, senatum habuit, Friderici Cæsaris legationem, pro Vuladislao Mazouiorum duce propinquo suo postulantem, ut rex eum Rauam atque Belsum, quæ rex reposcebat, secundum fratres, absque liberis defunctos, retinere pateretur, audiuit, & causam illam cum Vuladislao, in aliud tempus reiecit. Expostularunt grauiter cum rege maiores Poloni, de senatu se absentibus habito: & ut archiepiscopus principem, in senatu locum retineret, contenderunt. Sed negauit rex id sibi in manu esse: quando sic uisum sit Pontifici, authoritati eius stari oportere. Ad extremum, ne quo obstaculo controuersia illa esset reipubl. exoratus Sbigneus Petricouia discessit, archiepiscopo quoque discedente. Liberius deinde habita sunt consilia, de repub. quibus nonnulla salutaria statuebantur. Sed ea cuncta mox irrita fuêre, cum rex, proceribus petentibus solenne iusiurandum, quòd ritè, & secundum leges regnum administraturus esset: dare, & regum superiorū acta, constitutiones, & beneficia quæuis publicè, & priuatim concessa, rata habere, ne quid Lithuanis suis detraheret, recusaret. Sequenti anno, nempe 1450, ueris initio conuentum rex egit Cracouiæ, cū solis minoribus Polonis, de inquirendis, & cobibendis furtis, & latrocinijs, quæ imputa-

Tartari comiter accepti à Lithuanis.

Vngarorum expeditio contra Turcas.

Huniades captus à Despote dimissus.

1449. ann.

Cardinalis dignitas.

Cardinalis & Archiepiscopus è comitijs discesserunt.

1450. ann.

tuta-

Petrus Saffranecius de latrocinio suspectus.

nitate admodum inualuerant, etiam inter primos de nobilitate: nominatimq; Petrus Saffranccius, uulgò magna infamia laborabat. Et placebat primoribus inquisitionem uulgò haberi. Verùm Ioannes Tencinius palatinus Cracouiensis, cuius magna erat, apud nobilitatē gratia, & authoritas, eam rē dissuasit, non q͂ faueret is furib. & prædonib. sed q͂ agi quicq̃, & statui publicè cū rege nollet, aduersus uniuersæ Poloniæ cōsensum. Conuenerat enim inter proceres superioribus comitijs, ne pro iusto rege Cazimirum haberent, quoad is iusiurandum, quod à se petebatur, præstitisset. Reuera tamen nimium (ut fit) nonnulli proceres sanguini suo, & necessarijs indulgebant, quo maiorem sibi potentiam cōpararent. Itaq; soluto conuentu, creuit magis perditorum hominum licentia, & iam regi quoq; ipsi Saffranecius insidias tendere dicebatur. Misit deinde rex Petrum Odrouanzum, & Prædiborium Conespolium, cum exercitu Russorum, & Podoliorum in Moldauiam, quæ nouis tunc rursus motibus agitabatur. Quid Petro palatino Valachorum factum fuerit, non reperio. Sed tamen Bogdanus, qui se nothum Alexandri palatinum filium esse præ se ferebat, dominatum apud Valachos, quasi hæreditario iure secundum fratres legitimos, ad se pertinentem inuasit. Supererat adhuc paruus Heliæ filius Alexāder, cum matre profugus: atque is reductus paulò antè fuerat iussu regis, à Ioanne Sennenio Olesio, Bogdanusq; eiectus. Sed cum Sennenius copias reduxisset, Bogdanus, qui in montana se abdiderat, facta aliquanta manu latronum, & nouas res cupientium hominum, quibus eorum, qui cum Alexādro sentiebant, bona pollicebatur, Alexandrum rursus eiecerat. Ac deliberatum, quidem est in consilio regio, an rex Valachiam omnino subigeret, atque in prouinciæ formam redigeret, attributis Alexandro puero bonis in Russia: sed res magnæ difficultatis uisa in feroci populo, & externi dominatus impatiente, & propter Turcarum uicinitatem, qui Bulgariam & ulteriorem, Danubij ripam tenebant. Consultius uisum, ut alienis uiribus, & alieno periculo, tam potentem à se arcerent. Itaque Odrouanzus, cum Conespolio, Valachis ipsis petentibus, & opitulantibus, reducere iterum Alexandrum iussi sunt. Atque hi tripartito agmine, Valachiam ingressi sunt: Alexander enim Valachos, Theodoricus Buzacius Podolios, quibus præfectus erat, cæteros uerò Russos Odrouanzus, & Conespolius ducebant. Bogdanus imparem se hosti animaduertens, in nemora sese cum suis abdidit. Ac de pace tamen cū nostris, dolos nectens, p internūcios egit: impetrauitq; ea lege, ut Alexandri nomine, donec is ad quintumdecimum annum perueniret, Valachiæ præesset, regiq; septuaginta millia, quemadmodum Dlugossius scriptum reliquit (nam Bernhardus Vapouius, habet septē millia modò) Turcicorum aureorum, equorum certum numerum, & pecorum greges quotannis penderet. Pace facta reuertebantur nostri: ibi Bogdanus circumductis suis, syluam apud Crasne pagum, qua iter habebant nostri angusto, & impedito tramite, insedit. Sed ea de re, edocti nostri à transfugis, & exploratoribus Burculabi, quo nomine præfectum arcis illi uocant, qui summa fide partes pueri tuebatur, curribus & impedimentis, cum præsidio Valachorum duce Burculabo, & ala Podoliorum præmissis, ipsi expediti prælij fortunam, æquo & iniquo loco tentare, ac honestè potius occumbere, quàm turpi, & fugæ simili receptu, perfido hosti incruentam uictoriam concedere, statuunt. Complures tamen, de exercitu iniussu præfectorum, clam se cum impedimentis subduxerunt. Sexta die Septembris, Bogdanus cum expedito agmine apparuit: nec nostri quamuis consternatis Valachis, qui cum Alexandro erant, pugnam detrectarunt. Equitatu nostri, peditatu hostis, pro loci opportunitate abundabat: sed cum tamen peditatum equitatu texerat. Equestri pugna conserta, & acriter inuehentibus nostris, hostes cedentes, & huc atque illuc dissipati, peditum aciem ostendêre. Nec eo segnius tamen à nostris, quamuis iniquo genere pugnæ, dimicatum est. Fortissimi quique de nostris, & qui in prima acie pugnam ciebant, cadebant: & iam inclinare cœperat tota acies, cum Burculabus certior factus de prælio, collocatis in tuto curribus, cum præsidiaria illa sua manu adueniens, nostris animum addidit, hostium uerò ferociam, & exultationem repressit, territosque in fugam uertit. Ita nostri insperata, & cruenta uictoria potiti sunt: multos enim fortes uiros amisêre: atque in his principes Odrouanzum palatinum, & Michaëlem Buzacium. Pugnatum est à mane usque ad uesperū. Hostes fuga dissipatos quadriduo Burculabus, in sylua conquisiuit. Bogdanus sospes Barlotum, oppidi id nomen est, sese recepit. Nostri quamuis uictores, ualde tamen debilitati, & maiorē ex amissis fortib. uiris dolorē, q͂ ex pfligatis hostib. lætitiā capientes, satis tūc habebant domū reuerti. Odrouanzum palatinum, Ioannes frater archiepiscopus Leopolica-

Consultatio Polonorum de Valachia redigenda in formam prouinciæ.

Bogdani fraus.

Valachi fusi, fugatiq;

Barlotū opp. Valachiæ.

liensis paucis diebus secutus est, mœrore confectus: cui Gregorius homo plebeius, è Sanoco oppido ortus, artium liberalium magister, cuius superius meminimus, successit. Non multo pòst Tartari, ubi de strage Russicæ nobilitatis accepêre, magno impetu in Podoliam atq; Russiam usq; ad Grodecum oppidũ, & fines Belsensium populabũdi excurrerunt: parumq; abfuit, quin Vuladislaum Mazouium, Belsensem dominatum secundũ fratris mortem obtinentem, & uenationi tunc uacantẽ, caperent: abactaq; ingenti hominum, pecudum & iumentorum prædã, incolumes ad sua se recepêre. Inde ingens mœror atq; luctus, ac metus etiam geminato malo, non modò Podolios atq; Russos, uerùm oẽs Polonos afflixit: cùm nemo esset, qui, si quid mali rursus ingruisset, succurreret, rege in Lithuania commorante, & conuentum cum Lithuanis de Podolia, & Lusco agente. Ne in Cracouiensi quidem ora quietæ res fuêre per id tempus. Nam Prẹmislus dux Toscensiũ, coacto exercitu Seueriam episcopi Cracouiensis arcem oppugnauit: reiectus uerò inde cũ ignominia, tractũ illum oẽm diuexauit: sed cũ Sbigneus cardinalis coadunatis aliquãtis copijs ultus est usq; adeò, ut eum ad petendam pacẽ, & satisfaciendum de damnis datis adigeret. Ad Pentecosten demum sequentis anni, rex Petricouiam ad comitia uenit: ibi actum rursus de Sbigneo cardinali, ipso absente: nam cum rex, ne ueniret, rogarat, sancitumq;, ut is quidem principem in senatu locum obtineret: deinceps uerò, ne quis eum, atq; legationis etiam apostolicæ perpetuæ honorem, rege & senatu inconsultis, peteret aut usurparet. Cracouiam deinde rex ueniens, conuentum minorum Polonorum egit: ad quem Lucas Gorcanus palatinus, & præfectus Poznaniensis, Nicolaus Scora castellanus Calissiensis, & Laurentius Zaremba castellanus Siradiensis, & præfectus Velunensis, nomine omnium maiorum Polonorum adfuêre. Tentatum ibi rursus de purganda Polonia latrocinijs: sed inquisitionem nobilitas pleraque abnuebat. Nec ea sanè magnopere opus erat, si rex in eos modò, quorum publica erant scelera, animaduertete, infamesqúe latronum receptu munitiones Berualdum, & Velcinum in potestatem suam redigere uoluisset. Velcinum Gels Silesius, Berualdum Vulodicus Scrinius, unà cum Catharina uxore latrocinans tenebat. Clausum est autem iter mercatoribus Polonis Vuratislauiam, propter noua telonia in Silesia instituta. Interdictumqúe externis mercatoribus, & præsertim Norembergensibus, Cracouiæ & aliorum oppidorum domicilijs, proptereà quòd nostris uictus, quærendi rationes præriperent: cum Boleslao uerò Opoliensium duce, rursus prorogatæ induciæ. Cæterùm cum rex iusiurandum solenne posceretur, impetrauit ut ea res differretur tantisper, donec communis, cum Lithuanis conuentus ageretur: atque is Parsouiam ad penultimam diem Augusti indictus est. Impetrauit etiam, habito denuò apud Corcinum minorum Polonorum conuentu, ut semi grossi in iugera, pro necessarijs usibus reipublicæ conferrentur: eiusqúe pecuniæ quæstores atque dispensatores, Cracouiensis & Sendomiriensis palatini constituti. Ibi Sbigneus arrepta occasione, grauiter regem increpuit, cùm de alijs quibusdam criminibus, tum de Michaëlis Sigismundi ducis filij iniuria, & indigna supplicis repulsa: ob quæ minus ei prosperè caderent omnia. Cumq; eum de sententia non dimoueret, Deum testatus est, eum reum fore omnium, quæcunq; hominibus ac ditionibus ipsius aduersa euentura essent. In Russiam inde per Sendomiriam rex iter habuit. Venit ad eum Sendomiriam Dauid, Mustaphæ Amurathis Turcarum principis non ita pridem defuncti fratris filius: qui pulsus olim à patruo, in Vngaria complures annos exulauerat, & religionem Christianã susceperat: tunc autem cognita patrui morte, præreptum imperium repetere in animo habebat: & à Cazimiro petebat, ut sibi per eius ditiones transire liceret. Quod impetrauit quidem ille, & splendida insuper munera à rege accepit: sed cum ad Istri ostia peruenisset, Machometemqúe post Amurathem patrem, apud Turcas sine controuersia imperare didicisset, per Poloniam in Vngariam redijt, & ibi consenuit. Samboriæ cùm esset rex Cazimirus, legatio Sophiæ reginæ, & procerum Polonorum eum consecuta est, rogans & admonens, ut ne Luscum à Polonia alienari pateretur. Nam Suitrigello, qui id obtinebat, grauiter ægrotabat: idem contendebant, qui præsentes in regio comitatu erant. Rex ad comitia Parsouiensia integram eam rem reiecit: & cupere se quidem Luscum Polonis adiungere, affirmauit: sed prouidendum esse etiam atq; etiam, ne Lithuani ea re alienarentur. Venit etiam eò Maria Heliæ defuncti Valachorum palatini uxor, cum Alexandro filio, regis opem aduersus Bogdanum implorans. Reiecta res ad comitia proxima. Interim eos, & munitiones quas retinebant in Valachia, Andreas Odrouanzus præfectus Leopoliensis tueri iussus est. Comitia deinde Parsouiæ habita. Ad quæ Lithuani

Gregorius Sanocius archiepiscopus Leopolien.

1451. ann.

Comitia Petricouiæ.

Vuratislauiam ne proficiscantur cum merci bus mercatores Poloni.

Dauid Turca profugus.

Maria palatina Valachiæ.

Gastuodus. Lithuanorum postulata refutata.

non ueniebant, nisi fides publica ipsis data esset: uerùm ea negata est, ne quid fœderibus derogaretur. Tandem rex obuiam eis egressus Lomasos usq;, secum eos adduxit. Gastoudus tamen uenire renuit. Eadem autem quæ prius, Lithuanorum postulata in eo conuentu fuerunt, cùm de Podolia, Lusco, & cæteris, ad quæ Rathnum etiam accesit: tum corrigendis fœderibus, quòd ea se inscijs, non sine contumelia sua, & obnoxiæ seruitutis testificatione, conscripta essent. Itaq; in eandem quoq; sententiam eis, à Sbigneo cardinali cunctę Poloniæ nomine responsum est: refutatumq; euidentißimè illud, quod illi se inscijs fœdera conscripta esse asseuerabant. Nam & Matthias Vilnensis episcopus, & alij proceres Lithuani negare non poterant, se ea posterius approbasse, & iureiurando suo confirmasset simulq; de Podolia, & cæteris quæ sibi uindicabant, professos esse, ad Polonorum ius ea pertinere: sumerent tamen ijs de rebus, quos uellent, siue iudices, siue arbitros, uel regem denique ipsum communem principem, ne quam querendi ansam, neu quod disidij fomentum relictum haberent. Verùm illi ne hanc quidem tam æquam conditionem acceperunt. Ne uerò irritatis animis discederetur, placuit in annum integram rem differri, ad alia eodem in loco habenda comitia. Conuentu soluto rex in Lithuaniam, ad uenationes secesit, rerum Valachicarum cura Ioãni Cizouio castellano, & præfecto Cracouięsi, Petro Samotulio Poznaniensi, & Prædiborio Conespolio Sendomiriensi castellanis mandata: Polonicis uerò, quasi derelictui habitis, nihil motus recenti complurium equitum Velunensium cæde, à Ioanne Gels prædone in conflictu quodã patrata. Tametsi potuit rex habere nonnullam excusationem, pestis uitationem: quæ grauiter eo anno maiorem Poloniam aflixit. Minor enim ferè immunis ab ea fuit, quàuis magnus esset undiq; Cracouiam hominum concursus, Iubilei à Nicolao quinto Pont. Max. ad spacium unius anni post peractũ Romanũ concesi gratia. Eum uerò ille Cracouiæ, Gneznæ, Leopoli, & Vilnæ cõcesserat ea lege, ut quisq; dimidium eius, quod in itinere Romano impensurus esse uideretur, in capsam reponeret: ex ea uerò pecunia, ut dimidium regi in sumptus belli cõtra Tartaros gerendi cederet: de reliquo dimidio, dimidium Sophia regina in dotem egentium puellarum auferret, reliquum uerò pontifici pro instaurandis Romæ templis mitteretur. Sed cum grauis uulgò esset ea æstimatio, ad quartam redacta est. At illi, qui ad componendas res Valachicas designati erãt, dum moliuntur, interea Bogdanus à Petro Alexandri maioris notho filio (qui & ipse sibi ius in dominatu Valachiæ uendicabat, & fœdus atque societatem, cum Alexandro iniuerat) ebrius per dolum interfectus est. Nec multo pòst, ipsum quoque Alexandrum, idem ille Petrus rupto fœdere, de medio tollere conatus est: fecissetq; adeò, ni se ille subduxisset. Reuersus autem cum præsidio Polonorum Alexander, nihil tamen propter hybernum tempus anni, & quòd Petrus in interiora secesserat, agere potuit. Venit per id tempus, ad regem Philippi Burgundionum ducis legatio, auxilia uel pecuniarium subsidium, ad bellum Syriacum, contra Soldanum Aegypti, & Syriæ regem petens. Sed ei responsum est, regem satis negocij habere, ut Tartarorum, qui & ipsi Barbari sint, uim à suis propulset: tantùm abesse, ut quietos lacessendos sibi esse putet. In Vngaria uerò, per idem tempus Huniades gubernator Ioannem Iscram, Cassouiam, & alias quasdam in ea ora munitiones obtinentem, & sibi dicto minus audientem, cum insidijs frustrà appetisset, aperto bello adortus, monasterium, quod ille præsidio munierat, obsidione cinxit: sed Iscra coadunato raptim de Bohemis, & Polonis quatuor millium armatorum exercitu, laborantibus suis, deditionemq; superbè recusanti, Huniadi offerentib. succurrit: cõmisso aũt prælio, & obsesis tẽpestiuè erũpentib. uictus & magna clade affectus est Huniades, cum sexdecim millibus Vngarorum. Anni sequentis, qui fuit 1452, mense Februario, Suitrigello dux moriens, Luscum Lithuanis, ad hoc turmatim accurrentibus tradi mandauit, immemor & illorum maleficij, & Polonorum beneficij: cum illorum opera arcem illam, atq; ditionẽ amisisset, horũ uerò beneficio recupasset, ac iureiurãdo sese, & p̃fectos suos, nobilitatẽq; oẽm obstrinxisset, mortuo se, non nisi Polonis pariturus. Et eodẽ ferè tẽpore, Michaël Sigismũdi ducis filius, apud Moschos exulans, ueneno opera Lithuanorũ procerũ, ut creditũ est uulgò, in poculum infuso, extinctus est. Vtriusq; corpus Vilnam relatũ, honorificè à rege sepultum est. Hos paucis diebus Petrus Chranstouius episcopus Præmisliensis præcesit. Magni inde motus in Polonia extiterunt, fremebantq; uulgò in regem, tum ob Luscum ipso cõniuente, atq; adeò assentiente, ut creditum est, interuersum: tum ob episcopam Præmisliensem, Nicolao Blascouicio, homini externo, nempe Silesio, delatam: habitaqúe sunt nonnulla eas ob res conuenticula, à minoribus Polonis maximè, atque Rusis. Inde Ioannes Olessni-

Legati in Valachiam.

Bogdanus Valachus interfectus.

Huniades ab Iscra uictus.

1452. ann. Luscum Lithuani occuparunt.

Legati Polonorum ad regẽ.

Olesnicius palatinus Sendomiriēsis,& Albertus Michouius castellanus, Zauichostēsis publicè,ad regē de Lusco,de Præmisliensi episcopa,ac de iureiurādo exigēdo allegati,ex itinere reuocati sunt,cum castellanus Cracoui.rege uolente, & iubente Luscū interceptū esse affirmasset,ne cōtēptui esset illa legatio:decretūq;,ut minores Poloni , atq; Rusi Vuladimiriam à Lithuanis,nuper exustam reficerent,prçsidioq; firmarent,& Luscū quocūq; modo possent,in potestatē suā redigerēt.Sed irritū tñ decretū id fuit, metu offensæ regiæ: & q negligunt fere,quæ à multis pariter,ac non uno aliquo curāda suscipiunt.Præceptū est aūt,thesaurario,& salinarū præfecto,ne qua arma Luscū,q̄uis mādante rege, mitterēt: qđ fortasse rex,Lithuanorū quàm Polonorum,amātior mādarat.Hec ubi regi renūciata sunt,grauiter in Sbigneū cardinalē,& palatinos Cracouiēsem , atq; Sendomiriensem exarsit:& assentatorib.nonnullis incitantibus,quæstum de ijs,ad maiorum Polonorū conuentum misit,quasi illi regnum sibi abrogarent,& reditibus Polonicis interdicerēt: à ꝓceribus petiuit,ut Sendomiriam , ad Pentecosten uindicandæ contumeliæ, & ignominiæ suæ causa,ad se uenirent.Venēre Ioannes Vuladislauiensis episcopus , Lucas Gorcanus Poznaniensis,Nicolaus Sarleius Brestensis,& Boguslaus Inouuladislauiensis palatinus ac de minoribus Polonis aliquot nominatim euocati. Venerant & alij quidam non uocati nominatim:sed ij,quòd fauere Sbigneo,in quem maximè regis ira efferbuerat, uidebantur,à consilio excludebantur. Nec tamen rex uoti compos factus est:cum omnibus cōstaret,illos quos rex accusabat,immeritò ac falsò delatos esse. Vbi uenit Cracouiam,uenerunt,& illi quadam die in consiliū,& grauiter cum eo expostularunt, q assentatoribus aures accōmodaret,ut se pro hostibus traduceret, atq; infamiæ notā sibi studeret inurere. Paratos se esse purgare omni ratione ea,quæ sibi obijcerent.De corrigēda quidem inutili,atq; praua regni administratione,se pro officio suo egisse,& consilium capiasse, necessarium magis,quam utile reip.Si quid secus fiat, quàm rex uellet, penes ipsum eius rei culpā esse,qui nec ipse peccata sua multa, magnaq; corrigeret, neq; salutaribus monitis obsecundare::ocio,uenationibus,epulisq; uacanē eum assiduò , neq; causas afflictorum hominum cognoscere,neque de quiete, atque tranquillitate publica , cùm à barbaris hostibus , tum à latronibus præstanda consilia inire : superiorum regum acta, constitutiones, & prærogatiuas,suas cuique ordini benignè datas,non modò,non approbasse adhuc toto quinquennio,sed labefactare, etiam per summam multorum iniuriam: creberrimis, & grauissimis subuectionib.miseros oppidanos , & agrestes ad inopiam redigere:ab ecclesiasticis,& monasticis hominibus inusitatas pensiones siue stationes,& alimenta equorū exigere:nuper adeo externo homini,suis longè dignioribus præteritis , Præmisliensem episcopam destinasse:Lithuanis totum sese dedere,Polonis neglectis : illos solos in cubiculum,& in familiarem uitæ consuetudinem admittere:cum illis seria iocosq; miscere : in illorum usus, atq; amplitudinem Polonicum ærarium reditusq; exhaurire:illis deniq; Luscum,& Podoliam à Polonorum iure abstrahēda permittere, atq; adeò fauorem,opemq; suam ad id impertiri. His de rebus plerisq; crebrò eum à se,& priuatim,& publicè admonitū , dicebat Sbigneus,qui pro omnibus uerba faciebat,nec tamen emendatum. Itaque deinceps abstinere , se uelle consilio regio , ne eius peccata approbare uideretur : sed nihilo tamen magis ecclesiarum,monasteriorum,pupillorum,& uiduarum causis, uel cum periculo uitæ suæ defuturū.Subiecerunt Cracouiensis,& Sendomiriensis palatini,eandē suam esse sententiam:& cum dicto omnes,de consilij loco excesserunt, cæteris cōsiliarijs, qui aderant,tacitè eorum sententiam ferè approbantibus,sed rege irritato mutire non ausis.Venerant ad regem,nonnulli duces uicini:aderant & aliorum legationes:pudebat regem dare his audientiam,primoribus senatus in consilium non uenientibus. Itaq; actum cum his est,utrinq; ut omnia,etiam de episcopa Præmisliensi, integra ad proxima comitia,quæ Siradiam ad uicesimamquartam diem mensis Augusti indicebātur, penderent. Ita illis delinitis,auditæ ac dimissæ sunt legationes. Non multò post Tartari improuisa in Podoliam excursione facta,propterea quòd stationes , & excubiæ à Theodorico Buzacio prætermissæ erant,permagnam prædam abegerunt,& Rouū castellū cœperūt.Rex in maiorē Poloniā,& inde Nessouiā ꝓfectus , Ludouicū Erlichausiū Magistrum, cum episcopis,& primoribus Cruciferorum,ad se uenientē,lautè & magnificè accepit,uicissimq; ab ipso Toruniam inuitatus est.Interea Boleslaus dux Oppoliensiū,non tam absentia regis,quàm mutua eius,cum proceribus offensione,ac dissidio fretus,ualida militū manu è Bohemis,Morauis,& Silesijs conducta,bellum Poloniæ indixit: Seueriensem & Veluneniem tractum hostiliter uastauit. Id ubi rex cognouit,sumere arma Polonos iussit: sed nemo

Polonorum co natus contra regis sui sententiam.

Primores minorum Pol. expostularunt cum rege.

Sbignei episcopi grauitas & libertas in dicendo.

Polonia à Silesijs uastata.

nemo obtemperauit. Itaq; ipse quidē Siradiā ad comitia cōtendit: aulicum uerò comitatum suum, ne tamen negligere prorsus res Polonicas uideretur, ad reprimendam uim hostium in oram Velunensem misit: sed is nulla re memorabili patrata, nonnullis peste, quæ in Silesia & finitima Polonia tunc grassabatur, absumptis, ad regem rediȷt. Et commodum Boleslaus de pace misit. Igitur factæ sunt, cum eo rursus unius anni induciæ, interim ut de pace accuratius ageretur. In comitiȷs uero eadem cantilena, à Lithuanorum legatis superbè, & non sine minis repetita. Eiq; modestè à nostris responsum est: cum rege de iureiurando, & confirmatione importunius actum: itaq; is in angustum redactus, cū octo primoribus consiliariȷs secretum consilium habuit: & cum asseueraret, non posse tunc se sine capitis sui periculo, atq; defectione Lithuanorum, postulatis Polonorum satisfacere, annum unum impetrauit, ut interea Luscum, & primarias Lithuaniæ munitiones, in potestatem suam redigeret, thesaurumq; Lithuanicum in Poloniam transferret. Tametsi admonebat Sendomiriensis palatinus Olesnicius, uidēdum esse, ne rex Polonos uana spe, & pollicitatione lactaret: eoq; syngrapha siue diploma, quod ea de re fidem faceret, ab eo exactum, & regis ac omnium illorum signis obsignatum, archiepiscopo asseruandū concreditum est: atque ita conuentus ille solutus. Sub illud uerò tempus Tartari rursus in Podoliam populabundi, usq; ad Leopolim excurrerunt: & cum se recedere simulassent, reuersi quater, eos qui ex latebris, ad messem prodierant circumuentos, in miseram seruitutem abegerunt. Quocirca rex Ioannem Cizouium castellanum, & Ioannem Tencinium palatinum Cracouien. in Russiam ad reprimendam, cum Russis atq; Valachis efferatam rabiem barbarorum proficisci iussit: ipse in Lithuaniam, quamuis dira peste afflictam, ad uenationes secessit. Sed dum nostri sese parant, Tartari præda onusti discessēre. Compertum est autem, à Lithuanis eos immissos fuisse. Mox enim iȷ Radiuilum Hosticouitium, cum amplis muneribus, ad barbaros remunerandos miserunt. Sed is cum forte in id tempus, quo Sadachmetes Tartarorum dux, cum suis è Podolia reuersus, ab Ecigere duce Tauricano profligatus est, incidisset, excussus & exutus à uictoribus, nudus dimissus est. Sadachmetes uerò fugiens, cum nouem filiȷs, & familiaribus siue purpuratis, quos Murzas, & Vlanos illi uocant, in Lithuaniam, tanquā ad amicos, sese recepit: sed eum spes sua fefellit. Nam captus à rege, & Lithuanis, & cum paulò pòst Kiouiam fugisset, è fuga retractus, Caunnæ in custodia usq; ad mortem asseruatus est, ut ea re hostem eius Ecigerem in fide, & officio continerent. Neq; Cracouiensis ora, à belli cladibus tūc immunis fuit. Etenim Præmislus Toscensiū, & Ioañes Osuecimensiū duces, coactis nongētis mercenariȷs, militibus equestribus atq; pedestribus, finitimam sibi oram Poloniæ, impunè populādo longè, lateq; peruagati sunt, nacti occasionem cōmodam, q; sine ullo præsidio, tunc ea loca essent, proceribus cū nobilitate ob sæuientē Cracouiȩ, & circūquaq; pestem partim dilapsis, partim extinctis. Causa uerò belli fuit, bellum aliud inter Petrum Saffranecium, & Vlodicum Scrinnium, de Berualtho gestum: cuius incōmoda, ut à finibus suis duces illi propellerent, duo millia florenorū Saffranecio promiserant. Itaq; Saffranecius, cum sua causa id bellum motū esse intelligeret, è Malesso castello deillis capto, & Bendino, ditiones eorum cum centum equitibus, totidemq; peditibus uicissim infestauit, usqueadeò ut homines tributo, pacem uulgo redimere cogeret. Et iam duces etiā ipsos tædium eius belli cœperat, propterea q; stipendiȷs exhausti erāt. Quamobrē pacē à Saffranecio petiuerūt, & impetrarunt his legib. ut profiterentur, iniustè se Poloniæ bellum intulisse: captiuos dimitterent: & supra duo millia prius promissa, octingentos florenos ipsi soluerent. Ille uerò Malessum sibi uicissim redderet. Atq; hæc quidem priuata ducum illorum, cum Saffranecio pacta conuenta fuerunt. Cum Præmislo uerò Toscensi induciæ in sex menses publicè factæ, propter hyberni cœli, quo hæc gerebantur, inclementiā. Nec tñ is fidem seruauit, namq; mercatores Cracouienses Vratislauia, cum mercibus reuertentes, haud multo pòst diripuit. Per idem tēpus, cum Fridericus Cæsar, altero diademate præter morē, ac tertio, de more unà cum noua nupta, Leonora regis Portugaliæ filia, Romæ à Nicolao pontifice, fauentib. cunctis Italis, coronatus, in Austriā reuertisset, neq; redderet Austriȷs, Vngaris & Bohemis, Ladislaum regem duodecim annos natum, quemadmodum in Italiam proficiscens promiserat, obsessus ab iȷs, Ciliæ comite Vlrico ductore, dimisit eū è tutela sua, Austriaq; cessit. Nec multo pòst missi ad Ladislaum in Bohemiā, à Cazimiro rege Polonorum legati, Nicolaus Sarleius Brestensis palatinus, ac Derslaus Rithuianius præfectus Sendomiriensis, Elizabethā sororem eius petitum in matrimoniū, optatū responsum retulerunt: nec tamen pacta sponsalia, tunc cōfecta sunt, sed reiectū id Vratislauiam,

Induciæ cum duce Oppoliensi.

Tartari Russiam peruastarunt.

Tartarorum ciuile bellum.

Saffranecius Suciam infestauit.

Legatio Cazimiri ad Ladislaum regem Vngar. & Bohem.

uiam,quò Ladislaus è Bohemia sese uenturum promittebat. Nec scio an legati Poloni non ad conciliandas regi suo nuptias,uerùm ad cohonestandam coronationem Ladislai missi;instituerint regio nuptiarum,& affinitatis mentionem fecerint,eoq; nihil tùc effectũ, & Ladislai regis,ac Vlrici comitis,cuius arbitrio rex adolescens cũcta gerebat,legatio paulò post ad Cazimirum uenit,animum eius de nuptijs exploratura,quẽadmodũ scribit Vapouius. Hoc anno,cũ Mahometes Turcarum princeps Carmanorum regem subegisset, turbatoq; fœdere,quod cũ Constantinopolitano Imperatore,constitutum habebat, in ora Propontidis summa celeritate arcẽ excitasset,classemq; armasset,qua Græcos quasi obsessos teneret,ne libero mari uterent̃,Nicolaus pontifex Isidorum metropolitem Kiouiensem,qui Cardinalis factus ab Eugenio,& à Rußis suis,quod se cũ Latinis in concilio Florentino coniunxisset,pulsus,Romam reuerterat,legatum misit Constantinopolim. Cum autem is metu Turcicæ classis penetrare,eò non posset,ad Alphonsi Arragonum, Siculorum & Neapolitanorum regis,& Venetorum opem confugit. Habebant ij tunc pariter classem instructam aduersus Soldanum Aegypti. Ab ea igitur classe Isidorus, Turcarum classe deuicta,ac disiecta,ad Imperatorem Constantinopolim deductus est. Nihilo tamen minus Mahometes insequenti anno eam urbem obsedit, & acriter oppugnauit,& post quinquagesimum obsidionis diem,Gerlucæ cuiusdam Græci proditione cœpit, & Imperatorem Constantinum Palæologum fortißimè dimicantem, ad portam urbis interfecit:nec multo post Gerlucæ,cùm cognouisset eũ ab Imperatore,quẽ pdiderat, magnis beneficijs affectum fuisse , iustam proditionis mercedem diro supplicio exoluit: sedemq; imperij Constantinopoli posuit. Sed ad curriculum reuocetur oratio. Eiusdem anni initio pauci Tartari improuiso in Lucensem,& Olescensem oram excursionem fecerunt,& ad nouem millia captiuorum,ingentemque aliam prędam abegerunt: ijdemque iterum ad Pascha,aucti numero,Trebouuliensem agrum depopulati sunt. Hos insecuti Ioannes Lascius Zincouiensis , Ioannes Nemez, quo nomine Poloni Germanum appellant, Latissouiensis, & Mathias Mezibozensis præfecti , noctu in securos ac sopitos, perpauci in longè plures impetum fecerunt, & magna strage eos profligarunt, prædamque omnem excußerunt. Trecenti cum è nocturno illo tumultu euasissent , & paucitate nostrorum animaduersa sese recollegissent,postero die denuò,cum nostris manus conseruêre. Sed ij quoque non resumptis , prorsus ex trepidatione nocturna,suorumq; strage animis , paruo negocio fusi. Reliquias fuga dißipatas Braslauienses exceperunt, & partim trucidarunt, partim captiuas regi miserunt , ita ut ne unus quidem euasisse existimetur. Per hoc tempus Alexander palatinus Moldauorum,cum paternum dominatum , adiuuantibus Polonis recuperasset, in fide regis atq; Polonorum semper se fore,iureiurando coràm legatis regijs dato,& literis consignatis,unà cum consiliarijs suis professus est: & societatem belli totis uiribus , contra Tartaros, & quoslibet alios hostes promisit. Per idem tempus, Vuladislaus archiepiscopus Gneznensis,qui Oporouiam arcem muniuit,uita defunctus, Ioannem Sprouium, gente Odrouanzum, præpositum Sendomiriensem,canonicum Gneznensem,& scribam regium accepit successorem,cum pluribus suffragijs,quàm Thomas Strempinius Theologus,in gratiã regis tulisset. Tametsi Vapouius scribit,Strempinio magis fauisse regem : sed à senatu persuasum postea,Sprouium,uti digniorem,ipsi prætulisse. Archiepiscopum Matthias Vilnensis,& Paulus Camenecensis episcopi paucis diebus secuti sunt. Mense Iunio rex apud Parzouiam,Polonorum simul,& Lithuanorum comitia habuit. Verùm ad ea tamen Lithuani proceres non adfuerunt,insidias nescio quas causificantes:legationem modò misêre,quę usitatam illam de corrigendis fœderibus,reddendaq; Podolia,& Volynia cantilenam occineret. Proferebant nostri diplomata Iagellonis, Vitoudi & Suitrigellonis: & suis ipsorum argumentis Lithuanos refellebant, quòd ij dicerent oppigneratam, Vitoudo à Iagellone rege Volyniam,& Podoliam quadraginta millibus aureorum fuisse : uel inde enim liquido constare, eas terras Polonici iuris esse,& mortuo Vitoudo, unà cum pecunia in ditionem Iagellonis legitima succeßione recidisse. Ad extremum ferebant eis arbitros,siue regem,siue pontificem maximum,seu quem alium principem uellent. Tartarorum principem, siue Cæsarem illi edebant. Quod cum indecorum,atque etiam ridiculum esset,ita dimissa est legatio , ut intelligerent Lithuani , Polonos iuri suo nequaquam defuturos. Tentatum est à rege, & nonnullis consiliarijs,ut in aliud tempus res tota adhuc reijceretur : sed negatum est. Deinde auditæ legationes Vuladislai,& Boleslai Mazouiorum ducum,nobilitatis,& ciuitatum Prussicarum , & Magistri, totiusq; ordinis Crucifero-

Ladislai regis et Vlrici comitis legatio ad Cazimirum.

Turcica classis disiecta à Christianis.

Lascz.

Tartari ad internecionem cæsi à Rußis.

Oporouia arx.

Refelluntur Lithuanorum postulata.

Prußi regis opem implorāt contra Cruciferos.

ciferorū. Mazoniȷ Ticocinum, & Gonianzum à Lithuanis intercepta, repetebant: Prussi aduersus iniurias, & impotentem dominatum Cruciferorum, opem regis implorabant. Cruciferi contrà, ne rex aduersus fœdera Prussis adesset, postulabant. Responsum est Prussis & Cruciferis, Regem ueluti Christianum principem, dissidia nolle alere: si eo arbitrio uti uellent, non recusaturū. Mazouijs durius rex incōsulto senatu, & nō sine cōminatione respōdit. Quocirca grauiter à Sbigneo Cardinali obiurgatus est: non esse regiū, asperioribus dictis, aut factis quenquam lædere: inter apes quoque regem aculeo carere: Mazouios duces, non modò non contumeliosè, sed honorificè acceptum oportuisse, quippe qui socij, & consanguinei Polonorum, & propinqui regis ipsius essent. Ad hæc, causam illam ad uniuersam Poloniam attinere. Non passuram eam, socijs atque adeò sibi iniuriam illam fieri. Approbarunt Sbignei dicta cæteri senatores, & gratias ei egerunt. Itaque moderatior deinde rex in legatos fuit. De iureiurando deinde, & confirmandis actis superiorum regum, & principum, cum eo Sbigneus idem publicè omnium nomine egit. Admonuit regem contemptus Lithuanici, cùm quòd uocati ab eo, ad comitia non uenirent, tum quòd alioqui etiam imperium eius non magni facerent, & omnia arbitratu suo agerent. Admonuit & periculorum atque insidiarum, quibus ab eis identidem appetitus esset. Contrà, Polonorum, studia, obedientiam, atque etiam nimiam penè patientiam exaggerauit: petiuitque, ut his uicissim, quàm illis propensiorem, ac magis propicium rex sese exhiberet: his quàm illis fidelioribus, atque beneuolentioribus consultoribus uteretur: illorum contumaciam his adiutoribus retunderet. Neque defectionem eorum se uigentibus, & incolumibus reformidaret, aut certè non impunitam speraret. Se uolentes, iubentesque ipsi dicto audientes esse: etiamsi fortuna paginam uerteret, se nihil de suis erga ipsum studijs maturos esse. Illos, qui secundis ipsius rebus tam infidi essent, quales futuros esse sperare deberet reflante fortuna? In hanc fermè sententiam cæteri, quoque omnes multa dixêre. Audiuit hæc rex subtristis, demisso capite, & crebra ex imo pectore trahens suspiria. Hæc ita quidem Dlugossus de

Lithuanorum contumacia aduersus regē.

Osuencimensis dux Parsouiā profectus.

Parsouiensibus comitijs memoriæ prodidit: idemque Ioannem Osuencimensium ducem superiori anno necessitate adductum, cum arx Osuencimensis à nostris oppugnaretur, Cracouiæ cum proceribus transactione facta, arcē certis conditionibus dedidisse memorat. Sed extant in Archiuio regio pacta ipsius Ioannis, cum proceribus Polonis hoc demum, anno millesimo quadringentesimo, quinquagesimotertio, non Cracouiæ, sed Parsouiæ, & quidem absente rege conuenta: quibus ille recepit arcem Osuencimensem, quæ tunc obsidebatur, se intra certos dies castellano, & præfecto Cracouiensi traditurum esse, & ad regem in Lithuaniam profecturum, ueniæ petendæ, dedendiq; sese ipsi gratia. Quod si repulsam ab eo passus fuerit, se ei mille, & octingentos aureos partim mutuò sibi datos, partim in stipendia militum, & bellum expensos, ad medium mensem Augustum exoluturum esse: ac tum demum, ut sibi arx sua redderetur, deinde rex, si uellet, iniuriam suam, suorumque persequeretur. Quod ni ad eā diem exolueret, post id tempus pro damnis quoque, deligendorum utrinque arbitrorum arbitrio regi satisfaceret, priusquam sibi arx redderetur. Quod si ipse è uiuis excederet, pacta hæc ad Venceslaum fratrem, Zatoriensium ducem, pertinerent. Quas conditiones rex approbauit, & Ioannem in gratiam recepit. Parsouia Petricouiam, ad alia comitia, ad diem natalem diui Ioannis baptistæ indicta, itum est. Ibi fortassis acta sunt ea cum rege, & à rege, quæ Dlugossus Parsouiæ acta esse prodidit. Ibi quidem prolata est, ab archiepiscopo regis promissio diplomate consignata, postulatumque à rege, ut ei promissioni tandem satisfaceret. Sumpta ad deliberandum die, respondit ille: non licere sibi aduersum priori iureiurando, quod Lithuanis dedisset, iusiurandum dare: daturum tamen, sed uti regem modò Polonorum, non etiam uti Lithuanorum principem. Captiosum, sicuti reuera erat, id iusiurandum uisum est. Itaque instare proceres unà cum Sophia regis matre, ut captione illa rex abstineret, & commendato cuipiam Lithuanorum principatu, Polonam rempub. per seipse diligentius administraret: Lithuanos à suo contubernio amoueret: quatuor de primoribus Polonorum senatoribus, publicè designandos, semper in consilium adhiberet, ac de illorum sententia cuncta ageret ac decerneret: quæ uerò præter sententiam ipsorum acta, uel decreta forent, ut irrita essent: stationes, & subuectiones uti moderatius, & more antiquo exigeret. Ni hęc faceret, diutius nō esse expectaturos, quin sibi, reiq; suæ publicæ aliter prospicerent: dictisq; facta adiecerunt, ac data & accepta fide mutuò sese obstrinxerūt, neutiq; defuturos esse patrię reip. His tādē tā importunis postulatis atq;

Comitia Petricouiæ.

Polonorum procerum confœderatio.

euam

etiam minis motus Cazimirus, iusiurandum, quale petebatur, dedit. Quo facto proceres cætera postulata remiserunt, siue adeò in aliud tempus reiecerunt, ueriti ne ægrotum regis animum exacerbarent, simul sperantes cum tempore sanatum iri: Præmislo Toscensi e senatus consulto induciæ in biennium concessæ: itemq; Bernhardo, Boleslao, & Nicolao Oppoliensibus ducibus. In nonum usque diem tunc durauêre comitia: quod quidem uelut nouum, & inusitatum Dlugossus memorat. Quomodo is nunc acciperet, cum in tertium, interdum in quartum, etiam mensem durant. Cazimirus rex Petricouia discedens, paucosqúe dies Cracouiæ commoratus, in Lithuaniam secessit. Ratus autem Ioannes, dux Osuencimensium absente eo oblatam sibi esse occasionem recuperandi arcem Osuencimensem, quam tunc ab eo traditam, Ioannes Curopatsa regio nomine obtinebat, facta manu subitaria, eā adortus est: sed repulsus à nostris cū ignominia, ruinas uetustæ arcis, cui Volco nomen fuit, refecit, indeq; latrocinio uexare Poloniā cœpit. Quare exciti Poloni proceres, aulicos regis atq; suos comitatus, duce Ioanne Tencinio palatino Cracouiensi, ad obsidendam eam arcem miserunt: & facile ea per uim potiti fuissent, nisi nobilium iuuenum, qui uoluntarij ad eam militiam conuenerant, ne quid in oppugnatione aduersi paterentur, ratio ducta esset. Interim pax data Ioanni petenti, ea conditione, ut accepto certo precio, de quo tunc conuenit, omni prorsus ditione Osuencimensi regi Polonisq; cederet. Sic tandem Osuencimensis regio longo, quasi postliminio in ditionem Polonorum redijt: nobilitasqúe omnis eius oræ, sequentis anni initio solenni iureiurando fidem suam regi, & regno obstrinxit. Quanquam ne postea quidem quieuit Ioannes, donec repetitis identidem pactis, auctoq; precio, post tertium annum ius omne suum regi concesit. Per hæc tempora maiores in Prusia motus à nobilitate, & oppidanis contra Cruciferos exarserunt, cum Imperator Fridericus, quem iudicem partes sibi sumpserant, illos non modo non uindicasset, ab intolerabilibus iniurijs Cruciferorum, uerum etiam sexcentorum millium florenorum, mulctam eis irrogasset, ac magistro eos denique tanquam seruos addixisset. Itaq; illi magnitudine iniuriarum & contumeliarum permoti, conspiratione inter se facta, plerasque omnes munitiones, & oppida sex, & quinquaginta in potestatem suam, eiectis Cruciferis, redegerunt: missaq; ad regem splendida legatione ea omnia, seq;, & omnem Prusiam, Pomeraniam, Culmēsem, & Michalouiensem ei dedebant. Sendomiriæ ea legatio regem, è Lithuania reuertentem reperit: sed Cracouiæ Februario mense adesse iussa est. Nam rex ad nuptias, in illud tempus constitutas, festinabat: quo etiam frequens senatus, quo inconsulto nihil de re tanta statuere poterat, conuenturus erat. Nona die Februarij, noua nupta Cracouiam splendido comitatu aduenit: à rege ipso una cum matre obuiam, ei profecto deducta. Dos ei centum millia aureorum numûm fuit promissa, ea conditione, ut ea penes regem remaneret, etiamsi illa sine liberis decessisset: nec tamen ea numerata est. Rex uero ei loco muneris nuptialis prouentus annuos quinq; millium marcarum in salinis Bochnensibus, & Veliciensibus constituit. Postridie contentio inter Archiepiscopum, & Sbigneum cardinalem fuit de nuptiali ceremonia, uter eius administer esse deberet: quòd ille Archiepiscopus & primas, hic cardinalis, & Cracouiensis episcopus, ubi hæc agebantur, esset. Re diu agitata, conuenit tandem, ut Ioanni Capistrano, eum honorem deferrent. Erat autem is, Italus non ignobilis de sodalitio Franciscanorū, qui se Obseruantes, & Bernhardinianos appellant, doctrina, facundia, & sanctimonia uitæ pollens, usqueadeò, ut multis miraculis eam comprobaret. Susceperat autem peregrinationem Bohemorum, maximè ad rectam religionem reducendorum gratia: & cum in ea re, apud Bohemos non multum profecisset, à Sbigneo cardinali accitus, anno superiori Cracouiam, effusa obuiam omni penè ciuitate, cum sacerdotibus, & episcopo, atq; ipso etiam rege & regina, aduenerat: & posita in foro, ac deinde hyberno tempore in æde, Virginis matris cathedra, quotidie per interpretem ad populum conciones habebat, & multos ægrotos diuina uirtute sanabat: authorq; fuit Sbigneo, ut cœnobium omnium primùm, in Polonia sui sodalitio, sub arce ad Australem portam urbis conderet. Huic ergo tunc datum est negocium, nouos coniuges ritu solenni coniungendi. Sed cū is neq; Polonicā, neq; Germanicā linguā calleret, ac Sbigneo muneris eius functionem adiudicaret, Sbigneus utriusq; linguæ peritus; cedente Archiepiscopo id peregit. Archiepiscopus uero sacris operatus, nouam reginam inunxit, ac diademate cinxit. Posthæc Prussorum legati, quorum princeps Ioannes Basenus erat, in senatum introducti, facta audiētia, plixè exposuerunt, qua improbitate, & quibus artibus Cruciferi Pomeraniam, & Michalouiēsem tractum olim Polonis interuertissent:

qua

Iusiurandum regis Poloniæ datum.

Volck arx instaurata.

Friderici Imperatoris arbitrium inter Prussos & Cruciferos.

Contentio inter cardinalem & archiepiscopum.

Cœnobium D. Bernhardini.

qua crudelitate in Dobrinum, Cuiauiam, Mazouiam, cæteramq; Poloniam parētem suam ferro, & igni debacchati, in solitudinem ferē eas oras redegissent: quàm insidam incertamq; pacem, cum Polonis colerent, semperq; coluissent: deinde quàm acerbo, crudeli, contumelioso, & impotenti dominatu in se usi essent, atque etiam tùm uterentur: commemorabant eorum rapinas, stupra, & libidines in uxores, liberosq; suos è complexibus maritorum atq; parentum abstractos: qđ si q contrà mutire ausus esset, in eos uerbera, uincula, & sexcenta tormentorum genera, capitis denique supplicia deprompta esse.

Confœderatio Prussorum.

His tot ac tantis malis, ut occurrerent, se confœderationem quandam inter se fecisse: eam uerò à duobus Magistris, Paulo & Conrado approbatam & confirmatam, à Ludouico, qui tunc Cruciferis præerat, abrogari cœpisse, & Imperatoris Friderici opem contra se, quasi rebelles subditos, imploratam esse: ad eum se legationem splendidam, purgandi sui, Cruciferorumq; accusandorum causa, misisse: legatos suos per Morauiam iter facientes, à latrunculis, quos Cruciferi subornauissent, captos, & in uinculis aliquandiu asseruatos, & ad extremum dimissos, ad imperatorem peruenisse.

Prussi iudicem Fridericum imperatorem recusarunt.

Ibi cum is ex compromisso iudicium instaurasset, nihil æqui se impetrare potuisse, eoq; re adhuc integra iudicem illum recusasse: nihilo tamen minus instantibus aduersarijs, & legatis principum Germanorum, quos ij corrupissent, adiuuantibus, non modò abrogatum esse fœdus suum, uerùm etiam sexcentorum millium florenorum multam sibi dictam esse: atque adeò infamia se notatos, & libertate, priuilegijsq; spoliatos, seruorum aut pecudum in morem tam impotentibus dominis addictos esse, & ab ijs deinde trecentos morti destinatos. Eam tyrannidem se diutius ferre non potuisse: sed sumptis armis, Cruciferos eorumq; magistratus & præsidia ex oppidis, urbibus, atque arcibus plerisque omnibus eiecisse, neq; deinceps in potestate eorum fore. Scire autem se probè, à Polonia se, orasq; illas à se cultas & habitatas, olim partim dolo, partim per uim ac per summam iniuriam auulsas fuisse: non ignorare, Cruciferos initiò Polonorum beneficio in illis oris consedisse. Ad illorum igitur, qui & Cruciferorum patroni, & iusti domini fuissent, opem, se supplices confugere, eisq; se suaq; omnia dedêre: orare, ne se in extrema sua necessitate despicerent, néue opprimi, & ad extremum excindi paterentur. Nihil autem esse, quòd Poloni uererentur, ne ea re fœdera cum Cruciferis uiolarent.

Cruciferi fœdera cum Polonis uiolarunt.

Iam ab illis prioribus uiolata, cum ciues Chosnenses, propterea quòd ij, se urbemq; suam bello adacti Polonis dedidissent, contra quàm conuenerat, capitis supplicio affecissent, & noua fœdera cum Lithuanis aduersus Poloniam dudum icissent. Non uoluntate Cruciferos, neq; pacis colendæ studio, sed ui à se adactos, pacem cum Polonis fecisse, & in eam diem seruasse. Se enim cunctam superiorum bellorum molem, dum illi Marieburgensis arcis mœnibus sese ferè continent, sustentasse, defessos autem & exhaustos, ad pacē illos impulisse. Non aliena Polonos occupaturos, uerū sua recepturos esse, quæ ipsis sedes Apostolica aliquoties adiudicasset: spondere autē sibi fortunam regis, & Polonicæ gentis uirtutem, illa omnia e sententia sua ipsorumq; processura esse. Nec se sibi, defensoribusq; suis esse defuturos. Huiusmodi ferè fuit Prussorū oratio. Relata re ad senatum, uera esse quæ dicebantur à Prussis, omnes recognoscebant:

Cruciferi quo modo se gesserunt contra Polonos.

meminerant multi, Cruciferos quater ictum cum Iagellone rege fœdus rupisse: & ad extremum, ut Pontificis maximi & Basiliensis concilij authoritate id sibi facere liceret, elaborasse: ciues Chosnenses, propterea quòd se regi in bello dediderant, contra pacta & iusiurandum suum immaniter interfecisse: commercia cum Polonis capitali supplicio Prussis interdixisse. Memorabāt seniores, eos cū hostib. Polonorū cōsilia & arma socia nō semel cōiunxisse, Polonisq; piū aduersus Barbaros bellū diuersa parte gerentibus, Poloniæ fines impie & perfide infestasse: nulla cum eis fœdera, nullam certam pacem esse. Hæc tunc in senatu commemorabantur: sed tamen de acceptanda deditione uariabant sententiæ: censebant multi: nonnulli, quorum princeps Sbigneus fuit, dissuadebant: alij uerò ad comitia rem integram rejiciebant: cuius sententiæ Tencinius palatinus Cracouiensis author erat.

Cruciferi non desunt sibi.

Nec deerat suis ex altera parte Cruciferorum legatus, thesaurarius eius ordinis, qui ad cohonestandas regias nuptias missus, quinquaginta millia florenorum ad corrumpendos proceres Polonos secum attulerat. Atque is cùm uniuersos publicè fœderum admonebat, tum priuatim singulos orando, & pollicendo prensabat. Ad extremum clientes ac uectigales regi, Polonisq; Magistrum atq; Cruciferos in futurum omne tempus fore promittebat. Quocirca quindecim plus minus dies consultando absumpti sunt. Legati Prussorum ubi comperendinari rem animaduertêre, contenderūt à rege, ne differret: alioqui se alios dominos & patronos sibi quæsituros esse,

esse, qui obuijs, quod aiunt, ulnis tam luculentam conditionem accepturi essent. Apparebatq; eos in Bohemiam ad Ladislaum regem profecturos esse: nam is cupere id se significabat. Interim afferebatur è Prussia, nobilitatis & ciuitatum partes indies meliores fieri: Magistrum & Cruciferos in angustũ redactos, Mariæburgi & Srumæ ferè munitionibus sese tueri: Brodniciam arcem, ne in aduersariorum potestatem ueniret, Ioanni Cosceleccio Inouuladislauiensi palatino à commendatore siue præfecto traditam esse: nam oppidum in fide Cruciferorum mansit. His igitur impulsi rex atq; proceres Poloni, ne tam luculentam & insperatam occasionem recuperandi ea quæ maiores sui olim amiserant, uix unquam postea redituram, sibi elabi paterentur, deditionẽ Prussorum accepêre: tametsi præuidebant nonnulli motus bellorum, qui inde consecuturi, & Poloniam atq; Germaniam inter ipsas collisuri essent: uerebâturq; quorsum tanta illa & inopinata prosperitas ad extremum euaderet. Thesaurarius ubi acceptam esse deditionem didicit, absq; mora Cracouia discedens, in Silesiam, indeq; in Misniam & Saxoniam, mercenarios milites conductum contendit. Prius tamẽ aculeum, & ueluti seminarium quoddam intestini mali atq; dissidij, quo distineretur nostri, immisit, cum Petrum Saffranecium, hominem callidum, audacem, & factiosum, & latronum, furum, atq; sicariorum, ut inquit Dlugossus, socium & fautorem, donis, promissisq; clàm corrupisset, ut bello & latrocinio Poloniam, exagitaret. Et facilè id erat persuadere homini turbulento, & huiusmodi rebus assueto, & qui se ob id regi, bonisq; omnibus inuisum esse intelligeret. Non latuit hoc regẽ atq; proceres: uerùm nonnullis res uisa incredibilis: alij porrò dissimulando sanatũ iri insaniam eius iudicabant. Missi extemplò in Prussiam Andreas episcopus Posnaniensis, & Ioannes Conespolius cancellarius Poloniæ, iusiurandum ab uniuersa nobilitate ac ciuitatibus concepta formula in uerba regis datum accepêrũt: episcopi in aduentum regium dilati sunt: arces, quibus rex iusserat, traditæ. Quanquam Torunenses, Elbingenses, Gdanenses, & Kynixbergenses, siue Regiomontani ciues, eas quæ urbibus suis imminebant, diruerũt: quæ res neq; nostris, neq; Prusicæ ipsi nobilitati placuit: sed neq; aduersandi, neq; factũ repræhendendi tempus tunc erat. Per idem tempus Fridericus Marchio Brandenburgensis nouam Marchiam, quę Cassubia fuit antiquitùs, detrectantem & ipsam Cruciferorum imperium, in deditionem accepit: missaq; ad regem legatione, ut cum bona eius uenia id esset, petiuit, auxilia cõtra Cruciferos pollicens. Sed nihil certi responsum est, propterea quòd Stolpensium quoq; Pomeranorum dux eam petebat, & suo quodam iure sibi uendicabat, & in clientela, & fide regis fore se unà cum ditionibus suis, duoq; millia equitum ad quoduis bellum regi Polono adducturum, pollicebatur. Ne huic quidem certum responsum datum. Tametsi Vapouius, Marchionẽ occupatione Cassubiæ, quæ iuris fuisset Polonici antiquitùs, abstinere iussum esse scribit: ni faceret, ui & armis depulsum inde iri. Vngarorum quoq; & Bohemorum rex Ladislaus eam ditionem iure quodã suo repetebat. Misit deinde rex legatos, ad Ladislaum quidem Nicolaum Chranstouium tribunũ Cracouiensem: ad Imperatorem uerò apud Ratisponam Germanorum comitia tunc habentem, & ad Pont. Max. Ioannem Brezium Luteci filium iureconsultum, qui factum suum defenderent, & Cruciferorum querelas refellerent: ipse Breste Lithuanicum ad conuentum Lithuanorum excurrit, & cum his constituit, ut Littoniensiũ auxilia transitu in Prussiam prohiberent: inde mox Lenciciam ad comitia ad Calend. Maias indicta contendit. Ad quæ pauci de minoribus Polonis & Russis aduenêre. Decretum autem ibi est, ut rex Toruniam se conferret, pacandæ Prusię causa: Cuiauios atq; Dobrinios, si opus esset, ad aulicum comitatum suum in auxilium Prussorũ, qui tunc Cruciferos Mariæburgi & Stumæ, & in Brodnicensi oppido, suo pariter & mercenario milite è Polonis & Bohemis collecto, obsidebant, adiungeret. Masouij uerò duces frustra iterum à rege & Lithuanis sua ibidem repetiuerunt, quamuis omnes copias suas regi ad Prusicũ bellum pollicerentur. In Prusiam deinde itum est, magna & splendida procerum caterua regem comitante. Ibi Toruniæ, Elbingæ & Gdani iteratum publicè à proceribus, nobilitate, & ciuitatibus ritu solenni iusiurandũ in uerba Cazimiri & successorem eius regum Polonorum, tribus palatinis, in sua quoq; satrapia, præeuntibus. Episcopi quoque tres, nempe Arnoldus Culmensis, Gaspar Pomesaniensis, & Nicolaus Sambiensis, cum suo quisq; sacerdotum collegio, in uerba regis iurarunt: abiectoq;, regis permissu, cultu Crucifero, ueterem habitum D. Augustini regulam profitentium resumpserunt: quartus Franciscus Varmiensis apud Cruciferos Mariæburgi erat: sed collegium tamen eius unà cũ cæteris iusiurandum dedit. Ladislai deinde regis legati Bohemi Ioannes Perstenius siue Rosembergius, & Sdencus Costca (nam Chranstouius nihil certi retulerat) auditi, expostularunt cum rege, quòd suo rege inconsulto, Prussorum deditionem secus quàm Cracouiæ in nuptijs pollicitus erat, accepisset: postularũtq; ut Pragam legatos mitteret cũ luculentis mandatis ad

Cruciferorum res minùs prosperæ.

Prußi iurant in uerba regis.

Arces à primarijs ciuitatibus Pruß. dirutæ.

Comitia Lenciciæ.

Cruciferi obseßi à Prußis.

Ladislai Bohemiæ regis legatio ad Cazimirum.

constituendum de rebus Prussicis: quarum cura magnoperè ad regem Bohemorum pertineret, quòd & patronus Cruciferorum esset, & Prussiam omnem nuper interueniente Alberto Friderici marchionis Brandeburgensis fratre germano à Cruciferis in deditionem accepisset. Interim autem, ut Cazimirus obsidiones institutas solueret, bellóque Cruciferis inferendo supersederet. Ridiculè superba & arrogãs nostris uisa est ea legatio, neq; à misi ac ciuili Ladislai ingenio profecta: id quod paulo pòst secreto ipsorum legatorum indicio compertum est. Nam ij Georgium Podiebradium, penes quem tunc summa rerum apud Bohemos erat, eius legationis authorem prodiderunt. Itaq; ad eam nihil aliud responsum est, quàm Cazimirum nunquam recepisse Ladislao, quòd ipso inscio Prussos in deditionem accepturus non esset. Ad cæteræ cum per suos legatos responsurum esse, ita dimissi Bohemi, nec permissi Mariæburgum ad Cruciferos ire. Ladislaus uerò cum e legatis suis reuertentibus legationis suæ summam, responsumq; Cazimiri cognouisset, alium Rabenstenium ad eum properè misit, priorem legationem corrigens, & pollicens, non obstaturum se esse, quo minus ille omni Prussia potiretur. Grata hæc fuit legatio regi, cum missi itaq; missi in Bohemiam Ioannes Tencinius palatinus Cracouiensis, & Petrus Samotulius castellanus Posnaniensis, ut uoluntatem illam Ladislai confirmarent. At Cazimirus comitia Prussorum apud Grudentum habuit: ibi tributum siue exactio certa in capita constituta est, unde emerita stipendia Bohemis mercenarijs, quos primo motu Prussi acciuerant, & qui Mariæburgum etiam tum ignauiter obsidebant, soluta sunt: dimissiq; ij sunt, siue quòd ambiguæ fidei esse uiderentur, siue quòd nimio conducti essent. Nam sex & uiginti floreni in tres menses equiti numerabantur. Id adeo necessitas Prussis expresserat, ne militari præsidio nudi, à Cruciferis opprimerentur, & ut uel secum potius contra Cruciferos, quàm cum illis contra se essent. Pro Bohemis uerò aulicum suum comitatum rex ad continuandam obsidionem Mariæburgi misit, præfecto ei Ioanne Scecocinio præfecto Lublinensi. Decretum est etiam, ut sedecim ex nobilitate & ciuitatibus allecti, à consilijs regi essent, qui cum eo de repub. Prussica consultarent, summoq; iudicio præsiderent: itemq; ut arces & munitiones episcoporum atq; ecclesiarum, quoad bellum duraret, in potestate nobilitatis essent. Hæc adiuncta ad illas prærogatiuas, quæ initio deditionis Cracouiæ ipsis à rege datæ erãt: quibus Prussi cum Polonis quasi in unum corpus redacti sunt, nimirum ut eorum consiliarij cum Polonis pariter in comitijs de rep. consultarent, ad honores & magistratus regni admitterentur, ius creandi regis pariter haberent: cæterùm suo quisq; iure, seu Culmensi mallent, seu Saxonico, seu Prussico seu denique Polonico, uiuerent: quæ bona quisq; antiquitùs, siue priuatim, siue publicè obtinuisset, deinceps quoq; retineret: telonia cuncta & portoria, nominatimq; id quod liberale, seu Pfuntzol Teuthonicè dicebatur, quo bini oboli à marca exigebãtur, & pensio ea quæ à Polonis principibus in Pomerania olim instituta, Narzas siue porcus uulgò uocabatur, remissa & sublata: merces naufragio eiectæ, ijs quorum fuissent, aut legitimis eorum hæredibus remissæ: nam eas antea Cruciferorum præsides iniustè sibi uendicabant: honores & magistratus publici, & præfecturæ arcium ne cuiquam externo secundum usum & consuetudinem cæterarum regionum Poloniæ mandarentur: ius monetæ Torunii, Elbingæ, Kynixbergæ & Gdani cudendæ cum imagine & inscriptione regia quoad bellum duraret in commune eis concessum. Finito uerò bello, ut Torunii modò & Gdani regio nomine, sumptuq; ea cuderetur: mercatoribus uerò potestas facta est, quoquo uersus in Poloniam cum mercibus proficiscendi, easq; deponendi, & uænum exponendi ubicunq; uellent. Ad extremum Ioannes Basenus, uicarius regis & gubernator, cum rex abfuturus esset, constitutus: Gdanensi uerò ciuitati, cum ea splendidè & honorificè in primis regem cum omni comitatu ipsius accepisset, peculiariter census septingentarum marcarum remissus: molendinæ omnes urbanæ, & insula minor adiacens, quàm Vistula mare, & montes in medio concludunt & efficiunt, addicta & attributa: tredecim modò pagos, ac duo prædia rex sibi excepit, & pro his omnibus annuam pensionem duum millium aureorum ciuitati, unde Cruciferis sexaginta aureorum millia quotannis prouenisse scribit Vapouius, imposuit: itemq; ut ea quotannis quatuor dierum sumptus sibi unà cum omni comitatu suo aulico præberet: pro arce uerò diruta, ut magnificum palatium regi in urbe, horreumq; siue granarium, & stabulum cocto latere exædificaret.

Georgius Podiebradius. *Alia Ladislai legatio.* *Legatio Cazimiri ad Ladislaum.* *Consiliarij Prussici.* *Pfuntzol sublatum.* *Narzas.* *Naufragæ merces.* *Moneta.* *Mercatura.* *Gdanensi ciuitati concessa à rege.*

DE

DE ORIGINE ET REBVS GESTIS POLONORVM, LIBER VICESIMVS TERTIVS.

Conventu Grudentino soluto, Toruniam rex rediit, cum quinque legatos è comitijs Ratisponensibus Pont. Max. Imperatoris, principum electorum, Philippi Burgūdionum, Ludouici Bauorum ducum, ac totius Germaniæ nomine ad se uenire cognouisset: atque ij cùm ad regem in senatum introducti essent, petebāt à rege, ut Cruciferis data uenia, si quid deliquissent, Prussiam omnem redderet: atque ad bellum Turcis inferendum, recuperandamque Constantinopolim arma secum, & cū cęteris Christianis principibus coniungeret. Imperatori & Germanis curæ esse res Prussicas, & earum causa maximè eos alia comitia Francofordiam ad Mœnum ad tertiū Calend. Octob. indixisse. Rex, quo diutiùs Germanos bellum cōtra se molientes suspensos teneret, nihil aliud responsi legatis dedit, quàm suos se legatos ad illa ipsa Francofordiensia comitia de rebus ijs missurum esse. Petebāt deinde legati, ut sibi ad Magistrum Cruciferorum adire liceret, atque ut rex Mariæburgi, Stumæ & Brodnicię obsidionem solueret. Sed neutrum impetrarunt: Sabellinis tamen uestibus honorificè munerati, dimissi sunt. Non multò pòst ij qui Stumæ in præsidio erant, fame inualescente, ita ut quinquaginta de eis perirent, arcem regi cum apparatu bellico dediderūt, uitam modò & res suas saluas pacti: & quinquaginta quidem ex ijs Mariæburgū ad suos se receperunt, macie, tabeque luridi, centum reliqui, in quibus erant quatuor Cruciferi, in castris regijs manserunt. Apud Mariæburgū uerò cum obsessi in nostros erupissent, cruenta pugna coorta, hostes magna strage in arcem compulsi sunt: ac longè maior ea fuisset, ni hostes fugientes puluis texisset. Gdanenses uerò nauem pice, resina, sulfure, & eiusmodi ignis alimentis plenam, in pontē Mariæburgensem secundo Nogato impulerunt: sed magno tamen conatu hostium, pons incendio correptus, seruatus est. Iam & ipsi inter se præsidiarij milites, iurgio propter scortum concitato, intra arcem cōflixerunt, ducemque suum interfecerūt. Non cessabat interim thesaurarius Cruciferorum in Germania: ne Magister quidē Germanicus: atque is bona & reditus suos distraxit, ut socijs in Prussia laborantibus celeriter opem ferret. Itaque ab his duobus octo millia mercenariorum militum, peditū pariter & equitum è Germanis, Bohemis & Silesijs conscripta, ac Baltassare & Rodolfo Zeganensiū ducibus, & Bernardo Sumbergio Bohemo ductoribus, per nouam Marchiam in Prussiam missa sunt: & iam Plauenius Bohemus, Cruciferorum & ipse stipendia merens, cū mille equitibus à Choinicìensibus in urbē receptus erat: magnaque Polonis damna agros uastādo intulisset, nisi Nicolaus Sarleius palatinus Vuladislauiensis, præfectus Slochouiensis ac Tucholiensis, cum mille ducentis equitibus, & septingentis peditibus, ferociam eius repressisset. Id ubi cùm amicorum admonitu, tum exploratorum relatione à nostris cognitum est, rex maiores Polonos solos arma sumere, & ad Choiniciam prestò esse iussit. Adfuêre ferociores quàm armatiores, ac disciplinę militaris expertes, per suorū agros non secus quàm per hostiles, rapinis, incendijs, stupris & sacrilegijs debacchantes. Venientibus ad Cerequiciam altero à Choinicia milliario rex occurrit: tumultuantesque, ac de prærogatiuis & iuribus suis intempestiuè flagitantes, uix sedauit, & in septē turmas distribuit: instructosque ad Choiniciam, quò hostes contendere nunciabantur, duxit. Suadebāt nonnulli proceres regi, ne cum in imperita illa & minimè obsequenti multitudine hosti pugnandi copiam faceret: sed pateretur eum Choiniciam ingredi: ibi cū facilè quasi retibus & cassibus concludi, & commeatus inopia, fameque sine sanguine citò expugnari posse: breui enim omnem eius arcis commeatum à tanta multitudine exhaustum iri: aut si tandem committere prælio rem uellet, id quod maiores Poloni poscebant, aulicum comitatum à Mariæburgi obsidione, aut uerò Ioannem Zarnicouium castellanū Gnesnensem, & Ioannem Vedelium cū quinque millibus, quæ ad præsidium, nisi fallor, maioris Poloniæ reliquerat, acciret. Dissuadebat Ioannes Conespolius cancellarius de aulico comitatu, ne obsidione remissa hostes releuarentur. Asseuerabāt maiores Poloni (quod fit plerunque, ut quo quisque est imperitior, eo sit arrogantior) in se satis uirium esse, usque adeò, ut uel aurigarum suorum flagellis hostes in fugam actum iri iactarent. Quocirca nō grauatè eis rex cessit, præsertim cum de paucitate hostium intellexisset: neque enim procul ij aberant. Fortè autem speculatores utriusque partis in se mutuò inciderunt, cōmissoque prælio, nostri non incruenta uictoria potiti sunt. Ad quartumdecimū Calend. Octob. cum hostes ad-

Legationes Pont. & Imp. ad Cazimirū.

Responsum regis.

Stuma regi dedita.

Res gestae apud Mariæburgum.

Res gestæ apud Choinitiam.

Plauenius.

Arrogantia cū imperitia coniuncta.

uentare dicerentur, rex acies instruxit, easq; regendas atq; ducendas Lucę Gorcano Posnaniensi, Stanislao Ostrorogio Calisiensi, Nicolao Sarleio Inouuladislauiensi palatinis, atq; Derslao Rithuianio castellano Rosperiensi, nobilibus quidem illis hominibus & potentibus, uerùm in arte militari non magnum usum habentibus, commisit, cum id ultro ipsi sibi depoposcissent. Sub uesperum tandem hostiles acies apparuere. Abscessit nostris prior illa alacritas & ferocitas cõspecto hoste, cœptumq; trepidare ab ijs qui nunquam armatas acies aspexerant. Duces Poloni ad iniquum locum & limosum, ubi equi commodè circumagi non poterant, instructum exercitum deduxêre, & in confertos hostium ordines impetum fecêre. Et fauit quidem initiò nostris fortuna: turbari primi hostium ordines: Zeganësium dux alter interfectus, Bernardus Sumbergius uiuus captus: sed mox acrius conniχi hostes, sparsos & sine ordine pugnantes nostros repressêrunt. Ibi trepidari & concursari temerè à nostris cœptum est. Subinittebant tamen duces laborantibus subsidiarias cohortes, exæquataq; erat pugna, cum subitò extremum agmẽ, in quo rex erat nulla euidenti causa expauefactum, in fugam se coniecit, nequicquam retinente & reuocante rege. Quo conspecto, ij quoq; qui in prima acie pugnabant, fugientes suos secuti sunt. Perseuerabat rex cum paucis instaurando pugnam. Quod nisi ui ab ijs, quibus eius custodia mandata erat, abstractus esset, uiuus in hostium potestatẽ uenisset. Hostes uictores, castris quoque opulentis, in quibus ad quatuor millia curruum fuêre, potiti sunt: nec tàm grauis quàm ignominiosa ea clades nostris fuit. Vix sexaginta desiderati: in quibus insignes fuêre Petrus Scecocinius procancellarius, Nicolaus Morscius uexillifer Sendomiriensis, Ioannes Zauisij Nigri filius præfectus Colensis, & Ioannes Rizinius: capti trecenti triginta: inter quos nobilissimi Lucas Gorcanus, Nicolaus Sarleius, Ioannes fœlix Tarnouius, Ioannes & Nicolaus Rithuianij, Aegidius Suchodolius, Ioannes Melstinius, Sendiuoius Lezenscius, Petrus Stricouius, & Bartholomæus Ogrodenius fuêre: sed in his complures erant, qui fugæ turpitudine secum reputata, cum euadere possent, siue adeò iam euasissent, reuersi hostibus sese dedidêre. Atq; ij Mariæburgum deducti, ac durius habiti, maxima pars interiêre. Mortuos ne sepultura quidem crudi & immanes hostes dignati sunt: sed equis abstractos, in profluentẽ abiecêre. Eius uerò cladis culpam, opinione hominum, ducum imperitia, qui neq; idoneum prælio locum cœpissent, neque leuiorem equitatum ad turbandos & perrumpendos hostium ordines præmisissent, neq; quicquam omninò præuidissent, sustinuit. Sed fortasse fletibus & eiulatibus sacerdotum, monachorum, uiduarum, pupillorum, & agrestium, quorum facultatibus maiores Poloni ad id bellum proficiscentes, crudeles & sacrilegas manus adiecerant, id supplicium expensum est. Sunt qui regijs facinoribus eam cladem acceptam referant: atq; id postea Sendiuoio cuidam theologo, canonico Gnesnẽsi, homini pio & religioso, diuinitùs reuelatum esse, eumq; ad regem uenisse, & assurgere, stareq; iusso, dum Dei mandata audit, semotis arbitris, magna Dei beneficia, & ipsius ingratitudinem, peccataq; exprobrasse: & ni mutaret mentem, grauiora comminatum esse. Inuidia quidem fortunæ regiæ, quæ suspecta erat multis, clade hac non maxima expiata est. Cruciferi obsessi, ubi de suorum successu certiores facti sunt, nimia lætitia, quasi debellatum iam esset, exultauêre: solus marsalcus uir prudens, tristior, uereri se dixit, ne plus illa uictoria uictoribus quàm uictis mali afferret. At Prussorum insigniores ciuitates, missis ad regem Nellouiam, quò se receperat, legationibus, hortatæ sunt eum, ne uno illo aduerso casu frangeretur: reciperet animum, & peccatum illud corrigeret. Se fidem semel datam nunquam mutaturos, & facultatibus atq; corporibus suis ipsi ad extremum usq; nõ defuturos. Rex collaudatis eis, respondit, irritatum se magis esse clade illa, quàm fractum: curaturum ne lætitia illa hostibus diuturna esset. Soluit deinde obsidionẽ Mariæburgi, easq; copias accitas ad se in præsidia arcium ac cęterarum munitionum distribuit, præfectis ex aulico comitatu suo impositis: propterea quòd Prussi minus diligenter eas seruabãt: & nuper adeò Stuma & Preismarca oppida, contempta paucitate presidiariorum, qui Ioannis & Gabrielis Basenorum familiares erant, ad hostes defecerant. Ad hæc Dersauia & Gneuum, quam Meuam Germani uocant, oppida in ripa Vistulæ sita, aduenienti à Choinicia exercitui Cruciferorum ultro sese dedidêre. Id igitur malum ne latiùs serperet, ut sunt ferè mẽtes hominum secundum flatum & reflatum fortunæ mutabiles, & arces rex, oppidaq; præsidijs muniuit, & mercenarium militem è Silesia, Morauia & Bohemia acciuit: & uerò Poloniã reliquam, Russis & Podolijs ad subitas Tartarorum excursiones reprimendas relictis, ad bellũ exciuit. Instabat quidẽ hyems, ueruntamen impigrè paritũ est. Tantus erat in animis omnium ardor ignominiæ, quæ apud Choiniciam erat accepta, delendæ, ac retinendæ Prussiæ. At Cruciferi gloriosi uniuersam Germaniam fama uictoriæ suę in immensum extollenda impleuerunt: Prussos uerò dimissis quoquo uersus nuntijs, uenia & impunitate proposita, ut ad

Duces copiarum.

Prelium apud Choinitiam.

Polonorum fuga & clades.

Cæsi & capti nobiliores.

Cruciferorum immanitas.

Marsalci Cruciferorum prudentia.

Arces Prussicæ Polonis commissæ.

Polonorum expeditio in Prussiam.

ut ad se rursus à rege deficerent, sollicitabant: sed surdis hæc auribus canebant: nec præter Sambiensem episcopum quisquam inuentus est, qui fidem illis haberet, atque is porrò perbenignè scilicet ab eis acceptus est. Mariæburgum enim uenientem cunctis facultatibus priuatis pariter & ecclesiasticis, quas secum apportarat, Magister exuit: inde uerò, & ex imaginibus, aliaque supellectili sacra, aurea & argentea undique comportata & conflata, exiguam quandam partem emeriti stipendij militibus cum iurgio ac tumultu efflagitantibus soluit: de reliquo autem, quæ quadringenta millia florenorum erant, cum eis pactus est, nisi ad liberales dies, quod Carnisprivium uulgò uocant, exolueret, Mariæburgum ac cæteras munitiones suas, captiuosque in potestatem eorum traditurum se esse. Tametsi non multum ij operæprecij fecêre, nescientes uti uictoria: receptis enim oppidis illis, quæ superius commemorauimus, Mariæburgi desides multum temporis contriuerunt. Ne nostri quidem multo plus egerunt: nam cum omnes copiæ conuenissent, transmisso apud Toruniam nauali ponte Vistula, ad Lassinum ductæ sunt, atque ibi in sylua uno milliario ab eo oppido totum ferè mensem inertes statiua habuêre: duo tantum oppida, Prabuta, quam Teuthones Bissouisuerderum uocarunt, & Nelcisalca, capta sunt. Interea qui ad Bohemorum regem legati missi erant, reuerterunt, optata omnia referentes. Hos paucis diebus Bohemica Ladislai legatio secuta est, petens ut Cazimirus ad diem Nonarum Decembrium, Vuratislauiam ueniret, & arctius cum Ladislao fœdus iceret: deinde controuersiam quandam permagnam de finibus inter ipsum & marchiones Misnenses ex compromisso dirimeret: postremò ut ipse quoque omisso bello cum Cruciferis, compromissum faceret, omnemque causam Ladislao arbitrandam permitteret. Excusauit Cazimirus, se ab incœpto bello abesse non posse: missurum tamen se primores de senatu. Missi archiepiscopus Gnesnensis, castellanus Lublinensis, & Ioannes Brezius archidiaconus Gnesnensis: tamen cõtrouersiam illam cum Marchionibus nõ diremerũt, negantibus ijs, se in alium quempiam, quàm in ipsum regem Polonorum compromissum fecisse. Dimisit deinde rex nobilitatem, hyberni belli pertæsam, medio Ianuario sequentis anni, cum ea duodenos grossos de singulis iugeribus in stipendium mercenariorum militũ promisisset, hoste non faciente pugnandi copiam. Rex quoque ipse, præfectis, Culmensi quidem Andrea Tencinio, Pomeraniæ uerò Petro Samotulio castellano Posnaniensi, inferiore uerò Prussiæ Ioanne Colda Bohemo, & omni mercenario milite ijs parere iusso, in Poloniam discessit: atque inde in Lithuaniam profectus, nouos quosdã motus à Gastoudo excitatos sedauit: & ut Lithuani socia cum Polonis arma aduersùs Cruciferos coniungerent, quod detrectarant, perfecit: ibique ueris omne tempus exegit, & cùm aliorum principum legationes audiuit, tum Tartarorum ducis Ezigeris fœderati, auxilia contra Cruciferos pollicentis, & ut Podoliam atque Volyniam se uiuente rex arcibus & oppidis contra impotentiam liberorum, gentisque suæ muniret, suadentis: se enim senuisse, illos autem quietis & otij impatientes esse. Per hoc tempus Sbigneus cardinalis & episcopus Cracouiensis, cum Sendomiriæ Quadragesimam ferè omnem arctiore abstinentia peregisset, ac die Palmarum nomine apud Christianos celebri publicè sacris operatus esset, sequenti uerò die Conespolij cancellarij exequias peregisset, ex lassitudine morbum contraxit: cruoremque exputans præfocato anhelitu, postridie, quæ prima dies Aprilis erat, ultam cũ morte commutauit, cum triginta duos annos episcopus fuisset, uixisset sex & sexaginta: uir magnus, pupillorum & uiduarũ patronus, in egenos liberalis, ecclesiæ uindex atque defensor acerrimus, reipub. studiosus, & constans aduocatus, minarum, periculorumque cõtemptor. Hic Sandeciæ nouæ collegium sacerdotum cum prælatis instituit: facultates suas omnes egenis & studiosis adolescentibus, ecclesijs item & monasterijs, propinquis præteritis, testamento legauit. Successorem accepit Thomam Strempinium theologum, procancellarium, nõ tam regis fauore, quàm uniuersi sacri collegij studio designatum. Quo quidem die Cracouiæ plus quàm centum domus in Arcensi & Canonicorum plateis fortuito incendio deflagrarunt. Arx non sine labore defensa est. Gnesnæ quoque aliquoties de cœlo tacta basilica, globusque de fastigio deiectus. Quo tempore etiam Nicolao quinto Pont. Max. mortuo, Sixtus quartus in pontificatu successit. Sbigneum septem ferè mensibus præcessit Boleslaus dux Masouiorum, prudens, modestus, & religiosus princeps. Qui quatuor filios, Conradum, Cazimirum, Boleslaum, & Ioannem, duas in filias, Annam & Sophiam, superstites reliquit. Nihil interim in Prussia memorabile gestum est, nisi quòd leuibus aliquot prælijs certatũ est: in quibus omnibus ferè nostri superiores fuêre. Zialdouia oppidum, Slaurici Humbouij Masouij, cuius fidei rex id commendârat, proditione in potestatem hostium uenit. Sed non multò pòst Ioannes Colda id recuperauit, direptumque incendit, intromissus ab oppidanis, cum habitum commendatoris Elbingensis assimulasset: multosque Cruciferorum milites ibi peremit. Duo item oppida Kynixberga,

Ecclesiastica supellex conflata à Cruciferis.

Lassinum oppidum.

Ladislai regis legatio ad Cazimirum.

Iugerale tributum.

Sixtus quartus Papa.

Zialdouia Cruciferis dedita, et recuperata.

Kynixberga uetus & noua ad Cruciferos defecit. giæ, uetus & noua urbs, in inferiore Prussia, Cruciferis portas aperuêre: tertium, cui Cnipouiæ nomen est, in fide Polonorum permansit: atq; id hostes circumsedêre. Parum autem abfuit, quin uetus quoq; Torunia, quò nouæ oppidanos dubię fidei Tencinius compulerat (duo enim sunt oppida, muris, fossisq; distincta) per proditionem duorũ primariorum ciuium, & parœci, atq; sodalium Dominicanorum, in potestatem hostium ueniret. Iamque eò Magister Bernardum Sumbergium, & quosdam alios milites, quasi aliud acturos præmiserat, & ipse cum tribus millibus hominum armatorum ueniebat, cum ab apparitore ciuitatis conspiratio detecta est, sumptumq; supplicium de proditoribus. Ita Magister irrito cœpto reuertens, complures pagos circumcirca incendit. Hæc tunc in Prussia rege absente acta. At rex rebus Lithuanicis compositis, Petricouiam ad comitia mense Maio uenit. *Comitia Petricouiæ.* Vbi cum Prussorum legatis instantibus, de Prussico bello consultaretur, non uisum est expeditionem publicam edicere, quòd pergrauis ea futura erat multis, ex hyberna superiore magna molestia & incommodo afflictis, & quòd satis uirium erat in mercenario milite aduersus eas copias, quas tunc habebant hostes: sed pecunia deerat, unde militi præterita simul & futura stipendia soluerentur. Quamobrem pigrius is belli munera obibat, ac munitionibus sese tueri satis habebat, neque obsessæ ab hostibus Cnipouiæ subueniebat. De pecunia igitur paranda cũ ageretur, placuit, agrestibus duodenũ grossorum in iugera pensionem rursus imponere. Verùm id alteris demum comitijs, ad uicesimamquartam diem Iulij indictis, ægrè perfectum est: simulq; decretum, *Comitia iterũ. Restes terræ.* ut, si opus esset, ad unicos restes, hoc est, ad unicum regis mandatum, cum alioqui tribus intra menstrua spacia sese cõsequentibus ex instituto & lege opus sit, nobilitas omnis certo loco præstò esset ad bellum in Prussia prosequendum. Nihilo tamen minus segniter bellum à rege administrabatur, maximè quòd ei mercenarij milites hostium spem iniecerant, si emerita apud Cruciferos stipendia sibi solueret, dedendarum arcium & munitionum reliquarum: quas iam concedentibus ex pacto Cruciferis, in potestatem suam redegerant. *Legati missi in Prussiam.* Atque ea de re conficienda Ioannem episcopum Vuladislauiensem, & Ioannem Rithuianum præfectum Sendomiriensem ad eos allegarat. Verùm tergiuersabantur, & extrahebant rem ij milites, qui erant Teuthonici generis. Continuabatur autem Cnipouiæ obsidio, prouiderantque diligenter hostes, & oppidani reliquorum duorum oppidorum, quæ ad eos defecerant, ne quid omninò ad obsessos importaretur: & alueum Pregolæ fluminis, quod oppidum alluit, tignis & roboribus impedierant. *Pregola flu.* Rex ubi obsessos in extremo discrimine esse accepit, missa aliquanta pecunia militibus, iussit ut illicò laborantibus subuenirent: uerùm dum id fit, obsessi non ferentes longiorem moram, desperato omni auxilio, sese dedidère: uerùm Zeganensium duci superstiti, nõ Magistro. Quo successu elati Teuthones milites, minus iam secum de deditione munitionum agi patiebantur. *Cnipouia deditio.* Rex uerò amissione Cnipouiæ perturbatus, uerirusq; ne cæteræ ciuitates illius exemplo à se deficerẽt (& sanè de Gdano atq; Torunia rumor sparsus erat) expeditionem toti Poloniæ sub autumnum edixit, & ad confirmandos Prussorum animos legationem misit. Nec illi mutabant fidem: nonnullosq; primores ciues in oppidis, quos Cruciferorum partibus fauere persenserant, capitis supplicio affecêre: aliquot modò ignobilia oppida in inferiore Prussia, Cnipouiæ exemplum secuta sunt. *Polonorum expeditio in Prussiam.* Rati autem, hostes occasioni se deesse non oportere, ad Fridelandiam exercitum admouerunt. Præerat ei oppido Scubela quispiam Bohemus cũ præsidio: is ubi aduentare hostes accepit, simulata negligentia, ad ipsa usque mœnia oppidi pertingere eos passus est: deinde subitò bombardis, quas opportuno loco collocarat, in confertos iaculatus, magna clade, maiore uero perturbatione eos affecit. Confestimq; in trepidantes cum suis erumpens, longè eos propulit, & quingentos ex eis cecidit, centum uiuos cœpit. Cæterùm expeditio illa intempestiua, neque cupidè suscepta est à nostris, & lentior multò fuit, quàm par erat. Adfuerunt quidem nonnulli maturius: sed dum cæteros expectant, magnam frumenti uim ex agris Cuiauiensibus raptam, in castra, quasi ibi hybernaturi essent, conuexerunt: quam postea motis castris incenderunt. *Polonorum licentia.* In itinere quoque quoquouersus ecclesiasticis & regijs bonis parsum non est. Rex Breste præcesserat: quò cum proceres Poloni ad eum conuenissent, flagitantibus stipendium militibus, inita ratio est parandæ pecuniæ, neq; honesta, neq; utilis, sacra ecclesiarum uasa ac donaria confland, archiepiscopo, & Vuladislauiensi, Posnaniensiq; episcopis, assentientibus. Quod cum in tribus diœcesibus, quarum episcopi consenserant, factum esset, sola sex millia florenorum redacta sunt. Nam è Cracouiensi nihil ablatum est, non permittente episcopo. Cùm autem cunctæ cõpiæ conuenissent, nauali ponte apud Toruniam Vistula traductæ sunt. Interea Fridericus Marchio Brandeburgensis ad Magistrum Crũciferorum cũ quingentis cataphractis equitibus profectus, & complures dies ibi commoratus, relicto apud hostes equitatu, ad regem in castra uenit, petens

ut ie

ut se arbitro rex cum Cruciferis pacē faceret. Id uerò non ex animo faciebat, sed ut aptum bello gerendo tempus eximeret. Vbi non abnuere regem sensit, reuersus ad Cruciferos, regi renunciari iussit, optimas, & ultro ipsi expetendas, meritisq́ eius maiores conditiones se allaturum esse: itaq́ condicta ad Coscelecium pagum die, missi à rege Ioannes episcopus Vuladislauiensis, & cancellarius, Ioannes Tencinius Cracouiensis, Petrus Oppo rouius Lenciciensis palatini, & Hincia Rogouius castellanus Siradiensis, uana fuisse Friderici promissa repererunt. Postulabant enim Cruciferi, ut rex omni Prussia (quo nomine iam Pomeraniam quoq́, & Culmensem, & Michalouiensem complectimur) sibi decederet: tum demum, quocunq́ uellet iudice secum disceptaret. Increpitus à nostris Fridericus, quòd non bona fide cum rege ageret, ne tamen nihil egisse uideretur, pollicebatur, Cruciferos Culmensem & Michalouiensem regionem hostris concessuros, ac impensas belli soluturos esse. Quas conditiones cum non acciperent nostri, re infecta discessum est, ferocioribus factis Cruciferis quingentorum cataphractorum equitum accessione, quos Fridericus discedens in castris ipsorum relinquebat. Itaq́ intermissum spe pacis belli studium resumptum. Eodemq́ itinere quo superiori anno, ad Lassinum non optimo consilio castra mota sunt. Prætergressus autem oppidum exercitus, non longo interuallo ad obsidendum id reuertit. Spectabant ad deditionem oppidanorum animi: sed quadringenti Cruciferorum equites præter castra nostrorum, in quibus nulla erat militaris disciplina, in oppidum ingressi, eos confirmarunt, strenueq́ oppidum defenderunt. Itaq́ obsidione in Nouembrem mensem extracta, cum maiore penè obsidentes, quàm obsessi inopia præmerentur, neque commoda esset frumentatio & pabulatio tanto exercitui, dilapsis metu nostrorum (qui nulla in eos iniuria se abstinebant) agrestibus, & frumento maturè ante aduentum nostrorum in munitiones conuecto, serò consilium suum rex damnauit: & niues autem pluuijs mixtæ, uentiq́ acriores, equos & homines desuetudine militiæ molliores affligebant. Igitur soluta obsidione, rex dimisit exercitum, quartā fermè parte equorum amissa, domuitionem flagitantem: ipsis quoque Prussis nostrarum partium, discessu eius lætantibus. Neque enim minoribus, nec scio an maioribus etiam damnis incommodis ab eo, quàm ab hoste, agri eorum affecti erant, ita ut ne tectis quidem parceretur. Dum hæc ita geruntur in Prussia, latrunculi è Silesia Ioanne & Cauuca Sueborouijs fratribus Polonis, & Georgio Stosso Morauo ducibus, in agrum Ilcussensem & Slauucouiensem impetum fecerūt, raptaq́ cùm alia præda, tum equis octoginta, quorum opera in plumbi metallis aqua exhauriebatur: & Slauucouia propter iniuriā, quam Sueborouius à præfecto eius oppidi acceperat, incensa, Velunensem quoque agrum uexarunt: & Cempnum arcem, natura loci munitam, agrestium censum domino afferentium habitu ingressi, cœperunt, & Vrbentam loci dominum in Morauiam abduxerunt. Sed arx postea obsessa diu à Velunensi nobilitate, & cohorte archiepiscopi, & episcopi Posnaniensis, latrunculis pacto excedentibus, recuperata est. Causa latrocinandi eis fuit, emerita quidem in Prussia sub rege stipendia: quæ cum non numerarentur ob inopiam ærarij, illi ex professo, quouis modo ea se à Polonis repetituros esse denunciarant, & ad eos magnus egentium & perditorum hominum numerus ex omni uicinia confluebat. At in Masouia Vuladislaus dux Plocensis, hectica febre, quam illi generi hæreditariam fuisse Dlugossus memorat, exinanitus, per eos dies uita excessit, Zemouito & Vuladislao filijs pueris relictis. Ne Boleslai quidem alterius fratris, cuius paulò antè meminimus, filij adulti, & gerendis rebus maturi erant. Itaq́ Paulo Gizicio Plocensi episcopo cunctæ Masouiæ administratio mandata publicè, quoad pueri adolescerent. Atq́ is bene & cum laude se gessit: mores quosdam, legesq́ barbaras exercēdorum iudiciorum, pœnarumq́ exigendarum sustulit, non sine sumptu suo. Rex dimisso exercitu, apud Grudentum cum senatu de gerendo deinceps bello consultauit. Et quoniam mercenario milite id geri placebat, nec suppetebat pecunia in stipendium, censebant plerіq́ de iunioribus, pēsionem duodenûm grossorum agricolis imponendam esse, suis quidem atq́ nobilitatis simplam, regijs uerò & ecclesiasticis duplā: ad hæc ut ecclesiasticus ordo dimidios reditus suos conferret. Atq́ in eam sententiam decretum factum, Cracouiæ & in alijs oppidis promulgatum est non sine summa profanæ tyrannidis infamia, & ecclesiastici ordinis iniuria, cui inaudito immunitas diuinis, humanisq́ legibus concessa eripiebatur. Tametsi retractatum id decretum est in comitijs Petricouiensibus insequentis anni, qui fuit 1456. principio, contendentibus episcopis: decretumq́, ut æstate sequenti publica in Prussiam expeditio maturè post Pentecosten fieret. Nec tamē ea facta est, propter angustiam rei frumentariæ & pabuli, ex magnis pluuijs & inundatione aquarum. Quin & superioris anni expeditio magna ex parte eam calamitatem inuexerat. Ad hæc autem nihil ea expeditione opus esse uisum est, propterea quòd debellatum iam esse uidebatur, cùm nostri, quibus id

Conuentus de pace apud Coscielecium.

Lassinum frustra obsessum à Polonis.

Slauucouia incensa.

Cempnum arx capta & recepta.

Vuladislai ducis Plocensis mors & liberi.

Comitia Petricouiensia. An. 1456.

negotium mandatum erat, cum hostium militibus de dedendis munitionibus, & redden dis captiuis decidissent, septuaginta septem florenos in singulos equites, dimidium in pe dites pacti, urgentibus maxime Prussis, ac dimidium eius pecuniæ pollicentibus. Qua de causa rex ipse etiã in Prussiam excurrerat. Itaq; alteris comitijs ad sextum Idus Septemb. Petricouiam indictis, de pecunia paranda à nostris consultatum est: nam in ærario regio prorsus nulla erat: placuit uniuerso conuentui, ut rex pariter, & ecclesiasticus, equesterq; ordo uniuersus, dimidium annuorum censuum conferrent, ne honorum quidem & magistratuum fructibus exceptis: oppidani uerò, soli iuxtà ac mobilium bonorum æstimatione facta, ut binos grossos à marca penderent: agrestes uerò unum grossum in capita marium & fœminarum: cæterùm equestres homines, qui nullos haberent agricolas & adscriptitios, ne p censu, uicenos quaternos grossos. Nec tamen Petricouiæ res ea confecta est: sed maiores quidem Poloni in Colensi, minores uerò in Corcinensi demum conuentu denuò instituto, decretum id approbarunt, lectis quæstoribus, qui eam pecuniam ex repub. dispensarent. Cæterùm ecclesiastici ad synodum eam rem reiecerunt, ac pontificiæ modò siue usitatæ æstimationis dimidium contribuerunt. Quanquam Cracouiensis episcopus ultro tres quartas, cæteri uerò episcopi iustas censuum pariter ac decimarum pecuniariarum dimidias contulerunt. Cum autem ne hæc quidem suffectura essent, aurum insuper & argentum sacrum è Cracouiensi templo à rege importunè flagitatum, sed constanter negatum est: placatusq; rex quinq; millibus florenorum, episcopi & sacri collegij fide à mercatoribus mutuò acceptis, ut rex ea postea solueret. Missi sunt etiam legati è comitijs Petricouiensibus in Podoliam, qui arces armis, commeatibus, & propugnaculis munirent, & iusiurandum à præfectis earum exigerent: propterea quod Lithuani missa ad regem legatione, Podoliam repetebãt, admonentes eum iusiurandi, quod sibi profecturus ad suscipiendum regnum dedisset, ut faceret, non toleraturos se eius diutius eam iniuriam. Addebant autem eis animum Cruciferi fœderati. In Valachia uerò per id tempus, Alexandro palatino ueneno sublato à suis. Petrus, cuius mentionem superius fecimus, populi fauore successit: missisq; ad regem oratoribus aliquoties, tandem à dissento tot simul curis & negotijs assensum impetrauit. Ita quidem Dlugossus de Petro hoc memorat: sed nos è monumentis literarum Russicarum, quæ extant in Archiuio regio, comperimus, anno 6963. ab orbe condito, qui est post Christum natum millesimo, quadringentesimo, quinquagesimo quinto, Petrum palatinum Valachorum in uerba regis iurasse; Andrea Odrouanzo palatino Russiæ cum alijs quibusdam proceribus Polonis id iusiurandum exigente & recipiente: & auxilia regi, regnoq; more maiorum suorum contra quosuis hostes promisisse: matri uerò suæ Mariæ regis amitæ possessionem territorij Seretslei Pargensis confirmasse, usque ad aliam transactionem cum rege. Vnde apparet alium hunc esse Petrum, Heliæ filium, Alexandri uerò tunc extincti fratrem. Indidem autem comperimus hoc anno, hunc ipsum palatinum unà cum consiliarijs suis misisse oratorem ad principem Turcarum Mahometem, ut pacem ab eo duûm millium aureorum tributo redimeret. Nam is post subactum Constantinopolitanum imperium uehementer uexabat Valachiam: & distinebantur tunc Poloni bello Prussico, ne socijs & clientibus opem ferre possent. Nihil enim non agebant Cruciferi Teuthones, ut eam prouinciam nuper amissam recuperarent: ac per illud ipsum tempus Brathianum arcem munitissimam in Culmensi tractu, præsidiarijs militibus, Ioanne Tresca præfecto absente, corruptis interceperant: Brodniciam uerò clàm noctu intercipere conati, non latuerunt, & non sine strage repulsi sunt: multisq; in locis leuibus certaminibus commissis, ubique inferiores fuêre. Porrò Torunensis plebs intemperantia, nisi fallor, nostrorum militum irritata, in Cruciferorum partes propensior, claues portarum urbis magistratibus suis sibi aduersantibus, seditione coorta, ademit. Verùm Gdanenses accitis properè regijs militibus de proximis præsidijs, eum tumultum sedarunt, ducentis de primoribus plebis compræhensis, & septuaginta ex his, qui capita seditionis fuerant, cæsis. Per idem tempus magistratus urbis Cracouiensis Nicolaum Turscium presbyterum, & Nicolaum Gnoinium, & ipsum sacris initiatum, furti reos, captos, & quæstionibus examinatos, noctu clàm capitali supplicio affecit. Quamobrem toti ciuitati sacris interdictum est, donec episcopus à rege exoratus, trecentis florenis mulctæ nomine acceptis, id interdictum sustulit. Inuaserant autem illi duo, alter quidam in scholastriam, alter uerò in canonicatum Cracouiensis ecclesiæ, quorum sacerdotiorum superstites erant possessores. Neque rex necis eorum imperatæ suspicione caruit. Comitijs Petricouiensibus, quemadmodum diximus, peractis, rex, auctus filio Vuladislao, nequicquam retinentibus Polonis proceribus, & ut Prussicas res prius conficeret, flagitantibus, in Lithuaniam ad sedandos motus ibi concitatos profectus est. Etenim Lithuani plerique ab-

Comitia iterũ. *Tributum ingens.* *Conuentus Coli & Corcini.* *Podolia munitur contra Lithuanos.* *Valachi tributarij Turcis facti.* *Brathianum proditione captum.* *Interdictum Cracouiæ.*

sentia

ſentia regis offenſi, & Podoliæ cupiditate incenſi, alium ſibi principem creare conſtituerant, Simonem Kiouienſium ducem, Olelconis filium. Eorum principes erant Gaſtoudus Simonis ſocer, Georgius dux Oſtrogienſium Ruſſus, & Alexander quiſpiam humili loco natus, ſed ſingulari regis gratia in ſublime euectus. Nam Moniuidus cū ſuis propinquis & gentilibus, & nonnullis alijs, regias partes tuebatur. Hos igitur motus rex indulgentia & largitionibus ſuppreſsit magis in præſens, quàm ſedauit. Culpa omnis in Gaſtoudo hæſit, qui legationem illam ad regem cætero conuentu inſcio conflarat: & tamen impunè ei fuit. Gdani quoq; per id tempus promiſcua multitudo tumultuata eſt, authore Martino Coga, obſcuro quidem, ſed ingenioſo & factioſo homine, & Cruciferorum rebus fauente. Cauſa ſeditionis fuit, quòd regij milites ſuburbana eius oppidi incenderant, & quòd rex in Lithuaniam ſeceſſerat: unde colligebatur, & iactabatur uulgò, ei res Pruſsicas curæ non eſſe. Antiquis ergo magiſtratibus, quaſi aduerſarijs, amotis, nouos creant. Dum autem gliſcit ſeditio, Viricus Ceruonca Bohemus præfectus præſidij Mariæburgenſis, data opera adueniens, longa & prudenti oratione in gratiam partes diſsidentes reduxit, & in fide regia continuit, oſtendens, quantò magis expediret ei ciuitati à Polonis ſtare, à quibus magis beneficijs & libertate donata eſſet, & ſine quibus ægrè ſeſe ſuſtentare poſſet, quàm ſuperbis & crudelibus Cruciferis ſeruire. Miſit deinde ad maioris Poloniæ proceres, & ad regem, oſtendens in quanto diſcrimine eſſent res Pruſsicæ, & ut magis eas curæ haberent admonens. Atq; ex eo tempore regiarum partium ſtudioſus eſſe cœpit, magnaq; beneuolentia, cum noſtri ad redimendas à militibus Cruciferorum arces nondum ſatis parati eſſent, diem numerandæ pecuniæ prorogauit. Miſêre deinde maiores Poloni palatinum Breſtenſem ad regem in Lithuaniam: miſêre & Gdanenſes, orantes ut is quamprimùm ad componendas res Pruſsicas adueniret. Nec tamen quieſcebat Coga, donec Ioannes Zarnicouius caſtellanus Gneſnenſis, qui cum Caliſsienſi caſtellano, Vuladislauienſi epiſcopo pro gubernatore in Pruſsiam à maioribus Polonis miſſo, adiunctus erat, Gdanum uenit. Cuius aduentu legitimus magiſtratus, authoribus Reinaldo Niderhouio & Ioanne Lindauio, ſumpta fiducia, capitale ſupplicium de Coga ſumpſit. Sic motus omnes cum eo conquieuerunt. Annus hic menſtrua pernoctis cometæ apparitione inſignis eſt: quam Turcica clades apud Nandor Albam, quæ Taurinum olim dicta eſt, à Ioanne Huniade, & Ioanne Capiſtrano ducibus, quemadmodum ſuperius attigimus, irrogata, & Mahometi imperatoris turpis fuga conſecuta eſt. Vbi non ignobilis fuit ſexcentorum Polonorum Capiſtranum ſecutorum opera. Nec ita multo pòſt Huniades & Capiſtranus uitam cum morte commutarunt. Inſequenti anno Huniadis filius Ladislaus perduellionis inſimulatus, cum Vlricum Ciliæ comitem inſidiatorem ſuum interfeciſſet, capite pœnas luit. Matthias frater eius minor natu captus, & Viennam à rege ductus: Ioannes item Varadinenſis epiſcopus, & complures alij de proceribus Vngaris in uincula coniecti. Mater Ladislai & Matthiæ, magnanima mulier, non fletibus & lamentis indulſit: ſed arma contra regem Ladislaum pro filijs ſumpſit: maiusq; facinus ira ſuadente auſura, ac Turcas in auxilium accitura erat, ni res interuentu aliorum procerum compoſita fuiſſet: ſed prius quàm Matthias ex pacto dimitteretur, Ladislaus rex in ipſo nuptiarum apparatu Pragæ obijt, ſiue ex repentino morbo, ſeu ueneno clàm à Georgij Podiebradij uxore miniſtrato. Dira quidem tormina ſenſit moriens: & medici Germani poſteaquam Bohemia exceſſêrunt, uulgarunt non obſcura ueneni hauſti ſigna in ea apparuiſſe. Mortis cauſam ei fuiſſe exiſtimant, Podiebradij partim ambitionem, partim offenſionem uel metum. Etenim non obſcurè Ladislaus iniquior & infenſior erat hæreticis, eorumquе cœtus & ſacerdotes, & in primis Rochezanam pſeudarchiepiſcopum amicum Podiebradij aſpernabatur. Et ſanè adeptus eſt regnum poſt Ladislaum Georgius, Rochezanæ & factionis eius opera, poſthabitis Friderico Imperatore, Sigiſmundo & Alberto Auſtriorum Archiducibus è fœdere, Cazimiro rege Polonorum, & Vilelmo duce Saxonum, iure hæreditario nominibus uxorum & liberorum ſuorum regnum id petentibus. Vilelmus enim maiorem natu ſororem Ladislai defuncti in matrimonio habebat. Nam Caroli regis Gallorum legatio, qui ingentibus pollicitationibus idem ambiebat, non niſi poſt comitia publicè audita eſt: idq; aſtu Georgij factum. Vngari Matthiam Huniadem annos decemſeptem natum, authore Michaële Saladino, ſiue Zilagio (ſic eum uocat Bonfinius) auunculo eius, qui cum quinq; ſiue, ut uult Bonfinius, uiginti millibus armatorum ad regia comitia uenerat, regem crearūt: & numeratis Podiebradio quinquaginta millibus aureorum redemerūt. Extincto enim Ladislao, Georgius ſignatis annulo regio literis celerrimè eum Vienna Pragam deduci curarat, magnum inde ſperans compendium: qua ſpe fruſtratus non eſt: quin & filiam ſuam ei deſpōdit, fœdusq; & ſocietatē cum eo inijt. Et Vngari aūt, quemadmodum ſcribit Dlugoſſus noſter, Friderici,

Moniuidus.

Gaſtoudus.

Mart. Coga turbator.

Polonorum et Gdanenſium legationes ad regem.

Cometes.

Turcarum clades apud Bielogradum.

Huniadis et Capiſtrani mors.

An. 1457.

Mulieris magnus animus.

Ladislai mors.

Rochezana.

Georgius Podiebradius Bohemorum rex.

Matthias rex Vnga. creatus et redemptus.

Cazimiri

Cazimiri & Caroli Galli postulata, non sibi, sed Vuladislao natu maiori Cazimiri filio regnum illud adstruentium, repudiarunt: cui Carolus filiam suam, eam, ni fallor, quam Ladislao dudum desponderat, uxorem cum summa dote pollicebatur. Vexauit autem tunc

Pestis.

pestis Vngariam, eiusq; contagio etiam in finitimam Poloniam proserpsit. Sed hæc pleraque hoc quidem anno, quem nunc persequimur, inchoata, sequenti uerò peracta sunt. Sed ad nostra redeamus.

DE ORIGINE ET REBVS GESTIS POLONORVM, LIBER VIGESIMVS QVARTVS.

An. 1457.

Comitia Petricouiæ.

VERB autem nouo prioris illius anni, nempe 1457. rex Cazimirus, flagitantibus Prussis atq; Polonis, è Lithuania in Poloniam ad Petricouiensia comitiā uenit: atq; inde ad Colensem maiorum Polonorum conuentum profectus, impetrauit à nobilitate eius oræ, ut, quoniam pecunia deerat in stipendiū mercenarijs militibus, ipsa Slochouiam, Succe ac Tucholiam arces Pomeraniæ tuendas susciperet: deinde in Prussiam, Gdanumq; diuertit: ubi à Carolo Danorū rege exule, pedibus extra urbem progresso, salutatus, & à Gdanensibus comiter & splendidè acceptus est: exolutaq; militibus hostium conuenta

Carolus Danorum rex exul.

pecunia, nempe quater centenis septuagintasex millibus florenorum, Mariæburgum, Gilauiam atq; Dersauiam ab eis recepit. Migrantes inde milites cū Magistro Cruciferorum & commendatoribus, rex tutò usq; ad fines Poloniæ deduci iussit. Nam qui cæteras munitiones obtinebant, parte pecuniæ accepta, cum reliqua ad constitutum tempus sibi soluta non esset, in fide Cruciferorum authore Bernardo Sumbergio manserunt. Maximè uerò rex à Gdanensibus ad exoluendā eam pecuniam, triginta millibus denuò extra ordinē collatis, adiutus est. Nec studium Vlrici Ceruoncæ præfecti præsidij Mariæburgensis erga regem obscurum fuit, cuius authoritate milites fidem non mutarunt, quamuis ad præstitutam diem reliqua pecunia sibi non numeraretur. Itaq; quinquagintasex millibus florenorum in Succe, Golubo, Preismarco, Coualouia, & Gneuo obligatis & oppigneratis, rex eum muneratus est: & mox in duarum ex his primarum præfecturarum possessionem eum misit: Mariæburgo quoq; eum præfecit: ipse Bydgostiam se recepit. Obsidebatur nihilominus Gneuum à mercenarijs militibus, & maioribus Polonis: iamq; tātum fames apud obsessos inualuerat, ut uix paucos dies obsidionem toleraturi esse uiderētur: sed nostri sine ulla disciplina militantes, nequicquam uetante ac deprecante magistro militiæ Prendota Lubessouio, domos dilapsi sunt, authore Ioanne Cromno Cotificio, corrupto ab hostibus. Atq; ob eam rem is postea capite damnatus est à regę. Per eosdē dies malè à Dobrinensibus quadringentis ferè domi pugnatū est contra octingentos hostes, qui ex Zialdouia excursionem fecerant. Atq; ij uastata ora Dobrinensi, non cōtemnendam prædam abegêre. Apud Sipelbeinum quoq; oppidum in inferiore Prussia, quod à Cruciferis obsessum erat, infœliciter nostri ab obsidione hostem depellere tentarunt. His igitur successibus erecti Cruciferi, ad recuperationem Mariæburgi adspirare cœperunt: & fauebant eis clàm complures oppidani, atq; etiam equites, qui in arcis præsidio cum Ceruonca erant. Itaq; constituta cum eis proditione, Bernardus Sumbergius cum expedita manu adueniens, noctu, in oppidum receptus est: pręsidiariosq; regios sine ullis excubijs per domos dispersos, & somno oppressos concidit: nonnulli tamen in tumultu nocturno in arcem euaserunt. Ceruonca tumultu oppidano excitus, hostem ad arcem concurrentem, lapidibus & omni telorum genere supernè repulit. Cum autem dies illuxisset, crebrę fiebant ex arce in oppidum globorum è bombardis proiectiones, ita ut nemo in propatulum impunè prodire posset. Sed in domibus ferè latitabant hostes, perfractisq; parietibus inter se commeabant. Veriti autem, ne qua ex arce eruptio in se fieret, fossa & aggere ab arce oppidū intersepserunt: quod cùm perfecissent, traiecto Nogato, in Zolauam siue insulam maiorem impetum fecerunt, ut eam depopularētur, aut in potestatem suam redigerent. Fortè eòdem Lubessouius cū reliquijs dissipati exercitus, & auxilijs Gdanensium, Marięburgo succursurus, sub idem tempus aduenit, nauibus Gdano aduectus. Eius milites ubi nec opinantes in hostem longè ualidiorem, quippe qui octingentorū numerum excederet, incidêre, metu perculsi, ad naues respectabant: sed Lubessouius stricto gladio pro hoste sibi futurum minitatus, quisquis ad fugam spectaret, fugā eorum inhibuit, & castra

Mariæburgum &c. regi deduntur.

Poloni dilapsi ab obsidione.

Dobrinenses fusi à Cruciferis.

Mariæburgi proditio instructa.

Lubessouij uirtus.

& castra secundum aggerem insulæ metatus est: ita ut à tergo aggere, à fronte uerò cuiuum obiectu tutus esset. Sumbergius despecta equitum paucitate, castra adoriturs defendunt illi acriter: cum ecce in ipso feruore pugnæ quadringenti armati Stargarta in auxilium nostris aduenere. Instauratur prælium maiore ui, hisq; pedem referre coacti hostes, tertium redintegrato prælio uicti, perpeti fuga Neutchani atque inde Mariæburgum se receperunt, octoginta de suis amissis, & Sumbergio duce uulnerato. Nihil tamen is de officio remisit: quin per illos ipsos dies Culma hue Chelmno oppido potitus est, proditione Bohemi cuiusdam: qui cum prius stipendia fecisset in castris regis, uxorem opulentam in eo oppido duxerat. Gilauia quoque regio præsidio, quod pabulatum exierat, excluso, in potestatem Cruciferorum uenit. De hac rem uaria, & maiore ex parte aduersa fortuna nostrorum, cum regi renuntiatum esset, perfecit apud maiores Polonos, ut in centenas marcas annui census singulos hastatos equites mitterent: hastati autem unius nomine apud Polonos tres equites continentur: nempe hastatus unus grauioris armaturæ cum duobus balistarijs: ciuitatibus pedibus imperati. Sex millia peditum pariter & equitum fuère: eáque Mariæburgum ductore Sciburio Chelmso præfecto maioris Poloniæ, missa sunt. Atque is exercitus unà cum auxiliis Gdanensium & Elbingensium satis habuit hostes importando in oppidum commeatu prohibere: nec elici ad pugnam ab hostibus potuit, ne suburbanis quidem Toruniensibus incensis. Dum hæc ita geruntur in Prussia, ne Cracouiensis quidem ora quieta fuit. Caucza & Ioannes Suchorouij fratres, cum ea quam collegerant latronum manu, montem cui Zebrace nomen est prope Osuencimum, castello communierant: atque inde uiciniam omnem latrocinijs uexabant. Pluribus autem illuc tanquam in sentinam quandam confluentibus, in quibus & Ioannes erat, qui dux Osuencimensium fuit, alium quoque montem, qui Vapenna dicitur, prope Dopsice, itemq; Misloujce oppidum communierunt: parumq; abfuit, quin Osuencimum quoq; in suam potestatem redigerent, octo de suis, qui capti in arce asseruabantur, summa turri potitis. Qui ut decederent, non ui, sed precio ducentorum aureorum perfectum est à præfecto arcis Ioanne Synouecio. Vix autem sub initium autumni minores Poloni edictis regijs exciti sunt, ut contra latrunculos illos arma sumerent. His uerò sumptus, amicos quidem affixerunt, in ecclesiastici ordinis bona, fructusq; qua proficiscebantur, impetum facientes: hostibus uerò non nocuerunt, sed cum Mislouice aliquandiu obsedissent, facto frustra aduersus oppidum impetu, irrito cœpto turpiter & proterue discesserunt, quadraginta nobilibus præter cæteram multitudinem amissis, centum sauciatis. Sexaginta millia bellatorum in ijs castris censa esse Vapouius memorat. Rei malè gestæ culpa in proceres nonnullos, quasi cum hostibus sensissent, uulgò coniecta est. At ij uicissim contumaciam equitum, ac disciplinæ contemptum incusarunt. Nec mora, nostris ad sua dilapsis, Ioannes Osuencimensis Clobuscum oppidum diripuit & incendit. Quocirca aliam nostri defendendi sua rationem inire coacti sunt, partitis inter proceres muneribus: nempe ut Ioannes quidem Cizouius castellanus Cracouiensis Scauinæ, Ioannes Tencinius Ileuscij, Prædiborius uerò Conespolius castellanus Sendomiriensis Lelouiæ cum præsidijs essent, militibus stipendium de salinis constitutum rege inconsulto, duodeni grossi in hebdomadam. Ac ne Podolia quidem per idem tempus tumultus & incommodi exors fuit. Nam Tartari populabundi improuisò in eam oram incursionem fecère. In eos Bartholomæus Buzacius præfectus Podoliæ, cum Ioanne Lasscio succamerario, & inermi comitatu iter faciens, imprudens penè incidit: sed prior tamen eos ipse animaduertit. Duo erant eorum agmina: in maiore uulgus erat promiscuum, in minore eximij bellatores: uerùm nostri in maiore robur omne eius militiæ esse opinati, facto in id noctu impetu, quò terribiliora omnia hosti facerent, facilè id fuderunt & conciderunt. Tumultu exaudito, alterum agmen loco cessit. Postridie illud quoq; adoriri nostris placuit, nocturna uictoria ferocibus, ratisq; minus cum illo negotij sibi fore. Et sanè nõ malè ausus illi eis successissent, si incunctàter, quemadmodũ censebat Lasscius, in perturbatos impetum fecissent. Sed dum cunctàtur, Barbari paucitate eorum cognita, animos resumpserunt, & in orbem nostros trepidantes, & cõglobatos abundante multitudine circumuecti, in medio concluserunt, & ad internecionem profligarunt, non multos tamen. Nec mora, ulctores populatione omissa, ad sua se receperunt, ueriti ne ubi delaugatos, & ad paucos redactos, nouus & recens hostis inuaderet. At rex Cazimirus constitutis, quemadmodum diximus, rebus Prussicis, Petricouiam ad comitia ad uicesimam quartã diem Nouemb. indicta profectus est. Sed cum ibi nihil de republica ob infrequẽtiam senatus, ad reprimendam latronum uim intenti, constitutum esset, alij conuentus Coli & Corcini acti sunt: & in his decretum, ut iugeralis exactio duodenum grossorum agrestibus imponeretur, unde satis fieret ijs quib. emerita in Prussia stipendia soluta non erant: præfectura

Polonorum uictoria de Sumbergio.

Maiorum Polonorum expeditio in Prussiam.

Suchorouiorũ latrocinium.

Zebrace mõs.

Ecclesiastica bona uexata.

Clobuscum direptum & incensum.

Russorum anceps cum Tartaris pugna.

Comitia Petricouiæ.

Tributum iugerale.

Cracouiensis,

Cracouienſis, amoto ob ingraueſcentem ętatem Ioanne Cizouio, Nicolao Penanſco Vitouicio mandata eſt, auctis reditibus, quo numeroſiorem familiam, pacandarũ, & à latrocinijs purgãdarum uiarum cauſa poſſet alere. Satisfactũ deinde ijs qui latrocinio & bello emerita ſtipendia repetebant: caſtellaq; ab eis dedita, diruta regis uoluntate, ne deinceps etiam latrocinantium eſſent receptacula. Nobilitati uerò Oſuencimenſi latrunculorũ uexationibus afflictæ, à rege clementer ſubuentum eſt. Conuentu ſoluto, rex unà cum regina, uti ſolebat, in Lithuaniam ſeceſsit, indeq; ad Calendas Maias inſequentis anni Petricouiam ad alia comitia rediJt: ubi cum de expeditione in Pruſsiam cõſultaretur, ac decerneretur, uenit Ioannes Iſcra ex Vngaria, hortans regem, ut regno Vngarorum hæreditario uxoris ſuæ iure animũ adijceret, neq; occupari id à Matthia homine nouo pateretur: operam ad id ſuam regi pollicens: & retinebat is adhuc munitiones quaſdã in Vngaria. Cum autem intelligeret, Pruſsicum bellũ ei rei impedimento eſſe, componendi aut intercipiendi eius partes ſibi ſumpſit, rege pacem non abnuente. Ne Cruciferi quidem abhorrere à pace uidebantur: & ſperabat Iſcra facilius etiam fore negotium, quòd Bohemorũm mercenariorum armis, quorum ductores ferè neceſſarij & familiares ſui eſſent, tũc res Cruciferorum maximè nitebatur. Sed eum ſpes fefellit. Elati enim hybernis ſucceſsibus paulò ſecundioribus Cruciferi, iniqua poſtulabant. Quocirca præciſa ſpe pacis, uniuerſæ regni copiæ regis edicto ad Gneuucouiam cõuenêre: inde Viſtula nauali ponte tranſmiſſo, ad Papouiam caſtrametatæ ſunt. Interceperant fraude eam arcem hoſtes, atq; inde Torunenſem agrum uehementer infeſtabãt: ſed permunita erat, nec ſine multorum periculo à noſtris expugnari poſſe uidebatur. Cæterum lixæ & calones atq; promiſcuum uulgus temerè, & nemine iubente ad mœnia procurrens, mox omnem exercitũ incredibili expugnandæ arcis ardore & ſpe inflammauit. Itaq; facto impetu, portaq; effracta, cũ iam caperetur arx, hoſtes magnis clamoribus uictorum miſericordiam implorarunt: exauditiq; à Petro Samotulio caſtellano Poſnanienſi, penes quem ſumma in exercitu ſecundum regem poteſtas erat, minore porta à caſtris auerſa emittebantur. Sed parum abfuit, quin ipſe quoq; Samotulius ab irata multitudine uiolaretur, ob Sbigneũ Iauorium, Dobricium, atq; Dauidem Bohemum caſtrorum metatorẽ, in oppugnatione arcis interfectos. Fremitus quidem aduerſus regem & proceres ingens fuit, cùm propter emiſſos hoſtes, tùm quòd proceres nonnulli miſsis miniſtris cellas arcis commeatu & facultatibus refertas occupârãt. Quare ſubiecto igni à furente multitudine, arx tota cum omni copia & compluribus ſatellitibus procerum, qui pertinacius cellas defendebant, conflagrauit: muri deinde arcis, ne ab hoſte inſtaurarentur, rege iubente diruti. Ac triduo ibi ſtatiua habita ſunt. Inde ad Culmam ſiue Chelmnũ mota caſtra. Nec tamẽ tentata eſt eius oppidi oppugnatio, quod amplum quidem & ſpacioſum eſt, & neq; arte, neq; natura munitum: ſed eò undique hoſtium copiæ confluxerant. Ad Mariæburgum uerò itum eſt. Quod cũ Bernardus Sumbergius Culmæ intellexiſſet, nocturno itinere anteuertere eò noſtros cũ expedita manu inſtituit: perfeciſſetq; id adeò, ni tota nocte erraſſet. Ortò die, ubi ſe in noſtros incidiſſe animaduertit, fuga ſibi quemq; conſulere iuſsit: diſsipatos perſecuti noſtri, nõ leui ſtrage affecerunt, cęſis, captiſq; multis. Sumbergius ipſe euaſit, quindecim milliarium itinere eo die confecto: facultatum tamen iacturam fecit. Ad Marięburgum deinde noſtri caſtra poſuêre: ac deſides ibi tempus triuêre, ludificantibus eos ſpe pacis hoſtibus. Ad quam conficiendam Iſcra ſequeſtrum ſe interponebat. Per quos dies Nouum oppidum Pomeraniæ, dimiſſo Polonorum præſidio, quaſi ſuis uiribus ſe tuiturũ eſſet, hoſtile accepit. Ex diuturna uerò eodem in loco apud Mariæburgum mora (nam in duos menſes extracta eſt obſidio) fœtore, & pabuli, uictuſq; inopia regius exercitus afflictus eſt: ita ut octingenti homines, equorum autem ſeptem millia, fame & peſte interirent. Eam ob rem fremere multitudo, & facto agmine ad regis tentorium orare, ut ui ſe oppidum non munitiſsimum capere pateretur, aut uerò obſidionem ſolueret: cum utrunq; ſuaſu procerum quorundam negaretur, negligentius omnes munera belli obibant: ſolutaq; diſciplina, neq; cuſtodias & excubias ſeruabant. Inde creſcere hoſtibus audacia: ita ut ij erumpentes, leuibus incõmodis noſtros afficerẽt. Inde coorta maior indignatio, quàm hoſtium clamor, auro ſe redemiſſe, ne oppugnarentur, è mœnibus uociferantiũ, auxit. Et ſanè depræhenſi ſunt nonnulli, noctu ad oppidum cum mandatis quorundam procerum cõmeantes. In primis autem Ioannes Breſius procancellarius eam infamiam uulgò ſuſtinuit: & niſi fuga ſe ſubduxiſſet, uiolatus eſſet à concitata multitudine. Tandem inducię cum hoſtibus uiginti menſium confectę ſunt, ea cõditione, ut intra id tempus octoni utrinq; arbitri pacis apud Culmam conuenirent: inter quos ſi non conueniret, ut Alberti ducis Auſtriæ ſummum eſſet arbitrium. Interim autem Mariæburgenſe oppidum Iſcra ſequeſter obtineret, ac utri parti id adiudicaretur traderet: aut ſi infecta pace diſcederetur, Cruciferis redderet. Dum autẽ hæc

Caſtella latronum diruta.

An. 1458. Petricouiæ comitia.

Polonorum expeditio in Pruſsiam.

Petrus Samotulius dux exercitus.

Papouia capta incenſa, ac diruta.

Mariæburgũ oppidum obſeſſum.

Ioãnes Breſius de proditione ſuſpectus.

hæc fiunt, uniuersa nobilitas moræ longioris impatiens, iniussu regio domos discesit, orto à Ioanne Ostrouicio, cognomento Nasiano, discedendi principio. Quocirca rex quoque sufficcto in præfecturam Mariæburgensem pro Ceruonca Sciborio Chelmio, discedentem exercitum sequi coactus est, nequicquam retinentibus Prusis, & in primis Gdanensibus, qui ei in quatuor millia militum stipendium, si apud Mariæburgum manere uellet, pollicebantur, prospera fortuna usi eo anno in mercatura maritima, & magnopere ditati: sed uxoris desiderium ei fuit antiquius, ut ait Dlugossus: quæ quidem per eos dies ad quintum Nonas Octobris Cazimirum filium Cracouiæ peperit. Quamobrem eò contendit: ibiq; legatos Georgij Podiebradij noui regis Bohemorum audiuit, fœdus petentes, & ingentia auxilia cōtra Cruciferos, regniq; successionem Cazimiro, quæ secundum Ladislaum hæreditario iure ad uxorem, liberosq; ipsius pertineret, pollicentes: Georgium procerum precibus uictum, regnum suscepisse, ne quis alius præriperet: eo defuncto ad iustos hæredes rediturum. His responsum est, regem fœdus & amicitiam cum Bohemis semper coluisse: cupere uerò, ut mutuum ab eis fieret: non commeruisse eum, ut cum liberis suis hæreditario regno excluderetur: atq; eam iniuriam eum ad eam usq; diem patienter tulisse. Quod si deinceps Bohemi officijs & beneuolentia certare secum uellent, non ingratum eum experturos: Georgium non malè fecisse, facturumqúe esse, si aliquam Cazimiri, liberorumq; eius rationem in suscipiendo regno duxisset, siqúe legitimis hæredibus id relinqueret. Causa uerò tam modestæ & submissæ legationis Georgio fuit illa, quòd animaduertebat, nonnullos de Bohemis proceribus, itemq; Silesios & Lusacios, alienis à se animis esse, propterea quòd cum Rochezana ab ecclesia & religione catholica non obscurè dissentire uidebatur: & cum Morauiam obiret paulopòst sumptum ab Vngaris episcopis, quos Matthias rex miserat, diadema, Iglauia ciuitas portas ipsi clauserat. Eam cum ille cum ijs, quas ad manum habebat, copijs obsedisset, Austriorum Archiduces Iglauiensibus præstò fuêre, & Morauiam infestauêre. Ibi Georgius maioribus copijs accitis è Bohemia, cùm Iglauiæ obsidionem continuauit, tum Fridericum Imperatorem in arce Viennensi ab Alberto fratre & ciuibus Viennensibus obsessum liberauit. Quanquam hoc alij posterius factum esse autumant. His igitur difficultatibus implicatus, ne maiore belli mole prægrauaretur, Cazimirum regem, qui persequi se uelle ius uxoris & liberorum suorum non obscurè præ se ferebat, tali legatione placandum atq; ductandum sibi esse existimauit. Comitia deinde ad medium Ianuarij sequenti anno Petricouiæ habita: ubi de pace ac de bello cum Cruciferis consultatum est. Increbuerat enim, Cruciferos his conditionibus pacem facere uelle, ut centum millia florenorum impensæ bellicæ nomine regi numerarent, uiginti millium tributum quotannis penderent, duo uexilla auxiliaria ad quoduis bellum mitterent, & ut singuli Magistri in regis uerba iurarent: Prussiam uerò cunctam sibi haberent, ijsdem finibus, quibus ante id bellum habuissent. Probabat magna pars senatus has conditiones: sed Prussorum legatio, commodùm adueniens, orabat regem atq; senatum, ne se in fidem susceptos, immanibus Cruciferis ad exquisitos cruciatus, & in teterrimam seruitutem proderet: Elbingæ se conuentum egisse, nouoq; fœdere sese inuicem obstrinxisse: extrema omnia pati malle prius, quàm in Cruciferorum impotentium dominorum potestatem redirent. Erant & in senatu regio, qui censerent, non ex fide atq; dignitate regis & Polonicæ nationis fore, socios deserere: suaq; olim amissa, nuperq; recuperata, rursus prodere aut uendere. Non diuturnam pacem eo precio redimi: sed perpetuorum hostium uires refici, & opes augeri. Efficax fuit hæc oratio: decretumq; non esse deserendos prodendosúe Prussos. Verùm de ratione prosequendi belli, ad particulares conuentus reiectum est. Nobilitas enim Polona, præterita expeditione uehementer offensa, & pecuniarium subsidium negabat, & militiam in posterum detrectabat. Quam ne rex quidem probabat, propter nimiam atque perniciosam equitum licentiam. Interim rex in Lithuaniam cum regina excurrit: indeq; reuertens, ad Colensem maiorum Polonorum conuentum post initium æstatis adfuit: & ut expeditio in Prusiam pro modo facultatum decerneretur, à maioribus Polonis impetrauit: nempe, ut de centum marcarum censu annuo unus eques hastatus mitteretur: oppidani uerò regij ut peditem suppeditarent. Difficiliores fuêre minores Poloni, & emendari prius quædam in rege & magistratibus flagitabant. Itaque pro hostibus ducti sunt à rege nonnulli, quorum instinctu hæc fieri uidebantur: sed tamen eorum pertinaciæ datum est, ut ad Calend. Septemb. Petricouiam rursus comitia uniuersæ Poloniæ indicerentur. Missi uerò octo de proceribus, quemadmodum cum Cruciferis conuenerat, in Prusiam, ad agendum de pace, re infecta redierunt, cum neq; illi Nessouiam uenirent neq; nostris Culmam ueniendi luculentam securitatem præstarent. Itaq; fecerunt maiores Poloni satis promisis suis, ut exercitum in Prusiam mitterent. Verùm nihil is ope-

Georgij Bohemorū regis legatio ad Cazimirum.

Iglauia obsessa à Georgio.

An. 1459. Comitia Petricouiæ.

Prussorum legatio.

Maiores Poloni expeditionē in Prusiam decreuerunt.

ræprecij fecit: agros modò sociorum utcunque tutatus est per æstatem: sub autumnum autem domum non expectata missione remeauit. Per quod tempus mercenarij milites in inferiore Prussia insignem de Cruciferis uictoriam retulerunt: nec multum abfuit, quin Ludouicus Magister uiuus in potestatem eorum ueniret: præda ingens reperta, ita ut uiceni aurei in milites diuiderentur. Igitur de pace rursus agi cœptum à Cruciferis. Per quod tempus renouatis inducijs, Lubauia Cruciferorum præsidium accepit, cum ad eam diem in partibus regis fuisset. Ad Gneuum uerò complures naues frumentum & ligna atque asseres è Polonia Gdanum portantes, ab hostibus interceptæ sunt. Quæ cum à rege repeterentur, respondit Magister, iniussu suo à militibus id factum esse, neque eos imperium suum exaudire: atque adeò paucis quoque arbitrium penes eos esse. Clementer rex ageret, & ordinem Cruciferorum ne penitus iret perditum. Sub finem Augusti mensis uenit ad regem Lenciciam Vuratislauiensium & Namislouiensium legatio, deditionem oppidorum suorum offerens, quòd sub imperio Georgij regis Bohemorum hæretici cum cætera Silesia esse nollent. Commendata est eorum pietas & religio: sed aliter sibi prospicere iussi sunt, Cazimirum eos tueri non posse, Prussico bello implicatum: si pacem cum Cruciferis fecerit, tunc demum recipi eos posse. Et sustinuerunt ij quidem aliquandiu bellum à Georgio illatum non infœliciter: sed pòst à legatis Pontificis Maximi Pij secundi, Aeneæ Syluij prius dicti, qui per id tempus Calixto successerat, in eam credulitatem adducti, quòd Georgius ab ecclesia catholica alienus futurus deinceps non esset, trium annorum inducias cum eo fecerunt, ut interim sui iuris, deinde uerò, si is hæresim abdicaret, dicto audientes ipsi essent: sed ut præfectum tamen ab eo ac cæteris deinde regibus inuiti neminem acciperent. Comitia deinde Petricouiæ habita sunt. Ad quæ Cracouiensis tractus legati siue nuntij uenire detrectarunt, nisi fides publica à rege sibi daretur. Acceperant enim, regem aulicum suum, & procerum quorundam, quibus fidebat, comitatum in armis esse iussisse. Nam erat is admonitus, consilia contra se ab illis inita esse. Erat res noua & inaudita: sed tamen, ne qua maior turba & seditio exuscitaretur, datum hoc illis est. Principes eius legationis erant Ioannes Rithuianius, præfectus Sendomiriensis, Ioannes Tarnouius, & Ioannes Melstinius. Impetrata uerò dicendi potestate in frequenti consessu, Ioannes Rithuianius homo magno animo, & lingua promptus, pro cæteris collegis & omni nobilitate in hanc sententiam ad regem uerba fecisse fertur: Ingentem animis dolorem haurimus, rex illustrissime, quòd nos immerentes ac tibi addictissimos pro hostibus ducis, & armatum præsidium contra nos comparasti. Nemo est nostrûm, atque adeò ex omni numero Polonæ nobilitatis, quem odisse aut metuere debeas: omnes te summo studio prosequimur, semperque prosecuti sumus. Verùm dura necessitas, & impendens exitium nos impulit, comitia hæc abs te efflagitare: non quo aliquid contra te moliremur, sed ut saluti & incolumitati nostræ, liberorum nostrorum & longæ posteritati, simulque dignitati reipub. nostræ calamitosæ tandem aliquando prospiceremus. Quod si roges, quid id mali, aut unde est? Vndénam censes? nisi unde minimè sperabamus, & unde minimè decuit: abs te, inquam, tuisque magistratibus, quorum etiam culpa omnis in te redundat. Tui præfecti non modò ius non reddunt petentibus uiduis atque pupillis, uerùm etiam per summam iniuriam & potentiam nos, fratresque nostros opprimunt, bonis indicta causa spoliant: uinculis, uulneribus, & omni cõtumelia afficiunt: quemadmodum nuper post edicta hæc iam comitia Sigismundo Laticinio & Virbenthæ Semnicio, ab Ioanne Curopathuua præfecto Chelmensi usu uenit. Atque hæc tamen, quòd priuata sunt, & ad singulos pertinent, leuiora ducimus: illa multo grauiora & acerbiora, quę te cõniuente, imò uerò indulgente, Lithuani in nos designãt: nempe quòd Luscũ & omnẽ illam fertilẽ oram Russiæ nobis interceperũt: pagos nõnullos à Parsouiensi territorio abstraxerunt: Podoliæ quasdã munitiones occuparũt, reliquis etiã imminent: Masouiorũ ducibus, socijs nostris, & clientibus tuis, duo territoria Gonianzum & Vangrouecã eripuere. Hæc te authore facere eos necesse est. Non facerent sanè, aut certè non impunè facerent, si alium regẽ haberemus. Tu eorum temeritatẽ & audaciam indulgẽdo alis, adeòque prouexisti, ut non modò contra Cruciferos socia nobiscũ arma ex fœdere, & gratiam nobis de uindicata sibi Samagitia referendo, non coniungant: sed superbè tuum quoque imperium iam detrectent. Nec tamẽ hęc te mouent, quo minus bonis & facultatibus huius regni tam ingratã Lithuaniam ornes & augeas. Quòd si merita utriusque populi recta ratione perpẽdas, reperies iniustè & indignissimè hęc abs te fieri. Illi neque tibi, neque patri tuo unquam satis fideles fuere: & cum iure uestro eis imperaretis, contra utrunque nõ semel perniciosa cõsilia iniere, ferro & ueneno uitam utriusque appetiuere. Nos uerò illum quidẽ obscurum & ignotum, & angustè dominantem, ad amplissimum cõiugium & florentissimũ regnum ultrò acciuimus, & in uniuersum terrarum orbẽ celebrẽ reddidimus: Samagitiam

Cruciferi uict.

Magistri excusatio.

Aeneas Syluius Papa.

Comitia Petricouia.

Præfectorum regiorum iniuria.

Polonorũ merita in familiã Iagellonicam.

Samagitiam & magnam partem Lithuaniæ à Cruciferis ereptam, armis nostris atque sanguine restituimus: fratrem tuum Vuladislaum non tantum ad Polonicum, uerùmetiam ad Vngaricum regnum fauore & impendijs atque opibus nostris eueximus. In te uerò quales fuerimus, tu ipse testis es locupletissimus. Atq; ut alia prætercam, Prussicum quidem bellum per tot annos in hanc usque diem & armis, & facultatibus nostris, nostrorumq;, pro te impigrè sustinuimus. Pro his meritis ista nobis abs te refertur gratia, ut Lithuanos exuuijs nostris uestitum & ornatum eas? Iam ne illa quidem leuia sunt incommoda, quòd & ipse leuem monetam cudis, & adulterinam importari aliunde permittis: & furum, latronumq; examina impunè in nos & nostros grassari pateris. Quæ facilè tu, quemadmodum debes, nobis quiescentibus, reprimeres, nisi regia bona & reditus perperàm dissipasses. Ad hæc procurationibus quoq; siue stationibus nimium onerosis nos & homines nostros uehementer exhauris: afflictos à potentioribus non modò non uindicas, sed ne audis quidem quiritantes. Hæc & alia acerba immeritò abs te accidunt, rex illustrissime, fratribus nostris, quos obsequentissimos & studiosissimos tui semper expertus es. Ea ut tandem corrigas, mutesq;, summopere per nos abs te petunt. Refer hanc gratiam benemerentibus: redde nobis, quæ Lithuani te indulgente ademerunt: moneta leui cudenda absiste: adulterinam summoue: immoderatas stationes circumscribe. Magistratuum impotentiam & petulantiam refrena, & uigilantiam excita, ut uias publicas, regnumq; omne, pro debito suo, furtis & latrocinijs purgent: Poloniæ commoda & ornamenta ne minoris facias, quàm Lithuaniæ: fac denique patrem te, non uitricum nobis præbeas. Quod si impetramus, nullus nobis labor, nulli sumptus pro tuis commodis, & ad nutum tuum, graues erunt: ac ne sanguini quidem & uitæ nostræ pepercerimus. Sin repulsam ferimus, nihil est quod extra ordinem à nobis expectes. Atque ita tibi persuadeas, neq; nos in Prussia tibi sine legitimo stipendio militaturos esse, neq; pecuniæ quicquam collaturos, conferriùe passuros. Ita fermè Rithuianius. Modestè ad hæc à rege, culpam à se remouente, responsum est: sed tamen re infecta, comitia soluta sunt, maioribus quidem Polonis senum grossorum de iugero pensionem non abnuentibus, minorum uerò legatis negantibus factam sibi esse potestatem à nobilitate, alicuius oneris suscipiendi. Itaque alia rursus comitia ad sextam diem Decembris eôdem edicta. Vbi cum regis, senatusq; placito uiginti de primoribus, qui de repub. consultarent, statuerentq;, delecti essent, & rex correcturum se esse deinceps peccata à nobilitate sibi obiecta, & omnia in quibus homines uulgò offenderent, recepisset, iugeralis duodenûm grossorum exactio agricolis, & telonium omnium mercium omnibus quicunque lucrum sectarentur, in annum imposita: ab ecclesiastico uerò & equestri ordine octaua pars censuum promissa regi in stipendia militantium in Prussia. Ibi etiam præfectura Mariæburgens. amoto nesciò quam ob rem Sciborio Chelmio, duobus pariter Ioanni Coscelecio palatino Inouuadislauiensi, & Prendorthæ Lubessouio, à rege mandata est: fortasis ut alter territorio, reditibusq; regijs, alter præsidio militari præesset. Inde etiam Iacob. Sennenius Gnesnensis, & Cracouiensis præpositus, orator ad nouum Pontificem Pium secundum à rege missus, ut ei de more gratularetur, & in potestate eius regem fore profiteretur. Impetrauit autem is, ut remitteret Pontifex Prussis diras atq; excõmunicationes, quibus eos ad parendum Cruciferis adigebat. Petebat idem de transferendis ex Prussia in Tenedon insulam Cruciferis: in quo eum omnium ferè Christianorũ principum oratores diligenter adiuuabãt, propterea quòd Mahometes Turcarum Imperator Corinthum, urbem Græciæ nobilissimam, & Lemnum atque Mitilenen insulas paulò antè cœperat: & Peloponneso Eubœæq;, Imperatorum fratrum dissidio fretus, imminebat. Verùm id impetratum non est, impensius indulgente Cruciferis & Germanis pontifice iam inde ex quo in aula & ministerio Friderici Imperatoris fuerat. Quorum fortasis opera & odio in Polonos perfectum est, ut is nunquam de Polonis bene sentiret: quod è scriptis eius cuiq; depræhendere licet. Ac ne de diris quidem & interdicto contra Prussos promulgato impetratum tunc esse à Pontifice ex ijs apparet, quæ legatus eius Hieronymus Cretensis Archiepiscopus postea gessit in Polonia & Vuratislauiæ, quæ suo loco exponemus: uerùm in legati potius potestate positum fuisse, ut cum in rem præsentem uenisset, faceret quod maximè ex re fore existimaret. Septembri uerò mense Cruciferi non contemnendam cladem acceperunt apud Passeneimum oppidum inferioris Prussiæ. Nam cum contra id quod in inducijs conuenerat, oppidanos eius oppidi regias partes secutos ad defectionem sollicitarent, illi re cum præfecto præsidij regij Michaële, cognomento Sromothni, communicata, mitti sibi præsidium à Cruciferis postularunt. Missi quingenti equites cum ualido peditatu. Ac cęteri quidem foris manere iussi, trecenti modò equites intromissi, ab armatis nostris, quos Michaël ex alijs præsidijs ad eam rem deduxerat, facilè concisi sunt. Dolo

Polonicæ opes in Lithuaniam exportatæ.

Moneta.

Latrocinia.

Stationes.

Viginti uiri delecti reip. constituendæ causa.

Iacobus Sennenius orator ad Pontificem.

Cruciferorum clades apud Passeneimum.

animaduerso, reliquum agmen, cum suis in oppido clausis opitulari non posset, fuga sibi consuluit. Vernum huius anni tempus uentorum uehementia, & aquarum e solutis niuibus & imbribus bimestri inundatione corruptis segetibus, non parum incōmodi ac detrimenti Polonis attulit. Sub finem anni Elizabetha regina Ioannem Albertum filium peperit. Insequentis uerò anni initio conuentum Poloni cum Bohemis egerunt Bythomię, Præmislio Cesinensium duce controuersiam de regno Bohemico inter reges componere, & offensiones inter Polonos & Silesios tollere studente. Sed tamen re infecta inde discessum est, nisi quòd alius conuentus ad octauum Calend. Iulias in idem oppidū condictus est: ad quem Bohemi nō adfuerunt, offensi multis oppidorum & uillarum suarum incendijs, à Cazimiro rege & uxore eius, quemadmodū opinabantur, subornatis. Id ubi accepit Cazimirus, non putauit sibi committendum esse, quin se, uxoremq; suā Georgio expurgaret: non tam quod inimicitias eius metueret, quæ tamē & ipsæ Prussico bello durante intempestiuæ accidebāt, quàm quòd se, uxoremq; suam pro incendiarijs uulgò traduci permolestè ferret. Ac ea de causa Iacobum Dembenium castellanum Malogostensem, & Albertū Gorscium legatos ad eum misit, qui se & uerbis, & prouocatione ad singulare certamen, militari, & quidem barbarico more purgarent. Qui cum iussa fecissent, nec inueniretur quisquam, qui asseuerare sparsum illum de rege & regina rumorem auderet, Georgius quoq; nunquā id se de tantis principibus credidisse affirmauit. Sic ei satisfactū cum esset, peractus est intermissus conuentus: & pax, fœdus atq; amicitia inter reges cōstituta, ea cōditione, ut neuter alterius hostes ulla ope adiuuaret: solus Pont. Max. religionis causa à Cazimiro exceptus est. De Masouia quoq;, & pro ducibus eius orę, ne quid negotij Georgius ipsi facesseret. Adiectum, ut uno anno exacto, reges ipsi confirmandæ amicitiæ gratiæ apud Glogouiam congrederentur, & ibi de dote Elizabethæ reginæ non exoluta inter se transigerent. Fuêre aūt ad eam rem missi à Cazimiro Stanislaus Ostrorogius Calissiensis palatinus, Ioan. Bresius Luteci filius, procancellarius, & Ioan. Dlugossus canonicus Cracouiens. & custos Visliciensis. Creditum est autē opera Cruciferorum & Bernardi Sumbergij submissos fuisse incendiarios illos Bohemiæ: sparsumq; uulgò rumorem, quasi à rege & regina Polonorum ob interuersum hęreditarium regnum iratis id factum esset. Idq; eò fecisse Cruciferos, quo facilius ipsi bellum cum Polonis haberent, si eos Bohemico quoq; bello implicassent. Nihil enim intentatum ij relinquebant, quod ad perniciem Polonorū pertinere existimarent. Nec abhorret à uero, Albertum Archiducem, ut uulgato hoc uerbo nobis uti liceat, Austriorum, itemq; Ludouicum Bauarorū ducem, & legatos Pont. Max. Hieronymum Cretensem Archiepisc. & Franciscum Toletanum Astigiensem Archidiaconū, Vratislauiensibus Georgio regi reconciliandis operā dantes, ab ijsdem Cruciferis subornatos, missis eiusdem anni initio ad Cazimirū legationibus arbitriū omnis inter ipsum & Cruciferos controuersiæ dirimendæ sibi poposcisse, quo facilius cum spe pacis securum & incautum fallerent. Cazimirus autem Alberto, qui primus ea de re miserat, non grauatè permisit, ut amicè, si posset, inter partes componeret. Cæterùm de re uniuersa compromissum facere abnuit, ne illum pro amico inimicum caperet, commemorans qua fide se Sigismundus Cæsar quondam in eiusdem modi re gessisset: Ludouico & legatis pontificijs responsum, regem postulata eorum facturum fuisse, nisi Albertus id arbitrium occupasset. Erant autem suspecti regi legati pontificij de studio in partem aduersam, quòd hic quidem Cruciferorum causam Romæ prius egisset, ille uerò à mercatorio quæstu ad sacerdotium nuper translatus esset: fœdus tamen ictum cum Bauaro, itemq; cum Conrado Albo Olesnicensium duce, cum quo dissidij nonnihil, propter iniurias quasdam ultrò, citroq; illatas, Polonis intercesserat. His dimissis, in Russiam Cazimirus nondum exacta hyeme iter instituit: id autem apparanti nunciatur, Valciam arcem proditione Ioannis Vedelij præfecti, à Gasparo Nostiuicio & Cruciferis interceptam esse. Boriouium autem Scrinnium gente Labencium cum non contemnenda manu è Ziuecia & Vrimonte, Turzagoram nostri uocant, Dopsice oppido impendente, subiectam oram latrocinio infestare. Et latrocinium quidem Boriuorij rex per Nicolaum Pienianscum subcamerarium & præfectum Cracouiensem, & Petrum Comorouium cum aulico suo comitatu, & Siriciensi nobilitate missos, expugnato utroque eius præsidio, celeriter sustulit. Valciam uerò maiores Poloni recuperare iussi, obsederunt quidem arcem, sed non multo pôst ab obsidione re infecta recesserunt. Rex in Russiam profectus, Ecigerem Tartarorum Imperatorem, & Stephanum palatinum Valachorum per legatos auxilia contra hostes poposcit: promissa utrobique alacriter. Peragrata uerò Russia, Breste supra Bugum amnem cum Lithuanis conuentum egit: animos eorum ad occupandam armis, cum Poloni Prussico & Bohemico, ut rebantur, bello distinerentur, Podoliam, procliues sanauit.

In Polo-

Ioan. Albertus filius Cazimiro natus.

An. 1460.

Cazimiri legatio ad Georgium Bohem. regem.

Masouia.

Cruciferorum artes.

Legati pontificij suspecti Polonis.

Ziuecia, Turzagora.

Lithuanorum comitia.

In Poloniam uerò reuertens Maio mense, Sendomiriæ cum minoribus Polonis, & mox Lenciciæ cum maioribus conuentus egit. Consultatum de ratione belli gerendi cum Cruciferis, missusque exercitus ad recuperandam Valciam: porrò cum monachis Lubinensibus constitutum, ut ne abbatem nisi à rege approbatum, haberent. Inde adeò hic mos inoleuit posterius in cæteris quoque monasterijs totius Poloniæ, ut noui abbates assensum regis requirant. Per eosdem dies Mariæburgenses oppidani, quatuor ferè menses à nostris obsessi, oppidum, quod propè iam aberat, ut cuniculis actis caperetur, Ioanni Coscelecio præfecto arcis dediderunt. Recepto oppido, de tribus modò oppidanis, qui defectionis authores fuisse dicebantur, capitale supplicium sumptum: milites præsidiarij in uincula coniecti: cæteræ multitudini parsum est. Dum Valcia à nostris obsidetur, Bernardus Sumbergius tria millia equitum, peditumque Germanorum & Bohemorum per marchiam Brandeburgensem Cruciferis in Prussiam adducere, & propè iam adesse, uelleque Valciam primùm obsidione liberare, nunciatur. Ibi Iacobus Dembenius dux regiarum copiarum, ueritus ne se hostes utrinque, aduersum pariter & auersum adorirentur, soluta obsidione, in æquiorem locum hosti aduentanti obuiam processit. Sed priusquam is appropinquaret, milites Germani & Bohemi, cum Francofordiam ad Odram sitam peruenissent, ac de deditione oppidi Mariæburgensis accepissent, domos dilapsi, ducem cum quingentis modò militibus deseruêre. Cum his autem ille iter institutum prosequens, & nostrorum occursum obliquo tramite declinans, confectis unius diei, noctisque itinere duodecim milliaribus & centum equis, qui laborem tanti itineris non ferebant, amissis, ad Choiniciam peruenit. Quo intellecto, ij qui in præsidio Valciæ fuerunt, nocte, arce incensa, eum secuti sunt. Atque is Gdanum contendens, munitionem Gdanensium uno ab urbe milliario oppugnare adortus est, collocatis opportuno loco insidijs: ratus, id quod accidit, Gdanenses suis qui in præsidio erant, opem laturos. Itaque illi incomposito agmine ruentes, in insidias præcipitati, & non contemnenda clade repulsi sunt, sexaginta amissis, ducentis captis, inter quos duo consulares fuêre. Nonnullam rebus Cruciferorum accessionem aduentus Sumbergij, secundumque illud prælium fecit. Mox enim Golubum oppidum proditione in hostium potestatem redactum est: in quo non pauci Dobrinenses equites unà cum facultatibus suis capti sunt: arcem Ceruoncã defendit. Puscum item, quod rex Suetiæ exul tunc hypothecæ nomine, certam pecuniam Cazimiro mutuatus, obtinebat, ab eisdem interceptum: Belaui oppidum toto anno obsessum: Bartensteinenses oppidum suum dedidêre: Suecæ arx superior permunita in ripa Vistulæ, fraude ab hostibus intercepta est, quos ad centum usque captiuus quidam, qui ibi asseruabatur negligentius, cassibus in altum sustulerat: Dobrinensis ora ne uastaretur, uectigalis hosti facta. Porrò Ericus dux Stecinensium Pomeranorum propinquus & fœderatus, atque socius regis, quem haud ita pridem rex, Calissiam ad se cùm uenisset, non exiguis donis affecerat, nulla læsus iniuria, nulla ui adactus, uiolata fide & iureiurando, Lemburgum oppidum, & Bythouiam arcem, fidei suæ commissa à rege, hostibus dedidit, nequicquam deprecantibus Lemburgensibus uiris iuxtà ac mulieribus, pueris atque puellis, & precium pro redimendis tredecim quibusdam captiuis (quam causam deditionis Ericus præ se ferebat) collata publicè pecunia pollicentibus. Neque nostris tamen penitus fortuna tergum obuertit: Quizinum & Varmia oppida quæ Mariæuerderum & Fraumbergam Germani uocant, ab his noctu intercepta ac direpta: unde tanta præda miles ditatus est, ut ducenti floreni in capita cederent: duobus iustis prælijs uicti, fusique hostes apud Paradisense monasterium, & compluribus amissis, in fugam acti. Ita uaria nostrorum atque hostium fortuna eo anno bellatum est in Prussia. Septembri mense excessit è uiuis Thomas Strempinius Cracouiensis episcopus, uir singulari memoria & pietate magna præditus: moriens utensilia quædam non parui precij basilicæ Cracouiensi: Louiciensi uerò templo mille florenos pro instituendo collegio sacerdotum, quos Mansionarios uulgò uocant, reliquit. Porrò librariam supellectilem in Gnesnensem, Posnaniensem, Vneouiensem, & Louiciensem ecclesias, & in Academiam Cracouiensem partitus est. Eo mortuo tres de episcopa magno & reipublicæ incommodo, & authoritatis ecclesiasticæ atque pontificiæ detrimento, & pernicioso ambitionis exemplo aliquandiu contenderunt. Nam ubi dies electioni dicta aduenit, misit rex ad collegium sacerdotum, ad quod electio Episcopi iure & more antiquo pertinebat, ut Ioannem Cruscinium Vuladislauiensem episcopum, Cancellarium regni, sibi optarent episcopum. Sed tamen is in tanto numero tria modò præsentium, ac totidem absentium tulit suffragia: reliqua duorum & uiginti, quibus antiquior fuit regis iussione libertas & religio, in Ioannem Bresium procancellarium regni concurrerunt. Verùm hic regijs minis deterritus, electionem suam repudiauit, Vuladislauiensis episcopæ adipiscendæ spe ac-

Iacobus Dembenius dux exercitus.

Valcia incensa.

Golubũ proditum Cruciferis.

De Cracouiensi episcopa contentio.

Ioannes Cruscinius.

Ioannes Bresius.

Iacobus Sennenius. cepta. Certa iam spe erat de Cracouiensi episcopa Ioannes Vuladislauiensis, cum Iacobus Sennenius Dobeslai Palatini Sendomiriensis, & Sbignei cardinalis fratris filius, Gnesnensis & Cracouiensis præpositus, à Pontifice Maximo, apud quem ante annum legatione regis nomine functus erat, episcopus Cracouiensis renunciatus est, cedentibus nomine Thomæ Strempinij quibusdam, quos ille paucis ante mortem diebus ad peragendum id Romæ, inscio rege procuratores nuncuparat. Id ubi rex accepit, fremere in Sennenium, qui sine sua authoritate in regno suo Episcopus esse uellet: petentemque per amicos & propinquos, magnos & nobiles uiros, non modò reijcere, uerùm etiam proscribere unà cum fautoribus & receptatoribus eius adortus est, episcopo Vuladislauiensi, & Ioanni Bresio, itemque Ioannem Pilecio Cracouiensi, Luca Gorcano Posnaniensi, Stanislao Ostrorogio Calisiensi palatinis, & Ioanne Rithuianio marsalco regni, incitantibus. Nec deerat sibi Sennenius: nam & initiatus est sacris episcopalibus à Gnesnensi, Cracouiensi, & Vuratislauiensi suffraganeis, quos uocant, episcopis in arce paterna Pinzouiensi: & à pontifice acerrimum & pœnale, ut uocant, mandatum, quo diris deuouebantur ij qui eum pro episcopo Cracouiensi non reciperent, impetrauit. Verùm ab eo mandato uniuersum ferè collegium Cracouiensis basilicæ, regio iussu & minis inductum, ad pontificem ipsum, siue ad futurum uniuersale concilium prouocauit: sacris tamen singuli canonici abstinuère. Pauci quidam ex eo collegio, & omninò ex ordine ecclesiastico pontificiam quàm regiam authoritatem antiquiorem ducentes, cum Iacobo senserunt: inter quos primarij fuère, Demetrius Sennenius, Iacobi frater, Scarbimiriensis præpositus, Dlugosi duo fratres, Derslaus Crizanouius, & Nicolaus canonici Cracouienses: quibus sacerdotiorum reditus à Nicolao Pienansco succamerario & præfecto Cracouiensi, regis mandato adempti sunt: itemque Pauli Glouenij decani, qui negotia Sennenij Romæ gerebat. Hi, & item Georgius de Franciscano sodalitio suffraganeus Cracouiensis, qui Sennenium consecrârat, Cracouia abesse iussi: Crizanouius uerò domo ab apparitoribus præfecti extractus, & per mediam urbem foras eductus est eo uestitu, quo canonici in templo utuntur: nempe ueste linea latiore, & pallıolo cum cucullo ex pellibus, quas hermellinas uulgò uocant, indutus. Qua re magnam in se populi spectantis commiserationem, gemitusque de acerbitate regis commouit. Idem tres alijs inferioris ordinis sacerdotibus accidit, cultui diuino uacantibus. Reliquum collegium iureiurando à rege ipso adactum, ne quem iniussu suo ad possessionem bonorum episcopalium admitteret: quorum tamen bona pars cùm à Pienansco præfecto Cracouiensi, & alijs quibusdam, tum à necessarijs Vuladislauiensis episcopi, regio uel iussu, uel permissu, occupata tenebatur, Dlugosi domus Cracouiæ à Stanislao & Dobeslao Curosuencijs, episcopo Vuladislauiensis propinquis, rege inspectante & approbante direpta. Nec modò fieri talia rex tunc permittebat, sed iubebat. Qua in parte singularis Stanislai Vantropcæ, gente Oxij, pietas & magnitudo animi silentio prætereunda non est: qui iussus à rege in bona sacerdotium suæ cupiditati aduersantium inuadere, regem quàm Deum offendere maluit. Sennenius ipse obsideri in arce Pinzouiensi à rege iussus, Melstini se cum Ioanne Dlugosso seniore totum annum continuit, à domino arcis Ioanne Melstinio receptus, nequicquam prohibente rege, ne perduellem suum & hostem publicum seruaret. Ad pontificem uerò Ioannes Rithuianius præfectus Sendomiriensis & marsalcus regni, & Matthias Racianzius iurisconsultus & canonicus Vuladislauiensis, rogatu & sumptu Vuladislauiensi episcopi missi, uehementer Sennenium, quasi ambitus reum, & seditiosum, & regi, populo, atque ecclesiastico ordini inuisum, qui ui Thomam episcopum cedere sibi coëgisset, episcopamque ui inuasisset, in qua inuasione propinquus eius Andreas Tencinius magnus uir, & facilè princeps senatus Polonici, populi Cracouiensis concursu interfectus, & immaniter laniatus sit, apud pontificem criminati sunt: literasque Sennenij Mantua, cum legatione fungeretur, ad regem scriptas, quibus incusare is pontificem, quasi plus æquo faueret Cruciferis, uidebatur, producebant, oblatis pontifici regio nomine magnis muneribus, & Friderici Imperatoris, ac Georgij Bohemorũ regis, ad quos Romam proficiscentes ea de re diuerterant, commendaticijs literis. Nihil tamen aliud à pontifice impetrarunt, quàm ut is Hieronymo archiepiscopo Cretensi legato suo causam cognoscendam delegaret, atque interea Sennenio episcopæ administratione interdiceret. Neque æqui quicquam Hieronymus, uix tandem uno anno exacto adueniens, pro Sennenio impetrare à rege potuit: ac ne Sennenius quidem ipse, cum data fide cum triginta comitibus uenire permissus, supplex ad genua regis accidisset, ad misericordiam eum flexit: asseuerante rege, regnum se prius amissurum, quàm episcopum illum, aut quenquam omnino in suis ditionibus se inuito esse passurum. Cessit tandem Sennenius pertinaciæ regis: & retenta nonnulla parte bonorum episcopalium, receptaque à Ioanne

Cracouiensis Canonicorum cultus.

Stanislai Vantropcæ religio.

Legatio regis ad Pont. Max.

Sennenij trāsactio de episcopa Cracouiensi.

à Ioanne Gruscinio pecunia, quam liti expensam tulerat, hoc est, 4000. florenorum, episcopa Cracouiensi se abdicauit, duobus annis ac dimidio, ex quo controuersia illa orta erat, præterlapsis. Quo facto ij quoque qui cum eo senserant, ad sacerdotiorum suorum usumfructum restituti sunt. Sed ad Prussicum bellum reuertamur. Cùm igitur Cruciferi aduentu Sumbergij, & aliquot oppidorum, quemadmodum suprà memorauimus, accessione, non tàm uiribus quàm animis aucti, crebris excursionibus regi subiectum agrum popularentur, rex mense Decembri Lensiciam, atque inde initio noui anni, qui fuit 1461. post Christum natum, Brestein Cuiauiam cum omni comitatu suo aulico se contulit, ibiqúe Februario mense comitia habuit: ueritus, ne si ea Petricouiæ, quemadmodum indixerat, haberet, maiores Poloni, qui in castris ad arcendos à suis hostium impetus erant, dilaberentur. Sed cum infrequens admodum senatus eò conuenisset, præsertim ex minore Polonia, nulla re memorabili acta, per Radomiam in Lithuaniam profectus, ad ferias Paschæ Vilnæ Lithuanorum comitia habuit. Inde repudiatis, seu uerius in aliud tempus dilatis eius gentis postulatis, quibus flagitabatur, ut aut ipse secum maneret, aut Simonem Olelcouicium Kiouiensium principem in magni ducis loco sibi præficeret, in Poloniam reuertens, Sendomiriam senatum conuocauit: paucissimi affuère: itaque neque ibi quicquam ferè actum. Cracouiam deinde cùm excurrisset, mense Iunio Inouuladislauiam ad Prussicum bellum prosequendum profectus est, nobilitate omni totius Poloniæ eòdem conuenire iussa. Verùm ea medio demum Augusto mense ægrè conuenit. Interim Cruciferi Sipelbeinum & Rastemburgum, & Belauos oppida, & Morangum arcem obsedère. Neque rex obsessis opem tulit: sed peiore usus consilio quorundam procerum, qui à Cruciferis corrupti esse dicebantur, in Pomeraniam signa conuertit, ut Fridenlandiam & Choiniciam reciperet, & Ericum Stecinensium ducem ulcisceretur. Iactarunt certè Cruciferi, se auro, non ferro effecisse, ne nostri obsessis subuenirent. Cæterum præsidiarij milites, qui Sipelbeini erant, eruptione in obsidentes hostes facta, magna strage eos repulerunt, castrisqúe eorum potiti sunt. Porrò apud Rastemburgum, ciuium Magister simulata proditione, parum abfuit quin Magistrum Cruciferorum in præparatas insidias induceret: fraude à quodam de comitibus Magistri animaduersa, & Magistro ciuium ante oppidum confosso, non modò eius oppidi, sed & Morangi obsidio soluta est. Ne nostri quidem, qui in aliarum arcium & oppidorum præsidijs erant, cessarunt: sed cum Elbingensibus ciuibus Ioanne Scalio Bohemo duce coadunati, & nauibus eorum per Habum lacum transportati in Sambiam, regionem eam ferro & igni longè, latéq; populati sunt, & ingentem prædam inde asportarunt: quippe qui inexpectati in oram ab ardore belli remotiorem irrupissent. Per quos dies Elizabetha regina Cracouiæ quartum filium Alexandrum peperit. Paucis uerò diebus antè, Andreas Tencinius, uir uetustate & claritate familiæ nobilis, Cracouiæ concursu ac tumultu urbanæ multitudinis in æde Diui Francisci memoriæ dicata oppugnatus, effractisqúe foribus in adito seu sacrario inuentus, immaniter trucidatus est: interfecti cadauer per mediam plateam, quæ fratrum dicitur, in forum contumeliosè tractum, luto oblitum, & pugionibus cõfossum, ambustaq; barba & capillis ludibrio habitum, & biduo in curia ciuitatis, quòd prætorium uulgò uocant, asseruatum, tertia demum die amicis ad sepulturam redditum est: amici & ministri eius nocte, dieq; insequenti cum se in turri templo adiuncta strenuè defendissent, ad extremum uitam pacti in ciuium potestatem uenerunt, deductiq; in curiam tertia die, reconciliati multitudini urbanæ incolumes dimissi sunt: filius Andreæ cum in furno apud uiduam quandam delituisset, noctu ex urbe saluus euasit. Causam uerò huic malo Andreas ipse præbuit, cum fabrum armorum, quod arma sibi ad bellũ proficiscenti tempori non perfecerat, bis pulsasset. Potuit quidem euadere initio statim coorientis tumultus, reginæ nuntio, ut se in arcem subduceret, admonitus nisi turpe duxisset, cedere furori concitatæ multitudinis. Et sanxerat quidem regina Elizabetha octoginta millium marcarum pœna in sequentem diem ut quiesceretur, donec ipsa causam cognosceret: sed uicit pœnæ metum ira, dolórque non tàm priuatæ iniuriæ, quàm publicæ, ut opinabantur, contumeliæ. Hæc res in castra renunciata, cum leuius quàm pro atrocitate sui ferri à rege uideretur, uehementi indignatione animos nobilitatis accendit, minus alacriter alioquin expeditionem illam obeuntis. Nam & infrequens erat exercitus, & non nisi Derslaus Rithuianius palatinus Sendomiriensis, & Eustachius Sprouius, Ioannis archiepiscopi Gnesnensis frater, gentilitia uexilla erexerant: & uerò displicebat ferè cunctis illa belli gerendi ratio, quòd ab hostibus auersum in suos conuertebatur. Excitatus ab omni exercitu Ioannes Amor Tarnouius castellanus Sandecensis, graui oratione apud regem atrocitatem cædis Tencinianæ exaggerauit, excussitq; regi, & senatui regio lachrymas. Rex peracerbum sibi esse illum Tencinij casum testatus, causatusq; expe-

An. 1461.

Comitia Brestæ Cuiauiæ.

Lithuanorum comitia & postulata.

Cruciferorum clades apud Sipelbeinum.

Alexander filius Cazimiri natus.

Ioan. Amor Tarnouius.

Petrus Samotulius & Ioan. Zaremba duces exercitus. ditionem, quo minus tam atrox facinus tunc uindicare posset, nō inultum fore cum promisisset, non difficulter multitudinem mitigauit: & præfectus exercitui Petrus Samotulio castellano Posnaniensi, maiorisq; Poloniæ præfecto: & Ioanne Zaremba castellano Siradiensi, & præfecto Velunensi, Naclense territorium suæ ditionis, propterea quòd tributum hostibus penderet, acerbè uastauit. Deinde admotis ad Fridelandiam castris, oppidum septem dies obsessum, octauo cum oppugnare adortus esset, in deditionem accepit, facta abeundi cum rebus suis potestate hostium præsidio. Inde uersus Chomiciam progressus, ad mille passus ab oppido quindecim dies in statiuis nullo operæprecio consumpsit, nisi quòd per eos dies pars quędam exercitus adhibitis Tartaris Lithuanicis, qui circiter sexcenti erant, in ditionem Erici Stecinensium ducis populabunda excurrit, & uastatis igni quæ obuia & immunita fuêre, ingentem prædam auexit. Reuertentes nostros consecuti hostes, & maiore ui adorti, magna strage ab ijs profligati sunt. Captiui regi traditi, cætera præda militibus cessit. *Sophia Stecinensis dux regem exorauit.* Quo facto Sophia Erici uxor, mulier præstanti forma, & liberali ingenio, suauiquè eloquio prædita, cuius hæreditarius erat principatus Stecinensis, in castra regis supplicis habitu ueniens, regem marito suo placatum reddidit. Feruntq; Cazimirum, formam & prudentiam eius admiratum, pœnituisse aliquatenus, quòd eam olim non contemnendum principatum, & magnam uim auri ab auo Erico seniore rege Daniæ pro dote afferentem, uxorem non duxisset. Rege apud Choiniciam tamdiu statiua habente, fremere cuncta nobilitas, cùm quòd autumnalis cœli intemperies, mixtæq; niuibus pluuiæ uulgo permolestæ essent: tum quòd se frustrà tempus terente in Pomerania, Cruciferi in diuersa parte nauiter rem gererent, Morangumq;, Sipelbeinum, & Rastemburgum maioribus uiribus denuò obsiderent: exaudiebanturq; uulgò uoces puerorum, malum consilium regi acclamantium. Quare inito consilio, cum deinceps milite mercenario bellum illud geri placuisset, nobilitasq; omnis in stipendium *Tributum decretum.* duum millium militum, quæ mox in Prussiam contra hostes mitterentur, uicesimam redituum suorum annuorum partem (proceribus onus id recusantibus) contulisset, & in sequentem annum tributum duodenûm grossorum in iugera sciuisset, sub finem Septembris dimisit rex exercitum: idq; eo incunctantius fecit, quòd ad seditionem & ciuile bellum res uergere uidebatur, Maioribus Polonis in Petrum Samotulium præfectum, asperè & auarè gerentem magistratum, frementibus, illóque contra necessarios & clientelas armante. Rex reuertens, Bydgostiæ dies aliquot, dum mercenarium militem, dato ei duce Petro Dunino Prauucouio succamerario Sendomiriensi, in Prussiam transmittit, commoratus, acerbum de morte Sophiæ reginæ matris suæ nuntium accepit. Febrim ea ex melopeponibus contraxerat, & mox paralysi accedente extincta est, uno & quadraginta annis postcaquam Vuladislao regi nupserat, exactis, mulier religiosa, magnanima, sed iracunda: & cùm ad amplificandum cultum diuinum munifica, tum in luxum profusa: quo factum est, ut non modicum æs alienum relinqueret: quod moriens, ut filius dissolueret, mandauit. Extant ampla eius donaria, uestésque sacræ magni precij in basilica Cracouiensi, & in delubro, quod magnificè à fundamentis excitatum, & omni apparatu sacrorum, collegioq; octo sacerdotum instructum, ac sanctissimæ Trinitati dicatum, basilicæ frontispicio adiunxit: in quo etiam sepulta est. Duninus accepto à rege exercitu, Succe arcem superiorem in Pomerania, aliquandiu à Bydgostiensi & Cuiauiensi nobilitate, & ab altera parte à Gdanensibus nauali apparatu obsessam, adueniens, in deditionem recepit. *Cruciferorum secundæ res.* At hostes ex discessione nostrorum aucti animis, Morangum, Sipelbeinum & Rastemburgum, itemq; Belauos toto anno obsessos in Prussia præfectis dedentibus in potestatem suam redegerunt, Dunino ob suorum paucitatem subuenire obsessis non auso. *Braunsbergenses Polonos eiecerunt.* Braunsbergenses eiecto regio præsidio cum Ioanne Scalio Bohemo præfecto, Paulum episcopum Varmiensem cum Cruciferis sentientem receperunt: & cum id Scalius in tempestiua nocte recuperare conatus esset, parum abfuit, quin in hostium potestatem ueniret. Fridelandenses in inferiore Prussia idem conati, cum aliquoties à nostris, qui in præsidio relicti erant, non sine cædibus repressi essent, ad extremum hostibus clàm accitis primo diluculo portas urbis aperuêre, eorumquè ope præsidiarios incautos contrucidarunt. *Stargartha prodita Cruciferis.* Stargartha siue Starigrodum in Pomerania à tribus è magistratu urbano proditum. Ne Gdanum quidem ac Torunia extra periculum fuêre, studijs multitudinis propter prosperiores successus ad Cruciferos inclinantibus, & illis multos ad proditionem sollicitantibus cùm per alios, tum per duos quosdam Carthusios monachos de Paradisensi monasterio. Fuissetq; perfecta proditio, si ad constitutum cum proditoribus tempus Cruciferi adfuissent. Deprǣhensi proditores pœnas dedêre. *Brodnicia arx obsessa à Cruciferis.* Brodnicia quoque oppidum in Culmensi tractu, negligentius custoditum à Nicolao Coscelecio palatino Inouuladislauiensi, interceptum: arx uerò propugnaculis circumquaque extructis arctius obsessa est.

In

In quam tamen modicum præsidium, cum non copioso item commeatu à Dunino submissum, ui per medias hostium stationes aliquot militibus desideratis perrupit. Quare diutius ea sustinuit obsidionem. At Cazimirus Bydgostia profectus in maiorem Poloniam, autumni tempus ibi consumpsit: inde Corcinum ad comitia, ad sextam diem Decembrem edicta, se contulit. Ibi auditæ legationes Ecigeris Tartarorum principis, Georgij Bohemorum regis, & Friderici Marchionis Brandeburgensium. Tartari oblatis muneribus, pacem, amicitiam, societatem, & auxilia contra quosuis hostes regi pollicebantur, quamuis à Lithuanis se ad inuadendam Podoliam solicitari dicerent. Bohemi congressum cum suo rege Glogouiæ ad Calend. Maias, & arbitrium cunctæ controuersiæ, quæ Cazimiro esset cum Cruciferis, regi suo postulabant: quod Cruciferos quoque non abnuere dicebant. Brandeburgenses principem suum suspectum, quòd sentiret cum Cruciferis, purgabant, operamque & ipsi suam ad componendas cum illis res pollicebantur. Tartaris actæ gratiæ, missaq; splendida dona. Bohemi absque certo responso dimissi, Cazimiro per suos legatos respondere pollicente. Nec ita multò pòst Stanislaus Ostrorogius Calisiensis palatinus, & Ioãnes Tarnouitis castellanus Sandecensis, ad Georgium missi cum his mandatis, ut ad diem Iduum Maij Glogouiæ maiori cum Cazimiro congrederetur: de pace cum Cruciferis faceret arbitratu suo, modò ne Pomeraniam, Culmensem & Michalouiensem ditiones Polonis abiudicaret. Brandeburgensi uerò exprobratæ iniuriæ, commemorataq; in ingratum Marchionem regia beneuolentia, quòd rex neque cum Ludouico Bauaro, neque cum Bohemis coniungere sese aduersus eum in animum induxisset: de pace cum Cruciferis, si se interponeret Marchio, non inuito rege facturum esse. Legatis dimissis, iudicium contra Cracouienses consules de cæde Andreæ Tencinij institutum est. Atque ij citati, cùm non sisterent sese, eo quòd beneficio Cazimiri secundi regis cautum sibi esse dicerent, ut non nisi Cracouiæ coram rege causam unquam dicerent, absentes ad capitalem pœnam, & octoginta millia marcarum damnati sunt. Peractis comitijs, ad finem anni rex Cracouiam profectus est. Ibi insequentis anni initio, instauratum in arce in ciues Cracouienses iudicium iure Polonico, illis nequicquam ad Saxonicum, quo ciuitates Polonicæ ferè utuntur, prouocantibus: sera enim ea prouocatio siue exceptio tunc esse dicebatur, omissa priore iudicio Corcinensi. Pronunciata sententia contra ciues: sed nihil tunc actum ijs, qui fide regia sese stiterant. Cæterùm paucis diebus missi in urbem Nicolaus Scora Gaiouius Calisiensis castellanus, & Nicolaus Pienanscus præfectus Cracouiensis, quatuor è senatu urbano, totidem de plebe, & magistrum lictorum ad pœnam depoposcerunt: dediti: & iureiurando Ioannis Rabstinij siue Tencinij, interfecti Andreæ filij, secundum leges patrias rei peracti, sex tunc in arce, ne qui nouus motus existeret, si in urbe id fieret, capitibus plexi sunt: tres reliqui uita donati à Ioanne Rabstinio, in carcere plus quàm toto anno in arce Rabstinensi asseruati sunt, donec res cum Tencinijs transacta est. Iaroslao Sarleio uni de damnatis regina Elizabetha, quamuis domum ea de re ad Ioannem Rabstinium adiuisset, ueniam impetrare non potuit. Sic ita Tenciniæ familiæ exatiata est sanguine, quanquam non eorum penes quos culpa cædis fuit. Nam & Clemens armorum faber, qui multitudinem concitauit, & Ioannes Doisuon, qui Tencinium latitantem prodidit, fuga saluti suæ consuluêre. Sex item millia florenorum senatus Cracouiensis Ioanni castellano Cracouiensi fratri, & Ioanni filio defuncti Tencinij exoluit. Et ægrè quidem Derslai Rithuianij palatini Sendomiriensis, & Iacobi Dembenij thesaurarij regni, à rege ad componendam rem delegatorum, opera, & Iacobi Sennenij precibus eò res perducta est, Tencinijs dimidium multæ siue uadij à regina editi, hoc est, quadraginta millia, poscentibus. Acriter interim obsidebatur Brodnicia à Cruciferis. Itaque missi ad regem ab equestri Prussorum ordine, & ciuitatibus oratores, Gabriel Baseuus palatinus Culmensis, Otto Machuicius, & duo senatores Gdanenses, Philippus Bissouius & Ioannes Marpurgius, petiuerunt ab eo, ut Prussicarum rerum maiorem curam susciperet, arcemq; munitissimam & nobilissimam Brodniciam, quæ ægrè iam aliquot mensium obsidionem toleraret, ne in potestatem hostium uenire pateretur: permultum in una illa arce situm esse ad retinendam Prussiam, & confirmandos Prussorum animos. Consultissimè autem eum facturum esse, si quamprimùm in Prussiam ipse cum exercitu ueniret, ac Mariæburgi degeret: si pecunia careret, Prussos cisam siue accisam (tributum sic appellant) ac redituum suorum dimidium collaturos esse, atque adeò thesauros ipsorum, & fortunas omnes in potestate regis fore: si esset remissior, uideret ne ditiones amplissimas atque opulentas, magno labore & sudore, multo sanguine, & maximis impendijs de manibus cupidi & improbi hostis recuperatas, non sine summo dedecore rursus amitteret: seq; in fidem receptos, tetris & immanibus tyrannis proderet. Hac legatione motus Cazimirus, magnam partem aulici comitatus

Comitia Corcini.

Cazimiri legatio ad Georgiũ Bohemum.

An. 1462. Ius Polonicum de cæde.

Prussorum legatio ad regẽ.

Prussorum studium erga regem & liberalitas.

Cisa.

tatus sui,& quantum mercenariorum militum statim ad manum habere potuit,in Prussiam ad liberandam obsidione Brodniciam ad Duninum præmisit. Duninus quamuis auctus copijs,tamen obsessis non succurrebat,hostium uires reformidans:qui ad famam nostrorum aduenientium,omnes copias Brodniciam contraxerant, & oppidi munitione sese tuebantur.Itaque obsessi,cum diutius inopiam & famem ferre non possent, mense Februario uitam, resq; suas ut sibi auferre liceret pacti, arcem Cruciferis dediderunt. Per id tempus Zemouitus Masouiorum Plocensium,& Vuladislaus Rauensium atque Belsensium duces,Vuladislai filij,continuatis penè funeribus elati sunt, à Gothardo Ribenio castellano Sochazouiensi, gente Raduanio siue Virbouio, cui Ribnam pagum eripere uoluerant,ueneno,ut uulgò creditum est,de medio sublati. Et quoniam nullos ij liberos relinquebant,de successione inter cognatos eorum,& regem certatum est. Cognati legitimæ hæreditatis nomine pro se quisque defunctorum ditiones ad se trahebant. Erant autem fœminæ proximæ Catharina & Agathia siue Osca amitæ defunctorum: quarum Catharina Michalusconi Lithuano duci matrimonio iuncta,uidua tunc erat:Agathia cum Cesinensi duce nupta,Venceslaum & Præmislum filios moriens reliquerat,qui maternam hæreditatem petebant: petebat & Margarita soror patruelis defunctorum,Zemouiti filia,Conradi nigri Olesnicensium siue Cozlensium ducis uxor: iam & Conradus,Cazimirus, Boleslaus, & Ioannes Boleslai Varsauiensium ducis filij, quanquam remotiores, nimirum quarto gradu defunctos attingentes,tamen quia mares,ad se iure bona eorum pertinere asseuerabant. Rex uerò, quod mortui duces nullos suos hæredes masculos reliquissent,iure feudi caduci ditiones illas sibi & regno suo uendicabat.Ac Belsenses quidem donatione Iagellonis haud ita pridem à regno auulsi, non difficulter Andrea Odrouanzo palatino Russiæ & præfecto Leopoliensi,& Ioanne Curopatuua subcamerario Lublinensi & præfecto Chelmensi authoribus,in uerba regis iurarunt.Plocensis uerò conuentus priuato propriorum principum dominatu delectatus, authore Paulo episcopo Plocensi,regis imperium, præsertim cum Cazimirum non probaret,detrectabat.Et primùm quidem Catharinam,quam superius commemorauimus: deinde quòd ea mulier,& sterilis esset,Conradum de Varsauiensibus ducibus natu maximum,ducem sibi asciuit,attributis Catharinæ nonnullis possessionibus. Rauensis & Gostininensis cōuentus,Grotho Nouomescio authore, Catharinam cum non contemnenda manu ad se uenientem repulerunt.His auditis Rex Louiciam contendit, indéque Ioannem Vuladislauiensem,& Andream Posnaniensem episcopos, Lucam Posnaniensem,& Petrum Lenciciensem palatinos,& Ioannem Tarnouium castellanum Sandecensem,uiros primarios,oratores ad Plocenses misit: à quibus cum nihil aliud impetratum esset,Lenciciam, ex constituto cum Plocensibus, conuentum ad sextum Nonas Maias edixit.Eò cum pauci quidam de Plocensi conuentu, nec ij primores cum Barbara Boleslai quondam Varsauiensium ducis uxore tunc uidua conuenissent, re infecta discessum est.Itaque alia rex comitia Petricouiam ad tertium Idus Nouembris edixit, ad eaq; Paulum episcopum,ac cæteros Plocenses proceres,ni uim suam experiri uellent, nominatim adesse iussit.Interim autem,quoniam Rauam & Gostininum Catharina ui subigere aggressa erat,ab armis ut discederetur. His actis rex Glogouiam ad constitutum cum Georgio Bohemorum rege congressum profectus est: quibus diebus Lencicia post discessum regium conflagrauit. Nec ita multo antè,Cracouia horrendo incendio in cœnobio Dominicanorum sodalium è fornace Alchymistica, quemadmodum uulgò iactatum est,orto arserat,ita ut dimidia ferè pars urbis ad meridiem & occidentem solem uergens absumeretur. Eius autem incendij culpa partim in acerbitatem regis aduersus Iacobum Sennenium,& cum eo sentientes sacerdotes, quorum decimas quoque rex diripi iusserat:partim in cædem Andreæ Tencinij in æde sacra irreligiosè patratam, uulgò relata est. Glogouiam aduenienti Cazimiro, Georgius Bohemus, qui prior eò aduenerat, cum Vuratislauiensi & Olomucensi episcopis, & quatuor ducibus Silesiorum,splendido & ambitioso apparatu ad unum milliarium occurrit:uicère tamen nostri magnificentia & multitudine,in sex turmas descripti. Salutatione mutua ex equis facta,Cazimirus in arcem deductus est: Georgius in curia urbana diuertit. Nouem deinde dies dati colloquijs: quibus fœdus, ante annum Bythomiæ ictum inter reges, confirmatum est: adiectum,ut id ad mortem utriusque esset stabile. De Osuencimo, Volco,Zatoria, Ziueccio, Seuero & Berualto munitionibus ac territorijs, Bohemus Polono ne facesseret negotium: Polonus uerò à Bohemo dotem Elizabethæ uxoris suæ nomine ut ne repeteret. De iniurijs mutuis & controuersijs delecti utrinque proceres, alternis uicibus in Polonia & Silesia certis locis conuenientes disceptarent. Proximus conuentus regum,si quis deinceps futurus esset, ut in Polonia ageretur. Ad extremum societas contra Turcas

Brodnicia arce potiti Cruciferi.

Plocenses alieni à rege Poloniæ.

Legatio regis ad Plocensem conuentum.

Comitia Lenciciæ.

Lenciciæ & Cracouiæ incendium.

Cazimiri & Georgij regũ conuentus Glogouiæ.

cas

eas inita, promissaque auxilia mutua, utri bellum à barbaris illatum esset. De rebus Prussicis nihil actum, tergiuersantibus Cruciferis, successu belli & receptæ Brodniciæ elatis. Venit eò ad Cazimirum Ludouici ducis Bauari legatio, in Fridericum marchionem eum incitans, & contra Cruciferos auxilia uicissim pollicens. Cui quid responsi datum sit, non liquet. Reges ita constitutis rebus, & missis ultrò, citróque hospitalibus muneribus, discesserunt, Georgio Polonorum opes & splendorem admirante, nec auso unquam Cazimirum ad conuiuium inuitare, eo quòd prior ipse ab eo inuitatus, acceptusque magnificentissimo apparatu, prodere paupertatem suam, quæ gentis est ambitio, nolebat.

Bauari ducis legatio ad Cazimirum.

DE ORIGINE ET REBVS GESTIS POLONORVM, LIBER VICESIMVS QVINTVS.

CAZIMIRVS Glogouia discedens, Posnaniam diuertit: ubi cum tribus septimanis subsisteret, Cruciferorum præsidiarij Choinicienses in Palucos populabundi excurrerunt. Nostri quoque in nouam Marchiam excurrerant: sed ab hostibus profligati, pauci fuga euaserunt. Nec mora Inouuladislauiam rex contendit: inde missis agrestibus cum præsidio aulici comitatus sui, segetes hostium in Culmensi tractu succidi iussit. Prodigia per id tempus in Polonia minore apparuisse memorantur. Quadam die sole occidente plus quàm duabus horis imaginem crucifixi cum gladio ab occidente ad meridiem in aëre tendere uisam esse: caput siue caluam Diui Stanislai aliquoties dum in solenni supplicatione circumfertur, sudasse. Consecuta sunt domi quidem latrocinia, duce Boriuoio Scrinnio, gente Labentio, & Vulodico ex Letaua, cum ij cum mille hominum manu rupe quadam inter Volcum & Zaros, quam Sola fluuius alluit, munita, Osuencimensem oram omnem infestarent. Quos Pienanscus præfectus Cracouiensis, facta è Scíriciensibus & mercenarijs paucis tumultuaria manu, cum se cum Petro Comorouio & Prædislao Dmosicio, hoc è Scepusio, illo ex Vngaria aduenientibus coniunxisset, non modò à latrocinijs cohibuit, sed in munitione illa, quam Buconeciam dixère, obsessos aliquandiu, cum Boriuoius ex Ostrauia ipsis non succurreret, fame ad deditionem compulit, uitam modò & uestimenta pactos. In Prussia uerò cum Cruciferi nauiter rem gererent, rex ut eorum audaciam reprimeret, Toruniam se contulit, indéque aulicos suos cum Petro Dunino, & mercenario milite, Varmiensi basilicæ siue Fraumbergæ obsessæ ab hoste præsidio summisit. Cuius aduentu Magister Cruciferorum conterritus, & aleam pugnæ periclitari non ausus, desertis castris, fugiens soluit obsidionem: nostri castra hostilia diripuère. Nonnihil fortasse momenti hostibus ad fugam attulit, quòd agrum suum Sambiensem à Gdanensibus Habum transuectis, acerbè uastari acceperant. Et ferè agrestibus eius oræ hostilis constabat exercitus: itaque retineri ij nequiuerunt, quin ad sua defendenda dilaberentur. Rex interim Toruniæ commoratus, & à Torunensibus liberaliter habitus, nonnunquam reginam in arce Nessouiensi degentem uisebat. Erat apud Culmam Bernardus Sumbergius cum aliquanta manu hostium. Is cum è uicinis agris subinde prædas ageret, quadam die suos, nauibus traiecto amne Vistula, noctu ad Nessouiam iussit excurrere. Non ita multo antè rex id oppidum in gratiam Torunensium in superiorem ripam transtulerat: domus quæ in ueteris oppidi loco relictæ erant, uici speciem præ se ferebant. Eum igitur uicum cum hostes noctu incendissent, trepidatum est à nostris, qui ibi diuerterant, nihil tale suspicantibus. Mox abiecto metu, Tartari cum perpaucis aulicis ad persequendum hostem emissi, & naues repetentem, amolientemque assecuti, magnam stragem gladijs, sagittisque ediderunt, & nauibus cunctis potiti sunt: sex modò uiui cum duabus nauibus de omni illo numero euaserunt. Porrò Duninus hostibus à Fraumberga depulsis, Gdanensemque agrum populatione infestantibus, ipse quoque copias suas eò traduxit. Neque satis habuit hostem liberioribus excursionibus arcere, sociósque defendere: sed in hosticum progressus, Stargartensium, Bythouiensium, Lemburgensium & Puscensium, quæ territoria non ita pridem in hostium potestatem uenerant, fines ferro & igni uastare adortus est. Hostes ubi nostros prædæ cupiditate longius ad iniqua loca inter stagna & lacus prouectos animaduertère, ualidam & ipsi manum deducto è proximis suis munitionibus præsidiario milite, agrestibusque arma sumere iussis, coëgerunt, opportunitate locorum contra nostros usuri. Idque eo maiore fecère

Paluci regio. Polonorum strages.

Prodigia.

Latrocinia. Letaua arx.

Gdanenses Sambiam uastarunt.

Cruciferorum clades.

Pomerania uastatur utrinque.

cêre fiducia, quòd commodum Fricius Raunechius Austrius, & Caspar Nostiuicius Silesius, nouos milites è Germania & Silesia ipsis adducentes, aduenerant. His igitur copijs coadunatis, occurrere nostris parabant: tramitesq; omnes, ne quà nostri ex angustijs effugere possent, succisis quoquouersus arboribus, intersepiebant. Qua de re Duninus per exploratores factus certior, ad regem mittit curriculo, qui eum, ut periclitantibus actutum subueniat, orent. Nec mora rex Albertum Gorscium cum reliquo comitatu suo ac Tartaris Lithuanicis ad succurrendum suis mittit. Id ubi duces hostium compererunt, minore parte in castris aduersus Duninum relicta, ipsi cum maiore ac delecta, ripam Vistulæ, qua Gorscium traiecturum esse existimabant, insederūt, ut eum, priusquàm se cum Dunino coniungeret, opprimerent. Sed Gorscius deflexo itinere, alibi liberè fluuium traiecit: ubi id intellexerunt hostes, omisso Gorscio, propius ad Duninum castra mouerunt, ut eum priusquam Gorscius cum eo se coniungeret, ad pugnam elicerent: aut certè in angustijs conclusum, excluso Gorscio, obsessum tenerent. Non ignorabat Duninus de aduentu suorum: exploratum etiam habebat, longè maiores esse hostium uires, quàm suas. Itaque non minus de auxilijs illius, quàm de sui exercitus periculo sollicitus, noctu hostes in se intentos fallere, ac per deuias syluas euadere ad Gorscium decreuerat. Id ne facere posset, hostes diligenter cauerant, deiectione arborum transitu omni impedito. Mutato igitur consilio, ferro per medios hostes uiam sibi ad suos aperire statuit: instructáque equestri acie, qua peditem contegebat, in hostes contendit. Alacres & illi pugnam capessunt, magna spe uictoriæ. Et ita se authore Nostiuicio inuicem adiurarant ac deuouerant, ut qui de suis pedem retulisset, sine omni tergiuersatione pro seruo regi sese dederet. Vbi ad congressum uentum est, Paulus Iasenius, gente Gosdouius, aulicus regius, armatus ab latere inter duas acies magno impetu procurrens, hastas hostium in nostros intentas auertit. Eodemq; momento nostri inopinata re perturbatos summa ui adoriuntur: & mox uel confractis, uel abiectis hastis, gladijs utrinque res geritur, pugnatur acriter: omnibus non tam declinare ictus, quàm hostem ferire studium est. Audacia nostri, hostes multitudine superabant. Cumq; totas tres horas dubio marte pugnatum esset, utrinque quasi ex composito discessum est. Mox recreatis paululum uiribus, utrique non ad pugnam, sed ad persequendum alteros contendunt, utrique alteros uictos discessisse rati. Occursu mutuo instauratur prælium, rursusq; una hora dimicatum est, donec sauciato Fricio ductore exercitus, & peditibus nostris assiduo balistarum ictu dextra hostium latera ferientibus, retrocedere sensim ij cœperunt. Sed mox reuocante & sistente Fricio, redintegrabatur pugna, si quod nostri trepidantibus recolligendi sese spacium dedissent. Interim dum ciet pugnam, animatq; suos Fricius, interfectus corruit. Ibi tum effusa fit fuga hostium cum altero duce Nostiuicio, iurisiurādi paulò antè dati, & ab omnibus exacti, immemore. Pedites desperata longiore fuga, pars in castra sese recepêre, pars castra prætergressi, stagna, lacusq; propinquos petiuêre. Nostri pernicitate equorum freti, fugientes persecuti, magnam cædem edebant: ubi ad castra hostilia peruentum est, ibi nonnihil difficultatis nostris obiectum erat. Etenim hostes ea, qua parte stagno non tegebantur, fossa & sudibus acutis foras obuersis munierant. Sed cupidis uictoribus non facilè quicquam obstat. Nostri enim præuertendos sibi esse hostes perterritos, priusquam ad castrorum defensionem accurrerent, rati, admotis calcaribus cæcorum in morem in sudes obiectas ruebant: confossisq; equis nonnullis, tandem contextum sudium perfregerunt, & uno impetu castra cœperunt, atque diripuerunt, quindecim bombardis maioribus, ducentis curribus, armis, impedimentis, & commeatu referta. Interim equites hostium castra sua præteruecti, plurimi euasêre. Ala una in locum deiectu arborum à se septum delata, nec inueniens exitum, à nostris concisa est. Cæsa eo die hostium duo milha, capti sexcenti, & maior propemodum quàm pro numero nostrorum strages edita. De nostris centum gregarij milites ciciderunt: de nobilioribus tantum Hector Chodorasius desideratus est: sed pauci reperti, qui saucij non essent. Duninus in femore & in manu uulnera accepit. Ad Puscum hoc prælium commissum est quintodecimo Calendas Octobris. Triduum pòst in ijsdem statiuis humando cæsos, & saucios curando, consumptum est. Per quos dies Ericus Stolpensium Pomeranorum dux fortunam, ut credebat, sequutus, mutata fide, quam Cazimiro regi, impetrata per uxorem uenia, dudum dederat, cum sexcentis equitibus grauis armaturæ ad castra Cruciferorum contendens, cum profligatum eorum exercitum accepisset, raptim sese ex itinere domum recepit: non paucos tamen extremi agminis à nostris insequentibus partim captos, partim trucidatos amisit. Honoratus est à rege uictor exercitus Petrus Duninus, Paulus Iasenius, Venceslaus Neborius, Nicolaus Vilcanouius, Thomas Odrouanzus, Ioannes Dlugossus, canonicorum frater, & triginta alij uirtutis ergò militaribus donis insignibus ornati. Eodem illo

Stulta adiuratio.

Pauli Iasenij audacia.

Fricius cæsus. Nostiuicij fuga.

Castra hostiū capta.

Cæsorum & captorum numerus.

Erici Pomerani perfidia.

tempore tribus alijs in locis prosperè item dimicatum est à nostris: apud Iasenecium pagum, & apud Pilsiam flumen in Masouia, unde propinquarum hostilium munitionum præsidiarij milites prædas agebant: & apud Suece. Apud Elbingam quoque non multo post, nauali prælio hostes à nostris profligati sunt. Prorogatum autem est à rege militibus stipendium, cum ecclesiasticus ordo decreto Calissiensis synodi subsidium regi in maiore quidem Polonia uicenûm grossorum, in minore uerò senûm de prouentu uniuscuiusque libræ siue marcæ argenti contulisset. Sub finem Octobris Vlricus Ceruonca Bohemus, cum à Georgio rege eius gentis carcere, in quem biennio in gratiam Cruciferorum compactus erat, Cazimiro postulante emissus esset, Golubum oppidum noctu ingressus, in potestatem suam redegit, hostili præsidio satis ualido partim capto, partim interfecto: turres duas, quæ acriter defendebantur, igni subiecto in deditionem accepit: de authoribus defectionis capitale supplicium sumpsit. His successibus magna rursus animorum inclinatio in regias partes facta est. Rex deinde ad comitia Petricouiam ad undecimam diem Nouembris edicta profectus est. Pauci eò de minoribus Polonis, incertum quam ob causam, conuenêre. Venêre autem Conradus Masouiorum Varsauiensium dux, cum matre Barbara, & Catharina amita, Michalusconis Lithuani ducis quondam uxore, & Paulo Plocensi episcopo, comitatu octingentorum equitum, itemque Conradus Niger Olesnicensium dux, Plocensem & Belsensem principatum cognationis iure sibi uendicantes. Dati à rege recuperatores siue iudices: Stanislaus Ostrorogius palatinus Calissiensis pro summo iudice, Grothus uerò Cazimirus pro succedaneo, quē subiudicem nostri uocant, iudicio præsidere iussi, his adiuncti palatini & castellani aliquot pro assessoribus. Instaurato iudicio, regij procuratores Ioannes Rithuuianius Marsalcus, & duo iurisconsulti, negabant legitimæ cognatorum successioni locum esse in dedititijs seu feudatarijs, ut uocant, bonis, cuiusmodi esset cuncta Masouia, Polonorum regibus antiquo iure obnoxia: sed regem optimo iure defunctis ducibus dedititijs, qui nullos mares liberos relinquerent, succedere. Refellebant id Conradi Varsauiensis causidici, quòd dicerent, à Cazimiro eius nominis secundo rege Masouiorum duces è dedititijs penitus exemptos esse. Contra regij negabant, Cazimirum aut quenquam omninò regem sine assensu amplissimi consilij tantum de commodis & iure regni detrahere potuisse. Iurasse autem post in uerba regis Zemouitum, Cazimirum, Ioannem, & Vuladislaum duces. Atque ita disceptata causa iudices secundum regem pronunciarunt, Masouijs iudicium illud frustra iam detrectantibus, & ad Pontificem Maximum, & quemuis alium qui sciret, posset, & uellet iure suo opitulari, prouocantibus. Cum Alberto Austriorum archiduce fœdus ictum, ea conditione adiecta, ne Cazimirus dotem Elizabethæ uxoris suæ ab eo repeteret. Nihil præterea memoratu dignum in ijs comitijs gestum est, propter senatus infrequentiam: nisi quòd Hieronymus Cretensis Archiepiscopus, legatus pontificius, cuius iam superius mentionem fecimus, annum ferè totum expectatus, sub finem comitiorum adueniens, ad pacem cum Cruciferis faciendam, & ad bellum Turcicum regem hortatus est publicè: priuatim autem solo archiepiscopo interprete reconciliare Iacobo Sennenio regem conatus est, affirmans, episcopam semel à sede Apostolica ipsi iniunctam, inuito adimi iure nō posse. Sed rege asseuerante, malle se regno decidere, quàm illum pati esse episcopum: legatoque uicissim uociferante, præstare ut tria regna pereant, quàm ius & authoritas ecclesiæ perturbetur, re infecta, & irritatis utrinque animis discessum est. Conuenit tandem inter eos postero die, ut rex alia comitia eodem in decimamseptimam diem Ianuarij ediceret: interim uterque scriptis ad Pontificem literis contenderet, ut si aliter fieri non posset, ad Vuladislauiensem episcopam Iacobus Sennenius transferretur. Et mox legatus explorata regis uoluntate de pace, ad Cruciferos in Prussiam contendit: nec tamen ultra Breste Cuiauiense progressus, per literas & internuncios cum Magistro Cruciferorum de pace egit. Rex uerò discedens & ipse Petricouia, Rauæ & Gostinini possessionem adijt: & hanc quidem præfecturam Nicolao Cutenio, illam uerò Grotho Cesnico (siue id illi gentilitium nomen, siue magistratus, quem pocillatorem dicimus, appellatio fuit) quoad uiuerent confirmauit: possessiones etiam quasdam utrique hæreditario iure donauit, propterea quòd horum duorum opera potissimum ditiones illæ ipsi adiunctæ essent. Archiepiscopo uerò Gnesnensi libram siue marcam auri è Louicia Masouijs ducibus Sochassouiæ quotannis pendi solitam, in omne deinceps tempus remisit: quibus peractis Radomiam ad reginam uxorem se contulit. Per id demum tempus Viennenses ciues tumultu ciuili ob sex senatores in carcerem coniectos concitato, Fridericum Imperatorem in arce duobus ferè mensibus obsederunt: & Georgium Bohemorum regem, cum exercitu liberandi eius causa uenientem, Alberto Friderici fratre duce, insidijs exceptum in suburbanis uillis profligarunt. Pax dein-

Contributio.

Comitia Petricouiæ.

Fœdus cum Alberto duce Austriæ.

Legatus pontificius.

Fridericus Imperator obsessus à Viennensibus.

Maximilianus dux Austriæ. de facta, ea conditione, ut Fridericus Maximiliano filio principatum illum concederet, eiusq; tutelam Albertus patruus gereret. Fridericus ut gratiam referret Georgio, filios eius duces Munsterbergensium Silesia creauit. Hoc etiam anno reperio Stephanum palatinum Valachorum in uerba regis absentis iurasse, & promisisse, præsenti quoq; idem iusiurandum solenni ritu se daturum esse intra duos uel tres menses, cum euocatus fuerit: alius'ne autem sit hic Stephanus ab illo, quem superius iurasse narrauimus, aut si idem, cur iusiurandum repetiuerit, nihil compertum habemus: nisi fortè ex eo, quòd is tunc retractauit omnes alias obligationes suas huic contrarias, colligi rectè potest, eum intermedio tempore mutasse fidem, & ad Vngarum desciuisse: in quo suffragari nobis uidetur Vngaricarum rerum scriptor Bonfinius, qui hæc tempora persequens, Valachorum palatinum, siue Vaiuodam, ut ipse uocat, in fide Matthiæ regis fuisse memorat. Huc accedit & illud, quòd proceres & consiliarij ipsius pro ipso, quasi cui ipsi fides non haberetur, spoponderunt, quòd eum deinceps in fide regis Cazimiri & officio retenturi essent. *Comitia Petricouiæ.* Post initium insequentis anni Cazimirus Petricouiam ad præstitutam comitijs diem redijt. Adfuit frequens senatus, & Hieronymus legatus pontificius, itemq; Iaco- *An. 1463.* bus Sennenius. Aduenêre & Conradi, cæterorumque fratrum Masouiorum ducum oratores, Nicolaus Bogleuius Varsauiensis palatinus, Vicentius Gizicius Marsalcus, Nicolaus Mirzenecius, & Nicolaus Malcus iurisconsulti: Lithuanorum uerò procerum Totiull & Cuzek. Ac Sennenius quidem omnibus nequicquam tentatis, cessit pertinaciæ regis, sicuti iam suprà exposuimus. Ioannes Gruicinius Cracouiensis episcopus designatus in Vuladislauiensi, successorem accepit Ioannem Lutecum Bresium procancellarium regni: quorum trium ambitio & pontificiam authoritatem in Polonia debilitauit, & electioni liberæ uim attulit: ita ut ex eo tempore ea sublata, umbra modò eius quædam penes sacra collegia remaneat, non sine grandi non modò ecclesiasticę authoritatis, uerùm etiam religionis & reipublicæ iactura. Etenim donec liberæ sacerdotum electioni in creando episcopo locus fuit, fuit tamen aliquod bonorum & malorum, dignorum, indignorumq; discrimen, cum sacerdotes sumptis reuerenter tremendis Christi mysterijs, iurati de futuro episcopo ferrent suffragia: uirtute, doctrina, & pietate tunc ambiebatur, plusquàm fautoribus, aut necessariorum precibus, aut mulierum blanditijs atque lachrymis, aut splendore comitatus, aut apparatu conuiuiorum, & compotationibus, aut commendatione generis & familiæ, aut assentatione, & sacerdoti indecoris ministerijs, aut etiam largitione. *Episcoporum electiones liberæ.* Vigebat igitur disciplina ecclesiastica: minus sibi permittebant hi qui episcopi fieri cupiebant: seruiebant famæ & existimationi: & non modò repræhensionem collegarum, sed etiam sinistram cuiusuis suspicionem cauebant. Episcopi uerò facti, nihilominus pro fratribus ducebant collegas ante suos: in consilium eos de rebus maioribus adhibebant, plurimumq; reuertebantur, & officium suum nauiter faciebant, memores quid solenni & seriò dato iureiurando recepissent. Ad aulas principum quoties ueniebant (ueniebant autem rarius, nec tam sua suorum'ue, quàm publicæ utilitatis gratia) de uia ipsis decedebatur, assurgebatur, omnisq; honos habebatur, & quasi numinibus quibusdam tantum non ad genua procumbebatur ab ipsis etiam principibus. Porrò in consilijs de republica in iudicijs, in defendendis ac uindicandis bonis & hominibus ecclesiasticis, pupillisq; & uiduis, denique in admonendis & corrigendis non modò infimis & mediocribus, uerùm etiam primoribus, atque adeò regibus ipsis liberæ erant eorum uoces & sententiæ, singularis dignitas, summa authoritas. Non inhibebat uocem accepti beneficij memoria, non spes futuri. Nec eleuabat authoritatem dicentis aut arguentis ambitio, & conscientia audientium: nec metus aut inscitia dignitatem deprimebat. Non erat necesse episcopo & sacerdoti pro foribus cubiculi regij inter scurras & uilia uentris mancipia assidere: nec sannas & scommata leuissimorum quorumque ferre: non turpiter & indecorè adulari & adblandiri non modò elegantioribus istis cubiculi & mensæ regiæ administris, ut aliquam tamen ij uel ioco mentionem absentis apud regem faciant: uerùm etiam satellitibus, ianitoribus, ne dicam etiam horum concubinis atque scortis, matellionibus, morionibus, ac cæteræ feci aulicæ, atque ipsis denique catellis principum. *Scholæ sacerdotum seminaria.* Itaque florebat tunc respublica, florebat religio, florebat ordo ecclesiasticus: florebant Scholæ & Academiæ, sacerdotum & episcoporum seminaria: splendescebant templa: aulæ uerò principum, horum præceptis & exemplis institutæ, urbanitatis, uirtutis, fortitudinis, prudentiæ, modestiæ & pudoris erant officinæ, non fastus, ignauiæ, ebrietatis, libidinum, temeritatis, impudentiæ, & omnis nequitiæ & impietatis ganeæ ac barathra. *Principum aulæ quales olim & quales nũc.* Nunc sublata electione, hæc & multo plura alia mala bonis illis successerunt, & in domos ac familias, atque adeò in ipsa intima cubicula episcoporum, nedum in profanorum principum aulas inuaserunt: simulque dignitas sacerdotum,

indecorè

indecorè emerendo & emendo fauore etiam abiectissimorum usuit: labefactata est authoritas: nutat, ne dicam ruit, Respublica: religio prostrata penè concidit. Quæ omnia Principes non tam episcopis debent imputare & sacerdotibus, quàm sibijpsi, qui nuncupandorum episcoporum ius sacris collegijs ereptum sibi uendicarunt. Nam ut nihil perperam ij faciant, nihil affectioni cuiquam indulgeant, sed eadem illa omnia, quæ iurati sacerdotes in electionibus episcoporum habere solent, ob oculos habeant, certè longè facilius unus aliquis, & is quidem alienis ferè oculis & auribus sentiens & iudicans, errat & fallitur, quàm multi graues, acuti, & multarum rerum periti: & aliud is plerunque spectat, quam quod potissimum spectandum est in deligendo episcopo: & uerò expeditius est, unum quàm multos corrumpere. Tametsi magna, ne dicam præcipua huius rei culpa est penes Pontifices Maximos, mea quidem sententia: qui nisi electiones collegiorum primi labefactare adorti essent, nunquam eò audaciæ reges prouecti essent. Sed nos inutili deploratione omissa, ad rem redeamus. Sic igitur de episcopa Cracouiensi tunc actum est. Masouij nihil & ipsi impetrarunt. Petebant autem, ne ducibus suis rex molestus esse pergeret de Plocensi ditione, aut certe externis & à suspicione alienis hominibus causam cognoscendam & iudicandam permitteret. Ferebantq; regi iudicem Fridericum Marchionem Brandeburgensium, uel Albertum archiducem Austriorum, uel Ludouicum ducem Bauarorum. Lithuanis Podoliam, Belsensem, Olescensem, & Rathnensem tractus non sine comminatione belli repetentibus, nihil aliud responsum est à senatu, quàm missum iri ea de re legatos ad conuentum Lithuanorum. Et mox legati designati, Stanislaus Ostrorogius palatinus Calissiensis, & Ioannes Rithuianus Marsalcus regni. Porrò in Prussiam bellum siue expeditio decreta est. His peractis Cazimirus Radomiam ad uxorem, & inde cum ea in Lithuaniam profectus est. Quem consecuti legati senatus Polonici, postulata Lithuanorum in conuentu Vilnæ diuertè refutarunt. Sed cum Lithuani non acquiescerent, rex causam ad conuentum communem Parsouiam indicendum reiecit. Legatus uerò pontificius Petricouia discedens, in Prussiam à præsidio militari regis iussu ad Magistrum Kynixbergam deductus. Secundæ tunc res nostris erant in Prussia. Nam præter ea quæ superius commemorata sunt, apud Vormitham, quam Orneтam Poloni uocant, Pauli episcopi Varmiensis, qui uiolata iurisiurandi religione ad Cruciferos desciuerat, milites una cum aulicis Magistri præsidiarijs, cum per proditionem noctu capere id oppidum constituissent, proditi ab illo ipso, qui oppidi proditionem ipsis promiserat, & à Ioanne Scalio præfecto præsidij regij præparatis insidijs intromissi, ad unum omnes aut capti, aut trucidati sunt, quotquot ingressi erãt. Nam qui in extremo agmine fuêre, ne multitudo hostium nostros pauciores prægrauaret, exclusi & inopinato periculo perterrefacti, in propinquos lacus glacie concretos diffugerunt, ruptaq; fragili etiam tum glacie demersi periêre. Apud Scampe item oppidum agri Dobrinensis trecenti equites hostiles è præsidio arcis Brodnicensis prædatum profecti, ab Vlrico Ceruonca, qui Golubi erat, profligati sunt, ita ut perpauci fuga euaderent, capti ex his octoginta. Arx uerò Slochouia, ne proditione in hostium potestatem ueniret, præsidiariorum Pomeranorum opera seruata est. Vuladislaus castellanus & præfectus Naclensis, illius etiam arcis præfectus erat, eamq; absens Georgij cuiusdam sculteti nobilis, gente Topori, fidei commendarat. Is igitur Georgius, cum prodendæ arcis consilium cœpisset, præsidiarios milites, quos conatibus suis aduersaturos esse suspicabatur, per speciem commeatus ex hostico importandi emissos, arce exclusérat, & (uerè ne an falsò, non liquet) præfecti iussu id se fecisse dictitabat, nec nisi duodecim, & eos quidem Pomeranos, quos minus suspectos habebat, secum reliquerat. Hi ubi cum pactiones cum hostibus de prodenda arce inire animaduertêre, siue inuidia & auaritia incensi, siue officij & fidei suæ memores (nam ne hoc quidem constat) compræhensum eum in fundum turris concluserunt, & fide accepta præfecto aduenienti portas arcis aperuerunt. Sed is uiolata fide omnes eos capitali affecit supplicio. Quod factum uariè suspicandi occasionem hominibus præbuit. His igitur successibus nostrorum moti Cruciferi, pacem afferentem legatum pontificium cupidè acceperunt. Promiscua uerò multitudo cùm uirorum, tum matronarum & puellarum belli & penuriæ, cæterorumq; incommodorum bellum consequentium pertæsa, lachrymare gaudio, ac desyderio pacis legatum, magistratusq; suos supplex obtestari, ut exoptatam eam sibi quibusuis, modò tolerabilibus conditionibus conficerent, ni se prorsus perditum ire uellent. Ibi legatus, æquissimus scilicet pacis arbiter per interpretem, quemadmodum proditum est, laudare & confirmare constantiam populi: hortari, deinceps quoq; ut in fide Cruciferorum permaneret: regem, Polonosq; carpere, & cùm iniquitatem causæ eorum exaggerare, tum mores fidei religionis, & humanitatis expertes calumniari: studium suum erga Cruciferos omnibus modis

Masouiorum postulata.

Lithuanorum postulata.

Cruciferorum clades apud Vormitham.

Apud Scampe.

Slochouiæ periculum.

Pacis desiderium apud Prussos.

Legati iniquitas.

dis testatum facere: denicp certam, perpetuamcp pacem, aut duodecim dūtaxat annorum inducias ipsis, quasi regem quò uellet adducturus esset, certò polliceri. Ita cōfirmatis eius oratione animis omnium, mittuntur cum eo Breste tres oratores, ad tractandum de pace cum Polonis, quos eò rex eius rogatu miserat. Fuerunt autem ij, Ioannes Vuladislauiensis, Andreas Posnaniensis episcopi, Stanislaus Ostrorogius Calisiensis, Petrus Opporouius Lencicienfis, Nicolaus Cosceleciuș Brestensis palatini, Sendiuoius Zechel præpositus conuentus Clodauiensis, Ioan. Dambiouuca, Iacobus Schadecus, & Matthias Racianzus doctores, partim theologi, partim iurisconsulti. Ad constitutam diem, hoc est, ad Cal. Maias cōuentum, indecp infectis rebus discessum est, orta inter Polonos & legatum acerba contentione & iurgio ex huiusmodi causa. Veniebant legati à ciuitatibus Torunensi, Elbingensi, & Gdanensi: eos legatus ingressu oppidi & conuentu prohibere oportere contendebat, quòd eas ciuitates, simulcp cæteros Prussos, qui cum Polonis sentiebāt, ipse diris deuouisset. Contrà Poloni, iniquissimum id esse præiudicium affirmabant, & ab instituta re alienissimum. Admissi igitur legati, frustra reclamante legato apostolico. Mox ille toti oppido sacris interdixit: uerùm id interdictum Poloni contempserunt, orto initio à militibus, qui per speciem supplicationis ob rem bene gestam à suis apud Helgebeilam, oppidumcp id à Scalio captum ac direptum, facto concursu ad templa, nolarum siue campanarum pulsu, festocp cantu oppidum impleuerunt. Ibi uerò furere legatos, uociferari, non modò se, uerùm etiam pontificis & sedis apostolicæ authoritatem contemni. Nec cessere furori eius Poloni, grauiter in eum inuecti per Ostrorogium, quòd cum pacificatoris personam sustineret, nihil minus quàm paci studeret, sed classicum etiam caneret. Cuius rei clariora etiam documenta proferebantur eis literæ ad Cruciferos, à nostris interceptæ. Ita tunc irritatis animis discessum est. Et legatus quidem Cracouiam, ubi controuersæ episcopæ sequester & administrator à pontifice constitutus erat, proficisci cupiens, cum prohiberetur à Polonis, Vuratislauiam se contulit: indecp missis ad regem in Lithuaniam literis, quæstus est de Brestensi contumelia, in Vuladislauiensem episcopū potissimum culpam cōferens. Quod si rex agi de pace nihilominus à se uellet, extra fines Poloniæ locum constitueret, quo tutius aduersarij uenire possent. Et hęc quidem ostentans, Prussos & Pomeranos Vuratislauiam Iubilæi gratia uenientes, in partes Cruciferorum pertrahere omni ratione conatus est, minis etiam intentatis. Quin mulieribus maritorum consuetudine & contubernio interdixit ijs quæ maritos à fide regi data auellere nequirent. De qua iniquitate eius aliquanto antè quàm is uenisset in Poloniam, Iacobum Sennenium prædixisse Dlugossus memorat. Misit tamen postea Cazimirus ad eum legatos, Ioannem Rithuianium Marsalcum regni, & Iacobum Schadecum iureconsultum & canonicum Sendomiriensem, postulatum, ut interdictum siue diras, quibus Prussos regias partes secutos, indicta causa deuouerat, relaxaret, & æquiorem sese in componenda pace præstaret. Verùm illo non nisi ad tempus, quoad de pace tractaretur, diras relaxare uolente, acceptum id à rege non est, nec ipse in Poloniam deinceps uenit. Tametsi Bernardus Vapouius uenisse eum, omnia prolixè pollicentem, infectacp pace recessisse, memorat. Verùm id non conuenit cum ijs quæ Dlugossus, cuius tempore hæc acta sunt, scribit. Nempe misisse eum postea ad regem, denuò deposcentem sibi pacificandi ipsius cum Magistro prouinciam: missosque uicissim ad eum à rege Iacobum Schadecum iureconsultum, & Ioannem Sepinium, qui dicerent, regem non abnuere, modò ut is Prussos interdicto absoluat, Posnaniamcp ueniat. De damnis & impendijs penes eum fore arbitrium, ac de cæteris, modò ut Pomeraniam, Culmensem, & Michalouiensem tractum Poloni retinerent: cumque ille non remitteret de interdicto, Romam eum reuertisse Vuratislauia. Hac æstate quingenti nostrates Russi milites, permissu regis, Cafensium stipendio conducti, cum ad defendendam eam urbem aduersus Turcas proficiscerentur, apud Bogum amnem à Lithuanis & Volynijs deleti sunt, ex huiusmodi causa. Braslauiam Lithuanicæ ditionis oppidum cum peruenissent milites, excitata temerè cum oppidanis rixa, unum ex ijs forte fortuna interemerunt: cumque gliscere in se magis ac magis tumultum concitatæ multitudinis animaduerterent, oppidum incenderunt, quo minore negotio inde sese euoluerent, oppidanis incendio restinguendo occupatis. Præfectus erat arci Michaël dux Zartoriensis. Is dolore simul & ira incensus, cum tumultuaria manu nostros abeuntes persecutus, quater in eos impetum fecit: quaterque non sine clade suorum repulsus, affluente ex toti territorio oppidanorum & agrestium, qui propter Tartarorum uicinitatem bellicosi & in armis probè exercitati sunt, multitudine, uada suprà memorati fluuij præoccupauit, & truncis, stipitibusque impediuit: indeque rursus subducens sese, impeditos in traijciendo flumine à tergo & lateribus adortus, cunctos atrocissimè trucidauit, ne supplicibus quidem parcens,

Quinq

Conuentus Polonorum cum Cruciferis de pace.

Legati iniquitas.

Legatus non admissus Cracouiam.

Legatio regis ad legatum pontificis.

Russi auxiliares Cafensium deleti à Lithuanis & Volynijs.

Quinq; soli ex omni eo numero fuga elapsi sunt. Præda omnis, qua hostis potitus est, triginta millibus florenorum æstimata. Sic urbs illa nobilis, Genuensium colonia, Theodosia, quemadmodum uolunt, olim dicta, frustrata nostrorum ope & præsidio, non multo post à Turcis subiugata est. Mouebat autem Casenses ad implorandam opem Turcarum uicinitas, qui in ipso huius anni initio Lesbon insulam, & mox Bosnam regnum florens opibus & munitionibus, in suam potestatem redegerant, regemq; Stephanum cum primaria arce laice in deditionem acceptum, contra fidem datam, ad palum alligauerant, & sagittis confixerant, exprobrante ipsi Mahomete imperatore ignauiam, quòd cum argento & auro, cuius immensa uis in thesauris eius reperta erat perire, quàm ad defendendum sese & suos, eo uti maluerit. Ex eo uerò tempore Ianizeri, quę phalanx est Turcica, ab hoc ipso Mahomete primum instructa, Slauonica lingua uulgo uti cœpere, triginta millibus ex captiua iuuentute Bosnensi in eum ordinem allectis. Longè uerò prosperiores successus tunc habuerunt ij Poloni, qui Matthiæ regis ære conducti Felice Paniouio gente Gozembio, & Ioanne Srescouio Dolliuio, cognomēto Albo ducibus, in Vngaria militabāt. Fuerunt autem ij quingenti equites, qui ad reprimendam Turcarum excursionem è Bosna factam, missi à rege cum septingētis itidem equitibus Vngaris, miserti Christianorum, qui ad septem decem millia utriusq; sexus in fœdam seruitutem à barbaris abigebantur, obfirmatis ad uincendum aut moriendum animis, cum Vngari multitudine hostium pauefacti diffugissent, prima noctis uigilia in barbaros, ne paucitas sua conspecta illis animum adderet, impetum fecêre: resistentibusq; acriter Turcis quinquies pugnam redintegrarunt. Sic tota nocte pugnatum est. Diu uerò illucescente, cum barbari paucitatem eorum conspexissent, cohortati sese inuicem, & in duas acies diuisi, à fronte pariter, & à tergo adoriri eos satagebant. Verùm hoc parantibus, Poloni captiuorum clamore animati, acrius instabant. Aberat haud longè Rascianorum turma, expectans euentum prælij, ut cum uictoribus sese coniungeret. Ea igitur cum meliore loco rem Christianorum esse animaduertisset, inuecta est & ipsa in Turcas. At illi desperatis rebus, Sauum amnem propinquum effusa fuga petiuêre. Et commodùm naues ad traijciendos eos adnauigarant. Itaq; abiectis equis & armis, tumultuariè ad naues perfugiebant, è quibus tamen paucæ incolumes in ulteriorem ripam eiectæ sunt: cæteræ pondere insilientium depressæ ac demersę periêre. Fuêre autem quatuor millia Turcarum selectorum in eo exercitu. Sic tunc Matthias Polonorum opera præclara, sed insperata prorsus uictoria de barbaris potitus est. Nam Vngari in fugam effusi ad unum eos omnes perijsse diuulgarant: quos rex insigni ignominia notauit. Polonis uerò & Socoli Petro duci Vngarici illius equitatus, qui solus cum sexdecim familiaribus suis cum Polonis perseuerarat, perampla dona largitus est. Et mercenarijs militibus externis, è Polonis, Silesijs, Morauis, Bohemis, atq; Germanis conscriptis, postea multum usus est. Nec multo pòst in Transyluania iterum eosdem hostes itidem per legatos profligauit. Cumq; Nicolaum Fristacium, & alios quosdam æmulos suos, qui Fridericum Imperatorem ad regnum Vngarorum inuadendum excitarāt, commoditate sua & magnis promissis sibi reconciliasset, & cum Friderico post duo prælia diuerso euentu depugnata pacem fecisset, ac diadema sacrum, ab Elizabetha regina olim sublatum, & apud eundē Fridericum depositum, sexaginta millibus numûm aureorum redemisset, cōparato in sequētem annum maiore exercitu, ad depellēda arma Turcica, recuperandamq; Bosnam animum adiecit. Per eos dies, siue adeò sub ipsum tempus comitiorum Petricouiensium Paulus Gisicius episcopus Plocensis, cum tres & uiginti annos illi ecclesiæ præfuisset, è uiuis excessit, & in Poltouiensi templo, quod ipse exędificârat, & lautum collegium canonicorum sacerdotum in eo instituerat, sepultus est. In locum autem eius Sciborius Gozacicius Canonicus à collegio eius basilicæ, tribus, de quibus ipse unus erat, facta per compromissum potestate nuncupādi episcopi, suffectus est, repudiatis mādatis & nuncijs regis, qui Iacobo Sennenio studebat. Cazimirus uerò rex facturus expeditionem in Prussiam, è Lithuania profectus, mense Iunio uenit Lenciciam. In eum enim locum copijs omnibus, ut conuenirent, edixerat. Ibi cum de consiliarijs nonnullis, qui primi ei occurrerāt, cognouisset fremere ob eam expeditionem equestrem ordinem, comitia Corcinum edixit ad quintā diem mensis Iulij: eoq; ipse profectus, post octo dierum consultationem decreto, omnium consensu, senûm grossorum ex iugero, itemquè è caupona & moletrina tributo, & alijs comitijs ad medium Octobrem Petricouiam indictis, expeditionem remisit: mercenariorum uerò militum aliquantam manum in Prussiam ad capiendum Gneuum misit, motus quęrelis Prussorum, qui minus libera nauigatione in Vistula utebantur, quòd à præsidiarijs eius arcis & oppidanis infestarentur. Ipse uerò in maiorem Poloniam sese contulit. Cum autem Gneuum egregiè defenderetur ab hostibus, ita ut ij crebrò decurrentes nō parum damni nostris obsidentibus inferrent, cœpere

Casa à Turcis capta.

Ianizeri.

Rascianorum dubia fides.

Vngari equites ignominia notati.

Comitia Corcini.

Gneuum obsessum.

pere nostri consilium longiore & secura obsidione hostes ad deditionem compellendi. Itaq; nec quicquam prohibentibus Cruciferis, circumuallarunt arcem uallo siue sepibus limo oblitis, turresq; & propugnacula opportunis locis excitarunt. Nam fluuio ne quid obsessis importaretur, Gdanenses classiarij obseruabant, quibus arx illa potissimũ incommodabat. Sed ij dum aliena oppugnant, sua urbe penè exciderunt proditione paucorum ciuium, quorum capita erant Matthias Schimnan iureconsultus, & Georgius Cocus: qui sub specie remigum & baiulorum è nauibus onera ferentium nõ paucos iam hostiles milites in urbem receperant. Nec procul ab urbe Magister Cruciferorum cũ mille quingentis equitibus aberat, ut constituta cum proditoribus die ad tertium Idus Iulij ex improuiso irrumperet. Sed detecto ab uno ex coniuratis scelere, euocati in curiam proditores per speciem consultandi de repub, captiq; & conuicti, capitali supplicio affecti sunt. Schimnani tamẽ professioni honor habitus est. Nam is in custodiam episcopalis iudicis, quem Officialem uocant, traditus: & episcopi Vuladislauiensis opera postea liberatus, ad Magistrum profugit. Milites item hostiles in urbe deprehensi, partim capitis pœnas luerunt, partim in profluentem demersi sunt, partim diuturni carceris molestias pertulere. Magister uerò spe frustratus, ad opitulandum suis Gneui obsessis animum conuertit: nauesq; uiginti militibus bene instructas Kynixberga emisit, Habo lacu & aduerso flumine Vistulæ nauigaturas. Sed re cognita nostri cum Gdanensibus classiarijs, duodecim tantum nauibus armatis, ut ait Vapouius, uno ab Elbinga milliario hostibus occurrerunt: commissaq; nauali pugna, uictoria potiti sunt Poloni: mille hostes desiderati, capti sexcenti, & cũ captiuis nauibus, armis, & fortunis Gdanum deducti. Id ad decimumquintum Calendas Septembris actum. Cuius cladis nuncio accepto, Henricus Plauenius commendator Elbingensis, & Bernardus Sumbergius, qui cum terrestribus copijs in maiore insula aduenientem suorum classem expectabant, in diuersum dilapsi sunt. Nec multo post Holandiam oppidum Plauenius in potestatem suam redegit, accitus & receptus ab oppidanis, cum ij præsidiarios nostros populatum egressos exclusissent. Arcem tamen nostri & duas turres cum porta oppidi ad arcem uergente, retinuere. Nec mora, Petrum Duninum à Gneui obsidione in auxilium accersiuere. Qui cum noctu cum equitatu aduolasset, Plauenius cum suis, incenso pluribus in locis oppido, raptim sese euoluit. At nostri restincto celeriter incendio, oppidum recuperarunt, & in nonnullos ciues capitali supplicio animaduerterunt. Nonis uerò Octobribus Liuoniensium classis eodem consilio, quo Regiomontana domo profecta, à regijs qui in præsidio Nideburgi, Pallencimi, & Vormithæ erant, & cum Elbingensibus sese coniunxerant, itidem prope Elbingam profligata est: cæsisq; compluribus hostibus, duæ naues maiores cum ducentis militibus, & centum equis hostilibus, captæ sunt. Hæc eo anno gesta in Prussia. Porrò Cazimirus Petricouiæ comitia habuit. Ibi de Plocensi ditione rursus actum cum oratoribus Conradi, ac cæterorum ducum Masouiorum. Qui cum bonorum uirorum arbitrio controuersiam componi, aut externos ac minimè suspectos iudices sibi ferri, aut denique Italicæ cuipiam Academiæ caussam decidendam permitti à rege postularent, nihil horum impetrarunt. Reiecta est tamen res ad alia comitia: quòd Masouij duces aduersam ualetudinem caussificabantur. Venerat eò & Conradus Niger iterum. Sed cum ei rex iudices de more ferret, re infecta recessit. In Prussiam uniuersalis expeditio decreta. Quoniam uerò Turcarum terror capta superiore anno Casa animos cunctorum peruaserat, missi in Podoliam, Ioannes Tencinius Castellanus Cracouiensis, Derslaus Rithuianius Sendomiriensis, & Andreas Odrouanzus Russiæ palatini, ut Cameneciam arcem, quæ Theodorico Buzacio oppignerata cum toto territorio, ab hæredibus eius obtinebatur, pro rege redimerent, & munirent, Podolijs equitibus in summa fisci inopia bouem in iugerum siue laneum ultrò pollicitis. Comitijs peractis rex peragrata maiore Polonia sub finem anni per Radomiam in Lithuaniam se recepit. Quieuerat ea gens per omne tempus belli Prussici, nec à Polonis in societatem eius belli pellici potuerat: sed quorsum id euasurum esset, ociosè spectauerat. Tunc uerò longioris moræ impatiens, non inconsultum ducebat, Podoliam armis repetere, Polonis adhuc Prussico bello distentis. Eos igitur motus animorum rex aduentu suo repressit: cæterùm comitia quæ communia Lithuanis cum Polonis Parsouiam ad diem Purificationis Sanctæ Mariæ, qui est postridie Calend. Febr. edixerat, ad sextum Idus Septembr. qui dies eiusdem Virginis matris natalis est, reiecit: ueritus, ne qua in conuentu maior animorum irritatio fieret: cui excitandæ inter dissidentes, quamuis leuis occasio sufficit. His ita compositis, Vere nouo inde reuertens post medium Aprilis Cracouiam uenit. Senatum urbis tribus millibus florenorum mulctauit, propter Iudæos paulò antè iniuria affectos à militibus piam in Turcas militiam professis. Etenim Pius eius nominis secundus Pontifex Maximus subactarum à Turcis ea

Gdanum propè proditum.

De Doctore non iudicariũ Gdanenses.

Cruciferi fusi in Habo.

Holandia Cruciferis dedita & recepta.

Liuoniensium classis profligata.

Comitia Petricouiæ.

Lithuanorum conatus.

An. 1464.

cis eą

cis ea tempestate gentium Christianarum calamitatem miseratus, & à cæteris, quibus idem hostis imminebat, periculum propulsare cupiens, edicto Mantuam conuentu cunctos Christianos principes atque populos ad pium bellum, crucis uexillo proposito cohortabatur & inuitabat, ipse eius belli dux futurus. Ac de principibus quidem Mathias rex Vngarorum, Philippus Burgundionum, & Christophorus Maurus Venetorum dux eam militiam publicè professi erant: Cazimirus Polonus ne idem faceret, Prusico bello impediebatur. Permulti tamen è Polonis priuati nomina dedêre, ita ut ij propè duodecim millia hominum conficerent. Eorum igitur cruce signatorum militum nonnulla pars dum coit & instruit sese Cracouiæ, ad tertium Nonas Aprilis, qui tunc erat dies tertius Paschæ, re inter se communicata in Iudæos impetum fecit: effractisq; domorum foribus, facultates eorum diripuit, ac ne cæde quidem abstinuit. Cæsi ex utroque sexu Iudæi triginta fermè: cæteri in uicinam Ioannis Tencinij Castellani Cracouiensis domum confugerunt. Eam quoque crescente tumultu postridie expugnassent, nisi Ioannes Grusciṅius episcopus, & Iacobus Dembenius præfectus, idemq; Thesaurarius regni, cum cohortibus suis aulicis, & senatu ac multitudine urbana licentiam atque furorem eorum repressissent, Iudæosq; in arcem deduxissent. Multatus tamen senatus est. Mox ante finem eiusdem mensis rex Corcini Minorum Polonorum conuentum habuit: quibus cum duodenûm grossorum in iugerum tributum sciuissent, unde mercenarius miles in Prussiam conduceretur, remissa est expeditio. His ita constitutis, & latrociniorum, quæ ex Vngaria & Morauia intentabantur, terrore represso, in Maiorem Poloniam contendit. Aegrè ferebant maiores Poloni, expeditionem à minoribus in tributum commutatam esse, non communicato secum consilio. Sed tamen ipsi quoq; conuentu à rege ad octauum Calendas Iulij Colum coacto, idem fecerunt: quòd neque militare sine minoribus Polonis uolebant, & secundæ nostrorum res in Prussia minimè id requirere uidebantur. Nam post clades illas hostium, quas suprà memorauimus, continuata à nostris in alterum annum Gneui obsidione, obsessi ad extremam rerum omnium inopiam ac desperationem salutis suæ redacti, cum inutilem bello multitudinem oppido eiecissent, & à nostris ea rursus in oppidum compulsa esset, postridie Natalis Christi, quæ dies D. Stephani memoriæ sacra est, arcem simul & oppidum dedidêre, uitam & quicquid suarum rerum quatuordecim curribus possent euehere pacti. Quadringenti milites cum magno commendatore Vdalrico Eisenhoueno, & Nicolao Veisembachio Bauaro ducibus in præsidio fuerunt. Hi omnes Kynixbergam à nostris deducti sunt. Ex oppidanis magister modò ciuium, & alius quidam consul, qui Cruciferis impensius fauerant, siue eiecti, siue ultrò excessere, unius mensis spacio ad distrahenda bona sua à nostris impetrato. Per eosdem dies Ioannes Scalius Bohemus Holsteinum magnum, oppidum Crucifericæ ditionis, ex improuiso intercepit. Porrò qui Fridelandiæ fuerunt in præsidio milites Cruciferorum, cum sibi stipendia non soluerentur, hostiliter direpto & incenso oppido, discesserunt. Bernardus uerò Sambergius eadem de causa, & quod ualdè accisas esse uires Cruciferorum animaduertebat, cum rege paciscitur, ut quæ tunc præsidijs suis tenebat, deinceps quoque, quoad bellum illud maneret, quietus retineret: cum regijs libera commercia haberet. Cum ijs uerò qui Crucifericarum essent partium, nihil sibi commune esse duceret: Bello uerò finito, iusta mercede à rege accepta præsidia deduceret, munitiones, quas obtinebat, regi traderet. Obtinebat autem Culmam urbem Starogrodum arcem, Brodniciam item arcem cum oppido. Non mediocriter & illa clades Cruciferos afflixit, quam apud Colbergam oppidum Pomeraniæ acceperunt. Erat oppidum id in ditio ne episcopi Camenensis: uerùm detrectabant oppidani eius imperium. Hermingus igitur episcopus facta clàm aliquanta manu, acceptisq; à Cruciferis septingentorum equitum auxilijs, noctu oppidum aggreditur, ut nec opinantes oppidanos opprimeret. Verùm ij commodum à Gdanensibus fœderatis facti certiores de consilio episcopi, receptisque in urbem auxiliaribus eorum copijs maritimo itinere transmissis, hostem scandere muros incipientem adorti fuderunt, & ad internecionem reciderunt. Sic igitur attritis Cruciferorum uiribus, placuit Polonis mercenario milite rem eo anno gerere in Prussia, præsertim quòd expeditiones publicas nullo ordine, nullaque disciplina militari, sed summa licentia constantes, socijs & amicis magis quàm hostibus perniciosas esse animaduerterent: quòd neque principis imperium satis exaudiebatur, & nihilo magis in sociorum, quàm in hostium agris à ui & iniuria temperabatur. Huc accedebat, quòd episcopus & ciues Lubecenses Polonis iuxta ac Cruciferis consentientibus componendæ inter bellantes pacis arbitrium sibi desumpserant, & iam tunc aduentabant Gdano, quò nauibus aduecti erant, Toruniam, adiunctis sibi de Rostocensium, Visinariensium, & Luneburgensium senatu singulis: Rigensium uerò ac Darbatensium binis.

Crucis militia contra Turcas.

Iudæi direpti Cracouiæ.

Gneuum per deditionem receptum à Polonis.

Cruciferorum clades apud Colbergam.

Expeditionum publicarum incommoda.

Conuentu Colensi peracto, rex Breste diuertit: Toruniam uerò ad disceptandam atque transigendam causam suam Prussicam, misit Ioannem Lutecum Vuladislauiensem episcopum, & procancellarium regni, Lucam Gorcanum Posnaniensem, Stanislaum Ostrorogium Calissiensem, Sendiuoium Lenzenicium Siradiensem, Petrum Opporouiũ Lenciciensem, Nicolaum Coscelecium Inouuladislauiensem, Sciborium Basenum Culmensem palatinos: Castellanos, Hinciam Rogouium Sendomiriensem, & Nicolaum Zarnicouium Gnesnẽsem: Secretarios, Ioannem Dlugossum seniorem, Ioannem Dramboucam, & Iacobum Schadecum: quorum posteriores duo iuris Canonici consulti fuère. De nobilitate Prussica quatuor, Ottonem Maquitium, Matthiam Tolcam, Nicolaum Pilauium, & Nicolaum Zialouium. De ciuitatum uerò decurionibus siue consulibus, Torunensis quidem quatuor, Elbingensis autem duos, Gdanensis uerò quatuor: & quintum parœcum eius urbis, candidatum iuris pontificij. Porrò à Magistro & ordine Cruciferorum adfuère Iodocus episcopus Osiliensis, Henricus Plauenius, qui fuerat Elbingensis Commendator, Gerardus Melingradus Marsalcus Liuoniensis, Georgius Comes Hennebergensis, Andreas Peper decanus Darbatensis, Ioannes Vmbelerus, & Nicolaus decanus Pomesaniensis, tres hi iureconsulti, Vilelmus Eppingenius Osterodensis in Prussia, & Vilelmus Schundelus Osterodensis in Liuonia Commendatores. De nobilitate, Vlricus Gilauiensis, & Ludouicus Lubauiensis præfecti, duo consules Regiomontani, item [illegible] duo Reualienses è Liuonia Inter hos igitur ad quintum Nonas Iulij tractari cœptum, & uno ac dimidio mense tractatum, ad extremum infecta pace discessum est. Conuenerat [illegible] iam, ut Polonus Pomeraniã, Culmensem, Michalouiensem, & Elbingensem tractum [illegible] ... haberet: reliquam inferiorem Prussiam Cruciferis relinqueret. De Mariæburgo [illegible] tra triginta annos proximos, ut iudicio, arbitrio, pactoúe transigeretur: interim autem in potestate regis arx ea maneret. De illis uerò conditionibus conuenire non potuit, ut Magister ac totus ordo Cruciferorum in uerba regis Poloni iurarẽt, semperq́ deinceps in fide & clientela eius essent: Rex uerò ut militibus Cruciferorum emerita undecim annorum stipendia exolueret ijs duntaxat, qui fuerunt in præsidio munitionum earum quæ ipsi tradebantur. Nam neq; hoc Poloni, neq; illud Cruciferi acceptabant. Creditum est autem siue inuidia, siue maleuolentia Brandeburgensium & Misnensium Marchionum, & aliorum quorundam Teuthonum Principum perfectum fuisse, difficiliores ut essent Cruciferi, metu offendendi cunctos ordines Germaniæ, & amittendi ea quæ in Germania possidebant. Et uenerant in spem potiundi Torunia, per proditionem nonnullorum ciuium, quam Henricus Plauenius, dum ibi de pace agitur, instruxerat. Soluto igitur conuentu illo Torunensium bellum, instauratur à rege Breste commorante. Tenebatur Nouum oppidum Pomeraniæ cum arce, Cruciferorum præsidio. Id quoniã in ripa Vistulæ situm est, eam habebat opportunitatem, ut fluminis traiectum liberum hostibus præstaret, nostris uerò nauigationem impediret. Ad hæc ager syluestris abundabat materia, uallis, & machinis faciendis, & alijs bellis usibus aptam. Id igitur primùm adoriri, & in potestatem redigere placuit. Missus eò cum peditatu Thomas siue Thomiez quispiã uir maioris animi, quàm consilij. Qui non expectato Dunino & equitatu, cum quo se iussus erat confungere, ad Nouum castra metatus est. Hostes nostrorum paucitate animaduersa, coadunati celeriter è proximis præsidijs impetum in eos fecère. Quãquam autem non improuisum id nostris acciderat, tamen uim hostium non sustinuère. Fugientibus naues regiæ non procul in Vistula stantes saluti fuère. Centum aut paulò plures ex omni numero desiderati. Eodem autem die Adam Vilcanouius contractis tumultuariè Nideburgo, cui præerat, & Sarnouia militibus, præsidiarios Cruciferorum, qui erant Zaldouiæ, prædam agentes è Masouia, profligauit, prædamq; excussit. Zaldouiam deinde Conradus Masouiorum dux Varsauiensium obsidione cinxit, & per deditionem accepit. Rex uerò ignominia apud Nouum accepta commotus, Ioannem Synouecium, & Paulũ Iasenium cum aulico suo comitatu eò misit: Duninum quoq; cum Prussis & equitatu, & item peditatu recollecto eòdẽ iussit contendere, ut ita munitione potirentur. Nec tamen per uim ea capi potuit, ualido præsidio & natura loci defendente. Ceterùm obsidio in sequentem annum extracta est. Porrò Puscum Gdanenses cum totos sex menses terra, mariq; obsedissent, per deditionem in potestatem suam redegerũt. Rursus igitur Cruciferi pacis mentionem iniecère: siue quo liberius Toruniæ proditionem conficerent, siue reuera pacis cupidi, quòd non admodum lætis successibus tunc uterentur, & oppidani, agrestesq; atque adeò milites quoq; cum iurgio, defectionisq; denunciatione pacem flagitarent. Missus eam ob rem à rege Ioannes Dlugossus in Prussiam, cũ gubernatore & primoribus trium ciuitatum apud Mariæburgum & Stumam colloquia habuit. Et uidebãtur Cruciferi accepturi esse conditiones illas, quæ ipsis Toruniæ ferebantur, quemadmodum ipse Dlugossus

Pax infecta.

Conditiones pacis reiectæ.

Germani paci infensi.

Polonorum clades apud Nouum.

Cruciferi fusi.

Nouum obsessum à Polonis.

gossus scribit. Postulabant autem ut rex primores consilij sui cum summa potestate Mariæburgum ad conficiendam pacem mitteret. Verùm id propter pestem in ijs locis grassantem factum nõ est. Quin cum Breste quoq; id malum infecisset, rex inde Clodauiam, ac deinde Lenciciam sese recepit: ubi aliquot septimanas cum regina, quæ filiã Sophiam Cracouiæ mense Maio enixa erat, cõmoratus, indeq; Petricouiam profectus, ad medium Octobris comitia quindecim dierum habuit. Venerant eò ex condicto Conradus Masouiorum Varsauiensium, & Conradus Olessnicensium siue Cozlensium duces, de successione disceptaturi. Sed cùm res subinde tentata per amicam transactionem non procederet, reiecta est causa Olessnicensis quidem ducis ad Pentecosten sequentis anni, Masouij uerò ad proxima regni comitia, cùm quòd pestis cõtagio Petricouiam quoq; & omnem ferè maiorem Poloniam iam peruaserat, tum quòd inconsultum regi uidebatur offendere duces illos aduerso iudicio, bello Prussico nondum confecto. Petricouia Parsouiam itum est ad alia comitia, quæ rex ad natalem Mariæ matris Christi prius dilata, rursus ad diem S. Martini memoriæ sacrum distulerat, communia futura Polonis & Lithuanis. Et frequentes quidem utriq; proceres aduenêre: sed cum Lithuani Parsouiam ad Polonos, hi contrà Breste ad illos uenire detrectarent, Lomazis tandem conuentum. Neq; ibi tamen quicquàm actum, propter pagi incommoditatem ac cœli inclementiam. Sed res in annum dilata est. Rex dimisso conuentu, in Lithuaniam cum regina secesit. Et quoniam Vilnam quoq; pestilentia infecerat, Grodni mansit aliquandiu. Deinde Cauunam profectus, magnam partem hyemis ibi exegit. Sub illud autem tempus, quo Parsouiæ habita sunt comitia, Henricus Plauenius instructa, ut suprà dictum est, Toruniæ proditione, cũ mille armatis noctu ad urbem accesit secundum flumen: qua parte, auersa ab hostibus, securiores erant oppidani atq; uigiles. Iamq; præteritis piscatorũ suburbanis domicilijs, & antemuralibus superatis, taciti scalas mœnibus admouebant hostes, cum à uigilibus il lucescente iam aurora animaduersi, & strepitu, clamoreq; tumultuantium & concursantiũ deterriti, relictis scalis cœpto irrito raptim sese recepêre, ueriti ne loci iniquitate & eruptione ciuium opprimerentur. Tametsi ita consternata erat inopinati periculi obiectu ciuitas, ut magis ad fugam, quàm ad arma cuncti spectarent, potueritq; urbs capi primo impetu, ni fortuna ipsius seu potius propitium numen hostibus pauorem iniecisset. Sed non multo pòst ijdem meliore fortuna usi sunt apud Carnissinum Masouiorum arcem. Tametsi non diuturna ea fuit. Mox enim Masouij interceptam arcem circumuallarunt, priusquam hostes commeatum importarent. Itaq; statim eam per deditionem recuperarunt. Per idem tempus Vngari Scepusiensem tractum, qui in ditione regis Poloni est, populabundi peruagati sunt, authore Emerico Diaco gubernatore, siue fratre eius Stephano: donec afflictæ ciuitates septem millibus florenorum contributis publicè, pacem redemerunt. Id autem fecerunt Vngari nulla iniuria prouocati: nisi fortè cruce signatorum militum licentiam & iniurias ulcisci uoluêre. Cùm enim Pius Pont. Max. in ipso procinctu belli Turcici in portu Anconitano extinctus esset, intermissa pia illa expeditione à principibus, Poloni qui ei militiæ nomina dederant, Felice duce in Vngaria uagantes, scelere & rapinis non abstinebant, & Vngaros agrestes & oppidanos uectigales sibi fecerant. Exarsisset autem proculdubio graue bellum inter Polonos & Vngaros in sequentem annum, Prædislao præfecto Scepusiensi Vngaros ulcisci satagente, nisi consiliarij quidam regij, & inprimis Iacobus Dembenius thesaurarius & præfectus Cracouiensis dissuasissent, censentes rege inconsulto nihil eiusmodi attentari oportere, præsertim cum alioqui Vngari bello Turcico, & Bosna recuperanda distinerentur. Commodum autem & Matthias rex Vngarorum, missis in Poloniam literis pollicebatur satisfactionem, si quid à suis peccatum esset. Recepit autem tunc is in deditionem Iaize arcem, & uiginti septem oppida Bosnæ & Rasciæ è Turcis occupata. Hoc anno Ioanni Sprouio Archiepiscopo Gnesnensi, ad medium Aprilis mortuo, Ioannes Gruscinius, huic autem in episcopa Cracouiensi Ioannes Lutecus: ei uerò in Vuladislauiensi Iacobus Sennenius à Paulo secundo Pont. Max. qui Pio succesit, rege postulante suffectus est. Nec ita multo antè idem Pontifex Paulum Grabouium, rege itidem commendante, Chelmensem episcopum creauerat.

Pestis.

Comitia Petricouiæ.

Torunia propè capta.

Carnissinum arx capta, & recepta.

Pij Pont. Max. mors.

Bosna à Matthia rege recepta.

DE ORIGINE ET REBVS GESTIS POLONORVM, LIBER VICESIMVS SEXTVS.

An. 1465.

SEQVENTI anno, qui fuit 1465. nostri uaria fortuna usi sunt in Prussia. A quibus cũ Nouum arcta obsidione premeretur, Caspar Nostiuicius laturus obsessis opem, sexcentos equites et quadringentos pedites mercenarios e finitimis Poloniæ & Pomeraniæ locis adducebat exiguo ære subarratos, Choiniciç ueró luculẽtum stipendium se ipsis numeraturum esse pollicitus. Eorum non paucos hyemis asperitas partim confecit in itinere, partim debilitatos subsistere coëgit. Reliqui uerò cũ peruenissent Choiniciã, nec sibi numeraretur promissum stipẽdium, frementes dilapsi sunt, nostris qui ad arcendos eos è compluribus præsidijs conuolarant, non insectantibus, discedentes. Qua re cognita, obsessi Cal. Febr. Magistro nequicquã deprecante, & auxilium pollicente, oppidũ dedidêre: & liberè abire permissi qui uellent, quinquagintatribus currib. res suas asportarunt. Non quieuit & Magister. Quam enim circa se habebat manũ, in territorium Gdanense, siue insulã minorem immittens, acerbè eam ferro & igni diuexauit, prædamq; ingentẽ Stargarthã importauit, quo rectius ibi sui nostrorum obsidionẽ, quam expectabant, sustineret. Non soluebantur nostris emerita stipendia. Dilapsi igitur Nouo recepto, Poloniam latrocinijs infestare cœperunt. Et pars quidẽ eorum nonnulla Dobrinensem montẽ Vistulæ imminentem duce Mikesso quodã occupauit. Inde in Masouiorũ & Cuiauiẽñ. agros excurrens, & in prçternauigantes impetum faciens, prædas agebat. Alij uerò cũ Tomezo, Storcio, & Bucouio bonis ecclesiasticis, templorũq; & monasteriorũ Gnesneñ. diœceseos supellectili, Labissino imminebant. Qui facilè mille equitũ numerum explebãt, exceptis peditibus. Verùm utriq; authoritate & placidis sermonib. atq; muneribus, hi quidẽ ab Andrea Posnaniẽsi, illi uerò à Iacobo Vuladislauiensi episcopis deliniti, cum hi centũ quinquaginta, illi mille florenos accepissent, quieuêre. Mons uerò Dobrinensis, ꝓpterea quòd permagnã habebat opportunitatẽ incommodandi nostris, si ab hoste occuparetur, Nicolai Zalinij præsidio firmatus est, collata publicè in stipendiũ pecunia. Quæ res tardius animaduersa, tã malè habuit hostes, qui erant in præsidio Nouç ciuitatis, siue Neimarci, ut rixarentur inter se, alius in alium culpã neglectæ cõmoditatis reijcientes. In qua rixa duodecim ex ipsis desiderati esse dicũtur. Hæc per hyemẽ gesta in Prussia. Vere sequẽti rex festis Paschæ diebus apud Grodnum exactis, reginã cum maiore parte comitatus aulici Corcinũ præmisit. Ipse cũ paucis Leopolim excurrit, q; Russi opem eius cõtra uim & iniurias Andreç Odrouanzi palatini & præfecti Leopoliensis implorassent. Sed cũ is paulò antè obijsset, ac Ioannes frater ei hæres esset, illud modò actum est, ut Ioannes præfecturis omnib. amoueretur, accepta à rege pecunia, cuius nomine fratres ipsi præfecturas illas addictas tenebant. Cum aũt pecunia rex careret, placuit Russis, Leopoliensibus, Podolijs, Haliciẽsibus, & Belsensibus duodenos grossos in iugerũ, & singulos boues in focũ sine familia ob eam rem conferre. Ex utraq; pensione uiginti millia florenorum redacta, Ioan. Odrouanzo numerata sunt. Ita Leopoliensis & Zidazouiensis præfecturæ cum Gliniani redemptæ: Samboria relicta, cum ad eam quoq; redimẽdam non sufficeret pecunia. Russicis rebus ita utcunq; aliquot dierum spatio compositis, Corcinum rex dispositis equis cõtendit ad comitia ad 13. diem Maij edicta. Quò ex minore quidẽ Polonia & Russia frequentes consiliarij conuenerũt: è maiore uerò Polonia Lucas Gorcanus Posnaniensis, Stanislaus Ostrorogius Calissiensis, Petrus Opporouius Lenciciensis palatini, & Sciborius Chelmius subcamerarius Posnaniensis, legati cum libera potestate missi. Quindecim diebus in consultando cõsumptis, placuit ut maioris Poloniæ nobilitas in Prussiam expeditionẽ statim faceret, Choiniciã circũuallaret, donec mercenarij milites, quib. deinceps eo anno res gereretur, conuenirent: eamq; ob causam illi ipsi maiores Poloni senos tantũ grossos, cæteri uerò alterum tantum in emerita iuxtà ac deinceps emerenda stipendia ante medium mensem Iulium conferrent. His constitutis, Cracouiam se rex recepit. Cuius non exigua pars cũ æde D. Francisci memoriæ sacra nõ multo antè ad 5. Cal. Maias, Stradomia uerò tota, excepto templo ac cœnobio sodalitij Bernardini ad 7. Idus Aprilis, conflagrarat. Aduenerunt eò Prussorum legati, Gabriel Basenus palatinus Culmensis, ac trium ciuitatũ singuli consules, narrantes nobilitatẽ & primores ciuitatũ Cruciferis subiectarum apud Neringã peninsulam, quæ Habum lacum à mari disterminat, cõuentum secum habuisse: pacẽ impensè cupere, & quasuis tolerabiles conditiones nõ abnuere. Exhaustos enim penitus, ad extre-

Cruciferorum copiæ dilapsæ.

Nouum Polonis deditum.

Nicolaus Zalinius.

Comitia Corcini.

Prussorum legatio ad regẽ.

mam

mam miseriã redactos esse tam diuturno bello. Postulabãt igitur, ut rex gubernatori cum consilio potestatẽ pacis conficiendæ faceret. Id rex cum consilio suo collocutus, negauit: Spem modò pacis illis facere, tempusq́; & locũ de ea tractandi constituere eos iussit. Tractationem uerò & arbitrium pacis consiliarijs regni, quos ad eam rem in tẽpore missurus esset, reseruauit. Cum his mandatis dimissi Prussi, liberaliter à rege donati. Dimissi item Silesij principes uicini, Præmislus Cessinensium, Ioan. Ratiboriensiũ, Præmislus Toscensium, Venceslaus Zatoriensiũ, Ioan. Gliuicensium, & Ioan. Ribnicensiũ, qui in baptismo regiæ filiæ Heduigis tunc natæ, & intra annum uertentem mortuæ, susceptores adfuêre. His peractis, rex discedẽs Cracouia, Calissiam profectus est ad cõuentum cum Conrado Olesnicensium duce ad 7. Cal. Augusti constitutum. Nihil tamen etiã tunc de successione transactum. Sed res integra ad finem Septembr. reiecta, ut ibi tunc duorum cõsiliariorum regis Bohemi arbitrio transigeretur. Inde rex Cazimirus Breste in Cuiauiam se cõtulit, bello Prussico operam daturus. Ibi comperit, Vuladislaum Damoboriũ, Castellanum & præfectũ Naclensem, quingentis equitibus, quibus Nicolaus Petrouius, Iacobus Cresa, & Ioan. Bucouius præerãt, coadunatis, pronunciato in singulos dimidij floreni stipendio, hostilia in regem, regnumq́; machinari, ob non exoluta stipendia, in Prussia emerita. Angebat ea res regem, ut quæ maximè: dolebat respirationẽ dari, animosq́; reddi Cruciferis, quos iam ferè desponderant. Itaq; actum cũ Damoborio, ut cœpto desisteret, acceptis ternis florenis in capita militum. Vbi hac uia nihil profectũ est, bello statim persequi perduelles placuit. Collocantur Znenæ & alijs quibusdam in locis præsidia. Rex cũ cæteris copijs, quas ad manum habebat, Naclum & Damoborzum, quæ loca ab illis tenebãtur, obsidere parabat. Id ubi animaduerterunt illi, mutata sententia miserunt ad regem, imperata se facturos pollicẽtes: iussi uenire Inouuladislauiam ad regem primores, accepta fide uenerunt, culpamq́; publicè deprecati, & ad pedes regis prostrati, non modò ueniam cunctis impetrarunt, sed etiã pecuniam emeritorum stipendiorum nomine accperũt, ac denuò regi nomina dedere, & ad Stargartam oppugnandam sub signis Pauli Iasenij missi sunt. Damoborius uerò loco ac dignitati suæ restitutus. Interea res Cruciferorũ in Prussia paulo meliore loco esse cœperant. Nam & in Masouiensem agrum duce Menzico Bohemo Zaldouiensi præfecto excurrentes, nobilitatem eius oræ fiducia multitudinis, incautius in se irruentẽ in insidias induxerãt, & non contemnenda strage apud Cechanouiam profligarant: & naues Torunensiũ atq; Gdanensiũ multis mercibus onustas apud Quizinum siue Mariæuerderum exceperant, & ad Dersauiam nobilitatem Prussicam, quę in præsidio eius oppidi erat, cum ad pugnam direptione suburbanorũ elicuissent, contectis equitatu peditibus, re inopinata perturbatã, sex hominibus cæsis, octoginta captis, in urbem repulerant: & apud Gneuum quinq; & quinquaginta præsidiarios milites comportandi ex agris commeatus causa egressos, & ab aratoribus damno affectis proditos, Stargarta effusi, intercluso in oppidum & arcem reditu, uiuos exceperãt: & postridie eius diei arcem, cum ex interceptis literis uacuã esse præsidio didicissent, oppugnarãt: cœpissentq́; adeò, ni Martinus Brzenius nobilis Prussus cum paucis strenuè eam defendisset, subeuntemq́; hostem supernè coniectis lapidibus remoratus esset, donec periculo cognito, sexaginta equites Marieburgo, & septuaginta pedites Gdano missi aduenêre. Ibi tunc hostes recessere suburbanis direptis. Sed nihilominus omnem eam oram usq; ad Gdanensium suburbana subitarijs excursionibus subinde infestabant. Excurrerãt & in ditionem Henrici Stolpensium Pomeranorum ducis trecenti equites, quòd is tunc unà cum episcopo Camenensi, cunctisq; suis denuò socius & fœderatus regis factus erat. Sed ibi minus prospera fortuna usi, profligati à duce ac deleti sunt, perpauci uiuis seruatis, & in carcerẽ compactis. Cum igitur è Starigrado siue Stargarta, potissimùm ij qui regiarum erant partium in Pomerania, infestarentur, eò duxit Iasenius exercitum iussu regio, duabusq́; turribus excitatis, ad oppidum id assedit, ita ut pateret nihilominus obsessis liber exitus & reditus. Quo factum est, ut Iasenius eorum insidijs exciperetur. Sexaginta enim equites clàm urbe egressi, cum sub uesperam nostrorum specie & habitu assimulato ad mœnia accederent, contraq́; ij, qui in oppido erant, ex composito erumpentes, quasi in hostes impetum facerent, Iasenius fortè tunc obequitans rem conspicatus, mittit ad eos, qui nostrorum speciem præ se ferebant unum de suis comitibus sciscitatum, qui nam essent: Respondent illi, se Dersauienses esse, & ex hostico reuerti. Id uerum esse credens Iasenius, gratulabundus ad eos prôcurrit: compræhensusq́; cum duobus comitibus, in oppidũ ductus, & in custodia asseruatus est. Tantaq; hostes eo capto lætitiæ signa dedêre tympanorum nolarumq́; crepitu ac sonitu, ut debellasse sibi uiderentur. Sed uana fuit ea exultatio. Exemplò enim Gothardus Radlinius in locum eius suffectus à nostris, obsidionem continuauit. Interea uerò conuentum rursus à nostris in Neringa cum Cruciferis pridie Calendas

Silesiorum duces.

Masouiorum cladis apud Cechanouiam.

Martinus Brzenius Gneuum defendit.

Starigradum Pomeraniæ obsessum à Polonis.

Paulus Iasenius captus à Cruciferis.

lendas Septembres, ac de pace, Paulo Legendorfio Varmiensi episcopo electo, qui neutrarum erat partium, arbitro tractatum quinq; dies, sed re infecta discessum est. Illud modò conuenit Magistro postulante, ut post alterum mensem denuò eodem in loco, uel inter Mariæburgum & Stumam conueniretur, ea quidem lege, ne quam Mariæburgi mentionem Cruciferi facerent. Tametsi recipiebant ij, si Mariæburgum sibi redderetur, se cum tota Prußia & Liuonia in fide & clientela regis Poloni fore, & non contemnēdam pecuniā continuatis aliquot annis ei annumeraturos esse. Verùm non accipiebant nostri hanc conditionē, siue quòd permagno sibi arx ea constitisset, empta à militibus: siue quòd inde perfacilè Cruciferi, quamuis leui occasione arrepta, bellū renouaturi esse uiderētur, quòd & permunita & peropportuno loco ea sita esset. Sic igitur è Neringa discessum tunc est. Conuentum deinde suorum Kynixbergæ Magister habuit. Vbi cum nobilitas & Kynixbergenses ciues grauis ac diuturni belli pertæsi, nō solum ei sumptus in bellum deinceps negarēt, uerumetiam nisi pacem tandem cum Polonis faceret, ab eo se defecturos significarent, sex & uiginti ex eis, quos maximè aduersari uoluntati suæ cognouerat, in arce euocatos compræhēdi, & sex primarios interfici iußit: cæteros uerò per præsidia distribuit asseruandos, donec pergrandi ære sese redimerēt. Nec postea quēquam ad constitutū cum nostris conuentum misit. Nec tamē interea de belli studio, curaq; utrinq; remissum quicquā fuerat. Cuius tota ferè moles ad Stargradū sese collegerat, nostris, ut suprà memoratum est, oppidū id obsidentibus, hostib. uerò nauiter & impigrè defendentibus, ita ut angustiore propè annona obsidentes, q obsessi uterenť, propterea quòd è uicinis agris neq; frumentari, neq; pabulari nostri poterant, omni frumento & pabulo cum re pecuaria tempestiuè in oppida è remotioribus quoq; locis cōportato & coacto. Et excipiebantur autē ab hostibus, qui circumiacētia oppida, nimirum Choinciam, Fridelandiam, Hamersteinum, Bythouiam, Lemburgum, Olecum, Keissouum præsidijs tenebāt. Quo factum est, ut Gothardus dux exercitus cum non exiguo expeditorum militum numero, comparandi commeatus causa Dersauiam proficisci necesse haberet. Id ubi obsessi è trāsfuga quodam Gdanēsi cognouēre, eruptione facta castra semiuacua oppugnare adorti sunt. Sed ea nostri egregiè defenderunt, ita ut eos longè superantes multitudine quater uallo ac turribus ligneis magno cū impetu succedētes, uix tandē permultis amißis, longè plurib. sauciatis, in oppidū recipere sese cogerent. Nihilo tamē minus infestabant ij deinceps quoq; uias, & ne quid rerū uenaliū in castra Polonica importaretur, prohibebant: sæpeq; inter occursantes sibi mutuo particularia certamina cōmittebantur. Quin cū bruma quoq; ac intemperie cœli hyberni Polonis confligendum fuit. Sed uicit omnē eam difficultatē ipsorum cōstantia, ne ab obsidione discederent. Quæ quidē in sequentem æstatē usq; perdurauit. Dum hæc ita gerūtur in Prußia, Cazimirus rex Inouuladislauia Calißiam se recepit sub finē Septemb. ibiq; cum Conrado Olesnicensium duce, & Margarita uxore eius per Iodocum Vuratislauieñ. episcopum, & Vilelmū Risemburgium iuniorē arbitros à rege Bohemorum rogatu disceptantiū missos, transegit ea conditione, ut ille quatuor annorū spacio uiginti millia aureorū numûm à se acciperet: succeßione omni in Masouia & Belsensi unà cum uxore sua sese abdicaret, dotemq; post mortē Annæ Vuladislai Masouiorū ducis defuncti uxoris, ne repeteret. His ita constitutis, Posnaniā rex, Conrado & uxore eius comitantibus profectus est, dimissisq; ijs Prussorum legationē audiuit. Petebat ea, ut arx Mariæburgensis gubernatoris & nobilitatis fidei cōmitteretur. Responsum: Regē id sine comitiorum regni decreto, & consilio ciuitatum Prußicarū, quæ plurimum ad emendam eam arcē contulissent, rectè facere non posse. His dimissis, Posnania discedēs ad medium Nouemb. Coli quinq; dierum comitia cum maioribus Polonis habuit: deinde per Lenciciā & Radomiam in Lithuaniam profectus est. Conuenit eum ibi Ludouicus patriarcha Antiochenus ab Ezigere Tartarorū principe, apud quē Pont. Max. & Imp. Romani legationē obierat, reuertens. Summa aūt legationis illius hæc fuit, ut Ezigeres Mahometem Turcarum Cæsarē à bello Christianis inferendo reuocaret: si id nō posset, bellum ipsi inferret, Pont. & Imp. stipendia pollicentibus, ac tunc quoq; perampla dona mittentibus. Quoniam autem eiusmodi responsum à barbaro acceperat, ut is in bello Turcis inferendo è consilio & uoluntate Cazimiri fœderati & amici sui pendere se ostenderet, literasq; ad Cazimirum ea de re daret, quibus ei faciebat potestatē, quicquid ipsi uideretur de bello Turcico constituendi suo nomine cum illis Principibus, contendebat à Cazimiro Ludouicus, ut rex Christianus Christianos adiutos uellet, quando id in potestate eius esset. Debere hoc eum cōmuni religioni atq; pietati erga Deum. Rex dilata re ad regni comitia, quę ad medium mensem Martium Petricouiam edicebat, hominē sine certo responso dimisit: ac de more uenationibus uacauit. Anno insequenti post medium Ianuarium Archiepisc. Gnesnensis synodum apud Lenciciā habuit. Ibi Sendiuoio Lenzenicio palatino

Siradiensi,

Pacis cōditiones à Polonis repudiatæ.

Res gestæ apud Stargardiam.

Prußicæ nobilitatis legatio ad regem.

Ezigeris Tartari amicitia cū Cazimiro.

An. 1466.

Siradiensi, & Michaëli Lasocio præfecto Lenciciensi oratoribus regijs petentibus decretum est, subsidium Regi ad bellum Prusicum è tributo sacerdotum, in Cracouiensi quidem diœcesi senûm grossorum, in cæteris uerò duodenûm in libram, siue marcam argenti, secundùm usitatam æstimationē. Varietatis autem causa fuit, indulgentior in alijs diœcesibus, quàm in hac, æstimatio redituum sacerdotaliū. Mense Februario Liuones septingenti equites pariter & pedites Cruciferis suis in Prussiam suppetias euntes, cū Samagitiam attigissent, nec progredi per syluas possent, impedita à Samagitis deiectione arborum locis opportunis uia, uersus mare iter instituêre. Quod Samagiti euenturū cùm prouidissent, foueas prælatas iam antè in ea parte foderant, sarmentisq; contexerāt. In eas igitur Liuones inedia, frigore & pauore urgentibus, imprudētes præcipitati, contrucidati sunt. Pauci cùm ex insidijs ad lacum euasissent, rupta fragili glacie nihilominùs periêre. Duo tantùm ex omni numero uiui seruati: è quibus cognitum est, quadraginta naues refertas militibus è Germania in Prussiā nauigantes, non ita multò antè naufragio perijsse.

Sacerdotalium redituum inæqualis æstimatio.

Iisdem diebus Paulus Episcopus Varmiensis cùm animaduerteret res Cruciferorū inclinatas esse, & à pace tamen eos abhorrere, partium regiarum se deinceps fore professus, arcium & oppidorum suorum adeundorum potestatē fecit regijs militibus, qui Passenei mi, Nideburgi, & Vormithę in præsidijs erāt, ut non solū ea tuerentur, sed etiā communē iam hostem inde infestarēt. Quæ res Magistro peracerba accidit, magisq; seriò deinceps is de pace cogitare cœpit. Ad medium mensis Martij rex Petricouiæ comitia habuit. Ibi rursus actum est cum Cōrado Varsauiensium duce, & matre eius Anna ac matertera Catharina. Sed cum pactionibus trāsigi res non posset, Conrado Belsensem modò tractum remittente, Rege uero nihil præter Visnensem cōcedente, iudicium uerò Prussico bello durante intempestiuum fore uideretur, reiecta res est ad alia comitia. Actum est & de Ioanne Penāsco Archidiacono Gnesnensi, Nicolai Penāsci succamerarij & præfecti Cracouiensis filio. Qui cū Dorothea Ioannis Rogalæ, qui palatinus Varsauiensis fuerat, filia, Iacobi Bogleuij uxore, stupri consuetudinē habuisse, eaq; cōscia & adiutrice maritum eius dormientē crudeliter necasse arguebatur: literæq; eius ad mulierē, quibus patrādi sceleris ratio descripta erat, à Ioanne Bogleuio palatino Varsauiensi fratre interfecti proferebātur. Causa uerò cur ad comitia referretur ea de re, fuit facinoris atrocitas, & impunitas. Nam mulierem quidē appræhensam occisi frater palatinus dimiserat, Franciscanorū obseruātium precibus uictus: de Penāsco uerò cùm Archiepiscopus Gnesnensis ex synodi, ubi etiā hæc res acta fuit, sententia supplicium sumere causa cognita debuisset, uel remissior fuerat, uel præhendere eum nō potuerat. Placuit igitur toti conuētui, ut negocium præfectis regijs præhendendi, & Archiepiscopo sistendi Penanscum. In mulierē uerò, ut moribus, & legibus animaduerteretur. Sed ei mulier in Prussiā ad Menziců Bohemum profugit, & Penanscus apud necessarios delituit. Sacerdotijs quidem à Pontifice Max. priuatus est. Nec multò pòst, facta aliquāta manu nobilium quidē genere, sed moribus, & luxu perditorū iuuenum, cùm latrocinari cœpisset, ab ipso patre, maius aliquod dedecus, labemq; generis metuente, captus: & quoniā presbyter erat, episcopo Cracouiensi in custodiā traditus, in arce Ilsensi aliquādiu in carcere asseruatus est. Ita tunc infamia & calamitate filij expendit suppliciū sacerdotibus, in quos immerētes manus iniecerat. Quin ipse quoq; præfectura Cracouiensi amotus est: quod nō sine ignominia fieri potuit. Ad extremū duodenûm grossorum in iugera tributum in comitijs scitum est. Affuêre autem legati Prussorum, petentes ut rex Marieburgū cum aliquātis copijs quamprimū ueniret, hac ratione facillimè bellum cōfecturus, quòd pleræq; ciuitates subiectę Cruciferis ad eū defecturę esse dicerentur. Et eius rei causa duûm grossorum pensionem & accisam, ut uocant, in unum annum ei deferentes. Itaq; peracto quindecim diebus cōuentu, Breste rex Archiepiscopo Vuladislauiensi, episcopo Posnaniensi, & Siradiensi palatinis, & Petro Gaio Calisiensi Castellano occurrentib. ac deducentibus, cōtendit. Per id tempus Ioannes Scalius facta aliquāta manu pręsidiariorum equitum & peditum, Melsacum oppidū Cruciferiarum partium intercepit: militesq; sexaginta, qui erāt in præsidio, uiuos in potestatem suā redegit. Perturbauit ea res Magistrum, ut quę maximè, ita ut de Kynixberga is iam periclitari uideretur. Certior enim factus erat, Gdanenses trāsportatis classe copijs, Sambiā adoriri & infestare statuisse: eoq; copias & ipse suas Kynixbergam contraxerat, quas hostib. opponeret. Ex his itaq; tria millia peditū pariter & equitū Henrico Plauenio duce celeriter ad recuperādum Melsacum misit, ratus Polonus paruo pręsidio relicto inde discessisse: & uerò nō ignorans eos, rebus præsertim secundis, securos esse solere, ita ut qua id arte, quaq; facilitate cœpissent, eadē rursus amittere posse uiderentur. Plauenius igitur silenti agmine profectus, nocte intempesta oppidū diuersis quatuor locis aggreditur: iamq; una porta refracta, signa inferebat. Sed cū Poloni partim aduersi nauiter obsi-

Paulus Varmiensis Episcopus in partes regias concessit.

Comitia Petricouiæ.

Penanscus sacerdotijs priuatus.

Penanscus pater supplicium expendit sacerdotibus.

Melzacum captum à Polonis.

Poloni rebus secūdis securi.

ſterent irrumpẽtibus, partim ſupernè in ſubeuntes ſaxa deijcerent, ducẽtis amiſsis, in tutum ſe recepit. Poſtero die ut acceptam ignominiã corrigeret, fremẽs, frendenſq; ad Holandiam duxit. Verùm ibi quoq; nihilo meliore fortuna uſus, plures etiam milites amiſit. Nec magis proſperæ tunc erant res Cruciferorum in Pomerania. Oſecum caſtellum obſidebant Poloni, ligneo caſtello eregione excitato: hoſtes ſuccurrere ſuis laborãtibus uolentes, nõ contemnendã manum Choinicia, & Starigrado emiſêre: cui aduenienti obuiã progreſsi Poloni, pugnæ copiã fecêre. Nec mora, in fugã acti hoſtes, perpauci tamen euaſêre, pluribus in fuga, quàm in prælio trucidatis. Cæſorum ſpolijs noſtri potiti ſunt. Id ubi uiderunt obſeſsi, incenſo caſtello natãdo profugerunt. Noſtri uerò accurrẽtes incendium reſtinxerunt, caſtellumq; in poteſtatem ſuã redegerunt. Fortè etiam ij, qui Vartemburgi in præſidio fuerunt hoſtes, cũ noſtris, qui Reſlam tenebant, congreſsi, nõ leuĩ ſtrage profligati ſunt. At Ludouicus Magiſter quoniã magnam earum cladium partẽ Pauli Varmienſis Epiſcopi tranſitioni ad regias partes acceptã ferebat, ut eum ulciſceretur, cũ ſexcentis equitibus, ac totidẽ peditibus, agros oppidorum eius, Brunsbergę, Vormithæ, Elsbergæ, Reslæ, Guteſtadiæ, & Melſaci percurſat, & ſegetes conculcat, non ſine acerbo dolore oppidanorũ, & fremitu in Epiſcopum, quòd cũ pacati in medio belli ſtrepitu ad eam diem fuiſſent, tranſitione eius ad regẽ irritatis Cruciferis hoſtilia pati cogerẽtur. Erat quidẽ in præſidijs eorũ oppidorum, & aliarũ uicinarum munitionum, non exiguus regiorum militũ numerus cũ Adamo Vilcanouio, Ioanne Scalio, & Ioanne Zaco: ſed exacerbatis pręſenti & inſueta calamitate oppidanorũ animis, mœnibus ij ſeſe continebãt, ueriti ne prodeuntes excluderẽtur. Increpidi uerò regijs literis atq; nuncijs, prodiêre tandem cõſtituto ad conueniendũ loco. Quo cognito, Magiſter Bartenſteinũ ſe cum copijs ſuis recepit. Ibi noſtri quoq; liberiùs hoſtiles agros peruagati, ſegetes & ipſi cõculcârunt, & in uillas igne deſæuierunt. His diebus Cazimirus rex cũ accepiſſet literas à Rudolpho epiſcopo Lauatinẽſi, qui ſcribebat, ſe uenire legatũ à Pontifice Max. ad componendã pacem inter ipſum, & Cruciferos, miſit ad eum Vuratislauiã, ubi ſubſtiterat, Ioanne Dlugoſſum Secretariũ ſuum, indicans pacẽ ſe non abnuere, modò ille bona fide pacificatore ſeſe interponeret: neq; imitaretur Hieronymum Cretẽſem Archiepiſcopum, qui Regi, ac ſi filius eius eſſet, operã ſuam pollicitus, cũ ad Cruciferos profectus eſſet, redemptus ab ijs calice aureo: Cretẽſis, ut eſt in prouerbio, Cretiſſauiſſet, bellumq; non modò nõ reſtinxiſſet, uerum etiã ultrò iam ferè conquieſcẽs reſuſcitaſſet, cũ alijs factis, & improbis acuerſutis conſilijs ſuis, tum quòd Pruſsis regiarũ partium interdictum nõ relaxaſſet. Si nihil eorum hic haberet in animo, ueniret bono omine, fauere ſe ei, ut præclarã compoſitæ pacis gloriã referret. Prolixè ille omnia pollicitus eſt, ſe diſsimillẽ Cretenſis illius fore. Inter Fridericũ quoq; Imperatorẽ, & Matthiam Regẽ Vngarorum non itã pridẽ pacem ſe feciſſe, in eaq; conficienda incorruptũ ſe præſtitiſſe, ita ut incurſaretur ab Imperatore, quaſi homo Germanus in Vngaros, quàm in ſuos propẽſior fuiſſet. Venerunt ijſdẽ diebus ad Regem Sciborius gubernator Pruſsiæ, & Gabriel palatinus Culmẽſis, Baſeni fratres, cũ legatis nobilitatis Pruſsicę, & trium ciuitatũ, orantes, ut Rex Mariæburgum tandẽ accederet, ac tã diuturno bello, quo ipſiq; penitùs iam exhauſti eſſent, finẽ imponeret. Fore enim, cũ eò acceſſerit, ipſi hoſtiũ metropoli Kynixbergæ propius bellũ oſtentârit, ut ad eũ ciuitates quædã deficiant, & Cruciferi ad quaſuis pacis cõditiones perducantur. Repetebãt & priora poſtulata de Marięburgo, & alijs arcibus fidei ſuę cõmittendis. Non debere minùs certã & probatam eſſe Regi fidẽ ſuam, quàm externorũ: & minore autẽ impendio eas arces ſeruari à ſe poſſe, quàm ab externis, quorũ inſatiabili auaritiæ explendæ, neq; ærarium, neq; facultates ſuæ ſufficiant, & uerò negligi propter eos culturã agrorum. Hæc uoce & geſtu aſperiori exaggerãtes, addebant minas: Niſi ratio precũ ſuarum duceretur, fore ut aliter ſibi proſpicere cogerẽtur. Offendit ea legatio Regẽ, & quotquot ipſi aderãt in conſilio, quòd quorũ uindicandorum cauſa tantũ cùm pecuniæ, tum ſanguinis profunderetur, ij liberatoribus ſuis etiã leges ferrent. Sed diſsimulata tamen temporis cauſa offenſione, comiter eis reſponſum eſt: Regẽ maturè affuturũ eſſe Mariæburgi, ibiq; de illis & omnib. rebus cum Pruſsis conſtituturũ. Ante meſſem autẽ cum exercitu eò proficiſci commodè non potuiſſe, propter annonæ & pabuli penuriã. Ita dimiſsis Pruſsis, Rex Inouuladislauiam profectus eſt, quò magis accelerẽt inter milites, cùm Regẽ in itinere eſſe audirẽt. Ibi eum conueniunt legati Stolpenſiũ ducis Henrici. Gratulabantur ij Regi ſaluum aduentũ in eas oras: auxilia permagna ad bellum pollicebãtur: ipſumq; adeò ducẽ præſentẽ affuturum, ſi Rex ipſe foret in exercitu. Deinde percontabãtur, Choiniciámne, & alias Pomeranicas munitiones Rex oppugnaturus eſſet, an Marięburgũ profecturus. Poſtremò poſtulabãt apertè quidẽ, ut redimere duci Lemburgum, & Bythouiam munitiones à Cruciferis ſibi ademptas liceret: cupere hoc eius ſubditos, & pecuniã in eam rem

Polonorum uictoria apud Oſecum.

Cruciferi uaſtant Varmiã.

Rudolphus epiſcopus Lauãtinenſis legatus Apoſtolicus.

Pruſsorum legatio ad regẽ.

Stolpenſium ducis legatio ad Regem.

contu-

contuliſſe. Ipſum uerò hoſtibus didiciſſe iam octo millibus florenorum, & captiuis eorũ reddendis. Tertiùs uerò & obiter agebãt. Si fortè dux de Choinicia, Stargartha, ſiuè alia quapiã munitione Pomeranica decidere cum hoſtib. regijs aliqua conditione poſſet, ut ipſi cùm bona Regis habere eas munitiones liceret, in fide & clientela Polonorũ futuro. Ad tam uafrã legationem, quippe quæ nõ obſcurè indicaret Henricum toti Pomeraniæ inhiare, nihil aliud reſpõſi datum eſt, quàm ut dux ipſe poſt quintamdecimã diem Bydgoſtiam ad Regẽ ueniret, de illis, quæ poſtulabat, corã acturus. Ne quã tamen pecuniam interim hoſtibus numeraret, neue captiuos redderet. Ferret potiùs aliquãtiſper adhûc detrimentum amiſſarũ munitionum. Id autẽ prouidebatur, ne uires hoſtium receptis captiuis, conductiſq; illa pecunia nouis militibus reficerẽtur. Bydgoſtiã deinde rex peruenit. Vbi de Slochouiæ arcis interceptione nuncium accepit. Præfectus eius arcis Georgius Dambrouius Martinum Siſſouicium nobilẽ & copioſum Pomeranũ, è ditione Henrici ducis, domi ipſius captum, in arce aſſeruabat, quoad ſe magno ære redimeret. Inſinuàrat is ſe in familiaritatẽ præfecti ita, ut liberiùs in arce diuerſaretur. Erant ibi in præſidio Pomerani Polonis intermixti. Cum his igitur Siſſouicius clàm de proditione pactus, cũ cognitam haberet anguſtiã rei frumentariæ in arce, ultrò pollicitus eſt de domo aliquantã uim farinæ. Dimiſſus eam ob rem â credulo præfecto, quatuor currus farina onuſtos adduxit. His uerò quaternos expeditos pedites quaſi cuſtodiæ, & præſidij cauſa adiunxerat. Cum quibus in arcẽ intromiſſus, præfectum arcis, & quos de militibus fidos ipſi eſſe arbitrabatur, adiuuantibus ex condicto Pomeranis prçſidiarijs, cõprçhendit, & in unam turrim detruſit, arcemq; in poteſtatẽ ſuam redegit. Vehemens erat ſuſpicio, ſi nõ iubente, certè nõ inſciente Henrico duce facinus illud ab ipſius hominib. patratum eſſe, eoq; ſpectaſſe uidebatur pars illa legationis eius, qua petebat, ut ſibi habere liceret per Regẽ munitiones, ſi quas pacto aliquo in poteſtatẽ ſuam redegiſſet. Itaq; increpiti legati eius, qui nondũ dimiſsi erãt. Miſſusq; ad ipſum legatus à Rege, qui de fraude & perfidia cũ eo expoſtularet: minasq; adijceret, ni Slochouia regi redderetur. Ad ipſum quoq; Martinũ Siſſouicium miſſus alius de reſtituenda arce, nil niſi bona uerba retulit. Quo tempore Choinicia quoq; duces hoſtiũ aderant, pecuniã Martino grandẽ pollicentes, ſi ſibi arcẽ traderet. Atq; ij reuerti alio tempore iuſsi ſunt. Venerat & Dinis, primarius Friderici Marchionis Brãdenburgenſis cõſiliarius, cum 40 equitibus, quaſi sociũ ſe Martino ad defendendam arcẽ offerens, ut intromiſſus arce potiretur: uerùm intromiſſus nõ eſt. At rex cũ conuocaſſet cõſilium, omiſſo Mariæburgo & Kynixberga, Choiniciã adoriri, nec quicquam reclamãtibus Pruſsis, ſtatuit, quo militibus hoſtium, qui ẽ Germania & Bohemia deducebantur, tranſitum intercluderet, Poloniamq; maiorẽ ne hoſtilib. excurſionibus exponeret. Ad hęc autẽ Slocouiam quoq; faciliùs ſe recuperaturum eſſe ſperabat, ſi propiùs exercitũ admoueret. Hoſtes qui Starigradi in præſidio erãt, ubi cognouerunt Regẽ in ea ora tunc bellum gerere decreuiſſe, diuturna obſidione defatigati, & fame iam laborãtes, relictis reb. omnibus, quà patebat exitus, noctu ſilẽti agmine exceſsêre: & equites quidẽ ſparſim Choiniciã contendêre: parũq; abfuit, quin in mercenarios regis milites, qui cũ Felice Panicuio ſeu Pniouio, quemadmodũ habet Vapouius, ad Choiniciã præmiſsi erãt, inciderẽt. Pedites uerò in Zantirã uicũ ſe recepêre, templũq; Viſtulę imminẽs, unde nauigãtes infeſtarẽt, muniuêre. Poſtero die oppidani, dilapſis defectionis authoribus, cõpotes ſui facti, Gothardo Radlinio ſeſe dedidêre: quo nũcio exhilaratus rex, alacrior ad obſidendã Choiniciã comitatũ ſuum aulicũ, Dunino & Synouecio ducibus, milit: quib & proceres, qui aderãt Bydgoſtię, ſuos comitatus adiunxerũt: ipſi Bydgoſtię cũ rege mãſerunt. Ludibrio primũ fuit hoſtib. ea obſidio, abundãte oppido defenſorum multitudine, & quòd noſtri uno in loco, ceteris partib. oppidi liberis, caſtra metabãtur. Vbi uerò foſsis atq; ſepibus cingi oppidũ cœptum eſt, erũpere, frequẽtes, & inuadere operi intentum militẽ, globosq; bombardis & omne telorũ genus è mœnib. eiaculari. Ad extremum imbutis ueneno ſagittis uti, ac temerè uagãtes, ut ſolent, Polonos, inſidijs excipere. Nec paruis incommodis noſtros afficiebãt, donec ſubmiſsis à rege Lithuanis ac Tartaris equitibus, liberiores eorũ excurſiones inhiberẽtur. Intereà Slochouiã rex fortuna adiuuãte, ſexto; poſtea quàm amiſerat, die recuperauit. Excurrerãt eò 40 pedites Ioannis Coſcelecij palatini Inouuladiſlauienſis, ſiue ut fortunã tentarent, ſiue ut aliquid ẽ ſubiectis agris raperẽt. Eos Martinus Siſſouicius ex arce cõſpicatus, omnib. militibus, quos in præſidio habebat, deductis perſequi inſtituit. Sacerdotes tantũ duo cum ludimagiſtro, & aliquot ſcholaſticis adoleſcẽtibus in arce remãſerant: qui quãuis Pomerani, tamen benignioribus uſi Polonis, permoleſtè ferebãt eos per dolum arce excidiſſe. Hi ergo ſolitudinẽ nacti, occaſionẽ referendi gratiã benè meritis, nõ negligendã ſibi eſſe rati, portas arcis ſuperioris occluſere: oſtioq; turris refracto, Georgium Dãbrouium cum ſexdecim socijs caſsibus uenatorijs ſub-

Slochouia fraude intercepta

Starigradum deditum.

Choinicia à Polonis obſeſſa.

Slochouia recuperata à Polonis.

Ttt 2

rijs submissis extraxêre, & cum his pariter clamorē, sustulêre: quo consternati Pomerani, cū in arcē se recipere uellēt, subeuntesq; saxis supernè deiectis arcerētur, foris uerò à quadraginta illis peditibus, significatione eorū, qui in arce erāt, animatis peterētur, correptis & cōscensis celerrimè equis Dambrouij, qui in inferiori arce stabulabātur, in Stolpensem ditionē profugerunt. Remunerati à rege sacerdotes & scholastici. His cognitis Fridelandenses & Hamersteinēses, eiectis hostium præsidijs, regi sese & oppida sua dedidêre: qui propter sæuitiā, & asperitatem præfecti sui Vuladislai Damoborij Castellani Naclensis defecerāt. Deiecerunt hæc magnoperè Magistri & Cruciferorū animos, qui in spem potiundæ Slochouiæ, quæ amplitudine, & munitione Mariæburgo non multū cedit, uenerāt: & Germanis principibus, à quibus ad eā diem uanis auxiliorū promissis lactati erāt, inter se dissidentibus, nihil spei sibi reliquum esse in posterū uidebant, metuebantq; ne id quicquid haberēt reliqui in Prussia, per uim, aut per uoluntariā deditionem Prussorum amitterēt. Itaq; cōuentu Kynixbergæ habito, cū non satis tutum esset aliorū cuiquam pacis mentionem facere, nōnullis ob id, quemadmodū superiùs dictum est, supplicio affectis, primus ipse Magister Ludouicus sententiā dixit: in quā ab omnibus itum est, nimirū ut pax cum Polono cōficeretur, si minùs æquis, ac tolerabilibus duntaxat cōditionibus: missusq; euestigiò ad regē Bernardus Sumbergius, tempus, locumq; colloquio de pace habendo petiuit. Nihilo ferociorē secundæ res regem fecerant, & iam antè ostenderat legato Apostolico, non abhorrere se à pace. Sed nō placebat ei tamen, inconsultis suis, cum hoste quicquā constituere. Ad quintamdecimā ergo diem iussus redire Sumbergius responsum accepturus. Eo sic dimisso, cœpit mox regē finiendi belli cupidum pœnitere, quòd rem integrā ad Prussorum arbitrium retulisset. Posse enim eam infici. Itaq; mutata sententia, missi ad Sumbergiū, qui assentiri regē eius petitioni indicarēt, locumq; ac tempus certum colloquij cum eo cōstituerent. Indeq; rectà Mariæburgum ad conuentum Prussorū ire pergerent, causas mutati cōsilij regij de eo quòd is Mariæburgū, ut promiserat, nō ueniret, redderent: de tempore, & loco constituti colloquij certiores eos facerent, & ad id colloquium inuitarent. Conuenit, ut ad diem natalē Dei matris Mariæ rex Toruniæ, Magister cum suis Culmæ essent, ij uerò, qui de conditionibus collocuturi ac tractaturi erant, Culmeseæ, medio ferè utrinq; spacio, conuenirent. Accitusq; est ad eā rem Rudolphus legatus pontificius. Nihilo tamen segnius continuabatur obsidio Choinicíæ: & quò celeriùs ea operibus circūuallaretur, spesq; omnis auxiliorum, & facultas euagandi obsessis præcideretur, euocatæ à rege e maiore Polonia, & Cuiauia operæ ac rusticani homines cum ligonibus, securibus, & alijs eiusdē generis instrumentis, nō parcebant diurno ac nocturno operi. Non leuiter autē ad id extimulabat Polonos obsessorū, qui ferè Silesij erāt, ferocia, eò pertinacior, quò minùs eis aduersùs progenitores suos Polonos, quàm Cruciferis & Germanis cōueniebat. Neq; uerò leue momentū addidit Henrici Stolpensiū ducis perfidia. Qui cū Bydgostiam ad regem illis dieb. uenisset, & cùm omnia socij & fœderati officia, tum operā suam efficacem ad conficiendā deditionem Choinicíæ regi sanctè pollicendo detulisset, honorificè habitus, donatus, dimissus, & Choinicíam profectus, longè diuersum egerat. Indeq; discedens, misso denuò ad Choinicenses præfectos nuncio sacerdote quodā, non regi, sed sibi Choinicíā tradi aliqua mercede postulabat. Verùm is sacerdos excussus à nostris, ad oppidū admissus non est. His igitur de causis festinabāt, & satagebant nostri. Et faciebat eis potiundi spem, quòd nullo flumine importari in oppidum cōmeatus poterat. Dum hæc gerūtur in Prussia, Georgius Bohemorū rex misit aliquantā manum equitum pariter atq; peditū contra Vuratislauienses, qui ipsi dicto audientes nō erant, duce Sciborio Touazouio Morauo: qui siue iussu regis sui, qui successibus Polonorū angebatur, suaq; interesse putabat, uti quāplurimum haberēt negocij, siue propria temeritate, excursione facta in Poloniam, Zenstochouiam oppidum, & monasteriū, circumiacentesq; pagos diripuit, falso prætextu, quasi rex Polonus Bohemis quibusdā, qui tunc in illo exercitu militabāt, emerita in Prussia stipendia nō exoluisset. Præmonitus ea de re fuerat à nonnullis Morauis & Silesijs æmulis Touazouij Iacobus Dembenius præfectus Cracouiensis. Cui rex absente se curā minoris Poloniæ cōmiserat: sed malo cōsilio usus, ipse quidē cum parte copiarū, quas raptim coëgerat, Osuencimi se continuit: Prædislaum uerò Dmosicium præfectū Scepusiensem cum expeditis ad reprimendū Touazouium misit. Qui tardius molitus, occasionem opprimendi hostē incautū, & securè apud Dornouicium pagū ex labore diurno, & nocturna cōpotatione indormientem amisit. Ita Touazouius incolumis sese cū suis recepit, & Namyslouiensem agrū diuexauit. Nec ausus adoriri Vuratislauiā, in Morauiam reuertit. Expostulauit ea de re cū Georgio Cazimirus per internunciū Castellanum Malogestēsem. Sed ille negauit quicquā eius suo iussu factū esse. Conuentus deinde inter reges per internun-

Damoborij sæuitia.

Cruciferi pacem petunt.

Silesij malè animati in Polonos.

Bohemorum excursio in Poloniam.

Zenstochouia direpta.

ternuncios constitutus, ubi de iniurijs & controuersijs transigeretur, Bythomiæ ad diem S. Andreę memoriæ sacrum. Hoc igitur tumultu motus Rudolphus legatus, rescripserat regi: Se uenire ad diem statutã non posse: uerũ discessione Bohemorũ repentè præter opinionem solutus metu, ad 26 diem Augusti Toruniam paucis post regẽ horis uenit. Cruciferi aliquandiu expectati sunt, quòd legatũ in Silesia impeditum, nõ uenire acceperãt. Interim legatus die natali Mariæ, rege cum procerib. suis præsente, apud sodales Franciscanos, ritu solenni sacra fecit. Postridie uerò mandata Põtificis exposuit, regemq; ad pacẽ cohortatus est. Responsum est: Regẽ, quamuis iustũ bellum satis prospero successu gereret, uictoriamq; penè in manibus haberet, facilẽ tamen fore ad faciendã pacem, & in æquis conditionibus acquieturũ esse. Vbi Magister quoq; cum suis aduenit, placuit, apud Nessouiã potiùs, quàm apud Culmẽsem conuentũ agere sub papilionibus. Nam Toruniã Cruciferos intromittere nostris uisum nõ est, superioris tẽporis periculo admonitis.

Legatus pontificius.

Per eos dies hostile præsidium, quod Zantiræ erat, à Tomezone, & Petro Rabelnio Burggrauio Mariæburgensi expugnatũ est. Ad medium uerò Septembris apud Chomniciam, cùm ex oppido erupissent hostes, cõmisso cum nostris prælio, in oppidum reiecti sunt. Nec multò pòst prandentibus nostris rursus erumpentes, cum aliquot horis strenuè dimicassent, multis amissis terga uerterũt. Instare nostri fugientibus. Hostes ueriti, ne cũ suis nostri simul irrumperẽt, clausis celeriter portis, permultos de suis excluserunt: qui partim cæsi, partim capti, partim cũ in fossam aquæ plenã armati sese præcipitassent, submersi sunt. Nec multò pòst nostri sagittis ignẽ iaculati noctu oppidũ incenderunt, ita ut quarta pars eius cũ frumento conflagraret. Quo uicta tandẽ est hostium pertinacia, missisq; in castra Vlrico Eisenoueno magno Cõmendatore, & Ioanne Zalio, uitã, fortunasq́ue pacti, neq; unquã contra Polonos arma se sumpturos esse sanctè iurati, redditis, receptisq; uicissim captiuis, inter quos erat Paulus Iasenius, oppidũ cum bombardis, & omni apparatu ac instrumẽto bellico ad quartũ Calendas Octobr. dediderunt: & lachrymãtes Lemburgũ profecti, post octauũ diem illud quoq; oppidum atq; Bythouiã Henrico Stolpensi, acceptis ab ipso octo millib. florenorum, captiuisq; receptis, reddiderunt. Victor exercitus Toruniã ad regem ueniens, facta mutua gratulatione benignè & liberaliter habitus est. Chomniciã rex impunitate donauit, quãuis cuncti solo eam æquandã esse suaderent.

Zantiræ præsidium expugnatum.

Chomnicia Polonis dedita.

Iisdem dieb. mons Nesco supra Vecram amnẽ, quem hostes prȩsidio firmãrant, profligatis 40 militibus, qui inde in Masouiam populabundi excurrerant, à comitatu aulico Conradi ducis expugnatus est. Hæc nunciata Cruciferis, incredibilia uideri primò, terrendiq; sui causa à nostris cõficta. Sed ubi uera esse cõperêre, pronioribus animis ad pacem inclinari cœpére, ueriti ne Prussia cuncta à se deficeret. Post multorũ igitur dierum colloquia, tractatusq; cũ nostris habitos, legato põtificio summa fide, cura, studioq; adnitente, & rege nihil de sua facilitate remittẽte, & peste, quæ Toruniæ inualescebat, celerẽ discessionem suadente, tandẽ decima nona die mensis Octobris optata diu pax cõfecta: in scriptũ redacta: legati ac trium tabellionũ manibus subscripta: à Rege, Magistroq; Toruniam accito, & utriusq; cõsiliarijs obsignata est, & in domo publica, quã Geldam uocãt, Rege & Magistro cũ suis congregatis, à legato quidẽ Germanica, à Vincentio uerò Kelbassa secretario regio Polonica lingua publicata, & utriusq; partis assensu, & solenni iureiurando approbata est. His autẽ conditionibus ea conuenit, ut Polonis Culmẽsem, & Michalouiensem ditionẽ, & Pomeraniam omnẽ, ad hęc Mariæburgũ, Stumam, & Cristiburgũ arces, & oppida, Elbingã ac Tolchemitã oppida cum suis territorijs, & munere syluatico, quod *valdampt* Teuthonicè uocatur, & sex pagis, qui ad arcẽ Holandiam pertinuerũt, iure sempiterno obtineret. Tres modò pagi in Neringa Cruciferis propter cõmodiorẽ in Habo lacu piscationẽ relicti, dimidiaq; piscatura lacus Kesel: reliquũ quicquid est in Prussia, ut Magister cũ suis Cruciferis sibi haberẽt, ea quidẽ lege, ut semper sint in fide, & clientela regũ Polonorum: idq; solenni iureiurãdo, quicunq; Magister ordinis deinceps unquã creatus esset, intra sextũ mensẽ per se ipse ad Regẽ ueniens profiteretur: seruaturus omnia, quę tunc cõuenissent, neq; ulla tergiuersatione, aut relaxatione cuiusquã siue absolutione à iureiurãdo, ne ultrò quidẽ oblata usurus: essetq; is princeps & cõsiliarius regni, & ad læuã Regis primũ locũ in cõsilijs, & cõsessibus publicis haberet. Primos quoq; Cõmendatores, quos Magister ederet, ut & ipsi cõsiliarij Regis essent: atq; ita Magister, ordo, ac tota Prussia, & quicquid ij postea bello, uel quouis alio modo de barbaris quærerent, cũ Polonia arctissimo uinculo coniungerentur, & in unũ corpus coalescerẽt, neq; cuiusquã omninò in terris, præterquam regis Poloni maiestatem, authoritatẽ, ac iurisdictionẽ, salua Pontifici Max. sua iurisdictione, agnoscerẽt. Ei uerò contra quẽuis hostem adessent, nec eum in aduersis iuxtà ac in prosperis desererent. Ad professionem ordinis, ut patẽret aditus Polonis, & alijs regiæ ditionis hominibus, dummodò ij dimidiã

Nesco mons expugnatus à Masouijs.

Valdampt.

Poloni recipiũtur inter Cruciferos.

partem ne excederent, eorumq́ etiam in magistratibus, & curationibus mandandis ratio haberetur. Magister uerò nec Rege inscio quauis de causa amoueatur. Quòd si quæ munitiones intra fines utriusuis ab altero adhuc tenerentur, ut ante octauum Calendas Iulij bona fide redderentur. Sin à quoquam alio, tamen alterius ope recuperarentur. Donationes, uenditiones, & aliæ quæuis alienationes bonorũ ab occupatore incommodo ac damno alterius bello durante factæ, ne ratæ essent. Profugis & exulibus equestris ordinis possessiones ademptæ, ut restituerẽtur. Plebeis uerò eo modò, quæ ante initium conuentus illius uenditæ nõ essent. Cæterùm pro uenditis liceret preciũ renumerare. Omnibus autem, ut perduellionis ac defectionis noxa remitteretur. Culmensis Ecclesia amotis religiosis Cruciferis, ut ad ius matricis suæ Gnesnẽsis metropoleos rediret, eiusq́ episcopam Vincentius Kelbassa, simulq́ Pomesaniensem haberet. Eo uerò mortuo, Pomesaniensis Ecclesia in Cruciferorũ ditionem recideret. Arces, oppida, pagi, & quæuis bona Ecclesiastica utrinq́ suis Ecclesijs redderẽtur. Captiui item utrinq́ dimitterẽtur: uiæ publicæ ut essent liberæ more ueteri. Telonia, siue portoria noua, ne qua utrinq́ alteris imperarẽtur. Hęc ita rata, firmaq́ esse, ut omnes Episcopi, duces palatini, Castellani, commendatores, equites, ciuitates iureiurando interposito iuberẽt. Et quãuis authoritate legati pontificij cõfecta, constituta, & stabilita essent, mitterent tamen nihilominùs Rex & Magister oratores ad Pontificẽ, & ab ipso approbari, & cõfirmari pacta illa cũ omnibus conditionibus peterẽt, adiectis in uiolatores pœnis. Hunc igitur tunc exitum bellũ Prussicum, tredecim annis uaria fortuna gestũ, habuit. Omnibus ritè peractis, ad ędem Virginis matris nomine nuncupatã itum est, Deoq́ actæ gratiæ: reliquum diei solis epulis, & conuiuijs datum. Rudolphus legatus tam pulchræ pacis confectæ meritã apud omnes laudẽ tulit: qua cõtentus, amplissima dona à rege missa refutauit. Consiliarij modò regij titulum, honoremq́ cũ pensione, siue salario ducentorũ florenorum in singulos annos, quoad uiueret, in salinis Bochnensib. attributam accepit, & Vuratislauiã se recepit. Magistro item Ludouico, & ijs, qui cũ eo erant primarijs uiris, Henrico Plauenio, Gerardo Mellengrado, Vilelmo Epingio, Vlrico Regiomontano, siue Kynixbergẽsi, Bernardo Lumbergio, Georgio Sliuenio, ac duobus Cruciferis cubicularijs Magistri, perampla pro cuiusq́ cõditione ab eodẽ Rege data munera. Cumq́ is egere admodũ Magistrum cõperisset, præter priora dona, quindecim millia florenorũ ei ultrò dono promisit in emerita stipendia militũ, quò faciliùs Prussia excedentibus illis recreatur. Remisit etiã ipsi in uiginti annos necessitatẽ mittendorum ex pacto auxiliorũ, excepto tamen bello Turcico, si id Polonis inferretur. Vicissim aũt Magister Polonis in ditione sua fundos, & possessiones habẽtibus, tributa, operas, & quæuis alia onera in uigintiquinq́ annos remisit. Missi deinde oratores Romã: à Rege quidẽ, Vincentius Kelbassa designatus episcopus Culmensis, & Pomesaniensis, & Ioannes Ostrorogius iurecõsultus, & Castellanus Mediricẽsis: à Magistro uerò, Ioan. Vinclerus iureconsultus: quibus mandatũ, ut Pontifici gratias agerent, Rudolphi industriam, fidẽ, integritatem, studiũ, atq́ diligentiam cõmendarent, & apicem honoris Cardinalitij pro meritis ei peterẽt. Sic igitur ille uberrimũ est uirtutis, & laborũ suorum fructum cõsecutus: quos eò alacriùs exhausit, quòd Vuratislauia in Prussiã proficiscẽs uiso religiosæ cuiusdã uirginis Veronicę Cracouiensis apud basilicã Vuratislauiensem per multos annos cõmorantis animatus erat: quę illa uidere sibi uisa est coram throno Dei gladiũ utraq́ parte acutum confringentẽ: quo significabatur, eũ bello Prussico finem impositurũ esse. Id quod euentus rei cõprobauit. Non omnibus tamen ea pax grata & iucunda fuit. Nam & Prussi molestè ferebant, tantũ relinqui Cruciferis in Prussia, ut facilè resumptis uiribus bellũ instaurare possent: & Poloni proceres, qui ei paci cõficiendæ nõ erant adhibiti, multa in eam cauillabantur: & milites spem stipendiorũ faciendorum sibi præcisam esse molestè ferebant. Et Lithuani dolebãt, se occasionẽ recuperandæ, quemadmodũ existimari uolebant, Podoliæ, dum Poloni Prussico bello distinẽtur, amisisse. Iam uerò Georgius rex Bohemus, qui magnã retinendi, & ad posteros suos trãsmittẽdi regni Bohemici, spem in eo bello collocãrat: eo finito, impẽsius sibi, liberisq́ suis metuere à Cazimiro rege incipiebat, quòd eius Regni hæreditatem ad ipsum, filiosq́ ipsius per Elizabetham uxorẽ Regis Vngarorum atq́ Bohemorũ filiam, & fororẽ pertinere intelligebat: seq́ exosum esse apud suos, eos præsertim, qui in recta religione permanebant, nõ obscurè animaduertebat: neq́ ignarus erat, Cazimirum ad bellũ sibi inferendum, cũ ab alijs Christianis principibus, tum à Pontifice Max. incitari. A' quo etiã per id tempus ipse iudicio Romę instaurato, hæreseos, & perfidię damnatus, omni regio, ducali, & Marchionali honore non in præsens modò, sed etiã in futurum tempus unà cũ liberis suis priuabatur: & subditis eius indulgebatur, ut ei parẽre necesse nõ haberent. Et egerat quidẽ cum Cazimiro de suscipiendo regno Bohemico Rudolphus legatus quàm diligentis-

Rudolphi integritas.

Cazimiri beneficentia in Magistrũ, & Cruciferos.

Legatio ad Pont. Max.

Visum religiosæ fœminæ.

Pax quibus ingrata acciderit.

Georgius rex à Cazimiro liberis suis metuit.

gentisſimè Torunia diſceſſurus: pollicebaturq́ ipſi non ſolũ ſubſidium Pontificis, uerũ etiam Sileſiæ, & Luzaciæ deditionẽ, quamprimùm arma cõtra Bohemos ſumpſiſſet, aut aliquem de filijs ſuis cum exercitu miſiſſet: uerùm Cazimirus eam conſultationẽ ad comitia regni reiecit. Ridiculè hic de Cazimiro atq; omni diſsidio regũ de regno Bohemico fabulatur Antonius Sabellicus, ſcriptor alioqui diligẽs, ſolam, ut arbitror, famã popularem, & rumores Riui alti ſecutus. Quem res ipſa ſatis refellit. Nobis id obiter admonuiſſe ſufficiat. Dimiſſo legato & Magiſtro, Cazimirus ad quintũ Calendas Nouẽbris Torunia profectus, quoniam peſtis totã ferè Poloniam peruaſerat, apud Cozinicios ſaltus aliquãdiu uenationi uacauit. Intereà Ioannes Srancus collectis duobus millibus mercenariorum militum, ne nihil ageret, finitis ſtipendijs, Pelniciam oppidũ in tractu Stolpenſi occupauit: nec multò pòſt Drahimum, arx regia ab eo, qui Pelciniciæ præfuerat, intercœpta eſt. Regis deinde iuſſu ex pacto reſtitutio utrinq; facta.

Antonij Sabellici error multiplex.

DE ORIGINE ET REBVS GESTIS POLONORVM, LIBER XXVII.

Ann. 1467.

INSEQVENTIS anni initio, ipſis adeò Cal. Ianuarijs natus eſt Regi apud Cozinice Sigiſmundus filius pacata Pruſsia, bono quodã omine conficiendarũ reliquarũ belli Pruſsici, quod Cruciferi ſucceſſu tẽporis renouarũt. Sub finẽ uerò eiuſdẽ mẽſis rex in Lithuaniã profectus eſt: duobusq; penè menſib. ibi exactis, in Poloniã reuertens, ad tertiam diem Maij Petricouiæ comitia habuit. Ibi poſtulantibus legatis Cruciferorũ, quorum Magiſter Ludouicus paucis illis diebus obierat, pax reliquorũ procerum, qui Toruniæ non adfuerant, ſolenni iureiurando cõfirmata eſt. Conſtitutæ etiã res reliquæ Pruſsiæ, quæ in Regia ditione erat: & mutata nonnihil magiſtratuũ atq; honorum ratio, nobilitatis atq; ciuitatũ legatis flagitantibus. Nam gubernatione extincta, & palatinatu Elbingenſi in Mariæburgẽſem commutato, Sciborius Baſenus eo honore cohoneſtatus eſt: Caſtellanus uerò eiuſdẽ loci, Fabianus Maulius factus: palatinus Gdanẽſis, ſiue, ut nunc uſus obtinuit, Pomeraniæ: Otho Maquicius, Caſtellanus autẽ Nicolaus Pilauius: deniq; Caſtellanus Culmẽſis, Ludouicus Mortangius creati. Palatinus enim eiuſdẽ loci, qui ſecundũ Epiſcopos primus eſt in ſenatu Pruſsico, Gabriel Baſenus uiuebat adhùc. Audita eſt etiã Nurduuuladi noui Tauricanorũ Tartarorum principis, qui Ezigeri patri ante ſeptẽ menſes extincto ſucceſſerat, legatio, fœdus, & amicitiã paternã cum Cazimiro, eiusq; ditionis hominibus cõfirmans, & auxilia cõtra quoſuis hoſtes pollicẽs. Conſultatũ deinde de exoluendis ſtipendijs militũ toto Pruſsico bello meritis, quorũ permagnus numerus cũ coniugibus, & liberis aduenerat. Deciſum cũ equitibus quidẽ octonis florenis in ſingulos annos, cũ peditibus uerò quaternis. Quæ ſumma ad bis centũ, & ſeptuaginta millia florenorũ perueniebat: eaq; intra duos annos, & ſemis exolui promiſſa. Tunc quidem bini modò aurei numerati in milites: quaterni intra menſem promiſsi. Neq; quicquã operæprecij tunc factũ eſt per totos ſeptendecim dies, proptereà quòd nobilitas pleraq; omnis in Corcinenſi, & Siedenſi conuentibus renuerat tributum agrariũ in eam rem petitũ. Itaq; placuit nouos conuentus, Coli quidem ad diem ſancti Iacobi, Corcini uerò ad diem S. Laurentij, quò ex Colenſi maiores Poloni aduenirent, inſtitui. Aegrè autem milites in eo acquieſcebãt, Vuladislao Damoborio Caſtellano Naclenſi, homine turbulento, & ſeditioſe, in primis animos eorum ſollicitante: qui dudum Slochouiã intercipere adortus, & ſpe ſua fruſtratus, ex agro arci illi ſubiecto prædam egerat: milites eius arcis præſidiarios, fide data euocatos, perfidè trucidârat: Naclenſi territorio pecuniam imperârat: Gneſnenſis Eccleſiæ bona populatus erat: & adulterinum numum cudere inſtituerat: nec in futurum tempus quieturus eſſe uidebatur. Is igitur quamuis clara Topororum familia, patre Inouuladiſlauienſi palatino ortus, & ſenator regius eſſet, tamen ſponſores dare iuſſus de quieſcendo: cùm non daret, captus, & Petro Samotulio Caſtellano Poſnanienſi, & præfecto maioris Poloniæ traditus: Caliſsiamq́; ductus, eius iuſſu capitali pœna affectus eſt. Ita unius ſupplicio repreſſa tamẽ ſunt utcunq; latrocinia, quæ iam increbeſcere cœperãt, ita ut Ioan. Reſſouius canonicus Cracouienſis, & præfectus Corcinẽſis Petricouia domũ reuertẽs, in itinere, direpta, quã ſecum uehebat, ſupellectili ſua & regia caperetur. Adfuit & Georgij Bohemi legatio, cuius princeps erat Ioan. Hicinius Morauus, fœderis apud Glogouiã icti Cazimirũ admonẽs, ne procerib. Bohemis, & Vuratislauienſib. perduellibus cõtra Georgiũ faueret. Conuenerãt enim unũ in locũ proceres Bohemi nobiliſsimi quiq;,

Comitia Petricouiæ.

Culmenſis palatin Pruſsicum ...

Vuladislai Damoborij improbitas, et cædes.

Georgij regis legatio ad Cazimirum.

& cum his Budeouicensis, Pelsnensis, & omnium ferè Morauiæ ciuitatum legati: Georgiumq́, si iureiurãdo promissa de religione non præstaret, pro rege deinceps nõ habituros se esse cõstituerant: & in aliquẽ de filijs Cazimiri, utpote de stirpe regũ suorum natis, animis inclinati esse uidebãtur. Itaq; anteuertẽs eos Georgius, quod fit plerunq;, diligentiùs ut curentur ea, quæ ab uno, quàm quæ à multis curantur, pactorũ conuentorum Cazimirum admonebat. Huic respõsum: A' Cazimiro quidẽ fœdus seruari, & seruatũ esse: à Bohemo uerò id uiolatũ uideri. Satisfieri ab eo de damnis datis, & iniurijs oportere, si deinceps quoq; fœdus integrũ esse uellet. Ita spes tamẽ aliqua ostensa trepidãti. Nec multò pòst, solutis iam comitijs, adfuêre, & aduersariorũ, hoc est, orthodoxorũ Bohemorũ legati, quorũ Stenco Conopiscius, siue Sternbergius Burggrauius Pragẽsis princeps erat, petẽtes, ut Cazimirus regni Bohemici, quod ipsi, liberisq; ipsius certa quadã successione deberetur, curã susciperet: neq; id à scelerato, perfido & hæretico inuasore occupari pateretur. His respõsum: Nihil iam tunc de re tanta statui rectè posse, conuẽtu dimisso. Cauebat nimirũ rex, ne nouo bello implicaretur, pertæsus Prussici ut qui maximè. Nec tamẽ successionis iure se & liberos suos abdicare uolebat: uerũ spectabat, quò fortuna dissidentium Bohemorũ inclinatura esset. Erat enim armis Georgius, & rebelliũ munitiones in Bohemia oppugnabat: & illi Buzeouice insigne secundũ Pragam oppidũ, quinq; consulibus, qui cũ Georgio sentiebãt, de medio sublatis, sibi adiunxerãt. Et uerò Vuratislauiẽses, quo Georgiũ distinerent, facta è mercenario milite, & urbana multitudine manu, oppida, & munitiones sibi uicinas, quæ in fide illius manebãt, infestabant, Franchesteinũq; cœperant. Sed uicissim in eo ipso oppido obsessi à Bohemis, & Saxonibus auxiliaribus, oppido per scalas inter tumultũ temerè inter milites coortũ capto, exciderunt. Ac equites quidẽ fuga euaserunt: pedites uerò ad quatuor millia partim cæsi, partim capti. Miserant aũt Georgio Vilelmus Misnensiũ ac Turingorum dux, & Albertus Marchio Brandẽburgensium nõ contemnenda equitum auxilia. Hæc igitur circumspiciebat Cazimirus. Peractis autem comitijs, Petricouia profectus, Nepolomiciã diuertit. Ibi oratores suos respõsum Pontificis Maximi referẽtes audiuit. Nihil ab eo tunc impetratum, præter quod Culmensis Ecclesia amotis Cruciferis in pristinum statũ restituta, & Gnesnensi Archiepiscopo denuò addicta est. Cõfirmatio uerò pacis Prussicæ, & relaxatio interdicti in Prussos regiarum partiũ promulgati, Rudolpho Lauantinẽsi episcopo mandata. Qui ad quintũ Calendas Augusti Vuratislauia Cracouiã adueniens cum Gabriele Veronẽsi Franciscano, hæreseon inquisitore, & Petro Ercleo decano Aquẽsi cubiculario põtificio, recẽs Roma missis, regẽ ad suscipiendũ, & à nefario, & hæretico occupatore uindicãdum regnum Bohemicum exhortabatur: & Põtificis, Imperatoris, Germanorũ, & aliorum Christianorum principum opem, & subsidia promittebat: diplomataq; põtificia proferebat, quibus ea demũ conditione interdictũ relaxare, & pacẽ Prussicam cõfirmare uidebatur. Et commodum proceres Bohemi, qui Georgio aduersabãtur, miserant, & ipsi ad Cazimirum è cõuentu Iglauiensi Heliam administratorem Lutomysliensis episcopę, orãtes, ut aut ipse regnũ id sine longiore cõperendinatione susciperet, aut aliquẽ de filijs, uel cũ mille equitibus regẽ sibi mitteret. Suis uiribus regnũ se ipsi uindicaturos esse. Ad extremũ tergiuersante Cazimiro, postulabat Rudolphus, ne tamẽ pro fœderato, nec pro rege haberet Georgium, priuatũ regio honore à Põtifice, sed pateretur piam crucis militiã contra eum in ditionib. suis promulgari. Offendit ea legatio regẽ, & proceres Polonos, qui tũc ipsi aderant in cõsilio, propterea quòd pax cũ Cruciferis in dubiũ reuocari, prætextusq; renouandi belli ipsis præberi uidebatur, propter adiectã in diplomatis conditionẽ. Itaq; res integra ad consultationem cõuentus Corcinensis, qui tunc instabat, reiecta: cõuentusq; ipse propter incommoditatem loci, & pestem circumquaq; sæuientem, Cracouiã translatus: & ad eum maioris Poloniæ proceres propter nouam illã causam euocati, uix ad medium Augusti tandem, nõ omnes tamen, conuenêre. Quindecim ferè diebus consultatum. Ad extremũ placuit gratias agi põtifici, & Bohemis proceribus de oblato regno, quod Cazimiro, liberisq; eius iure optimo deberetur. Sed acceptare id eũ tunc propter infrequentiã senatus, cuius cõsilijs, & auxilijs usurus esset, rectè nõ posse: differri rem ad alia comitia oportere: curæ aũt Regi fore, ut bellũ ciuile inter Bohemos gliscẽs dirimatur: Georgius in uiã redeat, & in potestate sit Põtif. Maximi. Quo minore uerò negocio ea cõfici possint, operępreciũ esse, ut aliquãtisper à publicãdo pontificio decreto, quo Georgius regno priuabatur, & militia crucis abstineatur. Cũ hoc respõso dimissus Rudolphus, Vuratislauiã reuertit. Petro uerò Ercleo Romã reuertẽti adiunctus Ioannes Sẽpinius eques Polonus, qui de cõfirmatione pacis Prussicæ sine conditione rursus ageret. Cui mandatũ & illud est, ut peteret, quò Vincẽtius Culmẽsis episcopus Paulo Varmiẽsi per eos dies peste, seu ueneno, ut creditũ est, extincto, successor daretur: quãuis Nicol. Tungenus canonicus eius Eccle-

Bohemorum legatio ad Cazimirum.

Bohemici motus.

Vuratislauiensium clades apud Franchesteinum.

Bohemorum procerum legatio.

Comitia Cracouiæ.

Cazimiri responsum.

tus Ecclesiæ, Vormithia ortus, qui Romæ tunc erat inter scriptores Apostolicarum litterarum, ritè à collegio Basilicæ illius electus esset. Sed ne Sempinius quidem quicquā impetrauit. In Bohemiā uerò missi legati, Stanislaus Ostrorogius palatinus Calisiensis, Iacobus Dēbenius thesaurarius & præfectus Cracouiensis, & Ioannes Dlugossus canonicus Cracouiensis. In Prussiā autem ad cōstituendas res, Iacobus Sennenius Vuladislauiēsis, Vincentius Kelbassa Culmensis episcopi, & Ioannes Coscelēcius palatinus Inouuladislauiensis. Qui subortas cū Cruciferis nonnullas cōtrouersias diremerunt: & quāuis ægrè, perfecerunt tamen, ut de promissis Magistro à rege quindecim millib. florenorum, duodecim millia ciuitates exoluerent. Rex tribus mensib. exactis Cracouiæ, in Lithuaniā secessit. Iam enim totā ferè Poloniā, Russiam & Masouiā pestis popularis peruaserat. Ibi Nicolao Vilnensi episcopo sub finē Septembris defuncto, Ioannē Iossouicium Vilnensis ciuis filium, qui tunc erat Lucēsis episcopus: huic uerò Martinū Cressouicium gente Gryphium successorē destinauit. Nicolao uerò Camecenensi, qui & ipse ad mediū Octobris peste extinctus erat, Nicolaum Golābicum gente Gryphiū: sed cùm is paulò pòst in itinere à latronib. interfectus esset, Nicolaū Prochnicium gente Custium suffecit. Legati regij in Bohemiā profecti, multa agendo & suadēdo eò rem perduxēre, ut Georgius negaret se quicquā aduersùs Pōtificem, & pacta cū antecessore eius, & cum cōcilio Basileensi cōuenta admisisse: correcturum autē, si quid fortè eiusmodi esset. Cōponendarum uerò Bohemicarum rerum arbitrū Cazimirum nō recusaret. Cæterùm alterius factionis proceres, conuentu apud Vuratislauiā habito, negârunt, se illū arbitrum accipere posse incōsulto Pontifice Max. cuius iussu bellum suscepissent, neq; uerò habendā esse fidem Georgij uerbis atq; promissis: quin susciperet Cazimirus oblatum, & iure sibi debitum regnū, aut uerò aliquē de filijs, quos tam multos haberet in spem plurium regnorum susceptos, regē sibi mitteret. Factæ sunt tamen inter eos, & Georgium quinq; mensiū induciæ: sequentis anni, qui fuit 1468. initio nihil memorabile actū in Polonia, præter quòd pestem latè grassantē annonæ charitas excepit, ex hyberni cœli intemperie, & intempestiuo calore ac siccitate, coorta ingēti multitudine murū: qui horrea depasti, cū se in agros effudissent, segetes quoq; hybernas uirescētes radicitùs arroserunt. Nihilo tamen minùs primo Vere Cazimirus rex cum uxore Cracouiā è Lithuania reuertit. Ibi cōuenit cum Protasius Olomucensis episcopus: & ad uindicandā Bohemiā, & socia cū Imperatore Friderico, & Matthia rege Vngarorū arma cōtra Georgium coniungēda exhortatus est. Secretò uerò quinq; modò cōsiliarijs adhibitis, suasit ut rex fœdus cū utroq; principe noua affinitate stabiliret, collocatis in matrimoniū Matthiæ, & Maximiliano Friderici filio duab. filiabus natu maximis: consultiùs fore, ut per filias certā Vngarici & Bohemici regni hæreditatē nomine uxoris suæ adiret, quā ad filios eam peruenturā expectaret, aut uerò armis eā uindicaret. Non recusaturos esse principes illos cū consiliarijs suis, quin si ipsi liberos nullos relinquerēt, ad Cazimiri liberos ex pacto secundū ipsos successio pertineret. Attingebat quidē Georgium propinquitate Protasius, & magna fiducia & libertate subindè eū officij sui admonuerat. Sed cū plus apud eum ualeret authoritate, siue adeò terrore, minisq; Rochezana, Protasius cum rectè sentientib. Bohemis sese cōiunxit. Et cùm Cazimirus oblatū ab eis nō acciperet: Matthias uerò Vngarorū rex, quāuis gener & fœderatus Georgij, tamen Pōtificis Max. hortatu & authoritate adductus, missa ad eos legatione ultrò id expetiuisset, nō grauatè susceptus est ab eis. Et fortè is tunc nihil habebat negocij cum Turcis, qui reiecti à Iaize arce, quā recuperare nixi erāt, in Asiam ad subiugādum Trapezōtinum imperiū, & cōtra Syros & Aegyptios arma cōuerterant. Quò magis autē Matthias res suas cōtra Georgium stabiliret, fœdus cū Imperatore Friderico percussit, quò eū sibi successorē assentientib. Vngaris designauit. Cumq; prouidendū sibi esse existimaret, ne Cazimirus impedimēto sibi esset, Protasium, nō inscio, ut credibile est Friderico submisit, per quē uel affinitate Cazimirū sibi adiungeret. Aliquātò enim antè uiduus factus erat. Id igitur tunc egit Protasius. Relata re ad cōsilium regiū, responsum est Protasio, Cazimirū ius suum ad regnū Bohemicū, tam hæreditariū, quàm delatū ab ipsis Bohemis, nō repudiasse: uerū reiecisse eā consultationē ad comitia, quæ instaret. Quòd si quis interim id regnū usurpare uellet, curæ ipsi fore, ne id impunè ferret. Cū Matthia rege eū fœdus icere, & affinitatē statuere nō posse, nisi ille iniurias, & damna data Polonis exolueret. Bis ab eius hominib. infestatā esse Scepusiensem orā, quæ in ditione sua esset: Valachiā item, quæ in fide & clientela itē sua esset, anno superiori ab eo uexatā esse. Cū hoc respōso Protasius, quāuis splēdidè donatus à Cazimiro, nō admodū lætus in Vngariā, unde uenerat, rediit. Quod aūt de uexatione Valachiæ memorauimus, ita se res habuit. Tres de principatu, siue palatinatu Valachiæ aliquādiu certârāt, Stephanus, Petrus, & Berēdeius: ad extremū à Stephano reliqui duo eiecti, ad Cazimirū cōfugerāt. Sed cū is nihil opis ipsis afferret, atq;

Legatio Polon. ad Bohemos.

Pestis in Polonia.

Georgij regis responsum oratoribus Polon.

Ann. 1468.

Rochezana Georgio formidabilis.

Responsum à Rege Protasio.

De Valachiæ dominatu contentio.

adeò

adeò Stephanum principẽ esse iuberet, Berendeius in Vngariã profectus, Matthiæ regis opem implorauit. Qui subigendę Valachię occasionẽ non amittendã sibi esse ratus, cõparato exercitu quadraginta milliũ hominũ, per mõtes atq; syluas, Vngariã ac Transyluaniã claudentes, cùm in Valachiã penetrasset, crudeliter eam ferro & igni uastârat. Stephanus uerò quamuis ipse quoq; exercitũ collegisset, auxiliaq; à Polonis accepisset, tamen aperto Marte hostẽ adoriri non ausus, quod se imparẽ esse uiribus eius cerneret, neq; magnoperè suis fideret, insidijs eum appetebat, donec Matthias in oppido Bania castra metatus, rei benè gerendæ occasionẽ ei præbuit. Summissis enim hominibus prima noctis uigilia, nihil tale expectãtibus Vngaris, oppidum pluribus locis incẽdit, ipseq; statim cũ expedito peditatu affuit, & re inopinata perturbatis, nocturna caligine omnia maiora, & formidabiliora faciente, colligẽdi sese spaciũ non dedit. Itaq; Vngari ancipiti periculo ferri & incendij cõstricti, omissa defendẽdi sui cura, quà quisq; poterat, ex oppido sese eijciebãt. Nec ullus planè ab his quidẽ fugæ, ab illis uerò cædis modus fiebat, quoad in Transyluaniam peruentum est. Desiderata tunc esse dicuntur Vngarorum ad decem millia. Rex tribus uulneribus acceptis, cũ reliquijs dissipati exercitus, relictis impedimentis, per ignotos montiũ tramites, Valacho quodã duce, euasit. Vias enim Stephanus succisis arboribus impedierat, & obsederat. Hic tunc belli illius exitus fuit. Miserat autẽ Valachus Cazimiro Regi Vilnã dona de hostium spolijs uictoriæ suæ argumenta: & in posterum consilium & auxilium ab eo petebat. Neq; enim quiescebat post tam insignẽ illam cladem Matthias. Verùm quater cẽtenis millibus aureorũ ẽ mulcta Transyluaniensium coactis, nouum exercitum cõparabat. Sed eum contra Bohemos cõparari Protasius, neq; id falsò, asseuerabat. Per eos autẽ dies, quibus is fuit Cracouiæ, regina Elizabetha sextũ filium nono partu edidit: cui Friderici nomen, Protasij rogatu inditũ est. Posteaquã autem discessit Protasius, pòstridie aduenit Albertus Costca Postupicius orator à Georgio Bohemo, gratias agens Cazimiro de fide, & cõstantia in seruãdo fœdere, ac de studio & opera nauata recõciliandis Bohemorum animis: pergeret porrò inchoatũ opus perficere, quoad durarẽt induciæ. Georgium eius arbitrio cuncta permittere. Orabat etiã de recõciliando ipsi pontifice Max. à quo non modò Bohemi, & Matthias rex Vngarorũ, sed & alij Christiani principes aduersus eum cõcitabantur. Purgaturũ eum esse ea, de quibus insimularetur, & Cazimiri arbitratu satisfacturũ: cuius etiã filium aliquẽ de sententia Bohemorum procerum successorẽ sibi, præteritis filijs suis destinaret, non hæreditario iure, quod nullũ esset regni apud liberã gentem, sed singulari quadã omnium Bohemorum in Cazimirũ propensione, & linguę cũ Polonis cõmunione. Eaq; de re cõstituenda, & conficienda mitteret Cazimirus legatos ad proxima Bohemorũ comitia. Atq; hæc non syncerè, neq; ex animo fiebãt, & mandabantur à Georgio: sed summa necessitate exprimebantur, quo Cazimirũ à suscipiendo ab aduersarijs suis oblato regno, & à societate Matthiæ regis retardaret. Iam enim duxerat Matthias exercitũ in Morauiam, & ciuitatibus eius oræ plerisq; omnibus ultrò sese ipsi dedentibus, in Bohemiam infesta signa inferebat. Nec minùs comiter Georgij legationi responsum est postridie: Cazimirũ libenter omnia Georgij causa facere, deincepsq; facturũ esse, modò ille uerè & bona fide ageret. Rectè aũt & ex officio suo facturos, & suis rebus cõsulturos esse Georgiũ & Bohemos, si nõ nisi de filijs Cazimiri regem sibi sumant. Cum hoc responso dimissus legatus Georgij. Nec mora, legati ijdem, qui superiore anno fuerãt, ad componendas res Bohemicas iterũ proficisci iussi sunt, Dlugosso excepto: cui quod rex liberorũ suorum curam, & institutionẽ mandârat, Nicolaus Scopus Osstrencimensis Castellanus suffectus est. Verùm ij feruente maximè contra Georgiũ bello, quod in Austria quidem à Friderico Imperatore depellebatur, in Bohemiã uerò à Matthia Vngaro maximis uiribus inferebatur, tentata, sed frustrata à legatis põtificijs (nam ad Rudolphũ paulò ante Vuratislauiẽsem episcopum factũ Laurentius Ferrariensis episcopus accesserat) pacificatione, casso labore fatigati reuertebantur. Ad Stephanum uerò in Valachiã missi Dobeslaus Bissouius castellanus Belsensis, & Stanislaus Tencinius Ioannis Castellani Cracouiensis filius, ut eum pollicitatione, auxilij regij cõfirmarent, & locum, tempusq; cũ eo constituerent, ubi is præsens solenne fidelitatis iusiurandũ regi daret. Conuenit: Renouatũ est fœdus cũ promissione mutuorũ auxiliorũ: adiectis his cõditionibus: Ne Valachus, insciẽte & inuito rege cuiquã bellũ faceret: rex uerò ne receptaret hostes eius, qui ad palatinatũ adspirarẽt. Ipse rex dimissis legatis sub finẽ Iunij Cracouia profectus, Prussis, ut ad se accederent, orãtibus, Visliciã diuertit: conuentũ minorũ Polonorũ egit: subsidiũ ad exoluenda Prussica stipẽdia postulauit. Quod nõ abnuebat quidẽ nobilitas, uerũ sine maiorib. Polonis sciscendũ sibi esse nõ putauit. Quare placuit binos è satrapijs, siue palatinatibus legatos ad comitia Petricouiẽsia mitti, qui decernẽdi in cõmune cũ cęteris Regi moderati tributi potestatẽ haberẽt. Atq; hoc

Matthiæ regis expeditio in Valachiam.

Matthias rex uulneratus fugit.

Friderici filius Cazimiro natus.

Morauia in potestatem Matthiæ regis uenit.

Rudolphus Vuratislauiensis episcopus.

Fœdus Polon. cum Stephano Valacho.

hoc tunc primum fieri cœptum, sic inoleuit posterioribus temporibus, ut sine ijs legatis seu nuncijs terrarum (sic enim uocantur) nulla comitia legitima haberentur, neq; tributū decerni, ac ne lex quidem ulla ferri posse uideatur: auctusq; est, & subinde etiamnum augetur eorum numerus. Potestas uerò eorum ad instar Tribunitię apud Romanos, uel Ephororū apud Lacedæmonios esse cœpit. Nam tantùm ij nostra tempestate arrogare sibi cœperunt, ut nullam rem maiorem iniussu suo decerni à Rege & senatu, aut fieri uellent, & in senatum, atq; adeò in Regem ipsum ius atq; censuram grandi supercilio sibi sumerent. Ad extremum crescente indies insolentia, de Religione quoq; Christianæ dogmatibus, ritibus, ac cæremonijs disceptare, & nō accipere, sed ferre leges agressi, Sigismundi Augusti regis, quo regnāte hæc scribebamus, diuina & supra ętatem sese exerente sapientia, & authoritate repressi tamen sunt aliquantisper. Aluerunt autem hāc eorum licentiā, eoq; magnitudinis sensim prouexerant partim Reges superiores multa ipsis indulgendo, siue inopiæ fisci sui releuandæ gratia, siue quieti & ocio suo cōsulentes: partim potentiores & factiosi nonnulli proceres, certatim eos prænsare & epulis, largitioneq; corrumpere, & quocunq; libuisset incitare, & quasi tibias inflare adorti, idq; siue ut gratificarentur, siue ut ægrè facerent regibus, siue ut potentiā suam stabilirent, æmulosq; suos deprimerent, aut ulciscerentur: seu deniq; ut per eos subornatos, quo iure, qua iniuria quiduis perficerēt, quod apertè per se ipsi uel aggredi nō auderent, uel efficere nō possent. Et quidem salutare admodū in republica, esse custodes libertatis cōmunis. Cæterùm prouidendum est etiā atq; etiam, ne quod ad salutem comparatum est, abusu uertatur in perniciem. Metuendumq; est, ne infinita illa potestas, & in licentiam erumpens libertas, non tam publicam fortaisis utilitatem spectās, quàm priuatę alicuius unius, uel paucorum libidini, cupiditatibus, uel deniq; auræ populari seruiens, & regere magis, quàm Regi laborans, prostrata, & euersa regia maiestate, & authoritate senatoria, summā Reipub. confusionem, & barbarā quandam, exitialemq; ἀναρχίαν, ut Græci uocāt, Polonis pariat, aut certè graui & acerba tyrannide finiatur. Quorum utrumuis, eò quidem propius impendere uidetur, quò iuniores & imperitiores rerum, eoq; audaciores id ad munus obeundū legi, siue adeò ipsi sese ultrò ingerere cœperunt, cedentibus impudentię, & importunitati eorum natu maioribus, ut quisq; grauitate, usu rerū, & sapientia maximè pollet. Quod utinā non in consultando quoq; usuueniret, ut non id plerunq; obtineat, quod grauissimis, aut plurimis duntaxat, sed quod loquacissimis, clamosissimis, & minacissimis placitum sit. Sic Romana Respublica amplissima quondam & florentissima, Tribunitijs furoribus exagitata, primùm in licentiam multitudinis intolerabilem effusa: deinde seditionibus, ciuilibusq; bellis quassata, cùm in paucorum dominatum, ac mox sub unius tyrannidem recidisset, nobilitate excisa, senatus authoritate sublata, oppressa omnium libertate, omni calamitate foris, domiq; afflicta, ad extremum barbarorum inundatione à fundamentis euersa, corruit. Sed nos à diuerticulo ad institutum cursum reuertamur. Conuentu Vislicienti dimisso, Rex Colum profectus, maiorem quoq; Polonorum cōuentum egit. Verùm nihilò magis ibi profecit. Reiecta res ad alium conuentum, eodem loco ad uicesimā diem Septembris instituendum. Itaq; Rex cœptum iter per Pomeraniam peragens, ad tertium Idus Augusti Gdanum ingressus, magno populi obuiam sese effundentis studio & lætitia exceptus est: & lautè atq; honorificè habitus, quoad ibi mansit per totos ferè triginta dies. Expurgârant iam ipsi Gdanenses literis atq; nuncijs crimen, cuius apud eum ab Henrico Plauenio Vilnam profecto insimulati erant, quasi ad Burgundionum Ducem deficere statuissent. Instituto autem ea in urbe, ac deinde Marięburgi conuentu Prussorum, ciuitatibus ęgestatem causificantibus, uix eò rem perduxit, ut in octo annos tributum, quod Cisam uocant, sciseeretur. Ac de eo quidem, quod in primarijs tribus ciuitatibus colligeretur, primis quatuor annis, quarta pars illis ipsis ciuitatibus, reliquę uerò tres Regi in stipendia militum cederent. Deinceps uerò ciuitates illæ tres, quicquid apud quamq; redactum esset, sibi haberent: aliundè autem quicquid proueniret, Regi annumeraretur. Sed Gdanenses præterea quinq; millia florenorum de regio prouentu detrahere permisi, quę tunc Regi mutua dederāt: triginta quoq; milia eis remissa sunt, quę anniuersarijs pensionibus per quindecim illos annos nō soluerant. Ipsi uerò contra Gdanense, Dersauiense, & Pusceuse territoria, quæ oppignerata tenebāt, Regi condonârunt. Misit autem inde Rex legatos ad intercipiendum bellum inter Fridericum Marchionem Brandenburgensem, & Pomeranorū ducem Henricum paulò ante exortū. Henricus enim cū ei Fridericus auxilijs Misnensis, Mechelburgēsis, & Brunsuicēsis ducū, & Archiepiscopi Magdeburgēsis, adiutus grauis esset, oratores primū, deinde uxorē ad Regē miserat, opē eius implorās, & subiectionē suam cū suis omnibus ipsi deferēs, si fœdus cū nō moueret. Fortè dimiserat exercitū Marchio, cū ad eū legati regis uenêre. Itaq; facilè inducias in-

Nunciorum nimia potestas.

Romana resp. tribunitijs furoribus euersa.

Gdanensium studium, & liberalitas erga regem.

Prussi tributū in octo annos sciuerunt.

Regis & Gdanensium mutuæ donationes.

Cruciferi primarij ad Regẽ ueniunt.

cias inter dissidentes cõfecerunt, illicq; Cazimirum Regẽ arbitrum cõtrouersię suæ sumpserũt. Marięburgũ deinde se Rex contulit, Henricum Plauenium Magistri uices gerentẽ cum Marschalco & aliquot cõmendatoribus Cruciferorũ ad se uenientes benignè accepit: quę postulabãt pleraq; omnia concessit: Nideburgum oppidum, quod ad eã diem retinuerat, ex pacto reddidit: anniuersarios cõuentus cum Cruciferis Elbingæ agendos, quibus duodeni utrinq; delecti uiri controuersias ultrò, citroq; suborientes disceptarent ac deciderent, constituit: de nõ acceptando regno Bohemorum, si absq; bello id adipisci nõ posset, consilium ab eis accepit: deniq; ad maturãdum noui magistri electionem eos hortatus, quinq; millibus florenorum donatos dimisit. Deinde magistratus in comitijs regni dudũ creatos stabiliuit, aliosq; insuper adiecit: tres regundorum finium præsides, quos Succamerarios uocãt, qui & ipsi locum & sententiæ dictionẽ in senatu habent. Iu-

Iudices nobilitatis in Prussia.

dicia quoq; nobilitatis cõstituit, creatis sex iudicib. totidẽ territoriorum, nimirũ Culmentis, Marięburgensis, Dersauiensis, Succensis, Slochouiensis, atq; Gdanensis. Itaq; cõstitutis rebus Prussicis Mariæburgo discedens, per Culmensem oram ac Toruniã, Petricouiã cõtendit, quò ad nonã diem Octob. comitia edixerat. Per eos autem dies, quibus Gdani & Mariæburgi cõmoratus est, cometes inter Orientem solem, & Septentrionem 15 diebus apparuit. Quo extincto, statim alter illustrior etiã totidem diebus ad Occasum uisus est, insignium malorum mortalibus impendẽtium prodigia. Et sanè permultum sanguinis humani hoc anno profusum est in inferiore Germania, cùm Carolus dux Burgundionum Leodienses, qui dominum suum episcopum Caroli sororis filium cœperãt, & in uincula coniecerãt, expugnasset, amissisq; in oppugnatione quadraginta millib. hominum, urbem eam penitùs excidisset, & solo æquasset. Plurimis autem in locis maximæ inunda-

Charitas annonæ.

tiones aquarum permagnã annonæ charitatẽ effecerunt. Comitijs institutis Petricouiæ, primũ omnium de Vuladislao Damoborio ab uxore & propinquis eius, qui cõplures erãt in senatu regio, actũ. Quærebantur eũ per iniuriã indicta causa cæsum esse, eiusq; facti inuidia omnis, rege asseuerãte iniussu suo cæsum, in Petrum Samotuliũ absentem conferebatur. Data enim opera ob eã ipsam is nõ uenerat. Itaq; citari ad futura comitia iussus est. Ita tunc turba cõquieuit. Introductus deinde in senatum Balthasar canonicus Vuratislauiensis à Rudolpho episcopo & legato põtificio missus oratum, ut Rex interdictum cõtra Georgium Bohemũ, & crucis militiã promulgari in ditionib. suis pateretur. Hunc

Georgij regis legatio ad Cazimirum.

subsecutus est Georgij legatus, iustã illius contra rebelles causam defensans, & quã submissè is Pontifici Max. sese exhiberet, quamq; libenter desiderio, consilioq; Cazimiri in faciendis inducijs obsecundasset, cõmemorans. Ex eo longè deteriore loco res illius esse cœpisse. Orare, ne Cazimirus amicum, eiusdemq; cum suis Polonis linguæ Regnũ, diripi & euerti sineret: sed magis ferret opem, Põtificemq; Georgio recõliaret. Vtriq; responsum: Regem oratores ad Põtificem de rebus illis missurum esse, eisq; mandaturum, ut ad Rudolphum Vuratislauiam, ac deinde in Bohemiam diuerterunt, & utriq; sententiam eius renunciarent. Instauratum est etiã ibi iudicium inter Regem & Conradum ducem Masouiorum natu maximum, & amitã eius Catharinam, quæ cum Michaluscone nupta fuerat. apud recuperatores, siue iudices à rege editos, Prussici belli intuitu eò usq; dilatũ, adiudicataq; sunt Regi Sochassouiense, Vyskicẽse, Viznense Plonense, Plocense, & Za-

Masouia Regi adiudicata.

uucrense territoria. Tractatum item de subsidio publicè in Prussia stipendia cõferendo. Sed nuncijs nobilitatis negantibus mandata ea de re se habere, nouos rursus conuentus Coli & Corcini mense Decẽbri institui placuit. Ibi demũ ægrè perfectum est, ut Iugerale tributum duodenûm grossorum sciseretur: cuius dimidiũ agricola, tantundẽ dominus eius solueret. Laborabatur enim passim magna inopia & charitate annonę propter anni intemperiem. Perpauci tamen fuêre de nobilitate, qui oneris illius partẽ cum suis hominibus sustineret. In sequenti anno Cazimirus rex sub finẽ Ianuarij Cracouia discedẽs in Russiã contendit, mensemq; unũ & semis Leopoli exegit, Stephanũ Valachiæ palatinũ expectãs, ut ab eo fidelitatis iuramentũ ex constituto acciperet. Verũ ille cũ alia multa, tũ Turcicæ & Vngaricæ incursionis metũ caussificatus, re uera autẽ falsò nonnullorũ regiorũ consiliariorũ indicio, ne à rege caperetur, deterritus tũc nõ uenit: iusiurandũ tamẽ Ioan-

Stephanus palatinus Moldauiæ iurat in uerba regis Poloni.

ni Muziloni palatino Podolię, & Spitconi Iaroslauio succamerario Premisliẽsi, legatis regijs ad se missis dedit, recepitq; postea se Camenecia, uel Colomciã, uel Sniatinũ ad regẽ uenturũ esse, modò ut duob. mẽsibus, antè de tẽpore certior fieret. Adfuit aũt Mengligeris noui Tartarorũ principis, qui Nurdulabo, seu Nurduuulabo maiori natu fratri à suis electo successerat, legatio, fœdus, & amicitiã, & auxilia cõtra quosuis hostes regi deferẽs. His de more cũ donis & gratulatione dimissis, cõstitutisq; pro tempore rebus Russicis, rex ad finem Aprilis Cracouiã redijt: stipendiorũ Prussicorum partẽ ex pacto dissoluit: legationem procerum Bohemorum, Morauorum, ac Silesiorum cum Ecclesia catholica

contra

contra Georgium sentientiū, cuius princeps erat Ioannes Zaiecius, audiuit. Erat iam grauis Georgio Matthias rex Vngarorum, in Morauia habens exercitum. Cui Bauarorum dux Otto ualida cruce signatorum militum auxilia adduxerat è Germania. Itaq; postulante Georgio, de pace inter eos agi cœperat: & fortasis ea conuenisset sine arbitris apud uillam Oroficiam prope Olomuciam congressos, nec quicquam intercedentibus oratoribus Polonis, quos Romam & in Bohemiam missos esse suprà memorauimus, nisi legati pōtificij & proceres Vngari atq; Bohemi pio zelo incitati, Matthiam auertissent. Induciæ modò ad finem añi illius inter reges factæ. Nec mora, Matthias Bohemorum regem se renunciari Olomuciæ passus est: profectusq; in Silesiam ac Luzaciam, fidelitatis iusiurandum à ducibus & ciuitatib. partim ultrò oblatum, partim terrore expressum, accepit. Hoc igitur factum suum Bohemi proceres Cazimiro tunc excusabant, cunctatione eius et necessitate adactos id se fecisse: simulq; rogabant, ut Rex rectè de religione sentiens, sibi potius faueret idem sentiētibus, quàm Georgio hæretico. Vtiliorem ipsi Polonisq; amicum fore Matthiam, q̄ illum perfidum. Ad hanc legationē nihil tunc aliud responsum est, q̄ Cazimirum relata re per primam occasionē ad amplissimū consilium, cuius copia tunc non haberet, Bohemis responsurum esse. Neq; enim placebat regi in utramuis partem tūc sententiā suam aperire. Non dissimulauit is tamen lætitiam, cum ei renunciatum esset, filium suum natu maximū ingenti fauore acclamatione Bohemorum, qui cum Georgio sentiebant, successorem Georgio destinatum esse, oratoribus suis Stanislao Brezio, & Gregorio Lubrantio, quos ad eum de conditionibus induciarum cum Matthia factarum sciscitatum miserat, ipsoq; Georgio cum tribus filijs præsentibus, nec reclamantibus. Quod ne Zaiecio quidem principi legationis Bohemicæ auditu iniucundum accidit. Fauebat enim Cazimiri liberis, suadebatq; ei, ut si ipsi Praga & Carlosteinum mox à Georgio traderet, acceptaret oblatam conditionem. Fieri enim posse, ut cum Matthia æquis conditionibus transigeret. Dimissa legatione Bohemica, Rex in Lithuaniam, cum uxore iter habuit, Radomiæq; de ratione depellendi belli, si quod fortè sibi à rege Vngarorum inferretur, cum consiliarijs, frequentes eò conuenerant, consultauit. Ibi eum consecuta est legatio Georgij & Bohemorum, qui in partibus eius erant. Recensebat autem ea, quicquid per illud tempus cum Matthia rege actum esset, & ad Cazimiri legationes responsa referebat. Deinde Vuladislao regio filio natu maximo, regnum secundum Georgiū deferebat, his conditionibus: ut id Georgius quoad uiueret, retineret, Cazimirus cum in gratiā pōtificis maximi reponeret, & contra quosuis hostes tueretur: uxori eius bona dotalia, filijs principatus, procerib. magistratus & honores attributi ut salui essent: Ludmilā Georgij filiā Vuladislaus uxorem duceret. Quibus de rebus cum ad consilium relatū esset, uariabant sententiæ Senatorū. Plures tñ erant, qui regnū armis & sanguine parandum, societatemq; & affinitatem hominis heretici non probarent. Cuius sententiæ principes erant episcopi: quibus etiam sacrorum interdicto uti placuit propter legatos hæreticos præsentes: uerùm de hac sententia contentione aliorū facilè se deduci passi sunt. In quo constantius fuit collegium basilicæ Cracouiensis, cum ijdem oratores redeuntes Cracouiā diuertissent. Tota enim urbe à sacris cessatum est, quoad Bohemi discesserūt. Visum est deinde senatui, cum Rege denuò legatos mittere in Bohemiam de conditionibus suscipiendi regni. Ioannes Tarnouius Voinicensis, & Stanislaus Vātropca Sandecēsis Castellani ire iussi. Ad cōtrouersias uero cū Vngaris disceptādas & cōponēdas designati: Ioānes episcopus Cracouiē sis, Ioānes Tencinius castellanus Cracouiēsis, Derslaus Rithuianius Sendomiriēsis, Stanislaus Ostrorogius Calisiensis palatini, & Ioannes Dlugossus Canonicus Cracouiensis, bis casso labore defatigati sunt, non uenientib. Vngaris. In Prussiam uerò Iacobus Senenius Vuladislauiensis, & Vincentius Kelbassa Culmensis episcopi, & Petrus Duninus Succamerarius Sendomiriensis delegati ad res constituendas, et cōponendas controuersias, ne qua Cruciferis noui belli ansa relinqueretur. Dicebantur enim à Friderico Imperatore & Matthia Rege clàm ad res nouādas incitari. Cōtendit sanè Fridericus siue in gratiam Matthiæ, siue aliqua alia de causa, tum per literas atq; oratores, tum per se ipse Romā profectus, ne pontifex Max. pacē inter Polonos & Cruciferos Toruniæ compositā approbaret. Matthias uero satagebat Cazimirū quauis ratione à Bohemicis rebus auertere, cū ipse minus secundō rerū successu cōtra Georgiū tunc uteretur, post captū per proditionē Victorinum eius filium. Erat enim ab Hērico capti fratre insigni clade in Morauia profligatus: & plerorumq; Bohemorū animos à se abalienarat: nōnulli etiam ex ijs qui cum eo sentiebant, extincti erant. Et uerò Stephani Valachorū palatini geminata excursione in

Cruce signati contra Bohemos.

Vuladislaus Cazimiri filius rex Bohemorum designatus.

Conditiones oblatæ à Bohemis regni Vuladislao.

Legati ad conuentum cum Vngaris.

Stephani Valachi excursiones prosperæ in Transyluaniam.

Vuu Transyl-

Transyluaniã nõ modò ignominiã & calamitatẽ, sed cladẽ quoq; duplicẽ acceperat. Cazimirus ita cõstitutis reb. Poloniciis Radomiæ, p Volyniã & Luscũ in Lithuaniã cœptũ iter peregit, & apud Grodnũ cũ Lithuanis cõuentũ egit. Per quos dies Tartari Zauolgenses, hoc est, qui ultra Volgã siue Rha fluuiũ habitant, Maniaco duce cũ Borysthenẽ trãsmisissent, trib. agminib. factis in Lithuaniã, Podoliã, et Valachiã sese infuderũt. Ac in Lithuania quidẽ siue Podolia Lithuanicæ ditionis, & Volynia oẽm oram circũ Cremeneciã, Zithomiriã, Cusminios, Zudouiã, & Vvladimiriã impunẽ depopulati, ad decẽ millia hominum abegerunt, Lithuanis propter paucitatẽ resistere nõ ausis. Præmonuerat quidem Regẽ de aduentu eorũ Menligeres dux Tauricanus amicus & fœderatus: uerùm pauci tñ Lithuani quãuis iubente Rege, accurrerãt. In Podolia Polonicæ ditionis nihil ferè incõmodi acceptũ retrocedentib. Tartaris, cũ ad Trebouuliã iustus Polonorũ & Russorũ exercitus, Raphaële Iaroslauio Leopoliensi, & Paulo Iasenio Belsensi & Chelmensi præfectis ducibus præstò esset. In Valachia uerò ter, opportunitate locorũ utentib. Valachis cũ Stephano palatino, profligati Tartari retrocesserunt, filio ducis amisso. Quẽ captũ cùm à patre minaci legatione repeteretur, Stephanus præsentib. centũ legatis dissecari, & mox ipsos quoq; legatos palis suffigi iussit, uno excepto, quẽ truncato naso & aurib. nunciũ rei gestæ ad Maniacum remisit. Ad comitia deinde Petricouiensia ad initiũ mensis Octobris edicta Rex profectus, iuri dicundo & legationib. exterorũ principũ audiendis ac dimittẽdis uacauit. Auditi primùm Iacobus Dembenius & Paulus Glouinius, cõmodùm à Pontifice Maximo reuersi, expectationi hominũ, literis suis ex itinere scriptis, quasi omnia rectè confecissent, de se cõcitatę nõ responderũt. Nam neq; pacẽ Prussicã pontifex cõfirmauit, neq; Vincentium Kelbassam Varmiensem episcopũ esse iussit. Quin etiã questus est de Zazimiro, q hęreticis fauere uideretur, eo q neq; interdictũ, neq; crucis militiã cõtra eos in ditionib. suis pmulgari pateretẽ. De regno uerò Bohemico, cũ Matthiæ Regis legati sese opposuissent, legatũ põtifex missurũ se esse dixit, qui causam utriusq; diligenter cognosceret. Introducti deinde Bohemi oratores Georgianæ factionis, superiùs expositas cõditiones iterũ occinentes. Quib. responsum est: Regẽ nihil nisi de sententia Pontificis Maximi de regno Bohemico statuere uelle, cuius legatũ indies operiretur. Post hos auditi quinq; legati Friderici Marchionis Brandenburgẽsis, quorũ princeps erat Fridericus episcopus Lubussensis: & Henrici Stolpensiũ ducis unus, uerùm catus & uafer. Contendebant illi, Stolpensiũ duces Marchionibus Brandeburgensibus esse obnoxios, & ut uulgò loquuntur, uasallos seu feudatarios, proferebantq; Imperatoria diplomata, quibus id confirmabat: Ex aduerso negabat hic, ctiquã esse aut fuisse obnoxios, exceptis Polonorũ regib. Poloniæ namq; fuisse partẽ uniuersam Pomeraniã. Eius aũt cõtrouersię principes illi Cazimirũ regẽ arbitrum sumpserant. Verùm is audita causa, in aliud tẽpus arbitriũ distulit, difficultatẽ & perplexitatẽ causatus. Doctorib. uerò Academiæ Cracouiẽsis mandauit, ut eam diligenter examinarent, iudiciumq; suũ explicarẽt. Videt aũt magis offensionẽ utriusq; uitasse, eoq; Sciboriũ Chelmiũ iudicẽ tractus Posnaniẽsis ad eos allegauit, qui uel amicè dissidiũ illud cõponeret, uel inducijs bellũ inter eos gliscens interciperet. Voluit etiã tunc Marchio Cazimiri filiã filio suo ex altera uxore nato per eosdẽ oratores uxorẽ accipere. Nec is abnuit, sed negociũ id in aliud tẽpus reiecit. Sub finẽ uerò comitiorũ, quæ in quadragesimũ diem extracta erant, aduenit Henricus Plauenius Magister Cruciferorum Prussicorum recens creatus, cum duobus Cõmendatoribus, & iusiurandum fidelitatis Regi solenni ceremonia dedit, proximusq; Regi ad læuã assedit. Honoratusq; à Rege peramplis muneribus, cum in Prussiã redijsset, paucis diebus apoplexia extinctus est. Postremò designati in senatu legati ad externos principes. Ad Fridericum quidem Imperatorem, Stanislaus Vislicius: in Bohemiam, Stanislaus Vantropoca Sandecensis, & Nicolaus Scopus Osuiencimensis Castellani: in Vngariam ad proceres, Ioannes Vantopca canonicus Cracouiensis: in Valachiam, Ioannes Rithuianius Marsalcus regni: ad Tartarorum uerò principem Zborouius. Peractis comitij initio Decembris, Rex cum Regina in Lithuaniam profectus est. Per id tempus, concretis glacie fluminibus & paludibus, Turcæ Vngarorum & Slauorum fines, usq; ad Ciliam atrociter depopulati sunt, neq; Vngaro rege, neq; Imperatore sua defendentibus. Primis autem diebus anni sequentis, nempe 1470. Cazimirus eadem illa hyemis cõmoditate usus, Ploscũ, Vitepscum, & Smolenscum, quæ loca totos sexdecim annos non uiserat, plerisq; Lithuanis proceribus comitantibus adijt: constitutisq; rebus Lithuanicis, primo uere in Poloniam reuertit: & Corcini Alexandrũ Foroliuiẽsem episcopum legatum pontificium se ueniẽtem audiuit. Excusabat aũt is pontificem, quod

Tartari Zauolgenses Lithuaniam, Podoliã, & Valachiam populantur.

Tartari ter à Stephano in Valachia profligati.

Legatio Bohemorum.

Cazimirus arbiter controuersiæ.

Comitia 40. dierum.

1470. ann.

Legatio pontificis ad Cazimirum regem.

Bohemiam Cazimiro attribuere nō posset, propter Matthiam Vngarum, cuius insignia extarent merita in sedem apostolicam, & rempublicam Christianam, arcendis Turcis, & oppugnandis hæreticis. Ei ius quæsitum auferri non oportere: sed iungeret cum eo Cazimirus affinitatem filiæ matrimonio, paritercꝫ contra Georgium hæreticum & hostem ecclesiæ arma sumeret. Addebat etiam, habere se in mandatis, ut ad Matthiam quocꝫ adiret, si quid cōmodare Cazimiri rationibus posse uideretur. Venit eodem legatus Imperatoris Friderici, Raphaël Lescinius, eques Polonus: uerùm complures annos in ministerio Imperatoris uersatus, eicꝫ inter paucos charus. Homo nauus & magni animi, qui parui fecerat difficultatē itineris, pericula, & insidias à Matthia rege comparatas: quarū ergò Theutoni legationem illam defugerāt. Is igitur commemorata Friderici in Matthiam singulari, & pene paterna beneuolentia, cōpluribuscꝫ officijs & beneficijs, inter quæ & illud erat, quòd eius opera & commendatione, cum nonnulla Cazimiri suggillatione coniuncta, pontifex Matthiæ regnum Bohemorū detulisset, de ingratitudine & superbia questus est, quòd is, dum Fridericus ab est, Italiā obiens, Baūkircherū, & quosdā alios Austrios, ad rebellionem & infestandā Austriam cōcitarat, eoscꝫ in fidem ac defensionē suam susceperat. Proinde nihil cōmune deinceps Imperatorē cum eo habere uelle: monere aūt Cazimirū, ut & ipse ab eo sibi caueret, utpote uafro homine, fraudulento, & cupido. Porrò qua de rē Cazimirus Stanislaū Visliciū oratorē ad Fridericū misisset, hoc est, de fœdere et amicitia, ipsum quocꝫ Fridericū idem cupere: quin etiā ad affinitatē cum eo iungendā propendere. Mitteret igit̄ Cazimirus his de reb. ad ipsum oratores cum luculento mandato. Iucunda fuit ea legatio regi. Nec mora, Derslaus Rithuianius Sendomiriēsis, & Stanislaus Ostrorogius Calisiensis palatini ad Fridericū proficisci iussi, ut accipienda Vuladislao regis filio Kunegundi filia Friderici uxore, dandacꝫ uicissim ipsi, aut certe filio ipsius Maximiliano una de regijs filiabus, affinitatē ultro, citrocꝫ & fœdus contra Matthiā iungerent: q̄ fœdere disertè cautū esset, ut Fridericus adiuuaret Cazimiri liberos, in consequendis Vngarorū & Bohemorū regnis. Verùm ij fœdus modò reportarunt. Quod tn̄ Rex cum senatu non ꝓbauit, ꝓpterea ꝙ in eo Fridericus se Regē Vngariæ scripserat. Cautū autē erat, ne utercꝫ ad alterius regna ac dominatus aspiraret. Quę res regiorū liberorum iuri derogatura esse uidebat̄. Reportarūt etiā promissionem Imperatoris, de exoluēda tertia parte dotis, q̄ Elizabethæ Cazimiri uxori ex Austria debebat̄. Ad Georgiū item missi, Iacobus Dēbenius Cācellarius regni, & Stanislaus Sidlouecius Castellanus Zarnouiēsis, postulaturi, ut is Vuladislao Cazimiri filio uiuens regnū traderet. Iussi etiā ijdem cū procerib. Bohemis, Matthiæ partes sequentibus, agere de reconciliatione, cū Georgij partes meliore loco iā essent tunc. Habebat enim is nō contēndū exercitū, & Gradisci diuturnā obsidionē soluerat, in Tirnauiēsem agrū Vngariæ uicissim excurrerat, Matthiā cum equitatu Bohemiā circū Kuthuos mōtes uexantē, raptim sese nō sine ignominia & incōmodo recipere compulerat: & uerò Silesiā præsidijs uacuā, quippe q̄ diuturno bello iam exhausta esset, longè latecꝫ infestabat, ita ut Silesiorū duces atcꝫ ciuitates u[illegible]ationē agrorū suorū magno redimere cogerentur: & Matthiæ denunciarent, se rebus suis aliter ꝑspicere oportere, ni ille sibi maturè opē ferret. Vndecim aūt septimanis Corcini cōmoratus Cazimirus, relicto ibi legato pōtificio, in Prussiā cum iusto propè exercitu triū milliū hominū contēdit, ut à Stephano Moldauo promissum iusiurandū exigeret. Verùm is bellū cū Radulone Transalpinæ Valachię palatino caussificatus, nō uenit: sed missis oratorib. atcꝫ literis suo & procerū suorū signis signatis, ad Calendas Maias aīi sequētis uenturū se esse, ꝑmittebat. Interim aūt ut Rex bellū suū cū Radulone interciperet orabat. Quæ quidē res fuit curę Cazimiro, uerēti ne Radulo implorato Turcarū auxilio, mali aliquid Moldauię cōciliaret. De aduentu quocꝫ Stephani constitutū, ut sine omni excusatione adesset intra sextū mensem ex quo à Rege acciret̄. His ita actis, Corcinū Rex redijt, & minorū Polonorū conuentū egit. Inde Petricouiā ad comitia ad uicesimāoctauā diem Octobris edicta, ire perrexit. Ibi cum subsidium ad exoluenda stipendia poposcisset, qđ erat caput comitiorū, obiecta est maiorū Polonorū infrequentia, & Russorū petitio, ut sibi contra Tartarorū incursionē prospiceretur: denicꝫ ꝙ ad eam diem Rex iura regni & prærogatiuas ordinum à maiorib. suis datas, diplomate suo nō confirmasset. Recusabat enim id Rex, seu uerius tergiuersabatur, in gratiā Lithuanorū, ne recuperare ab ijs, q̄ detracta de Polonorū regno possidebant, cogeret̄. Eò namcꝫ spectabat illa diplomatis exactio, & hoc erat eius caput potissimū. Verùm ubi ille diploma quod ꝑscebatur, consignatū exhibuit, siue adeò promisit, colonis quidē duodenûm grossorū in iugera, oppidanis autē in domos ꝓ portione tributū impositū est.

Friderici Imperatoris legatio ad Cazimirum.

Legatio Cazimiri ad Fridericum Imperatorem.

Legatio Cazimiri ad Georgium & Bohemos.

Valachorum Moldaui atcꝫ Transalpini bellum.

Priuilegia Polo. à Cazimiro confirmata.

Cruciferorum magister Henricus Richtembergius iurat in uerba regis Poloniæ.

Nouus deinde Magister Prusicorum Cruciferorum Henricus Richtembergius, Henrico Plauenio repentina morte extincto apud Mōtem regium suffectus, Petricouiam cum uenisset, in senatum introductus, in uerba Regis iurauit. Cum Varsauiensibus etiam ducibus, tractatum de Plocensi, Rauensi, & Gostiniensi dominatu. Ac Plocensis quidem eis concedebatur, si à Rege eū iure clientelę, siue feudi, ut uocant, acciperent, & uiginti millia florenorum, quæ Conrado Olesnicēsium duci Rex numerarat, renumerarent. Sed cum ij conditiones hasce non acciperent, in alia comitia res dilata est. Datum etiam est responsum legato pontificio, petitumq;, ne pontifex priorem de regno Bohemico sentētiam, qua id Cazimiri liberis iure successionis legitimæ detulerat, mutaret: neu quid deniq; præcipitanter ageret, donec Regij legati cum nouis mandatis ad eum uenirent. Iussiq; eo proficisci Michaël Abbas Lyssecensis siue Caluimontanus, et Iacobus Dēbenius Cancellarius regni & præfectus Cracouiensis. His mandatū, ut confirmationē pacis Prusicæ, & regnū Bohemicū Vuladislao regis filio iterū atq; iterū peterent. Ad Georgium ex itinere diuerterent, eumq; cum suis hortarentur, ut resipisceret ab hæresi, & in potestate pontificis esse uellet, ac de regni sui successore staret promissis. Videbatur enim is mutata sententia, Matthiæ id destinare. In Prusiam uerò missi, Iacobus Vuladislauiensis episcopus, Stanislaus Ostrorogius Calisiēsis, et Ioannes Coscelecius Inouuladislauiēsis palatini, exortas controuersias disceptarūt. Solutis comitijs, Rex cum regina Posnaniā, uoti à Regina nuncupati, apud ædē Corporis Christi exoluendi causa, iter fecit. Inde Colū, pfectus ad cōuentū maiorū Polonorū, ut Tributū agrariū & ipsi sciscerent, pfecit. Inde porrò Radomiā se contulit, et ad finē añi ibi substitit. Initio uero noui anni in Lithuaniā cum Regina de more secessit. Vbi solito diutius immoratus est, rebus cōponendis uacans. Nam & Liuones, Magistro suo uita functo, sexdecim Lithuanorū pagos diripuerant, & apud Kiouienses post mortē Simonis Olelcouitij ducis, non satis quietæ res erāt. Etsi enim reliquerat Simon filiū & filiā, eosq; paruulos moriēs Regi p nuncios cōmendarat, cū ei equū & arcū, quibus contra Tartaros bella p ipso gerens usus erat, dono misisset: Rex tñ Lithuanorum suasu in formā prouinciæ Kiouiā redegit, et Martinū Gastoudū Lithuanū Kiouiensibus præfectū, siue palatinum dedit. At illi indignū ducentes, parêre homini neq; illustri, neq; consentiēti secū de religione, & Lithuano, q̃ gens tributaria maiorib. suis fuisset, Gastoudū aduenientem bis non recipiebant: à Rege aūt petebant, ut Michaëlem Simonis fratrē, q Nouogrodensib. tunc Regis nomine præerat, aut aliquē duntaxat Græcæ sectæ, deniq; uel de filijs suis aliquē sibi præficeret. Ad extremū tñ cum Regē à proposito nō dimouerent, Gastoudū acceperūt. Liuones uerò creato nouo magistro, Lithuanis missa ad regē legatione satisfecerūt, pacēq; instaurarunt. His ita peractis, Cazimirus reditū in Poloniā maturauit, ut liberorū suorū reb. in Bohemia consuleret. Varij namq; sensus animorū et motus in Bohemis tunc erāt. Nam Silesij duces, Polonis finitimi, bello ciuili inter se decertabant. Cæteri uerò, cùm ob reprobā monetā & sæuitiā, tum quòd à Georgij exercitu impunè uexabantur, Matthiam odisse cœperant. Bohemi uero alterius factionis, grandibus promissis & muneribus à Matthia inescati, diuturniq; belli pertæsi, in eum propendebant, celeriorem finem belli, faciliorem'q; indulgentiā pontificis maximi per eum sperantes, q̃ si regis Poloni filium regem accepissent. Quin & Georgius ipse Matthiam successorem iam non abnuere uidebatur, quòd ei quoad uiueret, Matthias regnum cōcedebat, Victorinum filium liberum dimittebat, & Silesiæ uel Morauiæ Marchionem facere destinabat. Ad hæc, quoniam Matthias nullos habebat liberos, spes ostentabatur eius morte ad Georgij liberos regnum Bohemorum rediturum esse. Ad has autem cōditiones necessitate magis, quàm uoluntate Matthias pertrahebatur, propterea quòd & Vngarorū suorum animos Strigoniensi archiepiscopo & Quinqueecclesiensi episcopo authoribus à se alienatos esse intelligebat: & Turcæ subacta superiori anno Eubœa insula (quam Necropontum siue Nigropontum nunc uocant, ab urbe primaria, quæ Chalcis olim fuit) feroces, Transalpinā Valachiam & Vngariam, usq; ad Zagrabiam & Croaciam ter excurrentes, immaniter depopulati erant. Idemq; identidem, ni reprimerētur, facturi esse uidebantur, ita ut uereri Matthias cogeretur, ne dum alienū regnū appetit, suū amitteret. Quocirca permittente Georgio, Bohemi utriusq; factionis Polnam conuenerant, confecissentq; rem, inclinatis ad pacem utrinq; animis, nisi Iacobus Dembenius, & Michaël abbas, oratores Cazimiri Romam proficiscentes, fortè fortuna interuenissent: admonitoq; Georgio cum suis fidei & constantiæ, ut res integra in reditum suum differretur, persuasissent. Quibus uix Bohemiam egressis, Georgius, tumore pedum in reliquū corpus peruadente, uitam cum morte commu-

Ad Georgium regem.

1447. ann.

Liuones pacē petunt à Cazimiro.

Georgij regis inconstantia.

Turcæ Eubœā subigunt, Vngariam infestant.

Georgij regis mors.

commutauit. Eius morte cognitâ, Matthias cum nouem ferè millibus armatorum Posonio Bernam accurrit: Stenconem Conopiscium cum duobus millibus in Bohemiā præmisit, ut Bohemos suadendo ac territando in partes suas pertraheret. Verùm inter eos, comitijs Pragæ creandi noui Regis causa institutis, neutiquam conueniebat. Nam alij Polonum, alij Vngarum, alij Cæsarem cupiebant, nonnulli Henricum Georgij defuncti filium malebant: ij potissimum, qui ab externo rege hæresi suæ metuebant. Pollicebantur aūt ij sibi Alberti Marchionis Brandeburgensis auxilia: qui cum soror Henrici nupta erat. Erāt, qui ad regem Francorū spectarēt, quòd redimi ab eo regia & ecclesiastica bona posse existimabant. Ludouici quoq; Bauari mentionē nonnulli faciebant. Iam uerò Albertus Misnensis Marchio sibi non deerat. Aduenerat enim cum quinq; millibus militum, quasi opē laturus Bohemis, si quis uim facere eis uellet, re uera aūt suū negocium gerebat. De his omnibus rebus Cazimirus partim adhuc in Lithuania, partim in Poloniā reuertens, certior factus, Paulum Balicium, mox Martinum Vvrorimouiciū, deinde Dobeslaū Curozuancium equites ad Bohemos ablegauit, iuris sui, promissiq; ipsorū eos admonens. Aderāt & Matthiæ oratores, episcopus Agriensis, & palatinus Transyluaniensis. Re diu Pragæ agitata, & ad extremū ad Cuthuos montes comitijs, quo liberiora essent, translatis, uicesima quinta die Maij Vvladislaus Cazimiri Polonorū regis filius rex à Bohemis renunciatur, quāuis reclamantibus Ioāne Rosembergio, Stencone Conopiscio, & Henrico Gradecio proceribus, qui Matthiæ studebant. Mox delecti cōplures legati de primoribus, nobilitate, & Pragensi ciuitate utraq; prestantes uiri, qui Vvladislaū primo quoq; tempore accirēt è Polonia Frustratus eā spe sua Matthias, nullo crudelitatis genere è Bohemis & Morauis abstinebat. Quin & Albertus Marchio Misnensis exercitus, quē habebat, fiducia grauis esse Bohemis cœperat. Nec desperabat adhuc de regno, ꝓpterea q̄d Vvladislaus id suscepturus esse negabat. Verùm is coorto in se Bohemorū tumultu, in quo nōnullos milites amisit, incenso oppido cū metallis, raptim sese cū suis recepit. His ergo de causis Vvladislaus maturare ꝑfectionē suā in Bohemiā rogatus, acceptis à patre septē millib. equitū, ac duob. peditū, ductoresq; exercitus Paulo Iasenio, uicesimaquinta die mēsis Iulij Cracouiā egressus est, deductus à patre bidui itinere. Fuêre autem in comitatu eius insignes, Nicolaus episcopus Camenecēsis, Vincentius Ennensis, & Paulus Laodicensis, à quib. Pragę diadema ritu solēni suscepit: Stanislaus Ostrorogius Calissiēsis, & Nicolaus Cutenius Lenciciensis palatini, & Ioannes Dlugossus præceptor. Proficiscenti uerò sex duces Silesiorū sese adiunxêre. Apud Closcū uerò obuiā uenientib. Bohemis proceribus, & omniū ordinū permagna multitudine, in leges Bohemorū iurauit: & omne æs alienū, qd' Georgius contraxerat, (quod quidē ad trecenta millia florenorū ascendebat) imprudētius in se suscepit: pacatamq; regni possessionē adijt, Matthia domesticis incōmodis, & motib. Vngarorū procerū reuocato. Nam ij, posteaquā Vvladislaū regis Poloni filiū, Matthia prętereito, regē creatū esse acceperūt, quod secretis cōsilijs aliquādiu agitauerāt in apertū proferentes, miserunt & ipsi legatos ad Cazimirū, alterū eius filiū Cazimirū regē sibi dari petentes: q; ferre diutius Matthiæ tyrannidē nō possent. Quod ni faciat Cazimirus, uel à Turcis auxiliū sese petituros esse. Sumptus aūt belli se præbituros esse pollicebantur. Nec spreuit eorū postulata Cazimirus, Cazimirūq; filiū cū non contēnendo exercitu Petro Dunino duce in Vngariā misit, Derslaū Rithuianiū palatinū & præfectū Sendomiriensem, Ioannē Tarnouiū Voiniciensem, Stanislaū Vantropcā Sandecensem, Stanislaū Sidlouiciū Zarnouiensem castellanos, & alios quosdā præstantes uiros comites ipsi adiunxit, & Paulo Iasenio è Bohemia reuertēti mandauit, ut è Morauia rectà in Vngariā cōtenderet, & cū Cazimiro cōpias suas cōiūgerēt. Ipse eū pater Sandeciā usq; deduxit. Maturè de his procerū suorū consilijs factus erat certior Matthias apud Bernā statiua habens. Itaq; nihil sibi reliqui fecit ad festinationē, et quascunq; habuit in Morauia, Silesiaq; copias, in Vngariā contraxit: primores nōnullos à se alienatos, partim terrore exercitus, partim ingentib. promissis ad se reuocauit, Eos secuti cæteri, dū tardius molit̄ & uenit Cazimirus, uacillare & ipsi, ut est mos gentis, fideq; mutare. Itaq; aduenięs Cazimirus præterita Cassouia siue Cosſicia, quæ à Palatino Transyluaniensi & Emerico Diaco Scepusiensi Comite occupata iam erat, ad Otsanū oppidū diuertit. Inde ꝑfectus, apud Nitriā, quæ in ditione Strigoniēsis Archiepiscopi erat, statiua habuit. Neq; quisquā Vngarorū procerū ꝑ omne id tēpus ad eum uenit, præter Quinqueecclesiensem episcopū, qui & ipse statim Strigoniū, unde uenerat, se recepit. Matthias uerò cū sexdecim millia hominū in exercitu haberet apud Budā, occurrens aduentanti Cazimiro, triū milliariū spacio ab eo castrametatus est. Nec tamē pugnæ

Bohemorum dissensio in creando rege.

Vvladislaus Cazimiri filius rex Bohemorum creatus.

Paulus Iasenius dux exercitus.

Vngarorū procerum defectio à Matthia rege.

Cazimiri profectio in Vngariam.

copiam Polonis faciebat, propterea quòd Vngarorum iuxtà ac Polonorum, quorum nõ paruus erat numerus in castris eius, fidem suspectam haberet: in agrestibus uerò, quę maxima pars erat exercitus, exiguam fiduciam collocaret. Dum sic utrinq; tempus teritur, uenit ad Cazimirum Polonorum regem Tilemãnus Slechtus canonicus Coloniensis, cubicularius & nũc ius Sixti, eius nominis quarti Pontificis Max. qui per illud tempus Paulo secũdo uita defuncto successerat. Hortabatur aũt regem ad pacem cum Vngaro faciendã. Id adeò, siue quod Matthiæ põtifex consultũ ire cupiebat, ne regno excideret, siue q; eum à Turcico bello auerti molestè ferebat, ad quod suscipiendũ Paulus secundus eũ incitarat, permotus amissione Eubœæ, Transyluaniæq;, & Vngariæ Transistranæ, Croaciæ siue Liburniæ, Carniolæ, Ciliç, Illyrici, & Istriæ, usq; ad portas Labaci & Goritiæ dira & miserabili populatione, incendijs, & innumerabilium hominum in barbaricam seruitutẽ abactione: cui nullum neq; modum, neq; finem faciebat Isaacus Turca Bosnæ præfectus, quẽ ipsi Sendiacum Slauico, ni fallor, uerbo uocant. Non difficilem autem in eo se Cazimirus põtifici præbuit, & utriusq; partis proceribus pacis arbitrium permittebat, non ignarus, non respondere spei suæ & pollicitationibus Vngarorum procerum, filij sui res in Vngaria. Et cum hoc responso dimisit Tilemannum, in Vngariamq; proficiscenti, Ioannem Vantropcam canonicum Cracouiensem cum iisdem mandatis ad filium & Vngaros proceres, comitem adiunxit. Interim autem dum hæc fiunt, mercenarij milites, qui externi ferè erant, è castris Cazimiri apud Nitriam positis dilabi cœpere, ob non soluta stipendia. Quorum discessione moti primores exercitus, persuaserunt Cazimiro, ut relicto ad præsidium Nitrię Iasenio cum quatuor millibus, ipse cum reliquis copijs in tutũ se reciperet, prius quam ab hoste, qui auctis copijs adesse nunciabatur, obsideretur. Qui quidem receptus effusę fugę fuit simillimus. Non enim constitere nostri, donec Gilauiam peruenêre. In itinere ad sexaginta quadrigas, quæ sequebantur fugientes amisêre, ab agrestibus interceptas. Eius autem ignominiæ culpa penes Derslaum Rithuianium potissimum fuisse dicitur. Sed merito tunc ea Polonis diuinitùs accidisse credita est, propterea quòd ij proficiscentes in Vngariam, soluta prorsus disciplina militari, non modò à ui & rapinis sacrorum iuxtà ac profanorum, sed etiam à stupris puellarum & matronarum, & omnis generis iniurijs & contumelijs sibi nõ temperauerant. Atq; hæc extremis anni diebus acta sunt. Extincti autem sunt eo anno duo episcopi, Sciborius Plocensis, & Ioannes Cracouiensis: nam Matthias Mednicensis siue Samagitiæ uno anno hos præcesserat. Ac Ioanni quidem Ioannes Ressouius Russus, à collegio basilicæ Cracouiensis per compromissum electus, succesit: Sciborius uerò, propter collegij Plocensis dissensionẽ, tardius successorem accepit. Quatuor & uiginti erant, qui ferebant suffragia. Ex his duodecim Sciborium Belscium archidiaconum, sex Cazimirum Boleslai Varsauiensium ducis filium canonicũ, totidem Andream Opporouium iureconsultum, ipsum quoque canonicum, & Gnesnensem Archidiaconũ, quem Rex per Nicolaum Chranstouium uexilliferum Cracouiensem commendabat, episcopum edebant. Sed Sciborius precibus & minis uictus, in gratiam Cazimiri competitoris iure suo, quod erat potissimum, cessit. Opporouius ut idem faceret, impetrari à Rege non potuit. Quare cõtrouersia inter duos disceptanda Romã delata est. Ibi uerò Rege pro Opporouio, Friderico autem imperatore pro Cazimiro contendentibus, secundum Cazimirum decem & octo annos natum, pronunciatur: Opporouio uerò in gratiam Regis Varmiensis episcopa, summoto & in Camenensem translato Nicolao Tungeno, attribuitur. Sed post quatuor demum annos Cazimirus sacris episcopalibus initiatus est, homo nihili, & ministri cuiusdam obscuræ conditionis arbitrio cuncta gerens. Insequẽs annus millesimus quadringentesimus septuagesimus secundus, à cometæ siue Pogonię apparitione sumpsit exordium: qui paruus quidem in se, uerum longam & illustrem post se caudam trahens, uago & incerto cursu, nunc ad septentrionem, nunc ad meridiem, nunc ad occidentem solem, caudam quoq; nunc huc, nunc illuc obuertens, totos duos menses perdurauit, magnorũ malorũ, quæ cunctã ferè Europã proximis tribus annis peruaserũt, & maximè pestilentiæ per populos & gentes grassaturæ prodigiũ. Cazimirus iunior dies aliquot Gilauiæ cõmoratus, Rosembergæ item aliquot apud Petrũ Comorouiũ, nõ eam tantũ arcẽ, sed & Licauã, & Orauã & Gradecũ, quas obtinebat in extremis Vngariæ finibus, ipsi concedentẽ, nusquã securè pedẽ figens in Poloniã se recepit, iussusq; à patre Dobessiciæ tertio à Cracouia milliario subsistere, aliquãtisper ibi quasi in secessu mãsit, pudore acceptæ ignominiæ lucẽ & conspectũ hominũ fugitãs, & ne patris dolorẽ, quẽ ille peracerbũ hauserat, aspectu suo exacerbaret. Iasenius uerò nec ipse multũ Nitriæ cõmoratus, per

Legatio pontificis ad Cazimirum regem Polon.

Sendiacus.

Cazimiri receptus ex Vngaria.

Plocensis collegij dissensio in eligendo episcopo.

1472. ann. Cometes.

Iasenij receptus ex Vngaria.

per tempus induciarum quas quindecim dierum cum Matthia pepigerat, trecentis modo militibus, in arcis præsidio relictis, inde excesit. Quē Matthias uiolata fide insecutus, adoriri tamen ausus non est caute incedentē, & ad prælij dimicationē paratū obfirmato ad honestè moriendū animo prius, quàm turpiter fugeret, aut sese dederet. Atq; is cum Vngaria excessisset, Matthias quatuor loca, quæ Polonorū præsidijs tenebant, per deditionē facile recuperauit. Stropcouia sola propter uicinitatem à Polonis retēta. Hæc omnia peracerba Cazimiro regi accidebant. Huc & illa cura accedebat, q nō habebat unde militib. ex Vngaria reuersis, & merita stipendia flagitātibus, dissolueret: nō modò ærario in Prussicū bellum, & sumptuosas illas duorū filiorū in Bohemiā & Vngariā expeditiones exhausto, uerumetiā plerisq; prædiorū, præfecturarū, metallorū, & uectigaliū fructib. ac reditib. oppignoratis & alienatis, ita ut ne in quotidianū quidē uictū sumptus ei supperterent. Eo factū est, ut milites, quib. non numerabantur stipendia, uias publicas latrocinijs infestarēt, & in bona sacerdotū inuaderent, non solum obuia quæq; agentes & ferentes, uerūetiam abstrusa perscrutantes. His incōmodis Rex ut obuiam iret, ad mediū mensis Martij comitia Petricouiæ habuit. Sed de subsidio in stipendia nihil impetrauit. Reiecta res ad Colensem & Corsinensem conuentus. Ibi demū duodenûm grossorū in iugera tributū ei constitutū. Sacerdotalis uerò ordo Gnesnensis, Cracouiensis, Vvladislauiensis, & Posnaniensis, diœcesion, haud cōtēnendo subsidio ipsum iuuit, omnib. dimidios reditus secundū ueterē æstimationem conferentibus, præter Cracouiensem diœcesim, in qua propter exquisitiorem æstimationem octonideni grosi in marcas collati sunt. Missus deinde à consiliarijs regijs Castellanus Sandecensis ad Vngaros proceres, de pace siue inducijs inter reges conficiendis. Quāquā aūt insolescebat prosperis rerū successibus Matthias, eosq; ipse apud exteros quoquouersus missis literis in immensum gloriosus attollebat, & archiepiscopo Strigoniensi & Quinqueecclesiensi episcopo, contra datam fidem mortem accelerauerat, annuas tamē inducias, per quas de pace ageret, concessit, Turcici belli metu. Quod tñ impendēs Husancassanus Persarū rex, & ipse Turcica gente ortus, illato Turcis graui bello, auertit. Nā Trapezontē & Sinapolim urbē cœpit, & Asiā minorē penè omnē, ferro & igni uastauit. Oblatas aūt ab Vngaro inducias rex Polonus, refutatis iniquiorib. quibusdā cōditionibus, breuiori spacio tēporis terminauit, nō nisi ad diē D. Ioānis Baptistæ natalē duraturas, ut interim de pace inter reges, nō excluso etiā Bohemo, Olomucię per legatos ageret. Quod tñ, ob tēporis breuitatē fortassis, factū non est. Interim aduenit in Poloniā legatus pontificius Marcus Venetus presbyter Cardinalis, adhortans regē ad pacē cum Vngaro faciendam, & ad suscipiendū bellum contra Turcas: ad quod & ipse Husancassanus cum p oratores suos incitabat. Nec abnuebat lōgiores inducias & pacē Cazimirus: uerū Matthias cognita eius inopia, nactusq; ipse per uim atq; tyrānidē (captis nōnullis proceribus, nōnullis uerò sublatis) permagnas diuitias, & solutus in eū annū Turcici belli metu, difficiliorem sese præbebat. Quin & pax cū Friderico Imperatore ipsi cōstituta ferociorē eum fecerat. Itaq; legatus pōtificius cū aliquādiu Cracouię, deinde Corcini, quo rex Cracouia pestē fugiēs secesserat, ac Sādeciæ hæsisset, in Vngariāq; inter nūcios suos missitasset, re infecta, siue adeò dilata, Vvratislauiā discessit. Rex uerò cōuentu minorū Polonorū Corcini acto, Petricouiam profectus, comitia regni totius ad Calend. Nouemb. habuit: magistratus & honores nonnullos distribuit: subsidium senum grossorum in iugera impetrauit, nouem de primoribus consiliarijs legatos ad conuentum Nyssæ cum Vngaris & Bohemis de pace ad initium Februarij instituendum (sic enim inter reges denuò conuenerant) designauit: oratoribus Vvladislai Bohemorum regis auditis, quingentorum militum auxilia ad Cuthnorum metallorum præsidium ei misit. Inuasurus enim ea Matthias Vngarus ferebatur, Colino oppido per deditionem Victorini Georgij filij potitus, ubi mille equites & octingentos pedites habebat, Victorinumq; cæteras munitiones quascunque is obtineret, ex pacto propter donatam libertatem reposcebat. His peractis, Posnaniam rex cum regina uoti soluendi gratia profectus est. Inde in Prussiam, ad res nouas spectantem, contendit. Etenim Nicolaus Tungenus, quem amotum Varmiensi episcopa, ad Camenensem translatum esse à Pontifice Maximo, superiùs diximus, partim sua ipsius cupiditate, atque dolore præreptæ episcopæ incitante, partim alijs Prussis, qui Polonis honores in Prussia mandari permolestè ferebant, subornantibus, animum uerò ei addentibus aduersis Cazimiri rebus in Vngaria, facta quingentorum peditum mercede conductorum manu, & magno agrestium numero ad eos cōfluente, episcopam Varmiensem inuaserat, partim expugnatis non sine cęde hominū, partim per deditionem

Cazimiri regis Polon. egestas.

Polonorum legatio ad Vngaros.

Legatus pontificius Cardinalis ad regem Polon.

Nicolaus Tungenus episcopam Varmiensem inuadit.

acceptis munitionibus. In Elsbergæ quidem oppugnatione hæsit, & propè quingentos homines de suis, quos ebrietas audaciores fecerat, amisit. Hinc factũ est, ut faciliùs bellũ illud à legatis regijs Iacobo Vvladislauiensi episcopo, & Nicolao palatino Lenciciensi interciperetur, ea lege, ut de cõtrouersa episcopa staretur sententiæ Põtificis Maximi. Nec tamen præterea quicquã operæprecij tunc fecit rex in Prussia. Contendebant enim Prussi, ut non nisi sibi arcium præfecturæ mandarentur: nec id abnuebat rex, sed pecuniã eos poscebat, qua his qui eas obtinebant, debita stipendia dissolueret. Quod cum Prussi recusarent, ad Pentecosten futuram res dilata est. Venerũt autem Toruniam ad regem oratores Christierni Danorum regis, postulantes ut Cazimirus filiam marchionis Mantuani è sorore uxoris ipsius Christierni, & Alberti marchionis Brandeburgẽsis susceptam, filio suo Vvladislao regi Bohemorũ despõderet. Res ad ipsum Vvladislaũ reiecta. Vexata est hoc autũno trib. Turcarũ excursionib. omnis ea ora Illyrici, quæ est circa Sauũ flumẽ, itẽq; marchia Slauonica, Histria, & Forũ Iulij, usque ad castellũ sancti Danielis nemine resistente.

Danica legatio ad regẽ Polonorum.

DE ORIGINE ET REBVS GESTIS POLONORVM, LIBER XXVIII.

1471. ann.

POst initium uerò noui anni Cazimirus rex cum Elizabetha regina Torunia discedens, per Gostininũ & Varsauiam in Lithuaniam iter fecit: ad mediũ Quadragesimę Vilnæ Lithuanorũ cõuentum egit: ubi senum grossorum Pragensium tributum in aratra ipsi decretum est. Per id tempus Poloni, Bohemi & Vngari proceres cum Marco Cardinali apud Nyssam conuentum egerunt: tametsi Matthias rex uir inquieto ingenio, & indignè ferens, quòd Stropcouia regis Poloni præsidio teneretur, indeq; uicinus circũquaq; ager Vngariæ uexaretur, magis ad bellum quàm ad pacem spectare uidebatur. Apud Bernam enim Morauię cum quatuor millibus militum statiua agens, Bohemorũ animos è propinquo sollicitabat, Silesiosq; duces inter se committebat: & perfecerat, ut Ribnicensi à cæteris bellum inferretur, Ribnichi oppidum expugnatum adimeretur, Zarchi uerò oppugnarentur: captiq; fuissent, nisi Iacobus Dembenius cãcellarius regni, & præfectus Cracouiensis, regis iussu cum tumultuaria manu in ditiones obsidentium impetum fecisset: quo factũ est, ut pacto res inter duces cõponeretur, ea lege, ut obsessum quidem oppidum in Dembenij, captũ uerò in Cropacij iunioris, qui homo equestris in ditione ducis Ribnicensis erat, potestate esset, quoad inter reges dissidium cõponeretur. Sed tamen magna legati pontificij cura ac diligẽtia uix eò res perducta est post sex septimanarũ disceptationem, ut ad mediũ Augusti mensis alius conuentus Oppauiæ inter proceres, Vngaros quidem & Polonos octonos, Bohemos uerò senos ex utraq; parte institueretur, Polonus rex Stropcouia pręsidium deduceret, Vngarus & Bohemus suarum uterq; partium Bohemis iusiurandũ relaxaret: ipsi reges in propinquo essent, Polonus quidem apud Osuencimum, Bohemus apud Closcum, Vngarus uerò Olomuciæ, quo facilius de omnibus è conuentu ad eos referri posset: quòd si qua de re inter delegatos & inter ipsos reges non conuenisset, Carolus Burgundionum dux, aut si is nollet, uel non posset, Francorum rex arbitrio suo cõtrouersiam dirimeret. Ita tunc discessum. Quo liberius autẽ uacaretur ei conuentui, Marcus cardinalis inducias inter reges authoritate pontificia, pœnis in uiolatorem adiectis, prorogauit. Quæ ubi Cazimirus è Lithuania reuertens cognouit, comitia Petricouiam ad primã diem Maij edixit. Verùm de minoribus Polonis nemo ferè procerum affuit: offensi enim erant distributione honorum superioribus comitijs iniquius, quemadmodum ipsis uidebatur, facta: in qua Ioannes Tarnouius castellanus Voinicìensis, Dobeslaus Cmitha Lublinensis, & Stanislaus Vantropca Sandecẽsis, immeritò præteriti esse existimabant. Itaq; Radomię ad Pẽtecostẽ alia comitia instituta sunt: ubi delinitis offensorũ pcerũ animis, de actis cõuẽtus Olomucẽsis disputatũ est. Nec magnoperẽ ea cuiquã probabant. Sed cum inopia Cazimiri, & aliquanto maior etiam Vvladislai, ita ut pater ei tamen decem millibus aureorum missis subuenire necesse habuerit, perpẽderetur, & uerò Bohemi ea, referente Alberto Socolouio Vvladislai legato, approbasse dicerentur, ne sibi quidem repudiandas esse eas conditiones duxerunt. Itaque designati ad Opauiensem conuentum legati, Ioannes Cracouiensis, & Iacobus Vvladislauiensis episcopi, Lucas Gorcanus Posnanien-

Conuentus Polonorum Vngarorum & Bohemorũ procerum Nyssæ.

Pacta inter reges Nyssæ conuenta.

Legati Poloni ad Opauiẽsem conuentum.

Posnaniensis, Stanislaus Ostrorogius Calissiensis palatini, Dobeslaus Cmitha castellanus Lublinensis, Ioannes Rithuianius regni marsalcus, Sbigneus Olessnicius procancellarius, & Ioannes Dlugossus canonicus Cracouiensis. Stropcouia deducto præsidio, Nicolao Perenæo reddita. Ad Prussos missus quispiam, qui regem excusaret, quod ad constitutum tempus in Prussiam non ueniret. Ad Fridericum uerò Imperatorem allegatus Adam decanus Posnaniensis, ut ab eo regni Bohemorum, quod iure feudi, ut uocant, imperatori Romano est obnoxium, confirmationem Vuladislao filio regis peteret, eaq; lege societatem cum Friderico contra Matthiam utriusque nomine sanciret: adderetq;, Valachum quoque ei bello pro sua parte non esse defuturum, dummodo ipse quoque Imperator Matthiam summa ui adoriretur. Quanquam enim iecerat non ita multo antè Imperator fœdus cum Matthia, sed id necessitate quadam adductus, nec satis æquis conditionibus fecisse uidebatur: propterea quod ad Matthiæ nutum acephalus exercitus, qui se fratres uocabant (erant autem ij crucè signatorum militum reliquiæ) Austriam grauiter infestabat: & rebelles Austrij, quorum princeps erat Baumlcircheri, à Friderico necati, filius, ab eodem adiuuabantur. Itaque occasionem ulciscendi Matthiæ captare Fridericus existimabatur. Et grata quidem ei fuit legatio. Sed dilata res est ad Imperialia comitia Augustam Vindelicorum ad Calend. Septembris edicta. Ad quæ missi oratores, à Polono quidem Paulus Iasenius, Stanislaus Curozuancius canonicus Cracouiensis: à Bohemo uerò Burianus supremus cubicularius, & alij duo: cum neque Imperatorem, neque principes electores Augustæ reperissent, sex propè menses Tadelsbergæ apud Albertum Marchionem Brandeburgensem, benignè ab eo habiti, expectarunt, donec Imperator ex inferiore Germania rediret. Ibi enim is cum Carolo Burgundionum duce fœdus & affinitatem sanciebat, unica filia eius Maria filio suo Maximiliano cum successionis pacto desponsa. Tametsi in irritum tunc omnia illa pacta reciderunt, propterea quòd Carolus Matthiam Vngarum fœdere illo comprehendere contenderat. Aliquanto tamen post, Carolo ab Heluetijs in pugna interfecto, Maximilianus Flandrensium, ad quos Maria se contulerat, fauore & studio, nequicquam inficiente rem Gallorum rege Ludouico, optatis potitus est nuptijs: & Burgundiam accisam tamen à Gallo, Flandriam, Brabantiam, Limburgum, Geldriam, Lucemburgum, Hannoniam, Hollandiam, Selandiam, & Artesium in dotem accepit. Hac igitur de causa Friderico diutius commorante in inferiore Germania, & comitia differente, oratores Poloni uix ad Pascha insequentis anni optatum responsum referentes, reuerterunt. Cæterùm Cazimirus appropinquante die conuentui Opauiensi præstituta, Osuencimum cum sex millium ferè hominum comitatu sese contulit. Conuenerant enim ad eum complures uoluntarij de Polonis & Lithuanis proceribus, & mille Tartari Lithuanici. Vuladislaus quoque Bohemorum rex apud Closcum non contemnendum comitatum habebat. Plurimorum enim studia & uolũtates integritate & benignitate sua iam ad se allexerat, præsertim cum non grauatè eos iureiurando soluisset, ostendens pluris se publicam pacem atq; tranquillitatem, quàm priuata sua commoda facere. Quod quidem eo plausibilius erat, quòd Matthias cum idem, quemadmodum cõuenerat, suis fecisset, mox pœnitentia ductus grauius iusiurandum ab eis exigebat: & recusantibus extrema quæq; minabatur, palamq; testabatur, se eorum fidei negocium suum non esse crediturũ. Quare cum Poloni & Bohemi partium Vuladislai maturè Opauiam cõuenissent, à Matthia præter Albertum episcopũ Vesprimiensem Vngarũ, & Albertũ Costcam Bohemũ, nemo affuit. Vngaros aũt alia quoq; res remorata est. Ad paucos redacti fratres acephali in Austria, & partim Ecingeri armis fracti, partim calce sali & farinæ immixta extincti, in Vngariã sese receperãt, & siue q; emeritis apud Matthiã stipendijs fraudabant̃, siue ut egestatẽ suã releuarent, eam oram Vngariæ, quæ ad Poloniam uergit (Poloni enim ferè erant) armis longè, lateq; infestabant, munitis & præsidio firmatis Modragora & Bucouecia arcib. siue castellis. Iam uerò & Nicolaus Perenæus Stropcouiã eis concesserat. Post uicesimã demũ diem Vngari proceres expectati aduenêre. Aduenit & Rudolfus Vuratislauiensis episcopus, cum tribus consulibus eiusdem ciuitatis. Nec tamen quicquam operæprecij in eo quoq; conuentu factũ est, cum duriores conditiones ab Vngaris proponerentur. Optatum tamen Polonis & Bohemis accidit, quòd res ad Caroli Burgundionis arbitrium, cui se staturos esse inconsultò promiserant, peruentura non esset, & quòd reliquorum Bohemorum animi à Matthia deinceps alieniores fore uiderentur. Ita tunc Opauia pace infecta discessum est. Nec cessabant fratres, de quibus superiùs diximus, Vngariam uexare: ad quos reprimendos

Matthias

Stropcouia Vngaris reddita.

Fratres siue acephalus exercitus.

Friderici Imp. conuentus cum Carolo duce Burgundiæ.

Vuladislai regis Bohemiæ indoles.

Fratres acephali Vngariam infestant.

Matthias rex fratres acephalos bello persequitur. Matthias cum parua manu profectus, Modragoram non difficulter siue per uim, siue per proditionem in potestatē suā redegit, milites præsidiarios in uincula coniecit: Ioānes quidem Suchodolius, qui fuerat præsidij præfectus, euasit in Poloniā, fugāne elapsus, an dimissus, nō constat. Non multo quidē pōst is Crosnæ interfectus est, & interfector eius Cazimiri regis decreto sine iussu à supplicio & reatu absolutus est. Bucoueciā deinde adortus Matthias, ea quoq; per deditionem Barzorū trium fratrū, qui præerant præsidio, potitus est: milites præsidiarios arma ad se in castra deportare, & fustibus ignominiæ causa armari iussos (ita proditores armari debere memorans) cum singulis modò uestibus emisit, sponsione ab nobilioribus accepta, ne unquam contra se, ne pro rege quidem suo & patria militarent. Quocirca compræhensi hi sunt postea Cazimiri iussu, & in carcerem compacti ob tam indignam sponsionem. *Aestus & siccitas.* Neq; hoc solum incōmodum eo anno Polonia pertulit: sed æstu quoq; & ardore uexata est usqueadeò, ut aluei fluminum plerorumq; arescerent: Vistula etiam apud Toruniam esset uadabilis: syluæ saltusq; radicitùs arderent: segetes, uernæ præsertim, squalerent: pecudes & iumenta oblitis limo cum herba uoratis intestinis interirent: incendia quoque urbium, oppidorum & uillarum crebra extitēre. Stradomia quidem ad uicesimam sextam diem Iulij penitùs conflagrauit: postridiē uerò coorto in cœnobio uirginum apud sancti Andreæ incendio, tota ea platea, quæ Arcensis dicitur, & proxima canonicorum arsit: arx ægrē defensa. Conflagrarunt etiam Velicia, Coninum, Belsum, Chelma, Lubomlia, præterea basilica Lenciciensis, cum uicinis domibus archiepiscopi & sacerdotum, itemq; Mogilense monasterium: obijt uerò Ioannes *Ioannis Grusciniij archiepiscopi mors & uita.* Gruscinius archiepiscopus Gnesnensis, cum Cracouiam à rege euocatus uenisset, repentina correptus amentia, ita ut ne procuraretur quidem sacris mysterijs, consentaneum exactæ uitæ exitum consecutus. Fuit enim in omne libidinum & audaciæ genus proiectus: cuius ambitione Cracouiensis diœcesis grauiter, ut suprà memoratum est, diuexata erat. Auaritiæ uerò & immoderati in euehendis & locupletandis fratribus studij, seu uerius cupiditatis fructum, qualem oportuit, uiuens non decerpsit. Nam eo demum defuncto, de Cosmino, quod grandi pecunia mercatus erat, inter Bartholomæum castellanum Sendomiriensem, & Nicolaum cognomento Cosinidrum, fratres eius germanos, certatum est. Exequias quidem non admodum honorificas habuit, dedignantibus eum hoc honore sacerdotibus tam Cracouiensis, quàm Gnesnēsis basilicæ, in qua sepultus est. *Iacobus Sennenius archiepiscopus Gnesnēsis.* Successor autem ei rege postulante à pontifice designatus est, priusquā dies electioni præstitutus aduenisset, nō sine infamia cupiditatis, Iacobus Sennenius. Huic uerò in Vuladislauiensi episcopatu suffectus Sbigneus Olesnicius procancellarius regni. Clemens quoq; Kiouiensis episcopus, homo plebeius, sed probus, eo anno defunctus, Albertum Narbuthum equestri apud Lithuanos familia ortum, successorem accepit. Tartari uerò Mescenecense territorium Kiouiæ uicinum depopulati, ad septingentos homines captiuos abegerunt. Per idem tempus Turcæ è Bosna excurrentes, omnem ferè Styriam & Carinthiā depopulati sunt. Cæterùm in Asia minore siue Armenia bis collatis cum Husancassano signis, insigni strage uicti, ad quinquagintasex millia militum, & centum quinquaginta *Mahometis fuga.* tribunos militares, qui Subbasse uocantur, amisēre. Nox prælium diremit: cuius caligine tectus Mahometes imperator, fuga euasit. Mox saniori usus consilio, munitis inter montium angustias castris, obiectu bombardarum, hostium ferociam non sine magna eorum strage repressit, ubi & Husancassani filius desideratus est. Nec insequens annus quietior *1474. ann.* Polonis fuit. Matthias enim rex, cum contra acephalos siue fratres prosperē rem gessisset, quēadmodū paulò antē memorauimus, quòd eos à Cazimiro subornatos cōtra se fuisse suspicabatur, siue adeò compertū habebat, nihil moratus hybernū anni tempus, exercitū sex millium hominum duce Thoma Tarcio in submontanam Poloniæ oram immisit, collocato in syluis Poloniam ab Vngaria disiungentibus præsidio, ut sese tutò inde recipere possent. Præmoniti quidem nostri fuerant tempestiuē de hostium consilio, sed nihilo magis sibi prospexerunt. Itaq; Vngari turmatim excurrentes, omnia ferro & igni uastabant; Smigrodum oppidum noctu scalis admotis cœperunt: arcem uerò ictibus bombardarum quassatam, per deditionem acceperunt, & nouis propugnaculis, fossisq; munierunt. *Oppida submontana incensa.* Direpti sunt ea excursione & incensi uici siue oppida, Iaslum, Brostecum, Colazice, Fristatum, Dembouecia, Ducla, & Pilsna (quæ tunc opulenta erant) & propē ducenti pagi: indeq; captiuorum ingens numerus in Vngariam abactus. In senes uerò & pueros ferro sæuitum est. Crosna oppidum, quamuis parum abfuerit, quin proderetur, nauiter tamen defensum, itemq; arx Golesia Tinecensis abbatis. Mussina uerò episcopi Cracouiensis,

propter

propter paucitatem defensorum, ex pacto dedita. Inspectabat ferè hanc regni sui uastationem Cazimirus rex, Visliciæ cōuentum agens, ac de bello Vngarico, quod sibi, suisq; ingruere didicerat, depellendo consultans. Vbi senum grossorum tributum in iugerum impetrauit: militiam siue expeditionem bellicam, quæ libera & arbitraria nobilitati tunc erat, pro modo facultatum siue redituum cuiusque fieri debere decreuit: homicidij pœnā, increbescentibus iam tunc cædibus mutuis inter equites, auxit, ut qui eques uolens ac data opera equitem interfecisset, tetrum carcerem in ima turre toto āno perferret, ac centum & uiginti marcas proximis agnatis interfecti lueret. Dum autē submontana quidem Polonia ab Vngaris ita uexatur, Visliciæ uerò à rege & senatu de repub. consultatur, aduenerunt à Stephano palatino Moldauiæ nuncij de re bene gesta contra Radulonem Transalpinæ palatinum: quem Stephanus illis diebus profligarat, & cùm alias quasdam munitiones, tum Dambrouiciam arcem primariam de eo cœperat, thesaurumq; & uxorem cum duabus filiabus ipsius inde asportarat. Attulerunt autem ij nuncij regi uigintiocto militaria signa de hoste capta. Hos uerò triduo consecutus est alius: qui celerem regis opem implorabat, quòd diceret Radulonem à Turcis adiutū, munitiones amissas recuperasse, Valachiamq; ingressum, obuia quæq; ferro & igni uastare. Itaq; celeriter missi oratores, Dobeslaus Bissouius castellanus Belsensis, & Aegidius Suchodolius, qui inter eos bellū pace uel inducijs dirimerent. Michaëlis uerò Buzacio præfecto Sniatinensi mandatum, ut sine mora cum Podolica nobilitate Stephano iret suppetias: Polonica uerò omnis nobilitas ad arcendum bellum Vngaricū apud Opatouecium prestò esse iussa. Verùm segnius ea conueniebat, mandata leuis, ne dicam lenti regis paruipendens: solutaq; disciplina militari, partim tardius domo sese expediebat, partim in uicinis sacerdotum possessionibus immorabatur, non modò consumens reposita, uerùm etiam domo asportans, ita ut non minùs incommodi à suis, quàm ab hostibus acciperetur. Expectabat rex Opatouecij, cūctantesq; crebris nuncijs dimissis frustrà conuocabat. Interim Poloni & Vngari proceres internuncijs ultro, citroq; missis, conuentum inter se de componenda pace instituerunt. Disceptatum aliquandiu de loco, eo quòd neutri sese alteris credebant: & Matthiæ fides non modò nostris, sed ipsis etiam Vngaris suspecta erat: quippe qui aliquot ductores ordinum in suo exercitu, & Osualdum Zagrabiensem episcopum, unum de pacificatoribus, per eos dies Liuociæ siue Liblij, quasi impensius fauentes Polonis, cœpisset. Ad extremum, cum Vngari ex antiqua uilla, Poloni è Sramouice conuenissent, uicesima prima die Februarij pacem fecēre his conditionibus, ut munitiones interceptæ & captiui utrinque redderentur, damnorum datorum neutrobi mentio fieret: Vngaro cum Polono & Bohemo, ut triennes induciæ essent: quas si quis regum uiolare uellet, subditi eius ne ei dicto audientes essent: aliorum uerò quisquis eiusmodi quicquam tentaret, ab omnibus pro hoste, & perduelli haberetur, nihilo tamen minus firmæ essent induciæ. Hoc uerò facilior fuit Matthias ad æquas conditiones, quòd Transyluanienses à se alienatos, Cazimiro sese dedere uelle acceperat. Et misērē ij quidem ad eum legationem, se suaq; dedentes, & pecuniām, equos, ac milites contra tyrannum pollicentes: sed tūc demum ea aduenit, cum regi de pace confecta renunciatum est. Quocirca infectis rebus mœrens ea discessit. Ad hæc Mahometes Turcarum imperator cum ualido exercitu Bosnam inuaserat, & Iaize arcem acerrimè oppugnabat. Sed repulsus cum ignominia, demersis in profluente bombardis, abscessit, de aduentu Matthiæ factus certior. His tunc de causis Matthias cum Polonis & Bohemis pacem siue inducias accelerauit. Quæ tamen firmæ ac diuturnæ non fuerunt. Nihilominus enim hostilem aduersus utrunque regem animum retinuit. Et in Cazimirum quidem Tungenum episcopum atque Prussos ac Silesios incitauit: in Vuladislaum uerò quosdam subornasse creditus est, qui eum ueneno extinguerent, deprehensum uenenum, confessi sontes cum quæstionibus subiecti essent, & capitali pœna affecti. Et Morauos autem, quorum pars magna cum Vuladislao sentiebat, infestare & subigere non intermisit. Sed hæc paulò pòst animaduersa: tunc autem pace facta, Polona quidem nobilitas dilapsa est, de sacerdotum & monachorum, atq; adeò regiorum quoq; & suorum colonorum gallinis, anseribus & gregibus triumphans: & expugnatis, euersisq; magna uirtute eorum cellis & horreis, præclaras manubias & opima spolia ferens. Vngarus uerò rex nihilo magis quiescebat cum ijs copijs, quas habebat: sed Petrum Comorouiū, locupletem in primis hominem, qui Cazimirum regis Poloni filium receptauerat, ulcisci instituit: nulloq; negocio septem arces eius, in Vngaria quidem sitas, uerùm Poloniæ & Silesiæ finitimas, ex inopinato adortus, in potestatem suam redegit, ultrò dedēte eas ipso

Como-

Comitia Visliciæ.

Stephani Moldaui uictoria de Transalpinis parta.

Polonæ nobilitatis licentia.

Induciæ inter Vngaros & Polonos ac Bohemos.

Turcæ ab obsidione Iaiza repulsi.

Petrus Comorouius septem arcibus à Matthia rege spoliatur.

Comorouio, & in Poloniam excedente cum omni familia, acceptis à Matthia octo millibus florenorum: erant enim eæ uacuæ defensoribus. Ita Comorouius quàm facilè bona illa in Vngaria quæsiuerat, tam facilè rursus amisit. In Silesiam uerò duo millia cum Ioanne Bielico Silesio misit. In auxilium Venceslao duci Ribnicensium, qui ab Henrico Georgij Podiebradij filio duce Cozlensium bello uexabatur. Ac recessit quidem Henricus ab obsidione Plesnæ, siue Pelcinnæ, Vngarico exercitu aduentante: cæterùm Venceslaus quoque, cum non fideret Vngaro, portas oppidi copijs eius clausit, & Osuecimum ad Iacobum Dembenium palatinum Sendomiriensem, & præfectum Cracouiensem, qui ibi erat cum præsidio, perfugit. Bielicus irritatus facto Venceslai, Pelcinam oppugnare adortus, per deditionem eam accepit, ea lege, ut liceret Venceslao ad Matthiam adire, & admissi ueniam petere. Excurrerant autem ex eo exercitu trecenti milites in territorium Osuecimense populabundi, qui à Polonis profligati sunt. Per id tempus uenêre ad Cazimirum duo legati Veneti, alter ad Persas, alter ad Moschos transitum petentes. Non grauatè concessus est. Ab Husancassano uerò Persarum rege Catharinus Zenus, & ipse Venetus, triennio apud eum legatione functus, affuit, incitans regem ad bellum contra Mahometem Turcam suscipiendum. Atque id quidem publicè, secretò uerò filiam Husancassani natu maiorem, è Catharina filia Imperatoris Trapezuntij susceptam, uni alicui de Cazimiri filijs uxorem deferebat, dotalemq; Græciam cum Constantinopoli promittebat, ipsius Husancassani armis uindicandam, & cum filia uxore simul tradendam. Contra Vngarum quoque copias & impendia belli pollicebatur. Sed uana & leuis ea legatio uisa est: neque aliud quicquam ei respōsum est, quàm regem per suos legatos Husancassano responsurum esse. Exarsit mox aliud bellum in maiore Polonia subornante, ut creditum est, Matthia excitatum. Ioannes enim Zeganensium dux & natura amens, & post interfectum fratrem Henricum furijs exagitatus, Zeganensem quidem dominatum Misnensibus marchionibus uendidit, alieni uerò appetens, collectis quatuor millibus militum è promiscua opificum et agrestium colluuie, transmisso Odra fluuio, ad Vuschouam, quam Freistadiam Germani uocant, duxit, bonæ spei plenus, propterea quòd & bombardas à Vuratislauiensibus iussu Matthiæ regis commodatas habebat: & proditionem in oppido instruxerat. Ac incensum quidem est sub eius aduentum duodecim locis oppidum: sed oppidanorum uirtute ac diligentia strenuè defensum, restinctaq; incendia. Quo facto, Zeganensis dux omisso oppido, in quo capiendo euentus spei eius non responderat, totum territorium frequentibus & benè ædificatis uillis atq; pagis cultum percursans, ferrò & igni uastauit. Deinde castris à Glogouia non longè positis, prædas agebat è uicinis oris Poloniæ. Neque quisquam Polonorum inhibere hostiles illas excursiones satagebat, ne priuata quidem sua calamitate irritatus, aut periculo excitus. Ita torpor & ueternus quidam omnes occuparat. Vnus omniū Petrus Gunicius gente Prussus, maiore animo quàm consilio, cum triginta modò familiaribus in trecentos pabulatores impetum fecit: fusosq; & fugatos cum improuidè ad castra usq; persecutus esset, coortis undiq; hostibus conclusus in medio, & oppressus, uti forti & generoso uiro dignum erat, nō inultus tamen, cum omnibus suis socijs cecidit. Coadunauerat quidem Lucas Gorcanus Posnaniensis, & Stanislaus Ostrorogius Calissiensis palatini, et Matthias Mosinius præfectus maioris Poloniæ, duodecim millia hominum de maioribus Polonis: sed inertes apud Costenum & Vuschouam desidebant, fumantes quoquouersus pagos inspectantes, & ploratus, ululatusq; captiuorum tantum non exaudientes. Nec modò nō ibat obuiam hostibus tanta illa multitudo, uerùm etiam hostilia & atrociora propemodum quàm hostes ipsi in suos patrabat. Nam & direptionibus sacrorum iuxta & prophanorum, pulsationibus agrestium, incendijs, uirginum & nuptarum stupris, denicq; nullo scelere sese abstinebat. Quo factum est, ut sexcenti pagi in Polonia tunc exurerentur. Supramemoratorum tamen procerum possessionibus hostes pepercerunt: indeq; orta suspicio, aliquid eos commune cum illis clàm habuisse. Nullus autem fuisset hostilium illarum excursionum modus neq; finis, nisi dux Zeganensis in oppugnatione Cōpaniciæ, dū temerè sese incendio munitionis miscet, ambustus & semianimis sublatus esset: unde postea neq; ualetudinem, neq; uigorem animi recuperare potuit. Eo demùm casu ducis sui exercitus ille consternatus, dilapsus est, erat eo tempore Cazimirus rex Toruniæ, componendis rebus Prussicis intentus. Nicolaus enim Tungenus, fauentib. & incitantibus, & clàm adiuuantibus Prussis cum alijs, tum cōsulibus Gdanensibus, quibus permolestum erat, Polonum sibi præfici episcopum, cum plerasque alias episcopales munitiones obtineret, reliquas quoq;

Silesij duces commissi.

Husancassani promissa.

Vuschoua incensa ac defensa.

Costenum oppidum.

Tungeni episcopi conatus.

quoque, nempe Elsbergam & Seburgum per dolum in potestatem suam redegerat: nihil moratus promissa sua de expectando iudicio pontificis Max. cuius etiam diras appellationibus & alijs artibus homo uafer eludebat: nec se sistebat, à rege euocatus, neq; dimittebat exercitum. Sed priusquam operæprecij quicquam faceret rex in Prussia, in Poloniam sese recipere coactus est, cùm propter pestem Toruniæ & in omni ea ora inualescentem, tum ut Silesiorum uim reprimeret. Quamobrem ad medium mensis Iunij Petricouiæ comitia habuit. Affuerunt ibi oratores Vuladislai Bohemorum regis, Polonorum opem contra Vngarum, Morauiam & Silesiam infestare non cessantem, implorãtes. Itaq; missa sunt filio à rege uigintiquatuor millia aureorum in subsidium belli. Contra Silesios uero, qui & Poloniam subinde uexabant, & plerique à Vuladislao alieni, Matthiæ partes sequebantur, eiq; post creatum à Bohemis regem Vuladislaum, Vuratislauiensib. authoribus nouo sacramento sese obstrinxerant: placuit rem geri totius regni expeditione, iussæq; omnes copiæ ad medium Augusti mensis apud Mestouiam conuenire. Instituta etiam tunc est noua satrapia siue palatinatus in tractu Lublinensi, qui ad eam diem nullus fuerat, detracta parte de Sendomiriensi, cuius iurisdictio amplior esse uisa est, quàm ut eius moles commodè ab uno palatino sustineri posset. Rex conuentu soluto Corcinum diuertit, ad bellum sese apparaturus. Interim ei nunciatur, Podoliam atq; Russiã à Tartaris duce Aidoro Eczeris filio populabundis peti. Nihil tamen rerum utilium prouidit, ac ne præmonuit quidem Podolios, ut sibi prospicerent. Itaq; factum est, ut à septem ferè millibus Tartarorum, & eorum quidem malè armatorum, omnis circum Camenecciam, Haliciam, Glinianos, Dunaiouiam, Gologoros, & Sbaraassum tractus, centum ferè miliarium longitudine, latitudine uerò triginta, cædibus & incendijs miserabiliter, nemine resistente, uastaretur: plurimi mortales segetibus demetendis uacantes opprimerentur, & in barbaram seruitutem pecudum in morem abigerentur: Lituinouia munitio exureretur: Sbarassum arx expugnaretur: in qua dux Iuanus, siue Ioannes incendio perijt: uxor uerò eius capta, & in seruitutem abducta est, & unus de tribus filijs, natu minimus. Dunaiouiam oppidum suum, Gregorius archiepiscopus Leopoliensis strenuè tutatus est. Pomorzanos uerò Suinca uir generosi animi cum sex modò socijs defendit. Discedentes barbaros cum ingenti præda ferè centum millium hominum, insecuti quidem sunt nostri facta tumultuaria manu: sed nihil aliud perfecerunt, quàm ut Tartari trucidatis plurimis captiuis, qui per ætatem aut ualetudinem sequi festinantes non poterãt, miserabilius spectaculum insequentibus exhiberent. Habebant quidem dux Zartoriscius, & Martinus Gastuodus præfectus siue palatinus Kiouiensis, non contemnendas Lithuanorum copias: uerùm ex Polonis non expectatis, dilapsæ sunt, iactatumq; uulgò est, Tartaros à Lithuanis proceribus, misso ad eos cum muneribus Glincio duce, excitos fuisse, idq; etiam ipsum Tartarorum principem asseuerasse, affirmantem iniussu suo id factum esse. Et comiter autem ipsos acceptos esse à Lithuanis, cum se per eorum fines præda onusti domum reciperent. Rex ad Silesicũ bellum intentus, ad cõstitutum tempus apud Mestouiam affuit: sed copias tardiùs conuenientes, totas sex septimanas expectauit, ita ut commodum belli gerendi tempus præterlaberetur, & fruges oræ illius direptæ absumerentur, ac ne incendijs quidem domesticis parceretur. Ita tunc soluta atque adeò profligata erat omnis disciplina militaris. Fuit autem & illa moræ causa, quòd nobilitas Cracouiensis oræ Stanislao, Nicolao, & Ioanne Tencinijs fratribus, Ioanne Rabstinio, & Spitcone Melstinio ducibus, negabat se ad externam militiam esse profecturam, nisi sibi præscriptum legibus stipendium numeraretur: quorum pertinacia ægrè uicta, sexta demùm & uicesima die Septembr. rex castra mouit, aucto etiam exercitu Tartaris & Lithuanis, ita ut ad sexaginta millia armatorum in eo esse crederentur. Ingressus Oppoliensem tractum, Cruciborgum & Bycinam oppida cœpit, præsidijsq; firmauit, agros populationibus quoquouersus permissis ditexauit: trãsmissoq; apud Chrapouice Odra, uadabili tũc propter siccitatem, omissa Oppoliæ oppugnatione, Vuratislauiam contendit, ubi à Matthia expectari se acceperat: Bregum & Olauiam obiter in potestatem suam redegit. Occurrerunt autem ei oratores Vngari atque Bohemi, inducias postulantes: uerùm in congressum Vuladislai filij res dilata est. Hernesti quoque Marchionis Miznensium legati de pace inter reges tractantes, pertentato prius Vngari animo, affuêre. Nec abhorrebat à pace Cazimirus: sed Matthias ad omnem rei bene gerendæ occasionem attentus, pacis consilia turbauit. Apud Olauiam Polonus castra habebat, quarto à Vuratislauia milliario: nec ignorabat Matthias eum cùm aliàs minus cautum esse, tum spe

Comitia Petricouiæ.

Tartari Podoliam & Russiam depopulantur.

Tartari à Lithuanis contrà Polonos exciti.

Matthiæ regis legatio ad Cazimirum.

pacis componendæ securius ac remissius agere. Sub noctem igitur equitatum & peditatum omnem emittit Vuratislauia, ut Polonum pabulationi intentum adoriretur. Et arridere quidem ei prima facie fortuna uisa est. Cum enim tota nocte exercitus ille ambulasset, oriente sole apud Suanouice pagum pabulatores Polonos nullo ordine discursantes partitis copijs excepit, & facile in fugam uertit, accurrunt Tartari e propinquo: quibus uisis, redit & fugientibus uirtus in præcordia: instauratur prælium. Rex Polonus re cognita (haud longe enim à castris hæc gerebantur) summittit suis auxilio comitatum suum aulicum cum Paulo Iasenio thesaurario: ipse cum reliquo exercitu subsequi festinat. hostes ubi aspexêre uires Polonorum augeri, retrocedere ad suos in insidijs latitantes incipiunt: sed illi quoque fuga suorum consternati, fugæ & ipsi mandarunt præsidium: nec prius constitêre, quàm Vuratislauiam peruenêre. Debellatum tunc fuisset proculdubio, nisi Ioânes Ruthuanius castellanus Sendomiriensis & Marsalcus regni ductorque uniuersi exercitus Polonici nostros in hostium tergis hærentes, præpropere siue insidiarum metu, siue inscitia & imperitia rei militaris, reuocasset. Quin ab hoste corruptum cum fuisse iactatum est, uere ne an falso, non liquet: nisi quod in re utrinque tam inopinata non uidetur locus fuisse corruptioni. Ceciderunt autem in eo conflictu de hostium exercitu mille: capti præter gregarios milites sexaginta nobiliores, in quibus fuêre Vilelmus Perstenius Bohemus, Petrus Huguicius Silesius, & Paulus Caruatus Vngarus. Post hoc prælium ad duodecimum diem Octobr. commissum, oratores Miznenses non diu commorati in castris Polonicis, quòd intempestiuum esse putarent de pace tunc agere, rebus infectis discesserunt: illud solum à Cazimiro impetrarunt, ne is Zeganense territorium infestari à suis pateretur. Quarta demùm & uicesima die Octobris Vuladislaus rex Bohemorum aduenit: uiginti millia pugnatorum habebat is in exercitu, maxima ex parte peditum. Salutatione & gratulatione mutua inter reges & consanguineos exercitus peracta, ad Vuratislauiam itum est: & inconspectu urbis ambo exercitus fixis tentorijs, coniunctisq; castris assedere. Communierat autem & Matthias castra sua ad urbem apud monasterium sancti Vincentij, ut e re nata posset consilium capere. Inde tacitus speculabatur, quid reges incœptarent, cum suspirijs & uulsione capillorum dictitans, facile se totum orbem terrarum imperio suo subiugaturum esse, si tantas talesq; haberet copias, quantas & quales contra se hostes sui adduxissent. Cæterùm ij desides & inertes tempus terere, & nihil in medium consulere. Suadebant quidem nonnulli, ut reges alueum fluminis, aqua paucorum dierum labore aliò deriuata, siccarent, traductaque parte copiarum undique urbem obsidione cingerent. Sed & hoc, & omnia salubria consilia in irritum cadebant unius cuiuspiam consiliarij, à Matthia, ut creditum est, corrupti studio & opera, in cuius consilijs maxime reges acquiescebant, cum ipsi consilio, iudicioque non multum ualerent: atque is qui nam fuerit, Dlugossius non memorat. Agri modò & pagi uastabantur, discursantibus quoquo uersus Polonis, Bohemisque sine certo duce ac ordine. Cumque in eodem loco diutius castra essent, & uillæ ac moletrinæ circumquaq; improbe exurerentur, duplex malum exercitum inuasit: pestis, & frumenti penuria. Subuehebantur quidem e Bohemia panis & cereuisia, sed permagno ueniebāt. Nec tamen ueniebat in mentem Polonis, Velunia frumentum petere, cuius ibi permagnam uim paratam habebant: aut si ueniebat, nemo erat, qui eam curam susciperet, cum omnes uiæ callesq; à Polonis, qui in Vngari exercitu stipendia contra regem & populares suos faciebant, insiderentur: à quibus permulti de Polonico & Bohemico exercitu pabulatum aut frumentatum temere procurrentes excipiebantur, ita ut plenæ essent captiuorum turres & ergastula Vuratislauiensia. Creuerat autem illa Polonorum licentia, & contemptus imperij regij atque magistratuum, ex quo se cum Bohemis coniunxerunt. Ante eñi aliquid tñ disciplinæ supererat, cum tres homines equestris ordinis, ob raptam e templo cum uase argenteo sacrosanctam eucharistiam, iussu regio, inspectante uniuerso exercitu, cremati sunt. Sed id quoque iam deprauantibus nostros Bohemis, pro piaculo haberi desierat. Quanquam autem cessabant humana iudicia, diuinitùs tamen haud impunita mansere tam barbara & abominanda sacrilegia. Exortum enim fortuitu incendium non exiguam castrorum partem absumpsit, nequicquam satagente & opem ferente tanto exercitu. Quo quidem incendio plurimi mortales, & equi, & quingēti currus hausti sunt: repertaque sunt in semiustulatis curribus fercula siue uascula sanctissimorum religionis Christianæ mysteriorum. Matthias ubi animaduertit tantum illum Polonorum & Bohemorum cum suis regibus torporem & inscitiam, despicere eos, quos

Matthiæ regis exercitus fusus fugatusq;.

Bohemorum exercitus.

Regum inertia.

Sacrilegi puniti.

quos initio plurimũ reformidarat, cœpit: missisq; in Poloniam expeditioribus copijs, cũ quibus Oppoliensis quoq; & Cozuchouiensis duces suas coniunxerunt, Siradiensem oram omnem, & maiorem Poloniam infestauit, & uehemẽter afflixit, nemine repugnante. Agrestes quidem apud Boleslaueçiam opponere sese uenienti hosti ausi, paruo negocio fusi ac dissipati sunt. Apud Clobuscum tamen, qui eo excurrerant ex Oppoliensi ditione, ab agrestibus & oppidanis profligati sunt. Arx Medirecia excursione illa in hostium potestatem uenit, dedente eam Sendiuoio Zidouio Burgrabio, nulla necessitate ad id adacto. Ob quod facinus is post finitum bellum patrimonio multatus est à rege. Hæc cum ita fierent, & pestis, famesq; in castris Polonorũ & Bohemorum ingrauesceret, & ineptũ bello gerendo tempus hybernũ urgeret, de pace inter reges agi cœptum est. Cõgressi bis in patenti cãpo tres reges, uicesimaprima demùm die Nouembris, nihil aliud inter se cõstituêre, quàm ut delecti ab unoquoq; cõsiliarij quaterni Vuratislauiæ cõuenirẽt. Quod cũ factum esset, re inter delectos agitata, pax quidem perpetua non conuenit. Quæ satis æquis conditionibus conuenire potuisset, nisi Elizabethæ reginæ Poloniæ fastus, & pertinax odium obstitisset. Nam ea Matthiam affinitate bellum finire cupientem, quod neque regio, neq; ducali genere ortus esset, generum aspernabatur: & quod patrui sui fratrisq; inimicus fuisset, auersabatur, ita ut nullis persuasionibus de sententia dimoueri posset: & indulgebat ei plusculum Cazimirus. Cæterùm induciæ triginta mensium constitutæ inter reges: captiui & munitiones interceptæ, utrinq; redditæ. Nicolaum quoq; Tungenum Matthias in eo fœdere cum sua causa cõiunxit. Finito bello Cazimirus Vuladislaum filium dimisit: ipse per Poznaniam iter faciens Lenciciam profectus, Ludouici Bauarorum ducis oratores, quorum princeps erat Henricus Ratisponensis episcopus, Veluniа acciuit. Ibi enim aliquandiu, quoad ipse ex Silesia rediret, expectare eos iusserat. Petebant ij Georgio ducis sui filio Heduigim filiam Cazimiri in matrimonium. Nec abnuit generum Cazimirus: sed Radomiæ demùm, quò rex ad natalem Christi diem festinabat, res confecta est. Matthias uerò dimissis ad Christianos principes & Pontific. Max. literis, solita uanitate de Polonis & Bohemis triumphauit: ac delere funditùs maximos exercitus potuisse iactauit, nisi Christianus Christianorũ misertus esset. In Vuratislauienses uerò & nonnullos Silesiorum duces maiore licentia mox debacchatus est. Indulsit enim militibus, ut non modò ex agris sociorum liberè prædas agerent, uerùm etiam in Vuratislauiensium facultates grassarentur, uxoresq; & liberos eorum secum abducerent. Gliuicensium uerò ducem captum in custodia habuit, ac ditionis parte multauit: itemque Venceslaum Ribnicensem. Inuasit & Olesnicensem dominatum: idemq; Cesinensi fecisset, nisi Præmislus dux consilio eius maturè explorato, Polonorum præsidio sese præmunisset. Neque uerò induciarum tenax fuit. Statim enim Firstesteinum munitionem in Silesia oppugnare adortus: uerùm inde ab aulico Vuladislai comitatu fœdè repulsus est. In Morauia uerò tres munitiones, redemptis auro defensoribus earum, in potestatem suam redegit. Sub finem eius anni Nicolaus Blazeouius Silesius episcopus Præmisliensis, cum illi ecclesiæ tribus & uiginti annis præfuisset, sacris eo die operatus, quòd se languere sentiret, in lectum se composuit, & obdormiuit in CHRISTO. Cui cum collegium sacerdotum eius ecclesiæ legitimè institutis comitijs successorem dare uellet, à rege p Spitconem Iaroslauium palatinum Leopoliensem uetitum est: fuitq; sine episcopo ciuitas illa fermè tres annos, donec Andreæ Opporouio Varmiensi episcopo, rege petente, commendata est à Pontifice, ut inde se tamen ille sustentaret, qui Varmiensi episcopa potiri per Nicolaum Tungenum non potuit. Per idem tempus Mahomes Turcarum imperator, cum Radulonem palatinum Transalpinæ Moldauiæ, quem contra Stephanũ Moldauum adiuuerat, pulsumq; restituerat, in fidem suam accepisset, tributariumque fecisset, missis in Moldauiam ingentibus copijs, Stephanum quoque subigere adortus est, nihil moratus hyemis asperitatẽ. Verùm is exercitus anni sequentis initio ad sedecimum Calendas Februarij à Stephano palatino, qui uix quadraginta, uel ut alij uolunt, triginta millia habebat ex omni suorum hominum, agrestium ferè, Transsyluaniensium item, atque Cæculorum, quos paulo antè ui & armis ab Vngarorum regno, auertat: multitudine coacta, insigni & omni æuo memorabili clade apud Barladum amnem & Racoueciam paludem profligatus est. Centum uiginta millia in eo exercitu fuisse dicuntur. Nec prius fugam sistere Turcæ, quàm Danubium transmiserunt, persequentibus fugientes Valachis, & usq; ad lassitudinem trucidantibus, uel in paludem ac Danubium impellentib. Itaq; ex

Polonia diuexata Matthiæ copijs.

Matthiæ acerbitas.

Præmisliensis episcopæ uacatio.

Caeculi à Stephano subacti.

tanto numero pauci euasêre. Quin & ij, qui uiui in potestatem hostium uenerant, Stephano iubente omnes, præter paucos insigniores, interfecti sunt. Bassæ quatuor in eo prælio desiderati, signa militaria capta centum & amplius. Nec tamen Valacho incruenta cessit uictoria: quippe cuius acies multitudine hostium prægrauata inclinare iam cœperat, nisi ipse inter primos animosè pugnans pugnam restituisset. Permagnum autem cùm ad uictoriam, tum ad maiorem hostium stragem momentum ipsi attulit, quòd omnem circumcirca regionem longè, lateq́; in primo Turcarum ingressu ipse exusserat. Hinc enim factũ est, ut in magna commeatus & pabuli penuria, Turcæ iuxtà ac equi ipsorum debilitarentur.

Stephani moderatio animi.

Moderatè autem Stephanus illa sua fortuna usus est, soli Deo uictoriam acceptam referens, ac toto quatriduo deinceps, omni præter panem & aquam cibo abstinens. Ad Cazimirum deinde in Lithuaniam, quò is post initium anni sese receperat, nuncios cũ quatuor primoribus captiuis, sex & triginta militaribus signis, & parte manubiarum misit: & quoniã facilè intelligebat, nõ esse quieturum Mahometem, petiuit ut rex cum exercitu in Russiam propius accederet, uel solo nominis sui terrore Turcam repressurus, & iusiurandum fidelitatis cõsueq; dilatum à se accepturus. Plurimos autem agrestium Stephanus fortitudinis ergo in equestrem ordinem trãstulit. Ad Mahometem quoq; ipsum legationem cum donis misit questum, ditiones suas à latrunculis ex Turcia profectis infestatas esse, eamq; manum à se profligatam, meritas pœnas sibi dedisse: petiitq́; ut reliquos ex eo numero, qui euasissent, ad supplicium sibi Mahometes dederet: quandoquidẽ credibile esset, iniussu eius factum esse, quicquid factum esset. Quin & Pontifici maximo, & Vngarorum regi dona misit de manubijs, opem eorum contra tam potentem & communẽ Christiani nominis hostem implorans. Adnixus est tamen Matthias gloriam illius uictoriæ in se transferre, dimissis quoquouersus literis, quibus iactabat à præfecto suo Stephano palatino Turcas profligatos esse: nec multo antè tamen ipse non contemnendam cladem ab illo ipso præfecto, quemadmodum uideri uolebat, suo acceperat, cum sex millia

Vngari à Stephano profligati.

Vngarorum Maierbalasso duce ad uastandam Valachiam misisset: ita nihil pudebat hominem uanitatis suæ. Nec ita multo pòst, aduenit ad Cazimirum Isaacus Trapezuntius, Husancassani legatus, ad suscipiendum contra Mahometem bellum, regem cohortans: inde cum benigno responso dimissus, ad cæteros principes Christianos eadem de re acturus profectus est. Nec intermisit Stephanus, nuncijs alijs post alios ad regem missis, auxilia petere contra Mahometem, quem Adrianopoli ingentem belli apparatum facere, ab exploratoribus didicerat. Et suadebant quidem Lithuani, ut rex tam insigne Poloniæ & Lithuaniæ contra Turcas propugnaculum, Valachiam, summa ope defenderet potius, quàm ea amissa, seu uerius prodita, de reliquo suo dominatu dimicaret: nihil tamen id regem mouebat: nihil ne Polonici quidem senatus preces atq; monita idem suadentis, cum ad quintam diem Iunij Lublinum ad eum non infrequens cõuenisset, & quindecim diebus ea de re consultasset: ubi Derslaus Rithuianius palatinus Cracouiẽsis, & Ioannes Rithuianius castellanus Sendomiriensis, & Marsalcus regni, approbantibus cæteris grauiter in regem inuecti sunt, quòd per ipsius, patrisq́;, & fratris eius desidiam, negligentiam & conniuentiam, Polonorum regnum, quod ipsi florentissimum accepissent, non modò ab hostibus, uerùm etiam ab ingratis socijs, & malè fœderatis Lithuanis, quos ipsi in potestate haberent, miserabiliter afflictum & accisum esset.

Rithuianij in regem inuecti.

Nihil tamen aliud ijs clamoribus & hortationibus tunc effectum est, quàm ut mitteretur ad Mahometem orator Martinus Vurocimouitius, dapifer Cracouiẽsis, postulatum & monitum pro uetere amicitia, quæ inter Polonorum ac Turcarum reges constaret, ne ille Valachiæ, quæ in ditione regis Poloni esset, bellum facere pergeret. Aliter, coactum iri Cazimirum bellum suis illatum summa ui propulsare, qui nunquam quorumuis principum precibus & cohortationibus adduci se passus esset, ut Turcas bello lacesseret. Si quid Stephanus in Mahometem peccasse uideretur, communium consiliariorum arbitrio causam cognosci oportere: nec defuturum esse Cazimirum, quin subditum dominus ad satisfaciendum læso adigeret. Cum his mandatis & munere, ueste uidelicet sabellina, cuius oram margaritæ exornabant, missus Vurocimouicius, & uarijs impedimentis usus in itinere, uix intra uertentem annum ad Mahometem peruenit. Interea uerò Mahometes septuaginta nauium classe in Tauricam Chersonesum missa, Tartaris uerò cum equestribus copijs præstò esse iussis, Capham siue Caphatam urbem maritimam munitissimam, Genuensium ditionis, celeberrimo emporio nobilem, terra, mariq; obsedit: & quamuis reiecti essent ab oppidanis

Capha à Turcis capta.

Tar-

diem in potestatem suam redegit, proditione primorum ciuium Italorum totis quinque annis instructa. Capta urbe, nobilitas cum uxoribus & liberis, ipsisque proditoribus, & Mengligere Tauricanorum Tartarorum principe, ac duobus fratribus eius; qui siue fortuito eo tunc uenerant, siue seruandi sui causa ex agro in urbem se receperant, Constantinopolim translata, plebs dimidia parte facultatum multata, in suis sedibus aliquandiu relicta est: postea tamen & ipsa in seruitutem abacta. Valachi mercatores, legati, & exploratores centum sexaginta, omnes trucidati. Vna tamen nauis, quæ centum quinquaginta ephebos Caphensium formosissimos, contumeliæ & libidini barbari tyranni destinatos, & luculentam supellectilem ex præda coactam ferebat, præfecti, qui Græcus erat, opera à cæteris segregata, ac Turcis uigintiquatuor, qui præsidij causa in ea fuêre, partim per speciem aquandi emissis, partim interfectis, Kiliam appulsa, in Stephani potestatem dedentibus remigibus, uenit. Capha & arcibus, castellisque circumiacêtibus potitus Turcicus exercitus, ad Moncastrum siue Bialogrodum nauigauit, eamque urbem ad ostia Tyre siue Nestri fluuij in pontum Euxinum sese exonerantis sitam, adiuuantibus à terra Tartaris, expugnauit, ut uult Bernhardus Vapouius: quam non multo post Turcis ac Tartaris discedentibus, Stephanus recuperauit. Tametsi Dlugossus, cuius ætate hæc acta sunt, immunere tantum ei urbi tunc Turcas cœpisse, memoriæ prodidit. Stephanus quidem palatinus per omne id tempus, quamuis haberet exercitum, tamen imparem se esse hostium uiribus sentiens, in montium & syluarum latebris sese continuit: munitiones uerò, quo distineret hostem, præsidijs firmauit. Hæc cum celeri nuncio scribæ cuiusdam regij, qui ad Mengligerem Tartarum alligatus erat, in Poloniam perlata essent, pauor ingens & trepidatio mentes hominum inuasit, non secus ac si ipsa iam Podolia & Russia uastaret. Consultatumque est aliquandiu de bello Turcico in comitijs Corcini, ad initium Iulij mensis institutis. Verùm omnia prius experiri, quàm arma sumere, ac tam potentem hostem lacessere, & reditum Vurocimouicij expectare placuit. Spes tamen auxiliorum Stephano per Stanislaum Vantropcam palatinum Beltensem, & Andream Borissouium præpositum Lenciciensem & canonicum Cracouiensem legatos regios facta est, exactumque ab eo nouum fidelitatis atque subiectionis iuramentum: id uerò ea de causa potissimum, quòd Vngarus ultrò auxilia pollicens, pellicere eum ad se satagebat. Per eos dies cum ingens uis imbrium decidisset, tantum inundauit Vistula, ut Cazimiriam & Stradomiam aqua operiret, & ad altaria templorum pertingeret, pontes abrumperet: hortis, agris, & pomarijs magnam calamitatem inueheret. Quod quidem eo portentosius fuit, quòd toto superiori triennio tanta fuerat siccitas, ut non modò apud Ploscum, sed etiam apud Toruniũ uadabilis esset pediti Vistula. Pridie uerò Calendas Aprilis eiusdem anni centũ domus Cracouiæ inter nouam & S. Nicolai portas nocturnò incendio conflagrarãt. Porrò Siradiensem & Lenciciensem oram atque Mazouiam per idem tempus locustarum uis ingens ex Vngaria, Morauia & Silesia profecta, peruagata, non modò segetes atque prata, uerùm etiam arborum frondes depasta est, continuatis ad sesquimilliarium in latitudinem, & alterum tantum in longitudinem examinibus, concurrentibus interse nonnunquam, & solis aspectum densitate sua terrææ adimentibus. Vilis tamen eo anno fuit annona in Polonia. Cazimirus sex septimanis apud Corcinum de repub. consultando exactis, quinque consiliarios de primoribus utriusque ordinis, & quatuor secretarios canonicos Cracouienses misit in Scepusium, ad regundos fines cum Vngaris, & controuersias disceptandas ac dirimendas, quo fœdus antiquum inter Vngaros & Polonos per tempus induciarum redintegraretur, atque adeò induciæ quoque ipsæ stabilirentur. Neque enim satisfaciebat conditionibus earum, & pactis conuentis superioris anni Matthias. Verùm Vngari Turcici belli excusatione usi, ad eum conuentum non uenêre. Et fecit quidem Matthias rex tunc expeditionem cum decem millibus mercenariorum militum contra eum hostem, extremã oram Vngariæ ingressum: sed tamen persequi eum longiùs ausus non est, ne à fronte pariter & à tergo peteretur. Firmauerant enim Turcæ munitionem, in citeriore ripa Saui excitatam, quinque millium militum præsidio, unde liberiùs in Sirmiensem agrum possent excurrere. Eam igitur modò munitionem Vngarus non sine magna strage suorum expugnauit, & mox in interiorem partem regni sui cum exercitu se recepit. Nec multò post reuersi Turcæ, usque ad Varadinum populabundi excurrerunt, oppidum id incenderunt: & omni illa latè patenti ora trans Tybiscum ferro, ignique peruastata, ingentem cùm aliarum rerum, tum hominum prædam asportarunt & abegerunt. Sed ad nostra reuertamur. Di-

Tartarorum Tauricanorũ princeps capitur cum fratribus.

Polonorũ pauor ob subactam à Turcis Bessarabiam.

Cracouiæ incendium.

Turcæ Vngariam populantur.

misso igitur conuentu Corcinensi, legatisq; ad Scepusiensem conuentum iterum designatis, Cazimirus ad decimumoctauum Calend. Octob. Cracouiam egressus unà cum regina, Heduigim filiam natu maximam, quam Georgio Bauarorum duci Ludouici filio desponderat, Poznaniam deduxit: & adiunctis eis comitibus Calisiensi atq; Lenciciẽsi palatinis, & compluribus alijs claris & splendidis uiris atq; matronis, ad spõsum misit. Dos ei triginta duûm millium aureorum fuit, sed tunc promissa duntaxat, non etiam exoluta. Aduenienti non modò sponsus cum amicis, uerùm etiam Fridericus imperator cũ nonnullis principibus electoribus, & mille equitum comitatu obuiam profectus est. Siradiæ deinde Cazimirus rex consiliariorum conuentum egit ad diem diuo Martino sacrum, ea potissimum de causa, ut sibi publicè subsidium in dotem filiarum (nam & Sophiam Alberto Friderici Marchionis Brandeburgensis filio despõderat) & apparatum nuptialem conferretur. Ac non est quidem negatum: sed reiectum ad arbitrium minorum Polonorum, qui non conuenerant: ne denuò quidem ad diem diuo Nicolao sacrum euocati, uenêre, non ignari quamobrem accerserentur. Ita nihil tunc perfectum est de subsidio. Rex quod reliquum erat anni, partim Pysdris, partim Coli commoratus, cum de Sochazouiẽsi arce & territorio cum Anna, quæ Vuladislai Mazouiorum ducis defuncti uxor fuerat, transegisset, sub initium Februarij insequentis anni, cum non contemnendo procerum & mercenariorum militum comitatu eò contendit, arcemq; tradente Anna in potestatem suã redegit. Anteuerterãt quidem eũ Ioãnes & Boleslaus duces Varsauienses, fauente pleraq; omni nobilitate eius oræ, arcem occupaturi: sed eos archiepiscopi familia, quæ prior in arcem peruenerat, aditu prohibuit. Cum igitur cogitatum facinus eis non successisset, orare regem instituerũt, nec se hæreditate sua defraudaret: sed nihil impetrarunt. Atq; ex eo tempore Sochazouia in ditione regis pmanet. Vngari uerò & Poloni pceres, cũ apud antiquam uillam congressi essent, inducias inter reges suos redintegrarunt, cùm inter eos conuenissent, ut Matthias Cazimiro Smigrodum, episcopo autem Cracouiensi Mussinam redderet: episcopus uerò ne prædones ibi receptaret: Cum Valachorum palatino uterque rex duorum annorum inducias ut seruaret. Ad utrum autem regem Valachia pertineat, ut alio conuentu inter proceres disceptaretur. Ad res deinde Prussicas rex animum intendit, permolestè ferens, Nicolaum Tungenum inuito se in Varmiensem episcopam inuasisse, & cum Vngaro ex professo sentire. Videbaturq; res ad rebellionem totius Prussiæ spectare, quòd & proceres nonnulli Prussi, & Gdanenses ciues, in primis Tungeno non obscurè fauebant: & uerò magister Cruciferorum cum eo fœdus icerat, & cum legatis Vngari secreta colloquia habuisse ferebatur. Itaq; Cazimirus maturè Sochazouia profectus cum duobus millibus mercenariorum militum, Breste, Nessouiæ, Toruniæq; nullo operæprecio tempus triuit, minoris Poloniæ proceres diutiùs expectans. Interea uenit ad eum Toruniam Vlricus magistri marsalcus & legatus, suspicione magistrũ purgans. Ipse deinde magister Henricus Richtembergius ad mediũ mensis Maij Marieburgum, quò rex iam ad finem Aprilis uenerat, accessit: acceptus perhonorificè, prodeuntibus obuiam ac deducentibus duobus episcopis, aliquot palatinis, & omni aulico comitatu regio: factaq; audientia, denuò se regi purgare instituit, & nouum iusiurandũ, si posceretur, obtulit: contra Tungenum consilio & auxilio se regi non defuturum esse promisit. Sed tñ benignè dimissus à rege, quod promisit non præstitit, uarias moras & excusatiões nectens. Gliscebat tunc Gdani seditio inter senatum atq; populũ: eam rex, missis illuc Iacobo archiepiscopo, & Ioanne Rithuianio marsalco, sedauit. Elbingæ deinde conuentũ Prussorum contra Nicolaum Tungenum instituit. Sed infecêre consilia eius Gdanenses: & res Valachicæ & Podolicæ eum in Poloniam reuocabant. Redierat enim à Mahomete Turcarum imperatore Martinus Vurocimouicius, renunciabatq;, in Bulgaria apud Varnam se eum cum ingentibus copijs in Valachiam contendentem reperisse: expositisque mandatis regijs, responsum ab eo accepisse, illum postulata regis facturum fuisse, si ea apud Adrianopolim in procinctu, ac non iam in expeditione & itinere accepisset: Transalpinensium, Tartarorumq; sibi uectigalium querelis & precibus excitum, bellum illud suscepisse, eis deesse non posse: daturum tamen etiam tum pacem Valacho, si is tributum ipsi penderet, captiuos remitteret, Kiliam urbem ad ostia Danubij sitam (quæ nescio an Achillea sit integro uocabulo) Bessarabibus restitueret. Quas conditiones cum Stephanus palatinus Valachiæ non acciperet, Mahometem nauibus transmisso, & ob dubiã fortunam belli quinq; pontibus iuncto Danubio, Valachiç infesta signa intulisse. Ab alia uerò parte Tartaros quoq; eam infestare: quibus dum obuiam it cũ suis copijs Stephanus, spacium

Cõuentus consiliariorum Siradiæ.

1476. ann.

Henrici magistri Cruciferorum suspecta fides.

Turcæ ac Tartari Valachiã infestarunt.

spacium transmittendi per ocium Danubij Turcis dederit. Hæc ferè Vurotimouscius referebat. Consequebantur autem eum ipsius Stephani nuncij alij post alios, nunciantes regi, Tartaros quidem ingenti clade ab eo profligatos, fugatosq; usq; ad Boristhenem, prę da omni, impedimentis, & uestibus atq; armis etiam abiectis, perpaucos tranato flumine euasisse. Contra Turcas uerò non satis uirium eum habere, nec audere eis aperto Marte resistere. Ipsum ditionem suam longè, lateq; urere, ne progredi longiùs hostis possit, propter pabuli & commeatuum inopiam: pabulatores & frumentatores necessariò longius à castris progredientes, ex insidijs carpere & excipere: uerùm à fronte pariter & à tergo hostibus circundatum, diffugientibus suis, ipsum quoque melioribus rebus seruare se coactum esse. Et quamuis propè triginta millia hostium trucidata sint, tamen leuiculum uideri id detrimentum in tanto exercitu. Valachos uerò non pluribus quàm ducentis eo conflictu amissis: tamen siue diffisos uiribus suis, siue aduersa fortuna alienatos à Stephano, sibi quemque priuatim prospicere, nihil in commune consulere. Sed facilè eorum animos & sanari, & recreari posse uel mediocribus Polonorum auxilijs. Quòd si fortè Valachia regi minus esset curæ, at de Podolia & Russia esset sollicitus. Periculum enim esse, ne Turcæ peruastata Valachia, in eas oras continuata pòpulatione excurrerent. Quod quidem ita accidit. Percursata enim omni Valachia, Sozauia & Chozimo, alijsq; munitionibus frustrà tentatis, Podoliæ quoq; fines ij attigerũt, & aliquot uicos ignobiles atq; pagos exusserunt. His igitur cognitis Cazimirus, Russiam omnem, Podoliam, & Belsensem tractum arma sumere, & cum Paulo Iasenio thesaurario, & Belsensi, Chelmẽsiq; pręfecto, ad Valachiæ fines sine mora adesse iubet: ipse omissa in præsens rerum Prussicarum cura, sororeq; Elizabetha uiduã, quæ cum Henrico Stolpensium Pomeranorũ duce nupta fuerat, & illis ipsis dieb. cũ filio Bogusalo siue Boguslao uisendi ipsius gratia Marieburgũ aduenerat, honorificè dimissa, reditum in Poloniam maturauit: & ad medium Augusti mensis Petricouiã, quò edixerat comitia, accessit. Ibi consumptis necquicq; in consultatione de republica ac defendenda seu uindicanda Valachia tribus hebdomadibus, nihil utile constitutũ est. Neq; eñ accõmodatũ esse uidebãt expeditioni bellicæ anni tempus autumnale: & Russi cum Iasenio, cùm diutiùs apud Camenecium & alijs in locis Podoliæ statiua habuissent, neq; transgredi sine rege fines regni ad opem ferendam Valachis implorantibus uellent, neq; domos iniussu regio discedere honestũ putarent, nõ minoribus damnis omnem eam oram affecerant, quàm si hostilis exercitus eam peruasisset. Noui deinde conuentus minorum quidem Polonorum Corcini, maiorum uerò Coli ad medium Septembris instituti. Et Corcini quidem, rege ipso per se postulante, quaternorum grossorum tributum iugerale scitum est: maiores uerò Poloni labefactationem iuris publici causificati sunt, quòd Matthias Mosinius præfecturam maioris Poloniæ, & palatinatum Calissiensem pariter obtineret. Cazimirus Corcino Lublinum profectus, salutata regina, quæ Radomia illuc uenerat, in Russiam ad Belsum usq; progressus est, ut fama aduentus sui suos recrearet, Turcasq; reprimeret. Nec mora excesserunt ij Valachia, siue metu regis Poloni aduentantis, siue peste pariter & fame afflicti, siue quòd hyems appropinquabat. Non parũ uerò momenti illud quoq; Mahometi ad maturandũ reditum attulit, quòd classem quæ supplementum militum & machinas ad expugnandas munitiones ipsi subuehebat, tempestate disiectam amisit. Aliquanto autem plus per omne illud bellum Transalpini, quàm Turcæ ipsi Valachis incommodarunt: quippe qui & locorum periti essent, & lingua eadem uterentur. Iidemq; Turcarum inopiam cõmeatu de suis agris supportando subleuarunt. At Matthias rex Vngarorum, ubi cognouit Mahometem se cũ exercitu è Valachia recepisse, hinc quoq; uanam gloriam, compendiumq; apud Italos aucupatus est, abusus hominum credulitate. A se enim pulsum Turcam, turpiter fugam cœpisse, literis diuulgauit, excidiumque eius pollicebatur. Quam uanitatem eius alebant apud exteras gentes uiri literati, munificentia eius deliniti, res gestas eius scriptis suis in immensum attollentes. Qua quidem illud sanè perfecit, ut pontifex Max. cum omnibus principibus & communitatibus Italiæ, præter ducem Mediolanensium, qui imponi sibi passus non est, bis centum millia aureorum ipsi in subsidium conferret. In quo Ferdinandi Neapolitani regis opera & studium Vngaro maximè adiumento fuit. Filiam enim eius regis notham Beatricem illis ipsis diebus Matthias alteram uxorem duxerat. Sed non multo pòst Vngari uanitas redarguta est. Ad medium enim Octobris Turcæ facta è Bozna excursione Carniolam, Carinthiam & Styriæ partem uehementer

Tartari profligati à Stephano palatino.

Cazimiri soror.

Classis Turcicæ naufragium.

Beatrix altera Matthiæ regis uxor.

ter uastarunt,prædamq; ingentem & plurimos mortales captiuos abegerunt:& mox munitiones ligneas ab ipso Matthia supra Danubium paulò infra Smiderouiam extructas, & quinque millium militum præsidio firmas, quatuor quidem expugnarunt,quintam uero per deditionem acceperunt, ipso Mahomete cum maioribus copijs haud longè successum rei expectante. Porrò Fridericus Romanorum imperator,suspicatus Turcas à Matthia in ditiones suas immissos esse,simulq; ratus oblatam sibi occasionem perduelles suos,illius fœderatos, quorum princeps erat Grosnicher, siue ut alij habent,Grosnikel, hoc est comes Nicolaus,ulciscendi, delectu suorum habito, quatuor millium Bohemorum auxilijs à Vladislao rege acceptis,nihil retardatus hyemis asperitate,munitiones ipsorum perduellium partim per uim, partim per deditionem recepit. In æstatem uerò maius bellum contra Vngarum apparabat: missoq; ad Cazimirum Raphaële Lescinio Polono oratore,ad societatem belli eum contra communem hostem inuitabat. Huic Bohemorum rex suam & ipse legationem eadem de re adiunxit:quæ Vilnam prosecutæ Cazimirum,quò se,non plus quindecim diebus apud Belsum commoratus, receperat, mandata exposuêre.Habebat autem is exploratum de hostili Matthiæ contra se animo,& subdolis machinationibus: nimirum quòd ille Valacho, abalienandi eius à Polonis causa, auxilia contra Transalpinenses misisset: Nicolaum Comorouium fratrem Petri patruelem,cum Alexandro filio ad se accitos,de Berualdi,Ziueciæ, & Sellari munitionum Polonicarum deditione, promittens eas,quas ipsis in Vngaria ademerat,se redditurum esse sollicitasset:cum Cruciferis Prussiensibus fœdus clandestinum pridem inchoatum,in nuptijs suis confecisset,promissisq; auxilijs,ad uiolandam pacem & bellum faciendum eos concitaret,atq; in eam rem mercenarium militem in Silesia conscriberet. Hæc igitur cum explorata haberet Cazimirus,ad medium Aprilis anni insequentis comitia Petricouiam Polonis edixit, ipseq; subsequentibus Imperatoris & Bohemorum regis oratoribus in tempore affuit.Re ad senatum relata,placebat quidem,auxilia mitti Imperatori:sed quonam id modo fieret,non expediebatur,propterea quòd inane erat ærarium:nobilitas uerò neque militare gratis ultra fines regni uolebat,neque tributum sciscebat.Itaq; responsum est oratoribus,regem domestici aduersus Turcas ac Tartaros, Cruciferos, atq; ipsos etiam Vngaros belli expectatione distentum, nulla in præsens auxilia Imperatori posse mittere.Et quo æquioribus animis id principes illi acciperent, ad Imperatorem quidem Andreas Opporouius Varmiensis episcopus,ad Bohemum uerò Ioannes Dreuicius scriba regius,oratores missi.Ac Bohemo quidem pater tria millia aureorum dono transmisit,in subsidium comparandorum ac Cæsari mittendorum auxiliorum gratia.In Prussiã uerò ac Marieburgũ præsidij causa misit idem Petrum Duninũ castellanum Siradiensem & præfectum Lenciciensem,& Ioannem Bialum,quo uerbo album Poloni uocant, cum sexcentis equitibus,& quadringentis peditibus mercenarijs, ut Prussos in officio continerent,sustinerentq; Cruciferorum impetum,si quem facerent in regiam ditionem, tantisper donec rex ipse cum maioribus copijs subsequeretur. Non modò enim incertis rumoribus iactabatur,Cruciferos ad rebellionem spectare:cum Vngaro per crebros internuncios fœdus & societatem inire:Marieburgensem & Culmensem palatinos, Philippũ Bissonium consulem Gdanensem,& nonnullos alios regiæ ditionis in eorum partes inclinare:sed certis etiam indicijs & literis interceptis consilia eorum deprehensa erant. Sollicitabantur etiam ab eis ad defectionem duces Mazouij:nec admodum ij abhorrere à tam nefario facinore uidebantur,nisi consiliarij quidam grauiores à concepto scelere eos reuocassent. Nec sanè nihil actum est illa præsidij missione in Prussiam. Multorum enim animi sanati sunt,multi immatura adhuc conspiratione à nouis rebus deterriti. Nobilitas quidem Prussica cum ciuitatibus conuentu Marieburgi ad exitum mensis Iunij acto, sacramento se obligarunt,à Polonis nunquam defecturos. Si quod autem bellum exoriretur,se pro illis arma sumpturos:agrestes quintum quemq; expedituros: ciuitates uerò singulæ militum certum numerum promiserunt. Iam uerò & ij qui in ditione Cruciferorum erant,conuentu instituto statuerunt inter se,non sequi eorum temeritatem, si quod bellũ Polonis ij facere uellent. Itaq; non cõmouerunt sese tunc Cruciferi,præsertim quòd neq; Vngarus quicquam eorum quæ conuenerant,præstabat. Coëgerat is quidem in Silesia quinq; millia mercenariorum militum:atq; is exercitus,priusq; educeretur quopiam, permagna licentia in socios circumquaque non modò prædis agendis, uerùm etiam incendijs, stupris,cædibus,& omni genere crudelitatis debacchabat. Sed ei Bohemus, siue ut sua tueretur,siue ut quoduis Matthiæ conatus impediret,non multò minores copias è Bohemia trans-

Fridericus imp. bello perduelles suos persequitur.

1477. ann. Comitia Petricouiæ.

Prussi ad res nouas spectant.

Mathiæ regis exercitus fugatus è Silesia.

transmissas opponebat. Quarum aduentum cum non sustineret ille Silesiorum exercitus, in Vngariam sese rapum euoluit, siue ut sibi consuleret, siue (qd' credibilius est) q̃ à Matthia accerseretur. Perduelles ne aũt Imperatoris fœderatos suos dudum ab Imperatore eiectos, uindicare is cupiuerit, an sibi & Vngariæ finitimæ ab illo metuerit, incertum est. Duxit quidem & Vuladislaus ipse exercitum illum suum è Silesia reuocatum, in Austriam, ab Imperatore accitus: uerùm non diu ibi moratus est, siue quòd satis habebat Cæsar Austriam pacasse, siue quòd deerat pecunia in stipendium tanto exercitu: octo enim millia Bohemorum habebat. Accepto igitur Viennę ab Imperatore solenni ceremonia uexillo, quo se cliẽtem & pincernam Imperatoris Romani profitebatur, in Bohemiam se cum omnibus copijs suis recepit. His igitur cognitis Cruciferi quiescebant. Nec parum & illud inquieta eorum consilia turbauit, quòd Magistrum per id tempus amisére. Ac surfecerunt ij quidem defuncto Martinum Truchsessum, quem interdum Treslerum Dlugossus uocat, commendatorem Osterrodensem, pridie Nonas Augusti habitis Regio monte comitijs: nec abhorrebat is à bello, sed eum Fridericus imperator minacib. literis deterruit. Sic igitur quietæ fuerunt hoc anno res in Prussia: non item in Polonia. Nouo enim conuentu post comitia Petricouiensia Corcini instituto, tremere nobilitas & proceres in regem, nec uelle tributum ab eo petitum soluere, aut omnino ad consilium de repub. accedere, propterea quòd rex Derslao Rithuianio palatino Cracouiensi post obitum Ioannis Pilecij ad castellaniã eiusdẽ urbis ꝓuecto, Ioannẽ Rithuianiũ castellanũ Sendomiriẽsem, & marsalcũ regni, successorẽ in palatinatu Cracouiensi dederat cõtra leges: quib. cauet, ne uni plures magistratus honorésue mandent. Iam uerò de Nicolai Comorouij defectione ad Vngaros constans fãma increbescebat. Et res minimè contẽnenda esse uidebatur, propterea q̃ arces & possessiones eius in faucibus Carpathi mõtis, qui Poloniam ab Vngaria dirimit, sitæ, si ab Vngaro occuparentur, faciliorem ipsi aditum in Poloniam patefacturæ, & ꝓpter salsarũ aquarũ abundantiã, reditus regios è salinis imminuturæ essent. Inde enim salem Vngaris suppeditari posse, quem ad eum diem è Polonia petere necesse haberent. Subornati igit, à rege qui ægrũ Comorouij animũ sanarent: ad extremũ Spitco Iaroslauius Leopoliensis siue Russiæ, & Stanislaus Vantropca, Belsenses palatini, ad eũ profecti, persuadere ei conati sunt, ut arces illas cum possessionibus regi Polono traderet, pecunia, qua eas addictas ipse tenebat, accepta: damnorũ, quæ se Polonæ reipublicæ causa accepisse prætexeret, æstimationem, bonorum uirorum arbitrio permitteret. Quib. rebus cum nihil apud eum proficeretur, missus Iacobus Dembenius palatinus Sendomiriensis, & præfectus Cracouiensis, cum tumultuaria manu, arces eas intra quinquagesimũ diem expugnauit. Ac Berualdum quidem diruit, Ziueciam incendit, Scliaros uerò Marco Ratoldo addictos restituit. Tunc demum Comorouius Cracouiã ad regem accurrit, facinusq́ suum purgare, & priorum meritorum commemoratione diluere conatus est. Et eò quidem usq; inflexerat regis clementiam, ut ipsi alia bo[illegible] in territorio Chelmensi ꝓ ademptis illis dare uellet: uerùm ille superbè eam conditionem aspernatus, & in Vngariã profectus, Matthiæ regis opem implorauit: ea uerò destitutus, in Poloniã redijt, & Crasnostauiense territorium à Cazimiro ægrè impetrauit. Matthias enim tunc irritatus à Friderico, cum eum exercitum dimisisse cognouisset, nequicquam dissuadentibus ac deprecantibus Vngaris, & contra Turcas potius, qui Vngariam tunc populabantur, ire cohortantib. in Austriã fecit expeditionẽ, eãq; totã quãta est, ad fines usq; [illegible]uariæ puastauit: oppida pleraq; oia & munitiones, ipsis Austrijs ferè dedentib. in p[illegible]estatẽ suã redegit: Viennam obsedit & oppugnauit: sed ab ea crebris Haugi comitis, q intus erat cũ nõ contẽnendo militũ præsidio, eruptionib. non sine magna strage repulsus est, Friderico Imꝑatore apud Styriã urbem se continente, & Bohemorũ, Polonorũq; opem frustra implorante. Iam eñ hyems appetebat. Misit quidem ei Cazimirus in subsidium decem millia aureorum ꝑ Andream Borissouium cognomento Rosam, prępositum Lenciciensem: sed ea Cæsar nõ accepit, ob spem pacis: cui componendæ non modo pontifici) & Venetorum oratores, uerùm etiam Vngarorum proceres nauabant operãidq; hoc enixius, quòd triginta millia Turcarum per id tempus excursione facta in forum Iulij, omnem eam orã usq; ad Cunglianum Venetiæ oppidũ, miserandum in modum uastarunt, deleto Venetorum præsidio, quod ipsis ad Sontium siue Lisontium amnem duce Hieron. Nouello opposuerant. Tardius tamẽ ea pax, nec nisi Vngaro tẽpestatibus hybernis & niuib. reiecto ex Austria, conuenit: & quidem non satis honesiis Friderico conditionibus: nempe, ut se omni iure ac

Vuladislaus rex Bohemiæ à Friderico imp. uexillum.

Salinæ in faucibus Carpathi.

Vienna obsessa.

Turcæ forũ Iulij infestãt, & Venetorum copias profligarunt.

Pax inter Fridericum & Matthiam. ac titulo regni Vngarici abdicaret: Bohemici uerò fasces, & quod uocant Feudum, Matthiæ conferret: eidemq; pro munitionib. interceptis in Austria centum octoginta millia florenorum numeraret. Quarum conditionum postremę non fecit satis. Quo factum est, ut Matthias diutius munitiones Austriacas, non inuitis Austrijs, qui Fridericum oderāt, retineret. Sic igitur cum alio bello occupatus fuisset Matthias, quietiorem, quàm expectarant, cum annum Poloni habuerūt. Stephanus autem Valachiæ palatinus, ultrò sumptis armis, Transalpinam infestauit, Radulonem siue Draculam palatinum eius oræ à Brassouiensibus ciuibus proditum cœpit: eiectisq; Turcarum præsidijs, Cipulissam unum de suis purpuratis genti præfecit. Quin & Totrusiense territorium, quod in ditione Turcarum erat, ferro & igni uexauit, salinasq; fructuosissimas incendit. Sub huius anni principium Gregorius archiepiscopus Leopoliensis, uir in studijs humanitatis & bonarum literarum non mediocriter uersatus, uerùm libidinosus, cum sanus apud Rohatinum degeret, in cubiculo pronus distensis manibus mortuus repertus est: cuius uitam Philippus Callimachus Florentinus descripsisse dicitur. Post quem plus quàm duobus annis urbs illa caruit archiepiscopo. Boleslaus Mazouiorum dux Annam uxorem, Pauli Hunouij palatini quondam Belsensis filiam, exagitatus à fratribus & proceribus, quòd imparem duxisset, eadem leuitate qua duxerat, repudiauit. *Mazouiorum ducum dispária conjugia.* Quod quidem coniugium longè tamen minus indignitatis habuerat, quàm fratris eius Conradi, qui prius Cracouia abductam à uiro plebeio uxorem, nefario matrimonio sibi coniunxerat: eaq́ue defuncta, ac ducali pompa sepulta, alteram non minus obscuram puellam, Alexij cuiusdam filiam, uxorem sibi adsciuit.

DE ORIGINE ET REBVS GESTIS POLONORVM, LIBER VICESIMVSNONVS.

CAZIMIRVS rex plus quatuor mensib. Cracouiæ preter morem commoratus, ad exitū Nouēbris inde discedens, & lignū crucis Christi apud monasteriū Calui montis de more ueneratus, Radomię reliquū anni tempus, & sequentis principiū exegit. *1478. ann.* Ibi uerò regina cum duob. filijs natu maximis, ac totidē filiabus relicta, Petricouiam, quò ad duodecimā diem Ianuarij comitia edixerat, se contulit. Nec tamen operæprecij quicquā ibi fecit, cùm propter tardiorem aduētum & infrequentiā consiliariorum, tum quòd ne nouus quidem magister Cruciferorum, quamuis accitus promisisset, ueniebat, ut secundum pacta in uerba regis iuraret. Quin ad rebellionem planè spectare is referebatur. Cumq; ad depellendum bellum, quod ab Vngaro iuxtà atque Cruciferis impendebat, & ad continendos in officio Prussos, sumptu opus esset, & in eum usum tributum agrarium sciscendum esse plerisque omnibus uideretur, aliquot temerarij iuuenes de nobilitate maioris Poloniæ rem infecerunt. *Sendomiriēsis præfecturæ priuilegium.* Priuilegium aūt ibi tunc rex edidit, ne cui Sendomiriensem præfecturam oppigneratam, aut quouis modo obligatam habere liceret, nisi pro hoste publico, & læsæ maiestatis reo haberi mallet. Id autem Ioannes Rithuianius palatinus Cracouiensis perfecit, cum ex testamento Derslai fratris castellani Cracouiēsis pauló antè mortui, præfecturam illam à Vuladislao tertio rege illi oppigneratam, liberam regi reddidisset. Conuentu dimisso, rex in Prussiam contendit: Lenciciæ Vngarorum procerum legationem secretam, defectionem à Matthia pollicentem, sola regina arbitra & interprete audiuit. Nec tū ei quicq; certi respondit, iam antea fidem gentis dubiam & fluxā expertus. Breste deinde in Cuiauia Prussorum cōuentū egit, eoq; magistrum rursus frustra euocauit: Prussorum suorum animos confirmauit, Sbigneum Vuladislauiensem episcopū gubernatorem eis dedit: Marieburgensem præfecturam à Ioanne Coscelecio in Petrum Duninum Siradiensem castellanum transtulit. Inde uerò profectus, Lithuanicum Breste adijt: ibiq; conuentu Lithuanorum ad medium Martij mensis instituto, principatus illius rebus prospexit: uicarium uerò pro se de duobus filijs præsentib. utrūuis, petentib. illis relinquere noluit, quāuis Albertus tacitis lachrymis cupere id se non dissimularet. *Turcica & Tartarica legatio ad Cazimirum de pace.* Venit ad eum illuc Mahometis Turcarum imperatoris orator cum ingentibus donis, Tartarorum quoq;

quoque principis Nurduuuladi legationem secum ducens, amicitiam & societatem petitum amborum nomine, adijciens Tartarum Mahometis authoritate eò adductum esse. Quibus responsum est, regem libenter accipere, quæ sibi deferrentur, suosq; oratores ad utrunque confirmandi fœderis causa missurum. Quid autem Mahometem ad ineundū cū rege Polono fœdus tunc adduxerit, non reperio: nisi forte res aduersæ, cladesq́ue superiori bello Valachio terra, mariq; acceptæ, & quòd non solum eius, quem Stephani clientis sui iniuriam ultum ire credebat, sed plerorumq; omnium Christianorum principum socia arma, coniunctasq́ue uires metuebat. Audiebat enim eos dudum dissidentes, in gratiam redijsse, studio belli communi consilio & iunctis uiribus sibi faciendi. Turcarum ac Tartarorum legatis dimissis, Petricouiam rex redijt ad comitia denuò ad Pentecosten edicta. Interim episcopus Vuladislauiensis, conuentu Prussorum Grudenti post pascha instituto, nouo eos iureiurando, ultro ab eis oblato, regi & regno obligauit. Id bis ne, hoc uidelicet atque superiore anno (quasi semel satis non esset) factum sit, an Dlugossus lapsu memoriæ repetierit, nescio. Ad Magistrum uerò quinque legati missi, qui eum fœderis admonerent. Verùm ille nihil moratus salubria monita, non modò non uenit Petricouiam ad comitia, sed etiam bellum contra regem adornabat, non tam suis uiribus fretus, quàm Vngari & nonnullorum Germanorum principum uanis pollicitationibus, ac spe defectionis quarundam regiarum ciuitatum erectus. Et quò maiorem haberet belli faciendi opportunitatem, Brodniciam, & Culmam oppida, & Starigrodum arcem terræ Culmensis, Althausum ni fallor, Germani uocant, de Ioanne Schumbergio Bernhardi defuncti fratre redemit, persolutis stipendijs, quæ Bernhardus bello superiore meruerat, quæ rex iam prior soluere cœperat. Eas igitur munitiones militum præsidijs firmauit, ipse cum exercitu ex agresti ferè multitudine coacto, apud Osterrodam aliquandiu castra habuit, ab Vngaro promissa expectans auxilia. Hæc Petricouiam renunciata, fecerunt ut sine difficultate & controuersia duodenûm grossorum tributum decerneretur in stipendia mercenariorum militum, per quos tunc in Prussia rem geri placuit. Nec aliud ferè quicquam memorabile actum in illis comitijs, nisi quòd importatio salis exotici in Poloniam uetita est, propterea quòd apud Pincum in maiore Polonia nouæ salinæ extitissent. Ad Matthiam uerò missus est Stanislaus Vantropca palatinus Belsensis postulatum, ne ille rebellium contra regem suum Tungeni & Cruciferorum defensionem susciperet, fœderi, quod antiquitùs inter Vngaros & Polonos constitutum, nec ita pridem renouatum intercedat, repugnantem. Porrò ad Pontificem Max. Ioannes Goslubius iureconsultus, & Canonicus Poznaniensis allegatus est, questum de Balthasare de Piscia nuncio ipsius, qui apud Vuratislauiam degens, Vuladislao quidem Bohemo ut hæretico, Cazimiro autem ut fautori hæreticorum, in gratiam Matthiæ sacris interdixerat. Etsi enim ineunte uere pax inter Matthiam & Vuladislaum per utriusque consiliarios apud Bernam Morauiæ conuentu acto facta erat, Matthias tamen re apud Pelsnam, quam cum Budeouice retinebat, per præfectos præsidij sui contra Burianum Vuladislai copiarum ducem prosperè gesta elatus, simulq́ue tumultu Pragensis ciuitatis contra legatos suos Varadinensem episcopum, & palatinum Transsyluaniensem temerè concitato irritatus, bellum instaurabat, pacem illam irritam esse dictitās, quippe quæ nec suo iussu, nec authore pontifice, aut legato eius confecta esset: cui & legatus ipse Gabriel monachus, episcopus Agriensis, & recens cardinalis creatus, frigidam suffundebat, & insanientem sua sponte, magis etiam concitabat: frustra retinentibus Vngaris & Silesijs proceribus, quibus pax exoptata affulserat. Reuertens autem ex Vngaria palatinus Belsensis, Budensi præposito comitatus, illud responsum à Matthia retulit, eum fœderatis suis deesse rectè non posse. Sed si Cazimirus bello contra Cruciferos abstineret, habere Matthiam uias, quibus Cruciferi ad officium reuocentur, & ipse fœderis iureiurando cum eis sanciti religione soluatur. Hac igitur de causa missi ad eum denuò legati Ioannes Dlugossus, & Stanislaus Marsalcouicius, qui exquirerent, quæ'nam illa essent, quæ Matthias rectius significasset. Ac nihil ij quidem eiusmodi compererunt: pernegabat enim Matthias, se tale quicquam Cazimiro renunciari mandasse. Cum autem animaduerterent magnas copias ab eo comparari, quibus partim Poloniam infestaret, partim Cruciferos adiuuaret, constituerunt cum eo, ut ad initium Februarij mensis regum uterque consiliarios suos Olomuciam, omnium controuersiarum componendarum, pacisq́ue instaurandæ causa mitteret, interea uerò utrinque ab armis discederetur: retineret tamen Polonus munitiones, quas de Tungeno in Varmiēsi ditione

Prussi denuò iurant in uerba Poloni.

Salinæ Pincenses in Polonia.

Res Bohemicæ.

Legatio Cazimiri ad Matthiam.

Bellum Prussicum.

ditione cœpisset. Verùm displicuêre uehementer hæc pacta Polonis, iniussu suo conuenta. Iam enim Cazimirus exercitum in Prussiam miserat: atque is Cruciferos quiescentes adhùc lacessere uetitus, Varmiensem oram infestabat. Presto tamen fuit Tungeno Magister cum aliquantis agrestium magis quàm militum copijs. Sed nostris nullam dimicandi moram facientibus, mox in tutum se recepit. Quo facto liberius uastata est Varma: ac ne Sambiensi quidem agro pepercit miles: munitionesqúe aliquot de Tungeno receptæ, ad hæc auxiliares Vngari copiæ septem millium militum, quæ ductu Zeloni Bohemi sub specie ferendæ opis Ioanni duci Zeganensium contra Albertum Marchionem Brandeburgensem per Pomeraniam ad Cruciferos penetrare nitebantur, bis à Marchione magna strage pfligo erant. Atq; ijs rebus perculsi Tungenus ac Magister, de pace cũ Sbigneo Vuladislauiensi episcopo, Paulo Iasenio thesaurario regni, & Petro Dunino præfecto Marieburgensi, regijs magistratibus, tractare cœperant. Sed statim cœpto destiterunt, ubi de ictis inter reges inducijs, quibus ipsi quoque nominatim comprehendebantur, audierunt. Non tamen destitit regius exercitus à populatione Varmiæ, munitionumqúe oppugnatione. Per id tempus Tartari domestica egestate, penuriaqúe adacti, in Podoliam incursionem facere tentarunt. Sed cum exceptorum per insidias hominum indicio comperissent, adesse Spitconem Iaroslauium Leopoliensem, & Ioannem Odrouanzum Podoliæ palatinos, cum non contemnendo equitatu, discessione simulata in syluis aliquandiu delituêre, & mox securis nostris ad Braslauiam excurrerunt, oppidum incenderunt, parumqúe abfuit, quin & arce potirentur: sed reiecti tamen, cum magna præda sese receperunt. Eodemqúe tempore Turcæ in Carinthiam inuecti, eam oram, quæ est inter Malburgettum, Villacum, & Salisburgum, acerbè depopulati sunt: longiusqúe progressi fuissent, nisi eius oræ homines ad pontem Draui fluminis concursu facto eis obstitissent, pontemqúe interrupissent, ubi mille trecenti ferè Christiani cæsi sunt. Per omne aũt id tempus post solutum conuentum Petricouiensem Cazimirus cum uxore partim Radomiæ, partim Sendomiriæ, partim Corcicini & Cracouiæ commoratus est.

Tartarorum excursio in Podoliam.

1479. ann. Comitia Petricouiæ.

Insequentis demum anni die duodecima Petricouiam rursus ad comitia profectus est. Illuc uenit ad eum legatus Matthiæ regis Iaroslaus Zarnohorius, postulans, ut conuentum de pace redintegranda ad initium Februarij Olomuciam condictum, ad Maium differret, ad eumqúe ipse ueniret. Fore id ex re ipsius pariter & Vuladislai filij, minoreqúe negocio res Prussicas componi posse. Quod si tempus illud, locusqúe ipsi non placeret, mutaret arbitratu suo. Sed bellum tamen Prussicum interim intermitteret. Quod quidem identidem repetitis legationibus Matthias urgebat. Iam enim receptis cæteris munitionibus, Elsbergam primariam episcopi arcem permunitam Poloni obsidebant: Tungenus uerò rebus suis diffisus, ad Magistrum in Sambiam profugerat. Grata hæc fuit legatio Cazimiro. Itaque licet Tungenum propediem debellatum iri speraret, nec sibi expedire uideret aliquid ei laxamenti concedere, iussit tamen exercitum suum ab Elsbergæ obsidione discedere, & omni bello abstinere. Ad Matthiam uerò tres legatos, Raphaelem Iaroslauium marsalcum, Paulum Iasenium thesaurarium regni, & Andream Rosam præpositum Lenciciensem, cum summa potestate misit, ut de conuentu cum illo constituerent, & spem ipsi facerent: facilè & Magistrum ueniam, & Tungenum aliam episcopam, duásue pro una impetraturum esse, si pax coiret. Decesserat enim paulò antè de statione uitæ Vincentius Kelbassa Culmensis episcopus, & perpetuus administrator Pomesaniensis, nobilis Polonus gente Nalencia: quem Andreas Bninius Poznaniensis, & Paulus Grabouius Chelmensis propè continuatis funeribus secuti sunt: hic quidem plus quàm quatuordecim, ille uerò duobus & quadraginta annis & sex mensibus in episcopa exactus. Ac de Poznaniensi quidem fuêre competitores Vriel Gorcanus, Lucæ palatini Poznaniensis filius, Gneznensis & Poznaniensis præpositus, & cancellarius regni, cui collegiũ Poznaniense administrationẽ episcopæ uacantis cõmiserat, & Stanislaus Curozuancius procancellarius. Sed Iacobo archiepiscopo interueniẽte, collegiũ Poznaniẽse regiam authoritatem in eligendo Vriele secutum est: qui etiam promissum regis aliquanto antè habuisse dicitur. Reliquæ aliquandiu sine antistitibus fuêre. Obtulerat igitur sese occasio transigendi de Varmiensi episcopa. Cum hís mãdatis profecti oratores regij, multis cum Matthia & consiliarijs eius colloquijs habitis, tandem constituerunt, ut ad Pentecosten Matthias duos episcopos, ac totidem alios proceres Siradiam ad conuentum cum Polonis instituendum mitteret: Magister uerò Cruciferorum, & Nicolaus Tun-

Cazimiri legatio ad Matthiam.

Vriel Poznaniensis episcopus.

Tungenus ipsi adessent, & communi Vngarorum, & Polonorum placito Cazimiro, reconciliarentur. Exoptabant enim, & Vngari pacem, quo facilius assiduas Turcarum incursiones reprimere possent: nec deerat suadendo, & orando, Gabriel cardinalis legatus pontificius, Italicarum rerum, & pontificiarum partium iuuandarum studio. Ardebat enim tunc intestino bello Italia, scissa in duas factiones: quarum in altera erant, Sixtus pontifex maximus, Ferdinandus rex Siciliæ, & Neapolis, & respublica Senensium: in altera uerò Veneti, Florentini, & Mediolanensium dux: quæ Gallorum quoque regem in suas partes pellexerat, & quinquaginta ferè castella pontifici ademerat: tantóque odio inflammata, in id bellum incumbebat, ut Veneti, ne Turcico bello impedirentur, pacem à Turcis redimerent, Scutara siue Scodra urbe Epiri, siue Albaniæ, in qua defendenda permultum pecuniæ, sanguinisque profuderant, eis tradita. Quo uerò debilior erat altera factio, hoc ardentius Matthiæ opem expetebat. E Florentinæ autem urbis scintilla tantum illud incendium coortum est. Duæ fuerunt ibi familiæ facilè principes, Medicium, & Paciorum. Sed penes Medices principatus reipublicæ, per complures annos continuabatur. Id ægrè ferentes Franciscus, & Iacobus Pacij, re cum Gabriele cardinali tituli sancti Georgij ad uelum aureum, Hieronymo comite Sixti pontificis fratris filio, Francisco archiepiscopo Pisano comitis filio, & paucis alijs communicata, Iulianum, & Laurentium Medices in templo sacris uacantes inuadunt, & Iulianum quidem obtruncant: Laurentius uerò famuli unius manu protectus, saucius euasit. Pisanus archiepiscopus interim, ut conuenerat, in curiam, ubi octo delecti, de republica consultabant, impetum fecit: sed concursu multitudinis oppressus capitur, confessusque conceptum facinus laqueo suspenditur, & strangulatur: & mox cadauer eius proiectum, immaniter conciditur. Pacij fratres, & cum eis propè trecenti contrucidantur: Cardinalis captus aliquandiu, fuit in custodia. Has igitur ob causas, nimirum ob captum Cardinalem, trucidatumque archiepiscopum, Pontifex conscius alioqui (quemadmodum creditum est) eorum quæ à suis acta erant, Florentinos diris deuouit, Laurentium Medicem cum posteris ipsius, ad quartam usque progeniem omni honore, ac dignitate priuauit. Sequenti tamen anno culpam deprecantibus Florentinis, & non contemnenda parte agri, cum aliquot munitionibus multatis, pacem dedit. Hæc igitur belli illius semina fuêre: cuius intuitu Matthias ad pacem cum Cazimiro faciendam propensior, tunc esse uidebatur. Interea Cazimirus peractis comitijs, Sophiam filiam, quam Friderico Alberti marchionis Brandeburgensis filio natu minori desponderat, Francofordiam, quæ ad Odram est, ad sponsum, cum splendido sexcentorum equitum comitatu, & apparatu transmisit: ipse nouis conuentibus maiorum, & minorum Polonorum separatim institutis, duodenûm grossorum tributum impetrauit: Radomiamque ad reginam profectus, usque ad Pentecosten ibi mansit. Inde Petricouiam redijt, Siradiamque nonnullos consiliarios misit: ubi Magister quoque Cruciferorum, & Nicolaus Tungenus, & regiæ Prussiæ consiliarij affuêre. Sed cùm ad uicesimam diem, frustrà Vngaros expectassent, Petricouiam ad regem uenerunt. Ac Tungenus quidem, ad pedes regis prostratus, ueniam impetrauit: permissusque habere Varmiensem episcopam, cum rege ipse pariter, & quæ præsens aderat legatio collegij sacri illius ecclesiæ, pacto sempiterno constituit, ut omnes deinceps episcopi, priores siue prælati, ut uocant, & Canonici illius basilicæ intra certum tempus posteaquam electi, aut in collegium id cooptati fuerint, conceptis uerbis fidem suam regi Poloniæ obstringant, & præstò sint regi quoties opus erit contra Cruciferos: aduocatus quoque episcopalis, ut & ipse in uerba regis iuret: nec præficiatur quisquam ei muneri, nisi regis Poloni, aut ecclesiæ eiusdem subditus. Cæteri uerò homines, qui sunt in ditione episcopi & collegij, decimo quoque anno idem faciant. Prouocationem ad regem ut habeant: collegium sacrum, ut non nisi gratum regi episcopum sibi deligat. Quod tamen ita postea mutatum est, ut rex quatuor de collegio illo indigenas, Prussos idoneos ederet, de quibus collegium, quem uellet, episcopum eligeret. Hæc ita tunc conuenêre. Nec multo pòst ipse Tungenus cum toto collegio in arce Marieburgensi, quemadmodum conuenerat, promissum impleuit. Magister uerò uanis Matthiæ promissis, clandestinisque literis & nuncijs lactatus, difficiliorem se præbebat, affirmans: Cutem sibi detrahi se passurum prius, quàm in uerba regis Poloni iuraturum. Confirmabat autem eum Matthiæ legatio, quæ ad Cazimirum uenerat, de differendo in aliud tempus conuentu Siradiensi, & inducijs cum Magistro ac Tungeno prærogandis

Italici motus.

Veneti à Turcis pacem redimunt.

Sixti pontificis diræ in Florentinos.

Nic. Tungenus in gratiam à rege recipitur.

De episcopa Varmiensi.

Matthiæ & Vuladislai regum conuentus Olomuciæ.

dis: propterea quòd destineretur tunc Matthias alio conuentu cum Vuladislao Bohemorum rege apud Olomuciam agendo. Quo quidem conuentu pax, quæ dudum inter absentes conuenerat, à præsentibus regibus approbata & stabilita est, maiore eorum qui in Vuladislai ditionem ueniebant, quàm alterorum lætitia. Miti enim, & benigno erat ingenio Vuladislaus: Matthias contrà ferox, fastuosus, grauisq; suis. Eius autem pacis hę fuerunt conditiones potissimæ, ut uterque regis Bohemiæ titulum usurparet. Bohemiæ totius ius & administratio cum iure eligendi Cæsaris penes Vuladislaum: Silesiæ uerò, Morauiæ & Lusaciæ dominatus penes Matthiam esset. Quod si hic prior decederet, in Vuladislai, Bohemorumq́ue ius & potestatem ea omnia reciderent, exolutis tamen regno Vngarorum quadringentis millibus aureorum: sin prior Vuladislaus obiret, Mathias ei succederet in Bohemia, regnumq́ue id redintegraret, haberent necesse Bohemi illa quadringenta millia soluere. Proceribus autem & ciuitatibus ne fraudi esset cum alterutro sensisse: uerùm amissa quoque bello bona ipsis redderentur. Hæc ita tunc conuenêre. Hac igitur excusatione usus Matthias, prorogationem conuentus & induciarum à Cazimiro postulauit. Nec sanè difficilem hic sese in eo, quod postulabat ille, præbuit: missisq́ue ad eum Paulo Iasenio Sendomiriensi, & Ioanne Baseno Marieburgensi, quem nunc Elbingensem uocant, castellanis oratoribus, ad diem diuo Bartholomæo sacram conuentum & inducias prorogauit: ipse interim Radomiam, ubi regina erat cum liberis, secessit, Magistro relicto Petricouiæ. Ibi enim conuentum Siradiensem expectare ipsi uisum est, non auso ad suos in Prussiam pace infecta reuerti. Sed cum ne ad illud quidem tempus Vngari uenirent, Magister cum suis Cazimirum Corcinum secutus est. Eò tandem sub initium Octobris Stephanus comes Scepusiensis, & Venceslaus Becicouius Bohemus, legati à Matthia uenerunt, regemq́ue suum excusarunt, quòd bello Turcico implicatus, Siradiam consiliarios suos ad constitutam diem non misisset. Satagebant autem ij magnopere Magistrum cum rege Polono in gratiam reducere, renitentem admodum, quòd se in uerba regis Poloni nuquam iuraturum esse, Deo & homini (Matthiam significans) fidem dedisse diceret: proferebat autem non pauca, quibus à Cazimiro læsus esse uideretur. Quæ cum omnia clarissimè refutata essent, oratores Vngari cum à pertinacia reuocabant, denunciabantque apertè, non oportere eum deinceps ullam rerum suarum spem in Matthia collocare: Barbarico bello illum distineri, neque commissurum esse, ut iniustam causam tueretur. Iam uerò sui quoque eum obtestabantur, ne sese & ipsos iret perditum: ac ne minis quidem abstinebant. His igitur non tam flexus, quàm fractus, decessit tandem de pertinacia: & nona die Octobr. pacem & fœdus cum Polonis redintegrauit, & in arce Corcinensi fidelitatis & subiectionis iusiurandum regi solenni ceremonia dedit, præeunte uerba Ioanne Cracouiensi episcopo. Idem fecêre, qui cum eo uenerant, primores Cruciferorum, & cum his sex alij de nobilitate, ac tres consules Regiomontani. De cæteris uerò omnium ordinum, qui tunc aberant, promissum, quòd & ipsi idem iuraturi essent legatis regijs præsentibus. Iurarunt & regij consiliarij, qui recens in senatum allecti erant, se fœdus initum seruaturos esse. De Brodnicia uerò, & Culma, & Starigrodo à Magistro interuersis conuenit, ut eas munitiones ad diem diuo Martino sacrum regi redderet, octo millibus florenorum ab eo acceptis: de damnis eo bello, quod cum Nicolao Tungeno gestum est, Magistro & ordini datis quaterni à rege, Magistroq́, & nonus ab ambobus communiter delecti arbitrarentur: soluitq́ eo nomine postea rex Magistro mille quingetos aureos Vngaricos. Porrò de literis fœderis inter Vngarum & Magistrum icti placuit, ut utrinq; ad diem postridie Calendas Februarij ad Rodolfum Vuratislauiensem episcopum transmitterentur, & ab eo præsente Ioanne Lasocio Scholastico Gneznensi, scriba & nuncio regio, nemini lectæ concerperent. Nã cum Matthia quoq; & Vngaris pax cõuenerat. His ita peractis magna omniũ lętitia, Vngari oratores & Magister cum suis honorificè à rege accepti ac donati, diuersi discessêre. Nec ita multo pòst rex in Lithuaniam cum regina & liberis festinauit, Ioanni episcopo, Iacobo Dẽbenio castellano & præfecto Cracoui. & Paulo Iasenio castellano Sendomiriensi, cõmissa cura trãsigendi cũ mercenarijs militib. q ob nõ exoluta Prussica stipẽdia, passim, & maximè in ecclesiastica bona hostiliter, grassabanẽ, à nullo scelere & flagitio sibi tẽperantes. Is ẽm tũc erat Lithuanicarũ rerum status, ut regis pręsentiam uehementer requireret. Nam Ioannes Moschorũ dux, subacto Nouogrodo magno, & compluribus arcibus atq; castellis finitimæ Russiæ, quæ Alba dicitur, & magno

Conuentus & induciæ prorogatæ.

Magister Cruciferorũ Martinus cum suis iurat in uerba regis Poloni.

Militum grassatio ob non exoluta debita stipendia.

Lithuanorum duci parebat, in potestatem suam redactis, reliquæ Rußiæ, & Lithuaniæ uehementer imminebat. Amplum quidem is principatum, à maioribus suis acceperat: uerùm Tartaris, qui trans Rha siue Volgam fluuium incolunt, obnoxium ac tributarium usqueadeò, ut legatis Tartaricis, atque etiam ueredarijs tributum petentibus, uel alia quauis de causa uenientibus, cum equis ueherentur, dux ipse pedester obuiam prodiret, & lactis equini (qui potus est, Tartaris gratißimus) poculum uenerabundus porrigeret: si qua gutta inde in iubam, equi distillasset, eam lamberet: interpreti legentu literas Imperatoris selectam uestem Sabellinam substerneret, ipse cum proceribus eas legi auditurus, genua flecteret: nec ullum tyranni imperium detrectaret, etiamsi bellum contra Christianos, fœderatos, aut necessarios suscipere iussus esset. Hanc tam duram seruitutem, Ioannes uir magni animi, & acer cùm ferre non potuisset, uxore Græca magis etiam hominem incitante, sumptis armis excusserat: finitimos etiam Russorum principes, consanguineos suos astu magis, quàm armis subiugarat: & longius ad occidentem solem prouectus, Nouogrodum magnum, ciuitatem amplißimam, & opulentißimam, ac totius Septentrionis emporio celeberrimam, quæ Alexandri Vitoudi armis adacta, centum millia aureorum numûm, quemadmodum uult Vapouius, siue ciclorum, ut scribit Dlugossus, quos Rublos uulgò uocant, magno Lithuanorum duci quotannis ad illud tempus pendere erat solita, Lithuanorum ope destitutam oppugnarat, & in deditionem acceperat: trecentos ciuium primores interfecerat, eorumque copias omnes abstulerat: reliquis uerò ciuibus tertia modo, parte facultatum relicta, quicquid erat reliquum ademerat: denique archiepiscopi ærarium auro, argento, gemmis, margaritis, & omni genere opum per multos annos, cōgestarum refertißimum, ac ditißimum spoliarat: solumq; aurum, argentum, & gemmas, atq; uniones trecentis curribus asportarat: nam qui cæteram suppellectilem portabant currus, fuerunt innumerabiles. Inde igitur auctus opibus, & animis Moschus, totas prouincias Lithuanis, dum Cazimirus Polonicis rebus, diuersa parte orbis terrarum detinetur, ademerat, omnemq; adeò Rußiam, & Lithuaniam animo cōmplexus erat. His ergo rebus prouisurus Cazimirus, in Lithuania tunc solito diutius commoratus est. Et quamuis Lithuani proceres bello repetere, amissa optimum factu esse censerent, maluit ille tamen quietis consilijs, cum feroci Moscho rem componere, quòd eum tanta accesione diuitiarum, atq; prouinciarum, numerosis, & bellandi aßiduitate exercitatis, & memoria partarum uictoriarum præfidentibus copijs abundare, suos uerò longa desuetudine armorum imbelles, & effœminatos esse diceret: mercenario milite contra tam potentem hostem, bellum geri oportere, cuius è Polonia, & uicinis gentibus, tam celeriter educendi sibi copia non esset. Itaq; aliquot annorum inducias, cum eo pactus est. Hæc tunc in Lithuania. Per id tempus autumni Turcarū centum millia, cum quinq; ducibus, quos ipsi Bassas uocant, deductis secum Trāsalpinorum auxilijs, Transyluaniā ingressa, ad Sob[illegible]ouiam, siue Cibinium urbem castra posuêre. Præsenserant eorum aduentum Vngari, & ad defendenda sua tripartito, cum totidem ducibus accurrerant: fortè in unum agmen, cui Stephanus Bathorus præerat, Turcę incidêre. Stephanus ubi se in arcto positum pugnam detrectare, & cum reliquis duobus suorū agminibus coniungere, se non posse animaduertit, facit tamen eos certiores, de necesitate dimicandi sibi obiecta: & militibus suis uoluntario iureiurando, sese obstringentibus, quòd morituri prius, quàm fugituri essent, arma expedit. Committitur acre prælium tribus fermè horis. Iamque Vngari prægrauante, Turcarum multitudine referre pedem cœperant, & ægre eos sistebat Bathorus, obtestans pariter, & obiurgans, & recentis iurisiurandi admonens: cum ecce duo reliqua agmina, in quibus erant aulici regij, & Rascij, citato cursu inuecta, in latus hostium impetum fecerunt. At illi re improuisa consternati aliquandiu, tamen conuersis equis restiterunt: ad extremum uero conturbati, & impulsi, fugam fecerunt. Ibi tunc magna fugientium strages edita. Neminem enim, præter quinquaginta insigniores captiuos, Vngari uiuum seruabant. Nec tamen incruenta cesit eis uictoria: cecidêre multi fortes uiri, in quibus nobiles in primis Paulus Knes, quo nomine Slaui ducem, & sacerdotem appellant, & Iaxitius Rascius ductores agminum: quorum opera maximè, uictoriam illam, tam præclaram, & omni æuo memorabilem Bathorus, quanquam & ipse saucius, Matthiæ retulit. Ille enī graui pedum dolore impeditus, in Vngaria decumbebat, usq; adeò afflictus, ut paßim diuulgaretur, eum extremum clausisse diem, ueneno sublatū. Sed probauit is, anno sequēti se uiuere, Austriā per Thomam Tarciū populatus, & Rachesburgo oppido, per uim potius:

Equini lactis usus apud Tartaros.

Nouogrodum captum à Moschis.

Cazimirus à Moschico bello abhorruit.

Prælium Vngarorum cum Turcis.

Austria uexata à Matthia & Vngaris.

titus: cum à Turcis ad alia bella, quēadmodum statim exponemus, auersis, ocium & quietem nactus esset, cum Polonis aūt, & Bohemis pacem fecisset. Causam aūt eius belli fuisse, uolunt quidam repetitionem coronæ Vngaricæ, quā Bernhardus archiepiscopus Strigoniensis, cum thesauro regio fugiens, in Germaniam asportauerat. Verum id bellum, mox inducijs interceptum est. Eum uerò annum & consequentes aliquot Cazimirus rex iam grandæuus, cum uxore, & liberis in Lithuania uenationibus, uacans cōsumpsit. neq; memoratu dignum, quicquam tunc in Polonia pace per circuitū parta, accidit, præter q Ioannes Dlugossus canonicus Cracouiensis, non multo antè designatus archiepiscopus Leopoliēsis, uiuere pariter & annales Polonicos scribere desijt, uir nobilis, de gēte Vienauia, uirtute, & constantia summa, eruditione, & facundia, ut illis temporibus, nō uulgari, & industria ac dexteritate, in gerendis singulari præditus: quas ob res quamuis, Cazimirum regem Sbignei, ac deinde rursus Iacobi Senneniorum, ornamentis impensius studendo, grauiter offendisset, ita ut sacerdotiorū fructibus spoliaret, Cracouia à præfecti apparitoribus, contumeliosè ejceretur, proscriptusq; de uita periclitaretur: postea tñ idem rex plurimum eius opera in obeundis legationibus, maximi momenti atq; dignitatis, & in erudiendis liberis suis usus est: unde ditatus, insignia reliquit beneficentiæ suę, pietatisq; monumenta. Sed quoniā extat uita eius, siue à Philippo Callimacho, siue à quoquam alio disertè, ac diligenter conscripta, satis sit obiter, hæc paucula de eo perstrinxisse.

1480. ann.

Ioannes Dlugossius historicus, & archiepiscopus Leopoliensis designatus, obijt.

1482. ann.

Anno dehinc tertio, ad medium mensis Iunij pestis atrox ex Vngaria proserpens, Cracouiam cunctāq; minorem Poloniam inuasit: sequenti uero anno maiorem quoq; Poloniā, Mazouiam, & Prussiam, ac Bohemiam quoq; peruasit, & plurimos mortales absumpsit. Inter q̃s insignis fuit, Simon Lipniciēsis, ecclesiastes disertus, Bernhardiniani sodalitij, ad meridianam portam Cracouiæ degentis, homo plebeius quidem, & obscuro loco natus, sed probitate, & sanctimonia uitæ clarus, ita ut ægroti complures ad sepulchrum eius, pristinæ sanitati restituti esse memorentur. Quod quidem de Cazimiro quoq;, Cazimiri regis filio, non modò cōstanti fama, sed etiam certis, grauibusq; testimonijs affirmatur: qui Simonem hunc intra uertentem annum consecutus est, apud Vilnam tabe cōsumptus, & in basilica eius urbis, à patre solenni pompa sepultus: clarus & ipse sanctitatis opinione. Fertur aūt is tam castè & continenter uixisse, ut medicis cōcubitum suadentibus, si sanus esse uellet, mortem oppetere, quàm legem pietatis Christianæ transgredi maluerit: longè aliter sentiens, quàm plerīq; mortales corruptissimo, hoc nostro sęculo, qui neq; pœnitendum, neq; pudendum sibi esse ducunt, in cœno libidinū uolutari. Creuerat interim, in Polonia licentia hominum, & audacia, cœperantq; nonnulli nobiliores etiam rapto uiuere. In quibus Christophorus Saffraneccius, nobili genere ortus, & non contemnendis opibus præditus, facta manu perditorum hominum è Pescouascala arce, uias publicas infestabat, mercatoresq; Cracouienses cōplures copiosos, & honestos Lublinum ad nundinas, pficiscentes diripuerat, & trucidarat. Hac igitur de causa proscriptus, & cū proscriptionē contēneret circūuētus, & captus, Cracouiæ iussū regio capitali pœna affectus est. Ita pacatiores tū factæ sunt uitæ. Nec Bohemia interim, & Praga præsertim, à domesticis motibus quieta fuit, schismaticis, & profligatis sacerdotibus, atq; concionatorib. in absentes episcopos, Cardinales, & Pont. Max. mox in præsentes monachos, & magistratus urbanos, ac in regem deniq;, populū concitantib. Nec profuit indulgentia & patiētia regis, ac ne coërcio quidem seditiosorum, quo minus probra, & contumeliæ in eum iactarent, ac de uita is quoq; Pragę, & apud Cuthnos mōtes, quò secesserat, periclitaretur. Senatus quidem ueteris & nouæ Pragæ à furente multitudine contrucidatus est, & monasteria direpta. Sed eam culpam Henricus, & Hinco Podiebradij duces à Pragensibus redempti, apud regem mitissimū, & uires suas expendentē, facilè deprecati sunt. Valde quidem Vuladislaum pœnituit suscepti, tam turbulenti, & egeni regni: cuius reditus plerosq; omnes Georgius Podiebradius distraxerat, & insuper trecenta millia aureorum, filij, suis debere se professus erat, quæ Vuladislaus rex factus, exoluturum se ipsis promiserat. Et soluit sanè, cum Bohemi publicè ingens tributum, in eam rem contulissent. Sed nos nostra prosequamur. In Russiam deinde Cazimirus rex iter fecit, ut à Stephano Valachorum palatino pridem promissum, ac diu dilatum fidelitatis iusiurandum, ritu solenni acciperet, ipsomet palatino, qui ad diem uarijs caussificationibus id extraxerat, inuitante, ex huiusmodi causa. Imminebant tunc toti orbi Christiano Turcarum arma. Afflixerat Rhodum graui bello Mahometes, & metropolim eius insulæ uehementissimè oppugnarat: sed non expugnarat tamen magna cum ignominia, & strage reiectus. In Appu-

Cazimiri sancti principis mors & castitas.

Vuladislai regis pericula.

Vuladislai pœnitentia.

lia

lia uerò Bestiam, & alia quædam ignobilia oppida ui cœperat ac deleuerat: Hydruntum autem præsidio firmauerat, indeq; eam oram omnem longè, lateq; ferro & igni uastabat. Vtrumq; hoc bellum per legatos, quos illi Bassas uocant, gesserat, ipse eodem tēpore cum tertio exercitu in Syriam ꝓfectus erat. Sed in itinere prope Nicomediam extinctus, laxamentum ijs quibus terrori fuerat, attulisse morte sua uidebatur, propterea ꝙ Turcæ scissi in duas factiones, partim Baiazeti natu maiori, partim Zizimo minori filio eius fauebāt, belloq; ciuili impediti erant: ita ut ij qui Hydrunti erāt in præsidio, cum ab Italis, ad restinguendū illud quasi cōmune incendium duce Alfonso Ferdinādi regis Neapolitani filio, principe Calabriæ, accurrentibus premerentur, omni ope suorū destituti, deditionem facerent. Vbi præclaram Christianis operā Vngari, quos Matthias rex affini suo in auxiliū miserat, nauarunt, utpote exercitati bellis Turcicis. Videbať itaq; respiratura esse aliquātisper respub. Christiana, ipsis inter se Turcis belligerantibus, cum Zizimus, quem alij Selimum uocant, à Baiazete prælio superatus, ad Sultanū Aegypti se recepit: cumq; opibus & auxilijs eius fretus, bellum atq; prælium instaurasset, iterum uictus, Rhodum profugit: à Rhodiensium uerò militum magistro ad Innocentium octauum pontificem Max. qui Sixto successerat, Romam transmissus, & à Carolo octauo rege Gallorum Neapolim cū exercitu contendente receptus, in itinere uitam finiuit, ueneno, ut creditum est, extinctus Alexandri sexti pontificis opera, qui tunc Innocentio defuncto successerat. Ita Baiazetes pacem domi nactus, ut ignominiam & clades paternas à Stephano acceptas ulcisceretur, anno post Christum natum 1484, in Bessarabiam & Valachiam terra, mariq; expeditionem fecit: Kyliam, quam Licostomon Græcis ueteribus dictam esse quidam autumat, & Moncastrum siue Bialogrodum, urbes munitissimas, illam ad Danubij, hanc uerò nō ad Boristhenis, ut uult Paulus Iouius, sed ad Tyræ siue Nestri ostia sitam, non sine magna strage suorum in potestatem suam redegit, Moldauiamque omnem eo ipso & sequenti anno peruastauit: subegisse Iouius memorat, sed falso: quod statim planum fiet. Cessit quidem tunc Stephanus potentiæ Turcicæ, cum ei longè imparem se esse animaduerteret: tutioribusque & impeditioribus locis, ut est montosa & syluosa ea regio, sese continuit. Cazimiri autem regis opem implorauit, promittens in uerba eius iuraturum se tandem esse. Non putauit Cazimirus negligendam sibi esse illam occasionem deuinciendi & subiungendi sibi eius principis, qui Tartaros, Turcas, Vngaros uicisset, magnisque incommodis affecisset, suum autem imperium ad illud tempus detrectasset. Quamuis autem facilè conijceret, stabile, firmumque non fore id, quod non uerè & ex animo ageretur, sed temporis modò causa simularetur, consultius tamen & cum minori periculo suo, suorumque coniunctum esse ducebat, cum illo & per illum deuotos uniuersi Christiani nominis hostes à finibus suis arcere, quàm proditis quodammodo Valachis, omnem grauissimi belli molem in semet deriuare. Quamuis enim nullam ipse Turcis inferendi sibi belli occasionem daret, non temperaturos tamen eos sibi esse ab inuadenda & infestanda Russia, Podolia & Lithuania, si Valachiam subegissent, & illum quasi intermedium parietem diruissent: ac uel ipsos Valachos infestissimos sibi fore, quod ope sua destituti, in barbari tyranni potestatem redigerentur: denique uel sola fama aduentus sui Valachis quidem redditum iri animos ad defendendum sese suaq;: Turcis uerò terrorem incussum iri, ne longius progrederentur, aut diutius in munitionibus Valachiæ subigendis immorarentur. Formidabile enim tunc erat Turcis nomen Polonorum. Igitur sub initium autumni anno Christi 1485. Leopolim rex contendit, eoq; Russica & Podolica nobilitas omnis euocata ipsi præstò fuit. Permulti etiam de Polonis & Lithuanis uoluntarij partim officij, partim spectaculi gratia illuc ad eum confluxêre, equis armisq; bene instructi, ita ut uiginti millium equitum bello aptorum numerum comitatus ille expleret. Cum eo porrò Nestro seu Tyra amne apud Haliciam transmisso, Colomeiam ad constitutam cum Stephano diem sese contulit, & in latè patēti campo castrametatus est. Nec multo pòst Stephanus quoque cum insigni procerum, equitumque caterua affuit. Sublime solium in papilione regio præparatum erat: in eo rex ornatu regio sedebat, adstantibus consiliarijs. Stephanus, ubi appropinquauit, equo præstanti uectus, solus exclusis omnibus receptus est in medium ab equitatu regio cingente papilionem: desiliensq; à primoribus regij consilij obuiam prodeuntibus ad regem introductus est, uexillum signo terræ Valachiæ exornatum manu tenens: & adorato, ut mos est gentis, rege, uexilloque ad pedes sedentis abiecto, in genua procidit. Interea solutis ex composito funiculis, qui papilionem sustinebant, quæ fiebant intus cunctis longè, lateq; patuêre. Ibi tunc Stephanus

Hydruntum captum.

Innocentius octauus papa.

1484. anno.

Cazimiri consilium de rebus Valachicis.

1485. anno.

uerò impares nostris armatioribus, in fugam conuersi sunt: quam tamen obiecta cœnosa palus impediebat. Itaque multi in prælio, longè plures in fuga cecidêre, capti multi: pauci ex eo agmine, quod quindecim millibus equitum constitisse memoriæ proditum est à Vapouio, cum duce abiectis equis in palude hæsitātib. pedestres euasêre. Præda oīs à nostris recupata, & captiuis, exuuijsq; hostiū cumulata. Nec mora ad cæteros q sequebant nostri retro cōtēdere: forte fortuna ij impulso aduenientes, impedimētis nostrorū apud Copestrinū relictis potiti erant, & cū ibi aquæ mulsæ, qua fere in potu utunt Rusi & Podolij, aliquantū reperissent, ex itinere sitiētes largius sese ingurgitabāt, diffugisse nostros rati. Id cū nostri cognouissent, in comessabundos & ebrios facto derepente impetu, quasi in pecudū cæde ad lassitudinē usq; uersati sunt. Dux quoq; hostiū alter correptis armis, tentatoq; nequicq; cū paucis inordinatis Marte cecidit, decē millia equitū in hoc agmine fuisse Vapouius pdidit, & ex eo numero paucos euasisse. Sūt qui ad Sauoranū, siue Safranū flumē, qđ in Bogū influit, hæc gesta esse memorēt. Non quieuêre tñ postea Tartari: sed cum rursus in Podoliā populabūdi hyberno tēpore excurrissent, niuib. quæ plurimæ tūc deciderāt, impediti, rursus insigni strage à nostris tumultuariè coadunatis pfligati sunt. Verū hæc uictoria de nouē millib. Tartarorum, posterius, neq; Ioannis Alberti ductu parta est. Tunc autem Ioannes Albertus re bene gesta, & lectis hostium spolijs, uictor ad patrem reuertit: ex eo clarus, charusq; cunctus haberi cœptus, militibus pariter & captiuis reducibus uirtutem, dexteritatem & prudentiam eius prædicantib. Quæ res magno ipsi adiumento fuit ad regnum Vngarorum adipiscendum, nisi fortuna nouerca in medio cursu eū destituisset: quod mox psequemur, si paucis prius attigerimus, quæ hoc ipso anno acta sunt: nempe q Cazimirus rex fœdus icit cum Baiazete Turcarū imperatore, per oratorē suum Nicolaum Firleium gente Leopardium, qui postea castellanus Cracouiēsis, & dux exercitus Polonici fuit, hac lege, ne quid alter alterius ditioni incommodaret. Cum Vuladislao quoq; filio Bohemorum rege idem societatem contra Matthiam Vngarorum regem inijt. Erat enim Matthias quietis impatiens: & cum plurima de Vuladislao partim bello, partim iniquo fœdere quæsiuisset, plura tamē indies appetebat: ducesq; Silesios Ioannem Zeganensem, & Henricum Munsterbergensem durissimis pactis ad dedendas sibi munitiones Zeganum, Sprotauiam, Cozuchouiam, Suebodinū, Grunbergā, Polcouiciā, Vartēbergā, & Franchesteinū, adegerat: contra Fridericum imperatorem, cui Vuladislaus cliens imperij, rectè deesse non poterat, bellum instaurabat: Austriam infestabat, & multas eius munitiones in potestatem suam redigebat: quin Bohemiæ quoq; imminere uidebat, & in Vuladislai caput Bohemos quosdā siccarios cōparasse dicebat. Vuladislaus igitur omnia domi, forisq; suspecta habēs, & in paupere regno, tamen alieno quoq; nomine ualde obæratus, cum se Matthiæ uiribus imparem esse, Fridericum uerò non modo nihil opis afferre sibi posse, uerùm etiam ope sua indigere cerneret, ad patris arma recurrendum sibi esse putauit. Nec ille abnuit societatem, cùm filij, tum sua ipsius causa. Nouerat enim inquietum Matthiæ ingenium. Sed insequenti anno is omnes eos periculo & metu liberauit. Et intulit is quidem bellum Austrijs, exercitum Friderici imperatoris fudit, munitiones Austriæ plerasque, & in his caput gentis Viennam, in potestatem suam redegit, Nouam urbem obsedit: uerùm dum ea obsidetur, ipse Viennæ apoplexi extinctus est. Funus eius raptim & minimè regali pompa Albam regiam, ubi regum Vngarorum sepultura fuit, ab Vngaris elatum. Quo cognito Maximilianus Cæsar, Friderici imperatoris filius, cum exercitu aduolans, Viennam & omnem Austriam in potestatem suam redegit, & patri reddidit: nigram legionem, reliquias Matthiani exercitus, fudit ac dissipauit: mox Tirolensem comitatum, qui à Venetis infestabatur, donatione Sigismundi patrui sibi adiunxit. Mors Mathiæ regis, noui, quanquam non diuturni, nec atrocis belli inter Vngaros & Polonos causa fuit. Quod quidem ex intestino Vngarorum procerum inter se dissidio coortum est. Nam ij diuersis studijs partim ad Vuladislaum regem Bohemorum, partim ad Ioannem Albertum alterum Cazimiri filium, de quo dudum mentionem fecimus, regnum detulerunt: nec deerant qui Maximilianū Cæsarem regnare uellent: erant etiam, qui externos reges fastidientes, Ioannē defuncti Mathiæ nothum filium, quem blandè Hanselicum uocabant, regem appellabant. Non repudiauit Ioannes Albertus oblatum regnum, inuitantibus & orantibus qui ipsi studebant Vngaris, patre uerò suadente, & sumptus præbente. Sed Vuladislaus accitus à suis fautoribus, celeriter cū tumultuarijs Bohemorū copijs adfuit: & Budā caput regni, fauore Beatricis reginæ, spe noui matrimonij illectæ, q aspectu eius Olomucij capta erat, pulso Hanse-

Aquæ mulsæ.

Ioannes Albertus Cazimiri filius clarescit.

Austria infestata ab Vngaro.

Tirolensis acquisitio.

Bellum inter fratres.

Zelonagoram, Suebodinum, Giuram, Crosnam, Scenauiam, Opauiam, Carnouiam, Toscum, Bythomiam, Suirchleneciam, & Cozle, eaq; omnia ditione teneret, unà cum liberis suis maribus, si quos habiturus esset, tantisper quoad rex non esset uerùm ut ferrent, tamē homines eorum locorum onera publica ex æquo cum Vngaris, dux autem ipse Ioannes Albertus liber & immunis prorsus ab ijs esset. Interea uerò dum hæc præstantur, Aperiassum is, & Sobinouiam retineret. Quòd si Vuladislaus nullis relictis liberis decederet Ioannes Albertus post eum regnaret apud Vngaros. Nemini autem fraudi esset, cùm eo contra Vuladislaum sensisse ad hæc, ut ijs qui Matthiæ regis tempore exulassent, liber ad suos pateret reditus. Deniq; captiui utrinq; ut redderētur, itemq; munitiones captę. Hæc ita tunc inter fratres conuenta, conscripta, ac Vuladislai regis, & quindecim procerū Vngarorum signis consignata, extant in Archiuio Cracouiensi. Extant & aliæ literæ, quibus idē rex tributa, siue exactiones, quæ sibi publicorū onerū nomine ex ijs ditionib. pēdi debebant, eidem fratri condonauit. Quibus peractis Ioannes Albertus, in Poloniam se recepit. Vuladislaus antequ dimitteret exercitum, Hanselicum quoq; cum non cōtemnendis Valachorum copijs Budam contendentem, & mox Maximilianum etiam Cæsarem, qui & ipse ex pacto Friderici patris, quod ille tamen Matthię armis, adactus repudiauerat, regnum Vngariæ sibi uendicabat, & Albam regiam cœperat, profligauit. Sic ille tunc Vngariam pacauit. Nec tamen Beatricem uxorem duxit. Porrò Cazimirus Polonorum rex in Lithuania certior factus, de aduersa Ioannis Alberti pugna, & quòd is saluus, tamen euasisset, bello Moschico inducijs, in aliud tempus dilato, maturabat reditum in Poloniam, ut acceptam in Vngaria ignominiam instaurato bello deleret: id adeò siue quòd nihil dum de transactione filiorum inter ipsos cognouisset, siue quòd eam transactionem, non probaret: tametsi absq; eo non deerant, ei causæ redeundi in Poloniam, ut Annæ filiæ Boguslao Stecinensium Pomeranorum, duci desponsæ nuptias faceret, eamq; honoris gratia deduceret, & Russis opem ferret. Nam rusticanus quidam homo, cognomento Mucha, collecto è Valachis, & Russis, Pocutiensibus decem millium hominum exercitu, Russiam infestabat, si non concitante, conniuente quidem certè, Stephano palatino Moldauiæ. Tametsi Mucham tunc Nicolaus Chodecius, cognomento Zemelca, uir fortis, & rei militaris peritus, cum mercenario milite, Polonorum ęre conducto, cui præerat, fudit & repressit, multitudinemq; illam promiscuam dissipauit. Cœperat tamen Mucha posterius Ioanne Alberto iam regnante exercitum reparare. Sed cùm ad mulierem quandam Russam, in quam deperibat, clanculum subinde commearet, obseruatus & captus, à Russis nobilibus, Cracouiam ad regem missus est, ibiq; in carcere uitam finiuit. Vilna igitur profectus rex Cazimirus, cum Troccos unius diei itinere peruenisset, languere cœpit & inualescente morbo, ubi animaduertit supremum uitæ diem sibi instare, testamentum condidit, quo Vuladislaum filium exhæredauit. Deinde sacrosanctis, Christianæ religionis mysterijs ritè perceptis, mense Iunio animam exhalauit, anno Christi 1492. Inde funus eius in Poloniam solenni pompa elatum, in basilica Cracouiensi sepultum est. Nec multo pôst pars urbis ad occidentem solem uergens, cum ea domo Academię, quam collegium maius uocant, fortuito incendio conflagrauit, diraq; lues, & pestis pecudum, atq; pecorum Poloniam peruasit. Aliquāto autem, ante mortem regis, post medium Decembrē, tres soles in meridie uisi sunt: deinde cometes duūm ferè mensium, spacio post occidētem solem apparuit, prodigia, ut creditum est, mortis regiæ. Regnauit autem, is annos quadragintaquinq; uixit sexagintaquatuor. Per hoc tempus Turcæ cum Vngariæ fines infestarent, & Sabaciam arcem, quam rex Matthias, de ipsis receperat, obsiderent, Vuladislai noui regis auspicijs, ab Vngaris, & Bohemis reiecti, & fugati sunt.

Hanselicus, & Maximilianus Cæsar uicti à Vuladislao.

Nicolaus Chodecius.

1492. ann. Cracouiæ incendium.

Turcæ reiecti à Sabaciæ obsidione.

DE

DE ORIGINE ET REBVS GESTIS POLONORVM, LIBER TRICESIMVS.

IOANNES ALBERTVS REX.

Polonorũ procerum dissidiũ in creando rege.

CAZIMIRO sepulto, ad medium Augustum Petricouiã, noui regis creandi causa itum est. Ibi uaria fuêre studia, pcerũ & equitũ in regis defuncti, filios absentes partita. Ioãni Alberto fauebant, plerique propter ætatis prærogatiuam, & specimen uirtutis bello Tartarico editũ. Nõnulli, elatiore animo, & supcilio eius offensi, partæ de Tartaris uictoriæ, Vngaricum bellum aduerso, euentu gestum opponebant: illam uirtuti militũ, & fortunæ, hoc imperitiæ ducis acceptũ ferentes. Hi uerò partim Alexandro natu proximo, suauioribus moribus, & liberalitate prædito, partim Sigismundo iuniori regnum destinabant. Pro Alexandro erat fœdus, quo Poloni, & Lithuani Iagellonis regis opera coniuncti, sub unius imperio semper se fore promiserant, & expedire id maximè regno uidebatur. Iam autem Lithuani, patris morientis iussu, quemadmodum dictitabant, Alexandrum ducem sibi creauerant. Refellebant hoc alij: Lithuanos contra pacta conuenta uenisse, qui inconsulto senatu Polonico ducem sibi creassent: indignum esse Polonos in rege creando, coram sequi sententiam, quibus ipsi præire deberent. Haberet sibi Alexander Lithuaniam, Ioannes Albertus, Silesiam à Vuladislao fratre, assentientibus Vngaris, & Bohemis proceribus, pacto promissam, cum spe regni Vngarici: Sigismundum fato quodam, aut prouidentia diuina Polonis regem relictum, ac destinatum esse: & uegetioris autem animi eum esse, & generosioris indolis. Huius autem sententiæ authores erant, Raphael Iaroslauius Marsalcus regni, ac Tencinij, quos sequebatur cuncta Toporum familia. Idem sentire uidebatur, Sbigneus Olesnicius archiepiscopus Gneznensis. Tametsi creditum est, eum hoc quidem præ se tulisse, re uera autem Ioanni Mazouiorũ duci studuisse: cum quo fixis in patenti campo tentorijs statiua habebât. Non obscurè enim Ioannes, uelut uetusto regũ Polonorum sanguine oriundus regnũ ambire uidebatur: & mille equitibus comitatus, unà cum fratre Conrado, ad comitia uenerat. Res ad uim spectare uidebatur, insolentius & ferocius sese gerentibus Mazouijs. Quo comperto regina Elizabetha mille sexcentos, equites ære suo Cracouiæ raptim conductos, ad Fridericum filium episcopum Cracouiensem, & cæteros, qui Ioannis Alberti partes tuebantur, præsidij causa misit. Ex his complures erant, qui sub Ioanne Alberto in Vngaria stipendia meruerant. Ibi tunc superiores esse cœperunt, Ioannis Alberti partes. Cumque frequens senatus, in aulam regiam, ubi Fridericus diuertebat, conuenisset, & Fridericus archiepiscopo nõ ueniente, comitijs præsideret, uicesimaseptima die mẽsis Augusti, Ioãnes Albertus rex renunciatus est, non magis procerum suffragijs, quàm populi foris circũ comitum stantis clamore adiutus. Cracouiam deinde reditum est: ibique de more nouus rex a Sbigneo archiepiscopo ritu solenni unctus, diadema suscepit. Et quoniam nõ satis securus erat ab ijs, qui sibi in adipiscendo regno aduersati erant, siue adeò, quòd ulcisci ipse eos cogitabat, & potentiam tamen eorum reformidabat, cum Vuladislao fratre Vngarorum, & Bohemorũ rege secretò fœdus icit per oratores: quo disertè cautum est, ut mutuam sibi opem ferrẽt reges contra rebelles subditos. Verùm non ita multo pòst, nempe pòst insequentis anni principium, Raphael Iaroslauius marsalcus, & Sbigneus Olesnicius archiepiscopus, principes eorum, qui Ioanni Alberto aduersati erant, obiêre, angore animi, quemadmodum creditum est, cõfecti. Tametsi Sbigneus grandæuus aqua intercute, qua iam inde ante comitia laborare cœperat, extinctus est. Ei successor Fridericus episcopus Cracouiensis, rege fratre postulante, ab Alexandro sexto pontifice Max. datus est, ita ut idem episcopam Cracouiensem retineret, Cardinalitio quoque honore cumulatus. Adeò uero mites fuêre soles anni illius initio usque ad medium Februarium, ut arbores turgerent gemmis, aues nidificarent, nouosque fœtus excluderent. Subsecutum est autem frigus intensum diebus 15, quod omnia illa corrupit. Solenni inauguratione peracta, rex paucos menses

Sigismũdi indoles.

Elizabethæ reginæ studium erga Ioannem Albertum.

Fœdus Ioannis Alberti & Vuladislai fratrũ regum.

1493. ann.

menses Cracouiæ commoratus, maiorem Poloniam mille sexcentorum equitum aulicorum comitatu toto ferè anno obiuit. Quò uenerunt ad eum legati Venetorũ, & Baiazetis Turcarum principis, utrinq; regnũ ei gratulantes. Ac Veneti quidem præterea, quib. Baiazetes Albania per illud ipsum tẽpus peruastata, captoq; Dyrrhachio urbe maritima, è propinquo imminebat, ad bellũ in Turcas suscipiendũ regẽ cohortabant. Turca uerò p- amplis donis oblatis, pacẽ & amicitiã ei deferebat, siue q; uires Polonorũ eo bello, quod cũ Valachis gesit, exploratas reformidabat: siue q; prouidebat, ne pluribus simul bellis distineret. Facilè enim conijciebat, Ioannẽ Albertũ, nisi fœdere & iusiurãdi religione adstringeretur, non defuturum esse Vuladislao fratri & Vngaris: quorum ditiones uti proximas, ipse tunc infestandas ac subigendas sibi proposuerat. Nec multo pòst sanè eo ipso anno excurrerunt Turcæ populabundi duce Cadumo Bassa in Croatiam, & usque ad Zagrabiam peruenerunt: & Vngaros cum Slauis & Croatis obuiam sibi progressos, insigni strage profligarunt. Hæc igitur tunc Baiazeti pacis à rege Polono petendæ causa fuisse uidetur. Diu fuit anceps Ioannes Albertus quid faceret, Venetis ne an Turcis gratificaretur. Huc eum pacis commoda inuitabant, illuc insitum gloriæ, regniq́ue propagandi studium, & ulciscendi patrui apud Varnam à Turcis interfecti libido impellebat. Ad bellum autem procliuior, cum Turcicas uires secum perpenderet, animaduertebat apparatu maiori, & socijs, auxilijsq́ue sibi opus esse. Occurrebant animo eius in primis Vngari, qui tunc à Turcis uexabantur, & Vuladislaus frater. Cum his igitur primum redire prorsus in gratiam, ac de bello Turcico communicare statuit. Nam Fridericus imperator senior, morboq;, quem Cancrum uocant medici, confectus, resecto crure, per idipsum tempus Viennæ obierat. His ita maturo consilio apud se constitutis, uix tandem intra uertentem annum legationem Turcicam r ex dimisit, trium annorum inducias cũ Baiazete pactus, iureiurando utrinq; interposito. Deinde cũ Vuladislao fratre apud Liblium siue Leuociam, Vngarorum id in Scepusio oppidum est, conuentum egit, Sigismundo & Friderico fratribus natu minoribus, & Friderico marchione Brandeburgensium, sororis filio comitatus. Ibi publicè quidem redintegrata est inter reges germanos beneuolentia, fœdusq; inter Vngaros & Polonos. Secreto uerò actum esse dicitur inter solos fratres semotis arbitris de ratione belli gerendi contra Turcas, ac de eijciendo Stephano palatino è Valachia, ac Sigismundo in locum eius surrogando. Sed rumor deinde siue uerus, siue celandi consilij gratia confictus, uulgò sparsus est, infectis rebus discessum esse. Soluto fratrum conuentu, Cracouiam se Ioannes Albertus recepit: ibique legationem Turcicam alteram, quæ tunc forte oblatas inducias approbatura aduenerat, audiuit. Per quos quidem dies, ultima die Iunij atrox incendium ad eam portam quæ Noua appellatur, post occasum solis grassatum, maximam urbis Cracouiæ partem, quæ ad Septentrionem & occidentem solem uergit, cum tectis turrium & mœnium atque templis absumpsit. Post quod tempus Iudæorum domicilium, qui eousque sparsim in urbe habitarant, grassanteq́ue incendio illo à militibus excussi erant, Cazimiriam translatum est in ripam Vistulæ: quem locum Cazimirus magnus gymnasio destinarat, & exædificare cœperat: ubi etiamnum frequentes admodum degunt. Sub finem Septembris Tartari Tauricani, siue Præcopenses, in Podoliam & Volyniã populabundi excurrerunt. Qua de re maturè certior factus rex, aulicum suũ comitatũ ad reprimendos eos misit: qui quũ se cũ mercenario milite, qui tunc paucus publico stipendio ad præsidium regni conductus erat, cõiunxisset, impigrè Tartaros cũ grandi hominũ, iumẽtorũ, pecudũ, & omnis generis præda reuertẽtes psecutus est, & ad Visnoueciã castellum Volyniæ assecutus, hostem nõ fefellit. Excepêre enim Tartari incurrentium in se nostrorum impetum, celeriterq; paucos pugnæ intentos circumuecti, ad manus quidem nõ temerè ueniebant, uerùm sagittis eminus equos pariter & homines configebant, & plenã ad extremum uictoria potiti sunt, multis claris & fortibus uiris cæsis: in quibus præstantes fuêre, Henricus Camenecius, ac Derslaus Glouinius. Per eos autem ipsos dies duo portenta Cracouiæ extiterunt. Mulier enim quædam in platea, quæ à sancto spiritu nomen habet, infantem exanimem peperit, cuius dorso serpens uiuus inhærebat, arrodens ac depascẽs cadauer. Altera uerò in suburbana uilla, cui Nigræ nomen est, ad decimum Cal. Nouemb. monstrum edidit: cætera quidem humana figura, sed collo & aurib. leporinis, & uno grandiore intestino totum uentrem occupante, diducto rictu spirans. Sequenti anno memorabile accidit in Polonia, præter quòd Ioannes siue Ianusius,

Venetorum legatio ad regem Polon.

Ioannis Alberti ingenium.

Fœdus & pacta regum.

Iudæorum domicilium Cazimiriam translatum.

Monstra, seu portenta.

1459. an.

Plocensis ditio Polonia adiuncta.

us, Mazouiorum Plocensium dux coelebs, in humanis esse desijt. Secundum quem Ioannes Albertus rex tractum Plocensem iure feudi, ut uocant, ad se deuolutum, regno adiunxit. De reliqua uerò Mazouia, Cirnensi, Varsauiensi, Vissegradensi, Zacrociinensi, Cechanouiensi, Lomzensi, & Nouiduuorensi territorijs, cum Conrado fratre eius superstite sequenti anno ita transegit, ut is Cirnensem quidem dominatum, socius & foederatus regum Polonorum, unà cum posteris suis masculis tantum iure sempiterno obtineret: regi contra quosuis hostes præstò esset: ipso inscio cum nemine foedus iceret, aut pecuniam ullam subditis suis imperaret: reliquas uerò satrapias siue præfecturas ipse modò, quoad uiueret, haberet, post obitum eius ad regem, regnumque redituras. Idque ita ratum fore, ipse pariter cum proceribus & nobilitate, oppidorumque primoribus Lublinum ueniens, solenne iusiurandum regi daret. Verùm id uix tandē post alterū annū elapsum præstitit. Inundauit eodem anno supra modum Vistula fluuius æstate media, ualidis imbribus auctus. Nec sequens quidem annus habet quicquam magnopere memorabile, præter nuptias Barbaræ Cazimiri regis filiæ, quam Ioannes Albertus frater uirginem Georgio Alberti Saxoniæ ducis filio, in matrimoniū collocauit: & transactionem regis, cum Conrado Mazouiorum duce in comitijs Petricouiensibus factam, quemadmodum dudum memorauimus. Obijt etiam eo anno Philippus Callimachus: cuius mors non ingrata Polonis accidit. Fuit is natione Tuscus, orator & poeta non inelegans, & acri ingenio præditus, uersatus aliquandiu in ministerio Pij secundi pontificis max. Deinde uerò cum successor Pij Paulus secundus Pomponium Lætum, Platinam, & quosdam alios uiros eruditos, amicos Callimachi, siue quòd de religione male sentirent, siue quòd in se conspirasse dicerentur, præhendi iussisset, Callimachus, Cazimiro adhuc regnante, in Poloniā profugit, & pro præceptore regijs filijs fuit. Cum autem in familiaritatem Ioannis Alberti sese insinuasset, plurimum apud eum gratia, & consilio ualuit, usque adeò, ut cum is rex factus esset, Callimachi arbitrio magistratus, & honores mandarentur, & res pleræque omnes publicæ & priuatæ regis gererentur. Qua re ingentem sibi inuidiam apud Polonos Callimachus conflauit: quæ tñ metu potentiæ eius occulta aliquandiu, quodam tempore, cum is legationem regis nomine apud Venetos & pontificem Max. obiens, rediturus esse in Poloniam non putaretur, in apertum erupit: sed rursus eo reuerso tam resedit, quàm dissimulata est, quoad ille uixit. Ad tyrannidem inuitare regem, & beneficia, decretaque eius uendere, siue creditus, siue insimulatus est. Et ita sanè hoc fit, ut ij qui principem, aut aliquem tamen gratiæ locum apud reges, & monarchas obtinent, difficulter inuidiam & obtrectationes hominum uitare possint: quibus nonnunquam perculsi, è summo gradu in imum decidunt. Neque enim facere possunt, quin multos offendant, dum quibusdam prodesse student. Et illos autem quos euexerunt, æmulos plerunque experiuntur, præsertim si uel externi sint, uel genere, opibúsue inferiores, uel auari denique. Perijt autem Callimachus, fluxu uentris exinanitus, initio mensis Nouembris, quo tempore pestis ex Vngaria & Silesia proserpens, Cracouiā & minorem Poloniā inuasit: quæ cū hyeme, quæ fuit asperrima, conquieuisset, æstate sequenti maiorē in modū recruduit, & ad hyemem usque longè, lateque grassata, plurimos mortales absumpsit. Commodū tamē rex nobilitatē, ac de plebe quicunque militiæ nomina dederunt, ei subduxit: nisi quòd ijs qui pestē effugerāt, gladius tamē hostilis nō usquequaque pepercit. Erat Ioannes Albertus, quemadmodum etiam superius indicauimus, gloriæ & imperij propagandi percupidus. In primis autem Turcas, Christianis omnibus formidabiles, hostes sibi destinabat, idque siue pio reipublic. Christianæ iuuandæ studio, siue ut Vladislai patrui necem uindicaret. Tametsi iactatum est uulgò, & creditum, eum Valachiā subigere meditantem, fallendi Stephani palatini gratia, Turcicum bellum præ se tulisse: & ne ultrò tam potentem hostem lacessere uideretur, curasse per subornatos homines, ut sibi renunciaretur è Podolia, Turcas infesto exercitu Valachiam & Podoliam petere: qđ quidem credibile faciebat inquietum gentis ingenium, & quod induciarum finis iam instabat. Cum igitur apparatum belli permagnum fecisset, & à Conrado Mazouiorum duce Lublini, quemadmodum conuenerat, solenne fidelitatis iusiurādum accepisset, ipsum quidem expeditione bellica tunc instante liberauit: Alexandrum autem magnū ducē Lithuanorum, & Ioannē Tifenium Magistrū Cruciferorum Prussiensiū, qui Martino defuncto successerat, è formula foederis euocauit: nobilitatem omnem regni Maio mense ad Leopolim sibi præstò esse iussit: ad Stephanum quoque palatinum Valachorum lega-

1496. ann.

Philippus Callimachus.

Callimachus legatione fungitur regio nomine.

Pestis.

Hyems acerrima.

Ioannes Tifenius Magister Cruciferorū.

legatos misit, qui ipsum ad societatem pij belli contra barbaros cùm ex formula fœderis euocarent, tum Kyliæ & Balogrodi recuperandi spe inuitarent. Ipse cum Sigismundo fratre & peditatu mercede conducto maturè profectus, Præmisliæ substitit aliquandiu, dum copiæ conueniunt. Ibi eum Creslaus Curozuâncius cãcellarius, & illo ipso tempore post obitum Petri Mosinij, siue Bninij, episcopus Vuladislauiensis designatus, suo & Friderici cardinalis nomine conuenit, ab instituto eum reuocans. Quem rex durius increpitum abire, & sacerdotem sacrorum, non belli curam gerere iussit. Se uel subuculam suam concrematurum esse, si eam consilij sui consciam esse sciret. Hic sanè nati sunt, uel confirmati duntaxat sermones hominum, quibus iactatum est postea seu uero, seu falso rumore, usque ad nostra tempora, expeditionem illam suasu Callimachi à rege susceptam fuisse, quo feroces minus morigeræ sibi, diuinaque & humana iura contemnentis nobilitatis Polonæ spiritus, incommodis belli, aut etiam clade aliqua retunderet. Porrò ij qui in Valachiam missi erãt, renunciarunt regi, exoptatissimum id bellum Stephano contra barbarum, cùm totius Christiani nominis communem, tum suum peculiarem hostem accidere; itaque non defuturum eum esse commeatu exercitui regio suppeditando: quin & uires eum suas cum rege coniuncturum esse, ubi is ad hostium fines & Danubium peruenerit. Nam ut prius id faciat, minimè expedire, ne Turcas & socios eorum Transalpinenses intempestiuè in se prouocaret. Verène autem hoc ita existimarit, an cauere sibi hoc prætextu uoluerit, ne à rege circumueniretur, incertum est. Iam quidem et ipse senserat partim fama renunciante, partim Vngaris proceribus per literas & nuncios submonentibus, contra se exercitum illum à Polono rege duci, ut se amoto Sigismundum fratrem Moldauiæ præficeret: sic enim Liblij clàm inter fratres conuenisse. Quod quidem eo studiosius uulgabant Vngari, quo magis Stephanum aduersus regem Polonum irritarẽt: idque partim quòd molestè ferrent, secretiori consilio se à regib. exclusos fuisse, partim quòd Moldauiam bello illo à sua clientela prorsus abstractã iri uidebant. Venerat enim usu superiori tẽpore aliquoties, ut Valachi Moldaui, postea quam semel ab Vngaris ad Polonos defecerunt, in dissensione domestica de principatu, uel Turcici beli necessitate adducti, uel denique, ut est dubia gentis fides, Vngarici regis clientelæ denuò sese addicerent. His igitur monitoribus Stephanus cautius obseruabat, quid consilij Ioannes Albertus caperet: quem ubi comperit recensitis copijs, motisque à Leopoli sub finem Iunij castris, non uersus Camenecciam, quà compendiosior uia est ad Kyliam & Bialogrodum, Turcarumque ditionem, iter instituere, sed ad Plocutiam oram deflectere, ibi magis etiam cœpit sibi prospicere: misitque tres legatos, uiros gentis suæ primarios, ad regem sciscitatum, amicus ne an hostis Valachiam peteret. Si Turcis bellum facere decreuisset, posse eum longe maiori compendio & expeditiore uia ad fines Turcarum peruenire: seque exercitum eius & commeatu adiuturum, & ubi hostiũ fines attigisset, copijs suis aucturum esse: sin sibi bellum inferret, daturũ se esse operam, ut eum illati pœniteat. Hac tam superba & minaci legatione commotus rex, legatos contra ius gentium comprehensos, Leopolim asseruandos misit: ipse non expectatis Lithuanorum, Prussorum & Masouiorum auxilijs, cum infestis signis Moldauiam ingressus est: & omnibus rebus postpositis, interiora & caput gentis Sozauiam potissimum petiuit, sperans, Valachos non modò terrore tanti exercitus, uerùm etiam acerbum Stephani dominatum pertęsos, & alioqui dominos crebrò mutare solitos, ultrò ad se defecturos esse: eoque captiuos omnes quicunque à pabulatoribus excipiebantur, liberaliter dimittebat. Cæterùm cùm Sozauia Stephani pręsidio firmata, uenienti portas clausisset, quaternis castris in conspectu arcis positis, & curruum obiectu munitis, oppugnare eam adortus est. Nec tamen proficiebãt quicquam, quamuis abundante multitudine. Nam ad octoginta millia pugnatorum in exercitu habere ferebatur: acceptis lixis & aurigis, qui dimidium eius numeri expleuisse existimati sunt, cum curruum essent ferè triginta millia. Ne bombardæ quidem nostris defuêre: sed quantumcunque eæ muri interdiu deiecerant, noctu Valachi impigrè roboribus limo, fimoque oblitis reficiebant. Itaque cum in longum duceretur obsidio, Stephanus collecto è suis non contemnendo exercitu, obuiam ire conatibus regijs instituit. Nec tamen in apertum prodibat usquam è nemoribus, sed ex insidijs modò carpebat regium exercitum, & in pabulatores, nec impunè tamen ferè, impetum faciebat: maiores copias, atque Transyluanorum, Cæculorum, Transalpinensium, Bessarabum, Turcarum ac Tartarorum, quos partim prædæ, partim subiectionis suæ spe inuitabat, partim etiam mercede conducebat, auxilia expectans. Cauerat etiam, insessis itineribus, ne

Creslaus Curozuancius episcopus Vuladislauiensis.

Vngari Stephanum contra Polon. regem irritarunt.

Stephani legati ad regem.

Ioannis Alberti consilium.

Stephani Palatini conatus.

Polonicus exercitus detrectat bellum.

commeatus nostris è Rusśia & Podolia subueheretur. Spe defectionis Moldauorum frustrati nostri, cum difficultatem belli circumspicerent, penuriamq; annonæ & pabuli, ut in tanta multitudine hominum & iumentorum, sentire inciperent, nec Valachi ad prælij dimicationem uenirent, minus alacres esse, & fremere in regem: reputare secum signa & ostenta, quæ aduersum belli exitum portenderent: nempe quòd boues ducenti, qui à Leopoli motis castris post exercitum agebãtur, subita tempestate disiecti, recolligi omnes nõ potuere: equus candidus regi charus, qui ad manum ducebatur, in transitu modici fluminis collapsus, mersusq; perijt. His igitur de causis nostri missionem flagitabant. Permouebat eos & illud, quòd neq; Lithuani, neq; Masouij ueniebant: Prussorum uerò Magister Tifenius Leopoli ægrotus decumbebat, ubi etiam extremum uitæ diem clausit. Accedebat eò, quòd ipse quoq; Stephanus pacem petebat, Vuladislao rege Vngarorum deprecatore et pacificatore utens. Nec tamen constat, uerène id fecerit, an simularit, quo nostros tantisper, dum copiæ suæ conueniunt, duceret, & ab oppugnatione Sozauiæ auerteret, quam in extremo discrimine uersari didicerat. Misit quidem Vngarus legationem ad Polonum regem, suadens & postulans, ut is pacem daret Moldauo, ne desperatione salutis et rerum suarum, ad opem Turcarum cõfugere cogeretur, eorumq; uires accesśione copiarum suarum augeret. Tametsi suam in eo rem Vngari proceres agere uidebãtur, quo Stephanum omnia pollicentem, cum tota gente sibi potius adiungerent. Facilè tamen Ioannes Albertus, in illo præsertim statu rerum, cum febri etiam tentari cœpisset, persuaderi sibi ab Vngaris legatis passus est. Et cum de conditionibus pacis non conueniret, induciæ constitutę sunt, per quas liberius de pace ageretur. Publicatis inducijs confestim soluta est obsidio, quemadmodum conuenerat, pronunciatumq; iter in certum diem. Cum autem cognouisset Stephanus, alio itinere Polonós recedere uelle quàm uenissent, siue quòd breuior ea uia esset in Poloniam, siue quòd agri à populationib. intacti, faciliorem commeatum exercitui præbituri esse uiderentur, admonuit regem per internuncios, consultius facturum, si eadem uia qua uenerat, exercitum reduceret: nõ tam planam esse illam alteram, quæ ad læuam uergeret, sed syluarum densitate, & montium asperitate, & angustioribus callibus impeditam. Vereri se, ne homines sui agrestes, feri & indomiti, quiq; difficulter in officio continerentur, in angustijs negotium facessèrent discedentibus. His monitis fides habita non est, quòd homo uafer & infidus, sibi suisq; hoc consilio prospicere putabatur, ut integra ea sibi loca ab incommodis belli manerent. Itaq; itum est qua placuerat, nullo ordine: nec abstinebant nostri manus rapinis & iniurijs obuiorum. Quartis castris ad Bucouinam peruentum est. Sylua est fagina densa, duûm miliarium spacio lata: Bucouinam ab arborum genere uocant: angustam habens & præruptam inter aspera saxa, montesq; uiam. Quam cum una die cunctæ copiæ transire non posse uiderentur, ad introitum eius rex castra metatus substitit. Ac maiores quidẽ Poloni cum impedimentis suis præire iusśi, syluam sine ullo impedimento emensi sunt. Altera die rex præmisśis bombardis & curribus suis, ipse cum aulica sua cohorte subsecutus est, carpẽto uectus propter aduersam ualetudinem. Ponè sequebantur minores Poloni cum Rusśis incompositi, inermes, & quasi in pacato securi. Extremum agmen tenebant milites mercenarij. Ad medium syluæ impedimenta regia peruenerant, cum ecce agrestes Valachi pedites undiq; ex insidijs coorti, impetum in ea faciunt, percellunt currus, ac diripiunt: & facilè impulsis, quas in hoc iam ante succiderant, arboribus, uiam impediunt, ne progredi extrema agmina, néue regredi prima ad ferendam suis opem possent. Nec mora, ipse Stephanus cum ualidis equitum, peditumq; copijs improuisus adest, & ingẽti cum clamore extremum nostrorum agmen à tergo & à lateribus adoritur. Tumultuantur nostri, re inopinata perturbati: & expediunt quidem arma, & uim hostium certatim pro se quisq; animosè sustinent: sed sine signis, sine ducibus, & sine ordine res gerebatur: nec exaudire quisquam alterum poterat præ clamore, strepitu, & fragore armorum, quem syluæ latè resonantes magis etiam sonorum atq; terribilem reddebant. Ad extremum urgente hoste nostri in castra sua, à quibus non procul abscesserant, sese recepêre. Ibi quoq; pręmente hoste, constipati & conglobati nihilo magis sese expediebant, desperataq; salute, cœlitùs opem incondita & indice trepidationis uociferatione implorabant. Hoc acrius instabant hostes: donec rex cognito suorum periculo, aulicum equitatum suum armis, uirisq; florẽtem suppetias ire laborantibus iusśit. Qui cum nihil sibi reliquum ad celeritatem, diligentiamq; recurrẽdi fecisset: syluam egressus, tympanorum, tubarumq; clangore, & fulgore armorum hostem in se conuertit.

Legatio Vngarica ad regem Polon.

Induciæ cum Stephano.

Moldaui feri & indomiti.

Polonorum clades apud Bucouinam syluam.

Instaura-

Instauratur prelium. Interim ij qui in castra compulsi in extremo periculo fuerant, spacium nacti, qua quisque poterat elapsi, relictis impedimentis trepidè per syluam ad primum agmen euasere: quò rex quoque iam peruenerat. Nec diu sustinuêre Valachi impetum equitatus regij. Verùm repulsi, disiectique terga dedêre. Nostri summotis fortiter, nec sine strage hostibus, absque ullo impedimento cœptum iter per syluam peregerunt, uictoresque ad regia castra peruenerunt. Postero die rex cum toto exercitu in ijsdem statiuis mansit, expectans si quis fortè de suis in sylua delituisset, uel aberrasset. Recognitis copijs complures de nobilitate Polonica & Rusica desiderati sunt, partim cœsi, partim capti. Et Stephanus quidem plusquam barbarica crudelitate usus, quotquot in potestatem suam redegerat, omnes in conspectu suo trucidari iussit: quos autem Turcæ aut Tartari cœperant, in seruitutem abegerunt. E' quibus Ioannes Tencinius, Petrus Prochnicius, & nonnulli alij postliminio aliquanto pòst reuersi sunt. De Odrouanzo palatini Rusiæ filio dubitatum est à plerisque, etiam dum uixit. Post decimumoctauum annum is demùm redijt, & à matre, ad nomen filij reducis temerè, ut creditum est, lætitia gestiente receptus, & ad possessionem paternorum bonorum admissus, ignauam ac degenerem uitam deinceps in crapula & compotationibus asiduis egit, ne figurà quidem & habitu corporis uero illi Odrouanzo, quemadmodum multi memoria recolebant, similis. Composito deinde agmine nostri motis à Bucouina castris progresi sunt, pridiano periculo admoniti: nec sanè quieuerunt hostes, quin opportunis locis carptim eos lacesserent, uexarentque, non modò pabulantes & ad aquantes, uerùm etiam in castris quiescentes. Nocte quadam obseruato uenti uehementioris flatu, herbas arentes cum frutetis haud procul à castris succenderunt, coorta flamma uento impellente magis ac magis castris propinquabat: affecissetque nostros grandi aliquo incommodo, ni correptis celeriter falcibus proximas castris herbas desecuissent & summouissent. Semper autem plus incommodi ipsi accipiebāt Valachi, quàm inferebant: prӕterquam quòd sexcentos equites Masouios ad internecionem penè delerunt. Tunc primùm ij ueniebant à Conrado duce, ex fœdere in auxilium regi missi. Quod ubi cognouit Stephanus, tria millia delectorum equitum ad opprimēdos eos misit, priusquam cum rege sese coniungerent. Apud Sepnicium uicum in eos impetum fecerunt hostes: nec Masouij, quamuis impares numero, detrectarunt pugnam. Pugnatum est acerrimè: sed prӕualente hostium multitudine circumuenti Masouij, & concisi sunt. Secundo hoc prelio Stephanus ferocior factus, ripam Pruti fluminis ad Zarnouecium, cum omnibus copijs suis insedit, ut nostros transitu prohiberet. Quò cùm peruenissent nostri, commissa pugna dimicatum est utrinque totis uiribus. Sed uirtute Polonorum repulsi, & non contemnenda strage affecti hostes, in auia nemora sese abdidêre. Nec deinceps tentarunt quicquam. Rex autem cum minus commodè ualeret, iactationemque itineris grauiter ferret, apud Zarnouecium triduo statiua habuit: per quos dies nostri longè lateque quoquouersus prӕdas egerunt. Interea rumor castra peruasit, ingentes hostium copias aduentare, regemque clàm deserto exercitu subducere sese uelle. Quӕ res temerè credita, ingenti formidine omnes impleuit. Maiores Poloni in primis tumultuabantur: & raptim sarcinas componebant, equorumque dorsis alligabant: turpem fugam, relictis curribus & impedimentis cӕteris, parantes. Nox instabat, omnia formidabiliora perturbatis redditura, tecturaque ignauiam ad fugam spectantium. Itaque necesse habuit rex, quamuis ӕger & languens, & ipse hominum conspectui sese reprӕsentare, & Sigismundum fratrem circum primores mittere, falsum illum rumorem diluturus, & fluctuantium, & iam penè fugitantium animos confirmaturus. Quod quidem Sigismundus impigrè fecit, totam illam noctem accensis funalibus castra obequitans: & cùm obuios quosque benignè compellans, tum ad procerum tentoria adiens. Ita sedatus tamen est tumultus, repressaque fuga. Sequenti die cum castra iam rex mouere uellet, superuenerunt aliquot millia equitatus Lithuanici, ab Alexandro magno duce eius gentis missa, regemque & exercitum omnem spe meliore & lӕtitia impleuerunt. Quid autem causӕ fuerit, cur ipse Alexander cum fratre, sicuti conuenerat, socia arma non coniunxerit, aut equitatum illum auxiliarem duntaxat tempori non miserit, diuinare non possumus. Ipse quidem cum exercitu ualido apud Braslauiam arcem ad Bogum flumen per omne illud tempus belli Valachici hӕsit, arcem instaurans & muniens. Petiuerunt autem à rege Lithuani, ut se in Moldauiam populabundos excurrere pateretur: sed ille non permisit, aduersam ualetudinem suam causatus, propter quam maturare reditum cogeretur: cumque Snatinum copias reduxisset, transmisso

Stephani crudelitas.

Masouij cӕsi à Valachis.

Rumor tumultu complet castra regia.

Lithuanorum aduentus.

Braslauia instaurata.

Ioannes Albertus amoribus deditus.

Nestro amne dimisit exercitum: ipse Leopolim lęto itinere uectus, tantisper ibi acquieuit, donec morbo liberatus est. Inde postea Cracouiam reuersus, quasi rem benè gessisset, conuiuijs & compotationibus, amoribusq; mulierum & choreis impensius indulsit. Ferturq; quodam tempore, cum noctu in urbe uno aut altero fortasis ministro comitatus, absq; lucerna obambularet, & in ebrios iuuenes incognitus fortè incidisset, exorto temerè iurgio uulnus accepisse: ex quo laborauerit aliquandiu, ita ut immemor conditionis ac dignitatis suæ, plaga illa non sine dolore & rubore, officij sui diuinitùs admoneretur. Nihilo tamen magis utilium rerum suis quicquam prouidit, negligens acceptæ in Moldauia ignominię, cladisq;: nec memor, quòd Stephanū animosum & ferocē hominem irritasset. Quę res grauium incommodorum & magni luctus Polonis atque Rußis deinceps causa fuit.

Valachi Rußiam populati. 1498. ann.

Etenim Stephanus acceptam ab ipso iniuriam, bellumq; sibi immeritò illatum ulcisci satagens, primo uere insequentis anni cum expeditis suorum Valachorum, Turcarumq; ac Tartarorum copijs, in Podoliam & Rußiam inualit: & prætergressus Leopolim arcem, urbemq; munitam ad Canizugam oppidum, & Vislocum amnem longè, lateq; populabundus excurrit, & ingentem cunctę Poloniæ terrorem incußit, nemine ad arcēdum hostem neq; parato, neq; animato: sed cunctis ad fugam spectantibus, & non modo in munitiones, uerùm etiam in auios montes atq; syluas sese abdentibus. Vnde tamen plurimi mortales utriusq; sexus, & omnis ætatis atq; ordinis, à perscrutantibus cuncta hostibus & fugientium uestigia persequentibus extracti, in miserabilem seruitutem abducti ac distracti sunt, ita ut Thracia, Macedonia, Scythia & Asia Rußis mancipijs implerentur. Supra centum millia hominum abacta esse tunc feruntur, cum innumerabili gregum, armentorum, & omnis generis præda. Præmislia, Radimnum, Iaroslauia, Præuorscum, & complura alia ignobiliora oppida cum innumerabilibus pagis direpta & incensa. Vnum operæprecium tunc à nostris factum est, quòd Cracouia metu propinqui periculi à latere Septentrionali turribus, propugnaculis, pinnis, uallo, fossaq;, Rudaua flumine in eam inducto munitior & magnificentior effecta est, submotis etiam longius plerisq; suburbanis ædificijs, quæ mœnibus urbis è propinquo imminebant. Neque uerò hic tunc Rußiæ & Podoliæ malorum finis fuit. Nam Tartari præda apud Tauricam deposita, mense Iulio iterum immani excursione easdem regiones diuexarunt. Quibus incommodis & conuicijs hominum rex motus, nobilitati uniuersæ Polonæ arma sumere, & apud Sendomiriam celeriter sibi præsto esse iussa, ipse Cracouia relicta, eòdem sese contulit. Sigismundus enim frater in Vngariam ad Vuladislaum regem paulo antè profectus erat. Dum ægrè moliuntur & conueniunt nostri, hostes prȩda onusti ad sua se recepêre. Quo cognito, nostri quoq; dilapsi sunt, cum non multo minore quàm hostes damno & incommodo Sendomiriensem tractum affecissent: prȩter quòd abigendis hominib. abstinuêre. Rex quoq; Cracouiam rediit: per quod tempus Cazimiriæ apud Iudæos uitulus biceps natus esse memoratur, altero capite in loco caudæ, cauda uerò in medio dorsi existente, ac duobus

Rußia à Tartaris uastata.

Turcæ Rußiā uastantes hyberna tempestate deleti.

tantum pedibus à dextro latere prominentibus. Mali portentum id esse creditum est. Nec ita multo pòst sub finem Nouemb. septuaginta millia Turcarum per Valachiam in Rußiam sese effuderunt, omnem eam oram, quæ ad Nestrum & circum Haliciam Zidazouiam, Drohobiciam & Samboriam est, ferro & igni uastantes, & prædas agentes. Neq; progrediendi ac debacchandi modum ullum barbari sibi statuissent, nemine sese ipsis obijciente: nisi cœlitùs Deo, sicut creditum est, miserante populum suum, repreßi, atq; adeò oppreßi essent. Derepentè enim intensum frigus & gelu extitit, & nix tanta decidit, ut circunsepti undiq; Turcæ neq; progredi, neq; regredi possent. Et insolens id nouumq; hominibus illis pariter & iumentis, mitiore cœlo natis & educatis, accidebat. Ita iumentis plerisq; omnibus frigore & fame confectis, hominum quoq; supra quadraginta millia alsisse & obriguisse memorantur. Multi reperti postea, qui interfectis equis, in uteros eorum exenteratos, calentes etiamnum, sese illatebrauerant, sed nullo operæprecio. Statim enim calor artus, uita & sanguine destitutos, deserebat. Reliqui cum sese utcunq; tamen explicassent, & in Moldauiam euasissent, à Stephano palatino & Valachis, Polonorum insequentium habitum mentitis, & locorū opportunitate utentibus, diuexati & cōtrucidati sunt,

1499. ann.

ita ut uix decem millia Istro transmisso salua euaserint. In religionem hæc res cesit Turcis, ita ut sibi persuaderent, gētem Polonam atq; Russam diuinitùs defendi & uindicari. Itaq; non temerè deinceps eam gentem bello sibi lacessendam & infestandam esse existimauerunt. His tot, tantisq; malis expiato hominum nostrorum fastu, nequitia, cultusq; diuini neglectu, magis propitium deinceps numen affulsit Poloniæ. Nonnihil simultatis siue

adeò

adeò dissidij Ioanni Alberto cum Vuladislao rege Vngarorum, & Alexandro magno duce Lithuanorum, nescio an etiam Sigismundo fratribus intercessisse uidebatur. Nec tamen ea memoriæ proditum est, quæ fuerit causa dissidij. Ac ne dissidium quidem Bernardus Vapouius memorat. Siue autem hæreditas paterna in causa fuit, siue bellum Valachicum, in quo Alexander quidem præter fœderis perpetui legem, promissumq; suum Ioanni Alberto defuit, Vuladislaus uero fauisse etiam Valachis uidebatur: fœdus quidem certè inter Vuladislaum, Ioannem Albertum, & Alexandrum, per legatos ultrò, citroq; missos ictum est, quo cauebatur de auxilijs mutuis, & societate contra Turcas, & alios quosuis hostes, qui alicui de ipsis fœderati non essent: de periculis imminentibus, ut inter se præmonerent, neque unus quispiam cæteris inconsultis cum Turcis pacem faceret, bellum' ue gereret: qui contrà fecisset, ei ne deberentur auxilia: Moldauus ut in clientela Vngarorum esset: Transalpinensi palatino contra Turcas fœderati ne deessent: de alijs conditionibus fœderis ipsi inter se principes congressi constituerent. De controuersijs autem dirimendis consiliarios suos delegarent. Extat etiam mandatum Vuladislai, legatis de redintegranda cum Ioanne Alberto concordia datum. Vnde rectè colligitur, diruptam inter ipsos fuisse concordiam, quæ redintegrabatur. Extat & renouatio pactorum inter Polonos & Lithuanos, tam per ipsos Ioannem Albertum & Alexandrum dudum, quàm per Iagellonem & Vitoudum olim conuentorum, adiecta declaratione de electione regis ac magni ducis: nempe ut neutri alteris non uocatis principem sibi eligerent & crearent. Quod quorsum attinebat fieri tunc, nisi controuersia & offensio quædam inter principes ac populos interuenisset? Sigismundo uerò Vuladislaus Glogouiensem & Opauiensem ditiones in Silesia concessit ijsdem ferè conditionibus, quibus Ioanni Alberto prius concesserat, & inferiori, superioriq; Silesiæ cum præfecit: ubi præclaram is operam uicinis populis in extirpandis eius gentis latrocinijs nauauit. Aliquanto autem pòst etiam inferioris Lusaciæ Marchionatum idem Vuladislaus ipsi adiecit, & portionem suam paternæ hæreditatis ipsi donauit. Ita tunc res inter fratres compositæ. Cum Stephano quoq; palatino Valachorum, & filio eius Bogdano pax tunc facta est: fœdusq; ictum, Ioannis Alberti regis, Alexandri & Sigismundi, ducum nomine: quo professus est Stephanus, omnem culpam & iniurias à rege sibi clementer condonatas, ac dominatum Valachiæ relictum esse: & contra quosuis hostes totis uiribus semper præsto se ipsi futurum esse promisit. Cautum est etiam eo fœdere, ne profugi & exules alterorum ab alteris receptarentur: Palatino autem ipsi si exulare contingeret, ut tutus pateret receptus in Polonia, & Lithuania: & liber inde discessus, auxiliaq; darentur, recuperare sua cupienti: ipse autem Vngaro iuxtà ac Polono contra Turcas bellum gerenti præstò ut esset, aut si non posset per se ipse, filium cum copijs mitteret: Turcis uero contra ipsos ne opitularentur, nisi extrema ui adactus, ipse autem cōtra eos à fœderatis defenderetur: de hostibus & periculis præmonerent se inuicem principes. De iniurijs mutuis subditorum, & controuersijs, Camenecensis, Cernechouiensis, & Chocimensis præfecti simul cognoscerent: de grauioribus uerò cōtrouersijs inter ipsos præfectos, iudices à principibus delegarentur: commercia utrobiq; ut essent libera. Hæc ita, ut tunc conuenêre, literis mandata, extant in Archiuio arcis Cracouiensis. Quin & Ioannes Moschorum dux de pace, amicitia & societate tunc ad regem Polonū misisse & impetrasse, à Vapouio memoratur. Quid autem in eo spectarit, tanto spacio terrarū disiunctis Polonia & Moschouia, non intelligo: nisi fortè cum Lithuanis bellum inferre cogitaret, Polonorum auxilia ipsis eo fœdere detrahenda esse homo uafer existimauit. Nec multò pòst ipse etiam Turcarum imperator Baiazetes, cum de confœderatione tot ac tantorum principum cognouisset, insignem legationem ad Ioannē Albertū regem de pace uel inducijs prorogandis misit. Prouidebat enim prudens & cautus bellator, ne plurib. ac diuersis bellis eodem tempore implicaretur. Nam Venetos bello terra, mariq; adortus erat: & classe quidem Aegæum & Ionium mare & Peloponēsum, quæ in ditione eorum erat, infestauit: Venetisq; nusquā pugnæ copiam facientibus, Metonam, Iuncum & Coronam, urbes obsessas, & oppugnatas aliquandiu per uim ademit. Terrestri autem itinere ad octo millia equitū in ditionem eorū immisit: qui cum secundū mare per Istriam & Forum Iulij populabūdi in Venetiam procurrissent, omnem eam oram quæ est circum Goriciam, S. Danielem, ac Teruisium siue Taruisium crudeliter uastarunt: & præter agrestes eius oræ, plurimos Venetos nobiles messis & uindemiæ gratia rusticantes, multos item Germanos, Vngaros, Polonos, Bohemos,

Fœdus inter Cazimiri regis filios.

Sigismundus latrocinia sustulit è Silesia.

Moschorū dux Ioannes amicitiam & societatem iungit cum rege Polono.

Turcarum bellum cum Venetis.

mos, Prussosq; utriusque sexus, religionis ergô Romam ad Iubilæum à Pontifice Max. in sequentem annum edictum, illâc proficiscentes exceperũt, & in miserabilem seruitutem, nullo accepto incommodo, abduxerunt. Quibus malis adacti Veneti, pacem à Baiazete petiuerunt, & ad spacium centum annorum & unius diei certis conditionibus, tributoq; promisso impetrarunt. Sed id posterius actum est. Tunc autem dubio adhuc euentu belli, cum non ignoraret Baiazetes Venetos rerum suarum satagere, & cùm ab ijs, tum à cæteris Christianis principibus, atque etiam à Pontifice Max. regem Polonum & Maximilianum Cæsarem contra se concitari, consilio & comitate, missa ad Ioannem Albertum legatione, Polonicum bellum auertendum sibi esse duxit. Totum autem annum Turcica illa legatio responsum regis Poloni expectauit. Neque enim explicabat is, quid faceret: propterea quòd ad bellum Turcis inferendum cùm ipse ultrò prono animo ferebatur, tum ab alijs etiam incitabatur: cæterùm magnitudinem eius belli ac domesticas quasdam difficultates, & præsertim inopiam ærarij, & res Prussicas, de quibus mox dicemus, secum expendebat. Nec ignorabat, consultasse quidem Germanos cum Cæsare in comitijs Vormaciensibus de bello contra eundem hostem suscipiendo: sed eorum conatus domi conflato cum Heluetijs bello, & Italicis motibus præpediri. Ardebat enim tunc bellis intestinis iuxta atque externis uniuersa Italia: Pontifex, Neapolitani, Veneti, Florentini, Mediolanenses, Genuenses uariè inter se belligerabantur, & externa auxilia circumspiciebant: Galli Hispanos regno Neapolitano, Ludouicum uerò Sphortiam, quem Cæsar ducem appellârat, Mediolani dominatu eiecerant. Ab hoc aũtem & socijs eius Maximilianus Cæsar in auxilium euocabatur. Hæc tunc secum reputabat Ioannes Albertus: & uerò gemina Tauricanorum Tartarorum incursione distractus, consultandi cum proceribus spacium non habuit. Tartari enim sub tempus messis hybernarum frugum magno impetu per Volyniam effusi in Russiam & Poloniam, circum Belsum, Crasnistauiam, Turobinum, Crasnicum & Lublinum, usque ad Vistulam immaniter omnia uastabant, prædas agentes, & in imbecillam senum, puerorumq; ætatem ferro, in tecta autem igni sæuientes. Quo commotus rex, aliquanta manu ex aulico comitatu suo & uoluntarijs tumultuariè coadunata, ad hostem contendit. Sed cum eum præda onustum raptim abeuntem assequi non posse uideretur, Cracouiam Augusto mense rediit. Quo tempore superuenit Caspar Calliensis episcopus, legatus Alexandri sexti eius nominis Pontific. Max. ad Turcicum bellum regem cohortans, & piæ militiæ, quam Crucis seu Cruciatam uocant, facultatem ad id bellum ipsi pariter & Vngaro regi afferens: simulq; Iubilæum, & potestatem decimæ, de cunctis ecclesiasticis reditibus in suo utriusque regno in subsidium eiusdem belli exigenda. Tardius autem is uenit, quòd prius in Vngariam cum ijsdem mandatis diuertisset. Ac decima quidem à nostratibus episcopis & collegijs sacris negata: sed usitata contributio pro ea decreta est, quæ tunc ad tria millia florenorum uix peruenit: Iubilæus uerò promulgatus, triginta ferè millia florenorum regi reddidit. Nec ita multo pòst Tartari præda deposita, illecti eius dulcedine, mense Septembri reuersi sunt: effusiq; etiam non modò easdem oras, sed Russiæ quoque Australis & Lithuaniæ partem depopulati sunt, circum Landishutam, Lezeiscum, Zauichostum, Oparouiam, & Breste Lithuanicum prædis actis: nulloq; accepto incommodo, ingẽtem hominum, pecudum, & iumentorum uim cum omnis generis præda abegerunt: quæ eo maior & opulentior fuit, quòd intacta aliquandiu ea loca ipsorum incursionibus fuissent. Erant in Russia nõnullæ mercenariorum militum copiæ cum Petro Myscouio præfecto Leopoliensi, publico stipendio, quòd è tributo agrario, cereuisiarioq;, & censu oppidorum collatum erat, merentes: quæ locis opportunis uel à tergo abeuntem hostem carpere ac differre, quoad rex cum maioribus copijs consequeretur, potuisse uidebantur. Sed nusquam eæ hosti sese ostentarunt. Rex quidem cum paucis equitibus, quos raptim ad manum habere potuit, egressus Cracouia, milites Cruce signatos à Calliensi episcopo, qui nondum discesserat, subsequi se iussit. Verùm ij post discessum regium correptis armis, bacchantium in morem, ducibus religiosis & monachis, quorum non exiguus erat in ea turba numerus, in Iudæorum domicilia Cazimiriæ impetum fecêre, & fortunas eorum diripuêre & uiginti plus minus Iudæos trucidauêre. Inde cum sub signis per pontem Cracouiam tenderent, clausis portis urbis exclusi, regem secuti sunt. Ne tunc quidem operæprecij quicquam factum. Rex enim ubi excessisse cum præda hostes cognouit, ipse quoque è Russia inglorius Cracouiam se recepit. Insigni calamitate & uastitate tunc illæ barbarorum excursio-

Iubilæus annus.

1500. ann.

Maximiliani bellum cum Heluetijs.

Legatio Pontificia ad regem Polon.

Iudæorum bona direpta à cruce signatis militibus.

cursiones Rusiam & Poloniam affecère. Portenderat autem hæc mala cometa, decem & octo diebus ante primam Tartarorum incursionem conspectus. Quin & arcis Cracouiensis ea pars quæ à pede galli Curzanoga nomen habet, paulo ante fortuito incēdio conflagrarat. Et fuit sanè æstas illa tam calida & arida, ut ad medium Iunij fruges in Polonia passim demeterentur. Ne Lithuania quidem eo anno meliora fortuna usa est. Etenim Ioannes magnus dux Moschorum, quamuis Helenam filiam Alexandro magno duci Lithuanorum in matrimonium collocasset, augendi tamen imperij cupidior, quàm fœderū obseruantior, Rusiæ totius dominatū Berezina flumine tenus auito & proauito quodā, ut uidea uolebat, iure à genero repetebat, elatus accessione earū ditionum, quas Casimiro regnante a Lithuanis partim bello, partim defectione Russorum abalienarat. Coadunato igitur ingenti exercitu, cùm alia quædam territoria, per deditionem acceptis magis, quàm expugnatis eorum munitionibus, in potestatem suam redegit, tum Smolensēsem oram uastauit. Alexander cum neq; uirium, neq; animorum satis contra tam potētem hostem in suis esse animaduerteret, misso Posnaniam thesaurario cum pecunia, non contemnendas equitum & peditum copias è Polonis, Silesijs, Bohemis & Morauis mercede conductis conscripsit, eisq; Ioannem cognomēto Polacum præfecit. Quæ cum sub finem autumni demùm, & pluuijs increbescentibus, & frigore, geluq; iam inualescentè, ad Smolensciorum fines peruenissent, nec hostem ibi reperissent, nulla re memorabili gesta dimissæ, Lithuania hostilem ferè in modum diuexata excesserunt. Sigismundus Herbersteinus, Slauus genere, uir plurimarum rerum & regionum in obeundis legationibus peritissimus, ac diligentissimus indagator, cum paucis annis pòst, legatus à Maximiliano Cæsare ad Basilium principem, Ioannis huius, de quo nunc scribimus, filium in Moschouiam penetrasset, paulo aliter hæc in commentarijs rerum Moschouiticarum memoriæ prodidit, Moschorum, ut uidetur, sermone comperta. Memorat is, Moschum iniuria generi commotum, quòd is filiæ suæ Helenæ Rusici ritus delubrum in arce Vilnensi, quemadmodum conuenerat in pactis sponsalibus, non extruxisset, tres exercitus tribus diuersis locis in ditionem eius immisisse: Lithuanos uerò, cùm uni ex his duce Constantino Ostrorogio Russo occurrissent, cōmisso ad Vedrossum amnem prælio, in insidias præcipitatos, dissipatosq; esse, ac ducem exercitus, & complures de primoribus Lithuanis captos, in tetro carcere aliquādiu asseruatos: Drohobussum, Toropezum & Bielam arces à Rusis hosti deditas: Branscum quoq;, palatino eius loci forte fortuna à Tartaris Casanensibus, qui Moscho militabant, excepto, in potestatem redactum: ad extremum duos duces Seuerensium Basilios patrueles, qui magno Lithuanorum duci ad illud usq; tempus paruissent, Moscho se & sua dedidisse. Alexandrum deinde captiuis tantum ex pacto recepsis, cum socero pacem fecisse. Hęc ille, nō uno, ut uidetur, anno acta, aliud agens, non habuit necesse temporibus distinguere, ac diligentius omnia persequi. Non abhorret autem à uero, Alexandrum suas, hostilesq; uires metientem, uel aduerso prelio duntaxat admonitum, mercenarium militem conduxisse: & hostibus ad sua reuersis, instante hyeme ad gerendum bellum inepta, dimisisse. Vapouius quidem noster, & Matthias Miechouiēsis, illius temporis scriptores, ita de hoc mercenario militē scriptum reliquerunt. Sic tunc Lithuania diuexata est. Iam uerò Ioannes Albertus rex in Prusiā iter & expeditionē parabat, quo ordinem Teuthonicorum Cruciferorum cum suo Magistro ad officium reuocaret. Quamuis enim eius opera, regina matre postulantè, Fridericus Saxonum ducis filius Ioanni Tisenio Leopoli mortuo in magistratū suffectus esset, detrectabat is tamen iurare in uerba regis, quemadmodum debebat ex pacti & fœderis formula. His igitur omnibus rebus ac difficultatibus diligenter expensis, rex, cum comitia Petricouiam ad initium sequentis anni edixisset, de sententia amplissimi consilij inducias quinq; annorū Baiazeti concessit, legationemq; eius magnificè donatam tandem dimisit. Venerunt ad eadem comitia oratores Stephani palatini Moldauorum, & Sachmati principis Tartarorum Zauolgensium. Ac illi quidem Heliam, Petri, qui ante Stephanum palatinus fuit, filium profugum, ex fœdere deposcebant: quòd is affectare dominatum diceretur. Tartari uerò nunciabant, principem suum, legatione regis & Alexandri magni ducis Lithuanorum euocatum contra Mahometkereium Præcopensium siue Tauricanorum principem, adesse cum centum millibus equitum: traiectisq; Rha atq; Tanai maximis fluuijs non sine magno labore, apud Meotim paludem primùm consedisse: deinde longius progressum ad Boristhenem fixis tentorijs expectare Polonos & Lithuanos, ut inter se icto fœdere, &

iunctis

Cracouiensis arcis incendium.

Sigismundus Herbersteinus.

Munitiones à Moschis in potestatem redactæ.

Fridericus Magister Cruciferorum detrectat iuiurandum.

1501. ann.

Tartarica legatio.

Foedus regis Polon. cum Tartaris.

iunctis uiribus communem hostem adorirentur. His actæ gratiæ, fœdusq; ictum multa ceremonia, & iureiurando interposito: quod quidem Tartari more suo cederunt, aqua strictis frameis infusa & sorpta, mala imprecantes ei qui fœdus uiolasset. Missa principia a rege munera, & inita belli societas. Sed dum nostri atque Lithuani moras nectunt, Mahometkereius coactis magnis copijs, cùm non multum Sachmati uiribus cederet, exercitatiorem autem aliquanto militem haberet, ultro hosti obuiam iuit. Commisso acri & cruento prælio, uictus Mahometkereius, & in Tauricam reiectus est. Nec nostri postea uictorem socium iuuandum sibi esse duxerunt, siue quòd ipse per se id bellum confecturus esse uidebatur, siue ut barbari ipsi sese mutuo ancipiti bello conficerent, uel debilitarent, propterea quòd ne socijs quidem ipsis barbaris fides habenda esse uideretur. De Stephani autem postulatis cum aliquandiu consultatum esset, dedere quidem insontem & supplicem, durum & immane uidebatur: seruare autem æmulum infidi socij, quem is metuere & cauere necesse haberet, non inutile Polonis erat, sed fœderi dudum icto repugnabat: ac bello cum Stephanus repetiturus esse putabatur, atq; adeò legati id minabantur, nolebat autem rex, ad Prussiam spectans, illum à tergo hostem relinquere. His ita disputatis, deditus quidem non est Petrus, uerùm capite plexus inspectantibus legatis. Et ne iniustè id factum esse existimaretur, uulgatum est, crimen falsi in literis regijs eum commisisse. Dimissis legatis, & conuentu soluto, rex cum nonnihil temporis apparatui Cracouiæ dedisset, post medium Aprilem in Prussiam contendit. Toruniam cum peruenisset, ad Fridericum Magistrum legatos misit, hortatum, ut is sua sponte officium faceret potius, quàm Polonorum uim & arma experiretur. Non apertè is quidem negabat, sed uarijs excusationibus rem extrahebat, quo se interim Maximiliani Cæsaris, & aliorum Germanorum principum, omnia prolixè pollicentium, & ad rebellionem cohortantium, auxilijs confirmaret. Dum eunt, redeuntq; legati, Ioannes Albertus rex apoplexi uitam finiuit. Corpus eius reuectum Cracouiam, in basilica arcis honorificè sepultum est, matre funus prosequente, quæ quidem marmorum monumentum filio ponendum curauit. Fuit Ioannes Albertus statura proceriore, colore subfusco, capillo nigro & raro, ingenio magno, literarum & præsertim historiæ studiosus, liberalitate erga militares homines, & magnitudine animi non uulgari: aulicum comitatum non infra mille sexcentos equites alere solitus: in uenerem procliuior, cœlebs tamen extinctus est, cũ ferè nouẽ annos regnasset.

Petrus profugus capite plexus.

Ioannis Alberti mors, mores, & ingenium.

ALEXANDER REX.

Comitia Petricouiæ.

IVstis funeribus Ioanni Alberto peractis, itum est Petricouiam ad comitia, creandi noui regis gratia de more à Friderico archiepiscopo Gnesnensi, qui idem episcopus Cracouiensis, & presbyter Cardinalis erat, indicta. Consultatumq; aliquandiu uariantibus procerum sententijs, & studijs in reliquos Casimiri filios diuisis. Complures enim de minoribus Polonis ad Vuladislaum Vngarorum & Bohemorum regem regnum deferebant, quòd eum opibus externorum regnorum paternum & auitum regnũ aucturum & ornaturum, & maiore ui coniunctis trium populorum uiribus contra barbaros, Turcas ac Tartaros, & quosuis alios hostes defensurum esse dicerent. Et præmiserant iam ij priuato consilio, Petro Cmitha marsalco regni authore, Petrum Myscouium palatinum Lenciciensem, & Nicolaum Vvroblouium canonicum Cracouiensem, ad ipsum Vuladislaum, qui studia sua ipsi deferrent, & ad suscipiendum regnum eum inuitarent. Alij uerò Sigismundo Glogouiensium & Opauiensium duci fauebant. Sed uicit eorum sententia, qui Alexandrum magnum ducem Lithuanorum regem edebant. Nam & rationibus certis & exemplis ij refellebant eos qui Vuladislao studebant: ostendebantq;, neque Vuladislai prioris, neque Ludouici tempore expediuisse Polonis, eundem cum Vngaris regem habere. Negociosum esse in primis regnum Vngarorum, partim propter inquieta gentis ingenia, partim propter uicinos Turcas, ita ut rex diutius ab eo regno abesse rectè non possit: sibi item præsenti rege opus esse: magnisq; incommodis atque cladibus maiores suos affectos esse ob regis absentiam. Contrà, Lithuaniam perpetuo fœderis nexu olim a Iagellone & Vitoudo cum Polonia consociatam, & quasi ita unum reipub. corpus redactam, ab ea disiungi, & quasi amputari, prorsus inutile esse. Omnibus bellis priscis iuxtà ac recentioribus Lithuanos multum momenti Polonorum uiribus attulisse. Et quemadmodum ij sine Polonis nihil præclari unquam gessissent,

Lithuanorum coniunctio cũ Polonis, utrisque utilis.

sent, gerantúe: sic à Polonis quoq;, sicubi Lithuani absuissent, non multum operæprecij factum esse, ex quo ij se cum ipsis cōiunxissent, uel nuper Valachico bello id satis animaduersum esse. Commodùm autem Lithuani proceres, Albertus Tabor episcopus Vilnensis, Ioannes Zabrezinius princeps marsalcus, & Nicolaus Radiuilus pincerna ducalis, & alij quidam duo aduenerant cum mandatis Alexandri ducis, ac totius senatus Lithuanici, ad eligendum cum Polonis secundum præscriptum fœderis regem, & iurādum in uerba eius, confirmandumq; & renouandum antiqua fœdera. Qui & priuatim primores Polonici senatus prensarunt, rumoremq; sparserunt, Alexādrum cum exercitu aduentare: & publicè renouationem fœderum, cùm à se, tum ab ipso Alexandro, cōsentientibus proceribus Lithuanis conscriptam & consignatam exhibuerunt. Extat utrunque diploma, simul & mandata ipsius Alexandri, & uigintiquinque procerum Lithuanorum, in Archiuio regio Cracouiensi. Adhibita est autem in fœdere moderatio quædam nonnullorum capitum: nempe quòd è Polonis & Lithuanis unus deinceps debet esse populus sub uno rege: rex autem in Polonia creetur, Lithuanis etiam proceribus suis locis in eo conuentu suffragia ferentibus: consilium unum sit ambobus populis, et societas in secundis iuxtà ac aduersis rebus: moneta par atque similis: fœdera antiquitùs ab utrisque icta seruentur ab ambobus, quoad alteris non incommodabunt: Magistratus, senatores, præfecti, nobilitas, & alij quiuis Lithuani iurent in uerba regis non semel tantum, sed quoties à consiliarijs Polonis admoniti fuerint: iura & prærogatiuæ utriusque populi simul, & eodem contextu literarum à nouis regibus confirmentur: cæterùm iudicia more antiquo utrobique exerceantur: nulla uerò utrinque occasio dirimendæ coniunctionis captetur. His igitur actis & constitutis, Alexander rex renunciatus est, missiq; ad eum Breste oratores principes senatus, Andreas Rosa archiepiscopus Leopoliensis, Ioannes Lubrancius episcopus Posnaniensis, Andreas Samotulius Posnaniensis, & Ioannes Tarnouius, cognomento Sramus Lublinensis, palatini, iusiurandum ab eo & proceribus Lithuanis de seruādis pactis conuentis exegerunt, & regnum ei detulerunt. Nec longa mora interposita, maturauit is iter Cracouiam cum mille quadringentis equitibus, suscipiendi diadematis gratia. Verebatur enim, ne quid Vuladislaus frater fautorū suorū cōsilio moliretur. Ac dimiserat quidem Vuladislaus nuncios cum literis ad plerosq; principes Christianos, de oblato sibi à Polonis regno, fretus pollicitatione illorum, quorum superius mentionem fecimus: sed eos nuncios celeriter reuocauit, cum accepisset, Alexandrum regem à Polonis creatum esse, factumq; moderatè tulit: collaudauitq; etiam Polonos, quòd Lithuanos, gentem magnam & bellicosam denuò sibi adiunxissent. Dum autem præstitutum coronationi diem Cracouiæ nouus rex expectat, aduenit ad eum legatio Sachmatis Zauolgensium Tartarorum principis. Quæ introducta in senatum, adorato de more gentis rege, incusauit Polonos iuxtà ac Lithuanos, quòd cum ij Sachmatem cum ingentibus copijs tam longo ac difficili itinere in auxilium contra Tauricanos Tartaros euocassent, ipsi tam diu cunctarentur cum eo sese coniungere, & communem hostem non tam uiribus suis, quàm natura loci, & peninsulę latibulis fidentē adoriri: paterenturq; socios & amicos uastis & incultis locis hęrentes, hyberni cœli inclemētia, pabuli & commeatus inopia, & fame unà cum equis cōfici. Verendum esse, nē Tartari, gens alioqui ferox, nec satis morigera suis principibus, mala cōsultrice fame stimulante, in officio contineri non possint. Hæc ita breuiter prolocuti, responsum accepère: regem celebritate coronationis peracta, maturaturum esse expeditionem, & cum Polonis & Lithuanis ad Boristhenem pręstò futurum, operamq; daturum, ne Sachmatem cum suis tam longinquæ ac diuturnæ expeditionis pœniteat. Hac spe onerati legati, additis hospitalibus donis, quæ domino suo ferrent, dimissi sunt sine mora. Interea uerò Sachmatis uxor, inediæ & frigoris impatiens, cum maiore parte copiarum eius in Tauricam transfugit. Qua uirium accessione fretus Tauricanus princeps Mengligeres, siue Mendlikereius, qui Mahometkereio fortè defuncto, uel superiore pugna cæso successerat, duxit in hostem: commissoq; in patētibus campis sub Kiouia prælio, uictum ingenti strage Sachmatem in fugam uertit. Sachmates dissipatis suis, cum trecentis modò equitibus Bialogrodum siue Moncastrum profugit. Vbi cum substitisset aliquandiu inops consilij, & à Turcis in gratiam Mengligeris insidias parari sibi persensisset, per uastas Podoliæ solitudines Kiouiam sese recepit. Sed ne ibi quidem tutus fuit. Circumuentus enim à palatino siue præfecto loci, Vilnam transmissus est. Ibiq; regis aduentum operiri iussus, cum aliquoties fugere conatus esset, retractus è fuga, diligentius

Lithuanica legatio ad comitia Polonorū.

Alexander rex creatus.

Tartarorum Zauolgensium legatio ad Polon. regem.

Sachmatis Tartari fuga & captiuitas.

Venetorum legatio. *1502. ann.*

asseruatus est. Hunc exitum Tartaricum illud bellum habuit. Alexander duodecima die Decembris à Friderico fratre in basilica Cracouiensi ritu solenni inunctus & coronatus est. Nec multo post Sigismundus frater ipsi gratulaturus aduenit, itemq; Ioannes Baduarius Venetorum legatus. Mense autem Februario sequentis anni Helena regis uxor è Lithuania uenit. Nec tamen diadema de more reginarum ipsi impositum est, propterea quod Græcorum schismati dedita, ab instituto ecclesiæ Romanæ & catholicæ abhorreret. In Lithuaniam deinde rex initio mensis Maij cum ea se recepit, Friderico cardinali fratre uicario, gubernatoreq; regni pro se constituto. Acceperat enim, Moschos bellum contra Lithuanos reparare. Nec ita multò post, Demetrius Ioannis magni ducis filius, affinis Alexandri, cum ualido exercitu adfuit, & ad Smolenscum castra metatus est: frustraq; tentata arcis expugnatione, reduxit exercitum, cum Alexandrum regem cum magnis copijs aduentare accepisset. Pax deinde, siue adeò sex annorum induciæ inter socerum & generum constitutæ ea lege, ut captiui modò redderentur. Constantinum tamen ducem Sigismundus Herbersteinus memorat ante pacem factam elapsum esse, dimissum è uinculis, cum simulatè fidem suam Moscho obstrinxisset, agrosq; & possessiones in Moschouia ab eo accepisset. Per idem ferè tempus Tartari Tauricani cum Podoliam, Russiam & Sendomiriensem tractum populabundi peruagati, Ressouiam, Iaroslauiam, Radimnum, Belsum, Dauniciam, transmissoq; Vistula flumine, Opatouiam, Lagouiam & Cunouiam oppida diripuissent & exussissent, ad Pazanouiam usque peruenêre. Inde cum Ioannes Vapouius, qui erat in ministerio Friderici cardinalis, aliquanta manu sagittariorum in aditu eius uici siue oppidi ipsis sese opposuisset, & non contemnendi exercitus speciem ostendisset, reuocarunt gradum onusti præda omnis generis: & ferro, igniq; in obuia quæque, quæ abigere uel asportare commodè non poterant, crudeliter debacchati. Processit quidem ipsis obuiam Fridericus gubernator cum quingentis equitibus, & peditum aliquanta manu tumultuaria, cætera nobilitate Corcinum se sequi iussa: uerùm dum ea tardius molitur, Tartari in tutum se cum præda recepêre. Triginta millia equitum fuisse perhibentur. Eo ipso anno induciæ, uiuente adhuc Ioanne Alberto cum Baiazete Turcarum imperatore dudum constitutæ, per Nicolaum Firleium Dambrouicium, qui tunc præfectus Lublini erat, confirmatæ sunt. Infestauit autem tunc ea gens Bosnam, & regiam gentis Iaice obsedit, & acriter oppugnauit. Contra quem exercitum quum Vuladislaus rex Vngarorum expeditas copias misisset, commisso prælio, cum æquo Marte aliquandiu dimicatum esset, ad extremum Turcæ fusi & fugati sunt. Nec tamen Vngaris incruenta cessit uictoria. Nec ita multo post idem Vuladislaus nexu matrimonij, quo se cum Beatrice regina constrinxisse dicebatur, Pontificis Maximi authoritate solutus, cum Anna puella de Candale Vasconum, quæ illustris est in Gallis familia, solenni pompa nuptias celebrauit. Mox Turcas ulturus, Petro Ioza palatino Transyluaniæ, & Ioanne siue Hanselico Matthiæ regis notho filio, ducibus, exercitum in Rasciam siue Bosnam Turcicæ ditionis uicissim immisit, multisq; uicis & oppidis ad Bodon usque nobile emporium in ripa Danubij situm, uastatis, & luculenta præda abacta, incolumem cum recepit. Enimuerò Persico tunc bello distinebatur Baiazetes: quod tamen per legatos siue Bassas non satis prospero successu gerebat, ipse propter pedum dolorē Adrianopoli & Constantinopoli mansitans. Quas ob causas inuisus factus militibus, facilè posterius à Selimo filio natu minimo regno eiectus est: ueneno q; ut creditum est, extinctus. Sed nos nostra persequamur.

Constantini ducis reditus.

Ioannes Vapouius.

Turcæ uicti ab Vngaris apud Iaice.

1503. ann.

Friderici cardinalis mors & mores.

Insequens annus Friderici cardinalis & regij fratris, Creslai Curosuancij Vuladislauiensis episcopi, & Conradi ducis Masouiæ cōtinuatis propè funeribus memorabilis est. Fuit Fridericus procera statura, aspectu decoro, ac dignitatis pleno: cæterùm ingenio nullo, iners, ignauo ocio, crapulę, & assiduis compotationibus in fumo & sordibus cum gregalibus suis quibusdam marcescens: & ad extremū morbo Gallico confectus est, teste Matthia Miechouiensi medico. Vnum illud nominis sui monimentum in basilica Cracouiensi reliquit, quòd thecam caluæ diui Stanislai martyris auream, & multis preciosis gemmis, quas Academiæ præsidibus ademerat, distinctam contulit. Ei suffecti sunt uoluntate Alexandri regis, in metropolitana quidem Gnesnensi sede, Andreas Borissouius cognomento Rosa, archiepiscopus Leopoliensis, Bernardino Vilzico successore accepto: in Cracouiensi uerò, Ioannes Conarius, qui procurator Friderici fuerat, in gratiam reginæ matris, quam homo nulla doctrina, neque ingenio præditus, probus tamen uulgaribus officijs & caponibus subinde præbitis demeruisse dicitur. Porrò Creslaus in episcopa

Ioannes Conarius episcopus Cracouiensis.

scopa quidem Vincentium Prærembium episcopum Præmisliensem: in munere autem cancellariæ Ioannem Lascium præpositum Scarbimiriensem, & canonicum Cracouiensem: quem rex in Lithuaniam proficiscens, cum neq; cancellarius, neque procancellarius sequeretur, secum duxerat, & dato ipsi annulo suo à secretis habebat, propterea quòd scriba primùm, deinde cancellarius Creslai episcopi cum fuisset, in cancellariæ negocijs bene exercitatus haberetur. Prærembio uerò in episcopa Præmisliensi Matthias Dreuicius successit, qui & in procancellarij munere antè successerat. Conradus uerò Masouiorum dux Ioannem & Stanislaum filios impuberes hæredes reliquit. Sed hi in Cirnensi tantum ditione ius succedendi patri habebant. Cæteræ, quas Conradus à Ioanne Alberto rege precariò obtinuerat, ad regem ex pacto deuoluebantur: nec tamen reddebantur, Anna uxore defuncti cum proceribus eas retinente. Quod quidem rex facilè passus est, pactus cum Anna & proceribus, ne id sibi regnoq; fraudi esset, donec controuersia decreto comitiorum decideretur. Verùm sequenti anno transacta res est amicè in comitijs Petricouiensibus: indultumq; pueris, ut quibus finibus pater eorum Masouiam tenuisset, ipsi quoque retinerent, & posteris suis masculis tantum relinquerent, orbi autem, ipsi inter se succederent: ubi masculi hæredes defecissent, tum demum rex Polonorum totam Masouiam reciperet, gentemq; suis legibus uiuere permitteret: puellis, si quæ superessent è ducum genere, pro dignitate dotem daret. Vbi ad pubertatem pueri peruenissent, tum demum ut pacta hæc diplomatis suis approbarent, & in uerba regis iurarent: interim autem mater dominatum omnem administraret. Sed hæc sequenti demum anno, quemadmodum perstrinximus, conuenêre. Illa autem æstate Tartari Tauricani Podoliam & Russiam rursus hostili incursione uexarunt, à Stephano palatino Valachorum, ut creditum est, concitati. Ipse quidem immisso in Russiam finitimam exercitu, tractum omnem inter Nestrum amnem, & Sarmaticos montes, quem Pocuce uocamus, nemine repugnante, ac ne expectante quidem quicquam eiusmodi, subegit: siue, ut ipse dictitabat, de sua ditione iniustè prius detractum, recepit. His rebus, atq; adeò crebris Polonorum procerum literis & nuncijs excitus rex è Lithuania, Lublinum extremis diebus mensis Octobris uenit, ibiq; comitia procerum habuit. Placuit, ut in æstatem proximam, milite mercenario res contra Valachos gereretur, & Pocuce repeteretur. Eiusdem autem exercitus metu Tartarorum excursiones repressum iri uidebantur. In stipendium uerò decreto comitiorum imperata est pecunia oppidanis & agrestibus, usitato more. Rex deinde peracto conuentu Cracouiam se contulit, & ibi hybernauit. Verè proximo exercitum è mercenario milite conscriptum in Russiam misit: ipse uerò, postea quam pluuiæ, & insolitæ fluminum inundationes remiserunt, in Prussiam profectus, iusiurandum fidelitatis à ciuitatibus exegit. Fridericus uerò Magister Prussiæ orientalis, cognito aduentu regio, ad consanguineos suos in Saxoniam & Germaniam se recepit, ne uel iurare in uerba regis, uel improuisi belli molem imparatus sustinere necesse haberet. Sed ne Germania quidem tunc domestico & intestino bello uacabat. Etenim inter Maximilianum Cæsarem, & Rupertum Philippi palatini Rheni filium, bellum conflatum est propter ereptam Alberto duci Cæsaris affini Bauariam: celeriter tamen confectum, cum infestæ acies apud Ratisponam ad prælij dimicationem uenissent: Rupertusq; duobus millibus Bohemorum desideratis, & septingentis captis, uictus & castris exutus, paternus uerò dominatus eius à cæteris principibus Germaniæ cum Cæsare sentientibus direxatus & [illegible]cisus esset. Ibi enim Philippus cum filio pacem & ueniam à miti Cæsare supplex petijt, æquisq; conditionibus impetrauit. Quin aliud quoque bellum Maximiliano cum Ludouico rege Gallorum, & Venetis de principatu Mediolani, tunc exortum est, cum Gallus capto Ludouico Sphortia duce, dominatum illum, Venetis non tam socium regem adiuuantibus, quàm suam rem agentibus, iterum in potestatem suam redegisset, siue adeò cum Venetis partitus esset. Recuperarat enim eum prius amissum Sphortia, Gallis eiectis. His igitur de causis Magister Cruciferorum apud Germanos suos nihil tunc opis inuenit. Per id tempus Moldauia infestata & uexata est à nostris, ita ut Stephanus è munitionibus Pocutiensibus præsidia deducere coactus sit, præsertim cum ipse grauissimo pedum dolore affligeretur: quo ad extremum confectus, haud ita multò pòst extinctus est, uir magnitudine animi, astu, peritia rei militaris, & rebus contra Turcarum, Vngarorum, & Polonorum reges, ac Tartaros feliciter gestis, omni æuo memorabilis. Cui Bogdanus filius Luscus in dominatu successit. Nostri enim satis habuerunt Pocuce recuperasse. Tartari uerò cum non ignorarent

Vincentius Prærembius episcopus Vladislauien.

Transactio regis cum Masouijs ducibus.

Pocuce à Valachis interceptum.

1504. anni.

Maximiliani Cæsaris uictoria de palatino Rheni.

Bogdanus palatinus Valachiæ

rent in propinquo esse regium exercitum, quieuerunt eo anno. Maturè igitur exercitus ille exautoratus est, siue quòd eo nihil opus erat, Valachis atque Tartaris quiescentibus, & ut uidebatur, deinceps etiam quieturis: siue quòd deerat pecunia, ita ut ne emerita quidem stipendia militibus exoluerentur. Quo factum est, ut ij agminatim in Cracouiensem oram reuecti, cum ne Cracouię quidem spes ulla pecuniæ è thesauro regio numerandæ ostenderetur, in bona & possesiones episcopi & abbatum hostilem penè in morem inuaderent, & inde rapto sese sustentarent, donec rex è Prussia rediit: quod quidem sub finem æstatis factum est. Quo tempore Cazimiria, quæ Cracouiæ ponte iungitur, à meridie ad noctem usque rege ex arce inspectante arsit, & cum turribus & pinnis mœnium penitus conflagrauit. Eodem autem anno, mense Nouembri, Turcæ Croatiam regis Vngarorum prouinciam, acerbè depopulati sunt. Peractis Petricouiæ Polonorum comitijs, constitutisq; rebus Polonicis, & Masouiticis, Alexander rex insequentis anni initio Breste, quo Lithuanis conuentum edixerat, contendit, ut eius quoque gentis res turbatiores componeret. Principem gratiæ locum ex ea gente apud eum obtinebat Michaël Glinscius dux Russus, uir elati animi, magnasq; in Lithuania opes & potentiam atque clientelas, Russorum præsertim eiusdem linguæ & religionis hominum, sibi compararat. Aegrè id ferebant Lithuani proceres, alioquí etiam Russis non satis æqui: formidabantq;, ne per occasionem is Alexandri orbitate contempta Lithuaniæ dominatum inuaderet, & ad suos Russos transferret. Quin etiam iactabatur uulgò, uerène an falso, incertum est, Michaëlē principatū affectātē Alexādro insidias struere. Non latebant hæc Michaëlē: & homo gratia principis impotentior sui, non modò non dissimulabat quicquam, sed apertas cum æmulis suis inimicitias gerebat, & in odium principis eos adducebat, nec defuit ipsi occasio. Fortè Alexander præfecturam Lidensem, Lithuano quodam amoto, Andreæ Drosdæ Michaëlis consanguineo contulerat, & ad primores Lithuanorum absens mandata dederat, ut eum in possessionem eius præfecturæ mitterent: id illi odio Michaëlis ad regium aduentum reiecerunt. Hinc igitur arrepta occasione Michaël, cùm alios Lithuanos proceres, tum in primis Albertum Taborum episcopum Vilnensem, Ioannem Zabrezinium palatinum Trocensem, Stanislaum Zarnouecium præfectum Samagitiæ, & Stanislaum Kiscam ducem exercitus, quasi contumaces, rebellesq;, subinde apud regem criminari, donec eò regem perpulit, ut is secretis consilijs de nece ipsorum agitaret. Cum autem in media Lithuania nihil eiusmodi propter magnas eorum clientelas, & communem gentis Lithuanæ dolorem tutò aggredi posse uideretur, Breste, quod oppidum in confinio Poloniæ situm est, eos ad conuentum euocauit. Non ignorabant illi quidem, regem sibi iratum esse: & erat res plena suspicionis, quod Lithuanica comitia in eum locum præter morem edicta essent, aduenêre tamen, sed ingressu arcis abstinuêre. Tandem suasu Ioannis Lascij cancellarij Polonici rex aliquantisper mitigatus, Zabrezinium quidem palatinatu Trocensi amouit, dato ei successore Nicolao Radiuilo: Albertum uero episcopum Vilnensem, cum cæteris qui idem sentiebant, senatus ingressu exclusit, tantisper donec se placarent. Adductus deinde Vilna Sachmates Zauolgensium Tartarorum princeps: cui rex magna & splendida equitum caterua stipatus, ad quinque millia passuum obuiam progressus est: & comiter ac lautè eum accepit, compositisq; rebus Lithuanicis, ad conuentum Polonorum Radomiam secum duxit. Vbi introductus in senatum, grauiter & magna libertate regem & consiliarios eius Polonos iuxtà ac Lithuanos incusauit, quod ab ijs contra Tauricanos Tartaros in auxilium penè ab Hircano usque mari ingentibus pollicitationibus euocatus, destitutus deinde, ac planè proditus, amissis partim per defectionem, partim aduerso prælio maximis, quas adduxerat, copijs, nihilo tutiorem apud socios & fœderatos, quàm apud Turcas fugæ locum inuenerit: sed contra iurisiurandi religionem pro captiuo habitus, & ad illud usq; tempus in custodia, & quasi in carcere detentus sit. Sed Deus (inquit, sublatis in cœlum manibus) bonorum omnium & malorum remunerator, meam, regisq; causam aliquando iudicabit, & ærumnas meas, iusq; iurandum uiolatum ulciscetur. Ad extremum orabat, ut sibi liberè discedere, & ad suos reuerti liceret. Responsum est regio nomine, immeritò ipsum de rege & consilio eius queri: ipsum sibi sua culpa, quicquid illud mali esset, conciliasse: quippe qui cum ualidum & florentem exercitum haberet, hostemqúe uiribus longè inferiorem secundo prælio fudisset, fugassetqúe, in campis Kiouiensibus ignauus desidere, & sociorum agros, fœdere & iurisiurandi religione negle-

Cracouiensis ora infestatur à militibus.

1503. ann.

Michaëlis Glinscij ducis potentia & inuidia.

Ioānes Zabrezinius palatinatu Trocensi amotus.

Sachmatis libertas in dicendo.

neglecta, rapinis uexare: quàm urgere uictoriam, expulsoq; hoste, Tauricæ imperium sibi adiungere, aut certè traiecto rursus Boristhene, è Moschi ditione prædas agere, & exercitum inopem sustentare, tantisper dum Poloni & Lithuani aduenirũt, maluerit. Ne fœminam quidem uxorem ipsius, nedum exercitum, domini et uiri ignauiam illam ferre potuisse. Seipsum igitur potius, quàm quenquam alium incusaret. Ad hæc plurimum eum Polonis & Lithuanis incommodasse, quod sua culpa, neglectis eorum consilijs, de infestanda Moschouia, defectione suorum, uires hostium auxerit. Sic refutatę Sachmatis querelæ, retorta in eum culpa. Obnixius deinde is rogare, ut in Scythiam remitteretur: reparaturum se esse exercitum, & reliquias profligati recollecturum: transfugas quoq;, ubi se incolumem esse cognouerint, ad se reuersuros. Ita fore, ut plus regi commodare dimissus, quàm retentus posset. Non satis consultum fore nostris uidebatur, dimittere ferocem hominem, detentione tam diuturna & retractione ex fuga iritatum, qui tunc etiam, cum sui iuris non esset, liberè tamen & acerbè de iniuria quereretur. Sed Tauricano tamen principi iratior esse, & infestior fore, non immeritò credebatur. Ita acquieturos tamen esse nostros, barbaris inter se commisis. Placuit igitur, ipso assentiente, fratrem quidem eius Cozacum Soltanum in Scythiam mitti, nouas copias Sachmati adducturum, et Nogaienses Tartaros consanguineos suos contra Tauricanos concitaturum: ipsum uerò Sachmatem Troccos remitti, expectaturum donec frater cum copijs reuerteretur, & rex in Tauricam expeditionem faceret. His ita constitutis, Kozacus accepto à rege uiatico in Scythiam cõtendit: Sachmates uerò à Lithuanis proceribus Troccos reductus, liberiore uiuendi ratione uti permissus est, cum dedisset fidem, se inde fugiturum non esse. Aduenerant autem Lithuani proceres ad Radomiensia comitia, ut opera Polonorum regem sibi reconciliarent. Sed non potuêre tamen ij quicquam aliud impetrare, quàm ut rex data ipsis repulsa publicè, secretò Polonis polliceretur, se illos in gratiam recepturum esse, cum ad Lithuaniam accederet. Dimisis Lithuanis atq; Tartaris, reliquum tempus comitiorum iudicijs & consultationibus de defensione regni contra subitarias hostium incursiones datum est. De equestribus quibusdam, qui latrocinia exercuerãt, sumptum supplicium. Ac Osuchouius quidem & Misouius gladio percussi: Rusinouia uerò fœmina cum ocreis, calcaribus & cultu corporis uirili, ut erat prehensa, suspendio necata est. Ad defensionem uerò regni minores quidem Poloni tributum agrarium duodenûm grossorum in stipendium mercenariorum militum sciuêre: maiores autem id abnuere. Per quod tempus, decimanona die Maij tempestas horrẽda circum Cracouiam coorta, tonitruis perpetuò terribiliter crepitantibus, & coruscantibus inter densas nubes fulguribus, grandinem instar oui gallinacei demisit, qua frondes arborum crassiores etiam decussæ, tectaq; domorum perfracta sunt: turris una arcis fulmine percussa, tecti & muri parte abrupta, prodigij loco fuit. Nec multo pòst rex Alexander uigore membrorum in una parte soluto, quem morbum paralysin Græci uocant, Radomia Cracouiam post medium Iunium apportatus est. Quo subsecuta est cum legatio Bogdani Valachorum palatini, quæ tunc Radomiam aduenerat. Postulabat autem Bogdanus coniugium Elizabethæ sororis regiæ: & quo facilius id impetraret, Thysmenecciam & Cesibessos territoria regi reddebat. Ipsene autem ea post mortem patris Polonis ademerit, ut memorat Vapouius, an à patre adempta, quemadmodum uult Miechouiensis, retinuerit: an uerò quæ non habuerit quidem in potestate, sed quasi sua repetere posse & uelle uidebatur, donanda sibi esse duxerit, non satis constat. Ea quidem certè donabat, quæ retinere ipse non poterat: ut benignitate illa, quæ nihilo ipsi constabat, regis & Polonorũ studia promereretur. Abnuebant puella & mater barbaricum fœdi ac lusci hominis connubium: nec tamen repulsa iritari placebat hominem, & ex amico hostem facere. Itaq; pro munere quidem gratiæ actæ Bogdano, de coniugio uerò ambiguum responsum datum. Per idem tempus legati Nogaiensium ducum, (neq; enim unum principem hi habent) octoginta equitum comitatu in Lithuaniam aduenêre, qui Sachmatem domum reducerent, magnas copias ad ulciscendum hostem Tauricanũ ipsi pollicẽtes. Nec multò pòst Mẽdligeri siue Menglikereij Taurican principis legatio subsecuta est, suadens & postulans, ne Lithuani proceres Sachmatẽ hostẽ suũ dimitterẽt, sed asseruarent in custodia: quemadmodum patruum suum, quoad uixit, asseruassent. Percussurum se esse fœdus cum rege, nec unquam deinceps in ditiones eius inuasurum. Vtiliorem autem fore Lithuanis & Polonis amicitiam suam quam Sachmatis, à quo & propter longinquitatem sera, & propter debilitatas atq; adeò afflictas uires infirma auxilia essent

Nogaienses Tartari.

Tributum à minoribus Polonis scitum.

Bogdani Valachi legatio.

Tauricanorũ Tartarorum legatio.

expectanda. His utrinque auditis, Lithuani proceres neutram in partem quicquam statuerunt, sed rem integram ad regis aduentũ reiecerunt. Patebat interim liber aditus ad Sachmatem legatis Nogatensibus. Qui cum duci se pollicitationibus Lithuanorum suspicaretur, consilium fugæ cum legatis et equitatu, quem circum se habebat, clàm init, eiusque cursu dies & noctes iter continuabat: sed occurrentibus per compendia uiarum Lithuanis, retractus ex fuga, ac diligentius deinde asseruatus est. Nihilo tamen magis Tauricani per eos dies Lithuaniç uexatione abstinuerunt. Nam è Minscensi territorio prædas extremis diebus Augusti mensis egerunt: quo factum est, ut Lithuani anno sequenti Vilnam muro cingerent. Sub excursionem autem illam Tartaricam tertio Cal. Augusti, Elizabetha regina Cracouiæ extremum uitæ diem clausit: fœmina lectissima, & insigni pietate ac munificentia in cultum diuinum. Cuius præclara & regalia donaria extant etiamnum cùm alibi, tum in basilica Cracouiensi, ubi sepulta est, honorificentissimo funere ab Alexandro & Sigismundo filijs elata, in delubro sanctę Crucis, quod uiuens à fundamentis exædificarat, omnique apparatu ad cultum diuinum accommodato magnificè ornauerat, & censibus domoque in octo presbyteros & nonum ministrum collatis dotauerat. In diui quoque Michaelis templo in eadem arce sito totidem presbyteris, qui cantanda & sacris operando assiduo cultui diuino insisterent, census attribuit. Quamuis enim dotem nullam apportauisset, indulsit ei tamen rex filius, ut non modò tantum in cultum diuinum elargiretur, sed etiam filiæ Elizabethæ natu minimæ Lenciciensem, Radomiensem & Prædecensem præfecturas, partem bonorum, quæ nihilominus donatione propter nuptias è marito rege utenda fruenda acceperat, quadraginta millibus Vngaricorum aureorum obligaret et concederet, quo illa bonis ijs matre uiuente uteretur, frueretur quoad nuberet, uel cælebs decederet: post mortem uerò matris, ad ius regni libera ea reuerterentur. Iustis funeribus matri peractis Alexander, cum ope medicorũ à morbo releuatus esset, Calendis Octobribus Lublinum profectus est, & anni sequentis, qui fuit a Christo nato 1506. initio comitia Polonorum habuit. Certatum ibi, ac disceptatum est inter proceres profani ordinis, & episcopos, de ordine & ratione sedendi in senatu regio, ac de expeditionibus bellicis. Contendebant proceres, ut episcopi alterum latus regis sibi concederent, alterum uel dextrum sanè ipsi tenerent: deinde ut bona ecclesijs addicta, perinde ac ea quæ nobilitatis essent, publica belli onera sustinerent. Tuebantur episcopi prærogatiuas suas, quòd utrique regio lateri assidendi ius ipsi, & militiæ uacationẽ ecclesiastica bona antiquitus haberent. Post longam altercationem rex tandem controuersiam ita diremit, ut episcopis & ecclesijs prærogatiuæ suæ saluæ manerent. Constitutum deinde, ut à rege noua moneta argẽtea cuderetur, & usitatũ tributum ab agrestibus et oppidanis in stipendia militum, qui ad fines Russiæ & Podoliç defendendos, ac depellendum Pocuciensi territorio Bogdanum mittebantur, conferretur. Etenim Bogdanus nuptiarum Elizabethæ regiæ sororis compos non factus, quod regina puellæ mater ipsi aduersata esse diceretur, ubi cognouit reginam esse mortuam, iterum ea de re ad regem oratores miserat: sed cum puella negaret se ipsi nupturam, ira percitus, quòd contemni se putaret, Pocucę cum infesto exercitu inuaserat: & cum nullum ibi esset regium præsidium, neque ualidæ munitiones, paruo negocio in potestatem suam redegerat. Igitur quatuor millia mercenariorum militum decreto comitiorum in Russiam missa, Pocuce sub signis ingressa sunt: profligatisque ac depulsis sexcẽtis Valachis præsidiarijs, territorium omne non multo maiore negocio, quam erat amissum, recuperarunt. Deinde Valachiæ fines infestis incursionibus uexarunt. Vbi duo Strussi fratres, adolescentes nobiles & bellicosi, decus Russicæ nobilitatis, cum ala quinquaginta equitum longius prouecti, cum in longè plures Valachos fortè incidissent, audacius quàm par erat cum eis congressi, à multitudine hostium oppressi sunt. Ac Felix quidem in prælio fortiter dimicans cecidit: Georgius uerò dum frati laboranti per medios hostes animosè inuectus fert opem, suffosso equo ad terram defluxit, ibique captus, & ad palatinum deductus, cum octo alijs tyranno inspectante capite plexus est. Sed non inulta mors eorum Valachis mansit. Postridie enim eius diei nostri hostem uictoria recenti exultantem consecuti & adorti, magna strage ulti sunt. Cæsus præfectus Chocimensis: Coparcius uerò dux exercitus Valachici fuga elapsus est. Nec tamen memorant Miechouiensis & Vapouius, quinam belli huius Valachici exitus fuerit. Sed nos icto fœdere finitum esse coniicimus, argumento literarum Alexandri regis, quæ extant in Archiuio. Inde enim apparet, Bogdanum tres oratores ad regem denuò misisse, ipsisque cum eo conuenisse, ut Elizabethã

Sachmates è fuga retractus.

1506. ann. Comitia Lublini.

Pocuce Bogdanus palatinus Val. in suam redigit potestatem.

Pacta Alexandri regis cum Bogdano.

zabetha Bogdano nuberet his legibus, ut uis ad Romanæ & catholicæ ecclesiæ ritus cum aulico suo comitatu accederet: in Valachia item ut templa, sacerdotes, & unus episcopus Romani ritus instituerentur: Romanus pontifex Bogdano postulante matrimonium approbaret: Bogdanus regijs ditionibus fœderatus ut esset, & cum cæteris Christianis principibus contra barbaros bellum susciperet. Nec tamē hæc pacta rata fuere. Adactusq; postea bello Bogdanus, Sigismundo regi Alexandri literas illas reddidit. Sed hæc postea. Tunc autem Alexander comitijs Lublinensibus, quemadmodum supra dictum est, peractis, in Lithuaniam contendit. Expectabant enim eum ibi Nogaiensium atq; Tauricanorum Tartarorum legati: & acceperat, Ioannem magnum ducem Moschorum e uiuis excessisse: gentemq; in motu esse, ita ut ipsi commoda occasio recuperandi ea, quæ Ioannes Lithuanis ademerat, oblata esse uideretur: Felicissimus fuerat Ioannes: Tartarorum iugum excusserat: complures & magnos principatus paruo uel nullo negocio imperio suo adiunxerat, cum Stephano illo magno Valachorum palatino affinitatem & amicitiam contraxerat: Casanenses, Permios, Sibiros, Lapos, Iugros Vngarorum progenitores, Bulgaros Asiaticos partim subiugârat, partim tributarios sibi fecerat: cum uicinis Suecionibus siue Suetijs, Liuonibus atque Finnis prospero successu bella gesserat: Lithuanis supra septuaginta arces & castella ademerat. Quanquam autem pleraq; hæc omnia per legatos gesserat, formidabilis tamen Lithuanis fuerat. Instituto gētis maximus natu filius in principatu patri succedit: sed cum is uiuente adhuc patre obijsset, susceptum ex eo nepotem Demetrium, quemadmodum Herbersteinus prodidit, Ioannes grauis annis successorem sibi designârat. Deinde uero suasu secundæ uxoris Græcæ mutato consilio, Gabrielem filium ex ea susceptum, qui postea Basilius appellatus est, ei prætulerat, ipsum uero Demetrium in uincula coniecerat. Moriens autem rursus Demetrio e carcere producto prærogatiuam suam restituerat, culpam admissam deprecatus. Maiores motus hinc inter Moschos expectabantur: sed eos rex in Lithuaniam ueniens, celeriter compressos esse cognouit. Gabriel enim, siue Basilius Ioannis defuncti ducis filius, compacto in carcerem Demetrio, dominatum occupauit. Omissa igitur, siue in aliud tempus dilata rerum Moschicarum cura, Alexander cum Mengligeri gratificari statuisset, quo eum sibi amicum faceret, Sachmatem cum omni comitatu & legatis, & Nogaiensibus Vilnam adduci ad se iussit: instauratoq; iudicio, uiolati fœderis reum damnauit, & Caunnam diligentius asseruandum misit, nequicquam deprecantem: et contestantem minime placatum iri Lithuanis & Polonis sua captiuitate & miseria Mengligerem: cæteri Tartari per munitiones & castella Lithuaniæ distributi. Nec male diuinauit Sachmates. Paulo pôst enim, legatis Mengligeris domum reuersis, mense Maio quinque millia expeditorum Tartarorum e Taurica eruperunt, & Podoliam, Russiam atq; Lithuaniam longe, lateq; crudeliter uastarunt: & præter aliam prædam ingentem, ad centum millia hominum in barbaricam seruitutem abegerunt: plurimos uicos atque pagos exusserunt, & in imbecilliorem senum ac puerorum multitudinem immaniter ferro sæuierunt. Languebat rex, ab empirico quodam medico, seu uerius impostore, qui se, Polonus cum esset, Græcum mentiebatur, balneis & sudoribus magis etiam debilitatus. Proceres uero mutuis odijs certantes, regiaq; indignatione prouocati, suum quisque negocium agebant, nec ullam habebant curam reipublicæ. Tartari tam felici successu illecti, distracta præda quam retulerant, paruo interuallo quieti dato, mox auctis uiribus mēse Augusto denuo in Lithuaniā irruperunt: & cū Glescū ad oppidū haud longe à fontibus Nemeni fluuij situ, constipati peruenissent, relictis ibi duobus Soltanis (sic illi Cæsaris siue principis filios uocant) cum decem millibus equitum, ad quos ipsi receptum habituri essent, cæteri ad uiginti millia turmatim quoquo uersus populabundi excurrerunt. Vilnæ rex languēs iacuerat. Inde uero discedens cum uxore & suppellectili sua uniuersa, Lidam, quæ arx duodecim milliarijs à Vilna abest, peruenerat. Ac Michouiensis quidem cum aduentu Tartarorum excitum, cum negarentur Lithuani, nisi rex ipse loco se mouisset, ad arma concursuri esse, nequicquam dissuadentibus medicis, eo seuehi iussisse memorat, ne uel in extremo halitu suis deesset: Vapouius uero eum in Poloniam iter habuisse scribit, quo iam Sigismundum fratrem e Silesia euocauisset, ut concessis ei habenis regni, ipse rebus gerendis propter ingrauescentem & insanabilem morbū minime idoneus, in ocio reliquum tempus uitæ transmitteret. Sed quocunq; tandem consilio Vilnam reliquit, Lidæ cum esset, ecce adest unus qui iam nuncians, Tartaros populabundos uix unius diei itinere abesse: se sagitta ictum in faciem,

Ioannis Moschorum ducis mors & res gestæ.

Basilius Moschorum dominatum inuasit.

Alexandri aduersa ualetudo.

Lida.

Sigismundus à fratre ad regnum accitus.

equi pernicitate manus eorum ægrè effugisse. Parum fidei habitum est nuncio. Proinde Michaël Glinscius, qui regem comitabatur, Rascios equites aliquot, quos ad manum habebat strenuos, dimisit, certius omnia exploraturos. Nec longè hi abierãt, cum in turmam Tartarorum inciderunt, consertaq; intrepidè pugna, nouem ex ijs interfecerunt, cæteros in fugam uerterunt, & præfixa pilis occisorum capita ad dominum suum attulerunt. Trepidatum est circa regem uehementer. Placuit deinde, ut rex molestia itineris & quassatione maiorem in modum afflictus, lectica Vilnam reportaretur: Glinscius uerò cum Stanislao Kisca duce exercitus, & Lithuana nobilitate, quæ aduentu Tartarorum audito ad regem confluebat, hosti obuiam iret. Missus etiam, qui Sigismundum regis fratrem celeriter acciret. Siue enim uiueret rex, siue moreretur, & siue uincerent Lithuani, siue uincerentur, præsente eo uidebatur opus esse. Ac rex quidem continuato die noctéq; itinere, Alberto episcopo Vilnensi, Ioanne Zabrezinio, & Ioanne Lascio cancellario Polono, cum regina deducentibus, uix trahens spiritum, Vilnam reportatus est. Michaël uerò Glinscius, cum Kisca subito morbo correptus esset, nõ ignarus moris Scythici, quamuis non plus septem millibus equitum aggregasset, accelerandum sibi ratus est in hostem ad Clescum desidentem, priusquam cuncta agmina, quæ diuersa & palantia prædas agebant, eò sese recollegissent. Erat propè statiua hostilia, quà Lithuani ueniebant, amnis non magnus, neque profundus, sed limosus, & ob id ægrè uadabilis. Eius ripam ulteriorem Tartari, cum Lithuanos contra se aduentare cognouissent, insederant, ac denso sagittarum imbre Lithuanos transitu prohibebant. Habebant Lithuani secum bombardas aliquot: eas cum exonerassent, hostem à ripa summouerunt: & comportatis è uicino frondibus ac uirgultis, amneq; constrato in ulteriorem ripam cum euasissent, magno impetu in hostes irruerunt. Peropportunè autem in primo agminum congressu, equites Poloni trecenti ex aulico regis comitatu, duce Sendiuoio Zarnicouio palatini Posnaniensis filio, Vilna accurrentes è propinquo colle Tartaris sese ostendêre: cumq; armis fugientes frontem latius diduxissent, ac tympanis atq; tubis uehementius insonuissent, & longè maioris quam pro numero exercitus speciem præ se tulissent, Lithuanis quidem animum addidere, hostibus uerò terrorem incussere. Itaq; statim in terga dedêre. Nec segnius instabant Lithuani fugientibus, nec ullum recolligẽdi sese spacium ipsis dabant. Fortè palus erat cœnosa, qua barbari constipati adhuc fugiebant: in eam cum urgentibus à tergo Lithuanis cõpulsi essent, plurimi cœni uoragine hausti sunt: nec pauciores restitantes ab insequentibus contrucidati: Soltani, duces exercitus, equis in palude relictis, ægrè euasêre. Glinscius magnam non solum egregij ducis, uerùm etiam strenui militis laudem ex ea uictoria reportauit, tribus equis sub eo confossis. Neq; tamẽ hac ille uictoria contentus fuit: sed reductis ad hostium statiua copijs, tacitus ibi consedit, operiens donec cæteri hostes, qui prædatum longè lateq; excurrerant, casus suorum ignari, ad statiua, quemadmodum inter eos conuenerat, reuerterẽtur. Nec eum fefellit coniectura & successus. Post quartũ enim diem, eos turmatim reuerti incipientes, ut quiq; primi uenerãt, excepit, & magna strage concidit: ita ut uiginti millia barbarorum tunc cæsa, totidem equi capti, memorentur, præda omnis excussa, & ingens captiuorum numerus liberatus. Iam Alexander rex desperata salute, & testamento condito, sumptisq; ritu Christiano sacris mysterijs, animam agebat, cum ei de uictoria suorum nunciatum est. Sublatis igitur in cœlum manibus, & oculis lachrymas stillantibus, tacitus amisso iam usu linguæ gratias agere Deo uisus est: nec mora animam exhalauit, die decimanona mẽsis Augusti, quadragesimumsextum annum agens, cum non totos quinq; annos regnasset in Polonia. Cuius obitum cometes paucis antè diebus ad Septentriones conspectus portendit. Quin & globus igneus clarissimus quadam nocte super turrim curiæ senatoriæ Cracouiæ decidisse uisus est. Fuit Alexander statura mediocri, facie oblonga, capillo subnigro, uiribus corporis atque lacertis ualidis: uerùm ingenio hebetiore, atque ob id taciturnus. Liberalitate fratres omnes superauit, non sine uoluptate sua fortibus uiris & militaribus, atque aulicis benignè facere solitus: cantoribus etiam, citharœdis, atq; tibicinibus impendio delectatus est. Prodigum potius quàm liberalem fuisse multi existimauêre, ita ut in tempore eum decessisse dicerent, priusquam Poloniam & Lithuaniam omnem prodigeret. Bonorum quidem regiorum magnam partem oppigneráuit. Erasmum Ciolcum, hominem plebeium, quemadmodum creditum est, iam inde ex quo Lithuaniæ dux factus erat, ualde familiarem habuit: eumq; ad episcopam Plocensem euexit, & opera eius fideli & industria in obeundis apud Pontificem.

Poloni aulici. Sendiuoius Zarnicouius.

Glinscij uirtus.

Cæsorum numerus.

Cometes.

Erasmus Ciolcus episcopus Plocensis.

cem Max. & Cæsarem legationibus semel atque iterum usus est. Certatum est de funere Alexandri. Ioannes enim Lascius cancellarius, Cracouiam id efferre satagebat, asseuerans ita ipsi quoque regi placuisse. Contrà Lithuani proceres Vilnæ, iuxta Cazimirum fratrem sepelire regem uolebant. Nec iniustam eius consilij sui causam habere uidebantur. Cum enim abesset Sigismundus regis defuncti frater, uerebantur, ne dum ipsi funus honoris gratia Cracouiam deducentes eunt & redeunt, interea Michaël Glinscius, homo factiosus, & recenti uictoria magis etiam elatus, Lithuaniæ dominatum, adiuuantibus Russis suis, inuaderet. Dum hæc fiunt, & pompa funeris apparatur, Sigismundus dux, cum de morte fratris in itinere nũcium accepisset, accelerauit iter. Venienti primus omnium procerum Glinscius cum septingentis equitibus gratulabundus occurrit. Plenus iam ante erat Sigismundi animus suspicionum, non modò ex rumore uulgari, sed etiam delationibus procerum Lithuanorũ de Glinscio, quasi principatum affectaret. Auxerat ipse etiam tunc suspicionem occursu suo, & comitatu illo tam numeroso. Nec plures ducentis equitibus Sigismundus secum habebat: sed non poterat commodè & cum dignitate congressum eius declinare. Itaque aduenienti longius è cubiculo obuiam progressus, comiter et benignè eum accepit, & in cubiculum suum deduxit. Ibi Glinscius non ignarus, suspectum se esse principi, luculenta oratione sese purgauit, & studium, obsequiumque suum ipsi detulit, ac deleuisse omnem suspicionem ex animo eius sibi uisus est: cum ille ei uicissim, seu uerè, seu temporis causa, omnia de se polliceretur. Frequentes deinde affuêre cæteri proceres, magnis & splendidis equitum cateruis stipati, Vilnamque principem deduxêre. Nec multo pòst funus regium superba pompa elatum est, & in basilicæ delubro iuxta Cazimiri corpus sepultum: per quod tempus Vvladislao Bohemorum & Vngarorum regi Ludouicus filius ex Anna uxore, quæ statim post id puerperium obijt: natus est, anno uno post Elizabetham sororem: quam pater postea, propter desiderium uxoris amissæ, Annam uocari uoluit. Sed nos emensi, id quod nobis proposueramus, curriculum, hic cursum inhibeamus: postea fortasis per ocium, id quicquid superest spacij, si Deo placuerit, ad metam decursuri, aut, quod malimus, alij lampada tradituri.

FINIS TOMI II. POLONICAE HISTORIAE.

Ioannes Albertus amoribus deditus.

Nestro amne dimisit exercitum: ipse Leopolim lęto itinere uectus, tantisper ibi acquieuit donec morbo liberatus est. Inde postea Cracouiam reuersus, quasi rem benè gessisset, conuiuijs & compotationibus, amoribusque mulierum & choreis impensius indulsit. Fertur que quodam tempore, cum noctu in urbe uno aut altero fortasis ministro comitatus, absque lucerna obambularet, & in ebrios iuuenes incognitus fortè incidisset, exorto temerè iurgio uulnus accepisse: ex quo laborauerit aliquandiu, ita ut immemor conditionis ac dignitatis suæ, plaga illa non sine dolore & rubore, officij sui diuinitùs admoneretur. Nihilo tamen magis utilium rerum suis quicquam prouidit, negligens acceptæ in Moldauia ignominię, cladisque: nec memor, quòd Stephanū animosum & ferocē hominem irritasset. Quę res grauium incommodorum & magni luctus Polonis atque Rusisis deinceps causa fuit.

Valachi Russiam populati. 1498. ann.

Etenim Stephanus acceptam ab ipso iniuriam, bellumque sibi immeritò illatum ulcisci satagens, primo uere insequentis anni cum expeditis suorum Valachorum, Turcarumque, ac Tartarorum copijs, in Podoliam & Russiam inuasit: & prætergressus Leopolim arcem, urbemque munitam ad Canizugam oppidum, & Vislocum amnem longè, lateque populabundus excurrit, & ingentem cunctę Poloniæ terrorem incussit, nemine ad arcēdum hostem neque parato, neque animato: sed cunctis ad fugam spectantibus, & non modo in munitiones, uerum etiam in auios montes atque syluas sese abdentibus. Vnde tamen plurimi mortales utriusque sexus, & omnis ætatis atque ordinis, à perscrutantibus cuncta hostibus & fugientium uestigia persequentibus extracti, in miserabilem seruitutem abducti ac distracti sunt, ita ut Thracia, Macedonia, Scythia & Asia Rusisis mancipijs implerentur. Supra centum millia hominum abacta esse tunc feruntur, cum innumerabili gregum, armentorum, & omnis generis præda. Præmislia, Radimnum, Iaroslauia, Præuorscum, & complura alia ignobiliora oppida cum innumerabilibus pagis direpta & incensa. Vnum operæprecium tunc a nostris factum est, quòd Cracouia metu propinqui periculi à latere Septentrionali turribus, propugnaculis, pinnis, uallo, fossaque, Rudaua flumine in eam inducto munitior & magnificentior effecta est, submotis etiam longius plerisque suburbanis ædificijs, quæ mœnibus urbis è propinquo imminebant.

Russia à Tartaris uastata.

Neque uerò hic tunc Russiæ & Podoliæ malorum finis fuit. Nam Tartari præda apud Tauricam deposita, mense Iulio iterum immani excursione easdem regiones diuexarunt. Quibus incommodis & conuicijs hominum rex motus, nobilitati uniuersæ Polonæ arma sumere, & apud Sendomiriam celeriter sibi præstò esse iussa, ipse Cracouia relicta eòdem sese contulit. Sigismundus enim frater in Vngariam ad Vvladislaum regem paulo antè profectus erat. Dum ægrè moliuntur & conueniunt nostri, hostes prȩda onusti ad sua se recepēre. Quo cognito, nostri quoque dilapsi sunt, cum non multo minore quàm hostes damno & incommodo Sendomiriensem tractum affecissent: prȩter quòd abigendis hominib. abstinuēre. Rex quoque Cracouiam redijt: per quod tempus Cazimiriæ apud Iudæos uitulus biceps natus esse memoratur, altero capite in loco caudæ, cauda uerò in medio dorsi existente, ac duobus tantum pedibus à dextro latere prominentibus. Mali portentum id esse creditum est.

Turcæ Russiam uastantes hyberna tempestate deleti.

Nec ita multo pòst sub finem Nouemb. septuaginta millia Turcarum per Valachiam in Russiam sese effuderunt, omnem eam oram, quæ ad Nestrum & circum Haliciam Zidazouiam, Drohobiciam & Samboriam est, ferro & igni uastantes, & prædas agentes. Neque progrediendi ac debacchandi modum ullum barbari sibi statuissent, nemine sese ipsis obijciente: nisi cœlitùs Deo, sicut creditum est, miserante populum suum, repressi, atque adeò oppressi essent. Derepentè enim intensum frigus & gelu extitit, & nix tanta decidit, ut circumsepti undique Turcæ neque progredi, neque regredi possent. Et insolens id nouumque hominibus illis pariter & iumentis, mitiore cœlo natis & educatis, accidebat. Ita iumentis plerisque omnibus frigore & fame confectis, hominum quoque supra quadraginta millia alsisse & obriguisse memorantur. Multi reperti postea, qui interfectis equis, in uteros eorum exenteratos, calentes etiamnum, sese illatebrauerant, sed nullo operæprecio. Statim enim calor artus, uita & sanguine destitutos, deserebat. Reliqui cum sese utcunque tamen explicassent, & in Moldauiam euasissent, à Stephano palatino & Valachis, Polonorum insequentium habitum mentitis, & locorū opportunitate utentibus, diuexati & cōtrucidati sunt,

1499. ann.

ita ut uix decem millia Istro transmisso salua euaserint. In religionem hæc res cessit Turcis, ita ut sibi persuaderent, gētem Polonam atque Russam diuinitùs defendi & uindicari. Itaque non temerè deinceps eam gentem bello sibi lacessendam & infestandam esse existimauerunt. His tot, tantisque malis expiato hominum nostrorum fastu, nequitia, cultusque diuini neglectu, magis propitium deinceps numen affulsit Poloniæ. Nonnihil simultatis siue

adeò

adeò dissidij Ioanni Alberto cum Vuladislao rege Vngarorum, & Alexandro magno duce Lithuanorum, nescio an etiam Sigismundo fratribus intercessisse uidebatur. Nec tamen memoriæ proditum est, quæ fuerit causa dissidij. Ac ne dissidium quidem Bernardus Vapouius memorat. Siue autem hæreditas paterna in causa fuit, siue bellum Valachicum, in quo Alexander quidem præter fœderis perpetui legem, promissumq; suum Ioanni Alberto defuit, Vuladislaus uero fauisse etiam Valachis uidebatur: fœdus quidem certè inter Vuladislaum, Ioannem Albertum, & Alexandrum, per legatos ultrò, citroq; missos ictum est, quo cauebatur de auxilijs mutuis, & societate contra Turcas, & alios quosuis hostes, qui alicui de ipsis fœderati non essent: de periculis imminentibus, ut inter se præmonerent, neque unus quispiam cæteris inconsultis cum Turcis pacem faceret, bellum ue gereret: qui contra fecisset, ei ne deberentur auxilia: Moldauus ut in clientela Vngarorum esset: Transalpinensi palatino contra Turcas fœderati ne deessent: de alijs conditionibus fœderis ipsi inter se principes congressi constituerent. De controuersijs autem dirimendis consiliarios suos delegarent. Extat etiam mandatum Vuladislai, legatis de redintegranda cum Ioanne Alberto concordia datum. Vnde rectè colligitur, diruptam inter ipsos fuisse concordiam, quæ redintegrabatur. Extat & renouatio pactorum inter Polonos & Lithuanos, tam per ipsos Ioannem Albertum & Alexandrum dudum, quàm per Iagellonem & Vitoudum olim conuentorum, adiecta declaratione de electione regis ac magni ducis: nempe ut neutri alteris non uocatis principem sibi eligerent & crearent. Quod quorsum attinebat fieri tunc, nisi controuersia & offensio quædam inter principes ac populos interuenisset? Sigismundo uerò Vuladislaus Glogouiensem & Opauiensem ditiones in Silesia concessit ijsdem ferè conditionibus, quibus Ioanni Alberto prius concesserat, & inferiori, superioriq; Silesiæ cum præfecit: ubi præclaram is operam uicinis populis in extirpandis eius generis latrocinijs nauauit. Aliquanto autem pòst etiam inferioris Lusaciæ Marchionatum idem Vuladislaus ipsi adiecit, & portionem suam paternæ hæreditatis ipsi donauit. Ita tunc res inter fratres compositæ. Cum Stephano quoq; palatino Valachorum, & filio eius Bogdano pax tunc facta est: fœdusq; ictum, Ioannis Alberti regis, Alexandri & Sigismundi, ducum nomine: quo professus est Stephanus, omnem culpam & iniurias à rege sibi clementer condonatas, ac dominatum Valachiæ relictum esse: & contra quosuis hostes totis uiribus semper præstò se ipsi futurum esse promisit. Cautum est etiam eo fœdere, ne profugi & exules alterorum ab alteris receptarentur: Palatino autem ipsi si exulare contingeret, ut tutus pateret receptus in Polonia, & Lithuania: & liber inde discessus, auxiliaq; darentur, recuperare sua cupienti: ipse autem Vngaro iuxtà ac Polono contra Turcas bellum gerenti præstò ut esset, aut si non posset per se ipse, filium cum copijs mitteret: Turcis uero contra ipsos ne opitularentur, nisi extrema ui adactus, ipse autem cōtra eos à fœderatis defenderetur: de hostibus & periculis præmonerent se inuicem principes. De iniurijs mutuis subditorum, & controuersijs, Camenecensis, Cernechouiensis, & Chocimensis præfecti simul cognoscerent: de grauioribus uerò cōtrouersijs inter ipsos præfectos, iudices à principibus delegarentur: commercia utrobiq; ut essent libera. Hæc ita, ut tunc conuenêre, literis mandata, extant in Archiuio arcis Cracouiensis. Quin & Ioannes Moschorum dux de pace, amicitia & societate tunc ad regem Polonū misisse & impetrasse, à Vapouio memoratur. Quid autem in eo spectarit, tanto spacio terrarū disiunctis Polonia & Moschouia, non intelligo: nisi fortè cum Lithuanis bellum inferre cogitaret, Polonorum auxilia ipsis eo fœdere detrahenda esse homo uafer existimauit. Nec multò pòst ipse etiam Turcarum imperator Baiazetes, cum de confœderatione tot ac tantorum principum cognouisset, insignem legationem ad Ioannē Albertū regem de pace uel inducijs prorogandis misit. Prouidebat enim prudens & cautus bellator, ne plurib. ac diuersis bellis eodem tempore implicaretur. Nam Venetos bello terra, mariq; adortus erat: & classe quidem Aegæum & Ionium mare & Peloponēsum, quæ in ditione eorum erat, infestauit: Venetisq; nusquā pugnæ copiam facientibus, Metonam, Iuncum & Coronam, urbes obsessas, & oppugnatas aliquandiu per uim ademit. Terrestri autem itinere ad octo millia equitū in ditionem eorū immisit: qui cum secundū mare per Istriam & Forum Iulij populabūdi in Venetiam procurrissent, omnem eam oram quæ est circum Goriciam, S. Danielem, ac Teruisium siue Taruisium crudeliter uastarunt: & præter agrestes eius oræ, plurimos Venetos nobiles messis & uindemiæ gratia rusticantes, multos item Germanos, Vngaros, Polonos, Bohemos,

Fœdus inter Cazimiri regis filios.

Sigismundus latrocinia sustulit è Silesia.

Moschorū dux Ioannes amicitiam & societatem iungit cum rege Polono.

Turcarum bellum cum Venetis.

mos, Prussosq; utriusque sexus, religionis ergô Romam ad Iubilæum à Pontifice Max. in sequentem annum edictum, illâc proficiscentes exceperūt, & in miserabilem seruitutem, nullo accepto incommodo, abduxerunt. Quibus malis adacti Veneti, pacem à Baiazete petiuerunt, & ad spacium centum annorum & unius diei certis conditionibus, tributoq; promisso impetrarunt. Sed id posterius actum est. Tunc autem dubio adhuc euentu belli, cum non ignoraret Baiazetes Venetos rerum suarum satagere, & cùm ab ijs, tum à cæteris Christianis principibus, atque etiam à Pontifice Max. regem Polonum & Maximilianum Cæsarem contra se concitari, consilio & comitate, missa ad Ioannem Albertum legatione, Polonicum bellum auertendum sibi esse duxit. Totum autem annum Turcica illa legatio responsum regis Poloni expectauit. Neque enim explicabat is, quid faceret: propterea quòd ad bellum Turcis inferendum cùm ipse ultrò prono animo ferebatur, tum ab alijs etiam incitabatur: cæterùm magnitudinem eius belli ac domesticas quasdam difficultates, & præsertim inopiam ærarij, & res Prussicas, de quibus mox dicemus, secum expendebat. Nec ignorabat, consultasse quidem Germanos cum Cæsare in comitijs Vormaciensibus de bello contra eundem hostem suscipiendo: sed eorum conatus domi conflato cum Heluetijs bello, & Italicis motibus præpediri. Ardebat enim tunc bellis intestinis iuxta atque externis uniuersa Italia: Pontifex, Neapolitani, Veneti, Florentini, Mediolanenses, Genuenses uariè inter se belligerabantur, & externa auxilia circumspiciebant: Galli Hispanos regno Neapolitano, Ludouicum uerò Sphortiam, quem Cæsar ducem appellârat, Mediolani dominatu eiecerant. Ab hoc autem & socijs eius Maximilianus Cæsar in auxilium euocabatur. Hæc tunc secum reputabat Ioannes Albertus: & uerò gemina Tauricanorum Tartarorum incursione distractus, consultandi cum proceribus spacium non habuit. Tartari enim sub tempus messis hybernarum frugum magno impetu per Volyniam effusi in Russiam & Poloniam, circum Belsum, Crasnistauiam, Turobinum, Crasnicum & Lublinum, usque ad Vistulam immaniter omnia uastabant, prædas agentes, & in imbecillam senum, puerorumq; ætatem ferro, in tecta autem igni sæuientes. Quo commotus rex, aliquanta manu ex aulico comitatu suo & uoluntarijs tumultuariè coadunata, ad hostem contendit. Sed cum eum præda onustum raptim abeuntem assequi non posse uideretur, Cracouiam Augusto mense redijt. Quo tempore superuenit Caspar Calliensis episcopus, legatus Alexandri sexti eius nominis Pontific. Max. ad Turcicum bellum regem cohortans, & piæ militiæ, quam Crucis seu Cruciatam uocant, facultatem ad id bellum ipsi pariter & Vngaro regi afferens: simulq; Iubilæum, & potestatem decimæ, de cunctis ecclesiasticis reditibus in suo utriusque regno in subsidium eiusdem belli exigendæ. Tardius autem is uenit, quòd prius in Vngariam cum ijsdem mandatis diuertisset. Ac decima quidem à nostratibus episcopis & collegijs sacris negata, sed usitata contributio pro ea decreta est, quæ tunc ad tria millia florenorum uix peruenit: Iubilæus uerò promulgatus, triginta ferè millia florenorum regi reddidit. Nec ita multo pòst Tartari præda deposita, illecti eius dulcedine, mense Septembri reuersi sunt: effusiusq; etiam non modò easdem oras, sed Russiæ quoque Australis & Lithuaniæ partem depopulati sunt, circum Landishutam, Lezeiscum, Zauichostum, Opatouiam, & Breste Lithuanicum prædis actis: nulloq; accepto incommodo, ingētem hominum, pecudum, & iumentorum uim cum omnis generis præda abegerunt: quæ eo maior & opulentior fuit, quòd intacta aliquandiu ea loca ipsorum incursionibus fuissent. Erant in Russia nōnullæ mercenariorum militum copiæ cum Petro Myscouio præfecto Leopoliensi, publico stipendio, quòd è tributo agrario, cereuisiarioq;, & censu oppidorum collatum erat, merentes: quæ locis opportunis uel à tergo abeuntem hostem carpere ac differre, quoad rex cum maioribus copijs consequeretur, potuisse uidebantur. Sed nusquam eæ hosti sese ostentarunt. Rex quidem cum paucis equitibus, quos raptim ad manum habere potuit, egressus Cracouia, milites Cruce signatos à Calliensi episcopo, qui nondum discesserat, subsequi se iussit. Verùm ij post discessum regium correptis armis, bacchantium in morem, ducibus religiosis & monachis, quorum non exiguus erat in ea turba numerus, in Iudæorum domicilia Cazimiriæ impetum fecēre, & fortunas eorum diripuēre & uiginti plus minus Iudæos trucidauēre. Inde cum sub signis per pontem Cracouiam tenderent, clausis portis urbis exclusi, regem secuti sunt. Ne tunc quidem operæpretij quicquam factum. Rex enim ubi excessisse cum præda hostes cognouit, ipse quoque è Russia inglorius Cracouiam se recepit. Insigni calamitate & uastitate tunc illæ barbarorum excursio-

Iubilaeus annus.

1500. ann.

Maximiliani bellum cum Heluetijs.

Legatio Pontificia ad regem Polon.

Iudaeorum bona direpta à cruce signatis militibus.

cursiones Rußiam & Poloniam affecêre. Portenderat autem hæc mala cometa, decem & octo diebus ante primam Tartarorum incursionem conspectus. Quin & arcis Cracouiensis ea pars quæ à pede galli Curzanoga nomen habet, paulo ante fortuito incēdio conflagrarat. Et fuit sanè æstas illa tam calida & arida, ut ad medium Iunij fruges in Polonia passim demeterentur. Ne Lithuânia quidem eo anno meliora fortuna usa est. Etenim Ioannes magnus dux Moschorum, quamuis Helenam filiam Alexandro magno duci Lithuanorum in matrimonium collocasset, augendi tamen imperij cupidior, quàm fœderū obseruantior, Rußiæ totius dominatū Berezina flumine tenus auito & proauito quodā, ut uideri uolebat, iure à genero repetebat, elatus accessione earū ditionum, quas Cazimiro regnante à Lithuanis partim bello, partim defectione Russorum abalienarat. Coadunato igitur ingenti exercitu, cùm alia quædam territoria, per deditionem acceptis magis, quàm expugnatis eorum munitionibus, in potestatem suam redegit, tum Smolenscēsem oram uastauit. Alexander cum neq; uirium, neq; animorum satis contra tam potētem hostem in suis esse animaduerteret, misso Posnaniam thesaurario cum pecunia, non contemnendas equitum & peditum copias è Polonis, Silesijs, Bohemis & Morauis mercede conductis conscripsit, eisq; Ioannem cognomēto Polacum præfecit. Quæ cùm sub finem autumni demùm, & pluuijs increbescentibus, & frigore, geluq; iam inualescente, ad Smolensciorum fines peruenissent, nec hostem ibi reperissent, nulla re memorabili gesta dimissæ, Lithuania hostilem ferè in modum diuexata excesserunt. Sigismundus Herbersteinus, Slauus genere, uir plurimarum rerum & regionum in obeundis legationibus peritissimus, ac diligentissimus indagator, cum paucis annis pòst, legatus à Maximiliano Cæsare ad Basilium principem, Ioannis huius, de quo nunc scribimus, filium in Moschouiam penetrasset, paulò aliter hæc in commentarijs rerum Moschouiticarum memoriæ prodidit, Moschorum, ut uidetur, sermone comperta. Memorat is, Moschum iniuria generi commotum, quòd is filiæ suæ Helenæ Rußici ritus delubrum in arce Vilnensi, quemadmodum conuenerat in pactis sponsalibus, non extruxisset, tres exercitus tribus diuersis locis in ditionem eius immisisse: Lithuanos uerò, cùm uni ex his duce Constantino Ostrorogio Russo occurrissent, cōmisso ad Vedrossum amnem prælio, in insidias præcipitatos, dißipatosq; esse, ac ducem exercitus, & complures de primoribus Lithuanis captos, in tetro carcere aliquādiu asseruatos: Drohobussium, Toropezum & Bielam arces à Rußis hosti deditas: Branscum quoq;, palatino eius loci forte fortuna à Tartaris Casanensibus, qui Moscho militabant, excepto, in potestatem redactum: ad extremum duos duces Seuerensium Basilios patrueles, qui magno Lithuanorum duci ad illud usq; tempus paruissent, Moscho se & sua dedidisse. Alexandrum deinde captiuis tantum ex pacto receptis, cum socero pacem fecisse. Hęc ille, nō uno, ut uidetur, anno acta, aliud agens, non habuit necesse temporibus distinguere, ac diligentius omnia persequi. Non abhorret autem à uero, Alexandrum suas, hostilesq; uires metientem, uel aduerso prelio duntaxat admonitum, mercenarium militem conduxisse: & hostibus ad sua reuersis, instante hyeme ad gerendum bellum inepta, dimisisse. Vapouius quidem noster, & Matthias Miechouiēsis, illius temporis scriptores, ita de hoc mercenario milite scriptum reliquerunt. Sic tunc Lithuania diuexata est. Iam uerò Ioannes Albertus rex in Prussiā iter & expeditionē parabat, quo ordinem Teuthonicorum Cruciferorum cum suo Magistro ad officium reuocaret. Quamuis enim eius opera, regina matre postulante, Fridericus Saxonum ducis filius Ioanni Tifenio Leopoli mortuo in magistratū suffectus esset, detrectabat is tamen iurare in uerba regis, quemadmodum debebat ex pacti & fœderis formula. His igitur omnibus rebus ac difficultatibus diligenter expensis, rex, cum comitia Petricouiam ad initium sequentis anni edixisset, de sententia amplißimi consilij inducias quinq; annorū Baiazeti concessit, legationemq; eius magnificè donatam tandem dimisit. Venerunt ad eadem comitia oratores Stephani palatini Moldauorum, & Sachmati principis Tartarorum Zauolgensium. Ac illi quidem Heliam, Petri, qui ante Stephanum palatinus fuit, filium profugum, ex fœdere deposcebant: quòd is affectare dominatum diceretur. Tartari uerò nunciabant, principem suum, legatione regis & Alexandri magni ducis Lithuanorum euocatum contra Mahometkereium Præcopensium siue Tauricanorum principem, adesse cum centum millibus equitum: traiectisq; Rha atq; Tanai maximis fluuijs non sine magno labore, apud Meotim paludem primùm consedisse: deinde longius progressum ad Boristhenem fixis tentorijs expectare Polonos & Lithuanos, ut inter se icto fœdere, & iunctis

Cracouiensis arcis incendium.

Sigismundus Herbersteinus.

Munitiones à Moschis in potestatem redactæ.

Fridericus Magister Cruciferorum detrectat iusiurandum.

1501. anno.

Tartarica legatio.

Fœdus regis Polon. cum Tartaris.

iunctis uiribus communem hostem adorirentur. His actæ gratiæ, fœdusq; ictum multa ceremonia, & iureiurando interposito: quod quidem Tartari more suo ederunt, aqua strictis frameis infusa & sorpta, mala imprecantes ei qui fœdus uiolasset. Missa principia rege munera, & inita belli societas. Sed dum nostri atque Lithuani moras nectunt, Mahometkereius coactis magnis copijs, cùm non multum Sachmati uiribus cederet, exercitatiorem autem aliquanto militem haberet, ultro hosti obuiam iuit. Commisso acri & cruento prælio, uictus Mahometkereius, & in Tauricam reiectus est. Nec nostri postea uictorem socium iuuandum sibi esse duxerunt, siue quòd ipse per se id bellum confecturus esse uidebatur, siue ut barbari ipsi sese mutuo ancipiti bello conficerent, uel debilitarent, propterea quòd ne socijs quidem ipsis barbaris fides habenda esse uideretur. De Stephani autem postulatis cum aliquandiu consultatum esset, dedere quidem insontem & supplicem, durum & immane uidebatur: seruare autem æmulum infidi socij, quem is metuere & cauere necesse haberet, non inutile Polonis erat, sed fœderi dudum icto repugnabat: ac bello eum Stephanus repetiturus esse putabatur, atq; adeò legati id minabantur, nolebat autem rex, ad Prussiam spectans, illum à tergo hostem relinquere. His ita disputatis, deditus quidem non est Petrus, uerùm capite plexus inspectantibus legatis. Et ne iniustè id factum esse existimaretur, uulgatum est, crimen falsi in literis regijs eum commisisse. Dimissis legatis, & conuentu soluto, rex cum nonnihil temporis apparatui Cracouiæ dedisset, post medium Aprilem in Prussiam contendit. Toruniam cum peruenisset, ad Fridericum Magistrum legatos misit, hortatum, ut is sua sponte officium faceret potius, quàm Polonorum uim & arma experiretur. Non apertè is quidem negabat, sed uarijs excusationibus rem extrahebat, quo se interim Maximiliani Cæsaris, & aliorum Germanorum principum, omnia prolixè pollicentium, & ad rebellionem cohortantium, auxilijs confirmaret. Dum eunt, redeuntq; legati, Ioannes Albertus rex apoplexi uitam finiuit. Corpus eius reuectum Cracouiam, in basilica arcis honorificè sepultum est, matre funus prosequente, quæ quidem marmoreum monumentum filio ponendum curauit. Fuit Ioannes Albertus statura proceriore, colore subfusco, capillo nigro & raro, ingenio magno, literarum & præsertim historiæ studiosus, liberalitate erga militares homines, & magnitudine animi non uulgari: aulicum comitatum non infra millesexcentos equites alere solitus: in uenerem procliuior, cœlebs tamen extinctus est, cũ ferè nouẽ annos regnasset.

Petrus profugus capite plexus.

Ioannis Alberti mors, mores, & ingenium.

ALEXANDER REX.

Comitia Petricouiæ.

IVstis funeribus Ioanni Alberto peractis, itum est Petricouiam ad comitia, creandi noui regis gratia de more à Friderico archiepiscopo Gnesnensi, qui idem episcopus Cracouiensis, & presbyter Cardinalis erat, indicta. Consultatumq; aliquandiu uariantibus procerum sententijs, & studijs in reliquos Cazimiri filios diuisis. Complures enim de minoribus Polonis ad Vuladislaum Vngarorum & Bohemorum regem regnum deferebant, quòd eum opibus externorum regnorum paternum & auitum regnũ aucturum & ornaturum, & maiore ui coniunctis trium populorum uiribus contra barbaros, Turcas ac Tartaros, & quosuis alios hostes defensurum esse dicerent. Et præmiserant iam ij priuato consilio, Petro Cmitha marsalco regni authore, Petrum Myscouium palatinum Lenciciensem, & Nicolaum Vvroblouium canonicum Cracouiensem, ad ipsum Vuladislaum, qui studia sua ipsi deferrent, & ad suscipiendum regnum eum inuitarent. Alij uerò Sigismundo Glogouiensium & Opauiensium duci fauebant. Sed uicit eorum sententia, qui Alexandrum magnum ducem Lithuanorum regem edebant. Nam & rationibus certis & exemplis ij refellebant eos qui Vuladislao studebant: ostendebantq;, neque Vuladislai prioris, neque Ludouici tempore expediuisse Polonis, eundem cum Vngaris regem habere. Negociosum esse in primis regnum Vngarorum, partim propter inquieta gentis ingenia, partim propter uicinos Turcas, ita ut rex diutius ab eo regno abesse rectè non possit: sibi item præsenti rege opus esse: magnisq; incommodis atque cladibus maiores suos affectos esse ob regis absentiam. Contrà, Lithuaniam perpetuo fœderis nexu olim à Iagellone & Vitoudo cum Polonia consociatam, & quasi in unum reipub. corpus redactam, ab ea disiungi, & quasi amputari, prorsus inutile esse. Omnibus bellis priscis iuxtà ac recentioribus Lithuanos multum momenti Polonorum uiribus attulisse. Et quemadmodum ij sine Polonis nihil præclari unquam gessissent,

Lithuanorum coniunctio cũ Polonis, utrisque utilis.

sent, gerantúe: sic à Polonis quoq;, sicubi Lithuani abfuissent, non multum operæprecij factum esse, ex quo ij se cum ipsis cõiunxissent, uel nuper Valachico bello id satis animaduersum esse. Commodùm autem Lithuani proceres, Albertus Tabor episcopus Vilnensis, Ioannes Zabrezinius princeps marsalcus, & Nicolaus Radiuilus pincerna ducalis, & alij quidam duo aduenerant cum mandatis Alexandri ducis, ac totius senatus Lithuanici, ad eligendum cum Polonis secundum præscriptum fœderis regem, & iurãdum in uerba eius, confirmandumq; & renouandum antiqua fœdera. Qui & priuatim primores Polonici senatus prensarunt, rumoremq; sparserunt, Alexãdrum cum exercitu aduentare: & publicè renouationem fœderum, cùm à se, tum ab ipso Alexandro, cõsentientibus proceribus Lithuanis conscriptam & consignatam exhibuerunt. Extat utrunque diploma, simul & mandata ipsius Alexandri, & uigintiquinque procerum Lithuanorum, in Archiuio regio Cracouiensi. Adhibita est autem in fœdere moderatio quædam nonnullorum capitum: nempe quòd è Polonis & Lithuanis unus deinceps debet esse populus sub uno rege: rex autem in Polonia creetur, Lithuanis etiam proceribus suis locis in eo conuentu suffragia ferentibus: consilium unum sit ambobus populis, et societas in secundis iuxtà ac aduersis rebus: moneta par atque similis: fœdera antiquitùs ab utrisque icta seruentur ab ambobus, quoad alteris non incommodabunt: Magistratus, senatores, præfecti, nobilitas, & alij quiuis Lithuani iurent in uerba regis non semel tantum, sed quoties à consiliarijs Polonis admoniti fuerint: iura & prærogatiuæ utriusque populi simul, & eodem contextu literarum à nouis regibus confirmentur: cæterùm iudicia more antiquo utrobique exerceantur: nulla uerò utrinque occasio dirimendæ coniunctionis captetur. His igitur actis & constitutis, Alexander rex renunciatus est, missiq; ad eum Breste oratores principes senatus, Andreas Rosa archiepiscopus Leopoliensis, Ioannes Lubrancius episcopus Posnaniensis, Andreas Samotulius Posnaniensis, & Ioannes Tarnouius, cognomento Sramus Lublinensis, palatini, iusiurandum ab eo & proceribus Lithuanis de seruãdis pactis conuentis exegerunt, & regnum ei detulerunt. Nec longa mora interposita, maturauit is iter Cracouiam cum mille quadringentis equitibus, suscipiendi diadematis gratia. Verebatur enim, ne quid Vuladislaus frater fautorũ suorũ cõsilio moliretur. Ac dimiserat quidem Vuladislaus nuncios cum literis ad plerosq; principes Christianos, de oblato sibi à Polonis regno, fretus pollicitatione illorum, quorum superius mentionem fecimus: sed eos nuncios celeriter reuocauit, cum accepisset, Alexandrum regem à Polonis creatum esse, factumq; moderatè tulit: collaudauitq; etiam Polonos, quòd Lithuanos, gentem magnam & bellicosam denuò sibi adiunxissent. Dum autem præstitutum coronationi diem Cracouiæ nouus rex expectat, aduenit ad eum legatio Sachmatis Zauolgensium Tartarorum principis. Quæ introducta in senatum, adorato de more gentis rege, incusauit Polonos iuxtà ac Lithuanos, quòd cum ij Sachmatem cum ingentibus copijs tam longo ac difficili itinere in auxilium contra Tauricanos Tartaros euocassent, ipsi tam diu cunctarentur cum eo sese coniungere, & communem hostem non tam uiribus suis, quàm natura loci, & peninsulę latibulis fidentẽ adoriri: paterenturq; socios & amicos uastis & incultis locis hęrentes, hyberni cœli inclemẽtia, pabuli & commeatus inopia, & fame unà cum equis cõfici. Verendum esse, nè Tartari, gens alioqui ferox, nec satis morigera suis principibus, mala cõsultrice fame stimulante, in officio contineri non possint. Hæc ita breuiter prolocuti, responsum accepére: regem celebritate coronationis peracta, maturaturum esse expeditionem, & cum Polonis & Lithuanis ad Boristhenem prę̀stò futurum, operamq; daturum, ne Sachmatem cum suis tam longinquæ ac diuturnæ expeditionis pœniteat. Hac spe onerati legati, additis hospitalibus donis, quæ domino suo ferrent, dimissi sunt sine mora. Interea uerò Sachmatis uxor, inediæ & frigoris impatiens, cum maiore parte copiarum eius in Tauricam transfugit. Qua uirium accessione fretus Tauricanus princeps Mengligeres, siue Mendlikereius, qui Mahomerkercio fortè defuncto, uel superiore pugna cæso successerat, duxit in hostem: commissoq; in patẽtibus campis sub Kiouia prælio, uictum ingenti strage Sachmatem in fugam uertit. Sachmates dissipatis suis, cum trecentis modò equitibus Bialogrodum siue Moncastrum profugit. Vbi cum substitisset aliquandiu inops consilij, & à Turcis in gratiam Mengligeris insidias parari sibi persensisset, per uastas Podoliæ solitudines Kiouiam sese recepit. Sed ne ibi quidem tutus fuit. Circumuentus enim à palatino siue præfecto loci, Vilnam transmissus est. Ibiq; regis aduentum operiri iussus, cum aliquoties fugere conatus esset, retractus è fuga, diligentius

Lithuanica legatio ad comitia Polonorũ.

Alexander rex creatur.

Tartarorum Zauolgensium legatio ad Polon. regem.

Sachmatis Tartari fuga & captiuitas.

Venetorum legatio. 1502. ann.

asseruatus est. Hunc exitum Tartaricum illud bellum habuit. Alexander duodecima die Decembris à Friderico fratre in basilica Cracouiensi ritu solenni inunctus & coronatus est. Nec multo pòst Sigismundus frater ipsi gratulaturus aduenit, itemq́ Ioannes Baduarius Venetorum legatus. Mense autem Februario sequentis anni Helena regis uxor è Lithuania uenit. Nec tamen diadema de more reginarum ipsi impositum est, propterea quòd Græcorum schismati dedita, ab instituto ecclesiæ Romanæ & catholicæ abhorreret. In Lithuaniam deinde rex initio mensis Maij cum ea se recepit, Friderico cardinali fratre uicario, gubernatoreq́ regni pro se constituto. Acceperat enim, Moschos bellum contra Lithuanos reparare. Nec ita multò pòst, Demetrius Ioannis magni ducis filius, affinis Alexandri, cum ualido exercitu adfuit, & ad Smolenscum castra metatus est: frustraq́ tentata arcis expugnatione, reduxit exercitum, cum Alexandrum regem cum magnis copijs aduentare accepisset. Pax deinde, siue adeò sex annorum induciæ inter socerum & generum constitutæ ea lege, ut captiui modò redderentur. Constantinum tamen ducem Sigismundus Herbersteinus memorat ante pacem factam elapsum esse, dimissum è uinculis, cum simulatè fidem suam Moscho obstrinxisset, agrosq́ & possessiones in Moschouia ab eo accepisset. Per idem ferè tempus Tartari Tauricani cum Podoliam, Russiam & Sendomiriensem tractum populabundi peruagati, Ressouiam, Iaroslauiam, Radimnum, Belsum, Dauniciam, transmissoq́ Vistula flumine, Opatouiam, Lagouiam & Cunouiam oppida diripuissent & exussissent, ad Pazanouiam usque peruenêre. Inde cum Ioannes Vapouius, qui erat in ministerio Friderici cardinalis, aliquanta manu sagittariorum in aditu eius uici siue oppidi ipsis sese opposuisset, & non contemnendi exercitus speciem ostendisset, reuocarunt gradum onusti præda omnis generis: & ferro, igniq́ in obuia quæque, quæ abigere uel asportare commodè non poterant, crudeliter debacchati. Processit quidem ipsis obuiam Fridericus gubernator cum quingentis equitibus, & peditum aliquanta manu tumultuaria, cætera nobilitate Corcinum se sequi iussa: uerùm dum ea tardius molitur, Tartari in tutum se cum præda recepêre. Triginta millia equitum fuisse perhibentur. Eo ipso anno induciæ, uiuente adhuc Ioanne Alberto cum Baiazete Turcarum imperatore dudum constitutæ, per Nicolaum Firleium Dambrouicium, qui tunc præfectus Lublini erat, confirmatæ sunt. Infestauit autem tunc ea gens Bosnam, & regiam gentis Iaice obsedit, & acriter oppugnauit. Contra quem exercitum quum Vuladislaus rex Vngarorum expeditas copias misisset, commisso prælio, cum æquo Marte aliquandiu dimicatum esset, ad extremum Turcæ fusi & fugati sunt. Nec tamen Vngaris incruenta cessit uictoria. Nec ita multo pòst idem Vuladislaus nexu matrimonij, quo se cum Beatrice regina constrinxisse dicebatur, Pontificis Maximi authoritate solutus, cum Anna puella de Candale Vasconum, quæ illustris est in Gallis familia, solenni pompa nuptias celebrauit. Mox Turcas ulturus, Petro Ioza palatino Transyluaniæ, & Ioanne siue Hanselico Matthiæ regis notho filio, ducibus, exercitum in Rasciam siue Bosnam Turcicæ ditionis uicissim immisit, multisq́ uicis & oppidis ad Bodon usque nobile emporium in ripa Danubij situm, uastatis, & luculenta præda abacta, incolumem cum recepit. Enimuerò Persico tunc bello distinebatur Baiazetes: quod tamen per legatos siue Bassas non satis prospero successu gerebat, ipse propter pedum dolorē Adrianopoli & Constantinopoli mansitans. Quas ob causas inuisus factus militibus, facilè posterius à Selimo filio natu minimo regno eiectus est: ueneno q́, ut creditum est, extinctus. Sed nos nostra persequamur.

Constantini ducis reditus.

Ioannes Vapouius.

Turcæ uicti ab Vngaris apud Iaice.

1503. ann. Friderici cardinalis mors & mores.

Insequens annus Friderici cardinalis & regij fratris, Creslai Curosuancij Vuladislauiensis episcopi, & Conradi ducis Masouiæ cōtinuatis propè funeribus memorabilis est. Fuit Fridericus procera statura, aspectu decoro, ac dignitatis pleno: cæterùm ingenio stulto, iners, ignauo ocio, crapulę, & assiduis compotationibus in fumo & sordibus cum gregalibus suis quibusdam marcescens: & ad extremū morbo Gallico confectus est, teste Matthia Miechouiensi medico. Vnum illud nominis sui monimentum in basilica Cracouiensi reliquit, quòd thecam caluæ diui Stanislai martyris auream, & multis preciosis gemmis, quas Academiæ præsidibus ademerat, distinctam contulit. Ei suffecti sunt uoluntate Alexandri regis, in metropolitana quidem Gnesnensi sede, Andreas Borissouitius cognomento Rosa, archiepiscopus Leopoliensis, Bernardino Vilzico successore accepto: in Cracouiensi uerò, Ioannes Conarius, qui procurator Friderici fuerat, in gratiam reginæ matris, quam homo nulla doctrina, neque ingenio præditus, probus tamen, uulgaribus officijs & caponibus subinde præbitis demeruisse dicitur. Porrò Creslaus in episcopa

Ioannes Conarius episcopus Cracouiensis.

ſcopa quidem Vincentium Prærembium epiſcopum Præmislienſem: in munere autem cancellariæ Ioannem Laſcium præpoſitum Scarbimirienſem, & canonicum Cracouienſem: quem rex in Lithuaniam proficiſcens, cum neq; cancellarius, neque procancellarius ſequeretur, ſecum duxerat, & dato ipſi annulo ſuo à ſecretis habebat, propterea quòd ſcriba primùm, deinde cancellarius Creslai epiſcopi cum fuiſſet, in cancellariæ negocijs bene exercitatus haberetur. Prærembio uerò in epiſcopa Præmislienſi Matthias Dreuicius ſucceſsit, qui & in procancellarij munere antè ſucceſſerat. Conradus uerò Maſouiorum dux Ioannem & Stanislaum filios impuberes hæredes reliquit. Sed hi in Cirnenſi tantùm ditione ius ſuccedendi patri habebant. Cæteræ, quas Conradus à Ioanne Alberto rege precario obtinuerat, ad regem ex pacto deuoluebantur: nec tamen reddebantur, Anna uxore defuncti cum proceribus eas retinente. Quod quidem rex facilè paſſus eſt, pactus cum Anna & proceribus, ne id ſibi regnoq; fraudi eſſet, donec controuerſia decreto comitiorum decideretur. Verùm ſequenti anno tranſacta res eſt amicè in comitijs Petricouienſibus: indultumq; pueris, ut quibus finibus pater eorum Maſouiam tenuiſſet, ipſi quoque retinerent, & poſteris ſuis maſculis tantum relinquerent, orbi autem, ipſi inter ſe ſuccederent: ubi maſculi hæredes defeciſſent, tum demum rex Polonorum totam Maſouiam reciperet, gentemq; ſuis legibus uiuere permitteret: puellis, ſi quæ ſupereſſent è ducum genere, pro dignitate dotem daret. Vbi ad pubertatem pueri perueniſſent, tum demum ut pacta hæc diplomatis ſuis approbarent, & in uerba regis iurarent: interim autem mater dominatum omnem adminiſtraret. Sed hæc ſequenti demum anno, quemadmodum perſtrinximus, conuenêre. Illa autem æſtate Tartari Tauricani Podoliam & Ruſsiam rurſus hoſtili incurſione uexarunt, à Stephano palatino Valachorum, ut creditum eſt, concitati. Ipſe quidem immiſſo in Ruſsiam finitimam exercitu, tractum omnem inter Neſtrum amnem, & Sarmaticos montes, quem Pocuce uocamus, nemine repugnante, ac ne expectante quidem quicquam eiuſmodi, ſubegit: ſiue, ut ipſe dictitabat, de ſua ditione iniuſtè prius detractum, recepit. His rebus, atq; adeò crebris Polonorum procerum literis & nuncijs excitus rex è Lithuania, Lublinum extremis diebus menſis Octobris uenit, ibiq; comitia procerum habuit. Placuit, ut in æſtatem proximam, milite mercenario res contra Valachos gereretur, & Pocuce repeteretur. Eiuſdem autem exercitus metu Tartarorum excurſiones repreſſum iri uidebantur. In ſtipendium uerò decreto comitiorum imperata eſt pecunia oppidanis & agreſtibus, uſitato more. Rex deinde peracto conuentu Cracouiam ſe contulit, & ibi hybernauit. Vere proximo exercitum è mercenario milite conſcriptum in Ruſsiam miſit: ipſe uerò, poſteaquam pluuiæ, & inſolitæ fluminum inundationes remiſerunt, in Pruſsiam profectus, iuſiurandum fidelitatis à ciuitatibus exegit. Fridericus uerò Magiſter Pruſsiæ orientalis, cognito aduentu regio, ad conſanguineos ſuos in Saxoniam & Germaniam ſe recepit, ne uel iurare in uerba regis, uel impreuiſi belli molem imparatus ſuſtinere neceſſe haberet. Sed ne Germania quidem tunc domeſtico & inteſtino bello uacabat. Etenim inter Maximilianum Cæſarem, & Rupertum Philippi palatini Rheni filium, bellum conflatum eſt propter ereptam Alberto duci Cæſaris affini Bauariam: celeriter tamen confectum, cum infeſtæ acies apud Ratiſponam ad prælij dimicationem ueniſſent: Rupertusq; duobus millibus Bohemorum deſideratis, & ſeptingentis captis, uictus & caſtris exutus, paternus uerò dominatus eius à cæteris principibus Germaniæ cum Cæſare ſentientibus diuexatus & [illegible]ciſus eſſet. Ibi enim Philippus cum filio pacem & ueniam à miti Cæſare ſupplex petijt, æquisq; conditionibus impetrauit. Quin aliud quoque bellum Maximiliano cum Ludouico rege Gallorum, & Venetis de principatu Mediolani, tunc exortum eſt, cum Gallus capto Ludouico Sphortia duce, dominatum illum, Venetis non tam ſocium regem adiuuantibus, quàm ſuam rem agentibus, iterum in poteſtatem ſuam redegiſſet, ſiue adeò cum Venetis partitus eſſet. Recuperarat enim eum prius amiſſum Sphortia, Gallis eiectis. His igitur de cauſis Magiſter Cruciferorum apud Germanos ſuos nihil tunc opis inuenit. Per id tempus Moldauia infeſtata & uexata eſt à noſtris, ita ut Stephanus è munitionibus Pocutienſibus præſidia deducere coactus ſit, præſertim cum ipſe grauiſsimo pedum dolore affligeretur: quo ad extremum confectus, haud ita multò pòſt extinctus eſt, uir magnitudine animi, aſtu, peritia rei militaris, & rebus contra Turcarum, Vngarorum, & Polonorum reges, ac Tartaros feliciter geſtis, omni æuo memorabilis. Cui Bogdanus filius Luſcus in dominatu ſucceſsit. Noſtri enim ſatis habuerunt Pocuce recuperaſſe. Tartari uerò cum non ignora-

Vincētius Prærembius epiſcopus Vladislauien.

Tranſactio regis cum Maſouijs ducibus.

Pocuce à Valachis interceptum.

1504. ann.

Maximiliani Cæſaris uictoria de palatino Rheni.

Bogdanus palatinus Valachiæ.

rent in propinquo esse regium exercitum, quieuerunt eo anno. Maturè igitur exercitus ille exautoratus est, siue quòd eo nihil opus erat, Valachis atque Tartaris quiescentibus, & ut uidebatur, deinceps etiam quieturis: siue quòd deerat pecunia, ita ut ne emerita quidem stipendia militibus exoluerentur. Quo factum est, ut ij agminatim in Cracouiensem oram reuecti, cum ne Cracouię quidem spes ulla pecuniæ è thesauro regio numerandæ ostenderetur, in bona & possessiones episcopi & abbatum hostilem penè in morem inuaderent, & inde rapto sese sustentarent, donec rex è Prussia rediјt: quod quidem sub finem æstatis factum est. Quo tempore Cazimiria, quæ Cracouiæ ponte iungitur, à meridie ad noctem usque rege ex arce inspectante arsit, & cum turribus & pinnis mœnium penitus conflagrauit. Eodem autem anno, mense Nouembri, Turcæ Croatiam regis Vngarorum prouinciam, acerbè depopulati sunt. Peractis Petricouiæ Polonorum comitijs, constitutisque rebus Polonicis, & Masouiticis, Alexander rex insequentis anni initio Breste, quo Lithuanis conuentum edixerat, contendit, ut eius quoque gentis res turbatiores componeret. Principem gratiæ locum ex ea gente apud eum obtinebat Michaël Glinscius dux Russus, uir elati animi, magnasque in Lithuania opes & potentiam atque clientelas, Russorum præsertim eiusdem linguæ & religionis hominum, sibi compararat. Aegre id ferebant Lithuani proceres, alioqui etiam Russis non satis æqui: formidabantque, ne per occasionem is Alexandri orbitate contempta Lithuaniæ dominatum inuaderet, & ad suos Russos transferret. Quin etiam iactabatur uulgò, uerène an falsò, incertum est, Michaëlē principatū affectātē Alexādro insidias struere. Non latebant hæc Michaëlē: & homo gratia principis impotentior sui, non modò non dissimulabat quicquam, sed apertas cum æmulis suis inimicitias gerebat, & in odium principis eos adducebat, nec defuit ipsi occasio. Fortè Alexander præfecturam Lidensem, Lithuano quodam amoto, Andreæ Drosdæ Michaëlis consanguineo contulerat, & ad primores Lithuanorum absens mandata dederat, ut eum in possessionem eius præfecturæ mitterent: id illi odio Michaëlis ad regium aduentum reiecerunt. Hinc igitur arrepta occasione Michaël, cùm alios Lithuanos proceres, tum in primis Albertum Taborum episcopum Vilnensem, Ioannem Zabrezinium palatinum Trocensem, Stanislaum Zarnouecium præfectum Samagitiæ, & Stanislaum Kiscam ducem exercitus, quasi contumaces, rebellesque, subinde apud regem criminari, donec eò regem perpulit, ut is secretis consilijs de nece ipsorum agitaret. Cum autem in media Lithuania nihil eiusmodi propter magnas eorum clientelas, & communem gentis Lithuanæ dolorem tutò aggredi posse uideretur, Breste, quod oppidum in confinio Poloniæ situm est, eos ad conuentum euocauit. Non ignorabant illi quidem, regem sibi iratum esse: & erat res plena suspicionis, quod Lithuanica comitia in eum locum præter morem edicta essent, aduenêre tamen, sed ingressu arcis abstinuêre. Tandem suasu Ioannis Lascij cancellarij Polonici rex aliquantisper mitigatus, Zabrezinium quidem palatinatu Trocensi amouit, dato ei successore Nicolao Radiuilo: Albertum uerò episcopum Vilnensem, cum cæteris qui idem sentiebant, senatus ingressu exclusit, tantisper donec se placarent. Adductus deinde Vilna Sachmates Zauolgensium Tartarorum princeps: cui rex magna & splendida equitum caterua stipatus, ad quinque millia passuum obuiam progressus est: & comiter ac lautè eum accepit, compositisque rebus Lithuanicis, ad conuentum Polonorum Radomiam secum duxit. Vbi introductus in senatum, grauiter & magna libertate regem & consiliarios eius Polonos iuxtà ac Lithuanos incusauit, quòd ab ijs contra Tauricanos Tartaros in auxilium penè ab Hircano usque mari ingentibus pollicitationibus euocatus, destitutus deinde, ac planè proditus, amissis partim per defectionem, partim aduerso prælio maximis, quas adduxerat, copijs, nihilo tutiorem apud socios & fœderatos, quàm apud Turcas fugæ locum inuenerit: sed contra iurisiurandi religionem pro captiuo habitus, & ad illud usque tempus in custodia, & quasi in carcere detentus sit. Sed Deus (inquit, sublatis in cœlum manibus) bonorum omnium & malorum remunerator, meam, regisque causam aliquando iudicabit, & ærumnas meas, iusque iurandum uiolatum ulciscetur. Ad extremum orabat, ut sibi liberè discedere, & ad suos reuerti liceret. Responsum est regio nomine, immeritò ipsum de rege & consilio eius queri: ipsum sibi sua culpa, quicquid illud mali esset, conciliasse: quippe qui cum ualidum & florentem exercitum haberet, hostemque uiribus longè inferiorem secundo prælio fudisset, fugassetque, in campis Kiouiensibus ignauus desidere, & sociorum agros, fœdere & iurisiurandi religione negle-

Cracouiensis ora infestatur à militibus.

1505. ann. Michaëlis Glinscij ducis potentia & inuidia.

Ioānes Zabrezinius palatinatu Trocensi amotus.

Sachmatis libertas in dicendo.

neglecta, rapinis uexare: quàm urgere uictoriam, expulsoq; hoste, Tauricæ imperium sibi adiungere, aut certè traiecto rursus Boristhene, in Moschi ditione prædas agere, & exercitum inopem sustentare, tantisper dum Poloni & Lithuani aduenirent, maluerit. Ne fœminam quidem uxorem ipsius, nedum exercitum, domini et uiri ignauiam illam ferre potuisse. Seipsum igitur potius, quàm quenquam alium incusaret. Ad hæc plurimum eum Polonis & Lithuanis incommodasse, quod sua culpa, neglectis eorum consilijs, de infestanda Moschouia, defectione suorum, uires hostium auxerit. Sic refutatæ Sachmatis querelæ, retorta in eum culpa. Obnixius deinde is rogare, ut in Scythiam remitteretur: reparaturum se esse exercitum, & reliquias profligati recollecturum: transfugas quoq;, ubi se incolumem esse cognouerint, ad se reuersuros. Ita fore, ut plus regi commodare dimissus, quàm retentus posset. Non satis consultum fore nostris uidebatur, dimittere ferocem hominem, detentione tam diuturna & retractione ex fuga iritatum, qui tunc etiam, cum sui iuris non esset, liberè tamen & acerbè de iniuria quereretur. Sed Tauricano tamen principi iratior esse, & infestior fore, non immeritò credebatur. Ita acquieturos tamen esse nostros, barbaris inter se commissis. Placuit igitur, ipso assentiente, fratrem quidem eius Cozacum Soltanum in Scythiam mitti, nouas copias Sachmati adducturum, et Nogaienses Tartaros consanguineos suos contra Tauricanos concitaturum: ipsum uerò Sachmatem Troccos remitti, expectaturum donec frater cum copijs reuerteretur, & rex in Tauricam expeditionem faceret. His ita constitutis, Kozacus accepto à rege uiatico in Scythiam cõtendit: Sachmates uerò à Lithuanis proceribus Troccos reductus, liberiore uiuendi ratione uti permissus est, cum dedisset fidem, se inde fugiturum non esse. Aduenerant autem Lithuani proceres ad Radomiensia comitia, ut opera Polonorum regem sibi reconciliarent. Sed non potuêre tamen ij quicquam aliud impetrare, quàm ut rex data ipsis repulsa publicè, secretò Polonis polliceretur, se illos in gratiam recepturum esse, cum ad Lithuaniam accederet. Dimissis Lithuanis atq; Tartaris, reliquum tempus comitiorum iudicijs & consultationibus de defensione regni contra subitarias hostium incursiones datum est. De equestribus quibusdam, qui latrocinia exercuerãt, sumptum supplicium. Ac Osuchouius quidem & Misouius gladio percussi: Rusinouia uerò fœmina cum ocreis, calcaribus & cultu corporis uirili, ut erat prehensa, suspendio necata est. Ad defensionem uerò regni minores quidem Poloni tributum agrarium duodenûm grossorum in stipendium mercenariorum militum sciuêre: maiores autem id abnuere. Per quod tempus, decimanona die Maij tempestas horrẽda circum Cracouiam coorta, tonitruis perpetuò terribiliter crepitantibus, & coruscantibus inter densas nubes fulguribus, grandinem instar oui gallinacei demisit, qua frondes arborum crassiores etiam decussæ, tectaq; domorum perfracta sunt: turris una arcis fulmine percussa, tecti & muri parte abrupta, prodigij loco fuit. Nec multo pòst rex Alexander uigore membrorum in una parte soluto, quem morbum paralysin Græci uocant, Radomia Cracouiam post medium Iunium apportatus est. Quo subsecuta est cum legatio Bogdani Valachorum palatini, quæ tunc Radomiam aduenerat. Postulabat autem Bogdanus coniugium Elizabethæ sororis regiæ: & quo facilius id impetraret, Thysmeneciam & Cessibessos territoria regi reddebat. Ipséne autem ea post mortem patris Polonis ademerit, ut memorat Vapouius, an à patre adempta, quemadmodum uult Miechouiensis, retinuerit: an uerò quæ non habuerit quidem in potestate, sed quasi sua repetere posse & uelle uidebatur, donanda sibi esse duxerit, non satis constat. Ea quidem certè donabat, quæ retinere ipse non poterat: ut benignitate illa, quæ nihilo ipsi constabat, regis & Polonorũ studia promereretur. Abnuebant puella & mater barbaricum fœdi ac lusci hominis connubium: nec tamen repulsa iritari placebat hominem, & ex amico hostem facere. Itaq; pro munere quidem gratiæ actæ Bogdano, de coniugio uerò ambiguum responsum datum. Per idem tempus legati Nogaiensium ducum, (neq; enim unum principem hi habent) octoginta equitum comitatu in Lithuaniam aduenêre, qui Sachmatem domum reducerent, magnas copias ad ulciscendum hostem Tauricanũ ipsi pollicẽtes. Nec multo pòst Medligeri siue Menglikereij Tauricani principis legatio subsecuta est, suadens & postulans, ne Lithuani proceres Sachmatẽ hostẽ suũ dimitterẽt, sed asseruarent in custodia: quemadmodum patruum suum, quoad uixit, asseruassent. Percussurum se esse fœdus cum rege, nec unquam deinceps in ditiones eius inuasurum. Vtiliorem autem fore Lithuanis & Polonis amicitiam suam quam Sachmatis, à quo & propter longinquitatem sera, & propter debilitatas atq; adeò afflictas uires infirma auxilia essent

Nogaienses Tartari.

Tributum à minoribus Polonis scitum.

Bogdani Valachi legatio.

Tauricensis Tartarorum legatio.

expectanda. His utrinque auditis, Lithuani proceres neutram in partem quicquam statuerunt, sed rem integram ad regis aduentū reiecerunt. Patebat interim liber aditus ad Sachmatem legatis Nogaiensibus. Qui cum duci se pollicitationibus Lithuanorum suspicaretur, consilium fugæ cum legatis et equitatu, quem circum se habebat, clàm iniit, cursuque cursu dies & noctes iter continuabat: sed occurrentibus per compendia uiarum Lithuanis, retractus ex fuga, ac diligentius deinde asseruatus est. Nihilo tamen magis Tauricani per eos dies Lithuaniæ uexatione abstinuerunt. Nam è Minscensi territorio prædas extremis diebus Augusti mensis egerunt: quo factum est, ut Lithuani anno sequenti Vilnam muro cingerent. Sub excursionem autem illam Tartaricam tertio Cal. Augusti, Elizabetha regina Cracouiæ extremum uitæ diem clausit: fœmina lectissima, & insigni pietate ac munificentia in cultum diuinum. Cuius præclara & regalia donaria extant etiamnum cùm alibi, tum in basilica Cracouiensi, ubi sepulta est, honorificentissimo funere ab Alexandro & Sigismundo filiis elata, in delubro sanctæ Crucis, quod uiuens à fundamentis exædificarat, omnique apparatu ad cultum diuinum accommodato magnificè ornauerat, & censibus domoque in octo presbyteros & nonum ministrum collatis dotauerat. In diui quoque Michaelis templo in eadem arce sito totidem presbyteris, qui cantanda & sacris operando assiduo cultui diuino insisterent, census attribuit. Quamuis enim dotem nullam apportauisset, indulsit ei tamen rex filius, ut non modò tantum in cultum diuinum elargiretur, sed etiam filiæ Elizabethæ natu minimæ Lenciciensem, Radomiensem & Prædecensem præfecturas, partem bonorum, quæ nihilominus donatione propter nuptias è marito rege utenda fruenda acceperat, quadraginta millibus Vngaricorum aureorum obligaret et concederet, quò illa bonis iis matre uiuente uteretur, frueretur quoad nuberet, uel cœlebs decederet: post mortem uerò matris, ad ius regni libera ea reuerterentur. Iustis funeribus matri peractis Alexander, cum ope medicorū à morbo releuatus esset, Calendis Octobribus Lublinum profectus est, & anni sequentis, qui fuit à Christo nato 1506. initio comitia Polonorum habuit. Certatum ibi, ac disceptatum est inter proceres profani ordinis, & episcopos, de ordine & ratione sedendi in senatu regio, ac de expeditionibus bellicis. Contendebant proceres, ut episcopi alterum latus regis sibi concederent, alterum uel dextrum sanè ipsi tenerent: deinde ut bona ecclesiis addicta, perinde ac ea quæ nobilitatis essent, publica belli onera sustinerent. Tuebantur episcopi prærogatiuas suas, quòd utrique regis lateri assidendi ius ipsi, & militiæ uacationē ecclesiastica bona antiquitus haberent. Post longam altercationem rex tandem controuersiam ita diremit, ut episcopis & ecclesiis prærogatiuæ suæ saluæ manerent. Constitutum deinde, ut à rege noua moneta argẽtea cuderetur, & usitatū tributum ab agrestibus et oppidanis in stipendia militum, qui ad fines Russiæ & Podoliæ defendendos, ac depellendum Pocuciensi territorio Bogdanum mittebantur, conferretur. Etenim Bogdanus nuptiarum Elizabethæ regiæ sororis compos non factus, quòd regina puellæ mater ipsi aduersata esse diceretur, ubi cognouit reginam esse mortuam, iterum ea de re ad regem oratores miserat: sed cum puella negaret se ipsi nupturam, ira percitus, quòd contemni se putaret, Pocuce cum infesto exercitu inuaserat: & cum nullum ibi esset regium præsidium, nec ualidæ munitiones, paruo negocio in potestatem suam redegerat. Igitur quatuor millia mercenariorum militum decreto comitiorum in Russiam missa, Pocuce sub signis ingressa sunt: profligatisque ac depulsis sexcētis Valachis præsidiariis, territorium omne non multo maiore negocio, quàm erat amissum, recuperarunt. Deinde Valachiæ fines infestis incursionibus uexarunt. Vbi duo Strusii fratres, adolescentes nobiles & bellicosi, decus Russicæ nobilitatis, cum ala quinquaginta equitum longius prouecti, cum in longè plures Valachos forte incidissent, audacius quàm par erat cum eis congressi, à multitudine hostium oppressi sunt. Ac Felix quidem in prælio fortiter dimicans cecidit: Georgius uerò dum frati laboranti per medios hostes animosè inuectus fert opem, suffosso equo ad terram defluxit, ibique captus, & ad palatinum deductus, cum octo aliis tyranno inspectante capite plexus est. Sed non inulta mors eorum Valachis mansit. Postridie enim eius diei nostri hostem uictoria recenti exultantem consecuti & adorti, magna strage ulti sunt. Cæsus præfectus Chocimensis: Copacius uerò dux exercitus Valachici fuga elapsus est. Nec tamen memorant Miechouiensis & Vapouius, quinam belli huius Valachici exitus fuerit. Sed nos icto fœdere finitum esse coniicimus, argumento literarum Alexandri regis, quæ extant in Archiuio. Inde enim apparet, Bogdanum tres oratores ad regem denuò misisse, ipsisque cum eo conuenisse, ut Elizabethā

Sachmates è fuga retractus.

1506. ann. Comitia Lublini.

Pocuce Bogdanus palatinus Val. in suam redigit potestatem.

Pacta Alexandri regis cum Bogdano.

zabetha Bogdano nuberet his legibus, ut uis ad Romanę & catholicæ ecclesiæ ritus cum aulico suo comitatu accederet: in Valachia item ut templa, sacerdotes, & unus episcopus Romani ritus instituerentur: Romanus pontifex Bogdano postulante matrimonium approbaret: Bogdanus regijs ditionibus fœderatus ut esset, & cum cæteris Christianis principibus contra barbaros bellum susciperet. Nec tamē hæc pacta rata fuêre. Adactusq; postea bello Bogdanus, Sigismundo regi Alexandri literas illas reddidit. Sed hæc postea. Tunc autem Alexander comitijs Lublinensibus, quemadmodum supra dictum est, peractis, in Lithuaniam contendit. Expectabant enim eum ibi Nogaiensium atq; Tauricanorum Tartarorum legati: & acceperat, Ioannem magnum ducem Moschorum e uiuis excessisse: gentemq; in motu esse, ita ut ipsi commoda occasio recuperandi ea, quæ Ioannes Lithuanis ademerat, oblata esse uideretur: Felicissimus fuerat Ioannes: Tartarorum iugum excusserat: complures & magnos principatus paruo uel nullo negocio imperio suo adiunxerat, cum Stephano illo magno Valachorum palatino affinitatem & amicitiam contraxerat: Casanenses, Permios, Sibiros, Lapos, Iugros Vngarorum progenitores, Bulgaros Asiaticos partim subiugârat, partim tributarios sibi fecerat: cum uicinis Suecoibus siue Suetijs, Liuonibus atque Finnis prospero successu bella gesserat: Lithuanis supra septuaginta arces & castella ademerat. Quanquam autem pleraq; hæc omnia per legatos gesserat, formidabilis tamen Lithuanis fuerat. Instituto gētis maximus natu filius in principatu patri succedit: sed cum is uiuente adhuc patre obijsset, susceptum ex eo nepotem Demetrium, quemadmodum Herbersteinus prodidit, Ioannes grauis annis successorem sibi designârat. Deinde uero suasu secundæ uxoris Grecæ mutato consilio, Gabrielem filium ex ea susceptum, qui postea Basilius appellatus est, ei prætulerat, ipsum uero Demetrium in uincula coniecerat. Moriens autem rursus Demetrio e carcere producto prærogatiuam suam restituerat, culpam admissam deprecatus. Maiores motus hinc inter Moschos expectabantur: sed eos rex in Lithuaniam ueniens, celeriter compressos esse cognouit. Gabriel enim, siue Basilius Ioannis defuncti ducis filius, compacto in carcerem Demetrio, dominatum occupauit. Omissa igitur, siue in aliud tempus dilata rerum Moschicarum cura, Alexander cum Mengligeri gratificari statuisset, quo eum sibi amicum faceret, Sachmatem cum omni comitatu & legatis, & Nogaiensibus Vilnam adduci ad se iussit instauratoq; iudicio, uiolati fœderis reum damnauit, & Cauunam diligentius asseruandum misit, nequicquam deprecantem: et contestantem minime placatum iri Lithuanis & Polonis sua captiuitate & miseria Mengligerem: cæteri Tartari per munitiones & castella Lithuaniæ distributi. Nec male diuinauit Sachmates. Paulo pôst enim, legatis Mengligeris domum reuersis, mense Maio quinque millia expeditorum Tartarorum e Taurica eruperunt, & Podoliam, Russiam atq; Lithuaniam longe, lateq; crudeliter uastarunt: & præter aliam prædam ingentem, ad centum millia hominum in barbaricam seruitutem abegerunt: plurimos uicos atque pagos exusserunt, & in imbecilliorem senum ac puerorum multitudinem immaniter ferro sæuierunt. Languebat rex, ab empirico quodam medico, seu uerius impostore, qui se, Polonus cum esset, Græcum mentiebatur, balneis & sudoribus magis etiam debilitatus. Proceres uero mutuis odijs certantes, regiaq; indignatione prouocati, suum quisque negocium agebant, nec ullam habebant curam reipublicæ. Tartari tam felici successu illecti, distracta præda quam retulerant, paruo interuallo quieti dato, mox auctis uiribus mēse Augusto denuo in Lithuaniā irruperunt: & cū Glescū ad oppidū haud longe a fontibus Nemeni fluuij sitū, constipati peruenissent, relictis ibi duobus Soltanis (sic illi Cæsaris siue principis filios uocant) cum decem millibus equitum, ad quos ipsi receptum habituri essent, cæteri ad uiginti millia turmatim quoquo uersus populabundi excurrerunt. Vilnæ rex languēs iacuerat. Inde uero discedens cum uxore & suppellectili sua uniuersa, Lidam, quæ arx duodecim millarijs à Vilna abest, peruenerat. Ac Michouiensis quidem cum aduentu Tartarorum excitum, cum negarentur Lithuani, nisi rex ipse loco se mouisset, ad arma concursuri esse, nequicquam dissuadentibus medicis, eo se uehi iussisse memorat, ne uel in extremo halitu suis deesset: Vapouius uero eum in Poloniam iter habuisse scribit, quo iam Sigismundum fratrem e Silesia euocauisset, ut concessis ei habenis regni, ipse rebus gerendis propter ingrauescentem & insanabilem morbū minime idoneus, in ocio reliquum tempus uitæ transmitteret. Sed quocunq; tandem consilio Vilnam reliquit, Lidæ cum esset, ecce adest unus quij iam nuncians, Tartaros populabundos uix unius diei itinere abesse: se sagitta ictum in faciem,

Ioannis Moschorum ducis mors & res gestæ.

Basilius Moschorum dominatum inuasit.

Alexandri aduersa ualetudo.

Lida.

Sigismundus à fratre ad regnum accitus.

cum Max. & Cæsarem legationibus semel atque iterum usus est. Certatum est de funere Alexandri. Ioannes enim Lascius cancellarius, Cracouiam id efferre satagebat, asseuerans ita ipsi quoq; regi placuisse. Contrà Lithuani proceres Vilnæ, iuxta Cazimirum fratrem sepelire regem uolebant. Nec iniustam eius consilij sui causam habere uidebantur. Cum enim abesset Sigismundus regis defuncti frater, uerebantur, ne dum ipsi funus honoris gratia Cracouiam deducentes eunt & redeunt, interea Michaël Glinscius, homo factiosus, & recenti uictoria magis etiam elatus, Lithuaniæ dominatum, adiuuantibus Rusis suis, inuaderet. Dum hæc fiunt, & pompa funeris apparatur, Sigismundus dux, cum de morte fratris in itinere nūcium accepisset, accelerauit iter. Venienti primus omnium procerum Glinscius cum septingentis equitibus gratulabundus occurrit. Plenus iam ante erat Sigismundi animus suspicionum, non modò ex rumore uulgari, sed etiam delationibus procerum Lithuanorū de Glinscio, quasi principatum affectaret. Auxerat ipse etiam tunc suspicionem occursu suo, & comitatu illo tam numeroso. Nec plures ducentis equitibus Sigismundus secum habebat: sed non poterat commodè & cum dignitate congressum eius declinare. Itaq; aduenienti longius è cubiculo obuiam progressus, comiter et benignè eum accepit, & in cubiculum suum deduxit. Ibi Glinscius non ignarus, suspectum se esse principi, luculenta oratione sese purgauit, & studium, obsequiumq; suum ipsi detulit, ac deleuisse omnem suspicionem ex animo eius sibi uisus est: cum ille ei uicissim, seu uerè, seu temporis causa, omnia de se polliceretur. Frequentes deinde affuêre cæteri proceres, magnis & splendidis equitum cateruis stipati, Vilnamq; principem deduxêre. Nec multo pòst funus regium superba pompa elatum est, & in basilicæ delubro iuxta Cazimiri corpus sepultum: per quod tempus Vvladislao Bohemorum & Vngarorum regi Ludouicus filius ex Anna uxore, quæ statim post id puerperium obijt: natus est, anno uno post Elizabetham sororem: quam pater postea, propter desiderium uxoris amissæ, Annam uocari uoluit. Sed nos emensi, id quod nobis proposueramus, curriculum, hic cursum inhibeamus: postea fortasis per ocium, id quicquid superest spacij, si Deo placuerit, ad metam decursuri, aut, quod malimus, alij lampada tradituri.

FINIS TOMI II. POLONICAE HISTORIAE.

BASILEÆ,
PER SEBASTIANVM HENRICPETRI
ANNO, CIƆ. IƆ. XXCII.

POLONICAE HISTORIÆ CORPORIS,

TOMVS III.

QVI RES PARTICVLARITER GESTAS A' POlonis complectitur: & unà omnium principum Poloniæ, Massouiæ, Silesiæ & Lithuaniæ Genealogias, diligenter, magnoq́ studio collectas, & ad illustrandam historiam Polonicam appositas.

AVTHORES QVI IN HOC TOMO CONtinentur, ostendet sequens Elenchus.

BASILEÆ,

ANNO CIↃ. IↃ XXCII.

ELENCHVS AVTHORVM, QVI COMPREHENSI SVNT IN HOC TOmo III. Polonicæ Historiæ.

FINIS ELENCHI AVTHORVM ET MATERIARVM TOMI III. POLONICÆ HISTORIÆ.

TOMVS III.

POLONICARVM RERVM, IN QVO RES PARTICVLARIter gestæ à Polonis compræhenduntur.

EPISTOLA PISONIS AD IOANNEM CORITIVM DE CONFLICTV POLONORVM, ET LIthuanorum cum Moschouitis.

PISO CORITIO S.

SCIO ego ambiguum tibi esse, Coriti mi charissime, in humanis ne sim, an uerò minus, qui totum iam fermè annum, quo Roma absum, tam pertinaciter tecum sileam. Par item de te quoque cogitatio me suspēdit, qui nihil omninò scripseris: nisi fortè tuæ mihi reddi non potuerint, in certissimis hucusque uagato sedibus. Quæ etiam causa fecit, ut cessator & ipse fierem, cùm alioqui ad scribendum nemo me sit minùs piger. Nosti quam non spontè obierim hanc prouinciam, ut ad Serenissimum Poloniæ Regem, ac deinceps ad Moschouiæ Ducem, quò pacem inter ipsos pontificis, & legati nomine firmarem proficiscerer. Sed nō erat integrum reluctari diutiùs mihi, ueni tandem Iulio mense Vilnam, quæ caput est Lithuaniæ, ubi à Principe, præterquam, quod pro sedis Apostolicæ reuerentia amplissimè acceptus fui, habitus sum pro singulari sua in me ueterē alioqui clientem beneuolentia, admodū gratiosè: nam humaniter dicere Regiæ celsitudinis dignitas uetat. Data deinde diebus duob. sequentibus bis audiētia, post tertiū aduentus mei diem, Rex hinc in castra mouit, quò ante dies aliquot, nisi me operiri dignum duxisset, omninò ire statuerat. Iam enim utrinq; ad bellum, & quidem atrocissimum, inclinata erant omnia. Pacis nomine ob interpositas Pontificis partes auditū non ingratè. Cæterùm inter tubas, inter tympanas, inter alios armorum strepitus facilè oppressum. Iam enim & hostis arce Smolensko supra Boristhenem sita per proditionē potitus, factus erat insolentior. Et Rex exercitum ualidissimum ex equitatu, peditatuq; stipendio conduxerat, pugnæ auidum imprimis. Erant in ijs Cataphracti duo millia, quibus nihil esse possit, neq; ornatum, neq; armatum, magis: peditum plus paulò, duo item millia, in quibus belli postea moles stetit. Fuêre deinde alia sexdecim equitum millia fortissimorum uirorum. Id enim credas uolo, neq; uidisse me unquam maiorem equitatum, quàm constituere hic princeps possit, neq; crediturum fuisse, si non uidissem, ut certè, si uelit, ualeat centum millium equitatū armare. Iam uerò maior fide quadrigarum numerus est commeatum ferentium. Neq; enim ipse crederem cuicunq; ita narranti, nisi meos ipse oculos testes habuissem. Quis enim crederet uiginti quadrigarum millia conduci posse? tantùm iam abest, ut scribere hæc auderem. Scribit hæc tibi Piso, Piso iam non Poëtarum, sed annalium scriptoris æmulus, nisi fortè, ne oculato quidem testi adhûc credis. Fit id non uoluptatis, sed necessitatis causa, homini, iumento uictus ferendus est, propter loca sola solitudine nobilia, qui tamdiu duret, quàm sit manere necesse diu. Centum milliaribus Lithuanicis, quæ Germanica centum uiginti faciunt (tantum enim uiæ est à Vilna ad Smolensko) præter lustra, eademq; palustria nihil fermè uidetur: sterilia & inhospita omnia. Aestima nunc tecum, quanto sit commeatu opus. Adde quod ubi etiam in locum uenerimus destinatum, non minore sis frumenti, aliarumq; rerum necessariarum laboraturus inopia, cùm ob soli sterilitatē, tum quod hostiliter uastata sint omnia. Eum itaq; exercitum ubi Rex ipse recensuisset proficisci in hostes iubet: interea præfectus arcis, & domini Poloczka, alia quadam uia, terras Mosci inuadit, ibiq; populatus omnia, ingenti onustus præda reuertitur. Dum itaq; exercitus discessui se parat, uidentur in loco quodam exploratores hostium. Nostri cognito illorum numero (erant enim uiri bellatores mille trecenti) lectis ad hoc sexcentis equitibus illos obruêre, armaq; capientes maiore ex parte trucidauêre, Duce eorum, cum nonnullis nobilibus capto. Idem fecêre postridie in alijs mille ducentis pari euentu. Moscus

re cognita exercitum omnem, qui octoginta millibus constabat, loco quodam ad hæc electo, ultra Boristhenem collocat, ratus nostros pugnæ auiditate, amnem non formidaturos. Verũ id non sine periculo, cùm uadũ ipsi tam bombardis, quàm milite muniuissent, eumq́ unicũ: nam alibi Boristhenes, utpote & altus, & uorticosus, neútriq́, & uadabilis: Nostri, relictis aliquot millibus, qui se citra amnem hosti circum equitantes ostenderent, reliqui interim percontato alibi flumine, ponticulum ex ratibus, lintribusq́ nectũt, quò peditatum cum machinis transmittant. Equites acie, ut erant, instructa omnes se uno impetu, sed ex ordine conijciunt in amnem, fœliciterq́ tranant, credo dijs freti, haud plus uno desiderato. Non erat hoc incognitum hostibus, & poterant, uel amnem ingredi uolentes cohibere, uel iam partim egressos opprimere. Verùm cùm & ipsi multitudini nimium fiderent, & nostros præ paucitate contemnerent, loco se tantisper, utpote opportuno, mouere distulerunt, dum nostri iam non modò amnem transirent, uerùm etiam & pugnæ locum caperent, & ordines uel reficerent, uel mutarent: tantumq́ fuit temporis medij, & tribus fermè horis manuum consertione utrinq́ abstinerent. Vbi ad manus deinde uentum fuit, hostes arte usi, circumuenire nostros à tergo per uallem, ubi non apparebant, (nam & collis dumetis consitus impediebat aspectum) magno impetu nitebantur. Nostri re explorata derepentè, ut in subitis fit casibus, mutant consilium. Et ea ex parte in iussu pugnam committunt. Nam aliò belli dux acies inclinarat, ubi & ipse tunc ferebatur. Quod cùm ex nostris nonnulli bello aliàs probè exerciti conspicerent, neque aut consultandi, aut Ducem conueniendi tempus, locusúe daretur, in hostem conclamant, fortiterq́ pugnando reprimunt. Hæc à leuo cornu acta, mox à dextro, & omni ex parte consertæ manus: tubarum clangor, ut ex ijs, qui interfuêre, accepi supra usitatum modũ. Fuêre enim tubicines in hostili exercitu plus multò quingentis: atque ita fortißimè dimicatum utrinque inclinante iam ad uesperam sole, timor hostes, mox desperatio occupat. Iam neque nostrorum impetum ferre diutiùs, qui proximi erant, neque fugæ uiam à tergo reperire ualebant, prementibus ultimis, qui & ipsi ordines facilè explicare nequibant. In ea trepidatione clades facta ingens: fugientes deinde tumultuatim omnes nostri in longam noctem secuti quoscunque cedere, nisi qui uel nemorum densitate latere, uel noctis beneficio elabi poterant. Ibi direpta castra, in prædam uersa omnia: cecidêre ex hostibus millia circiter quadraginta: capta quatuor millia, & in ijs præfecti exercitus omnes, qui octo fuerant, inter quos primi à Duce Moschorum, Dux Michaël Goiyeza cum trecentis nobilibus, inter quos sunt Barones multi. Hos secum Rex nudiustertius quasi in triumpho Vilnam uexit, conspicuos omninò uiros. Mihi certe in omni uita nihil uidere circa pompas bellicas, obtigit gloriosius. Reliqui captiui partim per municipia distributi sunt, partim apud uictores: ubi adhuc & signa tenentur, quæ & ipsa ablata fuêre ad unum omnia. Rex enim cum domesticis tantùm, paucis admodùm redijt, misso, quem secum in præsidijs habebat, ad belli Duces exercitu recenti millium quatuor, uti uictoriam sequerentur, maximè uerò, uti arcem Smolensko recuperarent. Moscus enim mox suorum accepta clade, paucis admodum stipatus tam præcipiti ad propria cursu festinârat, ut die atque nocte 300 passuum millia superaret: siue, ut nouum repentè exercitum scriberet: siue quod uero esse similius creditum est, ut famam rei malè gestæ præuerteret, quò minùs fratres rebus nouis moliendis, ansam antè caperent, malæ tractationis memores utpotè, qui seruitutem apud tyrannum fratrem seruire coguntur. Parùm enim ad recuperandum exercitum superesse spei fatẽtur & captiui, populo Moscum asserentes adhuc plurimo abundare, uerùm rustico, & bellis inepto, cùm in hanc expeditionẽ omnem fermè nobilitatem duxerit. Sic ille, qui paulò antè capta dolo superbus arce, Polonis omnibus necem: Lithuanis uerò compedes minitatus fuerat, turpißimam coactus inire fugam est, ut seipsum tam neci, quàm uinculis eriperet. Nam ita certam demens ipse sibi uictoriam spoponderat, ut postea apud Duces belli captos repertæ cum mandatis atque stratagematis epistolæ fuerint, quibus quid facto cuilibet post uictoriam opus esset, commiserat, ut scilicet regem in præsidijs positum uno agmine adorirentur: eo utcunque potiti, in tres sese uias diuiso exercitu diffunderent, Vilnamq́ direptum festinarent. Sed nesciebat homo, & priuatim, & publicè periurus Deum uiolatæ sine causa fidei uindicem, aliter longè constitutum ire. Dij enim immortales ob periurium (ut ait pro Roscio Cicero) hominibus irasci, & succensere consueuerunt. Dedit condignas perfidiæ suæ pœnas: cùm ex nostris ne unus quidem captus sit, uulnerati multi, & ij aduerso corpore omnes. Mortui uix supra quadringentos, & in ijs Barones quatuor elegantißimi, idemque fortißimi iuuenes, quorum corpora huc relata sunt, & tumulata honestißimè, duobus sub infusa Episcopis cum uniuerso clero ad ciuitatis portas progreßis: quorum tamen mors immensa hostium clade piata est, ut certè fateri necesse sit, hæc sine diuûm numine

mine

mine non euenisse: cùm alioqui Rex ipse re quidem uera Christianissimus sit, semperque fuerit. Assiduis enim pro uictoria supplicationibus: ea deinde parta, gratiarum actionibus templa omnia sonabant, quin & publicè ad Deum omnia princeps refert, maximè cum Tartari. Qui sub idem tempus iuxta pactum conuentum adesse Maiestati suæ debuissent, fraude se subduxerint. Iam uerò & illud nō omiserim, esse apud Moscum Ducem Michaëlem Glyusky, utrum animi & corporis dotibus egregiè insignem. Is olim non leuibus ex causis Regem Poloniæ fugiens ad Moscum cum suis migrauit, qui & priorum, & horum causa motuum fuit. Hunc Rex ad Serenissimi Vngariæ Regis instantiam, in gratiam secretò admiserat, & iam tacitò redire parantem, sui, quibus nimium fiebat, Mosco detulêre, qui hominem euestigiò uinctum, domum sub custodia remisit, incertum, quid de eo uelit statuere. Is si fortè transfugisset (ut conuenerat) ad nostros, magnam sibi huius uictoriæ partem uendicare contendisset. Nam id circiter Calendas Septembris contigerat, prælium uerò octaua Septembris ipso die natali Virginis factum est. In summa Dei omninò munera sunt hæc præcipuè: deinde Principis Deo grâtissimi, cuius fortunam utique prælustrem non ex ariolorum nugis, sed ex summa uitæ sanctimonia, prudentia, fortitudine, temperantia atque iustitia, metior? In quo illud pulchrum est, ut si clementiam ipsam uelis effingere, nullo certè alio neque ore, neque colore, quàm huius principis id præstare possis efficatiùs. Mihi profectò post exantlatos tot uiarum labores, ex hac uictoria tantum accessit lætitiæ, ut nihil asperum, siue terra, siue mari tulisse uidear, siue quia principis huius sim, fuerimque semper studiosissimus, siue quod hac factum præsente uictoria, ut ire ad Moscum non sit necesse mihi: quæ mea profectò summa est expectatio. Nam præter uiarum cùm longitudinem, tum difficultatem ualdè me terret hominis etiam iurati perfidia. Satis mihi est confessori esse, superbam martyrij palmam non ambio. Misi ad illum Calend. adhuc Augustis famulum cum literis pro saluo conductu, scio peruenisse, sed neque responsum, neque famulum uidi. Audio in amnem conijci fuisse iussum. Non libenter bibo tam largo cantharo, sed iocor uerbis: re tamen uera serium est, quod scribo. Scilicet mihi seruabit, si etiam dederit fidem, quam neque Regibus, ac ne Deo quidem ipsi seruare solet?

I nunc Schismatico uitam committe tyranno,
Vt te per Scythicas sub styga mittat aquas.

Nollem in ijs sinistrum mihi omen præcinere, qui initio certè inuitus feci, ut hanc experirer molestiam. Tolerabilia fuêre hactenus omnia, quamuis aspera, in reliquis quoque superanda omnis fortuna, ferendo est. Nondum satis intelligo, quid firmum de me sit, cùm omnis adhuc exercitus, arcis recuperationi studeat, eam breui futuram speramus: quod nisi & uiarum sub hæc tempora difficultas, & anni ratio nostris obstaret, uictorem omninò exercitum in ipsa Moscici dominij uiscera transferrent, ibidem hybernaturi: qua illorum sententia facilè residuo itinere absoluerer. Sed durare tamdiu uix poterunt, commeatus penuria, præsertim pro iumentis. Habent enim præter suum equitatum prædatitios equos circiter uiginti millia, quos saluare si possent, plurimùm uellent. Habere enim dicitur Moscouia equos laboribus ferendis admodum idoneos: res diu extrahi non poterit, quicquid erit, non patiar te nescire: tuum erit interea literas has nullo constantes ordine boni consulere. Vt enim sparsim relata mihi sunt omnia, ita uariè congesta, ut licet uix unius esse corporis uideantur. Mitto nummos argenteos sex Moscicos, ex præda ad me missos. Hos tibi cum amicis communes esse uolo. Inuenies in illis inscriptiones Græcas partim, partim Ruthenas. Symbolum habent Ruthenæ cum Græcis literis: deinde par etiam est Religio: sunt utique Christiani, sed Schismatici. Templa habent, hic præsertim Vilnæ, auro, argento, & gemmis opulenta: paucis etiam hinc annis ex lapide ædificari cœpta, & quidem sumptuosè, cùm lignea tantùm priùs habuerint, non culta admodum. Sunt autem Rutheni (ut illud quoque auctarium addam) ingenio Lithuanis promptiore, quò fit, ut operibus non mediocriter excellant. Multi ex ijs peculiare proditionis uitium habent, quod ad Principum, siue Ducum aliquorum domos irrepsit. Quin & hoc nuper bello Dux quidam Ruthenius ab omnibus suis Mosco se dedidit, quamuis egregium adulescentem filium in Regis aula reliquisset. Sentiunt multi ex ijs secretò (ut creditur) pro Mosco, nulla alia magis, quàm Religionis causa. Eam enim per omnia communem habent, transfugerentque passim multi, nisi exploratam Mosci tyrannidem formidarent. Is enim sæuissimis subditos legibus coërcet. Omnia illi nascuntur, omnia crescunt, omnia adducuntur. Si qui sunt, qui uel genere, uel dignitate magni sunt, in illius nihilominùs manu sunt, neque diutiùs diuites, quam ipse uelit. Commercia eorum terra, mariquè plurima. Aurum, argentum, pro pellibus inferre so-

 liti mer-

liti mercatores, nihil aliud referunt: ea omnia Principi accedunt. Hinc opes istæ tantæ, quantas neminem unum in Europa Principem habere, fama est. Populo miris artificijs insigni potens. Italos habet domesticos multos, & honestè, & utiliter. Cæterùm suas circa fidem partes coactos sequi. Hæc ab ijs, qui istic uersati sunt, didici. Si quando (quod maximè deprecor) eò iero, redieroquè quod precor, uel per literas, uel coràm de omnibus affatim: interea autem adhuc & hinc erit, quod scribam. Restat enim nonnihil militibus nostris circa arcis recuperationem, quod negocium extrahi diu non poterit. Si enim deditionem facere obsessi noluerint, aliud nostri pro rei, & temporis qualitate, consilium sunt appræhensuri. Sunt enim adhuc in exercitu præfecti, & tribuni militum omnes ueterani, qui uel sub manu captare consilium non ignorant: ante omnes autem, Illustrissime Dux Constantinus, inter nostri temporis Imperatores in re bellica facilè Princeps, qui signis collatis ter, & trigesies dimicando uictor fuit. Idem iunior tamen apud Moscum septennio manicis, pedicisquè constrictus fuerat, bello captus. Vir est domi Numa religiosior, foris Romulo non inferior, quo Duce, & hoc bellum gestum est. In quo nihil esse uno omnes ore aiunt, quod probari nequeat, nisi quia Rutenus, idemquè Schismaticus sit, ita à parentibus errore, quasi per manus accepto. Neque enim parùm refert, quam quisque à maioribus religionem acceperit. Cæterùm ita maiorum suorum traditiones omnes sanctè obseruat, ut ne latum quidem ab ijs unguem recedat: qui si ad S. matris Ecclesiæ obedientiam reduci posset, innumeris dubiò procul ad idem agendum præluceret. Tanti est apud suos momenti, Principi autem ob eximias uirtutes facilè charissimus. Sed de ijs tandem plus satis: ueniam tamen mihi dederis (ut spero) non grauatim, culpam ingenuè fasso, qui non Epistolam, sed libellum ex bello fecisse me haudquaquam negauerim. Leges aliquando non pauciora ijs, de itineris mei ratione, quod utinam non tentassem, parùm à Septentrionali dicto Oceano, & longiùs adhuc progredi cogor. Iam hic September initium est brumæ: quæ tam sæua solet ingruere, ut multis sine naso contingat esse. Noctes Aestate breuissimæ, hyeme diei parùm. Sub diuo Iulio Pontifice laudatissimæ memoriæ, minus Mense, annum Roma ad duos missus Reges, absfui, non paruo certè labore. Sed nihil ad hæc, quæ hactenus mihi æquali temporis, sed diuerso laborum calculo incidere, & tamen difficiliora adhuc restant. Leuius fit patientia, quicquid corrigere est nefas. Mihi certè satis erit Pontificis, Legatiquè expectationi respondere. Quod ut facere gratè ualeam, pro sanctitatis suæ ac sedis Apostolicæ nomine gloria, amplitudine, ne glacialem quidem (uel sub bruma) sum reformidaturus Oceanum. Sed iam uale, & Volumen hoc boni consule. Ad neminem enim diffusiùs scripsi: cùm sciam mea tibi omnia, utpote mei semper amantissimo, non displicere. Ego ualeo, & Principis munificentia benè habeo. Vilnę, XXVI Septembris, Anno M. D. XIIII.

EPISTO-

EPISTOLA SERENISS. AC INVICTISS. D. SIGISMVNDI REGIS POLONIAE, MAGNI DVcis Lithuaniæ, Rusſiæ, Prusſiæq́ Domini, & hæredis ad Sanctiſs. D. Leonem X. Pont. Max. de Victoria contra

SCHISMATICOS, MOSCOVIOS, APVD ARAS Alexandri Magni parta, &c.

BEATISSIME Pater & Domine, Domine clementiſsime, poſt pedum oſcula beatorum: cùm non ignorem V. Sanctitatem, tum ex paſtorali ſuo debito, tum etiam ex genuina pietate in Religionis ſacroſanctę incremētum, magna cum uoluptate audire ſolere, quādo aliquis Catholicorum Regum, aduerſùs infideles, aut ſchiſmaticos inconſutilem Saluatoris noſtri tunicam ſcindentes, ac dilacerantes, Dei uirtute adiutus aliquid fœliciter gerat. Hinc conuenit, ut ego qui Turcam infeſtum, communemq́ue Chriſtiani nominis hoſtem uicinum habeam, Tartaros etiam, aliasq́ue Tranſtanaitanas Scythicas gentes, numeroſas, feroces, ac infideles, humeris meis à nullo Chriſtianorum Principum adiutus, ſolus ſuſtineam. Et præter hos omnes magnum Moſchouiæ Ducem, cum quo nunc atrocia bella gero, Sarmatiæ, Aſiaticæ tyrannum, opibus, armis, equis, uiriſq́ue potentem, ac multis contra alios uicinos ſuos uictorijs tumentem: blaſphemum tamen ac ſchiſmaticum, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ infeſtiſſimum, hoſtem inſolentiſsimum habeam. Huius belli motus, & præſtitam mihi à Deo uictoriam contra ipſum perfidum Moſchouitam, Sanctitati ueſtræ perſcribam. Anno etenim exacto, fractis inter nos anteà pactis, iuramentoq́ firmatis fœderibus, immemor præſtitæ fidei, & ſpreta iuramenti religione, quæ modica, aut nulla in blaſphemo, & ſchiſmatico eſſe poteſt, dominia mea in magno Lithuaniæ Ducatu conſiſtentia, exercitu multorum millium equitum bellatorum comparato, magna ui machinarum bellicarum, tormentorumq́ue æneorum ſubſequente, hoſtiliter inuaſit, dumq́ arces aliquas graui obſidione premeret, nec propter ualida præſidia mea, quæ illic erant, proficeret multis, ſicut anno præterito Sanctitati ueſtræ ſignificaueram, ex ſuis, in oppugnationibus munitorum locorum, & tumultuarijs prælijs amiſsis, domum re malè geſta non abſque grauiſsimo dolore regreſſus erat, qui tamen iam aliàs ſibi perſuaſiſſet, armis, opibus, & potentiæ ſuę cuncta eſſe peruia, nec aliquid conatibus ſuis (in quo tamen deceptus erat) obſtarę potuiſſe. Aeſtate demùm proximè exacta, tanquam ignominiam ſuſceptam, damnaq́ prioris expeditionis, & bellum non ſatis proſperè anno præterito cœptum & geſtum uindicaturus, iterum ualidiſsimum exercitum comparauit, in quo plures grauis armaturæ equites inerant, nixusq́ue eſt, me certis caſtris exuere, & præcipuè caſtro Smolensko nuncupato: ut ſubindè tantò facilius totum magnum Ducatum Lithuaniæ, aliaq́ue mea dominia bello atrociori urgere, & totam Rubeorum Ruſſiam ſui ſchiſmatici ritus, quæ ditionis meæ eſt mihi eripere poſſet. Potitus tandē ex adminiculo fraudis arce ipſa Smolensko eſt, de ſuis plurimis amiſsis. Subindè uerò inſolentior factus, exercitum auxit, ita ut excederet octuaginta millia hominum equeſtrium, auſusq́ue eſt ſibi polliceri, quod iam facilè reliqua dominia mea opprimere poſſet. Progredi itaq́ aduerſùs me ſuū exercitum uſq́ ad fluuium Berelinā mandauit. At ego qui in Domino Deo rectè ſperauerim, eundem fluuium exercitum meum equitatu, & peditatu, tormentisq́ bellicis benē inſtructum, magna celeritate traijcere imperaui, hoſtisq́ue exercitum pedem referre, ita ut retrocedere coactus eſt, compuli. Et dum exercitus hoſtilis per meum arceretur, uigeſimaſeptima Auguſti particulari prælio à meis militibus pulcherrima clades eidem hoſti inflicta eſt. Alia iterum Calendis Septembris, & ex utroque prælio plures ac inſignes captiui mihi adducti ſunt, & multi ex hoſtibus cæſi. Miles autem meus eiuſmodi uictorijs, quaſi auſpicatis præludijs accenſus, ultrò in pugnam ruebat. Equidem uerò in præſentiſsima clementia Dei, & in iuſticia, cauſæ meæ confidens, maximam iam de orta uictoria ſecuritatem mihi pollicebar, & feci magno animo meum exercitum procedere, & ſtationibus hoſtis appropinquare, dumq́ue hoſtis ſentiret, meum exercitum ſibi imminere, Boriſthenem tunc ſolito magis exuberantem nando traiecit. Meus uerò exercitus inſegniter animis ad pugnam præparatis, hoſtem retrocedentem ſequutus eſt, & ſimili-

ter Boristhenem, dum in re tam subita, & potis faciendi potestas, & nauigia ad transportandum militem deessent, ad eam ripæ partem, in qua iam hostis ordinatis aciebus, tormentisq; dispositis, conflictum præstolabatur, natando intrepidè transmisit. Et tandem Deo auspice, qui in se sperantes non deserit, & confundit manus filiorum alienorum, die Natali beatissimæ Virginis, quæ erat octaua Septembris, cum hostibus eisdem fœliciter pugnauit, totumque eundem ualidissimum hostis exercitum, qui (ut præmissum est) ex octuaginta millibus hominum fuit, comparatus, una acie fudit, fugauitque, & tanquam uilissima pecora totis campis cum fœda strage, & multa cæde ultra quadraginta millia passuum ante se egit, itaque supra triginta millia hostium, & cæsa, & submersa sunt. Castra hostilia plena, opulenta præda, direpta, & decem præcipui Duces, & Satrapæ, & triginta septem Barones, Consiliarij, primores: officiales autem & armigeri nobiles supra duo millia capti, cum signis sui exercitus mihi adducti sunt. De meis uerò, Deo auspice, pauci desiderantur. Quamobrem hanc tam insignem, & longo tempore memorandam, sed nec minùs mirandam (quoniam dextera excelsi facta est) uictoriam uestræ Sanctitati, pro mea in ipsam summa, & eximia deuotione cognitam esse uolui, ut Sanctitas uestra ex eadem iocundum, atque alacrem animum concipiat, mihiq; suo deuotissimo filio gratuletur. Quandoquidem pro sacrosancta Religione, proque sede Apostolica, & Sanctitas uestra decorè ad ea, quæ factu sunt possibilia, semper sum paratus. Collocaui namque magnam spem, & confidentiam in uestra Sanctitate erga me, regnumque meum clementia. Quoniam uerò hostis ipse adeò superbus, & obstinatus existit, necesse est, ut tantò studiosius ipsum sine intermissione persequar, & bello urgeam, ne tam citò uires recuperet, ac reparet, quandoquidem non priuatam meam, & regni mei rem nunc ago, sed totius Christianæ Reipublicæ, ne tam ualidus hostis sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ inimicus, quandoque aduersus sanctam Ecclesiam pro ritu suo, falso, blasphemo, & schismatico inualescat. Et ut hæc mea gesta, quæ mihi ex misericordia Dei fœliciter euenerunt, audacter uestræ Sanctitati scribo, sic etiam semper audire cupio, ut sacrosancta Rom. Eccl. uniuersalis status omni fœlicitate præfulgeat, atq; ut uestra Sanctitas incolumen, & longæuam, fœlicemque uitam cum Reuerendissimis Patribus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus ducat. Oratorem autem meum, & res meas unà mecum uestræ Sanctitati commendo, qui quidem Orator meus V. Sanct. tam ea, quæ gesta sunt, quoniam & gens, & loca, in quibus gesta sunt hæc, sibi cognita existunt, quàm alia è mente mea, planius exponet. Datum in castris circa Borisouo, decima octaua Septembris, Anno Domini, millesimo, quingentesimo, quartodecimo.

Vicesimo quinto Ianuarij die, M. D. XV. à Leone Papa X. ob eam ipsam uictoriam Deo Opt. Maxi. εὐχαριστία habita est, in Sixti Sacello.

ORATIO

ORATIO PER REV. PATREM DOMINVM ERASMVM VITELLIVM, EPISCOPVM PLOCEN. IN celeberrimo Auguſt. conuentu ad Cæſarem Maximilianum, nomine Victoriosiſsimi Regis Poloniæ Sigiſmundi, habita coram omnibus Sacri Imperij Electoribus, plurimiſq; Germaniæ Principibus, die Veneris X X Auguſti, anno Domini 1518.

ILLVSTRI DOMINO ERASMO ROTERODAMO VTRIVSQVE *Literaturæ principi, & Theologorum duci, Iacobus Spiegel Seleſtadien. Imperialis Secretarius,* S. P. D.

PRO inuictiſsimo Poloni rege Sigiſmundo, qui non multos ante annos, & menſes, maxima uictoria in Hamaxobitas (quos ipſi Moſchos appellant) & Scythas (quos Tartaros dicunt) potitus eſt. Reuerendiſsimus Dominus Eraſmus Vitellius Epiſcopus Plocenſis, ſingulari integritate uitæ, raraq; doctrina, Romanaq; facundia inſignis, uel eo mihi nomine præcipuè colendus, quia cognominis, de te perquam egregiam frequenter facit mentionem. Primam (ut aulicus, aulico utar uerbo) audientiam coram Cæſare, ſacri Imperij Electoribus omnibus, & cęteris Germaniarum principibus, proceribusq; obtinuit. Sic ornatè, ſic grauiter orauit, ut ad intima uſq; præcordia auditorum, uehementia ſententiarum penetrauerit, pluresq; ad fletum concitauit, ei uero docto ſimul & facundo, omnes docti, & eloquentes palmam tribuunt. Aderant enim uiri non pauci, tum exquiſitè docti, tum in iudicando nares emunctiſsimæ: Antiſtes Tergeſtinus, Peutingerus, Huttenus, Bartholinus, Spalatinus, & Stabius ille in nullo doctrinæ genere non uerſatus. Henricus Stromer medicus, & Laurẽtius Zochus iuriſconſultus, Cardinalis Maguntini florentiſsimi principis Cancellarius. Igitur facta mihi primũ præ cæteris elegantiſsimè huius orationis copia. Quia digna multorum lectione uiſa fuit eruditorum calculo, & ab omnibus deſiderata, imprimendam curaui, ſub auguſto tuo nomine, quòd omnia pietate ſacra iure ſibi uendicat, quã haud ſubducto ſupercilio accipere digneris. Non dubito quin ut audientibus lachrymas cõmouit, ita hæc eadem legentibus magis copioſas excutiet, & in rem Chriſtianam propenſiores eorum animos reddet. Valere tecũ bene Rhenanum uerè beatum cupio, quem animo mecum circũfero, utriq; fila uitæ, quem maximè longęua exopto, ut indies magis ac magis fœlicibus auſpicijs bonæ literę, & maximè ſacrę refloreant. Huttenus, quia nihil eſt uiſus cæcutientibus popularis literationis admiratoribus, Neminis nihil peperent. Quẽ te Frobenio noſtro publicandum iterũ, ſi tibi uiſum fuerit, tradere uolim. Mittam eius de uita aulica Dialogum quamprimũ prodierit in lucem. Vale iterum ex Auguſta Vindeliciæ, pridie Calend. Septembris, Anno poſt partum Virginis matris, 1518.

ORATIO.

VENIMVS à Rege noſtro, Sacratiſs. Imperator, ad hunc celeberrimũ conuentum, quẽ ſolita uigilãtia tua pro ſalute Chriſtiani ſtatus æquè commendatè, ut opportunè, hoc loco, & tempore inſtituere curaſti, acturi, Maieſtatis Regiæ, & ampliſsimorum eius dominiorum nomine, quæ ad ſanctam expeditionem generalem, contra immaniſsimos Turcas, totiens propoſitã commodè attinebunt. Quantum uerò neceſſariæ ſint, ſimulq; cum uita omniũ noſtrûm deſideratiſsimæ præparationes iſtę: Chriſtianorum coadunatis uiribus, hoſtis aucta potentia teſtatur, iam annos circiter ſeptuaginta poſt infœlicem, & calamitoſam Biſantij captionem, quæ patulam ad nos hoſtibus ianuam præbuit, nihil aliud audimus, quàm clades atq; excidia continua Chriſtianorum à Turcis. Et dum omnes ad reſiſtendum (ut par eſſet) conſurgere negligimus, tot principes cum ſubditis ſuis, tot Reges cum eorũ populis: tot deniq; ditiſsima, cũ magna iniuria religionis noſtræ, & maxima indignitate Chriſtiani Imperij, miſerabiliter deleta ſunt, quæ ſingillatim enumerare, dolor profectò mœrore plenus prohibet. Quandoquidem neq; ea me referre, neq; uos audire, ſiccis oculis liceret, capita utcunq; decerptam. Nónne uidemus Aſiam uniuerſam, quę è tribus orbis triangulis maior eſt: his & alijs infidelibus occupatã? Aphricam uerò totam, impijs ac ſceleratis eorum manibus deſolatã? Europę magnam partem, tot incendijs, & aſsiduis uaſtationibus debilitatã? & hucuſq; dormitauimus. Sed neq; his cõtentus hoſtis, ut fortior fieret Aegypti, & Syriæ regem, quẽ Solthanum dicunt, aggreſſus ſuperauit, totiuſq; Syriæ, & Aegypti, ea uictoria (ſed & Hieruſolymæ matris noſtræ, ubi ſalus orta eſt) unicũ ſe Dominũ conſtituit. Et altero uerè Imperio longè ante formidabilẽ potentiam ſuã auxit. Nos uerò torpemus, & bellis inteſtinis, plus inſolenter, quàm neceſſariò exagitati,

gladijs nostris, domesticos fidei, aut potiùs nos ipsos, detestanda malignitate confodimus: nec Prophetæ sapientis uerba, quæ aduersùs nos, tanquã Ethnicos clamitant, attenduntur, dignaq; facinori supplicia annunciant. Ipsi (inquit) contra sanguinem suum insidiantur, & infra. Ego uerò dum eis repentina ingruerit calamitas, non exaudiam. Parat nunc in Christianos, terra, mariq; arma sua, instat Turcarũ framea, capiti & collis nostris, & adhuc oscitamus, uixq; ad pacem mutuò amplectendã, tanta periculi magnitudine urgente, mentes componere uolumus Leone sanctissimo, id dies, noctesq; curante, hortatur nos hostis, excitat à somno: commonefacit desides: torpentes terret, dum iampridem ad ostia Tiberina: nũc uerò ante paucos menses, circũ Rachanati mœnia, & hisce iam diebus, dum hîc agimus, iterum ad Ostię portus, ferro, & sanguine debachatus sit. Nos tamẽ satis sic uolentibus omnia hæc, quæ ultimum omnibus exitium minantur, ridiculum putamus, ut iam illud diui Petri naufragantis, dum sibi in fluctibus dexteram dari popościt, & meruit, dicere libeat: Salua nos Domine, perimus.

Collegerat similem conuentũ feli. re. charissimus genitor tuus, post insperatam Carniolæ suæ depopulationẽ. Multa illic in eam sententiã à uiris doctissimis declamata sunt: multa etiã Prophetico quodam spiritu prædicta, nisi tunc instantibus, & euidentissimis periculis aliter prouisum fuisset. Quæ omnia flebilis tandem effectus compleuit, cũ nulla consulta inuicẽ, & constituta nulla, suo ordine, ut necessitas postulabat, debitæ executioni mandarentur, & omnis rei benegerendæ cõmoditas, simul cum tempore amissa fuit turpiter, aut neglecta. Nunc iterũ Cæsar inuictissime, pro dignitate & debito tuo, cõuentum hunc bono cœptũ omine, diligẽter prosequeris, ut labenti Reipub. Christianę efficaci opera subuenire possis, & iustè quidẽ: sic enim Christianorũ Imperator, re pariter constabis & nomine, dum hi, qui tuo subsunt Imperio, à Cæsare suo adiuti fuerint, & defensi. Quam equidẽ deliberationem multo iam tempore pro connata animi tui magnitudine concœperas, qui annis his proximis tres Christianos reges potentissimos, in Austrię tuę urbe primaria, tum splendidè, tum honorificè tecũ habueris, fœdereq; simul immaculata fide percusso, plura cũ eis in rem Christianã mutuis tractasti consilijs. Quod reuera pro singulari gloria tua, omniũ ora passim prædicare nõ desistent, pluresq; adamantinis scriptis perpetuare curabũt. Neq; enim parens tuus, neq; Cęsares alij tantũ actum, triumphis Octauij meritò ęquandũ, pro suo unquã desiderio efficere poterant. Omitto nunc cateruam immensam uictoriarum tuarũ, quæ tibi semper optatis ubiq; successibus respondebant, ut quilibet bonę mentis metiri ex his posśit, quę & quanta in arbitrio & moderatione tui consistant, quin & luce sit clarius, plus ornamẽti Imperio tua prudẽtia, & fœlicitate allatũ esse, quã tibi Imperij maiestate: atq; ideò pater patriæ à tota Germanica natione, quæ sub cœlo maior est, meritò appellaris, quibus immorari, ut uolui, temporis uetat angustia, dum ista uulgata iam sint, & toti mundo notissima. Tu deinde tua sponte & uirtute, Regumq; illorũ hortamentis incitatus, nõ modò in optimũ propositum, & tua amplitudine dignũ deuenisse perhiberis: sed ultrò etiam totius belli gerendi progressum, rationes, ordinẽ, & modum cõcinnè describere curasti. Tanta peritia rei militaris, tantoq; studio, & omniũ digna cõsideratione, ut facilè appareat, inuẽtione hac tua, necdũ imperatoris summi, sed excellẽtissimi quoq; armorũ ducis, & animũ fortẽ, & consilium circumspectissimũ non deesse. Habet rem hanc cordi, ęqua lance, sedes sancta, religionis nostræ caput & magistra, quę tot annorũ concilium fœliciter cõtinuans, singulares, & urgentissimas admonitiones qualibet sessione, ad hunc effectũ instituere solebat: ubi etiã Turcarũ tela pectoribus suis infixa. Episcopi declamãtes, ostendere uisi sunt, ut nõ uerbis tantùm, sed rebus, & sanguine ipso pungerẽt segnitiem nostrã, & deiectos Christianorũ animos, quantũ possent, erigerẽt: cuius nauiculæ gubernator, uerũ se Leonem in his præstat, quippe qui salutiferos rugitus, & uigilantissimas cogitationes suas, summoq; & uero pastore dignas, ad hoc unũ conuertit: ut cõmuni potentia tantis periculis ultimũ iam interitũ secum ferentibus, quantocius succurratur. Quæ omnia dignissimi hi legati sanctitatis suæ magis abundè explicarunt. Rectè gubernabãt populum Dei Moyses, & Aaron, Dauid & Nathan, pluresq; Romani Pontifices, cũ Imperatoribus Christianis, iuncta simul gratia, utraq; potestas. Binum nobis reliquit gladium, transiturus ad Patrem, Saluator noster: bina coluerunt elementa Persæ, Ignem, & Aquam: duobus & nos saluamur, Fide, & Opere. Curabis & tu Cæsar inclyte, cum Leone sanctissimo, utroq; iuncto gladio, eripere de faucibus inimicorum, & tot calamitatibus, oues Christi. Inconsutilem enim tunicã suam repræsentatis, quæ sub hoc tempore uestro, non abs re profectò inuenta est: adhibebit ignem orationis, & spiritum fortitudinis benedictũ sacerdotium, neq; impẽsa deerit. Tu aquã non gelidã, sed feruẽtissimę defensionis, cũ regibus Christianis, indefessè suggeres, fidemq; nostram, & spem omniũ opere adimplebis, ut à ferocitate Turcę salui simus,

unica

unica namq; est gloria, penates nostros, & Religionem, in qua nati sumus, tueri & defendere, pro qua iam omnes maiores tui, tot Reges, & Cæsares sanctorum nonnulli Cathalogo asscripti, fœlices & candidissimæ animæ plura bella in Europa, & Asia gloriosè susceperunt, qui semper magnanimitate ingenita, aliena quærere, non sua amittere didicerant. Gignit nos natura miserè, uiuimus demũ tot onusti curis, & tanquam flos, citò arescimus: decidimus tandem, & morimur, solus is diu uiuere perhibetur, qui dum uita excesserit, perpetuam sui nominis, benè gestis, aut factis, memoriam propagauerit, quò fit, ut adsimus absentes, mortuiq; uiuamus. Tritum fuit Adagium apud ueteres: Pulchrũ mori, decorat uitam. Quod plurimi, ut patriam conseruassent, corpus simul & animam deuouentes, uiuis effectibus cõprobarunt. Tu itidẽ Sacratissime Imperator, ut tui secretiores referunt priora de Christiano statu secum repetẽs, & futura ante oculos ponẽs, mente ut fit liberiore, dicere soles, nullũ mortis genus te gratius excipere uelle, quã quod in castris militaribus contra infideles, ad uirentes campos fœliciter eueniret. O uirtus animi commendatissima: sic corporis robori tanti principis insita & coniuncta. Non hominis profectò deliberatio ista est, sed numinis uox quędam, & solo digna Cęsare, dum nõ lectum eburneum: non sericeum puluinar: non auratum cubiculum, sed prata uirentia, & fœnum rusticum pro delicijs regalibus exposcas, ut debito Imperiali, quo toti Christianitati teneris, ingenuè satisfacias, pro quo tibi omnes, mentem sanam in corpore sano, uitęq; diuturnitatem precabuntur. Et ut in hoc tam gloriosissimo proposito, animo inconcusso persistas, erectis in cœlum palmis, attentiùs orabunt.

Sed iam factis res aggredienda foret, constantiq; pectore, sine omni ulteriore cunctatione prosequenda, post tot consilia, & decreta multa: post tot conu..ntus, & exhortationes uarias, post tot instructiones, & tractatus plurimos: armis tandem nõ argumentis opus est. Iam enim de his tam crebris, sed uanis, aut nullis consultationibus, & preparamentis nostris (ut quidã Mediolanensis ex Turcia profugus nuper in conspectu Regis nostri retulit) sępiùs dicit Turca, admodũ subsanantis, cõsulant Christiani, cõsulant, & ego faciã, quod re ipsa, & stupendis indies uictorijs demonstrat. Nos si ueri Christiani sumus, quẽadmodũ Turca in dedecus potiùs nostrum affirmat, Christi fidem, ad sanguinẽ usq;, mente intrepida, non ostentatione solùm, sed affectibus synceris obseruare, tueri, & quantũ in nobis est, manu tenere debemus. Quoadusq; uita nostra, Christiano aduersabitur nomini: ut qui Christum imitari, pro Christo nos opponere, Religionis uinculo arctamur, contra eius legem: contra oues suas: contra ipsum Christum, ignauia, arrogantia, & excessibus nostris, in cœlum usq; cum Gigantibus, læthiferas sagittas, impudenter dirigimus, de locis certamus, publica negligentes: hostis uerò nos, & nostra omnia, ac loca simul, deglutire contendit. Vnum hoc conclamatum est, Turcas consilijs quibuscunq; non conuertemus, si armis non uincemus, quæ diuini uerbi Concionatoribus elucidanda relinquo, quandoquidem multa nunc est messis, & operarij pauci.

Neq; id deterreat, quod tam longo tempore, Orientali Imperio, hostis crudelitas potita sit, & desidia nostra, eius potentia sic increuerit, ut firmata esse uideatur. Ad Occasum intueri uolẽti, possibilia omnia, & facilima comperiet, cùm Sarracenorũ immanitas. Granatam & magnam Hispaniæ partem, supra septingentos annos hæreditario admodũ iure possederit. At Ferdinandi Regis uictoriosissimi constantia, reginæq; Elizabeth deuotione, & suorũ fortitudine, paucis annis, nedum recuperata sunt omnia, sed tota infideliũ potẽtia, non à regni solùm finibus abacta est. Verùm adusq; inferiora Mauritanię littora, cũ perenni illius Regis gloria eiecta. Ille uerò proprijs tantũ uiribus, & unica suorum manu, strenuè hæc gessit. Tu commune bellũ paras, & generalem (ut aiunt) expeditionẽ, tua opera, consilio, & auspicijs, Regumq; omnium assensu, & horũ prudentissimorum principũ consilio (qui tuo lateri tanquã ualidissimæ columnæ adhęrẽt) instituere debes. Quis oro, tot Regibus, & Principibus, tanquã numerosę multitudini resistere poterit? Dũ & pacem exulantem, multisq; ante sęculis, inter Christianos desideratam, nunc iam commodissimè pro tui, & Leonis animi satisfactione, restitutã uides, & nouo quodã quinquennali fœdere, cum omnium, qui bonę uoluntatis sunt gratitudine, firmatam intueris, ut nihil est ampliùs, quod ad rem propositã fœliciter gerendã desit, aut quod impedire possit.

Non deerit uotis tuis, & Leonis sanctissimi, Serenissimus Rex noster cum omnibus dominijs suis, & tota illa Septentrionis ora, modò bellis, alijs, quibus cõtinuò impetitur, finẽ optatum imponere possit. Quos uerò hostes regnũ nostrũ habeat, & quib. difficultatibus, Rex ille bellicosissimus detinetur, paucissimis explicabo, ne pijs aurib. fastidij prębeã offendiculum. Notũ est hac ętate nostra, Sigismũdi nomen celebre, lõgè, lateq; plurimis uictorijs, fama refertissima peruolante. Nolo nunc Genealogiã & ortũ clarissimi Regis texere, quæ tuæ celsitudini, & his omnibus satis cognita esse debet, Casimirea domus est, quæ

quæ regnare semper didicit, & uincere, præsentiam matura pulchritudine, & aspectu iucundissimo decoram, tu nosti, ita ex omni parte compositam, proceraque grauitati coniunctam, ut ad Maiestatem ipsam, natam esse uideatur. Hic auito, paternoque & fratrum regno, senatu uocante succedens, bello fortissimum, pace uerò splendidissimum se præstitit, & reddit. Quippe qui incomparabili iustitia, clementia, & liberalitate, sic apud suos omnes charus est: sic eorum affectus, æquitate, & mansuetudine, ac modestissimis legibus in se deuinxit, ut inter tot bellorum tumultus, non quod ex ueteri instituto solitum est, sed quod rex ipse præcipit, aut nutu solo designat, illicò à suis omnibus cum summa animi alacritate perficitur. Quæ profectò suprema laus Regum est, dum quisque subiectionis suæ debitum, amore illectus, non timore perculsus, serena fronte, & libera exequitur, idque efficit, ut dum Scythæ fugaces (quos nostri Tartaros uocant) subitò interdum & insperatè, fines nostros irruant, mox nobilitas è centro regni primaria, benignitati principis satisfaciens, uitam propriam, & salutem, mera ipsorum uirtute defouere, & in media usque hostium agmina obijcere non metuat, spem reponens firmissimam: in optima Regis munificentia, qui benemerita cuiusque dignis proœmijs excitare consueuit.

Vrgetur namque multis hostibus: regnum illud amplissimum, tribus à parte una: Scytharum ducibus potentissimis, multa centena millia bellatorum in statione campestri secum ducentibus, qui se etiam Cęsares dicunt, uno Theodosiæ propinquo, post Borislhenem ad latus maris Pontici, in Taurica residente, alter circa Tanaym, & paludem Meotidem loca tenet, & is in manibus Regis est: tertij sunt remotiores. Asiatici uastissimam incolentes solitudinem, & latissimos tenentes campos: hi omnes repetinis incursionibus Regnum deprædari, & continuè defatigare non cessant, famem, sitim, æstum & algorem, & omnem inediam contemnentes. Sæpiùs etiam Turcis iuncti, qui Monocaustum, & Licostomum occuparunt, maiora & horrenda damna nostris inferunt. Turcarum enim Scythæ omnes dependent, dum eadem secta sit, Mahometicis simul erroribus implicata: è quibus planè depręhendi potest, faciliùs catulos à maternis uberibus, quàm Tartaros à Turcarum assistentia diuelli posse, qui nunc etiam contra Regem Persarum optatas uiginti millium Equitũm suppetias tulerunt. De his Rex noster multas & insignes reportauit uictorias, ut arces, & loca regni munitissima ostendunt, quæ pacis tempore pro sui nominis immortalitate ornatissimè restaurat: ubi Scytharum cathenatæ acies, Latericio in muris erigendis certamine quotidie congredi uidentur. Est & alter hostis non minor ad rigentem Arcton, citra mare glaciale consistens, Roxolanorum dux, quem nos Moscum dicimus, sola perfidia, & detestando schismate famosus. Is partem regni Lithuanorum uidelicet prouinciam magno etiam bellorum motu turbat indies. Sed & hunc Rex noster, patrocinante iustitia, fudit sæpiùs, eiusque potentiam triginta millibus in loco cæsis, profligauit, quàm plurimis primoribus ad uincula coniectis, qui in omnibus Lithuaniæ castris arctissima detinentur custodia. Multis etiam alijs captiuorum millibus per uniuersum ferè orbem, uarijs Christianorum principibus, mancipiorum loco dono datis.

Iamque cruentũ hoc bellum decenniũ superauit, dum sint, qui eas discordias seminent, cõcitent, & turpiter alere, non uereantur. Sed, proh dolor, non pudet etiã Religionis professores tantorum malorum auctores, & faces esse, qui literis, & nuncijs ad eam rem fouendam, magisque irritandam, terra & mari sursùm ac deorsùm cursitant, ut Reges & Principes alioquin fortè quieturos, ad pugnam inflamment. Salutis insigne, & candidam innocentiæ uestem deferunt, tanquã pacis amatores, & fratrum perniciem sitiunt, bellorumque fomitem, & totam causam præstant, hi sunt, qui loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum, sed reuera, Deus fucis non illuditur. Breui namque eis secundùm nequitiam adinuentionum ipsorum retribuet. Tuæ uerò sacratissimæ integritatis studium erga se, & statum suum pacandum cognitum habet Rex noster, pro qua beneuolentia, te ut parentem alterum obseruat, ueneratur, & colit, uellecque uicissim eius Maiestatem omni opera, & facultate eniti, ut quacunque occasione, & modis, tuæ celsitudini mutuò gratificari, & æquè fraternum officium præstare possit.

Et ut finem dictis imponam, his hostibus & quidem assiduis Regnum nostrum à trecentis penè annis premitur. Verùm suo ære tantũ, suo milite, & maximis laboribus, totã hanc belli molem sustinuit, nemine Christianorum principum suffragante: spe alebamur continua, & nudis semper pollicitationibus detinebamur, sumptibus & humeris nostris uicina hucusque ocia fouebamus, ut iam tanquã defessi & imbecilles, à maioribus impensis continere nõ possemus, & deberemus meritò. Nunc tamẽ ut priuatos effectus publica uincat utilitas. Expeditionẽ hanc generalem cõmendat summoperè, & approbat, serenissimus rex noster: laudat modũ de colligẽdo neruo bellico, & exercitu cõgregando. Quẽ sanctiss. dominus noster, & tuę celsitudinis prouidentia constituit. Alijque reges & principes Chri-

pes Christiani proponunt. Sed neq; de eo pro nunc Maiestatem regiam cum Senatu, & subditis suis, quicquam decernere potuisse, inter domesticas difficultates, & bellicam occupationem cum ea, quem nemini hostilitate, quibus aliqua ex parte, utcunq; compositis, & deliberatione huius dignissimi conuentus procedente, mox maiestatem suam, & de colligendo nummo, & describendo milite, in regno & dominijs suis itidem constituere uelle. Nec prætermissurum quicquam, quæ uires eius, ac Regni, & dominiorum suorum ferre potuerint. Et quæ ad tam sanctum, diuq; desideratum opus pertinebunt, dummodò aliquando cum effectu aliquo Christianæ saluti consulatur, pro qua (ut uerbis utar regijs) & thesauros omnes, & sanguinem ipsum cum uita effundere parata est.

Perge igitur, quo cœpisti, sacratissime Imperator, & tot ac tantis gloriosissimis triumphis tuis, unicum hunc, qui cunctos alios superabit, apponere contende, ut utriusq; Imperij habenas, Christiani omnes, te moderantem aspiciant, & lætentur. Vinces proculdubiò in signo crucis hostes deterrimos, profligabis cum tanto apparatu, & omnium potentia. Turcas impios exterminabis cum Leone sanctissimo, & tot Regibus spurcissimos, infideles, & ad ultimos usque fines terræ, tanquam Christo alienos propulsabis, ut qui te Augustum in Augusta tua, & mense hoc Augusti, augustè comperimus, post multas de infidelibus partas uictorias, Mahometiq́ue deleto nomine, Augustissimum tandem uideamus. Iter autem parabit, & diriget Dominus, cuius res agitur, carmine Prophetico attestante, reuela Domino uiam tuam, & spera in eo, & ipse faciet.

VICTORIA SERENISS. PRINCIPIS, ET D.D. SIGISMVNDI EIVS NOMINIS PRIMI REGIS POLONIAE, MAGNI DVCIS LITHVANIAE, RVSSIAE, PRVSSIAE, AC MAsouiæ, &c. Domini, hæredis contra Vayuodam Muldauiæ, olim Daciæ, Turcæ tributarium, & subditum: cui subest Valachia, Mysiæ inferioris pars ad flumen Tyram influens Pontum Euxinum, quę à Deo data fuit terna in Mense Augusto præterito, & consummata XXII die eiusdem Mensis, anno Domini M. D. XXXI.

VAYEVODA Muldauiæ, & prędecessores eius, ut perfidorum mos est, nihil unquam longo iam tempore Regibus, & regnó Poloniæ, quod tenebantur, præstiterunt, cui ipse Vayeuoda innixus, hyeme præterita, præter omnem expectationem fœderibus, & iuramentis, quæ fecerat, neglectis, nullaq; hostilitatis denunciatione præmissa, prouinciā regni Poloniæ Pokucziæ nuncupatā fide, & honore posthabito, occupauit. Quam iniuriam, quum serenissimus Poloniæ Rex diutiùs ferre non posset, exercitum selectorum mercenariorū militum ex regnó suo comparauit, & cōscribi iussit, opera magnifici Domini Ioannis Comitis de Tharnouu, Palatini Russiæ, & exercituum regni Poloniæ capitanei generalis, uiri in militaribus, clarisq; alijs in rebus præstantissimi, quem ille uarijs in locis, ne hostis certum numerum scire posset, collegerat, & disposuerat, & non multò ante festum sancti Iacobi ad loca, quæ præsidijs hostis firmata erāt, admoueri iusserat. Constabatq; totus ille exercitus equitibus, præter trecentos pedites, qui machinis, & bombardis erant addicti. Ex his equitibus ipse Capitaneus generalis præmisit duo millia, & aliquot centum equites, qui præter Valachorum spem, & scientiam uarijs in locis prouinciam illam Pokucziæ adorirentur. Valachorum ibidem in præsidijs erant fortassis 1400. bello apti, præter aliam colluiem. Poloni milites mandata capitanei strenuè exequentes, non una ex parte eam prouinciam inuaserunt, confligentes cum hostibus multos trucidarunt, & non paucos uiuos cœperunt, inter quos erant pleriq; ipsius Valachi familiares, & aulici, atq; in duobus diebus totam illam prouinciam recuperarunt, præter castrum quoddam Guuosdziecz, quod cuidam nobili Polono Thuuorouuski nuncupato fuerat ademptum. Hoc tamen etiam paulò pòst obsidentes, in potestatem suam redegerunt, & illi quendam præfectum militum Vlodek nomine præfecerunt: pauci ex illa Polonorum irruptione, Valachorum, qui superfuerant, euasêre in Valachiam. Huic uictoriæ capitaneus generalis Comes de Tharnouu nō interfuit, sed cum potiore

potiore exercitus parte rerum euentum non procul præstolabatur. Victoriæ uerò nuncium cum quibusdā captiuis, nobilis quidam iuuenis Spitek de Thamouu Serenissimo Poloniæ Regi Cracouiam apportauit. Paulò pòst appulit etiam ad Serenifs. Maiest. Regiam generosus dominus Hieronymus Schaffranyecz, qui plurimos ex ea uictoria captiuos attulit, hicq; hinc inde per castra regia habentur distributi. Post hanc acceptam cladem Vayeuoda Valachus percitus, omnes quas potuit suorū copias congessit, & in tres exercitus diuisit, eratq; numerus omnium supra uiginti millia. Cum his in prouinciam Pokucziæ perueniens, sex millia equitum ad recuperandum castrū Guuosdziecz transmisit. De quo certior factus comes de Tharnouu, capitaneus generalis, maturè cum toto suo exercitu, & his qui ultrò se adiunxerant, ad succurrendum obsessis, & castro affuit. Hoc uidentes Valachi, XIX Augusti præteriti cum exercitu Polono manus conseruerunt. In eo conflictu, cum Dei adiutorio, Poloni superiores facti, Valachorum illa sex millia profligarunt, & in fugam uerterunt: multi illorum cæsi, capti quàm plurimi, & præsertim de illis, qui ipsius Vayeuodæ curiæ inseruiunt. Hanc suorum stragem, quum à duobus suis capitaneis, qui ex prælio profugerant, Vayeuoda audiuisset, commotus, iussit illis amputari capita, sed aliorum precibus uictus, cathenis ferreis uinctos custodiæ mandauit. Hæc est Valachorum consuetudo, ut eos omnes, qui ex pugna euadentes domum reuertuntur, supplicijs grauioribus, quàm si in bello cecidissent, afficiant. Hinc fit, ut in confligendo multis alijs nationibus sint ferociores. Accensus itaq; Valachus ira pariter, & pudore, ipse in persona cum suis omnibus, Polonos septos castris, ut eorū mos est, curribus, & uallis factis, cum multis magnis bellicis tormentis, quæ secum duxerat, aggressus est. Quumq; Poloni sic cincti, non excedentes sextam partem numeri militum, quem secum habuit Valachus, uim globorum ulteriùs ferre non possent, prioribus uictorijs animati, & ope diuina adiuti, extra uallum in ordinibus suis prosilientes prælium commiserunt, & cum hostibus de perfidia expostulantes, & certantes ad quinq; horas, sine intermissione conseruerunt manus, illosq; ad internecionem usq; prostrarunt. Namq; præter multa alia millia cæsorū Vayeuoda ipse fugiens duobus uulneribus est affectus. Tormenta bellica magna quinquaginta cum pulueribus, globis, curribus onerarijs, & toto commeatu capta, inter quæ fuerant quædam ante XXXIIII annos Polonis, & superioribus annis ipsis Transsyluanis Vngaris adempta. Item duo uexilla maiora & principaliora, tympana, & multa alia bellica apparamenta. Quæ omnia facta sunt XXII Augusti præteriti. Poloni prosequentes uictoriam, insequuti sunt fugientes Valachos per milliare Germanicum unum & dimidiatum, trucidantes, & plerosq; de nobilioribus uiuos capientes. Fuit cæsorum ingens numerus, & inter eos multi de primoribus Valachi reperti. Hunc lætum uictoriæ nuncium attulit Serenifs. Poloniæ Regi quidam præfectus militū, nomine Szuuienziciki XXIX Augusti Cracouiam. Postero die missus à comite de Tharnouu capitaneo generali quidam iuuenis nobilis nomine Sbigneus Szienyenski quosdam Serenifs. Maiest. Regiæ etiam captiuos attulit. Et indè alius præfectus militum Iaslouuiecki duxit secum magnum captiuorum numerum, inter quos est, qui dicitur sermone Valacho Glogofer, quod est apud illos supremi cancellarij nomen. Item & pocillator, seu pincerna, & structor mensæ, cum plerisq; alijs ipsius Valachi officialibus. In summa nihil aliud ex eo conflictu secum, quàm duobus uulneribus saucium corpus asportauit Valachus, qui non immeritò perfidiæ suæ sic dedit pœnas. Hinc tantus timor suos in Valachia inuasit, ut multi in Vngariam, & Moldauiam quotidie cum bonis suis profugerent. Christo Domino sit honor, & gloria, atq; omnis gratiarum actio, qui Serenifs. Poloniæ Regem quàm diutissimè contra crucis suæ hostes uiuere, & triumphare concedat, Amen.

EXCERPTA est hęc Victorię historia ex ipsis Serenifs. Polonię Regis literis, & quorundam, qui omnia magis peculiariter scripserunt.

Datum Bruxellis, in curia Cæsareæ Maiestatis, XXIIII Septembris, anno Domini M. D. XXXI.

Per R. D. Ioannem Dantiscum, C. Episcopum Culmensem, Oratorem ipsius Serenissimi Regis.

FRAGMEN-

FRAGMENTVM EX LIBEROBARONE DE HERBERSTAIN NEYPERG, ET GVETTENHAG, &c. DE BELLO POLONI, ET MOSCI.

ERAT Ioanni magno Duci ex Sophia, filia Helena, quam collocauit Alexãdro Magno duci Lithuaniç, qui postea rex Poloniæ declaratus est. Sperabant Lithuani iam grauissimas utriusque principis discordias eo matrimonio sopitas fore: at longe grauiores inde exortæ sunt. In sponsalibus namque conclusum erat, ut templum Ruthenico ritu in castro Vilnensi, destinato loco exædificaretur, eique certę matronæ ac uirgines eiusdem ritus iungerentur, quæ cùm aliquanto tempore fieri negligerentur, sumit socer causam belli contra Alexandrum: & triplici exercitu instructo, contra eum progreditur. Primum uersùs prouinciam Seuueram in Meridiem: secundũ uerò in Occidentem contra Toropecz, & Biela instituit, tertium in medio uersùs Drogobusch, & Smolenczko collocat: ab ijs exercitum in subsidijs retinet, quò ei maximè, contra quẽ Lithuanos pugnatores animaduerteret, succurrere posset. Postquam autem ad fluuium quendam Vuedrásch uterque exercitus uenisset, Lithuani duce Constantino Ostroski maxima procerum, & nobilium frequentia septo, ex quibusdam captiuis numerum hostium ac Ducum quoque cùm cognouissent, magnam spem profligandi hostium concipiunt. Porrò cùm fluuiolus conflictum impediret, ab utrisque transitus, seu uadum quæritur. Primi autem Mosci aliquot, superata ripa, Lithuanos ad pugnam lacessunt: atque illi haud timidi resistunt, eosque insequuntur, fugant, ultraque fluuiolum pellunt: mox utrinque acies committuntur, prælium que atrox oritur. Interea dum utrinque eodem ardore animorum acriter certarẽt, exercitus in insidijs collocatus, quem paucissimi Rhuteni adfuturum sciebant, ex latere in medios hostes inducitur. Lithuani metu perculsi, dilabuntur: Imperator exercitus unà cum plerisque nobilibus capitur: reliqui perterriti, castra hosti concedunt: se & arces, Drogobusch, Toropecz, & Biela pariter dedunt. Exercitus uerò, qui meridiem uersùs processerat, cui præerat dux Machmethemin Tartarus Rex Casani, fortè Brensko ciuitatis præfectum, quem uernacula lingua Vuaiuuodam uocant, comprehendit, Brenskoque ciuitate potitur. Duo pòst germani fratres, Basilij patrueles, alter de Staradub: alter uerò Semeczitz dicti, bonam partem prouinciæ Seuueræ possidentes, alioqui Lithuaniæ ducibus obedientes, Imperij Mosci se tradunt. Sic unico conflictu, & eodem anno adeptus erat Moscus, quæ Vuitoldus magnus Dux Lithuaniæ multis annis, maximisque laboribus obtinuerat. Porrò cum hisce captiuis Lithuanis, Moscus crudelius egit, grauissimis cathenis uinctos detinuit: egitque cum Constantino Duce, ut relicto domino naturali, sibi seruiret: qui cùm aliam spem elabendi nõ haberet, conditionem accepit, obstrictusque grauissimo iuramento, liberatus est. Huic porrò quamuis prædia, possessionesque pro status sui conditione attributę essent: ijs tamen placari ac detineri adeò non poterat, ut ad primam occasionem, per inuias syluas redierit. Alexander Rex Poloniæ, magnus Dux Lithuaniæ, qui perpetuò magis pace, quàm bello gaudebat, relictis omnibus prouincijs, & castris à Mosco occupatis, liberatione suorum contentus, pacem cum socero fecit.

Moritur autem Ioannes ille magnus, anno mundi 7014. cui filius Gabriel, postea Basilius dictus, magnus Dux successit, habens in captiuitate Demetrium nepotẽ ex fratre, qui auo adhuc uiuente iuxta gentis consuetudinem legitimis monarcha creatus erat: & ob id uiuo adhuc, atque etiam mortuo pòst nepote, solenniter Basilius creari monarcha noluit. Patrem multis rebus imitatus est: ea quæ sibi reliquerat pater, integra custodiuit: ad hęc multas prouincias non tam bello, in quo erat infœlicior, quàm industria, imperio suo adiecit; quemadmodum pater Nouuogardiam magnam in seruitutem suam redegerat, ita & ipse Plescouuiam, sociam urbem: item insignem principatum Smolenzko, qui plus quàm centum annis sub ditione Lithuanorum fuerat, adeptus est. Mortuo etenim Alexandro Rege Poloniæ, etsi belli causam contra Sigismundum Regem Poloniæ, & magnum Ducem Lithuaniæ nullam haberet, tamen quia Regem ad pacem magis, quàm bellum inclinatum: Lithuanos uerò bellum pariter abhorrentes uideret, occasionem belli inuenit. Sororem uidelicet suam, Alexandri relictam, dicebat ab eis minimè pro dignitate tractari: Regem præterea Sigismundum insimulabat, Tartaros contra se concitauisse. Quare bellum indicit, Smolenczko obsidet, admotis tormentis: nequicquam tamen

oppugnat. Interea Michaël Lyneczky, ex principum Rhutenorum nobili stemmate, & familia ortus, qui quondam summam rerum apud Alexandrum tenebat, ad magnum ducem Moscouiæ profugit, quemadmodum infrà patebit: mox Basilium ad arma hortatur, eiq; promittit, se Smolenczko, si iam denuò obsideretur, expugnaturum: ea tamen lege, ut sibi hunc principatum Moscus concedat. Post cùm ad conditiones à Michaële propositas assensus esset Basilius, atque Smolenczko grauiiam denuò premeret obsidione, Lyneczky pactionibus, seu largitione uerius urbe potitus, militiæq; præfectos omnes secum in Moscouiam duxit: uno duntaxat excepto, qui ad dominum suum, nullo proditionis crimine sibi conscius, redierat: reliqui uerò centuriones corrupti pecunia, & muneribus, redire in Lithuaniam non audebant: & ut culpæ suæ patrocinium prætenderent, iniecerunt metum militibus, dicentes: Si Lithuaniam uersùs iter arripiemus, passim aut spoliabimur, aut occidemur: quo malo perculsi milites, omnes in Moscouiam profecti sunt, stipendioq; principis aluntur.

Hac uictoria elatus Basilius, exercitum suum continuò in Lithuaniam progredi iubet: ipse uerò in Smolenczko manet. Dein cùm aliquot propinquiora castra, & oppida deditione capta essent, tum primùm Sigismundus Rex Poloniæ obsessis in Smolenzko, coacto exercitu auxilium, sed tardiùs, misit: mox occupato Smolenzko, ubi Lithuaniam uersùs Mosci exercitum ire animaduertit, ipse Borisouu iuxta fluuium Beresina situm, aduolat. atq; inde exercitum suum Constãtino Ostroskij duce dimittit: qui cùm attigisset Borysthenem, circa Orsam oppidum, quod à Smolenczko 24 milliaribus Germanicis distat, aderat tum iam exercitus Mosci circiter octoginta millia: Lithuanicis autem non excedebat triginta quinque millia hominum, adiunctis tamen aliquot bellicis tormentis. Constantinus mense Septemb. die 8. anni 1514. strato ponte, peditem ultra Borysthenem, iuxta Orsam oppidum transfert: equitatus autem angustum uadum sub ipso castro Orsæ superat. Mox ubi dimidia pars exercitus Borysthenem transisset, nunciatur Ioanni Andreæ Czeladin, cui summa rerum à Mosco erat commissa, ut hanc exercitus partem inuaderet, contereretq;. At ille respondit: Si partem hanc exercitus oppresserimus, supererit altera pars, cui fortè aliæ iungi copiæ possent, atq; ita nobis maius periculum immineret: expectemus tantisper, dum totus exercitus transferatur: tantæ enim sunt nostræ uires, ut sine dubio, nec magno labore, hunc exercitum aut opprimere, aut circumuentum Moscouiam usque, ueluti iumenta agere possimus. Tandem, quod unicum restat, totum occupemus Lithuaniam. Interim appropinquabat exercitus Lithuanicus, Polonis & externo milite mixtus: & cum quatuor millibus passuum ab Orsa processisset, uterq; subsistit. Moscorum duæ alæ longiùs ab exercitu recesserant, ut hostem à tergo circumuenirent: acies autem instructa in medio stabat, subductis quibusdam in fronte, qui hostem ad pugnam lacesserent. Ex aduerso Lithuanus diuersas copias, ordine longo collocabat: singuli etenim principatus, suæ gentis copias, & ducem miserant, atq; ita singulis suus in acie dabatur locus. Tandem cohortibus in fronte constitutis, Mosci classicum canentes, primi in Lithuanos impetum faciunt: illi haud timidi resistunt, eosq; repellunt: quibus mox alij in auxilium missi, uicissim Lithuanos in fugam conuertunt: sic aliquoties utraq; pars nouis subsidijs aucta, alteram repellebat. Postremò maxima ui certatur. Lithuani studio cedentes ad locum, ubi tormenta bellica collocauerant, ea in Moscos insequentes conuertunt: extremamq; aciem eorum in subsidijs arctiùs collocatam feriunt, turbant, dirimuntq;. Hoc nouo belli genere Mosci, qui primos duntaxat in acie cũ hoste confligentes, in periculo esse putabant, terrentur, turbatiq; primam aciem iamiam fusam putantes, fugam capessunt, quos Lithuani conuersi, omnibus copijs effusis insequuntur, fugant, cæduntq;. Hanc cædem sola nox ac syluæ diremerunt. Est inter Orsam, & Dobrouunam (quæ quatuor mill. German distant) fluuius Cropiuuna dictus: in cuius dubijs, & altis ripis fugientes, tot Mosci submersi sunt, ut cursus fluminis impediretur. Capti sunt in eo conflictu omnes militiæ præfecti ac consiliarij: quorum præstantiores, Constantinus sequenti die lautissimè accepit: dein ad Regem missi, qui per castra Lithuanica sunt distributi. Ioannes Czeladin cum alijs duobus præcipuis ingrauescentis iam ætatis ducibus, habebatur, in ferreis compedibus Vilnæ: hos ego, cùm à Cæsare Maximiliano legatus in Moscouiam missus essem, permittente rege Sigismundo, accessi, eosq; consolabar: aureos præterea aliquot, obsecrantibus mutuò dederam. Princeps porrò accepta suorum clade, Smolenczko continuò relinquens, in Moscouiam fugit: & ne castrum Drogobusch Lithuani occuparent, incendi iubet. Lithuanicus exercitus rectà Smolenczko ciuitatem contendit, sed capere eam non potuit: quòd præsidijs impositis, Moscus eam benè firmatam reliquerat: & quòd hyems impendens obsidionem impediebat: tum quod plurimi post conflictum prædæ onusti, satis se effecisse rati, domum repetebant.

tebant: denique quòd neque Lithuani, neque Mosci expugnare arces, aut ui capere norunt. Ex ea autem uictoria, præter recuperata citra Smolensko tria castra, Rex nihil reportauerat. Anno post hunc conflictum quarto, misit in Lithuaniam exercitus Moscus, atque intra meatus Duuinæ fluuij, & Poloczko castrum consedit: ac inde bonam exercitus partem, quæ Lithuaniam abacta præda cæde, & incendijs depopularetur, dimisit. Albertus Gastold Poloczkij Vuayuoda una noctium egressus, flumine superato, aceruum fœni, quod ad longam obsidionem congesserant Mosci, incendit, hostem inuadit: quorum alij cæsi ferro, alij fugiendo submersi, alij capti, pauci euaserunt: cæteri, qui palantes Lithuaniam uastabant, pars in locis diuersis deuicti, alij in syluis errantes à colonis trucidati sunt.

MARTINI CROMERI ORATIO IN FVNERE OPTIMI ET MAXIMI PRINCIPIS, SIGISMVNDI,

eius nominis primi, Polonorum, Lithuanorum, Russorum, Prussorum, & Masouiorum Regis, &c. An. M. D. XLVIII. Calend. April. defuncti.

SERENISSIMO PRINCIPI ET DOMINO, DOMINO SIGISMVNDO AVGVSTO DEI GRATIA REgi Poloniæ, magno Duci Lithuaniæ, Rusſiæ, Prusſiæ, Masouiæ, Samagitiæ, &c. Domino & hæredi, Domino suo Clementisſimo, MARTINVS CROMERVS.

IN publico & acerbisſimo omnium nostrûm luctu, quem tecum pariter, Sigismũde Auguste Rex inclyte, morte sanctisſimi Regis nostri SIGISMVNDI, patris tui, nuper hausimus, nulla est (mea quidẽ sententia) maior, & efficacior doloris leuatio, quàm honestisſimè, & laudabiliter in primis ab eo actæ, & religiosè exactę atque; positæ uitæ: beneq; & feliciter, sapienter & cum approbatione omnium bonorum administrati Regni huius recordatio. Qua in parte cùm ego pro meo de multis benè merendi studio, opis aliquid non tibi, neq; maioribus natu (qui multos annos in Repub. hac nostra, & in aula eius Regis uersati, exactiùs omnia norunt, & memoria tenent) sed minoribus & imperitis afferre cuperem, priùs quàm abs te orator ad Pont. max. Paulum eius nominis tertium proficiscerer, scripsi ei funebrem orationem, siue laudationem: qua uitam eius penè omnem, resq; gestas illustriores, nudè & succinctè, quoad fieri potuit, exponendo, non uerbis amplificando (quod perlongum, & non mearum sanè uirium opus futurum erat) complexus sum, ut esset commentarij uice interim, dum siue à nobis ipsis in instituta historia gentis nostræ, siue quod malim à doctiori atq; disertiori quopiã diligentiùs omnia pertractentur. Nec sanè desunt in hoc tuo regno, quod multò florentius, & belli, & pacis artibus pater tuus reddidit, quàm acceperat: qui, si tua benignitas accesserit, & libenter id opus suscepturi sint, & cum dignitate persecuturi. Equidem, si nihil aliud hoc labore meo assequar, certè doctiorum cessantium adhuc studia excitabo, & persequi hæc accuratè, & ornatè uolentibus materiam subministrabo. Tibi uerò in primis, inclyte Rex, orationem hanc dicare uolui, cui meipsum non ita pridem addixi, & ad quem hæreditas paternæ gloriæ maximè pertinet: ut siquidem placebit, nonnulla, si non cum uoluptate, certè cum leuatione desiderij paterni, domestica decora recognoscas: & nostri siue ocij, siue negocij fructum, & quasi primitias quasdam delibes: sin displicebit (quod magis credo) melioribus des id negocium, ut ne cum eorum, qui nunc uiuunt, mortalium memoria, sapientisſimi, & optimi patris tui laudes intermoriantur.

Historia Polonica ab authore conscripta.

Quanquam uiuent eæ (nisi me uanum fallit augurium) æuo sempiterno, easq; posteri nostri longè etiam, quàm nos gratiore, & iucundiore memoria prosequentur. Quod reliquum est, Deum precor, ut fausta tibi, nobisq; omnibus Regni tui initia esse uelit, & lætioribus indies succesſibus id cumulet, ac diutisſimè incolume, fortunatumq; præstet. Cracouiæ 9 Calend. Aug.

M. D. XLVIII.

SANCTI POLONIAE, &c. REGIS SIGISMVNDI PRIMI Epitaphium.

Sigiſmundus in hoc iacet ſepulchro,
Quod uiuens ſibi prouidè parauit.
Primus Sarmatiæ potens feracis
Hoc Rex nomine, quem Iagielliana
Ex magnis Ducibus uetus propago,
Geſtis, iuſtitia, fideq́ clarum,
Produxit: quibus & diu Polonos
Rexit magnanimos, eosq́ multis
Auxit diuitijs, honoribusq́,
Et tot magnificis ubique paſsim
Structuris, ut in hac pateſcit arce,
In templis, & item Deo dicatis.
Armis atque toga probè per omnes
Inſignis procul inde nationes,
Veri cultor erat, tenax honeſti,
Et prudens, ſapiens, pius, modeſtus.
In cunctis ratione ſemper uſus,
Non præceps, neque concitus notatus.
Tandem tranſijt hinc, bis octo luſtris
Ex hoc pondere corporis, peractis:
Sanctè ſicut in hoc agebat, hoc ſic
Eſt iam tempore, mortuusq́ ſanctè,
Chriſtus, quo tumulum die reliquit,
Coniunctus ſuperûm beatitati.

Natus anno Domini 1467. prima Ianuarij. Electus 1506. octaua Decembris. Coronatus 1507. uigeſima quarta Ianuarij. Mortuus 1548. prima Aprilis.

Ioannes Dantiſcus Epiſcopus Varmienſis, Domino ſuo benè merenti non ſine lachrymis poſuit.

SIGISMVNDVS REX IPSE DE SE.

Ciuibus, externisq́ mea eſt clementia nota,
Conſilium, grauitas, relligio, atq́ fides.
Pax mihi chara fuit: tamen haud me impunè laceſsit
Teutho, Liuo, Moſchus, Turca, Scytha atque Getes.

ORATIO

ORATIO.

INTEMPERANTIVS fortasse, Sigismunde Auguste Rex inclyte, & uos Patres amplissimi, ac cæteri uiri undequaq; ornatissimi, abuti facilitate, & patientia uestra uideor, qui locũ hunc augustum, apud uos hoc tempore dicturus, conscenderim: nihil neque conspectum, consessumq; istum uestrum amplissimum, grauissimumque reueritus: neque rei, de qua dicendum est, magnitudine deterritus. Neq; ego ita sum hebes, ut non intelligam, quid & quantum sit, quod nunc à uobis expectetur: neque ita mihi ipse placeo, ut non perspiciam, quid à me præstari possit. Quod si Alexander ille Magnus, Rex Macedonum qui res maximas mira celeritate, & rara fœlicitate gessit, neque pingui se, nisi ab Apelle, neque fingi, nisi à Lysippo, præstantissimis suæ ætatis artificibus, passus est: quanto acumine, quàm uaria doctrina, quàm solido iudicio, qua memoria, quàm ubere denique, & illustri eloquentia esse oportet eum, qui de optimi, fortissimi, sapientissimi, clementissimi, & pientissimi Regis SIGISMVNDI, cuius nunc exequias Polonia, Lithuania, Russia, Prussia, Samagitia, & Masouia omnis, mœsta & pullata celebrat, laudibus, & uita omni, uerè, & pro meritis eius dicere uelit? Et effigiem quidem cuiusquam aptè, seu pingere, seu fingere, non maximi est ingenij, neque laboris, ac ne operæ pretij quidem. Patent omnium obtutibus corporis lineamenta: neque magnopere cuiusquam refert, quo colore, qua figura oris, quo corporis totius habitu, quaue statura quisque fuerit, qui inter homines esse desijt: animorum habitudines, uitamq; omnem, non cuiusuis est neque exactè perspicere, neque dicendo aptè, & ad uiuum exprimere. Magnorum autem uirorum, & excellenti uirtute præditorum laudes celebrare, apprime utile est uitæ hominum, & necessarium: ut & illis, quoad fieri potest, pro meritis suis gratia referatur: & cæteri habeant, unde uirtutis, & laudis exempla petant, & quò ad benè merendum de suis incitentur. Tantæ sunt autem huius optimi Regis uirtutes, ut summis pariter ac imis abundè exemplorum, ad uitam rectè, & honestè instituendam suppeditent: tanta in nos & in patriam hanc nostram communem merita, & beneficia, ut ea sempiterna immortalitatis laude consecrari à nobis oporteat.

Propositio. *Animorum habitudines exprimere difficile.* *Laudes excellentium ad bene agendum excitant.*

Neque tamen is ego sum, qui id me rectissimè, & cum excellentibus sanctissimi illius Regis uirtutibus, tum perpurgatis uestris auribus, dignè facere posse confidam. Absit hæc à me arrogantia: non adeò effrons, demensque sum: intelligo nullam in me esse doctrinam, nullum dicendi usum, & exercitationem, nullum excellens ingenium, nullam denique memoriam. Quæ nam uerò tanta est cuiusquam eloquentia? in quo tantum flumen lectissimorum uerborum? in quo tanta uis, & (ut ita dicam, flumen sententiarum? in quo denique tanta memoria, & pronunciandi dignitas, ut clarissimis optimi Regis uirtutibus atque meritis par esse possit? Sed si lautis & delicatis epulis deficimur, an ne cibarium quidem panem hospitibus apponemus? Et, si auro, gemmis, preciosaq; ueste caremus, ne malo quidem cotoneo, uel scypho aquæ ex præterlabenti amne haustæ, gratitudinem animorum nostrorum sanctissimæ huius Regis animæ ostendemus? Vetus est prouerbium, Eos, qui thura non habent, mola salsa litare. Certè uel cum periculo priuatæ temeritatis, & impudentiæ, non est prodenda causa publica: neque committendum est, ut dum singuli pudori nostro consulimus, cuncti hoc extremo laudationis officio in funere talis ac tam benè meriti Regis prætermisso, ingratitudinis (ne dicam impietatis) repræhensionem apud hos ornatissimos magnorum principum oratores, & apud omnes gentes, quæ humanitatem colunt, meritò incurramus. Audendum est igitur, & eo quidem maiore fiducia, quod ijs de rebus dicendum est, quæ uobis plerisque omnibus æquè ac mihi notæ, nonnullis etiam notiores sunt: nempè quas uidistis ipsi ferè, & meministis, & quarum (ut ait Poëta quidam) pars magna fuistis. Ita enim futurum est, ut me rudi, & inculto, sed plano tamen sermone, capita modò rerum attingente, cætera uos ipsi diligentiùs mecum recognoscatis, & grata, iucundaq; (ut par est) memoria recolatis. Ac de tribus bonorum generibus, quæ sola sunt laudabilia: primùm externa: deinde de corporis: postremò animi eius bona succinctè persequar. Quod dum facio, uos mihi quæso, uiri præstantissimi, benignos uos, & attentos præbeatis.

Authoris modestia. *Excusatio insufficientiæ.* *Iusta laudandi causa.* *Virgil.* *Partitio.*

GEnus paternum Sigismundi à Cazimiro est, Vuladislai Iagellonis filio. Nemo est autem sic hospes in Polonia, ac in toto fermè Septentrione, cui non sit auditum de Iagellonum familia, quæ iam supra centum, & quinquaginta annos a-

Iagellonum [illegible]

Vuladislaus Iagello. — Vuladislai etymon. — Heduigis regina Ludouici filia. — Lithuanorum ad Christũ conuersio. — Iagellonis studium in propaganda religione. — Bohemi. — Vuladislai regis gesta. — Iagello credulus, et cãdidus. — Suitrigellonis. — Iagellonis filij.

nos apud nos regnat, à uetustis Lithuanorum ducens originem. Cuius princeps Iagello, cui Vuladislao nomen, bono, uero ꝙ omine, quasi qui gloria potens esset, maiores nostri indiderunt. Huius auus, tuus autem Sigismunde Auguste proauus, cum Lithuaniæ, & magnæ partis Russiæ dominatu potiretur, expetitus à Polonis, & ad regnum una cum coniugio religiosissimæ uirginis Heduigis, demortui Ludouici Regis Vngarorum & Polonorum filiæ, repudiatis quibusdam alijs procis, accitus: religioni Christianæ sese, & cunctam simul Lithuaniam addixit, ditionesꝙ suas omnes Poloniæ fœdere sempiterno adiunxit: in curanda, & prodigiosis dæmonum superstitionibus ad ueri Dei cultum conuertendo gente sua agresti, & barbara, per multum laboris, operæ, sumptuumquè impendit. Nec indecorum sibi duxit præpotens Rex, Doctoris, & Apostoli munere fungi apud rudem, & uilem plebeculam, cùm nostri sacerdotes eius linguæ penitùs essent imperiti. In Bohemis quoꝙ ad sanitatem, priscamquè religionem à multiplici errore, quo se authore Ioanne Husso implicarant, reuocandis, non parum operæ sumpsit: cumquè pertinaciores eos esse animaduertisset, Regnum ab eis delatum repudiauit. Silesios quosdam, & Russos Duces domuit. Cruciferos Germanos non modò Lithuaniæ inhiantes, uerùm etiam Poloniam ipsam, parentem & nutricem suam crudeliter, & impiè laniantes, clarissimis aliquot uictorijs repressit: uictis, fractisquè pacem æquis conditionibus dedit. Erat enim singulari lenitate, & mansuetudine, ad remittendas offensas perfacilis, & supra modum credulus: quippe qui fallere neminem ipse consueuisset. Quò magis obnoxius, & opportunus fuit dolis, & iniurijs cum Sigismundi Cæsaris, tum Vitoudi, & Suitrigellonis proximorum suorum, de quibus erat benè meritus: per quos factum est, ut in administrando regno plusculum haberet negocij. Huic decrepita ualdè ætate, cùm duodequinquaginta annos regnasset, uita defuncto, de duobus filijs impuberibus, quos è quarta uxore Sophia Russa Kiouiensium Ducis filia susceperat, maior natu Vuladislaus in regno successit: is qui Vngarorum quoꝙ regno suscepto, & profligatis summa cum gloria aliquot Turcarum exercitibus, cùm priùs ad Macedoniæ, deinde ad Thraciæ fines, hosti pacem petenti formidabilis, cum animosiore, quàm ualidiore exercitu penetrasset, apud Varnam inter confertissimos hostes incautiùs dimicans, certam propemodum uictoriam cum uita pariter amisit: cum undecim fermè apud nos: apud Vngaros uerò non totos quinꝙ annos regnasset.

Vuladislaus rex Vngar. & Pol. apud Varnam à Turcis occisus. — Cazimirus rex. — Prussia per deditionem Polonis adiuncta. — Cruciferi iurant in uerba regis Polon. — Valachus cliens Polon. — Vxor & filij eius sex, & filiæ septem. — Vuladislaus Vngr. & Bohem. rex. — Ludouic. rex. — Anna soror eius, et uxor. Ferdinandi regis Rom. &c. — Ferd. Cæs. liberi. — Cazimirus filius Cazimiri sanctus. — Ioan. Albertꝰ rex Polon. — Alexander rex Polon. — Fridericus Cardinalis.

Post hunc Cazimirus natu minor frater, tuus Sigismunde Auguste auus, regnũ hoc suscepit: cui peruastata à Tartaris (tametsi profligatis semel atque iterum) Podolia & Russia, & amissus per defectionem ad Moschos dominatus Seueriensis, ac domestici motus, seu uteriùs offensę uoluntates multorum, propterea quòd Lithuanis plusculum indulgeret, malisquè consultoribus uteretur, non parùm de æterna fœlicitate detraxêre. Prussiam tamen, & Pomeraniam per deditionem recepit. Cruciferis fœderum non tenacibus post tredecim annorum bellum supplicibus, & iureiurando in uerba sua, & posterorum suorum Regum Poloniæ ada[illegible]is, relicta parte Prussiæ pacem dedit. Valachorum palatinum bellicosissimum Stephanum, in clientelam accepit, & in consilio suo locum ei dedit, ac magno ei ad profligendos Turcas adiumento fuit: cum Vngaris, & Bohemis uario Marte bella gessit. Filios sex, & septem filias ex Elizabetha Alberti Cæsaris filia, Ladislai Vngarorum, & Bohemorum Regis sorore, fœmina honestissima, & religiosissima, suscepit. Ex his uiuens Vuladislaum natu maximum Bohemis, Cazimirum, ac deinde Ioannem Albertum Vngaris Reges dedit. Sed utroꝙ hoc dissensione partium deserto, Vngariam quoque Vuladislaus obtinuit. De quo nati, Ludouicus quidem filius, bimulus uiuente patre coronatus, cùm ei exacta ætate mortuo, in utroque regno successisset, iuuenis admodum, Turcico bello ante unum & uiginti annos apud Mohatium miserabiliter perijt. Anna uerò filia cum Ferdinando Cæsare, qui post Ludouicum apud Vngaros, & Bohemos regnat, nupta, tribus filijs præclaræ indolis, & nouem filiabus superstitibus relictis, anno abhinc altero parturiens, diem clausit extremum. De suprà memoratis uerò duobus filijs Cazimiri Regis, Cazimirus quidem, iuuenis castissimus atꝙ religiosissimus, in Lithuania immaturam mortem obijt, non sine celebri sanctimoniæ fama, quam complura miracula ad sepulchrum eius edita confirmarunt. Ioannes Albertus post patrem octo, & ampliùs: deinde hunc secutus Alexander quinque annos regnarunt: ille quidem maximi animi, sed ante susceptum regnum, quàm regnans, fœlicior: hic à Moscis apud Vedrusios uictus, eosdem apud Oposcam: Tartaros uerò Tauricos apud Clecicum paucis ante mortem diebus insignibus prælijs profligauit: uterꝙ extincti properè, credo ut digniori cederent: post hos Sigismundus hic noster natus est. Hunc secutus Fridericus, sacris initiatus, Archiepiscopus Gnesnen. simulꝙ Episcopus Cracouiensis, & S. Rom. Ecclesiæ presbyter Cardinalis fuit.

Porrò

Porrò filiarum Cazimiri duæ immaturè mortuę: Heduigis Georgio duci Bauarorũ, Sophia Friderico Marchioni Brandenburgensi, Anna Boguslao Pomeranorum, Barbara Georgio Saxonum: Elizabetha uerò (patre mortuo) Friderico Legnicensium, & Bregensium Ducibus matrimonio iunctæ fuêre: & omnem penè Germaniam affinitatibus, & propinquitatibus illustrium uirorum, & mulierum, quas enumerare perlongum esset, nobis deuinxêre. Sed ad institutum nostrum reuertamur. Hoc igitur Sigismundi genus compluribus, quemadmodum uidetis, præclaris Principibus ac Regibus fœcundũ fuit. Atqꝫ is ab ineunte primùm pueritia, unà cum alijs fratribus, ab honestissima, & religiosissima matre, sanctè ac temperanter educatus, & à præceptoribus, uiris eruditis, bonis, grauibus, & pijs ad uirtutem in primis, & pietatem, cultumqꝫ diuinum institutus, in literis quoqꝫ non contemnendos progressus fecit: ita, ut Latinè scribentes, & loquentes sine interprete intelligeret, nec incommodè ipse ea lingua uteretur. Germanicã uerò, cuius propter finitimos atqꝫ etiã incolas Germanos, non exiguus est usus apud nos, exactiùs didicit. Porrò in diuinis Scripturis ita fuit exercitatus, ut multa inde senior meminisset: ac sæpè eas in ore haberet, non ad scurrilẽ iocum, aut ad curiosam disceptationem, ut nunc improbus, ne dicam impius, mos inoleuit, sed seriò, & ad moderandas actiones, uitamqꝫ omnem: eoqꝫ timorem Dei, iustitiam, & uirtutem maximè semper præ oculis habuit. Permultùm enim refert, quibus rebus quis ab ineunte ætate assuefactus fuerit. Nec scio, an ad uitam sic uel sic degendam longè plus faciat, quo modo quis à puero eductus, & institutus, quàm quo modo natus sit. Solent enim plerunqꝫ etiam bonæ, & generosæ indoles, praua, atqꝫ adeò negligentiore quoqꝫ educatione deprauari: uitiosam uerò naturam sæpè bona educatio corrigit. Sic igitur educatus Sigismundus, adolescens singulari indole, modestia, comitate, grauitate, & industria, quæ res maximè ętatem illam commendant, magnam sibi non modò nostrorum hominum, sed etiam externorum, Vngarorum inquam, Bohemorum, Silesiorum, & Germanorũ, cum quibus uixit, beneuolentiam adiunxit. Nam cum regnante Ioanne Alberto fratre post patrem, iuuenis in Vngariam ad Vuladislaum alterũ fratrem se cõtulisset, ibi ea dignatione fuit, ut Vngari, & Bohemi magis eum propemodum, quàm Regẽ suum reuererentur: per eum, quæ cuperent, publicè & priuatim à Rege peterent: eius authoritati, & iudicio libenter starent. Vsqꝫ adeò maiorem uim habet ad tenendos in officio etiam feroces homines, æquitatis, grauitatis, constantiæ, & sapientiæ opinio, quàm regium sceptrũ, quàm etiam carcer, bonorum confiscatio, proscriptio, uirgę deniqꝫ & secures. Itaqꝫ magno omniũ fauore, Glogouiensem, & Opauiensem dominatum, & summã utriusqꝫ Silesiæ præfecturam à Vuladislao fratre obtinuit: adeòqꝫ charus ac uenerandus fuit Silesijs, ut hodie etiam eius imperium grata, & iucunda memoria prosequantur. Quid illud, nónne ingens est bonæ existimationis, & beneuolentiæ hominum erga eum documentum? quòd cùm regnaret iam in Polonia, à Suetijs post eiectum Christiernum Regem, & item ab Vngaris atqꝫ Bohemis, post miserabilem Ludouici fratris filij interitum, ut illa quoqꝫ regna susciperet, expetitus est? Neqꝫ deterrebat Suetios tanta terræ, marisqꝫ intercapedo, quanta à nobis disiunguntur: ac ne Vngaros quidẽ, & Bohemos pacta conuenta cũ Maximiliani Cæsaris liberis, aut Caroli, & Ferdinandi maximorum principũ potentia, si Sigismundus delatum sibi regnum suscipere uoluisset. Apud suos uerò quàm gratiosus fuerit, uel illud permagno argumento est, quòd Ioanne Alberto Rege mortuo, pręlatus fuisset proculdubiò in regno, maiori natu fratri Alexandro cunctorum suffragijs, nisi plus publica quies atqꝫ tranquillitas, & uetusta cum Lithuanis, quos iam Alexander ditione tenebat, fœdera ualuissent. Iam uerò quantum ei honorem summi quiqꝫ Principes habuerint, redite quæso mecum paulisper in memoriam. Primũ enim Maximilianus Cæsar, non minoris animi, quã prudentiæ princeps, dudum hostis acerrimus, post celebrem illum congressum Viennensem, eo ipsum honore prosequutus, ea charitate cõplexus est, ut in loco fratris deinceps eũ haberet: eius gratia fœdus cum Basilio magno Moschorũ duce ictum respueret, ac non modò defenderet contra Sigismundum Cruciferos in Prussia, quos defendendos susceperat, uerùm etiam auxilia ei contra illos, si quid noui molirentur, suo, nepotumqꝫ suorum nomine promitteret. Qua de re extat apud nos diploma eius.

Huius uerò nepos Carolus, qui nunc latè & fœliciter imperat, nónne hũc Sigismundo honorem habuit, ut inclytæ huic reginæ Bonæ, uxori eius coniunctissimæ, Barensem principatum, quem post obitum matris eius in potestatem suam redegerat, redderet? ipsum societate sua, & aureo uellere ultrò dignaretur? sæpè honorificentissimã eius mentionem faceret? neqꝫ unquã Cruciferis, & alijs Germanis bellũ contra eum flagitantibus indulgeret? Adest hic uir clarissimus Stanislaus Lascius palatinus Siradiẽsis, haud ita pridem apud illũ potentissimum Imperatorem legatione functus. Adsunt item uiri pręstan-

Filiarum Cazimiri desponsatio.

Educatio Sigismundi.

Linguarum peritia.

Pius usus sacrarũ literarum.

Educationis bonæ utilitas.

Adolescentia Sigismundi.

Fauor Sigismũdi apud Vngaros, & Bohemos.

Glogouiensis & Opauiensis dominatus, & suprema præfectura Silesiæ.

Regna ei oblata, sed non acceptata.

Gratiosus apud Polonos.

Amicitia, & fœdus cũ Maximilian. imp.

Viennensis cũ Cęsare congressus.

Amicitia cum Carolo V. imper.

Stan. Lascius.

tes, Petrus Opalenius castellanus Gnesen. Stanislaus Borgius Decanus Cracouiensis, Nicolaus Myscouius regiæ mensæ structor. Vellem adesset etiam uir eruditissimus Ioannes Dantiscus, Episcopus Varmiensis: qui omnes idem munus apud eundem Imperatorem cum laude superioribus temporibus obierunt. Ex his cuiq; licet discere, quantopere ille Princeps maximus, & grauissimus Sigismundum regem obseruârit. Quid frater eius Ferdinandus Cæsar & Rex potētissimus? nonne plurimū cum & amauit, & coluit? Nónne eius arbitrio controuersiā suam cū Ioanne Rege regno Vngarorū permisit? Non dico, quibus uerbis, & rebus præterea sæpenumerò idem Rex quanti Sigismundū faceret, declarauit. Possem autem non uano rumore accepta referre, sed quę cùm de grauibus uiris accepi, tum ipse explorata habeo, cùm nuper ad illum à te, rex Sigismunde Auguste, cū Nicolao Radiuilo, uiro illustri, & acuto, Lithuaniæ summo Marschalco missus essem. Ne illud quidem commemoro, quanto animi dolore idem nuper Sigismundi nostri mortem prosequutus, quantoq; studio pariter, & apparatu exequias ei in maxima principū Germaniæ celebritate fecisse dicitur. Vt autem & Gallorū Regem Franciscum, qui anno superiore decessit, Iulium secundum, Leonem decimum, Clementem septimum: & hunc qui nunc præsidet, sapientissimum Paulū tertium, Pontifices maximos prætercam, quorum illustria habiti huic Regi honoris documēta commemorare possem: ut magnorum item & grauium quorundam Germaniæ principum perhonorifica de ipso elogia, quæ ipse his auribus audiui nuper, omittam. Barbari nónne eum præ cæteris Regibus, & monarchis reueriti sunt? Quo enim Rege cultior, & populosior fuit Russia, & Podolia? hoc est, quo Rege quietiores fuêre Tartari, prædis & rapto alioqui uiuere soliti? Quid ego dicam de Turcis, qui fœlicitate sua elati, omnes homines atq; Gentes præ se contemnunt? Annón Solimannus bellicosissimus, & fœlicissimus eorum Imperator, cum eo perpetuū fœdus percussit, & religiosè coluit? negare id alijs postulantibus, aut ad tempus modò concedere, nec admodum superstitiosè seruare solitus. Annón Valachis ac Tartaris uectigalibus suis, ne Sigismundi Regis ditiones infestarēt, edixit? An non idem, huic etiam eius filio Sigismundo Augusto, per Petrum Opalenium, & Ioannem Ocesium castellanum Biecensem, uiros ornatos, pacem, & amicitiam in gratiam patris promisit? Annón eiusdem intuitu, filiam eius Isabellam reginam uiduam, nepotemq;, hactenus incolumes esse barbarus tyrannus passus est? qui ne ad Valachiam quidem adspirasset, nisi cum intempestiuè, ne quid aliud dicam, dissensiones nostræ animassent. Quid Selimus Solimanni huius pater, ferox, & in patrem etiam suum impius, annón Sigismundi amicitiā splendida legatione olim expetiuit? Nimirum admirabantur in eo cuncti uirtutem, grauitatem, & constantiam singularem: reuerebantur etiam nonnihil eius fœlicitatem. Quis enim tot annorum spacio in tanta orbis terrarū perturbatione fœlicius eo regnauit? quis regnum, superiorum Regum infœlicitate diuexatū ac deformatum, aut pacatius administrauit, & retinuit, aut florētius, & opulentius reliquit? Quis tot ac tamdifficilia bella, tam secunda fortuna, tantaq; celeritate confecit? Commemorantur à ueteribus scriptoribus, Cyrus Persarum, Alexander Macedonum, Mithridates Ponti, Carolus Magnus Germanorum, maximi & fortunatissimi Reges. Celebrantur Alcibiades, Conon, Themistocles atq; Timotheus Atheniensium: Agesilaus, Pausanias, Lysander Lacedæmoniorū: Pelopidas, & Epaminundas Thebanorum: Hannibal, & Asdrubal Carthagensium: Romanorum uerò (ut multos omittam) Fabij, Scipiones, L. Lucullus, Gn. Pompeius, & C. Cæsar, clarissimi Duces, & Imperatores. Ne nostrorum quidem Boleslaorum, & Vuladislaorum obscura est gloria. Verùm illi omnes partim cum imbellibus populis rem habuerunt: partim bello fœlices, cæteris rebus infortunati fuerunt: partim cladibus uictorias propemodum adæquarunt: partim etiam aliquousq; à fortuna euecti, in medio cursu destituti, & ad extremum sæuis eiusdem procellis obruti sunt. At Sigismundum nostrum ab initio ad finem usq; secūdo flatu fortuna prosecuta est. Cum quibus uerò bella is gessit? Nempe cum potentissimis Moscis, ferocissimis Tartaris, acerrimis Valachis, fortissimis Germanis, cum Turcis denique, uel ipsa uictoriarum perpetuitate formidabilibus. Quarum gentium ualidos exercitus, uel insignibus prælijs uicit, & profligauit, atq; adeò deleuit etiam, uel castris exuit, uel denique regiones earum impunè uastauit: quasdam etiam domuit. Atque, ut à Tartaris, perpetuis nostris hostibus incipiam: horum quidem non contemnendos tres exercitus apud Slucum tribus prælijs duce Constātino Ostrogio, principe omnium sæculorum memoria dignissimo, ad internecionem penè cecidit. Deinde apud Visnoueciam uigintiquatuor millia, cùm se per Russiam populabunda diffudissent, sexies fusa leuibus, & particularibus prælijs, ad extremum tota acie in abeuntes facto impetu, Nicolao Camenecio palatino Cracouiensi, & eodem Constantino, ducibus profligauit, cùm nostri sex millium equitū numerum non excederent, de quibus

Petrus Opalenius. Stan. Borgius. Nicol. Myscouius. Ioann. Dantiscus episcopus. Amicitia cum Ferdinando rege, & Cæsare. Nicol. Radiuilus, & Mart. Crom. oratores ad Ferdinand. Amicitia cum maximis regibus, & pontificibus Rom. Barbari Sigismundū reueriti. Cū Solimāno. Ioan. Ocesius orator ad Solimānum Turc. Imper. Isabella regina Vngar. Regnū florens & pacatum. Reges, & duces inclyti. Cōparatio Sigismundi cū claris. principib. Bella Sigismundi. Victi ab eo Tartari diuersis prælijs. Constantinus Ostrogius dux. Nicolaus Camenecius.

uix

uix centum eo prælio desiderati sunt. Hostium uerò multò minor pars pernici fuga euasit. In Valachia quoq; ante multos annos à Bogdano Palatino, huius Regis auspicijs, & armis ijdem hostes graui prælio uicti sunt. Ne illæ quidem uictoriæ sunt, quæ apud Voronouiam Ioanne Camenecio, apud Buscum Stanislao Lanscoronio, apud Zincouiam arcem Iacobo Sencignouio, atq; iterum palatino Kiouiensi, in Volinia Constantino, & Ostaphæo ter, apud Ollaconiam hostilem arcem eodem Ostaphæo, & Prædislao Lanscoronio Ducibus, & quæ in Podolia Trebinij, quæque apud Camenecia, & Vereltatincium pagum, & compluribus alijs in locis Nicolai Senauij uiri fortis, & magnanimi, qui nunc palatinus Belsensis est, ductu, & fratrum eius Alexandri, & Procopij, ac Bernardi Prætificij Silesij opera partæ sunt. Nam leuiora cum his apud Trebouuliam, Podhaiciam, Medibozum, & multis alijs in locis prosperè item gesta certamina, sciens, uolensque prætereo, ne sim longior. Tot enim ferè sunt, quot excursiones ea gens rapacissima, & famelica, & uel è flamma, quod dicitur cibũ petere solita, in ditiones eius ipso regnante fecit: perraro enim impunè id abstulit. Quid illa apud Caniouiam in Lithuania ante unum & uiginti annos, nonne omnibus seculis est memorabilis uictoria, qua uiginti sex millia Tartarorum eodem illo Constantino duce parua manu profligata sunt?

Valachi uicti. *Ioannes Camenecius.* *Stan. Lanscoronius.* *Iacobus Sencignouius.* *Ostaphæus.* *Prædislaus Lãscoronius.* *Nicolaus Senauius.* *Bernard. Prætificius.*

Cum Turcis nullum hic Rex apertè bellum gessit: sed tamen aduersùs eos, cùm uel Tartaris intermixti è Podolia prædas agerent, uel Valachis opem ferrent, uel deniq; nostros circum Bialogrodum, quod & Moncastrum uocant, populabundos insequerentur, cùm ab alijs, tum à Prædislao Lanscoroniæ Regis huius auspicijs prosperè dimicatum est. Bis contra eosdem in Vngariam Ludouico Regi missa auxilia: quo quidem utroq; tempore, utinam priùs quidem uiro illustri, & incomparabili Ioanni Tarnouio, earum copiarum ductori: posterius uerò Gnoinio obtemperatum esset. Vterq; Turcica arma, uiresq; periclitatus erat in Podolia: cùm illi inde, irritati à nostris, aliquoties prædas egissent. Sed magis comes Tarnouius, cuius præclara uirtus enituit, quo tempore Turcę ad tredecim millia, Podoliam, & Russiam ad Leopolim usq; & fines Vngariæ ferro, ignique uastantes, tria millia, plus minùs de suis, particularibus aliquot prælijs fusi, amisêre. Quod si idem robur animi fuisset in eo, penes, quem tunc erat militare imperium, potuerat exercitus ille cunctus deleri. Taceo duodecim millia Turcarum in Austria, ante quindecim (nisi fallor) annos, nostratium trium millium opera, & uirtute in primis penè ad internecionẽ deleta. Nam ij tunc, quamuis Sigismundo regnante, tamen non publicè, neq; Sigismundi auspicijs, sed Caroli Cæsaris, & Germanorum stipendijs militarunt. Iam Valachos dolis atq; artibus usitatis fretos, & clade nostrorum Ioanne Alberto regnante apud Bucophinam syluam accepta, Turcarumq; ac Tartarorum auxilijs tumentes, quanta non modò fœlicitate, uerùm etiam celeritate uicit, ac domuit: cęsisq; eorum copijs, uastatis longè, lateq; agris, senatu penè omni capto, Bogdanum regulum gentis, quem Voieuodam, & Palatinum uocant, restituentem prędam, quam paulò ante in Russia cœperat, in uerba sua iurare coëgit: & amissam maiorum suorum culpa Pocutiam ab eo recepit. Nostra uerò memoria, cùm Petrus palatinus rebellasset, Pocutiamq; rursus inuasisset, primùm sex millia hostium apud Guosdeciam arcem, ac mox uiginti duo millia apud Obertinum pagum uix à quatuor millibus nostrorum, duce hoc Ioanne comite Tarnouio uiro clarissimo, & primario bellatore, insigni, & inopinata clade profligata sunt, erepta cum bombardis cætera impedimenta, Palatinus ipse saucius uix fuga euasit. Nec tamen ad officiũ redijt, donec postea in arce Chocimensi obsessus, & ad extrema redactus, solenne unà cum proceribus, & cuncta nobilitate sua regi iusiurandum dedit. Porrò cum Germanis Prussiam sibi uendicantibus, quo tempore tu Sigismunde Auguste natus es, bellatum quidẽ uariè, sed nunquam, nisi prosperè à nostris dimicatum est. Nempè apud Prusmarcum, Zeburgam, Gutestadiam, Brunsbergam, Reslam, & Rastemburgum, à Iacobo Sencignouio: apud Pisiam à Stanislao Masouiorum duce: in sinu Varmiensi, siue Habo lacu nauali pręlio à Gdanensibus, bis apud Bartensteinã, sæpiùs à Prædislao Lanscoronio, & Ioanne Zaremba palatino Calisiensi multis in locis: apud Heilsbergam ab Alexandro Ilouio, Gdani, & Elbinge, cùm eas urbes adorti essent, à ciuibus fusi, & profligati: ad extremum tot cladibus, & media, uigilijs, & iugi nostrorum equitum uexatione fracti, & ad paucos redacti, Prussia excessêre.

Tarnouij laus. *Bella cum Turcis gesta.* *Præd. Lansc.* *Ioan. Tarnouius Comes.* *Gnoinius.* *Bogdanus Valachus uictus.* *Petrus Valachus ductu Tarnouij uictus.* *Bella cum Cruciferis Teutbonicis gesta in Prussia.* *Iacobus Sencignouius.* *Lanscoron.* *Ioan. Zarẽba.* *Alexander Ilouius.*

Quid ego de Moschis loquar? qui uel præcipuam gloriæ, & uictoriarum materiam huic Regi prębuêre. Apud Poloscum, olim quidẽ septem millia hostium à Ioanne Boratinio, uiro acri, & animoso, interfecta: deinde uerò tredecimo abhinc anno, cùm ij Lithuaniã non ampliùs decẽ & octo miliarijs à Vilna metropoli, hyberna excursione depopulati, reuerterẽtur, mille extremi agminis, quos solos Lithuana nobilitas cũ aulico Regis comitatu, tumultuariè accurrẽs, assequi potuit, trucidati. Superiori etiam quodam tempore in inte-

Victoriæ de Moschis partæ. *Ioannes Boratinius.*

in interiore Lithuania prædabundi, magnum suorum numerum, & prædam, quam abigebant, Lithuanis insequẽtibus, amisêre. Iam apud Starodubum Radogostiam, & apud Smolenscum aliquoties ante tredecim annos, ductu Georgij Radiuili castellani Vilnensis, non sine magnis cladibus profligati: apud Orsam uerò cùm primũ Sigismundus regnare cœpisset, ne expectare quidem nostros, dum Boristhenem tranarẽt, sustinuêre, experti uim eorum in una, & altera turma, quæ primo impetu incredibili audacia traiecerant: uerùm dilapsi, cùm uastari sua ultra Vesmam etiam atq; Drohobusum cernerent, denuò coadunati ad centum millia, ne adoriri quidem ter mille nostros mercenarios milites cum paucis Lithuanis longiùs à castris regijs ad Smolenscum positis progressos, ausi sunt. Magnis uerò incommodis affecti, Mosuro, Turouio, & alijs quibusdam munitionibus, quas dudùm Michael Glinscius ad eos perfugiens intercœperat, redditis, commutatisq; captiuis quinquaginta nobilioribus ac senatorij ordinis, quos de Lithuanis Alexandro Rege uicto apud Vedrusios cœperant, pacem accepêre. Nec maiore ij fuêre fiducia longe pòst, cùm Radogostiam, ac deinde Ioanne Tarnouio nostros ducente, Homiam & Starodubum arces à nostris partim ui captam, partim in deditionem acceptas amisêre. Et Starodubum quidem, cùm ampliùs quindecim millibus armatorum, qui fuerunt in eius arcis presidio: qui soli nostrorum numerum longè superabãt, uirtute perpaucorum militum nostrorum, & sulphurati pulueris, ignisq; adiumento expugnatum & euersum. Neq; uerò ij tanto temporis, hoc est, plus quàm uiginti annorũ interuallo, quantum inter Orsensem pugnam, de qua iam dicam, & hoc extremum Starodubense bellum intercessit, abiectos semel spiritus recipere potuêre. Orsensem uerò illã celeberrimam, & cum omnibus ferè omnium gentium atq; seculorum uictorijs comparãdam uictoriam, quid hîc pluribus commemorare attinet? Eadem opera soli lumen adderem. Quis enim est, qui nesciat, illo prelio, Constantino Ostrogio principe, & Ioanne Suirzouio ducibus, octoginta millia Moscorum bellatorum, qui omnem nostrum exercitum nõ modò proterere posse uidebantur, uerùm etiam Boristhenem tranare passi, pecudum in modum flagris abigere in Moscouiam destinarant, ingenti strage interfecta esse: ita ut desideratorũ numerus ad quadraginta ferè millia peruenisse, uel certè duo & triginta millia superasse dicatur? Ductores eius exercitus, uiros illustres, omnemq; senatum gentis, & supra quater mille captiuos uiuos in potestatem uenisse, direpta castra opulẽtissima: ducem ipsum Basilium bellatorem exercitatum, & contra Tartaros, & alias gentes finitimas uictoriosum ûsque ad regiam suam Mosquam profugisse: atque ibi ampliùs centum, & uiginti milliaribus bene longis à loco conflictus, tamen uix tutò se subsistere posse credidisse. Tantus uerò tunc pauor Moscorum animos occuparat, ut Smolenscum, Seueriense Nouogrodum, & complures alias munitiones, quæ ferè fraude, & perfidia Russorum, partim hoc ipso Rege regnante, partim superioribus temporibus in potestatem hostium uenerant, desertas tunc ac uacuas defensoribus, nullo negocio recuperare nostri potuerint, si prosequi statim uictoriam per tempus anni quieuissent. Atq; hæc quidem sunt bellica huius Regis decora præcipua (nam leuiora multa prætereo, ne anxiè & minutatim cuncta exquirere, & persequi uidear) quæ quidem hoc sunt admirabiliora, quò magis inopinata: ut potè in summa ærarij inopia, & pleraque omnia longè imparibus uiribus gesta: ita, ut benè cum nostris agi uideretur, quoties non plus duplo hostium multitudo excederet. Has tot ac tantas uictorias, tanta imparitate copiarum quæsitas, nihil mirum est (ut est rerum humanarum conditio uaria, & instabilis) si quæ clades interpolarunt. Sed quot'nam, & quantulæ sunt eæ? Vna apud Socalum à Tartaris, temeritate Russicæ nobilitatis accepta, ubi quatuor fortasse millia nostrorum à quadraginta millibus Tartarorum loci opportunitate usorum, defatigata ueriùs, quàm superata, non incruentam hostibus uictoriam concessêre. Nostri mille ducenti desiderati, barbarorum uerò cæsa quatuor millia. Itaque raptim ij cum præda, quamuis uictores retrocessêre. Altera apud Serethum amnem, cùm perpauci nostri in hostico palantes, à Valachis circumfusis oppressi sunt: ubi tamen nõ plures, ducentis nostris periêre. Nam cum peruastata longè, lateq; circum Pescouiam, siue Plescouiã Moscouia, ab oppugnatione Oposcę à ualido hostium præsidio refecti sumus, ignominia illa ueriùs, quàm clades fuit, ductorum inscitia, & incuria (nolo dicere ignauia) accepta. Amissa uerò magna pars Albæ, Russiæ Michaelis Glinscij, hominis ambitiosi, & Alexandri regis gratia inflati, proditioni, & Russorũ atq; præsidiariorum militum perfidiæ imputanda est. Porrò apud Ozacouiam, cùm uir in primis strenuus, Nicolaus Senauius eò usq; cum mille (opinor) equitibus priuato consilio populabundus excurrisset, priuata illa, nõ publica clades fuit, crudelitate eius, & perfidia Tartarorum contracta. Hę sunt uniuersæ clades, quas Sigismundo regnante accepimus, quę omnes una aliqua ex his, quas superiùs percurrimus, uictorijs abundè expiatę & compensa-

Georgius Radiuilus.

Orsẽsis de Moscis memorabilis uictoria.

Ioannes Suirzouius.

Basilius Moscouitarum princeps.

Clades paucæ & paruæ in tot bellis.

Michael Glinscius.

Nicolaus Senauius.

pensatæ sunt: nec scio, an quasi nebuli quidam formosum corpus, uel nubeculæ meridianum solem, tot illas clarissimas uictorias illustriores reddidêre. Bellóne autem tantùm clarus, an etiam pace Sigismundus fuit? imò uerò pace, quàm semper expetiuit, clarissimus. Testantur id tantæ opes & facultates hominum nostrorum, tam opulenta cùm externis commercia, tantus splendor, ne dicàm luxus, tanta elegantia cùm in ædificijs, & uictu, cultuque corporis, tum in sermone, & moribus, quanta nunquam ante hunc Regem in Polonia fuit. Loquuntur leges diligentiùs aliquanto conscriptæ, clamant tot arces instauratæ, tot exornata templa Dei Opt. Max. tam splendidè, & magnificè exædificata publicis iuxtà ac priuatis ædificijs Cracouia, Posnania, Leopolis, Varsouia, Lublinum, Gdanum, & aliæ quædam urbes atque emporia: tam denique culta, & habitata Russia, Prussia, Lithuania, & Podolia, quæ regiones antea syluestres, & incultæ, aut superiorum temporum conditione desertæ magna ex parte iacuerant. Quid ego priuatos Sigismundi thesauros, & ærarium sine ulla cuiusquam iniuria, in extremos Reipub. usus asseruatum? quid tot ac tantas possessiones à maioribus eius oppigneratas, ab hoc uerò redemptas, commemorem? Hæc eo sunt maiora, & magis honorifica, quò fœdius fuit ac deformius, quosdam ante eum Reges quotidianis quoque sumptibus interdum defectos esse. Iam uerò non minima est & illa fœlicitatis accessio, quòd eo regnante Zatoriensis ditio, & Masouia post quadringentesimum ferè annum ad corpus, & compagem Poloniæ rediuerunt: Prussia recusatum diu, & aliquoties excussum iugum accepit: Pomerani Stolpenses ad intermissam aliquãdiu huius regni societatem, & clientelã, iureiurando adacti, reuenére: in qua tamen nostra conniuentia non diu permansère. Porrò in commemorandis coniugijs, & liberis, quæ non exigua fœlicitatis humanæ pars est, diutiùs me immemorari necesse non est. Permulti sunt in hoc cœtu, qui priorem eius uxorem, Barbaram, Stephani comitis Scepusiensis, ac Transyluaniensiũ palatini, cuius ductu nonnunquam cum Turcis Vngari fortiter dimicarunt, filiam, Ioannis postea regis Vngarorũ sororem, fœminã sanctissimam, & pientissimam, nouerunt: quæ quidem maximã illam Orsensem de Moschis uictoriam assiduis diurnis ac nocturnis precibus, cum lachrymis, & profusa in egenos beneficentia, asperioreque cultu corporis, & ieiunio coniunctis, à Deo impetrasse existimata est. Quæ quàm coniunctè cũ uiro uixerit, magno & longo mœrore, & uberi fletu, ac penè muliebri eiulatu post mortẽ eius indulgentissimus rex testatus est. Hac immaturè intra tertium annũ amissa, alterã suasu Maximiliani Cæsaris duxit, Bonam Sphortiam, Ioannis Galeatij Sphortiæ Mediolanensium ducis & Isabellę Arragoniæ filiam: cuius auus maternus, Alphonsus eius nominis secundus, Neapolitanorũ rex, & stirpis Arragoniorum ac Siculorum regum, de qua Carolus quoque, & Ferdinandus summi monarchæ maternum genus ducunt, antiquitate, & sua uirtute fuit clarissimus. Paternus uerò proauus Franciscus Sphortia, Sphortiæ, qui primus eam familiam rebus magnis gestis fundauit, filius, cum plurima, & grauissima bella cum maximis principibus, potentissimis populis, & præstantissimis bellatoribus per omnem Italiam prosperè gessisset, nominisque sui ac terrore eam impleßet, à Philippo Maria Mediolanensi duce, Blancæ Mariæ filiæ coniugio, dotalique Mediolanensium principatu dignatus est. Hoc igitur tali genere prognatam Bonam, alteram uxorem Sigismundus rex accepit. De qua, quoniam præsens adest, graui dolore, & mœrore amissi dulcissimi mariti, quemadmodum cernitis prostrata, nihil dicam ampliùs, nisi quòd triginta fermè annos cum eo nupta, tanti ea fecit maritum Regem, ut his extremis aliquot annis ægrotantem, & uiribus planè destitutum, non coniugali charitate, sed ancillari planè ministerio sine omni fastidio curaret. Quo factum est, ut plurimùm ei uicissim Rex amantissimus indulgeret. Harum uerò duarũ uxorum è Barbara quidẽ Heduigim filiam susceptam, fœminã lectissimam, Ioachimo Marchioni Brandenburgensi, Electori Roman. Imperij, matrimonio iunxit, & nepotibus ex ea uiuens adhuc auctus est. E Bona uerò maximam natu filiam Isabellam, fœminam excelso & regio animo præditã, Ioanni regi Vngarorum, affini iam prius suo nuptui tradidit: nepotemque ex ea, quemadmodum fertur, indole puerum suscepit: quæ mulier complures iam annos post mariti mortem in præcipua iacentis & afflicti Regni parte regnat. Reliquas uerò tres, Sophiam, Annam, & Catharinam, uirgines spectatissimas, magnorumque Regum connubijs dignas, quas hic dolore immaturè amissi patris miserabiliter lamentantes, & humi abiectas uidetis, elocari ipsi, ita ut optabat, datum non est. Filius uerò unicus hic Sigismundus Augustus, puer etiamdum decimum agens annum paterno Regno, ipsius opera, studioque ante decem & octo annos inauguratus, pòst iuuenis factus, uxorem accepit uoluntate patris, Elizabetham, Ferdinandi Cæsaris, & Vngarorum, ac Bohemorum Regis filiam natu maximam. In qua muliere genus cum forma, forma cum comitate, & mansuetudine, hęc

cum

Pacis studia. *Splendor, & elegantia Polonorum.* *Leges.* *Arces instauratæ, & templa.* *Vrbes opulentæ sub Sigis.* *Thesauri Regis.* *Zatoria, & Masouia recuperatæ.* *Prussia, & Pomeranorum clientela accepta.* *Coniuges.* *Barbara uxor Sigis.* *Altera uxor Bona Sphortia.* *Alphonsus rex Arragonum.* *Franciscus Sfortia dux Mediolani.* *Bonæ reginæ fides, & obsequium.* *Sigismundus plurimũ indulsit Bonæ.* *Heduigis filia.* *Quatuor filiæ Sigism. è Bona.* *Isabella regina Vngariæ.* *Filius Sig. Augu. puer coronatus.* *Elizabeth prima Sigis. Aug. uxor.*

Elisabethae laus. cum probitate: probitas denique cum pietate (quae ipsi patria uirtus fuit) certabat, ita ut nescires, quid in ea potissimùm admirareris. Quae utinam uixisset diutiùs, & editis socerò optatis ac sui similibus nepotibus, fœlicitatem eius perfecisset, tranquillitatemq; huius regni stabiliuisset. Sed nō merebantur haec, opinor nostra scelera. Nunc ad Sigismundum redeo. Nónne igitur hoc singularis cuiusdam fœlicitatis fuit, Rege patre, patruo, auoq;: matre uerò Caesaris filia, & magni Regis sorore ortum esse: tres fratres, & unius ex his filium, Reges uidisse: Regem & ipsum supra unum & quadraginta annos tranquillè, fœliciterq; regnasse? Summis Principibus uenerabilem, hostibus formidabilem, caeteris admirabilem fuisse? regnum légibus, opibus, aedificijs, humanitate, elegantía, & gloria lōngè florentius, quàm acceperat, reliquisse? Filiam reginam, alteram uerò regina non inferiorem, & ex his nepotes & neptes habuisse? Filium denique Regem secum, & post se fecisse? morientem, permagnum sui desiderium bonis omnibus reliquisse? Nónne haec (inquam) ei praeclarissima, & longae posteritati memorabilia in hac uita contigerunt? Atque haec tamen pleraque omnía externa sunt bona, in quibus fortuna plurimum sibi uendicat: sed ab eo tamen ratione & consilio moderata sunt. Quid ego nunc formam, & staturam eius, robur cuiusuis honesti laboris patiens, dignitatem oris, dignamq;, ut ait Poëta summus, Imperio faciem, depingam? Quod si facere maximè uelim, nō possim. Prius enim ferè haec in eo aetate ingrauescente marcescere cœperunt, quàm ego in hanc lucem prodij: sed tamen permanserunt in eo etiam affecta iam aetate, non obscura earum rerum uestigia. Roboris uerò, & uirium eius argumenta, fractae inter manus non semel florentiore aetate ferreae equorum soleae, rupti funes canapei crassiores, intensae manu balistae, discerpti lusoriarum chartarum fasciculi, à maioribus natu, qui haec fieri ab eo uiderunt, praedicantur. Atque haec leuiora fortasse cuiquam uideantur. Illa quidem non in postrema bonorum parte numeranda sunt, sanitas, quae ipsi perpetua ferè ante extremam senectutem fuit: integritas, & solida compago membrorum, quae afflictas morbo uires facilè recuperabat: uigor sensuum, qui ad extremum usque eum non destituit: firma, melioribus praesertim annis, memoria: denicq; acumen ingenij, quo fratres, maioresq; suos longo interuallo anteiuit. Sed & haec omnia, ut sint magis propria hominis, quàm illa superiora, tamen ad corpus ferè, quae deterior pars hominis est, pertinent, nec magna laude, & admiratione digna sunt, quippe cum quibus nascamur, quaeq́ue in potestate nostra non sint, & ingenuo cum seruis, urbano cum rusticis, nobili cum plebeis, regi cum mediastinis, & baiulis: denique bono uiro cum improbis sint communia. Tametsi ne mutae quidem pecudes, penitus horum bonorum expertes sunt, quin pleraque in illis, quàm in nobis, maiora, & illustriora spectantur. Viribus quidem ab ursis & leonibus, agilitate à ceruis, & bisontibus, longaeuitate ab ijsdem ceruis, specie fortassis ab equis & pauonibus, sanitate à piscibus, sensuum uigore à lyncibus, aquilis, canibus, uulturibus: industria, & ingenio quodammodò ab elephantis, uulpibus, & apibus: sic alijs rebus ab alijs fortasse superamur. Caeterùm in animo uera hominis, & propria laus est. Corpus enim partim instrumentum, partim domicilium, partim etiam carcerem, & ergastulum animi, sapientissimi homines esse uoluerunt: animum ferè hominis appellatione dignati sunt. Qui uerò mollissimè senserunt, partem quidem hominis, sed longè deteriorem corpus dixerūt: in animo omnem hominis excellentiam, & principatum collocarunt. Quocirca his, quae externa, quaeq́ue corporis bona dicuntur, ita obiter transcursis, ad eas, quae sunt propriae hominis, atq; adeò magni & excellentis Principis laudes, transeamus. Quas dum, quanta maximè breuitate poterimus, persequimur, quaeso, ut benignè, & attentè, quod fecistis adhuc audiatis. Virtutem, summam animi, atq; adeò hominis perfectionē, quicunq; rectè philosophati sunt, dixerunt, eiusq; uirtutis prudentiam, fortitudinem, temperantiam, atq; iustitiam, quatuor partes, & quasi fontes quosdam, unde officium, & omnis honesta & laude digna actio manaret, esse uoluerunt. Quae nam ergo ex his in hoc praestantissimo Rege desiderata est? Prudentiáne? quę ex praeteritis & praesentibus, ea quae deinceps euentura sint, colligit: causas rerum uidet, rectè de rebus iudicat, sibi, suisq; in longū prospicit, impendētia mala sapienter auertit: at ea summa & admirabilis in eo fuit. Argumento est, benè, & cum approbatione cunctorum, quoad ei per aetatem, atq; morbum licuit, administrata, & inter tot undiq; imminentes hostes per tot annos incolumis conseruata Respublica. Nam quis sapientius eo, siue ex legibus, & moribus nostris, siue ex aequo & bono ius dixit? Nihil eum uarietas legū atq; morū, quibus alijs equestris ordo, alijs oppidani, alijs agrestes, deinde diuersis Poloni, Lithuani, Masouij, Prussi, Silesijq; utuntur: nihil diuersa, & pugnantia nonnunquā senatorum iudicia, quò minùs ius suū cuiq; tribueret, perturbarunt. Accidit interdum, ut post dictas à senatu sententias, ultima ipsius, ab omnibus diuersa, & tamen omnium esset aequissima. Porrò in consilijs de Republ. nihil

temerè

Marginal notes: *Nobilitas Sig. regis & foelicitas.* — *Bona corporis forma.* — *Robur, & uires.* — *Sanitas.* — *Ingenium.* — *Vigor sensuū in quibusdam pecudibus.* — *Bona animi. [illegible] propria hominis est in bonis animi.* — *Virtus, et eius partes.* — *Laus Sig. [illegible] uirtutibus.* — *Prudentia.* — *Gentes & [illegible] legis uariae.*

temerè, & inconsultè faciebat, cuncta ad publicam, non partis, aut ordinis huius, uel illius, sed omnium utilitatem referens, fortunæ quàm minimum sese, suaq́ꝫ permittens: ac tuta consilia lubentiùs, quàm callida, & periculosa semper secutus. Bella, in quibus fortuna plurimùm dominatur, nunquam appetiuit: nec nisi necessariò, & graui iniuria prouocatus, suscepit, & ita quidem, ut ab illa comici Poëtæ sententia non discederet: Omnia priùs experiri, quàm armis, sapientem decet. Itaq́ꝫ à quietis consilijs nunquam, ne inter media quidem arma, & rebus ad nutum fluentibus, abhorruit. Regna à Suetijs, Vngaris, & Bohemis (quemadmodum superiùs dixi) delata recusauit, ne se, patriamq́ꝫ suam nouis, & periculosis bellis implicaret. Valachos subiugare, siue adeò exterminare, ob rupta crebrò fœdera cùm posset, noluit: ne uel illi desperatione adducti, Turcis sese dederent, uel redacta in prouinciæ formam Valachia, & amoto quasi obice, ipse difficilimum cum potentissimis Turcarum tyrannis bellum de finibus gerere cogeretur. Non quòd à pia contra barbaros ac deuotos Christiani nominis hostes expeditione penitùs abhorreret: sed quòd suas, illorumq́ꝫ uires iusta lance metiretur. Sic enim iudicabat, neq́ꝫ suum esse, neq́ꝫ unius planè cuiusquam principis, tam ualidum hostem, qui Asiæ, Aphricæ, Europæq́ꝫ magnam partem ditione teneret, florentissimum Græciæ imperium euertisset, Caramannos, Cilicas, Syros, Aegyptios, & nescio quas prætereà gentes una æstate subiugasset, deniq́ꝫ latissimè dominanti Persarum Regi grauis esset, debellare. Coniungenda esse Christianis principibus arma, si hostem illum à ceruicibus suis uellent depellere.

Cõsilia quieta

Regna oblata repudiata.

Valachi cur non subacti.

Bellum contra Turcas cur deuitauit.

Cùm ergo animaduerteret, cæteros principes feralibus odijs inter se digladiari, ac totum penè orbem Christianum plus, quàm ciuilibus bellis ardere, omni honesta ratione semper Turcicum bellum declinauit: & Ludouico, fratris filio, Vngarorum, & Bohemorum regi sedulò idem suasit: qui iuuenis si patrui, quàm ferociorum quorundam consiliariorum suorum, consilijs obtemperare maluisset, oblatamq́ꝫ à Turcis pacẽ accepisset, seu uerius ipsis expetitam dedisset, uiueret fortassis adhuc, neq́ꝫ munitissimum Christianorũ regnorum propugnaculum Vngariam secum unà perdidisset. Hæc sanè fuit causa, cur apud pientissimum, & Christianissimum regem Sigismundum nihil ualuerunt Iulij secundi, Leonis decimi, Adriani sexti, & Clementis septimi Pontificum maximorum preces, & exhortationes, ad suscipiendum contra Turcas bellum incitantium.

Dissuasor belli Turcici.

Consilium Sigismundi à Ludouico rege Vng. neglectũ.

Pontificũ exhortationes ad bellum Turcicum.

Optabat quidem sapientissimus Rex tempus illud, cùm Christiani principes restinctis intestinis bellis, reconcialiatisq́ꝫ inter se animis, ad inferendum Turcis bellum conspirarent: plurimumq́ꝫ in id operæ, laboris, & sumptuum impendit, siue quando cum Maximiliano Cæsare congressus est: siue cum missis non semel ad dissidentes principes, & ad Pontifices maximos, ueluti præsides, & moderatores Resp. Christianæ legationibus, accuratè ac diligenter ea de re egit. Et cũ initiò nõnulla eius rei spes ei affulsisset, non nisi annuas inducias Baiazeti, Solimanni huius auo, petenti dare uoluit. Ea uerò spe frustratus, sæpè diuinauit, nunquã id se uiuente euenturũ esse, ut Christiani principes aduersus communem illum hostem uires coniungerent. Intelligebat enim, quousq́ꝫ nonnullarum nationũ mutua inter ipsas odia processissent: nec defore Turcis, quos à cæterorũ consensu, ad impediendos pios conatus, auellerent. Quid illud? cũ principes Christiani cõplures, quos nominare necesse non est, sub Clemente Pontifice, in suum fœdus, contra Carolum Cæsarem, partim inuidentia fœlicitatis eius, partim potentiæ metu initũ, pertrahere eum non potuerunt? Aut cũ nuper primarij Germaniæ principes, affines ferè ipsius, & prepotens illa tot opulentorum populorum contra eundẽ Imperatorem, & fratrem eius conspiratio, pellicere eum in societatem suam nequiuit? ne eatenus quidem, ut uel pecuniæ non nihil mutuò daret affinibus, & cognatis, uel conatus illos tacitè approbaret, uel deniq́ꝫ, ne suos homines stipendijs eorum militare prohiberet? Cuius tamen rei non leuem ei excusationem dabant apud Cæsares, libertas & instituta nostra. Non modò autem nihil eorũ fecit, sed etiam dissuadere conatus illos, & pacificatorem sese interponere conatus est. Atq́ꝫ utinam ei obsecundatũ esset: non tam uasta quibusdam locis, neq́ꝫ tam exhausta passim esset pecunijs iuxtà ac uiris Germania: & liberi adhuc principes quidã retinerent dominatus suos amplissimos. Sed fortasse sic Deo uisum, ut fastum, & cõtumaciam, prætextu libertatis Euangelicæ, contra sanctissimas leges, & instituta maiorum, contra antiquissimum uniuersi Christiani orbis cõsensum, & contra legitimos magistratus suos impiè sese efferentem, retunderet. Cùm igitur hæc uel faceret, uel recusaret optimus rex Sigismundus, nónne magna fuit illa eius prudentia, cum fide amicitiæ, & constantia coniuncta? Quid? cũ Ioanni regi, bis affini suo, ne regnũ Vngarorum Ferdinando Maximiliani nepoti iam priùs destinatum, susciperet, dissuadere frustrà studuit? aut cũ ei profugo exilij quidem locũ apud se indulsit, ut aliquid necessitudini, & calamitati eius tamẽ daret: auxilia uerò contra eundem Ferdinandum negauit? aut cùm pacem inter eos compone-

Bellum Turcis communi Regum consilio, & ope inferendum.

Baiazetes pacem petijt à Sigismundo.

Bellum contra Carolum imp. semper dissuasum.

Smalcaldense fœdus.

Clades Ligæ Smalcaldicæ.

Germanorum contumacia prætextu libertatis Euangelicæ.

Erga Ioan. regẽ Vng. quomodo se gesserit.

Intempestiua Ioannis ambitio ad regnū. *Gdanum pacatum.* *Cruciferi eiecti è Prußia.*

re magna cura instituit? Cernebat nimirum sapientissimus princeps à longè, quantum mali intempestiua illa Ioannis ambitio Vngaris aduectura, quantisq; malis, & calamitatibus non modò florentissimum illud regnum, uerùm etiam finitimas ei regiones inuoluturum esset bellum illud inter duos de regno conflatum. Iam in reuocādis ad officium Gdanensibus quodam furore multitudinis ad rebellionem concitatis, & in eijciendis è Prussia Cruciferis Marianis tam cupidis, tamq; contumacibus, ut nunquam ab eis Polonia, & Lithuania quietè esse possent, annòn magno & exquisito consilio usus est? Ne illud quidem eius consilium sapientia uacauit, quo, cùm hinc à Moscis graui bello distineretur, inde Cruciferi non leuius bellum ei ostentarent: Maximilianus uerò Cæsar, infensus ipsi adhuc, & hos, & omnes, quoscunq; posset, in eum, & in perniciem Polonorū concitaret: Tartaris donatiuum, siue stipendium constituit, non modò ut ab assiduis eorum incursionibus ditiones suas, alijs quemadmodū dixi, bellis impeditas, liberaret, uerùm etiam, ut eorum opera in uexandis ac distinēdis Moscis, & alijs hostibus suis, paruo redempta uteretur. Qua re tantū profecit, ut & Moscos ad petendam pacem adigeret: & tam culta & habitata sit, quàm nunquam sub fratribus, patre & patruo eius fuit, Podolia.

Stipendiū Tartaris sapienter datum.

Iudicium in distribuendis honoribus, et magistratibus.

Quàm solidum uerò fuit eius iudicium in mandandis honoribus, & magistratibus, & in allegendis in senatum uiris idoneis, quoties id ei arbitrio suo facere per quosdā importuniores, quibus impensiùs indulgebat, licuit? Atq; hoc id admirabilius est, quod difficile est non peccare in hac parte maximis quibusq; Regibus, & Principibus, propterea quòd alienis ferè & oculis cernunt, & auribus audiunt. Iam peculiaris illa eius in omnibus dictis & factis cunctatio, ne ipsa quidem sua commendatione caret. Nimirum sapientis est, nihil temerè, nihil præcipitanter, sed omnia consultè ac deliberatè agere. Sic enim cauemus, ne cuius nos dicti aut facti unquam pœniteat. Itaq; celebratur etiamnum literarum monumentis, non ignobilis populi Rom. Imperator, Fabius Maximus, de quo uulgatus ille Poëtæ cuiusdam uersiculus:

Vnus homo nobis cunctando restituit rem.

Timor Dei principium sapientiæ. *Fortitudo, & magnitudo animi.* *Constantia.*

Atq; hactenus quidem de prudentia Sigismundi regis nobis dictum sit modò. Cuius quidem ipsi causa fuit timor Dei, cum lacte nutricis, ut ita dicam, imbibitus. Initium enim sapientiæ, quemadmodū sapientissimi reges, Dauid & Salomon inquiunt, est timor Domini. Fortitudine uerò, & magnitudine animi, quanta hic rex præditus fuerit, quàm impiger ad propulsanda, & suscipienda pro salute, & incolumitate suorum bella, quàm contemnens earum rerū, quæ maximè in hac uita expetendæ esse uideantur (qualia sunt, regna & imperia) satis iam, opinor, intellexistis ex his, quæ superiùs diximus. Quin ex illo quoque magnitudinem animi eius intelligere licet, quòd Prussico bello, cum terrore non modico aduentantium è Germania auxiliorum, meliore rursus loco res Cruciferorū esse cœpissent, nihil de conditionibus pacis, hosti priùs à se oblatis, mutare uoluit: aut quòd cùm ipsi Lithuaniæ possessionem post mortem Alexandri fratris adeunti, ne nouis quorundā Lithuanorum motibus renunciaretur, non est deterritus, quò minùs institutum cum pauco comitatu aulico iter prosequeretur. Et cùm deinde Michaëlem Glinsium, ducē Russum, qui ad dominatum adspirare, dicebatur, cum ualido equitatu aduentare, in balneo tunc fortè sese abluens, cognouisset, neutiquam turbatus est animo. Venientē cum tranquillo uultu, & comiter accepisset, cuncta ei scelerata consilia (quod Michaël ipse postea fassus esse fertur) è pectore excussit. Tantum eius animi magnitudo, in graui & constanti aspectu relucens, apud hominem Alexandri regis nimia gratia insolescentē, ac dominandi cupiditate incensum ualuit. Sic feroces alioqui canes ad molossorum aspectum proijcere sese, & adulari cauda solent. Quid illud? quòd Vngaris, & Bohemis, cū suis regibus Viennam ad Maximilianum Cæsarem proficisci, fideiq; eius, quem Posonij in constituto congressus loco diu frustrà expectarant, credere sese ob non leues suspiciones dubitantibus: ipse, non sanè amicum ad eam diem expertus Cæsarē, permagna fiducia ire ad eum perrexit, ac cæteris idem faciendi, data fide pro Cæsare, author fuit?

Michael Glinscius.

Fiducia.

Animus in letis & aduersis constans. *Tolerantia.* *Educatio minùs delicata.* *Iniuriarū oblitio.*

Porrò æquabilitate animi in utraque fortuna, tanta fuit, ut neque secundis rebus difflueret, neq; aduersis frangeretur: à superbia, & fastu semper alienus, aditu & affatu facilis fuit. Aestus, frigoris, inediæ, & laboris patientissimus: quippe qui ab ineunte ætate molliciei, delicijsq; minimè assuefactus esset: crassioribus cibis, & pannis, & caprinis pellibus, quod iactitare ipse solitus erat, innutritus. Morbos, & aliæ uitæ incommoda admodùm æquo animo ferebat. Quodam tempore ad sectionem digiti pedis, sacro (ut medici dicunt) igne inflammati, nihil est planè commotus. Porrò cùm arx hæc conflagrasset, illa de re tantū angebatur animi, quod dubitaret, tantisper se deinceps uicturū esse, donec eam instauraret. Publica suorum incommoda depellere, damnaq; uindicare non libenter neglexit. Priuatas uerò suas iniurias, obtrectationes, conuitia, & maledicta insolentiorum ho-

rum hominum ita contempsit, ut nunquam uindicaret, nec esset ob id deinceps ad beneficentiam in huiusmodi homines restrictior. Iam uerò temperantia, & moderatione non modò cum laudatissimis omnium gentium Regibus, & Principibus, uerùm etiam cum priscis philosophis, quorum seuerior & accuratius instituta fuit uita, certare potuit. Nihil ab eo leuius, nihil cupidius, nihil insolentius, nihil dissolutius, & flagitiosius unquam dictum aut factum. Fuit in eo uultus æquabilis, & ad seueritatem compositus, incessus lenis, sermo perpaucus & grauis, sale tamen & lepóre non inurbano, neq; petulanti nonnunquã temperatus: à sordibus semper abhorruit: sed frugali tamen uictu, & cultu corporis elegantiore, quàm splendidiore usus est, nisi quando externos homines & legatos ad se admissurus erat: nam tũc augustiore habitu commendare Maiestatem suam studebat: eademq; de causa splendidiùs, quàm quisquam maiorum suorum habitare instituit. Cuius exemplo, & imitatione eliminata magna ex parte è uita nostrorum hominum pristina barbarie, ciuilitatem, munditiam, elegantiam, & splendorem cum dignitate consectari passim cœpimus. Itaq; longè alia nunc est facies rerum in Polonia, quàm ante hunc Regem fuit. Sobrietatem uerò Rex idem magni fecit, & ab infantia quidem ad senectutem usq; patris, auiq; instituto, planè abstemius, & aquæ potor fuit: ingrauescente uerò ætate, medicorum suasu uinum bibere didicit, sed ita tamen, ut nunquam eum quisquã ebrium uiderit. Edacior quidem, & libidinosior natura fuit, uerùm in utroq; tamen magnoperè sibi imperabat: cùm prægrauatũ se sentiret, ipse sibi cibum subducere solitus. Quod uerò ad Venerem attinet, cœlebs quidem uiridiore ętate laxiùs aliquantò uixit, & liberiùs: nec tamen alienos thoros contaminauit, nec uim cuiquam honestæ, & pudicæ intulit: neq; fœdius quicquam, quod honestæ aures abhorreant, admisit: & ueros illos lubricæ ætatis lapsus multis clarissimis uirtutibus compensauit atq; contexit. Maritus uerò, coniugij fidem sanctè seruauit. Verecundia summa, & penè uirginali, quoad uixit, fuit. Nudũ se, aut necessitati naturæ satisfacientẽ, nonnisi à perpaucis interioris cubiculi ministris, conspici passus. Obiurgare & admonere officij eos, qui aliqua dignatione essent, non sine rubore solitus. A probris, maledictis, & acerbioribus uerbis, quãuis iratus, omninò sibi temperauit. Quanta uerò fuit huius optimi Regis modestia? qui cũ acri & solido esset cùm in iudicando, tum in consultando iudicio: & neq; gratia, neq; odio facilè deduci se ab æquo, & bono pateretur, tamen nihil ferè maius unquam sine consilio senatus fecit, aut statuit: ac nonnunquam de recta sententia sua consensu senatus adductus decessit, ne pertinax esse uideretur: quod ingens est, & perniciosum plerunq; in principe uitium. Fiunt enim multa interdum iniustè, & inutiliter, atq; etiam temerè, & cum multorũ exitio, ab ijs, qui sibi plus, quàm cæteri sapere uidentur, dum iudicio suo freti, aliena consilia aspernantur. Iam illud, nónne magnæ fuit modestiæ simul & grauitatis, quod aduersantem sæpè desiderijs suis, uel utilibus, uel certè non perniciosis Reipub. nobilitatem, æquo, & moderato animo pertulit: neq; ui quicquã inuitis extorquere aggressus est, neq; intemperantiorem cuiusquam in se petulãtiam acerbiùs ultus est: ne tum quidem, cùm apud Leopolim concitatæ multitudinis conatus prodigiosa tempestate diuinitùs disturbati, ferociorem eum facere potuerunt? Ac ne eblandiri quidem præter dignitatem aliquid, quod extorquere nollet, uoluit. Non pauca tamen aliquando extra ordinem, & pręter debitum huic eius modestiæ consensu, & obsequio multitudinis atq; consiliariorum concessa sunt. Ita nimirum sæpè eius impetrat modestia, quàm exprimit imperium & uiolentia, præsertim ab hominibus, ab humanitate & libertate nõ alienissimis. Ab eo uerò, quem sibi in omni uita proposuerat, modo, neq; cupiditate ulla, aut metu, neq; ira aut odio, neq; aduersitate & ęgritudine animi, neq; lętitia, deniq; & uoluptate (quæ res trãsuersos ferè rapiunt homines) facilè unquã auocatus est, & abstractus. Porrò si quando animum grauibus, & continentibus Reip. occupationibus lassum, & quasi fatiscentẽ recreare, & relaxare uoluisset, equitationibus, ac ceruorum, onagrorum, aprorum, ursorũ, & bisontium uenationibus (quod studium ipsi gentilicium atq; hęreditarium fuit) non sine utili & salubri corporis & uirium, atq; etiam industriæ exercitatione id facere solitus est: interdũ etiam equęstrium certaminum atq; ludorum spectaculis. Scurrilibus quidem iocis, & leuioribus, sordidisúe lusibus, mimis item, & histrionibus, & morionibus non libenter, pręsertim integrioribus adhuc uiribus uacauit. Nec plura nunc de Regis huius temperantia & modestia dicã. Reliqua est nobis una maxima, & præclarissima uirtus eius, quæ eiusmodi est, ut neq; uesperugo, neq; aurora sit magis admirabilis, quemadmodum inquit Sapiens quidã: Iustitia, inquam, qua firmantur solia, ut ait sapientissimus Rex Salomon, stabiliunturq; regna: quæ quidèm uel maximè in hoc Rege resplenduit. Itaq; ergo iure optimo firmatum est solium eius, regnumq; stabilitum. Nam siue æquabilitatẽ, & æquitatem eius in dicendo iure, tam diuerso & uario, quàm est in hoc regno, spectes, siue grauitatẽ, & constantiã

Temperantia. *Ciuilitas Polonorum.* *Sobrietas.* *Abstemius Sigismundus.* *Edacitas.* *Libidines moderatæ.* *Pudicitia.* *Verecundia.* *Modestia.* *Confidentiæ carens.* *Moderatio erga nobilitatẽ.* *Leopolienses turbæ.* *Studiũ nobilitatis erga eũ.* *Constantia.* *Quales animi recreationes.* *Iustitia.* *Prou. 16.* *Aequitas in iusdicendo.*

inter diuersas plerunque senatorum, & nonnunquam pugnantes inter se sententias, studiumque ad gratiam, uel odium (ut fit) inclinantium, siue laborem & patientiam in exercendis iudicijs, quoad ei per ualetudinem licuit, & audiendis etiam infimorum hominum querimonijs, est quòd admireris, nedum laudes. Admiranda est, & illa eius continentia, quòd nemini unquam, eo regnante, quamuis luculentas, quamuis amœnas possessiones regijs uicinas habere obfuit: quin illum uicinum, quàm proceres quosdam, cuncti malulitis. Quid ego fidem eius cùm in promissis, tùm in fœderibus, & amicitijs, inimicis iuxtà ac amicis spectatã, prædicem? Cõmemoraui nonnulla superius, quę ad hanc rem pertinent, nempe quòd ad dissoluendam cum Cæsaribus, Carolo & Ferdinando amicitiã adduci se nunquam passus est, ne à necessarijs quidem & affinibus. Promissi uerò, quàm tenax fuerit, possem hîc, si necesse esset, locupletissimos eius rei testes citare, nonnullos uiros amplissimos, qui partim hìc adsunt, & hæc taciti audiunt, partim iam è uiuis excesserũt: quibus quò minùs præstaret semel promissa, neque gratia, neque odio, neque precibus, neque conuicijs, neque lachrymis cuiusquam flecti potuit. Nihil in eo fallax, aut multiplex: aperti uerò & simplices fuère mores, pariter & oratio. Et quoniam ea, quæ Respub. continet, tuetur, & florentes facit, iustitia, pœna, & præmio, seueritate, & clementia maximè constat, de his quoque pauca dicamus. Vtrunque ille quidem coluit: nec dum alterum sequitur, neglexit alterum: sed cùm intelligeret, liberis, & minimè malitiosis populis se imperare, & satis magnam pœnam sceleri & ignauiæ, institutis maiorum nostrorum esse propositam, infamiam inquam, & odium bonorum uirorum: ad seueritatem quidem, & expetendas de sontibus pœnas fuit remissior: nec nisi necessariò, quemadmodũ ad secandum, urendumque medici, ad hoc descendebat. Vt, cùm Cazimirienses aliquot decuriones ob cædem nobilium quorundam, tumultu concitatæ multitudinis patratam, supplicio capitali affecit, ne quod maius malum inde existeret, & ut illi exemplo essent in posterùm magistratibus, multitudinem temerè concitantibus, concitatamúe non refrenãtibus: uel, cùm Gdani de capitibus seditionis urbanæ supplicium sumpsit. Vel denique, cùm dux adhuc Silesiæ, regionem illam omnem latrocinijs, quibus infamis erat, iam inde ex quo tempore bella ibi à Bohemis, & Vngaris, Matthia, & Georgio, ac mox Vladislao regnãtibus, gesta sunt, penitùs repurgauit. Quod factum eius cùm finitimi omnes laudãt, tùm Silesij quoque etiamnum grata memoria prosequuntur. Ad clementiam uerò fuit propensior, ita ut cùm aliquando eam ob rem, nescio à quo uiro senatorio reprehenderetur, urbaniori responso repressisse illam eius acerbitatem feratur: Qui scis, inquiens, à quónam sæuerita tem istam exordirer? Illud opinor innuens, neque illum culpæ exortẽ esse, & ad multa nonnunquam conniuendum esse Rempub. administranti. Proindè multos capitis reos uita donauit, nonnullis inustam iure infamiã sustulit: nullius propemodũ bona confiscauit: confiscata etiam ijs, quorum fuerant, reddidit. Exules & proscriptos reuocauit, sine accusatore quidem & indicta causa neminẽ damnauit. Gdanensibus uilis plebeculæ impetu ab officio discedẽtibus, nihil ferè de pristina libertate & immunitate, nihil de commodis, quæ perampla sunt ciuitati illi publicè, & priuatim, detraxit, authores modò seditionis paucos inuitus partim interfecit, partim exilio mulctauit. Hostibus supplicibus libentissimè ueniam dedit, ita, ut uel de medio uictoriarũ cursu non grauatè retrahi se ad ueniam, reconciliationemque pateretur. De Valachis quidẽ iam diximus. In Cruciferos uerò debellatos iam ferè, quàm clementer se gessit? Quòd nisi fidẽ eorum suspectã habuisset, nõ modò siuisset eos retinere, quę habebant adhuc, sed ablata quoque, ni fallor, eis reddidisset. Magistrum quidem eorum, Albertum Marchionem Brandenburgensem, sororis suę filium, expectatione, & aduentu auxiliorũ è Germania, uariè tunc, ut quàm leuissimo uerbo utar, secum agentẽ (dabit mihi ueniam Princeps amplissimus, uulnus suum necessariò refricanti, & beneficentissimi in se auunculi memorię hoc nõ inuitus, uti spero, donabit) retinere ea, quæ ante bellũ illud habuerat, & partim iure belli amiserat, partim amissurus esse uidebatur, omnia iussit: & honore auxit, Magistri appellatione in Ducis nomen, quo omnem deinceps rebellandi occasionẽ tolleret, commutata: denique hęreditarium ei, fratribusque eius Cazimiro, & Georgio, in mares duntaxat liberos, principatũ illum constituit. Hęc annón maxima sunt documẽta clementiæ, hostẽ, quem minimè esse decuerat, & hostem pertinacẽ, penè deuictum, & fortunis spoliatum, meliore quàm fuisset dudũ, conditione, in societatem, & amicitiam recipere? Quid illud eodẽ bello, quòd Germanos milites contra se militantes, uelitationibus, & leuibus nostrorum prælijs exagitatos, & labore, inopia, inedia, uigilijs, uulneribusque confectos, delere, cũ posset, noluit? Captiuos, quorũ plenæ erant turres, & ergastula in maiore Polonia, & Cuiauia, sine ullo precio liberos, atque adeò ueste & uiatico donatos, dimisit? Cuius clemẽtię, benignitatisque suæ maximũ, nisi fallor, fructũ cœpit: nempe, quòd per tot annos deinceps eo regnante, in Prussiã Germani,

Labor. Continentia Sigis. Fides eius in promissis, & fœderibus. Synceritas. Seueritas, & lenitas. Cazimirienses puniti. Gdanenses seditiosi puniti. Purgata à latrocinijs Silesia. Clemẽtia Sigis. Clementia erga Gdanenses. In Cruciferos clementia. Albertus Marchio Brandenburgen. dux in Prussia factus. Prussia in feudũ concessum Marchionib. Clemẽtia in uictos Germanos milites.

mani, & contra Polonos, quamuis sedulò sollicitantibus Cruciferis, arma non sumpserunt: non tam uiribus, & fortuna regis, ut equidem credo, deterriti, quàm beneficentia uicti. Sepenumero enim ij, qui aliquando uicti, fractiq; sunt, contra uictores sese recolligūt. At quos uictos seruaris acliuueris, eos beneficij pariter & fortunæ suæ recordatio, pristinos spiritus recipere non tam facilè sinit. Neq; illud minus est, nec scio an longè maius clementiæ Sigismundi argumentū, quòd cum permagna libertate, cui Reges atq; Monarchæ plerique omnes infensi, & infesti sunt, Respub. nostra constituta sit, nunquam eam infringere conatus est: quamuis impellentibus ad id quibusdam, & maiore nonnullorum licentia aliquando prouocante. Verùm cedere furori paucorum, quum detrahere aliquid propter eos de cōmuni libertate, Rex optimus maluit. Quòd si qui reprehendunt, ijdem sane reprehendāt, quòd amari à suis, quam timeri: & patrem se, quàm Dominū haberi maluit. Hūc & illud pertinet, quòd procerum simultates atq; dissensiones semper sedauit, quoad potuit: quas alere tyranni, & qui priuata cōmoda sua, quàm Rempub. pluris faciunt, solent. Nec eæ tantū (proh dolor) his extremis eius temporibus inter quosdam inualuissent, magno iustitię, & iuris dicundi impedimento, scelerū impunitate, & periculo, maloq; Reipub. dum ea quasi plaustrum disparibus ac diuersis iumentis, auriga cessante, aut nec quicquam laborante, distrahitur ac discerpitur: nō inualuissent, inquam, dissensiones tam pestilentes, si seniū, & perpetuus ferè morbus consuetudine, & authoritatem pristinā retinere eum siuisset. Quo fit, ut ipsi iure quodam suo uenia danda sit, si non per omnia eum, quē debuit, quemq; florētiore ipsius ætate tenuerat, cursum Respub. pristino illo sensuū, animi, & memorię uigore in eo deficiente, tenuit. Aetatis hæc, uiri Poloni, & Lithuani, non illius culpa est. Ille quidē prçclaris uirtutibus suis, atq; superioris temporis administratione, & fœlicitate sic, si qua fuerunt, extremi corporis incōmoda, penitùs (si modò uos æquiores, & gratiores, quàm maligniores haberi mauultis) obscurauit. Neminē unquam mortalē inuenietis, qui omnes numeros fœlicitatis absoluat. In charissimis quoq; parentibus, suauissimis uxoribus, dulcissimis liberis, atq; adeò in seruis quoq; uestris multa quotidie uos ferre necesse est, nisi humanitatem exuere prorsus uelitis. Quę enim ista esset iniustitia, & immanitas, atq; adeò impietas, si liberi parentē sitim, à quo progeniti, liberaliter educati, & instituti, semper indulgenter habiti, & commendatione adiuti, & ornati, summa deniq; omnia consecuti essent, ad extremū propter olentem animā, mucidasq; nares: addo etiam, si libet, propter neglectā rem familiarem, abominarentur, aut etiam grauiùs incusarent, superiorum omnium beneficiorū obliti? Non est hoc uestri moris, neq; ingenij, uiri Poloni: qui nō penitùs malos Reges, nedum bonos, & benè meritos, grata memoria prosequi soletis. Verū ad institutū nostrum reuertamur: fuit igitur in Sigismundo, quemadmodū uidetis, singularis clemētia, & priuatim, & publicè. At fuit is restrictior in benè merentes de se ac Repub. Fuerit sanè ita. Sed quis hoc ei uitio uertat, si benè secū reputet, inane ante eum Regē ærarium: oppigneratas à maioribus eius possessiones pleràsq; & bona regia: egentes quosdam Reges, ne in quotidianos quidē sumptus pecunia suppetente: nō solutas à patre: ab ipso uero exactas omnium, nisi fallor, sororū dotes: dotatas duas filias, tres etiam reliquas dotandas, & pro dignitate sua, regniq; elocādas: persoluta militibus suis, & externis supra ducēta millia florenorum, emeriti apud Ioannem Albertū, & Alexandrum fratres stipendij nomine debita: deniq; complura bella non sine magnis impendijs gesta, & alia præterea impendentia. Hæc quisquis rectè secū perpendit, simulq; cogitat, quò indignitatis illa ærarij inopia, patrem, fratresq;, atq; etiā maiores eius nonnunquam impulerit, æquior multo in hac parte Sigismundo erit. Et tamen nihil is prætermisit, quod ad splendorem Regni, & patriæ, dignitatemq; suam, & magnificentiam pertinere existimauit. Vt enim illa, quæ modò attigi, non repetam, ut redemptos à barbaris captiuos: restitutas res, ne belli causa essent, potenti hosti à nostris prædabundis ablatas: senas nuptias magnificētissimo apparatu factas: constructas aliquot locis, & pro ueteribus tugurijs regali magnificentia exornatas domos. Vt hæc, inquàm, prętercam, arces quidē, Camenecensis in Podolia, Leopoliensis, Sendomiriensis, Corcinēsis, Vilnensis, Cracouiensis, & hæc quidem bis, & aliæ quædam instauratæ, & munitæ: cōparatæ, & instructæ permultæ, & magnæ bombardæ: frequentes legationes ad externos principes missæ, & ab eis uicissim uenientes splēdidè ac liberaliter acceptę atq; dimissæ, permagno ei constiterunt. Sumptuosus uerò & ille fuit, splendidissimusq; cū Cæsare Maximiliano, & Vuladislao ac Ludouico Regibus apud Viennam congressus, quo Polonorum & Lithuanorum nomen, obscurius antehac, & inopiæ, inertiæ, barbariciq; opinione contemptibile apud externas gentes, illustrius & admirabilius esse cœpit. Post hos tot, tantosq; sumptus, non in luxū, delicias, & uoluptates priuatas profusos, sed ad utilitatem, salutem, decus & ornamentū Reip. factos, non est sanè reprehendendū, nec scio an ualdè laudandum,

Libertas in Rempubl.

Simultatum sedator.

Simultates procerum.

Senium Sigismundi.

Senio cōdonandum aliquid.

Cur minùs largus fuit.

Sumptus.

Magnificentia Sigis.

Arces ab eo extructæ, aut instauratæ.

Bombardæ.

Legationes.

Regum cōuentus Viennæ.

Aerarium non inane.

dum, quod ærarium non inane reliquit, filij hæredis necessitati, & futuris Reip. usibus, ut filiarum dotes taceam, utiliter seruiturum: belliq; si quod alicunde nobis inferretur, neruum futurū. Et tamen cū hoc sibi proposuisset, ne in priuatos quidē benignitatem, & munificentiam suam clausit: & fortes, doctos, ac sapientes uiros, aut quauis alia ratione utiles Reip. cum donis, tum honoribus, & alijs beneficijs prosequutus est. Vt enim literatos homines, nostrates pariter & externos, quorum uel opera honorifice in rebus magnis uti se posse existimabat, uel scriptis & præconijs suum, populorumq; suorum nomen illustratum iri sperabat, ut eos igitur omittā, ac de fortibus uiris aliquot modo insigniores commemorem, nonne Constantinū Ostrogiensem ducem peramplis beneficijs auxit? nonne Ostaphicio plebeio, aut obscuro duntaxat homini, sed in Tartaricis bellis exercitatissimo, & uigilantissimo, cùm aliàs, tùm post obsessam aliquandiu, & oppugnatā à Turcis atq; Tartaris: ab eo uero strenuè defensam arcem Cercassiam, permagnum honorem habuit, & multa largitus est? multa sæpè delinquenti indulsit? Quid Nicolaum Senauium, scientia, & usu rei militaris præstantem, excellentis uirtutis ergò collocupletatum, & ad eum, in quo nunc est, honoris gradum euectum? Quidúe uirum omni laude cumulatissimum, Ioannem Comitem Tarnouium, cùm alijs non obscuris beneficijs ornatū, tum ad summum dignitatis fastigium euectum, euidentibusq; grati animi indicijs, & præclaris elogijs, cū siue à Moschico bello, & Starodubo euerso, siue à deuictis apud Obertinū Valachis reuerteretur, ab ipso ornatū, & honorario munere, publico totius Poloniæ cōsensu binis grossis collatis, cohonestatū, commemorem? Viuunt hi duo, & adsunt, & hęc mea dicta nutibus renidentes approbant. Tametsi longè maximū hi uirtutis præmiū, sempiternam rerum à se gestarū gloriam, quæ eos nunquam destituet, arbitrantur. Taceo Bielscium & Lacium Moschos transfugas perhonorificè ab eo acceptos, & luculentis possessionibus donatos, ingenij, fidei, & scientię rei militaris ergò. Non fuit ergo Sigismundus, ne in hac quidem parte restrictior. Aut si quando tandem fuit, non sua uoluntate, sed necessitate, idq; ingrauescente maximè ætate fuit.

Beneficentia.
Constantinus dux.
Ostaphcius.
Senauius.
Tarnouius.
Honorariū publicè decretū Tarnouio.
Bielscius et Lacius Moschi transfugæ.

Pietas. & religio Sigis.

Quoniam autem illa quoq; uel potissima pars est iustitię, quę cum cœlitibus hominum, quasi societatem quandam tuetur, pietas, inquam, & religio, de hac quoq; iam tandem postremo loco mihi dicendum est. Consultò autem in hunc eam locum seruaui, ut quæ reliquas omnes uirtutes in se continet, & quasi germina quædam ex se emittit, hominisq; fœlicitatem perficit, eadem nobis huius optimi Regis perficiat laudationem. Absq; hac enim cæteræ uirtutes, imagines uirtutum, & umbræ sunt uerius, quàm uirtutes: neq; omninò laudabiliter, & beatè, quāuis rebus ad uota fluentibus, uiuitur. Qua autem pietate fuerit, quamq; sanctè, & religiosè Deum Optimū Maximum Sigismundus hic Rex coluerit, si alia nulla essent, ea quę hactenus persecuti sumus, satis magno essent argumento: neq; enim ita se ille tum in administrando Regno, tum in omni uita gessisset, neq; tantus euasisset, neq; tot bonis, & fœlicitatibus, quot percurrere obiter uix potuimus, aut ipse, aut ditiones eius cumulatæ fuissent, nisi Deum propitiū habuisset. Verissimum enim illud est, quod est in Epistola diui Iacobi Apostoli: Omne munus bonum, & omne donum perfectum supernè descendere, à patre luminū. Eum uerò nemo propitium habere potest, nisi qui agnoscit, ueneretur & colit, omnemq; fiduciam suam in eo collocat. Sic enim canit Dauid Rex & Propheta: Inquirentes Dominum, non deficientur ullo bono. Et alibi: Qui confidunt in Domino, erunt sicut mons Sion, qui non commouetur in æternum. Cùm igitur Sigismundo tot illa, tantaq; bona in omni uita suppetierint, quis negabit eum Deo curę fuisse? Vt enim nō fallitur, ita neq; fallit Spiritus sanctus, qui per Dauidem olim locutus est: Quoniam Rex sperat in Domino, & in misericordia altissimi, non cōmouebitur, & quę præcedunt: Desiderium cordis eius tribuisti ei: præuenisti eum in benedictionibus dulcedinis. Et alibi: Propè est Dominus omnib. inuocantibus se, omnibus inuocantibus se in ueritate: uoluntatē timentium se faciet, & preces eorū exaudiet, & saluos faciet eos. Custodit Dominus omnes diligentes se.

Regni fœlicitas ex cultu Dei.
Psal. 33.
Psal. 124.
Psal. 20.
Psal. 144.

Impiorum prosperitas.

Sed quoniam impijs quoq; nonnunquā prospere multa in hac uita cadunt, eluceatq; in ejs etiā aliquando nonnulla imago uirtutis atq; probitatis, age uideamus, num qua alia ratione pietatem huius Regis ostendere possimus. Et ecce occurrunt nobis templa Dei Opt. Max. partim instaurata, partim à fundamentis excitata; & multis, magnisq; donarijs, & preciosis utensilibus, ad splendorem simul, & usum cultus diuini, regali munificentia exornata. Atq; ut Vilnensem basilicā, & Rupense, siue Scalcense fanum, & quædā alia, quæ nunc in mentē non ueniunt, præteream: hoc quidē certe delubrum pulcherrimum, & sumptuosissimum basilicæ huic adiunctū, quod sepulchrum, & monumentum suum ille esse uoluit, cum instituto iugiter & concinnè Deum colentium sacerdotum collegio, ferit oculos nostros, & quodam augusto splendore perstringit. Huic uerò basilicæ quàm multa, & quàm ampla donaria contulit? Iam quis nescit, quam sedu-

Tēpla magnificè culta, extructa, & ornata.

sedulò is, dum per ætatem, & morbum potuit, & quàm religiosè sacris, cultuiq; diuino operam dederit, nulla neq; temporis, neq; loci incommoditate, neq; occupationibus retractus? Quid ego precum eius assiduitatem, quid festorum dierum, ieiuniorumq; integerrimam obseruantiam commemorem? in quibus omittendis uix ualetudinis gratia, atque id extremis demùm aliquot annis, Medicorum iussu, & Episcoporum permissu, ne dicam hortatu, sibi indulsit. Quæ enim à teneris annis cum lacte quodammodo materno imbiberat, ad extremū usq; halitū constanter & mordicus ea retinebat. Externi hi sunt cultus, ritusq;, fateor, neq; in his cardo Religionis nostræ uertitur: uera & interior pietas in mentibus, & uoluntatibus nostris penitus inclusa est. Ita sane. Sed cùm ea soli Deo perspecta & explorata sit, tamen his externis sese nobis prodit, & exerit: ut sic luceat, secundùm authorem salutis nostræ Christum, lux nostra hominibus, ut ij uidentes opera nostra bona, celebrent, & glorificent patrem nostrum cœlestem. Bona est enim, ait angelus ad Tobiam, oratio cum ieiunio, & eleemosyna. Ipse quoq; CHRISTVS IESVS apud Matthæum magnoperè hæc tria commendat, dum quomodo fieri debeant, præcipit. Quid uerò prolixā Sigismundi in egenos, quorum uictus, uestitusq; parandi rationes uel morbus, ætas, uel calamitas aliqua, uel deniq; arctioris, & addictioris Deo uitæ professio impediuisset, beneficentiā, & liberalitatem persequar? Eadem opera lucem hanc diurnām accensa lucerna illustrare coner. Cernitis en ipsorum turmas, non modò templum hoc, uerùm etiam uias, & plateas complentiū, & orbitatem suam, tam benefico Rege amisso, miserabiliter deplorantium. Illa uerò eius in receptis antiquitùs Dei placandi ritibus, & cæremonijs, sacrosanctè retinendis ac defendendis, & in propugnandis Dei ministrorum cōmodis, præclara uoluntas, & constantia, in ista præsertim nostri temporis licentia, & isto nouarum rerum, quo nunc leuissimi quiq; homines flagrant, studio, seu potius prurītu, nonne maximum est singularis pietatis argumentū? Vidit enim sapientissimus Rex, in religione nostra nihil melius, nihil exactius hoc tempore à quoquā inueniri posse, quàm ab ipsis Christi seruatoris nostri discipulis, eorūq; successoribus proximis, sanctissimisq; patrum Concilijs constitutum, & publico Christiani orbis consensu tot seculis retentum esset. Didicerat non hîc, aut illîc, & in angulis omninò Christum quærendum esse: neq; cuiusuis esse, arbitratu suo uerba, & instituta Dei interpretari: sed Ecclesiā, Ecclesiam, inquam, in qua certa esset ac perpetua, ut inquiunt uetustissimi, sanctissimi, & grauissimi doctores, Irenæus, Cyprianus, & Augustinus, tot seculis cōtinuata, uerorū Episcoporum successio, columnam esse, quemadmodum ait diuus Paulus, & firmamentum ueritatis: In ea sola dari spiritum ueritatis, qui ut author, ita interpres quoq; sit sacræ Scripturæ: non dissensionis, uerùm pacis Deus. Quo quidem illis carere necesse esset, quibus inter ipsos non conueniret: & qui ne ipsi quidem singuli sibi constarent, sed omni uento doctrinæ, quasi nebulæ turbine exagitatæ, circumferrentur. Iam uerò illa, quòd moribundus sacra Christi mysteria ritu Christiano expetiuit, & uenerabundus accepit, quòd se totum Deo religiosis uerbis, & suspirijs commendabat, quòd in eius clementia, & misericordia fiduciam suam omnem collocabat, quæ & isti euidentissima, nisi fallor, ueræ pietatis indicia iudicant, nonne certa sunt piè, & religiosè exactæ uitæ testimonia? Cùm igitur tanta pietate, quāta genere illo inclyto, & educatione optima digna fuit, præditus fuerit Sigismundus, nihil mirum, si iustus quoq;, clemens, magnificus & benignus: si temperans, moderatus, pudicus, & modestus: si fortis, constans, patiens, & excelso animo: si præteritorum memor, præsentium sagax indagator, futurorum acutus coniector, & utilium publicè, priuatimq; diligens & sapiens prouisor fuit. Non mirum, si in hac breuitate uitæ humanæ, magnisq; laboribus uiuendo octogesimum secundū annum attigit, si uiribus & ualetudine plerunq; firma fuit, si sensuum, ingenijq; uigorem ad extremum penè retinuit. Non mirum, si gratia, & authoritate apud suos pariter, & externos, summos iuxta ac infimos ualuit: si amplissimum regnum, claris post patrē duobus fratribus, maturè adeptus, bellis felix, & uictoriosus, pace multa beatus, uxoribus & liberis nō infortunatis, ditionū aliquot accessionibus locupletior, tam benè, tam quietè, tam feliciter, tantoq; bonorū omnium fauore uno & quadraginta annis id administrauit: & florentius multò, quàm acceperat, non degeneri, uti confidimus, filio reliquit. Non mirum deniq;, si sempiternū optimi, & fortunati principis, & patris patriæ nomen atq; gloriam, nisi me uanum fallit augurium, apud longam posteritatem celebris, inclytusq; rex retinebit: quippe, qui superiores omnes Principes, & Reges nostros non modico interuallo post se reliquisset. Nam quæ in singulis illis singula laudabilia fuerunt, ea hic unus omnia complexus est. Boleslai Chrobri, ut ab hoc potissimùm ordiar, solertiam & magnificentiā: Cazimiri monachi, pacis & instaurandæ patriæ superiorū temporum iniuria afflictæ, studiū: Vuladislai eius filij mansuetudinē, Boleslai Criuousti uictorias; Crisos prouidentiā, Miezislai se-

Sedulitas in templis.
Obseruantia institutorū ecclesiasticorū.
Externus cultus Dei.
Tob. 12.
Matth. 6.
Eleemosynæ Sigis.
Constantia in fide, & religione Catholica.
Ecclesia, & doctores antiqui.
Matth. 24.
1. Tim. 3.
1. Corint. 14.
Ephes. 4.
Ritus Christiani in moriente.
Virtutes Sig. in speculum Principibus positæ.
Aetas 82 annorum.
Pater patriæ Sigism.
Poloniæ regis uirtutes.

nis grauitatem, Cazimiri horum duorum fratris iustitiam, Lesci albi excelsum animū, Boleslai pudici Religionem ac temperantiam, Lesci nigri moderationem animi: Vuladislai Loctici fortitudinem, & in tolerandis aduersis patientiam: Cazimiri magni, in ornando, & muniendo Regno studium atq; diligentiam: Iagellonis aui, si non propagando, certe in amplificando cultū diuino, pietatem, laborē, & munificentiam: Vuladislai patrui magnanimitatem, & clementiam: Cazimiri patris facilitatem, & offensarum perbreuem memoriam: deniq; Ioannis Alberti fratris ad res magnas gerendas, quanquam meliore fortuna, alacritatem: Has, inquam, omnes omnium, illorum uirtutes solus Sigismundus nō modò æquauit, sed superauit etiam; ita, ut nulla cuiusquam eloquentia, nedum infantia nostra, satis dignè, & pro meritis eum laudare possit. Sed iam ipsum ex augusto illo mausoleo, in quo heri reconditus est, nos, quibus præfuit, alloquentem audiamus. Quàm iustè, quamq; moderatè, uobis uiri Poloni (liceat enim mihi uos omnes, imperio coniunctos, uno nomine appellare) imperauerim, & quanta fœlicitate Regnum hoc auxerim, ornauerim, & cumulauerim, uos ipsi probè nostis: aut si qui per ætatem intelligere, & iudicare adhuc non potuistis, è maioribus natu, bonis & grauibus uiris, discere potestis. Pro his meritis meis, iure meo illud à uobis postulo, ut si quid unquam imprudens offendi, id uel humanæ imbecillitati, uel ætati meæ condonetis: quam uerò mihi debetis gratiam, eam liberis meis dulcissimis referatis, morte mea pupillis. Filium hunc meum unicum, quem ipsi uobis Regem, mihi successorem, me uolente, & postulante, iam pridē designastis, eodem quo me, aut maiore etiam, si potestis, studio prosequamini, consilijs adiuuetis, consentientibus animis atq; uiribus protegatis, ætati eius nonnihil etiam indulgeatis. Ne audiatis eos, qui dum suam rem agunt, uestram agere uideri uolunt: & tamen aliud alibi præ se ferunt, utrinq; ut gratiam ineant, & opes, potentiamq; suam augeant, & stabiliant. Cernitis qualia nunc sint tempora, quousq; domi progressa sit multorum audacia, quanta huic Regno, & communi patriæ pericula à barbaris impendeant. Maturè uobis prouidendum est, ne nō modò imperium uestrum, & Resp. uerùm etiam libertas, & uita uestra, uestrorumq; in extremum discrimen ueniat. Id uerò ita demū rectè prouidebitis, si sublatis omninò quorundā factionibus, dissidijs, & simultatibus mutuis, amore, & officio erga uos inuicē: erga Regem uerò uestrum studio, & beneuolentia certabitis. Sic enim fiet, mihi credite, ut qui nunc formidolosi nonnullis uidemini, formidabiles uicinis uestris, hostibusq; sitis. Ad te uerò, fili charissime, hæc mea est oratio. Illo autem habitu, illoq; uigore, hæc tu, Sigismunde Auguste, patrē tecum loqui existimato, quo fuit, cùm tibi huius Regni habenas, sceptrumq; traderet. Nihil est, quòd te unà cum matre, & sororibus tuis, puellis lectissimis, propter mortem meam tantoperè excrucies. Mihi quidē ego meo tempore, annorū, uitæ, gloriæq; satur, non dico mortuus sum, sed ad beatiorem uitā, regnumq; melius migraui. Vt autem uestro quoq; & horum omniū tempore id factū esse uideatur, secundū Deum in te, fili, maximè situ est. Tibi, mi fili, deinceps, & mater, & sorores, & uerò Resp. maximè curæ esse debebunt. In te spes omnes omnium, quas frustrari te æquum nō est, sitæ sunt. Nonnihil quidē nobis debet Polonia, quemadmodū audisti, sed nos illi multò plus. Quippe quæ nos sibi, maioresq; nostros, posthabitis quibusdam illustrioribus, & elegantioribus, atq; etiā potentioribus fortasse, Reges assumpsit, & summa fide, studio, obsequioq; coluit. Te, quemadmodum ipse nosti, puerulū etiamtum, regio diademate insigniuit. Ad eius igitur salutem atq; dignitatem, uicissim te uoluntatē tuam, studia & conatus omnes adiungere in primis æquum est. Id uerò ita demū rectè facies, si omnibus te æquabilem, familiarem uerò non nisi grauissimis, & sapientissimis quibusq; præbebis: si nullius ius, & innocentiam, neq; gratia, neq; odio cuiusquam opprimi sines: & in iudicijs exercendis, non cuius cognatus, necessarius aut cliens quisque sit, sed quàm iustam causam habeat, attendes: si tenuiores à ui & iniurijs potentiorum uindicabis: si honestatem uoluptati, publica commoda tuis priuatis antepones: si nulla in re leuior, aut præceps eris, neq; de maioribus rebus absq; consilio senatus quicquam statues: cum iuuenibus uerò, & iuuenili ardore præditis, consilia non temerè cōmunicabis: si assentatoribus aures non accommodabis (blandum enim est malū, sed pestilens in primis regnis atq; regibus, assentatio) si dissensiones ordinū, & simultates procerū, inter ipsos authoritate tua penitùs extirpabis: si deniq; pietatē atq; religionem sanctissimā sedulò & ex animo coles: neq; ab institutis maiorū, & iam inde ab exoriente religione Christiana apud omnes gentes recepto, & ad nostra usque tempora transmisso, retentoq; cultu Dei Opt. Max. uenerandisq; cæremonijs atque dogmatibus, te cuiusquam, uel insidiosis blanditijs, assentationibus, & illecebris auocari, uel importunitate auelli sustinebis. Harum rerum omnium exempla domestica habes, satis, nisi fallor, illustria. Non ignoras, fili, quo successu, qua fœlicitate, quantaquè gloria nos tam diu regnauimus: id nos totum Deo Opt. Max.

Sigis. omnibus excellentior.

Oratio Sig. ad Polonos.

Pathetica filij commendatio.

Consiliū regis

Verba Sigis. ad filium.

Aures pij patris monita.

Opt. Max. quem sedulò, riteq́; colimus, acceptũ referimus. Existimare autem debes, neque regnum, neq; quicquam omninò sanctum & inuiolabile esse posse, ubi religio labefactatur. His tibi uijs, fili suauissime, ad laudem, ad beneuolẽtiam hominum, ad salutem, tranquillitatemq́; ditionum tuarum, denique ad decus, & immortalitatem grassandum est. Hac certus est, & exploratus pijs principibus ad cœlum aditus. Hec tecum Sigismunde Auguste, pater illa Rex uester uobiscum, uiri Poloni. Reliquum est, utriq; ut sanctissimis, & saluberrimis monitis eius obtemperetis, eiusq́; præclara erga uos merita, assidua pietate, & grata memoria semper prosequamini: omnesq; pariter eum, uti debemus, uiuorum, & mortuorum Deo, apud quem nemo satis iustus & insons est, assiduis precibus commendemus. Vicissim ille in cœlis, uti speramus, pro nobis orabit: & quorum saluti, & incolumitati omni ratione, quoad uixit, consuluit, ijs ne nunc quidem, omni iam rerum terrenarum cura, & molestia solutus, studium suum in placando Deo. Opt. Max. deesse patietur.

IN FVNERE SIGISMVNDI IAGELLONIS, POLONIAE REGIS, STANISLAI ORICKOVII RHVTENI ORATIO.

Rex noster mortuus est, si tamen ille mori potuit, quem sua præstans atque Regia uirtus immortalem ante obitum reddiderat: quam ille cùm constãter in omni uita coleret, quid tandem est, cur hunc mortuum dicamus esse potiùs, quàm hoc mortali corpore exutum, ad illam immortalem uitam abijsse, ad quam sibi iter sobriè, iustè, ac piè uiuendo parauerat? Abijt ergo hinc, nos flenteis ac dolenteis reliquit in hoc squalore ac sordibus, quibus obsiti, in funere ipsius comparemus nobis cum illo periere omnia Equites: illi uerò nihil præter hoc mortale corpus decessit: pro quo tamẽ ipso, cumulatur nunc ipsius acta uitę æternitate, atq; immortalitate sempiterna. Nostra autem hæc mors uerius, quàm uita illius à nobis discessu, quàm afflicta, exinanitaq; sit, testes sunt mœror hic uester, ac uestræ piæ lachrymæ, quibus deflemus non interitum Regis nostri, qui nullus illi est, sed orbitatem nostram. Amisimus enim, Equites non Dominum: nihil enim ille minùs nobis fuit, sed iustissimum Regem, atque indulgentissimum Patrem, qui cùm unum, & † quadragesimum annum regnaret apud nos, quod exemplum regnans non dedit iusti ac moderati Imper. aut quod monimentum post se non reliquit in hoc regno, humanitatis, mansuetudinis atque beneficentiæ erga uos singularis? Quócunque te animo atque oculis conuerteris, plena omnia exemplorum illius sapientiæ, iustitiæ, fortitudinis, temperantiæ ac uirtutum omnium reliquarum reperies: siue Eccles. Dei uideas, quam ille integram atque incorruptam in Polonia præstitit: siue ipsam Rempublicam, quam ille tanquam bonus pater unicam filiam in sinu suo complexus, tam domi, quàm foris, tam pace, quàm bello, fouit, auxit, ac omnibus ornamentis cumulauit, in qua quidem Republica talem se ille Regem gessit, ut & omnes ante se Reges facilè uinceret, & cæteris post se spem imitandi adimeret. Cedant huic omnes Reges: soli etiam scientiam regnandi concedant. Non Cyrus ille, non Agesilaus partem laudis æqualem ac gloriæ cum hoc petant, qui non tam rebus ipsis, quàm scribentium ingenijs magni fuerunt: de ijs enim non ad ueritatem historiæ, ut uidetur, sed imitationis exemplum Græci homines multa fictè scripserunt. At hic noster Sigismundus Regum Rex, non solùm benè uiuendo ac sapienter regnando Cyrum atque Agesilaum superauit, aut si quid in Regum genere maius hisce fuit, sed etiam illorum ipsorum scripta, qui de illis Regibus eloquentis copiosissimeque scripserunt. Meliùs hic uixit, quàm illi dixerunt, meliùs regnauit, quàm præceperunt. Ita Sigismundus Rex noster non fictum, neque stylo adumbratum, sed uiuum exemplum, atque rebus ipsis expressum. Cæteris Regibus à Deo fuit propositum, ut in hoc Rege, ceu in quodam illustri monumento, essent repositæ omnes regiæ uirtutes, unde sumi posset, quò humanum genus seruari, quò regna administrari, quò iura, mores, instituta, leges in hominũ uita sanctè ac quietè possint retineri. Quid? solùsne Regib. ille exemplũ uiuendi fuit? minimè uerò Equites. Nemo enim etiã sortis infimæ repenetur, qui ad benè, beateq; uiuendũ ex hoc Rege exemplũ non possit sibi sumere: siue enim religionẽ ipsam spectes, quę anachoritam sanctimonia uitę nõ uicit? siue etiã has uirtutes uitæ cõmunis consideres, nempe patientiã, obsequiũ, modestiã ac temperantiã: quis nõ dico in summo Imp.

† quadraginta annos regnaret.

Rex,

Rex, sed homo ipse priuatus, quē angusta res coërcet, hac ista cōmendatione Sigis. par fuit: Pauci equites, & haud scio, an aliquis omninò fuerit. Ita ille summam uitæ absoluit, ut sapientia Reges: priuatos uerò moderatione uitæ antecelleret, talemq; se in omni uita priuatim ac publicè præberet, ut id nulla orationis copia, ut par est, explicari possit, ne illius quidem Xenophontis Græci, cuius ore Musas tum loquutas ferunt, cùm Cyrum illum atque Agesilaum uerbis magnos faceret. At ne me quis ad Græcorum morem, temporis ac luctus uestri: causa magna hæc facere existimet: ostendam, Equites, talem Regem nos amisisse, qualis in Polonia ante Sigismundū nemo, extra Poloniā uerò pauci omninò apud omnes gentes fuerunt, siue bona ipsius propria spectes, siue quæ illi natura, aut fortuna largita fuit, consideres, ut meritò mors huius optimi Regis dolorem huic Senatui, mœrorem Equestri ordini, squalorem Poloniæ, luctum ac gemitum omnibus attulerit: &, ut hæc ex iusto dolore profecta esse, ac amore intimo omnes intelligant, breuiter mihi dicendum est, quod genus uiri fuerit, qui in regnando mores, quæ fides erga illum, & uoluntas uestra. Vtilis erit & grata hæc oratio non solùm nobis in malis nostris, sed etiam his, qui cum laudē uiuere, aut gloriosè regnare concupiuerint. Sic enim de Sigismundo Rege loquar, ut nihil nisi singulare, nisi regium, nisi diuinum, de hoc Rege à me sitis audituri: idq; quod dicam, non facultate orationis meæ, à qua longissimè absum, illustrabo, sed rebus ipsius gestis atq; exemplis, cum sua sponte clarissimis, tum uerò nobis notissimis. Non abutar enim conscientia uestra, Equites: falsam enim gratiam ab illo mortuo quid inire studeam, quæ tota morte ipsius sublata est? Sola illius uirtus mansit immortalis, de qua sine inuidia audiendum est: ut illius clarissimi uiri recordatione ac desiderio uota faciamus, quo Deus noster similes Sigismundo regnare in Polonia uelit, si non omnes, (nam id sperare ferè iam fas non est) at saltem aliquos, hoc nos certè animo esse in hoc exequiarum munere conuenit, ut Deus non huic tantùm mortuo, sed etiam ipsi Poloniæ regno, nobisq; sit propitius, nostrasq; res afflictas, atq; in desperationem propemodum adductas, benignus adspiciat me etiam, ut attentè audiatis, etsi rogandi non estis, mœror enim hic uester uos satis attentos facit, tamen ut consuetudinem seruem, rogo.

Vuladislaus quatuor, non quinque syllabarum est.

Sigismundus Rex, auum habuit Vuladislaum Iagellionem, qui ex Lithuania gente in Polonia regnauit primus: uirum omnibus tam bellicis, quàm Religionis laudibus cumulatum: qui cùm octo & quadraginta annos in Polonia regnasset, multa trophæa de hostibus omnis generis constituit, inter quos Germanos memorabili pugna ad Dumbrouunum in Prussia deuicit: &, quod nulli unquam Regum *, neque nationum de Germanis licuit, hic solus est inuentus, qui, cæsis in acie uno die Germanorum quinquaginta millibus, Germanos à Polonis posse uinci docuerit. Prætereo alias uictorias atque triumphos ipsius uarios atque infinitos, quod illi nunc nihil ad nos, & si ad nos, nihil ad hoc tempus, de quibus tamen eruditi homines multa scripserunt. Hoc tamen dicam, id quod à patribus traditum meminisse debetis, magnum hunc, & excellentem Regem, ac admirabili regnandi sapientia in Polonia fuisse, qui non satis se functum officio ac munere regio putabat, si tantùm res humanas administraret, nisi etiam res diuinas summo studio curaret. Itaque Lithuanam sine Deo gentem ac impiam antehac, ad ouile Christi primus adduxit, in Ecclesiamquē dicauit: deinde, cùm literas ipse nullas sciret, tamen hic omne literarum genus ac Musas ipsas, tam Latinas, quàm Græcas, in Poloniam introduxit, nullum regnum esse ratus absque literis, nihilq; sancti ac iusti, neque honesti ibi posse esse, ubi Philosophiæ non uersaretur nomen: quod illa ex agrestibus ciuiles, ex immanibus mites, ex barbaris doctos, ex hominibus postremò Deos faceret. Huic ergo tam excellenti, siue arti, siue uirtuti, siue diuinitati potiùs cuidam Vuladislaus Iagello domicilium in ea urbe collocauit, quæ caput ipsius Regni fuit. Cracouiæ enim gymnasium condidit, quod omni uirtutis, ingenij ac doctrinæ laude ad hanc diem floret, ut indè, tanquam ex equo Troiano innumerabiles uiri prodierint, sapientia, & doctrina præstantes. In hoc enim gymnasio Iagellonis opera, non sepposita aliqua Philosophiæ, seu sapientiæ pars tractatur, sed tota ipsa omnibus suis partibus perfecta atque absoluta. Summa hæc laus est, Equites, ingens Iagellonis gloria immortale etiam in uos, liberosq; uestros meritum huius optimi & diuini Regis, quo ille tanquam luce quadam, atque splendore mirifico, obruit omnes uictorias, laudesq; non solùm suas, sed etiam aliorum, qui Sarmatiam illam feram, & indomitam hac ista humanitate literarum expoliuit: ut, cùm ferocius gente Polona anteà fuerit nihil nunc contrà beneficio doctrinæ hac eadem nihil uideatur esse mansuetius, neque humanius. Hanc ego humanitatem, quàm in templis, quàm in foro, quàm in regno ac in moribus nostris uersari uidetis, Iagelloni Regi omnem debemus: qui accersitis in Poloniam literis, adhibitisquē earum Doctoribus, nos ab agresti uita ad ciuilem uocauit, nobisquē persuasit, humanitate, & doctrina ni-

* *aut nationū*

ctrina nihil esse melius: contra uerò, feritate ac inhumanitate nihil esse homine indignius: qua una re atque sola immortalem gloriam ille est adeptus. Nam uincere bello Germanos magnum quidem illi fuit: sed quod uictoriæ non bonorum uirorum sunt tantũ, sed interdum etiam malorum, ideò uera carent laude: at curare, ut piè, castè ac religiosè uiuatur ab his, quibus præsis solius est (mihi credite) hominis pij, casti atque religiosi. Iam uerò, nisi diuino aliquo animi motu Iagello Rex maiora concupijsset, & nisi fuisset † natura philosophia in huius uiri mente quædam, quomodo ille, aut de literis ipsis, aut de illorum Doctoribus, ac de gymnasio condendo cogitare potuisset, præsertim cùm literam ipse legeret nullam? Quàm autem chara fuerit Deo Opt. Max. hæc Iagellonis mens atque uoluntas, inde apparet, quod ipsius genus longè, lateque regnare, non in Sarmatia solùm, sed in Hungaria, Bohemia, Slesia atque Morauia longæuum ac gloriosum uoluit: ut Iagellana progenies singulari Dei beneficio edita in hanc lucem esse uideatur ad retinendos homines in hac ciuili societate ad erudiendam uitam illorum communem, ad constituenda regna, ad unienda imperia: denique ad proferendos fines humanitatis atque religionis. Iam uidetis, Equites, quæ uestra est sapientia, è quo fonte profluxerit Sigismundus Rex ad hominum uitam gubernandam atque conseruandam, quàm puro, quàm sancto, quamque repleto omni militiæ atque sapientiæ laude immortali. Sed antequam de Sigismundo dicam, audite per quos uiros hæc auita uirtus ad Sigismundum peruenerit: Iagellone è uiuis sublato Vuladislaus eius filius maior natu huius autem Sigis. patruus, regnum paternum suscepit dignis. filius illo patre, ac successor, in tuendo paterno regno omnium acerrimus: qui extrema pueritia à Polonis Rex est factus: ineunte uerò adolescentia, Rex est ab Hungaris absens expetitus, bello Turcico maximo atque acerrimis hostibus. Tanta opinio de illo animos omnium persuaserat, ut in illius indole salus omnium gentium repotita putaretur, ita ut & Polonis dare salutem, & Hungaros liberare periclis posse uideretur. Tanta uirtus huius Regis fuit, tantus ad uirtutem impetus, ut præter ætatem periculosissimis temporibus maximis undique septus hostibus duo regna maxima Sarmatiæ atque Hungariæ, summa atque incredibili uirtute conseruarit. Scythas in Russiam irruentes sæpè uicit, Valachos Polonis adiunxit, Ammurathem ipsum spe atque cupiditate Hungariæ imminentem cum uniuersa Asia ex Hungaria uictum, fugatumque expulit atque eiecit: cui quidem Regi, ueluti Aaronem quendam sanctissimum atque fortissimum uirum Ioannem Capistranum de familia Francisci, Eugenius Quartus in societatem Turcici belli miserat: quo ille administro atque comite non solùm Hungariam, sed omnes Christianorum prouincias ab æterno interitu conseruauit. Nam quandiu uita incolumis Vuladislao fuit, tandiu Turcarum genus minus potens, ac minus formidabile prouincijs nostris fuit. Illo uerò Varnensi prælio uicto, quot ille uirtuti ac rebus secundis cõfisus, impari militum manu cum Amurathe conflixerat, tantùm Turcarum tyranni postea sunt adepti, quantum nunquam eo uiuo optare sunt ausi, in quo tamen prælio enituit illa Iagellonis excellens atque inuicta in hoc Rege uirtus: cùm enim inclinaret iam uictoriæ, spesque in sola restaret fuga, & cùm cæteri exceptis Polonis, fugerent omnes, ille ueluti Cæsar alter, sui oblitus, in confertissimas hostium cohortes, opem laturus suis, cum magna hostium strage se immisit: & cùm quidam ui ex prælio reuocare iuuenem conarentur, ferox monitoribus respondit, Non esse sui sanguinis uincere uelle, & fugere: ô generosam mentem, & magno Rege dignam. Non ego te eo prælio perijsse dicam, Vuladislae, neque immaturam mortem hoc loco deflebo tuam. Viuis enim rerum gestarum gloria, & quandiu hic Sol terras adspiciet, uiues. Nam quod tibi aut puerilis ætas negauit, aut immatura mors ademit, id tu suppleuisti uirtute tibi: quam ad hanc diem, non Hungari solùm, pro quibus sanguinem fudisti, neque Poloni, quorum cum patribus illo in prælio occubuisti, sed illi ipsi Turcæ, gentesque omnes barbaræ à te deuictæ uenerantur, fatalemque tuum sanguinem ad delendum Othomannicum nomen sibi esse arbitrantur. Sed me longiùs prouexit Equites, recordatio huius Regis cum grato quodam desiderio coniuncta, & quod hoc intuens corpus, de illis quoque recordor, qui ex eodem sanguine erant creati, unde & hoc erat sumptum. Nunc ergo relinquam patruum Sigismundi, tanti adeo inuicti spiritus Regem, & ad parentes ipsius iam uobis breuiter ostendendos descendam. Vos quæso, quod adhuc fecistis, me diligenter audiatis: Vuladislao Varnensi prælio extincto, Casimirus frater, huius autem Sigismundi pater, Regnum suscepit fraternum, atque paternum, & quinque, & quadraginta annos in Polonia regnauit: quo in spacio res ille tantas gessit, ut, si de singulis mihi dicendum sit, abutere tempore, & auribus uestris, Equites, ipse etiam me ignorare uiderer, si ad res magnas huius excellentis Regis, Orationem nequaquam parem adhiberem, præsertim cùm ad ipsum Sigismundum tota properet oratio,

† natiuâ

oratio. Hinc tamen Casimirus quantus Rex fuerit, inde scire potest, quòd contra potentissimos Reges atque summos Imperatores, non solùm suæ ætatis, qua ille regnauit, sed omnis ante illum memoriæ, Poloniæ Regnum incredibili uirtute defendit. Nam cum Matthia Rege Hungariæ fortissimo atque bellicosissimo, bellum in Slesia acerrimum gessit, & Stephanum Valachiæ Palatinum, bellatorem inclytum parere Polonorum imperio coëgit, & Mahometem Turcarum tyrannum ex Valachia expulit, pacemque petere compulit, Prussiam maximo bello perdomuit: Moscouiam deuicit: Scythiam sæpè repressit: pacem, ocium ac tranquillitatem, armis atque legibus in suo regno diligenter custodiuit: quibus ille rebus cùm esset apud omnes clarissimus, facilè obtinuit, ut externis etiam auxilijs regnum Poloniæ muniret, quod sciret regna, nisi finitimorum opibus ac beneuolentia iuuarentur, firma non esse. Itaque quod armis atque bello assequi non potuit, ut pax illi tum Germanis de Prussia esset, id uxore ex Germanis ducta est assequutus. Nam de domo Austriæ clarissima, atque totius Germaniæ potentissima, eaque imperiali, uxorem duxit Elisabetam, huius istius Sigismundi matrem: filiam autem Alberti Ducis, qui idem Romanis, Hungaris, atque Bohemis Rex fuit * cuius nuptiæ, cùm essent plenæ dignitatis, plenæ concordiæ, ac regiæ cuiusdam maiestatis, ita tamen fœcunditate atque prole beatæ fuerunt, ut uix è ueteri Regum memoria ullius nuptiæ cum his Casimiri conferri queant: nati enim sunt inde filij sex, omnes patri superstites: quorum serie quadam mirabili atque diuina, Vuladislaus natu maior, in Hungaria regnauit uiuo patre: Ioannes Albertus autem in Polonia patri successit: illi Alexander, huic uerò Sigismundus hic Rex: restabant duo, quòd illis credo meliora regna hisce terrenis debebantur, Casimirus, & Fridericus, quorum alter in Diuos relatus est: alter uerò urbis Romanæ Cardinalis fuit: filias quoque septem numero, ex hoc eodem matrimonio susceptas, omnes Germanis principibus in matrimonium dedit, atque ita genere ac sanguine suo cunctam Germaniam Casimirus compleuit, ut pauci sint ex omnibus Germanis principibus, qui consanguinei non sint Polonis. Fœlix Casimirus hac ista Deo grata, ac tam illustri apud omneis gentes sobole, ex quo tot ac tanti orbis terræ conseruatores prodierunt: qui fœlicior, ne in suscipiendis liberis, an diligentior in educandis fuerit, non facilè dixerim. Nam ut filias prætermittam, quæ summa pudicitia, & digna illo loco ac genere cura à matre sanctissima atque diligentissima fœmina educabantur: filij certè ea disciplina fuerunt instituti, ut non Regis filij, sed priuati cuiusdam uideretur esse. Nullus in ijs educandis regius sumptus, luxus nullus, sed summa moderatio in uictu, amictu, atque cultu adhibita fuit. Norat siquidem ille sapientissimus Rex atque idem pater optimus, fundamentum esse omnis reliquæ uitæ cùm priuatæ, tum publicæ institutionem ipsam, educationemque puerilem. Hinc enim petuntur primùm rudimenta illa ad laudem, & ad gloriam disposita, nempè quid honestum, quid turpe, quid iustum, quid iniustum, quid expetendum, quid fugiendum sit, quid Deo, quid parentibus, quid amicis, quid ciuibus, quid legibus, quid ipsi denique Reipublicæ debeas, quæ nisi tu ineunte ætate, in angusta ac seuera uita cognoueris, inutilis homo, perniciosus Rex tuis futurus sis, necesse est. Quid enim per Deos immortales ab eo expectes, qui sine ullis honestis præceptis ex puellarum cœtu emersus, à cantu, à tibia, à luxu, à tripudijs, à uino, à somno, à stupro, ad summum imperium accesserit? Iactabit se, mihi crede, illius intemperantia in illa copia insolentiùs, neque quomodo prosit, sed quomodo obsit rebus communibus cogitabit. Nam cùm uoluptas ipsa per se uirtuti sit inimica, tum uerò si ad illam potestas aliqua maior, aut imperium accedat, in furorem agitur, de statuque omni mentem exturbat humanam. Ex hac tali ratione illæ humani generis pestes prodière partim crudeles, partim uerò effœminati tyranni. Hinc enim Busiris atque Phalaris illi ueteres: hinc Nerones isti recentiores ac crudeles tyranni: hinc etiam effœminati Sardanapali sunt orti: quorum uitam si inspicias, facilè reperies ineuntem ætatem illorum, non parsimoniæ, neque disciplinæ radicibus, sed ipsius uoluptatis atque licentiæ illecebris nixam fuisse. Horum exemplis admonitus Casimirus Rex, nihil priùs habebat, quàm ut illam primam filiorum suorum ætatem certis legibus pudoris, uerecundiæ, modestiæ, atque ipsius Religionis adstringeret, certò sibi persuadens, taleis filios suos in regnando futuros qualis illorum educatio præcederet, & meritò quidem: institutio enim puerilis Regum ipsorum, primùm proculdubiò medium atque postremum illis in regnando est. Hinc enim omnis ornatus uitæ, Regibus est petendus: hinc contra fortunæ tela præsidium sumendum: hinc consilium, hinc authoritas ac grauitas petenda: denique id, quod caput est, quid sit Regem esse, quid deceat illum, quod officium Regis, qui uultus, incessus, uictus, habitus: hæc sola recta institutio Regi demonstrat. Non capit hæc, mihi credite, angusta ac nulla bona institutione erecta mens, sed ua-

* Quæ

ſed uacillat ac titubat in omni Regio officio ac munere. Qui enim Rex hæc puer non didicit, is uitam miſeram, deſertam, contemptam, infamem, ac obtrectationibus expoſitam agat neceſſe eſt. His ergo malis atque his incommodis omnibus ab initio Caſimirus ſtatuit occurrere, præpoſterè ſe facturum ratus, ſi Regnum ipſum filijs poſt ſe relinqueret: filios autem ipſos, quibus illud ſeruaret, negligeret: quare ne uideretur (ut dicitur) plus curare calceum, quàm pedem: ſumma ope requiſiuit, cui nam inſtituendos filios ſuos traderet. Erat illis temporibus uir doctus, & bonus Ioannes Longus, Olugos à Polonis uocitatus: cuius uita probata, ac inculpati mores, cùm illius commendarent doctrinam, facilè Caſimiro fuit perſuaſum, qui hunc filijs ſuis Doctorem accerſierit: ut ex eius uiri præceptis atque inſtitutis, ueluti ex fonte quodam, atque totius honeſtatis radice flueret illa regia diſciplina, quam docti homines ſummam eſſe rerum omnium uoluerunt: quæ mentem, linguam ac rationem futurorum Regum, ad Reipublicæ gubernationem cum ſumma laude dirigeret: ſic Caſimirus non aliquem externum, aut alienigenam, ac ignotæ uirtutis hominem, filijs ſuis præceptorem delegerat, ſed Sarmatam ac Polonum, eundemque ſpectatæ doctrinæ ac integerrimæ uitæ uirum. Ita ille non in externa inſtitutione, neque in peregrina adoleſcere mentem liberorum ſuorum uoluit, ſed in Polona atque domeſtica: nec iniuria. Vt enim ſemina, ſi in peregrinam mandentur terram, amittunt uim ſuam, ſæpeque in diuerſum genus abeunt: ſic puerorum ingenia inſtitutione degenerant à patria uirtute, ut ex duro Scytha mollis fiat Arabs, ex Latino Græcus, ex Polono Italus. Quare Caſimirus, cùm ſe ſciret genuiſſe Reges, non Italis, non Græcis, neque Indis, ſed ſolis Polonis: cauit diligenter, ne quis primam illam indolem, niſi Polonus fingeret. Adhibuit itaque Ioannem Longum, ut Polona inſtitutione, Polonus ipſe bonos Reges Polonis eò diligentiùs efficeret, quantò in illorum inſtitutione ſalutem non ſolùm Regni, ſed ſuam etiam incluſam eſſe uideret. Hoc ergo munere Longus non minus difficili, quàm operoſo ſuſcepto, ſtatim ab initio amouit è conſpectu illius teneræ ætatis peſtem ac perniciem iuuentutis libidines omnes, & illarum authores. Non erant auditi in Longi ludo uerſus impudici, non cantus, neque ſymphonia turpis, quæ aculeis nequitiæ incendunt ad uitium iuuenum mentes, nunquam ibi ſunt uiſi turpiloqui, nunquam ebrioſi, nunquam mimi, nunquam amore ac uino, & mendacio corrupti hiſtriones: denique nunquam illa dijs irata, quam Itali appellant, maſcara in ludo illo fuit: nihilque earum rerum omnium, quarum imitatione atque conſuetudine in uitium labitur iuuenilis ætas, talisque fit, quales ſunt ij, quorum conuictu lætatur: cum claudo enim (ut dicitur) claudus eris. Quare aures illorum Regum ab auditu oculos à conſpectu talium flagitiorum diligenter fidelis magiſter continebat. Libri apud illum à Regibus illis pro maſcaris tractabantur: uiri boni ac moderati, pro hiſtrionibus cum Regibus illis uerſabantur: parſimonia uitæ, morum repræhenſio, malorum irriſio, uirgæ medius fidius ipſe, atque plagæ, adminiſtræ illius inſtitutionis erant, atque comites: meminique me audire de noſtris ſenibus, Caſimirum dicere ſolitum, nullum ſe acroama audire ſuauius, quàm ciulantem, ac uirga cæſum ab illo Magiſtro filium: ô Regem Sparta dignum, qui in illis lachrymis, ac in illius uitæ anguſtijs fundamenta benè ac ſapienter regnandi filijs ſuis repoſita eſſe arbitrabatur. Itaque cùm magnarum rerum cupiditate, monitore Ioanne Longo, incenderetur aſſiduè præclara illa ad uirtutem indoles, uidetis quos fructus maturitate ſua poſtea tulerit. Quid enim aliud cauſæ putatis eſſe, quòd omnes uicinæ gentes, atque nationes ad Caſimiri domum, quaſi ad Philoſophi ſcholam concurrerent, unde non ſolùm Reges regnandi, ſed etiam magiſtros benè uiuendi peterent? Nulla fuit alia, Equites, niſi ipſius inſtitutionis opinio. Hac enim impulſi ſunt Hungari, ut ab illo Vuladiſlaum Regem ſibi peterent: hac eadem Bohemi adducti Ioannem Albertum expetiuerunt, ita Alexandrum Lithuáni, ita Sigiſmundum Sleſij: ô fœlicem tali prole Caſimirum: ô ter, quaterque beatam Poloniam, quæ tantæ indolis primùm, deinde uirtutis parens atque altrix extitit: quæ quanta fuerit, teſtes ſunt omnes gentes atque terrarum oræ ultimæ, quæ ab hac iſta uirtute, aut ſeruatæ, aut deuictæ, aut cum Poloniæ Regno ſunt coniunctæ. Nec mirum nacta enim fuit hæc uirtus naturam Imperio aptam: ad quam cùm acceſsiſſet uſus, confirmatioque doctrinæ, ad tantam laudem, dignitatemque peruenit: & cùm omnes iſti optimi atque omni laude digniſsimi fratres florerent ingenij gloria: ſic tamen inter hos Sigiſmundus excelluit, ut tantum ipſe uinceret omnium teſtimonio fratres, quantum illi uincebant reliquos omnes. Nam quæ ueſtra opinio, quanta etiam ſpes omnium de hoc iſto iuuene fuerit, teſtes ſunt comitia illa Caſimiro mortuo Pirokouiæ habita, ubi cùm de Rege deligendo deliberaretis, hunc natu minimum, fratribus maioribus Ioanne Alberto, ac ipſi Alexandro, anteferre ad Imperium uoluiſtis: & niſi partim Eliſabet mater, partim ue-

 tò Sigiſ-

rò Sigiſmundi ipſius continentia, fratri maiori concedentis, obſtitiſſet, antetuliſſetis. Vos hoc loco appello huius Regni robur atque firmamentum Theneſci, quæ iudicia de hoc iſto Rege tum feciſtis? quanta contentione animorum atque armorum ueſtrorum hunc Regem ſufficere patri uoluiſtis? Quid tanto motu rerum ſpectaſtis aliud, niſi ſpeciem quandam atque opinionem excellentis uirtutis, quæ cùm ipſa ſumma eſſet in Sigiſmundi fratribus, in hoc tamen ita excelleret, ut quantum ætate ſuperaretur à fratribus, tantum ille ſplendore uirtutis ac nominis ſui, fratres ipſos ſuperaret? quod autem ille tum ſe non extulerit, & quod à præſenti iam Regno ac oblato abſtinuerit, nónne hanc abſtinentiæ illius laudem cuiuis Regno anteponendam putabimus? niſi enim inſediſſet in huius uiri mente conſtans ac æquabilis ratio quædam uitæ, nunquàm ille, mihi credite, abſtinuiſſet ab eo, quod illi tum ſumma uoluntate ac incredibili ueſtra conſpiratione datum, oblatumq́ue fuit. Nam non uolitare cupiditate gloriæ, non inflammari ambitione ad rapienda Regna, præſertim cùm Rex eſſe poſsis, hoc omnium difficilimum opus eſt, Equites: hoc ſolius ſapientis, ac huius hominis eſt proprium: qui tamen hoc ipſum, quod fratribus ante ſe conceſſerat, quàm cumulatè poſtea à uobis ſit adeptus, res ipſa docuit. Mortuo enim Ioanne Alberto, deinde Alexandro fratribus, uniuerſi hunc ex Sleſia ad Regnum paternum uocauiſtis, in ſummo ipſius Regni diſcrimine, ſummóq́ue periculo: ita in eo ſolo reſtare ſpem Regni, atque ſalutis ueſtræ tum putaſtis: quò quidem Regno ſuſcepto, ita illud unum & quadraginta annos adminiſtrauit, ut omnibus opibus florentiſsimum uobis poſt ſe reliquerit. In quo quidem Regno, qualem ſe Regem ille geſſerit, quibusúe artibus illud adminiſtrarit, res ipſa iam poſcere uidetur, ut dicam: fuit enim hoc ſecundum è tribus, quæ de hoc ipſo Rege dicenda ab initio propoſuimus. Vtinam, Equites, ea in nobis eſſet orationis facultas, qua, ut par eſt, dicendo explicare poſſemus, qui nam huius Regis in regnando mores, quæ artes, quis modus fuerit. Nunc uerò cùm uirtuti Sigiſmundi Regis non tantùm mea, quæ nulla eſt, ſed nullius omninò poſsit par oratio inueniri: date mihi hanc ueniam, ut non tam orationem à meipſam, quàm rerum ipſarum, quas is geſsit, commemorationem expectetis: quarum recordatione ac memoria, & hoc mœſtum illius funus celebremus, & alijs praeſcribamus, quales Reges in regnando eſſe conueniat. Ego enim ſic exiſtimo, in ſummo Rege quatuor has res ineſſe oportere, ſapientiam, iuſtitiam, fortitudinem, atque clementiam. Quis igitur hoc homine ſapientior Rex unquam fuit? qui mox ſuſcepto Regno, non unam aliquam partem Regni, ſed omnes illius partes animo complexus eſt: quæ cùm laborare uiderentur, præſentem medicinam omnibus ſummo cum præſidio attulit. Nam cùm Poloniæ Regnum maximis bellis, quæ pater ac fratres ante illum geſſerant, exinanitum, ac omni conſilio, & auxilio deſtitutum accepiſſet, ineundam ſibi ante omnia rationem putauit, quo & auxilijs iuuare, & conſilijs firmare, & opibus reficere Regnum poſſet. Multa illi ad ea expedienda, quæ animo conceperat, obſtabant inopia primùm ærarij aſsiduis bellis exhauſti: deinde deſertum ab amicis Regnum. Nullo enim tempore Poloniæ Regnum maiori motu rerum fuit, quàm eo, quo à Sigiſmundo eſt ſuſceptum: hinc enim influebat tota in Ruſsiam Scythia: hinc bello affecta imminebat Valachia: hinc Aſia, Turca duce, minabatur nobis tota: cum Germanis etiam non ſatis certa nobis propter Pruſsiam pax fuit. Hic Sigiſmundus ſolus in medio relictus, ac magnis undique periculis circumuentus, oſtendit patriæ illud ſperatum lumen animi, ingenij, conſilijq́ue ſui. Omneis enim finitimos partim ſocietate ſibi adiunxit, partim fœdere reconciliauit, partim uerò bello deuicit. Nam Valachiam, inſperata uictoria de Ioanne Alberto elatam, fregit ac domuit. Scytham quoque multis prælijs ſecundis deuictam, ad extremum tandem munificentia, liberalitateq́ue ſua in fide habuit: perfecitq́ ut Scythæ genus hominum ferum ac indomitum, liberalitatem ipſius potiùs, quàm arma experirentur: quem illi honorem, ante Sigiſmundum, nulli Regum, ne illi quidem Alexandro domitori Aſiæ habuerunt: cum Turcarum etiam tyranno, cùm ab omnibus derelictus, ſolus periculoſiſsimum bellum gereret, fœdus ad extremum fecit, magis ex ſuorum tempore, quàm ut id utile rebus communibus arbitraretur: de quo quidem fœdere dicam alio loco, Equites: & ita dicam, ut hoc ipſum fœdus, quod nonnulli repræhendunt, magna neceſsitate factum fuiſſe oſtendam. Nunc dico, in his fœderibus atque bellis Sigiſmundum aliud ſpectaſſe nihil, quàm pacem, & ocium ſuorum: ut uidelicet Polonia tot iactata caſibus, tot afflicta cladibus, tot deniquè oppreſſa malis, requieſceret aliquandò, & ſe ex diuturno labore pace ac quiete reficeret: quæ eò miſeriarum iam uenerat, ut neque priuatis, neque publicis opibus, poſſet contra uim hoſtium ſubſiſtere. Ita enim Iagello Germanico bello, & Vuladiſlaus Turcico, & Caſimirus Prutenico atque Hungarico, & Ioannes Albertus Valachico Poloniam atriue-

attriuerant, ut in media uictoria uicta esse propemodum ipsa Polonia uideretur. Quare cùm spes restituendi Regni nusquàm, nisi in pace, Sigismundo restaret: propterea hanc ipsam pacem omnibus bellis, fœderibus, societatibus atque affinitatibus quæsiuit. Nam sorores, quas habebat, in Germaniam nuptum dedit: qua affinitate ille Germaniam cum Polonia non solùm coniunxit, sed etiam Germanorum opibus illam contra omnem uim muniuit: nobilissimis enim ac potentissimis ex ea gente illos collocauit: qua sanè re perfecit, ut illi primò omnium Poloniæ Regum pax cum Germanis firma esset. Nam quod is cum Prutenis bellum gessit, priuatum illud bellum Prutenorum fuit, nulla publica ipsius Germaniæ authoritatem susceptum: & ne quid fortè, quod ad pacem spectaret, prætermittere uideretur, cùm iam Scythas liberalitate, Valachos deditione, Moschos uictoria, Germanos affinitate sibi ac suis obligatos haberet: restabant Hungari, quos etsi illis temporibus Vuladislaus frater cum Polonis coniungebat, tamen Sigismundus longiùs prospiciens animo, Hungaros in perpetuum Polonis uolebat deuinctos esse. Itaque cùm Scepusia domus princeps in Hungaria esset, Stephanusque Transyluaniæ Palatinus, rerum post Regem primus in Hungaria potiretur, eius filiam Barbaram in matrimonium duxit, consentiente Senatu, ac approbantibus bonis omnibus. Læta hoc matrimonio Polonia fuit, non tam quod societatem illi nouam attulerat, quum quòd talem Reginam ex Hungaria acceperat, quæ ob sanctissimos mores, castissimam uitam, ac ob admirabilem pudoris atque uerecundiæ famam Hester fuit uulgo appellata. Sed hæc uoluptas huius lætitiæ non diuturna Polonis fuit: nam Barbara anno quarto, postquam in Poloniam uenerat, uita est functa magno cum mœrore ipsius Regis, dolore autem omnium uestrûm incredibili: quæ tamen ipsa moriens, reliquit uobis pignus initæ societatis cum Hungaris: filiam enim ex ea Heduigim Sigismundus susceperat: qua Ioachimo Marchioni Brandenburgensi in matrimonium data, pacem Polonis cum Marchia fecit. Ita ille hisce artibus in omnes partes intentus, pace parta, Poloniam assiduis bellis afflictam exinanitam atque prouectam exit, refecit, ac planè denuò constituit. Quanta hæc fuerit illius sapientia, ex alijs quoque potestis suspicari, Equites. Alij enim pace bella quærunt: hic uero nihil bellis, nisi pacem quæsiuit. Alij Regna suscipiunt: ut finitimos bello uexent: hic Regnum absque finitimorum beneuolentia infirmum esse duxit. Alij fœdera ineunt, ut ad euertendam pacem spacium habeant: hic omnia fœdera, quæ cum Turcis, cum Scythis, cum Moscis, cum Valachis habuit, pace terminauit. Quis hunc Regem non ad euertendos homines, sed ad seruandos, non ad bello inter se committendos, sed ad pace coniungendos, natum fuisse neget? cùm enim pacem omni Regno suo compararet, non tantum suis, sed etiam alijs gentibus atque nationibus pacis author fuit: & quod inter omnes constat, pacem mutuam Christianis prouincijs stabiliorem nunquam fuisse, quàm Sigismundo Rege fuerit: sic ille non tantùm quod sibi soli utile esset, spectabat: sed complectebatur ad suam, & ad communem omnium salutem, omnes finitimos Reges atque nationes. Pacis enim author omnibus fuit: ad pacem inuitabat, hortabatur, ac monebat omnes. Valuissetque utinam illius diuina uox atque sententia apud Ferdinandum ac Ioannem Reges: staret nunc, mihi credite, Hungaria neque Turcis per illam ad nos, ac ad omnes pateret uia. Verùm cùm illi Reges belli, quàm pacis, essent cupidiores, Sigismundumque non audirent, ab Hungaria ambo exciderunt, cuius motu atque casu ea quoque dudum antè habebant, cum magno communium rerum detrimento, partim afflixerunt, partim amiserũt: & meritò quidem: pace enim è medio sublata, quid utrique salue esse potuit? Pax enim est parens atque fons omnium rerum bonarum Equites: sine hac nihil hominibus iucundum in uita, nihil stabile potest esse: quàm qui oderũt, feri & indomiti ac crudeles tyranni sunt habiti. Contrà uerò, qui huius patroni atque authores fuerunt soli homines, soli sapientes, ac generis humani conseruatores sunt dicti: & iure quidem: pace enim uiuunt leges, excoluntur mores, tractantur artes: uictus postremo ipse, ad uitam degendam necessarius, ipsius pacis est fructus: quo etiam fit, ut difficilius sit pacificum Regem esse, quàm bellicosum. Quo enim quisque ratione magis * deficitur, tanta est ferocior, & ad bellandum procliuior: at pacis author, atque custos nemo potest esse, nisi idem uir sapiens fuerit. Eædem enim partes sunt pacis, quæ sunt ipsius sapientis. Nam pacis hic finis est, ut in ea conuenienter naturæ ac legibus uiuatur: qui finis idem profectò est, & ipsius sapientis. Hoc enim solùm ille curat, ne quid à natura ac legibus aberret. Quare nihil tam cum sapientia pugnat, ut uidetis, quàm odium, discordiæ, ac bellum. Hinc enim existunt Regnorum mutationes, hominumque ipsorum ac legum interitus: quæ conseruare ac constabilire est ipsius sapientis. Quod in Hungaria ne esset tanquam ex aliqua specula denunciabat Sigismundus

Pacis encomiũ.

* deficit

DD Ferdi-

Ferdinando atque Ioanni tempestatem futuram; quam cùm illi non prospicerent animo, demonstrantemqúe Sigismundum non audirent, repentè illa tempestas inuoluit ac corripuit omnia. Hungariamqúe sine legibus, iudicijs, sine Rege, sine fide exposuit direptionibus, & incendijs. At Sigismundus interea cùm conscientia consiliorum suorum niteretur, nunquam facere, agere, ac moliri omnia destitit, quò si minùs pacem inter illos Reges conciliaret, Regnum tamen suum ab illorum contentione abduceret. Qui in re tanta sapientia, tantaqúe moderatione fuit, ut in summa illorum contentione utrique charus esset, utrique socius, atque amicus: cum quibus ut pacem, & amicitiam firmaret, alteri, hoc est, Ioanni filiam suam Elisabetham, è secunda uxore, hac ista grauißima atque clarißima Bona Sfortia, de qua dicam alio loco, in matrimonium dedit: alterius uerò filiam huic Augusto Regi nostro, filio autem suo charißimo atque unico, quem nobis ex eadem Regina reliquit, collocauerat: quæ nuper magno omnium cum dolore, ac mœrore decesit. Ita ille, non arma tantùm, opesqúe omnes suas, sed etiam sanguinem ipsum, genusqúe suum uniuersum in pacis rationes conferebat: sanguineqúe suo quàm plurimas genteis atque nationes sibi, regnoqúe suo obstrictas esse uolebat, & cum bellicosißimis nationibus, uictoriosißimisqúe populis præesset, tamen hanc tantam copiam, non bellorum opes ac neruos, sed pacis instrumenta esse putabat. Qua pax, inquam, in Regno constituta, quanta bona effecerit, quas artes excitauerit, quas opes huic Regno tam priuatim, quàm publicè pepererit, attendite Equites: mentesqúe uestras paulisper ab hoc mœrore uestro ad res uestras abducite, quarum status, ante Sigismundum, qui fuerit: hæc uestra præsens testatur copia: quàm si conferre uolueritis cum opibus illis uestris prioribus, inopia summa atque egestas illæ uidebuntur esse præ hisce, quæ nunc sunt. An uos illas opes putabitis esse equite Polono dignas? quæ tam modicè fuerunt, ac penè nullæ, ut legibus etiam uestris cautum fuerit, ne triginta marcas dos Equitis filiæ superaret. Non moderationis, mihi credite, sed postremæ inopiæ hæc illa lex fuit, cuius cùm nos (ita me Dij ament) subpuderet, legem hanc dotalem tulimus, ut id, quod inopia fiebat, lege fieri putaretur: cùm interim benè se illis res haberet, qui locupletes uideri uolebant, si illorum sanctius ærarium ipsas triginta marcas haberet. Neque uerò hæc inopia tantùm in ordine Equestri fuit, sed ipsi etiam medius fidius Senatores, ne plus centum marcis dotis nomine filiæ nubenti darent, lege, hoc est, egestate prohibebantur. Sed quid ego dotem huius inopiæ signum fuisse commemoro? cùm capita occisorum Equitum tanquam pecudum, non ipsius interfectoris capite ac sanguine, sed precio ac centum marcis, contra omnia diuina sic humana iura, soluerentur? ut non mulcta, non pœna, non supplicio, sed tam uili ære capita uestra æstimarentur, cædesqúe expiarentur. Ex hac tanta, ac tam infami, tamqúe impia æstimatione apparet, egestas illi Regni quanta fuerit: quæ tanta fuisse uidetur, ut animam quis pro capite faciliùs daret, quàm hanc pecuniam solueret: quàm utique illis temporibus grandem fuisse constat, quæ nunc authore Sigismundo nulla est. Quid uerò illa macula atque labes nominis ac generis uestri, parumne indicat, quam inops à pecunia fuerit hoc Regnum? Nam si quis fur pecuniam furto à quopiam uestrum abstulerit, capite plectitur atque suspendio: si quispiam autem cum cuius hæc pecunia fuerit, occiderit, pecunia occisi caput soluit: ô commemorandas leges, & dignas, quæ in hac Republica uersentur, quibus nos, tanquam pecudes, precio ac mercede sicarijs, & interfectoribus addicti sumus: quam nos non legem, sed perniciem atque pestem uestram, primo quoque tempore de medio tollite, Equites, si salui esse, & boni uiri haberi uultis, de quo quidem ipso erit fortasse nobis apud uos † alius dicendi locus. Nunc uos iam perspicitis, quanta hæc inopia fuerit, cui omnes leges diuinæ ac humanæ in Polonia cesserant. Quid? in priuatis ne tantùm rebus hæc tanta inopia fuit? imò uerò multò etiam maior in publicis: Recordamini enim per Deos immortales, illas angustias ærarij amissa uectigalia, bona, uillas, urbes, atque prouincias regias pecunia obligatas priuatis hominibus: tum demùm statuetis, quantum Sigismundo Regi debeatis, qui hæc omnia redemit, recuperauit, ac libera Reipublicæ restituit: quarum rerum inopia erat factum, ut homines historici literis mandarent, Polono Rege miserius esse nihil, & ita profectò res est, si tempora illa respicias, quibus illi scripserunt. An uobis tum Regnum hoc diues fuisse uidebatur, cùm subsidia belli ac ornamenta pacis mendicato penè Reges uestri quærerent? cum pignoribus, obligationibus, ac mutuationibus, non solùm bella administrarēt, sed etiam domi uiuerent? cùm ita exinanitum erat ærarium, diminuta uectigalia, omnes uillæ, possesiones, salinæ, prouinciæ pignori opposita, ac à regio usu auersæ, ut Rex ipse neruis prorsus careret, quibus Rempub. gereret? Quis unquam non dico Rex, sed priuatus homo aliquid sepositum ad usus necessarios non habuit?

† Alias

solli ex

soli ex omnibus Regis uestri sunt inuenti sine ullo sanctiore ærario. Nihil fingo, Equites: memoria in medio est res ipsa. Legite priuilegia bonorum obligatorum, facilè reperietis eò inopiæ redactos fuisse illos superiores Reges, ut, si non dico bellum aliquod ab illis esset gerendum, aut filia elocanda, sed equus ipse emendus, non priùs haberent, quàm aliquid adderent ad priuilegij summam. Quare cùm maximus nodus in Republica sit inopia rei pecuniariæ, sæpè fiebat, ut perniciosa consilia Regis nostri inirent auferendorum è templis uasorum, ac nouorum imperandorum uobis tributorum, res etiam ipsas ad summam Reipublicæ pertinentes, inchoatas atque affectas, cum magno ipsius Reipublicæ detrimento intermittebant. Difficile enim est efficere aliquid magni, cùm egeas: quod pecuniæ nerui sint omnium benegerendarum rerum. Ex his tantis, tam diuturnis, tam postremis difficultatibus, angustijsque, quibus omnes res nostræ priuatæ atque publicæ premebantur, Sigismundus Rex summa sapientia atque incredibili celeritate hoc Regnum expediuit: comparatis enim pecunijs, undique collectis Ioannis Boneri opera, uiri præclari atque industrij, salinas primùm, deinde præfecturas, postremò uillas, urbes, possessiones omnes redemit: ærequè grandi persoluto, uectigalia constituit: fructus prouinciarum auxit: ærarium collapsum anteà atque effusum, ingenti pecunia cumulatum atque refertum: uobis reique uestræ publicè reliquit. Quid uerò hoc eodem Principe atque Duce, res uestræ priuatæ, ex illa Reipublicæ nocte à Sigismundo productæ, quanta luce, & quo splendore nunc fulgeant, quis poterit, ut par est, dicere? Agri mediusfidius ipsi, syluæ item ac nemora, ruraquè ac coloniæ uestræ, quæ in pacis sinu à Sigismundo collocatæ, medio (ut sic dicam) ocij gremio nunc continentur: gestire mihi uidentur, atque huic authori, parenti, ac conseruatori suo gratias agere, quæ situ anteà squallebant omnia: nunc uerò hac noua luce opum & copiæ ab hoc illustrata, fulgent, mouentur, seseque ad summam utilitatem uestram, reique publicæ dignitatem efferunt. Eos enim fructus iam uobis subministrant, ut hos nullum bellum, quamuis atrox atque diuturnum, exhaurire possit. Mandate hoc memoriæ, Equites: spero multa uos, liberosque uestros, ac maiora indies bona uisuros, in hisque semper ita existimabitis, sine Sigismundo Rege nihil horum uos fuisse uisuros. Nam ante illum quid sperare potuimus, in illis præsertim tantis angustijs? cùm mentes, animique uestri debilitarentur inopia, ipsaque egestas nobis ad omnia, quæ concupieramus, magna atque præclara obstaret, quæ nunc sublata de medio atque remota, res nostras secundas ornauit, aduersus præsidium attulit bello subsidia: paci uerò ornamenta suppeditauit, auctæ iam sunt uestræ dotes, quarum modus non in lege, ut anteà, sed in uoluntate uestra pendet: uiluit aurum, cuius usus nimius iam fastidium uobis parit argentum etiam ipsum, non priuatorum hominum uidetur esse, sed illorum Regum superiorum. Nihil de ære ipso loquar, quod auro, argentoque uestro obrutum, uix iam compareat. Ita Sigismundus, quasi alter ex Hierosolymis Salomon, non copiam auri atque argenti, sed utilitatem Polonis attulit, & quod in primis laudatur in Salomone Rege, quod ille diuturna pace aurum atque argentum lapide uilius Hierosolymis reddiderat, hac certè laude Sigismundus non solum illi par, sed etiam superior fuit. Salomonem enim illa copia dementauerat, ac à Deo suo patrio auerterat: hic uerò in ubertimis copijs, religiosissimus: in summis uerò opibus temperatissimus ad extremum fuit, nihilque ad ultimum spiritum curauit magis, quàm ut ipsius Regnum in pace uigeret ingenijs, ualeret doctrinis, ac omni humanitatis, & Religionis laude floreret. Quando, Equites, hoc Regnum, quando uberius ingenijs, aut cultius unquam doctrinis fuit? Nunquam, Equites: omnia se simul hoc Rege in Polonia profuderunt pax, opes, literæ. Rarum fuit antea ac penè inauditum in Polonia Græcarum literarum nomen, quæ ita erant hominibus nostris incognitæ, ut id quod quis non intelligeret, Græcum esse diceret. Iam uerò Latina ipsa oratio, quàm absona fuerit atque barbara, Biga, & Baraletus sunt testes, boni quidem illi uiri, sed tamen inepti magistri ac rustici. Conferte nunc cum his ea, quæ & ipsi didicistis, & in quibus liberi exercentur uestri: non barbariam, sed Græciam, non Sarmatiam, sed Italiam dicetis factam esse Poloniam. Vt iam non Musæ Græcæ, neque Latinæ, sed urbes mediusfidius ipsæ, Roma atque Athenæ, honore, præmio, ac fauore Sigismundi inuitatæ commigrasse in Poloniam uideantur. Ita mens, sonus ac subtilitas utriusque orationis non externa, sed uernacula: non peregrina, sed domestica, in ore nostrorum hominum uersari mihi uidetur. Circumspicite, Equites, quàm undique circumferantur uersus optimi: audite quibus laudibus solutę ac iunctæ orationis suauissimi huius Regis à Polonis celebretur memoria. Nihil dico de me, cuius oratio, quantulacunque est, aut si quæ omninò est, huius Regis beneficio creuit. Voluimus quidem & nos de hoc Rege aliquid dignum ex hoc loco uestris afferre auri-

Pecuniæ utilitas.

bus: sed tamen id assequi, tarditate, ut par fuit, non potuimus: studio tamen certè, & uoluntate proximi illis sumus, qui literas suas, arteisq; optimas huic Regi acceptas ferunt: & qui hunc quasi quendam mortalem Deum, alto cœlo demissum, mirantur: ac harum ipsarum literarum opera: quas illius beneficio didicerunt, cupiunt eum esse immortalem. Viues ergò, ô diuine Rex, laudibus, carminibusque nostris: nosque e cœlo benigniùs adspicies, tuoque numine ac munere hæc bona propria nobis uelis esse, quæ hinc abiens reliquisti. Commouit lachrymas, fletusque interpellauit orationem meam.

Sed tamen quod institueram dicere, par hic pacis artibus Salomoni Regi fuit: constantia uerò recti propositi, longè illi superior: quod ut æquabiliter in omni uita tueretur, diffisus ingenio, quæsiuit in suo Regno socios tantarum rerum tuendarum optimos ac probatissimos. Habuit enim ex delectis uiris summa authoritate Senatum, ita ut hoc constet, in Polonia simili splendore * consilium nullius Regis unquam fuisse: tria autem præcipuè in deligendis Senatoribus spectare solebat: genus primò ipsum, quod maior authoritas apud homines, nescio quomodò spectatæ nobilitatis sit, quàm incognitæ: deinde sapientia præstantes: postremò, sententia & lingua liberos. Quòd si quando in his legendis remissior fuit, in his magistratibus mandandis certè fuit, quibus summa non continetur Regni, & in quibus homines non gerunt Rempublicam, sed gerere discunt. In summis autem Regni magistratibus quàm diligens fuerit, ut non repetam uetera, testes sunt hæc lumina Regni. Recensete uiros hos, & illorum familias, non ut illos laudemus, sed ut in illis diligendis iudicium ac sapientiam Sigismundi incredibilem admiremur, adest Princeps Regni Tharnouia domus: quid ex hac eadem domo maius? quid rebus gestis clarius? quid Dijs, hominibusque charius hoc isto Ioanne Tharnouio Castellano Cracouiensi hoc in Regno unquam fuit? cuius tot extant uictoriæ, quot sunt huius Regni inimici: tot trophæa, quot deuictæ prouinciæ: tot triumphi, quot ab illo sub iugum missi hostes: quo homine Sigismundus Rex custode peritissimo, Imperatore acerrimo ac fœlicissimo, periculosissimis temporibus, maximisque hostibus, hoc Regnum defendit, Scythiamque, Valachiam, ac Moscouiam deuicit: omnesque hostes uestros hoc Duce, aut parere uobis, aut certè cedere coëgit. Prætermitto Turciam ipsam, quam in Hungaria Ludouico Regi infestam, ac inimicam, ne capta Alba Græca, omnia simul euerteret, hoc eodem Ioanne Tharnouio Duce prohibuit atque repressit. Quid uerò hic, qui hunc ordine consequitur, Petrus Cmita, lumen atque ornamentum huius Regni? non splendore Vuisnicensis familiæ, non sapientia, non authoritate, non iustitia, non rebus gestis à Sigismundo impetrauit, ut ad hunc unum summos magistratus huius Regni deferret, Palatinatumq; Cracouiensem, Marschalcatum, (utamur enim uerbis nostris) præfecturas item magnas ac illustres illi mandaret? Quid hic Ioannes Lathalicius Posnaniensis Palatinus? homo quidem Equestri loco ortus, tanta tamen uirtute, tantaque sententiæ libertate præditus, ut ipse suis subnixus opibus in Sigismundi Senatum ascenderit? Quid uos decus huius Regni atque præsidium Thencisci? quæ ornamenta? Quę insignia summæ atque excellentissimæ uirtutis uestræ à Sigismundo non estis adepti? Vidistis enim Andream ex uestro ortum loco, paruum quidem illum corpore, sed ingenio ac eloquentia summum Castellanum Cracouiensem. Vidistis etiam Ioannem fratrem Palatinum Sendomiriensem nuper defunctum. Sed quid ego mortuos commemoro? cùm tuipse, Ioannes Sendomiriensis Palatine, coràm hic præsens adsis, qui cùm ob amplissimam, & haud scio, an maximam in hoc Regno familiæ tuæ dignitatem, tum uerò ob prudentiam sapientissimo sene dignam, à Sigismundo dignus es habitus loco isto, & ordine. Iam uerò quomodo, te, Stanislae Laski, prætercam? cuius genus, & industria, spiritusque illi Senatorij, domi ac foris cogniti, apud Sigismundum tibi sunt suffragati, ut Siradiensis Palatinus esses. Verecundius de te dicerem, Nicolae Brudzoui, si meo nunc iudicio uterer, non alieno. Quantò enim tua erga me beneuolentia maior est, tantò ego minùs possem de tuo genere, uirtute, ac doctrina dicere. Nunc uerò quoniam Senatum Sigismundi, non priuatos amicos commemoro, dico Sigismundum in te fuisse secutum, ut Lanciciensis illi Palatinus esses, cùm genus ipsum, uirtutemque egregiam, tum uerò uel in primis literas, studiaque doctrinæ, quibus instructus atque paratus, uocatu Sigismundi in illius Senatum ueneras, ut essetis cum hoc Petro Firlegio Russiæ Palatino, quasi quædam in Sigismundi Senatu duo sydera, splendentia omni Philosophiæ laude atque doctrinæ. Vestræ quidem, Senatores, succrescit laudi hic Ioannes Coscielecius, in Nouuladislauiensi Palatinus clarissima atque munificentissima ortus familia, cuius maiores tantùm inopia publica, de qua paulò antè dixi, commouebãtur, ut pergrandem pecuniam, qua obligata bona Regia habebant, Regibus remitterent, † Marigeburgoque, ac alijs amplissimis pos-

* Concilium

† Mariebur-gog;

mis possessionibus ultrò Casimiro Regi concederent: cùm numum nullum ex illa infinita obligatione acciperent: tanta fides Coscielecíæ gentis erga uestros Reges fuit, ut in summa sua copia inopes se arbitrarentur esse, uestro egeno Rege. Sed quid ago? aut quò progredior? Incidi in numerum uestri, Senatores clarissimi, in quo difficile est ex uobis non aliquem, nefas quenquam præterire. Sed dabitis mihi profectò hanc ueniam: & quòd in ipso cursu orationis tam multos prætereo: quosdam autem attingo, partim id tempori, ac auribus uestris seruiens facio, partim uerò, quòd me uox, lingua, latera priùs in dicendo deficient, quàm ut par est, explicem, quid in unoquoque uestrûm deligendo Sigismundus fuerit secutus. Quanta tamen sit authoritas omnium uestrûm, cum summa beneuolentia Equitum Polonorum coniuncta, cùm ex his, de quibus iam diximus, sciri potest, tum uerò uel maximè ex hoc isto Andrea Gorcano Comite Posnaniensi Castellano, ac superioris Poloniæ præfecto: qui adolescens ac penè puer ita commendatione excellentis uirtutis Sigismundo Regi charus fuit, ut dignus ab illo, & summis honoribus haberetur, & qui patri Lucæ clarissimo uiro in amplissima præfectura, ordinequé succederet. Cuius ea est authoritas apud omnes, ea dignitas, is uitæ splendor, ut nullius opes in hoc Regno maiores unquam fuerint: in quo quidem homine illud, quod Platoni illi Philosophorum Deo difficile uidebatur, ut summæ opes cum summa uirtute in eodem homine possent esse: ita utrumque cum summa laude excelluit, ut nihil in Polonia illo sit ditius, nihil etiam melius. Nam bonarum rerum, & literarum, ac ipsius doctrinæ ita studiosus est, ut aliud cupere uideatur nihil: opes etiam ipsius non libidinum, neque cupiditatum sunt instrumenta, sed humanitatis, uirtutis, atque dignitatis singularis. Hoc homine, Equites, quoniam uehementer nituntur res uestræ, salutem illi ac incolumitatem, quod facitis, uelle & optare debetis. Ex his tot & tantis, ac talibus uiris apparet, qualis Rex iste fuerit, & haud scio, an aliud signum boni sit Regis, quàm ipse Senatus, apud eum Regem præsertim, qui non sua, sed conseruandorum hominum causa se factum esse Regem nouit. Quemadmodum enim est in ipsis artibus, in quibus, quales ipsi artifices sint, instrumenta illorum declarant: sic etiam, cùm ars artium omnium scientia sit administrandi Regni, nusquam ratio ipsius Regis magis apparet, quàm in ipso Senatu, qui instrumentum quoddam benè gerendæ ciuitatis suo Regi est: qui si nequam, si iniustus, si helluo, si rapax ac sceleratus fuerit: certò scito consimilem quoque illi esse Regem. Quid ita? quia mens ipsa infœlix, non iam Regis, sed Tyranni, cum spe atque cupiditate omnia suorum ciuium deuorârit, nihil agit, nihil aliud dies atque noctes molitur, quàm ut ne quis illi omninò ad ea obstet, quæ concupiuit. Quare Tyrannus omnis ueluti quædam immanis bellua, in formam humanam insuta, antequam sternat ciues, uastet leges, ac solus deuoret omnia, Senatum omnem tollit funditùs, si quem habet: aut curat, ne quis in Senatu illius sit genere, sententia atque lingua liber. Ita tyrannus aut Senatu caret, aut si quem habet, ex obscurissimis quibusque, atque nequissimis, linguaqúe ac mente seruis, collectum Senatum habet: si tamen Senatus dicendus est cœtus ille infœlix, ex teterrimis quibusque hominibus ideò conflatus, ut cum his tyrannus scortetur, potet, leges mutet, Rempublicam uexet, ac quorum assentatione, quasi œstro quodam, plenus perturbatione atque pœnitentia, agatur in furorem, atque in amentiam: ut ita uiuat sine fide, sine pace, sine certo fœdere, ac in concursu plorantium atque tempestate querelarum perpetuò uersetur, plenus turbarum atque tumultus. Cogitate hoc loco per Deos immortales, Equites, & uestros illos ueteres tyrannos, & hos etiam aliorum notos: ut hæc, quæ dico, magis ex aliorum contentione, quàm ex oratione mea intelligere possitis: quàm æquus Sigismundi Senatus fuerit, quàm iustus, sobrius, continens atque sanctus: ut facilè appareat, hunc Regem, non suæ cupiditatis gratia, sed uestræ salutis causa, Senatum ex his uiris delectum habuisse. Quem ille ordinem tanta cura coluit, ut ab initio suscepti Regni plenum Senatum semper habuerit optimorum Pontificum ac fortissimorum uirorum, quod sine isto adiumento atque præsidio, neque ipsum se, neque Regnum suum putaret esse diuturnum. Quam etiam ob rem tanta ueneratione Senatus apud illum fuit, ut Pontifices, Dominos suos: Senatores uerò sincerè dilectos in literis appellaret, ô mentem non mortali aliquo Regno, sed ipsa immortalitate dignam. Cùm enim penes † solum Regni summa esset, tamen & Regni socios Senatores, & Pontifices dominos habere uolebat, ut Regnum cum socijs certius administraret, & dominos sua sponte sibi præponens in summa potestate non insolesceret: & cùm solus omnia in Regno posset, nihil tamen seorsim ab Senatu præter Regium nomen haberet: quod tamen ipsum summa moderatione ipsius Senatus temperabat, à cuius authoritate nunquã dissẽsit: nunquam ille, suadente Senatu pacem bellũ gessit nunquam

† *Eum solum*

contra, Senatu ad bellum hortante, ille pacem fecit. Ita in consilio ipsius partes nullæ, dissensio nulla fuerunt: sed mirificus illo gubernante atque prouidente ad communem salutem consensus. Non senatus illi Reipublicæ clauum in summis tempestatibus gubernanti è manibus præripiebat: non ille uicissim Senatus quasi nautarum remigationem impediebat. Sed cùm in Senatu alij uenientem tempestatem denunciarent, alij pericula Reipublicæ tanquam nauis ostenderent, alij uelis atque remis incumberent: ille tanquam sapiens nauclerus ad gubernacula Reipublicæ immotus sedebat, singulaque momenta temporum, locorum, hominum ac periculorum expendens, eò quo spes salutis ostendebatur, consilia suorum, cursumque Regni dirigebat. Hæc ratio Senatus hæc illius optimi atque sapientissimi Regis fuit in hac Republica prouidentia: ut mirum iam uideri non debeat, si una ex omnibus prouincijs atque terris, in tanto rerum omnium motu, Polonia salua atque integra steterit. Non casu aliquo, mihi credite, id est, factum, neque fato. Rationi enim homines subiecti sunt, non casibus, consilijs, non fatis, apud quos si quid non rectè neque ordine geritur, scito ibi non fatum neque casum, sed rationem rectam defuisse, quæ cùm à consilijs nostris abest, res nostræ cadunt, stare non possunt. Quare, si uos, Regnumque uestrum sapientia Regis uestri, fide uerò, & authoritate Senatus ad hanc diem stetit: illos, qui iam conciderunt, resque suas amiserunt: stultitia, non casu, amentia, non fato perijsse dicemus. An tu si quam in nauim ita moratam conscenderes, in qua aut nautæ nauclero remoto, aut nauclerus ipse reiecto clauo, cœlique ac syderum, uentorumque ratione posthabita, uellet ipse remigare, salutem ne tu ullam ibi sperares? aut si quid naufragij accideret, fato cuidam potiùs, quàm illis, qui permutatis officijs nauim euerterunt, naufragium illud tribueres? Ad eum modum, Equites, omnes prouinciæ, quas aut ipsi uidistis, aut de quibus ab alijs audiuistis, perierunt, dum Rex pro Senatu ipse sibi esset, aut dum Senatus officium Regis obire uellet: prouidere enim ac monere officium est boni Senatus: Regis uerò, gubernare ac seruare. Quæ ratio administrandi Regni atque moderatio, cùm semper constans, æquabilisque in Senatu Sigismundi fuerit mirum non est, si soli propemodum ex omnibus gentibus ad hanc diem integri sumus, & si hac ista fœlicitatis parte Polonia, cęteras omnes prouincias antecellat, quarum nulla illi hac ista parte est par: non Italia, quæ uarijs seditionibus Regum cum plebe libertatem amisit: non Gallia, quæ sæpiùs fusa atque cæsa, Regem suum captiuum uidit: non Germania, quæ nunc studio nouarum rerum, de libertate omni periclitatur, non Hungaria, misera atque afflicta: quàm discors à Rege Senatus, puer uerò Rex funditùs euertit, non iam omnes oræ atque exteræ gentes ac nationes se hac parte uobiscum conferant: quas omnes, aut bellum euertit, aut seditio afflixit. Sola Polonia Dei summo beneficio, atque huius optimi Regis sapientia, ac consilio consentientis Senatus cunctis nunc floret opibus, uiuit suis legibus, moribus etiam ac institutis antiquis ueterem suam retinet dignitatem, nec propter aliam causam (ut iam dixi) nisi quod in ea, & sapiens ipse regnabat Rex, & Reges ipsi (hoc est, Senatores) erant sapientes: qui cùm omnia diligenter prospicerent animo, Rege in ipsa puppi Reipublicæ sedente, ac clauum dirigente, nihil fortuna, neque casus in rebus nostris ualuit: quæ si quid in rebus humanis ualent, ibi certè ualent, ubi non recto consilio, sed præcipiti temeritate aguntur ac feruntur omnia. Quare soli ex omnibus nunquam accusarent hoc Rege fortunam, Poloni nunquam de casu sunt questi. Omnia enim secundùm Deum, & illius prouidentiam in Sigismundi ac illius Senatus sapientia, tam domi, quàm foris, tam pace, quàm bello erant nobis reposita. Subegimus hoc Rege gentes anteà inimicissimas nobis atque inuictas: nonnullas nobis adiunximus: eaque omnia incolumi Regno, saluis legibus, ac integra libertate, hoc Duce gessimus: domi etiam illo authore atque principe conuenientissimè in summa beneuolentia publicè uiuimus: subsidia belli ac ornamenta pacis parta ab illo, relictaque habemus, ut quocunque oculi nostri inciderint, nihil desiderent ex rebus omnibus, quæ ad uitam tutò ac tranquillè degendam pertineant. Est enim pax à Sigismundo constituta nobis: sunt opes, uigent literæ, est fortis atque sapiens Senatus. Restat etiam hic Augustus filius spes unica Regni, atque tantæ laudis atque gloriæ paternæ hęres: qui ut ea tueatur, quæ illi pater amplissima reliquit, hanc istam sapientiam patris assiduè intuebitur: res ipsius gestas, consilia item, atque rationes omnes administrandi Regni sibi proponet: quæ nullam rem esse declarant, in munere Regio positam, quæ sapientia Sigismundi Regis non compræhendatur. Verùm hęc ista sapientia, quam summam fuisse in Sigismundo Regè multis argumētis perspicitis, & si per se ipsa summa sit, (est enim oculus quidam mentis, quò à magnis atque excellentibus uiris causæ rerum expetendarum, fugiendarumque cernuntur) tamen hęc ista sapientia, nisi habeat iustitiam in admini-

administrando Regno adiunctam, infirmata est, rebus etiam humanis non multùm
sanè proficua. Neque enim satis est, ut caussam uideas, qua sient, cadantque Regni res,
nisi etiam caussis illis, aut recentis, aut remotis, æquabiliter, iustè ac legitime in ipsa Re-
publica uersere, utque in primis cures, ut in tanta uarietate, rerumque humanarum con-
uersione, quàm minimi motus in Republica existant: quod si qui acciderint, ut sine de-
trimento communi accidant: quod cùm sine maximarum rerum usu uario atque diu-
turno teneri non possit, quis hac ista laude Sigismundo excellentior Rex fuit? qui cùm
beneficio longissimæ ætatis (unum enim & octuagesimum annum agens, decessit) tum
etiam prudentia singulari atque diuina ad eam iustitiæ laudem peruenerat, ut in sua Re-
publica nihil earum rerum esset omnium, è quibus discordiæ, seditiones ac bella ciui-
lia existunt, quæ tum fiunt, cùm uirtus exæquatur uitio: cùm boni præmio, mali uerò sua
carent pœna: denique cùm non pro dignitate ac meritis cuiusque, sed pro regnantis li-
bidine, alij plus, alij minùs utuntur rebus communibus. Ex hac enim inæqualitate ac
intemperantia quadam oriuntur in Republica morbi illi insanabiles, quasi in corpore
sano atque integro. Hinc enim existunt discordiæ, seditiones, ac bella ciuilia, cum ipsa-
rum legum atque hominum interitu: & meritò quidem. Quid enim in ea Republica
salui aut diurni futurum speres, ubi uitium præcurrit uirtuti, ubi algent boni, lætantur
improbi: ubi dignitas cedit pecuniæ, uirtus generi, ingenium socordiæ atque negli-
gentiæ? Postremò ubi indignissimus quisque amatur, colitur, ornatur, ac ad amplis-
sima quæque promouetur, summa cum desperatione bonorum? Ruant necesse est in
tali Republica, ac intereant omnia, quamuis illa magna sint atque præclara. Non a-
gam pluribus, Equites: neque exemplis utar Græcorum ac Latinorum, & ipsorum e-
tiam Barbarorum, qui Respublicas suas potentes ac florentes amiserunt, dum in illis
nullus habetur uirtuti honos, nulla pœna uitio. Ex ipso enim Sigismundo omnium i-
starum rerum exempla sumi possunt: qui cùm sapientia illa magna atque incredibilita-
tem ipsam uideret pestem ac perniciem esse ciuitatis, ad eum finem dirigebat omnia, ut
neminem eius Reipublicæ, cuius hic Rex fuit, pœniteret: qua cum æquabiliter illo Re-
ge uterentur omnes, non metuebat, ne qui uir bonus atque fortis, contemptus ab illo
neglectus, aut res nouas in Regno moliretur, aut seditionem, bellumúe ciuile specta-
ret: quod ibi necessariò fit, (ut iam diximus) ubi non æqualiter, neque iustè uiuitur. quà-
re ut remoueret à suo Regno omnia hæc mala atque incommoda, Rempublicam ipsam
omnibus ex æquo utendam, ac fruendam proposuerat: ita tamen, ut ratione, & boni ad
illam admissi, & mali inde pulsi esse uiderentur. Neque enim in Polonia improbitas atque
indignitas desperatione frangebatur unquam magis, quàm Sigismundo Rege: contrà
uerò, uirtus, probitas atque dignitas hunc locum honoris, & gratiæ apud Sigismundum
habuit, ut cùm genus ipsum illustre in claris uiris adamasset, tamen ipsa uirtute sæpè po-
sterius clarum duxit genus: gradumque ad honores amplissimos in sua Republica uir-
tutem uolebat esse, non genus. Dabis mihi hoc loco hanc ueniam, Nicolae Vuolski,
ut tuo potissimùm exemplo me uera dicere probem: cùm enim Equestri ortus esses pa-
tre, Sigismundoque non generis, neque opum, sed uirtutis commendatione esses co-
gnitus: hunc tibi honorem ille habuit, ut te, & gynecio clarissimæ atque pudicissimæ
huius Reginæ uxoris suæ præficeret: & ad te Sendomiriensem Castellanatum cum
multis prouincijs deferret. Hoc ille diuino facto suo docuit, quàm iustus Rex esset,
cùm tantùm tuæ excellenti uirtuti, fidei, ac integritati tribueret, ut, quo genere ortus es-
ses, quærendum sibi non putaret. Quid uerò tu, Martine Sborouuski? parúmne es
tum expertus, quàm iustus hic Rex erga te fuerit, cùm tuæ spectatissimæ uirtutis du-
rior aliquando conditio esset? cùm enim uirtute, constantia, ac magnitudine animi in-
uidiam, calumniamque superares, & salutem Reipublicæ, libertatemque communem,
tuæ oblitus, maximo animo defenderes: tantùm apud Sigismundum ad extremum di-
gnitate ualuisti, ut tua nimia (ut quidam putabant) in causa communi libertas, tibi ad
hunc honoris, & dignitatis gradum non obstaret, quem nunc in Republica tenes:
quin uerò etiam hæc ista bona, & animi, & ingenij tui in Calisiensi hoc isto Castellana-
tu tibi sunt apud Sigismundum suffragata. Sed quid ego hos commemoro? cùm ex-
terni homines ipsi, atque aliundè orti, tantùm apud illum uirtute ualerent, ut illis non in
Regno tantū ipso, sed etiam in Sigismundi senatu locus esset. Adest enim Seuerinus Bo-
nerus, uir Vuitembergo quidem profectus, ita tamen ob uirtutem, ingenium, industri-
amque Sigismundo Regi probatus, ut nihil illi obstaret ad honores huius Regni externū
genus. Cū enim fides ac industria ipsius in omnibus officijs ac muneribus Regni amplis-
simis fuisset cognita, illum Sigismūdus, & salinatorem fecit, & præfecturas mandauit, ac
in senatū introduxit, in quo ille maiestatem Reip. uestræ cū his seruaret, qui in hoc regno
è uobis

è uobis sunt orti: & tamen apud Sigismundum caruit inuidia propterea Bonerus, quòd alienigena esset, ac Germanus, non ciues neque Polonus: cum illo enim Sigismundus ob uirtutem ipsius præstantem ac singularem communicauit hoc Regnum, in quo nunc ille omnibus opibus fortunæ, ingenij, ac dignitatis summa uestra uoluntate floret. Ad hunc modum Sigismundus præmijs in Republica propositis, optimi cuiusque uirtutem ad ipsam Rempublicam tuendam excitabat; qua sane ratione tantum profecit, ut nullum tempus in hac Republica ferocius fuerit uirtutum omnium. Pro se enim quisque tam pace, quàm bello nitebatur, ut sub optimo Rege bonus ipse ciuis esset: & ne quis, amplissimis præmijs uirtuti propositis, ipse sibi ad laudem deesset. Quare tanto studio ad uirtutem, & ad gloriam exardescerant omnes, ut summi, medij ac infimi, ad summa contenderent. Testis enim hic est, Ioannes Tharnouius, qui etsi genere clarissimo sit ortus, tamen ad res maximas, pro salute huius Regni gerendas, honoribus amplissimis ab hoc Rege inuitatus, tantum uirtute profecit, ut non solùm nostros Imperatores omnes, sed etiam illos ueteres externos Scipiones, Marios, ac Maximos, bellica laude adæquaret. Quid uerò hic Nicolaus Sieniauuski Belsensis Palatinus? qui præmijs à Sigismundo excitatus cum Alexandro ac Procopio fratribus, sic rem militarem in Russia hoc Rege administrabat, ut eorum opera Russia illa afflicta, ac anniuersario hoste penè deleta, requiescat nunc, ac nouis colonijs solitudines suas compleat atque instauret: ita ut post hominum memoriam cultior Russia nunquam fuerit, quàm est nunc Sieniauiorum, & aliorum fortium uirorum opera, quorum uirtute ad hanc rem Russia stetit: quæ cùm assiduis hostibus esset exposita, fortissimorum uirorum præsidio eam Sigismundus muniendam sibi putabat: eiusque prouinciæ magistratus his potissimùm mandabat, quorum animo ac uirtute confidebat: ueluti nuper paulò antequàm esset mortuus Podoliæ Palatinatum ad Ioannem Mielecium detulit uirum fortem, ac genere, ingenio, opibusque præstantem. Prætereo alios multos fortes ac claros uiros, quorum uirtutem Sigismundus ad res maximas iustitia sua excitauit, beneficentia auxit, præmijs uerò confirmauit. Est hæc diuina summi illius uiri ac iustissimi laus, qui cum amplissimo ac copiosissimo Regno potiretur, illius omnes copias atque opes, non suæ priuatæ libidinis, neque compendij sui putauit esse, sed eius Reipublicæ, cuius Rex fuit. Quare quicquid positum erat, aut in honoribus Reipublicæ, aut in uectigalibus ipsius Regis, earum rerum omnium dispensatorem ille se esse putabat, nō possessorem neque dominum. Quò etiam fiebat, ut hæc communicaret omnia cum uiris fortibus, ac de Republica benè meritis, ita ut cuiusque dignitas ac meritum postulabat: summas opes Regum esse ratus copiam bonorum uirorum atque fortium, quorum uirtus ibi iaceret semper, ubi nullus ei haberetur honos. Quare cùm Sigismundus gratus esset erga optimi cuiusque uirtutem, commouit præmijs propositis studia hominum, non solùm summorum, sed etiam mediocrium atque infimorum. Pro se enim quisque hoc Rege excellere in Polonia studebat: nemo erat, qui aliquid non afferret in medium, quo Regi suo operam ac industriam probaret. Artifices ipsi mediastinus, ac omne genus mechanicum, commotis studijs, artes suas diligentius hoc Rege coluerunt, cùm uiderent operas quoque suas placere Regi. Itaque tanta copia optimorum opificum atque artificum hoc Rege fuit: ut Phidiæ illi ueteres atque Polycleti, & Apelles reuixisse in Polonia uiderentur: qui pingendi, fingendi, ac dolandi arte, illorum ueterum artificum gloriam adæquarent: quorum cùm multa extent in hoc Regno opera pulchra atque uisenda, tamen huius unius arcis opus uincit, ac superat omnia, quam ille præstantissimorum artificum opera à fundamentis extruxit, ac Cracouiam hoc isto præsidio muniuit tanto sumptu ac opere: ut non hominum, sed Deorum immortalium sedes arx ista esse uideatur. Quid uerò Basilica huic templo adiuncta, partúmne accessione fuit, huic ædi Venceslai decorem, dignitatemque attulit? in qua & pictorum operæ, & sculptorum ac fabrorum singularia, & magnifica uisuntur: quam Basilicam ille, & Religioni summi Dei consecrauit, & omnibus ornamentis (ut uidetis) illustrauit, corporique suo tabernaculum hanc esse uoluit: in qua illud, quasi quodam regio itinere defessum, non minùs longo, quàm molesto, postremùm requiesceret, ac supremam Mundi diem exspectaret. Quanta hæc Sigismundi iustitia fuit, quàm potens, quàm magnifica, quàm clara apud Deum, quàm nota, & probata apud homines? qui distribuendis æqualiter præmijs, ac muneribus Regni, mutua pace, ac beneuolentia suos tenuit: & ad uirtutem bonos uiros cupiditate rerum optimarum incendit, ac in contrario genere hominum hoc ipso modo firmabat rationes bonorum. Nihil enim apud illum contemptius, nihil neglectius, nihil uilius improbis fuit, ut ex hac ista ratione, boni præmia suæ uirtuti seruari à bono Rege scirent: mali uerò nihil præter contemptum ferrent,

atque pœnam.

atque pœnam. Ita illi honores omnes solis bonis ac fortibus uiris debere se putabat: quibus cum improbis etiam communicatis boni in officio dolore redderentur remissiores: improbi uerò nihilo illis ipsis honoribus fierent meliores. Quare cùm præmium, & pœnam æquabiliter dispartiret, seseque ipse sanctissimè gereret: uirtutes præmijs, uitia contrà pœnis afficit: cuius rei etsi multa extent exempla, tamen haud scio, an aliud sit clarius illo, & ad sanciendum cùm in re militari, tum in omni uita fidem accommodatius, cùm Raduankouium centurionem ob Ornetæ Prussico bello proditionem infamia publico iudicio notauit: militesque nostros huius calamitate ac ignominia docuit, ut pugnare potiùs, quàm fugere: mori, quàm fallere uellent. Hisce artibus Sigismundus cùm suos ciues benè uiuere, ac iustè agere docuisset, facilè illam quoque iustitiæ partem, quæ legibus traditur, absoluit: cuius hæc summa apud Sigismundum fuit, ut conuenienter in hac societate nostra uiueremus: ad hunc ille finem omnes leges suas retulit, quibus pax inter nos cum summa beneuolentia constaret: quas leges si inspicias, tanquam in aliquo speculo omnes sensus Sigismundi ac rationes expressas uidebis. Nullam in his tyrannicam mentem, nullam utilitatem ipsius propriam reperies. Vestræ libertatis, Equites, uestræ dignitatis, uestræ Maiestatis sunt illæ leges, quæ in Polonia solæ regnant, ac ex æquo uobis, & Sigismundo Regi uestro imperant. Neque enim solutus est Rex legibus apud uos: non quod illi utile, id iustum uobis: non quod lubet, id illi licet, Romanæ seruitutis sunt ista carmina, quæ laudat nemo, nisi seruus sit, aut Italus: qui quidem, ut certiùs seruiret, scholas etiam sibi (si Dijs placet) condidit: Doctoresque legum fecit, à quibus nil nisi seruire disceret, qui Doctores, inquam, legum istarum seruilium transcensis Alpibus, uenerunt etiam cum talibus præceptis ad uos: quos hic passim iam uagari uidetis, cum hoc isto Dijs irato supercilio, ac pessimo libertatis uestræ exemplo: quos uos, id quod facitis, contemnere debetis, Equites: & tanquam contagionem quandam hanc istam Neronianam scholam fugere, regnoque uestro pellere: ne istæ immundæ pecudes inficiant puros iustitiæ uestræ fonteis, è quibus Sigismundus hauriebat leges uestras, quibus communiter uobiscum uiueret, quarum legum ille lingua, non Rex: interpres, non author: patronus, non Dominus fuit: quas etiam ferebat, authore Senatu, uolentibus ac iubentibus uobis. In qua sanè ratione cùm summa moderatione æquitate animi fuisset, omnes illos ueteres Solonas, Licurgos, atque Cretas Legumlatores uicisse mihi uidetur: nam illi seorsim à populo leges ferebant: hic uerò nullam absque Senatus authoritate, ac scito uestro communi legem tulit. Illorum leges libidini populari sæpè seruiebant: Sigismundi uerò nulli rei seruiunt, nisi utilitati communi ac uestræ libertati. Illorum legum nimia licentia tyrannidem in ciuitatibus pariebat: nostra uerò legum disciplina, nulli rei magis, quàm tyrannidi, est aduersa. Quid ita? quia apud leges nostras rerum, & criminum, non personarum, neque dignitatum, ratio est. Non quærebatur in Sigismundi iudicio, Archiepiscopus ne, an Palatinus: Episcopus, an Castellanus: nobilis, an ignobilis: peregrinus, an ciuis reus esset? sed remota dignitate omni reorum ipsorum, de re ipsa iudicium fiebat: in quo nocentes pœna legitima afficiebantur: innocentes uerò ex lege absoluebantur. Iam, quanta ipsius Sigismundi Maiestas in iudicijs publicis fuerit, quæ animi æquitas, qui modus, recordamini, Equites, & illam personam illius Regis in iudicio præsidentis uobiscum cogitate; in qua expressa facies Reipublicæ uestræ cernebatur: status erectus, ac celsus, lati ac patentes humeri, facies rotunda, rubentes genæ, oculi grandes, ac stabiles: minax supercilium, nasus ipse gryphus ac aquilinus, summo Rege dignus: ut non Casimiri Regis, sed Iouis filius uideretur iudicio præsidere: sic omnia ad Imperium erant in illo Rege nata, uultus, intuitus, uox, latera, silentium postremo ipsum. In iudicio nunquam audiebatur, nisi cum oportebat: minus etiam nonnunquã, quàm oportebat. Nutu plura, uerbis paucis conficiebat: tantaque moderatione linguæ ac continentiæ sermonis fuit, ut illius, in summo Imperio, nemo unquam uerbum ullum asperius audierit. Quare cùm tanta iustitia, ac tanta moderatione in controuersijs dijdicandis fuisset, æquos, placatosque reos à se dimittebat, non solùm eos, secundum quos iudicabat, sed etiam eos, quos contra statuebat: & cùm gratiæ causa in iudicio nihil faceret, grata tamen erant omnia, quæ faciebat. Ita sæueritati illius, res maximè distans, miscebatur comitas, sed ita tamen, ut neque comitas impediretur sæueritate, neque sæueritas comitate leuior fieret. Hac fama admirabili uirtutum incredibilium, cùm solus ille Rex, solus iustus, solus sapiens, non domi tantùm, sed etiam foris uideretur: tanta ueneratione propter summam iustitiam apud omnes gentes fuit, ut iustitiæ illius fama impulsi Bohemi primùm: deinde Hungari, Ludouico Rege apud Mohacium à Turcis interfecto, huic ultrò duo maxima Regna offerrent, quæ ille tamen non accepit, cum re-

prehensio

præhensione multorum, eorum præsertim, qui non perspiciunt, ac multò etiam minus intelligunt, quantum ipsius Regni sit opus. Quod cùm alta sapientia Sigismundus cognitum, perspectumque haberet, Regna illa remisit Hungaris, ac Bohemis: ipse Sarmatia contentus fuit, sufficere sibi hanc materiam ratus, in qua omnem uim ingenij, ac uirtutis suæ ostenderet: tanta fuit opinio ipsius excellentis iustitiæ apud omnes, tanta etiam illius moderatio. Quid uerò illud, cùm Ioannes, & Ferdinandus Reges, summis inimicitijs incensi, arbitrū hunc de Hungariæ regno cœperunt? parúmne ex eo liquet, quanta existimatione hic Rex apud omnes fuerit? quam sanctissimam esse Reges illi putabant, ita ut arbitrio illius, non solùm Regna ipsa, de quibus ambigebant, sed etiam dignitatem suam regiam committerent, id iustissimum fore rati, quod à Sigismundo probatum, decretumque fuisset. Prætereo alia infinita domi, & foris ipsius excellentis uirtutis, atque iustitiæ documenta, quæ ille uiuus constituit, ad memoriam Regni sui sempiternam. Et quoniam præcipua pars iustitiæ est pietas ipsa, parum ne hac quoque iustitiæ parte excelluit? cùm Religionem illam patriam atque auitam, cæremonias item omnes sanctissimas, tanta ueneratione coleret, ut nihil illis melius, nihil religiosius esset, ne in monasterijs ipsis quidem, non in his, quæ nunc sunt, sed in illis, quæ olim fuerunt: fide enim in Deum erat summa, hominem peccatorem se confitebatur esse palàm: nusquàm spem ueniæ, nisi in solo Christo habebat: benignus in omnes, pius, clemens, ac munificus fuit: in Ecclesia uerò, ne quid nouaretur, neúe ipsius Religionis ulla in re fieret commutatio, tanto studio curauit, ut in minimis etiam rebus, quæ uix censeas, diligentissimus fuerit. Vos hoc loco appello sanctissimi Sacerdotes, qui mœsti nunc pro illo sacrificium facitis: ecquis uestrûm diligentior omnibus Religionibus atque cæremonijs conseruandis hoc Rege fuit? Quoties ille uos admonuit, si quid à uobis non ritè factum, aut si quid de statuto sacrificio fuerat à uobis prætermissum? Candelam ipsam ceream mediusfidius, ut maiora prætermittam, non suo loco stantem aduertebat: aut si ea facto deesset, uos admonebat. Neque uerò id ille faciebat curiosus in uestro munere: sed quod minimis hisce rebus, aut sublatis, aut intermissis, Religionem ipsam intermitti, ac sensim tolli putabat: de qua ne ulla diminutio fieret, non solùm præmijs, sed etiam pœnis in seditiosos editis prouidit. Gedanenses enim ciues res nouas atque perniciosas non in Rempublicam tantùm, sed etiam in Religionem molientes, supplicio affecit: summa tamen moderatione ac æquitate: paucorum enim pœna contentus fuit, ad salutem reliquorum. Ita ille cùm fundamentum omnis Reipublicæ religionem ipsam sciret esse, & cùm sibi multorum exemplis ac literis suaderet, mutata Religione, mutari Regna: summa Religione ipse fuit, & ut cæteri quoque essent, curauit: ad quam colendam ac retinendam, ut expeditior ipse esset, multis exercitationibus se comparabat: summa enim abstinentia ieiunabat: dies festos celebrabat: nunquam publicè quicquam agebat, priusquam sacrificasset, sacroque interfuisset. Verbum Dei diligenter in concionibus audiebat, ac iuxta illud uiuebat: sobrius in omni uita Rex fuit: nunquam ebrius est uisus: nunquam uino aut amore insolens ac intemperans. Ad hunc modum ille cum summa moderatione uictus fuisset, paratus semper erat ad regium illud opus atque munus, in quo exercendo carebat furore illo, qui ex intemperantia cibi atque uini ducitur: quo remoto, summa fuit humanitate ac incredibili Religione ad ultimum usque spiritum, ita ut etiam animam ipsam agens, hunc istum Virum Monachum de Dominici familia, sacrificantem diligenter audiret, ad singula uerba passionis Christi Dei nostri suspirando, ingemiscendo, ac flebiliter precando, quò Deus ipse peccatorum ipsius immemor: beneficio autem Christi in illum, & in omnes memor, clemens ac propicius, illum ad illas beatorum sedes reciperet, ad quas Iesus Christus Dominus, & Deus noster ante illum præcesserat: ô fidem ueram, & dignam, cui isti ignes luceant, qui quidem signa sunt atque notæ illius ignis intimi, quo fides ipsius ardebat in Deum: charitas autem ipsa sese effundebat in proximum. Hoc ergo isto diuino igne atque recondito semel in baptismo suscepto, cùm ille arderet in omni uita, nullaque perfidia illum uiolaret: rectè hæc ista lumina atque ignes, incensæque faces præferuntur nunc illi mortuo, quod fidem Deo seruaret integram, charitatem autem proximo ad ultimum spiritum, quem cùm iam reddiderit Deo ex hac turba, & colluuione, tanquam ex hospitio, non tanquam ex domo, in illud animorum concilium, cœtumque profectus est, ubi nunc cum fideli Abraham, Isaac, atque Iacob accumbit: colloquitur cum Dauid: uiuit cum Iosia iustissimo atque religiosissimo Rege: auos suos, fratres, ac parentes, Reges uestros recognoscit: hunc totum iam complectitur cœlum: hunc obuijs ulnis excipiunt omnes beatorum animæ, ac illius conspectu lætantur, ab Aquilonisque partibus aduenisse gaudent Regem iustitia ac pietate insignem, socium fœlicitatis suæ, atque immorta-

mortalitatis participem: quo nemo uir melior apud nos natus est, nemo pietate præstantior: nunc ille uos ex alto intuens, Equites, à Deo Optimo Maximo precatur, ut uos fœlices ac saluos uelit esse, uestrumquè hoc Regnum conseruet, quod ille summa sapientia, ac singulari iusticia uiuus rexit, ac omnibus legibus, præsidijsquè ornauit, atque instruxit: summaquè in illo tuendo, conseruandoq; animi magnitudine, fortitudineq; fuit: de qua ego breuiter dicam: fuit enim hoc tertium, quod in summo Rege inesse oportere diximus. Neque enim satis est, sapientem ac iustum domi esse Regem, nisi etiam is regnum saluum præstet, & ab omni externa ui defendat. Qualis utiquè Sigismundus fuerit, constat: qui quo die Rex à uobis est factus, motus domestici in illum, deinde externi cum maximo nouarum rerum metu exceperunt. Recordamini enim, Equites, qui motus ille in Lithuania, qui timor fuerit, cùm Michael Glinski homo eius gentis potentissimus atque seditiosissimus, mortuo Alexandro Rege, principatum Lithuaniæ peteret, ad quam illi rem cùm & animus non deesset & copia, tamē is Sigismundi primum nomine, deinde conspectu fractus, debilitatusq; arma posuit, pacemquè supplex petijt, ad postremò in illius fide fuit. Mansisset autem utinàm in sententia: nunquàm tantis cladibus, tantoquè hominum interitu Lithuaniam cum Moschouia commisisset: cùm enim Michael Glinski moliri multa occultè in Lithuania nūquàm desijsset, à Ioanneq; Zabresinskio Marsalco Lithuaniæ, appetiti principatus reus fierit: non cogitabat, quomodò se regi purgaret, de quo arguebatur: sed quomodo accusatorem suum primo quoq; tempore è uita tolleret. Itaque oblitus clementiæ regiæ, quamprimò statim Sigismundi in Lithuaniam aduentu, incredibilem erat expertus: Iustitiæ etiam huius ipsius Regis immemor, in qua etiam nocenti perfugium esse poterat: nullaq; ratione harum rerum omnium habita, multa nocte Ioannem Zabressinskium aggreditur, & quiescentem iam, ac nihil tale cogitantē inuasit, ac domi suę hominē nobilissimum occidit, magnū crimen, scelus ingens, uis non ferenda, cuius ille magnitudine perterritus, ut scelus scelere cumularet, ad Basilium Moschum profugit, illumq; ad inferendum bellum patriæ solicitare cœpit: facileq; sua sponte ad id iam parato Basilio persuasit, ut cū Maximiliano Cæsare fœdus faceret, ab eoq; futuri belli subsidium contra Sigismundum peteret. Nihil propius est factum, quam ut Maximilianus immemor tùm nominis ac generis sui, omnibus suis copijs ad inferendum bellum Sigismundo Basilium iuuaret: quod tanto apparatu rerū omnium à Basilio erat gestum, ut neque maiori contentione, neque maioribus copijs inter Lithuanos, & Moschos unquam certatum fuisset: Hic Sigismundus, & si eodem tempore alijs quoque bellis Scyticis, Valachicis, atque Turcicis destrictus esset, tantum animi magnitudine in bello Moschico suscipiendo fuit, ut nullum aliud bellum gerere uideretur: non terruit illum Maximiliani Cæsaris insperatum cum Moscho fœdus, non copiæ ab illo suppeditatæ gerendi belli, non ipsius Basilij exercitus ante hanc diem inuictus. Incredibili enim celeritate exercitu ex Lithuania collecto, militibus etiam ex Polonia accersitis, magno animo aduersus hostem contendit, ac Borysthene amne superato, cum hoste acerrimè conflixit, quem memorabili pugna deuicit, non in præsens tantùm sed etiam in posterum: nam eo prælio uidentur omnes uires concidisse Moschorum, quæ antè hac graues Lithuaniæ ac inuictæ uidebantur esse: & quæ ante illam cladem tantæ fuerunt, ut Moschi præ se cætores mortales omnes contemnerent, quib. deuictis, tanta gratulatio omnium est subsecuta, ut etiam Romæ à Leone Decimo supplicatio Sigismundi nomine decerneretur, singulari genere uerborum & numero dierum. Cū enim in Leonis senatu Nicolaus Vuolski legatus, hic Sendomiriensis Castellanus, exposuisset & genus hostium & uictoriæ modum, res digna patribus illis est uisa, publica ipsius urbis Romæ gratulatione, ac supplicatione singulari. Supplicatum itaque fuit, totaq; urbe dies festi, atq; ludi eius uictoriæ nomine fuerant instituti, dolente ac mœrente Maximiliano Cæsare, qui captiuos etiam ipsos, per hunc istum Nicolaum Vuolski Leoni missos, intercepit, in Moschouiamq; contra ius gentium remisit. His uictorijs atque triumphis initia regni sui Sigismundus consecrauit, docuitq; se eum Regem esse, qui & domi regnum lenibus tenere & foris armis tueri posset. Neque uerò hoc bello tantùm illius animi uis extitit incredibilis, sed multis etiā alijs bellis grauibus ac difficilibus. Nam cùm uix à Moschico bello respirasset, Scythiam magnis copijs, Russiam prouinciam ferro atque igne uastantem incredibili uirtute ad Vuisniouuicium superauit: illaquè pugna, primus Regum omnium, Scythas docuit, pacem bello meliorem esse. Quid autē Valachia ipsa, Turcicis exercitibus contra Sigismundum munita atque instructa, cùm huic regno periculosissimè immineret, nònne ad Obertinum postremò ab hoc Rege deuicta, pœnas temeritatis suæ dedit, uestroquè imperio, hoc isto Ioanne Tharnouio duce, parere est coacta? Iam uerò Moschouia, cum iterùm fractas illas uires suas ac desperatas repeteret,

bellumq; maximum pararet, non ab hoc Sigismundo iterum deuicta bello maximo funditûs corruit? Ad quod bellum gerendum Sigismundus, hunc istum Tarnouium Imperatorem, ad conseruandum hoc Regnum natum, miserat: qui capto atque euerso Starodobo, ingenti hominum strage, Moschos in perpetuum deuicisse iam uidetur. Prætereo alia bella uaria atque infinita, quæ Sigismundus gessit, non libidine regnandi, necq; studio gloriæ incensus, sed amore Religionis Christianæ conseruandæ. Cùm enim Poloniæ Regnum Aquilonem uersus ultimum sit Regnorum omnium, gens ista regiones finitimas habet inimicissimas, partim Christiano, partim uerò Romano nomini. Quare Sigismundus cum his assiduè bellum gessit, non ut finitimarum rerum potiretur, sed ut Religionem Christianam contra Scythas atque Turcas: Romanæ uerò sedis nomen contra Moschos atque Vualachos tueretur: quod hæ gentes huic sedi, hoc isto dissidio Græcorum cum Latinis, sint omnium inimicissimæ. Solus ergo Christianorum Regum omnium Sigismundus non pro augendo, sed pro retinendo Regno: non pro sua libidine, sed pro Christiana Religione bellum cum tota Asia gessit, cuius Asiæ opes cùm magnis ac insperatis uictorijs crescere indies uideret, seq́ue præ cæteris periculis illis proximum esse sciret, Christianos autem Principes mutuis bellis dissidere uideret, prouidendum sibi, Regnoq́ue suo putauit. Quapropter summa ope est conatus Christianos principes in mutuam gratiam reducere, illorum concordia ac conspiratione suas opes atque rationes contra Turcarum tyrannum firmare, ut minùs potens, minùsq̂ue formidabilis tyrannus ille uobis esset. Quapropter & Maximilianum Cæsarem reconciliata iam gratia Viennam adierat: cuius etiam hortatu Vuladislaus frater Hungariæ Rex, cum Ludouico filio, eò quoque uenerat, quo in conuentu summorum Regum ille ostendit, docuit, monuit, Turcarum opes tantas esse, ut ab uno Christiano Rege superari non possint, in concordia ac mutua pace spem esse, sine qua nihil esset Christianis salui. Itaque Sigismundo authore atque Duce, iacta erant Viennæ fundamenta communis auxilij: quæ tamen sorte quadam rebus nostris aduersa non diu manserunt. Nam & Maxim. & Vuladislaus uita functi, ambo spem Sigismundi fefellerunt. Non cessauit tamen Sigismundus agere, & facere omnia, quò potentiæ Turcarum occurreret. Quare auxilia undique contrahebat: cum finitimis fœdus & amicitias iungebat, neque uerò his solis contentus fuit, sed etiam cùm sciret Neapolim atque omnem illam oram Apuliæ, societate Turcici belli cum Polonia coniungi: amicitiam Italiæ expetiuit, hancq́ue Bonam Reginam ex Sfortia familia clarissima atque totius Italiæ nobilissima, Ducem Bari in matrimonium accepit: ut hoc ceu quodam illustri ac sancto pignore, socium se belli ac periculorum omnium Italis profiteretur esse. Verùm cum hac illa spe finitimorum ac externorum auxiliorum frustrà penderet, solusq́ue sæpiùs cum summo rerum suarum discrimine cum Turcarum Ducibus confligeret, de Regnoq́ue suo iam planè dimicaret, fœdus ad extremum cum Solimanno fecit. Quid uerò illi aliud faciendum fuit? solus erat: opem ferebat nemo, spes ipsa restabat nusquam: Regnum porrò suum uidebat omnibus Turcicis bellis ac periculis esse propositum. Quid tandem quæso est, quod quis Sigismundum huius ipsius fœderis nomine reprehendat? cùm uideat unum è duobus illi fuisse necesse, ut aut Regnum suum in postremum discrimen adduceret, aut fœdus cum Turca faceret, quod tamen ille non fœdus potiùs, quàm inducias sibi putabat datas esse parandi belli. Nouerat enim ille à Turcarum tyranno non fide, neque Religione: sed occasione atque tempore fœdera ponderari. Quare etsi ille fœdus illud sanctissimum esse ducebat, tamen quod nihil huic hosti crederet, inter fœdus illud, rationes suas summo studio futuro bello parabat, ut si quando illi necessariò cum Turca belligerandum esset, eò paratior, instructiorq́ue in aciem contra illum prodiret. Meminerat, sæpiùs se conflixisse cum hoste summo cum periculo. Ludouicum etiam Regem, nepotem ex fratre suum, uiderat uitam, & Regnum profudisse, cùm incertorum auxiliorum spe bellum Turcicum mallet, quàm fœdus: cuius consilia nunquam probabat Sigismundus, summoq́ue studio à bello illum reuocabat, ostentabat illi Rhodum atque Coum nobilissimas insulas consimili spe perijsse: docebat Carolum Cæsarem impeditum esse bello Gallico atque Italico, Ferdinandum autem Rusticano: Germaniam etiam totam, Religionis controuersia dissidentem, commemorabat: nusquam spem superesse: præstare fœdus facere, quàm bellum incertum gerere, cuius fidelissimis consilijs cùm Ludouicus non obediret, uitam simul cum Regno amisit. Qua in re Sigismundus, quàm sapiens Rex atque fortis fuerit, ostendit, qui Rempublicam tanquam in alto nauim pro ratione tempestatum, & locorum, & temporum dirigendam esse ducebat, ut quid tempus Reipublicæ poscat, aut quid uetet inprimis sapienti Regi sit prouidendum. Intereà tamen Sigismundus quoad uixit: cum bellis mutuis Christianorum arderet res, ille non

quiesc-

quieuit, sed assiduis bellis pacem Regno suo quæsiuit. Nunquam quenquam bello lacessiuit, nunquam nisi lacessitus bellum gessit, propterea etiam (credo) uictor semper extitit: singularisque illa huic uni concessa erat gloria, quòd hic solus Regum omnium in Polonia nunquam uictus fuit, nisi fortè quis illam acceptam calamitatem apud Socalium bello Scythico huic adnumeret: quæ, temeritate Ducum, absente Rege bello commisso, à Scythis accepta fuit, quam tamen calamitatem ille postea infinita hostium cæde compensauit: sic ille, cùm nihil temerè, nihil abiectè, neque demissè, sed summo consilio, magno, & inuicto animo cuncta gereret, facilè fuit inuictus. Res etiam nostras, cùm armis uix posset, fœdere à Solimanno uindicauit, quas ille aut perpetua pace cum hoc hoste sanciuit, aut si belligerandum nobis erit, paratiores, instructioresque aduersùs Turcarum opes reddidit.

Reliquum est, ut de clementia ipsius pauca dicamus, sine qua & sapientia nihil prodest Regibus, & iustitia etiam obest, & fortitudo ipsa nocentior fit suis, quàm alienis, nisi ipsius clementiæ moderatione temperetur. Hæc enim ferocē animum Regis, ferū, & indomitū contra Regni hostes emollit, suis mansuetumq; ac benignum reddit: ut hac ipsa uirtute Rex hostē ab amico, peregrinum à ciue, innocentē à reo secernat: reis etiam ipsis, fragilitatis ac imprudentiæ in hac eadem uirtute apud Regē perfugium est, hæc ista uirtus in consilijs, in iudicijs, in bellis Regum uersetur necesse est, si Reges non Tyranni illi uolunt perhiberi, hic enim Regiæ Celsitudinis ornatus est, hęc illorū commēdatio est summa: hęc sola atq; unica ad immortalitatem illis restat uia, deniq; ex hac ipsa excellenti & planè Regia uirtute nascitur suauissima Regum ipsorū memoria: gratumq; ac iucundum illorum uersatur apud suos desiderium. Vnde enim sunt uestræ istæ lachrymæ? unde hæc est misericordia, quam nunc uos præstatis mortuo? eblandita credo hæc sunt à uobis spe ulla commodorum uestrorum, & non potiùs expressa uestigia mœroris uestri, recordatione illius optimi atque clementissimi uiri, qui benignus in bonos, mitis in reos, indulgens in omnes fuit? nunquam ille arrisit ultio, nunquam detraxit uirtuti, nunquam blandiens parti se dedit alicui: sed cùm rem ipsam sequeretur, hoc unum propositum illi fuit, ne qua in re aberraret à uero: tanta æquitate ac clementia, ut rerum ipsarum ac criminum magnitudinem, cum rerum infirmitate conferret: uirtutem etiam ipsam atque innocentiam, ne approbatione insolesceret, aut dissimulatione, aut leui repræhensione, temperabat. Iam uerò ipsas parteis magnis sæpè odijs incensas, summa grauitate ac æquabili erga utranque uoluntate audiebat. Possem hoc loco magnas inimicitias clarissimorum uirorum commemorare ex Reipublicæ causa susceptas, nisi & uos meminisse scirem, & ipse præterire hanc ignominiam uellem, ne commemorando notare uidear authores ipsos. Dabo hoc ergò illorum authoritati: ab hisque uobiscum unà petam, ut communis salutis causa remittant animos, æquosque ac placatos retineant huius istius exemplo Regis: qui, cùm Rex esset, possetque delinquentem coërcere, æquus tamen utrique fuit, monereque ac hortari, interdum etiam rogare ad pacem suos maluit, quàm lege, ui aut minis impellere: ferebat enim æquo animo omnes, in liberaq; Repub. non solùm animum, sed etiam odium liberū esse debere duxit. Hanc libertatem ille liberorum populorum cùm summam esse sciret, ut uidelicet, & amoris, & odij par sit apud ciues ratio, ipse quoq; odia multorum in Repub. pertulit, si tamen odium est dicenda libera expostulatio subditi cum Rege. Cùm enim benignitas ipsius atq; clementia nimia quibusdam, aut etiam nonnullis in rebus remissior uideretur, repræhendi se palàm in Senatu patiebatur: sentētias in se dictas patienter ferebat, & eas æquissimo animo refellebat, aut illis cedebat, & secundū illas, quod admittebat, corrigebat. Iam uerò in comitijs ipsis, nullius Regis in Polonia aures uobis ac uestris legatis benigniùs unquam patebant. Attentè perorantes uestros legatos audiebat: postulata uestra clementer accipiebat: stultitiam multorum sæpè ac intemperantiam perferebat. Nunquam ille aspero uerbo, aut immodestius * misso excanduit: nunquam iracundia exiluit: quam ille cum omnibus uirtutibus continentiæ, grauitatis, iusticiæ ac humanitatis, à se remouisset, facilis in rebus cognoscendis, in hominibus audiendis, admittendisq; fuit. Quanto enim motu, quanta contentione illa ad Leopolim Valachico bello pro uestra libertate cum hoc Rege egistis? cùm quædam non legitimè fieri, quædam etiam negligi ab illo uobis uidentur: quæ tum grauitas, quæ animi æquitas, qui modus, quæ patientia huius Regis, quæ uestra libertas actionis tum fuit? & tamen cùm iustè fortasse nonnullis irasci posset, neminem uestrûm ne asperiori quidem uerbo propterea appellauit, ita, ut etiam illius ipsius actionis authores atq; Duces, maximis affecerit propterea præmijs, ueluti hos duos fortissimos ac coniunctissimos fratres, Petrum ac Martinum Sborouios, quorum in Republica singularem fidem, obseruantiam uerò erga se summam cùm esset expertus, u-

* Emisso

tus, utrunque honore Senatorio affecit, quorum exemplo ille ad tuendam Rempublicam, causamque communem agendam, multos fortes uiros ac industrios ex ordine uestro excitauit, ueluti hos duos summa spe ac uirtute in causa communi cognitos, Petrum Boratinki Ruthenum, & hunc Stanislaum Podlodouski ex Sendomiriensi municipio Equitem, qui cùm in comitijs nuper Pitrakouiæ habitis, quæ postrema Sigismundo fuerunt, grauiorem causam Reipublicæ suscepissent, quàm ut utriusque ætas pati uideretur: sic tamen à Sigismundo auditi sunt, ut etiam Stanislaum Podlodouski de libertate uestra liberiùs disserentem, lachrymans audiret, & cùm hic Sigismundum in Polonia non Imperatorem, sed Regem esse diceret, legibusque illum certis regnare oportere, summa cum libertate orationis dissereret: annuit ille: ipsoque uultu ac intuitu significauit, se quoque non Imperatorem uelle esse, sed Regem. O' uirum omnium literis, sermonibus ac monumentis celebrandum, & dignum, qui non dico homines, sed Deos ipsos regeret, non illius tum maiestatis auertit illi à dicente Podlodouio oculos: non aures illi clausit Regiæ potestatis conscientia. Imò uerò uidit, audiuit, ac summo studio audienda sibi ea putauit, quæ liberè de Republica à Podlodouio dicebantur. Dixisses hæc in Neronis Senatu Podlodoui? aut alicuius Regis Italiæ aures hac ista libertatis uoce appetisses? Postremùm illo in loco (mihi crede) constitisses, ac ultima uox tibi illa fuisset, quæ tamen ipsa grata Sigismundo fuit, iucunda nobis, gloriosa uerò nunc est ipsi tibi. Summa hæc est clementiæ laus, Equites, Sigismundi Regis, & haud scio, an omnium maxima, in libera Republica liberas uelle uersari hominum uoces, liberas sententias: denique liberas expostulationes, monitiones ac repræhensiones ferre. Quæ qui Rex non fert, aut in Republica non probat, non Rex, sed immanis est tyrannus, qui ut homines liberos in ciuitate non fert: ita neque linguas liberas ferre potest, nec iniuria: Tyrannus enim ipse uiuit cum omnium inuidia, iniustè ac impiè, sine fide, sine amore, sine ullo beneuolentiæ uinculo, ut meritò fidat nulli, credat nemini, nulli Religioni, nulli legi pareat. At Sigismundus contrà, omnium, qui unquam fuerunt, Rex mitissimus atque clementissimus cùm meminisset liberi populi Regem se esse, certa Religione ac certa fide regnantem uobiscum non ut cum seruis, sed cum liberis, non cum subditis, sed cum socijs atque amicis, summa beneuolentia in hac Republica uiuendum sibi esse duxit: ut ex æquo & audiret suos, & audiretur à suis. Quare ita ille uobiscum uixit, ut non tantùm aures illius, sed ipsius etiam uitæ priuatæ recessus nobis paterent. Aperte stabant illius cubicula, patebant atria, peruia erant nobis illius penetralia, nunquam excludebamur, nisi cùm erat necesse. Admittebamur, adstabamus, audiebamur: liberè querimoniæ de aliorum iniurijs apud eum nobis erant, ac quilibet de re facilis aditus, ac penè assiduus cum illo conuictus nobis fuit, ut non solùm mens, sed oculi etiam nostri liberè in uita ac in omnibus cubiculis ipsius uersarentur: in quibus nullos mores tyrannicos, nullas contra libertatem nostram machinationes, nullum Regni dedecus, nullam turpitudinem, nullam denique intemperantiam cernebamus. Omnia erant in illius integerrima uita, honesta: in cubiculis uerò, decora, ac cum summa Regia dignitate, atque uestra libertate coniuncta. Iam uerò quoties progrediebatur è thalamo, in publicumque se ac in turbam dabat, quanta tum, Dij immortales, oris illius dignitas? quæ maiestas? qui hominis illius habitus? qui incessus? qui comitatus fuit? quàm aptus? quàm concinnus? quàm grauis? quàm cultus? quamque summo Rege dignus? quibus rebus cùm in animos hominum flueret, ac mentes omnium hac tanta maiestate occuparet: non timuit uenena, non insidias, non conspirationes ullas uerebatur, propterea etiam carebat prægustatoribus, quibus tamen ipsis interdum ad speciem utebatur magis, quàm ad aliquam necessitatem. Senatorum turmis ac Equitum incedentis latus claudebatur, non doryphoris hisce, neque seruis mercenarijs: indignum enim bono Rege putabat esse, metum, in suo Regno præ se ferri armis, ac in cœtu suorum hostem uereri, ac propterea ab armatis seruari. Tyrannorum sunt ista præsidia, Equites, & male cogitantium hominum de rebus communibus. Fide Sigismundus ac beneuolentia uestra satis se munitum putabat esse: neminem etiam è suis metuebat, cùm æqualiter omnes diligeret, omnibusque ex æquo se amabilem præberet. Tantumque hæc ista fiducia uestri profecit, ut quietè primùm ac tranquillè uitam uobiscum degeret, deinde studijs uestris incredibiles huic Regno felicitates atque opes afferret. Qua enim fide ac uoluntate erga hunc Regem uos fueritis, testantur multa atque præclara facinora, huic Regi uirtute uestra parta, qui cùm talem se Regem gereret in omni officio suo ac munere, ut ad summam nihil à uobis in eo desideraretur, meritò tales uos quoque erga illum gessistis, ut ob summa atque amplissima illius in uos ac Rempublicam uestram beneficia, patrem patriæ una uoce hunc appellaretis: qui honos post conditam Polo-

niam huic ſoli à uobis eſt habitus: & cùm eum, quem natura mortalem genuerat, uos immortalem eſſe cuperetis, hunc Sigiſmundum Auguſtum filium, pignus eſſe uoluiſtis fidei ac uoluntatis ueſtræ erga Sigiſmundum ſempiternum. Nam cùm hic Auguſtus admodùm puer eſſet, ſoloque illo omnes patris ſpes niterentur, & cùm id uobis per leges liberum eſſet, hunc uos honorem patri habuiſtis, ut hunc filium ipſius, tum autem puerum, nec tum ad Imperium ætate maturum, magna tamen ſpe præditum: Regem uiuo patre omnibus ueſtris ſuffragijs ſalutaretis, hancque incredibilem uoluptatem patri de filio daretis, ut is ueſtro beneficio filium ſucceſſorem ſibi paratum uideret, cui nomen Iagellanæ gentis ac familiæ ampliſsimæ dignitatem, Regnumq́ patrium atque auitum traderet. Magna hæc ueſtra erga Sigiſmundum uoluntas, ſummum etiam ſtudium ueſtrum fuit. Hanc mentem ut retineatis, mortuoq́ illi conſeruetis, ueſtræ fidei, ueſtræ conſtantiæ eſt, Equites: tum uero, ut parem animi uoluntatem retineatis in ipſius progeniem totam, quam reliquit, uos ille orat atque obteſtatur. Aſpicite, Equites, hanc lugubrem turbam, hæc fletu deformata corpora, hic filius ipſius chariſsimus, Rex ueſter eſt: hæc uerò illius eſt fidiſsima ac ſanctiſsima coniunx: illæ autem mœſtæ ac dolentes tres filiæ. Hunc cœtum atque ſobolem clariſsimam Regis ueſtri colite, Equites, ac ſumma ueneratione, ſummaque obſeruantia habeatis. Tu etiam, Sigiſmunde Auguſte, ſuſcipe hunc ordinem, cuius uirtute pater tuus fuit inuictus. Vides in quæ pericula Regnum tuum incidit: quos hoſtes habeas, quos etiam metuas conſidera. Circumſtant te undique pericula: aut auxilijs deſtitutos nos uides eſſe: nuſquam in finitimis, nuſquam in alienis præſidijs ſpes eſſe, undique circumfuſa premit te Aſia, hinc ex Hungaria imminet tibi Turcia, hinc Scythia, hinc bellum renouat Moſchouia. Germania poſtremò ipſa referta genere ac ſanguine tuo, non ſatis tuta tibi denunciat. Vides quàm in medio relictus ſis ſolus, ut ſecundùm Deum, ſpes tibi nuſquam reſtet, niſi in hoc ordine ac in paterno imitationis exemplo: quod ſi tibi propoſueris, & ſi dies atque noctes in eo recognoſcendo fueris, inuenies profectò, quomodo hæc, quæ tibi ampliſsima Pater reliquit, conſerues. Nihil enim tibi poterit accidere noui, quod in regnando pater tuus non uiderit, aut non fuerit expertus: tu modò ſapientiæ ipſius ingrediare ueſtigijs, ad exemplumque paternum mentem tuam in rebus optimis exerceas, Senatui pareas, iuſticiam colas, æquus omnibus, addictus nulli fias, Religionem Chriſti comiter conſerues, rem militarem augeas, benignus in omnes: pius ac clemens in tuos fias, & breuiter iiſdem itineribus ad uirtutem eas, quibus pater tuus peruenit. Suſtines eius rei non mediocrem ſpem. Eſt in te præſtans utroque genere natura, eſt etiam quod adoleſcentia tua fert, uſus rerum magnarum, omnium ora atque oculos uides eſſe in te unum conuerſos, cùm te intuemur, tum de Sigiſmundo patre tuo, tum de maioribus cogitamus. Veniunt enim nobis in mentem, ueniunt, te intuentibus, Iagellones illi ueteres: Vuladislai item, Caſimiri atque patrui tui, clari uiri: quorum uirtute, dignitate atque exiſtimatione, apud omnes gentes fuimus illuſtres: qui ſi quis mortuis ſenſus eſt, memoriam nominis ſui, dignitatem huius Regni, ac omnium noſtrûm ſalutem tibi commendant: à te petunt, ut ſuſcipias cauſam noſtram, utque hanc Rempublicam, & pro illorum dignitate, & pro tua gloria, ac pro noſtra ſalute adminiſtres. Idem moriens tibi mandat pater, atque hoc in loco iacens à te poſtulat. Adeſt enim profectò, adeſt illa uis hîc, coram qua hoc mortale uigebat corpus, & qua hoc iſto corpore ad noſtram ſalutem uſa eſt: hæc inquam uis diuina atq; immortalis patris tui, hîc coràm adſtans, te intuetur tuam, fidem implorat, hæc abs te petit, ut ea omnia, quæ in templis, quæ in foro, quæ in Regno hinc decedens reliquit tibi pater, uirtute, fide atque conſtantia tua conſerues ac defendas: utque memor ſis, te Poloniæ Regem eſſe, in tua perſona huius Reipublicæ faciem expreſſam eſſe: utque ob id non publica tantùm, ſed etiam tua priuata (ſi tamen quid tui priuati hoc in Regno eſt) ut ea, inquam, omnia ad ſummam ac ampliſsimam Regiam dignitatem tuam referas. Quòd ſi tu qua in re titubaueris, aut ab officio tuo deflexeris, cadet hoc Regnum, ſtare diu non poterit. Tua enim ſapientia illud nitatur, tua iuſtitia ſtet, tua uirtute defendatur, denique tua clementia floreat, neceſſe eſt: hoc magnopere abs te flagitat pater, hoc nos ſperamus, hocq́ debitum munus abs te expectamus. Vos etiam Patres conſcripti, quos diuina ſors quædam huic Regi fecit ſuperſtites, manete in hac cuſtodia Reipublicæ, in qua uos ille uiuus collocauit, uigilate, multæ ſunt inſidiæ nobis, multæ inimicitiæ, hoſtes infiniti: pericula uerò tanta, quanta poſt conditum hoc Regnum non fuerunt. Nuſquam ſalutis ſpes oſtenditur, niſi in ueſtra concordia. Erigite uos, per Deos immortales, ac odia, ſi quæ nobis inſunt, Reipublicæ cauſa ponite, ut commune officium Senatorium, communi animo ac uoluntate defendatis. Quid enim ſalui in hoc Regno fore putabitis, diſtracto in partes Senatu, uariatis ueſtris ſententijs, E-

quitibus postremò ipsis, uestris inimicitijs diuisis atque incensis? Iam uerò metus externi hostis ac imminentis periculi, uos in mutua pace atque beneuolentia contineat: quæ res semper apud optimos ac præstantissimos ciues plurimùm potuit, ut, quo die Magistratum inirent, eodem in gratiam redirent, turpe sibi fore rati, cùm in Republ. eadem societate coniungerentur, non eadem eos fide coniungi: quæ ibi esse nequit, ubi concordia est nulla. Fecerunt hoc illi ueteres sine Deo homines Græci, Scipiones, Lepidi, Metelli. Vos qui certo ac uero Deo uiuitis, non facietis? præsertim cùm finem legis uestræ, charitatem sciatis esse: quam si ex ordine uestro tollitis, & Rempublic. amittitis, & uos ipsi peribitis. Non est enim, quod quis speret rectis consilijs ibi locum esse, ubi charitas est nulla, & ubi in locum huius successit odium & iracundia. Ira enim uiri, Apostolo teste, iusticiam Dei non operatur. Quid dicam odium ipsum? quod cùm inueterauerit, animi lumen extinguit, densasq; menti tenebras offundit. Veniant uobis in mentem, Patres conscripti, quanta odia illa Græcorum, quanta Romanorum, quanta etiam hæc ista recentia Hungarorum fuerunt: quibus odijs potentissimæ nationes ac florentissima Imperia corruerunt: Senatorum (mihi credite) culpa illa fuit. Dum enim se quisque in Republica ostentat, dum potentiam suam iactat, dum operam uenditat, postremò dum se magnum uult uideri, calamitate communi, & Senatus, & plebs una perit. Ne hoc sinat Deus Optimus Maximus in cuius cura sumus, ut hoc inclytum Regnum, hic inuictus populus, uestras discordias publico luat interitu. Quare uincite per Deos immortales animos *, Patres conscripti, ac illos retinete in officio, plus apud uos ualeat malum publicum odio priuato uestro. Date hoc Reipublicæ, Patres conscripti, date nobis, date saluti communi, date uobisipsis, coniugibus, liberisq; uestris, quorum supplicio ac interitu expiabuntur, mihi credite, discordiæ uestræ, nisi prouidetis. Reijcite controuersias priuatarum rerum: sit Respublica seges & materia uestræ gloriæ. Hanc exercete per Deos immortales, Patres conscripti, quæ multis circumsepta hostibus, ac magnis undique cincta periculis, uobis supplices manus tendit, uos orat atque obtestatur, ut reconciliatis uestris animis, saluam atque incolumem illam uelitis esse, & certè talem, qualis Sigismundo Regi fuit. Hoc Res ipsa publica, hoc etiam Sigismundus à uobis ipse postulat: qui hunc filium suum clarissimum atque optimum respectans, uos ex alto intuetur, à uobisq; petit, per Deum ipsum, quem castè, religioseq; in Polonia coluit, per Rempublicam, quam amplissimam uobis reliquit, per salutem uestram, quæ illi uita propria charior uiuendi fuit, ut cum hoc Augusto Rege, filio autem suo coniuncti inter uos fidelissima gratia, & Religionem Dei Opt. Max. & dignitatem Reipublicæ, & salutem omnium conseruetis. Non est, non est tergiuersandi locus: mouent omnia, urgent omnia atque instant. Quantum tandem huius morte hostium animos creuisse putatis? Num Moschouiam? num Scythiam? num Turciam, atque Valachiam, parùm huius morte sperare cœpisse existimatis? Occasionem, mihi credite, huius morte, ad occupandam Poloniam sibi oblatam esse nationes illæ arbitrantur: quæ quidem omnes nullis uobiscum neque legibus, neque certo pacis iure sunt coniunctæ. In concordia ergo uestra, ac in mutua beneuolentia spes omnis sita est salutis communis, atque huius Reipublicæ retinendæ. Quæ nunc morte Regis sui exanimata, ac propè conuulsa sedibus suis, ad complectendum conseruatorem suum gemens ac mœsta uenit: illi gratias agit mortuo, tibiq; inprimis, summe Deus, qui hunc hominem ad genus humanum conseruandum, & ad hoc Regnum constituendum in terras miseras: cuius beneficio ad hanc diem stant res nostræ, ac cuius opera hoc Regnum floret ingenijs, ualet opibus, pace ac ocio fruitur, ac legibus optimis uiuit: huius postremò monumenta multa ac preclara æternitate ipsa consecrata assiduè intuetur. Tibi nos, Sigismunde, hæc omnia debemus, tibi hæc accepta ferimus, tua munera sunt ista, tua summa beneficia. Per te nos illustrati sumus, per te exteris gentibus cogniti: te authore atque Duce, Polonum uenerabantur nomen omnes gentes, Græcæ, Latinæ, ac Barbaræ: tuis uictorijs hostes nostri debilitabantur: tuo fœdere ac societate amici nostri lætabantur. Tu iudex Regum, tu pacificator gentium, tu moderator nationum ac conseruator omnium fuisti. Tu hanc Rempublicam affinitatibus primò, deinde coniugijs cum exteris nationibus coniunxisti: tu author legum nostrarum, tu magister morum ac disciplinæ fuisti: hem nostra lux, nostrum desiderium, Sigismunde, iaces. Ad quem nunc confugiemus? à quo opem petemus? quem hostibus nostris opponemus? qua pace, quo bello, quo fœdere nitemur? ô acerbam mihi, Equites memoriam harum rerum omnium: ô flebiles exequias: ô uitam infœlicem, quæ orbata es hoc isto Rege atq; patre. Tibi enim morte huius ornamenta sunt detracta, tibi presidia adempta, tibi solatia sublata: solus hic restat tibi dolor, mœror ac gemitus: in quo tamen ipso luctu ac mœrore nostro, Sigismunde Auguste Rex, ad te uenimus: tibi nos penitùs

Iacob. 1.

* Vestros

penitùs tradímus:tu spes nostras,patris tui morte fractas, restituas:tu salutem conserues: tu libertatem nostram legibus, atque armis defendas. Vos etiam, Equites: atque uos Patres conscripti, memoriam Regis uestri piè, inuiolateque seruabitis. Plura ne dicam tuæ me, Auguste, lachrymæ, impediunt, uestræque Equites, non solùm meæ: quibus mouemur, ut à Deo precemur, quo Deus huic mortuo propitius, nobis uerò benignus uelit esse.

TERTII BELLI DESCRIPTIO, QVOD MAGNVS RVTHENORVM IMPERATOR CONTRA LIVONES GESSIT, ANNO 1558. QVO CIVITAS ET Prouincia Torpatensis à Principe Moschouitarum expugnata, uicta, & subiugata est.

Atrox & memorabile prælium gesserunt Liuones contra Ruthenos anno Domini 1500. sub Ordinis Teuthonici Magistro D. Vualtero à Plettemburg, excelsi animi, & magnæ industriæ uiro. Nondum uana doctrina aut ulla hæresis eos à Catholicismo transuersos egerat, sed priscam, auitamque Religionem summa pietate & fide colebant. Igitur cùm Teuthonicus Magister cum Ruthenis confligere statuisset, publica seruitia, & solennes Lithanias triduò seruandas indicit paulò post Natalem uirginis matris, ut communibus uotis diuinā opem, & prosperum prælij euentum obtinerent. Conscribit deinde Magister Præfectos, & Commendatores uniuersos cum nobilibus totius Prouinciæ, quibus copias, & auxilia sua coniungunt quatuor Liuoniæ Episcopi, Rigensis, Torpatensis, Riualiensis, & Habselensis. Rigensis mille Germanos Equites adducit. Torpatensis, quingentos. Riualiensis & Habselensis, itidem quingentos simul, ita ut Magister Teuthonicus septem haberet Germanorum equitum millia. & quinque millia Curonum, qui populi sunt Liuoniæ. Hoc exercitu Magister Ruthenorum fines inuadit, arcesque & oppida quædam expugnat. Inde ipso exaltationis Crucis die ad urbem Plescouiam tendunt. Iuxta hanc sita est planicies duorum milliariorum amplitudine, in quam ubi deuenêre, obuiam illis procedit Ruthenorum Imperator, cum centenis millibus armatorum, qui in duodecim acies distributi erant. His adiuncta erat ingens Tartarorum manus triginta millia conficiens. Itaque Teuthonicus Magister, ubi aut turpiter fugiendum, aut ingenti cum animo aduersùs tantum exercitum, barbarie & armis formidabilem, procedendum uidet, nequicquam de uictoriæ spe remittens, fortunam belli tentare statuit, & paucis suorum animos confirmat. Præclaram sanè uictoriam, inquit, ô milites hodie nobis obuenturam de numinis benignitate, & uestra omnium fortitudine facilè mihi promitto. In causa iustissima, Dij non possunt non esse propitij. Vos tantummodò pristinæ strenuitatis & constantiæ memores, existimate uos, decus, gloriam, patriam, libertatem, & Religionem, in dextris uestris portare. Alios fortassè ingens barbaræ gentis multitudo animo deijceret. Vos uerò milites dum considero, & cùm uestra facta æstimo, quibus parentes, patriam, aras, & focos, auitamque aduersùs hæreditarios Catholicæ pietatis hostes, fidem sæpenumerò tutati estis, eandemque ad extremum uitæ, armis, & sanguine uestro uindicare cupitis, magna me spes uictoriæ tenet, animus, ætas, uirtus uestra hortantur. Hæc ubi dixit non multò pòst utrinque signa canuntur, Teuthonicus Magister glandes ferreas, & globos tormentarios, uelut crebra, continuaque tonitrua in Tartaros contorquet, inde maximo clamore infestis signis utrinque concurrunt, gladijs, lanceis, omnique telorum genere res geritur. Tartari, & Moschouij arcubus, & sagittis assueti, densissimo, creberrimoque telorum iactu æthera obumbrant, quæ tamen uniuersa penè irrita aërem uerberant, donec ultrò in terram decidunt. Ingens ibi sonitus, ad cœlum attollitur, bombardarum fulmina, armorum fragor, uulneratorum gemitus, pereuntium clamor, tympanorum sonitus, equorum hinnitus, omnia & Martem, & mortem referebant. Tartari ubi prælio fusi, fugatique, succedunt duodecim Moschouiorum acies, animis, & uirtutes recentes. Teuthonici cæsis, Tartaris ubi bellum recrudescere sentiunt, quantò maiorem hostium uim prioribus succe-

dere conspiciunt, tantò maioribus animis in hostes irruere, & uelut ab integro noua uirtute resumpta, ingenti cum fremitu cæsim, punctimq; confligere, uergente iam ad uesperam die, qui ex Moschouijs supererant, furtim se Pleicouiam subducunt. Prælio ita dirempto, compertum est ex Teuthonicorum agmine unum duntaxat interemptum: Moschouiorum uerò & Tartarorum circiter centena millia trucidatos, ut duobus milliaribus cadauera passim dispersa iacerent. Memorabilis hic erat triumphus & singulare uirtutis, & fortitudinis exemplum, ac dignum, quod sempiterna memoria donatum, nunquam aboleatur. Moschouiorum Imperator, (qui ipse in aciem non prodierat) cum summo stupore admiratur tantum exercitum, tam exigua manu, tam turpiter cæsum & prostratum, atq; illicò pacem quinquaginta annis cum Teuthonibus firmat. Qua inita, omniq; bellico tumultu composito, legatum Magnus Moschouiæ Dux ad Ordinis Magistrum ablegat, rogans, uti unumquempiam ex ferreis illis militibus (Rutheni Teuthones ferreos uocabant) qui tantam Moschouiorum multitudinem fuderant, ad se mittat, se unà cum legato obsidem mittere, ferreum illum uirum non inhonoratū, indonatumq; ad suos reuersurum. Magister Teuthonicus haud inuitè unum è militibus cataphractū equitem Moschouiam uersùs destinat, quem ubi Moschouiæ Princeps aduentare accipit, confestim uniuersis Ducibus, nobilibus, & Præfectis suis denunciant, uti præscripto die Moschouiam conueniant, nouum, uisuq; dignum spectaculum eos habituros. Destinato die cataphractus in apertam planiciem iuxta aulam Principis, numerosa (ut fit) populi corona, circumstante, procedit, & hùc, illucq; obequitans, petasum è capite cuiuspiā circumstantis abripit, eumq; in hippodromi centrum proijcit. Illicò pleno cursu lanceam in petasum dirigit, eumq; dicto citius cuspide arreptum terra subleuat. Moschouius Imperator eam equitis agilitatem cōspiciens, ursi in morem (solent id facere Moschouij admirantes) barrit. Rursum cataphractus demissa paululū lancea, in oppositū parietem pernicissimo cursu fertur. Ac tametsi parietem inuasurus uideretur, ille tamen protinus intacto muro hastam reducit, & equum retrahit. Illud spectaculum denuò Principis, omniumq; circumstātium admiratio subsequitur. Resumpta iterato lancea plenissimo impetu in parietem fertur, hastamq; circumuolitantibus undiq; fragmentis, confringit. Hæc ubi omni dexteritate expeditè gessit cataphractus, uocatur ad Principem, & accepto insigni munere ad Teuthonicum Magistrum remittitur.

Vbi iam quinquagesimus à pace firmata ageretur annus, uidelicet anno 1550. ut pactæ induciæ propediē essent expiraturæ. Reuerendissimus Princeps D. Iodocus à Reck, Episcopus Torpatensis magnæ uirtutis, & pietatis uir, magnis impendijs, & sumptibus denuò quinquennales inducias à Ruthenorum Imperatore impetrat, talibus conditionibus, si templa Moschouiorum Rigæ, Riualiæ, & Torpati diruta, restaurarentur. Præterea si è prouincia Torpatensi, tributa, quæ exigebat, penderentur, & alijs, si quæ essent, querelis, satisfieret. Quæ omnia si præstarent, pollicetur Moschouius quindecim annorū pacem deinde concessurum. Igitur anno 1555. hac quinquennali pace iterum expirante, Teuthonicus Magister, & Episcopus Torpatēsis Hermanus rursum legatos ad Moschouiæ Principē ablegant, pacis expetendę causa. Quibus Moschouius Dux respondet, nullam se pacem Germanis indulturum, quandoquidem basilicas suas non reædificassent, nec tributum persoluissent. Cæterùm intercedentibus Moschouij Ducis Consiliarijs, triennales inducias promittit, modò spōdeant, proximo triennio euersa phana restauraturos, & ex prouincia Torpatensi, singulos homines quotannis singulas marcas tributi loco persoluturos exceptis Catholicæ Religionis sacerdotibus, quos ab hac præstatione eximebat. Hæc si facturos se promitterent, & sigillo restaurentur, triennalem pacem in gratiam Consiliariorum ac Ducum suorum concessurū pollicetur. Subsignant legati, maximè quoniam Episcopus Torpatensis mandârat, ut saltem quouis modo pacem referrent. Erat autem consuetudinis, ut & Moschouiæ Princeps legatum ad Episcopum mitteret, qui firmandæ & stabiliendæ pacis causa crucem quandam osculabatur. Legatus ubi Torpatum uenit, recusat crucis osculum, nisi Episcopus & ciuitas Torpatensis idem, quod legati Torpatenses subsignauerant, suo quoq; sigillo communirent. Habebat id temporis Episcopus Torpatensis Cancellarium Lutheranis dogmatibus impensè fauentem, qui & postea anno 1558 expugnata ciuitate Torpatensi, Habseliæ in carcerem coniectus, tandem ut facinorosus ignominiosa morte uitam clausit. Is Episcopo suadet, ut securè quod petebatur, subsignaret, ac postea spem Moschouiorum eluderet, Liuones eius esse roboris & potentiæ, ut Moschouius Princeps haud facilè eos bello esset appetiturus. His ita peractis, Moschouij legatus ad Principem suum reuertitur. Intereà nihil eorum, quæ postulata & pacta erant, præstant Liuones. Elapso igitur triennio, bellum hunc in modum exoritur anno 1558. circa Epiphaniam.

Habe-

Habebat id temporis Teuthonicus Magister sex militum Germanorũ uexilla, quos aduersus Regem Poloniæ in aciem produxerat. Igitur anno 1557. circa ferias Michaëlis ueredarium ablegat Teuthonicus Magister ad Magnum Moschouiæ Ducem, sciscitatur, an legatos ad se mittere debeat pacis diuturnioris firmandæ causa, an uerò pace recusata bellum eligat. Respondet Moschouius, Magistrum adhùc sex militum habere uexilla, quos si seruare proponat, nihil opus esse legatis, nolle se ad inducias cõpelli: sin eos dimittere paratus sit, mittendos esse legatos, & de pace sancienda tractandũ. Hoc responso accepto, omnes Liuoniç proceres congregantur, & quid faciundum consultant. Quidam ætate grandiores suadent retinendum esse militem, facilè animaduerti, Moschouium Principem bellum meditari, quandoquidem conuentiones initas Liuones nõ præstitissent: nequaquam igitur dimittendum exercitum, sed totidem signa denuò conscribenda, eaq; in finibus Ruthenorum collocanda. Teuthonicus uero Magister cum alijs quibusdam respondent, non esse dandam Moschouio belli occasionem, dimittendos esse milites. Si quid deinde moliatur Moschouius, superesse adhùc uiros & uires, quibus illi aduersum iri possit. Hæc sententia præualuit, & illicò exercitu dimisso paulò post Martini ferias Teuthonicus Magister legatos cum centum Equitibus, magnó cũ fastu, splendore & apparatu ad Moschouium mittit, quibus Satrapam suam coniungit Episcopus Torpatensis. Vbi ad Magnum Moschouiæ Principem uentum, Princeps atrium suum auro undiq; resplendens ingreditur, aureum solium occupat, corona Regia & sceptro insignitus. Apponitur mensa deaurata, seniores Consiliarij numero duodecim lateri sinistro assident, qui uniuersi ex recepto more, quoties consilium agitari contingit, uestes Leuiticas aureas induti: Magnus uerò Dux palla chorali seu sacerdotali circũdatus. Assumit prætereà Magnus Dux duos interpretes, qui Germanicam simul & Ruthenicam linguam callebant. Interrogat Moschouius, an pacem expeterent? Afferunt illud Liuones, simulq; scyphos deauratos à Torpatensi Episcopo & Ordinis Teuthonici Magistro Principi Moschouio missos offerunt. Recipit eos Moschouius, & in proximum tricliniũm deferri iubet. Moschouius principiò recenset eorum perfidiam, qui toties pactas conuentiones elusissent, nec quicquam eorum, quæ spoponderant, & sigillis confirmauerant, præstitissent. Maiorum præterea pietatem, fidem & heroicas uirtutes refert, à quã ipsos planè degenerasse ait, cultum diuinum à maioribus acceptum abrogâsse, basilicas euertisse, sacerdotes & monachos profligasse: denique nullum pristinæ pietatis & uirtutis uestigium retinuisse, non illos esse Ecclesiasticos Principes, sed quouis barbaro magis profanos, qui tam in omne uitiorum, flagitiorumq; genus propendeant, eoq; pacem nullo pacto illis concedendam. Ad hæc Teuthonici respondent: Se ex maiorum dationibus & computu benè subductis, depræhendere nullum tributum Moschouio deberi, quòd autem pacem deneget, id Romano Imperatori se questuros. Respondet Moschouius, quas illi querelas Imperatori offerre instituant, qui mandatis eius Imperialibus, quibus præceperat, ne templa aut monasteria demolirentur, tam procaciter & obstreperè derogassent? His ita peractis, legati discedunt ad pandochium, equos instruunt, Moschouium Principem rogant, Ducem itineris concedat, qui in Liuoniam eos reducat. Cæterùm dati à Moschouio Duces, per ambages ac deuia legatos fraudulenter circumducunt, ita ut in patriam terram non reuerterentur ante principium Quadragesimæ. Intereà Magnus Moschouiæ Dux missa ad Liuones Epistola, bellum indicit, cuius tenor hic erat:

VVILHELME LIVONVM MAGISTER, Archiepiscope Rigensis, Episcope Torpatensis, cæterique Episcopi, & uniuersi Liuones. Misistis ad nos legatos uestros, uiros bonos, Iuanum Bockhorst, Othonem Grothuiss, & Volmarium Vurangel, cum reliquis adiunctis, ut capite coram nobis inclinato, peterent Teuthonico Magistro, Archiepiscopo Rigensi, Episcopo Torpatensi, cunctisq; Liuoniæ populis, hanc à nobis gratiam fieri, ut dato ad Præfectos nostros Naugardiæ & Pleskouiæ mandato, pax cum Liuonibus iuxta ueterem morem sanciretur. Nos uerò Præfectis nostris mandauimus, nullam uobiscum propter uestram iniustitiam uindicare. Cæterùm legati uestri Iuanus Bockhorst cum suis collegis eam pacem à nobis exorarunt, ijs conditionibus: Vt Magister Teuthonicus, Archiepiscopus Rigensis, & Episcopus Torpatensis, cunctique Liuones, quicquid iniustè contra nos moliti sunt, id restituant, & resarciant. Prætereà illicò nostris negociatoribus concedant, cum suis negociari mercatoribus, omnisque mercium generibus, utpote ceræ, seui, loricarum, & armorum mutationes facere. Item ut Episcopus Torpatensis conquirat tributum omnium præteritorum annorum, & uniuersa debita ex tota diœcesi Torpatensi, de uno quoque capite marcam Germanicam, tertio pacis firmatæ anno mittendam. Atq; hoc nostrum tributũ deinceps singulis annis da-

annis dare debeat Episcopus sine dilatione omnibus quoque seruitium, aut ministerium præstare uolentibus, ex quacunque natione ueniant, citra ullum impedimentum liberum in nostras regiones accessum & commeatum concedant. Regi quoque Poloniæ, & Magni Duci Lithuaniæ, aut si alius quis in Regem Poloniæ, aut Magnum Ducem Lithuaniæ surrogetur, nullas suppetias, & auxilia ulla in re ferant. Quicquid præterea literæ super pace firmata confectæ, quæ multoties descriptæ sunt, & quarũ nomine crucem coram omnibus uobis osculati sunt, continent, ea omnia ritè, legitimeque præstetis. Insuper & præfecti nostri Magnæ Naugardiæ, & Plescouiæ has de pace inita literas, ad uos per nuncium suum Melardum Torpiko miserunt: Teuthonicus quoque Magister, Archiepiscopus Rigensis, Episcopus Torpatensis, cæterique Episcopi loco & uice omnium Liuonum super his literis, crucem exosculati sunt, & dextras porrexerunt: octo etiam sigillis easdem coram Melardo Torpiko communiuerunt, & per eundem Melardũ nuncium ad nostros præfectos ita communitas transmiserunt, eum in finem, quòd iuxta literarum tenorem omnia nos, & præfectos nostros concernentia, iustè & legitimè exequi uelletis, prout in literis scriptũ continetur, in hunc usque diem. Horum omniũ nihil adhuc præstitistis. Intereà nos ne Christianus sanguis temerè effunderetur, sæpenumerò per literas uos monuimus, ut hæc pacta iuxta contextum literarum de pace conscriptarum iustè & rectè exequeremini. Similiter per legatum uestrum Gerhardum Flemmingk, & nuncium Valentinum, item per Melchiorem cum suis adiunctis, itemque per Henricum Vuinter uobis nunciauimus, ut à uerbis iniustis, & minimè ueracibus temperaretis, utque probos & integros uos præstaretis in omnibus causis, iuxta literas pacis & crucis osculum, uestramque culpam agnosceretis, ne sanguis innoxius effunderetur. Vos uerò nostram clementiam spreuistis, & literas liberi commeatus à nobis postulastis, ea solùm de causa, ut res longiùs protelaretur. Et quoniam legem diuinã, omnemque ueritatem postposuistis, nec de crucis osculo quicquam cogitatis, nostramque gratiam & clementiam aspernamini, ea propter meditamur inuocato diuino auxilio, iustitiæ nostræ ergò, & uestræ iniustitiæ, quam in crucem Altissimi designastis, uos ulcisci, & uestram præuaricationem uindicare. Deo igitur nobis auxilium præstante, & alterutrorum sanguinem profundente, certum erit eum, non nostram ob culpam, sed uestram iniustitiam profundi. Hoc scitote, nos non minùs ac uos esse Christianum principem; nec unquam gratum nobis fore spectaculum, si ullius sanguinem innocentem à nobis profundi uideamus, siue Christianus ille sit, siue gentilis. Vt autem iniustitiam uestram agnoscatis, decreuimus nunc magnificam & præpotentem nostram uirtutem hac Epistola, qua bellum uobis indicimus, ad effectum deducere, quam Epistolam per hunc nostrum ministrum ad uos destinamus, iubentes, ne inuitum illum detineatis, sed liberum ad nos regressum concedatis. Datum in nostro Dominio, aula & urbe nostra Mosko, anno 1557. Mense Nouembri.

Nec multò post Epiphaniam, anno 1558. trecentena millia militum conscribit, atque in Liuoniam mittit, ut ferro & incendio uniuersam prouinciam Torpatensem hostiliter uastent.

Moschouius ingentem exercitum longo tempore sustentare potest. Neque enim militibus suis stipendia largitur, sed agros exiguo illis precio elocat, quo beneficio operam ipsorum demeretur. Conscripti autem milites coram magno Principe compârent, & nummum, quẽ uocant *eyn denninck*, æstimationis unius stuferi Brabantici Principi numerant. Reuersi ex bello eundem nummum repetunt. Occisorum autem numismata retinet Princeps, atque ita cognoscit interfectorũ numerum. Hic igitur tam uastus & barbarus exercitus, octauo post Epiphaniam die Torpatensem diœcesin inuadit, duorumque milliarium latitudine incedentes omnia uastant, diripiunt, despoliant, deprædantur ædes, & pagos, & cuncta obuia incendio, homines & pecudes gladio sustollere, iugulare, trucidare, euertere, sursùm, deorsùmque omnia iactare, non ætati, non sexui parcere, non gemitu, non luctu, nõ clamore, & ululatu pereuntiũ emolliri, omnia ibi cædibus, sanguine & incendio inundare, cõfligere, conflagrare. Pueros infra annum decimũ necant, qui intra decimum & uigesimum annum cõstituti, Tartaris uelut mancipia uenduntur: qui uigesimum superabant, uniuersi nulla miseratione trucidantur. Greges, armenta, & iumenta, quæ nec assumi, nec abduci in Moscouiam poterant, uniuersa mactantur: pagos, uicos ac domos priusquam incendio uastant, prædatoria manu despoliant, omniaque usibus suis accommoda diripiunt, ita ut ingentem frumentorum, pecorum, aliarumque rerum prædam aueherent. Quadraginta dies hanc tam immanem truculentiam barbarus ille populus exercet, uniuersam Torpatensem prouinciam miserè & crudeliter fœdans, diripiens ac deuastans, paucis arcibus, & una Torpatensi ciuitate exceptis, in qua quotquot erant undique nihil præter flammam & fumum conspiciunt, luctu, clamore, & eiula-

& eiulatu campi, & syluę reboant. Ac tantum aberat, ut Moschouij Liuones restituros metuerent, ut iuxta ipsam ciuitatem Torpatensem ædificia penè contigua succenderent.

Maximè autē Moschouius exercitus in Germanos sæuiebat, quos ubi deprehēdissent miserè & inhumaniter affligebant. Viros brachijs truncant: mulieribus ubera abscindunt, alios in frusta dissecāt, & membra trementia hūc, illucq; disseminant. Crudele profectò, & plusquam belluinum spectaculum. Heu cadit in quenquā tantum scelus? Igitur Moschouijs tam inhumaniter & supra omnē modum deseuientibus, & cūcta obuia depopulantibus, immensa nobilium, & plebeiorum multitudo in ciuitatem Torpatensem cum uxoribus, liberis, & quas habebant facultatulis, ueluti ad asylum confugiunt: non è uicinis duntaxat pagis, sed qui ultra decem, & uiginti milliaria degebant, quorum omnium numerus exiguo temporis momento in tantam excreuit multitudinem, ut plateæ, cœmiteria, & pomœria undique, & ubique scaterent. Et cùm ciuitas tam immensam hominum copiam ambitu suo capere non posset, ultra decem millia cum mulieribus, & liberis in fossas ciuitatis confugiunt. Magna ibi calamitas & miseria conspicitur, inopes, nudi, & inermes sub dio passim sternuntur, cum gelu, glacie, frigore & niuibus omnia horrerent, asperrima erat hyems, & frigus intensissimum, ut plurimi intoleranda frigoris asperitate, & horrore stupentes enecarentur. Alij fame, siti & inedia consumpti, uix ossibus hærentes, afflictam animam exhalant: alij frigoris, & inediæ paulò patientiores, omni miseriarum genere cooperti, omnibusq; uitæ adminiculis destituti, quoad possunt, ægrè uitam protrahunt: sed nec tantis ærumnis ac doloribus superatis, sperato potiuntur effugio. Superueniens enim Moschouiorum exercitus, in ipsas fossas, ubi infelix hæc plebecula duriter, & miserè latitabat, præcipites ruunt, gladijs, lanceis, sagittis, omniq; armorum genere eos inuadunt, sauciant, iugulant, confodiunt, plagis, & uulneribus opplent, ibi noua calamitas, luctus, clamor, ululatus, miserię miserijs accumulantur Oppidani tantam hostium uim ac truculentiam conspicientes, metu, & formidine præsentanei discriminis anxij, nullas ijs, qui foris erant suppetias ferre audent, sed intra uallum, & mœnia se continent. Quandò igitur prodire, & cominùs cum hoste confligere formidant, tormentis, & machinis bellicis instructis, glandes, & globos tormentarios in hostes iaculantur, ita ut Moschouij tandem à ciuitate recederent. Igitur prouincia Torpatensi funditùs deuastata, in ditionem Teuthonici Magistri per territorium Leidense proficiscuntur, ibidemq; uti anteà fecerant, uniuersa depopulantur, ut ne tugurium quidem unū incolume permaneret. Inde in ditionem Neruiensem, Teuthonici quoq; Magistri dominio subiectam, progrediuntur, itidem omnia deprædantes, & euertentes, ut res non belli, sed rapinæ potiùs, & latrocinij speciem haberet. Ingressus erat exercitus Liuoniam ea parte, qua Episcopus Torpatensis arcem habet Nyenhusen, rursumq; circa Quadragesimæ principiū per territorium Neruiense ingentibus spolijs in Rutheniā regrediuntur, quæ ab inuicem plusquam quadraginta milliaribus distant. Intereà per uniuersam illam Liuoniæ prouinciam grassantes, sedecim milliariū latitudinem, peragrarūt, nihil saluum, & incolume relinquentes. Prima hæc fuit id temporis Moschouiorum in Liuoniam irruptio, in qua nec Teuthonicus Magister, nec Episcoporum ullus, hostilibus illorum uastationibus, rapinis, & incendijs quicquam restiterunt.

Tanta clade accepta, uniuersi Liuoniæ proceres circa Dominicam Oculi, in Quadragesima, in ciuitatem Vendensem conueniunt, quid in rebus tam deploratis consilij capiendum sit, consultant. Eodem tempore Torpati ingens ac terribilis cometa conspicitur, oblongo, & formidabili radio uniuersis suspicientibus horrorem incutiens. Proceres dum consilia inter se conferunt, principiò discordare, alij conscribendum militem suadent, & post ferias Paschales finitima quæq; Moschouiorum, ferro, & incendio depopulanda, suorumq; innoxium sanguinem pari crudelitate uindicandum, toties barbarum illum tyrannum, fusum, fugatumq; à maioribus, non tantùm uirium, aut roboris illi accessisse, quin & nunc uinci, superariq; possit. Alij bellicas impensas, & hostis potentiam considerantes, consulunt, sexaginta aut septuaginta dalerorum millia ad magnum Moschouiæ Ducem mittenda, pacemq; redimendam, iniustam, emptamq; pacem legitimo bello, hac tempestate præferendam, pecuniam eam haud multis, magnisue stipendijs erogandis sufficere, qua non difficulter pacem sint impetraturi. Qua sententia tandem omnibus suffragijs recepta, Teuthonicus Magister illicò circa medium Quadragesimæ ueredarium ad Moschouium Principem ablegat, petens quadrimestres inducias, & liberum accessum in Moschouiam pro firmanda pace. Moschouius petitas inducias, cæteraq; omnia concedit. Igitur circa octauam Paschæ diem Teuthonicus Magister quosdam deligit, qui legationem ad Moschouiæ Principem obeant: Itidem Episcopus Torpatensis suos legatos adornat. Et quoniam compertum habebat Moschouium nonnul-

nonnullis, propter cognitam eorum in rebus nouis moliendis audaciam, plus satis infestum, destinat legationi perferendæ D. Vuolffgangum Zager, Metropolitanæ Ecclesiæ Torpatensis Decanum uirum antiqua pietate, doctrina, & uirtute præstantem, qui & nouennio, publico Ecclesiastæ munere perfunctus erat, priusquam D. Philippus Olmen huius historiæ spectator ad idem munus ascisceretur. Erat strenuus Catholicæ religionis uindex, & collegium cui præerat pro sua uirili penè 20. annis optimè gubernârat, ita ut nouæ factionis sectatores eum Liuoniæ Papam appellitarent. Verùm quinquaginta Ruthenicæ ditionis miliaribus emẽsis, morbo correptus, uitam morte commutat. Erat prætereà duobus à Torpato milliaribus quidam equestris Ordinis uir, primæ apud Liuones nobilitatis, qui itidem cum familia & subditis in Catholica Religione perstabat. Hic Decano in legatione perferenda adiungitur. Legati postquam ad Magnum Moschouiæ Ducem perueniunt, pecuniam paci redimendę destinatam adferentes, perturbatum infestumq; Ducis animum comperiunt, nec ullam pacem, ullasue inducias impetrant. Causa hæc fuit. Habebat Teutonicus Magister oppidum in Ruthenorũ confinio situm, cui nomen Neruio, atq; ibi arcem. Habebat quoq; Moschouius Dux iuxta Neruiam illã oppidum, itidem Neruia appelatum, & castro insigni munitum. Hæc duo oppida adeò erant confinia, ut uno tantum fluuiolo interlabente distinguerentur. Magistri ciuitas Germanica Neruia, Moschouij Ruthenica Neruia uocabatur. Ordinis Teutonici Magister in sua Neruia præter quendam Ordinis Commendatorem, qui ciuitatis præfectum agebat, trecentos milites, & centum quinquaginta equites præsidij loco aduersum Ruthenos collocarat. Rebus Ecclesiasticis tum in templo, tum in arce Lutheranum concionatorem præfecerat. Moschouius Dux in sua Neruia tria millia Rutenorum constituerat. Vbi quadrimestrium illarum induciarũ, de quibus paulò antè dictũ est, unus mensis præterijsset, & legati iam cõpluribus diebus in itinere fuissent, (distat enim Moschus ciuitas à Torpato centum quinquaginta miliaria Germanica) contigit, ut commendatoris ministri è turribus prospicientes, uiderent ingentẽ Rutenorũ turbam in Ruthenica Neruia obambulantem. Illi confestim seu proteruia seu largiore potu stimulante, duos colubros puluere tormentario grauât, in Ruthenos dirigunt, & ferreas glandes in mediam turbam iaculantur. Cæteri Commendatoris ministri, & milites qui in uicinis propugnaculis & turribus præsidium agebant, pactas cum Ruthenis inducias expirasse putabant, nec mora grauatis nitro, instructisq; tormẽtis certatim eosdẽ Ruthenos creberrimis globis ac telis inuadunt, ut plurimi eorum occumberent. Ruthenis religio erat uiolare inducias, eoq; nullũ in hostes telum retorquent, sed confestim emissarium ad Magnum Moschouiæ Principem ablegant, nuntiantes quàm perfidè, & iniquè Liuones pactas inducias rupissent, plurimosq; Ruthenorũ nullo bello legitimè denunciato præter omnium opinionem telis & globis tormentarijs hostiliter inuasissent, & miserè traiecissent. Hoc nuncium eodem tempore quo Liuonum legati Moschũm peruenerãt, ad Magnum Ducem perfertur. Legati huius tempestatis ignari ad principem accedunt de pace tractaturi. Princeps recenti suorum clade, & Liuonum scelerę nunciato commotus, indignabundus exprobrat legatis, quàm perfidè Neruienses inducias uiolauerint, Ruthenos contra ius & fas ex inopinato oppetiuerint, obruerint, interfecerint, impiam esse doctrinam, quam paucis ab annis susceperint, priori religione profligata, omnem illos uirtutem, fidem, constantiam, pudorem simul exuisse. Minatur insuper se tam insignem perfidiam ferro & flamma seuerè uindicaturum, frustrà cum illis de pace tractari, quorum animus rapinis, libidinibus, omnibusq; flagitiorum generibus turpissimè sit delibutus. Ad suos redeant, pecuniam Magistro referant, se paulò pòst secuturum.

Legatis in Liuoniam reuersis, magnus Moschouiæ Dux ingentem exercitum cum prægrandibus bombardis & machinis Neruiam Germanicam uersus mittit, ciuitatem obsidet, armato milite & tormentis muros inuadit. Octauo obsidionis die, ignem in ciuitatem iaculantur. Ignis nutrimentum nactus, continuò inualescens, totam per urbem grassatur, ipsasq; portas comburens, hostibus ingressum patefacit. Rutheni patefacto aditu, in ciuitatem irruunt, omnia depopulantes, Oppidani cum auxiliarijs in arcem confugiunt, sed paulò pòst cõmeatu destituti Præfectus, seu Commendator deditionẽ facit, hac cõditione, ut ipsi eiq; omnibus Germanis militibus liberũ abitum concedant. Hoc impetrato, castrũ Ruthenis deditur. Commendator cũ suis militibus omnibus, quas auferre sperauerant, facultatibus exuti, dimittuntur. Ciues in ius & Imperiũ Magni Ducis concedunt, eiq; sacramẽto se obstringunt. Expugnata Neruia, Moschouiorũ exercitus arces, pagos, uicos, domos ac uillas undiq; quindecim milliariũ latitudine circumiacentes diripit, & uastat. Noua ibi calamitas, noua ærumna, & lamentatio exoritur, factumq́ue ita, ut quotquot ibi agricolæ Teuthonico Magistro antea parebant, nunc ab eo desciscentes, in

tes, in Moscouij ducis iurisdictionem, & imperium concederent. Direpto igitur, & uastato Neruiensi territorio, circa natalem Baptistę Ruthenicus exercitus in prouinciam Torpatensem progreditur, ac tertio, post Baptistæ natalem, die primariam Episcopi Torpatensis arcem, cui nomen Nienhusijs, octodecim à Torpato milliaribus distantem, obsidet. Ruthenorum non pauciores erant octoginta millibus. His adiuncta erant ænea tormenta plurima & maxima. Priusquam huius arcis expugnationem referamus, memorabile facinus, quod olim in ea cōtigisse ferunt, interponemus; ut animus ab his bellicis tumultibus, cædibus, & incendijs paulisper respiret. Oppugnauit olim hoc castrū magnus Moscouiæ dux, Anno 1 5 8 1. cui oppugnationi ipse intererat unà cum trecētenis militū millibus. Ac tandē post diutinam, & pertinacem obsidionē, & crebras irruptiones, mœnia, & propugnacula labefacere incœptant, obsessi cùm hostium assultum diu sustinuissent, tandem solis uiribus humanis diffisi, diuini numinis clementiam, & auxilium quotidianis, ardentibusq; uotis exposcunt. Præfectus ut in bellicis rebus reliquis præstabat, ita hoc quoq; in negocio cæteris feruentior erat. Igitur quadam nocte Veneris diem proximè antecedente, in somnis peruigilat, ante aram quandam prosternitur, orat, ut in tam deplorato rerum statu Deus apparere dignetur, fœlicemq; tam grauis obsidionis liberationem elargiri. Exorto Sole, cùm Rutheni certa iam arcis expugnationem sibi promitterent, exurgit è precibus suis præfectus, acceptoq; arcu, telum ferrea, acuminataq; cuspide in Dei nomine in medium Ruthenorū exercitum è fenestra emittit. Fauent conatibus superi, uolat missile ferrum, & ipsius Moscouij principis cor transfigit. Concurrunt trepidi comites, dominumq; ruentem suscipiunt. Ille manu moriens, telum trahit, ossa sed inter ferreus ad costas alto stat uulnere mucro. Rutheni magno cum ululatu Principis, & Imperatoris sui tam funestum, & luctuosum casum deplorant, arreptumq; funus in Moscouiam perferunt. Liuones hoc mirabili, memorabiliq; modo liberati, arcū perpetui trophæi loco in Basilica, quæ ibidem in castro extructa erat, ad altare suspendunt. Solebat in eo templo cultus diuinus quondam magna pietate, ac deuotione peragi: nunc uerò peruersis dogmatibus receptis, nullum pristinæ pietatis uestigium conspiciebatur: Arcum ibidem suspensum, uidit uenerandus uir D.P. Olmen, quondam Metropolitanæ Ecclesiæ Torpatensis stipendiarius Canonicus, nunc Ecclesiastes Ressensis.

Teuthonicus Magister cognita arcis Nienhusen obsidione, duo Germanorum equitum millia adducit, & unà cum Episcopo Torpatensi, qui trecentos habebat equites, (equester enim Ordo Ruthenica depopulatione opibus, fortunisq; omnibus exutus erat) obsessis auxilia ferre meditatur. Vbi sex adhuc milliaribus à Ruthenico exercitu abessent, prope castrum Episcopi Torpatensis, cui nomen Kieriepe, sua tentoria figunt, ibidemq; ad dies uiginti quatuor morantes, omne tempus quieti & luxuriæ cōcedunt. Obsessi, quum pręter paucos accolas, qui in arcem cōfluxerant, & sexaginta pręsidiarios milites, nulla haberent auxilia, diutina obsidione fatigati, nullaq; suppetiarum spe affulgente, & rebus accisis deditionem faciunt, ea conditione, ut ipsi cū fœmineo comitatu securi abscedant. Cæterùm duo milliaria progressi, in aliud Ruthenorum agmen incidunt, qui raptis uirginibus, & fœminis, illos nudos, omniq; argēto spoliatos dimittunt. Teuthonicus Magister deditionem factam intelligēs, ira simul ac dolore exacerbatus, Castrum Episcopi Torpatensis Kieriepe igne succendit. Præclarum hoc fuisset, & gloria dignū, si facinus istud in hostem designasset. Expugnata igitur arce Nyenhusen, & præsidio munita, Dux exercitus Ruthenici cum uniuerso agmine ad Teuthonicum Magistrum pergit, prælium cum eo committere constituens. Magister re intellecta, ocyus fuga arrepta, desertoq; Episcopo, è Torpatensi prouincia penè ad uiginti quinq; milliaria secedit.

Rutheni equites numero triginta millia pergunt in Torpatensem prouinciam, obuios quosq; Germanos trucidant, alios plebei ordinis homines, quotquot parati erant, magno Moscouię Duci subijci, illi parēre, & iureiurādo obstringi, hos in gratiam recipiunt. Imperator Ruthenorum, quoniam ipse bello non intererat, præfecerat exercitui Ducem quendam Moscouium, cui nomen Petro Sisegaleider, à septem triremibus Galeaceis, quibus in mari pręfuerat, & piraticam exercuerat, ita appellatus. Hic cum uniuerso exercitu, uidelicet, quatuor agminibus Ruthenorum, seu Moscouiorum, uno Tartarorū quorum erant triginta millia, & altero tormentariorum, seu sclopetariorum, qui duodecim millia constituebant, machinis quoq;, & tormentis ęreis pręgrandibus, tanto, inquā, cum exercitu, ad obsidendum Torpatum progreditur. Interea quosdam Germanos deprehendens, uiros brachijs truncat, fœminis ubera, & nares abscidit: hos tam miserè & crudeliter deformatos, Torpatū præmittit, denunciat, ut ciuitatem dedant, in Moscouij principis Imperium concedant, ni faciant, omnes eadē, & grauiori pœna plectendos. Ruthenicus exercitus sex milliaribus à Torpata castrametatur. Vniuersus militum numerus, ut

Sise Ruthenica lingua sepię sonat.

FF ferebatur

ferebatur, trecenta millia cōstituebat. Ciues Torpatenses & reliqui equestris Ordinis, cognita obsidione, Cathedralem Ecclesiam claudunt, præcipientes ne quisquam Missæ sacrum in ea peragat, præuaricantibus extremum supplicium interminātur. Ingens sanè & horrenda populi cæcitas, dicámne an impietas in tam præsentaneo discrimine, rebus ita nutantibus hostico exercitu muris imminente, nec ulla humana ope ullam salutis spem promittente, diuina præsidia tam prophanè aspernari, ridere & execrari.

Intereà dum hostes sex miliarium interuallo castrametantur, quotidie sex aut septem Ruthenorum uexilla ad urbem emicant. Cancellarius Torpatensis, cum quibusdā consiliarijs & nobilibus, Episcopum accedunt, simulāt se urbe egressuros, & cominus cum hoste cōflicturos. Illi portis emissi, deserto Episcopo, derelicta ciuitate, perfidi & profugi Rigam omni celeritate se recipiunt. Ciuium quoq; bona pars, opes & merces suas Rigā & Riualiam miserant, & paulatim ex urbe secesserāt. Morbo etiam à Pascha ad Pentecosten grassante, plurimi sublati erant, ut pauci admodum, qui urbem defensitarent, superessent. Hi erāt Cathedralis Ecclesiæ Canonici & sacerdotes, cum Episcopo & paucis nobilibus, & plerisq; qui in Catholica religione perseuerantes, intra immunitatem (ut uocant) Ecclesiæ Cathedralis habitabant: neq; enim senatus, aut ciues ullum in ciuitate tolerabant, qui religionem Catholicam non abiurabat. Septima mensis Iulij Centurio quidam Groningensis cum sexaginta militibus Torpatum uenit, ab Episcopo in præsidium suscipitur, inde ex opificibus & plebeis adhuc centum alleguntur. Vndecimo Iulij Ruthenicus exercitus, Torpatum ad obsidendam urbem pergit. Tunc omnium Torpatensium animos ingens metus & formido inuadit, ut quid incœptare, quid moliri deberent, dubij, anxij & trepidi rerum, haud satis definire possent. Canonici assumpto duce Groningensi, & plerisque nobilibus, in ciuitatem ad forum descendunt, hortantur & obsecrant ciues, ut resumptis animis, uiriliter hostium impetum sustineant, se, uxores, liberos, & patriam, aduersus hæreditarium Christiani nominis hostem fortiter & fideliter tueantur, facilè hostes posse propulsari, si unanimes, concordibus animis & armis, pro aris & focis dimicent. Ad hæc Consul. Si Episcopus Hermannus & Canonici Romano Pontifici renuntient, Euangelium amplectantur, uelle ipsos ciuitatem seriò & uiriliter tueri. Respondent Canonici graue hoc & exitiosum tū sibi, tum ipsis futurum, quandoquidem animaduertant post assumptam illam nouam doctrinam omnia illis aduersa fuisse, nunquam tantam à Moschouio cladem accepisse, quantam post religionis mutationem pertulerint. Tandem Satrapa pronuntiat, ut quilibet sua in fide ac religione permaneat, nunc non de fide, sed pro patria, parentibus, & liberis decertandum. Illud consilium cùm omnibus probaretur, sacramentum præstant, nunquam se Ruthenis urbem dedituros, sed ad extremum usq; halitum pro cōmuni omnium salute fortiter dimicaturos. Confestim tres ciuitatis portas muro obstruūt, ænea tormēta in turribus & propugnaculis collocant, ipsi undequaq; in mœnibus & speculis pręsidia & excubias agitare. Vndecima Iulij die quæ in feriam secundam incidit, mane ante solis exortum, speculatores uniuersum Moschouiorum & Tartarorum agmen urbem obsidere cōperiunt. Castra ante portam S. Andreæ ad Orientem fecerant, eaq; uallo muniuerant. Densissimæ erant ea nocte tenebræ, ac tametsi sol tertia hora matutina exoriretur, tamen propter nebulam mirè spissam parum, aut nihil prospici poterant. Torpatenses obsidione cognita, æneas glandes et tormentarios globos ea parte qua strepitum audiebant, eiaculantur, sed neq; in quenquam collimare, aut quid proficerent, scire dabatur. Sclopetarij seu sagittarij sexaginta quotidie bis ex urbe emicāt, & leui pugna Ruthenos adoriuntur: sed quoniam rari erant, parum efficiebant. Nebulæ densitas per Lunæ, & Martis, & Mercurij diem continenter durabat, ut uix paucis passibus prospicerent, certoq; pateret, obsidionem illam à Deo ex certo uindicādi proposito permissam. Mercurij die equites Torpatenses omnes, hi erant circiter sexaginta, denuò ad Ruthenos procedunt, & leui prælio confligunt, multos æneis & plumbeis glandibus traijciunt. Speculatores quoq; & qui in turribus præsidium agebant, tormentarios globos in Ruthenicum agmen iaculantur, tanta ui & copia, ut uelut flammis & incendio ciuitas septa uideretur. Equites cum ad horas duas acriter cum Ruthenis dimicassent, & hostibus undiq; accurrentibus nimis essent impares, in urbem se recipiunt, uno duntaxat suorum amisso, equis uerò sagittis ac telis Ruthenicis grauiter uulneratis. Ferebatur tunc in urbe, aliquot Moschouiorum millia grauioribus tormentis interfecta, conspiciebantur quoq; passim equi deiectis sessoribus circumquaque procurrentes. Feria quinta Moschouij machinas ac tormenta sua instruunt, non tamen in mœnia ipsa dirigunt, sed in altum leuant, ut globi, (quos uix duo lecti uiri eleuassent) in ædium tecta prociderent, quorum pondere parietes, tecta ac ligna collisa ac diruta, pueros, fœminas, passimq; omnes inquilinos repentè præter expectationem opprimebant.

Tantus erat ea die ac nocte intus & foris bellicarum machinarum fragor ac sonitus, ut uix alterius sermonem exaudiret.

Rutheni proxima nocte quę Veneris diē antecedebat, ad portam D. Andreæ, fossam ingentem sub mœnibus fodiunt, & sex uasa pulueris tormentarij substituunt, ut ui pulueris eam mœniorum partem disrumperent, & subuerterent. Sequenti die circa horam nonam matutinam, denuò Rutheni terribili tormentorū fragore oppidanos inuadunt. Fœminæ tum natura, tum præsentaneo discrimine pauidæ, luctu lachrymis & eiulatu omnia complent. Quam tam miserabilem miseriā, Consules undiq; conspicientes, ad Cathedralem Ecclesiam ascendunt, deploratum ciuitatis statum Episcopo exponunt, deditionē se facturos aiunt, quoniam tantam suorum calamitatem, luctum & ærumnā ulterius coram uidere ac sustinere nullo modo queant. Episcopus monet, ut meminerint deditionē sempiternæ ipsis turpitudini & ignominiæ futuram, deinde perspectam illos habere Moschouiorum, & barbariem, & tyrannidem, fidemq; ac religionem in Deum ac Diuos blasphemam, tum ab uniuersa Ecclesia, totoq; terrarum orbe dissentaneam. Expendant, ne pecudes quidem à Christianis tam immaniter tractari, ut homines à Moschouijs. Considerent quantum truculentiam & plusquam ferinam barbariem in uirgines & fœminas Christianas exercuerint. Eadē & grauiora, fortassis ipsis imminere, si sponte tam crudelis domini iugum intollerabile subeant. In hanc sententiam cùm ad perseuerantiam hortaretur Episcopus, nihilosecius pertinaciter deditionem urget Senatus, quo factum, ut ingens dissentio in urbe exoriretur. Nec multo pòst eodem die circa horam duodecimam legatum ad Moschouij exercitus ducem mittunt, supplices rogāt, ut ab obsidione desistat, paratos se fore, si uitam & facultates saluas ipsis promittat, Pontifici & Imperio Romano renunciare, & præstito Sacramento in ius & Imperium magni Moschouiæ Ducis cōcedere, ac deditionem facere. Exercitus Ruthenici Dux accepta legatione, certam pacē illis promittit, si propositas cōditiones inire uelint. Hoc responso solidè gauisus Senatus, duos ex Senatoribus ad Ducem ablegat, qui omnium nomine iusiurandum præstent. Ea fama ubi per urbem diuulgatur, ingens tumultus & seditio exoritur. Militum præfectus cū sua cohorte, & Cathedralibus Canonicis, reliquisq; Catholicis, nullo pacto ad sacramentū Moschouio Principi prestandum induci sustinent, sed nec deditionem facere, uerū armis, uita & sanguine auitam Religionē, libertatem, & patriam uindicare parati sunt, impiamq; & nefariam Senatus defectionē grauiter redarguunt, salua, esse adhuc mœnia, commeatum prælargum ac sufficientem, præsidiarios tametsi non ita multos, tot tamen ac tales, qui & urbem protegere ac defensitare possint, eaq; fortitudine, animiq; præstantia præditos, ut uitam prius & spiritum, quā urbem & libertatē amittere uelint. Senatus nihil à proposito declinans, & fidem, & religionem, cunctaq; uitę posthabenda arbitratur. Atq; ut culpę ac defectionis socium haberet. Episcopum cuius instantiam exploratam habebat, accedit, ipsumq; ad arcis cuiusdam & abbatiæ Valkena deditionem inducit. Milites, qui centum sexaginta erāt, & quadraginta Cathedralis Ecclesiæ Cantores, & Canonici, hac defectione nequicquam à pristina constantia dimouentur, sed mutuam fidem ac tutelam inuicem stipulantur & promittūt, sanguinem prius profundere, quàm patriam prodere, auitamq; religionem abiurare, statuunt. Hæc feria sexta contingebant. Postero die Moschouij exercitus Dux, cognita oppidanorum dissentione, ut urbe potiretur & obsidionē conficeret, nunciat obsessis, neminem se coacturū ut abnegato Imperio Romano, in magni Moschouiæ Ducis ius & Imperium sese dedat. Vrbe se uel uolentibus, uel inuitis oppidanis omninò potiri uelle. Qui Moschouio Duci sese dedere, ac iusiurandum prestare detrectent, illis liberum fore, ut per uniuersum Ruthenorum exercitum securè in Germaniam secedant. Qui uerò parati sint in Moschouij principis Imperium concedere, illis uitam & facultates saluas fore. Cæteris qui neutrum horum faciant, extrema minatur. Ad sequentem Lunæ diem circa septimā matutinam portas apertas fore, interea deliberent, & quid facturi sint, constituant. Milites præsidiarij cum Cathedralibus nihilo secius armati duas subsequentes noctes peruigiles ducunt, quandoquidem & Senatum cum ciuibus & Moschouios aduersos habebant. Interea plæriq; nobiles, ciues, & fœminæ Catholicismi reliquis paulò obseruantiores, ad Cathedrales concedunt, & uoluntarium exilium unà cū ipsis eligunt, atq; ita numerus secedentium excreuit in 200. armatos, & 200. fœminas ac uirgines. Die Lunę portis adapertis, egrediuntur Catholici, quos Ruthenici exercitus Dux, per uniuersum agmen iuxta datam fidem, dimittit. Ingens ibi luctus & eiulatus exoritur, maritus ab uxore diuellitur, fratrem soror deserit, liberi à parentibus, cognati à propinquis secedunt. Alij senio, morbo, alioue incommodo grauati tam longinquum, ignotum, plenumq; discriminis iter suscipere nequeunt, alij bonorum, facultatumq; appetentiores, Pontifici & Imperio Romano renunciant, & Moschouij principis iugum subeūt, Catholici urbe, pa-

tria, ac domo profugi, omnibus derelictis, plurimæ etiam matres prolibus onustæ Rutaliam contendunt. Dum per Ruthenicum exercitũ gradiuntur, Tartari quorum erant triginta millia, Liuones inuadere parant, eos in prædam sibi datos asserentes, arcus instruũt, & nouo eos, insperatoq; prælio appetere instituunt. Fœmineus cœtus præsentaneum periculum conspiciens, protinus in clamorem & eiulatum, ut fit, soluitur. Cæterũ Deus mirificè eos tutatur. Clarum erat & serenũ cœlum, nec à uiginti diebus plueret, nec octiduò post pluebat. Nihilo secius in tanta serenitate, ingens ac formidabile tonitru in medium Tartarorum agmen quinquies immittitur, tantoq; fragore ac tonitru, ut terra cõmoueretur. Tartari quoq; instar pulueris huc illucq; dispergebantur. Nec multo post Moschouij exercitus Dux lituo quẽ gerebat, designat, ut liberè dimittant Liuones, indicat præterea per interpretem, deducendos eos securè per media castra & uniuersum exercitum, ingentemq; equitum cohortẽ ipsis adiungit, quò securius euadant. In ipso progressu plærique ob æstus uehementiam, & pulueris, quem equitatus ille concitabat, densitatẽ, languidi & emortui miserabiliter concidebant. Moschouij agminis Dux præsens huic ductui cũ aliquot equitum millibus intererat, uinctumq; habebat Episcopum, quem ad abbatiam Valkenadensem ducebat, ibidemq; carcerari mancipabat. Eò ubi uentum, dimittit Liuones. Illi paululum progressi noui discriminis, triste nuntium accipiunt. Monentur enim ab agricolis, latere à duobus milliaribus octo Tartarorum millia, quibus Liuones uniuersi prædæ ac direptioni dediti sint, uitæ quoq; ac necis potestatem in ipsos habeant. Idem secretò præmonuerant eos quidam Torpatensium, qui præstito iureiurãdo in Moschouij Ducis imperium concesserant. Liuones principio conflictum meditantur, postea re penitius considerata, duos agricolas conducunt, qui eos ambitu quodam per nemorosa & palustria loca, quò Tartarorum equitatus penetrare nequibat, triduò circumducunt, inde post quintiduum Riuaham perueniunt, ubi singuli nauibus conscensis, salutem ac prosperitatem sibi inuicem precantes, quo animus, uoluntas & consilium ferebat, contendunt.

SIMON SCHARDIVS DE VITA ET OBITV SIGISMVNDI AVGVSTI REGIS POLONIAE, qui obijt anno 1572. Kalendis Iulij.

ANNO 1572. Kalendis Iulij Sigismundus Augustus Rex Poloniæ, qui superiore mense ægrotare incipiens, medicis de eius salute desperantibus, in Lithuaniam concesserat, ibidem extremum uitæ diem clausit, ne quicquam cum proceribus regni subsequentibus, ut in præsentia illius de nouo rege deliberarent, ætatis suæ Rex potentissimus, ac in orbe Christiano celebratissimus. Natus anno 1520. Augusti die 1. minutis 31. ante tertiam horam matutinam, patre Sigismundo, & matre Bona Sphortia, Ioannis Galeatij Sphortiæ Mediolanensium Ducis, & Isabellæ Arragoniæ filia, puer uix decimum annum agens, paterno regno, patris opera, studioq; inauguratus est, cumq; eo annos octodecim regnauit, post iuuenis factus uxorem accepit uoluntate patris Elizabetham Ferdinandi Cæsaris, & Hungarorum ac Bohemorum Regis filiam natu maximã, in qua muliere genus cum forma, forma cum comitate & mansuetudine, hæc cum probitate, probitas denique cum pietate certabat, ita ut nescires, quid in ea potissimum admirareris. Ea uerò biennio post nuptias celebratas, magno multorum luctu extincta, atq; Regni habenis post patris octogenarij obitum, anno quadragesimo nono, ad solum Sigismundum deuolutis, Barbaram Radziuilliam Lithuanicam inuitis Regni proceribus uxorẽ duxit. Cæterùm & ea statim post coronationem uita functa, ipse triennio in uiduitate transacto, alterã Ferdinandi Cæsaris filiam Catharinam, quæ prius Francisco primo Mantuæ duci elocata fuerat, Pontifice legibus cum soluente, matrimonio sibi iunxit. Id quod tale fuit, ut plus molestiarum, quàm iucunditatis, uel uoluptatis coniugalis habuerit. Cùm autẽ hucusq; tranquillitatis studiosissimus bella à suis auertisset, atq; pacem cum finitimis initã firmiter coluisset, tandem intestina Liuoniensium dissensione, ex otio in bellum pertractus, de regni incremento & amplificatione cogitationes suscepit: Nam cum anno 1559. inter Archiepiscopum Rigensem Vuilhelmum ex Brandenburgica familia natum, & ordinis Teutonici Magistrum dissensione, cùm ob Euangelij prædicationem in Ecclesia Rigensi, tũ ius comitiorum indicendorum exorta, res eò deuenisset, ut Archiepiscopus utrunq; impediturus, post uarias uelitationes in arce Kokenhusen conclusus, fame atq; penuria rerum omniũ coactus, se Magistro unà cum cõmilitonibus dedere cogeretur, & toto penè anno,

non

non ut prouinciæ, ac ciuitatis consors, uel præsul, uel Brandenburgicæ familiæ princeps, uinctus detineretur, sed ueluti barbarus hostis tractaretur. Sigismundus nepotis seruili captiuitate cognita, Legatum ad ordinis Magistrum Vuendam ablegauit cum mandatis, ut quandoquidē in bello, nepos Vuilhelmus captus esset, hic indignissimo carcere liberaretur, & omne dissidiū inter Archiepisc. & ordinem Teuthonicum amanter cōponeretur. Cæterùm Teuthonici ordinis Magistro legatū in Poloniam re infecta dimittente, Sigismundus, qui operam suam sperni moleste ferret: ordinis Magistro, omnibusq; eius auxiliarijs bellū denunciat. Cuius exitus is fuit, ut etsi ordinis Magister aliquot uexilla peditū, & equitum Germanorū, cum copijs trium Episcoporū, Torpatensis, Riualiensis, & Gabselensis, contra Polonos educeret, tamen cum se à Polonis exercitus multitudine superari uideret, pacem à Sigismundo petendam censuerit, eamq; hisce conditionibus impetrarit, ut ordinis Magister Archiepisc. in pristinum statum restitueret, omneq; damnum ac detrimentū eidem illatū rependeret, præterea Polono stipendia in milites erogata refunderet. Videbatur harum conditionū acceptione Liuonia pacata, quantumuis Liuonibus clanculum mussitantibus, ab ordinis Magistro omnem prouinciæ thesaurū, & nullo cum fructu, aut ciuium utilitate consumptum: sed ecce Moschus suæ occasioni intentus, quod & induciarū antea cum Liuoniensibus pactarū finis esset, & Liuonienses inter se alienatos sciret, Torpatensem Episcopatum Liuoniæ ingenti exercitu, nimirum trecentorum millium hominum, Duce Petro Sisegaleider strenuo olim pirata inuadit, eumq; ferro & igni uastat, & per multa miliaria, omnia cæde, rapinis, fœdissima barbarie & immanitate complet, pueros infra annum decimū necans, intra decimum & uigesimum cōstitutos, Tartaris hominibus feris uendens, suprà uiginti trucidans omnes, pecus omne quod in Moscouiam abduci nō posset mactans, Germanos mares deprehensos brachijs truncans, fœminas sectis uberibus diu crucians, plerasq; in frusta discindēs, & membra palpitantia hac illac dispergēs, in summa nihil crudelitatis prætermittens non tantū in ditione Torpatensi, sed & Neruiensi, quę Magistro Teuthonico paret, minimè etiam ditioni Rigensis Archiepiscopi parcens. Ideò Liuonici, maximè Rigenses se in tanta necessitate constitutos, cōspicientes, & tardis auxilijs Imperij, cuius superioritatē, ut uocant, hactenus coluerant, diffidentes, à Sigismundo defensionem petiêre, quam ipse potētia, fertilitate, ac commoditate uicinæ prouincię perpensa Liuoniensibus nō grauatim præstitit, Moschis in Liuoniam à cæde sex millium Tartarorū redeuntibus, fortiter sese opponens, & quo Liuoniæ concordiæ prospiceret, ordinis Teuthonici authoritate in Liuonia sublata Gothardū Ketlerum ex nobili familia in Vuestphalia natum, ex Magistro Teuthonico, Ducem Curlandiæ faciens. Verùm enimuerò dū Sigismundus Liuoniensibus cōtra Moschos succurrere cogitaret, factū est, ut horū arma in suos Lithuanos cōuerteret. Nam in mense Februario anni 1563. Moschus defensione Liuoniensium, à Sigismundo suscepta irritatus, Lithuaniā omnibus nobilibus & præfectis hostiliter inuadit, ut sic immanitatē & plus quàm beluinā crudelitatem toti orbi notiorem redderet. Ingressus itaq; Lithuaniam maximis copijs, arcem munitissimā Polotzko ui cepit, multis millibus hominū occisis, et alijs in seruitutem abductis. Fuit hæc clades Polonis perquā grauis, cum ob alia, tum uerò arcē Polentzko amissam. Quare Sigismundus, neutiquam sibi conquiescendum putauit, quo ad suos barbarica Moschi tyrānide liberaret: ideò inducijs sibi à Moscho denegatis anno subsequenti, qui erat 64. Moschos in Lithuaniam redeuntes, ad Vlium oppidū, uirtute Nicolai Radziuilij profligatos, Lithuania ejicit. Interea uerò cum graue ac diuturnum bellū inter Regem Daniæ, sociosq; Lubecenses, contra Ericum Schwediæ Regem exortum esset, atq; hunc id moliri cognouisset, ut toto mari Balthico occupato, & latronibus atq; piratis infestato, mare ipsum suæ potestatis faceret, Polonicasq; ditiones oppugnaret, ipse, quo conatus Erici infringeret, ueteremq; maris & cōmerciorū libertatem & securitatē tueretur, societatem cum Principibus Prusiæ, Pomeraniæ, & Megapoliæ; dictisq; confœderatis in it. Eaq; durante, Christophorum Ducem Megalopolensem electum Coadiutorem Rigensis Archiepiscopatus, quod in suspicionem uenisset, quasi cum hostibus Regni Poloniæ consilia agitasset, cœpit, eumq; Vuildę clementer exceptum, per aliquot annos in custodia habuit. His rebus ita gestis publico consensu Lithuaniam, cæterasq; regiones Poloniæ coniunxit, ac tandem inducijs cum Moschouita factis, ut exitiale bellum Schwedicum inter sororium Ioannem Schweciæ & Daniæ reges adhuc durans, æquis conditionibus componeretur, unà cum alijs regibus ac principibus intercessit. De alijs eius priuatis uirtutibus à nobis hic plura commemorari necesse non esse, id alijs facturis quibus eæ notiores sunt quàm nobis. Beneuolentia uerò, qua illustrissimam familiam Brandeburgicam ob agnitionem amplexus est, ad omnem posteritatem prædicanda est. Siquidem ut liberationem Vuilhelmi Archiepiscopi Rigensis taceamus, & fratrem eius Albertum

primum Prussiæ Ducem ab Imperatore proscriptũ clementissime protexit, & protectum adamauit ac coluit: filij præterea adolescentis Alberti Friderici patre defuncto, tutelã clementer suscepit, utq; propensionem erga cognatam familiam Brandenburgicam ad omnem posteritatem declararet, eam totam, casu quo proximiores absq; liberis atq; legitimis hæredibus decederent, successionis Borussiaci ducatus capacem esse uoluit. Decessit nullo ex tribus uxoribus hærede relicto, ultimus Regum Polonicorum ex stirpe Iagellonea Lithuanica, quæ ab anno 1386. in hunc usq; diem quo Sigismundum mortuum diximus, magna cum laude res Polonicas rexit: Iagello siquidem, siue Iagula magnus Lithuaniæ Dux, qui cum matrimonio Heduuigis, demortui Ludouici Regis Vngarorum & Polonorum filiæ, regnoq;, fide Christiana recepta Vladislaus secũdus est dictus, quasi qui gloria potens futurus esset, decrepita admodum ætate, ex quarta uxore Sophia Russa Kiouiensium Ducis filia, duobus filijs, Vladislao tertio, & Casimiro, susceptis, post mortem regnum ad Vladislaum filium transmisit, eum, qui Vngarorum quoq; regno suscepto, & profligatis cum gloriæ aliquot Turcarum exercitibus, cùm prius ad Macedoniæ, deinde ad Thraciæ fines magis animosiore quàm ualidiore exercitu penetrasset, apud Varnam inter confortissimos hostes dimicans, certam propemodum uictoriam cum uita pariter amisit. Post hunc autem sine liberis decedentem, cum Polonis undecim, Vngaris quinque annis præfuisset, Casimirus natu minor frater regnum suscepit, qui Elizabetha filia Alberti Romanorum, Vngariæ & Bohemiæ Regis, & Archiducis Austriç, & Ladislai Vngarorum & Bohemorum Regis, sorore in Regni sociam ascita, ex illa filios sex, & filias septem sustulit. Ex his Vladislaum natu maximum uiuens Bohemis, Casimirum ac deinde Ioannem Albertum Vngaris Reges dedit: Sed utroq; hoc dissentione partium deserto Vngariam quoq; cum Bohemia Vladislaus obtinuit. Ex quo & Anna Galla, filia domini de Candalla Vasconis nati. Ludouicus filius, qui bimulus uiuente patre coronatus, cùm ei exacta ætate mortuo in utroq; Regno successisset iuuenis admodum Turcico bello, anno 1526. apud Mohatium miserabiliter perijt & Anna filia, quæ nupta Ferdinando Cæsari cum quindecim liberis beauit: filijs quatuor, Maximiliano, Ferdinando, Ioanne & Carolo: filiabus undecim, Elizabetha, Anna, Maria, Magdalena, Catharina, Leonora, Margareta, Barbara, Vrsula, Helena, Iohanna, de suprà memoratis uerò duobus filijs Casimiri Regis. Casimirus quidem iuuenis castissimus & religiosissimus, in Lithuania immaturam mortem obijt, non sine celebri sanctimoniæ fama. Ioannes Albertus post patrem octo & amplius, deinde huc secutus Alexander quinq; annos regnarũt: ille quidem maximi animi, sed ante susceptum regnum, quàm regnans fœlicior. Hic à Moschis apud Vedrusios uictus eosdem apud Opascam, Tartaras uerò Tauricos apud Clescum paucis ante mortem diebus, insignibus prælijs profligauit. Post hos natus est Sigismundus, Sigismundi de quo loquimur pater. Hunc secutus Fridericus sacris initiatus, Archiepiscopus Gnesnensis, simulq; Episcopus Cracouiensis, & Romanæ Ecclesiæ Diaconus Cardinalis S. Luciæ in septem Solijs. Porrò filiarũ Casimiri duæ immaturè mortuæ, Hedwigis Georgio Duci Bauarorum, Sophia Friderico Marchioni Brandenburgensi, Anna Bugislao Pomeranorum, Barbara Georgio Saxonum, Elizabetha uerò (patre mortuo) Friderico Legnicensium & Bregensium ducibus matrimonio iunctæ fuere. Cæterùm Ioanni Alberto, & Alexandro fratribus sine sobole decedentibus in Regno Poloniæ successis Sigismundus amborum frater, bellis cum potentissimis Moschis, ferocissimis Tartaris, acerrimis Valachis, & fortissimis Germanis, fœliciter gestis clarissimus, qui initiò in matrimonium ducta Barbara Stephani Comitis Scepusiensis, ac Transyluaniensium Palatini filia, fœmina sanctissima & pientissima, ex ea filiam Hedwigiam suscepit, fœminam lectissimam iunctam matrimonio Ioachimo Marchioni Brandenburgensi, Electori Romani Imperij. Deinde uerò ea defuncta ex altera Bona Sphortia, Ioannis Galeatij Sphortiæ Mediolanensium Ducis, & Isabellæ Arragoniæ filia maximam natu filiam Isabellam Ioanni Regi Vngarorum affini iam prius suo nuptui tradidit: reliquarũ uerò trium, post mortem Sophia nupsit Henrico Iuniori Duci Brunsuicensi, Catharina Ioanni Duci Finlandiæ, iam Schwedorum Regi potentissimo, Anna adhuc uirgo dignas suo genere nuptias expectat. Ad extremum filius Sigismundus Augustus, cùm eo quo diximus modo regnasset, sine liberis decedens, obitu suo non tantum exteris compluribus, Regni uacantis ambiendi occasionem præbuit, sed & inter Regni proceres diuersa studia, grauesq; contentiones excitauit, quibusdam hunc, alijs alterum Regem eligi postulantibus.

IOAN-

IOANNIS LASICII HISTORIA DE INGRESSV POLONORVM IN VALACHIAM, CVM BOGDANO VOIVODA, (CVI SVCCESSIT Iuonia) & cæde Turcarum; ducibus Mielezkio & Sieniavvskio: AN. M. D. LXXII

ILLVSTRIBVS ET MAGNIFICIS VIRIS, DN. NICOLAO MIELECZKI, VOIVODAE PODOLIAE, Grodensi, & Nicol. Sieniauuski, Striensi præfecto, atq; copiarum regni in Rusia primario ductori,

IOANNES LASICIVS S.

NISI nos certa merces laborum, Christianorum causa susceptorum, in cœlis maneret: nihil uobis, illustres uiri, cæterisq; isthic pacis publicæ conseruatoribus, foret infœlicius. Tanta sunt uestra in Rempub. Christianam merita, me latet an iam remunerata. Hæc uerò est illa maxima charitas, de qua sic inquit noster Seruator: Maiorem hac charitatem nemo habet, quàm si animam suam ponat pro amicis suis: hoc illud quod Sirachus faciendum suadet, ne fratris & amici causa pecuniæ parcamus, hoc quod Paulus scribit: Charitas non quærit quæ sua sunt: & omnia sustinet. Quæ, quanta sint, quis non uidet? Testiscei huius est, inter alia, hæc quam ad uos mitto, Valachica historia: nam quid uos aliud in Valachia, tanto cum discrimine uitæ, nec absque impensis, & domesticis rebus postpositis, anno 1572. egistis, quàm ut Bogdano, gentis nostrę amantissimo, in illam reducto, tutum ab illa parte à Turcis regnum Polonicum, firmissimum Germaniæ murum, redderetis? quo beneficio quod aliud maius a uobis in Rempub. proficisci potuit? Itaq; ne dubitate, ueniet aliquando illud tempus, cùm, ut omnium Christo fidentium uirtutes, ita uestra quoq; hæc de populo Dei merita, magnis præmijs afficientur. Nec ego ualde miror, optatis, conatibusque uestris fortunam non respondisse; cùm nemo sit hominum, cui semper secunda sint omnia. In magnis (ait Poëta) & uoluisse sat est. Satis uos patriæ, satis amico dedistis afflicto. Si Deo, mundi, quem creauit, admirando rectori, secus uisum: quid dolemus? uoluntati illius quis resistet? is ut dat, ita aufert, reges, regna mutat, excitat & immittit hostes, non tamen absq; causa: sed propter impunita scelera, idololatriam, superstitionem, pauperum oppressionem, iniurias, fraudes, furta, cædes, luxus, libidines, ebrietates. Ductus est in captiuitatem populus meus, ait uates Esaias, propterea quòd non fuerit præditus scientia: tympanum, tibia & uinum in conniuijs illorum: opus autem Dei non respiciunt. Neq; uerò uos tunc solùm præclaram patriæ operam nauastis: magna semper ab illo tempore, ex quo uos in Rusia diuina constituit prouidentia, utriusq; uestrum, maiorumq; uestrorum, in repellenda ui barbarorum, uigilantia, industria, fortitudo enituit: si modò alij conatus adiuuissent uestros, uel si plura perficere per iram diuinam licuisset. Vtinam autem nostri, tam crebris Scytharum incursionibus exciti, qui mihi nihil nisi prodromi Turcarum esse uidentur, de locis, quà illis accessus ad nos patet, muniendis tandem aliquando cogitarent. Vidisti tu, sapientissime Mieleci, in tua illa cum Comite Tarnouio & Stanislao Latalscio peregrinatione, uidisti inquam iuuenis, ut Itali Turcis, Hispani Mauris, Galli Anglis, Dani Suecis, Zelandi & Holandi quibusuis, cùm bellum est, nauibus ad se aditum prohibeant: ut ijs in locis, quibus commodus est ad eos accessus, arces, præsidiaq; habeant: collapsa instaurent, dies & noctes excubent. Cuius rei documenta si nunc hac tua & ætate, & authoritate ad tuum Nestrum atq; Neprum, quà ferus Scytha incurrit, ederes: certè hoc inter tot tuos, quos in arcendis hostibus susceptis labores, præcipuum, idemque immortale opus esset futurum. Ni uerò id, hoste iam nobis propinquo, & incuria nostra nimiùm audaci facto, maturè feceritis, quis mirabitur sequutam possessionis direptionem: quæ, proh dolor, iam magna est, ubi nulla sæpes fuit? Cui ducendæ non dubito quin post tot calamitates, & Turcarum in Valachiam ingressum, manus sitis celeriter admoturi.

Opto uobis Gedeonis fortitudinem, Samsonis uires, Dauidis fœlicitatem.

Barcini, Kal. Octobr. 1577.

IOANNIS LASICII HISTORIA DE INGRESSV POLONORVM IN VALACHIAM, CVM BOGDANO VOIVODA, (CVI SVCCESSIT Iuonia) & cæde Turcarum: ducibus Mielezkio & Sieniavvskio: AN. M. D. LXXII

VARIA esse gentis cuiusuis, ut uirtutes, ita uitia, nemo est qui ignoret. Valachorum sane ea est leuitas animi, & perfidia, ut maior esse nequeat. Ii paucis antè annis, ne superiora commemorem, Alexandro principe suo eiecto, quendam Iacobũ Despotẽ, qui Rostochij mathemata docebat, nostris quibusdam suo cum dispendio cum adiuuantibus, receperunt: quo occiso, rursus Alexandrum, postea Bogdanum admiserunt. Hoc fastidito, Iuoniæ se subiecerunt, isto Turcis prodito, ad Petrum defecerunt, quem quis diutius his regnaturum credat? Ita illud à Salomone uerè dictum, ut omnia, propter improbitatem terræ, multos principes eius esse. Quamobrem haud mirum est, proposuisse id in cõcilio Lucensi, anno Christi 1429. Sigismundum Hungarorum, Romanorumq; regem, (ut testis est lib. 4. Chronicorum Polonicorum noster Miechouiensis) ut gens Valachica, unà cum suis Voiuodis exterminaretur: quod nemini fida foret, furto ac præda uiueret, sed Vuladislaum regem Poloniæ, Vitoudo duce Lithuaniæ, fratre suo, præsente, respondisse: non esse æquum ut Valachi, regni Poloniæ subiecti, exterminarentur: quorum si aliqui furto uiuerent: id tamen non posse de omnibus dici. Licet autem hoc tum discordia regũ nõ fuerit factũ: at nostra ætate, magnis eos cladibus affligi: tandẽ etiam diuino permissu, Turcarum iugo subijci uidimus. Sic enim propheta Amosus, Dei nomine: Ecce, inquit, oculi Domini Iehouæ in regnum quod peccauit: disperdamq; illud è terra. Sic & apud Ieremiam Deus ait: Ego feci terram, & dedi eam illi cui mihi uisum est: dedi omnes has terras Nebuchadnesaro Babylonio seruo meo. Quis igitur miretur tot gentes, quarum fides lubrica, iam in prouerbium abierat, in Turcicam deuenisse potestatem? nam quid Deo magis exosum, bilingui, perfido, fraudulento? Sed nos iam historiam aggrediamur, Paprocium sequuti.

Valachi, qui olim Getæ & Daci, pòst ab colonia Italorum, quos Vulochos uocamus, Valachi cognominati, gens misti seminis, ideoq; ingenij uarij & inquieti: concepto odio contra Bogdanum, suum Voiuodam, (uox ea lingua nostra exercitus ducem significat) quòd Polonorum magna consuetudine sua in aula uteretur, his plurimum fidei haberet, horum beneuolentiam liberalitate demereretur, uni illorum sororem suam nuptum dedisset, ipse quoq; uxorem genere Polonam ducturus esset: clàm ineunt consilium de alio in locum illius sublegendo. Erat tum apud Imperatorem Turcarum Iuonia, (sic illi Ioannem appellant) filius Stephani, Voiuodæ illorum, è concubina prognatus: qui anno salutiferi partus 1561. regè Sigismundo Augusto comitia Lublini agente, Ioannis Fierlei, Voiuodæ Lublinensis, Marsalciq; regni Poloniæ, senatoris grauissimi, minister fuit. Is Valachis uisus est ad suscipiendum imperium satis idoneus. Ad hunc ergo de nouo principatu scribunt: quæ & quanta à Bogdano & Polonis perferant mala, significant: si citò cum aliqua Turcarum manu ueniret, proditurος se ei obuiam pollicentur: Polonosque unà cum Bogdano, & Petro fratre ipsius, uinctos uiuos in potestatem eius tradituros. Iuonia iamdudum cupidine dominandi flagrans, accepto tali nuntio, protinus colligit Cæsaris sui permissu, circiter uiginti millia Turcarum, Græcorum & Serborum. Porrò Bogdanus, factus de his consilijs à quodam Valacho certior, simulq; monitus ut profectus in Poloniam ad amicos, mature pararet auxilia, quibus se ab iniuria tueretur, uitaret insidias: illo ipso quo hæc accepit die, (qui fuit Dominicus præcedens bacchanalia anni 1572.) Valachia excedit: ubi primum Polonis, suis familiaribus, perfidiam, insidiasq; subiectorum suorũ aperit. Egresso è Valachia Bogdano, ingressus in eam est Ioannes, ipsius æmulus, magnis Turcarũ copijs stipatus: cui obuiã primares profecti, Gabriel Logofet, Dinga dux exercitus, Craczonus eremita, Visternicus rasus, Lupulus Stroiz, ceteriq; proditores: salutatumq; reuerenter, Iasum, ubi sedes Voiuodarũ est, deducunt. Tum uero cognouère periuri Valachi, quàm leuia fuerint priora incõmoda illis, quę à Turcis patiebantur: nam nostri milites nihil aliud quàm pabulum in usum equorũ, ex agris, horreisq; incolarum auferebant: at Turcæ, præter id, uxores quoq; illorũ, uirgines, pueros cõstuprabant:

parentes,

parentes, propinquos flagitia prohibentes pulsabant: omniaque alia arbitratu suo agebant adeo licenter, ut illos tum pluribus incommodis unus Turca affecerit, quàm antea fugienti Poloni: nec dissimilis eorum conditio Iuonia imperante, illi Israelitarum, Abimelecho rerum potiente, fuerat: quæ sors communis est ijs omnibus, qui excusso dominatu à Deo accepto, alium sibi pro sua libidine nefariè accersunt. Nam & ipse Iuonia, uel ob leuissimum delictum, pœnam capitis insontes statuebat, uiuos excoriabat, palis infigebat, oculis priuabat, (quæ pœna apud Valachos familiaris est) naso & auribus præcisis deformes homines reddebat: breuiter, si quis illo inuito seu racemum suæ uineæ, seu quidpiam aliud, ex quo census penditur, uendidisset: hunc ille aut occidebat, aut hamo per nates illius traducto, manibusque post tergum colligatis, tortoribus, uel, si illi non essent, Nigritis (quos Ziganos uocant) per plateas immisericorditer flagellandum obijciebat: & (quod immanius est) cæsorum cadauera, insepulta esse in foro sinebat, ut canes esu illorum saturarentur, homines aspectu obedientiores redderentur. Hac tali feritate, tantum sui metum, amoremque (si modò in metu esse potest amor) plebi incussit, ut illum posteà non modò honorarint, horruerintque, uerùm etiam fortiter pro eo depugnauerint. Tale in illis locis, & ad Septentrionem, uulgi hominum ingenium est, ut castigatum, promptius quàm sua sponte officium faciat. Est in Russia nobilissimæ prosapiæ Casparus Paniewskius, præfecti Zidaczouiensis forma conspicua filius: huic Bogdanus suam sororem, matre id uolente, bona cum dote locauit. Ipse etiam Bogdanus, Ioannis Tarlonis, signiferi Leopoliensis, pudoris, pulchritudinisque eximiæ filiam, ducturus in matrimonium erat: cui filiæ, matrique eius, uiro mortuo, rex Augustus tutores dedit Senatores illustres, Georgium Iasloniecium Russiæ, Nicolaum Mielecium Podoliæ Voiuodas: qui puellam sponso, non secus quàm si regia sua foret, tradituri erant. Ad hos ergo Bogdanus ubi uenit, opem illorum contra infidos Valachos implorat: suum honorem tuendum ut suscipiant, omnibus precibus rogat: idem petit & à militibus, finium regni custodibus. Hi itaque omnes, rei indignitate commoti, & illud Sirachi consilium sequuti: Iniuriam (inquit) patientem eripe è manu iniuriam inferentis: neque uindicando animum paruum habeas: & eritis tanquam filij altissimi: quod & Dauid, Salomon, Ieremias, homines diuini, faciendum censuerunt: operas illi suas, ad uindicandum ius amissum obtulêre: miserat & ad Augustum regem certos homines qui idem abs eo flagitarent: sed fœdus cum Turcis antiquum, auxilia ferre non siuit: tamen quod præstare potuit, fecit: misso ad Turcam nobili legationibus uiro, Andrea Taranowskio, Bogdano ut reconciliaretur, si modò offensus ab illo esset, utque electum in patrium principatum restitueret, orauit. Egresso è Valachia absque omni operæpretio legato, confestim Bogdanus cum bis mille fere, uoluntarijs militibus è nobilitate conflatis, in patriam irrumpit: quos traducto Nestro flumine, uoluntate omnium, Nicolao Mielecio propter prudentiam & rei bellicæ scientiam, inter omnes summos ducendos, regendosque committit. Is sibi laboris socium & adiutorem adiungit Nicolaum Sieniawskium, Palatini Russiæ filium, Striensem præfectum, non minus quàm ipse, rei militaris scientia clarum: cui, breui pòst, omnis oræ illius militiæ cura à rege commissa est. Horum ductu ingressi in Valachiam, rei frumentariæ paulò licentius studere cœperunt: qua re cognita, Mielecius furcam medijs in castris erigit, pœna capitis raptoribus statuta: quod non ad hostes, sed ad suos uenissent, quibus dominum restituere conarentur expulsum. Habitus est ibidem delectus militum, septingenti, bello gerendo parum idonei, domum reuerti iussi, mille trecenti relicti: pauci numero, sed animi, corporisque uiribus præstantes. Postero die iter ingressi per syluam faginam (quæ quondam ab incolis callide succisa, nostris perniciosa fuit) ad Prutum amnem peruenêre: unde misso Pilawskio centurione cum Bogdani famulis, ut Chocimo tormenta bellica adueherent: ad Stepanowczum (qui locus ad eundem fluuium est) processêre: ubi facti de uicinis hostibus certiores: uisum imperatoribus est, quò ad illos suis cum centurijs proficiscerentur insignis fortitudinis audaciæque uiri, Stanislaus Lanczcoronskius Scalensis, Michaël Iaslouiecius Chmielnicensis, præfecti: Nicolaus Herburtus, Stanislaus Volskius, Crusielniczkius, Temrucus Pietichorensis cum suis, & triginta Croatis. Hos Valachi conspicati, quorum ductor Dambroua, Pruto celeriter traiecto, terga dedêre: ibant ergo nostri secundum unam ripam, hostes ex aduerso secundum alteram: eius animi, ut sex millia uirorum quadringentos Polonos non fuerint adoriri ausi. Nostri, nulla rememorabili patrata, in castra reuersi, iterum rursus ad excubias agendas iussi sunt: profecti, incidunt in Turcicos & Valachicos excubitores: qui multis in locis ignes excitarant, ut hac ratione, quamuis mille capita non superarent, plures esse uiderentur. His nostri cœlo iam albente uisis, etsi impares, tamen se tenere non potuerunt, quin sublato clamore in illos irruerent: ac Turcæ armis prociniùs correptis, côclamant & ipsi: Volscianosque atque Croatas, qui eos inuaserant

Anno 1494.

uaserant priores, abs se propellunt: sed posteaquam Herburtus, Lanczcoronskius, Iasloniecius, Crusielnizkius cum tympanis excessere, illico pedibus salutē quæsierunt: nostris fugientes, ueluti pecora cædētibus, uigintiquatuor uiui capti: nostri omnes salui. Croatæ solum unius, cui effrænatus equus erat, Turca fugiens, caput acinace abstulit. Hic cum quidam Temrukianus Scytha, Volskij cohortem repulsam esse ab hoste uidisset, inscijs omnibus, ad imperatorem cum nuncio cæsorū Polonorum aduolat: cui præmij loco, catenæ iniectę, quòd uano rumore animos militū frangeret. Subiecti quęstionibus captiui, in proximo esse magnas suorū copias confessi sunt. Quapropter centuriones, suos quisque protinus instruunt ac ordinant: imperatorem de uictoria, & hoste ultra montem abdito, edocent, maioraque auxilia rogant. Voiuoda, interrogato iuuene an nobili genere ortus esset: eoque id aiente, Lescinium que dici, & Herburti famulum esse, respondet: Ergo (inquit) ea quæ refers, uera sunt: nam nihil magis nobili, quàm ut semper uera & cōperta dicat, curæ est: accipe, ingenue adolescens, hoc læti nuntij præmium, quo seruus Scytha minimè dignus fuit. Lescinio muneribus affecto, & suorū animis recreatis, præmissisque ad illos qui opē implorabant, Ioanne Iordano & Cosielskio: ipse item eos Voiuoda cū reliqua manu sequitur: ubi conuenerunt, primùm Deo, authori salutis omnium, cædis uerò hostiū: pòst ipsis etiam, pro opera primo aggressu bene nauata, gratias egit. Interim Pilawskius cū tormentis uenit: quæ Iacobi Iordani fidei tradita sunt. Progressi omnes ad Iasum, animaduertunt, magna Turcarum, Valachorumque agmina tumulos Stepanowcios insedisse: adhæc, Valachos conspectis nostris, acies suas ostentare. Hic Mielecius, quid hostes auderent, periclitaturus: Herburtum, Iaslouiczkium, Temrucum, eos ad præludium pugnæ elicere iubet. Verùm ij, animaduersis insidijs, (posuerat enim dux in occulto Czeremissios præstantes iaculatores) prodire in aciem noluère. Mielecius quoque, consideratis hostium uiribus, nec ignarus aliud resistendi, aliud cedendi tempus esse: regredi potiùs quàm temerè cum paucis in Valachiam progredi, consilium capit: quare iubet per speciem quæri uada Pruthi, quasi Iasum iter flexurus, cùm (opinor) reditus Chocimum uersus esset in animo: cur enim infinitis hostibus exiguum suorum numerum, nulla habens certa auxilia, opponeret? Dies Iouis prima à Paschate fuit, cùm conuersi Chocimum, sequētes se propè magnis agminibus habuerunt hostes. Quorum audaciam minimè ferendam esse Voiuoda existimans, monet Herburtū, Lanczcoronskium, & aliquot alios, ut illos suis à ceruicibus reijcerent: quod hi propter loci iniquitatē, & quia sol ad occasum uergebat, facere tum detrectarunt, operam suam loco æquiore, temporeque magis opportuno ipsi polliciti. Proin nostri procedebant ulteriùs, hoste in cassum è decliui loco tela tormentis in eos iaciente, donec inter Pruth & alium fluuiolū peruenerunt. Nocte sub armis uigilanter transacta, cernunt prima luce hostes id unum conari, quò ipsos circumuenirent, et in angustias redigerent. Sed Herburtus sua cum centuria, quæ semper extremum agmen claudebat, multitudinem hostium falcatam aggressus, in aquas compellit. Quibus actis effudit se quidam è suorū grege Turca hastatus, more militari aliquem è nostris ad monomachiam prouocās. Vix hæc effatus, aduolat à latere cum uenabulo Stanislaus Vistempus, exigui quidē corporis, sed (ut tales sunt) pectoris impauidi: quo uenabulo Turcam uno ictu trāsuerberat. Accurrūt Turcæ subsidio prouocatori animā agenti: nostri item Vistempo triumphanti. Fit mediocre certamen: in quo Zebro, Polonus centuriæ Lanczcoronskianæ, occubuit. Turcæ tali uiro amisso, ibant quieti die illo, qui Veneris fuit: illis ideo sacer, uel quòd Mahometes creatus ab illis hoc ipso die rex foret: uel quia, ut à Christianis superstitione diuersi sunt, ita etiam aliud colendi Dei tempus, aliumque modum habēt. Nos enim ad orientem solem, patriæ orientalis, è qua Adam eiectus est, memores: illi, ad meridiem conuersi, Deum hoc die adorant. Postera luce, nostros Chocimum tendentes magna phalanx Turcarum insequuta est: ubi rursum alius Stanislaum Ciolcū, armis, habituque, qui luteus erat, inter cęteros fulgentem, ad singularem pugnam euocat. His auditis, currit ad Voiuodam Ciolcus, ac ut ipsum in sui honorem, tāto cum uiro hasta certare permittat, etiā atque etiam orat, obsecrat. Cui is: Ego uerò (inquit) non sinam ut quisquam uestrum, qui diuitiores habemini, tali barbarico certamine, periculo se exponat. E re magis uestra futurum, si iunctis animis, dextrisque hostem, ubi necesse erit, aggrediamini. Dolenter hæc Ciolcus tulit. Hoste in prouocatione perstante, & lingua Slauonica, ueste, pennisque nitentem prouocante, obsecrat prouocatus, ut, si hoc sibi non liceret, saltem quispiam suorum famulorum cum barbaro in arenam descenderet: ne impunè Christianis insultare uideretur. Data facultate, statim contra illum cum hasta proruit Paulus Chauzowskius: nec id segniùs Turca fecit: sed uterque cursu irrito. Tum Paulus, manu promptus iuuenis, districtum subitò ensem fronti hostis infigit: adhæc uulneratum, ferrum hærens extrahentem, brachijs corripit. Visa longiuscula luctatione, decurrunt ad commilitonem Stanislaus

Vista,

Visga, & Stanislaus Niegoczkius: hic, Batworowskij, ille Herburti minister. Turca manibus Pauli elapsus, recipit se ad suos: qui subitò, læthali cognito uulnere, complures adorti illos tres, egregiè se à ui magna defendentes, undiq; petunt. Laborantib. subueniunt suis cum turmis Herburtus & Volskius: fit cædes magno strepitu, sospitat Christus prælium Christianis, barbari in fugã uertuntur: quos ij cædentes acriter persequuntur. Exclamant imperatores, fine persequendi facto, pedem referrent, & ad signa redirent: clamitãt & centuriones, inhibentq; frustra: adeò iam animi uictorum incaluerãt, ut reuocari ab incepto non potuerint. Quod cernentes alij centuriones, non multis in castris relictis, pugnantibus animos suo aduentu addidêre. Tum uerò omnes simul multo feruentius hosti numeroso instare, cæsim punctim ferire, donec illos ad ipsa statiua Valachica compulerũt. Prouecti calore pugnandi ultra tubicines & tympanotribas, animaduertunt se nimiũ procul à suis abscessisse: quapropter coacti in unũ, ad eos redeunt. Res mira, nec alij q̃ Deo, suorũ pilos numeratos habenti, adscribenda, quòd eousq; pugnando progressi, nec circumdati ab hostibus essent, nec in cõflictu acerrimo plures unico, qui fuit Volskij, ceciderint. Reuersos palàm obiurgabat imperator Mielecius, tacitè laudabat fortitudinem: q; preter suum iussum, rem summi periculi pauci tentassent. Nos uerò, respondent, collegę tui permissu id fecimus: quidni enim, Deo conatus secundante nostros, hostẽ fugientem persequeremur? Loco quodam cœnoso superato, qui haud procul Chocimo aberat, Turcę nostros ea cum uociferatione assequuntur, ut uiuos deuoraturi uiderentur. Stanislai uerò Czureli centuria maximè petebatur: ad quos conuertente se Czurelo, procurrit cum malleo acuto Mielecij minister Radeczkius, bellandi cum Turcis gnarus: quem capiti unius ubi impegisset, eximere non quiuit: hũc imitatus Czurelo, cum centũ suis equitibus, tantum hostium numerũ aggressus est, ut nostri inter illos dispersi, non iam apparerent: at imperator extemplo mandauit Ossowskio, ut cum suorum equitũ manu perturbatis succurreret. Cæterûm Turcæ, uisis pluribus nostrûm ad se, tanquã irritatis feris, currentibus e uestigio retrocesserunt: ut enim Scythas, ita etiam Turcas, fortitudo statim deficit ubi quis illis uiriliter resistit, imbellem si uideant, magno cum impetu inuadunt. Sex tantùm è Czurelianis desiderati: at uerò Turcę atq; Valachi concisi, contritiq; passim iacebãt. Tendentibus nostris Nestrum uersus, Turcæ suo incursu nouissimos pene attingebãt. Molestè id ferebat respectans animosus Herburtus: nihil tamen iniussu sui ducis tentare ausus. Triginta Czeremissij ab tergo constituti, glandibus tormentorum incursantes repellebant. Fuit ibidem quidã palustris locus, nostris transeundus: ad quem hostes celeriter cõcurrerunt, aditu eos prohibituri: uerũ iussu uicarij imperatoris, exonerata contra illos à Stephano Garnisio, Herburti sub centurione, 12. minora tormenta, unũ maius ab ipsomet Ciolco, cõturbatos ultra montem reiecerunt. Exantlatis tot aduersis, tandẽ ad Chocimensem arcem, concubia nocte uenerunt: quam arcem Dobrossolouius Polonus, paruo pręsidio tẽnebat, & fide bona (cuius gens nostra natura seruãs est) Bogdano tamdiu seruabat: ubi Turcæ nostros, iã securiores, & ordinis negligentes, facilè oppressissent, ni Temrucus centurio, tamdiu illos sustinuisset, dum singuli suis sub signis consisterent. Godzissowskius prior è centuria Goraiskij hostes sensit, deinde alij: q; celeriter à Sienawskio ordinati, productis ante aciem tormentis, hostem oppertebantur: nec res, tametsi copijs nostri multo forent inferiores, certamini moram fecit. Vetuerat aũt Mielecius, ne quid ipse Bogdanus attentaret: sed contentus ijs quæ alij pro eo subirent, in castris, ubi erant præstantiores, maneret. Ibi prima contentio inter nostrum exiguum peditatũ, & Valachos de sepe quadam orta. Dehinc Turcę nostros inuadere, premereq;. Rogante Ciemerinskio auxilia, Temrukus & Herburtus, à Sieniawskio ferre iussi, respondent, minimè cõmitti debere uelites loricatos, uenabulis utentes, cum Turcis hastatis & scutatis (nam facilè ab illis dispergerentur) sed hastatos cum hastatis, ut sit pugna ęquior: se uerò pręsto fore, ut hostẽ alia ex parte inuadant. Tali excusatione usis successit Sieniawskij mandatu, Iacobus Iordanus: cuius centuria hastata ex imberbibus constabat, sed quib. erant animi Herculei, in hac quatuor fratres ipsius germani fuêre. Hi omnes, diuina ope implorata, eo impetu in hostem incurrunt, ut nullius hasta ab aduersario aberrauerit: pugnantibus subueniunt à latere Herburtus & Sigismundus Rozenus: sed protinus resilierunt saucij Turcę: quos hi uerberando, usq; ad ipsorum castra uarijs tramitibus fugarunt. Callidè aũt, dum fugerẽt, arma, pileos, cæteraq; impedimenta abijciebant, dummodo se insequentes ad ea colligenda pertraherent: sed quia de uita & gloria certamen fuit, spreta hęc omnia à uictore. Porrò Garnissus, ubi illos plus satis excurrisse uidit, alta inclamauit uoce, ut seruato ordine retrocederent. Fecit hoc unum Lanczcoronskio Herburtus: redigunt paucos in ordinem à cæde retractos, & reducunt: Iordanianis nihilominus, uarijs in sylua locis, hostem dispalatum persequentibus. Inest enim nostris quidam pugnandi ardor, ut cessare nesciant antè quàm uel

uincantur

uincantur uel uincant: ferrum nihil ducunt, modò ad illum qui ferit, perueniant, & cædendo cupiditatem expleant suam. Postquàm Turcæ nostros longè digressos, & omnibus destitutos auxilijs uident: deintegro circiter sexcenti integri, quadraginta defessos aggrediuntur, & magno concursu multi paucos premunt: opportunè autem tūc ad illos forte fortuna delati fuère, Rozenus & Io. Radeczkius, generosi pugnatores. Tum Herburtus paucis socios cohortatur, ne ipsorum animi multitudine hostium labescerent: quos, Deo freti, non secus quàm prius disiecturi forent, modò honesti & famæ memores, quæ bona fortes sequitur, dimicarent uiriliter. Quibus dictis, seq; sequi iussis, incitat equum in hostes appropinquantes. Inuadunt in eos, etiā reliqui. Instauratur acris pugna, si quæ unquam alia. Qua crudescēte, auulsum ab alijs Herburtum permulti impetunt. Et ipse quidem singulari fato patriæ seruatus est: uerùm socij eius quatuor, Dobruczkius, Golinskius, Vodziraczkius, Conarskius, interempti sunt. Vagabatur aliquandiu inter hostes Herburtus, pro Valacho ab illis propter uestem habitus: ita oculi illorum diuinitus obcæcati erant, ut, cuius conspectum toties fugissent, eum nequaquam agnoscerent. Sic ne in bello quidem, diuina homines probos destituit prouidentia. Verùm enimuerò ne illinc quoq; sine damno dato discederet nactus opportunum tempus & locum cōmodum, uni è Turcis graue infligit uulnus, seq; subitò fugæ mandat: fossam quandam mirè latam & profundam equo adacto transilit. Tollitur clamor Turcicè: Gaur, gaur, uur, uur. Valachicè autem: Ocide, ocide, hoc est, Occide Ethnicum. Ad quæ uerba prosiliunt duo Turcæ: quorum unus à dextro latere ipsum ita sarissa petit, ut ex ephippio penè iam excuteret: alter, ab sinistro, momento eodem, (admirandam Dei prouidentiam) conatus transuerberare, in equum subleuat. Accepto tali beneficio, equo addit calcar. Fugienti, capite humeris q; gladio protectis, obuius fit Slesinskius, armiger Lanczkoronskij: hunc agnitū, sibi ut opituletur, si quid posset, orat. Facit hoc non impigrè armiger. Sed Turcæ, uiso præsenti auxilio, destitere cursu. Auxiliator benignè remuneratus, & magnā apud omnes, quòd tantum uirum seruasset, inijt gratiam. Famuli mœsti, uiso reduce hero, maiorē in modum refocillati sunt, perijsse illum iam opinati. In tam impari pugna, præter hos quos commemoraui, haud plures uel octo, uel decem interiêre, qui erant Lanczkoronskij & Ioannis Iordani: quos inter nobilior fuit Stanislaus Gosdzikouuskius, Iordani collega, quo cum sui famuli occumbere, quam illo deserto, uitæ suæ fuga consulere maluerunt. Vulnerati non pauci. Cæteri ictus hostium incurrentium armis auertentes, incolumes ad castra reuenère. Venientes Cosielskius centurio, Turcas esse opinatus, hastis excipere uoluit, ni sermo Polonos esse prodidisset. Non desière Turcæ in Cosielskianam centuriam, quę primam aciem tuebatur, impressionem facere, donec eos Iacobus Iordanus, tormentis & peditatui præfectus, abegit. Fuit autem unus ex illis, præ cæteris audacior, magni (ut uidebatur) inter suos nominis: nam, quocunq; iter intendebat, semper illum turmatim cæteri sequebantur, is identidem nostros ad pugnam lacessebat, nimium gestientem Mlodeczkius, Kosielskij socius, globo petit tormentario: labētemq; ex equo hisce uerbis alloquitur: Itáne uerò hîc iam iaces bacchanal? Fuit enim pennis struthiocameli, & exuuijs leopardinis, instar personæ, cùm Bacchi festum agitur, perbellè ornatus: hunc asseclæ correptum ad suos cursim deferunt. Post hæc Mielecius, rebus hostium bene consideratis, monitusq; à Pencoslauuskio, Iac. Iordani uicario, castra illinc aliò mouit, ab hostibus ita infestata, ut cassidem Gabrielis Rembloskij, assidui sectatoris Mielecij, glans ferrea attigerit. Tum autem Cosielskius, & mandatu ducis, & successu hortante priore, castra adortus hostilia, complures in eis interfecit: insuper tormenta aliquot parua, & signum militare rubrum, illis eripuit: tam audaci incursu hostes haud mediocriter perturbati: frequentissimi paucis cedebant, quibus eo modo repulsis, castra locata sunt ad Chocimum. Primarij in arcem ingressi: cæteri, stationes suas foris seruabant. Hinc Bogdanus ad Iuoniam mittit Radeczkium, nobilē Mielecij famulum, orās cum ne sibi patrium dominatum, in quem ius haberet nullum, ui eriperet: alioquin non futurum diuturnum, iniquè acquisitum imperium, cogitaret, nihil esse grauius quàm de statu pristinæ dignitatis, propter uim alicuius, demigrare. Ideo expectaret ab alio paria ijs quę faceret alteri. Deum enim hac ratione solere ulcisci omnem iniuriam. Auxit rem eam uerbis pluribus. Quibus minimè motus Iuonia, legatum custodiæ Pyriczausi tradit: dehinc, cùm nulla alia ratione quenquam è Polonis nancisci uiuum potuerit, iure gentium uiolato, Selymo imperatori, domino suo, mittit. Perductum ad Mehmet Bassam, ait Pyrus captum in prælio esse: negat id Radeczkius, sed tamen non fit ideo liber. Fuerunt tunc temporis Constantinopoli nobiles Poloni, Andreas Taranouuskius, & Christophorus Dzierkius: hic interpres, ille nuncius regius. Ii nonnihil tentauère, ne quid grauius in insontem Radeczkium statueretur: uerùm Bassa, postquàm de strage suæ gentis hominum in Valachia, intellexit, nō solum tulit hoc

acerbissimè,

acerbiſsimè, ſed etiam captiuum, more aliorum remigũ, toto corpore raſum, ad triremes damnauit: multa hi tũ aduerſa à Turcis experti. Non prætereundũ hîc eſſe uidetur huius Dzierſcij, dum Conſtantinopoli diſceret ſermonem Turcicum, ſingulare in gentẽ Polonam ſtudium: multos enim captiuos, uarijs artibus, dura ſeruitute liberauit: ſæpè hoſtium de nobis cõſilia, præſertim interregni tẽpore, Senatui aperuit: pericula hoc nomine adijt: impenſis non pepercit. Huius opera Mielecius (cuius is munificentiã erga ſe maximè ſenſit) uſus apud Baſſam primarium eſt, in liberando Radeczkio: qui Baſſa, cùm & ex alijs Czauſsis, (aulicos illi, qui huc atq; illuc cum mandatis mittuntur, ſic uocant) & ex Petro Bogdani fratre, qui pòſt ibidem deceſsit è uiuis, cognouiſſet, Radeczkium non in prælio, ſed legatione ad Iuoniam fungentem, captũ fuiſſe: diu perquiſitum (iam enim triremes in pelago erant) reddi Dzierſkio iuſsit: uerùm (ut iſti mali ſolent) clàm ei porrecto ueneno: quod ipſi mortẽ attuliſſet, ni ibidẽ liberator, dato maturè remedio, ſuccurriſſet. Liberatus, redijt, pòſt in patriam cum Martino Broniewſkio, ad petendas inducias, dum in locũ demortui Auguſti, alius rex ſubſtitutus eſſet, miſſo. Mielecius, uidens indies copias augeri Iuonianas, ſuas uerò magis ac magis inedia confici, (nam dies aliquot equis noſtrum, nullum aliud pabulũ ꝙ frondes & frutices erant) adhæc memor illius oraculi, Dei uoluntate dari populis, abrogariq; reges: quamobrem, ne cum Deo pugnare uideretur, neûe quos induxit, perderet, de reditu in patriam cogitare cœpit. Interim Iaslouiecius, copiarũ regni Poloniæ ductor, cognito Valachiæ turbulento ſtatu, iamiam erat Neſtrũ traiecturus cum equitatu octingentorum ferè uirorum, ni id prudens Mielecius diſſuaſiſſet: opinor, ne magis irritatis barbaris, ſuos in diſcrimẽ adduceret. Ne uerò nihil ageret, mittit quoſdã è ſuis ad præfectum Bialogrodenſem, qui hæc illi dicerent. Hi (inquit) Poloni, quos Bogdanus, neq; rege, neq; me ſciente, dominatũ recuperaturus auitum, è Polonia eduxit, amici mei ſunt: quibus Cæſaris tui uolũtas à Bogdano alienata, & in Iuoniã propenſa, minimè nota fuit. At uerò, ubi ita ſe rem habere, ex Cæſarianis quotidie creſcentib. copijs perceperunt: reuerti illò unde exierant, uoluerunt, ſed à tuis impediti ſunt: quare, ſi lubet, ita tuos cõpeſce, ne quod noſtris abijciatur impedimentum. Quod ni feceris, neceſſe me erit cũ his paucis, quibuſcum ad terminos regni noſtri & tui Cæſaris ueni, breui plures habiturus, meos amicos ab omni iniuria tueri atq; uindicare. Quod ſi factũ erit, uereor ne te cõſilij tui pœniteat. Præfectus (Sendziacũ illi uocant) ſimulatq; hæc audiuit, continuò Turcas atq; Valachos à ripa Neſtri abſcedere iuſsit. Traijcientibus noſtris anguſtis nauigijs quinq; diebus flumen, multi equi ex eis præcipitati, ui fluminis abrepti ac ſuffocati ſunt. Non diſceſſerant uerò à ripa omnes Valachi: qui extremũ agmen carpere conati, & à peditatu in tergo collocato cum tormentis, & ex ipſa arce Chocimenſi, iaculis repreſsi fuère. Noſtri, traducto Neſtro, Deo in primis, deinde ductorib. ſuis gratias egêre: hi contrà illis, quòd obedientes, quòd fortes in prælijs ſe præbuiſſent. Vulgò creditũ, Mielecium ſuis uitam à Deo deprecatum eſſe: non rarò enim pernox ſupplicare Deo uiſus. Quamobrem magnã hinc ille laudem ſuo cũ collega tulit. Ibant autem omnes ſeruato ordine uſq; ad Cameneciam arcẽ, diuina manu munitã. Vbi Bogdanus, indignè patrimonio ſpoliatus, actis omnibus gratijs, qui ſe ipſius cauſa innumeris periculis expoſuerãt, cuius quidem eorũ beneuolentiæ, quoad uiueret, qualicunq; fortuna, memor eſſe uellet: diuerſum ab illis iter cũ aliquot Polonis ſuſcepit. Porrò relictus in arce Chocimenſi Dobroſſolouius, cum ſeptuaginta iaculãdi peritis peditibus, fortiſsimè illã à ui Turcica aliquot hebdomadas, factis interdum eruptionibus, defendit. Hunc Iuonia, cùm nec precibus, nec minis eò adducere poſſet ut arce excederet: ſcribit ad Iaslouiecium litteras, quibus illam tradi ſibi petit: ſe tale iuſiurandum daturũ ſuis cum proceribus promittens, quale rex Auguſtus dari mandaret: (nondũ enim mors ipſius diuulgata erat) annuit Iaslouiecius, quòd hæc mãdata abs rege accepiſſet. Igitur in hæc uerba iurat: Nos (inquit) Iohan Voiuoda, terrarum Moldauiæ & Valachiæ dominus, atq; hæres: iuro per Deum omnipotentẽ, ac ritu feudali promitto, nos ſucceſſoresq; noſtros, unà cum ſenatu & ſubditis noſtris, fideles, conſtantes, obedientes fore sereniſs. Poloniæ regi Sigiſmundo Auguſto, ſucceſſoribus, ſenatoribusq; eius, ac ipſi reipublicæ. Idem Senatus iurauit. Fuerunt aũt iſti præcipui: Iſaias epiſcopus Radziouienſis, Ioannes, Goloſelt Moldauiæ, Bogdanus. Poſt hæc Dobroſſolouius, ab imperatore Iaſlouiecio uerbis regijs iuſſus, cum milite ex arce deſcendit. His ita tranſactis, Turcæ, Valachi, Scythæ, numero circiter centũ millia uirûm, accepto de obitu regis Auguſt nuncio, (erat aũt ſeptimus Iulij dies, quo uita functus eſt Sigiſmundus Auguſtus) intenti in Ruſſiam, non priùs à Neſtro ſecedere uoluerunt, quàm ea de re Cæſarem conſuluiſſent, & precibus Iuoniæ à propoſito reuocati eſſent. Parci fœderatis Cæſar Selymus iuſsit: niſi fortè talem ſibi ipſi cõſtituerent regem, qui ipſius hoſtis eſſet. (quo in numero & Moſchum & familiam Auſtriacam habebat) Lectus rex Henricus, Dux Andium, Henrici .regis Gal-

 lorum

lorum filius: ubi regnum largitione quæsitum, & 4. solùm menses administratum, patrio postposuisset: hos eosdē Scythas discessu suo, anno Christi 1574. in Rusiã, mense Octobre attraxit: quo anno Iuonia, inique parti dominatus: Valachi, perfidiæ pœnas dederũt.

LEONHARDI GORECII, EQVITIS POLONI, DESCRIPTIO BELLI IVONIAE, VOIVODAE VALACHIAE, QVOD ANNO M. D. LXXIIII. cum Selymo II. Turcarum Imperatore gessit.

ILLVSTRI AC MAGNIFICO VIRO, DN. ANDREAE, COMITI GORCANO, CASTELLANO MIEDIRECENSI, Capitaneo Gnesnensi, Valcensiq́; Leonhardus Gorecius, Eques Polonus, & se, & officia sua commendat, patrono ac mœcenati clementiss.

ATTVLIT mihi, magnifice Comes, Crassouius, puer fratris Rochi, à te ex castris literas: quibus mihi & gratias agis pro oratione ad te missa, quã Gedanenses ad deponenda arma, contra principem suum insolenter susceptã, hortatus sum: & ad maiora scribenda me excitas, eaq́; in parte operam mihi tuam polliceris. Agnosco, illustris Comes, præstantem ac eximiam uoluntatem tuam, ad iuuandos uiros doctos promptam & alacrem: qui personã patris tui, olim in Repub. nostra florentissimi, & opibus, authoritate, acumine, iudicio facilè principis, non solùm nomine, sed re ipsa repræsentas. Quare, ut me gratũ esse tuæ huius beneuolentiæ declarem: hanc meam historiam Valachicam, in qua scribenda Barthol. Paprocium sequutus sum, ad te mitto: quam non dubito quin sis eodem animo quo tibi offertur, accepturus: mihiq́; commentaria rerum gestarũ, non solùm de hoc Gedanensi bello, sed & quæcunq́; de rebus maiorum nostrorum habes, suppeditaturus. Quibus ego habitis, & istud Gedanense bellum absoluã, & historiam meam ad hæc tempora in quibus uersamur, pertraham: ubi se mihi præclarus locus mentionem honorificam Stephani, regis nostri potentiss. faciendi offeret: qui mihi & omni conformatione membrorum, & magnitudine rerum gestarũ, illos priscos Reges Poloniæ, Boleslaos & Casimiros, repræsentare uidetur, qui non solum Prussos cum urbe Gedanensi, sed & uicinas gentes perdomuerunt. Singulare certè beneficium diuinũ in nos Polonos extitit, quòd post occasum Sigismundi Augusti, talem regem habeamus, qualem hoc regnum hac in perturbatione rerũ omnium, poscebat flagitabatq́;. Cuius quæ & quantæ uirtutes sint, initium regni demonstrauit, exitus pòst declaraturus est: qui de se uiuentibus materiã præclaram scribendi relinquet, & apud Deum immortalem æternum præmium consequetur. Quid enim hac in uita prodest alios laudare, eos ad summa sidera euehere, si diuinum iudicium non accesserit? Sed ego regem Stephanum utrunq́; habiturum & spero & confido: quē & consensus totius populi laudabit, (quod iam nunc faciunt principum Germaniæ ad eum missi legati) & præclaris eximijsq́; uirtutibus suis, habita in Christum fide, æternam immortalitatē consequetur. Cæterùm Christiani monarchæ cogitent quàm longè lateq́; uirus acerbitatis suæ Mahometes propagarit ob hæc intestina eorum dissidia: quæ utinam inter eos cõquiescant, omnesq́; simul iunctis armis, eadem huic teterrimo hosti nominis Christiani inferant: quibus ut Deus successus det, ex animo precor. Sed iam lege, si placet, hanc historiam, ex qua & cognosces nõ tam ualidas esse Turcarum uires, ut consensu Christianorum ac concordia debellari non possint: & præclaras uirtutes Polonicorum equitum recognosces, quorum opera Iuonia usus Turcas ad internecionē persequutus est: à quibus minimè degenerasse tui quoq́; tunc uisi, cùm pauci cum multis ad Dantiscum 12. Augusti dimicarent, Sdrouusciusq́; tuus insignem quendam Hessum cepisset, ex quo permulta rebellium contra regem suum cõsilia cognita sunt: ad uerò id 17. Aprilis maximè apparuit, cùm duo millia nostrûm, Hungarorumq́;, duodecim Gedanensium millia ita profligarunt, ut quater mille & quingenti hostes in acie ceciderint, mille uiui capti fuerint, è nostris solùm duodesexaginta cæsis: quam historiam Lasicius noster, ut uerè, ita breuiter, historico stylo descripsit. Vale, illustris Comes, Gorecij tui memor. E' Saniki, 15. Octob. anno 1577.

CASPAR LINDENERVS, MEDICVS ET *philosophus Posnaniensis.*

Historiam uitæ ueteres dixêre magistram:
  Historiæ quando multa docemur ope.
Tam bene quis Romam, doctas quis nosset Athenas,
  Liuius æternum ni fabricasset opus?
Non multi legerent Valachûm, uel gesta Polonûm,
  Nobile Gorecij si latuisset opus.
Hinc potes effectus bellorum, & discere causas,
  Et quàm Turcarum sit malè tuta fides.

LEON-

LEONHARDI GORECII, EQVITIS POLONI, DESCRIPTIO BELLI IVONIAE, PALATINI VALACHIAE, QVOD IS CVM SELYMO TVRcarum imperatore, magno cum successu gessit ab initio, demum à Ieremia Czarnauuiecz io Valacho proditus, & à Turcis contra fidem datam ac sacramento confirmatam occisus.

BELLVM scripturus, quod ab initio magno cum successu Iuonia regulus Valachiæ cum Selymo Turcarum Cæsare gessit, operæpretium me facturum puto, ut de situ Valachiæ, incrementis gentis, feracitate soli, moribus, & de alijs ad eam rem pertinentibus, ex secunda decade historiæ gentis nostræ Polonicæ, quam uiginti libris, usque ad exitum Sigismundi primi, regis Poloniæ, persecuti sumus, dicam. Valachia, quæ olim Mysia & Dacia dicta fuit, habet ab ortu Euxinum, à meridie Istrum, seu Danubium: ab occasu Transyluaniæ, ad Boream Russiæ, seu Roxolanis, conterminа. Tota regio in partes duas diuiditur, in Valachiam Transalpinam, ac Moldauiam. Transalpina quidem, ab oriente habet piscosum lacum, quem Hirassus amnis, ab accolis Pruthes uocatus, efficit, suis denique aquis adauctum, ac latè stagnantē relinquens, in Istrum euoluitur: ad meridiem uergit terminata Danubio, atque item ab occasu Transyluaniæ fines attingens, ad oppidum Seuerinum, ubi Traiani pontis admirabiles pilæ triginta quatuor, nequaquam totas obruente Danubio, uisuntur. Ad Septentrionem autem finitur Hoina, ignobili flumine, & directis terrestribus terminis ad Istrum, curuata admodum regionis fronte contra Paucem insulā, spargente sese primò in ingentes ramos profluente Istro, antiquis scriptoribus notam, quam hodie Barillanam dicunt. Oritur autem Danubius in iugis Arbonæ montis Germaniæ, ex aduerso Rotwilæ oppidi Sueuiæ, in Nigra sylua apud pagum Doneschingen. Vbi primùm Illyricum alluit, Ister appellatus, sexaginta amnibus receptis, medio ferme numero eorum nauigabili, in Pontum uastis sex fluminibus, euoluitur. Altera pars Valachiæ, agrorum & pastionū multitudine maior, armentisque & militaribus equis opulentior, ab amne Moldaua, qui mediam intersecat, Moldauia dicitur. Is ortum habet paulò infra Hirassi fontes è Transyluaniæ montibus, quibus antiqua Dacia ad ingentis theatri similitudinē, obuersa in occasum scena præcingitur, delapsusque Soczauiam, quod oppidum est sedes Palatinorum, præterfluit. Atque inde uiolentus Hoinam, Dobensam, Argiamque, paruos, sed perennes amnes secum trahens in Oltam effunditur. Olta uerò, qui antiquitus Allutus fuit, non Transyluaniæ modò, cuius partem ab aduersis montibus descendens rigat, sed Moldauiæ & Transalpinæ minora flumina, in orientē reflexus, ad Nicopolim in Danubium rapit. Omnium uerò amplissimus Tyaras, qui ab incolis uocatur Nester, ad Aquilonem Moldauiam terminat. Ortus enim à Carpatho monte Sarmatiæ, & rectà in Euxinum contendens, Russiæ & Podoliæ fines tandem attingit. Qui primi loca Valachiæ tenebant, nihil potest certi ex tanta uetustate scriptorū erui, quam uariæ gentes, ut Vngariam, obtinebant. Hodiernę gentis Valachicæ originem quidam referunt ad Flaccum præsidem Romanū, à quo nomine leniter deflexo, & ipsa Valachia nuncupata esse uidetur. Ab eo enim tempore quo Flaccus cum imperio Mysiæ siue Daciæ præfuit, quæ ultra Istrum ad Scythicam gentem extenditur, Flacciam appellari constat: quam demum corrupta uoce, sensim in Valachiam abijsse perspicimus. Apud Valachos enim nō modò Romanæ disciplinæ mores certi, legesque uigent: sed ipsa quoque Latinæ linguæ uocabula permulta seruantur. Vnde Vulochorum & Valachorum nomen idem quidā esse uolūt, quos Vulochos, id est, Italos, etiam Germani lingua sua Vuelschen uocant, utraque gens Itala: ideo cōmune nomen. Qua ratione autem eam regionem Flaccus occupauit, Aeneas Syluius, qui pòst Rom. pontifex fuit, sic tradit. Tempore Traiani imperatoris, Daci, seu Gothi, detrectantes Romani iugum imperii, missus est eò Flaccus cum triginta millibus hominum, quibus in coloniam deductis, ibidem ararent, commeatum Romano exercitui, qui ibidem semper in armis contra Scythas ac Sarmatas fuit, præberent. Vnde pòst interiecto tēporis pulsis Gothis, illa tota regio, quæ Valachia à Flacco est appellata, Romanis cessit: cuius sententiæ haud pœnitet me esse. Sed diuersum alios scripsisse inde mus, qui Syluium, in laudem suorum propensum, falsa tradidisse affirmāt. Pòst quem qui

Situs Valachiæ.

Danubij descriptio.

Hodierni Valachi ad quam stirpem suam referunt.

Flaccus qua ratione Valachiam occupat.

ſcripſère hiſtoriam, eadem quidem de gentis origine, ſed diuerſa ratione ſcribunt, qui ho-
Aliorũ de Valachiæ incolis ſententia.
diernorum Valachorum ſtirpem ad Romanos quidem referunt, ſed ad exules, qui eò relegati erant. Quorum cùm tantus numerus fuiſſet, ut non tantùm contra incolas potentes fuerint, ſed & Gothis inde eiectis, fidelem operam popularibus ſuis nauandam rati; ponte Danubio impoſito, eadem loca obtinuère: qui in partes duas diuiſi, uti à nobis dictum eſt, Valachos Tranſalpinos, ac Moldauos: utraque pars regulos ſuos habuit. Nam Tranſalpina Valachia, quæ à Turcis Carabogdana minor, eò quòd nigrum frumentum ferat, uocatur, præcipuam ciuitatem Tarnouizam habet: quæ eſt regia regulorum Tranſalpinæ Valachiæ, qui continuò parendi obſequio, Turcarum amicitiam tuentur, aureumq; nummum myriadem, tributi nomine quotannis pendent: eaq; uel indecora pace perfruuntur, quòd impune fidem mutare nequeant, cùm in oppoſita Danubij ripa, Seruiæ, Bulgariæq; præſidia in antiquis Triballorum ſedibus ſpectentur. Illa quoque pars
Moldauia quando à Turcis occupata.
Valachiæ, quam Neſter à Podolia diſiungit, à Turcis duce Mahomete Cæſare, qui Conſtantinopolim: olim Byzantium dictam, ceperat, ſubacta, eiſdem tributum pendebat: ſed ſuperiori anno, Iuonia à Turcis per fraudem capto, ac crudeliter occiſo, utraque Valachia Turcarum ditionis facta eſt. Modicum tum ab initio tributum Turcicis imperatoribus Palatini Moldauiæ pendebant: eò quòd Caſimirus, pater Sigiſmundi primi regis Poloniæ, occupatus bello Cruciferio, Petrum iuuare contra Mahometem non potuit: cui Mahometes nomine tributi, ſolùm duo millia nummûm aureùm, anno à Chriſti regis ortu, ſupra milleſimum quadringenteſimum quinquageſimoquinto, impoſuit. Demum in-
Valachia Vngaris, Polonisq; ſubiecta.
teriecto tempore, Imperatoribus Turcicis Aſiatico, Perſico, Iſmaëlitico, Aegyptiaco bello diſtentis, Valachi partim imperio Vngarico, partim Polonico ſubiecti fuère. Qui poſt in tantas uires creuère, ut noſtris exercitibus aliquoties deletis, Vngarorum iugo excuſſo, demum ad imperium Turcarum pertracti ſint. Iurabant & in uerba regum Poloniæ, ſe cum eis pacem habituros: quibus ſemper uectigales fuère. Ac ſi maior uigilantia demortui Auguſti regis fuiſſet, etiamnum Valachia uectigalis Polonorum eſſet: cuius oppido Chocimo Albertus Laſcius, uir conſilio, manuq; promptus, aliquandiu obtento, regem Auguſtum obteſtabatur ut ſibi daret auxilia: nam ſe Valachiam totam facilè eius adiecturum imperio: per eumq; Iacobus Deſpotes, perq; Laſſocium, Philippouium, ac cæ-
Laſcius Deſpotam in Valachiam reſtituit.
teros (qui genus ſuum ad antiquos regulos Valachiæ eodem nomine appellatos referebat) ſuperioribus annis in Valachiam reſtitutus fuit. Eiectoq; Alexandro, tanti motus bellorum in Valachia excitati fuère, ut à Valachis Deſpota crudeliter occiſo, ac Viſniewiecio inſigni bellatore capto, & in Turcicam miſſo, (de quo ibidem ſupplicium ſumptum eſt) Laſcius Chocimum nonnullo temporis ſpatio retentum, poſt Alexandro reſtituere coactus fuerit. Alexandro filius Bogdanus ſucceſsit, Bogdano Iuonia, (Ioannem ea uox ſignificat) de quo hîc hiſtoriam ſcribendam ſumpſimus. Is armis Turcicis adiutus, exerci-
Reguli Valachiæ inſignes.
tu Bogdani profligato, aliquandiu Valachis præfuit. Habuit Valachia inſignes ac bello egregios ante hæc tempora regulos: in primis uerò illum Stephanum, qui ſæpiſsimè tot exercitibus Moſchorum & Scytharum deletis, ex eis præclariſsimas uictorias reportauit, omnibusq; terrori ac formidini fuit, præcipuè autem Turcis, quorum numeroſos exerci-
Dracula.
tus profligauit, ad internecionemq; dedit: deinde Draculam, quem ut Matthias rex Vngarorum in officio retineret, pro amiſſo Moncaſtro ad Turcas Czizouiam & Cechillum oppida, dono ei dedit. Ea ſunt in extrema Tranſyluaniæ parte, qua per ſaltum Mol-
Pe[illegible]r.
dauiæ iungitur. Quibus uirtute bellica ille Petrus haud inferior fuit, uiolento indomitoque ingenio præditus, ob idq; Selymo Turcarum imperatori minus charus: ex quo Sigiſmundus memorabilem uictoriam, authore Ioanne Tarnouio, uiro omnibus Impera-
Mores Valachorum.
toriis uirtutibus inſtructo, ad Obertinum reportauit. Mores, religio, ſacra Valachorum, ad Græcas, Armeniacaſque eccleſias accedunt: apud quos ſacerdotes uxores ducunt. Gens equitatu pollet. Nam quiuis, uel egentiſsimus, domi equum alit, quo prædatur ac militat. Scuto, haſta, galea, quemadmodum Vngari uti ſolent: nonnunquam lancea miſſili atque arcubus rem gerunt. Equi eorum pectoroſi, robuſtiq;, non pernicitate quidem in curſu, ſed perſeuerantia & uiribus maximè probantur. Proinde mos eſt, tenellis, cùm caſtrantur, nares præſcindere, ne anguſta reſpiratione fatigentur, quando nec mediocris
Perfidia Valachorum.
equi laus ſit triduo, uel per æſtiuos ſoles, bellicæ agitationis laborem pertuliſſe. Tanta perfidia gentis eſt, inconſtantiaq; in regulos ſuos, ut iacta in eoſdem conſpiratione, leui de cauſa eos interimant, nullaq; claritudinis & ſtirpis ratione habita, pecuarios, uel ſordidiſsimos quoſque in locum regulorum aſciſcant. Regio adeò ferax, tantaq; multitudo boum in illa eſt, ut & in Ruſsiam, poſt in Germaniam quoque, ij adducantur, qui inter alios maximi ſunt. Habet copiam uini & hordei, nec tritici indiga. Malmaticum uinum ex Turcia, & id genus alia in Poloniam Armenij per Valachiam aduehunt: piper item,

crocumq;

crocum, pretiosa aromata, peristromata, quæ sunt instrumenta luxuriæ. Atq; hæc obiter de Valachia: nos ad institutam historiam reuertamur. Bogdanus igitur, Valachia post mortem Alexandri obtenta, adeò Turcarum imperium aspernari uisus est, ut cum Augusto rege Poloniæ, anno millesimo, quingentesimo, septuagesimo secundo, mortuo, fœdere perpetuo percusso, legatis missis impetrauerit, ut sibi ex Valachia in Russiam, quando uellet, commeare, domos magnatum uetustæ stirpis inuisere liceret, ut cuius uirgo sibi pudore, formaque præstans placeret, eam uxorem duceret, ac ut ex fœdere belli tempore Augusto regi uiginti quatuor millia equorum armis, uirisq; instructa mitteret. Omnium de eo uulgatior fama fuit, cum bona sibi in Russia emere uoluisse, ac Valachica gente perfidissima, si quis ita casus tulisset, uel si à suis pelleretur, relicta, in Russia mansurum fuisse. Augustus Turcicam fidem suspectum habens, (quorum Turcarum si non instinctu, at saltem conniuente Selymano, patre Selymi, Scythæ, gens bello inuicta, illam partem Russiæ quæ Nestrum attingit, sæpè ingenti clade belli affecerunt, oppida, uillas, uicos exusserunt, maximam multitudinem pecorum, pariter cū hominibus, abduxerunt) ut Bogdano in fide retento, si quando bellum contra Turcas suscipiendum foret, habita Valachia fœderata, (quæ inter ditionem regum Poloniæ, ac Turcicum imperium, tanquam firmissimus murus, propugnaculumq; quoddam, est interposita) omnem barbarorum impetum faciliùs sustinere posset: adhæc, non ignorans, maiores suos sæpè cum Valachis religiosissimè fœdus conseruasse, quibus sæpè periculosissimis ac difficillimis temporibus contra uim Turcarum auxilio fuere: id facilè Bogdano cōcedit. Bogdanus igitur, hac tali amicitia tanti regis fretus, sæpiùs in Russiam uenit, summorum domos obit, eos muneribus explet. Quæ cùm ad aures Selymi Turcarū imperatoris, qui iā Selymano patri in imperio successerat, perlata fuissent: in primis uerò illa re offensus, quòd tantum equitatum Augusto ex fœdere in subsidium belli dare debuit: tacitis consilijs agitat, ut abdicato imperio Valachiæ Bogdano, illud ad quempiam alium deferret, cogitans, si quādo sibi cum Polonis, gente ad arma nata, belligerandum foret, eis Bogdani arma, ac totius Valachiæ, maximo adiumento fore. Iamq; Bogdanus ingenti inuidia apud suos populares flagrabat, eò quòd non solùm totum se ad amicitiam Polonorum contulerat, sed eisdem militari stipendio constituto, eos apud se liberaliter fouebat, Sborouioque Christophoro, fratri Petri, Palatini Cracouiensis, sororem se suam in matrimonium daturum pollicetur, quoniam ante Casparo Panieuio Russo alteram dederat. Sborouius ea ex re lætus, quoniam ingens æs alienum contraxerat, ut ex eodem sese euolueret, ad Bogdanum magno comitatu, pulcherrimo habitu exornato, in Valachiam uenit: à quo pòst elusus, uindictam animo spirans, re infecta in Russiam, ubi amplas possessiones habebat, redit: ac si quando occasio daretur, ut Bogdanum ulcisci posset, animo intentus erat. Bogdanus igitur adornata profectione in Russiam ad Ioannem Tarlonem, cuius filiam, uirginem specie ac pudicitia insignem, in matrimoniam ducere statuit, transmisso Nestro in cisijs, quoniam tum glacie obduratus erat, uno atque altero ministro comitatus, longeq; à suorum agmine seiunctus, in Sborouij puerum, quem ille cum literis peregrè miserat, incidit: qui à Bogdano cuius esset percunctatus, dolenter lamentatur se literas cum sarcinula amisisse, quas herus suus sibi perferendas commiserit. Quare subditis equo calcaribus, ad herum redit: ubi Bogdanum nullo comitatu septum uiderit, narrat. Ibi Sborouius cum aliquot ministris, conscensis pernicibus equis, ad Bogdanum aduolat: cui à Secigniouio, nō impigro iuuene, secundum aurem uulnus infligitur: dehinc eum Sborouius secum abducit, & in custodiam dat: nec aliter dimittere uult, quàm sibi satisfaciat pro impensis & damnis, quæ subierat cùm ab ipso in Valachiam uenire iussus esset. Bogdanus tam inopinato periculo circumuentus, sex millia nummûm aureûm Sborouio dat: reliquam pecuniam se ad certum tempus dissoluturum, pollicetur: pro quo Panieuius fidem interponit. Constat id factum Sborouij Augustum regem iniquo animo tulisse. Valachi igitur, siue fidem Bogdani suspectam habentes, siue eum in Polonia interijsse rati, Selymum sollicitabant ut ipsis alium, in locum Bogdani, daret. Erat Iuonia (quem quidam Polonum fuisse, in Masouia natum, dicunt) stirpis Valachicæ, qui se antiquis prognatum regulis Valachiæ aiebat, uir proceræ staturæ, facie decora, oculis gracilibus, quodammodoq; minacibus, toto corpore lacertosus, uiribus pollens. Is igitur post mortem Alexandri, uiuo adhuc Selymano, Palatinus Valachiæ fieri uoluit: cui ille Bogdanum, filium Alexandri, prætulit. Aliquandiu post hæc in Russia ac Turcia unà cum Ieremia Czarnieuieczio Valacho, cuius in eum hoc in bello insignis perfidia extitit, uersatus: ut sibi animos Turcarum magis atque magis conciliaret, suscepta circumcisione ac religione Mahometana, animum ad amplam, copiosamq; mercaturam exercendam adiecit. Cuius magnitudine ac splendore, non solùm in purpuratorum, qui Bassæ (id est capita) uocantur, notitiam

Inchoat historiam.

Consilium Selymi de abdicando imperio Valachiæ Bogdano.

Aduentus Sborouij in Valachiam.

Aduentus Bogdani in Russiam.

Bogdanus se Sborouio redemit.

Origo Iuoniæ stirpis.

Iuonia sollicitat purpuratos. peruenit; sed & ipsius Selymi. Is igitur ex purpuratis cognito consilio Selymi de imperio Valachiæ alteri demandando, eos largitionibus corrumpit, oratq; authoritatem suam apud Selymum ita interponant, ut ipsum Voiuodam Valachiæ renunciet. Ostendit fidem Bogdani esse suspectam, qui se totum ad amicitiam regis Poloniæ contulerit: fieri posse ut Polonorum auxilio adiutus, pòst Turcarum imperium excutiat, abijciatq;. Selymus, propensa purpuratorum uolũtate cognita, nactus absentiam Bogdani, qui in Rusſia degens ex uulneribus nondum conualuerat, Palatinatum (id est, dominatum) Valachiæ ad Iuoniam defert, eumq; per speciem mercaturæ exercendę, in Valachiam, addito ei numeroso equitatu, ut omnes in uerba ipsius, iussu Selymi, iurent, mittit. *Selymus Valachiam ad Iuoniam defert.* Dicitur ea de re Augustus rex cum Selymo expostulasse. At ille respondit, Iuoniam in Valachiam causa mercaturæ exercendæ profectum esse. Iuonia in Valachiam ueniens, facilè ab omnibus iuramentum accipit. Est arx in Valachia Chocimum, natura loci munita, quam firmo præsidio Bogdanus firmauerat: hanc præsidiarij milites Turcis dedere nolunt, sed eam contra uim ipsorum strenuè defendunt. Bogdanus de rebus domesticis turbulentis certior factus, ut se contra uim Turcarum tueretur, ac defenderet, auxilium sibi ex fœdere ab Augusto dari postulat: cui quatuor millia equorum, plus minus, dantur, ductore Nicolao Mieliecio, Palatino Podoliæ uigilantisſimo, sapientisſimoq;, ut ipsum in Valachiam reduceret: sed incassum. *Augustus iuuat Bogdanũ.* Nam adeò uires Turcarum in Valachia inualuerant, ut ille totus exercitus cum Bogdano in Valachiam missus, collocato Chocimi Bogdano, in Rusſiam incolumis regressus sit, non tamen sine cæde Turcarum: qua in expeditione, pręclara uirtus cùm aliorum, tum uerò Nicolai Herburti, nobilis ac egregij uiri, belloq; clari, enituit: qui undique ab equitatu Turcico septus, eorum acie perfracta, multis occisis, ad suos nullo lethifero uulnere accepto, saluus redijt. Bogdanus uerò, aliquandiu Chocimæ moratus, eam arcem, quàm firmisſimo præsidio potest, munit: qua Dobrosolouio, stirpis Polonicæ uiro egregio, commissa, ipsemet in Moscouiam fugit, illicq; degere dicitur. At Dobrosolouius, nonnullo temporis spatio Chocimensi arce retenta, eam pòst Iuoniæ tradere, ita iubente Iaslouiecio, magistro equitum campestri, cùm id Augustum uelle (cuius tum mors nondum diuulgata erat) dictaret, coactus fuit. *Iuoniæ Chocimum traditur.* Iam Iuonia omni turbulento statu Valachiæ composito, eum pacatè obtinebat, tributum solitum Selymo pendens: ex his quoque supplicium, quos sibi aduersari uidet, sumit: præsertim ex propinquis Bogdani, summo loco ortos, opibusq; florentes, crudeliter contrucidat, fortunæ suæ impendentis immemor, paulò insolentiùs uictoriam exercet. Erat Palatinus Tansalpinæ Valachiæ, quem non mediocriter fortuna Petri fratris sollicitabat. *Consilium Palatini Valachiæ Transalpinæ.* Quare de eo anxius, Selymi purpuratos in regia prensabat, ut, quemadmodum Bogdanum Iuonia, fultus auxilio Selymi, ex Valachia eiecerat: sic Petrus adiutus auxilio eiusdem, posset Iuoniam ejicere. Quare eadem uia purpuratos, qua olim Iuonia, aggreditur: & si Palatinatum Valachiæ apud Selymum fratri Petro impetret, se duplo maius tributum, hoc est, centum uiginti millia nummûm aureûm, daturum pollicetur. Iuoniæ fidem esse suspectam, qui religione Mahometana spreta, iterum Christianam susceperit, ideoq; Christianis apprimè faueat: foreq; breui ut Bogdanum secutus, pòst ad amicitiam Polonorum se conferat, quorum auxilio adiutus, Turcicum imperium abijciat. *Purpurati assentiuntur Selymo.* Purpurati, magnitudine tributi pellecti, ac hisce uerbis moti, Selymo suadent, ut missa legatione ad Iuoniam, ipsummet ad se uenire iubeat, illicq; quem eò mitteret, Valachia cedere. Quòd si dicto ipsius minùs pareat, id se armis consecuturum. Selymus, qui ingenti cupiditate pecuniæ flagrabat, pòst profusum ærarium in classem quæ in Ionio mari à Venetis, pòst captam ab ipso Cyprum, in alto depressa fuit, ad id se facilè pertrahi patitur. *1571.* Quare legatum ad Iuoniam mittit: quem sic uerba fecisse, quæ dies erat uigesima prima Februarij, cùm Henrico Gallo à nostris Cracouiæ diadema imponeretur, accepimus: *Oratio legati Selymi ad Iuoniam.* Selymus Turcarum Cæsar, Iuonia, Palatinæ Valachiæ, me ad te tributarium suum, cum hisce mandatis, quibus te quàm primùm, nulla mora interposita, satisfacere uult, mittit, ut sibi tributum, non quale olim, sed duplo maius, nimirum centum uiginti millium nummûm aureûm, mittas. Ni feceris, est alius qui idem se tributum ipsi sua cum posteritate daturum pollicetur. Sed Selymus, memor constantiæ, uirtutis, fidei tuæ, non uult tibi in imperio Valachiæ molestus, si id tributum quamprimum mittes, esse. Quòd si id detrectas, cede alteri, ac è uestigio simul mecum ipsemet, ad dicendam causam, Constantinopolim proficiscere. Si tibi id molestum est facere, Selymus me tibi denuntiare iussit, se cum firmisſimo equitatu, alium ad occupandam Valachiam missurum: cuius uoluntati si tu aduersaberis, te ad extrema quæque adducet: tibiq; non solùm de regno, sed de uita periclitandum erit. Hæc legati uerba in animum Iuoniæ, altiùs quàm quisquam existimare potuit, ascenderunt. *Perturbatio Ioannis.* Quare dissimulata animi ægritudine, legatum suos in hospitium deducere iubet: rem esse maioris

ioris deliberationis, quàm ut eadem die legato posset responderi: ac, cùm ad totum Senatum pertineat, eum se extemplò conuocaturum dicit, ac ea de re, tam ardua & difficili, consulturum, quidquè omnes animi habeant, se ei statim dicturum. Deducto legato in hospitium, omnia postulata Selymi animo pensat: gentem uniuersam Turcicam esse perfidissimam, quæ Christianis regibus fidem iuramento confirmatam (quamuis ipsemet Christiana fide abiurata, nescio quo pacto iterum Christianus fuerit) non seruet, sed capta occasione eos in fraudem inductos falla, decipiatq;. Si id tributum, tam amplum, in tanta inopia regni, quod ciuilibus belli exhaustum sit, concedat, eo Selymum minimè contentum fore, sed illud insequenti anno aucturum esse, taleq; demum exacturum, quale cum uniuersa gente non possit dissoluere: nec se iam tutum fore, exorto alio qui hæc imperata sit facturus. Quare uniuerso Senatu ad se conuocato, in hunc modum ad eum uerba fecit: Si unquam de re ardua ac difficili uobis consulendum, deliberandumq; fuit, hoc certè tempore est. Nam Selymus incredibili auaritia æstuans, nescio cuius instinctu, non contentus eo tributo quod ei pendere soliti sumus, duplo maius à nobis extorquet. Si concesseritis, mea nihil refert: utpote cùm non mihi, domino, sed uobis, liberisquè uestris pendendum sit. Quòd si id negamus, extemplò uim, bellum, direptionem oppidorum, incendia, rapinas denuntiat. In hac igitur inopia regni nostri, quod est uniuersum ciuilibus bellis exhaustum, quomodo ei illud dissoluere poterimus? Proinde quid omnes animi habeatis, exponite. Ego quidem illud animo prouideo, si tam amplum ac immensum tributum Selymo iam concesseritis, minimè eum fore contentum, sed singulis annis maius exacturum, donec opes nostræ planè exhauriantur. Præstat igitur uitam pariter cum uxoribus, paruisq; natis amittere, quàm tantum dedecus pati. Nec fortuna mea adeò angor: cùm sciam illud uobis esse pendendum, non mihi. Quare si hanc indecoram, flagitiosamquè seruitutem non uultis pati, omnes absque ulla cunctatione dicite. Ego certè diligenter prouidebo atque curabo, ut huic Ethnico cani, non solùm hoc nouum, tamquè amplum tributum dem, sed ne ullum planè deinceps pendam, dummodo uos mihi non defueritis. Scio, collegæ charissimi, quid ego uobis debeam, quid Reipub. uestræ: pro quorum salute ac incolumitate uitam meam profundere paratus sum. Hæc ubi dixit, tacitus mœror, ac insolitum silentium, uniuersum Senatum cœpit: tandem tanquam graui somno expergefacti, fremunt. Seruitutem sibi à Turcis imperatoribus multiplicari. Iuoniam non tàm luculenter quàm uerè de tributo loqui. Mori se malle, quàm tantum dedecus, summa cum turpitudine coniunctum, pati. Proinde, uxores, liberos, ac quicquid pretiosioris supellectilis habeant, in arcem Chocimensem, cuius munitioni fidant, se importaturos, ac ibi omnia se collocaturos, pollicentur, seq; Iuoniæ proprijs sumptibus militaturos, hostiquè ad Danubium, qua parte ad se delendos ueniat, unà cum illo occursuros, cum eoq; ad ultimam dimicationem congressuros: quæ omnia se iureiurando facturos confirmant. Iuonia, omnium constanti uoluntate cognita, paucisq; uerbis collaudata, fidem ac iusiurandum omnes inter se dare iubet, ut simul secum iunctis armis, Turcas ad internecionem persequantur: se uerò etiam atque etiam diligenter curaturum, ut non solùm influentes copias Turcarum, à ceruicibus Valachiæ reijciat: sed longè, latequè eorum regno euastato, honestam pacem ac quietem unà cum eis sibi comparet. Accepto ab omnibus iuramento, legatum ad se Selymi accire iubet: cui tale responsum audiente Senatu dat. Equidem pro ueteri fide mea, quam datam Selymo domino meo conseruare solitus sum, de dando tributo libenter parêrem, ni uoluntatem meorum ab eo abhorrere scirem: qui quæque acerbissima ac durissima ferre malint, quàm eam indecoram seruitutem, nulla ratione ferendam. Quare, cùm id à meis nullo pacto extorquere queam, Selymum me, ne in malam partem accipiat, uehementer precari: cuius amicitiam mihi ornamento & præsidio, non detrimento esse uelim: ideo q; me ea spe Palatinatū Valachiæ ab illo & petijsse, & ob meam singularem fidem in ipsum, obtinuisse. Quæ spes ne me fallat, etiam atque etiam oro. Hisce dictis legatum, nulla mora interposita, è finibus Valachiæ excedere, eumquè nullis muneribus, uti alios legatos solitus erat, ornatum, equites Valachicos ad ripam Danubij deducere iubet. Quæ res ipsi haud mediocrem suspicionem attulit, Iuoniæ animum esse à Selymo alienum. Iuonia, responsò dato legato, ad comparandum exercitum continuò animum adiecit: ubi illicò omnes pedites stipendio militari inautorati: qui q; equo stipendia merere soliti erant, ad Iuoniam conueniunt: qui iuramento se iterum atque iterum obstringunt, se contra Selymum, tam crudelem dominum, ad internecionem, supremamq; dimicationem, pugnaturos, omniaq; potiùs, patriam, uitam, uxores, charissima pignora liberos, amissuros, quàm Palatinum suum deserturos. Tributum autem se statim exacturos, in idq; collaturos, ut Iuonia equitibus Polonicis, quorum tum maxima opinio uirtutis esset, militari stipendio in-

Consultatio Ioannis.

Oratio Iuoniæ ad Senatum.

Mœror Senatus Valachiæ.

Iuonia legato respondet.

Iuonia legatū ex Valachia excedere iubet

Iuonis exercitum cōparat.

autoratis, expedita opera eorum in bello contra Selymum utatur. Quo consilio Iuonia auidè arrepto, credidit illos fideles erga se fore. Itaque legatum suum Cracouiam ad Henricum & uniuersum Senatum, cum de statu rerum Valachicarum certiorem faciens, mittit, in quo periculo constitutæ sint demonstrans, auxiliumqúe ab ipso petens: sibi enim cum Selymo acerrimum bellum fore. Reges Poloniæ cum Palatinis Valachiæ semper fœdus religiosissimè conseruasse, ac eos contra Turcicos imperatores defendisse, semperqúe hos regum Poloniæ clientes fuisse: ob eamq; causam tanto temporis spatio regnum Poloniæ saluum ac incolume stetisse: alioquin, Valachia armis Turcicis occupata, statim regnum Poloniæ in summo discrimine futurum. Nunc se regem maximopere orare, non ut aliquo conducticio milite se iuuet, sed ut Camienieciæ, Leopoli, passimqúe in reliquis oppidis, per præconem proclamare iubeat, quicunque in Valachiam ad accipiendum stipendium militare proficisci uelit, Palatinum tantum ei stipendium numeraturum, quantum ipse poscat: plus enim apud se omnium incolumitatem, quàm impensas ualere. Hisce Henricus auditis, se Iuoniam nullo auxilio posse iuuare respondet, nec cuiquam, ut ad promerendum stipendium in Valachiam proficiscatur, permissurum: idqúe ideo quòd supra centum annos antiqua fœdera regibus Poloniæ cum Turcicis imperatoribus sint. Iuonia tristi nuntio ab Henrico de denegatis auxilijs perturbatus, fit à suis certior, leuem armaturam equitum Polonicorum, qui ad Borysthenem et Ponti ostia, causa prædæ acquirendæ degunt, esse: gentem tot bellis induratam, ut eis ad uincendum nihil ardui sit: iam eos domum nulla præda consecuta regredi uelle: ad eos igitur subitò internuntios mittendos censent, ut ad ipsum in Valachiam ueniant, qui eis paratum stipendium, quantum uelint, dissoluturus sit, modò opera eorum contra Turcas, quos ipsi etiam oderint, utatur: uim totam belli in eo equitatu sitam esse. Iuonia consilio suorum arrepto, subitò unum atque alterum internuntium ad illos ipsos equites (qui uelites optimo iure nominari possent, eò quòd nusquam in loco certo consistunt, solùm abacta hostili præda, huc illuc per loca hostium auia, abdita, occulta, uastamqúe eorum regionem euagantur) mittit, ut ad se quamprimum ueniant: esse quod cum eis de rebus eorum loqui uelit. Quòd si quas occultas insidias pertimescant, eis apertè denuntiare iubet, Palatino graue bellum cum Selymo Turcarum imperatore imminere: quod cùm gerendum susceperit, si stipendio militari inautorari uelint, Palatinum uelle eis, non solùm in unam partem anni, aut semel tie, sed & singulis diebus tantum constituere quantum ipsi poscant. Quę cum ad aures Kosacorum (sic enim ij uelites à nostris uocantur) ab internuntijs perlata fuissent, nihil de Henrico rege cogitantes, id iter suum in Valachiam uoluntati ipsius aduersari, ex illis ipsis patentibus campis ad Palatinum in Valachiam proficiscuntur: qui de more, gloriæ ac prædæ, tàm sibi quàm heris suis acquirendæ causa, in illos uastissimos campos, permissu suorum herorum excurrunt, ut aliquo numero Scytharum uel Turcarum comprehenso, quid in solo eorum agatur, uel quæ consilia hostium sint, scire possint. Nam quamuis Turcæ ac Scythæ pacem cum regibus Poloniæ seruare uidentur, eiusdemq; uolunt cupidi uideri: tamen ingenti manu suorum coadunata, solum Podolicum ac Russicum effusè depopulari, magnaq; damna inferre solent, ni subitò uelites eis occurrant, ac nonnulla manu suorum subnixi, numerosas eorum copias fugent. Erant autem ij præcipui ductores uelitum. Suierceuius habuit sub signis ducentos equites, uir omnibus artibus, pariter militaribus, instructus, uiribusq; pollens. Barsanus ducentos duxit. Braslauiensium quoque erant ducenti. Hi sese omnes Suierceuij imperio commisêre, nec sine ipsius uoluntate cum hoste congredi ausi. Coslouius quoque ducentos duxit: Stusenius itidem: Iancius centum: Socolouius totidem. Qui omnes in Valachiam simul ad Palatinum omni metu deposito, profecti fuêre. Postquàm igitur uelites fines Valachiæ attigere, de his Iuonia edoctus, extemplò, qui eos honorificè nomine suo, ac liberaliter exciperent, commeatumq; ac rerum omnium copiam, quæq; ad uictum necessaria essent, liberaliter suppeditarent, mittit. Cùm ad secundum lapidem à castris Iuoniæ uelites cum ductoribus Valachicis abessent, de eis Iuonia certior factus, ipsemet cũ pulcherrimo equitatu, adiunctus sibi aliquot ex Senatu, obuiam eis proficiscitur: ut se exhibito, animiq; sui in eos uoluntate declarata, illos pòst obsequentiores haberet, ac ad quæuis pericula adeunda alacriores: ubi in conspectum eorum uenit, præ nimio gaudio, paucis uerbis salutatos, singultus ui lachrymarum impediente, ne uerbum quidē proloqui potuit, sed secum ductoribus illorum acceptis, eos sese in castra comitari iubet: ut militari conuiuio exceptis, pòst cum eis de periculis imminentibus suis, de belloq; sibi Selymi ingruente, liberiùs loqui possit, reliquis se sequi iussis. Vbi in castra uentum est, bombardarum maiorum artifices ingentem boatum edere iubet, sic ut cœlum sonitu resonare, terra strepere uisa fuerit. Postquàm satis concentui datum fuit, tot pedites è numero suorum, quot equites

Legatio Iuoniæ ad Henricum regem Poloniæ.

Henricus Palatino respõdet.

Velites in Valachiam proficiscuntur.

Ductores exercitus Kosacorum.

Iuonia ad uelites proficiscitur.

equites uelitum erant, egredi iubet, ut singulorum equis acceptis, quod satis pabuli esset, darent, eosq; curarent. Hisce ita imperatis, Kosacos non certe militari prandio, sed magnifico ac copioso conuiuio excipit. Ductores illorum, suosq; proceres, secum in tabernaculum, quod in patenti campo erectum erat, ducit, eosq; secum epulari, ubi & Senatus erat, cogit. Reliquos Kosacos in aliqua tabernacula ductos simili ratione tractare iubet. Postquàm epulæ remotæ fuêre, iubet aliquot argenteas patinas nummis aureis onustas afferri, ac ex eis tantum ductoribus Kosacorum, eorumq; ministris apponi, quantum satis esset: dictitans, id eis eo nomine se largiri, ut longinquitate itineris fatigati, in balneis lauent, corporaq; curent. Illi pariter pudore ac quadam admiratione defixi, se accepturos negant. Sed ui coacti, ac precibus non solùm Iuoniæ, sed & procerum Valachicorum fracti, accepêre, gratijsq; actis pro tanta in se munificentia Iuoniæ, omnes assurgentes, in conspectu eius stetêre. Ille dextra eis ad læuam partem castrorum suorum, quæ in proximo erant, ut ibi stationem haberent, innuit. Deinde mittit eis sex grandia uasa uini generosissimi, sexcentosq; taleros, ut illud in memoriam nominis sui exhauriant. Nam alioquin illi militi aqua solùm in illis uastis solitudinibus perpetuus potus est. Ad hæc parochos iisdem, ne quid omnino tàm ipsis quàm ipsorum iumentis desit, addit. Appropinquante luce, ipsemet ad ductores uelitum uenit: quos, ut in tabernaculum suum ueniant unà cum comitatu suo, orat: esse quod ad eos de summa rei referat, & quid eos facere uelit, omnibus exponat. Qui ubi alacres uenêre, talem orationem ad eos lingua Polonica habuisse dicitur. Si de uestra fide, uirtute, constantia, fortissimi equites, certò mihi non persuasissem, nunquam hoc difficili ac periculoso tempore, uos procul è patria uestra euocassem. Sed cùm hæc omnium constanti ore celebrata fuisset, uos huc euocaui, ut mihi operam uestram & industriam, in hoc bello gerendo contra Selymum, infensissimum hostem, præbeatis: pro qua nauata si uobis certum stipendium militare constituere uelim: non mediocriter pertimesco ne meritis uestris minus dignum præmium detur: sed, quicunque successus nostri contra hunc teterrimum hostem erunt, omnia uobis, milites, à me largè suppeditabuntur, commeatus, pecunia, equis pabulum, ac id genus alia ad eam rem pertinentia. Ego uos, pristinæ uirtutis memores, ita uos gesturos esse hoc in bello arbitror, prout de uobis omnium opinio est, ac eam in animo meo excitastis. Vobis autem summas, perpetuasq; gratias, & ago, & habeo, quòd ad me, hominẽ Christianum, ipsi etiam Christiani ueneritis: quorum uoluntatis erga me, semper gratum ac memorem me fore polliceor. Qui etsi pro magnitudine periculi mei pauci estis: tamen non minus mihi gratus est conspectus uester, quàm si duodecim millia mihi in auxilium aliunde missa fuissent. Quare, qualecunque stipendium uolueritis, id me uobis dissoluturum recipio. Nec uos uires Turcarum ita animo pensare uelim, quasi à nobis uinci non possint. Fateor eos hactenus miro successu usos fuisse, qui à sordidissimo initio orti, in tantam amplitudinem peruenêre: sed quæ ab eorum perfidia, non uirtute, profecta, summo cum scelere coniuncta sit. Fateor item Deum immortalem consuesse, quò grauiùs homines ex commutatione rerum doleant, quos pro scelere eorum ulcisci uelit, his secundiores interdum res & diuturniorem impunitatem concedere. Sic Turcæ si hactenus fœlici successu usi sunt, id ita uolente ac permittente Deo factum est, ut quantò altiùs ascenderunt, tantò grauiùs corruant. Plura loqui me uis lachrymarum non patitur. Qui sit animus erga uos meus, uos optimè & perspicere, & intelligere posse uideo. Quemcunque casum fortuna inuexerit, hunc uobiscum communem ducam. Hæc proloquuto Suirceuius pauca pro omnibus militari ac rudi sermone sic respondisse, dicitur: Non stipendium tuum, Iuonia, ut ad te ueniremus, nos pellexit; quod nos semper pro minimo duximus: sed potiùs uirtus nostra singularis, ut contra hunc fœdissimum ac acerrimum Christianorum hostem pro incolumitate tua dimicemus. Stipendium non curamus: qualis tandem fortuna nostra futura est, exitus belli declarabit: satis à te remunerati uidebimur, si hoste tuo intra fines regni hisce nostris dextris represso, honestam pacẽ cum eo habueris. Tu uerò quid postea nobis præstare debebis, fortuna nostrà id te docebit. Nec uires Turcarum horremus: quorum successus quales tandem adhuc erunt, eos diuinæ prouidentiæ iam committendos censemus: nos in hostem intenti erimus, ut eum à iugulis nostrorum auertere possimus. Oratione Suierceuij Iuonia confirmatus, ductores Kosacorum secum prandere iubet, quibus epulum dat: alterã mensam Lõgafetus, Veremias magister equitum, cũ reliquis Senatoribus occupat. Hæc acta sunt uigelima die Martij. Cæterùm Selymus audito responso Iuoniæ, simul ira, indignationeq; accensus, (quam legatus amarulentis uerbis, eò quòd nulla munera à Iuonia acceperat, auxit) sine mora Palatino Transalpinæ Valachiæ triginta millia Turcarum, duo Vngarorum mittit, ut coadunata suorum manu, Iuoniam capiat, eoq; ad se misso, ipse totam Moldauiam occupet, in eaq; Petrum

Iuonia uelites tractat.

Iuonia ad se Kosacos accit.

Oratio Iuoniæ ad Kosacos.

Suierceuius pro omnibus Iuoniæ respondit.

Indignatio Selymi in Iuoniam.

fratrem

Exercitum Palatini Transalpinæ Valachiæ contra Iuoniam. fratrem suum, Palatinum constituat. Is mandato Selymi alacriter suscepto, suisque ad arma conuocatis, simul cum Turcis ac Vngaris flumen Moldauam tranat. Erant ferè omnium centum duo millia fortissimorum uirorum. Qui nō solùm Iuoniam è Valachia eijcere poterant, sed & quemque fortissimum regem bello lacessere ac uincere. Hinc nocturno, diurnoque itinere fatigati, ut tàm sua quàm equorū corpora reficerent, nil de Iuoniæ inopinato aduentu suspicati, in loca herbida, quæ supra flumen latè patent, equos effusè euagari patiuntur. Interea speculatores ad Iuoniam prandentem ueniunt: flumen Moldauam maximam uim hostium tranasse, quibus Turcæ simul cum Vngaris intermixti sint: nec eorum certum numerum sciri posse, sed supra centum millia esse suspicari: nūc omnes equis in pascua læta missis, se quieti dedisse. *Iuonia fit de hostibus certior.* Quos si Iuonia cum parata suorum manu aggrediatur, facilè ad unum deleri, uincique posse. Hæc tanta alacritate animi à Iuonia audita fuêre, ut Suierceuium cum suis cōfestim præcurrere, datis ei sex millibus Valachorum, qui linguæ Turcicæ gnari, omnia certiùs cognoscerent, iusserit: ipsemet uerò cum suis, quoniam paulo onustiores armis erant, subsequitur. Suierceuius omnes orat, ut, si lęta ex hoste uictoria potiri uelint, quanto silentio possint, ad hostium castra nullo clamore dissono, aut tumultu edito perueniant. Hisce ita inter se compositis, in speculatores Moldauorum, qui supra castra suorum stationes, ne quis impetus in quietos fieret, agebant, incidit. Erant uerò hi quadringenti: qui omnes à Kosacis circumuenti capiuntur. *Capiuntur speculatores.* Quos primò benignè, deinde minaciter alloquuntur, quid cōsilij hostes habeant, ubi sint, quid agant: si indigna nolint pati, ut exponant, cogunt. Illi suppliciter & ingenuè, præsentis periculi metu perterriti, fatentur. Valachos Transalpinos pariter cū Turcis, quibus intermixti Vngari sint, non tam longinquitate ac difficultate itineris fatigatos, quieti se dedisse, ac corpora curare, quàm ut Iuoniam uegetiores inopinatum aggrediantur. Quos si iam securos ac omni cura dissolutos inuadat, eum facilè compotem uictoriæ futurum. Valachorum Transalpinorum non esse ampliùs septuaginta millia, Turcarum triginta, Vngarorum tria. Hisce Kosaci cognitis, subitò ad Ioannem nuntios mittunt, in quo statu res hostium sint, eum certiorē faciunt: ut cum suis maturè (in manu enim uictoriam esse) appropéret. *Iuonia de statu hostium cognoscit.* Ipsi uerò non procul ab hostium castris, duabus horis stationes, uigiliasque tacitu agunt, ne usquam hostis commoueatur, aut quicquam incipiat. Quæ ubi celeriter ad Iuoniam perlata fuissent, statim ipsemet adest, Suierceuiumque suos disponere, ac quamprimùm cum hoste confligere iubet. Ipse uerò, quoniam multitudine abundabat, sua acie in longitudinem extensa, tribus ex partibus hostium castra, omni præsidio nudata, aggreditur. Suierceuius parte ab altera cum suis citatissimè ad hostem, antequā Iuonia accessisset, peruenit: ibique sublato clamore, castra hostium inuadit. *Stratagema Iuoniæ.* Hostes, ignoto & horribili sonitu repentè exciti, neque fugere, neque arma capere, neque omnino facere, aut prouidere quidquam poterant. Ita cunctos strepitu, clamore, & nullo subueniente, Kosacis instātibus, tumultu, terrore, formidine, quasi uecordia cęperat. Ecce tibi in tāta strage hostium subitò Iuonia cum suis adest: qui & ipse stratos ac perturbatos egregiè cædit. *Prima cædes hostium.* Fugę nusquā locus est. Nam Moldaui procul equos à se in pascua abegerant, nec quomodo fugerent habebant: omnes nudi, inermesque hosti, ad primos successus uictoriæ exultanti, iugulum præbent. Fit totis castris planctus, gemitusque. Ex tanto numero hostium nemo, præter Palatinū Transalpinæ Valachiæ, una cum Petro fratre, quem in Valachiam fretus tantis copijs deducebat, fugit. *Fuga Palatini cum fratre Petro.* Hi igitur, cōscensis equis, qui in tanto periculo uix eis oblati erāt, pernicibus, per lacum qui ex Danubio oritur, tranant, perueneréque ad arcem Brailouiensem ad præfectum Selymi: reliqui omnes ad unum cæsi, alitibusque obiecti. Tum spectaculum fuit horribile, in campis patentibus omnes uiri afflicti: ac multi uulneribus acceptis, neque fugere posse, neque quietem pati, nisi modò, & statim concidere. Postremò, omnia quà uisus erat, constrata telis, armis, cadaueribus: & humus infecta sanguine. *Castra capiuntur.* In castris multum opulentię repertum fuit: quæ Iuonię omnis cessit: quam ille militibus, in primis uerò Kosacis dat, qua plurimùm ditati fuêre. Iuonia in ijsdem castris quatriduum moratus, ut suorum corpora cæde hostium defatigata, uiribusque exhausta reficeret, cadauer Palatini ac fratris Petri summa cura requirit. Quo haud reperto, rectà exercitum in regionem Palatini Valachiæ Transalpinę inducit: castella, oppidáque, & natura, & uiris parum munita, adgreditur: quosque obuios nulla fœminei sexus ratione habita, necare, puberes interficere, uillas & uicos pariter cum oppidis igne succendere imperat. *Iuonia Palatini ditionem uastat.* Triste ac miserum ibi spectaculum fuit, cùm illam partem Valachiæ Transalpinę omnes fumantem, ac flamma relucentem aspiciebant. Trahebantur senes ad cædem, rapiebātur parui pueri ad necem, matronæ pariter cum uirginibus stuprabantur: quæque crudelissima & acerbissima perpetrabantur. Iuonia uniuersos laudat, atque agit gratias: hortatur ad cætera quę leuia sunt, parem animum pro uictoria gerant: satis iam pugnatum: reliquos labores pro præda fore. Hac tali populatione uictor exercitusad

tusad

tus ad Tranſylуaniam, ſiue Sedmigrodenſem regionem peruenit: uiſaq; Brailouienſi arce, iter ad inferiorem Danubij ripam deflexit. Ibi cognoſcit Palatinum Tranſalpinæ Valachiæ unà cum Petro fratre eſſe in arce: itaq; protinus aduerſum illud oppidum ſuos ducit. Eſt ciuitas Brailouienſis ſupra Danubium ſita: quę arcem percommodã habet, & natura loci & firmo præſidio bene munitam. Ibi Iuonia non procul ab oppido Brailouia, atq; nactus locum percommodum communiendis caſtris, ſic ut ex arce tormentis muralibus nulla ratione infeſtari poſſet, aberat. Hinc ſcribit literas ad præfectum arcis, casq; duobus captiuis Moldauis perferendas committit: quibus illum orat ut Palatinum Tranſalpinæ Valachiæ, perennem hoſtem ſuum, unà cum Petro fratre, qui ob nullũ ipſius maleficium bellum ipſi intulerint, ac poſt infœliciter tentatum prælium ad eum ex acie fugerint, extemplo ſibi tradat: alioquin ſe exercitum ab oppido non remoturum, donec ui adactus eos dedat. Ad has literas ſic præfectus arcis, per quatuor Turcici ſanguinis, (quorũ duo oppidani erãt, duo ex arce domeſtici) reſpondet, ac ſimul Iuoniæ decem globos grandes tormentarios, totidẽ minores cum duabus ſagittis mittit. Audio te (inquit) miniſtrum eſſe Selymi: ideo rationem tui habeo: eos minimè apud me eſſe, quos petis, nego: ſed cùm ad aures meas perlatum fuiſſet, te ingentem multitudinẽ exercitus Cæſaris cecidiſſe, qui mandatis ipſius parentes, in Valachiam Petrum fratrem Palatini Tranſalpinæ Valachiæ deducebant: edico tibi, niſi hinc obſidionem quamprimum ſolueris, huiuſmodi ferculis cum tuis paſcẽris: quibus unà cum exercitu tuo ſatiatus, pòſt ructabis. Hoc tale reſponſum tantam Iuoniæ indignationem mouit, ut illis ipſis internuntijs quatuor compræhenſis, naribusq; eorum ſimul cum labijs ac auribus præciſis, pedes ſingulorum ſurſum uerſos longiſsimę trabi ferreis clauis affigere iuſſerit, eosq; terram capitibus attingentes ante oppidum ſclopetarios ferre, abijcereq; imperarit. Horrendum id omnibus ſpectaculum fuit: quo Iuonia præfecto arcis demonſtrare uoluit, eum ſimilem exitum unà cum profugis manere. Hoc tali triſti exemplo edito, nulla mora interpoſita, pedites ſcalis in eũ uſum paratis, admotis, mœnia urbis clamore ſublato conſcendere iubet. Nec cõſilium euentus moratus eſt. Nam pedites tanta celeritate ſeſe ſub mœnia oppidi inſinuauêre, ut priuſquã oppidani ſeſe ad reſiſtendum opponerent, euaderent in murum: quo diruto, totus exercitus in oppidum irrupit. Ibi ingens cædes Turcarum facta fuit, nemini parſum: ubi ex cęſorum cadaueribus ſanguis inſtar riui in Danubiũ profluxit: parui pueri ab uberibus matrum abrepti, uagientes occiſi. Quatriduum ibi in cædibus perſeueratum eſt: in locis abditis ac occultis latitantes homines quæſiti, ex latebriſq; ad cædem tracti: tota urbs direpta, ac per iram incenſa, nullo hominum, ac ne canum quidem inter incendia, ruinasq; relicto. Plurimum ibi auri, argenti, pecunię ſignatæ, unionum, margaritarum, repertum eſt: quæ omnia prædæ militum ceſſêre. Erat ea ciuitas in illis locis omnium opulentiſsima, eò quòd poſt occupatam à Turcis Gręciam, multum diuq; in pace uixit: qua parta, nullo motu belli cõquaſſata, ſupremam dum cladem adijt. Nam à uictore hoſte ne una quidem domus integra relicta fuit: omnia euerſa ac ſolo adæquata fuêre, præter arcem, quæ omni præſidio urbis nudata, ſola relicta fuit. Ad quam capiendã Iuonia ſuos admouere uoluit, niſi à præſidio, quo arx ualidè firmata fuit, clades pœnitẽda ſubeunda foret. Interea Iuonia in direptione urbis occupato, ſpeculatores adſunt, qui ipſum certiorem faciunt, quindecim millia Turcarum magnis itineribus in ſubſidium arci Brailouienſi uenire. Quibus ille cognitis, ac nihil tanta multitudine hoſtium territus, confeſtim Suierceuium cum Koſacis, additis ei octo millibus equitum Valachicorũ, contra illos mittit. Ad quos ubi is præproperè aduolaſſet, nullo illis ſpatio ad recolligẽdas uires dato, cum eis alacriter prælium init. Omnes occiſi ac perempti, præter mille equites, quos fuga ſubtraxit. Quibus Suierceuius inſecutis, multos palſat & cædit. Qui cædi ſupererant, fuga ad arcem Teinenſem, quæ ditionis Turcarum erat, delati ſunt. Erant in proximo, nõ procul ab illa ipſa arce, Turcarum copiæ, quibus agmina Scytharũ intermixta erant. Subitò Suierceuius ad Iuoniam cum læto uictoriæ nuntio mittit, certiſsimam ex hoſte uictoriam pollicens, modò omiſſa oppugnatione arcis Brailouienſis, cũ omnibus copijs abſq; mora adſit. Ille, tam lęto nuntio accepto, arce Brailouienſi neglecta, cuius expugnationem & ſibi difficilem, & periculoſam eſſe ſciebat, ad Suierceuium celeriter uenit. Quo cum cõſilijs communicatis, ſimul illas ipſas copias aggreſsi delent, & ad internetionem dant. Hinc ad oppidum Teinenſe exercitus admotus. Quò facilè, ſine ullo oppugnationis labore, & expugnato & capto, omnes oppidanos, pariter cum fœminis, crudeliter, ne uno quidem ex tanta multitudine relicto, necat. Hoſce Iuoniæ ſucceſſus Suierceuius cum ſuis Koſacis adiuuabat. Nam primus ſemper cum Turcis haſtatis prælium inibat: in prima fronte equites cum tormentis manuarijs locabat: quorum horrendo ſonitu, crebriſq; ictibus globorum, ſemper Turcarum aciẽ non mediocriter turbabat. A' dextro cornu eis ſagittarios opponebat: qui gran-

Caſtra Iuoniæ ad Brailouiam.

Reſponſum præfecti arcis.

Iuoniæ indignatio in internuntios.

Nouum genus crudelitatis.

Celeritas peditum.

Capitur oppidum, et cædes ingens.

Funditus delетur urbs.

Victoria Suierceuij.

Aliæ copiæ Turcarum.

Iuonia ad Suierceuium uenit.

Oppidum à Iuonia capitur.

ding

dine sagittarum immissa Turcicas acies uulnerabant. A' lęua parte erant locati, qui erectis breuioribus lanceis, in omnem occasionem intenti, Turcas eis cōfodiebant. Quos Suierceuius ab his cōturbatos, cædi Valachorum obijciebat. Interea sexcenti Kosaci oppidum Bialogrodense uersus, quod est ditionis Turcarum, citato agmine proficiscuntur: quo direpto ac succenso, dimidiata pars ipsius fœdo incendio conflagrauit. Plurimum ibi prædæ non ignobilis repertum fuit: qua militi obiecta, multùm ea ditatus fuit. Iuonia uerò cęde Turcarum fatigatus, lęta quiete, non procul ab arce Teinicensi, quam nudum in patentibus campis reliquerat, per octiduum suos reficiebat. Vbi iterum repentè fit certior, Turcarum, simul cū Scythis aliquot agmina, ab oppido Bialogrodensi proficisci, qui in proximo Iuoniam cum exercitu adesse ignorantes, dispalati huc illùc, reperto uado tranabant. Quos procul Kosaci cōspicati, orant Iuoniam ut ipsis potestatem illos inuadendi, pallandiq; det. Ad quos sic Iuoniam uerba fecisse, ut author est Bartholomæus Paprocius, intelleximus. Vestra incredibilis, Poloni fortissimi, uirtus facit, hicq; ardor pugnandi, ij uestri successus, ut uobis nolim quicquam à me denegatum esse. Ite Deo comite, proficiscimini fœlices: hostiumq; exercitus, ut usu edocti estis, cædite. Tibi autem, Suierceui, hic totus exercitus curæ sit: quos ita contra hostem instrues, prout occasio rerum gerendarum postulabit. Hæc ubi dixit, Suierceuio tria millia Valachorum, ut eorum opera cōtra hostem utatur, addit. Quibus ille acceptis, ei gratias agit, quòd de se tantam opinionem habeat: quam ne fallat, se etiam atq; etiam diligenter curaturum. Acceptos igitur Valachos cum Kosacis non miscet, sed ab agmine suorum remotos, ex eis nouam aciem quandam post terga Kosacorum instruit. Suos uerò illos ducentos mille Kosacos, in tria agmina disponit. Quadringentos in prima fronte scutis rotundis tectos locat, ac hastatis Turcis obijcit. Ipsemet sibi dextrum cornu cum sagittarijs quadringentis sumit. In lęuo totidem cum lanceis missilibus locat. Turci eorum paucitatem cōspicati, eamq; præ se contemnentes, prælio sese expediunt. Qua uisa re Suierceuius equites, quos in prima acie collocauerat, tormenta in eos displodere iubet. Quibus turbatis nimbo sagittarum, in corū agema suis immissis ex læuo latere, eos hastis urgere iubet. Sic illi ancipiti prælio distēti, (nam in unicum tantùm agmen coadunati erant) egregiè à Kosacis cęduntur: quibus, qua ui possunt, Turcæ simul conglobati resistunt. Ab initio ferè horam anceps prælium stetit: donec Valachi, post uelites à Suierceuio dispositi, intenti in pugnā, uegetes animo ac corporibus, haud secus quàm diu retentæ feræ concitati, cum ingenti clamore ad uelites aduolāt: qui maxima ui in agema Turcarum turbatum incurrunt, eosq; omnibus ex partibus, quibus pedites intermixti erant, aggrediuntur. Pedites nunc equis crura succidunt, nunc ilia suffodiunt: qui in fugā dissipati, omnes fermè terga uertunt, à uelitibusq; cæduntur. Ex quibus solùm tres desiderati, ex Valachicis centum: sic Polonis paruo tum insignis uictoria stetit. Iuonia ex longinquo tam inclytæ uictoriæ spectator fuit. Hostium castra cum impedimentis & capta, & direpta fuêre: plurimum ibi prædæ inuentum: quæ uiritim militi distributa. Capti erant hostium ducenti: qui omnes ad Iuoniam tanquam pecudes adducti fuêre. Quos is inter pedites sclopetarios pellere iubet: qui omnes ad unum, falcibus maioribus, quibus fœnum secari solet, in frusta cōciduntur. Dux illius uicti exercitus, in potestatem Polonorum uenit: homo tantæ opulentiæ, ut sexies se liberari atq; redimere, modò ne Palatino uiuus traderetur, uoluerit, bis auro in altera statera posito, ter argento, semel margaritis. Fuit egregiæ ac proceræ staturæ, ad promerendamq; gratiam habilis. Sed apud Polonos plus fides quam Iuoniæ dederant, ualuit. Nam ante ex tot spolijs Turcarum, auro & argento satiati, omnes pollicitationes eius flocci pendētes, eum uiuum in potestatem Iuonię tradunt. Quo cum ille per aliquot dies colloquium de rebus Turcicis habuit: posthac eum peditibus membratim dissecandum obijcit. Hinc ad Vsam oppidum suū copias mouit: ubi tot prælijs fracti exercitus uires refocillauit. Interea Selymus, Constantinopoli tot Iuoniæ uictorijs perturbatus, ac territus ne planè Valachia exueretur, ac è Grecia (quod illi, opinor, contigisset, ni defectio Czarnieuiecij ad Turcas obstitisset) pelleretur: cum suis Deo more suo supplicat. Nam Turcę peculiarem religionem, à Muamede, seu Mahomete, hinc ab anno Christi millesimo supra uigesimum, quam Mahometes Saracenis anno Christi sexcentesimo uigesimo tertio obtruserat, acceptam habent. Ne uerò quis Saracenos & Turcas eiusdem stirpis aut originis esse existimet, nonnulla mihi de origine utriusq; gentis esse dicenda uidentur. Saraceni longè sunt uetustiores Turcis. Ii sedes suas, regnante tum Lechone apud Polonos, in ea parte Arabiæ, quæ Petræa dicitur, habuêre, uocabanturq; ab incolatu loci Arabes: stipendiumq; sub Heraclio, tum bellum cum Costrea rege Persarum gerente, merebant. A' quo stipendio militari exautorati, ut ignominiam nomini suo inustam ulciscerentur, Mahometo se adiungunt: qui Meccæ, in urbe opulenta, in tanto dissidio Christianorū de religione, adiutus à Sergio, monacho factionis

Stratagema Suierceuij. — *Iuonia exercitum quiete reficit.* — *Iuoniæ oratio ad Kosacos.* — *Suierceuius Iuoniæ respondet.* — *Committitur pugna.* — *Victoria relatum.* — *Opulentia ducis.* — *Selymi terror.* — *Proponit se de origine Saracenorum ac Turcarum dicturum.*

factionis Nestorianæ, à Christianis diuersa docere cœpit. Arabes enim uana opinione ducti, se unicos mortalium esse à Sara, uxore Abrahæ, genitos, regniq; cœlestis legitimos hæredes, opinati sunt: quorum opinioni Muamedes assentiendo, eos ad se pellexit. Vtq; militarem disciplinam inter eos constitueret, multitudini decem duces, ex nobilioribus, potentioribus, ac sibi affinitate iunctis, præfecit, eamq; in cohortes ac centurias distribuit: cuius uiribus adiutus, Meccam, urbem in Arabia opulētam, demum aliquot oppida capit, ditionisq; suæ facit. Hinc facilè tota Arabia potitus, uenerabilem se tot populis præstitit. Post cuius mortem, apud Saracenos, pontifices ad Caliphum, seu Mustacenum, in Perside potentes fuēre. Hinc Africa potiti, pariter cum magna parte Hispaniæ, sæpe Siciliam, quondā populi Romani, uictoris tot gentium, Prouinciam, Italiam, Galliam, infestarunt. Quorum audaciam Carolus Magnus armis uix repressit. Pôst, anno Christi nongentessimo supra octogesimum primum, uel paulò plus, minusûe, Scytharū multitudo, qui præ cæteris ad orientem uergunt, circaq; Tanaim sedes suas habent, domo profecta, sine duce, sine legibus, uagi, dispalatiq;, ex raptu, prędaq; aliquandiu uixerunt: donec Persas, qui tum Saracenis subiecti erant, bello adorti, eorum urbem magnam & opulētam, Turcem nominatam, occuparunt: à qua se pôst eodem nomine Turcas, seu Turcos, dici uoluerūt. De Turcarum origine alios diuersa tradidisse uideo: quos aiunt ex Caucasi portis egressos, primùm finitimas gentes, & in his Armenios, inuasisse: inde minorem Asiam, abhinc anno Christi 844. ab eis occupatam fuisse. Quæq; ipsi de se memorant, nō omnino diuersa à superioribus esse uidentur, quorum hęc sententia est. Gentis authores suæ, ex Caspijs montibus ac finitimis pulsos, in Persidem et minorem Asiam descendisse: nec priùs apud eos regiam familiā cœpisse, quàm sint è Scythia profecti, cùm antea sine duce, sine legibus uiuerent. Inde (ut sunt humanarum rerū uices) ex cuiusdam Othomani successu, celebrari unam familiam contigisse: ex qua reges, demum Cæsares creare consueuerint, & hodie creent: idq; ita accidisse memorant, ut tres numero fratres, in ampla & regia fortuna à patre relicti, cùm uicissim imperitare cœpissent, siue pudore impediente, siue metu, quū parum tutum esset non cedere ætati: duo minores natu, Aleus & Othomanus, regno maiori fratri relicto, domo uterq; cum manu sua profecti, hic Cappadociā, Galatiam & Bithyniam occuparit: ille Carmaniā, Lycaoniam, & eas terras quæ Tauro adiacent. Et hæc Turci de se memorant: quibus perbellè se Scythas esse fatentur. Cælius Curio, qui Saracenicam historiam scripsit, de origine gentis, eorumq; regibus prorsus diuersa tradit: qui uult Turcas originem stirpis ab Hunnis sumere, nec apud eos tum primùm Othomanum regnasse, sed longè ante, ante Trangolipicem Mucaletum. Etenim Saraceni, in aliquot factiones principum, qui tum totam Persidem pariter cum Africa obtinebāt, diuisi, inter se domestica bella gerebant, seseq; ciuili ferro confodiebāt: orto igitur bello inter Muhumetum, qui tum in Perside regnabat, & Babyloniū Calyfam, Muhumetes ad se Trangolipicem, qui è Caucasi montis angustijs cum Turcica multitudine egressus, circa fines Persarum uagabundus degebat, accersit. A quo adiutus, Calyfam facilè uincit, superatq;. Turcæ igitur ex Perside cum duce suo regredi uolentes, transitumq; sibi tutum per pontem qui Araxi flumini impositus erat, concedi à Muhumeto postulātes, (quos ille apud se retinere cupiuit, ut opera eorum contra Indos uteretur) id se facturum detrectat. Illi; simul ira, indignationeq; accensi, (quorum solùm tria millia erant) ueritiq; grauius periculū, in Curbantidem solitudinem sese subtrahunt, indeq; crebris excursionibus agros Saracenorum depopulantur. Quorum ferociam Muhumetes reprimendam ratus, triginta millia Saracenorum cum certis ducibus ad eos delendos mittit. Sed Turcæ, audito aduentu eorum ad se, in densiores solitudines sese subducunt, ut captata occasione Saracenos opprimere possint. Nec consilium euentus moratus est. Nam exercitus Muhumetis, Turcas metu cessisse ratus, nullis stationibus habitis, ab eis per insidias contrucidatur. Hac tam insigni clade suorum Muhumetes irritatus, comparata ingenti manu suorum, ipsemet cōtra Turcas, quorum iam exercitus ex colluuie tot gentium creuerat, proficiscitur. Quibuscū non meliori euentu collatis signis acriter dimicat. Nam Turcæ, assueti Saracenos uincere, Muhumeto occiso, qui equo lapso ceruices, cùm suos ad acriter prelium ineundum adhortaretur, fregerat, ex Saracenis facilè uictoria potiuntur. Cuius admiratione Saraceni defixi, illum ipsum ducem Turcarum, Trangolipicem, regem apud se creant: qui, accepta pariter cum suis religione Mahometana, una cum Saracenis in unum corpus Reipub. coaluit. Trangolipix igitur à Saracenis in Perside rex factus, omnes magistratus, dignitatesq; à Persis in suos transfert, indigenisq; Persis, quorum reliquiæ adhuc supererant, oppressis, inter suos ac Saracenos uniuersam Persidē diuidit. Quoq; finitimis terribilior esset, à suis nouo nomine Sultanus (quod nomē lingua Latina summū Imperatorē sonat) appellatur. Qui pôst per manus posteritati suæ regnum tradidit. Ac ne qua inter Saracenos ac suos discordia

Opinio Arabū de sua stirpe.

Potentia Saracenorum.

Asia à Turcis occupatur anno Christi 844.

Sententia Curionis de origine Turcarum.

Trangolipix primus rex Turcarum.

Origo nominis Sultani.

discordia esset, omnes Turcas, à ciuitate quæ in Perside diues opum fuit, appellat. Turcę, tanta potentia aucti, illos ipsos Saracenos qui in Africa potentes erant, adorti, cum eis societatē ineūnt, simulq; armis iunctis, Constantinopolitanis imperatoribus, reliquoq; Romano imperio, terrori, formidiniq;, quod ad Germanos trāslatum fuit, fuêre.

Turcæ à Scythis in Perside deleti, anno Christi 1240.

Durauit potentia Sultanorum Turcarum usq; ad bellū Scythicum, seu Tartaricū, quod Scythæ Turcis illis qui Persidē obtinebant, anno Christi 1240. intulerunt. Quibus deletis, (quo etiam tempore uniuersa Polonia, uiuo rege Pudico, ab ijsdē Scythis magnam cladē acceperat) uix ex tam numerosa multitudine pauci eorū relicti fuêre: qui infima plebe sibi ascita, nil secum præter arcum ac pharetram gestantes, latrocinari cœperunt, nec ullo rege usi sunt. Nihilominus nomē Sultanorum mansit penes illos Saracenos qui in Africa erant: qui se antiquo nomine Saracenico quàm Turcico appellare maluerūt.

Turcæ uires recuperant.

Turcæ igitur latrocinijs assueti, angustias montiū insident, ex eisq; finitimos agros, & Romani imperij urbes crebris incursionibus uexant. Non tamen uiribus Scytharū, quibus finitimi erant, pares esse poterant: quos illi ad finitima Grecjæ pellebant: & quàm infirmi cōtra Scythas erant, tam fortes contra Græcos existebant: adeò ut tandem etiam cum Græcis Cęsaribus ad aperta bella deuenerint: quorum copijs sæpè deletis, Romanas prouincias depopulabantur, ad Sangariumq; amnem usq; populatione peruenerunt. Hinc à mari Pontico atq; à Galatia ad Lycium atq; Carium mare, & Eurymedontem fluuium, omnia ditionis suæ fecêre: ueterisq; nominis sui memores, quod fortasis in gente non abolitum fuit, Turcas se appellant.

Turcæ inter suos duces imperium partiuntur.

Quoniam uerò se commodè sine ducibus uiuere non posse uident, sex potisimùm è numero suo legunt: inter quos omnes prouincias, quas breui temporis spatio consecuti sunt, partiūtur, eorumq; imperio se subijciūt.

Caramani regnum. Saraconis. Sasani. Calani. Armarij filij. Othomani.

Caramanum Alisurium: cui Phrygiam mediterraneam, Philadelphiam usq;, & prope Antiochiam ad Mæandrum fluuium sitam, (à cuius nomine pòst illa tota regio Caramania appellata est) concedunt. Saraconem: cui quicquid est Smyrnam usq; ad interiorem Ioniæ oram, dant. Sasanum: cui Magnesiam, Prienen, Ephesum largiuntur. Calanū, eiusq; filium Cerasum: cui Lydiam, Aetoliam, Mysiam quæ est ad Hellespontū sita, impertiuntur. Armarij filios: quibus eas terras quæ à flumine Sangario ad Paphlagoniam usq; extenduntur, tuendas permittūt. Atmanum, seu Othomanum: quem omnibus regionibus quæ circa Olympum sunt, præficiunt.

Othomanus regnare cœpit anno Christi 1301.

A quo Othomano hodierni Turcici Cęsares hinc ab Christi regis ortu 1301. originem sumunt: à quo tàm Italici quàm Germanici scriptores historiam suam inchoant. Atq; hęc quidem origo Turcarū, eorumq; regum successus mihi uerior, ut Cælius tradit, esse uidetur, quàm quod primò ad Othomanum referatur: siquidē illi longè antè Turcicis Sultanis, quemadmodum ex superioribus liquere puto, hinc ferè à sexcētesimo anno usi sunt.

Othomani imperium ac successus.

Othomanus igitur præ illis reliquis, inter quos Turcicum imperium diuisum fuit, longè gloria rerū gestarum superior fuit: quibus non multò pòst bello illato, eidem iugum imposuit. Nec hic successus ipsius solùm contra Turcicos imperatores fuit, sed & contra Christianos: inter quos cùm discordia glisceret, Bythiniam & omnes circa Pontum prouincias, decē annorum spatio (tandiu enim rex fuit) ditionis suæ fecit.

Orchanes Othomano succedit.

Filius huius Orchanes, paternæ uirtutis æmulus, bellum per manus acceptum strenuè est executus: miraq; fœlicitatę Mysiam, Lycaoniam, Phrygiam, Cariam, subegit: armaq; sua in Hellespontum usq; ad Euxini littora promouit. Post hunc alij qui regnarunt, celeri cursu uictoriæ, usi mira fœlicitate, tot populos usq; ad Baiazethem subegerunt:

Baiazethes à Tamberlane captus, anno Christi 1392.

cuius Tamberlanes, Scytharum rex obscuro loco ortus, imperium adeò labefactauerat, ut eodem capto, caueeq; incluso, eum in ludibrium per totam Asiam secum duceret: cui si quādo equus conscendendus erat, tergo ipsius pro scabello usus fuit.

Amurathes. Mahometes 2. Mahometes Constantinopolim cœpit, an. Christi 1453.

Pòst Amurathes exercitum in Europam deportauit. Mahometes uerò secundus, Constantinopolim, toties armis Saracenorum oppugnatam, (quę olim Byzantium dicta fuit) occupato regno Trapezuntis, nomineq; Cæsaris occidentalis assumpto, Græciam omnem, Thraciam & Mysiam, seu Valachiam, cū Illyrici parte, & ad Istrum latè omnia per Pontum occupauit. Tam insolenter Mahometes ac crudeliter, capta Constantinopoli, uictoriam exercuit, ut omnibus Christianis gladio dissectis, Constantinum eius urbis Cæsarem interfecerit, eiusq; caput ludibrij causa pilo affixum in castris circumferri iusserit. Pòst sæuitia sua in nobilitatem conuersa, omnes inter cōuiuia per ludibrium contrucidauit.

Duo reges potentiam Turcarū infringunt.

Magna iam tum potentia, post imperium occidentis à Turcis occupatum, Cæsarum Turcarum fuit: quam duo potentisimi reges non mediocriter infringebant: quorum alter Asimbeus, quem Vsancassanum, quasi heroa magnum, Persæ appellabant, fuit qui in Parthia & Perside regnabat: cuius regnum ibidē initium à Mutare sumpsit: quem Iozedus, filius Muabiæ, qui post Mahometem Saracenis præfuit, præfecit.

Asimbeus Turcarum hostis. Initium regni Asimbei. Sophi origo.

Sed Mutaris regnum in Perside apud Saracenos propemodum extinctum fuit: quod post longam seriem annorum à quodam Sopho, qui in Perside Ardenolim oppidum tenuit, ab anno

Christi

Christi 1480. qui Mahometanæ religionis erat, renouatum fuit. De Sophi pietate ac sanctitate, tanta opinio apud uulgum fuit, ut magno numero mortalium ad se pertracto, ab eo tempore in Perside reges qui Sophini appellãtur, regnent. Ibi ꝑ stirps Saracenica, quæ à Turcis extincta erat, renouata fuit: acerrimaq; bella usq; hactenus cum Turcicis imperatoribus gerunt: quorum uires non mediocriter, siquando bella eis hìc in Europa cũ Christianis gerenda sint, distinẽtur. Alter, Sultanus in Aegypto: quorum Sultanorum nomen ab illis Turcarum regibus, qui idem nomen à primo rege Trangoliplice sumpserunt, desumptum est. Obtinebant nonnullo tempore Aegyptum Hierosolymitani reges: quę eis à Saladino tunc ab anno Christi 1105. qui stirpis Turcicæ fuit, erepta erat. Qui, incolarũ mollitiem pertæsus, Calyfaq;(fuit id nomen pontificis summi apud Saracenos) unà cum uniuersa stirpe deleto, siue à nepote ipsius, nouũ genus militię ibidem instituit. Nam cùm populos, qui magis ad septentrionem uergunt, australibus ad belli usum aptiores esse uideret, subitò cum populis quibusdã circa Męotim & Pontum sedes habentibus, qui à ueteribus Zigi, à nostris Circassi appellatur, fœdus init: à quibus emptis pueris, adolescentulis, eos in Aegyptũ perducit: quos ab ineunte ætate in militari disciplina erudit: armorumq; usum edocti, adeò hic in Aegypto ordo creuit, ut penes eos solos armorũ usus, ac belli potestas, omniumq; dignitatũ, fuerit: qui Mamaluchi, id est, serui, sunt appellati. Post, Saladini stirpe in Aegypto, anno à nato Iesu Christo 1400. extincta, ad eos Mamaluchos regnum Aegypti translatum est: qui è numero suo rege creato, terribiles ac formidolosi Turcicis imperatoribus fuęre. Atq; eo tempore in oriente tria regna solùm potentissima, certis limitibus terminata fuęre: Sophianorum, qui in Perside, Media, Mesopotamia atq; Assyria regnabant: Sultanorum Aegypti, qui à Cyrenæis Africæ, per oram maritimam Issicum sinum, qui Ciliciam à Syria disiungit, & introrsus hinc ad Euphratẽ & desertæ Arabiæ terminos, illinc aduerso usq; ad arenarum solitudines, læua, dextraq; per Arabicum sinum ad Erythreas angustias extendebatur. Turcarum Cęsarum, quicquid Euphrate, & Amano monte, Cilicioq; mari ac Euxino continetur, erat: hisce adde Græciam omnem, Thraciam & Mysiam, quæ Valachia uocatur, cũ Illyrici parte, & ad Istrum latè omnia per Pontum, usq; ad Theodosiam, Thraciæ Chersonesi emporium. Sicq; ea concordia Christianorum regum fuisset, ut omnibus ex partibus Turcas aggressi essent, facilè eos non solùm è Grecia, sed & ex Asia ultra Caucasum montem, unde primò egressi fuerant, pellere potuissent: cùm & Scanderbechus, Epirotarum regulus, cõtra eos fœliciter belligerabat: quorum tum supra trecenta millia ad internecionem dedit, ipseq; Amurathes sub mœnibus Croiæ Turcarũ imperator expirare coactus fuit. Sed illi successus Scanderbechi contra Mahometem non profuerunt. Post cuius mortem, ab eo capta Epiro, exercituq; Persarum regum deleto, Turcicæ uires à Sultanis Aegyptiacis haud sustineri poterant. Nam Selymus, Baiazethis filius, glorię & imperij auidus, bello Campsoni Sultano Aegypti illato, eum interemit. Post cuius interitum Tomumbeium à Mamaluchis cõstitutum, non solùm regno, sed & uita, omnibus Mamaluchis deletis, spoliauit. Hinc ferro in promiscuã multitudinem conuerso, uniuersum nomen Sultanorũ funditus sustulit, uniuersa Aegypto potitus, illaq; parte Mesopotamiæ in qua Hierosolyma fuit, quæ tũ deserta, incultaq; erat, nec à Iudæis, ueteribus incolis, qui tum toto orbe extorres, in admissi sceleris pœnã, nec sedem, nec patriam habebant, habitabatur. Huius filius Solymanus, memor uirtutis paternæ, Rhodum imperio suo memoria patrum adiunxit: Vngariæq; bello illato, cùm antè Vuladislaus, patruus Sigismundi, qui tum & rex Vngariæ & Poloniæ fuit, ab Amurathe, omni exercitu ipsius profligato, interemptus fuerit, cũ Ludouico, nepote Sigismundi primi, regis Poloniæ, collatis signis, fortiter dimicauit: in qua pugna tristi, Ludouicus, omnium cum acerbo desiderio, interijt, suiq; in animis omnium triste desideriũ reliquit. Hinc per speciem ferendi opem Isabellæ, ac Ioanni filiolo, in cunis uagienti, contra Ferdinandum tum regem Vngariæ, Budam cum adiacentibus locis occupauit, Selymoq; filio amplum ac florens imperium, Caroli Cæsaris in Africa sępiùs classe in alto, Venetorumq; depressa, reliquit. Qui Venetis erepta Cypro, supremam cladem Iuonię, perfidia Czarniecij adiutus, attulit. Vnde quiuis facilè iudicare potest, impiam Turcicam gentem, à tenui principio ortam, ad tãtam amplitudinem imperij nulla alia re, solùm per scelus ac per fraudem, Christianorum discordia subnixam, occupato regno Aegypti, omnibusq; prouincijs quæ Sultanorum erant, peruenisse: quod Alexandri Magni, Romanorumq; potentiæ comparari potest, ne dicam anteferri. Quod nõ tam facilè unius gentis uiribus infringi potest, solùm consensu omnium Christianorum: qui in tanta eorum discordia nunquam, opinor, futurus est: imò inter eos magis discordiam gliscere uidemus, quæ eos ad ciuile ferrum, domesticumq; sanguinem effundendum adducit. Sed nos cœptam historiam continuemus, ad Iuoniamq;, unde digressi sumus, reuertamur.

Sophianorum regnum in Perside, an. Christi 1480.

Secundus rex Sultanus Turcarum hostis.

Saladinus regnum Aegypti occupauit, anno Christi 1105.

Stirps Saladinorum Aegypto extincta, anno Christi 1400

Regnũ Sophianorum.

Sultanorum.

Turcarum Cæsarum.

Selymi bellum contra Campsonem.

Successio Solymani.

Selymi imperium.

Redit ad historiam.

Iuonia poſt tot ex Turcis partas uictorias, ad ſe Ieremiam Czarnieuiecium Barcabalum, præfectum arcis Chocimenſis (eo enim nomine præfecti arciũ lingua Valachica appellantur) accerſit, ſicq; uerba feciſſe in conſpectu omnium dicitur: Cùm optatis noſtris fortuna, Czarnieuieci, ſucceſsibusq;, quibus contra Turcas, crudeliſsimos hoſtes, hactenus uſi ſumus, reſpondeat: eſt quòd gratis animis id proſequamur, ipſiq; Deo Opt. Max. perpetuas ac ſempiternas gratias & agamus, & habeamus, quòd res noſtras contra hoſce teterrimos hoſtes ſecundat, nobisq; ex eis tot, tantarumq; uictoriarum author eſt. Nunc quid aliud reſtat, niſi ut exercitum tot laboribus fatigatum domum remittam, proficiſciq́ue patiar, ut, cùm ad noſtras aures de aduentu Turcarum peruenerit, illico ad primum ſignum, quod claſsico dabitur, recreati adſint. Tu uerò, cuius fides erga me conſtans fuit, hunc exercitum à me (erant autem Valachorum tredecim millia, armis, uirisq; inſtructa, qui cuiq; ualidiſsimo hoſti opponi poterãt) cape: quocum ad Danubij ripã proficiſcere, tranſituq;, ſi eum Turcę tentare uelint, arce. Eſt ibi in proximo ex altera parte ſuper Danubium, oppidũ Oblacienſe, Turcarum ditionis: in quod tu intentus eris, (ne alibi uado Turcæ reperto, Danubium traijciant) meq; de eorum aduentu quamprimũ certiorem facies.

Oratio Iuoniæ ad Czarnieuiecium.

Poſtquàm hæc Iuonia dixit, multis tum hæc uerba lachrymas excuſſerunt. Demũ oſculo Czarnieuiecium excipit, ut eum maiore obſequio ſibi deuinciret, obſequentioremq; redderet. Ille poplite flexo, fidem, operamq; ei ſuã pollicetur. Iuonia cõmiſſo exercitu Czarnieuiecio, alijs nonnullo temporis ſpatio uacationem militiæ concedit, eosq; domos ſuas ſe re iubet, ut refectis corporibus labore fatigatis, & obſonijs acceptis, quamprimũ lignũ daretur, omnes equis, armisq; inſtructi, ad perſequendum hoſtem conuenirent. Czarnieuiecius, accepto exercitu, ita ut iuſſus erat, Danubium uerſus proficiſcitur, ſtationes intentiſsimè agit, ne quis Turcarũ Danubium traijciat. Adfuit eorum infinitus numerus, qui non auſi Danubium tranare erant.

Omnium lachrymæ prænunciæ fraudis Czarnieuiecij.

Quo uiſo, Baſſæ certos internuntios ad Czarnieuiecium mittunt: eisq; triginta millia nummûm aureûm Vngaricorum dant, ut quoquo modo animo Czarnieuiecij tentato, ad ipſos colloquẽdi gratia occultus ueniat. Ille, magnitudine pecuniæ illectus, fidem dat ſe uenturum, pecuniamq; miſſam accipit. Hinc occultè, ſuis inſcijs, in colloquium cum Petro Palatino de Valachiæ Tranſalpinæ, qui trans Danubium cum magnis Turcarum copijs erat, uenit.

Baſſæ Czarnieuiecium ad defectionem ſollicitant.

Coram quo Petrus, in quo & quanto periculo Iuoniæ res cõſtitutæ ſint, commemorat. Oſtendit quàm in eum Selymus animo offenſo, exacerbatoq; ſit, quòd ipſius tributarius tantos exercitus deleuerit: eum Selymo aliter non poſſe ſatisfacere, ſolùm pœna capitis: nec ampliùs dominatum Valachiæ obtinere poſſe: ſe certo certiùs genti illi imperaturum. Proinde (inquit) ſi ſapis, cùm adhuc integræ res ſunt, animum Selymi nouo ac recenti aliquo beneficio tibi concilia. Omne bellum ſumi facilè, cæterùm ægerrimè deſinere: non in eiuſdem poteſtate initium eius ac finem eſſe: incipere cuiuis, etiam ignauo, licere: nõ deponi niſi cùm uictores uelint. Habere illum magnam opportunitatem & copiam ſocietatis, atq; amicitiæ ſecum coniungendæ, quæ bello potior ſit. Et quamuis Iuoniæ opibus confideret, tamen nõ debere incerta pro certis ponere. Nunc accepiſti triginta millia nummûm aureûm: pòſt plura accipies. Proinde ſi tibi conſulere uis, ne florentes res tuas cum Iuoniæ perditis miſceas: uerùm liberè Turcas omnes per Danubium tranſire permittas. Se enim cum ingenti exercitu ad occupandam Valachiam à Selymo, capiendumq; Iuoniam mitti. Vbi, cõſecuto Palatinatu Valachiæ, tu quæq; ſumma adepturus unà cum tuis es. Opus igitur eſſe ut aduentum Turcarum coram Iuonia tantiſper occultet, & à Danubio abſcedat, dum per ipſum uniuerſo exercitu traiecto pòſt Iuoniam facilè capere, ipſiusq; uniuerſum exercitũ opprimere, cladesq; acceptas ſuperiores una hora ulciſci poſsint.

Colloquium Petri cum Czarnieuiecio.

His tot, talibusq; precibus & blandițijs, lachrymas addit, oratq; Czarnieuiecium, ut quamprimùm agmine ſuorum à Danubio remoto, tutò cũ Turcis flumen uorticoſum tranſire poſsit. Czarnieuiecius, Petri promiſsis ineſcatus ac infatuatus, accipit conditionem, quamq; iureiurando fidem cõfirmatam Iuonię dederat, eã frangit. Hinc ab ea parte Danubij ubi ſtationes diligenter ſuorum agebat, agmine ſeducto, liberum per flumen tranſitum Turcis permittit. Erãt Turcarum tum ducenta millia, qui cum tormentis muralibus, omniq; apparatu oppugnandarum arcium, Danubium tranauêre. Tranſmiſſo Danubio, iubent ut Czarnieuiecius Iuoniam eo de re certiorem faciat. Hic celeriter ad Iuoniam ueniens, narrat qua ratione Turcæ, multitudine ſuorum ſubnixi, Danubium tranſierint, quibus ille nulla ratione obſiſtere potuerit: quare Iuonia bene rebus ſuis conſuleret, ſi quamprimùm cum exercitu adeſſet, eorũq; conatibus primis obuiam iret, ſuasq; infirmas copias iuuaret. Non ſine lætitia hęc Iuonia audiuit. Quare plenus bonę ſpei, Czarnieuiecium quis & quantus hoſtium numerus ſit, percunctatur. Sunt (inquit) decem: nec amplius duodecim millia. Sed antequam tu cum copijs aderis, in horas numerus eorum augebitur, & ad quindecim millia excreſcet. Erat

Lachrymæ Petri.

Dolus Czarnieuiecij.

Iuonia

Iuonia unà cum suis Kosacis ad arcem Teinicensem, quam expugnare uoluit. Demũ conuocato Senatu, qui tum cogi potuit, omnes, quid sibi faciendum esset, consulit, an arcem priùs expugnare deberet, uel hosti tot cruentis prælijs irritato occurrere, eiusq; copias in fugam conuertere. Ibi omnium una ac eadem sententia erat, ut priùs hostilem exercitum dispalaret, deleretq;: quo deleto, pòst arces expugnaret. Quorum cõsilium ille secutus, habita peditum ratione, quarta demum die, ad castra hostium, quæ à suis duodecim milliaribus aberant, cum cantu cornicinum, tubicinumq; peruenit. Nona die Iunij, eiusdẽ anni, castra ab hoste ad tertium lapidem Iuonia ponit: ibi uelites simul conueniunt, de summa rei consultaturi. Se quidem paratis animis cõtra acerrimum hostem, tot prælijs irritatum, proficisci: uerùm se neminem habere qui linguæ hostium gnarus esset, Iuoniam nescio quo consilio fretum, totam rationẽ belli certis hominibus credidisse, imprimis uerò Czarnieuiecio, cui nos omnino fidere nolimus. Quare in tam rebus nostris dubijs ac plenis periculi, ut ipsimet cum Iuonia colloquamur, necesse est. Igitur ad eum citato gressu ueniũt, factaq; potestate dicendi, sic Suierceuius pro omnibus uerba fecisse dicitur: Illustris Palatine, nos hactenus fidem tuam secuti, tecum contra hunc crudelissimum hostem, socia arma iunximus: in quibus ferendis quæ & quanta opera nostra extitit, optimè nosti. Huc iterum à te contra eum educti, ad internetionẽ cum eo dimicare parati sumus: nec illi iter in Valachiam patet, solùm per stragem cadauerum nostrûm: solùm nobis necessariò prouidendum ac cogitandũ est, ne temere in prælium ruentes, nullo cònsilio hostiũ cognito, quantus eorum numerus sit, quis castrorũ tractus, in insidias præcipitati, ab eis instar belluarũ mactemur. Quare quod tibi consilium belligerãdi cum eis sit, effare, proloquereq;.

Consultatio Kosacorum.

Iuonia oratione Suierceuij commotus, alta suspiria ex intimis præcordijs ducens, paucis ac breuibus respõdet. Et uirtus mihi uestra, equites fortissimi, uita mea mihi chariores, nota, perspectaq; est, (cuius spectator fui) & totius belli omnia consilia nota. Non igitur obiectos uos temere cædi hostium uelim, sed consilijs eorũ priùs exploratis, nos cum eis dimicare uelim. In proximo Czarnieuiecius cum exercitu meo est: qui in hostem intentus, omnia cõsilia eorum cognita habet. Nec ego tantam rem cuiuis commisi, sed huic, cuius mihi fides semper in dubijs ac difficillimis rebus perspecta est: quem comitem tot peregrinationum mearum, propemodumq; exilij habui. Ipsemet modò ad me retulit, Turcarum non esse ampliùs quàm quindecim millia. Qui etiamsi triginta essent, eos nos diuino auxilio freti ad satietatem cædemus. Hæc ubi respondit, ut in eo loco sese cum uniuerso exercitu contineret, Iuoniam Suierceuius orat, se cum suis aduersum hostem profecturum, ut aliquem ex castris ipsorum capere possit, certioraq; de cõsilio hostium explorare, cognoscereq;. Iuonia prompto, alacriq; animo concedit: cui Veremiam cum sex millibus Valachorum, magistrũ equitum adiungit. Qui simul profecti, in speculatores Turcicos, quorum agmen sex millium fortissimorum equitũ erat, incidunt. Subitò cum eis prelio inito, eos palant, in fugamq; conuertunt: è quorum numero unũ capiunt: qui tot, tantisq; uulneribus affectus, cùm sese subitò moriturum præsentit, simulanter narrat paucos Turcas esse in armis. Sed uelites, ficta eum narrare animaduertentes, nec contemnendum numerum esse hostium conijcientes, qui in tantam multitudinem speculatorum inciderint: subitò de hisce Iuoniam certiorem faciunt, ut rebus suis cõsulat, quidq; fidendum Czarnieuiecio sit, etiam atq; etiam cogitet, uideatq;. Qui nil aliud respondisse dicitur, solum illud: Iam non est ut perturbemur, aut horrescamus. Ego scio cui fidam: breui numerũ hostium ipsi cognoscemus. Ego enim eo animo huc processi, ut patriam meam contra hanc crudelitatem hostium, ad ultimum exitum uitæ tuear, defendamq;. Atq; ita communitis castris suorum ad lacum qui ex Danubio profluit, ut opportunam aquationem haberet, iubet equos trecentes adducere, ut uelites eis cum Valachis cõscensis, qui superiore nocte Turcas pallauerant, omnes simul contra hostem proficiscantur. Erat prope hostium castra collis arduus ac sublimis: quo cònscenso cum socijs, Iuonia hostium castra contemplari uoluit. Sed ea nulla ratione conspicari potuit, eò quòd in decliui loco posita erãt, nec à quoquam è longinquo loco cõspici, nisi quis ad ea propè accederet, poterant: solùm in diuersis locis quatuor inter se disiunctis, speculatores hostium animaduertit: qui, conspectum Valachorum declinantes, sese in quendam tumulum per diuersos tramites, qui nõ procul à suorum castris erant, abdunt. Iuonia, propè hostem adesse suspicatus, totum exercitum suum, (erat autem triginta millium) quoniam multitudine abundabat, in triginta turmas, per interualla disponit. Ante singulas turmas tormenta muralia miræ magnitudinis collocat. Erant autem octoginta, quæ ex sese globos igniferos euomebant. Pedites simili ratione ab equitibus semotos, quorum magnus numerus erat, disponit: qui Iuoniam apud se retentum, ad equites haud patiuntur progredi, non mediocriter de uita ipsius, ne à primoribus deceptus, uiuus in potestatem Turcarum ueniret, pertimescentes: solùm ad Ko-

Responsum Iuoniæ.

Iuonia Suierceuium contra hostes mittit.

Iuoniæ responsum.

Profectio Iuoniæ contra hostem.

Iuonia hostium castra contemplatur.

Stratagema Iuoniæ.

sacos Polonos cum interdum eum commeare patiuntur. Nam pedites, gens rustica, singulari fide ac animo in Iuoniam fuēre: quorū arma, falces, arcus, gladij reflexi, Turcicorum similes, ac fustes erant. Instructa acie, firmißimisque subsidijs firmata, Iuonia, antequam signa canerentur, iterum collem arduum, ut ex proximo loco castra hostium contemplaretur, conscendit: quorum multitudine præter spem ac opinionem uisa, cognoscit, se esse à Czarnieuiecio in fraudem inductum: quare eum ad se accire iubet, qui respondet: sibi iam facultatem ad ipsum ueniendi non dari, se statim cum Turcis certamen pro incolumitate ipsius initurum. Habuit autem Czarnieuiecius fortißimorum equitum, quibus præfuit, tredecim millia, optimè armis instructa. Cùm igitur signa canerentur, Turcæque acie suorum optimè disposita, prælio sese expedirent, ibi proditor Czarnieuiecius, primus prælium init. Cumque illi dimicandum, congrediendumque cum hoste esset, uti cum Turcis constituerat, iubet suos uexillum demittere, & pileos hastis ensibusque impositos, eleuare, ac capita flectere. Ibi Turcæ, animaduersa uoluntaria deditione, in sublime hastis suis erectis, eos ad se transire iubent. Hac tali defectione Czarnieuiecij, exercitus Iuoniæ consternatus, omnes retrocedentes, properè ad Iuoniam accurrunt: rem esse perditam narrant. Quorum ille uocibus minimè consternatus, (ut erat in rebus dubijs, subitisque intrepido animo) eos id pro nihilo ducere, ac contra Turcas sese expedire iubet. Sed Turcæ, postquàm turmas Valachicas trepidare uident, agema suorum contra eos mouent: ante se illos ipsos Valachos propellunt, ac tergiuersantes cædunt. Quibus Iuonia uisis, ira percitus, in eos uim tormentorum exonerare iubet. Sic illi partim à suis, partim à Turcis in medio cæsi fuēre. Turcæ uerò proditorum terga secuti, eisque tecti, per stragem cadauerum ad exercitum Iuoniæ, sanguine eis iter, qui instar riui ex cæsis Valachis fluebat, intercludente, peruenēre. Quos Kosaci, more solito, à lateribus aggreßi dißipant, non mediocriterque turbant. Adsunt alij Valachi, animo, armis, uigore, ac uiribus corporis, Turcis longè superiores: qui sibi aditu patefacto, Turcas egregiè cædunt. Hinc clamor permistus hortatione, lætitia, gemitu oritur: item strepitus armorum ad cælū ferri, sagittæ utrinque uolare cœperunt. Non sustinuēre uim Valachicam Turcæ: subitò terga, seu timore perculsi, seu data opera, dant: ac quingentos passus, ut Valachos ad locum insidiarum pertraherent, ubi uim tormentorum in abditis locis condiderant, retrocedūt. Sensit eum dolū Suierceuius hostium. Quare sublato clamore, monet turmas tàm Polonicas quàm Valachicas, ut pedem referant. His illi adhortationibus concitati, imminenti se periculo manu armata subtrahunt. In hos Turcæ recentes impetum faciunt: sed Valachi eos egregiè sustinent, nullaquē memorabili clade accepta, ad castra suorum incolumes reuertuntur. Iuonia ex suorum successu lætus, tàm Valachorum quàm Polonorum, iuxta tormenta aciem disponit: ubi singuli impletis pharetris pluribus sagittis, lanceis alijs acceptis, intenti in hostem erant. Turcæ recentibus uiribus feroces facti, subitò in Valachos irruunt. Quibuscum fortiter congreßi, nullius imminentis periculi ratione habita, displosis tormentis in Valachos, eorum aciem non mediocriter turbant. Quorum conatibus Valachi obuiam euntes, fit atrox pugna, eademque propemodum par. Cadebant præcipites tàm Turcæ quàm Valachi ex equis: iam uires uiris, iam ferro sua uis deerat. Tantus puluis è tormentis, è quibus crebri, uiolentique globi emittebantur, excitatus fuit, ut ipsius densitas solem obscurauerit: nec ulla uox hominū in tanta multitudine exaudiri potuit, nec quisquam à quoquam uideri: nec magistri tormentorum, in quam partem eis globi emittendi essent, scire. Nec in tam aspero negotio Iuonia territus, suisque succurrendum ratus, sublata uoce proclamat, ut retrò post tormenta cedant, uexillaque sequantur. Turcæ quoque retro ceßēre. Oppidani Oblacienses, tantam atrocitatem pugnæ ex oppido spectantes, cernentesque copias Turcarum à Valachis prægrauari, fugam parant. Est id oppidum trans Danubium, ditionis Turcarū: ex quo effusa multitudo, in remotiora Turciæ fugit. Postquam quasi ex composito, ab utraque parte ab armis discessum fuit, repentè ingentibus procellis fusus imber: quo uniuersa agmina tàm Valachorum quàm Turcarum perfusa fuēre: illeque totus puluis, ingenti boatu tormentorum, et pedibus dimicantium excitatus, in terrā delapsus, discussus fuit: sed maximo detrimento Valachica tormenta affecit, quæ eis magno adiumento contra omnem uim Turcicam fuēre. Nam ea cœlesti aqua perfusa, globos emittere nequibant. Hodiernorum tàm muralium, tam eorum quibus, tam equites quàm pedites utuntur, apud ueteres nullus usus fuit. Non ita pridem hæc sunt, circiter annum millesimum, trecentesimum, supra septuagesimum sextum, inuenta. Quæ accepta primò Veneti à Germanis, hisce in eo bello usi sunt quod contra Genuenses ad Clodiam fossam gessēre. Primi tormenti inuentor fuit quidam Germanus, cuius nomen à scriptoribus non proditur: cui casu in mentem uenit tale quid in perniciem hominum inuenire. Fertur enim seruasse domi in mortario puluerem sulphureum, cuiusdam medi-

Peditum singularis in Iuoniam fides. — *Iuonia fraudē Czarnieuiecij cognoscit.* — *Iuoniæ pugna cum Turcis.* — *Magnitudo animi Iuoniæ.* — *Exitus proditorum.* — *Pugna Valachorum cum Turcis.* — *Stratagema Iuoniæ.* — *Iuonia suos reuocat.* — *Vis imbris.* — *Tormentorum usus cœptus an. Christi 1378.* — *Germanus inuentor primi tormenti.*

cinæ causa faciendæ, illumq́ texisse lapide: ac inde contigisse, ut cùm ignem propè ex silice excuteret, scintilla nitro inciderit, subitoq́ flamma concepta, eadem eruperit, atque lapidem in altum tulerit. Quam ille rem penitus considerans, postea ferrea facta fistula, & puluere confecto, machinam reperit: in quam immisso priùs puluere, demum globo igne admoto, ex eo sonitum terribilem, eundemq́ue uiolentum edidit. Huius usus est apud omnes gentes: formæ sunt uariæ, ad expugnandasq́ue urbes aptissimæ, ut in eis omnis uis peditum, omnis equestris splendor, omnis denique bellica uirtus constet. Cùm uiolentia pulueris globus excutitur, quicquid obuium offendit, quassat, dissipat, frangit, contundit: adeò ut nullus locus sit, quamuis natura munitus, qui non facilè expugnetur. Is igitur machinæ huiusmodi repertor, pro mercede (ut opinor) accepit ut nomen eius silentio perpetuo premeretur, ne omni tempore à cunctis mortalibus diris deuoueretur: dignus scilicet qui prior ipse uice Salmonei, fulmine flagrasset: (Salmoneus enim, Aeoli filius, cùm Iouem uellet in fulminibus iaciendis æmulari, ab eo de cœlo tactus, detruditur) quando hæc fulmini, odore, luce, sonitu, impetu simillima est. Sed nos ad institutam historiam reuertamur. Irritatis tàm Valachicis quàm Turcicis animis certamine, etiam acriùs concursum est. Nam Turcæ, eductis suorum uiginti millibus in aciem, in læuam partem, ubi tormenta Valachica disposita erant, prosiliunt. Ibi Valachi in eos tormenta displodere nequeunt. Nam iam à cœlesti aqua corrupta fuerant. Nihilominus mutuò sese cohortantes, in Turcas magnum impetum faciunt, cum eisq́ ad ultimam defatigationem dimicant. Subitò adsunt Scythæ, cum recentibus copijs Turcarum: qui, cùm sese nullo à tormentis detrimento affici uident, ex inferiore loco per diuersos tramites in quibus latitabant, egrediuntur. Ibi dissono clamore perterrefaciunt Valachos, & à tormentis remouent, in fugamq́ conuertunt: qui per Valachicos patentes campos dispalati, instar pecudum à Turcis cæduntur. Nec iam plures ad hoc usque tempus, quàm ducenti quinquaginta uelites, seu Kosaci, supererant. Sic mutata fortuna belli, unius perfidia Czarnieuiecij: quæ non multo pòst supremam cladem Iuoniæ attulit. Nam Iuonia accurrens, ad reliquum peditatum, & illos ducentos quinquaginta uelites (quos Turcæ fatigati cæde Valachorum, aggredi non ausi erant) conuersa oratione sic dixisse fertur: Video, fortissimi uiri, nos unius Czarnieuiecij perfidia in extremum periculum adductos esse: sed ubicunque corpora uestra ferro hostili interfecta iacuerint, ibi & meum inter uestra erit: anima cœlum petat. Ad quem ita Suierceuius: Hæc præsens mors, Iuonia, uti fortes uiros decet, nos minimè mouet, modò summa ui innixi, hosce canes, hostes nomini Christiano infensissimos, ad satietatem, antequam nobis intereundum erit, cędamus. Hæc effatus, subitò uelites ex equis descendunt, seseq́ cum peditibus coniungunt: quibuscum simul conglobati, sexaginta tormenta muralia Turcis subtraxêre: solus Iuonia uno arrepto, quod uix duodecim equi trahere poterant (tantæ uires illi fuêre) illud trahit. Quo Poloni uiso, illud ipsi ademere, leuiori dato. Hinc compositis pedestribus copijs, quorum adhuc erant uiginti millia, Iuonia retrocedit. Quoniam uerò tormenta eis maximo impedimento erant, ea abijciunt: sed ita ut Turcis pòst nulli usui fuerint. Nam maxima ui pulueris in ea imposita, cum ea Turcæ disploderent, omnia disrupta fuêre. Interea Iuonia, qui iam & animo & corpore deficiebat, cum omnibus pedestribus copijs, & nonnullis tormentis, uestigia cæsi exercitus sequitur: nec plus una die, ob ingentem stragem cumulumq́ cadauerum, quæ passim cæsa in uijs insepulta iacebant, mille passus progredi poterant. Qui cum uniuerso peditatu in locum ubi antè uilla incensa fuerat, quædamq́ recentia rudera extabant, cùm uenisset, castra sua ibi communit, eaq́ fossa, ne subitò à Turcis occupari possint, cingit. Ea in parte (sed satis obsistere difficile erat) consilium Iuoniæ dignum repræhensione fuit, quòd ibi suos uallo cinxisset, ubi nulla commoda aquatio fuit. Nam siti homines enecti moriebantur, seseq́ Turcis non multo pòst dedidere. Sole iamiam occidente, eadem die decima mensis Iunij, Turcæ à fuga Valachorum, quos persequebantur, reuersi, subitò castra Iuoniæ circumdant, atq́ coarctant: quorum tanta multitudo fuisse dicitur, ut oculis terminari nequierit. Quibus circumdatis, neminem ex exercitu Iuoniæ egredi patiuntur: utq́ spem omnem ei commeatus præciderent, uillas castris Iuoniæ proximas, in quibus ampla prædia erant, tota nocte incendio graui consumunt: idq́ue ideò, ne quis obsessorum effugeret: neúe extra uallum obscura nocte egressi, ipsos inuaderent. Appropinquante luce, (quæ fuit undecima Iunij) Turcæ in castra Iuoniæ multitudinem globorum è machinis muralibus emittunt: sed illa nullo detrimento affecta fuêre, eò quòd alto aggere obuallata erant, unde sese Valachi, pariter cum Polonis, contra Turcas egregiè defendebant, in eisq́ue ingentem stragem toto triduo faciebant. Turcæ, difficilem expugnationem castrorum Iuoniæ animo cernentes, per internuntios cum eo colloquia serunt, ut ille

Bombardæ uiluæ. *Nota de Salmoneo.* *Redit ad historiam.* *Pugna Valachorum cum Turcis.* *Victoria Turcarum.* *Verba Iuoniæ ad Polonos.* *Kosaci sese cum peditibus coniungunt.* *Iuonia retrocedit.* *Iuonia castra munit.* *10. Iunij dies extrema Iuoniæ fuit.* *Turcæ castra Iuoniæ obsidunt.*

Colloquium Turcarum cum Iuonia. ut ille omni cunctatione omissa sese dedat: spem ei maiorem debere esse in misericordia Turcarum, quàm in suis ullis uiribus: præsertim cùm omni ope, auxilioq́ destitutus, pòst se dedere cogatur. Quare spontanea hac deditione præoccuparet animos ipsorum, nec in tam anceps periculum & suas copias, & Turcicas inijceret. Ad ea sic respondet Iuonia: Video ac animo cerno, in quam aduersam necessitatem adductus sim: sed, cùm penes me firmissimas copias pedestres habeam, possim certè non sine uestra clade cadere. *Iuonia responsum.* Quare, cum fortunæ hoc tempore cedendum, ac necessitati arbitrer, non renuo deditionem: solùm ductores uestri me à uobis conseruatum iri, ac quascunq; uobis conditiones proposuero, uos eas integras conseruaturos iurent: nec id semel, sed quiuis septies. Hisce dictis, internuntios extra munimenta castrorum excedere iubet: quibus se quamprimum responsum daturum pollicetur. Hisce ita compositis, omnes ad se Polonos, pariterq́ Valachos conuocat, ad quos sic uerba fecisse memoratur: Hodierna dies hæc tristis ac misera à nobis, fortissimi uiri, aut deditionem extorquet, aut hîc inter hæc septa enectos mori iubet. Quare utrum consultius rebus nostris sit, an sese huic truci hosti dedere, uel portis castrorum patefactis in indubitatam mortem ruere, ac non sine cæde hostium gloriosè cadere: in medium consulite. Mors certè sola finem omnium malorum afferet, quæ corpus à cruciatu, oculos ab indignis rebus auertet, nosq́ diuino conspectu frui efficiet. Plura loqui uolentem ac cupientem uis lachrymarum orta præpediuit. *Oratio Iuoniæ ad suos.* Ad quæ sic Poloni: Mors nobis, Iuonia, nunquam acerba ac atrox, & est, & erit. Quare, si ita animo destinasti, hunc crudelem hostem inuadamus, potiusq́ gloriosè cadamus, quàm ab ea capti, per ludibrium, per dedecus, per uarios cruciatus, non sine contumelia uitam finiamus: præsertim cùm nulli Christianorum fidem datam conseruet. *Polonorum responsum.* At contrà Valachi, quorum tantus animus in mortem non fuit. Deditionem quidem non abs se abnuere, si pro certo Iuonia sciret, Turcisq́ fidere, quòd ipsum incolumem conseruaturi essent, posset. Si de fide eorum dubitaret, se cum Polonis ad ultimam internetionem, fidei semel ipsi datæ memores, contra Turcas malle dimicare, quàm per fraudem illorum omnibus esset pereundum. *Valachorum responsum.* Iuonia huc illuc animo fluctuans, quid sibi faciendum esset, animi dubius, in diuersum curis trahebatur. Mouebatur indigna calamitate suorum, eò quòd multi siti enecti, indies magis atque magis moriebantur, ac breui pòst omnibus pereundum erat: serò culpans consilium suum, quòd in tam iniquo loco castra posuisset. Quare summo cum gemitu, & lachrymis sanguinolentis ita exclamat: Malo me hosti dedere, quodq́ aduersa sors attulerit, pati, quàm ut mea causa tot millia hominum siti pereant. Percunctabor nihilominus legatos ad me missos, an in hasce conditiones quas eis proposuero, iurare uelint: Si iurauerint, tum me eis dedam. *Iuoniæ uerba luctuosa.* Quare legatos Turcarum, qui extra munimenta castrorum responsum expectabant, acciri iubet, eosq́ ita affatur: Ite, uestrisq́ imperatoribus hæc nunciate. *Iuonia legatis respondet.* Quamuis firmissimas copias, quas ipsi cernitis, habeam: quorum fideli subsidio subnixus, hasce uestras uires sustinere possim: tamen necessitati hoc tempore cedendum arbitror: Quare si omnes imperatores & præfecti uestri, singuli septies, in has conditiones mihi iurabunt: tum primùm me dedam. *Prima conditio.* Primò, ut uniuersum equitatum Polonicum, singulari fide ac uirtute præditum, unà cum suis equis ac impedimentis, à quauis gente magnifaciendum, qui ad postulata mea uenêre, sine ullo impedimento saluum reuerti patiantur, liberumq́ eis transitum per Nestrum flumen dent. *Secunda.* Secundò, ut me ad Selymum, Turcarum imperatorem, dominum meum, uiuum ac incolumen deducant. *Tertia.* De Valachis nihil dico: quos æquum est, cùm Cæsaris dedititij sint, conseruare: quos si uos uiolaueritis, uel trucidaueritis, ingens detrimentum Cæsari, uel ei quem ille pòst Valachiæ præficiet, estis allaturi. Hæc legati ubi purpuratis, & arcium præfectis exposuissent, omnes pedibus in conditiones eas eunt: septiesq́ singuli omnia postulata iuramento militari, etiam suorum militum nomine, confirmant. Tandem ipsemet ad purpuratos Turcarum, omni metu deposito, impendentisq́ periculi nescius, è castris egreditur, coramq́ sic pro equitatu Polonico uerba facit: *Oratio Iuoniæ ad purpuratos.* Cùm ita Deo Opt. Max. uisum sit, ut potestatis uestræ factus sim: uos ego per fidem uestram, quam mihi sacramento militari sanxistis, oro ac obtestor, ut equitatum Polonicum, liberè in equis ad suos cum omnibus impedimentis reuerti patiamini. Digni etenim sunt ij uiri, ut eos omnes mortales colant, suspiciant, magnifaciant. Si quod uestrum odium est in eos, illud in me conuertite: quod ego pro eis ferre, sustinereqûe paratus sum. Demum suis paulisper à castris remotis, ad Polonos, quos educebat, illa uerba nouissima dixisse fertur: *Nouissima oratio ad Polonos.* Nunc grauis ac acerba fortuna, uiri fortissimi, me à uobis disiungit: quare hanc dextram uobis singulis porrigo, testorqûe, quoad usque spiritus meus hoc in mortali corpore supererit, nomen uestrum grata ânimi memoria me prosequuturum. Non sine lachrymis hæc Poloni audiuêre: cuius dextram cum flebili ululatu amplexi exosculabantur.

Qui

Qui cùm iam ad tertium teli ictum à castris abfuissent, Valachos quoque pari ratione è castris educit: quibus non sine lachrymis ualedicit. Recordatus auri ac unionũ, quos penes se habebat, iterũ ad Polonos reuersus, gladio accinctus utrinque acuto, omnia eis largitur, tandemque flens sic inquit: O si mihi iam ad manus uestræ copiæ quàm priores ille duplo maiores essent, uel saltem eæ integræ: efficerem profectò, Deo adiuuante, ne quis istorum canum ad occasum solis in hac regione, quam mihi Deus propter magnitudinẽ scelerum meorum adimit, superstes foret. Sed frustra uos, uiri fortissimi, uolubilitate uerborũ inani detineo: id ferre cogor, quicquid mihi Deus imponet. Vos ita à me discedere uelim, & opto, ut uos Deus Opt. Max. incolumes ad patrios lares deducat. Me quoque si Deus è manibus cruentis horum teterrimorum hostium conseruabit, meque Turcici Bassæ, uti polliciti sunt, uiuum & incolumem Selymo sistent, iureiurando mihi pro re certa polliceor, me pòst beneficio Selymi, cuius sensus omnes calleo, Valachiam iterum habiturum. Vos interim oro, ut dulcissima recordatione semper memoriam mei colatis. Quicquid opum & diuitiarum mihi pòst erit, id in uos conferam, uestræque stirpis Polonicæ homines ad summos gradus honoris, quoniam fides, fortitudo, constantia uestra, in rebus dubijs est mihi perspecta ac cognita, eueham. Hæc effatus, quicquid residui unionum aureorum habuit, id Polonis largitur, inquiens: Nolo ut id in manus horum immanissimorum hostiũ perueniat. Proinde considerans fortitudinem uestram, & fidelem operam, quam mihi adhuc nauastis, et eum affectum sanè mirum, quo me prosequuti estis: omnia uobis dono: animi grati beneuolentiam erga uos, ac omnem gentẽ uestram, penes me relinquo: quã semper ad extremum spiritum retinebo: cuius rei testẽ Deum, huius uniuersitatis creatorẽ, inuoco: cui uos commendo. Huiusmodi precatio ac obtestatio Iuoniæ, omnibus Polonis lachrymas excussit: cui gratias egêre. Qui armis à se abiectis, more supplicũ, ad castra Turcarum, sumpto secum Polono Osmolio, peruenit: quibuscũ integras quatuor horas colloquium habet. Ibi Bassa Capucius, fortassis oratione eius offensus, immemor fidei sacramento militari confirmatæ, quam Iuoniæ dederat, stricto gladio, uentrẽ, faciemque eius discidit. Ita uulneratum Ianczari corripiunt, & semiuiuo caput amputant: deinde truncum, pedibus duorum camelorum alligatum, discerpendum obijciunt: quod belluæ in diuersum concitatæ discerpunt. Caput hastæ infixum: cadauer discerptum, in frustaque minutissima concisum: cuius ossibus inter se partitis, cruore cadaueris recentis gladios perungebant, sanguinemque equis suis bibendũ porrigebant, Deo supplicantes quò in ipsis quoque idem uirilis animus, & eadem belligerandi ratio esset. Eum exitum Iuonia, uir memorabilis, habuit: qui perfidia Turcarum tam crudeliter ac nefariè, omniúm cũ tristi desiderio, è medio sublatus fuit. Quod ei, reor, non accidisset, si in religione Christiana constantior fuisset, & imperata fecisset. Dolendus ipsius casus, in exemplũ est, documentumque inconstantiæ rerum humanarum. Nam sicut antè secunda fortuna rebus supra uota fluentibus, tot, tamque inclytas uictorias ex Turcis attraxerat: ita nũc aduersa, quæ ei indulgebat, uelut in ostentationem fragilitatis humanæ, destruens quæ cumulauerat, exitum miserabilem, horrendam ruinam, fœdamque mortem Iuoniæ adiecit. Turcæ miserabiliter Iuonia occiso, subitò in Valachos, quos Iuonia è castris eduxerat, impetũ faciunt, eosque instar pecudum crudeliter interficiunt. Poloni uelites, uisa perfidia Turcarum, nec sibi tutum reditũ in Poloniam esse cernentes, in castra iterũ, ex quibus excesserant, regredi uolebãt. Sed ea à Turcis occupata iam erant. Demum, sese mutuò cohortati, in agmina densa Turcarum, pleni animi, speique summa ui incurrunt: quibus disruptis, disiectisque, omnes fortiter occubuêre: pauci grauiter uulnerati: qui pòst Turcis admirationi fuêre, quòd paucissimi in numerosos proruissent, pugnarentque uiriliter: quodque, lethaliter saucij, per media castra ambulassent, nec ob id mortui essent. Illi autẽ præcipui capti è Polonis fuerunt: Suierceuius, cuius præcipua uirtus, industriaque singularis in eo bello extitit: Coslouius, Sadorscius, Iancius, Zalescius, Copitscius, Rescouius, Socolouius, Libisouius, Cisouius, Sucinius, Bogsicius: qui omnes pòst ab heris suis grandi ære redempti fuêre. Sollicitabãt autem eos Turcæ, ut religione Mahometi amplexa, in uerba eorum iurarent: pollicẽtes, fore ut amplissimus bonis à Selymo acceptis apud eos uitam tranquillam, beatamque ducerent. Sed illi omnibus Turcarum pollicitationibus spretis, maluerunt apud suos uitam inopem agere, quàm in opulentia ac omnium rerum affluentia, cùm animæ iactura, apud Turcas: magnæ admirationis uirtus eorum fuit: qui Turcæ, quamuis in suorum laudem propensi sunt, tamen uulgo sermonibus iactitarũt, in toto regno Poloniæ, uiribus, industria, belligerãdi promptitudine, eis minimè pares esse. Illi, hisce auditis, Imò nos omnium (inquiunt) sumus infimi: qui ob inopiam apud nostros nullo loco habito, in hasce oras uenimus, uel ut honestè patriam defendentes, mortem oppeteremus, uel præda nacta, ea onusti, ad nostros reuerteremur. Quibus ut crederent, haud id in animum suum inducere poterat.

Valachi à Iuonia educuntur.

Iuoniæ uerba ad Polonos.

Miserabilis exitus Iuoniæ.

Exemplũ Iuoniæ inconstantiæ rerum humanarum.

Extremus conatus uelitum.

Capti Polonorum præcipui.

Constantia Polonorum.

Turcæ captiuos Polonos laudant.

Captiui uirtutem suam eleuant.

Post

Selymus totã Moldauiam occupat.

Post tam ignobilem cædem Iuoniæ, Selymus totam Moldauiam occupat: omnes fe-
rè stirpis Valachicæ, tàm summos quàm infirmos, crudeliter è medio tollit. Totaq; Vala-
chia occupata, arcibusq; ipsius firmo præsidio munitis, alia multitudine alibi in colonias
deducta, in Rusiam intentus est. Quæ sibi unà cum uniuersa Polonia, à tam potenti, per-
fido & immanissimo hoste caueat. Nam optimè, sollerti animo Turcæ cernunt, occupata

Pocucensis oræ situs.

à se Valachia, ac deinde Pocucensi oræ, (quæ est regio inter Hirassum & Tyram, ultra Ca-
menecium uersus Haliciam, Podoliç emporium, in ulteriore Poloniçe ditionis ripa, con
tra Zuthannam Tyræ impositum) pro qua Poloni cum Valachis ad internecionem pu-
gnabant, bello illato, omnia in Podolia ipsorum aperta fore libidini, quæ se in Poloniam
quoq; extendere posit. Nam id est Turcicis imperatoribus in more positum, ut, si finiti-
mi alicui genti sint, aucupata occasione, ac iniectis factionibus inter principes illius gen-
tis, eam post facilè bello aggressum uincant, eiq; perpetuum iugum imponant: ut memo-
ria patrum Grecis fecêre, nostra Vngaris, non ita pridem Valachis. Polonia est eis undiq;
præsidio tot gentium nudata: quæ hactenus uiros eorum, Scythicasq;, in tanto dissidio
Christianorum, qui sese cũ applausu Mahometi, ciuili ferro confodiunt, sustinuit. De qua
occupanda, non mediocris ea cura stimulat, ut per illam uniuersæ Germaniæ bellum in-
ferre posint: cùm ipsis ad Germaniam uastandam difficilis aditus per Austriam, ob mu-
nitiones Viennenses, pateat. Non diu post captam Valachiam Selymus superstes fuit: qui

Mors Selymi, anno Christi 1574.

ferè 4. anno pòst quàm à patre Solymano regnare cœpisset: fatalem horam anno Christi
1574. quindecima die Decembris, obiuit: in cuius locum filius, stirpis maximus, Sulta-
nus Amuratha, tanto silentio à Basis occupãdum imperium accitus succesit, ut priûs ad
Constantinopolim ueniret antequam adesse ab omnibus suspicaretur. Qui imperium
suum à cęde quinq; fratrum, duarumq; matrum, (quarum una grauida erat) & multorum

Post Selymum regnat Sultanus Amuratha

procerum, secutus morem ueterum Turcarum Cæsarum, inchoatus, omnibus terrori ac
formidini studet esse. Hic, ut Ianczaros frementes placaret, quòd ipsis inscijs à Basis ac-
citus imperium inuasisset, hæc eis postulata concesit. Largitus est singulis à summo ad
minimum septuaginta quinq; taleros: stipendium illorum auxit: filios ipsorum, ubi ado-
lescerent, Ianczaris ascribendos statuit. Numerum Ianczarorum duobus millibus maio-
rem fecit: ita ut iam sint sedecim millia. Postremò, in prælio mutilatos, immunes à bello fe
cit, & omnem uictum ad uitam transigendam eis dari iusit. His ita compositis, memor
cladis quam Iuonia cum Polonis Kosacis, ditionibus Turcicis intulerat, ut aliquando Po
lonos ulcisceretur, immisis mense Octobri, anni 1575. centum & undecim millibus Scy

Scythæ Rusiã uastant.

tharum Præcopiensium, regiones Rusicas quaqua uersus, ad quadraginta milliaria per-
uastauit. Ducentas domos equestris ordinis, ac pagos permultos, flamma iniecta ij immi
tes hostes exusserunt: senes è plebe, puerulosq; plorantes cõtrucidarunt. Nobiles tamen
haud plures triginta uel in prælijs occiderunt, uel pariter cum uxoribus, liberisq; in Vala
chiam, miseris modis colligatos abduxerunt: multi greges boum, ouiumq;, multa equo-
rum armenta, ab illis abacta sunt. Lassis crura succidebant: uiuis coria ad uincendos homi
nes detrahebant. In traiectu Nestri fluminis, magnus captiuorum planctus auditus est,
quòd se iam planè in acerbissimi hostis potestatem uenisse uiderent. Quos nostri libera-
turi fuissent, ni confisi uanis promissis Petri Palatini Valachiæ, qui se Scythis reditum in
patriam, per Valachiam permissurum negabat, nostrisq; id sanctè promittebat, ad Kio-
uiam, quâ hostis uenerat, eâdem sperantes rediturum, conuersi paulò tardius ad Nestrum
concurrissent. Multi quidem tum Scythæ occisi: plures tamen Rusi abacti ab illis sunt:
qui passim grassante tam numeroso hoste, conuenire ad Mielecium Palatinum Podoliç,
haud potuerunt. Interemptus quidam Scytha à Iacobo Niezabitouio, cum septingentis,
quos ducebat: cuius frons uiginti quatuor digitos lata fuit: manus & pedes, adeoq; to-
tum corpus stupendæ magnitudinis: humi iacens cadauer, umbilicum uiri stantis attin-
gebat. Dum uerò isti prædant in Valachia cum Palatino partiuntur, Kosaci, Borysthenis
accolæ, milites generosissimi, ductore Bogdano Rosinskio, in Scythiam irruunt, flam-
mą & cædibus omnia complent, fœminarum ubera abscindunt, alias excæ-
cant, liberos illarum collidunt, ueteres captiuos liberant. Sed iam
placet historiæ finem impònere. Ex qua id inter alia di-
scimus, Turcas uinci à Christianis posse, si sint
fideles & impauidi milites, firma auxi-
lia: ac (quod primum est) si sit
fortis & gnarus militiæ
imperator.

EXEMPLAR

EXEMPLAR QVARVNDAM LITERARVM SVPER DISCESSV CHRISTIANISSIMI AC SERENISSIMI HENRICI III. GALLIARUM ac Poloniæ Regis: itemq; Illustrissimi Senatus Poloniæ ad eundem Regem.

INCERTO AVTHORE.

ORATIO DANZAE AD SENATVM REGNI Poloniæ Cracouiæ congregatum habita.

HENRICVS Christianissimus & Serenissimus Franciæ & Poloniæ Rex, Dominus meus clementissimus, me die 18. huiuscè mensis Iunij, hora nona pomeridiana, aut circiter ad se uocauit, qui primum agnouit me fideliter, & diligenter Christianissimis Regibus, aui, patri, & duobus ipsius fratribus inseruijsse, eademq; se à me obsequia certè expectare significauit. Et cum ille de suo discessu mentionem fecisset, ingenuè fateor, me magnitudine periculi uehemẽter perculsum, perturbatumq; esse. Posteà honorificè multa de Regno Poloniæ loquutus, tandem testatus est, cũ ordines Regni Poloniæ eum Regem agnouissent, satis scire, illos se, uxores, liberos, fortunasq; omnes unà cum Regno fidei ipsius commisisse, eam ob causam, se probi, digniq; Regis officio nunquam defuturum, affirmabatq;, se nec eos nunc deserere, nec unquam deserturum. Ad hæc, referebat, se amplissimũ Regni Poloniæ Senatum, qui tunc hîc aderat, de obitu Christianissimi Regis ipsius fratris certiorem reddidisse, & quanto desiderio Regni Franciæ ordines eius in patriam reditum expeterent, declarasse. Prætereà, reginam ipsius Serenitatis dominã matrem iam sæpius & scripsisse, quòd si maturè in Regnum non rediret, eam tot hostium uiribus, quibus urgebatur, diutius resistere non posse, ab eoq; summis uiribus contendere, ut patriæ in tanto periculo consuleret sua præsentia, cum ipso absente id effici posse non speraret, dictum Regni Poloniæ Senatum, illam quidem profectionem probasse. Verum reliquos Regni Senatores prius conueniendos esse respondisse. Cum uerò Regni Franciæ negogotia eam moram non paterentur, sibi uel uitæ periculo patriæ necessitati esse subueniendum, statum Regni Franciæ perturbatissimum, afflictissimumq; esse narrabat, cùm Prouinciæ omnes in armis essent, bellumq; nunc illic maioribus uiribus, maioriq; animorum exacerbatione, quàm antea unquam, gereretur. Adhæc, aduersarios ingenti classe littus Gallicum infestare, & Principem Condæum cum sex millibus Germanorum equitum in Franciam proficisci, maioresq; copias per Germaniam, uicinaq; loca cogi, quæ illum essent subsecuturæ, eam ob rem se non posse, nec etiam uelle patriam in tanto periculo deserere, pro qua sanguinem fundere illi esset iucundissimum: scire eum, sibi moriendum esse; honestam uerò mortem nũquam fugiendam, sed potius optandam. Hæc, cum fortissimi Principis, magniq; animi officia sint, non dubium est, quin is uerus, sincerusq; amor, quò Reuerendissimæ, Illustrissimæq; dominationes uestræ sint amplexæ, & confirmabitur, & augebitur, cùm illæ eum in pace moderatissimum, æquissimumq;: in bello uerò constantissimum, acerrimumq; defensorem essent habituræ: Interim uerò nobis Francis tristissimum & quauis morte grauius. Et cum Reges Christianissimi hactenus, quacunquè ire uoluerint armis, & uera uirtute sibi iter aperuerunt. Nunc uidere hunc Regẽ nostrum ea qua est ætate, uagum & in peregrina terra errantem omnibus supplicém esse: nec iam sua culpa, sed nostra causa, & uero in patriam amore. Et quoniam ipsius Serenitas facilè prouidebat, Dominationes uestras Reuerendissimas & Illustrissimas inopinatum istum suũ discessum molestissimè laturas, ille mihi sæpius iniunxit, ut graues, æquissimasq; causas, quæ illum tot, tantisq; periculis se exponere cogant, Dominationibus uestris Reuerendissimis & Illustrissimis declararẽ. Quibus intellectis sperabat, ea sibi nihil de ipsarum in illum beneuolentia remissuras esse: sed constanter in data fide perseueraturas. Hæc autem ut ille consequeretur facilius, significauit mihi, se ad quosdam Regni istius Senatores literas dedisse, & à me petebat, ut ipsis redderem, eosq; suis uerbis diligenter rogarem, ne illi hoc suo discessu offenderentur, sed iustissima, necessariaq; causa perspecta, illum ha

berent

berent excusatum etiam apud cæteros Regni Senatores & Proceres excusarent, illum omnia ipsis Clementiss. Principis officia polliceri, & cũ ipsius Serenitas literas illas in suo cubiculo esse putaret, uni soli cubiculario qui tunc adfuit, iniunxit, ut mihi illas daret: qui respondit, nullas ibi literas esse, tunc ille promisit, se curaturum, ut mihi altera die traderentur, & quoniam heri amplissimus Senatus à me seriò petijt, ut si ipsius Serenitas mihi alia mandata, uel priuatim, uel publicè quibusdam deferenda demandasset, illa ego apertè declararem. Ego sanctè iuro & adfirmo, ipsius Serenitatem nihil mihi iniunxisse, cuiquam dicendum, proponendum, & promittendum, quàm ea, quæ exposui, uidelicet, ut eius discessum apud omnes declarata uera causa excusarem: eos, quibus scribebat, hortari, ut in ueteri in eum fide & beneuolentia perseuerarent, ab ijsq; obnixè peterem, ut eum quoq; apud cæteros Regni Senatores proceres excusarent, & omnibus Clementiss. & Optimi Regis officia promitterent: ut autem ipsius Serenitas propensissimum suum in hoc Regnum studium, solicitudinemq; testaretur, mihi quoq; demandabat, ut Dominationibus uestris Reuerendiss. & Illustriss. significarem, sibi consultum uideri, ut in primis idonei legati ad ipsius Serenitatem eligerentur, qui magnis itineribus in Franciam contenderent: hac enim ratione fore, ut omnes facilius in officio uestris prudentissimis consilijs & authoritate continerentur. Nam ubi illi intellexerint, ipsius Serenitatem mortuo Rege fratre pro motibus Regni Franciæ sedandis, paceq; sua præsentia conficienda à Regni illius ordinibus supplicibus precibus, magna contentione euocari, & eam ob causam militum Regni Poloniæ Senatum legatos misisse, ut eorum consilijs & intercessione pax æquissimis conditionibus faciliùs constituatur, sperandum est, quòd interim omnes Regni Poloniæ legatis decernetur, sunt expectaturi, & certè legatorum præsentia ad Francorũ animos flectendos, & negotia publica ad optatum finem perducenda, profutura. Ego Carolus Danzæus, à Danzij, Christianiss. & Sereniss. Franciæ & Poloniæ Regis Consiliarius hæc, quæ hoc scripto nomine ipsius Serenitatis declaraui, & confessus sum, uera esse testor & affirmo. Cracouiæ 22. Iunij, anno 1574. Carolus Danzæus manu propria subscripsi.

LITERAE SENATVS REGNI POLOniæ ad Imperatorem Romanum.

SAcra Cæsarea Maiestas Domine, D. Clementiss. faciendum putauimus, ut Sacram Cæs. Maiest. uestram pro ratione uicinitatis & officij nostri certiorem faceremus de ijs, quæ proximè præteritis diebus apud nos acciderunt. Quanquam ea minimè ignota sunt S. C. Maiest. uestræ, quin imò certò scimus, Sereniss. Regem nostrum ditiones S. Maiest. uestræ intrasse non satis pro Regia dignitate, paucis duntaxat comitum. Qua ex re S. C. M. uestra facilè intelligere potest, Sereniss. Regem nostrum præter scitum & opinionem nostram è Regno discessisse: nam C. M. V. non ignorat, qua fide & obseruantia nos Principes nostros prosequi soleamus, neq; hũc Sereniss. Regem nostrum debito honore priuaremus, si cum scitu & consilio nostro eam profectionem instituisset. Subsecuti sunt & officiales Regni, & insequendo Plezinam ultra oppidum Domini Premniz ditionis Maiest. Vestræ processerũt: sed ab instituto suo nulla ratione se reuocari passus est. Reliquit quidem sua Maiest. literas ad nos, quibus hoc Regnum nobis commendat, & causas explicat, quam ob rem nos cœlauerit de profectione sua: nimirum, ut Sereniss. matrem, patriam, & Regnum illud florentiss. ab interitu uindicaret. Sanè ut primum de morte Christianissimi Regis Galliarum, fama apud nos increbuit, & successionem ad Sereniss. Regem nostrum deuolutam esse, ne in eo quidem, quod illi naturaliter & hæreditatiuè obtigit, Sereniss. Regi nostro obesse uoluimus: nam & de periculis omnibus, de salute & cõmodis Regni illius non minus quàm de nobis ipsis cogitationem susceperamus, communicatisq; consilijs de rebus omnibus statueramus prouidendum, adeò ut nullum Sereniss. Rex noster fidelium subditorum officium in nobis desideraret. Sed eius rei culpa hæret non tam penes excelsum, & uerè regalem ipsius animum, sed penes eos, qui eum priuato consilio ad hoc factum impulerunt. Ex quibus omnibus Sacra C. M. V. pro sua prudentia iudicare poterit, discessum hunc Sereniss. Regis nostri his temporibus accidisse, quibus maximè ab hostibus Christiani nominis ex minima occasione metuenda sit omnis periculi suspitio in hoc Regno potissimum, quòd est quasi pro aliquo præsidio Christianis Prouincijs collocatum, quæ quidem pluribus uerbis S. C. M. Vestræ scribimus, primum ad remouendam prætermissi officij erga Sereniss. Regem nostrum culpam, ne quis in eo nos deliquisse arbitraretur, deinde uerò ut S. C. M. V. ad eam fœderum & pactorum communionem, quæ M. V. cum Regno Poloniæ intercedit, inuitaremus,

taremus, rogantes, ut quemadmodum sanctè, & inuiolatè hactenùs ea coluit, ita & nunc ea obseruare non desinat. Porrò negocium hoc omne S. C. Maiestati V. ita commendamus, ut nulli magis unquam commendare possimus. Nam ut nollemus inuitum quenquam nobis imperare, ita non libenter uideremus, nos tales existimari, qui nesciamus officio nostro uti, & uoluntates Principum moderari. Non deest nobis animus pro dignitate, & libertate nostra quæuis consilia habere: sed Polonorum semper fuit Reges, & Principes suos colere, uereri & honestis potiùs, quàm externis studijs & officijs eos prosequi. Quod reliquum est, nos, studiaque nostra S. C. Maiestati uestræ commendamus. Data Cracouiæ 21 Iunij, 1574. Eiusdem S. C. Maiestati uestræ addictiss. Seruitores, Senatus Regni Poloniæ, Cracouiæ congregatus.

REVERENDISSIMIS, ILLVSTRIBVS ET MAGNIFICIS Dominis, Senatoribus, Nobilibus, & generosis Equitibus Regni nostri Poloniæ, & magni Ducatus Lithuaniæ, Henricus Dei gratia Poloniæ Rex, magnus Dux Lithuaniæ &c.

Reuerendissimi, Illustres, & magnifici Domini, Senatores syncerè nobis dilecti, uosque generosi, & nobilissimi Equites, dici non potest, quanto cum doloris sensu in animum nostrum induxerimus, ut nō expectatis inclyti huius Regni Comitijs, in Franciæ Regnum, quod nobis nuper legibus, iureque hæreditario obuenit, properandum statuerimus. Siquidem in merita uestra erga nos, in charitatem, & beneuolentiam, qua nos complectamini, intuentes, non potuimus sanè sine lachrymis ac firmo dolore de hac nostra in Franciam profectione cogitare. Multa ante oculos obuersabantur, quæ commemorare longum esset, idquè planè uinceret recordatio beneficiorum uestrorum, ita ut omninò nobis certum & constitutum esset, Franciæ Regnum administratione Sanctæ Reginæ matronæ concessa, & demandata, hîc non modò comitia expectare, uerùm etiam si ita nobis uideretur, integram ferè ætatem degere. Testis mihi Deus est, testes quoque non pauci ex Senatoribus, cum quibus simulatque de morte Christianissimi Regis fratris mei indicatum uobis est, copiosè de hac re egimus, atque ex illorum sententia sub huius Regni nostri sigillo ad Serenissimam matrem meam mandatum amplissimum, quod Regentiam Galli uocant, misimus, priuatis etiam nostris literis Illustrem Principem Alanconium, Henricum Nauarræ Regem, & omnes Galliæ Principes ac proceres sedulò monuimus, ut nostri desiderium æquo animo ferrent, nec aduentum nostrum frustrà expectarent. Ita profectò res se habent, mutandi uerò huius consilij, aut potiùs sententiæ nostræ, quæ penitùs insederat animo, hæc fuit causa, quæ uobis, hoc est, prudentibus ac sapientibus uiris spero probabitur. Hesterna die sub noctem ferè allatæ sunt nobis literæ à Serenissima Regina matre, & multis Galliæ proceribus, & primarijs uiris, in quibus scriptum erat, necessarium omninò esse, ut quàm primùm dispositis equis ad celeritatem istuc aduolaremus, in summo esse discrimine res Gallicas, actum prorsus aliter uideri de uetustissimo, nobilissimoquè totius Europæ Regno, nec ullam aliam rationem esse tuendi, & conseruandi nobis illius Imperij, quàm si intra dies uiginti ad summum Lutetiæ Parisiorum, uel saltem in finibus Regni nos sisteremus. Multa erant alia diligenter perscripta in illis literis, ex quibus non modò periti rerum Gallicarum, sed etiam exteri non ignari rerum humanarum facilè possent intelligere, illicò & sine cunctatione nobis discedendum esse. Quamobrem lectis illis literis, apud me necessariò constitui, quanta possem maxima celeritate in Galliam proficisci. Cùm autem si de profectione mea cognitum esset, multa imminere uidebantur, quæ celeritatem, in qua omnia posita essent, retardarent, faciendum nobis putauimus, ut tacitè proficisceremur. Itineris Gallici ratio nobis non est ignota, nec ignorantur studia, & mores illarum gentium, per quas nobis transeundum est. Itaque nihil opportunius, nihil securius uisum, quàm ut omnes de profectione nostra coelaremus, & subita ac festina abitione discessus nostri famam anteuerteremus. Habetis paucis rationem consilij nostri. Reliquum est, sic uobis persuadeatis, nihil quicquam hoc facto de pristino nostro erga uos, totumquê hoc nostrę Poloniæ Regnum amore decessisse. Vos quoque nobis illam summam, qua hactenus nos prosecuti estis, beneuolentiam, & obseruantiam integram conseruabitis. Nullam certè nos uestri tuendi, ornandi, & augendi huius Regni nostri occasionem labi, aut diffluere permittemus. Dignitatem nostram,

& Poloniæ Regni tantisper dum absumus (aberimus autem, quàm minimum poterimus) fidei, integritati, prudentiæ, & sapientiæ uestræ commendamus. Cupimus insuper & hortamur uos, ut primo quoque tempore egregios uiros ex omnibus ordinibus lectos, ad nos in Galliam mittatis, cum quibus serio, & diligenter de omnibus, quæ ad utilitatem, & ornamentum huius nostri Regni pertinent, tractabimus. Iterum atque iterum salutem, concordiam, incolumitatem Regni nostri, & existimationem nostram uobis quàm obnixè fieri potest commendamus. Benè ualete. Cracouiæ 18 Iunij, 1574. Henricus Rex manu propria subscrip.

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI DOmino Episcopo Ciuaniensi, syncerè nobis dilecto Henricus Galliarum, & Poloniæ Rex.

Reuerendissime Domine syncerè nobis dilecte, pro mutatione rerum, & temporum mutanda quoque esse consilia, Paternitas uestra non ignorat. Quod ipsum uiri prudentes fecêre semper, & nobis nunc quoque necessariò faciendum est. Constitueram quidem superioribus diebus quemadmodum uestra Paternitas de me bis intellexit, apud uos manere, saltem donec Comitia indicta, concta, & peracta fuissent. Nunc uerò, cum ex literis Serenissimæ Reginæ matris meæ, quas hodie sub tempus cœnæ accepi, intelligam Regnum Galliæ in eo esse statu, ut de toto illo amplissimo & nobilissimo Regno nostro planè actum sit, nisi quàm primùm incredibili celeritate illûc peruenero, celare discessum meum æquum est propter multas causas, quas Paternitas uestra cognoscet à nobili & generoso uiro D. Danzęo Consiliario nostro, cui ut fidem adhibeat in omnibus rogo. Ego nihil magis cupio, quàm utrumque Regnum retinere: neque enim id nouum est, neque legibus uestris aduersatur, & erit Polonicæ genti perhonorificum & tutissimum, eum habere Regem, qui Galliæ simul imperet. Verùm, de toto isto negocio, quod grauissimum esse puto, mihi magnopere curæ est, ut debet esse cum Paternitate uestra copiosè ex animi mei sententia dictus D. Danzæus communicabit. Puto me à uobis amari plurimùm, quemadmodum quoque uicissim nihil est certè, quod non uestra causa uelim. Noui ingenium tuum, noui fidem, & integritatem. Hoc tandem peto, & à Prudentia tua, ingenio & dexteritate illud expecto, quò contendat, & efficiat Paternitas uestra, ut inclyti Senatus Poloniæ, & alterius quoque ordinis studia erga nos eadem maneant, quæ hactenus fuêre. Incumbe quæso totis uiribus in eam curam, & solicitudinem nihil nobis gratius quicquam posset accidere. Faciam autem, ut tu nec immemorem amasse, nec ingratum Principem dilexisse uideare. Benè ualeat Paternitas tua, syncerè nobis dilecta. Regnum nostrum uobis commendamus. Datæ Cracouię, 18 die Iunij, anno 1574. sub nocte.

Henricus manu propria subscrip.

ILLVSTRIBVS AC MAGNIFICIS DOMINIS, DOMIno Palatino Cracouiensi, & Domino Zberouuio Maresc. Curiæ syncerè nobis dilectis, & Reuerendo D. Vuolki Vicecancellario nostro, Henricus Dei gratia Galliarum, & Poloniæ Rex, Magnus Dux Lithuaniæ, &c.

Magnifici Domini syncerè nobis dilecti. Cogimur in Galliam nunc proficisci continuato dierũ, noctiumq́; itinere. Nam ex literis Serenis. Reginę Matris nostræ, quas hodie sub tempus cœnæ accepimus, intelleximus, Regnum Galliarum in eo statu esse, ut nisi incredibili celeritate illûc peruenerimus, Regnum nostrum omninò pereat. Quo quidem nuncio ualdè commoti sumus: nec enim quicquam minùs expectabamus, & motus Gallicos, aut leues esse arbitrabamur, aut eiusmodi, qui me absente, authoritate Serenissimæ Reginæ Matris meæ sedari possent. Sed postquam aliter esse uideo, nolo nunc ipse deesse. Itaque nunc maxima celeritate in Franciam proficiscor: necessariò me id facturum homines prudentes, qui Gallica norunt, statuent. Discessum meum cælare operæprecium fuit propter eas causas, quas Magni-

Magnificentiæ uestræ à nobili, & generoso uiro D. Danzæo Consiliario nostro intelligent. Ego uos, totamque familiam uestram amaui semper, & quantùm animo licuit, libenter ornaui, à uobis nunc omnia beneuolentiæ ac syncerae amicitiæ officia expectans. Illud oro in primis, ut authoritate Vestra, quantùm fieri poterit, omnia contendatis, ut inclyti Senatus studia eadem erga me absentem maneant, quæ hactenus fuêre. Verùm de hac tota re, alijsq; grauissimis multis rebus dictus Dominus Danzęus meo nomine uobiscum aget copiosè, cui ut fidem habeatis, uehementer rogo. Datæ Cracouiæ, die 18 Iunij, 1574. Henricus Rex manu propria.

ILLVSTRI ET MAGNIFICO DOMINO A' TIENSZIN Castellano Vueinicensi Subcamerario nostro, Henricus Dei gratia Galliarum, & Poloniæ Rex. &c.

ILlustris, & Magnifice Domine, syncerè nobis dilecte. Non spontè quidem, sed coactè, & cogente rerum omnium necessitate in Franciam nunc maxima celeritate proficiscimur. Ex literis enim Serenissimæ Reginæ Ma[illegible]s nostræ, quas hodie sub tempus cœnæ accepimus, intelleximus, eo statu esse res Gallicas, ut nisi expeditis equis illùc aduolauero, omninò de illo Regno non actum sit. Id quoque scriptum est ad me ab omnibus Galliæ Proceribus ac Primarijs uiris. Quamobrem cunctandum mihi minimè putaui, ne mihi ipsi in tanto momento deesse uidear. Discessum uerò nostrum tacitum esse, operæprecium fuit propter incommoda itineris. Nouit enim Synceritas uestra, ingenia Germanorum, & quanto odio prosequantur Catholicos homines. Quid autem nunc à Synceritate uestra expetam, & expectem, nobilis & generosus uir Danzæus Consiliarius meus exponet uobis: cui ut fidē habeatis, uehementer rogo. Hoc unum tantùm addam, hac posteriore Epistolæ parte, te eum esse, quē ego summoperè amaui, quem plurimi feci, & cuius uicissim amicitiam, & beneuolentiam erga me sempiternam esse cupio. Benè ualeat illustris Synceritas uestra. Datæ Cracouiæ, die 18 Iunij, anno 1574. Rex manu propria.

ILLVSTRI ET MAGNIFICO DOMINO RADLVVIEL Duci in Olira, Mareschalc. Curiæ Lithuaniæ, syncerè nobis dilecto, Henricus Dei gratia Galliarum, & Poloniæ Rex.

ILlustris & Magnifice Domine, syncerè nobis dilecte. Hæc ad te scribens, necessariò itinere in Galliam ingredi cogor. Intellexi enim ex literis Serenissimæ Matris meę, scriptis, in eo statu esse res Gallicas, ut nisi intra 15 dies ad fines Franciæ appulero, actum esse uideatur de toto illo Regno. Id quoq; scripserunt ad nos omnes proceres, & Primarij uiri, fidem meam implorantes. Quamobrem cunctandum, & procrastinandum minimè putaui. Sed discessum meum dissimulandum existimaui, ut securiùs transeam per Germaniam. Noui enim ingenia Germanorum, & quanto odio Catholicos homines prosequantur. Quid uerò nunc à Synceritate uestra expectem, & expetam, nobilis & generosus uir Dominus Danzæus Consiliarius noster exponet meo nomine copiosè, qui has literas Synceritati uestræ reddet: cui ut fidē adhibeat, omninò cupio. Benè ualeat Synceritas V. & me, ut hactenus fecit, diligat. Datæ Cracouię, die 18 Iunij, 1575. Henricus Rex manu propria.

LITERAE AD SACRAM MAIESTATEM REGIAM A' Senatoribus Regni Poloniæ scriptæ, cum quibus Cubicularius Maiestatis suæ, Viennam XX Iunij, Cracouia in expeditis equis delectatus est.

SErenissime Rex, & Domine, Domine clementissime. Obsequia nostra cum testificatione fidelissima subiectionis nostræ Sacræ Maiestati uestræ commendamus. Itáne meriti sumus de Sacra Maiestate uestra, ut pręter spem omnem, & expectationem nostrã, hinc discedere nobis inscijs, Sacræ Maiestati uestræ placuerit? Graues impulerunt causæ, S. M. V. & induxerunt ad hoc tam graue, & periculosum

iter. Sed grauius illud existimamus esse, quod Sacra Maiestas uestra inconsultis nobis, hoc fecerit, quasi fidem fidelium subditorum suorum dubium faciens, neq; res suas concedens illis, qui se, salutem, facultatesq; suas omnes, fidei sacræ Maiestati uestræ concrediderunt. Non deerat animus, non defuit facultas, nulla nobis ad aras usq; (quod dicitur) S. M. V. sequentibus. Sed neq; S. M. V. benè apud se examinauit, quã est aggressa, neq; committere debuit, ut ultrò se tot periculis obijceret. Precamur S. M. V. omnia fœliciter ex animi sententia euenire: sed ita tamen, ut priùs illi Deus mentem inspiret, ad nos, Regnumq; suum reuertendi. Vbi salua & incolumis Viennam S. M. V. peruenerit: rogamus Sacram Maiestatem uestram, ne ulteriùs procedat, ne se maioribus discriminibus exponat, ne cum periculo suo maiores, & excellentiores hominum gradus appetat. Hic enim honos, in quo Maiestatem uestram Deus Max. collocauit, eò est excellentior, quò processit non à fortuna, sed à diuina uoluntate, & proborum, & de Maiestate Vestra benè meritorum iudicio. Consideret Maiestas uestra, Regnum se reliquisse planè periculis omnibus expositum, nullis fœderum, & pactionum renouationibus confirmatum. Nisi Dominus custodierit, actum est de nobis, nulla nobis diligentia, nulla prudentia proderit. Nihil enim sine Sacræ Maiestatis uestræ præsentia stabile & firmum statuere possumus. Petimus igitur à S. M. V. ut Maiestas uestra memor sit fidei suę ac iuramenti Regno huic præstiti, memor expectationis suæ, quam semel de Maiestate uestra conceptam eò usq; retineremus: memor ad extremum salutis, & incolumitatis nostræ, quam Deus Max. Maiestatis uestræ fidei commisit, & potestati. Nos si deleret Maiestas uestra, uindicabit Dominus iniuriam populi sui, neq; formidabit Maiestatis uestræ actiones, nostris malis, & periculis fortè grauatas. Hoc si impetrabimus è Maiestate uestra, dabimus operam, ut in reducenda Maiestate uestra omne studium, officium, & operam nostram Sacræ Maiestati uestræ comprobemus. Deum rogamus, ut Sacram Maiestatem uestram Sacram & incolumen aspiciamus. Datum Cracouiæ, die 20. Mensis Iunij, Anno 1574.

Sacræ Maiestatis Vestræ
subditi & Consiliarij,

Senatores Regni Poloniæ
Cracouiæ congregati.

EXEMPLVM LITERARVM A' SACRA CAESAREA Maiestate ad Senatores Regni Poloniæ datarum.

MAximilianus Reuerendissimis, &c. Accepimus Dominum, & uestras literas die 21 Mensis Iunij iam elapsi datas, quæq; ijsdem, pro solita uestra erga nos beneuolentia de Serenissimi Principis Domini Henrici Regis Franciæ, & Poloniæ, Magni Ducis Lithuaniæ, consanguinei, & fratris nostri charissimi istinc discessu nobis significanda duxistis. Cognouimus Dominationes itaq; uestras, & uos cælare non possumus, eundem Serenissimum Regem uestrum hisce diebus instituti itineris sui ratione ita ducente, hûc uenisse, tanta quidem celeritate, ut non modò planè nobis inscijs, ditiones nostras intrârit, sed parùm etiam abfuerit, quin aduentus sui nuncium anteuerteret. Nos uerò Serenitatem suam eo pacto hûc delatam, ita excepimus, ut ex mutua uicinitate, quæ cum Poloniæ Regno nobis intercedit, dignum & fraternæ, arctissimæq; necessitudini, qua Serenissimis & Christianissimis Francię Regibus iuncti fuimus, conuenire existimauimus. Sicq; Serenitas sua iter suum quàm citissimè peragendi desiderio hinc festinans, nudiustertius in Galliam perrexit. Porrò uelim Dominationes uestras, & uos uobis in mentem reuocetis, antiqua fœdera, & pacta, quæ ab antecessoribus nostris accepta cum inclyto Poloniæ Regno nobis intercedunt. Dominationibus V. & uobis sic persuasum cupimus, nos, qui hactenus nihil magis curæ, uel etiam in nobis habuimus, quàm ut huiusmodi fœdera, atq; pacta, firma, inuiolataq; conseruarentur: adeoq; omnibus, quæ huc pertinere uisa sunt, nunquam defuimus, nec in posterum hac in parte fore dissimiles. Quod ut de uobis pollicemur, ita nihil diffidimus, quin, qua estis erga nos, Regna, Dominiaq; nostra præclara, integerrimaq; uoluntate, uestrum uicissim in ijsdem fœderibus sanctè obseruandis, officium haud uspiam desiderari passuri sitis. De cætero, D. V. & uos, quibus mutuæ beneuolentiæ, & bonæ uicinitatis studia deferimus, rectè ualere cupimus. Datum Viennæ, 1 Mensis Iulij, An. 1574.

EXEM-

EXEMPLAR LITERARVM AD HENRICVM ANDEgauensem à Senatu, & Ordinibus Regni Poloniæ.

SACRA CHRISTIANISSIMA, ET SERENISSIMA MAIESTAS Regia, Domine nobis clementißime.

STudia, obseruantiam nostram S. Regiæ Maiestati uestræ commendamus, à Deoque Max. S. Maiestati uestræ precamur optimam salutem, felicissimos rerum successus, ut S. Maiestas uestra diu sana & incolumis sit, & longissime ac fœlicissime populis à Deo suæ fidei & gubernationi concreditis, imperet cum summa laude sua, & eorum, quibus præest, fœlicitate. Quæ fuerit uniuersi Regni Poloniæ erga Maiestatem uestram propensio, cum Rex à nobis electus, & ex remotissimis orbis partibus in Poloniam excitus esses, non est opus longioribus uerbis Maiestati uestræ commemorare. Siquidem in memoria tua esse existimamus inter clarissimos Principes, & orbis Monarchas, te omnibus à nobis competitoribus prælatum, in Poloniam ex Gallijs honorifice exceptum, sacro deinceps diademate coronatum, & ita apud nos habitum, ut tibi libentissime uitam, salutem, iura, libertates, & charissima quæque in patria nostra pignora concredere, & in potestatem tuam tradere non dubitauerimus. Et sperabamus quidem, nos Imperij tui moderatione post interregni tempus illud luctuosum & difficile, quasi sole post obscurissimas tenebras elucente, Regnum Poloniæ splendorem suum recuperare posse, fecissetque utinam Deus Max. ut expectationi de te nostræ exitus respondisset, nec ea fœlicitas, quã ex Imperio tuo conceperamus, interfecta fuisset tristi Reipub. nostræ casu & perturbatione. Discessisti à nobis, Serenis. Rex, patriæ nostræ, imò quoque uero tuæ, corpus integrum tuo hinc discessu reliquisti mancum, ita ut quasi per te capite diminuto, patria nostra sine Rege suo uitam ducat ægram, & non mediocri dolore sese conficiat. Auget etiam dolorem nostrum, quòd consilium discessus tui, & teipsum, uitam, dignitatem, Maiestatemque tuam his concredidisti, qui priuata magis apud nos obseruantia, quàm ulla fide publica se tibi esse obstrictos, agnoscere debuerunt. Nos tibi fidem nostram, nos obseruantiam, nos cultum, nos in prosperis & aduersis constantiam, sacramento oblato, obstrinximus. Nobis propterea, te, tuaque consilia, tuas res concredere debuisti. Nos enim pro tua dignitate, pro gloria, pro salute, pro acquirendo non modò paterno Regno, quod à Deo, Naturaque datum, amittere nullo modo potuisti: sed etiam pro alio quouis Imperio consequendo, fidem, studium, operam, uitam denique deuouissemus, te, tuamque fortunam comitando. Legis annales nostros, fidem Poloni erga Reges suos deseruere nunquã. Polonorum nomen contra Principes suos sinistra machinatione contaminatum non esse. Reuocandum est illud in animum tibi, quàm primũ de obitu Christianissimi Regis Caroli IX. fratris tui desideratissimi, fama in Polonia peruulgata fuit, tuaque fraterna uiscera morte ipsius non mediocriter commota uidissemus, tute scis, non magis te, quàm Senatum, & uniuersam Poloniam acerbissimo casu mortis illius perturbatam extitisse, quasi Rex noster mortuus esset, ita mortem illius indoluit Polonia. Quid actum est? quod erat officij tui, rem ad Senatum tibi tunc assistentem, retulisti, deliberatum est, dictæ sunt sententiæ, dies luctus publici per uniuersum Poloniæ Regnũ constitutus & indictus est. Summa totius deliberationis erat, quid tibi faciendum, quomodo Galliæ tumultuanti succurrendum: qua ratione Regnũ ad te naturali successione deuolutum, retinendum. Hæc omnia, quæ erant grauissima, nec ab una parte Reipub. sed ab omnibus ordinibus constitui & finiri poterant, in maiora Regni comitia, te consulente, te annuente, te applaudente, reiecta sunt. In hac expectatione Comitiorum quid actum sit, proh dolor, commemorare quid amplius opus est? Regẽ caremus in Polonia, at quomodo? neque hoc sine dolore reticeri potest: ita à nobis discessisti, ut uix impressum abitum discessus tui uidere potuerimus. Sed dolorem & orbitatem nostram amplificare nolumus. Deus Maximus, qui corda Regum gestat in manibus suis, ille iudicet hoc factum tuum, ac benè uertat hoc non modò Galliæ, quæ te à nobis euocauit: sed patriæ quoque, quæ tuam fidem secuta, nunc de statu & fœlicitate sua laborare cogitur. Cuius quidem saluti prospectũ esse uolentes, quò nos patriæ amor, quò necessitas ipsa, quò periculorum metus, & consueta consiliorum ratio uocabat, Vuarschaniam conuenimus omnes, ut orbitati patriæ, paci, & securitati publicæ consuleremus. Et caput quidem deliberationis nostræ hoc fuit unũ, ut Regem haberemus in Polonia, cuius authoritate pax interna, & externa tranquillitas retineretur. Omnes te hîc Regem optabamus, requirebamus: sed quem intueri, quem alloqui, quo cum agere potuissemus, habuimus neminẽ. Est certe uerum, quod scribimus, Serenis. Rex, non defuisse nobis animos, non occasio-

nes, non commoditates, non etiam causas, ut patriam seruaremus, liberas uoces ad eligendum nobis Regem alium conuertere, & spretæ patriæ ignominiam, periculaq; imminentia noua Regis electione detergere: sed natura, constantiaq; nostra uincit necessitatem eam, nec id quidem sine periculo, ne sequamur priùs, donec à te sciremus, an ad nos redire, nobis semper imperare, sceptraq; Poloniæ gestare uelis. Voluntatem tibi esse quidem: quis dubitet: Regia uirtus & natura tua non Septentrionis fortasse modo: sed Regnorum aliorum quoq; imperium animis cogitat: sed uoluntatem istam multis fortasse cogitationibus occupatam, aut temporum necessitate distractam, non uult Polonia magno cum suo malo experiri, te longum tempus expectando. Vis igitur Rex noster esse: Venias quamprimũ in Regnum hoc, cape sceptra semel tibi data, accipe gladiũ Regalem, quo nos defendas à uicinis hostibus, quorum arma iam personant in auribus, micant in oculis ex Vualachia, Scythia, & Moschouia. Veniendum est autem mature, ne consilia & machinationes hostiũ, longa tua expectatione maturescãt, & nos, Regnumq; illud pellundent. Rege diu carere non possumus propter grauissima pericula, in quibus, tanquam in lubrico, uersamur, quæ talia sunt etiam, ut à nobis nequeant, nisi præsente Rege, tolli. Propter discessum enim tuum multis domi incommodis affectum est: bona Regalia à militibus occupata, stipendia per se promissa, & non soluta, priuatorum in publica bona inuasiones, direptiones, occupationes. Non commemoramus licentiam, iniuriam, cædes, audaciam, quorundam perditorum, quidlibet faciendi. Nec uindicari absente Rege, silente lege, conuersis omnium ad extrema pericula oculis, uix facilè possunt. Ne igitur longa, irritaúe tui aduentus expectatione nos suspensos reddas, & cunctatione tua Regnum maioribus periculis inuoluas, non ægrè feres, quod pro salute patriæ nostræ facimus, & tibi tempus in Poloniam ueniendi assignamus. Hoc autem est, Sereniss. Rex, quatenus adhuc humeris nostris, pondus periculi huius sustinere posse, nos arbitramur, & te ad nos commodè ex Gallia in Poloniam peruenire, nobiscumq; esse posse iudicamus: diem duodecimam mensis Maij proximè uenturã, pro quo etiam tempore Comitia magna, decreta & instituta esse scito, ad quod quidem tempus assignatum, ad ea quoq; Comitia te uniuersa quoq; Polonia expectat, ut uenias in Regnum hoc, in Comitia illa, quæ sunt institut[illegible], ut deliberationes cum Senatu, & Ordinibus Regni iuxta morem & consuetudinem præscriptarum legum absoluas, & pericula imminentia unà nobiscum amoueas: tum etiam conditiones ab Oratoribus tuis in conuentu electionis receptas, & iuramento firmatas, atq; conditiones & articulos per legatos tibi oblatos, ac hos per teipsum Parisijs, illas uerò per Sereniss. Carolum olim Galliæ Regem fratrem tuum desideratissimum, sacramento roboratas, confirmes, expleas, & re ipsa præstes, ac in posterũ Rempub. nostram præsens semper gubernes. Hoc ad officium tuum Regale, & sponsionem factam, fidemq; datam, pertinere, maximè intelligimus, ut non dubitemus, te nõ magis curaturum esse, ut hûc uenias, quàm ut promissa expleas. Si uerò, quod à nobis utiq; longè abesse cuperemus, ad nos uenire non potueris, tardaueris q;, cum nostro summo dolore tibi dictum, nunciatumq; uolumus esse, omnes non posse amplius, quod cum gratia tua dicere licebit, sine Rege, sine lege uiuere in Repub. nostra, conuersisq; nostris animis ad Deum, id faciemus, quod ad incolumitatem & salutem patriæ nostræ pertinere uidemus, eamq; ab illo tempore, si non ueneris, salua tua gratia, honoreq; nostro, obedientiam, & fidem datam tibi renunciamus, & noui Regis, electionisq; conuentum indiximus, statuimus, promulgauimus, atq; id quidem ita certè, ita firmè, summa necessitate constricti, apud nos statuimus, ut nullis excusationibus, nullis modis, nullis ad extremum rationibus, ab instituto nostro nos abduci patiamur. Non debes autem æstimare, Serenissime Rex, id nos animo erga te sinistro, aut consilio præpropero facere. Abest longè à nobis ea cogitatio: sed iudicare debes in primis, Poloniam ita esse constitam, ut barbaris hostibus ad eam solam pateat aditus, ipsaq; sola ad omnia Christiani orbis Regna, sit quasi porta, quæ nisi firmissimis claudatur præsidijs, non ipsa modò, sed multæ Christiani orbis prouinciæ, certum est, de salute sua periclitabuntur. Nos igitur hîc pro omnibus quasi excubias agimus, & ut securè dormiant alij, nos insomnes oportet peragere noctes. Tale igitur Regnum, quomodo sine Rege, sine Duce, sine capite esse posse existimas: Nosti potentiam Moschouiticam Non est incognita tibi Scythica ferocitas, quæ cum Turcica potentia mixta, his diebus uicinam nobis Vualachiam solo æquauit. Est Regnum hoc cinctum & circumuallatum hostibus Christianorum Catholico nomini infensis, nostro uerò infensissimis, quod ueteres ex se ductos triumphos, tunc maximè uindicare cupiant, cùm Remp. hanc capite è Rege suo uideant orbatam, & tanti casus nouitate tumultuantur. Occasionem igitur oppugnandi nos & Rempublicam nostram habent illi percommodam. At dices fortasse, uires nobis esse tantas, modò uelimus,

limus, posse nos etiam defendere patriam nostram, eamq; tibi seruare saluam & incolumem, hostium insultibus ab ea pellendis. Est ita Serenissime Rex, pro patria nos nullis etiam extraneorum adsutos auxilijs fortiter pugnauisse, praeclarisq; triumphis late & longe fines illius protendisse, paratos etiam esse, pro his tuendis & conseruandis, sanguinem nostrum effundere: sed istius optimae uoluntatis impedimenta tuo discessu tanta sunt effecta, quanta uix ullo unquam tempore in Polonia fuerunt. Inimicitias cum barbaris gentibus, non unas, sed multas, & graues, pro gloria, & libertate Christiana habemus, amicitias quoq; cum Christianis, uicinisq; Principibus, nullis per te foederum & pactorum uinculis colligatas, ita retinemus, ut dubia potius, quam certa sit eorum possessio existimanda. Quid horum quisque moliatur, quo adspicet, quid nectat, non uidemus: tu uero considerate potes. Simus etiam superiores hostibus nostris, at eorum conatibus hinc inde irrumpentibus, quomodo sine capite, sine Rege resistemus? Quomodo uires coniunctas contra diuersos hostes habebimus? maxime, cum Regni huius pax, cum uicinis nulla per te pactorum renouatione firmata consistat. Bellum in Polonia, publico etiam Edicto sancitum, sine Rege, tanquam summo belli Duce, ex praescripta lege fieri non consueuit, neque potest. Erit ne amplius sine Rege Polonia salua? Minime gentium, Serenissime Rex, Regem oportet habeamus, aut te, aut alium, quem nobis Deus & fata prospexerunt. Durum est telum necessitas, qua abducimur, ut si Rex praesens nobis noster semper nolis esse, alium, qui nobis imperet, eligamus oportet; te id minime aegre ferente, imo collaudante studia nostra seruandae patriae cupiditate tantopere incensa. Non dubitamus autem, Serenissime Rex, si ita tibi, & Deo uidetur, ut Rex noster amplius futurus esse non possis, quin nos & Regnum hoc in tua gratia, & fauore, & beneuolentia perpetuo retineas, & in primis gratum, & memorem te studij, & obseruantiae nostrae erga te, praestes, quam tibi etiam omni studio, opera & diligentia comprobare studebimus, ut intelligas, erga te apud nos etiam non regnantem, non destitisse studia, beneuolentiam, obseruantiam nostram, quinimo duratura haec esse omnia, quandiu in animis residebit tuae erga nos gratiae, & beneuolentiae memoria. Quod superest, commendamus nos in gratiam Maiestatis uestrę, Deumq; Maximum precamur, ut S. M. V. clementissime seruet sanam & incolumem ad perpetuam Christiani nominis gloriam, & & salutem obseruandam. Datae Vuarschauiae ex congregatione Ordinum Poloniae Regni generali, die 18 Septembris, 1574.

Sacrae Christianiss. & Serenissimae Maiestatis V.

Senatores addictissimi

Senatus, Equestris Ordo Regni Poloniae, & Magni Ducatus Lithuaniae.

CLADES DANTISCANORVM, ANNO DOMINI M. D LXXVII. 17. Aprilis.

A' IOANNE LASICIO POLONO DESCRIPTA: in qua causæ belli à Serenissimo Rege Poloniæ Stephano contra Gedanenses suscepti, referuntur.

MAGNIFICO VIRO, DN. IOANNI ZBOROVVSKI, *Castellano Gnesnensi, Duci copiarum Aulico Serenissimi Regis Poloniæ Stephani, Odo:anouiensi, Kiexkensi, Volpiensiq; Præfecto, Senatori integerrimo, salutem, & fœlicitatem.*

MITTO ad te, strenue Imperator, hanc belli abs te, angelis Dei iuuantibus, confecti, descriptionem: ut gesta tua, tuorumq; fortium militum, quæ iam literis mandari incipiunt, nunquam esse moritura, nisi cum hac uniuersitate rerum, cognoscas: & eò maiorem inde uoluptatem percipias, ad maiora tantò magis inflammeris. Qua in descriptione, tute nosti, quale meum fuerit studium, ne quid falsi esset. Si quæ præterij, ea supplere licet alijs. Dolenda est sanè isthæc Christianorum calamitas: at quid aliud magistratus ageret, impe rata facere nolentibus? etsi nondum hic magistratus noster, suo usus esse gladio, quem à Deo ad coërcendos malos accepit, uidetur: id tantùm apparuit, quemadmodum pro eo Regum illi Rex ac defensor pugnauerit: quum hostes nó contenti eo, se ut intra mœnia continerent, defenderentq;: foras etiam, Regem suum oppugnaturi prodierint. Quorum consilia qué finem sortita sint, tu ipse uidisti, ego descripsi. Faxit igitur Deus, quandoquidem perduelles ne nunc quidem resipiscunt, ut de te, milite eodem tuo, & Rege nostro fortissimo, similia scribere liceat. Attamen magis illud à Deo precor, ut, qua Gedanenses ob peccata affecit cæcitate, eam post hanc cladem, animis illorum adimat: ne fortè accensa magis Vncti Dei ira, funditùs euertantur: quod ut Ioannes Dantiscus, ciuis illorum, supra annos XL. prædixit: ita & ego mihi uidere iam uideor. Vale, & pugna feliciter, decus amplissimæ Zborouiorum familiæ: hanc autem meam lucubratiunculam eodem animo, quo me miles, annis ab hinc 19. in Gallia complexus es, quæso te accipe. Parcini, anno M. D. LXXVII. 20. Maij.

Tuæ dignitatis obseruantissimus
Ioannes Lasiczki.

CLADES DANTISCANORVM, ANNO *Christi* M. D. LXXVII. 17. *die Aprilis.*

A' Ioanne Lasicio descripta.

ANtequam ad funesti Gedanensium suo cum Rege belli descriptionem accedam, illud mihi præfandum esse uidetur, ipsósmet Gedanenses tanti sui mali causam fuisse: quod quidē præter hunc miserabilis pugnæ euentum, ab irato proculdubiò Deo profectum: ex conditionibus quoq; à clementi Rege ipsis non semel oblatis apparet. Nam quum Rex Stephanus, quinto ut regnare cœpit, mense, (qui erat anni superioris September) firmandi Regni sui causa, Cracouia Marieburgum uenisset, opinatus tantò faciliùs, quantò Gedanum propius, omne negocium transactum iri: factum necessariò est, Senatu, qui cum Rege fuit consulto, ut Gedanenses, rebelles pronunciarentur: quód à Cossobucio secretario, Andrea Sborouio curiæ Marschalco, & ab alijs duobus Senatoribus ad ipsos missis officij admoniti, nihil de sua obstinatione remitterent: quodque ad causæ suæ dictionem, fide bona uocati: quamuis commodè potuerint, tamen non uenerint: quæ nota insontibus grauis, nihil quidquam illorum animos permouit: nullum in illis seriò placandi Regis, contumacia offensi, studium apparuit: quinimò Re-

Imò Regi legem imponentes, ut anteà, ita pòst, liberari ab eo fide Cæsari Maximiliano, à paucis appellato Poloniæ Regi, præcipitanter data, uolebant: triginta alijs conditionibus (quarum prime, ut à quibusdam oneribus ab Augusto Rege ipsis impositis liberi essent, & portorio ipsimet fruerentur) cum illo paciscebantur: militem in Germania, inconsulto Rege, & Regni Senatu, cõscribebant: portas interdiu, nullum habentes hostẽ, claudebant: non contenti generali Regis iureiurando, legibus publicis, priuatisq; suis singulari quoq; (Regem hac ratione infidi animi arguentes) caueri postulabant: contumeliosis, & ab omni ueritate alienis de Rege laudatissimo, & Regno, officinæ Iacobi Rothi scriptis Germaniam implebãt: Grebino, territorij sui capiti, in ipso Regis cõspectu, præsidia imponebant: urbem suam tam milite mercenario, quàm ualidis propugnaculis, magis ac magis muniebant. Quibus eorum facinoribus benignus Rex irritatus, arcẽ Grebinensem, 16 die Septembris occupat, præsidia cædit, & fugat, multos pagos, quos Zulawa illorũ habuit, euastat. Perciti inopinatis cladibus, damnisq;, impetrãt quatriduì commeatum, ut urbe tutò exire liceret. Egressi suburbium, pagumq; ditionis Episcopi Vuladislauiensis, Senatoris regni Poloniæ, igni comburunt: ac paulò pòst cœnobium, iuris eiusdem antistitis, intra sua mœnia, ac item aliud extrà, quod Oliuense uocatur, antiquis principũ Pomeraniæ sepulchris clarũ, euertunt: imbelles monachos, alios cõtrucidant, alios ludibrio habent: misère tamen ad Regẽ cum certis postulatis octo uiros: ad quę eiusmodi respõsum, primis Octobris diebus, accipiũt. Rege copias suas ex agris illorũ abducturo, ipsi quoq; suos milites dimitterent, iusiurandũ darent, exteros iurare nolẽtes urbe mouerẽt, supplices ueniam peterent, confirmationẽ iurium habituri, ad comitia regni uenirent: tum decretũ ob contumaciam contra ipsos latũ, & quę uocarent grauamina iniustè sibi imposita, suo modo tollerentur. Acceptis his cõditionibus, nõ omnes illis probatę: oblatas deinde alias, eodẽ modo aspernati sunt. Rursus impetrata 17 Nouembris, suis internuncijs, Constantino Ferbero, & Georgio Rosenbergio, ultrò, citroq; cõmeandi hisce legibus securitate, Calendis quoq; Decembribus ulteriùs propagata, ut pacata ciuitate, dimissoq; milite, ad Regẽ uenirent, delicti ueniã petituri: rescribunt quædã à Regis uoluntate aliena: & quoniã conditionibus non satisfecerunt, retenti sunt à Rege legati. Aliud semper, quàm par erat, & Rex iustus uolebat, respõdentibus, humilibusq; uerbis superba scribẽtibus: extracta res est ad comitia Toronẽsia mensibus Octobri atq; Nouembri, anni 1576. Gedanensiũ potissimè causa celebrata. In quibus Regia de ipsis sentẽtia, ab omnibus prouincijs, ordinibusq; cõprobata est: deliquisse Gedanẽses, & crimen cõtrà Maiestatem cõmisisse, inuenti. Quò, hoc cũ responso, illi ijdẽ reuerterunt, quãuis Rex exercitum abducat è Sulawa suũ, ipsos tamen non esse id facturos: nec ad cõmune concilium, quũ ad illud non pertineant, uenturos. Mirabantur nostri hęc ab illis scribi, quũ anno 1569 Rex Augustus Lublini, aui sui Casimiri quarti, de concilijs, conuentibusq; Prutenicis illã legem, *Omnes causas notabiles, ad terras Prussiæ pertinentes, cum communi Consiliariorũ earundem terrarum consilio tractabimus*: ita commodè interpretatus sit, ut ostenderit, non esse certũ locum hisce causis tractandis definitum: nec hinc Senatũ regni, sine quo nihil magni Rex constituat, excludi: sed ex indiuiduo Poloniæ cum Prussia uinculo, anno 1454 opera eiusdem Regis facto, omnia communia sequi: non tamen leges harum gentium confundi: ideoq; tali iurisiurandi formula, fidem suam Regibus, & Regno Poloniæ, consules ciuitatum Prussiæ atq; nobiles obstringere: *Ego N. iuro, quod serenissimo D. Sigismundo Regi Poloniæ, & suis successoribus Regibus Poloniæ, eiusq; Regno, fidelis ero: eiusq; Maiestatis honorem, statum Regium, & commodum Reipubl. Regni, & terrarum Prussiæ, pro utili procurabo: suamq; Maiestatem de omnibus damnis, quæ sciuero, certiorem faciam: & ea manifestabo fideliter: sic me Deus adiuuet.* Non destitêre porrò tempus terere uarijs effugijs, clàm in Germania auxilia, conquerentes, Rege prudenti futura prouidente, ac quę iam acciderunt, prædicente. Ad quem ubi Rosenbergius cum Henrico Lempka Iurisconsulto, ultimum ipsorum, ad ea quæ 25 Ianuarij acceperunt responsum, multò aliud, quàm sperabatur, Bidgostiam attulissent: statutum est, pòst diu tentatam, tandem etiam contemptam mitis Regis patientiam, debellare superbos, & ui cogere ad officium ciuitatem, quæ potestati à Deo institutæ nollet subijci. Nam quid aliud, bonum Regem facere oportuit? Adducam huc, quæ tum etiam illis gratificabatur. *Responsum Sacræ Maiestatis Regiæ, internuncijs ciuitatis Regiæ Gedanensis à Maiestate Regia ad eorum supplicationem datum.* Sacra Regia Maiestas satis abundè omnia intellexit, quæ ciuitatis Gedanensis nomine ab ipsius Maiestate petebantur. Existimat autem, ad frequentes ciuitatis suæ Gedanensis supplicationes, satis, superq; sensum esse clementia, conniuentia sua regali: ita ut ampliùs utendũ sibi esse non putet tam diuturna procrastinatione, rerumq; & negotiorum propositorũ dilatione. Verti ea in re iudicat dignitatẽ suam, expedireq; rebus & consilijs suis censet, ut ista tractatio iam pridem instituta, nunc tandẽ finem suũ sortiatur, modo &

ratione

ratione infrà scriptis. In primis concedit Maiestas Regia, ut pro concludendis, ultimoq; fine terminandis cōditionibus, à Regia Maiestate ciuitati oblatis, isto modo, quo Regia Maiestas conclusit ac determinauit, in spacio sex dierū Maiestati Regiæ satisfiat, pleneq; de his omnibus ciuitas Regię Maiestati respondeat. Hi uerò dies per reliquos mensis Ianuarij dies anni præsentis, ciuitati concessi esse censeantur. Primò quidē ducenta millia florenorū, numeri, & monetæ Polonicalis, Regiæ Maiestati ciuitas persoluere debet. Prima quidem, in spacio unius mensis: alia uerò centum millia, prima die Martij, anni futuri 1578. Regiæ Maiestati reponet. Et nunc etiā oblationi Statuum Prusiæ innitendo, duplicē accisam ciuitas iustè & integrè cōtribuet, eamq; in thesaurū Regiæ Maiestatis inferet, prout id melius & utilius ipsius Maiestati fore uidebitur: de quib. omnibus obligationem forma cōcepta, quæ mittitur, faciat. Illa quæ merè regalia sunt, quę ex priuilegijs ciuitas Gedanēsis Regię Maiestati pendere debet: ea quotannis exoluantur: ista enim obligationibus aut exemptionibus ullis subijci non uult. De 4 tormentis bellicis, unà cum puluere, globisq; benè præparatis, ad usum belli præstandis, ciuitas Regiæ Maiestatis uoluntati satisfaciat: in eoq; Regiæ Maiestati morem gerat. De prorogatione temporis ad Palatium, aliaq; ædificia regalia in ciuitate Gedanensi extruenda, permittit Regia Maiestas ex gratia, clementiaq; sua, tempus competens ciuitati se concessuram esse. De portorio maris, negocium ad futurum Regni conuentum rejicit: ita tamen, ut Regiæ Maiestatis scriba peculiaris ibi adsit, iuxta priorem declarationem. Grauamina, quæ authoritate sua citra consensum Ordinum regni tollere potest, ea tollit: reliqua ad conuentum regni generalem differt, ut de illis ex sententia Ordinum decernatur. Quæ tamen Regię Maiestatis de grauaminibus istis sententia sit, eam peculiari priuilegio super his conscripto declarauit. Si uerò uult, aut magis cupit ciuitas, nō abnuit Regia Maiestas, ut omnes articuli, & omnia grauamina, ac omnes actus commissariales, inter quos & portorij negotiū est, ita ut etiā scriba ad id non adhibeatur, ad futurum Regni conuentū rejciantur. Reliqua tamen placationis capita, ac declaratio Religionis cōseruandæ, stare debent loco, & tempore suo. Confirmationem iurium, & libertatū, iuxta formam præscriptam, quę mittitur, Regia Maiestas ciuitati dabit: omniaq; priuilegia, iuxta illius cōtenta, conseruabit, eamqúe authenticè nunc extradet. Si fortè ciuitati placeat grauamina omnia, articulosq; (placationis conditionibus & capitibus, tum etiam Religionis conseruatione, de quo specialibus literis cauebitur, exceptis) ad futurū regni conuentū reijcere: literas reuersales, prioribus non absimiles, ciuitati dabit: quibus promittet, authoritatē suam apud Ordines regni interposituram esse, ut ciuitatis ratio habeatur, grauaminaq; ipsius illegitimè irrogata discernantur, & abrogentur. Ante omnia ciuitas militē dimittat, Regiam Maiestatem forma concepta deprecetur, conuentis se stare obliget: fidelitatis iuramentum præstet: omniaq; faciat, quæ ad subiectionis, fidelitatisq; officium spectāt, & pertinent. In quorum omnium fidē sigillum nostrū apprimi iussimus. Datū Bidgostię 25 Ianuarij, anno Christi 1577. Regni uerò nostri primo. His subscriptio manus Regiæ accessit. Dedit ijsdē die eodem priuilegiū de grauaminibus, eodē quo dictum est modo, abrogandis, usu Augustanę Religionis cōseruando, omnibus priuilegijs legitimè impetratis cōfirmandis, deq; cæteris rebus, quadraginta capitibus compręhensis. Quę omnia quo animo acceperint, mœnibus confisi suis, id ex ijs liquet uerbis, quæ de Gedanensibus Regia Maiestas Senatorib. absentibus undecima Februarij Bidgostiæ perscripsit. In primis, inquit, declarationem conditionū à nobis oblaturū illis dedimus: grauamina, quæ ipsi soli poteramus abrogare, dato priuilegio abrogauimus. Commissionis negotium, ad futurum Regni conuentū reiecimus: ut de eo ex omnium Regni ordinū consensu decernatur. Exemplū confirmationis iurium, amplissima forma, citra omnium exceptionē, illis dedimus: ut nihil superesset, quod eorū animos obstinatos à præstanda fidelitate, ac relinquenda temeritate, retrahere posse uideretur. His ita constitutis, sex dierū spatium datū est, ut Senatui & communitati ea omnia uidenda mitterentur. Expectati sunt ad 12 dies: quibus cunctationem hanc, certam pacē parituram esse credebamus. Ecce autē Rosembergius cū syndico aduenit: responsum nobis attulit, in quo non modò ea, quæ pacta & responso nostro cōclusa fuerant, inuersa sunt: uerùm etiam multa alia adiecta, quæ nō modò dignitatē nostram, uerùm etiam iura publica perstringere uidebantur. Etenim ducenta millia florenorum, quæ nos nō placationis, sed debitorū regno retentorū nomine, ab illis pacti eramus, quæ ipsi etiam tempore constituto soluere promiserant, in tempus postea longissimū & incertū transtulerunt. Contributionē accisę abiecerunt: regalia nostra, quę nobis à ciuitate singulis annis pendi solēt, in dubiū uocarunt. Commissionē abrogare autoritate solummodò nostra, extra conuentū, uoluerunt: cū regno nihil se habere comune. Item alia, quę nō cōmemoramus, scripserunt. Quid saluo cōductu durante fecerint, omnibus notum est: inter-

internunciisq́ pacis prætextu ablegatis, nihil minùs, quàm pacem in ciuitate tractarunt: hanc propugnaculis, & antemuralibus extructis munierunt: militem, qui dimitti debuit, auxerunt: eruptiones multas fecerunt: ex uillis, & domibus nobiliũ prædas egerunt: uillas incenderunt: euentus ut demonstrauerit, illos nõ pacificationis, sed ludificationis causam nobiscũ egisse. Tacemus eorũ innumera in nos & Rempub. cõmissa delicta. Iam uidemus eorũ animos obcæcatos, in perniciem suã ruere. Sed nobis Deus testis est, quòd lenis & clemẽtis Principis officio hactenus usi sumus, atq; curauimus, ut illos ad sanam, rationiq́ obsequentẽ mentem reduceremus. Nihil profecerunt hortationes, legationes, persuasiones, cunctationes nostræ. Expectatum diu est, cũ summa nostra, & Reipub. indignitate: nihil est intermissum, quod ad quietem publicã retinendam pertineret. Quid igitur aliud restat faciendũ, quàm ne nobis & Reipub. desimus: atq; ut sequamur, & suscipiamus ea consilia, quę ratio suadet, & iustus dolor exprimit? Hæc Rex Stephanus animi erga suos paterni. Porrò quod responsum ad illorũ postrema uerba, eodẽ tempore à tribunali Regiæ Maiestatis profectũ sit, operæpreciũ est his addere: ut cuiuis notũ sit, nihil Regem temerè, nihil iniquè, nihil præcipitanter egisse, quocũ missis in custodiam Lencicienſem Ferbero, & Rosembergio consulibus, post decretum contra omnes latũ, remissus Lempka est. Prospiciebat animo sacra Regia Maiestas, Dominus noster clementissimus, hæc omnia quæ agerentur à Gedanensibus impetrãdis toties salui conductus prorogationibus, non aliò spectasse, quàm ut rem extraherẽt ad hoc ipsum tempus, quod ad detegẽda apertè nefaria sua cõsilia magis idoneũ arbitrabãtur. Cuius illorũ instituti cùm antè non parua indicia hęc essent, quod in tractationibus, à leuioribus postulatis orsi, grauiora, quoties legatos ad sacram Regiam Maiestatẽ remitterent, indies adderent: quibus tantũ abest, ut pro patrato crimine omnium grauissimo, Regię Maiestati satisfacerent: ut etiam iam propè gloriando de crimine hoc admisso, magis, magisq́ offenderent, quod tamen sacra Regia Maiestas patienti ac paterno animo ferebat, ac ea, quæ ad iura illorũ, & libertates augendas spectarent, illis concedebat, quæ nõ rebellibus, uerùm benè meritis de Principe suo subditis deberentur: ut hac sua clementia eos ad officium reuocare posset: nihil tamen, ut uidet, eos hæc benignitas mouit: cùm ad superiora postulata iniqua, hæc posteriora impia ac nefaria prorsus adiecerint, ita concepta, ut iam meditatum scelus prorsus detegant, & tam Regiæ Maiestati, quàm Reipub. communi regni Polonię, contra iusiurandũ maiorum suorum, Diuo Casimiro Regi, eiusq́ successoribus ac regno datum, ualedicant: nec publicis Regni consilijs ac ipso Regno, in cuius titulũ ac ius, ut maiores ipsorũ iurarunt, concessissent, quidquam commune habere, impudenter, & nefariè scribant. Iam uerò sacra Maiestas Regia nõ solùm iniquitate, & insolentia postulatorum in dies lædebatur: uerùm etiam alio genere iniuriarum, non modò ciuitate non exonerata (iuxta formulam salui conductus, mittendorum ad Regiam Maiestatem Oratorum dati) externo milite, uerùm etiam maioribus conductis copijs, & nobilium ac aliorũ subditorum sacræ Regię Maiestatis urbi uicinorum pagis ac ædibus spoliatis, direptis, ac etiam exustis. Quamobrem, cùm iam apertè cõstet, obfirmatas in scelere perduellium Gedanensium mentes, humanitate sacræ Regię Maiestatis ac alijs leníoribus rationibus ad officium reduci nõ posse: alijs grauioribus sacra Regia Maiestas uti, pœnasq́ meritas de illis sumere necesse habet. Itaq; decretum suum, quo illos perduellionis damnauit, iam, iamq́ publicat, & promulgat: omnem securitatem terra, mariq́ illis adimit: & tanquam impijs in Principem & patriam hominibus, aqua, & igni interdicit.

Bello sic indicto, & cura illius Ioanni Zborouio, uni ex ordine Senatorio, demandata: posteaquam Gedanenses cognouissent, quàm paucos milites Rex Stephanus, Grebino capto, & Sulaua depopulata, in agro ipsorum reliquisset: quasi nondum satis tot malis, damnisq́; quæ illis rebellio attulit, afflicti: accersenda plura esse potiùs, quàm aliquid Regi concedendum, qui illis nihil, nisi Batori esset: & si fortuna faueret, opprimendos esse paucos antè quàm plures confluerent, animis obfirmatis statuerunt. Iam uerò ab illis, qui ad Regẽ uentitabant, uoces illæ audiebantur, posse ipsos, si modo uellẽt, nullo negotio nostros obruere milites: rati idẽ esse, uelle quid & facere posse. Rei igitur huius auspicato aggrediundæ diu expectabant occasionẽ. Visum est Pascha percommodũ, (septima Aprilis fuit) quũ omnes ubiuis Christiani cultui diuino maximè incumbere solent. Confisi ergo uiribus suis, & Ioannis Coloniensis, ducis sui magno præmio ex Germania euocati, experientię: ad hæc omnibus necessarijs ad euertenda, diruendaq; oppida benè instructi: hoc cõsilio urbem egrediuntur crepusculo uespertino, ut oppresso milite nostro, & Derssauia, (Czceuum nos uocamus) in quam se tempore hyberno ex agro receperat, expugnata: ad Gnieuum, Nouum, Staragardum, cæteraq́ Regia oppida procederent uastanda. Verùm nondum urbe omnibus egressis, ea tempestas exorta est, (Deo profanatæ au-

natæ au-

natæ augustæ dici, & Regis contemptus uindice) ijsq; cœli tonantis sonitus, & fulminis i-ctus auditi, ut unius propugnaculi pars auulsa, in fossam corruerit: equus ductoris, fulgore atq; fragore attonitus, succubuerit: ipse sessor à satellitibus, quibus stipatus erat, suffultus: duo equites è ponte fossæ imposito, in aquam profundam delapsi sint, nec sine labore alter extractus, alter aquis obrutus. Reducto itaq; in urbem exercitu, idem postera die, alijsq; deinceps ab illis tentatum. Sed hæc ipsorum aduersus summũ Prussiæ magistratum suscepta consilia, semper pluuia impediebantur. Ea tamen cæcitas hominum fuit, ut adeò aperta futuræ stragis omina, non Deo, à cœptis eos, quæ oderit dehortanti, sed sagarum ueneficijs tribuerint: duasq; eam ob causam in carcerem compegerint: suspicati, à nostris conductas procellam incantamentis excitasse. Armant interim duas naues uectorias, totidemq; minores, duplici uia regios milites inuasuri. Tandem 16 die mensis eiusdem, sole ad Occasum uergẽte, aduerso flumine Vistula sed uentis iuuantibus, Czetrum primùm oppugnatum contendunt: parte ab altera, tam equestres, quàm pedestres cohortes emittunt: de quorum lento progressu Zborouius, insignis uirtutis Imperator, à uelitibus Strussij, qui tum in excubijs erant, certior factus, & quos sæpe ad pugnã prouocasset, mœniaq; illorum penè attigisset, nunc primùm prodire miratus: procedit illis cũ suis obuiam: locum pugnæ commodum ad pagum Rokitki prope aquas deligit, &, donec propiùs accederẽt, locaq; aquosa præterirẽt, ordinatis aciebus expectat. Substitêre Dantiscani ad uillam Langnaw, quæ paulò plus uno miliari distat DersZauia, præmissa ad excubias ea exercitus sui manu, quæ maior fuit omnibus Zborouij copijs. Hic Zborouius memor circumspecta celeritate nihil in bello melius esse: inuadendi securos, lætosq; consilium capit. Sed timens oppido, ne interea ab hoste nauibus egresso occuparetur, neue bono mutato loco, incommodiore agenda res foret: prudenter illud mutat: nec tamen in oppidum redit, ueritus ciuium proditionẽ: nam cum Gedanensibus facere uidebantur. Dispositis igitur quaquauersum uigilibus, & misso cum 60 Tartaris, qui nauibus imminerent, forti uiro Andrea Carchowscio: noctem in equis cum suis transigit. Oriente sole, septima decima Aprilis die, hostis appropinquare uisus, nostris nonnihil multitudine illius perculsis. Conspexit & Coloniensis nostros, non absq; stupore: quòd pauci, quos ad sui conspectum fugituros putabat, tantis cum copijs uenientem expectarent. Illis ergo ultra fluuiolum, & lacum editiore loco constitutis, nostris ex aduerso stantibus, neúe ab illa ui hominum magna circumdarentur, cauentibus: incipit uelitatio, duabus fermè horis ab ortu Solis, grauis nostris Cosakis (quos ferentarios licet, seu uelites uocemus) Germanus eques fuit, undiq; armis tectus. Quibus cõfestim misit Imperator in auxilium 20 Vngaros generosissimos, & Stanislaum Iordanum manu promptum iuuenem, cum 50 equitibus. Descendebat in arenam ipse quoq; Coloniensis, ueluti quidam suorum moderator. Ciebatur ergo prælium magna animorum alacritate, sed Germani ita cursitare, ut impetus hastatorum uitarent, idq; unum facerent, quò nostros illò pertraherent, ubi tormenta ænea collocata erant. Quod ubi animaduertit Zborouius, datis de uitando periculo præceptis, miscuit hastatis equites è peditatu sumptos, cũ tormentis lõgioribus. Defatigatis pugna, & cursu utrisq;, successêre integri. E nostris Zolkieuius cum turma Ioannis Zamoiski, Regni Poloniæ Vicecancellarij, non minùs, quàm priores alacer prodit. Vulnerati aliquot Germani: unus equo detrusus, equus alterius trãsfixus corruit: iam etiam duo à ferentarijs anteuenientes currentibus occisi fuerant, nostris saluis. Felix prælij principium incendit spectatores ad audenda facinora maiora: equis nostrum, ad clangorem tubarum, tympanorumq; sonũ, adeò gestientibus, ut ab sessoribus ægrè tenerentur. Quum tali pugnæ prædudio detinentur nostri, Coloniensis misso illo pergendi ulteriùs ad oppidum obsidendum consilio, postquam uidit Zborouium pugnandi copiam haud impigrè facturũ: suis ut consuleret, sæpimentum è fissis trabibus, quas secum, ut alia omnia, uehebat, facit: nihilominùs tamen fermè ducentos, ad nostros in acie destinendos mittit, astutè omnia: ut cuius rei bellicæ scientia, celebris in Germania sit ob defensam Magdeburgum. Igitur collocata intra illud munimentum suorũ bona parte, ipse interim cum tormentis, & lectissimis quibusq; uiris, ab altero montium latere, nostros à tergo aggressurus, ad lacum Libisseuiensem suis fatalem, iter intendit: ratus, undiq; comprehensos, nisi fugerent, sua in potestate facilè futuros: ubi iussus properare centurio Rausauius, respondisse fertur, lentè festinandum esse: uideri enim sibi Polonos ad certamen magis, quàm ad fugam esse paratiores. Erat autem ibi in excubijs Temrukus, expertæ uirtutis miles, cum 50 uelitibus. Qui hostilem uim imparem esse suis uiribus sentiens, maturè sibi subueniri petijt: laborantibus missum e uestigiò subsidium. Zborouius, astu hostis deprehenso, quid facto opus foret (fugere enim ignominiosum esse ducebat) protinùs init cum suis consilium. Vrgente undique periculo, non longa consultationi mora data, placet il-

lucomnem

luc omnem equitũ,peditumq́ globum cõuertere,ubi ipsum caput hostium foret. Quum uerò nostri uidissent,mutatum esse ab hostibus aptum ad pugnã locum, (nam & alij, qui munitione continebantur,ijsdem tramitibus ducem sequebantur) adducti sunt in spem uictoriæ. Proinde extemplò diffringunt ponticulum fluuiolo impositum,ne ab uelitationi deditis,& intra sæpimenta latentibus,à tergo inuaderētur. Itaq; quum in illa potissimùm parte,quò properè tendebat Coloniensis,omnis belli uis sita esse uideretur: nec periculũ ab nauibus,ui brachiorum uento aduerso tardè tractis,oppido incumberet: Zborouius suis præcipit,ut uelitationi finem imponerent: præterea ciuium magistrum dubiæ fidei confirmat,ut,si quæ uis hostilis ingrueret,saltem aliquot horas bona fide obsidionem sustineret: cuius rei causa quinquaginta pedites Polonos cum tormentis manuarijs ei reliquisset,ipse breui,hoste,Deo adiuuante,superato,cum pluribus affuturus. Tum admonitus ab Haidonum ductoribus,quorum tres in acie cecidêre,ut prælium antè iniret,quàm hostis suos ordines planè explicaret,tormenta iam disposita,terra congesta muniret: ficta oratione addit suis animos,spe iamiam Vistulã traijcientis mille equitum,peditumq́ auxilij: orat præterea omnes,ut alij alijs offensas condonent, pœnitentia placato Deo,supp̃liciter opem illius implorent,morti gloriam anteferant, hostes non numerent sed inuadant: neúe eorum conspectu terreantur,qui breui tempore futuri sint in ipsorũ potestate: quòd superbi,maledici,rebelles,contumacesq́ sint: paucis antè mensibus ad Grebinum, Glowam,& alibi ab illis profligati: olim uero ab ipsorum auis atq; proauis ad quinquaginta millia cæsi,capti,fugati: omninò absq; bombardis & munitionibus imbelles ac timidi: quod illico ipsimet experturi sint,modò pristinæ uirtutis,nominisq́ sui,à campestri prælio accepti,memores pugnent uiriliter pro Christiano magistratu: Deo freti,ultore rebellionis,quem ducem habeant propitiũ,quiq; paruis copijs,tàm iusto quàm hoc sit bello,ingentes superare soleat. His alijsq́ istiusmodi dictis,mirum in modum recreati sunt omnes,& ad impar prælium accensi. Dehinc Haidones,uelut in rabiem uersi, (erat à meridie hora fermè prima) ab dextro latere,equites à sinistro,in hostem,ubi tormenta fuêre, irruunt: suos contra ipsum sclopos quinquageni exonerant: hastati sarissas, ferentarij uenabula in oppositos uibrant: alij arcus manu certa tendunt. Centuria uerò Strussij,sublato clamore terrorem Germanis à tergo incutit. Nascitur pro formidine gaudium, multis ex aduersa parte cadentibus. At ab hoste emissa è tormentis iacula,pèrpaucis nocuerunt; hastas non paucas confregerunt: quippe quòd equites incommodo loco cederent, pedites autem,conspecto ardente puluere tormentario,supini caderent,pro mortuis ab hostibus habiti: rursusq́ sclopis instructis,resurgerent. Damnosa hęc Germanis fuit carnis resurrectio. Quibus aliquatisper resistentibus,monet Haidones moribundus ductor ipsorum,ut si uincere uellent,abiectis sclopis uictoriam retardantibus,acinacibus, tecti capita securibus,rem cominùs agerent. Obsequuti monitori,manus cum hoste acriter conferunt,& adiuuantibus equitibus,ordines conturbant,ferreorum hominum poplites succidunt. Cæteri hastis & gladijs nunc pectora transuerberant,nunc capita petunt. Par gentis utriusq; uirtus & gloria: par hostium diuersarum gentium debilitas & formido. Aduolant & turmæ aliquot equitum,quæ ad succurrẽdum lassis,à prouido imperatore in proximo collocatæ erant,nequaquam alijs segniores. Paulò plus una hora incerto euentu dimicatum. Vrgentibus nostris ferro,equis, clamore, cadunt primores Germani,deniq; & alij,uiri proceri ac lacertosi,tormentis, in quibus illis omnis spes uictoriæ fuit,& priuati; & frustrati. Dein magis ac magis instantibus nostris,terga uertunt rèliqui,tanta festinatione,ac ita confertim,ut alius alium ponte detruderet. Magna pars festine arma exuentes (miseram spem salutis) ad proximum lacum tranandum conuersi. Nimirum ea uis metus est, ut homo à quouis potiùs alio, quàm ab homine irato absumi malit. Quare magnus numerus in lacu demersorum uisus. Pars suo cum glorioso duce,in lacum etiam impulso,uertit se in fugã: nostris eos ad tertium à prælio milliare (Prusiecz rutti nomen) summa contentione persequentibus,& magnas illorum strages edentibus. Non pauci montes,alij syluas Cassubicas & Pomeranicas,effuso cursu petierunt. Tunc illud euenisse usum,quod Moses malis prædixit: Efficiet (inquit) Iehoua ut corruas ante hostes tuos,& in quos una uia exieris,eosdem septem uijs fugias: quibus in rerum omnium penuria seruietis: illi uerò imponent ceruicibus uestris iugum ferreum,usq; ad uestrum exitium. Intacti illi,equis currus trahentibus conscensis,profugerunt, qui extremum agmen claudebant. Permulti è montibus & syluis à regio milite extracti,ad imperatorem trepidi adducebantur. Post uictoriam aiunt Haidones Zborouio,ab inclementia illos auocanti,hisce uerbis respondisse: Si nos hosti parceremus,ille uictor eodem modo quo nos nunc (quæ dicentes, hos è captiuis detruncabant,illos mutilabant) in te sæuijsset. Fugientes persequentium tantus erat ardor,ut ad signum inclinata die receptui datum, non nisi ducenti

Oratio Zborouij ad milites.

1410.

equites, benè cruentati, ad ducē oppido opem laturi redierint: alij post, cū prædā sequuti. Vbi Haidonum ductores orauit Zborouius, ut suos ad alterum hostem adoriendū conuocarent. Qui, licet non minùs quàm equites cædendo defessi, noctisq; præteritæ uigilia atq; diei inedia fracti forent, tamen simul omnes præeunte Zborouio, illos qui è nauibus iam ad alteram ripam stantes, & nuncios de uictoria suorum opperientes, globos machinarum muralium aduersus oppidum incassum eiaculabantur, inuadere, aggrediq; cupiebant. At hi casu suorum, ex aduentu nostrorum, & globis tormentarijs cōtra se eiaculatis, cognito: domo, ubi traiectus est, incēsa, & omni quę in ea fuit cereuisia epota, supellectile direpta, fugere incipiūt: paululumq; prouecti, (nam uentus aduersabatur) se post insulam abdunt. Interim Marięburgo, ad preces Zborouij, nostris subsidio uenit Stanislaus, filius Ioannis Kostkę, pręfecti Marięburgensis, cum suorum globo, & quatuor tormentis telorum: cui persequendi hostem ab illa eadem ripa, datū negotium: quod bene cœptum, nō minori fortuna peregisset, ni & nox obscura, & uentus secundus, fugientibus opem tulisset. Quàm autem salui hi quoq; domum reuerterint, parum liquet: illud certū, multoties à nostris fuisse globis tormentarijs petitos. Qui cladi superfuerunt, capti mille, præter illos quos uicina nobilitas fugientes compręhēdit: aliquot ita opulenti, ut uitam multis nummûm aureûm millibus redimere cupiant: Vidisses decem, plus minus, Germanos ab uno uinciri, uel Polono, uel Hungaro: uinxit & quædam mulier duos: (tantus pauor pectora illorū occuparat) ac quodā è nostris uincula quærente, protulit sua sponte è sinu captiuus: En (inquit) habes: colliga manus, uitæ parce. Occubuēre in acie 4[illegible]7. uiri: id ex illis qui iussu imperatoris occisos humabant, cognitū. In fuga cæsorū & aquis obrutorum, quum hæc scriberem, nondū erat collectus omnis numerus: non paruus opinor, si modo uictus uerum fateri uellet. Tædebat iam tot cadauera, quorū lacus atq; uiæ plenę erant, terra obruere: à feris & alitibus multa depasta. Inuenti à uespillonibus, seu duo seu tres, qui ad tertiam usq; à pugna diem, denudati uti omnes alij, morte simulata, inter occisos latuerunt: rogati uerò cur non interea temporis fuga uitæ consuluissent, responderunt, metū Haiducorū inclementium, qui sibi instare uisi semper essent, assurgere ausos non fuisse. Signa pedestria quinq; adempta, unum equestre: idq; erat maximum, & AVREA LIBERTAS, aureis literis scriptum habebat. Scilicet Rex eam illis eripere uoluit: qui se omnium iura, publica & priuata, & quā quis profiteretur religionē, incorruptè seruaturum, semel ad aram sanctè promisit, idq; adhuc pręstitit. Tormenta ænea magna septem: parua triginta, tribus uecta curribus, ablata: currus 150. relicti: armaturæ ter mille quingentæ, è spoliatis ad ducem comportatæ, & tormenta manuaria permulta: quibus iacturæ militum compensatæ sunt. Largitus est alia quoq; dona Zborouius cuiq; fortissimo: adeò munificè, ut ipse nihil planè è præda sibi reliquerit, cōntentus sua gloria, quæ illi ex re bene gesta nata est: tametsi hāc etiam abs sese amouens, soli Deo, à quo profectā manifestè uidebat uictoriam, & fœlicitati Regis sui, triplici iam triumpho insigni, libenter tribuat. Quis enim, nisi impius, hoc solius Dei beneficio factū esse non fateretur, ut bis mille uiri, 12000. siue 14000. hostiū, profligarint, majoriq; ex parte ceciderint? Fassus est hoc & agnouit pius Rex cùm illò loci ueniens ubi pugna peracta est, hæc proferret: *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.* Regij uerò milites (quod mirêre) solùm duodesexaginta occisi, centumq; triginta uulnerati: hos inter nōnulli, dum tormentis potirentur, fœdè ambusti, quod magister tormentorum, uiso extremo discrimine, dolio pulueris nitrati ignē iniecerit: quo ipse unà interijt. Horum nomina, ni pigeret, possem referre: sed breuitatis habenda est ratio. Equi 38. cæsi, 65. saucij ac læsi. Reperta apud plerosq; omnes Germanos, uarij generis uincula, nostris ligandis parata, quæ ipsorummet brachia senserunt. Ita illud uerè dictū à Solomone: Parari equum ad pugnæ diem, sed Dei esse uictoriam. Illud immanius, confectas ab illis fuisse glandes uenenatas, quæ sursum è tormētis breuioribus (quæ duo fuêre) eiectæ, mortem illis adferrent, quoscunq; earum scintillæ attingerent. Fastum porrò illorum, & ante uictoriam triumphum, illud arguebat, quū sui generis uicinos præmonerent, maturè migrarent aliò cum preciosa quaq; suppellectile, ne quid hostile à milite experirentur: quorum dictis quidam oppidani territi, sua Grudzadzum, alij aliò auehebant. Quinetiam in ipso procinctu, alter præbibens alteri, hic tres, quinq; ille, alius decem Polonos uinctos, uir uxori, miles amicæ, adducturum se promittebat, & pro uno capone pingui tres se captiuos daturum spondebat. Præter hæc, urbe exituri, spectatores alloquebantur, eos ipsi quoq; comitarentur ad pugnam breuem quidem, sed longæ, opimæq; prædæ: (petrecturos se ultra Dersz auiam opinati) uel saltem extra urbem opperirentur reduces cum spolijs Polonicis atq; Vngaricis. (ita paucitas nostrorū despecta ab illis fuit) Stabat ergo populus in montibus belli euentum expectans. Primum, eumq; certum, irati numinis ciuitati nuntium carnifex attulisse dicitur. Non credita res diu, mutilis cursim carnificem sequentibus,

quentibus, fidē meruit: & posse abs Rege uinci superbos subiectos, ut antè Lanscorona, Grebinum: ita Dersżauia declarauit. Constans fama est, paulo minùs sexcentis mulieribus Dantiscanis hoc prælium uiduitatem, non paucioribus reor orbitatē attulisse. Cumq; Coloniensis in urbem anhelus refugisset, hisce illas cum eo uerbis expostulasse: Redde nobis, scelestè, uiros: redde filios, redde cognatos, quos tu non eduxisti, sed seduxisti: uicturos, si intra portas se continuissent. Is Zborouio denuntiasse fertur, se de integro fortunam belli experturum, sumptis secū urbis clauibus, si superetur, uictori tradendis. Quod an credam ambigo, quum tanta sit ciuium consternatio, tantus mulierū et natis orborum parentum dolor atq; plāgor. Addere animos possunt Danica, ciuitatumq; maritimarum auxilia. Et Gedanenses quidem ita attriti sunt, die, menseq; eodem, sed anni alterius, quo Stephanus Batorius, primùm ex Hungaria Cracouiam (quæ Regum sedes est) ingressus, regnum inijt. Afflicti autem, non ob solam diu meditatam rebellionem, (non enim temerè urbem suam magno sumptu & studio, muris, propugnaculisquè aliquot annos firmabant) sed etiam propter tetra de bono Rege, regnoq; ipsius, à quo Gedanum alitur, scriptis prodita mendacia, & in ipsa urbe iactata in Regem conuitia: quum Regi, qualis qualis est, nefas sit maledicere: crimen, de altero falsum dicere. Adeò infœlix prælium, tantum terrorem permultis incussit, ut clàm cum ijs quæ facilè auferri possunt, emigrent ex urbe, (metum illis aducto in Prussiam fortunati, animosiq; Regis, quotidie augente) nec ulturi ignominiam, ad tympani, aucto stipendio, trium dierum pulsum, dare nomen militiæ alia lege quisquam uoluerit, quàm ne pugnatum foràs educatur. Ii missum ad se à Zborouio cum literis tubicinem, quibus eos ad deponendam rebellionem, cuius pœnas luissent, inuitabat, interemerunt. Quibus Zborouius iratus, per obscurum quendam libertate donatum captiuum, denuntiari iussit, se 50. ex illustrioribus captiuis, in ipsorum conspectu palis infixurum, ni sibi parricidas traderent. Ad hæc illi, ab irato suis peccatis Deo se punitos esse confessi, tradituros se homicidas rescripserunt, & ad colloquium cum Imperatore & Ioanne Kostka, Voiuoda Sendomiriensi, se admitti petierunt.

Habuit Zborouius, Gnesnensis Castellanus, non plures milites 2027. Prima equestris centuria, ipsiusmet erat: altera, Andreæ Fierlei, Castellani Lublinensis: tertia, Ossolinij Krzessouiensis Præfecti: quarta, Kasanouij: quinta, Nicolai Gostonski: sexta, Adami Balinij: septima, Zebrzydouij: octaua, Lesniouolscij: nona, Gnieuosij. Stanislai Iordani 50. solùm equites fuêre. Ex uoluntarijs, Ioannes Zamoyscius, Procancellarius, 37. Hieronymus Gostonskius, 10. Stanislaus Przyienskius, 16. ex aulicis autem regijs, Ioannes Tencinius Comes, Castellanus Voynicensis, 50. equites habuit. (sunt Castellani, secundi à Rege ordinis Senatores: Voiuodæ, quos Palatinos uocamus, primi) Zlostouius 7. Iacobus Pilchouius totidem, Malicius, 5. Bielawskius, 4. Procopius Pieniazek, eques Maltensis, 6. Hungari 40. quorum cognomina ignota mihi sunt: nota uirtus & fortitudo. Hi omnes, num. 1132. hastas prælongas, scuta, breues sclopos, & gladios duplices gerebant. Hussarorum nomen habent. Velites 215. fuerunt: quibus, præter acinaces, uenabula, arcus, loricæ, arma sunt: 100. Strussij, Præfecti Bratislauiensis: 50. Tenruki: 30. Scythæ Regij: totidem Andreæ Comitis Gorkani, Castellani Miedzyrzecensis: 5. Andreæ Karchowskij. Hos appellant Kosakos: equites celerrimi. Regios Stanislaus Gizitzki etiam tum (opinor) ducebat, miles celeberrimus. Pedites uerò Regij, generis Hungarici & Slauonici, stupendæ audaciæ atq; agilitatis, 600: Haiduci patrio sermone uocati: imperatoris, 30: Fierlei, 100: è quibus 50. oppidi defensio iniuncta erat. Tormenta campestria duo tantùm: his multò minora, Haken Germanis dicta, 27. Contrà, Gedanensium cohortes pedestres sex fuerunt. Quæ erat imperatoris, uiri cætera egregij, ni operam suam rebellibus nauasset, 600. uiros complectebatur: centurionis Kleuneri, 500: Lemkæ, 600: Estereicheri, 600: Rausawi, 500: Vetsteinij, 300: Equites mercenarij, 400: ciuiles totidem. At ciuium numerus, omnibus quasi ad certam uictoriā cupidè ruentibus, confesione captiuorum, uel 8. uel 10000. superabat. Vt enim diues opum, ita populosa est ciuitas Gedanensis: cuius portu nullus alius in Oceano Germanico nobilior: aqua profunda, muris et aggere præalto, ita munita, ut inexpugnabilis esse uideatur. Si igitur 8. tātùm millia oppidanorum, ad excutiendum iugum Regium egressorum posuerimus, numerus omniū militū 12000. minus 100. efficit: si duobus plus, (nam captiui uariant) 14. sunt millia. 12. igitur uiri unum militem Regium fugiebant. Hæ fuerūt Gedanensium copiæ, sanè magnæ: quibus freti, Magistratui, toti Prussiæ diuinitus dato, resistere uoluerunt: nolle se unctum Dei osculari, quem ille præ cæteris septē competitoribus delegit, ostenderunt. Regē prudentē, pium, clementem, quē alij omnes reuerentur & amant, soli infœliciter oppugnauerunt: & (quod illi molestissimū est) à ferendo Russis cōtra Tartaros auxilio, qui eodē tempore in Russiā irruerāt, auocauerūt: cuius causa, ut æquior est, ita fortuna superior futura.

AD LECTOREM GERmanum.

NE, quæso, crebra Germanorum hac in clade mentione offendare, Lector: aliter enim historia scribi non potuit. Gedanenses Germani sunt: miles quoque illorum, Germanus fuit, Scotis, Vasconibus, Danis (uti accepi) admistis. Quos cùm Deus uictores esse noluerit, cur me id descripsisse ægrè fers? Non alius euentus expectandus illis fuit, qui Apostolici præcepti de Rege honorando, & obedientia magistratui præstanda obliti, Regem Poloniæ (ad quem, successoresque eius, annis abhinc 123. una cum cæteris Prussis, metu Cruciferorum Teuthonici ordinis, transierunt) non modò non honorauerunt, sed apertè oppugnauerunt: quàm prosperè, docuit te historia: nullo (ita me Deus amet) Germanorum odio scripta: sed ut res gesta etiam ad posteros transmitteretur. Quòd uerò Gedanenses, nunc hostes, nunc rebelles appello: sequor in eo prudentissimi Regis mei, Senatusque, nobilitate approbante, sententiam. Et sanè manifesta est rebellio, eductis copijs, cum Domino [illegible] tius Prussiæ bello cõtendere: qui, cùm coronaretur, leges & priuilegia æqua omnium, se seruaturum, religiosa promissione testatus est, idemq; pòst Torunij in comitijs confirmauit. Negant illi quidem uerbis rebellionem esse: sed res ipsa non aliud declarat. Defensio hæc dici non potest, cùm Rex iuratus uim non faceret, sed damnatos ob contumaciam, uiris, opibus, muris confisos, aduersum se ruentes reprimeret atque castigaret: à quo necessaria, non armis extorquenda, sed supplici submissione, conditionumque satis tolerabilium, missa omni diffidentia, acceptione, impetranda erant. Ita tot mala, quæ postea sentêre, euitassent, sua omnia, quibus exuti sunt, quæq; nunc confracta iacent atque uastata, salua habuissent. Quos, cùm hæc secundùm æquitatem Regiam omnibus ostensurus, in lucem ederem, Illustrissimi Principes Germaniæ per legatos, Regi offenso, certis conditionibus, tanto studio reconciliabant, ut magna iam pacis, deditionisque spes esse uideretur: quorum conatus adiuuet Emanuel noster, Princeps & auctor pacis inter Deum & homines. Sed nec illud ignores, Lector [illegible]. Coloniensem, belli huius impulsorem, pœnas iam 24. Augusti in prælio ad Laternam maritimam, una cum suis multis, dedisse: ubi & nostri, (quæ fortuna belli est) effusa ex urbe turba, non pauci oppressi sunt. Vale, 12. Nouembr. quo die horrendus Cometa, maiorum præ[n]uncius malorum, emicuit. Anno 1577.

IOACHIMI BIELSCII SATYRA IN QVENDAM DANTISCANVM, QVI LEVIBVS AC INEPTIS SVIS quibusdam Germanicis rhythmis multa nefaria de Rege & Regno Poloniæ scribere, & per Germaniam ubiq; spargere impudenter ausus est: Anno Domini 1577.

VSTRIS tempus ad hoc actis iam pœnè duobus,
Omne mihi studium placidis incumbere Musis:
Nec quenquam satyra proscindere mens erat acri,
Aut mea Pasquilli defigere carmina saxo.
Primus eras, qui me candore nitere perenni
Non sinis, inuitumq; in prælia pessimè trudis.
Qui squis sis, ego te Dantiscum, latro, uocabo:
Qui sacrum morsu nomen uiolare canino
Ausus es inuicti Regis, sæuumq; uocare,
Quo non Christiadûm toto Rex alter in orbe,
Vel pietate fuit, bello uel maior & armis.
Dignus quis furca pedibus suspensus ab alta,
Aut nigros pascas coruos, aut sectus acuto
Carnificum ferro, canibus sis esca cruentis:
Ausus Teuthonicas passim tam fœda per urbes
Plurima de nostra mendacia spargere gente:
Tanquam cum Turcis iam conspirauerit, & iam
Christiadûm multis fraudi sit Lechia regnis.
O execrandum scelus, exitioq; piandum,
Dantiscæ plebis: quæ nedum oblita prioris
Est fidei, & Regi proprio parere recusat:
Verùm non dubitat magnum quoq; stringere nomen,
Atq; apud externas falsò traducere gentes.
Tu tamen hos laudas, nec adhuc periuria demens
Horum celare potes, laudemq; merentur
Hæc aliquam gentis sceleratæ tristia facta.
Certè Dantisci digni sunt laude rebelles:
Certè Dantisci iustè fecêre rebelles:
Qui sacram rupere fidem, qui nescio quali
Pro patria, falsa pro libertate suorum,
Pro laribus patrijs mortem perferre cruentam
Haud ueriti, Domino sese opposuêre superbi?
Vrbs quasi sola foret Prussis hæc libera: cùm sint
Complures aliæ, queis nedum iura piorum
Integra seruauit regum pius ille: sed auxit
Elbingis etiam noua, uicinisq; Torunis.
O cæcos homines: ô indulgentia Diuûm:
Heccine Dij putantur agi? nec fulmine misso

Hos

Nos sæuos trudant in Tartara fura Gigantes?
Qui strauere trucem Enceladum, uastoq; Typheo
Pelion & Pindum, magnæ quoq; molis Olympum,
Atq; Ossam excussere manu. Quæ barbara tellus,
Quæ ferat hos, & non subitò confundat hiatu?
Et Sol sit placidus tam iusto crimine læsus,
Et non sacrilega currum diuertat ab urbe?
Quamq; Thyesteæ crudelia fercula mensæ
Periuri esse putet delicta minora Gedani?
Ad cœnam & lautæ nostros conuiuia mensæ
Inuitas? aderunt illi non multa rogati.
Vos modò Dantisci ad uestras uenientibus ædes
Hospitibus uultum læti exhibeatis amicum.
Quasq; dapes secum tulerint, gustate uicissim.
Verùm falsa uidebuntur: læsumq; palatum
Mordere multo frustrà dicetis aceto.
Et choreas ducent, dederint ubi cornua lætos
Rauca sonos: quales choreas? Dantisce uidebis,
Cùm magno pacem nequicquam optaueris emptam.
Nam præ lætitia salient sic acriter illi,
Ediderint ut quot saltus, tot uestra sub undas
Voluantur Stygias capita à ceruice reuulsa.
Vinum uelle tuis apponere dicis adustum
Hospitibus. rectè: potus placet ille Polonis:
Sed quoties bibitur, miserè tractabitur hospes,
Nec propria semper residebit tutus in æde,
Custodes quos tu posuisti in limine primo.
Nec te Sauromatæ generosi, Cerbere, curant,
Tergeminus nigram rapias ut dentibus offam,
Et totidem tristem latratum faucibus edas.
Inuenietur enim Alcides qui, Cerbere, forti
Comprensum dextra superas te educat in auras.
Musica quæ resonet, quæris, sub uallibus imis?
Musica (crede mihi) nostræ est gratissima genti,
Quæ Martem accendit, mentesq; in prælia tollit.
Aurea magnanimo donari munera Costhæ
Dicis ab ingrato, scriptor uesane, Gedano?
Ferrea iampridem (fauet ille pectore toto)
Mezrammus (mauis pro munere) Costha parauit.
Inuictum iactas ductorem. Causa fuisset
Si melior, poterat melior dux esse: sed illum
Numina iusta uetant aliquem sperare triumphum.
Esto: dogma pium Christi profitetur. eundem
Et nos amplexi sumus, atq; huic fidimus uni.
Vestibus incingi suades fulgentibus auro.
Non opus est monitis. mos est gestare Polonis
Intextas auro uestes, ostroq; superbas:
Sed tamen his uictor minimè potietur auarus.
Aspera multa prius turpis patiatur oportet,
Anteaquam iratis apibus mel deuoret ursus.
Balnea non curat, patiens est solis & æstus
Sarmata: uos ipsi hæc struxistis balnea uobis.
Nam neq; nunc primùm Dantisci fercula nobis
Instruitis, quæ uos tandem consumitis ipsi.
Ferrea iam nostræ fecistis uincula genti:
Vos tamen hæc collo tandem suspensa tulistis:
Multaq; spem præter damnosa superbia uestram
Corpora pallenti ferro demisit ad orcum:
Sic ut lamentis, luctu, queruloq; ululatu
Cœlum & inhumani resonaret regia Ditis,
Tisiphoneq; fero quatiens uos tortua flagello,
Eumenides reliquas in opem defessa uocaret
Sanguinea incincta palla, & serpentibus atris.
Non ergo es ueritus tam tristi lædere morsu,
Iratumq; magis Regem, gentemq; Polonam
Reddere iam uictæ genti: quam summus ab alto
Puniet elatam fastu Rex æthere, iustis
Puniet (haud dubium est) pœnis. hic mœnia Troiæ
Neptuni fabricata manu, hic ingentia quondam
Pergama, Thebanamq; urbem & Carthaginis arces
Eruit: hic cineri dabit, euertetq; superbam
Vrbem Dantisci uestram, ut pectore ab imo
Ipsa suum doleat facinus, Regiq; Poloni
Proiecta ante pedes, fateatur humillima culpam.
Rex pius & clemens turbæ miserebitur ultrò
Insontis: tamen auctores pro talibus ausis
Supremos scelerum mulctabit funere digno.
Et tu, quisquis eris, iustas dabis improbe pœnas,
Accipiesq; tuis æquissima præmia scriptis
Insulsis: & erunt hæc [illegible] tuis ciuibus olim,
Et tibi sacrilegæ exitio conuitia linguæ.

F I N I S.

SVPPLEMENTVM DE REBVS GESTIS INTER REGEM POLONIAE, STEPHANVM, ET MAGNVM DVCEM MOSCHOVIAE: Anno Domini 1579. in Augusto.

CONSTAT ex lectione historiarum, inter Polonos & Moscos, diuturna bella extitisse. Dum uel maximè Moscus Lithuaniæ aliquot principatus & prouincias sibi usurpare uoluit. Poloni uerò Iagellonem Magnum Ducem Lithuaniæ, qui Vuenceslaus dictus, in Regem assumpserunt, Regnum cum Lithuanico principatu coniunctum, & armis Polonorum defensum. Hoc uidere est locupletissimè apud Cromerum Historiographum Polonum. Et licet multis præclaris uictorijs Sigismundus primus, Poloniæ Rex de hoste Mosco potitus est: tamen sub Augusto Sigismundi filio cœpit Dux Moscorum, ualdè enc intestus Polonis, & toti Lithuanicæ. Atque prætendere cœpit sibi nescio quod ius in Liuoniam, quæ ante aliquot annos dedit se in fidem & clientelam Regis, Regnique Poloniæ. Quare occupato Rege Polono: & etiam oscitante, impetum fecit in Liuoniam, eam est depopulatus: arces & oppida multa occupauit. Et deinde in Februario ante annos uiginti, arcem Polosko in Lithuania, minus diligenter munitam obsedit, & per deditionem capit. Paulò post alias arces & ditionem Polocensem, quæ satis ampla est in Lithuania accepit. Sic res illi successere Mosco fœliciter: quamuis Poloni collectis copijs sępius unà cum Lithuanijs, uoluerint recuperare amissa: sed hæc non potuêre suum sortiri effectum, ob uarios Reipub. Poloniæ casus aduersos. Nimirum propter interregna, cum Sigismundus Augustus obijt, & Henricus Valesius electus: Deinde cum Henricus Valesius inde discederet, & Poloni de noua electione soliciti, Stephanum Battori, Principem Transyluaniæ elegerunt. Quocirca postquàm in locum Henrici Valesij, Stephanus Battori est suffectus, dedit operam, ut ea quæ ad dignitatem Regni pertinerent, persequeretur. Et cum iam induciæ cum Mosco propter Lithuaniæ principatum æstate superiori finiendæ essent: haberetque Rex Polonus apud se Legatos Principis Moscorum: qui satis superbè pro more gentis Legationem suam obire uoluerant: existimauit è re totius Regni esse, si armis aperiret nomen, famamque Polonicam, & repeteret possessiones à Mosco iniustè acceptas. Indicitur itaque bellum aduersus Moscum: conscribitur undique à Rege Polono miles, siue Polonus, siue Germanus, siue Hungarus fuerit. Vnde factum est, ut à uereusque ad ipsam æstatem Rex tantum laboris impenderit: quod expeditione publica facta, exercitum mouerit in ipso Augusti mensis principio aduersus Moscum: Quod quam illi fortunatum fuerit, ex Edicto Regis quod iussit fieri pro re fœliciter gesta aduersus Moscum uidere est: illud Edictum, ut est Cracouiæ typis expressum, hîc subijciemus.

EDICTVM

EDICTVM REGIVM DE SVPPLICATIONIBVS OB REM BENE ADuersus Moschum gestam, Anno 1579. 30. Augusti.

STEPHANVS Dei gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masouiæ, Samogitiæ, Liuoniæ, Kijouiæ, Volhyniæ, Podlachiæq;, &c. Princeps Transyluaniæ.

Vniuersis & singulis, Reuerendissimis, Reuerendis, Magnificis, Generosis Regni nostri Consiliarijs, Dignitarijs, Officialibus, Nobilibus, atq; alijs Ordinibus omnibus syncere & fidelibus nobis dilectis gratiam nostram Regiam. Reuerendissimi, Reuerendi, Magnifici, Generosi syncere & fideles nobis dilecti. Quod superioribus proximis omnium Reip. ordinum comitijs decretum fuit, ut bellum hoc anno contra Magnum Moscorum Ducem administraremus, curæ nobis pro Regio nostro munere, nostroq; in Rempub. studio esse fuimus: & contractis exercitibus nostris, comparatoq; aliquo partim contributionum pecunijs, partim (quod contributionum pecuniæ minime satisfacerent) alijs rationibus belli apparatu, extrema Iunij die Vilna ad copias nostras recensendas lustrandasq; Suirum discessimus. Quo quidem in loco, multa nos, diligensq; deliberatio tenuit, quorsum nos potissimum cum exercitibus nostris in hostem conferremus, quidq; rectissime, & quam maxima cum utilitate Reipub. nobis ante omnia, bello aggrediendum esset. Rebus uerò omnibus in accuratam considerationem uocatis, ex iudicio & Senatorum nostrorum, & aliorum militarium uirorum, qui nobis aderant, eam tandem in sententiam descendimus, ut primam nostrorũ armorum uim ad Polociam oppugnandam conferri oportere concluderemus: quod quidem ea arx ceruicibus Magni Ducatus nostri Lithuaniæ, atq; adeò ipsi ciuitati nostræ Vilnensi, nulla alia firmiore munitione interiecta immineret, ex qua nobis in alijs remotioribus Regni locis occupatis, oblata occasione summam non modo Lithuaniæ diripiendæ, sed Vilnæ etiam adouendę facultatem hostis habiturus uideretur. Faciendum præterea necessariò nobis uisum est, ut cum bellum hoc non modò rerum communis Reipub. recuperandarum causa, sed hostem quàm longissimè remouendi, grauiusq; coërcendi gratia susceptum habeamus, expeditionibus nostris in his potissimũ regionibus maxima anni parte, aut frigoribus grauissimis, aut imbribus assiduis militiæ infestis, tum quoq; ob uastitatem difficillimis: propinquiorem aliquam sedem, & quasi officinam, quam ipsa Vilna esset collocaremus, ex qua quidem officina, quàm maximè integrum, recentemq; penitius in solum hostile ducere militem, & belli instrumenta, impedimentaq; minore cum negotio ad res cum celeritate, fœlicitateq; gerendas transferre possemus. Quanta enim cum difficultate ac detrimento Vilna illud facturi essemus, breui hoc itinere, quò cum exercitu nostro progressi sumus, magna nostra cum molestia cognouimus. Accessit & illud, quod hac arce qua firmiorem, maioremq; hostis nullam habet expugnata, de alijs retinendis hostem eò magis diffidere, & occupandis militem nostrum sperare doceremus. Tantum uerò abfuit, ut nos eò deterreri oportere iudicaremus, quòd locus ille ab omni opere, belliquè apparatu firmissimus esse perhiberetur: ut hoc potius de principio nobis recentibus militum nostrorum uiribus, animisq;, quam ijs militiæ diuturnitate afflictis tentandum existimauerimus. Cùm igitur nihil factu potius, utiliusq; iudicatum esset, nos factis ab inuocatione opis diuinæ auspicijs, Suiro primum Illustrem Nicolaum Radziuil Palatinum Vilnensem, cum aliquibus equitum, peditumq; Lithuanorum copijs, & certo Vngarorum numero, cum Generoso Gasparo Bekkiesz Polociam pręmisimus itinerum claudendorum causa, ne quid à Magno Moschorum Duce præsidij accederet, quò & si maioribus in magna etiam uiæ difficultate itineribus peruenisset, tamen cum iam ante nostras ad hostem literas misissemus, quibus bellum ei diligenti cum explicatione causarum denunciauimus, biduo antequam nostræ illæ copiæ ad Polociam accessissent, equitum & peditum aliquid ab hoste in arcem immissum est: adhibita uerò à Palatino Vilnensi, postèaquàm propinquo ad arcem loco cõsedisset, ea diligentia est, ut pòst nullius subsidij hostibus accessio facta sit. Nos cum exercitu nostro & tormentis impedimentisq; bellicis, in summa uiarum iniquitate, quam pluuiarum assidua magnitudo, & horum agrorum natura effecit, minoribus itineribus subsequuti fuimus, interea à copijs nostris quæ præcesserant, ar-

quidem ad res pro communi Repub. gerendas, omne animi ſtudium, curam, laborem, operam, ſanguinem, adeoque uitam noſtram cupide ſemper, prompteque aſſeremus. Datum ex arce noſtra Polocenſi die ultima menſis Auguſti. Anno Domini 1579. Regni uerò noſtri anno 4.

STEPHANVS REX ſſ. &c.

Ex hoc Edicto uidere eſt, quam fauſta & fortunatae fuerit hæc prima Regis Poloni expeditio, quæ hanc inclementiſsimè anni tempore ſuſcepta fuerat: Nam intemperies tanta aëris & pluuiæ continuæ uidebantur prænuntiare infœlicem, & irritam fore illam expeditionem: At Regis ſtrenua uirtus, hæc corâm impedimenta ſuperauit, præterquè ſpem & opinionem hoſtis caſtra metatus eſt ante arcem Polosko: qua, ut ſupra dictum, capta non ſubſtitit, donec totam illam prouinciam recuperaret. Magna uis iumentorum & equorum ob pabuli defectum, & corruptam annonam propter pluuias periit: nihilominus Rex non conquieuit, donec quod uolebat, perficeret. Nam hâc arce Polosko ſic fœliciter capta, progreditur ulterius, & diuiſo exercitu, Polonorum, Hungarorum, Lithuanorum, alias arces obſidet, capitq; partim ui, partim deditione. Lithuani miro ſtratagemate arcem Turowla cœperunt, dum ſcilicet unam partem arcis uerſus planitiem ſitam defendit hoſtis: milites aliquot Lithuani collem noctu conſcendunt, & ingreſsi aliquot per foramen, qua tormenta eiaculantur, clamant, impetum faciunt in Moſcos, per ſcalas alij aſcendunt: & ſic illa arce potiti. Sokol arx tertia, quæ accipiter Latinè dici poteſt, fortiſsima & bene munita, obſeſſa fuit à Polonis, quibus præeſt imperator Milecius, uir ſummus, animoſus, & gloria maiorum clarus, Podoliæ Palatinus: hæc defendebatur à bellicoſis uiris Moſchouitis, qui tam uiriliter repugnarant, ut non ſine utriuſque gentis & Polonorum & Moſcorum clade capta ſit: ferunt enim ad tria millia Moſcorum [illegible] interfecta. Atq; illud eſt feritatis & immanitatis barbaræ indicium, quod Moſcouitæ quotieſcunque Germanum militem capere poterant, tum illum dilaniatum & diſſectum, ac puluere bombardico infarctum, ita extra arcis mœnia eiaculabantur: ut od[illegible] ſuum in gentem Germanicam re ipſa teſtarentur. Inter deditítios captus eſt præfectus militum Fedor Vuaſſelouicius Seremiezius, qui erat ipſi Magno Duci Moſcorum ob ſuam fortitudinem pergratus & amabilis: cuius uiri iacturam grauiter tulit Magnus Dux. Milecius cum Polonorum exercitu, ne quid deeſſet, ad perfectum uictoriæ triumphum, caſtra mouet, & grauiter iudicat arcem unam reſiduam eſſe, quæ niſi capiatur: futurum ſit, ut perpetuis incurſionibus Plocenſis agere recuperatus infeſtetur. Eſt autem arx illa Suſa, in ſumma planitie & paluſtri loco poſita: cuius acceſſus eſt perdifficilis ob profundas paludes. Tamen cum obſeſsi uiderunt Polonum Imperatorem nihil remittere de ſua diligentia, lapſi animis: tandem ſe dedunt, & ueniunt in poteſtatem Polonorum, certis legibus & conditionibus preſcriptis. Vbi arx illa Suſa tradita fuit, ibiq; magna uis tormentorum & commeatus bellici inuentus fuiſſet: de conſilio Regis arx illa deturbata & euerſa, ne & hoſti amplius eſſet utilis: neue in ea ſeruanda à Polono multum conſumeretur. Sunt poſtea ab exercitu Regio aliquot arces captæ & euerſæ: uelut Kraſno, Sithno, & Koſiani: id quod prudenter à Polono factum, ne tot arcibus muniendis, uires exercitus diminuere cogeretur. Itaq; rebus ſic perbenè & laudabiliter, Dei auſpicio, peractis, Rex diſpoſuit in hybernis militem cùm equites, tum pedites. Et deinde indicit Comitia Regni, ut incœptum bellum cum hoſte potenti: ad ſalutem totius Regni perficiat. Celebrata ſunt Comitia Kalendis Decembris, ubi ab omnibus Ordinibus aſſenſum eſt, ut Rex fortunā belli ſequatur, & occaſionem datam recipiendi omnia amiſſa à maioribus arripiat, ratioq; nerui bellici, tam tributisq; alio pacto Regi eſt conceſſa. Sic ſperatur quod in Februario anni illius, & toto hoc anno perget Rex Polonus aduerſus Moſcum: Quod utinam felix, fauſtumq; ſit, ad ſalutem & incolumitatem illius potentiſſimi Regni, quod eſt Germaniæ maceria & propugnaculum aduerſus feros hoſtes & barbaros. Amen.

EDICTVM

EDICTVM REGIVM SVIRENSE AD MILITES.

EX QVO CAVSAE SVSCEPTI IN MAGNVM Moſcouiæ Ducem belli cognoſcentur.

EDICTVM REGIVM DE SVPPLICATIONIBVS *ob captam Polotiam.*

RERVM POST CAPTAM POLOTIAM CONtra Moſcum geſtarum narratio.

STEPHANVS Dei gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, Ruſſiæ, Pruſsiæ, Maſouiæ, Samogitiæ, Liuoniæ, & Princeps Tranſyluaniæ, exercitus ſui cuiuſcũq; nationis, atq; ordinis militibus. Etſi tanta & tam nota omnibus iniuriarum magnitudo eſt, quas Magnus Moſcouię Dux Regno noſtro Poloniæ, Magnoq; Lithuaniæ Ducatui adhuc attulit, ut arma hæc, in quibus hoc tempore uerſamur, ſera potius cũctis, quam uel præpropera, uel non ſatis iuſta cuiquam uiſum iri arbitremur: tamen cum ſtudiũ noſtrum ſatis expleri non poſsit, quo deſideramus, ut quæ ſuſcipimus gerimuſquę, cum æquitate iuſtitiaq; nos ſuſcepiſſe, ij penitius intelligant, ad quos cauſa quæq; attinere uideatur: faciendum nobis hoc in bello exiſtimauimus, ut exercitus noſtri, cum eos non tantum ex Regni noſtri Poloniæ, Magniq; Ducatus Lithuaniæ, uerumetiam Hungarię & Germaniæ, alijsq; nationibus exteris compoſitos habeamus: certius uel recentiora cognoſcant, quę inter nos, poſteaquàm Regni huius noſtri Principatum gerendum ſuſcepiſſemus, & Magnum Moſcorum Ducem interceſsiſſent: quæ quidem iſtiuſmodi ſunt, ut facile pateat, nihil à nobis prætermiſſum eſſe, quod ad Principis Chriſtiani officium, ad uitandum Chriſtiani ſanguinis diſcrimen, ad conſtituendum ex æquitate cum eo hoſte cõcordiam, pertinere poſſet: ab illo autem, quæ ſuſcepta, actaq; ſunt, omnia cũ hoſtilibus iniurijs coniuncta, & ad arcium, ciuitatum, ditionumq; noſtrarum circumuentionẽ & detrimentum, noſtriq; nominis dedecus comparata fuiſſe. Nos quidem ſimul ac in Regnum hoc noſtrum perueniſſemus, ut cæteros Principes Chriſtianos, partim ordinum Regni nomine, ita etiam Magnum Moſcouiæ Ducem de acceſsione dignitatis, potentiæq; noſtræ, deq; optima noſtra cum eo etiam pacis conſtituendæ, colendæq; uoluntate, fecimus per internuntios noſtros certiorem. Et dederat uerbis, nonnullam tum ſignificationem, mutuæ uoluntatis atque ſtudij ſui erga nomen, ſanguinemq; Chriſtianum, & literas addidit, quibus ampliori alicui legationi noſtræ ſecuritatẽ accommodabat, & peculiari epiſtola, quæ etiamnum noſtra in poteſtate eſt, confirmabat, ſe imperaſſe ſuis, ut dum mutuo inter nos per legatos res agerẽtur, ab omni iniuria, maleficioq; in noſtros ſe abſtinerent, expoſcens ut eadem ad noſtros mandata daremus. Etſi uerò tam callidè hęc ſimulare non enim poſſet, quin ſe etiam tum proderet, uerbis in nomen noſtrum ualdè iniurioſis, infeſtus illius erga nos animus, tamen cum eo ſe uſq; tantum iactaturam eius eſſe ſuperbiam, in poſterum uerò illum ad mentem meliorem, & publicæ pacis, & ſuorum ſalutis curam aliquam reuocatum iri exiſtimaremus: habita à nobis eius literarum confirmationi fides eſt: pro qua quidem fiducia, & mandata noſtris dedimus, ut cum Moſcis inducias diligenter conſeruarent, & ad ipſum Moſcouiæ Ducem, Legatos quam amplissimos, Magnificum Stanislaum Kryski Maſouiæ, Palatinum, Nicolaum Sapiha, Palatinũ Minſcenſem, ac Theodorum Skumin, Curiæ noſtræ Lithuaniæ Theſaurarium, miſimus. Quæ dum à nobis fiunt, ille uiolata promiſsi fide (qua nos inducti, tantùm abeſt, ut ab eo, dum noſtri ad illum Legati proficiſcerentur, hoſtile aliquid pertimeſcendum putaremus, ut tuta nobis atque amica omnia polliceremur) ſubitò nulla, aut renuntiatione induciarũ, aut belli denunciatione adhibita, cum exercitu ipſe, adeoq; unà filius natu maior Liuoniam inuaſit, ac fraude potiſsimum, & conſpiratione adductis in poteſtatem ſubditis noſtris, in libertatem, liberos, coniuges, uitam, ac ſanguinem Chriſtianorum hominum crudeliſsimè flamma, ferroq; graſſatus eſt: arcibus nõnullis ditionis noſtræ, dum extremis in finibus Regni noſtri neceſſariò uerſamur, inſidioſè occupatis: quo tempore, quæ illius in trucidandis per acerbiſsimos cruciatus captiuis truculentia, quæ flagitioſa in uexandis honeſtiſsimis, nobiliſsimisq; fœminis turpitudo, quàm inexplebilis in hauriendo ſanguine Chriſtiano ſitis, & in omni genere iniuriarum immanitas fuerit, commemorari ſatis non poteſt: & qui ſuperſunt

Persunt crudelitati, & modis aliquibus se ex illa acerbitate liberarunt, satis ista testantur. Accesserant iam tum Oratores nostri ad ipsos Moscouiæ fines, cum inexpectatum de his Mosci cœptis accipiunt nuntium, quo quidem permoti, ad fines Moscouiæ subsistunt: nosq; faciunt de uiolata pace, de qua literis suis Magnus Moscouiæ Dux nobis confirmauerat, diligenter certiores. Etsi uerò ab illo hæc fieri indignissimè perspiceremus, tamē adducti, studio consulendi Christiano sanguini, atq; hæc sine maiori Christianarū utriusq; prouinciarum uastitate atq; incendio ad tranquillitatem & pacem reuocandi: mandata nostris Oratoribus dedimus, ut se nihilominus ad ipsum Magnum Moscouiæ Ducē con ferre pergerent, & penitius, quis illi pacis nobiscum colendæ sensus esset, explorarent: ablatas uero à Mosco eo tempore res, contra literarum fidem, ut repeterent, & quæ subditis nostris ab illo calamitas proximè allata esset: eā modis omnibus sarciri postularent. Quid tum uero? cùm peruenissent Oratores nostri, ac Moscus agere cum illis per homines certos suos cœpisset, subitò ad omnem superbiam, atq; animi impotentiam descendit. Liuoniam non modò ab omni pacificatione, uerumetiam mentione facienda exclusit: nos, dignitatemq; nostrā Regiam, ijs uerbis atq; scriptis, à quibus non modò Principem uirum, eumquè Christianum, uerum quemuis etiam cuiusuis ordinis abhorrere quàm maximè decet, acerbè uiolauit, in Regnum nostrum Poloniæ, Magnumq; Lithuaniæ Ducatum ius sibi arrogauit, idq; uanissimis modis asseruit, dum à Prusso nunquam inter mortales cognito aut nato (quem Octauij Cæsaris fratrem, generis uerò sui authorem fuisse cōtendit) orsus, ab eo se esse propaginem quartamdecimam significauit: quibus quidem generis sui uanissimis deliramentis, sibi ius perquā absurdè in uniuersum Poloniæ Regnum, Magnumq; Lithuaniæ Ducatum, aliasq; Prouincias uendicare instituit. Ac hæc omnia, cum post multas, uariasq; actiones, nostrorum Oratorum, cum Consiliarijs Magni Moscouiæ Ducis: quos eam ad rem designarat, de certa induciarum ratione conuenisset, nostriq; pro eo ac utrinq; cōuenerat, suas de eo literas perscripsissent: & Magno Moschouiæ Duci tradidissent: ille suas, quas è conuerso daret, non (ut facere par erat) ad similitudinem literarum earum, quas Oratores nostri obtulissent, ueritatemq; mutuæ inter Legatos nostros, eiusq; Consiliarios conuentionis: sed ad arbitrium, libidinemq; suam ita perscripsit, ut inducias ad Liuoniam pertinere nollet, quinimò non modò eam sibi cum Curlandiæ Ducatu, uerumetiam quicquid nobis usq; ad Prusiæ fines ditionum est; (interest autem ipsius Lithuaniæ pars) credi à nobis oportere significaret: quas suas literas ita perscriptas, cùm in eas iusiurandum dedisset, nostris Oratoribus per uim superbè obtrusit. Qua de re cùm nos Oratores nostri ante suum è Moscouia discessum, facerēt certiores, ad Magnum Moscouiæ Ducem, ex aulicis nostris, internuntium misimus, Nobilem Petrum Haraburdam, iterata cum testificatione propensionis nostræ, colendæ cum eo pacis atque concordiæ, idq; rei Christianæ consulendi causa, qua quidem in testificatione luculenter ostendimus, si commune, idemq; utriusq; nostrum iuramentum esse deberet, communem eo iuramento inter nos atq; omnes prouincias nostras pacem comprehendi oportere. Neq; enim honestati atq; rationi congruere, si iusiurandum, de pace inter duos susceptum, bellum quacunq; de prouincia inter eos ipsos consequatur, quodq; sanctissimum concordiæ uinculum sit, in eo locus hostilitati relinquatur. Conuenire præterea nobis, tanquam Principibus Christianis, nos ut dictis, factisq; omnibus, ita maximè religiosæ illi iurisiurandi affirmationi, constantiam adhibere. Curandum igitur esse, ut ne qua inter nos fidei, rectæq; factorum nostrorum conscientiæ, uis afferatur. Quæ nostra æquitatis, optimiq; studij plena cohortatio, tantum abest ut ponderis aliquid apud Moscum habuerit, ut internuntium nostrum, postea quàm admisisset, audissetq;, à se longè remouerit, & in modum captiui diu inuitum retinuerit: cumquè suos ad nos Legatos misisset, in Liuonia missis iam ad nos Legatis suis, arces nostras, ac sigillatim Vendam bis oppugnauerit: quod cùm per insignem faceret iniuriam, effectum Dei præpotentis beneficio est, ut & exercitus ille, à nostris copijs, cum ad eas Suetica auxilia accessissent, deletus sit, & in potestatem nostram tormenta, aliaq; quibus nostra oppugnabat, cuncta peruenerint. Sub id ipsum tempus Legatos Moschicos ad nos Cracouiam, in ipsum Regni nostri quasi domicilium atque sedem admisimus, cum eo tùm loco, permagna propè undique gentium Christianarum, frequētia hominum uersaretur, Legati externorum Regum, Principum, atque Nationum adessent: eorum in oculis, cùm eos audiendi causa, ad nos in Senatum nostrum perhonorificè, ut fieri inter Principes par est, introduci curassemus, à fastu suo, nostræq; indignitatis contemptione orsi, ad explicanda, quæ haberent mandata, nulla co lle ratione se passi sunt adduci: quod à Magno suo Duce præscriptum sibi esse significarent, ne quæ apud nos uerba facerent, nisi nos ante, quę à nobis superbè atq; ad derogandum dignitati nostræ, in quodam genere habendi sibi honoris flagitarent, præstitissemus.

Quod

Quod cùm nobis minimè committendum iudicassemus, neque illi à fastuosa pertinacia se deduci sinerent, etsi iterum atque iterum ab illis, ut dicerent, cõtenderetur, indictis rebus è Senatu nostro, atque adeò Cracouia discesserunt, atque ita re ulla non modo nõ confecta, sed ne affecta quidem diciùe ab ijs cœpta, permisimus ut se in Moscouiam referrent. Quæ omnia, ut perspicuè testantur, quale nostrum extiterit suscipiendæ cum hoste illo concordiæ, pacisque studium, quod consulendi sanguini ac tranquillitati Christianæ desiderium, ita ostendunt planißimè, Magnum Moscouiæ Ducem eò potißimum incumbere, hoc agere, huc omnes sensus, conatusque suos conferre, ut nobiscum hostilibus iniurijs perpetuò dissideat, & cùm ditionibus nostris, tum nomini, amplitudinique nostræ modis omnibus derogatum uelit. Misit ad nos postea per nuntium suum literas, quibus à nobis postulat, ut in ea induciarum uerba, quæ citra Oratorum nostrorum assensionem perscripta ostendimus, iusiurandum daremus, Legatis suis redeundi ad se potestas fieret, & si uisum nobis esset, Oratores ad se iterum mitteremus, qui de Liuonia secum agerent. Quam autem & ab æquitate, & ab officio, dignitateque nostra alienum sit, ad ea nos iureiurando descendere, quibus nõ modo assensum nullum unquam accommodauimus, sed de quibus nos cogitationem aliquam suscipere non oportere intelligimus, quis nõ perspiciat? Qui enim nos eius crudelitati Liuoniam, Curlandiæ Ducatum, ditionesque alias nostras, quæ Lithuanici iuris intermediæ inter Liuoniam & Prusiæ fines sunt, permittere poßimus, quæ nobis pro Regio nostro Sacramento, quod in nostra Regni inauguratione uerbis solennibus dedimus, omni fide, cura, conatu tuenda, & ab aliena potestate, uitæ etiam nostræ discrimine defendenda intelligimus? quod quidem officium nostrum, ut nobis antiquißimum, commendatißimumque semper fuit, ita alienæ ab eo uoluntatis significationem nullam unquam dedimus, neque de ea Oratores nostri quicquam polliceri potuerũt, atque adeò constat, minimè pollicitos esse. Nam quæ illi in uerba cautionis suæ de inducijs perscriptæ iurarũt, ea ab omni istiusmodi conceßione longè remota sunt. Quæ uerò non modò pacis inter Principes feriendæ, sed inter priuatos etiam conuentionis alicuius ineundæ ratio, quæ uis, quæ neceßitudo esse poßit, ubi res alterius non modò nulla consensio, uoluntasque, sed ne quidem suscepta aliqua cogitatio accedat? non utrinque uoluntatibus ad consensionem adductis, & literis non tantum sententiarum, sed propè uerborum omnium similitudine perscriptis, negotium administretur? Quod quidẽ ita administrari, & solere, & oportere, hunc ipsum hostem nostrum fugere haudquaquam potest, ut non iuris, æquitatisque memorem, at ea tantum recordantem, quæ in sanciendis inducijs, & pace ferienda, inter Serenißimos Prædecessores nostros, atque eius maiores, adeoque cum illo ipso, ante hac suscepta atque usurpata fuerunt. Neque uerò minus, quàm superiora illa & hoc iniquum est, quod Magnus Moscouiæ Dux, nos in literarum suarũ uerba iurare uoluit. Quæ quidem literæ, etsi ex uoluntate atque consensione utriusque nostrum, ac literis Oratorum nostrorum congruenter scriptæ fuissent, tamen ut ille in cautionis suæ formulam iurasset, ita nos in nostram iurare conueniret: tantùm abest, ut à nobis in eas literas iusiurandum rectè poßit exigere, quæ ab ipso pro arbitratu suo perscriptæ, ab animi nostri sententia, mandatisque, nostris, & Legatorum nostrorum assensu, plurimũ dißident. Quæ omnia quàm plena iniuriæ, dolique fuerint, quis non facillimè perspiciat? cuius quidem doli studia, ex eo se etiam ostendere, quod quæ cõmunicata, gesta, actaque inter Oratores nostros, & eos, quibus agendi cũ nostris Moscouiæ Dux negotium dederat, quæque ab ipso Duce constituta fuerant: Legati eius, cùm ad nos Cracouiam uenissent, profiteri atque explicare minimè uoluerunt. Ad has uerò omnes fraudum technas, mox armata uis, apertæque iniuriæ accesserunt, cùm non modo Liuoniam aßiduis direptionibus ac bello infestam habere Moscouiæ Dux non desineret, uerumetiam in finibus Vitepscensibus, in ipsa Magni Ducatus Lithuaniæ ditione, propugnaculum nuper collocaret, ac per suos rei militaris Præfectos: illis etiam locis, subditos nostros trucidaret, alios crudelißimè diriperet, se denique maximis delectibus habitis, magis, magisque contra nos armaret: qua quidem de re, cùm non modò ad nos Illustris Curlandiæ Ducis, & Rigensium, simul etiam nostrorum in Liuonia præsidiariorum, quotidiani nuntij ac literæ peruenirent: sed summa etiam imploratio opis, defensionisque nostræ accederet, nullo modo debuit, potuitque belli administratio diutius à nobis differri. Proinde iustißimis istis, grauißimisque causis adducti, repudiandas, minimeque iuramento nostro confirmandas Mosci literas, de inducijs ab ipso arbitratu suo perscriptas nobis esse iudicauimus: quinimò ipsas in Moscouiã ad Magnum Ducem, expositis quibus id faceremus de causis, per internuntium nostrum remisimus, ac hosti illi bellum iustum, legitimumque indiximus, cùm iam tum ille maximas cõtra nos copias ad Plescouiam coactas haberet. Quod ad Oratores attinet, quos remitti postulauit: etsi qui neque literas, quibus fidem legationis suæ facerent, nobis reddiderint, neque

ullam

ullam legationis partem explicârint, exploratorum potiùs, quàm Oratorum loco haberi à nobis meritò potuissent, tamen quod Oratoribus nostris in Moschouia significatum intellexissemus, Legatos eos ad nos missum iri, nihil illis in omni genere, & honoris habendi, & laucia conferendi ullo loco ditionum nostrarum deesse siuimus, permisimusque, ut quod facere obstinauerant, nullis rebus apud nos expositis, se in Moschouiam referrent. Quod uerò postulabat, ut nostros Oratores, qui de Liuonia agerent, iureiurando priùs in eius literas de inducijs dato, iterum ad se mitteremus: non perspicimus, quid agi de Liuonia per Oratores posit, si antè iurati in eius conditiones (quod exposcit) non tantùm de Liuonia atque Curlandia, uerùm etiam parte nostrarum Lithuaniæ ditionum, quæ mediæ Curlandiam ac Prusiam dirimunt, decederemus. Minimè igitur nobis committendum esse intelligimus, ut noua legatione, nihil aliud, quàm Prouinciarum nostrarum iacturam, ac nominis nostri indignitatem aliquam incurramus. Intelligi atque adeò cerni arbitramur, quale nostrum fuerit studium, uitandi omnem Christiani sanguinis profusionem, quod nostrum pacis, tranquillitatisque desiderium, pro quo quidem nos, ijs rationibus, quæ suprà expositæ sunt: experiri pacis conciliationem cum hoste illo contendimus, atque omnia indignitatum genera, quæ Maiestati nostræ Regiæ ab Magnò Moschorum Duce allatæ essent, libenter tranquillitati publicæ atque saluti, sanguini, fortunisque hominum Christianorum condonauimus: uerùm his nostris omnibus studijs ad concordiam, pacemque propensis, tantum abest, ut quidquam ab eo æqui, boniue consecuti simus, ut ille hoc magis effrenatæ superbiæ atque impotentiæ animi sui indulserit, & quæ ad contumeliam nostram, nostrique Regni, & Magni Ducatus Lithuaniæ detrimentum pertinere possent, susceperit. Cui quidem rei, ut modū aliquando finemque sponte sua facturum illum desperemus, facit inueterata iam, perpetuaque eius cum Serenissimis prædecessoribus nostris simili genere agendi ratio, quam quidem ex ea iniuria æstimare licebit, qua Diuum Sigismundum Augustum Serenissimum prædecessorem nostrum affecit, cùm missos ad se ex ordine Senatorio splendidos Oratores Palatinum Inouladislauiensem, & Castellanum Samogitiensem contumeliosè tractauit, & modis indignissimis contra gentium iura uiolauit, hominem Nobilem ex Serenissimi prædecessoris nostri aulicis spoliauit, & cùm res quasdam preciosiores inspiciendi causa accepisset, superbè retinuit, mercatoribus qui unà uenissent, magnam mercium uim eripuit, equos in Oratorum illorum conspectu productos ferro dissecari curauit: à qua indignitate uindicanda, cùm Diuum illum antecessorem nostrum mors (quæ breui subsecuta est) exclusisset, nos per Oratores nostros postulauimus, ut iniurias eas id temporis illatas, sarcire studeret, cui quidem postulationi nostræ, nullum animus eius, iniuriæ pertinacissimus, reliquit omninò locum. Quid illa, quæ Serenissimo antecessori nostro Henrico Regi per literas de pace utrinque retinenda promiserat? & contempta promissi fide, non ita multò post capta Pernauia, alijsque Liuoniæ arcibus in potestatem suam redactis uiolauit? Qua quidem fidei uanitate, maiores etiam eius erga Serenissimos prædecessores nostros prope omnes usos esse perspicimus. Neque enim obscura est plurium, qui ista uerè memoriæ prodidêre consensio, & maiorum istius Ducis Moschouiæ literis, quæ in tabulario Magni Ducatus nostri Lithuaniæ seruantur, comprobari potest, quàm sæpè Magni Moschorum Duces Serenissimis Poloniæ Regibus, pace suscepta, ac iurisiurandi Religione sancita, ad tranquillitatis fiduciam adductis, & contra barbaros, nominique Christiano infestos populos bella regentibus fidem impiè fregerint, pacta omnia uiolauerint, & redintegrato bello, uel à necessaria prædecessores nostros contra Ethnicos defensione, uel pulcherrimis pro Republ. Christiana cœptis reuocârint, & obsistere suis iniurijs coëgerint. Quorum maiorum in dictis, factisque in constantiam, fraudem & insidias, hic Ioannes Basilij filius, hostis noster, non modò omnem in se admisit, uerùm etiam auxit, idque tum maximè egit, cum literis missis ad Diuum Sigismundum Augustum Serenissimum antecessorem nostrum, de securitate Oratoribus præstanda, qui ad se de pace concilianda mitterentur scriptis, subitò Polotiam inuasit, occupauitque, consimili fraude ergo nos usus, cùm posteaquàm nobis fiduciam pacis attulisset, repentè Liuoniam armis oppugnauit, & tamen nos, Regnum nostrum Poloniæ, Magnum Lithuaniæ Ducatum à defensione eius prouinciæ excludere instituit. Quandoquidem igitur spes nulla nos tenere ampliùs potest, ad mentem, fidemque meliorem Magnum Moschorum Ducem se unquam recepturum esse, quinimò iniurias ueteres, recentioresque nouis quotidiè magis, magisque accumulet, certæ pacis fiduciam nullam afferat, omnia ad nos circumueniendum, derogandumque cùm nomini, tum ditionibus nostris suscipiat, nos adhibitis, atque adeò consumptis omnibus studijs nostris, quibus fida atque æqua inter nos pax conciliari, & rei, sanguinique Christiano consuli posset, expleto iam omni officio Regis Chri-

ſtiani, hanc rem & Deo præpotenti, oculis hæc ſuis iuſtiſsimis aſpicienti, & legitimæ uin-
dicationi permittendam iudicamus. Quo nomine remiſsis illis inſidioſis induciarum li-
teris, bellum iuſtum, legitimumq́; Ioanni Baſilij filio, Magno Moſchorum Duci denun-
ciauimus: quo bello multiplicem nobis, cùm ab ipſo Magno Moſchorum Duce uerbis,
literisq́;, tum ab eius Legatis factam contumeliam, allatasq́; ſubditis noſtris acerbiſsi-
mas multis iam annis iniurias, & detrimenta omnia, quæ Regnum noſtrum, Magnusq́;
Lithuaniæ Ducatus accepit, armis propulſare & uindicare in animo habemus. Vt uerò
perſpicuum ſit omnibus, nos ad eorum, qui Magno Moſchorum Duci parent, hominum
Chriſtianorum calamitatem, aut ſanguinis profuſionem minimè ferri, declaramus nos i-
ta armis noſtris moderaturos eſſe, ut ne ijs (quanta maxima cura ac ſtudio caueri poterit)
quiſquam uioletur, qui non aut in præſidijs, aut acie ſuo periculo propugnandas hoſtis
noſtri partes ſuſceperit. Nam ut ab uno Magno Duce cauſas omnes, quibus in arma hæc
impellimur, profectas eſſe intelligimus, ab uno nos honorem, dignitatemq́; noſtram op-
pugnari, ac prouincias noſtras illius unius libidine appeti ac ſiniri perſpicimus: ita in uno
illo uindicare omnia, unius refrænata audacia, graſſandiq́; atrocitate, in poſterum tran-
quillitati publicæ, paciq́; Chriſtianæ (ſi fieri ulla ratione poſſet) conſulere deſideramus.
Quæ cùm ita ſint, ſpe uel potiùs fiducia magna ſumus, & DEVM OPTIMVM MAXI-
MVM, quod bellum grauiſsimis, iuſtiſsimisq́;, atque adeò perneceſſarijs de cauſis inui-
mus, nobis, exercitibus noſtris, ac Reipublicæ uniuerſæ, quam obtinemus, benè & fœli-
citer fortunaturum eſſe, & Principes Chriſtianos, adeoq́; omnes homines, qui iſta acci-
pient, facilè arbitraturos nos ad bellum hoc permagnum non temerè, neque ulla profun-
dendi ſanguinem Chriſtianum (cui prodeſſe, conſulere, cauere ſemper ſtuduimus) cupi-
ditate ferri, ſed ad ea hoſtilibus tot temporum per ſummam atrocitatem, crudelitatemq́;
exercitis iniurijs impelli, noſtra dignitate, & Regni noſtri, Magniq́; Lithuaniæ Ducatus,
cæterarumq́; prouinciarum noſtrarum ſtatu, & ſubditorum noſtrorum ſalute, fortunis,
uita, ſanguine, quem hoſtis ille truculentiſsimus tam nimium diu immaniter hauſit, ne-
ceſſariò commoueri, conſilio, iudicioq́; omnium Regni noſtri, Magniq́; Lithuaniæ Du-
catus ordinum Duci, digniq́; nos fidam, ſtabilemq́; tranquillitatem, & publicam inter
populos Chriſtiani nominis pacem, concordiamq́; ſpectare. Quæ quidem belli noſtri
cauſæ, quæq́; animi, conſilijq́; noſtri ratio, etſi de militum noſtrorum ſtudijs alacritate,
fortitudine, fide, nobis dubitationem nullam relinquit: hortamur tamen, ut animum ad
res noſtro ductu in hoſtem hunc noſtrum gerendas magnum, fortemq́; adferant, exiſti-
mentq́;, & gloriæ, & fœlicitatis ſummam in eo potiſsimum uerſari, ſi pro tam iuſta, hone-
ſtaq́; cauſa dimicetur: ſubditi noſtri diuturnas, grauesq́; iniurias hoſtiles, uel à ſe, uel cui-
bus ſuis adhûc perpeſſas, hoc tempore pro more, uirtute, rebusq́; geſtis maiorum ſuo-
rum, & uindicandas, & in omne tempus ſibi depellendas ſtatuant: extranei pro uicino-
rum ſalute, ſuam in diſcrimen uocare, fortiſsimeq́; armis contendere pulcherrimum, ne-
ceſsitudini, quæ uicino ad uicinum eſt conuenientiſsimum, & delere proximi parietis
incendium, ſuæ, ſuorumq́; ſecuritati utile exiſtiment: omnes ſibi tam iuſto in bello ſum-
ma fortium factorum ſtudia eſſe adhibenda iudicent: quorum hoc maior laus atque glo-
ria quemque conſequetur, quò in grauiore hoc, maioreq́; bello contra crudelem uniuer-
ſi propè generis humani hoſtem nobiſcum uerſabitur. Nos profectò cuiuſque militum
noſtrorum uirtutem, fidem, operam, conatum in omni genere præclarè factorum, ea be-
neuolentia, gratia, munificentia proſequemur, ut neminem geſtæ abs ſe fortiter rei pœ-
niteat, omnes intelligant, nos cuiuſque induſtriæ, fidei, fortitudini ſua præmia, ornamen-
taq́; libenter tribuiſſe. Suiri die duodecima Iulij. ANNO DOMINI,
M. D. LXXIX. REGNI uerò noſtri An-
no QVARTO.

RERVM POST CAPTAM POLOCIAM CONTRA Moſchum geſtarum narratio.

CApta Polotia,& iam ante in uicino arcibus tribus, Coſiana, Craſna,& Sitna deletis, tres omninò arces, Turoulia, Socolum,& Suſſa in Polocenſi ditione hoſtiles ſupererant, quas hoſti relinquere, neq; ex belli ſuſcepti conſilio, neque dignitate ſua, neque rei abs ſe geſtæ fortuna Rex eſſe iudicauit. Turoulia quatuor ſupra Polotiam arcem milliaribus, ad Dhunam flumen, quo loco illud Turoulia amnis illabitur, ſita eſt, ſic ut duorum amnium confluxu maxima parte comprædendatur, quaq; in continentem patet, inter utriuſque prætetlabentis fluuij ripas, lacum tranſuerſum, tanquam obicem, obiectum habeat. Quod inter Polocenſem arcem, atque inter Vlam, Vitepſcium, aliasq; arces & ciuitates, altius in Dhunæ ripis ſitas, quæ ſemper in poteſtate Regum Poloniæ retentæ ſunt, media Turoulia intereſſet, facilè à Regijs caſtris ad Polotiam poſitis, commeatum excluſit, qui commodè ex locis ſuperioribus poterat importari: quæ res non mediocriter in exercitu annonæ charitatem, atq; adeò inopiam auxerat. Qua de cauſa, circumſeſſa primùm Polotia, Franciſcus Zucus à Nicolao Radiuilo Palatino Vilnenſi, tentandæ certis cum copijs per celeritatem rei cauſa ad arcem Turouliam miſſus eſt. Verùm quod & præſidio firmo, & defenſioni diligenter intentè locus teneretur, & pauca, minoraquè belli tormenta Zucus ſecum traxerat, effici, ex ſententia nihil potuit. Socolam ab arce Polocenſi quinq; milliaribus ea uia diſtantem, quæ Septentrionem uerſus rectiſsima Pleſcouiam ducit, duorum itidem concurrentium fluminum, Dryſſæ & Niſciæ, complexus continet: ea in arce præter uetus præſidium, quod tuendi Polotiam aditus cauſa firmum ſemper inerat, Theodorus Baſilij F. Seremetus, & Boriſſus Baſilij F. Seinus, Andreas Pelecius, Michaël Georgij F. Lycus Baſilius Criuoborſius Palatini, clati cum propinquitate Moſchouię Ducis, alij tum rebus anteà geſtis omnes copiarum Præfecti, cum Magno Moſchouiticæ nobilitatis ac ſclopetariorum numero conſederant, poſteaquam ſe ab aditu Polocenſis arcis, primùm à Palatino Vilnenſi obſeſsis itineribus, mox ipſa obſidione Regia excluſos eſſe intelligerent. Acceſſerat hûc etiam Georgius Bullahacus cum duobus millibus ſclopetariorum, partim Dunenſium, partim Volienſium, qui ad Dhunæ & Volhiæ fontium paludes ob perpetuas cum Tartaris dimicationes, cęteris belli uſu ac iaculandi peritia facilè præſtant. Quod hi omnes magno diſcrimine noſtrorum ex propinquo caſtris imminerent, dum oppugnatur Polotia, Lithuanicæ quædam copiæ primùm, Ioanne Voliminſcio, deinde Chriſtophoro Radiuilo, qui in Lithuania Regi à poculis eſt, dimicãdi ſtudio Socolã uſq; excurrunt: ſed quod hoſtis arce & munitionibus prope arcem extructis, aut propinquo tormentis ſuis ſpacio in tuto ſe teneret, uelitationibus tantùm, nonnullis utrinque deſideratis, res geſta eſt. Vtramque arcem Rex occupata Polotia iuſtis copijs oppugnandam ratus, Nicolaum Mielecium Podoliæ Palatinum, ſummum copiarum Polonicarum Præfectum, cum equitatu Polonico ſtipendia merente, cumquè peditatu Polonorum, ac Germanorum cohortibus Socolam mouere, Vngarorum copias Turouliam accedere iubet: ipſe ut medio loco omnem in partem, caſumq; intentus eſſe poſſet, motis trans Polotiam caſtris, iiſq; ſecundùm flumen Dhunam metatis (quòd priſtinum caſtrorum locum, obſidioni quidem opportunum, cùm ad cingendum maxima ex parte arcem, tum ad prompta munitionibus omnibus, ex quibus miles oppugnabat, auxilia afferendum, aſsidui imbres iam antè iniquiſsimum, & ualdè quàm cœnoſum effecerant) ad Polotiam permanet, curatq; quod ad arcem Polocenſem, qua munitiones aut flamma conflagrant, aut tormentis uerberatæ uitium fecerant, inſtaurandum pertineret, ſimul etiam arci Palatinum præfecit Nicolaum Derohoſtaiſcium, in quem iam antè, Regno primùm inito, non inani omine ius, nomenquè eius Magiſtratus contulerat: hunc ipſe in poſſeſsionem mittit, prçſidium iuſtum imponit, & quibus circùm locis miles finibus tuendis rectè çollocetur, conſtituit: templi etiam, quod monumentum diuinæ ad uictoriam opis eſſet, ædificationem decernit. Interea dum quç opus erant ad Socolæ, & Turouliæ oppugnationem expediuntur, & miles uaſa colligit, uiſum eſt Palatino Vilnenſi, de Turoulia leuioribus copijs experiri, & quid hoſtibus in recenti conſternatione fiduciæ eſſet tentare. Mittitur cum aliquo numero equitum expeditiorum armaturæ leuioris, quos Coſacos nominant, Conſtantinus Lucomſcius Vlenſis Præfectus, quem Turoulienſes præſidiarij conſpicati, cùm pauor maiorem, quàm pro numero militum ſpeciem copiarum obieciſſet, exercitum uniuerſum adeſſe rati, per auerſam portam ſe properè omnes eijciunt, ac fuga euadunt, Palatinis ſuis deſertis: qui cùm arcem ſibi non deſerendam putarent, ac ſoli in ea permanerẽt, ad quam

tam Septembris diem cum arce & belli apparatu ac commeatu omni Regiam in potesta tem peruenerunt. Arci ita occupatæ miles ille, qui cœperat, præsidio relinquitur. Is dum inter ligneas munitiones ac domos tæda ædificatas indiligenter ignem habet, tormentisq; maioribus gratulationis & lætitiæ causa iaculatur, temerè incendio causam præbuit: quod sublatum paucis pòst diebus, quàm capta esset, arcem deleuit, ut non minore celeritate, quam occupauerat, Turouliam miles amiserit. Quod quidem hoc iniquiore animo à Rege acceptum est, quò præsidio hostili Sussam etiam tum obtinenti, Turoulia nostræ potestatis facta, omnem subsidij aditum & commeatus accipiendi spem, certiùs eripere potuisset. Interea rerum Palatinus Podoliæ Socolam (à qua Dunenses cohortes fama aduentantis exercitus permoti contra imperium Præfectorum, ut est genus illud militum leue, & insolens disciplinæ, iam antè in Moschouiam redierant) cum copijs progreditur, & Drissam flumen imbribus proximis admodùm redundans ponte subitario opere effecto, transmittit, hoste quod facere in procliui erat, nihil repugnante, qui in aduersa ripa ociosè tantùm inequitans, inani metus faciendi studio, clare ut exaudiri à nostris facilè possent, subindè inter se sciscitabantur, adessent apud se Astraconorum, adessent Casanorum copiæ, quas alter adesse magna itidem uoce respondebat. Flumine superato Palatinus nulla cum mora propiùs hostem mouet. Quà accesserat inter utrumq; flumen non ita magno ab arce interuallo sylua est, in qua maximam equitatus partem tendere iubet, peditatui imperat, ut munitiones, in quibus uersarentur, & tormenta dirigerent, fossa atq; aggere subitò efficiant: quas Poloni secundũ Nissam, Germani iuxta Drissam ita ad arcem perducunt, ut cùm iusto iam ab ea spacio abessent, transuersæ ab Nisia Dryssam, itidemq; ab Drysia Nissam uersùs promouerentur, atq; opera utriusq; nationis committerentur: ultra Nisiam amnem minorem, quà promptum hosti effugium patebat, Ioannes Zabarasius Palatinus Braslauiensis consistere & curare iubetur. Munitionibus perfectis, ac tormentis, ut uisum erat, collocatis, cùm iam tũ in uesperum dies uergeret, qui tormenta administrant, periclitari rem globis candentibus instituunt, tribus tantũ in hostiles ditiones perlatis, cùm alij alijs locis periculum incendij afferrent, & ijs restinguendis hostis detineretur, tertius eo loco, quo nascens primùm fumus, mox flamma ab hoste non facilè potuit depræhendi, uires cœpit. Ab hoc incendium ortum, cùm magnam hostilium munitionum partem subitò complexum esset, hosti summam defensionis desperationem attulit. Quocirca ut perditis, trepidisq; rebus, & flamma se iam longiùs, latiusq; fundente, pars magna hostiũ globo temerè facto, porta, quæ Meridiem uersus ad Nissam unà patebat, confertim erumpunt: quibus ex proximis munitionibus Poloni impigrè occurrunt, & obsistunt. Perducitur eodem properè signo sublato Germanorum sclopetariorum cohors: sic hostis in arcem, flammamq; reijcitur, quem dum nostri magna ui premunt, se atq; signa portæ, arciq; inferunt. Dabat mox hostis intra arcem desperatis rebus magnas cùm armis, tum uerbis dicendi significationes, quas cùm miles Germanicus Rusicę linguæ nesciens, præterea Polocensis præsidij crudelitate, qua immanissima in captiuos omnes, ac potissimùm Germanos fuerant, irritati, minimè acciperet, cædemq; acerrimè misceret, ille desperata salute totis uiribus contrà dimicat, quiq; supra portam custodiæ erant, cataractam è turri portæ imminentem in irrumpentes deijciunt, sic nostros receptu alios, alios aditu, subsidioq; excludunt. Atrox indè utrinq; pugna fuit, æquata utrorumq; desperatione ob incendij uim, quòd undiq; se circumfuderat, ac pluribus locis dimicantes inter se pari interitu uicti ac uincentis extinguebat. Ad dexteram arcis partem per munitiones ostium fuit, ad quod qui nostrorum errando perlati sunt, integri euasêre. Intereà foris milites, quanta ui maxima possunt cataractam moliuntur, atq; opere magno perstringunt, patefacta uia, qui nostrorum supererant, saucij prope omnes atq; ambusti, pariter cum hoste erumpunt, inferunt se integri alij prædæ ex ipsa flamma rapiendæ causa. Pars magna hostium aut in munitiones, aut stationes Germanorum incidit, qui omnes per iram militarem, & linguæ ignorantiam interfecti sunt, in his Borislus Seinus, Andreas Palecius, Michaël Lycus, Basilius Cnuoborscius Palatini cecidêre. Quibus in Polonorum potestatem peruenire contigit, plerique omnes, cùm qui aliquo aut munere, aut numero fuissent, pro se quisq; nomẽ ederet suum, facilè apud linguæ intelligentes seruati sunt, ac captiui habentur: quorum in numero Seremetus est, ut rerum gestarum fama, ita & corporis specie, uultuq;, & animi, sermonisq; cultu cæteris præstantior, & Mesoiadus Dunensium aliquot cohortium Præfectus, qui post militum etiam suorum discessum, cum cæteris prælidiarijs in arce permanserat. Arx ipsa cùm iam incendio occurri non posset, conflagrauit. Hostium ad quatuor millia cæsa, quos ex lectissimo, & quidem prætoriano milite Magni Ducis fuisse, etsi ex captiuis cognitum est, tamen etiam ex ipsa corporum stratorum forma, & proceritate, animisq; perditis in rebus

rebus adhibitis, tum prædæ ratione potuit intelligi. In qua quidem præda maior, & pecuniæ, & uestis preciosæ, & aliorum ornamentorum numerus fuit, quàm ut gregarij militis fuisse uideri posset. Captiuorum ea multitudo est, ut & penes præfectos copiarum permulti sint, & Polonorum militum propè sint nulli, qui in potestate non singulos, alij plures habeant. Sussæ oppugnatione, quàm suscipere difficilem & spaciosi lacus, & palustria circum loca, & Autumni ipsius tempestas redditura erant, temereq; militem iam antè maximis incommodis affectum nouis periculis obijcere, Regi uisum non est: cùm potentissimùm arcem eam, penitiùs Lithuaniam uersùs sitam, & ab omni suorum subsidio, & commeatus consequendi potestate exclusam, (ut uis nulla adhiberetur) sponte dedituram sese non dubitanter existimaret. Itaque præsidia tantùm militum stipendariorum circumquaque in statuis disponit, quæ Moschos ab aditu ad Sussanos arcerent. Neque fefellit ea Regem existimatio: nam & ipse Moschouiæ Dux, diffidens Sussam amissa Polotia retineri posse, sexta primùm, tùm iterùm decima septima Septembris die, mandata ad Petrum Theodori F. Coliceum, Palatinum Sussensem ac præsidiarios omnes dederat, ut templi imaginibus & libris, omniq; apparatu sacro in terra defossis, aut quacunque alia cura adhibita, ne in hostium potestatem peruenirent, arcem incenderent: bellica tormenta ac puluerem tormentorum omnem igne delerent: tum operam, qua euadere possent, diligenter darent, ac saluti suæ consulerent. Hæc mandata cùm (quò certiùs perferrentur) perplures nuncios Sussam misisset, nonnulli eorum in arcem perueniunt: unus à Regio milite interceptus, ad Palatinum Podoliæ cum literis perducitur. Sub idipsum tempus, Palatinus Polocensis dat Sussa literas, quibus significat, se Polotię cum parte exercitus, à Rege ijs cum mandatis relictum, ut quicquid ea in prouincia hostile superesset, modis omnibus tollere contenderet: Regem summa placabilitate, & clementia Principem, quam suæ uoluntatis significationem dedisset: cùm primum Magno Moschouiæ Duci bellum indiceret, ea in uoluntate etiamnum permanere: eorum, qui Magno Duci parerent, hominum Christianorum cædem, & sanguinis profusionem haudquaquam expetere, quinimò illi parcitum ac consultum uelle: acceptas iniurias in authore ipso Magno ipsorum Duce uindicandas statuere, nisi uerò essent, qui istas iniurias suo discrimine propugnare uellent: quod ut illi ne suscipiant, illorum maximè referre: hortari se, arce sponte sua potiùs abscederent, impetrabili uenia & salute, quàm uim atque oppugnationem experirentur. Palatinus Podolię Moschi literas ad Palatinum Sussensem, ac præsidiarios, qui dedi arcem postularent: illi salutem, & rerum, quæ cuiusq; essent auferendarum potestatem, atque in Moschouiam tutò se referendi concessionem pacti, arcem cum omni bellico apparatu, commeatuq; Palatino Plocensi, militibusq; à Palatino Podoliæ missis, sexta die Octobris dedunt. Iam antè Philo Kmita Capitaneus Orsanensis, cui aliquot turmæ equitum, & peditum stipendiariorum cohortes, erant in eam rem assignatæ, coacta non mediocri finitimis in locis ex nobilitate, alijsq; incolis militum manu, in Moschi ditiones excurrit, magnamq; omnia populando uastitatem affert: ad duo millia pagorum incendit, & Smolensciæ suburbijs ambustis, magnum ex eo agro hominum, magnum pecudum numerum agit: suosq; nullo detrimento accepto intra fines reducit. Idem non multò pòst Constantinus Ostrogiæ Dux, cum Michaële Visniouecio Castellano Braslauiense, & filio Ianusio Boristhenem transgressus facit, expeditissimas quasque Tartarorum, aliorumq; turmas præmittit, has longè, lateq; populari, & terrorem, uastitatemq; in hostico circumferre iubet; ipse cum reliquis copijs Czenihouiam progreditur, castrisq; ad arcem metatis, oppugnationem suscipit, ipsaq; ciuitate incendio deleta, uim omnem arci expugnandæ adhibet, sed quod ea præsidio firmo; cui nihil ad omnem propugnandi apparatum deesset, teneretur: acerrimeq; locum Moschi defenderent, in castris paucæ peditum cohortes essent, afflictæ maximis tempestatum iniurijs, missa obsidione, uicina circum loca omnia diripit, totaq; Siueriensi ditione uastata, ac populationibus ad Starodubam, Radohostiam, ac Podczpouiam usque, per leuiores equitum turmas factis, præda ingenti acta discessit. Simili successu Mecislauiensis prefectus Iaroslauam oppidum, pagosq; quàm plurimos euertit. Rex posteaquam dierum quinquaginta spacio, sex arcibus captis, ad quas Sussa non ita multò pòst septima accessit, prouinciam omnem Polocensem mira agrorum fertilitate, magna fluminum opportunitate præditam, octauo decimo pòst anno, quàm esset ab hoste occupata, bello Reipubl. recuperasset, Polotiam præsidijs, fines copijs firmasset, decima septima Septembris die, illo de loco discedit. Vehementi quidem studio ferebatur, ut cœptum foelicitatis cursum urgeret, & cùm magna hostes locis omnibus consternatio, ingensq; pauor teneret, longiùs arma sua in hostiles ditiones proferret. Sed cùm & præteriti temporis iniuriæ, (quibus miles admodùm afflictus, equorum ingens numerus enectus fuerat)

 & gra-

& grauiores Autumni tempestates, indies ingrauescentes, isti uoluntati, & studio planè repugnarent, omni cura in comitia omnium Reipub. ordinum habenda incumbit, cumque iam antè ex castris de ea deliberatione literas ad Regni Senatores dedisset, rediens in Lithuaniam, ea ad diem uigesimam secundam Nouembris Varsauiæ habitum ite edicit, in quibus consilia de bello diutiùs administrando suscipiantur. Dum Vilna Rex ad comitia proficiscitur, è Moschouia per nuncium Moschicum literæ afferuntur, à duobus Legatis Nouogrodiæ Duce Ioanne Theodori F. Msciflauiensi, & Mikita Georgij F. Romanouicio Sacharino, ad Nicolaum Radiuilum Palatinum Vilnensem, & Eustachium Volouicium Castellanum Trocensem, Plescouiæ die trigesima octaua Septembris scriptæ, hoc omninò argumento Cùm offensæ duorum summorum Principum eò progressæ sint, ut arma uterque sumpserit, quibus Poloniæ Rex Polotiam expugnârit, Magnus Moschouiæ Dux uindicare uicissim id factum in animo habuerit: se cum reliqua nobilitate Moschouitica ad Principis sui pedes se abiecisse, obsecrasseq; ut sanguini Christiano consultum atque parcitum uellet. istis precibus Principem suum reliquisse locum, & belli expeditionem repressisse, nunc mutuo studio ipsis atque alijs Regis Poloniæ Consiliarijs, apud Regem suum elaborandum esse, ut ad similem uoluntatem, & sistendi cursus sui bellici, & pacis cum Magno Moschouiæ Duce locis omnibus, tam Regni Poloniæ, quàm Magni Ducatus Lithuaniæ, atque etiam Liuoniæ causa suscipiendæ adducant: inprimis uerò ab eo impetrent, ut in Regiam suam se referat, ac copijs suis omnibus tam in Lithuaniæ, quàm Liuoniæ finibus imperet, se ab omni in Moschos maleficio, atque iniurijs abstineant. Hæc eadem Magnum suum Ducem diligenter facturum, redituram ad sedes suas, suosq; à ui atque iniuria, cohibiturum. Interea temporis dandam utrinque operam, ut Principes missis inter se Oratoribus rem utilem & pernecessariam pacem ac concordiam suscipiant. In extremo literarum excusant, cur Basilius Lopatinscius, quem Rex ad Magnum Moschouiæ Ducem ante expeditionem suam cum literis miserat, quibus se bellum illi facturũ iustum, legitimumq; denunciabat, adhûc in Moschouia detineatur: promittuntq; simul, ut Principũ se uterq; ad sedes suas retulerit, se operam daturos, ut cum mandatis sui Principis de pace concilianda, ad Regem ocyùs remittatur. Sub idem tempus Philo Kmitha, Orsacensis præfectus ad Regem literas mittit, quas à Palatino Smolensciano acceperat. Iis Philonem Palatinus certiorem facit, se à Magno suo Duce mandata accepisse, ne quam Regijs finibus atque ditionibus uim aut iniuriam adferat. Monere igitur, ut mutua etiam Philo præstet: neque permittat, ut sui fines transgressi, hostile aliquid in Magni Ducis Moschouiæ ditionibus committant. Allatis, lectisque utrisque literis Rex omnem eius deliberationem ad Comitia referendam esse iudicauit.

EDICTVM DE SVPPLICATIONIBVS, A' SERENISsimo Poloniæ Rege Stephano, Vuielicoluco ex Moschouia missum. Die 5. Mensis Septembris, Anno Domini 1580.

STEPHANVS Dei gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masouiæ, Samogitiæ, Liuoniæq; &c. Princeps Transyluaniæ, &c. Reuerendissimis, Reuerendis, Magnificis, Generosis, Nobilibus, Famatis, Archiepiscopis, Episcopis, Palatinis, Castellanis, Regni nostri Senatoribus, prçtereà cuiusuis ordinis subditis nostris, syncere fidelibus nobis dilectis, gratiam nostram Regiam, Reuerendissimi, Reuerendi, Magnifici, Generosi, Nobiles, Famatiq; syncere fideles nobis dilecti. Vtrimque facimus quàm libenter, ut & ea, quæ decernuntur, communibus Reipub. comitijs geramus, & de rebus à nobis gestis, syncer. & fidelitat. uestras faciamus certiores. Cum superioribus proximis Reipub. comitijs placuisset, bellum contra Magnum Moschouię Ducem susceptum continuari, nihil prætermisimus, quod posset ad illud rectè atque ordine administrandum: & in primis ad exercitus cùm ueteres retinendum, tum nouos conscribendum pertinere: quibus omnibus, postquam ut ad Czasniciam (quo loco nos, & Russiæ contra iniurias Moschi præsidio esse posse: & ad primarias alias atque alias arces hostiles peropportunos aditus habituros intelligebamus) certo die conuenirent, edixissemus, nos Vilna profecti, eodem ad octauam Iulij mensis diem peruenimus: ac imprimis frequentiore, & Senatorum nostrorum, & hominum militarium consessu, de belli admi-

li administratione, & quò potissimùm arma in hostem inferremus, ad concilium nostrum retulimus: in quo & si uariæ initiò dictæ sententiæ fuissent, eò tamen descensum postea est, ut Vielicolucum nobis cum exercitu ante omnia mouendum, eamq; arcem omni conatu oppugnandum conclusérimus: secuti quàm maximè, cùm ipsam seriem, & quasi tenorem gerendarum rerum, qui nos ex locis, anno superiore proximo expugnatis, & receptis Vielicolucum uocare & ducere uisus est: tum Russiæ defensione, quàm uniuersam eo loci cum exercitu progressi, nos ab hostili ui tueri posse intelligebamus, prætereà Lucensis arcis situ, fama, ditionis, amplitudine, ubertate, qua exercitus nostri sine ditionum nostrarum detrimento ali ac sustineri possent, opportunitate denique ad signa nostra penitiùs in hostilia loca inferendum, eoq; hostem ad aliquam prælij dimicationem eliciendum: cæteraq; deinceps ex Vielicoluco faciliùs, promptiusq; administrandum adducti. Habito igitur exercitus nostri delectu, ex agro Czalnicensi Vitepscum profecti sumus: quo in itinere, cùm arces duas hostiles, Vielisium unam, in Dhunæ ripa, Vitepscio ex superiore fluminis loco oppositam, atque alteram Vsuuiatum, quæ ad amnem cognominem in Dhunam fluuium illabentem, & propiùs Lucum uersùs ferentem, sita est: exclusuras nos tormentorum, & commeatus ad exercitus nostros supportandi commoditate accepissemus, & cætero quum studium nobis esset Dhunam flumen magis, magisque ab hoste in potestatem nostram uindicandi, quò res maiore celeritate conficeretur, Magnificum Ioannem de Zamoscie Regni nostri Cancellarium, & cum ijs copijs, quas hoc in bellum nobis adduxit, & alijs additis Vielisium oppugnandi causa præmisimus, qua ex arce, cum unius diei oppugnatione præsidium hostile fœliciter deiecisset, nos ea potiti, præmissis primo agmine copijs Lithuanicis Vsuuiatum cum exercitu accessimus: locumque, munitionibus oppugnandi causa iam actis, metu potiùs admodò tantùm, quàm ipsa adhibita deditione cœpimus. Inde contractis in itinere copijs omnibus, quas duarum istarum arcium oppugnatio diuiserat, mouimus, ac superata locorum inde ab Czasnicia incredibili uastitudine, itinere summo cum labore militum ac ingenti difficultate, quà Vsuuiatum, quà Vielisium exercitus iuêre, per assiduas, densissimasque syluas facto, Vielicolucum progressi, ad arcem uigesimo sexto Mensis Augusti die castra metati sumus, quæ in castra cum id temporis Oratores ab Magno Moschouiæ Duce ad nos uenissent, eos nulla interposita mora audiuimus. Verùm cùm à nobis contra omnes nostras rerum gerendarum rationes, contraque dignitatem nostram postularent, ut nos in Lithuaniam cum exercitu referremus, negarentq; nisi id ante omnia fecissemus, se per Principis sui mandata quicquam de ipsa legationis causa dicere posse: nos repudiata & postulationis indignitate, & insidiosa tergiuersatione non cessandum rati, eundem Ioannem de Zamoscie Cancellarium, cum copijs suis attractis, cæterisque, quas ad Vielisium habuerat, & maxima parte omnis peditatus trans flumen propiùs arcem castra alia facere, ibique curare iussimus, illaque ex parte nulla mora munitionibus, quibus uisum est locis actis, & quo oportebat perductis, ipsis Kalend. Septemb. oppugnationem maiore apparatu ac conatu suscepimus: nihilque aut lenitatis, aut terroris prætermisimus, aut oppugnationis non adhibuimus, quò integra arce potiremur. Verùm cùm & præsidiariorum summa loci retinendi pertinacia esset, & ultima sibi expectanda coniurassent: & arx non modò loci natura, in edito planissimis circum locis, partim intra fluminis Louati, partim intra lacuum complexus sita: nec tantumodò consueta antehàc Moschis parietum densissimorum contignationibus firma, sed aggere etiam densissimo ac latissimo ex cespite extrinsecùs obducto, tum qua flumen, aut lacus non ambiunt: fossa maiore munitissima esset, ac omninò Polotiam omni genere firmitatis superaret, ad hæc præsidium ualidum, & Polotiæ, aliarumq; arcium propugnatione, è quibus à nobis anno superiore impetrata salute discesserant, exercitatius inesset, ut omninò sine maiore militum nostrorum interitu, ac diuturniore obsidione, si in instituto permanerémus, necessariò res nobis incendio experienda fuit, quod cum magna militum nostrorum uirtute, & discrimine, primùm ex Vngarorum peditum munitionibus allatum, & hoste incredibilem in modum restinguente sæpiùs triduum repetitum, atque diutius altum esset, ac deinde ex altera etiam parte per militem Polonicum, & attractas illas cohortes aggere ad propugnaculum magis, ad ligneas usque substructiones suffosso, nocte in ante quintam Septembris diem maius conflaretur: præsidium uerò, quò ad ignem tam temperari nullo modo posset, ab obstinatione hostili non discederet, factum est, ut & arcem, flamma, & ferrum quicquid propè hominum in arce fuit, per militarem iracundiam hostili illa pertinacia, & acceptis in oppugnatione incommodis, & eorum, qui Polotia ac cæteris ex arcibus iam ante occupatis impunè dimissi fuerant: hunc in locum ad hostilia reditu irritatam, quinta istius mensis die prima luce deleuerit. Dum hac in oppu-

gnatione uersati sumus, Oratores Magni Moschouiæ Ducis iterum apud nos dicendi potestatem sibi fieri petiuerunt: qua impetrata cum ea exponerent, quæ honestæ nobis & Reipub. paci, & sarciendis incommodis, quæ ab eo hoste accepta sunt, minime satisfacerent, leuioraque omnia, quàm nostra dignitas, & iura Reip. paterentur, proponerent: ostendimus nos ad istiusmodi descendere non posse: cumque illi alia mandata se hoc tempore non habere dixissent, & à nobis peterent, dare ad Magnum suum Moschouiæ Ducem literas liceret, quibus eum de nostra uoluntate atque conditionibus redderent certiorem, ne quid prætermisisse uideremur, quod facere ad spem iustæ, honestæque pacificationis posset, & nostras dedimus ad Moschum literas, & Oratores dare suas permisimus: ad quas cùm responderit, qua uoluntate sit, certius fortassè cognoscemus.

Nos hæc Sinc. & fide. uestras scire uolumus: cumque ea, quæ adhûc benè, fœliciterque gesta sunt, uni Deo grata, cum animi pietate acceptum referamus, parque sit, ut illi uolenti, & propitio, & nos, & omnes in Republ. nostra, ad cuius hæc utilitatem, amplitudinem, laudem imprimis redundant, gratias agamus: hortamur, syncer. & fid. uestras ad ea omnia gratarum mentium studia, quæ supplicationibus, alijsque rebus, quoties benè gesta est res publica, suscipi consueuerunt. Quemadmodum hîc res porrò administranda, & hic locus nobis tuendus sit, de eo hoc tempore cõsilia cœpimus: quæ deinceps è Repub. geri à nobis hoc bello posse, uidebuntur: in ijs studium, consilium, curã, operam omnem nostram libenter consumemus. Benè ualeant synceritates & fidelitates uestræ.

Datum ex Castris nostris ad arcem nostram Vielicolucum, die 6 Septembris. Anno Domini, 1580. Regni uerò nostri anno quinto.

STEPHANVS REX sst.

IOANNIS LEVVENCLAII DE MOSCHORVM BELLIS ADVERSVS FINITIMOS GEstis, ab annis iam LXX. quibus anteà per Europam obscuri paulatim innotuerunt, Commentarius.

QVando de Russorum (qua appellatione populi omnes magni Moschorum principis imperio subiecti ueniunt) situ, diuersis Regionibus, ciuitatibus, amplitudine gentis, Religione, moribus & institutis, plerique uiri clarissimi satis multa literis hactenus prodidêre, præsertim illustris ille Baro Herbestenus, cuius unius commentarij, uel admodum curiosis satisfacere possunt: operæ nos pretium facturos putauimus, si quibus potissimùm bellis famam nominis aliquam consequuti essent, una, eademque perpetua narratione breuiter (quantùm eius fieri posset) explicaremus. In hanc cogitationem magno animi studio incumbentibus, uisum est, nequaquam ordiri commemorationem hanc à priscis illis sæculis, quibus natio barbara, necdum exteris, ac nobis præsertim ad solem Occidentem uergentibus, nota satis fuit: sed à patrum memoria tantùm, qua per Europam clarere cœpit, uix antè uel ipso nomine cognita. Veteres quidẽ historias quod attinet, scio perantiquis in Annalibus Germanorum reperiri, uenisse ad Imp. Cæs. Henricum IIII Aug. qui tum in urbe Vangionũ Berbetomago (Bormatiam hodie uocant) agebat, Russorum principẽ, declarandæ suæ in Augustũ obseruantiæ causa. Verùm ex uarijs indicationibus quantum colligere licet, uidetur hoc intelligendũ potiùs de Rufsis illis, qui hodie Polonorũ Regi parent, ac nostro Imperio sunt uiciniores. Habebant illi tum principẽ peculiarem, qui maiestatẽ Imperatoris Romani, regnantis ad solẽ Occidentem, agnosceret. Parebant eidẽ Imperatori & Sarmatæ, quos hodie Polonos uocamus: sed hi paulatim ob nostrorũ principum se ordiã, publicaque discidia, quorũ præcipui auctores erãt pontifices nõ sacri, sed exsecrãdi, non à nostris modò defecerũt: uerumetiã Imperio suo finitimas gẽtes, Russos, plerosque Scythas, quos hodie Tartaros dicimus, Lithuanos, Samogithios, Masouios, nostraque demũ memoria Borussos magna cũ parte Liuoniorũ adiunxerũt. Vtut ea mẽres habeat, equidẽ inficiari nolim, eiusdẽ originis utrosque Russos esse: uerũ illos remotiores parũ cũ nostris habuisse cõmercij crediderim. Græcis recentioribus notior hæc fuit natio, quippe quæ magnis in Pannoniã, uicinamque Thraciã irruptionibus plurimũ Constantinopolitanis Imperatoribus negocij fecit. Narrãtur hæc prolixè à Zonara, Cedreno, Gregora,

gora, cæterisq; Græcorum annalium scriptoribus, quorum nos plerosq; typis needum editos, & uidimus, & legimus. Frequens apud illos Rossorum (sic enim nuncupant) appellatio reperitur, de uoce Roxolanorũ ueterum (ut quidam perhibent) orta. Et quidem opera Grecorum tandem Christianam ad Religionẽ perducti sunt, in hoc genere postremi omnium (si Lithuanos, Borussos, & Liuonios excipias) Europæ nationu. Qua de caussa factum est, ut ecclesiæ Græcæ tam in doctrina, quàm religiosis ritibus auctoritatem sequantur. Ac ueri profectò simile fuerit, nationem barbarã, quæ priùs in Thraciam excurrere consueuisset, ob eius regionis opulentiam, ex Christianę religionis disciplina mitiorem factam, pristinum illud studium uexandi finitimos abiecisse, præsertim postquam à uicinis Scythis siue Tartaris grauiter premi cœpisset. Propterea nihil admodum memorabile de ipsis proditum monumentis literarum accepimus, ante Casimiri Sarmatarũ regis imperium, cuius filij natu maiores duo, Ioannes Albertus & Alexander, perpetuas cum Moschis inimicitias exercuerunt: tertius uerò Sigismundus res aduersus eosdẽ memoria dignas gessit, ad quas priusquàm ueniamus, lubet id Liuoniorum aduersus Moschos prælium recensere, quod paucis annis antè pugnatum incredibili uirtute fuit, nec satis hactenus nostris hominibus explicatum: quando qui Paulo Iouio, & Sigismundo Baroni Herbesteno rem narrarunt, suis usi rationibus, aliter cõmemorarunt, quàm nos apud ipsos Liuonios acceperimus. Velim uerò, lector, non prolixam à me historiam exspectes, sed rerum præcipuarum indicationem breuem: ne commentarij modum excedat narratio, quæ cæteroqui tanta in uarietate plus æquo fortassis excrescet.

Erant elapsi anni à nato ex uirgine Iesu Christo Dei F. 1500. quum obortis simultatibus inter Moschorũ principem, & collegij siue ordinis Teuthonici apud Liuonios Ducem, quẽ Magistrum militię uocant, tandẽ bellum inchoatum est, in quo aliquãdiu nihil admodũ memoria posteritatis dignũ gerebatur. Erat id temporis dux gentis Basilius Ioannis F. (dictus anteà Gabrielus) matre Gręca Sophia Thomæ Palęologi, clarissimi principis in Peloponeso, filia natus. Is quũ Ioanni patri successisset, singulari gloriæ cupiditate flagrabat: & multis sanè rebus egregia cũ laude gestis hoc cõsequutus est, ut maiorib. suis anteferretur. Habebat hostẽ in hoc bello, nec uiribus admodũ imparem, & rei militaris scientia clarũ. Nam ordini Teuthonico cum imperio, potestateq; præerat Gualterus Pletemburgius, equestri familia natus apud Occidentales Saxones, quos hodie Bestualos appellãt, magni uir animi & cõsilij, qui maturè adiũxerat sibi 72 ciuitates Germaniæ, quæ Saxonico in solo sitæ fœdus inter se multò antè pepigerãt, eiq; nomen ab Ansa dederãt, quasi quę perpetuis uelut ãnsis inter se cohęrerent. Ab his pecuniã in belli sumptũ, aliaq; necessaria largiter accipiebat. Tandem non exspectandum ratus, ut intra fines suos exercitu adducto bellũ Moschus ingenti cũ agrorum depopulatione, pro gentis immanitate barbara, gereret: ultrò belli sedem in hosticũ solum transferendã statuit, & si hostis occurrat, prælio decernendũ. Et faciebat hoc eò fidentius, quòd Alexander Polonus per internuncios promiserat, se quamprimũ Pletemburgius fines hostiũ attigisset, ab altera parte suis cũ copijs Moschos inuasurũ: in quo tamen eius deinde spem planè fefellit. Itaq; Pletemburgius lectissima septem Germanicorũ equitum millia, cũ quinq; millibus Curonum (Liuoniorũ hi sunt natio, Gualteriq; tum imperio parebãt) intra fines hostium ducit, & munitiones quasdã occupat: inde castris motis a.d. 16 Kal. Octob. rectà Pleschouiam pergit, urbem amplã ac Liuoniæ uicinã. Occurrit hîc ei Moschus, incredibili cum hominum multitudine. Nam ingens erat ad urbẽ planicies, ad conflictum longè aptissima. Perhibent habuisse Moschum supra centena suorũ hominum millia, quibus triginta millia Scytharum siue Tartarorũ adiunxerat: etenim ut latissimæ sunt eæ regiones, ita hominũ copia nimium quantũ abundant. Multitudini Moschus fidere, Pletemburgius ob paucitatẽ suorum minimè terreri: qui turbam imbellem, inconditã, perexiliter munitã Orientalium more, suorũ uirtuti cessurã sciret, ubi primũ sagittis amissis uentum ad manus foret. Itaq; breui cohortatione suos excitatos rectà Scytharum in agmen oppositum ducit. Solent enim Moschi Tartaros primos in hostem immittere, ut qui sagittarũ eiaculatione plurimùm ualeant, & equorum pernicitate recipere se quò uelint, possint. In eos Pletemburgius ahena tormenta bellica feliciter displodit: inde suos propiùs cum hoste manum conserere iubet, quorũ impetu mox illi fundi, fugariq;: nam inermes aduersus armatos haudquaquã subsistere poterant. Succedũt his Moschi duodecim in agmina distributi, quorum singula hominum ad nouem millia contineret. Eos quoq; Pletemburgij milites non modò fortiter excipit, ac dimicantes sustinet: sed etiam pari felicitate disturbat, cędit, uincit. Hostium reliquiæ re desperata noctis interuentu Plescouiã fuga se recipiunt. Incredibilẽ sanè cladem acceperant, cuius erant argumẽta campi latissimi passim cadaueribus cooperti: neq; desunt, qui tradant ex Tartaris atq; Moschis hominum ad octoginta mil-

ta mil-

ta millia periјſſe, de Pletemburgij militibus uulneratos quidē fuiſſe iactu ſagittarū plurimos, ſed unum tantùm interemptū: quod tamen nobis in medio relinquere placet. Herbeſtenus ſigniferi cuiuſdam proditione cæſos à Moſchis ad 400 pedites fuiſſe refert, cæteros incolumes euaſiſſe. Hoc quidem certè conſtat, felicē hunc Ducem exiguo cū ſuorum damno multis millibus cæſis, maximum hoſti detrimentum attuliſſe. Satis hoc uel inde colligi poterat, quòd ea planicies, in qua pugnatum fuerat, & quæ ſupra ſexaginta ſtadia longè, lateq; patebat, undiq; cadaueribus conſtrata cernebatur. Accedit & illud, quòd mox ſuis hominibus ad Pletemburgium miſsis de pace Moſchus agebat: id quod minimè facturus fuerat, niſi cladem ingentem accepiſſet. Nec militiæ Magiſter actionē de pace reijcit, qui uideret eam nunc conditionibus ſanè cōmodis, & prorſus è re ſua conſtitui poſſe. Quapropter confecta pax in annos totos quinquaginta, & commerciorum gētis utriuſq; iura uetera renouata. Pręcipuam in hoc pręlio cataphractorū equitum uirtutem enituiſſe, plurimumq; momenti ad obtinendam uictoriam attuliſſe, traditum eſt: quos Moſchi cum admiratione maxima ferreos homines nuncupant. Hi paſsim ordines hoſtium perrumpebant, ex equis eos deijciebant, cū equis ipſis ſternebant, deiectos, ſtratosq; proculcabant: nam priſco more gentis Moſchi nullis erant idoneis armis aduerſus talem hoſtem inſtructi, non loricis, non ferreis thoracibus muniti: & arma ſunt illis alia nulla, quàm ſagittæ, haſtæ, leues, & copides, hoc eſt, leuiter incuruati ac breues gladij. Pace cum Pletemburgio facta, Moſchus miſsis Liuonijs, Polonos aggreditur, quorum cum Regibus, Caſimiro, Ioannè Alberto, Alexandro uarias eum ſimultates exercuiſſe, iam anteà monuimus. Inter alia, quæ cōtra Polonos geſsit, hoc memorandum, quòd quum anteà Moſchi à Polonis uinci plerumq; conſueuiſſent: ipſe primus uinci uictores poſſe demonſtrauit, Polonis acie iuſta profligatis. Ipſum etiam Polonici exercitus Ducem, rerum bellicarum inſigniter peritum, Conſtantinum Oſtroſchium cœpit, uinctum catenis Moſchouiam abduxit, totos annos ſeptem in carceribus detinuit. Eſt in Lithuanorum, Moſchorumq; finibus ad ripam Boryſthenis (quem Briſnam hodie dicunt) oppidum, quod Smolenzicoum uocant. Id Baſilius eſſe ſui iuris & Imperij contendebat, Poloni Regno ſuo uindicabant. Itaq; Baſilius anno 1513. coactis amplis ſuorum copijs Smolenzicoum obſidet, omnibusq; uiribus oppugnat, ſed fruſtrà: nam quum nihil efficere ſe uideret, propter uirtutem præſidiariorum, atq; etiam uenire Lithuanorum audiret ſatis ualidam manum, quæ obſeſsis opem ferret: in aliud tempus rem differendam ratus, obſidionem ſoluit, copiasq; ſumma celeritate domum reducit. Anno ſequenti reuertitur, & corruptis per largitionem illorum animis, quibus tuendi Smolenzicoi cura mandata fuerat, oppido proditione potitur. Eo non contentus, tripartito agmine finitimos agros latè populatur, & Lithuaniam inuadit. Habebant id temporis Poloni Regem Sigiſmundum, Caſimiri F. & quidem natu minimum, qui fratribus ſuis ordine Regnum adeptis, & excepto ſolo Vladislao Bohemorum, Hungarorumq; Rege uita functis ſucceſſerat. Is quò maturè hoſti occurreretur, Conſtātino (qui nō multo antè dimiſſus à Baſilio fuerat) mandat uti copias ſatis amplas conſcribat, & obuiam hoſtibus eat, ne ulteriùs progrediantur. Exiſtimabat neminē rectiùs opponi Baſilio poſſe, quàm eum, qui & magni nominis Dux eſſet, & acceptas à Baſilio ſuperioribus annis contumelias, iniuriasq; præclaro facinore ulciſci cogitaret. Aduolat ille cum non magna, ſed ſelectiſsima militū manu, quumq; perueniſſet ad Boryſthenem, cuius ripam alteram Moſchus inſigni cum exercitu, magnoq; tormentorum aheneorum numero cuſtodiebat: uado reperto, ponteq; conſtructo, ſumma prudentia tam pedeſtres, quàm equeſtres copias traijcit. Neque parùm ei barbarorum ſuperbia profuit, qui tranſitum nullo conatu impediebant: uti qui ſe rebus omnibus longè hoſtem ſuperare putarent. Habebat omnino in exercitu Conſtantinus hominum ad ſeptem, decemq; millia, in quibus erant equitum decem & quatuor, peditum tria millia. Baſilius equitum ſupra quadraginta millia ducebat. Ex ijs ſeptem millia ſeligit, ac propinquam in uallem abdit, ut medio in ardore pugnæ hoſtem à tergo aggrederentur, eaq; ratione nec opinantem perturbarent. Cæteros in agmina tria diuiſos aciei Conſtantini opponit. Is ex aduerſo cataphractos equites Polonos in acie prima collocat, qui ſagittas hoſtium exciperent: ab latere dextro ſex Lithuanorum equitum millia, totidem à ſiniſtro: peditem à tergo, cuius uirtuti plurimùm tribuebat. Primum Moſchorum agmen cum ſuis feliciter perrumpit, inde alterum adoritur. Tum Baſilius cum tertio nonnihil pedem referre, & exitum pugnæ ſpectare: nam futurum putabat, ut qui ex inſidijs hoſtem à tergo inuaſuri erant, aciem omnem uel ſolo terrore perturbarent, disijcerent, cæderent. Verùm ijs animaduerſis peditum agmen quadratum occurrerat, & omnes in fugam coniecerat. Itaq; quum hi tertium Moſchi agmen rectà peterent, Baſilius abiecta ſpe uictoriæ cum nobilioribus ſemet ex acie ſubducit. Ducem fugientem

gientem cæteri sequuntur. Pugnatum fortiter ab ijs, qui Polonis oppositi media in acie steterunt. Sed quum pariter Lithuani atque pedites superatis ijs, quos aduersos habuerāt, hos etiam ab omnibus partibus inuaderent: tandem ipsi quoque fuga sibi consuluerunt. Commissum hoc prælium est a. d. VI Id. Septembr. Anno 1514. Capta hostium castra, regia Basilij supellex, ahenea tormenta, cum ccIↃↃ equorum. Cæsa Moschorum ccIↃↃ ccIↃↃ ccIↃↃ. uenerunt & præcipui quidam Duces in hostium potestatem. Hinc ad Smolenzicoum oppugnandum rectà ductæ copiæ, sed irrito conatu. Nam Basilius ex acie fugiens eius, quod futurum putârat metu, fortissimos quosque in oppidum miserat, qui ei præsidio essent. Itaque Constantinus ob propugnatorum uirtutem, & alienum anni tempus recuperatione desperata, trans Borysthenem copias in hyberna deducit. Hoc modo Iouius rem gestam narrat. Qui Herbesteni fidem sequi maluerit, in eius Commentarijs aliter indicata quædam reperiet. Secundùm hæc anno 1516 Moschi Lithuaniam iterum populabundi percurrerunt. Eos deinceps Ioannes Tarnouius Polonus, fœlix & prudens Imperator, iusto prælio uicisse ad Starodubam perhibetur: quæ res quo pacto gesta sit, quum nobis necdum satis liqueat, in hoc quidem tempore ampliùs aliquid proferre supersedebimus, præstaturi fortasis aliquando, ne quid hac etiam in parte lector desideret. Conuertit certè Basilius, pace cum Polonis facta, uim omnem armorum aduersùs Tartaros, quos anno 1527 insigni uictoria sic superauit, & cecidit, ut eorum supra CCIↃↃ CCIↃↃ uno prælio perijsse tradantur. Et quantum mali prius Moschis ab hac gente fuerit illatum, prolixè Baro Sigismundus exponit. Quum autem memoratu digna tantùm colligere uoluerimus, multorum heic annorum mentione prætermissa, quibus scilicet nihil admodùm insigne gestum fuit, ad propria ueniamus. Anni 1555. media hyeme (nam id tempus ijs in regionibus aptissimum esse rei gerendæ propterea solet, quòd tum stagna, paludes, flumina congelata facilem transitum præbeant) bellum inter Gustabum Suedorum Regem, ac Ioannem Basilium Moschorum principem exortum, propè biennium totum durauit. Ei causam dedêre præfecti utriusque principis in limitibus collocati, qui semel susceptis inimicitijs alternatim prædas abigebant, & omnia longè, latèque flammis ac ferro populabantur. Quo factum, ut ipsi etiam principes irritati, suos quisque præfectos defendendos susciperent. Moschus ducenta hominum millia cogit, & in Finlandiam exponit. Hi tormentis aheneis muniti ad oppidum Viburgum usque contendunt, miserabilem in modum omnia diripiunt, & igne uastant. Qua crudelitate in suos exercita motus Gustabus, simul & Germanicum militem arcessit, & quantas omninò posset hominum suorum copias magna celeritate cogit. Valido iam instructus exercitu, rectà pergit in hostem. Is uerò Regis aduentu per exploratores cognito, ad discessum mox sese comparat, more Turcarum, aliorumque barbarorum incolas etiam ipsos abducit, cætera fœdis incendijs uastat. Cedentes Suedus ad arces usque duas Moschi subiectas Imperio persequitur. Nihil tamen aliud efficit, nisi quòd ingressus agrum hostilem pari truculentia fæuit in omnem ætatem ac sexum, ædificijs flammas subijcit, hominum corpora cum facultatibus ac iumentis in seruitutem abducit. Accidit inter alia, ut quadringenti Moschi, magna ex parte nobilibus familijs nati, (Boiaros sua lingua uocant) in glacie consistentes de tota belli ratione consultarent. Ea pondere nimio, uel alio quopiam casu rupta, mox in aquas mersi pereunt. Territi hac suorum calamitate cæteri, oblatas à Gustabo conditiones pacis opera concionatoris cuiusdam Aboënsis citra detrectationem ullam accipiunt: inde missis etiam utrinque legatis maioris fidei causa pax consensu principum sancitur, & ab utroque præclarum ad posteros exemplum statuitur, adfectis merita pœna belli primis auctoribus. Exponenda deinceps nobis ea bella ueniunt, quæ aduersùs Liuonios Moschi crudelissimè gesserunt. Priùs uerò, quàm ad illorum commemorationem accedamus, ciuiles eorundem Liuoniorum furores indicari par est, quibus eorum uires usque adeò sunt accisæ: ut hosti nouo, potenti, supraque modum humanum sæuo resistere non possent. Referri certè debet huius regionis calamitas inter exempla uicissitudinis rerum humanarum, & corruentium Imperiorum illustria, quorum casus ac mutationes ex ciuilibus dissidijs plerumque solent oriri. Constitutum hoc Imperium fuerat fœlicibus auspicijs ante 300 annos, ex occasione propagandæ Christianæ Religionis. Porrigere se regionem ipsam constat in longitudinem supra quatuor stadiorum millia, quum in latitudinem minimum ad 1300 stadia pateat. Habebat principem sanè potentem, quem Magistrum militiæ uocabant, Equestris collegij (uulgus Ordinem appellat) præsidem: quæ quidem dignitas ad neminis hæredes transibat, sed uno rebus humanis exempto, de ipso collegij corpore in eius locum alius sufficiebatur. Habebat præter hunc summum antistitem (Archiepiscopum Græco uocabulo dicimus) Rigensem, ac secundū illum antistites alios tres, Dorpatensem, Habselensem;

cui &

cui & Osela Curonum parebat, ac Reualiensem. Horum singulis oppida, territoria, munitæ arces erant, annuiꝗ fructus uberes. Habebat ciuitates & amplas, neq; pro consuetudine barbarorum extructas, quales pleræque sunt in Regnis Septentrionalibus: sed insignem ad elegantiam ornatas. Inter eas principe loco sunt Riga, Bremensium Germanorum colonia, sita commodò loco ad amnem Dunam, cuius in Oceanum, quem hoc loco Balticum à Baltei similitudine nuncupant, semet exonerantis ostium ab urbe ad 60 stadia distat, & habet fluuius eam magnitudinem, ut ex mari naues ad urbem subuehi possint: altera reualia, Danorum à Rege Voldemaro condita, portu in mari Baltico insigni clara: tertia Dorpatum, Rusis finitima, propter cuius mœnia Beca fluuiolus labitur, ad commercia cum Rusis peropportunus. Nam in eorum fines delatus, emensis omninò 200 stadijs, in amplissimum se stagnum exonerat, quod Pebusiam uocant: itaque fit, ut Dorpato Plescouiam usq; peruenire nauigio possit. Insigniter hoc stagnum uario piscium genere abundat. Porrigit in longitudinem ad 360 se stadia, & sex, septemue receptis amnibus, in Oceanum uno fertur alueo: qui quum de præruptis scopulis præcipiti lapsu ruat, idem uicinioribus accidit, quod usuuenire habitātibus ad Nili cataractas accepimus, uti nimirū paulatim surdescant. Secundū has ciuitates, oppida sunt alia minora, magnificis arcibus munita: primùm Venda, propter aulam Magistri militiæ nobilitata, & in medio totius regionis sita: deinde Velinum, Pernouia maritima, Volmaria, Vesburgum, Vitestenum, Narua, & alia. Præter Germanos, qui tum rerū potiebantur, habet & Liuonia Curones, Estenos, Lettos, nationes tam moribus, quàm lingua diuersas. In eadem regione, si uinum, oleum, & alia quædam mitiori cœlo subiectis terris concessa diuinitùs excipias, (nam his aduectitijs tantùm utuntur) cætera ad usum humanum necessaria reperiuntur ea copia: ut cum exteris omninò largè cōmunicentur. Eius ergo status & incolumitas quum intestino discidio sic labefactata fuerit, ut ingens rerū omnium subsequuta mutatio sit: operæprecium erit, hoc ipsum discidium, eiusq; causas, cum toto ciuili bello, breuiter (quantum eius fieri poterit) narrari. Fuerat annis multis Archiepiscopus Rigæ Guilelmus, patre Marchione Brandenburgio, matre Polonica, Regis Casimiri filia, Sigismundi sorore natus. Inter alios huius fratres, quos numero non paucos, & illustres omninò Principes habebat, erat Albertus, qui Friderico Saxoniæ Ducum gente nato, magno Teuthonicorum equitū in Borussia Magistro successerat: nam & Borussia Liuoniæ uicina collegium equestre tum habebat, cum quo se ante aliquot secula Liuonienses equites mutuæ defensionis causa coniunxerant. Albertus hic multis annis cū auunculo Sigismundo Rege bella gessit fortiter, ut aduersus Polonum collegij sui iura defenderet: qui fratrum, patris, aliorumq; maiorum suorum exemplo Borussiam sub Imperij sui iurisdictionem reuocare uolebat, quæ se unius Imperatoris Romani auctoritatem sequi profiteretur. Quum autem multos (ut diximus) annos hæc bella durarent, ac uiribus inferior Albertus sæpiùs implorata Imp. Cæs. Caroli V. Aug. (qui tum Hispanicis, Italicisq; motibus mirificè distinebatur) ope, nihil impetrasset: tandem ui maiore coactus, Sigismundo se regi anno 1525 summittit. Itaq; Sigismundus ei detractis aliquot ciuitatibus, Gedano, (quod hodie Dantiscum uocant) Torona, Mariæburgo, Elbinga: reliquam ditionem, abolito equitū in ijs locis collegio, beneficiario clientelæ iure sic concedit, ut ea tum ipse, tum nati ex eo hæredes masculi, & hæredibus masculis deficientibus, proximi è Brandendurgiorum principum gente agnati cum hac conditione fruerentur, si Poloniæ Regum se clientes, non Imperatoris Romani, Borussiæ nomine profiterentur. Quod quidem id temporis primùm inchoatum, anno superiore, nimirū 1570 renouatum est. Nam quum Albertus ante triennium unico filio Alberto Friderico ex altera coniuge Brunsuigij Ducis Erici filia hærede relicto decesserit, Sigismundus Augustus Sigismundi Regis F. arcessitis ad se Alberto Friderico, Georgio Friderico, & Ioachimo Septemuiro, Marchionibus Brandenburgijs agnatis: illi præsenti, & horum legatis publica cæremonia beneficium successionis Borussiacæ concedere uoluit, ne qua in posterum contentio posset oriri: quo ipso tempore Moldauorum etiam (Dacos olim dixère) principem in clientelam suam recepit. Hæc propterea recensere hoc loco uoluimus, quòd Alberti mentio deinceps occurret. Nunc ad Guilelmum reuertamur. Erat is prouecta iam admodum ætate, ac propterea gubernationis onus esse soli sibi graue, molestumq; dicens, de constituendo successore cum Canonicorum suorū collegio deliberabat, qui etiam uiuum parte aliqua negociorum subleuaret. Solent in collegijs hoc hominum genus Coadiutores appellare. Simul suam ut mentem ac consilium aperiret, neminem se huic muneri scire profitebatur aptiorem Christophoro Alberti Megalburgij Ducis F. huius indoles magnū aliquid de ipso pollicerètur. Hoc institutum, & hæc oratio Guilelmi Archiepiscopi permolesta erat Magistro militiæ Guilelmo Furstembergio,

nato equeſtri apud Beſtuales genere, qui non ita pridem Henrico Galenſi uita defuncto in hoc magiſtratu ſucceſſerat. Totus etiam ordo equeſtris collegij ſuſpectum Archiepiſcopi conſilium habebat. Verebantur enim, ut aiebant ipſi, ne itidē ut in Boruſsia factum fuiſſe diximus, abolito equitum collegio, ad unius alicuius illuſtri familia nati dominatum heic quoq; rerum ſumma perueniret. Accedebat & alia cauſa. Nam quia ſuperioribus annis ciues Rigenſes unà cū doctrina ritus etiam Romanę religionis aboleuerant, & omnibus in templis concionatores ſuos præfecerāt: archiepiſcopus illud ad uiolationem ſuæ dignitatis, ſuiq; iuris, quod in eccleſias haberet, præiudicium factum adſerens: à ciuibus aliquid multæ nomine petebat. Contrà Magiſter militiæ dicere, ſi non maius, ſaltem par ſibi ius in Rempub. Rigenſem eſſe, qui & arcem in urbe haberet: quare multari ciues Archiepiſcopi unius arbitratu, nunquam ſe paſſurum profitebatur. Hæ quidem cauſæ publice prætexebantur, uerùm erant & aliæ nonnullæ, quæ iamdudum animos utrumq; pungebāt. Nam Archiepiſcopus tum muneris eccleſiaſtici dignitate, tum nobiliſsimi ortus pręſtantia fretus, (erat enim Brandeburgia, ceu diximus, gente prognatus) primum in rebus omnibus ſibi locum deberi uolebat. Itaq; principem in comitijs ſedem ſibi uindicabat, atque ipſum quoq; comitiorum indicendorum ius ad ſe pertinere contendebat, ex quo deinceps alia quoq; nata eſt offenſa, belliq; occaſio: quemadmodum infra loco ſuo ſumus indicaturi. Omnium deniq; grauiſsima capiendorum armorum erat cauſa, quam haud ſcio an non rectè ἀφορμὴν uerbo Thucydideo ſimus appellaturi, quòd militiæ Magiſter intercepiſſe ſe Guilelmi Archiepiſcopi ſcriptas ad Albertum fratrem Boruſsiæ Ducē literas diceret, quibus eum hortaretur, peditum illac ei [illegible] quamprimùm mitteret: commodius rei gerendæ tempus offerri nullum poſſe, quàm hoc ipſum, quo collegium equeſtre diſcidijs maximis laboraret. Negauit ſemper deinceps Guilelmus Archiepiſcopus, tale quiddam ab ſe fuiſſe ſcriptum: negauit Albertus Boruſsiæ Dux, Guilelmi frater: negauit Poloniæ rex, quicquam inter Archiepiſcopum ac ſe actum clàm de oppreſsione illius collegij fuiſſe: uerùm Magiſter militiæ conſtanter adfirmabat, ſe productis literis (ſi quidem res ita poſceret) hoc comprobaturum. Quumq; collegij Mareſchallus (ſecūdum is à Magiſtro dignitatis ac potentiæ gradum obtinebat) ſuos moneret, ne temerè bello Archiepiſcopum obruerent: conclamare uniuerſi, occultam inter Archiepiſcopum & Mareſchallum conſpirationem factam, & communicata conſilia: nihil eſſe reliquum, niſi ut armis oppreſſores libertatis publicæ coërceantur. Acceſsit & hoc, quòd Archiepiſcopo Mareſchallus promiſiſſe ferebatur, ſe quaſdam arces occupatas ei traditurum. Et perhibetur ſanè ad unam atque alteram arcem acceſsiſſe, utq; admitteretur, poſtulaſſe: quod num hoc, an alio conſilio, ſui fortaſſe defendendi aduerſus uim ſubitā cauſa fecerit, nobis haud liquet: ſcriptum quidem non multo pòſt publicauit, quo ſe uarijs argumentis purgat. Simul ad Poloniæ ſe regem confert, à quo perhumaniter ac benignè accipitur, mandante ſuis, ut eum ab iniurijs quorumcunq; defenderent. In hunc modum inflammatis utrinq; animis, ſeq; comparātibus ad gerendum ciuile bellum: comitia publica militiæ Magiſter indicit, & ordines omnes Vendam conuenire iubet. Coiêre frequentes uniuerſa ex prouincia ſingulorum ordinum homines. Archiepiſcopo excepto, qui propterea non uenire ſe proteſtabatur, quòd comitia more maiorum indicta non fuiſſent, quorum indicendorum ius ad ſe pertineret. De hac contumacia quæſtus ad omnes militiæ Magiſter, atq; illis etiam expoſitis, quæ de literis interceptis, alijs cōſilijs antea commemorauimus: monet, Archiepiſcopum loco publici hoſtis habeant, omnesq; uideant, ne quid Reſpub. detrimenti capiat. Reſpondent omnes, bello compeſcendum hoſtem patriæ: ſimul auxilia ſinguli ſua pollicentur. Quod decretum ubi accepiſſet Archiepiſcopus, ad defenſionem ſe cōtra uim illatam parabat: & ſuos ut arma principis ſui tuendi cauſa corriperent, quem inaudita cauſa prorſus innocentem inuadi cernerent, hortabatur. Contra militiæ Magiſter miſsis ad ſubiectos imperio Archiepiſcopi ordines literis, eo quo principi ſuo deuincti ſacramento eſſent, omnes liberabat. Simul priſci fœderis eos, pactiq; commonefaciebat, quo conuenerat, ut ſi quando quiſquam eius regionis principum moliri uel aduerſus unum aliquem, uel plures, uel uniuerſam deniq; Rempub. res nouas depræhenderetur: eius ſubditi nullo ſe amplius fidei ſacramento teneri ſcirent, nec iniuſta conantem ulla re iuuarent. Hac re factum, ut deſtitutus à ſuis Archiepiſcopus, Coquenhuſium ſeſe reciperet, locum per ſe ualde munitum, ſed in quo ad perferendam obſidionem diuturnam parum commeatus ſuppeteret. Fugientem militiæ Magiſter cum exercitu ualido perſequitur, & arcem obſidione cingit. Factum hoc menſe Quinctili, anno 1556. Archiepiſcopus, qui liberandi ſui rationem nullam cerneret, die obſidionis octauo deditionem facit. Poſteaquàm in hoſtium poteſtatem ueniſſet, cuſtodiæ mandatur: ſimul omnis eius ditio cum oppidis & arcibus occupatur, ac fiſco addicitur. Mitius cum Chriſtophoro Megal-

 burgio

burgio duce actum, sed tamen eidem etiam additi, qui diligenter obseruarent, ne posset elabi. Putabatur hic finis esse belli à plerisq;, sed longe aliter res cecidit. Nam ubi captum Guilelmum Archiepiscopum, fratrem germanum suũ, Borussiæ Dux Albertus accepit: mox ad arma tum suos euocat, tum equitum, peditumq; Germanorum copias quãtas potest maximas fratris in libertatem uindicandi causa conscribit. Quam quidem ad collectionem exercitus operam ei strenuè nauabat Ioannes Albertus Megalburgius, & literis & armis clarissimus princeps, quarum rerum laudem pauci simul sunt consequuti, Christophori designati Rigensis antistitis frater, quo cùm nupta erat Anna Sophia filia Borussiæ Ducis Alberti e priore coniuge, Sophia Friderici Danorum regis filiâ. Præterea calamitatem fratris per internuntios Polonorum regi Sigismundo Augusto exponit, & opem ab eo postulat. Quapropter hic quoq; supra hominum 700. liberandi Archiepiscopi causa cogit, primùm quia negligere se posse factam suo consobrino iniuriam negaret: deinde quòd episcopatus Rigensis Lithuaniæ finitimi se patronum profiteretur. Interim Furstenbergius quoq; militiæ Magister aduersus utrumq; se munit, equitum Germanorum ex ditione sua, & Dorpatensis, Habselensis, Reualiensis, episcoporum auxilijs ad octo millia, magnum item peditatum cogit. Simul suos quosdam homines cum pecunia Lubecam mittit, urbem Saxoniæ maritimam, qui pedites præsertim collectos in Liuoniam mari transportarent. Polonus primùm antistitem quẽdam cum huiusmodi mandatis ad militiæ Magistrum mittit: Guilelmum Archiepiscopum libertati quamprimùm restitueret, ablata redderet, sibi compositionem ortorum inter utrosque discidiorum permitteret. Quum infecta re legatus reuertisset, rex Magistro militiæ cum suis bellum denuntiat, & cum amplissimis copijs per Lithuaniam suam ad Liuoniorum fines contendit. In hoc rerum statu Christianus Friderici F. Danorum, Noruagiorumq; rex, religiosus & optimus Princeps, insigni ad utrosq; legatione missa, de reuocandis ad pacem animis agebat. Hi quum aliquandiu apud utrosq; non sine fructu egissent, accessit Ferdinandi Cæsaris designati legatus, missus è comitijs, quæ Augustæ Tiberię (Ratisponam hodie uocant) habebantur, mense Ianuario, anni 1557. Venit & Pomeraniæ Ducum nomine legatus, transigendi negotij causa. Diu rebus ultrò, citroq; agitatis, tandem militiæ Magister in castra Poloni cum Archiepiscopo custodia liberato uenit, ubi deinde pax his ferè conditionibus initur. Primùm militiæ Magister Guilelmum Archiepiscopum omninò in integrum restituito, damnumq; datum compensato. Deinde Polono regi sumptus in expeditionem factos refundito. Graues erant hæ quidem Furstenbergio, sed quando aliter id temporis agi non poterat, acceptæ. Hoc modo thesaurus, quem publicum habebãt, à multis annis intactum, magno cum reipub. damno fuit exhaustus, & Liuoniorum attritæ uires. Itaque sequutæ sunt deinceps magnæ totius rerum status mutationes, quas nunc (uti promisso nostro satisfaciamus) ordine narraturi sumus. Nam redeundum tandem etiam ad res à Moscis gestas. Dictum à nobis est initio commentarij huius, post pugnatum fœliciter aduersus Moscos duce Pletemburgio prælium, pacem in annos 50. fuisse factam. Hi quum anno 1550. exijssent, Iustus Reccius, equestri loco natus apud Bestualos, qui Dorpatensis antistes erat, magnæ tàm apud suos, quàm uicinos Russos auctoritatis, missis ad Moscum legatis inducias in annos 5. nouas impetrat, his conditionibus: Primùm daret operam, uti fana Moscorum diruta, quæ Rigæ, Reualiæ, Dorpati singula prius, quàm status Pontificiæ religionis apud Liuonios mutaretur, habuerãt, quamprimùm instaurarentur: deinde tributum è Dorpatensi ditione per capita collectum mitteret, quod quidem à priscis annis deberi sibi Moscus aiebat. Hæc si proximo quinquennio bona fide præstarentur, ulterius se 15. annorum inducias concessurum pollicebatur. Hac re confecta, Iustus in patriam sese contulit: erat enim in collegio canonicorum Monasteriensium, tametsi Dorpatensem episcopatum accepisset. Eam ipsius abitionem alij aliter interpretabantur. Nonnulli dicere, magnas cum opes à Dorpatensi ditione conflatas secum auexisse: quumq; suis spem reditus certam facere uellet, quo absq; ordinum impedimẽto posset discedere, maioris fidei causa sacrosanctis symbolis acceptis reuersurum se promisisse: cuius sanè narrationis fides penes auctores esto. Alij mitius sentire, qui animum eius quietis studio tantum dignitatis gradum negligere aiebant, præsertim qui matura prudentia tempestates imminentes secum ipse præcepisset. Dorpatensis quidem ditionis ordines omnes reditum ipsius magno desiderio diu expetebant, id quod etiã missis legatis declararunt: quos Monasterij nos apud ipsum anno 1552. uidimus, & in Liuoniam redeuntes, Lubecam usq; comitati sumus, ubi Albertum patruum habebamus. Sed malebat (uti diximus) Monasterij degere in nobili canonicorum, quod istic est, collegio: quanquam hoc quoque deinceps reliquit, & ætate iam prouecta uxorem duxit. Posteaquàm ex legatis de uoluntate, consilioq; Reccij Dorpatenses accepissent, Herman-

num

num archimandritam Falconauiensem, hominem obscuris natum parentibus, in eius locum sufficiunt. Patriam habebat Vesaliam, sitam ad Rheni ripam in Cliuiorum Ducis iurisdictione, quā inferam propterea uocāt, quod eiusdem nominis aliud sit ad eiusdē Rheni ripam oppidum, quondam municipium imperatorium, nunc Septemuiro Treuirensi subiectum. Heic pater eius pileos factitarat, quos homines ab eo plebei ad arcendas à capite pluuias emebant. Hermannus ipse ante annum ab hoc 25. ex oppido Dorpatensi cum quibusdam alijs sui ordinis monachis secesserat, quo tempore Pontificia istic religio profligabatur, seq; non procul inde receperat in monasterium Falconauiense, cuius deinceps Archimandrita factus, nunc ad dignitatem antistitis uocabatur. Eram ego, quò hæc tempore gerebantur, in oppido Dorpatensi, una cum magistro in literis meo, cui me patruus Albertus formandum tradiderat, Henrico Heningo, magnæ uirtutis & doctrinæ uiro, qui deinceps in ditione Spanheimensi ad Mosellam fluuium ab Illustriss. Palatinis principibus & Marchionibus Thermarum, qui agrum illum pari iure simul possidēt, ecclesijs est præfectus. Causæ, quamobrem ad munus illud Hermannus uocaretur, hę putabantur esse præcipue: quòd in monasterio suo sic se gessisset, ut opulentus esse crederetur: & quòd idem præstaturus existimabatur in episcopatu, cuius opes ab antecessoribus imminutæ nonnihil erant. Biennio post, quàm ad gubernationem accessisset, quia sciret inducias à Mosco concessas exspirasse: (nam agebatur iam annus 1555.) legatos ad Moscum mittit, adiungente suos homines militiæ Magistro, qui cum eo de prorogandis inducijs agerent. Moscus se quicquam amplius concessurum negat, quia nihil eorum præstitissent, de quibus antea conuenisset. Sed tamen intercedentibus ipsius consiliarijs, fit in annos tres indutiarum prorogatio, quibus & templa Russorum apud Liuonios in tribus illis (quæ diximus) oppidis instaurarentur, & tributum è ditione Dorpatensi colligeretur. Postulabat autem tributi nomine, ut singula capita more Turcico marcam unam penderent. Et marcæ quinæ nummûm aureûm scutatum unum conficiunt. Has conditiones legati accipiunt, quia discedentibus mandarat Hermannus episcopus, ut quouis modo bellum auerterent. Discessuris Moscus hominem quendam suum adiungit, qui nisi conuenta Dorpatensis antistes atque ciuitas signis suis communirent, pro gentis more crucem osculari recusaret. Hac enim cæremonia solent uti, quum sanctissimè se uolunt obligare. Fit obsignatio, siue quòd colligi uires interea posse putaretur, quæ hostis impetum retunderent, siue alia de causa. Geritur interea bellum intestinum, quod exposuimus. Eo cōditionibus illis, quas indicauimus, composito ac sublato, militiæ Magister anno 1557. in autumno quendam percunctatum mittit, uelit'ne Moscus mittendis de pace legatis itinera tuta polliceri: an omninò pacem deneget. Videbat enim, factas nuper indutias anno proximè sequenti finem habituras. Respondet Moscus, quamdiu sex Germanorum peditum signa relinquantur intra fines Liuoniorum, (retinuerat enim illa militię Magister apud se, bello Polonico sopito) non se posse credere, Liuonios seriò pacem expetere. Sin eum militem dimittant, se uicissim legatis accedēdi, & agendi de pace potestatem facere. Furstenbergius hoc responso accepto, Vendam ordines conuocat. Deliberatum in comitijs, quid fieri potissimum debeat. Quidam obtemperandum aiunt, nec irritandum hostem barbarum. Aduersantur his alij, quòd scire se dicerent, quò Moscus spectet. Arrepturum quemuis prętextum belli, quamprimùm dimissus miles fuerit. Idcirco se modis omnibus cōsulere, ne copiæ minuantur, sed potiùs duplicentur, & in finibus hosti opponantur, si quid ille fortè sit moliturus. Consultatione facta uincit prior sententia: miles exauctoratur: mense Nouembri splendida legatio Moscouiam mittitur: suos quosdam homines Dorpatensis episcopus adiungit. Est in more Moscorum, ut legatos non tam scitò mandata suorum principum exponere iubeant, atq; fieri apud nos consueuit: sed aliquandiu detineant, uarijsq; cæremoniarum, colloquiorum, conuiuiorum generibus excipiant. Id nunc quoq; Liuoniorum legatis usu uenisse accepimus, quibus inter alia beneuolentiæ signa Moscus hoc etiam honoris detulerit, ut eos ad infantis illo tempore sibi nati baptismum tanquàm testes adhiberet. Post aliquot dies suum in conspectum eos adduci iubet: munera quæ Magistri militiæ nomine, ac Dorpatensis episcopi offerebantur, accipit: legationem audit. Hinc num pactis conuentis stetissent, interrogat: ac nominatim quærit, secúmne tributum ex ditione Dorpatensi adferrent? Illi primùm excusant se quanto studio possunt, & ad purgandos Liuonios bellorum tumultus in medium proferunt, quibus impediti præstare pleraq; non potuerint hactenus, quæ tamen deinceps bona fide sint exsequuturi. Orant, exiguam moram molestè non ferat. Quod autem Dorpatense tributum attineat, se maiorum annales euoluisse diligenter, è quibus intellexerint, nihil huius ditionis nomine Mosco deberi. Quum hæc Moscus audiuisset, per interpretem eis in hanc sententiam respondet: Quando beneuolentia, gradiaq; mea toties erga

uos declarata, quum Reccio, quum militiæ Magistro, quum huic ipsi Dorpatensi episcopo inducias prorogaui, quum alijs uos honoribus & beneficijs adfeci, planè uos abuti uideo, nec quicquam eorum præstare, quæ cum crucis osculo sanctissimè polliciti hactenus estis: alia ratione uobiscũ agam, quorum omninò mulctandã armis perfidiam, fraudes ꝗ uideo. Illi contrà rogare, ne uim faciat ijs, qui Romano Imperatori pareant, quo cum ipsi fœdus sit. Verùm quum flecti nullis ac uerbis, nec promissis, nec precibus animum eius posse cernerent: abeundi copiam, cum itineris duce postulant. Concessi qui deducerent, sed insigni cum fraude. Nam data opera (quemadmodum haud dubiè mandatum ipsis fuerat) tam obliquis in itineribus, tam deuijs hinc indè oberrarunt: ut post menses amplius duos, nimirum sequentis anni 1558. Februario mense pri-mùm ad suos reuerterentur. Interea non solùm per alios ex suis celeriter ablegatos Liuonijs bellum indicit: sed etiam pari celeritate coactas ingentes copias in eorum fines prius immittit, quàm legati reuersi monere suos de imminenti periculo potuissent, quò prorsus ad defensionem imparatos opprimeret. Literæ, quibus bellum denunciabatur, in hæc uerba descriptæ fuerunt.

EPISTOLA MOSCI.

Misistis ad nos, Guilelme militiæ Magister, Archiepiscope Rigensis, Dorpatensis, & cæteri antistites, ordines[illegible] prouinciæ Liuoniæ uniuersi, legatos uestros, egregios uiros, Ioannem Bochorstium, Othonem Grothusium, Volmarium Vrangelum, & alios his adiunctos, qui honore nobis exhibito summissè peterent, ut datis ad præfectos nostros Nouogardiæ, Plescouiæq; literis significaremus, cogitare nos de pace cum militiæ Magistro, Archiepiscopo Rigensi, Dorpatensi, & cæteris Episcopis, omnibusq; Liuoniæ populis ineunda: quibus antea mandatum à nobis erat, nullam uobiscum amicitiam, pacémue colerent, quos ut homines iniustos & pactorum uiolatores omninò multare decreuissemus. Impetrarũt hi legati uestri, quod cupere uos aiebant, estq; pax inter nos constituta conditionibus huiusmodi: Vt damna nobis data per summam iniuriam, deinceps compensaretis: ut subditis nostris mercaturam facientibus ius esset cum uestris negotiandi, & omnis generis merces, nimirum ceram, uariorum animalium pelles, coria, seuum, loricas, thoraces ferreos, & arma cætera inter se permutandi: ut Dorpatensis episcopus annorum præteritorum tributa conquireret, exacta de quouis subditorum suorum capite marca, nobisq; tertio fœderis initi anno ea mitteret, ac deinceps quotannis tributum nobis debitum persolueret: ut omnibus ad nostra se stipendia conferre uolentibus, cuiuscunq; tandem nationis homines essent, liber ad nos aditus pateret: ut nec regi Poloniæ, magnoq; Lithuaniæ Duci, nec eius successori suppetias ferretis: ut omnia denicq; contenta literis de pace sancita confectis, multotiesq; descriptis, fide bona præstaretis. Secundum hæc non legati solùm uestri, harum literarum nomine, spectantibus nobis crucem sacrosanctam sunt exosculati: uerumetiam quum præfecti nostri Nouogardiani & Plescouiani easdem iussu nostro per internuntium suum, Melardum Torpicoum, ad uos misissent, ipsi quoque crucem tum uestro nomine, tum subditorum uestrorum osculati estis, dextras amicitiæ symbolum porrexistis, scriptas de pace literas octo sigillis spectante Melardo muniuistis, munitas præfectis nostris remisistis: ut omnibus modis fidem nobis faceretis, egregiè uos pacta conuenta seruaturos. Verùm ne tantillum quidem eorum hactenus præstitistis, quæ nobis usq; adeò sanctè polliciti estis. Quod tametsi nos animaduerteremus, ne tamen ad arma res ueniret, temereq; Christianorum sanguis effunderetur: sæpenumero uestri uos officij per literas commonefecimus. Præterea per legatum ad nos uestrum Gerardum Flemingum, per internuncium Valentinũ, per Melchiorem, eiusq; collegas, per Henricum denique Guinterium uobis significauimus, petere nos ut abstineatis iniquis à sermonibus, & à ueritate alienis, quibus existimationem, famamq; nostram lædere consueuistis: itaq; uos geratis, agnita superiorum temporũ culpa, quemadmodum & literarum, & osculi crucis religio postularet. Hanc benignitatem nostram aspernari non dubitastis, atq; etiam astuto consilio literas à nobis petere, quibus mittendis ad nos legatis de itinerum securitate caueretur: hac una nimirum de causa, ut re diutius protracta, nobis deinceps illuderetis. Quamobrem quum nulla legis diuinę, nulla fidei pactorum ratione habita, & crucis osculo neglecto, nostram quoq; clementiam floccipendere sitis ausi: Deo fauente uindicare tandem iniurias, sceleraq; uestra, uel iustitiæ nostræ, crucisq; supremi Dei uiolatæ nomine cogitamus. In quo conatu si sanguis alterutrorum profundetur, non nobis hoc imputari, sed iniustitiæ uestræ debet. Nam scire uos omninò uolumus, nõ minùs esse nos Christianum magistratum, ac uos sitis: nec rem gratam nobis accidere, quum sanguis innoxius hominum, uel Christianorum, uel etiam

ethnicorum effunditur. Vt autem intelligatis, quàm iniquè nobiscum egeritis: decreuisse nos insignem potentiam nostram aduersum uos reapse declarare, hac epistola significamus, qua quidem ipsa bellum denuntiamus, ac seuerè uobis edicimus, ne hominē hunc nostrum, qui literas hasce uobis exhibet, inuitum detineatis: sed liberum ei reditum ad nos concedatis. Datæ in dominio, aula & urbe nostra Moscouia, anno ꟾɔ ɔ ꟾɔ ɔ ꟾɔ xxvii. mense Nouembri.

De hisce literis animaduerti facilè potest, quæ Mosco belli gerendi causa fuerint. Edixerant sub pœna grauissima Liuonienses, ne quis loricas, thoraces ferreos, arma ferrea cæteris membris muniendis facta, puluerem tormentarium, bombardas (ut uocant) manuarias, quidquam rerum aliarum in usum belli excogitatarum, uel pretio Moscis uenderet, uel pro mercibus (qui hodieq; populorum aquilonalium mos est) commutaret. Nolebant enim his rebus, quarum opifices apud ipsos desiderarentur, nationem per se dominandi cupiam magno cum finitimorum, suoq; in primis tum terrore, tum detrimento armari. Hoc edictum sibi molestissimum esse, iamdudum Moscus significauerat. Accedebat tributi Dorpatensis adsidua flagitatio, cuius ditionis nomine Liuonij nihil ei deberi uolebant. Dabant operam ijdem Liuonienses, ne aliarum nationum homines, neúe opifices, neúe milites per ipsorum fines ad Moscos sese conferrent, eisq; stipendia facerent. In hoc genere superioribus annis quiddā acciderat, quod ægerrimè Moscus ferebat. Miserat magnis instructum pecunijs Germanum quendam, qui eius in aula uixerat, ad Carolum Augustum & Ferdinandum Cæsarem, sub specie quidem prisci fœderis, sed reuera quò impetraret, quod cum animo suo dudum expetiuerat. Erat hic legatus in celebrib. illis imperij comitijs Augustanis, quæ captis Saxone Septemuiro, Cattoq; principe, anno 1548. sunt habita. Mandatis Mosci legato datis hoc quoq; continebatur. Si Carolus ac Ferdinandus legato potestatem facerent stipendio suo colligendi homines uariarum artium & opificiorum peritos, qui literis Cæsareis instructi per Liuoniam, ut Imperio Romano subiectam prouinciam, intra fines suos impediente nemine uenire permitterētur: Moscum uicissim animi grati declarandi causa sumptu suo totum triennium selecta suorum hominum triginta millia, qui more gentis equites omnes essent, aduersus Turcas in armis habiturum. Concessum hoc legato fuit per Augusti Cæsarisq; diplomata. Quapropter multis dato uiatico persuadet, ut Lubecam sese conferrent, urbem Saxoniæ maritimam, unde nauibus in Liuoniam transportati, ad sui deinceps principis fines contenderent. Sunt omninò sic à natura comparati Rusi, ut ex ingenijs suis difficulter aliquid ad usum humanum præclari excogitent. Verùm ijdem si quid ab alijs inuentum, quo pacto fiat intueantur: non modò fœliciter imitari, sed etiam industria sua nonnihil inuentis addere possunt. Hac de causa Germanos homines uariarum rerum peritos magnopere Moscus expetebat, ut nationem suam per se rudem ac barbaram, cultiorem redderet. Quid fit: Vbi Lubecam uenissent, auditusq; iam antea de ipsis rumor esset, quò tenderent: adire magistratum mercatores præsertim Liuonienses, quorum istic magna frequentia, dicere singulari cum detrimento nō modò Liuoniorum, sed ipsorum quoq; Germanorum hos homines ad Moscos accessuros: orare denique, nautis omnibus interdicant, ne quis eos trans mare Balticum uehat. Hoc impetrato, paulatim dissipati sunt, præsertim numis deficientibus, unde uictitarent. Legatus ipse, quum eandem ad urbem uenisset, petentibus ita Liuonijs, qui iure se aduersus improbi facinoris auctorē experiri uelle dicerent, in carcerē coniectus est: è quo tamē ille post aliquod tempus solerter euasit. Quumq; se, quem faciei rubedo nimia facilè proditura foret, per eas regiones ad herum penetrare non posse animaduerteret: Valentinum Engelhartum Gothanum, qui hæc mihi narrauit, hominem tum Astronomicarum, tum Geographicarum rerum peritia per Germaniam clarissimum adit, eumq; de omnibus in Moscorum regna ducentibus itineribus cōsulit. Quid autem ei deinceps acciderit, equidem dicere non habeo. Id quidem coniectari non abs re licet, huius hominis, tantæq; pecuniarum summæ iacturam Mosci animum haud mediocriter pupugisse. Quamobrem indicto sub finem anni 57. bello, mox sequentis anni Ianuario mense tantùm nō infinitam Tartarorum, Moscorumq; manum intrare fines agri Dorpatensis iubet. Hi circa eidem Ianuario propter arcem Neinhusianam ingresi, ferro & igni per summam immanitatem omnia uastant. In hostium castris qui plurimum, ccccꟾɔɔɔ cccꟾɔɔɔ cccꟾɔɔɔ, qui minimum, cccꟾɔɔɔ fuisse perhibent. Maximas certè copias Moscus haud difficulter cogere potest, & indicatis modò uel pares, uel etiā maiores: sed cur tantas nunc mitteret, causa non erat, præsertim quum sciret hostem imparatum, qui se per legatos aliquid effecturum putaret, nullis uiribus resistere posse. Quo similius uero est, posteriorum sententia definitum numerum fuisse missum. Ceterùm mox ab ingressu incredibili furore sæuitū in omnem ætatem, sexum, ordinē toto amplius mense:

nec quisquam manus hostiles euasit, qui nō in oppidum Dorpatense, uel arcem aliquam (habet enim nonnullas episcopus) cōnfugisset. Hinc progressi Naruam ad eiusdem nominis flumen situm oppidum petunt, perq; militiæ Magistri ditionis eadem immanitate grassantur. Nemine resistente per stadia ciɔ cc lxxx. in longū, quibus à Narua Nienhusium distat, itidemq; ad ccc. stadiorum latitudinē depopulati omnia, multis hominum millibus secum abductis, intra fines suos reuertuntur. Hoc ingenti damno accepto, Magister militiæ suos Vendam conuocat, de pręsenti rerum statu deliberandi causa. Fuerunt heic aliorum aliæ sententiæ. Nonnulli uolebant, hosti par pro pari referendum, conscriptoq; subito milite fines ipsius consimili atrocitate percurrendos. Alij censebant mittenda munera, quibus barbari hostis animus deleniri facilè consueuerit. Posse triginta scutatorum millibus impetrari pacem, quæ pecunia militi perexiguum ad tempus suffectura sit. Considerandam potissimùm & temporis rationem, quo imparati à rebus omnibus ad bellum gerendum necessarijs essent, & hostis potentiam. Hęc à pluribus probata sententia. Simul ablegantur, qui expeditis itineribus ad Moscum contenderent, & ab eo mensium quatuor inducias peterent, & internuntijs ineundæ pacis causa Moscouiam profecturis, literas salui commeatus adferrēt. Quum Moscus his nihil denegaret, decreta mox legatio, quæ transigendi negotij causa cum eo ageret. Vbi uentum ad aulam Mosci, contra spem aduersa cuncta reperiunt, animo principis nouo quodam casu insigniter exacerbato. Diximus esse apud Liuonios amnem Naruam. Ad eius utranq; ripam duo sita sunt eiusdem cum amne nominis oppida. Alteram Russicam, alteram Germanicam Naruam uocant. Vtraq; suis arcibus est munita, quarum ea quæ Mosco paret, Iuanogroda dicitur, à Ioannis principis nomine, qui eam Itali cuiusdam architecti opera exstruxit: alterā Magistri militiæ præfectus perpetuo cum præsidio tenebat. Quū factis inducijs Russi, quorum erant ad tria millia in præsidio, festo quodam die conuenirent inermes patenti quodam in loco: ferunt ex Liuoniorum præsidiarijs quosdam plus æquo fortasse poculis accensos, in eorum mediam turbam tormenta bellica displosisse. Quibus quum aliqui læsi fuissent, nihil illi propter induciarum religionem contrà moliri: sed celeritate summa rem, uti fuerat acta, principi suo nuntiant. Quapropter illi indignabundus Liuoniorum legatos infecta re cum ipsis muneribus dimittit, & minas grauissimas addit. Simul ingentem mittit exercitum, qui Naruam Germanicam obsideret, eiusq; muris tormentorum bellicorum ui deiectis, oppidum ad deditionē compelleret. Russi obsidionis octauo die machinis quibusdam ignes in oppidum eiaculantur, & incendijs excitatis ad muros accurrunt. Qui intus erant præsidiarij milites, quum distrahi se per ignē & hostes uiderent, unà cum ciuibus in arcem confugiunt. Erant omninò 300. pedites, & equites 150. Quum ob commeatus inopiam sustinere se diutius obsidionem non posse uiderent, deditionē hac conditione faciunt: ut præfecto cum omnibus suis abire saluo liceret, suasq; res cuiq; secum asportare. Data fides, sed quod facultates attinet, non seruata. Ciues præfecto discedente, Mosco se sacramento deuinciunt. Eorum exemplum uicini sequuntur, quum opitulante nemine per Moscos omnia diripi, uastarieq; cernerent. Hoc modo pleriq; rem gestam fuisse uolūt. Alij diuersum tradidêre. Nam Moscos aiunt exorto apud Germanicam Naruam incendio, traiecto intermedio flumine, quum flammis restinguendis tam præsidiarij Liuoniorum milites, quàm ciues occupati essent, oppidum cœpisse. Secundū hæc Moscorum agmina Dorpatensem ditionem inuadunt, homines numero ad ciɔɔ ciɔɔ ciɔɔ ciɔɔ Nienhusianam arcem sub mensis Iunij finem obsidione cingunt. Eo cognito, militiæ Magister cum 2000. equitum, quibus 300. Dorpatensis antistes adiungebat, obsessis opem ferre nititur. Erant in arce præsidiarij milites uix 70. deq; uicinis agricolis non admodum multi. Quapropter hi quoq; spe defensionis abiecta, semet hosti dedunt. Quod ubi nuntiatum militiæ Magistro fuisset, qui non procul aberat, simulq; significatum, uniuerso cum exercitu ad ipsum opprimendum hostem aduentare: cedendum in hoc tempore censet, quo tantis uiribus esset impar. Itaq; nemine iam impediente Russicarum copiarum dux Petrus Sisegaledrus (hoc Moscorum lingua nomen ei datum erat à sex triremibus, quibus piraticam exercuerat) rectà Dorpatensem ciuitatem cum exercitu petit: obsidionem a.d. 3 eidus Sextil. inchoat, quum intus præsidia perexigua forent, ciuibus morbo magna ex parte absumptis. Post paucos dies in urbem mittit, qui obsessis significarent, neminem se coacturum, ut cōtra fidem Imperatori Romano datam in principis sui uerba iuraret. Potius se abitionem tutam illis polliceri, qui sub Moscorum imperio uiuere detrectarent. Deditionem facturis, & sacramentum principi suo pręstaturis, omnes se fortunas saluas & integras conseruaturum. Qui neutrū horum amplecti uellent, eis non posse non extrema se minari. Has conditiones maior pars ciuium non illubenter accipit, & cōtinuò deditionē facit. Tantùm 200. armati, & pari propè numero inermium

fœminarum,

fœminarum, senum, puerorumque turba, recusato Moscorum iugo, non sine magnis periculis Reualiam sese conferunt. Parum enim abfuit, quin contra ipsius Sisegaledri uoluntatem à Tartaris spoliarentur. Inter alios Hermannus quoque Dorpatensis antistes in Moscorum potestatem uenit, qui ab imo (ceu diximus) loco magnum ad honoris, potentięque fastigium euectus, extrema in senecta fortunę fit ludibrium, & humanarum rerum inconstantiam experitur. Conspectus est hoc ipso tempore, nimirum mense Sextili, cometa: de quo, quum memorabiles quidam casus deinceps acciderint, paulò pòst aliquid dicturi sumus. Erant & comitia, quum Carolus Augustus per legatos imperiũ resignasset, ab eius successore Ferdinando ad urbem Augustam Vindelicorum indicta, in quibus uarijs de rebus ad salutẽ Imperij pertinentibus ageretur. Ad ea sub initium anni 1559. militiæ Magister ex equestri collegio sapientem, disertumque uirum Georgium Siburgum mittit, præfectum arcis Duneburgensis: qui ordinibus imperij miserabilem Liuoniæ statum exponeret, auxiliaque contra Moscos peteret: Hanc ille causam quamuis summo egerit studio, parum tamen effecit. Itidem actum deinceps anno sequenti Spiræ inter ordinum Imperij legatos, quo pacto Liuoniæ succurreretur. Ac Ferdinandus quidem quum Imperij nomine nummûm aureorum CCCIↃↃↃ pro eius temporis ratione, quo passim perturbata essent omnia, Liuonijs obtulisset: memoriæ proditum est, potius eos nihil, quàm tantillum accipere uoluisse. Eodem anno 59. Tartari more suo Moscorum in fines excurrerunt, eosque populabundi grauiter uexarunt. Itaque suos Moscus ex Liuonia reuocat, tantùm oppidis & arcibus, quibus potitus fuerat, milite præsidiario munitis. Anno sequente, domitis & eiectis extra fines suos Tartaris, in Liuoniam reuertitur, & oppidum Velinum magnis cum copijs obsidione cingit. Erat illud arce præclara munitum, in qua hoc tempore satis magno cum præsidio Guilelmus Furstenbergius militiæ Magister, magni uir animi, erat. Parabat is sese ad defensionem, ac suos ad uirtutem cohortabatur. Verum siue socordia, siue singulari perfidia militum deditio facta est, & ipse desertus in hostium potestatem uenit. Magna deinde pars floris Liuoniorum cæsa, capta, Moscouiam abducta, per summam immanitatem barbarè tractata. Solent omninò magnas rerum mutationes quum alia signa portendere, tum cometarum tristes adspectus. Diximus autem in ipso harum calamitatum principio conspectum fuisse cometam, qui cauda uersus occasum initio porrecta, deinde se totum ad septentriones inflexit. Sequuta profectò euenta quædam insignia, uersus occasum, mors Caroli quinti Augusti, quo bello ac pace clariorem Principem multa sæcula non uiderunt. Mortua mox & eiusdem soror Maria, bellicosa fœmina, & Angliæ regina Maria, Philippi Caroli F. coniux, cuius mortem magna per Angliam sequuta est mutatio. Adde his Henricum Galliarum regem, planè Mauortium, in ludis equestribus læsum, ac non multò pòst mortuum, sequutosque regni terribiles admodum motus. Versus septentriones non magnis interuallis mortui sunt Christianus Danorum, Noruagiorumque rex, Christiernus eorundem aliquando regnorum dominus, sed ob crudelitatem expulsus, & in custodia multis annis habitus, Gustabus denique Suedorum rex, qui ex equestri ordine ad eam dignitatem peruenerat. His successẽre filij, Fridericus Christiano, Gustabo Ericus. In ipsis regni auspicijs Fridericus cum duobus patruis, Ioanne ac Adolpho, Ducibus Holsatorum, Ditmarsos aggregitur. Ea natio 400. amplius annis Holsatorum Principibus, quorum aliquando paruerat imperio, fœliciter aduersata fuerat, suamque libertatem tutata. Verùm hoc tempore citius est debellata, quàm quisquam hominum, qui & ferocitatem gentis, & naturales locorum munitiones cognitas haberet, existimasset. Itidem capto Guilelmo Furstenbergio Liuoniæ status in uniuersum mutatus est. Nam surrogatus in captiui principis locum Gothardus Ketelerus, equestri apud Bestualos genere natus, quum ab Imperio Romano frustrà exspectari auxilia cerneret: uicino Poloniæ regi fidelitatis sacramentum ea lege præstat, ut uicissim rex eum contra Moscum & hostes alios defenderet. Itaque Curlandiæ, Semigalliæque Dux creatus, regiones easdem seu cliens in perpetuum pro se, suisque hæredibus masculis accipit: in cæteris, quæ equestris antea collegij fuerant, nunc à Polono rege occupabantur, præsertim in urbe Rigensi Regius uicarius constituitur. Neque multò pòst Annam Principem Megalburgiam, ex antiqua regum Obotritorum familia natam, Ioannis Alberti Megalburgij, Borussij Ducis generi, & Christophori Rigensis Archiepiscopi sororem matrimonio sibi iungit. Episcopatum Habselensem Magnus Holsatiæ Dux, Christiani Regis Danorum filius, & Friderici frater, accipit. Dorpatum cum omni agro finitimo, itemque Narua, Velinum, Vitesteinum munita loca in Mosci potestate manent. Reualia se Suedorum regi Erico dedit, qui deinceps Pernouiam quoque occupauit, sed non retinuit. Nam Polonus hanc ei per Gothardum rursus eripuit. Reualiæ ad Suedorum Regem transitio nouo

bello cauſam præbuit. Ericus enim coronationis ſuæ tempore Lubecenſium legatis non ſolùm promiſerat, ſed datis etiam literis teſtatus fuerat, ſe maiorum ſuorum, ac præſertim Guſtabi patris exemplo priſcas ipſis immunitates, quæ priuilegia uocāt, in regno ſuo ſaluas relicturum. Eæ ſpectabant potiſsimum ad negotiationes cum eius ſubditis & alijs nationibus, pręſertim Moſcis, citra impedimentum ullum exercendas. Verùm poſteaquàm auctus eſt imperio tam inſignis oppidi, cui nec elegantia, nec magnitudine par ullum in toto Suedorum regno reperitur: uiciſsim Reualienſibus tanquàm ſibi iam ſubiectis gratificari uolebat. Conabantur autem illi mercatoribus Germanis iter mari præcludere, ne peruenire Naruam poſſent, quæ iam Moſco parebat, & commercia priſca cum Ruſsis habere. Hoc conſilium eò ſpectabat, ut cum mercibus ſuis Reualiam petere cogerentur, easq; Reualienſibus uendere: qui deinde cum Moſcis contrahendo, lucrum aliorum labori, ſumptuiq; debitum interciperent. Itaq; Suedus rem ſuis gratam facturus claſſem inſtruit, itinera mari obſidet, Lubecenſibus Naruam profecturis contra fidem datam naues cum mercibus eripit. Famam inde ſpargit, eſſe repertam in eis magnam armorum uim, aliarumquè rerum ad bellum gerendum idonearum, quas Moſcis uendere præſenti cum totius Chriſtianæ reipublicæ diſcrimine uoluerint. Idem Ericus iam Fridericum quoque Danorum regem iniurijs quibuſdam irritarat. Quamobrem inter hos inito fœdere bellum Suedo denuntiatur. Sub eius initium Ericus Ioannem germanum fratrem, Finlandiæ ducē, quo cum nupta Poloniæ regis ſoror erat, noctu nihil tale opinantē in Aboenſi arce capit, & annis aliquot deinceps in uinculis habet. Ea de cauſa Polonus etiam Erico bellum indicit, qui nihilo magis territus inſolenter admodum multa deſignat, uno, eodemq; tempore Britanniæ reginam, quæ iampridem ipſius coniugium aſpernata fuerat, de nuptijs iterum ſollicitat, & Philippi Cattorum principis minimā natu filiam uxorem poſcit. Qua re patefacta, utraq; præter ſpem excidit, & Philippus filiam ſuam Adolpho Friderici regis, Suedorum hoſtis, patruo in matrimonium collocat. Tandē Ericus lictoris (ut aiunt) Stocholmienſis filiam, ex qua iam ſobolem conceperat, uxorem ducit: & eodem tempore de fratrum ac præcipuorum è nobilitate uirorum cæde conſilium capit. Eo animaduerſo à fratribus opprimitur, & carceri mancipatur. Ioannes (quē antea captiuum fuiſſe diximus) primùm ſe regni gubernatorem, deinde regem nuncupat. Eiuſdem belli inter Danos & Suedos initio, Ericus dux Brunſuigius cum 20. peditum ſignis, quæ adiunctas equitum copias habebāt, occupata Varendorpia, Monaſterienſi epiſcopo, cuius id oppidum erat, ccIↄↄ ccIↄↄ ccIↄↄ cIↄ cIↄ nummûm aureorûm extorquet, inde per mediam Saxoniam, Megalburgenſium & Pomeranorum agros, in Boruſsiam contendit. Vbi quum Boruſsię Dux Albertus, ipſius ſororius, ab amnis Viſtulę traiectu eum arceret, cum ſuis pedem refert. Hac expeditione ſibi nuntiata, Polonos Chriſtophorum Megalburgium, Archiepiſcopum Rigenſem, qui Guilelmo Brandeburgio ſucceſſerat, in uincula conijcit. Num aliquid inter hunc & Ericum Brunſuigium tractari ſubolfecerit incertum. Hoc modo multiplices rerum mutationes in ijs locis, non admodum magnis (ceu diximus) temporum interuallis ſemet ex alijs aliæ uelut exceperunt. Ad Moſcos redeamus, quorum bella præcipuè nunc exponimus, quanquā hactenus indicata non prorſus ab inſtituto noſtro ſunt aliena: quippe de nonnullis horum exorta ſunt quędam quaſi diſsidiorum ſemina, quibus arreptis Moſci ulterius progreſsi ſunt. Eorum principi moleſtiſsimum erat, Liuoniorum maiorem partem Polono ſe adiunxiſſe, qua cum gente nec ipſi, nec maioribus eius unquam conuenerat. Itaque Polonum bello perſequuturus, qui ſuos hoſtes declaratos in fidem, patrociniumq; ſuſcepiſſet, coactis ſuorum ducentis millibus, præter ingentem Tartarorum manum, Lithuanię fines ingreditur, ad oppidum Polozicoum rectà tendit, copias ſuas quinquies non ſolùm nullo cum fructu, ſed etiam magno detrimento irruere iubet, tandemq; ſexta uice capit. Ex captiuis præcipui uincti cathenis ferreis, & Moſcouiam abducti: cæterorum ad ccIↄↄ ccIↄↄ interfecti: urbs ipſa flammis iniectis cremata. Sub initium hęc anni 1563. acciderūt. Nec Polonus ſuis opem ferre poterat, propter deplorandas eius regni diſcordias. Et erant præterea tam ſuperbi Lithuanorū animi, ut à Polonis opem implorare nollent, qui uiciſsim rogari uelle uidebantur, ut ſuccurrerent. Magna per omnem uiciniam diſcurrentibus Tartaris atque Moſcis damna data. Quumq; tandem Nicolaus Radiuilus Olichæ Dux Lithuanorum ſatis magno exercitu inſtructus, hoſtem aggredi uellet: ceſsit ille, ſibiq; maturè conſuluit. Secundum hæc Polonus uiciſsim cogitare, quo pacto uires Moſci frangeret, & recens illatas ſuis iniurias uindicaret. Ad hanc rem percommoda ſe deniq; obtulit occaſio. Notum eſt, ac iam antè ſępius à nobis indicatum, perpetuis excurſionibus uel Tartaros à Moſcis, uel Moſcos à Tartaris uexari. Quum hi nonnihil fractis uiribus, paulatim futurum uiderent, ut Moſci iugum ſubire cogerentur, cui ſe iam unum & alterum nationis ſuæ regnū ſum-

miserat: Turcas arcessendos statuunt, quemadmodum & anno 1521. fecerant, quorum natio maximè Moscis est formidabilis. Turcarum Imperator haud inuitè pollicetur auxilia: solum hoc restabat, ut quo potissimùm itinere profecti Turcę Tartaris sese coniungerent, dispiceretur. Placet à Polono rege Turcis confœderato petendum, ut iter eis per fines suos concederet. Hoc abs rege Moscis infenso non difficulter impetratum. Igitur ex inferiore Pannonia per Moldauorū agros Turcis tributarios, latissimosq; Podoliç campos, qui ad imperium Poloni spectant, profecta Turcarum ↄↄↄ ccIↄↄ ccIↄↄ ccIↄↄ Tartaris opem aduersus Moscos ferūt, eisq; magna clade adfectis, munitiones quasdam occupant: quibus quum præsidia satis ualida imposuissent, eadem uia qua uenerant, Pannoniam repetunt. Verùm quia per Podoliam redeuntibus, magnę solitudines peragrandæ erant, ob commeatus inopiam maxima pars eorum cum equis perijsse dicitur. Facta sunt hæc anno 1569. Quo ipso tempore Moscus, ut adfinitatibus Christianorum principum res suas constabiliret, cum Holsatorum duce Magno, qui Habselensem & Oselensem ditionem tenebat, agere cœpit de contrahendo inter ipsum & sororem suā matrimonio, cui daturus in dotem esset, quicquid oppidorum, arcium, agri Liuoniorū in finibus occupasset. Conciliatæ sunt deinceps eò facilius inter hos illæ nuptiæ, quòd Magni pater Christianus Danorum rex cum Mosco fœdus habuerat, id quod à Friderico rege, Magnoq; Duce fratribus renouatum erat. Idem Magnus aliquanto pòst Reualiam quoq; solerter occupauit, & eiectis Suedis eam sui iuris fecit. Hoc anno 1570. accidit, quum proximè præcedenti Petrus Maccus & Matthæus Tidemanus cognatus meus, Danorum, Lubecensiumq; classis imperatores, singulari fœlicitate portum Reualiensem prima aurora per nebulam inuasissent, ex hostium classe maiorem nauium partem ingenti cum pecunia, suppellectile bellica, merciumque copia secum auexissent, reliquas numero ad 30. exussissent: quo facto, non parum hostis imminutæ sunt uires, qui astuto consilio pacem expetere se simulabat, ut sub induciarum prætextu arcessitis è Liuonia copijs, nostros imparatos obrueret. Diximus insigni damno Moscum à Turcis adfectum fuisse. Quapropter ablegatis ad Polonum suis hominibus, cum eo grauiter expostulat, qui Turcis Christiani nominis hostibus ad se inuadendum per Podoliam eundi potestatem fecisset. Polonus contrà queri quum de alijs priscis, tum recenti potissimū damno, quod ex uastatione Polozicoi & totius agri finitimi accepisset. Multis actis ultrò, citroq;, tandem ad pacem ineundam anno 1570. conuenitur. Postulata Mosci hæc erant. Primùm ne Turcas Polonus deinceps iter facere per ipsius imperium contra se pateretur. Deinde damnum datum resarciret. Tertiò, filium suum ad se reciperet, arbitratu suo, moreq; gentis educaret, ac successorem in Poloniæ regno, Lithuaniæq; magno ducatu designaret. His se conditionibus pacem facturum ostendebat, quæ nisi reciperentur, dira quędam minari uidebatur. Ad ea Polonus primùm respondebat, uelle se uicissim toties illata sibi damna præstari. Quod autem filium Mosci attineat, eum se propterea sibi successorem non designaturum, quòd in hac ætate, quæ satis adhuc uegeta sit, uxorem aliam ducere sobolis gignendę causa cogitet. Minus Mosci usq; adeò se non terreri, ut si quidem bellum quàm pacem malle Moscum animaduertat, maiores etiam Turcarum copias, quàm nuper, in eius fines sit immissurus. Hoc modo quum pax certa constitui non posset, saltem ad indutias uentum accepimus. Hæc nos de bellis Moscorum, & finitimarum quarundam gentium, exponenda breui commentario propterea duximus: quòd pleraq; recentiora præsertim, longius dissitis nationibus ignota, liberali præditis ingenio, rerumq; gestarum apud exteros studiosis haud iniucunda lectu, & aliqua ex parte fructuosa quoq; futura consideremus. Sunt enim in his exempla nonnulla, quæ uiros prudentes de maximis rebus commonefacere possunt. Nostram quidem operam atq; studium lectores æqui, boniq; facere cupimus, & omnino facturos speramus.

FINIS TERTII TOMI
Polonicarum rerum.

BASILEAE,
PER SEBASTIANVM HENRICPETRI,
ANNO NOSTRAE SALVTIS RECV-
PERATAE CIↃ. IↃ. XXCII.
MENSE SEPTEMBRI.

TREDECIM REGNI POLONICI MVTATIONES, ET FAMILIARVM QVAE REGNVM TENVERVNT, GEnealogicæ explicationes: deſcriptæ ex optimis autoribus, & continua, perpetuaq́ ſucceſsione propoſitæ in Tabula.

ITEM,

PRINCIPVM SILESIÆ PENE' OMNIVM, ET DVCVM MASSOVIAE, AC LITHVANIAE GEnealogiæ, diligenter, magnoq́; ſtudio collectæ, & ad illuſtrandam Hiſtoriam Polonicam appoſitæ.

A'

IOAN. PISTORIO NIDANO MEDICO D.

PRIMA FAMILIA PRINCIPVM POLONIÆ, QVI PRIMVM OMNIVM PROVINCIAM ILlam cum imperio tenuisse creduntur.

LECHVS *frater Czechi, regis Bohemiæ, ex Dalmatia profectus, amplissimas Germaniæ & Sarmatiæ ditiones occupat & regnum sibi atq; posteris constituit: quod alij circa 550. annum post natum Christum accidisse: alij multò serius factum esse putant. Aquilam habuit pro insigni, quòd in ædificanda Gnesna urbe magnam aquilarum copiam reperisset. Eius uxor ignoratur.*

Filij patrem secuti, etsi qui fuerint, literis mandatum non est, tamen & ipsi obtinuerunt imperium & reliquerunt posteris, donec uniuersa stirps tandem post annos, ut putant, 150 intercidit.

SECVNDA RATIO ADMINISTRANDÆ POLONIÆ.

Cum de Lechi familia nullus legitimus superesset hæres, Poloni in Palatinos regni gubernationem transtulerunt, quales sibi ex uniuerso primariorum hominum cœtu delegerunt duodecim, præstantes autoritate & potentia uiros: quorum etiam imperio diu paruerunt, quousq; illi facti crudeliores, populum ad instituendam noui regni formam, & ad abrogandam Palatinorum potestatem post multos annos insuetæ magnæ licentiæ exemplis impellerent.

TERTIA PRINCIPVM POLONIÆ FAMILIA.

Sic igitur remotis Palatinis, noua apud Polonos constituitur Monarchia: totiusq; rei summa Craco de omnium consensu mandatur, circa Christi septingentesimum annum. Is Cracus pertractus ad regni Polonici gubernationem, Cracouiam extruit & illam à se denominari uoluit. Bella gessit cum uicinis gentibus & ætate confectus è uita discessit, sepultus in monte Lassotino. Nomen uxoris ignoratur.

- CRACVS *maior natu filius superioris Craci, à fratre Lecho per fraudem interficitur.*
- LECHVS *minor natu filius, occiso fratre, regnum occupat: quod tamen statim cæde patefacta, amittit, eiectus in exilium, in quo moritur.*
- VANDA *uel* VENDA *filia propter subditorum erga mortuũ Cracum beneuolentiam succedit fratri Lecho, pulcherrima uirgo. Verùm cum Rutigarus Teutonicus princeps (qui eam frustrà uxorem cupiebat) infatuatus ab amore, mortẽ sibi consciuisset, ipsa è bello domum profecta, post multas mactatas hostias se in Vistulam proijcit: ubi extincta est.*

QVARTA MVTATIO REGNI POLONICI.

Cum VENDA *Craci filia in flumine perijsset, neq; quisquam esset, ad quem iure Polonicum regnum pertineret: placuit Polonis ut relicta nuper & penè iam antiquata regni per Palatinos administrandi ratio in usum reuocaretur. Sic igitur ad duodecim Palatinos redijt imperium: quod tamen non multò post ad unum iterum Przemislaum peruenit.*

QVINTA PRINCIPVM POLONIÆ FAMILIA.

Plebeius homo, Przemislaus cùm rem contra hostes præclarè gessisset, renunciatus omnium acclamatione princeps fuit circa annum 760 & nouum cognomentũ reperit, ut propter Lechi primi principis memoriã diminutiuè Leschus diceretur. Mortuus tandẽ nullos reliquit liberos.

SEXTA DVCVM POLONIÆ FAMILIA.

Lescus unus ex Poloniæ proceribus, cùm proposita cõditio fuisset, ut qui equo uectus, ad constitutã metam primus peruenisset, principatum obtineret, fraudulento usus consilio, cõpetitores omnes anteuertit. Itaq; Rex declaratus sed statim, cum de dolo constaret, misere trucidatus, imo periuit in primo aditu turpiter amisit: ut propterea pro Regi poni non debeat. Sed cum alius in cursu proximè insecutus, in tenuĩ familia natus adolescens, regnum de omnium uoluntate consequitur, & mutato nomine Lescus dicitur.

Is igitur Lescus, secundus huius nominis factus Poloniæ princeps, magna moderatione gessit imperium. De imperij uerò & de uita ipsius diuturnitate literis nihil traditum est. Eius uxor ignoratur.

FILIVS *Lescij secundi, Lescus tertius, succedit patri in regno Polonico, moritur post rem aliquandiu laudabiliter administratam relictis, ut Poloni scribunt, plurimis liberis. Nam ex concubinis (quarum multas habuit) XX filios spurios genuit.*

- X. *Semianus*, IX. *Laxa* — *Sorabiæ reguli.*
- III. *Vladislaus*, II. *Cazimirus* — *Principes Cassubiæ.*
- XIII. *Bogdalus*, VI. *Barnimus*, I. *Boleslaus* — *Ex hæreditate paterna domini Pomeraniæ.*
- IIII. *Vratislaus dominus Rugiæ.*
- VII. *Pribislaus*, XIX. *Ciesimirus* — *Domini Lusatiæ.*
- V. *Ota.*
- VIII. *Premislus*, XI. *Ziemmouitus*, XII. *Ziemomislus* — *Marchiæ Brãdeburg. principes.*
- XIIII. *Spicignius.*
- XV. *Spicimirus.*
- XVI. *Sbigneus.*
- XVII. *Sobeslaus.*
- XVIII. *Visimirus.*
- XX. *Vislaus.*

Verùm ex uxore legitima (cuius nomen latet) habuit Popielum, cognomento Osserich, qui post patrem in Polonia princeps fuit. Alij Pompilium nominant & sedem primùm Cracouia Gueznam transtulisse confirmant & florentem ætate mortuũ esse testantur. Eius uxor ignoratur.

POPIELVS uel POMPILIVS *secundus,* PRIMI *filius, cum puer adhuc esset, mortuo patre, princeps inauguratus & postea grandior factus, crudeliter imperat, patruis omnibus ueneno sublatis. Sed is, diuina ultione, statim miserè perijt à muribus, quos ex putrescentibus patruorum cadaueribus enatos esse scribunt, cum uxore & liberis corrosus & interfectus. Eius uxor Teutonici principis filia fuit: ex qua habuit duos filios, qui fuerunt Lecho & Popielus III. Hi duo cũ parentibus depasti & absumpti à muribus, finem & uitæ fecerunt & familiæ suæ.*

SEPTIMA FAMILIA PRINCIPVM ET REGVM POLONIÆ.

Post Popielum, cum inter proceres de Rege nouo substituendo diu conuenire non posset, tandem PIASTVS, *oppidanus Crusuiciæ, rusticus & simplex homo, sed hospitalitatis & beneficentiæ laude celebris, omniũ consentiente sententia per diuinũ miraculũ princeps gentis suæ Polonicæ renunciatur. Cuius posteri per 560. annos imperiũ in Polonia tenuerunt, ut ex sequenti tabula animaduerti potest. Piastus, Cosciscoms filius, ex rustico Rex factus, cum diutissimè Poloniam magna cum laude gubernasset, moritur senex annorũ 120, circa Christi annum 861. Eius uxor Repicha, ex qua Semouitus.*

SEMOVITVS *uel* ZIEMOVITVS *filius unicus Piasti, cum sub patre in militia rectè institutus, pulcherrima exempla singularis uirtutis edidisset, in locum mortui patris substituitur. Bellum cũ Morauis Prussis & Pomeranis gerit, & inter uiuos esse desinit anno 892. Eius uxor ignoratur: ex qua Lescus IIII.*

LESCVS IIII. *cum patri successisset, nihil memorabile gessit & obijsse creditur circa annum 913: etsi id inter autores controuersum est. Eius uxor ignoratur, ex qua Zemomislus: cuius Genealogia sequitur.*

- *Zemomisli liberi*
  - *Micislaus: cuius uxor*
    - *Prima Dambrouuka, filia Ducis Bohemiæ ex matre Brena: mortua anno 977. Eius filius Boleslaus cuius uxor*
      - *Prima, filia Ridaci Marchionis, soror Caroli, repudiata ante nuptias.*
      - *Secunda, ex qua Micislaus, cuius filius Casimirus, cuius liberi*
        - *Boleslaus.* A.
        - *Vladislaus.* B.
        - *Mietko uel Mieslaus, octennio post patrem obijt.*
        - *Otho: in pueritia ante patrem mortuus.*
        - *Sueutochna uel Suatochna, uxor Vratislai ducis Bohemiæ, nominata à Polonis Suathauaix.*
      - *Tertia Conilda filia domini Dobremiri ex qua*
        - *N. filia Abbatissa.*
        - *N. filia uxor Hermanni Comitis Thuringiæ, Marchionis Misniæ, qui filius Echardi primi & frater secundi fuit.*
        - *N. Filia, uxor filij Vlodomiri, regis Rusiæ.*
        - *Dobremirus.*
        - *Miseco si Dithmaro credendum est.*
      - *Quarta, Oda filia Echardi Marchionis Thuringiæ & Misniæ.*
    - *Secunda oda monialis rapta ex cœnobio, filia Theodorici Marchionis, sic enim Dithmarus nominat. Ex ea*
      - *Miesco.*
      - *Suentopolcus*
      - *Boleslaus.*
      - (*Cum matre eiecti ex regno à Boleslao fratre.*)
  - *Adelheida, secunda uxor Geisæ regis Vngariæ.*

ZEMOMISLVS *& ipse patris exemplum secutus, pacem anteponit bello & inglorius moritur: sepultus Gueznæ, anno (de multorum sententia) 964. Eius uxor ignoratur, ex qua Micislaus & Adelheida.*

MICISLAVS *unicus filius, cæcus natus, dictus postea blandius Mieslo uel Mieciel, nostris scriptoribus Mesico, recipit uisum septimo ætatis anno præter omnem spem: postea rex factus & per omnes delicias uoluntatis (septem enim concubinas habuit antequam uxorem duceret, omnes steriles) tandem ducta uxore Christiana Dambrouuka, filia Boleslai ducis Bohemiæ ex matre Brena, fidem Christianam suscepit in uirtutis uiam ingressus, baptizatur anno 965, quo anno etiam uxorem ducit & Ecclesias per prouinciam instituit. Vxor secunda Oda fuit. Frustrà à Pontifice petit coronam & moritur anno 999.*

BOLESLAVS, *cognomento* CHROBRI *uel* ACER, *Micislai filius, natus anno 967, princeps factus in locum patris anno 999: Primus Poloniæ Rex renunciatus ab Othone III Imp & coronatus anno 1001. Egregius & ferox miles, cum solus regnasset, eiectis fratribus, annos XXVI, obijt anno 1025, tertio Aprilis: Sepultus Posnaniæ. Eius quatuor fuerunt uxores, ut in typo habes. Ex secunda (quæ fuit*

Indicha,

Iudita, filia Geisæ, ducis Vngariæ, soror Stephani regis) habuit Micislaum filium.

MICISLAVS natus ex Iuditha Vngara anno 990. Rex secundus Poloniæ, coronatus Gneznæ cum uxore Rixa (filia Ezonis, qui Hermanni Palatini filius erat, nepos Othonis III. ex sorore Mathilda, anno 1025. Dominica Pentecostes, cum pauca gloriosè fecisset. Moritur anno 1034. Posnaniæ XV. Martij, natus annos 44. Rixa eius uxor mortua est post maritum in exilio Salfeldiæ in Germania. Eorum liberi fuerunt Kazimirus & N filia, uxor Belæ regis Vngariæ, qui Ladislai Calui filius fuit.

KAZIMIRVS post patris mortem à Polonis cum matre eiectus regno. cum in sacram uitam se Cluniaci dicasset, reuocatus à Polonis, indulgentia Pontificis fit rex tertius, imposita corona anno 1041. Vincit Maslaum, factum in interregno, Massouiæ principem: & è uita discedit rex optimus anno 1058. 28 Nouemb. Posnaniæ. Eius uxor Maria, soror Iaroslai ducis Russiæ, filia Vulodomer, ex matre Anna sorore Basilij & Constantini Imperatorum. Poloni eam mutato nomine Dobrognoewain dixerunt. Eorum liberi quinque fuerunt, ut in typo est.

A. BOLESLAVS quartus Poloniæ rex, cognominatus audax & efferatus: coronatus Gneznæ anno 1058: uincit Russos, Bohemos & Vngaros: tandem tyrannus Stanislaum episcopum trucidat. Inde excommunicatus anno 1079. fugit in Vngariam anno 1080: & moritur anno 1081. uel dilaceratus à canibus in syluis, uel cum ipse sibi manum intulisset, XII. Cal. Aprilis. Eius uxor Visseslaua Russorum principis filia, quæ mortua est anno 1089. in Martio. Horum filius unicus Micislaus, XII. annorum puer, cum patre in exilium profectus, reuocatur in Poloniam à patruo duce & moritur sine liberis anno 1089.

B. VVLADISLAVS, dictus etiam Hermannus, successor eiecti fratris, sed sine corona, princeps tantum Poloniæ: laudabilis miles, uictor Pomeranorum, & Pruthenorum: bellum cum Sbigneo Spurio filio gerit: Russos uincit, & postremò profectus morbo emigrat è uita anno 1102. pridie Non. Iunij: cum regnasset annos XX. uixisset ferè 59. Eius genealogia est in sequente typo.

Vladislai liberi fuerunt ex
- Concubina SBIGNEVS, ex monacho impius miles, post patrem dux Masouiæ, Cuiauiæ & Loncenciensis. Rebellis primum parte ditionis exuitur: deinde mulctatur exilio: tandem occiditur.
- Vxore
  - Prima (quæ fuit Iuditha filia Vuladislai ducis Bohemiæ ex Adelheida filia Andreæ regis Vngariæ) BOLESLAVS: cuius liberi ex uxore
    - Prima Suislaua filia Suatopolci ducis Kiouiensis quem alij Stopolcum Michaelem nominant.
      - Suentoslaus.
      - Iuditha, uxor Stephani filij Colomanni, regis Vngariæ. Alij putant Colomanno nupsisse Stephani fratri, superioris Colomanni filio. Sed Vngariæ historiæ dissentiunt.
      - Vuladislaus
        - Boleslaus altus.
        - Miecislaus.
        - Conradus loripes.
        - Hi tres fratres intercessione Friderici primi Imp. Silesiam obtinuerunt & omniũ Silesiæ principum (paucis exceptis) familiam propagnarunt. Vide igitur tabulam Silesiæ principum, ubi horum posteros inuenies.
    - Secũda Adelheida filia Henrici IIII. soror V. Imp.
      - Cazimirus natus 1122. Moritur 1132.
      - Boleslaus Crispus
        - Leslus.
        - Boleslaus.
      - Micislaus. A.
      - Henricus dux Sendomiriensis & Liblinẽsis abit in Syriam: reuersus occiditur in Bello Prutenico Anno 1165. uel 1167. sine uxore & liberis.
      - Kazimirus. B.
  - Secunda (quæ fuit Sophia filia Henrici III. soror IIII. Henrici Imp. uidua Salomonis Vngariæ Regis. Nuptiæ anno 1088.) Tres filiæ, quarum nomina ignorantur.

BOLESLAVS, cognomento Crziuousti, hoc est, distortus, diuisa cũ fratre Sbigneo prouincia, dux Cracouiensis, Sendomiriẽsis, Siradiẽsis & Silesiæ. Vastat Morauiam: domat fratrem: Pomeranos & Prutenos cũ magna internecione subigit: bellũ etiam cum Henrico Imp. habet, sed pacem petit & moritur anno 1139. cum regnasset annos 36. uixisset 53. Sepultus in ecclesia Plocensi. Eius duæ uxores: Sbislaua & Adelheida: ex illa Suentoslaus, Iuditha, Vuladislaus. Vuladislaus primarius princeps post patrem in partitione prouinciæ factus, retinet Cracouiæ, Silesiæ, & Pomeraniæ principatum. Sed cum fratrum etiam ditiones appeteret, exclusus è regno, conijcitur in exilium. Eum Conradus Cæsar cum restituere uellet, non potuit: Fridericus Cæsar perfecit ut in Silesiam reciperetur: sed occupaturus promissam Silesiam, obijt in itinere Anno 1159. Sepultus Aldenburgi in Holsatia. Eius uxor fuit Christina filia Henrici V. Imp. Alij Gertrudam uocant Leopoldi Marchionis Austriæ filiam, cum quibus ego consentio. Ex ea habuit tres filios, Boleslaum altum, Miecislaum & Conradum Loripedem: de quibus in typo.

Ex altera uxore Adelheida, Boleslaus habuit Cazimirum, Boleslaum Crispum, Micislaum, Henricum & Cazimirum.

Boleslaus Crispus ex diuisione dux Masouiæ, Culmæ, &c. nascitur anno 1127: fratre Vladislao eiecto, primarius Poloniæ princeps anno 1146. Prutenos uincit: Moritur anno 1173 Pridie Cal. Octobris. Sepultus Cracouiæ. Vxor prima Anastasia filia Vuseuolodomiri ducis Russiæ Haliciensis, soror Eudoxiæ. Secunda, Helena filia Roscislai ducis Przemisliensis: ex ea duo filij, Boleslaus qui anteuertit patrem morte: & Leslus à patre Mazouiæ & Cuiauiæ dux institutus. Moritur sine uxore & liberis relicto hærede Cazimiro patruo.

NN 3 Micislaus

Micislaus natus anno 1130. cognominatus senex, dux primùm Gneznensis, Posnaniẽsis, &c. deinde fratre mortuo Poloniæ supremus princeps: cum crudeliter imperaret, deijcitur de principatu, anno 1177: quem quartò recuperat, semper iterum reiectus. Tandem magna ætate moritur anno 1202. Eius tres uxores fuerunt: Prima Eudoxia filia Vuscuolodomiri ducis Russiæ Haliciensis: quæ obijt anno 1177. sine liberis. Secunda Gertruda filia Belæ Coeci regis Hungariæ, soror Geisæ. Tertia Adeilheida neptis Friderici I. Imp. ex sorore uel consobrina, sore tassis Ducissa Brabantiæ, Gothfridi tertij filia. Ex his liberi in sequente Tabula uidentur. Vide literam A.

- **A. Micislao fuerunt ex**
  - *Adelheida tertia uxore*
    - *Filiæ quinq;: quarũ nomina ignota sunt.*
      - N. uxor Othonis ducis Haliciensis.
      - N. uxor Boguslai ducis oræ maritimæ.
      - N. uxor Boguslai qui prioris Boguslai filius fuit.
      - N. uxor Friderici ducis Lotharingiæ.
      - N. uxor ducis Saxoniæ.
    - *Filij tres*
      - Boleslaus occisus in bello Anno 1195.
      - Micislaus.
      - Vuladislaus Magnus, dictus Laskonogy, electus dux Cracouiensis contra Lescum Album patruelem anno 1203: sed sponte cedit anno 1206. eidem patrueli, retento ducatu Gneznensi: sed à fratris filio eiectus ex Polonia, fugit in Silesiam & tandem in exilio obijt ex mœrore Anno 1231. Vxor eius ignoratur, mortuus est sine liberis.
  - *Gertruda secunda uxore*
    - *Filij duo*
      - Stephanus.
      - Otho: qui arma cum Cazimiro patruo cõtra patrẽ coniunxerat: sed postea sentiens cum patre uixit aliquandiu, patrem morientẽ paulò pôst insecutus. Eius filius Vladislaus dictus Plwacx.
        - Premislaus
          - Premislaus: eius filia Rixa: cuius maritus VVENCESLAVS BOHEMIAE REX: autor octauæ familiæ Polonorum.
          - Constantia: uxor Conradi March. Brandeburgici.
          - Euphemia, uxor Vladislai Opoliẽsis ducis in Silesia.
          - Euphrosyna aliàs Agathia — Moniales.
          - Veronica. — Moniales.
        - Salomea uxor Conradi ducis Silesiæ, qui Henrici Pij filius erat. Hanc aliqui non sororem, sed filiam Premislai facere uidentur.
        - Boleslaus
          - Anna, religiosam uitam secuta.
          - Elizabetha uxor Henrici Ventricosi ducis Lignicensis in Silesia.
          - Hedwiga, uxor Vuladislai Loctici, postea regis Poloniæ.
    - *Filiæ tres: quarum etiam nomina ignorantur*
      - N. uxor Sobeslai ducis Bohemiæ.
      - N. uxor Boleslai ducis Pomeraniæ.
      - N. uxor Vuladislai ducis Rugiæ.

VVLADISLAVS *dictus Plwacx. id est, Sputator, dux totius maioris Poloniæ primùm, & eiecto, mortuoq; patre, Gneznensis princeps anno 1231. Exutus tota ditione ab Henrico Barbato Silesiæ duce, cum solam Gneznam reliquam haberet. Moritur in Pomerania, in exilio apud socerum anno 1239. Corpus Posnaniam delatum terræ mandatur. Eius uxor fuit Helinga soror Swatopollonis ducis Pomeraniæ: ex qua habuit Premislaum, Salomeam & Boleslaum.*

PREMISLAVS *uel Premislus, recuperata paterna ditione anno 1242. partitus anno 1250. principatum cum fratre retinet Posnaniensem & Gnexnensem prouinciam: moritur anno 1257. cum XXXVI. annorum esset: & nunquam ebrius aut iratus fuisset. Eius uxor fuit Elisabetha filia Henrici Pij Vratislauiensis principis, soror Boleslai Calui. Ex hac habuit Premislaum & sorores eius, de quibus in tabula.*

Premislaus uel Premislus, Posthumus Premislai filius, primum ex patre Posnaniensis & Gneznensis, deinde mortuo patruo, dux totius maioris Poloniæ anno 1279. dux Cracouiensis & Sendomiriensis ex testamento Henrici Probi Vratislauiensis anno 1290. Sed Sendomiriensem retinet Locticus armis: de Cracouiensi sponte cedit Vuenceslao Bohemo, Dux Pomeraniæ ex Mescuigi testamento anno 1294. Tandem Rex iterum Poloniæ, cum 215. annis Rex Poloniæ nullus fuisset. Coronatus anno 1295. XXVI. Iunij, cum titulo, Regni Poloniæ & ducatus Pomeraniæ. Sed altero statim anno occiditur: anno 1296. VI. Idus Februar. cum regnasset menses VII. dies XI. Vixisset annos XXXVIII. menses III. Dies XXIIII. Successit Locticus in regno, sed eijcitur annuo 1300. Eius duæ uxores nominantur. Prima Luberda uel Ludgarda. neptis Barwini, ducis Stetinensis, filia Henrici Megalopolitani principis cũ marito nupsisset anno 1273. iugulatur à pedissequis suis iussu mariti anno 1283. Secũda Richsa filia Regis Suetiæ, ducta anno 1285: ex qua filiã unicã habuit Rixam uel Elisabethã, quæ patre moriente annorũ octo, uel ut alij decẽ, regnũ Poloniæ ad maritũ Vuenceslaũ regẽ Bohemiæ trãsfert: post quẽ nupsit Rudolpho Austrio, Alberti Cæsaris filio: de quo in octaua mox familia dicetur.

Boleslaus cognomine Pius, diuisa cum fratre prouincia dux Kalisiensis anno 1250. Nam paternam ditionem ambo fratres receperant anno 1242. Egregius miles, decessit anno 1279. Eius uxor Iolanda uel Helena filia Belæ regis Vngariæ, soror Cunigundæ uxoris Boleslai Pudici. Nuptiæ celebratæ anno 1256. Habuit tres filias, de quibus iam dictum in Tabula.

B. Kazimirus natus anno 1139. cum à patre hæres scriptus non esset, in locum Henrici fratris succedit anno 1165. dux Sandomiriæ & Liblinij. Deinde eiecto Micislao fratre supremus princeps Poloniæ & dux Cracouiẽsis anno 1177. Dux aliquot ditionum Rusiæ anno 1179. Dux etiam Massoniæ & Cuiauiæ post fratris filium Leskum. Moritur repentino anno 1194. Eius uxor Helena Vuseuolodi Belsensium ducis filia: ex qua liberi

- *Boleslaus, puer mortuus ex uiperæ morsu.*
- *Conradus dux Mazouiæ, autor omnium Massouiæ principum qui post eum uixerunt. Vide tabulam Massouiæ principum.*
- *Adelheida monialis obijt anno 1211.*
- *Lesko albus: quod nomen à capillis impositum habebat, puer penè in locum patris Cracouiensem (hoc est, supremum Poloniæ) principatum consecutus anno 1194: cedit patruo de matris consilio anno 1200 & statim recuperat omnia, eiecto Micislao: cui secundo cedit, ut etiam filio eius Vladislao Lascanogo: sed tandem acceptum iterum anno 1206. principatũ retinet usq; annum 1227. in quo à Swentopolco Pomeraniæ regulo proditoriè interfectus, uitã & principatũ amisit. Eius uxor fuit Grzymislaua filia Iaroslai ducis Rusiæ. Nuptiæ fuerũt anno 1220. Ipsa obijt anno 1258. Ex ea nati.*
  - *Boleslaus Pudicus: captus cum matre à patruo Conrado Massouio, elabitur anno 1234. & recipit paternum Poloniæ principatum. Deinde à Tartaris eiectus anno 1240. fugit in Vngariam & inde in Morauiam: redit anno 1243. Moritur sine liberis, seruata in coniugio uirginitate anno 1279. VII. Decembris Sepultus Cracouiæ ad D. Francisci. Vxor eius Kunigũda Belæ regis Vngariæ filia, ducta anno 1239. mortua anno 1292.*
  - *Salomea uxor Colomanni Hũgari ducis Haliciensis in Rusia, qui filius erat Andreæ Hungariæ regis.*

Post Boleslai Pudici mortem de principatu Poloniæ uariè concertatum fuit: primum enim Leskus niger in Boleslai Pudici locum suffectus, filius erat Cazimiri, nepos Conradi, Massouiæ principum: quem quære inter Massouios. Illi mortuo anno 1289. successit in Cracouiensi principatu Boleslaus Plocensis Massouius Conradi frater, quem Henricus Vratislauiensis IIII. eijcit & hunc iterum Vuladislaus Locticus Leskũ Nigri frater. Sed Vratislauiensis rerum iterum potitus moritur, & Premislum ducem maioris Poloniæ hæredem regni scribit. Is Vuenceslao Bohemo cedit: inde inter Locticum & Vuenceslaum Bohemum perpetuæ dimicationes: donec tandem iterum summa rei cum titulo regio mandaretur Premislo duci maioris Poloniæ quod accidit anno 1295. post sex annorum Interregnum.

OCTAVA REGVM POLONIÆ FAMILIA.

Vuenceslaus R. Bohemiæ, Rixæ, Premislai filiæ, maritus in secundo matrimonio, contra Vladislaum Locticum qui tres iam annos regnauerat, factus rex Poloniæ anno 1300. moritur 1305. IX. Cal. Iulij. Eius uxor prima fuit Iuditha filia Rudolphi Cæsaris, ex qua habuit Vuenceslaum iuniorem, qui cum patri in Bohemia successisset, Poloniæ etiam regnum armis repetiturus, in itinere occiditur 1306. Eius uxor Viola ducis Teschinensis filia.

NONA MVTATIO IMPERII POLONICI, HOC est, restitutio regni in Familiam septimam.

VLADISLAVS Locticus, filius Cazimiri, nepos Conradi ducis Massouiæ, frater Leskonis Nigri ducis, qui principatum Cracouiensem & dominatum totius Poloniæ obtinuit: ex ueteri Regum Poloniæ familia, cum à patre Brestensem prouinciam in Cuiauia haberet, & fratris Cazimiri obitu accessione Lenciciensis tractus locupletatus esset, primum fratre Lesko principe Poloniæ mortuo Siradiensem prouinciam occupat: inde contra Henricum Vratislauiensem cum superior armis esset, princeps Cracouiensis renunciatus, statim de possessione regni depellitur, retenta Sendomiriensi regione, & cum Vuenceslao Bohemiæ R. diuturnum bellum pro Cracouiensi principatu, quẽ Bohemus ex cessione Premisli postea regis Poloniæ habebat, frustra gerit: donec contra utrumq; rex electus Premislus, principatum Cracouiensem sibi subiungeret. Sed post mortem Premislai uel Premisli, anno 1296. Locticus noster declaratus Rex Poloniæ, uniuersam Poloniam (paucis arcibus exceptis) triennio possidet sine corona regia. Eiectus iterum anno 1300. & dispoliatus omnibus fortunis, locum dedit Vuenceslao Bohemo, facto in locum illius Regi Poloniæ & cum Romam & è Roma in Hungariam fugisset, adiutus ab Amedeo Palatino Hungariæ, armis Poloniam repetit, & cum interim mortem Vuenceslaus Bohemus obijsset, regnum totum recuperat anno 1306: subacta tandem etiam maiori Polonia, quam usq; ad annum 1310. Henricus Glogouiensis Silesius princeps contra Locticum tenebat. Pomeranos etiam sub suam potestatem adigit: & tandem non dissentiente Papa, coronatur cum uxore anno 1320: Marchiam Brandeburgicam uastat anno 1326. uincit Prutenos Crucigeros & Massouios, qui cum illis sentiebant: anno 1328. Moritur ad V. uel IIII. Idus Martij (dissentiunt enim scripturæ) anno 1333. Sepultus Cracouiæ.

Huius posteros, quanquam cum illo ad Massouicam lineam (quæ ex Polonica regia fluxit) pertinebant: tamen hũc asscribere uisum est: ut regni successio melius explicata esset: & conspici posset, quomodo decima regum Poloniæ familia ad regni successionem peruenisset.

Is igitur Vuladislaus Lochicus per tot uicissitudines fortunæ tādē rex Polonus coronat° obijt, ut dictū est, V I. Idus Martij an. 1333. Eius uxor Heduuiga Boleslai Kalisiēsis in maiori Polonia ducis filia ex regia stirpe. Horum liberi sunt

- *Casimirus cognomento magnus, natus anno 1310. pridie Cal. Maij, coronatus cū uxore prima anno 1333. in festo S. Marci X X V. Aprilis: initia Craconiensis scholæ iecit: Germanos in Poloniam euocauit: bellū Russijs, Silesijs, Vualachis, & Lithuanis dissimili exitu fecit. Moritur tandem sexagenarius anno 1370. V. Decembr. cùm regnasset annos 37. Eius uxores quatuor fuerunt:*
  - *Prima filia Gedimini ducis Lithuaniæ cui Annæ nomen in baptismo impositum fuit. Ducta anno 1325. cum spōsus esset X V I. annorum, moritur anno 1339. Eius filia fuit Elizabetha, uxor Boguslai ducis Pomeraniæ Stolpensis, mater Elisabethæ uxoris Caroli IIII. Cæsaris, mater etiam Cazimiri ducis Stetinensium, uel potius Stolpensium.*
  - *Secunda, Margareta filia Ioannis regis Bohemiæ, uidua ducis Bauariæ Henrici: moritur ante nuptias.*
  - *Tertia, Adelheida filia Henrici Landgrauij Hassiæ, quæ ducta anno 1341. & indignè tractata à marito adultero, domum in Hassiam reducitur à patre anno 1356. quo etiam anno obijt.*
  - *Quarta, Heduuiga Glogouiensis principis Silesij Hērici filia. Nuptiæ celebrantur anno 1357. Ex ea*
    - *Hedwiga uxor ducis Romeri.*
    - *Anna uxor Vuilhelmi comitis Ciliæ, mater Barbaræ uxoris Sigismundi Cæsaris: & mater etiam Annæ, quæ secunda Vuladislai Iagellonis regis Poloniæ coniunx fuit.*
- *N. Filia uxor Bernhardi ducis Suuidnicensis in Silesia.*
- *Elisabetha uxor tertia Caroli regis Vngariæ: unde decima familia regum Poloniæ.*

DECIMA FAMILIA REGVM POLONIÆ EX REGIbus Vngariæ per adoptionem Ludouici factam à Cazimiro Magno rege Poloniæ.

Carolus R. Hungariæ, filius Caroli Martelli, nepos Caroli Claudi regis Neapolitani, pronepos Caroli Andegauensis Neapolitani regis, coronatus Vngariæ rex anno 1310. Moritur anno 1342. X V I I. Cal. Augusti: Eius uxor, ut dictum est, fuit Elisabetha Vuladislai Lochici filia.

Caroli R. Vngariæ & Elisabethæ liberi fuerunt

- *Stephanus dux Slauoniæ & Dalmatiæ.*
- *Andreas natus anno 1327. maritus Ioannæ Neapolitanæ reginæ: strangulatur ab uxore anno 1345.*
- *Ladislaus natus anno 1324. Mortuus 1329.*
- *Carolus mortuus infans anno 1321.*
- *Ludouicus natus anno 1326. III. Non. Martij: adoptatus ab auunculo Cazimiro in regnum Poloniæ anno 1339. Succedit patri in Hungaria anno 1342. coronatus in Vngaria, die Solis post festum diuisionis Apostolorum: deinde Poloniæ etiam regnum consequitur, imposito diademate anno 1370. X V I I. Nouembr. Moritur anno 1382. X I. die Septemb. cū uixisset annos 56 regnasset in Vngaria annos 40. mensem unum, dies 22: in Polonia annos 11. menses 9. dies 25. Eius uxor*
  - *Prima Margareta, filia Caroli IIII. Imp. mortua anno 1349.*
  - *Secūda Elisabetha filia Stephani regis Bosnæ, ex matre Elisabetha Massouica Cazimiri Gniewkouiensis filia. Post mariti obitum demergitur & suffocatur à Ioanne Hernathio Bano Croaciæ. Ex ea*
    - *Catharina, moritur in pueritia, despōsa Ludowico Aureliano Caroli V. regis F. filio.*
    - *Maria uxor Sigismundi Imp.*
    - *Hedwiga primum promissa à patre Gulielmo Austriæ duci anno 1375. sed postea tradita Iagelloni duci Lithuaniæ, qui ex illa factus rex Poloniæ, undecimam familiam propagauit.*

VNDECIMA FAMILIA POLONIÆ REGVM ex Lithuaniæ ducibus.

Post mortem Ludowici nouæ iterum contentiones de Poloniæ regno extiterunt. Primùm rex Poloniæ renunciatus fuit Sigismundus Marchio Brandenburgicus, Caroli IIII. filius, postea Imp. Illo repudiato, Ziemouitus dux Massouiæ, Ziemouiti filius à quibusdam ad spem regni arcessitur, & in comitijs rex declaratur. Sed & hoc à cæteris reiecto, cum Hedwiga Guilielmum Austriæ ducem Leopoldi filium, desponsum iamdiu à patre maritum cuperet, & is Cracouiam uenisset expectatus à regina: tamen cùm omnium animi in Iagellonem Lithuanum propenderent, spreto etiam Vuilhelmo Austrio, regnum Iagelloni cum sponsa Hedwiga traditur.

IAGELLO dux Lithuaniæ filius Olgerdi, nepos Gedemini, ex uxore prima rex Poloniæ: baptizatus nominatur Vladislaus anno 1386. XIIII. Februar. Scholam Cracouiensem inchoatã à Cazimiro Magno, perfecit anno 1402. Ex multis bellis uictor & pro ista gente laudabilis rex, moritur admodũ senex, anno 1434. pridie Cal. Iunij cum regnasset in Polonia annos 48. Eius 4. fuerunt uxores

I. Hedwiga filia minima natu Ludouici regis, desponsa à patre Vuilhelmo Austria: sed elocata à Polones Iagelloni Lithuano, regnum in nouam familiam transfert. Coronata cum uirgo esset, anno 1382. nubit Iagelloni anno 1386. Moritur 1399. XII. die Iulij. Ei filia Elisabet Bonifacia nata & statim mortua, anno 1399.

II. Anna Vuilhelmi Ciliæ Comitis filia, neptis Cazimiri regis Poloniæ, ducta anno 1401. Coronata anno 1402. Moritur anno 1416. Eius filia Hedwiga sponsa fuit Friderici, filij Friderici Marchionis Brandeburgici. Moritur ante nuptias & iustam ætatem anno 1431.

III. Elisabetha ex Pilecensium familia, Othonis Palatini Sendomiriensis filia, uetula quarto iam nupta. Moritur an. 1419. tertio coniugij anno. Sine liberis.

IIII. Sconza, filia Andreæ Ioannis, Kiouiensis ducis, ex matre sorore Vitoldi: quæ de nouo baptisata Mariæ nomẽ accepit. Ducta anno 1422. Coronata anno 1424. Moritur 1461. Ex ea nati sunt

- Elisabetha uxor Henrici Stolpensium in Pomerania ducis.
- Vladislaus natus anno 1424. Pridie Cal. Nouembr. Succedit patri in regno Polonico, suscepta corona anno 1434. uocatus ad regnum Vngariæ anno 1439. Coronatur anno 1440. XVI. Cal. Augusti. Deinde cum inducias pactas cum Amurathe, consilio Papæ temere uiolasset, occiditur in pugna Varnensi anno 1444. X. Nouemb. nec reperiri unquam potuit. Erat autem tum nuper admodum ingressus uicesimum primũ ætatis annũ.
- Cazimirus natus anno 1426. die XXVI. Maij. Moritur an. 1427. II. Martij.
- Cazimirus alter uel Andreas Cazimirus, natus an. 1427. III. Cal. Decembr. electus Bohemiæ R. an. 1437. sed reiectus iterum, præficitur Lithuaniæ an. 1440. cum post fratrem ad regnum Poloniæ asciscerentur an. 1445. diu tergiuersatus, tandem cum Boleslaus Massouius contra illum rex an. 1446. declaratus esset, uenit in Poloniam an. 1447. & rex imposita corona pronunciatur XXVI. die Iunij. præclarus bellator. Moritur an. 1492. VII. Iunij, sepultus Cracouiæ, cum uixisset annos 64. regnasset 45. Eius uxor Elisabetha F. Alberti Austri, Regis Roman. Hũgariæ & Bohemiæ. Nuptiæ peractæ sunt an. 1454. VI. Decemb. Ipsa uiuere desijt an. 1505. III. Cal. Augusti. Liberi sequuntur *

* Liberi Cazimiri ex Elisabetha Austria.

1 Vladislaus natus anno 1456. Cal. Martij, post horam noctis tertiam. Electus rex Bohemiæ 25. Maij, & coronatus in Augusto anno 1471. Rex Vngariæ an. 1490. XI. Cal. Octob. Moritur an. 1516. XIII. Martij. natus 61. annos, eius

- Sponsa, nunquam ducta, uidua Mathiæ R. Vngariæ, Beatrix filia regis Neapolitani Ferdinandi.
- Vxor Anna filia domini de Candalla Vasconis in Gallia. Nuptiæ anno 1502. XXIX. Sept. Moritur 1506. XXVI. Iulij. Liberi.
  - Anna, cũ prius Elisabetha diceretur, nata anno 1503. die XXIII. Iulij. uxor Ferdinandi Imp. anno 1521. Moritur anno 1547.
  - Ludouicus natus anno 1506. Cal. Maij. Paulo ante meridiem. Coronatus in Vngariã, anno 1508. IIII. Iunij. Sed in Bohemiã anno 1509. XI. Martij. Moritur in pugna Mohaczians submersus in aquis anno 1526. IIII. Cal. Sept. Eius uxor Maria Philippi Austrij R. Hispaniæ filia, soror Caroli V. Imp.

2 Hedwiga nata an. 1457. XXVII. Sept. Vxor Georgij ducis Bauariæ.

3 Cazimirus natus an. 1458. III. Octob. Moritur ex phthisi an. 1483. sine uxore sanctissimus adolescens.

4 Ioannes Albertus natus anno 1460. XXVII. Decemb. electus R. Hungariæ, anno 1490. contra fratrem, sed exclusus redit in Poloniam, factus dux Glogouiæ, & Zegani in Silesia: adeptus regnum Poloniæ anno 1492. XXVII. Augusti, coronatus XXIII. Septemb. Moritur apoplexia sine uxore, anno 1501. XVII. Iunij: cum uixisset annos 41. Menses V. dies XXI. regnasset annos 8. menses VIII. dies XXIII.

5 Alexander natus an. 1461. V. Augusti die, magnus Lithuaniæ dux, statim à patris obitu à Lithuanis renunciatus, succedit tandem fratri in regno Poloniæ, an. 1501. Moritur anno 1506. XIX. Augusti Vilnæ: cum uixisset annos 45. & dies XIIII. Eius uxor Helena filia Ioannis ducis Moscouiæ. Moritur anno 1513.

6 Sophia nata an. 1464. VI. Maij, uxor Friderici Marchionis Brandenburgici.

7 Elisabetha nata an. 1465. III. Maij. Moritur an. 1467.

8 SIGISMVNDVS. Vide signum ☞

9 Fridericus natus an. 1468. XXVII. Aprilis, Cardinalis Tit. S. Luciæ. Archiepiscopus Gnesnensis & Episcopus Cracouiensis. Obijt consectus morbo Gallico an. 1503.

10 Elisabetha altera nata anno 1472. XIII. Maij. Moritur in pueritia.

11 Anna nata an. 1476. XII. Martij uxor Boguslai ducis Stolpensis & Stetinensis in Pomerania.

12 Barbara nata anno 1478. XV. Iulij. Vxor Georgij ducis Saxoniæ, & Marchionis Misniæ.

☞ Sigis

Sigismundus natus anno 1467. Cal. Ianuarij consecutus ducatum Glogouitensem & Opauiensem beneficio fratris Ioan. Alberti anno 1500. Magnus dux Lithuaniæ post fratris mortē anno 1506. Electus rex Poloniæ contra fratrem Vladislaum maximū natu anno 1506. VIII. Decembr. & coronatus anno 1507. XXIIII. Ianuar. obijt anno 1548. Cal. Aprilis cum uixisset annos 81. menses tres. Eius uxor

- I. Barbara Stephani Comitis Scepusiensi Palatini Transsyluaniæ filia ex matre Hedwiga ducissa Teschinensi: soror Ioannis R. Vngariæ, ducta an. 1512. Moritur an. 1515. II. Octob. Eius duæ filiæ Hedwiga nata Posnaniæ XXV. Martij, ante XIIII. horam, anno 1513. Vxor Ioachimi Marchionis Brandenburgici Electoris. Anna nata anno 1515. II. Iulij.
- II. Bona Sforzia, Ioannis Galeacij ducis Mediolanensis, & Isabellæ Aragoniæ, reginæ Neapolitanæ filia. Ex ea liberi
  - Isabella uxor Ioannis Vuaynodæ Transyluaniæ, regis Vngariæ, mater Ioannis secundi.
  - Sophia uxor Henrici iunioris ducis Brunsuicensis.
  - Catharina uxor Ioannis ducis Finlandiæ, iam Sueciæ regis.
  - SIGISMVNDVS AVGVSTVS natus an. 1520. IIII. Non. Augusti hora 3 ½ ante meridiem, ascitus à patre ad regni consortium & coronatus, anno 1530. Bellum gerit cum Moscho & moritur sine liberis anno 1572. 23 Iulij cū regnasset solūs post patris obitum annos XXIIII. menses VI. dies XXIII. Eius uxor
    - I. Elisabetha, Ferdinandi Cæsaris filia, nuptijs anno 1543. celebratis, obijt an. 1545. XV. Iunij, sine liberis.
    - II. Barbara Radziuilia. Sine liberis.
    - III. Catharina soror primæ uxoris, filia Ferdinandi Imp. uidua Francisci primi Mantuæ ducis: ducta anno 1553. pridie Cal. Augusti. Moritur sine liberis.
  - Anna mortuo fratre & deserto regno ab Henrico Gallo, uirgo adhuc sed magna ætate nubit Stephano Bathorio, anno 1576. quem ex hoc coniugio regem facit.

DVODECIMA REGNI IN NOVAM FAmiliam translatio.

Cum post mortem Sigismundi Augusti de nouo rege diu multumq; consultatū fuisset: tandē post benè longam deliberationē deligitur in regem Henricus dux Andegauensis, filius Henrici secundi, Franciæ regis: frater Caroli, qui in Gallia tum regnabat. Is igitur rex in castris Gallicis salutatus à Polonis XVII. Iulij anno 1573. comparat se ad Polonicam profectionē & in iter eodem anno XXVIII. Septemb. ingreditur. Cum in Poloniam peruenisset, altero deinde anno 1574. XXI. Febr. coronatus, non multò pòst, fratre in Gallia mortuo, cùm pridie Cal. Iunij rex Galliæ renunciatus esset, conuiuium regium primarijs Polonis præbuit XVII. eiusdem anni: & statim consequenti nocte cum paucis ministris clàm elabitur ut Gallicum regnum capesseret, quod Polonico anteponebat. Sic cum post acceptam coronam regnasset menses tres, dies XXV. Polonicum regnum sua discessione uacuum reliquit & nouo tandem regi, qui XIII. familiam inchoaret, locum dedit.

DECIMATERTIA FAMILIA REGVM POLONIÆ.

Stephanus Bathorius post discessum Henrici Francorum regis, per multas difficultates tandem Polonico regno potitur anno 1576. cum Annam duxisset, Sigismundi Regis innuptam adhuc sororem. Erat autem Transsyluaniæ Palatinus, natus ex ueteri & amplissima Bathoriorum familia, & hodie regnum magna cum laude feliciter administrat.

FINIS GENEALOGIAE REGVM POLONORVM.

GENEALOGIA PRINCIPVM SILESIAE, QVI A' REGIBVS POLONIAE, PIASTI POSTERIS PROCREAti, & in plurimas disseminati prouincias, uarios illius Prouinciæ tractus cum imperio tenuerunt.

IN QVA VRATISLAVIÆ, BRIGÆ, LIGNICII, SVVEIDNICIAE, IAVORII, RATHIBORIAE, OPOliæ, Glogouiæ, Crosnæ, Segani, Freistadij, Olsnæ, Stinauij, Sprotouiæ, Teschini, Monsterbergij, Lubæ, Guræ, &c. Principum origines & propagationes (quousq; peruestigari potuerunt) singulari diligentia traduntur.

ITEM,

TABVLA DVCVM MASSOVIAE, ET PLOCENSIVM, ETC. A' CONRADO PRIMO VSQVE AD IOANnem postremum continuata.

ET

DVCVM LITHVANIAE FAMILIA: QVAE VNDECImam regum Poloniæ propagauit.

OO

DVCES VRATISLAVIENSES.

Vladislaus (cuius progenitores habes in 7. familia regum Poloniæ) princeps Primarius Poloniæ, filius Boleslai Crziuousti uel distorti, nepos Vladislai Hermanni, pronepos Cazimiri, regis Poloniæ, cum in partitione paternæ prouinciæ facta inter fratres, nō acquiesceret, eiectus à fratribus ex Polonia, exulat apud Conradum & Fridericum Imp. quorum opera reconciliatus cum fratribus, cum adiudicatam illi Silesiam occupare uellet, moritur in itinere anno 1159. sepultus Aldenburgi in Holsatia. Eius uxor Christina (ut Poloni scribunt) filia Henrici V Imp. Ego cum alijs sentio qui Gertrudam nominant Leopoldi Marchionis Austriæ filiam.

- *Boleslaus procerus uel altus, intercessione Friderici Cæsaris consecutus cū fratribus Silesiæ principatum anno 1163. fit in partitione dux VRATISLAVIENSIS: & deinde mortuo tertio fratre anno 1198. dux Glogouiensis & Crosnensis. Moritur anno 1201. VI. Decembr. Eius liberi ex uxore*
  - *I. Vuenceslaua Ruthena.*
    - *Alga uel Otilia uirgo.*
    - *Boleslaus moritur ante patrem.*
    - *Ierosl aus Episcopus Vratislauiensis an. 1198. moritur anno 1201.*
  - *II. Adelheida soror Conradi II. Imper. ut Poloni narrāt.*
    - *Henricus barbatus solus succedit patri anno 1201. affectās monarchiā Polonicam anno 1225. cedit sstatim: tandem tamen cōtra Conradum Massouium tutor Boleslai Pudici, princeps Cracouiensis & defectione subditorū dux maioris Poloniæ cōtra Sputatorē. Moritur in Silesia an. 1238. XIX. Martij. Eius uxor Hedwiga sancta, filia Bertholdi ducis Meraniæ, Carinthiæ & Istriæ. Moritur anno 1243.*
      - *Boleslaus uiuo patre factus Lebusensis dominus uendit magnam partem Marchioni Brandenburgico: obijt cœlebs.*
      - *Gertruda abbatissa in Trzebanicz.*
      - *Henricus Pius. Vide* [illegible]
      - *Conradus dominus Crosnæ, Sagani, & Lusatiæ superioris. Moritur ex casu an. 1213. Eius uxor filia ducis Saxoniæ. Sine liberis.*
    - Conradus *obijt in iuuentute.*
    - *Ioannes moritur in prima ætate.*
    - *Adelheida uxor Dipoldi Marchionis Morauiæ, mater Boleslai & Brunonis.*
- *Conradus Loripes, princeps Glogouiensis & Crosnensis. Moritur sine liberis.*

RATHIBORIENSES, TESCHINENSES, BITHOMIENSES ET OPOLIENSES.

- *Miecslaus dux Rathiboriensis, Teschinensis & Opoliensis, autor ducum Opoliensium. Eius filius Cazimirus post patrem dux Rathiboriæ & Opoliæ. Moritur anno 1236. VI. May. Ex Vuenceslaua.*
  - *Micislaus Rathiboriensis moritur an. 1261. sine liberis. Eius uxor Iuditha filia Conradi ducis Massouij.*
  - *Vladislaus Opoliensis ex patre & Rathiboriensis ex fratre princeps. Vxor Euphemia filia Premisli ducis Posnaniensis in maiori Polonia. Eius filius Cozimirus* [illegible] *xit anno 1289. Huius posteros, quanquam magnam partem explicatos habemus tamen propter incertam successionē & personarum confusionem, asscribere noluimus.*

ORIGO LIGNICENSIVM PRINCIpum & Brigensium.

- 40 *Henricus Pius hæres omniũ ditionum patris in Silesia, Lusatia & maiore Polonia anno 1238. Captus à Tartaris in bello trucidatur miserè anno 1241. IX. Aprilis. Sepultus Vratislauiæ in cœnobio à se fundato ad D. Iacobũ. Eius uxor Anna filia Othocari regis Bohemiæ. Ex qua*
  - *Filia promissa Othoni Vuittelspachio sicario & percussori Philippi Cæsaris, sed postea monasticam secuta uitam.*
  - *Filiæ plures moniales in Trebnicensi cœnobio.*
  - *Boleslaus Caluus primũ dux Vratislauiẽsis, sed commutata ditione cũ fratre dux Lignicensis, amittit maiorem Poloniam ab auo occupatã. Moritur ex senio & languore anno 1278. uocatus ad Poloniæ dominatum. Eius uxor*
    - *I. Hedwiga filia Henrici comitis Anhaldini Moritur anno 1275.*
      - *Hedwiga uxor Conradi, filij Semouiti ducis Massouiæ.*
      - *Agnes uxor Vlrici comitis in Vuirtenberg.*
      - *Henricus Ventricosus Legnicius & per unum post patruelis mortẽ Vratislauiensis princeps, sed captus à Conrado patruo magnam occupatæ ditionis iacturam facit. Moritur ex morbo contracto in carcere patrui VIII. Cal. Martij anno 1296. Sepultus Vratislauiæ. Eius uxor Elisabetha filia Boleslai ducis Kalisiiensis in maiori Polonia: ex qua liberi*
        - *Hedwiga uxor Marchionis Brandeburgici.*
        - *Euphemia uxor Othonis Marchionis Carinthiæ.*
        - *Boleslaus dux Brigensis. Vide literam A.*
        - *Helena, Elisabetha* — *Moniales.*
        - *Vladislaus dux Lignicensis, sed cedit fratri cum promissam pecuniam soluere non posset. Deinde amicis uxorem repetit. Tandem delirus uendit Ioanni regi Bohemiæ. Eius uxor fuit filia Boleslai ducis Massouiæ uetula. Sine liberis.*
        - *Anna moritur in prima ætate.*
        - *Henricus dux Vratislauiensis oppressus bello à fratre, ducatum donat regi Poloniæ: à quo receptum tradit regi Bohemiæ anno 1327. unico reseruato oppido Clozko. Moritur anno 1317. Eius uxor Anna uidua Hermanni Marchionis Brandenburgici, filia Alberti Cæsaris Austriaci.*
          - *Euphemia.*
          - *Margareta.*
          - *Elisabetha.*
      - *Bernhardus dictus agilis, moritur sine liberis anno 1280.*
      - *Anna monialis & abbatissa Trebnicensis.*
      - *Catharina in pueritia moritur.*
      - *Boleslaus dux Sweidnicensis. Vide literam B.*
    - *II. Adelheida filia Samborij ducis Pomeraniæ deserit maritum.*
  - *Constantia uxor Cazimiri, filij Conradi ducis Massouiæ anno 1236.*
  - *Vladislaus Archiepiscopus Salisburgensis. Moritur an. 1270.*
  - *Henricus. Vide literam C.*
  - *Gertruda uxor Boleslai filij Conradi ducis Massouiæ.*
  - *Elisabetha uxor Premisli ducis Posnaniensis in maiore Polonia.*
  - *Conradus. Vide literam D.*

BRIGENSES PRINCIPES.

A. Boleslaus dux Brigensis ex diuisione anno 1315. deinde etiã Lignicensis, fratre cedente: tandem etiã Olsnensis per uim, oppresso Conrado filio Henrici Glogouiensis principis, fit regis Bohemiæ beneficiarius anno 1331. Moritur an. 1342. Vxor secunda Catharina Cracouiensis mulier nullos ex eo liberos reliquit: sed ex prima Margareta filia Vuenceslai regis Bohemiæ (quæ obijt an. 1335.) sunt hi filij

- Vuenceslaus dux Lignicensis moritur anno 1347. Eius uxor N. filia Teschinensis ducis: ex qua
  - Rupertus dux Brigensis primum sub tutore patruo, deinde solus anno 1353. Moritur anno 1390. Vxor Hedwiga Henrici Glogouiensis filia uidua Cazmiri magni regis Poloniæ. Ex ea nata Barbara uxor Rudolphi postremi electoris Saxoniæ ex familia Anhaldina.
  - Boleslaus occisus in ludo equestri Lignicij: florente ætate.
  - Henricus decanus Vratislauiensis & Episcopus Vladislauiensis in Polonia.
  - Vuenceslaus episcopus Libusensis, & deinde Vratislauiensis: moritur anno 1417. Paternam prouinciam mortuis fratribus donat agnato Brigensi duci.
- Ludouicus dux Brigensis & Laubanensis tutor liberorũ fratris, princeps optimus. Vxor N. filia Henrici ducis Glogouiensis, & Saganensis.
  - Vuenceslaus mortuus est cælebs.
  - Henricus cognomento τιμαρίας Hertzog Heinrich mit der schrammē. Vxor N. filia Zemouiti ducis Massouiæ, uidua Cazmiri, ducis Stetinensis.
    - Hẽricus dux Lubensis dominus exiguæ ditionis. Vxor ignoratur.
      - Rupertus eques Rhodius.
      - Ludouic. Lubensis anno 1451. uxor Margareta Nicolai Opoliensis soror.
        - Henricus dux Goldbergẽsis, moritur in adolescentia.
        - Ioannes Lubensis dux Lignicensis post socerũ, sed reiectus à subditis, moritur mœrore anno 1453. Sepultus Olauiæ.
    - Ludouicus dux Lignicius ex Ruperto agnato & Brigẽsis ex patre, dominus Trentschinensis comitatus in Vngaria gratissimus Sigismũdo Cæsari. Moritur an. 1436. Vxor Elisabetha filia Friderici Burggrauij Noribergici I. Electoris Brandenburg.
      - Hedwiga uxor agnati Ioannis Lubẽsis
      - Magdalena uxor Nicolai Opoliensis ducis.

Ex his natus Fridericus. Vide fig. B.

B. Fridericus materni aui hæreditatẽ totã recuperat an. 1469. post longam & incertam expectationem, cũ ditio à Bohemiæ regibus teneretur, generalis præfectus Silesiæ, moritur an. 1488. IX. Maij annorũ 42. Natus enim esse dicitur an. 1446. Eius uxor Ludomilla filia Georgij Boiebracij regis Bohemiæ. Obijt anno 1503. Ex ea nati,

- Fridericus dux Lignicensis, eques auratus creatus Hierosolymis, præfect Silesiæ inferioris natus anno 1480. Moritur anno 1547. Vxor prima Elisabetha Cazimiri R. Poloniæ filia. Moritur an. 1517. XVII. Februar. in puerperio. Sine liberis. Ex secũda Sophia Friderici M. Brandeburg. filia, mortua anno 1537. sunt nati
  - Sophia uxor Ioannis Georgij March. Brandeburgici.
  - Georgius natus an. 1524. egregius princeps, litterarũ Mecænas et ornamẽtũ Silesiæ. Viuit adhuc dux laudatissimus. Vxor Barbara Ioachimi II. March. Brandeburgici filia, celebrat nuptias an. 1545
    - Barbara moritur uirgo.
    - Ioachimus præfectus Lebusensis ditionis. Eius uxor filia principis Anhaldini.
    - Elisabetha.
    - Ioannes.
  - Fridericus natus anno 1520. dux Lignici. Moritur 1570. XV. Decembr. Vxor Catharina Henrici ducis Mechelburg. filia.
    - Catharina uxor Friderici Cazimiri ducis Teschinensis. Nuptiæ fuerunt 1563.
    - Helena uxor Sigismũdi Curtzbachij Baronis.
    - Henricus natus an. 1539. abdicare se magistratu iubetur à Cæsare an. 1576. Vxor Sophia Georgij M. Brandeburgici filia.
      - Sabina Barbara moritur infans
      - Georgius Fridericus moritur in pueritia.
      - Aemylia nata anno 1563.
    - Fridericus fratri in administratione prouinciæ succedit: natus anno 1552.
- Ioannes Mortuus est iuuenis 18 annorum.
- Georgius dux Brigẽsis gratissimus Maximiliano Cæsari. Mortuus est an. 1521. pridie Cal. Iunij. Vxor Anna Boguslai X. Pomeranæ ducis filia: sine liberis.

DVCES SVVEIDNICENSES, IAVRENSES, & Munsterbergenses.

- B. Boleslaus dux Sweidnicẽsis, & dominus Iauorij, &c. Fundator Cœnobij Griffensis. Moritur anno 1301. Vxor ignoratur.
  - Henricus Iauorij dux: moritur sine liberis. Vxor Agnes, filia Vuenceslai R. Bohemiæ.
  - Boleslaus Sambicensis, uel Munsterbergensis dux. Vxor ignoratur. Eius filius Nicolaus dux Munsterbergensis. Moritur in Hungaria, in reditu ex Syria. Eius uxor ignoratur.
    - Henricus commendator ordinis Teutonici in Prussia.
    - Boleslaus dux Munsterbergicus occisus à fatuo ex cono ictu lateris. Vxor ignoratur. Sine liberis.
  - Bernhardus Sweidnicẽsis dux in Silesia. Vxor N. filia Vladislai Locti R. Poloniæ.
    - Boleslaus uel Bollo dux Sweidnicensis. Moritur anno 1368. Sepultus Grissæ. Vxor Agnes filia Leopoldi ducis Austriæ, neptis Alberti Cæsaris. Alij Catharina. Sine liberis.
    - Henricus uel Heynko dux Iaurensis & Furstenbergensis. Obijt anno 1345. Author Laubanensis Cœnobij ad S. Mariem Magdalenam. Eius filia Anna, uxor fuit Caroli IIII. Cæsaris, cum dote Sweidnicensis & Iaurensis ditionis.

- C. Henricus primum Lignicius dux, postea commutatione, princeps Vratislauiensis. Moritur an. 1266. Eius uxor
  - I. Iuditha filia Cõradi ducis Massouiæ, uidua Micislai Opoliensis.
    - Henricus IIII. uel Probus dux Vratislauiensis ex patre & princeps supremus Poloniæ, anno 1289. contra Boleslaum Massouium & Locticum. Moritur an. 1290 sine liberis. Vxor Mechtilda filia Othonis March. Brandeburgici.
    - Hedwiga.
  - II. Filia ducis Saxoniæ.

INITIVM DVCVM GLOGOVIÆ.

- D. Conradus primũ ecclesiæ destinatus, armis hæreditatem paternam repetit; factus dux Glogouiensis & Crossensis, anno 1251. cum ex testamento Henrici Probi relictus esset Vratislauiensis principatus hæres: impeditur ab Henrico Ventricoso Lignicio duce: sed tamen magnam partem istius prouinciæ tandem accepit. Moritur ex ueneno septuagenarius, an. 1298. Eius uxor
  - I. Salome filia Vladislai Spitatoris ducis maioris Poloniæ, sanctissima matrona moritur, an. 1271.
    - Henricus primum Glogouiẽsis & post fratres totius paternæ ditionis princeps & dux etiam maioris Poloniæ, & electus cõtra Locticum supremus princeps Poloniæ. Moritur an. 1309. V. Idus Decembr. Sepultus in Lubensi monasterio. Vxor Mechtilda Alberti Brunsuicensis ducis.
      - Henricus IIII. Zagani & Sprottæ princeps & mortuo Premislao fratre, dominus dimidiæ Glogouiæ. Moritur ex dolore quod frater alteram Glogouiæ partem uendidisset Bohemo an. 1314. Eius uxor Mechtilda Hermanni March. Brandenburgici filia ex matre Austriaca Anna. Ex ea natus Henricus V. Ferreus. Vide signum):(
      - Beatrix uxor Ludouici Cæsaris.
      - Conradus dux Olsnicensis, & post Ioannẽm fratrem Stinauiensis autor omnium Olsnicensium principum, qui usq; ad an. 1491. uixerũt.
      - Ioannes dux Stinauij & Curæ, & post Premislaũ fratrem dimidiæ Glogouiæ, quam uendit Ioanni R. Bohemiæ. Moritur sine liberis.
      - Premislaus dux Glogouiensis, occisus a suis an. 1331.
    - Anna.
    - Cõradus dux Stinauiensis & Gorensis, gibbosus homo: fit præpositus Vratislauiensis & cum Archiepiscopatum Salisburgensem ineptè propter ceruisiam, quæ isto loco non esset, repudiasset, ideoq; ditionem a fratre reposceret, captiuus liberatus tandem moritur an. 1304. cœlebs. Sepultus Stinauiæ.
    - Euphemia.
    - Premislaus dux Sprottensis & Saganensis occiditur in bello Henrici Probi Vratislauiensis contra Locticum an. 1290.
    - Hedwiga.
  - II. Brigida, Theodorici Marchionis Misniæ filia, uidua Conradini ducis Sueuiæ. Obijt anno 1272. cum nuptiæ fuissent anno 1271. Sine liberis.

- *Henricus V. Ferreus, dominus dimidiæ Glogouiæ, Guræ, Sagani, Crosnæ, Freistadij, Sprottæ, &c. Amittit interceptum à Polonis Fraunstadiensem tractum. Proficiscitur in Syriam & moritur anno 1369 Vxor Catharina.*
  - *Henricus VI. cognominatus senior, dux Sagani, Crosnæ & Swibusij Moritur sine liberis.*
  - *Henricus VII. Rapoldus, dux dimidiæ Glogouiæ, Stinauiæ, & Guræ, dominus arcis Heinczendorffij. Moritur sine masculis liberis.*
  - *Henricus VIII. cognomine Passer, dux primũ Freistadiensis & Sprottanus. Tandem post fratres totius paterni ducatus princeps. Moritur anno 1395. Vxor N. filia ducis Opoliæ & Rathboriæ.*
    - *Ioannes Saganensis crudelis princeps, primus Sagani dux. Moritur an. 1439 Vxor filia Landgrauij Thuringiæ: alijs ducissa Saxon. Scholastica Lauëburgica.*
      - *Ioannes Saganẽsis, uel Swibusiensis dux, & deinde etiã D. dimidiæ Glogouiæ: asperrimus tyrãnus, postremò cõiectus in exiliũ, moritur in inopia, anno 1502. Vendit Saganẽsem ducatũ Ernesto, & Alberto fratribus Saxoniæ ducibus. Vxor Catharina, filia Vuenceslai Stinauiensis, ex matre Salome.*
        - *Salome uxor Alberti*
        - *Hedwiga uxor Georgij*
        - *Anna uxor Caroli*
        - (these three:) *Munsterbergici ducis Nam hæ tres sorores trib. fratribus, filijs Henrici Munsterbergici, nepotibus Georgij Boizebracij, regis Bohemiæ nupserũt: anno 1488.*
      - *Vuenceslaus consenescit Vratislauiæ in otio, mortuus anno 1468.*
      - *Rodolphus cecidit in bello Prutenico an. 1454. XVII. Septembr.*
      - *Balthasar egregius miles, moritur in carcere in quem frater Ioannes eum coniecerat.*
      - *Tres filiæ: quarum nomina latent.*
    - *Vuenceslaus Crosnensis dux, discerptus à rupta belli machina.*
    - *Henricus IX. Rapoldus. Moritur in aula Regis Daniæ.*
    - *Hẽricus X. dominus dimidiæ Glogouiæ & Freistadij, unde dux Freistadiensis dici cõsueuit. Moritur anno 1467. Vxor Hedwiga.*
      - *Elisabetha.*
      - *Anna uxor domini Rosenbergij Bohemici Baronis.*
      - *Sigismundus natus anno 1430. Moritur anno 1558.*
      - *Henricus XI. dimidiæ Glogouiæ, & Freistadij dux. Moritur an. 1476. XXI. Februarij. Eius uxor Barbara Alberti March. Brandeburgici electoris filia, nata X. annos concubuit cum marito: anno 1474.*
  - *Hedwiga uxor Casimiri Regis Poloniæ. Quo mortuo nubit Ruperto Lignicensi duci.*

DVCES MASSOVIÆ, CVIAVIÆ, LANCICIÆ, DOBRZIni, Siradiæ, Cirnæ, Plocij, Varsauiæ, Gnieuukouiæ, Michelouiæ, Belsij, Rauij, &c. Ex Regibus Poloniæ propagati.

- *Conradus Cazimiri Poloniæ domini filius Boleslai nepos, Vladislai Hermanni pronepos, Cazimiri R. abnepos, frater Leskonis albi, domini Poloniæ, dux Mazouiæ et Cuiauiæ, affectat principatum Poloniæ: euocat Crucigeros equites Germanos contra Prutenos, anno 1213. aliâs 1217. Mirabilis princeps, moritur anno 1247. Sepultus in ecclesia Plocensi. Vxor Agathia Russa.*
  - *Semouitus dux Mazouiæ post patrem, captus à Ruthenis in bello decollatur anno 1260. uel 1262. Vxor Gertruda.*
    - *Conradus dux Massouiæ Cirnensis affectat principatum Poloniæ contra patruelem Leslonem Nigrum anno 1282. & 1285. sed frustrà: moritur an. 1294. sine liberis. Vxor Hedwiga filia Boleslai Calui Lignicensis ducis.*
    - *Boleslaus. Vide signum **
  - *Iuditha Micislai Opoliensis & secundò Henrici Vratislauiensis uxor.*
  - *Premislaus occisus in bello contra Henricum Barbatum Vratislauiensem an. 1228.*
  - *Boleslaus moritur post patrem sine liberis. Vxor Gertruda uel Constantia, filia Henrici Pij Vratislauiensis.*
  - *Micslaus à muribus deuoratus.*
  - *Cazimirus Dux Cuiauiæ, Lanciciæ, & Siradiæ, post patrem, moritur an. 1266. Eius liberi ex uxore*
    - *Priore*
      - *Zemomislus dux Vladislauiensis, moritur anno 1287. Vxor Salomea filia Suatopolci ducis Pomeraniæ*
        - *Letko dux Ino Vladislauiensis, Michalouiensis, & Vuissegradensis, captus à Vuenceslao Poloniæ & Bohemiæ R. oppignerat Michalouiensem ducatum crucigeris. Mortuus sine herede.*
        - *Constantia Abbatissa Trebnicensis.*
        - *Fenenna uxor Stephani regis Vngariæ.*
        - *Premislaus dux Bidgostiæ, gubernator cum patre Pomeraniæ an. 1310. Moritur sine herede.*
        - *Cazimirus D. Gnievkouiensis & mortuis fratribus totius paternæ ditionis domin⁹. Eius uxor ignoratur.*
          - *Vladislaus albus, uaria fortuna iactatus, tandem abbas & monachus, uendito Gnievkouiensi ducatu Ludouico Hungariæ & Poloniæ regi, ex abbatia Hungarica fugit Diuionem: inde reuocatus contra Ludouicum R. affectat regnū Polonicum. Sed redit Diuionem in monasteriū infelix homo, ubi moritur.*
          - *Elisabetha uxor Stephani H fiubarbani, regis Bosnæ, mater Elisabethæ, quæ nuptijs fuit cum Ludouico Vngariæ R. coniuncta.*
      - *Letko Niger D. Siradiensis, post Boleslaum Pudicū ex adoptione dominus Poloniæ an. 1279. Exagitatus à Conrado patruele Massouiæ an. 1285. uincit an. 1287. Et eodē grassantib. Tartaris fugit in Vngariā. Redit an. 1288. & moritur an 1289. prid. Cal. Octobr. sine liberis. Vxor Griffina filia Roscislai ducis Russiæ, soror Cunegundæ Bohemæ.*
    - *Secunda Constantina filia Henrici Pij Vratislauiensis: alij Gertruda*
      - *Vladislaus Locticus R. Poloniæ, cuius familiam uide in mutatione regni Polonici.*
      - *Semouitus Dobrinensis dux. Vxor Anastasia*
        - *Cazimirus.*
        - *Vladislaus Lenciciensis D. permutatione Dobrinensis ducatus à rege.*
      - *Cazimirus Lenciciensis dux, interficitur in bello Lithuanico anno 1294. sine liberis.*

* Bolesla

- Boleslaus D. Plocēsis in Massouia, princeps Poloniæ post Lestkonem Nigrum, sed uictus ab Henrico Probo Vratislauiense, moritur an. 1313. Vissegradi 6. Cal. Maij. Eius liberi ex uxore
  - I. Prezislaua Lithuana Troidenī ducis filia
    - Semouitus Cirsci dux Vxor ignoratur. Filius Semouitus extinctis patruelibus dominus Massouiæ, iurat in uerba regis Poloniæ anno 1355. Moritur anno 1381. in arce Plocēsi. Eius liberi ex uxore
      - I. Filia Nicolai ducis Opauiæ
        - Ianussius uel Ioānes Varsouiensis dux in Massouia. Moritur an. 1428. Vxor Anna Keystuth Lithuaniæ ducis filia. Ex ea filius Boleslaus Varsouiæ dux, electus R. Poloniæ contra Caximirum Iagellonis filium an. 1446. sed statim repudiatus. Moritur anno 1462. Vxor Barbara Rusiiæ ducis filia.
          - Conradus Varsouiæ dux & post fratrem Ioannē Cirnēsis. Moritur an. 1503. XXVIII. Octob. Vxor Anna plebeia.
            - Ioannes Cirnensis dux
            - Stanislaus Cirnensis dux. — His duobus mortuis an. 1526. tota Massouia redijt ad regnum Polonicum.
            - Anna uxor Stanislai Odrouanzi Palatini Rusiiæ.
          - Caximirus Canonicus Episcopus Plocensis.
          - Anna uxor Michaelis filij Sigismundi ducis Lithuaniæ.
          - Boleslaus moritur sine liberis. Vxor Anna filia Pauli Hunouij Palatini Belsensis.
          - Sophia.
          - Ioannes Plocensis dux aspirat ad regnum contra Ioannem Albertum anno 1492. Moritur cœlebs an. 1495 XXIII. Febr.
        - Zemouitus Dux Plocensis Massouiæ, Rex Poloniæ renūciatus cōtra Sigismūdum R. Hungariæ, sed non consecutus regnum, obijt anno 1426. Vxor Alexandra soror Iagellonis regis Poloniæ, filia Olgerdi.
          - Catherina moritur innupta.
          - Euphemia uxor Vuenceslai Teschinensium ducis filia.
          - Zimbarca uxor Ernesti ducis Austriæ.
          - Casimirus Belsensis dux: moritur an. 1446.
          - Alexander patriarcha Aquilegiensis, episcopus Tridentinus & Cardinalis, Legatus concilij Basiliensis an. 1442.
          - Semouitus Rauensis dux. Vxor ignoratur. Filia Margareta uxor Conradi Nigri ducis Olsnicensis.
          - Amelia uel Aurelia uxor Boguslai Stolpensium ducis, sponsa anno 1432.
          - Vladislaus Plocēsis dux & Belsensis post fratrē. Moritur an. 1455. Vxor ignoratur.
            - Zemouitus Plocēsis dux.
            - Vladislaus Rauisis & Belsensis dux. — Sine liberis mortui ueneno anno 1462.
          - Agathia uxor Michaelis ducis Lithuaniæ, qui filius erat Sigismundi fratris Vitoudi: aliâs Anna dicitur Boleslai filia.
      - II. Filia Vladislai ducis Zambicensis iugulata à marito
        - N. filia, uxor primum Caximiri Stetini ducis: secundò Henrici Stigmatiæ Brigensis.
        - Henricus Lenciciensis præpositus & episcopus, sed ducit uxorē: sublatus statim post nuptias ueneno. Vxor Ringala filia Vitoldi ducis Lithuaniæ aliâs soror. Sine liberis.
        - Agathia uxor Vladislai Opoliensis, Vielunensis & Dobrinensis.
    - Troidenus Dux Varsouiæ in Massouia. Vxor Maria filia Russorū ducis.
      - Caximirus moritur an. 1354. sine liberis.
      - Boleslaus dux ex matre Halicensis, Leopoliensis, & Vladimiriensis in Rusiia. Occiditur à suis ueneno propter imperatas exactiones an. 1340. Vxor ignoratur: sine liberis.
  - II. Bohema
    - N. filia.
    - Vuenceslaus uel Vanko dux Plocensis in Massouia. Vxor Elisabetha, filia Gedemini ducis Lithuaniæ. Eius unicus filius Boleslaus dux Plocensis: moritur an. 1353. hærede relicto Caximiro rege.

DVCVM

DVCVM LITHVANIÆ FAMILIA, QVÆ VNDECIMAM REGUM POLONIÆ PROCREAUIT.

Gedeminus, occiso legitimo principe Vithene & ducta illius uxore, dux Lithuaniæ, an. 1300. occisus sagitta in bello contra cruciegeros anno 1308. Vxor ducissa Lithuaniæ, uidua prioris ducis Vithenis.

- **Filij VII.**
  - *1. Moniuidus dominus Kernouiæ & Slonimi in Russia.*
  - *2. Narimundus dominus Pinsci à patre. Vxor ignoratur. Filius Georgius.*
  - *3. Olgerdus dominus Kreuæ à patre & Russiæ ex uxore, deinde eiecto fratre Iaunutho dominus Vilnæ, & dux Lithuaniæ. Moritur an. 1381. Vxor ignoratur.*
    - **Filij XII.**
      - *Iagello succedit patri in magno ducatu Lithuaniæ an. 1381. Post electus rex Poloniæ 1386. Vide huius posteros & uxores in undecima regum Poloniæ familia.*
      - *Skirgellus dux Plocensis, postea Lithuanus, tertiò cedens patrueli Vitoldo, dux Kiouiensis in Starodub. Moritur ex ueneno anno 1395.*
      - *Switrigellus in baptismo Boleslaus dux Lithuaniæ post Vitoldum patruelem, an. 1430 Expulsus iterum an. 1432. suffocatus an. 1452 Vxor Russa Trecensium ducis filia.*
      - *Borzischus.*
      - *Koributhus dux Hussitarum in Bohemia occisus an. 1435.*
      - *Viguntus Alexander in baptismo, dux Bidgostiæ & Inowladislauiæ. Sine liberis. Vxor filia Vladislai Opoliensis ducis.*
      - *Korigalus, postea Cazimirus, capite plectitur ab hoste an. 1390.*
      - *Normunthus strangulatus à crucigeris an. 1390.*
      - *Langwinus.*
      - *Lubartus.*
      - *Andreas.*
      - *Buthauus.*
    - **Filiæ duæ**
      - *Maria uxor Voidilonis pincernæ.*
      - *Alexandra uxor Semouiti ducis Massouiæ.*
  - *4. Iaunuthus dominus Vilnæ, unde eum fratres exturbant & faciunt ducem Zaslauiensem.*
  - *6. K[illegible]thus dominus Nouogrodi: uxor ignoratur.*
    - *Alexander dux Vladimiriæ.*
    - *Georgius.*
    - *Theodorus.*
  - *7. Lubardus à patre nihil acceperat, sed ex uxore dux erat Leopoliensis & Vuladimiriensis. Vxor filia & hæres ducis Leopoliensis, & Vladimiriensis.*
  - *5. Keystuthus dominus Troci, tandem captus à nepote ex fratre Iagellone occiditur in carcere, an. 1382. Vxor ignoratur.*
    - *N filia uxor Andreæ Ioannis ducis Kiouiensis, mater Mariæ reginæ Polonicæ, uxoris Iagellonis.*
    - *Vitoldus post baptismũ Alexãder, magnus D. Lithuaniæ beneficio patruelis Iagellonis regis Poloniæ: moritur in regij tituli affectatione anno 1430. Vxor*
      - *I. Anna. Eius filia Anastasia postea Sophia, uxor Basilij ducis Moscouiæ.*
      - *II. Iuliana prioris uxoris matertera. Sine liberis.*
    - *Patricius.*
    - *Totiuilus.*
    - *Sigismundus dux Starodubensium, postea Lithuaniæ dux. Vxor ignoratur. Filius Michael eiectus ex ducatu Lithuaniæ: eius uxor Agathia filia Boleslai Massouij: alij Anna filia Zemouiti Massouij, nisi duæ fuerunt uxores.*
    - *Voydatus.*
    - *Anna uxor Ioannis ducis Massouiæ.*
    - *Ringala uxor Henrici ducis Massouiæ: alijs filia Vitoldi.*
- **Filiæ II.**
  - *Anna uxor Cazimiri regis Poloniæ an. 1325.*
  - *Elisabetha uxor Vuenceslai ducis Plocensis in Massouia.*

FINIS.

B A S I L E AE,
PER SEBASTIANVM HENRICPETRI, ANNO
SALVTIS NOSTRÆ INSTAVRATÆ,
CIↃ. IↃ. XXCII. MENSE SE-
PTEMBRI.

